Bs.

This volume was probably printed by Francis Kuyper judging from type & paper.

I cannot find out who was the editor.

W.H.B.

Walter H. Burgess.
Sept. 1902.

This volume may be considered as an addition to the eight tomes in which the works of the Polish Brethren are contained.

Samuel Przipcovius b. circa 1592 d. 19 June 1670.

Stephen Batory. 1576 – 1586.
Sigismund III. 1587 – 1632.
'less unsparing in his efforts to extirpate Protestantism from his dominions.'
Wladyslaw IV. 1632 – 1648.
John Casimir. 1648 – 1668.
an ecclesiastic abdicated & retired to France.

Jesuits admitted to Poland – 1558.
Jesuits suppressed in Poland. – 1778.

Przypkowski

SAMUELIS PRZIPCOVII

Equitis Poloni & Consiliarii Electoris Brandenburgici

COGITATIONES SACRÆ

AD INITIUM EUANGELII MATTHÆI

ET

OMNES EPISTOLAS

APOSTOLICAS.

Nec non

TRACTATUS VARII ARGUMENTI,

Præcipue

DE JURE CHRISTIANI MAGISTRATUS.

Quorum Catalogus post præfationem exhibetur.

ELEUTHEROPOLI,

Anno Salutis 1692.

11/27/33

Holmes

PRÆFATIO
Ad
LECTOREM.

IAm dudum invaluit opinio, usu vetusto vim tyrannicam nacta, nemini fas esse non Theologo Theologiam tractare. Indignum esse clamant, si quis animo exsurgere, & illotis, ut ajunt, manibus sacra attrectare sustineat, qui rite initiatus non sit a sacrificulorum choro. Qui sine suffragio populi fasces sibi dominationis, & plenam jurisdictionem vendicant, intolerandum arbitrantur Theologiæ fines, sibi solis relictos scilicet, ab aliis invadi.

Procul o, procul este prophani Conclamat Vates.

Cùm tamen divina sapientia, postquam Euangelii cunctis exortum est jubar, publice per omnium ora incedat, & ultro in compitis, ac triviis ad se invitet non flamines tantum, & sacrorum antistites; sed ipsos proletarios, ac pullatam turbam. Quibus itaque februis author noster, tanquam triste bidental moverit, expiabit invidiam; quem, postquam vitæ curriculum in aulis principum, ac castris exegit, repente Theologi partes agentem, Theologiam temerare causabuntur? Verùm ille unicæ Veritati litans, insulsa hominum judicia, & obstrepentes graculos infra se semper putavit. Et sane si rem recta reputemus via, *qui mores hominum multorum vidit, & urbes*, mundique genium perspectum habens, animum longo rerum usu subactum ad sacra confert, experientiâ magistrâ edoctus, quam homini sit indignum aut magistris, aut partibus obnoxiam mentem gerere; multo serenius, ac limpidius de rebus judicabit, & judicata liquidius scriptis evolvet suis, quam Doctores umbratici, qui corpori simul ac menti situm contrahentes, velut in specu Platonis umbras, nubes, & inania captant; atque ad recepta dogmata sua alligati, intra limites quosdam, ac præscripta spatia semet claudunt, & torquent. Sic ut nihil bonæ frugis ab iis proveniat, sed, præter luxuriantem ac inflatam zizaniam, jejuna, sterilia, frigida cuncta. Verùm qui liberi, & sui juris, suo se modulo metiuntur, nec curant scientiam suam ultra humanæ sortis metas extollere, næ isti modestæ, sobriæ, ac frugalis Theologiæ fructus uberrimos ferunt. Id ita esse ut omnes credant, rem ipsam authorem dabo. Quisquis à limine scripta Magni Przipskovii introspexit, protinus admirandam rerum majestatem, veræ sapientiæ medullam, entheos animi sensus, & profundam eruditionem, apprime in agendâ vitâ utilem, oculis habebit expositâm; ad quam frigent, torpent, languent vulgaris notæ Theologi, in quorum scriptis vix micam salis, aut bonæ mentis reperias: sed omnia rancida, insulsa, putida, ex locis suis communibus, tanquam penariâ cellâ deprompta. Insitum fere Mystarum gregi, ut se, suaque admirentur, pro opinione pertinaciam induant, & si quis dogmatibus, ac decretis suis al-

bum calculum adjicere abnuat, eum peſſimis modis mulctent. Sic ut in eorum ſcriptis, in quibus inter ſe tanquam gladiatorum paria committuntur, nihil homini dignum, ſed lolliginis ſuccum, & æruginem meram, imo plauſtra convitiorum ſordibus onuſta, ac Augiæ ſtabulum reperias. His intermiſcent captioſas verborum tricas, & involuta ac contortuplicata ſophiſmata, quibus rationis tela, & congreſſum vetitatis eludant. Ita ut in ſenticeto verſari præoptes, quam illas differendi ſpinas mente ac lectione peragrare; quæ, dum meris diviſionum, ac definitionum ſalebris conſtant, ſine ulla fruge bonâ, arena ſine calce, & oſſa ac pellis tota ſunt miſerâ macritudine. Noſter vero nunquam criſtas erigit, nuſquam ſe effert, à ſupercilio & palpo æque alienus, & alienæ in ſe, ſuæque in alios dominationis juxta impatiens. Non qua itur, ſed qua eundum, non antecedentem gregem, non factioſos magiſtros, ſed unum Chriſtum, ejuſque veritatem ſequitur obnoxie. Errores, non errantes aggreditur ea animi moderatione, eaque modeſtiâ, ut quamvis indigniſſimis modis ſit habitus, mens ejus ſibi ſemper conſtans, ſuique compos, nunquam aut irâ, aut indignatione de gradu dejiciatur. Verum ne verba ſeram, ubi rerum teſtimonia ſuppetunt, de ſtilo, ſcriptis, vita & moribus authoris pauca tradam. Ut ſunt varia hominum palata, aſinus carduis, ſus uligine gaudet, aſt amaricinum fugitat; ſic multi ſpinoſis Scholaſticorum ſcriptis, & lutulentâ ſtili barbarie capiuntur. Ut captus eſt illorum hominum, Theologi ſupercilio indignam judicabunt elegantiam iſtam, ac munditiem, quæ in authoris noſtri dictione ſine fuco & calamiſtris naturali ſuâ pulchritudine exſurgit. Sermonem maſculum ſucco, nerviſque plenum, & pondera verborum majeſtati congrua, præſertim cum entheato ſpiritu, velut extra ſe raptus, altius aſſurgit, aut latiore periodo excurrit, mens Metaphyſicorum ſordibus immerſa non aſſequitur. Author tamen nonnunquam, ſed raro Barbariſmos admittit, fortaſſis ut iis, tanquam amuleto, theologicæ invidiæ averruncet faſcinum; aut ne nimium ambitioſe verborum ſtudioſus videatur, qui ad unam veritatem collimet. Sic Longinus olim tradidit maximos homines, cum exactiſſima quæque ſcriberent, errores interdum in minimis uſque adeo non effugiſſe, ut in quoſdam etiam ſponte delati ſint.

Sed antequam de ſcriptis, ac vitâ Authoris ſine ordine, ac deſultorio modo, hinc inde quædam delibare aggredior, monendus eſt Lector, quod intra trium annorum moram, quibus ſub prælo detentum fuit hoc volumen, nihil quicquam potuerim exſculpere ex iis, quibus acta hujus viri non comperta eſſe non poſſunt. Qui Wiſſowatii, viri ſane boni, ac docti, ſed, ſi cum hoc Poloniæ ac orbis lumine conferatur, obſcuri hiſtoriam verboſe contexunt, ut Criſpini ſcrinia lippi compilaſſe putes, ejuſque genus gemino velut ab ovo ordiuntur, rerum quiſquilias paſſim congerentes, quas lector curat ſcilicet, nihil indagare quicquam potuerunt de vitâ, moribus, rebuſque geſtis Magni Przipcovii, in tanta omnium luce verſati, natalibus clariſſimi, & omni laudum genere cumulatiſſimi? Fallor? An Herois hujus me-

memoriam lividæ oblivioni carpendam damnarunt, quod addictus in verba Magiſtri jurare ſemper noluerit, aut hominum authoritati ita aſſurgere, ut in eorum opiniones inquirere non auderet? Ego tamen illi, quantum in me eſt, non deero. Quæ mihi memoria quaſi per nebulam ſuggerit, ante viginti annos audita ex Polonis, aliiſque exploratiſſima narrantibus, quamvis pauca admodum, non gravabor expromere. De nobiliſſimâ ejus proſapiâ, & infantiâ nihil in memoriam regredienti ſuccurrit. Adoleſcens octodecim annos plus minus natus, cum Lugduni Batavorum ſtudiis operam navaret, primum ingenii ſui tyrocinium, de pace & concordiâ Eccleſiæ libellum edidit, quem præclaro teſtimonio exornarunt, qui Theologorum coryphæo Epiſcopio aſcripſerunt. Eodem fere tempore prodiit ejus apologeticon adverſus Danielis Heynſii mordacem ſatyram, cui titulus *cras credo*, *hodie nihil*, ſcurriliter facetam, ubi proterve deſpuit, & omnem animi virulentiam evomit in integerrimos viros, Hollandiæ Ordines, 1618. à clavo Reipubl. rejectos, & Utenbogardum, Epiſcopium, alioſque, quos eadem procella proſtraverat. Nec id impune tulit. Noſter enim juvenili, ſed modeſto impetu ita ſenis purulentam compreſſit maledicentiam, ut tela in bonorum innocentiam contorta, repercuſſa leviter, in authorem ſuum reſilierint. Cui certe pudorem expreſſit, aut, ſi depuduerat, ad poſteritatem, ut ſyncero ejus judicio cadat, provocavit. Sic ingenium illud præcox maturos, & eruditis omnibus probatiſſimos fructus tulit.

Reverſus in patriam, intaminatis Muſarum laureis redimitus, & muniis ampliſſimis perfunctus, honoribus ac virtutibus floruit, in laude ac gratia Regi, Principi Radzivilio, cujus in Apologiâ ſuâ cauſam agit, intimus. Quos honores, quas res geſſerit, domi, militiæque, in toga vel ſago, conſilio ac manu promptus, flexanimâ eloquentiâ, & armis validus, animo invictus, confuſâ rerum imagine menti oberrat, ut certi nihil ac ſolidi aſſerere audeam. Ne quis credat animum ejus ad magna ſurgentem, ab aulicis Syrenibus captum, otio & delitiis marcuiſſe, quod ferax ejus ingenium nullos interim fructus tulerit præter Principis Radivilii apologiam, Socini vitam, & Panegyricum ad Uladiſlaum Sigiſmondum Poloniæ regem, ubi clementiam ejus in diſſentientes, & quæ inde commoda in Rempubl. redundent, dignis præconiis extollit. Mentem enim plurimis ſemper negotiis habuit exercitam, & quamvis eam umbraticis ſtudiis jugiter non excoluerit, ſolidis tamen rerum experimentis, longoque uſu peracutum judicium ſuum limavit; quod ſubtilioribus & altioribus ſemper defixis, in ſe replicatum, retundi ſolet. Certum habeo, quoſdam ejus libros nobilis argumenti, & ad unguem caſtigatos, una cum hiſtoriâ Eccleſiarum unitariarum regni Polonici injuriâ temporum, ac ſæviſſimâ illa tempeſtate, quæ cunctos, Socini caſtra ſequentes, obruit, periiſſe. Quo quidem tempore

Magnus hic Przipcovius honoribus, ac fortunis omnibus exutus, una cum fratribus tanquam Vere Sacro natis, patriæ finibus exigitur. Quamvis Papatus magnis, & invidiosis promissis hoc orbis sydus ad suas partes invitaret, Christum nudum cum fratribus, quibuscum sibi non conveniebat usquequaque, nudis ad exilium, ad famem sequi maluit, quam, ut opibus, & copiis omnibus affluëret, transversum digitum aut latum unquem à rectâ conscientiâ discedere. Quam indignis modis, quantoque cum Poloniæ vulnere, & nunquam obducendâ opprobii cicatrice, invitis patriis legibus, & omnibus bonis è patriâ cum suis sit ejectus, ingeniosissime peroravit in libello, cui titulus, *Judicium synceri, & antiqui*, &c. ubi sub larvâ Papicolæ cujusdam bonam causam fortiter tuetur. Quos casus, & quæ discrimina subierit nemo compertius, & exploratius Authore ipso explanabit; cujus epistolam suas ærumnas enarrantem, ad D. Joannem Næranum olim datam, hic inserere consultum videtur.

Vid. pag. 437.

Vir omni laudis genere Eminentissime,
Domine & Amice plurimum honorande.

„ QUod anxiis votis optandum est, omni conatu enitendum fuit, ut
„ amicitia tuâ frui possem: id ultro ab humanitate tua prævento mihi
„ obtigisse, plurimum gaudeo & gratulor. Satis arcto benevolentiæ tuæ
„ vinculo animum tibi meum adjunxeras, edito tam insigni operæ nostris na-
„ vatæ specimine, & porrò quoque oblato indefesso navandæ studio. Ego
„ vero peculiari quoque meo nomine quantum tibi debeam, testantur in
„ amicorum literis effusi in me favoris plena indicia. In quibus quantum ma-
„ gis falleris ea nobis tribuendo, quæ quia non agnoscimus, pudore suffun-
„ dimur, tanto magis nos obstringit is, qui defæcato alioqui judicio tuo tene-
„ bras offudit, propitius erga nos affectus. Postulas ut calamitatis & ege-
„ statis nostræ tibi descriptionem exhibeam. Infandum tu nempe jubes re-
„ novare dolorem: sed per vestigia luctuum iterum incedere, & cruda ad-
„ huc & hiantia, necdum cicatricibus obducta retractare vulnera, horret
„ animus ad exceptos tot fulminum ictus attonitus & pavens. Qui nos ca-
„ sus hucusque agitaverint, quæque ipse miserrima vidi, & quorum pars
„ quantulacunque fui exponere, non mens tantum, sed manus quoque ac
„ calamus trepidat ac refugit. Fuimus, fuimus Troës, & vel ipsa non multo
„ ante, benignitate Dei, tot per annos indulta Ecclesiis nostris felicitas,
„ acriorem sensum præsentium malorum reddit: ut etiam recordari pigeat,
„ quando & quomodo & quibus gradibus, quod fuimus esse desiimus. Et
„ nisi mentes nostras causæ, ob quam patimur, bonitas, & commendatæ
„ quondam à Domino hujus generis patientiæ solatia erigerent, tanta cala-
„ mitatis procella prostratis atque obrutis optimum factu videbatur, quo
„ levius ferantur præsentia, præteritorum memoriam amittere. Quia ta-
„ men aliquam status nostri imaginem poscis, dabimus eam non suis, hoc
„ est, vivis coloribus depictam, sed simpliciissimis lineamentis adumbratam,
„ ea cursim attingentes in quibus immorari molestum est. Nec video quod

operæ

operæ pretium fit ignotorum nominum catalogos longâ ſerie contexere, ſi narrantium fides ob infeſtos forte aut certè ignaros cauſæ noſtræ teſtes aut judices ſuſpecta eſt. Auget ærumnarum ſenſum, quod calamitoſis non creditur: ſed non ſi nos miſeros fortuna deſtituit, idcircò fidem quoque decoximus. Præſtat igitur ad malorum noſtrorum fontes digitum intendere: quibus cognitis cuivis liquido patere poſſit, fruſtra & inique iis rebus fidem derogari, quæ per illatarum nobis injuriarum naturam aliter ſe habere nequeunt. Prima nobis malorum origo ab exorto in patria anno 1648. Coſacici belli incendio extitit; quod una cum cæteris patriæ civibus plurimos noſtratium, præcipue qui viciniores Boryſtheni oras incolebamus, bonis ac poſſeſſionibus exuit, aut irreparabilibus damnis affecit. Hac occaſione egomet ipſe longe ante legem proſcriptionis, quæ anno 1658. lata eſt, maxima parte fortunarum mearum provolutus, & toto decennio ante exilium exul, quaſi ante tempeſtatem (una cum multis noſtrorum) naufragium feci. Mox acceſſit Moſchica, & paulò pòſt Suecica: tandem & Tranſylvanica irruptio, quæ paſſim toto regno ima ſummis miſcuerunt: nec ullus tam ſepoſitus ac ſecretus regni angulus latuit, qui damnorum atque irruptionum exors eſſet. Nam proprii milites inſolentia, & auxiliares Scythæ atque Auſtriaci, eo nocentius graſſabantur, quod nec fuga evadere, nec armis vim injuſtam repellere liceret. Atqui non ſoli fuimus quos tot bellorum vexationes afflixere. At ſoli quos tot bellis exhauſtos ac pene animam agentes, tunc cum cæteri reſpirarent, pax omni bello crudelior adorta eſt, & cum adverſa fortuna ſine miſſione luctantes confecit, ita ut in affligendis nobis anteacta bella conſecutæ pacis truculentiæ miniſtraſſe videantur. Quamquam & in ipſo bellorum æſtu invenit inimicorum induſtria rationem quâ nos præ cæteris ſævius bellorum furor affligeret. Suecis enim, pulſo Caſimiro Rege, Cracovia dominantibus, cum ex omnibus regni provinciis legati confluentes cum hoſte paciſcerentur, cum ipſi exercitus unà cum ducibus ſuis in partes tranſiſſent, & omnes pene ordines deditione pacem redemiſſent; ne nos quoque brevis illius pacis uſura & communione frueremur, malignitas inimicorum, nihil minus cogitantes, nos latrocinio invaſit, & montanorum agreſtium turbam, ſpe facilis & luculentæ prædæ, concitavit, quæ in noſtros, periculi ignaros & domi ſuæ ſingulos quieſcentes, improviſo impetu facto cædibus ac direptionibus graſſata eſt. Quod ſubitum malum non paucos noſtratium, nonnullos etiam agnatorum meorum, domi ſuæ crudeliter interemtos oppreſſit; quoſdam inſequentium latronum manibus ægrè elapſos Cracoviam, tunc Suecico præſidio occupatam, compulit. Hoc ab invitis ac trepidis extortum effugium, iniquiſſimis poſtea criminationibus traductum eſt, qui tamen ipſi jam ante Suecicam protectionem ultro ſuſceperant. Sed in opprimendis noſtris non exſpectata eſt Legum auctoritas: Armati ipſi & armatorum catervis ſuccincti Pontificiorum ſacrificuli nobilium ædes invadebant, direptionibus, incendiis, nobilium matronarum raptationibus atque omni violentiæ genere impune graſſabantur. Supremum vero Tribunalis judicium, nec dum ſancitâ contra nos lege, rigorem ejus adverſus nos triſtibus exemplis exercebat:

„ cebat: quo genere decreti gener meus Siedlicenſis Eccleſiæ patronus pau-
„ lo ante conditam iſtam legem afflictus eſt. Succeſſit tandem tot illegitimis
„ inſontium vexationibus lex omnium illarum injuriarum patrona nova, &
„ inaudito exemplo, per oppreſſos violenter qui intercedendi jus habebant,
„ quaſi per jugulum libertatis in codicem legum noſtrarum ingreſſâ eſt. Su-
„ perflua illa quidem initio viſa, cum & ſine novâ lege & contrà antiquas
„ conſtitutiones non modo publicorum magiſtratuum aut judicum injuſti-
„ tiæ, ſed & privatorum libidini ac violentiæ adverſus nos jam omnia impu-
„ ne licerent: ſed quæ tamen novis nocendi ſpiculis armata non modo omni-
„ bus, tam judicum quam privatorum, ſceleribus juris colorem induceret;
„ verum etiam nos omni fautorum & amicorum præſidio exarmatos,& qua-
„ ſi vinculis conſtrictos & compeditos vividis inimicorum odiis traderet.
„ Quam illegitime & quam pleno nullitatum proceſſu lata ſit, queri nunc
„ non vacat. Sufficit exponere quam ſubdola & per ſpeciem clementiæ no-
„ cens fuerit: quod in ea exilii neceſſitas in triennium dilata oſtentaretur, ut
„ in ſpeciem convaſandis ad diſceſſum rebus tempus ſuppeteret. Sed hoc
„ injuſtiſſimi juris beneficium pleroſque omnes decepit, & fallax iſta gratia
„ ſubito revocata eſt, ad unius duntaxat indulgentiam anni ſpatio iſto con-
„ tractô: adeò ut penè omnes juſto rebus ſuis per otium conſulendi tempore
„ exciderint. Vendere igitur bona ſua pauciſſimis licuit, & eorum qui ven-
„ didere pars multo maxima exiguo ac pene nullo pretio opulentos fundos
„ emptoribus addicere coacti ſunt; cum licitatorum iniquitas non modo
„ urgente venditorum neceſſitate ac periculo, ſed (quæ per tot bellorum
„ damna & devaſtationes forte invaluerat) nimis in anguſtum redactæ rei
„ pecuniariæ inopia & difficultate, aut ejus prætextu, ad infame lucrum
„ abuteretur. Vis habere ejuſmodi emptionis exemplum? Patrona Pobri-
„ nenſis eccleſiæ, matrona nobilis, jura ſua dotalia, pluribus talerorum mil-
„ libus æſtimata, trecentis florenis agrè vendidit. Chriſtophorus Oſtrovius
„ eques ſplendidus patrimonium pretii decies milie talerorum, tribus flore-
„ norum millibus, hoc eſt, ne decima quidem juſti pretii parte alienavit. Et
„ hic quidem in emptorem verecundum inciderat: alios enim quindecima,
„ vigeſima parte alios,multos denique nuda ſpe & promiſſo ſolvendi conten-
„ tos eſſe oportuit. Quod plures noſtrum coëgit bona noſtra amicorum po-
„ tius fidei committere. Sic diſtractis, aut potius diſſipatis vel in alienam
„ poteſtatem traditis bonis ſuis,patres familias cum miſerabili liberorum aut
„ cognatorum agmine patriis oris excedere oportuit. Pars in Sileſiam,mul-
„ tò major pars in Tranſylvaniam tetendit. Utrique damnorum per latro-
„ cinia acceptorum expertes non fuere. Sed qui Tranſylvaniam petebant
„ nondum deſtinatam itineris metam attigerant, cum à Cæſareo milite (oc-
„ cultis, uti fertur, indiciis ac ſtimulis è Polonia excitato) omnes viatico ſi-
„ mul ac bonis omnibus ſpoliati ſunt. Caſus hic, ſimulque cæptorum & im-
„ pendentium illic bellorum tempeſtas pleroſque in Poloniam reverſos, in
„ Pruſſiam noſtram adegit: cæteri obſtinato ad pericula animo inopes ac
„ ſeminudi tamen in Tranſylvaniam penetraruut; ubi tot laborum, ærum-
„ narum, ac diſcriminum merces excepit eos peſtis ac pauperies. Ecquid

igitur

igitur miremur tot malorum ac periculorum horrore plurimos in ecclesiis nostris à veritatis amore ac fide revulsos; cum longe magis mirandum sit aliquos in ejus professione constanter mansisse? Nec enim simplici aut solitâ viâ præsens nos invasit persecutio: sed ad extinguendum veri, quod nobis affulsit, lumen advocavit ingenium suum Satanas, ut non tam mortis (qua sæpe cito defungi posses) periculo, quam vitæ in miserias longius productæ tormento atque supplicio, constantiam nostram expugnaret. Nec istud quod memoras horrendi carminis fulmen, quo patriâ exturbati sumus, ita nos perculit, ut is, qui paulo post novis subinde comitiorum sanctionibus, extremus rigor additus crudelissimæ legi, ac sævis deinceps decretorum exemplis exercitus est, qui nobis omnem amicorum usum aut opem, omnem è patriâ auxilii spem abstulit atque eripuit, dum in eos qui nobis succurrisse aut miserias nostras sublevasse convicti fuerint, longe sæviora quam in nosmetipsos exempla eduntur. Quippe nostrorum quispiam deprehensus aut redux, si Romanensium sacris se adjungat, ilico restituitur in integrum, & bona sua nullo negotio recipit. At si Catholicus aut Lutheranus complicitatis aut minimi nobiscum commercii convincatur, culpam hanc inevitabili bonorum confiscatione luit: nec remedio ulli locus est. Ita nobis unicum quod in amicorum fide supererat refugium ereptum est, & omnes quibuscunque aliquid à nobis creditum fuit ad perfidiam vel inviti adiguntur: nec inopiæ nostræ succurrere quisquam impune potest aut finitur. Præterea nostris omni undique angustiarum genere coarctatis unica per apostasiam, eaque latissima & facillima, è difficultatibus evadendi via panditur. Ut hinc penitus omni ex parte obstructo, illinc latè patefacto aditu, tanto plures in laqueos suos Satan impelleret, cui tantum hac tempestate in nos licere Domino placuit. Positâ ob oculos ejusmodi rerum nostrarum difficultate, quis ultra cuiquam mortalium de angustiis nostris dubitandi locus relinquitur? Finge singulos exulum, cum patrios focos linquerent, recens inventis thesauris in subsidium viatici ditatos. Jam tot itinerum sumptibus & expensis, tot injuriarum damnis & jacturis consumpti essent. Quid si perpendamus multos tanquam ex naufragio nudos ex patria excessisse: cæteros aut latrociniis, aut sumptibus per tot annos erogandis, quæ in omnem casum reservaverunt, amisisse? Præcipuè cum nusquam satis tutus fugientibus è patriâ receptus pateret, & incertis sedibus vagos oborientia undique pericula & difficultates in loco consistere non paterentur. Nunc quoque nos recens ab Holsatiâ, recentior è Silesiâ, quanquam nondum satis exploratus metus percellit, cum utrobique nostris migrandi necessitas imperari nuncietur: quod tamen Deus avertat, aut in melius vertat. Jamque adeò subvereri incipio, ne non tam nullæ esse angustiæ nostræ quam adeò graves & nimiæ, ut ipsis succurri nequeat, existimentur, præcipue cum nonnulli mille familias opis vestræ indigas computent. Sed calculus hic minus falleret, si omnes in quos legis mucro districtus est Christus & veritatis causa pati voluissent. Cæterum quod dolendum est, plures quam vellemus patrum familias, ut aliena ope non indigerent, sibi consuluere, aut etiammum nutant & in

„ patria latent. Longe pauciores sunt quos palam Christi jugum subire non „ piguit. Neque ii tamen intra Cruciburgensis oppidi pomœria, aut eorum „ viciniam concluſi, ut Uratislavienſi judici, Calvini forte zelo ferventi, no- „ ti esse possent. Multi per aliqua tutiora Poloniæ ac Lithuaniæ loca per ul- „ teriorem Silesiam, Marchiam, Prussiam, Transylvaniam diffusi. Qui- „ dam in Holsatia atque Manheimii in Palatinatu recepti sunt. Quibuscum „ tamen omnibus, per tam longa locorum intervalla licet, mutua com- „ mercia exercemus, nosque invicem, quà licet, subsidiis adjuvamus, &c. „ &c. In primam Servatoris concionem, quæ summam prædicationis „ Christi continet, cogitationes nostras, quas tibi dedicavi & destinavi, „ primo quoque tempore mittam. Cæterum illud enixè peto & urgeo, ne „ quid sub vero nomine meo, me vivo & inscio, in lucem prodeat. Quod „ si quid forte aliquà eruperit, præstat ut eorum quæ displicebunt odium „ & invidiam JULIUS CELSUS sustineat. Vale amicorum optime, „ meque precibus tuis apud Dominum sublevare ne desine. Regiomonti in „ ipso autumnali æquinoctio. 1663.

Postquam è patria velut naufragio cum suis nudus, exspes enataverat, asylum sibi, & pauculis ex suis virtutis ac eruditionis suæ famâ apud illustrissimum Electorem Brandenburgicum invenit, cui, ut & Principi Radivilio à consiliis fuit. Ex honorariis, quæ inde redibant, quantum res illa pateretur, aliquot domi suæ familias aluit; suum defraudans genium, quo plures benignitate suâ sublevaret, nec respiciens unici filii viduam, duosque ex illa nepotes, quibus septuagenarius, & jam jam moribundus, nisi Deus respiceret, præter meram esuritionem quod legaret non habebat. Quemadmodum olim Cicero, cum Reipubl. libertatem deploratam, cuncta unius dominatu niti, nec suis consiliis, aut forensibus studiis amplius locum esse videret, se totum ad Philosophiam, cui adolescens multum temporis tribuerat, tanquam malorum portum retulit: sic noster Sarmaticæ eloquentiæ parens publicis negotiis, ac patria excussus ad Theologiam velut sacram anchoram confugit. In se discedens, emeritisque aulicarum curarum stipendiis, altius revocandæ in se ipsam menti defixus, secum fuit, secumque, ut dicitur, vixit; atque miseriarum suarum acerbas cogitationes cogitationibus suis in primam Servatoris Christi concionem, & epistolas Apostolicas lenivit.

Sciolus quidam ad famæ aucupium compendiariam arbitratus viam, omnia, præsertim quæ captum ejus pituitosum exsuperant, dente fastidioso admordere; nescio quæ de scriptis Viri maximi, imprimis cogitationibus ejus deblateravit, contemptu quam responso digniora. Ipse author suam causam agit in *responsione* ad *notas amicas* A. Wisowatii Pag. 205. *Huic*, inquit, *scripto nostro titulùm Cogitationum eo consilio dedimus, ne quis lectorum putaret, nos in iis plenam, &, cui nihil addi posset, sacrorum librorum explicationem polliceri: Proinde iniquum est toties censuræ animadversionem in nos extendi, quoties forte uspiam, quod dici poterat, omisimus*, &c. Unde liquido constat Authori scopum non fuisse, quæ à Crellio, Slichtingio, aliisque enucleata sunt, pertractare, atque falcem in alienam messem immittere; sed quæ S.

Literas

Literas evolventi incidebant, chartis illeviſſe. Aliquando brevi gyro retonditos animi ſenſus coërcet, & ſuſpensâ legentis expectatione, intelligenda plura quam legenda tradit. Aliquando

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Fervet, immenſuſque ruit profundo

ore, ea promens perſpicaciſſimo mentis genio tanquam numine afflatus, quæ nunquam aliorum cogitationes ſubierunt. Nam nec ab aliis tritam, nec aliis contrariam, ſed ſibi adinventam ac ſingularem viam paſſim tenet, quæ inter ſuperſtitioſæ, interque profanæ mentis voragines media, ad ſimplicis, ac nudæ Veritatis adyta, & Sapientiæ divinæ ſcaturigines ducit; ubi virtutes nativis coloribus, ac vitia è latebris protracta ante oculos exponit. Ut omnia in his Cogitationibus, præcipue ad poſteriores Apoſtolorum Epiſtolas, uberius tractata recenſere; ita ſilentio tranſire non poſſum, quod Antichriſtum, tempore Apoſtolorum una cum Eccleſia natum, poſt aurea illorum ſecula paulatim adoleſcentem, ab ipſis ejus incunabulis cum genio ſuo, & omnibus characteribus graphice depingat. Ubi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ fundamenta ex amuſſim locata, invitant ſcriptorem partium ſtudio, ac præjudiciis defæcatum, ut authoris veſtigiis inſiſtens, eam ulterius extendat, & inchoatam ad hanc illius normam exædificet. Jam in prima Eccleſiæ, ut ita dicam, infantiâ Eccleſiaſticorum tumidum faſtum, ac profundam avaritiam notavit. Nec tantum in ejus, nondum temeratæ, virginitate Antichriſti veſtigia, ac cubilia ipſa ſagaciſſime odoratus eſt: ſed poſtquam Romano illi renunciatum eſt, ejus ſtirpem ita exectam doluit, ut plurima ejus germina paſſim inter Reformatos pullularent, qui ſe invalidos quidem, & macilentos, ſed germanos tamen Antichriſtos probarent; quibus aliena erga ſe tyrannis intolerabilis videbatur, cum tamen ſua in alios allubeſceret. Sic ut non tyrannis ipſa, ſed tyrannus diſplicuerit, cujus facta, olim plurimum deteſtata, mox ſedulo ipſi imitati ſunt; fluctus excitantes in ſimpulo, quos opulentus, & potens ille in Ægæo mari excitare ſolet. In *Reſponſione ſuâ ad ſcriptum Georgii Nemiricii*, ubi inveniendæ veræ Eccleſiæ modos, & judicio privato utendi neceſſitatem tradit, Reformationis quidem patrocinium ſuſcipit, & ſeceſſionem à corruptis Eccleſiis probat; ſed tamen cauſam adfert, quæ ejus curſum, velis remiſque incitatum, retardaverit: nempe præcipuas in orbe Chriſtiano gentes, Italos, Gallos, Hiſpanos, qui à ſervitute Antichriſti ad conſcientiarum libertatem adſpirabant, animadversâ inter ipſos Reformatos conſcientiarum oppreſſione, ſtitiſſe gradum, & retro regreſſos. Quod veterem, & opulentum Dominum, vetereſque abuſus in pacato ſtatu ſuo mallent tolerare, quam cum diſcrimine turbulentæ mutationis novos, eoſque egenos, ac famelicos dominos, cum iiſdem propemodum incommodis, ut ante, regnantes, obnoxiis cervicibus admittere.

Qui propter Veritatis amorem extorris, & egenus ætatem agebat, Veritatem humanis dogmatibus, ac placitis implicatam, ſedulo inveſtigavit; ejuſque ad normam Magiſtrorum ſuorum ſcita exigens, inter ſuos etiam infirmitatis humanæ documenta, nempe enatam errorum quorundam zizaniam in-

venit. Hos errores ex animis ſuorum dùm laborat evellere Vir magnus, cui divina benignitas nihil negavit, quam laudis tantæ capax, & virtutis ſeculum, magnam negotii & invidiæ vim jumento ſuo arceſſivit. Sæpe uſu venit iis, qui in dubia falſi caligine certam veritatis viam quærunt, ut nonnunquam ad errores, ſpecie Veritatis incruſtratos, exorbitent, quos primo intuitu animadvertere non vacavit. Eorum aſſeclæ, quibus fere magiſtrorum ſomnia pro Oraculis habentur, &

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri,

hos animi errantis fætus, vel abortus tollunt, amplexantur, colunt, cælumque terræ miſcerent potius, quam paterentur quicquam, olim receptum, quamvis erroris ſplendidi convictum, abrogari, & tanquam terminum, nulli cedentem, loco moveri. Qui purus putus eſt Papatus, & tamen inter omnes à Papatu ſegregatas ſectas fere obtinet. Author noſter cum recepta ſuis decreta, & dogmata ponderare, quam probare antiquius haberet, *Hyperaſpiſte*, & libro *de jure Chriſtiani Magiſtratus* (ubi dominationis, bellorum, ac ſuppliciorum capitalium jura tuetur) fratres ſuos in ſe concivit; quaſi non ſatis negotii faceſſeret Papatus, & Jeſuitica immanitas. Quibus tamen debemus, quod animum ejus confectâ ætate languentem exacuerunt, ut omnes ingenii vires colligeret, nervoſque pro veritate defendendâ intenderet, ad edendam *apologiam in tractatum de jure Chriſtiani Magiſtratus*, à Joachimo Stegmanno Juniore cerebroſo, & ſtomachoſo ſcripto ſuo oppugnatum; ejus que *vindicias contra objectiones D. Swikkeri*, atque *animadverſiones in libellum de qualitate regni Chriſti*. Qui quidem libri non triviali illa, jejunâ, ac ſterili; ſed maſculâ & frugiferâ eruditione refertiſſimi ſunt; illuſtri documento quantum differat mens rebus agendis, longoque uſu exercita, ab animis domi ſuæ ſitu ac pituitâ ſuâ ſemper marcentibus, quibus judicii acies hebeſcit. Niſi me fallit ratio, extremus ejus labor fuit *Religio vindicata à Calumniis Atheiſmi*: Ubi in procinctu ſtans, & conclamaturus mox vaſa ad demigrandum ex corporis ſui ergaſtulo, zelum, fidemque ſuam Deo, ac poſteritati teſtatam reliquit. Ex ſcriptis, quæ ſuperſunt, habemus adoleſcentiæ ſuæ flores, & ſenectutis effætæ non viëtos; ſeu non effæti ingenii maturos, ac uberes fructus; paucis exceptis, quæ politicorum negotiorum undis merſus, nonnunquam extudit. Sandius in Bibliothecâ Antitrinitariorum plurium, eximii etiam argumenti, facit mentionem, quorum fortaſſe quædam latitant apud amicos, ac fratres, ſed ad nos non pervenerunt.

Sandius Bib Ant.

Si cui forte curæ eſt, cujus Vir magnus fuerit figuræ, ac ſtaturæ, ſciat me illud juxta cum ignorantiſſimis habere compertum, qui cujus coloris fuerit nec novi, nec fando unquam accepi. Illud aliquoties audivi, quod viridem ac vegetam ſenectam degerit, ut qui, poſtquam annum ſeptuagenum expleviſſet, cataphractus ſine adminiculo ephippiorum equo inſiliret. Poſt epiſtolam ſecundam ad Theſſalonicenſes addit. 8 *Octobris, quo die ante biennium poſt adverſi prælii caſum è præſentiſſimo periculo ereptus ſum.* Annum hic neglexit adjungere, quod in autographis cogitationum ſuarum fere ſolebat: ſed, ex præcedentibus ac ſequentibus liquido colligi poteſt has cogitationes eſſe conſcriptas anno 1661. Unde conſtat ipſum arma geſſiſſe, & militiam toleraſſe, cum ageret annum ſexageſimum nonum. Quemadmodum firma corporis conſtitutio ad animum tranſire ſolet, mentem ſanam in corpore ſano, in moribundis membris ingenium vividum, acutiſſimum judicium, &, quod de Appio illo ſene olim dictum, intentum ſemper animum tanquam arcum habebat, ſine miſſione incumbens, imo immoriens chartis. Donec extremum ſpiritum efflaret, & occideret lux illa, mundum poſt fata illuſtratura, poſt varios caſus, ac tot diſcrimina rerum placidam tandem carpens quietem.

Sandius hæc de ipſo memorat. *Samuel Przipcovius de Przipſcowice eques Polonus obiit in Boruſſia, in exilio propter religionem, agens Conſiliarium Electoris Brandenburgici anno* 1670. *die* 19 *Junii, annos octuaginta circiter natus.* Inveni literas authoris ad D. Joannem Næranum datas, Regiomonti, pridie kalend. Februarii 1670, proculdubio poſtremas; ubi ſic inſit. *Non ita mihi feſſa, & inter graves curas ad octavum ſupra ſeptuageſimum annum producta ætas infregit memoriæ vires, quin probe meminerim quod ante paucos annos ingens à vobis, & grata recordatione recolendum beneficium acceperimus*, &c. In eadem epiſtola meminit novorum malorum capiti ſuo imminentium, niſi illa antevertere morte ſuâ datum fuiſſet. *Nobis*, inquit, *Sereniſſimus Elector* (nempe

pe Brandenburgicus) *invitus sane, sed obstinato Ordinum Borussiæ impulsu, intra brevem triennii moram exilium indixit. Cujus edicti executio, quæ per Illustrissimi Ducis Boguslai Radroilii, Gubernatoris Prussiæ prudentiam aliquamdiu impediri potuit, per subitam ejus mortem, quam extremo exeuntis anni die obiit, prope certa & inevitabilis nobis imminet.* Denuo itaque vertendum solum, & exilium mutandum fuisset, nisi Deus virtutem ejus, emeritis præclare patientiæ stipendiis spectatam satis, & rude donatam, gloriosâ missione asseruisset cœlo. Meo igitur calculo anno salutis nostræ 1670, & ætatis suæ septuagesimo octavo *vixit, & quem dederat cursum fortuna peregit.*

Moribus ejus aspersam miram quandam venustatem, ac comitatem fuisse accepi, quam omnibus obviam, majestatis mixturâ temperabat; sic ut comitatem majestate, majestatem comitate condiret. Erat naturâ incitatior, & ad bilem pronior; sed eam rationis fræno ita compescuit, ut in illo, ad animi moderationem ficto ac facto, naturæ videretur donum, quod virtutis exercitium fuit. In Apologeticis animadversionibus suis, (ubi repudiatâ traditione solam S. Scripturam, ejusque comitem sanam rationem admittit tanquam regulas ac normas, ad quas omnes in orbe Christiano controversiæ quæstiones exigantur) Joh. Amos. Comenium, canis titulo gloriantem, & maledicendi cacoëthe prurientem, venusto quidem sale fricavit, non tamen quibus dignus erat modis exornatum ac depexum dedit. Fratres suos, qui secum Socini signa sequebantur, quam leni & tranquillo semper animo tulit, ac pertulit! Hi enim, qui doctrinam Christianam à Justini Martyris ac Originis seculo, cum profana Philosophia in Ecclesiam inveheretur, ad Ethnicismum prolapsam dolebant,

Stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt,

& ne in illum scopulum impingant denuo, in aliud extremum vergentes, ad Judaismum plus æquo deflectunt. Regnum enim Christi æternum ac cœleste intra breves terreni regiminis metas includunt; ac naturam ejus, in cœlo glorioso viventis, in humanæ vilitatis ordinem redigunt. Adhæc reges, Magistratus, omnem imperii statum, bella, ac capitalia supplicia, quibus repagulis eruptura in omnium perniciem impietas coerceetur, è mundo exterminatum eunt, ut ex imaginosis suis ideis non Platonicam, non Christianam, sed qualem nemo pedibus, aut oculis, aut cogitationibus suis unquam usurpavit, sibi confingant Rempublicam. Hos errores, qui miseris inexpiabilem passim invidiam conflabant, ex animis illorum blandâ, ac sollicitâ manu dum eruere sudat, re ipsâ expertus est passim Theologorum mentibus innata quædam Papatus semina; ac proclivius esse spiritus ejus feroces, tumidos, & contumaces damnare, quam animo exuere. Quidam velut gigantes, ac terræ filii gladiatorio animo fratrem aggrediuntur, verum nullo alio operæ pretio, quam quod genuinum solido impressum fregerint. Qui hostiles sæpius turmas, & infestos gladios intrepidus excepit, verborum velitationes infra iram suam putavit. Sine stomacho, & Ecclesiasticâ bile, imo generositate plus quam Spartanâ insulsos eorum sarcasmos, & amaræ mentis impotentiam concoxit. Quanquam virum omni elogio majorem, diris devotum, velut obtorto collo ad tribunal Christi, si Deo placet, damnandum trahant, nunquam de statu mentis dejicitur; nisi quod exulceratas mentes mordaci veritate radat, ac suo sibi gladio proterve insultantes errores nonnunquam jugilet. Hoc agit ut Theologicâ phreneſi laborantes, ac, ut fit, in medicum injurios, argumentorum catapotiis, ex S. Scripturâ, & recta ratione depromptis, ad saniorem mentem adducat. Quæ animi modestia fuerit, scripta ejus, animi indicia, loquuntur; in quibus nusquam inflata sui fiducia ostentatur, sed suspensa, ac circumspecta proprii judicii diffidentia elucet verecunde.

Sed non æque fortasse fidem suam commendabit, utpote non probatam in vulgus, nec publici saporis, affinis illi sectæ, quæ jam dudum oluit sulphur Allobrogicum, aut fulmen Jovis Vaticani. Sed si quid erravit in abditis religionis arcanis, captum nostrum fugientibus, in quibus proclivis est lapsus, quæque magis ingenii acumine, quam animi virtute expediri solent; & bene an male intellecta, aut ignorata, meliores aut deteriores non reddunt Christianos; non contumax est error, sua placitâ mordicus tenens, aut aliis violenter obtrudens. Non ita, fateor, opiniones omnes, à teneris unguiculis imbutas, exuit, ut profecerit ad illud, solis Remonstrantibus peculiare, sapientiæ compendium; & omnibus obvium, sed nunc humanis decretis ac placitis

involutum, mysterium, ἐπέχειν. non illud scilicet ἐφεκτικῶν Philosophorum, Pyrrhoniorum, & Academicorum, qui, eo quod ad errorem lubricum & pronum sit humanum ingenium, nihil affirmabant, nihil veri comprehendi posse urgebant. Sed modestum hæsitandi genus, quicquid definiendi temeritas audet, ad verbi divini lydium lapidem explorans, & exactâ rationis trutinâ pensans; recepta vulgo dogmata tanquam periculosæ plenum opus aleæ tractans, ac per usitatas credendi formulas incedens, velut *per ignes suppositos cineri doloso*. Nam ut olim seculi sui lumen Scaliger,

Nescire velle, quæ Magister optimus
Docere non vult, erudita insciti a est.

Aut ut maximus Grotius.

Nescire quædam magna pars Sapientiæ est.

Si Vir summus fidem suam, quæ inerti, & otiosâ contemplatione constat, non tutatur satis, heroicam certe, & excelsam illam, quæ in actione tota consistit, Deo, ac hominibus probat. Si in arduis mysteriis de Filio Dei ea non capit, quæ omnes fatentur captum superare, certe pro illo Dei Filio non refugit durissima quæque subire, qui patriâ, & luculentis patrimoniis, cunctisque vitæ præsidiis in præsentissimam egestatem exturbatus, miserrime vixit, ne viveret impius, conscientiæ suæ apostata, mancipium Papæ. Qui Christum nudus sequi maluit, quam Attalicis conditionibus, honore, gratiâ florens, amicitiam cum Papa ex sordido obsequio odio ejus ex veritate præferre. Certe ejusmodi fides tot damnis testata, tot malis explorata; hæc, inquam, deditissimæ voluntatis devotio in iis, quæ in amore, & obsequio summa, ac maxime ardua sunt, quamvis aliquâ crassiore, innoxiâ tamen mentis nebulâ infuscata, non potest illi Dei Filio non esse gratissima. Nam nemo unquam ardentis fidei documentum in illustriori positum monumento conspexit. Nemo fortassis post D. Christum & Apostolos ad tam sublime fidei culmen enixus est, ubi, nullum Virtutis suæ præmium præsens, aut propinquum, spes nulla affulgebat; & quanto facilior erat aditus ad honores, ac illecebras mundi, tanto difficilior ad calamitosam virtutem via fuit. Quidam gloriæ quadam siti velut æstro perciti, æterni & memorabilis nominis lenocinio discrimina ac mala ultro provocarunt. Quosdam opes, potentia, & profusus partium suarum favor invitarunt ad causam Dei tuendam, quorum fidei non defuerunt præsidia, quibus poterat sublevari. Noster terræ odium inambulabat, velut piaculare caput diris omnibus devovendum; ejectus Borussiâ nusquam tutos lares, ubique famem expectabat; fratribus suis, qui, etiamsi non tam alte cecidissent, in eodem ærumnarum luto hærebant, parum benignis utebatur. Ergo fides ejus syncera, nullo terreno suffulta solatio, cum nihil sibi quod speraret in terris esset reliquum, pia suspiria & casta vota sursum vibrans, spem puram nulla mundi ratione oblimatam, in cœlum, unicum sibi asylum, subvexit. Sic animosa virtus terris undique excluſa, in cœlum evolavit, atque in Deo acquievit placide. Sic spectatissima ejus fides intaminatis fulget honoribus, cui nulla humanæ spei mixtura quicquam delibavit.

Quidam tumente stylo, à mortalitatis captu alieno, paratragædiantes voluerunt ipsam Virtutem sui esse pretium. Verum egena, & ærumnosa virtus, proprio suo stipendio militans, nec alia laborum, damnorum, ac periculorum habens præmia, quam bonæ conscientiæ fructum, cum ingruentibus undique malis infestetur, plurimo defectu laborans, justæ felicitatis numeros explere nequit. Unico, sed amaro, ac acerbo, ita me Deus amat, solatio gaudere potuit, quod nempe invidia, odium & factiosa malorum conspiratio amplissimum Virtuti tribuant testimonium, cui nullum par esse præconium possit. Sed si forte existimatio ejus sanctissima fuerit pauculis (rari quippe boni) ad quos ejus fama promanarat, dum ipse cum assiduis afflictionibus luctaretur domi, næ illud gaudium, ille risus mere Sardonius fuit.

Cum Virtutem præsentem oderint, sublatam ex oculis quærant invidi, forsan sepultam illam, nec amplius fulgore suo invidiam lacessentem, defervente paulatim partium studio, posteritas æstimare discet, & admirabitur excelsas animi & ingenii dotes. Verum si ab inoleta mortalium iniquitate æquius posteritatis judicium sperare non datur, sane, quem suspexit, Deus, qui nunquam creditoribus decoxit, sempiternâ eum felicitate cumulabit, & illustrabit nunquam deflorandâ gloriâ.

Elenchus

Elenchus operum
SAMUELIS PRZIPCOVII
Tam Editorum quam Posthumorum.

COgitationes Sacræ ad initium Matthæi & Epistolas Apostolicas.

Dissertatio de Pace & Concordia Ecclesiæ, antehac edita sub nomine Irenæi Philalethi.

Apologeticon adversus Satyram Viri Clarissimi Danielis Heinsii, cui titulus, Cras credo hodie nihil.

Panegyricus Serenissimo & Potentissimo Principi ac Domino Vladislao Sigismundo Regi Poloniæ & Sueciæ dicatus.

Vita Fausti Socini Senensis.

Dissertatio Fausti Socini operibus præmittenda.

Judicium de libello Ordinibus Regni Poloniæ à Patre Nicolao Cichovio Soc. Jesu oblato.

Apologia afflictæ innocentiæ ad Ser. Electorem Brandenburgicum.

Hyperaspistes seu Defensio Apologiæ, ab afflictis nuper in Polonia & extorribus Ecclesiis in Prussia periclitantibus Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino D. Frederico Wilhelmo Electori Brandenburgico oblatæ, & Illustrissimis Ducatus Prussiæ Ordinibus traditæ anno Domini 1666.

Animadversiones Apologeticæ in aculeatum Joannis Amosi Comenii adversus Ecclesias Christi recens in Polonia afflictas libellum, occasione Irenici Irenicorum ab Anonymo propositi refellendi in lucem emissum.

Responsio ad Scriptum Illustris ac Magnifici Domini Georgii Nemiricii Succamerarii Kiovienſis, quo, cum ipse ad Sacra Græcanicæ Ecclesiæ transiisset, cunctos in Regnō Poloniæ & Magno Ducatu Lituaniæ à Religione Romana dissidentibus hortatur ut se in gremiun Ecclesiæ Orientalis recipiant. E Polonica lingua in Latinam conversa.

Demonstratio quod neque Pater Domini Nostri Jesu Christi per metaphoram Pater, neque Filius ejus unigenitus per eandem metaphoram Filius dici queat aut debeat.

Religio vindicata à calumniis Atheismi, contra Epistolam F. M.

Animadversiones in libellum cui titulus, de Qualitate Regni Domini nostri Jesu Christi, ubi inquiritur, an Christiano, sive Regni ejus subdito, terrenæ dominationes conveniant.

De Jure Christiani Magistratus & Privatorum in belli pacisque negotiis.

Apologia prolixior Tractatus de jure Christiani Magistratus.

Vindiciæ Tractatus de Magistratu contra objectiones Danielis Zwickeri.

Volumen hoc potest adjungi Bibliothecæ Fratrum Polonorum.

IN

IN COGITATIONES
Ad initium Euangelii Matthæi,
PRÆFATIO.

Reverendo & omni laudis genere eminentissimo Viro Doctissimo Joanni Nærano Ecclesiæ apud Veteraquinates Pastori Vigilantissimo Amico plurimùm observando.

MEntem Legum Supremi Legislatoris ac Domini nostri, quarum tibi promissam Explanationem affero; an ipse probè assecutus fuerim, est quod commovear animo, rerum simul magnitudinem & tenuitatem nostram expendente. Sanè ut assequerer, & quod sentio liberè expromerem, sedulam dedi operam. Sicubi tamen per salebras cespitatum est; quia procul ab omni obstinatione abesse mihi propositum est, apud æquum Judicem & Lectores veniam non despero. Non adeò trita est ambulantium vestigiis via quâ incessimus. Quia hucusque vulgò Christianus orbis magis in eam curam incubuit; ut personarum divinarum naturam, quam voluntatem plene cognosceret. Quasi juris & legum divinarum ignorantia, excusare possit eos qui de rebus per se abstrusis nec ullo oraculo clare revelatis, fortiter opinari malunt, quàm præcepta & officia, quæ Christus Christianis disertissimè explicuit, discere aut exequi. Quid clarius & apertius est, Regiâ illa Lege fraternæ charitatis quàm Christus & Apostoli toties inculcarunt? Non capiunt tamen illam; qui abditissima divinæ essentiæ mysteria capere sibi videntur, & scrutari audent, tot anathematismis, condemnationibus, maledictis, persecutionibus, exiliis, suppliciis, ferro demique & flammis, in eos, qui Jesum credebant esse Christum, crudelissimè grassantes. At in ea, quæ liquidò patefacta non sunt, quam temere, quàm profanâ & (ut dicam quod res est) sacrilegâ curiositate involant & irrumpunt? Utinam ab istis altis speculationibus & frigidissimis doctrinarum tenebris ad primævas illas veræ & solidæ sanctitatis meditationes postlimimio redeat Christianismus! Non igitur oleum & operam perdere videri possumus, qui, omissis Gnosticæ jactantiæ curis, doctrinæ secundum pietatem nervos consectamur; ut non dictis, sed factis, non assentatione, sed obsequio, (quod Christus bene vertat) Deo placere contendamus. Vale, & labore nostro benignius suscepto Julii Celsi nomen de tabulis tuis expunge.

Tui observantissimus

JULIUS CELSUS.

COGITA-

COGITATIONES
AD INITIVM
EVANGELII MATTHÆI.
CAPUT I.

Vers. 1. Duæ generationes *Filii* Dei describuntur in *S. Literis*, quarum altera est *secundum Carnem*, perquam Humanam naturam, imbecillam & mortalem; altera est *secundum Spiritum Sanctitatis* ex resurrectione mortuorum, per quam Divinam naturam potentem & immortalem consecutus est, factus *Filius Dei* in potentia *Act.* XIII. 33. *Rom:* 1. 3. 4. Quarum posterior, tam natura quam generatio, quod priori successerit, præterquam quod hoc res ipsa indicat, discimus ex loco. 2 *Cor.* v. *vers.* 16. Harum generationum priorem hoc loco describit Evangelista, per quam *Filius Dei Jesus* natus fuit ex semine Davidis. Idcirco eum vocat statim Filium Davidis. Atque ut ostenderet eundem esse semen illud Abrahæ promissum *Gal:* III. 16. vocat eundem Filium Abrahæ, & per generationes sibi continuè succedentes, genus ipsius deducit.

Quæ generationum series ut commodius memoria comprehendi, & retineri posset, dividit eam in tres tessaradecades, quarum prima fuit ab Abrahamo usque ad Davidem, antequam populus Dei regnum in terris stabile haberet: Altera regnum istud in Davide & in posteris ejus, usque ad cladem Babylonicam, continet. Tertia à Babylonica clade intervallum usque ad Messiam Regem populi Dei natum comprehendit. Cujus regnum non ex hoc mundo terrenum, sed cæleste ac divinum esse debuit. Ut autem ratio ista tessaradecadum sibi constaret, necesse visum est Matthæo, ut aliquos generationum gradus alicubi omitteret: quosdam in earum serie filios vocando eorum patrum, quorum aut nepotes, aut etiam remotiores posteri fuere: ut facit *vers.* 8. 9. & 12 13. eodem loquendi more, quo Christum Davidis & Abrahami Filium vocat, quamvis tot intermediis gradibus ab iis distantem. Illud quoque in ista generationum serie observandum est, Matthæum de industria mulierum quarundam mentionem facere, quæ vel alienigenæ, ut Rahab & Ruth; aut alicujus criminis infamia male audiebant: qualis fuit Thamar incesti, Bethsabee adulterii, ipsa quoque Rahab scortationis rea. Fecisse id videtur, ut ostenderet eum, cujus generationum seriem connexuit, non alienis tantum à populo Dei gentibus, sed ipsis quoque peccatoribus, verum pœnitentibus & conversis, aditum ad gratiam Dei patentem fuisse aperturum. Nec Deum esse Prosopolepten (*Act.* X. *vers.* 34.) sed in omni gente, in omni hominum ordine & statu, etiamsi quis olim inter peccatores numeratus fuerit, omnes qui timent eum, & ad eum toto pectore convertuntur, ac faciunt justitiam, acceptos illi esse, ita ut eos sæpe eminentissimi status excellentia extollere dignetur. Nec enim mediocre dignitatis genus est inter majores & progenitores Christi censeri.

Vers. 11. *& seqq.* Generatio Christi describitur, in qua narranda unicus Evangelistæ scopus fuisse videtur, ostendere Christum non ex semine *Josephi*, sed ex virtute *S. Sancti* in utero intactæ virginis esse conceptum: quod vel ex ultimo versu patet, in quo dicitur Josephum non cognovisse Mariam, donec peperisset filium. Unde nullo modo concludi potest, illum post partum uxorem suam cognovisse. Vocula enim *donec* apud Latinos, sicuti & vocula ἕως apud Græcos, non semper respiciunt ea, quæ à parte quoque post (ut Scholastici loquuntur) fiunt: sed sæpe ea tantum, quæ à parte ante. Ut si quis dicat, ambulabo donec perveniam quo tendo, aut incumbam studiis donec hoc aut illud didicero. Particula *donec* non respicit ea quæ facturus sit is, qui ita loquitur, postquam pervenerit quo vult, aut didicerit quod vult: sed tantum ea quæ facturus sit antequam perveniat, aut didicerit. Fieri enim potest, imo plerumque fit, ut isti qui ambulant donec pervenerint quo tendunt, ambulare ulterius non desinant, & qui incubuerunt studiis donec aliquid didicerint, incumbere iis non cessent, quamdiu vivant, quò plura addiscant. Ita dum Matthæus ait Josephum abstinuisse à contactu uxoris suæ donec peperisset, non infert ullo modo hanc consequentiam, eundem post partum non abstinuisse: Sed tantum id quod ex partu natum est, ex Josephi semine conceptum non esse, quod unum sibi Mathæus proposuerat. Cui si perpetuam quoque Beatæ Virginis castitatem (quam nos nullo modo in dubium vocamus, nec ex vi istius loci vocari posse putamus) hoc loco describere consilium fuisset, longe aliter locutus fuisset.

Atque hic est locus propter quem olim Josephitæ, seu veri Ebionitæ, Matthæi Evangelium rejecerunt, quia errorem eorum nimis manifeste refellit; quemadmodum iidem Paulinas Epistolas, quæ Legis jugo gentes solvebant, rejecerunt, quod ipsi gentibus imponere contendebant. Quam Sacrorum Codicum injuriam Eusebius Orthodoxis Symboli Apostolici confessoribus per capitalem calumniam tribuit, posteaquam eosdem prius in Ebionæorum censum mendaci agnomine retulisset.

Vers. 18. Si Spiritus Sancti est separata à Deo Patre persona, cum hoc versu B. Virgo Maria dicatur fuisse gravida ex Spiritu Sancto, & *vers.* 20. illud quod in Maria fuit conceptum aut γεννηθὲν genitum seu factum h. e. fœtus ille dicatur fuisse ex Spiritu Sancti non jam Deus Pater, sed Spiritus Sanctus erit Pater Domini nostri Jesu Christi. Quod falsum & absurdum esse nemo non videt.

Vers. 19. Vox *Justi* (sicut & conjugatum ejus justitiam facientis) in S. Literis non significat meritas pœnas à nocentibus exigentem, sed potius non exigentem, clementem & misericordem; nec sui juris tenacem, aut illud persequentem, sed potius de eo multum remittentem. Quod autem Justitiæ vulgo dicitur proprium, suum cuique tribuere, si verba ista ad præmia & pœnas referantur, non videtur talis Justitia ad privatas, sed ad publicas personas pertinere, cum potestatem quandam & jus pœnarum exigendarum, præmiorumvè conferendorum supponat. Quamvis alio sensu privati quoque homines suum cuique tribuere dici possint, quando debitum cuique honorem aut officium reddunt. Sed ex usu & more loquendi Sacræ Scripturæ plerum-

que pietatem sanctimoniam & integritatem vitæ significat.

Vers. 20. Specimen Providentiæ Dei in eo cernitur, quod consilia & cogitationes piorum, quoties in aliquo errore versantur, variis modis interdum & miraculosis flectere ac dirigere nôrit, ne in pravum exorbitent. Quæ res nos in precibus vigilantes, cautos, & regimini Dei, quod in nobis gubernandis exerit, obsequentes ac morigeros reddere debet.

Vers. 23. A Patre D. nostri Jesu Christi sumit originem omnis cognatio in cœlo & in terra *Eph:* III. *vers.* 15. Sed præcipue per Dominum nostrum Deus omnibus nobis arctè conjunctus est, ita ut per ipsum Deus nobiscum esse, h. e. cum omnibus fidelibus, optimo jure dicatur. Non quod Deus in uterum Mariæ descenderit, sed quod illud Sanctum (*Luc.* I. *vers.* 35.) opera Spiritus Sancti in utero virginis conceptum, & divino modo natum, ideoque proprie dicti atque unigeniti Filii Dei nomen adeptum, ac in forma Dei in terris versatum, quod mox ex resurrectione mortuorum perfectissimo modo Filius Dei in potentia & Deus supra omnia exaltatus evasit, quod (inquam) hic Filius Dei unigenitus sit, caput populi sui & sponsus Ecclesiæ Dei, ipsi ubique & in omnibus præsens, quem non pudet suos fratrum nomine appellare.

Vers. 25. Primogeniti vox, non refertur hoc loco ad postgenitos, sed absolute ponitur pro eo ante quem nemo natus est, seu qui primus uterum matris suæ aperuit. Talis autem primogenitus masculus, secundum Legem Mosis, sacer erat Domino ac redimebatur pari turturum aut columbarum. *Luc.* II. *vers.* 23. Ideo dicitur ἄρσεν διανοῖγον μήτραν, id est, masculus aperiens uterum: quod dici non poterat nisi de primogenito. Sed talis primogenitus æque dicebatur primogenitus & sanctus erat Domino, quamvis nullos post se genitos fratres haberet, atque alii qui in serie plurium fratrum primi erant.

CAPUT II.

NOn omnes ab ineunte ætate parem habent ad virtutem & probitatem aditum ac propensionem. At nemo tamen cum improbitate nascitur, nemo in lucem prodit, cui ad virtutem & pietatem præclusus sit aditus, si ea quam cunctis Deus indulsit, animi libertate uti velit, & nisi ad ipsitum illud rationis lumen, quod verum bonum clare ostendit, in gratiam boni apparentis, oculos ultro claudat. Ut enim in bona & ad virtutem apta corporis dispositione libertati ad prava deflectere; ita & in propenso ad vitia corpore eidem libertati, rectum iter capessere, semper integrum est. Præterea ut nulla est tam bona indoles, aut tam purum judicii lumen, quin culpa aut ignavia singulorum hominum non difficulter obnubilari possit; ita nullum tam deploratum ingenium, quin rationis & conscientiæ lumine oborientes in virtutis curriculo tenebras suas dispellere possit. Proinde illud certo sciendum atque tenendum est (quicquid garriant ii qui affectatæ potius humilitatis adulatione, quàm veræ pietatis obsequio Supremum Numen demereri contendunt) singulos mortalium fabros esse suæ fortunæ. Non quod eas vires habeat humana fragilitas, quibus ad verum bonum eniti possit, quales ipsi ad malum capessendum non desunt; sed quia imbecillas licet ac tenues conatus divinum nunquam destituit auxilium, quod semper præsto est, & in occursum fertur erigentis sese ac sursum respectantis animi nostri studiis ac desideriis. Nec quenquam destituere solet, nisi se prius ipse deserat. Ita ut nemo in Deum conferre possit exitii sui causam, quod sua sibi quisque culpa accersit. Ordinarium porro Dei auxilium quod ferre solet implorantibus, est fidei nostræ excitatio primum, mox sustentatio, quæ si in mentibus nostris semel radices agat, difficillima quæque superare, atque adeò mirabilia patrare potest. Sed ut in excitanda, ita & in sustentanda quoque ista in nobis fide, Deus ejusmodi mediis & rationibus utitur, quæ non omnibus absque delectu æquè prodesse possunt. Verum ea quæ nobis credenda sunt, eo temperamento menti atque oculis nostris objicit, ut nemo quidem mortalium cogi possit ad assensum, sed tamen à probis pectoribus longe facilius recipi soleant, quam ab iis qui culpa sua improbi evasere, & moribus ac vitiis suis, fidei suæ impedimenta objecêre. Recte igitur à Christo dictum, Regnum Dei non advenire, ut ita dicam, observabiliter, h. e. ita palam & aperte, ut ab omnibus animadverti & observari possit; nec tamen adeò clam & occulte, quin à probis mentibus animadverti queat. Christi adventum non omnibus patuisse, nec ab omnibus animadversum, eventus ipse, atque in primis Judaicæ gentis incredulitas ostendit. Ejus rei culpa penes eos ipsos est, cum Deus oculis ipsorum tam clara adventus ejus documenta objecerit, ut nisi eos culpa & pravitate sua clausissent, adventum Messiæ sui non cernere non potuerint. Primum eos tot Prophetarum prædictionibus tantæ fælicitatis venturæ admonuit, adeò ut ne locus quidem, ubi Messias nasciturus erat, ipsis esset ignotus, *Matth.* II. *vers.* 5. 6. Deinde tempus ipsum nati Messiæ publico & illustri Magorum testimonio, ad quod rex Herodes ipse cum tota Hierosolyma, atque omnes inprimis Sacerdotes & Legis Doctores contremuerunt, itemque novæ stellæ apparitione declaravit & patefecit, ne cuiquam occultum aut ignotum esse posset. Denique ne in animis hominum ejus rei memoria, tantisper dum recens natus rex adolescit, exolescere posset, immani cæde infantium & crudelissimi regis sævitiâ tempus nativitatis hujus insigne ac memorabile esse voluit. Quibus indiciis accessere postea adventus Joannis, ejusque Baptismus, & hominis illius non sine miraculo nati, non sine summa fidei & auctoritatis apud populum Judaicum existimatione in terris versati, irrefragabile testimonium. Mox ipsius Christi doctrina cælestis, vita sancta, edita ab eo tot miracula, & illud omnium maximum, quod post innocentem sanguinem effusum, tertia die suscitatus glorioso mortem vicerit, Divinamque naturam, & eorum quæ Dei nomine promisit largiendorum potestatem adeptus, eam effusione donorum cælestium, ac tot discipulorum suorum in nomine suo patratis miraculis exeruerit, ac totum penè orbem ad cultum unius Dei Israëlis converterit. Hæc inquam omnia satis certa & palpabilia fuere adventus Christi documenta, quibus à Deo vix addi potuit manifestius indicium absque illata quadam impotentius extortæ fidei violentia. Nihil igitur habent Judæi quod se à Deo rejectos querantur, qui tam clara & evidentia beneficentiæ divinæ erga se documenta spreverint atque rejecerint.

Ver: 1. Magos istos quamobrem reges fuisse putemus causam cum pleriisque aliis non reperio. Occuparant olim in Perside regnum Magi, sed eo dejecti sunt. Neque convenit regibus ejusmodi per aliena regna discursatio. Privatos magis decet & sapientiæ studiosos ista ex contemplatione syderum exorta curiositas. Porro nec sola ista stella duce, sed per divinam quoque revelationem χρηματισθέντες κατ' ὄναρ, de nativitate Regis Judæorum, cujus signum stella ista fuit, certiores facti videntur.

Ver: 9. Apparet stellam istam novam, quæ notabili discrimine ab aliis distinguebatur, ut facile ab aliis dignosci possit, aut sese supra infantis Jesu

hospitium

hoſpitium demiſiſſe, aut jactis in ejus tectum radiis eum veluti digito Magis oſtendiſſe.

Ver: 11. Mira Dei providentia, qua effectum ut iſta Magorum liberalitas non modo recens nato Chriſto eſſet honori, ſed uſui quoque Mariæ & Joſepho, quorum paupertas abſque hoc opportuno quod Magi attulere ſubſidio peregrinationi Ægyptiacæ forſitan non ſuffeciſſet.

Ver: 16. Duo præcipue in hoc Capite exſtant Providentiæ Dei ſpecimina 1. Pervigil ac perpetua cura eorum quos patrocinio ſuo protegendos ſuſcepit in avertendis periculis, quæ ſæpe ignorantibus imminent. Non ſuſpicabatur Joſephus & Maria imminere ullum recens nato puero ab Herode periculum. Avertit illud Deus primum per monitos miraculosè Magos, ne redirent ad Herodem; deinde per monitum Joſephum, ut fugerent in Ægyptum. Præterea in procuranda opportuna ratione qua neceſſarios ſumptus ſuos ſublevarent. Magorum enim dona ſuppeditarunt opportunum Chriſto in Ægyptum fugienti viaticum. 2. Mirabilis ſapientia & potentia in eludendis regum & principum conſiliis atque propoſitis, voluntati ſuæ repugnantibus, qualis eluxit in Herode decepto.

Ver: 22. Quamvis ex narratione *Lucæ* conſtet *Cap.* 11. *verſ.* 4. Joſephum & Mariam ante natum Chriſtum Nazarethi in Galilæa vixiſſe atque inde Bethlehemum veniſſe; tamen fieri poteſt, Joſephum, accepto per Angelum nuncio nihil ab Herode timendum, conſtituiſſe in Judæam potius, ad habitandum inter agnatos & propinquos, quam in Galilæam reverti. Quod conſilium poſtea mutavit, cum intelleriſſet filium Herodis in Judæa regnare; & in locum ſibi præterita habitatione notum redire ex Ægypto maluit.

CAPUT III.

NOn ſatis erat Deo nativitatem *Meſſiæ* prædixiſſe, ſigniſque & circumſtantiis certis eventuram deſignaſſe, eiſque impletis fidem priſcorum vaticiniorum exolviſſe, præterea eandem nativitatem apparitione novæ ſtellæ, Magorum adventu, Herodis regis ac totius Hieroſolymæ trepidatione, denique infanticidii immanitate inſignem ac celebrem feciſſe. Deerat adhuc ut per adventum Joannis, & hominis populo Judaico acceptiſſimi teſtimonium, illud ipſum tempus quo prædicare Chriſtus Evangelium cæpit, quaſi digito oſtenderetur. Teſtatus eſt enim ſæpius Joannes ſuccedere ſibi proxime miſſum à Deo, ſed longe dignitate præcellentiorem Legatum, ipſum Dei Filium, non modo abundantiori Spiritus divini copia inundatum, ſed patrandorum miraculorum poteſtate, doctrinæ cæleſtis excellentiâ & omni genere præſtantiæ ſeſe longe ſuperiorem. Quid à Deo populus hic refractarius amplius requirere potuit, quod ad excitandum & admonendum ipſum venientis cælitus regni ac Regis cæleſtis pertineret? Venit autem Joannes horrido cultu, vita auſterâ, habitatione ſolitaria, oculos in ſe omnium convertens, quia eum à populo; qui externis ejuſmodi ſignis potiſſimum ducitur, pro vero Propheta recipi & vulgo magnam autoritatem acquirere, pertinebat ad conſilium Dei. Gravius enim futurum erat teſtimonium à teſte probatæ fidei & auctoritatis profectum.

Ver: 6. Quia vero Chriſtus adventurus erat, ut deſtrueret opera diaboli h. e. peccata, ideo præcurſor quoque ejus, à peccatis ſibi homines ſumpſit dehortandos, dum eorum pœnitentiam inculcaret. In qua prædicatione & hortatu non obſcura inerat ſpes & quaſi promiſſio præteritorum peccatorum remiſſionis, ſi modo in futurum ab iis abſtineretur & fructus digni pœnitentiâ ederentur. Ipſa quoque ablutio per baptiſmum, ſordium peccati, & quaſi reatus ſublationem deſignabat, atque adumbrabat, ea tamen conditione, quam *Joannes verſ.* 8. tangit, *Si ederetur fructus dignus pœnitentia*, quam ſinguli baptizati, per externam illam ſordium ablutionem pollicebantur & adumbrabant. Videbantur enim promittere ſeſe maculas vitæ ſuæ in poſterum perinde abluere velle, atque aqua merſi corporis maculæ ablui ſolent. Porro Judaicæ genti nihil magis ad veram pœnitentiam & vitæ emendationem obſtabat, quam quod eos inflaret electi quondam à Deo populi nobilitas, quemadmodum ignava plerumque poſteritas, poſito virtutis conatu, in majorum gloria & meritis recumbere ſolet. Hanc igitur arrogantiam ipſis Joannes excutit. *verſ.* 9. admonens eos imminentis judicii divini, quo benedictiones poſteritati Abrahami promiſſæ, à corporalibus poſteris, ad ſpirituales transferri debebant. Ejuſque rei tempus jamjam imminere *verſ.* 10. præmonet, dum ait, *Securim jam eſſe appoſitam radicibus earum arborum quæ fructum bonum non faciunt.* Non ſatis igitur eſſe Judæis quod ſecundum carnem patrem habeant Abrahamum, niſi eundem quoque ſecundum ſpiritum patrem habeant, fidem ejus & fidei fructus exerentes ac proferentes; quod niſi faciant cito exſcindendos & in ignem abjiciendos eſſe.

Ver: 11. Teſtimonium deinde perhibet Joannes de Chriſto, cujus erat præcurſor, eum ſecum comparans, & ſeſe multo excellentiorem eum fore prænuncians. Nimirum quanto excellentior, imo vero potentior & efficacior eſt baptiſmus Spiritus Sancti & illius ignis cæleſtis, qui ipſe per ſe homines vere ſanctos & ſpirituales efficit, Baptiſmo aquæ, qui ſolas corporis ſordes abluit, animi autem maculas ipſe per ſe abluere nequit, ſed tantum ſignum quoddam & ſymbolum iſtius conatus denotat. Præterea quanto dignior, potentior, præſtantior eſt ſummus & abſolutus Rex populi Dei, qui in manu & poteſtate ſua regimen habet & gubernationem populi Dei, præmia & pœnas, & ſalutem aut ſupplicium ſingulorum, quos aut ſervare in æternum, aut perdere igne inextinguibili pro arbitrio poteſt, uno aliquo è ſubjectis ſibi fidelibus ac miniſtris ſuis. Et profecto hoc loco verba Joannis indicant divinam quandam & incomparabilem Chriſti Domini noſtri præſtantiam & eminentiam. Cum enim ipſius Joannis ſumma excellentia fuiſſe ab ipſo Chriſto prædicetur, adeò ut ex prole mulierum præſtantior ipſo nemo extiterit, quanto præſtantior & excellentior Chriſtus cenſendus eſt, cujus abjectiſſimo miniſterio haudquaquam ſe dignum Joannes judicavit?

Verſ: 11. & 15. Quæ cauſa fuerit cur Chriſtus, qui Joanne Baptiſta tanto major ac præſtantior fuit, ut Joannem potius ab eo baptizari decuerit, baptizari tamen à Joanne voluerit, & quænam illa impletio omnis juſtitiæ in Chriſti baptiſmo eluxerit, cogitantibus nobis venit in mentem magni exempli & omnibus Chriſti diſcipulis ad imitandum propoſiti, modeſtia, quod cum extra ordinem & ſupra ordinem cæterorum eſſet, ſua ſponte ſemetipſe quaſi in ordinem redegerit, non modo humilitatis ſpecimen in eo omnibus exhibens, ſed facto ſuo invitans cæteros, qui hac baptiſmi ablutione longe magis indigebant (Chriſtus enim non ſui ſed aliorum cauſa eam ſuſcepit) ad hunc baptiſmum, atque ſimul vitæ purioris & ſanctioris propoſitum ſuſcipiendum. Præterea ſecutus in eo Dominus videtur ſapientiſſimam illam & optimam Patris ſui voluntatem, qui cum novæ creationis dignitatem, & bellicum populi ſui adverſus Satanam imperium in Filium ſuum conferre vellet, ipſum primum duriſſimis militiæ ſuæ legibus & rudimentis exerceri, atque ita cæteris

viam per quam novæ creaturæ evadere possent ostendere, & exemplo illis imitando prælucere voluit. Huic Dei voluntati pro enixo obsequii studio suo libenter sese Dominus subjiciebat, usque ad subeundum atrocissimæ mortis supplicium. Quamvis igitur sciret se esse extra & supra ordinem cæterorum, tamen se libenter in ordinem cæterorum redigebat. Quod factum etiam in ipso ejus baptismo ita Deo placuit, ut publico miraculo & voce cælitus demissa *hunc esse Filium suum* testaretur *in quo ipsi complacuerit*, *vers.* 16. *&* 17. Novum hoc est & singulare Dei de Christo testimonium, præsente multo populo, qui ad Baptismum Joannis confluxerat, ac publice exhibitum, in quo Deus per miraculosam cæli apertionem, per visibilem aut sensibilem Spiritus Sancti in Christum descensionem, denique per vocem cœlo demissam, Jesum Christum dilectum Filium suum in quo ipsi præ cæteris complacuerat, fuisse testatus est.

CAPUT IV.

Mirari equidem liceat, quo consilio homines ad veram pietatem simulque ad æternam felicitatem, faciliorem aditum quærentes, præ conversatione eum aliis solitudinem eligant. Quamvis enim in turba vitiosorum hominum plura sint bonæ mentis impedimenta, quam in secessu, & in hoc liberior videatur animus ad vacandum sibi; tamen ad convictum cum vitiosis & improbis raro quisquam adigitur, & sæpè, ne dicam semper, eligere licet quibuscum conversemur. Jam vero præ amicitiâ & quotidiana cum bonis conversatione, quid haberé possit egregii solitudo (ne quid amplius loquar) intelligere nequeo. Fallitur quisquis existimat ab erroribus, tentationibus & variis in vivendo cespitationibus, liberiorem esse modum vivendi solitarium. Certè Christus cum tentari & acerrimo cum Satana conflictu dimicare debuit, in solitudinem à Spiritu ductus est. Cur igitur hoc Spiritu sapientiores esse volunt, qui magis expertem Satanæ artium & minus obnoxium periculis solitudinem censent? Christus cum ante prædicationis munus per annos circiter triginta sanctè & piè viveret, plurimas Satanæ tentationes non vicisse non potuit. At cum ex professo victoriarum ejusmodi specimen edendum fuit, solitudo à Spiritu Sancto quæsita est. Unde apparet, triste illud solitudinis otium, telis ac missilibus Satanæ esse infestius. Cur autem Deus non contentus continua tot annorum Christi obedientia, eum insuper ante obeundum magnæ istius Legationis munus acrioribus tentationibus exerceri voluerit, plures causæ dari possunt. 1. Ut ostenderet non frustra se ad tanti muneris fastigium elegisse tantæ virtutis bellatorem, qui priusquam honorem destinatum sibi adiret, tot certaminibus & victoriis perduellem Dei profligasset. Si Jobum tentari permisit ut Satanæ inconcussam ejus fidem & probitatem experimento comprobaret, eademque opera suam ipsi perfidiam & improbitatem exprobraret, quanto gloriosius, & magis necessario illibatæ Christi sanctimoniæ specimen edendum erat, antequam per illum magnum illud novæ creationis opus auspicaretur. 2. Ut ipsum Christum tantæ molis negotium aggredientem, tot victoriis confirmaret, & condecoraret, quo majori animo & constantia imposito sibi munere defungeretur, capto per ejusmodi pugnas & pericula virtutis suæ experimento, quam adversus hostes Dei invictus esset & inexpugnabilis. 3. Nobis in exemplum, ut videremus, quam strenue oppugnanti Satanæ resistendum, & quid militibus expectandum sit in eo certamine, in quo Imperator ipse tanta virtute depugnavit.

Est autem in ordine tentationum inter *Matthæum* & *Lucam* diversitas, ita ut uterque diversum memoriæ ordinem secutus esse videatur, cum legentium parum interesset, quo ordine collocarentur, dum omnes istas machinas ab hoste adhibitas, omnes à Christo fortiter repulsas constaret. *Matthæus* enim ab iis tentationibus descriptionem earum inchoavit, quibus occultius mens nostra in insidias pertrahitur, & in iis desiit in quibus aperte oppugnatur. Veluti cum in prima tentatione Satan non suam sed nostram rem agere videtur, dum famis domandæ rationem expeditam subjicit: aut in secunda, dum reddendi fidei nostræ erga Deum præmii experimentum, non necessarium, sed superfluum explorandum suadet. Nam in tertia palam & aperte adorationem sui postulat, ac licitatur.

Lucas autem ab iis incipit quibus communiter vulgus hominum adoritur, quales primum sunt concupiscentiæ carnis naturalibus desideriis lacessitæ, ut in primâ fames: deinde concupiscentiæ oculorum, & fastus vitæ, mundi opes & gloria, ut in secundâ: & in ea definit qua utitur erga eos, qui jam in virtute non pœnitendos habent profectus, ut in tertiâ, dum nimiâ sui fiduciâ, & quodam spirituali fastu homines intumescere efficit, aut fidem eorum de Dei erga illos providentiâ in dubium vocat, & per illicita experimenta probari postulat. Non eodem ordine autem hæc ab utroque Evangelista Spiritus Sanctus proferri voluit, quia hæc in exemplum legentibus proponebantur, quorum ut mores & naturæ discrepant, ita non eodem ordine aut modo à Satana oppugnantur.

Notandum autem est in omnibus tentationibus repellendis Dominum armis telisque ex Sacræ Scripturæ armamentario depromptis usum esse. Quo magis damnanda videtur eorum iniquitas, qui Sacræ Scripturæ lectione maximæ hominum parti interdicunt, quo vel imprudentes efficiunt, ut eos inermes adversus tela & ictus Satanæ reddant. Nam quod Satanas etiam tentationes è S. Scripturâ depromat, non desunt in eadem Scriptura Spiritus Sancti monita, quibus eum sæpe in Angelum lucis transformari indicat: Sed nec desunt remedia quæ falsis & subdolis S. Scripturæ allegationibus opponi possint. Quemadmodum hoc loco Christus callidè allegato S. Scripturæ loco, sapienter alium opposuit. Notandum & illud, quemadmodum in historia Jobi Deus ad illum tentandum, multum Satanæ potestatis permiserat, ita in Christo quoque tentando, non parum eidem licuisse. Nec enim tangere tantum corpus Domini, sed asportare & ubi libuit collocare ausus est, etiam in pinnâ Templi, & montis altissimi cacumine. Quod certe nunquam ausurus fuisse videtur, si eum supremum & altissimum Deum creatorem suum fuisse sciviſſet: quod tamen si verum fuit, ignorari ab eo nullo modo potuit. Nam quæ illa tam effrons & improba spes fuit, decipi aut frangi tentationibus summum Deum sperare potuisse: aut mundi illecebris flecti ad adorandum Satanam?

Vers. 11. Magnum simul ac certum est solatium eorum qui magnis tentationibus oppugnantur, quod post superatum hostem manet illos statim supervenies cælestis aut divinæ præsentiæ gaudium ac præmium. Abeunte Satana tanquam victo & fugiente, accesserunt Angeli ac ministrarunt Domino. Nemo Evangelistarum præter Joannem de ascensu Christi in cælos ante resurrectionem doctrinam tradidit. Ab ea *Joannes Evangelium* (*cap.* 1. *vers.* 1. 2.) exorsus, ejus postea non semel meminit *Joh.* 111. 13. *&* 31. 32. *&* *alibi*. Nusquam tamen Joannes tempus aut locum aliasque ascensus ejus circumstantias expresse designat. Huic ascensui, si conjecturæ locus est, nullum forte commodius tempus assignari potuit,

potuit, quam illud quo ſuperato ac fugiente Satana accedentibus Angelis miniſterio eorum in cœlum (ut arbitramur) triumphabundus ſublatus eſt. Tunc profecto maxime omnium credibile videtur, Magnum iſtum Dei ad univerſum genus humanum Legatum, legationis ſuæ mandata non per Angelos, ſed ex ipſius ore Dei excepta, cælitus in terras detuliſſe, & annuntiaſſe. Præſertim cum inter tentationes à Chriſto ſuperatas, & prædicandi Evangelii inchoationem, nihil aliud interceſſiſſe legamus; & tamen aſcenſum Chriſti in cælos, de quo ex Joanne conſtat, prædicationem Evangelii anteceſſiſſe neceſſe ſit.

Ver. 13. Cauſam cur reliquerit *Jeſus*, à Nazarenis penè præcipitatus, oppidum *Nazaret*, in quo educatus fuit, & cur in Capernaum migraverit, fuſe exponit *Lucas Cap:* IV. 16. *uſque ad* 32. & aliam ipſe Chriſtus reddit *Joh.* IV. 44. *Quia Propheta in ſua patria honorem non habeat.* Tertiam ut implerentur Prophetiæ, ſolus tangit *Matthæus.*

Ver: 17. Etiam ante migrationem è *Nazareno* oppido, legimus à Chriſto prædicatum Evangelium *Luc.* IV. 16. ut ſupra diximus. Magis tamen & inſignius huic prædicationi incubuiſſe, ac ſine dubio feliciori ſucceſſu rem geſſiſſe, poſteaquam patria pulſus eſt, Chriſtus videtur. Ideo eam à tranſmigratione ſua incepiſſe dicitur.

Eodem verò propemodum Evangelii initio Chriſtus ipſe, quo & ipſe Joannes Baptiſta, utitur, quamvis longe divinioris doctrinæ myſteria, in commonſtranda ſalutis æternæ viâ, tradiderit. Nam qui erranti comiter monſtrat viam, neceſſe eſt ut eum prius ab erronea ſemita abducat, nec virtutis tramitem quiſquam ingredi poteſt, priuſquam tritam vitiorum viam deſerat.

Ver: 18. Primum par fratrum Petrum & Andream, ſecundum Jacobum & Joannem Zebedæi filios vocatos ad Apoſtolatum, Matthæus exponit. Porro præter Apoſtolos plurimi alii Diſcipuli Chriſtum ultro ſectabantur, partim accepto ſanationis beneficio ejus memores, partim ut acciperent, alii ut ſapientiam audirent, omnes miraculorum fama & admiratione exciti, ita ut ad concionem illam primam tribus Matthæi Capitibus deſcriptam audiendam, tam diſcipulorum, quam extraneorum numeroſa multitudo confluereret.

CAPUT V.

TRia iſta hujus Libri ſibi ordine ſuccedentia Capita, eximiam S. Scripturæ partem & perfectiſſimam doctrinæ Chriſti & officiorum atque monitorum nobis præſcriptorum deſcriptionem continent; ita ut ſi quo caſu reliquæ omnes divinitus inſpiratæ Sacræ Scripturæ partes periſſent, ex hac una rationem officii noſtri pleniſſime explicati diſcere licuerit. Porro doctrinam de Moribus Dominus ſapientiſſimo conſilio, à beatitudine, quam homines per honeſtarum actionum conſuetudinem conſectantur, incipit. Cujus primum lineamenta in variis virtutum actionibus atque habitibus ducit. Deinde quam perfecta ſit Lex ipſius, quantoque ipſa Moſis Lege, multoque magis aliis legibus atque Judaicæ Legis Magiſtrorum commentis perfectior ſit, & in quo perfectio ejus conſiſtat, oſtendit. Denique omnis generis monita, præcepta, ſolatia, remedia cumulatè adjungit, adeò ut doctrinæ huic omnibus numeris abſolutæ, vix quicquam quod addi poſſit, deeſſe videatur. Quamvis autem Chriſti conſilium eſſet, ut omnibus qui magno numero aderant doctrinam ſuam traderet, ideo enim montem aſcendit, ut eum de ſuperiori loco loquentem tanta multitudo audire poſſet; tamen (ut aliàs quoque frequenter factum & fieri ſolet) non omnes forte cæleſtis ejus beneficii participes fuere, niſi forte diſcipuli ejus, hoc eſt, non modo ſelecti Apoſtoli, ſed quibuſcunque doctrina tanti Magiſtri cordi fuit, & qui ut præcepta docentis fidelius exciperent, propius acceſſerant.

Quia vero non vulgaris, aut mundanæ & apparentis, ſed veræ & cœleſtis felicitatis dulcedine animos diſcipulorum ad doctrinam ſuam allicere Dominus volebat, ideo e virtutibus earumque actionibus in quibus erat collocanda, eas initio dumtaxat ſelegit, quæ in mundanam & apparentem non caderent. Quod antequam ſigillatim oſtendere aggredimur, verba quibus iſtam felicitatem depingit expendamus. Vocat illam primum *Regnum Cœlorum*, quod nihil aliud eſt, quam hominum ad cæleſtem & æternam vitam admiſſorum, & in ea regnantium felicitas. Deinde indicat *verſ.* 4. eam eſſe plenam ſolatii. *Tertio* vocat *Terram* populo Dei aſſignatam, eamque hæreditate *poſſidendam*: Quia cæleſtis hæreditas eſt antitypus terræ poſteris quondam Abrahami promiſſæ. *verſ.* 5. *Quarto* tribuit huic felicitati *ſaturitatem verſ.* 6. quia in ea eſt tam copioſus bonorum omnium cumulus, & acervus, ut nihil in ea quod deſiderari poſſit, deeſſe videamus. *Quinto* oſtendit hanc beatitudinem nobis maxima Dei in nos miſericordia obtingere, ne quid dignitati aut viribus tribuamus noſtris, aut ne indignitatis noſtræ conſcientia nos eam conſequi poſſe deſperemus aut diffidamus. *verſ.* 7. *Sextò* tribuit huic Felicitati *viſionem* Dei, qua nihil humanis votis optabilius, aut mentis noſtræ ſtatu dignius eſt, *verſ.* 8. *Septimo* tribuit ei *adoptionem in Filios Dei verſ.* 9. quo nihil divinius eſt. Ut enim filii regum in regnum, ita Dei filii in ipſam divinitatem aſciſcuntur. *Octavo* oſtendit eam beatitudinem omnis gaudii & exultationis plenam eſſe, ac per illam nos in ſocietatem & conſortium ſanctiſſimorum virorum admitti *verſ.* 12. *Nono.* Felicitatis hujus candidatos & compotes, vocat *Sal terræ verſ.* 13. quia inſulſos terrenorum hominum mores ſancta converſatione condiunt. *Decimo* vocat *lucem mundi verſ.* 14. quia toti mundo & humano generi bonis operibus præluceat.

Hucuſque verba quibus iſta Felicitas adumbratur, expendimus. Porrò lineamenta quibus ab apparenti & terrena beatitudine diſtinguitur hæc ſunt.

1. *Primò* requirit hæc felicitas homines *pauperes ſpiritu verſ.* 3. hoc eſt, modeſtos & humiles, ab omni animi ſuperbia & arrogantia alienos. Qualis animi elatio plerumque in mundi hujus ſapientibus, atque ipſis Philoſophis, qui feliciores aliis videri volunt, cernitur. Hac virtute nobis Chriſtus præluxit, eamque in ſe digito oſtendit & commendavit, *Matth.* XI. 29. Nec fruſtra hic Dominus, ſtructuram Templi Dei in novis creaturis aggreſſus ac moliens, primum hunc lapidem *modeſtiæ* poſuit, & quaſi fundamentum jecit. Quod niſi firmiter ſolide ac profunde defigatur, nutat ſuperſtructi ædificii moles. Hanc Spiritus paupertatem facile peccatorum noſtrorum conſcientia producit, quæ quia non agnoſci tantum à nobis, ſed bona fide & vehementer nobis diſplicere debeat, ideo requirit hæc felicitas.

2. *Secundo* Homines *lugentes* ac præteritæ vitæ culpas deplorantes, quibus præſentiſſima ſolatia promittit *verſ.* 4.

3. *Tertio* Requirit homines *mites*, quam virtutem Dominus noſter in ſeipſo nobis imitandam propoſuit dicto *Matth.* loco, atque ejus nomine à *Spiritu Dei Eſai:* XLII. 1. *& Matth:* XII. 13. non perfunctoriè commendatus eſt. Cui virtuti hæreditaria

terræ à Deo promissæ, h. e. Regni Cælestis possessio promittitur. Cum tamen in terrena beatitudine opum atque imperiorum possessiones, non nisi acerrimis ac violentis raptoribus obtingere soleant. *Quarto* Requirit eadem *Felicitas* non leve aut tepidum, sed ardens & in morem naturalium desideriorum flagrantissimum sanctimoniæ ac pietatis studium. Cujus virtutis conatui optatus ac felicissimus successus promittitur. *Quinto* Requirit eadem pronam ac facilem in proximos misericordiam. Qui affectus primum caritatis rudimentum ac tyrocinium est. Cui virtuti mutua à Deo promittitur misericordia. Tales enim in alios fieri debemus, quales alios, sed præcipue Deum, erga nos esse vellemus. Hunc tamen affectum plerique è Philosophis, præcipue Stoici, pravum ac vitiosum censebant. *Sexto* eadem *puros corde* homines requirit, hoc est, ab omni corporis & animi impuritate atque libidine abhorrentes. Jam vero terrenæ felicitatis bona pars vulgo in impuris carnis desideriis satiandis collocabatur. Secernit igitur, ut alibi, ita hic quoque Dominus Christianæ felicitatis genus, à falsa & apparenti mundanæ felicitatis specie. Requirit *Septimo* hæc felicitas *pacem* quoad ejus fieri potest cum omnibus retinendam, quæ publicæ erga omnes caritatis fructus est, neque absque injuriis erga alios violari solet; à quibus adeò abhorrere Christianæ felicitatis candidati debent, ut beneficiis sibi potius omnium animos adjungere teneantur. Cui virtuti magnificum ac sublime præmium Christus pollicetur: quod videlicet homines pacifici Filii Dei vocandi sunt. Deus enim noster, Deus pacis est, & beneficentia homines fiunt Dii. Notandum est autem istos homines pacis studiosos hoc loco *pacificos* potius, hoc est εἰρηνοποιούς, quam pacatos & irenicos vocari, ab uberiori ac præstantiori fructu, quem hominibus ejusmodi pacis studium afferre solet. Qui enim pacem libenter colunt, non modo à rixis & discordiis ipsi alieni sunt, sed præter alios speciales conatus insinuandæ inter discordes pacis, vel isto ipso suo generali pacis colendæ studio efficiunt, ut alii quoque nulla injuria aut ansa provocati, pacem colant, atque ita non modo pacis sectatores, sed amatores quoque & effectores merito audiant. *Octavo* Requirit hæc *Felicitas* multarum injuriarum *& persecutionum propter Justitiam & propter Christum Filium hominis patientiam.* Si enim tot sanctis Viris atque ipsi Christo compatiemur, certè, ut ita dicam, & conregnabimus. Atque hoc summum Christianæ beatitudinis, nec fortasse omnibus commune, culmen est. Ideoque ipsi regii throni sublimitas pro mercede reposita, & nunc in Christi exemplo repræsentata intelligitur.

Vidimus hucusque Christianæ Felicitatis lineamenta, quæ istos ipsos, in quibus reperiuntur, beatos efficiunt. His adjicit Dominus alia duo, quæ non modo ipsos, sed alios quoque quibuscum conversantur, aut à quibus conspiciuntur, beatos efficere queunt, dum homines quos supradictis coloribus depinxit, seu discipulos suos, vocat *vers.* 13. *Salem terræ & vers.* 14. *Lucem mundi.* Cujus utriusque elogii occasione hortatur eos, atque adeò omnes discipulos suos, ut sanctimoniæ suæ sale & sapore omnes homines condiant, & virtutum ac bonorum operum luce cunctis præluceant. Duas rationes annectit, cur utrumque facere debeant. Primam, ni id faciant, sumptam ab extrema eorum infelicitate, & contemptissima sorte. Qui enim salis insulsi sapore adumbrantur, neque apud Deum neque apud Satanam præmium habent, & utrinque rejecti, atque omni solatio excluſi, publicè omnium tam bonorum quam malorum contemptu spernuntur & conculcantur. *vers.* 13. Altera ratio sumitur ab optabili sorte eorum, qui aliis virtute prælucent. Cum enim ex eorum bonis operibus gloria Dei efflorescat, non modo virtutis suæ luce omnium oculos perstringunt, & apud cunctos omni laude præfulgent, sed speciali quoque à Deo & gloriosa propagatæ gloriæ ejus mercede gaudent. Nec enim ipsa tantum

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus;

nec latere ullo modo potest; Sed dignum conciliatæ Deo gloriæ præmium & redhostimentum ab eodem recipit, *vers.* 14. 15. 16.

Hucusque Christianæ Beatitudinis lineamenta ducta, & per ea assequendæ ejus desiderium in animis audientium excitatum videmus. Nunc quam perfecta, quantoque omnibus hominum præceptis, atque inventis, adeoque ipsa Mosis Lege præstantior sit Lex Christi, quæ ad istam beatitudinem iter ostendit, Christum ipsum docentem audiamus. Docet autem id primum in genere, deinde in specie.

In genere à *vers.* 17. usque ad 21. Ubi primum occurrit tacitis hominum cogitationibus, qui cum viderent eum novam doctrinam, & nova Dei mandata, eaque, ut ajebat, præstantiora & perfectiora cælitus afferre, facile in eam sententiam descendere poterant ac descendebant, eum Legem & Prophetas, hoc est doctrinam Vet. Fœderis, bona sui parte per Prophetas spiritualiter explicatam, idque quod in ea spirituale ac difficillimum fuit, solvere & abolere. Nam si legem ipsam, ut maxima sui parte sonat, inspiciamus, plus in ea rituum ac Ceremoniarum, quam Moralium Præceptorum reperiemus. At eadem per Prophetas, ut tunc captus erat illius populi, explicata, ad spiritualem & moralem Dei cultum Judæos ducebat. Itaque Christus per Legem & Prophetas, non simpliciter Legem, sed Legem ex mente Prophetarum explicatam, intellexit, quæ nondum quidem opera Prophetarum esset impleta ac perfecta, manentibus adhuc umbris & figuris ejus ceremonialibus, sed tamen ad perfectionem suam tenderet.

Hanc igitur Legem & ejus interpretum Prophetarum doctrinam, Christus *vers.* 17. non modo negat se ullo modo solvere aut abolere, sed asserit eam se implere, ac longe perfectiorem reddere. Præcepta moralia vitæ piæ & sanctæ intelligit, quæ quamdiu cælum & terra durat intacta & inviolata & pretium ac vim suam integre retinentia permansura esse *vers.* 18. affirmat; adeo ut doctrinam eorum vel minima ex parte lęsisse, aut infregisse, nemini impune abiturum sit, *vers.* 19. Hunc enim *vers.* 19. ut sonat simplicissime explicandum arbitramur. Nimirum eum, qui solverit vel minimam partem hujus Legis spiritualis, puta imprudens, & aliud agens (quis enim ferat ejusmodi impostorem qui sciens volensque & aperta impietate Leges Dei solvere ausit) per introductam videlicet doctrinam pietatis nervos aliquatenus incidentem, & noxiam, minimum fore in Regno Cęlorum, hoc est salvandum quidem fore (si alioqui pie vixerit) sed tanquam per ignem, 1 *Cor:* III. 15. In vocibus enim *solverit & docuerit*, particula *&* vim explicandi obtinet: quasi dictum fuisset, solverit per doctrinam seu imprudens; non autem per mores suos & vitam, quod ipsum à Regno Cælorum plane excluderet, non vero minimum tantum in Regno Cælorum efficeret. Ideo additur *qui autem fecerit & docuerit magnus vocabitur in Regno Cælorum*, hoc est, qui non modo præcepta Dei ipse servaverit, quemadmodum ii qui imprudentes falsas & noxias doctrinas introducebant, pii alioqui esse potuerant; sed per doctrinam quoque

pietati

pietati consentaneam, alios servare docuerit, ejus hominis opus, nem illius diei, quæ opera omnium manifesta faciet, cuncta prava consumentem, non timebit: sed æternum permanens mercedem auctori suo conciliabit. 1. *Cor.* III. 14. Dici autem potest minimum præceptum Dei, non modo ipsa illa pars pietatis, quæ Lege Dei exequenda præcipitur, sed etiam adminiculum hujus præcepti exequendi, hoc est sententia aliqua, quæ homines in exequendo Dei præcepto, aut pluribus adjuvare & confirmare potest. Quam sententiam qui abolet, & loco ejus noxiam & præceptorum Dei executionem impedientem subjicit, solvere præceptum Dei, scilicet imprudens, dici potest, quamvis in vita & moribus præceptum idem non violet. Hæc mihi simplicissima & optima loci hujus explicatio, præ omnibus aliis probatur.

Cum igitur Christus ostendisset præcepta sanctitatis & justitiæ, quæ quamdiu mundus hic durabit immota & inviolata stare debent, neque à se, nec à quoquam alio solvi posse, imo verè à se impleri, ac perfici, hoc est perfectiora reddi debere, inde concludit, non modo doctrinam suam Lege Mosis & ejus interpretum doctrinâ perfectiorem ac præstantiorem esse: sed etiam pietatem, justitiam & sanctimoniam à discipulis suis majorem, perfectiorem & præstantiorem exigi, quam à Lege, Scribis, & Pharisæis exigebatur. Quam nisi præstent, eos in Regnum Cælorum ingredi non posse.

Postea idem & in specie Legem suam Mosis Lege & hujus interpretum institutis, perfectiorem esse ostendit. Ac primum incipit, à Legibus Mosis, quibuscum suas comparat; easque non repugnantes quidem Mosaicis, sed eas longe perfectiores reddentes, esse ostendit. Inde digreditur ad Rabinorum instituta. Notandum autem est, quoties Mosis Leges citantur, verbis *Audivistis quod dictum sit*, addi semper vocem *antiquis*, ut *vers.* 21. *&* 27. *&* 33. Quæ omittitur quoties nova interpretum Legis commenta aut instituta proponuntur, & cum Legibus Christi comparantur, ut *vers.* 31. *&* 38. *&* 43.

E Mosis Legibus prima proponitur secundæ Tabulæ præcipua *de homicidio*. In qua hæc notatur imperfectio, quod non nisi ipso facto externo patratum, & consummatum homicidium puniebatur. At Lex Christi etiam occulta cogitatione inchoatum damnat, atque punit; nec plenum tantum occidendi decretum, sed omnem temerariam iram prohibet ac plectit. Imo vero omnes ansas aut occasiones, quæ homicidio præberi solent, qualia sunt maledicta, quibus homines ad iracundiam, & vindictam, mox pugnam, ac denique cædem irritantur, proscribit, & supplicio digna pronuntiat *vers.* 22. Et Mosis quidem Lex homicidas tantum coërcet; Christi autem Lex etiam homicidarum irritatores, etiam odia, & inimicitias, è quibus pugna, ac sæpe præceps ad cædem via aperitur; etiam iram ejusmodi, quæ ad nocendum homines incitat. Nec enim omnem prorsus vetat, ut addita huic interdicto vox ΕΙΚΗ (*temere*) innuit. Quam cur expungendam aliqui contra plurium Codicum fidem postulent, non video. Irasci enim suis, & aliorum vitiis semper licuit, dum ira ista in justum odium, ac postea cædem migrare nequeat. Non tantum vero iram, & odium, quæ ad pugnam, & cædem via quædam sunt; sed ipsas iræ, atque odii causas, quales sunt veræ, aut etiam prætensæ injuriæ, Lex Christi extirpare contendit, dum nobis dandam esse operam injungit, ne quid adversus nos offensæ proximi nostri in animis suis premant; adeo ut oblationes, sacrificia, preces nostras offerre Deo prohibeamur, nisi prius, non modo animos nostros ab omni erga alios vindictæ cupiditate, sed aliorum quoque mentes, qui nobis succensent, quantum in nobis est, ab omni adversus nos gemitu ac suspirio repurgemus. Uno verbo, nisi innocentiam & pacem cum omnibus anxiè colamus, Sacris nobis interdicitur. Duas autem hoc loco Dominus rationes affert, ob quas nobis cum omnibus pax, & amicitia colenda, simultates, & inimicitiæ fugiendæ sint. Prima est quam attigimus, quod nisi placati ipsi omnibus fuerimus, & placatos quoque nobis omnes, quantum eniti possumus, habeamus, oblationes, & sacrificia, ac preces nostræ Deo gratæ, & placentes esse nequeunt. Hinc alibi *puras manus ad Deum attollere* jubemur, *absque ira, & rixis*. Sive enim pertinaci, & implacabili odio ipsi alienas culpas persequamur, placabilem Deum nostris culpis fore sperare non possumus, sive ipsi culpa nostra alienum odium & offensam provocemus, Deus injuriæ ultor timendus est. Altera ratio tangitur *vers.* 25. quod iis qui ultro odia ponere, & proximis reconciliari obstinate nolunt, quia decretum benigni Judicis (qui non statim litem ad judicium suum delatam judicat, ne pœnas à sontibus sæpènumero utrisque litigantium debitas, exigere necesse habeat) pace, ac reconciliatione antevertere omittunt, metuendum sit, ne Judex cum illis summo jure agat, quod absque insigni severitate, sæpe utrique parti metuenda, contingere nequit.

Porro via, aut iter hoc, in quo cum adversario nostro sumus, quando ad judicium contendimus, significat *vitam* hanc, quæ *iter* est, & quidem breve ad Judicium Dei, & statum post mortem longiorem, ac durabiliorem; ita ut nobis, dum vivimus, omnino properandum sit, ut per compositionem litium nostrarum amoveamus omnem metum adversi decreti, aut damnationis à Judice metuendæ. Vita enim nostra est illud spatium, quod à lite inter partes contestata extenditur, ad definitivam, ut vocant, Sententiam Judicis. Quemadmodum enim litigantibus, dum ad locum judiciorum contendunt, integrum est per amicam compositionem effugere impendentis decreti rigorem, ac severitatem; at postquam ad judicis tribunal ventum fuerit, necessario subeundum est damnationis periculum, ita hominibus secum per mutuas inimicitias commissis, antequam judicium Dei, obstinato, sæpe utrimque, interdum altrinsecus, odio provocent, liberum, & integrum est, mutua pace, & concordia sententiam Judicis antevertere, atque ita damnationis pœnas avertere. Quoties enim homines secum summo jure agunt, nec volunt in gratiam pacis, & concordiæ de suo jure decedere; toties Deus, qui congruas delictis pœnas attemperat, summo quoque, ac rigido jure ipsos judicat, nec benignitati, aut clementiæ locum relinquit.

Ex dictis patet quanto plenius, & perfectius Lex Christi, quam Mosis, delictis homicidiorum occurrat, quæ non ipsum tantum arboris hujus infelicis truncum, sed imas ejus radices, earumque fibras excindit. Mosis Lex homicidia tantum, in externum actum erumpentia: Christi autem Lex, non modo iniquæ iræ impotentiam, non modo odiorum virus, & obstinationem; sed ipsius iræ, atque odii occasiones, injurias, atque omne injustitiæ genus, atque discordiæ prohibet, ac punit, & quidem Sacrorum interdicto & severissimæ pœnæ metu. Toto cælo autem errant, qui Christum in iis, quæ ad hoc præceptum Mosis addidit, capitalem homicidii pœnam, & per consequens jus Magistratus, atque omnem vitæ necisque potestatem sustulisse existimant. *Primum* enim præceptorum, ac sermonum Christi hoc loco subjecta, ut loquuntur, materia, non alia fuit, quam Leges morales, quibus vita, & mores hominum ad sanctimoniam componuntur; non autem

Leges

Leges Oeconomicæ, multo minus Politicæ, aut Juridicæ, per quas Societates hominum, aut Rerumpublicarum reguntur, quas eum nusquam sustulisse, imo expressis Legibus suis confirmasse aliunde constat. *Secundo* Homicidii pœnam (quæ non alia fuit quam capitalis) Christus expresse attigit: Eamque tantum abest, ut sustulerit, ut potius non mediocriter intenderit, atque auxerit. Imo vero impletio, atque perfectio Legis Mosaicæ per Christum facta in eo fuit, quod Christus Mosaicæ Legis severitatem, ac rigorem, acrioribus remediis auxerit. Quomodo igitur ejusdem capitalem rigorem diminuere, aut plane tollere potuit, quin eam plane contraria Lege, & quidem in gratiam homicidarum solveret? Si quis alius locus fuit vetandi capitalis per Magistratum supplicii, hic certe locus præcipuus fuit. Sed adeo id non vetitum, ut aperte permissum, & aucto, ac latius protenso severitatis rigore approbatum videamus. *Tertio*, nihil magis menti, atque intentioni Christi repugnans fingi potest, quam cum adeo anxie, & accurate radices omnes, & fibras causarum, & affectuum, è quibus homicidium pullulat, amputaret, atque stirpitus excinderet, præcipuam omnium homicidii radicem, toties à Deo ante Legem, & per Legem amputatam, hoc est impunitatem in hac vita, restituere, ac redintegrare voluisse, ac sustinuisse. Non alia patentior porta improbis ad promiscuas mortalium cædes pandi potuit. Cur igitur, dicet aliquis, Christus homicidii pœnam cum pœnis iræ, odii, maledicti coæquavit? Aut enim ira, & maledictum simplex & capitali quoque pœna plectenda sunt; aut homicidium quoque tantum spirituali. *Resp.* Posita hypothesi in verbis Christi pœnas culparum istarum aliquomodo coæquari, non tamen ideo, quod eas secundum quid coæquasse videtur (quatenus in ejus Regno, quod non est ex hoc Mundo, utraque culpa eodem supplicio plecti videtur) illico simpliciter culpas istas coæquasse censendus est. Nam & in ipso Christi Regno consummati, quam inchoati homicidii, & omnis quoque maleficii, & culpa gravior, & pœna quoque (si rem accuratius spectemus) atrocior est. Sed quia in suo Regno, & in sua Lege utrumque delictorum genus capitale esse, & ad eripiendum æternæ felicitatis bonum, sufficiens ostendere voluit: quod nihil obstat quo minus tamen alterum altero natura sua majus, & majori quoque pœna dignum sit. Neque vero in omnipotentis Regis gubernatione, quoties ejusmodi capitalia crimina punienda sunt, inter quæ gradus dantur, & inæqualitas, deesse potest facultas, supplicia eorum per gradus quoque ipsis debitos, & congruos dispensandi, quamvis isti gradus in eo conveniant, quod omnes cum æternæ Salutis jactura conjuncti sunt. Quemadmodum in æternæ salutis præmio ratione ejusdem immortalitatis, quam singuli consecuturi sunt, omnes coæquari videntur. Nec tamen ideo sequitur nullos esse in beatissima illa vita felicitatis gradus. Certe vel præsentis hujus vitæ suppliciis amissæ salutis æternæ pœna intendi, & gravari potest. Non igitur à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, legitima consequentia necti potest.

II. Sed ne coæquasse quidem hoc loco Christus patrati homicidii pœnam cum pœna iræ, ac maledicentiæ ullo modo censendus est. Potius illam intendisse, & exasperasse videtur. Nam si longe minus noxia, & quæ dumtaxat viam ad illud muniunt, homicidii elementa capitali pœna digna sunt, quanto dignius est ipsum homicidium? Iniquum igitur, ac præposterum, & ab omni ratione abhorrens est, cum Christus in odium homicidii prima ejus, & levia, & minus noxia rudimenta capitali animi supplicio damnet, velle ex iisdem verbis Christi in favorem homicidii impunitatem ejus, & exemptionem à capitali corporis pœna, elicere.

III. Quemadmodum iræ, odii, maledicti habitus, & reatus, quamvis in Regno spirituali Christi, capitali pœna, spiritualiter inflicta, dignus sit, in Regno tamen hujus mundi, etiam Christiano, nullo modo capitali corporis pœna plecti meretur, neque solet. Ita homicidii crimen, quamvis in Regno Christi non corporali, sed spirituali tantum pœna castigatur (nec enim natura Regni hujus corporalia supplicia admittit) tamen in regno mundi à corporali capitis pœna per Legem Christi non eximitur, quæ regnis, ac Legibus Mundi, cum lege divina, & naturali congruis, nihil omnino derogatum, nihil juris ademptum voluit, quemadmodum ne ipsi quidem Regno, ac Reipublicæ Judæorum, quamdiu illa duravit.

Cum igitur Christus Regni dumtaxat sui, quod non est ex hoc mundo, Leges tradiderit, supplicium culpis iracundiæ, & maledicti assignatum, ad mundanum Regnum non pertinet, in quo culpæ istæ pœnam hanc non merentur, quod ad primam dilemmatis objecti partem refellendam attinet. At homicidii culpa, quamvis in mundi hujus Republ. corporali capitis supplicio plecti digna sit, & passim plectantur, in Regno tamen Christi, hoc est in Ecclesia, non corporali, sed spirituali pœna punitur; Non quod per Christum à corporali capitis pœna exempta sit; sed quod Regni Christi natura à corporalibus animadversionibus abhorreat; quamvis populus Christi, quoad regimen mundanum, gubernationi eorum, qui ad clavum rerum sedent, plane subjectus sit, & legibus Christi ad eorum obsequium prorsus adigatur. In Regno igitur Christi dumtaxat homicidæ spiritualibus pœnis coercentur, quæ altera dilemmatis objecti pars est, nec tamen ideo Christi Legibus à regimine mundano, ejusque coercione eximuntur, sed potius ei subjiciuntur, ut ipsi non modo propter metum, sed etiam propter conscientiam (*Rom.* XIII.) nec propter conscientiam tantum, sed etiam propter metum, morem gerant.

Quod si quis roget, qui fiat ut iracundiæ & maledicentiæ, atque adeo contentionis inimicitiarum culpa, cum in Regno mundi capitalis non sit, in Regno tamen Christi capitale supplicium mereatur. Huic animadvertendum est Regna mundi societatis humanæ bonum: Regnum autem Christi æternæ singulorum Felicitatis *bonum*, hoc est animarum salutem spectare. Non mirum est igitur ea in Regno Mundi tolerabilia esse, quod in Regno Christi tolerari nequeunt. Nec enim societatem hominum convellit habitus, & indoles animi, quamvis pravitatis, & immundiciæ multum habeat, dum in actiones legibus politicis vetitas, vel propter suppliciorum metum non erumpat. At in Regno Christi, cujus scopus, & fidei finis est salus animarum 1. *Pet.* 1. 9. maculæ animi, & interna ejus constitutio hoc est mores & habitus, etiamsi aliquo temporis spatio in externos actus, qualicumque de causa non erumpant, tolerari nequeunt, cum non modo absque sanctimonia vitæ, sed etiam animi puritate Deum nemo visurus sit. Quid enim refert quod aliquis forte homicidium nunquam ipso facto commisit, si mente & cogitatione sæpe perpetravit, si sævus, iracundus, diis hominibusque infestus, morosus, litigiosus, implacabilis & in ejusmodi vitiis obstinatus permaneat? Nam & Christus non de actibus, qui rarius erumpunt, sed de frequenti consuetudine, & habitu loquitur. Quis non videt, hominem istiusmodi, tametsi neminem umquam necaverit, in Regno Christi tolerari non posse, nec magis sibi æternam Salutem posse polliceri?

Ver. 27. Accedit Dominus ad alteram Mosis Legem de *interdicto adulterii* In qua ejusdem generis imperfectionem, quam in priori Lege notaverat,

ostendit

oſtendit; hoc eſt quod externos dumtaxat adulterii actus puniat. Quam imperfectionem Chriſti Lex tollit, ac defectum ſupplet, quæ etiam mentis, & cogitationum in hoc delicti genere licentiam, & impunitatem coercet, ac prohibet. Notanda autem ſunt verba quibus iſtud cogitationum delictum à Chriſto exprimitur *verſ.* 28. *Aſpicere mulierem ad concupiſcendum.* Unde quiſpiam colligere poſſit, nihil novi à Chriſto præcipi, aut veteri Moſis Legi addi, quæ in ultimo Decalogi præcepto ipſam quoque alienæ uxoris, ſicuti & multarum aliarum rerum, concupiſcentiam vetuerit. *Reſp:* Negari quidem nequit, quemadmodum in Lege Moſaica Deus extare voluit quædam, quæ imperfectionem ejus arguerent, qualis eſt illa pars Præcepti de Sabbatho, quæ vacationem à curis & laboribus profanis, ut cultui Dei aliquam vitæ partem totam conſecremus, ad certum diem alligat. (nam ipſa vis, & mens iſtius Præcepti non ceremonialis, ſed ſpiritualis eſt) Ita in eadem Lege Deum quoque extare voluiſſe aliqua veſtigia, quod hæc lex ad Spiritualem morum perfectionem tenderet, quale eſt totum iſtud decimum præceptum, quod non tam actiones externas, quam internos affectus, & cogitationes noſtras refrænat, & coercet. Verum Lex Moſis iſti delictorum generi (quia quodammodo ſpirituale eſt, ideoque ſpirituali pæna plectendum) pænam nullam conſtituit, quam Chriſtus in Lege ſua graviſſimam eſſe voluit. Nec enim legimus quenquam ſub Moſe nudæ cupiditatis, aut cogitationis pœnas luiſſe, quia tunc Legis Divinæ cuſtos Magiſtratus fuit, cujus jus, & poteſtas ad ſecreta cogitationum non extenditur, & in cujus foro, atque judicio cogitationis pœnam nemo meretur, ac tametſi mereatur luere tamen nec poteſt, neque ſolet. At nunc Legis Divinæ per Chriſtum latæ cuſtos eſt Legiſlator ipſe, omnipotens, omniſcius, vivorum, & mortuorum Judex. Is ejuſmodi concupiſcentias pro patrato adulterio ſeſe habiturum pronuntiat, ac ſeveriſſime puniturum præmonet. Hinc concludit *verſ.* 29. 30. diſcipulos ſuos, ſi tanta ſupplicia (puta ignis æterni) effugere velint, maximam ſibi vim inferre debere, non aliter ac ſi cariſſimas corporis ſui partes mutilare, dextros oculos eruere, dexteras manus truncare tenerentur. Et tamen hoc præſtare ait, magiſque ipſis expedire, quam ſempiterni ignis ſubire ſupplicium. Porro non ſimplex, neque proprius eſt loquendi modus, quo Chriſtus utitur. Nec enim reipſa oculos erui, aut manus amputari imperat, ſed ſuppoſita conditione, ſi in culpa ſint iſtius ſupplicii, quod aliter niſi mutilatione iſtorum membrorum effugere non liceat. Quæ tamen hypotheſis à Chriſto non aſſeritur, ſed tantum ponitur: qui ſciebat non oculum, neque manum in culpa eſſe, quod iſtiuſmodi flagitia patrarentur, ſed pravas hominum cupiditates, peccati illecebris accenſas. Quæ licet nobis non ſecus ac dilectiſſima membra, atque ipſi oculi caræ ſint, ac prætioſæ, evellendas tamen, & violenter extirpandas eſſe.

Verſ. 31. Permiſerat Lex Divina *repudium*, ſed ob juſtam cauſam, ſi maritus abhorreret ab uxore ob aliquam fœditatem in ea inventam, quod etiam abſque vitio libidinis optimis quibuſque mortalium contingere poteſt. In eo caſu jubebat ipſi dari libellum repudii, quo teſtaretur eam à ſe ultro dimiſſam. Increbuit poſtea abuſus iſtius repudii, atque invaluit licentia repudiandi uxores nulla juſta de cauſa, & ſolius libidinis impulſu, dummodo ipſis daretur libellus repudii. Atque hæc vitio Legis interpretum invecta fuit licentia, ideo eam Chriſtus non dicit traditam antiquis, ſed tantum *traditam*, ſcilicet à novis, & recentioribus Magiſtris, cum Lex Moſis *Deut.* XXIV. 1. ad legitimum repudium, non ſolum à marito dandum ejus libellum; ſed antecedentem juſtam, & gravem cauſam inventæ in uxore fœditatis requireret. Chriſtus igitur Lege ſua non modo abuſum, & licentiam hanc, ſed ipſius quoque Legis permiſſionem coercet, ac limitat, nullam aliam repudii cauſam legitimam præter crimen adulterii permittens. Qua Lege ſua honeſtatem, & ſanctimoniam matrimonii præ Moſis Lege ſanxit, quæ per nimiam ante repudiorum licentiam quodammodo profanabatur.

Verſ. 33. Tertia Lex Moſis *de Juramentis* eam habuit imperfectionem: quod violationem dumtaxat Jurisjurandi, & perjuria prohiberet. At Lex Chriſti ipſum juramentorum uſum, etiamſi non violentur, prohibet. Idque (ut ex verbis Chriſti patet) ex ea occaſione, quod ſibi tunc homines etiam in quotidiano ſermone, ac citra ullam ſolemnitatem, temere, ac ſine gravi cauſa, uſum juramentorum permitterent, ſive affirmandum eſſet aliquid, ſive negandum. Quem abuſum Chriſtus plane tollit, quia eſt juramentum voluntarium, nec ulla gravi neceſſitate expreſſum: præterea lubricus ex eo, & facilis in perjurium lapſus. Nam quæ gravis aliqua neceſſitas extorquet, Chriſtum ab hoc interdicto excipere ipſius Chriſti, & Apoſtolorum exempla oſtendunt.

Verſ. 38. Ab hoc verſu incipit Dominus præcepta ſua non Moſis Legi, ſed commentis Scribarum, & Phariſæorum opponere. Nam cum præcepta ſua Legi Moſis compararet, nihil de ſeveritate Legum Moſaicarum dimiſit, ſed potius eam intendit, dum pœnas earum etiam ad leviora in hoc genere delicta extendit. Vim igitur earum auxit, & defectus ſupplevit, ac quod ipſis deerat addidit. At in hoc, ut & ſubſequenti præcepto, non addit quicquam pro quam propoſitarum Legum rigori; ſed eas penitus tollit, & contrariis legibus abrogat, earumque placita, & vincula plane ſolvit. Unde patet neutram earum eſſe Legem Moſis, quam non ſolvere: ſed conſummare Chriſtus promiſerat. Cum enim Lex, hoc *verſ.* 38. propoſita, *oculum pro oculo, dentem pro dente* exigere jubeat; Chriſtus ne alapam quidem pro alapa, hoc eſt, ne in leviori quidem injuria talionem exigi permittit. Quod non eſt Legem in ſtatu, & robore ſuo relictam augere, vel intendere: ſed tanquam pravam contrario præcepto abrogare, ac tollere, & penitus diſſolvere. Atque hæc eſt prima ratio cur Chriſtus hoc loco non Moſis Legi, ſed ejus interpretum commento, Legem ſuam opponat, nec enim Legem perficit, ſed deſtruit.

2. Altera ejus rei ratio eſt, quod quamvis verba propoſiti Scribarum commenti ex verbis Legis deprompta ſint, (*Exo.* XXI. 24. *Levit.* XXIV. 20. *Deut.* XIX. 21.) tamen non modo detruncata, ſed longe alio ſenſu prolata ſunt. Lex enim Moſis verba iſta de pœna, & vindicta à Magiſtratu publicè infligenda, proferebat. At Legis interpretes, (ut ex antitheſi Chriſti patet) eadem verba ad privatam vindictam detorquebant, eaque ſine dubio mente antecedentia verba, de *anima pro anima* expoſcenda, omiſerunt, quæ nimis manifeſtè publicum jus Magiſtratus, & poteſtatem vitæ, neciſque ſupponebant, ac poſtulabant. Iniquiſſimum vero fuit, quod pravi iſti interpretes Legis hujus obligationem, quæ ſolos Magiſtratus ſpectabat; (nec enim ad eos, qui jure puniendi deſtituebantur, pertinere poterat) ad privatos quoque læſos detorquere voluerint. Quibus tamen Moſis Lex non imponebat hanc ſummi juris ſui perſequendi neceſſitatem, ſed de illo decedendi libertatem relinquebat, idque arbitrio eorum plane ſuberat. Quocirca cum Chriſtus in hominibus privatis libertatem,

quam Lex intactum omiserat, limitaret, nihil adversus ipsam Legem Mosis præcepit, quæ necessitatem summo jure agendi privatis non imponebat, nec libertatem eorum attingebat. Alias, si eam imposuisset Lex Mosis, fieri non poterat, quin per hoc præceptum Christi solveretur, quod absurdum est. Ideoque hæc per præceptum Christi facta oppositio, & abrogatio de commento potius Legis interpretum, quam de ipsa Mosis Lege intelligenda, & explicanda est.

Sed jam ad explicationem tam propositæ hujus alienæ Legis, quam ei à Christo oppositæ accedamus. Utriusque verba, quibus exprimitur, ostendunt de summi, ac stricti juris, quod pœnam talionis secum trahit, persecutione à privatis hominibus urgenda, aut omittenda, utrobique agi. Cujus juris persequendi, aut imposuisse necessitatem, aut saltem licentiam indulsisse doctrinam illam Legis interpretum apparet, quam Christus, omissa Lege Mosis, solam tollit, & abrogat. Ac Legis quidem Mosaicæ verba, & obligationem, quæ pœnas ab injuriarum auctoribus exigendas præcipiunt, ad eos qui jus earum exigendarum habebant, hoc est, ad Magistratus pertinuisse, nemo dubitare potest. Deus enim per Mosem Legem ferendo non modo morum sanctitatem, & religionem, sed etiam una Rempublicam instituebat. Legis autem Christi, quæ hoc loco fertur, verba, & obligatio, non ad eos qui jus puniendi habebant, seu publicos Magistratus, sed ad eos, qui jure isto destituebantur, causam tamen, & occasionem juris sui persequendi, ex illatis injuriis oblatam, habebant, hoc est ad homines privatos, atque ipsos læsos, & injuriâ violatos, pertinent. Nec vindices injuriarum, à Deo constitutos Magistratus, sed ipsos injuriis affectos obligant, ut ex toto sermone eorum videre licet, *vers.* 39 40. 41. Magistratus enim officio suo ex mente Dei obstringebantur ut resisterent malo, coercerent improbos, protegerent bonos, ut nunc quoque, Paulo teste, non minus quam ante obstringuntur. Non igitur Præceptum de *non resistendo malo* ad Magistratus pertinere potuit, præcipue cum Christus nullam Rempublicam, nullas Leges forenses constitueret, sed homines, in morali suo statu consideratos, præceptis vitæ sanctioris instrueret. Quibus Præceptis Christianos quoque Magistratus subesse, & obstringi non negamus, quia & ipsos bene moratos, & Christianæ sanctimoniæ non expertes esse necesse est. Sed iis exceptis, quæ muneri ipsis à Deo collato directè repugnant, quæque non ipsis, sed aliis, extra muneris sui statum viventibus, præscripta sunt, quia ipsis, salva ordinatione Dei circa potestates ab ipso dependentes facta, præscribi non potuisse palam est. Pietas sane, & sanctimonia omnibus præscripta est, alia tamen sunt præpositorum, alia subjectorum, alia Patrum, alia filiorum, alia maritorum, alia uxorum, & sæpè sibi repugnantia, officia, quæ tamen omnia præscriptæ universis, & in suo statu singulis competentis, pietatis partes sunt. Verum præceptum Christi, de quo agimus, non Magistratum, qui alienas injurias in gratiam boni publici vindicat, sed privatos læsos, & violatos, qui proprias in gratiam propriæ ultionis, & quidem non absque stricti juris, ac talionis pœna persequi velint, obstringit. Non peccat igitur adversus illud, qui ex officio sibi divinitus impositio alienas persequitur, idque eo fine atque scopo, ne privatis proprias persequi liceat, aut necesse sit. Ideo enim publicæ vindictæ ratio ex mente Dei introducta est, ne privatæ locus esse posset. Si igitur Lex Christi illud ipsum vetuisset, quod Lex Mosis præcipiebat, merito poterat videri Legem quam abrogabat, solvisse; sed quia dumtaxat id prohibet, quod Lex Mosis propter duritiem cordis illius Populi (*Mar.* x. 5.) suam vero impotentiam imbecillitati carnis subvenire non valentem *Rom.* viii. 3. & imperfectionem *Heb:* vii. 19. non tam permiserat, quam non prohibuerat, nullo modo legem solvere, sed potius defectum ejus implere, & eam pernicere censenda est. Vetat autem Christus hoc loco summum, ac strictum jus suum (non vero alienum) persequi, atque insuper de jure suo, etiam æquo (non tamen alieno) non parum decedere imperat. Quemadmodum autem is homo absurdus, & ridiculus foret, qui ubi Dominus liberalitatis, ac beneficentiæ præcepta tradit (quod facit infra *vers:* 42.) ut de alieno quoque liberales, ac benefici simus, nobis præcipi contenderet: ita non video qua fronte affirmetur, nobis hic præcipi, ut de alieno quoque jure decedamus. Causa vero cur nobis Dominus summi, ac stricti juris persecutionem vetuit, est quod illud sæpe plurimum, semper vero aliquid trahit ex iniquo. Cujus rigoris austeritatem æquitate temperari æquum, & perfectæ Justitiæ officium est, quæ non modo ab omni injuriæ specie nos jubet esse quam alienissimos, sed cum prona, ad diligendos juvandosque & beneficiis afficiendos proximos, voluntate, ac flagranti studio conjuncta esse debet. Causa porro, & occasio cur de æquo etiam jure nostro Christus decedere jusserit, (præter ea quæ jam diximus) illa occurrit, quod fere unicam illam rigidæ vindictæ, & impatientiæ excusationem, & speciosum stimulum nobis vulgo caro nostra suggerit: quod veterem ferendo injuriam invitemus novam. Ut igitur interdictum hoc stricti, ac summi juris persequendi firmius stabiliret, removet istam excusationem, & præcipit novam potius injuriam pati, quam ut veterem summo jure persequamur: quod jam est non de stricto tantum, sed æquo etiam jure nostro decedere. Porro ex allatis à Christo in Lege sua exemplis manifestum est, patientiam, & decessionem de nostro, non dico stricto, sed æquo jure, non esse in infinitum producendam; sed tantum, sicuti analogia doctrinæ Christi, & imprimis justitiæ, & caritatis in proximos (quorum & plures, & impares inter se gradus non desunt) officium requirit, adhibendam esse. Quod ex sequentibus patet. Primum quod longe leviorum injuriarum iteratam patientiam Christus præcipiat, quam illæ sint, quæ in verbis, quibus suam Legem opponit, deprehenduntur. Illæ enim (ut cætera taceam) quodammodo irreparabiles, hæ reparabiles videntur. Neque enim iteratæ alapæ perpessio, pallii una cum tunica amissio, & paucorum millium passuum iter, cum jactura unius oculi comparabile est. Unde apparet Christum non tam verbis ipsis, ex Lege alioqui divina depromptis, sed ad pravam doctrinam eliciendam illegitime applicatis, quam ipsi doctrinæ Legis interpretum, ex istis verbis elicitæ, legem suam opponere voluisse. Cum enim isti viderent in Legis divinæ verbis Magistratui talionis pœnam præscribi, inde falso collegerunt etiam privatis talionis pœnam in omnibus vel minimis persequi licitum esse, ac posse eos de suo jure nunquam vel tantillum decedere. Atque ad hoc dogma, & quasi Legem, divinæ Legis verbis illegitime abusi sunt. Quibus omissis, Christus doctrinæ dumtaxat ex ipsis imprudenter elicitæ, de jure talionis, etiam in levioribus injuriis, & quas contemni, aut patientia concoqui magis expedit, à privatis non persequendo, doctrinam suam opposuit. Præterea ut in Lege de homicidio longe leviora homicidio crimina, in Lege de adulterio multo levius adulterio delictum, in lege de perjurio minorem perjurio culpam (quæ tamen omnia leviora peccata, ad ea quæ in suo genere gravissima erant, ducebant, ac viam muniebant) recidere & quasi radicitus amputare Christus voluit; ita in ea quoque summi juris in mutilatione corporis persecutione, leviores injurias per patientiam, & sui juris etiam æqui, decessionem, quasi

parvas

parvas ſcintillas extinguere aggreſſus eſt, ex quibus ordinariè graviora rixarum & vulnerum corporis, imo cædium incendia exoriuntur.

Quod duabus de cauſis feciſſe videtur, primum quia leviores iſtæ injuriæ, ſunt quaſi Clementa & principia graviorum, quæ tametſi mole parva, vim tamen eam habent ut ipſis extinctis & ſuppreſſis, tanquam modicis ſcintillis, gravioribus injuriis, veluti nocentiori incendio, locus non relinquatur. quemadmodum & morbi omnes in ſuis initiis facillime curantur. Deinde ut perfectionem Legis ſuæ, non modo graviores injurias aut peccata, ſed etiam leviora, & quod pro delictis, neque Lex Moſis, neque Lex Civilis habere ſolet, vetantis, ob oculos poneret. Sed & hinc patet Chriſtum hoc loco de injuriis levioribus loqui, & quæ merito contemni poſſunt, quia eas contemni imperat. Quid enim aliud eſt poſt acceptam injuriam non detrectare patientiam alterius, niſi id quicquid ſenſus aut doloris in ea ſubeunda timendum eſt, deſpicere? Sunt autem quædam injuriæ adeo graves ut contemni nequeant, nec veriſimile ſit Chriſtum ad eas contemnendas, aut ſine reſiſtentia noſtra perpetiendas, patientiam noſtram extendere. In ſubeunda altera alapa potius, quam rixa ad gravius & periculoſius certamen procedat; non deeſt liquida, quæ patienti conſtare poſſit, facti ſui ratio. Sed poſt erutum dextrum oculum abſque omni reſiſtentia, ſinere ſibi ſiniſtrum erui; non imperavit, ut videmus, Chriſtus, quamvis de hoc ipſo injuriæ genere loqui cæpiſſet. Multo minus abſque reſiſtentia ſinere ſibi vitam eripi juſſit. A magis veriſimili enim ad minus veriſimile nulla eſt conſequentia. Verum ut omnis dubitatio eximatur; hoc præcepto Chriſti patientiam noſtram ad graviſſimas quaſque, præcipuè vero irreparabiles injurias non extendi, animadvertendum eſt. Chriſtum inter alia injuriarum, in quibus jus noſtrum, etiam æquum, nobis negligendum eſt, exempla proponere illud quoque, *Petenti abs te dato & mutuo accipere volentem ne averſeris*, quod apud *Luc. cap.* VI. *verſ.* 30. etiam durius pronuntiatur *Omni petenti dato, & ab eo qui aufert tua, ne repete.* Quamvis enim petentes & mutuo ſumentes, nulla vulgo injuriâ eos, quibuſcum agunt, afficere videantur, atque etiam dicantur, ſi tamen damnum reputes, quod ſæpe magnum, ſemper autem aliquod, *donans* aut mutuo dans, ſubit, negari nequit accipientem de jure ac poſſeſſione ejus aliquid ſemper decerpere ac diminuere. Nec alio diſcrimine id ab aliis injuriis diſcerni, & quaſi pro injuriæ non reputari videtur, niſi quia, quod datur, aut mutuo ſumitur, ab invito non extorquetur, ſed à volente impetratur. Volenti autem injuria non infertur, quia ipſi integrum eſt, de ſuo jure, quantum velit, dimittere. Atque hæc eſt unica gratiæ, beneficii, amicitiæ & caritatis ſedes. Quamvis igitur tunc accipiens jus non eripiat danti, nec culpam injuſtitiæ committat, dans tamen in gratiam ejus, de Jure ſuo ſæpe multum decedit, atque illud dimittit, ita ut ejuſmodi juris ſui dimiſſio ac neglectus inter alias proprii juris deceſſiones merito poni poſſit, atque adeò à Chriſto ponatur. Si igitur Præceptum iſtud, de quo loquimur, in infinitum protendatur & univerſe abſque ulla reſtrictione, aut limitatione intelligatur, quid eo intolerabilius fingi poteſt? cum aut impudentia, aut Improbitas petentis etiam ad omne id, quicquid à, nobis poſſidetur, poſſit extendi. Non eſt profecto ullo modo credibile, Chriſtum, dum in gratiam æquitatis homines ſummo jure uti volentes, à rigore ſtricti Juris, in contrariam partem abducit, eo uſque iniquitatis patientiam eorum extendere, ut improbiſſimo cuique concedere teneantur omnia, quæcumque injuſtitiæ aut inverecundiæ ejus libuerint. Eadem igitur æquitas, quæ nos à ſummo jure longius recedere impellit, ſive patientiæ noſtræ, ſive de jure noſtro deceſſioni modum ac menſuram ſuggerit, imo ſtatuit quo nos adverſus injuſtitiam & impudentiam petentium tueamur. Petenti enim dandum eſt, ſed ſi quod æquum eſt, quodque nos nimium non aggravet, petat. Idem de mutuo intelligendum eſt. Nam locus *Luc.* VI. 30, per locum *Matth.* V. 42. aut potius per analogiam Religionis noſtræ explicandus eſt, ubi & vox *omnis* ad eos, qui non nimium iniqua petunt reſtringenda, & vox *auferendi* ad mutuantem referenda, & vox *ne repete* de prohibitione mutuo accipientis explicanda ſunt. Non plus enim à nobis exigit juſtitia; quam in proximum caritas, cui ſufficit, ut ea præſtemus, quæ nobis ipſis præſtari vellemus. Quemadmodum Chriſtus ipſe duriora ſua quæ adduximus apud *Lucam verſ.* 30. verba ſtatim *verſ.* 31. explicat, dum ait, *Et* (quæ particula ad explicationem verborum antecedentium plerumque in Sacra Scriptura adhibetur) *quæcumque voluerit ut faciant vobis homines, & vos facite ipſis ſimiliter.* Sed in ea re voluntas noſtra ratione, & æquitate moderanda eſt. Ea enim dumtaxat proximo præſtare debemus, quæ nobis juſte, ac merito, & æquiſſimo jure præſtari ab aliis optaremus. Immodeſta, iniqua, & puerilia voto nihil faciunt ad hanc Lege divina poſitam regulam Charitatis. Nec Chriſtus iſthic de ſtolida, & iniqua hominum, abſurda, atque illicita ſibi optantium, libidine, ſed de votis, quæ, æquitatis metas non excedunt, loquitur. Quemadmodum igitur in liberalitatis & beneficentiæ occaſione, tantum de jure noſtro decedendum eſt, quantum æquitatis metas non excedit; ita in omnibus reliquis ſupradictis injuriis, tantum de noſtro jure dimittere jubemur, quantum in aggravandis nobis modum non excedat. Non igitur centum alapas, non omnium penitus bonorum jacturam Chriſtus ſuſtineri, non trecentorum forte miliarium iter in gratiam petentis ſuſcipi poſtulat, ſed ea tantum, quæ ſine ingenti noſtro malo, aut rixanti, aut litiganti, denique petenti quoque indulgeri poſſunt, & quibus non modo pacem, rem omnium pretioſiſſimam, & cujus neglectus nobis, ni caveamus, nimium magno conſtare poſſet, redimere, ſed etiam animos eorum, quibus cum res eſt, nobis adjungere abſque nimio noſtro malo, atque impendio poſſumus. Nimis grave, & oneroſum, ſine ulla juſta cauſa, jugum Chriſti faciunt, quod tamen revera leve, & ſuave eſt, qui illud in portentoſæ patientiæ ſupplicium extendunt, cum tamen Dominus à nobis non plus poſtulet, quam ut *modeſti, mites & manſueti ſimus*, idque ejus exemplo, qui percuſſa olim maxilla ſua à famulo Sacerdotis, non obvertit ferienti alteram, ſed iniquitatem ejus objurgavit, & rationem prioris alapæ ſibi immerito inflictæ ab eo poposcit *Joh.* XVIII. 23. Non igitur verba Chriſti, de obvertenda altera maxilla, ſicuti & de dimittendo pallio, & de duplicando in gratiam poſtulantis itinere, id quod ſonant, ſignificant, ſicuti nec ſuperiora de oculo exculpendo, aut manu amputanda, ſi nos ſcandalizent. Sed benigna interpretatione mollienda ſunt, & ad nucleum potius mentis Chriſti, quæ putamen verborum reſpiciendum eſt. Si non niſi oculi, aut manus noſtræ damno conſtare nobis poſſet præceptorum Chriſti obſequium, nemo dubitat facilem nobis eſſe debere eorum membrorum jacturam. Sed Dominus oculos noſtros erui, aut manus amputari non imperat. Aliud eſt, quod hic à nobis requirit. Ita ſi, niſi invitatis novis injuriis, veteres ferri nequent, ferendæ utræque ſunt, imo & contemnendæ, ſed ultro, & abſque nulla neceſſitate (quod verba præ ſe ferre videntur)

videntur) pericula earum provocanda non ſunt. Nec Chriſtus id præcipit, ſed prohibet, qui non alia mente utraſque injurias contemni imperat, quam ut gravioribus injuriis viam præcludat, quarum, ut ita dicam, curſus, atque impetus patientia leviorum ſiſtitur, & ulterioribus (quæ in certamine injuriarum ſemper graviores eſſe ſolent) via præcluditur. Non igitur, qui injurias omnes penitus extinguere nititur, ullas provocari, & quaſi propagari imperat. Sed nos à ſummo jure noſtro etiam in graviſſimis injuriis noſtris perſequendo adeò abducit, ut etiam de æquo jure noſtro (nec enim vocem aut Epitheton, quod ſummo ac ſtricto juri opponi poſſit, aliud invenimus) ſed in levioribus injuriis decedere imperet. Etenim in gravioribus de iſto æquo jure deſcendi ipſa æquitas, (cujus unius Chriſtus in hoc præcepto maximam rationem habuit) non permittit. Quid igitur? An, quia non niſi leviorum injuriarum exempla nobis Chriſtus proponit, in levioribus tantum injuriis de noſtro jure decedemus? *Reſponſio:* Imo in gravioribus quoque jus noſtrum dimittendum eſt. Nam & graviorum exempla propoſuit, atque in iis juris noſtri perſecutionem per ipſam novæ legis oppoſitionem tacite damnavit. Sed in gravioribus ſummi ac ſtricti dumtaxat, in levioribus etiam æqui juris noſtri perſecutionem diſertis verbis prohibuit ac dimiſſionem imperavit. Quid obſtat igitur quominus, verbis Legiſlatoris noſtri inhærentes, in omnibus quidem injuriis, ſed eo modo, iiſque gradibus, quos Chriſtus præſcribit, de jure noſtro decedamus. Non enim in graviorum mentione videmus æqui juris, ſed tantum ſummi, & ſtricti juris perſecutionem nobis interdici. Modus autem perſecutionis ſummi juris, in gravioribus interdicendæ, hoc loco per prohibitionem etiam æqui juris, in levioribus urgendi, Domino placuit. Non tamen Dominus, aut injurias ipſas, aut modum eas perpetiendi coæquavit, ſed non obſcurè utrumque diſtinxit, dum à diverſo poſteriorum patiendarum modo, ad diverſam priorum perferendarum rationem quaſi argumentatur. Nam cui in levioribus injuriis etiam de æquo jure decedere imperatur, huic in gravioribus ſummo jure uti ſatis interdicitur. Diverſitas autem in perſequendo, aut dimittendo jure noſtro, tam in propoſita, quam in eidem oppoſita Chriſti Lege manifeſta eſt. In propoſita enim ſummi Juris noſtri perſecutio in gravioribus injuriis, diſertis verbis permittitur. In oppoſita vere à Chriſto etiam æqui juris noſtri perſecutio, aut retentio, ſed in levioribus injuriis vetatur. Cujus in levioribus interdictio, illius in gravioribus prohibitionem tacitè quidam, ſed non obſcure tamen, & firmiter infert.

Falluntur autem qui hoc loco Chriſtianis omni penitus forenſi, ac Judiciali apud Magiſtratum actione, omni prorſus lite interdictum putant. Non magis Lex Chriſti judicia, quam Magiſtratum ſuſtulit, nec iſtos nervos, quibus corpora Rerumpubl. ſuſtinentur incidit. Non actione, aut lite forenſi, ſed litigandi libidine Chriſtus ſuis interdixit, quæ in eo potiſſimum cernitur, cum obres leviores, & exigui pretii, ſtatim ad fori ſtrepitum & Judices decurritur, cum & pericula, & ſumptus non exigui ſuſcipiuntur mera obſtinatione & pervicacia litigantium, qui neglectu exigui damni totas interdum Patrimoniorum jacturas redimere nullo negotio poterant. Tunicæ & Pallii exemplum Chriſtus attulit, quia ſive divitibus, ſive pauperibus damnum ejus magno conſtare non ſolet. Divitibus enim etiam prætioſi amictus jactura non eſt difficiles, vilior autem pauperum veſtis facile parabilis. Nec iſta ſæpe cum ſumptibus & ærumnis forenſibus, atque ipſo inimicitiarum malo comparabilia ſunt, præſertim apud eos quorum, ut infra videbimus, theſaurus eſſe debet in Cælo. Notandum vero Chriſtum ejuſmodi litium, quæ non magno damno, aut periculo negligi, aut ſopiri poſſunt, ſtudium, atque licentiam adeo reprehendere, ut ne iis quidem litigandi jus permittat, qui litigandi neceſſitatem non difficulter effugere poſſunt, quales ſunt ii, qui in jus vocantur ob ejuſmodi poſſeſſionem, quæ apud eos tanti eſſe non debet, ut litigent. Pertinebat enim id ad Legis Chriſti perfectionem, ut oſtenderet ea quoque ſua Lege damnari, quæ reliquis omnibus legibus licita & legitima & æquitati conſona videntur. Quid enim æquius, & magis Legibus congruum videtur, quam ei, qui tunicam alienam immerito poſtulet, & uſurpet in jus vocanti, apud Judices reſpondere? De æquo tamen iſto jure decedi interdum, Chriſtus poſtulat, ut gravioribus injuriis, aut incommodis occurratur. Quæ niſi in ipſis initiis, dum adhuc exiguæ ſunt, imo ne injuriæ quidem videntur, ſapientiorum patientia & æquanimitate, ſuffocentur, & extinguantur, mutua litigantium reſiſtentia, ac pervicacia, & quaſi injuriarum certamine ſemper in deterius ſerpunt; adeò ut cito tandem in mala noxia, & immodicabilia degenerent.

Fatemur autem poſſe, nec ſine cauſa, alicui in mentem venire, ea quoque, in quibus deceſſionem de æquo jure noſtro collocamus, quale eſt in retinenda tunica noſtra juridicum adverſus uſurpatorem certamen, poſſe videri ſummi, ac ſtricti juris retentionem, aut dimiſſionem ſapere. Tam enim ſummum jus perſequi, ac retinere videtur, qui omnem omnino etiam leviorem injuriam ferre recuſat, quam qui graviorem ſtricto jure vindicat, ac perſequitur. Nos tamen ea; quæ natura ſua diſtant, quamvis prima fronte eadem aut ſimilia videantur, diſtinguere malumus. Summum enim jus, ſummam injuriam, aut damnum afferre ſolet ei, adverſus quem eo utimur. At cum ejuſmodi leviores injurias ferre recuſamus, nulla injuria, ac ne damnum quidem ullum proprie dictum intentanti injuriam infertur.

Præterea in illatæ injuriæ ſummo jure exacta talione, de qua Chriſtus loqui propoſuit, ultionis acerbitas neceſſario intervenit. At cum tunicæ propriæ poſſeſſio apud judicem aſſeritur, non eſt illatæ injuriæ ultio, ſed inferendæ tantum propulſatio, atque averſio. Non igitur heterogenea & plurimum diſtantia ſub earumdem vocum involucro miſcenda ſunt.

Sed ad rem. Nequaquam Chriſtus Diſcipulis ſuis vetat judiciorum aut Magiſtratus uſum, qui in bonum eorum à Deo ordinatus & conſtitutus eſt, verum eos litigioſos, & de rebus levioris momenti rixoſos juris ſui in omnibus omnino rebus nimium retinentes eſſe non vult; à ſtudio vero ſummi juris perſequendi, adeo alienos eſſe jubet, ut de æquo etiam jure ſæpe decedere imperet. Et quia in hoc Præcepto explicando Magiſtratus mentio aliquoties à nobis facta eſt, quoniam ſummi juris perſecutio aut retentio adeò à Chriſtiano prohibita eſt; quæri poteſt, utrum Chriſtiano Magiſtratui in judicando, aut decernendo ſummo, ac ſtricto jure uti liceat. *Reſp:* Chriſti Legibus non privati tantum, ſed Magiſtratus quoque tenentur, quamvis in hoc Capite Magiſtratibus ſeorſim (niſi forte alibi per Apoſtolos ut Romanor. 13.) Chriſtus nullas leges tulerit. Sed Chriſtus de proprii, & privati; non de alieni ac publici juris retinentia, aut dimiſſione, propriarumque injuriarum patientia locutus eſt. Magiſtratus autem alieni, ac publici juris cuſtos, & exactor, & alienarum injuriarum ultor eſt. Nihil igitur ad Magiſtratum ejuſque officium tradita hoc loco præcepta Chriſti pertinent, niſi forte qua privatus, & injuriis forte privatis, ac propriis obnoxius eſt. In quibus tamen

men (etiam privatis injuriis ſuis) dimittendis, aut negligendis, non tam liber, aut ſui juris eſt, quam privatorum quilibet, cui de ſuo jure decedere licet quantum libet. Magiſtratus autem, quia publici juris, & injuriarum vindex eſt, ſæpe ne ſuas quidem injurias abſque damno, & periculo publico inultas relinquere poteſt. Pertinet enim ad ſalutem publicam, & injuriarum coërcitionem, eos quorum terrore, injuſtitia compeſcitur, injuriis impune non affici, & ſemper omnibus improbis metuendos eſſe, nec unquam ita ſpernendos, ut injuriis ſeſe opportunos ultro exhibeant. Quoties tamen abſque publico damno & notabili periculo, de ſuo jure decedere queunt, ipſâ Chriſtiani officii conſcientiâ admonentur, ut non modo de ſummo, ſed etiam æquo jure ſuo decedere contendant, atque ita ordinationis divinæ in poteſtate ſibi collata memores ſint, ut ſe diſcipulos Chriſti eſſe non obliviſcantur. Minus liberi ſunt in alienis injuriis negligendis, ob muneris ſibi concrediti functionem. Itaque & ſummo jure decernere ſæpe coguntur, & de æquo alieno jure nunquam decedere poſſunt. Si tamen plena, & abſoluta poteſtate ſubjectis præcipue Chriſtianis imperent, poſſunt interdum, ac debent quoque in favorem æquitatis, ſummo juri oppoſitæ, & à Chriſto ſuis commendatæ, de ſummo, ſtrictoque quamvis alieno jure decedere. Sed nulla poteſtatis plenitudo efficere poteſt, ut de æquo alieno jure ipſis decedere unquam liceat.

Ver. 43. Accedit Chriſtus ad tertium Scribarum & Phariſæorum commentum, qui *Caritatem* ſub Lege, ad proximum tantum, hoc eſt amicum reſtringebant. Inimicis denegabant, quos odio proſequendos univerſe imperatum eſſe præ ſe ferebant. Cum tamen de eo ſub Lege nullum extet præceptum generale, imo non pauca præcepta ſpecialia non deſint, quæ etiam inimicis benefacere, nec odii, ſed amicitiæ officia exhibere præcipiunt. Quia vero hoc loco proximus inimico opponitur, conſentaneum eſt, vocem hanc in ſenſu anguſtiori ſumi, & amicum dumtaxat ſignificare. Quod & exempla à Chriſto *verſ.* 46. *&* 47. allata confirmant, in quibus Publicanis, qui pro peccatoribus habebantur, ejuſmodi in proximum *Caritas* tribuitur & vox proximi per vocabula amicum ſignificantia periphraſticè exponitur. Quos tamen non eſt veriſimile alios, præter amicos aut perpinquos & qui ſe invicem redamarent, dilexiſſe. Non eſſe igitur iſtam genuinam Legem Moſis, vel inde patet, quod Lex Moſis vocem proximi, quemadmodum & Charitatis officium latius protenderet. Præterea, ut diximus, quod profeſſum inimici odium ſimpliciter & abſolute nuſquam imperaret. Quapropter hanc Legem à Scribis poſitam Chriſtus non implet, ſed plane tollit, ac deſtruit. Quippe qui Caritatem adeo univerſe præcipiat, ut eam vel ad inimicos extendat. Quod tacitè oſtendit, Caritatem non ad amicos tantum, aut redamantes nos, ſed ad omnes alios, etiam alienos protendi debere, poſteaquam uſque ad ipſos inimicos protenſa eſt. Notandum vero virtutem atque officium caritatis, non eodem erga omnes promiſcue modo nobis à Spiritu Sancto præcipi. Sed erga Fratres intenſam *Rom.* XII. 10. 1 *Pet.* I. 22. *verſus & Cap.* IV. 8. Erga Deum intenſiſſimam *Matth.* XXII. 23. Hoc loco erga inimicum ſimplicem præcipi legimus, non tamen operum ſterilem, nec fucatam, ſed in benedictiones, beneficia, preces pro iis fundendas exuberantem. Unde apparet, quoties iſtarum diverſarum caritatum officia ſecum concurrunt, cujuſnam earum à nobis potior ratio habenda ſit.

Sed jam ad fructus iſtius, quæ nobis præcipitur erga inimicos, charitatis veniendum eſt. Primum enim diligere ipſos *verſ.* 44. mox dilectionem hanc non verbis tantum, benedicendo etiam maledicentibus, ac devoventibus nos, ſed beneficiis etiam malevolos afficiendo, denique votis, & apud Deum precibus perſecutores noſtros juvando, expromere jubemur. Quæ omnia aliis quoque præter inimicos, & quidem in gradu perfectiori præſtari, ratio ipſa imperat. Sed eam erga fratres longe perfectiori ratione exhibere Lex Chriſti, ut vidimus requirit. Quanto flagrantius autem erga ipſum Deum caritas ejus teſtanda eſt? Duas vero rationes affert, quare nobis inimico dilectionis iſtud officium præſtandum ſit. Primum quia ſanctimoniam Dei imitari debemus, ut par eſt Filios Patris facta, & mores imitari, Deus vero Solis, & pluviæ ſuæ, ut & infinitorum aliorum donorum beneficio improbos una cum probis frui ſinit. Ita nos caritatis noſtræ fontem, non ad bonos tantum, & amicos, aut dilectione noſtra dignos, ſed ad indignos quoque derivare æquum eſt. Cur autem Deus improbos quoque beneficiorum ſuorum una cum probis participes eſſe ſinit? Quia eſt bonus ac miſericors, & ut omnes aut aliqui ſaltem ex iis boni, ac digni gratia ejus evadant expectat, & expectatione ſua non ſemper fruſtratur. Ita nos dilectionis noſtræ fructuum non bonos tantum, ſed & malos, & præcipue inimicos noſtros participes facere debemus, quia beneficiis etiam inimici ad ſanitatem, & amicitiam noſtram non raro prævocantur, & ex malis boni evadunt. Quo pacto tanquam genuina Genitoris noſtri progenies lineamenta ejus mente ac moribus noſtris exprimimus, ut merito filii ejus vocari poſſimus. Altera ratio eſt, quia ſi amicis tantum, & propinquis ac de nobis bene meritis caritatis officium exhiberemus, nihil ſingulare, aut eximium præ cæteris peccatoribus, ac publicanis præſtaremus. Quis enim eorum eſt, qui non eadem officia benevolis bene meritis, aut ſuo judicio dignis exhibeat? Nihil in eo laudis, aut perfectionis cernitur, quod ſupra vulgaris moris uſum non aſſurgit. Chriſtianis autem perfectæ Legis diſcipulis, perfectam ſupremi Numinis ſanctimoniam, quantum humanæ vires ferunt imitantibus, ſupra uſitatum & communem pietatis modum ſcandendum eſt. Ergo eo perfectionis tendere debent, quo vulgaris mortalium pietas aſpirare nequit, & quo ſolius Dei ope & auxilio ſuffulta, ſed & exemplo invitata pietas aſcendere ſperat.

Jam verò tam ex officiorum inimici Caritati debitorum enumeratione, quàm ex ipſius Dei, & quidem propoſito nobis ad imitandum exemplo, ſicuti & ex totius Religionis analogia manifeſte apparet, poſſe aliquem huic de diligendo inimico Chriſti præcepto morem gerere, & tamen interdum eidem etiam cum periculo vitæ ejus reſiſtere, aut eundem maximo ejus malo, ac dolore (dummodo juſtum, & legitimum ſit) ſupplicio afficere.

Officia inimico debita ſunt. Primum, hominem diligere; atqui eos quoque, quos ordinarie diligimus propter extraordinariam cauſam, aut neceſſitatem ſeveriſſime caſtigamus, aut maximo malo mulctamus. Deinde male dicenti ac devoventi nos benedicere, atque etiam bene precari poſſumus, quod tamen non obſtat, quominus impetum malefacientis, aut nos perdere volentis juſto ac legitimo modo repellamus. Non patientiæ tantum, ſed & beneficiorum, quantum quidem æquitas permittit, nihil omittendum eſt, quibus inimicus nobis placari, & ad ſanam mentem redire queat. Quod tamen nihil impedit, quominus eum, nos cum periculo vitæ noſtræ adorientem, quâ publicè, quâ privatim repellamus. Preces pro perſecutoribus noſtris fundere tenemur, quia & Paulus olim perſecutus Eccleſiam

relipuit, & ſimillium ejus non deſunt exempla. Si tamen adſit nobis legitima poteſtas, & commoda occaſio perſecutoribus eam facultatem adimendi, quâ in inſontes Chriſti oves ſæviunt, Caritas inimicis debita nihil morari debet eorum coercendorum officium. Itaque nihil eorum quæcunque hic inimico præſtari imperantur omittere debemus: Sed primum, ea lege, ut occaſionem, & facultatem ejus rei habeamus. Nulla enim virtus, nullus habitus, abſque oblata ejus exercendi occaſione exercetur. Fieri autem poteſt antequam occaſio benefaciendi inimico occurrat, aliquam lædendi ejus neceſſitatem intervenire, ut mox videbimus. Deinde Caritas, & beneficia inimico præſtanda ſunt, ſed ea lege, niſi qua gravis neceſſitas, aut validum impedimentum ea impediat. Qualia multa occurrere poſſunt, veluti ſi cum Caritate inimici potior caritas concurrat, ita ut beneficia inimico, abſque omiſſis in Deum, aut in fratres & filios Dei, aut in Rempub: officiis præſtari nequeant. Ad gravem neceſſitatem, præſcripta hoc loco inimico præſtanda officia, impedientem & in aliud tempus differentem, pertinet, ſi inimicus vitam noſtram & res vitâ cariores periculoſe impetendo repugnandi ſibi neceſſitatem imponat. At enim reſiſtere malo prohibemur. Ita eſt, ſed in ejus generis injuriis de quibus Chriſtus loquitur, & quas contemni imperat. Non igitur in iis, quæ contemni nequeunt, nec ſperni uſquam imperantur, niſi cum iis reſiſtere legitime non poſſumus. At eundum hominem diligere ſimul, & lædere, aut etiam interficere; eundem beneficio ſimul, & ſupplicio afficere non poſſumus! Ita eſt ſi unum; idemque temporis momentum ſpectetur. Sed ille ipſe homo, qui ordinarie à nobis diligendus, & beneficiis afficiendus eſt, quando videlicet dilectione & beneficentia noſtra indiget, quando & nobis quoque virtutum earum exercendarum copia ſuppetit; culpa ſua poteſt nobis omnem ſui diligendi & beneficiis afficiendi rationem, & facultatem eripere, lædendi vero, & malo mulctandi ſui neceſſitatem imponere. De conſilio interficiendi hominis, an unquam à privatis ſuſcipi poſſit, diſceptare nec volumus, nec audemus. Vita tamen noſtra ſæpe abſque iſto interficiendi ejus periculo defendi aut ſervari nequit, quamvis abſque occidendi conſilio, eandem ſemper defendi poſſe cenſeamus. Capitalis vero ſupplicii ſumendi jus atque facultatem, legitimæ poteſtati, idem tradidit, qui pleniſſimum jus vitæ neciſque noſtræ habet, & qui gladium tradidit, cujus extra capitales pœnas in pace & extræ defenſionis neceſſitatem in bello, uſus nullus eſt.

Sed hæc ratio ab officiorum inimico debitorum conſideratione ſumpta, melius intelligitur, ſi altera ratio ex propoſito nobis in tam ſublimi virtute ad imitandum Dei exemplo petita, accuratius expendatur. Nulla perfectior erga inimicos Caritas ſomniari poteſt, eâ qua Deus erga inimicos ſuos utitur. Quid? an ideo ipſi nocendi ipſis, aut eos capitali pœna, & ſeveriſſimis ſuppliciis plectendi facultas per Caritatem iſtam adempta eſt? An non videmus Deum inimicos ſuos (quantum quidem diligi poſſunt, aut debent) verè diligere, & tamen eos quando id merentur, & longanimem ejus clementiam, ac veniam conſumpſerint, ultimis ſuppliciis perdere? Diſſimilem eſſe rationem Dei abſolutiſſimum jus, & poteſtatem ſuper creaturas ſuas habentis excipient. Quaſi ad juris hujus, & poteſtatis eminentiam nunquam mortales admittere ſoleat. Sed nos juris hujus, & poteſtatis plenitudine omiſſa, de ſola ſaltem exercendæ erga inimicum Caritatis, & eundem tamen multis malis afficiendi poſſibilitate quærimus. Poſſe utrumque ab eodem fieri Dei facientis exemplo oſtenditur. Sed nec adeo noſtris diſſimilia, in Caritate imprimis præſtanda Dei facta ſunt, quando nobis ad imitandum pro onuntur. Cur enim imitari jubemur, quæ imitari non poſſumus, aut quomodo imitanda ſunt, quæ ſimilia eſſe nequeunt? Plura in hanc ſententiam afferre, non eſt hujus loci, è cujus viſceribus petita argumenta ſufficiant.

Illud monendum ſupereſt, verſutiſſimo Satanæ artificio fieri, ut tam præſtans, ac Divinæ Lex Chriſti, quæ tribus iſtis Matthæi Capitibus comprehenſa eſt, aut omnino negligatur, & non exerceatur, aut obſervandæ ejus neceſſitas non alia conditione mortalibus imponatur, quam ſi ordinationes Dei humano generi plane neceſſariæ convellantur, quaſi Legi Chriſti nemo obtemperare queat, niſi Leges Dei, & voluntatis ejus ordinationes contemnat, & poteſtates ab eo ſanctè conſtitutas, pro profanis habeat. Ut Lex Chriſti negligatur, & non exerceatur primum per eos effecit, qui potiſſimas Leges Chriſti pro conſiliis habent non pro Præceptis. Deinde per eos, qui Præcepta iſta Chriſti non omnibus in univerſum, ſed Apoſtolis tantum, aut Paſtoribus populi Dei, aut Prædicatoribus Evangelii tradita aſſerunt. Nec minus per eos, qui Legi Moſis nihil eſſe additum, ſed eam dumtaxat à commentis Scribarum repurgatam contendunt, & interim legem hanc obſervari aut per eam juſtificari quenquam non poſſe, dictum alicubi à Spiritus Sancto libenter arripiunt, ut liberos ſeſe, ac ſolutos tam difficilium præceptorum obſervatione cenſere poſſint. Ut vero lex eadem Chriſti non alia conditione omnibus obſervanda proponatur, quàm ſi nobilior pars mortalium & ipſius Dei ordinationes humano generi, & optimo cuique mortalium, atque adeo ipſis Chriſtianis plane neceſſariæ ab Eccleſia Chriſti excludantur per illos quanquam aliud agentes, & nihil minus quam Satanæ gratificari volentes, Satan efficere laborat, qui Magiſtratus poteſtatem, cum omni ipſi à Deo conceſſo pacis, bellique jure, ab Eccleſia proſcribunt. In quo verſutus hic Spiritus ſuum imprimis, & Antichriſti ſui negotium agit. Suum; ne nomen Patris illius Cæleſtis, per ipſius perfectiſſimi Regni totum in Orbem perfectiſſimum adventum unquam ſanctificetur, aut ſanctificari poſſit, neve voluntati ejus, perinde in terris (ut in Cælis geritur) mos geri queat: Denique ne unquam Regna Mundi, Regna Dei & Chriſti ejus evadant. Antichriſto autem imprimis per hoc Satanæ artificium opera navatur, cujus præcipue intereſt Regnum & Eccleſiam Chriſti ejuſmodi poteſtate in perpetuum exarmari, cujus ſolius violentia is tyrannidem in decepto & ſubjugato Orbe occupavit & hucuſque exercet. Non quod Regnum Chriſti, aut Eccleſia iſta poteſtate ad ſuſtentationem aut propagationem ſui prorſus indigeat, ſed quia illegitima Antichriſti violentia, ſuppoſito tali, quali hactenus Deus in Terris uſus eſt, regimine, abſque iſta legitima poteſtate frangi penitus & extingui nequit: & objecta peſſimis artibus reſtituendæ, recipiendæ, propagandæ veritati, immenſæ molis & vix ſuperabilia impedimenta, ſi plane recipi & propagari debeat, legitimæ poteſtatis æquitate, removeri neceſſe ſit.

Porro in hoc errorum & veritatis certamine legitimæ poteſtatis non aliud eſt officium, quam partibus inter ſe commiſſis, ac dimicantibus pleniſſimam præſtare libertatem, nec ulli earum etiamſi juſtiorem cauſam habere videatur, poteſtatis ſuæ arma commodare. Non eſt enim periculum, ne veritas ſuis armis hoc eſt rationibus & argumentis defenſa vinci, aut ſuccumbere poſſit. At eadem ab erroribus favore, & potentia Magiſtratus armatis, ſæpe indigne præmitur; prout tot ſeculis oppreſſa eſt. Nihil

autem

autem est, quod quis vereatur, si veritatis viribus, quæ per se ipsæ validissimæ sunt, aliquod ex potestate Magistratus adminiculum adjiciatur, obscuratum iri veritatis victoriam. Nam neque nos causæ veritatis defendendæ vim atque potentiam Magistratus adjungi postulamus. Pacem tantum, & libertatem, ut veritati suis armis uti tuto liceat, optimo jure imploramus. Neque vero Magistratus, cuicumque puræ veritatis lumen illuxerit, veritatis armis suæ potestatis arma (quippe non modo superflua; sed noxia) adjunget. Id tantum sui muneris esse putabit prospicere, ne veritas illegitima violentia opprimatur, cui ut integra victoriæ laus, & illibata maneat, nullam & ipsis erroribus vim terrenæ potestatis inferri patietur. Quemadmodum Principes in venatione, à comitibus, quos delectationis suæ participes esse voluerint, nolunt sibi præripi interfectæ feræ laudem, aut voluptatem, quam venabulo suo excipiendam destinarunt, & si quis forte ardelio desiderium eorum frustretur, impatientissime ferunt; ita Deus mentium Rex unicus, qui pretiosissimis veritatis, ac Spiritus sui armis mentes hominum, illibata earum libertate, venatur, impatientissime fert, divinis, ac spiritualibus suis, atque ab omni violentia alieniſſimis armis violentam Magistratus potentiam interponi, imo vero præcurrere. Quid enim opus est certissimam Dei, & veritatis prædam, cælesti, & salutari Dei venabulo destinatam, ignobili, & noxio terrenæ potestatis telo conjecto, intercipere? Hæc de Magistratus in Ecclesia retinendi necessitate, utilitate, & officio paucis delibare voluimus, ut Lectori pateat quemadmodum in Lege & præceptis Christi nihil est; quod Magistratum ex Ecclesia exterminari postulet: ita in Magistratus officio nihil esse, quod Christi legibus, quas in tota ista concione proponit, repugnare videatur.

CAPUT VI.

IMperata Caritate perfectissima; quæ usque ad inimicos diligendos extenditur, nunc ejusdem Caritatis partem nobilissimam quæ in largienda Eleemosyna cernitur, ab omni imperfectionis fæce, divinus noster Legislator expurgat. Ut enim puro auro, & argento ignobilioris metalli scoria admixta, ipsum aurum, & argentum vilius reddit, ita cælestibus virtutibus terrenæ laudis annexa ambitio, plurimum puritatis & pretii detrahit. Vetat igitur Dominus nostram eleemosynam coram hominibus, hoc est in conspectu eorum fieri, non simpliciter, quia sæpe vix fieri potest, ut tam laudabile factum conspectui, aut conscientiam aliorum effugiat: sed ea mente, atque proposito ut ab hominibus conspiciatur. Ostendit autem modum largiendæ eleemosynæ *vers. 3.* his verbis *Te dante eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra.* Quæ verba figurata sunt, nec proprio sensu explicanda, sicuti illa supradicta, de exculpendo oculo, vel amputanda manu, si nos scandalizent, aut de præbenda altera maxilla infligenti alapam, & dimittendo pallio postulanti tunicam. Utrobique enim præcepto, quod injungitur, supponi videtur falsa hypothesis, nisi quod in primo exemplo diserte exprimitur hæc hypothesis per verba *si te scandalizaverit*; in posterioribus autem tacite subauditur, nimirum in præbenda altera maxilla, si fieri aliter nequeat, ut vindictam talionis effugiamus; in dimittendo pallio, si aliter litis necessitatem evitare non liceat. Quæ utrinque falsæ sunt hypotheses, cum nec oculus, aut manus quemquam proprie scandalizet, nec ista sit sola, & unica via vindictæ, aut resistentiæ prohibitæ effugiendæ, ut novam injuriam ultro provocemus. Ideo in verbis istis non id, quod sonant, proprie ac præcise imperatur; sed aliud, quod emphasi sua exprimunt. Ita in præsenti exemplo *nesciat sinistra quid faciat dextra* subauditur tacita hypothesis, si utraque manuum propriæ, & ab altera separatæ scientiæ capax sit; quod nisi suppositis, quæ vocant, non competit. Ut igitur in primo exemplo, omne genus etiam carissimæ cupiditatis, quasi violenter resecandum, ut in secundo, & tertio, omni prorsus meliori modo talionis, & injuriarum certamen effugiendum, ita in hoc, quod nunc explicamus præcepto, omnem, ut ajunt, lapidem movere debemus, ne eleemosynam nostram ostentemus, sed eam quantum possumus à conspectu hominum amoveamus, ut (si fieri possit,) soli Deo nota sit.

Rationem autem Legis suæ affert ad persuadendum menti nostræ, id quod fieri jubet, efficacem, ne mercede virtutis hujus, quæ apud Deum maxima, & certissima nos manet, excidamus. Ex hujusmodi vero rationibus patet Legum Christi natura, quæ non invitos homines metu præsentis supplicii cogunt, sed sponte persuasos spe futuri, ac cælestis præmii maximi, & certissimi invitant ad obsequium. Rationis autem hujus est summa æquitas, & in ea latet non exiguum solatium nostrum. Cum enim ex animo facta, & virtutes nostræ æstimentur, nihil æquius est, quam ut quisque id quod suo impendio quærit, assequatur & accipiat. Qui igitur per eleemosynam laudem, & gloriam terrenam venantur, præsentissimum impendii sui præmium accipiunt, & quasi aliunde non expectatum, ipsi sibi donant. Cum in ipso eorum facto, eorundemque opera, conspectui hominum exposito, merces, quam quærebant, facti ipsorum consistat. Quo præmio accepto, quid habent juris ad expectandum illorum præmium, qui per impendia sua solam Dei gratiam & beneficentiam quærunt?

At enim occurret quispiam, nihil impedire quo minus & apud Deum præmium, & apud homines existimationem honestis actionibus nostris aucupemur, cum virtus non apud Deum tantum, sed apud homines quoque splendore suo fulgeat, & ex eo ipso, quod homines nostra opera videant, gloria Dei emergat *Matth.* v. 16. ita ut per objectas oculis mortalium bonas actiones nostras ipsius Dei gloriam quærere videamur. *Resp:* Primum Deus in desponsanda sibi mentium nostrarum castitate sese quasi zelotypum esse non dissimulat, nec ferre potest, ut quisquam amorem, & curam placendi, sibi uni debitam, inter eum, & homines partiatur. Qui igitur cælitus præscriptis virtutibus, non Deo tantum, sed & hominibus placere contendit, & apud ipsos gloriam, & præmium quærit, & statim accipit, is studium, & affectum, uni Deo debitum, in Deum simul, & homines dividit; ejusque rei, quæ tota Deo debebatur, partem subtrahit, ut in homines conferat, quo facto Deus non potest non offendi, nec levius culpa ista castigari potest, quam si Deus hominibus, præmium apud mortales captantibus, salvo ipsis relicto mercedis quam quærunt, imo vero ipsi sibi præmaturè sumunt, solatio, præmium suum, quod à gratia ejus expectandum erat, subtrahat, ac deneget. Secundo. Nunquam bona fide studium, & affectus, respectus, & cura placendi inter Deum, atque homines dividitur, quin longè plus hominibus tribuatur, quod neque absque injuria Dei fieri potest, cui si non plane totum, at saltem longe maxima pars istius debiti debetur, & ipsis hominibus noxium est, quia vel invitos, atque imprudentes, in præsentis, ac terreni, quam in cælestis præmii expectationem longe magis propendere efficit.

Accidit autem id, eo quod ubi in proprio appe-

titus

titus carnalis objecto voluntas noſtra rationalis eum eo in unum, idemque conſpirat, longe major inclinatio, & intenſior actio ſubſequitur, quam eum ſola rationalis voluntas, aut quieſcente, aut etiam renitente appetitu, fertur in ſuum proprium, hoc eſt ſpirituale objectum. Qui igitur bene agendo quærit ut hominibus ſimul ob præſentiſſimam, & vilibilem mercedem, & Deo propter inviſibile, & in longum ſæpe tempus dilatum præmium placeat: dum hominibus ſe venditat, non rationali tantum voluntate, ſed & carnali appetitu eo ducitur, & longe magis inclinatur; dum autem Deo placere contendit, ſola rationali voluntate, non autem ſimul appetitu (qui jam totus circa terrenum bonum obhæſit) impellitur, ideoque longè debilius in id quod agendum eſt, propendet, atque operatur. Sæpe etiam, ne dicam ſemper, contingit, ut carnalis terrenorum appetitus, in una, eademque actione cum rationali ſpiritualium, ac cæleſtium voluntate mixtus, non modo iſtam ipſam voluntatis rationalis, ut ita loquar, partem, quæ in ſola cæleſtia intenta eſt, inficiat, nec ſatis puram reddat, ſed etiam planè ejiciat, atque exturbet, non tam ideo quod carnis appetitus erga voluntatem rationalem natura ſuâ contumax ſit (poteſt enim interdum à ratione coërceri, ac curari, ita ut ipſi in ſpirituale ſuum objectum nitenti, parcat, aut certe non oblu ctetur) quàm idcircò quod in proprio ſuo carnalis boni objecto regnet, quoties ad illud conſectandum ipſam voluntatem rationalem pertraxit, aut etiam ultro ad illud inclinatam invenit. Itaque cum ratio, & voluntas carnalis aliquod bonum conſectandum judicavit, quamvis una eadem cum ipſo ſpirituale quoque ac cæleſte bonum & quidem principalius & majori ſtudio conſectari decernit, tamen innato appetitui pondere ad illam carnalem propoſiti boni partem, vel invita longe violentius trahitur, & inclinat, cum homo ex duabus quodammodo naturis carnis & ſpiritus concretus, longe validius in ea propendeat, quæ carni ſimul & ſpiritui, quam in ea, quæ ſpiritui duntaxat expetenda ſunt. Ergo ipſa appetitus pravitas, & improbitas impedit, quominus & apud Deum una, & apud homines præmia benefactorum noſtrorum captare poſſimus, quia efficit ut ejuſmodi bona opera in gratiam hominum potius, quam Dei ſuſcipiamus, atque ita merito parato nobis apud Deum præmio exedamus.

Quid igitur? rogabit quiſpiam: Non licebit unquam niſi in occulto virtutum actus exercere, & idcirco nobis Deus debita virtuti præmia denegabit, quod eam paucis, aut pluribus mortalium conſciis exercuerimus? Minime gentium. Non vetat nobis Deus ſimplicem, & non affectatam mortalium conſcientiam, vetat oſtentationem, & affectationem, quarum utraque à ſapientioribus quoque mortalium damnatur. Et oſtentatio quidem propter ſuperbiam odium, affectatio vero propter ineptias contemptum omnium meretur. Satis virtuti in ſeipſa ſupereſt virium, quibus ſe notam omnibus, & notabilem reddat, nihil indiget aſcititia oſtentationis ope, & ſuſpenſa ut agnoſcatur hædera. Nec latere poteſt, aut ſolet, quamvis non venditetur, neque ex profeſſo ſpectanda oculis omnium objiciatur. Hanc igitur bonorum operum noſtrorum ſimplicem, & in affectatam notitiam Deus non prohibet, nec improbat, hæc nos vere non Deo tantum, ſed & hominibus commendat. Et ut jam tandem ad alteram propoſitæ ſupra objectionis partem accedamus, ex hac notitia dumtaxat gloria, & glorificatio Patris cæleſtis emergit, quando homines vident veram & inaffectatam cujuſque virtutem (nam affectata, & oſtentata ne pro virtute quidem plerumque habetur) quæ, tametſi præmatur, aut certe non oſtentetur, latere tamen nullo modo poteſt, ſed oculis hominum ſponte occurrit, Deo quoque ipſo adiuvante, ac volente, eamque longe clarius, quam ulla hominum oſtentatio poſſet, oculis omnium conſpiciendam præbente. Contra affectatam (quam Chriſtus hypocriticam vocat, & oſtentatricem ſui virtutem) ne homines quidem interdum pili faciunt, tantum abeſt ut admirentur, aut ob eam Deum glorificent.

Sed & illud quoque in hac quæſtione notandum eſt, non præcipi nobis à Chriſto, ut omnem omnino virtutem, aut omne bonum opus noſtrum premamus, & occultemus. Sunt enim virtutes, quæ occultari propter actionum ſuarum naturam, in propatulo poſitam, nequeunt, ſunt quæ propter ædificationem premi non debent. Documento eſt, quod ne in iſta quidem triplici bonorum operum, quæ Chriſtus occultari præcipit, genere, actiones noſtræ ſemper celari poſſint, aut debeant. Nec enim publicæ, & cum omnibus communes eleemoſynæ, nec publicæ preces, nec publicè indicta jejunia in arcano exerceri poſſunt, aut debent. Loquitur igitur Chriſtus de privatis eleemoſynis, privatis precibus, privatis jejuniis, in quibus videlicet aliquid præ aliis præſtare nitimur, & peculiarem apud Deum mercedem quærimus. In his enim dumtaxat oſtentationi locus, quam Chriſtus redarguit. Poſſunt igitur homines reliqua noſtra opera oculis omnium (ultra oſtentationem tamen) obvia videre, & in iis anſam glorificandi Patris cæleſtis invenire, tametſi eorum oculis ſubtrahantur privatæ noſtræ pietatis, in quibus præ aliis excellere cupimus, officia. Certare enim nobis cum aliis de præceptarum virtutum excellentia, non permiſſum modo, ſed injunctum eſt. Sed certaminis hujus decus, & dignitatem, ac vel minimam præ aliis excellentiæ laudem, oſtentare vetitum. Quo magis mirari decet, quid iis in mentem venerit, qui in Chriſtiana Eccleſia perfectiorem pietatis gradum præ aliis omnibus conſectandum profeſſi, habitu, cultuque corporis horrido, & mille aliis externæ ſanctimoniæ ſignis, oculos omnium in ſe convertere & quaſi perſtringere conati ſunt. Alios columnas aſcendere non puduit, ut in iis tanquam candelabris, ſimillimis columnarum ſuarum mortalibus, prælucerent. Hos profecto iſta præcepta Chriſti non legiſſe, aut certe non conſideraſſe oportuit. Et tamen *ô tempora, ô mores*, neſcio quà tam putidè affectatæ ſanctimoniæ perfectione ſibi multum placere, atque adeo ſuperbire audent potentiſſimæ in orbe chriſtiano Eccleſiæ! Supereſt ut ſolatium inſigne noſtrum, quod in ratione præcepti ſui à Chriſto allata, latere diximus, paucis attingamus.

Ait igitur Chriſtus Deum virtutes iſtas, quas nemine niſi ipſo conſcio exercemus, nobis publicè, & omnibus nota mercede (ὡ ἰῷ φωτὶ) repenſurarum. Magnam fore mercedem hanc vel inde patet, quod publice, & in conſpectu multorum repræſentanda ſit. Intereſt autem gloriæ, & Majeſtatis ſummorum Principum, dona, ſive præmia, quæ in publico conferunt, ne ſint exigua. Certitudo vero hujus mercedis inde confirmatur, quod Deus damna atque impendia in ſui ſolius gratiam ſuſcepta, nunquam abire ſinat irremunerata. Hoc ipſo igitur ad mercedem eorum obſtringitur quodammodo Dei bonitas: quod niſi eam ipſe repræſentaret; periret iſtis hominibus neceſſario, id quod miſericordiæ ejus crediderunt, quod impoſſibile eſſe liquet. Nullum igitur de præmii hujus ſive magnitudine, ſive certitudine dubium reliquum eſſe poteſt.

Verſ. 5. Altera virtus, quam Chriſtus in occulto exercere imperat, eſt *Sanctitas precum*, & quaſi cæleſte

cum

cum Deo commercium. Non publicas autem, vel ſtatis temporibus cunctis aſſignatas, ſed privatas, & extraordinarias intelligit, quibus pietatem ſuam, & frequentis cum Deo commercii ſancii ſanctitatem cunctis palam oſtentare hypocritæ conabantur. In hac de Precibus doctrina primum, quid nobis cavendum ſit, docet. Deinde modum orandi, & formulam precum inſtituit.

In iis, quæ cavenda ſunt, primum eandem (de qua jam plus ſatis diximus) oſtentationem ponit *verſ.* 5. & 6. & quomodo fugienda ſit docet, rationem præcepti ſui eandem addens, de qua ſatis jam locuti videmur. Secundo. Multiloquium in Precatione vetat *verſ.* 7. Quod præceptum prudentiæ Chriſtianæ apprime eſt neceſſarium plures ob cauſas, quarum aliquas Chriſtus attigit, alias reticet, verum ſubintelligit. Cauſarum quas attingit prima eſt. *verſ:* 7. quia loquacitas in petendo apud Deum ad impetrandum nihil prodeſt. Eſt enim hic mos Ethnicorum, qui falſa apparentis ex multiloquio iſto utilitatis, quod ita facilius exorandi ſint, ſpecie decipiuntur. Quos imitari Chriſtus *verſ:* 8 prohibet, ideo quia illis hoc non prodeſſe non obſcure ſignificavit. Altera eſt eodem *verſu* 8. quia eorum, quibus indigemus, exacta, & prolixa enumeratio ſuperflua, & non neceſſaria eſt; cum ea omnia etiam abſque precibus noſtris Patri Cæleſti longe quam nobis notiora ſint. Subintelligere vero Chriſtum cauſas alias, quas reticet, ex eo colligimus, quia & ea quæ brevi (qualem infra præſcribit) oratione petimus, probè novit Pater Cæleſtis nobis neceſſaria eſſe, & tamen ea petere quamvis breviter præcipit. Oportet igitur multiloquium à Chriſto non ob eam ſolam cauſam damnari, quia ſuperfluum, & non neceſſarium eſt: ſed & quia manifeſte vitioſum, & noxium. Vitioſum vero videtur ob ſummam tanti Principis Majeſtatem, qui licet Paterni amoris ſignificatione aditum nobis ad ſe non difficilem aperit, reverentiam tamen poſtulat, ac timorem. Tota quidem vita noſtra, in qua negotium ſalutis noſtræ peragitur, timoris, ac tremeris expers eſſe non debet. Sed præcipue cum Deo, quaſi præſente, & in rem præſentem vocato, commercium, & ſupplex ejus alloquium animum poſtulat mira quadam, nec facili arte ad tam ſanctum opus inſtructum, ac præparatum. Quod ſi difficile eſt animum in eum ſtatum componere, ut plenam divinæ gratiæ fiduciam, metu, ac veneratione tanti numinis (ita uti decet) temperatam ad preces afferamus: longe difficilius eſt eum in hoc ſtatu longo tempore retinere, quod multiloquium ſine cauſa producit, & extendit. Et ſi melius eſt à precibus abſtinere, quam eas incompoſito animo aggredi, melius etiam eas abrumpere, quam fatiſcente compoſiti animi ſtatu continuare. Unde patet brevitas in precibus quam ſit neceſſaria. Præterea multiloquium, & garrulitas nimiæ cujuſdam familiaritatis ſignum eſt, nec reverentiam ejus, quam tali alloquio obtundimus, redolet. Quæ multiloquii in precibus adhibiti vitia, & abuſus reticuit Chriſtus, quia manifeſte cunctis patere poſſunt. Satis habuit cauſas iſtas, & neceſſitates, quæ multiloquio in precibus veniam conciliant, removiſſe, & nullas eſſe oſtendiſſe.

Verſ: 9. Poſtquam præmonuit Chriſtus, quæ nobis in Precibus cavenda ſint, modum, & formulam orandi præſcribit. Quam huic orandi modo, quem *verſ.* 7. & 8. damnavit, manifeſte opponit. *verſ:* 9. per verba *Sic igitur orate vos.* Ubi quis non videt brevitatem orationis commendari, & opponi multiloquio. Atque hoc primum in generali formulæ hujus conſideratione obſervandum eſt, editum in ea eſſe ſpecimen, plurima, imo vero omnia, quæ nobis à Deo ſive optanda, ſive petenda ſint, mira brevitate complexum. Alterum quod hic in genere conſiderandum eſt, quia Chriſtus in ea formula petendorum præmiſit ea, quæ ad gloriam Dei ſpectant propriis noſtris neceſſitatibus. Quia enim Deum ſupra noſmetipſos amare obſtringimur, prior & antiquior nobis eſſe debet cura eorum, quæ ad Deum, quam quæ ad nos pertinent: præcipue enim amor Dei & gloriæ ejus ſit compendium aſſequendi res nobis deſideratiſſimas, & maximè neceſſarias. Quærentibus enim primum, & ante omnia, regnum Cælorum, & juſtitiam ejus, cætera omnia, quæcumque nobis utilia, aut neceſſaria ſunt, liberaliter adjicientur. Quæ tamen promiſſio continet omnia, quæ vel improbiſſimis votis optari poſſint. Tertium eſt, quod ipſa orandi formula à nobis neceſſario exigat, ut non modo erga Deum (quod jam oſtendimus), ſed & erga proximum debitis defungamur officiis (quod ipſe Chriſtus notat infra *verſ:* 14. & 15.) atque ita neceſſitatem nobis imponit pleniſſimi legum divinarum obſequii.

In ſpeciali hujus formulæ conſideratione illud principio poſitum occurrit, quod per verba *Pater noſter, qui es in Cælis* deſignatur. In quo videmus primum noſtræ terrenæ, viliſſimæ, atque infimæ ſortis, cujus nobis non conſcii eſſe non poſſumus, cum ſupremi Regis cæleſtis Majeſtate collatæ, antitheſin. Deinde ingens, & incomparabile ejuſdem Dei beneficium, quod paterno erga nos affectu nobis, infra ſuam eminentiam, & Majeſtatem tam immani præcipitio ſubſidentibus, & abjectis, aditum ad ſe in omnibus neceſſitatibus invocandum aperuerit. Quid enim nos miſelli homines, pulvis, & umbra, in hoc infimo, & viliſſimo elemento cito diſparens, commune habere potuimus cum omnium Cæleſtium Regum Rege, & Univerſitatis Domino. Et tamen ille prior ultro Paternum nobis amorem obtulit, divinſſimis promiſſis nos ad amorem ſui mutuum provocavit. Cujus amoris noſtri erga ſe expromendi, tradita per Chriſtum diviniſſima Lege ſua, copiam nobis fecit. Nec enim grave jugum per Filium ſuum impoſuit, ſed nimium ſuave, ac molle, nulla violentiæ duritie aſperum, ſed ingentibus beneficiis ſimul, & promiſſis nos ad mutuam erga ſe voluntatem, ac benevolentiam benigne invitans, ut id in gratiam ejus ſuſcipiamus, quod nos, non modo in hac vita felices, & quaſi Angelos, imo divinæ naturæ participes, ſed etiam in æternum beatiſſimos efficere poteſt. 2. *Pet:* 1. Quod amoris noſtri erga eum officium ut exiguæ vires noſtræ præſtare poſſint, opem inſuper ſuam benigne promiſit, implorandam tamen à nobis voluit, & præcipit, ne incognita, & inobſervata gratia ejus incogitantiam, & inadvertentiam noſtram effugeret; ſimul ut novis ſubinde beneficiis veluti ſtimulis icti, tanto conſtantius in hoc teſtandi erga eum mutui amoris curriculo decurreremus.

Quemadmodum igitur in hujus Orationis limine, duo ſupra dicta nobis notanda ſunt; ita duos in animo noſtro habitus procreare debent. Primus eſt profundæ humilitatis, ac demiſſionis animi noſtri habitus, in quem nos ſemper equidem, ſed maxime quando Deum alloquimur, componere debemus, qui ex immenſa viliſſimæ ſortis noſtræ ab infinita Dei eminentia, & majeſtate diſtantia naſcitur.

Alter eſt effuſiſſimi in mutuam grati animi vicem, amoriſque, & pietatis erga Deum affectum ſtudii contentio, nullis parcens viribus, ac tota mente in id unum perpetuo incumbens, quæ ex collatorum in nos beneficiorum, & oblatorum promiſſorum magnitudine, ſimul ex ipſius Dei glorioſiſſima perfectione, ac pulchritudine excitatur. Atque hæc eſt omnis ad preces præparationis breve compendium.

Vers: 9. Primum eorum quæ nobis petenda proponuntur est Gloria Dei, & nominis ejus sancta apud omnes celebratio, prædicatio virtutum ejus 1 *Pet:* 11, 9. & magnificiorum operum admiratio in nostris, atque omnium mentibus excitanda. Quia enim nos à tristi tenebrarum caligine in admirabilem lucem suam transtulit, exigit hoc à nobis officium Paterna ejus beneficentia. Quamvis autem gloria soli Deo competit, ita ut hac parte orationis non aliud optari, vel peti videatur quam is fructus, quo soli Deo frui fas est, multum tamen nostra quoque interest, ut Deus fructum hunc, qui ei præ omnibus debetur, assequatur. Nec enim eum plane assequi vult, nisi ejus Regnum adveniat, & in obsequium ejus cuncti redigantur, ita ut neque terrestrium, neque Cælestium quisquam sit, qui ejus voluntati morem non gerat. Qui status rerum cum summa nostra beatitudine conjunctus est, ut id, quod his tribus primis orationis partibus petitur, fieri non minus nostra, quàm Dei intersit. Unde patet nobis in Christo eam cum Deo conjunctionem intercedere, ut negotium Dei agere, aut operam ipsi navare nequeamus, quin nostrum proprium negotium agamus, & nostris commodis operam demus.

Alterum ex iis, quæ nobis petenda sunt, est *Adventus Regni Dei vers:* 10. In quo videndum est quid hoc loco significet Regnum Dei. Per quas voces non aliud intelligi videtur, quam Regnum Dei in terris. In Cælis enim Regnum Dei, & quidem plenissimum, ac perfectissimum est, atque erit semper, nec ullo adventu indiget, quod tertia pars petendorum infra non obscurè asserit. At in terris, quamvis Providentia, & gubernatione Dei cuncta potentissime regantur, non tamen plene, & perfecte Deus regnare videtur, quamdiu Regnum Satanæ, certo consilio, & permissione Dei in hominibus regnantis, durabit. Deinde Regnum istud in terris non proprie dictum, sed per translationem intelligitur. Proprie dictum est, quod vi coactiva gubernatur, sive ista vis sit divina, sive humana. Improprie dictum est Spirituale, & violentiæ coactivæ expers, quale est Dei in Ecclesia sua, aut Satanæ in filiis inobedientiæ. Regnum igitur propriè dictum etiam in terris Deus retinet, & Satanas (ut solet) mentitur *Luc.* IV. *vers:* 6. quod ipsi tradita sit potestas Regnorum Terræ, cui vult, conferendorum. Nec igitur istud Regni Dei in terris genus adventu ullo indiget. Supereſt ut Regnum Dei Spirituali Satanæ Regno oppositum hoc loco intelligatur, quando Deus in cordibus fidelium suorum regnat, & illi vicissim imperium, ac leges ejus suscipiunt, & obsequium ejus quasi induunt, & Populus, atque Ecclesia Dei, hoc est, Spiritualis Respublica, & Regnum Dei fiunt. Hujus igitur hominum cætus molli, & Paterno Dei, ac Spiritus ejus regimine gubernatur imperium, Regnum Dei vocatur, & Cæleste, aut Cælorum Regnum, partim ab ipso Regis Cælestis regimine, quod in isto Populo exercet; partim à beatissimi, & quasi regii status in futura vita felicitate, quæ huic Populo destinata, & promissa est (quæ etiam in Sacris Literis Regnum Cælorum, & Regnum Dei vocatur) ad quam felicitatem regimen istud, & gubernatio Ecclesiæ viam ostendit, & quasi manu ducit. Manifestum autem est, quando adventus ejusmodi Regni à Deo peti jubetur, istud Regni genus nondum venisse, atque in Terris nondum esse. Quid igitur? Nullamne Ecclesiam Dei, nullos homines, qui metu, amore, ac reverentia Dei regerentur, tunc fuisse censebimus, cum Christus legem hanc orandi præscriberet? Verumenimverò animadvertendum est Regnum istud Dei admittere multos gradus, inter se adeò diversos, & impares, ut quamvis in omnibus spiritualis ista gubernatio Dei locum habeat, cujus respectu etiam infimus gradus Regnum Dei dici possit, tamen respectu superiorum graduum, inferiores vix Regnum Dei dici posse mereantur. Exempli gratia. Ante Abrahamum non defuisse homines, qui instinctu, & Spiritu Dei regerentur, Enochi, & Noë exempla ostendunt. Sed illa Dei gubernatio, & gratia ad paucos pertinuisse videtur, antequam Deus ex Abrahamo integram, & numerosam gentem excitasset, in qua cæleste suum regimen peculiari modo exerceret. Quis non videt illud paucorum regimen, nullis certis legibus, aut paucissimis administratum, respectu illius gubernationis populi, quæ latis per Mosen legibus institura est, ne Regnum quidem dici meruisse? Ita illud regiminis genus, quod sub Mose ad unam dumtaxat gentem adstrictum, & intra angustos unius regiunculæ fines conclusum; præterea legibus imperfectioribus, & quarum magnam partem Deus mox antiquaturus erat, gubernatum fuit, comparatione illius regiminis, quod per Christum in omnes Gentes, ac Populos extendi, & iisdem, quibus Solis cursus, finibus terminari, præterea divinissimis, & æternis legibus gubernari, longe præstantioribus, & plane regiis promissis sanciri, & confirmari debuit, Regni Dei, & Regni Cælestis nomen, Christi gubernationi debitum, vix usurpare potuisse? Tempore igitur Christi, cum hanc precandi formulam traderet, Regnum illud Dei in præstantiori gradu consideratum nondum fuisse, & adventum ejus optari, ac peti potuisse, manifestum est.

At enim Objiciet quispiam; Cum Religio Christi pauciſſimis post annis toto orbe propagata est, Regnum illud Dei jam tunc advenisse. Quis igitur locus post unum seculum à nato Christo exactum, huic petitioni relinqui potuit, aut quomodo tunc adventus Regni Dei optari, & posci potuit, quod jam advenerat, & toto Orbe vigebat? An ad pauculos istos annos, antequam Christi Religio propagaretur, usus istius traditæ à Christo precandi formulæ durare debuit? Hic illud responderi nequit. Regnum Dei tunc perfectissimo modo adventurum, cum homines, qui ad istud Regnum pertinent, in regiam illam, & æternam felicitatem transferentur; quamvis ista veritate verius nihil sit. Nec enim frustra paulo ante diximus, ac demonstravimus, Christum hoc loco de terreno, hoc est, quod in terris locum habeat, Regno loqui, cum obsequium voluntati Dei (quod ad istud Regimen pertinet, imo ejus anima est) in terris peti (ut mox videbimus) in tertia formulæ hujus petitione imperatum sit. Necesse igitur est, si formula ista locum habere in Ecclesia perpetuo debeat, ut saltem felicior Regni Dei status in terris subinde optari, sperari, atque posci perpetuo possit, quam fuit tempore Apostolorum, & per tot elapsa secula, usque ad tempora nostra, & fortasse ulterius. Nec videtur à nobis exegisse Christus, ut petamus impossibilia, aut quæ ob destinationem Dei aliter eventura sunt. Quamvis igitur nunc quoque Regnum Dei sit in terris, & longe ante nos Christi, & Apostolorum tempore advenerit (nec enim falso Joannes Baptista, & ipse Christus illud primum appropinquare, dein &

adve-

adveniſſe aſſeruerunt, quia paulo poſt eorum tempora Religio Chriſti per omnes Gentes diffuſa eſt) tamen ſi reſpiciamus, jam inde ab Apoſtolicis temporibus uſque ad noſtra, miſerrimum Eccleſiæ ſtatum, quæ primum acerrimis perſecutionibus in terris conflictata, quamvis interea externorum hoſtium magnificè victrix, mox tandem ſuiſmet vitiis, & diſſidiis victa, tyrannidem Antichriſti, terrena violentiâ ſævientem, maxima ſui parte, ne dicam tota, admiſit, item ſi reputemus tot Gentes, quibus nondum lux Evangelii affulſit, tot alias Chriſtianas olim, nunc Mahometis peſte affiatas, reliquas Chriſtianarum partim tyrannide pene omnes oppreſſas, partim tetra errorum caligine ſepultas, & in diſſolutæ vitæ flagitia prolapſas; hæc, inquam, omnia ſi conſideremus, reperiemus graviſſimas cauſas, cur & ante per tot ſecula debuerint, & nunc quoquè debeant veri Chriſtiani longe meliorem, & florentiorem quàm fuerit, aut ſit, Eccleſiæ ſtatum, (qui Regnum Dei merito dici poſſit), à Deo ardentiſſimis precibus expoſcere.

Neque vero deſperandi cauſæ ullæ ſunt; plurimæ ſperandi. Regni Antichriſti abolitio, Judæorum converſio nobis prædicta, imo promiſſa ſunt. Neutrum horum abſque pulſa ex Eccleſia errorum caligine evenire poteſt; quia & Antichriſti apoſtaſiam, & Judæorum (præſertim poſt everſam eorum Rempub:) incredulitatem errores poſt obitum Apoſtolorum in Eccleſiam denſo agmine irrumpentes peperêre, errores & ſuſtinent. Per hanc veritatis victoriam, & triumphum, ſuppreſſum tandem, & oppreſſum Regnum Dei reflorescet, ac redintegrabitur, ut dici poſſit, illud iterum in terris adveniſſe.

Rogabit quiſpiam; Ergò poſt hunc tandem adventum hujc orationis à Chriſto præſcriptæ particulæ locus non erit? Reſp. Sed & in florentiſſimo Eccleſiæ ſtatu iſtiuſmodi Regni Dei gradus dari poſſunt. Facilius eſt enim veritatem Religionis Chriſtianæ ab errorum maculis repurgatam recipere, quam ſecundum eam vivere. Nec ſtatim in Eccleſia, ubi vera voluntatis Dei notitia ab omnibus recepta fuerit, omnes ilico, & quidem perfectè ipſi morem gerent. Erit ſemper locus profectui, & incremento Regni Dei, ut ante illum cæleſtem ejus adventum nunquam evenire poſſit, quin in terris majus, & perfectius ſubinde voluntati Dei debitum obſequium optari, atque à Deo peti poſſit. At hæc reducis, ac redivivæ veritatis tam blanda ſpes multis ſuſpecta eſt. Quamobrem vero? Quiane regnum errorum per tot ſecula firmiter coaluit? Plura ſecula Regnum Paganæ Idololatriæ numerabat, & tamen per Chriſtianam Religionem, licet Antichriſti vulnere ſauciam, & languentem, everſum eſt. Quantum virium accedet ipſi à tam diuturna ægritudine convaleſcenti, & liberatæ? Nec erroris Regnum adeò altas radices egit, quin, ut omnia humana, ſubitæ mutationis turbine everti poſſit, quia humanis dumtaxat viribus ſuffultum eſt, ac ne iis quidem validis, & integris. Per florentis olim Romani Imperii potentiam, & mox orbi Chriſtiano infuſam barbariem conſcientiarum tyrannis, & factioſa Conciliorum decreta ſtabilita ſunt, ac per multa ſecula ſtetêre. Nunc collapſa tantæ potentiæ mole, pulſa paſſim bonarum artium ignorantia, & barbarie, & clariſſima genuinæ Sacrorum voluminum mentis luce exoriente, ruinam minatur, è caliginoſis, & abſurdis opinionibus male contexta compages. Unicum ſupereſt nutantis, & inclinati errorum Regni adminiculum, Vitiorum, quibus errores favent, ac patrocinantur Satanæ artificio hucuſque admodum efficaces illecebræ. Sed & artificis hujus verſutiam, & fraudes coercendas eſſe, & licentiam divina vi conſtrictum iri, non dubio Spiritus Sancti vaticinio ſpes nobis facta eſt: Nec deſperandum eſt, quin Orbem terrarum tandem aliquando, & flagitiorum turpitudinis pigere, & quod tam diu, tam què indigne deceptus fuerit, pudere incipiat.

Verſ: 10. Tandem ad tertiam Orationis à Domino præſcriptæ petitionem accedendum eſt, in qua Deus oratur, ut obſequium voluntati ſuæ in terris tam plenum, & perfectum conciliet, ac præſtet; quam plenum illud in Cœlis habet, hoc eſt, ut homines tam morigeros, & obſequentes ſibi reddat, quàm ſunt voluntatis ejus executores, & miniſtri Angeli. Quod non ita præciſè, ac moroſè explicandum eſt, ut obſequium iſtud terreſtre, cæleſti plane par ſit. Sed ut ad illud proxime accedat, quantum quidem humana infirmitas ferre valet. Particula enim *ὡς* ſicut non ſemper paritatem, ſæpius ſimilitudinem ſignificat. Et obſequium in terris cæleſti ſimile etiici poteſt, etiamſi non omnes, ſed plures dumtaxat, aut certe multi voluntati Dei morem gerant. Quod Eccleſiâ ab erroribus repurgatâ, & ab omnibus receptâ Cæleſti veritate non difficile, certe non impoſſibile eſt. Talem autem veritatem ab omnibus recipi non magis arduum eſt, quam fuit Chriſtianam Religionem per tot Gentes, ita ut experientia docuit, propagari. Vivere ſecundum leges receptæ veritatis multo difficilius eſt. Sed neque id conſtricto per longum aliquod temporis ſpatium (quale per mille annos deſignatur) Satana, ſaltem à pluribus in Eccleſia fieri, nimis incredibile eſt. Cujus ævi felicitas ipſis Apoſtolicis temporibus prædicta, & jam ante ab antiquiſſimis in Eccleſia Patribus credita eſt. Verum hæc ſententia, quia ſuos aſſeclas, irrepentem tunc parum ſynceram in Eccleſiam doctrinam, moreſque depravatos improbare, ac beatius ævum optare, atque expectare arguebat, factioſè exploſa eſt ab iis, qui per illata clanculum è Philoſophia Gentili in Religionem Chriſti Gnoſtica dogmata, introducta potenti factione, Eccleſiam corrumpebant, doctrinamque ſuam, & fructus, quos illa ferebat, damnari moleſte ferebant. Ideo & Apocalypſis à multis oppugnata: & Papiæ ab Euſebio obtrectatum, & inſuper antiquis illis, Apoſtolorum ſeculo vicinis viris falſa affecta calumnia eſt, tanquam aliquod terrenum Regnum Chriſti poſt reſurrectionem fore ſomniarent. Illis autem id ne per ſomnium quidem credere, aut aſſerere in mentem venire potuit: ſed reſtituendum in Terris Chriſti Regnum poſt reſurrectionem, ſi qui eorum dixerunt, reſurrectionem primam una cum Auctore Apocalypſeos à ſecunda diſtinguebant. Nam is qui cadit, quando ſublevatur, reſurgere jure dici poteſt. Et converſio Judæorum, quæ feliciſſimi illius ævi, de quo loquimur, non exigua portio eſt, merito à Paulo *Rom:* XI. 15. reſurrectio, aut, quod idem eſt *vita ex mortuis* dicitur. Papiam vero, qui ſententiæ huic (quam errorem Euſebius vocat) in decipiendo Irenæo, & reliquis cauſam dediſſe ab eodem dicitur *l.* 3. *Eccl: Hiſt:* C. 36. Gnoſticis Euſebii Magiſtris, & ipſi Euſebio exoſum fuiſſe, non mirandum eſt. Cum Papiæ viciſſim peregrina Gnoſticorum præcepta, his, quæ à Domino ipſo tradita ſunt, parum conſentientia, imo oppoſita, exoſa fuerint. *Vide citatum Euſebii locum.*

Antequam à tribus iſtis primis Orationis Dominicæ petitionibus diſcedamus, obſervare licet iis verbis conceptas eſſe, ut vota potius, & amorem noſtrum erga Deum, gratique noſtri animi ſignificationes, quam petitiones, quibus in gratiam noſtri ſatisfacere Deus rogatur, exprimere videantur. Cum enim in poſterioribus precum partibus dicitur *da Panem, Remitte Peccata, Ne inducito in tentationem,*

Libera à malo, hic non dicitur *effice* ut sanctificetur nomen, ut adveniat Regnum tuum, ut fiat voluntas tua. Sed nuda votorum, quæ optare solemus, vocabula proponuntur *sanctificetur, adveniat, fiat &c.* Sed quamvis non negemus, verba ista hunc quoque sensum, quem modo explicuimus, admittere, & quasi comprehendere, non tamen ita ut alterum, qui ipsis cum reliquis petitionibus communis est, excludant. Non modo etenim vota sunt, sed petitiones quoque, quas in gratiam nostri præstari, & à nobis obtineri, non parum nostra interest, ut superius attigimus, quo Lectorem remittimus. Causa vero, cur petitiones priores à posterioribus hoc discrimine distinctæ sint, hæc dari potest, quod quæ fieri ipsius Dei interest, Deus etiam absque precibus nostris facturus est: at ea, quibus nos ipsi dumtaxat indigemus, absque supplicibus, & enixis precibus nostris impetrari noluerit.

Vers. 11. Quarta Petitio est prima omnium, quæ solas necessitates nostras respiciunt. Continet autem omnia ad vitam præsentem sustentandam necessaria, qualis est victus in primis, & amictus, quæ duo Christus quoque infra *vers.* 25. & Paulus 1. *Tim.* VI. 8. conjungit. Vox enim *Panis* per Synecdochen ex more Sacræ Scripturæ, imo in usu quoque omnium, hæc omnia comprehendit. Sed eadem vox *Panis* per alium tropum, puta Metaphoram, significat spirituale verbi Dei, & Spiritus Dei alimentum, quo vita nostra spiritualis indiget. Ut enim homo ex spiritu, & corpore concretus est, ita duplici vita vivit. Corporali, quæ ipsi communis est cum brutis, spirituali, quæ cum Angelis, quæ & ipsa, præcipue quamdiu sumus in hoc corpore, frequenti, & quotidiano suo indiget alimento. Primum autem non est verisimile Christum rem tam necessariam homini, & à Deo necessariò petendam in hac publice proposita precationis formulæ, omisisse. Adeò ut, si forte uterque hujus vocis sensus una consistere non possent, improprius potius retinendus videretur. Sed uterque egregie consistere potest. *Secundo.* Primum, & ante omnia quærere jussi sumus Regnum Dei, & Justitiam ejus, cætera omnia vice corollarii nobis adjectum iri, promittitur. Quæsitio igitur ista Regni Dei efficit, & præstat nobis non ipsius tantum Regni Dei, sed & cæterarum rerum inventionem. Porro quærendi modus non alius est potior, quam pulsare fores misericordiæ Dei, ut nobis aperiat, & petere ab eo, quæ certo certius accepturos nos promisit Deus, supplices suos frustrari non solitus. *Tertio.* omnes tam superiores, quam reliquæ posteriorum petitiones, primò, & principaliter respiciunt res nobis ad salutem æternam necessarias. Si quæ autem earum res quoque ad vitam præsentem necessarias respiciunt, primario quidem spirituales, secundario vero vitæ hujus necessitates spectant. Exempli gratia. Remissio peccatorum primario quidem spectat spirituale nostrum, & æternum bonum; secundario vero bonum etiam vitæ præsentis in se continet, quatenus ii, quorum peccata bona fide remissa sunt, ne in præsenti quidem vita ullam peccatorum suorum pœnam metuere possunt. Deinde quando impetramus ne inducamur in tentationem, primario quidem illud spirituale bonum consequimur, quod peccandi periculum evadamus; secundario illud præsentis vitæ commodum, quod afflictiones effugiamus, quibus nos sæpe Deus inducit, aut induci patitur in tentationes. Quando à malo, hoc est, à Satana liberamur, primario quidem spiritualis vitæ bona consequimur, quod nos Deus ab eo vinci, & violentiæ aut fraudibus ejus succumbere non sinit. Secundarius impetratæ hujus petitionis fructus est, quod à plurimis vitæ hujus ærumnis, in quas nos Sathanas conjicere contendit liberemur. Non est igitur consentaneum, cum omnes hujus precationis partes spiritualia nostra bona primario contineant, primam, quæ ad nos spectant, terrenum dumtaxat, & vitæ hujus bonum, hoc est, vitæ, quam cum brutis communem habemus, sustentationem continere. Ergo impropria, & spiritualis *Panis* significatio, non modo locum hic habet, sed si totius precationis analogia consideretur, principaliorem quam carnalis, & propria locum habere censenda est.

Additur autem voci *panis* epitheton ἐπιούσιος, quod alii, nec male, essentialem, aut supersubstantialem vertunt. Quæ explicatio utrique vocis hujus significationi adaptari potest. Impropriæ, quia ut ipsa vita spiritualis, nobis cum Angelis communis, vera & essentialis vita est, carnalis vero, quam cum brutis vivimus, tantum imago vitæ; ita & alimentum vitæ spiritualis est verum alimentum, & essentiale, quod vires nobis ad vivendum in perpetuum sufficit, præ isto alimento, quod non nisi fluxam hanc vitam sustentat, & figura potius, atque imago veri alimenti dici potest. Propriæ vero adaptatur, quia essentialis panis dici potest, qui essentiam vitæ dumtaxat sustentat, hoc est, non copiosus nimis, & superfluus, sed qui necessariis vitæ usibus sufficiat. Natura enim, & essentia vitæ nostræ paucis contenta est Luxus, & voluptas plura requirunt. Opponitur ergo hic ἐπιούσιος τῷ περισσοῦ. Vide *Luc.* XII. 15. Alii epitheton hoc explicant per vocem *quotidianum* (cui explicationi textus *Lucæ Cap.* XI. *vers.* 3. favere videtur) quia videlicet utraque vita nostra in dies singulos sustentatione indiget.

Utrolibet modo explicetur, notandum est, quod petitio ista, per quam omnia ad vitam sustentandam necessaria præstari nobis à Deo precamur, ad singulos quodammodo dies adstringatur per voces *quotidianum*, & *da nobis hodie*, quasi cras, & perendie eodem pane non indigeremus. Verum id non frustra à Domino factum est, qui nos infra in eodem Capite *in crastinum sollicitos esse vetuit.*

Primò. Ut perpetuo à Deo dependeamus, nec quicquam spei, aut fiduciæ in nobis, aut possessionibus nostris collocemus, seu divites simus, sive pauperes. Nam qui nihil, aut pauca possident, diurno victu contenti esse, eumque propemodum in singulos dies, Dei ope advocata, comparare sibi coguntur. Qui aliquid, aut multa possident permissu, aut voluntate Dei, cunctis possessionibus quotidie provolvi possunt. Ergo & hi diurno victu, quem à Deo identidem petere jubentur, contenti esse debent.

Secundo. Ut nobis assiduitatis in precibus necessitatem imponeret, quando sine iis rebus vivere non possumus, quæ novis quotidie precibus impetrandæ sunt.

Tertio. Quia nescimus quid in crastinam diem de nobis Deus constituerit. Quid si proxima nocte à nobis animas nostras repetere voluerit? *Luc.* XII. 20. Singulis igitur mortalium inculcandum illud,

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum

Quod autem non à nobis ipsis, nec aliunde nisi ab ipso Deo dependere nos Dominus velit, nulla in eo nobis infertur injuria. Quid enim queramur, quod thesauros & possessiones nostras non in fluxa, & momentanea rerum terrenarum incertitudine, sed in benignissimi Patris manu, & custodia deponere jubemur. Nusquam tutius depositum nostrum collocatur, quam in fide tam certi Creditoris, qui nemini decoquere potest, *ut infra eadem Cap: videbimus.*

Vers.

Vers. 12. Altera earum, quæ nos respiciunt, & *quinta* Orationis Dominicæ petitio est, *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Qua petitione, non ad æternam tantum, & cælestem, sed præsentem quoque, & terrenam vitam nostram nihil magis nobis necessarium est. Peccata enim nostra sunt, quæ, nisi remittantur, non modo vitæ æternæ felicitatem prorsus adimere, sed præsentis quoque prosperitatem nimium perturbare possunt.

Ut enim mors æterna, ita omne pænarum, & calamitatum genus per viam peccati in orbem effunditur. Non igitur Panis ad sustinendam vitam nostram magis necessarius est, quam remissio peccatorum ad acquirendam, & conservandam ejus felicitatem. Is enim delictorum nostrorum vindex est, cujus severitatem effugere non possumus. Quem nisi placatum nobis habuerimus, nulla nobis spes horrenda ejus judicia evadendi reliqua esse potest.

Quamvis autem remissio peccatorum à pœnarum ob ipsa inflictarum remotione; aut infligendarum aversione distingui possit, ac debeat; tamen hæc ita arcte connexa sunt, ut posterius ex priori necessario consequatur. Qui enim remittit culpam, remittit & pœnam. Nec bona fide reconciliatus dici potest, qui, remissa parte pœnæ, culpam non remittit, alia pœna plectendam. Hujusmodi nobis peccatorum remissionem, hujusmodi redemptionem Christi, & Novi Fœderis gratiam quidam somniant, in qua sibi Deus pro iis, quibus delicta condonavit, quos per Christum redemit, & gratia sua dignatus, nullam ipsis condemnationem metuendam esse per Apostolum declaravit (*Roman:* VIII. *vers.* 1.) ignes aut purgatorii cruciatus reservaverit. Quasi vero peccatum, & culpa non idem sint; ut qui peccatum remittit, eadem opera culpam remittere non cogatur. Et quia culpa, seu reatus, & pœna relata sunt, ea simul natura esse necesse est, ita ut, ubi culpa non remittitur, debita quoque culpæ pœna remitti nequeat, ubi pœna fideliter remissa est, ibi culpa quoque non possit non remitti.

Denique cum Deus à nobis exigat, ut absque ullâ vindictæ reservatione bona fide debita debitoribus nostris remittamus, non est suspicandum ipsum Deum, qui sese pro exemplo omnibus, præcipue in Caritatis præcepto imitandum proposuit (*Matth.* v. *sub finem*) ejusmodi veniam peccatis nostris dare, ut tamen culpas eorum, hoc est, ipsam peccatorum essentiam nobis non remittat.

Utrum autem petitio hæc, ad illa potissimum peccata pertineat, quæ, antequam nos ipsi ad Novum Fœdus pertinere cæpimus, à nobis commissa sunt, non desunt causæ cur dubitem, imo vero ab asserentibus id plane dissentiam. Fatemur sane illam animi modestiam admitti posse, qua nos adeo indignos remissione peccatorum censemus, ut etiam post ea remissa, veniam tamen eorum, tanquam nondum acceptam, petamus, nihil interim dubitantes de ea nobis jam pridem data (quod tamen non tam est petere veniam, quam pro ea accepta grati, ac demissi animi significationem exaggerando beneficii gratiam habere, ac testari). At hic Christus de proprie, & principaliter sic dicta veniæ petitione loquitur. Hanc si consideremus, quis ferat hominem post acceptum à nobis beneficium, loco debitæ gratiarum actionis, illud ipsum beneficium vere, ac proprie precibus poscentem? An non is gratiam beneficii vocare in dubium censebitur, & parum grato animo non agnoscere se, id accepisse, quod jam accepit? Atqui dum in hac vita vivimus, à morte, quæ peccati stipendium est, & æterni exitii periculo ipso facto nondum exempti sumus. At à culpa, & reatu præteritorum, & à morte quoque nos, ac supplicio æterno liberandos esse certo certius credere debemus, nec Novi Fœderis fidem vocari in dubium fas est, cujus vi, & beneficio à culpis simul, & pœnis liberati sumus, nisi forte recentibus, & post obtentam Novi Fœderis gratiam commissis delictis indignos nos tanto Dei beneficio reddiderimus, &, ob non præstitam impositam nobis conditionem, gratiâ fœderis hujus exciderimus. Quamvis igitur forte non ad sola, tamen longe magis, & primario ad illa peccata hæc verba pertinent, quæ post ictum cum Deo fœdus forte committimus. Nam quod objicitur, ista quoque peccata, quæ, postquam ad Novum Fœdus pertinere cæpimus, committimus, nobis jam remissa per Christum, & vim Novi Fœderis, & tamen nos fateri eorum culpas deprecandas esse; Animadvertendum est, remissionem peccatorum, non absolute, & sine conditione nobis esse oblatam, sed eâ lege ut pœnitentiam eorum agamus, atque illis, & eorum similibus delictis, nuncium in perpetuum remittamus, & in ea vitæ integritate ad finem vitæ constanter permaneamus. Posteaquam igitur quispiam impositam hanc conditionem (quantum ad ante actam, & præsentem vitam pertinet) præstitit, & mores secundum doctrinam Christi emendavit, remissa ipsi anteacta peccata per vim Novi Fœderis censentur, & si illo tempore vitam finiat, nemo de ipsius salute dubitare potest. At si postea idem, aut in eadem peccata relabatur, aut in similia incidat, quia conditionem fœderis plenè non præstitit, beneficio ejus excidit. Et quanquam Deus in Novo Fœdere se sumimo jure non ulurum, spem fecerit, non novo quidem Fœdere, nova tamen misericordia, nova peccatorum remissione indiget, quæ tanto magis anxia, & sollicita prece exoranda est, quanto gravius videtur delictum post agnitam veritatem, quam in ignorantia peccantis. Quamvis enim natura sua graviora essent peccata, ante cognitionem Dei, & Christi peccantium (quod tamen non semper accedit) tamen peccata eorum, qui voluntatem Domini sui noverunt, longe sunt graviora, & supplicio digniora, quam qui ignorant. Sæpe etiam natura sua utrorumque æqualia, interdum & istorum majora esse evenit. Quibus quantum culpæ ex notitia Divinæ voluntatis accedere censemus? Proinde ratio illa, quod peccata ante susceptam Religionem Christi commissa, fere graviora esse soleant, quam Christianorum, non est tanti, ut ob eam remissio peccatorum in Oratione Dominica de peccatis cognitionem Religionis antecedentibus præcipuè, ac potissimum intelligi debeat: cum & antecedens sæpè falsum sit, & consequentia semper vitiosa. Quantuscunque enim sit excessus in gravitate peccatorum ante notitiam Dei commissorum, nequaquam tamen tantum nostra interest, veniam eorum impetrare, quæ jam nobis remissa esse certo scimus, quantum eorum, quæ an nobis facile remitti possint, aut jam remissa sint, aut nescimus, aut non certo scimus, aut denique non ita certo, ut aliorum, de quotum venia, generali lege indulta, dubitare nullo modo licet, cum in specialibus singulorum mortalium casibus, diversis circumstantiis variatis, æquè certa dari notitia nullo modo possit. Sunt enim peccata quædam, quæ non remittuntur: Sunt peccantes ad mortem, pro quibus orare vetamur, Sunt quidam, præsertim semel illuminatorum, & qui gustarunt donum cæleste, participes facti Spiritus Sancti, in eo statu, ut post gravem lapsum, non possint, aut vix possint iterum renovari ad pœnitentiam *Hebr:* VI. 6.

Deinde tametsi quis non dubitet, sibi peccata post

agnitam veritatem commissa remitti posse, tamen primum an sint remissa scire non semper potest. Denique etiamsi sciat illa non difficulter remissum iri, tamen id quoque non ignorat, eorum pœnas supplice prece necessariò deprecandas esse, cum post pœnitentiam, & deprecationem initio recepti Christianismi factam, omissio deprecationis ulterioris pro veteribus peccatis, de quorum jam facta remissione nullum est dubium, nemini fraudi esse possit. Non igitur de peccatis, quæ post agnitam veritatem committuntur, æque certo dici potest, ea nobis esse remissa, ut potest dici, de noxis in ignorantia Dei commissis. Et major necessitas nos urget, ut eas culpas deprecemur, quas non æquè certo scire possumus nobis esse remissas, aut remittendas, quam eas, de quarum venia nullum superest dubium. Denique, cum petitio ista sit quasi remedium pro sanandis vulneribus conscientiæ nostræ, magis ad recentissima quæque vulnera curanda pertinet, quam ad ea, quibus jam obductæ sunt cicatrices.

Jam vero ex ista petitione sic explicata nullo modo concludi potest neminem esse, qui quotidie non peccet. Quamvis enim quotidie unusquisque debeat veniam à Deo peccatorum precari, tamen non est necesse peccata illa, quorum veniam petet, esse eadem illa die commissa, cum possint esse longè antiquiora, & tamen post agnitionem veritatis patrata, possint etiam esse minimè frequentia: multò minus quotidiana. Ergo corruit illa ratio, quæ summos viros (quantumvis alias, sed levidenses rationes prætexant) præcipuè induxit, ut petitionem, de qua agimus potissimum, ad peccata ante agnitionem veritatis commissa pertinere censerent. Illud potius incommode, & periculose ab iis dictum videtur: omnia cujuscunque temporis, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, peccata, eorum qui in Christum credunt, eique obediunt, esse remissa, & per Christum ipsum deleta, atque abolita. Quamvis enim hoc, recto sensu intellectum, admitti possit, tamen incautè pronuntiatum, nec falsitatis omni ex parte expers est, & calumniis patet. Denique ansam nonnullis præbere potest, ut in spem futuræ impunitatis licentius peccent. Falsitatis non est expers illud, futura peccata jam esse remissa, & per Christum deleta atque abolita. Neque enim id jam remissum, & abolitum dici potest, quod nondum est, imo ne certo quidem futurum est.

Sed est plane futuram contingens, hoc est, non ens, cujus nullæ sunt affectiones. Deinde incommoda est ejusmodi catachresis, quæ calumniis, & cavillationibus adversariorum exponitur. Denique quis incontinentium (neque enim omnes statim ad perfectiorem Christianorum statum perveniunt) & nondum confirmatorum, audiens futuros quoque lapsus suos jam esse remissos, nec ullam eorum pœnam metuendam, non libenter, ac facile semel, atque interposito spatio iterum, ac tandem denique sæpius, & identidem sibi peccandi veniam indulgeat?

Quemadmodum autem in superiori petitione, una cum pane terrestri, cœlestem quoque, & spiritualem simul includi diximus, hoc est, illud auxilium, & donum Dei, quo in vita spirituali reficimur, confirmamur, & vires spirituales acquirimus, quod est verbum Dei, & Spiritus Sanctus: ita in hac petitione præmium quoque vitæ hujus Spiritualis, hoc est, vitam æternam includi censemus. Plenam enim peccatorum remissionem, vita æterna necessario sequitur, cum nos ab amore Dei nihil aliud excludere possit, præter culpas peccatorum; quæ si deleantur, ac tollantur, nihil supereſt impedimenti, quominus eam consequamur. Remissio enim culparum, trahit una secum remissionem pœnarum culpis debitarum, quas inter præcipua est æterna mors: & à quibuscunque illud genus pœnæ removetur, iis vitam æternam dari necesse est. Quia vero non sola æterna morte delicta à Deo puniuntur, etiam hujus vitæ pœnas ab iis, qui plenam delictorum remissionem consecuti sunt, amoveri necesse est, ut iis nulla prorsus condemnatio timenda sit, *Roma:* VIII. 1. Omnium igitur malorum, atque adversorum immunitas à Deo petitur, quoties peccatorum remissio petitur.

Sed jam tempus est, alteram Petitionis hujus partem aggredi. *Sicut & nos remittimus debitoribus nostris*, aut ut Lucas explicat, *quia & nos remittimus debitoribus. Capite* XI. *vers.* 4. In quo tametsi fatendum sit Christum non tam eò spectasse, ut Deus à nobis rationis istius, & quasi causæ vi ad indulgendum preci nostræ impelleretur, quàm eo ut nos ipsi ad officium nostrum erga proximos impelleremur (quod & *vers:* 14. & 15. petitionem istam explanans, non obscurè indicat) & sic virtutis hujus necessitas nobis imponeretur; tamen vicissim negari non potest, quod Lucas innuere videtur, rationem istam saltem ex vi Fœderis, & promissi apud Deum validam esse, nec frustra allegari: quod & Christus *Matth:* v. 14. clare explicat. Conditiones enim ab una parte pacisentium præstitæ, alteram vicissim ad præstandas, quas promisit, obstringunt. Quod tamen ita intelligendum, si non una dumtaxat, aut altera, sed omnes impleantur, si fœdus, aut pactum, non unam tantum, sed plures pacisenti imponat. Cæterum nec illud negandum est, conditionem hanc erga proximos nostros à Deo impositam, quia factu ardua, & difficilis sit, utpote difficillima Caritatis pars, si à nobis bona fide præstetur, operire multitudinem aliorum quoque peccatorum, & ad ea remittenda Deum non parum inflectere. Unde acerrimum ad eam virtutem stimulum, & incitamentum habemus, dum confideramus si imites, mansueti, misericordes, & ad dimittendas aliorum noxas faciles simus, Deum quoque in remittendis peccatis nostris difficilem non fore. Talem enim erga nos sese exhibiturum promisit, quales nos erga alios esse voluit; nec pati ullo modo potest (ut humanis verbis humanum captum excedentia exprimam) sese in hoc virtutis genere à nobis superari.

Vers: 13. Sequitur *Petitio Sexta*, quæ licet cum *septima* per adversativam conjunctionem connecti videatur, tamen vel ipsa istius particulæ naturâ disjungitur, & ipso quoque objecto separatur. Deprecatio enim ne inducamur in tentationem, futuri mali, aut potius periculi tantum; precatio ut liberemur à malo non futuri tantum periculi, sed multo magis præsentis mali aversionem, & quasi ex manibus potentissimi hostis ereptionem significat, quod & ipsum verbum ῥύσαι, violentam extractionem significans, indicat.

Ut igitur verba hujus petitionis melius intelligantur, non modo vox *inductionis in tentationem*, sed ipsius quoque tentationis distinguenda est. Vox *tentationis* aut strictus sumitur (quo sensu Satanas in Sacris Literis *Tentator* dicitur), pro ea incitatione, ac stimulo, qui adhibetur eo fine, ut homines ad peccandum adducantur. In hac significatione Deo nullo modo tribui potest, qui hunc finem sibi proponere nunquam potest, sed ut ipse tentari nequit, *ita neminem tentare solet Jacobi 1. vers.* 13. neque in tentationem inducere; *Aut latius*, ut etiam sumi possit pro eo, cum aliquis sive per objectum certa-

certamen, aut ſuppeditatam occaſionem, vires, virtutem, fidem alicujus explorat, earumque rerum periculum facit, aut etiam ſpatium alicui præbet edendi in aliquo præclaro facto ſpeciminis. In quo ſenſu vox hæc Deo quoque tribui poteſt, ut in ejuſmodi tentationem inducere homines dici poſſit.

Sed & voces *inducendi in tentationem* diſtinctione indigent. Aut enim ſignificant directam inductionis hujus voluntatem, atque propoſitum: aut permiſſionem tantum, vel conniventiam. Quo ſenſu, & loquendi modo Chriſtus alicubi eum *occidere* innuit, qui perire, aut occidi hominem, cum prohibere poſſit, patitur. *Mar:* III. 4. Utraque utriuſque vocis ſignificatio huc pertinet; utrumque enim tentationis genus, quando cum periculo noſtro conjunctum eſt, deprecari poſſumus. Sed non in utroque vox *inducendi*, quando Deo tribuitur, eodem modo ſummitur. Nam in tentationem ſtrictius acceptam Deus inducere, hoc eſt, directè impellere neminem poteſt, & huc pertinet *Jacobi* locus. Ideo ſicubi id uſquam, hic, aut alibi in Sacris Literis de Deo dici videatur, tunc vox *inducere* ſignificat *induci* ſinere, ac permittere.

In tentationem autem latius acceptam interdum Deus ex conſilio, & propoſito aliquem inducit, ſed propter *bonum illius* non *malum*, ut *vincat*, non ut *ſuccumbat*, ut felicior evadat, non ut miſere in peccatis ſuis pereat, quod Satan intendit.

Ut igitur in petitione proxime antecedenti ipſum peccati jam commiſſi malum, ita in præſenti mali iſtius à tentationibus impendentis periculum deprecari juſſi ſumus. Quod ipſum oſtendit quantum à peccatis ipſis ſub lege Chriſti abhorrere teneamur, cum & eorum pericula tanta cura, & tam anxie evitanda ſint, ut ad ea effugienda ipſius Dei ope imploranda uti nos oporteat. Nec in ea re viribus noſtris confidendum eſt, aut contemnenda ſunt pericula ipſa, quæ occaſiones ſunt interdum, & initia ipſorum peccatorum, & quibus, antequam adveniant, longe facilius ea effugienda, quam, cum advenerint, ea ſuperando, occurri poteſt. Non ſine cauſa Chriſtus ipſa gravia peccata rarius vetat, at in prohibendis occaſionibus, & initiis eorum multus eſt. Nec tam in homicidio, quam in ira, maledicto, & rixa, nec tam in adulterio, quam in incauto mulieris aſpectu, nec tam in perjurio, quàm in frequenti juramenti uſu, nec tam in ſtricto talionis rigore, quam in æqui juris retinendi nimio ſtudio prohibendo, laborat. Non quod graviora peccata enixius fugienda non ſint, ſed ut per leviorum interdictum ad graviora acceſſum intercludat.

Et nos, ſi volumus peccatis ad nos aditum plane occludere, occaſiones eorum ante omnia, & præcipue amputare contendamus, Deo quoque ipſo in auxilium vocato.

Continet igitur iſta petitio omnium tentationum, quæ nos ad peccandum adducere ſolent (quocunque animo nobis inferantur) averſionem. Quas inter cum & calamitates, & afflictiones perſecutionum, & quæcunque nobis voluntate Dei immittuntur, numerari poſſint, eas quoque precibus à nobis amoliri, ſi poſſimus, licet. Verum ita ut Chriſti exemplo voluntatem ea in re ac deſideria noſtra voluntati Dei ſubmittamus. Cæterorum omnium infortuniorum averſio partim ad antecedentem, partim ad ſubſequentem petitionem melius refertur.

Subſequitur enim *ſeptima*, & ultima petitio. *Sed libera nos à malo.* Quæ tametſi ita quoque exponi poſſit, ut ſenſum *Apoſtoli* 2. *Tim:* IV. 18. exprimat, in verbis, quæ ſic ſonant. *Et liberabit me Dominus ab omni opere malo*, præſertim cum verbum *liberandi* utrobique una, eademque voce Græca ῥύεσθαι aut ῥύσεται exprimatur. Tamen cum anguſtior iſte ſenſus ſit, malim per vocem τὸ πονηρὸν Satanam intelligi, ejuſque fraudes, ſævitiam, atque potentiam. Qui latior ſenſus eſt, quoniam is non modo tentationes graves, & ad peccata tantum non cogentes, inviſo mortalium generi immittere ſolet, ſed circa ipſas peccatorum pœnas in homines, tanquam bello capta mancipia, graſſatur: cujus neque fraudes, & laqueos interdum evitare, neque vim, & vires ſuſtinere, aut reprimere ſemper liceat, ita ut niſi divino auxilio vinci, & ſuperari hic hoſtis in bello, quod per latus hominum ipſi Deo infert, poſſit. Atque hic ſenſus priorem quoque in ſe continet. Per opera enim mala erga nos malitiam ſuam exercet, & vim ſuam exerit mortis, ac tenebrarum poteſtas, cujus robur abſque hoc aculeo torpet.

Accedit huc, quod non modo antecedentia, quæ & cum priore ſenſu cohærent; ſed conſequentia quoque verba cum poſteriori ſenſu concinne connectantur. Cum enim Satanas Dei perduellis ſit, & quoties in eos, quos Deus in filios adoptat, graſſari audet, non modo poteſtatem, ac Majeſtatem Dei violare, ac vires, & potentiam contemnere, ſed etiam victoriæ palmam in hoc ſpirituali certamine ipſi ut ambiguam reddat conari videatur. Ideo non poteſt eſſe aptior, & efficacior ratio ad permovendum Deum, ut nos ab ejus ſævitia liberet, quam quod, niſi id faciat; & poteſtas, ac Majeſtas Regni ejus violari, ac in dubium vocari, ac potentia, & robur ipſius ſperni, & gloria in eo, ſi penes hoſtem ejus victoriæ decus maneat, periclitari videatur. Cum tamen omnia iſta tria in gradu excellentiſſimo, uni ſummo Deo, & Patri Domini Noſtri Jeſu Chriſti, à quo omnis cognatio ubique deſcendit, unicè competant.

In qua ratione quoniam ultimorum quoque Orationis Dominicæ verborum explicatio continetur, non eſt quod pluribus Lectorem moremur. Brevem tantum Precationis hujus periphraſin ſubjiciemus.

O qui Paterna, & plus quàm Paterna tua erga nos *Caritate*, atque indulgentia, nobis indignis terræ, ſcabelli pedum tuorum, vermibus ad te, tuamque opem implorandam aditum conceſſiſti, Cujus domicilium *Cœlum*, *& lux* inacceſſæ ſolium eſt. Effice, precamur, ut nominis tui gloria ſumat ubique incrementum, & latè per omnia diffundatur. Fac ut optatiſſimum illud tempus adveniat, in quo depulſis præſentis *ævi* tenebris, & facta rebellium tuorum potentia, tu ſolus in animis omnium Luce tua illuminatis, toto *Terrarum Orbe* regnes, & imperes. Unde omnino eveniat, ut voluntatis tuæ reverentia, & Legum abs te latarum obſequium non minus in Terris vigeat, quàm nunc in *Cœlo* tuo vigere cernimus. Nos quoque à tua ſola ope in hac vita perpetuo pendentes, ſuppeditatis hodie, & in dies ſubinde quoties egebimus, Spiritualis primum, & *Cæleſtis*, deinde *Terrenæ* quoque hujus vitæ ſubſidiis, ſuſtentare ne deſine. Veniam delictis noſtris indulge miſericors Pater, quemadmodum & nos juſſu tuo acceptas ab aliis injurias ex animo remittimus. Et ſimul remove à nobis *æternæ mortis* ſupplicium, & omnia adverſa, & infortunia, quæ peccatis noſtris commeruimus. Ac ne in poſterum quoque peccemus, atque indignationem tuam provocemus, remove à nobis tentationes graves, & occaſiones peccandi. Quod ſi quid interdum periculoſi, aut etiam adverſi ob delicta noſtra tuo permiſſu, ac voluntate nobis incubuerit, eripe, ac libera nos à malo urgente, & ab inſidiis, ac violentia unici malorum noſtrorum Machinatoris, ac tui Perduellis.

duellis. Quoniam is in tua manu est. Cui soli omne in omnia jus, & potestas absolutissima competit, & invictum, atque omnipotens robur suppetit, & omnis victoriæ, ac triumphi gloria debetur: quod te ab æterno in æternum supra omnes glorioſissimum Principem, ac rum omnium Dominum ostendit.

Vers: 14. & 15. Explicatio Christi, qua petitionem quintam illustrat, explicatione vix indiget, nisi forte quod verba *versus* 14. non ita præcise quibusdam intelligenda videantur, ut verba *vers:* 5. certum enim est, nisi nos aliorum in nos peccata remiserimus, Deum quoque nobis nostra non remissurum. At non idcirco statim, quod nos aliqua in nos proximorum delicta remittamus, Deum nobis omnia prorsus remissurum sequi videtur. Remissurum tamen plurima etiam in alio genere peccantibus, non dubium est. Sed unum hoc in isto præceptorum transgressiones in peccatoribus quidem obstinatis, atque in vitiis suis hærentibus, ac sepultis, delere nequit: At vero in iis, qui cum vitiis suis luctantur, maximam habet vim ad misericordiam Dei, & opem, & veniam reliquorum etiam peccatorum provocandam. Ita ut maximi etiam in alio genere peccatoribus, virtus hæc ex vi istius promissi plurimum prosit, modo seipsos non deserant, ac Deo veniam offerenti iteratione peccatorum, quorum veniam petunt, non obluctentur. Ad id enim, ut quis veniam obtineat, eum petere, ac delicti vere pœnitere necesse est, quæ pœnitentia si vera est, abstinentiam à peccando secum omnino trahit. Ergo & verba versus 14. si rectè explicentur, non minus atque 15. absolute accipi possunt. Primum si de habitu facilitatis *in* remittendo intelligamus. Ut enim dubitari nequit, quin Deus hominibus, in venia largienda inexorabilibus, exoratu vicissim difficillimus sit: ita nihil certius, quàm eundem hominibus, ad clementiam, & remittendas alienas culpas pronis, & facilibus, pronum vicissim, & facilem se præbiturum. Deinde etiam in ipso speciali remittendi peccata actu. Ut enim Deus speciales actus istorum, qui veniam à se impetrari non patiuntur, petitæ vicissim veniæ repulsa semper ulciscitur; ita eorum quoque actus, qui petentibus veniam libenter indulgent, simili facilitate ac benignitate semper remuneratur, ut veniam bona fide petentibus nunquam eam deneget. Sed indigere veniâ, eamque petere, ac pœnitere necesse est. Nam qui in peccatis qualibuscunque permanent, venia eorum non indigere si declarant, nec eam vere petunt aut peccati pœnitentiam provocant. Quamvis igitur prima fronte paradoxa videatur quibusdam virtutibus, aut præceptorum Dei obsequiis annexa promissio, si tamen rem penitus inspicias, nunquam vana, & superflua, aut etiam incerta est. Et ejusmodi speciales promissiones, quibusdam Dei præceptis annexas, Spiritum quoque Sanctum in Sacris Literis notare videmus.

Vers: 16. Præceptio ut *jejunemus* in Libris Novi Fœderis, nusquam (quod quidem meminerim) diserte præcipitur. Nisi quod satis præceptum cuipiam videri possit, cujus ratio, & modus præscribitur. Commendatam tamen actionem hanc non hic tantum, sed alibi videmus. Cum enim veri, & inaffectati, aut non ostentati jejunii merces, & quidem publica, aut certe ὁ ἐν φανερῷ promittatur, eo ipso ad illud non obscure invitamur. Nec desunt exempla Christi ipsius, & Apostolorum jejunantium. Vide 2 *Cor:* XI. *vers:* 27. Quod autem passim, & promiscuè omnibus non inculcetur, illud in causa videtur, quod Jejunium non omnibus æquè ad vacandum sanctis cogitationibus utile sit, cum in infirmioribus interdum eas impediat. Proinde idem de eo sentiendum videtur, quod de Cælibatu, Qui nusquam præscriptus, alicubi tamen, iis qui in eo vivere honeste possunt, satis commendatus est.

Vers: 19. usque ad finem 34. reliquum Capitis hujus Christus consumit in Præceptis *Avaritiæ* labem oppugnantibus. Vitium hoc neque cum Brutis, neque cum pravis Angelis nobis commune, sed soli homini peculiare est, ac proprium. Cujus prima incunabula subveniendi egestati nostræ necessitas præbet, incrementum autem ratio, prava opinione obnubilata, nutrit, & auget, & quasi educat. Vocatur hoc loco thesaurorum in terris collectio, & Mammonæ servitus, repugnans obsequio, & ministerio Dei *vers:* 24 Item μεριμνα, seu anxia cura in crastinum. Alibi vocatur φιλαργυρία, radix omnium malorum, concupiscentia oculorum, πλεονεξία, atque etiam Idololatria, quia ubi in animo radices egit hic affectus, hominem opum, ac possessionis suæ servum reddit, ut iis rebus, quas suis, aut suorum usibus servire oportuit, ipse serviat, tanquam addictum duræ servituti mancipium, easque numinum, aut Idolorum instar colat, atque ita merito Idololatriæ nomine male audiat. Vocatur etiam vitium istud μεριμναι τῆ ἀπάτη τοῦ πλούτου. *Curæ ævi hujus*, quia maximas in hac vita sollicitudines afferunt: Καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, laqueus, ac *deceptio divitiarum Mar: Cap:* IV. *vers:* 19. Quia vitium istud occultè adrepit, & ipso arcano tutum sæpe, atque inaccessum curatu difficile est. Describit autem homines vitio isto præditos Christus ipse πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασι *confisos possessionibus suis Mar:* X. 24. Et Apostolus tales homines ait ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, *spem posuisse in divitiarum incertitudine. 1. Tim* VI. 17. Præterea idem Apostolus ait eos ὑψηλοφρονεῖν *altum sapere*, seu superbos esse ibidem. Ex his vitii istius, & qui eo præditi sunt, quas in Sacris Literis legimus, descriptionibus natura ipsius facile intelligi potest. Nimirum quod sit vitiosa cupiditas, & amor, & cura divitiarum hujus ævi, & reposita in iis fiducia. In cujus affectus, & habitus vitiosi culpa dupliciter peccari solet. Primum si hic affectus in vitiosum objectum feratur, hoc est, si quis nimias, & superfluas divitias cupiat, amet, & serio studio captet. Deinde si ipse affectus vitiosus, hoc est, nimius, & effrænatior sit, quamvis forte non nimias opes cupiat, aut consectetur. Nam quia hic animi habitus ex sublevandæ egestatis nostræ necessitate, quæ sortem mortalium plerumque comitatur, nascitur, non videtur vitio verti posse, si quis ea, quibus indiget, moderate cupiat, & assequi contendat. Sed veluti in cibo, & potu, ubi naturale, & rectum desiderium non sine delectatione moderate impletur, nihil est vitii; sin autem nimia voluptas noxiam satietatem, aut crapulam provocarit, corpus una, atque animus læditur; ita in eorum, quæ ad commodè sustentandam vitam hanc quæruntur, cura, & consectatione sæpè vitiosa illecebra intervenit, quæ & animos nostros prava libidine sauciat, & ad ea nos consectanda stimulat, quæ plerumque nobis plus nocitura, quam profutura sunt.

Hoc autem læsi animi vulnus in immoderato, & effræni rei consequendæ desiderio, ac, studio consistit. Quod eam rem à nobis plus justo æstimari ostendit, & nos in multos, ac turpes lapsus frequenter præcipitat. Porro si ea consectemur (quod creberrime accidit) quæ consequi non possumus, quamvis alii pares, aut judicio nostro nobis minores eadem consequantur, incredibili ægritudine excruciatus animus luit pœnas damnosè, & in irritum impensi studii sui; Dùsque, & hominibus infensus evadit.

Quod,

Quòd, si, quæ nimio studio consectamur, assequimur, tunc evenit nos ὑψηλοφρονεῖν, & altum sapere, tunc sublimi vertice sydera nos attigisse censemus, & in superbiam efferimur. Quorum utrumque plus nobis damni, & noxæ, quam utilitatis affert. Nam natura paucis, victu scilicet, & amictu (1. *Tim:* VI. 8.) contenta est. Quas necessitates, & si quid ultra imbecillitas nostra requirit, quod nobis in alia intentis adjici debent, ut infra videbimus, Christus promisit. Sic igitur paucis delineata vitii hujus, à quo nos Christus dehortatur, natura, ad rationes, quas affert, ut hoc in nobis vitium extirpari possit, accedamus.

Prima omnium est, quia susceptus labor in assequendo bono, vitæ fluxo, fragili, incerto, & mille casibus obnoxio, quod aut furto surripi, aut violentia iniquorum eripi, aut natura sua corrumpi potest, stultus, & inanis est. Præcipuè si non desit aliud bonum longe majoris pretii, certum, & stabile, & supra omnes casus evectum, ac in perpetuum durabile, in quo consectando longe melius labor, studium, atque opera nostra collocari possit. Prioris generis falsum, & apparens bonum sunt thesauri in terris collecti, aut opes congestæ. Posterioris generis verum, ac solidum bonum sunt thesauri in cœlis depositi, atque illuc tanquam in tutum subductæ, ac sepositæ nostræ fortunæ. Merito igitur ad has potius, quam illas opes consectandas studia nostra deflectere debemus.

Altera ratio *vers:* 21. quod summum votorum suorum, ac felicitatis apicem in terris collocare, atque illuc omnem mentis aciem defigere, omnem curæ, & studii contentionem impendere, breviter, cor nostrum in hac terreni luti uligine submergere, ac sepelire, indignum, & ignobile sit. Cum illud vel ob cælestem mentis nostræ originem sursum tendat, & ad altiora aspiret. Cane pejus igitur, & angue fugienda ejusmodi studia, quæ animum, mentemque nostram in ignobilium curarum cœno demergunt.

Tertia ratio Cur vitium Avaritiæ fugiendum sit, *versu* 22. *&* 23. continetur. Quia vitium istud, plusquam reliqua nobis nocet. Non enim corporeos affectus, aut infitas nobis cupiditates duntaxat, sed ipsam mentis nostræ arcem invadit, eamque natura sua ad sublimia quæque natam, & erectam, ad ignobiles curas deprimit. Nempe lumen ejus tenebris suis involvit, eamque ita excæcat, ut quæ, tanquam oculus prudentiæ, gressus vitæ nostræ regere, & quocunque opus erat flectere, hoc est, affectus, & cupiditates nostras fræno rationis moderari debuit, ipsa in irrationales motus degenerans, non modo nos à nocituris non obstrahat, sed ipsa in nocitura impellat. Mentem autem nostram oculum Christus vocat, quia ut oculus in omnibus corporis motibus, dux ejus esse debet, atque solet: ita omnes humanas actiones mens, & ratio dirigere, ac moderari. Ut oculus corpori in gressu ejus prælucet, ita ratio appetitui in studiis, & actionibus ceu facem præferre nata est. Lumen illa est à Deo nobis insitum, cæleste, ac defæcatum, cum appetitus terrenæ fæcis, & opacitatis multum habeat. Sed si lumen rationis (quod in avaris hominibus accidit) obtenebretur, quantas in appetitu, & ab eo dependentibus affectibus tenebras esse, quantam caliginem oboriri necesse est?

Quarta ratio exprimitur *vers:* 24. In qua simul tacitæ objectioni occurritur. Fuvet enim quispiam cogitare; nihil impedire quominus cælestia simul consectemur, ac thesauros nobis in cælis comparemus; quamvis ne à terrenis quoque thesauris congerendis abstineamus. Hoc igitur falsum esse Christus asserit, dum ostendit eos, qui avaritiæ vitio tenentur, Mammonæ servos, & mancipia esse. Non posse autem Deo simul, & Mammonæ servire, quia eorum contraria, & in adversum tendentia imperia sunt. Proinde ab iis, qui Mammonæ serviunt, indignationem, & animadversionem Dei provocari.

Quinta ratio est. *vers:* 25. Curam anxiam, & sollicitam (qualis est in hominibus avaris, & quam Christus μεριμνὰν vocat) de victu, quo vita sustentetur, & amictu, quo corpus honeste operiatur, stultam, & irrationalem esse. Stimuli enim avaritiæ in hominibus tam vili studio mancipatis, adeò acres esse solent, ut in laboribus ob avaritiam suscipiendis homines sæpè præsentissima valetudinis, ac vitæ pericula subeant. Unde evenit ut multi de victu, ut vita sustentetur, solliciti vitam perdiderint, nec pauciores de liberaliori corporis cultu anxii, & laborantes corporis valetudinem affixerint. Quod quam stultum sit, indicat Dominus, dum ait, *nonne anima*, hoc est, vita *potior est victu? & ipsum corpus* (sanum scilicet, ac benevalens) *indumento, aut ornatu corporis.*

Sexta ratio *vers:* 26. In qua iterum tacitæ objectioni occurritur: si quis prætendat curam de victu, & amictu, aliisque ad ea pertinentibus (qui præcipuus avaritiæ prætextus est) plane necessariam esse. Ostendit igitur Christus non dandam esse operam avaritiæ; quia cura nostra de victu, & amictu non necessaria: sed superflua est. Etenim si bonitatem, & providentiam Dei respiciamus, dubitare non possumus Deum, qui volatilibus cœli, nihil curæ, aut laboris de sustentanda vita suscipientibus, de victu prospicit, *vers.* 26. qui lilia agri, & vilissimas herbas, nihil tale cogitare valentes, ornatissimo amictu vestit *vers:* 25. 29. 30. nobis quoque de victu, & honesto vestitu absque anxia nostra sollicitudine prospecturum, utpote qui nos, quam herbas, & aves longe pluris æstimet, & tamen in opera manuum suarum adeò indulgens, & beneficus sit, quamvis iis ad benefaciendum nullo sese promisso obstrinxerit.

Vers: 27. *Septima* ratio exprimitur *vers.* 27. Non esse anxie quærendas res ejusmodi, quas assequi non est in nostra potestate. Quemadmodum enim in naturali corporis nostri incremento, modum ejus libitui nostro Deus non reliquit, sed eam curam sibi reservavit, ita victus etiam, & amictus nostri curam sibi sepositi. Quid igitur frustra operam perdamus in iis consequendis, quæ viribus nostris Deus parabilia esse noluit? Non enim eam, quàm Deus nobis aptam, & idoneam plerumque ipse præstituit, vivendi rationem, meliorem reddere, quam assignatum staturæ cujusque modum cubito uno augere, facilius est. Nec tamen (ut *Lucas* addit *Cap.* XII. *vers.* 26.) tantum ad felicitatem nostram pertinet, brevis an procera sit corporis nostri statura, quantum largior, an parcior contingat nobis vitæ in terris sustentandæ copia. Quod si in iis, quæ minimi sunt ad augendam felicitatem nostram momenti, nihil ipsi; propriis viribus præstare possumus, quanto minus in iis, quæ ad eam propius spe-

ctant, & aliquanto plus conferunt ? *Lucæ* XII. 26.

Octavo ratio est. Non esse cruciandum curis avaritiæ animum, quia id ignorantiam Dei, ac benignitatis ejus erga nos redolet, qualis est in Ethnicis cognitionem Dei nullam habentibus. Quos nobis non esse imitandos, supra quoque in præcepto de Precibus Christus monuerat, addita propemodum eadem, quam hic quoque repetit, ratione. *Quod sciat Pater Cælestis nos ejusmodi rebus*, quibus comparandis animus vulgo vitiose applicatur, *indigere*. Objicit igitur Christus tacite omnibus, quicunque sese avaritiæ curis exercent, eos veræ cognitionis Dei, ejusque erga homines, sed præcipue propius ad illum accedentes, benignitatis, non minus atque Ethnicos planè ignaros, atque expertes esse.

Nona ratio, quæ ad arcendas avaritiæ curas omnium potentissima videtur, est expressa promissio Christi, quod iis, quicunque calcatis, & abjectis avaritiæ curis, ac solicitudinibus in id unum incumbere voluerint, ut se dignos Regno Dei per justitiam, hoc est, vitæ sanctimoniam præstent; non modo omnia cælestis felicitatis gaudia danda, ac repræsentanda, sed hujus quoque vitæ necessitates, & solatia, quorum curam posthabuerint, atque abjecerint, corollarii, atque additamenti loco adjicienda sunt. Eodem exemplo, quo Deus olim Salomoni optione data, ut peteret quæ vellet, non ea, quæ vulgò optantur, sed sapientiam petenti, non modò sapientiam; sed reliquas felicitatis partes benigne adjecit; quæ illa est vitæ præsentis promissio promissionibus vitæ æternæ adjecta, quam pietati non deesse Paulus 1. *Tim.* IV. 8. testatur.

Decima, & omnium ultima, quæ præceptionem istam Christi, simul & caput hoc Sextum claudit, est, quod istæ curæ terrenarum rerum, quamvis ita necessariæ videantur, ut absque iis vitam præsentem producere nequeamus, non carent tamen ejusmodi tentationibus, ac periculis, quæ merito *Malitia* dici possunt, & hoc loco à Spiritu Sancto optimo jure vocantur.

Quæ peccandi pericula, & occasiones idcirco nobis, si non penitus fugiendæ (nec enim ferè absque iis vitam istam miseram sustentare licet) at certe quantum possumus recidendæ; & curandum est, ut rariores sint, nec ante tempus provocentur, & quasi discriminibus istis, ne diutius in iis periclitemur, occurratur. Non igitur ante diem istiusmodi tentationibus nos exponere, & obnoxios reddere debemus, quæ *malitia* hoc loco dicuntur, *Sufficit enim diei* (hoc est illi ipsi tempori, quo cura rerum, ac necessitatum nostrarum omnino exercenda est) *malitia ejus*.

Porro pericula ista, & tentationes *malitia* metonymicè dicuntur, quia ex malitia, non nostra, sed hominum eorum, quibus cum nobis negotium est, profluunt. Quorum aut in justitia, aut cupiditas, & avaritia; aut officii neglectus, aut ex aliqua eorum culpa profecta erga nos injuria, nos ad peccandum provocat. Nec enim nobis malis esse, aut malitiam exercere Christus ullo tempore permittit.

Quanquam verba *Sufficit diei malitia sua* non magis ullam permissionem in se continent, quam verba 1. *Petri* IV. 3. *Sufficit nobis elapsum tempus vitæ, in quo voluntati Gentium morem gessimus*. Ut per vocem *malitiæ*, nostra quoque *malitia*, & nostra peccata, quæ in anxiis vitæ curis intervenire solent, intelligi posse videantur.

CAPUT VII.

POstquam tradidisset Dominus præcepta, quibus præcipitur quomodo unusquisque privatim in seipso tutus ab omni labe, & animo suo comparatus esse debeat. (quod tamen, quin alicubi officia, & affectum erga proximos attingeret, fieri non poterat) in hoc capite docet; Primum quomodo nos erga Fratres, in eadem Ecclesia viventes, deinde erga exteros, & ab Ecclesia alienos gerere debeamus. Mox deinde summam eorum, quæ dixit, seu summam Legis suæ, duobus præceptis comprehensam, proponit. Postea necessaria quædam monita, cum prædictionibus eorum, quæ in Ecclesia sua evenire debuerunt, conjuncta adjungit. Tandem denique brevissimâ, sed omnium utilissimâ, & maximè necessariâ doctrinâ, legationis nomine Dei expositæ explicationem concludit. Quanquam igitur in duobus proximis capitibus non desunt præcepta de officiis erga proximos, etiam inimicos, atque in nos injurios, & delinquentes, tamen neque causæ desunt ob quas in limine hujus capitis de diverso, & distincto ab iis, quæ suprà præcepit, officiorum genere Dominum loqui censeamus. Primum enim illic de affectu erga proximos, & ex isto affectu promanantibus effectis, hic autem de judicio, & judicii hujus effectu eum locutum videmus. Deinde affectus illius objectum generalius fuisse, puta omnes homines, etiam inimicos, hujus autem judicii objectum specialius, puta fratres in eadem Ecclesia viventes, esse, vel ex eo manifestum est, quod nostrarum partium non sit, de iis, qui sunt extra Ecclesiam, judicare *Nonne eos qui sunt intra Ecclesiam* ait Apostolus 1. *Cor.* V. 12. *Vos judicatis ? Extraneos vero Deus judicat.* Unde patet illa præceptorum istorum diversitas, quod possit quispiam erga proximum, aut inimicum, aut quoquomodo erga se injurium, animo ita esse affectus, ut Christus præcipit; & tamen ad damnandos fratres, qui culpæ alicujus sive manifesti, sive suspecti sint, esse pronus, ac præceps. Sumitur enim hoc loco vox judicandi, aut metonymice pro illo judicii effectu quo damnamus aliquem, aut synecdochicè pro illa judicii parte, aut specie, quæ in deteriorem partem inclinat. Quod vel ex ipsa comminatione liquet, quæ subjicitur *ne judicemini*. Nec enim alia judicum judicia metuenda nobis sunt, nisi quæ culpas nostras damnant. Ita *Lucas* Κρίνειν *explicat per* Κατακρίνειν. Ita *Jacobus Cap.* IV. *vers.* 11. *vocem* Κρίνειν *judicare*, idem significare innuit, quod Καταλαλεῖν *obtrectare*, aut contra aliquem loqui, hoc est, eum damnare Vide & *Rom.* II. *vers.* 1. & XIV. *vers.* 3. 4. 10. 13. Et 1. *Cor.* IV. 3. 4. 5. Quanquam autem verba Christi, ut sonant, generaliter accipienda sunt de omni damnationis, aut obtrectationis genere, præcipue tamen, ac potissimum

tangit

tangit hoc loco Christus, (ut & locis citatis Paulus, & Jacobus) illud Ecclesiæ ulcus, quod non multo post Apostolica tempora totum ejus corpus primum in odiorum, deinde injuriarum mutuo illatarum purulentam saniem resolvit; pravam illam, inquam, & præcipitem ob immerito objectas, aut certe non adeo graves culpas, sed præcipuè ob dissensum in iis, quæ nobis ad salutem necessaria, vel utilia videantur, alios damnandi libidinem, & anathemate feriendi *cacoëthen*. Quæ pestis, ut cætera omnia Ecclesiæ suæ symptomata, à Christo maturè prævisa, & prædicta est, ut tanto majori studio, ac facilitate possit caveri.

Consideranda vero est ratio, quam affert Dominus, dum nos à damnandis temere aliis dehortatur, comminationem nobis metuendam continens, *ne judicemini*, hoc est, *condemnemini*. Quam confirmat ordinario Dei in hominibus judicandis more, qui ut virtutibus præmia, ita delictis congrua attemperat supplicia. *Qua mensura*, inquit, *metiemini remetietur vobis*. Misericordes Deus in consequenda vicissim misericordia beatos efficit. Duris, & in venia delictis danda immitibus, inexorabilis est. Idem parcè serentibus, parcum indulget proventum. In munificos, & ad largiendum promptos flumina effundit beneficentiæ suæ. Nisi quod in delicta nunquam supra culpam animadvertit. At recte facta semper supra meritum remuneratur. Ideo Lucas in loco huic parallelo *Cap.* VI. 38. addit; *Date, & dabitur vobis: mensuram pressam, confertam, agitatam, & superfluentem effundent in sinum vestrum*. Notandum autem est, malum istud, quod hic Dominus comminatur temere judicantibus, non modo ab aliis vicissim hominibus, sed ab ipso quoque Deo, qui competentissimus omnium Judex est, metuendum esse. Quamquam enim is hominum injurias plerunque per homines ulciscitur, tamen & citra hominum operam suas ulciscí solet. Nec enim ejusmodi pravi, ac temerarii judices absque insigni Dei ipsius injuriâ in servos ejus fideles delinquere possunt. Jus enim, quod sibi soli, aut certe Filio suo Deus reservavit, audacter invadunt, & usurpant. Quæ certe oblitæ sortis suæ superbia est. *Unus est Legislator qui potest servare, & perdere. Tu quis es qui judicas alterum?* Jac. IV. 12. & quidem alienum, imo Judicis tui servum, *qui proprio Domino stat, aut cadit Rom:* XIV. 4. Est igitur, quod ejusmodi delictis indignetur, est, quamobrem ea non modo permissione similis injuriæ, aut potius mali, & perpessionis, sed immisso divinitus supplicio plectat. Plerunque enim damnatores isti, & iniqui judices multo nequiores esse solent iis, quos judicant, ita ut sæpe culpa eorum, qui sic damnantur, non gravior paleâ; at scelera damnantium trabe, quam vix octo robusti fossores loco moveant, non leviora esse (*vers: 3.*) merito innuantur. Jurè igitur Dominus homines hujusmodi hypocritas nominat, & ad reprehendendas aliorum culpas (quod officium hominum spiritualium est *Gal:* VI. 1.) parum idoneos judicat. Quemadmodum enim vix ullum majus videndi impedimentum fingi potest, quam si oculos alicujus trabs occupet, quippe quæ organum omne videndi intercipiat, & copiam videndi plane adimat; ita, qui gravioribus vitiis mentis suæ in rebus divinis perspicaciam læsam, & interceptam habet, non potest ea in emendandis moribus Christianorum uti, antequam ea vitia abjiciat, & quasi impedimenta ab oculis animi sui amoliatur. Hinc Christus ait *vers.* 4. Καὶ τότε διαβλέψεις, hoc est, *& tunc primum dispicies ejicere paleam ex oculo alterius*. Non obscure indicans, paleam hanc ante amotum istud impedimentum, dispici, & ejici nullo modo posse.

Porro, quæ pœna hypocritas maneat, satis ostendit Christus, cum eorum supplicium ministris suis, in Antichristos scelestè degenerantibus (quæ capitalis hypocriseos species est) interminatur. *Matth:* XXIV. 51.

Et tamen paulo post Apostolica tempora, hoc delicti genere, quod Christus tantopere reprehendit, magno Ecclesiæ malo in ea grassari ausi sunt innumeri, qui præ aliis Christo operam navare videri volebant, hoc ipso facto, quod leges ejus violabant: Quasi is victimam ab iis mallet, quàm obedientiam; aut studium, & amorem erga eum induere, vel jactare quisquam possit, qui exuit obsequium. Plena sunt exemplorum Ecclesiæ tempora; nec alia pestis crudelius laceravit, & in adversas factiones discerpsit populum Christi. Quamdiu autem furor hic privatos tantum in Ecclesiâ agitavit, pullulabant in ea duntaxat Hæresium examina. At postquam ipsos Proceres, & gubernationi ejus admotos corripuit; publice invecta damnatorum oppressione, atque tyrannide, extructum est in Templo Dei solium Antichristo, in quo non miti, & benigno Christi, sed sævo, & superbo Satanæ spiritu regnaret. Nec ulla fuit tam levis, & nugatoria causa, quæ ipsis ad damnandum, & excommunicandum, non singulos modo homines, sed florentissimas quoque Ecclesias, non sufficeret. Victori Episcopo Romano tota Asia visa fuit anathemate digna. Quo crimine tam duram sententiam meruerat? Morem videlicet majorum secuta, solennia Paschatis non eadem qua Victor die celebrabat. O nefas ultricibus gehennæ flammis piandum! Quid igitur mirer Victorem eundem, ac successorem ejus Zephyrinum Gnostico spiritu inflatos, & tumentes, jam tum usurpandæ mox à posteris superbiori Antichristorum dominationi præludentes intactam Gnostica labe, non exiguam Ecclesiæ partem damnasse, & à reliquorum communione excluisse, non alio nomine, nisi quod supra Symboli Apostolici simplicitatem sapere non auderent? Qua in re ausi sunt facinus, quod nemo antecessorum in Occidente (multo minus in Oriente; quo serius oppressionis servitus migrasse videtur) ausus est. Nam inter tot Patres, qui ante istos Episcopos imo, & eorum tempore vixêre, & Gnosticis opinionibus patrocinati sunt, nemo extitit, non Justinus, non Clemens Alexandrinus, qui eos pro Hæreticis habuerit, aut adversus eos, sicuti alios hæreticos, mucronem styli sui strinxerit. Nam si qua ex Ignatio, & Irenæo allegari posse videntur, à falsariis adjecta, & adulterina esse necesse est; quandoquidem Eusebius, cujus historiæ unicus erat scopus Confessores Apostolici Symboli pestiferæ Hæreseos crimine infamare, nihil adversus eos ex Ignatio, nihil ex ullo alio antiquorum Patrum producit, non omissurus, si quid illo tempore uspiam latuisset, eruere, ut eos odiis, atque invidiæ cunctorum objiceret. Cujus rei desiderium homini non defuisse vel id satis ostendit, quod cum nullum spectatæ fidei adversus invisos, & insontes testem citâre potuerit, ad suspectum, & sine nomine; tanquam sine fide hominem, descendere coactus fuerit, qui non modo stultis, & anilibus fabulis, sed parum congrua, vel sibi concordi narratione sibimetipsi fidem derogat. *Vide lib: 5. Histor. Eccles: Cap. ultimum*. Percurrat qui volet fragmenta, atque ipsos titulos, aut argumenta librorum, quos citante Eusebio Patres primorum seculorum, non Orthodoxi tantum, & Apostolici, sed Gnosticis quoque opinionibus dediti conscripsere. Quæcunque Clementis Romani, Polycarpi, Papiæ, Hegesippi, Agrippæ, Castoris, Judæ scriptoris Ecclesiastici, & aliorum non suspecta vestigia extant, non stylum

modo, ſed & ſpiritum ſimplicitatis Apoſtolicæ, Gnoſticis diſſimilem, imo intenſum redolent. Clemens Alexandrinus, Pantæni Stoici Chriſtiani diſcipulus, Juſtini vero Platonici, ac cæterorum ex eadem Philoſophiæ profeſſione aſſecla, ne nominis quidem Gnoſtici profeſſionem, ac titulum erubuit. Nemo tamen Auctorum, de quibus loquimur, etiam eorum, qui Gnoſticæ ſententiæ ſeu dediti, ſive ſuſpecti fuere, ſimplices illos Symboli Apoſtolici Confeſſores, aut ſcriptis ſuis oppugnare, aut damnare, atque ita Chriſtianæ Tolerantiæ limitem tranſilire ſuſtinuit, ante coævum Zephyrino Origenem, ac diſcipulos ejus; quos inter quanto tempore poſterior, tantò odiis adverſus eos infenſior extitit Euſebius. Sed non impune iſti ab Origene faſcinati omnes, monitum, atque interdictum Domini in damnandis inſontibus, ſpreverint. Primum enim complices, ac diſcipuli Origenis, ac totum illud Scholæ Alexandrinæ examen, præcipuorum tunc Epiſcoporum Eccleſiæ ſeminarium, non multo poſt in genuinis ſuis poſteris, ſub Ariani nominis odio, invidia, & contemptu traducti, & mundana poteſtate armatæ factionis violentia oppreſſi, iiſdem planè artibus, quibus Paulum, & Apoſtolici Symboli Confeſſores Antiochiæ everterant, ipſi viciſſim Niceæ, & in ſubſecutis Conciliis everſi ſunt, & qua menſura menſi ſunt, cumulate ipſis remenſum eſt. Deinde Origenes ipſe, cujus ingenio, & effuſo in conſectanda Philoſophia ſtudio (quæ tunc, vel Præceptoris ejus Alexandrini Clementis judicio, non alia vera, quam Gnoſtica viſa eſt) non modo pleraque Gnoſticorum, quæ nunc in Eccleſia regnat, ſubtilitas, ſed ipſa diſſentientes damnandi audacia debetur, à poſteris ſuis, quos tam inſigni navata opera demeruerat; eam gratiam retulit, ut nomini ejus peſtilentis, & abominandi Hæretici nota publice inuſta ſit. Denique Euſebius qui aut maligno ſilentio, aut calumnioſa mentione homines Apoſtolicos, Gnoſticæ vanitatis expertes, ubicumque potuit, momordit; Gnoſticis & ipſe dentibus à cunctis arroſus, vel ipſo Hieronymo judice impietatis Arii apertiſſimus propugnator, nunc quoque audit. Ita ſemper iniqui damnatores iniquo ipſi judicio, & accepta ab iis, in quorum gratiam deliquerunt, injuria damnati, dicto, ac monito Domini quod nobis hoc loco inculcatur (accerſito ſibi ſua culpa ſupplicio) fidem fecêre.

Verſ. 6. Expoſito æquitatis officio, quod fratribus debemus, docet Chriſtus quomodo nos erga alienos gerere debeamus. Quæ Doctrina continet inſigne Chriſtianæ prudentiæ monitum. Quemadmodum enim ad fratrum leviores culpas, aut hallucinationes ſimplicitate columbina connivere convenit, ita alienorum, & Spiritu Chriſti carentium noxium virus ſerpentina Prudentia eludendum, atque vitandum eſt. Fit autem ſæpè ut ii quoque, qui externa profeſſione Fratres noſtri videri volunt, revera ſint alieni, quia cum Spiritu Chriſti careant (cujus præſentis, aut abſentis nota ex fructibus eorum cognoſcitur) ex fratribus in alienos degenerarunt. Quorum eadem ratio, quæ & penitus alienorum, habenda videtur.

Non tamen ad omnes omnino alienos hæc Doctrina Chriſti extendenda eſt, ſed ad eos dumtaxat adſtringenda, quos agnomine moribus eorum congruo, quaſi propriis lineamentis Dominus depinxit. Qui videlicet aut ob injuſtitiam, malitiam, & ſtudium aliis nocendi, eoſque allatrandi canes, aut ob impuritatem voluptatum, quibus demerſi ſunt, porci dici poſſunt. Sicuti autem inter Fratres ejuſdem Chriſtianæ Eccleſiæ homines ejuſmodi plures, quam optandum ſit, ſæpenumero reperias, ita non omnes alieni, & externi, hoc eſt, qui extra Eccleſiam ſunt, pro canibus, & porcis habendi ſunt, ſed inter eos quoque non deſunt, qui digni ſunt, quidam vero propinqui Regno Cælorum, qui libenter recipiendo Prædicationem veritatis, dignos ſe reddunt vita æterna. *Actor:* XIII. 46. Quia ſunt diſpoſiti, præparati, & quaſi ordinati τεταγμένοι ad eam cupiendam, & conſequendam.

Porro per doctrinam ſuam hoc loco Chriſtus vetat dari *ſanctum canibus, & projici margaritas ante porcos.* Quid ſit iſtud *ſanctum*, & quæ *margaritæ*, nemini dubium eſſe poteſt, qui conſideraverit; eo, quod Chriſtiani homines habere, & aliis dare, atque impertiri poſſint, veritatis divinæ dono, & cognitione myſteriorum cæleſtium nihil dari poſſe ſanctius, nihil pretioſius. Addit autem Dominus interdicti hujus duas rationes. Prima eſt, quod rei tam ſanctæ, qualis eſt doctrina ſalutaris veritatis, tamque pretioſæ injuria quædam, & contumelia inferatur, quoties hominibus indignis, & omni genere flagitii contaminatis, præcipuè invitis obtruditur. Non modo etenim eam, uti digna eſt, non recipiunt, ſed ſpernunt, conculcant, & contumelia afficiunt, adeoque exſibilant, & explodunt. Secunda eſt quod *canes* iſti, & *porci*, non contenti rei tam ſanctæ profanatione, & contemptu, ac damnatione, inſuper eos, qui ſaluti, & commodis eorum operam navare conantur, violentis, ac rabioſis dentibus mordent, ac lacerant, & crudelium belluarum more diſcerpunt, digni, qui in errorum, & vitiorum ſuorum lethargo æternum obrigeſcant, quoniam ſe ſalubribus ſtimulis excitari tam moleſtè ferunt. Eſt autem inter iſta duo interdicta Chriſti, de non judicando, & de *ſancto canibus* non dando, is nexus, quia, ut oſtendimus, nullam ob cauſam frequentius homines alios judicant, damnant, mordent, & lacerant, quam propter oblata, & propinata ſalubris veritatis remedia. Quemadmodum igitur Dominus per priorem ſuam doctrinam de non temere judicando, veris ſuis diſcipulis, qui maxime omnium temerariis cunctorum, ſed præcipuè falſorum fratrum judiciis obnoxii ſunt, conſultum eſſe voluit, dum omnes à temerariis damnationibus abſterret: ita per poſteriorem doctrinam eoſdem veros diſcipulos ſuos inſtruit, ac docet, ne temerariis malignorum hominum judiciis, damnationibus, & quæ illas ſubſequuntur, perſecutionibus anſam, & occaſionem præbeant, obtrudendo invitis, atque indignis *ſancta*, & pretioſa veritatis myſteria.

In Caritate erga Proximos exercenda non impoſuit nobis Dominus onus gravius, eo quod ipſe portat, neque eam in infinitum extendi imperavit. Ideo nec tam cæco ſtudio avidos ſalutis eorum nos eſſe voluit, ut cum præſentiſſimo periculo noſtro veritatis pharmacum, quo nihil inſuavius, & amarius, *canibus* præcipuè, & *porcis* videri ſolet, ipſis propinemus. Nec enim ipſe quoque caritati erga ingratos mortales adeo indulget, ut donorum ſuorum prætioſiora in eorum indigniſſimos, quos *canes*, & *porcos* vocat, prodigat, & effundat. Tollit potius ab omnibus beneficia ſua, qui eorum ingrati, & pravi, ac maligni æſtimatores eſſe incipiunt, quales ſunt ii, qui in caninam rabiem, & impudentiam verſi, aut in cænoſam porcorum ingluviem merſi, obbruteſcunt. Proinde, etiamſi noſtra nos pericula non tangerent, eadem tamen cauſa nos, quæ & Deum ipſum, ab inutili, & indigna ſalutis eorum cura avocaret.

Magna tamen ſapientia opus eſt in dignoſcendo, quinam mortalium Regno Cælorum digni, aut indigni ſint. Quamvis enim opera carnis manifeſta ſint, præſertim in *porcorum* ingluviæ, *canum* tamen malignitas interdum occultior eſt, quam ut animad-

animadverti possit. Interdum autem imbecillitate hominum fit, ut quidam *canes* prima specie videantur, qui non sint, & periculum sit, ne mortales Regno Cælorum non indignos, pro indignis habentes, officio Christianæ erga ipsos caritatis deesse non vereamur. Huc igitur pertinet illud Spiritus Sancti donum, quod Apostolus 1. *Cor:* XII. 10. Ἀγωγίαν πνευμάτων *dijudicationem spirituum* vocat. In quo, tametsi quosdam præ aliis excellere contingat, omnibus tamen Christianis usus ejus necessarius, & ab omnibus donum istud sapientiæ, inter multa alia, caelitus poscendum est. *Jacob.* 1. *vers:* 5. Vires enim nostræ in exequendis vocationis nostræ officiis, atque in Legum Divinarum obsequio, adeò imbecillæ sunt, ut nullæ potius dici, nec sine cælesti auxilio quicquam præstare, possint. Cui indigentiæ nostræ supplendæ impositа nobis est continua indesinentium precum necessitas. Ad quod officium isto quoque in loco, & quidem magnifico promisso excitatos, Christus nos invitat.

Vers: 7. Hac occasione Dominus in doctrinam de Precibus ingressus, tradit nobis præceptum, maximam, & potissimam felicitatis nostræ partem complexum. Nulla enim vitæ nostræ pars divinior, atque beatior est, quam quæ nos cælesti quodam commercio cum Deo, & cum Christo Sponso Ecclesiæ conjungit, quæque nos in terra, & fluxo, ac mortali corpore degentes, in ipsa Cœli penetralia sublevat. Hæc vero non alia est quam quæ precibus, & humili, ac devoto Numinis alloquio impenditur. Hæc nos omnium, quæ sanis mortalium votis desiderabilia sunt, compotes reddere; hæc in mortalitatis nostræ imbecillitate validos, & tantum non omnipotentes, efficere potest. *Omnia possumus in corroborante nos Domino*, qui cuncta sibi, suisque subjicere potest. Nihil est tàm arduum, tàm invium, & inaccessum, quod non superet vis illa divina, & cælestis, Spiritus Sancti inquam, in quo orare jussi sumus. In nomine enim ejus oramus, cui datum est *nomen supra omne nomen.* Nec ulla res est, quæ nos firmius, ac efficacius in caritate Dei retinere queat, quam preces in Spiritu Sancto effusæ. Cælestis felicitatis *arrha* est donum Spiritus Sancti, quod precibus impetratur, precibus alitur, & incrementum sumit simul, & ipsas preces animat, & accendit. Nihil est in quo evidentius caritatem suam erga nos expromat, ac testetur, nihil quo mutuam nostram erga se caritatem magis provocat, quam quod tam patentem nobis ad se, & ad gratiam, ac beneficentiam suam aditum aperuerit. Paternæ hoc est indulgentiæ vestigium, & unicum Fidei nostræ adminiculum, quod metum omnem, & cunctas de propenso, ac propitio erga nos affectu dubitandi ansas eximit, ne in fundendis precibus nostris diffidentia fluctuemus, firma spe subnixi, nos cuncta impetraturos, quæ modo nobis non sint nocitura sint Melius enim Pater cælestis, novit, quæ nobis expediunt.

Porro doctrinam de Precibus ingressus Dominus non solum illam tradit, & commendat, sed addit præceptum paulo generalius, quam ut intra precandi limites cohiberi queat. *Quærite* inquit, *& invenietis. Pulsate, & aperietur vobis.* Quamvis enim per ipsas quoque preces, quæramus gratiam, & beneficia Domini, & pulsemus fores misericordiæ ejus; tamen in rebus divinis etiam citra preces quæ rere multa, & conari, atque omni opera niti, ut ea assequamur, possumus, & debemus. Talis est cura placendi Deo, in aliorum quoque præter injunctas preces mandatorum ejus obsequio, tale & ipsarum precum ritè, & legitimè adhibendarum studium. Neque enim satis est simpliciter precari, & voluntatis suæ desideria Deo proponere, nisi id fiat animo ad eam rem debita cura compositо. Denique omnis opera, omnis labor in gratiam Dei susceptus, eodem cum Precibus præmio, & privilegio gaudet, quia ejusmodi conatus non aliud quam mutæ preces sunt, quæ nobis Deum, non minus quam multis verbis compellatum, propitium reddunt. Quemadmodum igitur Deus disertas preces nostras non frustratur, ita mutos quoque ejusmodi conatus in irritum suscipi non sinit. Sed quærentibus sese inveniendum præbet, & pulsantibus aperit, & esurientes justitiam saturat. Notanda autem est promissorum, quæ Dominus hoc loco præceptis suis adjungit, certitudo, quæ *vers:* 5. exprimitur per verba; *omnis, qui petit, accipit, qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Videmus enim vocem universalem *omnis* omnem tam repulsæ, quam irriti conatus, exceptionem excludere. Parte alia non frustra Dominus petendi, & quærendi præcepto, pulsandi vocem, & quasi præceptum adjunxisse videtur, quod continuatam quandam in petendo, & quærendo constantiam, & perseverantiam denotat; præsertim cum adjunctum præcepto pulsandi, promissum non verbo præsenti, ut in duobus præcedentibus promissis (*qui petit, accipit, qui quærit, invenit*) sed verbo futuro exprimitur (*pulsanti aperietur.*) Neque enim ad primum januæ pulsum, qui plerunque (sed ab hominibus tantum) non animadvertitur, ostium aperiri solet. Non ideo tamen à foribus digrediendum est, quia pulsare perseveranti tandem aperietur. Ergo præceptum, & promissum pulsanti propositum præcepta, & promissa tam petentibus, quam quærentibus proposita explicat, & omnino in utrisque, si votorum compotes fieri velint, tam petendi, quam quærendi requirit constantiam. Quia enim utrinque à Domino nobis injunctum officium sine fide constare nequit, *Esa:* XXVIII. 16. *Credentem festinare*, multoque magis desperare non decet. Nec pro repulsa reputandum, quod non ilico impetratur, nec ab eo quærendo desistendum, quod non statim invenitur, sed promittenti Domino firmiter credendum, & in præscripto nobis officio inconcussa spe perseverandum est.

Quia vero in genere nos ad petendum tantum, & quærendum Dominus præcepto suo excitat, & promisso invitat, neque vero quid petendum, aut quærendum sit in specie adjicit, res ipsa postulat, ut in eo, quæ mens Domini fuerit, dispiciamus.

Et quia præceptum quærendi petendi præcepto generalius est, ab eo incipere placet. Quærere Deum, aut Dominum Paulus Apostolus in parte officii nostri ponit *Actor:* XVII. 27. Creationis hominum, & directricis in regendis mortalibus Providentiæ Dei finem esse ostendens, ut homines ipsum quærant *si forte ipsum contrectare, & invenire possint, non longe à singulis existentem.* Quod nihil aliud est, quam quærere cognitionem Dei, imo vero, & commercium cum eo, quorum utrumque nos magnæ felicitatis participes efficere queat. Idem Apostolus *Coloss:* III. 1. præcipit, *ut quæramus ea, quæ sunt supra, hoc est.* divina, & cælestia, quæ nobis exaltatio Christi attulit, emolumenta. Idem Christianos *Rom:* II. 2. describit gloriam, honorem, & incorruptionem quærentes. Sed ipse Dominus supra in eadem concione *Matth:* VI. 33. causam ostendit quamobrem hoc loco, quid nobis quærendum sit, non adjecerit, cum id jam citato loco præcepisset. Quærere enim nobis permisit ad hanc vitam necessaria, sed ea lege ut *ante omnia Regnum Dei, & justitiam ejus*, hoc est, ea, quæ nos Regni cælestis per sanctimoniam vitæ participes efficere possunt, & quæcunque verum Dei amorem sapiunt. Cætera autem moderatè, & absque μερίμνα

aut ſollicitudine, quæri præcepit. Idem in eadem concione eſurientibus, & ſitientibus juſtitiam, quæ nos ad ſupremam felicitatem manu ducit, ideoque magno ſtudio quærenda eſt, ſaturationem pollicetur *Matth.* v. 6. Ex iis, quæ nobis cupienda, & quærenda à Spiritu Sancti proponuntur, liquido patet, quæ petenda quoque, & impetranda ſint, ut ea hoc loco à Chriſto diſerte addi minime oportuerit. Quæcumque enim ad æternam felicitatem conſequendam (quæ Regni Dei nomine vocatur) neceſſaria, aut utilia ſunt, illa præ cæteris quærenda, & petenda ſunt; quanquam ea quoque, quæ additamenti loco promiſſa ſunt, quin peti poſſint, nulla cauſa eſt. Sed inter ea, quæ ad Juſtitiam Regni Dei pertinent, & quibus præcipue indigemus, maxime eminet donum Spiritus Sancti, quod nos in caritate Dei validiſſime retinet; ideo ne queri poſſimus Dominum, nimis generaliter de precibus hoc loco locutum, non adjeciſſe, quænam nobis petenda ſint, Lucas in loco Parallelo *Cap.* XI. 13. inter ea, quæ petentibus in petendo, & ſperando ſunt, diſerte Donum Spiritus Sancti collocat.

Verumenimvero Donum iſtud tam grande, & pretioſum, quod ſoli duntaxat jam acceptæ vitæ æternæ poſſeſſioni ſolicitatis, ac pretii æſtimatione concedit, quia ejus firmam, & vivam fidem, ac ſpem continet, abſque ſuppoſita in iis, qui doni hujus compotes fieri velint, vitæ ſanctimonia, ne cogitari quidem poteſt. Præparandum enim eſt in animis noſtris tam ſancto hoſpite dignum, in quod divertere dignetur, & minime profanum, hoſpitium. Nec modo præparandum, ſed etiam cura, & ſtudio enitendum, ne vitiorum ſordes in illud irrumpere queant, quibus forte offendi, aut, ut Sacræ Scripturæ verbis utar, *contriſtari* queat. Deſerit is, atque inane deſtituit omne flagitii turpitudine infectum, atque contaminatum diverſorium. Quiſquis igitur tam præſtantis doni particeps eſſe cupit, non alia illud ratione accipere, non alia retinere ſperet, quam quâ ſola accipi, & retineri poteſt, purgatę videlicet ab omni labe mentis munditie. Hinc ad Preces, quæ in Spiritu Sancto fundendæ ſunt, Iacobus, atque adeo ipſe Chriſtus fidem requirit vivam illam, & ſolidam, & per caritatem efficacem, nullo conſcientię vulnere ſauciam, ac trepidam. Quid enim ab irato, aut offenſo Numine expectet, qui ſeipſum damnat, aut accuſat? quid credat, aut ſperet, qui metuit, aut deſpondet animum, ſub conſciæ mentis ſarcina ſuccumbentem? Male convenit inter ſpem, ac trepidationem fluctuanti animo, (qualem nobis *Jacobus Cap:* I. *verſ.* 6. 7. 8. depingit) cum ea, quæ nobis aditum ad Deum aperit, fiducia. Verum & hoc ipſo in loco non obſcurè nobis Dominus præſcribit (ſi votorum compotes, & repulſæ in precibus ſecuri eſſe velimus) fidem, & vitæ ſanctimoniam. Non aliis enim pollicetur gratiam, à Deo precibus, & pio conatu obtinendam, niſi qui ejus Filii ſint, & quorum ille Pater merito cenſeri poſſit. Atqui ex Deo per fidem naſcimur, & cæleſtem illam mutui amoris ſtorgem acquirimus. Præterea ratio per quam Chriſtus probat Deum omnia noſtri cauſa facturum, eſt innatus ille patribus amor, quo ad benefaciendum filiis ſuis propendent. Qui ſi in improbiſſimis quoque mortalium locum invenit, quanto magis in Optimo illo Patre, omnis boni inexhauſto fonte inveniet, cujus in eo felicitas, & gloria eſt, quod beneficentiæ ſuæ fluminibus, cunctos, ſed præcipue illos qui ex eo nati ſunt, inundet. Proinde quiſquis Paternum hunc benefici Numinis affectum, & ex eo promanantem effectum obtinere, & aſſequi deſiderat, dignum Filio obſequium, & affectum induat neceſſe eſt. Nec ullus eſt fomes, quo magis mutuus noſter erga Deum amor, qui ſummam divinæ Legis, & præceptorum compendium complexus eſt, excitari, incendi, ac foveri poſſit, quam ſi amorem Dei, quo præventi ſumus 1. *Joan.* IV. 3. & quo ad mutuam erga eum propenſionem potentiſſimis ſtimulis urgemur, ita, uti par eſt, conſideremus, & perpetuo nobis ob oculos ponamus.

Ergo quod nobis hoc loco à Chriſto præcipitur, aut eſt ipſum illud Legis divinæ compendium, ſcilicet intenſus erga Deum amor: aut res cum illo indiſſolubili vinculo connexa. Ardens videlicet, & indefeſſum Precum ſtudium, & continuum, atque indefinens cum Patre cæleſti commercium. Cum igitur Chriſtus primum hanc, & præcipuam præceptorum ſuorum compendii partem, hoc eſt, caritatem Deo debitam attigiſſet, alteram ei conjunctam, & (ut ipſe ait) ei ſimilem, quia ex ea profluit, puta caritatem proximo debitam, omittere non potuit, ut in hoc duplici officiorum noſtrorum genere brevem quaſi ſynopſin traditorum à ſe præceptorum comprehenderet, opportunum labentis memoriæ adminiculum.

Verſ: 12. Alterum præceptum duorum, quæ ſummam divinæ Legis complexa ſunt, tradens hoc loco Dominus verbis iis utitur, quæ explicant liquido definitionem illam, qua deſcripſit alibi caritatem in proximum, quod nimirum is à nobis amandus ſit, ſicuti nos diligimus noſmetipſos. Non modo igitur exigit à nobis Dominus, ne faciamus aliis, quod nobis fieri ab ipſis nollemus: in quo injuſtitia erga proximum cavetur; ſed etiam ut faciamus aliis, quæcunque nobis ab iiſdem fieri vellemus, qui perfectioris erga proximum propenſionis gradus eſt, & qui chriſtianum noſtrum erga eum officium attingit. Nam qui omnia proximo præſtare conatur, quæcunque ſibi ab ipſo præſtari cupit, ſummum caritatis erga proximum culmen aſſecutus, atque aſcendiſſe videtur. Id enim eſt diligere proximum ſicuti ſeipſum, elaborare, atque eniti, ne iſti affectus, ac deſideria, quibus in bonum noſtrum proprium propendemus, illos affectus, ac deſideria, quibus optima quæque aliis optamus, in ipſo effectu, ſeu commercio cum proximo, ſuperare videantur. Facillimus enim humano generi in illud vitium lapſus eſt, quo ſinguli mortalium ſibimet ſolis duntaxat ſeſe natos putant: cæteros autem ſuis commodis etiam cum damno ſuo inſervire teneri. Quæ peſtis ſocietatis illius, in quam ſub uno Univerſi Domino naſcimur, & in qua gubernamur, diremptio, & interitus eſt, & omnis generis injuriarum fertiliſſima ſeges.

Cum igitur à Domino caritatum iſtarum, quibus tam in alios, quàm in noſmetipſos ferimur, ac propendemus, coæquatio quædam introducatur, apparet quemadmodum caritatis in proximum modus, ac menſura caritas in noſmetipſos à Chriſto ſtatuitur; ita viciſſim caritatis erga noſmetipſos modum, ac menſuram eſſe caritatem in proximum: quæ egregium temperamentum efficit, ne alterutra earum vecors, & nimia: ſed utraque moderata, & ſobria ſit, atque rationalis. Quia vero modus, ac norma, & regula caritatis, quæ regere, ac dirigere alteram debeat, recta ipſa, & rationi congrua, nec in alterutram partem deflectens eſſe debet; caritas autem erga noſmetipſos ſæpè in nimiam, & rationi, atque æquitati adverſam erga nos propenſionem declinat, ideo non omnis ſimpliciter caritas erga nos ad id, ut ſit norma caritatis in proximum, apta, & idonea eſt, ſed illa duntaxat, quæ rationi, atque æquitati congrua, & in proximum iniqua non eſt; quæque ipſi multum non nocet. Unde reciprocè elicitur, non omnem erga proximum caritatem caritatis erga nos normam, & men-

& mensuram esse posse ; sed illam dumtaxat , quæ in nos iniqua non sit , & nobis non nimium noceat. Ex quo tandem concluditur , quemadmodum nos amori erga nos non tantum indulgere debemus , ut in proximum injuriis sit ; ita neque amori in proximum , ut in nosmet quasi iniquus , & injuriis sit.

Quamvis autem verba Christi *vers.* 12. in sensu angustiori prolata videantur ; nimirum ut ea proximis præstemus , quæ nobis ab iismet ipsis numero præstari optamus , tamen nihil vetat ea longius , & latius extendi , ut ea singulis præstemus , quæ nobis tam ab ipsis , quam ab aliis quoque præter illos ; præcipuè vero ab ipso Deo præstari optamus. Talem enim Deus se fore , aut promittit , aut minatur erga nos , quales nos erga proximos videt esse. Neque id expectare , aut exigere ab aliis in futurum bono jure possumus , quod ipsimet eorum similibus jam denegavimus. In omnibus igitur officiorum erga proximum occasionibus æquum est , ut in nos ipsos descendamus , nostraque intima vota , ac desideria introspiciamus , & quales alios , atque adeò Deum ipsum in simili occasione erga nos esse vellemus , tales nos proximis nostris præstemus , & exhibeamus. Non tamen idcirco , quia caritates istas coæquasse Deus videtur , statim omnimoda earum æqualitas somnianda est. Non eruit Christi doctrina stirpem illam inclinationis , omnibus rebus congenitam , quâ singula in conservationem sui ac dependent feruntur. Longè majorem etiam curam suæ , quam alienæ salutis , sanctimoniæ , virtutis ac pietatis cuique mortalium sive indulsit , sive injunxit. Quis vero est , qui non videat longe magis ea nobis cordi , & studio esse oportere , quæ magis quam alia curæ , atque operæ nostræ incumbunt , aut commissa sunt ? Sed ita nobis , nostrisque utilitatibus operam navare debemus , ne quid ex isto studio , opera , & contentione nostra damni , aut impedimenti utilitatibus proximi emergat. Non enim id tantum quod nostra , sed quod aliorum quoque interest , nobis spectandum est , & ita salus nostra procuranda , ne æternum proximo exitium nostra culpa accersamus. Ita vita nostra defendenda , ne per injuriam , & omissum inculpatæ tutelæ moderamen , vita cuiquam eripiatur : ita res cujusque domestica procurandæ , ne per damnum , aut iniquam proximi deceptionem , lucrum , aut utilitas aliqua captetur. Hæc illa est charitatum coæquatio , non absoluta , & omnimoda , sed secundum quid ita dicta , qua proximo æque bene ac nobis ipsis volumus , neque commodis ejus vel minimum obstare contendimus , tametsi forte ardentius ea persequimur , quæ curæ nostræ magis , quam alienæ competunt.

Notandum autem est elogium hujus præcepti , quod Christus eodem versu adjicit. In eo nimirum consistere totius Legis divinæ , & Prophetarum præceptiones , earumque obsequium. Quod dupliciter explicari potest. Aut enim elogium hoc non ad eam tantum in proximum caritatem , quæ hoc versu præcipitur , sed ad ipsum quoque erga Deum amorem , quem proximis versibus Christus attigisse videtur , referendum est : qui sensus simplex , & proprius est. In his enim duobus summa officiorum nostrorum consistit. Aut si quis elogium hoc ad charitatem proximi obstinatius referat , ideo Legem , & Prophetarum doctrinam impleviſse , quisquis hac virtute præditus est , dicitur , quia habitum ejus nemo consequi potest priusquam ante charitatis erga Deum habitum consequatur ; cum ad veram , & perfectam in proximum charitatem , non nisi per caritatem in Deum , aditus , & via pateat , nec unquam vera charitas in proximum , absque charitate erga Deum esse possit. Hæc enim , licet illâ nobilior merito censeatur , facilior tamen est ; Ideo in illa celebri cælestium virtutum scala 2 *Pet.* 1. ipsa pietate , quæ ipsius Dei dilectio est Philadelphia , sicut & amore fraterno charitas in extraneos superior esse innuitur , non quod natura sua virtutes posterius collocatæ superiores , & excelsiores sint , sed quia in Deum pietatem , & amorem difficultate superant , & ad illas non nisi per partam prius erga Deum pietatem ascendere liceat.

Vers. 13. & 14. Hoc illud est Christi præceptum quod tumidos Romanæ , & Græcæ Ecclesiæ spiritus , quibus post partos videlicet de tot oppressis , ut ajunt , hæresibus triumphos , propter firmatam longo ævo potentiam , & auctoritatem , efferuntur , ac se magnificè circumspiciunt , comprimit , imo dissat , & in tenues evanescere auras efficit. Quid enim frequentius istæ Ecclesiæ crepant , quam fortunam suam , & vires toto terrarum Orbe regnantes , hoc est , viam Religionis suæ tam multis Populis , ac Gentibus longe lateque patefactam , & omnium pene vestigiis tritam ? Unicum istud Ecclesiæ auctoritatis , & existimationis , imo vero gloriationis , & superbiæ columen est , ac fundamentum. At Christus viam hanc latam , viam regiam , atque militarem , tot agminum pedibus complanatam , qua plurimi decurrunt , tendere ad exitium ait. Utri potius parti fidem habeamus ? hinc Romanensibus , & sociis , qui nos istiusmodi illecebris , ad florentissimam fortunæ suæ societatem invitant ? An illinc Christo , qui in istis ipsis illecebris , in ista viæ latitudine , atque eam terentium frequentia , & multitudine , periculosas generi humano insidias , & præsentissimum periculum ostendit , ac prænonendo denuntiat ? Quæ enim est alia ratio , cur Ecclesiæ istæ diversum sentientes oppresserint , nisi quod eos asseclarum numero , ac multitudine ; aut potius Magistratus sibi faventis violentia fregerint. Vicit igitur Græca , & Latina Ecclesia eos , quos post victoriam falsissimorum criminum damnare licuit , non suis , sed Imperii Romani viribus , non argumentis , & rationibus , sed virgis , & securibus , non cælestis pacis , & veritatis Præconibus , sed terrenæ sævitiæ administris , damnatos in exilia trahentibus , aut deportantibus lictoribus. Vicit dissentientes Ecclesia præsenti tempore regnans : sed ut in civilibus armis olim Sylani Marianos , Cæsariani Pompeianos , non jure , aut causa , sed crudelitate , aut violentia prævalentes. Vicerunt Christiani fratres suos , sed non paulo crudelius , quam , in regionibus quas occupavit , Mahumetes vicit Christianos , quos tamen is delere , aut extirpare non sustinuit , ut civilis fratrum Christianorum rabies hostilis externorum odii modum longe supergressa sit. Quam longè , lateque per ejusmodi grassantes victorias patefactam arbitramur Romanæ , & Græcæ Religionis viam ; quibus angustiis coarctatas , & afflictas oppositas ipsi censemus ? O quam sui semper similis , sibique in omnibus partibus congrua , & consentiens est , Christi , & Apostolorum doctrina ! Nihil is , nihil discipuli ejus frequentius docent , imo vero inculcant , quam superventura mox Prædicationi eorum fuisse dura , & difficilia tempora : quibus *lupi rapaces* , lupi graves Ecclesiæ , *vestitu ovium* , hoc est , formâ pietatis , & corporali ejus exercitiò adornati , direpturi ac depopulaturi essent ovilia Christi. In ea perculsi gregis Christi devastatione non mirandum est , clausam , & multis obseptam salebris salutaris viæ orbitam , contra longe lateque apertum , & undique dilatatum planum , ac declive perditionis iter. Quod si multitudo idem opinantium certum esset rectæ in Religione Christi opinionis , aut legitimæ factionis argumentum , latam , & multorum vestigiis tritam

tritam viam, aut portam Christus non damnasset. Multo minus si terrenæ instar Reipublicæ eum in Ecclesia ordinem instituisset; in quo sub universali Capite cuncti certo, atque omnibus noto regimine regerentur. Quis enim tunc locus esset anxiè quærendæ viæ, ad salutem ducentis, quam pauci invenirent, cum in promptu, & cunctis obvium esset, impositi, & noti omnibus Capitis obsequium? Nec certius documentum præbet Episcoporum successio, cum tot in suaveolens Christo sacrificium mactatis arietibus, multis flagitiis, quidam & sceleribus olidi hirci successerint.

Verum enimvero longe diversa est Ecclesiæ Christi in terris gubernatio à terrenarum Rerumpublicarum regimine. Terrena enim Respublica visibilia capita, & rectores, absoluto, aut certe coactivo regimine regentes, qui oculis omnium cerni possint, habeat necesse est. Quibus quisquis non adhæret, aut obsequium denegat, coactiva potestate, interdum & gladio frænandus, aut puniendus est, quæ omnia oculis cunctorum, qui in Republica sunt, subjecta sunt. At Ecclesiæ gubernatio caput habet invisibile, Christum in cœlis regnantem, & per Spiritus Sancti suggestionem Ecclesiæ præpositos simul, & subjectos gubernantem; quorum in cœtu præpositi cæteris servis Christi non absolute, tanquam subditis sibi, imperant, sed eos molli fræno, tanquam alienos, & Domini sui famulos, & conservos suos, exemplo, & miti Spiritu Christi moderantur; nec gladio, sicuti terreni Magistratus, sed spiritualibus duntaxat armis, iisque non fine reliquæ Ecclesiæ consensu stringendis, instructi, quod ex multis quoque aliis Sacræ Scripturæ locis elicitur. Ergo in Republica non est quærenda via Magistratibus parendi, sed omnino obsequendum iis, qui ad clavum rerum sedent, & absolute coactiva potestate imperant, atque omnibus manifesti sunt. At in Ecclesia, hoc est, spirituali Regno Christi, quod non modo à præpositis suis, sed ab ipso quoque Christo molli fræno, & ingenua quadam ratione, & quasi precario regitur, sæpe accidit, ut tam præpositi, quam major pars Ecclesiæ adversus Christi voluntatem, & Spiritus Sancti suggestionem contumaces sint, & adversus præcepta ejus exorbitent, unde sequatur, atque eveniat, alios diversam ab iis, qui exorbitant, nec omnes plane rectam, sed alios propius, alios longius à recta digredientem vivendi viam ingredi. Serio igitur tunc, & sollicite quærendum est, quorum potius hominum ductus sequendus, quæ via, quæ porta ad vitam, & salutem, quæve ad exitium ducat, ac tanto magis serio, ac sollicite, quanto id inventu difficilius est, quod vel inde patet, quia pauci viam ad vitam ducentem invenirè à Christo dicuntur. Unde autem hæc difficultas emergat, non reticet Christus statim *versu* 15. Quia Pseudoprophetæ Ecclesiam *in vestitu ovium* ingressuri, eam tanquam *lupi rapaces* laniaturi ac divastaturi essent. Quæ prophetia apostasiam illam, & Antichristos à Paulo, & Joanne prædictos, ac descriptos, imo digito ostensos designat, qui post obitum Apostolorum Ecclesiam ita occupaturi fuerint, ut sub eorum dominatione pauci veram vitæ, & salutis viam invenire possent.

Ut vero sensus, & mens hujus Christi præcepti clarius pateat, animadvertendum est, non posse viam istam angustam, quam pauci inveniunt, de qua Christus hoc loco loquitur, significare viam illam prætensæ perfectionis Monasticæ, in Latina, & Græca Ecclesia tot Regularium, quos vocant, vestigiis tritam, idque ob rationes subsequentes. *Primum* quia nulla ratione evinci potest, id quod Christus hoc loco præcipit, consilium esse, quibusdam duntaxat, qui perfectores aliis esse volunt, insinuatum, non autem præceptum omnibus traditum. Nec enim ulla est inter hanc, & alias, quæ supra infraque traduntur, doctrinas Christi (quæ quidem in ipso textu notari possit) differentia. Sed hæc doctrina, ut cæteræ omnes, ad cunctos omnino fideles Christi, qui vitam æternam assequi velint, pertinet. Imò verò in ipso textu eâ ratio doctrinæ huic additur, ex quâ patet id, quod hoc loco à Christo docetur, præcipi omnibus, & quidem sub pœna amissionis vitæ æternæ. Nam si via angusta, & afflictionum plena (θλιμμένη) sola ad vitam ducit, via vero lata ad perditionem, nemo hanc doctrinam Christi negligere potest, quin vita æterna excidat, & in perditionem incidat, Lex igitur ista est, & præceptum, cui pœna adjecta est, non autem nudum consilium, quod impune negligi, aut non acceptari possit, Aut si quis consilium esse pertendat, cui tamen pœna adjecta sit, omnibus à Christo suggestum esse, non quibusdam necesse est, cum omnes Christi fideles ad vitam aspirare, perditionem autem fugere oporteat. Atqui Monachismus in Latina, & Græca Ecclesia, non omnibus obtruditur, sed iis tantum, qui perfectiores esse velint. Per vocem autem *vitæ* hoc loco æternam intelligi, ex eo patet, quod ipsi *perniciei* (sine dubio æternæ) opponitur, tum quia vox *vitæ* hoc loco futuram, & promissam mercedem, non autem jam præstitæ præsentis vitæ beneficium significat. Nam qui angustam istam viam, aut portam ingrediuntur, jam adducti sunt ad præsentem vitam, & ea fruuntur, non autem nunc primum ad eam ducuntur.

Secundo. Præterea, si via angusta Monachismum significat, via lata reliquæ Ecclesiæ statum ut significet, necesse est. Tot Reges ergo, tot Cæsares, tot Pontifices, Patriarchæ, Cardinales, Episcopi, Principes, Magistratus, & Populi, nemine in Ecclesia refragante, aut præmonente *viâ latâ ad perniciem* tendunt?

Tertiò. denique Christus expresse ait, non tantum paucos viam istam angustam ingredi, sed etiam invenire. Atque licet concedamus Monachismum comparatione aliorum paucos ingredi: non tamen via Monachismi cuiquam difficilis inventu est, sed omnibus in Latina, & Græca Ecclesia patet. Omnes enim eam esse viam perfectionis opinantur.

Non attingo multas alias rationes, quæ ostendunt vias istas prætensæ perfectionis, non modo ob corporale exercitium multum imperfectionis, & Judaismi continere, & sanctimoniæ, quam ostentant, mercedem in hac vita repræsentare, sed etiam latissimas, & improbissimi cujusque vestigiis tritas esse. Non igitur via angusta Monachismum significat, sed verum Christianismum, qui multis semper difficultatibus, angustiis, & persecutionibus obnoxius est. Nec enim tantum in perfectâ sanctimoniâ acquirendâ summæ difficultates, sed etiam maximæ à suis juxta, & alienis vexationes veris Christianis expectandæ sunt. Ideò tam pauci viam tot salebris impeditam ingrediuntur, pauciores, in ea constanter ad finem vitæ decurrunt. Ex hac tam manifesta Christi doctrina liquido constat; primum non adeo latum, & patentem ad vitam æternam aditum Christum aperuisse, quemadmodum fingitur, ut sicuti mundi regna ad terrenæ societatis bonum, ita Ecclesia ejus à visibili Capite ad cœlestis boni felicitatem duceretur. Latissima enim ista via fuisset, & omnibus patens; nec quærenda cuiquam, inventu tam facilis: cum tamen vera Christianismi via hoc loco tacitè præcipiatur, quæri, &

quidem

quidem tantò diligentius, quantò pauciores fore prædicantur, qui eam sint inventuri. Proinde quæ ex metaphora petræ, cujus mentio fit *Matthæi* XVI. deducuntur, salvo honore, & reverentia dissidentium, sunt mera somnia. Deinde apud eos, qui nobis vitio vertunt, quod à publica Græcæ aut Latinæ Ecclesiarum viâ diverterimus excusatissimos nos esse debere oportet; qui præceptum Christi secuti, suspectam istam, quam utraque ecclesia pandit, latitudinem, & illorum qui eam ingrediuntur multitudinem habuerimus, & angustam viam secuti, longe pauciores ejusdem ingressus socios habeamus. Nihil igitur est, quod aut nos paucitatis nostræ nomine contemnant, aut ipsi, multitudinis ac potentiæ suæ jactantiâ, superbiant, & glorientur, cum id quod in nobis despiciunt ad vitam, id autem quod in seipsis suspiciunt, ad perniciem ducat.

Restat ut illud videamus, quomodo hoc præceptum Christi cum vaticiniis Novi Fœderis, quibus regnum Christi in terris longo tempore florentissimum fore prædicitur, conciliari possit, quandoquidem regno Dei, & Christi florente, longe latior ad salutem via cunctis pandi videtur. Quod fatendum quidem est. non tamen inde sequitur, etiam in liquidissima plenæ veritatis cognitione, non longè faciliorem ac proinde latiorem viam esse; quæ praxis, & actionis expers, in sola rerum divinarum notitia subsistit, quam quæ secundum exactam rerum divinarum notitiam, vitam & mores ad legem Christi exigit. An ea felicitas unquam speranda sit, ut plures virtuti simul exercendæ, quam veritati duntaxat contemplandæ (quod ad ipsum eventum attinet) operam sint daturi, decernere non ausim, quia humani arbitrii libertati, in isto actionum genere, frænum Deus nunquam imponit. Ad eam quam speramus felicitatem sufficit, quod per gratiam Dei omnia removenda sint impedimenta, quæ nunc veritatem in injustitia detinent: quod tamen efficere nequit, ut vitæ pietas, veritatis notitiâ non sit difficilior: utque ardua, & salebrosa via, quam plana, & facilis pluribus magis placeat. Tunc quoque cum præcepta ista Christus traderet, nondum ullis erroribus inquinata veritate, præsentissimum erat periculum, ne discipuli Christi legis ejus auditores esse mallent, quam executores, velut ex ipso discriminis hujus remedio, quod Christus adhibet, manifeste liquet. quia virtutis via, etiam nullis impedita erroribus, natura sua aspera, & ardua est. Ecquid igitur mirum erit, quod etiam detectis ac proscriptis ex ecclesia erroribus, olim eadem quæ Christi, & Apostolorum tempore, in pietatis curriculo manebit difficultas? Proinde sicuti (ut suprà ostendimus) etiam post exoptatum regni Dei in terris adventum, semper perfectior ejus status optari, atque à Deo precibus posci poterit; ita, repurgatâ ab errorum labe ecclesiâ, nunquam deerit ea, quæ plures absterreat in capessenda vera pietate, difficultas, adeò ut præcepto huic Christi, locus nunquam sit defuturus.

Vers: 15. Causam quamobrem in Religione, & Ecclesia sua, altera viarum lata, altera angusta futura esset (ut supra quoque attigimus) reddit hoc loco Dominus unicam, adventum videlicet pseudoprophetarum, qui illius à Paulo prædictæ apostasiæ duces, & auctores essent futuri, quorum perditionem multos secuturos fuisse Petrus præmonet 2 *Pet.* II. 2. Hi propter multitudinem assectarum, & illecebras dogmatum carni placentium, viam perveniendi ad vitam æternam, falsam, & fallacem erant dilatuturi: veram autem, & genuinam per fraudem pernicioſæ doctrinæ, & injustæ oppressionis violentia adeò coangustaturi, ut neque inventu neque ingressu facilis esset futura. Proinde lata via, est via pseudoprophetarum, hoc est, antichristorum, & corruptæ per publicam apostasiam ecclesiæ: angusta verò est eorum, qui monitu Christi cautiores facti, laqueos fallentium erant evitaturi. Describit autem pseudo-prophetas, & antichristos, ostendens eorum subdolam, & fraudulentam indolem, quibus aliud in ore promptum, aliud in pectore abditum esset, qui aliud in fronte ostentarent, aliud in recessu occultarent, extrinsecus amictu ovium induti, at *intus lupi rapaces*, quò diligentius, & vigilantius essent cavendi. *Amictus* ovium significat externæ sanctimoniæ speciem, & plerumque in corporali exercitio sese exerentem formam pietatis, cui vis ejus seu vera ac solida pietas opponitur 2. *Tim:* III. 5. Fideles enim Christi dicuntur *oves* ob innocentiam, cum animal istud unum sit ex innocentissimis, quemadmodum infideles aut Christo immorigeri *lupi* vocantur, ob indolem naturæ ovium contrariam, & admodum noxiam. unde & *rapacium* epitheton ipsis additur, ut planum sit, quam ob causam homines injusti, & ex damno alieno utilitatem captantes lupi vocentur, rapto viventes, & ovibus præcipuè nocentes, quibus innato, & implacabili odio infesti sunt, quemadmodum impii, & hypocritæ veris Christi fidelibus, quos non modo oderunt, sed ubi possunt, laniant & persequuntur. Tales igitur venturos pseudoprophetas Christus prædicit, fidelium suorum amictum, hoc est, innocentiam mentientes, intus autem lupinam rapacitatem, injustitiam, & crudelitatem occultantes. Tales in ecclesia sua homines caveri Christus imperat, simulque eodem versu difficultatem cavendi, & agnoscendi istiusmodi bestias tacitè ostendit, subdolam eorum hypocrisin, & fraudem exponens.

Cæterum ne quis in hac difficultate, aut nullam cavendi difficultatem, aut justum inevitabilis deceptionis prætextum habere posset; ostendit *vers:* 16. rationem non admodum difficilem, qua fraudes pseudoprophetarum agnosci, ac proinde evitari possent. *Ex fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis illos*, hoc est, ex operibus carnis, quæ, quia *manifesta sint. Gal:* v. 19. in oculos omnium facile incurrunt. Ea, dicto loco, longo ordine recensentur, adulterium, scortatio, & omne iniquitatis genus, idololatria, maleficium, Inimicitiæ, lites, æmulationes, iræ, rixæ, dissidia, sectæ, invidiæ, &, in quas tandem per tot vitiorum seriem erumpitur, cædes. Quorum operum cum duo sint genera, alterum ad concupiscibilem facultatem pertinens, castimoniæ, & puritati; Alterum ad irascibilem, caritati adversum; posterioris generis vitia primum omnium in ecclesiam per eos, qui cæteris præerant, magno agmine irrupêre, & mox cætera omnia secum traxêre.

Hinc Apostoli, Petrus, Paulus, &, qui omnibus supervixit, Joannes, atque alii apostolici viri, cum viderent prima suborientium pseudoprophetarum, & antichristorum germina, eaque ex istis ostensis à Christo indiciis agnoscerent, ante omnia tam sollicitè, & anxiè caritatem nobis inculcarunt, & lupos istos *rapaces lupos, graves, non parcentes gregi Christi* ἀνδροφόρους, qui mox post Apostolos ecclesiam divexaturi erant prædixerunt, & gravissimis censuris notarunt. Ingressos autem illos in ecclesiam fuisse *Victoris*, & *Zephyrini* temporibus ex fructibus istorum *Pontificum* discimus, quorum alter, præter multa alia, ob levidensem causam totas Ecclesias *Asiæ* à Corpore Christi detruncare, & avellere ausus est: alter cæptam ab antecessore adversus Confessores Symboli apostolici diu post auctam eorum potentiam, qui nova Symbola parturiebant, in ecclesia toleratos, sævitiam, consummavit. Subsecuta

cuta mox in ecclesia, etiam inter ultimas persecutiones tempora, quantum in hypocrisi, ambitione, & odiorum rabie (genuinis pseudoprophetarum characteribus) profecerint; testis est *Eusebius lib. 8. cap. 1.* cui, vel invito, veritas hæc verba extorsit: *Postquam res nostræ, per nimiam illam libertatem, ad mollitiem, & segnitiem degeneraverunt, & alii alios odio, & contumeliis sunt prosecuti, & tantum non nos ipsos, per nos ipsos armis ac telis verborum, ubicumque contigit impugnavimus, & Episcopi in Episcopos irruerunt* (recens erat conciliabuli Antiocheni, & commodatæ ab Aureliano, ad oppressionem illius urbis ecclesiæ, potestatis, memoria) *ac populi contra populos seditiones moverunt. Deinde infanda hypocrisis, & simulatio ad summum usque malitiæ progressa fuit, divinum judicium nos invisere cæpit &c.* Et mox: *Cum autem nullo* (judicii hujus) *sensu tangeremur, neque Deum placatum ac propitium nobis reddere conaremur, sed quasi impii delicta nostra Deum neque curare, neque visitare putaremus; nequitias nostras aliis aliis cumulavimus. Et qui Pastores nostri videbantur, repulsa pietatis norma, mutuis inter se contentionibus fuere inflammati, & dum hæc solæ contentiones videlicet, minas, æmulationem, mutuum odium & inimicitias exaggerant, & ambitionem quisque suam in morem tyrannidis studiose persequitur; tunc sane Dominus Filiam Sion obscuram reddidit* &c. Hucusque verba Eusebii. Quid, monente Christo, ex ejusmodi fructibus colligam, nisi plenam tunc pseudoprophetarum, & luporum rapacium, Ecclesiam fuisse? qui viam salutis, satis alioqui propria difficultate arduam, & salebrosam, magis magisque coangustarunt, & inviam reddiderunt, ut inventu difficilior esset, & paucorum vestigiis tereretur? Non autem æstimandum est, succedentibus seculis, & sublato persecutionum metu, emendatam fuisse ecclesiam. nam si, teste Eusebio, nimia sub Ethnicis tyrannis libertas, Ecclesiam in mollitiem, & segnitiem resolvit; quanto major vitæ dissolutio, & plures corruptelæ invaluere, cum faventium Imperatorum studio foveretur? Quid vero dicam de illis in Occidente temporibus, cum, semotis ad Orientem Imperatoribus, etiam supra Cæsarum fastigium scandere non verita est ecclesiastica potestas? Sed iniquum cuipiam videri possit, si quid vitiorum in ecclesiam, aut corruptelæ inter Episcopos irrepat; ilico à nobis homines aut Episcopos ejusmodi pseudoprophetas vocari, & tam odioso nonine traduci. *Respon.* Nos vero deberi fatemur veniam infirmitati. Sed infirmitas non est, ubi (ut ait Eusebius) infanda hypocrisis, & simulatio, ad summum usque malitiæ verticem ascendit. Deinde pseudoprophetas Christus, & Spiritus Sanctus non ut simpliciter deceptos, atque alios decipientes, sed ut lupos rapaces depingit, *lupos* inquam *graves non parcentes gregi.* Nec enim Antichristis gregis Christi ulla cura est, sed in eum, tanquam alienum, impotenti ac violentia, imo crudeli quoque dominatione grassantur. Huic hominum generi debitum pseudoprophetarum nomen, & elogium denegare nefas est. Simplices igitur, & fraudis ac malitiæ expertes auctores errorum, & patronos, qui super primævæ prædicationis aurum, straminea dogmata non mala fide extruxerunt; servari posse Paulus *1. Cor: 111. 15.* asserit. At Christus hic de malæ fidei doctoribus loquitur; quorum, quia opera mala sunt, malam quoque mentem, malum animum necesse est, & quos, tanquam malas arbores, bonum fructum non ferentes, excisum atque in ignem abjectum iri *vers:* 19. addit. Quapropter, ut ejusmodi homines pseudoprophetæ jure vocari possint, certitudo hujus signi à Christo allati efficit; quam Christus totis quartuor versibus non minus evidenter, quam copiosè probat. Nec posse aliter fieri, ducto à natura rei, & similitudine illustrato argumento evincit. Actus enim in apertum erumpentes, latentis in animo bonitatis aut malitiæ irrefragabilia documenta sunt: nec magis fallere judicantem possunt, quam fructus ex arbore producti, & gustati, bonitatem aut malitiam arboris explorantem. Hæc igitur signa veri aut falsi populi Dei, seu veræ, aut falsæ ecclesiæ tanto certiora atque evidentiora nobis indicia, & documenta præbent; quam quæ à Bellarmino, & sociis pro signis veræ aut falsæ Ecclesiæ investigantur, quanto Christi judicium, & doctrina, præstat omnibus mortalium commentis. Porrò signorum istorum applicatio, & explicatio omnibus, quicunque res in ecclesia, subsequentibus apostolica tempora seculis, gestas, expendere voluerint, est adeò clara, & liquida, ut regia, aut potius tyrannica, ideoque latissimè patens antichristi via nemini ignota vel obscura esse possit.

Vers. 21. Partim tacitæ objectioni occurrit Dominus, partim amictum istum ovium, quo pseudoprophetæ seque ipsos, & alios, qui externam potius pietatis eorum formam, & speciem, quam fructus ex ea productos erant consideraturi, decipere debuerunt, explicat ac depingit.

Objicere enim quispiam poterat, neque pseudoprophetas, neque lupos rapaces dici posse eos, qui in extollenda sive dignitate atque præstantia naturæ Christi, sive Majestatis ejus reverentia, præ aliis laborarunt, qui in nomine ejus prophetarunt, imo in doctrina ejus aliis tradenda vicariam ipsi operam præstiterunt, qui in Ecclesia ejus aliis præibant, imo præerant, etiam in nomine ejus seu potestate dæmonia ejecerunt, ac multa miracula patrarunt. Huic objectioni respondet Christus, sese ejusmodi hominum prætensa merita atque in gratiam sui præstita officia parvi, imo nihili æstimare, si illi præscripto à se præceptorum Dei Patris sui obsequio defuerint. Proinde istiusmodi signa fallacia esse ad indicandum, aut veros fideles qui salvari debeant, aut verum populum ejus. Frustra igitur ad ostendendam veram Ecclesiam, miracula, atque alia id genus argumenta allegantur.

Sed & ex hoc loco obiter discendum est, fallacem esse indagandæ Sanctorum prærogativæ rationem, quæ in Ecclesia Romana aut Græca usurpatur ex miraculis, sive in vita, sive post mortem aliquorum hominum factis, cum Christus expresse dicat *vers:* 23. miracula ad salutem multis non profutura. Illud autem animadvertendum est, Dominum *vers:* 22. in antithesi, & comparatione earum rerum, quæ ad salutem nemini profuturæ, & quæ omnibus profuturæ sunt, compellationem sui *Domine Domine*, seu attributos sibi per sermonem honores, obsequio præceptorum divinorum, hoc est, dicta factis opponere. Species ista est, & nuda pietatis forma, verbis Domino blandiri; sed vis veræ pietatis in operibus, & obsequio, non in affectatione, consistit. Sed nec illud negligendum, in eadem antithesi attributum Christo in verbis honorem; non opponi honori eidem Christo in factis attributo, vel attribuendo (quod fit *Lucæ* VI. 46.) sed honori Patris ejus Cælestis in præceptorum ejus obsequio præstito aut præstando. Quamvis enim præcepta Dei per Christum tradita, sint tam Christi quam Dei præcepta, & eorum obsequium tam Christo quam Deo reddatur, tamen hic nec fruſtrà, nec obscurè Christus honorem sibi delatum, honori qui Patri debetur, opposuit: simulque eum honorem, qui sibi cum minima Patris injuria deferatur; indignanter rejicit. Unde stupere fas est, infallibilem Prophetici in Christo Spiritus præscientiam, qui in tradendis præceptis suis, ab eo ipso delicti genere ecclesiam suam abducere contendebat; quo illam peccasse nunc, certissimus divinorum vaticiniorum index, eventus ostendit. Quicquid tamen de hoc statuatur, satis liquet, Christum hoc loco more atq; hypocrisim istorum pseudoprophetarum, qui externa specie oves Christi referunt ac mentiuntur, notare, quod in honore Christo habendo, ac verbis illum deferendo, essent elaboraturi, præceptorū ejus, quę & ipsius Dei sunt, securi atq; negligentes. Deniq; in iisdem verbis Dominus

ostēn-

oſtendit, tam præceptorum, quæ per voluntatis Dei mentionem; quam promiſſorum Novi Fœderis, quæ per ingreſſum in Regnum Cælorum deſignantur, primam eſſe cauſam Patrem illum Cæleſtem, ſe vero ſecundam. Patet autem ex verbis Chriſti, & loci hujus circumſtantiis per Pſeudo-prophetas, & lupos rapaces, non ſignificari externos hoſtes aut perſecutores Eccleſiæ, neque enim hi amictum ovium Chriſti dignantur, nec Chriſtum vocant, aut agnoſcunt Dominum. Ac ne hæreticos quidem, ab Eccleſia avulſos, qui aut ipſi communionem Eccleſiæ deſeruerunt, aut ex Eccleſia propter veram aut prætenſam impietatem ejecti ſint. Latior enim hucuſque aut certe inventu facilior via fuit, quam tot Populi in Græca, & Latina Eccleſia ingreſſi ſunt: quàm ea quam præ ſe ferunt ſingulæ eorum familiæ aut Sectæ, quæ ab iſtis Eccleſiis deſciverunt aut ejectæ ſunt, adeò ut iſtæ ne omnes quidem ſimul ſumptæ numerum ac multitudinem aſſeclarum utriuſque Eccleſiæ adæquare videantur. Sed per iſtos Pſeudo-prophetas intelligit Chriſtus Hypocritas in tota Eccleſia ſua regnantes, qui facili ac molli via, & ipſi ingredientes, & alios ducentes longe majorem quam cæteri aſſeclarum multitudinem ſecum trahunt. Quia ſpecies pietatis ipſa pietate longe facilior eſt, & corporale exercitium oculos hominum magis perſtringit, vires mortalium minus gravat. Tribuit enim illis Chriſtus quod ſibi honorem verbis quidem, & ſcriptis, Confeſſionibus & Symbolis, ſed abſque præceptorum obſequio deferunt, idque non ſine Patris ſui injuria, cujus voluntati interea morem non gerunt. Tribuit quod in ipſius nomine prophetent, hoc eſt, quod in Cathedra ſua, & Apoſtolorum ſedeant, myſteria doctrinæ ſuæ Populo tradentes. Tribuit quod in nomine ipſius Dæmonia ejiciant, miracula patrent, & tamen propter iniquitatis ſuæ opera, in æternum perituri ſint. Denique tribuit, quod longe plures aſſeclarum catervas habeant, quam iſti pauci, qui ſibi ab illis cavent, at per anguſtam viam, procul ab iis divertunt. Qui colores, & lineamenta, quamvis non ad unam duntaxat Eccleſiam adſtringuntur; mirum quam eorum qui Eccleſiis Chriſtianis jam olim, & hucuſque præerant, & præſunt, faciem ad vivum depingunt, & exprimunt. Quot enim, & quanta iniquitatis opera, ſub ſpecioſo pietatis, ſolos oculos perſtringentis amictu, latentia ac velata in iſtis Eccleſiis deprehenduntur?

Verſ: 24. Ex iis quæ dixit Chriſtus, cum oſtenderet, nihil profuturum Pſeudo-prophetis, & eorum aſſeclis ad ſalutem æternam, quod amictum Ovium indnant, hoc eſt, quod verbis Chriſtum honorent, in illius nomine prophetent, Dæmonia ejiciant, miracula patrent, Si non faciant voluntatem Patris Cæleſtis, & ſint operatores alicujus iniquitatis; elicit concluſionem dignam, quæ tam ſancto, & utili Chriſti ſermoni colophonem imponeret, omnibus, quorum ad aures hæc Doctrina Chriſti pervenerit, unicè curandum eſſe, ut eam vita, & factis ſequantur, & exprimant, niſi velint in miſeriam ingentis ruinæ (*verſ.* 27.) ſimul & in opprobrium magnæ ſtultitiæ (*verſ:* 26.) incidere, hoc eſt, perire in æternum in conſpectu Dei & Chriſti, & omnium quibus culpa ſimul, & pœna eorum ſtultitiæ præ oculis erit.

Unde diſcimus Primum, nihil nociturum ii, qui difficiliora forte, ideoque controverſa Religionis Chriſtianæ myſteria, non ſatis percipiunt, aut in iis hallucinantur; ſi perceptu facilia, quamvis factu ardua, Dei per Chriſtum præcepta, in vita, & factis omni ſtudio obſervent.

Deinde vaniſſima eſſe pleraque eorum, de quibus hodie Chriſtianus Orbis digladiatur, poſito interea omni pietatis, ac debiti mandatis Dei obſequii ſtudio. Imo vero (quod indigniſſimum eſt) in gratiam eorum quæ Chriſtus ipſe, nihil profutura aſſerit; Ea quæ Chriſtus idem unice neceſſaria oſtendit, qualis eſt *Charitas*, uſque ad inimicos extenſa; iniquiſſimè ac ſceleſtiſſimè violantur. Quod (ut innumera alia præteream) fit in pœnis ac perſecutione eorum, qui conceſſo, imo injuncto divinitus jure ac libertate Conſcientiarum utuntur: & qui exiſtimant Deo quam hominibus magis obediendum eſſe.

Fundamentum igitur Chriſtianiſmi, eſt Vitæ Sanctitas, Obſervatio Mandatorum Dei, Dei Chriſtique Amor in obſequio Legum divinarum teſtatus, & expreſſus, Nova Creatura, fides per Charitatem animata, viva & efficax. vide *Matth:* XII. 50. *Luc:* XI. 28. *Johan:* XV. 14. *Rom:* II. 13. 1 *Cor,* VII. 19. 2 *Cor:* VII. 19. 2 *Cor:* V. 17. *Gal:* VI. *verſ. Cap.* V. *Galat:* VI. 15. *Coloſſ.* III. 11. *Jacobi* I. 22. 1 *Johan:* III. 7.

Cætera, præter hoc fundamentum, tametſi præclara videantur, ac ſint quoque; ſi fundamento iſto careant, nihil valent. Proinde in hoc fundamento elaborandum, & plurimum operæ ponendum eſt, reliqua vero quantum fieri poteſt non omittenda.

Erat igitur quamobrem obſtupeſceret populus ille, in cujus auribus perſonabat *Sermo Dei*, omni gladio acutior, & ad intima penetrans, & quidem Chriſti ore prolatus, qui unus omnium maximè dignus divinæ Patris Cæleſtis voluntatis interpres, digno tanta legatione eloquio potens pollenſque, perculſos audientium animos, & quò vellet inclinantes, ad obſequium Præceptorum ſuorum, blandè quidem, ſed ſalvâ divini Officii ſui dignitate, flectebat, & quaſi in poteſtatem ſuam redigebat.

10. *Maij* 1664.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

NUlla est epistola, (si Galatis scriptam excipias) quæ in ipso limine tàm prolixam, & accuratam commendationem, muneris Apostolici, Paulo commissi, contineat; ad conciliandam sine dubio fidem, & auctoritatem huic Scripto, apud eam gentem, quæ tunc Orbis domina, reliquas, non sine supercilio, despiciebat. Servum se primùm vocat Jesu Christi: nec eum simplicem: Sed Apostolum, & quidem vocatum vocatione extraordinaria, & peculiari. ἀφωρισμένον *Separatum* in Evangelium Dei, atque in eo cæteris præcellentem; qui non erant pari ratione, ad munus prædicandi Evangelii destinati atque ordinati. Ejus functionis objectum, id est, Evangelium, commendat, primùm à prædictione prophetarum, & Sacræ Scripturæ. Deinde ab auctore, & primo Evangelii annunciatore. Cujus excellentia *vers:* 3. & *vers:* 4. breviter perstricta; ab eodem se peculiarem nec aliis communem gratiam accepisse prædicat; hoc est, Apostolatum omnium gentium; in quibus ipsos Romanos comprehendi *vers:* 6. diserte asserit.

Notandum est quod *vers:* 2. Evangelium antiquitus prædictum, & promissum novitatem manifestam hujus tàm læti de vitâ æterna mortalibus certis conditionibus conferenda, nuncii tunc arguebat.

Vers: 3. & 4. Descriptio Excellentiæ Christi hoc loco, planum facit, vulgatum de ejusdem æterna nativitate dogma, Paulo tunc ignotum fuisse. Quid enim Opus fuisset Nativitati ex semine David secundum carnem, opponere excellentiam illam Christi, qua definitus, ὁρισθὶς, aut decretus fuit filius Dei in potentia secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione, & (quod utique voci resurrectionis ejus annectendum est) assectâ ejus exaltatione ac dominatu super omnia: quæ excellentia Christo tanquam homini competit si præsto fuit, multò major ejus excellentia, quæ ipsi tanquam Deo competebat?

Nati secundum carnem, definiti aut ὁρισθὶς *secundum Spiritum Sancti.* Imbecillitati carnis, in qua fuit natus Dominus, opponit potentiam Spiritus sese vivificantis, in quo posteâ fuit resuscitatus, & glorificatus. Sed hoc loco respicere videtur Apostolus tempus illud nativitatis Christi secundum carnem; in quo nondum γενόμενος, sed tantum ὁρισθὶς fuit ὑιὸς θεῦ ἐν δυνάμει. definitus fuit *filius Dei in potentia.* Quamvis enim vel ob ipsam ex Spiritu Sancto conceptionem *filius Dei* merito dici potuerit; tamen nondum *Filius Dei in potentia*, quemadmodum post resurrectionem, & exaltationem.

Posset etiam quispiam per istud πνεῦμα ἁγιωσύνης, Spiritum sanctitatis, intelligere hoc loco Spiritum illum sanctum supervenientem Mariæ, ex quo conceptus est Dominus. Spiritus enim iste, tàm excellentis nativitàtis opifex, indicare poterat infantem istum, destinatum esse (ὁρισθὶς) longe eminentiori Statui; quam is fuit in quem tunc, in carne corruptibili nascendo, in lucem prodibat. Nec ille Spiritus sanctitatis, per quem postea Dominus sanctificatus (*Joh:* x. 36.) & missus in mundum est: ille, inquam, Spiritus mirabilium operum patrator; ab hujus loci explicatione prorsus arcendus est. Nam is quoque manifestè arguebat Dominum destinatum fuisse ad exaltationem, & ad accipiendam potentiam unico, & suprà omnes eminenti filio Dei dignam. quæ exaltatio Resurrectionis interventu fieri debuit.

Vers: 5. Apostolatus, quem tàm magnificè describit, suo jure postulabat obsequium fidei, ab omnibus gentibus etiam eminentissimis; quia nomine tam Excellentis Domini compellabantur.

Vers: 7. *Vocatis sanctis.* hoc est, vocatis ad sanctimoniam, vel qui vocationem istam vitæ sanctimoniâ firmiorem reddant.

Vers: 8. *Gratias ago Deo, per Jesum Christum.* Longè excellentior est modus precum; ut & omnis cum Deo commercii per Jesum Christum, summum sacerdotem nostrum: hoc est, in nomine ejus; quàm precum aut ejusdem commercii extra hunc tàm salutarem mediatorem: qui nobis proximum, & compendiosum ad Deum aditum præstat.

2. Non pro iis tantum quæ in nos, sed pro iis quoque quæ in alios conferantur beneficiis, Deo gratias agi par est.

Vers: 9. Λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου. *Servio in spiritu meo. Joh:* IV. 24. *Deus est Spiritus; & adorantes eum in spiritu, & veritate adorare oportet.* Verus enim cultus Dei; cultus est spiritualis, non carnalis aut ceremonialis. Et *Rationalis* λογικὴ λατρεία. *Rom.* XII. 1.

Ibid. & *vers:* 10. ἀδιαλείπτως. Indesinenter, & πάντοτε semper. Ejusmodi voces non ἀκριβῶς præcisè, & præfractè intelligendæ; sed rationabili æquitate explicandæ sunt.

Vers: 11. Flagrare desiderio debemus, accipiendarum charismatum spiritualium; non modò ἵνα τι στηριχθῶμεν ὑμᾶς, ut nos confirmemur, & stabiliamur: sed etiam ut ea conferamus aliis. Quia *vers.* 12. magna in eo est, & mutua συμπαράκλησις, consolatio.

Vers: 13. Quantum Deus Satanæ permittat, vel hinc videre est, quod Apostolus in desiderio atque officio suo prædicandi Evangelii Romanis impeditus fuerit. Quanquam potuit fieri quod ipsius Dei nutu factum sit, providentis in eo aliunde Romanis prospectum iri: & interea Pauli opera alibi utentis. Vide *Act.* XVI. 7. 9.

Vers: 14. Nullo delectu gentium omnibus sese populis debitorem fuisse prædicat Apostolus; in

officio

officio prædicandi Evangelii, sive cultioribus quales fuerunt Græci & Romani: sive incultioribus, & barbaris. Et quia cuipiam videri poterat, illum Romanam gentem de industria vitasse, tanquam eo tempore excultissimam; ideo *vers.* 15. & 16. suspicionem hanc procul à se amovet. Nec enim voluntatem sibi adeundæ Romæ defuisse: quippe cum eum non puderet functionis suæ omni ex parte laudatissimæ, atque omnibus gentibus utilissimæ; quæ versaretur circa prædicandum omnibus Evangelium: quod esset omni credenti (quicunque ille præter Judæos fuerit) *Potentia Dei ad Salutem*, hoc est, efficacissimum medium ac remedium Dei, & via compendiosissima homines ad salutem adducendi.

Quomodo autem sit efficax istud remedium ad salutem credentibus, ostendit *vers.* 17. Quia in eo justitia Dei revelatur *Ex fide in fidem.* Fides non est οὐ σιγμὴ (in puncto, & indivisibili) sed προκοπὴν, & incrementum suscipere potest. Hinc discipuli Dominum rogabant, ut ipsis fidem augere vellet. Evangelium igitur Christi, homines ex fide, in fidem, hoc est, ex imperfectiori in perfectiorem proficientes reddit. Nam τὸ οὐ δυνῆ refertur ad Evangelium.

Aut, (quod potius sentio) denotat hic Apostolus discrimen inter fidem ex rationis, & fidem ex revelationis lumine ortam; quarum hæc propriè, & principaliter, fidei nomen obtinet; illa tantum analogicè. Tribuit autem fidei nomen huic ignobiliori ejus speciei, eo libentius, quod ipsi res esset cum hominibus. paulò ante omnis revelationis expertibus, quo facilius eos posset, in illa primariò dictâ fide, quam ex revelatione hauserant, confirmare; atque ipsis modum, alios homines sui similes ad eandem fidem adducendi, ostendere. Fides enim illa ignobilior, ex lumine rationis profluens, viam nobis muniit, & quasi manuducit nos ad veram, & nobiliorem fidem; simulque in revelationis veritate nos confirmat. Atque hæc est illa probitatis genitrix; aut ipsa probitas, quæ nos ad suscipiendam salvificam fidem idoneos reddit. Trahit enim ad se, hoc est, ad cognitionem sui Deus omnes, primum per Rationem, qua eos illustravit; operum ejus conscium, & (nisi ipsa sibi, atque officio suo desit) non ineptam æstimatricem: deinde vero per revelationem, & gratiam rationi prælucentem.

Notandus vero hic usus vocabuli δικαιοσύνη, quæ hoc loco sumi videtur in vulgari sensu, pro ἀνταποδόσει retributione mercedis, hoc est, pro redditione hominibus eorum, quæ singulis secundum opera eorum debentur, tam præmiorum, quam pœnarum. Fit enim mentio statim oppositæ hominum injustitiæ, justissimam pœnam promeritæ, & luentis. Fit mentio, & iræ Dei cælitus omnem injustitiam justò punientis, in hominibus qui excusari nullo modo queunt. Præterea redditur ratio quomodo reveletur ista justitia, statim *vers.* 18. hoc est, per revelationem iræ Dei, super injustitias hominum, veritatem in injustitia detinentium; quæ ira, aut justa punitio Dei, est pars illius ἀνταποδόσεως præmiorum ac pœnarum distributricis, quod vis per id innuitur; quia nihil justius sit, quàm animadverti in eos, qui maximum injustitiæ genus perpetrant: nec injustius quicquam sit; quàm veritatem, quæ promoveri, & propagari debeat, ut mentes omnium illustret; detineri in injustitia; tanquam in iniquo carere, ne homines sapientes reddat: quod propemodum idem est cum eo quod infra *vers.* 25. dicitur μεταλλάσσειν τὴν ἀλήθειαν ἐν τῷ ψεύδει. transmutari veritatem Dei in mendacium. quod fit cum veritas mendacii nomine informatur, & mendacium veritatis titulo se venditat. Qua capitalior esse nequit injustitiæ pestis.

Qua ratione verò fiat ista veritatis in mendacium transmutatio, vel contrà; Indicat posteà *vers.* 21. quod cum homines habeant notitiam Dei; puta veram; tamen eum, non ut Deum glorificent; neque digna beneficiis ejus gratia prosequantur; Sed, tanquam eum non nossent; indignis, numine ejus contumeliis, stultissimi irritent: & multò clarius *vers.* 23.

Sed prius, homines etiam ante revelationem, notitiam Dei habere; probat *vers.* 19. dum ait: Notum Dei manifestum esse in ipsis. Deum enim *(vers.* 20.*)* ipsis manifestasse invisibilem illam corporeis oculis; æternam suam potentiam, & divinitatem per admiranda Creationis opera; jam inde ab initio mundi, hoc est, ante omnem revelationem extraordinariam; ut ignorantiæ prætextum obtendere; & culpam suam excusare nequeant.

Mox, uti diximus *vers.* 21. exponit rationem, quomodo homines istam à Deo manifestatam veritatem in injustitia detineant; quia cum ignorare non possint Mentem illam Sapientissimam, & potentissimam, rerum omnium visibilium, & invisibilium, invisibilem opificem; non ut decuit purâ mente; & digno tanto numine, rectoque, & rationabili cultu eum coluerint, sed ineptissimis, & vanissimis cogitationum suarum figmentis ipsi complacere; & stultissimis officiis sapientissimum numen demereri voluerint. Quid enim inoptius aut stolidius erat; quàm gloriam incorruptibilis Dei; in similitudinem aut imaginem corruptibilium hominum; aut quod fœdius est, brutorum etiam contemptissimorum transmutare? Quis ferat hominis formosissimi vultum in specie deformissimi animalis aut Simii oculis omnium repræsentari; aut quis istud honori sibi potius, quam ignominiæ fore censeat? Atqui respectu incorruptibilis numinis, longè ignominiosior est, etiam pulcherrimi mortalium species; quàm respectu formosi hominis, ad exemplar, turpissimi vultus, deformata imago. Non mirum est igitur, Deum ignominiam hanc, ignominiâ puniviſſe; & quia homines cultum ejus tàm fœdis commentis conspurcaverunt, eos vicissim omni impuritatis genere inquinari permisisse.

Præsertim (*vers.* 25.) cum Idololatricus iste cultus præter ignominiam Dei, sub tàm vili specie spectantium oculis repræsentati; grandem ejusdem injuriam contineret; dum cultus ille, & λατρεία, soli Deo creatori debita; in creaturos, (easque sæpius hominum ipsorum, quàm Dei) transferretur. Atque hic notandum, Deum idololatricum cultum, non eo tantum nomine impatienter ferre, quod se sub vilis creaturæ imagine repræsentari pro contumelia habeat *(vers.* 23.*)* sed etiam quia eadem operâ divinum honorem, qui ipsi soli competit; creaturæ deferri necesse sit. eam rem pro injuria censere *(vers.* 25.*)* Utrique enim isti culpæ parti, meritò competentem ultionem Apostolus attribuit.

Vers. 18. Competentiam, & æquitatem pœnæ atque ultionis, qua homines per quæ peccant, per eadem puniuntur, hic ostendit. Quia, inquit, hominibus non placuit, Deum habere ὡς ἐπιγνώσει, hoc est, Deum, quem ex operibus ejus cognoverunt; eo, qui Numen ejus docuit; hoc est, spirituali, & rationali cultu colere, & venerari: ideo tradidit eos Deus εἰς ἀδόκιμον νοῦν. in reprobam mentem, hoc est, permisit eos, in eum delabi miseriæ statum; ut ipsis placerent quæ fieri non decet; (τὰ μὴ καθήκοντα) quia ipsis displicuit; quod fieri decuit.

Vers. 29. Injustitia sæpe in genere omne impietatis genus significat: quod hic vox πονηρία subindica-

re videtur. quamvis, & propriè ac peculiariter sic dicta injustitia multas habeat species, quæ ista voce denotari possunt. Inter πονηρίαν & κακίαν differentia aliqua ab Apostolo statui videtur.

Vers: 31. *Ἀσυνέτους.* Desipientes. Notandum vitium hoc inter ea delicta poni, quæ homines etiam revelatione carentes, reprehensione, imo pœna digna esse censent.

Vers: 32. Homines etiam ante omnem revelationem; prima fidei rudimenta habere possunt: qualia sunt quæ *Heb.* XI. 6. in iis requiruntur qui primum ad Deum accedunt. videlicet ut credant quod Deus sit; (quod ex operibus ejus cognoscitur) & quod sit remunerator quærentium eum (quod ipsa dictat ratio) Quale est & istud δικαίωμα τοῦ θεοῦ *(justificatio Dei)* quod hoc loco nosse dicuntur etiam expertes revelationis, hoc est, jus naturæ aut lumen ac dictamen rationis; quod infrà Apostolus legem scriptam in cordibus vocat, per quam homines damnant τὰ μὴ καθήκοντα, ea quæ non decent sive ea quæ inhonesta censent

Notabile verò est, quod jure naturæ, & lege in cordibus scriptâ; damnari dicuntur omnia ista, longo ordine recensita delicta; & quidem tanquam ἄξια θανάτου digna morte. Quod non ita præfracte explicandum est, ut singula capitali supplicio digna censeantur.

Nec enim unumquodque eorum dignum morte dicitur; sed homines ipsi talia patrantes digni morte: quia eos Apostolus hoc loco considerat, ut, præter spurcissima superius commemorata flagitia, repletos præterea omni injustitia, hoc est, plenos omnium istorum vitiorum; nec tantum delicta ejusmodi, ex intervallo per fragilitatem committentes; sed ea ipsa amantes, & in aliis quoque approbantes. Quamvis igitur aliqua ex istis vitiis separatim sumpta, solo rationis dictamine capitalia non videantur; tamen homines omnibus aut plerisque istis vitiis dediti ac repleti; præsertim usque ad ultimum nequitiæ gradum, qui est, cum vitia non propter voluptatem aut emolumentum; sed ipsa propter se amantur; jure ac meritò ab ipsa sana ratione, sibi soli relictâ, capitalium criminum damnari dicuntur. Nisi forte hoc loco θάνατος, mors, etiam minores pœnas per complexionem comprehendere censeatur; quæ respectivè pertineant ad eos qui leviora delicta committunt.

Jam verò & hoc notandum; quid συνευδοκία ista per quam homines gravissima aliorum peccata approbant. Quamvis cæcitatem eorum ejusmodi arguat, ut illa pro peccatis non habere videantur; non impediat quominus ejusmodi homines à Spiritu Sancto δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγινώσκειν, hoc est, jus naturæ cognitum habentes dicantur. Nec enim lumen rationis in hominibus etiam improbissimis; ita obscurari, & extingui potest; quin frequentibus honestatis strictoris oculos ipsorum feriat; & vitiorum suorum ac turpitudinis admoneat. Unde etiam in profligatissimis morsus conscientiæ nascuntur. Præterea nosse homines dici possunt; quod si modo velint, facile nosse possunt; imo verò quod nonnisi clausis mentis palpebris; (quas tamen sæpius vel inviti aperire coguntur) ignorare nequeunt. Breviter, Consentire, & applaudere sceleribus, quàm eadem patrare tantò gravius est; quantò gravius ea propter se amare, quam ob aliquod emolumentum, aut voluptatem eorum sibi interdum veniam facere.

CAPUT II.

CUm superiori capite ex occasione commendati Evangelii, quod in eo reveletur justa ira Dei adversus eos quoque qui extraordinaria revelatione carent, ostendisset Apostolus eos ἀναπολογήτους, (inexcusabiles) esse; in hoc capito transit ad eos qui revelationis expertes non sunt, commonefactione excitandos ad pœnitentiam. Cujus rei duo sunt indicia. Primum, quod hic eos alloquatur qui non συνευδοκοῦσι τοῖς τὰ μὴ καθήκοντα πράσσουσι. non applaudunt illis qui quæ non decent, faciunt: sed ea (κρίνουσι) damnant, & reprehendunt: Nec ignorant *(vers:* 1.) judicium Dei imminere iis qui talia committunt. De prioribus enim, hoc est, de carentibus revelatione, non dixerat; qui sciant judicium Dei imminere iis qui inhonesta patrant, (quod jam revelationem requirit) sed tantum quod sciant eos esse (ἄξιους θανάτου) dignos morte qui talia committunt, quod ratio sibi soli relicta comprehendere potest.

Secundo quod paulò post Judæos alloquitur gloriantes in Deo, & voluntatis ejus non ignaros. Vis argumenti Apostolici est à minus verisimili. Si enim ii qui magis ignari videntur voluntatis Dei, non effugerunt indignationem ejus delicta sua punientis: multo minus effugient qui non modo voluntatis ejus ignari esse nequeunt; sed ob cognitionem ejus gloriantur; si eadem committant.

Vers: 3. limitat generalitatem vocum πᾶς ὁ κρίνων Omnis qui judicat. quæ est in *vers.* 1. Non enim plane omnes qui reprehendunt τὰ μὴ καθήκοντα (ea quæ non decent) alloquitur; sed eos qui reprehendunt, & tamen eadem faciant.

Vers. 4. Divitiæ bonitatis Dei, & multiplex ejus gratia, in eo est; quòd non modo hominibus Rationis lumen infuderit; per quod discernere possint, honesta ab inhonestis, sed etiam ipsis per legem suam revelaverit nec præmiorum expertes virtutes, nec flagitia impunita fore. Nec eo contentus non modo non statim quoties peccant homines sua fulmina mittit, aut pœnas commeritas irrogat: sed in multa patientia ἀνοχὴ καὶ μακροθυμία tolerat peccantium delicta; expectans & longo quidem tempore ut resipiscent. In verbis τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει; notandum est, scopum longanimitatis Dei esse pœnitentium nostram.

Vers: 5. Posita ob oculos bonitate, & longanimitate Dei, exaggerat eorum delictum qui eâ abuti sustinent, nec eam suo pretio æstimant; sed quasi contemnunt. Objicit iis σκληρότητα duritiem cordis, & quasi deploratam improbitatem, ab omni resipiscentia alienum. Durum profecto cor esse oportet; quod emollire nequeat tanta Dei bonitas, & erga nos indulgentia. Deus comminatur iis competentem pœnam; quod pro spretis thesauris bonitatis Dei; thesauros iræ ejus sibi accumulent; quæ tametsi non statim erumpat;

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus, & tandem aliquando *revelabitur dies* iræ, & δικαιοκρισίας justi judicii Dei. Vox ἀποκαλύψεως indicat occulta nunc esse ista judicia Dei, cum homines peccant, (ut fidei locus sit) sed tandem revelanda.

Ἀποθέσθαι τὸν πλοῦτον. Quemadmodum enim homines divitias bonitatis Dei conculcant; ita permittit Deus ut sibi thesauros iræ suæ accumulent. Divitiis bonitatis, opponit thesauros iræ; atque id forte ἀποθέσθαι τὸν πλοῦτον vocat, quod quantò quis diutius, & majorem bonitatem Dei spreverit; tanto graviores pœnas daturus sit. Quamvis hæc reddi-

tio (apodosis) alio quoque modo satis clarè sequentibus versibus explicetur.

Vers: 7. Pios pulchrè describit, quod sint ὑπομονὴ ἔργου ἀγαθοῦ, δόξαν, καὶ τιμὴν, καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦντες, per patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærentes. Hic constantia in virtute, patientia boni operis dicitur, quæ sane digna est gloria, & honore; quia difficillima. Et ἀφθαρσία incorruptio nullâ melius ratione quæritur. Qui enim se mortuis operibus corrumpi non patitur; hunc ne ipso quidem mors corrumpere potest.

Vers: 8. Improbos describit τοὺς ἐξ ἐριθείας, eos qui sunt ex rixa. Meritò rixosi, & refractarii vocantur, qui in tanta rationis primum: deinde gratiæ, rationem illuminantis, luce, tenebras, & latebras nequitiæ quærunt: & quasi cum ratione ipsa, multoque magis cum verbo Dei rixantur, nec volunt in clarissima veritate acquiescere, quæ virtutem ac probitatem commendat; sed ipsi refragantes malunt obsequi mendacio: quod injustitiam, & improbitatem hominibus insinuat. Atque hic ut antithesis constet; aut veritas pietatem; aut injustitia mendacium significat; aut potius ista se mutuò inferunt. Quemadmodum enim veritas virtuti; ita mendatium nequitiæ hominis conciliat. Notanda hic descriptio judiciorum Dei, θυμὸς, καὶ ὀργὴ, θλῖψις, καὶ στενοχωρία, ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν. Excandescentia, & ira, afflictio, & angustia adversus omnem animam: eæ contra descriptio præmiorum δόξα, καὶ τιμὴ, καὶ εἰρήνη, καὶ ἀφθαρσία. gloria, & honor, & pax, & incorruptio.

Vers: 9. 10. Quia superius *vers:* 1. omnem damnationem, & tamen facientem τὰ μὴ καθήκοντα, id est, ea quæ non decent, inexcusabilem esse atque omninò puniendum in genere dixerat; nunc descendit ad species, ac dividit istiusmodi homines, (sicut & supra *Cap:* 1. *vers.* 16.) in Judæos & Ἕλληνας, Græcos, sub quibus comprehendit, sine dubio, & barbaros; quia eos *Cap:* 1. *vers.* 14. conjunxerat in vocationis suæ beneficio atque officio. Atque ostendit, quamvis alio modo Judæi, præ reliquis gentibus habeant aliquam prærogativam; tamen quod attinet ad pœnas vitiorum, & præmia virtutum, nullam esse differentiam aut προσωπολημψίαν, acceptionem personarum apud Deum; sed tàm Judæos, peccantes, per legem judicandos, & damnandos, quàm gentiles, sine lege (puta positiva) quasi per aliam legem, puta naturalem, judicandos, & puniendos. Causam vero adfert *vers:* 12. cur in pœnis ac præmiis operum nihil habeant Judæi præ gentibus. Quia *non auditores*, inquit, *sed executiores legis, justificabuntur* (*vers.* 13.) Jam vero gentiles possunt etiam esse executores legis, si faciant τὰ τοῦ νόμου, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, opera legis scripta in cordibus suis, juxta conscientiam suam. Jure igitur tàm eos qui contrà legem Mosaicam; quam qui contrà legem in cordibus scriptam, peccant puniri. Quemadmodum *vers:* 14. tàm eos qui legem habentes, eam exequuntur, & sunt ejus πρακτικοὶ factores; quàm eos, qui legem non habentes, natura, quæ sunt legis, faciunt (hoc est jus naturale, & legem in cordibus scriptam sequuntur) tanquam ejusdem factores justificari.

Vers: 16. Extremum judicium describit Apostolus non semel per eam proprietatem; quod in eo Deus judicabit occulta hominum per Jesum Christum. de quo loquitur 1 Cor. IV. 5. *quod illustrabit occulta tenebrarum, & revelabit consilium cordium.* Nec enim ex professione externa, & oculis omnium subjecta, homines judicabuntur; sed ex occultis animi habitibus; qui nonnisi frequentibus operum actionibus constant. Quod ut ostendat, ponit ob oculos Judæum ὁ ἐν φανερῷ (in manifesto) externa religionis suæ specie ac professione tumidum, & legis cognitione gloriantem *vers:* 17. 18. 19. 20. & tamen ὁ ἐν κρυπτῷ contra legem delinquentem, *vers:* 21. 22. Huic nihil prodesse ait externam speciem religionis ac professionem, ejusque exteriora, & carnalia signa, puta circumcisionem *vers.* 25. imo verò aggravare ipsius culpam ac delictum; quia per transgressionem divinæ legis, Deum contumelia afficit. *vers.* 23. & 24. Propter tales enim homines, qui externa specie Deo appropinquant, & tamen impiè vivunt; Deus blasphematur in gentibus. Itaque concludit in fine capitis, ejusmodi homines, qui externa specie Judæi apparent, non idcirco esse Judæos, nisi intus quoque, & in occultò tales sint; hoc est, præscriptarum in lege virtutum habitibus præditi. Nec eam esse veram, quæ est oculis corporeis subjecta, in carne circumcisionem; quæ est secundum literalem legis sensum, octavo die rite peracta; sed aliam invisibilem, & in corde latentem, hoc est, spiritualem circumcisionem: cujus gloriatio non est ex hominibus, sed ex Deo: quia circumcisio carnalis, hominibus, puta parentibus aut cognatis circumcidentibus: sed spiritualis, Deo, ex quo homines regeniti nascuntur, accepta ferenda est.

Notandum autem est hic literali legis sensui spiritualem opponi, dum *vers:* 29. τῷ πνεύματι, Spiritui, γράμματι, litera, opponitur. Quia secundum literalem sensum circumcisio carnalis; non in animo, sed in corpore fiebat: at spiritualis, non in corpore; sed in corde, seu animo atque mente. Quia vera Judæi legis transgressores, eo ipso ostendebant se esse corde incircumcisos; hoc est, se vera circumcisione carere; meritò illis spirituale præputium, & ἀκροβυστία *vers.* 25. objicit. Quemadmodum vicissim *vers:* 26. sequenti, aliis, præter Judæos, legis mandata servantibus, quamvis naturale corporis præputium habeant; circumcisionem attribuit, puta spiritualem, & quasi imputativam, quæ ipsis λογισθήσεται.

Ubi primùm notandum, ἀκροβυστίαν ἐκ φύσεως, præputium ex natura, opponi præputio spirituali: Deinde *vers:* 27. Spirituali circumcisioni, opponi carnalem, quæ hoc loco *literalis* nominatur.

Voces enim διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς, per literam, & circumcisionem, tantundem valent, ac si dixisset διὰ τῆς γραμματικῆς περιτομῆς, per literalem circumcisionem.

Et quia in fine hujus Cap. secundi ostenderat, nihil valere externam professionem Judaismi in negotio justificationis, nisi accedat interna, & occulta legis divinæ observantia, & circumcisio cordis; cujus aliæ gentes æquè capaces erant atque ipsi Judæi; ne quis existimaret, nihil electæ olim genti præ aliis omnibus superesse præcellentiæ; ideò capite sequenti præcellentiam hanc ostendit.

CAPUT III.

Vers: 1. De Judæo τῷ ἐν φανερῷ, id est, qui est in manifesto; & de circumcisione carnali loqui Apostolum liquet. Quamvis igitur in negotio justificationis, externam Judaismi professionem, & carnalem circumcisionem non multum prodesse *vers:* 25. dixerat; tamen ex aliis rationibus plurimum utilitatis afferre potuisse Judæis, prærogativam suæ gentis præ aliis, docet. Quarum rationum primam, hoc est præcipuam. (Sic enim intelligendum videtur πρῶτον; quia non subnectitur πρῶτον μέν.) esse, *quod ipsis concredita sint eloquia*

quia

quia Dei, τὰ λόγια τ θ̄ῡ. Eloquia aut oracula Dei, quamvis totum religionis ambitum comprehendere possint ; præcipuè tamen significare videntur promissiones Dei : quibus se non modo populo suo antiquo fœdere obligaverat, verum etiam toti humano genere spem fecerat pangendi longè perfectioris fœderis sæpe promissi, & prophetarum vocibus prænunciati.

Vers: 3. Quia dixerat, concredita Judæis esse oracula Dei, solvit objectionem, quâ quispiam argutari potuisset : quemadmodum habita fides obligat fidem ; ita fractam aut violatam ab hominibus Deo debitam fidem, exolvere aut annihilare mutuam Dei fidem. Dicit igitur perfidiam aut incredulitatem Judæorum, non aboleviſſe fidem Dei, quâ sese huic genti certis pactis obligaverat : præsertim in concredito atque apud hanc gentem depositio, eloquiorum suorum ac promisthonum thesauro. Idcircò quia non omnes, sed tantum τινες, ἀπίστησαν. quidam non crediderunt. Quamvis igitur homines, quibus cum Deo res est, reperiantur ψεῦσται, mendaces, quemadmodum, natura, & imbecillitate sua ; omnes sunt ad hoc vitium proni ; tamen Deus fidelis ac veritatis retinens permanet : ita ut nullus defectus, etiam ab acerrimis censoribus in ejus fide atque constantia deprehendi possit. quod illustri Psalmi loco confirmat. adeò ut perfidia, & iniquitas hominum ; fidem & justitiam Dei plurimum commendet.

Postea *vers:* 5. non tàm objectionem solvit ; quàm calumniam quorundam, ut ex *vers:* 8. patet, amolitur ; per quam sibi absurda sententia attribuebatur, quasi Deum injustum faceret, quod puniendo istam perfidiam, & iniquitatem, malè tractet, de se bene merentes. Quam objectionem aut criminationem vocat λόγον κατὰ ἄνθρωπον, hoc est, speciosam potius quam veram : & generi humano ad errorem, & mendacium admodum proclivi congruam. eamque breviter refellit, respondens absurdum esse, si Deus injustus putetur, qui est legitimus totius mundi Judex ; qui injustus ne cogitari quidem potest. quod idem Abraamus olim ipsi Deo dixerat. Justè igitur eos puniri, quorum injustitia justitiam Dei commendat.

Deinde eandem repetit calumniam, aut similem proponit, ut refellat : videlicet non esse metuendum, ut Deus tanquam peccatorem puniat, eum ex cujus mendacio Veritas Dei superabundavit in ejusdem gloriam, ac proinde facienda esse ejusmodi mala, ex quibus tanta bona proveniant. *Respondet*, id pernegando, atque ab ea opinione sese alieniſſimum esse ostendendo ; quæ sibi per injuriam & malevolorum calumniam ac maledicentiam tribuatur. Non enim se sentire facienda esse mala, ut eveniant bona, quia sciat, & fateatur eorum, hoc est, malorum operum (quicquid ex illis per accidens profluat) justam esse punitionem. Censeo enim, relativum ὧν (quorum) ad τὰ κακὰ (mala) potius ; quam ad τινες (quidam) referendum esse.

Vers: 9. Τί οὖν ; προεχόμεθα ; quid igitur ? præcellimus ? Posteaquam ostendisset breviter, non deesse Judæis, etiam posteaquam eorum nonnulli non crediderant, præ cæteris gentibus excellentiam ; redit ad negotium justificationis, de quo in superiori capite verba faciebat : atque in eo nihil omninò Judæos præ cæteris gentibus excellere ostendit ; quia quemadmodum aliæ gentes sub peccato sint ; quod se suprà ostendisse asserit, de cæteris quidem præter Judæos, gentibus capite primo ; de ipsis verò Judæis capite secundo. de quibus in hoc quoque capite testimonium Psalmi luculentum producit à *vers:* 10. usque ad 19. confirmans ea quæ de ipsis Cap. secundo dixerat. Et ne quis hoc testimonium ad alias, præter Judæos, gentes detorqueat, ait Legem, (observa librum Psalmorum legem vocari) ea quæ dicit hoc loco ; iis qui sub lege erant tribuere, ut omne os obturetur, & omnis jactantiæ ansa præcidatur.

Vers: 10. *Non est justus quisquam.* Hæc verba, ut & sequentia, quod attinet ad propositum Apostoli, qui de justificatione loquitur, etiam literali sensu, absque ulla hyperbole, vera sunt. nemo enim ita legem divinam servaverat, ut non esset obnoxius pœnæ, & ὑπόδικος τ θ̄ῳ̄ subjectus judicio Dei ; quia tunc modus justificationis erat in perfectâ observatione mandatorum legis, quâ nemo jure gloriari potuit. Cæterum quæ exaggerantur hic non æque ad omnes pertinent. Multùm enim distant frequentium actionum habitus, à rarioribus lapsibus. Cujus tamen differentiæ in justificatione legis ratio non habebatur. Eo fiebat ut quamvis illic quoque sancti, & Deo placentes non deessent, ex operibus tamen legis justificari non possent.

Meritò igitur *vers.* 20. Concludit, ex operibus legis, hoc est, ex perfecta observatione legis Mosaicæ, neminem justificari : Sed (*vers:* 21.) justitiam Dei, hoc est, justificationem, apparuisse χωρὶς νόμου sine lege.

Notandum autem est, quod vocem justitiæ hoc loco pro justificatione accipi nemo non videat : ut justa suspicio non defuerit multis, eandem in primo capite, eodem sensu accipi contrà quàm supra explicuimus : præsertim cum voces φανέρωται, manifestatur, & ἀποκαλύπτεται revelatur, sint idem significantes. Verum nihil obstat vocem hanc, non mutato significationis sensu, nunc latius, nunc strictius accipi : interdum etiam in alterutram significationis speciem pro locorum circumstantiis magis inclinare. Sensus enim significationis generalis potest comprehendere totum justitiæ distributricis, aut ut alii malunt, attributricis complexum ; per quam tàm bene merentibus præmium ; quàm male merentibus supplicium retribuitur. Specialiter autem eadem vox Justitiæ nunc justam male meritorum punitionem ; nunc benignam beneméritorum tractationem, hoc est, justificationem significare potest. Ergo prior species sensus, hoc est, generalior ; magis ad cap. primum : posterior & specialior magis ad hunc locum pertinet.

Sine lege justitia Dei manifestatur, hoc est, suprà legis vim, & quasi contra legis normam : quamvis hæc justitia testimonium habeat à lege, & prophetis, in tot, tanti beneficii Dei prædictionibus.

Vers: 22. *Justitia per fidem Jesu Christi, in omnes, & super omnes credentes.* Justificatio enim talis, qualem per fidem Jesu Christi consequimur, omnes sine ulla differentia aut prosopolepsia complexa est ; quia omnes peccarunt, & indigent misericordia Dei, & tàm benigno justificationis genere. quale nunc nemini nisi per fidem in Christum contingit.

Vers. 24. Describit istam justificationem quod sit facta δωρεὰν, gratis, & Dei gratiâ per redemptionem Christi Jesu. quæ redemptio si in propria notione vocis sumeretur ; esset hic manifesta contradictio in adjecto. præsertim cum statim remissionis peccatorum mentio fiat. Nec enim gratis ; sed pretio : nec Dei ; sed Christi gratiâ essemus justificati ; Nec dimissa nobis essent peccata ; sed in alio punita.

Fit mentio *Vers.* 26. & τ ἀνοχῇ τ θ̄ῦ̄ tolerantiæ Dei ; ut non soli Christo, sed & Deo patri, tanquam primæ salutis nostræ causæ debeamus ac tribuamus hoc beneficium. Christo autem tanquam

secundæ

ſecundæ cauſæ ; per quem Deus omnia quæ ad negotium ejus pertinebant operatus eſt. Neque vel minimum de Chriſti gratiâ , aut noſtra erga eum obligatione vel debito decerpitur ; quod is ea non fecerit , quæ neque fieri neceſſe erat , neque fieri decebat ; imò quæ fieri non poterant , quando in iis , quæcunque in noſtri gratiam fieri poterant , & quæ fieri par erat propter noſtrum bonum , vitam , & pretioſum ſanguinem ſuum impendit.

Verſ: 26. Ἐν τῷ νῦν καιρῷ in præſenti tempore. Non futuro , ſed præterito tempori , tempus iſtud præſens opponit : quia præteritis temporibus nondum Deus tantæ gratiæ ſuæ theſauros aperuerat.

Verſ: 27. Apparet ad gloriationem , & jactantiam Judæorum excludendam , Apoſtolum locum hunc communem de juſtificatione per fidem , ingreſſum ; qui nimio plus operibus legis ſuæ , & diſcrimini illi , quo ſeparabantur à cæteris gentibus , tribuebant.

Verſ: 28. Non ſimpliciter Apoſtolus à juſtificatione per fidem , nec omnia opera excludit ; ſed opera legis , quæ expreſſe ita nominavit. *Verſ:* 20. *& hoc* 28. Subdit autem rationem quia Deus nunc non Judæorum tantum Deus , & benefactor eſt ut olim Abraami , Iſaaci , Jacobi ; ſed etiam gentium. Quas eodem modo juſtificat , quo ipſos Judæos , hoc eſt , fidei interventu , niſi quod *verſ:* 30. Juſtificationi *ex fide* , qua Judæi ; juſtificationem *per fidem* , qua gentes juſtificantur , opponere videtur : forſitan ut denotetur illud diſcrimen ; quod in Judæis præſupponatur eſſe aliquid præter fidem , hoc eſt , opera legis , ex quibus juſtificandi eſſe videri potuerint. Expreſſe igitur negat Judæos ex illis operibus juſtificari potuiſſe , ſed ex fide. In cæteris vero gentibus non erant opera legis , quibus tribui poſſet juſtificatio ; ſed per ſolam fidem erat perveniendum ad hoc Dei beneficium. Quemadmodum igitur unus eſt Deus *(verſ:* 30.*)* ita uno modo , hoc eſt , *fidei interventu* diverſas licet gentes juſtificat. Subjicit autem doctrinam iſtam , *(verſ:* 31.*)* legem non tollere , ſed potius ſtabilire ; ut oſtendat bona opera , & obedientiam legis , non tolli per ejuſmodi gratiam Dei ; ſed longe magis quàm anteà ſtabiliri ; quippe , quæ ad piè vivendum , non ſtimulos tantum longè acriores ; ſed vires etiam robuſtiores mortalibus ſuppeditat.

CAPUT IV.

PErgit Apoſtolus in demonſtratione , quod non ex operibus legis , nec ex circumciſione homines juſtificabuntur : quia ne Abraamus quidem ex circumſione juſtificatus eſt. Ubi notandum : Judæos , qui ex iſtis ſolis operibus legis , quæ eos ab aliis gentibus diſtinguebant , æſtimabantur ; vocari ac deſcribi à Spiritu Sancto , per voces κατὰ σάρκα , ſecundum carnem ; quia hic non tàm illæ ſpirituales virtutes , quæ in operibus bonis cernuntur , per opera legis denotantur ; ſed illud carnale diſcrimen , quod Judæos à cæteris gentibus diſtinguebat , in obſervatione rituum ac ceremoniarum conſiſtens , ita ut inter opera legis circumciſio quoque ponatur , quemadmodum ex toto contextu , & infrà ex *verſ.* 9. *& ſeqq.* patet.

Ergo & Abraamus pater ſecundum carnem omnium Judæorum , eadem ratione hic κατὰ σάρκα conſideratur , & aſſeritur eum ex operibus non juſtificari apud Deum. Ubi ſimul tacitæ atque obiter occurrit Apoſtolus objectioni eorum , qui juſta Abraami opera maximam laudem , & commendationem meruiſſe cenſebant : non negando illum juſtis quoque ſuis operibus , aliquatenus gloriari potuiſſe ; ſed non ex illis apud Deum juſtificationis gloriationem habuiſſe , verum ex fide , quæ ipſi , teſte Spiritu Sancto , reputata eſt in juſtitiam , id eſt , juſtificationem. Quæ verba oſtendunt , reputationem iſtam fuiſſe ex gratia , non ex debito. κατὰ χάριν , non κατ' ὀφείλημα.

Non uno autem argumento probat Abraamum non ex operibus , ſed ex fide juſtificatum apud Deum. Primum ex vocibus Sacræ Scripturæ , quibus natura juſtificationis apud Deum deſcribitur. Deinde ex circumſtantia temporis , quo fides Abraamo reputata eſt ad juſtitiam. Verba Sacræ Scripturæ planum faciunt , eos qui ex fide apud Deum juſtificantur , non ſecundum debitum , ſed ſecundum gratiam juſtificari , quia ipſis id in juſtificationem reputatur ; cui natura ſua non debetur , tanquam merces , juſtificatio. ſed debiti illius ac meriti defectum , bonitas Dei gratuita ſupplet. Cum igitur verba Scripturæ Sacræ apertè oſtendant , juſtificationem Abraamo collatam , non ex debito , ſed ex gratiâ ; hinc evincitur eum non ex operibus juſtificatum : quia operibus non ex gratia reputatur merces ; ſed ex debito reipſa neceſſario debetur ac præſtanda eſt.

Verſ. 5. Natura juſtificationis ex gratia , ejuſmodi verbis deſcribitur , quæ gravis erroris anſam , niſi probe explicentur , præbere poſſunt. Eo accuratius explicanda ſunt.

Primum igitur obſervandum eſt , vocem (ἐργαζομένῳ) operanti , in quarto *verſ:* plena ac perfecta opera ſignificare , quibus videlicet omnino merces debeatur. Imperfectis enim , & multùm defectuum habentibus , merces non debetur. Proinde & vocem μὴ ἐργαζομένῳ non operanti *verſ.* 5. non eum ſignificare qui nihil omnino operetur , & omnibus plane operibus deſtituatur ; ſed in cujus operibus multi ſint defectus , & in cujus vita multa inveniantur delicta ſupplicio digna. Documento eſt , quod voci μὴ ἐργαζομένῳ , non operanti , adjungantur voces , πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ , id eſt , credenti autem in juſtificantem impium , hoc eſt , huic non operanti , tribuatur fides in Deum abſque omni dubio viva , & ſalvifica , non mortua , & inutilis , ſed operibus ſuis animata. Nec obſtat quod Deus hîc deſcribitur juſtificans impium , quaſi impietas una cum vera fide conſiſtere poſſit. Nec enim Deus juſtificat impium , dum eſt impius , aut qui obſtinate in impietate vivit ac moritur , ſed qui pœnitentiam agit , & impius eſſe deſinit. Non enim aliter juſtificat impium niſi remittendo peccata , atque ea nube miſericordiæ ſuæ operiendo , hoc eſt , ea non imputando : quamvis revera facta , & commiſſa ſint ; quemadmodum juſtitia hominibus imputatur , tanquam plene juſti fuerint ; cum tamen revera talis juſtitia in operibus eorum ſimul ſumptis , & in toto ſuo complexu conſideratis , non reperiatur. *verſ.* 6. Quæ gratia , & beatitudo illuſtri Pſalmi loco commemorata , nonniſi pœnitentibus , & poſita impietate ad Deum converſis , ſperanda eſt , & conferri ſolet. Non poteſt igitur cum vera fide conſiſtere impietas ; ſed tantum impietatis pœnitentia , & remiſſio ac venia. Notandum autem eſt , quod Apoſtolus verba Pſalmi : *Beatus vir , cui non imputaverit Dominus peccatum* , explicet *verſ:* 6. *Cui Deus imputaverit juſtitiam ſine operibus.* Non aliter igitur hominibus imputat hanc abſque operibus juſtitiam , quàm cum ipſis non imputat peccata , quamvis ab iis commiſſa ſint ; quæ tunc non reſpicit , nec eorum ullam rationem habet , quaſi nunquam commiſſa fuerint.

Verſ: 9. Tranſit ad alterum argumentum , quo probat Abraamum , non ex operibus legis , qualis erat circumciſio , fuiſſe juſtificatum ; quia iſta gratia

justificationis ipsi collata fuit adhuc in præputio, ante circumcisionem. Quæ ipsi injuncta fuit, tantum pro signo, & charactere justificationis ex fide; quam ante opus circumcisionis habuit; ut esset pater omnium, tam in circumcisione, quàm in præputio, fidem ipsius imitantium; ac per illam gratiam justificationis adeptorum.

Vers: 13. Tertium argumentum producit, quod non per legem promissio Abrahamo, & semini ejus facta sit, per quam ipsi hæreditas mundi promissa est; sed per justitiam fidei. Si enim ii, qui sunt ex lege, hoc est, soli Judæi, hæreditatis illius promissæ participes credendi sunt; cum videamus hæreditatem istam illos nequaquam adeptos, nec adepturos unquam; evacuatur fides, & irrita redditur promissio. Atqui hoc est absurdum. E. & illud.

Vers: 15. Quia ostendendo, non per legem, sed per fidei justificationem, nos promissorum Dei compotes fieri; legem opponit fidei, ac proinde hic diversa effecta ostendit legis, & fidei. Et ait, legem iram, hoc est, supplicium & peccati pœnam, introducere. Nec enim in lege gratia, & venia peccatis; sed pœna destinata erat. At per fidem, gratia promissionis acquiritur; cujus idcircò particeps esse potest, omne semen Abrahæ, tàm carnale legi subjectum, quàm spirituale, è cæteris gentibus legis expertibus, dummodo utrumque fidem ejus imitetur; qui est Pater omnium credentium. quod ex Genesi confirmatur *vers:* 17. & 18.

Sed eadem opera fides Abrahami fusius describitur, & commendatur nobis in exemplum; *vers.* 17. 18. 19. 20. 21. Primum. *Credidit*, inquit, *Deo vivificanti mortuos, & vocanti ea quæ non sunt, tanquam sint.* Secundum. *Præter* aut *contrà spem in spem credidit*, hoc est, cum haberet gravissimas desperandi ac diffidendi causas; tamen sperare, & credere non desiit. Tertium. *Non labefactata est fides ejus* oborientibus scrupulis ex effæta ejus carne, & mortificato Saræ utero. Quartum. *Nec discepavit contra promissionem Dei*; diffidentiæ, & incredulitatis dubitationibus; sed roboravit se fide adversus istiusmodi tentationes. Quintum. *Dans gloriam Deo.* Sextum. *ac certissimò fuit persuasus quod is præstare posset, quod promisit.* Ideo (concludit) *reputatum est hoc ipsi ad justitiam.* Applicat posteà Abrahami exemplum ad omnes credentes, asserens idem præmium justificationis destinatum esse omnibus, fidem Abrahæ imitantibus. Quam eò facilius imitari possunt, quod videant in resuscitatione Domini illustre specimen, quod Deus possit præstare quæ promisit. quod fidei adminiculum Abrahamum habuisse dici non potest. *vers:* ult. *Qui traditus, & mortuus est propter peccata nostra, & resuscitatus propter justificationem nostram.* Explicantur hæc verba infrà *Cap.* VI. initio: sed præcipuè *vers.* 6. ubi ostenditur mortem, & resurrectionem Christi esse typum nobis propositum, ut ejus exemplo moriamur peccatis, & crucifigamus carnem nostram seu veterem hominem, (quod explicatur sic ut non serviamus peccato.) ac posteà (*vers:* 4. *Cap.* VI.) sicut resuscitatus est à mortuis Christus per gloriam patris; sic & nos ex mortuis operibus resuscitati, in novitate vitæ ambulemus. Atque hoc est illa, nondum quidem consummata, sed inchoata δικαίωσις, (quarum tamen ambæ mutuo secum nexu cohærent) propter quam hic Christus resuscitatus dicitur. quemadmodum crucifixio carnis nostræ, & abolitio transgressionum; est causa finalis, cur Christus nobis in eo suscepta morte præiverit. Cum enim ceu peccati expers, & innoxia victima, in eo nobis præire non posset, ut rebellans peccati corpus, τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας (cujus mentio fit *vers:* 6. *Capitis* VI.) in seipso crucifigeret; innoxium, & mortale corpus suum crucifigi passus est; ut nos, ejus exemplo, corpus peccati nostri crucifigamus. Vide infrà penè totum *Cap.* VI.

CAPUT V.

QUia in fine *Cap.* IV: Justificationis mentionem fecerat; fructus istius justificationis ex fide, prolixè in hoc capite recenset. Ubi notandum, Apostolum tàm in calce IV. Capitis; quàm hic, ita de justificatione loqui; ut non consummatam tantum, & perfectam; sed etiam inchoatam comprehendat. Ait enim *Justificati gloriamur in spe gloriæ Dei.* Nec enim in consummata, spei locus erit.

Primus igitur ejus fructus est, quod *pacem habeamus vers.* 1. *erga Deum*, id est, quod non metuamus judicia Dei, & peccatorum nostrorum supplicia, credentes ea nobis non imputatum iri, utpote jam remissa. Quam pacem nos assecutos dicit *per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Secundus *vers:* 2. quod *per eundem accessum atque aditum habeamus fide*, aut fidei interventu, ad eum gratiæ statum in quo constituti sumus, dum speramus nos adepturos glorioſas promissiones Dei. Atque hoc utrumque est bonæ conscientiæ interrogatio ἐπερώτημα 1 *Pet:* III. *vers.* 21.

Tertius *vers:* 3. quod confirmationem spei ac fidei nostræ habeamus, per *afflictiones*, quæ adeò nobis molestæ non sunt, ut magnum afferant confirmatæ spei solatium, magnamque fiduciam erga Deum. *Afflictio* enim, *patientiam*; *patientia*, *probationem*, & spectatæ jam atque exploratæ virtutis laudem, ac proinde tantò firmiorem præmii spem gignit. Quæ spes adeo est firma, & solida, ut non sit ullum periculum ne nos decipiat, aut pudefaciat; *quia dilectio Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, nobis datum*, qui nobis perpetuo ponit ob oculos, singularem Dei erga nos affectum ac benignitatem, quod propter nos, adhuc in statu peccati existentes, & nondum Deo reconciliatos; dilectissimum filium suum in acerbam mortem tradiderit. In quo tàm Christus ipse caritatis in nos tanto illustrius specimen edidit, quantò *difficilius est (vers:* 7.) etiam pro optimis mortalium animam ponere. (quid si sint impii, ut nos fuimus?) quàm Deus ipse, qui dilectissimum pignus suum in salutis nostræ negotium impendere non gravatus est. Ergo si peccatoribus nobis, atque adeo inimicitias adversus eum exercentibus, tale beneficium præstitit; multò magis justificatis jam, & ad gratiam, & reconciliationem, per sanguinem filii sui admissis, (qui est victima illa propitiatoria, per quam Deus peccatoribus se propitium fore professus est) beneficia suo præstabit, & salvos atque immunes ab omni supplicio, & commerita noxa liberabit. Et *vers:* 10. *si dum adhuc hostes Dei essemus per mortem filii ejus*, quæ fuit privilegii illius de peccatorum nostrorum remissione sigillum, *reconciliati sumus Deo; multò magis jam reconciliati*, καταλλαγέντες, *salvabimur, in vitâ*, aut per vitam *ipsius*, quæ ut est signum ac typus resurrectionis nostræ ab operibus mortuis; ita est futuræ ad vitam æternam resurrectionis nostræ sigillum, præsertim ejusmodi glorificatione comitata, per quam adeptus est potestatem repræsentandi ea quæcunque nobis nomine patris sui promisit, ut nos non modò inchoatè, sed etiam perfectissimâ ratione, δικαίωσιν, justificare possit. Cujus vitæ, ac resurrectionis glorioſæ mentione facta;

facta ; in ea antitheſi ; quæ morti ipſius vitam , & reſurrectionem opponit ; oſtendit *quartum* , (quamvis cum ſuperioribus complicatum ,) juſtificationis noſtræ fructum , in eo , quod per tàm excellentem , & quo præſtantior ac magis ſalutifer poſt ipſum altiſſimum Deum cogitari nequit , Mediatorem ; nos eſſe reconciliatos gloriari poſſimus. Multùm enim erat ; quod pacem cum Deo , & ſpem liberationis à ſupplicio , culpis noſtris debito , habeamus: plus etiam quod ad expectandas glorioſas promiſſiones Dei ac præmia , acceſſum nacti ſimus. longè plus adhuc , quod per ſpectatam in afflictionibus noſtram erga Deum fidem , maximam hujus ſpei confirmationem habeamus ; conſiderantes Dei erga nos benignitatem , dum adhuc hoſtes ejus eſſemus ; collatam cum eo favore , quo nos jam reconciliatos , & ſibi ſervientes ; & propter ſe duriſſima quoque patientes aut paſſos , proſequitur. Sed illud multò maximum , quod iſtius ſpei noſtræ adeo excellentem auctorem , ſponſorem , & fidejuſſorem habeamus , Chriſtum inquam , ἐγερθέντα (reſuſcitatum ,) & viventem , ac ſedentem ad dexteram Dei patris eumque tàm arcto nobiſcum nexu conjunctam ; quam arctè liberi cum parentibus cohærent ; in quorum fortunam , ſtatum , & conditionem , ordinario rerum curſu naſcuntur ; quemadmodum nos in ſortem primi parentis noſtri Adami , & ſortem quidem miſeram , ob culpam ab eo commiſſam , nati ſumus. Sed nunc in ſortem , & conditionem longè nobilioris ſtirpis noſtræ auctoris , & quaſi progenitoris , renaſcimur , & ſortem certè tanto feliciorem ; quantò vita , morte , æternitas mortalitate optabilior cenſetur. Atque ea occaſione Chriſtum cum Adamo prolixè confert Apoſtolus in eo , quod ut per Adamum peccatum , ac deinceps mors ; ita per Chriſtum juſtitia , & juſtificatio , ac deinceps vita , & immortalitas in orbem terrarum intraverit. Verum protaſi ſeu priori ſimilitudinis parti *verſ:* 12. propoſitæ , non ſtatim ſubjicit apodoſin , niſi breviter , & implicitè in fine *verſ:* 14. ubi dicit Adamum eſſe typum futuri , relinquens lectori ex ipſo protaſeos ductu , ſubſumendam apodoſin. Quam tamen ipſam poſteà , infrà *verſ:* 18. & 19. explicatius reddit ; ne qua legentibus obſcuritas occurreret. Porrò priorem ſimilitudinis partem ſic proponit *(verſ:* 12.*) Quemadmodum per unum hominem peccatum irrepſit ; & per peccatum mors , & ſic in omnes homines mors tranſiit : quia omnes Adami peccatum , quamvis in alio peccandi genere , imitati ſunt.* Deeſt explicita apodoſis , ita , meo judicio , ex protaſi , & ex iis , quæ infrà dicuntur , ſupplenda : *Eodem modo* per unum *hominem juſtitia δικαίωμα vel juſtificatio , obedientia , intravit in mundum.* (Nemo enim ante Dominum noſtrum ita perfectè vixit ; ac voluntati Dei ſatis fecit ,) & per *ejuſmodi juſtitiam , pro unico exemplari , ad cujus normam ſeſe componerent , mortalibus propoſitam , ſpes & promiſſio juſtificationis , remiſſionis peccatorum , ac deinceps vitæ æternæ* , mortalibus tantam Dei gratiam amplexis oblata eſt : & ſic in omnes à Chriſto progratos , vita æterna propagata eſt : quia omnes Chriſti juſtitiam imitari , quamvis non in eodem perfectionis gradu , tenentur.

Verſ: 15. Quia modò dixerat omnes poſteros Adami , exemplo Patris ſui peccaſſe ; (Nam voces ἐφ' ᾧ , non de verbo ad verbum : In quo , ut relativum pronomen ; ſed *Quandoquidem* , ut rationalem particulam explicamus.) ejus rei rationem reddit. Quamvis enim videri poſſet , poſteros Adami ante legem , ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami non peccaſſe : quia expreſſa præcepta Dei , quæ tranſgrederentur , ſicuti Adamus , non haberent ; tamen iidem poſteri Adami uſque ad legem , uti & pater ipſorum , peccabant ; niſi quod non ita περισσεύσε , abundat (ut infra ait) ὁ παράπτωμα , delictum lege abſente. Sed tamen mors ab Adami temporibus uſque ad Moſem regnavit , etiam ſuper eos quibus , lege abſente , peccata non æquè imputari poterant , atque ipſi Adamo , expreſſum præceptum habenti ; ut & cæteris ſub lege peccantibus : quia & ipſi contra legem , in cordibus ſcriptam , culpas ejuſmodi committebant ; quibus pro ſtipendio mors debetur.

Quamvis ut fatear quod res eſt , poſſint iſtà verba , ſic quoque explicari ; mortem regnaſſe etiam ſuper eos qui licet peccarent ; Deus tamen μὴ ὄντα νόμον (lege non exiſtente) ipſis peccatum non imputabat , quemadmodum Adamo expreſſum præceptum violanti : atque adeò mortem regnaſſe ſuper eos , non propter ipſorum ; ſed propter unius Adami culpam. Quæ ſententia verior eſt ; non modo propter ſubſequentia verba toties iterata , quod unius delicto multi mortui ſunt ; ſed propter rem ipſam. Certum eſt enim Adamum , & poſteros ejus , poſt primum lapſum , ſtatim morti ſubjectos fuiſſe : Deo tunc de ſummi juris rigore non decedente. Quo ſenſu admiſſo ; voces ἐφ' ᾧ explicandæ ſunt ita uti ſonant. *In quo.*

Verſ: 15. Quia proximè dixerat Apoſtolus , Adamum veterem eſſe typum novi ; ideò monet , ſimilitudinem iſtam habere non unam diſſimilitudinem , ſpem ac fidem noſtram confirmantem.

Primùm igitur in eo eſt diſſimilitudo (ut jam taceamus , Adamum miſerrimi , Chriſtum autem beatiſſimi ſtatus poſteris ſuis auctorem fuiſſe) quod cum Deus ad clementiam , miſericordiam , & beneficentiam longè ſit pronior , & propenſior , quàm ad ſeveritatem , & ad perſequendum ſummum jus. Si in unius hominis peccatum , ea ſeveritate animadvertit , ut plurimos ex eo generatione carnali progenitos , in ejuſdem , quo fontem punivit , ſupplicii communione relinqueret : multò magis unius hominis , apud ſe gratioſiſſimi , perfectam obedientiam , ea gratia , & benignitate proſecutus eſt ; ut plurimos ex eo generatione ſpirituali progenitos (hoc enim ſemper ex vi ſimilitudinis cum Adamo addendum eſt) abundantiſſimæ illius gratiæ , quâ ipſum cumulavit , participes redderet , & theſauros miſericordiæ , & gratiæ ſuæ , per gratuitam remiſſionem peccatorum , & per liberale illud ac magnificum vitæ æternæ donum in eos effunderet.

Verſ: 16. Altera diſſimilitudo nos in ſpe ac fide noſtra confirmans eſt ; quod non ita ſe habeat donum Dei , quod in remiſſione peccatorum cernitur , quæ planè gratuita eſt ad homines juſtificandos ; ut ſe habuit unius hominis tranſgreſſio ad peccatum , ad homines damnandos.

Illic enim ex unius peccantis delicto , non ita certò ac neceſſariò ſequebatur , extenſa ad plures damnatio ; quia ſæpe poſteri inſontes à pœnis majoribus irrogatis eximuntur. Hic autem ex omnium , quæ plurima , & maxima fuere peccatorum gratuitâ remiſſione promulgata ; longè certius ac magis neceſſario ſequitur , ſingulos noſtrum juſtificandos eſſe , & publicæ gratiæ beneficio gaviſuros.

Quod ſi tamen illic *(verſ:* 17.) per unius tranſgreſſionem , & propter illum unum hominem , qui deliquit , mors regnavit in multos homines ejus poſteros , quod minus veriſimile videbatur ; quanto magis ii , qui gratuitam juſtificationis , & remiſſionis peccatorum donum , & abundantiam gratiæ ac promiſſionum Dei per os Jeſu Chriſti acceperunt ; regnabunt ac triumphabunt de morte in vita æterna per unum , & propter unum hominem Jeſum Chriſtum , ſalutis eorum auctorem , ex quo videlicet geniti , hoc eſt , per ejus doctrinam regeniti ſunt. Privilegium enim remiſſionis peccatorum , & vitæ æternæ , ad eos ſolos pertinet , qui ex Jeſu Chriſto naſcuntur ;

ex incorruptibili videlicet verbi Dei semine, aut ut frequentius Sacræ Scripturæ loquuntur, renascuntur. Concludit posteà *vers:* 18. & 19. & implet suprà omissam apodosin dicens expressè, quemadmodum per unius transgressionem aut lapsum in omnes homines damnationem ad mortem; ita per unius justitiam, δικαίωμα, in omnes hominis derivatam esse justificationem ad vitam æteruam. Et quemadmodum per unius inobedientiam hominis, multi peccatores constituti sunt; ita per unius perfectam obedientiam justi constituentur multi: quod sive de justificatione ipsa, sive de causis ejus intelligatur, perinde est; quia justitia, & obedientia Christi non modo ad justificationem hominum; sed etiam ad homines in reipsa justos, & sanctos reddendos, maximam vim habet.

Vers: 20. Ut ostendat ante istum unum hominem peccatum regnasse; addit, legem subintrasse, ut abundaret peccatum, hoc est, legem ante Christi adventum peccati regnum non sustuliisse: sed auxisse potiùs; quia ut suprà *vers:* 13. dixit, peccatum non imputatur lege absente: sed quantò magis abundavit peccatum; tanto magis superabundavit gratia.

Ut (*vers:* 21.) quemadmodum regnavit peccatum in morte; ita regnet gratia, gratuita remissio peccatorum, & justificatio in vitam æternam; verum ea non aliter nobis conferenda, nisi per Jesum Christum Dominum nostrum, ex quo nasci aut renasci debent, quicunque velint hujus beneficii esse participes; quemadmodum ex Adamo nascebantur; qui pœnæ, peccato ejus irrogatæ, erant participes.

CAPUT VI.

Occurrit objectioni quam ex ejus verbis nectere quispiam poterat. Quandoquidem quo magis abundavit peccatum, eò magis abundavit gratia: monendum esse in peccato, ut tantò magis gratia abundet. Respondet negando hanc consequentiam; quia non alio modo ista gratia, peccati abundantiam obruens, in nos redundavit; quàm per regenerationem, aut renovationem vitæ nostræ in Christum Jesu, quæ in eo est quod peccato mortui simus, & in novæ vitæ sanctitate vivamus. Qui igitur mortui sumus peccato; quomodo in eo vivere possumus.

Vers: 2. Mortuos autem nos esse: aut certe mortuos esse debere peccato, probat, quia in ipsa initiatione sacrorum ac religionis Christianæ, quæ fiebat per aquæ baptismum; professi sumus nos æquè peccato mori, ac renunciare, hoc est, illud plane deponere atque abjicere; per immersionem baptismi; ut olim Christus vitam suam pro nobis deposuit atque abjecit, per mortem. Immersio enim baptismi in nobis, & mors in Christo; sunt sibi invicem ἀντίτυπα, quia utrobique tàm immersi, quam morientis sublatio ex oculis hominum intervenit. Quemadmodum emersio in baptismo, & resuscitatio à morte; sunt sibi ἀντίτυπα, quia utrobique redditur oculis hominum is, qui ad tempus disparuerat. Dicit igitur nos in mortem Christi baptizatos esse, & mox consepultos ipsi per baptisma in mortem; quia cum initiaremur doctrinæ Christi, testati ac professi sumus per baptismi imaginem, nos veteris vitæ delicta, veterem hominem, corpus peccati ut loquitur *vers:* 6. non minus exuere, abjicere, & quasi sepelire propter Christum; quam Christus vitam suam propter nos exuit, & abjecit; & corpus suam trucidari ac sepeliri passus est. Quia vero baptismus aquæ non modo morti ac sepulturæ Christi per immersionem; sed etiam gloriosæ ejusdem resuscitationi per emersionem, est antitypus; ideò persequitur porrò similitudinem Apostolus, & innuit: quemadmodum Christus in hunc finem est mortuus & sepultus, ut posteà in gloriam patris resuscitaretur; ideo nos quoque veteri vitæ per immersionem, (quæ mortis ac sepulturæ imago est) renunciare, ut resuscitati ab operibus mortuis, quod per emersionem significatur, in novitate vitæ ambulemus, ita cæteris hominibus ejus sanctitate prælucentes, ut inde gloria Deo emergat. Cæterum quemadmodum mors ac resuscitatio Christi, typus est pœnitentiæ ac regenerationis nostræ; ita resipiscentia nostra, & crucifixio carnis, per quam peccato morimur; & redintegrato vitæ, per quam in novitate ejus ambulamus; est non modo typus, sed etiam certissimum signum, & necessarium antecedens; sine ullo dubio subsecuturæ nostræ *propriæ* resurrectionis, & glorificationis. Necesse enim est, quod ait *vers:* 5. ut qui mortis Christi eo modo comparticipes, & consortes fuerunt; sint quoque σύμφυτοι, & consortes resurrectionis.

Vers: 6. explicat quæ, & qualis sit ista mors, quam exemplo mortis Christi suscipere debemus, ut moriamur peccato, seu commoriamur, & consepeliamur Christo; Ait esse crucifixionem veteris hominis, hoc est, coërcitionem concupiscentiarum carnis, oculorum, & fastus vitæ: atque ejusmodi quidem, ut in nobis ita edometur, & mortificetur peccati corpus; ne ipsi unquam serviamus. Quæ verba exprimunt naturam istius sanctimoniæ, & regenerationis; quæ interdum aliquas cespitationes imbecillitatis humanæ non excludit; verum id poscit omninò, ne ullius habitus, & consuetudinis vitiosæ servitute, ad quam alioqui etiam ex rarioribus lapsibus lubricus, & pronus est discensus, implicemur. Proinde omnino nobis à peccando abstinendum est; ne peccatum in nobis, tanquam hostis intromissus, intra præsidia nostra regnare, & dominari nobis incipiat. Si enim mortui sumus peccato quod suprà probavit; reditum nobis ad peccandum occlusimus, & intercepimus; quemadmodum, qui corporaliter moritur, jam peccare nullo modo potest. δεδικαίωται justificatur à peccato; seu potius tàm revera justus à peccato, hoc est, exsors, & immunis peccati fit, quàm talis ab omnibus judicatur. Ubi videmus vocem *justificari*, sumi pro tali justificatione; per quam homo revera justus, & peccati innocens atque immunis efficitur. Porrò ut moriamur peccato, & sic quasi commoriamur Christo; maximum habemus stimulum in eo quod ipsum resuscitatum, & viventem in æternum videamus. Sic enim *similis* resuscitationis, & vitæ cum Christo degendæ firmissimam spem acquirere possumus *vers:* 8. quæ vita Christi resuscitati æterna est, non ad tempus reddita. Nec enim Christus ita resurrexit, ut ipsi iterum moriendum esset, quemadmodum Lazarus, & multi resuscitatorum *vers:* 9. sed in statum incorruptibilem suscitatus est: ita ut mors, quæ omnibus mortalibus dominatur, ipsi jam nullo modo sit metuenda *vers:* 10. Semel enim mortuus est peccato, id est, corruptioni. Nam quia peccatum est causa corruptionis, & mortalitatis; ideo per metonomiam corruptio, & mortalitas peccatum hoc loco dicitur: quemadmodum vice versa peccati opera, opera mortua vocantur; & ipsum peccatum corpus mortis infrà *Cap.* VII. quis me liberabit à corpore mortis hujus? Ergo Christus ita mortuus est corruptioni; ut ipsi iterum corruptio non sit metuenda: quemadmodum nos debemus mori peccato; ut peccatum aditum redeundi ad nos iterum habere debeat intercluſum. Quod autem revixit Christus, vivit Deo, hoc est, vivit vitam beatam, incorruptibilem, divinam: quæ hoc loco opponitur miseriæ istius vitæ, quæ vivitur peccato,

& corruptioni. Ut autem Deus ipse æternus est ; ita omnes qui ei vivunt, hoc est, qui vitam ad ejus voluntatem, & obsequium componunt, quod absque summæ beatitudinis sensu fieri non potest; æternos ac felices reddet. Hortatur igitur Apostolus, ut nos quoque censeamus nos mortuos quidem peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu; hoc est, in obsequio legum ejus, quæ unica est via ad immortalitatem. Aptè autem, & appositè peccati illius (*vers.* 12.) cui planè mori debemus, naturam describit ; *quod sit vitium regnans in mortali corpore nostro, ad obediendum vitiosis cupiditatibus :* qua descriptione habitus, & consuetudo peccati, quæ vim in nos dominatricem acquirit, depingitur.

Ut & *Vers:* 13. quòd sit *Vitium cogens nos, ut præbeamus membra nostra peccato ad flagitiosum ejus ministerium*, arma injustitiæ peccato servientia. Atque ibidem regeneratio depingitur, quod in eâ sistimus nos Deo ex mortuis viventes, & membra nostra ei præbeamus ad honestissimum, & gloriosissimum justitiæ ac virtutis omnis ministerium atque obsequium.

Addit autem *vers:* 14. rationem, cur peccati regnum excutere, aut etiam non admittere debeamus; quia habemus vires pares ac sufficientes huic victoriæ, quâ nos à servitute peccati vindicare possimus. Nec enim sumus sub lege, sed sub gratiâ, quæ nobis longè majores vires suppeditat, adversus peccatum pugnantibus, quàm lex unquam suppeditare poterat: ex cujus operibus, ut antea probavit, nemo justificari poterat; cum ex fide gratiæ, fide inquam ex Jesum Christum, gratiæ hujus divinæ primum præconem, & summum dispensatorem, justificari facillimè possimus, quod suprà quoque patuit.

Vers: 15. Solvit objectionem, quæ in animos eorum irrepere poterat, qui Paulum audiebant docentem, nos esse sub gratiâ. utendum igitur esse ista gratiâ ad peccandi licentiam.

Negat igitur objecti argumenti consequentiam, & respondet nobis jam per gratiam liberatis à servitute peccati, & assertis in servitutem justitiæ ; non esse integrum, excusso justitiæ jugo, peccati jugum subire. Cujuscumque enim non imperio subjecerimus; ejus servi efficimur. Nos autem cum essemus servi peccati, ut per gratiam Dei liberaremur ab hac miserrimâ servitute (*vers:* 17. & 18.) subjecimus nos justitiæ, ejusque servitutem quasi suscepimus. Sed eam servitutem ita describit, ut maximam ejus ostendat libertatem, & felicissimam sortem. Ait enim *Obediviſtis ex corde huic, cui traditi estis*, id est, vosmetipsos tradidistis, aut etiam à Deo traditi estis, *typo doctrinæ.* Quæ verba simul ostendunt, & servitutis justitiæ molle jugum. blanda enim est, & libera ac beata servitus, subjectum esse ei, cui ex cordi servias, hoc est, quem ames, & magnifacias : & simul jugi hujus tolerandi necessitatem. Quanto enim quis propensior, & synceriori animo sese subjicit alicui jugo ; tanto constantius ipsi tolerandum est. Cum igitur traditi simus quasi in servitutem justitiæ, & sanctitatis; nullo modo nobis licet ad peccandum, multò minus ad peccandi servitutem reverti.

Excusat autem *Vers:* 19. hunc loquendi modum, non ignarus servitutem istum justitiæ per nimiam catachresin servitutem vocari ; cum sit absolutissima libertas, & à peccati servitute manumissio. dicit igitur se humano more loqui, accommodando se imbecilli ipsorum captui : & pergit in cæpta similitudine. Quemadmodum inquit antea, præbuistis membra vestra, tanquam mancipia impuritatis, & injustitiæ ad peccandum; ita nunc præbete membra vestra mancipia justitiæ ad sanctè, & piè vivendum. Tunc enim cum peccato subjecti essetis, justitia in vos nihil juris aut potestatis habuit *vers:* 20. Proinde, & nunc cum justitiæ subjecti estis; nihil in vos juris aut potestatis habeat peccatum.

Vers: 21. Confert postea, statum utriusque servitutis ; & ostendit servitutis peccati fructum non alium fuisse, quam pudorem ; & morsum conscientiæ, ex flagitiosæ vitæ ignominia : deinde certò subsequentis mortis metum atque supplicium. Servitutis autem justitiæ (quæ obiter servitus Dei esse dicitur) fructum esse bonam, & hilarem conscientiam, & subsequentem eam firmissimam spem vitæ æternæ, & felicitatis adeptionem. Rationem hujus comparationis reddit ultimo versu, ostendens quod peccatis assignatum sit, & persolvatur, tanquam debitum stipendum, mors: Justitiæ vero ei, quæ est in Christo Jesu, donetur ex gratia Dei vita æterna. Opponitur igitur hic stipendio, donatio, id est, tanquam debitæ mercedi, gratuitum munus.

CAPUT VII.

CUm dixisset cap. superiori, peccatum nobis dominatarum non esse, quia non sumus sub lege, sed sub gratiâ ; ideò ostendit in hoc capite, primùm nos non esse amplius sub lege. Deinde solvendo obiter quasdam objectiones, depingit miserum statum eorum, qui erant sub lege: quòd peccatum ipsis dominaretur ; ut ex comparatione utriusque status, & ex consideratione liberationis nostræ à legè ; sumamus fiduciam, & vires debellandi peccati.

Ostendit autem nos non esse sub lege, per similitudinem ejusmodi. Quemadmodum uxor, vivente marito, ipsi lege devincta est, ne in alterius mariti jus, & potestatem concedat ; sed mortuo, liberatur à jure, & potestate prioris, ut possit nubere alteri, præsertim potiori; ita nos, vigente lege, eramus sub ejus potestate, in statu misero sanè, & calamitoso (ut infrà suis coloribus depingitur) sed moriente, aut mortua lege (θανατωθέντος ἐν ᾧ κατειχόμεθα *vers:* 6.) liberati sumus ab illo misero statu, in quo eramus sub lege ; ut possimus nubere longè potiori marito, hoc est, ((*vers:* 4.) resuscitato à mortuis ; ut sicuti ante cum essemus sub lege (quem statum vocat *In carne*, *vers:* 5. quia tunc essemus carnales.) concupiscentiæ peccatorum, per legem irritatæ, efficiebant ut fructificaremus aut fructum afferremus morti ; Ita nunc liberati à lege atque legi mortui, per mortem Christi, aut, ut ait Apostolus, per *corpus* Christi (subaudi videlicet in mortem traditum, quam mortem subsecuta est ejus gloriosa resuscitatio, & glorificatio,) & sic glorificato illi ac cælesti sponso desponsati, fructificemus seu fructum feramus Deo, serviendo ipsi (*vers:* 6.) in novitate spiritus ; non in obsoleta literæ vetustate.

Notandum autem est hic, Primum *vers:* 4. Apostolum liberationem nostri à lege sic describere θανατώθητε τῷ νόμῳ, *mortui estis legi*, quemadmodum antea mortui estis peccato ; quamvis, & antea dicere potuisset, mortuum, & occisum est in vobis peccatum, crucifixâ carne : & nunc similiter lex vobis mortua est. Quiâ eadem opera his verbis modum liberationis nostræ à peccato (per legem suscitato) ostendere voluit. Non aliter enim carnem crucifigere, & peccata in nobis occidere possumus ; quàm per assiduam mortis, & resurrectionis Christi meditationem ; quæ efficere potest ut verè à peccatis resurgamus. In quo quia resuscitationi Christi à mortuis conformamur ; ideo mavult Apostolus

iis verbis uti quæ nos per crucifixionem carnis ; morti quoque Christi conformes ostendunt.

Vers: 7. Occasione solvendæ objectionis, depingit miserum statum sub lege in carne viventium. Quia enim *vers: 5.* ostenderat eos, qui erant sub lege, fuisse carnales, eò quòd pathemata peccatorum, per legem suscitata aut irritata, efficacia erant in ipsis ad fructificandum morti ; poterat alicui oboriri suspicio, legem esse peccatum, aut certè causam peccati. Dicit igitur, & in subsequentibus fuse probat ; legem non esse peccatum, ac ne peccati quidem *causam per se*, sed tantum ejus occasionem (ἀφορμὴν) & *causam per accidens*. Primùm quo ad intellectum ; quia, vetando quædam peccata, ea docet, & homines quasi instruit quid concupiscere, & in quo peccare debeant. Exemplum ejus rei profert ex legis præcepto : Non concupisces. Non noscem, inquit, concupiscentiam, nisi Lex diceret : Non concupisces *vers: 7.* Quod quidem gravissimam ob causam, & necessitate urgente, lex præcipit ; quia non aliter potuit digitum intendere ad perfectius illud regenerandi sub Evangelio hominis obsequium. Sed illi sunt inexcusabiles, qui vulgò Casus conscientiæ concinnant, &, nulla necessitate urgente, ejusmodi peccata hominibus ob oculos ponunt, quæ ipsis fortè (nisi per eorum doctrinam admonitis) nunquam in mentem venire potuissent. Deinde, quoad voluntatem ; quia, absque lege, peccatum mortuum est. Ex interdicto enim, & prohibitione legis, stimulum, vim ac robur suum acquirit. Eo namque ingenio sumus homines, quòd nitimur in vetitum semper cupimusque negata.

Ergò sæpe in iis *(vers: 9.)* qui ante legem & præceptum vivebant, in statu innocentiæ ; superveniente lege ac præcepto ; peccatum exoritur, & nascitur, eosque occidit. non quod lex, & præceptum sit causa per se mortis eorum ; quæ per se potiùs est causa vitæ : *sed per accidens* ; & quasi occasionaliter. Concludit igitur legem, & præceptum esse sancta, justa, & bona *vers: 12.*

Notandum autem est, hic Apostolum non de seipso loqui, sed alienam personam assumere, id est, eorum qui sub lege in carne vivebant.

Primò. Statim enim ab initio id sibi tribuit, atque id de se loquitur ; quod de illo verè dici, quodque ipsi tribui nullo modo poterat. *Ego, inquit, vivebam aliquando sine lege.* Nunquam enim Apostolus vixit sine lege ; sed sub lege cum omnibus progenitoribus suis natus est.

Secundò. Cum verè de seipso loquitur, apertè fatetur *(vers: 5.)* se unâ cum aliis sui similibus fuisse quidem in carne sub lege : sed *(vers: 6.)* liberatum esse à lege, ut serviret Deo in novitate spiritus, non in vetustate literæ. Non igitur de suo proprio, aut certè non de præsenti statu suo ; sed de eorum statu loquitur, qui adhuc erant sub lege, & vivebant in carne, hoc est, carnaliter.

Tertiò. In tota ista de statu carnali dissertatione, in uno eodemque homine, legem simul, & carnem legi repugnantem opponit sibi invicem, legem excusando, & commendando, carnem autem, & peccatum accusando ; & in carnem culpam peccati, & mortis conferendo. Non igitur tunc poterat de iis loqui, qui erant à lege liberi ; ac proinde nec de semetipso.

Quartò. Persona, quam assumsit Apostolus, describitur tanquam homo servus peccati, πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, tanquam peccati ære emptum mancipium, & cui peccatum absolutissimè imperet, & qui elucteri non potest servitutem peccati. quod in Apostolum cadere nullo modo potest ; qui capite superiori asseruerit id, unde omnis ista dissertatio nata est, quod peccatum iis non dominabitur, qui non sunt sub lege ; sed sub gratiâ, hoc est, quod tales homines peccati jugum, & dominatum, excutere possint, & plane excutiant.

Quintò. Denique quod agnoscit *vers: 24.* hominem istum quem describit (in assumpta ejus persona) esse miserum, & qui nondum sit ereptus à corpore mortis hujus, hoc est, à servitute peccati, & ejus stipendio, morte. Versu autem proximè sequenti *vers. 25.* fatetur se esse felicem, & jam ab ista morte liberatum, & ereptum ; eoque nomine gratias agit Deo pro eo beneficio per Jesum Christum Dominum nostrum, in se collato.

Vers: 13. Objicit sibi : Ergo bonum mihi factum est, mors, hoc est, Ergo res tam bona, & sancta, & præceptum Dei, fuit *causa* (intelligè per se) tanti mali, hoc est, mortis. *Respondet.* Minimè. Neque enim vitio, & culpa legis id factum est ; sed vitio, & culpa peccati, habitantis in homine carnali : cujus crimen, & culpa vel per ipsam legis, & præcepti præsentiam intenditur, & gravior appareat. Dupliciter enim Lex intendit peccati culpam.

Primùm illud irritando ; ut nitimur in vetitur : Deinde illud aggravando, & inexcusabiles reddendo. Ita enim intelligo verba illa, peccatum, ut appareat peccatum. (Nam sine lege, ut suprà dixit *cap: v. vers. 13.* peccatum non imputatur.) Sicut & sequentia ; Ut fiat supramodum peccans peccatum per præceptum.

Vers: 14. Ulterius porrò excusando, & commendando legem dicit illam esse spiritualem, hoc est, mentis ac spiritus nostri judicio congruam. Hominem vero, quem describit, dicit esse carnalem, venundatum sub peccato, hoc est, peccati servum. Servitutum autem hanc peccati describit, quod talis homo nesciat quid faciat, aut quid facere debeat. Quamvis enim reluctans, & pro lege Dei pugnans conscientia, eum officii admoneat, & prorsus ignarum esse non sinat ; fugiendum esse id quod facit, & ab eo abstinendum ; tamen quod in omni peccato, etiam contra conscientiam commisso, evenit ; obnubilatur mens peccantis nescio qua caligine, ut quod ipse absolutè non faciendum esse judicat ; hîc & nunc tamen faciendum esse censeat, atque ita *(vers: 15.)* non id quod vult faciat ; sed quod odit, hoc est, improbat atque damnat. quod est certè hominis nescientis quid faciat. Atque ex eo *vers: 16.* concludit etiam conscientiæ peccantium confessione, & testimonio legem Dei esse bonam & sanctam.

Vers: 17. ut & infrà *vers. 20.* vox Ἐγὼ, ficus & *vers: ultimo 25.* per Synecdochen sumta pro mente, & recta ratione hominis istius, de quo loquitur, oppósita corrupto ejusdem appetitui, & habitibus peccati. Non enim ratio aut conscientia vel mentis judicium, eum impellit ad peccandum ; sed peccatum habitans in eo, hoc est, consuetudo, & habitus peccati. quia *vers: 18.* Non habitat in eo bonum ; puta in carne, aut appetitu, vel voluntate ejus carnali ; quâ sola ducitur ac regitur. unde fit, ut quamvis non raro velit aliquid boni ; tamen præstare nihil possit, & invitus non id quod cuperet bonum, sed quod nollet (puta secundum reluctantem conscientiam) malum faciat, & exequatur. Unde concludit non mentem, & rationem hominis, quam infrà νὸν ἐν τοῖς μέλεσιν vocat, eum impellere ad peccandum : ideoque mentem istam, & interiorem hominem, & νόμον δ νοὸς ἀντιμάχεται, hoc est, conscientiam, approbare legem Dei, tanquam bonam, & sanctam.

Vers. 20. Peccatum hoc loco vocat alteram legem, in membris nostris existentem, & resistentem legi mentis nostræ, hoc est, conscientiæ, quam

modo

modo interiorem hominem appellavit, & captivantem hominem legi peccati, existenti in membris nostris, hoc est, *Sibi*. Cujus pleonasmi exempla in Hebræis scriptoribus multa reperias. Pluit Dominus à Domino: & in ipso *Paulo* 1 *Cor.* 1. *vers.* 7. & 8. vide locum.

Vocat autem peccatum, *legem*, quia quemadmodum lex conscientiæ hominibus sanis, & incorruptis imperat, & dominatur, ut nonnisi secundum ejus præscriptum vivant. quæ potest dici lex naturæ; ita in hominibus pravis, & corruptis habitus, & consuetudo peccati carnis, imperat ac dominatur hominibus, ut ex ejus præscripto dissolute vivant. αἰχμαλωτίζοντα *Captivante*. vera servitus & captivitas est peccandi habitus; ut servire Deo, vera libertas.

Vers: 24. Ταλαίπωρος ἐγώ. *miser ego! quis me eripiet à corpore mortis hujus. vers:* 25. *Gratias ago*, &c. Ipsa verba indicant Apostolum dum se miserum vocat, aut non de seipso: aut certè non de præsenti statu suo loqui, dum istam servitutem peccati, & mortis, quæ in carnalibus hominibus cernitur; describit. Primum enim, unico persecutionis pro justitia casu, & solatio, nemo pro miseria gratias agit, nisi forte ἰδιωτεύων, cui tropo locus non est quoties res est cum Deo. Deinde Apostolus, id pro quo Deo gratias agit, per Jesum Christum se consecutum innuere videtur. Atque nihil eorum, quæ per Jesum Christum à Deo consecuti sumus, nos miseros, sed potius beatissimos nos reddere potest.

Denique in Jesu Christo, aut per Jesum Christum, tanta in nos beneficia Deus contulit, ac tàm felices nos reddidit, ut ipsi, unico excepto quem suprà diximus casu, per Jesum Christum nunquam gratias agere possimus pro misero statu nostro, absque summa in eum injuria & contumelia.

Vers: 25. Quia versum 24. totum, & initium versus 25. in parenthesi interjecerat Apostolus; ideò redit ad solvendam objectionem adversus legem Dei, ostendens illam esse bonam, & sanctam, etiam mentis, & conscientiæ nostræ testimonio. quæ quidem nos servire Deo facit; si secundum eam vivere velimus. Quemadmodum caro, carnalitas, & corruptus appetitus, & voluntas, nos legi peccati servientes efficit, quando nos subigit, ut secundum eam vivamus. Non igitur in his verbis Apostolus loquitur de homine uno, eodemque tempore considerato, dum *ait: Igitur ego mente quidem servio legi Dei; carne vero, legi peccati.* Nec enim quisquam, ut ait Dominus, duobus Dominis, præsertim tam adversis, servire potest. Sed hoc loco homo consideratur in abstracto, & secundum diversa tempora, & respectus. Si enim homo mentis, & conscientiæ suæ judicium sequatur; servit legi Dei. quod tamen sub lege viventibus, ut infra *Cap:* VIII. *vers.* 3. dicit, impossibile fuit ob ejus imperfectionem, & ἀδύνατον. Sin autem sequatur carnem, servit legi peccati. Ideo sequentis capitis initio utrumque istorum statum κατ' ἐξοχὴν, aut κατ' ἀποδοχὴν, & alterum κατ' ἐπιεικῆ sibi opponit.

CAPUT VIII.

QUia in isto *Cap. septimo* ostendit Apostolus, quod homines, si legem mentis, & conscientiæ sequi vellent (quod tamen sub lege Mosis viventibus, propter ejus imbecillitatem, ἀδύνατον (vide infra *Cap:* VIII. *vers:* 3.) impossibile esse innuerat, serviant legi Dei: si verò legem peccati, dominantis in membris nostris, seu in carne nostra, (quod idem est) quòd iidem serviant legi peccati: quo etiam epiphonemate concludit dissertationem suam, quam in *Cap. septimo* legimus; ideò initio capitis hujus octavi, ex hoc pronunciato infert invictam, & apodicticam consequentiam, non esse secundum legem carnis; sed secundum legem spiritus; præsertim divinam, & Spiritu Christi illustratam (vide *vers:* 2.) vivendum: quia remissio peccatorum quæ nos ab omni condemnatione liberos reddit, ad eos solos, qui secundum legem spiritus vivant; non autem ad eos, qui secundum carnem, pertinet. Ita omnia pulcherrimè secum cohærent. Præterea, quia sub finem capitis superioris commemoraverat illustre beneficium Dei, quod nos à corpore mortis, hoc est, à miseria, & servitute peccati liberaverit: Id enim designabat gratiarum actio Deo per Christum facta, nunc disertè explicat hoc beneficium Dei, quod nulla condemnatio, hoc est, nulla pœna, nullum supplicium sit metuendum Christianis, non secundum carnem, sed secundum spiritum viventibus, & ambulantibus. quæ verba habitum, & consuetudinem spiritualis vitæ exprimunt. In quo simul tacitè occurrit errori eorum; qui ex descriptione hominis carnalis, cujus personam proximo capite assumpserat, in carne vivendi veniam sibi indulgere potuisse.

Ergò ficut miseriam eorum, qui sub lege secundum carnem vivebant, proximo capite descripsit; ita nunc felicitatem Christianorem describens, una eademque opera monet satis prolixe ipsis non secundum carnem; sed secundum spiritum esse vivendum. Addit *vers:* 2. rationem, cur ipsis nulla condemnatio metuenda sit; quia *lex Spiritus vitæ in Christo Jesu*, liberavit eos à *lege peccati*, & ejus stipendii, mortis. Lex ista Spiritus vitæ, quia opponitur legi peccati, ut & in superioribus verbis; continet in se quidem legem illam mentis nostræ, hoc est, conscientiam, quàm νὸμ τῦ νοὸς ἀντιφατον vocaverat: sed & aliquid plus, hoc est, illustrationem mentis istius per doctrinam Christi. vocat igitur eam *legem Spiritus vitæ in Christo Jesu*, hoc est, mentem, & conscientiam illuminatam doctrinâ Christi, quæ nos ad vitam æternam ducit. Cui tribuit quod nos *liberet à lege peccati, & mortis*, ut videatur hic respondere illi quæstioni, quam proposuerat, & cui supra quoque in parte responderat; quod nunc plenius facit.

Quæsiverat enim paulo ante, *quis nos liberabit à corpore mortis hujus?* Et in parte responderat huic quæstioni, dum gratias agit Deo per Jesum Christum, innuendo gratiam Dei per Christum esse nos liberaturam ab hac miseria. Nunc ad eam plenius respondendo, ostendit modum & rationem, quomodo nos Deus per Christum liberat à servitute, & miseria peccati, nimirum per *legem Spiritus vitæ in Christo Jesu*, hoc est, per illam normam, & legem mentis nostræ doctrinâ Christi, viam ad vitam æternam docentis, illustratæ. Quamvis enim sola gratia Dei, peccata nostra nobis gratuitè remittentis, servemur; tamen quia hæc gratia ad eos solos pertinet & solis confertur, qui secundum istam normam, hic commemoratam, in Christo vivunt; ideò huic normæ, atque legi effectus hic tribuitur. Vocatur autem hæc norma legis nomine, ut opponatur legi Mosis, cujus infrà *vers:* 3. mentio fit. Opponitur in diversis utriusque legis viribus. *Lex* enim ista *spiritus vitæ in Christo*, est lex Evangelica, lex mentis, Evangelio illustratæ; quæ tantis pollet viribus, ut possit nos eripere à servitute peccati, per fidem, & spem vitæ æternæ, quæ fides, & spes occupantur circa spiritualia bona, & promissa. *Quod lex Mosis non poterat, quia infirma erat propter carnem, (vers. 3.)* hoc est, propter carnalia promissa, & præ-

& præcepta, quæ nos ab infirmitatibus, & lapsibus carnis nostræ liberare non poterant. Videamus autem quomodo beneficium Dei in lege Evangelica, quæ longè potentiores vires habeat, nobis collatum describat. Ait igitur quod *Deus filium suum misit, in similitudine carnis peccati; & pro peccato condemnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in vobis.* Quia enim vi legis Mosaicæ, ob imbecillitatem ejus supradictam; neque justi in reipsa fieri, neque justificari, hoc est, pro justis reputari poteramus, misit *Deus filium suum in similitudine carnis peccati.* hoc est, ut ait *Heb:* 11. 14. *Quia carnis & sanguinis participes fuerant*, ad quos servandos, atque à servitute peccati liberandos, venit Christus & ipse ὡσαύτως μέτοχε τῶν αὐτῶν, hoc est, *in similitudine carnis, & sanguinis proximè ad eos accessit, ut per mortem destrueret, vim mortis habentem, Satanam, & pro peccato condemnaret peccatum in carne.* Pro peccato, id est, propter peccata enim nostra Dominus mortuus est, quia primum sanguine suo obsignavit privilegium remissionis peccatorum. Secundum, ideo mortuus est, ut nos quoque peccato moreremur; & cum ipso ad nativitatem vitæ resurgeremus. & ut sic mori posset; in carne nasci, & ejus particeps esse debuit. *Condemnavit peccatum in carne*, id est, abolevit, & extinxit, non modo per remissionem peccatorum, cujus sigillum fuit mors ejus; sed etiam per extinctionem peccatorum, & carnalis vitæ in nobis, cujus typus fuit mors ejus in carne susceptа.

Ut justificatio legis impleretur in nobis. Denotat quod antea dixit, justificari ex operibus legis sub lege neminem potuisse; sed nunc demum justificationem istam impleri in iis, ad quos beneficium Dei, per Christi mortem collatum, pertinet. quod beneficium apertè restringit ad eos solos, qui spiritualiter, id est, sanctè, & piè vivunt, hoc est, quorum opera bona ita prælucent aliis; ut ea videntes homines glorificent Deum.

Vers: 5. *Qui enim sunt secundum carnem*, id est, qui secundum eam vivunt, & sunt carnales, carnalia perpetuo sperant, meditantur, exercent. & qui secundum spiritum, spiritualia.

Jam vero *vers.* 6. *Carnalis meditatio* τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς; est θάνατος, mors, & quæ præcedit mortem (supplendum ex antithesi) malæ, &, judicia Dei formidantis, conscientiæ miseria. Fere enim circa peccata occupatur carnalis cogitatio, hoc est, circa ea, quæ sunt in mundo, qualia sunt, cupiditas carnis, oculorum, & fastus vitæ, seges omnium peccatorum, quæ nos judiciis Dei obnoxios reddunt, & quorum finis mors, (*Sup: cap:* VI. 21.) τὸ δὲ τέλος ἐκείνων, θάνατος.

Contrà *spiritualis meditatio* τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, *vita, & pax*, hoc est, primum, spes vitæ æternæ; &, cum eâ conjuncta, bona conscientia, & pax, quam habemus apud Deum, justificati ex fide (*supra cap.* V. 1.) per reconciliationem cum Deo, quæ remissionem peccatorum continet. Deinde adeptio vitæ æternæ, præstantissimi boni, & omnis felicitatis numeros complectentis. quæ omnimoda felicitas per *Pacis* nomen designari apud Hebræos solet.

Vers: 7. Quia ostendit τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ducere ad mortem, & infelicitatem; dicit *meditationem istam Carnis esse inimicam Deo*, ideoque paci illi, & felicitati, τῷ πνεύματι, cujus proximo versu mentionem fecit, inimicam. Nec enim istiusmodi *meditatio*, & occupatio *subjicitur*, nec potest subjici *legi Dei*; ideò qui ista occupatione distinentur, id est, *Vers:* 8. *Qui sunt in carne*, &, quæ carnis sunt, spirant, *Deo placere* non possunt. Non igitur hominibus istiusmodi pax apud Deum sperանda est, & æterna felicitas, sed interitus & infelicitas.

Unde sumit occasionem *vers:* 9. ad dehortandum homines Christianos, ne in carne vivant, sumendo pro concesso eos *jam non esse in carne, sed in spiritu*; verum tamen addendo conditionem, *si modo Spiritus Dei:* (qui idem hic esse cum Spiritu Christi manifesto dicitur;) *habitat in iis*; si sint Christiani, veri Christi discipuli. alias non esse verè Christi discipulos innuit, in quibus spiritus Dei, qui idem est spiritus Christi, non sit.

Innuit autem *vers:* 10. in quibus Spiritus Christi habitet, in iisdem Christum ipsum habitare. Mavult autem subsumere *si Christus est in nobis*, quàm *si Spiritus Christi est in nobis*, quia voluit duas diversas in eo partes ab oculos ponere; quarum altera quasi mortua, & extincta sit, altera vivat, & vigeat, hoc est, *caro mortua per*, aut propter *peccatum*, seu respectu peccati; *spiritus* autem, quia vivum eum non æquè convenienter dicere poterat, dicitur *vita propter justitiam:* quia justitia, & pietas ut effectus, ita signum evidens sit, quod iste spiritus vigeat & dominetur in homine. Quia igitur mors, & vita in ipso Christo melius quàm in spiritu Christi exprimi poterat, ideò maluit dicere, si Christus in nobis, quàm si spiritus Christi est in nobis.

Sed & hinc manifestè apparet, ut ipsum Apostolum longè abfuisse, ita omnes Christianos longè abesse debere ab eo statu carnalitatis, quem *Cap:* 7. describit (ac proinde isthæc Apostolum non de seipso locutum, sed alienam personam assumpsisse.) cum in Apostolo fine dubio spiritus Christi, & ipse Christus fuerit; ideoque *caro mortua per peccatum*, aut peccato: in eo vero homine, qui *Cap:* VII. describitur, caro non modo viva sit; *sed captivans spiritum ad servitutem peccati cap:* VII. *vers.* 23.

Vers: 11. *Si spiritus ejus, qui excitavit Christum à mortuis*, hoc est, *Dei, habitat in nobis*, etiam is, *qui excitavit Christum à mortuis* (NB. titulum ac descriptionem Dei sub Novo Testamento) *vivificabit mortua*, aut mortalia *corpora nostra propter spiritum suum inhabitantem in nobis.* Unde apparet quàm enixè sit in eo nobis elaborandum, ut spiritum Dei, qui idem sit quoque spiritus Christi, (omnia enim, quæ Dei sunt, Christi quoque sunt; præsertim ex iis quæ ad salutem nostram spectant) habeamus, hoc est, ut nihil aliud frequentius cogitemus, meditemur, ponamus nobis ob oculos; nihil denique aliud spiremus quam Deum, & Christum (quemadmodum vita nostra sine assiduo respirio duci nequit) ita ut vita nostra in Dei, & Christi assiduâ, & continua meditatione, transigatur. quod fiet, si amore ejus capti, & saucii, perpetuo mentem nostram, imagine Dei, Christique; beneficiorum ejus recordatione; grata præteritorum memoria, certa spe futurorum, admiratione excellentiæ, sapientiæ, patientiæ, justitiæ, bonitatis divinæ oblectemus, patriâ in eum fiducia recumbentes, & subnixi, ac de paterna ejus in nos indulgentia certissimò persuasi: quod ipsum fiet, si graviorum peccatorum, multò minùs autem habituum, nobis minimè conscii, quibus offendi solet, pro viribus complacere ipsi studeamus; excubantes in assidua precum vigilantia.

Vers: 12. Ex quo apparet, id, quod concludit hoc versu Apostolus, *nos esse debitores non carni, ut secundum eam vivamus*, qualis vita nos ad æternam mortem perduceret: sed spiritui, ut ejus operâ carnis opera mortificemus; qualis vita nos ad resurrectionem, & æternitatem perducit, quæ omnibus filiis Dei promissa est, & continget, hoc est, omnibus,

omnibus, qui Spiritu Dei ducuntur. Tales enim soli sunt filii Dei.

Vers. 15. Describit istum spiritum Dei ab oppositio, quia contraria juxta se posita magis eluceſcunt. Non igitur *ſervitutis ſpiritum*, qui nos herili Dei severitate, sicut Judæi in lege terrebantur, terreat, *ſed ſpiritum adoptionis*, qui nos paterna Dei benignitate consoletur, & erga eum tenerrimo affectu imbuat; ita ut in omnibus nostris necessitatibus, tanquam filii ad indulgentissimum patrem recurramus, nos accepisse ait *vers.* 16. Atque hic spiritus Dei, spiritum nostrum, hoc est, rationem, & conscientiam adjuvat in dicendo testimonio, quod simus progenies Dei *vers.* 17. Si vero sumus Dei soboles; certè in statum ac fortunam, tàm excelso, & opulento patre dignam, nati sumus, quemadmodum filii in patrum suorum fortunam, quorum sunt hæredes, nascuntur. Quod si hæreditatis, quam cernere debemus, opulentiam non capimus; respiciamus hæreditatem Christi, & hoc quod jam crevit patrimonium. *Cujus cohæredes ſumus*, sed eâ conditione, *ſi ipſi compatiamur. & ipſi conglorificemur.* Compati hoc loco, non solas causa Christi susceptas passiones significat; sed comprehendit etiam illam boni operis patientiam, per quam commorimur Christo, crucifigentes carnem nostram. Nec enim semper omnes ita compatiuntur Christo, ut propter Dei gloriam persecutiones tolerent; quas Deus fidelibus suis, tantum quum opus est 1. *Pet.* 1. 6. immittit; sed omnes semper ita compati necesse est Christo, ut quemadmodum Christus corpus suum crucifigi passus est; ita quisque carnem suam cum concupiscentiis ejus crucifigat.

Vers. 18. Pulcherrima comparatio afflictionum hujus ævi cum glorioso statu nostro: qui quamvis nunc non appareat; tamen certissimè revelari debet in nobis. ex qua cuivis liquere potest: nos parva, exigua, & levi miseriæ molestia redempturos immensæ felicitatis voluptatem & gloriam. Non dignæ passiones hujus ævi ad futuram gloriam.

Vers. 19. Ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, attenta exspectatio creaturæ, expectat apocalypsin & revelationem filiorum Dei. Nunc enim eos, qui verè sunt filii Dei, nati ex verbo ejus tanquam semine incorruptibili; non apparet esse filios Dei, & quasi in occulto est illorum status. Æquè enim atque alii homines, interdum etiam magis, miseriis & contemptui vitæ hujus subjecti sunt. Suo tamen tempore producetur in apertum, & prodibit in lucem ac palam fiet gloriosus eorum status; qui eos longè perfectiori ratione filios Dei reddet.

Vers. 20. Ματαιότης hoc loco, non solam persecutionem Christianorum, religionis causa susceptam; sed, ex vi vocis, omnem ærumnosum mortalis ævi statum atque ipsam mortalitatem, quæ verè est δουλεία τῆς φθορᾶς, servitus corruptionis; significat. Qui status, ut & persecutionis, dicitur ματαιότης vanitas, propter brevem & cito transeuntem, fluxamque & evanidam earum rerum perpessionem, nullo modo cum solida & æterna felicitate comparandam.

οὐχ ἑκοῦσα (non sponte.) quemadmodum homines sana mente præditi, quæ natura sua excelsum nescio quid spirat; ita multo magis homines regeniti, quos hic creaturam (putà novam) vocat (quos certè altiores ac sublimiores spiritus gerere decet,) vanitati vitæ hujus ærumnosæ, gravatim & quasi inviti subjiciuntur; sed tamen stationem, in qua sunt constituti, non deserunt injussu imperatoris sui, sed molestias ejus æquo animo ferunt, propter eum qui ipsos in tali statu ad tempus vivere voluit. Habent enim solatium certissimæ spei; quod ab hac servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei liberabuntur.

Libertas gloriæ filiorum Dei dicitur illa æterna felicitas; qua tunc liberabuntur ab omnibus molestiis, quas ferre & pati vel inviti cogebantur damnati ad statum mortalitatis, subjectum variis casibus & ærumnis, quas inter ærumnæ persecutionum ob religionem.

Notandum autem, cum hoc loco ματαιότης præsecutionum quoque παθήματα, comprehendat; Apostolum hoc loco apertè dicere, homines regenitos ipsas persecutiones ferre οὐχ ἑκοῦσας, & invitos; ferre tamen διὰ τὸν ὑποτάξαντα, non iniquo animo. Unde apparet, persecutionum & perpessionum gloriam non temere captandam, neque se ultrò periculis objiciendum esse; sed tunc tantum, cum voluntate Dei nobis onus hoc imponitur.

Imò verò ait, homines regenitos, atque adeò ipsos Apostolos, qui primitias Spiritus Sancti acceperant, στενάζειν καὶ ὠδίνειν. Quæ verba, quia magis ad aliud ærumnorum vitæ hujus genus, referri videntur, quàm ad ipsas persecutiones, quas Apostoli hilari animo suscipiebant, imo vero in ipsis gloriabantur; (supra *Rom:* v. 3.) inde patet vocem ματαιότητος *vanitatis*, non posse ad solas afflictiones religionis causa restringi; sed latius ad reliqua ærumnarum mortalitatis genera extendi, debere.

υἱοθεσία dicitur ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος ἡμῶν, *Adoptio dicitur redemptio corporis nostri.* hoc est, resurrectio seu indutio corporis immortalis. Cum enim animus noster, etiam natura sua, incorruptibilis esse videatur; apolytrosis & redemptio ista, atque adeò adoptio in corpore nostro illo immortali & glorificato apparebit. Porrò υἱοθεσία seu adoptio filiorum Dei, dicitur hoc loco resurrectio, eo loquendi modo, quo suprà Dominus noster dictus est ὁρισθεὶς definitus filius Dei in potentia ex resurrectione mortuorum. Tunc enim verè ac proprie filius Dei quisque dici potest, quando per resurrectionem renascitur in statum ac fortunam gloriosam & filio Dei dignam, hoc est, ad immortalitatem.

Vers. 24. Concludit felicitatem ac salutem nostram non esse in præsenti, visibili & ærumnosa vita, sed in spe futuræ, ac melioris, sed invisibilis, ideo tanto potientius expectandam. *vers.* 25.

Vers: 26. Redeundo ad descriptionem Spiritus Dei, quam *vers.* 15. inchoaverat; ostendit præstantissimum Spiritus Dei fructum & effectum, quod succurrat & subveniat infirmitatibus nostris: quod precum nostrarum imperfectionem ac defectum suppleat: quod intercedat pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus. Quia verò Deus sit scrutator cordium, ideò novit mentem hujus spiritus; qui ipse quoque in cordibus piorum habitare inuitur. Mens autem, seu τὸ φρόνημα ejus est, indesinenter intercedere pro nobis. κατὰ θεὸν ἐντυγχάνει, secundum Deum intercedit. hæc verba explicant superiora & per eadem explicantur. Τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν. Sæpe enim nescimus quid petamus, ut quando aliquod petimus non secundum voluntatem Dei. qua in re infirmitatem nostram spiritus Dei adjuvat, intercedendo pro nobis secundum mentem Dei.

Vers: 28. Eos qui Spiritu Dei ducuntur, hoc est, quorum mentes, cogitationes, oblectationes, occupationes & actiones Deum spirant; vocat amantes aut deligentes Deum. Id enim proprium est dilectionis, frequenti & assidua rei amatæ contemplatione sese oblectare. Talibus igitur hominibus non modo Spiritum Dei quem habent; sed omnia cætera cooperari dicit *in bonum.* Ut enim de spiritu Dei dixit *vers.* 16. quod spiritum nostrum adjuvet in testimonio

dicendo ac perhibendo de eo quod simus filii Dei, συμμαρτυρεῖ, & *vers.* 26. de eodem dicit quod συναντιλαμβάνεται τῇ ἀσθενείᾳ ἡμῶν; ita de reliquis omnibus hoc loco pronuntiat, quod nobis cooperentur ad bonum.

Τοῖς κατ' πρόθεσιν κλητοῖς, id est, hominibus secundum propositum vocatis. Nexus cum antecedentibus hic est, quia supra dixerat nos sæpe nescire προσεύξασθαι καθ' ὁ δεῖ, orare ita uti deceat, nisi nos Spiritus adjuvet intercedendo pro nobis ad Deum, κατὰ θεόν, ad mentem Dei; hoc versu pronunciat infirmitatem istam nobis non nocere, sed potius auxilia Spiritus cooperari in bonum; ut & cætera omnia. Addit tamen tacitam conditionem, si diligamus Deum, hoc est, ut hic loquitur, si secundum πρόθεσιν Dei vocati simus; vel potius, si vocatione nostra utamur ad propositum Dei. Isti autem secundum propositum Dei vocati deprehenduntur, qui in vocatione sua vivant secundum mentem ac propositum Dei, ac satisfaciant voluntati & consilio Dei, & quasi efficiunt ut Deus finem suum, quem in iis vocandis præ oculis habuit, assequatur. Multi enim sunt vocati; sed pauci in quibus vocationis suæ finem & propositum Deus assequatur.

Ergo propositum istud Dei *vers.* 29. describit & exponit, quod eo fine eoque consilio Deus, mortales ad religionem Christi vocaverit; ut conformes fierent imagini filii ejus, quem voluit esse primogenitum in multis fratribus, typum & exemplar omnium ad quod vitam suam componerent. Hos igitur solos secundum propositum Dei vocatos asserit; qui proposito Dei satis faciunt. Verba verò *vers.* 30. *Quos præfinivit* (puta tali modo sicut *vers.* 29. explicatum est) *eos & vocavit*; ut & cætera subsequentia, ad propositum Dei restringenda, non autem ad eventum porrigenda esse, arguit vox ἐδόξασε, in præteriti significatione posita. Non enim tunc Deus omnes vocatos glorificaverat in ipso effectu, ac ne ipsum quidem Paulum, ut nec alios primitias Spiritus habentes, quos paulo ante ingemiscere dixerat, adoptionem expectantes; sed tantum in proposito ac decreto suo.

Quod propositum Dei explicando, modum, & ordinem ostendit, quem Deus in negotio salutis hominum sequi instituerit. Primum enim Deus proposuit ac destinavit homines salvos facere per filium suum: quem pro archetypo ab omnibus imitando exhibiturus erat. Deinde eosdem per Evangelii prædicationem vocare: tum demum vocatos justificare, hoc est, justos primum ac bonos, quoad ejus fieri potuerit (quæ via est ad illam gratuitam justificationem) deinde per remissionem peccatorum, & lapsuum justificare; denique justificatos demum glorificare. Vox enim justificationis, quin latius sumi, ut & illam quoque proprie dictam justificationem; per quam ex injustis, & impiis pœnitentes, & resipiscentes justi, & pii redduntur; non verò tantum gratuitam illam justitiæ imputationem, quæ fide viva præditis contingit, significet; causæ nihil video. Neque enim ista gratuita justificatio speranda est nisi iis, qui prius ex injustis per veram pœnitentiam justi (prout ferre potest imbecillitas humana) redditi fuerint. Nam & isti qui hoc modo justi redduntur, justificatione gratuita, & imputativâ plurimum omnes indigent. Cum autem cætera planiora sint; in verbis quoscumque vocavit, eos etiam justificavit non maxima difficultas hæret. Non enim omnes vocatos Deus justificat; sed eos tantum qui secundum propositum Dei, conformes fiant imagini filii ejus, hoc est, non secundum carnem vivant; sed secundum spiritum. Ut igitur indagetur verus sensus antecedentium; quærendus est sensus verborum istorum subsequentium, menti Apostoli & veritati congruus. *Quoscunque vocavit*, inquit, *eos & justificavit.* Non possunt igitur ipsa verba de effectu propositi Dei; sed tantum de ipso Dei proposito accipi, & explicari. Deus enim quoscunque per prædicationem Evangelii vocat, eos, nisi ipsimet proposito Dei repugnent; & conformes esse imagini Christi recusent, certò justificare constituit. Loquitur autem in præterito, propter certitudinem istius eventus ex parte Dei. ita ut sensus istorum verborum omnium, sit ad propositum Dei duntaxat restringendus. Quoscunque conformes esse imagini filii sui præfinivit, eos & vocavit ad id, ut secundum propositum ejus conformes fierent Christo; & in futurum quoque, quamdiu durabit mundus, vocare constituit. Quoscunque autem vocavit ad id; eosdem justificare: quoscunque justificavit; eosdem & glorificare constituit ac decrevit; & jam in proposito suo justificavit & glorificavit. Subauditur tamen ubique illa conditio, si proposito & consilio mentis Dei, quæ fuerat in ipsis vocandis, non repugnent, neque obluctentur.

Ex quo *vers.* 31. concludit id, quod initio capitis dicere instituerat; nihil esse metuendum condemnationis aut supplicii iis, qui secundum propositum Dei, non secundum carnem, sed secundum spiritum vivunt; quia si Deus pro iis, quis contra eos?

Esse vero Deum pro iis, quamvis jam ex eo probaverit, quod eos per imitationem filii sui servare decreverit, tamen novâ ratione probat *vers.* 32. quia ut saluti eorum consuleretur, Deus proprio filio non pepercit; sed eum pro omnibus tradidit in mortem atrocissimam. Si igitur in tanto beneficio, Deus tanti erga nos favoris specimen edidit; quanto magis σὺν αὐτῷ, cum ipso, omnia nobis gratuitò largietur, χαρίσεται. *vers.* 32.

Καὶ σὺν αὐτῷ, voces hæ & in activo, & in passivo sensu intelligi possunt. Passivo ita explicantur: Si Deus in gratiam nostri filium suum in mortem tradidit; qui ipse quoque amore nostri mortem hanc subiit; in quo certe tàm benefici servatoris maxima videbatur facta esse jactura; quantò magis quemadmodum eum nostro bono, per resurrectionem nobis restituit; ita ad hoc beneficium ejus nobis restituti ac propter nostrum bonum resuscitati, nobis cætera omnia adjiciet.

Activò autem sic: si Deus propter nos filium suum in mortem tradidit: qui & ipse mortem istam libenter suscepit; quorum illud Deo gravius ac difficilius factu videbatur; hoc autem eximii erga nos amoris testimonium erat: quantò magis tàm Deus quàm Christus nobis reliqua omnia gratificabuntur, in quibus largiendis nulla difficultas oboriri possit; quæ cum ea difficultate, quam Deus & Christus in commemorato beneficio in nos conferendo suscepit, comparari queat.

Vers. 33. Quis accusabit eos, quos jam Deus justificare decrevit, & in proposito suo, quod anteà asseruerat, justificavit?

Vers. 34. Quis condemnabit eos, quos unicus ac supremus eorum Judex ita diligit, ut pro iis mortem suscipere non recusaverit; & qui per resurrectionem, judicandi eos potestatem, posteaquam à dexteris Dei consedit, adeptus est; & nunc in istud Sanctum Sanctorum ingressus; tanquam misericors Pontifex intercedit pro ipsis? Nulla igitur à tam favente judice condemnatio metuenda, quod initio capitis ostendere instituerat κρεῖττον ἢ κατ' ἐλπίδα. Mors Christi grati animi pro præterito beneficio affectum; sed resurrectio spem futurorum beneficiorum ejus in nobis excitat; inter quæ est quod nobis nulla sit condemnatio metuendâ. Quamvis enim Christianis in hac vita multa tristia, & molesta accidant, afflictio, angustia, fames, nuditas, periculum, gladius; tamen ista omnia auxilio ejus, qui nos adeò dilexit, superare possumus.

Conclu-

Concludit caput istud de non metuenda nobis ulla condemnatione, notabili epiphonemate, in quo certissima divinæ dilectionis fiducia fretus exultat : Πέπεισμαι, confido, inquit, *quod neque mors* ; (ante diem immissa) *neque vita* (longius producta) *neque Angeli* ; (sine dubio eos intelligit qui nos contendunt separare à dilectione Dei) quamvis sint ita potentes, ut inter eos sint *principatus & potestates* ; neque *status præsentium rerum* satis iniquus ; neque si in futurum deterior fiat : neque ὕψωμα neque βάθος. [Possunt hæc spiritualius intelligi de suprema Dei Christique excellentia, comparata cum humilitate & indignitate nostra ; aut potius de cælestis ac terreni status discrepantia : sed voces οὔτε τις ἄλλη proprie dictam immensam terræ à cælo distantiam potius intelligi suadent] *neque ulla aliqua creatura separabunt nos ab ea caritate Dei*, quam nobis in filio suo Domino nostro ostendit. Deus enim, ut ipse omnia commemorata in potestate habet ; ita eadem filio in potestatem dedit.

Possunt fortasse per *principatus & potestates* intelligi Magistratus supereminentes, qui vitæ necisque potestatem, aut certe potentiam habent ejusmodi, ut ipsis in nos omnia liceant ; sive sint boni, sive mali, sive homines, sive Angeli. Ab Angelis autem tanquam dignioribus hanc enumerationem cæpit.

Οὔτε τις κτίσις ἑτέρα. Tacite innuit, ea omnia, quæ enumeravit, esse κτίσιν, creaturam ; quæ nihil potest contra voluntatem, mentem, ac nutum κτίσαντος. Si igitur creator pro nobis ; quæ creatura nobis metuenda est?

CAPUT IX.

POsteaquam in summi gaudii exultationem erupit Apostolus, ex consideratione magnitudinis & certitudinis felicitatis nostræ, revocavit sibi in memoriam unicum tacitæ lætitiæ impedimentum, quod in animo ejus non parum de summi gaudii puritate decerpebat. Id autem erat rejectio populi Judaici à gratia Dei. Quamvis enim, cum ipse in tuto sis, aliena pericula volventi, etiam ex alienis malis non mediocre solatium nascatur, juxta illud Lucretii : Suave mari magno tollentibus æquora ventis ; Tamen eorum, quos vehementer ames, pericula & calamitates animum non angere non possunt. Atque hæc est fortasse causa, cur Apostolus mæroris & anxietatis suæ eo nomine susceptæ, fidem facere tanta asseveratione conatus fuerit, ostendere volens quantopere gentem suum amaverit ; adeò ut ἀνάθεμα pro illa fieri voluerit, Mosis exemplo. Quamvis alia non desit gravior, quod apud Judæos spretæ ac neglectæ legis eorum invidia multum laboraverit ; atque odiis & persecutionibus eorum præ aliis objectus, & impetitus fuerit : ut minus credibile videri potuerit, eam gentem ipsi tam caram fuisse, cujus odiis & inimicitiis tàm acerbis exerceretur.

Vocat autem gentem suam *Fratres & cognatos secundum carnem* ; ut opponeret Christianis, fratribus & cognatis secundum spiritum. Ubi nota, voces κατὰ σάρκα Judæis tribui quamvis duas naturas non habuerint. Deinde ostendit amoris sui erga istam gentem graves causas, quod fuerint, Primo, Israëlitæ, posteri ex majorum clarissimâ stirpe. Secundo, qui eo discrimine à cæteris gentibus distinguebantur, quòd essent peculiari privilegio in filios Dei adoptati. Tertio, quod gloria fœderis cum Deo pacti præ aliis eminerent. Quarto, quod Deum ipsum legislatorem. Quinto, quòd peculiarem Dei cultum, cælitus præscriptum, haberent. Sexto, quod promissiones ipsis prius factæ fuerunt ; antequam ad alias gentes protenderentur. Septimo, quod non modo gens hæc ex majoribus clarissimis & Deo dilectis oriunda esset ; sed quod ex ea gente secundum carnem Christus prodierit, qui nunc est super omnes, Deus benedictus in secula.

Vers: 6. Rejectionis Judæorum æquitatem ex eo ostendit, & eam quasi excusat eo nomine, quod non veri, sed falsi Israëlitæ rejecti sunt, hoc est, quod rejectionem hanc non Deo, sed suæ culpæ imputare debeant.

Sed versus sexti nexus is est : Magno mihi dolori est rejectio populi Judaici ; & nollem eam factam ; sed non potest excedere aut irritum fieri verbum Dei. Occurrit hic quærendum, quisnam sit λόγος iste Dei, qui non posse excidere dicitur. Quia enim suprà mentionem fecit adoptionis, & fœderum ac promissionum Israëlitis factarum, quæ omnia, interventu τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ facta, potest primum videri Apostolus excusare rejectionem istam, atque ostendere nihil in eo Deum contra fœdera ac promissiones suos fecisse, quod istum populum rejecerit, quia fœdera & promissiones ejus non ad progeniem Abraami & Israëlis carnalem, τίνων ἡ σπερμὴ ; sed ad progeniem promissionis, τίνων ἡ ἐπαγγελίας, pertinebant, quod posteà fusè probat.

Altera vocis τοῦ λόγου explicatio est ; ut referator ad versum 27. & 28. ; & per hanc vocem intelligantur prædictiones, quas Deus per prophetas, præsertim Esaiam, fecit de rejectione istius ingratissimi populi. Quæ prædictiones irritæ fieri non poterant, quia populus iste duræ cervicis, & recalcitrans proposito Dei, nolebat evadere progenies promissionis, hoc est, verus Israël : fretus eo, quod esset progenies carnis Abraami & Israëlis. quæ tamen carnalis progenies, non erat verus Israël, ad quem fœdus & promissiones Dei pertinebant.

Probat posteà satis accuratè, adoptionem filiorum Dei *(vers: 8.)* non ad carnalem Abraami & Jacobi progeniem, sed ad progeniem promissionis pertinere, quia multi erant carnales Abraami filii, ut Agare & Cetura nati, & tamen dictum est, *In Isaaco vocabitur tibi semen.*

Unde concludit, adoptionis gratiam esse restrictam ad eam Abraami progeniem, quæ progenies promissionis dici poterat ; qualis erat Isaacus, qui *(vers: 9.)* Saræ promissus dicitur : & quod hoc loco reticet quidem, sed tamen in verbis *Verum liberi promissionis reputabuntur in semen*, satis clarè innuit, quod talis promissionis progenies futuræ erant omnes gentes, fidem Abraami imitantes, quia Abraamo promissum fuerat : eum patrem multarum gentium evasurum ; quod tali modo ad effectum deducendum fuit. Et certe verba, *reputabuntur in semen*, eam potius designare videntur progeniem, quæ non erat *Semen carnis*. Quid enim opus est reputari in semen id, quod jam est semen?

Quia verò non Abraami tantum, sed Isaaci & Israëlis quoque mentionem fecerat ; ostendit *vers.* 10. ne Isaaci quidem, (quamvis filius promissionis fuerit) carnalem progeniem omnem, ad istam, de qua hic loquitur, filiorum Dei adoptionem admissam : Sed gratiam istam Dei ad prærogativam soli Israëli, seu Jacobo, minori natu filio collatam restringi : non ob aliquod Jacobi meritum, aut Esavi culpam ; sed ex puro puto liberrimo arbitrio Dei, cui semper integrum sit eligere, in quem beneficia sua conferat. Atque in istâ contrà carnalis stirpis fiduciam argumentatione, eò diutius Apostolus immoratus est, quò plus ipsi tribuebant Judæi ; ut superbiam eorum retunderet.

Porro in *vers:* 13. vox ἐμίσησα (odio habui) per catachresin, neglectum potius ac præteritionem (ut sæpe aliàs) quàm odium verum designat, ut res ipsa loquitur.

Quia vero ostendit, Deum gratiam & beneficia sua in eos, quos vellet, contulisse ex mero beneplacito suo, præteritis ac neglectis aliis; occurrit objectioni, ac demonstrat Deum in eo nihil injusti committere; nec ulli mortalium injuriam facere, cum nemini quicquam debeat. Sed ut in occasionibus clementiæ in miserendo; ita in occasionibus beneficentiæ, in benefaciendo; nemini esse obstrictum, & omnibus legibus solutum, ac liberrimum Agens, quod confirmat testimoniis & exemplis.

Testimoniis, quia Mosi dictum est: *Miserebor, cujus miserebor.* Etenim inter plures pœnam commeritos, liberum & integrum ipsi est, alios pœna; alios veniâ prosequi. Neque id in ejus, qui pœnam commeritus est, potestate est, ut misericordiam consequatur; nisi in sola Dei miserentis voluntate. Exemplum autem profert Pharaonis, cujus Deus misertus non est; sed eum induravit, hoc est, clementiâ & admodum diuturnâ patientiâ & longanimitate sua, eò rem perduxit; ut perversi ac deplorati istius hominis malitia, nulla extrinsecâ necessitate aut violentia urgente, ipsa per se obduresceret: ita ut nullis posteà monitis aut sanis consiliis flecti posset, sed atrocibus Dei judiciis frangenda esset. Ex omnibus enim pœnis, ipsi inflictis, eum non magno negotio evadere permisit; ut & Magos ipsius Mosis miracula imitari; adeo ut obstinatum illud ac vecors ingenium, in sua pervicacia identidem confirmaretur, ejusque pertinacia indies robustior evaderet.

Qua in re nihil agere solet Deus, ex quo peccati autor meritò videri possit. Nec enim aut malitiam in corde hominis procreat, aut vult seu optat ut homo peccet; Sed sapientissimo & justissimo consilio suo ut virtuti, gloriæ, simulque præmio & pœnæ, denique divinæ suæ gubernationi locus esse possit, libertatem voluntatis humanæ ita moderatur, ut, illibato ejus arbitrio (quod sine permissione, ut peccata sæpe evenire possint, fieri nequit) ea, quæ in decretis suis proposuit, ad effectum perducantur. Ergò ut probitati & virtuti mortalium, stimulos, occasiones, auxilia deesse noluit: ita in viis suis eas pravitati ac improbitati hominum tetendit insidias; ut suismet fraudibus irretita impietas, caperetur. Vult igitur & optat Deus ne homines peccent: sed eos violenter non cogit, ad innocentiam. Ideò quoties invito Deo peccant, ostendit interdum in iis puniendis potentiam suam, & in eo quærit gloriam, ut fecit in Pharaone. Nam vox ἐξήγειρα (Excitavi) non eum habet sensum, quasi, antequam Pharao peccasset, Deus ipsum ad peccandum excitasset: Sed idem significare videtur quod σκληρύνω (indurare). Ut enim indurare dicitur Deus, quamvis per se duritiem istam & obstinationem in peccando non procreat; sed tantum patientia sua & impunitate, pravitatem hominum indurari permittat: ita excitasse dicitur Pharaonem ad obluctandum sibi, patientia nimirum & impunitate, aut impunitati proximâ; nimium facili pœnarum relaxatione

Posteaquam Apostolus probavit, licuisse Deo, salva ejus justitia, in Jacobum, nihil tale meritum; imo necdum genitum, conferre beneficium, præterito ejus fratre natu majore; quamvis & ipse, utpote nondum natus, nulla culpa iram Dei provocaverit: ex eo, quod Deo inter plures peccatores, liceat, salva justitia, aliorum misereri; alios autem indurare: opponit sibi *vers:* 19. objectionem, quæ sic sonat: *Dices igitur mihi? Quid adhuc queritur? voluntati ejus quis restitit.*

Quam objectionem duas diversas partes continere, tàm ex antecedentibus patet; quam (& quidem multò magis) ex consequentibus.

Ex antecedentibus. Quia hæc objectio tàm adversus ipsam quæstionem, An licuerit Deo, salva justitia, Jacobum quidem in meliorem; Esaum verò in deteriorem sortem destinare; quàm adversus argumentum, ad affirmativam decisionem ejus probandam allatum; quia nimirum ipsi liceat; inter plures peccatores, aliorum misereri, alios autem indurare; Adversus, inquam, utramque istarum propositionum æque, diverso tamen modo militat atque pugnat.

Tam enim Esaus objicere poterat, iniquè secum actum, qui nulla sua culpâ ad deteriorem sortem damnatus & genitus sit; cum destinationi Dei resistere non potuerit: Quàm Pharao & peccatores indurati atque adeo ipsi rejecti Judæi, sese extrà omnem culpam & reprehensionem esse: quia voluntati indurantis Dei resistere non potuerint.

Sed clarius adhuc in subsequenti responsione duæ istæ diversæ objectionis hujus partes deprehenduntur, quia ad priorem *vers:* 20. & 21. ad posteriorem verò *vers.* 22. & sequentibus, separatim respondet, nisi quod in posteriori responsione, perinde ac suprà cap. quinto protasi apodosin; non subjunxisse videtur, aut potiùs eam ad finem capitis, & quidem implicitè proponendam, distulisse.

Ergo ad priorem partem sic respondet, non posse quenquam mortalium, injuriam sibi ullam à Deo illatam, prætendere in eo, quod in deteriorem sortem & fortunam, quam alii, genitus sit, quia Deo absolutissima sit in suas creaturas potestas, non minus ac figulo in sua vasa; quæ, ex eodem luto, alia ad honestiorem, alia ad viliorem usum, pro beneplacito suo fingit: & æque absurdum esse, si creatura cum suo creatore, quàm si vas cum suo figulo, de injuria eo nomine sibi facta, expostulet.

Atque hæc responsio ad priorem duntaxat objectionis partem restringenda, non autem ullo modo ad posteriorem porrigenda est: ob duas potissimum, easque gravissimas rationes, imo vero demonstrationes.

Primum, quia in hac responsione, nulla omninò culpa attribuitur aut objicitur Vasi, quod ad ἀτιμίαν fictum est, ob quam ita fictum sit; sed potius omnis causa, cur ita fictum sit, refertur ad liberrimam figuli voluntatem, ac beneplacitum: quemadmodum & in ipsa quæstione deterioris status Esavi, in quem natus est, nulla culpa aut causa in ipso Esavo deprehensa est: imo vero expressis verbis dictum est, id non ex ullo ejus malo opere; sed ex liberrimo vocantis atque eligentis Dei arbitrio profectum esse.

In posteriori verò (quam statim subnectemus) responsione ad objectionis partem, ex ipso quæstionis propositæ argumento depromptam; iis, quorum Deus miseretur, aut quos indurat; manifesta objicitur culpa, in quo seu misericordiæ, sive etiam iræ Dei locus sit; quemadmodum in ipso quæstionis argumento, ex quo objectio deprompta est, misericordiæ expressa; oppositæ vero ipsi severitatis, implicita mentio facta fuerat; quorum utrumque culpam eorum, qui alterutri obnoxii sunt, & quidem latissimam, præsupponit.

Altera causa, cur ista responsio ad posteriorem objectionis partem porrigi & protendi non possit, est; quod in ea absolutè conceditur positum illud in Objectione enunciatum, voluntati Dei eos, quos ad deteriorem sortem produxit, non restitisse; quia nec potuerint. At in solvenda posteriori objectionis parte, id ipsum enunciatum concedi nequit. Imo verò eos, qui à Deo, interventu ejus longanimitatis, indurantur, voluntati Dei, & quidem obstinate, restitisse dici potest ac debet; atque adeò ab ipso Apostolo, ut infrà videbimus, non obscurè dicitur.

Nunc

Nunc quomodo ad posteriorem respondeat videamus.

Posterior objectionis pars, quâ peccatores indurati, atque ipsi rejecti à gratia Dei Judæi, uti poterant; erat: Sese reprehendi non posse, quia voluntati indurantis, aut rejicientis Dei, resistere non potuerint.

Respondet igitur *vers.* 22. Meruisse eos maxima & latissima culpa suâ, non reprehensionem modo; sed paradigma & exemplum iræ ac potentiæ Dei; quia voluntati Dei satis contumaciter restiterint; quippe qui (ut ait suprà *Rom.* 11. *vers:* 3. & 4.) divitias bonitatis, ac tolerantiæ, ac longanimitatis Dei, ducentis eos ad pœnitentiam, spreverint, & secundum duritiem suam & impunitens cor, thesaurisaverint sibi iram in diem iræ &c. Id ipsum enim est, quod hîc ait, *tulisse ac toleràsse Deum in multâ longanimitate vasa iræ, præparata & quasi jam suopte impetu tendentia ruentia ad interitum.*

Ubi tria notanda sunt. Primo, modus indurationis Dei, per quem homines sceleſtos ac perversos, qualis fuit Pharao, indurat: Impunitas & tolerantia in multâ longanimitate peccatorum ab ipsis commissorum. Qua utitur interdum Deus (*Heb:* XII. 8.) erga eos quos non amat; & qui dicto loco, *Heb:* XII. dicuntur νόθοι καὶ οὐχ υἱοὶ, Spurii & non filii: aut quos vult ἀποδεικνύειν, in exemplum iræ suæ aliis proponere.

Secundo, Non omnes erga quos Deus utitur *hac tolerantia in multâ longanimitate* sunt à Deo damnati; ad metuendum aliis iræ suæ exemplum. Per se enim ac naturâ suâ *Rom.* 11. 4. (τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ.) bonitas Dei, ad pœnitentiam nos ducit. Sed per accidens; ob interventum perversitatis nostræ; bonitas ista Dei, duritiem & impœnitens cor in nobis procreat; culpâ profectò nostrâ, non autem Dei. Nec enim Deus in culpa est, quod vias suas ita comparatas esse voluerit, ut, quamvis natura sua rectæ & planæ sunt; tamen soli justi in iis inoffenso pede ambulare possint; perversi autem collabantur & corruant.

Tertio, Ad eos, quos Deus vult ἀποδεικνύειν, seu in quibus vult ostendere iram, & notam facere potentiam suam, (quod nonnisi post multa & gravia peccata commissa evenire solet) præcipuè pertinet, quod *vers:* 16. dicitur, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* subnectitur enim illi huic dicto, illa declaratio: *miserebor, cujus miserebor.* quod indicat peculiarem & extraordinariam Dei misericordiam. Nam ordinaria Dei misericordia ad omnes, præcipuè pœnitentes pertinet.

Vers: 22. & 23. Postquàm respondisset Apostolus, ita ut suprà dictum est, ad utramque objectionis partem, ex posteriori responsione deducit consectarium argumentando à minori. Sensus argumentationis, ità proponi potest. Si Deus in rejectione populi Judaici, qui per multam tolerantiam & longanimitatem Dei induratus erat; ostendit iram & notam fecit potentiam suam adversus vasa iræ: multò magis in admissione gentium ad illam adoptionem, quondam solis Judæis oblatam, quibus glorioſam felicitatem donare constituerat, & quasi præparaverat; ostendit, & notas omnibus fecit divitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ. Et per hanc explicationem, versus 22 Connexi hujus protasin; versus verò 23. ejusdem continebit apodosin.

Vers: 25. Redeundo ad id quod initio dicere occæperat; non potuisse excidere τὸν λόγον τοῦ θεοῦ; sed debuisse impleri prædictiones, tàm de vocatione gentium, quam de rejectione populi Judaici; produxit primum testimonium de vocatione gentium ex *Osea vers.* 25. & 26. deinde testimonia de rejectione populi Judaici ex *Esaia* duo, primum *vers.* 27. secundum *vers.* 29. ex quorum utroque patet, prædictum esse longè maximam partem populi Judaici interituram; salvis reliquiis in semen relictis.

Concludit postea hoc caput pleniori, & speciali illi Dei facto, quod in rejectione populi Judaici cernitur, applicata responsione ad suprà dictam objectionem versus 19. quæ erat: *Quid adhuc queritur? Voluntati ejus quis restitit?*

Ostendit enim hoc loco tria: & Deum de Judæis rejectis meritò queri. secundo, & ipsos ejus voluntati restitisse. tertio, & propterea Deum ipsos meritò, per ipsorummet culpam & perversitatem, insigniter punivisse.

Sed pœnam & insigne supplicium istud principio ponit; quod gentes, quæ respectu populi Judaici, longè aberant à justificatione & gratiâ Dei; assecutæ sunt istam justificationem & gratiam ejus per fidem (puta in Christum Jesum) ut se paulò post explicat: Israël verò, qui respectu aliarum gentium, tam prope erat ab ista justificatione & gratia; & legem justitiæ videbatur persequi; quod gentes cæteræ lege carentes facere non poterant: gratiam istam & justificationem; aut potius gratuitam justificationem (id enim significant voces justificationem ex fide) non est assecutus. Rejectio enim populi hujus dilecti à gratiâ, non potuisset videri tàm grave ejus supplicium, nisi illud intenderet atque aggravaret, admissio cæterarum gentium ad hanc gratiam.

Reddit ejus rei causam Apostolus *vers.* 32. ostendens cur Israël justificationem istam, non sit assecutus; quia non illam, quæ ipsi voluntate Dei oblata fuit, justificationem fidei aut ex fide, (id est, gratuitam per fidem in Christum,) sed justificationem ex operibus, quasi sibi suisque ritibus debitam; quæ erat impossibilis, & procul à mente Dei, sectabatur, atque in eo manifestæ voluntati Dei obluctabatur.

Deus autem, omnis bonitatis & clementiæ fons & exactissimum exemplar, non ideo (*vers.* 33.) posuerat *in Sione* filium suum, quem ex eventu (qui quoad mentem Dei, per accidens, hoc est, per interventum malitiæ illius populi, consecutus est) vocat lapidem offendiculi & petram scandali; ut populus suus ad eum offenderet, sed ut in eum crederet. Quod vel ex eo ipso patet, quia primo & credentibus in eum minimè pudendum aut pœnitendum præmium promisit. [Omnis qui credit in eum non pudefiet: id est, maximæ felicitatis & gloriæ præmio afficietur.] & Secundo, offendentibus ad eum pœnas comminatus est: denique Tertio, omnes de præmio isto & pœna atque offendiculi supplicio, admonuit; utrumque longe ante prædicendo: ut tam præmii spes tanto efficacius affulgere, quam pœnæ periculum tanto facilius evitari posset.

Unde consequitur meritò Deum de populo isto queri, & in illum totam culpam exitii sui conjicere: qui menti ac voluntati Dei, etiam longè ante præmonitus, & ad fidem in Christum, per quem gratuitam delictorum remissionem & justificationem assequi poterat, magnis præmiis invitatus; tamen obstinatè reluctatus fuerat.

CAPUT X.

POsteaquam dolorem animi sui, quem ex rejectione gentis suæ à gratiâ Dei, percipiebat, exposuisset; quod in ejusmodi casu hominibus piis

maximè convenit, ut quoties mærore afficiuntur, preces ad Deum fundant, id hoc loco sese facere Apostolus testatur, orando & ad Deum pro iis intercedendo, quorum calamitatis & supplicii miseratione commovebatur. Ergo quoties nos invadit λύπη μεγάλη, mæror ingens; & indesinens animi cruciatus. (*Rom.* IX. 2.) debet nos propensa cordis nostri inclinatio impellere ad implorandam Dei opem, nobis, & qui ad nos pertinent, conferendam ad salutem.

Ut autem ostendat se pro Israële, non sine aliqua spe impetrandi (saltem quoad nonnullos ex hoc populo) intercedere, testatur, eos non esse ita deploratos, ut intercessionem, ac veniam quoque, si forte resipiscant, sperare nequeant: quia *Zelum Dei habeant*, hoc est, magno & ardenti studio operam navare Deo cupiant, quanquam in eo magnâ imprudentiâ delinquant, nimirum ex seipso, pleroſque eorum æstimans; atque sui exemplo veniam & gratiam consecuturos non desperans. Imprudentiam vero eorum in eo esse exponit, quòd ignorent Justitiam, hoc est, Justificationem Dei: atque ideò sese ipsi subjicere nolint: nec quicquam & frustra, justificationem ex operibus Legis, stabilire volentes, cum tamen Legi Christus jam finem attulerit, eamque per justificationem fidei sustulerit, aut, ut loquitur, per justitiam omni credenti collatam, aut εἰς τέλος, imputatam.

Qua occasione justificationes istas describit, ac sibi opponit. Justificationem enim ex operibus, seu justificationem legis esse in eo, quod, qui velit ex lege justificari, ipsi omnia, quæ lex præcipit, ad amussim & exacte servanda sint. quod factu difficile, imò impossibile est. At justificationem fidei, esse, credere in corde suo, quod Deus Christum resuscitavit: ideoque eum *ore confiteri*; quod longè facilius & propius factu est.

Sed quia justificationem legalem Mosis verbis descripsit, ideò justificationem quoque fidei, ejusdem verbis, ad rem propositam aptè accommodatis, describit. Ostendit igitur, justificationem Evangelii, in fide firmissima resurrectionis Christi; quæ nonnisi prævia ejus morte fieri potuit, consistere. vide *Philipp.* III. 10. *Ne dicas*, inquit, *in corde tuo, Quis ascendit in cælum?* hoc est, nulla in corde tua dubitatio, nullus obrepat scrupulus, quòd Jesus resuscitari & subsequenter glorificari & ad dextram Dei considere non potuerit; quia id factum esse, evidentissimis documentis liqueat. *Id enim esset Christum detrahere*, hoc est, Id enim esset Christo subtrahere hanc excellentiam, quâ à Deo per resurrectionem donatus est. Et quia resurrectio Christi absque morte fieri non poterat; & integra Mosis verba alleganda erant; ideò addit: ne dicas in corde tuo, *quis descendet in abyssum? Hoc enim esset Christum à mortuis revocare*, id est, hoc enim esset, negare Christum unquam mortuum esse pro nobis. Quasi diceret. Quam certum & minime dubium est, & de quo nullo modo ambigere liceat, Christum esse mortuum; tam certum quoque, & nullo modo in dubium vocandum est; illum à Deo esse resuscitatum: ut firmissima spes fieret omnibus in eum credentibus, eos quoque simili modo ad vitam & gloriam resuscitandos.

Subnectit & *vers.* 8. verba ex eodem Mose: *Prope est* inquit *verbum* in *corde tuo, & in ore tuo.* Quæ verba non modo idem quod apud Mosen significant; videlicet non aliam viam salutis quærendam, quam illam, quæ fuit præ manibus Israëlitarum, à Deo per Mosen tunc oblata atque proposita; sed aliquanto plus, hoc est, non modò aliam viam nullam salutis, & justificationis patere, quàm ipsum illud verbum fidei, & doctrinam ab Apostolis prædicatam; sed etiam viam hanc esse ingressu facilem, & ad hunc, quem quærimus finem, nos proximè, & compendio, ac sine magna difficultate deducentem. Et quia in verbis Mosis oris & cordis mentio fit; ideò in subjecta materiâ rem propositam per oris & cordis officia explicare placuit Apostolo *vers.* 9. Nihil enim aliud ad justificationem requiritur, quàm ista duo, oris & cordis officia. Primùm ut ore confiteamur, Jesum esse Dominum nostrum, hoc est, ut illum pro Domino nostro suscipiamus, agnoscamus, & profiteamur: quod nihil aliud est quam sacris & religioni ejus initiari. Deinde, ut corde credamus, hoc est, ex corde & bona fide ac seriò persuasi simus, quod Deus ipsum excitaverit à mortuis; & quæ necessariò resuscitationem istam consequuntur, atque adeò tam arctè cum illa connexa sunt, ut divelli ab ea nequeant; qualis est finis mortis & resuscitationis ejus, & subsecuta eam effecta ejus atque adjuncta. Sequitur autem ordinem verborum Mosis, & cordis officiis præmittit oris officia, quia non modo facilius, sed etiam tempore prius videtur accedere ad Christum & jugum ejus, hoc est, religionem suscipere, quàm secundum eam vivere; & affectus cordis ad ejus amussim componere. Sed in reddenda ratione assertionis *vers.* 9. propositæ, quam reddit *vers.* 10; mutat hunc ordinem, & ab eo incipit, quod est difficilius, & respectu consequendæ salutis natura sua prius, hoc est, à cordis officiis *vers.* 10. & ait: *corde enim creditur ad justitiam.* justitia hoc loco, ut in aliis similibus, & (nisi fallor) omnibus, non illam tantum justificationem significat, quâ homines pro justis reputantur, etiamsi non sint ex omni parte justi; sed etiam ipsam illam justitiam, tametsi non omnibus numeris absolutam, quam ejusmodi justificatio necessariò requirit ac præsupponit, hoc est, vitæ sanctimoniam, & bona opera, quibus fides animatur, & sine quibus est mortua, & fidei nomine indigna: hoc est cadaver fidei, non fides. Quia talis justitia, justificationi ita est connexa, ut ab ea reipsa nunquam divelli queat, sed altera ab altera sola ratione discernatur. Quisquis enim seriò & ex corde, ac bona fide credit Jesum esse resuscitatum; is spem vitæ æternæ bona fide concipit, & in eo vivam & efficacem fidem exoriri necesse est; cujus operâ & viribus vitam suam ad normam legum Dei Christique componat; ac proinde justificetur.

Ore autem confessio fit ad salutem. Quia conferendæ salutis potestas omnis data est uni Domino Jesu Christo: quisquis eum pro Domino agnoverit, atque in ejus fidem & obsequium receptus fuerit, fieri nequit quin salutem consequatur. Id ipsum autem quicquid de istis cordis & oris effectibus versu decimo dixit, probat statim *vers.* 11. & 13. Ac de cordis quidem effectu *vers.* 11. testimonium Sacræ Scripturæ affert. *Omnis qui credit in eum non pudefiet* (quod suprà quoque in calce *cap:* IX. dixerat.) Idem enim est credere quod Deus Christum resuscitavit & glorificavit; quod credere in Jesum Christum; quia nemo id de Jesu Christo credere potest, quin in eum credat, hoc est, in ejus benignitate & potentia spem omnem collocet. *Non pudefiet*, usitata μείωσις, quæ excellentem gloriam salvandorum significat.

Vers. 12. Vox *Omnis* protenditur ad omnes promiscuè homines, nullo inter Judaicam & alias gentes discrimine. *Idem enim* inquit *est omnium Dominus.* Rex jupiter omnibus idem, apud quem Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habetur.

Dives in omnes invocantes eum, hoc est, qui tantos divitiarum thesauros possideat; ut non unam tantum, sed omnes gentes liberalitatis suæ opulentiâ ditare queat.

Vers.

Vers: 13. Quia verò cum fide interna, externa professio atque invocatio necessario conjuncta est; ideò quos antea omnes credentes, eosdem hic omnes invocantes nomen Domini vocat. Atque hoc *vers.* 13. probatur posterius membrum versus decimi; *Confessionem oris fieri ad salutem.* Qui enim ad Christum accessit, quod nonnisi per externa signa, præcipuè verò oris ministerium fieri necesse est, eumque pro Domino suo agnovit; is in omnibus periculis ac necessitatibus suis, præsertim verò in salutis discrimine, paratum habet ad hujus Domini, & servatoris sui potentiam, perfugium, & auxilium, quod tamen invocatione & precibus impetrandam est: quia ita Deo placuit, torporem nostrum & imbecillitatis nostræ quendam quasi soporem præcum vigilantia excitari.

Vers: 14. Explicata ita, uti diximus, justificationis nostræ ratione, ostendit nihil ex parte Dei desiderari posse aut potuisse, quo minùs omnis homo; sed præcipuè maxima illa pars populi Judaici, à gratia Dei rejecta, justificationis istius beneficio gaudere possit, aut potuerit. Cuncta enim Deum ex parte sua, omnibus quidem, sed præcipuè Judæis cumulatè præstitisse, quæ ad eam justificationem requirantur. Cum enim ad id, ut invocantes nomen Domini, servari possint, requiratur, ut in istum Dominum credant, hoc est, ut firmiter persuasi sint, eum ipsos servare posse (nam quis ejus opem imploret, quem putet sibi non posse succurrere) porrò ad id, ut in eum credere possint, requiratur, ut verbum Dei audiant, ac necessaria ad fidem istam doctrinâ imbuantur; deinde ad id, ut homines verbo Dei, & ista doctrina instruantur; requiratur verbi istius prædicatio: denique ad prædicationem requiratur; ut homines ad eam faciendam à Deo delegati ἐξαποστείλωνται, mittantur; nihil istarum rerum à Deo prætermissum; sed planè cumulatè omnia esse præstita.

Venisse enim *(vers:* 15.) ad omnes, sed præcipuè, ac primùm, ad Judæos, missos à Deo legatos; qui tam lætum, & acceptum Evangelii nuncium attulerint, & supremæ felicitatis, quæ hic *Pacis* nomine (quanquam ista vox & remissionem peccatorum significare possit) designatur; viam annunciaverint, quæ omnium optabilium bonorum cumulum in se complexa sit. Nihil igitur in Deo (*vers:* 16.) culpæ reperiri posse, quod non omnes gratiæ ejus compotes facti sunt: quia non omnes prædicatæ per verbum Dei, voluntati ejus morem gesserunt. quod prædictionis Esaiæ testimonio confirmat. *Quis*, inquit, *credidit auditui nostro? Auditum (ἀκοὴν)* vocat prædicationem Dei nutu factam; ut ostendat inexcusabiles esse, qui culpa sua pereunt. Audierant enim prædicatum verbum Dei, quod non in deserto; nec procul ab auribus eorum prædicatum est. Cum autem *fides (vers.* 17.) sit *ex auditu*; *auditus* verò iste fidem procreans, sit *ex verbi Dei prædicatione*, Dei gratia, & beneficio factum est, ut ista utraque fidei causa ipsis non deesset; tam prædicatio verbi Dei, quàm auditus ejusdem. Quod *vers.* 18. probat: ita clarè, ac sonorè in Judæa prædicatum esse verbum Domini; ut sonus ejus ex ista regione in omnem orbem, atque in remotissimos terrarum fines pervaserit, & ubique auditus sit; tantum abest, ut à Judæis audiri non potuerit.

Vers. 19. Causas cur non cognoverit Deum, hoc est, non crediderit Israël, quamvis tanta fidei admincula, & occasiones ipsi non deessent, exposuit. Ac primum *vers.* 19. & 20. culpam ejus rei à Deo planè removet; deinde *vers.* 21. & ultimo, causam, & culpam ejus rei in ipso illo populo hærere ostendit.

Culpam à Deo removet, primùm testimonio Mosis *vers.* 19. qui prædixit Deum nihil omissurum fuisse eorum, quæ gentem istam è veterno suo excitare, & ad cognitionem, amoremque sui pertrahere possent. Quemadmodum enim languescens amor rivalitate excitari, & quasi redintegrari, & invalescere, atque effervescere solet: ita Deum non contentum illa gratia, & promissione, quam populo isti, præ aliis peculiariter electo, prius quàm aliis obtulerat; gratiam istam, & benevolentiam suam, aliis quoque gentibus oblaturum; ut earum saltem rivalitate, ac zelotypia gens ista ad recipiendam grato animo benignitatem Dei possit excitari. Deinde testimonio *Esaiæ vers.* 20. culpam istam à Deo removet, quod Israël non crediderit; aut, quod idem est, non *invenerit* Deum. Unde videmus cognoscere Deum, invenire Deum; idem esse quod credere, & cognitionem, aut inventionem Dei, idem esse quod fidem. Illi enim verè cognovisse, & invenisse Deum dici possunt; qui cognoverunt, & invenerunt viam placendi Deo: quæ non alia est, quàm fides in Deum, per filium ejus Jesum Christum; quam tunc Israël non cognoverat, neque invenerat. Verum in eo nulla Dei culpa fuit, qui adeò apertè se inveniendum omnibus obtulit, ut etiam ab iis inventus sit, qui ipsum non quærebant: & adeò clara voluntatis suæ vestigia esse voluit; ut etiam hominibus, voluntatis Dei incuriosis, atque adeò ignaris patescerent.

Sed præcipuè, & præ aliis populo illi Judaico inveniendum se obtulit, cum, ut ait idem *Esaias Totâ die*, hoc est, justo, ac satis longo temporis spatio, obviis, & quasi expansis ulnis populum hunc in gratiam suam recipere voluit: verum ejus propria culpa, (*vers.* 21.) factum est, quominùs id fieret; quia videlicet voluntati ejus immorigerum, & contradicentem se præbuerit.

Unde patet, nihil minùs suprà Capite nono Apostolum cogitasse, quàm ut rejectionis populi Judaici, aut cujusquam peccatoris exitii causam, liberæ, & citrà ullam pereuntium culpam sese exerenti voluntati, ac destinationi Dei attribueret. Cum hic manifestè voluntatem Dei ad salutem, & conservationem hujus populi propensam, & inclinatam fuisse affirmet, nisi sese gens illa tàm immorigeram, & contradicentem præbuisset.

CAPUT XI.

Vers: 1. Ostensa, & exaggerata culpa populi Judaici, per quam ipse sibi exitium accersivit; demonstrat id quod paulò post initium capitis noni dicere occæperat, Deum, in isto populi Judaici supplicio, nihil contra propositum suum, & mentem, quam in electione peculiaris illius populi sui habuit, fecisse: atque adeò populum suum, quem præ aliis peculiarem sibi eligerat, non rejecisse. idque probat suo exemplo, (in quo aliorum quoque sui similium exempla subintelliguntur) qui, cum esset ex populo Israëlitico, & Abrahami progenie, certe rejectus non erat.

Vers. 2. Nec enim quia maximam illam populi Israëlitici partem, à gratia sua repulit; idcircò verum populum suum rejecit. Verus enim populus ejus, non alius fuit, quàm ille *quem præcognovit. (προέγνω)* hoc est, ut suprà *Cap:* VIII. dixit: *qui secundum propositum Dei vocatus erat*; hoc est, qui menti, & proposito Dei in vocatione, & electione sua, non repugnabat. Tales enim solos pro vero suo populo habere Deus proposuerat. Proinde, qui ejusmodi verus populus Dei esse nolebant; atque

in eo

in eo deſtinationi ; & propoſito Dei reluctabantur ; meritò ſuamet culpâ, à gratia Dei rejecti ſunt. Nec enim gratia Dei ejuſmodi hominibus ſecundum mentem Dei deſtinata fuit.

Verſ. 3. Deinde eandem rem exemplo temporum Eliæ illuſtrat, cum univerſus populus Iſraëliticus ſuamet, & quidem latiſſima culpâ, gratiâ Dei excidiſſe videretur. (Nam quæ latior culpa ejus populi dari poterat, quàm propter idololatricum Baalis cultum, prophetas Dei excindere, & altaria, cultui ejus dicata, diruere) &, tamen in reipſa, aliqua pars populi illius, videlicet culpæ iſtius expers, cui Deus ipſe teſtimonium dat, quòd non flexerit genu ad cultum Baalis, in gratiâ Dei relicta fuerit.

Is enim eſt ſenſus verborum *Verſ.* 4. (κατέλιπον ἐμαυτῷ) *Reliqui mihi*, id eſt: quamvis nefariam illam idololatrarum, & perſecutorum turbam, rejecerim; tamen iſtos impollutos idololatriâ, reliqui, & retinui in gratia meâ.

Reddendo *verſ.* 5. Exempli, & ſimilitudinis hujus apodoſin, ait. Ita & nunc *relliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ* ſunt: hoc eſt, ita & nunc, quamvis univerſus ille populus, ad quem Deus in gratiam ſuam recipiendum, aut in ea retinendum, tamdiu manus ſuas extendebat, refractarius, & contradicens, rejectus à gratia Dei eſſe videatur; tamen in reipſa multi ex eodem populo (ſubintellige voluntati Dei minimè refractarii ac reluctantes) relicti ſunt *in gratia*, toti electo populo Dei ſerviente ac deſtinata. Opponit autem gratiam hanc omnibus operibus, quæ meritoria vocant, præcipue verò operibus legis. Quemadmodum enim Deus primitus illam gratiam electo populo contulerat, ſine ullo antecedente ejus merito, quando ipſum præ aliis gentibus pro peculiari ſibi populo ſepoſuerat; ita gratiam hanc, ad opera illa legis; (maxima ſui parte carnalia, & ceremonialia) non alligaverat.

Ait igitur *verſ.* 6. Si gratiâ Dei electio populi illius Iſraëlitici præ aliis gentibus facta fuerat; non operibus eorum imputandam fuiſſe. Gratia enim, & beneficium debito, ac merito opponitur: atque illud tollit, ac ſubmovet. Aliàs non eſſet vera gratia, ſi ex debito pro operibus conferretur. Quemadmodum id quod ex debito propter aliqua merita confertur; non poteſt dici gratia: alias non eſſet debitum, ac meritum, ſi ex pura gratia conferretur.

Verſ. 7. Quia igitur Iſraël ille apparens, & carnalis, per illa legis opera ſalutem, & juſtificationem, tanquam ſibi, ſuiſque operibus debitam, quærebat; meritò eam non conſecutus eſt. At (ἐκλογὴ) *electio* hoc eſt, verus, & electus Iſraël, qui ad gratiam Dei humili, ac modeſto animo, mentis oculos aperuerat, eam conſecutus eſt: reliqui autem inſenſibiles facti ſunt, *occalluerunt* (ἐπωρώθησαν) *obduruerunt*, in cæcitatem mentis inciderunt, ut non intelligerent, non ſentirent tantum beneficium Dei, quod ex propheta, & pſalmis probat.

Verſ. 8. Dedit ipſis Deus (πνεῦμα κατανύξεως) *Spiritum ſoporis: oculos ut non videant: aures ut non audiant.* Effectus hic indurationis eorum Deo, tanquam cauſæ efficienti, attribuitur; non per ſe, ſed per accidens. Nam per ſe Deus cunctis oculos dedit, ut viderent; aures, ut audirent; mentem, ut intelligerent. Sed per accidens, quia præter mentem, ac voluntatem Dei accidit homines eſſe perverſos, poſteaquam tales evaſerant, non ſine mente, ac voluntate Dei evenit, ut in eos laqueos, & inſidias inciderent, quas Deus in viis ſuis, alioqui planis, & rectis, nequitiæ, ac perverſitati hominum tetendit. Non quod eos, interpoſita ſpeciali ſua opera, in hos laqueos detruſerit; ſed quod eos, ſuapte ſponte in exitium ſuum ruentes, violenter non retinuerit; tanquam extraordinaria ſua ope indignos.

Quod ex altero Pſalmi teſtimonio *verſ.* 9. adducto patet, cum ejuſmodi hominibus tales laqueos, & inſidias David imprecatur, εἰς ἀνταπόδομα ἀυτοῖς *in talionem* ac *retributionem eorum*, (*verſ.* 10.) *ut obtenebrentur oculi eorum, ne videant*; quia videlicet ipſis juſte ac meritò retribuitur (ἀνταπόδοτον) ejuſmodi ſupplicia. quod maxima culpa meruerant. *verſ.* 11.

Verſ. 11. Oſtendit populum Judaicum, non eo fine labi permiſſum, ut in illo lapſu ſemper permaneret: ſed eo fine, ut per ejus lapſum via ſalutis aperiretur gentibus, per quam poſteà converſionem gentium, illi ipſi rivalitate quadam accenderentur, ad recipiendam exemplo gentium gratiam Dei. Non igitur Deum populum hunc labi permiſiſſe, ut in perpetuum periret; ſed ut haberet ſtimulum, qui ipſum tandem ad recipiendum ſeſe in gratiam Dei adigeret.

Verſ. 12. Cujus rei eventum eò optabiliorem oſtendit, quòd ea res ipſis gentibus, magnum ſolatium, & felicitatis incrementum allatura eſſet; idque probat, à minori. *Si lapſus Judæorum*, inquit, *divitias mundo & converſis gentibus attulit*; quanto magis converſio eorum, & reditus in gratiam Dei.

πλοῦτον κόσμου, *divitias mundi*, vocat, cognitionem illam Dei, per Euangelium hominibus allatam; qui ſunt theſauri illi in Chriſto reconditi, aut potius recluſi, doctrinæ cæleſtis. Quos cognitionis Dei theſauros longè liberalius in omnes gentes effundendos ait, per reditum Judæorum in gratiam Dei; quàm per lapſum effuſi ſunt.

Qua in re accuratè notandum eſt, quia per futuram converſionem gentis hujus perfectior Dei cognitio omnibus cæteris gentibus promitti videtur, neceſſe eſſe, ut lapſus ejus gentis cum aliqua imperfectione hujus cognitionis in cæteris gentibus conjunctus fuerit. Quæ imperfectio, hoc eſt, errores aliqui, aut ignorantiæ, in populis ad Chriſtum converſis regnantes, populum Judaicum in ejus lapſu diuturno tempore retinuerint; qui poſt converſionem Judæorum planè tollendi ſunt.

Verſ. 13. & 14. Reddit rationem, quare miniſterium ſuum commendet, eoque glorietur; hoc eſt, quare fructum ſui miniſterii, hoc eſt doctrinam, quam gentibus prædicabat, *divitias mundi*, in omnes gentes effuſas, appellaverit. Poterat enim objici, Paulum, cum eſſet gentium Apoſtolus, inani miniſterii ſui jactantia efferri. Gravem igitur cauſam affert, ob quam miniſterium ſuum commendet, ut poſſit rivalitate quadam accendere gentem ſuam, (quam carnem vocat, hoc eſt, fratres ſuos ſecundum carnem) & aliquos ex iis ſervare.

Verſ. 15. Redit ad propoſitum & ait: Si Judæorum à gratia Dei repulſio, cauſam, & occaſionem dedit reconciliationis gentibus, hoc eſt, admiſſionis in gratiam Dei: quanto majorem fructum afferet Judæorum in gratiam receptio?

Verſ. 16. Probat non ideò populum Judaicum deſiiſſe eſſe, atque dici ſanctum; quia maxima pars illius rejecta, & quaſi profanata ſit. Conſiderat enim populi hujus patriarchas, & prophetas, ut omnes, qui in illa gente Deo placebant, aut etiam poſteà ad Deum convertendi erant; comprehendat. Et primos quidem Patriarchas, & prophetas; tanquam primitias, & radicem. (duplici enim ſimilitudine rem illuſtrat; ſed in altera, ut aptiori, diffuſius ἀναγραφῇ) meliores autem è poſteris, tanquam ramos arbori hærentes; deteriores, tanquam

ramos

ramos à ſtipite defractos, denique inſititicos è gentibus inſertos conſiderat. Ait igitur, *ſi primitiæ ſanctæ ſunt, etiam maſſam ſanctam eſſe:* multò magis, *ſi radix ſancta eſt, etiam ramos ſanctos eſſe. verſ.* 17. Nec obſtare quod quidam, aut etiam plerique *rami defracti*, & in locum eorum alii ſylveſtres termites inſerti ſunt: qui pinguedinis à radice propagatæ participes fiunt. Neque *verſ.* 18. inde ſumendam occaſionem efferendi ſeſe adverſus arborem, & genuinos ejus ramos; quod eorum pleroſque Deus defregerit, ut nos inſereret. Primum enim *non* nos *radicem portamus, ſed nos radix*, hoc eſt, quicquid in nobis eſt, quo aliquomodo gloriari poſſumus in ſalutis noſtræ negotio; totum id huic ſtipiti, in quem inſerti ſumus, ejuſque radici debemus, à qua pinguedinem omnem derivatam bibimus, eaque fovemur. Non igitur genuinis ejus ramis inſultare nos decet: quia nihil habemus, quod non à matre, & radice iſtarum propaginum acceperimus, ſine cujus beneficio nos ſancti eſſe, ac dici non poteramus. At illa ſine nobis, ut antequam inſereremur ſancta erat; ita ſi forte defringamur, ſancta nihilominus manebit *verſ.* 19. Deinde ſi nos nihilominus gratia Dei inflatos, & tumidos reddat, quaſi in gratiam noſtræ inſertionis, rami iſti genuini defracti ſint; oſtendit, factum iſtud, atque judicium Dei juſtiſſimam nobis cauſam præbere, ut ponamus ſpiritus iſtos: imo vero humiliemur coram Deo, metuentes, ne nos quoque ob culpam noſtram, ſimilem culpæ eorum, in quas animadvertit, puniat. *verſ.* 20. Culpam autem ramorum, qui defracti ſunt *incredulitatem* eſſe oſtendit. Cauſam verò ob quam nos inſerti ſumus, *fidem*. Quam quia amittere facile poſſumus, atque ita in idem periculum incidere, in quo *rami* iſti perierunt; metuendum nobis potius eſſe, quàm ſuperbiendum. *verſ.* 21. *Nam ſi Deus genuinis ramis* ob eam culpam *non pepercit*; quanto minus nobis ob eandem veniam daturus eſt.

Atque hic *clementiam* ſimul, & *ſeveritatem Dei* in eodem iſto facto conſiderat. clementiam quidem in eos, qui fide ſtant: Severitatem autem in eos, qui fide excidunt. Utramque autem, non illam fatalem, & ad unum effectum determinatam; ſed liberam ad utramque & conditionatam. *verſ.* 22. 23. Et clementia quidem ad eam conditionem reſtricta eſt, ſi fideles in fide perſtiterint. Secus ſi fiat, ſeveritati locum eſſe *verſ.* 22. Severitas autem etiam erga ipſum illum populum Judaicum, qui exemplo Pharaonis induratus dicitur; ad eam quoque conditionem reſtringitur, ſi in infidelitate perſtiterit. ſecus clementiæ locum fore, ut eos Deus iterum ſtipiti ſanctæ arboris inferat. Quod facere poſſe Deum, probat exemplo inſertarum huic arbori gentium, & quidem à minùs veriſimile *verſ.* 24. Nam ſi Deus alienos ramos huic arbori inſerere potuit; multò magis proprios ejus, & naturales inſerere poterit.

Atque hac occaſione revelat myſterium iſtud, *verſ.* 25. ad retundendum gentium ſupercilium. *ne ſitis apud voſmet ſapientes.* Deum paſſum eſſe populum iſtum Judaicum *in parte*, ἀπὸ μέρους, hoc eſt, partem ejus, non totum, in cæcitatem mentis (quàm hic πώρωσιν *obdurationem* vocat) incidere; donec repletio gentium (πλήρωμα) introëat. Paſſus eſt enim Deus, quo facilius gentes Evangelium reciperent, doctrinam de cognitione ſui, multis gentilibus, ac philoſophicis opinionibus, & erroribus inquinari, quæ tam longo tempore Judæos in incredulitate detinere debebant. Sed poſteà miſſurum *(verſ.* 26.) *è Sione* liberatorem, qui populum iſtum ſervet *(verſ.* 27.) per remiſſionem peccatorum ejus. Quamvis igitur *verſ.* 28. Judaicus populus rejectus à Deo, & inimicus Deo videatur; propter gentes, aut reſpectu gentium, aut ut gentium repletio introiret in templum Dei; tamen idem eſt dilectus Deo, propter Patres, Patriarchos, & Prophetas. Ut autem inimicos, & dilectos; ita voces ſecundum *Evangelium*, & *ſecundum electionem* (ἐκλογὴν) ſibi opponit, quia Evangelium ſine diſcrimine, nulla habita ratione prærogativæ Judæorum (ut ſuprà *Cap.* x. 12. οὐ γὰρ ἐστὶ διαστολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος) admiſit prope omnes ad Eccleſiam Dei. ἐκλογὴ (electio) vero ſignificat hoc loco illum Dei delectum, quo ſibi unum hunc populum peculiariter elegerat. atque ex hoc loco, & ſignificatione vocis hujus in iſto 28. verſu apparet, vox ἐκλογῆς ſuprà eodem *Cap. verſ.* 5. & 6. quomodo intelligenda ſit.

Addit rationem, cur populus iſte, licet peccatis ſuis odium Dei *verſ.* 29. promeritus, tamen propter patres dilectus maneat. ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ *Irrevocabilia enim ſunt* (hoc eſt talia, quorum Deum pœnitere non poſſit) *dona, & vocatio Dei.*

Hoc illud eſt, quòd Deus progeniei dilectorum ſuorum, ad milleſimam ſtirpem propitius eſſe dicatur; atque in eo ſumma Dei benignitas, & clementia erga eos, qui ipſum ex corde diligunt, notanda eſt, quod quamvis dona ſua ab indignis, & ingratis eorum poſteris, juſtiſſimo judicio auferat, interdum & in alios transferat; tamen ſi quod vel minimum eorum, reſipiſcentiæ, aut ſanabilitatis veſtigium animadvertat, ilico ad ipſos in gratiam recipiendos, obviis ulnis occurrat: imo verò ipſis, adhuc in cæcitate ſua conſoporatis (quantum quidem per indultam ſemel arbitrii libertatem, licet) oculos aperiat, & occaſiones reſipiſcenti præbeat. Quomodo autem cum ſingulis mortalium; eodem modo cum totis populis, ac rebuſpublicis procedit. Eodem agendi genere, & erga gentem Judaicam uſus eſt; atque ut Apoſtolus prædixit, uſurus eſt. Quemadmodum enim gentes *(verſ.* 30.) quondam refractariæ Deo; nunc miſericordiam conſecutæ ſunt: ita Judæi, *nunc* refractarii & inobedientes, *olim parem cum gentibus* miſericordiam conſequentur. Niſi quod, non ut illud prius Apoſtoli ævo fuit maximo cum Judæorum malo; ita hoc poſterius erit ullo cum gentium infortunio conjunctum: ſed potius maximo omnium, tàm Judæorum, quàm gentium bono, & felicitatis cumulo, atque incremento; Judæi ad exhibitæ gentibus gratiæ conſortium admittentur.

Concluſit igitur *Deus omnes in inobedientiam*, (hoc eſt, permiſit omnes ſuâmet culpa incidere in miſerum hanc inobedientiæ ſtatum) *ut omnium miſereretur.*

Neque enim ideo gentes miſericordiam conſecutæ dicuntur per Judæorum inobedientiam; quòd Deus plane gentium miſereri noluerit; niſi Judæi eſſent inobedientes, ac proinde miſericordia indigni. Quippe, tametſi Judæi ſemper obedientes manſiſſent, Deus etiam gentibus miſericordiam exhibere decreverat; ac ſine ullo dubio exhibuiſſet. Sed cum prævideret, imo jam videret Judæos malitia, & obſtinatione ſua, in media judiciorum ejus fata ruere: ut ſervaret τὸ πλήρωμα, & oculis quoque mortalium ſubjectam τὴν ἐκλογὴν, *(electionis)* conſtantiam; non ante gentibus gratiam ſuam promulgavit, quam Judaicus populus inſigni, & in oculos omnium incurrente, inobedientiæ ſpecimine ſeſe indignum planè gratiæ Dei oſtendiſſet.

Atque hanc conſiliorum Dei rationem contemplatus, & ad eam obſtupeſcens Apoſtolus, exclamat. *O profunditas divitiarum, & ſapientiæ, & cognitionis Dei!* (hinc patet quid ſuprà *verſ.* 12. vox πλοῦτος (*opulentia*) ſignificet) *Quam inſcrutabilia judicia ejus, & viæ imperveſtigabiles! Quis enim novit mentem Domini, aut quis ipſi fuit conſiliarius?* (Hoc eſt. Quis ſcit quo fine, quo conſilio Deus aliquid faciat? Nam & cor-

filium de resipiscentia Israëlis ignoraturus procul dubio erat Apostolus, nisi ipsi revelatum fuisset.) *Quis ipsi aliquid dedit, ut ipsi redderetur?* hoc est, nemini Deus quicquam debet; sed est Dominus omnium absolutissimus.

Quo minùs mirandum sit, quod ipsi liberum fuerit concludere omnes sub inobedientia, ut omnium misereretur; hoc est, Viam salutis, tàm gentibus non statim proponere; sed tunc demum, cum peculiaris populi sui inobedientia ejus rei occasionem dedisset; ut tanto insignior ejus misericordia erga eas eluceſceret, ex comparatione felicis status, ac sortis eorum, cum misero statu Judæorum: quàm Judæis eandem salutis viam, ita proponere ut perversi homines, qualis erat maxima pars illius populi; haberent occationem inobedientiæ: suamet culpâ quidem, non impulsu aliquo Dei commissæ; ut tanto insigniori quoque erga ipsos Judæos misericordiæ ejus locus esset.

Atque hic est eventus ancipitium Dei consiliorum, hoc est, in utrumque contrariorum eventuum formatorum, ac præparatorum, qui neminem sanè ad pœnam creavit, aut destinavit, omnibus autem ad aliquem beatitudinis gradum consequendum locum reliquit. Dispensandæ tamen pro arbitrio gratiæ suæ facultatem liberrimæ voluntati suæ sepositit: & postquam salutis viam, sive omnibus, sive aliquibus patefecit; optat, & vult, ut eam ingrediantur omnes, quibus patefacta est, sed liberè, ac sine ulla necessitate. Quæ libertas hominum, quia ex consilio, ac destinatione Dei, non ad unum contrariorum eventuum adstricta, aut determinata; sed ad utrumque pro libitu eligendum libera; ideoque eventus ejus, voluntate Dei, incertus est: incertitudinem hanc ancipitium (hoc est, in utramque partem præparatorum,) consiliorum suorum sapientia Deus ita temperat; ut quicunque exitus sequatur, gloria tamen Dei insignis eum concomitetur, & consequatur. Si enim homines voluntati Dei morem gerunt, glorificant omnes patrem cælestem, videntes opera eorum: sin ei obluctentur; aperitur campus patefaciendæ justitiæ ac potentiæ Dei, in iis puniendis: sed & misericordiæ tantò majori, in pœnarum moderatione aut justissimæ severitatis ad gratuitam clementiam deflexione.

Vers. 36. *Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia.* Ratione præsenti temporis; ex Dei voluntate, potestate, providentia sunt omnia bona: iisdemque Dei attributis omnia mala subjacent. Ratione præsentis, per Dei potentiam, & sapientiam fiunt omnia bona: & mala in bona convertuntur. Ratione futuri; In Dei gloriam omnia tam bona, quàm mala evadunt. Proinde ipsi sit gloria, sicut erat in principio, & nunc, & semper, in secula seculorum. *Amen.*

CAPUT XII.

Exposita Dei O. M. omni cultus specie dignissima majestate; sumit sibi aditum ad exhortationem, ut tantum numen debita veneratione, atque cultu prosequamur, & ad sanctæ vitæ officia præscribenda transit. Ubi primum, & capitale doctrinæ Apostoli monitum notandum est, *vers.* 1. cultum tanti numinis, non in ceremoniali aliquo, multò minùs autem idololatrico ritu, consistere; qualis erat cultus ille variarum gentium falsis Diis: qualis & ipse Judaicæ, vero Deo (citrà ullam idololatriæ speciem,) exhibitus.

Sed quia Deus Mens est, ὁ θεὸς πνεῦμα ὑπάρχων, *cœli ac terræ Dominus existens*; quemadmodum non in manufactis templis habitat; ita neque manibus hominum, aut externo aliquo ministerio ipsi ministratur, tanquam indigenti re aliqua ex iis, quas cunctas in potestate habet; ut qui vitam, & spiritum omnibus largiatur, eosque donorum suorum opulentia ditet. Verum ipsi longe diviniori, ac nobiliori ministerio serviendum. quod hic descriptum ita proponit; ut ad illud omnes efficaciter adhortetur. Quia enim paulò ante posuerat ob oculos misericordiam Dei omnibus patentem atque obviam: per istius misericordiæ sanctissimum pignus, atque memoriam obtestatur omnes, ut Deo exhibeant cultum ipsi unicè gratum; & placentem. Ergo in locum sacrificiorum vulgarium, quibus illo ævo, seu verum, seu fictum numen placari, aut coli credebatur; quæ vero Deo minus probari, aut satisfacere tacitè innuit. (vide *Psal.* 50.) in locum, inquam, sacrificiorum, quibus mactatæ belluæ sanguis, & caro offerebatur Numini: nunc offerendum monet corpus nostrum, peccato quidem mortuum, hoc est, ratione, & spiritu mortificatum, & planè perdomitum; sed tamen vivum, *tanquam victimam vivam, sanctam, placentem Deo.* ubi notandæ sunt tacitæ antitheses victimarum sibi oppositarum; quod belluarum quidem corpora, victimæ fuerint mortuæ, vulgares, & quibus Deus non delectabatur: Christianorum verò victimæ; sint victimæ vivæ, sanctæ, Deo placentes. Vocat autem ministerium, & sacrificium istud spirituale, *Rationabilem cultum*; τὴν λογικὴν λατρείαν, in comparatione ad illos usitatos numinum cultus; qui nisi typicè (quod in solo Dei populo fieri poterat) considerarentur, nihil in se rationi congruum continere videbantur. Typicus autem vulgarium sacrificiorum apud Judæos cultus, designabat per ista externa elementa, quemadmodum tunc in rituali illo ministerio Dei belluæ mactabantur; ita in spirituali ministerio Dei, quicquid in nobis est belluini, & rationi repugnantis, mactandum, & mortificandum esse. Nam typi singularium sacrificiorum nobilius sacrificii genus significabant.

Vers. 2. Quemadmodum igitur per regenerationem, hoc est, renovationem mentis nostræ; huic ævo, id est, moribus hujus ævi non assimilamur; sed in longè sanctiorem vitam, & perfectiorem statum mentis nostræ transformamur; ita debemus (δοκιμάζειν) *probare & explorare voluntatem Dei* (puta in cultu ejus) *bonam, bene placentem, & perfectam.* Est autem hic metonymia in his epithetis voluntati Dei attributis, quæ propriè, & citrà tropum objecto voluntatis Dei attribuenda sunt. Omnis enim voluntas Dei est bona, & perfecta: sed non omnis cultus, qui voluntate Dei Deo exhibetur; est æquè bonus, æquè Deo placens, æquè perfectus, quia Christianus Judaico est perfectior, & magis Deo gratus.

Vers. 3. Descripturus rationabilem Dei cultum, per quem Deo maximè omnium placentes victimas offerimus; hoc est *vitæ piæ, & sanctæ officia*, in qua omnes irrationales carnis, seu potius animi nostri, in carne viventis, affectiones mactamus, & quasi Deo offerimus; incipit ab affectione maximè vitiosa illa quidem, & noxiâ, sed quæ, ut ità dicam, omnium vitiosarum honestissima videatur, utpote vitium spirituale, hoc est, à superbiâ, & arrogantiâ, & nimio sui pretio. Quo vitio laborare plerumque solent, qui præ cæteris aliquâ donorum Dei excellentiâ eminent. quales hic enumerantur ii, qui tunc in Ecclesia præ aliis excellere poterant, ut Prophetæ, Diaconi, Doctores, Exhortatores, ditiores, qui liberalitate sua alios fovere poterant: præpositi, regendis aliis, *potentiores* aut qui per aliquem casum, miserendi aliorum copiam habere poterant. Notandum autem est hic; inter (χαρίσματα διάφορα)

diversa

diversa charismata, poni non modo prophetiam, & alias spirituales facultates : sed etiam opes, præfecturam, potentiam, atque adeò miserendi copiam.

Hæc genera omnia hominum specialia, quibus etiam, usque ad *vers.* 9., specialia præcepta traduntur ; maximè omnium obnoxia sunt superbiæ, & arrogantiæ vitio. A quo nos, quàm alienissimos esse debere ut ostendat, monitum hoc notabili asseveratione facit, & inculcat : affirmans, & quasi obtestans, aut certe præcipiens per gratiam sibi datam, & quidem omnibus inter Christianos existentibus, etiamsi sint maximis donis Dei præditi (nemini autem eorum, quos alloquitur Paulus, Deus tantum gratiæ, quantum ipsimet, impertiverat) *ne sapiant suprà quam debeant sapere ; sed sapiant, ad sobrietatem*, hoc est, ne nimio excellendi aliis studio accensi, donis Dei, quæ inflare solent, abutantur ad contemptum, aut destructionem, vel scandalum aliorum : *sed ut quisque secundum mensuram fidei*, hoc est, *secundum mensuram donorum Dei*, quæ confert fidem habentibus [ubi obiter notandum, fidei nomine hic vocari dona Dei collata fidem habentibus per metonymiam] excellentiam, & utilitatem donorum sibi collatorum attemperet ædificationi eorum, qui sunt membra ejusdem cum ipso corporis, tametsi fortè inferiores quàm ipse functiones habentia. Quemadmodum enim in corpore humano multa sunt membra, nec eandem omnia functionem habentia ; & tamen invicem alia aliorum membra, eandem omninò sympathiam habentia, deprehenduntur ; Sic in Christo multa sunt membra, unum corpus constituentia ; ita ut unum alteri tanquam ejusdem corporis membro, compatiatur ; tametsi dona gratiæ Dei in se collata diversa planè, ideoque diversas functiones habeant. Quas functiones enumerans, prophetiam, diaconiam, docendi, exhortandi munus, ostendit quomodo se in iis gerere debeant. Videtur autem officium, ac præceptum exigendi suas actiones ad analogiam fidei, non ad solam prophetiam, sed ad omnes istas quatuor functiones pertinere : ita ut κατὰ τὴν singulis præceptum hoc attribuatur, cujus memores esse debeant, non modo prophetantes ; sed diaconi quoque, & docentes, & exhortantes. Nec enim his omnibus functionibus additur ullum aliud præceptum, præter observandam fidei analogiam. Analogia verò fidei, *quemvis in sua vocatione apud Deum manere*, quemvis sine injuria, aut detrimento, imo verò cum ædificationis aliorum Spartam sibi commissam tueri, & exornare jubet, ac postulat : eademque nihil irrationabile, aut injustum, aut scandalosum, & destruens Ecclesiam Dei, committere permittit.

Sed præcipuè analogia fidei id omnium maximè requirit, ne quis simplicissimæ religionis doctrinæ, à Christo & Apostolis traditæ, novum quid, atque adventitium, & à cæteris dogmatibus discrepans, admisceat : cujus generis anomalia cæterorum dogmatum fidem in dubium vocare, aut etiam simpliciores, & infirmos meritò offendere posset. Cujus præcepti inculcandi utilitatem, ac necessitatem quandam, ostendit illud periculum, jam tunc imminens Ecclesiæ Christi, quod Paulus idem Mileti, Ephesinæ Ecclesiæ senioribus ponit ob oculos, dum ait *Act.* xx. 29. *Ego verò noui, quod, post obitum meum, subintrabunt lupi graves, qui non parcent gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes obliqua & contorta* (διεστραμμένα.) *propterea ut abstrahant discipulos post se.* Hæc igitur anomala, & contorta sunt ; quæ pugnant contra analogiam fidei. Quæ prophetia, & prædictio Apostoli, an impleta sit, scire volentibus, considerandus est status Ecclesiæ, & facies dogmatum ejus, mox post Apostolica tempora consecuta.

Quinta functio (ὁ μεταδιδοὺς) hoc est, eorum ut arbitror, *qui indigentibus de suis bonis impertiuntur* ; habet hic annexam normam seu monitum *Simplicitatis*, quæ duplicitati, seu perversitati & fraudi opponitur : quod fit, cum quis rem bonam ad malum finem detorquet ; puta liberalitatem, ad inanem jactantiam. liberalitatis enim actiones ipsæ per se bonæ sunt, si simpliciter fiant, hoc est, absque mixtura adventitii alicujus vitii.

Sexta functio Præpositorum habet adnexum officium, & normam suam, ut fiat μετὰ σπουδῆς, *cum studio*, & animo benè regendi avido : item *non negligenter* ; sed cum debita diligentiâ.

Septima functio est *Miserentium*. Multùm certe præ aliis eminuisse oportet eos, quibus à Deo data erat facultas, & copia aliorum miserendi : quales sunt præcipuè ii, pro quibus interceditur. Nec enim hæc verba adstringenda sunt ad eos, qui eleemosynam largiebantur ; sed latiùs porrigenda ad omne miserendi genus. Jam enim præceptum dederat τῷ μεταδιδόναι, quod ad propriè dictam eleemosynam ; non ad diaconorum distributionem referendum esse, id ostendit ; quod jam ante Diaconos officii sui admonuerat. Pertinet igitur hoc monitum præcipuè ad Magistratus, cui vocationi præ aliis omnibus copia miserendi suppetit. Unde patet eos, qui vocationum supereminentiam, & gradus omnes ex Ecclesia eliminant ; doctrinam tradere anomalem, & analogiæ fidei adversantem, & præceptis Apostolicis minimè congruam.

Posteaquam specialia præcepta omnibus istis septem hominum generibus tradidisset *vers.* 9. transit ad ea, quæ omnibus in genere communia sunt. ut non mirum sit, quòd præcepta aliqua, & officia, quorum mentionem fecerat ; iterum repetat : qualia sunt liberalitatis, studii, ac diligentiæ officia. quæ licet maximè iis, qui præ cæteris eminent, necessaria sint ; tamen & aliis quoque negligenda non esse docet.

Expositurus autem officia, ac præcepta omnibus communia ; incipit à *Charitate*, matre omnium reliquarum virtutum ; de qua sequenti capite ait, *quod sit Summa, & impletio* legis *vers.* 8. & 9. Sumit autem virtutis ejus præscribendæ & describendæ occasionem ex proximè præscripto miserendi officio. quod libenter, & hilari, ac læto animo, exerceri nequit, nisi quis ea virtute præditus sit, qua omnes Christianos præditos esse necesse est, hoc est, *Caritate non simulata*. Nam qui simulant charitatem ; officia ejus, inter quæ non postremum miserendi officium, aut non faciunt, aut faciunt inviti, ac reluctantes. Non igitur simulata, sed verâ, & genuinâ charitate, & propenso erga omnes affectu nos flagrare oportet, ut non modo libenter, sed & facile præstemus ea, quæ debemus.

Cæterum ne quis nos ad cæcam, & irrationabilem Caritatem damnatos existimet ; subnectit statim monitum : Non se vetare, quin odio prosequamur malum ; etiam in iis hominibus, quos amare jubemur. Neque enim bona fide Justitia diligi potest ; nisi oderimus iniquitatem. Sed quicquid ubique boni deprehendi potest, prout in hominibus plerumque evenit, ut sint mala mixta bonis ; id uti ingenuè agnoscamus, & amore prosequamur ; atque inde ipsos homines diligendi ansam arripiamus ; non omittentes interim, propter imperatam nobis charitatem, officium reprehendendi, & damnandi, atque adeò aversandi id, quod est malum. Hæc enim profectò simulata Charitas esset ; si amorem & caritatem erga aliquem profiteri, cum non

admoneremus vitii, quod nobis displicet, quodque odisse debemus.

Vers. 10. Transit ad specialiorem, & à generali manifestè distinctam charitatem, hoc est, φιλαδελφίαν, *erga fratres caritatem.* Quam iis verbis describit; ut cum generaliori comparata, in gradu multò intensiori præcipiatur. Illa enim tantum ut non ficta, sed vera sit; hæc ut intensa quoque, & quales στοργὰὶ naturales esse solent, vehemens sit imperatur.

Eodem versu generalius; nec ad fratres tantum, sed ad omnes alios pertinens officium nobis præscribitur; *ut honore alios præveniamus*, quod civilitatis, & humanitatis officium ad ingenerandam mutuam in omni societate caritatem, & benevolentiam est mirè efficax.

Vers. 11. Ne quis putet, studium, diligentiam strenuitatem, eorum tantum esse officium qui aliis præsunt; de quibus paulò ante actum est; præcipit in hoc versu virtutes istas omnibus, quæ ignaviam, & torporem animi excutiunt: & spiritu ardere, ac flagrare imperat. Sed ne quis putet, vehementiam istam, & flagrantem zelum, ad omnia esse porrigendum, restringit habitum hunc, ad servitium Dei, aut Christi, subdens τῷ κυρίῳ δουλεύοντες. *Domino servientes.*

Vers. 12. Et quia strenuitatem, diligentiam, zelum, & vehementiam in serviendo Deo læta spes excitat: hunc quoque commendat habitum, ut in spe semper gaudeamus. Sic enim id, quod in eodem versu præcipitur, assequemur; ut omnes afflictiones ferre patienter possimus. Quæ quidem tolerantia magnam officii nostri partem continet; quemadmodum & precum assiduitas; cujus monitum statim subjungit; quia ex afflictionum perpessione, singularis ad preces stimulus nascitur.

Vers. 13. Ne quis putet ditioribus tantum, qui supra cæteros gratiâ Dei opibus emineant, quibus ante præceptum liberalitatis commendavit, officium hoc incumbere; nunc omnibus præcipit, ut necessitatibus sanctorum subveniant, & præcipuè hospitalitatem erga peregrinos exerceant.

Vers. 14. Quamvis autem primùm omnium, ac præcipuè erga fratres Caritatis officia præceperit; tamen ne ergo alienos quidem, atque adeò ipsos inimicos, ea negligenda docet. Ergo & persecutoribus benedicendum, hoc est, fausta omnia comprecanda, non mala imprecanda monet.

Et ne officia caritatis ad solos fratres, aut dilectione dignos restringantur; tradit jam præcepta omnibus communia sparsim, & promiscuè; ita ut præceptis ad inimicos pertinentibus intermisceat præcepta, quæ ad solos fratres pertinere videntur, quamvis & ad inimicos protendi possint.

Vers. 15. Jubet igitur gaudere cum gaudentibus; flere cum flentibus; quæ condolentia etiam ad inimicos porrigi debet.

Vers. 16. *Idem invicem sapientes*, hoc est, Quamvis ex donis Dei, præsertim spiritualibus, occasionem habeamus dissentiendi ab aliis, eorumque ignorantiam pudefaciendi, ac nosmet præ illis extollendi; tamen quoties ignorantia ista noxia non est, supersedendum nobis esse ista jactantiâ, & concordiam, ac tolerantiam consectandam: ne videamur sapientes esse apud nosmetipsos, nobisque plus quam aliis tribuere. Hoc enim est (τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι) *accommodare se humilitati aliorum*, & ad eam se demittere.

Atque hoc officium ad fratres tantum pertinere videtur *vers.* 17. quia *vers.* 15. dum gaudere cum gaudentibus, & flere cum fleritibus jussit; sympathiam, & consensum quendam affectuum suasit, aut imperavit Apostolus: ideo *vers.* 16. consensum quoque in opinionibus, & concordiæ matrem, tolerantiam inculcat. Denique *vers.* 17. ipsam concordiam voluntatum, & pacem suasurus, atque præcepturus, quia ea nulla re magis tollitur, quam impatientia injuriarum, interdum fortuitò, non de industriâ, incidentium; quoties malum pro malo, ac sæpe pro eo quod per imprudentiam excidit, id quod consultò, ac de industria infertur, redditur. Docet igitur nequaquam nobis consultò, ac de industria malum esse inferendum iis, qui nos imprudenter fortè læserunt, cum nostrarum partium, atque officii sit, proæresin, ac voluntatem nostram ad bene merendum potius de omnibus, (quod omnium pulcherrimum & honestissimum est propositum) quàm ad nocendum cuiquam flectere. Ideo vero hoc loco illud malum, pro quo malum reddi vetat Apostolus, non de industria, sed per imprudentiam illatum intelligimus; ut differentia pateat inter *vers.* 17. & 19. in quo voluntariæ, & consultò illatæ injuriæ ultio vetatur.

Vers. 18. Explicat illa honesta, quæ procurare debemus in conspectu omnium, hoc est, ut pro virili, seu quantum est in nobis virium, in eo elaboremus, ut si non amicitia meritis, atque officiis nostris provocata, ut ante dictum, at saltem pax cum omnibus, nobis constet. Addit tamen conditionem, *Si fieri potest*, quia id non semper est in nostra potestate.

Vers. 19. Hic ad vetandam ultionem injuriarum consultò illatarum, & quæ planè pœnâ dignæ sunt, quia eos Deus impunitas non demittit, transit. Non igitur in messem Dei falcem nostram immittendam, nec officium cælestis judicis occupandum ostendit, non obscure innuens eos, qui suas injurias ultum eunt, non relinquere locum Deo, ut eorum innocentiæ vindicem se ostendat.

Sed date locum iræ, hoc est, ultioni, & vindictæ, quam sibi Deus reservavit. Sine dubio enim ὀργὴ, *Ira*, significat illam iram, de qua infra *Cap. sequenti vers.* 4. loquitur. *Vindex ad iram omni malum facienti.*

Vers. 20. Benefaciendum inimico ostendit, tunc cum beneficiis nostris indiget, cumque nos in eo statu sumus, ut ille potius beneficiis nostris indigeat, quàm nos illius. Esurientem enim, & sitientem, hoc est, indigentem benignitate nostrâ inimicum describit. 21. *Hoc enim faciens.* Non id nos intendere Apostolus jubet, neque eo fine ipsi benefacere imperat, ut ardentes carbones capiti ejus ingeramus. Hæc enim esset præcipua pars ultionis, quæ nobis hic, & alibi omnino prohibetur, hoc est, animus nocendi desiderio ardens. Deus verò per Christum ex mentis nostræ statu actiones nostras æstimat. Sed eo fine, quem versu ultimo innuit, ut bono malum vincamus, hoc est, ut beneficiis nostris inimicos ita devinciamus, ut ad saniorem mentem redeuntes, ex inimicis amici evadant, atque ita carbones istos capiti suo imminentes effugiant. quod ni fecerint; Deus tamen, nihil minùs cogitantibus nobis, officio suo non deerit.

CAPUT XIII.

QUia Dei, ultionem privatam prohibentis, nec illam quidem, quoad peccata punienda, plane tollentis, sed tantum ab illis hominibus, qui injuriam passi sunt, removentis, & sibimet, suoque judicio reservantis, mentionem fecit; ideò

ad eos,

ad eos, qui in terris, præsertim in ἐκδίκησιν, *ultione* privatarum injuriarum Dei vices gerunt, Magistratus, transit. Et quemadmodum in eo præcipuum erga Deum Christianorum officium descripsit, quod, ob reverentiam divinæ Majestatis, proprias injurias inultas relinquere debeant; ita nunc erga proximas Deo potestates officia Christianis præscribit. Est autem officium Christianorum, quemadmodum reliquorum omnium hominum, potestatibus supereminentibus subjici; quia omnes à Deo ordinatæ sunt. Dicit igitur Apostolus, omnem animam ipsis subjectam esse debere, ne Christiani ab ista subjectione sese exemptos esse existimare possent. Voces autem *Omnis anima*, generales esse, & omnes homines, in quibus & Christiani comprehendantur, significare; illud est documento, quod ejusmodi rationem affert Apostolus assertionis suæ, quæ non Christianis tantum, sed & reliquis omnibus competit. Imò verò, quæ aliis præter Christianos aptior est; & accommodatior. Nec enim usquam in Sacris literis, dum solis Christianis aliquod officium præscribitur, ratio ejus officii, à metu præsentium, & in oculos incurrentium pœnarum petitur, quod hic fieri videmus, nisi quoties id, quod præcipitur, reliquis hominibus cum Christianis commune est.

Præterea in ratione assertionis suæ allatâ, Apostolus non modo assertionem suam explicat; sed & tacitæ objectioni occurrit. Explicat assertionem suam, dum ostendit omnibus sine exceptione supereminentibus potestatibus subjectionem deberi: Occurrit autem tacitæ objectioni eadem opera, si quis ab ista subjectione excipere vellet potestates tyrannicas; ostendendo etiam ejusmodi potestates à Deo ordinatas esse, *quia non est potestas, nisi à Deo.* Omnis igitur potestati, etiam tali, resistens; Deo resistit, proinde sibi pœnam, & judicium accersit.

Quamvis autem evidenter de præsenti, & in oculos incurrenti supplicio loquatur, dum ait *vers.* 3. *Principes non esse terrori bonis operibus, sed malis*, & metuendum esse gladium, quem non frustrà gestant; tamen ne divinum quidem resistentiæ hujus supplicium excludit, dum infrà *vers.* 5., ait; præstandam esse istam subjectionem potestatibus, non modo propter iram, sed & conscientiam.

Notandum autem est, præceptum hoc subjectionis Magistratui, confirmari rationibus sumptis à commendatione hujus functionis. Quarum prima est, quod origo ejus sit Deus ipse, hoc est, quod non sine instinctu, & voluntate Dei, homines per legem in cordibus eorum scriptam gubernantis, instituti sint Magistratus. Deinde, quod hujus functionis Deus sit causa principalis, ac director: Magistratus autem tantum minister voluntatis Dei. Tertiò, quod potestas ista instituta sit in bonum hominum, nec ullo modo metuenda bonis: qui potius laudem ab illa, & præmium, aut certè præsidium expectare debent; sed solis mala patrantibus, qui etiam ejus metu à sceleribus absterreri, atque ita pœnas eorum effugere possunt. Quia verò hæ rationes ad omnes, & inter eos ad Christianos quoque pertinent; manifestum est, Apostolum *vers.* 4. etiam Christianis præcipere, ut pœnam gladii timeant, si mala aliqua patrent, Dei voluntate sibi à Magistratu irrogandam: atque unicam ipsis ejus effugiendæ, ac potestatis non metuendæ viam *vers.* 3. ostendere, ut bonum operentur, legibus, ac potestatibus, sub quibus vivunt, parendo.

Atque in ea descriptione naturæ, originis, dependentiæ à Deo, causæ finalis, ob quam institutus est magistratus, hoc est, utilitatis publicæ, in bonorum protectione, præsidio, remuneratione, & malorum coërcitione; manifestè præscribit Apostolus officia, & regulas Magistratibus, juxta quas munus suum administrare debent, memores sese ab ipso Deo institutos esse, non ut suis cupiditatibus, sed Deo ministrent: non in perniciem, sed in bonum, præsidiumque bonorum: non ad impunitatem malis præstandam, sed ad coërcitionem scelerum. Quæ omnia commemorata certe in illis potestatibus, quæ tunc vigebant, minimè reperiri videbantur. ita ut hic, non quid illi facerent, sed quid ex officio muneris sui facere deberent, Apostolus describat. quamvis nec illud diffitear, etiam officio suo malè fungentibus parendum nihilominus iis fuisse, quia à Deo instituti: quamdiu munus suum administrarent, locum Dei tenerent. Neque negandum est, naturam istius muneris ita esse comparatam, ut etiam ab hominibus non optimis non malè administrari possit. nec semper utilitatem ejus cessare, etiamsi ad illud adhibeantur homines pessimi. Legum enim bonitas, quarum Magistratus custodiam gerit, sæpè Magistratus ipsius pravitatem supplet, interdum & administrorum seu probitas, seu metus. Ita ut ea, quæ hic commemorantur, etiam Neronis tempore, locum habere potuerint; quamvis Nero improbus esset, ac detestabilis. Atque inde apparet, cum ejus muneris natura sit adeò bona, ut etiam, non obstante eo fungentium malitia; magnam afferat mortalibus utilitatem; nihil esse in eo, quod bonos absterreat, quo minus ipso, longe etiam melius, & cum majori generis humani emolumento, fungi possint. Nam illud, quod pessimum in ista functione videbatur; hoc est, gladii usus, & vitæ, necisque potestas, atque adeo ipsa ultio, & ἐκδίκησις; ipsi Deo tanquam causæ principali, Magistratui verò duntaxat, tanquam ministro ejus, tribuitur. Quemadmodum autem Deus ipse hominum vitæ, necisque potestatem habet; ita eandem ministro suo tribuisse, distertis verbis ab Apostolo docetur. Nec verò, tametsi ea, quæ hic in commendationem functionis Magistratuum dicuntur, locum aliquomodo etiam Neronis tempore habuerint; idcircò hic de eventu duntaxat, non autem de officio Magistratus Apostolus differit, cum id, quicquid ex vi, & natura hujus functionis tunc reipsa fieret, ex officio, & institutione ejus proficisceretur. Quisquis enim naturam alicujus muneris, aut functionis, & scopum, in quem à Deo directa, atque instituta est, describit, aut ob oculos ponit; is verum, & debitum officium ejus; qui eo ritè fungi debet, ponit ob oculos. Nec prætermissa à Spiritu Sancto earum functionum officia censeri possunt, quorum natura, scopus, & in iis instituendis mens, & intentio Dei, in sacris literis describitur.

Sed maximè ex *versu* 6. patet, hoc loco Apostolum non tàm id, quod tunc Magistratus facerent; quàm quod ex vi, natura, & institutione muneris sui facere tenerentur, exponere; dum ait, ideò *tributa* subjectos populos potestatibus conferre; quia *ministri Dei sint*, hoc est, huic ipsi muneri, ac functioni, sedulò invigilantes. Pauciissimi enim fuere ex iis, qui tunc erant cum imperio, qui id sedulò, & ex animo, atque ita ut eorum officium poscebat, præstarent: sed omnes id officii præstare tenebantur. Tangit enim hic mutuam illam, quæ inter præpositos, & subjectos intercedit, obligationem, quæ hinc à subjectis obsequium, & tributa Magistratui debita, inde à Magistratu curam, & protectionem sedulam subditorum exigit, & postulat. Quod officium nec semper, ita uti decet, à potestatibus præstatur, neque tunc

fortè præstitum est; quamvis aliquomodo præstitum dici posset.

Vers. 7. Debitam esse Magistratibus subjectionem, non minus quàm tributa, & vectigalia, quæ ordinarie ab omnibus solvebantur; eodem exemplo, eademque consecutionis vi probat, quomodo Christus olim censum Cæsari solvendum probabat ex imagine Cæsaris, pecuniæ insculpta. Quemadmodum enim hæc imago signum erat, quod Judæi potestati Cæsaris, ac proinde impositis ab eo oneribus obnoxii essent; ita tributa, & vectigalia populorum in imperio Romano signum erant, quod isti populi in ditione Romanarum potestatum essent. Atque ita in isto versu ostendit, sese à præcepto caritatis, ad præceptum justitiæ, suum cuique tribuentis, transiisse: quæ id ab omnibus exigit, ut ea, quæ singulis debentur, exolvant, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui metum, metum &c. neque quicquam cuiquam debeant, præter unum Caritatis officium.

Cujus officii mentione facta, redit iterum ad commendandam, & inculcandam nobis Caritatem. *vers.* 8. Quam ostendit esse perpetuum officium, & quasi debitum, atque æs alienum, quo nunquam soluti esse possumus. Quia enim legis divinæ nexu, nunquam soluti esse possumus: lex autem divina præcepta nobis Caritatis imponit; ideò ne Caritatis quidem obligatione soluti esse possumus.

Ostendit autem Caritatem esse totius legis compendium *vers.* 9. quia in præcepto de dilectione proximi tali, quali nosmetipsos prosequimur, comprehendantur reliqua legis præcepta, justitiam spectantia, & nocere proximo vetantia. Quemadmodum enim nemo sibimetipsi nocere, aut injuriam facere de industria potest, quia se quisque diligit: ita qui diligit proximum ut seipsum, neque nocere ipsi, neque eum injuriâ afficere potest. Concludit igitur Caritatem esse impletionem Legis.

Vers. 11. Expositis Christianorum primum erga Deum, deinde erga proximum, non modo inferiorem, aut parem; sed etiam superiorem, qualis est Magistratus officiis; nunc transit ad officia erga semetipsos. Ac primùm, ad ea præcipienda aditum sibi facit per positam ob oculos circumstantiam temporis, quod agnitionem veritatis subsecutum est. Ostendens ab isto ipso *tempore* nos admoneri ad vigilantiam, & curam honestè, ac circumspectè vivendi; quia jam *nox* ignorantiæ, in qua constituti longe ab omni spe salutis aberamus, *præterierit. Dies* autem, & lux cognitionis Dei, Christique supervenerit, quæ nos jam *Saluti propiores* reddit. Quemadmodum igitur homines die illucescente ex nocturno somno excitantur; & opera tenebrarum abjiciunt, & vestimenta, nuditatem cooperientia, induunt; ut possint honestè inter alios versari: ita nos in tenebris quondam ignorantiæ stertentes, mox agnitione veritatis collustratos, decet abjicere ea omnia, quibus in solis tenebris locus erat; præcipuè nuditatem vitiorum carnis. Quorum tria genera commemorat. Primum, *Comessationes, & ebrietates.* Secundum, *Lectos, & lascivias.* Tertium, *Rixas, & zelum.* Induere autem vestimenta honestatis quæ hic *arma lucis* appellat, hoc est, habitus virtutum omnium. Non contentus autem Apostolus eos habitus vocare *vestem.* qui aliàs à Spiritu Sancto *Vestis*, & quidem *Nuptialis* vocantur; vocat eos *arma Lucis*, ut ostendat tanto majorem eorum acquirendorum, & induendorum necessitatem. Etenim necessaria quidem vestis est, è nocturna quiete evigilantibus: sed longè magis necessaria sunt arma pugnaturis, & in periculo ab hostibus imminente versantibus.

Quemadmodum autem habitus istos virtutum à nobis induendos *vers.* 14. & ultimo, uno verbo, vocat *Indutionem Jesu Christi*, hoc est, acquisitionem earum virtutum, in quibus nobis Dominus præluxit: ita vitia suprà commemorata, compendiò describit, vocando ea *Curam carnis ad concupiscentiam.* Nam profectò comessationes, & ebrietates, non aliam ob causam vulgò libentius suscipiuntur, quàm ut libidinibus indulgeatur: ita ut, qui istis comessationibus, & compotationibus delectantur; meritò Carnis curam habere ad concupiscentiam dici possint. Unde posteà bella, & pugnas, seu rixas nasci *Jacobus Cap:* IV. 1. ait ex *voluptatibus* hominum, *militantibus in membris eorum.*

CAPUT XIV.

EXpositis specialibus, primùm superiorum erga inferiores in Ecclesia, mox generalibus omnium erga omnes; & erga ipsum Deum, ejusque vices gerentem Magistratum, denique erga seipsos officiis: nunc redit ad officia erga eos, quibus aliqua re in Ecclesiâ excellimus; seu erga debiliores in fide.

Vocat autem *Infirmiores* fide eos, qui in rebus indifferentibus, & ad essentiam religionis non pertinentibus, falsa aliqua opinione abducuntur, & errant. Expressè enim eos, qui superstitione solis oleribus vescendi laborabant *vers:* 2. *Infirmos* vocat. Utrisque autem, tam firmioribus, quàm infirmioribus, mutuam tolerantiam præcipit, quam exprimit per vocem (προσλαμβάνεσθε) id est, assumere, suscipere. quod significat aliquem pro fratre suscipere, & agnoscere: vel, ut se explicat, ne tacita quidem cogitatione condemnare, tantum abest, ut apertam aliquam, animorum alienationem, erga eos ostendamus. Non in *dubitationes cogitationum;* aut potius *altercationes disceptationum*, διακρίσεις διαλογισμῶν, quia διαλογισμὸς est differere, ac disputare: hinc ars dialectica. Non igitur hominibus ejusmodi molesti esse debemus disputationum vexationibus, hoc est, non debemus ab iis, propterea quia nobis in disputando contradicunt, animo esse alieno; sed erga eos propenso, & eorum dissensionem tolerante. Notandum autem est, non hîc Apostolum modestam, & quæ sit citra acerbitatem animi, disputationem improbare, aut vetare; sed abusum ejus duntaxat, in illud vitium degenerantem, quod *Jacobus Cap.* III. 14. Zelum amarum, & rixam in corde vocat, & sapientiam terrenam, animalem, diabolicam. Aliàs sapientia pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ, & fructuum bonorum, non condemnans; non damnatur, sed commendatur. Utrisque igitur, tàm firmioribus, quàm infirmioribus in fide; præcipit Apostolus mutuam tolerantiam *vers.* 3. Ac primùm, in exemplo eorum, qui cibos omnes sine delectu capiebant, præcipit iis, quos ipse firmiores esse statuebat; ne infirmiores contemnerent: infirmioribus autem, ne firmiores judicarent, hoc est, damnarent, & pro peccatoribus haberent. Addita duplici ratione contra infirmiores militante. Primùm, quia eos Deus recipit, quos ipsi falsò gratia Dei excidere autumant. deinde, quia ipsis non liceat *alienum servum judicare*, (præsertim in deteriorem partem decernendo;) *qui proprio Domino stat, aut cadit*, hoc est, in rebus occultioribus non licere nobis ejusmodi judicium sumere, quod soli Deo competit; qui penetrat in occulta cordium. Addit verò *Stabit autem, quia potens est Deus efficere, ut stet*, hoc est, non est Deus ita facilis ad conde-

condemnandos eos, qui in peccandi periculo versantur; quemadmodum homines. Versantur autem in hoc periculo ii, qui libertate utuntur in permittendis sibi rebus natura sua licitis; quæ tamen ab aliis illicitæ censentur. Sed eos, qui non malo animo istiusmodi libertate utuntur; facile potest, & solet Spiritu suo gubernare, ne libertate ista forte abutantur. Tangit enim posteà Apostolus in eodem capite periculum illud, in quo maxima Dei ope indigent; ideoque ipsis in eo salubria monita, & præcepta tradit.

Vers. 5. Transit ad aliud exemplum eorum, quorum alii se in fide firmos, alii infirmos ostendebant, hoc est, alii temporum, ac dierum delectum negligebant, alii observabant: atque in ea re utriusque liberum permittere videtur arbitrium, dum ait; *Unusquisque in propria mente*, hoc est, sententia, & opinione abundet, non simplicem modo opinionem; sed plenam, ac certam ejus persuasionem in eo permittens.

Primùm enim, observatio dierum, potest minùs habere in se infirmitatis fidei; quàm aut ciborum delectus, aut similis aliqua superstitio. Quamvis enim absolute necessaria non sit, cum divinus cultus nullis absolute adstrictus esse possit circumstantiis; est tamen quodammodo, & secundum quid necessaria; quatenus non possumus uno eodemque tempore pluribus curis, & occupationibus distringi; & aliis præter divinas occupationes curis nos tamen vacare cogat ipsa status nostri necessitas. Unde diversis studiis, & occupationibus, diversa, & stata tempora nos assignare oporteat. Quorum delectus, & observatio si non absolute necessaria; utilis tamen sit, ac decora: & nihil in se analogiæ fidei, per se inconveniens, contineat: præsertim si identidem illud nobis, & aliis inculcemus; non ideò nos huic, aut illi diei, nobilissimam omnium occupationem assignare, quod una præ altera in seipsa aliquam habeat excellentiam; sed quia aliter non possumus isti occupationi, & studio, quod reliquam vitam nostram, suo quasi colore tingere debeat, totos nos dedere, nisi aliis ignobilioribus curis stata aliqua tempora subtrahamus, & quasi succidamus. Deinde pro diversitate ingeniorum, quæ in mortalibus deprehenditur; diversa singuli possunt habere media, & compendia ad pietatis profectum servientia. Quorum singulis uti pro libitu, atque in eo suis ingeniis, arbitriisque indulgere possunt. Inter alia verò hæc quoque certorum temporum sanctioribus curis assignatio, atque adeo ipse quoque ciborum delectus, locum habere potest.

Vers. 6. Addit rationem, ob quam istarum quisque in suo sensu abundare debeat; quia supponit, utrumque id, quicquid facit, in Dei gratiam facere. Tam enim qui observat diem, Deo hac in re servitium præstare contendit, quàm is qui non observat: sed quolibet tempore promiscuè ad serviendum Deo utitur. Tàm is, qui nullo delectu cibis fortè oblatis vescitur in producenda per eos vita sua, viribusque reparandis, Deo servitium exhibet (Deo enim gratias agit, pro istis vitæ suæ adminiculis) quàm is, qui delectu ciborum carnem suam se domare putat, Deo placere contendit; quod precibus assiduis, & gratiarum actione, in istis ipsis cibis capiendis adhibenda, testatur. Ideo enim per cibos, quos capimus, vitam producimus, ut Deo vivamus, atque serviamus. Namque ab eo, ut ipsam vitam, ita & cibos, quibus vitam producimus, habemus. Meritò igitur ipsi gratias agimus, quia ipsius potestati tota vita nostra, imo & mors nostra subjecta est. Nemo nostrum sibi vivit, aut moritur. nemo in vita producenda, aut abrumpenda sui juris est. Nec suo proprio emolumento quisquam vivit, aut damno moritur. Sed quemadmodum servi olim Dominorum suorum usui vivebant, atque eorundem damno moriebantur; adeò ut, utrum viverent, aut morerentur, Dominorum plurimùm interesset; ita & nos utrumlibet in statum deveniamus, non nostra propria; sed Domini nostri Jesu Christi, res agatur, cujus servi atque possessio sumus. Atque hic illud mortis, & mortalitatis nostræ solatium tacitè innuit, quod quemadmodum Domini servorum mortem non libenter ferant, eamque pro virili ab ipsis avertere conentur, si modò possint, ob suum proprium emolumentum: ita noster Dominus in mortis malo, à servis suis avertendo, suum proprium emolumentum non sit neglecturus. Qui in eum finem & mortuus est, & resurrexit, ac revixit; ut & mortuis, & vivis dominaretur, hoc est, ut tam mortis, quam vitæ nostræ imperium obineret. Quemadmodum enim is, qui vitæ alicujus quamdiu velit producendæ potestatem habet; vitæ ejus imperium habere meritò dici potest: ita is, qui eundem ex morte per resurrectionem eripere potest; mortis ejus imperium habere jure dicitur. Quam potestatem, atque imperium Christus per mortem suam, ejusque comitem resurrectionem, & glorificationem, consecutus est. Notandum autem hic, quamvis *vers.* 6., & alibi, vox Dei (more in Sacra Scriptura usitato) Deum patrem; vox autem Domini, filium ejus significet; propter illam tamen tàm in negotio salutis nostræ, quam in cultu, quem Deo exhibemus, Dei, Christique conjunctionem, & unitatem, hæc pro eodem accipi, & unum, idemque significare. Neque enim aliter nos Deus servat, nisi per filium Dominum nostrum: neque nos aliter patrem colimus, aut precibus, cultuvè animi veneramur, nisi per filium: ita ut, quod Deo tribuitur; filio quoque tribui necesse sit, & contrà, quia nunc neque Deus quicquam facit, aut acceptat, nisi per Dominum: neque Dominus quicquam agat, aut recipiat, quod non in Dei patris gloria terminetur.

Vers. 10. Postquam igitur summam istam, & absolutam potestatem Domini nostri attigisset; redit ad argumentationem suam, & ex ista potestate deducit, non esse involandum in officium Christi, neque præripiendum ipsi judicium, potestati ejus competens: ac proinde non convenire, nobis, ut fratres nostros, loco Domini, ac Judicis nostri judicemus, cum ipsi simus ab eo judicandi *vers.* 12.

Unde monitum illud perneceſſarium fluit *vers.* 13. non in id nobis incumbendum, ut errores, aut imbecillitates fratrum observemus, aut redarguamus; sed potius, ne infirmitati ipsorum scandalum aliquod, & offendiculum præbeamus, propter quod, coram tribunali Christi, causa nobis dicenda sit. *vers.* 14.

Porrò *vers.* 14. Offendiculum istud describit; Cum quis scit certò, & persuasus est, rem aliquam esse licitam, neque in ea peragenda peccari posse, nisi quis forte (tametsi per errorem) eam illicitam esse opinetur: ideoque in præsentia eorum non abstinet ab illa re, quamvis sciat eos, primùm quidem eo facto vehementer contristatum iri, deinde sensim, Satanæ tentationibus, eo adduci posse, ut ejus exemplo sibi veniam, & licentiam ejusdem rei faciendæ permittant; tametsi, in sententiam ejus non descenderint, atque ita in peccatum ejusmodi incidere, in quo facile perire queant. Quorum utrumque, sed præcipuè posterius, Caritati erga fratres minimè consentaneum; imo verò absurdum, & rationi atque analogiæ fidei minimè congruum est. Quid enim indignius est, quam ut propter cibum nostrum, cujus jactura facilis est, cum in locum ejus infinitos alios habere possimus, perdamus fratrem,

cujus

cujus jactura pretiosa est; quia magno pretio, hoc est, Christi sanguine redemptus est. quod *vers.* 15. dicitur, & monitum hoc ad eos pertinet, qui præbent imbecillioribus offendiculum.

Sed quia in ejusmodi offendiculi casu non modo is, qui occasionem scandali præbet, sed &, qui præbitam rapit, delinquit; ideo imbecilliores quoque, & scandali occasionem aucupantes, aut non omittentes; admonet nova ratione adductâ, ne id faciant: quod ansam præbet ad obtrectandum religioni Christianæ, eamque criminandam, & quasi contumelia afficiendam; quod ipsius cultus, & observatio in carnali, & superstitioso ciborum, aut potuum delectu, aut culinæ disciplina consistat. Quod cum Apostolus olim pro maledicto, & convitio ab impiis, & blasphemis in Ecclesiam contorto habuerit; mirum est quomodo ita in Ecclesiam irrepserit, ut id nonnullis Ecclesiis sine calumnia objici possit. Præbet igitur hic memorabile monitum, & dignum quod Ecclesiæ Rectores semper præ oculis habeant.

Vers. 17. Regnum cælorum, hoc est, religionem Christianam, ejusque cultum, doctrinam, & observationem non consistere in superstitioso ciborum, aut potuum delectu: sed in *Justitia*, quod omnium virtutum, omnisque pietatis complexum significat, & in fructibus hujus justitiæ *Pace & Gaudio in Spiritu Sancto*; docet.

Opponit autem carnalibus istis rebus, quæ tristitiam, & discordiam, atque rixas inter Christianos serere poterant; Spiritualia, hoc est, virtutem, & pietatem, & ejus pedissequas *pacem*, & *gaudium*, quorum utrumque, aut certè posterius, ne carnaliter intelligeretur; seu ne pro carnali lætitia, quæ etiam in prophanos homines cadit, sumi posset; adjungit limitationem *in Spiritu Sancto*. innuens sanctum esse istud gaudium, & spirituale; non prophanum, & carnale.

Vers. 18. Illos igitur solos verum, & Deo placentem religionis usum habere ait; qui in his rebus Domino Jesu, secundum præcepta ejus serviunt: atque eosdem non Deo modo placentes; sed & hominibus probatos esse. Nec enim tantum Deo satisfaciunt, secundum mentem ejus viventes; sed & de hominibus benè merentur: pacem inter eos, concordiam, & spirituale, ac mutuum in Spiritu Sancto gaudium conservantes.

Vers. 19. Posteaquam tam firmiores, quàm infirmiores officii sui separatim admonuisset; nunc ad utrosque simul admonendos accedit, afferendo novam rationem utrisque communem. Ait igitur utrisque ea esse consectanda, quæ pacis sunt, & mutuæ ædificationis; quod quidem prioris moniti consectarium est, sed nova ratione fulcitur *vers.* 20. quæ talis est. Indignum esse propter cibum, cujus neque Deum, neque religionem rationem ullam habere suprà ostendit; dissolvere Dei opus, hoc est, pacem, concordiam, ædificationem Ecclesiæ, & hominum salutem. Quod quidem crimen in casu scandali, tàm isti, qui præbent; quàm qui occasionem ejus arripiunt, diversa ratione committunt. Et ii quidem, qui præbent offendiculum, cæptum in perducendis ad salutem fratribus imbecillioribus opus Dei impediunt, & fructum, quem ex iis Deus quærebat, intervertunt: atque ita non modo in fratres, sed in Deum ipsum injurii sunt. Isti verò, qui ansam offendiculi arripiunt, in rebus tàm frivolis tumultuantes, non modò iis, qui sunt extrà Ecclesiam, præsertim hostibus, ejus religionis criminandæ occasionem præbent; sed & inter eos, qui sunt intra Ecclesiam, semina schismatum, & discordiarum serentes, destruunt Ecclesiam Dei, pulcherrimum Dei opus.

Vers. 20. Posteaquam utrosque admonuisset, ne propter cibum destruerent opus Dei; solvit quasdam objectiones, præsertim firmiorum in fide fratrum, qui prætendere poterant, omnes cibos esse puros. Respondet id ita quidem esse: sed ab offendiculo inquinari hominem, vescentem iis, quibus frater offenditur, omittentem occasionem pulcherrimæ virtutis; quam describit *vers.* 21. Quicquid enim pulchrum, quicquid bonæ famæ, quicquid φιλάδελφον *amabile* sectari jussi sumus. Est autem virtus ejusmodi placitis abstinuisse, quibus frater offenditur, tàm in cibo, quàm in potu.

Alteri objectioni occurrit *vers.* 22. *Atqui fides mea*, hoc est, scientia, & cognitio rerum divinarum. (NB. vocis fidei significationem) ac certa persuasio mea me absolvit ab omni culpa. Bene est, inquit, habeas hanc fidem: sed coràm Deo. *Beatus enim est, qui se non condemnat in eo quod probat.* Sed non sunt vulganda omnibus, quæ offendiculum aliquod pariant. Notandum hoc præcipuum Christianæ prudentiæ monitum, non omnia esse evulganda in publicum, præsertim quæ tutius nesciuntur, aut à paucis sciuntur.

Vers. 23. ultimo convertit se ad infirmiores, atque iis præceptum dat, non esse facienda, de quibus dubitent. *Quicquid enim non est ex fide, peccatum est.* Hic eæ actiones ex fide esse dicuntur; quas credimus nobis esse licitas: contrà non esse ex fide, de quibus dubitamus. Fides enim certam persuasionem postulat, quæ si dubitationibus fluctuet, non est fides, sed fluxa, & incerta opinio, aut potius dubitatio.

CAPUT XV.

REdit iterum ad firmiores in fide, quibus præscribit officium portandi, hoc est, tolerandi infirmitates imbecilliorum, hoc est, officium faciendi aliquid adversus animi nostri sententiam; ut illis placeamus: ac simul ostendit viam, & modum virtutis istius assequendæ; quæ in eo est, ut nobismetipsis non nimium placeamus. Est enim id hominum superborum, & qui se nimio plus æstimant: quòd illos nulla aliorum cura tangat: nec multum suâ interesse putent, quid de se cæteri sentiant; quia ipsi de se magnificum sentiunt, & prædicant. Exuendus est igitur habitus iste, qui nimio sui pretio homines occæcat; ut indui possit consuetudo, & cura placendi aliis, etiam imbecillioribus, propter ædificationem. Quod confirmat exemplo Christi, qui cum in forma Dei existeret; non est sublatus status sui excellentia: quin propter bonum aliorum, longe viliorum homuncionum, sese ad formam servi, in contumeliis patiendis assumendam, demitteret. *Philip.* 2. Itaque is *non sibi ipsi placuit*, hoc est, non sibi pepercit, seipsum exinanivit, humiliavit &c. Atque hanc Christi humiliationem, & propter bonum aliorum susceptam patientiam adducto *Psal.* 69., loco exponit. Eaque occasione *vers.* 4. lectionem Sacræ Scripturæ commendat; ostendens, quæcunque scripta sunt, propter nos docendos, atque instruendos scripta esse, *ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Patientia etenim spei solatio indiget. Spem autem istam, & consolationem, Sacra Scriptura nobis abunde suggerit. Precatur posteà Deum, (quem *Deum tolerantiæ* vocat, quia & ipse nimium longanimis, ac tolerans est, & suorum patientia, atque tolerantia delectatur. *Deum vero consolationis*, quia fons est omnis consolationis) ut ipsis unum sapere, homologiam, aut potius unanimitatem

mitatem, concordiam largiatur. Possunt enim homines unanimes esse; licet diversum sentiant, (ut ante ostendit) quoties se sibi mutuo accommodant. Saltem in eo unanimes esse debent, ut unanimiter, & uno ore, laudent patrem Domini nostri Jesu Christi. ideo ut sese invicem suscipiant, sibique mutuo indulgeant, hortatur, præsertim firmiores infirmioribus; adducto rursus exemplo Christi; qui eos, quos tunc alloquitur, quamvis alienos à populo Dei, suscepit in gloriam Dei, hoc est, in regnum cælorum: aut admisit ad glorioſissimam sortem, quam Deus populo suo præparavit.

Quod beneficium erga gentes alias eò notabilius fuit, quod Christus primum ad Judæos missus fuerit; iisque solis, prædicavit *veritatem Dei*, hoc est, Evangelium, (quod vel respectu umbrarum, quibus adumbratum est, veritas dici potest) ut præstarentur *aut adimplerentur promissiones patribus eorum factæ*. Quo major apparuit erga gentes misericordia Dei; quando ipse quoque ad prædicationem Evangelii admissæ sunt: majoremque habuerunt occasionem celebrandæ laudibus Dei beneficentiæ. quod quatuor testimoniis Spiritus Sancti *vers.* 9. 10. 11. 12. confirmat, ostendens prædictam fuisse olim (quia jam tum destinata esset) à Spiritu Sancto istam Dei erga gentes, misericordiam.

Vers. 13. Iterum precatur Deum, ut ipsos impleat primum omni gaudio. (χαρᾶς) *Gaudium* vocatur ista virtus, quâ alii erga alios ita sunt affecti, ut vehementer caveant, ne se mutuò contristent; sed potiùs invicem gaudium sibi præbeant. Deinde ut ipsos impleat *omni pace in credendo*, quæ pax nulla re melius fovetur, ac retinetur, quam virtutis hujus, quæ Gaudium vocatur, interventu. Unde posteà tanto firmior, & abundantior spes salutis omnibus exurgit. quæ omnia efficaciâ Spiritus Sancti peraguntur.

Vers. 14. Excusat admonitionem suam, & ostendit, non ideò se monentis partes suscepisse, quod non esset persuasus illos plenos esse benignitatis, & instructos omni cognitione, adeò ut possint alios quoque admonere. Sed ideo liberius in parte eos allocutum, quia id incubuerit sibi ex muneris commissi officio; quia Deus ipsum ex gratia sua peculiari voluerit ministrum esse Christi erga gentes, in quibus & illi erant. (suprà *Cap:* 1. 6.) Quam gloriationem veram esse ait *vers.* 17, 18. & probat ab effectu; quia ab Hierosolymis ad illyricum usque repleverit omnes oras prædicatione Evangelii *vers.* 19. & ita quidem, ut non super alieno fundamento; sed *vers.* 21. ab ipsa radice extructas erigeret Ecclesias. Unde & ad Romanos adventum, qui hucusque variis impedimentis præpeditus fuerit, parare se ait. sed, quia jam illic plantata esset Ecclesia, transiturum sese isthâc in Hispaniam, eosque tantum in transitu visitaturum, pollicetur. Quod quominùs statim præstet, Hierosolymitano itinere sese impediri, ostendit, quod ad afferendum è Macedonia, atque Achaiâ pro pauperibus subsidium, susceperit. Quo confecto; non se remoraturum promissi fidem innuit.

Vers. 27. Ex occasione mentionis istius Gentium eleemosynæ ostendit æquum esse; ut gentes, quæ spiritualia, & nobiliora dona ab Hierosolymitanis acceperant, eosdem carnalibus, & ignobilioribus subsidiis remunerari non recusarent. Imo vero ὀφείλημα, *debitum*, esse non obscurè asserit Apostolus, ut qui spiritualia accipiunt ab aliis, suppeditent illis carnalia.

Vers. 28. Vox σφραγισάμενος, *sigillo obsignans*, significat aliquid plane absolvere, & ad umbilicum adducere; sumpta metaphora à scribendis epistolis, quæ tunc planè perfectè finiuntur, cum obsignantur. Eadem metaphora est *Joh:* III. 33. *Obsignavit quod Deus verus est.* Qui profitetur se credere quod Deus verus sit, inchoatam fidem habet. at qui Christi testimonium ita recepit, ut secundum ejus præcepta vivat; consummatam, ac omnibus numeris absolutam, & obsignatam fidem habet.

Vers. 29. Adventus sui desiderium exortare volens, eam fore ait, cum abundantia, & plenitudine benedictionis Evangelii Jesu Christi.

Vers. 30. Satis anxie, & sollicitè per Dominum nostrum Jesum Christum, & per caritatem spiritus (hoc est, spiritualem; seu vinculum illud spirituale, quod omnes fideles conjungit) implorat interceſſionem Romanorum ad Deum, ut liberetur (*vers.* 31.) ab infidelibus, & refractariis Judæis: simul ut ministerium ejus fit acceptum fratribus sanctis. Unde videmus primum, quantum situm sit in precibus, & interceſſionibus sanctorum. Deinde, quanta placendi fratribus cura Apostolum hunc exercuerit; ac nobismetipsis quanti esse debeat desiderium, & cura satisfaciendi fratribus.

Adjungit præterea *vers.* 32. rationem à privato eorum emolumento sumptam; ut in adventu suo, quem pollicetur, participes eos facere possit gaudii sui.

CAPUT XVI.

PRæmissa commendatione Phœbes sororis; salutat, præter alios multos, quos singillatim non recenset, nominatim prope triginta fratres, & sorores: propemodum singulis, quos nominat, addito elogio, & commendatione; ut pateret, quanta erga singulos flagraret charitate.

Ex tanto commemoratorum fratrum Romanorum numero patet, Apostolum, cui tanta multitudo eorum nota fuerit; aut hujus Ecclesiæ plantatorum, & antequam ipsis scriberet, Romæ non exiguo tempore commoratum fuisse; qui tot fratres, & sorores sibi familiariter notos habuerit: aut Ecclesiam hanc à discipulis, & familiaribus ejus, quos cooperarios suos vocat, plantatam esse. Et Aquitam quidem, ac priscillam, sicuti & Urbanum, cooperarios suos in Christo desertè vocat. Andronicum vero & Juniam, insignes inter Apostolos, & concaptivos suos: qui & ante ipsum, fuerunt in Christo. Mentionem facit & mulierum, quæ multum in Domino laboraverunt.

Vers. 17. Patet non defuisse jam tempore Apostolorum in Ecclesia, qui διχοστασίας *schismata*, & *scandala facerent*; *non Christo, sed ventri* (*vers.* 18.) *servientes*; quos describit, quod *per bona verba* (χρηστολογίας καὶ εὐλογίας) *& benedictionem*, hoc est per verba pietatis exuberantiam spirantia, decipiant corda simplicium: & virtutis quidem studiosorum, qui ex seipsis omnes alios æstiment, (quos ἀκάκους) sed & in verbis valde bonis dolum malum latentem, subolfacere nequeant: ideoque ejusmodi impostoribus facilè auscultent. quales fuisse Romanos, ad quos scribit, innuit. Quorum obsequium celebre fuerit (*vers.* 19.) apud multos. quod quidem non reprehendit Apostolus, imò laudat, & de ea virtute ipsis gratulatur. *Gaudeo*, inquit, *quod ad vos attinet*: sed addit, *Volo vos sapientes quidem esse in bonum; simplices verò in malum*. Hoc est, non sufficit, ut sitis (ἀκάκους, & ἀκεραίους) simplices in malum, hoc est, neminem decipientes, nemini nocentes; sed oportet, ut sitis etiam sapientes in bonum, quales sunt, qui se non facile decipi sinunt. Nihil enim melius est; quàm ita sapere, ut effugere possis impostorum insidias. quia labi, errare, decipi, miserum, &

ſtultum, ideoque malum eſt. Optimum igitur non decipi.

Verſ. 20. *Deus Pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros citò.* Quia enim Deo pax Eccleſiæ cordi eſt; ideo quando ipſi boni in Eccleſia ſibi non deſunt, & ſapientes in bonum eſſe conantur; auxilio Dei iſtiuſmodi Satanæ inſidias eludunt, eumque quaſi pedibus conterunt: & quidem citò, & nullo negotio. ita ut ſublato omni διχοστασια, *diſſidio*, pax Eccleſiæ redeat.

Verſ. 23. *Eraſti*, oeconomi civitatis; quod non humile officium Corinthiæ urbis fuiſſe apparet, mentionem facit. Hinc patet, homines ad Chriſti religionem admiſſos, vitia tantum mundana, non autem negotia relinquere coactos.

Verſ. 24. 25. Concludit epiſtolam, primò comprecatione gratiæ Chriſti, & auxilii divini, Eccleſiæ huic præſtandi. Deinde quadam gratiarum actione, & reddenda gloria Deo, pro tàm inſigni erga omnes gentes beneficio, quod per prædicationem Paulo concreditam admiſerit eos in conſortium populi ſui.

Verſ. 25. 26. 27. Ait enim: *Ei verò qui vos poteſt confirmare* ac ſtabilire, in prædicato vobis Evangelio Jeſu Chriſti (quæ mihi apud gentes functio concredita eſt) in quo aliis, præter Judæos, gentibus prædicando revelatum eſt myſterium, per multa ſecula ignoratum, & occultatum, nemini evulgatum, altiſſimo ſilentio preſſum: (ubi notandum multa iſta ſecula per vocem *temporum æternorum* exprimi) in quo & impletæ, ac revelatæ, & explicatæ ſunt Scripturæ propheticæ, rem, quam æternus Deus à multis ſeculis ordinaverat, prædicentes, ut ad obſequium fidei omnes gentes adducerentur. Huic, inquam, uni, Sapienti Deo, per Jeſum Chriſtum ſit gloria in æternum.

Notandus autem eſt Liturgiæ Apoſtolicæ character; quod victimas, & ſacrificia laudis Deo offerre ſoliti non fuerint, niſi per ſummum novi fœderis ſacerdotem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; qui ideò in Sancta ſanctorum penetravit, ut eſſet noſter Sacerdos in perpetuum.

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS PRIMAM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

Verſ. 2. Duplicem ſenſum habere poſſunt hæc verba. Primum. Poſſit enim videri hæc Epiſtola ab Apoſtolo inſcripta non ſolis Corinthiis; ſed aliis etiam omnibus quocunque in loco exiſtentibus eccleſiis, etiam Philippis, ex qua urbe ſcripta eſt. quales ſunt Jacobi, Petri, & Joannis, quæ vulgo inſcribuntur Catholicæ. Secundum. Sed & poſſunt verba *cum omnibus* referri ad proxime præcedentia, *Sanctificatis in Chriſto Jeſu, & vocatis Sanctis*, hoc eſt, ad communionem Sanctorum, & admiſſis ad illam Catholicam Chriſti Eccleſiam, ubique terrarum nomen ejus invocantem, & nullo peculiari loco affixam. Qui ſenſus potior videtur. Notanda autem eſt Catholicæ eccleſiæ natura, quod *in omni loco eſſe dicatur*, ſive in eo fuerint Apoſtoli, ſive non, dummodo invocent nomen Domini Jeſu, qui ad eam pertinent. Notanda & periphraſis Chriſtianorum *invocantes nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut illi, qui non invocant, ab hoc nomine excludi videantur.

Verſ. 3. *Gratia & pax.* Pax, præſertim à Deo, ſignificat omne felicitatis genus. adjuncta vero vox Gratiæ, oſtendit id omne, quod à Deo nobis confertur boni, ex mera gratia, & benignitate ejus, nullo autem merito noſtro proficiſci.

Verſ. 4. Gratias agit Deo, ipſiſque *Corinthiis* gratulatur de gratia Dei, quæ ipſis in Jeſu Chriſto collata eſt, quam in eo eſſe dicit, *verſ.* 5. quod *ditati fuerint in omni ſermone, & cognitione in Chriſto*, hoc eſt, inſtructi abunde cognitione rerum ad Chriſti religionem, & fidem, quæ eos ſervare poſſit, pertinentium, ita ut *teſtimonium Chriſti confirmatum ſit in ipſis*, hoc eſt, fides eorum confirmata ſit certiſſimis teſtimoniis ipſius Chriſti, & eorum teſtium, qui de Chriſto, ejuſque reſurrectione, & glorificatione teſtabantur. Tam enim ea, quæ Chriſtus ipſe dixit, fecitque aut paſſus eſt, quam ea, quæ per productos ab eo teſtes de ipſo dicta ſunt, *Teſtimonium Chriſti* dici poſſunt. Quibus omnibus ſi firma fides adhibeatur, *nihil* ita credentibus *deeſſe poteſt ad omne donum*, aut felicitatis genus, è gratia Dei profluens, niſi *revelatio* & impletio ejus ſpei, quam exſpectant, in adventu *Domini Jeſu Chriſti*. Notandum hic primò, quod λόγος *verſu* 5. non tam ſermonem, ut ipſa verba ſonant, quam ſermonis prædicati ab Apoſtolis effectum, hoc eſt, cognitionem eorum quæ per ſermonem iſtam prædicata ſunt, ſignificet.

Deinde concilianda ſunt iſta verba cum iis, quæ infra *Cap:* III. ſcribit, objiciens Corinthiis eos adhuc eſſe carnales, & myſteriorum Dei incapaces, & adeò ſolidiori cibo minus idoneos; ut ipſius lactis vix patientes fuerint, etiam tunc, cum ipſis hæc ſcriberet: quod certe non abundantiam, ſed defectum, non divitias, ſed paupertatem cognitionis rerum divinarum ſignificare videtur.

Cæterum animadvertendum eſt Chriſtianæ religionis naturam non eſſe in cognitione theoretica; ſed in practica, & quidem in actum deducta, hoc eſt, in ejuſmodi ſcientia, & cognitione, quæ vera, & ſalubris cognitio ac ſcientia dici nequit, niſi in actum, & praxin deducatur. Ideo quòd, niſi talis ſcientia ad actum deducatur, errores multos noxios, & pernicioſos germinat, quibus mens occæcata, longe ineptior evadit ad excutienda vitia imbecillitatis humanæ, quàm erat antequam iſtam ſcientiam, & cognitionem (ad actum non deductam) haberet. Imò quò diutius in eo ſtatu hæret, eo magis obnubilatur ac obtenebratur. Hoc enim eſt quod Author epiſtolæ ad *Hebræos* ait (*Cap.* VI. 7. & 8.) terram bibentem ſæpe pluriam tempeſtivam, & tamen producentem ſpinas, & tribulos, eſſe propinquam maledictioni, & exitio. Imo vero ſimiles huic terræ homines, qui guſtato ſemel dono cæleſti, & Spiritus Sancti participes facti, propoſito vitæ piæ excidunt, & habitus vitiorum contrahunt, abſque extraordinaria Dei ope non poſſe iterum renovari in pœnitentiam; quia vim remediorum adverſus peccata omnium conſumpſerunt, & irritam reddiderunt. Remedia vero contra peccata, *Heb.* VI. 2. promiſſionum & comminationum Dei, ſeu reſurrectionis, & ſupplicii æterni, ſpes, ac metus erant, per quæ media fundamentum pœnitentiæ jacebant, qui primum Religioni Chriſtianæ initiabantur, per baptiſmum quidem externam Religionis profeſſionem facientes, per impoſitionem autem manuum donum Spiritus Sancti accipientes. Nemo autem negaverit, ignorantiam puræ negationis minùs eſſe noxiam, viam ſalutis ingredi volentibus, quàm pravæ diſpoſitionis ignorantiam, quæ ſpecie cognitionis rerum divinarum, ac fidei, homines decipit, ut ſe viam ſalutis noſſe, & fidem habere putent, cum tamen ea quæ ſcitu neceſſaria ſunt, neſciant, nec fidem habeant, niſi forte mortuam, umbram pro corpore conſectantes. Ergo quoties homines, auditâ Evangelii voce, cognitione rerum ad ſalutem, ac religionem neceſſariarum imbuuntur, (quemadmodum, ſine dubio iſti, de quibus loquitur Apoſtolus, Corinthii erant imbuti) merito dici poſſunt *ditati cognitione* rerum ad ſalutem utilium; merito & fides in ipſis *confirmata* dici poteſt, ac ſubnixa teſtimoniis irrefragabilibus, quia tot, ac tanta documenta fidei conſequendæ, atque in ſe ipſis confirmandæ habent, quot, & quanta

quanta ad eam, citra violentiam menti illam, & arbitrii libertate illæsa, & illibata, nobis ingerendam, sufficere Deus voluit. Adeo ut etiam fides ista ad ipsos actus deduci cæpta, & quasi inchoata sit, & ejusmodi hominibus nihil ad consequenda in adventu Christi præmia deesse dici possit, nisi ut eos Deus *confirmet, & constanter durare faciat irreprehensibiles usque ad finem*, quod hoc loco Apostolus *Corinthiis vers.* 8. pollicetur, tacita tamen conditione subintellecta, nisi sibimetipsi deesse, & auxilium Dei spernere velint. Verum quia Dei quidem auxilium ejusmodi fidem inchoantibus semper præsto est, unde *Deus fidelis vers.* 9. dicitur, at homines ipsi, gratiæ & benignitati Dei interdum deesse, & illecebris peccatorum delusi, sese subtrahere solent; sæpe evenit, ut inchoata ista fides sensim diminuatur, ac debilitetur, usque ad periculum totalis extinctionis. Quia enim peccatum & culpam in voluntate semper præcedit error, & obtenebratio in intellectu, ideo in eo casu cognitionem quoque rerum salutarium sensim diminui, aut, quod peius est, erroribus, tanquam noxiis herbis succrescentibus, suffocari, ac depravari necesse est. Ita ut homines ex spiritualibus subinde carnales evadere incipiant, quod ipsis Corinthiis accidisse videmus. Ità homines, etiam iidem, secundum diversa tempora considerati, possunt dici, & spirituales, & carnales: & salutarium rerum cognitione abunde instructi, & rursus earundem rerum maxima ignorantia laborantes.

Quanquam alio quoque modo ista repugnantia conciliari potest. quia enim ecclesia Christi, non respectu consilii, ac voluntatis, aut destinationis Dei, qui omnes electos esse vellet; sed respectu culpæ hominum, & eventus, tàm ex electis, quàm ex vocatis solummodo constat; quicquid de electis ecclesiæ Corinthiæ circa cognitionem rerum divinarum dici potuit, de tota ecclesia dici potuit. Quod enim homines plures in aliqua ecclesia sciunt, & aliis prædicant, atque communicant; illud ista ecclesia ignorare dici nequit, tametsi alii in eadem ecclesia reperiri possint, qui eadem scire nolint, aut ignorare malint. Rursus quoties aliqui in ecclesia errorum, aut delictorum nomine accusantur; toties iidem errores, aut delicta, per modum loquendi non inusitatum, toti ecclesiæ, quanquam non secundum omnes sui partes intellectæ, objici posse videntur. Itaque res istæ sibi repugnantes de eadem ecclesia secundum diversa hominum, in ea comprehensorum genera, considerata, dici poterant.

Denique isto quoque modo repugnantia hæc vel in eodem subjecto breviter conciliari potest, quod iisdem Corinthiis ex parte Dei quidem nihil revelationis ad solidam rerum divinarum cognitionem deesse potuerit; sed ob eorum, aut certè quorundam ex iis culpam, cognitio hæc, quia in actum deducta non est, in ignorantiam, & errorem, præsertim circa particulares virtutum, aut vitiorum praxes, degeneraverit.

Vers. 9. Certitudinem promissi hujus *vers.* 8. facti, quod Deus eos *confirmaturus sit irreprehensibiles usque ad finem*, hoc est, ad adventum Domini nostri Jesu Christi, in fide; inde deducit, quòd Deus sit fidelis, per quem vocati erant in communionem Domini nostri Jesu Christi: nemini enim vocatorum Deus opem suam in eo subtrahit, quod tàm certum est, quàm quod Deus sit fidelis, quia, quod promisit, necessariò præstabit.

Dies autem Domini nostri Jesu Christi, primo quidem & principaliter dicitur illa dies ultimi judicii: sed analogicè illa quoque dicitur, quâ homines per mortem proximè, imo vero quasi individuo nexu conjunctæ, diei extremi judicii admonentur.

In communione filii ejus. Quod Deus promisit omnibus, & in persona filii sui jam præstitit; illud idem tanto certius reliquis omnibus repræsentabit, quod in tam illustri exemplo fidei, & fidelitatis suæ specimen ediderit.

Vers. 10. Quia tamen in eo promisso tacita conditio subintellecta est, nisi Corinthii in divina ope recipienda sibimetipsis deessent; ideo eos admonet *per nomen Domini nostri Jesu Christi*, ut à *schismatibus* abstineant, *idem loquantur*, hoc est, ut à contradictionibus, præcipue isthic ubi tolerantiæ locus est, abstineant. Τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες. Potest enim in rebus levioribus, sed tamen quæ in dubium vocatæ scandalum afferre possent, dissimulari dissensus, vide *Rom:* XIV. 22. Sitis autem κατηρτισμένοι ἐν τῇ αὐτῇ νοΐ. *Coaptati in eadem mente, & sententia.* ὁμόνοια potest esse, etiamsi non sit homodoxia hoc est, concordia, etiamsi non sit consensus in dogmatibus. Quamvis autem præstet utramque conjungi, idque non modo optandum sit, sed etiam Apostolus præcipere videatur hoc loco, dum Corinthios vult esse κατηρτισμένους ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ, coaptatos in eadem sententia (quod non ita explicandum est, ut propter infirmos ii quoque, qui veriorem sententiam habent, eam deserere, & in eorum sententiam transire debeant, quod & iniquum, & impossibile, & præcepto Apostoli. *Rom.* XIV. 22 repugnans est: sed potius ut verior sententia ab omnibus recipiatur. id enim vox κατηρτισμένοι denotat, quæ homines in iis, quæ ipsis desunt, *perficiendos* esse admonet) tamen, si ad eandem omnes opinionem perduci nequeant, ὁμόνοιαν, & spiritualem concordiam, & affectum mutuum, & caritatem fraternam esse retinendam. Quid enim obstat in rebus levioribus ἀνεμβλήτως; si spiritualis concordia & in rebus gravioribus (ἐν αὐτῇ γνώμῃ) *eadem sententia* retinentur?

Discordia enim spiritualis, quæ est, quoties unus alterum damnat, aut contemnit, (vide *Rom.* XIV. & XV.) procreat (ἔριδας.) *rixas*, & *contentiones.*

Vers. 12. Qui ejusmodi divisiones in Ecclesia sua faciunt, ut aliquas sectas, de suo nomine dictas, introducant, aut eas nasci patiantur, etiamsi non discerperent Ecclesiam, quemadmodum id facere natura sua istiusmodi sectæ aptæ sunt: (quamvis id forte per accidens non faciant, quod unius visibilis in Ecclesia Monarchæ potestate, & auctoritate cohibeantur) tamen in Christum ipsum injurii sunt, & sibi in Ecclesia eam gloriam, & auctoritatem sumunt, quam sibi sumere Paulus Apostolus ausus non est. Iis enim, qui se Pauli nomine venditabant, objectat, & exprobrat Paulus, & acriter reprehendit, quod sibi tantum honoris haberent, quantum soli Christo debetur, qui peculiari, & sibi soli proprio mortis suæ beneficio totum humanum genus, & singulos homines sibi obstrinxit. Sensit igitur Paulus id sine injuria Christi fieri non posse. vide *vers.* 13. Notandum obiter, quamvis Martyres quoque, quos inter ipsi Apostoli, pro Ecclesia Christi mortui videantur & quodammodo dici possint; quatenus ex morte, & perpessionibus eorum maximus fructus ad Ecclesiam redundat: tamen eos pro singulis in Ecclesia hominibus mortuos, sine maxima catachresi dici nequit, ob immensam inter mortem eorum, & mortem Christi differentiam. Sed præcipuè, ne quid de obligatione, quam Christo mortis ejus nomine quisque fidelium debet, decerpatur, præsertim cum mortem Christi subsecuta resurrectio, & multò magis glorificatio, eam longe utiliorem, & salutariorem cuilibet fidelium reddat,

dat, quàm possit esse mors cujuscunque alterius Martyris, aut Apostoli. *vers.* 14. & 15. Notanda Pauli modestia, cuilibet institutori recentium ordinum Regularium imitanda.

Vers. 17. Nulla re cessit Paulus aliis ad munus Apostolicum vocatis, & tamen ait baptizationem a se quæ fuisse extra muneris sibi injuncti functionem. Unde apparet, vocem *Baptizantes eos in nomine Patris &c. Matth. vers.* 28. non de aquæ baptismo intelligendam.

Non in sapientia sermonis, ne evacuetur crux Christi. Quærendum primum quænam sit ista sapientia, in qua se negat Evangelium prædicasse Apostolus. Deinde qua ratione evacuata fuisset crux Christi, si in ista sapientia Evangelium prædicasset.

Sapientiam igitur intelligit primùm *hujus ævi.* de qua loquitur *vers.* 20. & *Principum seculi hujus*, *Cap.* 11. 6., hoc est, quam consectabantur, qua delectabantur principes hujus ævi: & ut sese explicat *Cap:* 11. 4. quæ esset in *persuasivis humanæ sapientiæ sermonibus*, quales erant aut κατασοφισμοὶ μύθων, *arte confictæ fabulæ*, de quibus loquitur Petrus, 2 *Pet.* 1. *vers.* 16. aut certe κατασοφισμοὶ λόγων Philosophorum illius ævi; denique colores oratorii ad persuadendum efficaces, quæ omnia apud *Principes hujus ævi*, erant in pretio.

Deinde. Quia per crucem Christi, non solum Christi crucifixionem, aut de ea doctrinam; sed & humilem, & contemptam, & multis persecutionibus obnoxiam Christianorum vocationem intelligit, quæ per res adversas, & ignominiam tendebat ad gloriam: ideo si per humanas artes Philosophiam, aut eloquentiam, quæ apud omnes erant in admiratione, & pretio, prædicasset Evangelium; fructus illius prædicationis, *non potentiæ Dei*, de qua infra *Cap.* 11. 5., qui per crucem, infirmitatemque, res magnas, & admirabiles gerere voluit; sed *humanæ sapientiæ*, & viribus attributus fuisset.

Præterea ipsa crucifixi Christi prædicatio habuit in se aliquid humanæ sapientiæ adversum, & repugnans. Male enim inter se cohærere videbatur, tàm in ipso Christo, quam in cæteris omnibus, quibus is ad imitandum propositus est, glorificatio, & in gloriosissimum statum exaltatio, cum morte adeo misera, & ignominiosa, ut merito non modo *vers.* 18., sed etiam infra 23. hæc prædicatio *Judæis quidem scandalum*, cæteris *autem gentibus stultitia* videretur. Verum ita Deo visum erat (quod dicitur *vers.* 19.) *perdere sapientum sapientiam, & prudentium intelligentiam confundere*, ac rejicere, *ne coram ipso gloriaretur ulla caro* (infra *vers.* 29.) Non decuit igitur, nec consilio Dei congruebat, prædicationem istam fieri in sapientia carnali, quæ istam sapientiam carnalem per doctrinam crucis abolebat, ac rejiciebat. aliàs vice versa ista carnalis sapientia doctrinam crucis abolevisset, & evacuisset.

Observandum autem est, quia omnis ista in exortis schismatibus Corinthiorum culpa, quam hoc loco reprehendit Apostolus, ex vitio superbiæ, & arrogantiæ profluebat, *quod unus pro alio inflaret se contra alterum*, ut exprimitur infra *Cap:* 1v. 6. quod carnalis sapientiæ, & scientiæ, quæ inflat, proprium est; Ideò Apostolum ostendere prædicationem suam apud Corinthios, sicuti & vocationem Corinthiorum, ejusmodi fuisse, in qua locus isti superbiæ, & inflationi nullus esset. Quia & prædicatio sapientiæ humanæ, quæ inflare solet, expers esset, nec ullo pomposæ eloquentiæ fuco colorata, aut ornata, & exculta; & vocatio crucis contemptui, imbecillitati, ignominiæ, & persecutioni subjecta, atque obnoxia.

Quod autem prædicatio esset sapientiæ humanæ expers, ostendit *vers.* 18., quia ii *qui pereunt* (hoc est, totus pene mundus) *eam pro stultitia* habent; quamvis nobis ad salutem vocatis, *sit potentia Dei*, hoc est, quamvis Deus mirificam potentiam suam ostendat in salvandis nobis per ejusmodi media, quæ etiam iis, qui sapientiores in mundo videntur, à salute alienissima videntur, ideoque istorum mediorum prædicationem pro stultitia habeant.

Vers. 19. Consilium Dei ostendit in abolenda, & rejicienda sapientia humana, puta in Ecclesia tua, ita ut verba *versus* 20., *Ubi sapiens, ubi scriba?* possint referri ad ea, quæ dicit infrà *vers.* 26., quod in Ecclesia *non multi essent sapientes secundum carnem, potentes, nobiles.* Nec enim novum est in Sacra Scriptura, ut plane non esse dicantur ii, qui admodum pauci, & rari sunt. quemadmodum de justis, intelligentibus, & quærentibus Deum, *Rom.* 111. 10, 11. dicitur. quemadmodum & infra *vers.* 28. isti ipsi qui sunt in Ecclesia, una cum tota forte Ecclesia μὴ ὄντα, *ea quæ non sunt*, dicuntur, respectu τῶν ὄντων in mundo, ubi erant frequentes σοφοὶ, δυνατοὶ, εὐγενεῖς, hoc est *sapientes*, *potentes*, *nobiles.*

Vers. 20. Ἐμώρανεν, *Insatuavit*, stultum fecit, hoc est, pro stulta judicavit, aut etiam procuravit, ut in ipso tandem eventu stulta ab omnibus reperiretur, & judicaretur sapientia hujus mundi.

Vers. 21. Rationem reddit, cur Deus rejecerit sapientiam hujus mundi, *quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum.* Per *sapientiam Dei* hoc loco intelligi videtur illud γνωστὸν τοῦ θεοῦ, *notum Dei Rom.* 1. 19. hoc est, semina illius notitiæ Dei, quæ inseverat Deus pectoribus hominum, per rationem rectam ex divinis creationis operibus æternam Dei potentiam, & divinitatem colligentem. Quia igitur per nudum rectæ rationis usum (quem hoc loco absolute sapientiam, quia est via ad sapientiam vocat) homines *non cognoverunt Deum* (sua quidem culpa ut *Rom.* 1. demonstravit Apostolus) *placuit Deo per stultitiam prædicationis*, hoc est, ejusmodi prædicationem, quæ mundo, quamvis immerito (ut mox ostendetur) stulta visa est, *salvare credentes.* Notandum autem est, nudo usui rationis hoc loco fidem ita opponi, ut non obscure indicetur, absque *fidei interventu* prædicationem crucis, hoc est, Religionis Christianæ, non posse nisi stultam videri. Nisi enim quis credat firmiter Jesum illum crucifixum esse resuscitatum, & glorificatum, idque ideo, ut omnes, qui credunt in eum, resuscitentur & ipsi, & gloriosæ vitæ participes fiant; stultum videri necesse est, subire, ac suscipere statum afflictionibus crucis obnoxium.

Vers. 22. Ostendit cur (quamvis immerito) prædicatio crucis pro stulta, & rejectanea habita fuerit, quia & *Judæi signum poscebant*, & *Græci sapientiam quærebant.* Neutris autem prædicatio crucis satisfecit. Quamvis enim quod ad Judæos attinet, prædicatio resuscitationis, & glorificationis Christi, esset miraculum omnium potissimum, unde etiam à Spiritu Sancto signum Jonæ Prophetæ dicitur; tamen Judæi non ejusmodi signum poscebant, in quo fidei locus aliquis esset, sed tale quale toti populo in eductione ejus ex Ægypto publicè exhibitum erat: aut etiam quale Achabi tempore Elias in conspectu totius populi exhibuit, in quo nullus erat fidei locus. Græci autem sapientiam quidem quærebant, sed apparentem, non veram, hoc est, palato suo sapientem, & accommodatam: nempè humanam, & usu quidem rationis subnixam, sed vanitatis, ostentationis & superbiæ fucum, ac teneratem. Ideo prædicatio crucis Judæis quidem scandalum fuit. Maledictus enim habebatur apud eos, ejusmodi supplicio affectus. Gentibus autem stultitiæ

visa est. Solis autem credentibus, qui hic *vocati* dicuntur, Dei potentia, & Dei sapientia hæc prædicatio extitit. Unde apparet, cum Dei sapientia vera sit sapientia; illam, quæ huic opponitur, sapientiam apparentem, & longe insipientiorem deprehendi. Id vero quod à Deo proficiscitur, quamvis stultum videatur (μωρὸν τ θεῦ *vers.* 25.) omni humana sapientia longe sapientius esse: quemadmodum idem, quamvis infirmum videatur, omni humana potentia potentius est.

Notanda vero hic est inter *vers.* 23. & 24. antithesis, quia *vers.* 23. crucem Christi *Judæis quidem* scandalum, *Græcis autem stultitiam* esse dixerat; eandem *vers.* 24., vocatis ex utroque gentis genere, & *potentiam Dei* & *sapientiam Dei* esse. Judæi enim offendebantur quadam infirmitatis cruci subjectæ; Græci vero stultitiæ, per infelicitatem ad felicitatem vadentis, specie; cum tamen & *vers.* 25. τὸ μωρὸν τ θεῦ, hoc est, consilium, & actio Dei circa crucem Christi, quam homines (stulti ipsi) pro stulta habebant, plena esset sapientiæ, & humanâ prætensa sapientia longe sapientior: & τὸ ἀσθενὲς τ θεῦ, id est, consilium, & actio Dei, homines per vilitatem, & infirmitatem ad gloriam, & veram, stabilemque felicitatem vocantis, esset plena potentiæ, & omni humana vi potentior. Idque *vers.* 26., posito ob oculos vocationis Christianorum exemplo, confirmat, quod in Ecclesia tunc non *multi fuerunt sapientes secundum carnem*, hoc est, eruditi: non *multi potentes*, *non multi natalibus illustres*. adeo ut cœtus ille Christianorum, per denominationem à potiori, rudis, infirmus, ignobilis: & respectu mundanæ eruditionis, potentiæ, nobilitatis, quasi nihil videri posset. Sed tamen Deus ipsum elegit, ut pudefaceret mundi hujus sapientes, potentes, nobiles, & qui magni fiebant. Eo consilio, quod clare *vers.* 29. pronuntiat: *Ne ulla caro coram ipso gloriari posset*, hoc est, ne homines suo ingenio, & sapientia, suisque viribus quicquam tribuerent, atque sic in superbiam efferrentur: sed quicquid esset in iis, quo gaudere, & gloriari possent, id totum, quantumcunque est, Deo acceptum ferrent. Id enim est, quod *vers. ultimo* dicit. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hinc Dominus, *Matt.* XI. 25., postquam idem consilium Dei commemorasset, ex omnibus virtutibus quas à se discendas proponere voluit, unam humilitatem, & modestiam elegit, tanquam huic fini, & consilio Dei, quod in ratione vocationis hominum ad Evangelium cernitur, maxime consentaneam. Meritò igitur & hoc loco Apostolus consilium istud Dei, ad hominum superbiam refrænandam commemorat, quia Corinthii donis, & gratia Dei insiari, &, tanquam jam nimiùm saturati, altum sapere, & ad mutuas contentiones descendere cæperant. vide infra *Cap.* IV. 7. 8. Ideo *vers.* 30. ostendit, soli Deo, ejusque Christo tribuendum quicquid in nobis esset, in quo nobis placere, & quo gaudere, & gloriari possimus. qualis est imprimis divina sapientia (hujus ævi sapientibus, & intelligentibus *Matth.* XI. abscondita) justificatio, seu remissio peccatorum, sanctificatio, seu vitæ sanctimonia, sine qua, ut Deum videre, ita eam assequi absque Deo duce, nemo potest. Denique redemptio, ejusque spes certa, & indubitata, quæ à Deo per manus Christi speranda est.

Notandum autem hic, Deum in isto consilio suo sapientes, & eruditos hujus ævi, item potentes, & nobiles, aut divites, non penitus excluisse, quamvis Evangelium pauperibus prædicatum sit. *Matth.* XI. *vers.* 5. & 6. adeo ut pauci essent, ex ditioribus, & nobilioribus, qui ea re non scandalizarentur (essent tamen aliqui, iique beati ideo dicti *vers.* 6.) quos & hic (tametsi non multos) in Ecclesia fuisse Paulus fatetur.

CAPUT II.

QUia schismatum, & contentionum inter Corinthios causa esset inflatio, & superbia eorum, ex vana sapientiæ opinione orta, duplici ratione in præcedenti capite vitium hoc oppugnavit Apostolus. Primum, ostendens non esse quod sapientiæ opinione tumeant, atque efferantur ii, quibus doctrina prædicata est vanæ illi, & arroganti sapientiæ mundi contraria, hoc est, doctrina crucis. Secundum, Multo minus ii, qui ad humilem vocationem vocati sunt, in qua ambitioni campus non pateret, & quam Deus ad refrænandam hominum jactantiam, atque superbiam elegisset.

Nunc tertiam rationem affert, ductam ex modo prædicationis suæ, qui erat plenus omnis modestiæ, & humilitatis, atque ab omni superbia, & ambitione alienus. Primum enim non præ se ferebat Apostolus ullam sublimioris scientiæ significationem, quamvis annunciaret doctrinam divinitùs haustam, quam testimonium Dei appellat *vers.* 1.: nec tradebat ulla abstrusa, & curiosa dogmata; sed ea tantum, quæ erant ad religionem Christi necessaria, & omnibus obvia, quæque tantum circà imitationem Christi, per crucem ad gloriam vadentis, versabantur: (*vers.* 2.) tanquam nihil sciret suprà aliorum captum, & supra id, quod omnibus inculcabat. Deinde (*vers.* 3.) in prædicatione sua modestè, prudenter, ac circumspectè se gerebat, nulla virium suarum fiducia elatus, aut omnis lapsus securus; sed qui tanquam esset infirmus, metueret, & sedulò caveret, ne qua in re extrà officii sui metas exorbitaret. quod per timorem, ac tremorem exprimit, qui affectus comitari amant eos, qui ex infirmitatis conscientiâ viribus suis non multùm tribuunt. quales debent esse omnes Christiani in salutis suæ negotio. quod officium, ac præceptum alibi quoque omnibus inculcat. Tertiò, quod prædicatio ejus esset sine omni humanæ eloquentiæ fuco, & colore. quali plerumque utuntur ii, qui persuadere aliquid populo conantur (*vers.* 4.) idque ideò, ne fructus prædicationis istius, hoc est, fides fidelium, sapientiæ, aut facundiæ humanæ; sed efficaciæ spiritus tribueretur. Ubi quia *sapientiæ humanæ* opponit (*vers.* 5.) *potentiam Dei*, ne quis existimaret, prædicationem hanc esse omnis sapientiæ expertem, subjungit *vers.* 6. prædicatam à se, & prædicari sapientiam, & quidem perfectam, sed tantum *perfectis* & spiritualibus, qui soli ejus essent capaces; quippe cum ea *non esset ævi hujus, neque Principum ævi hujus*, caducorum, & ad breve tempus florentium (καταργουμένων) verum ab iis esse absconditam (*Matt.* XI. ἀπεκρυμμένα).

Vers. 7. Ἣν προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ τ αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν. *Quam præfinivit Deus ante secula in gloriam nostram.* Occultum illud fuisse necesse est, quod in consilio, & proposito Dei latebat, antequam per prædicationem Evangelii evulgaretur: sed & post prædicationem Evangelii occultum, & absconditum respectu eorum fuit, qui sua culpa à prædicatione ista excluſi sunt. Promissum vitæ æternæ, & immortalitatis intelligit, cujus doctrina, & circa eam occupata, sapientia perfecta, vanæ caducorum hominum sapientiæ opponitur.

Vers. 8. *Quam nemo cognovit.* Videtur ad δόξαν, *gloriam*, non ad sapientiam referendum. Primum, quia congruè illi eam gloriam non cognovisse dicuntur, *qui Dominum istius gloriæ* interfecerunt.

runt *verſ.* 8. Secundo, quia *verſ.* 9. hominibus plane incognita dicuntur ea, quæ Deus diligentibus ſe præparavit, quæ verba ad δόξαν, *gloriam* potiùs, quam ad Sapientiam σοφίαν pertinent. Tangitur autem hoc loco cauſa, ob quam non modo Principes, ſed reliqui etiam homines hujus ævi, gloriam à Deo præparatam diligentibus eum non cognoverint, aut etiam cognoſcere non potuerint. Cum enim vulgo apud homines nihil eſſe dicatur in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu; non mirum eſt abſque ope cæleſti capere non poſſe homines imaginem ejus felicitatis, *quam Deus præparavit diligentibus ſeſe*, quia *eam oculus non vidit, auris non audivit, ideoque* per iſtas intellectus noſtri januas non penetravit ad mentem noſtram digna tanto bono ſpecies. Opem Spiritus Sancti intelligo, quod donum, ſane quàm pretioſum, his tantum Deus promiſit, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum vivunt. Eam vero ſpiritus viam ingredi omnibus quidem Deus integrum eſſe voluit: ſed ob difficultates ejus, & ſalebras, non omnes eam ingredi; pauciores vero in ea (pertæſi boni operis patientiam) perſeverare volunt. Eo fit, ut hujus ævi homines, quamdiu tales manent, pretium donorum & promiſſorum Dei æſtimare, imo animo concipere nequeant. Sed ope cæleſti, & ſpiritu Dei opus eſt, ut aliquis in hæc ſecreta Dei penetret. quemadmodum enim ſecreta hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis: *ita ſecreta Dei, nemo nemo novit, niſi ſpiritus Dei*, id eſt, nemo, niſi ſpiritu Dei præditus, penetrare poteſt in abdita voluntatis, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ Dei arcana. *Nos* igitur *verſ.* 12. *non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum Dei*, ut poſſimus æſtimare pretium promiſſorum, ac donorum Dei (ubi tacitè terrenum illum, & carnalia ſapientem mundi Spiritum, quo prædicti ſecundum carnem vivere ſolent; opponit cæleſti, & diviniſſima quæque ſapienti Spiritui Dei, quem nemo accipere poteſt, niſi ſecundum Spiritum vivat, & quem quamdiu quiſquam habuerit, non niſi ſecundum eum vivere poteſt) Ideo *verſ.* 13. ea quæ ad veram iſtam, & perfectam ſapientiam pertinent, loquimur, non in arte excogitatis, & humana eruditione comptis, & excultis, ſed ex inſtinctu Spiritus Sancti profluentibus ſermonibus; *Spiritualibus Spiritualia accommodantes*. Nec enim ii, quibus prædicabat Apoſtolus carnales, aut pſychici; ſed ſpirituales eſſe debebant. ideo ſermo quoque ejus ſpiritualibus hominibus, quos ſupra *verſ.* 6. τελείους perfectos vocavit, accommodatus eſſe debuit. Quamvis, ut infrà oſtendet, initio prædicationis non eſſet integrum Apoſtolo, Corinthios ſolido Spiritualis doctrinæ cibo paſcere, qui, quod eſſent imbecilles, & nondum Spirituales, vix lactis capaces fuerunt. Atque hic ex occaſione, & obiter differentiam inter carnales vel pſychicos, & ſpirituales homines, in percipienda prædicatione Apoſtolica oſtendit: quæ in eo eſt, quòd *ſpiritualem* illam prædicationem Apoſtolicam *non percipiant homines carnales, quia ipſis (licet falſo) ſtulta videtur, nec poſſint Spiritualia percipere, quæ non niſi ſpiritualiter dijudicantur*. Spirituales autem percipiunt, quia ſenſum ſublimiorem, & celſiorem intelligendi vim habent, quâ ſupra cæteros ita attolluntur, ut ipſi quidem in eos, infra ſe poſitos, deſpicere, ac penetrare poſſint, ſed illorum mentem, ſupra captum carnalium elevatam, cæteri capere nequeant. Quorum in numero ſeipſum hoc loco (peculiariter, aut certe principaliter) ponit Apoſtolus, quia mentem, Chriſti aliis inacceſſam, & inſcrutabilem, tot peculiaribus revelationibus, ſatis ſuperque perceperit, eamque plenè poſſideat.

CAPUT III.

QUæ rixæ, atque diſcordiæ inter Corinthios non modo ex ſuperbia, & arrogantia ipſorum, ſed etiam ex imminutione, ac depreſſione auctoritatis Pauli, qui ipſos in Chriſto genuerat, ortæ fuerunt, & per eaſdem cauſas fovebantur: ideo arrogantiam ipſorum refrænans Apoſtolus, una, eademque opera tacite occurrit objectionibus, quibus auctoritas ejus convelli poterat. Cum enim ſuperiori capite in tertia ratione ſua, qua ſuperbiam eorum oppugnabat, quæ erat ducta ex modo prædicationis ſuæ, ab omni ſuperbia alieno, oſtendiſſet ſeſe ipſis abſtruſa, & ſublimia dogmata non tradidiſſe: (*Cap.* II. 2.) præcipue vero dogmata, in ſpeciem humanæ ſapientiæ ſubornata, & eloquentia exculta (ut potentiæ, & bonitati ſolius Dei, non autem humanæ facundiæ donum fidei acceptum ferretur: imo vero ne ipſa quidem veræ, ac divinæ ſapientiæ altiora myſteria, niſi forte perfectioribus (*verſ.* 6. & 13.) & ſpiritualibus revelaſſe; nunc aperte cauſam oſtendit, ob quam hoc poſtremum non fecerit quia nimirum iſtius perfectioris, & altioris ſapientiæ capaces nondum fuerint, utpote *carnales, & infantes in Chriſto*. quod oſtendit manifeſto argumento, quia ne nunc quidem carnales eſſe deſierint, cum inter ipſos ſit, *invidia, contentio, & diſſidia*. In quo ſingulare Apoſtoli artificium elucet, quod unâ, eademque opera, duo ſimul effecerit, & aſſecutus fuerit. Primum ut Corinthiorum ſuperbia retunderetur, palàm oſtenſa eorum nuditate. Deinde ut eæ rationes tacitè refellerentur, quæ eos induxerant, ut Apoſtoli auctoritatem minoris æſtimarent; quòd (videlicet) aliquis forte alius poſt eum ſublimiora aliqua fidei myſteria inter eos tradidiſſet, quæ Apoſtolus non tradiderat. Oſtendit igitur ſufficientem, & juſtam cauſam, cur ipſe id facere non debuerit, nec tamen ideò auctoritas ejus minoris æſtimanda ſit.

Verſ. 2. Elementa prædicationis Evangelicæ vocat γάλα *Lac*: & opponit βρῶμα *cibo ſolido*, hoc eſt, myſteriis reconditioribus hujus religionis. Ergo initio prædicationis Corinthios hujus cibi ſolidi nondum capaces fuiſſe, imo ne nunc quidem eſſe, quia ſint carnales. (manifeſta vero carnis opera oſtendit, *Zelum* (puta amarum de quo Jacobus) *contentiones & diſſidia*. Carnales vero eſſe, quia ſecundum carnem ambulent, quod hoc loco exprimit per voces *Secundum hominem ambulare*. Quemadmodum enim inter homines carnales regnant ambitioſæ contentiones, quæ in noxias, & exitioſas factiones degenerant, quibus inter ſe mundani homines colliſi ſolent: ita inter illos exortas ſectas, quibus ſub nomine Pauli, aut Apollonis, aut alicujus ſorte, ex medio eorum, homuncionis (ut *Cap:* IV. 6. ſeſe explicat) alter adverſus alterum invicem factioſe intumeſcant. Quod ipſorum vitium, eiuſque cauſas, hoc loco ſtirpitus eruere contendit. Commemorat autem, & refellit hoc loco primam hujus vitii cauſam, quod nimiò plùs iſtis hominibus, quorum nominibus ad factiones abutuntur, tribuant *verſ.* 5., alteram, quod eos inter ſe diſſidere, atque ſibi opponi poſſe putent. *verſ.* 8. Utramque toto iſto capite, & ſequentis initio refellit.

Primum igitur neque Paulum, neque Apollonem, multo autem minus quenquam alium tanti fieri debere à Corinthiis, oſtendit, ut ejus nomine, tanquam Patris, & Magiſtri, aut ſuæ ſectæ ducis (*Matth:* XXIII.) efferri, aut intumeſcere debeant. Primo, quia iſti ſunt (*verſ.* 8.) tantum miniſtri,

per

per quos crediderant, hoc est, causæ minus principales, & instrumentales Dei in salute eorum procurandâ: vel ut infrà, *Cap.* IV. 1. ait, Servi Christi, & promicondi mysteriorum Dei, qui à Deo in ministerio suo plane dependeant, operantes singuli secundum mensuram donorum, quæ singulis pro arbitrio Dei dispensantur. Non potest igitur sine injuria Dei, Christique, id ipsis tribui, quod tantum Deo, Christoque debetur. Secundum. quia ne isti quidem omnes ministri (præcipuè verò extrà principaliter sic dictos Apostolos) ea donorum affluentia à Deo cumulati sunt, ut periculum non sit, ne quis eorum (prout infrà ostendit,) jacto religionis aureo, seu gemmeo fundamento, ligneas, aut stramineas casas superstruat. Sed singulis tantum datum est, quantum Deus voluit. Solus igitur Deus Pater luminum, à quo omne bonum perfectum cælitus descendit, Pater noster, solus Christus Magister, Dux, & ἀρχηγὸς salutis nostræ censendus est. Nullius alterius auctoritati fidendum, & innitendum est. Quemadmodum enim læta plantarum luxuries, non tam plantantis, aut irrigantis hortulani operæ, atque industriæ, quam cæli influentiæ, ac Dei, creatas à se naturas fovantis, potentiæ, tribuenda est: ita multò magis florens Ecclesiæ status non ministrorum ejus operæ, sed magis cælitus demissæ opis, ac benedictionis beneficio acceptus ferendus est.

Deinde Paulum, Apollonem & omnes reliquos, qui ad plantandam tunc, aut irrigandam Ecclesiam operas suas contulerant; unum, & idem esse ostendit. Non posse igitur ita inter se opponi eorum auctoritates, ut pro aliquo eorum unus contra alterum intumescere debeat, aut ea occasione schismata aliqua excitare. Esse vero eos unum, probat; primum quia in prædicando Evangelio unius Domini negotium agunt, sperantes singuli ab eo mercedem pro modo operæ præstitæ. Non possunt igitur, aut suum, aut alienum, (quod cum Domini sui emolumento pugnet) negotium agere, atque ita secum pugnare, & committi *vers.* 8. Deinde, quia unius Dei sunt cooperarii in Ecclesia plantanda, irriganda, ædificanda. Ecclesia vero apte dici potest tàm γώργιον *(arvum)* quàm ædificium Dei.

Hic iterum artificium Apostoli observandum, quòd quanquam nimiam autoritatem suam, sicuti & cæterorum omnium convellere, ac subruere voluerit apud Corinthios; tamen in decernendo quid iis tribuendum sit, qui donis Dei in ædificanda Corinthiorum Ecclesia usi sunt, non parum inter se, & cæteros discriminis esse innuit. in quo non tam fortasse Apollonem, quam alios ex ipsis Corinthiis, quos inter, quia se jam saturatos, ac divites factos, & regnantes in cognitione Dei putabant; forte *multi Magistri*, *(Jacobi 3.)* exoriebantur, (quales erant illi resurrectionem subvertentes, contrà quos, *Cap:* XV., disputat) perstringere Apostolum voluisse, ideò existimare par est, quia in eo sese ipse Apostolus explicat infrà *Cap.* IV. 6.

Discrimen autem hoc statuit, quia ipse quidem, secundum gratiam sibi à Deo concessam, tam sapienter fundamentum doctrinæ religionis in ista Ecclesia jecerit, ut illud, tanquam omnis lapsus, & erroris expers, nemo suo loco dimovere possit, hoc est, doctrinam illam de Jesu Christo, eoque crucifixo. *(Cap:* II. 2.) At cæteri imprudentia labi, & errare potuerint, inædificantes hujus fundamento, alii quidem *aurum, argentum*, & *gemmas*, sed alii rursus, aut forte isti quoque ipsi, aliàs loco auri, *ligna, calamum*, & *stramen*. Vide *vers.* 10. 11. 12. Unde duo discimus. Primum. Apostolicæ auctoritati non esse conferendam existimationem aliorum, quantiscunque donis præ cæteris emineant, quia Apostolis Deus peculiare Spiritus, falli nescii, donum contulerat ad jacienda firma, & quæ convelli non possent, fundamenta doctrinæ de Jesu Christo illo crucifixo. cæteris, qui fundamentis istis superstructuri erant sua dogmata, non esse concessam eandem gratiam pari modo, & mensura. Ideoque etiamsi Apostoli privilegium infallibilitatis habuerint, non posse id derivari, & protendi ad posteros, & successores eorum.

Secundum. Non pugnare cum eo, quòd Dominus promiserit discipulis, sese ipsis affuturum usque ad consummationem seculi; statum hunc Ecclesiæ, in qua aureo, & gemmeo Apostolicæ doctrinæ fundamento, superstruuntur straminea, & quæ cuncta (præter veritatem) depascentis ævi ignem, pati nequeant, dogmata. Quemadmodum enim, etiam inter ignaros veræ religionis, regnat tamen in mundo Deus, & regnante impietate, & morum corruptela, suis tamen adest, atque auxiliatur, & cuncta ad arbitrium suum disponit, & moderatur; ita etiam, regnantibus in Ecclesia, erroribus, præsto est suis, atque auxiliatur Christus, ne aut noxiis nimium abripiantur erroribus, aut ne ipsorum venenum ipsis noceat.

Vers. 12. Quemadmodum *vers.* 10. cum Apostolus se *fundamentum* ædificii *potuisse*, *tanquàm sapientum architectum* prædicat, non de sanctitate, aut integritate vitæ suæ loquitur, sed de doctrinâ religionis, quam Ecclesiæ tradebat; ita cum alios sibi opponit, huic fundamento *aurum*, & *ligna*, *&c.* superstruentes, non de vita, aut moribus eorum; sed dogmatibus loquitur, quæ huic jacto jam doctrinæ Apostolicæ fundamento de suo adjiciebant, & admiscebant, ac tradebant Ecclesiæ. Quia vero ipsum ab Apostolis jactum fundamentum, hoc est, doctrina de Jesu Christo, apte dici potest aurum, & gemmæ, propter pretium sui, & durabilitatem; ideo per verba *aurum*, *argentum*, *gemmas*, dogmata intelligit, jacto isti fundamento consentanea, hoc est, certissimæ veritatis, & quæ temporis, atque ævi dentes non timeant. Per *ligna* autem, *fœnum*, *stramen*, doctrinas intelligit anomalas, & cum fundamento Apostolico, in sacris literis expresso, male cohærentes, dogmata vilia, & caduca, & quæ ipsa ætas destruet. qualia sunt, quæ non veritate, nec rationibus, menti notitiâ Sacræ Scripturæ illustratæ, consentaneis, nec Sacræ Scripturæ auctoritate; sed humanâ potentia, factione, conspiratione, fluxis tibicinibus nituntur.

Vers. 13. Ostendit, quamvis quædam istorum dogmatum occultè in Ecclesiam subrepere, aut, ut Judæ voce utamur, *subintrare* debuerint; tamen ea in tempore revelanda. *Dies enim manifestabit.* Quamvis hoc possit non ineptè intelligi, & explicari de ultima judicii die, quæ *illustrabit occulta tenebrarum, & revelabit consilia cordium.* de qua, nisi fallor, infra *Cap.* IV. 5. loquitur, quæ dies magna, & ultima dicitur, sæpe etiam dies Domini. licet per diem Domini non semper ultima dies intelligatur, sed frequenter tempus notabilis alicujus beneficii, aut supplicii Dei, seu dies, quam fecit Dominus, ut in ea, aut lætentur, aut lugeant homines. quod idem de adventu quoque Domini dici potest.

Tamen hoc loco vox *Dici*, longe aptius explicari potest, de illa temporis natura, & efficacia, per quam veritatis pater, ac veritas ejus filia dicitur. Dies enim diem docet, & quemadmodum cætera caduca, & mortalia; ita præcipue erronea, & falsa dogmata tempus ipsum, tanquam ignis, abolet; quæ raro ævum ferre possunt: atque ut aliquando longæva videantur; tamen veritatis vim invictam, & fatalem, ac funestam sibi lucem non evadent;

evadent ; quin ea tandem deleat , & extirpet

Annorum ſeries , & fuga temporum.

Apte autem hæc natura temporis igni comparatur, quia, more ignis, omnia conſumit , ac devorat , præter ea , quæ falſi , aut vitii alicujus mixturæ , ac ſcoriæ expertia ſunt. Præterea , quia ſupra pretioſis , quæque ignem non timent , rebus, ligna , fænum , & ſtramen , præcipua ignis alimenta, admiſcuerat ; congruè admodum ignis mentionem infert , ac diem iſtam in igne reveleri aſſerit , qui exploraturus ſit an omnia iſta , quæ auri ſpecie venditantur , ac ſplendent , ſint aurum.

Verſ. 14. Explorationis hujus , quæ ſit per ignem , diverſos effectus , pro ratione diverſorum operum , quæ per iſtum ignem explorantur , proponit. Ex iis enim dogmatibus , quæ ſuper primigeniæ Apoſtolorum doctrinæ fundamentum ſuperſtructa ſunt , alia perenniter manſura , & ignis , de quo loquitus , explorationi ſuperfutura : alia vero combuſtum iri oſtendit. Et eorum quidem dogmatum , quæ , quia fundamento congrua , & veritati conſentanea ſunt , ſalva permanſerint ; auctores , & introductores , mercedem accepturos : contra eorum , quæ comburentur , auctores ; maximum damnum perpeſſuros : etiamſi forte ipſi alioqui ſalvandi , nec in æternum perituri ſint.

Addit autem *verſ.* 16. & 17. rationem , cur iſtis ſanctimonia vitæ , per quam ſalvandi ſunt , non ſit profutura ad effugiendam pœnam introductæ in Eccleſiam falſæ doctrinæ. Quia , inquit , rei omnium pretioſiſſimæ , hoc eſt , templo Dei damnum inferunt , ideo digni ſunt , qui viciſſim à Deo maximo damno mulctentur. probat autem Eccleſiam Dei eſſe templum Dei , quia Spiritus Dei habitat in ea : qui cum ſit Sanctus , templum quoque ab ipſo ſanctificatum ſanctum eſſe neceſſe eſt : cujus injuria , & jactura Deo cordi non eſſe non poteſt ; ita ut auctores ejus impune evadere non ſinat. Notandum autem eſt hoc loco verba *Corrumpet hunc Deus* , ad eum quoque poſſe protendi , qui ſalvabitur quidem , ſed tanquam per ignem. Nec enim contemnendum eſt iſtud ſupplicii genus , quod φθορὰν hoc loco Spiritus Sanctus vocat. quemadmodum in rebus humanis maxima pœna , atque calamitas videtur , ſi quis, incendio amiſſis poſſeſſionibus omnibus , ægrè nudus tanquam ex naufragio evadat. Quæ quidem Apoſtolus diſſerit , ut iſtos Doctores Eccleſiæ , qui aliquid novi doctrinæ Apoſtolicæ ſuperaddunt , non modo præmii ſpe , ſed etiam pœnæ metu extimulet , ad maximam vigilantiam , & modeſtiam , ne altum ſapiant , ſed timeant ſibi. quod ſupra dixit , *quiſque autem videat , quomodo inædificet.* Huc enim pertinet monitum *Jacobi Cap.* III. *Ne multi didaſcali , Doctores , ſitis , ſcientes quod majus judicium accipiemus. In multis enim labimur omnes* &c. quod præcipue ad iſtos Doctores pertinet, qui novi aliquid in Eccleſiam introducunt , freti humanæ ſapientiæ fiducia. quæ via , ut lubrica eſt, & lapſui prona ; ita longe maximas pœnas labentibus afferre poteſt , ſi deſtruendo Eccleſiam Dei , mereantur ut illos viciſſim Deus deſtruat.

Verſ. 18. Ideo admonet *verſ.* 18. Apoſtolus univerſos , nequis humanæ ſapientiæ fiducia ſeipſum circumveniat. In eo enim eſt maxima deceptio , quòd homines videntes ſeſe ævi hujus ſapientiam aſſecutos eſſe ; plura audeant quam par ſit : nec animadvertant ſibi potiorem ſapientiæ partem , hoc eſt , Dei ſapientiam deeſſe , quæ divina ſapientia tantò eſt humanâ præſtantior , atque perfectior : quantò ars perfecta , & omnibus numeris abſoluta , præſtantior eſt rudimentis ſuis. Quemadmodum enim iis , qui primis duntaxat artis rudimentis initiati , artem tamen exercent , ſi ad artis perfectionem , & faſtigium aſpirent , multa dediſcenda ſunt , quæ prave didicere ; ita iſtis , qui humana ſapientia imbuti ſunt , ſi ad divinæ ſapientiæ culmen contendant , multa dediſcenda , multa abjicienda ſunt , in quibus tamen terrenæ ipſorum ſapientiæ vis , & ſpecies præcipua conſiſtere videbatur. Quale eſt ſupercilium , & doctrinæ ſuæ fiducia , & prompta , atque expedita , res in diſquiſitionem venientes decidendi , audacia. Ita ut , qui ſibi , & aliis paulo ante Doctores , & Magiſtri aliorum videbantur ; ad diſcipulorum ſtatum redeant : quique alios erudire ſolebant , & in multis poterant , ipſi ab aliis diſcere , atque erudiri ſuſtineant. Hoc enim eſt ex *Sapiente ævi hujus , ſtultum effici , ut ſit vere Sapiens. verſ.* 18.

Verſ. 19. Rationem ejus rei ſubdit , *quia ſapientia mundi hujus , ſtultitia apud Deum eſt.* Non puto veritatis cujuſcunque cognitionem , quæ non exigua ſapientiæ pars eſt , hoc loco ſtultitiam apud Deum dici ; ſed quia eruditionis humanæ ejuſmodi fatum eſt , ut vitio , & culpa hominum ad errorem , & lapſum admodum proclivium , plerumque in doctrinas , ac dogmata hominum , ſapientiam profitentium , plurimi & maximi errores irrepant ; meritò Spiritus Sanctus ait , ejuſmodi ſapientiam , quamvis apud homines ſapientia videatur , ac cenſeatur , apud Deum tamen , qui res cunctas pretiis ſuis æſtimat , ſtultitiam eſſe : quia revera ſtultitia ſit , non modo veritati , ſed ipſi rectæ & ſanæ rationi adverſa. qualia tunc erant pleraque omnia Philoſophorum , ſed præcipue Platonicorum , qui præ cæteris florebant , dogmata.

Hæc verba ita intelligenda, inde adducor ut credam , quia ſubjicit rationem , cur iſta mundana ſapientia apud Deum ſtultitia ſit , (ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν) *Capiens ſapientes in verſutia ipſorum.* quæ verba denotant homines, mundana iſta ſapientia præditos , captos , hoc eſt , deceptos , & illaqueatos eſſe , variis erroribus à Deo hoc eſt , Dei permiſſu , & quodammodo nutu , permiſſu , qui in viis ſuis eas poſuit inſidias , quas probi , & candidi homines facile evitare , perverſi autem , & verſuti in eas facile incidere poſſint. præterea qui in ipſis hominum delictis paratas , & præſentiſſimas eorum pœnas latere , ac præſto eſſe voluit. *In verſutia ipſorum* , hoc eſt , propter præſentiſſimam eorum culpam. Panurgia enim non niſi vitioſam verſutiam ſignificare poteſt , quæ cum mendacio , aut deceptione hominum conjuncta ſit. qualis fuit Pythagoræ , qui , ut ejus apud diſcipulos auctoritas major eſſet , ſibi aureum femur eſſe, & alia multa , credulitati ſuorum illudens , confinxit. Ita multi alii , dum vanam apud homines gloriam , & exiſtimationem venantur , abſtruſa , & à vulgi captu remota dogmata tradidere. ſed dum in ſublime nimium ambitioſis ingeniis evolare contendunt , Icari modo præcipites in abſurdos , & ab omni ratione abhorrentes errores decidere. quod in Platonicorum dogmatibus , tàm olim , quàm hodie accidit. Juſto enim Dei judicio omnibus , ſtudio ſapientiæ ad ambitionem abutentibus , præſto eſt ſupplicium , quòd in ejuſmodi errores incidant , quorum abſurditas nuditatem , ineptiam , & ſtultitiam hominum ambitioſorum omnibus conſpicuam reddit. Quod ſi hodie , poſt lumen Evangelii in

orbem ingressum, Philosophia tot falsis opinionibus infecta est, ut qui ejus studio immerguntur, nisi sibi caveant, dimidio stultiores evadant, quàm fuere, cum ad illud accesserant; quid dicemus de illis ignorantiæ seculis?

Atque hinc supra dixit, non defuisse, aut certe non defore, qui super pretiosa Apostolorum fundamenta lignum, fœnum & stramen superstruant. Quæ verba errores, & falsa dogmata significant, hausta primitùs, non è purissimis Spiritus Sancti fontibus, sed ex lutulentis humanæ sapientiæ lacunis. Quæ non ideo apud Deum stultitia dicitur, quod si qua in ea sit veritatis cognitio, à Spiritu Sancto damnetur; sed quia plerumque multis erroribus referta, & inquinata esse soleat, & illis præcipue temporibus fuerit. De erronea igitur, non de vera scientia, & sapientia Apostolus loquitur, qualis est, quæ justum ævum & probationis ignem ferre non potest. Nam quæ sunt æternæ veritatis dogmata, illis metuenda non est,

——— *innumerabilis*
Annorum series, & fuga temporum.

Et quod in re ipsâ verum est, & in quo nullus error, nulla humana hallucinatio intervenit, tàm apud homines, quàm apud Deum verum est. Et si quid germanæ ac genuinæ veritatis deprehenditur inter homines, illud non apud illos tantum, sed apud ipsum Deum quoque vera est scientia, & si quis illa legitime utatur, vera quoque sapientia. Una enim est tàm apud Deum, quàm apud homines veritas, nisi quod multis mortalibus falsum veri specie imponit, & multi errores pro sapientia venditantur, qui prout in reipsa, ita apud Deum suo merito stultitia sunt. Hinc in loco posterius citato *vers.* 20. *Nosse sapientum*, (hoc est, qui pro talibus vulgo habentur) *cogitationes Deus dicitur, quod vanæ sint.* Novit enim Deus καρδιογνώστης, non modo quantùm mentes mortalium à veritate aberrare; sed quam interdum ipsâ quoque veritate ad inania abuti soleant, quod in Philosophis præcipuè, & qui apud homines sapientissimi habentur, deprehenditur.

Unde concludit *vers.* 21. ὥστε. Itaque nemo in humana auctoritate fiduciam ponat, aut ei sese addicat, vel ea glorietur, tanquam infallibili, & erroris experte. quod monitum ad eos præcipuè pertinet, qui inter ipsos Corinthios, præter Apostolos, & Apostolicos viros, humanæ sapientiæ fiduciâ cæperant φρονεῖν ὑπὲρ ὃ γέγραπται, *sapere super id quod scriptum est.* vide *Cap.* IV. 6. Sed ad propositum Apostoli pertinebat doctrinam istam latius extendere, ut ad ipsos quoque Apostolos pertineret. Itaque eodem versu novam rationem subnectit, quæ vel ipsis Apostolis quadrare possit. *Omnia inquit vestra sunt*, hoc est, non decet Ecclesiam, quæ Christi unius sponsa est, eorum auctoritati serviliter, & obnoxiè sese addicere, & gloriationem vocationis suæ ab iis petere, ac mutuari, qui in usum, & ministerium ejus à Deo destinati sunt, sive illi sint Apostoli, sive Apostolici viri, sive mundi hujus sapientes, aut alii quicunque mortales, è quibus salutarem aliquam utilitatem Ecclesia capere possit, quos non minùs usibus Ecclesiæ inservire Deus voluit, quàm cætera omnia in mundo, vitam, mortem, præsentia, futura. Atque hoc est, quod Christus, *Matt.* XX., Apostolos, & eorum similes ministros, & servos aliorum, multoque magis Ecclesiæ vocet. Notandi autem sunt gradus excellentiæ, per quos ad Deum usque ipsum ascendit, ab inferioribus ad superiores vadendo. Ubi in infimo gradu, una cum cæteris rebus, quæ in mundo usibus Ecclesiæ inserviunt, ponit Apostolos, & Apostolicos viros. Paulo superius Ecclesiam tanquam sponsam Christi collocat, quæ quatenus Domini sui sponsa est, à ministris, & dispensatoribus ejusdem, non quidem reipsa, sed tamen ratione distinguitur. Nam reipsa, & ministri ipsi ejusdem sponsæ dignitate gaudent. Sed si dignitas, & excellentia eorum separatim ab Ecclesia, aut potius oppositè ad Ecclesiam spectetur, nihil aliud sunt, nisi (ut *Cap.* IV. 1. ait) *ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* ministrum autem sponsâ Domini sui inferiorem esse constat. Quoties igitur Apostoli tanquam ministri considerantur, toties ut inferiores Ecclesiâ, cui tanquam sponsæ Domini sui ministrant, considerantur. Unde firmum argumentum ducitur: Non convenire Ecclesiæ Christi, ut dignitatis suæ, & sponsi sui oblita, eorum sesepotestati, vel auctoritati subjiciat, qui ut sponsi sui, ita sui quoque ministri sunt. Et quo firmiorem argumenti nexum efficiat, à dignitate sponsæ ad ipsius sponsi dignitatem, & excellentiam, & ab eâ ad ipsius Dei Patris fastigium ascendit: ut planius ostenderet quomodo tertius ad quartum, secundus ad tertium; ita primum gradum habere sese ad secundum.

Notandum & illud, quod cum Cephas inter eos homines, in quibus nemo Christianorum gloriari debet, collocetur; Romanæ Ecclesiæ gloriatio plane excluſa sit. Nam & Cephas non pro principe, aut Domino, sed pro ministro Ecclesiæ censendus est, quippe qui una cum præcipuis Apostolis in inferiori, quam Ecclesia, gradu manifestissime collocetur.

CAPUT IV.

QUum in calce superioris capitis Apostolos, & Apostolicos viros (quantùm ad fiduciam in eorum super alios sui similes auctoritate ponendam, & gloriationem adversus alios, hoc est, inflationem pro uno, contra alterum attinet, qui erat unicus schismatum, ut infra ait, in illa Ecclesia fomes) longè infra Ecclesiam, ejusque dignitatem, & excellentiam posuerat; ne hoc paradoxum, & absurdum cuipiam videri posset, pergit in auctoritate Apostolorum, & similium infrà Ecclesiam deprimenda, & quasi tacitæ objectioni occurrit. Ait igitur *vers.* 1., nihil plus ipsis posse tribui, quàm quod sint *ministri & Oeconomi Christi in dispensandis mysteriis* Dei. Quæ laus, & prærogativa, quamvis sit maxima, tamen ad plenam auctoritatem ipsis conciliandam, est insufficiens, nisi sciatur utrum impositio sibi munere rite, & fideliter fungantur. Quod quia sciri, & humano judicio dijudicari non possit; ideò neminem ex ipsis Apostolis dari posse, qui tantum auctoritatis gradum in Ecclesia affectus sit, ut non excellentia ejus infra Ecclesiæ dignitatem, & excellentiam ponenda sit, aut ut in ejus nomine quisquam contra alios in Ecclesia gloriari possit.

Sciri autem rem hanc non posse, quia à Deo occulta sit, ut non modo ab aliis, qui corda hominum scrutari nequeunt, sed ne ab ipsis quidem, qui Apostolatu funguntur, satis sciri possit, quam benè, & fideliter suo munere fungantur. Censuram autem, & judicium humanum apte ἀνθρωπίνην ἡμέραν, *humanum diem* vocat, respectu eorum, quæ infra vocat τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους, *abdita tenebrarum.* Quemadmodum enim dies, & lux obortа, abdita tenebrarum revelare solet; ita res occultas dijudicat Lux, quæ eas clare illustrare, hoc est, mens, quæ eas liquido inspi-

inſpicere poteſt. Sed mens & lux humana, quam hic *diem humanam* vocat, abditis aliorum cordium conſiliis ſcrutandis, aut revelandis impar, & inſufficiens eſt, quia adeo occulta eſſe ſolent, ut ne ab ipſis quidem hominibus, qui ea in cordibus ſuis concipiunt; plene, ac perfecte cognoſcantur. quod in ſuo exemplo Apoſtolus oſtendit *verſ.* 4. *Nullius*, inquit, *culpæ mihi conſcius ſum, ſed non in eo juſtificatus ſum, quia, qui me judicat, Dominus eſt.* Solus enim Deus eſt, cujus lux in tàm abdita penetrare, tantam caliginem, ac tenebras luce ſua diſpellere, hoc eſt, revelare occulta cordium conſilia poſſit. Meritò igitur Apoſtolus judicia hominum, in rebus captum eorum ſuperantibus *verſ.* 3. contemnit & pro minimo reputat. Meritò *verſ.* 5. monet *non eſſe ante tempus judicandum, donec veniat Dominus, qui cognita cauſa*, quam præter eum nemo cognoſcere poteſt, reddet unicuique laudem pro ejus merito, hoc eſt, ut ad propoſitum Apoſtoli verba iſta deflectamus, oſtendet, ac revelabit aliorum præ aliis excellentiam, atque præſtantiam, quæ ad auctoritatem, de qua quæritur, ſuper alios requiritur. Non eſſe igitur ante tempus involandum in officium Dei, neque tribuendam hominibus eam auctoritatem & gloriam, quam ab ipſo Deo expectare debent.

Unde patet, neque Apoſtoli temporibus fuiſſe, neque nunc tempus eſſe, ut alicui in Eccleſia, vel ex ipſis Apoſtolis, de quibus loquitur, eam auctoritatem tribuamus, quæ cæteris in Eccleſia omnibus umbram facere debeat, aut in qua adverſus alios merito gloriari poſſimus. qualem Pontificii Petro, aut ſucceſſoribus ejus tribuunt: quia ſcire non poſſumus, utrum Petrus, & Succeſſores ejus, Apoſtolatus ſui munere, meliùs quàm alii omnes functi fuerint.

Verſ. 6. *Hæc autem transfiguravi in me ipſum & Apollo.* Oſtendit his verbis, quædam ex iis, quæ dixit (non enim certe omnia) non tàm ad ſe aut Apollonem, quàm ad ipſos Corinthios pertinere: nec tàm auctoritatem Apollonis, quàm quorundam inter eos ipſos eſſe oppugnatam, atque depreſſam. Quærendum autem hic occurrit, quidnam ſit illud ex dictis, quod non tam Pauli, & Apollonis, quam Corinthiorum causâ ſit dictum.

Poſſet videri cuipiam, verba hæc tantum ad proxima referri, in quibus ſeſe, atque Apollonem, imo & Cepham ſimul nominatum, nihil aliud eſſe aſſeruit, quam diſpenſatores myſteriorum Dei, in quibus id requiratur, ut probe, ac fideliter officio ſuo fungantur. quis vero eorum melius officio ſuo functus ſit, atque inde majori præ aliis excellentia gloriari queat; humano judicio diſcerni, ac planè ſciri nequeat, *antequam Dominus veniat, & illuſtret occulta tenebrarum*, & competentem cuique laudis & eminentiæ gradum tribuat. Mea tamen ſententia, aut ad omnia ſupradicta hæc verba referenda ſunt, aut (quod potiſſimum ſentio) ad illa, in quibus Paulus ſui tantum, & Apollonis mentionem fecit, & tamen ea verba admiſcuit; quæ ad Apollonem, ſine diminutione auctoritatis ejus, referri vix poſſunt: quamvis ea ita caute Apoſtolus protulerit, ut in iis nulla juſta offenſionis anſa Apolloni relinqueretur. vide ſupra *Cap:* III. 4. 6. & 10. *atque* 11. 12. *&c.* Ut vero poſteriorem hanc explicationem eligam, inde adducor, quòd nuſquam alibi, ſui tantùm, atque Apollonis conjunctim mentionem fecit, quàm ſupra dicto loco. *Cap:* III. 4. *uſque ad* 6. expreſſe: tacite autem de Apollone locutus videri poterat ibidem uſque ad *verſ.* 16. Cum enim dixiſſet ſeſe plantaſſe, Apollonem vero irrigaſſe, ſubinfert, & ſe & Apollonem nihil eſſe. *verſ.* 7. & *verſ.* 8. aut Quamvis plantans, & irrigans unum ſint; non ſemper tamen æqualiter laborare, ſed pro ratione, ac merito laboris mercedem relaturos. quod clarius explicat, dum oſtendit, ſeſe quidem in ponendo fundamento laboris ſui portione rite defunctum, & præmii ſecurum eſſe: ſed reliquos ſuperædificantes huic fundamento periculi admonet, ne loco præmii pœnam mereantur, aureo fundamento ligna, & ſtramen ſuperædificantes. Quia vero inter illos ſuperædificantes Apollo quoque deprehendebatur, ne videretur Apoſtolus ipſum hac cenſura notare, quaſi pretioſo fundamento vile ædificium ſuperſtrueret, ait *verſ.* 12. *Si quis huic fundamento, aurum, argentum, gemmas &c. ſuperædificat, cujuſque opus dies revelabit &c.* ſignificans inter eos, quos inter Apollo cenſebatur, non defuiſſe, qui pretioſo fundamento pretioſam ſtructuram, ſuperſtruerent. Quo non contentus, nunc Apollonem ab omni ſuſpicione objectæ ipſi hujus culpæ de inædificatione ſuper aureum fundamentum ſtramineæ ſuperſtructionis liberat; & ſeſe non illius cauſa ita locutum aſſerit; ſed ad Corinthiorum ſuperbiam, & arrogantiam retundendam, qui cum huic periculo introducendæ in Religionem Chriſti erroneæ doctrinæ maxime obnoxii eſſent, (ut infra *Cap:* XV. videre eſt) nimia tamen fiducia ſcientiæ rerum divinarum efferebantur.

Propter vos, ut in nobis diſcatis. Oſtendit neceſſitatem, quamobrem tamen ea dixerit, quæ non modo ad Apollonis, ſed ſuam quoque auctoritatem diminuendam pertinere videri poterant (conjunctim enim de ſe, & Apollone dixerat, Et ſe plantantem, & illum irrigantem nihil eſſe *verſ.* 7). Ut inquit vos in nobis, hoc eſt, in eo, quod de nobiſmetipſis diſſeruimus, diſcatis non altùm ſapere. Si enim de ipſis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris ea dicta ſunt, quæ ad illos intra modeſtiæ terminos continendos faciebant; multò magis Corinthiorum animi ad omnem modeſtiam componi debebant, qui cum tantis in Eccleſia viris, nullo modo comparari poterant.

Non ſuper id quod ſcriptum eſt ſapere. Voces, *quod ſcriptum eſt*, referri videntur ad id, quod in eadem iſta Epiſtola, de ſubjecta materia loquens Apoſtolus, ſcripſit; non autem ad alium aliquem veteris Fœderis, & antiquæ Sacræ Scripturæ locum. Quod præceptum Apoſtoli, quia poſterioris ævi Eccleſia neglexit, tot errorum colluviem in Eccleſias introductam videmus.

Verſ. 7. Corinthios ipſos alloquitur, dehortans, ne plus quam par ſit de ſe ſentiant. Primo, quia ſuorum donorum non ſint idonei, & competentes æſtimatores, ac judices. quod *verſ.* 5., ſoli Deo, competere aſſeruerat: ita ut poſſit fieri, quòd vana opinione decipiant, quaſi aliquid habeant, cum Deus eos nihil habere videat. prout Laodienſis Eccleſiæ Angelo Dominus *Apoc.* 3. objicit, quod putaret ſe divitem, & abundantem eſſe, cum ſit egenus, & miſerabilis. Secundo, Etiamſi verum eſſet, ipſos aliquid donorum Dei accepiſſe, tamen quia id non ex ſe ipſis habeant; nihil eſſe quod ob ea intumeſcant, quæ ſolius Dei gratiæ accepta ferenda ſunt. Atque hic notandus ſuperbiæ character quod homines ſibimetipſis vindicando id, quod ſoli Deo debetur, atque acceptum ferendum eſt; in Deum ſint inſigniter injurii, ideoque mereantur, ut ipſis Deus reſiſtat.

Verſ. 8. Tertiam rationem affert deprimendæ eorum ſuperbiæ, quod cum haberent præ oculis veræ magnitudinis & præcellentiæ Chriſtianæ (quam per voces ἐβασιλεύσατε, ἐβασιλεύσαμεν exprimit) viam, ipſius Apoſtoli veſtigiis ſignatam, atque tritam (de qua Chriſtus *Matt:* XX. loquitur. quem locum Paulus hic evidentiſſime illuſtrat) tamen ab ea aberraverint,

rint, dum abſque Apoſtoli ipſius manuductione magni, & præcellentes eſſe cupiunt, atque ita ipſius Apoſtoli diſſimillimi evaſerint. Voces enim ἤδη κεκορεσμένοι, ἤδη ἐπλουτήσατε, *jam ſaturati, jam divites facti eſtis*, ironicum loquendi modum habent (Quid enim opus fuit optare *utinam regnaretis*, ſi jam vere Corinthii regnaſſent) : nec aliud ſignificant, quàm illos vana, & fallaci opinione decipi, quod jam ſaturati, ac divites facti, & regiam excellentiam aſſecuti ſint; cum tamen procul ab ea abſiſtant, quia ab orbita, Apoſtoli pedibus trita, aberraverint, qui veram illam magnitudinem, & præcellentiam Chriſtianam, cujus viam Chriſtus *Matth.* xx. docuit, jam aſſecutus ſit, & quomodo aſſequenda eſſet omnibus, ſed præcipue iis, quos in Chriſto generat, oſtendit. Itaque verba (ἵνα καὶ ἡμεῖς ὑμῖν συμβασιλεύσωμεν) *Ut nos quoque vobiſcum conregnemus*, non id ſignificant, quaſi Apoſtolus id optaret aſſequi, quod nondum habuit. Aperte enim Apoſtolus oſtendit ex eo, ſi illi excellentiam regiam aſſecuti ſint, conſecuturum ipſum quoque cum iis conregnaturum. Fingamus autem quod Apoſtolus iſtam excellentiam nondum haberet; nequaquam ex eo conſequebatur, ipſum cum iis conregnaturum, ſi ipſi regnum iſtud aſſecuti fuiſſent. Nec enim alienâ opera ejuſmodi regnum acquiritur. At eo poſito, quod Apoſtolus jam regnum iſtud aſſecutus fuerit, ex eo ſi regnum iſtud Corinthii quoque aſſecuti fuiſſent, neceſſario ſequebatur, ut ipſos Apoſtolo, ita Apoſtolum quoque ipſis corregnaturum fuiſſe. Itaque voces ἡμεῖς ὑμῖν (*nos vobiſcum.*) tantundem ſignificant quantum ὑμεῖς ἡμῖν. (*vos nobiſcum.*) Sed illas, quàm iſtas, Apoſtolus ponere maluit, quia cum dixiſſet *utinam regnaſſetis*, concinnius ſubinferri poterat, ut nos quoque vobiſcum regnaremus, hoc eſt, ut præcellentiam hanc, quam poſſidemus, non ſine vobis poſſideremus.

Verſ. 9. 10. *& ſeqq.* oſtendit ſeſe iſtam præcellentiam veram jam aſſecutum; quia rectam ad eam viam (ab ipſo videlicet Chriſto monſtratam) tenuerit: Corinthios autem ſui quam diſſimillimos eſſe. Ne tamen videretur præcellentiæ iſtius aſſecutionem ſibi, ſuiſve viribus tribuere, Deo ipſam acceptam fert *verſ.* 9. idque verbis modeſtiam ejus exprimentibus. Exiſtimo enim quod Deus nos ἀπέδειξεν, (*oſtendit*) & quaſi ſpectandos exhibuit. Verba autem modeſtiam exprimentia ſunt. Primo, *Poſtremos Apoſtolorum.* Secundo, ἐπιθανατίους, *morti deſtinatos*, quales erant ii gladiatores, aut qui cum belluis depugnabant, quorum tunc apud Romanos ſpectacula edebantur, homines morti deſtinati: aut certe quorum vitæ pericula plane negligebantur. Sumit enim Apoſtolus ſimilitudinem ab eo, quod tunc in Romano imperio frequenter fiebat. Quamvis autem homines, quibuſcum Apoſtolus ſeſe comparat, eſſent contempti, & quorum vita parvi æſtimaretur, qui nimirum ab hominibus in ſpectaculum producebantur, (Cum enim ii, qui ludos edebant, non poſſent vitam reſtituere iis, qui propter ipſorum gloriam, & ſpectantium voluptatem vitam profundebant, neceſſitate quadam fiebat, ut ad eam rem non niſi eos eligere poſſent, quorum facilis eſſet jactura.) Tamen iſti homines, quos Deus in theatrum producit, ut toti mundo, hominibuſque, atque Angelis ſpectaculo ſint, è quorum numero fuit ipſe Apoſtolus; non poſſunt eſſe niſi præcellentes, utpote ex quorum præſtantibus factis Deus gloriam ſuam quærit apud homines, & Angelos: ita ut cum poſſit ipſis vitam, in ſui gratiam profuſam, cum fœnore reſtituere, non modo nulla ipſi incumbat neceſſitas contemptiſſimos hominum ad eam rem eligendi, ſed etiam evidens ratio exigat, ut ad eam rem mortales ejuſmodi eligat, qui eximium virtutis ſpecimen edere poſſint. Quamvis igitur apparenter ſtatus ejuſmodi hominum, qualem hic, & in verſibus ſubſequentibus ſuum fuiſſe deſcribit Apoſtolus, vulgo hominum vilis, & contemptus videretur; vera tamen in eo, & eximia Apoſtoli excellentia eluxit, & qua majorem in regno ſuo Chriſtus nemini contingere poſſe (*Matt.* xx.) oſtendit. Notandum autem eſt, cum Apoſtolo propoſitum eſſet, ſtatum ſuum cum Corinthiorum ſtatu conferre, ut magnam inter eos diſſimilitudinem oſtenderet, & quaſi Corinthiis exprobraret, quod à vita, inſtitutiſque ejus degeneraverint, jam vero illa Corinthiorum, quam conſectabantur, excellentia non vera eſſet, ſed apparens; (Neque enim illi vere erant φρόνιμοι in Chriſto, *neque validi*) non potuiſſe Apoſtolum, niſi non veram quoque, ſed apparentem ſuam vilitatem, & ſortis ſuæ humilitatem ipſis opponere. In quo ſane ſingulare Apoſtoli artificium fuit, in ponenda ipſis ob oculos, imprudentia ſua, ad ipſos pudefaciendos, & ſtimulandos, ut ſuam ipſi ſtultitiam introſpicerent, ita ut non mirum ſit infra *verſ.* 14. factum hoc ab ipſo excuſari. Quemadmodum enim nihil falſius erat, quam Apoſtolum fuiſſe ſtultum; quamvis propter Chriſtum talis ineptis vulgi judiciis videri poſſet; aut infirmum; aut honore minus dignum ἄτιμον; (quamvis itidem propter Chriſtum talis à quibuſdam cenſeri poſſet,) ita nihilo verius erat, eos in Chriſto ſapientes, aut validos, aut ἐνδόξους fuiſſe (quamvis ſibi tales viderentur) cum à Chriſti, & Apoſtolorum veſtigiis tam longe receſſiſſent.

Verſ. 11. 12. 13. Statum ſuum cum ſtatu Corinthiorum comparat, deſcribens ſubjicit cauſas, ob quas, vulgi judiciis, ſtultus, infirmus, ἄτιμος videri poſſet, cum tamen in iis maximum illud, & à Chriſto monſtratum Chriſtianæ magnitudinis, & præcellentiæ decus conliſteret; Famis, ſitis, nuditatis moleſtias, perſecutiones, pericula, labores, contumelias, injurias, convitia, contemptum Chriſti cauſa, & in miniſterio Apoſtolatus ſuſcepta omnia.

Verſ. 14. Non dicit ſimpliciter Apoſtolus, ſeſe ipſos non pudefacere. Fieri enim nequit, quin pudefiant ii, quibus ejuſmodi ſpeculum ob oculos objicitur; ſed hæc non ideo tantum ſcripta à ſe, ut ipſi pudefierent, ſed ut ad reſipiſcentiam, & imitationem ſui ſtimularentur. quemadmodum filii interdum à parentibus acriter quidem, ſed tamen amanter excitantur ad imitationem ſui, in rebus laude dignis. Seſe autem patrem eorum *verſ.* 15. aſſerit: & quidem comparatione facta cum cæteris omnibus, qui eos in religione Chriſti à Paulo inſtitutos, & initiatos, ſeu in Chriſto genitos, in eadem religione quaſi educabant; innuens ſeſe ipſis tantò conjunctiorem, eorumque amantiorem, ac proinde pluris quàm alii faciendum eſſe; quantò conjunctiores, & amantiores, & magis obſervandi eſſe ſolent, ac debent parentes, qui liberos ſuos genuerunt, quàm eorum pædagogi. Atque inde *verſ.* 16. concludit, ſeſe ab ipſis tanquam parentem à liberis omnino imitandum eſſe. Paternum autem ſuum erga ipſos affectum *verſ.* 17. demonſtrat ex anxiâ, & plane paternâ pro ipſis cura, & ſollicitudine, etiam per abſentiam ſuam, quam teſtificatus eſt miſſo ad ipſos Timotheo, qui iis veſtigia ſua ob oculos poneret, eoſque ad ſeſe imitandum hortaretur.

Verſ. 16. Quartam deprimendæ eorum ſuperbiæ rationem ſumit ex comminatione adventus ſui; incutiendo ipſis metum virgæ, & caſtigationis ſuæ: ſatis clare oſtendens, originem, & occaſionem ſuperbiæ ipſorum, fuiſſe abſentiam ſuam, & falſam opinio-

opinionem, quod ad eos non esset reversurus. Venturum igitur se, & quidem cito, denunciat. *Si tamen*, inquit, *Deus voluerit*, obiter ostendens etiam sanctissimorum virorum proposita, & voluntatem, in rebus vel maxime laudabilibus, posse impediri. ut cum Paulus impeditus est à Spiritu Sancti in prædicando porro Evangelio in Asia, ut potius illud prædicaret in Macedonia, *Actor.* VI. 6. *& seqq.* Denunciat autem se venturum, infesto erga inflatos animo, & quasi pugnaturum adversus eos, qui eloquentiæ suæ, & humanæ sapientiæ fiduciâ intumescerent: & pugnaturum quidem armis ejusmodi, quibus pares esse non possent, hoc est, vi, & potentia Spiritus Sancti, cujus ea vis, & efficacia est, ut ipli nulli adversarii resistere possint. quemadmodum *Luc.* XXI. 15. legimus, *dabo ipsis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque resistere ulli adversarii.* Atque hæc vis, & potentia Spiritus Sancti; Religioni Christianæ propria est, & peculiaris. Eloquentia vero, & humana sapientia; etiam extra religionem Christianam locum habere potest. At istam invictam vim, & potentiam; extra religionem Christi (quam hic regnum Dei vocat) nusquam reperias. ideo dicit: *non in sermone est regnum Dei; sed in potentia.*

Acrimoniam autem istam minarum *vers.* 21. temperat, oblata caritatis, & mansueti Spiritus spe, ac promissione, si nimirum resipiscant, & tumidos, quibus inflati erant, Spiritus ponant. quod in eorum potestate esse, satis ostendit, oblata ipsis optione alterutrius eorum, quæ proponit, utrum videlicet eligere malint, castigationem Apostoli, an vero mansuetum ejus spiritum, ut non modo metus, sed etiam spei stimulo animos eorum oppugnando, tanto facilius expugnet.

Notandum autem est hoc loco, caritati, & mansuetudini Spiritus, castigationis rigorem opponi, ut nobis caritatem, & alias virtutes, non ea lege præcipi intelligamus, ut ipsarum actibus exercendis perpetuò locus sit; sed interdum actibus earum suspensis, contrarios actus exercere liceat, imo & oporteat.

CAPUT V.

QUintam & ultimam deprimendæ Corinthiorum superbiæ rationem init Apostolus, ponendo ipsis ob oculos eorum nuditatem, multaque eorum vitia, & imperfectiones longo ordine arguendo simul, & corrigendo.

Ac primum, incipit à maxime pudendo, quod inter se incestum hominem tolerarent. secundum, quod rixas, & lites exercerent coram Judicibus profanis. Tertium, Quod cæna Domini abuterentur ad luxum, & ostentationem. &c.

Quia vero in hac Epistola pleraque omnia deinceps facilia, idcirco tantum difficiliora excerpemus.

Vers. 2. οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, *cur non potius luxistis.* Luctus gaudio opponitur, sine quo superbia, & inflatio, ne cogitari quidem potest.

Notandum est, pœnas Ecclesiasticas, præcipue excommunicationem (imo vero inter Christianos etiam pœnas forenses) non sine maximo animi dolore, imo luctu eorum, qui eas infligunt; esse sumendas: quia sint contra illum caritatis habitum, quo semper præditi esse debent Christiani, ejusque actus frequenter, & ordinariè exercere: inviti autem, ac nolentes, & reluctanti animo ad pœnas, & supplicia descendere.

Vers. 3. & 4. Quamvis autem non negem, in primitiva Ecclesia non defuisse facultatem Apostolis pœnas nocentibus miraculosè infligendi, quia nec defuit facultas miracula patrandi; tamen nullas cogentes rationes video, quibus evincatur, *traditionem istam Satanæ*, quâ punitus fuit ille incesti reus, habuisse in se aliquid plusquam excommunicationem. Nihil enim hic de ipso dicitur, quod de omnibus excommunicatis dici nequeat: qui quamprimùm è regno Christi ejiciuntur, in regnum Satanæ veniunt: qui tametsi in animos eorum veram potestatem habere non possit (nisi forte sese ipsi plane ac plene ultro mancipaverint) habere tamen in corpora potest, si Deus, aut is per quem in Ecclesia nunc Deus regnat, ipse quoque Christus permittat, cujus potestas etiam ultra illud Spirituale Ecclesiæ regnum latius protenditur. Quamvis enim illud Satanæ regnum esse dixerimus, quod est extra Ecclesiam: tamen illud coactivæ potestati Christi subjectum est, nec à Satana, nisi precariò regitur, ac gubernatur, quatenus illecebris suis, ac tentationibus ad peccandum homines adducit. Itaque nihil in isto Satanæ regno, absque ipsius Christi permissu, evenire potest. Frequenter autem (licet ut puto non semper) evenit, ut qui in nomine, & potestate Christi ex Ecclesia ejiciuntur; eodem permittente Christo, in eum statum deveniant, ut eorum corporibus (nam in animos nihil ipsi juris est) Satan nocere possit. quas ille nocendi occasiones, pro suo in humanum genus affectu, negligere non solet. Nihil autem repugnat, Christum, etiam excommunicatorum aliquam curam habentem (quia nos quoque eorundem non plane oblivisci jubemur) ejusmodi homines à Satana affligi permittere, eo fine, ut resipiscere, & animas suas servare queant. Ita ut verba εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, mea sententia ad omnem excommunicationem accommodari possint.

Præterea quamvis omnis excommunicationis scopus principalis sit ἵνα ἐξαιρῇ τὸ μέσον τῶν ἁγίων ὁ ἀφορισθεὶς; *ut tollatur è medio sanctorum peccans*: & ejecto impuro fermento; expurgetur Ecclesia, atque ita gloriæ Dei, & existimationi populi ejus consulatur; tamen semper in ea etiam minùs principalis finis (quantum per gloriam Dei licet) ratio habetur, hoc est, ut resipiscat, & servetur excommunicatus. Ideo etiam excommunicatorum aliquam curam gerere jussi sumus, quia Dominus nihil ex eo perdere vult, quod accepit. Neque vero soli gloriæ Dei, & existimationi populi ejus per excommunicationem consulitur; sed etiam castitati, ac saluti ipsius Ecclesiæ, ne homines impunitate invitentur, sed pœnis absterreantur à peccando, quia parum fermenti totam massam inficit.

Vers. 7. Explicatur mens Dei in institutione illius ceremoniæ *de azymis*, quòd nimirum typus fuerit non modo privatæ cujusque fidelium, sed etiam publicæ totius Ecclesiæ innocentiæ, & sanctimoniæ. Fermentum enim noxas, & peccata designabat, quæ ita animas hominum inficere solent, ut massam fermentum. Quemadmodum & institutionis festorum; quòd dies illi, festivitate, ac celebritate sua præ aliis eminentes, designarent felicitatem temporum, quæ sub lege Christi perpetua est, posteaquam (*vers.* 8.) pascha nostrum Christus immolatus est, pro nobis. quod sacrificium, quia licet in terris inchoatum, in cælis etiam nunc perficitur, summo sacerdote nostro in sanctum sanctorum ingresso. ideo juge ac perpetuum dici potest, quemadmodum & ipse sacerdos perpetuus est, nec ullum successorem habet.

Vers. 9. Non ausim quidem contendere, epistolam, cujus hoc versu mentionem facit, aliam esse non potuisse, præter hanc, quæ prima earum

dicitur, quæ Corinthiis ſcriptæ ſunt. Sed tamen mihi veriſimilius videtur, hanc epiſtolam, quæ tunc ſcribebatur, ab Apoſtolo hoc loco intellectam, quemadmodum ſupra *Cap.* IV. 6. ὑπὲρ ὃ γέγραπται, *ſupra quàm ſcriptum eſt*, ſcilicet ſuprà in hac ipſa Eccleſia. Dixerat enim ſuperius, ut tollatur ex medio ipſorum tam inſignis πόρνος (factum enim ejus πορνεῖαν vocat) ut expurgetur Eccleſia. quod nihil aliud eſt, quàm μὴ συναναμίγνυσθαι ipſi, & per conſequens ejus ſimilibus: ſeparare ſe ab iis, & eorum converſationem fugere. Explicat igitur iſtius ſeparationis, ſeu excommunicationis, & denegatæ converſationis naturam, & verum objectum, quod videlicet ad eos ſolos pertineat, qui erant intra Eccleſiam, non ad alios extraneos. & *verſ.* 11. ſignanter ait, νυνὶ δὲ ἔγραψα ὑμῖν *nunc autem ſcripſi vobis*, ut pateat eum de ea ipſa ſcriptione loqui, quæ tunc, cum id ſcriberet, continuabatur. Occaſione enim illius tam flagitioſi ſcortatoris oſtendit, quomodo ſe erga alios ejus ſimiles gerere debeant, addita ratione, quæ oſtendit juriſdictionem Eccleſiæ ultrà eos non porrigi, qui ſunt in Eccleſia; quia extranei ſolius Dei judicio ſubjacent: & quemadmodum à cognitione, judicioque Eccleſiæ, ita & à pœnis Eccleſiaſticis exempti ſunt.

CAPUT VI.

LOcus hic explicat præceptum Chriſti *Matt.* v. 40. datum, ex quo non pauci, quod Chriſtianis omnibus litibus interdictum ſit, colligunt; cum hic locus oſtendat, ejuſmodi litibus ipſis non eſſe interdictum, in quibus timendum non eſt ne alterutra pars litigantium injuria aliquâ, præſertim gravi, & irreparabili, afficiatur. quales ſunt lites apud ſanctos judices, hoc eſt, veros Chriſtianos conteſtatæ, qui adeo nemini in judiciis ſuis injuriam inferunt, ut ſæpe, ne ex ſtricto quidem jure, reos judicent, ſed non parum de ſummo jure dimittant. Cum alii præter Chriſtianos ſæpe aut ſummo jure, aut etiam plane injuſtè judicare ſoleant. Ideo Chriſtianis, & ſanctis judicibus, hoc loco injuſtos ſignanter opponit, quos infra infideles nominat, quia infideles plerumque injuſti eſſe ſolent.

Verſ. 2. Occurrit tacitæ objectioni, ne quis Corinthiorum, quos arguit, opponere poſſit, quod Chriſtiani homines ſancti, & ſpirituales prophanis, & ſæcularibus negotiis, & litibus diſcernendis inepti ſint. Ait igitur, eos huic negotio non impares eſſe, ut qui mundum aliquando judicaturi ſint. Quæ verba de mundo à fidelibus judicando, inſpectione digna ſunt. Ac primum, hanc mundi judicandi poteſtatem publicam aliquam, & eminentem, non privatam, & vulgarem lites amicorum diſcernendi poteſtatem ſignificare; nullum dubium eſt, quia in eodem verſu hæc mundi judicandi poteſtas privatæ Corinthiorum, quæ circa fratrum inter fratres lites diſcernendas verſatur, poteſtati opponitur, & hæc præ illa minima eſſe dicitur.

Sed de eo quæri poteſt, quo nam tempore hæc mundi judicandi poteſtas, quam Chriſtianis Apoſtolus aliquando delatum iri diſerte indicat, illis deferenda eſſe ab Apoſtolo intelligatur; utrum poſt conſummationem ſeculi, an vero ante.

Ac eam quidem intelligi, quæ poſt conſummationem ſeculi obventura ſit, verba verſus tertii indicare videntur, quaſi ſuperiora explicantia. *An neſcitis quod Angelos judicabimus?* Nullus enim fidelium in ſeculo iſto angelos judicandi poteſtatem habet. Verum ab his Apoſtoli verbis, ne illam quidem, quæ ante ſeculi hujus conſummationem obvenire potuit, excludi; docet eventus, & ratio evidens. Eventus; quia propagato Evangelio, ita ut maximam mundi partem occupaverit, videmus publicorum judiciorum poteſtatem ad fideles, & Chriſtianos delatam: atque ita eventus, prædictionem ſubſecutus, Prophetiam explicat, eamque voce mundi proprie, & uſitate ſumptâ, intelligendam oſtendit. Ratio evidens, quia, quamvis plerique Chriſtianorum Eccleſiæ, quæ rerum potiuntur, graviſſimis erroribus infectæ dicantur, ita ut aliqui cauſari audeant, poteſtatem iſtam non ad veros Chriſtianos delatam; tamen etiam iſta opinione (quamvis eam non uſque quaque veram putamus) poſitâ, ratio irrefragabilis oſtendit, primùm, quemadmodum maxima pars orbis ex Ethnica Chriſtiana facta eſt; eodem modo ex Errante orthodoxam evadere poſſe. deinde per ipſam rei naturam errores veritati non poſſe non ſuccumbere. denique, (quæ Dei bonitas eſt) quin, quod Spiritus ejus futurum prædixit, regna mundi, regna Dei, ejuſque Chriſti evadant, non poſſe non evenire. *Apoc.* XI. Nihil autem repugnat, Apoſtolum, quaſi per gradus aſcendentem, Chriſtianos facultatis privatas lites judicandi capaces eſſe; probare ex eo, quia capaces ſint longe majorum, hoc eſt, publicorum mundi judiciorum, quibus aliquando exercendis deſtinati ſunt, præſertim cum ex eo, quòd capaces ſint judiciorum etiam ſuper Angelos olim exercendorum, firmiſſime probetur, eos etiam publicorum mundi judiciorum, & per conſequens privatarum inter Chriſtianos litium, tantò magis capaces, & idoneos eſſe judices, atque arbitros.

Merito igitur, morem ſaniorum Theologorum ſecuti, verba iſta Apoſtoli, cum aptiſſime latius ſumi poſſint, non coarctamus ſine cauſa, nec reſtringimus ad poſthumam illam, & excidio mundi poſteriorem Chriſtianorum felicitatem, & judicandi poteſtatem. Aperte enim Apoſtolus hic ait, Chriſtianos quoque eſſe aptos, & idoneos ut poſſint τὰ βιωτικὰ κριτήρια, *judicia vitæ hujus* dijudicare. adeo ut etiam indigniſſimos in Eccleſia, earum rerum incapaces eſſe non debere oſtendat, imo requirat. Pro pudendo enim Corinthiæ Eccleſiæ probro objicit, quod in ea ne unus quidem prudens, ac ſapiens vir inveniretur, qui poſſit lites, inter fratres exortas, quæ circa βιωτικὰ verſabantur, dijudicare, ac ſopire. Jam vero & publica mundi, qualia nunc vigent, judicia, circa βιωτικὰ verſantur, quorum idcircò Chriſtiani incapaces cenſeri nequeunt, quoties ad ea legitime vocantur: imo longe concinnius, & forte firmius Apoſtoli argumentatio progreditur, ſi locus hic hunc in modum explicetur. Qua explicatione poſita; firmiſſimum pro magiſtratu argumentum ex his verbis ſumitur. Primum, quia ſancti mundum judicaturi dicuntur; judicium, & regimen mundi Chriſtianæ ſanctitati non repugnat. Secundum. Si poſt conſummationem ſeculi ſancti Angelos (neque enim cæleſtes incolæ Chriſtianis ſubjecti alii, præter Angelos, eſſe poſſunt,) judicabunt; multo magis digni, & idonei ſunt, qui in τοῖς βιωτικοῖς, mundum judicent. Nihil igitur cauſæ eſt, cur hic Apoſtolum παντολογεῖν, & tertio verſu idem plane, quod & ſecundo loqui, putemus: præſertim cum vox κόσμος Angelos hoc loco (ſenſu nuſquam alibi uſurpato) ſignificare nequeat, & ut mundi, à Chriſtianis judicandi, judicia non niſi βιωτικὰ eſſe poſſint. (cur enim hic vocem mundi impropriè ſumamus, cum proprie ſumi queat) ita Angelorum judicia βιωτικὰ eſſe nequeant, cum ſibi iſta *verſ.* 3. è diametro opponantur. Imo longe concinnius, ac fortaſſe firmius Apoſtoli argumentatio procedet; ſi ita explicetur. Si Chriſtiani digni, & idonei ſunt qui mundum, ſeu in mundo viventes homines,

homines, sive sint illi Christiani, sive non, publice judicent, (quod aliquando futurum cum non nesciret Spiritu Dei etiam fatidico plenus Apostolus, hoc loco aperte eventurum prædicit) multo magis digni, & idonei sunt, qui privata fratrum litigia componant. Cum licet utrumque litium genus circa βιωτικὰ versetur, tamen publica privatis longe antecellant, & hæc præ illis minima sint, unde ab illis ad hæc deducta consequentia tanto est firmior. At Christiani digni, & idonei sunt, qui mundum judicent, (puta in rebus βιωτικοῖς. nec enim in aliis rebus mundus judicari potest) quia digni sunt, qui Angelos judicent (puta in rebus, quæ hoc loco βιωτικοῖς, opponuntur) quod etiam Apostolus futurum prædicit. Vide *Apoc.* 11. 26. & 27. & *Cap.* 111. 21. quæ consequentia cum itidem à rebus excellentioribus ad viliores arguat; æque firma est atque prior. Pulchrè igitur, & firmiter demonstratio procedit: nec habent quod ipsi objiciant etiam ii, qui à nobis in quæstione an Christiani Magistratus capaces sint, dissentiunt.

At si mundum judicare, & Angelos judicare pro eodem sumantur, saltem ex sententia eorum, quibus cum disputamus, & quorum interest explicationem nostram nunc allatam non recipi; ab eo quod nobis olim post consummationem demum seculi licebit, ad id quod nunc licet, non valet consequentia, quia nunc nobis dominatu, & præminentia præ aliis plane interdictum sit, cujus interdicti nexu eos, qui Angelos judicabunt, solutos esse oportebit.

Vers. 4. Non ea mens fuit Apostoli, ut iis tantum modo, qui minimo pretio in Ecclesia æstimari poterant, officium dijudicandi litigia fratrum demandaret; sed (prout *vers.* 5. subjicit) ut eos pudefaceret, quod neglectu boni ordinis, ac disciplinæ Ecclesiasticæ ita se gererent, quasi inter eos nemo tali prudentia, ac sapientia præditus esset, quali prudentia etiam *vel contemptissimos, eos qui minimo pretio æstimantur*, in Ecclesia esse oportebat, ut inter fratres exortas lites discernerent, atque componerent.

Vers. 7. Præter hunc neglectum disciplinæ Ecclesiasticæ, reprehendit aliud vitium, videlicet injustitiam eorum, qui litibus occasionem dabant. quæ pars reprehensionis, quod non ad eos, qui injuriis affecti quærebantur; sed eos, qui afferebant injurias pertineat; *vers.* 8. testatur: ubi expresse Apostolus injuriosos homines alloquitur. Proinde & verba; *Cur non potius injuriam patimini, aut defraudationem?* non ad eos pertinent, qui patiebantur, sed qui inferebant injurias. nec ita explicanda sunt: Cur non potius injuriam patimini, ac toleratis, quam litigetis (quæ ratio explicationis ex loco *Matth.* v. non immerito colligi potest, nisi quod illhic quoque de lite apud extraneos, & infideles judices contestanda, qualem hic Apostolus prohibet, Dominus loqui videtur) sed ita; cur *non potius injuriam patimini, quam inferatis.* Posteaquam enim primo loco Apostolus audaciam, & impatientiam, aut imprudentiam reprehendisset eorum, qui de suis injuriis quærebantur apud injustos, & infideles judices, cum habere possent in Ecclesia sanctiores judices: atque in ea parte reprehensionis præter eos, qui injuriis provocati provolabant ad externos judices; tacitè alios quoque, præsertim seniores perstrinxisset, *vers.* 5. & 6., qui ad ejusmodi lites fratres descendere patiebantur; nunc *vers.* 7. transit ad eos, qui inferebant injurias, eorumque injustitiam accusat, ac docet præstare pati, quam inferre injurias.

Ratio hujus rei est, quia hic aperte de injustitia loquitur: Contestatio vero litis coram externo judice ad aliud vitii genus refertur, non ad injustitiam. Secundum quia absurdum est, nec ullo modo verisimile Apostolum, cum injuria affectos, inter alios quoque in Ecclesia minus sontes reprehendisse, quam illos, qui injuria alios afficiebant, intactos omisisse. Atqui si hæc verba ad affectos injuria pertinent, non pertinent ad afficientes.

Vers. 9. Occasione reprehensæ injustitiæ, multis peccatorum speciebus commemorat, quæ tamen, nisi fallor, ad duo ipsorum genera reduci possunt, de quibus paulo ante locutus erat, hoc est, ad πορνείαν, καὶ μοιχείαν. Vocem τῆ πορνείαν, hoc Capite Apostolus generaliter accipit. Neque enim incestus ille erat πορνεία vulgo proprie dicta; sed aliquid gravius scortatione. Et quia δοὺ τῆ πορνείαν initio incepérat, primo loco quoque ponit πόρνους, tanquam genus; cujus multas alias species, eodem versu subjicit, qualis est idololatria, scortatio spiritualis, adulterium, mollities, pæderastia.

Deinde *vers.* 10. Injustitiæ species, aut objecta, vel causas recenset, ob quas lites coram externis judicibus intentabantur, qualia erant furta, interversiones alieni commodi per avaritiam, rapinæ, atque etiam convitia, & maledicentia, ob quam etiam frequenter in jus vocari maledici solent. Cui peccato adjuncta, aut potius præmissa est ebrietas, quæ ut aliorum flagitiorum, atque ipsius quoque πορνείας; ita maledicentiæ mater esse, atque illam præcedere solet. Omnia ista peccandi genera mortifera, & ab æterna vita excludentia esse asserit, ut ab illis absterreat.

Vers. 11. Qui convertuntur bona fide ad Christum, *abluuntur à veteribus peccatis, sanctificantur, & justificantur*, id est sancti, & justi redduntur, seu pro justis, & sanctis habentur, & tractantur. *In nomine Domini Jesu*, hoc est, ex vi fœderis, sanguine Domini Jesu obsignati, & confirmati: *& in Spiritu Dei nostri*, quia ex vita secundum carnem, & Satanam traducti sunt ad vitam secundum Spiritum, & secundum Deum, quæ nos Deo, Christoque conjungit, & acceptos reddit.

Vers. 12. Aliam hoc loco materiam ingressus videtur Apostolus, provocatus literis Corinthiorum, quarum initio sequentis capitis mentionem facit, in quibus non de Cœlibatu tantum, & fugiendo matrimonii usu, de quo *Cap.* VII.; sed de idolothytis quoque, de quibus *Capite* VIII. agit, sententia Apostoli à Corinthiis requisita fuerat. Nec enim moramur Christianorum Masoritarum oscitantiam in distinguendis per capita, & numeratos paragraphos scriptis Novi Fœderis.

Cum igitur de utroque isto argumento loqui, & sententiam suam Corinthiis exponere deberet; ac vellet; non inconcinne oblatam sibi ad eam rem occasionem arripit, & ab enumeratione, ac reprehensione crassiorum, & manifestorum peccatorum ad subtiliora, & occultiora transit: & antequam accedat ad specialem in singulis quæstionibus responsionem; principio summam dicendorum in utroque argumento, & quasi responsionis suæ compendium, & fundamentum breviter proponit. Deinde ex oblata occasione, hypothesin quandam sibi ad solvendam priorem necessariam, hoc est, *Corpora nostra, quia sancta sunt, profananda non esse supponit*, & fusius tractat. tum demum sequenti capite ad priorem, & octavo ad posteriorem quæstionem specialius, & accuratius respondet. Compendium responsionis, & summa dicendorum est *vers.* 12. Quamvis plurima nobis liceant; non omnia tamen conducere: nec ideo quod aliquid nobis liceat; nos obstringi, & quasi coactiva & servili necessitate adigi, ut illud faciamus; præsertim in iis rebus, quæ nos Deo commendare non possunt.

quales

quales (ut explicat infra *Cap.* VIII. 8.) sunt cibi qui ventri duntaxat serviunt, quem Deus non minus quam cibos, ipsi servientes, adeo nihil curat, ut utrumque sit perditurus, & aboliturus. Quis enim in vita æterna, ubi vitam cibis sustentare, ac producere non erit necesse, ventris usus esse possit? Quod ne cuipiam spem resurrectionis nostræ convellere videretur, subjungit elegantem anthithesin, in qua ostendit, non tamen, quia Deo curæ non sit, quid ventre nostro fiat, aut quibus cibis impleatur; idcirco eidem curæ non esse, quid nostro corpore fiat. Atque hæc, fidem resurrectionis nostræ confirmans, anthithesis opportunam Apostolo occasionem præbuit tractandæ tusius hypotheseos ad quæstionis prioris solutionem, & responsionem necessariæ, hoc est, corpora nostra scortatione profananda & polluenda non esse, quod quadruplici ratione ostendit.

Primùm quia corpora nostra destinata, & consecrata sunt Christo, qui nunc est rerum omnium Dominus, sicuti & Christus destinatus fuit corpori. *vers.* 13. Christum enim ideo Deus in corpore mortali, ac naturæ nostræ simili nasci voluit, ut nobiscum per ejusdem mortalis corporis communionem conjunctus, nos primum sanctimoniæ; deinde resurrectionis suæ participes redderet. Vide *Hebr.* 11. 14. Sancta igitur, & corpori quondam Christi conformia, corpora nostra esse necesse est, si exemplo Christi resurgere velimus. Secundo, quia corpora nostra sunt membra Christi, id est, conjuncta cum Christo per vinculum Spiritus. non igitur efficienda sunt membra scorti. Quemadmodum enim in matrimonio, duo fiunt in carnem unam; ita & in scortatione, duo carnaliter unum fiunt. Atqui corpora nostra membra Christi sunt spiritualiter, quia cum illo unus Spiritus sumus, hoc est, quia habitator corporis nostri animus, cum illo spirituali quodam matrimonio jungitur: & est inter nos, & Christum quoddam quasi matrimonium animorum. Tertio, fugienda & scortatio (vocem hanc generaliter pro omni carnali impuritate usurpat) quia omnium vitiorum corpori nostro nocentissima est, & maxime injuria. Cætera enim vitia animum lædunt, & quasi animum injuria afficiunt, in animum peccant: at hoc vitium corpus ipsum lædit, quia homines huic vitio dediti, in corpus ipsum delinquunt. quamvis hæc, ita conjuncta sint, ut qui in alterum eorum peccat, in alterum quoque injurius sit. Quarto, quia corpus nostrum est hospitium, & habitaculum animi, atque ideo *templum Spiritus Sancti*, quem habemus à Deo, *vers.* 19. sedes sanctificata, & consecrata Deo per eundem Spiritum, una cum hospite, & habitatore suo, quà idcirco ad prophanos, ac Deo displicentes usus, abuti non possumus. Pretio enim empti sumus. ideo non est nobis integrum pro libitu nostro, sicuti animis, ita corporibus nostris abuti, quia utrumque nexu, & mancipio est Dei.

CAPUT VII.

PRimum de cælibatu à Corinthiis per Epistolam sibi propositam quæstionem solvit respondendo: Bonum quidem esse Cælibatum, & Virginitatem, ac melius tale vitæ genus esse matrimonio. Sed ad effugiendam scortationem, & omnem impuritatem; necessarium esse matrimonium.

Quod iis verbis profert, quasi imperaret singulis viris, ut uxores ducant, & singulis mulieribus, ut nubant *vers.* 2. quod plane est ἐπιταγὴ, (*præceptio,*) sed supposito periculo τῆ πορνείας. Mutuam postea benevolentiam conjugibus præcipit *vers.* 3. & 4. mutuum maritale debitum & quasi reciprocum mutuæ voluntati, subjectum obsequium, & ad effugiendas Satanæ tentationes *(vers.* 5.) omnem in ea re defraudationem prohibet, nisi forte ex mutuo consensu, ad vacandum jejunio, & precibus abstinentiam sibi indixerint. Quod quidem *vers.* 6. non in vim præcepti, sed in vim permissionis, & indulgentiæ, sese dicere asserit. Nam abstinentiam quidem, & cælibatum esse meliorem; sed non omnes hujus doni castitatis capaces esse *vers.* 7. Si quis igitur virorum cælibum, aut mulierum viduarum hujus doni particeps sit; melius esse illi in cælibatu Paulum imitari *vers.* 8. sed si *non sint continentes (vers.* 9.) melius *esse nubere, quam uri.* Nuptis autem *(vers.* 10.) præcipit ipsius Domini nomine (quia ipsius Christi de eo disertum præceptum extat) ne à viris divortium faciant. Quod si qua forte divortium fecerit, aut passa fuerit, (*vers.* 11.) ut inupta permaneat, aut viro reconcilietur. Quod præceptum eodem versu ad viros quoque ipsos protendit, quia Dominus quoque ipse idem utrisque præcepit.

Vers. 12. Proposito casu, ut marito fideli uxor infidelis nupta, viro cohabitare. & *vers.* 13. vicissim, ut vir infidelis nuptæ fideli cohærere velit; utrisque repudium vetat. Sed tamen hoc præceptum suum à præcepto Domini distinguit, ideoque allata *vers.* 14. ratione fulcit. Ex quo patet, posse in Ecclesia, propter justam, & gravem causam, aliqua præcipi, quæ expresse à Domino præcepta non sint, dum disertis præceptis non repugnent.

Vers. 14. Ratio, aut potius objectionis solutio in hoc versu subjicitur. Nam vera hujus præcepti ratio *vers.* 17. 20. 24. aperte, imò & *vers:* 16. quoque tacitè affertur. Poterat enim quispiam Apostolo objicere suamet verba ex *vers.* 15. capitis sexti: *Corpora nostra membra sunt Christi.* Membra igitur Christi facies membra infidelis mariti, aut uxoris. Respondet igitur Apostolus, Non pollui, aut profanari uxorem per infidelem maritum, aut maritum per infidelem uxorem; sed potius utrumque infidelium sanctificari per fidelem. quæ assertio ducitur ex illa Dei bonitate, quæ primo Decalogi præcepto exprimitur: & continet bonam partem illius promissionis, quam pietas habet in hac vita, quod Deus erga eos, qui ipsum amant, propitius, ac beneficus sit, usque ad millesimam stirpem, hoc est, quod eos, qui arcto cum fidelibus suis servis vinculo conjuncti sunt, quamvis forte infideles, aut sui ignaros, (dum tamen eum peculiaribus suis peccatis, & sceleribus non irritent. quæ exceptio necessariò subintelligenda est) singulari præ aliis gratia, & protectione sua complectatur. quales sunt potissimum liberi, ac nepotes, etiam longa serie à majoribus suis descendentes, quales hoc loco Apostolus ait conjuges. Parem enim esse rationem Apostolus ostendit, inter conjuges, & inter parentes, ac liberos. Quemadmodum enim piorum parentum liberi, quamvis forte parum digni, dummodo gravioribus sceleribus iram Dei non provocent; peculiari Dei cura, & gratia, propter suos progenitores foventur: ita conjuges quoque propter conjuges. adeo ut dici possit prophanos liberos, per majorum suorum sanctimoniam quodammodo sanctificari, id est, peculiari Dei gratia, & benedictionibus, tanquam privilegio, gaudere: quia parentum sanctimonia liberis quoque coram Deo prodest. quod idem ad conjuges quoque hoc loco Apostolus porrigit. Si enim parentum sanctimonia, etiam longa à posteris serie distantium, prodest eorum posteritati; multo magis conjugum, tam stricto vinculo conjunctorum.

Vers. 15.

Verſ. 15. Obiter diverſum caſum, & in eo monitum, aut præceptum ſuum ponit, ac *verſ.* 16. objectionem adverſus id ipſum præceptum ſolvit. Caſus iſte diverſus eſt, ſi forte infidelis conjunx fideli cohabitare nolit, in quo repudium permittit; addita ratione eodem verſu, quia nullus fidelium cogatur diſcors, & continuis jurgiis infeſtum matrimonium perpeti, quos Deus ad pacem vocavit.

Et *verſ.* 16. objectionem ſolvit, quam opponere aliquis poterat. Eſſe tanti matrimonii jurgia perpeti, ut infidelem conjugem ſervemus. Reſpondet Apoſtolus non eſſe id tanti, ſi ſpes hujus rei incertiſſima ſit, propter alienatum conjugis ſeſe ſeparare volentis animum. In qua objectione tacita prioris præcepti ratio continetur. Cohabitare volenti conjugi infideli, cohabitandum; quia ejus ſervandi, & ad Chriſtianam frugem reducendi, bona ſpes ſit, ob animum à fideli conjuge non alienum.

Verſ. 17. Veram, & generalem ejuſdem præcepti ſui rationem affert: eademque opera obiter generale præceptum proponit, quod ad multas alias ſpecies accommodat, & pluribus accommodari poſſe innuit: atque ita ſe docere in omnibus Eccleſiis profitetur, ad conciliandam publico huic dogmati auctoritatem: nec eo contentus, ter idem præceptum, propemodum iiſdem verbis, intra unius pagellæ ſpatium iteratis, repetit, & inculcat.

Ratio vero hæc, & præceptum eſt: quemlibet in eo ſtatu, atque conditione, in quam à Deo vocatus eſt, permanere debere, ideoque & conjugem fidelem, qui infideli junctus eſt, non debere conjugium abrumpere, niſi ob aliquam gravem cauſam invitus cogatur, ut paulo ante docuit.

Hujus doctrinæ, quam in omnibus Eccleſiis tradidiſſe ſe profitetur Apoſtolus, fundamentum eſt, illud monitum, quod etiam Ethnicis ſenſu alicujus religionis imbutis, dictavit ipſa ratio, permittendum eſſe Numinibus ſtatuere, quid nobis expediat. Non enim temere, aut fortuitò in orbe cuncta reguntur; ſed etiam profanos, & infideles Deus, imo vero & Chriſtus ipſe, datâ ſibi in cælo, & in terra poteſtate, gubernat. Ideo *verſ.* 17. dicitur non modo, *Sicut cuilibet impertitus eſt Deus*, ſed etiam *Sicut quemlibet vocavit Dominus*, ambulare debere. Proinde ſtatio, & ſors, quæ in diſtributione Dei enique obtigit, nemini temere deſerenda eſt; niſi forte gravis cauſa interveniat: qualis eſt (ne à ſubjecta materia recedamus) ſi conjux infidelis in matrimonio permanere nolit. quod ipſum ſignum eſt voluntatis divinæ, in mutando ſtatu, & conditione noſtra, cui obſequenter morem gerere tenemur. Nam Deus, quæ fieri vult, eorum cauſas, occaſiones, ſtimulos, inſtrumenta præmittit, ac ſuppeditat, impedimenta omnia amovet, & interdum aditu omnium aliorum conſiliorum ſapientibus præcluſo, homines ad congrua voluntati ſuæ conſilia adigit; ut ſi quis, exitu undique intercepto, per unam tantum viam objectum ſibi periculum effugere compellatur. Quod ſi quis contra niti non deſiſtat, ſeſe contra ſtimulum calcitrare malo ſuo comperiet.

Porro vocatio, & ſtatus hic, ſeu vitæ genus, in quo permanere jubemur, ſupponit eſſe honeſtum, ab omni vitio, quod per ſe illi vitæ generi inhæreat, alienum. Itaque Magia, & curioſæ artes, accedentibus ad religionem Chriſtianam, erant abjiciendæ. quemadmodum & abjectas, earumque libros magni pretii combuſtos legimus *Act.* XIX. 19. Sed munus ſenatorium in Nicodemo, & Joſepho ab Arimathia: Proconſulatum in Sergi Paulo: Centurionatum in Cornelio: militiam in comitibus ejus: piis militibus, ad religionem Chriſti converſis: artem conficiendi tentoria, quæ caſtrenſibus uſibus inſerviunt, in Paulo, Aquilaque, & Priſcilla abjecta, & abdicata non legimus; nec ullum uſpiam ejus rei veſtigium comparet. Quæ omnia tamen humanis legibus, inſtitutis, atque ipſo rationis dictamine, honeſtæ vitæ genera, ut per ſe omnis culpæ, aut turpitudinis experta cenſentur: Et ſi abuſus eorum ſubmoveantur; omnibus quoque religionis Chriſtianæ præceptis congrua, aut certè non repugnantia deprenduntur. Proinde ad hoc præceptum meritò pertinere cenſendæ ſunt. Breviter, vitæ genus, quod neque à ratione, neque ab humanis, ac ne à divinis quidem ſub Moſe legibus damnatum uſpiam deprehenditur; ſed ubique pro licito, & honeſto habitum fuit, niſi expreſſa novi Fœderis lege damnatum, aut abrogatum ſit; pro ea vocatione cenſendum eſt, quæ à Chriſtianis non abjicienda, ſed ad leges Chriſti adtemperanda eſt. Quale eſt Magiſtratuum, quatenus pacis, & belli artibus utuntur, & eorum, qui ipſis his in rebus inſerviunt, officium.

Verſ. 18. A ſubjecta materia digrediens Apoſtolus, porrigit hoc præceptum ad quædam alia, ac primùm ad vitæ genera in circumciſione, & præputio. Quia enim non deerant in Eccleſia, qui gentes ad Deum, imo Chriſtum quoque converſas ad circumciſionem adigerent, & quaſi externum vitæ genus mutare cogerent: ex adverſo nec ii deerant, qui ab Apoſtolo rectius inſtituti, circumciſionem à Deo ſub Novo Fœdere non requiri videntes, circumciſioni præputium inducebant; oſtendit utrumque extremorum vitandum, & media via incedendum. & quia neque præputium, neque circumciſio Deo curæ ſit, ſed tantum obſequium, & obſervatio mandatorum ejus, ſub Novo Fœdere traditorum; vitæ ſtatum quidem non mutandum, nec ea quæ Deus non curat, conſectanda; ſed pietatis, & ſanctimoniæ ſtudio incumbendum eſſe.

Verſ. 20. Iterum idem præceptum inculcat in exemplis diverſorum vitæ generum. Ac primum, ſervile ac dominicum vitæ genus, quamvis diverſa, & ſibi ſint oppoſita; Religionem tamen Chriſti non requirere omninò, ut quis ab uno ad alterum migret, & tranſeat, quamvis homines, ad religionem Chriſti admiſſi, in libertatem aſſeri videantur. Rationem ejus rei affert *verſ.* 22. quia homines ad religionem Chriſti accedentes, licet in iſtis diverſis vitæ generibus permaneant ſecundum carnem; tamen ſecundum Spiritum inter ſe coæquantur. Nam & ſervus *libertus Domini eſt*, à jugo, & ſervitute peccati, & mortis manumiſſus. & *Dominus ſervus ejuſdem Domini eſt*; quatenus mortis ejus pretio quaſi emptus, ſeſe legibus, & obſequio ejus mancipavit.

Ne tamen aliquis exiſtimaret quamvis ad illud ipſum vitæ genus, quamvis incommodum, in quo ad religionem vocatus eſt; tanquam ad perpetuos carceres damnari: oſtendit eodem *verſ.* 22. ſi commodius vitæ genus legitimè aſſequi poſſimus, (Exempli gratia, à ſervitute ad libertatem tranſire); non eſſe nos deteriori illi ſtatui vitæ ita obſtrictos, quin ad meliorem nobis tranſire liceat, imo vero etiam oporteat, præcipuè vero à ſervitute ad libertatem.

Rationem ejus rei ex 22. verſu hauſtam, ac depromptam affert *verſ.* 23. Quia enim ſervi Chriſti ſumus, & quidem pretio ſanguinis ejus empti ſumus, ut ſerviamus Domino; non convenire ut ultro,

ac de industria, cum possimus liberi evadere, servi hominum esse, aut permanere malimus. Idem de migratione ab inopi, ad lautiorem; à minus honorato, ad honoratiorem vitæ statum, dicendum, atque intelligendum est.

Vers. 24. Tertio idem præceptum iisdem pene verbis inculcat, ut ostendat, id ad alia quoque vitæ genera porrigi posse. quæ ipsi enumerare otium non erat, cum ad propositam materiam reverti esset necesse *vers.* 25.

Vers. 25. Ad doctrinam de cælibatu, de qua requisitus erat, regressus, ait se *de virginitate præceptum Domini non habere.* Consilium tamen proponit, non ex lege Christi, sed ex prudentiæ monitis depromptum. Unde apparet, Primùm, inter consilia & præcepta Evangelica distinctionem non esse fruſtrà excogitatam. Deinde notandum, virginitatem hic non ideò, nec eo nomine commendari, quod matrimonium sanctitatem vitæ polluat; sed quia liberiorem hominem reddit, & solutiorem à vitæ molestiis, præsertim in persecutione, aut instante aliqua necessitate. Nam si lactantibus, & in utero gestantibus, Dominus temporibus duris væ fore prædicit; certe pariter, matrimonii sarcinis, atque impedimentis gravatis, διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *propter instantem necessitatem*, cum eadem ista cura, quæ gravidas, & lactantes tristi tempore angit, & cruciat; non minus ipsos quoque maritos torqueat. Apostolus autem nos velit esse (ἀμερίμνους) sine sollicitudine.

Vers. 27. Cum ea cautione tamen consilium de cælibatu, aut virginitate suppeditat; ne quis præceptum, aut monitum ejus, supra inculcatam de permanendo in eo statu, in quo nos Deus esse voluit, insuper habeat, aut sine justa causa transgrediatur. Deus enim optime novit quid nobis expediat: nec fortuitò in aliquem vitæ statum, sed Dei voluntate, nostrum sæpe bonum spectante, conjicimur. Quemadmodum & hanc, in eo statu permanendi constantiam non tàm rigide exigit; quin *vers.* 28. mutationem ejus permittat, præsertim justa causa urgente; imprimis à cælibatu ad matrimonium migrationem. Ubi iterum virginitatem, ac cælibatum non eo nomine commendat, quod in matrimonio sit aliquod peccatum; sed ad effugiendam afflictionem curarum matrimonii propter tempora difficilia, quæ prædicit.

Vers. 29. Ne tamen ob istam prædictionem ii, quibus scribit, animis conciderent, præsertim quibus sarcinam matrimonii deponere integrum non erat; simul & eos ipsos solatur, & cæteros omnes monet, brevem istam esse vivendi, & quemadmodum lætis, & secundis fruendi, ita tristia, & adversa tolerandi moram, quia transeat citò species hujus mundi. Quare & eos, qui uxores habent, monet ut in pellendis curis, & anxietatibus, ita se gerant, tanquam non haberent uxores, liberos, curarum semina: & eos qui lugent, aut aliquo infortunio afficiuntur, tanquam nullas haberent causas doloris. quemadmodum vicissim & eos, qui, secundis rebus utentes, magnas habent gaudii causas, ne nimium lætitia, tanquam diu, & constanter duratura, efferantur: & eos, qui coemendis possessionibus ditescunt, ut ita modeste se gerant tanquam ii, qui subito possint esse inopes. denique eos, quicunque bonis hujus mundi utuntur, ac fruuntur, in genere monet, ut caveant ne ipsis abutantur, neve multum ipsis confidant, aut delectentur, utpote cito transituris, aut relinquendis. Unde patet, neque moderatis quærendæ melioris fortunæ curis, neque usu bonorum mundi hujus; sed tantum abusu nobis interdictum, & nimia in illis collocanda fiducia, aut felicitatis opinione; præcipue vero anxiis, & immoderatis curis, & sollicitudinibus. Christianum enim decet esse ἀμέριμνον, & curarum ejusmodi laqueis solutum.

Vers. 32. Atque inde à generali isto præcepto obiter tradito ad subjectam materiam redeundo, deducit, ideo præstare Cælibatum matrimonio, quia cælebs sola tantum Deo placendi cura occupatur; at uxorio nexu devinctus, pluribus curis distringitur, & quidem curis mundi, ut placeat uxori. Similiter innupta id tantum curat, ut tàm corpore, quam Spiritu casta Deo placeat: at nupta dat operam præterea, ut marito placeat. quam placendi curam, mundi curam vocat. Quam Cælibatus commendationem, & consilium *vers.* 35. Spirituali utilitate nostra metiendum esse ostendit. Nec enim ideo à se proponi, ut nos in laqueos tentationum impellat; quod nobis esset damnosum; sed ut sine districtione tanto melius Domino servire possimus.

Vers. 36. Præmissa generali de Cælibatu, & matrimonio dissertatione; tandem ad specialem à Corinthiis sibi propositam quæstionem descendit, de virginibus à parentibus suis aut domi in perpetua virginitate continendis; aut in matrimonium elocandis. quam ita solvit, ut quamvis virginitatem magis commendet; tamen propositum parentum in servandis, elocandisque filiabus relinquat plane eorum arbitrio. Ac primùm imbecillioribus, & qui indecorum sibi putant, si filiæ innuptæ domi senescant, præterea quorum judicium in elocandi propositum inclinat (quisque enim quid domi suæ expediat, & an aliqua necessitate ejus, quod vult faciendum, urgeatur, optime nosse, aut judicare potest) indulget, ut sine ullo peccati metu, aut conscientiæ scrupulo filias suas matrimonium collocent.

Deinde fortiorum, & qui ἐξουσίαν habent περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, hoc est, imperium, ac potestatem habent super suam voluntatem; propositum de servandis innuptis filiabus laudat: duabus tamen præmissis conditionibus. primum, ut *nullam* secus faciendi *necessitatem habeant*, (μὴ ἔχῃ ἀνάγκην) quæ necessitas esse potest in eo, si aut inopiæ suæ grave sit domi numerosam familiam alere, aut ipsi lubrici sexus imbecillitas suspecta sit. Atque hæc ἀνάγκη *necessitas* multum expendenda est iis, qui filias, cælibatui inhabiles, in monasteria detrudunt. Secunda conditio est, ut non temere, neque fluxo aliquo, & momentaneo affectu, ac studio abrepti; sed matura, & diligenti deliberatione præmissa, inducti parentes id fieri posse, ac debere judicent, ac decernant. Neque enim res parva est exiguique momenti.

Vers. 38. Parentum supradictorum facta ita comparat, ut utrumque bonum, licitum, & expers peccati statuat, sed posteriorum magis commendet.

Vers. 39. Uxori, post mortem viri superstiti, nubere, cui velit, permittit, *modo in Domino* nubat, hoc est, non extra Ecclesiam maritum quærat. Feliciorem tamen fore ait, si vidua maneat, sententia sua. quod addit ut consilium suum à præcepto Domini distinguat, nec laqueum cælibatus incapacibus injiciat. Consilio tamen suo apud capaces cælibatus auctoritatem conciliat, quod & ille Spiritum Dei habeat, non indecorâ μανίᾳ.

Unde patet, Primum, extra Ecclesiam (hoc est *non in Domino*) maritos, aut uxores quærendas non esse.

Secundo futilem esse antiquorum Patrum superstitionem, qui Apostolo in os contradicere ausi, secundas

nuptias

nuptias ſcelus putabant, cum Apoſtolus aliquanto plus quam illi Spiritus Dei habuerit.

CAPUT VIII.

SI per librariorum incuriam non eſt omiſſa particula δ, vel μὲν non, poſt ὃν quod (quia & iſta lectio ſatis concinna, vel ad rem propoſitam faciens, & multo plenior foret, ſi legamus *Scimus quod non omnes cognitionem habemus.* propter hoc enim homines inflantur, quod eam alii habeant, alii non habeant. Præterea *verſu* 7. expreſſe ait, non in omnibus eſt cognitio. Ergo Apoſtolus ſciebat non omnes cognitionem habere) verba hæc explicanda ſunt ita; ſcimus nos omnes tantum habere ſcientiæ, & cognitionis, quantum ad ſalutem propriam, & ædificationem aliorum ſufficit. Proinde non eſt quod ſcientiæ, & cognitionis nomine, nimium nobis placeamus, aut præ aliis ſuperbiamus, cum in ſalutifera γνῶσιν, *ſcientia*, omnium ſit par conditio. Superflua vero γνῶσιν, *ſcientia*, quam forte præ aliis habeamus, niſi caritate temperetur; vitioſa ſit: magiſque noceat, quam proſit, cum homines inflare ſoleat. Itaque ſi quis ob eam, quam præ aliis habet ſcientiam (*verſ.* 2.) ſibi nimium placet, eoque nomine alios, præ quibus ſibi ſapientior videtur, ita deſpicit, ut eorum rationem non habeat, quod caritas poſtulat; *nondum quicquam cognovit, ita ut cognoſcere oportet.* Non cognovit enim id, cognitione, quam præ aliis habet, non eſſe abutendum ad ſuperbiam, aut ſcandalum imbecilliorum, quod eſt contra caritatem: caritatem autem, quam non tantum proximis, aut fratribus, ne iis ſcandalum ponamus, ſed etiam Deo debemus, ne deſtruamus ejus Eccleſiam. Explicatur enim *verſ.* 3. caritas, cujus *verſ.* 1. mentio facta eſt, quod ſit Dei dilectio, quæ proximi quoque, multoque magis fratrum dilectionem includit, & abſque ea eſſe non poteſt.

Verſ. 3. *Si quis amat Deum, hic cognitus eſt ab eo.* Inuſitatior hujus locutionis uſus, ſi in eruenda ejus ſignificatione multorum ſequamur ſententiam, difficultatibus ſuis non carebit. Sed nihil erit difficultatis ſi relativum, *hic*, referre liceat ad proximam vocem *Deum*, non ad remotiorem *quis*: ut ſenſus ſit, ſed ſi quis amat Deum, à tali homine Deus, ut debet, cognoſcitur. Nec enim à tali homine Deus, ut debet, cognoſcitur, qui eum non vehementiſſime diligit.

Opponit enim verſum tertium verſui ſecundo, in quo dixerat, *ſi quis ſibi videtur aliquid præ aliis ſapere, aut ſcire*, (puta eo γνώσεως genere quod *verſ.* 1. oppoſuit caritati) nondum quicquam rerum divinarum, ut opus eſt, cognovit, quia ſine caritate eſt cymbalum tinniens. Nunc igitur *verſ.* 3. dicit, ſi vero quis Deum diligit (hoc eſt, caritatem habet) is vera, ita uti oportet, in Dei, divinarumque rerum cognitione profecit. Ita omnia concinne procedent: nec ullam neceſſitatem video ob quam vocem *hic*, ad particulam *quis* potius, quam ad proximam vocem *Deum*, referamus.

Verſ. 4. Præmiſſa generali de cognitione cum caritate conjungenda doctrina, quæ proponendæ de idolothytis doctrinæ fundamentum eſt, accedit ad propoſitam quæſtionem. Et ait, *ſcimus omne idolum nihil eſſe, neque eſſe alium Deum præter unum*; ideoque ſcire poſſumus, non deeſſe nobis libertatem, aut, ut ait *verſ.* 9., ἐξουσίαν *licentiam*, utendi carnibus, idolis conſecratis. ſed quia non omnes eam habent, γνῶσιν *ſcientiam*, ut, ex priore principio cunctis communi, poſteriorem collectionem deducere poſſint; expoſcit à nobis caritas, ut imbecillæ eorum conſcientiæ rationem habeamus, neve illis offendiculo ſimus, præbentes ipſis anſam, ut quod nos, abſque ullo ſcrupulo conſcientiæ facimus, illi exemplo noſtro faciant contra conſcientiam, atque ita pereant.

Verſ. 5. Protaſin, aut priorem protaſeos partem ita explicat. *Quamvis ſint multi qui vocantur, aut vocari poſſint Dii, ſive in cœlo, ſive in terra*, & jure quidem (addit in parentheſi) propter illum excellentiorem, & eminentem ſuper cæteros dominatum. (Deos in cœlis; ſine dubio Angelos eminentiores intelligit, quos alibi Thronos, dominationes, poteſtates vocat: in terris, Reges, Principes, Monarchas.) Tamen nobis unus duntaxat Deus eſt divino cultu colendus, & pro tali Numine vere habendus, pro qualibus Diis Idololatræ ſuos Deos, falſò id opinati, habebant, imo verò pro longe præſtantiori numine, quam iis venire in mentem poterat. Quem unum Deum vocat *Patrem, ex quo omnia*, hoc eſt, à quo profecta ſunt omnia. *Et nos in ipſum.* In cujus gloriam nos producti tendimus, ac tendere debemus.

Quamvis autem verba *ex quo omnia* vere, & generaliter ſumi, & pronunciari poſſint de Deo patre, quod omnia ab ipſo creata, originem ab ipſo ſumpſerint; & omnia quoque in ejus gloriam redeant, non tantum Chriſtiani, ſed aliæ quoque omnes creaturæ; tamen, quia in anthitheſi verborum *ex quo omnia* non ponitur in genere, in quem *omnia*, aut omnia in ipſum, ſed *nos in ipſum*, apparet hoc loco Apoſtolum verba, *ex quo omnia* ſtrictius, nec de omni, ſed de nova creatione intelligere. Nam ſi generalius verba hæc intellexiſſet, ſine dubio omnia quoque in genere *ad ipſum, vel in ipſum*, ipſiuſve gloriam, & beatitudinem reverti ſubjeciſſet. Non enim, quia aliquid vere dici poteſt, ideo hoc, aut illo loco dicitur: ſed ſubjecta materia ſpectanda eſt, ad quam plerumque ſermo per ſpecialia ejus ſigna, atque documenta reſtringitur.

Ex quo omnia igitur hoc loco explicandum. Ex quo omnia, tanquam ex prima ſalutis noſtræ cauſa, atque origine profluunt, quæ ad cultum ejus, & Religionem noſtram pertinent: aut etiam, à quo omnia ſpiritualia bona habemus, & ſperamus. *Et nos in ipſum*, hoc eſt, in cujus gloriam nos ipſi, noſtraque ſalus redundat. Unde quomodo per unum Dominum omnia facta ſint, *(Johan. 1. 3.)* & nos ipſi per eum à Deo omnia conſequamur; dilucide intelligitur.

Verſ. 8. *Cibus nos Deo non commendat.* Nullam neceſſitatem, aut gravem cauſam oſtendit, cur fratres in periculum offendiculi, aut peccandi conjiciamus: quia neque nobis veſcentibus idolothyta, aliquid boni accedit; neque ab eo abſtinentibus quicquam decedit. Ubi tacite innuitur, poſſe dari aliquam neceſſitatem, aut juſtam, & gravem cauſam, ob quam ſcandali ratio habenda non ſit, ut ſi aliqua res neceſſaria, aut nobis vehementer utilis, & Deo placens à nobis perficiatur, in eo caſu, ſi quis infirmorum offendatur, ſcandalum erit acceptum, non datum.

Verſ. 10. Illuſtrat rem propoſitam exemplo evidenti. Conceſſit enim idolothyto veſci per ſe, nihil continere peccati, quoniam idolum nihil ſit, & unus ſit Deus, cujus eſt terra, & plenitudo ejus: nec deeſſe per ſe Chriſtianis ἐξουσίαν *licentiam*, veſcendi ejuſmodi cibis. ſed oſtendit per accidens, ob eas, quæ interveniunt circumſtantias, in quibus manifeſta datur ſcandali infirmorum occaſio; ſæpe in eo graviter peccari. Ut ſi quis in idolio ſedens, veſcatur iſtis cibis, per ipſam loci circumſtantiam præbetur occaſio infirmis, ut illi videntes

eos fratres, qui rerum divinarum cognitione aliis inferiores non sunt, imo forte aliis antecellant; permittere sibi licentiam ejus rei, quam infirmi pro peccato habent, exemplo ipsorum *ædificentur*, hoc est, invitentur, impellantur, atque adducantur, ut ipsi quoque ejusdem rei licentiam sibi permittant. Ubi vocis *οἰκοδομηθήσεται ædificabitur*, rarior catachresis notanda est, quæ alias in bonam partem sæpius accipi solet. simul inde patet non dictis tantum, & sermone; sed multo magis factis, & exemplis ædificari posse, aut destrui Ecclesiam.

Vers. 11. & 12. Ostendit quomodo ii, qui scandala præbent; delinquant contra caritatem, non modo fratri, sed ipsi Deo, Christoque debitam. quoad fratrem quidem, quia opera nostra fratres pereunt, quos Christus tantopere dilexit, ut pro iis animam posuerit. *Peccando igitur in fratres & verberantes ægrotam aut infirmam eorum conscientiam; in ipsum Christum peccamus.*

Vers. 13. Merito igitur concludit, nec sine emphasi; præstare ut nunquam carnibus vescamur, quam, ut iis vescendo, ansam scandali unquam fratribus præbeamus. Quemadmodum Christus ait, præstare alteram maxillam præbere, quam primam alapam vindicare: aut oculum sibi eruere, pedem amputare; quàm scandalum fratri ponere, cum tamen etiam absque eo, quod præstare asseritur, scandalum probe evitari possit.

CAPUT XI.

SUomet postea exemplo ostendit in genere non ab idolothytis modo, sed à multis aliis rebus, alioqui licitis, abstinendum esse *ædificationis causa*, multoque magis propter fugam scandali. Ubi notandum; materiam hanc de Idolothytis à Paulo usque ad versum secundum *Capitis* XI. tractari quia quæ de adiaphoris toto *Cap.* XI. & de solicita Salutis nostræ cura, ne illa excidamus, etiam tunc cum stare videmur, dimidio *capitis* X. differit, & occasione doctrinæ de idolothytis, & ad eam illustrandam, confirmandamque dicta sunt. Ideo *vers.* 14. *Capitis* X. ad eandem doctrinam revertitur, eamque usque ad *vers.* 2. capitis sequentis tractat. Est autem hæc doctrina de fugiendis scandalis, & arripiendis ædificandi occasionibus; sanctimoniæ, quæ in Christianis requiritur, perfectioris pars, quæque ad illam virtutum omnium perfectionem, Dei, Christique, & proximorum caritatem, tanquam ad omnis pietatis fastigium nos evehat. Simulque quæ nos in via salutis, periculosissimis tentationibus, & lapsibus alioqui obnoxios, undique tutissimos reddat. Compendium enim res assequendi desideratissimas est Dei, Christique caritas, via ad omnium proximorum caritatem. & quemadmodum nemo melius discit, quàm qui docet alios; ita nemo melius in pietate, & vitæ sanctimoniâ proficit, quàm qui alios pios, & sanctos efficere pro viribus contendit. quod aliquanto etiam plus est, quam vitare scandalum: sed & hoc ipsum in se comprehendit.

Vers. 1. Quia in calce superioris capitis personam assumserat ejus, cui periculum imminet, ne fratres scandaliset; ideo in hoc capite suum proponit exemplum in rerum licitarum abstinentia, ob ædificationem fratrum suscepta. Nam si à licitis abstinendum est, ut fratres ædificemus; multo magis, ne ipsos dato scandalo in æternum perdamus. Atque in hoc exemplo pressius immoratur, ut Corinthios ad imitationem sui adducat.

Ait igitur, sicut multa alia, quæ aliis quoque Apostolis licuere; ita præcipue licuisse sibi alienis, hoc est, Ecclesiæ stipendiis militare, non quærendo sibi victum labore propriarum manuum, quia fuit Apostolus (& quidem nemine aliorum inferior Apostolus.) Apostolum autem se nemini aliorum concedentem fuisse probat, quia Jesum Christum Dominum viderit, &, quod subintelligitur, ab eo mandatam Apostolatus functionem acceperit. Quamvis enim non versatus fuerit cum aliis Apostolis ante mortem Christi; eum tamen jam in cælum evectum, & reipsa omnium Dominum factum vidit. Quod non modo de illa visione Damascena dici potest, de qua Ananias, qui Paulo visum restituit. *Act.* IX. 17. dicit *Jesus qui visus est tibi in via.* & rursus *Act.* XXII. 14. idem Ananias Paulum ita allocutus dicitur, quod Deus Patrum προεχειρίσατο *præordinavit*, Paulum, *ut videret Justum* (nisi quis malit id de futura visione dici) sed etiam de illa visione in templo Hierosolymitano, cujus *Actorum* XXII. 17. & 18. mentionem facit. ubi expresse Apostolus dicit, *Accidit mihi (vers.* 18.) *videre ipsum dicentem*: imo etiam de raptu in tertium cælum, cujus meminit. 2. Cor. XII. Quamvis dubitari merito possit, an non iste raptus in tertium cælum tunc acciderit cum Apostolus *Actor.* XXII. 17., ait se fuisse in extasi, & vidisse Dominum dicentem sibi &c. Quid enim impedit, si aliunde in cælum rapi potuit; quin è templo quoque, illo loco sancto, tunc cum sanctæ occupationi, hoc est, precibus vacaret, in sanctum sanctorum, ubi Pontifex noster jam ingressus erat, raperetur? præsertim cum Paulus dicto ad Corinthios loco iterata vice negaverit se scire, utrum in corpore, an extra corpus id factum fuerit, quæ verba simul ostendunt & id, quod raptus hic in cælum in illa extasi esse potuerit: & præterea id quoque Apostolum sensisse, non fuisse impossibile factu, aliquem non modo absque corpore, sed in ipso quoque corpore, in cælum rapi posse. quod de Servatore nostro (quia id Sacra Scriptura asserit, quamvis modum, locum, tempus & circumstantias subticeat.) credi par est.

Denique se Apostolum probat ab effectu Apostolatus sui, quia tot gentes ac populos, ipsosque quibus scribit, Christo lucratus fuerit; qui effectus σφραγὶς, *signaculum* & apologia fuit Apostolatus ejus. Signum, & defensio contra eos, qui Apostolatum, & auctoritatem ejus in dubium vocabant.

Vers. 4. *& seqq.* Descendit ad speciem, & ostendit quibus in rebus ille licentiam, & ἐξουσίαν suam (usum hujus vocis vide sup. *Cap.* VIII. 9.) cohibuerit.

Quarum Prima est, quod cum lautius vivere posset (subintellige sumptu Ecclesiæ) id enim significare videntur verba *edere & bibere.* (sicut *Matth.* XXIV. 49. quamvis sensu in deterius deflexo ἐσθίειν καὶ πίνειν μετὰ τῶν μεθυόντων, *edere & bibere cum ebriosis.*) Licet vero in restrictiore sensu hoc loco sumenda sint; tamen lautiorem victum significare videntur. Cum igitur lautius alieno sumptu vivere posset; parcius tamen suo sumptu vivere maluerit.

Secunda *vers.* 5. quòd cum ipsi in matrimonio vivere, aut etiam familiam alere, exemplo eorum, quos nominat, Apostolorum, atque ita Ecclesiam sumptu majore gravare licuerit; tamen ab eo abstinuerit. Nec est quod in explicatione verborum *sororem, mulierem*, de matrimonio explicatorum, difficultas nectatur; cum de conjugio, & prole Petri, aliunde constet, nec de eo quisquam jure dubitare possit.

Tertia *vers.* 6. quod tam ipsi, exemplo cæterorum (uno Barnaba excepto) omnium, licuerit labore

illo

illo propriis manibus opus faciendi ſupersedere; tamen illum non detugerit, ne ſumptu victus ſui gravaret Eccleſiam.

Verſ. 7. Occurrendo tacitæ objectioni; oſtendit id ſe nulla officii neceſſitate coactum feciſſe. Licuiſſe enim ſibi, ſalvo officio, alienis ſtipendiis militare. quod oſtendit primum ratione ab exemplis militum, vinitorum, & paſtorum ſumpta: deinde *verſ.* 8. & 9. teſtimonio Scripturæ.

Quæ verba legis, ut & cætera ſimilia, typicè explicanda eſſe docet, addita ratione, *quod Deo boves curæ non ſint.* Quamvis enim alibi Dei cura, & Providentia, etiam ad minima brutorum extendi dicatur; tamen, ut recte *verſ.* 10. ſubſumitur, ea quæ *in lege de bobus ſcripta ſunt*, non in boum, ſed in hominum gratiam ſcripta ſunt. ut omnes intelligerent laborantes laborum ſuorum fructu defraudandos non eſſe, cujus etiam ſpe labores iſtos ſuſcipiunt, ac ſufferunt, quod aratorum, ac triturantium exemplis illuſtrat.

Tertio idem oſtendit ratione ſumpta ab æquitate naturali reddendi beneficii *verſ.* 11. Quia pro longe majori beneficio minoris pretii officium reddere grave videri non debet.

Denique *verſu* 12. à majori argumentatur: ſi alii ſumptu veſtro ſaluti veſtræ miniſtrarunt, quanto magis ego, qui vos in Chriſto genui, ſumptus iſtius particeps fieri debui. Sed non uſus ſum hac licentia: verum *omnia tegimus*, (ſicut alibi ait, quod caritas πάντα στέγει infra *Cap.* XIII. 7.) ne quod impedimentum curſui Evangelii præbeamus. Videtur his verbis aliquam eis culpam exprobrare, quia aliquid commiſerint, quod caritatis indulgentiâ tegendum eſſet. Ubi notandum, potuiſſe afferri aliquod impedimentum Evangelio, ſine ulla afferentis culpa. ut ſi Paulus tunc jure ſuo uſus fuiſſet, ſi tamen illud verum impedimentum dici potuit.

Verſ. 13. Poſtremo ad exemplum legalium Sacerdotum, ex altari viventium, docet (*verſ.* 14.) diſpoſuiſſe Dominum, ut, qui prædicant Evangelium, ex Evangelio vivant. vide *Matth* X. 10. *Dignus operarius mercede ſua*, & alibi.

Et quia *verſ.* 12. in verbis *omnia tegimus* aliquam ipſis culpam objeciſſe viſus eſt, ne exiſtimarent Paulum omninò requirere id fieri, quod quia non factum ſit, Corinthii cenſura ejus notari meruerunt; ait ſeſe id omnino fieri nolle: ac plane recuſare id officii, adeo ut mori malit, quàm pati, ut ſibi præſtetur, addita ratione hujus obſirmatæ ſuæ in recuſando voluntatis, ne καύχημα ejus, id eſt *gloriatio*, & *laus*, vel *laudis meritum* evacuetur. *verſ.* 15.

Ubi notandum, laudis ſtudio, & excellentiæ præ aliis in virtute, Chriſtianis non interdictum, imo quærendi ejuſmodi κινήματα ſtimulum additum. oſtendit enim hic Apoſtolus in ſe ipſo, non vanæ gloriæ, aut jactantiæ cupiditatem, ſed praxin illius præcepti. *Philip.* IV. *quæcunque vera, quæcunque auguſta, juſta, caſta &c.*

Verſ. 16. Oſtendit in quo ſita ſit perfectio Chriſtianiſmi, nimirum ut Chriſtiani non in eo tantum operam ponant, ne in æternum pereant, & judicia Dei effugiant; quod omnibus plane incumbit, ac neceſſarium eſt; ſed etiam ut mercedem ſuper alios præſtitæ operæ conſequantur, quod præſertim excellentioribus eſt valde utile, & glorioſum. hæc enim eſt natura omnis excelſioris laudis, & gloriationis, ut ſuper cæteros emineat.

Verſ. 17. Diſtinguit inter ea, quæ *mercedem*, de qua loquitur, merentur: & inter ea, quæ tantummodo pænam effugiant. Mercedem autem ſuper cæteros intelligere videtur. Nec enim eos plane condemnari aſſerit, nec aſſerere potuit, qui jure ſuo, vel ἔργῳ verbi gratia prædicandi Eccleſiæ ſumptu Evangelii utebantur. Imo contrarium magna parte hujus Capitis docuit, idque non modo multiplici ratione, ſed etiam ipſius Domini inſtituto confirmavit. Non igitur iſti quoque mercedè ſua (voce *Mercedis* latius ſumpta) carebant. Nec tamen ideo mercedi ſtrictius ſumptæ, & excellentiori virtuti debitæ, locus non erit. Nec quia Paulus mercedem, de qua hic loquitur, ſine dubio conſequetur, idcirco Cephas, aut alii (præter eum, & Barnabam) vitæ æternæ mercede excident.

Diſtinctionem autem inter ea, quæ mercedem peculiarem merentur, & quæ tantum pænam effugiunt, ponit in vocibus ἑκὼν καὶ ἄκων, *volens & invitus.* quæ verba pluſquam ſonant, ſignificare, & inuſitatiori modo ſumi videntur. Puto enim per vocem ἑκὼν deſignari ſingulare, & præ cæteris excellens operæ navandæ ſtudium, non ſolum ſpontaneam animi proæreſin: per vocem autem ἄκων remiſſius ſtudium, & voluntatem, non intrinſeco ſtudio ſuo, ſed ſoli neceſſitati obſequentem. alias vox μισθὸς *merces verſ.* hoc 17. latius ſumenda eſſet, non ita ſtricte ut *verſ.* 18., ubi *mercedem*, de qua loquitur, ſatis aperte explicat. Nam, ne quid diſſimulem, poſſunt etiam voces iſtæ, proprie, & uſitate accipi, pro nuda, & ſpontanea voluntatis inclinatione, aut averſione. ita ut vox ἑκὼν ſignificet eum, qui ad prædicandum Evangelium vocatus, Deo, vel Chriſto ſimpliciter paret; qui obſequii ſui mercedem vitam æternam accipiet: vox autem ἄκων, eum, qui vocanti Deo, aut Chriſto ad eam rem non paret, & ita commiſſo, & concredito ſibi munere non defungitur. qui non modo mercedem non accipiat, ſed pœnas etiam dabit. quod illam incumbentem Apoſtolo ἀνάγκην *neceſſitatem* ſatis commode explicat. Quam explicationem ſi ſequamur; non erit in iſtis verbis ea cujus ſupra mentionem fecimus, diſtinctio. nec enim ἄκων pœnam effugiet; ſed alibi quærenda erit. Potius tamen in eam partem inclino, ut modo ſupra dicto verba iſta explicem. Quia *verſ.* 18. mercedem hanc, & τὸ καύχημα *gloriationem*, ita explicat Apoſtolus, ut non obſcure oſtendat, eos, qui gloriationis hujus expertes erant, non ideo condemnatum iri. collocat enim τοῦτο τὸ καύχημα *hanc gloriationem*, in eo quòd εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον τίθημι τὸ εὐαγγέλιον, *Evangelizans, evangelium ſine ſumptu poſui*, vel ſuo ſumptu prædicaverit Evangelium. Quod neminem alium Apoſtolorum, præter ſe, & Barnabam feciſſe, ſupra ſatis expreſſe aſſeruit, additis multis rationibus, ob quas id facere non tenebantur. Quis autem eos iſto nomine condemnare audeat? Nam quod mentione facta gloriationis iſtius ſuæ neceſſitatem quandam, æternæ ſalutis jacturam ſpectantem, innuere videtur, ejus quærendæ, dum cauſam finalem affert propter quam eam quæſierit, puta ne abuteretur libertate ſua in Evangelio; quia abuti libertate ſua nemo poſſit impunè: id inquam non tollit difficultatem. Manifeſte enim oppoſuerat *Neceſſitatem Spontaneo*, *verſ.* 16. Jam vero ſi etiam in eo, quod Apoſtolus ſe maxime ἑκὼν, & ſine ulla ſibi incumbente neceſſitate feciſſe prolixe teſtatur, neceſſitatem, & quidem æternæ ſalutis jactura minacem, fingamus; præterquam quod Apoſtolo plane contradicemus, certe τὸ ἑκούσιον illud, quod Apoſtolus τῇ ἀνάγκῃ oppoſuerat, nuſquam inveniemus. Potius igitur in verbo μὴ καταχρήσασθαι *non abuti*, catachreſin, abuſum quandam, aut potius uſitatiſſimam figuram μίωσιν eſſe arbitramur. Nec enim proprie libertate ſua abuſus fuiſſet Apoſtolus, etiamſi evangelizando non ἀδάπανον poſuiſſet Evangelium Chriſti, quemadmodum nec alii in eo dici poterant, abuti libertate ſua, quod ipſe Dominus præcipit. Sed quid per verba non *abuti libertate*

ſignificet Apoſtolus, explicat *verſ.* 19. quod ſibi ipſi ultro, ſine ulla incumbente ſibi neceſſitate, impoſuerit jugum, & quaſi ſervitutem, ut tanto plures ſervaret, quod longe plus eſt, quam non abuti libertate ſua. Maluit tamen Apoſtolus iſta Cathachræſi, aut, ſi placet, *μιώσει* in hac voce uti, quia propoſito ejus magis erat accommodata. Id enim agebat tunc Apoſtolus, ne Corinthii libertate ſua abuterentur. Maluit igitur in explicando facto ſuo, quod illis ad exemplum imitandi proponebat, iis potius verbis, quæ ad propoſitum faciebant, quam aliis uti, quamvis nec ſatis, nec totum exprimerent, quod faciebat.

Verſ. 19. In hoc verſu tranſit Apoſtolus ab eo facti ſui, quod ad imitandum proponebat, exemplo, ad alia ſimilia, ex eodem fonte flagrantis; ad alios ædificandos ſtudii profecta, exempla. Nec enim in uno illo ſuo ſumptu prædicandi Evangelii onere, ſibi jugum impoſuerat Apoſtolus, cum tamen eſſet *liber ab omnibus.* Sed quamvis, aperto gentibus Evangelii oſtio, poſſet illos Judaicos ritus ſpernere, moreique gentis, & inſtituta illa ceremonialia omittere; *factus tamen eſt Judæis Judæus*, id eſt, inter Judæos vixit ac verſatus eſt, tanquam Judæus: Legis Judaicæ obſervationi ſeſe cum aliis pariter ſubmittens, eo fine, & conſilio, *ut Judæos lucraretur verſ.* 20.

Verſ. 21. Ita quamvis inter gentiles vivens, patrii moris retinens eſſe poſſet; tamen factus eſt *ἀνόμοις ὡς ἄνομος iis qui ſine lege erant exlex*, vocis hujus duritiem explicatione mollit, quod non fuerit tamen unquam ſine lege Dei, quamvis fuerit ſine lege Moſis, quia fuerit ſub lege Chriſti, quæ eſt ipſius Dei, hoc eſt, inter eos, qui lege Moſis non tenebantur, ita vixit, quaſi ipſe quoque lege Moſis non teneretur, ædificationis gratia.

Accedit *verſ.* 22. ad ejuſmodi exemplum, quod propoſitæ Apoſtoli dehortationi erat maxime idoneum, & quaſi proximum. *Factus ſum* inquit *infirmis infirmus, ut eos lucrarer. imo omnibus omnia, ut tamen aliquos ſervarem*, hoc eſt, ut infirmi abſtinebant uſu earum rerum, quas licitas eſſe neſciebant; ita ego quoque uſu earum abſtinui, quamvis eas licitas eſſe ſcirem. Ita ex Corinthiis ii, qui *τῇ γνώσει* aliis antecellebant, tenebantur quoque inter infirmos earum rerum uſu abſtinere, quas infirmi licitas neſciebant, propter ædificationem, quamvis ipſi ſcirent eſſe ſibi licitas.

Verſ. 23. Hic tandem affert cauſam impellentem, & quaſi neceſſitatem, quæ ipſum urgebat, ut eſſet talis, qualem ſe ad imitandum proponit, quæ duplex quidem, imo triplex eſt. Prima, Caritas in Deum, cui propagandæ ſic ſine offenſione Evangelio opera navatur. Secunda, Caritas in proximum, cujus, ne pereat ob ſcandalum datum, maxima ratio habetur. quarum utramque *Cap.* VIII. ſupra attulerat. ſed hoc loco tertiam tangit, & explicat, hoc eſt, caritatem in ſeipſum, ut ſalutis ejus, quam per Evangelium prædicabat, viamque ad eam docebat, fieret ipſe particeps. Et hoc loco quidem inſignis, & ad religionem, pietatemque Chriſtianam utiliſſima, & maxime neceſſaria doctrina traditur, de utilitate, ac neceſſitate tendendi ad perfectionem: quæ res nos Deo maxime commendat, quia efficit ne ſimus tepidi, qui tepor apud Dominum etiam ipſo frigore magis dicitur abominabilis. Præterea natura religionis, caritate Dei, hominumque ſubnixa; poſcit affectum à nobis fervidiorem, & flagrantiorem in ſtudio pietatis. Neque enim amor languet, aut otiatur. atque hoc eſt compendium aſſequendi res omnium deſideratiſſimas, Amor Dei, qui amorem proximi procreat, & continet. Si vis amari, ama. Magnes amoris amor. Brevius eſt compendium per auxilium Dei, quam per laboris proprii vel maximam contentionem tendere ad vota ſua. Denique natura Religionis, & pietatis ea eſt, ut ſi quis in ea ſubinde non proficiat; deficere incipiat. quemadmodum contra adverſum fluvium natantes, niſi continuo, & obſtinato labore ſeſe adverſus deſluentes undas ſurſum promoveant, deorſum torrentibus undis abripiuntur; & ſi vel minimum brachia remiſerint, longe ab eo loco, in quo reſpirare cæperant, deprehenduntur.

Verſ. 24. Illuſtrat hanc doctrinam ſimilitudine, per quam oſtendit, in quo conſiſtat ars iſta, & ratio tendendi ad perfectionem. Hoc autem nihil aliud eſt, quam ut non modo nos à nemine pietate ſuperari patiamur; ſed ut alios omnes in eo quaſi certamine ſuperare contendamus. quemadmodum in ſtadio currentes, ideo ſe invicem antevertere ſtudent, quia, cum unus tantum eorum coronam victori deſtinatam accipiat, vident quicquid præ ipſis alteri acceſſerit, ſibi deceſſurum. Quæ ſimilitudo, ut omnes aliæ, non eſt neceſſe, ut in omnibus plane ei rei reſpondeat, ad quam illuſtrandam eſt allata, quia videmus inter multos piorum, qui gradibus pietatis, & ſanctimoniæ inter ſe diſtant, non uni tantum coronam vitæ æternæ conferri, ſed plures quoque ad eam admitti. Sed in eo videtur vis conſiſtere ſimilitudinis. ut qui in ſtadio currunt; nihil laboris, aut contentionis omittunt in eo, ut alios antevertere poſſint; ita qui in Chriſtianæ pietatis curriculo contendunt, nihil ſtudii, & laboris omittere debent, ut alios ſuperent, quamvis fieri poſſit, ut in cæleſti ſtadio currentes, non eodem, quo terreni, ſed alio ſtimulo impellerentur ad contentionem currendi, hoc eſt, hi quidem ſpe præmii terreni, quod uni tantum deſtinatum eſt; illi vero quamvis commune ſibi præmium cum iis, quos forte ſuperaverint, fore non ignorent; tamen ob caritatem in Deum, & ſollicitam ipſi placendi curam, dent operam, ne ſibi ad ſummam contentionem quicquam faciant reliqui. Ergo in curſus contentione, eſt ſimilitudo; non in currendi præmio. Quanquam nihil impedit, quo minus tam in præmio, quam in contentione currendi conſtet ſimilitudo. Quia enim Deus longe ditior, & opulentior eſt terrenis Brabeutis; nihil mirum eſt, illum præter illud, quod uni, aut pluribus (poteſt enim evenire, ut currentium duo, aut plures eodem momento ad metam perveniant) deſtinatum eſt præmium; habere, unde aliorum quoque currentium laborem ſoletur, ac remuneretur, quod apud Principem Poëtarum Æneas feciſſe memoratur. Sed illam tamen mercedem, quæ forte in pietatis curriculo uni, longe alios antecellenti, ſive debetur præ aliis, ſive deſtinata eſt; nemo eorum, qui ſe ſuperari paſſi ſunt, accipiet. Quemadmodum coronam illam innocentiæ Domini, quod omnis plane peccati expers fuerit, nemo aliorum accipere potuit, nec unquam accepturus eſt. Fingamus aliquem veſtigiis ejus curriculum hoc ingreſſum, longo quidem nimium intervallo, ſed tamen præ aliis proximum ipſi fuiſſe; ne huic quidem præparatæ palmæ quiſquam aliorum particeps eſſe poteſt. In domo tam opulenti Patriſfamilias, multæ ſunt manſiones. Quarum & illa, quam Dominus noſter locum ſuis præparaturus præ cæteris eximiam occupavit, non eſt ita anguſta, quin plures iterum manſiones gradu, ac dignitate diſpares capere poſſit. Nam quæ de futura æqualitate, tanquam ad Helvetorum Rempublicam exacta, diſſeruntur; ſomnia videntur.

Verſ. 25. Altera ſimilitudo, qua rem propoſitam illuſtrat, Apoſtolus, non jam à ſolis currentibus in ſtadio; ſed in genere ab omnibus decertantibus in

arena

arena sumitur. Quia in conspectu tot hominum certaturi, ut vires, aut habilitatem ad certamen sibi compararent, à multis, quæ alios delectant, abstinere, & quandam vim sibi inferre cogebantur, ac solebant, idque fluxæ, & corruptibilis coronæ causa; quanto magis igitur id facere debebant ii, quibus immarcessibilis corona pro præmio certaminis proposita erat? Quod etiam se fecisse, & facere *vers.* 26. in genere Apostolus ait, & quidem eo modo, ut *currat non in incertum*, hoc est, in currendo tanto intervallo alios superet, ut victoriæ certus sit, & *ut ἀέρα* etiam ante consummatum cursum planum sit omnibus, eum victorem evasurum. item ut pugilis officium exerceat, non aerem duntaxat verberans; sed ipsum adversarium, quia solent timidiores, aut qui non serio pugnant, congressum cum adversario collato pede cominus vitare, ac tantum eminus conatum depugnandi in aerem effundere.

Vers. 27. Ostendit in specie, quem hostem, & quibus modis oppugnet, hoc est, carnem suam, quam non in speciem miracibus; sed veris ictibus oppugnet, ac feriat, quorum illa non modo vim sentiat, sed & livoris vestigia, notasque, & vibices præferat, atque ita eam sibi mancipet, & ad obsequium redigat, ut refractaria esse nequeat, non modo ab illicitis, sed à licitis quoque, quamvis jucundis, sæpe abstinendo. Causam postea finalem, quæ cum impellente eadem esse solet, subjicit, ob quam carnem suam hoc modo perdomare, & ad obsequium redigere tanto nisu, ac molimine conetur; *ne alijs*, inquit, *prædicans, ipse reprobus fiam.* Unde apparet, neminem in pietate tam alte ascendisse, ut extra teli jactum à Satana metuendum evaserit; & Apostasiam sanctorum non esse impossibilem. Ideoque cavendum, vigilandum, metuendum, laborandum sedulo omnibus, quanti quanti sint, ac pestem securitatis omni ope vitandam, quod subsequenti Capite usque ad *vers.* 14. prolixe probatur.

CAPUT X.

QUod in calce proximi Capitis dixerat, probat illustri exemplo. non esse ullis externis rebus, qualis est conspicuus omnibus, & proximus ad Deum accessus, initiatio Sacris veræ religionis, etiam miraculosis Dei beneficiis exornata, & confirmata, imo ipsa Evangelii prædicatio; non esse, inquam, his rebus, quæ nos ab aliis profanis separant, & præ aliis sanctificare videntur, ita confidendum, ut in spiritualem quandam securitatem resolvamur: sed cum timore, ac tremore semper salutis nostræ negotium procurandum.

Nam & majores Judæorum omnes, quondam tanquam dilectus præ aliis, & in peculiare Dei patrocinium susceptus populus, nebulæ præsidio palàm circumseptus, & maris profunditatem sicco pede miraculose transgressus, atque tam manifestis, ac palpabilibus miraculis edoctus, ut Mosem electum à Deo ducem sequeretur, (hoc enim est *omnes in Mosen Baptizati sunt, in nebula & mari*) quemadmodum nunc Christum miraculis multis edocti sunt, ut Christum Ducem sequantur, atque in ejus nomen baptizentur. Miraculum enim illud in omnium oculos incurrens *nebulæ*, totum populum circumdantis, & *maris* ipsum transeuntem circumfistentis; Mosem ipsis cælitus à Deo datum fuisse ducem demonstrabat: & quia nebula omnes undique circumplexa, itemque maris undæ omnes undique circumfistentes, immersioni similes sint; ideo baptizandi vocabulo usus, tanquam Christianorum populo jam noto, & familiari. Præterea omnes illi Judæorum majores uno, *eodemque cibo spirituali*, hoc est, typico spiritualis, seu qui typus fuit spiritualis (NB. ejus vocis rariorem usum) *vescebantur*, quemadmodum nunc Christiani uno, eodemque cibo spirituali (voce spirituales proprie accepta) vescuntur. (Manna vero fuisse typum cibi nostri spiritualis) *Et omnes uno, eodemque potu spirituali* (hoc est qui typus fuit spiritualis, quo nunc in Christo utimur) *utebantur*, quia ex typica illa spiritualis Petræ, seu *Christi Petra bibebant*, quemadmodum nunc Christiani ex uno calice Novi Testamenti bibentes, quasi spiritualem, & salutarem Christi sanguinem hauriunt. Et tamen omnes illi, ira Dei provocata, in deserto prostrati perierunt. Proinde omnes quoque Christiani iram Dei metuant.

Notandum hic & illud; Quemadmodum dixit *Petra erat Christus*, prædicans antitypum de typo; ita dicit cibum illum corporeum Manna, fuisse cibum spiritualem, quia erat typus cibi spiritualis; item dicit potum illum aquæ corporeæ fuisse spiritualem potum, hoc est, typum spiritualis, promanantis ex vera & spirituali petra, quæ est Christus. Vere enim id est proprie loquendo. Neque cibus ille Manna, neque potus è petra scaturiens, neque ipsa petra erant spiritualia, sed typi spiritualium.

Videtur in calce capitis proximi, & in initio Capitis hujus decimi, esse nova, & duplex Apostoli argumentatio, quia primum à proprii periculi exemplo ad periculum Corinthiorum tacite argumentari videtur. Deinde periculum Corinthiorum exemplo pœnæ, à Patribus in deserto exactæ, expressius illustrat.

Primum enim innuit, si prædicatio Evangelii, quæ ipsum Deo, Christoque carum, & quasi proximum faciebat; non poterat Apostolum tutum plane, & securum præstare ab omni periculo: multo minus Corinthios externa ista ad Deum appropinquatio, quod per initiationem sacris Christianis facti essent peculiaris Dei, Christique populus, in patrocinium ejus susceptus, & per externa sacramentorum signa, baptismi videlicet, & cœnæ Domini sanctificatus; tutos reddere poterat.

Deinde expresse ait, Quemadmodum Patribus Judæorum in deserto externa illa ad Deum appropinquatio, quod essent eadem nebula omnes miraculose comprehensi, quod duce Mose, per profundum maris sicco pede transierint, atque ita quodammodo, in Mosen manifestâ, & tot miraculis testata voluntate Dei, ipsis pro duce datum, in illo maris rubri profundo typicè baptizati fuerint: (Hunc enim in mare ingressum, undis utrinque suspensis stupendum, typum baptismi fuisse ostendit) præterea quod ex eodem cibo, seu Manna, spiritualis nostri cibi (sive is sit de quo *Joh.* VI. agitur, sive ipsa Eucharistia) typo: item ex eodem potu spiritualis nostri potus (sive is sit de quo *Joh.* IV. *vers.* 14. agitur, sive calix Eucharistiæ, sive uterque) verissimo typo, omnes participaverint, non profuit, quo minus plerique eorum in deserto misere perierint; ita ne Corinthiis quidem id, quod facti sint populus Dei, in patrocinium Christi peculiariter susceptus, aut quod sint in nomen Christi baptizati omnes, de spirituali cibo & potu, sive alibi, sive in cœna Domini participent; quicquam profuturum, quo minus plurimi ex iis pereant, nisi cum timore, ac tremore negotium salutis suæ procurent, & alii alios in pietatis cursu prævenire nitantur. Neque enim satis esse in pietatis curriculo, ut quis vulgari una cum cæteris sorte contentus sit; sed enitendum est cuique ad altiora, & pro virili ad perfe-

perfectionem aſpirandum, quia ne ſecundas quidem partes occupavit, qui ad primas omni conatu, & ſtudio niti, & contendere neglexerit: atque ita facile fieri poteſt, ut exemplo illorum, qui in deſerto perierunt, gratia Dei & ſalute excidat.

Redditur autem ſimilitudinis hujus apodoſis *verſ.* 6., in quo Apoſtolus monere Corinthios incipit, ut ſibi ab iisdem (aut ſimilibus) delictis caveant, quibus olim ille populus in deſerto iram Dei provocavit. Quorum primum nominat *cupiditatem rerum malarum*, hoc eſt, aut vitioſarum voluptatum: aut ejuſmodi rerum, quæ licet per ſe, & natura ſua non ſunt malæ; tamen iis frui nequeas, niſi eductus ex Ægypto, iterum in Ægyptum revertare *verſ.* 6

Secundum, *verſ.* 7. Idololatriam. & appoſite quidem, quia ex occaſione cujuſdem ſpeciei idololatriæ (in eſu videlicet idolothythorum) in eam commonefactionem evagatus fuerat, ad quam etiam paulo poſt rediit.

Tertium, *verſ.* 8. πορνειαν, ſcortationem, quam & ſuperius taxaverat

Quartum, Tentationem Chriſti *verſ.* 9.

Quintum, Murmurationem, cum quis Deum ſecum inique agere putat, & conqueritur *verſ.* 10.

Verſ. 11. Iterum in reddenda apodoſi exemplum antiquorum applicat Corinthiis. ſimul addit, non fruſtra iſta eſſe literis & memoriæ prodita; ſed in uſum poſteritatis, quam vocat, *eos in quos fines ſeculorum pervenerint*, id eſt, poſterioribus ſeculis nati, quia Chriſtianum ſeculum eſt ultimum ſeculum, nec illi alia Lex ſuccedet. Unde legendorum Sacræ Scripturæ librorum, non utilitas modo, ſed neceſſitas quoque elucet.

Verſ. 12. Concludit cæptam diſſertationem hoc epiphonemate, Quia tantum Chriſtianis immineat periculum, ut neque vocationis ſuæ excellentia, neque iis rebus externis, quibus à profanis hominibus ſejungi, Deoque adjungi, & ſanctificari videntur tuti ſint à periculo; ideo diligentiſſima cura cavendum, & videndum non modo iis, qui vere ſtant, ne (quod facillime fieri poteſt) cadant, ſed etiam iis, qui ſibi ſtare videntur; ne jam ceciderint.

Verſ. 13. Et ne poſita ſibi ob oculos periculi magnitudine, ac revelata quodammodo nuditate ſua Corinthii caderent; ſolatur eos, & confirmat, oſtendens luctum hunc ſpiritualem, & circumſpectam, anxiamque ſalutis curam, non eſſe ſupra humanas vires, & cui homo auxilio Dei (quod is prompte cuique ſuorum offert) par eſſe nequeat, qui nos, *neque ſupra vires tentari permittit*: & ſi quando magnitudo tentationis viribus noſtris gravis ſit; ita eam, ejuſque circumſtantias moderari novit, ut non modo vires noſtræ eam ferre, ſed & ſuperare, & ex periculo evadere queant: idque Deum certo facturum ait, quaſi liberando promiſſi ſui fidem, & eos, qui fiduciam in eo collocant, nunquam deſerendo.

Verſ. 14. Poſteaquam argumentum ab exemplo, & imitatione ſui ſumptum, diu multumque tractaſſet; redit ad propoſitam materiam de Idolothytis: & aliud argumentum profert, quo oſtendit non ab ipſa tantum idololatria, ſed à ſpecie quoque ejus fugiendum eſſe, ſumptum ab ipſa ratione, & ipſo prudentiæ Chriſtianæ lumine.

Ratio ipſa *verſ.* 16. 7. &c. ſic exprimitur. Per poculum benedictionis in Cæna Domini ſignificamus nos ſanguini Chriſti, & panem, quem ibi frangimus, corpori Chriſti (*verſ.* 16.) & per utramque (*verſ.* 17.) nos omnes inter ſe communicare, & ita quadam ratione cum Deo, Chriſtoque, & nobiſcum ipſi invicem uniri: quemadmodum Iſraëlitæ carnales, hoc eſt, infideles (*verſ.* 18.) unius ſacrificii victimis veſcentes, ejuſdem altaris participes, & ſecum quodammodo uniri videntur. Non poſſumus igitur cum Dæmoniis, Dei, Chriſtique, & noſtrum omnium communibus hoſtibus, communicare, aut ullo modo ſociari (*verſ.* 20.) quia hæc (*verſ.* 21.) contraria ſint: præterea (*verſ.* 22.) quia hoc facto Dominum irritaremus, quoniam Deus ipſe zelotem ſe præcipue in caſu ſpirituali adulterii, hoc eſt, idololatriæ, & nullo delicto magis ad iram provocari prædicat.

Ac ne quis conſequentiam hanc vocaret in dubium, cum Idolum nihil ſit, non poſſe quenquam ipſi communicare; occurrit obiter huic objectioni *verſ.* 9. & 10. tacite concedendo Idolum quidem nihil eſſe: verum Dæmonia non eſſe nihil; ſed hoſtes Dei, quibus gentiles immolant, non autem Deo vero. Non poſſe igitur communicationem cum ipſis conſiſtere ullo modo cum communione Dei, Chriſtique, & noſtrum omnium, quorum communes hoſtes ſunt. Nec poſſe Deum, niſi irritari ejuſmodi cum hoſtibus ſuis communicatione, quem non irritari noſtra intereſt, qui ita in poteſtate ejus ſumus, ut indignationi ejus reſiſtere nequeamus.

Verſ. 28. Repetit argumentum illud, quod initio reſponſionis ſuæ ad Corinthiorum Epiſtolam *Cap.* VI. præmiſerat, in quo ſimul reſpondetur tacitæ objectioni; multa quidem nobis, & pleraque omnia per ſe licere: ſed non omnia eorum, quæ licent, prodeſſe ſcilicet nobiſmetipſis, ut ea, quæ iram Dei (quod proxime dixit) contra nos provocant: præterea non omnia eorum, quæ licent, ædificare, hoc eſt, proximos, & fratres. Nobis autem (*verſ.* 24.) non noſtri tantum, aut utilitatis noſtræ, ſed aliorum quoque ratio habenda eſt.

Verſ. 25. Accedit ad explicationem legis hujus de adiaphoris in caſu ſcandali, atque oſtendit uſum eorum, extra occaſionem ſcandali, eſſe plane licitum. Ideo circa Idolothyta duo permittit: unum vero prohibet. ut facile inde intelligi poſſit, quid nobis in eo negotio ſequendum, quid vero vitandum ſit. Permittit enim ea, in quibus ſcandali nulla cuiquam datur occaſio Primum, Ut omnia in macello emere Chriſtanis liceat, abſque ulla inquiſitione, an ſint idolothyta, quamvis iſthic etiam idolothyta venum proferre ſoleat. addita ratione *Domini eſſe terram, & plenitudinem ejus.* Nec obſtare quod aliquid idolo conſecratum ſit, quin eo extra caſum ſcandali utamur, quia *ſicut terra, & plenitudo ejus*, ita cibus quoque, pro quo Deo gratias agimus, non Idoli, aut Dæmonis, ſed Dei eſt. Secundum, Alterum eſt, quod permittit, Si forte ab infidelibus Chriſtiani vocati ſint ad convivium, ut omnibus appoſitis cibis veſcantur, *nihil inquirentes propter conſcientiam*, quia tunc ſcandali nulla offeratur occaſio. Sed ſi *quis eis indicaverit, hoc eſſe idolothytum*, quia hæc admonitio ſignum eſt admonentem non habere, nec ſcire utrum omnibus cibis veſci liceat, præſto eſt occaſio ſcandali; ideo eo cibo abſtinendum, ut vel noſtro exemplo oſtendamus omnibus, fugiendum eſſe ab omni ſpecie idololatriæ. atque hoc eſt unum illud, quod in eo negotio prohibet.

Verba autem, quæ repetuntur *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*, non ſatis liquet, an ad iſtam ſecundam permiſſionem pertineant, an ad proximum interdictum, aut potius ad utramque ſimul. Si ad permiſſionem duntaxat; eodem quo ſupra ſenſu explicanda ſunt. Quod ſi ad interdictum etiam pertinere

nere velimus, ſenſus hic eſſe poterit; ut ideo abſtinendum ſit ab occaſione ſcandali, quia ea re irritatur, ut ſupra *verſ.* 22. terræ, cælique Dominus, cujus in poteſtate ut terra, ac terrena omnia, ita & nos ipſi ſumus. In hac altera permiſſione videmus convictum, & converſationem cum infidelibus, nobis non plane vetari, & tamen convictus iſtius licentiam quodammodo reſtringi, per verba *ſi vocati voluerit is ire*, per quod oſtenditur non temere id nobis faciendum eſſe, ſed conſilio deliberato, ut ipſi voluntas noſtra aſſentiri merito poſſit. Interdicti vero hujus rationem affert, non eam, quod iſto cibo veſci non liceat *propter noſtram conſcientiam, ſed quaſi propter alienam*, hoc eſt, ne, (ut ſupra dixit) verberemus infirmiorum conſcientias, & præbeamus ipſis occaſionem idem faciendi contra ſuas ipſorum conſcientias.

Et ſtatim interdicto huic addit doctrinam infirmis ſervientem, quam *Rom.* XIV. fuſius tractavit: non eſſe ipſis judicandas alienas, hoc eſt, eorum, qui uberiorem voluntatis Dei cognitionem habent, conſcientias. *Cur*, inquit, *libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?*

Verſ. 30. *Nam ſi ego cum gratiarum actione participo de cibo*, (hoc eſt enim χάριτι μετέχω. unde videmus Chriſtianis precum, ut ante cibos, ita potiſſimum poſt cibos, quandam impoſitam neceſſitatem) cur accuſor, aut reprehendor, quod ea re utar, quæ non idoli, aut Dæmonis, quamvis forte errore hominum ipſis tribuatur; ſed Dei eſt, ſicuti omnis terra, & plenitudo ejus, præſertim cum pro ea Deo gratias agam?

Verſ. 31. Videtur ratio reddi, cur poſt cibum, aut circa cibum Deo gratiæ agendæ ſint, *quia ſive edamus, ſive bibamus, ſive quid aliud faciamus, omnia in Dei gloriam faciendo ſint.* Fit autem in Dei gloriam, cum omnia, quibuſcunque fruimur, Deo accepta ferimus: cum ſine ejus ope nihil nobis proſpere ſuccedere poſſe oſtendimus: cum ad eum eſſe confugiendum in omnibus neceſſitatibus, & negotiis noſtris exemplo noſtro planum facimus.

Verſ. 32. Concludit doctrinam hanc tribus iſtis *verſibus.* 32, 33. & 1 *Capitis* XI., hortando, ut ſibi caveant à præbendo ſcandalo primum Judæis, qui externis iſtis, quæ aliquam Idololatriæ ſpeciem habere poterant, maxime offendebantur: deinde Græcis, & gentilibus, qui incauto alicujus Chriſtiani facto, in ſuis ſuperſtitionibus confirmari poterant: denique & maxime omnium, Eccleſiæ Dei, in qua infirmiorum conſcientiæ cruciabantur, & quidem noxie, & periculoſe iſtiuſmodi intempeſtiva eorum, qui γνῶσιν ſua abutebantur, licentiâ. Id autem exemplo ſuo confirmat, quod ipſe *omnibus in omnibus placere ſtuduerit, non quærens ſuam utilitatem* (ſubintellige tantùm.) Nam & in iis ſuæ utilitatis vel maxima ratio habenda eſt, quamvis interdum ſuas etiam, præſertim leviores, & hujus ævi utilitates, in maximam aliorum, & ſalutarem utilitatem impendere nos neceſſe eſt, ſed multorum aliorum utilitatem, hoc eſt, æternam ſalutem. Hortatur igitur ut in eo ſint imitatores ejus, quemadmodum ille erat Chriſti. quod *Philip.* II. 4. 5. 6. 7. 8. fuſius explicat, & *Rom.* XV. 3. Atque in eo non caritas tantum, ſed & illa virtus præcipitur, quam Sacra Scriptura *Gaudium* vocat, hoc eſt, curam aliis placendi, & gaudium afferendi, quæ eſt ſurculus quidam caritatis.

CAPUT XI.

CAput hoc (ut vel oſcitanti lectori obvium eſt) a verſu ſecundo incipere debuit, in quo ab eo, quod tractabat, argumento plane digreſſus, novam inchoat doctrinam. Elucet autem in modo tractandi Apoſtolico ejuſdem illius Spiritus prudentiæ, & lenitatis exemplum, quale in epiſtolis Domini Apocalypticis animadvertere licet. Ubi Dominus, quoties fere culpam aliquam Angelorum, quibus ſcribit, reprehenſurus eſt, præmittit plerumque laudem, & approbationem alicujus virtutis, & actionis, quo mollius culpæ obnoxios attingat reprehenſio. Ita hic Apoſtolus ſchiſmata, & abuſum cænæ Domini reprehenſurus, laudat primùm, quod tradita ab eo inſtituta conſtanter obſervarent; tum demum ad reprehenſionem tranſit. Id vero non excidiſſe Apoſtolo, ſed de induſtria factum ab ipſo oſtendit *verſus* 17. Hoc autem inquit παραγγέλλων, hoc eſt, *docens, præcipiens, approbans, laudans, illud non laudo.* Gratum igitur ſibi eſſe, & caritati erga ſe tribuendum, quod, quaſi in memoriam ſui abſentis, tradita à ſe inſtituta retineant, idque pro officio erga ſe ipſis imputat. Porro ex iſtis traditionibus, unius duntaxat, hoc eſt, Mulierum operto ad Eccleſiam capite admittendarum, inſtituti mentionem facit, & in eo ipſos ſedulo, & ex profeſſo rationibus undique accerſitis confirmat.

Sciendum autem, Apoſtoli temporibus opertum caput cujuſdam ſubmiſſionis fuiſſe ſignum: quemadmodum olim fuit pileus ſervitutis. quod & nunc apud Orientales viget, qui in ſalutandis principibus capita non aperiant. apud Judæos autem hodiernos moris eſt, ut quoties ſolennem hauſtum epotant, in honorem Dei, caput operiant. Quia igitur uxores viris, & ſequior ſexus nobiliori ſubjectus erat, æquum cenſebat Apoſtolus, ut iſtius ſubjectionis veſtigia, etiam in Eccleſia extarent. Ait igitur primum, & ponit pro fundamento *verſ.* 3. inter mulierem, & virum eam eſſe ſubordinationem, quæ eſt inter virum, & Chriſtum (quod non de paritate omnimoda, ſed de ſimilitudine accipiendum eſt) imo vero, quæ & inter Chriſtum, & ipſum Deum. Quemadmodum enim Deus Chriſti, Chriſtus viri; ita vir uxoris caput eſt. Unde apparet divinarum perſonarum æqualitatem id temporis Apoſtolo adhuc ignotam fuiſſe.

Deinde *verſ.* 4. & 5. ipſum iſtud inſtitutum, ex eo fundamento profectum, quod tradiderat Eccleſiæ Corinthiæ exponit, illudque ibidem, & *verſ* 6. primum ratione, à receptis ſæculi moribus ſumpta, confirmat. *Omnis vir*, inquit *verſ.* 4., *orans, aut prophetans*, hoc eſt, alios docens, aut exhortans, ſive in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam, *operto capite, ignominia afficit caput ſuum*, quia id ignominioſum moribus illius ævi habebatur. Viciſſim *verſ.* 5. *Omnis mulier orans, aut prophetans* (quamvis enim in Eccleſia id facere prohiberentur, imo etiam extra Eccleſiam, niſi fallor, viros docere, aut exhortari non ſolerent; tamen erga juniores, & rudiores in eodem ſexu officio docentium, & exhortantium fungi poterant) *aperto capite, dedecorat caput ſuum*, quia id æquè inhoneſtum tunc habebatur, ac ſi tonſo, aut raſo capite id faceret.

Verſ. 7. Rationem ex hypotheſi, quam præſtruxit, depromptam affert, cur virum aperto, contra fœminam tecto capite eſſe deceat, quia vir non mulieris, ſed Chriſti, & Dei ipſius imago, & gloria eſt. Ubi primum notandum, ex illo præſtructo fundamento, quia vir per Chriſtum Dei gloria eſt, hoc eſt, Deo

per Christum subjectus, ut Apostolus ait, & nos mox explicabimus, hoc loco Christum ipsum in voce Dei includi; deinde videndum quomodo vir dicatur imago, & gloria Dei. Et imago quidem Dei præ muliebri sexu dicitur, ratione illius potestatis, quam ad regendam mulierem habet, quæ in muliere non reperitur, quamvis anima rationalis ipsi non desit, in qua etiam imago Dei quibusdam constitui posse videtur. Gloria vero Dei est in eo, quod Deus subjectione ejus gloriari possit. Quamvis enim *vers.* 3. Christo tanquam capiti suo subjici dictus est; tamen quia ipse Christus Deo, tanquam capiti suo, subordinatur, quisquis Christi subjectus, idem Deo subjectus est. Cum igitur vir, quâ talis, in præstantia sui sexus consideratus, neminem in terris habeat, cui subjectus sit, præter Deum, qui una cum Christo in cælis est; merito tectum caput habere, quod subjectionis signum est, non tenetur.

Contra mulier cum sit gloria viri, hoc est, cum subjectione ejus vir gloriari possit; debet operimentum in capite habere: quod Apostolus hic vocat ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς (*vers.* 10.) *potestatem super caput*, quia est signum potestatis quidem viri, subjectionis autem ipsius mulieris. Porrò ut omnes in terris potestates, & illarum subordinationes, per quas in orbe res humanæ continentur, ac reguntur, gubernantur à Deo, & Christo, ministerio Angelorum, quoties illud adhiberi opus est; ita nihil repugnat etiam istam inter sexus diversos subordinationem eorum curæ, atque inspectioni aliquando demandari, ut etiam aliquomodo Angelorum intersit, ne in hoc ordine divinitùs instituto τὸ πρέπον καὶ τὸ ἐυσχήμον, *id est, decorum & honestum turbetur*, præsertim in Ecclesiæ conventu, cui peculiares custodes addi solent. Ita ut jure dicere potuerit Apostolus, decorum hoc, & ordinatæ à Deo potestatis, & subjectionis vestigium, ac sigillum, præsertim in Ecclesia, reverenter observandum, ac retinendum, vel propter ipsos Angelos præsentes, quos, quicquid in Ecclesia perperam, aut indecore fit, non potest non offendere. Esse vero mulierem viri gloriam, hoc est, viro subjectam; probat primum à causa materiali, & origine mulieris *vers.* 8. deinde à causa finali *vers.* 9. *Vers.* 8. *Non est vir ex muliere, sed mulier ex viro*, subintellige primitùs procreata. vide *Genes.* 11. Nam de ordinaria virorum generatione fatetur Apostolus, virum quoque esse per mulierem. *vers.* 12. *vers.* 9. Non vir propter mulierem, sed mulier propter virum creata est, ideoque potestatem ejus (quod *vers.* 10. explicat) agnoscere, & externo isto subjectionis signo testari tenetur.

Cæterum ne quis ex salubri Apostoli doctrina de præcellentia melioris sexus sugat venenum superbiæ, & contemptus, & despicatui habeat sequiorem; adjicit antidotum *vers.* 11. & 12. ostendens neque virum absque muliere, neque mulierem absque viro in Domino esse posse, quia quamvis primitùs ex viro mulier creata sit, tamen nunc viri nonnisi per mulieres generentur, & uterque sexus ad possessionem, ac dominium Christi, & ipsius Dei æque pertineat, quia ex utroque originem traxit. vide *Gal.* III. 28. *Mas, & fœmina non est, omnes unum sumus in Christo Jesu.*

Atque hic Religionis Christi character notandus est, quòd ea ita omnes diversorum statuum, & conditionum homines, ad æqualitatem consequendæ salutis admiserit, ut tamen omnes inter homines prærogativas, & eminentias intactas, illæsas, imo in suo vigore ultro confirmatas reliquerit.

Vers. 13. Tertiam rationem ex naturali quodam instinctu omnibus communi depromit, qui efficit, ut mulieri comam quidem alere decorum videatur, quæ formam ejus laudabiliorem reddat: radi vero, vel tonderi, ut supra quoque dixit, ignominiosum esse hic quoque innuit, cum coma ipsis pro operimento capitis data sit. Idem instinctus communis efficit, ut viris tonderi, aut radi non sit ignominiosum: potiùs vero muliebriter comam alere, male audiat, quod nescio quis abominatur,

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Porro quamvis reperiantur hodie gentes, in quibus viri propemodum in modum muliebrem comas promittant; tamen nescio an ulla reperiatur, in qua fœminæ comam non alant, ut hoc ad propositum Apostoli sufficiat.

Quartam. Satis intelligebat Apostolus rationes, quas attulit, non fuisse ita convincentes intellectum, ut adversus eas à moroshoribus non posset aliquid reponi. Quemadmodum ad adstruenda ejusmodi externa instituta, demonstrativæ apodoxes minime requiruntur; sed probabilibus argumentis contenti esse debemus, nisi morositatis, & quam hic Apostolus ejusmodi ingeniis merito exprobrat (τῆ φιλονεικίας τραχύτητι) culpam incurrere velimus. Ergo adversus istos φιλονείκους quartam rationem, à moribus, & consensu omnium stabilita consuetudine sumptam, affert, aut potius Corinthios, ut illâ adversus eos utantur, instruit *vers.* 16., neque in sua, neque in aliis Ecclesiis Dei, morem, & institutum istud vigere, aut permitti, ut mulieres, præcipuè in Ecclesia, discooperto capite, & absque integumento orent.

Vers. 17. Ad accusandum, & reprehendendum, & quidem transitione facta accedit, quod sese non ad melius, sed ad pejus, hoc est, non ad corrigendos mores, & mutuam ædificationem, sed ad peccandum, & mutuam destructionem congregent. cujus generis culpæ duas species arguit. Primum, Schismata. Secundum, Profanationem Cænæ Domini.

Schismata Vers. 18. & 19. breviter perstringit, quia superius initio Epistolæ satis prolixe reprehendit. Apparet autem Schismata ista congregatis invicem Fratribus, in rixas, & jurgia erupisse. Nec à vero abest, vel istos ipsos, quos *vers.* 17. tetigit, φιλονείκους, traditiones ab Apostolo institutas oppugnantes, negotium aliis facessivisse. *Audio*, inquit, *Schismata inter vos esse, & partim credo.* Prudentiæ est, non ad omnes delationes obviam occupantibus fidem exponere. Si tamen non leves credendi causæ subsint; interdum ne levibus quidem rumusculis (cauta tamen, & circumspecta moderatione) fides deroganda est. Gravis autem causa fuit credendi, quia Apostolus vel ipsius Domini moniti memor esse poterat, prædicentis futuras hæreses, venturos Pseudo-Christos, Pseudo-prophetas *Mar.* XIII. 22. imo impossibile fuisse, quin venirent scandala. Ideo dicit: Oportet enim & hæreses in vobis esse, addens causam, cur eos Deus in Ecclesiam irrepere permittat, ut οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν, *ut probati manifesti sint inter vos. eademque opera reprobi,* οἱ ἀδόκιμοι, *manifesti fiant.*

Vers. 20. Profanationem Cænæ Domini arguit, & ostendit id, quod illi faciebant, non esse verum, ac legitimum cænæ Dominicæ usum. Convenientes enim in locum Ecclesiæ assignatum, singuli seperatim cum suis cænabant, & pro facultatibus, alii quidem laute, & opipare, ita ut quidam ebriis proximi viderentur: alii vero parcè, ac tenuiter epulis, ne famem quidem eximentibus, & in calce demum Cænæ, singuli ad Cænam Domini celebrandam accedebant. *vers.* 21. Docet igitur in cœtu Ecclesiæ epulas istas omittendas, & intra domesticos parietes ablegandas esse, ne pudefiant egentiores, dùm eorum victus, juxta lautiorem divitum

victum

victum positas, quasi traducitur. Quamvis autem vox μεθύει *ebrius est*, sumi proprie possit, ita ut non modo ostentationem ditiorum, sed intemperantiam quoque admodum intempestivam accuset Apostolus; tamen credibilius est, eum non ipsam ebrietatem, sed lautam cænationem, quali uti solebant homines, ad ebrietatem usque procedentes, significare: quia opponitur voci, quam non ipsam famem, & esuritionem, sed parcam nimis, & nimis sobriam mensam designare verisimilius est. Aitque institutum cænæ Domini, quod ipsis tradiderat, sese à Domino accepisse. Nescio an opus fuerit Apostolum ea in re ipsius Domini præsentis ore instrui: cum ad id, ut se doctrinam hanc ab eo accepisse merito dicere posset, sufficerit, quod eam ab iis, qui cum Domino vixerunt, ac versati sunt, Evangelistis accepisset. Illud tamen palam est, traditionem hanc Apostolicam, ut & ipsam Domini institutionem apud Evangelistas simplicissimam fuisse. Neque quicquam huic instituto admixtum fuisse præter, Primum, Sumptionem panis, & preces ante fractionem ejus præmissas (quas & aliis dapibus Dominus præmittere solitus erat, quas preces hic εὐχαριστίαν vocari, & ab iis postea toti Cæremoniæ nomen hoc inditum esse, est notandum.) Secundum, Postea vero subsequentem fractionem; & explicationem, quid sibi vellet hæc fractio, quid denotaret cujusve rei signum, aut symbolum, esset, nempe corporis Christi, in mortem, nostri causa susceptam; traditi: item quo fine hæc fractio fieret; nempe in memoriam, & recordationem tanti beneficii Christi. (ubi notandum recordationem rebus vere, ac realiter præsentibus, nullo modo tribui posse. Non enim dici possumus eorum recordari, quibus tunc cum maxime præsentibus fruimur, cum recordatio mere ad præterita pertineat.) Tertium præter sumptionem poculi, aut calicis, potionemque, ac similiter explicationem quid potus iste significaret (nempe Novum illud Fœdus, sanguine Domini sancitum, quod hic novum Testamentum vocat, quia morte Domini interveniente hæreditas cælestis Christo obedientibus, quasi legata est (quemadmodum morte testatoris interveniente hæreditas ad hæredes devolvitur) & quo fine sumeretur, hoc est, in recordationem Christi & tanti beneficii ejus,) nihil propemodum huic instituto admixtum fuisse.

Vers. 26. Ostendit Apostolus naturam hujus instituti, sub utraque, ut ajunt, specie, nihil aliud fuisse, quàm annuntiationem, & commemorationem immensi illius beneficii Dei, Christique, in hujus morte nobis exhibiti, quæ usque ad adventum ejus durare debeat. ubi quia futuri adventus Domini mentio fit, palàm est, quasi absentis desiderium, &, ut ita dicam, defectum suppleri hac repræsentatione, & ob oculos positione præteriti ejus beneficii, donec ipse adveniens desiderium hoc nostrum impleat.

Unde *vers.* 27. concludit *quisquis indignè panem istum, & poculum sumit*, peccare æquè graviter adversus Christum, ac si corpus, & sanguinem eius contumeliâ afficeret. Nihil enim indignius est, quàm tunc cum maxime sancti, & Christo devoti, & mundati, ac sanctificati esse, & eum pro isto beneficio, per quod nobis ad sanctitatem aditus reclusus est, Christo gratias agere debemus; tunc inquam peccare, seu superbia, & ostentatione, sive ebrietate, sive alio aliquo vitio.

Ideo *vers.* 28. Monitum perneccessarium subjungit, ne ad tam sanctum negotium, nisi explorata penitus, & excussa conscientia nostra, & corde quasi mundato accedamus, quia *qui indigne edit, bibitque, judicium, seu supplicium* sibi accersit; μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, hoc est, *parvifaciens corpus Domini*, non æstimans suo pretio, sed vilipendens. Nam qui eam rem, quæ repræsentat corpus Domini vilipendit, ipsum corpus Christi vilipendit. Vel etiam (ut in eadem significatione sumatur vox διακρίνων in *vers.* 29., quâ in *vers.* 31.) *non dijudicans & explorans* se ipsum, antequam ad sumendum corpus Domini accedat. Quod impune nemini fuisse ostendit, hanc causam esse *vers.* 30. indicans, *cur multi inter illos essent infirmi* (hoc est nondum quidem ægrotantes, sed viribus languidi, & corpore parum validi) gravius ægroti, & quidam immaturo obitu abrepti. quia enim se ipsos non judicabant, hoc est, non excutiebant, neque castigabant; à Domino judicati, & castigati sunt. Judicium autem istud Domini *vers.* 32. benignum esse asserit, & manifeste κρίσιν (quam castigationem explicat) à κατάκρισιν distinguit: illam Ecclesiæ, & qui in illa delinquunt; hanc mundo, & iis, qui cum mundo pereunt, assignat.

Videtur autem ex hoc loco posse concludi, aliquando ob eiusmodi, aut similia delicta, mortem peccantibus Christianis à Deo irrogari, quos tamen Deus una cum mundo non perdet.

Verum quæri potest κρίσις ista, & benignior castigatio Dei, quæ opponitur condemnationi mundi; ad quosnam hoc loco referatur: an ad eos etiam ipsos, qui ob abusum cænæ Domini supplicio afficiuntur: an vero ad eos tantum, qui exemplo aliorum admonentur, ne similibus vitiis iram Dei provocent, atque ita pereant: seu ad totam Ecclesiam.

Magis in eam sententiam propendeo, ut censeam, ad eos ipsos, qui judicantur, benignam istam, de qua hic agitur, castigationem pertinere, duas potissimum ob causas. Primum, quia, cum vitia peccantium occulta esse soleant, non satis constare potest aliis, aut toti Ecclesiæ, ob quam causam aliquis à Deo morbo, aut morte puniatur, & temere judicare ea de re periculosum sit. At sibi quisque notior est, quàm aliis. ideo facile potest, imo plane scire solet, ubi ipsum calceus urgeat, & quid in ipso Deus desideret. Secundo, ex vi verborum ipsorum. Quia enim ἵνα μὴ κατακριθῶμεν, *non judicaremur*, referatur ad eos ipsos, qui puniuntur; ideo & proxima vox κρινόμενοι, conjuncta cum priore per particulam δὲ, & manifeste priorem explicans, ad eosdem referenda est. Qui cum non morbis tantum, sed & morte interdum puniantur, liquet inde, mortem Deum aliquibus inferre posse, quos castigat tantum, non autem una cum mundo condemnat, quod alioqui ratio ipsa evincit, quæ ostendit nihil esse causæ cur id Deus facere non possit.

Vers. 33. Jubet igitur (ad ordinationem hujus instituti accedens,) *ut alii alios expectent*, nec solitarie, & singillatim, sed in unum collecti Cænam Domini peragant, ac celebrent.

Vers. 34. Præceptum repetit de Cænis vulgaribus, non in publico; sed domatim sumendis, ad evitandum ostentationis delictum, & supplicium. Reliqua ad adventum suum differt.

CAPUT XII.

QUemadmodum de cælibatu supra, *Capite* VII. de Idolothytis *(Capite* VIII.) ita nunc de spiritualibus charismatibus, eorumque usu, deque iis, qui dono linguarum exoticarum, nec ab aliis intellectarum, vellent publice in Ecclesia uti, sicuti & infra Capite sedecimo de Collectis Ecclesiasticis apparet Corinthios per Epistolam compellasse

Apoſtolum, quibus ad ſingula dictis locis, & capitibus reſpondet.

Ac primum de donorum Spiritus Sancti varietate, ac differentia diſſertaturus, differentiam inter eos, qui nullius plane doni Spiritus Sancti participes ſunt, & inter eos, qui ſint participes ponit, idque ipſorum Corinthiorum quaſi experientia confirmat. Qui enim Chriſtianiſmi, atque ideo Spiritus Sancti expertes ſunt, (quales erant Corinthii, dum adhuc eſſent gentiles, & idololatræ) ducuntur ad idola, non ab inſito aliquo ſive rationis, ſive gratiæ cælestis, ſeu Spiritus (qui ipſos intus doceat, & quaſi ἀυτοδίδακτος faciat) lumine; ſed externos ductores cæcos cæci ipſi ſequuntur, interdum vero tanquam bruta, ratione carentia, tantum antecedentium gregem. Et profecto idola ἄφωνα, *muta*, voce, quæ rationis ſignum, atque ita ratione carentia, cultores quoque ſui, ratione duce carentes requirunt. At qui ſub Chriſto Spiritus Sancti dono afficiuntur (quam apodoſin, quia ipſa ſua ſponte ex protaſi fluens, ſe exhibet, brevitatis cauſa merito omiſit) ducuntur ad cultum Dei per Chriſtum ab inſito ſibi ſimul, & indito lumine rationis, luce fidei colluſtratæ, & inſtinctu Spiritus Sancti afflatæ, quam habent intùs Conſolatorem, Monitorem, Ducem, Directorem, Cenſorem, & Doctorem.

Unde ſequitur, omnes omnino Chriſtianos qui Hypocritæ eſſe nolint, quamvis non eadem omnes menſurâ, *Spiritu Sancto præditos eſſe debere.* Nullus enim eſt invocantium Dominum Jeſum, quin præditus ſit Spiritu Sancto, quamvis donorum hujus Spiritus in ſingulis diverſi, & varii ſint gradus, diverſa, & varia diſcrimina: & contra nullus eſt eorum, qui Spiritu Sancto ducuntur, qui Jeſum Dominum non invocet, hoc eſt, eum pro Chriſto, Rege, & Domino ſuo non habeat (quod per μιαυτὸν prolatum eſt) ὁ λέγων ἀνάθεμα Ἰησοῦν, *non dicit anathema Jeſum.*

Secundo. Si quis in donis Spiritus iſtius proficere velit, in eo ipſi maxime elaborandum eſſe, ut Jeſum illum credat eſſe Chriſtum. Sic enim ex Deo naſcimur 1. *Joh.* v. 1. quoniam agnitio Jeſu illius crucifixi pro Domino ſuo, & ſubjectio ipſi voluntatis noſtræ donum Spiritus Sancti ſecum neceſſario trahit, ut in ea fide, obſequio & ſubjectione quiſque proficere, & , quam longiſſime poteſt, progredi contendat, adjecto illo Chriſti monito: *Petite ut accipiatis, quærite ut inveniatis, pulſate ut vobis aperiatur.* Sunt enim in hoc cæleſti dono plurimi gradus, ut neque ex eo, quod in quibuſdam hominibus præſentis Spiritus ſancti nulla ſatis evidentia veſtigia appareant, jure colligi poſſit Spiritum Sanctum ab iis prorſus abeſſe; niſi forte vera fides, & vera, ac genuina, & ſincera ſubjectio Chriſti ab iis abſit. Neque quia nobis aliquæ Spiritus iſtius primitiæ collatæ ſint; idcirco in primis illis tantæ felicitatis initiis hærendum, & non ad ulteriora omni impetu contendendum ſit.

Verſ. 4. Porro diverſitatem donorum Spiritus Sancti non obſtare oſtendit, quin ea, quæ minima ſunt, ita ut ne conſpici quidem forte ab hominibus poſſint; æque ac maxima, & cunctis palpabilia, *unus* ille, *idemque ſint Spiritus.*

Verſ. 5. Quemadmodum diverſitas miniſteriorum in Eccleſia non obſtat, quin unus ſit Dominus, caput, & gubernator Eccleſiæ ſuæ. Itemque diverſitas efficaciæ, & facultatis patrandi miracula, non obſtat quin unus ſit Deus, qui operatur omnia in omnibus, hoc eſt, cujus potentiâ, nec niſi ab eo data, & conceſſa, omnes qui patrant mirabilia, utuntur.

Verſ. 7. Cauſam diverſitatis donorum Spiritus Sancti (quæ vocantur φανερώσεις & πνευμάτων, *illuſtrationes, revelationes* Spiritus, quia mentem, & rationem noſtram illuſtrant) eamque finalem, ait eſſe noſtram, aut Eccleſiæ utilitatem, quam Dominus præcipue in conferendis Spiritualibus charismatibus ſequitur. Sunt enim quædam, quibus abuti homines, & ſibi, aut proximis nocere poſſent, convertendo præpoſtere

——— *non hos quæſitum munus in uſus.*

Sunt alii quorundam donorum incapaces, & quorum angultia non capit doni magnitudinem. Plane ut in hujus ævi ſtatuum, & vocationum diſtributione evenit.

Verſ. 8. Recenſet poſtea dona iſta, & chariſmata Spiritus Sancti, non eo quidem plane ordine, quo alii aliis antecellere videntur; quod facit infra *verſ.* 28.; Sed tamen incipit à præcipuis, & iis, quorum uſus in Eccleſia magis neceſſarius, & utilis, progrediendo ad ea, quorum minor uſus eſt; quia *verſ.* 7. utilitatis mentionem fecerat. Primum igitur, & maxime neceſſarium donum, quod in illis ſapientibus, qui fundamenta Eccleſiæ ponebant, architectis, (1. *Cor.* III. 10.) quique regiminis Eccleſiæ rationem poſteris tradiderunt, Apoſtolis requirebatur, & deprehendebatur, quodque illis maximam præ aliis omnibus auctoritatem conciliabat, eſt *ſermo ſapientiæ* λόγος σοφίας. Secundum quod in Prophetis alios docentibus, aut doctoribus imperitiorum requirebatur, fuit *Sermo cognitionis. Verſ.* 8. qui gradus Spiritus Sancti eo inferior eſt priore, quod nec ad omnium plane myſteriorum notitiam pertingat: nec tam ad regendum, quam ad docendum, & inſtruendum alios aptitudinem contineat. Tertium quod ad plantandam in ipſis ejus initiis Eccleſiam maxime requirebatur, fuit Fides illa, facultatis patrandorum miraculorum omnis generis mater, & opifex. Cujus proxime ſequenti *Capite* XIII. 2. mentio fit. Quartum fuit Facultas ſanandi ægros extraordinaria, quæ licet miraculoſa eſſet, tamen quia non multum à Medicorum facultate, & efficacia diſtare videbatur (Applicabant enim iſti quoque corporalia remedia, ſed præcipue ungebant ægros) non ita perſtringebat oculos ſpectantium, ut alia miracula.

Quintum fuit ἐνεργήματα δυνάμεων *efficaciæ poteſtatum*, per quæ intelligo donum illud oris, cui reſiſti non poteſt, quod Dominus etiam iis promiſit, qui in perſecutione cauſam dicturi eſſent. *Lucæ* XXI. 15. *Ego vobis dabo os & ſapientiam, cui non potuerunt contradicere, neque reſiſtere omnes adverſarii veſtri.* Et alibi ait *Mar.* XIII. 11. id quod fidelibus tunc ad loquendum ſuggeretur, non illos locuturos, ſed Spiritum Sanctum.

Atque hæc eſt illa poteſtas δύναμις, cum qua ſe venturum Apoſtolus minatur, adverſus inflatos, ſuprà *Cap.* IV. 19. 20., fortis, & efficax ad ſubvertendas munitiones &c. & quicquid ſe effert adverſus Deum.

Sextum demum ſubnectit donum Prophetiæ, non illius, quæ ſub dono Sapientiæ, & cognitionis continetur, ad docendum, & exhortandum alios; ſed ſpecialiter ſic dictæ prophetiæ, ſeu futurorum prædicendorum facultatis.

Septimum fuit facultas diſcernendorum Spirituum, quod donum Spiritus Sancti maxime neceſſarium eſt Senioribus & gubernatoribus Eccleſiæ, ſive ſint Paſtores, ſive eorum adjutores, & cooperarii, quos infra *verſ.* 28. κυβερνήσεις, vocat.

Octavum tanquam cæteris longe inferius de induſtria inter poſtrema collocat, ſicuti & nonum, quod ex octavo dependet. *Linguarum donum* quod

præ ceteris quidam Corinthiorum consectari videbantur & earum *interpretationem.*

Ergo *vers.* 11. Omnia ista charismata ab uno, eodemque Spiritu proficisci ait, quem Dominus pro arbitrio suo distribuit. Quamvis enim dicatur hoc loco de Spiritu, quod *distribuat unicuique charismata sicut vult*; tamen cum aliunde constet, si proprie loquendum sit, Christi ipsius arbitrio, & judicio ista distribui, non alio modo hic voluntas de Spiritu prædicari videtur, quam *Joh:* III. 8. eadem voluntas de vento prædicatur. *Spiritus*, hoc est, ventus, *ubi vult spirat, & vocem ejus audis*, &c. *nec scis*, hoc est, non vides, *unde veniat, aut quorsum tendat.*

Præterea de Spiritu Sancto Apostolus hoc loco proprie loqui non potest, sed tantum improprie. quemadmodum enim neque de Christo, neque de corpore ejus, hoc est, Ecclesia, hoc loco proprie loquitur, sed improprie; ita de Spiritu Sancto. Neque enim Christus, qui corporis, de quo sermo est, Caput esse innuitur proprie dictum corporis alicujus est caput, neque Ecclesia ex multis diversarum gentium, statuum, & conditionum hominibus constans, proprie dictum corpus est, neque isti, qui hoc loco membra Ecclesiæ dicuntur, proprie dicta alicujus corporis membra sunt. Proinde ne Spiritus quidem, qui totum istud corpus, & singula ejus membra inter se diversa animare dicitur, similiter atque Spiritus humanus humanum corpus animat, propriè dicta anima est hujus corporis, sed tantùm per similitudinem quandam sumptam ab animo, & corpore humano simul junctis, & multa, ac diversa corporis membra unius spiritus, & animæ vinculo connectentibus. Non igitur omnia per se, & natura sua de isto Spiritu in se considerato dici possunt, quæ hic de illo dicuntur, considerato improprie, quatenus corpus Ecclesiæ animare dicitur. Sed quia animo humano, qui corpus humanum animat, voluntas tribui potest, idcirco Apostolus Spiritui quoque isti per, & propter similitudinem cum animo humano, voluntatem tribuit. quod de illo proprie hoc loco dici, aut intelligi nequit (quia Apostolus toto capite in manifesta allegoria versatur) non minùs quam quod in eo, veluti in aqua, omnia Ecclesiæ membra immersa, aut ipso tanquam potu aliquo impleta sunt, & inebriata potati sunt.

Quemadmodum igitur de qualitatibus, præsertim activis, aut etiam de rebus, quibus actiones non competunt, dicitur sæpe illas aliquid agere, quamvis actiones proprie dictæ sint suppositorum. ut cum Natura, aut stomachus res sibi adversas è corpore ejicere velle dicitur, cum id conatur, nec semper propter obstantia impedimenta potest; ita hoc loco, quæ Christus per Spiritum suum, per quem gubernat Ecclesiam, operatur, Spiritus ipse operari dicitur; quodque causæ Principali, hoc est, Christo ipsi competit, puta illud dona Spiritualia distribuendi arbitrium, id causæ instrumentali, per quam Christus agit, hoc est, Spiritui Sancto tribuitur, præsertim cum hic Spiritus Sanctus, in ea, quam toto capite tractat, allegoria introducatur similis animo humano, humanum corpus animanti, ut quemadmodum animus prout vult corpus suum gubernat; ita Spiritus quoque prout vult corpus Ecclesiæ gubernet, hoc est, Christus per eum Spiritum. Præterea quia voluntatem præcipue nostram Christus per Spiritum Sanctum impellit, ac movet, ideo non Christi tantum voluntas, sed & nostra Spiritui Sancto tribui potest. Dicimus enim quod voluere, aut fecere Apostoli, voluisse Spiritum Sanctum. Quod si nostra Spiritui Sancti tribuitur, cur non Dei, aut Christi?

Vers. 12. Inchoat similitudinem. *Quemadmodum* inquit *corpus humanum unum est, & tamen membra multa habet, & ista membra, quamvis multa, & diversa sint, unum tamen corpus sunt; ita* inquit *Christus*, hoc est, Christi corpus, seu Ecclesia (sic enim explicate apodosis reddi debet) ita inquam Christi corpus, id est, Ecclesia una est, & tamen membra multa, & differentia habet, & ista membra, quamvis sint differentia, unum tamen corpus sunt. Ubi notandum vocem *Christum* pro corpore Christi, id est Ecclesia poni.

Vers. 13. Probat ista omnia membra unum corpus esse, quia sunt uno Spiritu animata. *Omnes enim in uno Spiritu baptizati sumus in unum corpus*, quamvis gentium, & statuum discrimine diversi, hoc est, omnes, qui ex diversis gentibus, & conditionibus ad Ecclesiæ corpus per baptismum accessimus, seu accessisse nos per baptismum testati sumus, in unius Legis, ac doctrinæ Christi Spiritualis obsequium, & vitæ sanctæ institutum conspiravimus, & quasi in unum Spiritum coaluimus, donisque unius imperatoris ad eandem militiam auctorati, arrham quasi stipendii nostri communem cum cæteris omnibus, ejusdemque æternæ felicitatis spem, & in filios Dei adoptionis fiduciam, per eundem Spiritum accepimus, & ejusdem Spiritus salubri potu semel potato, ejusdem beneficio in salutis nostræ curriculo sustentamur, ac resocillamur. Nec ausim multum ab iis dissentire, qui in istis verbis non ad baptismum tantum, sed ad cænam Domini quoque respici putant. Utrumque enim institutum, nos tàm ad unitatem, & communionem unius corporis Ecclesiæ accedere, quam in eadem unitate corporis ejusdem manere, ac persistere testatur.

Vers. 14. Ostendit ob illam διαίρεσιν, *seu differentiam* charismatum non esse animum despondendum iis, qui minora forte charismata acceperint, multo minùs alios eo nomine contemnendos. Non minus enim ii, qui minora, quàm qui majora charismata acceperint, membra unius esse corporis: quia quemadmodum corpus humanum non est unum membrum, puta oculus, sed ad illud constituendum manus etiam, & pedes, & alia pertinent; ita corpus Christi non ii soli sunt, qui excellentiora charismata acceperunt; sed ii quoque, qui minora: idque sequentibus aliquot versibus satis clarè explicat. *Vers.* 18. Quemadmodum in corpore humano Deus membra, ut voluit, disposuit in prima creatione: ita in nova creatione Christus, ut vult, disponit membra corporis sui.

Vers. 21. Quemadmodum superioribus versibus in gratiam eorum, qui minora charismata habent, ne animum despondeant, ostendit, eos non idcirco non esse de corpore Christi, quia minora dona ipsis collata sunt: ita hoc versu ad compescendos eorum spiritus, qui forte majoribus donis præditi, adversus eos, qui minùs acceperunt, intumescere possent; ostendit eos ipsos, quos Dominus largioribus donis dignatus est afficere, indigere inferiorum opera. Quemadmodum oculus manuum, caput pedum opera indigent. Imo *vers.* 22. 23. 24. *inhonestioribus membris, majorem honorem haberi ostendit, quæ videlicet honestiora non indigeant.* Eodem modo infirmioribus plus indulgeri in Ecclesia par est, quia indulgentia validiores non egeant. Quemadmodum enim Deus, in membris corporis humani συνκέρασεν (temperavit) τὸ σῶμα, corpus τῷ ὑστερουμένῳ (deficienti) uberiorem tribuens honorem: ita in Ecclesia Christus simile quippiam facit. Id autem eo fine (*vers.* 25.) *ne schisma* & separatio, & neglectus aliorum membrorum sit in corpore, sed *vers.* 26. dolente & patiente uno *compatiantur, gaudente congaudeant omnia.*

Verſ. 27. Nunc explicite ait, omnes fideles eſſe corpus Chriſti. μέρη ἐκ μέρους, id eſt, *membra ex membro*; eodem modo dici videtur quo os ex oſſibus, aut inverſo oſſa ex oſſe, quia dum dicit Spiritus Sanctus os ex oſſibus, id ad unum iſthic refertur, atqui hic plura membra ex membro, hoc eſt, ex Capite.

Verſ. 28. Oſtendit veræ ſubordinationis in Eccleſia gradus, eo ordine ſibi ſuccedentes, ac ſubordinatos, quo Chriſtus alios præ aliis eminere voluit. Ubi tamen notandum quamdiu Apoſtolus gradus iſtos numerat, & ordinat per particulas, πρῶτον, δεύτερον, τρίτον; *Primo*, *Secundo*, *Tertio*, tam diu ordinem accuratiſſimum eſſe ſervatum: poſtquam cæteros gradus acervatim quaſi, & ſine expreſſa ſubordinationis nota recenſet, non jam iſtum accuratum priorum præ poſterioribus eminentiæ ordinem ſervatum. Quod eo conſilio factum ſuſpicor; ut genera linguarum ultimo loco poneret, quæ tamen non videntur Spiritualium chariſmatum poſtrema fuiſſe; quia cum miraculo conjuncta erant. Sed Apoſtolus Corinthiorum nonnullos charismatis iſtius, in oculos hominum incurrentis, nimium cupidos, ab illius ſtudio ad *potiora* κρείττονα, & Eccleſiæ utiliora charismata divertere, & abducere voluit.

Ordo igitur accuratior graduum in Eccleſia eſt hic. Primum Apoſtoli, excellenti ſupra omnes ſapientiæ dono inundati, & quibus tamen omnia inferius enumerata charismata adeſſent. Proximi his, qui non ſimplici rerum divinarum cognitione inſtructi, ſed etiam ſpiritu futurorum præſcio præditi erant, qui vere, & καὶ ἔξοχην Prophetæ dici poterant, qui & ipſi inferiorum omnium charismatum expertes non eſſe poterant, quamvis Apoſtolici charismatis participes non erant. Tertio loco, erant Doctores, & Paſtores Eccleſiarum, ſufficienti rerum divinarum γνώσει, quam & aliis impertiebantur, inſtructi, qui & ipſi interdum miraculorum patrandi participes eſſe poterant. Quarto loco, qui ſupradictorum quidem charismatum expertes, miracula tamen patrare poterant. Nam hoc loco vocem δυνάμεις *virtutes* iis tribuere placet, contrà quàm ſupra *verſ.* 10. fecimus, quia illic quidem miraculorum patratores jam erant ſub voce πίστις comprehenſi, hic vero niſi ſub ea voce intelligantur, mentio eorum eſſet omiſſa, quod credibile non eſt. Nam illa ἐνεργήματα δυνάμεων, *operationes virtutum* prout ſupra explicavimus, quia Apoſtolis, Prophetis, Doctoribus, erant neceſſaria, in eorum gradibus comprehenſa intelliguntur.

Quinto loco expreſſe ponit chariſma ἰαμάτων, *gratia curationum*, Spirituale quidem, non tam utile ut ſuperiora, ſed quo ad corpus per quam utile, & neceſſarium Eccleſiæ. Reliqua tria charismata, ſine ulla nota mutuæ ſubordinationis, quaſi prout in mentem veniſſent, collocat, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν, *opitulationes*, *gubernationes*, *genera linguarum*.

Quid per ἀντιλήψεις *opitulationes* intelligendum ſit, quæri poteſt. Placet opinari donum illud intelligi quod *Rom:* XII. 8., inter dona differentia. *verſ.* 6. recenſetur, & exprimitur his verbis ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι: ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι, *qui diſtribuit, in ſimplicitate: qui miſeratur, in hilaritate.* Donum inquam illud, quod Deus quibuſdam in Eccleſia confert, ut cum habeant facultatem non modo liberalitatem exercendi, ſed etiam alio modo hominibus ſuccurrendi, eorumque miſerendi, quales ſunt divites, ac ii, qui ſunt cum poteſtate; habent ſimul etiam propenſam id faciendi voluntatem. Quamvis enim hoc donum, ſi nudam facultatem id faciendi reſpicias, non ſpirituale ſit, ſed carnale; tamen ſi voluntatem, & habitum id faciendi conſideres, eſt maxime ſpirituale.

Septimum, Per κυβερνήσεις, *gubernationes*, intelligo donum illud, & aptitudinem ad regendam Eccleſiam: quæ non in ſolis Epiſcopis, & Paſtoribus; ſed etiam in Senioribus, & adjutoribus Paſtorum, requiritur. quæ conſiſtit in διακρίσει πνευμάτων *dijudicatione ſpirituum.* Qui enim cætum, & multitudinem aliquam bene regere velit; ſingulorum ingenia, & indolem ut norit neceſſe eſt.

Octavum, Genera linguarum, & interpretatio earum, nona poteſt adjici.

Verſ. 31. Hortatur Apoſtolus Corinthios, ut majora, & meliora ex enumeratis charismata, hoc eſt, utiliora Eccleſiæ conſectentur. Quod ut aſſequi poſſint, proponit ſe oſtenſurum viam, & modum, ad vota ſua perveniendi, & compendium res aſſequendi deſideratiſſimas, quod facit Capite ſequenti.

CAPUT XIII.

QUemadmodum in calce ſuperioris Capitis commodiſſimam, & ſecundum exuperantiam utilem rationem, ac viam aſſequendi meliora dona oſtenſurum ſe pollicitus eſt Apoſtolus; ita promiſſum hoc Capite iſto fideliter exolvit, non modo utilitatem, ſed neceſſitatem quoque rationis, & viæ hujus ineundæ oſtendens. Porro virtus, quam hoc loco commendat, & per quam facillimum eſſe aditum ad præſtantiſſima charismata conſequenda aſſerit, eſt ſumma Legis divinæ, compendium præceptorum Dei, & obſequii Chriſto debiti, hoc eſt, *Amare Deum ex toto corde, & ſupra ſe: proximum autem juxta ſe.* Hæc enim eſt virtus, quæ ἀγάπη *caritas* nomine deſignatur; omnis pietatis mater, omnis perfectionis vinculum, & comprehenſio, ſine qua ſi ponamus cætera omnia charismata, nihil nobis proſunt. Quæ charismata ordine enumerat Apoſtolus, incipiendo *à dono linguarum.* Prophetiam, omnium myſteriorum cognitionem, omnium rerum ſcientiam, omnem fidem, miraculorumque patrandorum facultatem, denique *verſ.* 3. vitæ, bonorumque jacturam religionis cauſa ſuſceptam, hæc igitur omnia, ſepoſita caritate, nihil prodeſſe ait; tacite innuens quod res ipſa loquitur, caritatem etiam ſine tam eminentibus donis plurimum prodeſſe, & nos felices reddere poſſe. Dubitari autem merito poteſt, utrum iſta omnia, aut certe eorum aliqua in homine Chriſtum profeſſo abſque caritate inveniri, ac deprehendi poſſint. & longe probabilius videtur, hæc omnia, aut certe pleraque ab Apoſtolo mente tantum, & ratione à caritate abſtrahi. Quamvis enim etiam miraculorum patratores Chriſtus perire poſſe aſſerat, ſi nimirum gratia ſibi data, & jam poſſeſſa excidant. quod Apoſtolus accidere poſſe, ſatis innuit, dum in ſua perſona etiam prædicantibus Evangelium Apoſtolis, & Apoſtolicis viris metuendum, & anxie dandam eſſe operam monet, ne aliis prædicantes, ipſi reprobi fiant, *Cap.* IX. *verſ. ultimo.* Tamen Chriſtiani, ſaltem tunc, cum tam præſtantia charismata poſſident, caritatis iſtius expertes in re ipſa vix eſſe poſſunt. Neque enim in indignos Dominus beneficia ſua profundit. Et quædam hic quoque commemorantur, præſertim *verſ.* 3., quæ abſque caritate, eaque perfecta, adeo re ipſa eſſe nequeunt, ut vel ipſa cogitatione, ab ea ægrè abſtrahi poſſint. Qualis eſt illa bonorum vitæ profuſio, & atrociſſima mors ſuſcepta in gratiam Dei, ac religionis, præſertim conſtanter ad exitum perducta. Hoc enim eſt vere Deum ſupra ſe diligere, qui caritatis gradus

eminen-

eminentissimus, inferiorem in proximum caritatem necessario comprehendit, ac præsupponit. Nam tanti facinoris impetus, etiam forte ab ejus expertibus sumi posset, sed ad ultimum constanter perdurare nequit, nisi in iis, quorum τὸ δοκίμιον πίστεως *probationem fidei omni auro pretiosiorem* Deus tali exitu coronat.

Vers. 4. Ostensa hujus virtutis, tanquam compendiosæ ad perfectissima charismata viæ, necessitate; nunc Apostolus ipsius naturam, & effecta explicat usque ad *vers.* 8. Non omnia quidem illa; sed ea præcipue, quæ in Corinthiis tunc, cum iis scriberet, desiderabantur. Serpere enim in ea Ecclesia cæperant Schismata, atque discidia: ambitio quoque, & alios sive condemnandi, sive contemnendi licentia: & scandala non pauca, ex perperam, aut parum honeste factis suborta. Quæ omnia absque impatientia, & quadam animi malitia, absque invidia, temeritate, superbia, & inflatione, irritatione mutua, vindictæ studio, & neglectu ædificationis infirmorum aut præpropere abjecta spe salutis eorum, esse non poterant.

Idcirco singulis istis Corinthiorum vitiis, tanquam ulceribus, caritatis remedia applicat. Impatientiæ quidem, quod caritas μακροθύμει, *diu tolerat.* Malignitati animorum, quod eadem χρηστεύεται *benigne se gerit.* Invidiæ, quod eadem οὐ ζηλοῖ *non invidet.* Scandalis, ac temere, & inhoneste factis, quale erat matrimonium cum noverca, aut lites coram infidelibus &c., quod ea οὐ περπερεύεται, οὐκ ἀσχημονεῖ, *non perperam agit, & non ambitiosa est.* Superbiæ, quod ea non *inflatur.* (Inflationis autem vitium in hac ad eos Epistola sæpius ipsis objicit.) Irritationi mutuæ (quæ in illis, ad quæ se congregabant, schismatibus, *Cap.* XI. 18. memoratis, interveniebat) quod ea οὐ παροξύνεται, *id est, non exacerbatur.* Et ex irritatione consequenti, vindictæ studio, quod ea, non *meditatur cuiquam malum.* Τῇ ἀδικίᾳ συγχαίρει, *lætitiæ ex aliena calamitate,* quod ea *non gaudet injustitia*, sed *congaudet veritati*, hoc est virtuti. Veritas enim, quia virtutis oculus, atque dux est, pro virtute passim usurpatur. Injustitiæ enim non veritas, sed justitia opponitur: neglectui vero ædificationis infirmorum, ut & præpropere abjectæ spei eorum salutis, applicatur caritatis remedium. Primum, Quod ea *non quærit ea, quæ sunt ipsius* (quod ipsum præceptum supra in doctrina de adiaphoris *Cap.* X. 24. inculcaverat.) Secundum, Quod *omnia tegit*, πάντα στέγει (quod idem præceptum *capite* IX. 12. in suo exemplo insinuaverat.) Tertium, *Omnia credit.* Quartum, *Omnia sperat.* Quintum, *Omnia tolerat.* Quæ cuncta postrema in illo comprehendi possunt, quod supra, de se ipso dixit in fine *Capitis.* X. Et *ego in omnibus, omnibus placeo.*

Vers. 8. Ab explicatione naturæ caritatis, redit iterum ad ejus commendationem, quam cum præcipuis charismatibus, Prophetia, linguis, rerum divinarum scientia, in eo comparat, quod illa abolebuntur olim, caritas autem in suo vestigio integra permanebit. Ac linguarum quidem, & prophetiæ usum tunc non fore, quia facilius perceptu est, verbo dixisse contentus, explicat quomodo γνῶσις, & cognitio rerum divinarum abolebitur.

Quia ista cognitio, qua nunc fruimur, est tantum in parte, hoc est, manca, & imperfecta, proinde superveniente perfecta, imperfectam aboleri necesse est *vers.* 10. quam consequentiam similitudine illustrat. Quemadmodum pueriles sermones, curæ, cogitationes, superveniente matura ætate abolentur; ita imperfecta mortalium cognitio dabit locum meliori, & perfectæ rerum omnium scientiæ. Porro cognitionem nostram in hac vita mancam esse, & imperfectam; probat *vers.* 12. quia nunc per ista corporea, fluxa, & fragilia instrumenta, non res ipsas (præsertim divinas, & cælestes) sed tantum imagines rerum, quales in speculo vulgo apparent, cernimus, cognoscimus: & quidem cognitione, ac visione, & difficili, & parum certâ. Quemadmodum enim proposita ænigmata solvere non operosum modo; sed anceps est, nec semper prospere cedit: Ita in ea cognitione, quam per discursum ignotius ex notiori, & quod nisi per sensum carnalem, & fragilem in mentem nostram intrare non potuit, venando assequimur, & multum operæ nos ponere necesse est, nec semper facimus operæ pretium.

Huic imperfectæ cognitioni succedens perfecta, quæ jam non imagines rerum, sed res ipsas, ut sunt in suis naturis: non eminus, & à longe, per aliqua specula, aut perspicilla, sed facie ad faciem, quasi cominus, ac de propinquo intuebitur, & cognoscet: nec in parte tantum, seu imperfecte; sed ita perfecte, sicut ipsi à Deo cognoscimur, omnia percipiet: hæc inquam perfecta cognitio adventu suo imperfectam aboleat necesse est.

Vers. 13. Postquam cum charismatibus caritatem contulit, atque iis prætulit; nunc eandem cum reliquis virtutibus, & quidem nobilissimis confert, atque iis præfert. quid enim nobilius fide? quæ nos Deo placentes reddit, & quæ nos sola, si vera sit, salvare potest. quid excellentius spe? quæ nos æternæ felicitatis fructum etiam in hac vita anticipare, & in terra cæli deliciis perfrui efficit? Utrique tamen harum, tantum in hac vita locus est. Caritas vero ambobus, æternum superstes, tanto eminentior utrâque censenda est.

CAPUT XIV.

COncludit igitur ex præmissis caritatem ante omnia, & maxime omnium consectandam. Inter spiritualia enim charismata ea potius eligenda, quæ ad ædificationem Ecclesiæ serviunt, præ illis, quæ non serviunt. Magis igitur in eo, ut prophetemus, quam ut ignotis linguis loquamur, elaborandum.

Primum, Quia qui linguis loquitur ignotis, Soli Deo loquitur. Nemo enim intelligit quid dicat. At qui prophetat, non Deo tantum servit, sed hominibus etiam emolumento est; ut in doctrina, & pietate incrementum sumant, consolatione erigantur, & salubribus monitis instruantur.

Secundum, Qui linguis loquitur, se ipsum tantum ædificat: At prophetans, sese una, & totam simul Ecclesiam. Quamvis igitur inquit *vers.* 5. linguarum donum vobis non invideam; malim tamen ut prophetetis omnes, quia *prophetans major est*, quam *linguis loquens, nisi forte idem interpretetur*, ut *ædificetur Ecclesia.* Suo id exemplo illustrat *vers.* 6. Quid, inquit, emolumenti vobis afferam, si linguis loquar, quibus neque aperire oculos mentis vestræ, & revelare ulla mysteria; neque ulla vos cognitione imbuere, aut exhortatione, consolationeve excitare, atque erigere, neque doctrina ulla instruere possim.

Vers 7. Quemadmodum, inquit, Musica instrumenta vocalia, puta tibia, aut cythara, nisi certis modulis personent, ignorabitur cantus eorum, atque ita inutilia erunt. Eodemque modo Tuba, si vocem edat incertam, & quæ intelligi nequeat, quis se præparabit ad certamen? Ita linguarum nullus usus est, nisi intelligantur. Sed homines frustra & in aerem vanas voces effundunt, & tam loquen-

loquentes, quam audientes, sunt sibi invicem barbari, nec ullus ædificationi mutuæ, aut Ecclesiæ locus est.

Proinde *vers.* 23. monet eos, qui donum linguarum adepti sunt, ut orent, ac precibus impetrent donum interpretationis.

Vers. 14. Ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπος ἐστι, *mens vero mea sine fructu est.* Non respectu sui ipsius (quia supra *vers.* 4. falsus est loquentem ignota lingua seipsum ædificare) sed respectu aliorum audientium, aut Ecclesiæ.

Vers. 15. Νοῒ πνεύματι, *mentem spiritui*, opponit in eo sensu acceptum, quod ab audientibus percipiatur, & intelligatur, quasi intellectum Spiritui non intellecto.

Vers. 16. Ritus priscæ Ecclesiæ videtur in responsione idiotarum, & quasi antiphona ad vocem docentium per voculam, Amen.

Vers. 18. 19. Ut monitioni suæ auctoritatem conciliet, ait se doni linguarum magis compotem, quàm quenquam illorum: malle tamen in Ecclesia quinque verba intellecta, & quæ alios docere possint, proferre, quam decies mille non intellecta.

Vers. 20. Tacite votis eorum, qui linguarum charismata præ aliis exoptabant, & opinionibus, qui ea tanti faciebant; puerilitatem objicit, quod inania rerum, & quæ plus ostentationis, quàm fructus, & utilitatis habent, consectarentur. Quamvis autem puerilis illa simplicitas ab ipso Domino nobis commendata fuerit; tamen id non de mentis, judiciique hebetudine, aut infirmitate, sed de inexperta illa malorum innocentia; intelligendum. Mentem porro, atque judicium ad summam perfectionem excolenda esse, præter alios locus hic indicat, qui *mente perfectos effici* imperat.

Ostendit igitur eos, qui mentem habeant, non difficulter capere posse, cui fini Deus charisma istud Ecclesiæ contulerit: præsertim cum in Lege scriptum sit, & expressum, quo fine donum hoc Ecclesiæ conferendum esset, nempe ut isto miraculo perculsi homines excitarentur ad recipiendam, & obviis ulnis amplectendam oblatam sibi gratiam Dei. Queritur enim Spiritus Sanctus populum illum duræ cervicis, ne isto quidem miraculo adductum esse, ut auscultaret Deo. apparet igitur miraculum istud vim habuisse adducendi homines ad auscultandum Deo. Ergo donum hoc, tantum in gratiam infidelium (*vers.* 22.) collatum est Ecclesiæ: at prophetia etiam in gratiam fidelium. nam & in fidelibus Prophetia prodest. In ipsis igitur nascantis Ecclesiæ exordiis utile, ac necessarium erat. quomodo enim aliter fideles ex infidelibus fierent. at exurgente in maxima incrementa Ecclesia, quemadmodum tunc per Apostolorum prædicationem fiebat, sensim exolescere cæpit. quod contra in Prophetia accidit.

Vers. 23. Etiam ἄπιστος, id est, *infidelibus* tunc donum istud esse posse noxium (non modo fidelibus, quod eos fructu auditionis defraudet) si forte in Ecclesia deprehendant homines omnes ignotis linguis loquentes, nec se mutuo intelligentes, sed frustra datis sine mente sonis, aerem percutientes. quod insanientium est, qui putant se aliquid magnum agere, cum nihil agant. Offendi igitur facile eo facto possunt & Religionem contemnere.

Contra *(vers.* 24.) Prophetia, etiam ab infidelibus deprehensa, quia penetrantem ad intima verbi Dei gladium vibrat; aperit secreta cordium etiam in infidelibus, & idiotis, hoc est, Religionis Christianæ ignaris, ut in conscientia convicti pœnitentiam agant, & præsentissimum in Ecclesia Numen Dei agnoscant.

Vers. 26. Cum vero omnia, quæcunque in Ecclesia fiunt, sive cantus hymnorum in laudem Dei, sive officium docentium, aut linguis loquentium, sive occulta explanantium (hoc superius *vers.* 6., ἀποκαλύψεως *revelationis*, voce intellectum est) sive ignotas linguas interpretantium; ad ædificationem tendere debeant: Ideo monet. *vers.* 27. & 28. ut non multi linguis in Ecclesiæ loquantur, nec continuo, sed per partes, ut ea quæ loquentur interpretatione explicari populo possint, quia semper interpres talibus in Ecclesia necessarius est. Qui si desit; abstinendum à tali linguarum ostentatione in Ecclesia, ostendit. Privatim tamen permittit, ut quisque ejusmodi ignota lingua sibi, ac Deo loqui possit.

Vers. 29. Quamvis autem prophetandi donum omnibus commendat; tamen vitandæ confusionis ergo illud in Ecclesia à multis simul exerceri vetat. *Duo, aut tres* inquit *loquantur, cæteri dijudicent.* Unde patet non ita olim in verba Magistrorum adactos fuisse fideles, quin ipsis censura, & judicium de iis, quæ à concionantibus audirent, à Spiritu Sancto esset permissum. Imo vero si cuipiam sedenti, hoc est, cuipiam auditorum (apparet enim tunc in Ecclesia assidente populo stantes concionari solitos) revelatum esset aliquid melius, quam id, quod publice à Prophetis docebatur; silere Prophetas istos, & dare locum potioribus imperat Apostolus. Atque ad id confirmandum *Vers.* 31., privilegium istud *meliora & potiora*, quam ea sint quæ forte in Ecclesia docentur *in medium afferendi, & omnibus communicandi* ad omnes omnino auditores porrigit, & extendit, & expresse ait, *Posse omnes καθ' ἕνα singillatim prophetare, ut omnes discant* (docendo enim optime discitur) & consolationem accipiant.

Sed adjicit perneccessarium monitum, *vers.* 32. ut tamen *Prophetarum Spiritus Prophetis subdantur.* Nec ideo, quod quis partem aliquam Spiritus Sancti habere se sentiat, idcircò aliis, quibus à Deo plus collatum est, cedere, & subdi recuset. Plerumque autem, ac penè, nisi gravis aliqua causa impediat, semper plus Deus conferre solet iis, quos ad ordinarium docendi munus vocavit doni istius, quam aliis.

Idcirco postulat omnino, & ab omnibus, quos donorum suorum participes reddit, requirit, ut eorum Spiritus, eorum, quos abundantioribus donis instruxit, & ornavit, Spiritui subdantur. Idque ad vitandam confusionem ἀκαταστασίας *dissensionem*, ac retinendam pacem, ac bonum ordinem, qualis tunc fere in omnibus Ecclesiis sub regimine Apostolorum erat.

Vers. 33. Mulieribus silentium in Ecclesia imperat, addita ratione, quia ipsis subjectio imperata est. Ergo ipsis docendi munere interdictum est, quod ἐξουσίαν & *potestatem* quandam, super eos, qui docentur, aut reguntur, præ se fert. Quin imo ne discendi quidem publice in Ecclesia facultatem ipsis concedit, addita ratione, *quia mulieri turpe sit in Ecclesia loqui.* Non quod id per se, & natura sua turpe sit. ubivis enim locorum, quod nescias, discere honestum est. Sed quia id moribus tunc hominum turpe habebatur, & irrisoribus ansam dare poterat, ad obtrectandum Ecclesiæ. Unde patet, ne vulgi quidem opinionem, quamvis forte parum solidis rationibus nixam, contemnendam esse, sed omnes infamiæ ansas, aut obtrectationum occasiones sedulo vitandas.

Vers. 36. Adversus φιλονείκους, *contentiosos*, quorum *Cap.* XI. 16. mentionem fecerat, quibus forte rationes Apostoli, in hoc de mulieribus argumento, satisfacere non poterant; acrius tribus sequentibus versibus

verſibus inſurgit, & contra eos argumentum depromit (ſicut & ſupra *Cap.* XI.) à recepto more, & conſuetudine omnium aliarum Eccleſiarum alibi exiſtentium. Nec æquum eſſe innuit, ut Corinthii, quaſi ab illis doctrina Evangelii originem ſumpſiſſet, aut intra eorum duntaxat Eccleſiam religionis Chriſtianæ prædicatio contineretur; legem omnibus aliis darent, & morem apud alias omnes ubique Eccleſias receptum infringere velint. Denique (*verſ.* 37. *&* 38.) nolle ſe amplius cum quoquam ea de re contendere, ſed conſuetudini Eccleſiarum firmiter inhærere: quia cuilibet æquo judici, & qui vere ſit Propheta, ac Spiritualis; ſatis conſtare poſſit, ea quæ Apoſtolus recipienda eſſe tanquam mandata Domini dixit. Qui vero nihilominus nodum in ſcirpo quærat, & ſe vim rationum Apoſtoli non ſatis percipere, & intelligere prætendat; in ſua potius ignorantia relinquendus, quam cum illo rixandum, ac decertandum eſt.

Verſ. 39. *&* 40. Cæptam de ſpiritualibus charismatibus quæſtionem concludit breviter: Prophetandi quidem facultatem cum zelo, & flagranti ſtudio conſectandam, linguarum autem uſum tantum non prohibendum eſſe. Incidentem vero obiter de eo, quid in Eccleſia fieri debeat, ſermonem, brevi itidem præcepto præcludit: *Omnia ibi decore & ſecundum ordinem facienda eſſe.*

CAPUT XV.

ACcedens ad tradendum præcipuum Chriſtianæ religionis dogma, adverſius capitalem errorem eorum, qui veram, & proprie dictam mortuorum reſurrectionem negabant, commendat illud multipliciter, ut animos eorum, quibus ſcribit, ad illud percipiendum tanto attentiores reddat.

Vocat illud primum *Evangelium.* Quis enim lætior nuncius humano generi advenire potuit, quam cum annuntiata, & irrefragabilibus argumentis confirmata eſt doctrina, & ratio è mortis, cujus ingluvies omnia mortalia rapit, ac devorat, faucibus evadendi? Vocat deinde Evangelium, *quod Evangelizarunt Apoſtoli.* Quippe ſummam prædicationis eorum comprehendabat iſtud dogma, quod magna cum lætitia, & plauſu receptum eſt ab omnibus: & in quo, tanquam totius Religionis fundamento, omnes Chriſtiani conſiſtunt (ἐν ᾧ ἑστήκατε, *in quo ſtatis*): per quod præcipuè ſalvantur, ſi genuinam iſtam Apoſtolorum, quam in hac materia tradiderunt, doctrinam retinent: & in quo, ſi ceſpitent, aut hallucinentur, fruſtranea, & inanis eſt eorum fides, ac religio.

Verſ. 3. Doctrina autem iſta eſt, *quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis*, ſive propter peccata noſtra, *ſecundum ſcripturas.* Res enim hæc erat tanti apud Deum, ut prædici meruerit. Pro peccatis autem noſtris tollendis, & abolendis, quia remiſſio peccatorum pœnitentibus, & reſipiſcentibus in Novo Fœdere omnibus oblata eſt, quod fœdus tam ſanctæ victimæ interventu ſancitum eſt. Secundum. E peccatorum ſervitute nihil nos efficacius vindicat, quam ſpes reſurrectionis, tanto exemplo facta, & ſtabiliſta: & conſideratio Dei, Chriſtique ipſius erga nos dilectionis, ut nos quoque viciſſim peccatis moriamur, & in vitæ ſanctius agendæ inſtitutum reſurgamus, & tantò certiorem ſpem illius propriè dictæ reſurrectionis conſequamur. Mortuus autem eſt vere, ita ut ſepeliretur, & reſurrexerit tertia die, ſecundum Scripturas. In Hiſtoria enim Jonæ adumbrata fuit hujus reſuſcitationis imago. Et poſt reſurrectionem viſus eſt tot teſtibus fide dignis, quos commemorat, Petro, Apoſtolis, quingentis fratribus, Jacobo, Apoſtolo, Paulo. Omittit autem hic Apoſtolus non pauca, præſertim mulierum, teſtimonia, quia gravitate teſtium, præſertim apud alienos, fides tantæ rei conſtare, ac fulciri debuit. Nec enim Dominus quinquies, aut ſexies duntaxat poſt reſurrectionem viſus; ſed pluribus vicibus. Quæ apparitiones Domini, quantum ex hiſtoria Evangelica colligere poſſumus, hoc ordine factæ videntur.

Primum omnium, Marco & Johanne teſtibus, viſus eſt Dominus Mariæ Magdalenæ, è qua ejicerat ſeptem Dæmonia, quam hiſtoriam non brevi mentione, ut *Marcus Cap.* XVI. 9., ſed pleniori narratione proſequitur *Johannes Cap.* XX. ab initio uſque ad *verſ.* 18. Fieri autem poteſt, aliis quoque mulieribus, circa idem tempus viſum eſſe Dominum, ut legimus *Matth.* XXVIII. 9., niſi forte una eademque ſit iſta viſio cum ſuperiori.

Deinde, duobus diſcipulis Emmaunta tendentibus, quod deſcribit *Lucas Cap.* XXIV. *à verſ.* 13. *uſque ad* 36. *&* *Mar.* XVI.

Tertio, Petro, cujus apparitionis mentionem facit *Lucas ibidem Cap.* XXIV. 34. & Paulus in hoc loco.

Quarto, omnibus diſcipulis, uno Thoma abſente, Hieroſolymis, quod & *Marci Cap.* XVI. *verſ.* 14. uſque ad finem, & *Lucæ Cap.* XXIV. 36. uſque ad *verſ.* 44. aut ad *verſ.* 46. (Nam quæ ſequuntur ad poſteriorem viſionem, quæ Hieroſolymis multo poſt contigit, pertinere videntur) & *Joannis Cap.* XX. 19. uſque ad *verſ.* 24. legimus.

Quinto, poſt octiduum, iiſdem omnibus, Thoma præſente, itidem Hieroſolymis. vide *Joh. Cap.* XX. 24. uſque ad finem Capitis.

Sexto, in condicto illo, etiam ante mortem loco, ac tempore, in monte Galilææ. quod deſcribit *Math. Cap.* XXVIII. 16. uſque ad finem; quæ omnium celeberrima apparitio, & quingentiorum hominum cætu præſente accidit.

Septimo, Jacobo hoc loco viſus dicitur Dominus, qui poſtea Hieroſolymitanæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus.

Octavo, iterum Apoſtolis omnibus Hieroſolymis, quod deſcribit *Lucas Cap.* XXIV. 46. uſque ad finem, quando ipſis eſt præceptum ne Hieroſolymis pedem efferrent.

Cui ſubnexa videtur nona viſio; Eductio eorum ad Betaniam, & aſſumptio Domini in cælum, quæ in fine *Cap.* XXIV. *Lucæ* Evangelii legitur, & initio *Actorum.*

Notandum autem eſt, celeberrimæ iſtius omnium apparitionis in monte Galilææ, ſolum Matthæum deſcriptionem, nec eum ſatis exacte, attigiſſe, quia omnibus notiſſima fuit. Maluerunt igitur ea memoriæ prodere, quæ non ita potrita, nec omnibus vulgata videbantur.

Notandum & hoc, Dominum, quamvis ante mortem ſeſe non in Judæa, ſed in Galilæa redivivum Apoſtolis exhibiturum promiſiſſet, ſine dubio ad ſubducendum ingrati illius populi oculis tanti miraculi ſpectaculum; tamen propter infirmitatem, & ἀπιστίαν eorum, eos Hieroſolymis aliquot apparitionibus excitare neceſſe habuiſſe, ut ad conditum locum tenderent, ubi una cum multis Galilæis fratribus conſpectu à mortuis redivivi Domini fruerentur.

Decima, & ultima apparitio Domini fuit facta

ipsi Paulo, non modo in Damasceno itinere, *Actor.* IX., sed & in templo Hierosolymitano. *Actor.* XXII. 17. in qua solennitur inauguratus in Apostolatum, & factus Martyr resurrectionis ejus esse videtur, cujus beneficii divini non obiter, sed cum mira demissione grati animi, mentionem facit *vers.* 8. 9. 10.

Observandum autem, quoties Apostolus auctoritatem suam asserit, non consueviſse id facere, absque miro humilitatis temperamento. Cujus hoc loco ansam arripuit, quod ipsi postremo omnium, conspiciendum se exhibuerit Dominus. Magnum enim erat istud beneficium, nec vulgaris favoris indicium, quod ipsum conspectu suo dignatus fuerit, ac dignum censuerit, qui vocem (*Actor.* XXII. 14.) ex ore ejus audiret, cum tamen ille tanta gratia indignum se prædicet, eo quod persecutus sit Ecclesiam. Quo magis istam gratiam commendat, quod ipsum Dominus, non modo Apostolum, sed qui plura quàm alii præstare posset, imo præstiterit; effecerit: quod tamen non sibi, sed Deo, ejusque gratiæ totum acceptum fert. Gravem autem causam habebat Apostolus, cur hoc loco auctoritatem suam assereret, quia sicubi unquam aliàs, certe ad dicendum testimonium, producto testi fides, & auctoritas necessaria est.

Hoc igitur prædicationis Apostolicæ fundamentum, hoc est, testimonium de resurrectione Domini, ubi perhibuisset Apostolus; refutat noxiam illam, & pestiferam doctrinam de resurrectionis, ita propriè dictæ, impossibilitate: ostendens ista frontibus adversis concurrentia se mutuo tollere. Hinc prædicantium fidem, prædicationis veritatem, fidei ipsorum soliditatem, remissionis peccatorum fiduciam (*vers.* 17.) credentium spem, quod mortuos, quorum desiderio tenebantur, iterum visuri, ac recepturi sint, denique omnia in hac vita felicitatis solatia, quæ sola ista spe sustentantur (*vers.* 19) inde vero resurrectionis impossibilitatem, & Christi resurrectionem in dubium vocatam, & mendacium testimonio Apostolico objectum.

Vers. 20. Asserit resurrectionem Christi tanquam primogeniti ex mortuis. hoc enim est *primitiæ eorum, qui obdormierunt*, & tanquam Patris æternitatis, aut immortalitatis, & Ducis, atque auctoris mortis superandæ. Quemadmodum enim *per hominem mors* intravit in mundum (*vers.* 21.) ita per hominem mortis victoria: & quemadmodum per Adamum mortalitas, seu vitæ mortalis status, ad posteros ejus, tanquam hæreditate, devolutus, ac propagatus est: ita per Christum vivificatio, reditus ad vitam, eamque æternam, & immortalem: & status iste tam felix, tanquam hæreditas, ad populum, verbo ejus genitum, & quasi posteros ejus, propagata sunt. Nec obstare (*vers.* 23.) quod non statim omnibus ista felicitas repræsentetur. Ordinem enim quendam ea in re Deus esse voluit. Et primùm omnium Christum solum hujus immortalitatis, & felicitatis evadere compotem, tanquam locum populo suo præparaturum. Deinde populum Christi spatio, eoque non exiguo interposito, ad eandem admittendum constituit. Distulit enim Deus hanc immortalitatis repræsentationem ad adventum ejus, ita ut interea vice Patris sui absoluta potestate Ecclesiam suam regeret, & militiæ huic spirituali Dictatoria potestate præesset (*vers.* 25.) donec subactis, ac deletis hostibus, belloque finito, absolutam istam regendæ militantis Ecclesiæ, hoc est, belli gerendi potestatem deponeret, &, quia eam à Patre acceperat, eam quasi patri traderet, ac redderet. Qua potestate eum tantisper uti necesse est, donec plane debellatum fuerit: & non tantum Satanæ omnis ἀρχὴ, ἐξουσία, & δύναμις, *principatus, potestas, & virtus.* sublata; sed etiam erepto è faucibus mortis populo Christi, mors ipsa tanquam ultimus hostium perempta fuerit.

Cur autem verba πᾶσαν ἀρχὴν, *evacuaverit omnem principatum*, ad Satanæ regnum referam, eadem causa est, quæ & cur istud regnum Christi, de quo hic loquitur Apostolus, de bellica illa, ut sic loquar, & militari potestate, quam super militantem Ecclesiam, & super omnia, quæ ad eam quoquomodo pertinent, absolutissimam habet, intelligam. Ubi enim toties hostium, victoriæ, ac debellationis mentio fit; quis dubitet eam potestatem, per quam non unus hostis principatu, & potentia exuitur, pedibus subjicitur, & quasi ad internecionem deletur (Nam cum ultimus hostium occumbit, internecio est) quis inquam dubitet, eam potestatem, spiritualem quidem, cælestem, & multùm à terrena distantem, militarem tamen, & bellicam esse? Porrò cum de bello manifeste agatur, quis dubitet commemoratum belli istius effectum, destructionem nimirum principatuum, ac potestatum, non ad subordinatas quoquomodo Deo, Christoque potestates, sed ad hostiles pertinere? Præterea quia liquido apparet regni, & potestatis, de qua loquitur Apostolus, durationem belli, & victoriæ finibus definiri, eamque tam diu duntaxat duraturam dici, quam diu hostes subjecti, hoc est, victoria parta non fuerit; quis non videt, in eum finem potestatem hanc, quasi regiam & dictatoriam, hoc est, absolutam, & independentem, certe extraordinariam Imperatori huic traditam, ut tanto efficacius bellum conficere, & victor evadere possit? ac proinde eam, de qua hic sermo est, potestatem belli hujus officio, ac muneri quasi affixam esse? Quo finito; quid mirum est regni, & potestatis hujus quoque finem fore? Est autem aliud regni genus, quod Christo alibi, & apud ipsum hunc Apostolum tribuitur, quod neque bello isti affixum est, & cujus finem non fore conceptis verbis Spiritus Sanctus asserit, quod non extraordinarium, & certo tempori affixum est, sed æternum, & subordinationi & subjectioni Dei Patris non repugnat.

Vers. 29. Causam gravem non video, quominùs verba ista, ita ut sonant, accipiantur, quòd non defuerint in Ecclesia, qui pro mortuis, hoc est, loco, & vice mortuorum baptizarentur. Primum enim, quamvis verum non esset, alienam pietatem, ipsis mortuis, post fata eorum, profuturam: tamen hic error (alioqui resurrectionis spem confirmans) non potuit videri tam noxius, quin ab Ecclesia toleraretur, quemadmodum ciborum, ac dierum delectus, in quo abundare suo sensu Apostolus etiam errantibus permittit. *Rom:* XIV. 5. Secundum. Deinde poterat ceremonia ista baptizandi pro mortuis esse in Ecclesia, absque ullo errore, hoc est, absque illa opinione, quòd mortuis, post fata eorum, profit aliena pietas. Baptismus enim aquæ est externum, & quasi ceremoniale signum, quòd aliquis ad populum Christi adjunctus sit, quod ipsum per se, & nude, absque ea, cujus externum signum est, hoc est, vera, & reali ad verum Christi populum accessione, quæ fit per regenerationem; baptizato (ne quid amplius dicam) non prodest. Natura tamen sua etiam ita consideratum istud signum ædificationi Ecclesiæ prodest, cujus oculis palàm fit, populum Christi incremento suo augeri: & exemplo eorum, qui per hoc externum signum ad Ecclesiam accessisse perhibebantur, poterant multi alii, ad idem faciendum invitari.

Sed

Sed quæret aliquis, quomodo, quòd populus Chriſti incremento ſuo per ejuſmodi mortuos augeretur, videri poterat? quando mortuis è viventium numero expunctis, diminuta potiùs Eccleſia poſſet cenſeri? Id verò facile percipi poteſt, quia ab ipſis prædicationis initiis, perſuaſum omnibus eſſe debebat, ejuſmodi mortuos non periiſſe, ſed tantum obdormiviſſe. Itaque, licet ipſis mortuis ceremonia iſta ipſa per ſe non profuiſſe cenſeretur; quia tamen aliis prodeſſe poterat, merito ab Eccleſia tolerata eſt. Merito ex illius recepto uſu, argumentum duci poterat, adverſus eos, qui negabant reſurrectionem. Quia illi hoc negando, mortuos prorſus interiiſſe putabant: hæc autem ceremonia per ejuſmodi baptiſmum oſtendebat, eos, qui etiam poſt obitum Eccleſiæ adjungerentur, hoc eſt, adjuncti eſſe deſignarentur, non interiiſſe, ſed in ejus cenſu remanſiſſe. Nec enim Eccleſia earum acceſſione augeri potuiſſet; ſi prorſus interiſſent.

Verſ. 30. *uſque ad* 33. Deinde in ſuo exemplo oſtendit omnes, qui pro Religione Chriſti labores, pericula, perſecutiones ſuſcipiunt; fruſtra hæc omnia ſuſcipere, & eorum omnium miſerrimam eſſe conditionem (quod ſupra *verſ.* 19. dixerat) ſi mortui non reſurgunt, ſed in hac vita omnis ſpes felicitatis collocanda eſt. Nec aliud ſupereſſe, quam ut vivamus (vitam ſcilicet hilarem, & voluptatibus affluentem) edamus, & bibamus, & præſentiſſimas quaſque voluptates avide conſectemur, idque hodie; non aliâ craſtini cura, quàm ut quam plurima gaudia, voluptateſque decerpamus ex eo tempore quod præſto eſt: antequam nos proxime, ac fortaſſe cras imminens mors opprimat. Quæ profecto Syrenes, in mortalium exitium dulces, multorum poëtarum carminibus expreſſæ, & in communem vulgi uſum, traductæ, ad conſoporandam, atque voluptatum cæno demergendam mentem noſtram, maximam vim habebant.

Ideo *verſ.* 33. Monet, ut nobis ab iis quàm diligentiſſime caveamus, quippe quæ etiam ad optimos mores corrumpendos plurimum momenti haberent. Quod ſi mores iſti in quibuſdam non ſint optimi, quales in Corinthiis quibuſdam eſſe potuiſſe non mirandum eſt, quippe quorum aliqui ex illorum vitiorum, ac corruptelarum, quas longa ſerie ſupra *Cap.* VI. *verſ.* 9. & 10. enumeravit, *verſ.* 11. participes fuiſſe dicuntur antequam ad Eccleſiam accederent, & poſt acceſſum etiam ad Religionem Chriſti, peccare non deſinebant, quod cognitionem Dei, plenam nimirum & ſufficientem, non haberent, ut hic *verſ.* 34. dicitur. Quos etiam ipſos, & eorum nomine Eccleſiam quoque ipſam, hoc loco pudefacit.

Ergo ipſos merito hortatur, (*verſ.* 34.) ut ex hoc dulci vitiorum & peccatorum ſomne evigilent. ἐκνήψατε, *juſte*, hoc eſt, primum, aut ad juſte, & pie vivendum, ſecundum, aut etiam non perfunctorie, & ut quaſi ſemiſomnes permaneant, ſed ut optimo jure, omni torpore mentis abjecto, evigilaſſe dici poſſint. Ubi ſimul notandum, horum utrumque ſe mutuo inferre, & iſta ſibi invicem utrinque cauſas eſſe poſſe. Nam & iſtæ opiniones reſurrectionem negantes, vitæ in peccatis degendæ, & vita in peccatis demerſa, iſtarum opinionum viciſſim ſunt cauſæ. Merito igitur, dum iſtam opinionem refutat, radicem iſtius opinionis, in amore peccatorum latentem, ſtirpitùs eruit, & evellit. Ne homines peccatorum amore teneantur; ſed per cognitionem voluntatis Dei, eorum cupiditatem exuant, utque ſibi maxime diſpliceant, & abominationi ſint, per eandem cognitionem efficiant, ſi velint fidei reſurrectionis capaces eſſe.

Verſ. 31. Seſe ita periclitari, ut quotidie mori videatur, affirmat per quandam ſpeciem aſſerendi ſolenniorem, formulæ jurisjurandi ſimilem, in qua per ejuſmodi res jurabatur, quæ à jurantibus magni fiebant. Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ὑμετέραν, *per gloriam, vel gloriationem veſtram*, hoc eſt quam ἐξ ὑμῶν, *ex vobis*, capio. Quam quanti faceret, ſatis oſtendit, dum ait, quòd Corinthios pro ſigillo ſui Apoſtolatus haberet, ſupra *Cap.* IX. 2., & infra in ſecunda Epiſtola. Erat autem populo familiaris aſſerendi formula, ad inſtar illius, quam apud Demoſthenem legimus μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι πεπτωκότας! *per eos qui Marathone ceciderunt.*

Verſ. 32. Καὶ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, *ſecundum hominem ad beſtias pugnavi.* Periculum, quod Epheſi adiit, ſimilitudine exprimit moris, qui tunc apud homines vigebat, quod trucibus beſtiis homines objicerentur. Jure autem belluæ imagine adumbrat populum in ſeditionem concitatum. *Actorum Cap.* XIX. quæ vere bellua eſt, & quidem multiceps.

Verſ. 35. Accedit ad ſolidiſſimam refutationem incidentium in doctrina de reſurrectione dubiorum.

Quorum præcipuum, quod corpora noſtra plane corrumpi, & interire videntur. quæ pars noſtri eſſentialis vulgò cenſetur, & quaſi neceſſarium ad exercendas omnes operationes organum, ſine quo ne mens quidem noſtra actiones ſuas proprias exercere poteſt.

Deinde quod corrupto (prout id fieri liquido, & palpabiliter videmus) iſto organo; percipi nequeat in quali corpore, quod hujus organi vicem præſtet, reſurrecturi ſimus.

Utrumque horum adeo facile ſolvi poſſe ab hominibus ſana ratione utentibus aſſerit, ut eum, qui ſe ex dubiis iſtis expedire nequeat, ἄφρονα hoc eſt, *ratione carentem* vocet.

Primum igitur in evidentiſſimo exemplo oſtendit, Semen, quod ſeritur; non redire ad vitam, niſi prius corruptionem paſſum ſit. Unde patet corruptionem corporis alicujus rei reverſioni ejuſdem ad vitam, adeò non obſtare, ut plane ſit ad illam neceſſaria, nec quicquam reverti ad vitam poſſit, niſi prius corruptum.

Deinde in eodem exemplo demonſtrat id, quod periiſſe, & corruptum eſſe videtur, non modo redire ad vitam poſſe; ſed ad vitam longe præſtantiorem & glorioſiorem. frutex enim ille, qui ex uno corrupto grano renaſcitur, eſt aliquid longe præſtantius, & preciоſius grano, ex quo producitur: cum præter plurima grana, uberi fructu multiplicata, domicilium quoque eorum ſatis elegans, & ornatum contineat.

Quod ſi vili grano, quamvis corruptum ſit, Deus, aut divina potentia etiam vulgaris, & ordinaria, reddit corpus, quale voluit, longe illo corrupto præſtantius, atque ornatius; quidni homini, præſtantiſſimo ſuorum in terris operum, etiamſi corpus ejus corruptum ſit; illius loco (præſertim extraordinaria potentia) redditurus ſit corpus longe glorioſius, atque nobilius?

Neque enim corpora omnia ejuſdem ſunt pretii, ſed alterum altero potius, præſtantius, nobilius, glorioſius. ut humanum, belluino: cæleſte, terreſtri: atque inter ipſa cæleſtia, ſtella Jovis, aut Veneris, ſtellâ Saturni: Sol, Lunâ, & aliis ſtellis, longe eſt lucidior, ac luminoſior. Dedit enim Deus cuique ſubſtantiæ corpus quale voluit. Cur non idem homini reddere poſſit longè nobilius eo, quod corruptum eſt?

Comparat deinde iſta corpora ſecum, puta corpus morientis hominis, quod ſepelitur, & quaſi in terram ſeritur; cum eo corpore, in quo homo

resurget. Primum *Corpus* morientis, inquit, *seritur in corruptione*, hoc est, sepelitur, quia natura corruptibile fuit, & jam corrumpi cæpit, ut sub terra ad extremum corrumpatur. At corpus, in quo homo resurgit; natura incorruptibile est organum, ne unquam corrumpi, & eum iterum morti subjectum reddere possit.

Secundum. *Vers.* 42. *Corpus* morientis *seritur in ignominia.* Nihil enim est ignominiosius, quam cum nuditas hominis morte renudatur, & sublato, qui hominem constituit, spiritu, remanet nudum ipsius organum, triste, ac deforme, & mox putredini, ac fœtori obnoxium cadaver, quod ne viventium sensus offendat, in terram recondi necesse est. At corpus in quo resurgendum est, *erit in gloria*, hoc est, gloriosum, *vers.* 43. nobile, pulchrum, nec ut illud prius, tale est, quod nuditatem suam aliquo operimento tegere, vel occultare necesse habeat: nec unquam eum, cui pro organo, & domicilio tribuetur, ignominiæ ulli obnoxium reddet. breviter, cujus neque in resurrectione, neque unquam post hac resurgentem pudere possit.

Tertium. Corpus morientis *seritur in infirmitate.* Imbecillitas enim corpusculi hujus, morbis, & debilitatibus omnis generis obnoxii, & subjecti, eum ad corruptionem ducit, ac deducit, & in causa est, ut tandem morte ab animo dissolutum, corrumpatur, & sepeliatur. At corpus, in quo homo resurgit, est in potentiâ, hoc est, validum, & viribus pollens: nec ullis infirmitatibus, morbis, aut ulli debilitatis symptomati subjectum erit.

Quartum. Denique Corpus morientis *seritur psychicum.* Tale enim seritur, quale fuit, hoc est, ut reliqua omnia animantium organa, quæ in ægro, & infirmo corpore animam trahunt. Nullum enim est animalium, quod non respirando, & quasi animam trahendo, vitam producit. At corpus, in quo resurgit, erit spirituale, longe perfectius, ac nobilius isto, quod absque precario spiritu, atque hausto perpetuo aëre, & suppeditato identidem cibo subsistere, aut durare incolume nequit. Spirituale enim neque cibo indiget; (hinc Dominus, in experimentum quod illud ipsum psychicum corpus, in quo mortuus erat, haberet, non spirituale; cibum poposcit. *Lucæ* XXIV.) neque ullo ex aëris haustu refrigerio, neque ullius externæ, & alienæ opis beneficio, quemadmodum ista omnia, quorum vita ab externis dependet adminiculis: sed fontem vitæ in seipso habet, non aliunde vitalem istam auram haurit, se ipsum vivificat, & sine ullo externo auxilio vitam sibi in infinitum prorogare potest.

Atque ita quidem hæc verba explicanda putamus, si vox *seritur* apud Apostolum significet sepelitur, aut terra obruitur: in qua significatione corpus cum grano similitudinem quandam, & analogiam habet.

Res tamen eodem recidit, etiamsi vocem *seritur* usurpemus pro fœtus in utero materno productione, per quam psychica ista corpora nanciscimur. Nam & tunc omnia ista antitheseos, ac dissimilitudinis inter ista corpora membra æque congrue subjectæ materiæ adaptari poterunt.

Quamvis autem significatio hæc vocis *seritur* longius videatur abire ab analogia & comparatione corporis cum grano, quod seritur, hoc est, terra obruitur; tamen cum subsequentibus verbis, præsertim autem *vers.* 46. egregie congruit, in quibus docemur Dei voluntate prius nobis dari corpora psychica, quam spiritualia, hoc est, prius nos fieri in animam viventem, quam in spiritum vivificantem, aut prius nos gerere imaginem hominis terreni, quam imaginem cælestis. Neque enim tunc, cum corpora nostra sepeliuntur, dantur nobis corpora psychica; sed adimuntur potius: neque vitam animalem tunc vivere incipimus, sed desinimus.

Magnam autem esse inter ista corpora differentiam *versus* 44. (sicut & ex antecedentibus patuit, & consequentibus patebit) indicat, & *vers.* 45. ex testimonio Sacræ Scripturæ, in exemplis Adami primi, animalium, hominum, & Christi, primi spiritualium demonstrat. Atque hoc consilium Dei fuisse, ut quemadmodum is ab imperfectiori statu ad perfectiorem omnia deducit; ita hominibus non nobiliora prius, mox deteriora, sed ignobiliora prius, mox nobiliora corpora donaret, *vers.* 46. ostendit.

Primi ordinis igitur, hoc est, ignobilioris Dux, Adamus fuit, è terra formatus, ideoque terrenus *vers.* 47. At secundi ordinis hominum, hoc est, nobilioris Dux est Christus Dominus, cæli, ac terræ Dominus, cælesti, & glorioso corpore præditus. Qualis igitur fuit terrestris omnium patet Adamus, talem & terrestrem ejus progeniem esse necesse erat, hoc est, fluxum, & mortalem. Qualis autem est cælestis omnium quasi genitor, ex cujus incorruptibili semine nati sumus; talem omnino cælestem quoque ejus progeniem fore. Et quemadmodum mortalis, ac terreni patris imaginem retulimus; ita cælestis imaginem referemus.

Postremo *vers.* 50. causam affert, cur nobis non eadem prorsus corpora, quæ ante habuimus; sed longe nobiliora Deus sit redditurus, quia caro, & sanguis, hoc est, corpora ista, quæ à brutorum corporibus non differunt, regnum Dei possidere, hoc est, in æternum illum, & glorioſum ſtatum transferri (saltem videlicet dum, & quatenus talia sunt) nequeant: rationem addens, quia corruptibile ab incorruptibili toto genere differunt: nec corruptibile, quatenus per se, & natura sua tale est, durare in æternum potest.

Notanda autem est hæc responsio Apostoli ad potentissimam omnium rationum, quas oppugnatores resurrectionis comminisci possunt. Nihil enim est quod validius spem tam nobilem, ac salutarem subruat, quam ista irreconciliabilis inter æternitatem vitæ, & corporis corruptibilitatem pugna, præcipue cum corpora mortuorum plane corrumpi, & quasi interire videamus, & in sua elementa resolvi. Ostendit igitur, hoc nihil resurrectioni obstare, quemadmodum corruptio corporis illius grani, quod serimus, minime obstat, quin illud tamen granum in corpore quidem multo nobiliori, & excellentiori quasi resurgat.

Non est autem quod quis arguatur, ista similitudine non ostendi, quomodo idem numero, ut vocant, individuum ad vitam revocetur, sed tantum idem specie. Nec enim illud ipsum granum, quod corruptum est, renascitur; sed ex ipsius corruptione fit generatio granorum, eorundem quidem specie, sed numero aliorum. quemadmodum & ex hominibus mortalibus (quamvis multum diversa ratione) possunt in æternum, generari homines, manente perpetuo eadem specie, sed pereuntibus individuis. Nostra autem interest, in resurrectionis negotio, ut non iidem specie, sed iidem numero renascamur. Respondemus igitur, non esse necesse, ut inter res natura sua diversas, similitudo in omnibus plane congruat. Imo quia natura diversæ sunt, necesse est omnino, in quibusdam dissimilitudo inter eas deprehendatur. Nam in seminibus quidem granum totum corrumpitur, hoc est, in aliam corporis formam mutatur. (nec enim quicquam naturaliter interit, sed in aliud corpus transmutatur) Spiritus enim ille ex corrupto grano exhalans, sive

humor

humor exudans, radices agit, ex quibus mox tempore ſolis, & humore terræ adjuvantibus ſata germinant. Non igitur mirum eſt, iſthic non idem numero granum, ſed tantum eadem ſpecie plura grana provenire. Præcellit enim eorum generationem totalis corruptio, hoc eſt, tranſmutatio grani, ex quo naſcuntur, in radicem, quæ ea poſtea produxit. Ita fit ut paucorum granorum corruptio, fiat longe plurium generatio. At in homine mortuo, & potentia Chriſti reſurrecturo, non præcedit totalis corruptio ſubjecti, quod mortuum dicitur; ſed longe nobilior pars, hoc eſt, ſpiritualis ejus ſubſtantia, & illa divinæ particula auræ incorrupta remanet, cui tantum organum, & quaſi domicilium aufertur, cujus opera vitæ operationes exercere poſſit. Non igitur hæc pars noſtri divinior per mortem ullo modo mutatur, aut corrumpitur; ſed eadem, & incorrupta remanet, qualis ante ademptum corporeum inſtrumentum fuit. Et ſi illi iterum idem plane inſtrumentum reddatur, quemadmodum Lazaro redditum eſt, non magis eadem eſt, quàm ante illud reſtitutum fuit. Nec vero ſubſtantia, quæ per inſtrumentum aliquod ſua officia, & actiones exequitur, ex adempto ipſi inſtrumento, alia dici poteſt, ſed eadem plane, niſi quod organo ſuo careat. Et ſi forte inſtrumentum illud corrigi, aut perfici, aut in melius mutari contingat, nunquid ideo aliâ numero iſta ſubſtantia erit? Quid ſi aliud plane à priori, toto genere diverſum, ſed longe nobilius, & naturæ ſuæ convenientius nanciſcatur? an idcirco alia numero cenſebitur? non magis profecto, quàm alius miles, cui pro ligneis armis ademptis, ferrea reddita ſunt. At enim inſtrumentum iſtud pars eſſentiæ eſt? Compoſiti ſcilicet, ejuſque tantummodo ſecundum quid, non abſolute, & ſimpliciter conſiderati, hoc eſt, hominis in mortali natura exiſtentis, qui tamen in alia quoque natura conſiſtere poſſit. Quia deſtructo corpore, deſtrui, atque mori mortalem neceſſe eſt. Sed profecto partis illius divinioris, ex qua præcipue cenſemur, & quæ cum Spiritu Dei conjungitur, adeo pars non eſt, nec ad ejus eſſentiam concurrit, ut ipſi maxime ſit oneri, non modo propter inſtrumentorum imbecillitatem, ſed etiam propter affectuum pravitatem, ac proterviam. Imo verò niſi pars noſtri divinior, in organi ſui vilitatem degeneret, perpetua illi cum organo ſuo luctâ certandum eſt. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum. Ideo perpetuo cum ipſa colluctandum eſt. Non igitur compoſiti ipſius, ut jam innuimus, abſolute per ſe, ac natura ſua, pars eſſentialis dici poteſt, niſi in tali, qualis ipſi nunc eſt, mortali ſtatu exiſtentis, & conſiderati. Poteſt enim compoſitum iſtud, ſeu homo, ad illam diviniorem ſui partem, qua potiſſimum cenſetur, & quæ unica, & vera ipſius forma eſt, organon ſibi ipſi longe aptius, & convenientius, ſimulque longiſſimo intervallo nobilius, adjunctum habere: ut non modo ad eſſentiam, & perfectionem ejus caro iſta corruptibilis non requiratur; ſed eſſentiæ quoque, & perfectioni ejus multum expediat, ut ipsâ, veluti domeſtico hoſte, ac perpetuo inſidiatore, & tamen ad multa ipſius miniſteria obeunda inepto, & parum utili miniſtro, careat, & liberetur: utque in locum ipſius inſtrumentum longe nobilius, & ad obeundas omnes rationalis ſubſtantiæ functiones longe aptius, & efficacius nanciſcatur. Quantum vero hominis intereſſe putamus, ut ex mortali, immortalis evadat: pro infirmo, ac debili inſtrumento, validum, & indefeſſum: pro vili, nobile: pro fluxo, & caduco, incorruptibile: pro ignominioſo, glorioſum: pro egeno, & multum externa ope indigo, ſibi ſoli ſufficiens, & vitam ſibi ſuis viribus prorogans: denique pro refractario, alienigena, & perpetuo inſidiatore domeſtico; naturæ animi noſtri propius, & quaſi cognatum, quippe ſpirituale, & in omnibus obſequens, organum, conſequatur, & habeat?

Non igitur ullo pacto abſolute, ac per ſe caro, & corpus hominis pars eſſentialis ipſius compoſiti dici poteſt, niſi forte per accidens, & ſecundum quid. Quia accidit, ut, dum in terris vivimus, voluntate Dei, in hunc carcerem compacti ſint animi noſtri, noſque adeo ipſi, ut ſine miniſterio ejus vitæ functiones obire non poſſimus. cui ſane ſervituti Creatura (qualiſcunque illa intelligatur) non ſponte ſubjecta eſt, ſed propter eam, qui eam ſubjecit. Secundum iſtud igitur tempus, quo in terris vivitur, corpus pſychicum compoſiti ſui, hoc eſt, hominis pars eſſentialis dici utcunque poteſt. At ſimpliciter, & abſolute ſic dici non poteſt. Quia compoſitum, hoc eſt, agens principale, & inſtrumentum ejuſdem numero hominis poteſt diviniori ſui parti, quâ videlicet ſolâ in natura ſua cenſetur, aliud nobilius, & ſpirituale organum adjunctum habere, cujus opera commodius, & felicius vitæ ſuæ munia obeat.

Ac ne quis nos eſſentialis iſtius partis obtentu urgeat, poſſumus acutiſſimos Philoſophorum, & ſui ordinis Principes citare, qui, tametſi veræ religionis, & ſpei reſurrectionis exortes, corpus tamen iſtud pſychicum, partem quidem compoſiti, ſed organicam, & inſtrumentalem dixerunt. Quo ipſo ſatis teſtati ſunt, ſeſe ipſam pro abſolute eſſentiali, & ad iſtud, de quo loquebantur, compoſitum conſtituendum neceſſariâ non habuiſſe. Neque enim cauſæ principalis eſſentiam inſtrumentum ingredi poteſt, alias non eſſet inſtrumentum; ſed ipſum id, cujus eſt inſtrumentum. quæ ſunt ἀσύστατα, *quæ conſiſtere nequeunt.*

Quod ſi quis dicat, corpus animi duntaxat reſpectu inſtrumentum dici, totius vero hominis non inſtrumentum, ſed partem eſſentialem eſſe. nos contra regerimus, earum actionum corpus inſtrumentum dici, quæ non niſi ſuppoſitis conſenſu Philoſophorum, tribui poſſunt, quales ſunt intelligere, contemplari, aut exequi. quibus in rebus omnibus, corpus & animo quidem, ſed magis propriè toti homini miniſtrat, tanquam cauſa inſtrumentalis. Omnia enim iſta fiunt per corporea organa, quamvis ab animo ipſo, tanquam principali cauſa, proficiſcantur. Qui tamen, quia abſque organo aliquo agere nequit, ideo actiones ejus ipſi ſuppoſito, tanquam rei *ex cauſa principali, & organo ejus compoſitæ*, tribuuntur. Partem igitur compoſiti organum iſtud tunc eſſe agnoſcimus, ſed partem tamen organicam, non eſſentialem, quia tota eſſentia hominis eſt in anima rationali, quæ merito ejus forma dicitur, & exiſtere quidem abſque organo ſuo poteſt, ſed vitæ functiones exercere quomodo poſſit non videmus. Non tamen iſti corporis pſychici organo ita affixa eſt, quin abſque illo quoque vitæ functiones exercere, interventu, & opera alterius inſtrumenti poſſit: & quidem longe melius, ac naturæ ſuæ convenientius, ac proinde felicius, atque beatius. Indicia ejus rei non à mortis demum, & reſurrectionis experimento arceſſenda ſunt, ſed in ipſa vita noſtra plurima comparent. Imprimis quod hominem naturâ ſuâ, hoc eſt, rationis ductu, corporis ſui pudeat; ita ut nuditatem ejus velare neceſſe habeat. Deinde quod idem homo ſana, & ſobria ratione utens, videat, & agnoſcat hoc ſuum corporeum organum eſſe plane naturæ ſuæ, hoc eſt, animo ſuo adverſum, & heterogeneum. illam enim ſpiritualem, & auram hauſtus ætherei ſpirantem, ac redolentem, & ſurſum evectam, & evolantem: hoc brutum, & terrenæ fæcis pondere depreſſum,

deorsum vergere, ac interdum totum hominem una abripere. Videt præterea, & agnoscit instrumentum istud corporeum, non modo ob infirmitatem suam, ad obeundas ritè, ac perfecte functiones vitæ; parum esse sufficiens, sed etiam refractarium, & contumax, & noxium sæpe magis, quam utile. Nam & ad intellectionis officium, dum fluxos, & evanidos spiritus, in quibus imagines rerum contemplamur, suppeditat; efficit ut in parte tantum naturas rerum cognoscamus. quæ imperfecta cognitio, superventu perfectioris, tanquam inutilis plane abolenda sit. 1. Cor: XIII. Et ad actionum munia obeunda, ob pravitatem affectuum, quibus hominem, ipsamque ejus animam inficit; interjicit tot impedimenta, ut organi vitium obscurum esse non possit. Illud quoque videt, quisquis sobria mente præditus est, nobilitatem animi sui inquinari, ac degenerare, si nimium huic organo uniatur: si in appetitus, ac desideria ejus transeat: si ipsi plusculum, quàm par sit, indulgeat: nisi illud perpetuo subigat, tanquam contumax mancipium: nisi cum ipso continuo certamine colluctetur. adeò quidem, ut hominem non modo, quod supra diximus, organi hujus pudeat, sed pigeat quoque, ac tædeat. Et profecto, qui organi istius desiderio etiam in futura vita contabescere metuunt; nimium sese ipsi addictos, & obnoxios, & in ejus naturam, & indolem, penitus migrasse ostendunt. quod sana, & sibi relicta ratio, abnuit, & aspernatur.

Non est igitur metuendum, si tam pudendo, tam infirmo, tam alieno à natura nostra, tam noxio organo, succedat longe nobilius, honestius, validius, sufficientius, & naturæ mentis nostræ plane homogeneum, & longe utilissimum instrumentum, corpus spirituale; non est, inquam, periculum, ne non iidem numero revixisse videamur. Mutatio enim organi, naturam causæ principalis non mutat. imo vero si pejus meliori, imperfectius perfectiori instrumento commutetur, etiam stabilit, ac perficit, & in suo statu non confirmat modo, sed promovet. Equiti equum si adimas, qualiscunque ille sit, etiam strigosus, & ægre vestigia trahens, equitare quidem non poterit: sicut & homo vivere, si psychicum ipsi corpus, alio in locum ejus minime substituto, abstuleris. sed si eidem numero equiti, pro canterio degeneri, generosum equum restituas, qui

Stare loco nescit, micat auribus, ac tremit artus,

num minus idem numero eques is videbitur? num in natura, & essentia sua alius, ac mutatus censebitur? ille vero etiam elegantius, & perfectius equitabit, & tanto melius equitis officium exercebit; quanto melius, & arti suæ obsequentius instrumentum nactus est.

Atque hæc de eo, quòd corporei organi mutatio in spirituale; numericam illam unitatem (loquendum enim est cum vulgo Philosophorum) & identitatem non tollat, disseruisse placuit. Nunc ad institutum Apostoli revertamur, & ostendamus rationem ejus, quamvis à simili dusta videatur; firmam tamen, & solidam, nec modo rem, quam agit, illustrantem; sed, id quod vult, probantem, ac stringentem esse.

Primum enim quæstio erat, utrum hominum resurrectio possibilis esset, quia corpora mortuorum corrumpuntur, ita ut non habeant homines, in quo resurgant. Ait igitur esse possibilem, idque in quotidianis exemplis ostendit. corpora etenim granorum corrumpuntur. & tamen substantia eorum resurgit; & quidem in corpore non paulo ornatiori, ac perfectiori. Firma autem est demonstratio, posse aliquid fieri; si reipsa factum esse, aut fieri exemplis aliquibus demonstretur.

Deinde, si vis argumenti hujus consideretur; non tantum est à simili, sed (quod genus argumentorum acrius stringit) etiam à minori, aut minus verisimili. Nam si Deus est tam potens, ac locuples, ut ordinaria quoque, & vulgari potentiæ suæ viâ granorum corporibus corruptis habeat unde radices agenti substantiæ ipsorum restituat longe excellentius, atque ornatius corpus (quamvis grana non habeant potiorem sui partem incorruptibilem, quemadmodum habet homo); Quanto magis Deus extraordinario, & excellenti potentiæ suæ modo mortuorum corporibus corruptis, poterit in locum fragilium, corruptibilium, pudendorum, & psychicorum, substituere valida, incorruptibilia, gloriosa, & spiritualia? cum homines morientes potiori, ac diviniori sui parte maneant incorrupti, & solo recens adempto organo destituantur; quò possint vitæ suæ munia obire? Cujus in locum nihil facilius est, quam ex tot excellentium corporum speciebus, quas Apostolus enumerat, substituere aliquod in locum adempti. Quorum tamen omnium excellentissimam, hoc est, corporis spiritualis, & quale Dominus ipse sortitus est, speciem resurrecturis à Deo destinatam asserit.

Cujus argumenti vis est invicta, & tantò magis intenditur, quantò plus inter granorum, & hominum nobilitatem, & excellentiam est discriminis, ac differentiæ, ex qua nimirum differentia aliquæ dissimilitudines inter utriusque generis resurrectionem emanare videntur qualis est inter alias præcipua, quod non idem numero granum renasci, sed tantum specie eadem grana in locum illius jam interempti substitui videntur. Granum enim illud ipsum, idem numero intellectum, corrumpitur, quia non modo potiorem sui partem nullam habet, ut homo, incorruptibilem; sed nihil in se habet, quod corrumpi nequeat. in quo est maxima inter granum, & hominem mortuum differentia. Et tamen Deus huic grano, hoc est, substantiæ huic, in quam granum mutatum est, sed ea tamen grani naturam retinet, breviter grano jam corrupto; dat corpus quale voluit, dat vegetantem animam, dat eam vim, ut possit gignere sibi simile: nec unum, sed plura. quod solis vivis concessum est. Atque in eo plane reditus hic grani ad vitam, resurrectioni nostræ similis est. Non tantum enim redditur grano id quod habuit; sed datur insuper longè plus quam habuit. Nec enim illud granum, antequam corrumperetur; actu vivere dici potuit. Post mortem demum (fas sit ita loqui) suum vivere incipit: agere incipit: jacit in radice fundamenta posthumi status sui: nec ea fluxa, & evanida; sed quæ nec rigentis cæli asperitas, nec imbrium vis, nec protracta in longum brumæ intemperies possit diruere. Post interitum suum germinat, & viret, & in lætam subinde luxuriem exurgit. Quis unquam à nudo, & simplici grano, & quamdiu integrum esse videbatur; tot, & tanta incrementa exegisset? Parum est, in altum, nodisque & intervallis suis distinctum evadere fruticem: ne forte obliviscamur ex illius sepulti grani cadavere germen hoc efflorusse; redivivam nobis sui speciem in tot granis sibi similibus, veluti in sobole sua, repræsentat. Testimonium irrefragabile, eandem illam naturam, atque substantiam, quæ periisse videbatur, non vivere tantum, sed vitam sibi, ac speciei suæ prorogare. Quamvis igitur tam in morte, & interitu, quam in restitutione vitæ grani, & hominis, ea sit differentia, quòd granum quidem totum corrumpatur, & in aliam numero, non specie, quasi transmutatur substan-

ſubſtantiam ; homo vero non totus corrumpitur ; ſed tantum pars ejus organica : atque exinde ſequi neceſſe ſit , granum quidem idem numero ſenſibus noſtris percipiendum non reſtitui , ſed tantùm idem ſpecie : hominem vero , quia nobiliori ſui parte incorruptus ſupereſt , quoties ipſi ſive idem , ſive aliud organum reſtituitur , non ſpecie tantum , ſed numero eundem , hoc eſt , illud ipſum individuum vitæ reſtitui. Tamen in eo eſt maxima inter iſta ſimilitudo , quantum ad obitum quidem , quod tam granum , quam homo , ſenſibus noſtris interire videatur , corrupto utriuſque corpore : quantum vero ad reſtitutionem vitæ , quod quemadmodum grano poſt corpus ejus corruptum , hoc eſt , grano jam corrupto , reddit Deus in alia ſubſtantia (puta radice) vitam , animam vegetantem , vim procreandi ſibi ſimile , &c. quorum nihil ante ipſum per ſe ſpectatum granum habere videbatur actu : ita homini poſt corpus ejus corruptum , hoc eſt , homini jam mortuo , reddit Deus in alio ſpirituali corpore , tanquam nobiliori , & incorruptibili organo , vitam longe quam ante meliorem , & in æternum duraturam.

Firmiter igitur procedit argumentum Apoſtoli , etiam à nuda ſimilitudine ductum , præſertim in quæſtione , an rei , cujus corpus corruptum ſit , poſſit vita reſtitui , quia in innumerabilibus granis id ſæpenumerò factum eſſe , & fieri oſtenditur. Sed quia in hac ſimilitudine non mediocrem diſſimilitudinem eſſe neceſſe eſt , latet in iſta argumentatione Apoſtolica , ut ſupra diximus , alia longe firmior , & evidentior , à minori , ſeu à minus veriſimili ; quæ tanto firmior evadit , quanto plus inter excellentiam , corruptionem , reſtitutionem vitæ Grani , & hominis , diverſitatis , ac diſſimilitudinis oſtenditur.

Sed ab hoc diverticulo tandem ad verba Apoſtoli redeundum eſt , qui *verſ.* 20. materiæ iſti , ex qua corpus noſtrum pſychicum , hoc eſt , præſens , quo utimur , animi noſtri organum conſtat , puta carni & ſanguini , eo quod ſit fluxa , & corruptibilis , & ad vitam in perpetuum propagandam inepta & indocilis ; in æterna vita locum non fore aſſerit. Quod ſane & ſupra prolixe tractavit , oſtendens differentiam inter ea corpora , in quibus ſive naſcimur , ſive morimur ; & corpora in quibus reſurgimus. Non enim corruptibilia , non ignominioſa , non infirma , non pſychica , & animam per æris hauſtum aliunde trahentia , qualia nunc ſunt ; ſed incorruptibilia , glorioſa , valida , & ſpiritualia , ac ſeipſa vivificantia , ſeu fontem vitæ in ſe habentia corpora , pro organis animi noſtri nos habituros teſtatus eſt. Sed nunc *verſ.* 51. , nova ratione oſtendit , carnem , & ſanguinem , ſeu corpora iſta , animi noſtri organica , in æterna vita locum non habitura , quia etiamſi non moriamur , illa tamen deponenda , & ſpiritualibus ac nobilioribus commutanda ſunt. Et profecto ſi prorſus eadem corpora in æternum manſura fuiſſent ; quid opus erat , homines mortis expertes , & integris corporibus ſuis viventes ἀλλαγῆναι , *ſeu tranſmutari.* Multum autem hoc ad rem facit , quòd Apoſtolus non corpora noſtra , ſed nos ipſos tranſmutatum iri aſſerit , qui cum eundem animum , quem ante , retenturi ſimus , neceſſe eſt (quod res ipſa loquitur , & ſcopus Apoſtoli requirit) ut iſta mutatio , in corporibus immutatis accidat , hoc eſt , ut pro pſychicis ſpiritualia , pro corruptibilibus , incorruptibilia nanciſcamur. Atque hinc quoque apparet τὸ φθαρτὸν καὶ τὸ θνητὸν , *corruptibile & mortale* non ad corpus , ſed ad hominem , ſeu compoſitum referri. Quia enim ratio redditur , quare ſimus tranſmutandi , quamvis mortem non guſtaverimus ; oportet ut de eiſdem prædicetur τὸ φθαρτὸν καὶ τὸ θνητὸν , *corruptibile & mortale* , de quibus dicitur quod ἀλλοιωθήσονται *tranſmutabuntur.* Atqui id ipſis hominibus , & compoſitis , non corporibus tribuitur , quod homines ſint tranſmutandi , quamvis manſuri ſint iidem , non corpora. Compoſitum autem ipſum dicitur corruptibile , quia corpus ejus corrumpitur : & cum mortale corpus ejus , ſit ab anima diſſimile , & heterogeneum ; tanto facilius eſt ab ea diſſolubile , quæ diſſolutio mors eſt compoſiti. Natura quoque vocis ἐνδύσασθαι *induere* id requirit , quæ magis compoſito quadrat quam corpori. Non enim corpus , ſed homo ipſe indumento indiget. Nam corpus ipſum indumentum eſt. Nec unquam de veſtimento dicitur , quod alio veſtimento induendum ſit. *Corruptibile* igitur hoc loco dicitur *induere corruptibilitatem* , & *mortale immortalitatem* , cum homo , hoc eſt , compoſitum illud facile diſſolubile , & cui ſoli proprie vox mortis competit , induitur corpore incorruptibili , & quaſi immortali : atque ita evadit compoſitum ipſum vere immortale , & incorruptibile , ac de morte , & ſepulchro triumphans.

Non obdormiunt autem iſti quoque homines , qui pſychico corpore exuuntur , ut Spirituali induantur : quia mutatio hæc in inſtanti , *& in momento oculi fiet, verſ.* 5. Nec ullum erit ſpatium temporis , quo nudi , & exuti corporibus deprehendantur , quia ſpirituale corpus pſychico , in ſubito ictu , ac momento oculi ſuperveniens , vita ipſos immortali beabit , priuſquam mortem guſtare poſſint.

Atque in iis hominibus propriè implendam Sacræ Scripturæ prædictionem ait , quod *deglutita ſit mors in victoriam* , quia ſpirituale illud , & incorruptibile corpus , pſychico , & corruptibili ſuperveniens , illud tanquam natura ſua fluxum , & caducum , ac devorabile , quaſi devorabit. Ita ut etiamſi de corporibus quoque ipſis dici poſſet , illa induiſſe incorruptibilitatem ; non tamen idcirco ſalva , & integra , multo minus eadem permanere dici poſſent , quæ , ſuperventu incorruptibilium corporum , naturam , & eſſentiam ſuam corruptibilem amiſerint , & quaſi perierint , ac devorata ſint.

Verſ. 55. Quia ſuperatæ mortis , exitii , quam ultimam hoſtium Chriſti ſuperandam eſſe ſupra aſſeruerat , mentionem hoc loco fecit ; contineri non potuit quin in triumphales voces erumperet.

Verſ. 56. Quia mors ſolis peccantibus noxia eſt ; ideo mortis aculeum peccatum eſſe dicit : tacite innuens , victoribus peccatorum nihil eſſe à morſu mortis metuendum. Vim autem , & potentiam peccati Legem appellat , ut magnitudinem beneficii divini in gratia , & remiſſione peccatorum , ac vitæ æternæ promiſſione per Chriſtum oblata , poneret ob oculos. Omnia enim humanarum , divinarumque legum interdicta , niſi ſpe iſtius gratiæ fulciantur ; magis irritant , & augent , quam adimunt peccandi cupiditatem. ſed per religionem Jeſu Chriſti ſuppeditantur nobis vires obtinendæ de potentiſſimis hoſtibus , atque adeo ipſa morte , victoriæ *verſ.* 57.

Hortatur itaque , ut ſint in ea Religione , ejuſque præcipua parte , vitæ æternæ , ac reſurrectionis ſpe *ſtabiles* , ἑδραῖοι , *immoti* , inconcuſſi , *abundantes in opere Domini ſemper* , hoc eſt , ſedulam , & , multam navantes operam in ſuis , alieniſque moribus corrigendis , Chriſtique religione , & gloria propaganda : quoniam videant laborem ſuum non eſſe inanem in Domino ; ſed æternæ vitæ , reſurrectionis præmio compenſandum.

CA-

CAPUT XVI.

Verſ. 1. Accedit ad ultimum illud, de quo compellatus fuiſſe per literas à Corinthiis videtur: Rationem *colligendæ in uſum ſanctorum Pecuniæ* docens.

Verſ. 2. Modus collectarum ejuſmodi, eſt ſatis compendioſus, & imitabilis.

Verſ. 3. Moderatio & praxis Apoſtolica, in regendis, & gubernandis Eccleſiis, in eo cernitur, quòd non facile ſibi ſolis ſumerent poteſtatem deſignandorum, qui aliquo officio in Eccleſia fungerentur; verum id ipſius Eccleſiæ ſuffragiis permitterent. Sic in ſubrogatione Mathiæ: ſic in electione ſeptem Diaconorum: ſic alibi &c.

Verſ. 4. Imo vero ſemetipſum quoque, ſi ita Corinthiis videatur, eorum miniſterio offert.

Verſ. 6. Vocabulum προπέμψατε, Male vertunt interpretes per vocem *proſequemini*. non enim deduci ab iis, aut in comitatu eorum diſcedere Apoſtolus deſtinabat; ſed ab ipſis expediri, & quaſi mitti, &, quod plane huic rei cohæret, neceſſariis, & viatico inſtrui, ſicuti & infra *verſ.* 11. de Timotheo loquitur.

Verſ. 7. & 9. Deſtinationes ſuas Apoſtolus conditionate proponit, ac Dei voluntati plane ſubjicit.

Verſ. 10. Præcipit ut Timotheus cum venerit, debito ab iis honore, & humanitate accipiatur, & tractetur, ut ſine metu ſit inter illos, hoc eſt, ne metuat ſe contemni, aut pro nihilo haberi, ut *verſ.* 11. explicatur, quia nimirum, licet juvenis, jam tamen eſſet ex numero Præſbyterorum, & miniſterio verbi, apud illos quoque aliquamdiu præſtando, idoneus.

Verſ. 12. Rationem reddere videtur, cur potius Timotheum ad illos confirmandos miſerit, quàm Apollonem, quia huic non vacaret ad ipſos proficiſci.

Verſ. 13. Cum vero nec Timotheus, nec Apollos ipſis adhuc præſto eſſe poſſet; hortatur, ut ipſi ſibi advigilent, ac ſeſe in fide confirment, corroborent, & quaſi Paſtorum ſibi officio fungantur, proſpiciendo ne fide ſua excidant. Sed in præſcribendis ipſis officiis caritatis oblitus non eſt, ut omnia apud ipſos *in caritate fiant. verſ.* 14.

Verſ. 15. Quia vero Stephanas cum familia ſua, hoc eſt, fortaſſe fratribus, ſeſe in miniſterium ſanctis addixerant; hortatur ad ſubjectionem ipſis, & obſequium præſtandum, & eorum ſimilibus. *Familiæ* vero ejus mentionem facit, quia tunc ipſe Stephanas Philippis Paulo literas expedienti aderat.

Verſ. 17. *Defectum veſtri ſuppleverunt.* Nullum caritatis defectum hic objicit; ſed illud exprimit, eos pro Corinthiis reliquis, id præſtitiſſe, quod illi abſentes præſtare non poterant.

Verſ. 18. Spiritum meum, ac Veſtrum. Quomodo Corinthiorum Spiritum refocillaverint; non ſatis liquet. Niſi forte Apoſtolus, propter effuſam in Corinthios caritatem, ſuum ſpiritum vocet illorum Spiritum, ut quod Paulo præſtitum ſit, Corinthiis ipſis præſtitum videatur.

Verſ. 19. Eccleſias in privatis domibus congregatas, non dubium eſt. Sed & numeroſæ in privatis ædibus familiæ, *Eccleſiæ* dici poſſunt, quod fortaſſe potius intelligendum.

Verſ. 20. Salutatio caritatis officium eſt. Quid mirum toties Apoſtolum, occaſione ſalutationum, homines ad caritatem adhortari.

Verſ. 21. Dictaſſe hanc Epiſtolam Paulum, non ſcripſiſſe; indicat ſubſcriptio manu ipſius facta.

Verſ. 22. Cum ex occaſione ſalutationis, præceptum de Caritate, aut potius Philadelphiâ dediſſet; oſtendit nunc quam late iſtud præceptum porrigatur, hoc eſt, ad omnes eos, qui amant Dominum Jeſum Chriſtum, hoc eſt, amorem iſtum obſequio præceptorum ejus teſtantur. Sic enim Chriſtus ipſe amorem erga ſe definit *Joh.* XIV. *verſ.* 21. & 23. 24. Nec etiam aliter amor iſte, ſicuti odium ei oppoſitum, poteſt dignoſci. Porro eadem opera animadverſionem Eccleſiæ, quæ fit per denuntiationem anathematis hominibus illud meritis, reſtringit ad eos duntaxat, qui non amant Dominum Jeſum Chriſtum. quod niſi per habitum, & conſuetudinem violandorum ejus mandatorum dignoſci nequit. Quo ipſo ſatis oſtendit, quam non ament Dominum Jeſum Chriſtum, & quam juſto anathemate digni ſint ipſi, qui anathæma illis dicere audent, quos in eo quod Jeſum Chriſtum non ament, præcepta ipſius non ſervando, convincere nequeunt.

Porro illud quoque maxime omnium notandum eſt, Apoſtolum per adjectionem vocum, Maranatha, voci anathema; non ſine inſtinctu Spiritus Sancti indicare voluiſſe, quoſque animadverſio Eccleſiæ, quæ per excommunicationem, aut anathemata, aut traditionem Satanæ fratribus id promeritis infligi ſolet, progredi debeat.

Voces enim iſtæ ſignificant *Dominus noſter venit, aut veniet.* Quod non aliud ſignificare poteſt, quam executionem anathematum, non terrenorum Judicum, aut Magiſtratuum, coactivâ poteſtate, exiliis, mulctis, verberibus, aut id genus ſuppliciis adminiſtrari debere; ſed unius Domini noſtri, qui jam venit, & abſolute in ſuo regno regnat: aut etiam in terribili adventu ſuo regnabit; executioni prorſus permittendam eſſe: nec in jus, ac poteſtatem ejus ullo modo invadendum.

Verſ. 24. Concludit Epiſtolam conteſtatione caritatis ſuæ erga omnes Corinthios, nemine excepto. Quod autem cum gratia Domini noſtri, de qua *verſ.* 23. locutus eſt, caritatem ſuam in voto, pro bono iſtius Eccleſiæ ſuſcepto, conjungat; non alio modo intelligendum videtur, quam ſi ita explicetur: Quia in gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti omnis felicitas Corinthiorum conſiſteret, ad quam impetrandam interceſſio dilectorum ejus Miniſtrorum atque adeo ipſius Pauli multum conferret; eximiam ſuam erga omnes eos caritatem in id excubare perpetuò, ut ipſis iſtam gratiam, per quam omnis boni compotes fieri queant, impetret.

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS SECUNDAM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

NOn omiserè Apostoli eminentiæ suæ Apostolicæ auctoritate uti ad ædificandam Ecclesiam, ut tanto major fides, ac pretium doctrinæ, & monitis, quæ inculcabant, constaret. Paulus vero peculiarem etiam ejus rei causam habuit apud Corinthios: præsertim in ea Epistola, in qua ipsi excellentiæ suæ prædicandæ, præbita est quædam necessitas. Ad conciliandam vero Timotheo quoque auctoritatem, eum sibi in inscriptione adjungit. Non solis autem Corinthiis, sed omnibus in Achaia sanctis Epistola inscripta est, quia ejusmodi monita, & doctrinæ Apostolicæ eam habent indolem, ut non solis, ad quos diriguntur, sed aliis quoque prodesse possint.

Vers. 2. Porro in prima salutatione, hic duo maxima Dei beneficia attingit, Christiano populo collata, gratuitam remissionem noxarum, ac per pœnitentiam reconciliationem cum Deo, quod utrumque *gratiæ* & *pacis* voce exprimi potest. Utraque tamen vox latius protendi solet, imo debet, ut donum fidei (ne cæteris quidem spiritualibus charismatibus exclusis) & spem æternæ felicitatis, in qua maxime, tanquam unica tranquillitate, animus noster conquiescit, comprehendat. Optat autem hæc dona, à Deo Patre nostro, & Domino Jesu, quia hæc omnia Deus confert per Dominum Jesum.

Vers. 3. Exemplo autem fere omnium Epistolarum, incipit ab effusa gratiarum actione pro omnibus Dei beneficiis, idque occasione recentis illius liberationis è præsentissimo periculo, quod adierat in Asia *vers.* 8. Suspicor autem periculum istud Asianum, illud ipsum esse, quod *Actor.* 19. legimus.

Quicquid enim adjectio illa ad calcem primæ ad Corinthios posita, asserat (quæ vel eo nomine mihi suspecta est, quod inter eos, per quos hæc Epistola missa dicitur, Timothei quoque mentionem facit) non Philippis, sed Epheso datas primas literas censeo. Isthic enim se ad pentecosten commoraturum Apostolus prædixit. quod scripsisse non poterat, nisi tunc cum scriberet ibi fuisset. Et Asianarum, non Macedonicarum Ecclesiarum nomine Corinthios salutat. Nam quod ait *Cap.* XVI. 5. μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι, *Macedoniam enim peragro*; Lucas explicat *Actor.* XIX. 21. Constituit Paulus in Spiritu διελθὼν τὴν μακεδονίαν καὶ ἀχαΐαν πορευθεὶς εἰς ἱερουσαλήμ, *pertransita Macedonia & Achaia proficisci Hierosolymam.* Missis igitur (*vers.* 22.) in Macedoniam Thimotheo, & Erasto; ipse, per aliquod tempus substitit in Asia. quæ omnia plane concordant cum iis, quæ scribit. 1. *Cor.* XVI. 4, 5, 6. 8. nisi quod διέρχομαι de proposito Pauli, non de ipso eventu intelligendum. Propositum autem istud fuit tàm firmum, & efficax, ut Apostolus statim post casum istum Ephesinum in Macedoniam concesserit, unde postea alteram istam Epistolam Corinthiis scripsisse videtur.

Vocat autem Deum Patrem τὸν οἰκτιρμῶν, id est, *miserationum* & omnis consolationis, qui in omni afflictione tantam vim solationum in afflictos effundere solet, ut non modo sese ipsi; sed alios quoque erigere, & solari possint.

Vers. 5. παθήματα τοῦ χριστοῦ, *passiones Christi*, vocat, vel quæ propter Christum, vel quæ exemplo Christi suscepta sunt: quibus opponit παράκλησιν διὰ χριστοῦ, *consolationem per Christum.* quæ videlicet, vel ab ipso Christo, Spiritus Sancti opera præbeatur, vel ex ipsa consideratione Christi παθημάτων, καὶ τῶν μετὰ ταῦτα δόξων, *passionum, & post illas gloriarum*, petatur.

Vers. 6. Quemadmodum afflictiones Pauli Corinthiis (non minus quàm Christi Paulo) solatio, & saluti esse poterant, ut tam constantibus exemplis ad similem patientiam animi eorum confirmarentur; ita multò magis ejusdem Pauli consolationes iisdem solatio, & saluti erant, quod viderent in ejus exemplo spem suam confirmari, suggerentem liquido suis quoque afflictionibus non defore solatia.

Vers. 8. Exponit deinde periculi, è quo ereptus fuit, magnitudinem, quod eo gravatus fuit suprà vires, ita ut de vita desperaverit, imo verò decretum mortis in se ipso habuerit *vers.* 9. Quo autem consilio Deus ejusmodi tentationes piis immittat, docere non omisit. Ne in ipsis ullam fiduciam, sed omnem in *Deo. qui mortuos quoque excitare* potest, collocent.

Vers. 10. ἐκ τηλικούτου θανάτου, id est, *ex tanta morte*, ex tam præsenti, ac certo mortis discrimine eripuit, eripit, & eripiet. Quanto majus periculum fuit, tanto majus eluceſcit beneficium. Sed ex præterita liberatione ea vel maxima consolatio capitur, quod non modo in præsenti, sed in futuro quoque tempore afflicti pii, opem sibi divinam promittere possint: non tamen absque precibus suis, atque alienis interpositis. spes autem impetrandi

petrandi alacriores ad petendum efficit, quam ſpem nobis præſtat jam accepti beneficii memoria.

Sapienter autem Apoſtolus, commemorato Dei beneficio, atque ex eo fluente in futurum quoque ſperando ſolatio; neceſſitatem quandam precum, pro futura impetranda gratia inculcat. In quo ipſo ſtimulus latet acris, ad agendas pro præterita gratias, quia, veterem quodammodo referendo, invitamus novam. Dignum autem fuit hoc beneficium Dei, quod multorum fidelium gratiarum actione (*verſ.* 11.) celebraretur. Sed nec indignus (*verſ.* 12.) Apoſtolus, pro quo precibus ad Deum cooperarentur Corinthii, & qui ab iis officium iſtud poſceret, ſatis ſibi conſcius, qua fide, ſimplicitate, ſynceritate, in prædicando Evangelio, & ubique terrarum, ſed præcipue apud Corinthios verſatus ſit. In quo non ad ſuam tantum, ſed ad ipſorum (*verſ.* 13.) conſcientiam, & notitiam provocat, oſtendens *verſ.* 14. quemadmodum ſe habere, cur de Corinthiis gloriaretur, videlicet in die Domini noſtri Jeſu Chriſti; ita viciſſim exploratum eſſe ipſis Corinthiis in parte, ſe quoque ipſis non eſſe dedecori.

Verſ. 15. Et hac fiducia fretus, dicit quod voluerit, (ut prioribus quoque literis *Cap.* XVI. pollicitus fuit) ad illos venire: & quidem duplicis adventus ſui, (quod non ita explicite in prima epiſtola nunciaverat) gratiam ipſis exhibere. ita enim explico verba *verſ.* 15. ἵνα δευτέραν χάριν σχῆτε. *non unam gratiam haberetis. alteram*, hoc eſt, non tantum, ſed alteram quoque, ſeu iteratam, iteratò factam. primum enim conſtituerat eos ἐν παρόδῳ ἰδεῖν, *in tranſitu videre*, & per eos tranſire in Macedoniam, & rurſus à Macedonia venire ad eos, diutius manſurum; atque iſthinc forte in Judæam perrecturum, ut hic narrat. Sed ab eo conſilio deterritum ſe ait, eâ mente, *ut ipſis parceret*, infrà *verſ.* 23., *ne in triſtitia*, aut conſternatione *veniret ad eos Cap.* II. 1. atque id ipſum primis literis ſignificaſſe ipſis ait *verſ.* 3. ejuſdem capitis. quod quidem in prioris Epiſtolæ *Cap.* XIV. 7. feciſſe videtur, dum ait, *nolo vos* (inquit) *nunc in tranſitu videre.*

Nihil autem repugnat, Apoſtolum in ſecundis literis narrationem ejus rei ponere occaſione oblata, quam in primis reticuerat: & ea, quæ *Capite* XVI. ſcribit, *nolo vos in tranſitu videre*; de eo tempore intelligere, quando jam conſilium per eos Achaiam tranſeundi mutaverat. ea verò, quæ hoc loco de ſumpto per eam regionem tranſeundi impetu ait, de tempore iſto intelligere, quod illam mutationem conſilii anteceſſerat. quæ non levitate, Apoſtolo indigna; ſed graviſſimis de cauſis accidit. Ideo in fine Capitis hujus levitatis culpam, & accuſationem depellit, & ex profeſſo facti ſui rationem reddit, & quaſi apologiam facit.

Verſ. 17. In qua apologia objicit ſibi primum, id quod (niſi fallor) obtrectatores Apoſtoli, (contra quos & alibi, ſed præcipue tota iſta Epiſtola inſurgit) ipſi objeciſſe veriſimile eſt: Paulum videri ſecundum carnem ambulare, qui & in graviſſimis conſiliis fluctuet: & ἐλαφρίᾳ, *levitate*, utatur: & quæ nunc velit, poſtea nolit. quæ carnis noſtræ præcipua imbecillitas eſt. unde eveniat, ut ſæpe nec ea quæ propoſuimus, nec interdum quæ promiſimus præſtare valeamus, aut & velimus. quod Paulo accidiſſe videbatur, qui promiſſum ad Corinthios adventum tamen diſtulerit.

Ait igiur *verſ.* 18. procul ſe ab ea culpa abeſſe, & teſtem Deum invocat ſe in tota prædicatione ſua apud ipſos nihil commiſiſſe, cur hujuſmodi inconſtantiæ inſimulari poſſet, ut ſubintelligatur ſub adjectivo πιστὸς *fidelis*, ſubſtantivum μάρτυς, *teſtis*. quemadmodum infra *verſ.* 23. teſtem Deum invocat, in ejuſdem culpæ defenſione. Quamvis etiam verba πιστὸς ὁ θεὸς, *fidelis Deus*, eundem quoque ſenſum habere poſſe videantur, qui in ſimilibus verbis reperitur *fidelis Deus*, qui vos non patietur ſupra vires tentari. 1. *Cor.* X. 13., aut *Hebr.* VI. *Juſtus eſt Deus*, vel, *quod idem eſt*, *non eſt injuſtus Deus*, *qui obliviſcatur operis veſtri*, &c. ut hoc loco ſenſus ſit: Conſidere ſeſe Deo, & fideliſſimo ejus auxilio, ipſum non permiſiſſe, nec permiſſurum ſe in hanc culpam incidere, quia & ipſum Deum in omnibus promiſſis veraciſſimum, & conſtantiſſimum, & filium ipſius Jeſum Chriſtum apud ipſos prædicaverit, unâ cum aliis. cujus doctrina ab omni tam falſitatis, quàm inconſtantiæ labe alieniſſima; tàm promiſſi, quam boni propoſiti tenacitatem maxime commendet, & urgeat. Quippe in quo Deus maxima cum ſua gloria tàm prædictionum ſuarum veritatem, ac certitudinem, quàm omnium promiſſorum repræſentationem ſolidam, & quidem per prædicationem noſtram (hoc enim eſt δι' ἡμῶν) cumulatè exhibuerit.

Cui explicationi ſuffragari videtur *verſ.* 21., & 22. in quibus oſtendit, Deum iſtiuſmodi infirmitatis lapſus, & errores avertere ab iis, quos confirmat in Chriſto Jeſu, & ungit Spiritu ſuo, quo tanquam ſigillo obſignantur, & tanquam arrhabone ad vitam æternam auctorantur omnes quidem veri Chriſtiani, ſed præcipuè vaſa ad prædicationem electa. Et hæc explicatio potior eſt.

Verſ. 23. Rejecta falſa cauſa dilati ad eos adventus; veram exponit, & ſolenni aſſeveratione ſancit.

Verſ. 24. Mitis, & manſuetus, & libertatis Eccleſiæ ſervantiſſimus Chriſti Spiritus ſeſe exerit, dum Apoſtolus ad minimum imperioſæ interminationis veſtigium ſollicite excuſat, & removet à ſe omnem affectatæ in Eccleſia dominationis ſuſpicionem. Minas autem iſtas ſub voce parcendi latentes, non eo tendere dicit, ut fidem ab ipſis (tanquam Domini à ſervis, aut Magiſtratus à ſubjectis obſequium ſolent) extorqueat. hoc enim eſt dominari fidei alicujus; ſed ut ipſis, tanquam *cooperatores* συνεργοὶ, non tanquam de ſolio, aut tribunali imperantes, auxilio ſint, ad bonam conſcientiam, veri gaudii matrem, quæ anima fidei eſt, conſequendam. *Fide enim ſtatis*, hoc eſt, in vera, vivaque fide, quæ bonam conſcientiam efficit, ſita eſt omnis felicitas veſtra. Veſtra igitur, non noſtra res agitur, quoties vobis in ſalutis veſtræ negotio negotium facetſimus.

CAPUT II.

OStendit planius in hoc Capite quid illud fuerit, in quo ipſis parcebat Apoſtolus, quod nimirum ipſos adventu ſuo contriſtare, aut potius contriſtationem, quam meruerunt, præſentia ſua augere noluerit. nec enim illos, quanquam invitus, & non ſine angore animi, & multis lachrymis, ut *verſ.* 4. loquitur, per epiſtolam objurgare prætermiſit, non contriſtandi quidem animo, ſed oſtendendi potius, quanta erga eos caritate flagraret. Porro homines objurgationem commeriti magis contriſtantur, & pudefiunt, quoties vultu, ac præſentia objurgantis urgentur. Hoc igitur

Apo-

Apoſtolus refugiebat, ac detrectabat, dum adventum ad eos differret, ut qui conſtituiſſet adventum iſtum ſuum gaudio potius mutuo, quam mutua contriſtatione celebrari. Reddit autem rationem *verſ.* 2., cur eos hoc modo contriſtare detrectaverit, quia ſe gaudio, quod ipſi ab iis, aut ex iis debebatur, fraudari noluerit. Quod ne in prioribus quidem datis ad eos literis diſſimulaverit, puta 1 *Cor.* IV. 21. [aut ſi quis malit capite ultimo, ubi illos in tranſitu ſeſe videre nolle oſtendit, quanquam cauſam, quæ ipſum tunc, à viſendis illis abſterrebat, quam in hac Epiſtola aperit, illo quidem tempore ſubticuerit.]

Ne autem ſuas tantum res agere, & ſuam duntaxat voluptatem quærere videretur; oſtendit *verſ.* 3. gaudium illud, quod tantopere ex iis optabat, & affectabat, ſi quidem veri Chriſtiani eſſent, (quod ſibi plane perſuaſum eſſe affirmat) eſſe plane cum ipſorum proprio gaudio, imo maxima felicitate conjunctum. Nec enim gaudium ex ipſis capere potuiſſet Apoſtolus, niſi eos in tam felici ſtatu, & bonæ conſcientiæ gaudio deprehendiſſet. Propterea, quia inter Chriſtianos mutua eſt caritas; mutuum quoque gaudium, inter partes, quæ ſe gaudio afficiunt, utrinque capi neceſſe eſt.

Quia vero *verſ.* 4. priorem Epiſtolam non contriſtandi ipſos animo à ſe ſcriptam aſſeruerit; tangit iſtius contriſtationis verum auctorum. Sed ut à ſe non conſilium modo, ſed ipſum quoque contriſtandi eventum longius amoveat; nec illud reticet, contriſtationem ab eo profectam, non ita ut peſtes contagioſæ ſolent, per Apoſtolum ad ipſos ſerpſiſſe, hoc eſt, non Apoſtolum prius iſta triſtitiæ peſte afflatum, & infectum, eam deinceps ad eos tranſmiſiſſe; ſed Corinthios ipſos primò, ac principaliter (ne dicam ſolos) iſta triſtitia à contriſtante affectos. Longe enim gravior, & verior contriſtatio eſt, quæ cum aliqua culpa, & dedecore contriſtati conjuncta eſt; quàm illa, quæ omnis culpæ, & ignominiæ expers eſt, & tantum ex caritatis condolentia alteri quaſi gratuito commodatur. Illius igitur generis contriſtationis gravioris Apoſtolus hic ſeſe expertem ait, ipſos autem omnes participes. Nec enim parva fuit totius illius Eccleſiæ culpa, quod inceſti reum toleraret. Quamvis ſeſe quaſi corrigens, non totum iſtud triſtitiæ onus humeris eorum imponit, ne prægravari videantur; ſed partem ejus alteram, ex caritatis condolentia profectam, in ſe recipit. Multùm autem ponderis afflictioni decedit, cum quis in partem luctus, & doloris venit. Hoc igitur ſenſu, quæ pugnare ſecum videntur, conciliari poſſe cenſeo, ut & Apoſtolus contriſtationis hujus expers, & Corinthii tamen in parte duntaxat iſto onere preſſi dici poſſint, quia partem ejus Apoſtolus, ne illi prægravarentur, in ſe deonerarit.

Verſ. 6. Magna clementia, & Chriſti manſuetudine uſus, pœnam peccatori irrogatam moderatur, ac remittit. In qua obiter videre eſt, veteris, & Apoſtolicæ Eccleſiæ praxin, in qua non à ſolo Epiſcopo, ſed à multis aliis *ἐπιπλὴν objurgatio*, & redargutio peccatorum fiebat. Videre licet & pœnarum Eccleſiaſticarum modum, ad hunc ſcopum collimantem, ne punitis pœna nimium nocere poſſit. Veniam igitur, gratiam, conſolationem, & *ἀγάπην caritatem*, talibus non denegari, imperat Apoſtolus.

Verſ. 9. Verſus hic quia cum octavo per particulam ὅτι conjungitur, ita cum ſuperiori connecti poteſt: Hortor, ut firmetis erga pœnitentem caritatem, quia quamvis ſcripſerim ut acriter puniretur, & in eo veſtri obſequii periculum feci; tamen jam nihil neceſſe eſt ultra in puniendo pergere, poſtea quam mihi veſtra obedientia ſatis teſtata, ac ſufficienti experimento probata eſt. Sed quemadmodum ego (*verſ.* 10.) paratus ſum condonare culpas cuicunque vos condonaveritis: ita par eſt, ut vos quoque condonetis ei, cui ego jam condonavi. Quia id non temere, nec mei cauſa; ſed ut in conſpectu Chriſti gravi cauſa adductus, & veſtro bono feci, ne circumvenianimi à Satana, cujus artes, & ſtratagemata (*verſ.* 11.) non ſunt nobis ignota. Artium autem ejus non poſtremam ſuperius *verſ.* 7. attigit, quod non minus commiſſæ culpæ exaggeratione, ac veniæ deſperatione, quàm committendæ extenuatione, aut veniæ ſpe homines ad peccandum adducere ſoleat.

Verſ. 12. In adjectione ad calcem Epiſtolæ huic ſubnexa, miſſa dicitur hæc epiſtola per Titum, & Lucam, Philippis è Macedonia. Quod ſane non abs re infrà ex *Cap.* VIII. ejuſdem Epiſtolæ colligitur. Cæterum illud quoque certum eſt, Apoſtolum antequam iſtam ſecundam Epiſtolam Corinthiis ſcriberet, imo, ut puto, antequam ex Aſia exiret (quòd *φειδόμενος ὑμῶν*, *parcens illis*, nollet ipſis præſentia ſua gravis eſſe) Titum ad eos miſiſſe; cum Epiſtola? an nudis tantum mandatis inſtructum, non ita liquido patet. Cæterum in eam ſententiam inclino, aut potius deſcendo, miſſum cum Epiſtola, eaque, quam nunc primam ordine legimus. quod ex capite ſeptimo ſecundæ Epiſtolæ colligas, in quo Titus recentis poſt lectam primam Epiſtolam Corinthiorum pœnitentiæ teſtis oculatus introducitur. Cujus legationis Titi eventum, & dubitationis, quem nam fructum miſſa per illum prima iſta Epiſtola allatura eſſet, exitum, Paulus ex Aſia rediens ſollicitè expectabat, atque Titum ſibi Troade obvium fore ſperabat, quæ cura, & anxietas aucta hoc *verſ.* 12. dicitur, cum eum non inveniſſet. Et quamvis graviſſimis occupationibus diſtringeretur Paulus, aperto ipſi grandi ad prædicandum Evangelium oſtio; tamen non excidiſſe animo ſuo anxiam Corinthiorum curam ait, nec Spiritum ejus requiem habuiſſe, donec ordinata Troade Eccleſia in Macedoniam perveniſſet, & illic tam diu expectato Titi adventu recreatus eſſet. Quod hoc verſu ſubaudiendum eſſe, noc modo infrà *Capitis* VII. *verſus* 5. & 6., oſtendit: ſed & hic proxime ſequens *verſ.* 14. ubi Deo gratias agit, pro omnibus ejus beneficiis. quod non eſt animi irrequietâ cura anxii, ſed jam ſuis deſideriis potiti, & bonis acquieſcentis. Gratias, inquit, ago Deo, quod ſemper, & in omni loco triumphare nos faciat in Chriſto. quæ generalis gratiæ Dei commemoratio non poteſt non continere illud quoque beneficium Dei ſpeciale, quod Corinthios privatim ſpectabat. Sed quia publica privatis longe antecellunt; ideo Apoſtolus divertit orationem ſuam ad publica Dei beneficia in prædicatione Evangelii celebranda, quod odorem cognitionis ſuæ per ipſum in omni loco diffunderet. Seſe enim (*verſ.* 15.) bonum Chriſti odorem eſſe in omnibus, tàm iis, qui ſervantur, quàm iis qui pereunt.

Quamvis autem *verſ.* 14. odorem iſtum deſcribere videatur, tanquam homines afficientem, quia cognitio Dei, ejuſque fragrantia per prædicationem Apoſtoli diffunderetur omni loco, homines ipſos ſaluberrimo ſpiritu reficiens; tamen quia hæc allegoria Deo quoque decore adaptari poterat, ideo *verſ.* 15. odorem iſtum Chriſti tanquam Deum ipſum afficientem deſcribit: *Chriſti*, inquit, *fragrantia ſumus Deo, tam in iis qui ſervantur, quam qui pereunt.* Omnes autem effectus Evangelii Chriſti in gloriam Dei cedunt, non ſalus tantum eorum,

qui ſervantur, ſed etiam juſtiſſima punitio eorum, qui pereunt, per quam Deus vult: γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, *notam facere potentiam ſuam. Rom.* IX. 22.

Verſ. 16. καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; *ſed ad hæc quis idoneus?* Tantò majorem ſe gratias Deo agendi cauſam habere ait, quòd Deus ipſi non modo prædicationis munus concrediderit, ſed etiam ad bene, ac legitime prædicandum, idoneum eum reddiderit. Quam divini beneficii magnitudinem oſtendit *verſ.* 17. ex comparatione deterrima eorum, qui, tam ſancto Dei munere abutentes, miniſterium Dei in privatorum emolumentorum conſectationem converterunt: & ſermonem Dei quaſi cauponati ſunt (quod vetus Poëta olim de cauponantibus bellum protulit). Quos adeo multos fuiſſe ait, ut non dubitarit exclamare; quis ad prædicationem tam jucundæ Deo fragrantiæ idoneus eſt? Et miretur aliquis proximis poſt Apoſtolos ſeculis, tot errorum ſegetem, ac tam uberi proventu exortam, & germinantem, cum ipſis Apoſtolicis temporibus eorum ſemina ſpargi neceſſe fuerit, ab iſtis verbi Dei cauponibus, *quorum Deus erat venter, & gloria ad ignominiam ipſorum, qui terreſtria curant. Phil.* III. 19.

Eadem quærela eſt *Philip.* II. quod neminem, præter Timotheum, haberet ἰσόψυχον, *eodem animo præditum*, cum tamen ipſi plurimi non deeſſent συνεργοὶ, *cooperarii*, quia omnes quæ ſua ſunt quærant, non quæ Chriſti *verſ.* 21. Hos alibi ita deſcribit, quorum Deus venter. Sed Apoſtolus prædicationem ſuam fuiſſe ait ἐξ εἰλικρινείας, *ex ſyncerita-te*, & ſimplicitate, hoc eſt, ſimplicem, ac ſynceram ejus fuiſſe curam, & laborem, ſolam Dei gloriam, non autem ejus prætextu proprium emolumentum conſectantem. in quo manifeſta in aliis, πανοῦργοις ὑπάρχουσι, *qui verſuti erant*, (infra *Cap.* XII. 16.) duplicitatis veſtigia cernebantur.

(Ἀλλ' ὡς ἐκ θεοῦ) *ſed ut ex Deo.* Quia in ipſa prædicatione Pauli irrefragabilia erant documenta, eam ex Deo profectam. κατενώπιον τοῦ θεοῦ, id eſt, *In conſpectu Dei*, intima cordium conſilia inſpicientis, peccare quiſque erubeſcit. ἐν χριστῷ λαλοῦμεν, *In Chriſto loquimur.* quia prædicatio ejus à norma prædicationis Chriſti ne tantillum quidem recederet.

CAPUT III.

NOn temere Apoſtolus, ut tota iſta Epiſtola, ita hoc loco, non modo ſeipſum purgat, & exiſtimationem ſuam tuetur adverſus obtrectatores; ſed etiam eoſdem tangit, & perſtringit. Quos non paucos fuiſſe apparet, præſertim ex circumciſione, qui Moſaicæ Legis, ejuſque ritualium inſtitutorum neglectum, ubique ab Apoſtolo inſinuatum, non ferentes, alii apertas, alii occultas cum illo ſimultates exercebant: ejuſque auctoritatem arrodebant: & ex ſe ipſis Paulum æſtimantes; illum ſuum negotium agere, & ſecundum carnem ambulare putabant, ac forte credulis quoque perſuadebant. vide infra *Cap.* X. 2. Hos igitur non modo antecedentis capitis verſu ultimo, in verbis ὡς οἱ πολλοὶ, *ut multi*; ſed hujus quoque *Cap. verſ.* 1. in verbis ὡς τινες, *ut quidam*, tangere videtur, quibus tacite exprobrat quod authoritatem ſuam (ſine dubio adverſus Paulum) ſtabilire volentes, ab aliis, & ab ipſis Corinthiis Epiſtolas captarent commendantias.

Cum igitur adverſus iſtorum impetitiones ſe purgare cæpiſſet; (quod abſque gloriatione quadam, & earum rerum, quæ ipſum maxime commendabant, commemoratione fieri non poterat) oſtendit ſeſe ad iſtam ſui quaſi commendationem deſcendere, non vanæ gloriæ ſtudio impulſum: neque ut auctoritatem, artificio aliquo ſibi conciliaret, quemadmodum plerique, qui cum eſſent ipſi omnis laudis egeni, alienas laudes, & commendationes emendicabant, ſive ab aliis, ſive ab ipſis Corinthiis. Nec enim ſeſe iſtiuſmodi artibus indigere: præſertim apud Corinthios, qui ab ipſo in Chriſto geniti, tam apud alios, quam apud ſeipſos, eſſent tacita quædam, & muta, ſed efficax Epiſtola, verum à Paulo geſtarum commendatitia, quæque ab omnibus hominibus publice legi poſſet. Epiſtola autem non hominis mortalis; ſed ipſius Chriſti omnium Domini commendatitia: ſcripta miniſterio Pauli, non atramento vili, & inanimato inſtrumento; ſed Spiritu Dei viventis: non in tabulis lapideis ſcripta, in quibus elogia, & laudes hominum, imo ipſa Lex Dei fuit inciſa; ſed in tabulis cordium carneis.

Verſ. 4. Quia ſupra non obſcure ſeſe ad prædicationem ἱκανὸν *idoneum* eſſe dixerat, idque comparatione aliorum confirmaverat; *fiduciam* iſtam ſuam διὰ πεποίθησιν Deo per Chriſtum attribuit, atque acceptam refert: (juxta illud: ſi quis gloriatur; in Domino glorietur) & oſtendit aptitudinem iſtam & ἱκανότητα, non eſſe ex ſe ipſo, qui ne cogitare quidem quicquam adeò excelſum, tantum abeſt ut præſtare potuerit; ſed (*verſ.* 5.) ex *ipſo Deo*, qui eum (*verſ.* 6.) aptum fecit Miniſtrum (διάκονον) Novi Fœderis, non literalis, ſed ſpiritualis.

Opponit autem hic miniſterium novi Fœderis miniſterio veteris multipliciter. Primum, quod illud ſit novum, hoc vetus. Secundum, quod illud ſit literale, quia illi Judaici γραμματεῖς, *ſcribæ*, & Rabini circa γράμματα, *literas*, & corticem typorum duntaxat occupabantur, ad medullam *antityporum* non penetrantes: hoc autem Spirituale.

Tertium, Quod illud occidat, hoc eſt, in morte relinquat, aut ex morte non eximat. nulla enim in Lege æternæ vitæ promiſſa legimus: Hoc autem vivificet, quia non tantum vitam æternam expreſſe promittit, ſed ejus quoque arrhabonem, in anteceſſum largitur. *verſ.* 6.

Quartum, Quod illud condemnet, quia nemo ex operibus Legis juſtificatur, ſed ſecundum verba, & literam Legis, *Qui non fecerit omnia, quæ in Lege* præcepta ſunt, vi Legis, ac literæ abſolvi non poteſt: hoc autem juſtificet per remiſſionem peccatorum *verſ.* 9.

Quintum, Quod illud eſt abrogatum, καταργούμενον, *exoleſcens*, & finem habet: hoc autem eſt τὸ μένον, *permanens verſ.* 11., imo & *verſ.* 7., & 13.

Sextum, Poteſt addi, & ex *verſ.* 17. quod in illo eſt ſervitus: in hoc autem miniſterio *eſt libertas*, quam nobis præſtat Spiritus Domini filialis, Spiritus adoptionis.

Septimum, Præterea (quod fuſe magna parte capitis tractat) quòd illud, quamvis non fuerit abſque gloria, tamen longe minus haberet gloriæ, quam Spirituale. Hoc autem ſpirituale tanto glorioſius eſſe neceſſe ſit, quod ne illud quidem ſine gloria fuerit *verſ.* 10.

Octavum, Quod in illo miniſterio arcerentur ſpectantium oculi ab inſpectione gloriæ antiqui Legillatoris. *verſ.* 13. In hoc autem invitantur oculi omnium, ut cernant, & contemplentur gloriam Legiſlatoris, & Domini noſtri. Ratio ejus rei eſt, quod illa gloria cito tranſitura, & καταργουμένη, *exoleſcens*, ut ait *verſ.* 7. & 11., & 13., ſpectabatur oculis corporis, & corruptibilibus, qui eam, quanquam ipſam corruptibilem, quippe in mortalis hominis

hominis vultu conſpicuam, ferre non poterant. ideo Moſes coactus eſt ponere κάλυμμα *velamen* ſuper faciem ſuam, *verſ.* 13. At iſta Domini noſtri gloria, perpetuo manſura, & incorruptibilis, oculis mentis noſtræ ſpectatur incorruptibilibus, quique ſplendore ejus offendi nequeunt, ſed potius, ex contemplatione tam ſublimi, nos in imaginem ejuſdem gloriæ tranſmutant, hoc eſt, nos ſimilis gloriæ participes fore oſtendunt; & ſic ex gloria in gloriam quaſi transferunt. Glorioſum enim nobis erat, tantam incorruptibilis Domini noſtri gloriam ſpectare poſſe: multo glorioſius eandem, Fidei, ac Spei adminiculo, & Spiritus Sancti operâ, nobis applicare, & in arrhabone, in anteceſſum dato, quaſi præcipere, & guſtare: glorioſiſſimum autem eandem conſequi, (vide *verſ.* 18.) & ita ex gloria in gloriam toties tranſire. Videtur autem Apoſtolus occaſione mentionis miniſterii, per quod eum Deus ἱκάνωσεν, hoc eſt, *aptum* Novi Fœderis, ſibi crediti, *reddidit* ad ſuam prædicationem; de induſtria ingreſſus eſſe antitheſin novi, & antiqui Fœderis, ſuperius deſcriptam: idque duplici fine, ac ſcopo. Primum, ut eos ſalubri doctrina redargueret, qui ſibi eo nomine negotium faceſſebant, quod ab antiquo Fœdere, ad novum animos hominum avocaret. Secundo, ut oſtenderet aptitudinem & ἱκανότητα ſuam ad prædicandum, & homines cognitione Dei imbuendos; ex iſtius ipſius Evangelicæ prædicationis præſtantia, & (præ illa legali doctrina) excellentia proficiſci. quam niſi quis, ita ut dignum eſt, animo ſuo concipiat; fruſtrà ſe ad prædicandum aptum eſſe poſſe opinatur. Quod non modo ſupra *verſ.* 6. tacite innuit; ſed clarius *verſ.* 12.: ſed præcipue initio capitis ſequentis oſtendit. Quod antequam aggrediamur, aliqua nobis ex iis, in quibus hoc Capite Lector hærere poſſit, explicanda ſunt.

Verſ. 7. Ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, *inſculpta in lapidibus.* Verba hæc videntur explicare ea quæ ſupra de πλαξὶ λιθίναις, *tabulis lapideis. verſ.* 3. protulit, ut illic quoque ad tabulas Legis reſpexiſſe videatur. Miniſterium Legis vocat Apoſtolus, διακονίαν θανάτου, id eſt, *(miniſterium mortis)* quia per illud homines nec juſtificari, nec ſervari poterant, ut ſupra dictam.

Verſ. 10. Gloriam miniſterii Novi Fœderis, quia eſt ὑπερβάλλουσα, *excellens*, adeo excellentiorem gloria Fœderis antiqui eſſe oſtendit, ut ἐν τούτῳ τῷ μέρει, id eſt, *in hac parte*, hoc eſt, in comparatione cum gloria novi Fœderis; (hoc enim eſt τὸ μέρος, quod hoc loco tractat) gloria illa, ne gloria quidem eſſe videatur. Dicit enim τὸ δεδοξασμένον, hoc eſt, glorificatum, puta antiqui Fœderis decus, οὐ δεδόξασται hoc eſt, quaſi non eſſe, aut certe non videri glorificatum, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης, *propter excellentem gloriam*, Novi Fœderis. quemadmodum luce majori non extinguitur quidem, ſed ita lux minor obſcuratur, ut ne lux quidem eſſe videatur.

Verſus decimus tertius, Protaſin; verſus vero decimus octavus, apodoſin habet, ac ſibi mutuo reſpondent. quatuor autem intermedii 14. 15. 16. 17. obiter & quaſi in parentheſi interjecti ſunt.

Verſ. 13. Ne viderent filii Iſraël finem τοῦ καταργουμένου, *quod aboletur.* Dupliciter verba hæc intelligi, & accipi poſſunt. aut pro cauſa finali obvelandæ faciei Moſis: aut pro effectu. Si pro cauſa; tunc id ſecutus fuiſſe videtur Moſes in iſta obvelatione, imo & Deus ipſe, qui Moſen ad eam miraculi neceſſitatem compulit, ne Iſraëlitis minùs auguſtum videretur oraculum ex mortali ore profectum: quod quamvis aliquando finem ſuum habiturum eſſet; tunc tamen cum pangebatur, & vigere debebat illud fœdus, non expediebat populum illum ullo indicio admoneri eſſe unquam abolendum. Sin autem pro effectu tantum; tunc ita explicari poſſe videntur. Moſem velum faciei ſuæ oppoſuiſſe, ita ut nullo modo populus videre poſſet mortalem illius viri faciem, qui ipſis tunc oracula pandebat: quæ tamen aliquando finem habitura eſſent, quemadmodum & Moſes ævo ſuo defunctus eſt. cum noſter Legiſlator vivat in æternum, & vitam omnibus in fœdere ſuo comprehenſis perpetuam daturus ſit.

Ex quo, utrovis modo intellecto, ſumit Apoſtolus alluſionem, & ſimilitudinem quandam, ad notandam Judæorum incredulitatem *verſ.* 14. *& ſeqq.* quæ ſic explicatur. Quemadmodum olim velum in facie Moſis, quando nomine Dei cum populo loquebatur, impediebat Iſraëlitas, ne viderent in mortali facie Moſis argumentum Fœderis, cujus Mediator erat, aliquando abolendi: ita hodie κάλυμμα, *velamen*, & velum in cordibus Iſraëlitarum (*verſ.* 15.) cum veterem Legem, aut Moſem legunt; impedit eos, ne videant hanc ipſam legem eſſe in Chriſto abolitam *verſ.* 14., Quod velum non amovebitur à cordibus eorum, donec (*verſ.* 16.) convertantur ad Dominum, hoc eſt, à mortifera, quod ſupra oſtendit, literâ tranſeant ad Spiritum Domini vivificantem, & liberantem à peccati primùm, dein mortis ſervitute (aculeus enim huic beſtiæ primum eximendus, deinde vincenda eſt): quia ut ipſe Dominus (*verſ.* 17.) eſt Spiritus; ita ſpirituali cultu delectatur, & Spiritum ſuum converſis ad ſe donat, per quem eos ab omni metu liberat: & efficit (*verſ.* 18.) ut poſſint revelata facie gloriam ipſius contemplari, & imaginem ejus gloriæ animis ſuis (cooperante ipſius Spiritu) præcipere, atque ita ex gloria in gloriam tranſire, ut ſupra explicatum eſt.

CAPUT IV.

OStendit Apoſtolus, ut ſupra diximus, ex ipſa vi commiſſi ſibi, per miſericordiam Dei, miniſterii Evangelici; habere ſe hanc, cujus ſupra mentionem fecit, aptitudinem, & ἱκανότητα, *ſufficientiam*, ad legitime prædicandum, hoc eſt, ne, ut alii quidam, cauponaretur verbum Dei, neve more infirmitatis humanæ, quod ipſi ab adverſariis objectum eſt (vide *Cap.* x. 2.) in eo prædicando ſecundum carnem ambularet. hoc enim putamus denotare verba μὴ ἐγκακοῦμεν, id eſt, *non ſegneſcimus*: &, ut ſe hoc loco ſtatim *verſ.* 2. explicat, ne ambularet ἐν πανουργίᾳ, id eſt, *in calliditate*; ſed renunciando omnibus pudendis cogitationibus, quales ſunt, cum quis ſub prætextu ſerviendi Deo, ſuum negotium agit, & quæ ſua ſunt quærit. quod fieri nequit abſque adulteratione verbi Dei, cujus eſt diſpenſator. (μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, *neque doloſe tractantes ſermone Dei*) ſed ut, inquam, puram putam veritatem prædicaret & revelaret, nec ad commendationem ſui quicquam luci veritatis tenebrarum admiſceret, ſed eo ſolo ſeſe duntaxat commendaret, quod, omnium hominum conſcientiis, coram Deo teſtibus, pura puta veritate animos hominum illuminare deprehenderetur.

Puto enim ego pleroſque è Judæis Chriſtianos, atque iſtos ipſos, quos Apoſtolus tota Epiſtola inſectatur, in eo vel maxime proprium emolumentum ſpectaſſe, quod prædicando Evangelium, in inſtituta gentis ſuæ alias gentes migrare cogerent, ut iſta tam palpabili gentis ſuæ prærogativa præ aliis commendati, tanto uberius emolumentis prædicationis

ſuæ fruerentur. Cui quidem Judæorum morbo (ſive τῇ πανουργίᾳ, id eſt *calliditati*) prudentia Apoſtolorum mederi ea moderatione conata eſt, ut quamvis gentes jugo ceremoniarum, & Judaicorum inſtitutorum exolverent, tamen pauperum Judæorum etiam in ipſa Judæa egeſtati ſuccurri à gentibus voluerit, vide *Gal.* II. 10. Quod Paulus ubique ſedulo fecit, & *Rom.* XV. 25, 27., expreſſe ait, quod gentes quodammodo *debitores* (ὀφειλέται) Judæorum ſunt. Quia enim Spiritualium bonorum (ad eos pertinentium) participes factæ ſunt; teneri eas Judæis in carnalibus inſervire. Ea igitur moderatione Apoſtoli debitum hoc à gentibus officium exegerunt, ut illud ad pauperes tantùm reſtrinxerint. in quo ipſo tamen æqualitatem inter omnes gentes nequaquam ſupergreſſi ſunt. Non igitur Paulus, in ſuæ gentis præ aliis excellentia (qui delectus gentium religione Chriſti ſublatus eſt) commendationem ſui quæſivit: ſed in puræ, ac genuinæ veritatis luce, qua omnes homines coram Deo illuſtrare, eamque ipſis revelare conatus eſt.

Verſ. 3. Occurrit tacitæ objectioni, cur igitur lux iſta Evangelii, non omnibus tamen, quibus Paulus prædicavit, affulſit. Reſponſio: ſoli inquit ἀπολλυμένοις, id eſt, *(pereuntes, perditi)* ad eam cæcutiunt, in quibus Deus ævi hujus obcæcavit mentes infidelium, ne ipſis alluceret illuminatio optimi, & jucundiſſimi nuncii, de gloria, ſeu glorificatione Jeſu Chriſti: qui non modo reſuſcitatus; ſed in ſolio Dei collocatus eſt, accepta poteſtate, in qua vice Dei regeret, ac judicaret omnes. in quo ad vivum ipſius Dei ſummi Patris effigies expreſſa eſt.

Occaſione hac de ſignificatione vocis Dei, quæ & ſummo Deo, & Satanæ hoc loco, & Chriſto Domino, itemque aliis in cælo, ac terra poteſtatibus alibi tribuitur, pauca dicenda ſunt. Vox iſta, quæ poteſtatem eminentem ſignificat, ſumitur aut proprie, aut improprie. Proprie; de vera, & legitima poteſtate: improprie, & per catachreſin; de falſa, aut illegitima poteſtate. Proprie iterum principaliter, ſeu primariò: aut minus principaliter, & ſecundariò, ſeu analogice. Principaliter vox Dei tribuitur ei, qui divina omnipotentia in cælo, ac terra præditus eſt, qui quidem abſolute verus Deus dicitur, non tantum in ea ſignificatione, quatenus falſis, ſed etiam quatenus imperfectis Diis opponitur. Analogice verò, aut minus principaliter iis, qui omnipotentia quidem carent, ſed tamen aliquam divinæ poteſtatis partem, divinæ tamen potentiæ ſubordinatam, ſortiti ſunt: ideoque veri quoque Dii ſecundum quid dicuntur, quatenus vox veri, falſo; non autem quatenus imperfecto opponitur. nam ſic veri Dii dici nequaquam poſſunt. Primo, ac principaliter iterum vox Dei ſumitur, aut ſimpliciter, aut κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam.* Simpliciter, ſed tamen principaliter tribuitur ei, qui omnipotentia in cælo, ac terra præditus eſt, quamvis eam à ſe ipſo non habeat, ſed ipſi data ſit. qualis eſt Chriſtus, O, M, Deus in ſecula benedictus. Per excellentiam vox Dei ſumitur, cum tribuitur ei, qui omnipotentiam abſolutam, à nullo alio collatam, ſed ex ſe ipſo habet. qualis eſt Deus, Pater Domini Jeſu Chriſti, qui idcirco Deus altiſſimus in ſecula ſeculorum dicitur.

Analogicæ poteſtatis tam in cælo, quam in terra in poteſtatibus Deo ſubordinatis multi; nec inter ſe æquales gradus deprehenduntur.

Improprie vox Dei ſumitur, quoties aut falſa, aut illegitima poteſtas hac voce deſignatur. quemadmodum cum Satanas Deus ævi hujus dicitur. hæc poteſtas partim falſa dici poteſt, partim illegitima. Falſa duplici nomine. Primum, quia ſibi plus uſurpat poteſtatis, quam habet (ut poteſtatem conferendi, cui vult, omnia regna *Lucæ* IV. 6.) Secundum, quia homines ab illo obcæcati, ac decepti, plus ipſi poteſtatis tribuunt, quam habet.

Illegitima vero; quia ut ipſe, ita omnes ejus Angeli, & poteſtates Dei ſunt perduelles. & quamvis Deus damnationis ſuæ executionem diſtulerit; jam tamen eos condemnaverit, & omnium donorum ſuorum incapaces, & ipſis indignos eſſe judicaverit, ita ut omni jure eorum, quæ quondam acceperunt, excidiſſe videantur.

Verſ. 4. Quomodo Diabolus obcæcare ſoleat τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων, id eſt, *cogitationes vel intellectum infidelium* per varias carnis illecebras, aut incredulitatis, aut errorum offuſâ caligine; alio loco explicandum. Nunc conſiderandum eſt, qua in re collocet Apoſtolus *Lucem iſtam*, quam obtenebrare nititur Satanas. Ait igitur *obcæcare Satanam intellectum infidelium, ne ipſis illuceſcat lumen Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei verſ.* 4. Et infra *verſ.* 6. Lucem iſtam vocat *lumen (φωτισμὸν illuminationem) cognitionis gloriæ Dei, in perſona* προσώπου, *facie, Jeſu Chriſti.* Hoc igitur idem, tàm lumen Evangelii gloriæ Chriſti, adeo exaltati, ut ſimillimus Deo fieret, quàm lumen cognitionis gloriæ Dei ipſius, quam conſecutus eſt, per exaltationem ejuſdem Jeſu Chriſti, inſinuaſſe ſe mentibus hominum per prædicationem ſuam Paulus *verſ.* 5. aſſerit, non autem ſuam aliquam commendationem, quemadmodum iſti, qui per gentis ſuæ præ aliis excellentiam ſuam propriam commendationem quærebant. Non ſuam igitur, ſed tàm Dei, quàm Chriſti, gloriam prædicavit: Sed in *verſ.* 5. prædicationi ſui ipſius ſolius Chriſti prædicationem opponit, ita tamen, ut in ea ipſius quoque Dei gloriæ prædicatio contineretur. Ait enim *non nos ipſos prædicamus, ſed Chriſtum Jeſum Dominum*, quod nihil aliud eſt, quam prædicamus Jeſum eſſe Chriſtum, & Dominum, de quo quia *Act.* II. 36. expreſſe legimus, quod illum Jeſum, quem Judæi crucifixerunt, Deus fecit Dominum, & Chriſtum, quod & hoc loco *verſ.* 6. tangit Apoſtolus, mentione facta gloriæ Dei in perſona Jeſu Chriſti, quæ non alia eſſe poterat, quam illa de qua Petrus expreſſe loquitur. inde patet in verbis Χριστὸν Ἰησοῦν κύριον, *Chriſtum Jeſum Dominum*, Dei quoque ipſius gloriam contineri, quia Jeſum illum Deus Chriſtum, & Dominum fecit.

Verſ. 6. *Deus, qui dixit* (hoc eſt juſſit) *ex tenebris lucem effulgere*, ſeu qui lucem creavit (unde Pater luminum dicitur) à quo omne bonum, & perfectum donum deſcendit. Neque enim tantum iſta quæ corporeos, ſed multo magis quæ mentis oculos illuſtrat lux ab eo venit. Qui, inquam, lucem iſtam corporeis oculis videndam creavit; mentis noſtræ oculos Spirituali luce illuſtravit, ut cognoſceremus, & aliis quoque notum faceremus glorioſiſſimum ipſius facinus, cujus ſpecimen edidit, in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitata, & ad ſummum gloriæ, & majeſtatis culmen exaltata. Hæc enim erat præcipua prædicationis Apoſtolicæ materies.

Notandum autem eſt: primùm, Deum eſſe Patrem omnium luminum: ab eoque petenda omnia. Deinde, doctrinam, & gnoſin de Chriſti reſurrectione, exaltatione, & imperio cæli, terræque ipſi tradito; vocari ab Apoſtolo φωτισμὸν *illuminationem* Evangelii gloriæ Chriſti, ac perpetuam mentis noſtræ irradiationem: lumen cordium, aut in cordibus lucens. præterea lumen illud, quod parte ab una Satanas obtenebrare conatur, ἐν τοῖς νοήμασι, *in mentibus*, in intellectu hominum, ne illuceſcat ipſis lumen lætiſſimi nuncii de Chriſti glorificatione *verſ.* 4.:

parte

parte ab altera, quod Deus accendit, & *illuceſcere facit in cordibus hominum, ad illuminationem cognitionis gloriæ ſuæ in perſona Jeſu Chriſti.*

Verſ. 7. Poſteaquam commendaſſet præcipuam iſtam in religione Chriſtiana partem cognitionis rerum divinarum, ſumptâ à luce, & illuminatione ſimilitudine; non deſinit eam porro commendare, ſumpta ab opibus metaphora: & appellat eam theſaurum. ſed in allegoria pergens, addit theſaurum iſtum eſſe in fictilibus vaſis, vilitatem, & infirmitatem corporis ſui, multis malis, ſed præcipue perſecutionibus obnoxii, eleganti tranſlatione exprimens: ſimulque conſilium Dei, & cauſam finalem, cur Deus tantum theſaurum, in fictilibus vaſis conditum eſſe voluerit, hoc eſt, cur eum, tam glorioſa religionis Chriſtianæ myſteria prædicantem, tot malis, & perſecutionibus conflictari voluerit. Ut inquit *excellentia* (ὑπερβολὴ) *eminentia potentiæ Dei ipſi Deo, non autem hominibus tribueretur.*

Voluit igitur Deus, ut Apoſtolus, & ejus ſimiles, in omnibus affligerentur: (*verſ.* 8.) ut periculis variis exercerentur, ac percellerentur; nec tamen deſperarent: ut perſecutionem paterentur; nec tamen deſererentur: ut virulentis calumniis, & quaſi ſpiculis, impeterentur; nec tamen caderent, aut perirent. Voluit ut ſemper *mortificationem, ſeu mortem* (νέκρωσιν) *Domini Jeſu in corpore ſuo circumferent*, hoc eſt, ut talibus afflictionibus perpetuo exercerentur, qualibus Chriſtus Dominus tempore mortis ſuæ afflictus eſt. *Ut poſtea vita quoque Jeſu*, reductio ad vitam, & glorioſa ab omnibus malis liberatio, *in iiſdem appareat.* Quamvis enim νέκρωσις Chriſti, & ad mortificationem affectuum, & concupiſcentiarum referri aliàs poſſit; tamen hoc loco aliud agitur, ut Apoſtolus ſe *verſ.* 11. explicat, dum dicit. *Semper enim viventes*, (hoc eſt totâ vitâ) *in mortem propter Jeſum tradimur, ut vita Jeſu in mortali carne noſtra reveletur.* Quia hic verſus explicat priorem; videmus ἐν τῇ σαρκὶ ἡμῶν, id eſt, *in corpore noſtro*, idem eſſe quod, ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ, id eſt, *in mortali carne.* Cum autem aliunde conſtet, tunc, cum vita Chriſti in nobis revelabitur, nos mortalem carnem non habituros; non poſſunt aliter verba iſta explicari, quam in eo Deum gloriam ſuam quærere, ut quamvis nunc in iſto mortali, & caſibus, atque injuriis ſubjecto corpore vivamus; glorioſam tamen, & æternam, qualis in Domino Jeſu cernitur, vitam aſſequamur. Contraria igitur eo conſilio juxta ſe poſuit, ut magis eluceſceret magnitudo, & excellentia potentiæ Dei.

Verſ. 12. Oſtendit Apoſtolus afflictiones ſuas (ut & aliorum, qui prædicant Evangelium) ipſamque adeo mortem, tendere in maximum eorum, quibus prædicatur (quos inter Corinthii) emolumentum, ipſamque adeo vitam æternam. Notandum autem eſt, quemadmodum per vocem mortis, aut certe per verba, *mors in nobis efficaciam exercet*, non ſola mors, aut ultimus ille vitæ exitus intelligitur, ſed omnes afflictionum ſpecies, quas ſupra enumeravit, quæ τῇ νέκρωσι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, id eſt, *mortificationi Domini Jeſu*, hoc eſt, afflictionibus, quæ circa mortem ejus acciderunt, reſpondent, quæque non in ipſa morte, ſed ante mortem quoque acciderunt, ſed tamen abſque metu, & minis mortis eſſe nequeunt: ita per eandem complexionem, aut Synecdochen, per vocem vitæ hoc loco non ſolum vitam æternam, ab Apoſtolo intelligi; ſed præcipua quoque vitæ hujus caducæ emolumenta, & ſolatia, quæ cum certa ſpe vitæ æternæ conjuncta ſunt: imo vero iſtam ſpem progenerant, & mirificè confirmant. qualis erat illa palpabilis Dei potentia, in eo, quòd ut alios, ita præcipue Apoſtolum Paulum, tot, tantiſque afflictionibus, & proximo, ac præſentiſſimo mortis periculo, toties objiciebat; & tamen eum ſemper eripiebat. quod ante in *verſ.* 8. & 9. (ſine dubio occaſione recentiſſimi illius beneficii Dei in Epheſino periculo, cujus initio Epiſtolæ hujus meminit) graphice expreſſit. quod ea ratione ſpem vitæ æternæ in Corinthiis confirmabat. quia, qui videbant non ſolum Dominum Jeſum ab ipſa morte à Deo ſemel reſuſcitatum (Dixit enim *verſu* 13. Corinthios habere *eundem Spiritum fidei*, ſcilicet illius, qua credebant Jeſum à Deo reſuſcitatum, ut ſe *verſ.* 14. explicat.) ſed etiam Apoſtolos ejus toties è præſentiſſimo mortis periculo ἐκ τηλικούτου θανάτου, *ex tanta morte*, eripi, & jam quaſi deploratos cæteris fidelibus quaſi poſt liminio reſtitui; facile poterant colligere, eundem Deum per Chriſtum poſſe id efficere, ut fideles ejus, per mortem à ſe dirempti, excitentur, & ſibi iterum mutuò reſtituantur.

Merito igitur Apoſtolus ait, *hæc omnia fieri propter ipſos verſ.* 15., hoc eſt, in maximum eorum bonum, atque emolumentum, ut eos tanto magis ſimularet ad gratias eo nomine agendas Deo, O. M. quod ſuprà. *Cap.* 1. 9. 10. ſed præcipue *Cap.* 11. iiſdem prope verbis fecerat.

Verſ. 16. Redeundo ad propoſitum Apoſtolus, quod initio capitis propoſuerat, ſeſe μὴ ἐκκακεῖν, *non ſegneſcere*, non collabi viribus, nec malis fatigari, conſiderando præſtantiam miniſterii ſui; idem nunc repetit iiſdem verbis ſeſe μὴ ἐκκακεῖν, *non ſegneſcere*, conſiderando tantæ ſpei excellentiam, ſed quanquam externus ejus homo, hoc eſt, organum iſtud corporis, corporeis oculis ſubjectum, corrumpatur; internum tamen hominem renovari, & viribus augeri.

Ubi notandum, hoſpitem iſtum corporis noſtri animum, & cauſam iſtam principalem, quæ organo, & inſtrumento corporis in omnibus ſuis operationibus utitur, hominem, ſed internum, inviſibilem (quia Spiritualis eſt) ab Apoſtolo vocari; ut vel inde intelligi poſſit, ex ſententia Apoſtoli nos etiam abſque iſto vili, & corruptibili organo homines eſſe, & dici poſſe, nec mutato organo eoſdem homines eſſe deſinere. Homines enim iſtos duos, externum, & internum, dum ſibi opponit, & quidem in rebus eſſentialibus, quæ corruptionem, & conſervationem eſſentiæ *ſubjecti* ſpectant; ſatis oſtendit hæc tria. primum, ſe hominem iſtum internum, non modo diſtincte, & ſeparatim à corpore, ſed etiam oppoſitè corpori conſideratum; hominem tamen eſſe cenſere, & vocare: &, quaſi ſeorſim à corpore res ſuas ſibi habeat, introducere, qui tantùm abeſt ut corporis malis, ac debilitatibus alteratur, & ſeneſcat, atque adeo corrumpatur; ut potius tunc maxime renovetur, ac juveneſcat. Deinde, hominem hunc etiam abſque mutato organo, eſſe poſſe, & natura ſua incorruptibilem, nec cum organo interire. Denique tertio, mutationem corporei, & ignobilis inſtrumenti in Spirituale, & nobile; nihil impedire, quo minùs idem numero iſte homo etiam poſt mutationem hanc eſſe cenſeatur.

Porro modum, & rationem renovationis hujus, quæ etiam in hac vita fit, ſucceſſive ac de die in diem; indicat duobus ſequentibus verſibus, & initio capitis proxime ſuccedentis: Certam nimirum ſpem vitæ, & gloriæ æternæ; quæ exiguum hoc laboris, & afflictionis, quod tam cito tranſit, incomparabili, & æternum manſurâ mercede ſit compenſatura. Quæ ſpes quomodo acquiri poſſit, docet Apoſtolus, primum *verſ.* 17., ut in æqua judicii lance ponamus hinc levitatem laboris, ac perpeſſionis cito tranſituræ; illinc autem τὸ δ' ὑπερβολὴν

βολὴν αἰώνιον βαρος δοξης, id est, *supra quam dici aut exprimi potest præponderans æternæ gloriæ pondus.* hinc enim contemptus omnium terrenorum, & remotio impedimentorum, quæ nos in salutis curriculo remorari solent, & strenuitas, maximi præmii illecebrâ excitata, nascitur, ad suscipiendam rem, cui vires nostræ non possint esse impares. Deinde *vers.* 18. & ultimo ostendit nobis viam Apostolus, spei istius acquirendæ, & fovendæ, ut quam creberrimè, imò si fieri potest, perpetuò ponamus nobis ob oculos, non ista visibilia præmia, quibus animi ad rem aliquam aggrediendam accendi possunt, sed invisibilem illam mercedem futuræ gloriæ: rationem reddens, quia quæcunque oculis nostris usurpare possumus, ut ipsa fluxa, & citò transitura, ita infirmum etiam, nec diu duraturum impetum, & ardorem Deo serviendi producunt. At illa merces invisibilis, æterna est, quæque ideo constans, ac perpetuum in nobis Deo placendi studium (ut infra *Cap.* v. 9. ait) ingenerare potest.

CAPUT V.

EXplicat nobis Apostolus quænam illa sint invisibilia, quæ præ oculis mentis ejus semper versarentur, & proinde præ nostris quoque oculis semper versari debeant. Nempe quod in locum istius corporis visibilis, ac terreni, quod corrumpi, ac dissolvi necesse est; corpus spirituale, ac cæleste habituri simus, ad omnem æternitatem in cælis duraturum. Profert autem sententiam hanc Apostolus ἀλληγορικῶς, *allegorice.* Nam & mortale corpus vocat domicilium, & tabernaculum terrenum: & illud incorruptibile, quod in locum ejus succedit, vocat *ædificium ex Deo, domum nequaquam manufactam (ἀχειροποιητον,) æternam in cælis.* Quibus verbis ostendit animum nostrum esse ejusmodi hospitem, qui sine ulla sui corruptione, ac sine ullo suo detrimento, imo vero cum maximo suo emolumento, ex terreno in cæleste, ex eo quod est ab homine, in illud quod non ab homine (cui in allegoria respondet ἀχειροποιητὸν, *manibus non factum*, quia ædificia vulgo manibus hominum construuntur) sed est ab ipso Deo; migrare, & transire possit.

Quamvis & (ἀχειροποιητὸν,) non manufactum ea ratione dici potest, quod sit incorruptibile, quia quæ manus humana construit, manus humana desinere potest: imo vero ipso ævo desinui solent. ideò, (quasi se ipsum explicans) subjicit statim αἰώνιον, *æternum*, & cui in cælis, quò nihil corruptibile penetrat, locus esse possit.

Vers. 2. Res omnes, quo nobiliores natura sunt, eo magis & conservationem sui desiderant, & ad corruptionem sui ingemiscunt. In iis natura quoque humana horret interitum, præsertim cum istud debile corpusculum dissolvi, aut corrumpi incipit. Idcircò cum nos corporis hujus piget, *cælesti habitaculo superindui optamus.*

Vers. 3. Quamvis verborum (*Siquidem induti, non nudi inveniamur*) possit videri esse is sensus, & quidem non falsus: cælesti habitaculo, & veste immortalitatis neminem induendum, qui veste pietatis minime indutus, sed nudus deprehensus fuerit. Tamen hunc sensum ab hoc loco alienum esse censeo. Loquitur enim Apostolus, ut se *vers.* 4. explicat, de corporis, non virtutis indumento, quo exui nolumus, sed tantum ipsi immortalitatem superindui, ut devoretur, & quasi *deglutiatur mortale à vita*, hoc est, ut fiat illud quod 1 *Cor.* xv. 52. ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. *In momento temporis, in indivisibili, in nutu oculi*, futurum esse, prædicit Apostolus. Sensus igitur est, superindui optamus; si quidem in hoc corpore induti vivimus. Nam si nudi, hoc est, mortui, & corpore exuti simus; non superindui, sed indui optamus: nec est tunc quicquam in nobis, quod à superveniente indumento devoretur; sed plane ipso indumento indigemus, & organo, non superindumento.

Vers. 4. Quamdiu autem in hoc corpore vivimus, quamvis variis ejus infirmitatibus gravati ingemiscimus; tamen illo exui nolumus, ipsa natura nostra mortem, ac dissolutionem compositi horrente; sed tantum illi vitam, & immortalitatem superindui optamus, ita tamen ut mortale devoretur à vitâ, ne ulla postea causa ingemiscendi supersit.

Non potest igitur quisquam ex istis verbis Apostoli, in favorem istius, quod nunc habemus corporis, hoc elicere, ut quia sibi tribuat Apostolus desiderium hoc, sicut & fidelibus, & quidem Spiritu Sancti præditis, quòd nolint corpore exui, sed tantum superindui; idcirco nos istius corporis amore merito teneri, & sine isto organo vivere non posse.

Non enim Apostolus dicit sese, aut fideles ideo nolle isto, ut sic loquar, vestimento exui, quod ipsius vestimenti amore teneantur, aut illo carere nequeant; sed ne ipsi nuditatem, hoc est, mortem subeant. Alioqui manifeste Apostolus dicit *vers.* 4. sese, aut fideles ita velle superindui, ut τὸ θνητὸν, *mortale*, hoc est, istud lacerum, & pannosum vestimentum, devoretur à glorioso. Non igitur in gratiam vestimenti, sed in gratiam sui, nolunt illo exui. Ac postquam superinduti immortali veste fuerint, volunt, &, eorum ut velint interest, ut ista lacera, & pannosa vestis intereat, ne quam postea ingemiscendi ansam habeant.

Quamvis autem, quæ hic Apostolus de pluribus, in plurali, quem vocant numero, prædicat, de omnibus aliis fidelibus, qui arrhâ Spiritus Sancti Christo auctorati sunt; dici possint, & ad omnes plane pertineant: tamen si scopum Apostoli consideremus, de seipso ista, ut & ex antecedentibus, pleraque omnia dicere videtur, eo tamen consilio, ut naturam, & officium hominis Christiani in suo exemplo omnibus spectanda, & imitanda proponat.

Vers. 5. Quod igitur ista invisibilia (ut omnium Christi fidelium officium exigit) perpetuo spectet, & in locum istius corruptibilis tabernaculi domicilium è cælo æternum, & finem istorum, quos in isto fluxo corpusculo facere necesse erat, gemituum expectet; id soli Deo acceptum fert, qui non nudam spem tanti boni, sed firmam assequendi ejus fiduciam sigillo Spiritus Sancti obsignatam, ipsi contulerit, quo flagrantiorem tanti beneficii gratiam in corde suo excitet.

Vers. 6. Hanc igitur ex vi Spiritus Sancti promanantem fiduciam efficere ait, ut vitæ hujus caducæ, & fluxi corpusculi anxiam curam non habeat (*vers.* 6. & 8.) sciens quod quamdiu in hoc mortali domicilio habitaturus esset, tamdiu *peregre à Domino abfuturus* esset, malle autem se domicilio isto carere, *quam à Domino abesse.* Rationem in parenthesi interjicit; *vers.* 7. *quia per fidem*, inquit, *ambulamus, non per speciem.* Fidem nimirum resurrectionis, quam iisdem Corinthiis primæ Epistolæ *Cap.* xv. proposuit, in qua proponenda eosdem admonuerat, quod huc maxime facit, *carnem, & sanguinem ad regnum Dei admitti non posse.* unde necessario sequitur, quamdiu in carne, & sanguine simus, nos ad Regem nostrum, ea conditione, ut cum ipso perpetuo maneamus, admitti non posse: adeo ut etiam ii, qui tempore resurrectionis vivi deprehendentur; trans-

transmutari & ex vili statu isto, & migrare in glorioſum, opus habeant, ac debeant. Opponit autem fidei ſpeciem, ut oſtendat ſe in vera fide ambulare, nec ſpeciem fidei, ſed ipſam genuinam fidem habere. quod ſibi iniquiſſime à Pſeudo-Apoſtolis objici, infra *Capite* x. 2. queritur, qui eum tanquam ſecundum carnem ambulantem exiſtimabant: cujuſmodi homines, (quia vera fide carent) *Heb.* xi. 6. Deo placere non poſſunt. *Rom.* viii. 8.

Verſ. 9. Seſe autem tanta ſpe ſtimulatum φιλοτιμεῖσθαι, *omnibus viribus contendere*, (verbo utitur, quo ardentiſſimum eorum ſtudium exprimit, qui ad honores aſpirabant) concludit, ut Domino placeat, ſive in hoc corpore, uſque ad adventum Domini manſurus, ſive ante adventum Domini exuvias corporis hujus depoſiturus eſſet. In hæc enim duo genera hominum diſpeſcit Apoſtolus eos, qui vitæ æternæ participes ſunt futuri.

Verſ. 10. Rationem addit tam ardentis ſtudii, extremi judicii metum, quia cunctis coràm tribunali Chriſti ſtandum eſt, ut reportet unuſquiſque dignam factorum ſuorum mercedem.

Utitur autem verbis ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, hoc eſt, *(ut reportet unuſquiſque ea quæ per corpus juxtà quæ fecit.)* Non dicit Apoſtolus hoc loco, ut in corpore reportet factorum mercedem. Interpoſitus enim eſt articulus τὰ, *hæc*, inter κομίσηται ἕκαστος, *reportabit quiſque*, & inter voces διὰ τοῦ σώματος, *per corpus*, qui neceſſario ad alium articulum ἃ ἔπραξεν, *quæ fecit*, refertur. Proinde & voces διὰ τοῦ σώματος, id eſt, *per Corpus*, quæ cum articulo utroque connexæ ſunt, ad verbum ἔπραξεν, *fecit*, non ad κομίσηται, *reportabit* referri neceſſe eſt.

Vera verborum conſtructio eſt (ut referat quiſque ſive bonum, ſive malum *pro iis, aut juxta ea, quæ per corpus* (quia hoc eſt organum omnium hominis operationum) *& dum eſſet in corpore* (peregre ſcilicet à Domino; hic, repetendum καλὸν κακόν, *ſive bene*, ſive male) *egit.* Particula enim πρὸς, *juxtà*, exprimit correſpondentiam, & reſpectum τὴν ἀντιμισθίαν, *retributionis*, pro iis, quæ quiſque in corpore ſuo, hoc eſt, dum viveret, aut per corpus, hoc eſt, organum corporis egit, & per particulam *juxtà* explicatur.

Notandum autem eſt hoc loco, Apoſtolum, & eximiam ſuam fiduciam, & promiſſis Dei confidendi *plenam certitudinem*, πληροφορίαν, quam per vocem θαῤῥοῦντες & θαῤῥοῦμεν, *confidentes & confidimus*, exprimit; & cautiſſimum metum, & gravem, ac juſtam formidinem, ſimul, & ſemel exponere, quia utrumque horum in homine Chriſtiano ita debet eſſe temperatum, ut neque firma fides, ac ſpes conſequendæ ſalutis ſecuritatem, neque nimius timor deſperationem, ac diffidentiam afferat. Quæ licet contrariæ affectiones videntur; poſſunt tamen unâ, & ſimul conſiſtere ratione diverſorum objectorum. fides enim, & ſpei fiducia reſpicit Dei, ut ſic loquar, fidelitatem. metus autem, ac formido, reſpicit imbecillitatem noſtram, & inconſtantiam, cujus culpa fieri non difficulter poſſit, ut Domino diſpliceamus, & in conſpectu ejus, cujus aciem nihil effugere poteſt, cum pro tribunali ſedens reddet unicuique ſecundum opera ejus, culpæ, & crimina noſtra pateant. Qui metus una cum illa firma, & immobili fiducia conjunctus; efficit, ut & omnes culpas, quantum fieri poteſt, vigilantiſſime caveamus: &, tam certa ſpe excitati; tanto ardentius virtutes omnes, & quicquid Domino placet, conſectemur.

Hunc igitur metum incumbere, & hoc periculum omnibus imminere ſcientes (*verſ.* 11.) hominibus quidem perſuadere conamur, ut ſpei, ac fiduciæ ſuæ, quam Chriſti religio inculcat, vigilem iſtam, & circumſpectam conſcientiæ curam addant. *Deo* vero *manifeſti ſumus*, qui probe ſcit quam firmiter ipſi ea credamus, quæ aliis perſuademus: & quàm fideliter ea ipſi faciamus, quæ aliis facienda monſtramus. Spero autem, inquit idem, non Deo tantum, ſed *& conſcientiis* veſtris liquere, ac *manifeſtum* eſſe: contra quàm obtrectatores mei ſentiunt, qui me ſecundum carnem (infra *Cap.* x.) ambulare opinantur.

Atque hinc patet ſuperiora quoque omnia, quamvis ad omnes in reipſa, æque ut ad Paulum pertineant; Paulum tamen de ſe ipſo primariò, & principaliter pronunciare: & juxta propoſiti ſui rationem ad ſui contra malevolos defenſionem applicare. Non enim ideo hæc, inquit, propono *verſ.* 12., ut me vobis commendem, aut exiſtimationem meam purgare connitar; quibus me ſatis purgatum, imo commendatum eſſe confido: ſed ut vobis occaſionem dem, & anſam præbeam gloriationis pro nobis adverſus obtrectatores meos, qui gloriantur & ipſi; ſed in ſpeciem fictâ, non verâ, & cui corda ipſorum propria, (tantum abeſt, ut aliorum quoque hominum) bona fide aſſentiantur, gloriatione.

Verſ. 13. Et quia præbere aliis iſtam anſam gloriationis pro ſe non poterat Paulus, quin laudes ſuas attingeret, in quas qui effunduntur, habentur vulgo pro imprudentibus, & qui ſibi, ſuoque (quamvis forte ſano) judicio excidiſſe videntur; ideo tacitæ objectioni occurrens, ait: *ſive mente excidimus, Deo, ſive ſano, & ſobrio judicio utimur, vobis verſ.* 13., hoc eſt, ſive mens noſtra ſacro inſtinctu abrepta, & quaſi ordinaria ſede ſua mota, aliquid præter ſolitum, ideoque nec omnibus temere imitandum, protulit; id nobis flagrans ſtudium gloriæ Dei extorſit: ſive mens noſtra ad normam legis ordinariæ judicio ſuo utitur; id in veſtrum dirigitur, ac cedit emolumentum.

Verſ. 14. Nihil enim noſtrum quærimus, ſed aut Dei, Chriſtique, aut veſtrum emolumentum, quia nos eo *adigat caritas Chriſti*, hoc eſt, talis caritas, qualis in Chriſti fuit, qui in morte ſua non ſuam rem, ſed aliorum egit (vide *Philipp.* ii. 4. *& ſeqq.)* Ita nos in eo quod ea agimus, quæ ad laudem noſtram pertinent atque ita periculum ſubjimus, ne mente noſtra excidiſſe putaremur; non noſtri id cauſa fecimus, ſed partim Dei, partim veſtri.

Verſ. 15. Atque hac occaſione à laudibus ſuis, tanquam à periculoſo ſcopulo, libenter divertit orationem ad oſtendendos fructus mortis Chriſti: non modo eos, qui ad propoſitum ejus pertinebant, hoc eſt, nos non debere noſtras res quærere, aut nobiſmet ipſis vivere, tanquam nobis ſolis natos, exemplo Chriſto, qui vitam ſuam nobis impendit; ſed alios quoque ſimiles, quod mors Chriſti à nobis exigat, ut ipſi quoque peccatis moriamur, carnem noſtram crucifigamus, vivamus denique vitam placentem ei, qui pro nobis, id eſt, propter nos, non mortuus tantum eſt, ſed & ſuſcitatus.

Exigit autem à nobis id mors Christi multipliciter : non tantum exemplo ad imitandum propositio , & per confirmationem spei nostræ ; sed etiam obligatione quadam ingentis beneficii , quæ nos quodammodo mancipat , & obstringit vinculo tantæ dilectionis , ut quia Dominus nos adeo dilexit , ut vitam pro nobis poneret , & acerbissimam mortem subiret ; nos quoque vicissim in gratiam , & ad placitum ejus vitam nostram conformemus , eamque ad obsequium ejus plane consecremus.

Præterea mors Domini , atque eam consecuta resurrectio , non modo optimo jure poscit à nobis eam rem , sed ejus quoque in nobis non difficulter efficiendæ vim habet , ut quemadmodum Christus ex morte ad vitam , ex misero in beatum , ex vili in glorioſum ſtatum transiit , & quodammodo ex homine Deus factus est : ita ut nunc eum , non tanquam hominem (sicut antea) sed tanquam Deum agnoscimus ; ita nos quoque ex veteri , & misero peccatorum , & mortis statu in novæ vitæ sanctimoniam transeamus , & ex vita secundum carnem , ad vitam secundum spiritum migremus.

Verba igitur *vers.* 16. , *Quare nos nunc neminem secundum carnem novimus* ; non ad solum Christum ; sed ad omnes quoque , qui sunt in Christo , referuntur. quasi dicat , quod *vers.* 17. explicat , tam Christus , quam ii , qui sunt in Christo , omnes ignobiliorem statum cum longe nobiliori commutarunt. Quemadmodum enim Christus primogenitus novæ creaturæ , ex morte resuscitatus , & glorificatus est ; ita omnes , *qui sunt in Christo* , sub spe similis resuscitationis , & gloriæ , ex vita secundum carnem , ad vitam secundum spiritum transeuntes , *nova creatura* facti sunt. *Vetera prætierunt. ecce nova facta sunt omnia.* Vocis *omnia* ad subjectam materiam limitandæ usurpatio notanda est.

Vers. 18. Expositio maximo Christi beneficio , quod per illius mortem ex misero in beatum statum transiimus ; accedit ad primam , & supremam salutis nostræ causam , Deum videlicet , Patrem Domini nostri Jesu Christi , qui ut per vitam , miracula , prædicationem , maxime vero mortem Christi , mundum , hoc est , homines in mundo viventes (omnibus enim ad remissionem peccatorum Religio Christi facit aditum) sibi reconciliavit ; ita hujus reconciliationis ministerium , & prædicationem , & quasi legationem Apostolis commisit.

Explicat autem *vers.* 19. rationem , per quam sibi Deus mundum conciliavit , *non imputans ipsis peccata* , μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα. hoc est , remissione peccatorum , quæ Dei ex parte sua reconciliatio mutuam vicissim ex parte hominum reconciliationem exigit. Omnis enim conciliatio inter duas partes est , quæ reconciliantur. Quemadmodum enim Deus se reconciliatum sua ex parte testatus est , offerendo remissionem , aut non imputationem commissorum peccatorum : ita homines ex parte sua debent vicissim reconciliari Deo , abstinendo à committendis peccatis. Quanquam igitur verba *vers.* 19 κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ *(Mundum reconcilians sibi)* quemadmodum & reliqua hoc loco ubi , τὴν καταλλαγὴν , *reconciliationis* , mentio fit , sed præcipue verba *vers.* 20. , *reconciliamini Deo* , sicut mens Apostoli , & ipsorum verborum natura postulat , de ea reconciliatione agant , quæ est ex parte hominum ; tamen non omninò , neque simpliciter negandum est , hic non quidem expresse , sed tacite illius reconciliationis mentionem fieri , quæ est ex parte Dei , tanquam scilicet rationis , & causæ procatarcticæ , per quam ista ex parte hominum reconciliatio perficitur. Invitantur enim homines hac gratia , & indulgentia Dei , ad eum vicissim amandum , ejusque voluntati gratificandum , hoc est , ad non peccandum. Et quia in ipsa rei natura , totius hujus reconciliationis in genere consideratæ , gratia ista Dei , quæ in oblatione remissionis peccatorum cernitur , pars est , ideo ubi expressa mentio fit remissionis peccatorum , istius quoque specialis reconciliationis , quæ est ex parte Dei , tacita mentio fieri intelligitur , quamvis forte vox *reconciliationis* soli alteri ejus parti , quæ est ex parte hominum applicetur.

Vers. 20. Exponitur prima , & suprema causa , & quasi omnium principalissima , istius reconciliationis , ac totius salutis nostræ. Deus enim Christum , tanquam magnum legatum , cum ista gratiæ , & indulgentiæ suæ oblatione , ac denuntiatione misit , quæ etiam boni nuncii , seu Evangelii nomine vocatur : qui in Judæa primum legatione Dei functus , posteaquam gratiam istam Dei illi genti , & per eam toti orbi , ante mortem suam promulgasset ; ab ingratissimo illo populo occisus primùm , & mox præpotenti Dei manu à morte excitatus , & statim exaltatus , ac cæli , terræque habenas , & omnem potestatem nactus , iterum Legatos suos Apostolos , & viros deinceps Apostolicos , miraculoso Spiritus Sancti dono , tanquam litteris fidei , & Commissionis , quibus eorum legationis mundo fides fiebat , instructos ; misit ad omnes gentes , ut Dei primùm , deinde Christi nomine , pro quo legatione fungebantur , hortarentur homines , imo peterent ab iis , ut tanta gratia Dei provocati , Deo reconciliarentur. Ergo & ante Christi mortem jam Deus placatum sese hominibus ostenderat : nec ulla ex parte sua reconciliatione , aut iræ suæ placatione indigebat , quia & per Joannem , primum Magni Legati præcursorem , & mox solenni per tantæ dignitatis Ministrum legatione , sese jam placatum , ac reconciliatum , hoc est , misertum humani generis ostenderat : nec eam reconciliationem , quæ est ex parte ejus , sed eam , quæ est ex parte hominum , hoc est , conversionem ad se , ac pœnitentiam , atque à peccando deinceps abstinentiam quærebat , & ad eam magnis præmiis homines invitabat.

Vers. 21. Causam cur Deo reconciliari , atque ad Deum converti , & peccatis (quæ nos cum Deo committunt) renunciare debeamus ; præter eam , quam supra attulit , hoc est , remissionem peccatorum ; alteram affert , quæ istius remissionis maximum est documentum , & confirmatio , & quasi sigillum , hoc est , eximiam illam delectationem Dei , quam ostendit erga nos in morte filii sui , quem innocentem , & omnis peccati expertem , ideoque sibi unice dilectum , tanquam peccatorem tractari voluit , ut nos peccatis renunciantes , justificationem non quidem legalem , quæ exigit , ut quis omnino peccati expers sit , sed eam , quæ est in Christo promissa , cujusque paulo ante meminit , ut nobis peccata tam præterita ante agnitionem Dei commissa , quam ea , quæ post cognitionem Dei (dummodo alioqui nobis non dominentur , sed ex infirmitate interdum committantur) non imputentur , ad quem justitiæ gradum fructus , quos è morte Christi percipimus multiplices , quos nunc enumerare non vacat , nos quasi manu ducunt.

Notandum

Notandum autem, ut in multis aliis Scripturæ Sacræ locis, ita hic præcipue, id pro insigni dilectionis Dei erga nos argumento, ac testimonio poni, quod vulgo pro irati Dei, & peccatis nostris quasi irreconciliabiliter offensi documento habetur. Quod enim Deus filium suum, tanquam peccatorem tractari passus fuerit, in gratiam nostri, ut nos maximis ex morte ejus emolumentis frueremur, & quasi carne ejus pro nobis in mortem tradita vesci, & sanguine ejus pro nobis fuso, tanquam salutari cibo potuque vires nostras spirituales in salutis negotio subinde reficere possemus; non potuit nisi ex propensa erga nos summi Dei voluntate, misericordia, & plus quam paterno affectu proficisci.

CAPUT VI.

Vers. 1. *Cooperantes autem* scilicet Deo, & Christo (ut 1. *Cor.* III. 9. θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί) *Dei enim sumus Cooperarii*, quia supra dixit, *Cap.* V. *vers.* 19. *Deum in Christo mundum conciliasse sibi, & in se reposuisse ministerium istius reconciliationis; sese pro Christo legatione fungi, vers.* 20., *Et hortamur* (παρακαλοῦμεν) *ne in vanum gratiam Dei accipiatis*, hoc est, ne ingrati sitis tanti beneficii Dei, neve ab ingratis tollatur hoc beneficium, & ita frustremini fructu oblatæ tam salutaris gratiæ.

Vers. 2. Verbis Sacræ Scripturæ ad propositum suum allegatis felicitatem temporum prædicati Evangelii describit, quibus tanta, & tam salutaris gratia Dei hominibus illuxit. Vocat igitur καιρὸν εὐπρόσδεκτον, καὶ ἡμέραν σωτηρίας, *Tempus acceptum, & diem salutis*, ut intelligerent Corinthii occasionem tàm commodam salutis, ac felicitatis suæ, nequaquam esse dimittendam. nec enim semper ejus copiam fore, si tanta opportunitas felicitatis elabatur.

Vers. 3. *Nullam cuiquam dantes offensionem, ne accusetur aut culpetur ministerium*, scilicet Apostolatus sui, & legationis pro Christo, seu reconciliationis ministerium. De se ipso Apostolum loqui liquet (sicut & in antecedentibus ubique) usque ad *vers.* 13. ita tamen ut in suo exemplo ostendat Corinthiis, quales illi quoque esse debeant, eosque ad id cohortetur dicto *vers.* 13.

Vers 4. Non satis est nihil mali, & reprehendendi fecisse. Etiam omne genus virtutis, ac laudis consectatum sese Apostolus ait. Ac primum, *patientiam multam in afflictionibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in custodiis, in seditionibus* (recentem Ephesinam præ oculis habuisse videtur) Deinde, strenuitatem *in laboribus*: vigilantiam *in vigiliis*: abstinentiam *in jejuniis vers.* 6.: sanctitatem in *castitate*: cui subjungit assectam castitatis, γνῶσιν notitiam, quia Deus istiusmodi dono hanc virtutem libenter remuneratur: *longanimitatem* erga homines molestos: *bonitatem* ac benignitatem erga omnes: ardorem animi, ac zelum in Spiritu Sancto, & *caritatem non simulatam*: *vers.* 7. *veritatis* propagandæ studium: cui adjungit *potentiam Dei*, quo dono Deus etiam remuneratur eos, qui veritatem ejus promovent, & supradictis virtutibus prædíti sunt. & tale donum est certissimum signum, ac documentum legitime administrati commissi à Deo muneris. Potentia autem ista Dei, exeritur *per arma justitiæ dextra & sinistra*, quæ arma, qualia sint, explicat *vers.* 8. 9. 10. *Vers.* 8. *Per gloriam*, inquit, *& ignominiam, maledictiones & benedictiones. Gloriam* enim apud Deum, & qui Dei partes sequebantur: *ignominiam* apud homines habuit, Deo non reconciliatos. Idem de benedictione, & maledictione, & aliis deinceps dicendum. *Tanquam impostores; & tamen veraces: tanquam obscuri; & tamen omnibus noti, vers.* 9.: *tanquam morientes; & ecce vivimus: tanquam verberati; & tamen citra necem, vers.* 10. tanquam tot persecutionibus *contristati*; *& semper gaudentes: tanquam egeni; & multos ditantes: tanquam nihil habentes; & omnia possidentes.* Magna enim in eo Dei potentia cernitur, quod ista, quæ hic vocat Apostolus dextra, & sinistra justitiæ arma, quamvis inter se pugnare videantur, ita temperet, ut in uno, eodemque homine locum habere possint.

Vers. 11. Quia vero hoc loco in laudes suas Apostolus exspatiatus est; ilicò id Corinthiis excusandum putavit, aitque ideo *os illius apertum esse erga ipsos*, hoc est, ideo se plusculum elocutum esse, quàm cuipiam satis videri posset, ad ipsos; *quia cor ejus dilatatum* est, præ gaudio videlicet, & ardenti desiderio eos ejusdem gaudii participes faciendi, quia in tali affectu cor dilatari consensus Physicorum docet. Docet autem duobus sequentibus versibus 12, & 13., sese id bono, & emolumento ipsorum fecisse, videlicet ut eos exemplo suo impelleret ad se imitandum, & ejusdem gaudii fructum consequendum. Non habere enim eos, in se suisque actionibus ullam contristationis ansam, & occasionem; sed potius gaudii, atque lætitiæ. (Quemadmodum enim gaudium per vocem *dilatationis*; ita tristitiam per vocem *angustiarum* exprimit) Sed quia in se ipsis habeant aliquas contristationis causas, vel ob ea delicta, & culpas, quas in iis priori Epistola reprehendit; ideo tantò majorem ipsis incumbere necessitatem acceptandi ab Apostolo tam benigni officii, quod iis paterno affectu, tanquam dilectis *filiis* præstat, dum eis ejusdem lætitiæ, & felicitatis, qua ipse fruebatur, gustum præbet: atque ita & voluntatem eorum ad se imitandum invitat, & excitat, & copiam imitandi sui facit, ostendens in se ipso, in quibus rebus imitandus sit, & quibus mediis Corinthii gaudium istud assequi possint. Vocat autem id genus officii sui erga ipsos ἀντιμισθίαν, *retributionem mercedis*, respectu illius tristitiæ, quâ ob culpas suas ab Apostolo affecti (mentionem enim ibidem illius *coangustationis in visceribus eorum* facit) eam converterunt in pœnitentiam, ut in infra *Cap.* VII. *vers.* 9. & 11. ait. Digni igitur erant, quibus hanc, quasi mercedem, retribueret Apostolus, tanquam benignus Pater filiis pœnitentibus, ut eos deposita tristitia, ejusdem gaudii, quo ipse fruebatur, felicitate frui juberet, quod infra *Cap.* VII. expressius facit.

Cæterum quibus mediis, & rationibus id assequi possent, in subsequentibus ostendit: & quidem eadem, quæ supra pressit, vestigia relegens.

Vers. 14. Atque hic nexus est versus hujus, & eorum quæ sequuntur cum antecedentibus. Quemadmodum supra dum in suo exemplo ipsis tacite, quibus in rebus imitandus esset, ostenderet; dixit primum, nemini in ulla re se ansam offensionis dedisse, sed potius sese commendasse plurimis virtutibus, quas recenset; ita nunc, dum ipsis aperte præcipit, & ostendit, qua via verum gaudium assequi possint, primùm eos à faciendo malo dehortatur fusius usque ad initium capitis sequentis: deinde eosdem hortatur breviter ad faciendum bonum, in dicto initio *Cap.* VII. proximi. tum iterum redit, ad propositam materiam Apologiæ suæ, quam tota ista Epistola hucusque tractavit.

Dehortatur autem à faciendo malo, præcipiendo primùm, ne se accommodent sæculo huic, *Rom.* XII. 2. quod vix est evitabile in conversatione

cum infidelibus. Dehortatur autem ab ista conversatione, primum rationibus, deinde testimonio Sacræ Scripturæ. Rationes sumit ab antithesi rerum contrariarum, quæ in uno subjecto consistere nequeunt, & quas unâ velle commiscere, & indecorum, & indignum est, ut sunt Justitia, & injustitia: nec ea simplex, sed omnis juris expers. (ἀνομία), Lux, & tenebræ: Christus, & Belial: fidelis, & infidelis: templum Dei, & idola. Cum igitur fideles sint templum Dei viventis, (Deum viventem mortuis, aut inanimatis, seu sine vita existentibus idolis, opponit) & Christi ministri, pretioso ejus sanguine redempti, luce Evangelii collustrati, ad omnem justitiam, pietatem, & sanctimoniam vocati; (hæc enim ἀπὸ κοινοῦ repetenda sunt) indecorum, & indignum est, ipsos cum idololatris infidelibus, cum filiis, aut ministris Beelzebub, cum hominibus in maxima tenebrarum caligine demersis, ideoque in omnia scelera, & omne nefas (ἀνομίαν) dissolutis, conversari. Probat autem fideles esse templum Dei, testimonio Sacræ Scripturæ, ac ipsius Dei, per Spiritum suum loquentis, verbis. *Habitabo*, inquit, *in ipsis & inambulabo*, καὶ ἐνοικήσω ἀνοῖς καὶ, id est. *Exod.* XXIX. 45. *Levit.* XXVI. 11. ero ipsorum Deus & ipsi erunt mihi populus.

Profert deinde testimonium Sacræ Scripturæ, & ipsius Dei verba, dehortantis suos à conversatione cum infidelibus. *Exite* inquit *de medio eorum*, & *separate vos*, *& impurum ne tangite Jesaiæ* LII. 11. *Apoc.* XVIII. 4. (inficiunt enim mores colloquia, & conversationes pravæ) *& ego recipiam vos*, *& ero vobis Pater*, *& vos Filii*, *& filiæ meæ*, *dicit Dominus omnipotens Jer.* XXXI. 1. Si quis opulentus Satrapes, aut potens Dynasta, aut Rex, vel Monarcha terrenus, nos in filios, & filias adoptaret; quam felices nos censeremus. Quanto feliciores, quos adoptione sua dignatur Dominus omnipotens. Tantam igitur promissionem cum habeamus; primum expurgemus nos ab omni pollutione peccati, aut scandali; peccati autem, sive in corpore, sive in animo: deinde perficiamus sanctimoniam in timore Dei, quod est initium Capitis sequentis.

CAPUT VII.

PRæmissis rationibus, & Scripturæ testimoniis, quæ nos ingentibus promissis onerant, si viam hanc ad verum bonæ conscientiæ gaudium, cujus nobis Apostolus gustum præbuit *vers.* 13., tendentem, quam nobis ostendere cæpit, aggrediamur; Concludit exhortationem suam primo Capitis hujus versu breviter omnia complexus, quæ nos tanti gaudii, tantæque felicitatis compotes facere possunt, ut nimirum recedamus à malo, & faciamus bonum, quia eo ingentibus promissis invitamur, aut ut Apostoli verbis efficatioribus utamur, tàm magnificis Dei promissis excitemus nos, ut eluamus omnes maculas, & pollutiones, tam corporis, quam animi, *perficientes sanctimoniam in timore Dei.* Eluimus autem omnes maculas, renunciando omnibus vitiis, & ab iis constanter abstinendo. *Perficimus sanctimoniam*, omnium virtutum habitus consectando, & contrahendo. *In timore Domini.* per quæ verba monstrat nobis Apostolus viam, quomodo id perficere possimus. *Timorem Dei*, qui in eo est, ut posita omni securitate, quæ nos incautos, & Satanæ telis obnoxios reddit, perpetuò vigilemus, & nobis ab insidiis ejus caveamus: assiduis precibus divinam opem implorantes, & impetrantes, ne forte excidamus, non modo eorum spe, quæ assequi volumus, sed iis quoque ipsis, quæ jam habemus.

Vers. 2. Redit postea ad propositum suum, hoc est, Apologiam sui, quam maxima hujus Epistolæ parte tractavit, ac deinceps quoque tractaturus est. *Recipite*, inquit, *nos*, *quia neminem injuria affecimus*, *neminem destruximus*, *neminem decepimus*, *aut supplantavimus.* χωρήσατε est non inelegans, pro eo quod dixisse debuit, maximis vos beneficiis affecimus: viam salutis, & æternæ felicitatis omnibus ostendimus: veritatem sine ullo fuco, & fallaciis puram, & genuinam optimâ fide vobis prædicavimus. Nec tanta mea in vos merita ulla interpolavit culpa nostra, vobis noxia.

Vers. 3. *Hæc* inquit *non in condemnationem vestri dico*, quia paulo ante ostendi me in corde meo esse ita erga vos propensum, ut vobiscum vivere, & mori capiam. Ubi autem hæc *prius dixit* (προείρηκα) quærenti mihi, occurrit *vers.* 14. *&* 15. *Cap.* v. ubi ait ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς, *Caritas Christi cogit constringit*, (possit forsitan explicari & conjungit) *nos. Si* enim *unus pro omnibus mortuus*, *omnes igitur mortui sunt.* (scilicet peccato) *& ideo mortuus est*, *ut omnes non sibi vivant*, *sed ei qui pro ipsis mortuus est*, *& resuscitatus* ac glorificatus Omnes igitur veri Christiani una *commori secum*, συναποθανεῖν, & *convivere* συζῆν, videntur, ideoque erga se invicem propensi esse debent. Ideo hic dicit Paulus, se nihil in eorum commendationem dicere posse, qui secum eo caritatis vinculo connexi sunt, de quo paulo ante *Cap.* v. 14. 15. loquebatur.

Vers. 4. Πολλή μοι παῤῥησία. *Multa mihi loquendi libertas.* Remota falsa causa, cur Apostolus eo loquendi cum ipsis genere usus esset, veram ostendit, quod ipsi multa esset erga ipsos παῤῥησία, *loquendi libertas.* Quo major enim inter homines amicitia intercedit, & familiaritas; eo liberius, ac minore metu, & cautione, in mutuos sinus omnia deponunt, eò liberius secum loquuntur. Hanc autem libertatem, & amicitiam inter Apostolum, & Corinthios intercedere ostendit, quia & gloriari posset eos per ipsum Christo genitos: multoque magis jam & regenitos: & ita viventes, ut plurimam consolationem, & abundantissimum gaudium Apostolus ab iis, & ex iis percipiat *vers.* 14. quod omnes ejus afflictiones soletur. quod recenti exemplo *vers.* 5. ostendit. Cum enim post illam afflictionem Ephesinam in Macedoniam venisset, nullam habuit requiem: undique afflictus, non modo cum externis persecutorum molestiis conflictans; sed etiam cum interno metu de suis fratribus. Anxius enim erat, legatio ad eos Titi quorsum evasisset, & quis ejus fructus esset futurus. quæ anxietas aucta est illo incommodo, quod per Troadem in Macedoniam tendens, Titum illic non invenisset. Vide suprà *Cap.* II. *vers.* 12. quæ solicitudo non cessabat, donec adventu Titi tolleretur. *vers.* 7. Ex quo multiplex gaudium se percepisse ait, non modo ex simplici relatione eorum, quæ in Corinthiaca Ecclesia ex animi sententia accidissent, quod Corinthii monitis Pauli, ut par erat, morem gessissent; sed etiam quod id ea animi alacritate, ac promptitudine feciissent, ut ipsi Tito maximam consolationis ansam præbuerint. Certiorem enim se ab eo factum, quanto desiderio (videlicet satisfaciendi Paulo) flagraverint: quanto gemitu culpas suas deploraverint: quanto zelo causam Pauli adversus obtrectatores ejus (quos illic non paucos fuisse apparet,) susceperint: hæc omnia maximam sibi lætitiam, & consolationem attulisse. In quo simul & Corinthios laudat, & Titum animis ipsorum insinuat, quod bona fide causam eorum apud Paulum egisset; &

se ipsum

se ipsum statim versu sequenti octavo excusat, quod eos literis suis contristaverit, ostendens quanta discretione, & non sine metu offensionis eorum scripserit, ita ut ipsum quandoque scripsisse, quod illos contristaret, pœnituerit. Nunc autem, cum videat optatum fructum scriptionis suæ; non pœnitere se facti, quod tantum sibi gaudium attulerit. Gaudium autem istud se percipere ait, non ex eo quod sint contristati, sed quod sint contristati ad pœnitentiam *vers.* 9.

Vers. 10. Atque hic tristitiam istam, pœnitentiæ matrem, *vocat tristitiam secundum Deum*, & opponit *tristitiæ mundi*. primum, tacite in eo, quod illa sit πρὸς ὥραν, *ad tempus*, & cito transiens, & cumulatâ lætitiâ brevem doloris sensum rependens, ideoque ἀμεταμέλητον, *cujus neminem pœnitere possit*. Hæc autem diu permanens, & nullo solatio redempta. Secundo, aperte in eo, quod illa pœnitentiam in salutem procreat, & ita vitæ æternæ homines propiores reddit: hæc autem homines morti propiùs admovet, & aliquando statim interficit: semper autem ad mortem ducit, ac præparat, & est quasi mortis anteambulo. Unde merito concludere potuit Apostolus (quod excusando istam contristationem *vers.* 9. dixit) per id contristationis genus nullo damno à se affectos Corinthios, imo vero aliquo beneficio, quod *vers.* 11. exaggerat, quia in iis procreaverit tantum emendandæ nocentium culpæ, & excusandæ aliorum innocentiæ studium: tantam erga peccantes indignationem: tantum judiciorum Dei metum: tantum satisfaciendi Apostolo desiderium, ut in omnibus rebus, quod ad hoc negotium, puros, & officio suo plene defunctos sese ostenderint, & plenariam ab Apostolo omnis culpæ absolutionem meruerint.

Vers. 12. Quare tacite requirit, ut illi viciſſim contristationem Apostoli excusatam habeant, quia Epistolæ ejus non is scopus fuit, ut sive ii, qui peccarunt, & ista quasi macula reliquam Ecclesiam innocentem injuriosè aspersèrant, sive insontes in Ecclesia, & quasi injuria affecti, contristarentur; sed ut ipsis omnibus liquido pateret, affectus erga ipsos, & studium procurandæ salutis eorum, syncerum, ac genuinum, & quale in conspectu Dei, qui inspicit arcana cordium, merito venditari potest.

Vers. 13. Cum igitur eâ mente literas, de quibus loquitur, ~~ad eos~~ scripserit, ut ipsis caritatem suam, & propensum in eos affectum, & studium suum de ipsis bene merendi patefaceret, & contestaretur; merito consolatione hac, quam describit, ex ipsis percepta, gavisus, & recreatus est. Cui consolationi cumulum insuper addit gaudium Titi, quod ex ipsorum pœnitentia, studio satisfactionis, ac delendæ, & abolendæ culpæ desiderio affatim percepit. Nam *vers.* 14., in eo rem suam actam esse, idque in maximum suum gaudium redundasse Apostolus ostendit, quia antea Titum participem fecerat consolationis, & gloriationis suæ de ista Ecclesia. Se igitur non pudefactum esse coram ipso, gaudet, & sibi gratulatur, tacitè Deo gratias agens, quòd, quemadmodum in prædicatione sua, & doctrina, quam isti Ecclesiæ tradidit, purè, solide, simpliciter, & syncere, & secundum veritatem absque ullo dolo versatus est; ita viciſſim Dei nutu factum sit, ut gloriatio ejus coram Tito de istius Ecclesiæ laudibus non vana, aut irrita, sed vera, & solida deprehensa fuerit. Quibus verbis profectò sapientissima ratione paternam suam ἀνταπόδοσιν, *mercedis retributionem*, tanquam dilectis liberis, pro ea sui, Titique consolatione reddit: suppeditans ipsis, maximam gaudii causam, & occasionem, ut corda ipsorum, (*vers.* 15.) exemplo ejus dilatari possent. Ostendit enim illos, non modo se ipsum, sed & Titum magno suo merito sibi obstrinxisse, ita ut flagranti in eos affectu ardeat, & eorum obedientiam, & reverentiam ubique commemoret, & prædicet quanto cum metu, ac tremore, ipsum receperint. Unde *vers.* 16. concludit, maximo se gaudio perfundi ex eo, quod illos dignos, quibus in omnibus plane confidat, inveniret, quod tantam laudationem, & quasi gratiarum actionem, & veram ἀνταπόδοσιν, *mercedis retributionem* continet.

CAPUT VIII.

SEquentibus duobus Capitibus hortatur Corinthios, ut exemplo Macedonum collectam, & subsidium pro egenis fratribus conferant. Primum igitur proponit exemplum Macedonum, & illam eorum liberalitatem vocat, *gratiam à Deo datam*, ut intelligat quisque, magnam in eo cujusque felicitatem, & enixis à Deo precibus ambiendam, si quis munificentia sua fratres adjuvare & velit, & possit. Nam ut taceam, non mediocre Dei donum esse, si quis iis facultatibus instructus sit, ut alios quoque juvare possit; ipsa juvandi voluntas, alacritas, simplicitas, verbo uno, caritas Dei donum est obvium, & obtrusum omnibus, qui illud acceptare velint.

In quo animadvertendum est, Deum per Spiritum suum eâ secum conjunctione nos dignari, ut una eademque actio, & nostra, & Dei dici possit. Hinc ipsa fides (vivam, & per caritatem efficacem intelligo) donum Dei dicitur, non quod & nostra non sit; sed quia sine cooperante Deo sanctæ istiusmodi actiones non succedunt. Itaque laus omnium virtutum in Deum redundat, quia non modo earum est prima origo; sed ad perficiendas earum actiones auxilio suo, cum voluntate nostra concurrit. Hinc intelligitur, ut in omnium actuum nostrorum; ita præcipue in rerum laudabilium auspiciis, quanta sit precum, non dico utilitas, sed necessitas.

Vers. 2. Commendat Macedonum munificentiam, ab exercendæ hujus virtutis difficultate. Tanto enim laudabilior est virtutis actio, quanto plures superavit difficultates. Atque eadem opera tacite occurrit inopiæ excusationi, quæ magnum est hujus virtutis impedimentum, nec tamen insuperabile. Duas autem difficultates commemorat hoc loco in eo virtutis genere à Macedonibus superatas. Primum, Probationes afflictionum. Secundum, *paupertatem profundam, & opes ad fundum exhaustas*, τὴν κατὰ βάθους πτωχείαν, paupertatem insignem. Cum enim donandi ratio dantis hilaritatem requirat; ægrè vacare potest alienorum incommodorum curæ, & miserationi, mens occupata suæ propriæ afflictionis sensu, & miseratione. Quanto igitur majores difficultates superatæ sunt; tanto clarius elucet Dei auxilium. *Paupertas* inquit *abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Cur voce simplicitatis exprimat Apostolus virtutis hujus commendationem, ea videtur ratio, quod aliquis possit actiones ejus exercere non in Dei, aut proximi gratiam; sed vanæ gloriæ studio: non caritatis; sed ambitionis stimulo. quam hypocrisin ipse Dominus notat *Matth.* VI. 1. 2. atque ita simplicitas opponitur isti hypocrisi. Eadem voce utitur *Rom.* XII.

Testimonium igitur perhibere pergit, *vers.* 3. 4. & 5. virtutis ipsorum, quòd contra vires, & supra vires suas fecerint: & quidem à nemine impulsi; sed ultro, ac sua voluntate, *voluntarii*, αὐθαίρετοι, hanc sibi vim intulerint, & magna cum Apostoli

consolatione ab ipso contenderint, ut hanc gratiam, & *communionem* (κοινωνίαν) ministerii in sanctos reciperet. in quo illos spem quoque suam superasse fatetur, *quòd se ipsos plane transtulerint primùm Deo, deindè ipsi quoque Apostolo per voluntatem Dei*, hoc est, aut impulsu ipsius Dei, qui ipsis hanc gratiam dedit (ut *vers.* 1. dixit) aut morem gerendo voluntati Dei.

Vers. 6. Atque hoc virtutis Macedonum supra spem suam edito specimine impulsum se ait, ut Titum ad Corinthios iterum mitteret, qui quemadmodum antea, ad pœnitentiam; ita nunc ad caritatem erga sanctos, & munificentiam eos hortaretur. quam vocat iterum χάριν *gratiam*, sicuti & *vers.* 1. quod malim, quam vocem hanc referre ad Titum, qui & ipse itineris hujus labore subcepto, gratiam aliquam inire à Corinthiis videri poterat. Sequitur enim *vers.* 7. ἵνα καὶ ἐν ταύτῃ τῇ χάριτι περισσεύητε *Ut & in ea gratia abundetis.* ubi apparet per vocem χάριτος eandem rem exprimi, quæ *vers.* 1. intellecta est. Gratiam illam, inflictu, & secundum voluntatem Dei exhibitam egenis fratribus, qua non tantum eo nomine *gratia* Dei vocari potest, quod sit à Deo *data* δόσις (ut *vers.* 1. dicitur), sed etiam quod de fratribus bene mereatur, imo etiam ideo, quod per eam ipsius Dei gratia ineatur, & concilietur. Addit autem rationem, ob quam, libentius in ista *gratia* abundare velint, quia eidem Tito jam testatam fecerint suæ *fidei*, *prudentiæ*, (nec enim solum eloquentiam vox λόγου significat) *cognitionis rerum divinarum*, & *studii omnium* virtutum, denique suæ *caritatis* in Paulum abundantiam. Superesse ut illius quoque virtutis specimen coram eodem teste Tito edant.

Vers. 8. Non exigere se ab invitis quicquam, neque præcipere, & legem in eo coactivam ferre; sed exemplo alienæ virtutis excitare, genuinam illam, & innatam animis eorum caritatis indolem, ejusque quasi periculum facere.

Vers. 9. Affert aliam rationem, sumptam à gratitudine erga Dominum nostrum, qui, cum esset dives, quippe in forma Dei, etiam dum in carne viveret, potestate sua miraculosa omnia quasi possidens, & in manu sua habens; propter nos pauper factus est, humiliando se, tanquam servus, & vilis homuncio, captivitati, verberibus, illusionibus, servili denique supplicio ultrò obnoxium se præbens: cum levissimo voluntatis suæ nutu posset omnes inimicos, & malevolos suos prosternere, ac perdere. Id autem fecit, ut ejusmodi paupertate sua nos ditaret.

Magnas enim per afflictionem ejus cognitionis rerum divinarum divitias, magnas ex morte ejus, & quæ eam consecutæ sunt, ad vitam æternam utilitates, consecuti sumus: ne grave videri possit, si quid in ejus gratiam damni faciamus, aut sumptus impendamus, qui vitam suam nobis impendit. Cui quia ipsi, auxilio nostro non indigenti, nihil rependere possumus; in minimos fratrum ipsius, quos ita vocare dignatus est, quicquid expenderimus, ipse tanquam sibi expensum, acceptumque ferre promisit. *Matth.* xxv.

Vers. 10. Tertiam rationem affert, quod jam ipsis integrum non sit retractare Deo quasi promissam, ac destinatam beneficentiam. in quo ipsos periculi admonet, & salubre consilium dat, ut sanctæ destinationi executionem ejus adjiciant: nisi quod monitum hoc mollioribus verbis, quàm expressis minis adjectis in re tàm voluntaria proferre maluit. *Hoc vobis*, inquit, *conducit*: quia nisi cœptum opus bonum ad exitum perduxissent, nociturum erat.

Dicit enim eos, jam pridem *hoc non modo fecisse, sed etiam velle cœpisse (vers.* 10.) Proinde *vers.* 11. nunc cœptum istud factum suum, ut ad exitum perducerent esse necesse. Cur autem voluntatem, quam factum in hoc loquendi modo, pluris facere videatur, ratio reddi potest, quia pluris est apud Deum voluntas ad bonum propensa, & ejusmodi *alacritas*, *propensio animi*, προθυμία, qualem in ipsis fuisse, infrà *Cap.* ix. 2. describit; quàm ipsum factum, quod interdum ab invitis, aut semivolentibus exprimi potest. Notandum & hoc est, Apostolum hoc loco voluntatem, quamvis sit cum τῇ προθυμίᾳ conjuncta, antequam in factum erumpat, non plenam, sed tantum inchoatam vocare; quia, nisi consequatur effectus, plerumque voluntas ipsa mutatur, & non satis firmiter sese ad id, quod non perfecit, inclinatam fuisse ostendit.

Non modo, inquit, facere, sed velle, puta ultrà, & alacriter velle, cœpistis. Quemadmodum igitur fuit προθυμία in voluntate; Ita eadem alacritas sit in ipso facto ad exitum perducto (*vers.* 11.). Removet autem impedimentum, scilicet inopiæ prætextum; Quia Deus non exigit à nobis in hoc negotio, ut nos suprà vires oneremus; sed secundum modum facultatum nostrarum beneficii, ac liberales simus. Satis inquit est (*vers.* 12.) Deum videre alacritatem in hominibus beneficis ejusmodi, quæ efficeret, ut illi longè plus præstarent, si plus haberent opum ad id, ut sint coram eo (εὐπρόσδεκτοι *accepti*, & *Deo bene placentes*): Nec requirere Deum, ut quis velit liberalis esse, ex eo, quod non habet.

Vers. 13. Quartam rationem affert sumptam à spe retributionis horum sumptuum ab aliis Ecclesiis in casu necessitatis. Mutuum enim est istud fratrum officium, ut alii aliorum onera, & indigentiam sublevent, & justitia ipsa exigit ne aliis sit semper ἄνεσις *remissio*; aliis semper θλῖψις *afflictio*: sed ut in eo sit paritas, hoc est, ut fratres hodie in egestate sua à beneficis fratribus sublevati, ipsi vicissim in eorum egestate ipsos sublevent (*vers.* 14.) ut in eo sint universi pares, & neminem inter se egestate opprimi patiantur. Omnes enim munifica Dei providentia, tanquam olim Hebræus populus mannâ cœlesti, sustentamur. & quod olim miraculosè Deus fieri voluit ad arcendam hominum cupiditatem, & avaritiam, ut qui plurimum mannæ collegissent; non tamen præ aliis abundaret: qui vero non multùm; non tamen præ aliis deficeret; Id nunc citra miraculum, sed non citra virtutis laudem, fieri à populo suo velit, ut quibus copia rerum sese petit, iis quos premit inopia, de suo res necessarias suppeditent: & facultatum suarum diminutione, egenorum facultates augeant: in eum saltem incrementi modum, ut honestè vitam producere queant.

Vers. 16. Quia supra dixerat se occasione caritatis, & munificentiæ Macedonum hortatum esse Titum, ut iter ad eos susciperet, ne quid apud eos ipsius auctoritati decederet, si alieno impulsu id fecisse videretur; laudat eum, quod non modo cohortationem istam lubenti animo acceperit, sed flagranti studio ipse ultro *suamet voluntate impulsus*, αὐθαιρέτῳ, quasi nullius stimulo indigeret, iter hoc suscepit. Cujus virtutis commendationi ex eo plurimum accedit, quod factum istud Titi, quasi rem eximiam, & Deo dignam; Deo tribuit, atque acceptum fert. Undè patet sanctas, & pias cogitationes, quoties aliqua occasione animum nostrum subeunt, non esse negligendas; sed reverenter tanquam donum à Deo missum suscipiendas. Nam hæc est magna pars auxilii, quod nobis in negotio salutis cœlitùs affertur.

Notanda est & Apostoli sapientia, qui monitis, quibuscum Titus ad eos venturus erat, atque ipsi

Tito

Tito ex eo auctoritatem conciliabat, quod ipse Deus in corde ejus tam eximiam erga eos voluntatem, & flagrans operæ ipsis navandæ studium procreaverit non temere, aut frustra; sed in ipsorum salutare bonum, & utilitatem. quo promptiori animo hæc gratia Dei suscipi meretur.

Vers. 17. Notandum & providentiæ Dei vestigium, quod cum alicui sive in cælestibus, sive in terrenis rebus, benefacere, aut benefieri vult; animos eorum, qui benefacere possint, & studium, ac favorem ipsis conciliat. quod profecto negligendum non est, sed quemadmodum in negotio salutis fieri debet; ita etiam alibi occasio ista celeriter arripienda, & gratia Dei non negligenda, sed proprio quoque studio, & contentione quodammodo adjuvanda est. non quod Deus auxilio nostro indigeat, quoties aliquid fieri vult; sed quia pleraque omnia ita fieri vult, ut fabri nostræ fortunæ merito dici possimus, quia laudi, & culpæ locum esse voluit.

Vers. 18. Cum autem Titus Paulo familiarior videri posset, ne quam malevolis suspicionem præberet, quasi per illum, in re pecuniaria tractanda rem suam ageret, aut emolumentum proprium quæreret; misit cum illo alios duos fratres, negotii per Titum administrandi testes, & adjutores, quorum primum *vers.* 18. 19. alterum *vers.* 22. commendat, reddita prius palam ratione, ob quam istos fratres, extra omnem malevolorum suorum suspicionem positos, negotio huic adhiberet. Dicit enim in commendatione primi, laudes ejus, seu vitam laudabilem, & morum integritatem, ad normam Legis Evangelicæ exactam; notam, & celebrem esse per omnes Ecclesias. Præterea publice suffragiis Ecclesiarum, & quidem solenniter *vers.* 19. per manuum impositionem fuisse constitutum adjutorem Pauli in prædicando Evangelio, συνέκδημον quasi *comitem* prædicationum & peregrinationum Pauli, quia prædicantes Evangelium multas terras peragrare necesse fuit. aut (quod potius malim) à Judaicis Ecclesiis adjunctus fuerit Paulo, tanquam Diaconus, ad corrogandas pecunias in subsidium pauperum in Judæa fratrum, per varias gentium Ecclesias, quas inter & Corinthia fuit. Impositum enim Paulo fuit (*Gal.* 11. 10.) munus colligendarum pecuniarum pro pauperibus in Judæa, quod & sæpius eum executum videmus. Sed ut Paulus à se omnem suspicionem removeret in tractanda tam *vers.* 20. grandi pecunia, (ὡ τῇ ἁδρότητι) *in hac abundantia*, quanta ex tot gentibus colligi potuit; effecit ut sibi alius adjungeretur, cujus fides, & integritas nota esset omnibus Ecclesiis. In quo palam reddit consilii sui rationem, tradens doctrinam insignem, nos non debere contentos esse nostra bona conscientia, quæ soli Deo nota est; sed etiam existimationis apud homines rationem habere debere, (propter ædificationem) fugiendo non tantum ipsa crimina, aut delicta; sed etiam eorum suspicionem, *vers.* 21.

Commendat autem alterum fratrem, ad eos cum Tito missum, *vers.* 22. præbendo ipsi testimonium, quod fidem, studium, ac diligentiam ejus in multis sæpius negotiis exploraverit; sed potissimum nunc in præsenti negotio exploratam habeat, propter affectum, & propensionem ejus in Corinthios, sibi probè notam.

Hortatur igitur ut tàm Titum, quam istos fratres humaniter, & officiose recipiant, præmissa *vers.* 23. iterum eorum brevi commendatione. Ac Titum quidem commendat, quod laborum ejus fuerit particeps, & in ipsis quoque docendis, & in via salutis adjuvandis suus fuerit cooperarius. Reliquos autem duos; quod sint Apostoli, Ecclesiarum, quasi legati, & earum personam repræsentantes, *gloria Christi*. In iis enim rebus versabantur, & occupati erant, quæ ad gloriam Christi tendebant. quale erat illud ministerium caritatis in sanctos quemadmodum paulo ante *vers.* 19. ait, Gratiam illam esse διακονουμένην ministratam ad ipsius Domini gloriam.

Vers. 24. Non modo quomodo se erga eos Corinthii gerere debeant; Sed quamobrem exprimit. Præmittis enim supra laudibus eorum, concludit *Ergo demonstrationem caritatis vestræ ipsis exhibete*, quæ, si omnibus aliis debetur; multo magis tam laudatis, & spectatæ virtutis fratribus debetur. Sed subjungit tacite alias duas rationes, quas in exhibenda illis caritatis demonstratione respicere debebant Corinthii. Primum, suam existimationem, & quasi fidem, qui gloriatus de eorum virtutibus coràm istis, quos ad eos mittebat, quasi spoponderat, & fidem dederat ipsis à Corinthiis debitam caritatis demonstrationem exhibitum iri.

Secundo, Ecclesiarum, quarum Apostoli erant (ut *vers.* 23. dixit) & vices gerebant, ac personam repræsentabant respectum. In ipsas enim Ecclesias redundare, quicquid Legatis, & vices earum gerentibus, honoris, humanitatis, & caritatis exhiberetur. Πρόσωπον ἢ ἐκκλησιῶν, *faciem ecclesiarum* vocat personam gerentes, & eos, qui repræsentant Ecclesias.

CAPUT IX.

COmmendatis Fratribus ad Corinthios ablegatis; redit ad causam legationis ipsorum, & ait supervacuum esse, eos hortari ad beneficentiam in fratres egentes. Quia (*vers.* 2.) probe noverit eorum propensionem προθυμίαν ad eam, qua etiam gloriatus sit coram Macedonicis Ecclesiis, asseverans Achaiam jam pridem esse præparatam ad eam rem. Quæ gloriatio Apostoli, haud dubie ad excitandos alios facta, plurimis stimulum addidit, ut idem facerent. Vere autem dixisse poterat Apostolus, Achaiam fuisse præparatam, quamvis pecunia nondum collecta fuerit, quia jam voluntas, & προθυμία in ipsis fuerit, quamvis ejus ad actum deducendæ occasio nondum maturuisset. nec falsò tamen quoque dici poterat, eos ἀπαρασκεύους *impræparatos* (*vers.* 4.) dici potuisse, si nondum in unum pecunia collecta fuit, voce τῆς παρασκευῆς *præparationis*, in pleniorem, & minùs plenam distincta.

Vers. 3. Veritus itaque Apostolus, ne forte nutante aliquorum (quæ mortalium infirmitas est) voluntate, & refrigescente zelo, imparatos ad eam rem adventus ejus, & Macedonum opprimeret; causam ad eos missorum fratrum exponit. Ut interim ante adventum suum, & ipse, qui cum eo venturi erant, Macedonum, pecunia ista colligeretur & ad mittendum, quo destinata fuit, plenissime præpararetur, ne Apostolum suæ gloriationis puderet, sed ne ipsi quoque Corinthii pudore afficerentur.

Vers. 4. Ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως.
Opponit τὸ ὑποστῆσαι, *In substantia gloriationis*, seu *rem ipsam*, τῷ κενώσαι καυχήσεως, *vanitati gloriationis*. (*de qua vers.* 3.) Magna enim pudoris occasio est, quoties gloriantis verba vana, & inania, & absque veritatis fundamento, & quasi substantia esse deprehenduntur.

Vers. 5. Repetit quod supra *vers.* 3. dixerat. Merito se igitur misisse fratres, qui eum præcederent, & plene

& plene præpararent promissam eorum beneficentiam, quam ut supra *gratiam* χάριν, ita hic εὐλογίαν *benedictionem* vocat, quia & sublevatorum hominum faustas imprecationes, & Dei benedictionem promeretur. Sed adjicit cohortationem, ut hæc beneficentia fiat munifico, & liberali, non autem parco, & avaro animo, aut, ut Apostolus ait, ut possit dici, & sit vere, εὐλογία, *benedictio*, non vero tanquam avaritia: quia qui parce, & sordide in ejusmodi rebus sumptum faciunt, similes sunt hominibus avaris, ex alieno damno lucrum quærentibus.

Subjungit *vers.* 6. rationem cohortationis suæ, quia *qui parce serit; parce etiam metet: qui vero seminat in benedictionibus; in benedictionibus metet*: addens spei stimulum liberalioribus, metum autem incutiens sordidioribus.

Sed tamen *vers.* 7. præceptum istud ita temperat, ne, ut supra dixit, κατὰ ἐπιταγὴν, *secundum præceptionem*, hoc est, imperio, & parendi necessitate extorta videatur ista liberalitas; simul docet quomodo hæc virtus exercenda sit, non tristi, & invito animo, ut accidit in iis, quæ necessitate extorquentur; sed sponte, & voluntario affectu: præmisso prius judicio animi, & proæresi, hoc ita esse omnino faciendum, magno nostro emolumento, quò libentius id faciamus.

Vers. 8. Explicat uberius supra allatam rationem, & docet qualis messis speranda sit iis, qui serunt in benedictionibus. *Potens*, inquit, *est Deus abundantissimam gratiam*, hoc est, copiosa dona sua in vos effundere, *ut in omnibus semper, omnem sufficientiam* (αὐτάρκειαν) *habentes, abundetis in omne bonum opus*, hoc est, habeatis unde semper esse benefici possitis. εἰς πάντα, πάντοτε, πᾶσαν. *In omnibus, semper, omnem.* Tam in spiritualibus, quam in carnalibus necessitatibus vestris suppeditabit vobis omnem sufficientiam.

Vers. 9. Confirmat testimonio scripturæ spem, & promissum istud Dei remunerationis. In quo non video, cur vox ἐσκόρπισεν *dispersit*, significare omninò debeat dilapidationem omnium bonorum suorum, quia id & contrà scopum Apostoli pugnat, qui pro modo facultatum, citrà nimiam aggravationem, hanc liberalitatem exerceri volebat: & verbis ipsis tàm antecedentibus repugnat, quàm consequentibus, in quibus allegoria cernitur similitudinis sumptæ ab iis, qui sementem faciunt. Quæ certe satio immoderatam, & nimiam seminum effusionem, aut è manu demissionem non requirit: quæ seminationem impedit, & potius enecat semina, quam propagat; sed largam tamen, & liberalem, hoc est, moderatam, & sufficientem requirit. Ἐσκόρπισεν igitur significat, non dilapidavit omnes facultates; sed largâ, & liberali manu sparsit semina justitiæ suæ in pauperes (Seminatio enim omnino dispersionem requirit) ut fructum istorum seminum meteret in æternum. quod olim quidem sub veteri fœdere longum tempus, ex usu antiquo Sacræ Scripturæ, significare potuit: at nunc ad ipsam proprie dictam æternitatem extenditur.

Subjicit mox *vers.* 10., & 11. votum, & faustam apprecationem, ut damnum istud, quod in tam sancto sumptu faciendo subeunt, rependatur ipsis fructu, & emolumento uberrimo. Verum ita facit hoc votum, ut simul evidenti, & palpabili ratione ipsis ostendat, quam certo spei, & voti istius compotes fieri possint. Deus, inquit, suppeditet, & augeat, & in magna incrementa surgere faciat sementem justitiæ vestræ. quod tam certò sperare potestis, quàm certo scitis tàm semina ista, quæ in pauperes spargitis; quam facultates, & omnia, quibus vitam producitis (Panis enim vox Synecdochicè reliqua omnia complectitur ad vitam sustentandum necessaria) Deum vobis suppeditasse.

Vers. 11. pergit in voto isto faciendo, ut Deus Corinthios ditescere faciat in omnem *simplicitatem*, hoc est, *beneficentiam*: vel ut ejusmodi opes illis largiatur, ex quibus semper benefici esse possint. Vocat autem beneficentiam ἁπλότητα *simplicitatem*; ut eam opponat illi hypocrisi, quam Christus notat *Matth.* VI. 12. quæ non simplex est beneficentia, sed hypocritica, ut superius diximus.

Vocem autem πλουτιζόμενοι, *ditati*, hoc loco, de opibus proprie dictis loqui, indicio est, quod ad τὴν ἁπλότητα, *simplicitatem*, hoc est, liberalitatem veram, & proprie dictam referatur. Neque liberalitas perfici, aut cogitari potest, absque opibus & facultatibus, ex quibus depromenda sit. Cujus simplicitatis fructus eximios recenset. ac primùm versu eodem, quod efficiat, ut Apostolus gaudeat, & gratias agat Deo. Duplicem autem causam affert suæ istius gratiarum actionis.

Vers. 12. Primum, quia ministerium hujus functionis implet defectum, & egestatem sanctorum, quibus Apostolus bene cupiebat, & subventum esse volebat. Secundum, quia successus tam felix istius ministerii Apostolici excitat plurimos homines ad gratias Deo agendas. quæ gratiarum actio non modo in gloriam Dei; sed etiam in solatium, & commendationem Apostoli redundat.

Quod posterius quomodo fiat explicat *vers.* 13. Quia enim Apostolo, non modo prædicatio Evangelii apud gentes; sed etiam ministerium subveniendi egestati Judæorum fratrum, ab Ecclesiis Judaicis demandata erant. *Gal.* II. cum vel ipso tam felici successu ministerii sui Apostolus probasset fidem, ac diligentiam suam in mandati muneris functione; erat cur homines gratias agerent Deo, eumque glorificarent ob id, quot tot gentes Christo lucri fecisset, & ad obsequium Christi, & assensum religioni ejus adduxisset. (id enim est, ἐπὶ τῇ ὑποταγῇ τῆς ὁμολογίας ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, *de consentiente vestra subjectione erga Evangelium Christi.* ex quo postea tantæ liberalitatis, ac beneficentiæ fructus non modo in ipsos, sed in alios omnes redundarent.

Vers. 14. Præter supra dictos fructus Corinthiorum beneficentiæ, hoc quoque emolumentum eorum proprium, quod omnes beneficentiæ eorum testes, & conscii, sed præcipue qui fructum ejus aliquem ceperant; preces pro ipsis ad Deum funderent, ἐπιποθούντων αὐτῶν, hoc est, ex *animo ipsis bene cupientes*, diligentes ipsos ob tàm excellentem gratiam Dei in ipsis. Quia supra modice attigerat aliquid, quod ad ejus commendationem, & solatium pertinere videbatur: ne quid sui quærere videretur; omnia ad Deum refert, & Deo accepta ferri debere ostendit. Deo enim debentur omnia, quæcunque in hominibus laude digna videntur. Ejus gratia, ejus dono ista eveniunt. nec homines sibi solis vendicent; quod longe majori ex parte Deo tribuendum est. Ideo dissertationem hanc *vers.* 15. concludit gratiarum actione Deo pro inenarrabili ejus dono, & gratia.

CAPUT X.

EX utraque Epistola apparet non defuisse Corinthi, aut in Achaia, homines Paulo malevolos, & auctoritati ejus detrahentes: nec modo opinantes; sed etiam aliis fortes suggerentes, & persuadentes, eum *secundum carnem ambulare.* quod quid sit; po-

ſit; poſteà videbimus. Quamvis autem non deſint certiſſima indicia, adverſarios iſtos Pauli ex numero fratrum gentis Judaicæ fuiſſe; (vide *Cap.* XI. 22.) tamen fieri poteſt, aliquos etiam eorum ex gentibus fuiſſe, qui Petri, & aliorum Apoſtolorum, qui Judaicis Eccleſiis præerant, auctoritate Pauli auctoritatem deprimerent. Adverſus hos omnes tribus ſequentibus capitibus exiſtimationem ſuam tuetur, & ab eorum obtrectationibus. Apoſtolicam auctoritatem ſuam vindicat, eoſque ad meliorem frugem, & rectius de ſe judicium, atque veriorem opinionem undique petitis rationibus adducere contendit. Quia vero iſta criminatorum ejus redargutio, abſque aſperiori objurgatione vix eſſe poterat; ideo initio ſtatim actionis contra ipſos, eoſdem per Chriſti manſuetudinem, & *æquitatem* (ἐπιεικείας) cohortando, tacite ſibimetipſi legem iſtius manſuetudinis, & æquitatis præſcribit: imo vero eam in ſe ipſo, ac facto exprimit; dum eos præmonet, ut ſeveritatem animadverſionis ſuæ ſpiritualis evitent, ac reſipiſcentia præveniant: & recti, ac veri de ſe judicii impedimentum tacite removet, quia illi ex eo ipſo ad eum contemnendum, & ſequius de eo opinandum occaſionem ſumebant, ex quo potius ad eum pluris faciendum illam ſumere debuiſſent. Humilitas enim ejus, quâ præſens erga ipſos uſus eſt, quæ ex manſuetudine, & ἐπιεικίᾳ, *æquitate*, qualis erat in Chriſto, proficiſcebatur; præbuit ipſis anſam eum minoris, quàm par erat, æſtimandi, etiam carpendi, atque adeo exiſtimandi, eum impune lædi poſſe. Hunc igitur errorem ipſis principio excutit, *verſ.* 1., & 2. oſtendens, quamvis dum præſens eſſet ex lege Chriſtianæ manſuetudinis modeſtiſſime ſe erga eos gerens, ipſis, carnali judicio cuncta æſtimantibus, humilis, & abjectus viſus fuiſſet, & nimium patiens, quaſi metueret quenquam reprehendere, ac pro ejus merito objurgare; tamen ſe non modo abſentem per epiſtolas (quod & ante fecerat, & nunc facit) (θάῤῥειν) *confidere*, audacem eſſe, hoc eſt, ſatis animi habere; ſed etiam præſentem, cum ad eos venerit, ſatis animi habiturum ad eos reprehendendos, objurgandos, & pro merito ſuo tractandos. Proinde non modo hortatur, ſed etiam rogat eos, ne ſibi præbeant cauſam id poſt adventum ſuum coràm faciendi, quod nunc abſens in parte facit, &, ni reſipiſcant, præſens magno ipſorum malo facturus ſit.

Quid ſit autem illud, quod Paulum *in carne ambulare cenſebant*, quamvis latius, & ad alia quædam porrigi poſſit; tamen hoc loco illam quoque aperte deſignat animi infirmitatem, ac timiditatem, propter quam culpas hominum delinquentium reprehendere non audemus, & veritatis acrimonia, & amaritie offendere eos metuimus. Nam & hoc eſt *ſecundum carnem ambulare*. & quidem carnis voce uſitatiſſimo in Sacræ Scripturæ Literis, ſenſu accepta, pro infirmitate. quamvis & hic carnalis offenſionum metus cum carnali quoque cupiditate conjunctus eſſe ſoleat, quia ſæpe offendere alios metuimus, ob alicujus emolumenti ſpem, quod ex iis percipere volumus. Ut igitur Paulus oſtendat, ſe iſti carnali offenſionum metui non eſſe obnoxium, & ſuſpicionem, ac errorem hunc ex animis eorum penitus evellat; etiam minari ipſis audet, & à minis actionis hujus cum iis exordium inchoat.

Verſ. 3. Removendo igitur cauſas contemptus ſui; metum ipſis, & reverentiam ſui incutere contendit. Cauſa vero, & occaſio contemptus ejus erat, quia cum ipſum *viderent in carne ambulare*, hoc eſt, æque mortalem, corpore infirmum, & caſibus ſubjectum eſſe, ut alii; cæteris quoque hominum ſecundum ſpiritum imbecillitatibus, ſorte & allucinationibus, æque ut alii, obnoxium eſſe putabant.

Atque hic notandum, Apoſtolum iſta duo plane diſtinguere, *in carne ambulare*, & *ſecundum carnem ambulare*. Et enim *in carne ambulare* eſt, in hoc fragili corpuſculo vivere: at *ſecundum carnem ambulare*, eſt vivendo in hoc corpuſculo ad normam inclinationum, & appetituum corporis, ſeu carnis, actiones vitæ ſuæ exigere: aut etiam, quod magis ad rem præſentem facere videtur, vivendo in fragili corpuſculo, nihil ultrà ejus vires imbecillas poſſe. quod plane eſt *ſecundum carnem militare*. Cæterum hoc loco non carnali, hoc eſt, diſſolutæ vitæ Apoſtolus ſpiritualem, hoc eſt, ſanctam vitam opponit: ſed carnis imbecillitati, in qua ipſi æque ut aliis vivendum, atque ut alibi ait, gemendum fuit; opponit potentiam ſpiritualem, aut ſecundum ſpiritum: præcipue ſecundum menſuram illius ſpiritus, quo à Deo præ aliis plurimus abunde inſtructus erat. Ideo non dicit in carne ambulantes, non ſecundum carnem ambulamus, aut vivimus, ſed non ſecundum carnem militamus: hoc eſt, quamvis in fragili corpuſculo, ſicuti & alii, vivamus; tamen vires, & potentia noſtra, virtute Spiritus, à Deo nobis dati, longe ſupra corpuſculi noſtri vires extenditur, & aſcendit.

Verſ. 4. Armati enim ſumus à Deo illa vi Spiritus, qua & adverſus Satanam, & adverſus omnes ipſi militantes, cum certa ſpe victoriæ, dimicare poſſumus. Sed præcipue, quod ad præſentem Apoſtoli ſcopum magis pertinet, (ut ex verbis liquido patet), armati ſumus illa vi Spiritus, quæ poteſt expugnare omnem humanam ſapientiam divinæ veritati repugnantem, quamvis hominibus alioqui invicta videatur & inexpugnabilis (quod per vocem ὀχυρωμάτων, id eſt, *munitionum* exprimit.) ideo vim iſtam Spiritualem *vocat arma malitiæ ſuæ, non carnalia, ſed potentia Deo*, hoc eſt, arma, quorum potentia eſt non ex humanis viribus; ſed ex ipſo Deo, per Spiritum ſuum efficaciter operante. Et ne potentia iſta, & efficacia Spiritus, aliò trahatur; aperte tangit objectum, in quo iſta potentia occupatur & exercetur. primùm illud metaphoricè exprimens, per expugnationem, aut demolitionem munitionum. deinde proprie, per expugnationem *cogitationum, ratiocinationum*, (λογισμῶν), *verſ.* 5. aut etiam diſſertationum efferentium ſe ſupra, aut contrà cognitionem Dei, hoc eſt, contra veritatem ab Apoſtolis, Religionem Chriſti plantantibus, prædicatam. Deinde ait iſta arma eſſe valida, ut *poſſint captivare omnem intellectum ad obedientiam Chriſti*. Quid ſit autem, captivare intellectum ad obedientiam Chriſti, quærentibus; non aliud reſponderi poteſt, quam evidentiâ veritatis adeo illuſtrare intellectum, ut quaſi cogatur, & non poſſit non aſſentiri veritati Religionis Chriſti. quod, quemadmodum in genere, quando de recipienda, aut repudianda religione Chriſti agitur; ita in ſpecie quoque, cum de particulari alicujus rei, quæ ad Religionem Chriſti quoquomodo pertineat, veritate inquiritur, contingere ſolet. Non capitur autem, nec captivatur intellectus, antequam propoſitæ veritati aſſentiatur, eamque ultrò approbet. Unde apparet quam futiliter verba iſta vulgo ad contrarium ſenſum detorta ſint, dum homines captivari intellectum putant ad obedientiam fidei, quoties aliquis credere cogitur, aut potius profiteri dogma illud, cui intellectus ejus repugnat. Nondum captus, aut comprehenſus eſt is, qui reluctari audet, aut poteſt. Neque quoties homo facere aliquid, toties intellectus credere aliquid, aut aſſentiri alicui rei cogitur.

Libera est mens humana, & corporeis, ac proprie dictis laqueis, aut compedibus incomprehensibilis. Atque ut id quod fieri non potest fingamus, eam coactivæ potestati obnoxiam esse; vel ipsis latebris suis tuta est atque inaccessa, ad quas nullius cogentium oculus pertingat. πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, hoc est, *Omnem altitudinem efferentem se contra cognitionem Dei.* His verbis notatur superbia eorum, qui occasione humilitatis Apostoli (cujus *vers.* 1. meminit) efferebant se adversus eum, & prædicatam ab eo veritatem Dei, quam se depressurum Apostolus tacite minatur.

Quamvis autem hic dicatur, arma Apostolorum fuisse adeo valida, ut potuerint captivare omnem intellectum ad obsequium Christi, tamen quia eventus ipse ostendit, non omnes, qui armis illis oppugnati sunt, captos esse, ideo πᾶν νόημα, *omnis intellectus, aut omnis cogitatio*, restringendum est ad cogitationes hominum, qui insitam naturæ rationali, seu animo ingenuitatem, candorem, simplicitatem, probitatem penitus non exuerint.

Proinde ne illi, quibus minatur, adversus tam valida Apostoli arma spem aliquam in improbitate sua, ac refractaria liquidæ veritati impudentiâ, collocare possent, ait *vers.* 6. Apostolus, esse sibi in promptu facultatem vindicandæ, & puniendæ omnis inobedientiæ, quæ nimirum obstinatè liquidæ, & manifestæ veritati reluctetur: sed addit *quando implebitur obedientia vestra.* Duplici enim ratione adoritur eos, in quibus metum quendam, & reverentiam sui efficere contendit; ostendens primùm esse sibi vires, ac potentiam efficacem ad eorum superbiam deprimendam, eosque errorum, & culparum suarum convincendos. quod supra *vers.* 3. 4. 5. fecit. Deinde esse sibi jus, ac legitimam potestatem culpas eorum vindicandi. quod breviter perstringens, infra uberius explicat, quia id jam non ad internam vim Spiritus, sed ad ea, quæ extrà cerni possunt, pertinet. Sed addit verba, *quando implebitur vestra obedientia.* Sine dubio jus istud vindicandi illam ipsam potestatem, quam explicat infra *vers.* 8. datam sibi à Christo in ædificationem puta potestatem excommunicandi, & ejiciendi ex Ecclesia Corinthia, refractarios Corinthiorum, quæ potestas ad effectum deduci non poterat, si tota illa Ecclesia, cui scribit, desiisset esse Ecclesia, Apostolo quasi reluctans. Non poterat igitur vindicta inobedientiæ aliquorum perfici, nisi impleta esset cæterorum obedientia. Nam excommunicatio absentium in peregrinis Ecclesiis, plurimum de rigore, & sensu pæne nocentium detraxisset.

Vers. 7. Postea quam internam illam, & quæ oculis non ita subjecta est, excellentiam præ illis suam, hoc est, vim Spiritus efficacem, ac potentem, cui nemo eorum resistere posset, exposuisset; venit ad ea *vers.* 7. quæ oculis subjecta sunt, & *secundum faciem*, κατὰ πρόσωπον, cernuntur, in quibus etiam ipsos longe antecelleret. Ubi simul tacitam objectionem solvit, qua uti poterant speciose adversus auctoritatem Apostoli, sese non juraſſe in verba cujusquam magistri; sed soli Christo adhærere velle. Respondet Apostolus, non damnando quidem libertatem istam Christianam; verum ostendendo se quoque Christo adhærere, & addictum esse. Sed tamen se multum antecellere ipsis potestate illa Apostolica, quam ipsi Christus tradidit. Primum enim in Ecclesiæ suæ hierarchia, & eminentissimum locum Apostolis tribuit (1. *Cor.* XII. 28.): neque se pudefieri posse si illâ glorietur *vers.* 8. Addit autem eodem versu datam sibi à Christo eam potestatem, in ædificationem, non in destructionem, (ut se statim *vers.* 9. explicat); ne videretur eos nimio metu percellere. ideo ipsos hoc minarum suarum solatio demulcere voluit; spem quasi faciens, sese potestate ista non abusurum ad eorum *destructionem*, quæ sibi ex mente Christi data sit ad eorum *ædificationem.*

Potest & hic verborum istorum sensus esse (cui explicationi favet *versus* 10.): non sine causa, collata mihi à Christo vi Spiritus, & juris potestate, glorior, ne videar vos solis Epistolis terrere, ut quidam putant, qui solas *Epistolas meas graves*, & minaces, nec ultra sermonem metuendas jactant: *præsentiam vero meam imbecillem & sermonem contemptum.* Cum enim & vires Spiritus efficaces, & juris potestatem à Christo habeam; æque istis armis pugnare possum contra adversarios, coràm & præsens, atque absens; & per Epistolas. Parum interest uter sensus eligatur, si uterque simul locum habere nequeat.

Vers. 12. Excusat quod se ipsum commendare, & quasi laudare videatur: idque duobus modis. primùm *vers.* 12., quia ad eam rem, quodammodo coactus sit. Nec enim audebat alia via existimationem suam tueri adversus obtrectatores suos, nuditatem, aut vitia eorum detegendo. & cum suis ornamentis comparando, ne noxia eorum ulcera tractando, magis exasperaret. sed moderatius ipsi visum est suam tantum præ illis excellentiam nude exponere, ut ipsi suamet sponte comparatione meliorum, in se ipsos descenderent, & nuditatem suam sine graviori pudefactione agnoscerent. Verba Apostoli sic sonant. *Non enim audemus conferre, & comparare nos quibusdam, qui se ipsos commendant*, atque adeo tangere gravissima eorum vitia, eaque cum nostris virtutibus conferre, ne noxia ulcera duriori, & intempestiva tractatione exasperentur. & procul ab ea ambitione sumus, ut gloriationem ex comparatione deteriorum, qui, cum à nemine laudari mereantur, se ipsos commendare, necessitate quadam cogantur; quæramus. Quod facere solent ii, qui laudem, quam in virtute propria deprehendere nequeunt, in alienis vitiis quærunt, & venantur. Sed tantum nosmetipsos nostro modulo metientes, & quid, quantumque possimus probe scientes ac profitentes; eo ipso sanis omnium judiciis palam facimus, quam longe à nobis in mutua comparatione distent ii, qui se ipsos modulo proprio non metiuntur: ideoque nec quid sint intelligunt, & tamen aliis incommendabiles, se ipsos commendare audent.

Alter modus, quo commendationem sui, aut suæ excellentiæ expositionem excusat Apostolus, est, *vers.* 13. quod non nimium, neque supra modum glorietur, aut gloriari velit; sed secundum mensuram, & canonem gratiæ sibi à Deo concessæ, & quasi in divisione (μέτρου distribuit, aut mensus est) donorum, quæ in multos alios quoque distributa sunt, sibi peculiariter attributæ, & assignatæ. quæ pars gratiæ Dei adeo abundans, & efficax fuit, ut illius ope in prædicando Evangelio usque ad Corinthios pervenerit, eosque Christo genuerit, & lucrifecerit.

Vers. 14., & 15. Tangit, & notat eos, qui supra modum, ideoque falsò gloriabantur, præsertim in Ecclesia Corinthiorum, quam non ipsi per prædicationem suam Christo genuerunt; sed in alienos labores ingressi, eam sibi gloriationem iniquè usurpabant, quæ non ipsis, sed iis, quorum in labores ingressi sunt, jure competebat.

Vers. 15. Mensuram istam gratiæ Dei, sibi peculiariter concessam, adeo largam, & abundantem esse, ait, ut bonam spem habeat, postquam fides Corinthiorum operâ ipsius firmius stabilita, & aucta fuerit,

fuerit, circa quam curam tunc labor ejus occupabatur, seſe non modo in iis μεγαλυνθῆναι, *magnificatum iri*, hoc eſt, magnam coràm Domino laudem adepturum; ſed etiam (*verſ.* 16.) ultra eos in prædicando Evangelio progreſſurum: idque non aliena premendo veſtigia, aut in paratam jam alieno labore meſſem falcem ſuam immittendo; ſed novas, & inacceſſas hucuſque aliis gentes ad agnitionem Dei per Chriſtum convertendo.

Verſ. 17. Pulcherrimum, & magni uſus præceptum dat iis, quibus aliqua ſui commendandi, aut gloriandi, ſeu gratiam ſibi à Deo conceſſam commemorandi (quod in apologiis adverſus obtrectatores accidit) neceſſitas incumbit, aut occaſio offertur. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Totum id quicquid in nobis commendatione dignum occurrit, non modo in propria mente, & cogitatione noſtra Deo, ejuſque gratiæ, & miſericordiæ tribuendum; ſed ſi qua coram aliis ejus rei mentio facienda ſit, uni Deo per Dominum noſtrum acceptum ferendum eſt. Sic enim Deus gloria ſua non fraudatur. quod plerumque fit à male conſultis, qui ſe ipſos commendant, & gloriam ſuam venantur, maxima cum Dei injuria, & plerumque (ne dicam ſemper) falſò. *Neque enim is* eſt laudabilis & *commendatus, qui ſe ipſum commendat, ſed quem Dominus commendat.* Commendat autem eos Dominus, quibus ejuſmodi gratiam largitur, ut res inſignes, & laudabiles gerant. Atque iis ſolis gloriari conceſſum eſt. Non ſupra modum tamen; ſed intra menſuram à Deo conceſſam, hoc eſt, non plus ſibi arrogandum, quam cælitus conceſſum ſit. & illud quicquid eſt, quod divinitùs conceſſum eſt; in autorem ejus rei Deum gratiſſimo animo refundendum eſt.

CAPUT XI.

EXpoſiturus Apoſtolus ea, quæ ad laudes, & ornamenta ſua pertinebant; timide, & quaſi ſuſpenſo gradu ad hunc ſcopulum accedit. Et quo magis ab eo cunctos deterreat, vocat eum *inſipientiam.* Quod genus vitii à Chriſto ponitur inter ea, quæ polluunt, & inquinant hominem *Mar.* VII. *verſ.* 22. Dicit igitur primum, optare ſe ut ferre vellent modicum aliquid ſtultitiæ ejus. Non quod id, quod tunc faciebat Apoſtolus, vel minimum de ſtultitia verè participaret; ſed quia pro variis actionum circumſtantiis medium illud, in quo virtus conſiſtit, interdum adeò vicinum extremo eſſe ſoleat, ut ab eo vix diſcerni poſſit. Nec facile in ejuſmodi actione omnes modum ſervare poſſint, niſi pauci perfectiſſima virtute præditi. unde aliis præſtet, ac tutius ſit, ad alterum potius extremorum declinare. Deinde quia ad id neceſſitate quadam ſtimulabatur Apoſtolus; mox confidentius ipſis quaſi præcipit, ut ſe omnino ferant. Adjungit autem primùm rationem à ſui excuſatione ſumptam, *verſ.* 2., quia gravi, & juſta cauſa, hoc eſt, zelo Dei impulſus id faciat. Tali autem affectui, etiamſi forte aliquâ exorbitare videatur; multa indulgenda: quædam & condonanda ſint. & quia zelotypia inter eos locum habet, qui matrimonio juncti ſunt, aut junguntur; ideò tangit hoc loco, magnum illud myſterium matrimonii inter Chriſtum, & Eccleſiam: & ſumpta ſimilitudine ab eo, quod in terrenis matrimoniis evenire ſolet, etiam antequam ineantur; ait ſe Corinthiam Eccleſiam præparaſſe, & ornaſſe, aut certe præparare, & ornare velle, tanquam caſtam virginem, Chriſto in matrimonium deſtinatam. Ideo metuere, ne ſicut Eva olim Sàtanæ aſtutia decepta eſt; eodem modo decipiatur hæc Eccleſia, ac deſciſcat à ſimplicitate Chriſti, hoc eſt, à pura illa, & ſyncera Chriſti doctrina, qua ipſos imbuerat Apoſtolus. non ſuo igitur, ſed alieno, hoc eſt, Dei, Chriſtique zelo ſe flagrare ait, quo excuſatior ſit & ferri ac tolerari dignior.

Deinde *verſ.* 4. aliam rationem adducit, cur illud *pauxillum inſipientiæ ejus verſ.* 1. ferre debeant, ſumptam à nimia, & noxia Corinthiorum patientia, ubi argumentatur à minori. Si non gravatim fertis, prædicantes *alium Jeſum*, hoc eſt, falſum Jeſum, ſeu aliam, & falſam doctrinam, ſub eodem *nomine Jeſu, præter eam quam vobis prædicavimus*, (hi ſunt quos infra *verſ.* 13. Pſeudo-apoſtolos, operarios doloſos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti nominat): ſi fertis imbuentes vos *alio Spiritu, quàm ſit is, quem accepiſtis*: ſi patimini docentes vos *aliam Evangelii* doctrinam; quid eſt cur nos quoque ferre (tametſi vobis in aliquibus rebus falſo quidem, ſed veſtra forte opinione, non leviter ceſpitare videamur) nequeatis, aut non debeatis? prædicantes verum Jeſum: imbuentes vos vero Spiritu Dei: docentes puram Evangelii doctrinam: deinde non Pſeudo-apoſtolos, ſed veros Apoſtolos, imo vero nulla re concedentes viris inter Apoſtolos maximis *verſ.* 5.

Notandum autem hic, Pauli temporibus non defuiſſe *qui alium Jeſum*, hoc eſt, aliam de Jeſu doctrinam (quæ metonymia frequens eſt) prædicaſſent. Magna vero differentia fuit inter doctrinam illam de Jeſu Chriſto crucifixo, *& inter doctrinam de Chriſto, qui crucifigi non potuit.*

Verſ. 6. Occurrit tacitæ objectioni, quia capite ſuperiori *verſ.* 10. dixit *Sermonem ſuum ipſis viſum eſſe contemptibilem*, quod non eſſet forte affectatus, nec in ſpeciem mundanæ eloquentiæ exultus, & comptus (nam & inter Judæos ſeculi eloquentiam viguiſſe, exemplo Philonis, eodem fere tempore florentis: imo viri Apoſtolici Apollo, (ἀνδρὸς λογίου *viri eruditi* diſcimus); ideo ſe *Sermone idiotam*, ſecundum quid, & precariò concedit, non quod talis eſſet; ſed quia talis forte malevolis videretur. *at non cognitione idiotam* ſeſe ait, quod ne ipſi quidem malevoli ipſi objicere auderent; *ſed in omni re*, (hoc eſt, tàm λόγῳ *ſermone*, quam γνώσει *cognitione*) *omnibus* (puta aliis omnibus præter malevolos) *manifeſtatus*, id eſt probatus, & ſpectatæ ſapientiæ, & eloquentiæ in vobis. cujus ſpecimen in Corinthiis ad Chriſtum converſis edidiſſet.

Verſ. 7. Solvit deinde aliam objectionem; ſed ita ut novum excellentiæ ſuæ Apoſtolicæ afferat argumentum. Tangit enim illud ex quo inique occaſionem arripuerant Pſeudo-apoſtoli, ad illum minoris æſtimandum, ea quæ ſunt ſecundum faciem videlicet reſpicientes: ex quo potius ad eum pluris æſtimandum juſtam cauſam habere poterant, quod videlicet ipſi is honos ab Eccleſia Corinthia habitus non fuerit, qui mundato Domini, (vide 1. *Cor.* IX. 14.) & more omnium aliarum Eccleſiarum Apoſtolis, & Apoſtolicis doctoribus habebatur, ut ſumptibus Eccleſiæ ſuſtentarentur, (vide vocem πωῦς in eodem ſenſu alibi.) In quo dum artificioſe excuſat id, quod jactare, & imputare debuiſſet, revera ſe ſermone non fuiſſe idiotam oſtendit. Simul inique ſeſe ob id contemni docet, quod ſibi laudi potius, & ornamento apud omnes eſſe debuerat. Nec enim id honoris ſibi tanquam minus digno denegatum; ſed paterna in Corinthios indulgentia ipſis ultro remiſſum, ut propriis ſumptibus, & gratis ipſis prædicaret Evangelium.

Verſ. 8. Quod Apoſtoli beneficium tantò pluris à Corinthiis æſtimandum fuit, quia is, tum maxime

egeret ; & tamen egeſtate preſſus , & conflictatus, neminem Corinthiorum aggravavit , ſed , ut ſuum defectum , & inopiam impleret , alias Eccleſias ſpoliare maluerit , quam Corinthiis gravis eſſe. Non igitur id ſibi dedecori, aut ignominiæ eſſe ; ſed laudi , & gloriationi. Quam certe gloriationem in Eccleſiis Achaicas, ſeſe nunquam dimiſſurum aſſerit *verſ.* 10. Et hujus facti ſui cauſâ falſâ , quod ipſos non diligeret , per productum ipſum Deum teſtem (*verſ.* 11.) remotâ ; veram , & genuinam affert (*verſ.* 12.) Ut amputaret anſas, & occaſiones, quas quærebant Pauli obtrectatores Pſeudo-apoſtoli, quos infra deſcribit. Quia enim illi non Chriſto ; ſed ventri ſerviebant : nec gloriam Dei ; ſed emolumentum ſuum quærebant : ideoque ſine dubio in prædicando Evangelio, more ubique recepto, ſumptibus Eccleſiæ ſuſtentarentur ; magno fortaſſis re demptum voluiſſent, ut Paulus quoque iiſdem ſumptibus ſuſtentaretur: & nihil haberet , quo præ illis excelleret , ac merito gloriari poſſet: atque ita in prædicationis Evangelicæ gloriatione invenirentur , ſicut & Paulus , hoc eſt , Paulo exæquarentur. Quod Paulus fieri noluit ideo , quia (*verſ.* 13.) ipſi non eſſent veri , ſed falſi Apoſtoli : neque ſynceri ipſius cooperatores , ſed mercenarii doloſi , *transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti* , id eſt , ſucum tantum Apoſtolatus , non veram Apoſtolorum indolem habentes.

Verſ. 14. & 15. Non mirum eſſe ait Pſeudo-apoſtolos transfigurari in Apoſtolos Chriſti, quia ipſe *Satanas* (cujus illi ſunt miniſtri,) *transfiguratur in Angelum lucis.* Obſervandum autem eſt, etiam Pauli tempore , non paucos fuiſſe miniſtros Satanæ , Angeli tenebrarum , qui ſe *transfigurabant in miniſtros juſtitiæ* , & Apoſtolos Chriſti , qui pro luce juſtitiæ , errorum caligine Eccleſiam inficiebant , *quorum finis ſecundum opera ipſorum* , quia iſti deteriores erant iis, de quibus 1. Cor. III. 17. loquitur , quod , ſuperædificatione eorum exuſta , ipſi ſalvabantur. Duplicis igitur generis homines tunc vaſtabant , aut corrumpebant Eccleſiam.

Verſ. 16. Redit ad materiam , quam initio Capitis propoſuerat; atque iterum antequam ad laudes ſuas accedit , gloriationem ſuam excuſat , ne videretur ipſis imprudenter in laudes ſuas effundi. Faciebat enim id prudens, ac deliberato conſilio, graviſſima videlicet neceſſitate impulſus. Verum ut eos à præpoſtera facti ſui imitatione abſterreret ; concedit factum ejuſmodi eſſe inſipiens, imprudens, & (*verſ.* 17.) *non ſecundum Dominum* , ſed tanquam in ſtultitia , ſeu ſtulte commiſſum. Caute tamen loquitur , nec ait ſimpliciter factum iſtud eſſe commiſſum in ſtultitia , ſed *tanquam in ſtultitia* , quia hæc gloriatio ejus non fuit vana , aut inanis , & falſa ; ſed habebat ſuam hypoſtaſin , atque veritatem.

Dicit igitur *verſ.* 18. *Quoniam multi gloriantur ſecundum carnem* , ſe quoque ſecundum carnem gloriari poſſe , quamvis revera gloriatio iſta ſtulta ſit : quia Apoſtolus alibi iſta , quibus homines ſecundum carnem gloriantur , non pluris æſtimabat quam ſordes , quæ ex ædibus everruntur : tantum abeſt ut , recto judicio eos æſtimans, illa digna eſſe cenſeret quibus aut alii , aut ipſe gloriari poſſet.

Verſ. 19. Et quia Corinthii vanos iſtos gloriatores libenter tolerabant , quamvis eſſent ipſi prudentes ; ſe quoque , ipſorum gloriationem imitantem , ferendum eſſe tacitè concludit. Nimiam autem iſtam Corinthiorum patientiam , erga iſtos gloriatores *verſ.* 20. exaggerat. *Toleratis*, inquit, *ſi quis vos in ſervitutem redigit , ſi quis exedit , ſi quis à vobis munera accipit , ſi quis arrogantia effertur , ſi quis vos in faciem ferit* , hoc eſt , contumelia afficit. Unde tacite concludit , à minori , ſe quoque multo magis , qui non adeo ipſis moleſtus ſit , ferendum eſſe.

Verſ. 21. Ingreſſurus autem laudes ſuas , præſertim aliquas , ſumptas ex iis rebus , quæ vere laude dignæ non ſunt , quales erant gloriationes ex iis , quæ ſunt ſecundum carnem , iterum cenſura ſua illas notat. Et quæ antea dixerat ſe *tanquam in inſipientia dicere* ; nunc dicit ſe *in contumelia loqui* , tanquam & ipſe eſſet infirmus, aut probro dignus , ſicut iſti, quibus gloriationem ſuam opponit. In quo aliquis (ait) confidit , aut fiduciam habet ; confido & ego. & tamen in parentheſi ait fiduciam , & gloriationem iſtam ſtultam eſſe. Sed tamen illos, qui iſtis rebus gloriantur , non habere quod præ Apoſtolo jactare poſſint , cum & ipſe iiſdem rebus , ſi velit , gloriari poſſit , ut exempli gratia (*verſ.* 22.) quod ſint Hebræi , Iſraëlitæ , Semen Abrahæ , & cætera ad generis nobilitatem pertinentia.

Verſ. 23. *Miniſtri Chriſti ſunt* (*imprudenter loquor*) *multo magis ego.* Loquitur de iis , quæ ſupra *ſecundum faciem Cap.* X. 7. , paulo ante vero *Cap.* XI. 18. *Secundum carnem* vocavit , hoc eſt , res, quæ oculis hominum cernuntur, & apparent ; non autem de ipſarum rerum veritate , & hypoſtaſi. Nec enim illos vere Chriſti miniſtros vocare potuit , quos ſupra *verſ.* 15. miniſtros Satanæ vocavit.

Ergo & in iſtis rebus , externa ſpecie apparentibus , & oculis hominum ſubjectis , ſeſe ipſos longe ſuperare oſtendit , in laboribus pro Chriſto ſuſceptis , in verberibus , in carceribus , in periculis mortis ſæpius toleratis (*verſ.* 24.) A Judæis quinquies verberibus affectus (*verſ.* 25.) Ter virgis cæſus , ſemel lapidatus , ter naufragium perpeſſus. Nocte , dieque integra in profundo maris , hoc eſt, in alto (nam & Latini mare profundum ſimpliciter altum vocant) cum naufragii periculo colluctans (*verſ.* 26.) : plurimis itineribus , fluminum, latronumque periculis , periculis à propria gente, periculis ab externis gentibus , periculis inter homines in civitatibus , periculis in locis deſertis, periculis à falſis fratribus conflictatus. (*verſ.* 27.) Labore , & ærumna , multis vigiliis , fame , & ſiti , & crebris jejuniis, frigore , & nuditate multum exercitus. (*verſ.* 28.) Adde præterea quotidianas curas , & ſollicitudinem de omnibus Eccleſiis.

Verſ. 29 Quis enim infirmitate delinquit , cujus culpa me ægritudine animi non afficiat ? quis offendiculum dat , aut arripit ; quin ego acriter urar ?

Verſ. 30. Si gloriandum eſt ; in infirmitatibus meis gloriabor. Vera magnitudo, prærogativa, & excellentia Chriſtianorum præ aliis , in eo ſita eſt, ſi quis aliis inſerviendo , multa ferat , faciatque interdum & conſumatur. vide *Matth.* XX. 26. 27. 28. Atque hunc Mathei locum, *Caput iſtud* XI. hujus Epiſtolæ egregrie explicat. Proinde Chriſtianis ſi gloriandum eſt , ejuſmodi rebus gloriandum eſt , in quibus veram magnitudinem , & præ aliis excellentiam Chriſtus collocavit.

Verſ. 31. Ut occurreret tacitæ objectioni , commemorationem laudum ſuarum interrumpit, & hæc vera eſſe teſtimonio Dei O. M. confirmat. cujus nominis mentionem , ne fruſtra facere videretur , abſque elogio non dimittit , vocans eum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti , quia Dominus exaltatus eſt in gloriam Dei Patris , & per iſtam exaltationem gloria Dei Patris non mediocriter propagata eſt. Deinde ait eum eſſe benedictum in ſecula , quia ab omnibus æternùm victuris magnitudo laudum , & gloriæ ejus celebrabitur , in profundum omnis æternitatis.

Verſibus

Versibus duobus ultimis periculum, quod adierat Damasci, ægre de muro in corbe demissus, exponit.

CAPUT XII.

COmmemorationem laudum suarum, ut antea sæpius, ita hic quoque interrumpit reprehensione quadam facti sui, ut alios à simili gloriatione absterreat. Nam si hoc in Apostolo vix ferendum erat, (qui tamen suo jure merito uti poterat), quanto minus in aliis. Non conducit autem gloriari suis propriis dotibus, & prærogativis, quia Laus proprio sordet ab ore.

Præmittit autem hanc cautionem, & hoc monitum, quia accedebat ad eximiam præ aliis excellentiam suam, in visionibus & revelationibus Domini. Quam ita proponit versibus sequentibus, ut eam non sibi, sed alteri tribuere videatur, quia verecundius in aliena persona laudamur. *Novi* inquit *hominem in Christo*, *id est*, Christianum, *ante quatuordecim annos raptum in cælum*, quem locum infrà *Paradisum* apellat, quia ut paradisus dicitur locus omnis felicitatis, ac deliciarum; sic illud cælum, in quod raptus fuit.

Quando, aut ubi Apostolo istud acciderit, scire parum refert. Divinare tamen licet, illud tunc fieri potuisse, cum *Actor.* XXII. 17. narrat se in templo Hierosolymitano fuisse in extasi, & quasi præsentis Domini vocem audisse, ac præsentem allocutum esse, & ab eo mandata accepisse. Credibilius enim est Paulum ad audienda Domini mandata, in cælum adductum, quam Dominum Pauli alloquendi causa è cælo in terras descendisse, & ad tale colloquium nil opus fuerat extasi. Sed & circumstantias istas curiosius, & sollicite inquirere superfluum esse; hoc ipso loco insigni Pauli exemplo docemur: qui cum in cælum omnium verarum deliciarum, ac felicitatis paradisum raptum se fuisse certò sciret, ac sentiret; permisit tamen sibi ignorare, quonam modo id factum esset, utrum unâ cum corporeo isto organo raptus fuerit, an extra corpus. quod tamen longe magis sub ejus notitiam cadere potuit, quam arcana essentiæ Dei. in quæ homines nullo miraculo, nulla extasi, aut raptu in cælos admissi; non minùs inverecunde, quam infeliciter, non multò post tempora Apostolica irrumpere, ac penetrare conati sunt. cum tamen ab ista curiositate sibi temperare exemplo Apostoli non licuerit modo, sed & præstiterit. Liceat ergò & nobis ea ignorare, quæ sufficienter nobis in Sacra Scriptura minime explicata, Deus sibi nunc soli, & venturæ demum (1 *Cor.* XIII. 12.) perfectiori cognitioni nostræ sepositi. Certe minùs turbarum in Ecclesia esset, ac fuisset, si homines rebus necessariis contenti, ad curiosas, & vel ideò minus necessarias, quia dilucide in Sacra Scriptura explicatæ non sunt, quæstiones non descendissent, sed cum Apostolo dicere maluissent, hæc quomodo se habeant nescio, *Deus scit*. Alterum est, quod hinc discere possumus, ad certitudinem resurrectionis nostræ pertinens, quod Apostolus nescire se asserat, utrum *in corpore*, seu cum corpore, *an sine corpore* in cælum raptus sit. Unde *primum* liquet Apostolum censuisse, quòd utrumvis eorum fieri potuerit, hoc est, ut, aut cum corpore raptus, miraculosa tamen potentia Christi isthic aliquamdiu subsistere, & organo ad cælestia tam inepto, eâdem potentia infirmitatem ejus supplente, uti potuerit; aut sine corpore in cælum sublatus, adaptato ipsi ad tempus nobiliori organo, eas, quas commemorat, sensuum operationes exercere posset. *Secundo*, quòd Apostolus hominem hunc etiam sine corpore raptum in cælos, nobilissimas sensuum, & rationis operationes exercere potuisse non obscure asserit. Unde conficitur, hominem, & quidem unum, eundemque numero (etiam absque isto psychico corpore) puta in alio Spirituali esse, atque operationes suas exercere posse.

Vers. 4. *Ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.* Istius generis, nisi fallor, sunt illa flagrantissimum Christi amorem erga suos testantia, quod cæli, terræque Dominum non pudeat discipulos suos Fratrum nomine vocare. Ejusmodi enim verba Domino quidem effari licet, at hominibus nequaquam. Præstat tamen non decidere audacter ea, quæ Apostolus minus expresse proferens, indecisa relinqui voluit.

Vers. 5. Ex isto versu apparet, Apostolum in *Capite* XI. de iis tantum locutum, & gloriatum, de quibus *secundum faciem* & *secundum carnem* homines gloriari possunt, quæ sensibus omnium, & oculis obvia, & subjecta sunt. qualia sunt, generis nobilitas, cum quis ex sanctis, ac Deo acceptis majoribus natus est: externa religionis Christi professio: atque etiam ipsum Evangelii ministerium, & ἀποκάλυψις. In quibus omnibus, quia (teste Christo *Matt.* XX.) vera magnitudo, excellentia, & præ aliis gloriatio esse nequeat, nisi forte quis ministerium istud Evangelii excellentiori modo præ aliis exerceat, hoc est, nisi omnium aliorum quasi servus sit, labores, molestias, afflictiones, mortem ipsam pro ipsis subeundo, ut Christus fecit, & omnis fere Apostoli. (quod de se 1. *Cor.* IV. 10., & 11. Apostolus prædicat: *Nos stulti propter Christum, vos autem sapientes in Christo*: *Nos infirmi* (hoc est afflicti) *vos autem robusti*: (subsumendum διὰ τοῦτο in Christo) *nos ignominiosi, vos autem glorioſi*; subintellige in Christo. Ideo enim Apostolus infamiam, ignominiam, afflictionem secundum carnem suscipiebat, ut ii, quibus prædicabat, essent Christo secundum Spiritum sapientes, robusti, atque glorioſi. atque hoc modo omnium, quibus Evangelium prædicabat, servus fuit Apostolus.

Hæc cum ita sint, merito Apostolus ait. *Quod ad me attinet*, inquit, *non gloriabor nisi in infirmitatibus*, hoc est afflictionibus *meis*.

Cum autem hoc loco Apostolus se ipsum in cælum raptum, sibimet in terris existenti opponat, quasi diversos homines secum comparando, & affirmando, alterum quidem eorum absolute gloriationis capacem esse, alterum nonnisi secundum quid, si plurimas afflictiones propter Christum, & Ecclesiam ejus suscipiat; satis aperte ostendit, sola cælestia bona, quibus Deus hominem præ aliis afficere dignatur, gloriatione digna esse. In terrenis autem bonis, & laudibus, præter unam illam, quam Christus, *Matt.* XX. commendat, magnitudinem, & excellentiam; nihil esse vera gloriatione dignum.

Vers. 6. Porro cum Apostolus jam planum fecisset, utriusque generis laudum excellentia se posse gloriari, (tacite innuendo obtrectatores suos, Pseudoapostolos, neutrius generis gloriatione uti posse) ostendit nunc, si velit sua gloriatione pro eo, ut dignum est, uti, hoc est, longe abundantius, ac plenius quam fecit; nihil se insipienter facturum. Nihil enim quod alienum sit à veritate, aut supra fidem, ac verum dicturum. (quo ipso ostendit, quamvis omnis gloriatio, & jactantia aliquid stultitiæ admixtum habere videatur, quia rarissimò contingit, ut gloriantes laudibus suis non aliquid falsi admisceant; esse tamen aliquam gloriationem, quæ omnis stultitiæ expers sit, illam nimirum, quæ nihil falsi admixtum habeat, & justâ, atque gravi necessitate exprimatur). Sed tamen se malle parcius in laudes suas effundi, ne quis illum pluris æstimet, quam ipse

se æstimari velit. Ita enim intelligo illa verba *Ne quis me æstimet suprà quod videt in me, vel audit ex me.* Nolebat nimirum Apostolus se æstimari ex arcanis illis, ac plane cælestibus donis, quæ in eum cumulate effuderat Dominus. ideo excellentiam eorum satis timide, & parce admodum, & quidem sub aliena persona exposuit; Sed sufficiebat illi, ut æstimaretur ex illis donis, & laudibus, quæ oculis, & sensibus omnium subjecta erant, hoc est, ex afflictionibus Christi, & Ecclesiæ causa susceptis, quas infirmitates vocat.

Subjicit autem *vers.* 7. causam Apostolus, cur nollet gloriari *excessu revelationum*; quia Dominus eum ipsâ efferri noluerit: atque ad eam rem præsentissimum ipsi remedium dederit, Angelum colaphizantem &c. Atque hoc est omnium Christianorum officium in Paulo imitandum, ut quisque ex eo ipso statu, in quo singulos Deus esse voluit, colligat, quid se facere velit: (hoc enim est explorare voluntatem Dei) atque hanc voluntatem Dei sequatur libens, eique alacriter morem gerat.

Deinde, hic considerandæ est anxia, & sollicita Christi cura de salute suorum, quod pericula virtutis, & sanctimoniæ eorum prospiciat, avertat, atque ipsis matura adhibeat remedia.

Tertiò, notandum est, quantum adeant etiam sanctissimi viri periculum, quoties insignem aliquam gratiam ipsis Deus confert. Nam si tantus Apostolus indigebat acri fræno, ne nimium donis Christi efferretur; quid de aliis dicemus? Non igitur mirandum est, Dominum parcius ista dona hominibus conferre: aut si quando conferat; ea multis afflictionibus temperare.

Σκόλοψ τῇ σαρκὶ, *Stimulus carni.* Subsequens verbum *colaphizat* ostendit stimulum istum non ea mente Apostolo additum, ut ipsum incitaret ad aliquid aggrediendum; sed ut eum affligeret; & quasi ad modestiam componeret, & elatiores in eo Spiritus frangeret.

Quando autem addi soleat Satan hominibus ad eos colaphizandos, quærentibus, respondendum censeo; non esse necesse, ut sit is per se, ac proprie minister Dei, aut Christi. Cum enim ille maximo erga Christi servos odio flagret, eosque semper affligere cupiat; sufficit ipsi laxari frænum, quo in officio continetur, ut eos affligat.

Vers. 8. Licitum id Christianis oratio Dominica ostendit, ut à malo liberari petant.

Vers. 9. *Sufficit tibi gratia mea, Nam potentia mea in infirmitate perficitur.* Gratia Christi multiplex suppetebat Paulo, etiamsi huic tentationi obnoxius esset; sed & ista quam modo commemoravit, *revelationum abundantia.* Atque hinc patet per hunc *stimulum carnis*, afflictiones carnis intelligendas esse. Vocem enim *infirmitatis*, pro *afflictione*, *in* hac Epistola sæpe usurpat: & *vers.* 10. satis clare eam explicat per contumelias, necessitates, angustias propter Christum.

Notandum & hoc maximum istarum afflictionum solatium, semper in iis insignem Christi potentiam cerni. ut merito cum Apostolo quisque fidelium exclamare possit: *Quando infirmus sum, tunc potens sum*, non meis videlicet viribus, & potentia validus, sed Christi. Merito igitur Jacobus ait, pro omni gaudio reputandum, seu in maxima felicitatis parte ponendum, quoties variis tentationibus conflictamur *Jac.* 1. 1.

Hic autem Apostolus ait, non tantum gaudendum; sed etiam afflictionibus istis gloriandum esse: & hoc esse unicum tempus, quo præ aliis vere gloriari possimus. Hoc enim est tempus, quo non inanis, & fluxa; sed immortalis gloria quæritur: hoc specimen virtutis: hic balteus militiæ nostræ; hoc insigne nobilitatis, & excellentiæ nostræ: hæc *exploratio fidei*, δοκίμιον πίστεως, omni auro pretiosius 1. *Pet.* 1. 7.

Vers. 11. Concludit totam istam de gloriatione sua dissertationem, qua Apostolicam suam auctoritatem adversus Pseudo apostolos defendit, & vindicavit; excusatione, & gravi allata causa, cur in eam descenderit, & inquit: *Factus sum insipiens gloriando.* Non erat insipiens revera factum ipsum Apostoli, ob eas causas. Prima, Quia nihil falsi de se protulit, nec quicquam laudis sibi affinxit. vide *vers.* 6. ubi utramque hujus Syllogismi præmissam (ut vocant) reperies. Secunda. Quia in laudes non nimium effusus est. Tertia, ob incumbentem sibi gloriandi necessitatem, quam hoc loco exponit. Sed quamvis non esset factum istud insipiens, videri tamen, præsentem rationem facti ejus ignorantibus, poterat. Ideo hanc rationem reddendam sibi putavit. Reddit autem hanc, *Vos me*, inquit, *coegistis.* Alloquitur universos Corinthios, tam malevolos suos, qui auctoritatem ejus oppugnabant; quàm reliquos, qui eam adversus oppugnantes non vindicabant. *Ego* inquit *debebam à vobis commendari*, multo magis defendi. Sed quia vos vestro defuistis officio, si quid in facto meo videri potest præposterum; vestræ culpæ tribuendum est. Debuisse autem se ab ipsis commendari ostendit, quia nulla re inferior fuerit maximis inter Apostolos, *quamvis nihil sit.* Adeo semper gloriationis invidiæ, & (ut sic loquar) veneno, addit modestiæ antidotum.

Non fuisse autem se inferiorem maximis Apostolis probat *vers.* 12. quia *signa* perfecti Apostoli in eo deprehendi poterant. Primum, in perfectissima afflictionum propter Christum tolerantia (vide supra *Capite* XI. 23. usque ad finem) hoc est, quod omnium servus fuerit. Vide *Matt.* XX. Secundum, in signis, & prodigiis, quæ fecit, nullis aliorum Apostolorum cedentibus. nam & mortuos excitabat, & alia signa edebat. vide *Actor.* XIX. 11. 12. Tertium, *In potentiis*, ἐν δυνάμεσι. per quas intelligo illam vim Spiritus (supra *Cap.* X. 4. commemoratam) quæ ipsi suppeditabat *arma*, *potentia Deo* (ablativus instrumenti, non dativus hic videtur) *ad expugnationem munitionum.* (Vide citatum locum) quæ etiam effecit, ut plus apud gentes, quàm alius Apostolus profecerit.

Vers. 13. Occurrit tacitæ objectioni: aut simul & alterum affert argumentum, cur ab ipsis laudari, & commendari debuerit, non jam ex dignitate Apostolica, sed ex benevola in ipsos voluntate sua, sumptum. *Quid est*, inquit, *in quo vos à me reliquis Ecclesiis postpositos esse quæri possitis?* nisi forte quod vos non aggravaverim, cum cæteras aggravarem. Non tantum vobis nullam dedi ansam, propter quam officio vestro erga me deessetis; sed etiam bene de vobis merui: item non modo vos aliis Ecclesiis non postposui; sed etiam præposui?

Porro beneficii sui gratiam mira sapientia, & artificio excusando auget. Prudentia in eo est, quia exprobrandi beneficii odium hac ratione sapientissime effugit; & tamen illud commemoravit. Artificium cernitur in μίμησι simul, & Ironia: quarum illa natura sua vim habet augendi; hæc autem efficacissimam vim in culpa, & errore commisso blande admonendi. *Condonate mihi hanc injuriam*, pro eo quod dixisse debuit, rependite mihi grato animo hoc beneficium.

Vers. 14. Adventum suum tertium ad eos denunciat; ea tamen conditione, aut potius declaratione adjecta, se sicuti antea fecerit, nunc quoque ipsos non aggravaturum. quod non jactantiæ causa addit; sed ne videretur præteritæ abstinentiæ suæ (vide 1 *Cor.* IX. 15.) ideo mentionem fecisse, ut eam

Corinthii

Corinthii in futurum adventu ſuo cumulate, & copioſe refunderent. Rationes autem hujus propoſiti ſui ſubjicit. Prima, Quia non quæreret ea, quæ ipſorum erant; ſed illos ipſos. Secunda, Quia paterno affectui magis convenit, ac decorum eſt, dare liberis, quam accipere à liberis. Tertia, Quia tam flagranti affectu erga eos ſit, ut non modo ſumptum ipſorum cauſa facere, ſed etiam in illorum gratiam ipſe impendi, ſive vitam ſuam impendere (*verſ.* 15.) paratus ſit pro animabus eorum animam ſuam ponere. Subjicit ſtimulum, quo amantes ad mutuum officium excitantur, quum impenſe vos amando à vobis minus amer.

Verſ. 16. Occurrit poſtea tacitæ objectioni malevolorum, qui aſtum ejus prætendere poterant in eo, quod ipſe quidem per ſe nihil à Corinthiis acciperet, ſed per alios emungeret.

Ait igitur. Numquid ullus eorum fuit, quos miſimus, qui vos emungeret *verſ.* 17. An non Titus, & alter comes, ipſius frater, noſtra in eo veſtigia ſecuti ſunt, ut à ſumptibus veſtris abſtinerent *verſ.* 18.?

Verſ. 19. Occurrit objectioni, ne quis exiſtimaret poſt tàm longam, & commendatione ſui refertam apologiam; ſeſe iterum ad gloriationem ſuam relabi. Dicit neminem id debere ſuſpicari, quia *coram Deo in Chriſto loqueretur*, hoc eſt, in conſpectu Dei, tanquam Chriſti Apoſtolus, & miniſter, non propter jactantiam ſuam, ſed propter ipſorum ædificationem.

Verſ. 20. Explicat iſtam, quam quærebat ædificationem, ſimul remota falſa cauſa apologiæ ſuæ, puta ambitione, aut propriæ laudis cupidine; exponit veram, videlicet metum, ne veniens ad eos non tales, quales velit, reperiat eos, ſimulque ne talis, qualem nollent, reperiretur ab ipſis. Qua in expoſitione veræ cauſæ ipſius apologiæ, videas tacitam comminationem, per quam ipſos Apoſtolus ad ædificationem, & correctionem morum efficaciter excitat.

Correctionem autem iſtam vitiorum, qua illic regnare ſuſpicabatur, ſpecialiſſime explicat, ne reperiantur inter illos diſſenſiones, invidiæ, contentiones, rixæ apertæ, obtrectationes occultæ, ſuſurronum delationes, inflationes, ſeditiones, ſeu factiones.

Verſ. 21. Metus ſui, hoc eſt, perſonam ſuam proximè tangentis, duas explicat cauſas. Primo, ne ipſum Deus humiliet, ut illum eorum in conſpectu ejus pudeat, quos Chriſto genuerat. Secundo, ne luctu maximo afficiatur, punitis, & ejectis ex Eccleſia peccatoribus, qui commiſſorum peccatorum pœnitentiam agere noluerint, hoc eſt, qui cum ab Apoſtolo ante prædicatum Evangelium inventi eſſent impuri, ſcortatores, adulteri, ac vitæ prorſus diſſolutæ, converſi per Apoſtolum ad meliorem frugem; noluerint ſeriam agere patratorum olim ſcelerum pœnitentiam, & vera vitæ ſanctimonia, ac emendatione compenſare Deo ante actæ vitæ flagitia: ſed, quamvis in ſpeciem levioribus, quæ ſupra commemoravit, graviter tamen Deo diſplicentibus vitiis; iram Dei provocare non deſinerent.

CAPUT XIII.

COntinuat comminationem ſuam ad ædificationem, hoc eſt, emendationem vitæ eorum (dederat enim Dominus ipſi *poteſtatem in ædificationem* ſupra *Capite* x. 8.) & ait, ſe tertio venturum ad eos, eoſque judicaturum, &, ſi opus ſit, puniturum. Judicaturum autem, non modo nota omnibus eorum flagitia, & peccata; ſed etiam ignotiora, & paucis nota, dum modo duobus, tribuſve teſtibus coargui poſſint.

Unde apparet, quemadmodum de occultis non judicare dicitur Eccleſia; ita unum teſtem ad convincendos accuſatos in Eccleſia vix ſufficere.

Verſ. 2. *Prædixi autem* (puta ſupra *Cap.* XII. *verſ. ultimo*) *per Epiſtolam imo præſens quoque ſecundo meo ad vos adventu, me non pariturum.* Apparet enim in ſecundo quoque adventu ſuo, Apoſtolum non paucos eorum, qui forte inolita ante agnitionem veritatis vitia nondum excuſſerant, tolerâſſe quidem in Eccleſia, ſed iis comminatum eſſe, ſeſe uſurum poteſtate ſua Eccleſiaſtica adverſus eos, ni reſipiſcerent.

Nam τοὺς προημαρτηκότας, *qui ante peccarunt*, non alios intelligendos, quàm qui ante agnitionem veritatis in peccatis demerſi, nondum ex iis plane in totum emerſerant; indicant verba proxime ſequentia: *Prædixi* inquit, & *prædico illis, qui ante peccarunt*, & ſubjicit, *reliquis omnibus* (ſcilicet peccantibus) *quod non parcam.* Quæ enim alia differentia eſſe poteſt inter *eos qui ante peccarunt*, (τοὺς προημαρτηκότας), & alios peccantes, niſi hæc quam diximus.

Verſ. 3. Quoniam, inquit, *experimentum quæritis loquentis in me Chriſti.* Data enim à Chriſto poteſtate uſurum ſe minatur. (vide 1. *Cor.* v. 4.) quam poteſtatem, quia valida ſit, non infirma; metuendam eſſe innuit.

Verſ. 4. Quamvis enim Chriſtus mitis fuerit, manſuetus, & humilis, & uſque ad mortem patiens, ac tandem ignominioſa morte mortuus ſit, atque ita infirmus viſus fuerit, ſuaque omnes veſtigia premere juſſerat: tamen poſteaquam potentia Dei reſurrexit, vivit, & regnat; potentia Dei, & ſumma poteſtate ſua utitur, præſertim in Eccleſia ſua. Ita quoque nos, qui ejus veſtigia premimus, quamvis propter humilitatem, modeſtiam, patientiam, longanimitatem noſtram, in qua Chriſtum imitamur, infirmi, & tanquam mortui videamur; *vivemus tamen cum ipſo, ex potentia Dei in vos, aut in vobis)* hoc eſt, dabimus vobis ſpecimen virium noſtrarum, ut ſentire poſſitis, vivere nos, ita ut Chriſtus vivit: & viribus ejus potentes eſſe: & ex mandato ſimul, & inſtinctu ejus uti poteſtate, divinitùs nobis conceſſa in vos: nec vim Spiritus Sancti nobis à Patre per filium miſſam, in nobis otioſam, aut invalidam eſſe.

Verſ. 5. Poſita ob oculos valida, & metuenda poteſtate Chriſti, qua ſe in eos uſurum minatur, ſuadet, & hortatur ut eam neceſſitatem antevertant: atque ipſi mores ſuos corrigant; modum ejus rei oſtendendo, ut ſe ipſos explorent: in ſe ipſos deſcendant: ſe ipſos examinent: & videant quid ipſis deſit: quid ſupplendum: quid corrigendum: quid tollendum: & amputandum ſit. Imprimis vero an fides eorum vacillet; an ſeriò, & bona fide credant id, quod profitentur; an *Jeſus Chriſtus*, hoc eſt, ſanctimonia à Jeſu Chriſto præſcripta, & quæ in eo eluxit; in *is habitet*: an vero ſint ἀδόκιμοι, hoc eſt reprobi, Chriſto refractarii, aut qui Chriſto non probenter.

Verſ. 6. Spero autem vos ſenſuros, quod nos non ſimus reprobi, hoc eſt, veſtri ſimiles, conniventes ad vitia veſtra, diſcedentes ab officio noſtro.

Quarum minarum rigorem temperat voto, cujus reum, & compotem ſe eſſe optat, & precatur *verſ.* 7. *Precor* inquit Deum, *ne quid vos mali faciatis*, ne mihi neceſſitas imponatur debita adverſus vos ſeveritate utendi. quod fiet, ſi vos officio veſtro ſancte, & pie vivendi non defueritis; ſed ſatis feceritis. Ita verò ego officio meo, (ſcilicet puniendi vos) non ſatisfacere, ſed deeſſe cogar.

Subdit rationem *verſ.* 8. quia *nihil poſſumus contra veritatem, ſed pro veritate.* Non poſſumus igitur vos punire tanquam nocentes, ſi innocentes reperti fueritis

fueritis *verſ.* 9. Cæterum *ejuſmodi impotentiam* noſtram, (quam ἀδυνατίαν, *infirmitatem* vocat,) non *moleſte feremus, ſed gaudebimus* ea (ἀδυνατῶμεν *infirmi ſumus*, enim idem eſt, quod ſupra dixit, ἀ δυνάμεθα, *non poſſumus*), *quum potentes*, hoc eſt, inſontes *reperti* fueritis. Ut enim peccantes, & nocentes infirmi; ita inſontes, & pii, validi dici poſſunt. Explicat autem iſtam quam in ipſis inveniri optat, *potentiam*, *precor* inquit, *veſtram inſtauration*em, hoc eſt *emendationem*. Concludit iſtam comminationem, ſatis acri eos urgendo formidinis ſtimulo, ſed tamen eam manſuetudine Chriſtiana temperat.

Verſ. 10. *Ideo*, inquit, *hæc abſens ſcribo*, ne præſens ἀποτόμως (*præciſe, ſummo jure*) hoc eſt, *ſeverè*, utar ea poteſtate *quam mihi Dominus dedit ad ædificationem, non ad deſtructionem.* quæ cauſa finalis conceſſæ poteſtatis rigorem quidem poſtulat diſciplinæ; ſed non nimium, nec qui in crudelitatem degeneret.

Verſ. 11. Quia illos in calce Epiſtolæ ſuæ metu, ac minis contriſtaſſe videbatur; ideo ſtatim eos conſolatur, hortando ut gaudeant: ſed tamen prius vitam, & mores emendent. neque enim gaudium verum, niſi ex bona conſcientia naſcitur: via vero ad emendationem eſt; ſi ſe invicem hortentur, & admoneant. quod fieri nequit, ſi à ſe diſſentiant, & alieno ſint invicem animo. Ideo ſubjicit, ut idem ſentiant, ad eundem ſcopum contendant, concordes ſint, & pacem colant invicem, quia id Deo placeat. Qui Deus caritatis & pacis merito dicitur: cujus etiam certiſſimum auxilium ipſis, ſi monitis ſuis morem gerant, pollicetur.

Verſ. 13. Poſt ſalutationem Sacro Sanctæ Trinitatis mentionem facit, cujus doctrinâ imbui omnes Chriſtiani juſſi ſunt. De qua, ſi circumſpectius, & reverentius, (hoc eſt, verbis duntaxat Sacræ Scripturæ, ſatis alioqui claris, apertis, & ſimplicibus, & quæ explicatione nulla, multò minus obſcuriore, & intricatiore indigeant) homines loqui voluiſſent; minus turbarum in Eccleſia, minus oppreſſionis, ac tyrannidis, minus tenebrarum, & caliginis, per oppreſſionem invectæ, plus lucis, plus pietatis fuiſſet, atque etiamnum eſſet.

Verſ. 12. *Supra*; *Salutate vos invicem in ſancto oſculo.* Non eſt hæc ſalutatio epiſtolica, quamvis cum illa in eodem verſu connexa ſit. Sed quia proxime de pace, & concordia inter illos loquebatur, deque caritate mutuâ, cujus Deus auctor eſt; ideo externam iſtam caritatis ſignificationem, quæ eſt in humanitate, internæ illi concordiæ, & caritati adjungi poſtulat: eademque occaſione ad officium ſalutandi epiſtolicum tranſit. Vocis autem ἀσπάσασθε, *Salutate*, ſignificatio eadem hic videtur, quæ *Matt.* v. 47.

FINIS.

IN EPI-

IN EPISTOLAM AD GALATAS COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

HÆc est illa Epistola, cujus auctoritas cum vulgari explicatione loci *Matt.* XVI. 18. 19. ac cæterorum omnium, quibus Ecclesiæ Romanæ auctoritas, & Pontificis Romani suprema jurisdictio asseritur; ita pugnat, ut alterutri necessario corruendum sit.

Vers. 1. *Non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui excitavit eum à mortuis.* Distinguit *Homines* ab *Homine*, quia per *homines* quidem, mortales homines intelligit, quantacunque sint auctoritate præditi, etiam ipsos Apostolos Domini: per *hominem autem*, ipsum Dominum; sed dum adhuc esset mortalis, & humanis infirmitatibus obnoxius. Opponit autem *homines* quidem divinis personis, quas nominat: *hominem* autem, uni personæ Jesu Christo; scilicet jam excitato à mortuis, & dignitatem, potestatemque humanâ majorem adepto.

Unde apparet, primum vocem *Hominis* hoc loco sumi pro homine mortali, & caduco. in qua significatione, cum significat animam rationalem per organum istud corporeum, & corruptibile functiones suas exercentem, vox hæc neque nunc Christo, neque olim fidelibus ejus, cum resuscitati, & divinæ naturæ proprie participes facti fuerint, tribui potest. Est vero alia vocis hujus significatio, in qua vox hæc, tàm Christo, quam iis, quos Christus immortales faciet; tribui possit, cum significat eandem animam rationalem, per organum spirituale, incorruptibile functiones suas exercentem. In quo organo existens, quid ab Angelis, & quidem præstantissimis differat, nisi quod propter strictissimum cum Christo vinculum locus in cælo excellentior ipsi paratus sit, non reperio.

Deinde observandum est hoc loco, per ista verba Apostolum dignitatem & excellentiam vocationis suæ, non modo supra vocationem aliorum virorum Apostolicorum, qui ab aliis Apostolis, hominibus natura caducis, tanquam eorum cooperarii ad prædicandum Evangelium mittebantur; sed etiam supra ipsorum Apostolorum vocationem, qui ab ipso Jesu Christo; sed adhuc homine, morti obnoxio, nec dum à Deo Patre resuscitato, & glorificato missi fuerunt; extollere. Tantum enim abest, ut reliquis Apostolis aliqua in re cederet (*sicuti* 2. Cor. XII. 11. ait, *nulla in re se inferiorem summis apostolis fuisse*), ut non deesset in quo præ illis excelleret, quod hoc loco innuit. Imposita vero est Apostolo quædam necessitas, suæ istius præ aliis Apostolis excellentiæ exponendæ. Quia in eo ipso quærebatur deprimendæ ejus auctoritatis ansa, in quo potiùs eminere præ aliis meritò dici poterat. Ideo enim Apostolum minoris æstimari debere malevoli ejus jactabant, quod non fuisset unus ex illis, quibuscum Dominus, dum in carne esset, conversatus est, & quibus discedens ab iis, mandatum apostolatus dedit.

Atque in eo sapientia, & bonitas Domini, Ecclesiam suam gubernantis, eluxit, quod is prospiciens ex ea auctoritate, quam Petrus in Ecclesia nutu Domini, & merito suo habuit, tyrannidem Antichristi aliquando exorituram, maturum huic malo remedium attulerit, & in Ecclesia sua ejusmodi Apostolum excitaverit, cujus auctoritas excellentiæ Petri nihil cederet: ne democraticus ille, admodum modicè aristocratico temperatus, Ecclesiæ suæ statum, in monarchicum unquam degenerare posset.

Vers. 2. Ne sua tantum, quamvis eximia auctoritate, Pseudo apostolos Ecclesias Galatiæ ταρασσοντας, *turbantes*, premere videretur; adjungit auctoritatem totius Ecclesiæ.

Vers. 3. *Gratiam & pacem*, hoc est, omne genus felicitatis, ex mera Dei gratia, in nos effundendum, optat à Deo Patre, & Domino nostro, quia omnis ejusmodi felicitas à Deo per Christum in nos dispensatur. Porro dispensatoris hujus, sicuti & ipsius Dei Patris flagrantem in nos caritatem exprimit, commemorato utriusque beneficio, quod per mortem Christi in nos collatum est, qui pro peccatis nostris à Deo Patre, & à se ipso (δόντος ἑαυτὸν, *qui seipsum dedit*) traditus; toties inculcatur, ut vel ipsa peccatorum nostrorum mentione, beneficium Dei. Christique commendetur, & augeatur, qui, dum adhuc peccatores essemus, vitam suam pro nobis posuit (non minus quàm olim victima pro populo) fœdus illud sanciendo, per quod nobis remissio peccatorum oblata est.

Finem mortis hujus pro peccatis nostris susceptæ tangit, ut nos eriperet *ab ipsis* quoque *peccatis*, non tantum à pœnis eorum. Præsens enim ævum malum, peccata ipsa, non pœnas eorum significat. Nec enim in præsenti ævo malo pœnæ de peccatis plenariè sumuntur, sed in futuro. Nunc autem, ut neque præmia virtutum, ita nec delictorum supplicia, principaliter loquendo; locum habent.

Vers. 5. Mentio tanti beneficii gratiarum actione, Deo Patri reddenda, digna fuit.

Vers. 6. Accedit ad ipsum primarium propositum, & argumentum hujus Epistolæ, arguens Galatarum culpam, quod ab illa pura Evangelii doctrina, in qua maxima Dei per Christum gratia eluxit, & quidem tam citò, transirent ad aliud Evan-

gelium, hoc est, ad aliam sub Evangelii nomine doctrinam, impuram, & erroribus infectam. Non latebat enim Spiritum Sanctum per Apostolos loquentem, futuram aliquando in populis istis, quibus prædicabant, ἀποστασίαν, *apostasiam*, quam sæpe prædixit Paulus. Sed tam cito, sese adhuc vivente, discipulos suos à sana doctrina defeciisse; merito miratur. Vocat doctrinam hanc erroneam aliud Evangelium *Catachresticè*. Neque enim Evangelii nomine digna fuit hæc erronea doctrina, quæ gratiæ, in qua per Christum vocati sumus, opponitur. Ideo *vers.* 7. statim, se quasi corrigens, ait, non esse aliud Evangelium, præter illam doctrinam, quam illis tradidit. Sed quosdam, qui illis negotium faciscunt, velle hoc Evangelium subvertere, & detorquere ad Judaismum. Ideo magna cum moniti sui iteratò repetiti, asseveratione præmonet, ut nulla cujusquam Doctoris auctoritate, etiamsi is sit Apostolus ipse, aut Angelus de cælo; dimoveantur ab ea doctrina, quæ semel iis ab Apostolo prædicata est.

Primo, Unde discimus, mordicùs nobis retinendam puritatem illam, & simplicitatem doctrinæ Apostolicæ, quæ in libris eorum (nam vox prædicationis eorum aures nostras non attigit) comprehensa est.

Secundo, Non quis nos doceat, sed quid doceamur, & an conforme sit doctrinæ ab initio Christianis traditæ; considerandum esse.

Tertio, Denique nulla auctoritate, etiamsi sit Apostolici nominis prætextu, aut Angelicæ sanctimoniæ, & dignitatis specie subornatâ; percelli, aut permoveri nos debere, ut à traditâ semel doctrinâ, vel latum unguem recedamus: ac proinde non hominum, aut Ecclesiæ auctoritate dogmata, quæ in quæstionem vocantur, trutinanda; sed ad regulam, & amussim doctrinæ ab Apostolis primitùs traditæ (quæ in solis Sacræ Scripturæ literis deprehenditur) exigenda, & examinanda esse.

Vers. 10. Rationem reddit, cur nulla humana, aut Angelica auctoritas doctrinam illam, semel ab Apostolo traditam, in dubium vocare possit; quia non est cerebri humani commentum, nec Angelica inventio: sed doctrina divinitùs à Deo ipso per Christum tradita. Exprimit autem hanc rationem verbis primum obscurioribus, propter metonymiam Apostolo familiarem; qui vocem *Jesu Christi* pro doctrina Jesu Christi usurpat. ita hic vocem *homines*; pro doctrina hominum: vocem Dei; pro doctrina Dei. Sensus est. Nunc autem hominum ne doctrinam ut recipiatis vobis persuadeo, an Dei? *Nunquid hominibus complacere cupio*, an Deo? Negat autem se hominibus placere velle, quia Christi servus sit, qui quod doctrinam, hominibus minus placentem, traderet; ab iis occisus est.

Vers. 12. planioribus verbis ostendit doctrinam, quam ipsis tradidit, non esse doctrinam humanam; sed divinam: quia illam *vers.* 12. non ab hominibus accepit, aut didicit; sed per revelationem Jesu Christi. Quod ut ostendat, in sequenti capite texit historiam conversionis, & vitæ, ac prædicationis suæ post conversionem.

Audistis, inquit, quomodo me gesserim in Judaismo, ut nimium, ac vehementer persecutus fuerim Ecclesiam Dei, eamque vastaverim: utque in Judaismo præ multis æqualibus, in gente mea excelluerim, zelo supra modum fervens, in retinendis patriis institutis, ac ceremoniis. Quod commemorat propter eos, qui simili zelo flagrantes; eas in Ecclesias Galatiæ introducere cupiebant.

Verum se ab isto zelo divinitùs, & miraculosè abstractum, cohibitumque ab ipso Deo, qui cum ipsum *ab utero matris*, tanquam vas electum designasset, & seposuisset sibi, ad exequendum insigne, & eximium voluntatis suæ ministerium, & ad vocationem, in qua, præ multis aliis, ingens erga eum gratia sua eluxit; permisit ipsum aliquamdiu, zelo patriorum institutorum abripi: sed mox quando ipsi placuit, seu tempus ejus rei advenisse visum est; revelavit ipsi filium suum miraculosa ad Damascum apparitione, (& omnibus id audituris, lecturisve de ipso) quia id eo fine factum est, ut per ipsius apud gentes prædicationem, gratia Dei per Christum hominibus oblata revelaretur.

Sed ne tunc quidem Apostolus applicuit se carni, & sanguini, seu hominibus caducis, ut statim *vers.* 17. explicat: non adiit Apostolos Hierosolymis degentes, ut ab iis religionem Christi disceret; sed abiit prædicatum in Arabiam: inde rediit Damascum: donec post triennium inviseret Hierosolymam, ut Petrum de rebus à se gestis certiorem faceret, non ut aliquid ab ipso disceret, apud quem non plus 15 diebus moratus est. Nec alium Apostolorum tunc vidit, præter Jacobum consobrinum Domini, Episcopum Hierosolymitanum. quod se bona fide referre, tanquam coram Deo loquentem; *vers.* 20. asserit. Inde in Syriam, & Ciliciam sese digressum ait: adeo exiguo temporis spatio in Judæa commoratum, ut Ecclesiis Judaicis, fama tantum, ac rumore, non facie notus esset: ignotus alioqui futurus, nisi inde celebritas nominis suo accessisset, quòd illæ Ecclesiæ, auditò quod is, qui tantopere eas propter Evangelium persecutus fuerat, ipse prædicaret Evangelium, eo nomine publicè, privatimque Deum laudarent.

CAPUT II.

DEinde quatuordecimo post anno venisse se Hierosolymam cum Barnaba ostendit, adducto etiam Tito. Consilium autem adventus hujus captum ex revelatione antecedente. Unde possit aliquis suspicari non idem istud esse iter à Paulo Hierosolymam susceptum, quod describitur *Actorum* xv., quia illius causa isthic non apocalypsis, sed missio ab Ecclesia, à quibusdam Judaisantibus turbatâ, assignatur. Sed unius rei possunt esse plures causæ, nec statim illinc abfuit apocalypsis, quia ejus mentio omittitur. Potuit enim Paulus, & Barnabas, præcedente apocalypsi, proposuisse, & persuasisse Ecclesiæ, ut disquisitio illa, missâ ad Apostolos legatione, sopiretur.

Vers. 11. Κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι, id est, *Seorsim, aut privatim vero in, qui erant in pretio.* Si vulgata verborum istorum explicatio retinenda sit; est non parum difficultatis in verbis sequentibus, *ne in vanum curram, aut cucurrerim.* Contrarius enim sensus emergit scopo Apostoli, quem isto loco sibi præfixerat. Si enim ideo exposuit Apostolus Evangelium, quod gentibus prædicabat, Ecclesiæ, præcipue vero Apostolorum principibus, ne in vanum curreret, aut cucurrisset; apparet eum dubitasse de doctrinæ suæ certitudine, nisi Apostolorum suffragio approbata, & eorum auctoritate quasi confirmata fuisset. Quod tamen repugnat non modo scopo Apostoli, sed verbis *vers.* 6. Quomodo *enim nihil*, imò vero non multùm, *ipsi adjecissent Hierosolymis* degentes Apostoli, si eorum demum sententiâ, ac decisione confirmatus est Apostolus in ea opinione, quod in vanum non cucurrerit. Repugnat & *versui* 12. Capitis primi, ubi ait doctrinam, quam prædicabat, non se ab hominibus didicisse, sed ex revelatione Jesu Christi. Non igitur de illa dubitare ullo modo potuit. Ergo ista verba μή πως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον, *ut quo modo in vanum curram, aut cucurrerim* significant,

significant, aut ne quo modo in vanum currere videar: puta, aliis, rem incerto judicio æstimantibus, præsertim cum verba μὴ πως, *ne quomodo*, possint referri ad revelationem, hoc est, ideo secundum revelationem ascendi Hierosolymam, ne viderer dubitare de doctrinæ meæ certitudine, si injussus, & quasi discendi studio, Hierosolymam ascendissem: aut verba μὴ πως non significant *ne quomodo*; sed *num aliquomodo*, hoc est, quod Apostolus ita bene persuasus (quippe omnium judiciorum securus.) fuerit de doctrinæ suæ certitudine, ut eam audacter toti Ecclesiæ, & præcipuis in Ecclesia trutinandam proposuerit, numquid in illa vel minimi erroris deprehendere possent.

Vers. 3. *Sed neque Titus circumcidi coactus est.* Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ἀδελφούς, *propter subintroductos fratres.* *Vers.* 4. Particula δὲ non inusitato pleonasmo redundare videtur. Sensus enim absque illa planior est. Coactus est per falsos fratres, παρεισάκτους. Ita Judas *vers.* 4. παρεισέδυσαν, quia ejusmodi falsos fratres tanquam zizaniam Satanas clàm interserit, & irrepere facit inter verum triticum. Et statim παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι, *subintraverunt speculatum.* allegoria sumpta ab hostilibus exploratoribus, qui in castra civium clàm, & furtim irrepunt, non ut una cum aliis castra defendant, aut adversus hostem pugnent; sed ut explorent, & hostibus cuncta enuncient, atque adeo non civium, sed hostium rem agant, ac civibus noceant.

Subintrarunt, inquit, *inter nos libertatem nostrum Christianam exploratum.* non ut ejus unà nobiscum participes fierent; sed ut ipsam supplantarent, & nobis eriperent, ac nos servitio opprimerent.

Vers. 5. *Quibus neque ad horam cessimus subjectione.* Mutuam subjectionem, modestia & humilitas Christiana ab omnibus exigit; sed in tempore, & loco. Est ubi suo jure, etiam summo utendum est, ne minimum quidem de ipso concedendo: præcipue cum res est cum pseudadelphis, & errorum propagatoribus, & cum faciles esse non possumus absque veritatis injuria. hinc verba: *ut veritas Evangelii permaneat apud vos.*

Vers. 6. δοκοῦντες. Vocem hanc supra absolute positam, planius explicat: *qui videntur aliquid esse.* Qui modus loquendi innuit, auctoritatem, & existimationem aliquanto majorem, quàm res ipsa exigat: præsertim si addas, quæ subjicit, *Personam Deus hominis non accipit.* Unde colligitur noluisse Deum in Ecclesia sua regnare, aut nimium magni fieri hominum, hoc est procerum Ecclesiæ, ne ipsis quidem Apostolis exceptis (de ipsis enim sermo est) auctoritatem. Quomodo verò dici poterat Deum personam hominis non accepere, si jam Petrus homo, cum successoribus suis hæreditarius Monarcha Ecclesiæ factus erat? Eodem pertinet, quòd Christus neminem magistrum præter se ipsum, neminem in Ecclesia Patrem, præter Patrem suum vocari voluerit. Frequenter igitur accidit in Ecclesia, ut homines quanticunque sint; vere tamen, ac judicio ipsius Dei, non tanti sint, quanti ab hominibus fiunt, aut habentur. Ideo vocem τῶν δοκούντων, *eorum qui videntur*, talibus tribuit Apostolus.

Per istos autem δοκοῦντας, *qui videntur* præcipuos, ac principes Apostolorum intelligit, Petrum, Jacobum, Joannem, ut se *vers.* 9. explicat. Ubi non fortuito, sed consilio Jacobum prius, quam Petrum nominasse videtur, sive quod illius Ecclesiæ, in qua hæc gerebantur, Jacobus ordinarius Episcopus fuerit: sive ne Petri auctoritati homines nimium tribuerent, tanquam in omnibus rebus primas tenentis. Hos igitur præ cæteris auctoritate præcellentes, & conspicuos Apostolos, adeo nihil sibi sive doctrinæ, & instructionis, sive potestatis, vel auctoritatis contulisse asserit *vers.* 6., ut è contra videntes, (*vers.* 7.) potestatem ipsi commissam, & officium concreditum prædicandi Evangelii apud gentes, æque ut Petro munus prædicandi apud Judæos fuit commissum, & concreditum; dexteras dederint ipsi, & Barnabæ communicationis, ut isti in gentibus, illi autem in circumcisione, quasi pari potestate, atque officio prædicarent Evangelium.

Videbant autem, & manibus palpabant commissam hanc potestatem, & quasi plenipotentiam, in operibus, quæ per illum Deus efficaciter operatus est, in conversione gentium: quemadmodum & potestas Petro commissa insigniter apparebat ex operibus, quæ per ejus Apostolatum Deus operatus est in conversione Judæorum *vers.* 8. Videbant præterea, insignia gratiæ, sapientiæ, & cognitionis dona in ipsum effusa.

Notandum autem est, quemadmodum Jacobus, & Joannes Petro adjunguntur, quamvis Petrus præ illis eminere videretur; ita Barnabam Paulo addi, quamvis Paulus præ ipso emineret. Unum, inquit, erat, *vers.* 10., in quo potestas, & officium meum, ab officio, & potestate Petri differebat, quod pauperum Judæorum curam, & memoriam ego susceperim, quod & sedulo præstiti.

Vers. 11. Non satis habuit Paulus per datas mutuò dexteras *communionis* (τῆς κοινωνίας) quas commemorat, quandam quasi paritatem auctoritatis cum Petro sibi vindicasse, & asseruisse. Satis enim clare ostendit, ejusdem se apud gentes auctoritatis esse debere, cujus auctoritatis Petrus fuit apud Judæos: quia ut illi circumcisionis; ita sibi præputii Evangelium concreditum esset. Pergit ulterius, & ostendit sese saltem, quoad negotium prædicationis Evangelii apud gentes, quodammodo superiorem, aut certe uberiori cognitionis dono instructum esse, adeo ut ipsi Petri, & aliorum, atque ipsius Barnabæ error corrigendus fuerit. Id autem necessitate urgente fecisse videtur, propter ædificationem gentium: quia Petrus, quanquam in summa rei, circa exolutionem gentium à jugo Legis, cum Paulo consentiret; tamen, ut vel ex isto ipsius Antiocheno facto apparet, studio ædificationis Judæorum, quorum præcipue Apostolus fuit, interdum id agebat, & ita se gerebat; quasi jugum illud Legis Mosaicæ omnium cervicibus impositum, & portandum esset. Is igitur error, & hæc ad alterum extremorum declinatio, meritò reprehensa fuit, ne Petri auctoritas aliquos è gentibus in errorem abriperet. Merito & reprehensio hæc, à Paulo commemoranda fuit, posteaquam Petri auctoritas, quam jactabant Pseudo-apostoli, multos jam è gentibus (ut ex Galatarum exemplo patet) in hunc errorem abduxisset. Fatetur igitur Paulus, quod negari non poterat, Petrum gentibus aliquam in ea re offensionis ansam præbuisse; sed ostendit, eo quoque nomine publice reprehensum esse, & (quia ipsa res ostendit) culpam suam agnovisse.

Inanem autem operam suscipiunt quidam ex antiquis Patribus, qui in gratiam Romanarum matronarum, in Ecclesiæ Romanæ auctoritatem plus æquo propensiores, Petri factum defendere, & Pauli reprehensionem reprehendere audent, (quæ res magna quondam nomina, Hieronymum, & Augustinum inter se commisit). inter cætera, si bene memini, illud quoque allegantes; Inique actum à Paulo, qui ea in Petro, Judæorum ædificationi intento, reprehenderit, quæ ipse ejusdem ædificationis causa, *Actor.* XXI. 26. ex sententia Jacobi,

& aliorum laudabiliter fecerit, sæpe alioqui, & alibi professus se studio ædificationis omnium, *Omnia omnibus factum esse.*

Cæterum inter ista duo facta longe maximum discrimen prudentia ostendit, quæ quod unius plane sint generis existimare, & ab unius jure ad jus alterius argumentari; maximæ est imprudentiæ. Pauli enim factum (sicuti & Petri, si id Hierosolymis fecisset) in tanta fratrum Legis, (*Actor.* XXI. 20.) frequentia, quos inter maxima pars, ac prope omnes imbecilliores, & scandalo ad levissimam ejus occasionem obnoxii erant: Fratribus autem ab Ethnicismo conversis absentibus, nisi quos è firmioribus Pauli asseclis, ab omni scandali metu ipsa Pauli familiaritas tutos faciebat; Pauli, inquam, factum laudabile, & magna, & evidenti ratione susceptum erat. Quis enim merito reprehendere poterat Paulum, in patria, patriis legibus, & institutis utentem, cum Christus licet Christianos, qua Christiani, Legis jugo exolvisset, Leges tamen, & instituta cujusque Reipublicæ non sustulisset, imo confirmasset? At Petri factum, Antiochiæ, inter gentiles versantis, non modo ista necessitate accommodandi se Judæis imbecillioribus carebat, quia isthic præter paucos, & quidem confirmatiores Judæos, vix alii (puta imbecilliores) adesse poterant, sed contraria, & longe majori necessitate non carebat, accommodandi se imbecillioribus ex Ethnicismo, magno numero ad Christum conversis. Præterea, ut supra innuimus, Pauli facto nemo gentilium offendi poterat, quod in patria in gratiam civium suorum, patriis ritibus, & institutis uteretur. At Petri facto, qui non in patria, sed inter gentes vivens, tamen anxiè ritus, & instituta patria observare se videri volebat; non gentes tantum, sed & ipsi Judæi offendi, & in errorem gravissimum adduci poterant; quasi Spiritualis Christi religio, indigeret istis puerilibus, & pædagogicis rituum Legis elementis. Accedit quod jam Petro inter gentiles gentili modo viventi, non erat integrum cæptam consuetudinem mutare absque multis ex eo promanantibus incommodis: Sed in primis quod eo facto se ipsum quasi suamque priorem cum gentibus vivendi rationem reprehendens, & ad Judaicam vivendi rationem inter gentes revertens (quod & factum videmus) suo exemplo, & auctoritate quasi *cogeret gentes Judaicè vivere.* Merito igitur & Petrus reprehendi poterat, qui cum Judæus esset, non gentilis, sciens tamen non ex legis operibus justificari hominem, sed per fidem Jesu Christi, ideoque istam fidem Christi amplexus, ac proinde absentibus Judæis ceremoniis Legis solutum se ostendens; postea præsentibus Judæis anxiam rituum Legis observantiam simulabat, maximo cum gentium scandalo, & nulla Judæorum ædificatione: præcipue posteaquam simulatio ejus detecta esset, &, cum maximo, nisi hæc simulatio detecta fuisset, ac reprehensa, Christianæ veritatis periculo. Hinc videmus primo, Non obstringi nos caritatis præcepto, ut cujusquam (quantuslibet sit in Ecclesia Christi) auctoritati pareamus, quoties veritatis causa periclitatur.

Secundo, Si Petrum, Apostolorum Principem, reprehendere, pudefacere, & interrogare licuit, cur ipse, Judæus existens, gentiliter viveret: gentiles vero Judaizare cogeret; quantò magis eos, qui successione ejus gloriantur; rogare licet, cur hoc vel illud ita facitis?

Verba *versus* 15. & 16. videntur continere continuationem reprehensionis Petri Anthiochiæ factæ.

Porro verba *Non justificatur homo ex operibus Legis*, duplicem sensum continent, ita ut unâ utergue, atque (ut loquuntur) simul, semelque locum habeat.

Primus: Quod ritus, & ceremoniæ Legis perse, & natura sua eam vim non habent (quam vim sola fides in Christum habet) ut justum hominem reddant, quia etiam injusti, & impii homines eas usurpare possunt. Secundus, (quæ potior pars est significationis eorum) quod observatio ista rituum, & cæterorum Legis mandatorum, ea lege præscripta est, ut justificari nemo posset, nisi qui omnia præcepta legis ad unguem impleviset. quod nemo hominum unquam fecit præter eum, in quem credendo justificamur, & qui nobis hoc justificationis privilegium attulit. Et nisi fallor, cum ista verba in hoc versu bis posita sint; prius quidem priorem, posterius posteriorem sensus, & significationis hujus partem respicere videntur.

Vers. 17. Quia doctrina justificationis ex fide, justificationi ex operibus opposita, nisi caute, & circumspecte tradatur, delictis hominum indulgere videri potest; ne quis ex saluberrima hac doctrina venenum exugat, præsto esse voluit Apostolus antidotum: ostendens eum, qui quærat justificari in Christo, plane à peccatis abstinere debere, argumento per deductionem ad absurdum demonstrante. alias *Christus peccati minister esset.* quod est absurdum.

Esse autem hoc absurdum probat, quia cum Christus venerit ad dissolvenda opera Diaboli, hoc est, peccata; prædicatores Evangelii omnes, & ipse Paulus in id maximè incumbebant, ut peccata extirparent. Non poterant igitur ejusmodi doctrinam tradere, quæ peccata confirmaret, aut propagaret, sine maxima sua culpa, & peccato *vers.* 18.

Vers. 19. *Ego igitur per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vivam.* Per Legem, id est, Inspecta Legis infirmitate, quod per opera ejus justificari non possem. vide supra *vers.* 16. *Legi mortuus sum*, id est, abjecta spe justificandi per opera Legis; Legem abjici, Legi nuncium remisi, & in Christum credidi, ut vivam Deo. Eo consilio, in hunc finem, abjecta lege, in Christum credidi, ut pie, & sancte vivam, qualem vitam Deus à me exigit, non ut in peccatis hæream. *Ideo Christo (συνεσταύρωμαι) concrucifixus sum vers.* 20. Vis mortis Christi, & summa ejus erga me caritas, morte in mei gratiam susceptâ, satis testata; crucifixit carnales meos affectus ad peccata pronos (*Vivo autem non jam ego, sed vivit in me Christus*). ita ut jam non ego, qui ante peccator fui, vivam; sed vivat in corpore meo quasi alius homo, regenitus, & efformatus ad imaginem Christi, Christo similis, in quo Christi effigiem agnoscere possis, adeoque Christus ipse, *per fidem suam, aut per spiritum suum* in me regnans. Maxima autem est ista Dei gratia, quod nobis per Christum benignam istam, & facilem, & humanarum virium modulum non superantem, justificationis viam obtulerit, in qua & ad amorem, & obsequium Dei, Christique, blanda vi, non modo præteritorum ejus beneficiorum, sed & futurorum promissorum stimulamur: & in hoc obsequio Dei cespitantes, non statim à gratia ejus repellimur; sed paterna indulgentia ad jugem, & continuam in posterum peccatorum abstinentiam invitamur. Quæ tam benigna Dei gratia, cum remissionem peccatorum nostrorum complexa sit; morte Christi confirmata, & quasi obsignata est.

Unde concludit Apostolus, non posse nos operibus Legis vim justificandi attribuere, quia ingratissimi simus erga Deum, cujus gratiam in ostensa vera, & benigna justificationis via rejicimus: & erga Christum, cujus mortem, pro nobis susceptam, irritam reddere conamur.

CA-

CAPUT III.

OStensa absurditate opinionis eorum, qui operibus Legis viam justificandi attribuunt, merito objurgat Galatas, quod se ita fascinari à Pseudo-apostolis permiserint, ut à veritate, jam probè percepta, desciscerent. Quippe quibus *Christus*, hoc est, doctrina Christi (ulitatissima metonymia) ita perfectè tradita, & quasi oculis eorum objecta, & obtrusa est; ut non magis eam ignorare possent, quàm ii, quibus aliquid ob oculos depingitur, rem oculis subjectam non cernere. Adeo ut non modo *auditores* essent illius doctrinæ. (ἀκοαὶ) *Jacob* I. 22. 23. *Matth.* VII. 24. *& seqq.)* sed etiam factores, hoc est, quod jam Christus in ipsis esset crucifixus, vel, ut paulo ante dixit, quod jam essent Christo crucifixi, hoc est, quod vis mortis, & crucis Christi carnem ipsorum crucifixerit, ita ut secundum spiritum vivere cæperint, ac dona quoque Spiritus Sancti non vulgaria acceperint.

Urget igitur, & rogat ipsos *vers.* 2. utrum ex operibus Legis, an ex auditione fidei, dona ista Spiritus Sancti acceperint. atque inde *vers.* 3. arguit ipsorum imprudentiam, quod, *cum Spiritu cæpiscent, carne finire vellent*, hoc est, quod cum Spirituali Christi doctrina imbuti, secundum Spiritum vivere, & donis quoque Spiritualibus (quales erant illæ δυνάμεις, hoc est, miracula patrata inter ipsos, aut ab ipsis) frui cæpissent; reverterentur ad carnalia, imbecillia, egena elementa doctrinæ de dierum, mensium, temporum, ciborum delectu, quæ illos nec regenerare, nec ullo cælesti dono, aut vera bonæ conscientiæ felicitate afficere, ac beare possent.

Et quia eos, qui secundum Spiritum vivere incipiunt; multa pati, ac ferre necesse est. nec enim tantum externis afflictionibus, ac persecutionibus objiciuntur; sed in ipso Spiritualis vitæ conatu, magnam sibi vim afferre, & ipsam carnis suæ crucifixionem magna virtute, ac patientia ferre, ac perpeti coguntur; Merito illis objicit, & exprobrat tot, ac tantos labores, tantas afflictiones, (τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῆ) *pertulistis frustrà*, hoc est, nullo fructu, nullo tantæ operæ pretio. *Si modo frustra*, hoc est, Parum est nullam vos utilitatem ex tot perpessionibus percepturos: sed etiam maxima damna perpessuros, & graves pænas tantæ imprudentiæ daturos. Quanto enim plus quisque consecutus est; tanto majorem, & graviorem jacturam facit, quoties ea, quæ habuit, amittit. Et cui plus datum est; plus ab eo reposcetur.

Vers. 5. Iterum, illustrando id quod *vers.* 2. dixit; quærit ab iis, utrum is, qui suppeditabat iis Spiritum, & operabatur (δυνάμεις) *miracula*, per ipsos, hoc est, Deus per Christum; id propter opera Legis, quæ exercuerint, an vero propter fidem, audito Evangelio habitam, fecerit? In qua interrogatione est tacita asseveratio, & propositæ quæstionis decisio. Manifestum enim erat, Deum per Christum, non ideò Galatis Spiritum, & vim patrandi miracula suppeditasse, quod opera Legis fecerint, cum nondum isto errore à Pseudo-apostolis essent implicati; sed ideo quod audito Evangelio crediderint.

Qua in re ipsos *vers.* 6. cum Abrahamo comparat, quod, quemadmodum is eo quòd crediderit Deo justificationem consecutus est; ita Galatæ quoque, eo quòd crediderint Evangelio, dona Spiritus Sancti à Deo per Christum suppeditata consecuti fuerint. Unde *vers.* 7. concludit eos, qui sint ex fide, hoc est, homines fide præditos, seu qui Deo, per doctrinam Evangelii benedictiones suas promittenti, credunt; esse veros, & genuinos filios Abrahæ. Nec obscure ait *vers.* 8., quod ex Abrahamo non sint secundum carnem progeniti, quia *Sacra Scriptura prospiciens.* [Notandum vero hic est Sacræ Scripturæ tribui per metonymiam, quod personæ proprium est, hoc est, futurorum prospicientiam. Intelligitur autem Spiritus Sanctus, cujus instinctu conscripta est, atque, ut magis proprie loquamur, Deus ipse, ex cujus Spiritu, & quasi afflatu ista oracula prodiere] *prospiciens*, inquam, *quod Deus gentes*, ex Abrahamo non progenitas, *ex fide*, aut per fidem *justificaturus* esset; (sicut Abrahamum ipsum ex fide justificaverat) *proevangelizavit Abrahamo*, hoc est, etiam longe ante exortam clarissimam Evangelii lucem lætissimas quasdam hujus lucis strictura in orbem præmisit, misso ad Abrahamum ejus rei læto nuncio, *quòd in ipso omnes gentes essent benedicendæ*, hoc est, maximæ, & divinæ felicitatis dono afficiendæ. Hinc conficit *vers.* 9. eos, *qui sunt ex fide*, etiamsi non sint carnaliter ex Abrahamo progeniti; benedictionum Abrahami participes fore.

Vers. 10. Quemadmodum supra probavit eos, qui sunt ex fide, benedictionum Abrahæ participes esse; ita per antithesin nunc probat omnes, qui ex operibus Legis justificari volunt, esse sub maledictione, quia *maledictus* à Spiritu Sancto dicitur *quisquis non manserit in omnibus scriptis in libro Legis, ut ea perpetuo faciat.* quod esse supra vires humanas probat *vers.* 11., quia ipsa Sacra Scriptura testatur, *Justum non aliunde quam ex fide vivere. Legem autem non esse ex fide*, quæ veniam imbecillitatum indulget; sed ex summo jure, ubi veniæ locus non est, *vers.* 12.

Vers. 13. Ostenso misero statu eorum, qui in solis operibus Legis spem collocant, ait, *Christum nos* è tam misero statu *redemisse, quia factus est pro nobis Maledictio*, hoc est, qui pænas subiit tales, quales debentur iis, qui maledictionem commeriti sunt. ubi alludit etiam ad dictum Scripturæ de istis, qui eo mortis genere pereunt, quo Christus sublatus est. Quo ipso tacite innuit Legem, & ipsam Legis maledictionem, à Christo per mortem ejus sublatam, qui exemplo suo ostenderit, non omnem, qui in ligno suspensus est, esse maledictum, cum istud mortis genus subierit is, qui nobis nunc est Deus in secula benedictus *vers.* 14. Deinde qui morte, & multo magis resurrectione sua, ad benedictionem Abrahæ promissam aditum, & quasi otium gentibus aperuerit, in se ipso (ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) *in Christo Jesu*, eo scilicet pacto, quod per fidem in istum Jesum à mortuis resuscitatum, & Christum, ac Dominum effectum, *Actor.* II., accipiamus promissionem Spiritus, qui est arrhabo omnis perfectissimæ benedictionis, quam Abraham, aut ejus posteritàs sperare potuerit.

Vers. 15. Novum argumentum profert, ut ostendat fidei promissionum Dei potius, quam Legis operibus esse innitendum. Quod fides promissionum Dei, ut antiquior; ita & firmior, & validior fuerit ipsa Lege. ita ut illa per Legem tolli nullo modo potuerit; sed potius Lex ad illius usum, ac ministerium attemperanda, imo adventu seminis per illam promissi tollenda fuerit. Cum autem Apostolus ipse fateatur, argumentum istud sium sumptum esse à moribus, & institutis hominum: res ipsa loquitur vocem *Testamenti* διαθήκην, non sumi proprie, & usitate pro *testamento*, quod fit mortis causa, & respectu; sed pro instrumento solenni Scripto sancito, quo se promittens ad præstandum promissum

obligat: aut pro promissione per chirographum, vel aliquam recognitionem ad publica acta *corroborata confirmata* (κεκυρωμένη) quæ jam revocari à promittente non possit, nec ullo ejusdem posteriori facto abrogari. Testamentum enim posteriori testatoris voluntate, & facto tolli potest, quia testantis voluntas ante mortem est, (ut Legulei aiunt) ambulatoria. sed ejusmodi instrumentum, aut promissio, solenni aliquo facto confirmata; non potest ullo posteriori promittentis facto tolli, aut abrogari, quia is, qui alicui per solennem promissionem sese obligavit, quicquid posteà, quod ad eum, cui se obstrinxit, pertineat, ante præstitum promissum fecerit, non potest istius vinculi nexu solutus esse, priusquam promissum præstiterit. *vers.* 16. Ita Deus, qui sese Abraamo, & semini ejus, hoc est, venturo Christo (ita enim hanc vocem explicat Apostolus) prius obligavit, quamvis postea Legem populo suo, hoc est, posteris Abraami dederit, in qua certis conditionibus Fœdus cum ipsis pepigerit; tamen isto posteriori Veteris Fœderis pacto promissionem suam ad semen Abrahæ, id est Christum, pertinentem, abrogare nullo modo potuit *vers.* 17.: neque felicitatem istam, & κληρονομίαν, *hæreditatem*, quæ ex gratuito promisso Dei Abraamo, & posteris ejus debebatur; alligari posteriori Legis pacto. *vers.* 18.

Vers. 19. Τί οὖν νόμος; *quid igitur lex?* Solvit objectionem, quæ opponi potuit, Cur igitur Deus legem tulit, & pactum cum Israëlitis per Mosen pepigit? Respondet. *Quia nondum venisset illud semen*, ad quod ipse præstandæ promissionis effectus pertinebat, & in quo semine per spiritualem ejus doctrinam, & spirituale regnum, & benignum, atque ingenuum, ac liberale Ecclesiæ regimen; benedicendæ erant omnes gentes, ut in voluntaria vitæ sanctimonia Deum colentes, felicitatem æternam assequerentur; necesse fuisse, ut hominum delictis frænum aliquod imponeretur, quo hominum cupiditates cohiberentur (ἐφρουρούμεθα, *custodiebamur*), & pueritia illius populi, quasi sub Pædagogo (vide *vers.* 23. 24.) coërceretur. Proinde tantisper dum veniret istud semen, *ad quod pertinebant promissiones* Abrahæ factæ; *Deus per Angelos Legem tradidit* Mosi, qui tunc erat inter duas partes Mediator, quarum una erat ipse Deus *vers.* 20.

Vers. 21. Reddita ratione, cur, quamvis non Legis Mosaicæ, sed promissionis ante ipsam factæ vi, nobis obventura esset promissæ felicitatis hæreditas; Lex tamen Mosaica introducta esset; solvit objectionem, quam opponere quispiam potuit: Lex igitur inquit pugnat contra promissiones Dei? Respondet Negando. Nec enim Lex Mosis pugnat cum promissionibus; sed potius ipsis ministrat, cohibendo populum Dei à peccatis, tantisper dum veniret tempus præstandarum promissionum. Tunc autem potius pugnasset cum promissionibus, si ejusmodi Lex data fuisset, quæ *vivificare potuisset*, sicut nunc fides vivificat. Tunc enim non ex vi promissionum (ut *vers.* 18. dixit) sed ex operibus Legis & justificatio, & hæreditas cælestis speranda fuisset. Verum non ea fuit mens Spiritus Sancti (hoc est, ipsius Dei) in Sacro Sanctis litteris expressa, ut statim repræsentaretur illa promissio, quæ poterat vivificare homines. Sed aliquamdiu detentus erat populus Dei, sub jugo illius Pædagogi, ad coërcenda coactiva potestate peccata constituti, hoc est, Legis Mosaicæ. *Vers.* 22. (NB. *Sub peccato*, idem hic esse quod *Sub pædagogo*, quia prius explicatur per posterius. Et profecto is, qui non nisi cogente pædagogo abstinet à peccatis; jugum peccati non excussit, & sub peccato esse dici potest, (Malus enim est, qui peccare odit formidine pœnæ) ut postea veniente semine, id est Jesu Christo, liberatus vere à peccati simul, & Pædagogi jugo, per fidem in Christum manifestatam, quisque ex populo Dei vere filius Dei (longe à servo differens) evadat, & ultro, ac libenter vitæ sanctimoniam, qualis erat in Christo, (& quasi Christum ipsum) induat. Cujus felicitatis beneficium, ad omnes omninò Christi religionem suspicientes (quales erant omnes qui in Christum baptizabantur) sine ullo delectu, sine ulla exceptione extendi asserit. Adeo ut par ad eam aditus omnibus pandatur, sive sint Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi (sive Magistratus, sive subjecti,) sive mares, sive fœminæ &c. Omnes eos pari jure in Christo esse asserit. Quia vero sumus Christi possessio, ac peculium, & quasi unum, non tantum in Christo, sed cum ipso Christo; ideo semen Abrahæ dici possumus, ac proinde & promissionum hæredes, aut secundum promissionem Christo factam, hæredes eorum, quæ promissa sunt.

CAPUT IV.

POsteaquam ostendit populum Dei in Christo esse hæredem, hoc est, esse in expectatione earum, quas Deus Abrahamo promisit benedictionum; ostendit magnam Evangelii præ Lege præcellentiam.

Vers. 1. Quemadmoduth enim is, qui est in expectatione hæreditatis paternæ, dum est in ætate puerili, est in statu misero, & humili, & nihil à servili statu differente, quamvis sit destinatus totius hæreditatis Dominus; ita populus Dei, dum *vers.* 3. esset in pueritia, Legis pædagogio subjecta, erat in statu humili, & longe quàm nunc deteriori, subjectus non modo coactivæ potestati Legis per magistratum in delicta, adversus eam commissa, animadvertentis, sed etiam observationi infirmorum, & egenorum *mundi elementorum*, hoc est, ceremoniarum legalium. (cur autem mundi elementa vocet ritus Legales, in promptu causa est, quia erant effecti ab ipso Deo ad similitudinem, & quasi normam eorum rituum, qui tunc in reliquis gentibus mundi totius locum habebant. qualia erant sacrificia, observatio dierum, delectus ciborum, ablutionum, & purificationum variæ species). Sed *quando venit plenitudo temporis*. (Noluit enim Deus simul, & statim beneficia sua in homines profundere, sed per certa temporum intervalla dispensare) *vers.* 4. *misit Deus filium suum factum ex muliere* [Modo isto loquendi usus est, ut ostenderet etiam secundum carnem Dominum non alium habuisse Patrem, præter ipsum Deum. Miraculoso enim modo, absque viri opera, ex pura virgine natus est Dominus]. *Natum, aut factum ex muliere, natum, aut factum sub Lege.* Non poterat enim nasci sub Lege, nisi ex Parente Legi subjectâ natus fuisset. *Natum sub lege, ut eos qui erant sub Lege redimeret*; puta à servili statu Legis liberaret, & in meliorem, ac feliciorem filiorum Dei statum perduceret. Porro quemadmodum ad istam redemptionem requirebatur, ut Dominus noster similis eorum fieret, quos redimere debuit (hoc est, ut carnis, & sanguinis esset particeps, quia illi quoque erant caro, & sanguis. *Hebr.* 11. 14.) ut esset sub lege, quemadmodum ii erant sub lege *vers.* 5. (Hæc enim erat unio quædam, & conjunctio Christi Servatoris cum iis, ad quos servandos venit); ita per istam conjunctionem Christi, qui tam secundum Spiritum, quàm secundum carnem verus fuit filius Dei, nobiscum (si modo nosmet ipsi huic conjunctioni

non

non repugnemus, atque illa nos indignos non faciamus) ut ista nostra redemptio, & transitus ex servili statu ad filialem. Quicunque enim Christo conjungitur, & est Christi (possessio, & peculium); ilico filius Dei efficitur, sicut Christus ipse est Filius Dei. sic dictus κατ' ἐξοχὴν, *propter excellentiam.*

Vers. 6. Argumentum ejus assertionis, quod simus filii Dei; sumit ab effectu istius adoptionis, *quod Deus miserit Spiritum filii sui in corda nostra. Spiritum filii sui*, hoc est, Spiritum talem, qualis in filio ejus fuit, *Clamantem* ἀββᾶ *Pater*, hoc est, non muto aliquo, & nimis occulto, aut vix perceptibili signo innuentem; sed vehementi, ac notabili instinctu, ac stimulo nos admonentem, quod Deus sit Pater nostri amantissimus.

Concludit igitur *vers.* 7. nos non esse servos, hoc est, nos jam à servili illo statu liberatos esse; sed veros, & perfectos filios: & per consequens hæredes Dei per Christum, hoc est, in Christo, aut Christi interventu, qui ascendit in cælum, & exaltatus est, ut locum isthic suis præpararet. Omnes enim, quicunque cum Deo felicitate sempiterna fruentur; hæredes Dei dici possunt ratione æternæ eorum possessionis, quæ jam ipsis adimi nullo modo potest.

Sed præcipuè maxime illi hæredes Dei dici possunt, quibus Christus supra omnia exaltatus, tanquam peculiari clientelæ, imo sponsæ suæ, locum tam excellentem, & gradum felicitatis aliis superiorem præparavit.

Vers. 8. Convertit sermonem ad arguendos Galatas, quod ad miserum illum statum, in quo ante agnitionem Dei fuerint, reverti sustinerent. Cum enim tunc verum Deum non nossent; servire coacti sunt iis, qui *natura* (φύσει) hoc est reipsa, non erant Dii. notandum autem vocem φύσει, *natura*, idem esse quod ἀληθείᾳ, significantem id, quod vere, ac reipsa est tale, & opponitur fucato, & apparenti. Non igitur hoc loco *Natura* (ut alibi forte) opponitur Arti, aut Habitui acquisito, vel adventitiæ qualitati, sed rei fucatæ, apparenti, & falsæ. Serviendo autem iis, qui vere, & reipsa non erant Dii; non mirum est, eos coluisse cultu non vere divino, sed infirmis, & egenis rituum elementis. Sed hoc esse intolerabile (*vers.* 9.) quod cum verum Deum agnovissent, imo vero à Deo agniti fuissent, putà pro filiis, & adoptatis (cujus adoptionis signum fuit ille Spiritus in cordibus eorum *clamans abba pater.* de hac enim re proxime loquebatur); reverti sustineant ad illa, quæ prius sectabantur, infirma, & egena elementa, puta delectum dierum, mensium, temporum, & annorum. ita ut labor Apostoli, qui eos per conversionem ab istis nugis abduxerat; in vanum susceptus videretur.

Vers. 12. Posito ob oculos, & reprehenso ipsorum errore; hortatur, & rogat, ut ipsum imitentur, puta in sana doctrina. Quia vero omnia omnibus fiebat Apostolus, & sese omnibus accommodabat; merebatur ut omnes vicissim sese ipsi accommodarent, neve in precibus suis ferret repulsam.

Et quia precibus, nihil magis est impedimento, quàm sparsa inimicitiarum inter petentem, & eos, à quibus aliquid impetrandum est, semina; amoliri hoc impedimentum contendit. Nullas igitur inter se, & Galatas inimicitias, imo vero amicitiæ pignora intervenire ostendit. Nam & Galatas nulla se injuria affecisse *vers.* 12. & seipsum per multas afflictiones, & tentationes ipsi prædicando Evangelium *vers.* 13., & 14. bene de ipsis meruisse asserit. Notandum autem est, persecutiones aut etiam afflictiones aliquas, puta egestatem & alia ab Apostolo vocari ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς & πειρασμὸν ἐν τῇ σαρκὶ. *Infirmitatem carnis, & tentationem in carne.* Nec illos istis afflictionibus ejus offensos esse, imò recepisse ipsum pro morito ejus, magnoque erga ipsum præsentem studio, & amoris zelo flagrasse.

Vers. 16. Nec se ipsos postea ulla re læsisse; nisi forte quod ipsis errantibus veritatem ostendere conaretur. quod absurdum esse res ipsa ostendit. *vers.* 17. Ergo Apostolus veram simultatum causam tangit, ejusque rei culpam confert in Pseudo-apostolos, qui in Galatarum voluntatibus sibi adjungendis pravam, & perversam rivalitatem cum Paulo exercebant, ut illo ab amore, & reverentia Galatarum excluso, ipsi ab iis æstimarentur, & magni fierent. Laudat igitur Apostolus *vers.* 18., & commendat amorem Galatarum erga se, quem satis graphice *vers.* 15., depinxerat. sed adjicit, ac monet zelum hunc, & amorem eorum erga se stabilem, & constantem, nec ad suam præsentiam duntaxat alligatum esse debere.

Vers. 19. Quia Apostolus in sanando Galatarum morbo, varias in species se transformat, nunc rationibus persuadendo, nunc ad precum sollicitationem descendendo; ne mutatio ista vocis ejus (vide *vers.* 20.) à quopiam in malam partem acciperetur; eam necessitate quadam, & metu, quo propter illos urgebatur, & conflictabatur, excusat; comparans laborem, & anxietatem suam in illis corrigendis, mulieri parturienti, & tantisper doloribus conflictanti, donec integrum, & bene formatum fœtum enitatur. Cui venia danda sit, si partus doloribus cruciata sese in omnes partes verset.

Vers. 20. *Mutare vocem*, hoc est, nunc precibus, nunc persuasionibus, nunc minis, nunc objurgatione eos aggredi. quod à præsentibus commodius fit, & efficacius: & urgente periculo, quod graviter metuitur, omnino hæc remedia adhibenda sunt.

Vers. 21. Redit ad argumentationes Apostolus, & quia Galatæ, à Pseudo-apostolis persuasi, sub Lege Mosis esse volebant; eos argumento ex Lege Mosis, hoc est, libro Legis Mosis, qui non modo præcepta, sed & historias complectitur, oppugnat. Argumentum enim istud est ex historia, non Lege, aut præcepto. *vers.* 22. *Scriptum est*, inquit, *quòd Abraham duos filios habuerit, unum ex ancilla, alterum ex promissione. Vers.* 23. Quorum *qui ex ancilla natus esset*; naturalis tantum, & carnalis filius fuerit. At qui ex libera; etiam legitimus, & *ex promissione Dei.* Hos igitur duos filios typum, & figuram fuisse asserit Legis, & Evangelii, duorum Testamentorum, aut fœderum, veteris, & novi. *Vers.* 24. Quod autem filius Agaris ancillæ typus fuerit veteris fœderis, & Legis Mosaicæ, præter servilem conditionem, tàm Agaris quàm eorum, qui sub Pædagogio Legis custodiebantur, in qua conveniebant; affert rationem sumptam ex sapientissimo Dei consilio, qui Legem illam Mosaicam in Arabia, in qua Agaris posteritas regnabat, & quidem in monte Sina, cujus pars quædam (ut ex *vers.* 25. patet) etiam Agaris nomine vocata est, tradi voluit. Ergo antitypum filii Agaris servientis, illius temporis Jerusalem, hoc est, gentem Judaicam, Evangelio refractariam esse dicit. Sicut enim Agar cum liberis suis serviebat; ita Judaicam quoque gentem servili statui subjectam esse. Supernam autem, & cælestem *Jerusalem, quæ libera*, & legitimæ uxoris Saræ sit antitypus, hoc est Ecclesiam illam omnium Christianorum, cujuscunque gentis fuerint, matrem; à servili Legis, & rituum jugo liberam esse. Quod autem hæc Ecclesia sit omnium mater, etiam eorum, qui ex posthabitis à Deo gentibus

gentibus nati sunt, probat *vers.* 27. ex eo, quòd ex aliis gentibus, tanquam ex lapidibus, Deus Abraamo filios (quod Johannes Baptista prædixerat) excitaverit, & quidem longè plures, quam ex propria ejus secundum carnem posteritate. Hujus igitur Ecclesiæ Christianæ filios *vers.* 28. *secundum Isaac promissionis filios fuisse* ostendit, hoc est, ut olim Isaacus (quippe non perinde ut Ismael, in servili conditione natus, sed ex libera, & legitima conjuge susceptus) filius promissionis merito dictus fuit: ita nunc nos, non perinde ac Judæi servili Legis jugo subjecti; sed ex incorruptibili Christi (qui longe potiori significatione filius promissionis dicitur quàm Isaac. & tamen is quoque ex Isaaci progenie fuit) Christi, inquam, incorruptibili semine, id est, verbo ejus per liberrimum fidei assensum nati, ipsiusque morte à Legis jugo liberati, & in ejus Ecclesia sub molli, & suavi ejus jugo liberaliter educati, & viventes; filii promissionis, sicuti & Isaac, dici possumus.

Sed quemadmodum tunc (vers. 29.) *is, qui secundum carnem* (non secundum promissionem) *genitus erat, persequebatur eum, qui secundum Spiritum; ita & nunc* Judæi Christianos. Notandum autem hic, eos, qui secundum promissionem filii Abrahæ nati dicuntur, secundum Spiritum genitos dici, non tantum ideò, quod ista nativitas Spiritualis sit, non carnalis; sed etiam quod illi non secundum carnem, sed secundum Spiritum vivere debeant. *Vers.* 30. Verum tamen quis hujus persecutionis exitus futurus sit, subjicit, ne quis præsentis ævi afflictionibus percellatur, *Ejice, inquit, Sacra Scriptura ancillam cum prole ejus. Non enim hæreditatem accipiet filius ancillæ, cum filio liberæ.* Hæreditatem igitur benedictionum Abrahæ promissarum, cum ad solos liberæ filios pertinere ostendat; meritò concludit & hortatur, *vers.* 31. ut liberæ, quàm ancillæ filii esse malimus.

CAPUT V.

UT igitur hac libertate, cujus ipsos Christus sancito, & sanguine *versu* 1. suo obsignato novo Fœdere, per quod vetus abolitum est, participes fecit, utantur, fruanturque; hortatur: ac ne cervices suas servili jugo subjiciant; dehortatur. Alias ni hoc fecerint *vers.* 2. ostendit Christum ipsis nihil profuturum; nimirum si rursus rituum Legis, & circumcisionis servitute sese implicent. Imprimis privilegii illius, quod per justificationem ex fide habemus, certissimam jacturam facturos ejusmodi homines ostendit. Quicunque enim (*vers.* 3.) ad servanda Legis opera revertitur, ac veteris Religionis, quasi sigillo, circumcisione obsignatur; eum totius Legis observandæ debitorem esse demonstrat. aliàs maledictioni subjacere, nisi omnia ad amussim præstet. [Quamvis enim infra ex *vers.* 13. *Capitis* VI. colligi videatur, Galatas à Pseudo-Apostolis, non ad totam Legem ritualem servandam, sed tantum ad circumcisionem adactos; tamen ex sequentibus verbis patet, de Justificationis natura potius, quam de ulla alia re Apostolum loqui]. Subjicit enim statim, tantum Christi beneficium (*vers.* 4.) ipsis non prodesse, qui justificari ex Lege velint: & eos gratia justificationis ex fide excidisse, quia nimirum in carnalibus istis, & non multum profuturis servandæ Legis institutis spem justificationis reponant. quæ tamen ad amussim omnia servanda sint, si ad justificationis ex lege spem aspirare velint. quod humanas vires superare, & Paulus sæpe, & Petrus *Actorum* XV. ostendit.

At nos (inquit *vers.* 5.) *Spiritu ex fide Spem justitiæ* expectamus, hoc est, non per carnalem rituum observationem, sed per Spiritualem vivendi rationem, & sanctimoniam ex fide misericordiæ, & benignitatis Dei, per Christum ostensæ, & ostendendæ; spem justificationis expectamus. Opponit igitur Spiritum; carnalibus ritibus; fidem; operibus Legis: spem certam, & firmam facilis, ac possibilis ex fide justificationis; spei irritæ, & inani impossibilis ex operibus Legis justificationis.

Ideo *vers.* 6. subjungit rationem, quâ obiter docet, quamobrem Spiritum carnalibus istis ritibus oppoſuerit. Quia Christus in Religione sua nihil moretur, aut curet istiusmodi carnalia instituta, nec quicquam referre sua existimet, circumcisus sit aliquis fidelium, nec ne; sed unum id spectet, ut quisque fidem habeat, non mortuam illam, sed vivam, & per Caritatem efficacem.

Vers. 7. *& seqq.* Laudato priore ipsorum vitæ instituto; invehitur in eos, qui ipsos à recta via abduxerunt, ostendens primùm *persuasionem* illorum non esse à Deo profectam, qui eos ad religionis Christianæ felicitatem vocavit: Ideoque sedulo cavendam; quia serpat perpetuo in pejus, quemadmodum *exiguum fermentum*, quod *grandem massam insicit.* Se autem spem collocare in misericordia Domini, fore ut illi quidem ad sanitatem revertantur, isti vero turbatores eorum Ecclesiæ (quanticunque nunc esse videantur) pœnas luant.

Quia (*vers.* 11.) persecutionis mala vitando, in qua tolerandâ patientiæ Christi crucem perpessi, specimen edemus; Christianos ad Judaismum pertrahunt, atque ita nobilissimæ virtutis decus, & laudem Christianis eripiunt. Spei autem, & prædictioni punitionis eorum (*vers.* 12.) votum adjungit, ostendendo modum ipsum eorum supplicii, *Utinam*, inquit, *abscindantur* (hoc enim in Christi Ecclesia ultimum est nocentium supplicium. quod tamen spem resipiscentiæ, & eam secuturæ clementiæ non tollit) *qui conturbant vos*, hoc est, qui vos ad servitutem rituum Legis Mosaicæ revocant, qui tamen ad libertatem Evangelii (*vers.* 13.) vocati estis.

Atque hic monitum perneceſſarium Christianis adjungit, ita libertatem, ad quam vocati sunt, retinendam, ne qua per illam occasio carni præbeatur ad violandam vitæ sanctimoniam; sed ut per caritatem inserviamus nobis invicem. Non satis enim est recedere à malo, nisi bonum quoque faciamus. Nec feliciter procedere solet à peccando abstinentia, nisi comitem habeat omnium virtutum consectationem. Quarum virtutum compendium hic ostendit esse caritatem, per quam alii aliis invicem inservimus. *Vers.* 14. Ponendo autem caritatem in proximum, quamvis prima specie in Deum caritatem, (quæ illam præcedere debet) omittere videatur; non tamen eam reipsa omittit. Nec enim ad caritatem in proximum quisquam pervenire potest, antequam per veram in Deum caritatem, cujus causâ & ipse proximus amandus est, & quæ, ut longe facilior, vera, & compendiosa via sit, ad caritatem in proximum virtutem longe magis arduam, perveniendi.

Vers. 15. Illustrat autem caritatem istam in proximum, posito juxtà eam ejus contrario, quale est mutui morsus fratrum ac vellicationes invicem. quorum tristem eventum, & quasi abominabile supplicium memorat, quod periculum sit, ne ejusmodi fratres sese mutuo consumant. Remedium igitur contra ejusmodi morbum, atque incommodum unicum proponit *vers.* 16. In *Spiritu ambulare*, hoc est, spiritualium virtutum consuetudinem, & habitus contrahere, si velimus id assequi, ut concupiscentias carnis non perficiamus, aut ad exitum perducamus (*μὴ τελέσητε non perficietis*). Sapientissime, & cautissime Apostolus loquitur, quia non id vere, ac proprie hominem condemnat, aut culpæ reum facit, quod caro ejus aliquid

aliquid pravi concupiſcant, ſed quod is homo ſpiritu, & ratione ejuſmodi concupiſcentiam frænare negligat. Ideo ſtatim (*verſ.* 17.) ſubjungit, hanc eſſe naturam ſpiritualis certaminis, quod quemadmodum caro concupiſcit adverſus Spiritum, hoc eſt, concupiſcit aliquid pravi, & irrationalis, ſeu contra rationem, præſertim Spiritu Dei illuminatam: ita Spiritus concupiſcit adverſus carnem, hoc eſt, ratio, & Spiritus, præcipue divino inſtinctu afflatus, repugnet carni, & compeſcat iſtam carnis concupiſcentiam, atque in locum ejus contrarium ipſi & longè ſanctius deſiderium reponat. hanc autem repugnantiam Deus ideo in homine eſſe voluerit, ne is, quicquid carni ſuæ collibuerit; illicò faciat: ſed ratione, ac ſpiritu divino inſtincta afflato regatur, & gubernetur: ejuſque ductum non ſemel, atque iterum, aut rariuſcule, ſed perpetuo ſequatur, atque in ea vivendi ratione jugem habitum, & continuam conſuetudinem contrahat.

Verſ. 18. Hoc eſt enim *Spiritu duci*, hoc eſt, Spiritum, & rationem ducem in omnibus ſequi. quod qui faciunt Legis ſupplicio non ſunt obnoxii, nec etiam opus habent Legis pædagogio, ut metu pœnæ in officio contineantur, cum virtutis amore, & habitu peccare oderint.

Verſ. 19. 20. 21. ad ſpeciem deſcendens *carnis opera* enumerat, quibus *verſ.* 22. *fructus Spiritus* opponit.

Ubi primum notandum, Apoſtolum in eo ſtylum ſuum ſequi. Quia enim dixerat concupiſcentias carnis non perficiendas, aut ad factum non deducendas; ideo facta, aut opera manifeſta carnis vocare, quæ caro ſuggerit. Effecta autem Spiritus vocat *fructus*. primum quia multa eorum ſunt interna, & quaſi intrinſeca, aut certe non manifeſta ſunt menti noſtræ, quæ non niſi occaſione urgente ad effectum deducuntur. deinde quia in iſtis Spiritus effectis, ac virtutibus (ut infrà videbimus), eſt quidam felicitatis, atque ipſius virtutis fructus.

Unde patet, merito carnis opera ab Apoſtolo dici *manifeſta*, quia ad actum externum deducuntur. quod non perinde ſemper fit in effectis Spiritus. Deinde enumerando carnis opera, initium facit ab iis, quæ maxime proprie ad carnem ſpectant, aut ad facultatem, quam vocant concupiſcibilem: & progreditur ad ea, quæ pertinent ad iraſcibilem. quamvis ſub finem ebrietates, & commeſſationes commemoret. quæ prioris generis eſſe videntur.

Verſ. 19. Omnia quæ fingi poſſunt impuritatum genera complexus eſt. Quibus ſtatim ſubjungit *verſ.* 20. idololatriam, quia hæc quoque ſpiritualis ſcortatio, & adulterium ſpirituale dici poteſt, imo à Sacra Scriptura vocatur: & eſt muliebre vitium, neſcio quam carnis titillationem redolens, procul ab omni ratione, ac ſpiritu hominem ad ſenſuum voluptatem abducens. *Φαρμακεία vero*, ſeu *veneficium*, cognatum idololatriæ vitium, & à carnis voluptatibus primitùs originem trahens, & in carnis voluptatibus conſectandis vulgo exerceri ſolitum; meritò in eodem cum iis ordine collocatur.

Eodem *verſu* accedens ad facultatem iraſcibilem; Primum, inimicitias, lites, excandeſcentias, iras graves, rixas, diſſidia, & ſchiſmata, hæreſes, invidias, cædes, ad quas per prioris generis vitia tandem gradus fit; commemorat. Quibus tandem adjungit ebrietates, & comeſſationes, & ſimilia vitia, conſulto ad concupiſcentias, quæ magis proprie carnales dici poſſunt, regrediens, quia opera carnis enumeranda ſuſceperat. quamvis & illa, quæ ad iraſcibilem facultatem pertinent, carnis opera (ſed paulo ſpiritaliora) dici poſſunt, quia etiam in Spiritibus, carnis expertibus, locum habent.

Verſ. 22. Iſtis vitiis opponit fructus Spiritus, *caritatem*, *gaudium*: (quod non modo reſultantem ex bona conſcientia animi voluptatem; ſed etiam habitum ejus virtutis, per quam alios gaudio afficimus, ſignificare videtur) *pacem*, virtutem quâ cum omnibus pacem colere contendimus: *longanimitatem*, injuriarum quamvis diuturnarum patientiam, quæ etiam ad pacem pertinet: *benignitatem*, *bonitatem*, *fidem*, *manſuetudinem*, *continentiam*.

Notandum hic, præter continentiam, quæ vitiis facultatis concupiſcibilis opponitur, omnes fere iſtas virtutes delictis facultatis iraſcibilis opponi. Præterea fructus iſtos Spiritus, operibus carnis oppoſitos; ita eſſe comparatos, ut quemadmodum contraria eorum vitia pœnam, & ſupplicium ſuum in ſe ipſis habent; ita ipſæ iſtæ virtutes partem non contemnendam mercedis, ac felicitatis ſuæ in ſe contineant. Meritò igitur *fructus vocantur*, quia ipſis non tantum ad æternam felicitatem uti, ſed etiam ad præſentem felicitatem frui poſſumus.

Verſ. 23. Quemadmodum ſuprà opera carnis ſupplicium ſuum habere aſſeruit, puta excluſionem ab hæreditate cæleſtis felicitatis; ita iſtos fructus Spiritus mercede ſua non carere oſtendit: puta libertate ab omni non modo ſupplicio, ſed & judicio. Leges enim pœnis tantummodo adverſus nocentes armantur. Innocentia ab omni ſupplicii periculo tuta eſt: nec terretur legibus, nec indiget: quæ non niſi adverſus peccata feruntur. Hæc autem pœnas adverſus tranſgreſſores, & quidem præſentiſſimas, ſemper adjunctas habent. Quibus virtus, & ſanctimonia vitæ non indiget, cui promiſſiones Dei, atque ipſis habita fides ſufficiunt. Nec tamen, ut lex olim Moſaica *Gal.* 3. 21.; ita nunc leges forenſes pugnant cum promiſſionibus Dei, hoc eſt, cum Evangelio, quod excellentiſſimas omnium promiſſiones offert; ſed tantum ſunt imperfectiora quædam rudimenta, quibus ad virtutem animi hominum præparantur. Ipſa virtus autem pœnæ (præcipue vero præſentis) metu extorta, virtus non eſt, quia præcipuam illam ſui laudem, quæ eſt in libera, non coacta, proæreſi amittit. Intelligimus autem metum pœnæ, non illius, quæ ipſis delictis, quaſi inſita, & connata eſt, ſed pœnæ externæ, qualis à Magiſtratu irrogatur, nec in longum dilatæ, ſed præſentis.

Verſ. 24. Chriſtianorum igitur officium eſſe ait, *carnem crucifigere cum omnibus affectibus, & concupiſcentiis*, hoc eſt, ita edomare, & cicurare, ut fructibus Spiritus enumeratis non repugnet: non caritatem violet: non gaudium contriſtet: non pacem conturbet: non longanimitatem expugnet: non benignitatem inclementiâ, non bonitatem aliqua malitiæ ſpecie contuminet: non fidem convellat: non manſuetudinem exaſperet: non continentiam diſſolvat.

Verſ. 25. *Si vivimus Spiritu*, hoc eſt, ſi inſtitutum vitæ ſecundum Spiritum degendæ ingreſſi ſumus, quod omnibus Chriſtianæ religioni initiatis injungitur; *Spiritui inſiſtamus*, hoc eſt, urgeamus inſtitutum hoc, quod ingreſſi ſumus. Nec tantum juſti; ſed & tenaces propoſiti ſimus: ne patiamur nos carnis ſtimulis, aut blanditiis tranſverſos agi; ſive ad vanam gloriam, (*verſ.* 26.) *κενοδοξίαν*, ſive ad ambitionem, ſuperbiam, jactantiam, aliorum contemptum, & provocationem,

denique invidiam. Videtur autem Apostolus vitium istud superbiæ, ad quod præcipue speciosissimo, & quasi honestissimo carnis nostræ stimulo sollicitamur, & quod alibi tàm à Christo, quàm ab ipso Apostolo primum omnium oppugnari solet; in carnis operibus enumerandis supra omisisse: quia aliquantò altius assurgit, quàm carnis humilitas ferat. cujus opera enumerando ab iis, quæ humi serpunt, initium fecit: & in iisdem desiit. quamvis in medio nonnulla attigerit, quæ cum superbiæ vitio complicata sunt. Non satis tamen habuit Apostolus implicitè vitium hoc innuisse; sed illud explicatius tangere, ejusque supra omisci defectum hoc loco, *versu ultimo*, supplere visum est.

CAPUT VI.

POsteaquam præcepisset Apostolus viam, & rationem, qua se quisque in officio continere debeat, ut nimirum, operibus carnis abjectis, fructus Spiritus consectetur, in iisque juges, ac perpetuos habitus contrahat (hoc enim significat πνεύματι στοιχῶμεν, *Spiritu incedamus*): quia tamen fragilitas humana subjecta est variis hallucinationibus, præcipue accedentibus Satanæ tentationibus; remedium adversus istum casum proponit, ut homines spirituales, seu secundum Spiritum viventes, delinquentem καταρτίζειν, hoc est, *corrigere, emendare*, defectus ejus supplere, etiam ipsum, ut imperfectum, quasi perficere non omittant. Sed & remedii hujus rationem, & qualitatem statim præscribit fini, & scopo corrigentium congruam, ut scilicet remedium istud adhibeant in Spiritu mansuetudinis, hoc est, non nimium delinquenti insultantes, non eum supra modum, & inclementer objurgantes; sed ejusmodi admonitionem adhibentes, quam sibimetquisque, eodem in statu forte constitutus, adhiberi optaret. Verba enim *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris*, non modo rationem admonendi, atque exorbitantes corrigendi exprimunt, quæ est, ut quisque tunc, quum alium sanat, id præ oculis habeat, se in eundem morbum incidere posse: ac proinde, quæ sibi eodem morbo laboranti fieri nollet, alteri ne faciat; sed simul & rationem tacitam, & necessitatem, ob quam ejusmodi mansuetudine utendum sit, continet, quæ est quod nemo extrà tentationis periculum, & ultrà ictum teli Satanæ positus sit.

Vers. 2. 3. 4. & 5. rationes utriusque rei separatim affert, hoc est, primum cur alii alios corrigere debeamus. Secundo, cur in corrigendo ejusmodi mansuetudine uti teneamur. Ac primæ quidem quæstionis rationem *vers.* 2. reddit; ideo nos fratribus istud officium reddere teneri, quia lex Christi nobis præcipiat, ut alii aliorum onera mutuò feramus. hoc enim est caritatis requisitum, quæ est anima legis, & religionis Christi. Secundæ verò quæstionis, hoc est, cur ejusmodi mansuetudine utendum sit in objurgandis delinquentibus, quasi ipsi quoque delinquere possimus; ratio redditur *vers.* 3., quæ ad posteriorem verborum *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris* sensum pertinet; quæ est, quod nemo extra peccandi discrimen, & periculum positus sit: & si quis ea opinione sibi blanditur, se esse extra, vel supra aliorum sortem, cum tamen id falsum sit, nec fieri ullo modo possit; se ipsum misere decipit.

Μηδὲν ὤν, *Cum sit nihil*, non significat apud Apostolum vere, ac proprie nullius pretii; sed qui nihil eorum habeat, quæ se habere putat: aut certe qui nihil eorum habet, quæ eum supra aliorum sortem nimium extollere possint. ut de se 2. *Cor.* XII. 11. loquitur: *Nulla in re fui inferior summis Apostolis, quamvis nihil sum.*

Vers. 4. Ejusdem secundæ quæstionis priori, quem supra posuimus, sensu explicatæ (Uterque enim sensus, quia mutuò sibi concordes sunt, unà locum habet) rationem reddit versu quarto; cur nimirum ejusmodi mansuetudine erga delinquentes utendum, nec ulla ex ipsorum pudefactione gloria venanda sit, quia nimirum non ex alienis lapsibus, sed ex propriis virtutibus gloria Christianis quærenda est. Quanquam, ut vere fatear, magis in eam sententiam inclino; ut ex hoc versu quarto versus tertii rationem reddi, & explicationem proponi censeam. Ostendit enim, *vers.* 4. Apostolus, quomodo se homines in eo negotio decipere soleant. Comparatione enim deterrima peccantium plerique videntur sibi multùm consecuti, quia istis forte vitiis careant, quæ in aliis reprehendunt. (Quemadmodum Pharisæus ille in Evangelio, in conspectu publicani orans, & ex quibusdam impletæ Legis operibus gloriam, & justificationem coràm Deo quærens) cum tamen ipsi sæpe occultioribus; sed deterioribus vitiis scateant: ideoque nihil præ iis, quibus sese præferunt, habeant, interdum & deteriori loco apud Deum censeantur. Quæ misera, & gravis propriæ mentis deceptio est. Docet igitur Apostolus, non ex aliorum culpis, ac delictis; sed ex propria innocentia, & virtute gloriationem apud Deum quærendam. Nam si nemo aliena virtute, alienis bonis operibus gloriationem istam coram Deo consequi potest, sed quisque *suum proprium onus portabit vers.* 5., hoc est suis propriis laboribus in acquirenda vitæ sanctimonia debitam mercedem referet; Multo minus alienis vitiis, aut transgressionibus quisquam ullam apud Deum laudem, aut gloriationem, sive mercedem consequitur.

Vers. 6. Quia eorum mentionem fecit, qui sunt apti ut alios corrigant, quales sunt homines spirituales, qui alios doctrina salutis instruunt. Isti enim vere sunt κατηχοῦντες τὸν λόγον, *docentes Sermonem.* Quibus etiam, hoc est, spiritualibus, & κατηχοῦσι, *docentibus*, supra explicatam doctrinam & officium præscripsit, & tradidit erga Catechumenos (nam & ii, quorum vitia emendantur, hoc nomine vocari possunt. dum enim in viam rectam à devio tramite revocantur; notitia rectæ viæ instruuntur) Nunc vicissim Catechumenis officium præscribit erga τοὺς κατηχοῦντας, *erudientes*, hoc est, ut ipsis communicent de omnibus bonis. Ratio ejus rei redditur. Si spiritualia ipsorum bona Gentibus communicata sunt; debent etiam vicissim gentes in carnalibus eis inservire ἐν πάσι ἀγαθοῖς, *in omnibus bonis.* Liberalitatem non perfunctoriam intelligit, sed sufficientem, ita ut ipsis nihil desit eorum, sine quibus commode vivere nequeunt.

Ideo *vers.* 7. rationem ejus præcepti reddit: *Ne erretis*, inquit. *Deus non irridetur. sed quod quis serit, idem metet.* Quanquam hæc ratio possit ad cætera omnia officia (non modo docentibus debita) pertinere, ac referri, præsertim cum infrà *vers.* 10. hortatur Apostolus, ut operemur bonum, non modo erga docentes nos, sed erga omnes fidei domesticos, imo vero omnes reliquos. Præterea *ut serere in carnem* generalius est, quam ut ad solam sordidem, ac parsimoniam erga eos, qui nos viam salutis docent; ita *serere in Spiritu* latius extenditur, quam, ut ad solam liberalitatem erga eosdem restringi debeat. Denique non eo

solo

ſolo Deus irridetur, ſi quis nolit ſuppeditare doctoribus Evangelii neceſſaria vitæ, quibus indigent; ſed multo magis, ſi quis velit metere æternæ vitæ fructum ex eo ſemine, quod in ſuxam iſtam, & perituram carnem conjicit.

Ideo *verſ.* 8. diverſos iſtos ſeminis in carnem, & ſeminis in ſpiritum conjecti fructus deſcribit, & ſibi eos opponit. Ut enim ipſa caro eſt corruptibilis, & interitura; ita ſemen in eam conjectum, hoc eſt, vita ſecundum carnem acta, & labores propter excolendam carnem ſuſcepti; non alium fructum afferent niſi corruptionem, & interitum. Et contra, ut Spiritus ipſe eſt incorruptibilis; ita ſemen in ſpiritum ſparſum, hoc eſt, vita ſecundum Spiritum acta, & labores ad excolendum Spiritum ſuſcepti; non alium fructum afferent, quam vitam æternam.

Verſ. 9. Ideo conſtantiam in eo labore, qui ad excolendum Spiritum, hoc eſt, ad contrahendum ſanctimoniæ habitum ſuſcipitur, hortatur Apoſtolus: *Benefaciendo* inquit, *non defatigemur*, quia *ſuo tempore metemus exoptatum fructum indefeſſi*. Ideo perpetuo, ac indefeſſo labore nobis in ſtudium pietatis incumbendum eſt, quia præmium nobis propoſitum, eſt felicitatis perpetuæ, & quæ nullum finem unquam habitura ſit.

Καιρῷ ἰδίῳ *tempore proprio*, & mox, ὡς καιρὸν ἔχομεν, *dum tempus habemus*. Oſtendit duo diverſa temporum diſcrimina, alterum metendi futurum, ac perpetuum, & ſine fine: alterum ſerendi breve, & huic momentaneæ vitæ affixum, quod vel ideo redimendum *(verſ.* 10.), & comparcendum eſt, quia cito præterit, & effluit. Operemur ergo bonum in eo, dum nobis ſuppetit, erga omnes quidem; ſed maxime domeſticos fidei: multò magis autem eos, qui nos in via ſalutis inſtruunt.

Verſ. 11. Benevolentiam ſibi eorum, & monitis ſuis fidem, & auctoritatem conciliare conatur, oſtendendo quantum laborem ſcribendi in eorum gratiam ſuſceperit.

Verſ. 12. *& ſeqq.* Breviter ſummam Epiſtolæ ſuæ attingens, & fidem Pſeudo-apoſtolis derogare volens; duas explicat, & mox refutat cauſas, ob quas eos ad circumciſionem adigerent. Primum eſt, ne crucem Chriſti, aut perſecutionem patiantur; ideo quod ſub prætextu Judaiſmi perſecutionem effugere vellent. Nec enim Judæi ob Judaiſmum perſecutionem patiebantur.

Verſ. 13. Secunda, quod non Legis, quam non obſervabant (hoc eſt, aut non omnes ejus ritus obſervari curabant: aut, quod potius malim, quam perfecte, & ad unguem, ita ut ſecundum pactum vetus juſtificari mereantur, obſervare non poterant): ſed ſuæ ambitionis ſtudio eos circumcidi volebant, ut in carne eorum adverſus Apoſtoli doctrinam, & auctoritatem gloriarentur.

Refutat utramque, & prius priorem *verſ.* 14. idque dupliciter. oſtendit enim primum, inique eos crucem Chriſti fugere, & evitare velle, cum in ea Chriſtianis omnibus gloriandum ſit. Etenim crux, & mors Chriſti eas ipſis vires confert, ut mundum, ejuſque minas omnes ſicuti contemnere; (Mihi *mundus crucifixus*) ita & fortiter ſuſtinere (& ego mundo crucifixus) poſſint. Deinde oſtendit hanc eſſe veram Jeſu Chriſti, & religionis ejus doctrinam, quod in ea non plus valeat circumciſio, quam ipſum præputium: Quippe cum (*verſ.* 15.) in ipſa neutrum quicquam valeat; ſed ſola tantum nova creatura æſtimetur.

Et qui hanc doctrinam ſequuntur (*verſ.* 16.) & ad ejus regulam vitam componunt, atque exigunt, illi ſunt verus Iſraël Dei, hoc eſt, populus Dei electus, ſuper quem pax, & miſericordia Dei requieſcit. Pacem enim apud Deum habent (Remiſſis peccatis in gratiam Dei recepti, & reconciliati ſunt *Rom.* v. 1.) & juſtificantur ex gratia, & miſericordia, quia ipſis multæ infirmitates, & præterita graviſſima peccata non imputantur.

Poſteriorem Pſeudo-apoſtolorum cauſam *verſ.* 17. refutat breviter, & animoſè. *Moleſtiam*, inquit, *mihi*, & negotium *nemo faceſſat*, convellendo doctrinam, & auctoritatem meam. Ego enim Chriſti ipſius auctoritate munitus ſum. cujus ut genuinam in ſermone doctrinam; ita *in carne ſtigmata*, hoc eſt, in vita mea perſecutiones, & afflictiones, quibus adverſus Pſeudo-apoſtolos merito gloriari poſſum; repræſento, & exprimo.

Verſ. 18. Quia à carnali ad Spiritualem cultum & doctrinam Chriſti Galatas revocabat Apoſtolus: merito claudit Epiſtolam ſuam hoc voto, ut *Spiritui ipſorum gratiam Chriſti adeſſe* *voveat.*

FINIS.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

Apostolum Jesu Christi per voluntatem Dei, quamobrem sese vocet; patet ex *versu* 15. capitis primi hujus Epistolæ, quia Deus eum sepoſuerat ab utero matris, & vocaverat per gratiam ſuam, ut in eo, vel per eum, revelaret Filium ſuum in Gentibus. Christiani vocantur *Sancti*, propter vitæ ſanctimoniam. *Fideles*, quia credunt Evangelio.

Verſ. 2. χάρις (*gratia*) eſt cauſa τῆς εἰρήνης, (*pacis*), non uno modo. Nam & gratia Dei vocati ſumus ad Religionem Christi: & eadem gratia Dei ſuſtentamur in ea Religione: ac tandem juſtificamur, ac ſervamur per juſtificationem gratiæ, non meritorum. per hanc enim damnaremur.

Verſ. 3. Magnes amoris; amor: & gratia; gratiam provocat. Gratiæ perpetuo Deo, Patri Domini noſtri Jeſu Christi agendæ ſunt, & nomen ejus benedicendum; quia is quoque gratiæ ſuæ theſauros, in nos effundit, largitus divitias benedictionis ſpiritualis, in ſpe firmiſſima cæleſtium promiſſionum, facta per prædicationem, & confirmata per mortem, reſurrectionem, & exaltationem Christi.

Enumerat iſtas benedictiones, ſeu beneficia Dei ſpiritualia in cæleſtibus in Chriſto. Primum *verſ.* 4. *quod nos elegit in Chriſto, ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti, & irreprehenſibiles coram ipſo in dilectione.*

Elegit, hoc eſt, quod Deus in æterna providentia, ac deſtinatione ſua, quæ etiam creationem mundi anteceſſerit. [Unde non inanis naſcitur conjectura, Diabolum ante conditum mundum peccaſſe; cum lapſus ejus, decreti hujus divini occaſio, extitiſſe videatur. Decretum autem creationem anteceſſerit: eundemque in altiſſimo æris iſtius abyſſo, cum omnibus ſuis aſſeclis, (vide infra *Cap.* 11. 2.) catenis caliginis conſtrictum Deus teneat: in hoc uno laxata ejus libertate; ut homines in tentationem inducere, & peccatorum eſca ineſcatos ad regnum ſuum, ſpirituale dicam, an carnale; pellicere poſſit] non abſolute, & ſine ulla conditione omnes homines ſervare decreverit; ſed eos tantum, qui impoſitam ſibi conditionem impleviſſent: & ita delectum quendam hominum, atque, ut vox ſonat, electionem inter eos facere conſtituiſſet. Conditionem autem ſubnectit; ut iſti electi, aut eligendi eſſent ſancti, & irreprehenſibiles coram ipſo in caritate perfectiſſima. quod officium, quia ſola perfectiſſima Religio Christi præſcribit, & vires ad illud præſtandam idoneas donat; idcirco dicit, *Deum elegiſſe nos in Chriſto.* Ex omnibus enim hominibus eos tantum Deus elegit, qui in Chriſtum crediturі eſſent: nec in ſpeciem tantum; ſed vere, hoc eſt, qui ſancti eſſent, & irreprehenſibiles: Nec modo hominum oculis tales apparerent, ſed coram ipſo Deo tales deprehenderentur. Addit autem voces *in dilectione*, ut oſtendat ad ejuſmodi ſanctimoniam, & innocentiam, qualem Chriſtus præſcribit, perveniri per dilectionem Dei ſcilicet, & proximorum. Summa enim Legis, ac Religionis eſt, dilectio Dei, & proximi.

Falſa igitur eſt ſententia eorum, qui putant Deum elegiſſe homines ad ſalutem, ſine ullo reſpectu ſanctitatis ipſorum: & multo falſior, elegiſſe, aut deſtinaſſe alios ad damnationem, ſine ullo reſpectu pravitatis ipſorum. Id ipſum enim in electione ſpectaſſe Deum, Apoſtolus diſertiſſime aſſerit, ut eligendi, aut electi ſancti eſſent, & irreprehenſibiles coràm ipſo.

Quantum autem eſſet beneficium iſtud Dei, quod exprimit *verſ.* 4. explicat *verſ.* 5., quod nos in eo ipſo, quod expoſuimus, electionis decreto præfinivit, *ac deſtinavit in adoptionem*, hoc eſt, conſtituit *adoptare in filios per Jeſum Chriſtum* ſuos, *ſecundum beneplacitum voluntatis* ſuæ, hoc eſt, merâ gratia, & liberrima, nec ullo debito, aut officio obſtricta voluntate ſua.

Verſ. 6. *Laudem gloriæ gratiæ ipſius, qua gratificatus eſt nobis in unice dilecto.* Non alium finem fuiſſe, ait, Dei, in conferendo erga nos iſto beneficio; quam ut tanto enixius gratiam, & beneficentiam ipſius celebrare, & laudibus in cælum efferre velimus. *Laus gloriæ*, non ſimplicem gloriam; ſed quaſi laudatiſſimam gloriam, ac celebratione digniſſimam: ſeu id, quod in ea excellentiori prædicatione digniſ eſt; non inuſitata emphaſi ſignificat.

Gratia enim, quam in Chriſto dilectiſſimo omnium filio Dei conſecuti ſumus; ineffabilis eſt, & prope incredibilis: cum per eam tanto ſtrictiori adoptionis vinculo cum Deo Patre noſtro connexi ſimus, quanto & Chriſtus ipſe cum Deo, & nos cum Chriſto arctiori, ut ita dicam, neceſſitudinis nexu conjuncti deprehendimur.

Secundum beneficium Dei ſpirituale in cæleſtibus in Chriſto eſt *verſ.* 7. Quod *in Chriſto habeamus redemptionem in ſanguine ipſius, remiſſionem peccatorum*, hoc eſt, quod in Chriſto, aut per Chriſtum, & propter Chriſtum, ejus operâ, interventu, & beneficio, maximum, & exoptatiſſimum bonum nobis obtigerit, quale vinctis, & captivis obtingere ſolet, cum ex ſervitute redimuntur: aut ære alieno nexis, cum ipſis debita omnia remittuntur, hoc eſt, Remiſſio peccatorum, quæ *pax apud Deum. Rom.* XII. *& reconciliatio cum Deo* dicitur, cujus remiſſionis, & placati nobis Dei documentum fuit ſanguis Christi effuſus. Cum enim adhuc

adhuc peccatores eſſemus, *Rom.* v. 8. Sic Deus nos dilexit, ut filium ſuum unice dilectum in mortem atrociſſimam traderet, per quam ſe nobis ita placatum oſtendit, quemadmodum olim per victimas illas expiatorias populo ſuo ſe placatum oſtendebat.

Præterea ſanguis Chriſti fuit ſigillum iſtius Fœderis, in quo nobis Deus gratuitò noxas remiſit. Sanguine igitur ipſius nobis eſt parta peccatorum remiſſio. Quod autem redemptio per tranſlationem intelligenda ſit, liberatio à maximo malo, qualis contingere ſolet, cum captivi è ſervitute redimuntur; præter frequentem vocis hujus in ea ſignificatione uſum in ſacris literis, illud eſt documento, quod redemptio proprie dicta ſolutionem pretii neceſſario infert. Solutio autem pretii; remiſſionem gratuitam tollit, & excludit. Hic autem talis apolytroſis introducitur, quæ ſit cum gratuita peccatorum remiſſione conjuncta.

Imo vero *divitiæ gratiæ Dei prædicantur*, quibus in hoc negotio erga nos *abundavit verſ.* 8. Plurimum autem gratuitæ gratiæ derogant, qui eam non gratis, ſed perſoluto prius pretio factam aut datam opinantur. *In omni Sapientiâ & prudentiâ.* Dupliciter intelligi poteſt hæc ſapientia, & prudentia. Primum, Si referatur ad ipſum Deum, quia ſapientiſſimo conſilio primum viam ſervandorum, & ad perfectam ſanctimoniam prius, mox ad ſummam felicitatem perducendorum hominum invenit, excogitavit, deſtinavit. deinde negotium hoc divina providentia ſua ita gubernavit, ut non ſtatim, ſed per certa temporum intervalla, & quaſi diſpenſationem, & oeconomiam (*verſ.* 10.) divitias beneficentiæ ſuæ in eos effunderet. Secundum, Si referatur ad homines, quibus myſteria iſta tàm antiquorum decretorum Dei patefacta ſunt. (Quamvis uterque ſenſus una, & ſimul, ac ſemel conſiſtere poteſt). Quod tertium Dei beneficiorum genus aggreditur *verſ.* 9. *Notum faciens*, inquit, *arcanum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum, quod conſtituit in ſe ipſo, In diſpoſitionem impletionis temporum*, ut omnia reſtituerentur, aut potius in *unam ſummam complicarentur* (ἀνακεφαλαιώσασθαι) ſive etiam in meliorem, ac perfectiorem ſtatum redigerentur *in Chriſto, tàm ea, quæ in cœlis, quam ea, quæ in terris.* Nova enim rerum facies in cœlo, ac in terra, introducta eſt in Chriſto, poſteaquam Chriſtus cœli, ac terræ Dominus, ac Moderator uni Deo ſecundus, in æternum, effectus eſt: Militantis autem Eccleſiæ regimen, abſolutiſſima, & plane Dictatoria poteſtate adminiſtrandum, ad tempus accepit. Nova facies introducta eſt in cælo, & in terra, cum per novam illam creationem, cujus Chriſtus primogenitus dicitur, non modo pax inter ipſos homines, Judæos nempe, & gentes; ſed inter Deum, & cæleſtes incolas, & inter homines omnes introducta eſt. *Col.* 1. 20. cum non modo omnes terræ incolæ; ſed throni, dominationes, principatus, poteſtates cæleſtes ipſi ſubjectæ ſunt: & per ipſum regi, & gubernari, atque ipſius juſſa reſpicere, & capeſſere, atque ab eo plane dependere cœperunt.

Verſ. 11. Quartum genus beneficiorum Dei, eſt cæleſtis illius hæreditatis Spes in Chriſto, *ad quam deſtinati ſumus, ſecundum propoſitum ejus qui cuncta operatur pro beneplacito voluntatis ſuæ*, hoc eſt, liberrimi agentis, & qui abſolutiſſima poteſtate omnia gubernans; nemini tenetur rationem reddere conſilii, aut facti ſui: & tamen ipſi ratio ejus optime conſtet, quippe cum ea ipſa deſtinatio noſtri ad hæreditatem cæleſtem, cedat in maximum gloriæ ejus incrementum.

In laudem gloriæ ejus, (*verſ.* 12.) cum nemo iſtam hæreditatem adire poſſit, niſi prius fidem in Chriſtum habeat, & ſit προηλπικὼς ἐν τῷ Χριστῷ, *ante ſperans in Chriſto*, & per illam ſanctus, & irreprehenſibilis coram Deo evadat. ex quo maxima Dei gloria emergit.

Quintum genus beneficiorum Dei commemorat *verſ.* 13., quod homines poſtquam audierunt *ſermonem veritatis*, & *Evangelium ſalutis*, hoc eſt, doctrinam religionis Chriſtianæ, eique crediderunt (fides enim eſt ex auditu) *obſignati ſunt ſpiritu promiſſionis ſancto*, hoc eſt, vim illam, & inſtinctum Spiritus Sancti à Chriſto promiſſi acceperunt, qui eſt quaſi arrhabo, & particula aliqua cæleſtis hæreditatis, data in anteceſſum iis, qui ſe vitam æternam, ſi ſecundum doctrinam Chriſti vivant, (quod & facere ex animo volunt, & quantum poſſunt enituntur) adepturos eſſe certo certius, & bona fide credunt, ac plane perſuaſi ſunt.

Verſ. 14. *Arrhabo hæreditatis, in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ Dei.* Spiritus Sanctus eſt arrha æternæ hæreditatis, hoc eſt, æternæ vitæ, ac felicitatis: per quam non ſolum ab omni miſeriæ ſorte liberabimur, & quaſi redimemur; ſed etiam omnibus numeris abſolutiſſimam beatitudinem acquiremus, quod ipſum in maximam Dei gloriam redundabit. In vocibus *redemptio acquiſitionis* videtur eſſe methathéſis, & tranſpoſitio, pro *acquiſitione redemptionis.*

Verſ. 15. Quia *verſ.* 13. beneficium dati Spiritus Sancti in ipſorum Epheſiorum exemplo celebraverat; nunc, converſo ad ipſos ſermone, ait, eo nomine ſe gratias Deo agere, & preces pro ipſis indefinenter fundere. *Audita* videlicet *ipſorum fide in Chriſto Jeſu, & caritate erga omnes ſanctos.* Fides non eſt viva, imo non eſt fides; niſi per caritatis opera ſit efficax. Et caritas in Jeſum Chriſtum, imo & in Deum ipſum vix aliter exeritur, niſi per caritatem in ſanctos; quia Deus, & Dominus noſter, caritate noſtra non indigent. Atque hoc ipſum, quod fidem ipſorum, & caritatem in ſanctos audierit; excitavit, & auxit hunc lætum, & flagrantem, indefeſſum, indefinentem quaſi gratiarum actionis affectum. *verſ.* 16. Cui adjunctæ fuerunt preces pro iis fuſæ ardentiſſimæ, quas hic ex profeſſo deſcribit, non modo narrando, quid illis à Deo impetrare conatus fuerit; ſed etiam ſimul, ac ſemel docendo, quid à Deo nobis, & proximis optare, petere, & obtinere velle debeamus.

Ea nimirum, quæ nos æternæ felicitatis compotes reddere queant. qualis eſt (*verſ.* 17.) *Spiritus ſapientiæ, & revelationis in vera cognitione* Dei, & Chriſti ejus, quem donat Deus ille Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti: aut, quod idem eſt plane, Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti. niſi quod eſu ſecundum quid ἐμφαντικώτερον, id eſt, *cum majori emphaſi conjunctum* poſterius. Pater enim aliquis dicitur alicujus, ob paternum, atque propenſum, ac beneficium in eum affectum. quod maxime in beneficiis cernitur, in eum conferendis. Deus autem dicitur alicujus, ob ipſa magna plane, ac divina, ſeu digna Deo beneficia; eo loquendi modo, quo vulgo homini homo dicitur eſſe Deus. Pater dicitur, propter voluntatem duntaxat beneficam, cui non in omnibus, qui patres alicujus dicuntur, facultas benefaciendi reſpondet. At Deus dicitur alicujus etiam propter facultatem, & potentiam eximiam ſingulari, & glorioſo modo benefaciendi, eaque beneficia præſtandi, quæ Deo digna ſint. Itaque non immerito, Deus Opt: Max: poſtquam in hac ſui deſcriptione vocatus eſt *Deus Domini noſtri*; vocatur ſtatim *Pater gloriæ*, hoc eſt, qui, ut ipſe divina, & glorioſiſſima poteſtate, & excellentia præditus eſt; ita paternum affectum ſuum glorioſiſſimis, ac divina celebratione

bratione dignis beneficiis teſtari poteſt, ac re ipſa teſtatur. Nam in hoc epitetho, aut deſcriptione Dei Opt: Max: Apoſtolus oculos defixos habuiſſe videtur, in illud omni celebratione, ac prædicatione majus beneficium, quod in Chriſtum primario, & in eos qui ſunt Chriſti, ſecundario Deus contulit, quod infra deſcribit.

Verſ. 18. *Spiritum hunc ſapientiæ, ac revelationis in cognitione Dei*, præſtantiſſimum Dei donum deſcribit, & oſtendit, quid ſit in natura ſua hoc Dei donum, hoc eſt, quod non aliud ſit, quam *illuſtratio oculorum mentis noſtræ* divinitùs ſeu divina virtute atque ope facta, *ut poſſimus capere tantam lucem, & ſcire quænam*, & quam ſublimis *ſit Spes vocationis noſtræ*, hoc eſt, Status Chriſtianorum quanta præſtantia & excellentia, *& quantæ divitiæ gloriæ, hæreditatis Dei in ſanctis*, hoc eſt, illius glorioſiſſimæ felicitatis, quam Deus promiſit ſanctis: non commodato duntaxat, & ad tempus fruendam; ſed plena donatione, & quaſi hæreditario jure in perpetuum poſſidendam, quæque nobis adimi nunquam poterit. Promiſſa enim vitæ æternæ felicitas à præſentis vitæ felicitate in eo differt, quod hæc vita ſit nobis ad tempus commodata, & mox à nobis quaſi repetenda: at illa in perpetuum donata, & pleno jure à nobis poſſidetur more patrimonii, à majoribus relicti. Jure igitur *hæreditas* κληρονομία dicitur.

Verſ. 19. Pergit in deſcriptione Spiritus iſtius *ſapientiæ, & revelationis* in *cognitione* Dei, & oſtendit fructum, aut effectum illuſtrationis oculorum mentis noſtræ præterea alium, hoc eſt, ut poſſimus noſſe, & captu noſtro comprehendere, *quam excellens*, & quaſi fidem ſuperans *magnitudo potentiæ Dei in nos credentes ſit*, & exeratur. Magnitudo autem potentiæ Dei in credentes exeritur, cum ipſis fit conſpicua, & palpabilis. Eſt autem conſpicua, & palpabilis, in Chriſto primum reſuſcitato, deinde exaltato. Prædicat autem Apoſtolus eximium iſtud Dei facinus, in quo divinæ ſuæ, & incomprehenſibilis potentiæ, & poteſtatis glorioſiſſimum ſpecimen edidit iis verbis, & laudibus, quas humani oris pauperies ſuggerere potuit. Primum non ſatis habuit potentiæ Dei mentionem feciſſe, ſed *magnitudinem ejus potentiæ* nominavit, eamque excellentem & ſuperantem omnem modum. Deinde non ſatis habuit virium Dei mentionem feciſſe; ſed *robur iſtarum virium nominavit ejuſque roboris efficaciam*, ut per triplices quaſi gradus ſcandendo, tantò efficacius exprimeret, & quaſi ob oculos ponerat, inenarrabilem in eo facto potentiæ, & poteſtatis Dei magnitudinem.

Ac *poteſtatem* quidem ἐξουσίαν exprimit, per excellentem magnitudinem δυνάμεως *potentiæ*: potentiam vero per efficaciam roboris virium. Sed hæc, ut natura ſua conjuncta ſunt; ita & ab Apoſtolo commiſceri videntur. Tam enim in reſuſcitato, quàm in exaltato Domino, non minùs abſolutiſſimi juris, ac poteſtatis ſuper omnia, quàm invicti, & quod omnia ſubigere poſſit, roboris ejus ſpecimen refulget. Atque hinc patet quanti faceret, atque æſtimaret Apoſtolus tantum Dei in Chriſtum, & in nos quoque credentes (quia nos quoque per Chriſtum attingit, ut infra patebit) Dei beneficium. Deinde quantam in eo, quamque ineffabilem, & vix cogitatione aſſequendam Dei gloriam obſervaverit. denique quantum momenti ad fidem noſtram confirmandam tam eximium facinus Dei habere cenſuerit.

Verſ. 20. *Efficaciam roboris virium, quam efficaciter exeruit Deus in Chriſto* duabus in rebus. Primum, Excitando eum à mortuis ad perpetuam immortalitatem: etiam in exemplum omnibus in eum credentibus, ut ſperare, & confidere poſſint, ſeſe quoque ad eandem immortalitatem excitandos. Secundum, Exaltando eum, ità ut à dextris Dei ſedeat in cæleſtibus, hoc eſt, ut inter cæli incolas, & vitæ cum ipſo Deo degendæ conſortes, primo omnium, & honoratiſſimo loco ſit, uni Deo, à cujus dextris ſedet, ſecundus. Hic enim locus apud principes mundi hujus, vulgo honoratiſſimus cenſetur. à quo more paſſim recepto ſimilitudo ducitur.

Verſ. 21. Atque hæc prima eſt pars, exaltationis hujus eminentia ſuper omnes, etiam Deo proximos, & cæteros eminentiſſimos, quales ſunt *principatus*, poteſtates (*verſ.* 21.) *virtutes*, & *dominationes*, & *omnia* magna *nomina* eorum, qui *non modo in terris ſed & in cælo* à Deo exaltati ſunt. *Nomen pro poteſtate*; ævum præſens metonymice terram: futurum autem; cælum ſignificare poteſt: quia ſcilicet nomina in cælo nominata, hoc eſt, poteſtates in cælo conſtitutæ, nobis, nunc in terris degentibus, notæ eſſe nequeunt, ſed in cælum receptis futuro tempore innoteſcent. Ergo futurum ævum etiam præſentem in cælis rerum ſtatum ſignificare poteſt, ſecundum quid, noſtri videlicet reſpectu; non eorum, qui in cælis vita cæleſti fruuntur, quibus ævum iſtud (quod nobis futurum dicitur) præſens eſt. Quanquam, ut vere fatear, iis, qui propriam vocum iſtarum ſignificationem urgere velint, & poteſtates iſtas hoc loco non ratione cæleſtis, aut terreni loci; ſed ratione præſentis, aut futuri temporis conſiderari, ac diſcerni (ut ipſa verba ſonant) cenſeant; non habeo quod reſpondeam, cum verborum iſtorum etiam propriè dictorum, & explicatorum ſenſus veriſſimus ſit, Chriſtum nimirum non modo nunc omnibus longe excellentiorem eſſe, ſed etiam poſtea, & venturis ſeculis ſemper fore.

Cæterum hoc verſu eminentiæ hujus Chriſti gradus excellentiſſimus ſignanter expreſſus eſt per vocem ὑπεράνω, quæ ſignificat *longe ſupra* omnes principatus, & poteſtates, ſive cæleſtes, ſive terrenas Chriſtum exaltatum eſſe *longo intervallo*; aut inter eminentiam Chriſti, & eminentiam reliquarum omnium poteſtatum, ac principatuum eſſe maximum & longiſſimum intervallum. ita ut non eodem ſit, cum illis loco, & ordine; ſed abſque omni comparatione longe excelſior. Quod ſtatim *verſ.* 22. explicatur apertius, dum omnes *iſtas poteſtates pedibus Chriſti ſubjectas aſſerit*, hoc eſt, datam eſſe illi omnem poteſtatem & imperium ſuper omnes iſtas poteſtates, quæcunque in cælo, aut terra cogitari poſſunt. Qui ſane eminentiſſimus omnis exaltationis gradus eſt, quo mens noſtra altius ſcandere nequit.

Reliquo capitis Apoſtolus explicat quomodo in nos credentes redundet illa excellens magnitudo poteſtatis Dei, & illa efficacia roboris virium ejus, quam efficaciter exeruit in Chriſto reſuſcitato, & tam magnifice exaltato. Ait igitur, Deum voluiſſe, ut filius ejus adeo dilectus, & exaltatus, eſſet ita arcto vinculo conjunctus cum Eccleſia, & nobis credentibus, quàm arctè cohæret caput cum cæteris corporis ſui membris.

Verſ. 23. Quæ conjunctio *verſ. ultimo* explicatius exprimitur, dum tanti Regis, tam alte ſuper omnia ſublati; Eccleſia *non corpus modo*, ſed etiam πλήρωμα *complementum* eſſe dicitur. Quæ verba hoc deſignant: ut capiti multùm deeſt, niſi reliquum corpus ſibi adjunctum habeat; ita Chriſti, quem Deus pro capite Eccleſiæ ſuæ dedit, felicitas, & perfectio, tum demùm complebitur, cum Eccleſiam, tanquam corpus ſuum, in cælum recipiet, & exaltationis ſuæ quodammodo participem reddet. Ita fit, ut is, *qui nunc omnia in omnibus implet*, hoc eſt, Eccleſiæ, ac membrorum ejus omnium defectus Spiritu, & potentia ſua implet, & quæcunque

ipſi

ipsi ad salutem necessaria sunt, suppeditat; ipse vicissim ab Ecclesia, beneficio suo patrimonii cælestis participe facta, complementum quoddam felicitatis suæ accipiat. Ex qua consideratione magnum fidei, ac spei nostræ adminiculum emergit, ut, quanto altius Christum exaltatum conspicimus; tanto majorem nostræ quoque felicitatis fiduciam concipiamus, cum is ipse, qui omnia in omnibus implere, hoc est, perfectæ felicitatis omnes participes reddere potest, plenam, & perfectam felicitatem suam possidere nequeat, nisi nos quoque suæ felicitatis pro nostro modulo participes reddat.

Atque hic quasi obiter attingendo præstantissimum genus beneficiorum Dei, quod in excelsissima omnium spe excitandis, & firmissima fide corroborandis nobis cernitur; redit iterum ad gratam beneficiorum Dei commemorationem. ut hoc sextum genus beneficiorum Dei, quæ Apostolum ad gratias Deo agendas stimularunt; merito statui possit.

CAPUT II.

QUoniam rediit ad commemoranda beneficia Dei; duo ex iis præcipua in hoc capite proponit. primum in omnes homines collatum, quod, dum adhuc essent mortui propter peccata sua, eos *convivificavit* (συνζωοποίησε) & coexcitavit cum Christo, & ad excellentissimam spem sublimis illius, & Christo proximi status in cælis erexit. Alterum est in gentes collatum, quod eas gratiæ illius, populo suo quondam præ aliis gentibus collatæ; participes fecit: & in conditionem, ac statum populi sui eas cooptavit.

Prius beneficium Dei (quod septimo numero collocari meretur) quamvis *vers.* 1. ad solas gentes, aut ipsos Ephesios adstringere videatur; tamen *vers.* 3. ad omnes alios (etiam Judæos) porrigit, quia omnium in eo par esset conditio, quod tunc cum peccatis suis maxime iram Dei commeriti essent, Deus ipsos ex mera gratia, & misericordia sua felicitatis illius, quæ in Christo credentibus confertur, qua nulla excelsior cogitari potest, participes reddiderit.

In quo beneficio Dei commemorando; videndum primùm, quomodo miserum statum eorum, quibus collatum est: deinde quomodo magnitudinem beneficii ipsius describat.

Status peccantium miser eo colore depingitur, qui ejus proprius, atque ipsi maxime competens. mortis nimirum, quia peccatum non modo homines ad futuram mortem, cujus stipendio auctoratum est, captivos ducit; sed etiam præsenti quodam quasi mortis supplicio afficit, dum eos rectæ rationis usu, & bonæ conscientiæ gaudio, sine quo nulla vita vitalis est, spoliat: & in fædissimam vitiorum usque putrefactionem, & graveolentiam quasi corrumpit, ac resolvit. Notandum est autem, non eos ab Apostolo hoc loco mortuos vocari, qui interdum, aut variusque allucinantur, aut in peccata incidunt; sed eos, qui *in ipsis ambulant*, περιπατοῦντας, hoc est, qui habitu, & consuetudine peccandi impliciti; frequentes eorundem, aut diversorum peccatorum actus continuant. Quemadmodum ambulatio non unum, aut alterum passum; sed frequentes, & continuatos gressus significat.

Statum peccantium describendo, omnes peccatorum causas, sive omnes hostes, quibus cum bellandum est iis, qui peccata vincere, aut abjicere velint; commemorat, *Mundum* nimirum, *Satanam*, & *carnem nostram*.

Vers. 2. Mundi mentionem eam facit; *ambulastis*, inquit, *in peccatis secundum ævum mundi hujus*, hoc est, secundum corruptissimos hominum in toto mundo, *illo seculo viventium*, *mores* (quid enim erat illo ævo, quod Apostolus tangit, corruptius)? Est autem hic acer adversarius, & vinci difficilis, consensus eorum, quibuscum vivimus ad peccandum, & cura mutuo placendi in eadem societate viventibus.

Porro verba *secundum ævum mundi hujus*, natura sua non inferunt hunc sensum, quasi mundus, hoc est, longe major, & potior pars hominum in mundo viventium, natura sua non possit esse nisi corrupta, & corruptrix, (nisi forte quando & quamdiu est in malo positus, 1. *Joh.* v. 19. hoc est, quando & quamdiu Satanas longe majorem, & potiorem partem hominum in mundo, aut aliqua mundi regione viventium, Epidemicâ corruptelarum lue inficit); sed potius contrarium. Nec enim mundum simpliciter, & natura sua causam ad peccata impellentem esse asserit, *sed ævum illud*, & seculum mundi corruptum, in quo Satanas efficacem potentiam suam exerebat in filiis inobedientiæ. Cui *regno Satanæ dissolvendo introducta* est doctrina, & Religio Christi, eo fine mundum ingressi, ut dissolveret opera Diaboli. Quanquam autem hæc felicitas per Christianam Religionem non statim mundo illuxit, quia, permittente Deo, ista ipsa Religionis veritas multùm errorum caligine est obtenebrata; tamen nullam fingere possumus necessitatem, ob quam humanum genus in tam densis errorum tenebris ad finem usque mundi durare debeat. imo inevitabilis necessitas urget, ut error, & ignorantia; tandem veritati: & tenebræ; Luci succumbant: utque regna mundi; regna Dei, & Christi ejus evadant. Præsertim cum potestatem Satanæ, qua mundum sibi subjugat; aliquando coërcitam iri, & deterioribus seculis meliora successura esse, quibus & ipsa gens Judaica ad Christum converti possit; spes, & promissio in Sacro-Sanctis literis non desit.

Satanam describit, (ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος) *Principem potestatis aëriæ*, & *Spiritum efficaciter operantem* (ἐνεργοῦντος) *in filiis inobedientiæ*. Locum Satanæ, ubi potestatem suam exercet; ostendit esse aërem, qui ob immensam altitudinem, abyssus quoque dici potest: aërem, inquam, in cujus regione infima versantes nos tentationibus suis aggredi potest. Objectum autem potestatis ejus, præter proprios ejus Angelos, innuit esse filios inobedientiæ, homines, qui neque scriptæ in cordibus, neque scriptæ in tabulis Legi Dei obediunt, sed oppositum regno Dei regnum Satanæ constituunt. Infra *Cap.* VI. 12. Regnum hoc Satanæ describit: *Principes, potestates* (κοσμοκράτορας) *Mundum gubernantes*, *per tenebras ævi hujus* (Non enim alia ratione Satanas gubernat homines, quàm mentes eorum obtenebrando, ac decipiendo. Nec ulla ipsi proprie dicta potestas, aut jurisdictio in homines expressa permissione, aut tacita conniventia divinitus concessa sit) *Spiritualia malitiæ in cælestibus*. Nam & aëriste, cælo comprehensus, cælestibus corporibus connumeratur. hinc Aves cæli, hoc est aëris.

Tertiam peccatorum causam tangit *vers.* 3. *cupiditates*, & *libitus carnis nostræ*, & *carnalium cogitationum*. quæ causa est instrumentalis Satanæ, per quam in nobis rebellionem quandam adversus Deum, ejusque Legem, seu nobis insitam, sive revelatam, excitat. Caro enim concupiscit adversus spiritum, & est perduellis noster, & ad hostem transfuga: ideoque magna cura, & industria perdomandus, & in officio continendus.

Describit insuper miserum peccantium statum à præsentissimo, quod ipsis impendet, judicsorum, ac sup-

ac suppliciorum Dei periculo, vocans illos *Filios iræ*, hoc est, victimas magnis suppliciis destinatas: & ostendit, Judæos pariter, ac gentes fuisse huic miserrimo statui subjectos, & obnoxios.

Vers. 4. Descripto misero statu peccantium; magnitudinem beneficii Dei, in eos collati, describit, primum veram hujus beneficentiæ causam ponendo, & falsam removendo. Vera autem causa est, pura puta Dei gratia, & misericordia, & caritas erga nos, nullo meritorum nostrorum, nullo satisfactionis interventu provocata: cujus irrefragabile testimonium est, in quo Deus commendat caritatem suam erga nos, quod, dum nos adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus, & à Deo in mortem istam traditus est. *Rom.* v. 8. & hic. Ideo toties gratis, aut gratia nos esse servatos inculcat. quæ gratia cum pretio, proprie dicto, nullo modo conjungi potest.

Neque vero tantùm causam impellentem hujus divini in nos beneficii ostendit Apostolus esse gratiam, & misericordiam Dei *vers.* 4., sed etiam causam finalem collati hujus beneficii ait esse, ut demonstret divitias gratiæ ejus, ac benignitatis in Christo. Infra *vers.* 7. mera enim gratia Dei servamur. Solvit autem objectionem, & removet falsam Salutis nostræ causam, dum ait: Quamvis servemur per fidem; tamen hæc ipsa fides *Dei donum est*. Deinde alia solvit, & ait: quamvis non sine operibus bonis, & vitæ sanctimonia servemur; tamen hæc ipsa opera Dei donum sunt. Ipse enim Deus in nobis efficit, & procreat hanc vitæ sanctimoniam, ita ut ipsius ποίημα, *factura*, verè dici possimus, hoc est, ut in ipso efficiamur nova creatura, regenerati in ipso, & quasi *creati ad bona opera*, *quæ* in providentia sua *præparavit*, *ut in iis ambularemus*, hoc est, non alio modo nos servare constituit, quàm si conditionem vitæ sancte agendæ præstaremus. Ergo & ipsa bona opera nobis gratia, & beneficio & (quamvis non sine nobis) tamen ope Dei contingunt. In ipsa vero descriptione hujus beneficii iis verbis utitur Apostolus, quæ certitudinem hujus gratiæ ponunt ob oculos. Ait enim *vers.* 5. *Deum nos*, *cum mortui existeremus*, *convivificasse cum Christo*, *vers.* 6. simul excitasse à mortuis, simul collocasse in statu omnium eminentissimo, cum Christo, quandoquidem eum, quem Caput corporis nostri esse voluit, tam excellenter exaltaverit.

Vers. 11. Octavum genus beneficiorum Dei, quibus ad tàm sedulam gratiarum actionem stimulatus est Apostolus, admissio gentium omnium ad illam peculiarem gratiam, uni populo Dei quondam oblatam. quod *vers.* 11. tractare incipit, & non modo reliquo capitis secundi, sed ferè toto tertio capite tractat.

Ait autem primùm, dignum esse hoc beneficium, quod assidua memoria recolatur. Est autem magna pars grati animi, collati beneficii meminisse. Ut autem beneficii hujus magnitudo conspectior esset, quia contraria juxta se posita magis eluceſcunt; commemorat primum miserum eorum statum, antequam religioni Christi initiarentur, *vers.* 12., quod à populo Dei essent plane alieni, ideoque à vero illo populo Dei contemnerentur, & fastidirentur, quia non essent per circumcisionem carnalem, & manufactam populo Dei adjuncti.

Vers. 12. Quod dum essent sine Christo, essent alieni à Republica Israëlis, exortes fœderum promissionis, quasi ista pacta ad eos non pertinerent, spem nullam habentes, & plane sine Deo in mundo. At postquam in Christum credidissent per fidem in eum, ii, qui *erant procul* à regno Dei, facti sunt *vers.* 13. *propè per sanguinem Christi*, hoc est, conjuncti sunt populo Dei, per illud fœdus novum, quod Christus sanguine suo confirmavit, & sanxit.

Ex quo merito colligit, Christum esse illorum pacem, & reconciliationem *vers.* 14. cum populo Dei, quia per illum, atque ipsius Religionem admissi sint ad remissionem peccatorum, & ad vocationem sanctorum, qui sunt populus Dei. Propriè tamen morti, & sanguini Christi, & cruci (*vers.* 13. 15. τὸ σῶμα αὐτοῦ, *in carne ejus*. *Vers.* 16. διὰ τοῦ σταυροῦ, *per crucem.*) attribuitur pax ista, & reconciliatio, seu admissio gentium ad populum Dei, triplici de causa. Primum, Ratione voluntatis Dei, quia Deus non in unius gentis gratiam filium suum in mortem tradidit; sed omnium: nec unam gentem in eo dilexit; sed totum mundum, quod filium suum in mortem tradidit. [hinc Christus dicitur propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. *Joh.* 11, 2.] hinc dicitur *vers.* 16. *Christus reconciliasse utrosque in uno corpore Deo*. Secundum, Ratione virium mortis Christi, quia per eam datæ sunt omnibus omnino hominibus vires, ut possint *regenerari*, hoc est, *mori peccato*, & ab iis resurgere, & ita ad verum populum Dei accedere & vivere Deo. Tertium, Ratione generis supplicii, quod subiit Christus; Quod Lege dogmatum Mosaicorum fuit maledictum. Quam maledictionem Christus sprevit, ideoque Legem istam dogmatum, quæ Judæos à cæteris gentibus dirimebat, tacite ipso facto, atque exemplo suo abolevit. Jure igitur dicitur inimicitiam istam *(legem dogmaticam) occidisse in se ipso vers.* 16. *aut in carne sua vers.* 15. Merito dicitur & *intergerinum parietem sustulisse vers.* 14. nempe eandem istam Legem dogmaticam.

Vers. 17. Postquam peculiariter morti Christi hanc admissionis gentium ad reconciliationem gratiam attribuisset; redit ad generaliorem rationem, ob quam Christus pax, & reconciliatio Judæorum, & gentium dici potest, quia adventu, & Evangelio suo pacem, ac felicitatem æternam obtulit tàm Judæis, quàm gentibus: adeo ut (*vers.* 18.) per ipsum utrique habeant aditum, accessum, admissionem, in uno eodemque Spiritu (sicut ante in uno corpore, puta Ecclesiæ) ad Patrem.

Vers. 19. Merito igitur concludit Apostolus, Ephesios non esse hospites, aut peregrinos; sed cives sanctorum, & domesticos Dei. *vers.* 20. superædificatos super fundamento Apostolorum, & Prophetarum, cujus fundamenti angularis, hoc est præcipuus lapis sit Christus, *vers.* 21. ex quo omne ædificium coaptatum & quasi concinnatum crescit in templum Sanctum in Domino, hoc est, in eodem Christo Domino, & secundum ejusdem normam, ac spiritum *vers.* 22. in quo ipsi Ephesii sint coædificati in habitaculum Dei (in spiritu, hoc est) spirituale.

CAPUT III.

HUjus dogmatis, ac doctrinæ, quam Paulus spargebat, causâ esse in vincula conjectum asserit. Nec enim alia fuit odiorum, quibus apud Judæos, à quibus in vincula conjectus est, flagrabat, causa; quam quod gentibus ad Dei gratiam, quondam uni populo adstrictam, aditum panderet.

Vers. 2. *Si quidem*, inquit, *audistis œconomiam gratiæ Dei*, *datæ mihi super vos*, hoc est, commissum mihi esse munus, atque officium prædicandi vobis Evangelii. in quo magna Dei gratia super vos effusa est. *Vers.* 3. *Quod nimirum per revelationem Deus notum mihi fecerit mysterium* (*quemadmodum paulo ante*

ante vobis scripseram. vers. 4. , *quo scripto lecto intelligere potuistis , communicatam mihi fuisse à Christo tanti mysterii notitiam: vers.* 5. *quod anteactis temporibus filiis hominum non fuit ad notitiam deductum , quemadmodum nunc revelatum est in Ecclesia Sacro-Sanctis Apostolis ejus , & Prophetis in Spiritu* , hoc est, per Spiritum. *Vers.* 6. *Esse gentes cohæredes , atque in idem corpus cooptatas , & comparticipes promissionis ejus in Christo* (hoc est quam per Christum fecit) *per Evangelium* scilicet à me prædicatum , *vers.* 7. *cujus factus sum minister , secundum donum gratiæ Dei , datum mihi secundum efficaciam potentiæ ejus.* Cur donum istud datum ipsi fuerit cum tanta efficacia potentiæ Dei , innuere videtur , *quòd minimus fuerit omnium sanctorum.* ita ut gloriationem omnem rei bene gestæ in prædicando Evangelio refundat in ipsum Deum.

Vers. 18. *Minimo mihi omnium sanctorum data est hæc gratia evangelizandi,* & lætissimum nuncium promulgandi , ac prædicandi , *inperveſtigabiles divitias Christi.* (τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ Χριστοῦ) hoc est , divitias tantas gratiæ Dei , per Christum revelatæ , ut quantumcunque ex iis comprehenderis , & assecutus fueris ; semper plura restare videantur , quæ nondum sis assecutus.

Vers. 9. Φωτίσαι πάντας , *Illuminare omnes.* Doctrina Evangelii vera est illuminatio. *Communio mysterii absconditi* , est communio gratiæ Dei , uni quondam populo oblatæ ; reliquis etiam gentibus facta , quæ olim per multa secula abscondita in arcano Dei consilio fuit. τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ , *qui creavit omnia per Jesum Christum.* qui , quoniam omnia , quæ ad salutem nostram , & novam creationem pertinent , facere constituerat per Christum ; ideò Jesu Christi temporibus tantæ gratiæ patefactionem , ac revelationem reservaverat. ita ut nunc (*vers.* 10.) *principatibus , ac potestatibus cælestibus per Ecclesiam Christi innotescat multiplex sapientia Dei.* ita ut hoc quoque sit initium quoddam exaltationis Ecclesiæ Christi , etiam in terris constitutæ , quod per eam arcana Dei innotescant summis cælestis hierarchiæ principibus.

Vers. 11. κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων. *Secundum propositionem seculorum , quam fecit in Christo Jesu Domino nostro* , hoc est , aut secundum propositionem æternam , puta ante multa secula decretam , ac destinatam : aut propositionem seculorum , quæ in Christo Jesu nova , & plane aurea condere constituerat.

In quo *vers.* 12. habemus προσαγωγὴν καὶ παῤῥησίαν , id est, *admissionem & plenissimam libertatem* accedendi ad Deum (vide supra *Cap.* 11. 18.) tanquam ad Patrem , in collocata in eo perfecta fiducia nostra , ἐν πεποιθήσει *in fiducia.* προσαγωγὴ ἐν πεποιθήσει *admissio in fiducia* idem est quod παῤῥησία, *parrhesia :* & videtur hic unum per aliud explicuisse Apostolus. διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ , per *fidem ejus* hoc est, Christi. Fides Christi , est fides in Christum , quæ ipsa est fides in Deum per Christum. Fides enim in Christum non aliud est , quàm credere quod Jesus ille fuerit , ac sit ille Christus Dei , hoc est iste , quem Deus fecit Christum , & Dominum. quod credi nullo modo potest absque fide in ipsum Deum. Talis enim fides nihil nobis per Christum pollicetur ; quod non à Deo proficiscatur , tanquam à prima veræ salutis causa.

Ostenso tanto beneficio Dei , quod gentes admiserit ad gratiam populo suo quondam oblatam : ob cujus etiam beneficii commemorationem ille vinctus fuerit ; meritò hortatur eos *vers.* 13. , ne animis collabantur ob ejus afflictiones , ipsorum gratia susceptas ; sed potius erigantur. nam hoc sit gloria ipsorum. Glorioſum enim erat ipsis , quod tanta Deus gratia eos dignatus fuerit. quæ gloria afflictionibus Pauli crescebat , & augebatur.

Vers. 14. Enumeratis supra tot generibus beneficiorum Dei , quibus excitari , erigi , & confirmari poterant , in salutis suæ negotio ; preces superaddit , ut ostendat , quamvis à nobis Deus exigat labores nostros , quos assequendæ saluti nostræ , aut aliorum impendamus ; tamen nihil satis bene succedere absque ope cæleſti , quæ cuivis petenti in promptu sit , etiam supra votum. *Flecto* , inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi vers.* 15. *ex quo omnis* πατριὰ , *paternitas in cælo , & in terra nominatur* , hoc est , qui est divùm pater , atque hominum Rex , communis omnium parens , per quem in spirituali cognatione , omnes tàm Angeli , quàm homines conjungimur. Quo ipso facile , ac propitium numen exaudiendis precibus ad ejus opem confugientium , designat.

Vers. 16. *Ut vobis donet secundum divitias suæ gloriæ &c. potentia corroborari per Spiritum suum , in internum hominem* , hoc est, ut vobis det assequi virtutum omnium perfectos habitus , & corroboratam jugiter consuetudinem , per spiritum suum vos manuducendo , regendo , confirmando.

Explicat (*vers.* 17.) quid per internum hominem intelligat : *Ut habitet Christus per fidem in cordibus vestris* , hoc est , *Christi* , & promissorum , præceptorumque ejus , ac meritorum in salutis nostræ negotio perpes , & assidua memoria , ac recogitatio per fidem , conjuncta cum plenissimo mentis assensu , & cordis fiducia circa ea , quæ semel credidimus. *vers.* 18. Neque enim hæc fides in animo duntaxat , & corde sedeat otiosa , sed per opera caritatis sit efficax , & quasi radices agat necesse est , ac fundamentum sibi substernat firmum , ac solidum. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis , quæ sit latitudo , magnitudo , profunditas , altitudo* (subintellige ex *vers.* 19. sequenti caritatis Christi) *quæ superat omnem cognitionem vers.* 19. hoc est , ejus est πλοῦτος ἀνεξιχνίαστος , id est, *divitiæ inexhaustæ* , præcipue si quis suis tantum humanis viribus ea comprehendere nitatur. Ideo opus est multùm in pietate proficere ; si quis velit hæc ita uti opus est capere , & comprehendere : quia id sine Spiritu Dei fieri nequit. Spiritus autem sanctus non intrat animam inquinatam. Est autem emphasis in enumeratione dimensionum , quæ significat cognitionem perfectam , & omnibus numeris absolutam. Ut enim cognitio corporum quantitate præditorum est perfecta , si quis eorum omnes dimensiones probe notas habeat , & sciat quam longa , quam lata , quam crassa , aut profunda sint ; sic & rebus Spiritualibus sunt suæ quædam analogicæ dimensiones , quibus cognitio earum perficitur.

Notandum autem est vocem γνῶσιν *cognitionis* , non ad ἀγάπην , *caritatem* ; sed ad ὑπερβάλλουσαν , *excellentem* , referri : ut intelligatur caritas Christi superans omnem cognitionem. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Paupertas sermonis humani coëgit Apostolum uti generalissimis vocibus , quibus cognitionis istius perfectionem significaret , hoc est , ut isti cognitioni nihil deesset ; sed esset partibus omnibus suis completa , & perfecta.

Vers. 20. Non est autem mirum hominem ejusmodi cognitionem posse consequi , quam verbis exprimere nequeat : quia Deus ope sua ingenii nostri infirmitati mirabiliter succurrit , quemadmodum ait, *Rom.* VIII. 26. Spiritum pro *nobis intercedere gemitibus inenarrabilibus* : & hic dicit Deum posse , in omnibus nostris necessitatibus efficere id quod postulamus : & quidem longe melius & abundantius , quàm petamus , aut petere cogitemus. Nec tantum

id posse ; sed sæpe in ipsius Apostoli exemplo fecisse. ideo ad opem Dei sermone deflexo, tanquam certus jam impetratæ istius opis, & repulsæ securus, gratias agit Deo *in Ecclesia Christi in omnes generationes seculorum.*

Generationes seculorum non frustrà vocat Apostolus. Deus enim beneficia sua successivè confert, & suprà *Cap.* 1. 10. memorat Oeconomiam, & dispensationem, aut potius dispositionem impletionis temporum, hoc est implendorum temporum. Eo fit, ut seculum generet seculum: & ex novo seculo, iterum aliud recentius generetur, donec fiat consummatio, & solidissima, atque immutabili æternitate claudantur omnes istorum seculorum discrepantes inter se vices, ac vicissitudines. Et tamen ea, quæ Deus facit in Ecclesia sua, digna sunt, quæ commemorentur omnibus subsequentibus seculis. Hæc enim est mens Dei (vide supra *Cap.* 11. 7.) in insignioribus factis ejus, ut ostendat venturis seculis divitias gratiæ, aut gloriæ suæ. Nec omnia Deus quæ facit, propter præsens ævum facit; sed futuro sæpe intentus est. Nam febriculosa commenta eorum, qui Deo cuncta statuunt præsentia; nihil moramur. Quoties Deus ostendere vult, quàm nihil sapiant homines; permittit eos tentari, ut nimiùm sapere velint. Ita vulgaris Theologia, capite, ac cerebro saucia; deliriis suis ipsam infecit Philosophiam.

CAPUT IV.

CUm in superius enumeratis ingentibus Dei beneficiis ostendisset vocationis, & status Christianorum maximam excellentiam; inde sumit occasionem hortandi eos, ut viverent, prout dignum erat tàm sublimi vocatione. Addit autem auctoritatem suis monitis, quod esset *captivus in Domino*, hoc est, propter Dominum, Domini causa. quamvis id quoque esset, ut proximo capite ostendit, ipsorum causâ (vinctus Jesu Christi *pro vobis*, ὑπὲρ ὑμῶν). hæc enim erat ab ipso Christo commendata Christianorum magnitudo, & excellentia.

Vers. 2. Incipit autem moralia monita (ut sæpe à Spiritu Sancto fieri videmus) à virtute modestiæ, & humilitatis. Quantò magis enim nos Deus paterna sua beneficentia extollit; tantò nos magis humiliari par est. Enumerat autem virtutes initiò, non Deo tantum placentes, ejusque filii exemplar exprimentes; sed etiam pacem Ecclesiæ conservantes. *Cum omni*, inquit, *modestia, & humilitate, & mansuetudine, cum longanimitate sese invicem ferentes in caritate.* Atque ita decuit toti Ecclesiæ scribentem ab iis virtutibus incipere, quæ toti Ecclesiæ essent maxime necessariæ. Porro quod addit Apostolus verbis, *cum omni humilitate sese invicem ferentes*, verba, *in caritate*; non temere fit. Possunt enim homines se mutuo ferre, propter aliquam externam causam; & tamen propter offensas, quas patienter pertulerunt, auctores earum odisse. Procul id à Christianis esse debere ait: & ita se mutuo ferre jubet, ut caritas integra maneat, & offensæ utrinque bona fide remittantur. Id enim Christiani est officii, & perfectionis.

Vers. 3. *Studentes servare unanimitatem Spiritus in vinculo pacis.* Docet hoc loco Apostolus, quomodo *unitatem istam Spiritus*, seu concordiam amicitiæ, conservare debeamus; si *vinculum pacis* inter nos sit inviolatum. fore autem; nisi in illo abrumpendo simus nimium ingenioſi. Nec enim nos in Christi religione habere ullas ansas diffidendi. *vers.* 4. *Cum unum sit nobis corpus Ecclesiæ, unus Spiritus* mansuetudinis, & caritatis, & *expectationis unius spei. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Unus Deus, & Pater omnium* (Rex Juppiter omnibus Idem.) *qui ut supra omnes est, ita per omnes, & in omnibus vobis*, hoc est, delectum personarum non habet; sed omnes ad se admittit, neminem fastidit, aut à gratia sua arcet. *Vers.* 7. Et quia jam supra unius Domini mentionem fecerat, cujus hic iterum nominandi occasio aperiebatur; explicat quomodo iste unus Dominus, in nos potestatem exerceat, distribuendo scilicet unicuique nostrum, pro mensura beneplaciti sui, dona gratiæ suæ. idque *vers.* 8. approbat dicto Sacræ Scripturæ. *Ps.* LXVIII. 19. *Ascendens*, inquit, *in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.* Christus enim morte, & exaltatione sua nos liberavit ab ea servitute peccati, cujus jugo nimium premebamur, ita ut non indecore servitus ipsa in servitutem ducta dicatur. Præterea conferendo miraculosè dono Spiritus Sancti, potestatem suam manifestam fecit. Et quia exaltationis Christi mentionem fecit, quæ ipsi propter humiliationem ipsius in susceptâ morte crucis obtigit (vide *Philip.* 11. 6. 7. 8. 9. *&c.*) ideo primæ illius virtutis modestiæ, atque humilitatis inculcandæ occasionem arripuit ex voce exaltationem designante *ascendens. Quid autem est* (inquit *vers.* 9.) *quod ascendisse dicatur? nisi quòd & descendit prius in inferiora terræ*, hoc est, Quæ alia causa exaltationis ejus in cælo fuit, quàm quod se prius sponte obita morte humiliaverit. Non est autem novum, quod Apostoli nos exemplo humilitatis, seu modestiæ Christi, in morte suscipienda ad modestiam, & humilitatem hortentur. *Idem igitur*, inquit, *qui se tam humiliter demiserat, est usque eo exaltatus (vers.* 10.) *ut impleat omnia*, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, hoc est, ut omnium necessitatibus succurrere, omnium desideria, & defectus implere, &, quod cuique deest, suppeditare possit. (*Vers.* 11.) Atque hujus Domini nutu constitutus est in Ecclesia ordo regentium Ecclesiam, *Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Pastorum*, & *Doctorum* (adversus quem ordinem fine dubio tumultuabantur, qui forte pacem tunc turbabant Ecclesiæ (*vers.* 12.) Dicit igitur ista officia à Christo ipso introducta, bono ipsius Ecclesiæ, ad ædificationem, & utilitatem fidelium, & ut opus ministerii tanto felicius curreret, atque Ecclesia, corpus Christi, cresceret, & ædificaretur. (*vers.* 13.) Discendum vero est cuique à Sapientioribus, quorum mentionem fecit, tamdiu, donec addiscat omnia, quæ scire opus est, *ad cognitionem Filii Dei*, atque ita donec *evadat in perfectum virum*, & *excrescat in mensuram incrementi Christiani.* Explicat autem *vers.* 14. quid sit evadere in perfectum virum, & quæ sit ista mensura; à contrario. Non esse *fluctuantem* (quemadmodum pueri tenera ætate solent) *nec circumferri quovis vento doctrinæ*, in tot fallaciis, & impostoris hominum, qui nullum astutiæ artificium omittunt, in circumveniendis simplicioribus: sed esse (*vers.* 15.) firmatum in veritate, ab omnibus quidem erroribus pura, & intaminata; sed præcipue in caritate, ejusque operibus per quæ fides viva, & efficax est, fundatâ. Nam hoc est verum incrementum, quo fideles crescunt in ipsum, *qui est caput Ecclesiæ*, Christum. *Vers.* 16. *Ex quo, tanquam capite, omne corpus coaptatum, & compositum per omnem contactum suppeditationis, secundum efficaciam in mensura uniuscujusque partis incrementum (corporis) sui facit, in ædificationem sui ipsius in caritate.*

Contactus suppeditationis. Membra inter se cohærent per contactum quendam, & continuitatem. Quia verò interdum aliqua, præsertim donorum Dei, inæqualitas continuitatem hanc interrumpere videtur,

videtur, vocat eam Apostolus *contactum suppeditationis*, quia Deus aliis per alios, necessaria saluti eorum suppeditat, & quasi eos coæquat, & invicem secum coaptat.

Omnia tamen ista coaptantur, & coalescunt, crescuntque, & augmentum sumunt in caritate, quæ ut unicuique fidelium singillatim; ita in commune toti Ecclesiæ necessaria est, atque ita tacita adhortatione ad virtutem istam primum suum monitum claudit.

Absoluto primo monito, quod ad conservationem totius Ecclesiæ pertinebat; accedit ad alterum, quod ad singulorum, vel uniuscujusque conservationem, & salutem pertinet, hoc est, ad præceptum regenerationis *vers.* 17. Conciliat autem monito suo auctoritatem, non simpliciter præcipiendo, sed tanquam Martyr, ac testis resurrectionis Domini, atque Apostolus, quasi potestate Domini sui præcipiendo; λέγω καὶ μαρτύρομαι ἐν κυρίῳ, *dico & testor in Domino.*

Vers. 18. Porro ipsum monitum lucis causa tradit, primò commemorando, & vetando contrarium regenerationis: deinde accedit ad ipsam regenerationem. Vetat igitur vitam, qualem tunc Ethnici omnes vivebant, quæque in oculos omnium incurrebat. Cujus primum causas: deinde ipsam, ejusque effecta proponit: demum ab ea dehortatur. Causam illius vitiosæ Ethnicorum vitæ ostendit esse, *deceptionem, & obtenebrationem Rationis humanæ.* Quæ nisi decepta esset, & obtenebrata; homines ejus participes, *vitam Dei*, hoc est, vitam secundum Deum, secundum honestatem degerent. Nunc *autem sunt alienati ab ista vita Dei*, hoc est, quam secundum mentem Dei vivere deberent, *propter ignorantiam*, (ἄγνοιαν). Exstitit autem hæc ignorantia in ipsis propter ipsorum propriam culpam, hoc est, πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν, id est, *duritiem cordis ipsorum.* Proprie loquendo *propter callum obductum cordibus eorum.* πῶρος, callus, occallescentia. Obducitur autem istud callum cordibus hominum latissima eorum culpa. Corda enim hominum, propter rationem divinitùs datam, acerrimum habent sensum doloris, quoties peccant: cujus doloris admonitu, satis habent stimuli, & occasionis ad resipiscendum mortales, & ad resistendum peccato. sed quia, stulta peccandi dulcedine abrepti, non resistunt; fit ut crebro peccata iterent. Crebris autem istis peccatorum iterationibus, callum humano cordi obducitur, ut (*vers.* 19.) homines dedoleant, ac deveniant ἀπηλγηκότες, *qui dedoluerunt*: ac tum demum tradunt se omnis generis intemperantiæ, cum pleonexiâ, hoc est, modum omnem supergrediuntur in dissolutione vitæ, & cupiditatum.

Vers. 20. Propositis vitæ vitiosæ effectis, eorumque turpitudine ob oculos positâ; dehortatur ab ea per emphaticam μίμησιν. Cum enim doctrina Christi sit plane adversissima, & nimium pugnans cum ejusmodi vitiis; Apostolus per modum loquendi diminutivum, ait eam esse dissimilem, *Non ita*, inquit *didicistis Christum*, id est, doctrinam ejus: Seu, non id à præceptis, & institutis Christi didicistis. Quasi vero Christi doctrina tantum ejusmodi vitia eos non docuerit, ac non multo magis ea dedocuerit, ac reprehenderit, & condemnaverit, & in locum ipsorum ipsis è diametro contrarias virtutes præceperit, & inculcaverit.

Vers. 21. In hoc versu ostendit Apostolus, posse aliquem esse Christi doctrinæ auditorem, ac discipulum; qui non sit in ipso, secundum genuinam doctrinæ ejus veritatem institutus. Ideo supponit conditionem, siquidem pure, & genuinè in doctrina Christi sint eruditi, longe aliud eos didicisse ex ipsâ; quàm quod supra non sine reprehensione, & condemnatione ob oculos posuit.

Et mox *vers.* 22. ostendit, quid, suppositâ hac, quam posuit, conditione, à Christo, ejusque doctrina didicisse debuerint. Atque hic ad ipsam regenerationem præcipiendam accedit. Cujus prima pars est *abjicere, secundum priorem conversationem veterem hominem*, hoc est, mores, habitus, & consuetudines prioris conversationis. qui mores, & habitus, quia frequenti consuetudine quasi in naturam eorum coaluerint; (Consuetudo enim est altera natura) ideo illos mores, & habitus corroboratos, ipsum hominem, & quidem veterem apellat: quia diu istiusmodi vitiosi mores in ipsis regnaverint. ita ut ipsis contigerit,

Multa diu concreta modis inolescere miris.

Describit autem hominem istum veterem & abjiciendum, *qui corrumpitur secundum cupiditates deceptionis*, hoc est, cupiditates deceptas, aut rationem decipientes, hoc est, qui esca voluptatum, aut apparentium bonorum inescatus, ac misere deceptus à cæcis cupiditatibus suis captivus ducitur in certissimam perniciem: & reipsa quotidie morti, atque interitui vicinior fit: imo ante diem fata sua accelerat.

Altera pars regenerationis est, *Innovari (vers.* 23.) *Spiritu mentis* (vestræ) & *(vers.* 24.) *induere novum hominem, qui secundum Deum creatus sit, in justitia, & sanctimonia veritatis.* Opponit hominem novum; veteri: corruptionem veteris; creationi novi: corruptionem in cupiditatibus; creationi secundum Deum: cupiditatibus; justitiam, & sanctimoniam: denique deceptioni; veritatem. Ipsa oppositio continet maximam vim persuadendi. Quis enim non malit, abjecto veteri, & lacero homine; induere novum? abjecto corrupto à peccatis; induere reparatum, ac regenitum secundum mentem Dei? quis non cæcis cupiditatibus; justitiam & sanctimoniam? quis non imposturæ, ac deceptioni; veritatem præponat?

Huc usque ad officia, Christiano homine digna, Ephesios adhortatus est Apostolus, in genere, & totum quasi regenerationis officium complexus. Vocat autem regenerationem *hominem novum, secundum Deum creatum in justitia, & sanctimonia veritatis. Creatum*; quemadmodum in veteri creatione mira Dei sapientia, potentia, & bonitas eluxit; ita multo magis in nova. Deinde, ut vetus creatura fuit *nativa factura Dei*; ita multo magis nova. Non enim tantùm secundum Deum, & ejus voluntatem nova creatura creatur; sed magna ex parte per ipsum Deum, ejusque opem, & spiritum.

Nunc in specie ad singulas virtutes transit. Et quia carnalis quidem, & dissolutæ vitæ causam ostenderat esse deceptionem: Spiritualis vero, & regeneratæ, veritatem; idcircò à veracitate, mendacio contraria virtute; incipit *vers.* 25. *Remoto*, inquit, *procul & sepulto mendacio; loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum; quia sumus mutuò aliorum membra.* hoc est, quia unius corporis membra sumus; ideo vere, ac fideliter nos mutuò admonere periculi, & in lapsibus nostris erigere debemus, non adulando decipientes, sed corripiendo sæpius, & objurgando in rectam viam, & officium revocantes. Caritatis enim officio ad id obstringimur, & urgemur.

Et quia nulla alia re citiùs ad iracundiam irritamur, quam veritate, ac veracitate, quæ delicatas aures duriusculè radere solet; eadem occasione, iræ continentiam præcipit: verum ea moderatione, ut non penitus hunc affectum, non sine ratione homini à natura datum, Stoico more extirpet; sed tantum peccatum ab eo recidat. Ra-

tionalis enim est, si quisquam alius; hic affectus: sed si sit nimius, aut longus; ipsam rationem obfuscat. Ergo ita irascendum est, ne nimium irascamur, in quo irrationalis excessus, & peccatum est. Præterea ita irascendum, ne concepta in aliquem, & paulo diutiùs protracta ira migret in odium, quod nihil aliud est, quam *ira inveterata*. Odium autem tollit caritatem, virtutum reliquarum fundamentum.

Denique in producta longius, & continuata ira præsentissimum periculum intervenit, ne Diabolus, multiplicato utrinque injuriarum sensu, feralia utrinque odia accendat. Hæc enim est occasio, qua is frequenter uti solet, ad inflammanda funesta in genere humano incendia. Ideo subtrahendæ sunt ejusmodi opportunitates Satanæ, per quas illi in Ecclesia sæpe grassari in more positum est.

Quia vero non sola ira homines peccare solent, sed etiam habendi (præsertim autem alieni) cupiditate; ideo ad tertium genus virtutis specialis transit, ac docet quomodo injustæ acquirendi artes cavendæ, & quis in acquirendis rebus modus servandus sit.

Damnat igitur primum turpissimam, & injustissimam acquirendi artem, per quam homines ipsi, tanquam fuci desides, & alienis tantum laboribus intenti, ex alienis rebus interversis flagitiosum compendium quærunt, & furtis, aut impostoris, & vario defraudationum genere grassantur. nec enim solum simpliciter furtum huc pertinet; sed omnia ejusdem generis. Imo vero ex ipso verborum contextu patet, adeo omnia furtorum, & interversionum genera hic damnari, & prohiberi, ut ne illud quidem excipiatur, quod ex egestate, & necessitate quadam committitur, quia videlicet aliquis nimium egeat. Ostendit enim ejusmodi hominibus viam Apostolus, per quam ipsi non modo istam nimiam egestatem; sed plane omnem egestatem vitare possint: nec tantum illum statum effugere, in quo absque alieno damno sibi consulere non possunt; sed in eum statum devenire, ut aliis etiam labore, atque industria sua succurrere possint. Omne igitur illicitæ interversionis genus Apostolus interdicto suo comprehendit.

Verum simul viam proponit, per quam homines ab ista peccandi eo modo sive necessitate, sive tentatione liberi esse possint. Hæc autem est labor, & industria propria, in aliquo opere honesto, & licito adhibita: cujus fructibus, & utilitatibus postea non modo nostram effugere, sed alienam inopiam sublevare possimus. Quamvis autem labor hic de manufactura alicujus artificii, quod manibus exercetur, eo promptiùs explicari possit, quod nimiam egestatem eorum, qui furantur præsupponere videatur Apostolus, & cui non alia via succurri possit, quam sumpto in manus alicujus artificii genere; tamen ego nihil video, cur ista verba de solis manuum laboribus, qui in opificiis adhibentur, intelligi debeant. Nam quod manuum mentio fiat; id non sufficit. Neque enim solæ opificum tabernæ manuum ministerio carere nequeunt: sed neque liberalium artium studia: neque ipsa Philosophia. quæ res olim cuidam Philosopho extorsit, ut assereret, manum esse causam Philosophiæ: neque præcipuæ pacis, bellique artes. Denique nullum mihi honestum studium, aut laborem, aut occupationem, quæ fructum aliquem in vita hominibus afferre possit, dabis; quæ non manuum opera, & ministerio indigeat. Præterea etiam, quia liberales occupationes, quæ hominibus in vita fructuosæ esse solent, laborem, sedulitatem, & industriam exigunt: Laborum autem, & omnis operis executio, manibus tribui soleat; potest ἐργαζόμενον τὸ ἀγαθὸν τοῖς χερσὶ, *Operans bonum manibus*, non de sellulario tantum opifice, sed de quovis, etiam honestiore studio occupato, intelligi. Sufficit, si ab istis verbis ne sellularii quidem excludantur. Nam excludi quidem videntur per vocem τὸ ἀγαθὸν, *bonum*; quæ vox vix tribui solet rebus indifferentibus, aut certe vilibus; sed rem aliquam honestam, & laudabilem indicare videtur. Cæterum notandum est vocem τὸ ἀγαθὸν, hic sumi non in principali, ac propria sua significatione pro re laudabili; sed tantum pro licita, & quæ flagitii, ac turpitudinis expers est, quamvis etiam laudis non multum habeat. Oppositè nimirum ad illud πονηρὸν, *malum*, quod fures patrabant, de quibus hoc loco agitur. Non igitur sellularii opifices ab explicatione horum verborum excluduntur: nec soli intelliguntur.

Vers. 29. Quarta ex specialibus virtutibus, quas commendat Apostolus, est *linguæ moderatio* (de qua multùm Jacobus. *Cap.* III.) Quamvis autem λόγος σαπρὸς, id est, *sermo putridus*, videatur sermonem duntaxat turpem, aut obscænum significare, ex vi vocis ipsius, quandam corruptionem, & putrefactionem significantis; tamen nihil impedit omnem illum sermonem hoc loco λόγον σαπρὸν dici, qui contristat Spiritum Sanctum. Non solis autem obscænis is contristatur; sed falsis quoque, calumniosis, obtrectantibus, arrogantibus, denique proximo noxiis sermonibus. Itaque semper ab ejusmodi odiosis, noxiis, ac periculosis materiis divertendus est sermo ad ea, quæ ædificare, docere, excitare ad pietatem, & dare aliquam gratiam spiritualem hominibus possint.

Hic quoque *ædificationem utilitatis* (*vers.* 29.) pro utilitate *ædificationis* dictam videmus, usitata in hac Epistola Metathesi.

Vers. 30. *Et ne contristate Spiritum Sanctum Dei, quo obsignati estis in diem redemptionis.* Præceptum hoc non ad antecedentia tantum, sed ad consequentia quoque pertinet. Nam omni genere non dictorum modo, sed factorum etiam illicitorum; contristatur Spiritus Sanctus. Notanda autem est descriptio Spiritus Sancti, quod dicatur Dei, rarius usitato in Sacræ Scripturæ literis more. nam alias Spiritus Sanctus absolute: alias Spiritus Christi: alias & Spiritus Dei dicitur. sed Spiritus Sanctus Dei; fortassis hoc unico in loco. quia licet per filium donum hoc cæleste dispensetur; tamen origo ejus est à Patre. quemadmodum & ii confitentur, qui divinum istud munus verbis colere, venerari, ac celebrare; quam re ipsa mereri, & habere maluerunt. *Dies* autem ista *redemptionis*, quamvis ad particulares aliquas liberationes à quibusvis malis & periculis porrigi possit, in quibus possessio hujus Spiritus adversus incidentia mala omnia murus est aheneus; tamen principaliter de salute, & vita æterna intelligenda est, cujus arrhabo Spiritus Sanctus dicitur.

Vers. 31. Persequitur deinde longo ordine, multa alia, quibus Spiritus Sanctus contristari, imo vero submoveri solet: & accedit ad quintum speciale præceptum, pertinens ad præcipuam partem caritatis de exuenda animi quadam scabitudine, hoc est, acerbitate, impatientia, & uno verbo malitia in proximos: & inducenda ipsi opposita benignitate, tolerantia, & facilitate in dimittendis incidentibus injuriis.

Affectionem autem istam animi exuendam describit ab ejus effectis, qui sunt πικρία *acerbitas*, cum quis modum in reprehendendo, aut irascendo alicui etiam leviori delicto non tenet; sed in deteriorem partem omnia rapit: & gravius, quàm par sit, in delinquentem invehitur, ut animi ejus pessimè erga illum affecti sinisteritas omnibus conspicua sit. Quæ sane acerbitas affectio est cordis, amara bile

non

non perfusi tantum ; sed ejus amaritie penitus imbuti , & in ea diu , multumque macerati. unde postea erumpit *(θυμὸς) & excandescentia*, in gestu: *(ὀργὴ) ira*; in factis: *(κραυγὴ) clamor*; in voce: *(βλασφημία) maledicentia*, in verbis. quæ omnia sunt palmites , pullulantes à stirpe , & radice malitiæ , hoc est , illius cordis affectiones , quam supra κακίαν , nunc malitiam , *(πονηρίαν)* vocavit. Unde non sine causa , non palmites tantum istos , & surculos desringi ; sed cum tota stirpe , & radice excendi imperat Apostolus.

Porro quo magis contraria , juxta se posita , elucescant ; in locum vitiorum , quæ jubet exui , imperat oppositas virtutes indui , *benignitatem* in proximum : facilitatem *ad miserendum* ejus : facilitatem ad condonanda ejus delicta. quæ facilitas nulla re citius comparatur , quam nostrorum peccatorum , ac Dei erga nos clementiæ , & indulgentiæ recordatione.

CAPUT V.

TAntæ Dei benignitatis exemplo nos ad imitationem Dei excitat : & nulla re nos cariorem Deo , & magis genuinam ejus progeniem evasuros innuit ; quam si benignissimi Patris ἐλεήμονος id est *misericordis* , vestigia sequamur : quamvis forte non passibus æquis. *Estote imitatores Dei , ut filii dilecti.*

Vers. 2. Ut in ea parte caritatis , quæ condonationem culparum , atque injuriarum respicit , Dei ipsius ; ita in reliqua caritate , Christi exemplum nobis ad imitandum proponit. Unde patet Deum nullo pretio accepto nobis peccata remisisse. qui si pretium aliquod pro iis accepisset ; nullo modo ipsi , sed potius illi , qui pretium pro illis dedisset , & posteà ipsa (quasi de suo) remisisset ; remissio peccatorum nostrorum tribuenda esset. Non est autem verisimile , cum Apostolus nobis hoc loco Christum , quoque imitandum proponere constituisset , eum , si vera vulgata sententia esset , non Christum potius nobis in remissione peccatorum , quam Deum ad imitandum propositurum fuisse. Nam profecto, si vulgata sententia vera est , & Deus nobis in remittendis peccatis ad imitandum proponitur , cum peccata Deus nobis ita remisisse prætendatur , ut tamen illa plane impunita non reliquerit ; sed supplicium eorum , quamvis de alio , non de nobis sumpserit ; Nobis quoque licebit , exemplo Dei , rationem circumspicere , quâ offensioni nostræ quoquomodo satisfiat , sive directe , sive indirecte. Quod quia est absurdum , & illud certissimum , à nobis posci , ut bona fide aliis delicta , & offensiones remittamus , nulla pro iis à quoquam satisfactione acceptâ ; vulgata quoque sententia absurda erit , & illud certissimum , Deum nobis delicta remisisse , nulla pro iis à quoquam satisfactione exacta.

Jubemur autem Christum imitari in charitate , quia is ejusmodi caritatis specimen pro nobis edidit , quo majus edi à nemine , imo nec ab illo quidem ipso , potuit. Animam enim posuit pro nobis , id est , nostri causâ , ut nobis prodesset : ut fœdus Dei nobiscum pactum sanguine suo sanciret : ut nobis remissa esse peccata , ac Deum nobis jam placatum esse , tanquam agni illius expiatorii antitypus , ostenderet : ut nobis in suo exemplo , non modo ad promissa Dei obtinenda viam , ac facilitatem ; sed earundem promissionum certitudinem ostenderet : ut nobis in morte sua Dei Patris , & suam simul erga nos caritatem demonstraret : ut nos mori peccato , & vivere Deo doceret : ut nos perpetuâ tanti beneficii sui memoria sibi tanto obligatiores , ac meriti sui magis memores , ac proinde & officii nostri non immemores redderet. sed quis omnia enumeret ? Animam , inquam , nostri causâ posuit , & quidem tunc cum maximi peccatores , & hostes ejus essemus. *Tradidit se ipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem suavitolentiæ.* Quia voluntate Dei erat mors ista suscepta , & rem gratissimam , ac Deo mire placentem Christus fecit , dum eam suscepit ; appellat factum istud , aut si mavis Christum ipsum , victimam Deo grâtissimam , & quâ mirum in modum delectatur. Nec enim ad eam rem à Deo coactus est ; sed cum exploraſſet , quid esset εὐάρεστον *maxime placens* Patri , suamet sponte invictâ illâ , & divina vi , qua armatus erat , cohibita , sese non modo capi , damnari , sed etiam crucifigi passus est , cum ad singula passionis suæ momenta , resumere vires suas , & omnes inimicorum suorum conatus frangere (mea quidem sententia) posset.

Vers. 3. Si placet modo dicta caritatis præcepta omnia , pro uno numerari , sequetur *vers.* 3. Sextum spirituale præceptum , aut potius interdictum , in quo nobis duplicis cupiditatis genere interdicitur, carnis scilicet , oculorum. 1 *Joh.* II. 16. Quamvis enim vesanus ille amor fœminarum , ex quo tot adulteria nascuntur ; merito idololatria dici possit : nec ipsi , qui hoc affectu edomiti , aut capti sunt ; criminis hujus nomen inficientur. ita ut nullo impedimento obstante πλεονεκτης , de adultero explicari possit. qui duplici nomine sic apellari meretur : tùm quod proximum in ejus matrimonio πλεονεκτῇ , *defraudat* ; tùm quia ipse postquam *dedoluit (Ephes.* IV. 19.) *tradidit se ipsum in operationem omnis impuritatis in* πλεονεξίαν , hoc est , *in excessu.* Hæc , inquam , licet ita se habeant ; tutius tamen esse existimo verba Sacræ Scripturæ , quotiescunque latiorem sensum admittunt ; non coarctare : præsertim cum πλεονεξία ista dictis locis utrumque significare possit. Ergo πλεονεξίαν hoc loco tam latè sumimus , ut non modo carnale ; sed Spirituale quoque (ut ita dicam) adulterium comprehendat ; qualis est idololatria , quæ Spiritui Sancto adulterium dicitur. Quia igitur proprie dicta idololatria , ex usu Sacræ Scripturæ adulterium dicitur ; merito & alia idololatria sic per translationem dicta , hoc est , avaritia , & cultus opum ; adulterium dici , & cum adulterio , propriè sic dicto , conjungi potest.

Negari autem nequit vitia , quæ sexto isto speciali præcepto prohibentur , magis quàm alia prohiberi (quod indicant verba *ne nominetur quidem*) ob turpitudinem , & inhonestatem suam ; quod indicant alia verba , *Sicut decet Sanctos*. Longè enim minùs decet Ecclesiam , sanctitatem professam , stupra , & adulteria in ea inveniri ; quam dissensiones aliquas , aut animorum exacerbationes.

Vers. 4. Delictis ex cupiditate carnis , quæ in ipsis factis se exerunt ; adjungit Apostolus delicta , quæ in verbis , aut dictis cernuntur : eaque à sanctis procul abesse debere asserit , & nominat turpitudinem , seu turpiloquium. Per αἰσχρότητα ; *obscœnitas verborum* : per *stultiloquium*, aut μωρολογίαν ; vel turpitudo verborum absque obscœnitate : vel , quod fieri malim ; stultorum , qui stulte factis , aut dictis suis risum excitant , imitationem : atque ex ea dilectationem. denique per εὐτραπελίαν , *scurrilitatem* , facetias illas , quæ non ex verbis quidem , sed ex sensibus obscœnis voluptatem captant. Quo frequentius , & usitatius nihil est inter homines , quoties hilares esse , aut faceti videri cupiunt : nihil & ad mores corrumpendos , & in carnis cupiditates dissolvendos efficacius. quia ejusmodi dicta , aut joci semper in mentibus hominum aliquem aculeum

relinquunt. qui, quod pruriat, incitare possit. Ergo in locum istiusmodi effectuum hilaritatis, qui animum hilarem vulgò, apud carnales homines, aut in obscœnis sermonibus, aut in morionum dictis, factisque, aut in facetiis scurrilibus consequuntur, ejusque lætitiam conservant, & augent; substituit alium honestum hilaritatis effectum, qui in hominibus Spiritualibus lætitiam, beneficiis Dei procreatam (Quoties enim nobis aliquid boni lætique accidit; cælitus accidit & Deo debetur.) consequitur, conservat, & auget, hoc est Gratiarum actionem.

Vers. 5. Rationes interdicti sui incipit afferre Apostolus. Et quia peccatis istis non simpliciter tantum interdixerat, sed etiam ea ne nominari quidem inter sanctos voluerat; duplicem etiam rationem affert. primam, cur omnino ab istis vitiis abstinere debeant Ephesii: alteram, cur ista vitia, ne nominari quidem inter illos deceat.

Cur ipsis plane abstinere debeant, *vers.* 5. 6. 7. causas affert duas. primùm, quia nihil certiùs est, quàm peccatorum, quæ iterum (quantum ad ea, quæ ad facta ipsa pertinent) eodem ordine, quo supra posuerat, enumerat; patratores patrimonii cælestis exhæredes fore. Certitudinem enim hujus supplicii exprimit. Τῦτο γὰρ ἐπιγινώσκοντες, *Hujus rei estis gnari.* Non dicit τῦτο γινώσκετε, quasi nunc primùm eos rem novam doceret; sed ait: *Hujus rei estis gnari*; quasi diceret, jam dudum ista didicistis. Non igitur doctrinæ hujus obliviscimini; sed eam probe memoriâ tenete. & ut porrò *vers.* 6. loquitur, ne patimini vobis doctrinam istam vanis persuasionibus excuti; sed eam firmiter retinete, tanquam certissimam, & nullis fallacibus impostoris excutiendam. Secunda ratio, ob quam ab istiusmodi vitiis abstinendum sit, quia non modo nos à cælesti præmio excludunt, sed nos certissimæ, &, quam evadere non liceat, iræ Dei, & suppliciis eam consequentibus, obnoxios reddunt. Ubi per iram Dei, nihil impedit alia etiam, præter æternæ vitæ jacturam, supplicia Dei comprehendi: imo necesse est; cum id & ratio, & ipsa experientia comprobet.

Cur autem ista vitia ne nominari quidem inter sanctos debeant, ostendere incipit *vers.* 8. Quia cum *essetis aliquando tenebræ, nunc facti estis Lux in Domino.* Ergo *ambulare* debetis *ut filii lucis*, in quibus nihil inhonestum, aut indecorum conspici possit. Erant autem tenebræ; quia erant ἐσκοτωμένοι τῇ διανοίᾳ, *obtenebrati mente Cap.* IV. 18. Facti autem sunt *lux in Domino*, quia, cum excitati essent per vocem Evangelii ex somno vitiorum, & resurgere connixi essent à lapsibus suis; Christus, & ejus doctrina, alluxit eis salutiferam lucem. infra *vers.* 14.

Quodnam autem officium sit filiorum lucis, & quomodo illi ambulare, hoc est, vivere, & quibus moribus uti debeant; explicat in sequentibus *vers.* 9. Vivere igitur filii lucis secundum Spiritum debent, hoc est, *fructus Spiritus Deo* per Christum offerre. qui fructus consistunt *in omni bonitate, vel benignitate* (quod supra in calce Capitis quarti urfit.) *justitia, & veritate.* vide supra ejusdem *Capitis vers.* 24. ubi hominem novum induendum esse dicit, secundum Deum creatum in justitia, & sanctimonia veritatis. Veritas autem ista continet exclusionem deceptionis, atque impostoras fallacium bonorum, quæ cupiditates nostras inescant ad omne intemperantiæ genus: & idem est cum luce, sapientia, prudentia: opponiturque tenebris insipientiæ, & imprudentiæ. Et quia idem est cum sapientia; comprehendit etiam explorationem quid sit *beneplacitum Domino vers.* 10.; & facit homines intelligentes, quæ sit voluntas Domini, & prudentes. (*vers.* 17.) quod statim explicat Apostolus *vers.* 10. Unde ex eadem veritate & prudentia consequitur, quod ait Apostolus *vers.* 11. homines ea præditos, hoc est filios lucis; *non communicare operibus infructiferis tenebrarum* (quia non modo per ea nullus Deo fructus afferatur, sed quoddam quasi damnum inferatur) *sed ea potius reprehendere*, quia maximâ reprehensione digna sint, cum *vel commemoratu turpia sint*, ipsorum, qui ea patrant, confessione: (*vers.* 12.) qui idcircò ea clàm committunt, ne ipsis apud alios, si palàm fiant, pudori sint, atque dedecori.

Vers. 13. Non simpliciter ait, *Omnia ea, quæ clàm patrata*, etiam *commemoratu turpia sunt*, (hæc enim est subjecta materia, & vocis τὰ πάντα *omnia* restrictio), à luce manifestari (aliàs ipsa quoque, quia manifestata sunt (ut inferius arguit) lux essent, quæ maximè sunt tenebræ); sed ait à luce manifestari, ea esse ἐλεγχόμενα *reprehendenda, redargutione digna.* (ita ut vox ἐστι *esse*, subaudiri videatur) hoc est, lucem, seu animum hominis, à Christo illuminatum, liquido, & manifeste ostendere, ea esse reprehensione digna, & omnino reprehendenda. Ideoque tantum abest, ut Christiani eorum participes esse debeant; ut ea potius reprehendere teneantur, tanquam ἐλεγχόμενα *reprehendenda.*

Animam autem hominis Christiani esse lucem, quia est φωτιζόμενος, hoc est, *illustratus*, videlicet à Christo. Est autem illustratus à Christo, quia è somno vitiorum excitatus, resurgit à mortuis, hoc est, mortem afferentibus, aut merentibus operibus. Idcircò statim à doctrina, & Spiritu Christi illuminatur, & cælesti luce perfunditur: atque omni sapientia, & prudentia repletus; ipse quidem (ἀκριβῶς) exactè (περιπατεῖ) *ambulat*, & recta incedit: cætera autem omnia curva corrigit.

Vers. 14. Hinc Ephesios adhortatur Apostolus, ad vivendum cum summa cautione, & consilio, *omnia sapientissime prospiciendo, & accuratissime actiones suas instituendo*: non insipientium hominum more, qui cæcati voluptatibus, & obtenebrati cogitatione; curam bene vivendi rejiciunt in crastinum: se autem interea cæno vitiorum demergunt: & occasiones resipiscendi, præterfluere, imo effluere patiuntur: ignari ejusmodi tempora subsequi, quæ illos postea resipiscere, & corrigi vix patientur: aut etiam ejusmodi occasiones operæ Deo navandæ omittunt, quas postea nunquam possint assequi; Sed tanquam homines, futura sapientissimè, & prudentissime prospicientes: & mature omnibus incommodis occurrentes: & occasiones, præcipue à Deo oblatas ad piè, sancteque vivendum, aut aliquid præclari, ac Deo placentis efficiendum; avidissime rapientes, atque iis plane occurrentes, easque captantes, imò redimentes. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν. *Redimentes occasiones.* Quis enim scit, an Deus nobis talem ad corrigendam vitam, aut etiam ad aliquid præclari designandum occasionem oblaturus sit, qualem nunc voluntate sua paterna, & benefica offert? Nullum autem certiùs, & manifestius Dei voluntatis, aut beneplaciti vestigium, & pignus est, quam occasio alicujus insignis virtutis, aut actionis laudabilis exequendæ. Itaque, *Probare quid sit acceptum Domino, vers.* 10. *& intelligere, quæ sit voluntas Domini*, est imminere occasionibus actionum laudabilium, easque observare, & non omittere. Hæc enim præcipua, & capitalis est prudentiæ pars, ut Apostolus ait, *Redimere tempus & occurrere occasionibus.* quia dies mali sunt, hoc est, instant: quia occasiones à tergo calvæ sunt: ideoque omni diligentia captandæ, & redimendæ, quia irrevocabili cursu quævis opportunitas fugit.

Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Vers.

Verſ. 18. Ad ſeptimum ſpeciale præceptum pertinet, interdictum illius cupiditatis carnis, quæ in potus intemperantia cernitur. Quæ cupiditas illam ſolet habere eſcam, quod homines ſæpe hilari animo eſſe cupiant, quam hilaritatem per ebrietatem captant, & venantur. Reprehendit igitur hunc modum quærendæ hilaritatis, quia in ipſo eſt ἀσωτία, *intemperantia*, & nimius exceſſus: non modo ipſi rationi, rectoque ejus judicio; ſed etiam valetudini gravis, atque nocens. & in ejus locum (ſicuti ſupra in multis aliis, quæ damnavit, fecit) ſubſtituit alium legitimum, & honeſtum modum conſequendæ hilaritatis: *Implemini* inquit *in Spiritu*. Lætiſſimas ſpes, earumque firmam fiduciam animo concipite, & ſumite dignos vocatione veſtra Spiritus. (*Verſ.* 19.) Habetis enim quod gaudeatis: habetis & honeſtas ſpiritualis hujus gaudii exercendi, atque exprimendi rationes, *pſalmos*, & *hymnos & odas Spirituales*, quas non modo ore canendo; ſed etiam in corde tripudiando, in honorem Dei adhibere poſſitis. præſertim cum in omnibus habeatis graviſſimas beneficiorum Dei cauſas, quæ vos ſtimulant, (*verſ.* 20.) ut *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, in quo nobis Deus omnium maxima beneficia præſtitit, *Deo & Patri* lætiſſimo animo *gratias agatis*.

Verſ. 21. Octavum ſpeciale præceptum eſt, humilitatis, modeſtiæ, & obſequii mutui; quoties id ratio, & juſta cauſa requirit. Porro iſta ſubjectio extraordinaria dici poteſt, cui locus non ſemper; ſed tantum cum is recte monet, qui aliàs monendi partes, & auctoritatem ordinariam non habet. Quamvis ſubjectio iſta non ad ſola monita reſtringenda; ſed ad illam quoque caritatis ſpeciem porrigenda eſt, per quam nos accommodamus nobis invicem: per quam olim Apoſtolus omnia omnibus factus eſt: & quæ nos, non ea tantum, quæ noſtra ſunt, ſed quæ ſunt aliorum quoque, reſpicere efficit. Eſt enim hæc ſpecies ſubmiſſionis laudata, quando aliquis, cum liberius agere poſſit, tamen in gratiam ædificationis ſeſe genio, atque ingenio aliorum ſubmittit. Addit autem Apoſtolus ſubjectionem hanc eſſe debere, *in timore Dei*, quia timor Dei eam à nobis exigit. In Dei enim gratiam, cui ab omnibus ſubjectio debetur, ſubjicere nos debemus iis, quibus nos Deus ſive ordinarie, ſive extraordinarie ſubjectos vult.

Verſ. 22. Occaſione generalis, & extraordinariæ ſubjectionis præceptæ; tranſit ad tria ordinariarum ſubjectionum genera. Ac primum ad ſubjectionem matrimonii accedit. Præcipit igitur, ut uxores ſubjectæ ſint viris, quemadmodum Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto. quem hic Dominum vocat, ut iſtius ipſius, de qua loquitur, ſubjectionis vim exprimat. Ut enim famuli, & miniſtri Dominis ſuis ſubeſſe, eoſque, tanquam beneficiis eorum obſtricti, imo & poteſtati ſubjecti, revereri, ac timere debent (vide infra *verſ. ultimum capitis* præſentis); Ita uxores maritos ſuos, Saræ exemplo Dominos vocare (1. *Pet.* III. 6.) iiſque morem gerere debent.

Reddit autem *verſ.* 23. rationem hujus ſubjectionis, quia quemadmodum *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ*, & ſervator ejus, tanquam proprii corporis; ita *maritus eſt caput uxoris*, & cui cordi, atque curæ ſint omnes uxoris ſuæ neceſſitates: non minus atque caput ſollicitum eſt, ut corpori ſuo bene ſit. vide infra *verſ.* 28. 29.

Ideoque concludit *verſ.* 24. Quemadmodum Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto (ſponſa ejus dilecta); ita uxores maritis ſuis ſubjectas eſſe debere.

Ex adverſo (*verſ.* 25.) viris viciſſim præcipit, ut *diligant uxores ſuas*, *quemadmodum Chriſtus dilexit Eccleſiam*. dilexit autem adeò, *ut ſe ipſum traderet pro illâ*, puta in mortem atrociſſimam. Atque hic ut melius poneret ob oculos maritis eorum officium, excurrit in cauſas mortis Chriſti finales, quatenus eædem ſunt, effectus, & fructus ejus in populum Chriſti redundantes.

Dicit igitur *verſ.* 26. Chriſtum ſe ipſum *tradidiſſe pro Eccleſia, ut ipſam ſanctificaret ablutione aquæ in ſermone*. Verba *tradidiſſe ſe ipſum pro Eccleſia*, non ad ipſum ultimum mortis actum reſtringenda; ſed paulo latius porrigenda ſunt, ita ut præter ipſam mortem etiam periculum mortis ſignificent. Tàm enim is ſeſe pro aliquo tradere dici poteſt, qui periculum mortis, quàm qui mortem ipſam ſuſcepit. Chriſtus autem prædicando ſuam doctrinam, per quam homines non minùs à vitiis, & peccatis ſuis purificabantur, & abluebantur, quam corpora lavacro aquæ à ſordibus ſuis abluuntur; conjecit ſe in præſentiſſimum mortis periculum, quod tandem nec evaſit.

Verſ. 27. Quanquam idem ipſum, quod ſuprà aſſeruit, explicare dici poſſit Apoſtolus. (Poſtulat enim prædicatio, & Doctrina Chriſti, ut ii, quibus prædicatur, & traditur, ſint ſine omni macula, & irreprehenſibiles); tamen quia mors Chriſti peculiarem vim habet, & longe majorem, ut homines tantò ſanctiores efficiat, quam nuda prædicatio, & doctrina; præſtat ut his verbis fructus mortis Chriſti deſignari intelligantur, redundantes in Eccleſiam, in qua omnes, & ſinguli ex conſideratione tanti beneficii Dei, & Chriſti, quod in morte hujus in nos collatum eſt, maximum incrementum, & confirmationem fidei ſuæ capiunt; ut ſit plane viva, & operibus, ac fructibus perfectioris ſanctimoniæ animata.

Verſ. 28. Reddit alterum partem ſimilitudinis, dicens, ita debere maritos diligere uxores ſuas, ut Chriſtus dilexit Eccleſiam, qui fuit σωτὴρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, *ſervator corporis ejus*, (*verſ.* 23.) nec veritus eſt ſuſcipere pericula propter ipſam. Quemadmodum enim Chriſtus id fecit ideo, quod caput eſſet hujus corporis, & idcirco naturali quodam (ut humano more loquar) amore ejus flagraret; ita propter eandem cauſam mariti ſimili caritate uxores ſuas proſequi debent, quia ipſi quoque ſunt capita corporum ſuorum, quæ odiſſe nullo modo queunt: & quicquid ipſis amoris, & dilectionis præſtant ſibimet præſtant, cum ſint unius cùm ipſis corporis vinculo conjuncti. *Verſ.* 29. Propter iſtam igitur tàm arctam conjunctionem, & vinculum, nullus, qui caput ſit alicujus corporis, omittere, aut negligere poteſt curam ejus, & officia erga ipſum; ſed ſinguli ſua corpora alunt, & fovent, & ab omnibus incommodis tuta, & libera reddunt, quemadmodum & Chriſtus affectus eſt erga Eccleſiam ſuam. Ubi ſtatim *verſ.* 30., & 31. excurrit Apoſtolus obiter in conſideratione arctiſſimi nexus, & conjunctionis inter Chriſtum, & Eccleſiam, & ait *verſ.* 30. nos eſſe *membra Chriſti*, item nos eſſe *carnem ex carne, os ex oſſibus ejus*. quo nullus arctior nexus cogitari poteſt. atque inde exurgit ingens ſolatium, & fiducia erga Chriſtum.

Porro *verſ.* 31. (ut *verſ.* 32. ſtatim confitetur) revelat nobis Apoſtolus non vulgare myſterium, cur Deus ſtatim ab initio mundi tàm arctum inter conjuges nexum, & conjunctionem eſſe voluerit, ut agnatis, & cognatis omnibus relictis, utrinque inter ſe conglutinarentur, & quaſi in idem corpus coaleſcerent. Quia nimirum matrimonium iſtud inter homines corporale; Spiritualis inter Chriſtum, & Eccleſiam typum, ac figuram eſſe voluit: ut poſteriora ſecula ex vulgari, & uſitato conjunctionis exemplo, tantò facilius diſcere poſſent, quàm ſtricta ſit iſta

sit ista copula, qua Christus sponsæ suæ debuit conjungi. Cæterum quia quædam ex iis, quæ futurorum typi, ac figuræ sunt, adventu eorum, quorum typi, & figuræ fuerunt, cessare solent, ne quis putaret, quia Spiritualis matrimonii tempus jam advenisset, nexum illum corporalis matrimonii jam abolitum; Subjungit *vers.* ultimi verba. Quamvis verba *vers.* 31. citata, conjunctionem illam inter Christum, & totam Ecclesiam spiritualem etiam designent; tamen ab eorum sensu, & significatione, ne illam quidem matrimonii corporalis (quæ spiritualis typica fuit) conjunctionem excludi. Sed quemadmodum Christus totam Ecclesiam dilexit, ita singuli in Ecclesia mariti uxores suas non minus, quam se ipsos diligere: uxores autem vicissim, maritos suos revereri debent. quæ reverentia mutuam uxorum erga maritos dilectionem non excludit, cum in illa arcta unius corporis conjunctione includatur; sed ratione potestatis inæqualitatem quandam inter diversum sexum ostendit, cum maritus dilectioni erga uxorem suam timorem, aut reverentiam addere, nec teneatur, nec debeat: Uxor autem propter subjectionem marito debitam, affectum hunc dilectioni in maritum suæ addere teneatur.

Notandum autem hic venit obiter, typos, & figuras rerum in Sacris literis duplices deprehendi. aliæ enim ilico post adventum rerum, quarum figuræ fuerunt, cessant, & abolentur. quemadmodum sacrificia victimarum corporalium, & fere omnes umbræ Legis, quæ spirituale quid adumbrabant, quæ possunt dici figuræ, aut typi transeuntes. aliæ suo quoque alio præter figurationem usu non carebant. ideò adventu suorum antityporum non abolentur; sed permanent: ac possunt dici *typi, & figuræ permanentes.* inter quæ est matrimonii corporalis conjunctio, quæ per adventum spiritualis matrimonii non tollitur. Præterea illa hominis in orbe condito præ aliis, quæ cum ipso creata sunt, exaltatio; figura exaltationis Christi dicitur: nec tamen per eam sublata est.

CAPUT VI.

ALterum ordinariæ subjectionis genus est inter parentes, & liberos. Hortatur igitur liberos, ut parentibus obsequantur: sumpta ratione (*vers.* 1.) à naturali æquitate, quæ ita omnibus manifesta est, ut ubique gentium recepta sit. Justum enim est obtemperare parentibus, in quorum potestate sunt liberi. Secundum, Quorum beneficiis non possunt esse nisi semper obstricti. Tertium, quia natura sua, atque ipso rerum usu quin sapientiores sint, vix fieri potest. Alterum rationis genus (*vers.* 2.) sumit à divino præcepto. Pars enim honoris est obsequium: & inobedientiâ contumaciâque honos violatur. Quamvis autem omnia divina præcepta observanda sint; tamen promptius iis morem gerimus, quibus aliqua promissionis illecebra adjuncta est. Dicit igitur *primum istud præceptum, in promissione.* quam statim exprimit *vers.* 3. *Ut tibi bene sit, & sis longævus in terra.* Non caret autem mysterio, aut certe gravi causa, cur sapientissimus Deus, ut obedientibus præcepto huic manifestam promissionem; ita immorigeris tacitam comminationem, & quidem ejus generis assignaverit. Nulla enim re liberi magis ad contemptum parentum incitantur, quam quod ipsos per ætatem cito morituros, suaque bona liberis relicturos verisimile sit. Cæterum hanc liberorum improbitatem Deus frequentissime punit, eos ante diem superstitibus parentibus rapiendo, ne impietatis exemplum serpat ad plures: & ut frænum non desit exertæ juvenum insolentiæ, quæ naturæ ipsius jura interdum calcare audet. Est autem hoc promissum, ut & comminatio, ex eorum numero, quæ raro fallunt. ut ex eo quoque divinam gubernationem, & providentiam suis vestigiis odorari, & assequi non difficile sit.

Vers. 4. Patrum postea officium mutuum proponit, ne occasionem hujus impietatis liberis suis præbeant: imo vero omnem ad eam aditum præcludant. Nulla autem re facilius huic impietati occasio præbetur, quàm si *patres ad iram filios provocent.* qui affectus cæcus, & præceps, ac violentus est: &, quoties erumpit; etiam sanctissima interdum vincula abrumpere potest. Aditus autem ad eam præcluditur per sobriam educationem: in *disciplina* delicatæ, & nimiæ indulgentiæ experte: & in frequente (παιδείᾳ κυρίου) *admonitione Domini*, hoc est, admonitione præcepta, & reverentiam Domini ob oculos ponente: aut qualem Dominus fieri poscit.

Tertium ordinariæ subjectionis genus inter Dominos, & servos aggreditur *vers.* 5. Ubi servis primum imperantur officia erga Dominos secundum carnem, quia secundum spiritum omnes liberi sunt. Imperatur igitur ipsis obsequium (ὑπακούειν *obedire*): & quidem reverens, ac demissum cum timore, ac tremore, hoc est, *anxium, sollicitum, diligens.* qualis cura quoque in salutis negotio Christianis imperatur, hoc est, cura seria, & intenta; non aliud agens, aut perfunctiora. *In synceritate cordis vestri*, ut id, quod curatur, cordi quoque sit, hoc est, ut non negligenter Dominorum negotia tractemus; sed id, quod procuramus, valde velimus, & omnem in eo lapidem moveamus. Breviter, ex synceritate cordis inservire, ac ministrare Dominis, eorumque negotia procurare imperat Apostolus, qua synceritate, quo studio, & animi ardore Christi ipsius negotia procuramus. *Non ad oculum servientes, tanquam ii, qui hominibus tantum placere cupiunt; sed ut servi Christi.* qui non hominum; sed ipsius Dei, Christique oculis actiones suas approbatas esse volunt. *ut qui faciunt voluntatem Dei ex animo, cum benevolentia*, & animo erga Dominos propenso ipsis servientes, *tanquam ipsi Deo, non autem hominibus servirent. Scientes quod quicquid unusquisque fecerit boni* (quale est cum quis debitum Domino suo obsequium præstat) illius mercedem *ab ipso Deo Christoque referet, sive sit servus, sive liber.*

Vers. 9. Mutua deinde Dominorum erga servos officia imperat, jubetque eadem in eos animi synceritate uti, quam servis erga Dominos præceperat. Imprimas *minas remittere*, & benigne cum iis agere, ac nullam omnino ipsis injuriam inferre: addita ratione, quia *& ipsi Dominum in cœlis habeant*, qui in ipsorum delicta animadvertere possit. *apud quem nulla est personarum acceptio*, & qui Dominorum præ servis eminentiam nihil moretur, & nihili faciat.

Concludit postea omnia ista specialia præcepta generali monito, & consilio *vers.* 10. *Quod reliquum est fratres mei*, inquit, *confortamini in Domino, & in robore virium ejus.* Ubi est tacita commonefactio, ne multum suis viribus tribuant, neve sint securi, & negligentes; sed in timore, ac tremore procurent salutis suæ negotium: in eoque omnem curam, & operam suam impendant (*vers.* 11.), ut adversus supernaturales hostes, qualis est Satanas, supernaturalia quoque arma, *arma Dei*, πανοπλίαν τοῦ θεοῦ induant, ut possint resistere *versutiis Diaboli.* (*vers.* 12. Neque enim *ipsis pugnam esse cum* hominibus infirmis, cum *carne, & sanguine*, quales sunt ipsi; *sed cum principatibus, potestatibus, cum mundi totius gubernatoribus, tenebrarum ævi hujus*, hoc est, cum guber-

gubernatoribus mundi hujus, illo ſeculo cæca errorum caligine obtenebrati, denique *cum ſpiritualibus nequitiis in cæleſtibus.*

Notandum eſt autem, Satanæ regnum à Spiritu Sancto deſcribi frequentiſſimè poſita ob oculos noſtros non vulgari ejus excellentia, nobilitate, potentia. Sine dubio ne à nobis contemnatur & pravi fiat, ſed ut tanto cautiores, & inſtructiores adverſus illis reddamur: & vires, quas contra hunc hoſtem natura imbecilles habemus; cælitùs, & à Deo mutuemur. Unde apparet hoſtem iſtum, ut non ſpernendum; ita contumeliis non afficiendum, & in pugna, atque certamine adverſus eum, non iracundia, ſed ratione, & conſilio utendum. Nam quoties nos ad iram immoderatiorem impulit; toties nos jam vicit, & rationem noſtram ſede ſua dimovit. At cum contra eum ad opem cæleſtem recurrimus; ille quidem Dei ope facile vinci poteſt: nos autem abſque animi modeſtia, atque humilitate preces fundere non poſſumus, cum quibus iræ, ac tumor animi non bene convenit. Non igitur Satanæ iraſcendum; ſed reſiſtendum eſt, & invocatâ quidem cælitus ope. Nec vindicta adverſus eum animo concipienda, qualem adverſus homines, iram noſtram provocantes, concipimus. quod ridiculum eſt, quia vana, & explodenda eſt ſine viribus ira. Sed firmiter tenendum eſt, nullam acriorem, ac decentiorem adverſus Satanam ultionem excogitari poſſe, quam animum tranquillum, & irritationibus ejus immotum. Tunc enim maxime vincitur, & malitiæ ſuæ pœnas luit, cum nos fruſtra, & irrita opera παροξύζει *irritat*: & noſtram quietem, ac ſecuritatem, & bonæ conſcientiæ gaudium turbare non poteſt. Hæc ignominia ipſi longe moleſtior eſt, quam nobis forte negotium, quod ab illo interdum faceſſitur. Quia vero is eſt mille artifex, & nos non uno modo tentat, atque aggreditur; ideò adverſus omne impetitionis ejus genus, adverſus omnes ictus undique armandi ſumus. Quam *armaturam* Apoſtolus *Dei* πανοπλίαν *&* θεοῦ vocat.

Verſ. 13. *Diem malam* vocat; diem tentationis. eodem fortaſſe ſenſu, quo ſupra *Cap.* v. 16. redimi tempus jubet, *quia dies mali ſint*, hoc eſt, tentationum pleni.

Et omnibus confectis ſtare. Non ſuccumbere oneri, aut tentationi, ſed in veſtigio ſtare, & parta victoria hoſtem loco movere.

Porro juxta diverſitatem armorum, quæ hic proponuntur, & quaſi ictibus Satanæ opponuntur; obſervare licet diverſos tentationum modos, quibus nos Satan aggreditur.

Primo, Ante omnia, quia vafer, & aſtutus, & in pugna cum ipſo, non tam viribus, quam arte, & ratione certandum eſt. omni impoſturæ genere nos circumvenire, ac decipere contendit, atque in eo nullum artificii genus negligit. Adverſus iſta ſtratagemata animus vera divinarum rerum notitia inſtruendus, & quantum fieri poteſt, ab omnium errorum fæcibus, pura, & defæcata rerum cognitione armandus eſt, hoc eſt, ſpirituali ſapientia, & prudentia. atque hic eſt baltheus veritatis Chriſtianæ militiæ inſigne, & cultus noſtri rationabilis teſſera *verſ.* 14.

Secundo, Ad deceptionem mentis noſtræ adjungit Satanas ineſcationem voluntatis, aut cupiditatis noſtræ, amore alicujus peccati: ſive ſit iſta cupiditas carnis, ſive oculorum, ſive faſtus vitæ. per iſtas enim vias amor peccati intrat vitalia pectoris, & cordis noſtri, & diverſa injuſtitiæ, ſeu delictorum genera in nobis procreat. Puto enim vocem *juſtitiæ* hoc loco ſignificare omnis generis pietatem, hoc eſt, animum ab omni peccatorum labe purum, & bonæ conſcientiæ gaudio ſubnixum. Proinde vitalia cordis, & pectoris noſtri adverſus iſtud tentationis genus muniendæ, & armanda ſunt.

——hic murus ahenus eſto
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Atque hic eſt *thorax juſtitiæ verſ.* 14.

Tertium tentationum Satanæ genus eſt, perſecutiones cujuſque Chriſtiani in patria ſua. ita ut ſæpe homines videntes fixam, & ſtabilem in patria quiſque ſua ſedem ſe habere non poſſe, niſi veritatem, & Chriſtianiſmum deſerant; huic tentationi ſuccumbant. Jubet igitur Apoſtolus, ut homines, exemplo Abrahami quondam juſſu Dei patriam, & amicos deſerentis; parati ſint patriam deſerere propter Evangelium pacis. Et quia ejuſmodi exilia, & locorum mutationes pedum officium requirunt; arma iſti ictui oppoſita vocat *ocreas* ὑποδήματα τοῦ εὐαγγελίου, *aut indutionem pedum in præparatione Evangelii pacis.*

Quamvis autem alibi vox *pacis* Evangelio adjuncta, ſignificare poſſet omne genus felicitatis, quam hominibus Evangelium offert, & affert; tamen hoc loco nihil impedit quo minus hæc vox proprie, ut ſonat, ſumatur pro pace carnali. quæ ab iis, qui Evangelii gratia ſolum vertere coguntur, quæritur. Ipſe enim Dominus nos ejuſmodi pacem ſectari docuit, ſi forte alicubi perſecutionem patiamur, jubens ut ſolum vertamus, & alió nos conferamus. Itaque *Evangelium pacis* hoc loco ſignificat pacificam Evangelii profeſſionem. Maxima autem virtus iſta eſt, & remedium adverſus ictus Satanæ non vulgare, eſſe paratum ad omnes caſus, etiamſi Evangelii cauſa exilium, & per ſynecdochen reliqua perſecutionum genera toleranda ſint.

Quartum genus ictuum, & tentationum Satanæ periculoſiſſimum, & frequentiſſimum *verſ.* 16. commemorat: ideoque arma adverſus iſtos ictus præ ceteris, & ante omnia commendat tanquam majori cura dignum, & tanto diligentius comparandum telum, & remedium. Tentationes autem iſtæ ſunt injectiones dubiorum, & ſcrupulorum fidem noſtram ſubruentium, ſive reſurrectionis poſſibilitas, ſive Chriſtianæ religionis veritas, aut promiſſorum ejus certitudo in dubium vocetur, aut falſi arguatur.

Vocat autem iſta *tela ignita*, quia ſunt maximè omnium noxia, & periculoſa. Ideoque maxima cura, & contentione extinguenda.

Adverſus iſta muniendum eſſe animum innuit, exemptione plenaria omnium iſtiuſmodi dubiorum ex animis noſtris, ne quid eorum uſquam in mentibus noſtris hæreat; ſed omnes iſtiuſmodi ſcrupulorum fibras ex animis noſtris ſtirpitùs magna cura, & diligentia evellamus. Atque hic eſt *clypeus fidei*, ante omnia arripiendus, qui poſſit injectas iſtas, & miſſiles Satanæ faces extinguere.

Quintum genus ictuum Satanæ, conſoporatio quædam, & ſtupor, atque oblivio mentis noſtræ, quæ efficit, ut dignitatis, ſtatus, & vocationis noſtræ non meminerimus: & promiſſa Dei, imprimis ſalus, ac felicitas nobis deſtinata oculis noſtris nunquam, aut raro obverſentur. quod fieri plerumque ſolet objectis aliis curis, & occupationibus: maximè autem hujus vitæ bonis, atque ad eam pertinentibus votis, ac deſideriis. Eſt autem hoc præcipuum religionis Chriſtianæ bonum, atque officium, promiſſorum Dei aſſidua meditatio, æternæ vitæ guſtus, deſiderium, certa ſpes, atque ardens expectatio. Ideó caput iſtud religionis noſtræ *galea* ſua armandum putavit Apoſtolus; quæ nihil aliud eſt, quam ſpes, & expectatio tanti boni, & aſſidua revocatio in memoriam, tàm efficacis ſtimuli, quo perpetuo excitari poſſimus ad alacerrimum, & conſtantiſſimum in ſalutis noſtræ curriculo impetum, & boni operis perſeverantiam.

Sextum genus ictuum Satanæ est, huic vicinum, aut fortasse hujus quoque superioris causa videri potest. atque is est neglectus lectionis Sacræ Scripturæ, quæ nobis status nostri dignitatem, officia, promissa Dei, eorumque in capitis nostri exaltatione certitudinem perpetuo in memoriam revocat, inculcat, & ob oculos ponit.

Sed præterea nobis varia arma ad alias quoque omnes tentationes vincendas suppeditat, quas hic commemorat Apostolus. nam & veritatem purissimam accuratissimè docet: & peccatorum abominationem, virtutumque omnium, & justitiæ amorem inserit: & constantiam adversus persecutiones suppeditat: & imprimis ignita Satanæ missilia extinguit, hoc est, ductos clanculùm ad subruendam fidem nostram cuniculos aperit, & irritos reddit, ut supra ostendimus: Salutis nostræ evidentiam, ac certitudinem perpetuo oculis nostris ingerit. ut horum armorum remedium sit omnium ab Apostolo recensitorum potissimum. Cætera enim arma efficiunt tantùm, ut à certo quodam ictuum, ac vulnerum Satanæ genere tuti simus. At hoc armorum genus, hoc est, *gladius spiritualis verbi Dei*; non modo cætera omnia arma protegit, & ut nos bona fide protegant efficit; sed etiam ipsum Satanam ferit, & in fugam conjicit. Merito igitur gladius Spiritualis ab Apostolo dicitur, & verbum Dei. nam & Spiritus ille Dei, arrhabo felicitatis nostræ, Sacra Scripturæ auditione, ac lectione mirum in modum fovetur, excitatur, crescit, & augetur: & verbum Dei semen est incorruptibile, ex quo & ipsi nascimur, & alios generamus, aut regeneramus. Ad profligandum vero Satanam in tentationibus quantum habeat virium, congressus Christi cum Satana ostendit. Quo magis mirandum est, quod tanta cæcitas principes orbis Ecclesias occupaverit, ut hunc verbi gladium, potissimum armorum contra Satanam genus, ex manibus hominum extorqueant. Nam quod auditum tamen concionum, ex quibusdam Sacræ Scripturæ particulis depromptarum, plebi reliquunt, quam jejunum sit; facile omnes videre possunt, qui & paucitatem, & pravum delectum locorum in concionibus explicandorum, & ipsarum concionum profanum modum consideraverint.

Septimum genus ictuum Satanæ est frequentissimum, & quotidianum; securitas, & oscitantia, per quam homines salutis suæ non admodum avidos, & incuriosos, ac negligentes: imprimis autem ad preces, & orandum, atque implorandum opem cælestem ineptos, atque indociles, reddit. Quemadmodum in terrenis bellis nullum è stratagematibus ad profligandum hostem est efficacius, quam si quo artificio circumventus, negligens nimis securus reddatur; ita in spiritualibus hic est capitalis Satanæ actus, quo circumvenimur. Novit enim probe, si cælitùs petitam opem evocemus, sibi nos in certamine non impares fore. Proinde ne eam imploremus, ut vincere possit, omnem movet lapidem.

Adversus hanc tentationem, aut majus, aut certe par superiori, remedium Apostolus exhibet, assiduas precum excubias *vers.* 18. *Per omne*, inquit, *petitionis & precationis genus, orantes in omni tempore in Spiritu, & in hoc ipsum vigilantes, in omni instantia, & petitione pro omnibus sanctis.*

Multa sunt precationis genera, longiora, breviora, ordinaria, extraordinaria, ejaculationes animi, ac suspiria. Nec omni tempore omne genus orationis adhiberi potest: & tamen omni tempore adhibendum est tale, quale adhiberi potest. Præterea sunt preces pro nobis ipsis, sunt intercessiones pro aliis: sed & pro nobismet obtinendæ interpositiones non sunt negligendæ. Debemus enim hoc officium mutuò. Ideo si illud aliis præstandum est; cur non ab aliis quoque petendum, atque implorandum sit? Addit Apostolus *in Spiritu*, Et Judas in *Spiritu Sancto precantes.* Non igitur precularum demurmuratio hic intelligitur; sed Spiritus pro nobis intercedens gemitibus inenarrabilibus.

Notandum autem *vers.* 19. & 20. præcipue pro iis orandum, qui gloriæ Dei, atque Ecclesiæ plus prodesse possunt. Cum enim Deum, ejusque Christum super omnia, supra nosmetipsos diligere teneamur, & in oratione Dominica primo loco, & ante proprias necessitates nostras commendatam nobis habeamus curam gloriæ Dei, sanctificationem nominis ejus, adventus, & obsequii regni ejus exoptationem; in omnibus quoque precibus nostris, quemadmodum & in mentibus, atque votis, præcedere debent preces, atque vota pro gloriæ ac regni Dei propagatione concepta. Nunquam igitur hic Christiano deesse potest precum materia, occasio, & stimulus. Semper enim aut nos ipsi, aut proximi, aut ipsius Dei inter nos celebranda gloria divinitùs implorandâ ope indiget. Ideo perpetuo precibus invigilandum est.

Notanda autem est vox προσκαρτέρησις *perseverantiæ* in precum negotio. Nam si quæ res alia, hæc profectò est, quæ constantia, & perseverantiâ indiget. Nec enim semper statim Deus preces, ac vota nostra exaudit; sed diu multumque invocari postulat, ne beneficium, quod petitur, sine infixo memoriæ nostræ (qui recordationem subinde excitet) aculeo transeat. Præterea non una, atque altera res petenda est; sed perpetuo nova seges rerum impetratu necessariarum exurgit. ita ut otium nobis non sit quiescendi, ac desistendi à precibus, novis subinde urgentibus stimulis, ac necessitatibus.

Denique Satanas omnium maxime hoc armorum nostrorum genus oppugnat, variis artibus efficiens, ne preces nostræ tales sint quales esse debent, hoc est, ne sint *in Spiritu.* Ergo miris modis mentem nostram distrahit, & occupat, & variis impedimentis turbat, ne tunc, cum precatur, hoc agant. Sæpe tunc maximè necessarias, aliquando & pulchritudine, & amœnitate sua illecebrosas curas, & cogitationes suggerit. quæ antequam ex animo expellantur; sæpè multùm temporis elabitur. ita ut, nisi quis in precandi studio diu, multùmque, & constanter duret; præcipuo precum in Spiritu factarum fructu fraudetur.

Vers. 19. 20. *Parresiam, & apertionem oris*, hoc est, Libertatem, aut libere de veritate loquendi facultatem, præsertim in persecutionibus; quisque & sibi optare, ac precibus impetrare, & aliis quoque à Deo petere debet. Huc illud Christi promissum pertinet, quo promisit in persecutionibus se daturum esse suis *Os, cui nemo Persecutorum possit resistere.*

FINIS.

IN EPI-

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

Adeo à Monarchico ſtatu aliena erat primæva Eccleſia, ut ne ariſtocratico quidem regeretur, quamvis officiorum, ac functionum quarundam ſubordinationes propter docendi populi utilitatem, ac neceſſitatem admitteret. Hinc epiſtolæ ab Apoſtolis ad omnes promiſcue fratres ſcribuntur, atque ut ex hoc loco patet, non magis ad Epiſcopos, & Diaconos (vox Diaconorum videtur hic generalius ſumi pro omnibus Epiſcoporum, etiam in docendo, non modo in diſpenſandis eleemoſynis adminiſtris) quàm ad promiſcuos, & gregarios fratres. Vocantur autem omnes *ſancti*, Nondum introducto inter laicos, & clericos diſcrimine. Quod tamen ſi cuipiam mordicùs retinendum placeat; expreſſe ait hic ſe ſcribere laicis, non excluſis clericis.

Verſ. 3. Quo gratius accipiantur monita, ac præcepta apoſtolica; à laudibus ipſorum incipit epiſtolam: laudes vero iſtas à laude Dei, & gratiarum actione. *Habeo*, inquit, *quod gratias agam Deo in omni mentione veſtri* (*verſ.* 4.) *ſemper enim in omni oratione, pro omnibus vobis* (neminem excipit) *libenter preces fundere non obliviſcor.* quod (*verſ.* 5.) in recepta Evangelii doctrina, quæ nihil aliud eſt quam commune inter nos caritatis vinculum, (κοινωνία ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον, *quaſi communicatio veſtra nobiſcum in doctrina Evangelii*) *conſtanter perſeveratis uſque ad finem.* Conſtantiam pietatis, ac religionis eorum deſignat per verba *A prima die uſque ad nunc.*

Verſ. 6. Porro blando admonitionis, ac præcipiendi genere ipſos, ad perſeverandum in eadem conſtantia hortatur: *firmam ſpem*, ac fiduciam ſe habere affirmans, *illos uſque ad finem perſeveraturos*, ſeu in eadem conſtantia permanſuros. quod exprimit per verba, *Perſuaſum habens hoc ipſum.* Adnectit cauſam hujus ſpei ſuæ, ac fiduciæ, quia videat eos jam obſecutos Deo, incipienti in ipſis *bonum opus.* proinde ſe non dubitare, quin ulterius quoque eidem obſecuturi ſint uſque *ad diem Chriſti*, hoc eſt, uſque ad diem illum, quo Jeſus Chriſtus remunerabitur iſtud obſequium, reddet unicuique ſecundum opera ejus, ad extremum judicium, quaſi uſque ad finem.

Notandum autem eſt, nihil eſſe in nobis boni operis, quod non Deo tribuendum ſit, qui conſcientiam noſtram ſanctis ſubinde cogitationibus vellicat: excitat: occaſiones bonarum actionum nobis ſuppeditat: ad eas arripiendas impellit: occaſiones fugiendi mali à longè oſtendit: objectas difficultates amovet: fidem, ac ſpem noſtram alit, & auget: & bonæ conſcientiæ ſolatio vegetat: amorem ſui novis identidem beneficiis provocat: vitæ immortalis deſiderium accendit: expectationem confirmat.

Eſt Deus in nobis agitante calleſcimus illo.

Hinc ex bonis operibus noſtris omnis laus, & gloria in Deum redundat. Hinc nihil habemus, quo efferri, quo ſuperbire, aut nobis nimium placere poſſimus. Quicquid boni gerimus, ſi quod à nobis virtutis, aut boni operis ſpecimen editur, totum id auctori Deo, cujus non modo auſpiciis militamus, ſed inſtinctu, ac ſpiritu ducimur, atque impellimur ac regimur; acceptum ferendum eſt. Sola nobis obſequii gloria, nec ea ipſa tota relicta eſt. Multis enim diſcriminibus hæc ipſa parendi, ut ita dicam, obſtinatio periclitatur. Per ſalebras, & præcipitia nuſquam ſatis tuto veſtigio hic incedendum eſt: ſeditionibus cupiditatum, & tot rebellium affectuum monſtris; iter hoc obſidetur, quod ad ſalutem ducit. Etiam, ubi maxime nos tutos eſſe arbitramur; nuſquam licet eſſe ſecuris. Levi in ſpeciem offenſa, aut alienatione nos ille ſacer inſtinctus deſerit, ſine quo cæleſte negotium friget. Ergo jugiter vigilandum eſt, & aſſiduis precibus, nec intermiſſa contentione incidentia ſorte pietatis damna reparanda. Cui certamini abſque ope cæleſti nulla humana induſtria ſufficit. Nec eſt tamen quod nos infirmæ vires terreant. Omnia enim poſſumus *In eo, qui corroborat nos Chriſto*; cujus potentia in infirmitate noſtra perficitur. Non igitur unquam tentationum magnitudine, aut objectarum difficultatum mole vires noſtræ obruantur. nec enim noſtri certaminis præſes patitur nobis ſupra vires negotium objici. Turpi, & flagitioſa fugâ ultrò ipſi ſæpe ſtationes deſerimus: nec virtute, aut potentia hoſtium; ſed culpa, & ignavia noſtrâ debellamur: & quos in triumpho ducere potuimus; iis plerumque victoriam tradimus. *Dies Jeſu Chriſti* quid ſit, ſuperius vidimus *verſ.* 6. & infrà oſtenditur *verſ.* 10. & *cap.* 11. 16.

Verſ. 7. Rationem ſubdit, cur ita de eorum conſtantia ſentiat, quia æquum ſit, ut ita de ipſis ſit perſuatus, qui ipſos vehementer diligat, ac in corde perpetuò habeat, eo quod in ejus vinculis, & defenſione apud Cæſarem, per quam confirmabatur Evangelium (NB. afflictiones dici *Confirmationem Evangelii*) *erant comparticipes gratiæ omnes.* (NB.) *Communicantes* piis in perſecutionibus, ope, ſolatio, auxilio; dici, & eſſe comparticipes gratiæ, & gloriæ ipſorum: ac proinde & præmii fore.

Verſ. 8. Amantes eorum, quos diligunt, magno teneri deſiderio conſtat. *Viſcera Jeſu Chriſti*, vocat tenerrimum, & intimum dilectionis affectum.

Verſ. 9. Non modo bene ſperare ſe de eorum conſtantia ait; ſed orare etiam ut *caritas* ipſorum (videtur hoc loco vocem *caritas* generaliter ſumere pro tota pietate: ſeu pro illa caritate, per quam fides eſt efficax) *magis magiſque ſubinde abundet*. Cujus incrementum; vulgo cognitionis rerum divinarum, & cæleſtis ſapientiæ incrementum afferre ſolet: & rurſus profectus in rerum divinarum notitia; profectum in pietate auget. Iſta enim mutuo ſunt ſibi cauſæ. (*Verſ.* 10.) Quo quiſque enim meliùs dijudicat *differentia*; eo eſt in pietate perfectior, & ab omni lapſu tutior: *ſine offenſione*, eoque conſtantius uſque ad finem perſeverare ſolet: (*verſ.* 11.) & impleri fructibus juſtitiæ illius perfectiſſimæ, quam Chriſtus docuit, & in exemplo ſuo exhibuit. Unde poſtea (quia totum iſtud opus Deus in hominibus incipit, ac Deus perficit) laus, & gloria Dei maxima exuberat.

Verſ. 12. Abſoluto proœmio, ad concitandam eorum benevolentiam apto; magni ſolatii gaudio ipſos perfundere pergit, nuncians afflictiones ſuas in majorem ſubinde Evangelii propagationem, & progreſſum evadere. Quia cauſæ ejus (*verſ.* 13.) ob quam in vinculâ conjectus erat, æquitas, ac decus, juſtitia, & evidentia non modo in tota aula cæſarea; ſed apud reliquos omnes nota, & celebris facta, & divulgata eſt. ita (*verſ.* 14.) ut plerique fratrum, qui veritati huic evulgatæ crediderunt; exemplo Apoſtoli, in vinculis ſuis eam animoſe, & glorioſe prædicantis, incitati, & confirmati, tanto animoſius, & ſine omni metu Evangelium prædicare audeant.

Verſ. 14. *Confidentes in vinculis meis.* Cum enim viderent vinculis, & captivitate Apoſtoli non modo non ſuppreſſam, ſed latius propagatam Evangelii prædicationem, præterea vincula iſta ipſi Apoſtolo non modo nihil nocuiſſe, ſed etiam multum profuiſſe ad incrementum tàm Evangelii, quàm ipſius proprii ſolatii, & emolumenti; eo majori ſpe ſumebant animos, ac ſpiritus ab ejus exemplo, minime formidantes malum iſtud, quod non eſſe adeo metuendum Apoſtolus tam proſpero captivitatis ſuæ ſucceſſu oſtenderat.

Verſ. 15. Diſtinguit Apoſtolus eos, qui ex occaſione vinculorum ejus animum ad prædicandum Evangelium appulerunt: aitque alios id feciſſe ex invidia, & odio; alios ex amore erga ſe. Eos, quidem ex invidia, id feciſſe eo fine, quod putarent ſeſe per incrementum auctoritatis ſuæ, quam prædicando apud neophytas Eccleſias augebant (quam fortaſſe Apoſtolus, quia multorum errorum patroni eſſent, in Eccleſiis antea plantatis deprimebat); Pauli captivitati, & afflictioni dolorem, & afflictionem addituros. Ac de iſtis quidem pronunciat Apoſtolus, eos *non purè* Chriſtum prædicaſſe. in quo non tàm pravum eorum animum, quem infra voce **ἀγνῶς**, *in ſpeciem*, exprimit, quàm ipſam prædicationem impuram, & aliquibus erroribus contaminatam, tangere videtur. Quomodo enim homines tam pravi, qui cum Apoſtolo, non ſine maxima ſua culpa, imo dementia, ſimultates exercere auderent; non admiſcuiſſent prædicationi ſuæ prava dogmata, & errores, quorum cauſa ſine dubio cum ipſo Apoſtolo collidebantur. Notandum autem eſt homines iſtos, qui per invidiam & contentionem Chriſtum prædicaſſe dicuntur *verſ.* 15.: mox *verſ.* 16. *ex contentione* id feciſſe dici. Ejuſmodi homines abſolute dicuntur eſſe ex contentione. *Rom.* 11. 8., & inobedientes veritati. Veritatis enim depravatio ejuſmodi homines cum Apoſtolo ſemper commiſit. Nec illud prætereundum, ejuſmodi homines finem ſuum, ad quem per impuram ſuam prædicationem tendebant; non aſſecutos. Ægrè enim facere Apoſtolo volebant, & dolorem inferre (*verſ.* 18.) At Apoſtolus eo nomine maxime gaudebat, quod Chriſtus, qualicunque modo, prædicaretur tamen.

Ex quo patet primum, Apoſtolum cenſuiſſe longe majus in eo bonum eſſe, ut Chriſtus, quamvis non *pure*, & cum aliquibus erroribus, prædicaretur tamen; quàm ut homines in cæcitate idololatriæ demerſi manerent. Deinde eundem ſenſiſſe, non ſtatim à Chriſtiano nomine, aut à Chriſtiana communione arcendos, quibus forte Chriſtus *non purè*, & non ſine erroribus annunciatus eſſet. Cui enim bono, & quidem ita conſtanter gaviſus fuiſſet (*in hoc gaudeo, & gaudebo*); ſi in ea opinione fuiſſet, melius eſſe homines plane Chriſtianæ religionis expertes eſſe, quam hæreticis erroribus depravatos. Quam opinionem nunc Principes reliquarum Eccleſiarum mordicus tuentur, quæ facilius Ethnicos, & Judæos, quam diſſentientes Chriſtianos, in ſuis ditionibus tolerant. Unde patet quantam tolerantiæ Chriſtianæ neceſſitatem Apoſtolus omnibus imponat, & quantum pudorem incutiat iſtis, qui verè *ex contentione* Chriſtum colentes, vel minimum à ſe diſſidentibus adeo infeſti ſunt.

Quod autem inventi ſint ejuſmodi homines, qui Apoſtolico ſeculo impure prædicare Evangelium auſi ſunt, de quibus tot ſanctorum virorum querimonias legimus; inde patet primum, antiquitatem alicujus opinionis non eſſe ſufficiens veritatis indicium. Secundum, Eccleſiæ auctoritati non facile eſſe confidendum, cum & apoſtaſia in ea prædicta ſit. 2 *Theſſal.* & quidem mox poſt obitum Pauli, *Act.* xx. 29., imo ipſorum Apoſtolorum, præſertim Johannis, tempore multi eſſent Antichriſti. 1. *Joh.* ii. 19. & videamus in ipſis initiis Eccleſiæ multos errorum patronos extitiſſe inter eos, qui juſto Dei judicio puniti ſunt ejuſmodi cæcitate, ut ipſis Deus miſerit efficaciam erroris, eo quod veritatis amore non tenerentur. Non poteſt igitur eſſe niſi ſuſpecta Eccleſiæ auctoritas.

Alterum genus hominum, qui ex occaſione vinculorum Apoſtoli, *Confidentes vinculis ejus*, prædicabant Chriſtum, vocatur, *qui ex propenſa voluntate* (**δι' εὐδοκίαν**), *& ex Caritate* id facere dicuntur. **Ἡ εὐδοκία** idem eſt, quod infra *veritas*, quæ opponitur **ἀγνῶς** *ſpecie*. *Verſ.* 18. quia videlicet iſti vero amore veritatis propagandæ, quia ipſis in ea complacuit, eam prædicant: alii vero prætextu iſtius ſui erga veritatem ſtudii abutantur, ad ſua odia, & ſimultates exercendas. Niſi quis velit **εὐδοκίαν** referre ad Dei, Chriſtique beneplacitum, qui inter Carni, & Abelis oblationes diſcernere novit. Poſſit etiam *Caritas* de ſtudio, & amore erga Apoſtolum explicari, cui gratificandi deſiderio illi idem iſtud Evangelium prædicabant, in cujus defenſionem Apoſtolus vitam ſuam impendit.

Verſ. 19. Reddit rationem cur gaudeat ob ejuſmodi prædicationem, quæ odio ipſius, atque ad augendam ipſius afflictionem fiebat. Quia, inquit, bene novi hoc mihi nihil nociturum, neque mihi pudori futurum, ſed ad ſalutem evaſurum (quid enim aliena pravitas, & malitia noceret innocenti). Ne autem nimia ſui fiducia gloriari videretur, quaſi ſe corrigens, non ſuis viribus fretum ſe tam confidenter ſperare aſſerit, ſed impetrato cælitùs precibus eorum auxilio, & ſuppeditatione Spiritus Jeſu Chriſti. (*verſ.* 20.) Cujus firmam ſpem, & expectationem habeat, adeo ut non metueret, ne *qua in re pudefiat*; ſed quemadmodum ſemper antea, ita

& nunc

& nunc confidat Chriſtum in ſua infirmitate glorificandum eſſe, per ſuppeditatum ab ejus Spiritu animi robur, ac fortitudinem in prædicando liberrime Evangelio. Addit autem *ſive per vitam, ſive per mortem*, Quia ſive in hoc negotio vitam, & ſanguinem profudiſſet, ut infra *verſ.* 23. ait; magno id ipſi honori, & emolumento fuiſſet: ſive ex hoc periculo eſſet ereptus; magna, & glorioſa in eo ipſo Chriſti potentia eluxiſſet, magnum Eccleſiæ ſolatium, & emolumentum acceſſiſſet. (*verſ.* 21.) Oſtendit autem ſeſe ad utrumque paratum eſſe, & in utroque ſtatu ingentia habere ſolatia. (*verſ.* 23.) Majora tamen in morte, ſi ea duntaxat, quæ ſua ſunt, ſpectare vellet: ideoque magis ſe ardere deſiderio ſolvendi ex hoc littore vitæ, & manendi cum Chriſto: (*verſ.* 24.) ſed tamen diſtineri reſpectu aliorum, quibus vita ipſius ſit magis neceſſaria. Ideoque (*verſ.* 25.) ſe confidere, & certò ſcire, vitam ſibi ſalvam fore: ſeque manſurum, & conviƈturum cum ipſis eorum bono, ſolatio, & emolumento. [Notandum autem eſt obiter, quantum impenderit periculum Eccleſiis Chriſti ex obitu Pauli. ita ut per hoc confirmetur id, quod dicitur *Actor.* xx. 29. 30. poſt abitum ejus *ingreſſuros fuiſſe lupos graves in Eccleſiam.* Unde patet ſtatim poſt Apoſtolos non mediocriter corruptam eſſe Eccleſiam.

Emolumenta, & ſolatia utriuſque ſtatus quod attinet; vitæ quidem conſervatæ ſolatium exprimit *verſ.* 21. *Mihi vivere Chriſtus.* Meditatio vitæ ejus, & ſolatium, fuit Chriſtus, hoc eſt, imitatio Chriſti, & virtutum ab ipſo præſcriptarum conſectatio. & *verſ.* 22. *Fructus operis.* piorum operum bona conſcientia vitæ fructus optatiſſimus.

Mortis autem ſolatium exprimit per *Lucrum verſ.* 21. item *verſ.* 23. Solvere è portu vitæ, & eſſe cum Chriſto. quod Author Epiſtolæ ad Hebræos exprimit per vocem perfici *Hebr.* xii. 21. quod fuiſſe longe melius Paulo; patet ex hujus ipſius Epiſtolæ *Cap.* iii. 11. 12. 13.

Verſ. 26., & 27., pollicetur adventum ſuum ad eos ſub conditione, ut vel hac illecebrà eos permoveat ad proficiendum in pietate: præcipue vero (quod hoc loco, & alibi in eadem Epiſtola pluribus ſatis anxie tractat) ad unitatem, & concordiam, & mutuam caritatem.

Deſcribit autem ſeu totam pietatem, ſive eam illius partem, quæ in mutua fratrum concordia, & caritate conſiſtit ejuſmodi verbis *dignè Evangelio Chriſti ſe gerere*: ut appareat impii, & caritatis, concordiæ, tolerantiæ, in Eccleſia expertes homines; quam indigne Chriſtiano, & Evangelico nomine ſe gerant, & quam miſere excidant jure illius civitatis, & Reipublicæ cæleſtis, quam in Chriſto habemus. Conditionem, & neceſſitatem hanc concordiæ retinendæ non alligat ad adventus ſui conditionem; ſed abſolute proponit, & inculcat, ut ſive præſens videat, ſive abſens audiat eos concordes, & unanimes eſſe.

Deſcribit autem concordiam hanc: *State in uno Spiritu, una anima* vel unanimiter *concertantes fide Evangelii.* Maximus autem eſt ſtimulus, & quædam neceſſitas internæ in Eccleſia concordiæ, externum Eccleſiæ cum hoſtibus ejus certamen. Habet enim non vulgares amoris, ac mutuæ benevolentiæ illecebras, ipſum commilitantium, & in iiſdem caſtris quaſi contubernium, atque ejuſdem communio periculi. Prætera nullo tempore commilitones poſſunt nocentius periclitari ab hoſtibus externis; quam ſi inter ſe odiis, ac diſſidiis laborent. adeo ut vel ipſa urgentis periculi neceſſitate tunc ad concordiam adigantur. *Verſ.* 28. *Adverſari* populo Dei; adverſantibus eſt *Indicium exitii*: quemadmodum ipſi populo Dei; *Salutis. Et hoc à Deo.* Multum intereſt à qua manu in utramque partem ictus hic veniat, ſive pereat quis ipſo Deo perdente, ſive ſervetur, & præmio aliquo afficiatur, ipſo Deo ſervante, & remunerante. Maximum autem hoc munus, maximam Dei gratiam (*verſ.* 29.) vocat, ſi quis fidelium præter gratiam fidei in Chriſtum conſequatur gratiam perpeſſionis alicujus propter eundem. Multa enim merces (*Matt.* v. 12.) in cælis manet eum, qui hoc certamen certaverit.

Verſ. 30. Et quia Apoſtolus idem iſtud certamen tunc temporis certavit; quo magis ab externis hoſtibus prendebatur, eo flagrantiori affectu caritatis erga internos Eccleſiæ cives, & commilitones ſuos exardeſcens, provocat eos ad imitationem ſui, & in ſequenti capite ſolenni obteſtatione ad caritatem iſtam, atque concordiam hortatur.

CAPUT II.

COngerit in obteſtationem hanc quicquid illecebrarum excogitare poterat ad alliciendos eorum animos, ut mutuæ concordiæ ſtudio tenerentur: atque hic obiter pleraque Chriſtianæ vitæ condimenta, & ſolatia tangit, quæ profecto non exigua ſunt.

Agmen eorum ducit *conſolatio in Chriſto.* Quæ gaudii Chriſtiani pars in eo conſiſtit, quod cum Chriſtus cæli, ac terræ ſit Dominus, omne felicitatis genus in manibus ſuis habens, & omnia donorum genera diſpenſans; in ſummæ felicitatis loco ponendum eſt, eſſe cum illo ita conjunctum, ut membrum ejuſdem cum capite ſuo corporis. Nam ſi regum, ac principum in terris conjunctio nobiſcum, præſertim arctior, una cum ingentibus emolumentis magnum nobis decus, magnam affert voluptatem; quantò majorem tam arcta cum omnipotente Domino neceſſitudo. Verba autem, *Si quæ in Chriſto conſolatio*, denotant per *Meoſin* plurimas, & multiplices in Chriſto conſolationes reperiri.

Secundo, *Solatia* itidem *caritatis* multa ſunt. Hæc enim illa eſt, quæ ex virtute provenit, amicitia, beatitudinis humanæ in hac vita præcipuus fructus, & condimentum.

Tertio, *Communio Spiritus* efficit, ut idem velle, idemque nolle, aut averſari deprehendamur. Quæ voluntatum, ac ſtudiorum conjunctio mere homines hominibus conciliat, & magna eos, ac mutua voluptate perfundit.

Quarto, *Si quæ viſcera, & miſerationes.* Tenerrimus quidam, & admodum delicatus caritatis ſenſus, & affectus per hæc verba explicatur, & qui in intimis, ut ſic loquar, animi noſtri fibris reſidet. ideo viſcerum voce deſignatur. Qualis in parentibus erga liberos eſſe ſolet, quibus etiam nævi, aut imperfectiones pignorum ſuorum placent: & ſi quid in iis forte reperiant, quod probare nequeant; odiſſe non ſuſtinent, ſed molli quadam, & innoxia miſerationis indulgentia proſequuntur. Atque hic videtur ſummus caritatis gradus non mediocri eos, qui eum aſſecuti ſunt, voluptate perfundens. Quemadmodum enim parentes liberorum vitia, præſertim leviora, offendere non ſolent; ita ejuſmodi homines fratrum hallucinationibus non contriſtantur, ſed eas in meliorem partem interpretando, & eorum indulgenter miſerendo, multarum, & magnarum moleſtiarum pondere ſe exonerant.

Verſ. 2. Utitur autem in his verbis Apoſtolus multiplici artificio. Nam omnes, & ſingulæ iſtæ rationes, vel ipſa mentione ſui, nos ad mutuam concordiam invitant. qui fuit hoc loco præcipuus

Apoſtoli ſcopus. Cæterum eædem ſimul *gaudio* huic, quo Apoſtolus à Philippenſibus affici, ac perfundi optabat, atque id uti fieret petebat; egregie militant. Nam in re tam honeſta, & utili ut gratificarentur obſecranti Apoſtolo; exigebat ab iis officium mutuæ in Chriſto conſolationis: exigebat Chriſtianæ caritatis ratio: exigebat illa ejuſdem Spiritus conjunctio, & mutuò ſibi ſuccurrendi voluntas: exigebat denique ipſa illa miſeratio Apoſtoli, ne, ſi in tam acri deſiderio ſuo ferret repulſam; merito contriſtaretur. Ideo ſubjicit *implete meum gaudium, ut idem ſentiatis, eandem caritatem habentes*, hoc eſt, mutuam, ac reciprocam alii erga alios. *unanimes, idem ſapientes*, hoc eſt, eundem ſibi propoſitum ſcopum habentes, & in eo aſſequendo communi ſtudio conſpirantes. Quod ſtatim *verſ.* 3. à contrario explicat, *Nihil per rixoſam diſceptationem* aut *concertationem*, aut *per vanam gloriam*, hoc eſt, ambitionem facientes; ſed per modeſtiam, humiliationem, *ſeipſos alios invicem ſuperiores, ac præſtantiores exiſtimantes*. quod quidem ita explicandum eſt, ut tunc, quoties ejuſmodi modeſtiæ opinioni locus eſt (quod fit cum nulla notoria, & inſignis inter fratres inæqualitas intervenit) eam habere non omittamus. Cum enim non ſemper liqueat quo loco quis ſit apud Deum; nobis, qui vitiorum noſtrorum melius, quam quiſquam alius, conſcii eſſe poſſumus, aliorum autem vitia ignoramus; tutius eſt ita opinari. At quoties ob notoriam inæqualitatem huic ſententiæ locus non eſt; ſufficit ut ita nos adverſus alios geramus, tanquam eos ſuperiores nobis arbitraremur. quod & in mundana morum civilitate obſervatur.

Verſ. 5. Quod poſterius Chriſtus ipſe, cujus mox exemplum ſubjicitur, feciſſe deprehenditur. Explicatur autem obiter, in quo conſiſtat hæc *Humilitatis* modeſtia à contrario. Contraria enim eſt modeſtiæ, philautia & nimius ſui Amor, nimium ſui pretium: ita ut homines ſeſe, ſuaque omnia nimio pretio æſtimantes, non ſeſe tantum, ſed alios quoque omnes ſibi ſolis natos exiſtiment. Ac proinde ſeſe tantum, ſuaſque utilitates, aut voluptates reſpiciant, nulla aliorum cura, ita ut ob vanìſſimam ſæpe oſtentandi ſui ambitionem, graviſſimas aliorum offenſiones ſuſcipere non dubitent. Nimia enim ſui exiſtimatio; nimium parit aliorum contemptum, ac vilitatem. adeo ut hominibus ejuſmodi ſuperbos ſpiritus ſumentibus, iiſque afflatis, & inflatis, nihil tam leve, & facile videatur, quod aliorum cauſa facere, aut tolerare velint, ac debeant. A quo vitio tanto alieniores Chriſtiani eſſe debent, quod ipſos Chriſtus exemplo ſuo docuerit in aliorum gratiam graviſſima, ac difficillima quæque ſuſcipere, ac perpeti. Quemadmodum autem Chriſtum ſupereminens præſtantiæ ſuæ excellentia non abſterruit, quin ſe in gratiam homuncionum vilium, ac peccatis ſuis coopertorum eo uſque demitteret; ita homines in Eccleſia ejus, quantavis donorum Dei affluentia præditi, non ita ſibi placeant, quin aliorum, quamvis inferiorum, cauſâ, non modo leviſſimas in occurrentibus forte rixarum, & contentionum occaſionibus, contemptus eorum ſuſpiciones evitent, ſed graviſſima quæque interdum eorum cauſa ſuſcipiant, ac perferant. Quid enim habent, quod non acceperint, quodque ſibi ipſis, aut virtuti, ac genuinis viribus ſuis tribuere poſſint, cum omnia dono Dei poſſideant, non autem rapto, aut viribus ſuis acquiſiverint? Certe ſupra omnem comparationem longe magis exuberanti munificentiæ ſuæ flumine Deus unicum Filium ſuum inundaverat effuſo in eum ſupra menſuram divinorum, & mirabilium operum patratore Spiritu, ita ut *in forma*, ac ſpecie *Dei* apparuiſſe videretur editis ejuſmodi miraculorum ſpeciminibus, quæ non niſi Dei ipſius virtute, ac potentia effici potuerunt.

Verſ. 6. Faciebat enim *Paria Deo*, ideoque in forma Dei eſſe videbatur. Et tamen is vim tàm divinam, qua omnibus inimicis reſiſtere poterat, non rapto ſibi quæſitam arbitratus eſt; ſed dono ejus ſibi donatam meminerat, qui ipſum longe magis etiam, quàm ante fecit, exaltare potuit. (quod & poſtea factum commemorat Apoſtolus) Obſcuritatem huic loco affert, quòd Apoſtolus, cum duas res ſibi contrarias opponere vellet, non ejuſdem generis antitheton in apodoſi collocat, cujus generis in protaſi collocaverat. Quæ autem ſint iſta, quæ ſibi opponere voluit, res ipſa oſtendit. Humiliatio Chriſti nimirum, hoc eſt, depoſitio iſtius poteſtatis, qua inimicis ſuis, capere, & interficere ſe volentibus, reſiſtere potuit, propter obedientiam Patri ſuo debitam, cujus *verſ.* 8. mentionem facit, parte ab una. Parte ab altera retentio obſtinata iſtius poteſtatis, & recuſatio humiliationis, cum manifeſta Patris inobedientia, & conſequenter ingratitudine erga eum conjuncta. Cum igitur rem poſteriorem Apoſtolus à Chriſto removere vellet, ut priorem ipſi attribueret; in protaſi non iſtam ipſam humiliationis recuſationem, ſed cauſam ipſius à Chriſto removet, hoc eſt, ingratitudinem illam tantorum, & tam cumulatè effuſorum in eum Dei donorum, quæ in eo reperta fuiſſet, ſi in iſta humiliatione gratificari Deo noluiſſet. Remotionem verò hujus ingratitudinis, ſignificantibus verbis & non ſine ſingulari emphaſi exprimit: *Non arbitratus eſt*, inquit, *rapto ſibi obtigiſſe*, ſed ſingulari Dei gratia, & munere collatam in ſe copioſam illam donorum Dei abundantiam, quæ in divina ipſius poteſtate, & excellentia etiam in terris cernebatur.

Atque hic ut in iſta Chriſti gratitudine, ita & in hujus gratitudinis effectu, obedientia nimirum erga Deum explicandâ; duplici antitheſi utitur Apoſtolus, niſi quod prior antitheſis implicite poſita, & tacite ſubaudienda ſit. Primùm in ipſa gratitudine violentam rapinam, gratuito dono, aut potius parti per raptum ſpolii opinionem gratuiti beneficii memoriæ, atque inde profectæ obedientiæ tacite opponit. Deinde Exinanitioni, & humiliationi Chriſti (quam in eo collocat, quod formam ſervi aſſumpſerit uſque ad ſervilium verberum, & ſervilis ſupplicii patientiam); opponit gloriam illam, & excellentiam Chriſti, quam Dei dono acceperat, quod etiam dum in terris eſſet in forma Dei apparuerit, *paria Deo* & quaſi *paria cum Deo* faciens, præſtans, & humanâ majorem poteſtatem exercens, dæmonibus, & elementis imperans.

Vox autem *Forma Dei*, eodem ſenſu ſumitur, quo modo *forma ſervi*. nec enim ſubſtantialem formam; ſed ſpeciem externam, & ſtatum, & conditionem denotat. quemadmodum patet ex verbis εἶναι ἴσα θεῷ hoc eſt, *eſſe ut Deus*, eſſe in ſtatu æquali Statui Dei. qui modus loquendi, non ipſam naturam; ſed magnitudinis comparationem ſignificat.

Vox autem *Homo*, quia hoc loco bis utitur; non in proprio ſenſu ſumitur, quo natura humana ſignificatur. Nec enim eſt quiſquam Chriſtianorum, qui Chriſtum verè, & natura ſua hominem fuiſſe confiteri non cogatur; Sed in ſenſu Sacræ Scripturæ familiari, quo vulgaris, & nihil ab aliis differentis hominis, aut vilis homuncionis ſtatus ſignificatur. Cum enim Chriſtus non vilis, & vulgaris; ſed immenſo intervallo præ aliis natalibus, & conditione ſua præcellens homo fuerit, quando ſervi formam humiliando ſeſe aſſumpſit, vulgarium homuncionum ſimilitudinem; & ſpeciem aſſumpſit. Quemadmodum autem facere *paria cum Deo*, non ſignificat eſſe natura ſua unum, idemque numero cum

Deo,

Deo, cum quo paria facere dicitur (comparatio enim non potest esse nisi inter plures); ita *in similitudine hominis inveniri*, non significat vere in statu, & conditione illius hominis fuisse, cujus speciem, & similitudinem assumpsisse dicitur. Cum autem Christus vere, & natura sua homo fuerit, sed non in vili, & vulgari hominum statu; apparet vocem hominis hoc loco, non naturam humanam; sed statum vulgarium hominum significare.

Cur autem aliter locus hic explicari nec possit, nec debeat; rationes hæ præsto sese offerunt. Primo, Quo ad verba. Secundo, Quo ad sensum.

Quo ad verba, *Formâ Dei*, idem significat quod & *Forma servi*: non naturam; sed conditionem, ut diximus, & statum, seu similitudinem. sicut & voces *Species*, *& similitudo*. quod & verba, *Paria cum Deo* indicant. In quibus est comparatio quædam Christi cum Deo, quæ in personas non cadit, quæ sunt essentia unum. Neque enim quisquam æqualis esse sibi ipsi dici potest, nisi forte secundum diversa tempora, aut respectus. Secundo, Voces, *Inventus ut homo, & similitudo hominis*, usurpari de iis, qui natura sua nequaquaquam Dii sunt, sed tantum homines; docet in libro Judicum de Samsone historia. Jam vero si vox hominis tunc proprie de natura, & essentia specifica hominis, quæ in omnibus hominibus eadem est, hoc est, de humanitate, seu forma, & natura hominis, quam Christus assumpsisse dicitur, non autem de statu, & conditione explicanda esset; non posset sine falsitate in similitudine hominum Christus repertus dici, cum per illam formam humanam, quam assumpsisse supponitur, non similis homini, sed vere homo factus, & repertus, vel ipsorum adversariorum confessione, fuerit. Præterea individua quidem hominum, quamvis specie idem sint, quia tamen numero diversa sunt; inter se comparari, & sui similia dici possint. sed unum individuum hominis, cum tota specie hominis comparari, & qui vere sit homo, similis hominum dici non potest. Congruè autem comparationem quandam, & similitudinem, quam cum Deo Christus propter illum Spiritum, in se sine mensura effusum, habuit; opponit comparationi, & similitudini, quam cum hominibus etiam vilissimis, quales sunt servi supplicio crucis obnoxii, suscepit.

Divina illa vis, & potentia, & gloria, qua se Christus exuisse dicitur, ut obediret Patri; non alia hoc loco intelligi potest præter illam, quam dono Patris sui accepit. Indicio est modus loquendi, ostendens qua ratione Domino vis & potentia ista obtigerit, antequam ipsam deponeret. Non raptu, inquam, sed (quod subaudiri necesse est) gratuito Dei Patris munere.

Rapina enim naturæ nunquam, nisi incompetenter; opponitur. at gratuito muneri; competentissimè opponi potest. Habet igitur respectum, ac relationem quandam vox *rapinæ*, aut opinionis de opibus rapto partis, ad gratuitum donum, aut ad gratam recordationem de opibus benigne, & libenter donatis, ideoque non gravatim in usum, & gratiam benefici donatoris erogandis. Præterea per assumptionem formæ servi; assumptio naturæ humanæ intelligi nequit: cum per vocem servi; naturam hominum, qualem Christus assumpsisse dicitur, Sacra Scriptura nunquam designet, aut explicet, qui potius ad imaginem Dei creatus dicitur. cujus imaginis non postrema pars est dominatio super omnia, quæ *Psal.* 8. describitur.

Secundo, Dubitationem omnem eximit, non aliter hunc locum esse explicandum, expressa ratio, & modus humiliationis, per quam se divina illa virtute, qua sibi cunctos hostes subjicere violenter, si voluisset, potuit, Dominus exinanivit, quod videlicet *humiliaverit sese, factus obediens Patri, ad mortem usque*, & quidem tam ignominiosam. quod ad naturæ humanæ assumptionem violenter protendere superfluum est, cum de illa obedientia, quam in morte crucis suscipienda testatus est, longe aptius intelligi possit.

Tertio, Multo magis autem explicationem nostram evincunt illustria præmia, & remuneratio Dei, quibus obsequium istud Christi prosecutus est. *Exaltatio nimirum ac donatio nominis supra omne nomen*, hoc est, potestatis supra omnem potestatem, ita quidem, ut omnes nemine excepto, sive in terra, sive in cælo, sive sub terra ipsum divino cultu adorare (flectere enim genua divinæ adorationis, & invocationis signum est) & agnoscere, & publice profiteri pro Christo, & uncto Dei, ac Domino suo, Jesum illum Dei Filium cogantur, ac teneantur. Videtur autem vox Dominus adjuncta voci Jesus, sicut & *Actor.* VII. 59. per appositionem pertinere ad subjectum: vox autem Christi Regis super populum Dei Uncti ad prædicatum.

Notandum autem est hic, Exaltationem istam quam donavit gratuitò Deus; factam esse *in gloriam Dei Patris*, ideoque finem non habituram. Ubi simul tacitæ objectioni occurrendo, ne quid cultui Dei Patris per hoc derogari videatur; docet nos Apostolus finem, & causam exaltationis Domini fuisse gloriam Dei Patris.

Rationum aliarum explicationis nostræ agmen claudat illa firmissima simul, & evidentissima demonstratio, quod hic exaltatio Christi non donum Dei Patris simplex dicitur, quod à Sophistis ad æternam generationem, quanquam satis violenter, trahi tamen aliquo prætextu possit; sed donum pro antegresso obedientiæ merito liberalissime collatum, & cujus munificentia tanta Apostoli prædicatione Spiritui Sancto digna visa est. quam tribus istis versiculis, unam, eandemque rem, non uno, eodemque modo explicantibus, legimus. Dicitur igitur hic primum, quod ipsum Deus (de Patre sermonem esse in calce *vers.* 11. expresse ostenditur) ideò exaltaverit, quia usque ad mortem non simplicem; sed omnium atrocissimam, & ignominiosissimam, qua soli pene servi plectebantur, mortem, inquam, crucis ipsi obediens fuerit. Exaltatio autem hæc non fuit simplex; sed omnium gloriosissima, quod ipsi Pater non simpliciter (δίδωσι) dedit; sed (ἐχαρίσατο) hoc est, ex singulari gratia, & effusa liberalitate, & munificentia sua *donavit nomen supra omne nomen.* Quæ voces ex usu Sacræ Scripturæ non solam nominis, & gloriæ celebritatem, & claritatem; sed potestatem quoque significant. Ne tamen quisquam vocis hujus hoc loco energiam ignorare possit, subdit *vers.* 10., largitionem istam nominis supra omne nomen, non solam claritudinis præcellentiam, sed cultum, adorationem, & potestatem, eamque plane divinam, & universalem in se comprehendere. Cui enim *flectitur omne genu* (quæ species cultus, & honoris divinam tantum potestatem habentibus exhibetur) *cælestium, terrestrium, & subterraneorum*; ab ejus potestate nihil excipitur. quod non nisi divinæ omnipotentiæ indicium est.

Ne quis tamen in isto genuflexionis debito, solum adorationis honorem, absque potestatis agnitione, atque subjectione, contineri opinaretur; addit *vers.* 11. Apostolus, debitum subjectionis regiæ potestati, Christo à Deo donatæ, ad omnes videlicet cæli, terræ, & abyssi incolas sese extendens: Ut *omnis lingua confiteatur*, hoc est, ut omnes cæli, terræ, & abyssi incolæ agnoscant hunc esse Regem omnium potentem, à Deo patre constitutum in gloriam ipsiusmet.

ipsiusmet. Quæ causa finalis exaltationis Christi, latis ostendit exaltationis hujus finem non fore, cum gloriæ Dei Patris, ejusque promovendæ necessitati finis non sit futurus. Quemadmodum & causa impellens exaltationis hujus meritum Domini, ejusque memoria nunquam abolebitur. Nec enim talia Dei dona μεταμελητὰ, pœnitenda, esse solent.

Videtur autem hoc loco Apostolus de generali, & universali exaltatione Christi agere, quæ cum gloria Dei Patris arctissimo vinculo copulata, ideoque æternum mansura est. Est autem quædam particularis exaltationis Christi species, quæ ad solum ejus populum, hoc est, Ecclesiam, & quidem duntaxat militantem, pertinet. Potestas ejus videlicet independens in regenda Ecclesia militante, de qua Christus ait, quod Pater non judicat quenquam; sed omne judicium dedit filio, ut ostendat absolutam, & independentem potestatem suam in præmiis conferendis, & pœnis irrogandis populo suo. Quæ potestas duntaxat ad fidem, & spem nostram confirmandam Christo collota, tunc cum spei, ac fidei locus non erit, postcaquam de morte triumphatum fuerit; vel ideo mansura non est, quia id gloriæ Dei Patris nonnihil derogare videretur, si qua potestas à Deo Patre non dependens duraret in æternum. Nec ista potestas dici posset *in gloriam Dei Patris*, si continuata in sempiternum fingeretur. Sed potestas à Deo Patre dependens etiam in æternum continuata; quemadmodum subjectioni Patri debitæ, ita & gloriæ Dei Patris nihil derogat.

Per genua cælestia; Angeli: terrestria; homines: subterranea; dæmones intelliguntur, per modum loquendi, quo Spiritus Sanctus, cum infirmis homunctionibus balbutire solet. non magis enim proprie dæmones, subterranei incolæ, quam Angeli, genua, aut linguam habentes dicuntur. Sed captui, & opinioni humanæ sese Spiritus Sanctus accommodat, ut melius intelligi possit.

Lingua tamen *omnis confitens Dominum illum Jesum esse Christum*, & unctum Dei, hoc est, Regem omnium universalem à Deo constitutum, significantissime hoc loco invocandi hujus Regis potestatem, & quandam necessitatem exprimit: præsertim cum ista Regia potestas cum dispensatione suprema, & universali ipsorum Spiritus Sancti donorum (quæ Dei peculiaris, nec ulli præter Christum communicata potentia est. quam olim Simon magus stolide mercari ausus est) conjuncta, non possit nisi divinam omnipotentiam in se includere. Jam vero qui lingua confiteatur aliquem esse Regem, & Dominum omnipotentem, & qui videlicet in omni necessitate omnibus opem ferre possit, & tamen ipso facto, opem ejus, cum usus poscit, implorare recusat; quid aliud facere censendus est, nisi quod lingua, & ore confiteatur, corde, & facto ipso diffiteri. Hanc igitur tam divinam potestatem, & omnipotentiam, qui gratia, & dono Dei Patris, ob antegressum obedientiæ, & mortis suæ meritum, accepit; quomodo ante mortem suam illam habuisse, & in essentiali forma Dei altissimi fuisse dici potest? quod ad explicationem nostram asserendam, nobis erat demonstrandum. Neque profecto sana ratio ullo modo concipere potest, quomodo hæc simul vera sint, ut & divina potestas, atque omnipotentia, quæ naturæ, & personæ Dei altissimi individua comes est; Christo per æternam generationem, quasi naturæ necessitate, communicata, eique nunquam adempta sit: (Nec enim per incarnationem Christus Deus, atque omnipotens esse desiit, nec divina natura quicquam passa dicitur; sed tantum humana.) & tamen eidem Christo eadem omnipotentia post, & propter mortem antegressam, ex gratia Dei, & quidem meritum ejus digno præmio magnifice remunerante, donata sit. Præterea, etiamsi adversarii contra sententiam suam fingerent, Christo per mortem ademptam fuisse omnipotentiam, ut ipsi iterum pro ejus merito restitui posset; quænam ista gratia esset, & quæ remuneratio, præsertim tam magnifico præconio digna, quando alicui pro crudelissima, & indignissima morte susceptâ, nihil, quod non habuerit, datur: sed tantum, quod habuit, redditur. Quod si quis eò recurrat, divinæ quidem naturæ nihil proprie datum est; sed donationem istam ad humanam naturam pertinere; id quoque dici nequit, quia per hypostaticam unionem omnes, quibus divina natura gaudebat, præcellentiæ humanæ quoque naturæ communicatæ sunt. Habuit igitur ante mortem humana quoque natura omnipotentiam, nec ipsi quicquam per exaltationem, quod non ante habuerit, datum; sed tantum suum redditum est. quod non est præmio afficere; sed pœnæ eximere. sed ista missa faciamus.

Vers. 12. Posito ob oculos tam insigni modestiæ, & humiliationis, & obedientiæ Christi exemplo, ejusque præstanti, & excelso præmio; jure concludit, ipsorum quoque animos quos admonet ad omnem modestiam, & obedientiam componendos esse: & ab omni nimia sui fiducia, quæ noxiæ, & pronæ in lapsum securitatis mater est, avocandos.

Quamvis autem ex præcedentibus verbis monitum hoc apte deduxerit; tamen novas hoc versu ejus moniti subjungit rationes. Primum, quòd jam *in præsentia* ejus modestiam hanc, & obedientiam, & omnis arrogantiæ expertem, ad normam obedientiæ Christi compositam, præstiterint. non fore igitur illis difficile factu, in quo vires suas jam experti sint. Deinde, quod *in absentia* ejus major istius virtutis exercendæ ingruat necessitas. Ubi tacite subaudit absentiam tam fidelis monitoris ipsis esse periculosam. Adeo in ipso monito significantibus verbis discrimen istud exaggerat. *Cum timore*, inquit, *& tremore salutem vestram operamini.* Ubi notandum est, cum gaudio, & fiducia bonæ conscientiæ conjunctum esse debere perpetuum, & anxium metum, & vigilantiam: & animum nostrum subinde fræno modestiæ cohibendum, ne insolescat, aut in securitatem resolvatur. Possunt enim hæc simul consistere, quamvis ἀσύμφυτα videantur, ut quis fruatur solatio, & fiducia bonæ conscientiæ; & tamen perpetuo metuat, & caute advigilet, ne sibi solatium istud fraudibus Satanæ subripi possit, ideoque sit modestus. Præterea notandum est, virtutem istam, quam vulgo humilitatem, aut potius modestiam vocant, pro variis ejus effectibus, aut proprietatibus, variis nominibus hoc loco ab Apostolo describi. Primum *humilitatem vers.* 3. quia, qui ea præditi sunt, libenter alios præ semetipsis pluris æstimant, aut saltem ita tractant ut eos pluris æstimare videantur. Secundo, *vers.* 4. Curam aliis placendi, aut certe non displicendi. Nam qui sibimetipsis nimium placent; aliorum curâ non tanguntur, nec morantur, quid de se sentiant, nec dotes eorum satis æstimant. Tertio *obedientiam.* Nam ea virtute præditi, bene monentibus libenter auscultant. Cæteros videas monitoribus asperos. *vers.* 12.

Quarto timorem, aut potius trepidam sui curam, hoc est, cautam ad omnia pericula vigilantiam, qua qui infirmas vires suas suo pretio æstimant, metuunt sibi: ac pericula anxie prospiciendo perpetuas sui excubias agunt. quæ certe alibi timor Dei dicitur: & cum modestia, humilitate, & vigilantia eadem est.

Vers. 13. Affert rationem cur cum timore, ac tremore

tremore ſalutem noſtram operari debeamus, quam fortaſſe quiſpiam abſque admiratione legere non poſſit. Id enim ipſum cuipiam in negotio ſalutis tantò majorem fiduciam, & ſecuritatem gignere debere videri poſſit, quod ipſe Deus nos & velle, & efficaciter operari faciat pro beneplacito ſuo. Quod potiſſimum in mentem venire poteſt iis, qui apoſtaſiam ſanctorum putant eſſe impoſſibilem: & neminem credentium de ſua ſalute dubitare patiuntur: & jam olim fixum adamantino clavo, quod de cujuſquam ſtatu, aut ſalute futurum ſit. Et profectò ſi ſententiæ, quas attigimus, veræ ſunt; ob id ipſum tanto plus fiduciæ, ac ſecuritatis nobis accedere neceſſe eſſet, quod ſive Deus nos ſervare decreverit (cum & voluntas ipſa noſtra, & efficiendi facultas in ejus poteſtate ſit); non poſſit niſi certiſſimo exequi ſuum decretum: ſive perdere conſtituerit; voluntati ejus nullus labor, aut opera noſtra reſiſtere queat. adeo ut utrobique ſeu metus, ſive cura noſtra plane ſuperflua ſit. Sed aliis, qui ab hac ſententia alieni ſunt, mirum videri poſſit, qua ratione id terrorem potius, quam fiduciam in nobis gignere debeat, quod Deus in negotio ſalutis ita nobis opituletur, ut nos & velle, puta efficaciter, & efficaciter ea, quæ volumus, exequi faciat ſecundum beneplacitum ſuum.

Cæterum egregie conſtat Apoſtolo ratio argumentationis ſuæ. eſt enim vera, & proxima cauſa curæ iſtius anxiæ, & ſollicitæ in negotio ſalutis noſtræ, ac ſedulæ, & perpetuo metu, ac periculo ſeſe ſubinde excitantis vigilantiæ; iſta cogitatio, quod abſque ope Spiritus Chriſti, atque adeo Dei, per Chriſti Spiritum operantis, peſſime nobis ſuccedat omnis in ſalutis negotio ſuſceptus labor: quippe qui ne velle quidem ita, uti par eſt, ardenter, & conſtanter ſalutare curriculum pietatis ingredi: aut in eo progredi ſine iſta Dei ope poſſumus: tantum abeſt ut illud rite, & cum ſucceſſu conficere poſſimus. Diſpenſat autem hanc Spiritus ſui opem Deus pro beneplacito ſuo: nec tam nobili dono ſuo dignatur eos, qui ſibi minus placeant, aut aliqua culpa, & indignitate ſua ſeſe offendant. Unde oboritur ſalubris quidam metus diſplicendi, & tanto excitatior cura Deo placendi, atque illius auxilium aſſequendi, aut retinendi.

Quo autem melius locus hic, abſque ullo erroris periculo intelligi poſſit; duo nobis præcipue in verbis iſtis obſervanda diligenter, ac rectè percipienda ſunt, ne in tam lubrico labi, aut hallucinari poſſimus. primùm, quid per timorem, ac tremorem iſtum Apoſtolus intelligat. deinde, quid intelligat per verba *Operans efficaciter in nobis & ut velle, & ut efficaciter operari poſſimus.* Quod attinet ad prius, non metum ſervilem; ſed filialem, non cum diffidentia; ſed cum fide, & amore Dei ac ſpe in Paternum ejus affectum recumbente, conjunctum: atque ideo non culpas, & peccata naturæ quadam neceſſitate ſubſequentem (qui ſpem iſtam ſubruere ſolet); ſed ea voluntarie, ac provide antecedentem, atque avertentem: ac proinde non cruciantem animum, ac de felici ſtatu ſuo dejicientem; ſed eum confirmantem, ac fræno quodam cohibentem: aut ſalubri quodam ſtimulo è ſomno excitantem, & in ſtabili felicitatis ſuæ ſtatu per juges excubias retinentem: & ſine ulla incommodi mixtura utiliſſimum intelligit, ac præcipit hoc loco Apoſtolus. Qui metus plane filialis eſt; non, ut ille alter, invitum hominem poſt commiſſas culpas invadens. quem timorem Domini alibi vocat Sacra Scriptura. Proinde hic metus ille nullo modo intelligi poteſt, qui ex ſuſpicione reprobationis ſuæ ortus alicui videri poſſet, qui nec voluntarius, & cum diffidentia conjunctus eſt, nec ullo modo utilis. Quo fructu enim, aut quo fine aliquem Apoſtolus adhortari fingeretur, ut metuat id, quod nullo modo evitari poteſt? Per vocem autem tremoris Apoſtolus deſignant ſerium, & excitatum ſalubris iſtius curæ, & vigilantiæ ſtudium. ut ejuſmodi emphaſi ſecuritatem illam, & confidentiam, ſuperbiæ matrem, & modeſtiæ, atque humilitati Chriſtianæ inimicam, oppoſito ipſi è diametro adverſo antitheto, perſtringeret.

Quod ad ſecundum attinet; non temere Apoſtolus hoc loco voce ἐνεργεῖν *perficere* potius, quàm ulla alia, quæ cauſæ efficientis actionem exprimit, utitur. ſi enim penitius verba iſta inſpexeris, non dicit hoc loco Apoſtolus, Deum iſtam in nobis voluntatem, quaſi ſine nobis, efficere, aut eum ſolum, ac ſine omni opera noſtra nobis infundere: ſed tantum voluntati huic, promiſſis quidem Dei primitus provocatæ, ſed tamen ultrò, ac libere iis aſſentienti, atque accedenti, dare efficaciam: quia id facit per Spiritum ſuum, qui neminem, aut inſcium, aut invitum obtorto collo trahit ad bonæ voluntatis propoſitum: Sed hominibus, ſponte ſua promiſſa Dei conſequi volentibus, excitando in iis ardens, & efficax rerum divinarum ſtudium, dat illam, quæ ſcopo, ad quem tenditur, nunquam excidere ſolet, firmam in bonæ voluntatis propoſito conſtantiam. Itaque hoc loco ἐνεργεῖν τὸ θέλειν, non ſignificat procreare voluntatem; ſed voluntati jam procreatæ, hoc eſt, beneficis Dei promiſſis invitatæ, & ſponte (nec enim aliter fieri poteſt) accedenti; dare efficaciam. (Nec enim aliter aut Deus voluntatem noſtram movere ſolet, aut voluntas noſtra in rebus ad religionem veram pertinentibus moveri poteſt) Ut ex ſententia noſtra hæc verba ita è Græco verti debeant; *operans in nobis efficacem voluntatem, aut efficaciam voluntatis*, potius, quàm efficaciter operans voluntatem. Præſertim cum vocem τὸ θέλειν, ſubſequatur vox τὸ ἐνεργεῖν. Ita ut ſimplicius, clariuſque, & ſine ullo diſcrimine, aut tautologia, verba iſta verti poſſint; Deus eſt, qui in nobis operatur & efficacem voluntatem, & efficacem voluntatis hujus executionem. tranſlato nimirum ſenſu energiæ è participio ad voluntatem per modum infinitivum (ut cum Grammaticis balbutiamus) expreſſam. Quamvis ſine grandi erroris periculo poſſint verba iſta ita quoque verti, ut poſita ſunt. quia Deus & promiſſiones excellentiſſimas obtulit: & earum fidem, ac certitudinem ſatis evidentibus documentis confirmavit: nec in eo cuiquam Spiritus ſui opem denegat. ut ea in re voluntas noſtra, quamvis libere agens, & nulla violentia oppreſſa, efficaciter in acquirendæ ſalutis ſtudium propendeat.

Adimit igitur nobis Apoſtolus per hanc moniti ſui rationem, omnem ex aliquo pietatis profectu ortam ſive jactantiæ, & ſuperbiæ, ſive ſecuritatis, & oſcitantiæ occaſionem. Quid enim eſt, quod ex optimis actionibus noſtris pro noſtro venditare, aut quo ſuper alios efferri poſſimus? præter lætam, & beneficio Dei gaudentem conſcientiam, quæ nobis cum omnibus bonis communis eſt: quandoquidem & voluntatis, & conatuum noſtrorum efficacia, & ſucceſſus ſecundus Deo ipſi accepta ferenda ſunt. Præterea ubi oſcitantiæ, aut ſecuritati locus eſt, in perpetuo diſcrimine, ac metu, ne in eo certamine pereamus, in quo abſque ope cæleſti ſuccumbere nos neceſſe eſt. Quam certe ſine continua, & admodum circumſpecta precum vigilantia impetrare non poſſumus: ac proinde ne nos Spiritus Sanctus, offenſus aliqua indignitate noſtra, deſerat; perpetuo periclitamur. Atque hæc virtus modeſtiæ, quam prolixius hoc loco tractavit Apoſtolus, mirifice concordiam Eccleſiæ conſervat, quemad-

modum contraria ei, sive incircumspecta securitas, in qua viribus nostris plus æquo confidimus, sive arrogans aliorum contemptus; lites, & jurgia serit.

Vers. 14. *Omnia facite absque obmurmuratione & disceptationibus.* Effectus enim hos procreat immodestia, superbia, ac inobedientia *vers.* 15. *Ut sitis* (inquit) *irreprehensibiles, & simplices*, hoc est progenies Dei insons, & cui nihil objici possit. cujus rei tanto major necessitas est, quod vivatis in medio generationis pravæ, perversæ, & distortæ, quæ in id excubat, ut aliquid in nobis carpere possit, nec ullam obtrectandi vobis, & scandala etiam non data arripiendi occasionem omittit. Quibus tantum abest, ut vel minimam scandali ansam præbeatis; ut potius omni sanctimonia, & honestate vitæ ipsis prælucere teneamini. Tanquam faces, & lampades in mundo, vitiorum tenebris obruto, & densa ignorantiæ caligine demerso. (*Vers.* 16.) Quæ tenebræ depelluntur, & clarissima lux illucescit per eos, qui sermonem vitæ, hoc est, doctrinam, & religionem ad vitam æternam perducentem; & ipsi habent, & aliis prædicant. Tales igitur vos esse cupio, ne pereat gloriatio mea *in die Christi* (NB. iterum *Diem Christi*, supra *Cap.* 1. 10:) atque ut palam fiat, *quia non in vanum cucurri, aut laboravi* prædicando vobis Evangelium. *vers.* 17. Qui labor adeo mihi curæ, atque cordi est, ut impendi, atque immolari, tanquam victima, hoc est, ponere vitam non recusem in ministerio fidei vestræ: idque non minus libenter, nec minori cum gaudio vestri causa pati paratus sum, quàm libenter, & cum maximo gaudio vos fructu prædicationis meæ fruimini. Ideo æquum est, *ut vos quoque mecum gaudentes & mihi congaudeatis.* Quibus in verbis character, & proprietas charitatis exprimitur, gaudio alieno perinde ac suo affici.

Vers. 19. *Spero in Domino Jesu*, quia futura, & præcipue propositorum nostrorum eventus in potestate nostra non sunt, sed in Dei dispositione; æquum est in proponendis actionibus nostris, etiam optimis, non anticipare certa aliqua expectatione fructum eventus, aliter forte quam vellemus casuri: sed relinquere integrum Deo, Christoque optati illius eventus arbitrium, juxta illud,

Permittas ipsis expendere Numinibus quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Carior est illis homo, quam sibi. ——

Ideo tam modeste Apostolus de ea actione, quæ tamen in ejus potestate esse videbatur, pronunciat: *Spero* inquit *in Domino Jesu*, id est, si Dominus voluerit, aut permiserit, nisi aliud Domino visum fuerit; me missurum citò Timotheum vobis, ut & ego me recreem, & refocillem, accepto de vobis, & rerum vestrarum successu nuncio: aut etiam tanto magis spero me id facturum cum vestro commodo, & solatio; quia id ut perficiatur in potestate Domini Jesu est, cui nos, nostraque omnia curæ, cordi esse scio.

Antequam ulterius pergam, notanda est hic Domini Jesu & cura perpes circa directionem, ac dispositionem rerum, & actionum, quæ ad fideles ejus pertinent, & omnipotentia. Qui enim futurarum actionum, & propositorum nostrorum eventus in manu habet; eum omnipotentem esse necesse est, nec quicquam obstare, quin invocari possit.

Porro ex eo quod Apostolus ait, se *missurum Timotheum ipsis*, non autem ad ipsos; apparet eo fine hanc missionem à Paulo destinatam, ut ipsis Timotheus alicui usui, & ministerio esset. quod confirmant proxime subsequentia verba, *Ut & ego refociller*, quæ ostendunt non eo solo fine mittendum fuisse Timotheum, ut Paulus refocillaretur. Idem confirmat sequens *versus* 20., *neminem enim habeo ἰσόψυχον*, hoc est, *pari animo præditum*, hoc est, ut se statim explicat, qui perinde genuine, & candide cura salutis Philippensium afficeretur. Quid enim opus erat ejusmodi hominem quærere, tantum ad explorandum in quo statu res Philippensium essent. quod per literas, & simplicem tabellarium fieri sufficiebat. Et quia talem quærebat qui bene Philippensibus cuperet, & ex animo ipsorum cura angeretur; apparet Paulum per eum Philippensibus, in spirituali haud dubio negotio, benefacere voluisse, præsertim cum post ipsius adventum, suum quoque (eodem procul dubio fine destinatum) ad eos adventum polliceretur *vers.* 24.

Vers. 21. *Omnes* inquit *quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Notandum, quales vel ipsorum Apostolorum administri plerique, etiam illis temporibus, reperiantur; quid de subsequenti ævo statuendum? Talis fuit sine dubio Demas, qui captus præsentis ævi illecebris, Paulum reliquit. 2. *Tim.* ultimo *capite.* Tales illi, *quorum Deus venter*, aut qui *putabant quæstum esse pietatem.*

Vers. 22. Commendat ipsis Timotheum, ut ipsi in eo, quod iis exhibuturus erat, ministerio auctoritatem conciliaret, *quòd, tanquam filius patri, Apostolo inservierit in* prædicando *Evangelio.* Hunc igitur *vers.* 23. *sese missurum*, aut potius sibi præmissurum, ait, quia *vers.* 24. subdit, ac pollicetur *sese ipsum quoque eum citò consecuturum*, eodem procul dubio fine, & adventus sui fructu *vers.* 24. Eadem vero modestia hic *confido in Domino* ait, qua supra *vers.* 19. Spero in Domino Jesu dixerat.

Vers. 25. *Necessitate* quadam coactum, ait, *se mittere*, aut potius remittere *Epaphroditum ad eos* (quasi ægre ab eo divelleretur) quia flagranti ipsius desiderio (*vers.* 26.) cupienti eos revisere, tristi de ægritudine sua nuncio perculsos, resistere non potuerit. Hunc prius laudat, & commendat, *fratrem, & cooperarium, commilitonem* suum, & Philippensium *Apostolum*, denique *ministrum usus sui* vocat, quia per eum sumptu, ac necessariis rebus, à Philippensibus submissis, instructus erat: congerens causas ob quas ægre dimittendus fuit, nisi desiderio ejus ipse quoque suum adjungere coactus fuisset, ut eos metu, ac sollicitudine, ex nuncio de gravi morbo Epaphroditi concepto, liberarent.

Vers. 27. Deinde morbum ejus sonticum, & mortis periculo proximum commemorat, simulq; misericordiam Dei in restituenda ei valetudine, cujus fructum ad se quoque redundasse ait, *ne dolorem super dolorem haberet.* Nam si mortuus tunc Epaphroditus fuisset; super dolorem ex jactura fidelis amici, & commilitonis, alium insuper dolorem ex luctu, ac desiderio Philippensium, atque incommodo per obitum Apostoli, & Doctoris sui, idque ipsiusmet Pauli causa, & occasione acceptо, habuisset.

Vers. 28. Denique ex ista causa deducit, tanto libentius Epaphroditum à se ad eos dimissum, ut & illi loco doloris, & sollicitudinis de absente ex præsentia ejus solatium, & gaudium caperent, & ipse quoque Paulus isto dolore, quem ex Philippensium de Epaphrodito sollicitudine capiebat, liberaretur. Tacite enim innuit, non Epaphroditum solùm, ut (*vers.* 26.) dixit, ex ipsorum metu, ac sollicitudine; sed se ipsum quoque dolorem cepisse. Quæ omnia Christianæ caritatis lineamenta, ut & ex sequentibus pleraque non inutiliter inspicienda, & contemplanda sunt. Est enim in iis expressa civilitatis morum in vera Christi Ecclesia effigies. nisi quod in iis, non larva, & facies, & nudus color; sed vera, & viva facies veræ, ac synceræ caritatis, ac benevolentiæ, atque illius amicitiæ, quæ felicitatem humanam in terris perficit, cernatur.

Vers. 29. Postremo ipsum iterum commendat, & ut *cum gaudio* ab iis *recipiatur, & in tanto majori pretio ab iis habeatur*, eoque majori honore cum omnibus

sui

ſui ſimilibus dignus cenſeatur, admonet; quia (*verſ. ultimo*) præſentiſſimum vitæ periculum adiit, non Pauli tantùm cauſa, ſed ipſorum Philippenſium. Ne enim deeſſent officio erga Paulum ſuo Philippenſes; ille libenter, ac forte (ut eventus oſtendit) tenuem valetudinem ſuam nihil moratus, ſuſcepit hoc iter ex Macedonia Romam, cujus moleſtiis, & incommodis vexatus in gravem morbum incidit. Omiſſionem igitur iſtius officii Paulus ὑστέρημα (*defectum*) Philippenſium vocat, quod Epaphroditum, ſuſcepto ſibi tam periculoſo itinere, impleviſſe ait. Ex iſtis enim verbis veriſimile fit, niſi Epaphroditus, ſpreto valetudinis periculo, ſuſcepiſſet iter hoc, nemine alio illud ſuſcipiente; Philippenſes vel invitos, & inopia miniſtrorum adactos, officium hoc omiſſuros fuiſſe.

CAPUT III.

REmotis igitur omnibus cauſis, & occaſionibus mæroris, & ſollicitudinis; gaudere ipſos jubet. quod monitum occaſione quidem redditi ipſis incolumis Epaphroditi datum; latius tamen protendi nihil prohibet, ut ex aliis Sacræ Scripturæ locis patet, cum homines Chriſtiani ex triſtibus tenebris ad meram, & jucundiſſimam lucem tranſlati, habeant perpetuò cur gaudeant: nec admodum multa incidant, è fortuitis caſibus, quæ gaudium iſtud gravius perturbare poſſint. ut in iis potiſſimum locum habeat, quod in aureo Pythagoræ carmine legimus.

ὃ ποτὲ τοῖς ἀγαθοῖς τόπον πολὺ μᾶλλον διδοῖ

Sed tunc potiſſimum cum aliquod imminens periculum avertitur, & gravioris curæ anxietas tranſit (ut tunc accidit, cum redivivus Epaphroditus Philippenſibus redderetur) maxima ſit occaſio moniti hujus Apoſtolici, ut fideles ad purum illud, quodque nulla triſtis cura decerpit, gaudium, vocationi ſuæ congruens, revertantur.

Excuſat autem frequentem hujus moniti ſui inculcationem Apoſtolus. cujus excuſationis occaſio primùm, dein modus notanda ſunt. Occaſio quia in ſuperiori Cap. *verſ.* 18., & 28., & 29. idem præceptum jam aliquoties inculcaverat. Modus autem excuſandi eſt, quia tam frequens inculcatio Apoſtolo quidem nihil oberat, nec erat moleſta; cum tamen ipſi moleſtior eſſe deberet quam aliis: quia non eſſet ὀκνηρὸς id eſt *piger*, ad eundem laborem commodo fratrum toties ſuſcipiendum: ipſis vero proderat, ne monita, levi mentione tranſmiſſa, è memoria effluerent, ſed ſæpius repoſita, firmiores in mentibus eorum radices agerent. quod ipſis tutius erat; quam novis ſubinde doctrinis aures, atque animum delectare potius, quam paſcere.

Verſ. 2. Et quia ſub finem ſuperioris capitis, neceſſariam doctrinam verſu penultimo tradiderat, de veris fratribus pretio ſuo æſtimandis, & honore digno afficiendis, qui exercendæ caritatis cauſa vitæ pericula adire non gravantur; Ideo æque neceſſariam doctrinam ſtatum ſubjicit *verſ.* 2. de falſis, & noxiis fratribus ſuo quoque pretio æſtimandis, & nihili faciendis; quia ſint *mali operarii*, & in carnalibus doctrinis tradendis terreſtria tantum ſapiant, & quærant. Quam doctrinam toto fere capite tractat. Et ne latere poſſit cujus generis fratres intelligat, per vocem *conciſionis* contemptim doctrinam illam Judaiſantium de circumciſione perſtringit, atque ipſos, qui doctrinam iſtam ſpargebant: quia more canum, ſine ulla juſta cauſa, prædicationem Apoſtoli indefinenter allatrabant canes vocat; ſimul innuere volens, quanti latratus eorum faciendi eſſent, hoc eſt, nihilò pluris, quam earum animantium, quæ, vel ob id quod homini ſint nimis familiares, magis etiam quam alia animalia contemnuntur. Quia enim veros, & Epaphroditi ſimiles fratres, paulo ante in pretio habendos eſſe oſtendit; idcircò hic falſos fratres, & malos operarios, per non ineptam antitheſin, ſpernendos eſſe innuit. ita ut vox hæc, non per convicium Apoſtolo exciderit; ſed aptiori ſimilitudine, & indolem eorum, & eam, quam ſua culpa merebantur, apud omnes æſtimationem depingere vix potuerit. Eadem ſimilitudine. *Apoc.* XXII. 15. depingit Spiritus Sanctus excluſos à civitate ſancta, non per convicium, ſed per deſcriptionem à ſimilitudine.

Convertitur mox ad doctrinam eorum refutandam, & oſtendit eos falſam circumciſionem in Eccleſiam introducere velle, hoc eſt, non eam, quam primitùs per illam carnalem ceremoniam Deus præfigurare voluit. qualis in Chriſtianis reperiri debebat qui Spiritu Deo ſerviunt. quæ idcircò etiam non carnalis, ſed ſpiritualis eſt circumciſio. Quemadmodum enim in carnali ſine gravi noxa corporis, ſuperfluæ ejus particulæ in partibus, per quas vulgo maximè peccatur, circumcidantur; ita in ſpirituali ſine magno damno rerum terreſtrium, quarum alioqui facilis eſt jactura, cum incomparabili vero hominis emolumento, circumciduntur omnes cupiditates, & ad peccata inclinationes. Quarum circumciſionum prior, quia parum utilis, & tantum typi, ac figuræ cauſâ introducta fuit; idcirco ſuperventu poſterioris, qui fuit ejus antitypus, ceſſare debuit. Merito igitur Paulus non illos, in carne recutitos, ſed Chriſtianos, eſſe veram circumciſionem aſſerit: quos duobus diſcriminibus ab illis recutitis diſtinguit. Primùm quod illi carne; Chriſtiani vero ſpiritu Deo ſerviunt, qui ut ipſe Spiritus eſt, ita Spirituales ſui cultores quærit. *Joh:* IV. 23.24. Deinde quod Chriſtiani, non in carne confidant, ſicut Judæi; ſed glorientur in Chriſto Jeſu. Ubi tacite omnipotentiam Chriſti debilitati carnis non incongruè opponere videtur, ut oſtendat, quam impares ſint gloriationis cauſæ.

Quid autem per fiduciam in carne intelligatur, explicat Apoſtolus *verſ.* 5. & 6. hoc eſt, *eſſe circumciſum octavo die, ex genere Iſraël, Hebræum ex Hebræis, ſine ulla peregrinitatis mixtura. Eſſe ex perfectiſſima Judæorum ſecta, zelotam Legis, & ſecundum eam irreprehenſibiliter viventem.*

Ut autem tacitæ objectioni Judæorum occurreret, quæ in animis Judæorum oboriri poterat, iniquè à Chriſtianis carpi, ac deſpici decora iſta, & præeminentias, à quibus ipſi per natalium ſortem excluſi ſint; oſtendit ſe non modo ab iſtis, de quibus Judæi gloriabantur, ornamentis excluſum non eſſe; ſed ipſis juſtius præ multis aliis gloriari poſſe. quæ ſingula, prout modo commemoravimus, recenſet. *Verſ.* 5., & 6. *Sed (verſ.* 7.) *quæ ipſi* quondam *lucro eſſe viſa ſint, ea propter Chriſtum pro damno reputaſſe.* veram enim Chriſti doctrinam prædicans in tanta popularium ſuorum odia ſciens volenſque incidit, ut ipſi apud gentem ſuam nihil iſta omnia prodeſſent, quæ quondam proderant, & ob quæ apud ſuos magni fiebat. Fecit igitur jacturam earum rerum libenter, propter illam perfectiorem cognitionem doctrinæ Jeſu Chriſti, quam adeptus eſt, & qua alios imbuebat. Nec enim damni hujus pœnitebat, quia præ iis, quæ in Chriſto adeptus eſt, ſordebant ipſi, & deſpicatui erant omnia, quæ amiſit tanquam fæces, & purgamenta, præ lucris in Chriſto pretioſiſſimis *verſ.* 8. quæ lucra vocat *propter eminentiam notitiæ Chriſti*, τῆς ὑπερεχούσης τῆς γνώσεως, Chriſti Jeſu Domini mei.

(*Verſ.* 9.) Recenſet autem lucra iſta, & opponit fæcibus illis, quas amiſit. Primum igitur dicit ſe adeptum eſſe, *juſtitiam*, hoc eſt, *juſtificationem*: non illam, quæ ex operibus eſſe debebat, & quam lex promittebat, ſed non niſi iis, qui fecerint omnia, quæ præcepta erant in lege. quæ merito fex dicitur, reſpectu veræ

justificationis, quia erat inutilis, & impossibilis; Sed justificationem ex fide in Deum per Jesum Christum, quæ erat utilissima, & maxime possibilis, cùm propter indulgentiam Novi Fœderis, tùm propter illud cælestè, ac præsentissimum auxilium, quod Christus à Deo per Spiritum Sanctum præbebat.

Notandum autem hic est, quod Apostolus justificationem ex operibus vocat ἰδικὴν, quasi *nostram*: eamque videtur opponere justificationi fidei, in eo quod illa ex operibus viribus nostris propriis infirmis nitatur. Ea vero quæ ex fide, gratia, & misericordia Dei, ad infirmitates nostras conniventis gratuito Dei, Christique auxilio, per Spiritum Sanctum submisso. Ideoque illa, ob infirmitatem virium nostrarum impossibilis, hæc facilis, aut certe non ita difficilis, quin eam, qui modo velit, certò certius assequi possit. Quamvis enim opera fidei, hoc est, virtutes Christianæ, longe sint acquisitu, ac præstitu difficiliores, quàm opera Legis, & præcepta illa majori ex parte ceremonialia; tamen præter promissorum excellentiam, quibus homines in operibus fidei sublevantur, qua carebant ii, qui operibus Legis justificari volebant, longe majori, & communiori (imò vero omnibus patenti, & exposito) dono Spiritus Sancti Christiani nunc adjuvantur, quàm olim Judæi; ideo mirum non est, quòd omnia possint in eo, qui corroborat eos, Christo. Dispensat enim Deus cæleste suum auxilium hominibus pro modo, aut modulo objectarum ipsis in negotio salutis difficultatum, ne desit virtuti materies, & nostræ quælicunque laudi, & præmio, campus. Quæ difficultates non erant tantæ olim, quantæ nunc sunt, præsertim in casu persecutionis, quanquam & extra persecutionem à rebus humanis, & sensibus obviis animum ad cælestia semper attollere, & à terrenis abstrahere, & in omnibus vim sibi inferre, renunciando plerisque vitæ solatiis, in perpetuis excubiis, & in præsentia numinis (propter conjunctionem nobiscum Spiritus Sancti.) perpetuò agere, cum timore, ac tremore salutem nostram operari; longe sunt difficiliora, quàm ea, quæ quondam sub veteri fœdere facienda erant. Hæc longe majori Dei auxilio indigent, quam infantes masculos circumcidere, delectum ciborum, aut alias ceremonias observare, & in reliquis vitæ actionibus pœnis Legum forensium in officio contineri. Facilius enim est Deo carne, quam Spiritu servire. Ideo Deus nunc longe uberius donum Spiritus sui in nostrum effundit auxilium, quàm olim, relicto tamen semper nostræ quoque propriæ contentioni loco. Nam si Deus solus, absque ulla opera, & obsequio nostro, omnia in nobis sanctitatis officia perageret; æque ridiculum esset ex eo gloriam quærere, ac si quis in excellenti aliquo opere automato laudem artificii quærens; spectandum illud exhiberet ità, ut ad singulos ejus motus manum suam adhiberet. Est igitur in fidei quoque operibus aliqua laus nostra, quæ nos Deo commendat, & placere facit. Sed ea collata cum infinita gratiæ, & auxilii cælestis, quod nobis succurrit, magnitudine; habet se instar puncti respectu circuli sui. Quemadmodum terræ magnitudo, quamvis ejus moles vasta sit, evanescit ad comparationem orbium cælestium, ita ut eorum respectu puncti, cujus ratio etiam in corporeo nostro visu non habet, vicem obtineat.

Nec enim ista comparativa, ut sic loquar, terræ exiguitas, quòd respectu majorum corporum puncti instar sit, impedit quo minùs ipsa per se considerata in vastissimam magnitudinem, latitudinem, profunditatem, extensa sit. Ita magnum istud, & oportunum cælitùs descendens auxilium, quamvis, si cum *concurrente* secum opella nostra conferatur, infinitis partibus plùs ad efficiendum in nobis aliquod bonum opus, & ingenerandam sanctimoniam conferat, quàm infirmæ vires nostræ, & fluxa, & imbecilla quandoque nutantis nostri propositi fides, atque tenacitas; tamen in Christianorum quoque propriis laboribus, si per se, & sine collatione cum Dei auxilio spectentur, non deest id, quod Deo vehementer placet, & gratissimum est: quod certe non est nihil, neque res plane nullius, aut exigui momenti: Sed habet etiam suum aliquod (saltem illud quod ipsi Deus facit) pretium, suam magnitudinem, suos gradus, sua incrementa. Quæ tamen omnia evanescunt, si cum promissis Dei, cum spe, ac præmio vitæ æternæ, cum efficaci ejus confirmatione, cum arrhabone Spiritus Sancti, & multiplici Dei auxilio: sed præcipue cum illa paterna sub Novo Fœdere, in remissione peccatorum nostrorum Dei indulgentia comparentur. adeo ut eo respectu justitia, & justificatio fidei, non nostra, sed quodammodo aliena, hoc est Dei: justitia vero, & justificatio operum, seu ex operibus Legis (posita tamen hypothesi, si in nobis locum habere posset) non aliena, sed nostra dici suo modo potuerit.

Non eamen diffiteor, posse ista verba simpliciùs ita explicari; *non habens justitiam*, hoc est, *justificationem meam ex Lege, sed ex fide Christi*, ita ut vox *meam* non oppolite ad alienam intelligenda; sed κατὰ τοῦτο ad oppositam quoque justificationem referenda, atque in ejus quoque mentione repetenda sit. quæ explicatio, ut planior; ita, nisi fallor, verior est.

Vers. 10. Nunc explicat illud τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ, *eminentiam notitiæ Christi*: quale sit *lucrum*, inquam, illud, præ quo ipsi sordebant omnia, quæ amiserat apud Judæos, cognitionem illam eminentem Christi. cujus *excellentia* (ὑπερέχον) in eo consistit, ut norimus vim Resurrectionis ejus, & eorum, quæ cum ista resurrectione conjuncta, aut eam necessario consecuta sunt. Quæ *vis*, cum antecedente per eundem Christum vitæ æternæ promisso connexa; tantæ est efficaciæ, ut nihil laborum, aut afflictionum, Christi causa suscipiendorum, nos gravari permittat; sed prompto, ac libenti animo, imo ardenti, ac indefesso studio, cùm aliis ærumnis, tum præcipue morti Christi nos conformari efficiat: tanti exempli specimine, ac certitudine nos excitans, & exstimulans, ut ipsi quoque similem resurrectionem, & gloriam (*vers.* 11.) consequi, & assequi enitamur, eorum exemplo, qui rem aliquam arduam, & longe à nobis positam, & quasi fugientem, ea celeritate sequuntur, ut ipsam quasi præcurrendo obviam factam comprehendant. *Conformatio* autem *morti Christi*, & afflictionibus ejus; non in eo tantum est, ut easdem, aut similes afflictiones ejus causa libenter patiamur. quod non semper, nec omnibus saltem æque accedit; sed ut omnibus quoque peccatis moriamur (*Rom.* VI.) veterem hominem (hoc est, affectus nostros) crucifigamus, nosque ipsos abnegemus, atque ita commoriamur, & consepeliamur Christo, (quod per typum baptismi in prima nostra sacrorum Christi initiatione adumbratum est.) ut quemadmodum Christus resuscitatus est, & in immortali, atque glorioso statu vivit, ita nos quoque à peccatis resurgamus, & in novitate vitæ ambulemus. Quæ conformatio morti, & eam subsecutæ resurrectioni Christi, omnibus æque communis est, ac semper, & ubique locum habet.

Hanc conformationem morti Christi, & causam ejus finalem, ut possimus conformari etiam resurrectioni ejus; profert ejusmodi verbis, ut satis ostendat,

oſtendat, maximo ſtudio, & indefeſſo conatu nobis eſſe in iſta conformatione morti Chriſti, & afflictionibus ejus elaborandum; ſi velimus eò pervenire, ut reſurrectioni ejus conformemur. Oſtendit autem hoc periculum, ne tanto bono excidamus, dupliciter. Primo, in verbis: Secundo, in ſenſu. In verbis *verſ.* 11. *Si quomodo occurram in reſurrectionem.* quæ evidenter indicant, in hoc negotio non ſemper, nec qualicunque conatui noſtro reſpondere qualem optamus eventum; ſed eſſe in eo multùm periculi, ac difficultatis, ne qua culpa noſtra mens tantis excidat auſis. Non igitur languide, aut negligenter conſectandum iſtud bonum; ſed illud monitum, præ oculis perpetuo, & in animo habendum

Verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid
Sive animis, ſive arte vales.

Ut, ſi hac forte non ſuccedat, aliam viam conformandi ſeſe Chriſto, atque ita conſequendi hujus boni ineas, & obſtinato ſtudio in inveniendo ad illud aditu connitare.

Quod & in illis verbis exprimitur *verſ.* 12. *perſequor autem, ſi & comprehendam.* quo nihil aliud oſtenditur, quàm quod non qualicunque curæ, aut perſecutioni noſtræ reſpondeat hic optatus adeptionis, aut comprehenſionis eventus; ſed magna cura, & ſollicitudine perpetuò vigilandum, ac videndum quomodo id perſequamur, quod aſſequi noſtra plurimum intereſt.

In ſenſu autem idem periculum nobis ob oculos ponitur, quod ipſe Paulus vir tantus, & vas electum Domini, hujus ſeſe periculi plane, & abſolute expertem non fuiſſe, & adeo quidem aſſeveranter pronunciet. Quamvis enim non dubitem & tunc, cum iſtam Epiſtolam Apoſtolus ad Philippenſes dictaret, & alias ſemper, poſtquam Apoſtolatus munere fungi cæpit, nullum fortè fuiſſe tempus ejus ævi, quo, ſi mortis ejus hora incidiſſet, certiſſimam ſpem vitæ æternæ non habuerit; ita ut firmiter ſentiam, nunquam eum poſt acceptam tantam Spiritus Sancti copiam, in tam miſerum ſtatum delapſum, ut ipſi mors æterna timenda fuerit. Ambulabat enim ſemper ſecundum Spiritum; non ſecundum carnem. quæ ambulatio, ſeu potius ſecundum ſpiritum vivendi conſuetudo ejus eſt naturæ, ut incidentibus forte rarioribus lapſibus non deſinat, nec poſſit corrumpi, niſi forte pravi actus in conſuetudinem migrent. Tamen & homines in tam felici vitæ ſtatu conſtituti, ex natura, & indole præteriti, ac præſentis ſtatus ſui, de futuri ſtatus conditione certi, ac neceſſarii nihil concludere poſſunt, ita nec Paulus potuit abſque præſuppoſita hypotheſi, quòd in eo bonæ conſcientiæ ſtatu, & indefeſſa ſalutis ſuæ cura conſtanter permanſurus eſſet. Quod quia voluntarium eſt, non neceſſarium; (Poſſunt enim ejuſmodi homines, ne Paulo quidem, aut ejus ſimilibus exceptis, ſi naturam eorum ſpectes, ſenſim de ejuſmodi cura remittendo, tandem in eum ſtatum delabi, ut eam plane deponant, aut abjiciant) ideo Paulus merito dicere potuit, ſe nondum cepiſſe, quod capere volebat, nondum aſſecutum, quod perſequebatur: quia ipſi eadem, quæ ante incumbebat neceſſitas, ardenti, & indefeſſo ſtudio, in ſalutis ſuæ curſu contendendi. quod & in perſona ejus verum erat: ſed propter ædificationem aliorum, multò diligentius etiam, & non ſine multò majori neceſſitate fuit inculcandum. Atque hæc fuit cauſa, ob quam Apoſtolus toties hoc loco inculcat, ſe nondum id conſecutum, quod tanto ſtudio, tantaque cura conſectabatur. adeo ut ſibi de priſtina contentione nihil ſit remittendum. Id ſine dubio oſtendere volens, neminem ſibi tam noxiè blandiri debere, ut ſe jam in hac vita tàm altè aſcendiſſe, & eo loci conſtitiſſe exiſtimet; in quo extra Satanæ teli jactum poſitus, & omnium tentationum ſecurus eſſe poſſit, quibus de ſtatu ſuo dejici queat, tanto etiam graviori præcipitio, quanto forte altius aſcendet. Quæ opinio ſane ad minuendum illud anxium, & ardens ſtudium, quod in ſalutis negotio omnibus adhibendum eſt, mire eſt efficax, ideoque ſollicite ab Apoſtolo ex animis omnium evellitur. Si enim Apoſtolo perſeverandi in contentione ſpirituali incumbebat neceſſitas; quanto magis aliis.

Atque hic locus illuſtris eſt ad oſtentandam vanitatem opinionum de prædeſtinationis, & electionis neceſſitate, ac certitudine: multoque magis de earum opinionum utilitate ad ſalutem: vel, quod magis mirere, neceſſitate; cum iſtæ perſuaſiones, ad omnes religionis, & in ſtudio ſalutis contentionis radices excindendas ſecurim admoveant.

Porro adeptionem iſtius felicitatis, quæ nobis à Deo promiſſa eſt, exprimit hoc loco per voces *apprehendere, & perfectum fieri.* quarum prior denotat contentionis noſtræ in adipiſcenda ſalute quandam violentiam, non abſimilem ei, qua Paulus ipſe ad Chriſtum pertractus dicitur *verſ.* 12. poſterior autem indicat felicitatis hujus præſtantiam, ac certitudinem, quod in illa aſſequamur omnibus numeris perfectum, & conſummatum conditionis noſtræ ſtatum. Qui enim conſummato vitæ curſu in ſpe ſalutis certiſſima moriuntur; vocantur ab Autore Epiſtolæ ab *Hebr.* τετελειωμένοι πνεύματα, *Spiritus perfectionem conſecuti, aut ad perfectionem deducti,* quia in illis nihil ſupereſt, quod jam laboretur, nulli ſtudio, nulli contentioni locus eſt, quia curſum ſuum confecerunt. Ideo cupiebat ἀναλῦσαι, *diſſolvi,* ex portu vitæ ſolvere, & cum Chriſto eſſe. quod multo magis de omnibus reliquis, dum in hac vita degunt, ſentiendum eſt. Atque hoc loco Apoſtolus ait, dum viveret, *nondum perfectus factus ſum.* Quia tunc adhuc maximo ſtudio, & contentioni ejus in negotio ſalutis ſuæ, & alienæ locus erat.

Quam contentionem *verſ.* 14. graphice deſcribit. In qua deſcriptione ſimul tacitæ objectioni occurritur, quæ cuipiam in mentem venire poterat, quamobrem Apoſtolus ſe nondum cepiſſe, aut aſſecutum eſſe ſalutem aſſerat, cum ad ejuſmodi pietatis gradum pervenerit, in quo, ſi exſtinctus fuiſſet, de ſalute ejus dubitari non poterat. Tacite igitur concedit Apoſtolus, aut certe non negat, quantum ad eam vitæ ſuæ partem attinet, quæ jam præteriit; ſeſe à certiſſima ſpe ſalutis ſuæ excluſum non fuiſſe, neque eſſe. Sed quia reliquum ævi ſui reſtet, in quo ab ea ſpe, niſi ſibi caveat, excludi poſſit; ideò eorum, quæ præterierunt obliviſcendum eſſe, & in eo, quod ſupereſt, præſenti, ac futuro tempore urgendum priſtinum pietatis, & ſanctimoniæ curſum. Negotium enim pietatis ſimile eſt laboribus hominum, adverſo flumine natantium, aut navigantium, qui natando, aut navigando, ſi ad deſtinatum locum pervenerint, conſumarunt, ac perfecerunt curſum ſuum: & jam quoad eum τετελειωμένοι ſint, *conſummati ſunt.* (quemadmodum & homines pii cum moriantur.) Sin adhuc aliquod, & exiguum ſpatium curſus ſui conficiendi, natandi, aut navigandi ſuperſit; æque ut ante, interdum & magis, ſi vertices periculoſi interveniant, contendendum eſt: nec remittendus labor, niſi ex adverſo incumbentibus undis retro abripi velimus. Porro contentionis hujus primam partem ponit, primumque officium, *ut eorum, quæ retro ſunt, obliviſcamur,* hoc eſt, eorum quæ, aut ipſi recte, laudabiliterque fecimus: aut à Deo præ aliis multis conſecuti ſumus. Fit enim plerumque, ut blanda rerum

à se gestarum memoria animus aut periculosè tumeat, aut certe, non minori discrimine, in spiritualem quandam securitatem resolvatur. Secundum contentionis hujus officium est, ut ad ea, quæ præ nobis sunt, nos extendamus, hoc est, ut non simpliciter in hoc stadio curramus; sed omnes nervos ad currendi celeritatem, & constantiam intendamus.

Tertium est, ut scopum semper præ oculis habeamus; juxta illud

——— clavumque affixus, & hærens
Nunquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

Hoc est, quod Auctor Epistolæ ad Hebr. de Mose prædicat *Cap.* XI. *vers.* 26. *Respexit enim mercedis retributionem.* Hæc est illa *galea salutis*, nunquam dimittere ex animo præmii illius cælestis, quo ad sanctimoniam invitamur, contemplationem. Hoc enim est verè scopum versus ferri, aut secundum scopum persequi. vide 1. *Cor.* IX. 24. sed præcipue *vers.* 26. *ita curro; ut non in incertum: ita pugilem ago; ut non aërem verberans.* Et *Heb.* XII. 1. 2. jubemur *decurrere stadium*, & agonem curriculi nostri, respectantes *in Ducem fidei nostræ, & consummatorem Jesum, qui pro proposito sibi gaudio pertulit crucem &c.* Si Dux salutis nostræ præ oculis habuit propositum sibi gaudium, atque illud hac ratione assecutus est; quanto magis nos illud perpetuo prospectare, & mentis nostræ oculos, atque aciem in illud intendere debemus.

Quartum est, ut non simplici obtutu brabeum istud certaminis nostri transvolemus; sed in eo oculos penitus defigamus, considerantes præmii propositi magnitudinem, vocationis nostræ præstantiam, nobilitatemque omnibus terrenis ornamentis longo intervallo superiorem, utpote cælestem, non à mortali aliquo agonotheta, rege, aut principe terreno; sed ab omnium Deorum supremo originem habentem. Quia enim Christus Jesus juxta Deum omnibus aliis longe præcellit; ideo vocatio Dei, quæ est in Christo Jesu, omnium aliarum vocationum, omnium statuum, qui in terris fingi possunt, est excellentissima.

Vers. 15. Alio sensu hoc loco vocem *Perfecti* usurpat Apostolus, quam supra *vers.* 12. vocem *Perfectus sum.* Nunc enim dicit se perfectum; cum antea dixisset se nondum esse perfectum. Nimirum perfectio Christiana duplicis est generis. alia, quæ ante consummatum certaminis eorum cursum (ne ab allegoria hujus loci descendamus) in ipsis cernitur: alia, quæ post absolutum certamen, & obtentam victoriæ palmam. Nec sine dubio perfectior, atque præstantior, de qua *vers.* 12. locutus est: illa imperfectior; quia mutari, & adimi potest, de qua hoc *vers.* agit. *Quotquot* inquit *perfecti sumus, ita animo comparati simus.*

Unde videmus, perfectionem Christianismi, & summum gradum, & apicem in hac vita in eo consistere, ut homines, posito sibi ob oculos cælestis vitæ præmio; summis viribus, summo conatu, summa contentione certamen vocationis suæ cælestis decurrant. quod est ex toto corde, & anima sua diligere Deum. Quæ via publica, & in usum omnium à Deo strata, ac munita ad perfectionem longe compendiosior est; semitis Anachoretarum, Stylitarum, Mendicantium, Observantium, & omnium cucullatorum.

Hoc igitur ante omnia curandum est, *ut ita animo comparati simus.* Quod si quis nondum eo perfectionis pervenerit, ut animum suum in eum statum composuerit. non enim omnium ea est felicitas, atque perfectio; ne desperet tamen. Nam Dei auxilio mentem ipsius Spiritu suo illustrantis, & confirmantis, idem assequi potest. dummodo eo, quem jam assecutus est, pietatis gradu non contentus; ab regia ista via, quam Christus, & Apostoli ejus munierunt, quam ipsi ingressi sunt, non discedat, nec faciat secessionem; sed ire ipse quoque

Qua proceres abiere pii. ———

eosque imitari, pro viribus contendat. Cui rei *vers.* 17. suum, suique similium typum, & exemplum Paulus ostendit. Ita enim natura comparatum est, ut homines, quæ capere non possunt, aut potius nolunt, ac difficultate absterriti gravantur; ea carpere, quam consectari malint. Et hæc fuit origo multarum hæresium, quod homines carnales, cum ab animis suis ventri, aut voluptatibus deditis, impetrare non possent, ut sese in eum statum, qualem Apostolus *vers.* 14. describit, componerent; commenti sint dogmata vitiis, & corruptis moribus suis blandientia.

Quod genus hominum ipso illo aureo Apostolorum seculo, non exortum tantum; sed non mediocriter inter Christianos propagatum est. Adeo ut frequenter eo nomine Ecclesiæ monendæ fuerint (*vers.* 18.) & quidem non sine magnis querimoniis, atque fletu Pauli, ut sibi ab iis caverent. Tales autem *inimicos crucis Christi* vocat, non eo tantum nomine, quod *terrenum* nescio quid, *sapientes*, averserentur afflictiones Christi causa suscipiendas: sed quod *ventrem pro Deo* habentes, & colentes, & *gloriam in turpitudine sua* quærentes, in domandis, & crucifigendis affectibus suis morti Christi conformari recusarent. vide supra *vers.* 10., & *Rom.* VI. quorum *finem* prædicit *perditionem*, qui se suosque omnes asseclas involvere inevitabili malo sustinent. Quo magis ab iis cavendum sit. Redire enim hoc loco videtur ad monitum *vers.* 2. datum, *Aspicite canes*, hoc est, cavete ab iis. Quamvis autem monitum hoc Apostoli *vers. secundo* ad illos tantum Pseudo-apostolos pertinere videatur, quia ex ea occasione datum est, quod plurimi difficultate perfectionis Christianæ, quam *vers.* 14. depingit, offensi, atque absterriti, à regia ista via Christi, & Apostolorum vestigiis trita, in qua multa adversa subeunda, & difficilia suscipienda sunt; secessionem faciant ad hæreseon, & schismatum semitas, quales non soli erant Judaisantes Pseudo-apostoli, sed alii quoque hellenizantes Sophistæ. Judaizantes tamen hoc quoque loco signanter comprehendit, ac perstringit, quia & illi inimici crucis Christi vel eo nomine dici poterant, quod Christianismum in Judaismum transmutantes, persecutiones adversus Christianos motas Judaicæ gentis (quæ persecutionibus non ita incessebatur) institutis velare, & effugere, atque eludere vellent. Deinde quod *gloriam* ex obscæna sui parte circumcisa venarentur &c. Latius tamen loci hujus monitum porrigi nihil prohibet, & res ipsa postulat.

Inimici crucis Christi, sive Judaizantes, sive sint Græcissantes; ideo persecutiones abominantur, quia in rebus terrenis spes suas collocant, & nihil sapiunt, nisi terrenum. Quales & illi Judaizantes erant, qui sub titulo gentis, & Reipublicæ Judaicæ (quæ tempore pacis, & ante ultimum bellum Romano imperio subjecta, nec ullis persecutionibus, aut afflictionibus obnoxia erat) saltem apud gentes tuti esse volebant. Opponit igitur *versu* 20. Apostolus, istis, qui terrena tantum sapiebant; vocationem Christianorum, qui longe his potiora, & cælestia meditabantur: cælestem, inquam, illam Reipublicam, cælestia regna, & imperia singulis promissa, cælitùs venturum *Servatorem*, *Christum*, *Dominum nostrum*, *qui* (*vers.* 21.) *transfigurabit*

figurabit corpus vilitatis, & humilitatis noſtræ, hoc eſt, in quo maxima vilitas, & imperfectio noſtra cernitur, *ut ſit conforme corpori gloriæ ejus*, hoc eſt, corpori ejus glorioſo, quod cælo, & ſideribus formoſius, & omni re aſpectabili excellentius, & glorioſius eſt, *ſecundum eam efficaciam, quâ ſibi poteſt ſubjicere omnia.* Omnipotentiam Chriſti deſcribit, tàm latè ſe extendentem, ut nihil ab illa exceptum oſtendat, ſicut & 1. Cor. XV. 27.

CAPUT IV.

EX his concludit Philippenſes non debere exemplo inimicorum crucis Chriſti, pravè ambulantium, abripi à recta ſalutis via; ſed inſiſtere firmiter veſtigiis Apoſtoli Pauli, & aliorum Chriſtum imitantium, ut ſint eorum *Coimitatores*, (συμμιμηταὶ) (ſcilicet Chriſti) conformantes ſeſe cruci, & afflictionibus Chriſti: non modo patienter omnia Chriſti cauſa ferendo; ſed exemplo, & imitatione Chriſti, pro nobis morientis, veterem hominem in ſe ipſis crucifigendo, & nulli labori, aut contentioni parcendo, ſi quomodo poſſint propoſitam ſibi, & præ oculis perpetuò habendam remunerationem aſſequi.

Quod ſecum neceſſario trahebat perfectionis ſtudium, & conſectationem, quæ, quamvis vires multorum ſuperare videatur (*verſ.* 15.) non tamen deſperandum eſt Dei auxilio fretis, qui cunctis in eo opitulari paratus eſt. Nec more inimicorum Chriſti ſeceſſio facienda ab iis, quorum perfectionem aſſequi difficile videtur; ſed conſentiendum plane, & conſpirandum cum iis in concordi pietatis ſtudio: quorum veſtigia jam aliquo uſque ingreſſi ſumus (*verſ.* 16. *cap.* III.)

Concluſionem autem iſtam proponit verbis ita blandis, & ad perſuadendum aptis, ut eos rogare magis, quàm monere, aut ipſis aliquid præcipere videatur.

Fratres primum vocat, deinde *dilectos*: nec ſimplici caritate ſibi devinctos; ſed quorum ardenti deſiderio flagraret, cauſas tam vividi amoris habens non vulgares, quod eſſent *gaudium* ipſius & *corona*, hoc eſt, quod non modo maximum ex eorum pietate caperet ſolatium; ſed etiam fructum laudis, & gloriationis coràm Chriſto. *Sic*, inquit, *ſtate in Domino.* Conſtantia, & perſeverantia, in eo, quod ſupra deſcripſit, ſtudio pietatis, per vocem hanc στήκετε *ſtate* deſignatur, hoc eſt, non fluctuantes, neque fluxo, ac trepido gradu titubantes, & concuſſi; ſed ſolide, ac firmiter in propoſitis ſibi Chriſti, & Apoſtolorum veſtigiis conſiſtentes perſeverate. *Sic*, inquit, *in Domino ſtate dilecti. Stare in Domino*, eſt conſtanter Dominum imitari. quod nulla re facilius perfici poteſt, quàm conſiderando quantòpere nos Dominus dilexerit, ac diligat, mutuam, ac reciprocam erga Dominum, & omnes, qui ad eum pertinent, dilectionem in ſe excitare, eaque flagrare. Nec fruſtra enim παυτολογεῖ, aut vocem hanc repetit.

Verſ. 2. Quibus in genere præmiſſis; in ſpecie Evodiam, & Syntychen tangit, & ad concordiam hortatur: mulieres pias illas quidem; ſed inter quas fermenti neſcio quid interceſſerat. Quo nomine veriſimile eſt, illas ab Epiſcopo illius Eccleſiæ correptas, alienationem aliquam ejus à ſeſe meruiſſe.

Verſ. 3. Statim enim ſermonem ad eum convertit Apoſtolus blanda allocutione *Collegam ſuum*, *germanum*, & genuinum (vel ad verbum, ejuſdem jugi nexu copulatum) apellans, & poſtulans ab eo, ut eas placide, & indulgenter tractet: συναμβάνου αὐταῖς. quæ vox ſignificat *porrigere alicui adjutricem manum*, in eo quod ipſe per ſe præſtare non valeat. quemadmodum Chriſtus peccatoribus ſolet: aut pater filio vacillanti, & ob ætatem ægre incedenti. Sæpe enim peccatores, & quos corrigere volumus, ea arte tractandi ſunt, ut partem oneris eorum, quod totum ſoli portare debebant, in nos recipiamus, & quaſi partes eorum ſuſcipientes, quo minori pudore, & ignominia ad ſanitatem redeant, viam illis extricandi ſeſe ex urgenti difficultate oſtendamus, ac præeamus. Meruerant autem iſtæ mulieres hanc indulgentiam, quod *certaminum Pauli*, Evangelium prædicantis, *participes fuerint, una cum Clemente, & aliis operarijs Pauli.* Tales autem homines, in quibus altius hæſerunt ſemina pietatis; præfracta, & duriori objurgatione non indigent. Habent enim intus inextinctum pietatis fomitem, qui levi flatu exardeſcit. Alia ratio eorum eſt, quibus tam exigua ætherei ignis ſcintilla reliqua eſt, ut niſi vehementiſſimis flabris excitari nequeat.

Notandum autem hic, quàm liberali mercede Deus remuneretur eorum operam, qui prædicant Evangelium. *Quorum nomina*, inquit, *in libro vitæ.* Certitudo per hoc decreti ipſis præmii deſignatur. Conditionata tamen; ſi conſtanter in capta pietate perſtiterint. alioqui deleri poſſe multorum nomina ex iſto libro, locus *Apoc.* III. *verſ.* 5. docet.

Verſ. 4. Remotis triſtitiæ cauſis, quales erant primùm hæreſes, & inimicorum crucis Chriſti Judaizantium, quorum abſque lacrimis mentionem facere non potuit, Deinde inter ipſos veros Eccleſiæ cives diſſidia; Paulus Chriſtianos omnes ad lætitiam, & gaudium hortatur: idque iterato inculcat. Nihil enim homine Chriſtiano dignius, atque ipſi convenientius eſt, quam eſſe bono, & hilari animo. quem præſtat bona conſcientia, juge convivium: ſed maxime ſpes immortalitatis. Inter alias tamen hujus gaudii cauſas, habet locum & illa mutua, quam ex reciproca fratrum amicitia, caritate, & conjunctione capimus, lætitia, & conſolatio. Quamobrem hoc præceptum, præſertim hoc loco, ſicuti & ſupra 2., & 3. Capite toties inculcatum; continet in ſe efficacem rationem ad diſſidia in Eccleſia tollenda: quæ non poſſunt, niſi fœda quadam triſtitiæ nube, tempora iſta, quibus in Eccleſia gliſcunt, inumbrare. Atqui hæc nubila, puriſſimi gaudii ſerenitate, imo amœnitate pellenda ſunt.

Ideo *verſu* 5. æquitatem illam, & mutuam de jure ſuo deceſſionem, & condeſcenſionem, per quam maxime pax, & concordia in Eccleſia, imo vero ubique gentium conſervatur; præcipit: & quidem in eo gradu, ut frequentiâ, multitudine, & magnitudine iſtarum actionum, in quibus inſigne æquitatis ſpecimen editur, virtus hæc Chriſtianorum innoteſcat omnibus hominibus, & in ore, ac ſermonibus eorum verſetur. Ac perfecto præcepta Chriſti *Matt.* V. 38. *uſque ad* 43. ad hanc ἐπιεικείαν *æquitatem* pertinent. Rationem autem addit, quæ ad utrumque ſimul tam gaudii, quam æquitatis iſtius præceptum, æque pertinere videtur. Quemadmodum enim tam gaudium, quam æquitas ejuſmodi pacem, & concordiam in Eccleſiæ alit, fovetque, ad quam toties in hac Epiſtola cohortatur Apoſtolus; ita tàm gaudium, quàm iſtiuſmodi æquitas, ex ea conſideratione naſcitur, quam cogitamus Dominum, quamvis à nobis procul receptus in ultimum cælum abiiſſe videatur, tamen præſentiſſima ſemper ope ſua nobis perpetuo adeſſe, atque ipſis cogitationibus noſtris intervenire. Quis enim, qui

modo

modo ſentiat præſentem ſibi Dominum prope adeſſe, promptum, paratumque ad omnem opem, & omne beneficium præſtandum; non exiliat gaudio, atque exultet? quis in conſpectu Domini quaſi præſentis, non libenter, & ex animo injurias, quas ab inimicis accepit, ipſi largiatur & gratificetur? aut gravatim de ſuo jure decedat? cum dubitare nequeat Dominum eundem damnum hoc, aut juris ſui imminutionem, quam in gratiam ejus alacriter ſubit, ſibi cum centuplo fœnore, ne expectato quidem illius ſupremæ diei judicio, compenſaturum. Plena igitur eſt hæc vox omnis ſolatii, atque lætitiæ, & ad obſequium difficillimorum præceptorum mire efficax, *Dominus prope eſt.*

Quod autem præceptum de *æquitate*, præcepto de *gaudio* ſtatim ſubjunxerit; illa quoque cauſa reddi poſſe videtur, quod homines cæleſti illo, & ſpirituali gaudio pleni, & corda ſua dilatantes per omnigenas, quibus affluunt, beneficentiæ divinæ divitias; non poſſunt eſſe niſi magnanimi, & liberales, quemadmodum ſolent eſſe homines opum ſibi ſuarum ingentium conſcii, & qui non timeant, ne, ſi quid præſentibus ſuis bonis deceſſerit, ſtatim egeſtate conflictentur. E contra ſordidi, & anguſti animi eſt iſta paupertas, nimium inhærere juri ſuo, nec velle de ipſo quicquam dimittere; quaſi jam actum ſit de nobis, ſi quicquam de eo, quod aut nobis debetur, decedamus, aut nobis affluit, largiamur. Idcirco meritò utramque virtutem utrique huic vitio oppoſitam Chriſtus *Matt.* v. 41. & 42. conjunxit. Unam enim, eandemque virtutes iſtæ, ac vitia ſcatebram, atque originem habent: hinc anguſtias, illinc magnitudinem animi, quæ exultantis Chriſtianorum conſcientiæ perpetua comes eſt, atque pediſſequa.

Verſ. 6. Rationi huic quod *Dominus ſit prope*, ſtatim ſubjungit præceptum, quod ad illud idem gaudium in nobis conſervandum, imo ingenerandum pertinet: Ne ulla triſti ac moleſta cura, & ſollicitudine torqueamur; ſed, cum Dominum præſentem ſemper habeamus, per eum, & in nomine ejus, factis frequentibus precibus, neceſſitates noſtras Deo exhibeamus, & commendemus.

Et nexus iſtius de præſentia Domini breviuſculæ ſententiæ, cum *verſ.* 6. ita competens eſt, ut ſuſpicioni huic locum relinquat, duo iſta ultima *verſ.* 5. verba, ad ſextum potius, quam quintum verſum, ex mente Apoſtoli, pertinuiſſe: quamvis, ut oſtendimus, non minùs ad antecedentia, quam ad conſequentia pertinere, & utraque ſecum colligare poſſint. Quanquam autem illa, de qua *Matt.* VI. ſermo eſt, de rebus ad neceſſitates hujus ævi pertinentibus nimia cura, & anxietas, quæ alibi *ſpinæ ſeculi* dicitur, huc quoque pertineat; præſertim cum à gravi animi perturbatione ſæpe abeſſe vix poſſit; tamen de eo cum nemine contendere velim, ſi quis putet hoc loco illas potiſſimum animi perturbationes, quæ aut ex luctibus, vel damnis, aut periculis, & quibuſcunque afflictionibus incidunt, intelligi, quæ ſerenitatem illius puriſſimi gaudii, quo Chriſtianæ mens fruitur, obnubilare poſſint.

Remedium igitur adverſus ſollicitudines omnis generis oſtenditur, ut in omnibus earum occaſionibus (quamvis & præter oblatas iſtiuſmodi occaſiones precibus invigilare debemus) tanto majori cum ardore, & devotione (non omittentes priorum Dei beneficiorum memoriam; ſed pro iis debitam gratiarum actionem reddentes) poſtulata noſtra proponamus Deo, & ea quaſi ad notitiam ejus deducamus. Quemadmodum autem neceſſitate ipſa poſtulante, principibus, ac regibus hujus ævi, & aliis, à quibus aliqua beneficia ſperare poſſumus, petitiones noſtras ſignificare debemus, ut noſſe queant qua in re ope ipſorum indigeamus; ita voluntate Dei incumbit nobis hoc officium, ut nos quoque ea, quibus indigemus, humillimis precibus interpoſitis, Deo nota faciamus. Quaſi nolit Deus rationem habere earum neceſſitatum, de quibus à nobis certior factus non eſt. Quamvis enim Deus ſciat, quibus indigeamus, etiam ante precationem (*Matt.* VI.) adeo ut non ſint illi verboſe, & ſingillatim, ac ſcrupoloſe omnes iſtæ terrenarum neceſſitatum minutiæ enucleandæ; tamen omninò requirit, ut ea, in quibus opem ipſius adhiberi exoptamus, ipſi quaſi ad notitiam in precibus noſtris deducamus: tacitè, ſed non obſcure minitans, niſi id faciamus; ſeſe tanquam noſtri periculi, aut neceſſitatis ignarum, auxilio ſuo nobis defuturum. Cauſa iſtius Dei conſilii, & voluntatis, eſt noſtra ingratitudo, qui ne pro iis quidem, quæ multo ambitu exoravimus, interdum dignas ipſis gratias agimus. Ea vero, quæ non petentibus nobis donantur; ſupina quadam oſcitantia tranſmittimus: & aut caſui, vel fortunæ, vel meritis noſtris, aut hominum favori tribuimus: atque ita Deum ea gloria, &, quam à nobis expectat, gratitudine fraudamus. Subvenit igitur Deus imbecillitati, & ignorantiæ noſtræ, per impoſitum hoc nobis petendorum omnium vitæ, ac ſaluti noſtræ neceſſariorum officium. Atque ad ejuſdem gratitudinis ſtimulum pertinet, mentioni precum in rebus anxiis, atque ſollicitis; adjuncta gratiarum actionis mentio: cui potius in rebus proſperiis, ac ſecuris locus eſt. Tollit enim ab ingratis vetera beneficia Deus: tantum abeſt, ut nova conferat in eos; qui præteritorum beneficiorum gratiam habere omittunt.

Verſ. 7. Quam præſens, & efficax ſit contrà omne anxiæ curæ, & ſollicitudinis genus in precibus remedium, quantæ vires earum? quis fructus? quæ commendatio hic oſtendit, quòd earum operâ ab omnibus perturbationibus liberati, pace Dei, pace, ac felicitate divina, ac cæleſti, ſuperante omnem intellectum, id eſt, quæ nec mente ſatis dignè concipi, nec verbis ſufficienter enarrari poteſt; fruimur. Cujus effectus is eſt, ut nos ab omni mali ſenſu tutiſſimos præſtet, cuſtodiendo ſimul & corda noſtra, ne ex rebus, quæ forte præter voluntatem noſtram accidunt, multum capiant moleſtiæ: ſed potius ut omnia nobis ex animi ſententia, & ſecundum cordis noſtri inclinationem eveniant: & intellectum noſtrum, ut is perpetuo voluntatem noſtram ad veſtigia voluntatis divinæ flectat, & attemperet: atque ita ut nihil nobis evenire poſſit, quod nobis diſpliceat, aut moleſtiam afferat. Quamvis autem Deus voluntatem noſtram ad voluntatem ſuam meritò flecti velit; tamen ſi videat hominem non ægre, nec reluctanter in eo ſibi morem gerere; ipſe quoque pro bonitate ſuâ non raro voluntatem ſuam ad ejus deſideria flectere non dedignatur. Addit autem pacem iſtam *Dei cuſtodire corda noſtra*, & animos noſtros in *Chriſto Jeſu*, hoc eſt, ne ab ea ſalute, ac felicitate, quæ nobis per Chriſtum, in Chriſti doctrina promiſſa, & Chriſti opera, & cura in nobis nunc quoque perficitur, ſed longe perfectius ſuo tempore perficienda eſt; excidere poſſimus. præterea quia nullus ſtatus, nulla in tota rerum univerſitate exiſtentium ſpirituum conditio celſior, ac felicior eſt, quàm eorum, qui ad Chriſtum pertinent. In Chriſto Jeſu igitur tantùm quærenda eſt illa pax, & felicitas, in qua animorum noſtrorum deſideria plane conquieſcere poſſint.

Verſ. 8. Finiendo epiſtolam, poſt monita, & præcepta de ſingulis virtutibus data; concludit doctrinam ſuam univerſali præcepto de omnis generis virtute, ac laude conſectanda. In quo ſane ſapienter

proſpectum

proſpectum eſt, ne quis prætendere poſſet, eſſe aliquid in rebus laudabilibus, quæ homines non ſine gravi cauſa mirantur, & æſtimant; quod nobis religio Chriſti non præceperit: atque exinde dogma illud eliceret, nihil aliud nobis unquam, quamvis bonum, & honeſtum videatur, ſuſcipiendum, niſi cujus aut præceptum expreſſum, aut exemplum traditum à Chriſto & Apoſtolis videamus. Nec enim omnia nobis ſingularia expreſſe præcipi potuere: & plurima ſunt, quæ ad normam analogiæ religionis exigi ſufficit. Multò minus omnia hiſtorica fide tradi potuere, præter pauciſſima in Actis & Evangeliis, de Chriſto ipſo, deque pauciſſimis Apoſtolis, & viris Apoſtolicis; quorum licet pietatem, & ſanctimoniam pro modulo virium imitari debeamus, tamen ad vitæ genus, & vocationem eorum capeſſendum non ſemper adſtringimur, & in ipſa Sacra, quamvis perbrevi, hiſtoria admiſſas eſſe ad Eccleſiam diverſas, & à vocatione Chriſti, & Apoſtolorum differentes, & diſtinctas vocationes, nec ullam, quæ honeſta ſit, excluſam videmus.

Tangit autem quoſdam characteres, per quos res ſingulæ ex iis, quas conſectari liceat, dignoſci poſſint, an cum Chriſtianæ religionis, ac veræ pietatis ſtudio congruant. Ita ut non falsò, nec ſine operæ pretio, per eos præmoneamur, quænam ex iis admittendæ, aut amplectendæ; quæ vero vitandæ, & fugiendæ ſint.

Primus character, qui non tam ad voluntatem, quam ducem voluntatis, intellectum perficiendum pertinet, eſt veritas. *Quæcunque ſunt vera*, ut diſcere ipſi, ac docere alios, eaque cogitatione volvere, ac meditari debeamus. Quo pertinent omnia non curioſa ſtudia, præſertim doctrinæ ad mores, aut vitæ uſum utiliores, quales floſculos etiam è prophanis auctoribus decerpere, & in Chriſtianos uſus convertere, nulla nobis debet eſſe religio. Fecit idem Paulus, apud quem ex Arato, & Epimenide quædam Græcorum Poëtarum lectionis veſtigia extant; ne fruſtrà ſtatim poſt præceptum datum ſuo eos exemplo cohortatus eſſe videatur. Et ſunt quidam auctores tam bonæ frugis, ut in iis denſiſſima ſeges ſalubrium vitæ præceptorum reperiatur. qualis eſt Seneca, Plutarchus, Epictetus, & alii.

Alter character eſt *Quæcunque veneranda* ſtudia, quæ grave aliquid, & auguſtum, non leve, aut ludicrum, ac puerile redoleant: per quem characterem ſtudia omnia, & artes leves, ac ludicræ vilioribus, ac plebeiis ingeniis, quàm Chriſtianis digniores, excluduntur. quales ſunt artes circulatoriæ &c.

Tertius character eſt, *Quæcunque juſta*, qui omnes bonas artes, & ſtudia, quæ hominem ad colendam in ſocietate humana, fidem, juſtitiam, &, earum indivulſos comites, pacem, atque concordiam erudiunt, commendat: damnat autem, & excludit pravas in contrarium artes, & illa verſutiæ præcepta, quæ per dolos, perfidiam, ſimulationem, perjuria, alios circumvenire docent, & in humano genere pernicioſè graſſantur. quales ſunt Sophiſtarum, aut Machiavellicæ artes.

Quartus character eſt, *Quæcunque pura, puritas, & caſtimonia ſtudiorum.* Sunt enim quædam ſtudia, præſertim Poëtica, aut in literis humanioribus, ea præſertim, quæ, quod pruriat, incitare poſſunt; è quibus longe plus impuritatis, & obſcœnitatis in vita, quam elegantiæ, & caſtimoniæ in ſermone hauriri poteſt. Quæ ſtudia è manibus Chriſtianæ juventutis plane excutienda ſunt.

Quintus character eſt, *Quæcunque amabilia honeſta delectatio.* Studia, quæ triſtitiam vitæ grata quadam jucunditate, & amœnitate condiunt. qualia ſunt hiſtorica, & narrationes jucundæ, (dum obſcœnæ non ſint). Nec enim Chriſtiana religio horridum illud, & triſte ſanctitatis genus, & omnis omninò delectationis expers, exigit, ac præſcribit.

Sextus character eſt, *Quæcunque bonæ famæ*, qui non tam intrinſecam rerum, aut ſtudiorum bonitatem, aut utilitatem; quam extrinſecam hominum de iis opinionem reſpicit. Quia enim Chriſtiano, non ſuæ tantum ſalutis; ſed alienæ quoque ædificationis cura debet eſſe cordi; ideo & ejuſmodi res, aut ſtudia omittere debet, quæ, quamvis in ſe ipſis nihil mali habeant, apud homines tamen male audiunt. Dandum autem hic eſt aliquid, etiam in ejuſmodi rebus, hominum imbecillitati, & fugæ ſcandali.

Septimus character eſt, *ardens, excitatum, & heroicum virtutis ſtudium*, ut ſi quod inſigne exemplum virtutis, aut facti laudabilis legimus, vel audimus; illud ipſi imitari, & in vita noſtra exprimere contendamus. Hæc eſt indolis Chriſtianæ generoſitas, ut te ab optimis quibuſque virtute vinci non patiare; ſed eos aut ſuperare, aut ſaltem æquo cum ipſis paſſu contendere enitaris. Hoc exercitium, hæc meditatio, ſublimi hominis Chriſtiani vocatione digna eſt. Hæc omnia Paulus vita, & exemplo ſuo ubique exprimebat. Hac doctrina omnes, quibus Evangelium prædicabat, imbuebat. ideo *verſ.* 9. dicit, *quæ & didiciſtis*, ſcilicet ex auditu docentis, & *accepiſtis* ex inſtitutione, exemplis, & moribus; *& audiſtis, & vidiſtis*, hoc eſt, non modo ex ore mei docentis auribus percepiſtis, ſed ipſi oculis veſtris in vita, factiſque meis perſpexiſtis *ea facite*: & *Deus pacis*, hoc eſt omnis felicitatis, *aderit vobis.*

Verſ. 10. Adnectit in calce Epiſtolæ gratiarum actionem pro ſubſidio ſibi Romam per Epaphroditum tranſmiſſo. *Gaviſus ſum*, inquit, *in Domino valde, quod in ſtudio, & cura mei jam tandem efflоruiſtis.* Qui commendat donum, & liberalitatem; gratiam non habet modo, ſed refert donanti. Qui prædicat magnum ex accepto munere gaudium ſuum; gratiſſimum accepti animum oſtendit. Verbis præterea ſelectis, & efficacibus exprimit eorum liberalitatem. Nec enim vulgarem ipſius curam eos habuiſſe oſtendit; ſed in ſtudio, & cura erga eum efflоruiſſe. quæ exaggeratio beneficii ad gratiarum actionem pertinet. Quia vero dixerat eos ἤδη ποτε, hoc eſt, *jam tandem* efflоruiſſe, ne quis putaret exprobrari ipſis quod non maturius ipſi ſubveniſſent; ſubjicit verba iſta: Quam *mei curam ante quoque habuiſtis, ſed eam ob defectum opportunitatis exequi non potuiſtis.*

Verſ. 11. Porro gaudium iſtud, quod ex eorum liberalitate percepit, non inde provenire ait, quòd ſuæ egeſtati ſubventum ſit; ſed inde, quòd illos videat benefacientes, & felicitatis hujus, quæ manet in cœlis eos, qui propter juſtitiam patiuntur, participes factos, eò quòd (*verſ.* 14.) *communicaverint afflictioni* ejus, aut (ut *verſ.* 17. ait) quod *fructum boni operis fecerint, redundantem in copioſam ipſorum remunerationem.*

Jam vero gaudium iſtud non ex eo, quod privatis Pauli neceſſitatibus ſubventum ſit, proficiſci oſtendit. quia ille jam longa conſuetudine paucis contentus eſſe didicerat, ita ut poſſet etiam abſque iſto ſubſidio inopiam ſuam tolerare: cum æquè beatè in egeſtate, atque in rerum omnium abundantia vitam agere noſſet, & condoceſactus eſſet, ita *ut omnia poſſet in eo, qui ipſum confirmabat, Chriſto.* Sed tamen non ſuperfluum hoc factum eorum fuiſſe oſtendit, ſed ipſis imprimis utile, & laude dignum, *quod communicaverint afflictioni ejus.* ideoque non ſemel aut pro una iſta vice, ſed ſæpius, & quidem ſoli ex omnibus, quod 15, & 16. verſibus in memoriam revocat.

Verſ. 15. *In principio Evangelii fuiſſe dicitur*, quando Paulus è Macedonia egrediebatur. Iterum ne, liberalitatem eorum laudibus proſequendo, nova videretur dona poſtulare, aut etiam, nova poſtulando, ne videretur rem ſuam agere, aut quærere; repetit excuſationem: non ſuæ indigentiæ cauſa; ſed bono, & emolumento ipſorum id à ſe fieri, ut ferant fructum, qui ipſis referat largam remunerationem. *Quæro*, inquit, (*verſ.* 17.) *fructum abundantem in computationem* aut calculationem rationum expenſi veſtrarum. Non autem indigentiæ cauſa id à ſe fieri, quod laudando, & commemorando eorum munificentiam daret operam, ut in hac virtute creſſerent, ac proficerent, oſtendit *verſ.* 18. *Habeo*, inquit, *& abundo: impletus ſum acceptis iis quæ per Epaphroditum miſſa ſunt.* Laudat autem munus iſtud, & gratum pro eo animum teſtando, eadem opera tacite eos ad proficiendum in hac virtute ſtimulat, vocans illud *odorem ſuaveolentem, victimam acceptam, & placentem Deo.* Ideoque *verſ.* 19. ipſis viciſſim aut optat, aut pollicetur, de eodem, cui hæc victima tantopere placeat, Deo gratiam referendam, quod ille quoque impleturus ſit omnem indigentiam, & neceſſitatem eorum, & quidem liberaliſſime, quemadmodum decet opulentiſſimum Dominum. *In gloria in Chriſto Jeſu.* Voces *In gloria* poſſunt tam ad *Implebit*, quam ad *divitias Dei* referri. Utrumque enim veriſſimum, & Deum glorioſiſſime opitulari ſuis, ac remunerari eorum benefacta, & divitias Dei inexhauſtas eſſe *in gloria in Jeſu Chriſto*, in quo glorioſiſſimam vocationem habemus.

Verſ. 20. Claudit Epiſtolam ex oblata mentione Dei, & gloriæ *verſ.* 19. reddenda Deo Patri gloria, & ſolitis ſalutationibus, iiſque mutuis. In quibus notandum eſt, fuiſſe inter ipſos Cæſaris domeſticos pleroſque à Paulo converſos. Salutationibus demum ſubnectit votum gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, effundendæ in eos, ad quos ſcribit.

Subſcriptionem Epiſtolæ veram eſſe Textus ejus indicat. Notandum autem eſt Paulum omnes Epiſtolas, quemadmodum incipere, à votis, & apprecationibus gratiæ à Deo, & Chriſto in eos, ad quos ſcribit, effundendæ; ita & finere iiſdem votis, & apprecationibus, ut agnoſcas flagrantem caritate animum.

F I N I S.

IN EPI-

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

IN facilioribus non immorandum, nisi quid insigne ad moralem speculationem, aut praxin pertinens, incidat.

Vers. 2. *Sancti* vocantur *fideles*. quia in eo fides Christo, ac per eum Deo servanda est, ut nos in vita, & moribus separemus à profanâ plebe, & promiscua turba: nihil indignum facientes, aut loquentes, vel audientes, aut præsentibus nobis fieri, dicive, quantum in nobis est, permittentes: eaque studia, eas conversationes fugientes, in quibus neque nos per alios possimus, neque alii per nos meliores fieri queant.

Vers. 3. Quia in Evangelio Spiritus Sanctus blanda quadam vi, in animos nostros, nihil minus quam coactos, agit; (nec enim quicquam ab invitis extorquet) atque is Christi Spiritus, contrarius autem Antichristi est; ideo quoties nobis aliquid præcepturus est (quod & in ipsius Christi literis, *Apoc.* 11. 3. & in Apostolicis passim ubique cernitur) quo mollius monita auribus nostris influant; si quid in nobis laudabile deprehendit, illud commemorat, ut laudata virtus sumat incrementum. Ne tamen nimium laudibus nostris efferamur; si quam in nobis virtutem invenit, ut par est, ad Deum auctorem refert, præceptis promissa ab eo primitùs proficiscentia admiscens, interdum & præmittens. Quod eodem instinctu, & hoc loco, sicut & ubique facit Apostolus: Deo & patri Domini Jesu Christi, gratias agens, ac in precibus pro iis ad quos scribit sese perseverare professus (non satis enim est pro præteritis Deo gratias egisse, nisi & in futurum ejusdem opem, sine qua effecisse nihil potest, imploremus) eo quod audierit (*vers.* 4.) *fidem eorum in Christo Jesu*, & *caritatem in omnes sanctos* (*vers.* 5.) Quæ quidem fides, & caritas ab ipsis suscepta sit, & exerceatur propter spem ipsis repositam in cælis; de quâ ex prædicatione Evangelii certiones facti sunt.

Fides in Christo Jesu, est fides in Deum per Christum, quando promissis Dei, olim per Christum factis, & oblatis, & suo tempore per eundem repræsentandis, plane, & ex corde credimus, eoque nomine Spem, & fiduciam nostram tàm in Deum, primam Salutis nostræ causam, quàm in Christum, cui in gubernatione istius salutis Deus absolutum potestatem, ut possit quemcunque *Joh.* v. 21. 22. 23. vult vivificare, tradidit, collocamus, non sine ardentissimo erga utrumque amore, atque obsequio.

Caritas autem in Sanctos duntaxat commemoratur; non quod erga Deum quoque, & Christum non requiratur; sed, quia primùm in fide jam contineatur, ita sicuti diximus, explicatâ. deinde quia amor in eos, qui ex Deo nati, & Christi creatura sunt; amorem in Deum præsupponit: imò nonnisi per amorem in Deum, & Christum ejus, ad caritatem in proximum pervenire possit. denique, quòd, quamvis affectu isto nostro erga sese Deus admodum delectetur; proprie tamen eo, sicuti & Christus, non indigeat: fideles autem indigeant.

Breviter, fides in Christo Jesu, & caritas in sanctos non differt ab amore in Deum supra seipsum, & proximum sicut seipsum. quod summa est religionis. Nisi quod hic causæ istius fidei, & occasiones quoque, fusius explicantur. ut mox ostendemus.

Non est autem prætereundum id, quod infra *vers.* 9. Apostolus expresse explicat, sese Deo gratias agere, non modo quod in Deum per Christum Colossenses crediderint, & caritatem in sanctos exerceant; sed etiam quia in ea fide, & caritate, à primæ *prædicationis auditu constanter* (*vers.* 6.) perseverent.

Porro causam istius fidei, & caritatis, & quæ via ad istam fidem, & caritatem exprimit *vers.* 5. *Spem ipsis in cælis repositam.* Causam vero istius spei ibidem tangit, prædicationem Evangelii, ejusque auditum. Quam vocat *Sermonem Veritatis* & mox *vers.* 6. *Gratiam Dei in veritate*, hoc est, verissimam, & planè Deo dignam gratiæ munificentiam, eo titulo non uno nomine dignam. primum, quia nihil falsi, incerti, aut ambigui in ejus doctrina inveniatur: sed omnia certissima, & de quibus nullo modo dubitari queat.

Secundo. quia nihil vani, aut apparentis boni, aut fluxæ, & finem habituræ delectationis, quemadmodum aliæ non paucæ rerum non falsarum contemplationes, contineat; sed verissimum, ac solidum bonum, & felicitatem nostram complectatur. Quod certe beneficium Dei maximum, obiter (*vers.* 6.) tangit; quoties Deus *Sermone* isto *veritatis*, tàm utili, & καρποφορουμένον *frugifero* dignatur aures alicujus populi. sicut & *Rom.* x. 13. 14. 15.

Occasionem animi, & ministrum istius prædicationis memorat Epaphran: quem ex hoc loco patet prædicasse Evangelium Colossensibus: sine dubio missu Pauli, quia ad eum re bene gesta reversus est: cujus nomine & Colossenses infra *cap.* IV. 12. salutati, quem illic Colossenses alloquens *vestratem* nominat, quasi unus ex ipsis esset: & laudat, atque commendat Christi servum vocans; quemadmodum & hic dilectum conservum suum nominans & qui esset fidus pro ipsis minister Christi: quia, ut infrà dicto loco explicat, perpetuo pro ipsis in precibus certaret. (*vers.* 8.) Conciliat autem ipsi benevolentiam apud Colossenses; quòd ipsorum pietatem Paulo notam fecisset, ac de meliori nota commendasset.

Quam pietatem nominat *caritatem in ſpiritu*, hoc eſt, Caritatem quandam Dei, & eorum, qui ſunt Dei, ſpiritualem: tacite eum opponens cultui divino carnali, & externo, ac ceremoniali. Sæpe enim Spiritus Sanctus religionem, aut virtutes, ac officia noſtra iis vocibus exprimit; ut per ipſam vocem, atque apellationem natura, & indoles eorum; & via ſimul, ac modus ad ea pervenendi, aut ea conſequendi, explicetur.

Verſ. 9. Cum eorum pietatis ſimul & conſtantiæ mentionem feciſſet; *retributionem* quandam, & ἀντιμισθίαν ſui erga eos officii indicat: quemadmodum illi ab ipſo auditus Evangelii initio, conſtanter in fide, ſpe, dilectione in ſanctos permanſerint; ita ſe quoque ab ipſo notitiæ de eorum fide initio conſtanter perſeverare, ac porrò quoque perſeveraturum in precibus pro ipſis.

Quas preces deſcribit ita, quod *peteret à Deo, ut implerentur cognitione voluntatis ejus, in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali*, hoc eſt, intellectu earum rerum, quæ ad Spiritum, & ſalutem eorum; non verò, quæ ad carnem, & fluxam iſtam vitam pertinebant. Deinde, ne quis in eo contemplativam aliquam ſcientiam ſomniaret; addit, & explicat expreſſe, naturam iſtius cognitionis, & intellectus ſpiritualis eſſe practicam, hoc eſt, ad eum finem directum, ut viverent vitam dignam Domino.

Quam vitam Domino dignam, his verbis explicat, Ut *ambulent dignè Domino, in omnem complacentiam, in omni opere bono dignè fructum ferentes, & incrementum ſumentes in cognitione Dei.* Digne Evangelio Chriſti πολιτεύεσθε, *converſamini*, *Philipp.* I. 27. Digne ambulare vocatione *Eph.* IV. 1. *Ambulatio iſta* habitum, & conſuetudinem ex plurimis virtutum actionibus frequentatis contractam ſignificat. quemadmodum ambulatio non ex uno, atque altero paſſu; ſed ex plurimis continua ſerie repetitis greſſibus conſtat. *Dignè Domino*, hoc eſt, Digne Domini primum præteritis, jam & acceptis beneficiis, in quibus gratia, & dilectio ejus, & præclara erga nos voluntas ſatis ſuperque teſtata eſt: deinde futuris ejus promiſſis: denique omnem cogitationem excedente excellentia, & ſupereminente ſuper omnia poteſtate; ut qui poſſit nos & longe pluribus, & rarioribus donis, ac beneficiis quam ante afficere, & longe ſeverius, quàm quiſquam alius, punire. *In omnem complacentiam.* Hærere enim in mentibus noſtris perpetuo debet, nos in oculis, & conſpectu Dei perpetuo verſari, cui non modo actiones etiam occultiſſimæ, ſed & infimæ cogitationum, & cordium fibræ pateant. Cui idcirco, ut placeamus; omni meliori modo opera danda ſit. Diſplicere oculis Principum in terris, quis ſuſtineat? Quæ vero Dei ad Principes comparatio?

Quibus autem in rebus Deo complacere poſſimus; & quærendum, atque explorandum, *Rom.* XII. 2., & ſciendum, atque intelligendum eſt. De quali Spirituali intellectu hoc loco Apoſtolus loquitur, eumque à Deo Coloſſenſibus comprecatur, & in qua conſiſtat iſta complacentia; docet, dum ait, *In omni opere bono fructum ferentes.* Quemadmodum vero agricola vineam plantat, & in ea plurimos producit vitis palmites, ut fructum ferant, quem ille in uſus ſuos decerpat; ita Deus novam in Chriſto, vera vite noſtra, creaturam producens, & quaſi varios palmites ex ea educens, (vide *Joh.* XV. ab init.) fructum ab iis quærit. *Fructum animi operum bonorum.* In hoc enim eſt gloria Dei, ut multum fructum feramus. *Joh.* XV. 8. *Matth.* V. 16.

Addit poſtea Apoſtolus, *& incrementum ſumentes in cognitione Dei.* Quia pietas, & cognitio rerum divinarum, ſemper ſunt ſibi mutuò cauſæ, hoc eſt, Quo magis aliquis in moribus bonis proficit, quo pluribus bonis operibus abundat; eo plus proficit in ſapientia, & cognitione rerum divinarum. Et contra, quo plus in ea proficit; eo plura adminicula habet, ad pie vivendum, ad fructus bonorum operum ferendos, præcipue verò ad illam *conſtantem in fructibus iſtis ferendis perſeverantiam.* Quam ad rem multo robore, & magnis viribus infirmitas noſtra indiget. Nulla ex re autem majores vires colligere poteſt; quam ex creſcente perpetuò profectu in cognitione rerum divinarum.

Idcirco *verſ.* 11. ſubnectit: *In omni potentia, aut vi corroborati, ſecundum robur gloriæ ipſius.* Non ſine cauſa ſuprà ſapientiam, & cognitionem iſtam ſpiritualem vocavit. Sicut enim corpus ex alimentorum concoctione vim, ac robur ſumit, ac lapſas vires reparat; ita animus, ac ſpiritus noſter ex aſſidua meditatione, ac ruminatione rerum divinarum, quæ ſine inſigni profectu eſſe nequit, invictum neſcio quod, & omnibus adverſis ac difficultatibus non impar, imo abunde ſufficiens *robur* ſibi comparat.

Unde (antequam longius progrediamur,) ſcrupulus ille, qui in hac contemplatione verſantibus primus occurrit, non difficulter ſolvi poteſt. Quî fiat, ut multos cognitione rerum divinarum ſatis inſtructos videamus; qui tamen in moribus, & pietate longe inferiores ſunt iis, qui longè minus earundem rerum cognitione inſtructi videntur. Cauſæ ejus rei duæ in mentem veniunt; quamvis ad unam meritò reduci poſſe videantur, quia una ex altera quaſi profluit. Prima autem origo mali, aut morbi hujus eſt, quod homines ſimplici apprehenſione rerum divinarum contenti, eas ita uti par eſt non contemplantur, non ruminant; idcircò neque animum ad eas applicant, neque earum ſtudio, ac deſiderio flagrant; ſed aliò impetus animi, ac deſideria ſua divertunt. quod in omni quidem ſcientiæ genere periculoſum. ſed in practicis, & quæ ad mores pertinent; plane noxium, ac pernicioſum eſt. Ut non ſine cauſa Deus animalia non ruminantia olim pro impuris haberi, atque ab eſu eorum populum ſuum arceri voluerit. Hinc fit ut, ſi qua ex prima rerum iſtarum cognitione fidei ſcintilla in animis hominum iſtiuſmodi emicuerit; ſepoſita frequentis rerum tàm excellentium meditationis, & ad animum revocationis curâ, paulatim extinguatur: atque ita altera cauſa ſubrepat, ob quam iſtis hominibus nihil profit illa nuda rerum earum cognitio, niſi forte ad nudam diſputandi jactantiam, hoc eſt, fidei defectus cujus ſignum eſt, quum ii, qui multa quædam in rebus divinis quodammodo ſcire videntur, ac de iis decorè diſſerere norunt; ſtudio, & amore earum rerum non fervent; ſed multis aliis terrenis curis, aut amore alicujus peccati diſtenti, cognitionem rerum divinarum in cerebro potius, quam in corde, in intellectu ſolo, ac memoria, non in intimis voluntatis ſuæ medullis repoſitam habent. Meritò igitur Apoſtolus 1. *Cor.* VIII. 2. cognitionem ejuſmodi rerum divinarum, niſi ſit cum amore Dei conjuncta; non eſſe veram Dei cognitionem aſſerit. *Si quis*, ait, *videtur ſibi ſcire aliquid, nondum quicquam, ita uti cognoſcere opus eſt, novit. Si verò quis diligit Deum; is demum vere ac merito cognitus à ſe Deum* gloriari poterit, aut cognitione Dei gloriari poteſt.

Quid enim prodeſt quod aliquis, præter prima, ac neceſſaria cognitionis Dei elementa, plurima novit; ſi non modo ſecretiora, ſed & ipſa prima elementa frequenti ruminatione, & quaſi ſpiritualis ſtomachi concoctione in ſuecum, & ſanguinem ſuum non convertit? & ita ex iis nullum robur conſecutus eſt? Annon longè præſtabilior ejus cognitio eſt, qui, præter ipſa elementa quidem, pauca quædam alia novit; ſed ea in ſuccum, & ſanguinem ſuum convertit:

& pluri-

& plurimum virium Spiritualium ex iis acquisivit? Merito profecto hujus vera; illius apparens scientia dici potest.

Ad id vero, ut quis verè, & utiliter divinarum rerum notitiam concoquat, & quasi in sanguinem suum vertat; amore earum exardescat oportet: omnesque curas, & cogitationes suas ad earum assecutionem intendat, omniaque impedimenta amoliatur, quibus forte ab earum perpetua contemplatione, ac meditatione abstrahi possit. Qua in re versutia Satanæ omnibus vehementer pertimescenda est, qui nihil non agit, ut nobis ejusmodi rationes, ac modos, quibus ad amorem Dei, ad dignam promissorum ejus æstimationem, ad ardens veræ virtutis studium, stimulari, ac pervenire possimus; excutiat è manibus, aut eripiat sive per illecebras terrenorum, sive per calamitates, & persecutiones. Quarum tentationum utraque nulla re validius, ac potentius retunditur, quàm istiusmodi doctrinâ, quam ex intimis thesauri cælestis penetralibus (quam sic apellat infra *cap.* 11. 3. & 9.) depromptam, tradit in tàm illustri loco Apostolus de summa, & inenarrabili vocationis nostræ ad Regnum dilectissimi filii Dei præstantia, & excellentia. Quid enim aut contra vanissimas terrenarum rerum illecebras plus habet virium, quàm consideratio gloriæ, & exaltationis nostræ, de qua in hoc primo capite paulò post loquitur? quid adversus afflictiones, & persecutiones plus habet roboris, atque solatii; quàm istius μισθαποδοσίας, de qua mox aget, excellentia; quæ omnes ærumnas, sui causa susceptas, abunde solari, & compensare possit. ut non sine causa Apostolus viam hanc, & modum confirmationis, & corroborationis nostræ *(vers.* 11.) vocet πάσαν δύναμιν, qua confortari possimus, κατὰ τὸ κράτος τῆς δόξης αὐτῦ; *Secundum robur gloriæ ejus.* Maximam enim ad confortandos nos efficaciam habent glorioſissima, quæ paulo post describuntur Dei promissa: quæque in nobis eorum patientiam & longanimitatem nullo negotio procreare possint, quippe quæ nobis versari ob oculos nequeant, absque maximo gaudio, & ex eo emergente grati animâ affectu, & gratiarum actione Deo, & Patri, nostri tam amanti, debitâ, & exsolvenda. Cujus beneficium summa indignitate nostra intenditur. Nihil enim minùs meruerамus, quam ut tantæ exaltationis spe, ac fructu gauderemus, ac frueremur. sed ille (*vers.* 12.) ἱκάνωσας ἡμᾶς εἰς τὸν μερίδα τῦ κλήρου τῦ ἁγίων ἐν τῷ φωτί. *fecit nos idoneos ad cernendam sortem hæreditatis sanctorum in luce*, hoc est, in illa luce inaccessa, in qua habitat Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi. φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον *lucem habitans inaccessam* 1. *Tim.* VI. 16. inaccessam puta, dum sunt mortales: præcipue vero dum sunt in potestate tenebrarum. Explicat autem quomodo nos Deus ἱκάνωσε, *idoneos reddidit* ad adeundum istud cælestis hæreditatis patrimonium, (*versu* 13.) *In luce.* Rationem istius beneficii Dei, in duabus rebus collocat; primum *quod nos eripuerit ex potestate tenebrarum*, hoc est, ex mortis, & ejus aculei servitute. Ubi luci; tenebras: felicitati adeundæ cælestis hæreditatis; miseriam hominum, in servitute mortis, & peccati gementium, decorè opponit.

Secundo, quòd nos transtulerit & quasi *transposuerit in regnum filii dilectionis suæ.* Præstantiam, & magnam præ cæteris regni hujus excellentiam designat, quod illud apellat *regnum filii*, *quem* Deus supra *omnes dilexit*; & cui præcellentissimæ omnium exaltationis gloriam contulit.

Utrumque autem istorum factorum Dei separatim explicat, & primum quomodo nos ex potestate tenebrarum eripient *vers.* 14. ostendit. In quo *habemus redemptionem per sanguinem ejus*, id est, *remissionem peccatorum.* Hæc est enim vera ereptio è potestate tenebrarum, ex servitute pænæ, ex servitute mortis, ac peccati redemptio, ac liberatio: per quam soluti sumus omni metu ac debito impendentis supplicii. Quæ liberatio dicitur facta per sanguinem Jesu Christi. Quemadmodum enim Deus olim per sanguinem victimarum placatum, ac propitium se fuisse peccatoribus ostendebat; ita nunc per effusum solenniter tam sanctæ, & pretiosæ victimæ sanguinem illustrissimo charitatis suæ testimonio, promulgavit generi humano veniam, ac remissionem peccatorum. Remissio vero peccatorum nemini promittitur nisi verè pœnitenti. Vera autem pœnitentia non potest esse absque regeneratione. Ergo hic in remissione peccatorum vera quoque nostra regeneratio, per quam idonei reddimur ad istam sortem cælestis hæreditatis adeundæ, continetur.

Vers. 15. accedit ad explicandam alteram partem beneficii divini, ostendens pluribus verbis quomodo nos transtulerit, ac transposuerit in regnum filii sui omnium dilectissimi.

Ubi primum dignitatem, & excellentiam Regni hujus, in quo omnis felicitas nostra consistit, depingit per ipsius regis dignitatem, ut qui proxime ad supremi illius, atque altissimi Dei sublimitatem atque eminentiam accesserit, evectus ad solium ejus *longe supra omnem principatum* (*Eph.* 1. 21.) jurisdictionem, *potestatem*, *potentiam*, *dominationem*, & *præeminentiam*, quocunque alio nomine ac titulo dictam, collata ipsi suprema potestate in cælo, ac in terra. (*Matth.* XXVIII. 18.) ita ut in ipso videant fideles ipsius vivam, & expressam effigiem, atque imaginem illius invisibilis, & mortalibus oculis inconspicui Dei. In quo notanda est differentia quædam, quæ tacitè ponitur inter Deum, & Christum, in eo quod sit *Imago*, (Subintellige visibilis, & conspicua) *Dei invisibilis.* Cum enim additum sit voci Dei, cujus imago Christus dicitur, epitheton *invisibilis*; quis non videt antithesin, quæ inter imaginem, & id cujus est imago statuitur, in eo collocari, quod illa visibilis & omnium Christianorum oculis patens: illud autem sit invisibile. Proinde *hæc imago conspicua intelligitur*, & *visibilis hominibus*, per quam illi speciem, ac repræsentationem ipsius Dei invisibilis concipiunt. quem 1. *Tim.* VI. 16. vocat Apostolus *lucem habitantem inaccessibilem*; *quem vidit nemo hominum*; *neque videre potest.* Sed quamvis (*Joh.* 1. 18.) *Deum nemo vidit unquam*; Unigenitus tamen, tanquam unus dilectu dignus, ejus filius, quem in sinu suo semper gestavit ac gestat, visus est à nobis, & enarravit nobis. Cujus gloriam credentes in eum viderunt, tanquam unigeniti à Patre, quum versaretur in terris. (*Joh.* 1. 14.) Adeò ut vel ipsius Christi judicio Patrem ipsum vidisse dicendi sint, qui viderunt eum. vide *Joh.* XIV. 8. 9. & sequentibus. Eo quòd non modo cælestem illam doctrinam, Dei voluntatem liquidò exprimentem, audierint; sed etiam (*vers.* 11.) opera ipsius Dei, in Christo manentis, hoc est, divina miracula, doctrinam istam confirmantia viderint. Sed hæc imago Dei in Christo longe clarius, & luculentius in resurrectione, & exaltatione ejus, in missione Spiritus Sancti, in tot miraculis, per Apostolos editis, quibus orbis ad eum conversus est, eluxit. Non igitur hic aliqua arcana, & intrà ipsam mentem Dei concluſa, atque ex reflexa sui cognitione resiliens imago, quæ non magis, quam id cujus imago est, visibilis esse potest, somnianda est, sed ejusmodi per quam à mortalibus invisibilis Dei bonitas, sapientia, potentia palpabilibus, & in omnium oculos incurrentibus lineamentis visa; perspecta est; aut certè esse potuit. Quod si acrius in hunc locum aciem mentis nostræ intendamus,

damus; facile videbimus, ipso explicante Apostolo, in quo præcipue Christus, viva imago Patris, speciem ejus exprimat. Fit enim mentio creationis novæ & creaturæ, quæ veteri tanto glorioſior est, quanto difficilior. Longe etenim Deo facilius fuit educere è potentia materiæ, quæ omnipotentiæ ejus resistere non potuit, formas quas vellet; quàm tot animas rationales, quibus libertatem arbitrii, & pronum ad peccandum organum dedit: tot præterea illecebras, & occasiones addidit, quas Satanæ versutiis & peccandi truculentia exerceri permisit; salva, & illibata eadem libertate, aut ad sanctimoniam vitæ ita efformare, ut cum illæ nihil absque ope Dei possint; Deus tamen absque acerrimo earum studio, & contentione in hoc salutis negotio effici nihil velit: ut tot admiranda operosissimi artificii ejus automata incomprehensibilem opificis sapientiam & gloriam venturis in æternum seculis exhibeant, & ostentent. Hujus creationis *primogenitus. vers.* 15. *& principium vers.* 18. Christus Dominus noster dicitur. Et ne quis ea verba ad veterem creationem detorqueat, *vers.* 18. idem Christus dicitur esse *principium*, (puta novæ creaturæ). additur enim statim (per exegesin, ut intelligamus ratione cujus rei dicatur principium) *primogenitus ex mortuis*, hoc est, in quo primum specimen Novæ, nec inchoatæ tantum, sed plenè consummatæ (quo ad solius Christi personam attinet) *Creationis novæ* per glorioſam ejus resuscitationem, & subsequentem glorificationem editum est: & cui porro totum perficiendæ & consummandæ hujus creationis negotium datum est. Habet enim nova ista creatio, gradus suos, ita ut in inferiori gradu, quamdiu in terris militat, creatura inchoata duntaxat; at in superiori, quando in cælis de morte triumphabit, plena, perfecta, consummata ista creatio dici possit. Nec enim per istam creationem novam, Deus mores duntaxat, & vivendi habitum, & consuetudinem quandam Angelicam, & divinam in nobis procreat & instaurat; per quam suo modo divinæ naturæ participes fieri videmur, 2. *Pet.* 1. 4., si corruptionem mundi in cupiditatibus effugiamus. Sed per filium suum, ut supra est, nos non modo ex præsenti mortali & caduca in cælestem ac divinam naturam, transformabit; sed etiam ex præsenti humili, & indigna sorte ad ejusmodi dignitatem & supereminentiam transferet, quâ sublimior etiam in ipsis cælis optari non possit. quæ præcipua creationis hujus coronis est, per quam summa manus glorioſissimo huic Dei operi imponetur. Cum enim in domo cælestis hujus patrisfamilias multæ sint mansiones; ascendit Dominus in cælos, ut *per exaltationem, & glorificationem* suam, locum sponsæ suæ præpararet. *Joh.* XIV. 2. Fas autem sit proloqui illud, quod Dominus ab omnibus aures habentibus audiri jussit, dictum, & promulgatum palàm omnibus Ecclesiis *Apoc.* III. 21. *Qui vicerit; dabo ipsi sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & assedi cum patre meo in throno ipsius.* Quibus verbis nescio quid eminentius Angelica dignitate sponsæ Christi promittitur. ut mirandum non sit quod Auctor Epistolæ ad Hebr. asserat. *Cap.* 11. 2. *& 16. futuram terram* (id est vitæ æternæ gaudia) non Angelis, sed semini Abrahæ subjectam fore. Nihil igitur certius est, quam corpori huic, cujus Christus caput etiam hoc loco dicitur, saltem illud eminentiæ promitti, quo, in tot promissis evangelicis, non omnes in cælis; sed, si nihil amplius, tantum præstantissimi angeli gaudent. qualia sunt illa augusta dignitatum nomina, quæ Angelicæ Hierarchiæ tribuuntur, quibus etiam paupertas oris humani nihil sublimus excogitare, aut eloqui potest: cælestes nimirum Throni, dominationes, principatus, potestates, potentiæ, δυνάμεις; atque adeo regna, & glorioſa in cælis imperia. Id Christus ipse in nomine regni cælestis suis toties obtulit; id signanter *Matth.* XIX. 28. omnibus, qui imitarentur, aut sequerentur sese, promittit; posteaquam sessurus esset in throno gloriæ suæ, assessuros & illos in thronis judicantium, hoc est, regentium populum Dei. Idem Apostoli polliciti sunt. *Paulus* 1. *Cor.* VI. 3. ait: *Nescitis quod Angelos judicaturi simus.* Vox autem judicii, passim pro regimine sumitur. Sed in hoc genere nihil clarius promisso, quod *Apoc.* II. 26. 27. omnibus aures habentibus inculcatur: *Qui vicerit, & servaverit ad finem opera mea; dabo ipsi potestatem super gentes. Et pascet eos in virga ferrea, & ut vasa figuli confringere poterit. sicut & ego accepi à patre meo.* Quia vero locus hic de tempore agit, plenam de omnibus hostibus atque ipsa morte victoriam subsecuturo; palàm est hic non de terrenis, sed de cælestibus populis sermonem esse. Ex his intelligitur perfectum, & consummatum novum creationis gradum tunc planè ad effectum perductum & absolutum iri, quando servi Christi, ad immortalitatem admissi, inter supremos cæli Proceres provincias, atque imperia sortientur: quando ipsos Christus ad sublimes illos thronos, dominationes, principatus, potestates evehet, ex humili sorte ad tantum fastigium evectos nobilissimo modo dicta Sacræ Scripturæ, atque ita & patris sui creaturas, & in plenissimo sensu Reges, & Sacerdotes, aut Regale sacerdotium efficiet. quæ omnia nunc quoque de iis, sed nonnisi in inchoato, quem diximus, creationis hujus gradu, dici possunt, atque adeo dicuntur.

Atque hunc profecto excellentiorem novæ creationis gradum, hoc loco Apostolus ponit ob oculos, dum ostendit, & explicat, quantum sit istud beneficium Dei, & quanta gratiarum actione dignum, quod nos in regnum tam dilecti, & cui, nemo par sit, aut secundus; filii sui transtulerit.

His ita præmissis nunc expendendum est, quamobrem & quas ob causas hoc loco Christus *Imago patris* sui dicatur, & in quo speciem ejus repræsentet.

Et quia ratione novæ istius creationis Christus imago patris hoc loco dici videtur; non omittendum est genus illud similitudinis, quod causam propemodum formalem, aut quocunque illam modo vocare placuerit, istius creationis respicit; *Vitæ nimirum sanctimoniam*: per quam Deus homines altioris illius, quem descripsimus, gradus hujus creationis compotes efficit, sanctam istam creaturam efficere volens, quemadmodum ipse sanctus est. Qua in re nemo unquam magis genuinè vividioribus coloribus speciem Patris cælestis expressit, quam Christus: ut, quemadmodum ob enarrata arcana cælestia, & quam Deus per neminem alium unquam revelavit, doctrinæ mysteria, *Sermo* aut verbum *Dei* meritò dicitur; ita per imitationem genuinam sanctimoniæ Dei, quam nullus alius unquam sic expressit, *Imago Dei* jure dici possit. Et hæc Christi sanctimonia, quæ hominibus aliquanto familiarius, quam ipsius patris, à nemine unquam visi, nota esse potuit; tanquam imago, ipsius Dei sanctimoniam repræsentans, proposita est ad imitandum omnibus novæ istius creationis candidatis: præsertim cum primaria illecebra, per quam ad sanctimoniam invitamur, in solius Christi persona ad excitandam spem nostram perfectè, & cumulate exhibita sit: ut si velimus similia præmia assequi, similem quoque sanctimoniam præstare connitamur.

Alterum genus similitudinis, in quo Dominus effigiem

effigiem patris ſui oculis omnium repræſentat ; in genere quidem (præter immortalem ac divinam, & quâ nulla propius ad ipſius patris gloriam acceſſit, naturam ; per reſurrectionem glorificatam) eſt illa ſuprema in cælo atque in terra poteſtas: aut potius ordinaria, & à Deo dependens omnipotentia, *Hebr.* 1. 3., in qua *reſplendet gloria Dei, & character quaſi eſſentialis ſuprematæ ejus ſuper omnia eminentiæ, ferens omnia verbo virtutis ejus.* Cujus nunquam finem fore ; expreſſis verbis Sacræ Scripturæ firmiter credimus.

Sed præcipue in ſpecie eſt illa extraordinaria, abſoluta, & verè regia poteſtas, cujus aliquando finem fore 1. *Cor.* xv. aſſerit, quæ in condenda iſta nova creaturâ ipſi à Deo plenarie, & abſolute collata eſt: quod in illo creationis negotio Pater neminem judicet ; ſed omne judicium dederit filio ; hoc eſt, neminem immediate regat, atque gubernet in ſalutis negotio ; ſed omnem ejus rei poteſtatem filio permiſerit: qui viciſſim accepti non immemor, omnem bene geſtæ rei eventum Patri acceptum ferre non deſinit. Sed hæc plus imprimis in eo elucet, quod ejus arbitrio non modo diviniſſimi illius doni, quod Spiritum Sanctum Sacri libri vocant, diſpenſationem, ſed etiam arbitrariam præmiorum retributionem, & eorum, cuicunque velit, collationem permiſerit. Itaque ut in terris nunc omnia quoad creationem novam nutu ejus fiunt ; ita, antequam ſumma manus imponatur, in cælis quoque idem, qui omnem principatum, omnem poteſtatem, omnem potentiam hoſtilem (1. *Cor.* xv. 24.) abolebit, eodem tempore thronos, dominationes, principatus & poteſtates promiſſa, & deſtinata militiæ *fidelibus* ſuæ præmia conferet. ut *in illo*, tàm ſublimiter glorificato, & poteſtatem ſuorum quoque ſervorum glorificandorum jam adepto ; creatæ tàm ſupereminentes in cælo poteſtates meritò dici poſſint.

Quæ res tametſi (quantum ad plenam creationis hujus conſummationem attinet) ſerò poſt eventura fuerit, atque adeo ſit in præterito ; tamen, tanquam jam facta, enunciari potuit duplicem ob cauſam. Primum, quòd etiamſi in remotiſſimis tantum cauſis ſuis eſſet, puta in nuda, & quidem occulta voluntate ac deſtinatione Dei; tamen ob immobilem, atque immutabilem ſui certitudinem, tanquam præſens, imo jam facta, dici potuerit. eodem loquendi modo, quo Deus nobis aliquam gratiam dediſſe dicitur ante tempora æterna 2. *Tim.* 1. 9. quam nondum accepimus. Deinde, quia id in propioribus jam, imo proximis cauſis ſuis fuiſſe, imo vero & reipſa factum eſſe; dici potuit, quod non modo pacti inter Deum, & homines fæderis, & tot promiſſionum obligatione, vi, ac vigore fieri neceſſariò debuit, non modo tot Apoſtolorum, & virorum Apoſtolicorum, ac Martyrum ; qui antequam Paulus hæc ſcriberet ad obtinenda fæderis hujus promiſſa, gratia, & miſericordia Dei, utpote πνεύματα τετελειωμένα *ſpiritus conſummati Heb.* xii. 23., jam admiſſi erant, quæſito quodam jure firmiſſimè nitebatur ; ſed jam magna ex parte ad actum deduci cæperat per exaltationem Chriſti : quia is, qui nomine Dei hæc tam magnifica promiſſa nobis attulerat, & eorum fidem ob maximam erga nos caritatem ſanguine ſuo obſignaverat, jam in manus, & in poteſtatem ſuam accepit hæc præmia, quæ dilectis ſuis commilitonibus, tanquam imperator devictis hoſtibus, redderet.

Itaque nequaquam audaci figura loquendi Apoſtolus uſus eſt ; cum ea jam *in Chriſto* facta, & creata dixit, quæ in illo jam magna ex parte Deus fecerat, & præparaverat : atque adeo in poteſtatem filii ſui, ſuo nomine promittentis, & quaſi Sponſoris pro ſe tradiderat. Nec magis catachreſticè dicuntur hoc loco jam fuiſſe præſentia, (quod tamen, quia ante non erant quin prius fierent, & quaſi crearentur, fieri non poterat) illa aſſignata militibus Chriſti præmia : illæ, inquam, dignitates, imperia, & ſingulis aſſignatæ cæleſtes provinciæ : quam (1. *Tim.* iv. 8.) dicitur repoſita fuiſſe Paulo *illa juſtitiæ corona*, quam non modo ibi ; ſed omnibus, qui dilexerunt adventum ejus ; reddendam eſſe poſt multum temporis aſſerit. Iſti enim ipſi throni, dominationes, & principatus (ut anteà oſtendebamus) ſunt iſta ipſa, cunctis æternitatis didatis aſſignata, ac reſervata juſtitiæ corona.

Nec deſunt nobis exempla plurima, in quibus de rebus longe poſt futuris, aut factis quidem ; ſed longe poſt quam aliquando de ipſis pronunciatum ſit ; Sacra Scriptura in tempore præterito loquatur. ita ut, etiamſi locum hunc plane de conſummata jam & omnibus numeris abſoluta creatione, & præmiorum iſtorum adeptione explicemus ; nullum novum & Sacræ Scripturæ inuſitatum ſenſum comminiſci videri poſſimus. Ex plurimis aliis, tria quatuorve proferemus. Primum eſt 2. *Tim.* 1. 10. ubi Chriſtus dicitur *deſtruxiſſe* καταργήσαντα *mortem*, cum tamen certum ſit, præter mortem multos adhuc ſupereſſe Chriſti hoſtes: & nondum omnia ipſi ſubjecta, affirmet alibi Apoſtolus : & 1. *Cor.* xv. 1. aperte aſſerat, quòd ultima omnium hoſtium *deſtruetur* (καταργεῖται) mors : Quod ita in epiſtola ad Timotheum in præterito dicitur, non modò quia certò deſtruenda ſit mors ; ſed quia per Chriſti reſurrectionem deſtrui cæperit & magna ex parte deſtructa ſit.

Alterum eſt *Eph.* 11. 6. ubi dicitur Deus nos coëxcitaſſe, & ſedere feciſſe unà cum Chriſto in cæleſtibus. quod ita dicitur, non modò ideo quod certo futurum, atque eventurum ſit ; ſed etiam quia jam quodammodo fieri cæperit. Ita *Apoc.* 1. 6. Chriſtus dicitur feciſſe nos Deo Reges, & Sacerdotes, non quia jam plenè Reges facti ſimus ; ſed quia certo futuri, eo quod ejus rei firma jacta ſint fundamenta.

Ita ut ſupra diximus 2. *Tim.* 1. 9. 10. *in Chriſto gratia data nobis ante tempora æterna dicitur.* Quid igitur novi, aut duri videri debeat, ſi Apoſtolum hoc loco aſſerentem exiſtimemus, quod Chriſti (cui novæ creationis munus demandatum eſt) opera, hoc eſt, per Chriſtum, aut etiam per ipſam ejus exaltationem, hoc eſt, in Chriſto, collocati ſimus in illis ſummis cæleſtis dignitatis gradibus, qui dicuntur throni, dominationes, principatus, poteſtates ; atque ejuſmodi Chriſti factum creationis voce exprimatur : cum & natura vocis in pleriſque linguis id non modo ferat, ſed & poſtulet, ut qui ex humili ſorte ad ejuſmodi faſtigia evehuntur, non modo creari ; ſed creaturæ quoque alienæ dicuntur : & alioqui certum ſit iſtam fidelium Chriſti exaltationem ; præcipuam partem, imo conſummationem iſtius novæ creationis fore ? Et hæc nobis quidem ad explanationem ſenſus loci hujus ſufficiant ; etiamſi non addamus aliam explicationem, quæ cuipiam forte planior videri poſſet. Videlicet Ea, quæ hic in cælis creata dicuntur eſſe, dignitates iſtas à Chriſto jam quaſi paratas ac præparatas eſſe, quibus homines novæ creaturæ participes donati, creentur cæli Principes. quod ſine ulla ſermonis figura etiam propriè dici poteſt, nimirum ut intelligamus apoſtolum hoc loco non dicere quidem, quod jam in illis thronis reſideant aut imperia illa adierint ii, quibus iſta præmia promiſſa, aut aſſignata erant ; quod ſine inſigni ſchemate dici non potuit : ſed iſta præmia, iſtas dignitates, iſtas præeminentias, paratas jam, & præparatas ac in Chriſto *repoſitas* eſſe ſcilicet, ut ſuo tempore reddantur ; quibus reſervatæ ſunt. Quod hunc vero dilectionis ſuæ filium (*Heb.* 1. 2.) non hæredi tantum præcipuum omnium : ſed hæreditatis promiſſæ

diſpen-

dispensatorem, ac distributorem Deus fecit: per quam distributionem gloriosæ illius æternitatis participes sient mortales brevis ævi, qui vix, ac ne vix quidem unius seculi ætatem ferre potuerunt; ut in omnia infinita secula in glorioso statu perennent. Quæ profecto perennitatis secula per Christum facta dicuntur, longè andaciori dicendi genere, cum ne unum quidem seculum eo tempore, quo Autor Epistolæ ad Hebræos hæc scriberet, proprie factum dici potuerit; quod per naturam rei nonnisi post exactam annorum suorum seriem, vere factum dici potest.

Antequam ulterius in explicatione loci hujus progrediamur, reddenda nobis est ratio, quamobrem à vulgata loci hujus explicatione recedamus. Duplex autem interpretum genus est, quibus ejus facti ratio reddenda est. Primum est eorum, qui apellationem Christi, per quam primogenitus creaturæ dicitur de nova: alterum, qui de veteri creatione explicant. Qui nonnisi novæ creaturæ primogenitum Christum existimant, necessitate quodam adiguntur, ut hoc loco nusquam de veteri; sed ubique de nova creatione sermonem esse fateantur. Nam si admittant Apostolum veterem creationem quocunque modo attingere, quod fieri necesse est, si isti throni, & potestates de Angelis *creationis*, intelligi, & explicari debeant; multas in difficultates sese, sine ulla gravi causa conjicient. Nam aut istos Angelos dici veteres creaturas agnoscent, quod causæ, & sententiæ ipsorum pernicioſum est: aut per istam novam creationem, in qua Christus exaltatus est, ipsos quoque noviter creatos, atque immutatos esse asserent. Sed cui mortalium persuadebunt, Angelos istos recens creatos novam creaturam dici posse. quippe qui nec ulla regeneratione, aut ex veteris vitæ in novam migratione indiguerint; nec ex suo florentissimo statu in alium longè eminentiorem transituri fuisse aut transiisse usquam legamus. quibus in rebus ambabus tota Novæ Creationis ratio cernitur. Nam nos quidem per novam creationem non in mente nostra tantum; sed in natura quoque (dum ex mortalitate in immortalitatem transponimur) immutamur, & quasi fusile æs in aliam formam transfundimur. At Angelorum neque mens, neque natura ejusmodi metamorphosi indiget aut transformari potest. Deinde Autor epistolæ ad *Hebr. cap.* 11. 5. *& vers.* 16., statum Angelorum, à statu eorum, qui per regenerationem, aut novam creationem in semen Abrahæ cooptati sunt, ratione futuræ vitæ, aperte distinguit. Præterea illud quoque paulo liberius, quam par sit sibi sumunt, per exaltationem Christi in statu angelorum sive intrinseco, sive extrinseco, adeo notabilem mutationem factam esse, ut ob eam noviter creati, aut nova creatura dici possint. Nec video cur in eorum statu aliqua mutatio fieri debuerit, postea quam Christi imperio subjecti sunt, quasi jussa Christi æquè capessere non potuerint, ut olim ipsius Dei capessebant, nisi in alium, meliorem scilicet, aut aptiorem (quod ne cogitari quidem fas est) ordinem redigerentur.

Nam si quis urgere vellet, magnam tamen in eo mutationem Status Angelici factam; quod qui olim soli Deo subjecti fuerant, nunc & Christo pareant; is profectò non satis intendere oculos mentis suæ videretur in vastum illud ingens spatium, quod inter Deum, & Angelos interjacet: adeò ut isthic omnium dilectissimus ejus filius minime anguste collocari potuerit, etiamsi summi Angelorum loco, ac dignitate sua ne tantillum quidem moverentur. Non ita arctis limitibus concluſa est regia istius principis, ut solio ejus nemo propius admoveri possit, nisi alii sedibus suis protrudantur, ac longius à Deo summoveantur. Quemadmodum opulentia ejus inexhausta est, adeo ut nihil in quenquam opum profundere possit, quin ipsi longè plus restet, quod in alios si velit conferre queat; ita (quod in gloriam ejus dictum esto) sublime ipsius solium adeo alte super omnes potestatum thronos eminet, ut illibata, & intacta ac ne levissimè quidem imminuta dignitate Angelica, non caput tantum Ecclesiæ ad tàm excelsum majestatis gradum potuerit; sed ipsam Ecclesiam ad id, quod promisit, fastigii evehere possit.

Nihil autem est, quod quisquam vereatur; ne ad alios quoque similes Sacræ Scripturæ locos, similis responsio evertatur per quam id fieri, aut creari dicitur, quod tantum reformatur, aut in aliam faciem, formamve convertitur. qualis est locus *Joh.* 1. 10. *In mundo fuit, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit.* Primum enim responsionum ejusmodi facilis est jactura; quæ aliquam principii petitionem redolent. deinde quod ad hunc locum attinet, non desunt gravissimæ causæ, ob quas particulam διὰ, vel δι' αὐτοῦ, quæ vulgò explicatur *per ipsum*: potius *propter ipsum* explicari debere sentiamus. qui sensus & minus perplexus, minusque figuratus, imò plane proprius, & verissimus est: nec vocem mundi in tres diversas significationes distrahit. Nihil enim verius est, quàm mundum, quem suo tempore Deum per Christum aboliturum scimus, non frustrà factum aut conditum esse: nec ideò tantum, ut in ista rerum universitate ad aliquot secula ostenderetur: sed ob aliquem fructum, & effectum permanentem: quem nunc quoque finem Deum consectari & in quo gloriam suam quærere videmus: hoc est, veterem creationem factam propter istam novam, cujus Christus & primogenitus, & unicus administer, denique & principium, & medium, & finis est. *In quo nobis gratia data est ante tempora æterna*; in *quo nobis manifestata per adventum ejus* 2. *Tim.* 1. 9. 10. *per quem omnia* ad Salutem nostram pertinentia facta sunt; & sine ipso factum est nihil. *Joh.* 1. 3.

Denique nihil repugnat, id quod in rejecta à nobis responsione sumitur (hoc est, vocis creandi paulo ante memoratam significationem) in aliis Sacræ Scripturæ locis verissimum esse: tametsi in eo; quem nunc explicuimus, locum non habeat.

Restat ut iis quoque, qui hic plane de veteri creatione sermonem esse asserunt, explicationis nostræ rationem reddamus.

Quibus ostendimus, primum maluisse nos ejusmodi sensum loci hujus afferre, qui nihil falsi, aut incerti, ac dubii, quodque in controversiam meritò vocari possit, contineat: præterea qui nulli aliorum Sacræ Scripturæ locorum adversetur; quam eorum vestigia premere, qui ejusmodi sensum afferunt, qui quum aliis innumeris Scripturis, atque adeò huic ipsi, cui affingitur, loco adversetur; merito à nobis in dubium vocatur, imò rejicitur. Cum enim utrinque & conditi antiquitus mundi rationem, & Christi originem, nativitatem, ac vitam ita accuratè à Spiritu Sancto descripta habeamus, ut Christo cum veteri illa creatione nihil negotii esse potuisse appareat: meritò hunc locum ita explicare noluimus, ut per novam & in Sacris litteris ante inauditam (quam hæc explicatio invehit) sententiam tot alios manifestos Sacræ Scripturæ locos, & totam tam de condito mundo; quàm de ortu, & adventu Christi, sacram historiam in dubium vocaremus. Contra nihil in explicatione nostra dari potest, quod non ipsi adversarii verissimum esse agnoscere teneantur. Nam & regeneratos novam creaturam, & absolute creaturam in sacris litteris dici, & simpliciter creationem, & regeneratorum tàm sublimem gloriationem hujus ipsius novæ creationis potissimam esse partem fateri coguntur. Nec adversus

versus tot Sacræ Scripturæ testimonia negare queunt tàm sublimes cælestium dignitatum gradus, quæ per thronos, ac dominationes exprimuntur, assignatos iis, qui in militia Christi rem bene gesserint: eosque qui ad tantas dignitates provecti fuerint creatos cæli Principes, & Dei per Christum, & ipsius Christi, qui per divinum instinctum Spiritus Sancti negotium salutis eorum in terris gubernavit; & postea in cælis liberali manu ista ipsis præmia conferet; creaturas merito dici posse. Præterea *In Christo, aut per Christum* creata dici posse tantarum dignitatum nomina, quæ toties fidelibus ejus promissa sunt; quæque antea adeo non extiterunt, ut ea ne existere quidem posse ulla suspicio fuerit, diffiteri nequeunt. præcipue verò postquam Christus jam glorificatus cælestem potestatem adiit; & non modo locum; sed etiam præmia quibus visum fuerit reddenda præparavit: quid causæ est, quin agnoscant ea in Christo, aut per Christum creata dici posse? Hæc omnia cum in abstracto, & citrà ullum ad hunc locum respectum verissima esse videant; nullam reperient causam, cur ea huic loco adaptari, atque illum per ejusmodi sensum explicari posse, non assentiantur. Multas è contra reperient causas, ob quas, de veteri creatione hoc loco Apostolum loqui non posse, statuant. Quarum plures, ut propter brevitatem omittamus, duæ sufficient, quæ ex verbis, & circumstantiis ipsius loci petuntur. Prima est, quod cum Apostolus *vers.* 13. duo maxima Dei beneficia proposuisset: aut si quis malit, unum *vers.* 12. propositum, in duo (*vers.* 13.) divisisset, ob quæ Deo, & patri maximas gratias agere debemus. Primum Quòd nos eripuerit è potestate tenebrarum. Secundum quod nos transposuerit in regnum filii dilectionis suæ; statim *vers.* 14. prius explicat, quomodo ex ea potestate erepti simus: scilicet per diploma remissionis peccatorum, morte Christi confirmatum, & quasi sanguine obsignatum.

Proinde *vers.* 15. (ut vel ex ipsis verbis apparet) transit ad posterius explicandum, quantum & quale sit illud regnum filii dilectissimi Dei, in quod transpositi sumus. Quæ certè *transpositio*, & μετάθεσις, aut potius μετάστασις *translatio* nostra; non per veterem; sed per novam creationem à Christo perficitur. Quamobrem veteris creationis mentioni, aut explicationi locus hic nullus erat. Sed nova creatio ad rem propositam multum pertinuit; præsertim autem ea novæ creationis pars, quæ præmia regenerationis nostræ respicit. Quid autem hoc pertinet ad translationem nostram in regnum Christi, quod ille veteris creaturæ primogenitus, aut prius quam alia omnia creatus fuerit; aut quod per eum Angeli, aut Angelorum Principes creati sunt? An eo nomine Deo gratias agendas esse Apostolus contendit? At hoc ad istam translationem nostram in regnum Christi plurimum pertinuit, quòd Christus novæ creaturæ primogenitus fuerit, hoc est, quod in eo, tanquam in capite Ecclesiæ, primum imago Dei, seu expressa effigies vitæ, quàm à nobis Deus in regeneratione postulat; deinde verò in glorificatione ejus altera imago Dei, seu effigies præmiorum quæ Deus regeneratis, hoc est recens, ac noviter creatis proposuit, efformaretur, & omnibus spectanda proponeretur. Pertinuit & hoc ad magnam nostram in ea ad regnum Christi μετάστασιν felicitatem: & gratiarum Deo actionem, quod per hunc Regem nostrum, Deo tàm dilectum, facta, ac præparata sint omnia tam in cælo, quàm in terra, quæ ad nos cæli principes, ac proceres creandos pertinent; & in cælo quidem præparatus sit locus tàm honorabilis, qui à Paulo alibi *corona justitiæ* dicitur; hic autem per voces thronorum, ac dominationum designatur. In terris autem quod caput istud Ecclesiæ regat, & animet, ac ad salutem dirigat singula ejus membra, ut pacem habeant apud Deum per ipsum *Rom.* v. 1. & reconciliationem omnes; illi vero qui olim à fœdere Israëlis alieni procul à Deo arcebantur, ut aditum atque accessum habeant ad eundem.

Altera causa, quæ hoc loco de veteri creatione sermonem non esse, evincit, quia hic ipse locus primogenituram istam omnis creaturæ, quæ de Christo dicitur, de primogenitura novæ creationis explicat *vers.* 18. vocans Christum principium, hoc est primogenitum ex mortuis. Non igitur ideo Christum dici primogenitum ostendit, quod in veteri creatione prius, quàm alii creatus sit; sed quod in nova, hoc est, quod resuscitatus à Deo, & glorificatus, primus omnium, & ante omnes, destinatam à Deo mercedem adeptus est, per quam ejusmodi potestatem obtinuit; ut novæ isti creationi summam manum glorioſè imponere posſit.

Breviter, cum & verba antecedentia, & ipsa Pauli interpretatio ostendant, Christum novæ creaturæ primogenitum dici; quia subsequentia verba, *In ipso creata sunt omnia*, per particulam Causalem ὅτι, cum ista apellatione Christi connectuntur; liquidò patet, non in alia significatione vòces *creata sunt* accipi, nisi in ea, in qua vox creaturæ, voci primogeniti addita, intelligitur, hoc est, sermonem hic non nisi de nova creatione esse posse. Unde simul intelligitur, quod *vers.* 17. expresse explicatur, Christum non eo tantum nomine hic primogenitum omnis creaturæ dici, quod ante omnes, de quibus sermo est, creaturas creatus sit; sed etiam quod ipsi cura, & potestas omnis reliquæ creationis commissa sit.

Ut igitur in compendium totam ejus loci explicationem contrahamus. Transpositionem istam nostri in Regnum Christi Apostolus *versu* 15. 16. & sequentibus ita explicat, quod à Deo facta sit per novam creationem, cui dilectissimum filium, tanquam vicarium, & verissimam sui effigiem, quæ personam suam repræsentet, præfecit, utpote factum omnium promissorum suorum ante omnes hæredem *Heb.* 1. 2. & cui, tanquam primogenito, omnem, quam reliqui sperari possint, hæreditatem dispensandam permisit. Quem totius istius creaturæ primogenitum, ac principem ex eo probat *vers.* 16. quod per eum omnia facta, & creata sint, tàm in cælo, quàm in terra, quæ ad istam creationem perficiendam pertinebant. Quæ omnia bifariam divisa: quod nimirum alia in cælis; puta invisibilia; alia in terris, hoc est, visibilia facta, & creata sint. & per exaltationem omnia tamen in Christo, hoc est, per Christi operam, aut exaltationem facta, & creata asserit. Et quia primum cælestium, quæ invisibilia sunt, mentionem fecit, ab iis incipit, & primum τὰ ἀόρατα (quæ Paulus 1. *Cor.* IV. 18. τὰ μὴ βλεπόμενα, *quæ non cernuntur* vocat) quæ oculus non vidit, auris non audiit, nec in cor hominis ascenderant cælestium dignitatum fastigia commemorat, eaque *per ipsum*, & *in ipsum* creata, hoc est, præparata & quasi reposita diligentibus Deum præmia atque stipendia iteratò asserit. Et in vocibus quidem per ipsum, δι' αὐτοῦ, voces superiores *in ipso*, ἐν αὐτῷ, explicare videtur. Cæterum quod addit εἰς αὐτὸν *in ipsum* plus aliquid significare videtur; hoc est, causam finalem tantæ, ac tam invidendæ exaltationis servorum Christi: quod ea in gratiam tàm dilecti filii Dei, facta, aut facienda videatur; ut nimirum tam excelsus Imperator in commilitonibus suis aut (ut mox *vers.* 18. loquitur) caput in membris suis honoretur. Expressè autem *vers.* 17. primogenituram istam Christi,

non in eo tantum consistere asserit, quod ante omnes & tempore, & dignitate, & longo quidem intervallo glorificatus sit: sed in eo quoque, quod cæterorum omnium glorificatio, & omnis istius creationis consummatio, ab eo solo tanquam à capite totius creaturæ, hoc est, corporis Ecclesiæ dependeat. ὁ ἀυτῷ συνέστηκε, *in isto* aut *per ipsum* consistant. Quia nimirum (ut *vers.* 18. & 19. asserit) ea Dei voluntas fuerit, & quasi ideo ipsum primum ante omnes è mortuis excitaverit, ac principium, & primogenitum istius creaturæ esse voluerit, ut ille mox glorificatus omnium rerum principatum ac potestatem acciperet. Non enim tantum in tempore adeptionis istius gloriæ; sed in multis aliis rebus (in quibus eum supra imaginem Dei est diximus) præcipue verò in principatu, ac potestate, quæ ipsi in ista nova creatione collata est, omnibus anteceilit, ac πρωτεύει. *vers.* 20. *quia ita patri complacuit, ut in tam dilecto pignore omnis honoris, ac dignitatis plenitudo habitaret.*

Vers. 20. Postea quam ostendisset Apostolus omnia, quæ ad novam istam creationem requirebantur *in cælis esse* jam à Christo expedita, & quasi creata: transit ad ea, quæ cum ad eandem creationem pertineant, in terris per Christum facta sunt, ut ostendat omnia per ipsum facta, & sine eo nihil factum esse *Joh.* 1. 3. Dicit igitur placuisse Deo, ut per Christum, atque adeo per mortem Christi reconciliarentur omnia, & ad pacem quandam, & concordiam adducerentur tàm in cælo, quam in terro. Addit, ut supra quoque, vocis εἰς αὐτὸν: quia reconciliatio ista non fuerit sine magna Dei gloria. nisi quis malit τὸ εἰς αὐτὸν significare reconciliationem factam erga Deum, aut cum Deo, ut distinguatur à reconciliatione facta cum reliquis cæli incolis Angelis; quos inter & homines per conversionem istorum ad Deum, inimicitiæ quædam sublatæ cum Deo videntur. Cum vero Reconciliatio, & pacificatio ista in terris per mortem Christi facta, sit duplicis generis, alia quæ inter Deum, ac cælites parte ab una, & inter homines parte ab altera: alia verò, quæ inter ipsos homines inter se dissidentes facta sit; incipit ab ea, quæ est prioris generis, nec ante *vers.* 26. accedit ad alteram. Porro priori loco non alia reconciliatio intelligenda est, quam ea, de qua 2. *Cor.* v. 19. 20. loquitur, quod Deus per maximam illam gratiam suam, quâ in diplomate remissionis peccatorum, sanguine Christo obsignato, homines prævenit; eosdem invitaverit ut sibi reconciliarentur: & in posterum sese peccatis suis irritare desinerent, per quæ homines, qui erant alienati à Deo, & hærentem in animo inimicitiam adversus Deum pravis operibus suis in apertum producebant, atque exercebant; per gratiam remissionis peccatorum, morte Christi testatam, reconciliati, (*vers.* 22.) facti sunt sancti, & irreprehensibiles coràm Deo.

Ubi adjungit (*vers.* 23.) insigne monitum, ac doctrinam, quomodo se gerere debeant homines Deo reconciliati, ne iterum in offensionem, atque iram Dei incidant. & tacite hortatur ad constantiam, & perseverantiam in fide, nisi velint excidere gratia Dei, & iterum in miserum statum suum relabi. Quod non difficulter fieri posse tacite innuit, simulque & animos eorum ad excipienda obsequenter subsequentia monita sua præparat, & sibi ad monendum viam, & auctoritatem præstruit. Præparat animos provisu, & admonitu periculi, ostendens nisi firmiter jaciant fundamentum fidei, & in ea stabiles evadant, facile posse dimoveri *à spe Evangelii*, hoc est, à præcipua, & principali parte Religionis Christianæ, scilicet expectatione certa, & cum fide conjunctâ amplissimorum, quæ illa pollicetur, præmiorum. Quia vero per ejusmodi sancta monita & præcepta, atque doctrinas altissime jacitur fundamentum hujus fidei, ita ut firmas radices agat, & homines stabiles, atque immobiles, hoc est, constantes reddat; ideo tanto attentius ista monita audienda, tantoque alacrius illis parendum esse. Auctoritatem porro in monendo ac præcipiendo, sibi conciliat, dum ostendit prædicationem hujus Evangelii, quod nos in tantas spes erigat, ut possimus constanter perseverare in fide, sibi concreditam esse, nec infelici quidem eventu, cum per ipsum in toto fere mundo promulgata sit ista doctrina Evangelii, non tantum voce, ac prædicatione liberrima: (*vers.* 24.) sed etiam susceptis ob libertatem prædicandi multis afflictionibus in gratiam eorum, quibus prædicabatur: atque adeo ipsorum Colossensium. (ad quos vox istius prædicationis per Epaphran perveniisse videtur,) cujus quidem rei se non pæniteat: sed potius gaudere se ait; quod vel afflictione sua ipsis prodesse potuerit. In quo sese Christum imitatum esse, atque imitari, cujus vibicibus sanati sumus: & qui multa, & magna pro nobis passus est, hilari, & alacri animo, ut nobis prodesset. Qui cum nunc in eo statu sit, ut jam pro nobis pati nihil possit; æquum esse servos ejus, ac se quoque, vices ejus obire, in eo quod Christo nunc facere neque convenit, neque integrum est. Dicit igitur se implere defectus aut ὑστερήματα afflictionum Christi in imbecilla carne sua, pro corpore ejus, hoc est, Ecclesia. Non quod in passionibus Christi, quas suscipit, aliquod ὑστέρημα olim, aut defectus fuerit: sed quod nunc, cum Christus imbecillam, & passionibus obnoxiam carnem non habeat, pati pro Ecclesia nihil possit: Ideo teneri servos ejus hac in parte *Domini sui vicem* implere, quod à se cumulate præstitum sit. Simili loquendi modo Epaphroditum impleviisse defectum Philippensium in officio erga se scribit *Philip:* II. 30. nihil minus cogitans, quam ut defectum aliquem officii Philippensibus objiceret, sed cum toti Philippensi Ecclesiæ deferendi sui muneris ergò molestum iter Romam suscipere non esset integrum; unum hunc hominem, loco omnium, ac periculo infirmæ valetudinis suæ, laborem hunc suscepisse exprimere voluit.

Vers. 26. Attingit alteram istam partem reconciliationis in terris per Christum factæ, quæ est inter ipsos homines: sed breviter, & (quasi ad alia properaret) ità, ut à priori parte vix distingui videatur; cum tamen ex mente Apostoli, & propositæ *vers.* 20. materiæ serie exigente, distingui omnino debeat. Agit igitur hic de reconciliatione gentium cum electo quondam populo Dei; quod factæ sint cohæredes, & comparticipes promissionis in Christo per Evangelium factæ *Eph.* III. 6. Quam vocat *mysterium absconditum* à seculis & generationibus ut & *Eph.* III. 5. Mysterium quod in aliis generationibus non factum est notum filiis hominum. & ibid. *vers.* 9. mysterium absconditum à seculis in Deo, qui (nunc) omnia creaverit per Jesum Christum (de nova creatione evidentissimè loquitur) ut nota fiat principatibus, & potestatibus cælestibus (per Ecclesiam) multiformis sapientia Dei. Ideo & hic *Coloss.* I. 26. mysterium hoc ait revelatum sanctis ejus (addit *Eph.* III. 5. Apostolis & prophetis) quos voluit docere Deus, quænam essent divitiæ gloriæ *arcani hujus in gentibus.* quod videlicet Christus (hoc est Christi doctrina, & religio divina promissa, & præcepta complexa) prædicatus est ipsis, quamvis videlicet ad populum Judaicum non pertinentibus olim, quia in ejus potestate esse omnem creationem nostram, & ex humili statu ad gloriosum traductionem paulo ante ostenderat, merito vocat

Spem

Spem gloriæ vestræ. Ut igitur sibi ad subsequentes commonefactiones viam prænunciat ; hunc à se Christum, in quo suprà Spem omnem gloriæ, seu glorificationis nostræ repositam esse demonstravit, annunciari prædicat, *(vers. 28.)* quia id officii (vide quàm præposterè postea Tertullianus, & alii vocem *διαταξιας* usurpaverint.) paulo ante *vers.* 25. sibi per Œconomiam, ac dispositionem Dei impositum sit ; simul & officium docendi, & commonefaciendi omnem omnino hominem (sive ille sit ex Judæis, sive ex gentibus) in omni sapientia ; quam accurate adhibeat in eo, ut constituere possit omnem hominem perfectum in Christo Jesu : In quo etiam multum elaboret, sedulæ atque enixæ contentionis nervos intendat ; tanquam in certamine aliquo, ubi viribus parci non solet. Verba Apostoli sunt, *secundum efficaciam ejus, quam efficaciter exeruit in me, in potentia.* Quia vero Christi, & Spiritus Sancti auxilium efficax, iis tantum promissum est, qui faciunt ipsi quantum infirmis suis viribus possunt ; ideo Apostolus merito dicit, se ejusmodi conatum in eo negotio adhibuisse, qui cæleste istud auxilium mereri, ac provocare posset : quod etiam ipsi efficaciter adfuisse, documento erant res ab eo divina quadam potentia gestæ.

Unde discimus, si Apostolus omnibus viribus eniti, & nihil contentionis omittere debuit, ut Christi auxilium eliceret ; sine quo ne ipse quidem, tantus alioqui vir, quicquam præstare potuisset ; quanto magis enitendum, & elaborandum esse aliis, ut omni ope, ac omnibus viribus contendant, si velint opem istam cælitùs provocare, sine qua ipsis nihil prospere succedere potest.

CAPUT II.

UT eorum ad quos scribit, Colossensium videlicet & Laodicenorum (quæ propinquæ sibi videntur civitates fuisse. vide infra *cap.* IV. 15. 16.) animos conciliaret ; ac monitis suis admittendis præpararet ; ostendit quanto studio flagraret, & quanta contentione eniteretur, ut quoniam ejus præsentis faciem Ecclesiæ istæ non viderant, absentis quidem corpore ; ast animo præsentis, atque in illos multum propensi, opera, consolatione, confirmatione adjuvarentur.

Observandum hic, quantum fuerit Apostoli in propagando Evangelio studium : adeo ut, quibus præsens prædicare Evangelium non poterat, eos absens aut per emissarios suos, aut per epistolas converteret, instrueret, confirmaret.

Exponit autem *vers.* 2. in quo ipsis operam navare cuperet, ut nimirum corda eorum insigni solatio perfunderet : simulque ut eos adjuvarent ; primum in caritate : hoc est, vitæ pietate, ac sanctimonia. deinde in abundantiori (quam per vocem divitiarum) & certiori ac evidentiori ; (quam per vocem πληροφορίας *plenitudinis* exprimit) *intelligentia mysterii cognitionis Dei Patris, & Christi* (quas res sibi esse mutuò causas jam ante diximus) *vers.* 3. *In quo*, puta mysterio (ut ad utriusque nominatorum cognitionem referatur) *sunt omnes thesauri sapientiæ, & cognitionis absconditi.* Quorum certe thesaurorum magnam partem cap. antecedenti aperuit.

Vers. 4. Affert causam eorum, quæ superius dixit. Dixit autem primum quidem proximè *In mysterio cognitionis Dei patris, & filii ejus omnes sapientiæ thesauros esse reconditos.* deinde suprà anxiâ, & sollicita cura sese æstuare, atque angi, & plurimum tanquam in alicujus certaminis agone laborare Colossensium, & Laocensium causa : ut eos licet absens consolari, & confirmare posset. Ad utrumvis eorum versus hic referatur, parum refert : nisi quod optimum factu est ad utrumque referre ; quod utrumque pariter respicere videtur.

Nam & inde, quod omnis sapientiæ & cognitionis thesauri in mysterio religionis Christianæ sunt reconditi, sequitur spernendas esse prophanarum scientiarum, aut opinionum illecebras, ac præstigias ; quibus ad se animos incautorum allicere, & blanda persuasione decipere poterant. Et inde quod Colossensibus ac Laodicænis ab ejusmodi impostoribus philosophiæ, aut eloquentiæ armis (hanc enim *vers.* 4. ; illam *vers.* 8. commemorat) instructis impenderet periculum ; sequitur non frustrà Apostolum tantum curæ, ac sollicitudinis ; quam (*vers.* 1.) tangit, pro ipsis suscepisse.

Observandum autem est hic, quod ad veram status primitivæ Ecclesiæ cognitionem plurimum refert, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, hoc est, ab ipso Apostolorum ævo ; Satanam insidiatum esse Ecclesiæ per Philosophiam. Cum autem multæ tunc essent philosophorum sectæ ; maximè omnium Platonica floruit ; sed ita ut è Pythagoreorum commentis, imo & curiosiorum artium magistris, pleraque placitis suis admiscuerit (Nec enim infimæ ætatis Academia in Platonis sui institutis usquequaque permansit.) Quarum rerum vestigia hoc ipso capite non difficulter deprehendas. Si qua alia philosophorum secta, Platonica certe Magistri sui exemplo, eloquio, & illa, quam *vers.* 4. exprimit Paulus, πιθανολογίαν *persuadendi arte*, instructa erat. Nulla aliarum in divinarum rerum notitia plus sibi vendicabat. hinc Plato divinus dictus. adeo ut Apostolus apparenti isti divinarum rerum, & umbraticæ, atque imaginariæ cognitioni : quæ per *traditiones hominum, & elementa mundi*, non per doctrinam Christi, introducta fuit. [*Elementa mundi* dicuntur doctrinæ, quibus juventus in mundi scholis instituebatur. quod nomen etiam tribuit Apostolus legi ceremoniali Mosaicæ : eo quod hæc pars legis, ad imitationem dogmatum mundi, cum pueritia Judæorum balbutiret. Ne igitur magni fieret, hoc nomine eam vocare placuit] meritò veram, solidam nec umbræ, aut imaginis ; sed ipsius corporis nomine dignam rerum divinarum (in religione Christi) cognitionem opponat. *vers.* 9. Delectum ciborum, ac temporum, (*vers.* 16.) Pythagoreorum, Judæorum, ac Judaizantium Christianorum suffragiis adjuti, urgebant : Sed præcipue cultum Angelorum (*vers.* 18.) aut geniorum, jam inde à genio Socratis, vide Xenophontem, initio sumpto promovebant, in quo dogmate plura forsitan è Magorum scholis, quàm è Magistri sui placitis hauserant. Atque omnia hæc ipsius Apostoli manu ducta lineamento, scholam Platonicam fuisse arguunt : quæ Colossenses, & Laodicænos σοφολογίαις, sophisticè circumvenire, & per philosophiam, & vanam imposturam exuere, ac spoliare vera doctrinæ Christi cognitione conata est. Qui conatus utrum ipsi alias, aut alibi post mortem Apostoli, præcipue verò posterioribus seculis successerit, nec ne ; facilè videre potest, quisquis istius scholæ placita cum quibusdam Christianorum opinionibus contulerit.

Ergo adversus istas impostorum philosophicorum præstigias, quibus ne vera Dei cognitione exuerentur, metuendum erat, præparando eos, confirmat in ea doctrina, quam à suis Cooperariis Epaphra, aut aliis etiam acceperant ; laudans, & commendans (*vers.* 5.) eorum *ordinem* & *stabilimentum* τὸ στερέωμα fidei in Christum : & hortatur (*vers.* 6.) ut nihil in ea doctrina, quam acceperunt, immutent : sed secundum istam ipsam, quæ de Jesu Christo ipsis tradita est, doctrinam, ambulent, ac vivant ; *radices agentes, & inædificati in Christo ; & corroborati in fide,*

nulla in re discedentes à præscripto, & regula ejus doctrinæ, quam ab Apostolicis viris didicerant: sed in ipsa proficientes, & abundanter incrementum facientes, invocando per preces opem atque auxilium divinum: quæ hoc loco à præcipua earum parte synecdochice ἐυχαριστία, *gratiarum actionem* appellat.

Et quo diligentius id faciant; *vers.* 8. admonet impendentis, ac præsentissimi à philosophicis doctrinis periculi. quod ut melius ponat ob oculos, depingit illud per imaginem discriminis, quod frequenter viatoribus imminet ab insidiis & violentia latrocinantium, qui obvios fortunis exuunt, & spoliant. Habent enim in se illud veneni omnes peregrinæ opiniones, ac sententiæ religioni Christianæ admixtæ; ut inquinata semel puritate ejus doctrinæ, sensim & ipsam doctrinam è mentibus hominum eruant, ac eximant, atque ita homines pretiosissima omnium possessione spolient.

Ita Galatis Apostolus Christi doctrinam nihil profuturam ominatur, si doctrinam de circumcisionis necessitate admiserint. Ut enim in moribus; ita & in sententiis, parum fermenti totam massam inficit. *Galat.* v. 9. Mox ista ipsa philosophica dogmata damnat, atque elevat, & ipsis statim doctrinæ Christi excellentiam opponit. Damnat vocando ea *vanam impostúram*, vocando *Traditiones hominum*, qui multis sæpe erroribus, ac deliriis obnoxii sunt, vocando *elementa mundi* per contemptum: alludendo ad elementa doctrinæ, quæ pueris in scholis traduntur; qualia sunt alphabetum, & prima puritiæ rudimenta. Opponit autem ipsis divinam doctrinam Christi, fallere, & falli nescii: (*vers.* 9.) ostendens in ea non speciem tantum, & apparentiam aut strictúram aliquam, vel imaginem lucis cælestis; sed plenam, ac perfectam rerum divinarum cognitionem, nec umbram ejus; sed ipsum corpus cælestis sapientiæ divinitus à divino Doctore traditæ, contineri.

Nihil enim altius, excelsius, divinius est ista doctrina de novæ creationis, quam Deus per Christum perficit, excellentia, quam nobis cap. primo exposuit. In hac igitur doctrina *vers.* 10. dicit eos esse ita plenè, ac perfectè institutos, ut nihil indigeant aliis Magistris; uno isto Magistro freti, & gloriantes, qui est *Caput omnis principatus, & potestatis.* quod sive de Ecclesia specialius sic dicta, in qua ejusmodi quoque eminentias fore supra ostensum est, sive potius generalius, intelligatur, non multum interest: nisi quod, ut passim ubique similia verba, ita hic quoque generalius ista verba intelligi ostendit mentio superstitionis, & θρησκείας Angelorum infrà *vers.* 18., quibus opponi potest is, qui est caput, & princeps omnium, tam intrà quam extra Ecclesiam, religionis, ac doctrinæ Christianæ Auctor. Cujus doctrinæ capita quædam divinissima explicat usque ad *vers.* 16. ut eorum collatione nova ista philosophantium dogmata, quæ in Ecclesiam invehere capiebant, exagitet usque ad finem capitis: aut etiam, ut sibi ad eos ex animis ipsorum extirpandos viam præmuniat. Antequam ulterius procedamus libet animadvertere, voces *principatuum, ac potestatum*, ut & reliquas eodem pertinentes, triplici modo in Sacra Scriptura usurpari; etiamsi non connumeretur quartus, quando de humanis hujus ævi potestatibus intelligantur. Primum enim de Angelorum supereminentibus potestatibus dicuntur ut *Eph.* i. 21. & alibi sæpe (quanquam dicto ad Ephesios loco nec aliæ significationes omnes excludi videntur). Deinde de Satanæ principatu 1. *Cor.* xv. 24. & hic infra *Colos.* ii. 15. Tertio de iis, qui, per consummationem novæ creationis, præmia regenerationis consequentur. Legimus enim primum de *Thronis Matth.* xix. 28. quod assecla Christi in regeneratione ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ sessuri sint in thronis, judicantes. De *principatibus*, *Heb.* xii. 23. Ecclesia dicitur Panægyris *primogenitorum in cælis descriptorum*, innuente Spiritu Sancto principes illos fore terræ illius futuræ, quæ non Angelis; sed iis à Deo subjecta dicitur *Heb.* ii. 5. De *potestatibus* seu περὶ ἐξουσιῶν, *Apoc.* ii. 26. promittitur potestas danda iis, qui Christo constanter militarint suprà gentes: & *vers.* 27. graphicè describitur. De dominationibus; Filii Dei, hæredes Dei, & cohæredes Christi *Domini omnium* dicuntur. *Gal.* iv. 1. περὶ δυνάμεων, *De potentiis.* Homines ad immortalitatem resuscitandi dicuntur resurrecturi ἐν δυνάμει, *In potentia.* quanquam hoc ad robur corporis spiritualis potius, quam ad præeminentiam super alios pertinet. Sed & istud ipsum robur, pars non exigua præeminentiæ super alios esse potest.

Capita doctrinæ Christi, ut supra diximus, ut præceptis, & traditionibus hominum opponat, exponit; incipiendo à *vers.* 11. ubi primum attingit *symbolum*, & initiationem religionis, ac vitæ Christianæ; adumbratam olim in Judaismo *per typum, & figuram circumcisionis*, hoc est, renunciationem omnibus peccatis, & quasi recisionem eorum, & abjectionem; quam vocat *circumcisionem Christi*, & describit, quod *non sit manu facta*; sed spiritualis *exutio*, & recisio corrupti illius, & purulenti *corporis peccatorum.* Ut enim olim Deus pudendam corporis nostri partem circumcidi jussit; ita nunc omnes inhonestas, & pudendas actiones, & consuetudines recidi jubet à corpore quasi vitæ nostræ. Initium autem est vitæ Deo placentis, recedere à malo: progressus, & profectus; facere bonum. consummatio; constanter in utroque perseverare usque ad finem. Eandem religionis, ac vitæ Christianæ, non initiationem modo, sed renovationem, ac regenerationem adumbratam ostendit, *vers.* 12. per baptismum, per quem homines mysteriis religionis Christianæ initiabantur.

Ut enim per ejus vitam, testamur, nos non modo commori velle, & contrucidari cum Christo, necantes omnes nimios, & vitiosos affectus, & consuetudines: sed cum eodem planè consepeliri; ita ut pristinis moribus oblivione sepultis, ne vestigium quidem prioris vitiosæ vitæ in nobis appareat. Ita per eundem ritum, atque emersionem; testamur nos primùm ex morbo spirituali, hoc est, mortuis peccatorum operibus resurgere; atque ad novam, & meliorem vitam excitari. deinde etiam ex morte ipsa proprie dicta, quæ peccatorum stipendium est, resuscitari, *per fidem efficaciæ Dei*, qui Christum ab eadem propriè dicta morte excitavit. Energia enim ista, & efficacia, seu specimen potentiæ & bonitatis Dei, quod edidit in Christo resuscitato, & (quod sub eadem voce continetur) glorificato efficit in nobis vivam fidem, & sensum illius felicissimi status, in quem nos ex infelici sorte translatos sentimus: ita ut, quemadmodum certo scimus Christum excitatum esse à mortuis; eodem modo certo persuasi simus, nos similiter ejusdem exemplo excitandos: idque tam certo eventurum, tanquam jam factum esset: nec magis id incertum, aut mutabile esse, quantum quidem ad Dei partes attinet (Nam quod ad nos attinet, ipsi propria culpa tam invidendo statu excidere possumus) quam id quod jam factum est, infectum fieri posse.

Ac sine ulla quidem loquendi figura, aut temporum commutatione dici potest, nos jam quodammodo in gradu quadam inchoato excitatos & quasi Christo coexcitatos esse: quandoquidem promissum

missum resuscitationis nobis in capite nostro jam exsolutum, ac repræsentatum sit: quod nobis præstitum propter strictam *illam conjunctionem*, quæ est inter caput, & corpus, sponsum, & sponsam, non minus verè ac proprie dici potest; quam dos pauperculæ sponsæ promissa; jam exoluta esse; quando in sponsæ manus traditur; quamvis propter nuptias nondum factas, sponsa istius dotis possessionem nondum adierit.

Cæterum *vers.* 13. & 14. ex duobus à nobis supra explicatis resuscitationis gradibus; priorem diligentius explicat, quo, in terris adhuc degentes, non in spe; sed in reipsa gaudemus: quod nimirum ex morte spirituali, in qua propter peccata nostra, & profligatæ vitæ præputium, nondum circumcisum, misere sepulti eramus; nos excitaverit, & Christo convivificaverit: hoc est, ex morte spirituali ad vitam in Christo spiritualem, & secundum Christi spiritum degendam, traduxerit, per remissionem peccatorum: seu gratia facta omnium præteritorum, & in futurum in fortuitis hallucinationibus oblatâ indulgentiâ. in qua præcipuè absoluti illius regiminis, quod misericordi Christo fidei, & spei nostræ causa, à clementissimo patre collatum est, specimen editur, atque potestas exercetur. Nam ante remissionem peccatorum, non modo quoad illum præteritum statum eramus in morte spirituali; sed etiam quoad futurum statum nostrum, æternæ morti obnoxii fuimus. Post remissionem peccatorum, ac regenerationem, non modo in reipsa, ac præsenti statu, è morte spirituali erepti, & Christo convivificati, seu ad vitam Dei, vitam Christi, vitam secundum Christum, & spiritum ejus degendam, traducti sumus: sed etiam in spe, eaque certissima, quoad futurum statum nostrum ex mortis æternæ reatu, & servitute pænæ exempti, atque erepti sumus. Quomodo autem *isto reatu, & pænâ exempti* simus, explicat *vers.* 14. quod nimirum Deus per mortem Christi deleverit, & annihilaverit adversum nobis chirographum, imo verò, non sine aliqua ejus rei, quæ antiquatur abrogaturve contumeliâ, cruci affixerit. quo magis ostenderit illud jam nullam vim habere; sed tutò contemni posse, & nullam ejus rationem habendam. Peccata nostra in Sacris literis per translationem vocantur debita. Debitum autem omne tolli solet; sublato, aut concerpto, aut deleto chirographo. Hac igitur allegoria utitur Apostolus, & ait Chirographum istud nobis contrarium, quo servituti pænæ mortis æternæ obligabamur; jam esse morte Christi sublatum vide *Ephes.* 11. 15. Quid autem per Chirographum istud intelligat, voces ἐν δόγμασι *in dogmatibus* ostendunt: per quas Lex Mosaica intelligitur; quæ quia maxima ex parte erat ceremonialis, rectè dicitur ἐν δόγμασι. τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας *Eph.* 11. 15. id est, *legem mandatorum in decretis evacuans.* Hæc igitur lex, hæc antiqui fœderis pactio, in eo nobis erat contraria, quod duram nobis conditionem, justificationem exigeret ex operibus, hoc est, ex omnibus numeris absoluta, & rigide exacta præceptorum obedientia: per cujus rigorem, nos non poteramus non damnari. *Gal.* 111. 10. Ἐπικατάρατος πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου τοῦ ποιῆσαι αὐτά. *Maledictus, qui non manserit in omnibus scriptis in libro Legis, ita ut illa plenè executus esse, seu fecisse, dici possit.* At per remissionem peccatorum introducta est ex fide justificatio; per quam unam servari possumus; & ex servitute pænæ, seu mortis æternæ eripi. Firmiter igitur inde paulò post argumentatur, quoniam Lex ἐν δόγμασι, hoc est, quæ observationem ceremoniarum exigebat, abrogata jam, & abjecta sit; neminem nostrum judicandum esse (*vers.* 16.) ex istarum ceremoniarum observatione. Nam si divinis illiusmodi præceptis voluntate ipsius Dei locus jam tunc nullus erat: multo minus humanis & philosophicis istius generis præceptis; locus esse poterat.

Porro ut vox συνεζωοποίησε *convivificavit*, *vers.* 13., ita & voces χαρισάμενος ὑμῖν τὰ παραπτώματα, *remisit nobis peccata*: & *vers.* 15. ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς, *Exuit principatus*: ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, *proposuit in exemplum & paradigma*: θριαμβεύσας αὐτοὺς, *triumphavit de ipsis*; omnes, inquam, illæ voces referendæ sunt, ad vocem *vers.* 12. ἠγέρθητε αὐτὸν διὰ τῆς πίστεως, hoc est, ad Deum ipsum. Quod indicat pronomen αὐτῷ, toties verbis istis, aut participiis additum, quod designat quidem Christum Dominum, verum ita, ut actiones ipsæ per verba, aut participia intellectæ, aut circa ipsum, aut per ipsum tanquam causam minus principalem à Deo ipso profectæ intelligantur. Quemadmodum enim ἐγείρειν αὐτὸν significat *resuscitationem à Deo factam.* Quemadmodum item συνεζωοποίησε σὺν αὐτῷ, *convivificavit cum ipso*; significat Deum nos vivificasse cum Christo; ita (χαρισάμενος *peccata*) remissio peccatorum non potest, nisi ipsi Deo tribui: quemadmodum alias ut plurimum nonnisi Deo patri tribuitur; ita & ἐξαλείψας χειρόγραφον, quod idem est, non potest decorè nisi ipsimet Deo tribui; præsertim cum deletio, aut abrogatio istius chirographi; aliquid contumeliæ, in idem istud chirographum vergentis, adjunctum contineat; nempe affixionem cruci; quod ad ignominiam istius chirographi, aut potius Legis per illud designatæ spectat, cum leges, quarum auctoritas rata esse debebat, publicis quidem; sed honestioribus locis affigerentur. Magis autem decorè id ipsi Deo tribuitur; cum ejusdem sit leges refigere, cujus & figere. ita denique & multò quidem magis voces ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς & θριαμβεύσας αὐτοὺς, hoc est, *Exutio principatus, & triumphatio de illis*, de ipso Deo patre intelligendæ sunt, quoniam additum est pronomen ἐν αὐτῷ, quod nonnisi ad Christum referri necesse est. Et quia pronomen hoc ad Christum refertur; ideo actio ipsa ad Deum referenda est. Proinde *in ipso*, aut *per ipsum* intelligendum, & explicandum est in seipso; ut quidam interpretes sentiunt. Sensus est, Coëxcitatos nos esse cum Christo, per fidem (*vers.* 12.) Fidem, inquam, collocatam in efficacissima Dei potentia, qui Christum excitavit è mortuis, & nos ante mortuos in peccatis vivificavit cum ipso, remittens nobis peccata, & delens, atque cruci affigens illud nobis adversum Chirographum, & exuens principatus, & victos illos palàm ostendens, ac in triumpho ducens, per *Christum.* Non excluditur enim ipse Christus ab isto triumpho: sed maxime includitur, cum Deus per ipsum istum triumphum duxisse dicitur.

Vers. 15. Quid per vocem *principatuum* & potestatum intelligatur, obscurum esse non potest. Neque vero terrenæ potestates intelligi possunt, neque Angelica imperia: quorum neutris quicquam detrimenti morte aut resurrectione Christi illatum est. Reliquum est ut Regnum Satanæ intelligatur, quod vulgò in Sacra Scriptura per voces supereminentium potestatum, quales inter ipsos Angelos maximè sublimes esse possunt, exprimitur. Unde patet sublime istud, atque excelsum imperium esse: & in quo sicuti parentium innumerabilis multitudo; ita imperantium, & sibi subordinatorum, ut ita dicam, magistratuum magna est copia, & gradus alii, aliis altiores; qui tamen omnes sub unius imperio regunt; & unius ut sic

loquar auſpiciis militant. Hebraicè dicitur Satan, Græcè Diabolus, Deus mundi hujus 2. *Cor.* IV. 4. Princeps mundi hujus *Joh:* XIV. 30. *Joh.* XVI. 11. Princeps habens poteſtatem in aëre *Eph.* II. 2. Spiritus efficaciter operans (πνεῦμα ἐνεργοῦν) in filiis inobedientiæ. Ibidem abſolutè, & κατ' ἐξοχὴν, πονηρὸν *Eph.* VI. 16. & alibi. *Leviatan*, Serpens magnus, Serpens tortuoſus, Balæna maris. *Eſai.* XXVII. *Homicida*, *Mendax*, & *Pater mendacii Joh.* VIII. 44. Tentator. (hoc eſt, ad peccatum adducens) 1. *Theſſal.* III. 5. Accuſator fratrum *Apoc.* XII. 10. Draco magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas decipiens univerſam terram. *Apoc.* XII. 9. Populus ipſi ſubjectus dicitur Angeli ejus *aut* δαιμόνια. Frequenter etiam honoratiori voce principatus & poteſtates, ut hic & *Epheſ.* VI. 12. eodem nomine vocantur. præterea κοσμοκράτορες. mundi potentes. aut mundi potientes, quaſi Rectores mundi: ſed additur *tenebrarum ævi hujus. Spiritualia malitiæ in cæleſtibus*, hoc eſt, æthereis locis. Videntur etiam vocari δόξαι, hoc eſt gloriæ, aut glorioſæ poteſtates 2. *Pet.* II. 10. (imo & κυριότητες) quia id gemino huic loco *Judæ verſ.* 8. & 9. explicatur ita, ut nonniſi de Satanæ Angelis (in quos maledicentia utrobique taxatur) intelligi poſſit.

Spiritus iſtos omnes una cum Principe ſuo eſſe maleficos, Dei rebelles, cæli exules, notum ex Sacra Scriptura. Ingenium, & indoles eorum Principum, ex quo cæteros cognoſcas; deſcribitur *Joh.* VIII. 44. quod *ſit homicida ab initio*, hoc eſt, hoſtis hominum, & quidem crudelis. Dedit enim operam, ut primum omnium hominem ad peccatum adduceret; cujus ſciebat ſtipendium eſſe mortem: nec in propagato genere humano idem facere deſiit. Deinde quod ſit mendax, & Pater Mendacii, ad decipiendos, atque ad peccandum alliciendos homines efficaciſſimus. Ex quo patet multam poteſtatem ipſi à Deo permiſſam (vide *Joh.* 1.) in mundo, præſertim quod ad tentationes, & ſeductiones hominum attinet, in iis, quæ libero eorum arbitrio Deus ſubjecit: Qua poteſtate ita ſtrenuè uſum eſſe apparet, ut longe maximam partem generis humani ſpirituali ſuo, quaſi imperio ſubjecerit. quod ſpirituale regnum Satanæ ſpirituali Dei, atque Chriſti regno, in eo ſimile eſt; quòd proprie dictæ poteſtatis coactivæ expers ſit. Non quod Diabolus in regno ſuo nolit cogere ad peccandum ſi poſſit: ſed quia non poteſt, nec id ut poſſit, à Deo permittitur: quia & ipſe Deus in ſimili voluntario regno ſuo; nemini vim infert: ſed omnes duntaxat precaria, ſi ita loqui fas eſt; & cui à voluntate humana reſiſti poteſt, poteſtate in officio continet. Ex eo ſucceſſu conatuum ſuorum Satanas *Princeps hujus Mundi. Joh.* XIV. *& Deus ævi hujus* 2. *Cor.* IV. 4. dicitur, & ad tanta ejus opera diſſolvenda Filius Dei apparuiſſe dicitur 1. *Joh.* III. 8.

Fuerunt igitur tempore Chriſti (ut nunc quoque ſunt) duo *regna Spiritualia*, à ſe diſtincta; quæ ſecum invicem certare dici poterant; alterum Dei, & Chriſti; alterum Satanæ. Quorum illud vitæ æternæ ſpe, atque promiſſo homines ad vitæ Spiritualis ſanctimoniam ac proinde ad æternam felicitatem invitabat & adducebat. hoc autem carnalium rerum eſcâ atque illecebris homines ad peccandum, ac proinde in morte æterna pereundum pelliciebat. Ita ut in altero eorum *vitæ, ac Lucis poteſtas*; in altero *vero vis mortis, atque tenebrarum* regnare dici poſſet. In peccato enim eſt omnis vis, atque omnis mortis aculeus: ita ut Satanas peccandi artifex, & origo, & omnium peccatorum Pater, *vim, & efficaciam mortis habuiſſe* merito dicatur *Heb.* II. 14. ὁ τὸ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου, qui ibidem per mortem Chriſti deſtructus dicitur; quia mortem iſtam ſubſecuta eſt reſurrectio, & quidem ad vitam æternam, & glorioſa, comitem habens glorificationem, per quam Chriſtus ſuis in cælo locum præparavit. Qui locus genuinus eſt huic verſui 15, ubi dicitur Deus per *Chriſtum exuiſſe principatus, & poteſtates*, puta, imperia, aut potius *illâ maxima poteſtate, & vi nocendi*, quâ pollebant ante hac per mortis aculeum; & *propoſuiſſe ipſas oſtentui, exhibuiſſe ad ſpectaculum, & quaſi duxiſſe in triumpho per Chriſtum.* Hæc omnia morti Chriſti, de qua loquitur, attribuit Apoſtolus, quia comitem habuit reſurrectionem & glorificationem.

Addit vocem ἐν παῤῥησίᾳ ἐδειγμάτισεν, deſcribens iſtum triumphum, in quo apud Romanos militi tanta dabatur licentia inſultandi hoſtibus (& ipſe triumphus nihil aliud erat quam inſultatio victis) ut *miles* ne ab Imperatorum quidem contumeliis abſtineret. Denotare autem videtur illam libertatem, qua nunc poſt triumphatam à Chriſto mortem uti poſſumus; ut contemnamus mortem, aculeo, & vi ſua exarmatam, utque ipſi inſultemus verbis illis 1. *Cor.* XV. 55. *Ubi nunc tuus eſt ô mors aculeus! ubi tua inferne victoria?* quia per Chriſti mortem, & reſurrectionem, *dedit nobis Deus* (Ibid *verſ.* 57.) *victoriam.*

Ut autem planius intelligatur, quomodo Deus per *Chriſti mortem*, reſurrectionem, & glorificationem deſtruxerit eum, qui poteſtatem habuit mortis, Satanam; atque exuerit principatus, ac poteſtates ejus miniſtros nocendi viribus; ac de debellatis ipſis triumpharit: revocandum eſt in memoriam ante mortem Chriſti, & quæ eam conſecuta ſunt, per quæ religio ejus firmiſſimè confirmata, & ſtabilita eſt; arma Satanæ, quibus regnum ſuum, regnum mortis, & poteſtatem tenebrarum propagabat, mirum in modum per aculeum peccati in hominum genus ſæviens, victricia plerumque, & triumphantia fuiſſe: quippe cum nulla eſſet tunc doctrina, atque religio, quæ vim, & aculeos peccati, quibus animi mortalium paſſim figebantur, ſatis idoneis viribus revellere, aut retundere poſſet: quandoquidem & ipſa moſaicæ Legis doctrina, vim, & potentiam peccati confirmaret magis, quam infringeret. 1. *Cor.* XV. 56. *Rom.* VII. toto cap.

Per mortem igitur Chriſti, & ſubſecutam reſurrectionem, ac exaltationem in cælis, miſſionem Spiritus Sancti in terras, & patrata à prædicantibus religionem Chriſti in nomine ejus miracula, via illa ad Salutem æternam, per quam ſolam vim peccati, & mortis aculeum, & poteſtatem tenebrarum atque ſervitutem, ac tyrannidem Satanæ effugere licet, generi humano pateſacta eſt. Per quam viam, & religionem ita confirmatam, vis, & potentia Satanæ non modò perdomita; ſed planè fracta eſt. Si nihil aliud nobis Mors Chriſti attuliſſet, præter tam inſignem religionis Chriſti pateſactionem, & confirmationem: ad triumphum iſtum de Satano ducendum, ſatis ſuperque ſufficiebat. At enim habet aliud aliquid in ſe mors Chriſti, ad eam rem longè efficacius; & quod vim iſtam Satanæ validius infringat; atque eum non modo certo vincendum, ac debellandum: Sed etiam jam magna ex parte victum, debellatum; atque triumphum ex eo jam ductum eſſe oſtendit. Pateſactio enim, ac revelatio religionis, niſi Mors Chriſti cum annixis ſubſecuta fuiſſet: nonniſi Spe, atque expectatione futuri præmii, & promiſſorum divinorum exolutionis nos ad pietatem accendere, & ex mortis, ac Satanæ regno eripere poterat. At reſuſcitatio, & exaltatio Chriſti nobis hujus ſpei certitudinem donat;

nec

fidemque noſtram adeo corroborat ; ut de exolutione promiſſorum à Deo per Chriſtum præmiorum nullo modo dubitare poſſimus ; cum in morte quidem Chriſti , quam noſtri gratia ſuſcepit , certiſſimum tàm Dei , quàm Chriſti erga nos amoris pignus habeamus ; ut de voluntate utriuſque ambigere nullo modo liceat ; an videlicet Deus & Chriſtus , edito favoris ſui erga nos in re omnium difficillima tàm inſigni ſpecimine , rem longè præſtitu faciliorem nobis præſtare velint. In Reſurrectione autem , & exaltatione Chriſti , glorioſum potentiæ Dei opus ; & fidei in exolvendis promiſſis exemplum , ac documentum habemus ; ut nullo modo dubitare poſſimus , non modo ea in nobis fieri poſſe , quæ jam in Chriſto facta videmus : ſed etiam ea , quæ nobis Deus per unicum novæ pactionis interpretem , ac ſponſorem promiſit ; quemque adeò arcto nobiſcum vinculo connexuit , quale inter ſponſum , & ſponſam ; inter caput , & membra cernitur , certo certius nobis exſolvenda , ac repræſentanda eſſe ; cum jam in manus Sponſi , & Capitis noſtri tradita ſint. Atque ita præter eam vim , quam in religionis Chriſti confirmatione cernimus ; in ipſa morte Chriſti eam vim deprehendimus ; qua peccatum , & peccati pater Satanas etiam quoad nos vinci , ac debellari ; & in triumpho duci poſſit. Quanto magis citrà reſpectum noſtri quo ad Caput noſtrum , omni nocendi vi à Deo proprie , & ſine ulla dicendi figura exutus , exarmatus , debellatus , & in triumpho oſtentatus , ac circumductus dici poteſt , ὁ ἴσον κράτος τῷ θανάτῳ , *ut qui vim , ac poteſtatem mortis habuit* : & per principatus , ac poteſtates ſuas exercuit aut propagavit. quandoquidem non modo Spem promiſſorum Dei , quæ homines , quos ad regnum ſuum pertrahere nititur , ex ejus poteſtate , atque uſurpatæ tyrannidis ſervitute eripere poteſt , oblatam ; ſed ipſa promiſſa Dei , in Capite & Sponſo Eccleſiæ ; tàm cumulate tàm inſigniter , tàm glorioſè ac triumphaliter exſoluta & repræſentata , tàm magno cum animi ſui dolore videat. Ita ut , quemadmodum nunc victum ſe , ac triumphatum à Deo per Caput Eccleſiæ non poſſit non agnoſcere ; ita & poſtea vincendum ſeſe , ac in triumphum ducendum à Deo per ipſam Eccleſiam ; non poſſit non animadvertere.

Quia verò Apoſtolus ex iis , quæ nunc diſſeruit , mox deducit , & concludit doctrinam adverſus duplicem errorem , quem homines in Scholis mundi , ſecundum elementa mundi eruditi (vide ſuprà *verſ.* 8.) partim per eloquentiam , *(verſ.* 4.) & artes perſuadendi : partim per philoſophiam *(verſ.* 8.) & vanas impoſturas , in Eccleſiam Coloſſenſem introducere moliebantur : ideo obſervandum eſt ipſum ea hic de morte Chriſti diſſeruiſſe , quæ utrique errori refellendo idonea erant. Primus error erat , quod Pythagoricam neſcio quam , & recentiorum Platonicorum abſtinentiam , & corporalem in ciborum , potuum , temporum delectu exercitationem , & θρησκείαν introducere nitebantur : in quo ipſis Moſaicæ legis auctoritas , quæ pro divinâ , ut reipſa erat , à Chriſtianis habebatur , ſuffragari poterat. Alter error fuit , quod ab iiſdem philoſophis , neſcio qua ſuperſtitione , circa cultum ſpirituum atque Angelorum dæmoniorum imbuerentur. In qua doctrina propaganda adjuvabantur à communi & veriſſima quidem ſententia omnium Chriſtianorum , imo & Judæorum , qui omnes , exceptis Saducæis , eſſe quoſdam excellentes Spiritus , magniſque viribus , & poteſtate præditos credebant. Cui ſententiæ audaciores opiniones de θρησκείᾳ , & cultu Angelorum , quæ *verſ.* 18. *& verſ.* 23. exponantur , ſuperſtruere non erat difficile. Atque haud ſcio an non ideo ſuprà Apoſtolus doctrinam eam de ſublimi ſtatu hominum in regnum Chriſti tranſlatorum ; & vocatione ſupra vulgus Angelorum eminentiore tradiderit , ut ab ipſa ſtirpe erueret opinionum , quas iſti philoſophi inſinuabant , fundamenta. Eſt enim in eo firmiſſima demonſtratio eos , qui ad ſtatum ſimplicibus Angelis multò excellentiorem ; ſummis autem principibus Angelorum (ne quid amplius aſſerere audeam) parem , vocati ſunt ; non debere ſeſe eò τὴν ταπεινοφροσύνην ſeu humilitatis (notandum eſt vocem hanc iſto in loco , bis in ſequiori ſenſu intellectam) demittere ; ut divinum aliquem cultum Angelis præſtent. Imo verò non timidè aſſerere auſim ; non alium finem , nec aliam occaſionem Apoſtolum habuiſſe ejus , quam ſupra expoſuimus , diſſertationis de excellenti ſtatu eorum , qui ad Regnum Filii Dei tam dilecti tranſlati ſunt.

Non immeritò igitur Apoſtolus , quia ſuprà erroris utriuſque radices incidiſſet ; reprehenſionem amborum , quæ *verſ.* 16. incipit , cum ſuperioribus per conjunctionem *igitur* οὖν (quâ deductio ſequentium ex antecedentibus ſignificatur) connectit. Ac priorem quidem errorem *verſu* 16. redarguit , dum concludit ; *Nemo igitur vos judicet in cibo aut potu , aut aliquâ ſpecie feſti.* Nam ἐν μέρει , *in parte* , quamvis partis , aut particularitatis mentionem facere videatur : univerſalitatem tamen ſignificat. quaſi diceret , in omni ſpecie , quæcunque ea ſit , feſti , ſive ſit novilunium , ſive Sabbatum , ſive alia aliqua ſimilis.

Redargutionis iſtius rationem affert. *Verſ.* 17. Quia res iſtiuſmodi olim quidem erant umbræ futurorum , quas ſuperventu ipſius corporis , hoc eſt , ſpiritualis Chriſti doctrinæ , evaneſcere neceſſe eſt. Quod ſi indignum cenſuit Apoſtolus poſt ſuperventum iſtius doctrinæ , Chriſtianos judicari ex ſervata , aut omiſſa obſervatione ceremoniarum , quas Deus ipſe quondam præſcripſerat : quanto indignius eſſe innuit eoſdem judicari ex ſervata , aut omiſſa obſervatione ceremoniarum , quas & ſupra *verſ.* 8. *traditiones hominum* ; & infrà *verſ.* 22. , *præcepta , & doctrinas hominum* apellat.

Verſ. 18. Accedit ad redarguendum errorem alterum , cujus redargutionem , itidem ut ſuprà oſtendimus , ex ſuperioribus deducit. Non modo ex illa doctrina , quam de excellenti ſtatu tranſlatorum ad regnum filii Dei dilecti , capite primo tradidit : ſed etiam proximè ex *verſ.* 15. ubi Spiritus iſtos , (qui ob magnam alioqui naturæ ſuæ , ac poteſtatis excellentiam , ab hominibus Dei ignaris , magni fiebant ; præſertim cum ſeſe ipſis familiarius inſinuarent , & ab iis pro numinibus coli vellent. Tales enim omnes erant ; quibus Platonici infimæ ætatis familiarius utebantur) Spiritus , inquam , iſtos à Chriſto aculeo potentiæ ſuæ exarmatos , debellatos , ac triumphatos eſſe oſtendit. Proinde nullam eſſe cauſam , cur ſeſe Chriſtiani ipſorum cultui mancipari , & ut Apoſtolus loquitur ὑποβάλλεσθαι (hoc eſt imperioſe , & inſolenter , ut victi à victoribus ſolent tractari , ac ſubjici) paterentur. Appoſitè autem Apoſtolus voce iſta , quæ *victoris erga victos inſolentiam* exprimit , hoc loco utitur ; ut eam partæ à Chriſto de Angelis iſtis debellatis victoriæ opponat. Indigniſſimum enim erat Chriſti (qui de Angelis iſtis debellatis triumphaverat) ſervos ; ab iſtorum hoſtium debellatorum cultoribus , tanquam victos ſubigi , & ad eorum , quos Chriſtus , Dux eorum , in triumpho duxerat , cultum , & ſubjectionem præpoſtere cogi. Duplici autem nomine Apoſtolus dogma iſtud de cultu Angelorum , atque adeo ipſos ejus doctores reprehendit : primum quod hominum animos per Spem eminentiſſimæ in cælis dignitatis conſequendæ erectos , ad humilitatem , & indignitatem cultus iſtius ſuperſtitioſi dejicerent.

cerent. Est enim omnis superstitionis comes humilis, & abjectus animus, quam generosiores fere aspernantur. atque hic humilitatis vocem in deteriori sensu (idque bis *vers.* 18. & 23.) accipi, jam monuimus. Deinde quod homines docere vellent, ea quæ ipsi ignorabant; utpote qui earum rerum nullam legitimam, ac divinitùs factam revelationem haberent: sed cum viderent Apostolos, & viros Apostolicos tot miraculis editis ostendisse sese cum ea potestate, quæ naturæ vires superat, nec tamen veræ sanctimoniæ austeritatem, aut persecutionis mala subire vellent; ipsi quoque ad prava cum nescio quo spirituum genere commercia conversi sint. Neque vero deerat sibi Satanas, qui, ut in reliquis rebus, sese Dei simium ostendit: præcipuè quod ejus exemplo Regnum quasi Spirituale, hoc est, præcarium, & voluntarium regno Dei oppositum affectet; & conniventia Dei habeat: ita istam occasionem commercii cum miseris homuncionibus habendi, non neglexit, ut ipse suos etiam haberet Apostolos, miraculorum vim atque arcani cum spiritibus commercii scientiam professos & jactantes. Porrò ignorantiæ illorum vel hoc ipsum erat manifestum documentum; quod Spiritus istos, quorum cultum introducebant, maleficos esse nesciebant: sed pro beneficis & ipsi habebant; & aliis venditabant.

Ideo Apostolus non specialiter dæmoniorum, quæ pro maleficis habebantur, cultum hoc loco reprehendit; sed generaliter geniorum aut Angelorum, qualescunque illi sint. quia ut ipse Satanas sese in Angelum lucis transformat; ita ejus quoque discipuli Angelos, quorum cultum Christianis instillabant, pro beneficis numinibus obtrudebant.

Ne igitur Christiani specioso prætensæ dignitatis Angelicæ obtentu, in errorem tam pernicioſum pertraherentur, maluit in genere universum Angelorum cultum, quam specialiter dæmonum maleficorum cultum damnare, & insectari.

Nec nobis difficile esset probatu ex temporum illorum Apostolicorum, & quæ proxime Apostolicum ævum consecuta sint, historiâ, Platonicos istos philosophos, qui Christianam religionem plurimis profanis dogmatibus, (quodque dolendum, non sine insigni successu) inficere conabantur; plurimum cum spiritibus istis, quorum cultum introducebant, commercii habuisse: si aut libros ad manus, aut otii aliquantò plus haberemus. Quos certe scientes, volentesque Dæmonum, quos maleficos esse putarent, cultum & ipsos consectatos esse, & aliis obtrusisse; ab omni ratione absonum, atque alienum est. Decepti prius ipsi miseri, deceptionem, atque errorem hunc aliis propinabant.

Cujus erroris, & ignorantiæ causam tangit Apostolus, quod *inflati mente carnis suæ*, hoc est, Carnalis sapientiæ tumido fastu, religionis Christianæ puritatem, ac simplicitatem, simul & afflictam, humilemque secundum carnem Ecclesiæ conditionem aspernarentur: ideoque non à magistro ipsius, & Capite Christo, sed aliunde divinarum rerum cognitionem haurire vellent. qui tamen tumor, & quæ inflatio ipsorum vana, & *inanis* esset (κενὸς) quia in sola Christi doctrina omnes sapientiæ thesauros reconditos *(vers.* 3.) & omnem plenitudinem cognitionis rerum divinarum contineri, atque habitare (*vers.* 9.) supra probavisset. Tacite igitur monet omnes Christianos (*vers.* 19.) ut *caput suum*, cujus corpus, & membra sunt, firmiter teneant, hoc est, Magistri doctrinæ inhærentes, & affixi sunt; neque se ab ea per doctrinas profanas, & peregrinas avelli patiantur. quia ab hoc capite omnibus membris vita per sua vincula, & conjuncturas, hoc est, venas, nervos, & musculos; nutrimentum, atque vita suppeditetur, ut totum corpus crescere possit in *incrementum Dei*, hoc est, ut omnes, qui ab hoc capite & magistro dependet, proficere possint, & maximum sumere incrementum in cognitione Dei.

Quemadmodum enim *incrementum Dei* significat incrementum cognitionis Dei, divinarumque rerum: ita *tenere* Caput, seu Christum significat tenere doctrinam capitis, & magistri Christi, prout & *vers.* 8. suprà *secundum elementa Mundi; non secundum Christum:* hoc est, secundum eruditionem mundi, non secundum Christi doctrinam: ita mox *in ipso, hoc est, Christo vers.* 9. hoc est, in Christi doctrina *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, hoc est, vera, & perfecta, non typica, & umbratica, rerum divinarum cognitio. Ideò paulò ante *vers.* 17. typicam illam, & umbraticam ceremoniarum doctrinam opposuit veræ, & quasi corporali Christi doctrinæ, quam corpus vocat, ut distinguatur ab umbris: & corpus quidem Christi, per metaphoram simul, & metonymiam.

Vocat autem Christum *vers.* 19. Τῷ κεφαλῇ, *Caput*, respectu quidem eorum, qui dogmate de cultu Angelorum Ecclesiam inficiebant. Κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, *omnis imperii, & potestatis.* vide supra *vers.* 10. ut ostendat præposterè cultum, & honorem potestatum cælestium aut quasi cælestium inculcari; desertò non sine injuria eorum principe, & *Capite.* Respectu autem ipsorum Christianorum, qui erroribus istis imbuebantur Caput Ecclesiæ, sicuti & suprà *vers.* 18. capitis primi, cujus strictam cum membris, & corpore suo conjunctionem allegoricè hoc versu depingit: ut ostendat præpostere membra à Capite suo avelli, non alio fructu & eventu quam ut ista suppeditatione vitæ, & nutrimenti, hoc est, puræ & necessariæ cognitionis rerum divinarum careant, ac defraudentur.

Vers. 20. Præmissa expositione errorum, à quibus ipsos abducere, aut absterrere voluit, & quos jam in parte refutare cæpit, pleniorem refutationem eorum aggreditur, concludens non debere eos imbui, & erudiri *elementis mundi*, hoc est, doctrinis hominum profanorum, in mundo mundanam vitam viventium: quorum captus vix alphabetum veræ eruditionis, & sapientiæ attingere potest: quia ipsi in mundo mundano more vivere desierint, posteaquam *commortui sunt Christo ab elementis mundi*, id est, morte Christi liberati sunt ab observatione etiam illius Legis Mosaicæ, quæ à Deo pueritiæ illius populi educandæ lata erat, & qui per ejusmodi quasi puerilia, & captui ejus accommodata elementa ad percipiendam perfectiorem Evangelii doctrinam præparabatur: quantò magis liberati sunt ab observatione ejusmodi præceptorum, quæ paulo post *vers.* 22. vocat (oppositè ad Legem ipsius Dei) *præcepta, & doctrinas hominum*; & quidem profanorum?

Tangit autem primum errorem *vers.* 21. *Ne attigeris, ne gustaveris*, & refutat eundem *vers.* 21. eodem refutandi modo, quo usus est Christus *Matth.* xv. 17. asserens ejusmodi præceptiones, aut interdictiones esse εἰς φθορὰν τῇ χρήσεως, esse *in Corruptionem ipso usu.* Neque enim, ut Christus dicto loco ait, res ejusmodi, quorum usu interdicebatur, quales erant cibi corruptioni destinati, inquinare poterant hominem, quia in ventrem descenderent, & in latrinam ejicerentur. quo refutandi modo ipso satis ignominiosè perstringuntur commenta hominum in ejusmodi præceptionibus, quæ circa res plane inutiles, &

natura

natura ſua viles, atque inhoneſtas occuparentur.

Deinde conjunctim utrumque errorem refellit, & caſtigat *verſ.* 23. (hoc eſt, tam delectum ciborum, quam cultum Angelorum) oſtendendo; habere quidem dogmata iſta prima fronte apparentem quandam ſpeciem ſapientiæ, & pietatis (hæc enim ſapientiæ initium & conſummatio eſt) primum in volontario cultu, & humiliatione quadam, quæ angelicæ naturæ ab humana, mortali, & caducâ deberi videtur. quod ad ſecundum errorem attinet deinde in coerctione, & quaſi mortificatione corporis noſtri, quod ad primum errorem ſpectat: ſed non habere verum ſuum pretium (vox τιμὴ hoc loco pretium, non honorem ſignificat) πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς, hoc eſt, ad impletionem carnis. Quæ verba, quia difficultatis aliquid habent, accuratius excutienda ſunt. Duplex autem earum ſenſus occurrit, quorum cum neuter rejiciendus videatur, in eligendo alterutro Lectori libera aptio eſto.

Primus eſt, hæc dogmata habere quidem aliquam ſpeciem, atque umbram Sapientiæ: ſed nullius pretii eſſe, quia non impleant verum ipſius ſapientiæ, de qua loquitur, corpus. Ubi per quandam catachreſin verum corpus iſtud ſapientiæ per vocem σαρκὸς *carnis* exprimit Apoſtolus; neceſſitate quadam coactus, quia jam ἀφειδίαν σώματος *non parcere corpori* nominaverat. Eſt autem hic ſenſus non modo planus; & utriuſque erroris, qui conjunctim refelluntur, redargationem continens: ſed etiam ſimili huic antitheſi, qua in *verſ.* 17. Apoſtolus uſus eſt, confirmatur. Ut enim illic umbra corpori; ita hic ſpecies, & imago itidem corpori, aut carni opponitur.

Alter eſt. Hæc dogmata venditare ſe quidem apparenti ſpecie ſapientiæ, quam ſpeciem, qualis ſit, exponit: verum, (quod tacitè ſubaudiendum ſit; Neque enim novum eſt Apoſtolo protaſi apodoſin non ſubnectere: ſed tantum (ut ſic loquar) ſubintelligere.) falſò, atque immeritò; quod ſtatim in poſterioris erroris fucata ſpecie oſtendit. ubi ἀφειδία σώματος nullius pretii eſſe oſtenditur, quia non impleat, quod pollicetur, hoc eſt, mortificationem carnis, quæ non in afflictione ipſius corporis, aut valetudinis ejus; ſed in edomatione, & coërcitione carnalium affectuum, & paſſionum, quæ nos ad vitia impellunt, conſiſtit. quemadmodum docet capitis ſequentis *verſ.* 5. ubi νέκρωσις illa membrorum noſtrorum terrenorum, quibus in rebus, conſiſtat, prolixè oſtendit; eamque τῇ ἀφειδίᾳ σώματος afflictioni corporis quæ ab iſtis philoſophis obtrudebatur, non obſcure opponit. Secundum hunc autem ſenſum non ſine cauſa Apoſtolus hoc loco corpus carni opponit, docens iſtos philoſophos mortificationem iſtam non implere, quia Corpus tantum hoc eſt, τὸ σῶμα affligant; non carnem, aut carnales affectus coërceant, atque edoment. ita ut hoc modo πλησμονὴ non ſimpliciter ad vocem τῆς σαρκὸς: ſed ad ἀφειδίαν τῆς σαρκὸς, quæ vox ἀφειδίας λόγὸ κοινῷ, ut ajunt; repetenda referatur.

Poſſit etiam quiſpiam eodem ſenſu locum hunc explicans, vocem πλησμονὴς non ad ἀφειδίαν; ſed ad ipſam vocem τῆς σαρκὸς referre. quia σῶμα τῇ σαρκὶ ita opponitur, ut σῶμα quidem corporis ipſius organum, & valetudinem: σὰρξ autem carnales illos appetitus, & paſſiones; & quicquid in corpore noſtro ad animæ nobilitatem propius accedit; per quod corpus iſtud organicum ſpirituali animæ noſtræ ſubſtantiæ conjungitur, ſignificet. Quæ σὰρξ, hoc eſt, appetitus, & paſſiones proprie loquendo non penitus in nobis extirpanda ſunt (qui enim id fieri poſſit, dum in hoc corpore vivimus) ſed defectus earum implendi, & ἡ σὰρξ, ad ſuam perfectionem in nobis deducenda ſit: quod quo pacto fieri debeat, ſtatim infrà ſequenti capite, incipiendo à *verſu* 5. ſatis prolixè oſtenditur, ut ita omnia antecedentia cum conſequentibus non male cohæreant.

Atque ex hoc loco utiliſſima doctrina excerpenda eſt; ut ſcire poſſimus, quid de pleriſque iſtis vitæ generibus, in ſæculum introductis, ſentiendum ſit; quæ aliquid excellentius, & ſupra præſcriptum Chriſti, & Apoſtolorum ſenſibiliori ſanctimoniæ ſpecie oculos mortalium perſtringunt foris, & à fronte promittuut, cum intus introſpecta, veram carnis mortificationem, & ad tam perfectum ſtatum, qualem à nobis religio Chriſti requirit, deductionem non impleant; nec præſtent, quæ pollicentur. ut plurium ſeculorum experientia docuit, docet, ac docebit.

CAPUT III.

HUjus capitis initio errorem ſecundum de cultus Angelorum ſuperſtitione, & voluntaria humiliatione, refellit ea concinnitate; ut quemadmodum præcedentis *cap. verſ.* 20., ex eo quod Chriſto *commortui ſumus* (hoc eſt, ut explicat hujus capitis *verſ.* 3., quod vita noſtra unà cum Chriſto abſcondita ſit in Deo; quod quid ſit, ſtatim videbimus) deduxit; non eſſe nobis curandum ut iſtis mundi elementis, (quæ per corporalem γυμνασίαν, *exercitationem.* 1. *Tim.* IV. 8., parum utilem, & quam nullius pretii eſſe in calce proximi capitis oſtendit, oculos hominum percellunt) & abſtinentia, ac delectu ciborum, & afflictione corporis tantum; non autem carnis, aut carnalium affectuum coërcitione; pietatem noſtrum ambitioſè oſtentemus. Vide ea de re ſanctiſſima Chriſti præcepta *Matth.* VI. *uſque ad verſ.* 19.: Ita in primo limine hujus capitis, ex eo quod cum Chriſto, jam ad dexteram Dei ſedente, *conreſuſcitati ſumus* (hoc eſt, ad illum ſupra Angelicæ ſortis eminentiam evectum ſtatum vocati, atque deſignati) firmiter deducit, dignos nobis tanta ſpe animos, ac ſpiritus ſumendos eſſe; neque committendum, ut nos ad humilem, & ſuperſtitioſum Angelorum cultum dejici ſinamus, idque ultro ac volentes. neque enim nobis uſquam præſcriptus eſt; ideo ἐθελοθρησκία, hoc eſt, voluntarius cultus dicitur. Neque verò obſtare innuit, quod eminentia naturæ Angelicæ à mortalibus, & caducis hominibus cultum, ac divinum honorem poſcere videatur. Non enim nos ex iſto terreno ſtatu æſtimandi ſumus, in quo, quamvis filii Dei vocemur (1. *Joh.* III. 2.) nondum tamen apparet quales erimns. Vita enim noſtra, ho eſt, Excellentis ſtatus noſtri gloria, ita eſt *in Deo una cum Chriſto abſcondita*; ut nunc quaſi mortui, & nihil eſſe videamur: quemadmodum Chriſtus per mortem ſuam, in hoc mundo quaſi occultatus eſt adeo, ut periiſſe videatur; cum tamen & Chriſtus vere vivat, & gloria ſua cæleſti fruatur: & nos in manu ejus vitæ æternæ, & glorificationis noſtræ poſſeſſionem repoſitam nobis, ac certò reddendam habeamus; quæ tunc denuo omnibus revelabitur, & apparebit cum Chriſtus ipſe vita, & gloria noſtra apparuerit. Altius igitur nobis ſapiendum eſt, quam ut ex terreno iſto ſtatu conditionem, aut ſortem noſtram æſtimantes, ſubmittere nos voluntariè debeamus ad cultum divinum Angelis; & conſervis noſtris præſtandum.

Verſ. 2. Poteſt etiam hoc loco inter verba τὰ ἄνω ζητεῖτε, & τὰ ἄνω φρονεῖτε, antitheſis quædam obſervari; ſi cui placeat verba quidem τὰ ἄνω ζητεῖτε explicare de cura placendi Deo per cæleſtem, ac ſpiritualem cultum ejus; non autem per corporalem & teneris hominibus uſitatum, γυμνασίαν, ut

hoc monitum Apostoli ad primum errorem ex animis eorum evellendum pertineat. Verba vero τὰ ἄνω φρονεῖτε de sensu, ac æstimatione sui, non ex terreno: sed ex cælesti statu suo; ut hoc monitum ad secundum errorem, ita uti supra explicuimus, ex animis Colossensium evellendum pertineat.

Videtur igitur hic verba, τὰ ἄνω φρονεῖτε, *ea quæ supra sunt sapite*, opponere humilitati superstitionis, cujus *versu* 18., & *vers.* 23. mentionem fecit; ita ut inter duo extrema, quorum unum est ὑψηλοφρονεῖν altum sapere (vide *Rom.* XI. 20.) alterum autem in humilitate superstitiosa angelorum cultus ταπεινὰ φρονεῖν humilia sapere; medium iter ostendat, quod est τὰ ἄνω φρονεῖν.

Vers. 3. ἀπεθάνετε γὰρ, *nam mortui estis*. In his verbis non modo ratio reddi videtur, cur ea quæ sunt in terris (puta in pretio) neque quærenda, neque animis nostris volvenda sint: sed etiam tacitæ objectioni occurritur. Ratio redditur, quia eos, qui mortui sunt carni, & mundo, carnalia, & mundana neque consectari, neque animis volvere decet. Objectioni occurritur; quia quamvis mortui videamur, despiciamur, & contemnamur, ac reputamur quasi μὴ ὄντες *non simus* 1. Cor. 1. 28. 3 non vere tamen mortui simus; sed tantum *vita nostra una cum Christo* abscondita sit in Deo, quæ in Christi revelatione *(versu* 4.) qui est vita nostra, una cum ipso revelabitur in gloria.

—Ex rationibus, quibus ab Angelorum cultu per Apostolum abducimur, non obscurè colligitur, quid nobis de cultu, & ἰδιολατρείᾳ Sanctorum sentiendum sit.

Vers. 5. Damnata falsa sapientiæ, ac pietatis specie, quæ tantum ἀφειδίᾳ σώματος, afflictionem corporis organici; non autem veram τῇ σαρκὸς νεκρώσει, hoc est, carnis mortificationem in se continet, docet veram carnis mortificationem; imò vero totam pietatis nostræ rationem exponit tam in genere omnibus, quam in specie quibusdam vitæ generibus sanctimoniæ officia præcipiens eo ordine, ut incipiat ab iis, quæ ad recessionem à malo; vel, ut Apostoli verbis utar, exutionem veteris hominis, id est, vitiosorum habituum referuntur; quod facit usque ad *vers.* hujus capitis decimum, & mox accedit ad ea, quæ ad indutionem novi hominis, aut potius ad contrahendos Christianarum virtutum habitus pertinet. quod facit à *vers.* 10. usque ad *vers.* 18. tum ad specialia certis vitæ generibus, quales sunt uxores, mariti, liberi, parentes, servi, domini præscribenda officia transit. in quibus immoratur à *vers.* 18. capitis tertii, usque ad *vers.* 2. *cap.* IV. deinde revertitur ad præscribenda omnibus in genere quorundam virtutum officia; quod facit usque ad *vers.* 7. Nam cætera usque ad finem Epistolæ salutationes fere, aut officia, scribentibus invicem usurpari solita, continent.

Quæ nunc eodem, quo proposita sunt, ordine persequemur. Incipit ab iis pietatis officiis, quæ ad *recessionem à malo* pertinent *vers.* 5. Quam ejusmodi verbis exprimit, ut eam primum *mortificationem membrorum nostrorum, quæ sunt in terris*, vocet: hoc est, *mortificationem membrorum veteris hominis*. (usus autem est mortificationis verbo, ut illud νεκρωσιν opponeret ἀφειδίᾳ τοῦ σώματος) Quam eandem, à dicta allegoria non recedens, paulò post *exutionem veteris hominis* apellat *vers.* 9. quæ hic *membra nostra in terris* vocat: eadem dicto loco *praxes*, & actiones veteris hominis esse, explicat. Ut enim corpus nostrum naturale, & organicum constat suis membris; ita illius veteris hominis, quem nobis exuendum esse præcipit, quænam sint membra ostendit. quo ipso non obscure indicat, illud quod nobis mortificandum, aut etiam exuendum est, non esse membra hujus corporis organici, cujus ἀφειδία (afflictione) philosophi isti superbiebant: sed esse habitus, & consuetudines veteris, carnalis, & terrenæ vitæ nostræ, quæ in frequentatis actionibus cernuntur.

Quarum actionum, aut potius consuetudinum genera enumerat, incipiendo ab iis, quæ maximè carnales, & corporibus, quæ gerimus affines. neque nobis cum vitiosis spiritibus; sed cum belluis potius communes esse videntur: quales hoc versu duplicis generis commemorat: primum quæ proprie ad carnis concupiscentiam, nobis cum belluis communem pertinent; qualis est scortatio, impuritas, & omne omninò libidinis genus. in quo plane homines belluas ipsas tanto magis turpitudine superant, quantò ingeniosius fœdarum delectationum genera comminiscuntur, & quantò nobiliorem sui partem pudendis cogitationibus polluunt, & inquinant. Qua in re profecto rei Sacræ, & quæ nobis cælitus, aut potius divinitus infusa est, sanctitas, non sine ingenti flagitio profanatur. & hoc in homine miserrimum est; quod non agendo tantum: sed & cogitando quoque scelere isto, aut flagitio pollui possit.

Neque vero pressius istis in rebus explicandis immorandum est, quæ non sermonem modo; sed & cogitationem nostram inquinant. Sufficit exemplo Apostoli dicere; non posse ista ignota esse hominibus istis, *qui in iis aliquando (vers.* 7.) *ambulaverunt, quando vixerunt in ipsis*. Nec debere esse nota inexpertis, quæ etiam expertis æterna oblivione obruenda, ac sepelienda sunt. Illud tamen hoc loco dici potest; cum duo sint genera sensuum, in quibus pravus mortalium appetitus vulgò flagitiosius exorbitat, tactus, & gustus; ad prius genus referri trium primo loco positarum vocum praxes, atque libidines. *Malam autem cupiditatem* comprehendere posterioris quoque generis vitia, hoc est, gulæ, atque ebrietatis excessus. Atque hæc sunt, quæ ad *carnis concupiscentiam* (ut cum Johanne loquamur) in qua ad belluas propius accedimus; imo verò eas turpitudine superamus, pertinent.

Est autem alterum genus vitiosarum actionum, in eodem versu commemoratarum, quasi medium, & *hominibus* pene proprium: quia & brutorum captum superare; nec tamen nobis cum vitiosis Spiritibus commune esse videtur. atque hæc est, quam Johannes vocat *concupiscentiam oculorum*, qualis *est avaritia*, & auri argentique sacra fames, alibi φιλαργυρία apellata. quam hoc loco *Idololatriam* Apostolus vocat: ut quia vitium hoc scortatio, & immunditia spiritualis, in sacris litteris vulgò audit; non immerito inter alias carnales scortationes, & immunditias posita, & connumerata videatur.

Ad eandem oculorum concupiscentiam non sine causa retulerim muliebrem illam; sed quæ in viris quoque sæpius reperitur, oculis hominum placendi curam; quæ in curiosiori & pretiosiori vestium aut cultus corporis ornatu versatur. Quamvis enim multæ partes ejus ad fastum quoque vitæ, quædam & ad carnis concupiscentiam referri possint; non desunt tamen aliæ, quas ad oculorum concupiscentiam competentius retuleris.

Notandum autem, est hic Apostolum, post factam idololatriæ mentionem, statim *vers.* 6. *Iræ Dei* quoque mentionem fecisse. Quamvis enim libidinum quoque flagitia iram Dei provocent, ut Sodomitico excidio satis testatum est; tamen nullum scelus est, quod indignationem Dei adeo irritet, quàm spirituale istud adulterium. Cujus causa Deus, ab humanis affectibus, & passionibus similitudine sumptè, spiritualis cujusdam rivalitatis zelotypiam, in primo,

primo, ac principali Legis ſuæ capite, promulgatâ cunctis iræ, atque indignationis ſuæ interminatione, publicè profitetur.

Verſ. 8. Accedit ad illud vitioſarum actionum genus, quæ nobis cum vitioſis ſpiritibus communes videntur. Quales ſunt, quæ à quibuſdam philoſophis ad iraſcibilem facultatem pertinere dicuntur. Ac recenſet ordine primùm *Iram*, deinde *excandeſcentiam:* vitia in animo noſtro, & ejus paſſionibus conſiſtentia, quæ quomodo inter ſe differant, explicantibus aliis libenter aſſentimur. tertio loco *Malitiam*, quæ omne graviter, præſertim autem injuſtè alteri nocendi ſtudium, ſignificat, per ipſas actiones noſtras expromptum; ita ut homicidium etiam; aut grave aliquod malum, aut damnum alteri illatum comprehendat. quarto loco *Maledicentiam*, *blaſphemiam*; quod eſt etiam graviter nocendi ſtudium: ſed voce, ac verbis duntaxat expromptum. quinto loco αἰσχρολογίαν, *turpiloquium*; quod, ut ſententiam meam ingenuè aperiam, non arbitror ſimplicem illam verborum obſcænitatem ſignificare, qua impuri homines prurientem animi ſui libidinem titillare, & marcentes in ſe cupiditates, excitare ſolent; quæ ſupra jam in voce ἀκαθαρσίας *Impuritatis*, perſtricta eſt: Sed ſignificat illam in maledicendo, aut etiam reprehendendo acerbitatem, quæ fit eo animo, ut aliquis poſitâ ob oculos ſive jacti in ſe maledicti, ſive etiam veri ſui vitii obſcæna imagine, tanto ignominioſius, & contumelioſius infametur, ac traducatur. Cujus αἰσχρολογίας (*turpiloquii*) ſpecimen eximium cernas in ſcriptoribus Satyricis, præcipuè in juvenale. In philoſophis quoque, aut oratoribus, qualis fuit Seneca; atque Valerio Martiale, cujus præcipua epigrammata ſatyricam bilem redolent. Quodque mireris magis, an indigneris, in ipſo Tertulliano, qui in perſtringendis gentium Diis auſus eſt nimium romana ſimplicitate loqui. Nam ſi illi digni hac contumelia fuerunt: at ipſe indignus erat è cujus ore, aut ſtylo tàm obſcæna, aut ſpurca procederent. Ideo Apoſtolus ad vocem αἰσχρολογίαν addidit ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν, *ab ore veſtro*, quaſi innueret, etiamſi quis mereatur ejuſmodi acerbam, & contumelioſam traductionem, & vitia hominum digna ſint, quæ ſuomet proprio vultu hominibus oſtendantur: non tamen dicere Chriſtianos, ut ex ore eorum turpia, & ſpurca verba prodeant. Nec ad rariora exempla in hoc vitio, ſatis alioqui vulgari, provocandum eſt. Ipſa indignatio multis ſæpe extorquet ut ſcapham ſcapham vocantes, tanto contumelioſius vitia hominum exagitent. In quo tamen, non quid alii mereantur; ſed quid nos facere deceat, magis ſpectandum eſt.

Sexto loco ponit *mendacium* præſertim ad ſupplantandos alios uſurpatum *verſ.* 9. & addit has, quas commemoravit, actiones eſſe exuvias veteris hominis, quæ planè exuendæ, atque abjiciendæ ſint. Et in hoc poſtremo genere actionum, quæ nobis cum malis ſpiritibus communes ſunt; notandum eſt duo eſſe genera vitiorum, quæ Spiritus Sanctus Satanæ ita objicit, ut eum patrem, atque auctorem eorum, quæque ex iis profluunt, ſtatuat; *malitiam*, hoc eſt, nocendi hominibus ſtudium, uſque ad homicidii culmen, progreſſa: à cujus malitiæ exuberantia etiam κατ' ἐξοχὴν (*per excellentiam*) πονηρὸς, *Malus* dicitur frequenter in Sacris litteris, & ἀνθρωποκτόνος *homicida Joh.* VIII. 44. *& mendax, imo Pater mendacii.* Secundo *Mendacium.* cujus Pater *Joh.* VIII. 44. dicitur. quorum utrumque hoc loco expreſſum eſt.

Verſ. 10. Cum hactenus oſtendiſſet quibus in rebus *veteris hominis Exutio* conſiſteret; nunc aggreditur oſtendere quomodo *Novus homo induendus ſit.* Ubi primum *regenerationis; atque adeo novæ & inchoatæ creationis generalis*; deinde ſpecialis, & ad particularia deſcendens, deſcriptio proponitur. Generalis deſcriptio regenerationis, aut novæ creaturæ eſt renovatio in cognitionem ſecundum imaginem ejus, qui iſtam novam creaturam creavit, hoc eſt Dei per Chriſtum; aut etiam ipſius Chriſti. Quæ nihil aliud eſt quam renovatio vitæ noſtræ, in qua non modo cognitis promiſſis, ac præceptis Dei, per Chriſtum traditis, & prædicatis: Sed etiam cognito præceptorum eorundem obſequio, in vita Chriſti uſque ad ſuſceptam mortem expreſſo, & ejuſdem obſequii præmiis in reſuſcitationis & glorificationis ejuſdem exemplo ob oculos præpoſitis ad exemplum iſtud vitæ, & obſequii Chriſti, renovatoris, & regeneratoris noſtri penitius conformamur, atque ipſum imitari contendimus. Creavit enim nos Deus, hoc eſt, in novos homines reformavit, primum per doctrinam præceptorum, ac promiſſorum Dei, à ſe prædicatam; deinde per exemplar non modo obſequii, & executionis præceptorum Dei, in vita ſua expreſſum; ſed etiam promiſſo mercedis pro obſervatione eorundem præceptorum à ſe jam obtentæ, & à nobis certiſſimè obtinendæ propoſitum: denique per ſuppeditatum ſingulis cæleſtis opis, & Spiritus Sancti auxilium. Harum rerum cognitio, & animis noſtris jugiter obverſans meditatio hoc loco ἐπίγνωσις, ſeu cognitio; praxis autem, & imitatio Chriſti, *renovatio dicitur ad imaginem ejus; ſeu nova creatura ad exemplar creantis effecta.* Notandum autem eſt Chriſtum hoc loco novæ iſtius creaturæ, ſeu regenerationis, & novi hominis indutionis, creatorem expreſſis verbis dici. quia, ut ſupra oſtendimus, quamvis ipſe novæ iſtius creaturæ principium, & primogenitus fuerit; tamen ipſi totum poſtea creationis hujus negotium demandatum ſit.

Non diſſimulandum tamen illud eſt, poſſe etiam vocem τοῦ κτίσαντος *creantis verſ.* 10. quæ in *verſ.* 11. de Chriſto explicari videtur, de ipſo Deo patre ſatis commode explicari. Quamvis enim certum ſit, quod *verſ.* 11. dicitur in omni pietatis, ac Salutis negotio nobis ad Chriſtum, tanquam archietypum, & imaginem novæ iſtius creationis noſtræ reſpiciendum eſſe; ita ut hic archietypus, & cauſa exemplaris iſtius regenerationis noſtræ efficiens; ac proinde & Chriſtus ipſe creator dici poſſit; præſertim poſteaquam accepta ſumma in cœlo, ac in terris poteſtate, ad efficiendam in nobis regenerationem, non modo ut cauſa exemplaris; ſed etiam ut proprie dicta cauſa efficiens, concurrit. Tamen quia, ut ſupra *cap.* I. 15. legimus, idem *Chriſtus imago ipſius Dei* dicitur; quicunque ad imaginem, & exemplar vitæ Chriſti renovantur, ad imaginem ipſius Dei renovari, & nova creatura effici dici poſſunt. Ut enim Chriſtus regenerationis, & novæ creationis iſtius cauſa ſecunda; ita Deus pater cauſa prima dicendus ita, ut uterque ſuo quiſque modo, creator dici potuit. Quamvis enim per Chriſtum creata; Dei tamen ipſius nova creatura ſumus.

Verſ. 11. In explicanda iſta vitæ noſtræ renovatione, quæ in induendo novo homine cernitur, removet Apoſtolus, ea media, eaſque vias, quæ fortè tunc ad eam rem Coloſſenſibus obtrudebantur; aut obtrudi poterant inutiliter. Et oſtendit ea in religione Chriſti nihil valere. Obtrudebatur enim ipſis (ut ſupra vidimus) Græca Platonicorum, aut Pythagoreorum philoſophia; cui in introductione quarundam ceremoniarum Judaicæ gentis inſtituta aſtipulari, atque ſuffragari videbantur: aut, (ut alibi videmus,) ipſa quoque Judaica circumciſio, prout & aliis Eccleſiis obtrudi poterat. Quemadmodum autem Judaica inſtituta ex ipſo electæ gentis privilegio multam præ aliis gentibus gloriationem habere

poterant ; ita exculta Græcæ gentis ſapientia, & eruditio præ aliis, quas ipſo nomine barbaras omnes vocitabant, & alto ſupercilio deſpiciebant ; imo ad ſervitutem cultiorum gentium natas eſſe prædicabant, gloriatione, ac illecebris prærogativa ſua non carebat. Oſtendit igitur Apoſtolus omnia iſta in genere, quamvis inter ſe differentia diverſarum gentium inſtituta & dogmata ; nihil plane ad renovationem regenerationis conferre : ſed omnibus, etiam dogmatum, & inſtitutorum ejuſmodi expertibus, ad eam parem cum aliis aditum patere. Nec aut Judæos præ Græcis, eo quod illi circumciderentur : iſti autem in præputio manerent : aut Græcos præ barbaris, atque adeò ipſis Scythis, barbarorum inculti ſſimis, eò quod illi ad liberalius vivendi genus ; aut etiam ad dominandum ; iſti autem ob incultam barbariem ad ſerviendum nati viderentur ; quicquam ſibi præcellentiæ uſurpare poſſe. Sed æquè omnibus, unicam tantum Chriſti doctrinam & imitationem vitæ, ad exemplar, & imaginem ejus expreſſæ, *pro omnibus ; & præ omnibus aliis hominum inſtitutis* amplectendam, & retinendam eſſe. Hoc enim videntur deſignare verba *Omnia & in omnibus Chriſtus*. Vox enim in *omnibus* coæquationem quandam omnium gentium, aut hominum in diverſis gentibus, ſive etiam vitæ conditionibus ad Chriſtum vocatorum, quibus par omnibus ad regenerationem in Chriſto aditus aperiebatur : Vox autem *omnia* excluſionem aliarum doctrinarum, præter unicam Chriſti *doctrinam* ; ejuſque obſequium, & imitationem vitæ ; ſub ſpe præmiorum, in exemplo ejus cunctis aliis propoſitorum ; deſignare videtur. Quemadmodum enim, cum quis ad propoſitam ſibi imaginem aliquid fingit, & efformat, nulla alia lineamenta contemplatur, præter ea quæ ſibi efformanda ſumpſit : ita qui ad renovandam ſecundum imaginem, & exemplum Chriſti, vitam ſuam animum appulit, nihil eſt quod ad alienas, & ab archetypo creationis novæ longe diſcedentes effigies oculos reflectat, niſi velit, ut ex parum felici conatu ſuo monſtrum emergat.

Diverſum panthera genus, confuſa camelo,
Aut turpiter alium deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Breviter in renovatione vitæ noſtræ, quæ ad ſanctitatem ipſius Dei quàm proximè accedere debet, nullam aliam imaginem habere præ oculis debemus niſi ejus, qui ipſius Dei imaginem perfectiſſime expreſſit, hoc eſt, Chriſti ; aut certe quæ ex Chriſti archetypo deſumpta ſit, qualis fuit Apoſtoli. *Imitatores mei eſtote, ſicuti ego ſum Chriſti.* Quod tamen non ita intelligendum eſt, ut, quod ad ſtatum vitæ, ac vocationem attinet, aut omnia ea quæcunque Chriſtus fecit, facere adſtricti ſimus : aut nihil eorum, quæ ille non fecerit, facere audeamus. Imitatio enim Chriſti in renovatione vitæ noſtræ varias vitæ, ac ſtatus mortalium vocationes non tollit : ſed omnes honeſtas, utiles, & præcipue eas ſine quibus humani generis ſocietas ſtare non poteſt, admittit. Cæterum ab omnibus requirit, ut hoc colore ſanctimoniæ, qualis in Chriſto fuit, non tingantur tantum ; ſed penitùs imbuantur, efficiens ut omnium vitæ generum homines ſtatus ſuos, vocationes ſuas, ad præceptorum Chriſti analogiam, & obſequium legum ejus attemperent. Ratio ejus rei, vel ex iſtius ipſius loci verbis peti poteſt. Et primum quod ad facienda ea, quæ à Chriſto, aut in Chriſtum facta videmus, attinet ; Non ideo, quia is circumciſus fuit, nos quoque circumcidi ; non ideo quod cælebs vixit, nos quoque cælibes vivere tenemur. quia videmus vel ex hoc loco res iſtas, quæ ſtatum, vel conditionem vitæ noſtræ ſpectant, in renovatione regenerationis noſtræ non æſtimari ; ſed prout circumciſio Chriſti nos ad ponendum præputium non obligat : ita ne cælibatum quidem ejus nos ad cælibem vitam urgere, aut obſtringere. Deinde quod attinet ad mordicus vitanda ea, quæ à Chriſto, aut in Chriſto facta non videmus ; non ideò quia Chriſtus liber, non autem ſervus, privatus, non autem magiſtratus fuit ; idcirco nobis aut ſervis, aut etiam in magiſtratu eſſe non licet. Quamvis enim liberos nos, quàm hominum ſervos eſſe præſtet, & magis eligendum ſit ; tamen ne ſervi quidem, ſi qua eos neceſſitas, aut gravis cauſa ad hanc conditionem adigat, regenerationis, aut ſalutis aditu arcentur. Ut autem ſervilis vitæ vocatio nos ab imitatione Chriſti excludere nequit ; ita ne publicæ quidem functionis ratio, aut ſtatus.

Nec enim externæ vocationes *regenerationem* ipſæ per ſe aut procreant, aut tollunt ; aut adjuvant, aut impediunt ; ſed potius omnes opem, atque auxilium ejus in perficiendo vitæ functionum ſuarum munere requirunt ; niſi forte ſi quæ ſint per ſe, ac natura ſua pravæ, ac vitioſæ ; atque omninò *regenerationi*, aut doctrinæ Chriſti repugnantes. Ut igitur omnium hominum, cujuſcunque ſint gentis, cujuſcunque inſtituti, ſtatus, aut conditionis, genera, iſtam, quæ in nova creatione cernitur, vitæ renovationem poſtulant : ita renovatio, ac *regeneratio* eadem requirit ut omnes regenerandi ſeſe ad doctrinam, atque exemplum ſolius Chriſti in omnibus rebus quæ ad renovationem iſtam pertinent, quæ mox infrà ſpecialius exprimuntur, componant, & conforment. Hoc enim indicant verba, *Omnia in omnibus Chriſtus*. Quæ verba cum hoc loco conformationem ſeſe ad imaginem Chriſti, qui unus per doctrinam, & exemplum ſuum veram in nobis ſanctimoniam efficere poteſt, ſignificent (εἰκὼν enim doctrinam, & cognitionem : εἰκὼν vero imitationem reſpicit) ex eo facile colligere poſſumus quomodo eadem verba 1. *Cor.* XV. 28. explicanda ſint. Quemadmodum enim nunc, in negotio regenerationis terrenæ, quum Deum ipſum nemo vidit unquam, Chriſtus, quia eſt imago Dei inviſibilis, nobis in doctrina, & exemplo vitæ ſuæ ob oculos noſtros ad imitandum propoſitus eſt, ut ſit omnia in omnibus ; quia in eo omnis mentis noſtræ acies, omnes cogitationes defixæ eſſe debent : ita in negotio regenerationis illius, & παλιγγενεσίας, quando per reſurrectionem, & glorificationem noſtram verè divinæ naturæ participes, & , ut ait Johannes 1. *Joh.* III. 2., *ſimiles Deo efficiemur* ; quia *videbimus ipſum ſicuti eſt* ; Deus *erit omnia in omnibus* : nec per ullam ſui imaginem, ſicuti nunc ; ſed ipſe per ſe atque immediate *ſicuti eſt* ; nobis contemplandus, admirandus, amandus, & imitandus exhibebitur. Hucuſque generalis deſcriptio Regenerationis fuit : Accedit ad ſpecialem *verſ.* 12.

Quam non ſine cohortatione tradit, nec ſine adductis cohortationis hujus rationibus. Hortatur autem ut induamus habitus, & conſuetudines infrà commemorandarum virtutum ; quia nos id deceat, tanquam *electos à Deo, ſanctos, ac dilectos*, hoc eſt, *electos* à Deo ad ſanctimoniam, & dilectionem ; ſeparatos à reliquis omnibus, præ quibus in nos maxima ſua beneficia ; maximamque conferret gratiam ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ *Eph.* 1. 6. *in qua gratiam cumulavit in nos in dilecto.*

Dilectio Dei ſupremus eſt felicitatis noſtræ cumulus ; ad quam non alia via patet, niſi per ſanctimoniam ; quam à nobis Deus omnino requirit, ſi velimus gratiæ ejus participes fieri.

Sed ut ad ſanctimoniæ, quæ regeneratos deceat, partes accedamus ; *induere nos* primum Apoſtolus jubet σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, *viſcera miſerationum.* Quemadmodum enim Deus in remiſſione peccatorum noſtrorum, in eripiendis nobis è poteſtate tenebrarum,

rum, eximiæ ſuæ miſericordiæ ſpecimen edidit: ita nos decet affectus ejuſmodi propenſione erga alios inclinari & commoveri. Id enim bonitatis, ac benignitatis, (quam virtutem proximè poſt miſericordiam collocat) proprium eſt, bene velle cuique, & cupere, ut bene ſit omnibus; niſi quod longius etiam hæc virtus progrediatur, quam miſericordia; quæ intrà eos terminos conſiſtere videtur, ut tantum nolit cuiquam male eſſe. Sed iſta ita convincta ſunt, ut unum ponere videatur alterum; nec niſi ratione diſtingui. Plenior tamen, ac perfectior virtus eſt caritate, ac benevolentia erga omnes flagrare, iiſque bene cupere; quàm commiſeratione malorum alienorum tangi, iiſque condolere, quia forſitan miſeratio abſque iſta benevolentia dari poſſit; cum iſta benevolentia abſque miſericordia ne cogitari quidem queat. Latius igitur patet bonitas, & ipſam miſericordiam in ſe complecti videtur.

Mox Addit πραϋπαθείαν, *Animi modeſtiam* & in amore, ac pretio ſui ipſius moderationem, quæ humilitatis vocabulo, Latinis alioqui vulgò non ſine vitii ſignificatione uſurpato, exprimitur. Eſt autem hæc virtus & in reipſa ad bonitatem iſtam, & erga omnes benevolum affectum apprimè neceſſaria; & hoc præcipue loco merito ponitur & propter eandem virtutem collocatur, eidemque adjungitur; quia nihil magis bonitatem iſtam, ipſamque adeò miſericordiam deſtruere ſolet, quam contrarium virtuti huic vitium, nimium videlicet ſui pretium, nimiuſque amor. Qui enim ſibi nimio plus placent, contemptores ſunt aliorum. difficile eſt autem amare, quem contemnas. Nec ſolent nos eorum mala tangere, quos meliori fortuna dignos, non putamus; quia nobis amore, aut amicitia noſtra digni non videntur.

Subjungit poſtea *manſuetudinem*, τὴν πραότητα, virtutem oppoſitam ferociæ, & iracundiæ.

Utriuſque virtutis hujus exemplum Chriſtus, *Matth.* XI. 29. in ſeipſo nominatim oſtendit. Manſuetudini annectit cognatum ipſi habitum τὴν μακροθυμίαν, *Longanimitatis*, quæ ſpecies patientiæ in diuturnis, atque in longum protractis injuriis, aut iræ occaſionibus cernitur: & conſtantiam quandam, ac inexpugnabilem in manſuetudine perſeverantiam ſignificat.

Manſuetudinem iſtam, ejuſque conſtantiam *verſ.* 13. explicat ab effectis, ſed ita; ut non modo quid ſit, & in quibus rebus conſiſtat: ſed etiam quamobrem à nobis omninò exercenda ſit, ſimul aperiat. Ait igitur eam conſiſtere, primum in tolerantia alienarum culparum, aut etiam injuriarum. Nec enim tantum factas ſibi injurias: ſed & citra ullam injuriam multa commiſſarum ab aliis culparum genera homines moleſte, & impatienter ferant. Nam *querela* μομφὴ, vox generalis, non injuriam tantum ſignificat; ſed quodvis culpæ genus reprehenſione dignum. Deinde in gratuita *remiſſione* (χαριζόμενοι) ſive injuriarum; ſive etiam ſimplicium culparum, quibus offendi quoquomodo poſſimus. Quorum utrumque nobis omnino, ac neceſſariò faciendum ſit: quia in eo Deus, atque adeo ipſe Chriſtus nobis imitandus proponatur; & quidem ea conditione, (quam ut præ oculis perpetuò haberemus, præſcriptâ nobis ſolenni precum formulâ proſpectum eſt) ut niſi aliis peccata remiſerimus, noſtra quoque nobis remittenda non ſint. *Matth.* VI. 14. 15.

Notandum autem hic eſt, remiſſionem peccatorum, quæ in aliis innumeris Sacræ Scripturæ locis Deo patri tribuitur, hoc loco Chriſto tribui: non modo quia is nobis tam benignam, & beneficam patris ſui voluntatem ſolus aperuit: ſed etiam quia ipſi omne in nos judicium, omne regimen, & poteſtas noſtri data ſunt: adeo ut nunc Pater neminem ipſe judicare dicatur; quia poteſtatem ſuam ſimul & executionem voluntatis ſuæ, per eundem filium revelatæ, filio tradidit. Per Chriſtum igitur compotes fiemus hujus fructus, qui in nos redundat, ex eo, quod nobis Pater cæleſtis peccata noſtra remiſerit. Quod ſi, dum adhuc in terris eſſet Dominus; poteſtatem efficaciter remittendi peccata habuit: quantò magis poſteaquam glorificatus eſt? Vide *Matth.* IX. 6. *Ut* (inquit) *videatis, quod poteſtatem habeat ſuper terram filius hominis remittendi peccata. tunc dicit paralytico: ſurge, tolle grabatum tuum, & confer te in domum tuam.*

Tandem ad eam Virtutem accedit, quæ jure mater aliarum, imo verò ſumma, & compendium omnium virtutum dici poteſt; quæ hic etiam eo elogio ornatur, ut *vinculum perfectionis*, aut vinculum perfectiſſimum, quo unius corporis membra inter ſe colligantur, dicatur: à Chriſto ſumma legis, hoc eſt ad caritatem; id eſt Dei, & proximi dilectionem, quæ & φιλαδελφίαν comprehendit; quia vox proximi τὸν πλησίον fratres ſignificat; quamvis ſub Novo Fœdere meritò & ad alios protendatur; ita tamen ut quemadmodum reliqui omnes, in gradu longe inferiori quam fratres, proximi noſtri eſſe dicuntur: ſic & inferioris gradus caritas ipſis debeatur. Ante omnia vero hanc virtutem induendam aſſerit; quia & perfectiſſima omnium eſt, & compendium quoddam reliquarum, atque adeo omnes perfectiones in ſe continet. præterea eſt via quædam, per quam difficultates, quæ in reliquis maximæ occurrunt, non difficulter ſuperari poſſunt. Vix enim eſt, ut veram in proximos caritatem aſſequamur: niſi prius caritatem erga Deum imbiberimus; ejuſque beneficia accepta jam, & accipienda, perpetuo præ oculis habentes, ardentiori ipſius amore flagremus: fidei clypeo muniti, quæ omnia tela Satanæ, atque ipſum mundum vincit. Ex eo enim neceſſariò ſequitur, ut eos primum, qui ex Deo nati ſunt 1. *Joh.* V. 1. ardentiori: deinde alios quoque miſericordi, ac benigno affectu proſequamur: & nihil nobis grave videatur, in quo ei, quem ſuprà nos ipſos amamus, gratificari nos poſſe cenſeamus.

Porro ea, quæ in ſeq. *verſ.* 15. dicuntur, quamvis promiſſum potius, quàm præceptum; & rationem cohortationi additam potius, quam id ipſum ad quod capeſſendum nos Apoſtolus hortatur, & invitat, continere videatur: quia bonæ conſcientiæ tranquillitas, & cæleſtis felicitatis guſtus, ac pax illa, quæ regnat in cordibus fidelium, atque certiſſima vitæ æternæ ſpes; maximam habent illecebram, & acerrimum ſtimulum; quo ad ſupra dictas virtutes excitari poſſimus: tamen, quia in modo Imperativo verba iſta prolata ſunt, nihil video cauſæ, cur nobis acquiſitio hujus tam exoptati boni promitti magis, quam præcipi videatur: aut cur non æquè præcipi poſſit, ut frequenter ſolet promitti. Quamvis enim bona conſcientia merces quoque ſit, ac præmium virtutis, & pietatis noſtræ; tamen non ideò deſinit eſſe officium noſtrum. Proinde acquiſitio hujus boni, ac præmii, optimo jure nobis præcipi poteſt. Hinc patet quam jucundum ſit pietatis iter; in quo ea ipſa, quæ præcipiuntur, exhibiti in parendo officii præmia ſunt. Ac profecto, ut in peccatis alterum alterius ſupplicium eſt; ita in præſcriptis nobis officiis alterum alterius præmium deprehendimus. Sed & alia ratio eſt, ob quam id, quod in hoc verſu dicitur, præcipi nobis videatur; quia in voce *Pacis Dei*, etiam pax illa, & tolerantia mutua in Eccleſia, quæ ſuprà *verſ.* 13. deſcripta eſt, (quæ certe præceptum eſt, non præmium) comprehenditur. cujus rei documentum

mentum est, quod ad istam bonæ conscientiæ pacem vocati *esse in uno corpore* dicamur.

Nihil enim est quod homines arctiori vinculo, & amicitia conjungat, quam unius, ejusdemque felicitatis expectatio. Cum enim fieri nequeat, quin felicitatem, quam expectamus, ardenti affectu prosequamur: fieri etiam non potest, quin ejus felicitatis consortes futuros præ cunctis aliis diligamus. Jam verò vocem *Pacis Dei* non solam istam mutuam in Ecclesia concordiam: sed causam quoque ejus, hoc est, bonam, & tranquillam, imo lætam, atque alacrem coram Deo conscientiam significare, ostendit vox βραβεύετω, *exultet*. quæ non æquè dictæ isti concordiæ atque illi felicitati, in qua gustum æternæ beatitudinis jam in hac vita anticipare videmur, quadrare potest. Est enim vox *triumphalis*, & victoribus competens, aut saltem quæ præmium quoddam, victori in decertato certamine debitum, significare videatur. *Pax etiam Dei* fieri nequit, *quin pacem* illam, quam *habemus apud Deum per Christum Rom.* v. 1. significet. Denique pax, non ex natura tantum vocis, ejusque apud Hebræos significationis usu: sed ex eo ipso, quod ad illam hoc loco omnes *in uno corpore* vocati dicamur; ut promissæ illius felicitatis gustum significet, necesse est.

Præcepto de pace bonæ, & tranquillæ conscientiæ præceptum additur eodem *versu de precibus*. per vocem enim ἐυχάριστοι *grati*, homines in precibus assiduos, & gratiis Deo agendis occupatos, intelligo, quemadmodum ipsæ preces ἐυχαριστία synecdochicè à parte sui non minima sæpe apellantur. Et profecto quemadmodum ex fructu hilaris, & tranquillæ conscientiæ effectus precum natura sua consequitur: quia sensus ipse, & perceptio beneficiorum Dei nos non modo ad animi grati affectum: sed ad gratiarum quoque agendarum officium impellit: ita nulla est causa, quæ melius conservet lætum illum tranquillæ conscientiæ statum; quàm precum assiduitas. Gratia enim semper novam gratiam provocat; & recentibus subinde beneficiis Dei excitata lætitia florem illum felicitatis, quem ex rectè factorum, & ex animi sententia fluentium succedentium rerum conscientia decerpimus, nunquam sinit marcescere.

Sed & de simplici (citrà respectum precum) erga Deum grati animi affectu eadem vox sine ullo tropo intelligi potest: atque adeò generalissimè de omni acceptorum beneficiorum grato, ac memori animi affectu, aut officio. Quod si admittatur, ille erit inter hæc præcepta nexus: quia supra *vers.* 14. caritatem præcepit; quæ non potest nisi firmissimo vinculo pacis, & conjunctionis membra unius corporis Ecclesiæ inter se connectere (quod *vers.* 15. innuit) nam vera inter fratres caritas absque mutuis officiis, ac beneficiis intelligi nequit. Ideo nunc virtuti caritatis, ac beneficentiæ respondentem virtutem *gratitudinis* præcipit. Ubi enim beneficentia, (quæ, ut caritas reliquarum virtutum, ita ipsa caritatis perfectio est), præcipitur; ibi locus præcepto gratitudinis deesse non potest. Quocunque horum explicandi modorum quisque verba ista intelligat, non multum aberraverit. Sed & frequenter diversos sensus in profundis Spiritus Sanctus monitis sub iisdem verbis latere videas sine ulla repugnantia.

Vers. 16. subjungit sive consilium; sive etiam præceptum de scientia, & cognitione rerum divinarum, seu doctrinæ Christianæ non modo acquirenda: sed etiam perpetuo in promptu, atque in numerato habenda; quod sine frequentibus exercitiis, assidua Sacræ Scripturæ lectione, & sine perscrutatione mysteriorum reconditorum in hoc cæleste thesauro, fieri nequit. *Sermo*, inquit, *Christi*, hoc est, Doctrina Christi per sermonem, & prædicationem Evangelii ab Apostolis tradita; *inhabitet in vobis opulenter, seu abundanter, in omni sapientia.* ita ut instructi sitis omnium rerum, quæ ad cælestem istam eruditionem pertinent, cognitione non perfunctoria; aut, ut vocant, superficiali; sed perfecta, & solida, ac profunda.

Præceptum hoc, cur ad unam, & minimam quidem populi Christiani partem, hoc est, ad statum spiritualem vulgò dictum restringatur, causa nulla est. Omnes alloquitur Apostolus. Omnibus etiam præceptum hoc utile est, & expedit. Omnes decet, atque ornat. Omnes juvat, ac delectat. Nihil incommodi, aut periculi habet, quale fingunt ii; qui claves cæli iniqua usurpatione sibi vindicant; eo eventu, ut eum cæteros excluserint, ipsi tandem omnium ignominiosissime ingressu arceantur. Omnibus omnino Christianis discendum est; non minùs atque omnibus danda opera, ut se *psalmis*, *hymnis*, & *canticis spiritualibus*; & quibuscunque aliis modis in religione, in pietate, in constantia confirment. Et verba διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτούς, *docentes, & admonentes, vel cohortantes vos ipsos* non modo officium aliorum erga alios: sed erga seipsos quoque complectuntur. νουθετεῖν (*cohortari*) etenim *psalmis*, & *hymnis* alios vix, aut raro possumus; sed nosmetipsos semper; ita docere quoque alios frequenter: sed non minùs nosmetipsos possumus, quoties studio, & cognitioni rerum divinarum vacamus, & damus operum. Non frustra autem Spirituali isti confirmationi, & νουθεσία, *quæ fit* per *psalmos*, & *hymnos*, addit Apostolus ᾄδοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ *Canentes in corde vestro Domino*: quia cantus iste externus inutilis est, nisi, mens unà intimo suo motu accinat voci nostræ.

Atque in hoc loco expressum est duplex illud officium, in quo ritè Sacris religionis nostræ operari possumus. quod fit præmissis, & intermistis passim precibus nostris eucharisticis; primum per doctrinam, quæ in concionibus explicatur. ubi nihil magistrorum doctrina prodesse solet; nisi quis semetipsum quoque per attentionem, & meditationem doceat. Deinde per νουθεσίαν, *admonitionem*, quæ aut cantu fit, in quo semetipsum quisque ad colendum Deum excitat: si tamen modulatæ voci cordis modulationem addat. aut sermone mutuo; in quo alius alium corrigit, commonefacit, erigit, consolatur, cohortatur, ædificat. Hæc sunt unica media quibus sacris Christianis ritè operari licet: & quibus olim Apostolicis temporibus religio Christi exercebatur.

Non hominum interdum semiebriorum incondito boatu, non gesticulationibus inimicis, non oculorum, vel aurium titillationibus, non æris campani sonitu, non parietum picturis, statuarumve ornamentis, non accensis media luce micantium lampadum ignibus, non profanis aquarum irrorationibus: sed potius irrigatione mentium nostrarum vivo, & è fonte verbi Dei scaturiente flumine; cantu cordium nostrarum Spirituali, & nihil idololatricum, nihil mimicum, aut magicum redolente adoratione numinis; mutuâ ædificatione, consolatione, correctione, cohortatione; denique ejusmodi actibus, ac ritibus, qui sensus nostros nihil morentur, aut percellant: sed penitùs in animos descendant, eosque puros, atque castos Deo per Christum exhibeant.

Vers. 17. Nondum generalia præcepta egressus, adjicit utilissimum præceptum, quod locum habet in omnium consiliorum, propositorum, actionum, occupationum, negotiorum, studiorum initiis, imò & progressu, atque ipsa quoque consummatione. *Quicquid agitis* inquit, *sive sermone, sive opere, omnia in nomine Domini Jesu gratias agentes* (aut, quid idem est, preces fundentes) *Deo & patri per ipsum*, hoc est, invocato nomine Domini Jesu; invocata ope ejus, qui unicus est nobis à Deo datus Rex, Dominus,

patronus

patronus, & *ſine quo nihil poſſumus. Joh.* XV. 5.

Duo hic explicanda. Primum quid ſit facere omnia, vel aliquid in nomine Domini Jeſu. Secundum, Quid ſit gratias agere Deo, aut preces fundere ad Deum per Chriſtum.

Facere aliquid in nomine Jeſu, eſt facere aliquid per poteſtatem Chriſti, aut interventu poteſtatis Chriſti. Ut cum pater dicitur mittere Spiritum in nomine filii, ſeu per poteſtatem filio datam *Joan.* XIV. 26. Petrus in nomine, hoc eſt, poteſtate Jeſu Chriſti erexit, & ſanavit claudum *Act.* III. 6. Nomen vero poteſtatem ſignificat *Act.* IV. 7. *in qua poteſtate, vel in quo nomine* (per epexegeſin) *feciſtis hoc.* & *verſu* 10. & 12. in eadem ſignificatione *nomin* mentio fit.

Ergo & hic, cum facere omnia in nomine Chriſti jubemur, per nomen Chriſti poteſtas Chriſto data intelligitur. Sed quia abſurdum eſt, ut nos per Chriſtum, tanquam cauſæ principales per cauſam ſecundam, aliquid faciamus, qui potius ad impetranda, quæ petimus, Chriſti ſervatoris noſtri poteſtate indigemus: ideo neceſſe eſt, ut hoc loco poteſtas Chriſti non ad miniſterium noſtrum adhibenda; ſed ad auxilium aut exoptanda, aut invocanda quoque, atque imploranda proponi exiſtimetur. Præſertim cum nobis in omnibus dictorum, factorumque noſtrorum auſpiciis, & ſucceſſibus admodum neceſſaria ſit.

Ex hoc autem intelligitur alterum illud quod explicandum propoſuimus, quid ſit gratias agere Deo, aut potius preces fundere ad Deum per Chriſtum. Duplex autem verborum iſtorum ſenſus occurrit; Primum precari aliquid in nomine Domini, eſt petere à Deo, ut nobis aliquod beneficium conferat propter Dominum hunc, cujus ſervi ſumus, in cujus gratiam tanquam dilectiſſimi filii, Deus plura haud dubie præſtare velit, quam faceret in gratiam noſtri: ſimulque ut id faciat per eundem Dominum, quem voluit eſſe voluntatis, gratiæ, ac donorum ſuorum diſpenſatorem. ut dicto Joannis loco explicatur. Et in priori quidem ſenſus hujus parte voces iſtæ *in nomine* ita ſumi videntur, quemadmodum eas & Latina lingua uſurpat, pro cauſa finali, aut impellente: ut cum quis obtinet aliquod poſtulatum *in nomine* Domini Jeſu, hoc eſt, eo nomine quod ſit Servus Domini Jeſu. Sed & alius verborum iſtorum ſenſus, minime à priori abhorrens, dari poteſt, ut is *in nomine* Chriſti precari dicatur, qui nomen, & omnipotentiam ipſius Chriſti invocet. hinc Chriſtiani *nomen Domini invocantes* dicuntur, ac deſcribuntur *Rom.* X. 13. Ne quis enim putet, non præcipi nobis hoc loco precum officium: ſed tantum ut Chriſti auſpiciis omnia incipiamus, & aggrediamur imprimis addit expreſſum præceptum, ut fundamus preces aut gratiarum actiones ad Deum, per ipſum: *gratias agentes* (aut, quod idem eſt, preces fundentes) *Deo, & patri per ipſum.* Preces igitur nobis hoc loco imperantur, in omnium operum, dictorum, factorumve noſtrorum auſpiciis, & exordiis; imo & continuationibus, ſine dubio eo pertinentes, ut nobis eadem cæpta proſpere, ac feliciter cedant. Nam vox εὐχαριστοῦντες, *gratias agentes*, ſynecdochicè omnis generis preces, maximè autem eas, quæ pro felici ſucceſſu rerum agendarum ſuſcipiuntur, ſignificat. quemadmodum enim in futurum ſemper ope cæleſti indigemus, quam precibus implorare par eſt; ita quoad præterita nunquam nobis copia, aut materia deeſt eorum Dei beneficiorum, pro quibus ipſi gratiæ agendæ ſunt. Hinc ab aſſiduo in precibus gratiarum agendarum uſu, ac neceſſitate, totum precum officium *gratiarum actio* dicitur. & quia Deus ideo in nos beneficia confert, ut gratum, ac memorem eorum animum in nobis excitet quoties nobis beneficio Dei opus eſt; (quod accidit cum in precibus ejus opem imploramus) nulla efficaciori eum ad annuendum votis, ac precibus noſtris inflectere poſſumus, quàm victima, & oblatione gratiſſimi animi noſtri; & quaſi oblatione flagrantiſſimæ iſtius *gratiæ*, quam pro impetrato beneficio habituri, ac debituri ſumus: ut non modo pro præteritis; ſed gratiæ anticipatione etiam pro futuris, quorum impetrandorum ſpem habemus, beneficiis jam Deo gratias agere videamur. Quanquam alia quoque ratione, quoad omnia tempora, præterita, præſentia, & futura, perpetuum, & indeſinentem gratias Deo agendi cauſam habemus; eo quod nobis in filio ſuo tàm facilem ad ſe aditum conceſſerit: ut ad ejus opem in omnibus neceſſitatibus noſtris, quoties opus eſt, confugere poſſimus, cum certa ſpe impetrandi auxilii. Quo nomine, ſi cætera omnia deeſſent, perpetuo maximam gratias agendi Deo patri cauſam haberemus. Nec deeſt nobis magnificum promiſſum, *quicquid petierimus in nomine* Domini, ita nos impetraturos, ut id per manus ipſius Domini accepturi ſimus. *Joh.* XIV. 13. & 14. Ubi unum, idemque iterata aſſeveratione promittitur.

Sed ut redeamus unde digreſſi ſumus; petere *aliquid in nomine Chriſti*, utrumque orationis genus, tam ad ipſum patrem in nomine filii; quam ad filium in gloriam patris directam, complectitur. itaque, pro eo, ac loci circumſtantiæ poſtulant, intelligenda, atque explicanda videntur. Loci tamen *Joan.* XIV. 13. circumſtantiæ admodum ſuadent, ut de precibus ad ipſum Chriſtum directis intelligantur. quemadmodum & iſtius ipſius, quem nunc explicamus. Utrumque autem precum genus dictis verbis contineri, vel inde patet, quod nihil intereſt inter eum qui ab ipſo Deo petit, ut propter filium ſuum, & per filium ſuum aliquod ſibi beneficium conferat; & eum, qui à filio promiſſam opem petit, vi datæ ipſi à Deo eam in rem omnipotentiæ, præſtandum. Certe quemadmodum is, qui à Deo petit aliquid propter Chriſtum, & per Chriſtum efficiendum; quamvis ad Chriſtum orationem non dirigat; Chriſto tamen in ejuſmodi precibus honorem, & cultum debitum deferre dicendus eſt: ita qui à Chriſto aliquid petit, data ipſi à Deo in id ipſum, ut nobis benefaciat, poteſtate, nobis præſtandum, atque exhibendum; Dei ipſius opem in eo implorare cenſendus eſt. Ut enim quando quis aliquid per alium facit, per ſe facere videtur: ita quando quis per alium invocatur; ipſe provocari cenſendus eſt. Tunc enim quod ad rationem collati beneficii attinet, tam ei, qui per alium confert beneficium, quam ei, per quem confertur; gratia & habetur, & debetur; quamvis diverſa ratione, alteri tanquam cauſæ primæ, alteri tanquam cauſæ ſecundæ gratia debetur.

Utrique autem deberi eam neceſſe eſt; ſi alioqui conſtet utrumque id, quod facit, animo benevolo, ac noſtrique amante feciſſe: de quo in negotio acceptorum, aut accipiendorum per Chriſtum beneficiorum dubitari nequit. Breviter petere aliquid in precibus *per Chriſtum*, aut *in nomine Chriſti*, nihil aliud eſt, quam aliquid ita divinitus petere, ut impetratæ rei gratiam Deo quidem, tanquam ſalutis noſtræ cauſæ primæ, Chriſto autem tanquam ejuſdem cauſæ ſecundæ debeas. Quod utrovis modo fieri poſſe nihil impedit; ſive ad ipſum Deum oratio dirigatur, non ſine tacito reſpectu; ſive etiam expreſſa mentione Chriſti, per quem omnia fiunt, & ſine quo nihil fit; ſive ad Chriſtum, quem nobis Deus eo conſilio Regem dedit; ut nobis ad ſe aditum per fidem, ac ſpem noſtram in Chriſto repoſitam patefaceret. Ergo pro exigentia rei,

rei, aut etiam pro impulsu Spiritus utrumlibet facere licet, dummodo nobis constet, quicquid à Christo, aut per Christum accipimus; primum omnium Deo, tanquam omnis felicitatis nostræ primo auctori; deinde subsequenter Christo per quem omnia fiunt, deberi, ac tribuendum esse: Christi inquam, (cujus, in nos caritas etiam fuso pro nobis sanguine testata est) tanquam Dei ipsius gratiæ, ac beneficentiæ executori, non invito; sed nostri multùm amanti; & cui peculiari favoris, & affectus erga nos ratione obstructi, simus. Quem nobis idcirco tam faventem misericors, & φιλάνθρωπος, Deus Regem concessit. ut per eum fides, ac spes nostra esset in Deum 1. *Pet.* 1. 21.

Antequam longius progrediamur, eximendus hic occurrit scrupulus; si Christo absoluta, & quasi independens potestas in militantem Ecclesiam concessa est; de qua post emerita ejus stipendia Deo reddenda Paulus 1. *Cor.* xv. loquitur: quî fieri possit, ut beneficia, quæ liberâ, & absolutâ potestate Christi nobis conferuntur, non in solidum ipsi Christo: sed patri quoque, & quidem tanquam principali causæ, cujus respectu Christus secundaria tantum censeatur, debeamus. Id vero ex his, quæ dicta sunt, non difficulter intellgi potest. Deus enim & ipsum Christum Regem nostrum primogenitum novæ istius Creaturæ suæ esse, & per ipsum posteà totum hujus creationis negotium perfici sic voluit; ut quomodo missio ejus in mundum, & traditio in acerbissimam mortem nostri causa: ita hæc ipsa absoluta potestas, in manus ejus tradita, eximium dilectionis erga nos Dei documentum, atque pignus esset. Ut enim imbecillitati nostræ succurreret, hæc fidei, ac spei nostræ solidissima fulcra esse voluit: mortem filii sui, & traditam in manus ejus absolutam servandi nostri potestatem, hoc est, potestatem ejusmodi, ut in ipsum meritò, ac securè credere possimus quemadmodum in ipsum Deum credimus. *Joh.* III. 14. 15. 16. & *Joh.* XIV. 1. quod sine tali, ac tanta potestate esse non potuit. Cum igitur supradicto loco *Joh.* III. 16. ista potestas, ob quam in Christum credimus, singulari Dei erga nos amori, ac beneficio tribuatur; non potest ullo modo obligationem, qua Deo eo nomine obstricti sumus, diminuere, quando Christus absoluta sua potestate nobis benefacit: sed eam tanto magis augere, atque intendere debet, quantò magis nostra intererat, ut talis potestas maximo nostro bono, & emolumento Christo traderetur. Ideo Christus ipse gloriam quam à Patre accepit in eundem refundens, dirigere nos preces nostras ad Patrem docuit; sed in nomine suo. nusquam tamen interdixit, ne eædem preces ad se quoque dirigentur: Imo vero manifestè permisit, dum *Joh.* XIV. 13. ait: *quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam. Ut glorificetur pater, in filio.* Non potest vero glorificari *pater in filio*; nisi filius quoque glorificetur: & quomodo filius glorificari possit, si nihil ipsi unquam debere, nihil ab ipso petere possimus; licet per ejus omnipotentiam nobis omnia, quæ petimus, conferantur?

Quamvis igitur verba ista *Joh.* XIV. 13. *quicquid petieritis in nomine meo*, etiam orationes ad ipsum patrem directas comprehendere fortasse possint: tamen ne orationes quidem ad filium directas excludere ullo modo possunt. Quia in quem credere licet; cujus omnipotentiam ubique præsentem agnosci necesse est: ejus opem quoque, si occasio ferat, implorare, omnino licere censendum est. Neque enim plus honoris haberi potest ei, cujus auxilium voce invocatur: quam ei, in quem mente, & corde creditur; & cujus omnipotentia ubique præsens agnoscitur. Quod si horum utrumque adeò sine ulla Patris injuria filio tribuitur; ut cum maxima ejus gloria conjunctum sit, quando videlicet pater glorificatur in filio; quid est, cur illud, hoc est invocationem filii, quæ per os nostrum fit, nobis non licere? aut cum minima patris injuria conjunctum esse censeamus? Quid in prolata per vocem nostram imploratione opis à Filio Dei reperitur aliud, quam quod eum Dominum esse agnoscamus, qui nobis opitulari possit, in eo quod petimus? Atqui ideò Christum Deus exaltavit; *ut omnis lingua confiteatur ipsum esse Dominum in gloriam Dei patris. Philip.* II. 11. Ergo celebratio agnitæ tam sublimis in Christo potestatis, quæ in fusis ad eum precibus cernitur, non in injuriam; sed in gloriam Dei patris fieri censenda est.

Quapropter, præter insignem doctrinam, quæ hoc loco traditur de inchoandis propositorum ac negotiorum nostrorum cæptis: non debile hic argumentum habemus adversus eos qui invocationem Christi nobis nusquam præceptum prætendunt.

Vers. 18. Transit Apostolus ad specialia quibusdam vitæ generibus sibi oppositis, aut potius, quæ ad se invicem referuntur, præscribenda officia; eo servato ordine, ut primum ea, quæ à subjectis, & inferioribus suis superioribus debentur officia, præcipiat: mox vicissim præpositis quoque competentia officia præscribat.

Quod significare videtur, quamvis in mutuis istis sibi vicissim præstandis officiis inter diversos vitæ status τὸ ἰσότητα *æquitatem*, cujus initio sequentis capitis mentionem facit, & æqualitatem quandam justam esse deceat: in eo tamen esse quandam inæqualitatem, quòd ista officia ab istis primum incipere debeant, qui subjecti sunt; ita ut, nisi subjecti officia sibi præscripta servent, præpositis in eos animadvertendi jus relinquatur; non autem contrà. Neque enim iis, qui in potestate sunt, licet coërcere eos, quorum in potestate sunt. Neque uxoribus à maritis, neque liberis à parentibus, neque servis à dominis pœnas deserti officii exigere convenit: quod tamen jus his in illos omnium mortalium consensu, atque ipsius rationis instinctu conceditur.

Uxoribus igitur præcipit obsequium erga proprios maritos, *ut*, inquit, *convenit in Domino.* Pluribus de causis id in religione Christiana convenit, ac fieri decet: primum quod in ea quicquid est justum, castum, sanctum, pulchrum, & bonæ famæ; quicquid εὐπρόσδεκτον *gratum* & amabile locum habet. Deinde, quod conjunctio inter uxorem, & maritum est typus, ac figura conjunctionis inter Christum, & Ecclesiam: ut autem Ecclesiam decet morigeram esse Sponso suo; ita uxorem marito.

Vers. 19. Amorem erga uxores suas maritis præcipit iisdem de causis, & vetat amaritiem, & morositatem erga eas. In quo certe mitis Spiritus Christi, cujus lenitate gubernat Ecclesiam suam, præit exemplo omnibus maritis.

Vers. 20. Præcipit liberis ut *obediant parentibus in omnibus.* Atque id esse dicit *rem Domino placentem*, & acceptam. Quia Deo, & Domino nostro Jesu Christo, cujus omnipotentiæ omnia subjecta sunt, non potest non magnopere gratum esse, quoties ipsi quis immediate ex animo obsequium præstat; ideò & illud placere necesse est, quando iis, quos nobis ipse præfecit, morem gerimus. Nulla autem potestas ex iis, quæ Deo, ejusque Christo subordinantur, propius accedit ad Dei, Christique potestatem, quam patria; respectu illius affectus benevoli, ac propensi erga eos, qui sunt in potestate: qui non ita cæteris omnibus potestatibus, quam patriæ affixus est; ut qui huic potestati reluctatur magis Deum offendere videatur, quam qui refragatur magistratui, & contrà.

Vers. 21. Parentibus interdicit *ne irritent liberos suos.*

Id

Id quod vetat, expreſſit voce ἐρεθίζειν *provocare ad iram*, quod hoc loco quid ſignificet, explicatur *per effectum* hujus irritationis, μὴ ἀθυμῶσι *ne deſpondeant animum*. Illud igitur prohibere videtur, ne nimium rigidè, & quaſi crudeliter, aut ſerviliter tractando liberos ſuos, eos ad deſperationem de patrio erga ſe affectu adducant, atque ut deſpondeant animos, efficiant; qui eſt abuſus patriæ poteſtatis. Ex quo præcepto intelligitur benignitas Dei in paterna plane noſtri gubernatione. Non alio enim modo liberos à parentibus ſuis tractari imperat, quam quo ipſe populum ſuum, præcipue qui per Chriſtum ad eum accedit.

Verſ. 22. Servis, & qui ſunt in poteſtate dominorum ſuorum, in quocunque gradu conſiderentur, mandat obſequium, ſicuti & liberis, κατὰ πάντα, *in omnibus*. Obſequium autem fidele, & ſyncerum; atque ut ſe ipſe explicat ex animo, & *in ſimplicitate cordis* præſtandum, non fucatum, neque ad ſatisfaciendum duntaxat oculis dominorum ſuorum ſubornatum: ſed verum obſequium; quale Deo ipſi, atque Chriſto probare poſſint. Rationem præcepti addit; quia in eo negotio, non hominibus tantum, qui decipi poſſunt, placendi cura adhibenda: ſed ipſe Deus, quem nihil fallit, aut latet, præ oculis habendus; atque adeò timendus eſt. In obſequio enim Dominorum, quemadmodum & Magiſtratuum, ac poteſtatum quarumcunque, Deo ſubordinatarum, ipſi Deo, ipſi Chriſto præſtatur obſequium *verſ.* 23. 24. Ideoque à Domino, hoc eſt, Chriſto Jeſu ſperanda eſt merces, μισθαποδοσία *præmii largitio*, aut ἀνταπόδοσις *retributio* fidelis hujus, & ſynceri obſequii. Domino vero in eo ſervitium exhibetur; quoties cæleſtis Domini reſpectu terrenis dominis fideliter ſervitur. At ſervi, Dominos ſuos defraudantes, habent quod metuant ab ejuſmodi Judice, qui perſonarum reſpectum nullum habet: Sed ut in vindicandis ſervorum injuriis nulla Dominorum reverentia, aut præcellentia movetur; ita in puniendis dominorum injuriis nulla ſervilis ſtatus miſeratione, aut indulgentia tangitur.

CAPUT IV.

QUemadmodum ſervos ab omni erga Dominos injuſtitia abſterruit, minatus pœnas τοῖς ἀδικοῦσι *injuſte agentibus*: ita Dominis juſtitiam, & τὸ ἰσότητα *æquitatem*, præcipit. per hanc ἰσότητα correſpondentem laboribus, ac meritis ſervorum mercedem intelligens. *Scientes*, inquit, *quod & vos habetis Dominum in cœlis*. Illud enim nobis perpetuo in religione Chriſti inculcatur; quicquid nobis fieri vellemus, idem illud præſtandum aliis. Hæc eſt generalis regula caritatis, & Chriſtianiſmi.

Verſ. 2. Revertitur ad præcepta generalia: Duo autem proponit, quibus epiſtolam hanc claudit. Primum quomodo nos gerere debeamus erga Deum. Secundo quomodo erga extraneos.

Erga Deum ita nos gerere debemus, ut perpetuo in precibus perſeveremus; neve aut vitiorum, aut negligentiæ ſomno conſoporemur: ſed jugiter, & continuò vigilemus, & exitemus nos aſſiduis periculorum quidem occaſionibus ad implorandam opem ejus; beneficiorum autem donis ad habendam gratiam, & agendas gratias (εὐχαριστία hoc loco proprie ſpecialiter ſumitur pro illa parte precum, quæ beneficia Dei jam accepta reſpicit) Sed ad preces quoque pro aliis; præcipue vero pro iis, qui gloriam Dei promovent. Nunc autem Paulus pro ſua prædicatione fundi præces poſtulat. *Ut nobis*, inquit, *Deus aperiat oſtium ſermonis, ut exponamus myſterium Chriſti, propter quod vinctus ſum.* Doctrinam religionis Chriſtianæ vocat *myſterium Chriſti*: quia per Chriſtum nobis ſunt patefacta arcana cæleſtis ſapientiæ. *Ut*, inquit, *illud revelem quemadmodum me loqui oportet.* Quemadmodum enim in Dei poteſtate eſt, aperire oſtium ſermonis, hoc eſt, occaſiones prædicandæ veritatis præbere, atque exhibere: ita in ejuſdem manu eſt dare ſervis ſuis os, cui non poſſint reſiſtere adverſarii.

Verſ. 5. Erga extraneos quomodo nos gerere debeamus, hoc, &, niſi fallor, ſequenti verſu oſtendit. Præcipit igitur in *ſapientia erga illos ambulandum eſſe*, hoc eſt, habitum, & conſuetudinem acquirendam eſſe (nec enim aliud *ambulare* ſignificat) cautè, ac circumſpectè cum ipſis vivendi, agendi, atque converſandi; idque tàm in *factis*, quàm in *ſermone*. Quod ad facta attinet, monet *tempus eſſe redimendum*. Quæ verba duplicem ſenſum habere poſſunt, quorum ſi alteruter inſufficiens, & non omnia complecti videatur; nihil obſtat quin uterque ſimul retineatur. Quemadmodum enim *ambulare in ſapientiâ* vivendo cum externis, plura præter ea, quæ ſpecialiter hoc loco tanguntur, ſignificare poteſt. Multa enim alia quoque præcepta præter ea, quæ hic exponuntur, habitus iſte toto genere ſuo comprehendit: ita & generalia verba *redimendi tempus*; nihil impedit, quin plures partes ſpecialis iſtius prudentiæ in uſu rei pretioſiſſimæ, hoc eſt, temporis, complectantur.

Primùm igitur, quia tempore pretioſius nihil eſt, ipſa vox *redimendi* (quæ redimendæ rei pretium ſupponit) ſuggerere videtur eam ſignificationem, parcos nos, & frugales diſpenſatores eſſe debere iſtius rei; quæ plerumque nuſquam miſerius à Chriſtianis impenditur, quàm in converſatione cum externis. Temporis enim multum conterere cum hominibus quales plerique in corrupto extrà Eccleſiam ſeculo reperiuntur; qui neque ſapientiorem, aut meliorem quenquam converſatione ſua efficere; neque ipſi meliores, aut ſapientiores effici poſſint: ſed vanis plerumque occupationibus ſuas, aliorumque horas, & dies comburere; imo ſpurcioribus quoque moribus, atque ſermonibus ipſam aliorum converſationem inquinare ſolent; eſt poſſeſſionem rei magno pretio æſtimandæ miſere prodigere.

Sed & aliam ſignificationem, diverſam quidem; ſed cum hac minimè pugnantem, ipſa vox ὁ καιρὸς ſuppeditat. quæ ſæpe non nudum tempus: ſed ipſam temporis occaſionem ſignificat. *Eph.* v. 16. Cui ſignificationi hic vel ideo locus eſt; quia interdum contingere poteſt, reperiri inter externos, quibuſcum converſamur, homines ad recipiendum veritatis ſemen non ineptos, nec indiſpoſitos. Quæ occaſio nobis minime negligenda: ſed tanquam merx pretioſiſſima avidiſſimè arripienda eſt. Et certe occaſionum venatio, atque in tempore occupatio, res eſt, ſi qua alia, prudentia Chriſtianorum digna; qui ſemper parati & in opportunitates ædificandi intenti eſſe debent. (1. *Pet.* III. 15.) Primum autem in hoc negotio prudentiæ ſpecimen edendum eſt in dignoſcendo diſcrimine inter porcos margaritis indignos, & inter homines ad recipiendam veritatem non inidoneos; aliquando etiam multùm diſpoſitos, & quaſi τεταγμένους *ordinatos*. *Act.* XIII. 48. Alterum non omittere opportunitatem: ſed potius inſtare occaſioni ædificationis. quod quomodo fit faciendum in proximo præcepto exponitur; quo docemur quomodo nos in ſermocinando cum extraneis gerere debeamus. quod *verſ.* 6. exponitur.

Quæ doctrina, verſu iſto comprehenſa, quàmvis nihil neceſſe ſit, ut ad ſolam cum externis converſationem adſtringatur, cum ad omnem etiam cum

aliis conversationem extendi & possit, & debeat: tamen maximè in conversando cum externis utilis, & necessaria est; ideoque huic præcepto, quod juxtà eam proximè præcessit, meritò applicanda est: ut quæ ex occasione ipsius nobis tradita sit.

Porro quia vel ex voce ἀποκρίνεσθαι, quæ voci ἀπολογίαν apud Petrum 1. *Pet.* III. 15. respondet, docemur locum hunc esse loco Petri geminum, ideò alterum alteri lucis aliquid afferre posse putamus. Præcipit igitur Petrus dicto loco, ut simus parati ad respondendum; vel (ne ab ejus verbis recedamus) *ad defensionem, ac reddendam cuivis reposcenti à nobis rationem Spei nostræ, cum mansuetudine, & timore.* Ubi cuivis, Petri locum diligentius inspicienti, patet vocem *timoris* non pro timore proprie dicto accipi; cum ejusmodi timorem supra idem Apostolus, versu proxime antecedenti 14, procul à nobis esse velit: sed anxiâ quâdam, & sollicitâ prudentiâ, ne causam incautius dicendo scandalum aliquod, aut offensionem alloquentibus nos præbeamus. Ideò vocem πραΰτητος voci timoris præmisit, ut ostenderet non aliam aliquam animi affectionem à nobis sese in hoc negotio requirere; quam ut vereamur, ne immodestiori forte responso defensione, aut disputatione animos eorum, quibus cum loquimur, offendamus: nec pudefactionem eorum, aut irritationem: sed institutionem, &, ut veritatem facilius assequi possint, blandam manuductionem quæramus; & præstemus. Sæpe enim in ejusmodi dissertationibus evenit, ut errores adversariorum acerbius, & contumeliosius perstringamus, & absurdâ, ex eorum sententiis fluentia, odiosius exagitemus: qua ignominia exacerbati blasphemias nobis vicissim objectant; & animo à nobis ob nostram culpam alienati, atque aversi, ipsam quoque innoxiam veritatem, quæ molliter, & blandè in animos eorum influere debuerat, repudiant, & repellant, ac tantò magis odisse incipiunt. Cui rei quemadmodum Petrus per præceptum mansuetudinis mederi voluit; ita Paulus in doctrinâ hoc versu traditâ convenientissimum remedium affert. Primum autem docet qualem esse deceat sermonem nostrum; deinde quomodo eo uti debeamus.

Pars prior duo præcepta continet; quorum prius incommodo illi, quod paulò ante metuendum esse exposuimus, occurrit, ac medetur. Præcipit enim primum, ut sermo noster *semper sit* ἐν χάριτι *in gratia*, quod cum præcepto *mansuetudinis* apud Petrum idem est. Quia enim veritas (præcipuè apud eos, qui ab illa sunt alieni, multo magis qui eam oderunt, atque oppugnant) ipsa per se austeritatis, atque acrimoniæ satis habet, ideo defensio, & apologia ejus blanda mansuetudinis, gratiæ, & omnis amabilitatis dulcedine plurimum imbuenda est: ut promptius in animos influere possit. Idque præceptum universale esse, & πάντῃ πάντως adhibendum, vox πάντοτε semper designat. Deinde præcipit, ut sermo noster *Sale conditus*, hoc est, non insulsus: sed ad palatum hominum ita sit attemperatus; ut cum gustu audientium percipiatur. quod significat gratiam illam mansuetudinis, ac mitis, & offensarum vitabundi spiritus condiendam esse non ingrato quodam sermonis, veritatem insinuantis, vigore, acumine, & elegantia; quæ non indecore mentes audientium perfricare, & sine offensa eas percellere possit. Pars posterior quomodo ejusmodi sermone uti debeamus; quia peritiam quandam non vulgarem in usu hujus rei postulat, duo quoque continet, acquisitionem hujus peritiæ: & ipsum usum.

Acquisitionem vox εἰδέναι *ut sciatis* apud Paulum supponit, ac requirit. Nemo enim scire quicquam potest; nisi didicerit: & præcipuè peritiam in frequenti alicujus rei usu assequi nemo potest, nisi sese frequenti meditatione, atque praxi exercuerit. Sed præcipue acquisitionem hujus peritiæ Petrus requirit, dum ad ejusmodi actionem, aut sermonem paratos nos, & quidem *semper* esse jubet; quod sine diligenti studio, ac præparatione ne cogitari quidem potest.

Usum hujus peritiæ Paulus tangit, dum ostendit non uno, eodemque modo omnibus respondendum: sed *sciendum esse quomodo oportet nos unicuique respondere.* In quo maxima quidem difficultas est: sed magna pars ejus tollitur superiori mansuetudinis præcepto; ut *semper sermo noster sit* ἐν χάριτι. hoc enim præceptum universale, & uniforme est. In eo tantum prudentiæ delectus est; quod pro ratione temporum, personarum, locorum, & circumstantiarum, quæ, cum infinitæ sint, nullis præceptis comprehendi possunt, dulcedini huic mansuetudinis, & gratiæ, nunc plus, nunc minùs salis istius, libertatis, & acrimoniæ admiscendum sit.

Reliqua epistola à *vers.* 7. usque ad finem ferè salutationes, & alia epistolica officia continet. In quibus primum omnium notandum est non modo ex mentione tam honorifica, & flagrantis affectus plena uniuscujusque fratris: sed etiam ex opera, & studio Apostoli; quod adhibuit in procurando, ut & Colossenses nossent Pauli, & aliorum fratrum, imo Ecclesiarum statum, atque inde consolationem (*vers.* 8.) acciperent: & ipse vicissim de eorum statu cognosceret: ex istis, inquam, exemplis discere nos posse, quodnam mutuæ nostræ in Christo caritatis officium, & quid invicem nobis in Ecclesia debeamus.

Deinde Apostolum, neminem eorum fratrum, quorum nomine Colossenses salutat, imo quorum apud illos mentionem facit, commemorare, absque alicujus commendationis elogio; uno *Dema* excepto. Tychicum enim dilectum fratrem, fidelem ministrum, & conservum in Domino; Onesimum fidelem, & dilectum fratrem; Aristarchum concaptivum suum. Marcum cognatum Barnabæ, magni in Ecclesia viri, & Jesum cognomine Justum: quos omnes conjunctim *solos cooperarios* suos prædicat, (οἵτινες ἐγενήθησάν μοι παρηγορία) *qui mihi fuerunt solatio.* Epaphram autem duobus integris versibus laudat. Lucam quoque dilectum medicum nominat. Solas Demas sine ullo elogio, simplici mentione, & quidem ultimus transmissus est. Ut vel hinc deprehendas mentem Pauli, Spiritus divini plenam, jam tum præsagam fuisse fratrem hunc stationem suam deserturum. Nam ut 1. *Tim.* v. 24. admonet, quorundam hominum peccata πρόδηλα, *ante tempus manifesta* sunt.

Tertio animadvertendum est, epistolas Apostolorum, licet singularibus Ecclesiis inscriptæ sint, Catholicas tamen esse, & universales, dignasque, quæ in omnibus reliquis Ecclesiis legantur. Præterea ad lectionem Epistolarum Pauli admissam esse totam olim Ecclesiam: non solos Clericos, aut Spirituales: quia tunc omnes Christiani Clerici, & Spirituales, Sancti & electi vocabantur. Cur non idem hodie quoque fieri debeat? vide *vers.* 16.

Vers. 17. Archippum hunc munus, ac ministerium aliquod in Ecclesia gessisse, ex verbis hujus versus patet. nec absurdè divinari potest, eum Epaphræ successorem, & illius Ecclesiæ Episcopum fuisse. Quod si ita sit, observandum est, non hic Ecclesiam per Episcopum: sed Episcopum per Ecclesiam admonitum fuisse: ut inde cognosci possit Democraticum potius, quam Aristocraticum statum reginiinis ab Apostolis in Ecclesia institutum à Monarchico certe longe alienissimum fuisse.

Porrò Archippi ejusdem in epistola ad Philemonem meminit; quia tam Philemon, quàm Onesimus, & initio Epaphras quoque, ad Ecclesiam Coloss-

Coloſſenſium pertinuere. Nec procul abeſt à vero, eodem tempore ad Philemonem epiſtolam à Paulo ſcriptam eſſe, quo ad Coloſſenſes mittebatur: non modo quia Timothei quoque nomen nomini Pauli utrobique in limine epiſtolæ annexum eſt: ſed & quia in calce ejuſdem ſalutationes eorundem fere omnium Epaphræ, Marci, Ariſtarchi, Lucæ, ac Demæ nomina continent.

Vix autem credibile eſt tot fratres Apoſtolo perpetuo, aut etiam longo tempore adhæſiſſe. & quemadmodum ad Coloſſenſes; ita ad Philemonem epiſtola per Oneſimum miſſa dicitur. qui ſatis diſertè unus ex Eccleſia Coloſſenſium dicitur *Coloſſ.* IV. 9., quia eſſet Philemonis domeſticus, quem ego ſuſpicor unum ex opulentioribus Coloſſenſium fuiſſe, qui domi ſuæ Archippum, in illa Eccleſia præpoſitum, & Appiam, uxorem forte, aut neceſſariam ſuam: & multos alios aluerit: ita ut in domo ejus Eccleſia fuiſſe memoratur *Philem. verſ.* 2.

Verſ. 18. *Salutatio manu mea Pauli.* Idem legas in calce primæ *ad Corinthios. verſ.* 21. 2 *Theſſ.* III. 17. Unde multum veriſimile eſt Apoſtolum dictaſſe potius, quam ſcripſiſſe Epiſtolas, quod vel ex omiſſis ſæpius præmiſſarum protaſium apodoſibus liquet.

Vinculorum ſuorum ut memores ſint præcipit. Vide *Heb.* XIII. 3. Memoria hæc primum quidem ad preces pertinet, pro ipſo fundendas. quas ſupra *verſ.* 3. ejuſdem capitis imploravit: ſed nec beneficentiam excludit cum ea interpretatione, quam *Philip.* IV. 11.; ſed præcipuè. *verſ.* 17. legas.

12. *Aug.* 1658.

FINIS.

RESPONSIO
AD
NOTAS AMICAS
IN SACRAS
AD EPISTOLAM PAULI
AD
COLOSSENSES
COGITATIONES.

I.

IN prima animadversione Censor Amicus, dum in notandis Scripti nostri vitiis contendit cernere acutum, nimium fortè connivendo, clausit imprudens oculos ad ea cernenda, quæ simpliciter intuentibus obvia sunt. Nimirum *Promissa*, hoc est, res promissas, ex ipsa vi Participii præteriti temporis (licet interdum in nomen verbale degenerantis) ferè semper promissionem præcedentem supponere: aliquando autem, sed rarius, & non sine duriori catachresi, cum ipsa promissione (quod hîc Censori accidit) confundi. Ad evitandam igitur ambiguitatem, vocem *Futurorum* meritò addidimus; ut non promissio, sed ipsæ res jam promissæ quæ respectu promissionis semper sunt futuræ intelligerentur.

II.

POst primam in limine offensionem in secunda animadversione non animadvertit Censor, se dupliciter lapsum esse. Primùm dum nostra verba proponit, tanquam Latinam nostram ex Græco textu versionem: cum (brevitatis ergò) sensum duntaxat, & explicationem obscuritatis, quæ in textu deprehenditur, contineant Secundo dum locum hunc 1. *Cor.* VIII. 3. pravè ipse intelligit, & explicat, quasi relativum ὑπ', ad nomen proximè præcedens τὸν Θεὸν *Deum*; alterum autem relativum αὐτῷ ad remotiorem voculam τὶς *quis*, non longè commodius referri possit; sensu admodum plano, & ad rem, de qua isthic agitur, pertinente.

III.

VOx Confortandi, ait amicus Censor, non est puræ Latinitatis. Resp. Certe nec ipsa vox *Latinitatis*; aut vox *contrariatur*, qua utitur in nota sua penultima; aut aliæ plures in ejus scripto, quas colligere non vacat. Cæterum tertia hæc animadversio haud spernendum censoris officium in comendo stylo nostro exhibet, quò cultior, & venustior appareat. In quo tamen idem Censor gravi errore lapsus est, existimans nos in tam puerili mustaceo lauream quærere; ut nonnisi puræ, hoc est, ut arbitratur, Ciceroniani ævi Latinitatis stylum affectemus. Quasi aut intra illius ævi angustias puritas hujus linguæ coërcenda sit; aut nos aliqua lege adstringamur, tanquam servum imitatorum pecus, ad obstinatè premenda Tulliana vestigia. Utilis hæc diligentia est, in formando primæ teneritudinis discipulorum sermone, aut stylo. Adultos, & magistrorum curam egressos istis cancellis includi, iniquum: senes verò, præcipuè de sacris disserentes, etiam indignum est. Meritò olim, si credere fas est, virgis cæsus ab Angelis vapulavit Hieronymus, quod esset Ciceronianus: aut, ut à fabulis, & somniis ad seria veniamus, Bembus nuper à censura Lipsii. Ante Lipsium Erasmus quoque istos malè sedulos Tullii pedissequos probè exagitaverat. Sed quamvis nos superflui officii Censori gratiam faciamus; studium tamen ejus nobis gratificandi mutuam gratiam requirit. Cujus, in hoc negotio referendæ, non alia promptior occasio occurrit, quàm ut pro dandi nobis, ad servandum in stylo, & verbis τὰ πρέποντα *decorum* moniti inutili conatu; reponamus homini amico verum, & utile monitum, ad servandum in moribus, & factis decôrum, pertinens, revocantes in memoriam illud, quod forte aliud agenti excidit, serum, intempestivum, ac præposterum; vel, ut epitheto censoris utamur, *haud decorum* esse magisterium hominis propemodum septuagenarii, tanquam optimæ spei pueri linguam, & stylum; in spem nescio quam proficiendi fingere, ac formare. Nam in vitæ, ac morum venustate, & judicii quoque maturitate, & sanitate, proficere nunquam serum est.

IV.

ETiamsi potestas tenebrarum inter alias regni Satanæ miserias, ipsam quoque divinæ voluntatis ignorantiam comprehendat; nihil tamen necesse fuit, nos omnia, quæcunque hoc loco dici poterant, congerere, ut opus in immensum crescceret. Multò minùs id à nobis exigi debuit; cum hinc potestatis tenebrarum, & earum Principis; inde regni Christi antithesis hoc loco non tàm mentis nostræ illumi-

illuminationem, quam ex ſervitute peccati, & ejus pœnæ, liberationem, ac redemptionem reſpiciat, ut patet ex *verſ.* 14.

V.

Qui dicit, Deum per ſanguinem victimarum ſub lege placatum ſe oſtendiſſe; non negat eum per eaſdem victimas (quia ita voluit) placatum fuiſſe. Illud tantum innuit; quod fatetur Cenſor victimas illas eam vim per ſe non habuiſſe; ſed ex Dei inſtituto, & æſtimatione. Fruſtra igitur in hoc ſcirpo nodus quæſitus eſt.

VI.

VItium citati verſus ſecundi pro quinto feſtinantis calami lapſus eſt; quod corrigi etiam inconſulto Autore potuit. Nec is eo nomine cauſam dicere debuit; niſi Cenſor ipſe ſibi viciſſim vitio verti velit; quod in ſequenti nota ſeptima, ſcripſit ἀμφαπίσαντες pro ἀμφεπίσαντες. Cæterum locum hunc *Heb.* 11. 5. de Chriſto primariò intelligi non negamus. Sed qui illum de fidelibus ſecundariò intelligi confitetur, jus poſſeſſionis cum imperio, & ejus, quod poſſidetur, ſubjectione, ipſis tametſi ſecundario tribui, diffiteri non poteſt.

VII.

Quod, *Matth.* XIX., Apoſtolis tunc Chriſto præſentibus, (quanquam fortè in excellentiori gradu) promittitur; nihil impedit, quominùs ad alios quoque fideles (ſaltem in inferiori gradu) protendatur. Niſi quod ultima capitis hujus verba indicare videntur; nemini eorum, qui Apoſtolis poſteriores erant, ad æqualem ipſorum dignitati gradum præcludendum fuiſſe aditum, quod mox in illuſtri Pauli exemplo patuit. Generalior ſententia *verſ.* 29. non excludit ſpeciale iſtud, quod per thronos exprimitur dignitatis ἀξίωμα: ut nec genus ſpeciem, vel ipſo cenſore infra confitente, qui paulò poſt, *nos*, hoc eſt, *omnes fideles*, unâ cum Chriſto mundum, & Angelos nequam judicaturos, & quaſi aſſeſſores judicii extremi calculis noſtris condemnaturos, ſatis fidenter aſſerit.

Quod autem nos hanc promiſſionem Chriſti ad unum illum actum, in die judicii ab aſſeſſoribus tribunalis Chriſti, exercendum, non reſtringamus; ſed in ea perpetuum bonum Apoſtolis, & eorum ſimilibus promitti exiſtimemus, multæ ſunt cauſæ.

Primo quòd nobis de aſſeſſoribus iſtis, qui præter Chriſtum vivorum, & mortuorum judices ſint futuri, nihil conſtet; nec æquum, aut decorum videatur, quos ipſos ſtare ante tribunal Chriſti judicandos oportebit, eoſdem in ipſius judicis tribunali collocari.

Secundo quòd omnipotentiâ, & omniſcientiâ, uni Chriſto competente, deſtituti, in ejuſmodi judicio competentes nequeant eſſe judices.

Tertio quòd quemadmodum Chriſtum obtentâ poſt devictum ultimum hoſtem (mortem) victoriâ, in throno gloriæ ſuæ ſeſſurum in perpetuum (de quo paulò poſt) firmiter credamus: ita aſſeſſores ejus, de quibus hoc loco agitur, in perpetuum quoque ipſi aſſidere neceſſe ſit.

Quarto quòd pro relictis rebus omnibus, & aſſectatione ſui Chriſtus nequaquam unicum aliquem tranſeuntis felicitatis actum; ſed permanentem in perpetuum mercedem polliceri ſoleat; quod in ſequenti etiam *verſ.* 29. cernimus.

Quinto quòd cum *verſ.* 28. Apoſtoli reliquiſſe omnia in univerſum, & Chriſtum ſecuti eſſe; verſu autem 29. alii reliquiſſe duntaxat aliquid eorum quæ iſthic recenſentur (quod longe minùs eſt, quàm penitùs omnia) dicantur; non eſt veriſimile Chriſtum, qui pro longe minori jacturâ in gratiam ſui facta; præter hujus vitæ præmia; æternam quoque, & perpetuam mercedem promiſit *verſ.* 29. eundem pro longe majori, & graviori, *verſ.* 28. minus, & brevi tempore duraturum præmium promiſiſſe. Majus igitur, quàm quod Amicus Cenſor arbitratur, ac perpetuum præmium hoc loco promitti neceſſe eſt.

Angelorum conditionem per exaltationem fidelium deteriorem non futuram, vel illud documento eſt; quod ex converſione peccantium tantum gaudii capiant. Angelos tamen aliquos à fidelibus judicandos, Paulo credendum eſt. Quinam illi ſint, boni, an mali inter nos quæritur. Et ſi nos quidem fore Collegas Chriſti in extremo judicio præſidentis aliunde conſtaret; locus hic ſine dubio de malis intelligi, atque explicari poſſet. Quia verò id non modo dubium; ſed abſurdum videtur; ideò non modo Angelorum vocem de bonis; ſed judicii quoque de regimine ſumi par eſt. Quanquam de iſtis rebus cogitationes duntaxat, non deciſiones ſcripſimus. Niſi quod id firmiter aſſeramus, credenda eſſe, quæ docet Sacra Scriptura; quamvis modum eorum, qua ratione fieri debeant, non ſemper certò, ac diſtinctè capiamus; dum ea fieri poſſe rationi & Scripturæ, alibi clarè ſenſus ſuos exprimenti, non repugnet.

Quomodo autem Angelorum conditio deterior futura non eſt; ſi qui ex iis fidelibus ſubjecti fiant, non uno modo oſtendi poteſt. Primum enim eorum, qui ab ipſo origine in ſubjectionis conditionem creati ſunt, ſtatus non fit deterior; ſi ipſis præficiantur, qui eo ſorte non ſint indigni. Nec ulla ratio cogit eos, qui in ſubjectionis ſortem creati ſunt, ſtatim ab origine habuiſſe, aut nunc quoque ſuos præfectos, præſertim perpetuos habere. Plurima à Deo deſtinata, quædam & inchoata ſunt; quæ ſerò demum labentibus annis conſummanda ſunt.

Nihil etiam impedit à Deo, imo ipſo quoque Chriſto, omnipotentiæ patris compote, augendæ cæleſtis regni gloriæ gratiâ, creatos, aut creandos novos Angelos, qui cæleſtis illius imperii fines longè, lateque extendant. quibus ſine ulla eorum injuria Deus, aut Chriſtus, quos velit, principes imponere poſſit. Hæc non aſſerendo, ſed ſcrutando, & inquirendo verum differimus, ad oſtendendum multos modos dari poſſe, quibus Sponſæ Chriſti aliqui Angelorum ſubjici poſſint, abſque ulla vel minima dignitatis eorum jacturâ, vel diminutione.

Quod autem 1. *Cor.* VI. de poteſtate regendi non agatur, quia videlicet agitur de poteſtate decidendi controverſias, nemo aſſerere poteſt abſque prava & infirma conſequentia. Nec enim iſtorum alterum tollit; ſed ponit alterum; ita ut omne regimen poteſtatem decidendi controverſias; & omnis ejuſmodi poteſtas aliquam regiminis partem contineat. Præcipuè poteſtas condemnandi malos, ac nocentes ſine regimine cogitari nequit; quæ poteſtas pro vario, abſolutioris, aut reſtrictioris regiminis modo variatur.

Quod item Amicus Cenſor bonis Angelis hunc de damnandis, aut judicandis nocentibus ſenſum aptari non poſſe aſſerit, quia inter eos nulli futuri ſint nocentes, qui condemnentur, id ipſum eſt, quod pro nobis militat, & oſtendit *judicandi* verbum hoc loco pro *regimine* ſumi.

Nam ſi urgeat, ne *regimini* quidem, aut Magiſtra-

tui locum esse inter eos, qui sponte, & ex animo sanctitatem colent, & immediatè Deo subjicientur; rogabimus, cur igitur regimini, & mediatæ, ut sic loquar, subjectioni Deo, in Angelis etiam post lapsum Satanæ, hucusque locus erat, quamvis nulli inter eos fuerint; aut etiam esse potuerint nocentes? Etiam absque periculo peccati, aut rebellionis regimini locus est; quia vel ista ipsa pulcherrime sibi subordinata, & in unum Deum definens imperantium series multùm facit ad gloriam Dei.

Porro illa ratio, qua Censor probat, Angelos à fidelibus nonnisi in extremo judicio judicandos, prædici; quia mundi quoque judicium prædictum nonnisi ad illam supremam diem pertinere possit; petitione laborat principii: dum falsâ, & noxiâ, & quæ non perfunctorie reprehendi meruit, opinione imbutus Censor, pro concesso sumit fideles Magistratu, aut coactiva adversus sontes potestate fungi non posse, præterquàm in extremo judicio. Quid enim est? cur non prædictionem de mundo à fidelibus judicando, eventu ipso partim jam impletam, & comprobatam cum Mundus ad Christianismum conversus est, partim longe plenius implendam censeamus, cum constricto in longum tempus Satanâ, regna Mundi fient Regna Dei, & Christi ejus.

An verò mundi & Angelorum nequam condemnatio procurantibus, & autoribus quodammodo nobis perficienda, & extremi judicii adversus eos instituendi pars Magna, hoc est, judices pro tribunali Christi assessores futuri simus; neque ex Scripturis, quæ nos omnes stare ante tribunal istud oportere asserunt; neque ex ratione constat, quæ istud universalis potestatis judicium, solius Christi omnipotentiæ competens, in promiscuam fidelium turbam vulgari vix patitur. Præterea, viderint quid Christo relinquant, qui eum omnem omninò potestatem in cælo, & in terris plane depositurum statuunt; si ad hujus ipsius brevi deponendæ potestatis excellentiam passim, & promiscuè omnes admittunt. Nobis potius, quibus tàm humiliter de Christo sentire religio est, id majori cum venia opinari liceret.

VIII.

PAscere subjectos virga ferrea; ita ut eâ tanquam vasa figuli confringi possint, potestatis potius, atque potentiæ vim, & excellentiam; quàm executionem significat. Quamvis igitur exercitio hujus potestatis locus olim non esset futurus, potestati tamen locum esse non repugnat. Quod vel inde evincitur; quia ipsi in Deo absolute, & independenter erga omnes in universum locum fore negari nequit; tametsi executioni ejus forte locus non sit futurus. Quid igitur sit absurdi, si ejusmodi universalis in omnes: sed tamen à Deo dependens potestas in Christo; in ejus autem fidelibus particularis in quosdam, iis subjectos, permansura esse statuatur? Jus, & potestas vitæ, necisque in multis magistratum gerentibus dari potest, tametsi forte neminem unquam necaverint.

IX.

CHristum per genuinam sanctimoniæ Dei imitationem meritò ejus imaginem dici posse, ideò diximus; quia per istam imitationem, & ejus interventu factum fuerit, ut meritò talis imago dici posset. Hinc patet particulas *Per*, & *Propter* non ita opponi; quin altera pro altera poni, & altera per alteram explicari possit. Quamvis enim vocula *propter* causam finalem; vocula vero *per* efficientem plerumque significat; tamen, quia finis quoque efficiendi vim habet, dici potest per causam finalem fieri; quod propter eam fit; & contrà. Quod ad explicationem loci *Joh.* 1. 10.; ut infrà videbimus, pertinet.

X.

FErens *omnia verbo virtutis ejus.* Mendum est scriptionis quod insciis & invitis nobis irrepsit; qui firmiter sentimus scribendum esse *virtutis suæ.*

XI.

DIstinctio hæc non ad solos istos duos locos conciliandos inventa; sed è purissimis doctrinæ Apostolicæ fontibus hausta, & ad depellendas adversariorum calumnias unicè apta; necessariò à nobis adhibetur. Non alio plausibiliori prætextu olim sub Victore, & Zephyrino Episcopis Romanis in Occidente; & aliquanto post per conciliabulum Antiochenum in Oriente veritas, & Ecclesia Confessorum Symboli Apostolici oppressa est; quàm quòd iis impingeretur calumnia, quod Christum nudum hominem statuerent, cum Sacræ Scripturæ passim eum omnipotentem, ac Deum in sæcula benedictum nobis proponant. Vide Eusebium *lib.* v. *cap.* ultimo & *lib.* VII. Huio calumniæ quidam nostrorum ansam, & occasionem ultro præbere, & inimicis suggerere non desinunt nec unquam cessant in cruda nimium, & iniqua loci 1. *Cor.* XV. 24. explicatione. Iniquitas in eo est; quod innumeros alios locos per unicum istum, quàm unicum hunc, per alios plurimos Sacris Scripturis locos explicare malint, nullâ seria eorum conciliationis curâ. Cruditas autem, ac durities in eo; quod per traditionem Regni; & subjectionem Christi Deo patri exaltationis Christi, cujus potissima pars in data ipsi omnipotentiâ, & omni in cælo, ac terra potestate cernitur, abolitionem intelligant; idque propter rationes frivolas, & quæ levissimo brachio retundi, & frangi possint?

Prima Censoris ratio est. Gubernatio, seu judicium, quod Pater dedit filio *Joh.* v. 22. nihil aliud videtur, quam suprema ista in cælo, & terra potestas; de qua *Matth.* XXVIII. 18. Resp. Simplex ista assertio primùm simplici negatione repellitur. Nam longè aliud est illa peculiaris potestas, quam Deus in judicandis peculiaris quoque Regni sui subditis, Christianæ Reipublicæ civibus, Christo absolutam, & independentem tradidit; de qua dicto loco Christus ipse apud Joannem loquitur; aliud verò illa potestas, quam in Angelos, & in reliqua omnia in cælo, ac terra contulit. Quæ potestates, & quasi Regna vel ipsis objectis distinguuntur. Deinde tàm in cælo, quàm in terra potestas etiam suprema potest esse à Deo dependens, quales sunt Archangelorum, & Regum terrenorum Monarchiæ. At potestatem, in qua Pater neminem judicat: sed omne judicium dedit filio; tantisper donec ultimum hostem Christus vicerit, ipse Pater à se dependere noluit. Quid igitur impedit, quominùs suprema illa quoque in cætera omnia præter populum ejus Christi potestas; quam in præmium obedientiæ suæ *Philip.* II. 9. per exaltationem consecutus est; à Deo quoque dependeat; ut non nisi nutu ipsius exerceatur? quæ distinguatur ab illa absoluta, & independenti; de qua & apud Joannem Christus ipse; & Paulus. 1. *Cor.* XV. loquitur. In qua Pater neminem Christi discipulorum judicare dicitur; quia plenam præmiorum conferendorum, & pœnarum peccantibus irrogandarum potestatem filio absolutè concessit,

concessit, cum tamen reliquis in rebus, etiam ad novam creationem aliquo modo pertinentibus, cætera omnia nutu Dei per Christum fieri nihil repugnet. Proinde in exercenda potestate Christi, à patre dependente, non potest dici Pater neminem regere, aut judicare, quia (tametsi mediatè, hoc est per Christum) omnia gubernat. Nec tunc potest dici filius à subjectione exemptus, quia in omnibus, & singulis ad normam voluntatis Dei sese componit. Sed in altera potestate Christi in Ecclesiam ejus militantem, quam independentem, & extraordinariam vocamus, Pater neminem judicare meritò dicitur. quia, ad confirmandam fidem, & spem nostram, filio extraordinarium, & absolutum jus, in dando æternæ vitæ præmio, & mortis pæna infligenda tradidit, ut nos humillimæ creaturæ ab infinita Dei celsitudine tàm longè remotæ, per tàm propitium nobis Mediatorem, qui animam suam pro nobis ponere non dubitavit reddendi nobis præmii, quod jam in ejus potestate esset, tanto majorem spem, ac fidei nostræ certitudinem habere possemus. Non est igitur integrum Amico Censori regna, seu potestates istas non modo objectis; sed etiam gradibus, imo naturâ suâ; atque etiam causis finalibus distinctas, confundere, ut nos ambiguitate vocis indistinctæ eludat.

Altera ejus ratio non modo rem ipsam, & sententiam, sed & modum sententiæ nostræ explicandæ petit; reprehendens, quod alteram istarum potestatum ordinariam: alteram extraordinariam dixerimus. *Utrâque*, inquit, *Christus ordinariè utitur; & si ideo altera earum extraordinaria vocatur, quod cessatura sit: & ista quoque cessatura est; quod rationibus infrà proponendis probat.* Resp. Voce extraordinariæ potestatis non ideo usi sumus, quod extraordinariè exerceatur; sed quòd extraordinariè, ideoque ad certum tempus à Deo collata sit. Potest enim etiam extraordinaria potestas, quamdiu videlicet durat, ordinariè exerceri: quales erant Romæ Dictaturæ; quæ ad breve plerumque tempus sumebantur, ac cito deponebantur: nec successionem continuam, aut perpetuam habebant & longè magis legibus solutæ, & independentes erant; quàm Consulatus, & alii ordinarii Magistratus: ideoque meritò extraordinariæ dici poterant; cum tamen, quamdiu durabant, more & exemplo majorum ordinariè exercerentur.

Nunc videamus quibus rationibus datam Christo in cælo, & in terra potestatem *Matth.* XXVIII., quam nos ordinariam dicimus, cessaturam esse probet.

Primo, Ubi cælum hoc visibile, & terra destruetur, videtur potestati in cælo, & in terra non fore amplius locum.

Resp. Atqui collata Christo in cælo, & in terra potestas, ad cælum istud visibile stellarum, & planetarum, aut terram frugum, plantarum, & animalium sedem non restringitur: verum non modo ad incolas utrobique ratione præditos; sed ad ipsum cæleste Angelorum domicilium protenditur. Quorum & illis, qui à mundi excidio eximentur, novum cælum, & nova terra non deerit: & hoc manet immune ab omni destructionis periculo. Non est igitur metuendum, ne mundo visibili destructo, desit locus exercendæ potestati Christi in Angelos, & homines effectos ἰσαγγέλους *angelis pares.*

Secunda Ratio Censoris est; *quomodo in futuro seculo poterit Christo competere suprema potestas, & omnipotentia; cum Apostolus dicat, Christum ipsum tunc fore subjectum, & Deum fore omnia in omnibus, hoc est immediatè omnes gubernaturum. Si etiam tunc habebit Christus supremam in omnes potestatem, non minus quàm nunc; tunc utique Deus non immediate foret omnia verbo virtutis suæ; & per Christum æquè ac nunc gubernabit omnes.*

Resp. Quemadmodum nunc thronis, & potestatibus in cælo, & summis Principum in terra, competit suprema potestas in eos, qui ipsis subjecti sunt, quamvis ipsi sint subjecti, & subordinati Christo: ita tunc Christo competet omnipotentia, seu omnis potestas in cælo, & in terra super omnes in universum, licet ipse futurus sit subjectus, & subordinatus Deo, & Patri.

Verba verò, *Deum fore omnia in omnibus*, pravè explicat Censor, Deum omnes Immediatè gubernaturum. cum etiam in gubernatione (ut sic loquar) mediatâ Deus possit esse *omnia in omnibus*, dum omnis gubernationis series ab ipso dependeat, nec absque ipsius nutu, & arbitrio quicquam fiat: quemadmodum fuit *omnia in omnibus* antequam Christo independentem illam in Ecclesia sua salvandarum, aut perdendarum animarum potestatem contulisset. Quo tempore tamen nemo dubitat, Deum Angelos, & homines mediatè, hoc est per alios gubernasse. Cur igitur ad id, ut Deus sit *omnia in omnibus*, requiri existimemus, ut omnis collata exaltato Christo potestas (quam etiam nunc extrà absolutum illud in Ecclesia sua judicium, dependentem à Deo, exercet) auferatur, atque adimatur; cum sufficiat solam illam independentem, (quæ per rei naturam perpetua esse nequit) deponi; nihil in cæteris omnibus imminutâ exaltationis Christi dignitate, & eminentiâ.

Nam conciliatio Censoris, quam affert, non uno modo ridicula est. Primùm dum omni ope conatur, diversam à nostro conciliandi modum afferre, & tamen ad nostrum invitus, ac reluctans revolvitur. Cum enim nos Regni Christi potestatem distinguamus, & alteram ejus speciem cessaturam, alteram non, ostendamus, ille, quasi damnatâ nostrâ distinctione novam afferret; ait Regnum Christi suo modo cessaturum, & non cessaturum. Atqui hæc contradictoria sunt. Oportet igitur aliud esse regnum, quod cessabit; aliud quod non. Non in voce igitur cessandi, quæ utrobique eodem sensu sumitur: sed in voce Regni, quæ Regiam potestatem designat, ambiguitas quærenda, ac retegenda erat. quod nos fecimus, & Censori frustrà displicet; cum ipse dicat, Regnum Christi, quod in hostibus debellandis, & rebellibus puniendis, aut reprimendis consistit, desiturum. Atqui talis regni species non totam regni naturam exhaurit, cum regnum etiam in altissima pace, exerceri possit. Præterea fatetur mox, etiam depositò isto militari, ac bellico regno, non omne Christi Regnum desiturum. Sed alio quoque modo distinctio Censoris ridicula est; non modo quod alteram distinctæ vocis (id est regni) significationem dare, aut exprimere nequeat; & quid, aut quale sit regnum illud, ignorare se fateatur; sed etiam quod absurditatem distinctionis, & conciliationis suæ sub larvâ ignorantiæ latentem, faceto velamine, obtegere nec quicquam conetur. *Alius*, inquit, *genera regnum erit, quod Christus post mundi excidium habebit; quod quale proprie futurum sit, nobis scire datum non est.*

Resp. Atqui nobis scire datum est, adempta Christo vera, & propriè dicta regia potestate, si tamen Rex dici debeat, nihil aliud ipsi, nisi nudum titulum, aut regnum Metaphoricum relinqui. Nec satis esse, ut sciamus eum Regem fore, regnumque habiturum; nisi illud quoque simul sciamus, eum non metaphoricum: sed propriè dictum Regem fore; regnumque non titulare, ut vocant (quales Pontifex Romanus creat Orientis episcopos) sed verum, & proprie dictum habiturum. Nam regni propriè dicti fidelium facilior est jactura; etiamsi

cælestia

cælestia eorum gaudia per translationem Regnum vocentur. At Cæli, ac terræ Domino, in gloriam Dei, & Patris verè, ac propriè constituto, & propter mortis suæ meritum, super omnia exaltato, & qui Deus super omnia in secula benedictus dici mereatur (*Rom.* IX.); & cui gloriam, & nunc, & in secula seculorum (2. *Pet.* III. 18.) Petrus tribuit; propter unius (1. *Cor.* XV.) loci; sine ulla gravi causa in pravum, & innumeris Sacræ Scripturæ locis repugnantem sensum malè detorti suspectam explicationem; nihil aliud præter tropici regni titulum in æternum relinquere, & assignare, opinio est periculi plena, ne plus æquo Majestati Christi derogetur; & sola necessitate excusabilis, quoties fortè locus iste cuipiam aliter intelligi, aut explicari posse non videtur. Quæ necessitas ubi removetur, tutiorem, & cui (ut vidimus) nihil meritò objici possit, explicationem obstinatè respuere; facinus est non parvi ausus, nec magnæ erga Christum reverentiæ. Quo nomine ego quidem anathema nemini dixero. Sed totas Ecclesias nostras, ejusmodi opinionum infamiâ aspergi iniquum, & indignum existimo. Satis alioqui odiis, & criminationibus omnium expositi, exercemur. Nihil est, quod detur opera; ut quæ patimur, meritò pati videamur. Patimur enim eo, quod humilioris, quàm par sit, de dignitate Christi opinionis crimine insimulemur. Nos crimen istud refellimus, quod tantam ei gloriam, potestatem, excellentiam, & quidem in æternum tribuamus; qua major, salva patris eminentiâ (semper in Ecclesia assertâ) salva Sacræ Scripturæ auctoritate, salvo ipsius rationis dictamine, tribui nequit. quia eum confitemur Deum super omnia in secula benedictum, & cui à nobis, (sicut olim à Petro) gloria, & nunc, & in secula seculorum debeatur. Hac dignitate, & eminentiâ, quia unius Dei patris dignitati, & eminentiæ secunda est; nulla major cogitari potest. Neque gloriæ patris derogat, & innumeris Sacræ Scripturæ locis firmatur, nec unico illi (1. *Cor.* XV.) rectè, & sine ulla violentia explicato, repugnat. Nec ratio invenit, quod in ejus assertione carpere, aut in dubium vocare ausit. At Censoris amici opinio, quamvis ad breve respectu æternitatis, tempus glorioſam potestatem Christo tribuat; sed illam rursus in æternum adimit, nullâ satis justa ejus rei causâ. Nec enim tàm crudam hujus loci (1. *Cor.* XV.) explicationem aut Dei patris gloria requirit, aut aliorum infinitorum Sacræ Scripturæ testimoniorum auctoritas permittit, aut ulla ratio patitur, ut effusa meritò in Christum Dei dona sint revocabilia, & *μεταμελητὰ quorum pœniteat.* Quod si servorum Christi dignitas, non ex eo, in quo aut fuerunt, aut nunc sunt statu; sed ex eo, quo sempiternis seculis fruentur, æstimanda est: multo magis ipsius Christi. Nam quid ipsi prodest, concessa ad breve tempus glorioſæ potestatis usura; si tandem deponenda, & absque ea in æternum vivendum est? Quonam igitur artificio Censor amicus cum suis, si quos habet, asseclis effugiet, quominùs humilioris, quàm par sit, de dignitate Christi opinionis culpâ teneatur? Unde ab adversariis non tàm vere quidem, & solide; quàm specioſe, & plausibiliter meritò pati non & meritò pati, quæ ob istam opinionis humilitatem pati prætenditur, convincatur?

XII.

CErtitudo promissorum Dei, nobis præstandorum; verbis præteriti temporis sæpè exprimitur, quasi jam præstita essent, quæ adhuc expectantur. Sic & Martyres ad *obtinenda suo tempore* promissa Novi Fœderis jam admissi dicuntur; quia eorum expectatione jam excidere nequeunt, utpote Spiritus consummati. Nulla hic contradictio, cum quis in numerum eorum nunc jam admissus dicitur, qui futuro demum tempore promissa aliqua certo certius obtinebunt. Et quid clarius participio futuri temporis, *obtinenda* additis vocibus *suo tempore*, ad præcavendum, ne quis putet à nobis statui, eos jam reipsa cælestem hæreditatem adeptos. Sed qui fit, quod Amicus Censor tàm sæpè, imo fere semper censeat ea, in quibus nullus censuræ locus est; ideoque ipsa Censura mutuam censuram mereatur?

XIII.

REctè judicat Amicus Censor mendum hic irrepsisse; cum *ex veteri vita* scribendum sit; quod vel insciis nobis emendasse licuit, sicuti nos quoque in tam brevi ejus schediasmate plures lituras facimus, nec ostentamus.

XIV.

NEque ante fuerat, neque nunc est nobis propositum; receptam in Ecclesia nostra versus sextidecimi *Coloss.* 1. explicationem ex professo refellere. Satis est quod causas attulerimus, & nunc quoque afferamus, cur nostra nobis magis satisfaciat. Porrò non statui Censoris sententia ipsos propriè Angelos esse, vel dici à Christo creatos: sed tantum thronos, dominia, principatus esse inter Angelos, Censori asserere plane integrum non est. Si enim locus iste de Angelis intelligitur, *omnia*, quæ in cælis sunt, à Christo creata dicuntur, inter quæ Angelos esse necesse est. Idem & ipse Censor sentire convincitur, dum Angelos esse per Christum noviter creatos ratione suorum munerum, & novarum dignitatum mordicùs contendit. Quod ferri, & admitti utrumque posset, si aliis ex locis Sacræ Scripturæ constaret, Christum jam exaltatum totius Aulæ cælestis (utor Censoris verbis) reformationem fecisse; novum ordinem à novo Rege institutum, nova munia, atque dignitates Angelis delatas (nam ministeriis Angelorum, in usum sanctorum, etiam ante exaltationem Christi Deus usus est) plures Archangelos quàm ante à Christo institutos, Christum ex Angelis delegisse complures; quibuscum sua consilia communicet, in administrando imperio, & regimine Ecclesiarum. Nam quod Christus electos Angelos Ecclesiis suis præficiat; aut eorum ministeriis utatur, id nullam, aut in natura, aut in statu eorum innovationem, aut creationem infert; cum in ejusmodi rebus Deus etiam ante operâ Angelorum uteretur. Multò minus, quod per Ecclesiam, hoc est, per ea, quæ Deus Ecclesiæ suæ patefecit, cælestium arcanorum conscii facti sint.

Angelorum felicitati per Christum exaltatum non parum accessisse minimè negamus, non tamen eam mutationem tantam videri, ut ob eam regeniti, aut in novam creaturam mutati dici queant. Certè de Angelorum *παλιγγενεσία regeneratione*, nusquam in Sacra Scriptura loquitur. At nos, quicquid hoc loco de dignitatibus cælestibus dicitur, complurибus locis fidelibus Christi, qui nova Creatura sunt, promitti, ac de iis dici è Sacra Scriptura ostendimus. Non igitur in explicando loco isto petimus principium, quemadmodum ii, qui ea, quæ ad explicandum locum hunc afferunt, non aliunde quam ex hoc ipso loco hauriunt. Nam, quo ex aliis Sacræ Scripturæ locis arcessunt, ad rem non pertinent.

Præter hæc omnia, non exigua videtur causa, cur

cur de recepta explicatione dubitari poſſit. Quia reformatio cæleſtis aulæ à novo Rege, citrà expreſſam Sacræ Scripturæ auctoritatem admitti nequeat: cum & in ipſum Deum, & in eos Angelos, quos nonnullis exaltatis, in deteriori ſorte relinqui neceſſe eſt, aliquam injuriæ ſpeciem involvere videatur. Parum videlicet aptum ordinem inter Angelos Deus conſtituerat; ut à novo Rege in aptiorem reformandus eſſet. Sed nobis explicationem hanc oppugnare propoſitum non eſt. Satis eſt in ea ejuſmodi duritiem oſtendi; quæ nequaquam ex aliis Sacræ Scripturæ locis; ſed nonniſi amici Cenſoris divinationibus; (quarum paulò ante mentionem fecimus) emolliri queat; cum in noſtra aut nulla ſit durities; aut, ſi qua objiciatur; tot adductis Sacræ Scripturæ teſtimoniis emolliatur.

Quod autem ex reformatione Angelorum concludit, eos ad novam creationem pertinere; ſumit quidem pro conceſſo id, de quo ipſo quæritur. Verum Angelos à nova creatione non excludi, concedi poteſt, quia eorum miniſterio Chriſtus in nova creatione utitur. Sed aliud eſt ad novam creationem quoquomodo pertinere; aliud noviter creatum, aut novam creaturam eſſe. Nam ut quis nova creatura fiat, non ſufficit leviſſima aliqua Status ejus extrinſeci mutatio. Sed primùm intrinſeca mentis, ac morum, atque habituum reformatio, ac regeneratio requiritur, qui primus, hoc eſt, inchoatæ novæ creationis gradus eſt. Deinde naturæ quoque ipſius innovatio, & ex vili, ac mortali ſtatu in excellentem, & incorruptibilem tranſlatio; qui jam altior, hoc eſt, conſummatæ novæ creationis gradus cenſetur. Quorum neutrum in Angelis locum habere poteſt.

Chriſti poteſtatem, & dignitatem hoc loco ab Apoſtolo inſigniter extolli, fatemur. Non tamen inde ſequitur; Angelos ab eo reformatos, aut in alium ordinem mutatos hoc loco ab Apoſtolo dici. Aliâs, ſi eum de Angelis loqui concedatur, ex vi hujus rationis, & conſequentiæ, non modo verbis propior; ſed propoſito Apoſtoli convenientior explicatio hujus loci eliceretur; quæ Angelos ab ipſa ſui origine à Chriſto creatos eſſe oſtenderet. Majorem enim poteſtatem, & gloriam Chriſti deſignaret ipſa propriè dicta Angelorum creatio; quàm novus inter eos ordo conſtitutus. Quemadmodum etiam majorem Chriſti poteſtatem, ac dignitatem denotat, fidelium in Statum, ſummis Angelorum parem, tranſlatio, & exaltatio; quàm novi inter Angelos ordinis introductio. ita ut allata à Cenſore ratio primùm ſententiæ ejus, nobiſcum communi, periculoſa ſit: quoniam contendit hic de Angelis ſermonem eſſe. Deinde magis pro noſtra explicatione militet, & ſi à nobis urgeatur, nullum communi ſententiæ periculum afferat; quoniam hic de Angelis ſermonem eſſe plane negamus. Quamvis autem Apoſtolus hoc loco tam univerſaliter loquatur; quis tamen neſcit particulam *omnis*, aut *omnia*, ad ea reſtringi, quæ à Chriſto recens creata dici poſſunt: quod de Angelis dici non poſſe, paulò ante oſtendimus. Novam creationem aliquomodo ad Angelos, & Angelos quoque ad eam pertinere non negamus: ſed non ideo novas creaturas dici poſſe aſſerimus; quia neque vitæ in ſanctiorem, neque naturæ eorum in nobiliorem Statum, mutationem ullam cernimus. Proinde recepta vulgò hujus loci explicatio; quam à nobis parum ſolidè refelli objicit; longe minùs ſolide à Cenſore noſtro defenditur.

Oppugnaturus explicationem noſtram ab eo incipit; quod de Angelis quidem expreſſè legamus, eos per principatus, & poteſtates in Sacris literis deſignari; at de nobis nihil certi conſtet, utrum aliquam proprie dictam poteſtatem olim habituri ſimus. Loca enim à nobis allata alium habere ſenſum ſeſe oſtendiſſe occaſione loci *Matth.* XIX. 28.; & 1. *Cor.* VI. 3.; & *Apoc.* II. 26. affirmat. Quaſi verò à nobis hæc tria duntaxat loca, ad probandum, quod eſt in quæſtione, adducta ſint. Sed quia nos ad ſuprà objecta relegat; nos quoque hominem ad ſuprà refutata remittimus: Illud unum addentes, voces principatuum, ac poteſtatum, non bonis Angelis tantum: ſed Dæmonibus quoque, imò hominibus etiam improbis tribui. Quominus mirandum videri poſſit; quod in locis, quæ adduximus, etiam fidelibus exaltandis, qui ὑπήκοοι, *angelis pares*, vel ipſi Cenſori dicuntur, tribui cenſeantur.

Dilemmatis à Cenſore propoſiti utrumque Cornu fragile eſt. Primum enim nihil obſtare, quominus Angelorum dignitas in ſuo ſtatu intacta, & nullo modo imminuta maneat, quamvis aliqui ex iis fidelibus exaltatis ſubjiciantur, jam oſtendimus. Qui enim ex iis in ſtatum ſubjectionis creati ſunt, eorum dignitati nihil derogatur, ſi ſint ſubjecti iis; quos ipſis Deus, aut Chriſtus præficere voluerit. Utrum autem à Deo, an à Chriſto, & quando creati, aut creandi ſint, noſtra nihil refert. Satis eſt nos Scripturæ, aſſerenti rem aliquam, credere; quamvis abſque ejus auctoritate modum rei non definiamus; dum manifeſtè rationi pateat, modum aliquem dari poſſe; quo res illa ad effectum deducatur.

At enim urget amicus Cenſor, *eos à Deo longiùs ſubmoveri, quos inter, & Deum, non Chriſtus modo: ſed & tot millia Chriſtianorum collocantur; cum antea nullus eſſet, qui eos à Deo divideret!* Reſp. Quod ad vocem diviſionis attinet.

Principum mortalium imbecillitas efficit, ut qui ſubalternis eorum poteſtatibus ſubjecti ſunt; longius ab eis ſubmoveantur, & quaſi dividantur. In anguſto enim eorum imperia collocata ſunt; & arctum inter omnes mortales ſpatium eſt; nec longè imperantes à natura parentium diſtant. Quo fit, ut nec ſemper etiam non longe diſſitis; ſi per alios propiores intercludantur, adeſſe, & ſi opus ſit, auxiliari; imo ne omnes quidem noſſe, multò minus omnibus ſuccurrere poſſint. At infinita Dei omnipotentia, & omnipræſentia facit; ut nemo ab eo proprie ſubmoveri; aut dividi poſſit; ſed omnibus æquè ſubvenire, & auxiliari queat, quamvis longiſſimo à ſe intervallo diſtantibus.

Quod autem ad ſubmovendorum Angelorum periculum attinet; tunc verè ſubmoveri dici poſſent, ſi tam arctum ſpatium inter Deum, & eos eſſet: ut inter ipſos medius Chriſtus etiam cum ſponſa ſua interponi non poſſet. Sed quia inter Deum, & ipſos infinitum intervallum eſt; manentibus in veſtigio ſuo Angelis, Chriſto dari Sedes Deo propior potuit. Poſſunt & aliqui loco, & conditione Angelis (præſertim gregariis) ſuperiores effici, Angelorum dignitate & conditione in loco & ſtatu ſuo priſtino manentibus. Immenſum enim eſt inter Deum, atque ipſos Spatium; quale ſolet eſſe inter figulum, & lutum, Creatorem, & creaturam. Capit igitur omnes quoſcunque Deus exaltare voluerit. Unus Chriſtus eſt, voluntate Dei, arcto cum ipſo nexu conjunctus; quem & omnipotentiâ, & natura omnipotentiæ congrua dignatus eſt pater, & voluit eum in omnibus πρωτεύειν, *primas tenere*. Cæterorum nemo eſt tàm alto loco ſitus; quin alium, eo celſiorem, abſque injuria, vel digradatione ejus, ſi velit, efficere poſſit. Primum enim Deus nemini quicquam debet. Deinde quoties plus honoris, & dignitatis alicui præ aliquo confert; non ideò minorem illam dignitatem imminuit; quando eam in ſuo ſtatu illibatam relinquit. Quod etiam in terrenis principibus accedit; qui non

ideò cujuſquam prætoriam dignitatem imminuunt ; quia forte alteri conſularem conferunt.

Angelos hominibus fore ſubditos, totidem verbis non extat. Futurus tamen mundus, cujus pars magna Angeli erunt, ſubjectus fore dicitur. Deinde nominatim Angeli ab hominibus judicandi dicuntur, quæ nota eſt ſubjectionis, & plerumque pro ſubjectione ſumitur.

Cum Chriſtus homines reſuſcitatos ait fore ἰσαγγέλους, *pares angelis*, reſpicit communem illam Angelis cum hominibus reſuſcitatis immortalitatem ; quæ opus non habet ut per propagationem ſobolis conſervet ſpeciem eorum, quibus competit. In quo par eſt iſtorum hominum cum Angelis conditio. Et hic videtur denarius ille vitæ æternæ, tam plus, quàm minus laborantibus reddendus, in quo omnium merces æqualis eſſe videtur. Cæterum, ut in mercede iſta gradus multos dari non repugnat, imò neceſſe eſt, ita in iſta æquali cum Angelis ſorte immortalitatis, inæquales dignitatis gradus dari non repugnat. Similitudo enim ; imo & æqualitas in una re non excludit diſſimilitudinem, aut inæqualitatem in altera.

Alterum Dilemmatis cornu æquè fragile, imò friabile eſt. Nam primum reges impropriè dictos, propriè dictis ſubjici videmus. Deinde & inter propriè dictos regna ſubalterna, regeſque, regulorum Dominos, & ipſos majoribus legibus ſubjectos, dari non ignoramus. Quid igitur repugnat eos, quorum unicuique regnum promittitur reges eſſe : & tamen ipſos aut propriè dictis ; aut majoribus regibus ſubjici ?

Dubitare de eo, an Chriſtus Rex, & Dominus noſter poteſtatem propriè dictam in æternum habiturus ſit ; eſt, dubitare de eo an Chriſtus Rex propriè dictus in æternum futurus ſit. Quod utrum fas ſit, viderint ii, qui forte litis hujus inter nos judices futuri ſunt.

Tradere regnum Patri, atque ipſi ſubjici, etiam in terris, an non is quoque Filius dicendus eſt ; qui cum abſolutum, ac independens ob gravem cauſam ſibi commiſſum, & concreditum habuerit imperium, præſertim in aliquam regni paterni partem : illud poſtea Patri reſignat : quamvis totius regni poteſtatem (ſed à Patre dum vivit dependentem) quia apud patrem unicus, & unicè dilectus eſt, ſibi relictam retineat ? Cum igitur hic unicus contrà tot repugnantes Sacræ Scripturæ locos æterno Regno Chriſti in ſpeciem adverſus, atque adeò ipſius Cenſoris confeſſioni, qui Regem Chriſtum in æternum fore (quamvis neſcire ſe dicat, quale iſtud regnum futurum ſit) negare nequit, contrarius locus ; tàm æqua, & commoda ratione explicari poſſit : ut ſimul liquido pateat, quale iſtud regnum futurum ſit, & quomodo iſtæ repugnantiæ concilientur ; quid cauſæ ſupereſt, quominus ſibi homines ſcrupulos, ac dubitationes, ex occaſione hujus loci emergentes, eximi patiantur ; præter eam, quod tam facilis ad ſeſe ab omnibus difficultatibus expediendum ratio, aut ipſis, aut aliis ante nos in mentem non venerit ? An vero iſta juſta ſit, obſtinationis cum aliqua Chriſti injuriâ, aut certè injuriæ ſuſpicione conjunctâ, cauſa, ego decernere nolo.

Atqui (objicit) tunc *Deus erit omnia in omnibus.* Reſponſ. Etiam non ſublatis ſubordinatis patri poteſtatibus Deus omnia in omnibus eſſe poteſt ; quemadmodum erat ante traditam Chriſto, in conficiendo contrà Satanam bello, plenam, & abſolutam poteſtatem. Quo bello confecto, atque iſtâ extraordinariâ (quia ad extraordinarium negotium collata eſt) poteſtate depoſitâ, quid obſtat, quominùs ordinaria ; ſed à Deo dependente, poteſtate gubernet *terram futuram*, quæ certè non Angelis, ſed ipſi primario, & excellentiſſimâ præ omnibus ratione ſubjecta eſt. Cum enim ante Chriſtum cæleſte illud imperium mediantibus Angelis à Deo gubernaretur, relicti quidem ſunt, ut firmiter ſentio, in ſuis quiſque dignitatibus Angeli ; ſed iis omnibus præpoſitus eſt Unus Dominus, per quem unus Deus omnia exequitur. Quamvis autem, etiam ea, quæ Chriſtus ex plenitudine datæ ſibi à patre, abſolutæ poteſtatis agit, ex Patre, aut à Patre proficiſci dici aliquomodo poſſint, quia ipſa poteſtas eſt à patre : tamen poſt depoſitam à Chriſto iſtam abſolutam in certo genere regni poteſtatem ; nihil obſtante poteſtate ordinaria, ac dependente, longe magis propriè dici poſſunt, omnia à Deo per Chriſtum fieri ; atque ita tunc verè dicetur Pater eſſe *omnia in omnibus*, dum abſque ejus nutu nihil omnino fieri poterit ; quamvis nemo eorum, quibus Deus poteſtates, atque imperia contulit ; in ordinem redigatur.

Quantum ad duritiem in eo, quod aliquid Creatum dicitur, quamvis nondum exiſtat, plurimis Sacræ Scripturæ locis oſtenſum eſt, hunc loquendi morem eſſe in Sacris litteris uſitatiſſimum. At longe major in eo durities eſt, quando novæ creaturæ dicuntur, quæ neque in ſanctiorem vitam regeneratæ, neque ex deteriori naturâ in meliorem tranſlatæ ſunt : præſertim cum nullum ejuſmodi locutionis exemplum aliunde ex Sacra Scriptura proferri poſſit. Sed & prætenſa iſta noſtræ explicationis durities ; per illam explicationis noſtræ partem ; plane mollitur, quâ per thronos iſtos, & poteſtates etiam intelligimus dignitates illas, & eminentias, certamen bonum certantibus præparatas ; ac repoſitas. Ita ut inter explicationum noſtrorum utrinque duritiem, aut facilitatem nulla videatur comparatio.

XV.

NE iſtius quidem loci vulgatam noſtrorum explicationem oppugnandam ex profeſſo ſuſcipimus ; quamvis noſtra nobis magis probetur. Peti autem principium in eo exiſtimamus ; cum quid ſive creatum, ſive factum per aliquem ſimpliciter dicitur ; cujus natura, & ſtatus per eum notabiliter mutatus non eſt. Quemadmodum mundi (in quo longe minima pars regeneratorum ſemper fuit) neque natura, neque ſtatus per doctrinam Chriſti notabiliter mutantur ; quamvis regenitorum ſtatus, & quaſi natura mutentur. Conſuetudo enim eſt altera natura. Imò verò & propriè dicta natura in novæ creationis conſummatione mutatur.

Non poteſt igitur mundus dici in meliorem ſtatum factus, aut mutatus ; quando exigua ejus portio Chriſti doctrinam recipit : multò minor autem ſecundum eam vivit, & regeneratur.

Neque novum autem, neque contortum eſt, particulam *per* explicari per aliam particulam *propter*, quia cauſa finalis, quæ frequentius, & uſitatius exprimitur per præpoſitionem *propter*, interdum etiam exprimitur per præpoſitionem cauſæ efficientis propriam, hoc eſt, particulam *per* ; ut per cauſam finalem aliquid fieri dicatur : Quia finis ſemper vim efficientis cauſæ habet ; cum ipſum efficientem, per quem aliquid fit, ad illud faciendum impellit : ita ut per eam rem meritò aliquid factum dicatur, per quam ipſa cauſa efficiens ad faciendum impulſa eſt. Villa Aurelia (exclamavit olim quidam à Sylla proſcriptus) cur necas dominum tuum ? Per villam igitur dominus ejus necatus dicitur, quia propter villam necatus eſt ; & quia villa iſta interfectorem ad necem ejus impulit. Ita per Chriſtum mundus factus dici poteſt, quia propter ipſum factus eſt ; cum vetus creatio, (quæ, cum novæ opponitur, ad homines pertinet) in gratiam novæ facta ſit ; & vetus creatura propter novam, cujus Chriſtus principium eſt, & primogenitus ;

nitus ; præsertim cum per resurrectionem à mortuis non modo consummatâ ipse novâ creaturâ ; sed tàm inchoandæ, quàm consummandæ aliorum creationis absoluta potestate accepta ; reliquarum creaturarum creator effectus sit. Meritò igitur per Christum mundus, seu homines in mundo facti dicuntur ; quia propter ipsum jam destinatum, & constitutum novæ creationis primogenitum, & principium facti sunt ; & ipse tanquam causa finalis Deum impulit, ut mundum, & in eo homines, conderet.

Quod autem vox διὰ cum genitivo particulam *per*, cum accusativo *propter* significet non ignoravimus ; ideoque supradictam explicationem adhibuimus. Cæterum admodum verisimile putamus, vocem istam primitùs cum accusativo collocatam fuisse. At postquam Gnosticorum, qui posteà Ariani dicti sunt (Saniores enim, qualis fuit Clemens Alexandrinus, hoc loco intelligimus) sententiæ in Ecclesia, præsertim factiosis conspirationibus invalescere cæperunt ; intererat multorum, levissimâ anguli acuti in obtusum transmutatione, genitivum pro accusativo subjici ; & ex δι' αυτὸν insensibiliter, eoque impune, δι' αυτοῦ fieri. Quæ lectio postea præjudicatæ opinionis obstinatione obtinuit.

Triplicem vocis mundi sensum in Censoris explicatione ad unum contractum facile admittimus ; ut quibus magis libeat defendere nostra, quàm aliena refellere. Sed & nobis eodem modo omnem in voce eadem sensuum diversitatem evitare licet : Christum videlicet, in mundum, hoc est, inter homines venisse ; & mundum, hoc est, homines propter ipsum factos, seu creatos, & mundum, hoc est, homines scilicet majori ex parte (nam à potiori fit denominatio) ipsum non cognovisse.

Nam illud absurdum, quo Trinitarii urgeri dicuntur ; quòd ordinis ratio postulet, ut prius dicatur, quòd mundus à Christo conditus fuerit ; quàm Christus in eum venerit ; nullius ponderis est. Potest enim dici emphaseos rationem eam ordinis crypsin postulasse ; ut ad indignitatem facti ostendendam, quod mundus Christum non cognoverit ; illud proximè collocaretur, & antecederet ; quod *in à Christo conditus fuerit : & tamen Dominum suum non cognoverit.* ut sensus sit : In mundum venit, & quamvis ab eo, aut secundum nostram explicationem propter eum mundus conditus sit : tamen eum non cognovit. Creandi, aut faciendi vocem, mutationem in meliorem statum designare ; inter nos convenit. Non tamen omnis etiam levis, & minimè notabilis in meliorem statum mutatio, creationis novæ nomine digna est. Non igitur nos simpliciter, & absolute, meliorem Angelorum conditionem per Christum factam pernegamus : sed tantum, mutationem eorum conditionis in meliorem non esse tanti, ut ob eam noviter creati dici possint. Sed amicus Censor, dum arguendi nostri ansas avidius captat, in laqueum fallaciæ consequentis, ut vidimus, incidit.

XVI.

SI impuritas stili nostri Censori amico fastidio est, deleat, per nos licet, literam *è* pone particulam *contrà*, collocatam : & ignoscat festinationi scribentium, quibus nec, ad singulos, quas scripsimus, literarum apices recognoscendos, otium ; nec, ad libellam criticæ puritatis unamquamque vocem expendere, consilium erat. Multò minus è *Lexico Nizolii sapere vacabat* ; aut elegantias Laurentii Vallæ consulere, de quo Scaliger alicubi lepide, Boëtium Valla latinè loqui docet : at Vallam Boëtius rectè sapere. Pro quo in alienum stylum grammatico supercilio Censor ab Italis suis ejusmodi epigramma meruit ;

Nunc postquam manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Juppiter hunc cœli dignatus honore juisset
Censorem linguæ ; sed timet ipse suæ.

XVII.

TRanspositio nostri è regno Satanæ in regnum Christi, quia nonnisi per novam creationem perficitur, manifestum est Apostolum Col. 1. 13. ut & in consequentibus (quod & ipsa, quibus utitur, verba indicant) tantum de nova creatione loqui.

Quod autem amicus Censor urget ; *quamvis hoc ita se habeat ; tamen veteris creaturæ mentionem ad rem Apostoli pertinere potuisse* ; id ipsi nullo modo facere integrum est, quin sibi turpiter contradicat ; qui in proximè præcedenti quindecimâ animadversione, hæc verba adversus nos protulit *Ne de eo nunc quicquam dicam ; quod veteris creationis, ubi tantum de nova agitur, intempestiva foret prorsus mentio.*

In laudes, & commendationem Christi effusum esse Apostolum hoc loco non negamus : sed non digrediendo ab illustribus ejus in nova creatione operibus. In quibus tanta messis laudum ejus surgit ; ut eas arcessere à veteri creatione hoc loco minimè opus fuerit.

In posteriori argumento, inquit, *negari potest vocis principii epexegesin esse primogenitum ex mortuis : ut & primogenitum ex mortuis idem esse cum primogenito omnis creaturæ.*

Qua verò fronte hæc negari possunt ? Certe nonnisi perfrictâ. Annon primogenitus est principio genitus ? annon principium hoc loco significat πρωτοτοκια, & in creatione, de qua agitur, primum ? Quemadmodum in diversis Sacræ Scripturæ locis ; locus locum, & quidem planior difficiliorem, ita in eodem Sacræ Scripturæ loco ejusdem Autoris verba, alia verba, & quidem manifestiora explicant, & illustrant obscuriora. De significatione vocis *principii* dubitare Censori liceret, nisi addita fuisset vox, *primogenitus ex mortuis*, de cujus sensu dubitare non licet. Præterea, cum de nova creatione agi aliunde quoque manifestum sit ; vox principii ad novam istam creationem, & regenerationem, per quam è potestate Satanæ in regnum Christi transponimur, ut pertineant, necesse est. Quod autem est principium novæ generationis, seu creationis aliud ; quàm primogenitus hujus Creaturæ ? qui non modò primùm omnium, aut ante omnes genitus, & creatus est *Filius Dei in potentiâ per resurrectionem ex mortuis Rom.* 1. 4. sed ipsi insuper totum novæ istius creationis negotium commissum est ; ut tantò meliori jure principium ejus dici possit ; quia voluntate Dei in omnibus debuit esse πρωτεύων ? Quæ autem alia est novæ creationis consummatio ; nisi Resurrectio ? Primogenitum igitur ex mortuis, primogenitum novæ creaturæ significare necesse est. Hæc tàm liquida, & manifesta, & sua luce sibi invicem claritatem mutuantia ; si quis porrò negare pergat ; ac errori suæ obstinationem addat, dignus est, qui in hujus erroris sui supplicio, quod eadem opera & meretur, & luit, in perpetuum relinquatur. Quod autem aliàs præter eas, quas contrà omnes Gnosticos produximus, communis nostræ sententiæ rationes non attulerimus ; rectè ex verbis nostris Censor amicus rationem reddit, quia id nobis non fuit propositum ; nec omnia, quæ dici possunt, in unum locum coacervanda sunt.

Quod vero culpam nostram arguit, quia unam rationem non omittendam omiserimus, quâ adversariorum quidam ad absurdam sua sententia Arianam opinionem deducuntur, quod Christus sit creaturarum veteris

creationis prima ; fugit eum ratio : quia oblitus est, aut non advertit , nos adversus omnes , qui hic de veteri creatione agi existimant ; quos inter ipse Arius fuit , causam nostram agere proposuisse. Quid igitur insulsius fuisset ; quàm Ario pro absurdo obtrudere id , quod ille verissimum esse arbitrabatur?

Nam cæteræ , quas affert , ratiunculæ levidenses sunt , & quæ longe facilius ; quàm quæ à nobis allatæ sunt , & quidem absque impudentiæ culpâ , eludi possunt. Illam potius non paulò solidiorem attulissimus , quod ex aliis innumeris Sacræ Scripturæ locis pateat , Christum veteris creationis Creatorem esse non potuisse ; nisi id longum visum fuisset ; & ex ipsius loci visceribus petere argumenta maluissemus.

XVIII.

RIdiculè hoc loco Censor arguit ; quod non explicuerimus , neque probaverimus ; quod ipse in eadem animadversione damnat , ac refellit.

Vox ὑστέρημα defectus dici potest ; sed qui nullum vitium connotet. Sed nec Bezæ versionem (quæ forte ad manum non erat) damnamus.

XIX.

HÆc animadversio , (ut pleræque aliæ) est numerus tantum ; & chartam , aut atramentum consumere nata. Nam etsi verum esset , (quod ait Censor) hoc loco disertam reconciliationis gentium cum Judæis mentionem non fieri : quia tamen fatetur eam in hac reconciliatione , de qua diserte loquitur Apostolus , contineri , & ita connexam cum illa ; ut altera absque altera fieri non potuerit: quid causæ esse potuit ; cur ejus explicatio omitteretur? Alibi plerumque Censor à nobis exigit ut omnia , quæ dici possunt , dicamus ; hic nos ad expressa verba textus alligat , nec sinit res inter se ita connexas ; ut altera absque altera fieri non possit , plene , ac distinctè explicare. Quid ejusmodi censura morosius? Sed & fallitur , dum vestigium alterius istius reconciliationis in verbis Apostoli apparere negat. Primum enim Apostolus in genere *reconciliationem omnium* commemorat. *Coloss.* 1. 20. Non igitur ad hoc genus pertinent omnes ejus species? Deinde eodem in versu *reconciliationis in terris* mentionem facit. Tertio *vers.* 25. sese gentium Apostolum non obscurè ostendit , per quod ejus ministerium gentes ad populum Dei accesserunt , & cum populo Judaico coaluerunt. Quartò *vers.* 26. reconciliationem hanc *mysterium* vocat , *absconditum à seculis & generationibus.* Quod mysterium plenius explicat. *Ephes.* III. 3. 4. 5. 6. quod gentes sint cohæredes , & , (pace Nizolianorum ac salva magistrorum reverentia) concorpores , comparticipes promissionum Judæis factarum. Conferat Lector loca ista ; & videbit hoc *mysterii* voce utrobique designari , quod gentes Judæis reconciliandæ fuerint.

XX.

NOn semper omnia dici necesse est , quæ dici possunt. Nos verò isto loco hunc locum communem omisimus , quia alibi à nobis 1. *Cor.* II. satis fusè tractatus est.

XXI.

UT unda undam , ita error errorem trudit , & parvus in principio magnus evadit in fine. Non tamen ideo omnis error gravis , & perniciosus est ; quia omnis etiam levior cavendus est.

XXII.

CRambe toties recocta sine nausea præberi nequit. Et quia , quod ad locum *Matth.* XIX. 28. attinet , nihil affert Censor præter ea , quæ suprà in animadversione septima refutavimus , eò Lectorem remittimus.

In loco *Heb.* XII. , primogenitos in cælis , non sumi propriè ratione temporis , quo geniti sunt ; vel ipse pluralis numerus indicat. Habita enim ratione temporis in generatione non possunt esse plures primogeniti , præter unum omnis novæ creaturæ primogenitum. Dignitatem igitur potius hæc vox significat , non tempus , quo geniti sunt. Et quia reliqui omnes ad istam dignitatem accedere dicuntur , consortes , & comparticipes ejus , hoc est, primogenitos quoque eos fieri necesse est ratione videlicet illius communis eminentiæ , quæ sponsæ Christi assignata est. In qua tamen ratione diversorum (ut ea catachresi utar) meritorum diversos gradus dari non repugnat.

Ad locum *Heb.* II. 5. quod terra futura non Angelis subjecta sit ; sed Christianis , responsio Censoris non frigida modo : sed nulla est. Ait enim id non de jure dominationis ; sed de jure possessionis solum intelligi. Atqui primùm isthic de jure subjectionis expressè Autor loquitur ; quod cum jure dominationis naturâ simul est. Deinde , si isthic tantum de jure possessionis sermo est , Angeli à jure possessionis excludentur. Atqui possessionem hanc possidere etiam Angelos vel ipse Censor confitetur. At non hæreditario jure (objiciet.) Quid igitur est hæreditario jure possidere? Explicat ipse jus hæreditarium esse certissimum , & perpetuum ; ita ut nunquam ex ea possessione hæredes exterminandi sint. Respons. Ergo incerto jure , nec perpetuo Angeli vitam æternam possidebunt ; & ex ejus possessione aliquando exterminari poterunt?

Quid? quod Angelos in ea vita etiam imperium obtinere confitetur , quamvis non sint hæredes. Melior igitur erit inquilinorum , quàm civium , incerti , ac deterioris juris possessorum , quàm hæredum conditio?

Quis nexus scopas tàm dissolutas connectet?

Quod ad locum *Apoc.* II. 26. attinet , Censoris sollertiam , & judicium desideramus. Fatetur isthic tribui fidelibus ἐξουσίαν potestatem ; sed talem , cujus in beata vita nullus futurus sit usus , imo neque locus. quod ipsum probat ; quia hæc potestas , quæ ipsis tribuitur , est potestas extremum supplicium infligendi , per similitudinem confringendorum figuli vasorum adumbrata , noxia impiis , & metuenda , cui tunc non fore locum statuit. Opinor id asseri ideò ; quia nulli futuri sint impii , qui illud metuant. Nam Censor amicus nihil plus addit præter superius dicta. Resp. Examinanda igitur est ratio censoris ; quam affert alibi ; quod tunc nulli futuri sint impii ; qui extremum supplicium metuant.

Metus supplicii duplex est , salubris alter , & culpam supplicii antecedens ; atque adeò tàm culpam ipsam , quàm ejus pœnam avertens. Noxius alter ,

& culpam

& culpam ſubſequens, & ſupplicium quaſi accelerans, quia ipſius ſupplicii initium & pars, & quaſi arrhabo dici poteſt. Hi metus adeo ſunt inter ſe pugnantes; ut natura ſua prior poſteriorem tollere contendat. Salubris enim metus noxium avertit, &, ne nos invadat, efficit; & à timore Dei diſtingui vix poteſt. Quamvis igitur in futuro ævo poſteriori metui locum nullum fore concedamus; non ideo tamen concedemus priori locum non fore. Nec enim futurum ævum, timoris Dei expers futurum, ſomniandum eſt. Et tàm illuſtre, atque in infinita ſecula memorabile Satanæ ſupplicium; atque ipſius mundi, in quo hic perduellis, cæli ſanctioris exul, deliteſcere non contentus, tàm diu indignationem Dei laceſſebat, ac laceſſit, excidium, eam vim habebunt, eoque fine infligenda ſint; ut omnium beatarum mentium animis timor Domini tantò altius infigatur. Quamvis enim amor Dei majorem ipſo metu ejuſdem efficaciam, ad nos ab omni culpâ arcendos, habere videatur; tamen & ipſe amor ſalubris hujus metus plane expers non eſt; ſaltem ne quâ forte is, quem amamus, à nobis offendatur. ut hic quoque locum habeat illud poëtæ,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Et rationalibus creaturis liberum arbitrium in æternum ademptum iri, nullo modo eſt veriſimile, & cum Creatoris gloriæ pugnare videtur. Cujus tamen libertatis occaſione accidit, ut quibuſdam è nobiliſſimis Angelorum amor Dei, ad ipſos à delicto arcendos, minimè profuerit, aut ſuffecerit; quia, nullo adhuc pœnæ exemplo exiſtente, iſto ſalubri metu non ita efficaciter tunc in iis temperatus fuit: quemadmodum in aliis omnibus eum temperatum, vel adjutum fore neceſſe eſt, poſt tàm formidabile, & in ſecula memorandum ſpirituum, & hominum impiorum excidium. Animadvertendum præterea eſt, poteſtatem vitæ, neciſque non eo fine primario, & per ſe à Deo principibus, aut magiſtratibus permitti; ut nocentes occidantur; ſed ne ſint nocentes, neve occidantur, quorum utrumque ille ſalubris metus efficit, qui noxium, ut & ipſa ſupplicia arcet, & excludit. Quod autem præter mentem Dei tamen aliqui nocentes fiant, & occidantur, id fit ex accidenti; quia accidit mentes eorum, qui fiunt nocentes, ipſorummet vitio, & culpâ ità obtenebrari; ut eas ſalubris, de quo diximus, metus efficaciter tangere, ipſiſque prodeſſe non poſſit. Sed quia in futuro ævo, principe, ac poteſtate tenebrarum abolitis; præcipuè præcedente tanti ſupplicii exemplo, vix ulli aut potius nulli mentium cæcitati locus erit; ideò ipſis ſalubris hic metus non prodeſſe non poterit. Imo verò tantam vim habebit, ut vel ob eum ipſum peccare nullo modo poſſe videantur. Quis enim, hinc immanis exitii præcipitio in tàm atroci exemplo ſibi ob oculos poſito, inde guſtata ſupremæ felicitatis dulcedine, poſſit ullo modo malle præſentiſſimum periculum, ne in æternum intercidat, ſuſcipere; quàm cæleſtibus deliciis jugitur in perpetuum perfrui? Nam cæcitati hujus ævi ſuccedet inſignis beatorum mentium illuminatio; quæ in tali optione, ac delectu errare neminem patietur. Poſſunt igitur iſta unâ conſiſtere, ut nec nocentibus, eorumque ſupplicis olim locus ullus eſſe videatur, & tamen ſalubri huic timori, qui ad poteſtatis vitæ, neciſque uſum, ac neceſſitatem ſufficit, locus relinquatur. Imò verò ideò tunc quoque tali poteſtati, non modo in Deo; ſed in omnibus, dependentibus ab eo, Rectoribus locus erit; ut huic ſalubri, de quo loquimur, metui locus ſit; qui unâ cum criminibus noxium illum ſupplicii metum, & ipſa ſupplicia tollat, & avertat. Hæc ſi Cenſor amicus accuratius expenderit, comperiet, quod hîc aries, quo tàm magnificum Chriſti promiſſum *Apoc.* 11. 26. quatit, & oppugnat,

Nil niſi truncus erit ficulnus, inutile lignum.

In locis *Gal.* IV. 1. *&* 1. *Cor.* XV. allegandis, non id propoſitum habuimus, ut ex iis aliqua argumenta, ad probandum ipſum, de quo agimus, προσώπων, promerimus; cum copia eorum aliunde affluereet: ſed ut voces dominationis, & potentiæ fidelibus in Sacris literis attribui oſtenderemus.

XXIII.

VOx Κύριοι, *dignitates* 2. *Pet.* 11., & *Jud.* 8. quid eminentiæ habeat præ vocibus ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, καὶ δυνάμεις *imperia, poteſtates, ac virtutes* nondum diſpicere potuimus; quominus æque, ut iſtæ Satanæ regno tribui poſſint. Et impuri Spiritus, ſicuti mundus, & improbi Magiſtratus δόξαν id eſt gloriam ſuam habent *Matth.* IV. 8. Sed hæc gloria eadem catachreſi ipſis tribuitur, aut tribui poteſt, quâ Satanas hujus mundi, aut ſæculi Deus; aut venter quorundam Deus dicitur.

XXIV.

SCripto huic noſtro titulum *Cogitationum* eo conſilio dedimus, ne quis Lectorum putaret, nos in iis plenam, & cui nihil addi poſſet Sacrorum librorum explicationem polliceri.

Proinde iniquum eſt, toties cenſuræ animadverſionem in nos extendi, quoties forte uſpiam, quod dici poterat, omiſimus. Poſſunt igitur iſta, quæ Cenſor amicus hoc loco differit, vera eſſe, etiamſi nos nullam culpæ noſtræ notam mereamur.

XXV.

IN explicatione verſus novendecimi non eſt tautologia; ſed ſcripturæ mendum: quod irrepſit, quia Scriptor, deſcribendi forte tædio fatigatus, in longiore periodo vocem vitæ, jam ſuprà poſitam eſſe oblitus, imprudens repetiit. Sed an iſtud σφυλαξω abſque impoſita cauſæ eò nomine dicendæ neceſſitate corrigi non potuit? Cauſam igitur dicat ipſe Cenſor, quòd in animadverſione 21. ſcripſit rationem munerum, quæ in Eccleſia *Suſtinerunt* pro ſuſtinuerunt. An verbi ſuſtineo præteritum perfectum eſt *ſuſtini*, quemadmodum verbi *Lego*, *Legi*?

XXVI.

QUa occaſione dictum ſit à nobis *præceptiones vel interdicta eſſe in corruptionem ipſo uſu*, non ſuccurrit, quia ſcriptum noſtrum in itinere ad manus non habemus. ipſe tamen Cenſor teſtis eſt, nos hunc noſtrum loquendi modum ſic explicare; ut ipſe textum Sacræ Scripturæ explicandum cenſet. Videlicet quia id de rebus iſtis, circa quas verſantur, dici poteſt. Nunquam igitur metonymiæ ſubjecti abſque piaculo locus eſt? Quod attinet ad verba *ne tetigeris*, *ne contrectaveris*, diſtinguere inter ea, quorum ſenſus cuivis obvius eſt, puerile cenſuimus. aliud enim eſt tangere leviter, aliud contrectare diligentius.

XXVII.

EXplicationem noſtram *verſus* 28. cui diſplicet, rejicere integrum eſt; quoniam nemini mordicus obtruditur. Nobis quoque ſimpliciſſimus difficillimi cujuſque loci ſenſus magis præ cæteris arridet; & arrideret, etiamſi à primo inventore Cenſore noſtro proficiſceretur; nec tantorum nominum, *Grotii*, & *Crellii* auctoritate niteretur.

XXVIII.

DUm imitationem Chriſti, in renovatione vitæ noſtræ; varias vitæ, ac ſtatus mortalium vocationes non tollere diximus; vocationes honeſtas, & generi humano utiles, aut neceſſarias intelleximus, præcipuè verò ipſius Dei ordinationes, in quibus ei miniſterium præſtatur. Cujus miniſterium (de propriè dicto loquimur) cum crudelitate conjunctum eſſe, ſine blaſphemia dici nequit.

De imitatione Chriſti ita ſentiendum eſt; eum in moribus, & virtutum cæleſtium operibus imitandum; quæ in omnibus honeſtis, & à Deo ipſo, (qui & ipſe nobis imitandus proponitur) approbatis, imò ordinatis vitæ generibus locum habent. Cæterum imitationem Chriſti, ad eligendum, aut fugiendum tale vitæ genus, de quo loquimur, nihil pertinere cenſemus; quia vocatio, & vitæ genus Chriſti fuit peculiare, & extraordinarium, neque cuivis imitabile.

Quod autem actionum noſtrarum, & tàm faciendorum, quàm omittendorum primaria norma ſint leges Chriſti; ſive per ipſum, ſive per Apoſtolos traditæ; ita ut, quicquid legibus Chriſti permittitur, etſi ejus in Chriſti vita nullum ſit exemplum; non poſſit haberi pro illicito; in eo Cenſori amico plane aſſentimur. Sed ſubſumimus id, quod in eodem Legum iſtarum Codice non dico permittitur; ſed laudatur quoque, & commendatur, ac miniſterium Dei vocatur; non poſſe legibus iiſdem impermiſſum videri. Nemo enim Deo in illicitis miniſterium præſtare poteſt; quemadmodum & ea, in quibus ipſi miniſterium propriè dictum, & ad eundem ſcopum, quem Deus ipſe reſpicit, directum præſtatur, nullo modo illicita dici queunt.

Magiſtratum in lege Chriſti nullo expreſſo gaudere privilegio, dici nequit; quia *Rom.* XIII. ab Apoſtolo Paulo poteſtas ejus ſancitur; & expreſſe à Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti ordinatus eſſe dicitur; adeò ut ipſi, non propter metum; ſed propter conſcientiam quoque parendum ſit. Quid expreſſius verbis, quibus hæc doctrina ab Apoſtolo traditur, fingi poteſt?

Ordinationi Dei; quæ ſub Novo Fœdere ab Apoſtolo ſancitur, Legem Chriſti multis ex partibus eſſe contrariam, qui dicit; Ordinationes Chriſti cum Ordinationibus Dei collidit. quod an fas, & licitum ſit, ipſe Cenſor, aut ſi is, ut ſolet, oculos ad hanc lucem claudat, Lector æquus viderit.

Quæſtio an Chriſtus aliquomodo dici poſſit magiſtratus, ſcilicet impropriè dictus; licet propriè dicto Magiſtratu longè nobilior, atque divinior, nihil habet dubii, quin pro affirmativa parte tutò decidatur. Sed non facit ad propoſitum, in quo de proprie dicto ſermo eſt; quando Chriſtus magiſtratus fuiſſe negatur, reſpectu videlicet forenſis illius, & coactivi magiſtratus. Ergo hæc μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, *tranſitio ad aliud genus*, manifeſtam æquivocationem continet. Regem enim fuiſſe Chriſtum confitemur; ſed ſpiritualem; cujus regnum non erat ex hoc mundo: neque coactivâ poteſtate regebatur; quali Moſes gubernavit ſubjectum ſibi populum; ſed precariâ, quæ vim omnem, & coactionem reſpuit. Sed eundem Chriſtum Regem fuiſſe terrenum negamus, quia ſe privatum ubique geſſit, & oſtendit; nec ullam regiminis, & poteſtatis terrenæ partem attingere voluit; adeo ut herciſcundæ quoque inter fratres hæreditatis arbitrium recuſaverit. At ipſe Chriſtus expreſſiſſimis verbis terrenis regibus bella, ob defenſionem ſui ſuſcepta, permiſit, dum ait ſeſe, ſi terrenus Rex fuiſſet, miniſtrorum ſuorum armis adverſus Judæos defendendum fuiſſe. Non igitur ex verbis, aut factis Chriſti id quod Cenſor vult: ſed potiùs contrarium colligi poteſt, hoc eſt, ea terrenis Chriſtianorum Magiſtratibus eſſe permiſſa; quæ Chriſtus miniſtros ſuos (qui tunc non alii erant præter eos, quorum erat Dominus, diſcipulos ejus à nutu Chriſti pendentes) facturos fuiſſe aſſerit, ſi terrenus ipſe Rex, aut Magiſtratus fuiſſet.

XXIX.

DE epiſtola (quam à Paulo ad Laodicenſes miſſam, apud illos aſſervatam, & cum ejus legendæ copia Coloſſenſibus fieri debebat, à Laodicenſibus requirendam fuiſſe, nunquam dubitavimus) ideò nihil ſcripſimus, quod vix putaremus fieri poſſe, ut quiſquam in re tàm plana, & facili, ſuperfluas difficultates necteret. Epiſtolam igitur τὴν ἐκ Λαοδικείας non à Laodicenſibus ſcriptam, ſed à Laodicenſibus, ut ejus legendæ copiam facerent, poſtulandum, interpretamur.

FINIS.

IN

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES PRIMAM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

Vers. 1. Describit Ecclesiam Thessalonicensem quod sit cœtus hominum *In Deo patre & Domino Jesu Christo.* scilicet constitutus & fundatus, & qui ab istis duabus divinis personis planè dependeat, atque omnem felicitatem expectet. quod ideò præmisisse videtur, ut isti Ecclesiæ ab iisdem divinis personis felicitatem omnem (quam per *gratiam & pacem designat)* precaretur.

Vocat autem Deum, Patrem, non modo quod peculiari ac nobiliori modo, sit Pater Domini nostri Jesu Christi: sed quia & nostrum quoque omnium communis Pater sit (quod disertè exprimit) per eundem Dominum nostrum, hoc est, quòd nobis per dilectum istum filium suum, amantissimi Patris affectum & beneficia obtulerit ac dederit: ac porrò quoque offerre & dare non desinat.

Non sola ista epistola est, quam Paulus non suo tantum; sed aliorum quoque nomine scripsit. Nam & in prima ad Corinthios nomini suo nomen Sosthenis fratris, & in epistola ad Philippenses Timothei, & in epistola ad Philemonem ejusdem Timothei, nomen adjungit: verum ita in omnibus istis tribus, ut statim in singulari numero nomine suo, eos, ad quos scribit, alloquatur, quemadmodum & ad Galatas multorum fratrum, hoc est, omnium qui sibi præsentes aderant, nomine scribere se professus, statim eos *vers.* 6. singulari numero alloquitur. Porro in Epistola quoque ad Corinthios secunda suo, & Timothei nomine scribit; quemadmodum in Epistola ad Colossenses: sed cum plurali numero eos alloqui cæpisset, utrobique primo statim capite ad singularem numerum sermonem deflectit. Utraque autem ad Thessalonicenses Pauli, Sylvani, & Timothei nomine inscripta est, in quibus ambabus fere Apostolus, si paucissima primæ Epistolæ loca excipias, (*Cap:* II. 18., *Cap.* III. 5., & ubi mysterium resurrectionis revelat *Cap.* IV. 13.) plurali numero quasi nomine omnium Thessalonicenses compellare videtur.

Non dubito etiam Sylvanum hunc, cujus nomen tanquam senioris & honoratioris nomini Timothei præmittitur; esse illum *Silam*, (cujus, sicuti & Saulis, nomen in familiariorem Romanis auribus sonum mutatum est) qui Hierosolymis olim missus Antiochiam, postea adhæsit Paulo prædicationis ejus comes per Syriam, Ciliciam (*Act.* XV. 40.) Asiam, Macedoniam, Achaiam. (vide *Act.* XVII. 14. 15.) ita ut ipsa Actorum historia subscriptioni utriusque epistolæ fidem faciat in eo, quod utraque ex Græcia missa sit Thessalonicam. Nisi quod de Athenis aliquid dubitationis suboritur ex actis Apostolicis, ubi legimus, quod cum Paulus, statim ut Athenas pervenit, per eosdem, qui ipsum eò perduxerant, accersierit ad se Silam & Timotheum, ut quam primùm (ὡς τάχιστα) ad eum venirent (*Act.* XVII. 15.) mox *Cap.* XVIII. 5. dici videtur ipsos eum Corinthi demum assecutos esse. Fieri potest utramque epistolam non Athenis, sed Corinthio missam esse, ubi integrum sesquiannum Apostolus commoratus est. Nec verisimile est, eum tanto temporis spatio illic hærentem, Neophytos in Ecclesia Macedones frequentibus nunciis, & literis de propinquo (nec enim nimium longe aberant) non compellasse.

Quanquam, ne temere subscriptionum fides vocetur in dubium, non video cur verba versus quinti *Actor.* XVIII. non possint explicari, quasi posita sint ὕστερον πρότερον; non quod Corinthi demum Paulum assecuti sint isti fratres: sed quia tunc post adventum suum ex Macedonia Corinthi cum illo fuerint; tametsi prius Athenas, præsente isthic adhuc Paulo, quàm Corinthum venerint. Nec desunt in eodem capite ejusmodi figuratæ transpositionis temporum vestigia, & exempla. Cum enim prius Lucas adductionem Pauli ad Tribunal Gallionis narrare debuisset, quàm spatium illud temporis, quo commoratus est Corinthi; legimus prius finem, ac terminum commorationis Pauli illa in urbe commemoratum esse *vers.* 11. cum sequentibus septem versibus narrentur, quæ ante eum finem, & multis quidem diebus (*vers.* 18.) gesta sunt. Ita *vers.* 19. Aquilam; & Priscillam reliquisse Paulus Ephesi dicitur, tanquam jam inde discessissent; cum tamen tribus post versibus narrentur ea, quæ ante suum illinc discessum fecerat. Quid igitur causæ est, cur non eodem modo, & exemplo Lucas *Actor.* XVIII. 1., *& seq.* Pauli discessum Athenis prius narrare potuerit, quàm adventus Sylæ, & Timothei mentionem fecisset; quamvis horum adventus discessum Pauli præcessisset. Sed de his plus satis.

Vers. 2. Epistolæ hujus duæ sunt partes. Altera, qua Thessalonicensium animi præparantur ad recipienda monita, & præcepta Apostolica; altera, in qua ipsa monita, ac præcepta traduntur. Quarum prior tria priora capita occupat, posterior duobus postremis continetur.

Præparationem animorum Paulus inchoat à laudibus, & commendatione eorum, ad quos scribit. Nulla enim re magis conciliantur animi hominum, atque adeo animantur, & excitantur ad aliquid capessen-

pessendum, quam laudum stimulis; cum laudata virtus

Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Laudes vero istas more suo inchoat à gratiis Deo agendis, cui soli tribuendum, & acceptum ferendum est, quicquid in nobis boni deprehenditur. Is enim est unus, qui in nobis efficaciter operatur, per spiritum suum, atque dat non solum velle, & ardenter conari: sed etiam efficaciter exequi, & cum successu perficere (*Phil.* II. 13.) pro beneplacito suo; quo magis excitemur ad magis anxium, & vigilans obsequium spiritus; atque excussa omni securitate, quò circumspectius incumbamus negotio salutis nostræ.

Eandem animorum præparationem miro quodam artificio exequitur, tacite ponens ob oculos eorum ardens studium suum, & affectum caritatis, quo erga eos flagrabat; *perpetuo* (πάντοτε) *& indesinenter* (ἀδιαλείπτως) preces, gratiis agendis mixtas, pro iis fundens ad Deum. In quo sane tanquam aliud agens ostendit, illud quicquid boni, & laude digni in illis gratuito Dei dono, ac beneficio reperiretur, iisis quoque precibus, suæque erga illos singulari caritati deberi, quo majorem apud ipsos monitis, & exhortationibus suis fidem, & auctoritatem conciliaret.

Mentio enim ista Thessalonicensium in precibus Pauli sine omni dubio, non solum gratiarum actionem pro collatis: sed etiam ardentem intercessionem, & preces pro conferendis in eos Dei beneficiis, continebat.

Vers. 3. Porro Laudes istas eorum, quorum mentionem in precibus non omittebat, tribus quasi capitibus breviter comprehendit, omnem religionis Christianæ summam implentibus; qualia sunt. Primum, *Opus fidei*, ἔργου πίστεως. Secundum, κόπου ἀγάπης, *Labor* (& quidem molestus) *caritatis*. Tertium, *Patientia Spei Jesu Christi Domini nostri coram Deo* ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ κυρίου ἡμῶν. Omnia, quo laude digniora, eo difficiliora, & quæ sine ope divinitus impetranda præstari nequeunt. Nec enim nudam fidem, aut mortuam; sed operibus suis animatam, & in vita, moribusque eorum elucentem per *Opus fidei* intelligit. Deinde non illam fucatam, & ineffacem caritatem, qualem *Jacobus cap.* II. 15, & 16. & *Joh. cap.* III. 17. describit; aut quæ tantum sermone, & lingua (*Joh.* III. 18.) quam falsam esse ibidem non obscure innuit; sed quæ opere, & veritate exercetur, intelligit. Opere autem arduo, ac difficili. Κόπος enim laborem, & quidem molestum significat. Denique non tenuem aliquam, & imbellem spem: sed spectatæ jam, & expertæ firmitatis, multis tentationibus oppugnatam, inconcussam, & stabilem; quam ideo *patientiam spei Domini nostri Jesu Christi* vocat, hoc est, longanimem illam, & nulla diuturnæ expectationis mora, aut incidentibus tentationibus concussam spem, qualis olim in Domino nostro eluxit, describit.

Vers. 4. *Scientes, aut potius videntes, fratres dilecti à Deo, electionem vestram.* Vox enim εἰδότες hoc loco ejusmodi scientiam, aut perceptionem significat, quæ recenti experimento, & quasi deprehensione animadversa est. Ut enim infra ex capite tertio discimus, Paulus anxius de Thessalonicensium, quibus imminentem persecutionem prædixerat, statu, miserat Athenis ad eos Timotheum [unde confirmatur id, quod supra diximus, Silam, & Timotheum ad Paulum, Athenis adhuc hærentem, venisse] ut exploraret fidem eorum, simulque eos consolaretur, & confirmaret. A quo reverso lætum istum nuntium accepit, de fide eorum inconcussa, pro qua gratias agit Deo. Porro vox *electionis* ἐκλογῆς non uno modo in Sacro Sanctis literis intelligitur. Aliquando enim pro simplici vocatione sumitur; interdum ipsi externæ vocationi opponitur, ut cum dicuntur multi esse vocati, pauci electi. Quo posteriori sensu hic quoque accipi videtur. Opponitur enim *vers.* 5., & 6. receptio Evangelii, quæ *sit in sermone duntaxat*, & externis signis; receptioni ejusdem, quæ *sit in potentia, in Spiritu Sancto, in multa fiducia*, πληροφορίᾳ.

Vers. 5. Sed, ut ejusmodi receptio prædicati Evangelii melius exprimi posset, prædicatio prius ejusdem, qualis ab Apostolo facta erat, suis coloribus *vers.* 5. depingitur. Quod non in solo, & nudo sermone fuerit; sed vivo sermone, & efficaci nescio quâ vi, & potentia animato; qualem Spiritus Sanctus iis, qui ex animo, & flagrantes zelo Dei, prædicant, suppeditare solet; & in multa plerophoria, hoc est, fiducia animi, in suo sensu abundantes. Quod testimonio ipsorum Thessalonicensium confirmatur, *Sicut scitis*, inquit, *quales fuerimus in vobis propter vos*, hoc est, propter vestrum bonum ardentes desiderio navandæ vobis operæ (NB. usum particulæ ἀλλὰ pro propter.)

Mox *vers.* 6. ipsis Thessalonicensibus, prædicatum à Paulo Evangelium dignè recipientibus, eadem colorum lineamenta tribuuntur; *quòd imitatores Pauli, atque adeo ipsius Domini fuerint, recipientes sermonem* (prædicati Evangelii) *in multa afflictione, cum gaudio Spiritus Sancti.* Quia enim regnum Dei non est in sermone: sed in potentia, 1 Cor. IV. 20. quemadmodum prædicantes veritatem eam per efficacem quandam vim, & potentiam Spiritus Sancti, & plerophoriam prædicare debent; ita audientes, ac recipientes eam velle imitari in istis donis prædicantes (quæ Deus opem suam implorantibus denegare non solet) & in eorum sensus quasi transire debent. Peculiaris tamen in eo Pauli, atque adeo ipsius Christi imitatio in Thessalonicensibus eluxit, quod in multa afflictione, (quæ tamen gaudium Spiritus Sancti non extinxit) sermonem Dei receperint.

Unde *vers.* 7. asserit, præluxisse eos suo exemplo omnibus in Macedonia, & Achaia credentibus; & *vers.* 8. quod ab iis exierit sermo Domini, non solum in Macedonia, & Achaia; sed in omni loco fides eorum percrebuerit, adeo ut commendatione, & elogio Apostoli non indigerent. cum *vers.* 9. ipsi illi, ad quos fama conversionis Thessalonicensium permanavit, satis deprædicare nequeant virtutem, ac fidem eorum, qui Pauli ærumnis, & persecutionibus nihil absterriti, ejus doctrinam, & prædicationem obviis ulnis exceperint, *& ab idolis ad serviendum Deo viventi, & vero* (inanimis, & falsis Diis vivum, ac verum opponit) *conversi sunt; simul ad expectandum Filium ejus ex cœlis, quem excitavit Deus à mortuis, Jesum, qui nos eripiet ab ira ventura.*

Obiter notandum, quomodo servire debeamus Deo Viventi, & Vero, nimirum *expectando Filium ejus ex cœlis, Jesum, qui nos eripiet ab ira ventura.* Quibus in verbis aperte quidem patientia illa spei Domini nostri Jesu Christi exprimitur. Multa enim patientia opus est ad expectandam, dilatam in tantum seculorum spatium, mercedis nostræ repræsentationem. Sed tacite *opus etiam fidei, & labor caritatis* comprehenditur, quia nemo potest sibi liberationem istam, & *eruptionem ab ira ventura*, hoc est, morte æterna, polliceri, nisi fidem suam operibus sanctimoniæ, & habitu caritatis testetur, & exerat. Quamvis & apertè præcipuum Fidei nostræ, atque adeo spei columen, & fulcrum attingitur, quo utraque virtutum istarum unice sustentatur, quod

quod Jesus iste Liberator noster, Sponsus, & caput Ecclesiæ, in qua sumus, jam sit excitatus à mortuis, & exaltatus.

Antequam ex hoc loco digrediamur, eximendus est nobis scrupulus, qui mentibus aliquorum hærere possit, cur Apostolus fidem Thessalonicensium hoc loco tantopere commendet, cum Lucas *Act.* XVII. 11. *Beræenses Macedonas generosiores Thessalonicensibus fuisse asserat, & qui promptiori animo sermonem Dei receperint, examinantes quottidie Scripturas.* Cæterum animadvertendum est, Lucam dicto loco de Thessalonicensibus quidem loqui; sed nequaquam ad Christum conversis. De Judæis, inquam, qui concitata seditione Paulum Thessalonica primùm, deo inde ex ipsa Berræa exegerunt. Dicit enim *vers.* 10. eos, quamprimùm Berræam venissent, sese in Synagogam Judæorum contulisse; ac de iis statim subjecit, quod generosiores Judæis Thessalonicensibus fuerint, causam addens, quod scrutarentur Scripturam, explorantes an quæ ab Apostolo dicebantur, ita se haberent; quod de gentibus Sacræ Scripturæ ignaris, & expertibus dici non potuit. Præterea *vers.* 12. expresse dicit Lucas, multos ex istis (puta Judæis) credidisse, & (oppositè ad Judæos) Græcorum etiam utriusque sexus non paucos.

CAPUT II.

QUia, ut melius depingere posset Apostolus Thessalonicensium in receptione Evangelii virtutem, & illam εκλογὴν, *electionem*, cujus *(cap.* 1. 4.) mentionem facit, & pro qua Deo gratias agere voluit, ponere ob oculos prædicationis suæ lineamenta cæperat: ideo pressius in hoc argumento inhæret, ut animos eorum simul ad præsentis doctrinæ, & monitorum suorum receptionem præparet, conciliata prædicationi suæ fide, sibique apud eos gratia, & auctoritate.

Testes igitur eos iterato citat prædicationis suæ, quam apud eos *ingressus* fuerat, revocans in memoriam, quam non *vanus*, & inanis ipsius in primo ad eos adventu conatus in prædicando Evangelio fuerit, hoc est, quam alienus ab omni *impostura vers.* 3. (πλάνη) *dolo*, aut *impuritate*, præterea ab omni adulatione, ab omni avaritia, & pessimo veri affectus veneno, sua propria utilitate quærenda; denique quàm alienus ab omni ambitione, & gloria, sive apud ipsos, sive apud alios venanda fuerit; quæ vulgo causæ vanæ, & falsæ doctrinæ, & prædicationis esse solent. Contra vero quam verus, purus, syncerus, ac solius Dei causa susceptus, ejusque voluntati soli accommodatus, ac ipsorum Thessalonicensium amore flagrans ejus affectus, conatusque in prædicando ipsis Evangelio fuerit.

Demonstrat id primum *vers.* 2., quòd plurima propter prædicationem mala, & contumelias perpessus (ubi Philippensem persecutionem, *Act.* XVI. 19., & sequentibus descriptam, expresse tangit) non tamen absterritus fuerit tot ærumnis, quin Thessalonicensibus Evangelium prædicaret, & quidem non desinente afflictionum agone, atque certamine: quod feciisse se ostendit solo Dei gloriæ studio, & Thessalonicensium salutis desiderio. Quemadmodum enim *(vers.* 4.) præteritis multis aliis electus erat ad tàm præstantis officii munus, ut sibi prædicandi gentibus Evangelii functio concrederetur (quamvis id etiam cooperariorum suorum nomine loqui videatur) ita se neglecta hominibus placendi cura, soli Deo, qui cor ipsius scrutari posset, placere, ac satisfacere connixum esse. Quem etiam *(vers.* 5.) testem apellat, quod nihil suum in hac prædicatione quæsierit; non impuram aliquam carnis delectationem *(vers.* 3.) non vanam aliquam *(vers.* 4.) hominibus complacentiam, aut assentationem; non ullam avari animi escam *(vers.* 5.) aut emolumentum; non ambitionem, & gloriam *(vers.* 6.) apud ipsos, vel alios venaretur; sed solam Dei gloriam, & salutem Thessalonicensium, quos tanta caritate prosequeretur, ut animam suam, hoc est, vitam pro ipsis ponere paratus esset. Id autem probat insigni abstinentiæ suæ specimine; quòd, cum potuerit ipsis esse oneri, sumptu ipsorum vivens more aliorum Christi Apostolorum, quibus ista non indigna opere ipsorum merces debebatur; tamen maluerit de isto jure suo decedere, ejusmodi affectu erga eos utens, quali nutrices fovent suos infantes *(vers.* 7.) aut parentes suos liberos (infra *vers.* 11.) Utitur autem in isto facto suo exprimendo voce ἤπιος, quæ *placidum & mitem* sonat, quia tales in omittendo jure suo non difficiles esse solent; præsertim erga eos, quos multum amant, sicuti nutrices alumnos, aut parentes liberat. Quem affectum, & amorem suum, ut melius animis eorum imprimat; revocat ipsis in memoriam labores, & molestias, quas nocte, dieque susceperit, interdiu quidem prædicando Evangelio, noctu autem in victu sibi comparando, dum absque ulla ipsorum aggravatione negotium eorum ageret.

Meritò igitur concludit & Deum, & ipsos testes esse posse, quam sancte, quam juste, & irreprehensibiliter in instillanda ipsis fide, ac religione se gesserit; non modo adversus universos; *vers.* 12. sed erga singulos eorum paterna quadam cura in illis monendis, instruendis, consolandis defungens; nec omittens *(vers.* 12.) quicquam eorum, quæ eos excitare poterant ad vitam, tam beatâ, tam gloriosâ vocatione Dei, adeoque Deo ipso dignam, vivendam. Quod igitur tot exhausti ab ipso labores irriti non fuerint, merito gratias sese agere Deo indesinenter profitetur, quia sermonem Dei, & cognitionem doctrinæ cælestis receperint, non tanquam sermonem hominum, aut doctrinam ab ingenio humano profectam: sed tanquam sermonem Dei ipsius, verè per Spiritum suum loquentis; qui & efficaciter operaretur in ipsis credentibus (*vers.* 13.) Cujus efficatiæ specimen erat, atque documentum quod Thessalonicenses facti sint imitatores, non modo ipsius Apostoli, atque adeo Christi (quod supra *Cap.* 1. 6. ostenderat) sed etiam Ecclesiarum Dei, quæ Christi doctrinam in Judæa receperant (*vers.* 14.) quod eadem passi sint Thessalonicæ à suis tribulibus (à Judæis videlicet concitatis, vide *Act.* XVII. 5.) & concivibus, quæ in Palæstina Christiani à Judæis suis popularibus.

In cujus gentis mores, atque pravitatem obiter invehitur, ostendens quantis sceleribus iram Dei provocaverint, & porro provocare non desinant; qui non modo Prophetas suos, sed ipsum Dominum Jesum trucidaverint; nec eo contenti discipulos ejus persecuti fuerint, & ubique terrarum persequantur; non modo officii sui erga Deum immemores, eaque perpetuo consectantes, quæ Deo displicent: sed etiam in omnes alios homines, in omnes gentes injurii, atque iniqui, ac saluti ipsorum æternæ adversantes; dum impediunt Apostolos, ne gentes doctrina, ac religione cælesti, atque adeo cognitione Dei imbuant. Quibus facinoribus cumulos peccatorum suorum coacervent perpetuò, *quia pervenit ad eos ira usque ad finem vers.* 16. hoc est, quia jam à Deo plane derelicti; & in reprobum sensum traditi, &, tanquam victima impendentibus suppliciis devota, in exemplum pœnæ cæteris formidandæ, damnati, ac reservati sunt.

Redit postea ad ostendendum flagrantem affectum,

& amorem ſuum erga eos; dum narrat, quàm ægre eos, quamvis ad tempus, & corpore quidem tantum, non etiam corde reliquerit, in explicando iſto diſceſſu uſus verbo ἀπορφανισθέντες, quod ſignificat dolorem eorum, qui ab amicis, aut neceſſariis, quorum ope indigent, cum damno irreparabili divelluntur. Narrat poſtea, eodem *verſ.* 17., quanto eorum poſt abitum ſuum flagrarit deſiderio, enixe cupiens ad eos reverti, atque eorum præſentia frui; idque ſemel, atque iterum tentaverit ſucceſſu irrito, quod eum impediverit Satanas. *verſ.* 18.

Ubi obſervandum quantum Deus permittat Satanæ, qui etiam optima quæque cæpta, ac deſtinata tantorum Apoſtolorum, tanta vi Spiritus Dei armatorum, diſturbare potuerit; ut mirari liceat, quî fieret quod is, qui quoties miraculi patrandi occaſio Apoſtolis oblata eſt, ad nutum, & imperium eorum, deſerere obſeſſa hominum corpora cogebatur; tantum haberet potentiæ, ut eorum cæpta laudabilia impediret. Cæterum illud firmiter tenendum eſt, ut virtuti, ac fidei noſtræ locus pateat, præterea ut ad tanto vehementius, idque continuum, atque perpetuum precum ſtudium incitemur, Satanæ permiſſu Dei in tentandis nobis plurima licere; nec ullum eſſe hominem tàm ſanctum, cujus cogitationes, conſilia, ſermones, & ſeu cæpta, ſive conſummata facta per varias Satanæ artes non aut à recto, ac virtute repellantur; aut ad prava, ac vitioſa deflectantur. Eo intentiùs vigilandum, & perpetuæ agendæ excubiæ ſunt. Quod ſi ipſam mentem noſtram, ejuſque proximas, & internas actiones ictibus ejuſmodi, atque ignitis telis patere Deus voluit; quid miremur in externis actionibus, earumque circumſtantiis non pauca Satanæ permiſſa, quibus nos aggredi, oppugnare, atque omni certaminis genere exercere poſſit? Quantum ad miraculorum poteſtatem in Apoſtolis, aliiſque idem ille Spiritus, miraculorum opifex, extraordinario impulſu, atque inſtinctu admonebat viros ſanctos, quando eâ poteſtate utendum eſſet. nec ordinaria erat iſta in Chriſti fidelibus poteſtas Satanam ad libita ſua cogendi.

Notandum & illud, Apoſtolum hucuſque nomine omnium locutum videri, eò quod *verſ.* 18. ſeipſum quaſi ab aliis in parentheſi diſtinguat (ἐγὼ μὲν Παῦλος *ego quidem Paulus.*)

Reddit autem rationem *verſ.* 19., cur tanto videndi eos ſtudio teneretur, quia ipſi eſſent *ſpes, gaudium, corona gloriationis ejus.* Et ſpes quidem, reſpectu illius futuræ laudis, quam coram Domino in adventu ejus reportaturus erat. ex tanto, ac tam uberi laborum fructu. *Corona gloriationis*, hoc eſt, gloria, qua non modo in futurum; ſed etiam in præſens frui, atque gloriari poterat: quorum utrumque ſine maximo Apoſtoli gaudio eſſe non poterat.

CAPUT III.

CUm autem ob impedimentum Satanæ tentatum ad eos reditum exequi non poſſet Apoſtolus, impar ſuſtinendo diutius eorum deſiderio (μηκέτι στέγοντες, *nos non amplius continentes*, quod & infra *verſ.* 5. repetit) vim ſibi quandam intulit, ut, miſſo ad eos Timotheo, ſolus Athenis relinqueretur. Legimus enim in actis *cap.* XVII., Paulum tædio ejuſmodi ſolicitudinis per Fratres, qui eum Berræâ Athenas deduxerant, ſedulo accerſiviſſe ad ſe Sylam, atque Timotheum, qui Berrææ remanſerant, ut quamprimum venirent. Quos, aut certe alterum eorum, Timotheum ſcilicet, ſtatim ad Paulum Athenas veniſſe ex hoc loco liquet. Nam Sylvanus utrum ſtatim venerit, incertum eſt; niſi quod eum etiam ante iſtam Epiſtolam ſcriptam, veniſſe credibile eſt, imo vero neceſſarium, ſi modo, ut adjectæ ad calcem inſcriptiones teſtantur, Athenis iſta epiſtola ſcripta eſt. Sed & verba *relictum eſſe Athenis ſolum*, etiam Sylvanum comprehendere poſſunt, ut, tertio miſſo, duo ſoli relicti dici *verſ.* 2. videantur. Miſſum igitur ad eos Timotheum, ait, fratrem, ſervum Dei, cooperarium in Evangelio Chriſti, ut eos confirmaret, & conſolaretur in fide, aut circa fidem; ne afflictionibus, quæ tunc forte in eos ſæviebant, concuterentur (*verſ.* 3.) Duas autem rationes affert, ob quas Chriſtiani afflictionibus percelli non debeant. Prima eſt, quod hæc ſit eorum vocatio. *Ipſi ſcitis*, inquit, *quod in hoc poſiti ſumus* εἰς τοῦτο κείμεθα, hoc eſt, ad eam rem deſtinati, ad hoc certamen obeundum deſignati. Altera eſt, quod ipſis hoc ſæpius à Spiritu Sancto prædictum ſit; adeò ut toties de *verſ.* 4. eo præmoniti, ad ſuſtinendum parati eſſe debeant. quemadmodum & Paulus ait hoc loco ſeſe, cum adhuc Theſſalonicæ eſſet, ea; quæ poſt iſthic acciderunt, ipſis prædixiſſe.

Ejuſmodi igitur tentationum procellis, ne noxiè obruerentur Theſſalonicenſes, *verſ.* 5. miſſum ad eos Timotheum ait, ut exploraret fidem eorum, ne forte tentaret eos ὁ πειράζων *Tentator.* (Notandum elogium Satanæ participium ſubſtantive poſitum, quemadmodum alibi adjectivum, πονηρὸν, *Malus.*) ac proinde ne in irritum caderet labor Pauli. Quæ verba adjecta oſtendunt vocem ἐπείρασεν, tentavit non de nuda ſed de efficaci, & ſcopum ſuum aſſecuta tentatione Apoſtolum loqui *verſ.* 6. Reverſus igitur ad Paulum Timotheus, quod lætum ipſi attulerit nuncium εὐαγγελισαμένου, de fide, & caritate eorum, quodque, Pauli memores, frequentem, & non ingratam ejus mentionem facerent, nec minori ejus ſalutandi, quam ipſe eorum videndorum, deſiderio tenerentur; (*verſ.* 7.) magnam inde conſolationem, ac levamen omnium afflictionum, ac neceſſitatum, vel anguſtiarum ſuarum ſe cæpiſſe aſſerit; & lætitia exultans, ac triumphabundus, (*verſ.* 8.) *nunc demum ſe vivere*, ait, *quando eos firmos in fide Chriſti ſtare audierit.* (*Verſ.* 9.) Tunc demum effuſus in gratiarum actione Deo, qua initio Epiſtolæ auſpicatus erat, non poſſe ſe ſatis exprimere grati animi affectum innuit pro tanto in eos ſimul, atque ſeſe collato beneficio, quod ipſi tantam gaudii abundantiam attulerit (*verſ.* 10.) Unde ſeſe nocte, dieque, & quidem ſuperabundanter, & enixè petere à Deo, ait, ut *videre* præſens *faciem eorum* poſſet, atque ipſis aliquid ad augendam fidem eorum auxilii afferre, hoc eſt, ut *Rom.* 1. 11. ait, ut aliquid vobis contribuam doni Spiritualis, ut confirmemini in fide. Atque hic tertius locus eſt, ubi Apoſtolus vocem ὑστέρημα, *defectus*, in eo ſenſu accipit, qui vitium non includit. Nihil enim minus hoc loco cogitavit, quam ut tunc maxime, cum gratias ageret, Deo pro læto de eorum fide nuncio, exprobraret ipſis aliquos fidei defectus: ſed καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως, *perficere defectus fidei*, eſt fidem augere, confirmare, ſtabilire; ut tanto robuſtior, & ab omni periculo ſecurior evadat.

Verſ. 11. Voto poſtea gratiarum actionem iſtam claudit, optans ut *Deus Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dirigat viam ſuam ad nos*, hoc eſt, removeat objecta à Satana impedimenta adventus ſui ad eos. (*Verſ.* 12.) Ipſos vero ut Dominus impleat, & abundare faciat, mutua ad invicem caritate, & caritate quoque erga alios omnes: (*verſ.* 13.)

quem-

quemadmodum optat, ut ſeſe quoque efficiat eadem caritate abundare erga ipſos, quo poſſit confirmare, & corroborare corda illorum; ut irreprehenſibilia in ſanctimonia deprehendantur coram Deo, & Patre noſtro, præcipue in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando veniet cum omnibus ſanctis ſuis.

CAPUT IV.

PRima hujus Epiſtolæ parte abſoluta, quæ in conciliandis, & ad recipienda monita Apoſtolica præparandis animis eorum, quibus ſcribit, verſabatur, poſtquam nihil eorum omiſſum eſt, quod ad eos ſeu laudibus demulcendos, ſive etiam fidem, auctoritatem, & benevolentiam apud ipſos Apoſtolo conciliandam pertineret, aggreditur alteram partem, in qua præcepta, & monita tradit, mentibus eorum tanto promptius, ac penitius infigenda. Quæ monita quodammodo ex ſuperioribus deducit, quaſi diceret: Quando ſatis liquido patet, atque oſtenſum eſt, quantum & vos opera, miniſterio, & quaſi ſanctimoniæ noſtræ beneficio in fide, atque pietate profeceritis, & nos de vobis affectu, ac benevolentia noſtra meruerimus; nihil aliud ſupereſt, niſi ut vos rogemus, atque cohortemur in Domino, ut præcepta, ac traditiones noſtras obſervetis.

Tradit autem iſta monita primum in genere, deinde in ſpecie. In genere uſque ad medium verſus tertii hortatur, ut in iis, quæ tradiderat ipſis de via, atque modo ita vivendi, ut Deo placere poſſent, abundare velint, & contendant, hoc eſt, tàm in cognitione, quàm in vita, moribus, atque factis magis magiſque ſubinde proficere; quæ res mutuo ſunt ſibi cauſæ, ideoque in iis profectus facilior. *Scitis enim (verſ. 2.) qualia præcepta vobis dederimus per Jeſum Chriſtum*, hoc eſt per religionem, ac doctrinam Jeſu Chriſti, quâ vos initiavimus, atque imbuimus (*Chriſtus* enim ſæpe pro ſua doctrina dicitur.) aut etiam quæ præcepimus vobis nomine, & auctoritate Jeſu Chriſti: aut quæ vobis tradidimus cooperante Spiritu Chriſti.

Verſ. 3. Exprimit autem generale iſtud monitum præceptionum, ac traditionum Apoſtolicarum per ſpecialiorem vocem (quæ tamen totum pietatis noſtræ ambitum complexa videtur) *ſanctificationis* initio verſus tertii. Cujus vocis ſenſus ſæpe eſt generalior, ut cum dicitur, *ſine ſanctimonia neminem Deum eſſe viſurum.* (Sanctificatio enim pro ſanctimonia ſemper intelligi poteſt, cum ſit ſanctimoniæ inchoatio; ut & ſanctimonia ſanctificationis quædam conſiſtentia, & continuatio) Interdum ſpecialius ſumi poteſt pro eo virtutis genere, cujus contrarium vitium inter ſpecialia, quæ ſingillatim ſtatim examinabimus, præcepta, & monita primo loco prohibetur. Voces enim ἁγιότης, & ἁγιότης, *ſanctitas & caſtitas aut puritas*, vel ipſius etymologiæ vinculo connexæ ſunt, & ſignificant mentem puram in corpore puro: quia impuritate corporis ipſa quoque mens pollui, & in ceſtari ſolet, ob arctum illum nexum inter corpora noſtra, & animas. τὸ ἁγιον tamen ad mentem; τὸ ἁγνὸν ad corpus potius referri ſolet.

Accedit poſtea in fine verſus tertii ad ſpecialia monita, & præcepta, quibus utiliſſimas quaſdam doctrinas, & myſteria religionis intermiſcet: Quæ nos, numerorum indicio ab invicem diſcernenda putavimus.

Primum igitur incipit à præcepto τῆς ἁγιότητος, caſtitatis, quæ non modo voce; ſed ipſo vocis ſenſu ſanctimoniæ cognata, imo cum illa, ſpecialius ſic dicta, idem eſt. Imperatur autem nobis hic caſtitas per interdictum τῆς πορνίας, *ſcortationis*, voce iſta latius ſumptâ pro omni genere *impuritatis* ἀκαθαρσίας, quam infra *verſ.* 7. ſanctificationi, ſpecialius ſic dictæ, opponit; adeo ut etiam adulterium, imo omne impuritatis genus comprehendat, ſicut & 1. *Cor.* v. 1., quemadmodum & alia omnia graviora, aut leviora impuritatis genera.

Docet autem *verſ.* 4. quomodo ab iſto vitii genere abſtinere debeamus; ut *quiſque*, inquit, *ſuum vas*, hoc eſt, corpus, quod eſt organum animi, *poſſideat in ſanctificatione, & honore.* Quemadmodum enim ſapientiſſime 1. *Cor.* VI. 18. dicitur, quod ejuſmodi homines impuri præcipue in ſuum corpus peccent, hoc eſt, illud injuria quadam, & contumelia afficiant; ita dici poteſt eos, qui caſte vivunt, ſuo corpori parcere, & ſuum corpus honorare; quæ caſtitas mentis ipſius caſtimoniam mirè conſervat. In hoc autem efficiendo omnis curâ impendenda, & omne artificium adhibendum eſt. Ideò Apoſtolus ait *verſ.* 4. ſciendum eſſe unicuique hoc artificium, & diſcendam iſtam artem, per quam corpus cujuſque in ſanctificatione, & caſtimonia, & quadam honoris, hoc eſt, honeſtatis excellentia conſervetur. Nec ſatis eſt, quòd Apoſtolus nos viam hanc, & rationem ſcire jubeat; ſed eam eſſe voluntatem Dei aſſeverat, ut viam iſtam ad ſanctificationem ſui quiſque noſtrum probe ſciat, ac nemo ignoret. εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν, *ut ſciat veſtrum unuſquiſque.* Quo magis contendendum, ne ejus, tanquam rei omnino ad ſalutem neceſſariæ, ſimus ignari. Docet autem hanc viam Apoſtolus cum alibi, tum iſto etiam loco. Proinde nos quoque eam ſuccincte delibabimus.

Nulla res eſt, quæ omne libidinis genus in nobis magis excitet, quam exempla tot hominum, ſtulta quadam conſpiratione maximam felicitatis partem in eo collocantium, ut ſpurcis iſtis, & quarum homines naturâ pudet, voluptatibus perfruantur. Unde etiam in ipſis conſectandis plerique nihil laboris gravantur, nihil periculi reformidant. Ex quo accenditur, præſertim in junioribus, & inexpertis primùm curioſitas, & experiendi deſiderium; mox in pollutis jam, & corruptioribus æmulatio, & alios ſuperandi ſtudium, & habitus, atque conſuetudo: quæ in tot laqueis, à Satana ubique ſanctimoniæ poſitis, ægre dediſcitur. Atque ex iſtis exemplis, quæ aut leguntur, aut cernuntur, aut etiam audiuntur, exardeſcit τὸ πάθος ἐπιθυμίας, hoc eſt, *paſſio concupiſcentiæ.*

Cæterum prima hic cautio eſt ad ſenſus iſtos, per quos, tanquam per januam animæ, penetrat ad mentem iſtarum rerum cognitio, non admittere tam peſtilentes hoſpites; & libri pleni iſtorum pruritionis incentivorum abjiciendi, vel exemplo in *Actis* XIX. 19. combuſtorum cremandi ſunt; & converſatio hominum profligatorum, quæ ejuſmodi exempla oculis ſubjicit, cane pejus, & angue vitanda eſt. *Ideo nobis jugum unâ trahere cum infidelibus prohibitum eſt* 2. *Cor.* VI. 14, & ἀφορισθῆναι, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθαι, abjungere ſeſe, ac impurum non tangere, imperatum *ibid. verſ.* 17. Denique & ſermones, ejuſmodi exempla, & vel leviſſimam eorum mentionem animo noſtro ſubjicientes, plane vitandi ſunt, Corrumpunt enim optimos mores colloquia prava, 1. *Cor.* XV. 33.

Altera cautio est, si quid tamen ejusmodi menti nostræ objectum fuerit, statim cogitandum esse, eos, qui ejusmodi sordibus polluuntur, ignaros esse Dei, atque ipsius voluntatis; eoque ipso miserabiles, & nullo modo imitandos; quod hoc loco expresse dicitur. Nostram autem conditionem, & felicitatem, longe excellentiorem esse, quàm ut ejusmodi fecibus inquinari debeat. Vocatos enim nos esse ad sanctificationem, hoc est, vitæ correctionem, ad vitam juxta regulam perfectissimæ pietatis exigendam: & invitatos quidem ad hoc promissis eminentissimis, non autem ad vitæ impuritatem.

Tertia cautio est; præter vitæ æternæ jacturam, qua nos indignos efficimus, quoties nos ita abjicimus, ac prosternimus, ut nihil inter nos, atque quadrupedes interesse putemus; timenda esse præsentissima Dei supplicia, quæ illiusmodi delictis adhærere solent: quia horum omnium (ἔκδικος) *ultor*, ac *vindex* est Deus *vers.* 6. Cum enim Deus per religionem Christianam nobis in eo voluntatem suam declaraverit, qui ea, quæ Deus vetuit, committit, adversus Deum ipsum (non modo contra se, aut etiam Leges, & instituta hominum) graviter delinquere censendus est. Hoc enim loco verba πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι, *circumvenire in negotio*, de adulterio explicanda sunt. Ideo adjicitur ἐν τῷ πράγματι quasi ἐν τούτῳ πράγματι, hoc est, in *hoc*, *de quo agitur*, *negotio* circumvenire fratrem.

Quarta cautio est; otia, & expertes acris vigilantiæ cogitationes, quæ adeò longe à fervore Spiritus Sancti absint, ut etiam ordinarium mentis vigorem amisisse videantur, plane vitanda esse, atque animum Spiritus Sancti zelo, excitandum, erigendum, consolandum, confirmandum *vers.* 8.; qui datus est nobis à Deo per Christum. Ita enim optime divinarum, ac cælestium voluptatum gustu nauseam in nobis carnalium, & sordidarum voluptatum procreabimus, & tanquam cuneum cuneo excutiemus. Quamdiu etenim in templo corporis nostri Spiritus Sanctus habitabit, non est periculum, ne in locum tam sanctum, & purum prophanæ, & pollutæ cogitationes irrumpant.

Quintum etiam, quoad ipsius corporis curam, esse potest; subtrahendos ipsi esse omnes libidinum stimulos, omnia vitiorum alimenta, cibum, ac somnum largiorem; & si quæ sunt ejus generis.

Vers. 2. Monitum de *fraterna caritate*, φιλαδελφίᾳ. Si quod aliud præceptum ad executionem deductum, atque in praxi ipsa exercitum, hoc certe est, quod ostendit profectum nostrum in fidei, ac spei cælestis firmitudine, & in vero salutis æternæ gustu, ac desiderio. Ea enim est indoles ingenii humani, ut felicitatis, quam ardenter cupit, & expectat (facit autem hoc tanto magis, quanto spem ejus certiorem habet) socios, non possit nisi peculiari affectu, ac propensione diligere. Distinguitur autem à præcepto generalis caritatis, quia ejus ut gradus est longe altior, ita natura quædam peculiaris: neque caritati erga alios homines communis. Illum enim ex caritate erga Deum perfectionis gradum participat, quòd efficiat, ut homines pro aliis vitam ponant, & fratres supra se ipsos diligere videantur, quamvis id verè in gratiam Dei, atque adeo sui ipsius causa faciant. Hanc igitur virtutem in ipsis laudando, tantò efficatius præcipit, ostendens quod tametsi in hoc negotio nova doctrina, & monitis indigere non videantur, quod à Deo ipso istam mutuo se diligendi rationem edocti sint, (Θεοδίδακτοι, *à Deo docti*) non modo erga Fratres suos, qui erant Thessalonicæ; sed erga eos quoque, qui in reliqua Macedonia (*vers.* 10.) degebant, caritatis hujus propensionem testati; tamen inculcatione indigeant, & hortatu: ut in ista virtute indies magis magisque proficere, & ut ipse ait, *abundare*, (περισσεύειν) contendant. Quod in omni sane pietatis negotio necessarium est; in qua, nisi quis perpetuo proficiat, & quasi altius progrediatur, deficere eum, & regredi necesse sit. adeo rapidis ex adverso tentationum, ac difficultatum undis Christianus homo impellitur; ut, si quid de summa contentione remittat, retrò, & quidem longe abripiatur.

Vers. 3. Monitum est pacis studium; In quo commendando caritatis erga reliquos omnes oblitus non esse videtur. Quia omnia prope erga alienos officia, quos ut nosmetipsos diligere tenemur, in pacis studio contineri videantur. Difficile enim est pacem constare inter eos, quorum alteri deberi sibi aliquid, nec reddi sentiunt; alteri officio suo desunt. Quanquam in eo non adversus alienos tantum: sed adversus fratres etiam, imo erga eos, qui inter fratres maxime excellunt (ut infra paulo post videbimus) peccari possit, ac soleat. Ideo ne in hoc quidem loco, ac præcepto officium erga fratres excludi debet, quamvis in ejus fine alienorum expressa mentio facta sit. Utitur autem in præcipiendo isto officio voce φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν; *ut operam detis quieti esse*; quæ contentionem cum æmulatione quadam, qualis in ambiendis honoribus esse solet, significat: ut ostendat tanto majori curæ nobis, & cordi esse debere istud pacis studium; ut in eo alios, tanquam in certamine quodam, superare contendamus. Quod vix aliter fieri potest, quam si cum iis etiam, qui nobis aliquam dissidii ansam dederunt, pacem tamen colamus.

Oblata verò est Apostolo hujus præcepti occasio, quòd in ista Thessalonicensium Ecclesia, ut ex posteriori Epistola discimus, non deessent homines otiosi, inordinatè ambulantes, hoc est, otiosè viventes, qui, cum sua curare gravarentur, & honestum aliquod vitæ genus, quod absque labore non obtingit, ingredi, atque ita victum sibi comparare negligerent; non modo reliquis oneri erant; sed cum non haberent, quod domi suæ agerent, alienis negotiis sese præposterè immiscebant, & erant, ut Petrus ait, ἀλλοτριεπίσκοποι, *curiosi rerum alienorum suspectores*. Nec sine dubio injuriis, atque *obtrectationibus* aliorum abstinebant, quoties ipsis non ex animi sententia necessaria suppeditarentur; quæ ipsi sibi propria industria quærere potuissent. Ita enim intelligo verba, μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι, *nullum opus facientes*, non facientes, quod opus est: sed potius *id faciantes quod fieri non opus est*. Quid sit, περιεργάζεσθαι, aut esse περίεργον explicat Apostolus 1. *Tim.* XIII. simulque indicat, otium plerumque procreare obtrectationem. quamvis de mulieribus loquatur; idem intelligendum de viris quoque muliebribus. Solent enim illi, qui panem alienum gratis, quàm suamet industria partum edere malunt, non modo iniquius obtrectare fratribus, quibus oneri se esse sentiunt; sed & inter alienos malis artibus victum sibi quærere, his adulando, illis obtrectando, in animos hominum irrepentes, à quibus aliquid emolumenti sperant. Quo genere hominum, cum lites, & inimicitiæ inter homines serant, pestilentius nihil est. Nec iis, quibus deest unde vivant, & bonis artibus statum suum tueri nolunt, aliud superesse solet, nisi ad malas artes confugiendi consilium, atque necessitas. Meritò istiusmodi vitæ genus Apostolus inordinatum ambulandi, seu vivendi genus nominat; quod ne in Republica quidem bene ordinata toleratur; tantum abest ut in Ecclesia Christi tolerandum sit; ut infra in Epistola posteriori videbimus.

Homines igitur ejusmodi inquietos, suarum rerum incurio-

incuriosos, alienis intentos, & *vers.* 12. earum nimium curiosos, monet, ut non inordinatè, & indecenter, quod etiam inter homines extra Ecclesiam male audiebat, sed ἐυσχημόνως, hoc est, honeste & *decenter* (quod apud omnes etiam extraneos bene audiat) vivant; ut alienis subsidiis, cum possint de suo vivere, non indigeant, exemplo Apostoli, qui cum forte non posset aliud vitæ genus, quo victum quæreret, commodius cum munere Apostolatus sui conjungere, propriis manibus victum quærere gravatus non est.

Occurrendum autem hic est errori, qui ex istis verbis male intellectis ortus est; quod quidam existiment damnari ab Apostolo omnia vitæ genera, quibus homines victum quærunt, præter illud, in quo pretio manufacturæ vitam suam sustentant, quasi pastores, & agricolæ, etiam ii, qui alienis in eo ministeriis utuntur, non æque innocens vitæ genus, sectentur: aut quasi ullum sit, ex utilibus, & quæ homines alunt, vitæ generibus; quod absque sudore, & labore, atque ipsarum adeo manuum ministerio constare possit, cum isti quoque, qui ab omni illiberali arte alieni sunt, & solis literis operam dant, id absque usu manuum præstare vix queant. Aut quasi novum sit in Sacras Scriptura, id quod vi, & efficacia alicujus fit, opus manuum ejus dici; quamvis ad illud efficiendum proprie dictas manus non adhibuerit, & quicquid ab homine fit, atque formatur (quia pleraque non sine usu manuum fiunt) manu hominis factum synecdochice dici nequeat. Sed hoc loco certe Apostolus eas vitæ functiones, quibus alimoniam quærimus, ad solas manuarias artes non restrinxit; cum possit aliquis in artificio, aut occupatione liberaliori, & honestiori ἡσυχάζειν τὰ ἴδια πράσσειν, *quietus esse, suas res agens*, hoc est, pacifice, & sine alieno onere, atque molestia rem familiarem, & domesticum statum suum administrare, & conservare, (quod hoc loco Apostolus manuario artificio præmittit.) nec tamen ullum sellularium opificium exercere. Neque enim deerant (ut in Actis legimus) ex lautioribus Thessalonicensium, qui Christo nomina dederint. cum primariæ mulieres non paucæ ad Ecclesiam accessissent, *Actor.* XVII. 4. Cujus generis hominibus prima ista pars præcepti de administranda re familiari absque alieno onere pulchrè congruebat. Sed & quidam Judæorum, & religiosorum Græcorum *magna turba* (πολὺ πλῆθος) *Actor.* XVII. 4., Ecclesiæ sese adjunxerant, quos inter homines è vulgo, in re tenui, atque inopi degentes fuisse, nihil mirandum est; quibus vix aliud consilium, atque adversus egestatem remedium ab Apostolo dari poterat, præterquam ut manibus sibi victum quærerent. Vide quæ de ista Macedonum fratrum paupertate dicat Apostolus 2. *Cor.* VIII. 2.

Vers. 4. Quartum monitum, aut remedium adversus luctum, ac desiderium mortuorum continet doctrinam de Statu mortuorum in Christo, ad confirmationem spei nostræ de resurrectione pertinentem, *vers.* 13. usque ad finem capitis traditam. Cujus doctrinæ duæ sunt partes, Altera, quæ cunctis à primo prædicationis initio erat notior; quod nimirum mortuorum resurrectio certò sit futura: id quod irrefragabili mortis, & resurrectionis Domini exemplo firmiter probat *vers.* 14. Altera ignotior, quam veluti mysterium reconditius traditurus, excitat animos audientium, aut legentium ad attentionem; *vers.* 13. *nolo vos ignorare*; quam *vers.* 15. *hoc enim vobis dicimus in sermone Domini* (tanquam vos ipse Dominus alloqueretur) quæ species est asseverationis plenioris, & omnino dignæ, cui attentio simul, & fides præbeatur. Dicit igitur mortuorum statum nulla in re deteriorem esse statu viventium, etiamsi vita eorum producatur usque ad adventum Domini, quo longius vita humana in hoc mortali, & caduco corpore produci nequit. Nec enim vel ipsi Apostoli, si eo usque vitam produxerint, eos, qui in Domino obdormierunt, prævenient ad vitam æternam, nec vivi relicti (ideo quod mortui non sint) in adeunda ista promissa hæreditate quicquam habebunt prærogativæ præ mortuis in Domino; in eo videlicet, ut citius illi, quàm hi, vita æterna potiantur. Nam vita, quam nunc in isto corpore caduco degimus, propter organi corruptibilitatem, & vilitatem æterna, & gloriosa dici nequit, donec induamur corporibus gloriosis, & incorruptibilibus. Vide 1. *Cor.* XV. 52. *& seq.* & ibid. supra *vers.* 50. 51. Non autem ejusmodi corporibus induentur vivi prius, quàm mortui: sed potius mortui (ut in hoc loco expresse dici videtur) quàm vivi, aut saltem (quæ aliquanto probabilior videtur explicatio) utrique eodem tempore, alteri per resuscitationem, alteri per transmutationem. Etenim illustris ille adventus Domini, quanquam (ut infra dicetur) subitus erit, & improvisus, non erit tamen clandestinus, aut tacitus: sed ita insignis, & celebris; ut ab omnibus tàm vivis, quàm mortuis, tàm cæli, quàm terræ incolis, dato publice signo, sentiri, ac percipi possit. Et quemadmodum nunc in terris ea, quæ Principes terrarum ad omnium notitiam deducere, & promulgare volunt, ad tubæ sonitum promulgant, ita tunc *per vocem Archangeli, & tubam Dei*, percellentur & excitabuntur omnes, tam vivi, quàm mortui: ac sentient, & percipient gloriosum hunc adventum Domini. In quo primum omnium mortui in Christo (quemadmodum hic expressissimis verbis dicitur) resuscitabuntur, hoc est, ut ex gemino huic loco. 1. *Cor.* XV. discimus, induentur corporibus gloriosis. Gemini enim isti loci mutuo sibi lumen adferunt, & alter alterum explicat. Et quemadmodum ex Epistola ad Corinthios sensus hujus loci, de indutione corporum incorruptibilium supplendus est; quippe cum illic isti in Christo mortui resuscitandi dicantur incorruptibiles; reliqui autem, qui vivi adhuc, & appropinquante termino mundi hujus superstites erunt, ibidem in puncto temporis immutandi dicuntur: ita ex isto loco doctrina Corinthiis tradita supplenda est, sive de ordine isto inter mortuos, & vivos, quod illi prius, isti posterius corporibus gloriosis induendi sunt; sive, quod magis placet, de pari utrorumque ea in re conditione. Quamvis & in Epistola ad Corinthios, licet non ita expresse, ordo iste tangi videtur. Nam 1. *Cor.* XV. 52. prius ponitur, quòd mortui resuscitabuntur incorruptibiles, deinde quod vivi immutabuntur. quod hic aliquantò clarius explicatum videri potest. Ne quid tamen eorum, quæ in mentem veniunt, dissimulem; non modo non repugnat: Sed prope verisimilius est, transmutationem vivorum non plane posteriorem fore; sed eodem ipso tempore eventurum, quo mortui gloriosis corporibus induentur. Id enim ad coæquandum statum mortuorum cum statu vivorum sufficit. Et Apostolus non de transmutatione, quam omisit, sed de raptu in nubibus, una cum mortuis jam resuscitatis, ait, eum posteriorem fore mortuorum resuscitatione; quæ non nisi per indutionem gloriosorum corporum peragenda est; quod sibi demonstrandum sumpserat Apostolus. Porrò quemadmodum hic *vers.* 17. omittitur mentio de immutandis in momento oculi vivorum corporibus, quæ ex loco ad Corinthios supplenda est; ita rursus hic, quàm isthic expressius innuitur locus indutionis, ac transmutationis istorum corporum, dum hinc utrumque hominum genus, hoc est, tam resuscitati,

quam transmutati, unâ abripiendi dicuntur *in nubibus ad occursum Domino in aerem*, cum quo postea perennem, & beatam vitam perpetuo producturi sunt. Utrobique autem clangoris tubæ, & κελεύσματος, hoc est, *clamoris hortatorii*, quali vulgo nauclerus remiges excitat; hic etiam *vocis Archangeli* mentio fit. Quod certò quidem fore omnino credendum est, nec in eo quicquam est, in quo aliquam difficultatem sibi captus rationis nostræ nectere possit. Quonam tamen modo id futurum sit, indagatu curiosius videtur. Sufficit ut intelligamus, id glorioso quodam, & divinissimo, ac longe perfectiori modo fore, quam mens nostra, terrenis tantum sensibus, ac perceptionibus assueta, comprehendere valeat.

Observanda hic & verba quædam, quibus hic Apostolus utitur, primum quod mortem, vel statum eorum, qui in Christo moriuntur, *somnum*, *aut obdormitionem* vocat, quia eorum status nihil à dormientibus, & placido sopore quiescentibus, ac certo certius evigilaturis, differat.

Secundo quod Apostolus de adventu Christi ita loquatur, quasi ille eos, qui tunc vivebant, atque adeo ipsum Apostolum adhuc in vivis deprehensurus esset. Quod non ita intelligendum est, quasi id Apostolus, sese adhuc in hac vita superstite, eventurum speraret, aut opinaretur: cum ex multis aliis locis; sed præcipue ex posteriori ad eosdem Epistola contrarium meritò colligatur. Sed primùm non est novum, Apostolum in explicandis religionis mysteriis alienam, & quæ ipsi congruere non poterat, personam assumere. Deinde notandum est, in eo sapientissimum Spiritus Sancti consilium, qui ita in hoc ævo vivere Christianos voluit, ut hunc extremum diem cito venturum, adeò ut quibusdam etiam tunc viventibus subitò supervenire posset, arbitrarentur; eóque sine dubio fine, ut infra videbimus, certum, ac definitum ejus tempus sedulo occuluit, atque omnino ignotum esse voluit. Pertinebat id primum ad fidei, ac spei nostræ solatium, & confirmationem, cujus imbecillitas nulla re facilius concutitur, quam nimiùm in longum dilata expectatæ mercedis, ac redemptionis nostræ morâ; ut ex 2. *Pet. cap.* III. discimus. deinde ad jugem, ac perpetuam in tractando salutis negotio vigilantiam, & ad extirpandam admodum noxiam pietati nostræ pestem, *securitatem*, *& negligentiam*. Neque vero in eo ulla cogitari potest deceptio, aut impostura, quam Spiritui Sancto tribuere nefas est. Nihil enim verius, ac certius est, quam extremum istum diem adventus Domini, respectu uniuscujusque Christianorum, esse admodum propinquum, imo neminem eorum esse, cui subito, atque improvisò supervenire nequeat. Mors enim, cujusque vitæ proxima pedissequa, semper à tergo unicuique imminens, nobis extremum istum diem admovet, ac repræsentat; ut ab ipso obitus nostri momento, usque ad consummationem seculi, totum illud spatium, quod, remoto animi nostri organo, sensus omnis expertes transmittimus, pro nihilo æstimandum sit: ut etiam à Spiritu Sancto merito pro nihilo æstimatur.

Tertio, quod modum istum resuscitationis, & glorificationis corporum nostrorum, quem utrobique locorum, quos explicamus, Apostolus revelat; non modo ad Corinthios scribens, *Mysterium*, quasi non omnibus Christianis cognitum, vocet; sed & in hac ipsa Epistola, quasi rem ipsis *nondum satis cognitam*, exponat. *Nolo vos*, inquit, *ignorare* &c, & *Dico enim vobis in sermone Domini* &c. Nam doctrina quidem de eo, quod resurrectio certò futura esset, in ipso statim prædicati Evangelii initio tradebatur; ut hæc res pro mysterio venditari non posset: sed modus, & circumstantiæ ejusmodi resurrectionis non omnibus forsitan exponebantur. ast prout res ipsa, & utilitas Ecclesiarum tulit. Quamvis enim in ipsa etiam historia Evangelica specialem quandam circumstantiarum resurrectionis descriptionem habeamus; præsertim in parabola *Matt.* XXV. sub finem, quæ doctrina Evangeliorum in ipso quasi Christianismi limine catechumenis tradebatur; tamen ex parabolico loquendi genere, in quo per typum quendam, & similitudinem doctrina resurrectionis illustrabatur, & adumbrabatur, veræ ipsius circumstantiæ cognitæ esse vix poterant; nisi eas nobis Apostolus dictis locis specialius explicuisset.

Postquam spem resurrectionis confirmasset, exposito statu mortuorum in Christo, nihilo deteriore, quam futurus sit eorum Christi servorum, qui mortem non gustabunt; jubet ut sese invicem doctrina ista consolentur *vers.* 18., & ultimo, quam non alio fine, nec alia forte occasione exposuit, quam quia alioqui dolori, ac desiderio mortuorum, quos amiserunt, modum ponere nesciebant; ut huic immoderato luctui, ac mœrori remedium afferret quod *vers.* 13. proposuerat. In quo notandum est, Apostolum in eo magnum inter eos, qui spem nullam habent, & inter Christianos discrimen esse velle.

CAPUT V.

A quinto monito, & doctrina incipit, non modo nos non debere esse sollicitos de sciendo tempore adventus Domini; sed ne conari quidem id, aut scrutari debere, quod factu, aut cognitu est impossibile. Esset enim hoc consilium, ac decretum Dei irritum facere velle, qui rem hanc ignotam esse voluit, quod fieri non potest. Cum autem Apostolus locum, & circumstantias quasdam adventus Domini describisset, superesse videbatur, ut de tempore quoque aliquid diceret. Hoc igitur à se non factum excusat, eo quod Thessalonicenses ea re minime indigerent; atque adeo id ab ipso minime requirerent, ut qui optime scirent (ἀκριβῶς *exacte*) id fieri non posse, quod Deus fieri nolit. Cujus propositum, ac decretum sit indeclinabile, ut hic adventus improviso superventu omnes opprimat, nec ab ullo mortalium prævideri possit: quemadmodum fur nocturnus omnem patris familias curam, & vigilantiam prævenit, & occupat, atque eludit. Notandum autem hic est consilium voluntatis Dei, omnibus præcellentissimæ ejus sapientiæ actibus congruens, & consentaneum, & quasi homogeneum; quod in omnibus viis suis, præcipuè verò rebus, quas necessariò evenire voluit, ac decrevit, malitiæ, ac perversitati hominum eas tendat insidias, quas optimi quique nullo negotio evitare, mali autem, ac perversi (quamdiu tales sunt) nullo modo effugere possint. Quod hic quoque in illustri exemplo liquido cernimus. Noluit enim Deus tempus adventus Filii sui ab ullo mortalium præsciri, eo consilio, ut omnes semper ad eum excipiendum rite parati sint. Ita tempus mortis cujusque mortalium præsciri noluit, ut omnes semper ad bene moriendum sese præpararent. Quemadmodum enim totum mundum publice venturi finis sui, ita singulos homines privatim venturi fati, ac finis sui præscios esse non expediebat. Hæc via, hoc decretum Dei bonis adeo non nocet; ut vehementer prosit, excitando eos ad vigilantiam, & matura venturi mali remedia, atque ita ad evitandum impendens periculum. Sed mali, & vitiis, ac voluptatibus suis mancipati, dilatione in longum ignorati istius temporis, aut ad impietatem,

tatem, atque atheiſmum, 2. *Pet.* III.; aut ad falſam opinionem, non ita cito venturi periculi, ita abutuntur; ut, ab improviſo ſuperveniente diſcrimine oppreſſi, illud effugere nequeant. *Quum*, inquit *verſ.* 3., *dixerint pax, & ſecuritas, tunc ſubito illis incumbet, aut ſuperveniet, aut in ipſos irruet exitium*, (quemadmodum dolores partus improviſo puerperam occupant) ita ut illud effugere nullo modo queant.

Hoc igitur juſtiſſimi judicii Dei genus procul eſſe ab omnibus bonis *verſ.* 4. aſſerit. Quia videlicet *illi non ſint in tenebris, ut illos dies tanquam fur imparates opprimat*, occupet, ac circumveniat.

Qui enim, caligine vitiorum cæci, voluptatibus, & paſſionibus ſuis indulgent, & multa pudenda patrant, quæ non revelari ipſorum multùm intereſt, eos ſubita lux, & dies, nuditatem, & flagitia ipſorum cunctis patefaciens, maximo damno, imo exitio afficere ſolet. Tales autem ſunt omnes voluntatis Dei ignari, & qui mentem ſuam luce religionis, luce veritatis, luce Spiritus Sancti illuminatam non habent: aut, ſi qua ad illos lucis divinæ ſtructura pervenit, oculos ſuos ab ea avertunt; quia adamaverunt tenebras magis, quam lucem; quia lucifugæ ſunt, & vocantur *Filii noctis*, Filii tenebrarum, Dormientes, ebrii. *Mala etenim ſunt opera ipſorum*, *Joh.* III. 19. quæ efficiunt, ut, qui ea patrant, oderint, & fugiant lucem (Ibidem *verſ.* 20.) *ne redarguantur.* Contra quorum bona ſunt opera, & ipſi boni (ex fructibus enim ſuis cognoſcuntur) amant lucem, & libenter ad eam accedunt, quia manifeſtantur eorum opera. (Ibid *verſ.* 21.) *quòd in Deo facta ſint*, hoc eſt, ad amuſſim, & regulam divinæ voluntatis, aut etiam ad imaginem, & imitationem ſanctimoniæ Dei. Illius generis homines lux, & dies ſuperveniens improviſò opprimit, atque circumvenit, imo ſupremo exitio involvit. Contraria eſt eorum conditio, qui (eo quod bonis operibus incumbant) non in tenebris degunt: ſed in luce; ideoque *Filii lucis*, *Filii diei*, *vigilantes*, *ſobrii*, *induti armis* lucis, atque juſtitiæ dicuntur. Hi non eſt quòd aut ſuum, aut mundi ſupremum diem timeant. Nec enim dormientes, aut ebrios, nec pudendis actionibus vacantes: ſed glorioſo operi intentos fatalis illa, & omnia in apertum productura, lux inveniet. Merito igitur Apoſtolus, (*verſ.* 5.) ex eo quòd *Filii lucis*, & *diei*: non *noctis*, *atque tenebrarum* ſimus, enixius hortatur *ne*, exemplo cæterorum lucifugarum, *dormiamus*; ſed, (*verſ.* 6.) quia jam nox, & tenebræ pulſæ ſunt, *vigilemus*, & *ſobrii ſimus*; atque adeo armis Lucis induamur.

Verſ. 8. Porro arma iſta, quæ *Rom.* XIII. *arma lucis*, *Epheſ.* VI. *armatura*, ſeu πανοπλία *Dei*, alibi quoque forte *arma juſtitiæ dicuntur*, hoc loco duo duntaxat commemorantur *verſ.* 8., & tamen in iis tota armatura Dei, *Epheſ.* VI. fuſius explicata, comprehenditur. Duæ enim ſunt religionis Chriſtianæ partes. Prima, ſpes promiſſorum Dei, quæ ſine cognitione ejus, ac voluntatis ejus, per Filium revelatæ, eſſe non poteſt; quæque eſt lux illa, quæ mentem noſtram illuminat, & voluntatis noſtræ ad meliora deflectendæ dux eſt; quæ in intellectu noſtro reſidet, qui, quia in arce corporis noſtri, capite, actiones ſuas exercet, merito hæc pars religionis Chriſtianæ galea, quæ nimirum caput noſtrum protegit, & *ſpes ſalutis*, hoc loco vocatur.

Altera pars religionis noſtræ eſt præceptorum Dei per Chriſtum datorum obedientia, quæ in fide per caritatem efficaci, quæque in voluntate, & cordis propenſione, atque omnium paſſionum noſtrarum ad obſequium Dei deflexione cernitur, ac meritò hoc loco *thorax Fidei & caritatis*, majorem corporis partem, ſed præcipue pectus, & cor noſtrum protegens, nominatur.

Addit autem *verſ.* 9. rationem, quæ ſimul reſponſionem ad tacitam objectionem; & juſtam cauſam; ac ſtimulum continet, impellentem nos, ut vigilemus, & occaſionem acquirendæ rei pretioſiſſimæ, hoc eſt, ſalutis nobis à Deo oblatæ non amittamus. Hoc eſt *quod nos Deus non poſuerit in iram; ſed in acquiſitionem ſalutis, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis.* Poterat enim tacite objici, quoniam Deus pro quibuſdam mortalium præparavit ejuſmodi inſidias, ut ipſis nihil minùs opinantibus ſuprema dies ſuperveniat, eoſque exitio involvat, quod effugere nullo modo queant, ſicuti & *verſ.* 3. legimus; ecquid nos miſeri præſtare poſſumus, jam ad ſupplicium iræ Dei inevitabile condemnati? Negat igitur Apoſtolus, nos jam huic peſti devotos, & ad tam miſeram ſortem damnatos: ſed potius ad acquiſitionem ſalutis deſtinatos, vocatos, omni ope & auxilio ad eam rem inſtructos, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis; & per hanc mortem, quæque eam conſecuta ſunt, ea nobis ſubſidia præbuit; ut omne diſcrimen facile effugere poſſimus; imo tanto beneficio ita nos omnes ſibi obſtrixit, ut ipſius proprium peculium ſimus, & ſub ejus tutelâ, ac patrocinio, (*verſ.* 10.) quicquid faciamus, *ſive vigilemus*, *ſive etiam dormiamus*, vitam ipſi obnoxiam degamus; quæ ipſius pro nobis anxia cura in id excubat, ut una cum ipſo in perpetuum vivamus. Quæ res tantum abeſt, ut nos à pergendo ſtrenuè in via ſalutis deſperatione abſterreat, ut nobis potius maximum calcar, & ſtimulum addat.

Obſervanda autem hic eſt non infrequenter uſitata in Sacra Scriptura loquendi figura, quâ in pleriſque vocibus, ut à proprio ad alienum, ita ab alieno ad proprium ſenſum, & ſignificationem tranſire Spiritus Sanctus ſolet. Quod poſterius hic factum in *vocibus vigilandi*, & *dormiendi* videmus, quæ ſupra *verſ.* 6., de improprio, & ſpirituali ſomno, ac vigilia loquuntur; cum *verſ.* 7. vox dormiendi in proprio, & vulgari ſenſu ſumpta videatur. Quod ideò factum eſt, quia, ut inter ſpirituales, & proprie dictas tenebras, ita inter ſpiritualem, & corporeum proprie dictum ſomnum eſt ſimilitudo; & quemadmodum ii, qui luce divina non ſunt colluſtrati, ſpiritualiter dormiunt, ita ii, qui noctis tenebris ingravantibus ſomno obruuntur, corporaliter, dormiunt, & contra: Sed & in *verſ.* 10. utraque tam ſomni, quam vigiliæ vox in proprio ſenſu ſumitur. Niſi quis potius velit (quod non abſonum à propoſito videtur) vocem dormiendi in *verſ.* 10. improprie quidem; ſed tamen diverſo ſenſu ſumi ab eo, qui in *verſ.* 6. intelligendus eſt; qui grande vitium includit, & ab iis, qui in luce ambulant, procul abeſſe debet; à quo & Apoſtolus ſerio omnes hic, & alibi dehortatur. Senſus autem hic diverſus, in quo vox dormiendi non abſurde *verſ.* 10. ſumi poteſt, eſt, ſi pro morte in Chriſto obita intelligatur; quemadmodum in calce proximi capitis ſomnus pro tali morte bis ſumptus eſt; niſi quod illic voce κοιμᾶσθαι, aut κοιμᾶσθαι, non καθεύδειν Apoſtolus utitur. Quod tamen nihil refert, cum & voce καθεύδειν, Chriſtus ipſe pro morte utatur. *Matth.* IX. 24.

Non omittendum & illud, verba *verſ.* 9. *Non poſuit nos Deus in iram; ſed in acquiſitionem ſalutis*, non ad certum aliquem, & definitum numerum hominum ad ſalutem deſtinatorum adſtringenda, & coarctanda: ſed ad omnes porrigenda, pro quibus Chriſtus mortuus eſt; præſertim autem ad eos, qui ob revelatam ipſis lucem Evangelii *Filii lucis dici* poſſunt.

possunt. Eo ipso *enim Deus tales in acquisitionem salutis ponit*, quod eos luce veritatis suæ illuminat. Nisi forte ipsi sibi desint. Nam quoscunque Deus vocat, bona fide vocat, nec cuiquam vel minimum promittit, quod non præstare velit: nec quenquam invitum à promissis, & gratia sua arcet, & excludit; nisi eos, qui semetipsos oblata sibi felicitate suamet culpa indignos judicaverunt, aut præbuerint.

His igitur in utrâque, proxime traditâ, de resurrectione doctrinâ datis præceptis; ut sese invicem erigant, consolentur, moneant, & cohortentur, atque adeo alter alterum ædificet *vers.* 11. admonet; simulque eos, id facientes, laudat, & approbat, ne forte à proposito desistant; sed in eo subinde magis magisque confirmentur, & proficiant. In quo omnes ministris Ecclesiæ similes esse debent.

Sextum *vers* 12. Ex occasione præscripti generalis officii erga omnes, transit ad peculiare oncium erga pastores, ac præpositos, aut ministros Ecclesiæ. Quod officium blandè, & quasi rogans præscribit; ut norint eos, qui in ipsis erudiendis, commonefaciendis, consolandis præ aliis omnibus *laborant, & qui præsunt ipsis in Domino.* εἰδέναι autem hic significat *agnoscere* beneficium, & grato animo prosequi, scire, & ingenuè agnoscere, quantum ipsis debeatur. Sunt enim, qui beneficia accipiunt, tanquam se accipere nescirent; Sunt qui & alienas dotes æstimare nesciunt. Ergo, ut alibi duplici honore digni esse pronunciantur tales, ita hic æstimari jubentur (*vers.* 13.) & abundantiori caritate coli; non modo sicuti fratres; sed propter ipsum munus, functionem, & *opus* (τὸ ἔργον) ipsorum. Et quia in monendo, arguendo, corrigendo, &, si usus ferat, objurgando præcipuæ sunt ipsorum partes, evenit, ut sæpe animos fratrum, præsertim imbecilliorum, irritent, & ad simultates provocent. Pacem igitur cum ipsis coli, hoc est, monita eorum patienter, & cum debito obsequio accipi, nec ipsis resisti, aut cum ipsis simultates suscipi, docet, & imperat.

Septimum, Ab officio erga ministros Ecclesiæ digreditur, aut potius regreditur *vers.* 14., ad præcipiendum officium erga omnes.

Quamvis enim peculiaris hæc cura præpositis, aut ministris Ecclesiæ demandata sit docendi, monendi, cohortandi, atque adeo ædificandi Ecclesiam propter emolumentum, aut necessitatem Ecclesiæ; tamen & cæteri omnes ab ea cura, eoque officio, & munere non sunt exempti. Unde apparet maximum inter Judaicam Synagogam, & Ecclesiam Christi discrimen. Nam sub Lege Veteri ingerere se in officia Levitarum, aut sacerdotum nefas erat cæteris, eaque hominum genera ipso natalium discrimine à sese erant discreta. At nunc, quamvis utilitate poscente docendi, monendi, cohortandi, & in istis functionibus aliis præeundi munus peculiare quibusdam sit assignatum; si tamen usus poscat, aut homines non plane ad hoc munus inepti sint, omnes sunt sacerdotes, omnes Ecclesiæ ministri, & præire aliis, atque adeo pæcurrere in omnibus ædificandæ Ecclesiæ generibus (dummodo caritas, & τάξις *ordo* & ordinaria instituta non violentur) permissum est. Itaque videmus hic Apostolum omnibus promiscue præcipere, ut admoneant, & in ordinem quasi redigant, vel objurgent inordinatos, consolentur pusillanimes, sublevent infirmos, longanimes sint erga omnes. Quæ ipsissima sunt ministrorum, ac præpositorum officia; quæ tamen nullus Christianorum à se aliena putare debet.

Octavum, Posteaquam non modo peculiaria erga ministros Ecclesiæ: sed etiam generalia, omnibus erga omnes mutuo sibi præstanda, officia præscripsisset, quæ continebant benevolam, ac beneficam omnes adjuvandi voluntatem; nunc nocendi voluntatem (*vers.* 15.) prohibet, quæ fere non aliter suscipitur, quam cum, injuria aliqua accepta, ad ultionem provocamur. Docet igitur, nos ab illa benefica, qua cunctis prodesse cupimus, voluntate nullis injuriis avocari debere; nec malum pro malo reddere, ut vulgus hominum solet: sed perpetuò, & constanter bonum persequi, atque istum beneficum erga omnes affectum retinere, non modo erga fratres; sed etiam erga alienos: proinde non modo erga omnes, à quibus nulla injuria lædimur; sed etiam erga eos, qui nobis malum aliquod inferunt. In quo casu sustinere non debemus, nos vinci à malo; sed bono malum vincere, ac superare tenemur. *Rom.* XII. 21.

Nonum præceptum Apostoli est *vers.* 16., *ut semper gaudeamus.* Semper enim bonâ conscientiâ frui, & sustentare nos debemus; quæ absque perpetuo gaudio esse nequit. Præterea continua vitæ æternæ, & vocationis nostræ præstantia nobis animo obversari debet; quæ absque læta, atque certâ spe esse non potest. Conjunctum autem esse istud gaudium debet cum anxia, & sollicita cura, ne quid forte in commercio, quod nobis cum altissimo Deo, & Christo Domino perpetuum esse debet, offendamus. Quæ tamen sollicitudo, ac reverentia, quia ardentissimo utriusque amore, & grati pro perpetuis beneficiis animi affectu temperatur; animum nostrum dejicere non debet; sed potius læta, & placida spe attollere apta est.

Decimum præceptum est, *indesinenter orandi*, *vers.* 13.; &, quod statim *vers.* 18. adjicitur in omnibus rebus, aut pro omnibus rebus gratias agendi. Cujus rei ratio additur; *Quia hæc sit voluntas Dei in Christo Jesu erga nos.* In quo profecto eximius amor Dei, & caritas, & gratia erga nos elucet, quod nos indignissimos mortalium ad perpetuum secum commercium, non modo admittat; sed etiam invitet. Innuit autem hic Apostolus, quòd Deus dilectissimi Filii sui populum impensè diligat; unde apparet quantum nostrâ interfit, ut verus ejus populus deprehendamur.

Porrò, quamobrem nos velit Deus indesinenter orare, quærentibus illud occurrit, quod indesinenter nobis Deus benefaciat, quia infirma carne circumdati, ejusque simul, & mundi, & Satanæ tentationibus objecti, indesinenter ejus auxilio indigemus; quod ille quoque benigne suppeditat; sed ideò vult rogari, ut ista perpetua ab illo beneficia accipere nos sentiamus. Qui enim opem alicujus invocat, indigere sese gratia ejus sentit, & ostendit. Quam consecutus, non potest nisi grato erga benefacientem affectu impleri, atque adeo gratias ipsi pro omnibus agere. Multa enim sæpe Dei beneficia oblivioſâ negligentiâ, aut cæcâ, nescio quâ, inadvertentia transmittimus. Quæ tamen Deus sciri, agnosci, & sibi deberi, postulat. Nec enim aliter amor erga Deum nascitur & conciliatur. Ergo ut admissio nostri ad solium Dei, magni erga nos amoris divini vestigium est; ita agnitio amoris ejusdem erga nos, per tot assidua beneficia testati, mutuum, ac reciprocum in nobis erga eum amorem procreat. Atque ita preces conferunt nobis compendium assequendi res omnium desideratissimas, hoc est, amorem erga Deum, & Christum, qui non potest esse nisi magnes mutui erga nos Dei, atque Christi amoris.

Undecimum hoc præceptum (si quod usquam aliud) nobis ob oculos ponit, qualem statum *vers.* 19. 20. Ecclesiæ Christus in terris esse voluerit. Omnia enim eventura, aut quæ evenire potuerint, sapientissimè prospexit.

Omnia

Omnia præcepit, atque animo ſecum ante peregit.

Quemadmodum igitur, apoſtoſiam Eccleſiæ proſpiciens, perſecutiones ob religionem vetuit, quia videbat eo prætextu veris, ac genuinis Chriſtianis præſentiſſimum excidium, atque extirpationem eſſe metuendam: Ita, cum videret ſucceſſu temporis, aut moribus, aut erroribus laborantem Eccleſiam opus habituram aliquibus inſtrumentis, atque organis, quibus quaſi renovari, aut in integrum reſtitui poſſit; quales ſunt homines divinitùs ad magna aliqua opera patranda excitati; ejuſmodi hominibus ut aditum periculoſum eſſe, ita impedimenta objici noluit, quominus ipſi ad operam ipſi interris navandam uſui eſſe poſſent. Neque enim Chriſtus ipſe deſcendendo de cælis; ſed illinc Spiritum ſuum mittendo Eccleſiam ſuam regit. Nec ad certum hominum genus, atque in Eccleſia officium, multò minùs ad peculiarem aliquam terrarum portionem excellentiſſimum iſtud Spiritus ſui donum adſtrinxit: ſed liberum ſibi reliquit illius, in quemcunque mortalium velit, conferendi, aut diſpenſandi arbitrium. Nec ſinebat aliter fieri ipſa neceſſitas, atque adeo poſito libero arbitrio (quod, poſita virtute, poni neceſſe eſt) ipſius Eccleſiæ, Chriſtianis legibus gubernandæ, ratio. Nam, iſtis hypotheſibus poſitis, fieri non poterat, quin iſti quoque homines, qui ordinaria functione Eccleſiæ præſident, poſſent corrumpi. In quo caſu extraordinariis remediis viam præcludi non expediebat.

Ergo Spiritum extingui, prophetias ſperni in Eccleſia vetuit. Per ſpiritum inſtinctum aliquem divinum; per prophetias doctrinam, in rebus ad Dei gloriam, ad bonum religionis, ad Eccleſiæ ædificationem pertinentibus, intelligo. Ne tamen ad ſingula novationum momenta fluctuaret Eccleſia; præcipue quòd pro divino inſtinctu ſuum ſæpe numero ſubjiciat Satanas, præcepto huic ad incertos caſus congruum, addit antidotum, (*verſ.* 21.) *omnia probate*, inquit, *& quod bonum eſt tenete.* Probari igitur iſtos Spiritus, probari ipſis prophetias voluit. Sed enim aliquis in probandis, atque explorandis rebus iſtis difficultatem objiceret? Atqui Chriſtus facillimum, & cuique obvium modum explorandi Spiritus, atque prophetiæ tradidit, dum oſtendit unde inter veros, & falſos prophetas diſcrimen peti, atque agnoſci poſſit. Non ex verbis, aut ſermonibus, non vultu, aut geſtibus, non ex tunica, aut cucullo, non ex ullo alio externo ſigno, ſed *ex fructibus, ex operibus* ſuis, cognoſcuntur. *Matth.* VII. 16. Itaque, qui virtutem, ac pietatem, qualem Chriſtus, & Apoſtoli præceperunt, & opere præſtat, & conatu promovet; is pro vero Chriſti miniſtro, ac propheta amplectendus eſt; qui eam aut oppugnat, aut convellit, aut relaxat; is vero cane peius, & angue vitandus eſt. Cum enim quicquid eſt bonum, honeſtum, *pulchrum* (καλὸν) omni ope, & conatu conſectandum, ac tenendum ſit, (notanda hic anthitheſis inter verba (κατέχετε) *retinete*, & (ἀπέχεσθε) *abſtinete*, quæ *verſum* 21. cum 22. conjungit) ſi quid ſit non modo plane contrarium bono, & honeſto; ſed vel minimum ab illo diſcrepet, aut declinet, & ad malum proprius accedat, vitandum omninò, ac fugiendum. *Quod bonum eſt*, inquit, *tenete: à malo vero ita abſtinete, ut ſpeciem* ipſius fugiatis. Nec enim tantum Saluti ſuæ; ſed & alienæ ædificationi conſulendum.

Duodecimo, Voto quidem claudit Epiſtolam; ſed quod plenam conſolationis, & ſtimuli ad connitendum in negotio ſalutis doctrinam continet. Oſtendit enim (*verſ.* 23.) bona fide in eo negotio laborantibus præſto, ac præſens eſſe auxilium Dei; qui cum fidelis ſit, non ea mente nos diviniſſimis promiſſis ad ſe invitavit, ut nos fruſtratos, & irrito ſucceſſu laborantes à ſe dimitteret. Quo magis deteſtanda eſt illa doctrina, quæ Deum aperta voluntate, quibuſdam hominibus gratiam ſuam obtuliſſe docet; quam occultâ voluntate ipſis nequaquam daturum ſeſe eſſe decrevit.

Cæterum auxilium iſtud, quod ipſis à Deo precatur, iis verbis exprimit, *Deus* inquit *pacis*, hoc eſt, omnis felicitatis (ex Hebraiſmo) *ſanctificet vos integros*, ὁλοτελεῖς totos. Quomodo autem toti, atque integri ſanctificari debeant, oſtendit, enumerando omnes hominis partes ſanctificandas, hoc eſt ſine culpa, ſine reprehenſione, ſine macula, ac delicto conſervandas. Quæ hic ponuntur, tres, *Spiritus, anima, & corpus*. Per ſpiritum ipſum animum, atque illud rationale lumen, à Deo corporibus noſtris infuſum, quod omnes hominis actiones gubernare debet, intelligit; quod Poëta *divinæ auræ particulam* vocat. Per animam ignobiliorem illam iſtius compoſiti partem, per quam nobiliſſima mens cum vilitate corporis conjungitur; in qua paſſiones, & affectus, unica virtutum materia, reſident, & in quibus potiſſimum morali habitui, atque conſuetudini locus eſt. *Virtus enim eſt impreſſum appetitui rationis veſtigium.* Per corpus reliquum iſtud humanæ naturæ organum, quod oculis cernitur. Porro vocabulum ſanctificationis, & adverbium ἀμέμπτως, *inculpate* indicant, hic non de corporea aliqua in ſua integritate conſervatione; ſed de ſpirituali, & incorrupta vitæ ſanctimonia, ſecundum omnes iſtas hominis partes conſervanda, ſermonem eſſe. Ut enim in omnibus iſtis partibus peccari poteſt; ita in omnibus ſanctimoniæ locus eſt. Ac primum corpus purum, & integrum ab iis delictis, in quibus contra ipſum corpus peccari ſolet. 1. *Cor.* VI. 18., conſervandum eſt. Deinde Spiritus ab iis vitiis, in quibus Spiritualem naturam delicto ſuccumbere poſſe Satanas exemplo eſt, quæ vitia nobis cum ipſo ſunt communia; plane repurgandus eſt. Sed præcipue anima, per cupiditates, & paſſiones à recto in pravum ſæpe exorbitans, rationis, verbi Dei lumine illuſtratæ, fræno continenda eſt, ne tanquam effrenis equus ſeſſorem excutiat, aut in abrupta, ac præcipitia abripiat. Atque in his omnibus partibus noſtris Deus nos ſanctos, & irreprehenſibiles conſervare poteſt; ſi perpetuo invocetur; & præ oculis habeatur, atque ex animo diligatur.

Quomodo autem in adventu Domini noſtri, eæ partes noſtri conſervandæ dicantur, expendendum eſt. Nec ab uno voculam ἐν *in* poſſe explicari ex Hebraiſmo *propter*, ſicut *Matt.* VI. 7., ut ea conſervatio propter adventum, & in adventum Chriſti fieri intelligatur. Magis tamen placet, ut particula hæc, in proprio ſenſu accepta, cum adverbio ἀμέμπτως *irreprehenſibiliter*, cohæreat, & ab illo quaſi dependeat. Eo ſenſu, ut iſtæ omnes partes noſtri ità in ſuo laudabili ſtatu conſerventur, ut in adventu Domini, in quo judicium fiet de omnibus, nihil ſit, quod in illis merito reprehendi poſſit, *irreprehenſibiliter in adventu Domini.*

Verſ. 25. Precum, & interceſſionis pro ſe officium Apoſtolus poſtulat, quantò magis nunc unuſquiſque noſtrum ea ope indiget.

Verſ. 27. *Adjurat per Dominum*, ut hæc Epiſtola omnibus ſanctis fratribus legatur. Unde diſcimus. Primo, Spiritum Sanctum nolle, ut per ſolos rivulos vitalis iſta aqua in uſum ſanctorum deducatur, ſed ex ipſo fonte ab omnibus petatur. Et neminem eſſe in Eccleſia, qui non modo tutò, & abſque periculo; ſed etiam cum maximo fructu Sacram Scripturam legere non poſſit. Nam ſi Pauli

Epistolis legendis plebs Ecclesiæ non inepta videbatur, multo magis pervolvendis Evangeliis & Actis, & reliquis Sacræ Scripturæ voluminibus.

Secundo, Jam tum suspectam fuisse Apostolo in Ecclesia eorum indolem, qui clavem scientiæ sibi solis vendicabant, atque usurpabant, & reliquum populum à mysteriis reconditioribus arcebant. Alias cui bono ad promulgandam universo populo doctrinam suam tam violenter urgeret?

FINIS.

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES SECUNDAM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

NOn longo post missam primam epistolam tempore scriptam esse istam, multa indicio sunt. Primum, subscriptiones ad calcem adjectæ, quod ambæ Athenis missæ sint; ubi non nimium temporis contrivisse Apostolus legitur. Quas sine gravi causa in dubium vocare æquum non est. Deinde quod eorundem, quos sibi in prima epistola adjunxerat, fratrum nomine nunc quoque eos compellet. Neque enim Sylvanus, aut Timotheus longo nimium tempore ipsi conjuncti esse poterant; operas suas in prædicando Evangelio per totum orbem pro ratione occasionum in varia, & diversa loca dispertientes.

Sed præ cæteris non paucis rationibus ipse contextus epistolæ hujus indicat, eam non modo occasione prioris scriptam esse: sed etiam nihil aliud esse, nisi explicationem quandam, & explanationem ejus in præcipuo quodam doctrinæ Christianæ capite, in priori epistola proposito; simulque confirmationem præceptorum in eadem traditorum; non modo in specie in rebus, ad istam ipsam doctrinæ partem pertinentibus; sed etiam in genere omnium.

Si enim unam illam de tempore adventus Domini doctrinam, & speciale quoddam præceptum in rebus, ad eandem doctrinam pertinentibus, aut ex eâ dependentibus, excipias; nullum in ista epistola Speciale præceptum, aut monitum præter morem suum Apostolus proponit, nisi amicam quandam congratulationem, aut generalem cohortationem ad observanda ea, quæ ipsis sive per sermonem, sive per epistolam tradiderat.

Porrò ex prioris epistolæ *cap.* IV. 11., & 12. imo & 2. *Thess.* III. 10., discimus, non defuisse in ista Ecclesia homines otiosos, & inquietos, qui cum rem familiarem, atque domesticam non curarent, neque sibi propria industria victum quærerent, non modo aliis graves erant; sed negotium quoque facessebant; ut fere solet egestas homines ad artes indecoras, atque aliis noxias, aut molestas impellere. Quibus etiam Apostolus præceptum dederat; ut vellent πράσσειν τὰ ἴδια, *res suas agere*, & vel manibus suis victum sibi quærere; ne aliena ope, aut pravis artibus indigerent. Hos admodum credibile est; imo apertè liquet, doctrinam illam Apostoli de adventu Domini, & quidem subito, atque improviso (Vide 1. *Thess. cap.* V. 2. 3.) pravè ad suum otiosæ vitæ propositum detorsisse, & vitiis suis in isto dogmate patrocinium quæsisse & libenter arripuisse. Quis enim in necessariis vitæ istius caducæ parandis laborem suscipiat; quam sciat propinquo adventu Domini citò esse abrumpendam? Ea igitur opinione quidam decepti, alios quoque decipiebant, aut perturbabant. Primum igitur Apostolus errorem hunc animis hominum eximit, cap. secundo. Deinde capite tertio à sexto *versu* usque ad finem in delicta ex hoc errore promanantia, aut in eo patrocinium quærentia, quomodo sit animadvertendum, docet. Præter ista duo nullum fere speciale monitum epistola ista continet: quod in nulla alia Pauli epistola, nisi forte ad Philemonem, animadvertas. Cum igitur videamus errori huic, quem unicum in hac epistola Apostolus refellit, præbitam esse aliquam in priori epistola ansam, atque occasionem; & cum in utraque epistola cubile istius erroris manifestum deprehendatur in animis hominum otiosorum, &, ut Apostolus loquitur gratis alienum panem comedentium, res ipsa nobis etiam tacentibus loquitur, posteriorem istam epistolam prioris esse quandam appendicem, explanationem, & confirmationem; ac proinde non multo post illam scriptam.

Vers. 3. Quod in omnibus ubique epistolis gratias agit Deo pro maximis, quæ in credentes (ad quos scribit) Christianos contulerit, & conferat, beneficiis spiritualibus; id hoc loco sese ex debito, & incumbente sibi officio facere asserit: ut intelligamus nos quoque istiusmodi gratiâ Dei tangi, &, quemadmodum ad maximum gaudium; ita ad effusissimam Deo gratias agendi voluntatem exhortari deberi. Exprimit autem hanc officii rationem per voces Ὀφείλομεν *debemus*, & καθὼς ἄξιον ἐστὶ, *sicuti par & æquum*, ac dignum est. Digna enim est gratia Dei hac, ut ita loquar, regratificatione.

Explicat ista beneficia primum quod ὑπεραυξάνει, *superabundet; vehementer augescat*, insigne incrementum sumat fides eorum. Unde apparet, non esse prorsus inanem eorum opinionem, qui putant donum hoc Dei, hoc est, fidem esse in quodam successivo actu; ita ut, nisi proficiat, deficere, &, nisi augeatur, diminui eam necesse sit. Deinde quod caritas eorum, non omnium modo in corpore totius Ecclesiæ consideratorum: sed & uniuscujusque, ac singulorum, (πλεονάζει) quasi *superimpleatur*, & abundet. Caritatem autem nominat, ἡς ἀγάπην, hoc est, eam caritatis partem, quæ alibi *fraternus amor*, φιλαδελφία, vocatur, præcipua hujus præcipuæ virtutis pars, aut species. Sine dubio illam eorum caritatem hoc loco attingit, quam erga otiosos illos homines ostendebant, de quibus

diximus ; ut infrà ex capitis tertii *verſu* tredecimo patet.

Verſ. 4. Porrò ita fidem iſtam , & caritatem eorum commendat , ut ſeſe invicem in animos eorum inſinuet , non modo laudando nunc ea , quæ in ipſis laudabilia cenſebat , & auribus ipſorum dando iſtud officium : ſed etiam eorum laudes in aliis Eccleſiis ita prædicando , ut de ipſis quaſi gloriaretur. Addit autem ad laudes eorum inſignem illum fidei ipſorum fructum , *patientiam* (ex fide enim patientia proficiſcitur) *in omnibus perſecutionibus , & afflictionibus ipſorum.*

Verſ. 5. Quam eorum patientiam ut conſoletur , & confirmet vocat ἔνδειγμα *manifeſtum indicium* , atque documentum *juſti judicii* Dei , hoc eſt , illius ἀνταποδόσεως retributionis , quam etiam *Rom.* 11. 6. , & ſequentibus , explicat. Cujus ut illic , ita hic quoque duæ partes exponuntur. Prima , quæ reſpicit eos , qui per boni operis , & afflictionum patientiam gloriam , & honorem , & incorruptibilitatem quærunt. Quos , inquit , καταξιωθῆναι , hoc eſt , dignos judicari , atque ita tractari quaſi digni ſint , id eſt , quaſi dignos effici regno Dei.

Per eam enim ipſam afflictionem , quâ Deus dignari ſolet eos , quos amat ; non modo ipſe arctiori quodam vinculo favoris ſui cum ipſis conjungitur : ſed etiam quaſi publicè omnibus hominibus & Angelis oſtendit , dignos eſſe eos regno iſto cæleſti , pro quo patiuntur. Itaque , in iſta ipſa afflictionum pro regno Dei patientia , eſt quædam pars mercedis , ac retributionis , quæ datur in anteceſſum : quod ejuſmodi homines ſi patienter , & Chriſtianè ferant , quæ ipſis accidunt ; jam eo ipſo coràm Deo , & Angelis ejus digni cenſeri incipiunt promiſſo regni cæleſtis præmio ; ut multò firmiori , ac certiori ſpe illud ſibi deſpondere poſſint.

Probat autem *verſ.* 6. non debili argumento , ejuſmodi homines dignos haberi apud Deum , quibus hoc præmium conferatur , aut (ut verbis Apoſtoli inhæream) juſtum , & æquum eſſe apud Deum reddi ipſis hanc mercedem , pro qua patiuntur à contrario ; quia æquum , & *juſtum ſit apud eundem Deum* (qui nulla re magis irritatur , quàm quoties mortales pupillam oculi ejus lædere audent) innoxios *affligentibus reddere afflictionem.* Utitur enim voce , quæ & retribuere , & debitum reddere ſignificat ; ut innuat , pœnas , & præmia merentibus debitam eſſe retributionem. Porro in voce affligentibus afflictionem attingitur illa immutabilis , ut humano more loquar , Dei conſuetudo , qui per eadem potiſſimum homines punire ſolet , per quæ ipſi peccant , ut omnis maleficii artifices arte ſua pereant.

Ergò (*verſ.* 7.) viciſſim juſtum , & æquum eſt apud Deum afflictis innocentibus reddere & retribuere *relaxationem* ſeu liberationem. Qua voce utitur per Mioſin , ſignificans inenarrabilia vitæ cæleſtis ſolatia , atque gaudia ; quæ infra breviter *verſ.* 10. attingit. Confirmat autem ſpem eorum, quod afflictionibus eorum retribuenda eſſet relaxatio , & quaſi reſpiratio quædam : quia cauſam eorum cum ſua conjungit *nobiſcum* , μεθ' ὑμῶν , inquit. Nemo enim Theſſalonicenſium dubitabat laboribus , & afflictionibus Pauli paratum eſſe apud Deum præmium. Cum igitur doceret idem præmium ipſis à Deo eſſe expectandum , quod ſibi , non mediocriter ſpem eorum confirmaſſe videtur. Obſervandum autem eſt , quamvis Deus , & in hac vita quoque , tam perſecutoribus populi ſui , quàm ipſi populo ſuo condignam factorum mercedem reddere ſolet ; Apoſtolum tamen hic conſultò ſolius illius retributionis , quæ ſupremo die adventus Chriſti fiet , mentionem facere voluiſſe : quia ipſi propoſitum erat , ut diximus , neceſſariam de tempore adventus iſtius doctrinam tradere atque exortis in ea erroribus obviam ire.

Deſcribit autem adventum Domini , vocans eum *revelationem Domini Jeſu Chriſti à cælo , aut ex cælo, cum Angelis potentiæ ejus.* Revelationem Domini vocat , quia nunc abſconditus videtur hic Dominus , atque potentia ejus ; quemadmodum & vita noſtra abſcondita dicitur (*Coloſ.* III. 3.) cum Chriſto in Deo. Abſconditus autem præcipue apud eos , de quibus mox dicit *verſ.* 8. , quod Deum non norunt , & Evangelio non obediunt. Quanquam & reſpectu fidelium quodammodo abſconditus dici poteſt , quatenus corporeis oculis præſens non videtur : ſed ſola mente , ſoliſque , ut ſic loquar , fidei oculis percipitur. At tunc palàm , & præſens omnibus innoteſcet. Innoteſcet autem glorioſè cum Angelis potentiæ ſuæ , hoc eſt , aut *potentiſſimis* , uſitato Hebraiſmo : aut potius quibus in exerendâ potentiâ ſua utitur & per quos ſine dubio tam pios reſuſcitabit , quam impios perdet. Fit enim in hoc negotio mentio tubæ Archangelicæ ; & quod per Angelos ab omnibus terræ plagis fideles congregabuntur , per quos tam reſuſcitati , quam tranſmutati unâ in aërem in occurſum Domini abripientur. Angeli enim meſſores illi dicuntur , per quos colligentur zizania (*Matth.* XIII. 39. & 41.) ex regno Dei , & in caminum ignis conjicientur. Vide ibid. *verſ.* 49. & per illos fortaſſe deſtruet Dominus omnem principatum , poteſtatem , & potentiam hoſtilem 1. *Cor.* XV. 24. Quemadmodum enim magna pars potentiæ regum , & principum in terris in exercitibus eorum conſiſtit : ita Angeli dicuntur militia , & exercitus Dei , & Chriſti. Quòd autem *verſ.* 8. ſubnectit de igne flammæ (ubi notanda obiter tranſpoſitio pro flamma ignis) tam de ipſis Angelis intelligi poteſt , quam de immediatâ potentia Dei. De Angelis , qui *Heb.* 1. 7. dicuntur à Deo fieri flamma ignis ; niſi quod iſthic nulla eſt inuſitata tranſpoſitio. Quemadmodum enim elemento iſto nihil eſt validius , nihil celerius : ita in exequendis juſſis Domini nihil iſtis miniſtris cogitari poteſt potentius , aut expeditius. De illa vi , & potentia Dei qualiſcunque mente concipi poteſt , idem dici poteſt ; quæ non modo impios tam homines , quam ſpiritus cum omni eorum potentiâ : ſed etiam eorum domicilium ſempiterno excidio perdet. Quemadmodum enim in terrenis bellis hoſtium culpa interdum magna ſuppliciorum exempla meretur : ut non modo homines interficiantur , ſed urbes etiam diruantur , aut incendio deleantur ; ita longe huic ſpirituali bello , & tot ſeculorum malitioſæ rebellioni ejuſmodi Deus dabit exitium : qui in omnia poſt ventura ſecula æternum maneat memorabilis.

Hanc igitur *vindictam* , τοῦτο πρῶτον , prædicit hoc loco Apoſtolus *omnibus , Deum noſſe nolentibus* , & revelationi ejus , præcipuè verò per Chriſti Evangelium factæ , immorigeris , atque refractariis. *Æternum nimirum interitum , verſ.* 9. , *& rejectionem à facie Domini , & à gloria potentiæ ejus* ; hoc eſt , ab illo triumpho , qui poſt tam memorabilem victoriam maximâ quidem cum gloriâ Dei : ſed non minore omnium lætitia , & felicitate in æternum celebrabitur.

Deſcribit autem hunc triumphum *verſ.* 10. quia is illam partem exoptati hujus adventus Domini continet , quæ nobis in omnibus afflictionibus , Chriſti cauſa ſuſceptis , aut ſuſcipiendis , maximæ conſolationi eſſe debet.

Quòd nimirum *venturus ſit Dominus Jeſus , ut glorificetur in ſanctis ſuis , & admirabilis oſtendatur in omnibus credentibus* , & apud quos teſtimonium , & prædicatio Apoſtolica fidem invenit. Glorificabitur autem Dominus in iis quos ipſe glorificabit ,

hoc

hoc est, quos ad vitæ sanctimoniam primum traductos, *transfiguratu corporibus humilitatis eorum (Philip. III. 21.) ut fiat conformia glorioso ipsius corpori*, ad tam excellentem statum transferet: ut inter beatos cæli indigenas, thronos, dominationes, principates, potestates, ac cælestes provincias, atque imperia sortiantur, & supra, quàm mortalis voti spes ascendere possit, glorificentur. In his profectò, ex miserrima sorte ad tam felicem, atque eminentem statum traductis, maximè admirabilis evadet.

Vers. 11. Non contentus igitur Deo gratias egisse, quod eos per afflictiones dignos reddere cæpisset regno suo, precare sese eundem, ait, ut eos porrò quoque dignos efficere tàm sublimi *vocatione* non desinat: & *compleat omnem complacentiam bonitatis, & opus fidei in potentia.* Vox *compleat* ostendit, non satis esse, ut aliquis regno Dei dignus effici incipiat: sed requiri, ut ad plenum dignitatis (ut sic loquar) hujus gradum perducatur. quod fit cum constanter, & firmiter in eo proficit; ut bonitas, & probitas ejus semper Deo placeat, & opera fidei ejus non sint infirma, & vacillantia, sed firmâ, & validâ benefaciendi, &, sanctè vivendi consuetudine corroborata. Tunc enim Deus *complet opus fidei in potentia*; cum ad ejusmodi constantem semper bene agendi habitum homines perducit: quod absque ipsorum hominum anxia cura, & contentione facere nec vult, nec solet.

Vers. 12. Finis & scopus sanctimoniæ nostræ est, ut inde Deus, atque ipse Christus fructum gloriæ suæ decerpat. Videntes enim homines, & Angeli bona opera nostra, glorificant Deum, cujus sapientiâ, atque potentiâ creatura tàm infirma, qualis est homo ratione sui corporis, *peragat opus fidei in potentiâ*; eademque opera pudefaciat hostem Dei Satanam, qui in statu longe nobiliori creatus, ut eventus ostendit, tantum non potuit. Cum autem Deus per Christum in nobis opus istud perficiat; ejusdem gloriæ, quàm Deus inde consequitur, non potest non esse particeps. Nisi quis malit hoc ad subjectam materiam referre; quia de ea Christi gloria egit Apostolus, quam ex glorificatione fidelium suorum consequitur. Hæc autem glorificatio non potest absque completo opere fidei, hoc est, habitu, & consuetudine actionum Deo placentium contingere. Ideo ait se precari Deum; ut propter Christi gloriam, quam consecuturus est ex suorum glorificatione, compleat in ipsis hoc opus fidei. Quæ explicatio confirmatur adjectis verbis *Et vos in ipso.* Quemadmodum enim nos in Christo glorificamur per illam nostri in futuro ævo exaltationem: ita glorificationem nominis Christi in nobis ad eandem futuri ævi exaltationem referendam esse videri potest. *Secundum gratiam Dei nostri & Domini Jesu.* Adjicit verba ista ad mentionem *glorificationis* nostræ, ut ejus tam primam, quam secundam, & instrumentalem causam ostendat. In negotio autem salutis nostræ omnia pater facit per filium, & sine eo nihil facit. Ergo quicquid gratiæ in felicitate nostra consequimur, utrique acceptum ferendum est.

CAPUT II.

Vers. 1. Doctrinam traditurus Apostolus non vulgarem, & necessitate quadam, atque utilitate commendabilem, non simpliciter illam proponit; sed ad attentionem simul excitandam, & præstantiam ejus indicandam præmittit preces; imò vero flagitationem, atque obtestationem per mentionem rei exoptatissimæ, *adventus* nimirum *Domini nostri Jesu Christi, & nostræ ad eum congregationis*, & cum ipso conjunctionis, quam explicuit superioris epistolæ *cap.* IV. 15, 16, 17.

Vers. 2. Petit igitur, ne *cito* facile mente sua concutiantur, aut dimoveantur, ac perterrefiant; quasi instaret cito dies Domini: sive quis id Spiritu prophetico prænunciare auderet; cujus rei occasionem aut prætextum dare poterat donum illud in Ecclesia non infrequens: sive *sermone*, ac persuadendi arte illis id insinuaret: sive denique conficta, quasi *ab Apostolo esset conscriptâ*, epistola ad eam fraudem abuteretur. Unde videmus, jam tum Apostoli temporibus non insolens fuisse in usurpandis, aut assimulandis donis Spiritus Sanctus fucum facere; non privatis tantum hominibus: sed totis Ecclesiis decipiendis. Imo etiam crimen falsi committi in subjiciendis suppositiis libellis, aut epistolis, tanquam ab Apostolis conscriptis. Ut mirum nullo modo videri possit, errores quosdam, eosque pudendos, istis artibus irrepsisse in vetustissimam primitivæ Ecclesiæ memoriam.

Dicit igitur *vers.* 3., *ne quis vos decipiat ullo modo*; quia supremus Christi dies non veniet; nisi prius venerit apostasia, defectio, rebellio, perduellio, ac recessio insignis populi Christi à Christo ad Antichristum. Antequam accuratius explicationem hanc proponamus, animadvertendum est; Spiritum illum Christi, in Ecclesia futuri præscium, & prænuncium, duo nobis prædixisse, ante hunc supremum diem eventura: quorum utrumque non in puncto temporis absolvendum esset; sed justam aliquam, & minimè brevem temporis durationem requireret. Quorum unum est, quod hic ex professo, & accurate prædicitur, quod ad infelicem, nec parvo temporis spatio duraturum Ecclesiæ statum pertinet, Apostasia videlicet ista Ecclesiæ, à Christo ad Antichristum defecturæ. Alterum est, quod ad feliciorem, &, isto miserabili statu, posteriorem Ecclesiæ conditionem spectat; excussio scilicet tyrannidis, & interitus regni, ac potentiæ Antichristi; (quod ipsum quoque, sed brevius, tangitur.) &, quam eodem tempore eventuram esse, consentaneum est, conversio reliquiarum populi Judaici ad Christiani. Ut enim nulla re magis populus iste in infidelitate sua retinetur, quàm invectis in Ecclesiam ab Antichristi spiritu erroribus, atque abusibus: ita hoc impedimento sublato, non potest ipsi, nisi patere aditus ad Christi Ecclesiam. Horum utrumque, & ipsa ista successiva ex uno statu in alterum & quasi contrarium, & adversum migratio, non parum temporis requirit: quod antequam effluat, differri adventum Domini necesse est. Quod si quis contendat, hoc unum tantum ex his duobus, quæ Christi adventum morantur, impedimentis hoc loco ab Apostolo proponi; certè vel unum istud ad propositum ejus sufficiebat: nec necesse est semper, ut uno in Scripturæ loco omnia simul, quæ ad rem facere possint congerantur, aut, quæ alioqui verissima sunt, doceantur.

Cæterum illud omninò patet, cum Apostolo utrumque horum impedimentorum non ignotum fuerit, quod nimirum, longam temporis moram postulante eventu suo, adventum Christi moraretur: nihil ab ejus mente alienius esse potuisse, quàm proponere hoc loco ejusmodi impedimentum, quod perbrevi, ac momentanea duratione sua parum, aut planè nihil adventum istum morare posset. qualis fuit Caj. Cæsaris quadriennio brevior vecordia, nec multò productius Simonis Magi imposturis suis immorientis ævum. Nam cætera refellere piget, nec Summorum virorum lapsibus insultandum est. Satis est si cunctis pateat, quid

Si Pergama dextra
Defendi possent; etiam hac defensa fuissent

Sed Πρωκτὸς λάτρα [illegible], nec Æthyopis colorem vel toto effuso Athlantico oceano abluas. Prædicatur igitur hoc loco miserandus ille Ecclesiæ à purâ Christi doctrinâ ad impura Antichristi dogmata deficientis status. Hoc enim significat vox ἀποστασία *defectionis*. Et quia omnis defectio relationem quandam habet ad duas partes; alteram à quâ; alteram ad quam deficitur: nec obscurum esse possit, à quo ista defectio fieri deberet iis, qui probè nossent Christum, hoc est doctrinam, & regnum ejus in Ecclesia; ideo partem illam, ad quam defectio ista facienda esset, duntaxat exponit accuratius *vers.* 3., & 4., & sequentibus. Partem autem istam esse ait Antichristum, hoc est, doctrinam, & regnum ipsius. Apostasian enim non simpliciter à Christo, aut religione Christi: sed tantum à sana doctrina, ab Apostolis purè prædicatâ, ad errores varios, qui nullo alio modo nisi Antichristi tyrannide, & potentia in religione Christiana propagari, & conservari poterant, futuram fuisse; vel id documento est, quod is, in cujus rem ista apostasia fieri debuit, hoc est, Antichristus *in ipsa Ecclesia Dei sessurus fuisse* dicatur. Non igitur à religione, sed à veritate doctrinæ religionis hæc discessio futura erat.

Quia vero non uno isto in loco Sacræ Scripturæ tam insignis, & memorabilis eventus prædictio exposita est; antequam in singulis loci istius verbis, ac sensibus immoremur, videndum est quomodo alibi locorum nobis prophetia ista proponatur. Defectio enim ista Ecclesiæ ad prava dogmata prædicta est tàm ab ipso Christo, quamvis obscurius, quàm ab Apostolis longe apertius, atque dilucidius.

A Christo prædicta videtur ubique locorum, in quibus cavendum esse monet à Pseudo-prophetis, vestitu ovium indutis, cum intus sint lupi rapaces. Sed præcipuè *Matth.* XXIV. 11. & 12., & *vers.* 24., ubi istos Pseudo-prophetas armatos fore, ait, signis, & prodigiis, ut seducere possint, si fieri queat, etiam electos quod idem hic infra *vers.* 9. dicitur & præterea *Marc.* XIII. 5. 6. & præcipuè *vers.* 22. Non omittendum autem est, quod utroque in loco citatorum, tam *Matth.* XXIV., quam *Mar.* XIII. imo *Lucæ* quoque XXI. 8.; quando & quoties Dominus de adventu suo (quod expresse fit *Matt.* XXIV. *vers.* tertio) aut de iis, quæ ad eum quoquomodo pertinere viderentur à discipulis interrogatur; tunc, & toties iis eam doctrinam inculcat; ut sibi ab impostoribus caveant: manifestè id innuens, quod hoc loco Apostolus adhuc apertius asserit, adventum ejus, & consummationem seculi, non fore priusquam Impostores, qui vel electos ipsos decipere conentur, adveniant. Sed & *Matth.* XXIV. 45.; aut potius 48. sub nomine mali Servi, præfecti familiæ Domini ut ipsis tempestivè suppeditaret alimenta, dilato in longum adventu Domini sui abusi, & conservos verberantis, atque opprimentis, & cum hominibus in hoc ævo fortunâ suâ ebriis deliciantis; vivis coloribus depingit *hominem istum peccati*, *filium perditionis*, de quo hic Paulus loquitur.

Porrò tam in Christi, quam ejus Apostolorum prædictionibus adversarium istum Christi, ejusque regnum duplici modo nobis describi, ac repræsentari vidimus.

Interdum enim de eo; tanquam de uno homine aut individuo Spiritus Sanctus loquitur: interdum quasi de pluribus. quia nunc ad unum principalem, ac præcipuum (quem magnum Antichristum vocare liceat) nunc ad præcursores ejus, aut complices, & administros, aut etiam simios, & imitatores respexit præterea nunc ad ipsam tyrannidem unius vel paucorum potestati supra cunctos usurpantis, omnia in Ecclesia subjicientem; nunc ad innumeros alios respexit, qui ad extruendum, & extollendum potestatis istius fastigium operas suas contulerunt; aut conferunt.

Ita Johannes 1. *Ep. cap.* II. 18. *Extremum tempus est* (ait) *& sicut audistis quod Antichristus adventat* (Magnus videlicet ille, & in ipsa ἀκμῇ *vigore* regni sui consideratus); *& nunc Antichristi multi exiterunt*; puta præcursores ejus, & mysterii illius, quod Apostolorum temporibus efficaciter (infrà *vers.* 7.) strui cæptum est, cooperarii; & qui prima futuri ejus regni structuræ fundamenta per varios errores, & abusus invectos posuere. Quorum primus, ac pestilentissimus error fuit Opinio, quod Jesus ille, seu ὁ σαρκὶ ἐληλυθὼς, qui in carne advenit, & in mortali statu natus est, & vixit; non fuerit aut non sit Christus; sed alius potius aliquis. Hanc opinionem Johannes dicit esse purum putum Antichristum, qui in primitiva Ecclesia quod extremis temporibus (ita vocantur præcipitantis jam ad occasum aurei illius Apostolici ævi tempora) venturus esset, prædictus est, Spiritu: quam etiam jam tum Apostolicis temporibus radices agere cæpisse 1. *Joh.* IV. 3. testatur.

Et epistola secunda idem *Joh. vers.* 7., *multos impostores ingressos esse in mundum, qui confiteri nollent illum Jesum, qui in carne venit, esse Christum.* Hos planos, & impostores, & Antichristos esse asserit. Non autem hæc de infidelibus dicit, qui in Jesum non crediderint, nec doctrinam ejus receperant; sed de iis, de quibus 1. *Joh.* II. 19. loquitur, quod *ex nobis exierunt*, hoc est, qui in receptam jam à se doctrinam Christianam ejusmodi errores inveherent. Eodem modo Apostolus Paulus *Act.* XX. 29. 30. ait, *Scio quod post discessum meum ingredientur lupi graves, non parcentes gregi: Et ex vobis ipsis exsurgent viri, loquentes perversa,* διεστραμμένα, *ut abstrahant discipulos post se.*

Non extra Ecclesiam igitur cavendus, timendus, aut expectandus proponebatur Antichristus; sed intra viscera, ac præcordia Ecclesiæ semina, & initia pestis hujus jam tum fovebantur: &, foveri affirmabantur. Subintraverant enim, ac *subrepserunt*, παρεισδύσαν, intra gremium Ecclesiæ, ut ait Judas *vers.* 4.; jam tum Apostolorum ævo quidam homines, quibus nihil minus erat cordi, quàm religio, aut Dei, Christivè caritas. Subrepserant autem juxta prædictionem Christi ipsius, & Apostolorum ejus. ideò προγεγραμμένοι, hoc est, prædictos, voce, ac scripto prænunciatos eos, ait, *non decretos*; quid enim opus erat? cum ad mentem Judæ Apostoli satis sit prænunciatos eos esse, quod infrà clarius explicat *vers* 17. *Vos autem dilecti recordamini verborum prædictorum vobis ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi. quod dixerint vobis, quia in extremo tempore venient illusores, secundum suas concupiscentias ambulantes, Psychici, Spiritum non habentes:* sed præcipuè (quæ nota, character, ac specifica eorum differentia observanda est) ἀποδιορίζοντες ἑαυτούς. *Separantes sese*, hoc est, scindentes Ecclesiam, excommunicantes alios, & ejicientes ex Ecclesia. qualis fuit ille φιλοπρωτεύων *amans primarum partium*, in Ecclesia Diotrephes, 2. *Joh. vers.* 9. & 10. Inhærebat autem istiusmodi hominibus insana cupiditas, atque ambitio, non modo abstrahendi post se discipulos; quod Paulus ait: sed etiam totam Ecclesiam ad nutum suum pertrahendi; qui Spiritus non divisor tantum; sed oppressor Ecclesiæ, jam tunc in scintillis suis erumpebat, atque emicabat, magnum suo tempore excitaturus Antichristi incendium.

Quia

Quia vero de iisdem hominibus Judas, de quibus & Petrus in epistola secunda, loqui videtur; quod ex iisdem planè coloribus, quibus ab utroque Apostolo depinguntur, clarissimè patet; animadvertendum quo signo isti pseudoprophetæ à veris Christi prophetis, atque doctoribus dignosci potuerint. Non alio certè, quam quod Christus ostendit *Matth.* VII. 16., Ex fructibus suis cognoscendi erunt. Qui erunt, *post carnem (2. Pet.* II. 10.) *in cupiditate pollutionis ambulare, voluptatibus indulgere (Ibid. vers.* 12. 13.) *oculos plenos adulterii, & , indesinentis peccati.* Cor exercitatum in avaritia habere (*vers.* 14.) Superba vanitatis dogmata crepare. Inescare homines in cupiditatibus carnis. (*Ibid. vers.* 18.) Dominationes aspernari; *potestates, & δόξας, audere convitiis (vers.* 10.) *gratiam Dei transferre ad lasciviam. Judæ* IV. Carnem polluere; Dominationem autem rejicere, hoc est, Magistratus obsequium *sine timore scipsos pascere, vers.* 12. *despumare suas pudendas ignominias vers.* 13. Ore suo loqui superba, & tumida, atque

Projicere ampullas, & sesquipedalia verba

admirari personas utilitatis gratia. *vers.* 16. Quæ omnia signa characteristica describere non piguit, ut videamus, an plerisque proximis apostolicorum temporum episcopis, multo magis autem posteriorum seculorum Antistitibus, convenire ad amussim, aut congruere nequeant, quod profectò multum ad rem facit: nec à consilio, aut monito Christi alienum est.

Notandum autem est, præter unum Jacobum, cujus unica, eaque perbrevis epistola extat, neminem esse ex Apostolis, quorum scripta ad nos pervenerunt; qui Antichristi, aut ejus præcursorum, vel ministrorum, quos ipsos quoque Johannes epistolæ: *cap. secundo* Antichristos vocat, aut expressam, aut satis significantem mentionem non fecerint Petrus, Johannes, Judas, Paulus &c. Ipse Petrus, præter ea, quæ secundæ epistolæ cap. secundo planè cum totâ Judæ epistolâ convenientia tradit; capite tertio iterum prophetiam hanc *vers.* 3. inculcat: atque ut ostenderet sese de iisdem loqui, de quibus & hoc loco Paulus: asserit eos adventum Domini anteversuros, atque adeò ipsa adventus Domini morâ abusuros ad illusionem doctrinæ Evangelicæ, & Religionis Christi. Paulus vero passim etiam in Actis apud Lucam (*Act.* xx., in sermone ad Ephesios, & Milesios fratres: sed præcipuè 1. *Tim.* IV. ab initio prædictam hoc loco apostasian explicat. *Spiritus* inquit *expresse dicit, quod posterioribus temporibus deficient (ἀποστήσονται) quidam à fide adjicientes animum. (προσέχοντες) Spiritibus deceptionis & doctrinis dæmoniorum.*

Depingit autem illos istiusmodi coloribus: *primum in genere, futuri sint in hypocrisi falsiloqui, cauteriatam habentes conscientiam.* Deinde in specie tangit duo, quæ isti homines introducturi erant, dogmata; alterum *de cælibatu*; alterum de *delectu ciborum*, quorum utrumque ad *corporalem exercitationem*, quam ibidem damnat, pertinet.

Mox in epistola secundo ad eundem *Timoth. cap.* III. extremis temporibus exstituros homines prædicit qui cum omnibus vitiis addicti, & obnoxii futuri sint: tamen *habituros speciem quandam pietatis*, quamvis ejus vim omnem enervaturi sint, prænunciat: & paulo post mox in eadem epistola *cap.* IV. 3. *tempus fore*, præmonet, *quo sanam doctrinam homines non ferent:* Sed *secundum cupiditates proprias sibi ipsis coacervabunt*, (ἐπισωρεύσουσι) *doctores.* (multos enim plausibilium, & jucundorum errorum doctores esse necesse est; nec ullius rei facilior, & copiosior est annona.) *Prurientes auditu. Et à veritate quidem aures avertent; ad fabulas autem convertentur.* Atque hæc causa esse debuit, irritans iram adversus eos divinam: ut ipsis mitteret efficaciam erroris; de qua paulò post loquitur. Hæc ideò præmisimus, ut omnibus patere posset rem istam, quam Apostolus hoc loco prædicit non fortuito ipsi excidisse; neque ab illo solo: sed à Christo, & omnibus fere Apostolis; neque ab ipso, uno in isto loco: sed pluribus aliis prædictum, atque adeo inculcatum esse. Deinde prophetiam istam, non de ulla alia re; sed de ea ipsa explicandam esse, de qua aliæ similes prophetiæ loquuntur, hoc est, de defectione à sana doctrina Christi, (quam homines, qui lucem oderant, ferre non poterant; quia erant mala opera ipsorum) ad errores, & gratas carni imposturas, quas in Ecclesiam invecturus erat Antichristus. Inanem igitur operam suscipiunt viri summi, qui prophetiam hanc de ejusmodi rebus explicant, quæ prædici nullo modo merebantur. Quia etiamsi hæc epistola periisset plurima tamen vaticinia Spiritus Sancti eadem de re aliunde non defuissent.

Nunc ad istam ipsam prophetiam explicandam accedamus. Duo autem hic prædicuntur, quæ ab aliis quoque prædicta ostendimus. Multi Antichristi, aut perduellionis adversus Christum rei; & unus Antichristus, qui præcipuus dux perduellium. Multi Antichristi quorum alii præcursores, alii administri, alii sectatores, aut imitatores intelliguntur, denotantur per vocem ἀποστασία, quæ hoc loco plurium defectionem, & quasi generalem conspirationem in sana doctrinâ abjicienda significat de quibus 1. *Tim.* IV. ait, quod tales homines *deficient* (ἀποστήσονται), à fide (ut supra ostendimus.) quodque multi ejusmodi doctores futuri essent. ideo 2. *Tim.* IV. 3. dicit eos (ἐπισωρεύσουσι) hoc est, *coacervatum iri:* ex doctorum autem multitudine discipulorum multitudo æstimanda est. Sed & Petrus 2. *Pet.* II. 1. expresse dicit, multos abituros in partes pseudoprophetarum, & falsorum magistrorum; quos venturos prænunciavit.

Unus autem Antichristus, puta principalis, ac præcipuus describitur quod sit *homo peccati*, hoc est, non modo ipse peccatis deditus, scatens, & coopertus; sed qui alios quoque peccare faciat, & quasi publicè ad peccandum omnibus signum tollat, omnium peccantium Dux sit; quemadmodum *Apoc.* XVII. dicitur illa meretrix vino fornicationis suæ inebriare omnes gentes *vers.* 3.

Deinde *filius perditionis*; quia & ipse periturus, & multos alios perditurus sit. Hebraismus frequentissimus, ut filii lucis, filii tenebrarum.

Tertio *vers.* 4. ὁ ἀντικείμενος *Adversarius Opponens sese.* Cui autem sese opponat alibi docetur. Vocatur enim Antichristus, Christi adversarius, quia Spiritus ipsius Christi Spiritui repugnat. Hic enim est mitis, mansuetus, modestus, & humilis omnes ad se pertrahens sed nonnisi volentes; imo cupientes blandè invitans *Matth.* XI.; ille contrà insolens, atrox, superbus, & efferens sese suprà omnia; omnes vel invitos, ac repugnantes sibi subigere; & minis, atque malo coactos in obsequium redigere atque adeo conscientiis imperare connitens.

Hæc spirituum differentia in hoc negotio plurimum notanda est; quia nihil est, quod Antichristum magis cum Christo committat, quàm ejusmodi spirituum collisio, dum ista bestia, prima fronte agni cornua ostentans, deinceps loquitur ut Draco. quemadmodum vero ex sermone hominem; ita ex doctrina, quam tradit, Antichristum dignoscas. Quæ sanè doctrina dupliciter eum in Christum injurium esse ostendit; primùm, quod populum ejus liberum, & ingenuum, mollique Domini sui imperio assuetum,

assuetum, despotico dominatu, & conscientiarum tyrannide opprimat. Deinde, quod in tam insigni injuriâ Spiritum, atque instinctum Domini sui fraudulenter, & contumeliosè mentiatur: id ipsum Christo tribuens, à quo ille quàm alienissimum se esse ostendit, quodque, tanquam rem pudendam, atque ignominiosam sibi affingi, non potest non indignari.

Quarto dicitur idem Antichristus efferens, *extollens seſe.* ὑπεραιρόμενος, *supra omne, quod dicitur Deus*; aut σέβασμα *numen*; seu id, quod colitur, cuique divinus, aut divino proximus cultus, atque honos defertur. Ex hoc loco autem patet vocem Dei non uno modo sumi: sed generalem esse, & quæ non paucas significationis suæ species complectatur. Usurpatur aut impropriè, ut cum venter Deus quorundam dicitur; aut propriè de sublimi aliqua, & vera potestate. Et in hac ipsa proprie significatione; aut principaliter, ut cum de eo dicatur, qui habeat omnipotentiam: hoc est potestatem in cælo, & in terra; aut Analogicè. Habet enim, & participat semper omnis analogia ultra puram similitudinem; quippe cum natura sua aliquid trahat de vera, & propriè dicta significatione: quod in hac voce accidit. In principali significatione dicitur de Deo Patre, & filio, quorum uterque omnipotens est; nisi quod alter ex se ipso absolutam istam omnium rerum potestatem habeat: filius autem à patre. Quæ causa est, cur ex usu Sacræ Scripturæ. Vox hæc interdum absolutè, & κατ' ἐξοχήν soli Patri tribuatur. Analogicè dicuntur Dii, reliquæ omnes potestates, sive in cælo, sive in terra, quæ partem aliquam sublimis, ac supereminentis potestatis habeant: seu particularem potestatem; quemadmodum Archangeli, Monarchæ, ac terrarum Principes &c.

Ergo supra omnes istas potestates, quæ vocis hujus ambitu comprehenduntur, extollere sese *homo iste perditionis* dicitur. Ut enim *Philip.* 11. Christus ita exaltatus dicitur, ut ipsi omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & subterraneorum: ita hic homo peccati, primum potestatem suam, arroganter usurpatam, extendit ad subterranea regna, infernum videlicet, &, Platonici ingenii commentum, purgatorium: vendicans sibi jus, non ullis divinis legibus circumscriptum: sed arbitrarium, & absolutam potestatem damnandi, aut absolvendi homines ab iis, quæ utrobique ipsis metuenda proponuntur. Quo ipso subterraneorum genua in nomine suo flecti non obscurè postulat.

Porro terrenarum potestatum genua quàm rigidè ad sui adorationem inflectat, testantur illa beatorum pedum oscula, quæ hominis istius crepidis à regibus & monarchis terrarum figuntur. Denique supra cælestes potestates quomodo se efferat, docet id ipsum, quod se supra Dei, & Christi potestatem, idque in ipsa ejus Ecclesia; & longo quidem intervallo extollat. Cum enim Deus mentibus omnium, præsertim in negotio religionis, libertatem arbitrii concesserit; ille durissimum regnum conscientiarum violenter invadit, & imperiosè exercet.

Cum Christus Ecclesiæ suæ, tanquam dilectæ sponsæ, suave jugum imponat, blando Spiritus sui instinctu eam regens, atque fovens: hic Sponsam domini sui, tanquam vile mancipium, serviliter, & contumeliosè tractat, despoticum, & herile dominium, non sine cogendi jure, & fundendi sanguinis potestate, in eam introducendo.

Nequis autem venturum istum Antichristum extra Ecclesiam somniare posset (quales fortè videri poterant aut gentiles magistratus, qui Christum in ejus populo oppugnabant, aut pseudoprophetæ, qui, introducta nova religione, novoque inter Deum, & homines mediatore, religionem Christi tollebant, & antiquabant, qualis fuit Mahometes. Quorum utrique suo modo adversari Christi dici possunt,) ait expresse ipsum fore intra ipsam Ecclesiam, quam *templum Dei* vocat. Nam si singuli fideles, eorumque corpora templa Dei à Spiritu Sancto dicuntur; multo magis è multis fidelibus collectum totius Ecclesiæ corpus, cui præsentia Dei, Christique longè celebriori, quàm singulis fidelium privilegio promissa est, templum, & quasi habitatio, & tabernaculum Dei dici potest, atque adeo dicitur. Præsertim cum templa manu facta, & propriè dicta, sine congregatione, hoc est, ecclesia eorum qui ad illa propter cultum Dei conveniunt, esse non soleant. Ita ut vox templi longè magis & propiori notione, ac significatu toti Ecclesiæ; quàm singulis in Ecclesia conveniat, & competat. Quamvis enim Deus, & Christus in cordibus quoque singulorum habitationem habere dicatur; tamen id longe nobiliori, & competentiori sensu de tota Ecclesia dicitur, quod sit Dei, Christique domicilium. Dicit igitur *sessurum* Antichristum *in templo Dei tanquam Deum*; non quod revera (ut sese statim Apostolus explicat) sit Deus, aut divina potestate, vel omnipotentia præditus: sed quod se stultis hominibus pro Deo venditet, & Deum esse quamvis falso ostendat.

Id autem cum multis aliis in rebus fit; tùm præcipuè remittendorum per se, & per alios peccatorum potestatem sibi usurpando; quod solius Dei, & Christi omnipotentiæ competit. Præterea creandis subinde novis Diis, cælique indigenis, aut indigetibus & hominum mortalium apotheosi; quibus sese eam excellentiam conferre credi vult, ut possint supra usitatum hominum cultum adorari, invocari; eoque ipso pro omnipotentibus, atque omnipræsentibus haberi. Quo nullum majus usurpatæ divinitatis, testimonium dari potest. Quippe cum eum, qui per ejusmodi suorum apotheoses sanctis omnipræsentiæ dignitatem, & invocationis privilegium donat: illis ipsis, & omnibus eorum similibus omnipotentiorem (ut ita dicam) & longe diviniorem credi necesse sit.

Vers. 5. Indicat doctrinam, quæ isto loco traditur, non fuisse ipsis ignotam; sed jam antea, & quidem uberius, ac sufficientius ipsis esse ab Apostolo explicatam; tanquam rem scitu dignam, & maximi momenti; quæ toties ipsis inculcari meruerit. Exhibebatur enim in illa remedium adversus scrupulos fidei, qui ex invehendorum mox in Ecclesiam errorum, & falsarum doctrinarum, & hæreseôn (quas venire fuit necesse) scandalis exorituri erant. Ergo Apostolus ipsos præmonuerat, apostasiam istam, seu recessionem à sana doctrina non modo superventuram certò: sed etiam citò; imo jam tunc in suis causis fuisse: nisi impedimento quodam, quominus in nervum, & in apertum erumperet, cohiberetur.

Vers. 6. Impedimentum etiam istud, ipsis fuisse notum versus sextus indicat; quamvis illud non exprimat, & soli conecturæ, ac divinationi locum relinquat. Quæ ne vana esset, effecit ingenua Hegesippi confessio apud Eusebium. qui fatetur, quamdiu ipsi Apostoli fuêre superstites, tamdiu Ecclesiam mansisse virginem: at postquam sacer Apostolorum Chorus differentem sortitus est exitum; tunc impii erroris conspirationem *nudo vertice*, hoc est, securè, & sine ullo metu imo impudenter erupisse, & puram illam, & genuinam ab Apostolis prædicatam veritatem oppressisse. Quibus coloribus melius tàm ipsam apostasia; quam ipsius impedimentum depingi potuit?

Mox *vers.* 7. exponit, quod *mysterium istud iniquitatis*,

quitatis, Paulo, & Apostolis viventibus adhuc, efficaciter jam in fieri, & in actum deduci cæperit: adeo ut jam vis, & efficacia ejus matureſceret, nec niſi impedimento quodam, quod mox amovendum eſſet, contineretur; ne in apertum erumperet, ac revelaretur.

Quo autem modo myſterium iſtud, Paulo, & Apoſtolis viventibus, non modo ortum ſit: ſed ad maturitatem quandam perduci cæperit, exponit Apoſtolus primum *Rom.* XVI. 17. dum monet, ut ſibi caveant, & declinent ab iis, *qui diſſidio, & ſcandala circa doctrinam, quam didicerant, faciebant; inſervientes in eo non Domino Jeſu, ſed ventri ſuo.* Faciebant autem id *per blandiloquentiam*; *& aſſentationem* διὰ τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας, quibus homines *bonos*, (ἀκάκους) *ſimplices*, & qui ex integritate ſua omnes æſtimarent, decipiebant. Proponebant ſua dogmata verbis valde bonis, & errores ſuos, dulci quodam bonitatis muſto temperatos, propinabant. Hos tales, in Romana Eccleſia fuiſſe ex hoc loco liquet. Etiam fuiſſe & in Corinthia, ex *Cap.* XV. primæ epiſtolæ *verſ.* 12. patet, qui præcipuum doctrinæ Chriſtianæ caput de reſurrectione ſubruebant; & ex *cap.* X. ſecundæ epiſtolæ, qui Apoſtoli auctoritatem palàm, & ex profeſſo oppugnabant, & elevabant; traducentes ipſum, *tanquam ſecundum carnem ambularet*; qui ſe efferebant adverſus cognitionem Dei; detrectantes doctrinæ Chriſti obſequium 1. *Cor.* X. 5. contra quos aſſerendo auctoritatem ſuam tota illâ epiſtolâ pugnat. Vocat autem eos *Cap.* XI. 13. *falſos Apoſtolos, operarios doloſos; quia ſe transfigurarent in Apoſtolos Chriſti, quemadmodum Satanas ſolet ſe transfigurare in Angelum lucis.* Eodem plane modo, quo adverſarius Chriſti ſeſe transfiguraturus erat in miniſtrum, & vicarium Chriſti; cum vel eo ipſo Pſeudo-Chriſtum ſe oſtenſurus eſſet: quod ſe ſupra Chriſtum, imò ipſum Deum eſſe exaltaturus; uſurpando ſibi poteſtatem ſupra populum Dei; quam neque ipſe Deus, neque Chriſtus uſurpat. Fuiſſe ejuſmodi homines & in Eccleſia Galatica apparet ex *Gal.* I. 7. quod ibi non defuerint, qui voluerant invertere, *& immutare* (μεταστρέψαι) Evangelium Chriſti; *qui faſcinaverunt Galatas veritati non obſequi. Gal.* III. 1.; qui excludere ipſos ab illa genuina, ab Apoſtolo prædicata, veritate volebant: ut ſuam apud eos auctoritatem ſtabilirent *Gal.* IV. 17. qui volebant ἐυπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ *Specioſi apparere in carne*, *Gal.* VI. 12. hoc eſt, carnalis iſtius, & oculis omnium objectæ ſanctimoniæ ſpecie fucum omnibus facere. Carnalem vero, aut Corporalem γυμναίαν *exercitationem*, Apoſtolus vocat ceremonialem, & in oculos incurrentem Dei cultum. Qua in ἐυπροσωπήσει (liceat ita loqui) *ſpecioſa apparentia* regnum Antichriſti excellere debuiſſe 2. *Tim.* III. 5. legimus. *Ultimis enim diebus exorituri erant homines, habentes ſpeciem*; & efformationem: ſeu adumbrationem *quandam pietatis* (μόρφωσιν) *quamvis vim ejus planè rejecturi*; ac neglecturi eſſent. Fuiſſe ejuſmodi homines, in Epheſina quoque Eccleſia aut certe præparatos jam illic fuiſſe, & proclives aliquos, qui in *lupos, non parcentes gregi*, eſſent evaſuri, legimus *Actorum* XX. 29. niſi forte prophetia hæc ad Mileſios ibidem præſentes ſpectet. Quanquam, quod ad Epheſinam Eccleſiam attinet, diſcimus ex loco 1. *Tim.* I. 3. Timotheum ideo relictum Epheſi à Paulo, iſthinc proficiſcente in Macedoniam, ut illic impediret, *ne à quibuſdam aliena*, & ab Apoſtolica diverſa, *doctrina traderetur*; *neve homines fabulis, & inutilibus diſceptationibus occuparentur*, quæ ad pietatem nihil conferunt; & quæ potius quæſtiones, ac diſputationes; *quàm ædificationem in fide* procreabant. Quia enim homines à ſcopo *caritatis, bonæ conſcientiæ, & non ſimulatæ fidei* ad ſcopum ventris, aut lucri, aut vanæ gloriæ aberraverant: ideò loco veræ Theologiæ ad Matæologiam ſeu vaniloquentiam converſi fuerunt homines ambitione vaniloqui, *neſcientes ea, quæ dicebant*; *& quæ* magna contentione & obſtinatione *aſſeverabant.*

Quæ lineamenta, quia nunc in Antichriſto non videri tantum: ſed manibus palpari poſſunt: appareret tunc Epheſi quoque jam tum *myſterium* iſtud *iniquitatis* Antichriſtianæ peragi cæptum fuiſſe. Ejuſdem farinæ homines, qui ad *myſterium iniquitatis* operas ſuas conferebant non deerant in Philippenſi quoque Eccleſia (quos *canes*, *& malos operarios* Apoſtolus vocat) qui (ut ſupra diximus) in ſpecioſa carnali; & oculos hominum feriente rerum externarum obſervantia; præterea in juſtificatione ex operibus ſuis externis, proram & puppim Salutis ſuæ collocabant. Vide *Philip.* III. 2. 3. *& verſ.* 9.

Neque vero paucos iſtos; ſed plurimos paſſim fuiſſe, qui eorundem, aut ſimilium errorum auctores eſſent *Phil.* III. 18. legimus. *Multi* inquit *ambulant, (ut ſæpius dixi vobis, & nunc flens dico) inimici Crucis Chriſti; quorum finis perditio, quorum Deus venter, & gloria in ignominia ipſorum; terrena ſapientes*; & qui ultrà vitæ hujus ſolatia vota, & ſpes ſuas non jacularentur. Qui colores proprii ſunt regni Antichriſti, ut non mirum ſit, quod in præcurſoribus ejus deprehenderentur.

Sed præcipue ejuſdem furſuris homines regni, ac myſterii Antichriſti fabricatores in Eccleſia Coloſſenſi notantur; qui cum ex Ethnicis, & gentibus eſſent ἐν πιθανολογίᾳ *in perſuadendi efficacia*: hoc eſt eloquentia, & perſuaſorii ſermonis probabilitate homines decipiebant: Imo vero *per philoſophiam, & vanam impoſturam, per traditiones hominum*, & elementa dogmatum mundi *Coloſ.* II. 4., *& 8.*, fideles circumveniebant, & veritatis poſſeſſione ſpoliabant. qui in ciborum delectu, dierum obſervatione; præterea in voluntario cultu cælicolarum, aut Angelorum, ut quidem illi putabant, in ſpecioſa afflictione carnis, in obſequio præceptis, & inſtitutis hominum præſtito, religionem collocabant. quæ res veræ ſanctimoniæ vim, ac perfectionem minimè implebant, & nullius pretii erant; quamvis ſpeciem aliquam ſapientiæ, & pietatis haberent. Vide *Coloſ.* II. *verſ.* ultimo. Quæ cuncta lineamenta in præſenti vultu Antichriſti, facile agnoſcas.

In Eccleſia vero Theſſalonicenſi vel iſtorum ipſorum hominum, qui in ſecunda iſta epiſtola redarguuntur, errores ad operationem myſterii Antichriſti conducebant: quod animos hominum expectatione feſtinati adventus Chriſti attonitos, aut etiam curioſa indagatione earum rerum, quas Deus ſciri noluit, occupatos, incautos redderent ad fraudes, inſidias, & impoſturas eorum, qui Antichriſti regnum, ac doctrinam ſenſim in Eccleſiam introducebant. Cum tamen ſaluberrimo ipſius Chriſti monitu, in id potius incumbendum, atque adeo excubandum eſſet; ne pſeudoprophetarum inſidiis Eccleſiæ circumvenirentur. Ideò, videmus (ut ſupra monuimus) Chriſtum quoties de adventu ſuo, aut ejus tempore rogatus eſt à diſcipulis; toties illis monitum cavendis pſeudoprophetis, qui adventum ejus anteceſſuri eſſent, inculcaſſe.

At iſti, qui mox venturum, & jamjam inſtantem ſupremum, & fatalem mundo diem fingebant, eo ipſo metum venturi Antichriſti, & curam impoſturarum ejus vitandarum excludebant.

Quod profectò fieri Satanæ, ſecundum cujus efficaciam venturus erat Antichriſtus, multum intererat; ut ad tanti periculi animadverſionem mentes hominum conſoporarentur. Ideò hic Spiritus, cum videret frequenti de venturo Antichriſto præmoni-

tione ab Apostolis obviam itum esse huic malo, ne expectatio venturi Antichristi ex animis hominum extirparetur commentus est aliud artificium, introducta opinione venturum quidem Antichristum: sed adventum ejus adventum Christi non toto quadriennio antegressurum. Quæ fabula adeò est absurda, & anilis; ut mirum sit eam cuiquam in mentem venire potuisse, qui hanc Apostoli epistolam legerit; imo vero qui Sacrorum librorum lectionem vel primis labris attigerit. Et tamen videmus eam in maximâ Ecclesiæ Christianæ parte invaluisse.

Nec in Ecclesia Cretensi defuisse homines sanæ doctrinæ contradicentes, *refractarios, vaniloquos (Tit. 1. 9., 10., 14.) impostores, deceptores, subvertentes veritatem, docentes ea, quæ non oportet, turpis lucri gratia (vers. 11.)* in epistola ad Titum legimus. Qui tametsi præcipuè ex circumcisione fuisse legantur: tamen eo ipso nec aliæ gentes ab eâ culpâ, in primis autem Cretenses (eo nomine ab Apostolo mendaces dicti) excluduntur. Ideoque ibidem sanæ doctrinæ non modo *Judaicæ fabulæ, quod ad Judæos:* sed etiam *præcepta hominum*, quod ad alios gentes pertinet, opponuntur.

Percurrimus Ecclesias omnes, per literas Pauli compellatas, & ostendimus nullam fuisse in qua non jam tunc vivente Apostolo pestis ista *mysterii* iniquitatis grassari inciperet; ut quivis facile intelligere posset, malum illud, quod jam tunc superstite Apostolorum Senatu tam latè serpere cæperat, planè publicum, atque epidemicum fuisse.

Quærat autem hoc loco quispiam, quid hoc ad Magni Antichristi mysterium pertineat; quod aliqui homines jam tunc aliquos errores in Ecclesiam inveherent, præsertim cum quidam eorum ab ea quoque Ecclesia, in qua Magnus Antichristus regnare creditur, damnentur, & multi errores dari possint, qui ad potestatem Antichristi stabiliendam nihil pertinere videantur.

Huic ego respondeo, primum nullum ex commemoratis erroribus dari posse; cujus vestigia aliqua in præsenti Antichristi doctrina deprehendi nequeant. quod per singulos currendo perfacilè ostendi potest.

Quippe cum ea nobis exhibeat Gentilissimum quendam cum Judaismo concretum. (Diversum panthera genus confusa Camelo.) Deinde ostendemus in genere, omnem errorem in Ecclesiam invectum, quia puræ religionis doctrinæ admixtus ab ejus veritate redarguitur, naturâ sua postulare; ut aliqua violenta potestate, aut conspiratione conservetur. Aliter enim durare, aut perennare non potest. Ergo ipsa errorum falsitas, & absurditas iniquitatem potestatis hujus, atque conscientiarum dominatus secum traxit, & invexit in Ecclesiam. Quis enim absurda, & sese destruentia credat, nisi coactus, aut necessitate aliquâ circumscriptus. Ex quibus autem causis & initiis pestis hæc, & contagio in Ecclesia serpere cæperit, & quæ fuerint errorum istorum incunabula, passim nobis Spiritus Sanctus ostendit. Primum Christus ipse docet homines, quorum sunt mala opera, odisse lucem; quæ patefacit eorum culpas, & nuditatem. Quærunt igitur tenebras, & comminiscuntur errores, in quorum latebris pravitas eorum delitescere possit. Deinde Paulus 1. *Tim.* 1. 5. & 6. ostendit, cum religionis totius scopus, & consummatio sit *caritas ex puro corde, bona conscientia, & fide non simulata*, homines ab eo scopo aberrantes, à recto tramite deflexisse: & à vera theologia ad ματαιολογίαν *vaniloquentiam conversos esse. Volebant enim esse legislatores* νομοδιδάσκαλοι, cum *tamen* ignorarent, quæ dicerent; & quæ magna contentione asseverarent. Tales homines jam tunc Apostolicis temporibus cæperunt ἑτεροδιδασκαλεῖν, hoc est *alienam* ab eâ, quam Apostoli prædicabant, *doctrinam tradere*, quos 1. *Tim.* VI. 3. & *seqq.* ita describit quod nollent accedere sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & *doctrinæ secundum pietatem, verum inflati essent; nihil scientes: sed ægrotantes circa quæstiones, & logomachias*, hoc est, *verborum* ambiguitates, & *cavillationes*. Sunt enim quidam interdum, qui, cum nihil novi afferant; nec in re ipsa multum ab aliis discrepent, in verbis tamen nudis magna movent certamina, maximas turbas excitant. Ex quibus *nascuntur invidiæ, rixæ, maledicentiæ pravæ suspiciones:* Perversæ exercitationes. (διαπαρατριβαὶ) hoc est, *disputationes hominum mente corruptorum*; & qui inter istiusmodi subtilium, aut futilium quæstiuncularum collisionem veritatem perdiderunt, (Nusquam enim facilius, quam inter flexiloquas verborum ambiguitates, perit veritas.) denique homines istiusmodi ita describit Apostolus, quòd in religionis negotio ita sint animati, ut arbitrentur religionis, ac pietatis professionem magno sibi *quæstui* esse debere.

Radix enim ut aliorum multorum, ita istorum quoque omnium in Ecclesia malorum est avaritia. Vitiorum igitur amor; sed præcipue, avaritia, & quæstus cupiditas (1. *Tim.* VI. 5. & *seqq.*) ventris cura (*Philip.* III. 18. 19.) imo voluptatum etiam consectatio (*Jacobi* IV. 1., & 3. 2. *Pet.* II. 10., & 13., 14. *Judæ vers.* 4., & 8., & 10., & 16.) denique ambitio, superbia, & animi inflatio, cum aliqui vellent discipulos trahere post se *Act.* XX. 30. cum vellent aliqui videri νομοδιδάσκαλοι, *legislatores*, (1. *Tim.* 1. 7.) aut διδάσκαλοι *doctores*, (*Jacobi* III. 1.) ὑπερογκα μεγαυχήματα φθεγγόμενοι. (2. *Pet.* II. 18. *Judæ vers.* 16) inflati (1. *Tim.* VI. 4.) hæ inquam fuere primæ errorum apostasiæ Antichristi viam munientium causæ. hæc initia, atque incunabula.

Cum autem dogmata etiam nonnulla, Antichristi spiritum redolentia, quibus veluti, signis doctrina ejus noscitari posset, Spiritus Sanctus attigerit; qualia fuere de cælibatu, & ciborum delectu præcepta; non omittendum est illud etiam peculiare Antichristi dogma, ex quo Spiritus *ejus homini illi, quondam ex Spiritu Sancto, concepto, & ex pura virgine nato, cui monitu Dei nomen Jesus*, hoc est, Servatoris inditum est; & qui mortem, & aculeum ejus, ac potentiam Satanæ vitâ, prædicatione, doctrinâ, & morte: sed præcipue resurrectione, & exaltatione sua debellavit; huic inquam homini infensus atque infestus cognoscitur. Dogma autem istud Johannes explicat, quod Jesus ille, Jesus, inquam, ille, qui de Spiritu Sancto conceptus est, & de quo *Matthæus cap.* 1. 20. dicit, quod τὸ (βρέφος) ἐν αὐτῇ (hoc est, in Mariâ virgine) fuerit γεννηθὲν. aut ut Latine explicem *illud quod fuit in Maria ex Spiritu Sancto genitum*; non esset Christus. 1. *Joh.* II. 22. & *cap.* IV. manifestissimo signo Spiritum Dei à Spiritu Antichristi dignosci ait; quod Dei quidem Spiritus doceat illum ipsum Jesum, qui in carne venerat; qui, in humili sorte natus, variis infirmitatibus, & morti ipsi obnoxius fuit: per resurrectionem factum esse, & longe excellentiori modo sic dictum Dei filium, populi Dei regem, à Deo unctum, & exaltatum, data illi omni potestate in cælo, & in terra, hoc est, collata ipsi divina, & omnibus numeris absoluta omnipotentia. Spiritus autem Antichristi (1. *Joh.* IV. 3.) doceat, non hunc ipsum Jesum, qui in carne venerat, hoc est, qui in mortali statu natus, mortique obnoxius fuit, (quod in divinam naturam & omnipotentiam non cadit:) esse verum Dei filium; cui una cum divina omnipotentia regnum populi Dei (cujus ratione etiam *Unctus Dei*, hoc est, Christus vocatur) & quæ jus istud & ἀξίωμα, cælestis Regis cum omni-

omnipotentia conjunctum consequuntur, cultus divinus, & adoratio, atque adeo invocatio debeatur, & competat: Sed alium omnino, isto tanto ut antiquiorem, ita excellentiorem; quanto divina natura, & conditio humanam imbecillitatem, & sortem excellentiâ superat.

Neque enim Antichristus nullum planè Christum aut fuisse; aut esse asseturus erat: ut qui in Ecclesia Christi sessurus, & regnaturus, & Christi potestatis prætextu in Ecclesia grassaturus fuisse prædiceretur: Sed tantum, non hunc qui in carne venerat.

Et profecto verba Johannis sensum alium non admittunt. Pauci enim impostorum aut Pseudoprophetarum fuerunt, aut esse potuerunt, qui Jesum illum hominem natum esse, hoc est, in carne venisse negaverint. Non magis enim hæc res, post exortum Christianismum, ex memoria hominum erui, & extirpari potuit; quam factum infectum reddi. Sed ejusmodi homines plurimi esse potuerunt, atque fuerunt, qui cultum, & honorem Christi officio, ac regio muneri debitum, homini illi Jesu nomine vocato, & pro nobis crucifixo subtraherent, & eum quodammodo in alium transferrent. Quodammodo inquam. Neque prudentior enim fuit Satanas, & is, qui secundum ejus efficaciam venit, Antichristus, quàm ut res ad suum scopum non plane necessarias consectando: ultrò sibi difficultates destinatæ rei perficiendæ objicerent. Neque enim ut Antichristus, aut Satanas scopum, ad quem collineabat, attingeret, eò impudentiæ ipsum progredi necesse fuit; ut plane alium Christum, non modo reipsa, sed verbis quoque, & manifesta confessione sua introduceret; quod Christianis ad fraudem, & insidias animadvertendas occasionem dare potuisset. Sufficiebat, ut eum verbis quidem eundem esse jactaret; reipsa verò eodem tempore ea utrique tribueret, quæ uno, eodemque tempore simul, & semel uni, eidemque tribui nullo modo possunt. Quod sive ad subruendam penitus totam fidem nostram; sive ad exuendum hominem illum Jesum vero honore, & excellentia suâ satis fuit efficax. Nam quæ ad conciliandam tam differentium inter se naturarum pugnam, & asserendam identitatem homines vulgò commenti sunt; nonnisi entia rationis videntur.

Vers. 8. Sed ut ad verba Apostoli redeamus; describit is Antichristum *vers.* 8. per vocem, aut epitheton ἄνομον *exlex*, *sine lege*, hoc est, qui se legibus omnibus solutum esse velit. Quæ proprietas ejus fluit ex illa superbiâ, & arrogantia suprà descripta; quod se extollat supra omnem divinam potestatem. Quomodo enim is præscriptas ab aliqua potestate leges observet, qui se supra omnem potestatem extollat; etiam divinam, idque in ipsius Dei ecclesia: ac ferre potiùs omnibus legem, non autem cuiquam ab alia potestate latæ auscultare, aut obsequi velit. Describendo autem tàm tristem, & miserabilem Ecclesiæ faciem, addit eodem *vers.* 8. solatium, fidelibus necessarium, tyrannum hunc, qui in Ecclesia dominationem absolutam, & nullis legibus circumscriptam occupaturus esset, sublatum iri *à Domino spiritu oris ejus.*

In quo animadvertendum primùm, utrumque Ecclesiæ statum à Spiritu Sancto prædictum, hoc est, tam apostasian à sana doctrinâ Christi ad commenta Antichristi; & occupandam ab Antichristo tyrannidem; quàm abolitionem istius tyrannidis, & liberationem Ecclesiæ, ac, quod eodem tempore fieri necesse est, reditu Christianorum ex apostasiâ ad sanam doctrinam. Utrumque enim pertinebat & ad præmonendos, & ad confirmandos animos fidelium. Deinde explicanda sunt verba, quibus utraque ista prophetia exponitur. Primum quod ad Prophetiam de regni Christi adventu attinet, dicitur *revelandus* esse hic exlex tyrannus; hoc est, quod tunc in occulto, & arcano, ac soli Spiritui Sancto cognito mysterio in Ecclesia gliscebat malum, sublato impedimento, quo coercebatur, patefactum iri omnibus. Asseruit enim regnum istud Antichristi, jam esse quodammodò in suis causis; nondum tamen aperte patefactum, quia nec perfectè stabilitum esse potuit superstite Apostolorum choro. Sed post discessum eorum ex hac vita (quod supra ex Hegesippo monuimus) tunc demum nudo vertice impiam erroris conspirationem in apertum erupturam, ut omnibus pateat. Consonat autem huic Hegesippi explicationi, quod dicit Paulus *Act.* xx. 29. *Ingredientur*, inquit, *post abitum meum lupi graves ad vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent, viri loquentes perversa,* (ἀποστρέψαι) *ut abstrahant discipulos post se.* Vox enim *abitus* (ἄφιξις) hoc loco non nudum illum abitum ipsius, aut iter Hierosolymam susceptum; sed discessum è vita significare videtur. Quod ad alteram prophetiæ partem attinet, hoc est, prophetiam de abolitione regni Antichristi; dicitur istud abolendum esse *Spiritu oris Christi.* Quod quamvis ita quoque intelligi possit, ut facilitatem designet abolendi istius regni, & summam Christi potentiam, vel potius omnipotentiam respectu ejus adversarii: quem ille non aliter aboliturus, & potentiam ejus dissipaturus sit; quàm nos flatu oris nostri dissipare solemus res fluxas, & ad quas abolendas magno conatu, & contentione nihil opus est: tamen *hic Spiritus oris Christi*, in sensu principaliori vim, *& efficaciam verbi, ac doctrinæ ipsius* designat.

Qui sensus illam quoque priorem non excludit; sed potius infert, ac supponit. Nam si verbo Dei, & doctrinæ veritatis, in Sacris libris traditæ, suus honos, suaque auctoritas constet; non minus facilè omnes Antichristi fabulæ, atque impostura dissipari possunt: quàm stipulæ validioris venti vehementia per aërem dispersæ. Quemadmodum & *illustris adventus Domini* ἐπιφάνεια *&* παρουσία *illustratio adventus sui*, non est necesse, ut hoc loco solum illum supremum Domini adventum, aut seculi consummationem significet. Quamvis enim verum sit perfectissimo, & illustrissimo modo regnum Dei: atque adeò ipsum Christum adventurum in consummatione seculi; tamen nihil repugnat, adventum ipsius illustrem dici quando aliquod insigne beneficium Ecclesiæ suæ exhibet, & auxilium affert. Dum enim Ecclesia incommodis aliquibus afficitur: sed præcipuè dum errorum caligine obscuratur regnum Dei, ab eo quodammodo abesse, aut certe vim suam non ita, uti par est, exerere videtur. Ideo, ut adveniat regnum istud, perpetuo petere in precibus nostris jussi sumus. quod superfluum esset, si regnum istud perpetuo, & uniformiter in Ecclesia vigeret, ac floreret; quod ii somniant, qui Ecclesiæ auctoritatem, hoc est, unius in Ecclesia hominis potestatem, super omnia, & supra ipsius quoque verbi Dei fastigium extollunt.

Adest quidem Christus Ecclesiæ suæ semper, atque aderit usque ad consummationem seculi. *Matth.* xxviii. ultimo. Sed tamen interdum, judiciis divinis ita poscentibus (quod infra manifeste hoc loco dicitur) permittit Ecclesiam erroribus aliquibus involvi, connivet ad scelera eorum, qui in Ecclesia ejus tyrannidem occupant & pro libidine grassantur; ac *veritatem in injustitia detinent.* Quo tempore non est existimandum, eum populi sui curam abjecisse. Nunquam magis is in singulorum salutè procuranda vigilat; quàm cum universorum statum negligere videtur. Et militia nostra sub hoc Impe-

ratore non est ejus generis, qualis in terrenis bellis cernitur; ubi licet in utramque aurem stertere; dum alii pro nobis excubant. Hic unicuique pro seipso semper excubandum est. Unusquisque enim pro seipso separatum ab aliis bellum gerit. Nec, ut in corporalibus bellis fieri contingit, quisquam militum Christi aliena tantum culpâ perire potest, absque suâ, & quidem latissimâ. Seorsim igitur quisque imperatori suo militat; quamvis caritatis, aut etiam peculiaris alicujus officii vinculo, agmini cæterorum cohæreat. Potest igitur in aliquâ Ecclesia regnum Satanæ grassari, in qua tamen ne Christo quidem regnum suum desit: qui non numero universorum, sed virtute singulorum hostem suum Satanam oppugnat, atque ejus opera destruit. Cæterum ut apostasian hanc justissimo Dei judicio in Ecclesia permitti: ita eandem non semper duraturam ex hoc eodem loco discimus. Tunc igitur cum Christus miserabilem hunc oppressæ Ecclesiæ statum in longe beatiorem ejusdem liberatæ conditionem convertet; annon illustris adventus Domini dici poterit? Qui caliginem, & tenebras errorum, nubes, ac tempestates persecutionum propter veritatem dispellet: & in lætissimum, atque amœnissimum statum omnia convertet, ac restituet.

Atque ex hoc loco quoque utilissima, & his potissimum temporibus perneccessaria doctrina haurienda est; quod hic hostis Christi, non ab hominibus; sed ab ipso Christo debellandus sit, hoc est, non armis carnalibus; sed spiritualibus, sed præcipuè illo ancipiti gladio, qui penetrat ad intima cordium, imò mentium nostrarum, hoc est, *Verbo Dei*: quod meritò *spiritus oris Christi* vocatur. Non ideo tantum, quòd prædicatio Evangelii ab ipsius Christi prædicatione originem suam traxerit; sed etiam quod omnium, qui post eum Evangelium annunciarunt, prædicatio spiritu, & instinctu ipsius Christi gubernata sit, & nunc quoque eadem ab ipso semper gubernatur, ac dependeat.

Vers. 9. Pergit in describendo adventu Antichristi; Cujus primum potentiam, & versutiam exponit, magna admiratione dignam. Deinde consilium Dei in permittenda ista Antichristi potentia & versutiæ efficacia. Potentia hæc, & efficacia dicitur esse Satanæ. qui cum propter conniventiam Dei sit princeps & monarcha magnis viribus, magno imperio præpotens; sed præcipuè omni calliditatis artificio instructus, in isto Antichristi regno exerere debuit omnem vim tàm potentiæ, quàm consilii sui: atque ostendere omnibus, quibus ille viribus, qua versutia polleat.

Quia enim Deus in regno Christi constituendo, hoc est, in novæ creationis negotio, stupendum, & admirabile omnibus potentiæ simul, & sapientiæ speciem edidit; simius Dei, Satan in exstruendo regno Antichristi suæ quoque versutiæ, ac virium specimen edere conatus est. Et quemadmodum Deus in illustribus illis miraculis per Christum, & Apostolos ejus patratis: sed præcipuè in, omnium miraculorum compendio, resuscitatione, &, quæ eam mox consecuta est, exaltatione Christi exeruit vim supremæ illius omnipotentiæ suæ: ita Satanas in miraculis per Antichristum, ejusque antesignanos, vel anteambulones, sive etiam Satellites factis, suam quoque potentiam inclarescere voluit. Pariter sicuti Deus in ejusmodi via Salutis hominibus proponenda, quam ingredi, aut in ea progredi, ac perseverare nisi summa probitate, ac virtute præditi non possent, sapientiam suam hominibus patefecit; ita & Satanas quoque, in via ad felicitatem per Antichristum proponenda, versutiam suam omnibus ostendit, dum incurrentes in oculos omnium difficultates quasdam in ἀφειδίᾳ τοῦ σώματος, *non parcendo corpore* (Col. II. 23.) atque in corporali gymnasia, 1. *Tim.* IV. in cælibatu, in ciborum delectu, & abstinentia exhibuit; per quas hominibus stultis, & propter stultitiam suam perituris in Antichristi doctrina veræ, & inaffectatæ sanctimoniæ fidem faceret.

Itaque separatim Apostolus; versu quidem nono *signa, & prodigia*, quæ potentiam Satanæ; versu autem decimo omnem *deceptionem injustitiæ*, quæ versutiam, & calliditatem ejus ostendunt, commemorat; addito isto utrobique discrimine; quod & vim Satanæ à potentia Dei, & versutiam à sapientia ejusdem manifestè discernat: Dei enim potentia vera & omnibus, Angelis & Archangelis æternum stupenda miracula, Satanæ vis falsa, & quorum impostura ab hominibus quoque animadverti soleat; quæque non multum circulatorum artificio excellat, miracula exhibet. Dei Sapientia homines per veram virtutis viam ad Salutem ducit; Satanæ versutia homines per falsam, subdolem, & iniquam deceptionem (in quo species pietatis, pro vera ejus vi, & formâ intrinseca venditatur) in perditionem præcipitat.

Ideo Satanæ miracula dicuntur σήμεια, καὶ τέρατα ψεύδους, *Signa, & prodigia mendacii*. Sive enim aliquid ex vero trahant; quia falsitate, & mendacio fidem adstruunt; sive falsa & apparentia duntaxat sint, quia oculis hominum fascinatis veri miraculi speciem, ac omnia mentiuntur; jure *miracula mendacii dicuntur*. Sed nec prætereundum est hoc loco insigne in confingendis istiusmodi miraculis Antichristi artificium. Cum enim eorum, qui Sanctimoniæ opinione celebrantur, apotheosin non nisi post fata eorum celebrare soleat; & interdum admodum sero: nec ista apotheosis, & in Sanctorum numerum cooptatio, absque fide miraculorum rata esse posse videatur; conquiruntur sæpe longo post obitum eorum intervallo, ambitione eorum, qui apotheosin hanc commodo suo urgent, miraculorum testimonia ex dubiâ, & exoleta senum, aut aniculârum memoriâ: cujus fides quanti sit facienda prudentiores facile odorantur. Reminiscuntur enim quidam sæpe eorum, quæ nemo unquam vidit, aut audivit; & in ejusmodi inquisitionibus, multum eorum imposturæ licet, qui mundi decipi cupidum decipiunt. Versutia quoque Satanæ in propaganda doctrina Antichristi; quia & doctores ejus veniunt in vestitu ovium (ut ait Christus) intus autem sunt *lupi rapaces*; vel ut Paulus ait, *lupi graves*; & ipsa quoque doctrina falsa specie; & larvæ externæ pietatis hominibus imponit, eosque ad perditionem adducit; meritò hic dicitur *Impostura, ac deceptio injustitiæ in iis qui pereunt*, ἀπάτη τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. Ubi maximè notandum est, Imposturam istam Satanæ, & Antichristi omnibus quidem hominibus admodum esse noxiam, ac periculosam, & monitu Christi maximè cavendam. Non tamen lethaliter, nocere, nisi iis, qui pereunt, hoc est, suâ culpâ pereunt. Perditio vero hominum non ex Deo est; sed ex ipsis hominibus. Ideo non frustra hoc loco pestifera vis, & malignitas istius *deceptionis injustæ* limitatur, ac restringitur ad eos solos, qui pereunt. quo ipso non obscurè ostenditur non defore alios, quibus ista deceptio Antichristi periculum quidem maximum allatura; nec minores in via salutis difficultates superandas obiectura; non tamen usque ad interitum nocitura sit, nempe eos, qui eodem versu non obscure describuntur, quod caritatem veritatis receperint, ut salventur. Quid autem per caritatem veritatis intelligat Apostolus, non obscurum est. Voces enim hæ duplici sensu intelligi possunt, qui tamen inter se non ita pugnent, quin simul in hoc loco locum habere

habere possint. *Caritas* enim *veritatis* aut propriè amorem ac studium veri, & aversationem falsi significat: aut, quod malim, noto Hebræorum idiotismo, veram, & non fucatam caritatem, hoc est, morum sanctimoniam & pietatem; qui plenior sensus est, quod vera caritas, & pietas veritatis quoque ipsius amorem comprehendat.

Unde patet etiam in regno Antichristi per tot secula esse potuisse & sine ullo dubio fuisse non paucos, qui caritatem veritatis receperunt, ut salvarentur. Nec enim adeo misere à Satana per violentiam Antichristi vastari Ecclesiam Christus passus est, ut regnum ejus in ipsa plane aboliretur, aut fundamenta religionis, hoc est, res plane ad salutem necessariæ, subverterentur; quamvis res ad eandem utilissimæ sublatæ, atque eversæ sint. Quod vel ex eo patet, quia sacrarum Literarum authoritas, quamvis non mediocriter concussa, everti tamen non potuerit. quo adminiculo relicto, aditus ad veram pietatem nemini præcludi potuit. Senserunt id ante nos plurimi alii: Sed plerique hoc secretum vulgari nolebant, metuentes forsitan, ne homines, etiam in Antichristi Ecclesiâ viam ad salutem petere posse persuasi, veritatis partes metu persecutionum desererent. quasi deesset longe violentissima necessitas, quæ eos, quibus majora cognitionis Dei talenta concredita sunt, ad propugnandam constantiam æterni supplicii metu adstringat. non igitur hæc veritatis sententia peccandi licentiam adfert; & tamen, ad enervanda validissima quæque adversariorum pro autoritate Ecclesiæ argumenta, est mire efficax. Nec enim par est ratio eorum, qui nunc ab agnita veritate resiliunt; cum iis, quibus olim impostura ista nihil nocuit: cum essent vere, & ex animo pii; publicos autem errores, & abusus aut subtiliores quidem non satis intellexerint; crassiores autem, aut propter incumbentem Ecclesiæ tyrannidem arguere non ausi sint, cum eorum tollendorum nulla tunc spes affulgere posset; aut, si quid in eam pio studio conati sunt, id per eandem Antichristi dominationem suppressum, imo in contrarium mutatum, & falso, ac mendaciter posteritati traditum sit. Cujus spiritus, cum sit spiritus mendacii, à patre mendacii Satana profectus, jam inde à temporibus Apostolicis verorum librorum suppressione, aut, per ejusmodi pravam industriam, qualis hæc in indicibus expurgatoriis cernitur, facta interpolatione, falsorum suppositione, narrationibus fabulosis, atque in fraudem, ac deceptionem posteritatis confictis commentis (quod & hodie ita facit, ut in manifesto falsi flagitio frequentissime deprehendatur) in Ecclesiâ adeo grassatus est; ut nobis veram cognitionem rerum, in Ecclesia post conscripta Acta Apostolica gestarum, plane abstulerit. Ita ut Dionisius Petavius fateri coactus est libro Rationarium temporum.

Quo tam manifesto indicio non obscure colligitur, ideo auctores rerum tunc gestarum suppressos; quia narratio rerum illius ævi opinionibus, quæ post in Ecclesia invaluerunt, non posset esse non funesta, & exitialis. quod vel ex uno Hegesippi testimonio aperte liquet. Idem posterioribus quoque temporibus factitatum in tanta Ecclesiæ tyrannide, atque caligine quis dubitet?

Sed jam veniendum est ad consilium Dei in permittenda isthâ Satanæ per Antichristum exerta potentia, atque versutia. In quo causa istius consilii Dei ostenditur esse culpa eorum, qui per ejusmodi potentiam, ac versutiam Satanæ pereunt; ideoque justissimo Judicio Dei puniuntur. Cujus judiciorum ea est indoles, ut per quæ quis peccat, per eadem puniatur. Quia igitur homines isti per neglectum veræ pietatis, simulque puræ veritatis peccaturi erant; quæ res & natura sua simul sunt, & amorem peccati, atque unâ eorum, qui peccati fæditatem velant, & operiunt errorum fucum, necessario trahunt complacentiam; quia ex iis ipsis nascuntur & producuntur (Esca enim peccatorum homines ad quærendos errorum fucos, ac negligendam, imo fugiendam veritatem allicit.) Ideo justissimo Dei Judicio factum est, ut homines veritatis quidem cognitione, & quæ illam natura sua consequitur; vera pietate à Satana per Antichristum magna ex parte spoliarentur; errorum autem quos adamarunt caligine obruerentur; & non modo falsæ pietatis impostura deciperentur; Sed eorum quoque, quorum amore capti sunt, peccatorum illecebris, & omni injustitiæ genere pernicioſè implicarentur.

Hanc autem Judicii, & Supplicii divini executionem, his verbis describit *vers.* 11. Propter tam gravem hominum culpam (hoc est, neglectum veritatis) *mittet ipsis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio.* Quæ vox *mittet* non id significat, quod aliqua vi ipsius Dei per se agente, mentes eorum ista caligine pernicioſa essent obtenebrandæ: sed quod id fieri, & à Satana, non Dei; sed suum negotium agente, atque intendente, perfici, Deus permissurus esset.

Quoties enim Deus aut indurare aliquem, aut mittere efficaciam erroris alicui, aut mittere spiritum deceptionis vel vertiginis dicitur; aut quoties aliquid simile Deo tribuitur, id ad nudam Dei permissionem; non autem ullo modo ad ipsam ejus voluntatem referendum est: neque rerum adeo malarum Deus esse causa per se putandus est; licet earum alicubi causa (puta per accidens) esse dicatur.

Quamvis autem, quin Deus pro arbitrio suo, aut etiam pro hominum, indignationem ejus irritantium meritis, in decipiendis ipsis nunc plus, nunc minus Satanæ permittat; negare nolim: tamen hanc esse ordinariam rationem lentio, per quam Deus hominibus perditis, atque improbis, quos hic Apostolus *demonstrat qui pereunt*, vocat, *immittat* errores, aut *efficaciam erroris, ut credant mendacio.* quod semel ejusmodi viam salutis hominibus proposuerit; in quâ nobilissimo vivæ fidei, & excelsissimæ virtutis specimini locus esset. Quo fit, ut in ea plurimæ occurrant difficultates, & salebræ; plurimæ tentationes, quæ absque ope divinâ, quam sapientissimus Deus, plerumque nonnisi verâ virtute, & acerrimâ contentione in hoc certamine præliantibus ferre, ac submittere solet; superari nequeant. Unde apparet, præter eam difficultatem, quæ in singulis virtutum, ac vitiorum occasionibus superanda est: plures res, longè omnium difficillimas, Christianis hominibus occurrere; quæ ipsis viam, quam ingressi sunt, maxime arduam, & salebrosam reddant. Primo, Perpetuam, & jugem orandi in Spiritu Sancto assiduitatem. Neque enim Deus absque precibus, & invocatione nos quicquam obtinere voluit: juxta illud, *petite*, ut *accipiatis*. Neque rursus aut bruta demurmuratio, aut affectata in precando volubilitas in hoc negotio multum prodest; imo periculum est ne ob aliquam divinæ, ut ita loquar, præsentiæ irreverentiam multum noceat. Secundo, continuam, & indefessam in prospiciendis, & arripiendis virtutum; & fugiendis vitiorum occasionibus, vigilantiam: & ut in exercendis virtutibus invictam constantiam; ita adversus omnes vitiorum illecebras contumacem obstinationem.

Accedit tertio difficultas, quòd omnes, *quicunque volunt piè vivere in Christo persecutionem plerumque patiuntur*, si non ab alienis, saltem à suismet tribulibus. Has ob causas, & difficultates homines, qui peccati amorem deponere nequeunt, facile in

aliquos errores prolabuntur ; per quos sibi peccandi veniam faciant. Quos cum invitos obtorto collo Deus in viam veritatis reducere nolit ; fit ut continuata consuetudine tam in vitiis, quàm in erroribus suis proficiant : atque ita ipsis Deus tanto magis gratiam, opemque suam subtrahat, quantò ipsi longius à Deo discedunt, ac digrediuntur. Non igitur Deus malitiam in iis procreat : sed eos in spontaneâ ; suaque propriâ culpâ accersitâ malitiâ obdurescere permittit. Nec fere aliâ ratione hominibus *efficaciam erroris mittit, ut credant mendacio :* nisi per istas insidias, & salebras ; quas esse, & latere in viis suis voluit, ut in iis soli justi progredi inoffenso pede possint ; improbi autem, ac perversi corruere cogantur. Notanda autem est antithesis, quam ponit *vers.* 12. opponendo eos, *qui credunt veritati* ; illis, quibus placuit injustitia, hoc est, qui peccati alterius, pluriumve amore teneatur : quæ pravitas quidem est voluntatis ; sed comitem semper, aut potius anteambulonem habens errorem in intellectu. Veritatis enim ea est natura, ut omne peccatum aversetur, & ex animis hominum stirpitus eruat. Quicunque igitur veritatem amant, & sectantur, eos vitiorum odio teneri necesse est : & contra, qui vitiorum amore capti sunt, veritati credere nequeunt.

Vers. 13. Cum exposuisset Apostolus tristem nuncium, ac prophetiam de infelici statu Ecclesiæ, quæ in apostasiam & Antichristi tyrannidem delabi debuit : opponit misere pereuntium & periclitantium conditioni statum eorum, ad quos scribit, felicem, ac beatum. Cujus nomine Deo perpetuas gratias agere debeat, quod eos plurimùm dilexerit, & elegerit eos ab ipso prædicationis principio ad Salutem in *sanctificatione Spiritus, & fide veritatis.*

Notanda est antithesis, atque oppositio veræ Christi Ecclesiæ adversus Antichristi gregem ; quod ille quidem ideo non crediderit veritati, quia ipsi *complacuerit in injustitia* ἐυδοκήσαντι ἐν τῇ ἀδικίᾳ. Vera autem Christi Ecclesia à principio prædicationis constanter permansit *in fide veritatis* ; quia permansit in *Spiritu Sanctificationis*, hoc est, in vita sancta, & pia, & secundum spiritum ; non secundum carnem transigenda.

Hæc est vero vocatio Dei in Evangelio *(vers.* 14.) Ad eam rem nos *vocat*, & invitat Deus *per Evangelium ; ut acquiramus gloriam Domini nostri Jesu Christi.* περιποίησις *acquisitio* gloriæ Domini nostri, hoc est, ut Dominum nostrum in sanctimonia vitæ spiritualis, glorioſæ quoque ipsius resurrectionis, & exaltationis pro modulo nostro participes fiamus : Si enim ipsi compatimur, & conregnabimus.

Hortatur igitur, *vers.* 15., ut *Stent*, hoc est, constanter persistant, & perseverent in ista doctrina, quam ab eo sive per prædicationem, & sermonem, sive per epistolam acceperunt. Deinde precatur, ut ipse Dominus noster Jesus Christus *(vers.* 16.) atque adeo *Deus*, & *pater noster, qui nos dilexit, ac dedit consolationem æternam, & Spem bonam in gratia sua*, Consoletur omnium corda & stabiliat, confirmet, corroboret vos omnes in omni sermone, atque opere bono.

CAPUT III.

MOdestiæ, & humilitatis Apostoli specimen est, quod sese toties eorum, quibus scribit, precibus commendet ; quasi illorum intercessio pluris apud Deum esset, quàm præces ipsuismet propriæ. Sed & inde colligitur quantum Apostolus tribuerit publicis in Ecclesia precibus. Addit autem rationem quo libentius præces pro ipso ad Deum funderent. *Ut* inquit *sermo Dei currat, & glorificetur sicut, & apud vos.* Cum enim nos in precibus primum gloriæ divinæ, ejusque regni, & obsequii ; curam habere Christus ipse docuerit ; necesse est, ut pro iis maximè, qui gloriam, & regnum Dei promovent, preces ad Deum interponamus.

Vers. 2. Et quia præmiserat admonitionem de hominibus, negotium Antichristi in Ecclesia agentibus ; qui jam *mysterium* illud *iniquitatis* operari cæperant ; decuit illud quoque in præcibus Ecclesiæ interseri, ut fideles eriperentur, ac liberarentur à fraudibus, & laqueis istiusmodi hominum impostorum. *Non enim omnium* ; inquit, *est fides.* De iis, qui jam ad Ecclesiam accesserant, non de externis Apostolorum loqui, res ipsa indicat. Quis enim ignoravit, infidelium non esse fidem ? Sed ne omni Spiritui crederetur inter eos, qui se credidisse jactabant ; præmonendi fuerunt fideles. *Vers.* 3. *Fidelis* inquit *Deus.* Sæpius hoc loquendi modo utitur Apostolus, quoties auxilium aliquod cælitùs nomine Dei promittit ; ut de eo nihil dubitemus, Dei auxilium nusquam nobis defore, modo nos ipsi nobismetipsis non desimus.

Fidelis vero est Deus.

Vers. 4. Pertinet hoc ad cohortationis efficaciam, virtutem, ad quam stimulos addimus, commendare in iis, quos hortamur. Excitat enim hæc res majus ad id studium,

——— *laudata virtus*
Crescit ; & immensum gloria calcar habet.

Confidimus, inquit, *in Domino de vobis*, quod, quæ annunciamus vobis, & facitis, & facietis. Concludit cohortationem voto, & comprecatione ; optans, ut *Dominus dirigat corda* eorum *ad caritatem Dei & patientiam Christi. Caritas Dei* omne pietatis officium complexa est. Qui enim diligit Deum, earum rerum studio ducitur, quas Deo placere novit : Deoque in omnibus paret, ac sese accommodat, nec est quicquam tam arduam, quod in gratiam ejus non ultrà, ac libenter faciat. *Patientia vero Christi*, hoc est talis, qualis in Christo eluxit, eximium decus, & laudem, & vinculum aliquod cum Deo continet. In eo enim maximam in conspectu ejus gloriam assequimur : atque ita longè strictius quàm ante Deo conjungimur ; quando aliquid in gratiam ejus, vel propter eum patimur : ut Christus fecit. Breviter caritas Dei præstat, ut omnia in gratiam Dei piè, & amanter faciamus. Patientia vero Christi, ut omnia in gratiam ejus alacriter, & fortiter patiamur, Christum Ducem secuti.

Vers. 6. Aggreditur alterum illud ex specialibus præceptis ; propter quæ istam ipsis epistolam misit. Quia enim opinio illa de propero adventu Christi ; quam suprà refutavit, aliquos eorum ad otiosum, & inordinatum vitæ genus impulerat ; præcipit primum ut in ejusmodi fratres, puta ut resipiscant, pœnis Ecclesiasticis animadvertant usque ad *versum* 12. mox *versu* 12. istos ipsos fratres admonet, ne in istos animadverti necesse sit. admonet simul & alios, quibus ab istis fratres erant oneri, ne benefaciendo defatigentur. *vers.* 13. redit deinde *versu* 14. & 15. ad pœnas istas Ecclesiasticas ; & ostendit quales esse debeant, usque ad finem epistolæ. Tandem vota, & apprecationem adjicit *vers.* 16., & mox salutationem, aut subscriptionem epistolæ. denique eâdem propemodum apprecatione, quâ cæperat, claudit epistolam. Quæ omnia eodem ordine examinabimus.

Quod

Quod attinet animadversiones Ecclesiasticas, vocat pœnam istam στέλλεσθαι ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος, id est subtrahere conversationem suam omni *fratri inordinatè ambulanti*.

In quo Ecclesiastica puniendi mansuetudo disertè exprimitur. Qui enim isto modo puniebantur nullo corporali malo reipsa afficiebantur. Sed tantum aliquo Spirituali bono destituebantur; ut pudore affecti tanto promptius ad officium redirent.

Deinde explicatur quid sit istud *inordinate ambulare*. *Non secundum*, inquit, *traditionem quam accipit à nobis*, quod statim explicat. παράδοσις ista potest significare nudum exemplum Apostoli. Mores enim, & instituta majorum, aut magistrorum, à quibus vivere discimus, etiamsi nulla specialia præcepta accedant, possunt dici *traditiones*. Sed exemplo Apostoli ad imitandum exposito, accessisse *præceptum*, παραγγελίαν ex 1. *ep. cap.* IV. 11. discimus & infra ex *vers.* 10. Quid autem illud fuerit, in quo se proponebat ad imitandum Apostolus, pro sapientia sua exprimere non omisit; primum in vocibus οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν, *non inordinatè viximus inter vos. vers.* 7.

Deinde vers. 8. *neque gratis panem cujusquam comedimus: sed laborem nocte dieque fuscepimus, ne quenquam gravaremus.* Ataxian igitur istam, & ordinis confusionem non in eo collocabat Apostolus, quod aliquis ab illiberalium artium aut sellularii opificii usu abstineret; in quo nulla est injustitia; nulla inhonestas, atque iniquitas: si quis alioqui habeat unde vivat. Sed in eo; quod aliqui cum ipsi propria industria victum sibi quærere gravarentur, gratis alienum panem comederent, & aliis essent oneri. hoc autem adeo iniquum est, & societati repugnans; ut non modo in benè constitutis Rebuspub: sed ne in apum quidem societate toleretur, quæ

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Vers. 9. Tanto autem validius excitare poterat Apostolus exemplo suo omnes ad imitationem sui; quod ipsi liceret *gratis alienum panem comedere*, & fratribus esse oneri.

Non igitur tantum præcepto; sed etiam exemplo suo ostendere voluit iis, quibus res honestè parta, aut eam parandi copia deesset; tantam esse necessitatem *laborandi*, quantam & edendi.

Vers. 10. Ut *qui nollet* (ἐργάζεσθαι) *laborare*, eum oporteret etiam nolle cibum capere.

Sed vox ἐργάζεσθαι superstitiosis interpretibus nihil prodest, cum sit generalior, quam ut solum manuum laborem, qualis in artificum officinis adhibetur, significet. Nam *Matth.* XXV. 16. hæc vox usurpatur de quærendo ex impensis pecuniis lucro. & multa sunt vitæ genera, multæ actiones, quibus in victu quærendo tantundem efficitur, quantum manufacturâ, quam vocant; & nulla earum esse potest, absque aliquâ cura, & labore, atque industriâ, ac forte quoque manuum operâ.

Proinde ii, quos *vers.* 11. describit Apostolus μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, *nihil laborantes; sed inanium rerum curiosè fatagentes*; non eo nomine accusabantur ab Apostolo, quod manibus non laborarent: sed quod nihil omnino agerent: verum otio indulgerent. Quod, cum Satanæ pulvinar esse dicatur, homines semper non modo ad περίεργα, hoc est, curiosa: sed ad noxia quoque, præsertim aliis, & ipsis perniciosa adducit.

Quibus enim nullus est honestus, quo occupentur, labor, ii sunt omnium hominum periculo, ab insidiis Satanæ imminenti, maxime expositi, ac patentes; non modo ratione habitâ cupiditatum, quæ in illos potissimum debacchantur:

(Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.)

sed etiam ratione negotii, quod aliis semper iniquè facessere solent. Nihil vero inquietius est, hominibus quiete sua abutentibus.

Hi ut plurimum solent esse ἀλλοτριεπίσκοποι, *alienarum rerum inspectores*; unde simultates, lites, & jurgia nascuntur. Sed, ut desint cætera, illa ipsis affatim supereat querelarum, obtrectationum, *traductionum* simultatum materies, quod cum alieno labore partis bonis fruantur; & isti, qui ipsis ignavis, & otiosis vitæ necessaria suppeditant, non possint non esse iniquitatis, & culpæ eorum conscii; quod inordinatè, & non secundum præscriptum doctrinæ Apostolicæ vivant, atque ipsos iniquo onere aggravent; interdum sibi veniam faciunt, ne ipsis omnia ex animi sententia suppeditent. Unde primum delicatorum istorum iniquissimæ offensiones, obtrectationes; mox eorum, qui ipsorum onera humeris suis portant, justissimæ querelæ, post dissidia, accusationes mutuæ, & maximæ in Ecclesia turbæ nascuntur.

Meritò igitur Apostolus homines istos otiosos *vers.* 12. & quidem non sine aliqua severitate, & potestate per Dominum nostrum Jesum Christum admonet; ut, cum *tranquillitate* & *pace* (μετ' ἡσυχίας) laborantes, suum ipsorum panem edant. *vers.* 12. Sed nec omittit admonitionem eorum fratrum, quibuscum isti otiosi; & ἀτάκτως περιπατοῦντες, committebantur. Hortatur vero eos quoque: sed blandè, nec tanquam de superiori loco potestate Domini utens: sed ut fratres compellans, & roganti propior *vers.* 13. *ne fatigentur, aut segnescant in benefaciendo*, hoc est, in alendis, ac tolerandis fratribus, licet inordinatè viventibus. Nec enim istis ipsis, qui cum hominibus ingratis suorum beneficiorum collidebantur, præcipit Apostolus animadversionem in istos otiosos, & ingratos: sed toti Ecclesiæ: separare enim aliquem à consortio suo, & non conversari cum illo; non erat in potestate unius: sed universæ Ecclesiæ. Nam istis hominibus beneficis contrarium præcipit; videlicet ut in beneficentiâ suâ perseverent.

Vers. 14. Si verò homines otiosi, ne sic quidem ultro resipiscant, duplici stimulo eos ad pudorem, & verecundiam compelli imperat. Primùm ut nomina ipsorum per epistolam deferantur ad ipsum Apostolum. Quod medium non modo pudorem ipsis incutere poterat: sed etiam aliquod ab ipso Apostolo, efficaciori Spiritus vi ipsos admonente, remedium. Deinde ut conversatione eorum abstinerent: qua ignominia perculsi, ad pudorem, & pœnitentiam adigerentur. Sed posteriorem animadversionem ità moderatur, ne denegatio ista conversationis degeneraret in inimicitias: sed ut tamen fraternum amorem ipsis exhiberent; *admonendo ipsos tanquam fratres vers.* 15. Nec enim istis, qui peccant *non ad mortem*, hoc est, qui sanabiles adhuc & patientes remedii videntur Christianæ caritatis remedia deneganda sunt. Nec planè omnis amicitia, aut omne commercium renunciandum est: Sed solis insanabilibus; Vide 1. *Joh.* v. 16.

Vers. 16. Optat, & precatur utrique fratrum inter se dissentientium, de quibus egimus, generi *pacem* per omnia, & in omnibus ab eo, qui est *Dominus Pacis*. Ut enim Deus ipse est Deus pacis, & pacem facientes, procurantes, & colentes filios suos vocat: ita Christus quoque est *Dominus pacis*, & pacem, quam suis dedit, & reliquit; pacem inquam; omne felicitatis genus continentem, ab omnibus requirit: eamque quærentibus, & consectantibus benignissimè largitur. Optat & ipsius præsentiam, hoc est, præsentissimam opem omnibus. Mox manus suæ subscriptione epistolam confirmat. Unde patet, exceptâ forte epistolâ ad Ga-

latas

latas (vide *Gal.* VI. 11.) nullam suis manibus scripsisse epistolam : sed singulas duntaxat subscriptionibus manus suæ signasse. Subscriptiones autem istæ non videntur esse nominis ipsius Pauli : sed istius apprecationis, quam hoc loco verbis istis, οὕτω γράφω *ita scribo* subjicit, hoc est, *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis Amen.* quæ supra quoque alienâ manu scripta extabat : sed nunc ipsius Pauli manu adjicitur. quamvis non semper iisdem verbis hæc apprecatio scriberetur : sed interdum brevius, ut *Colos.* IV. 18. ; interdum prolixius, ut 1. *Cor.* XVI. 12. & *Rom.* XVI. 24.

8. *Octobris, quo die ante biennium post adversi prælii casum è præsentissimo periculo ereptus sum.*

PARALIPOMENA quædam.

SPiritus Antichristi, qui Ecclesiam densa errorum caligine involvere debuit, jam tum Apostolicis temporibus erumpere ceperat, 1. *Joh.* II. verum non palàm : sed occultè pestis hæc irrepsit. Ideo mysterium à Paulo dicitur 2. *Thess.* II. quod illo quoque vivente, qui longè ante Johannem vivere desiit, operari cæptum sit.

Primus autem, & potissimus error fuit ; per quem versutia Satanæ connixa est, ut illustre illud prædicatæ ab Apostolis veritatis jubar deliquium pateretur, quem Johannes commemorat ; quòd cum videret Satan mortem, ac resurrectionem hominis illius, qui, tanquam Dux aliorum Salutis, in seipso vel (ne à communi Stylo Theologorum abeam) in persona sua ostendit omnibus ; quàm certa sint promissa Dei, per se, & Apostolos suos humano generi prædicata, & in eodem, qui tam arctè nobiscum conjunctus est, ut caput vocetur, & Sponsus Ecclesiæ, jam repræsentata ; ac per id fidem in omnibus salutiferam efficaciter procrearet, & firmissimè conservaret : hoc primum, ac potissimum fundamentum religionis nostræ moliri, ac demoliri aggressus est ; atque hominibus persuadere cæpit, Christum illum, qui resuscitatus, & exaltatus est in naturâ suâ non fuisse revera hominem : vel quod eodem recidit : (quia hæc mutuò reciprocantur) illum, quem omnes naturâ suâ sciebant, &, ab ipsa Apostolorum prædicatione edocti, credebant fuisse hominem ; quia in carne venit in mundum, qui vocatus est Jesus, non esse Christum, hoc est, sic dictum unigenitum filium Dei præcipue, ac principaliter : sed præter, & ante ipsum fuisse alium hoc nomine Christi longe digniorem, & qui tanquam rex populi Dei divino cultu colendus, & invocandus sit.

Unum enim, idemque est, & reciproce, ut ajunt dialectici, convertibile est, verum Christum non esse hominem, & verum illum hominem, qui pro nobis mortuus est, non esse verum Christum. Maluit tamen Apostolus posteriori modo sententiam hanc proferre ; quia sic prolata evidentiorem sui falsitatem, & absurditatem ostendit ; cum, priori modo prolata, non tàm absurda videatur.

Nam quæ homines, ad effugiendam absurditatis istius evidentiam, de Unione hypostatica, & communicatione idiomatum commenti sunt, sunt pura puta (ut in Scholis vocantur) Entia rationis ; scil: à ratione quidem conficta : sed quæ eadem ratio ostendit esse falsa, atque ἀνύπαρκτα ; verum Christum non esse in naturâ suâ hominem, & illum qui naturâ sua homo fuit, Jesum non esse verum Christum.

Sententiam hanc, cujus tempore Pauli, & Johannis jacta sunt fundamenta, invexere primum in Ecclesiam Gnostici, quorum mentionem facit Paulus 1. *Tim.* VI. 20., qui introduxerunt profanas vocum sive novitates, sive vanitates (quales vide apud Irenæum, *inanes*, sine mente soni) & *oppositiones* ψευδωνύμου γνώσεως *falso nominatæ scientiæ.* Vocat enim dogmata eorum *oppositiones* ἀντιθέσεις ; quia puræ, & simplici doctrinæ Apostolorum opponebantur. Notat autem ipsum nomen, ac titulum γνώσεως, quod suæ sectæ præferebant, ac profitebantur ; quamvis hanc titulum γνώσεως falso sibi arrogarent : quia hæc γνῶσις (*cognitio*) non erat vera, sed falsò sic nominata.

Qui Gnostici, (ut errorum primæ hallucinationes à parvis initiis ferè oriuntur) principiò quidem paulò magis sobriè in Christiana doctrina philosophati sunt ; ita tamen ut errores à Joanne notati (videlicet quod ille homo Jesus crucifixus, & ab Apostolis prædicatus totam Christi, ac unici filii Dei excellentiam non impleret : sed præter, & ante illum esset alius hoc nomine dignior) fundamenta jecerint : verum postea procedente tempore, ut plerumque error errorem trudit, in magna, & absurda deliria aliquâ sui parte delapsi, & in multas posteà sectas scissi sunt. Quæ tamen ob evidentem deliriorum absurditatem non poterant ab omnibus recipi ; licet *sublimioris cognitionis specie* se venditarent. Proinde plures eorum, qui non tàm longè, ut alii, à primævâ prædicationis puritate recesserunt : sed tantum intrà metas solius istius erroris à Johanne Apostolo notati substiterunt, quia numero vincebant, & plurimos tamen, adhuc puriorem Apostolorum doctrinam retinentes, in eadem secum Ecclesia non possent non tolerare, Catholicos sese dici maluerunt ; ut ab istis, qui ab aliis omnibus discessionem, tanquam reliquos ἀπὸ οἱ ἄλλοι *segregantes*, faciebant, discernerentur. Gnosticorum autem titulum tanquam arrogantem & ab Apostolo Paulo 1. *Tim.* VI. 20. notatum ac reprehensum Simonianis, Menandrianis, Valentinianis aliisque suæ farinæ hæreticis paulò longius, quam ipsi in profanos errores delapsis, reliquerunt.

Notanda autem est causa, cur se plerumque hæretici ab aliis secernant ; aut, si aliis prævalent,

prævalerent, eos à se repellant. Tacita errorum conscientia, quæ in arctiori cum iis, qui veritatem profitentur, conjunctione veritatis congressum non possunt non reformidare. Porrò ista opinio puriorum, qui in Ecclesia remanserant, Gnosticorum, quia ex cænosis potius gentilium philosophorum lacunis, quam ex limpido verbi Dei fonte hausta erat; eo tempore, quo, rejecta Judaica gente, multitudo gentium in Ecclesiam immigravit; latissime per Ecclesiam sparsa est: plerisque eorum, qui ex Gentibus oriundi erant, in propagationem conformis Gentilium Sapientum dogmatibus doctrinæ conspirantibus. Illis verò, qui ex Judæis orti, commenta Gentilium aspernabantur, ideoque Apostolicam de persona Christi doctrinam mordicus retinebant; ob alios errores, quos in Ecclesiam invehebant, (qualis erat circumcisio, & antiquatarum legis ceremoniarum reductio) minus jam auctoritatis, ac fidei in Ecclesia habentibus, præsertim post excidium Hierosolymorum, & publicam totius Judaicæ gentis calamitatem. Adde quod in mutuo partium istorum certamine eo res processerat, ut quemadmodum inter gentiles Gnosticos (ut suprà diximus) non pauci in pudenda, & anilia deliria deflexerant, penes quos postea titulus Gnosticorum mansit: ita inter Christianos, è Judaica stirpe oriundis, aliqui fuerint, qui humilius, quam par sit, de Christo sentientes, eum Josephi filium esse credebant, eoque nomine propter tenuem & exiguam Sacræ Scripturæ, & verum divinarum notitiam ab ipsismet Hebraicæ stirpis Christianis pauperes, & Ebionei (Hebraica vero hujus nominis notio est) dicti sunt. Quod agnomen postea, prævalentibus Gentilium partibus, omnibus reliquis ceremoniarum Judaicarum propugnatoribus non sine causa tribui cepit: nisi quod una, (ut in studiis partium fieri solet) doctrina quoque de Christo purior, quam ex Hebræa progenie Christiani omnes tuebantur, ejusdem simul agnominis probro aspersa est. Nec vero intra Judaicos tantum Christianos stetit; sed inter multos alios è gentilibus vera ista, & Apostolica doctrina viguit: ut apud Justinum in dialogo cum Tryphone, & alibi legere licet; de Beryllo Bostrensi in Arabia Episcopo; Origenis de Theodoro conario; victoris Pontificis, de Paulo patriarcha Antiocheno Aureliani Imperatoris temporibus legimus.

Sed primum inter eos non multos fuisse verisimile est, qui aut Græca eruditione, aut ea Styli elegantiâ instructi essent, quæ ferre ævum, & ad posteritatem durare posset. Deinde, si qui fuerunt; monumenta eorum à prævalentibus partibus suppressa sunt: quod & nunc fieri videmus.

Maxima autem Gnosticorum, (de sanioribus loquimur, qui posteà præpostere Ariani dicti sunt, cum pluribus ante Arrium seculis in Ecclesia viguerint, floruerint, ac plane reliquis prævaluerint.) in eo elaboravit industria; ut ex toto Sacrorum librorum volumine colligerent quam plurima sententiæ suæ firmamenta. adeò ut nihil isthic intactum reliquerint: quod non ad opinionum suorum sensus vel obtorto collo trahere conati sint.

Hi autem sunt de quibus Erasmus ex animi sui sententia alicubi loquitur, *Arianorum secta vellem ita periisset, ut eorum libri manerent superstites; quod miram quandam Sacrarum Literarum notitiam redolere viderentur.* Rectè autem Vir summus (de industria, an imprudens, non decerno) sectam hanc saniorum Gnosticorum factionem dixit verius, quam hæresim: quia planè in eo conspiraverant; ut sententiam suam per fas, & nefas, hoc est, tàm honestis, quàm pravis artibus vel invitæ Ecclesiæ obtruderent. Hinc ab Egesippo eorum conatus impii erroris conspiratio dicitur. Ex quo Antichristi præcursores, atque ejus negotium agentes facile agnoscas. Quod non ita intelligi velim; ut aut ipsis, præsertim omnibus, voluntariæ fraudis impietatem objiciam: aut omnes, qui ad extruendum Antichristi regnum suas operas contulere, damnatum iri existimem. Procul à nobis hæc abesto temeritas. Domino suo stat quisque, aut cadit; qui veniet, ut occulta cordium revelet abdita tenebrarum. Plerique eorum, imo multo maxima pars, decepti ipsi, miserè alios decipiebant; & super auro, ac gemmis Apostolicis, ligneas, imò stramineas substructiones erigebant: quos tamen non ideo eodem cum congesta à se tàm vili materie, incendio consumptum iri credendum est. 1. *Cor.* III.

Verum enimverò hujus culpæ manifestò plerique tenentur, quod ipsis pias fraudes comminisci religio non fuerit: adeo ut forte ne à Sacro-Sancto quidem codice profanas manus abstinuissent, si per adversarios eorum, primævæ prædicationis retinentes, & tam grave crimen falsi non dissimulaturos, atque adeo per ipsius Dei providentiam licuisset. quod tamen posterioribus temporibus Liberatum Carthaginensem Archidiaconum ausum in tomis conciliorū legimus. Toleratos autem fuisse ab illis sanioribus Gnosticis (quanquam in Ecclesia multum prævalentibus) sub Ebionæorum, aut rerum divinarum cognitione minus instructorum hominum nominibus, homines Apostolicæ doctrinæ tenaciores ex eo constat, quod cum ab ipso Apostolico ævo usque ad succumbentem Christianorum multitudini Paganismum superfuerint; nulla tamen publica Ecclesiæ damnatione, ante Pauli Samosateni tempora, ex Ecclesia ejecti fuerint: quanquam nec deessent inter illos, qui Episcoporum munere fungerentur, qualis fuit Bostrensis in Arabia, qui ab Origene persuasus in adversas partes transiit: nec omnino adversus tales quicquam aliud tentatum legimus, præterquam quod victor Rom. Pontifex, Africanæ stirpis inquietum & ambitiosum caput, omissis præstantioribus, & eruditioribus, quos describit Eusebius, unum coriarium Romæ eodem fulmine suo, quod totis Asianis Ecclesiis frivola de causa non pepercit, afflaverit. Eosdem maximo numero in Ecclesiis Orientis toleratos, docet historia Pauli Samosateni. Qui neque tantæ dignationis Patriarchalem Sedem adipisci: neque eam, invitis adversariis, contra Synodi Antiochenæ decretum usque ad interpositam Aureliani potestatem retinere potuisset; nisi justa suffragiorum pro causa sua multitudine subnixus fuisset.

Non igitur per tantam dissentientium multitudinem in corrumpendis Sacris voluminibus crimen falsi absque præsentissimo existimationis periculo committere licuit; sparsis per orbem tot hominibus, tanti sacrilegii conscius futuris. Sed nec Deus permisit, aut perpetua Christi, Ecclesiæ suæ præsidentis, cura, ut pereuntium culpa eo nomine excusabilis esse posset, quod ipsis præsto non essent fontes, ex quibus puram Salutis aquam haurire poterant. Accessit illud quoque, quod præcipui, ne dicam unici, Sacro-Sanctorum Bibliorum interpretes, Aquila, Symmachus, Theodotion, à sententia, & partibus Gnosticorum tunc in Ecclesiâ regnantium, essent alieni. quod fatetur Petavius Rationarii temporum *Libro* v. *cap.* IX. sub finem. Causa ejus rei fuit, quod Gnostici studio Philosophiæ magis, quam sacrarum literarum studiis incumberent; nec philosophiam theologiæ: sed theologiam philosophiæ suæ ancillari cogerent; Sacras potius Scripturas profanis suis opinionibus, quam opiniones suas Sacris Literis accommodantes. Nec alia mente ad Sacrarum Literarum lectionem accessisse videntur, quam ut inde quam plurima decerperent, quibus ea, quæ alibi, non apud Sacros Scriptores didicerant, confirma-

rent : nullo plerumque, aut potius factioso judicio : quod ostendunt tot falsæ, & cum reliquo textu, atque totius doctrinæ de Deo analogia pessimè cohærentes, interpretationes. Verum ut ut Christi potentiâ, & providentiâ homines, qui tunc in Ecclesiâ regnabant, coheberentur, quominus Sacras Literas adulterare auderent ; cætera omnia hominum Ecclesiasticorum scripta pravo piæ (videlicet) fraudis studio, & improbissimâ industriâ invasere, alia supprimentes, alia interpolantes, castrantes, aut expurgantes, aut addentes, quæ visa sunt. Quod ab ipsis Apostolicis temporibus plus quam per duo secula factitatum, non modo Apostolus Johannes in calce Apocalypseos : sed Irenæus quoque sub finem operum suorum ostendit.

Horum igitur pravæ, ac perversæ industriæ tam densam in notitiâ rerum ipso Apostolico ævo, & proxime post Apostolos gestarum, caliginem, ac tenebras debemus. Vide Patavium *lib.* v. *cap.* vi. *pag.* 272. Sed præcipue *lib.* v. *cap.* v. ab initio *pag.* 278. Viveret utinam Hegesippi historia, cujus unicum fragmentum totam Eusebii de temporibus Apostolicis narrationem refellit : ubi Eusebius memorat prædictum ab Apostolis, tanquam proxime venturum ; & indicatum ab Hegesippo, tanquam jam advenisset, apostasiæ eventum. Huic, inquam, pravæ Gnosticorum sedulitati, non modo abolita tot ingeniorum monumenta, quorum, præter auctorum nomina nihil extat ; nec modo suppressa cum Scriptis ipsorum quoque auctorum nomina debemus : sed etiam tam multa depravata antiquorum auctorum volumina, aut subjecta, ac supposititia sub optimorum auctorum nominibus pessimæ notæ Scripta. Quorum omnium catalogum apud Baronium primum, deinde apud casaubonum in exercitationibus ad annales Baronii legere licet. Porro Gnosticorum sententiam, qui primi aureo, ac gemmeo Apostolorum fundamento lignea sua tabulata inædificarunt, eandem propemodum fuisse ; quæ fuit eorum, qui sequentibus seculis Ariani sunt dicti ; ex lectione Justini, Irenæi, Tertulliani, & ex omnibus antiquissimorum Patrum scriptis, & fragmentis discimus. Horum ævo non in doctrina tantum : sed in moribus quoque, durante adhuc persecutionum tempore, corruptissimam fuisse Ecclesiam, legimus apud Eusebium, paulo ante ultimum Diocletiani in extinguenda religione conatum.

Ab his quoque primum omnium violenti, & quidem Romanæ urbi affixi, in Ecclesia regiminis fundamenta jacta sunt in concilio Antiocheno ; ut in qua primum urbe Christiani vocati, & Christi regni inter gentes propagandi initia facta sunt ; in eadem post per Antichristi anteambulones magni illius Antichristi in Ecclesiâ solium, & imperium fundaretur, & in omnes orbis oras diffunderetur.

Isthic enim Sophistarum, è quibus Malchion Scholæ Antiochenæ Magister præcipuus memoratur, artibus, & conspiratione oppressus Paulus, ejus urbis Episcopus, &, ut tunc tempora ferebant, Romano ; & Alexandrino Antistiti dignatione par ; non Ecclesiæ totius consensu : sed Episcoporum paucorum cum Romano Episcopo facta coitione, & conspiratione, atque adeò interposita ipsius Aureliani Ethnici Imperatoris potestate violenter è Sede Antiochena deturbatus est ; qui Synodi sententiis reluctari nullo modo potuisset, si illa rite, & ex omnium consensu concluſa fuisset. Sed facilè appareret maximam Synodi partem, iis, qui cum Episcopo Romano (absente licet) conspiraverant, adversatam esse : & ipsam Antiochenam Ecclesiam (malchione ludimagistro excepto;) pastorem suum sibi eripi, & caput à corpore suo avelli ægerrimè tulisse. nisi *in primum Antichristi dominatus auspicium* prophana, & coactiva potestas Ecclesiæ libertatem oppressisset. Pace Eusebii & reliquorum dictum esto. Post tot fraudium, & criminum falsi specimina hominibus, in causa propria testimonium dicentibus, non credimus. Decreto enim Aureliani rescripto principis impii, & persecutoris Ecclesiæ, omnes Christiani Romani episcopi, tanquam urbis gentium dominæ præsulis, sensum, & auctoritatem sequi compulsi sunt. & ipse Paulus, sede suâ iniquissime dejectus, cedere coactus est. (Atque tunc primum bestia secunda bestiæ primæ potestatem accepit, atque exercuit *Apoc.* xiii. 12.) Ita tunc non Spiritui Sancto, & congregatæ in nomine Christi Ecclesiæ ; sed impio Principi Aureliano visum est ; ut Romani Episcopi arbitrio, ac sensui tota Ecclesia subjecta esset, & orthodoxus antistes loco suo deturbaretur. Vide Eusebium.

Quid autem opus fuit Romani principis auctoritate Romani Episcopi, & eorum, qui cum ipso sentiebant, auctoritatem super alios extolli ; si nulli ex eodem concilio patres damnationi Pauli, atque ejus causæ refragati sunt.

Gravem fuisse causam, & necessitatem necesse est, ob quam Gnostico spiritu afflata Christianorum pars ad eum Imperatorem confugerit ; à quo sibi merito, (biennio post eventus ostendit) metuendum esse videre poterat : & potentiam ejus partis intrà Ecclesiam adversæ parti opprimendæ imparem fuisse oportet ; quæ ad eam rem extrà ecclesiam, ac tam periculosum quidem auxilium quæsivit. vide Petav. p. 306.

Quemadmodum autem hæc secta, quæ post Ariana dicta est, pravis artibus in Ecclesiâ grassata est : ita iisdem artibus justo Dei judicio subversa est. Nullum propemodum genus criminis falsi fuit, quod non commiserit. Mendaciis, calumniis, librorum suppressionibus, aut falsationibus ; & omni genere impostura ita adversam partem supplantare conata est ; ut toti Apostolicorum temporum, & proximorum iis seculorum notitiæ eas, quas nunc deploramus, tenebras offuderit. Nulla unquam in Republica coitio, & conspiratio tam factiosa extitit ; quàm fuit ista in primæva Ecclesia nonnullorum adversus veritatem conjuratio. Ut in eo non difficulter agnoscas versutiam Satanæ, qui cum videret sese nullo modo efficere posse, ne Christiana religio veterem illum idolorum cultum, per quem ipsi cælestes honores in terris habebantur, everteret, ac superaret ; nihil omisit industriæ, nihil artificii, quo puritatem illam prædicationis Evangelicæ gentilium errorum fæcibus, ac sordibus inquinaret.

Sed in eo præcipuè fucum omnibus facere Gnostici nitebantur ; quod, cum sibi satis conscii esse possent, nova à se dogmata, veluti ligneas, & stramineas substructiones super aurum, & gemmas Apostolicas superstructa : postquam ipsis vires suæ per incrementum factionis placuere, homines à se dissentientes, & antiquæ veritatis Apostolicæ tenaciores, tanquam recens excogitatorum errorum insimulabant, suæque propriæ novitatis culpam, & *flagitium* probrum hominibus, longè antiquiorem doctrinam tenentibus, affricare contendebant, in quo nimirum impudentes, ac perfrictæ frontis apparent.

Exempla ejus rei non pauca deprehendas in Eusebio ; atque inprimis in ejus de Ebionitis, de Theodoto coriario, de Paulo Samosateno narrationibus.

Justo itaque judicio Dei eadem arte ipsi quoque subversi sunt. Cum enim hæresis eorum statim post obitum Apostolorum in Ecclesia factionis incremento, & potentia invaluisset : ita ut aliquamdiu pro arbitrio in Ecclesia dominarentur : mox &c.

Reliqua desunt.

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEUM PRIMAM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

IN ipso limine atque inscriptione epistolæ Paulus sese vocat Apostolum *secundum Ordinationem Dei servatoris nostri, & Domini Jesu Christi, Spei nostræ.*

Ex istis verbis discimus, nihil in Salutis nostræ, aut novæ creationis negotio fieri à Christo; quod non originem suam à Deo patre habeat: quodque non ipsi Deo patri, tanquam *primæ Salutis* nostræ causæ, acceptum ferendum sit. Dicitur enim hic Deus *Salvator noster.* quod nomen peculiari ratione frequentissime Christo tribuitur. unde & nascenti nomen Jesu, quod servatorem significat, impositum est: & quasi ex opposito adjungitur epitheton Christi, quod *sit Spes nostra*, quia Salutem nostram Deus per Christum, tanquam intermediam causam, exequitur. Nec vero contentus per ipsum solum, voluntatem de salute nostra suam, hoc est, apertam spem vitæ æternæ nobis patefecisse: certitudinem hujus spei nobis per eundem, primum pro nobis traditum; deinde resuscitatum; denique glorificatum, atque omnipotentiâ donatum, nobis confirmavit. Ille igitur, in quo spei nostræ firmitas præcipuè innititur; merito Spes nostra vocatur.

Prætereà scimus ipsum Dominum Jesum Christum, post absolutissimam omnibus numeris exaltationem suam, hunc Apostolum non modo ad religionem, sed etiam ad ipsum Apostolatum vocasse, eique muneris hujus functionem ἐπιταγὴν imposuisse. Et tamen hic Ordonatio hujus Apostolatus Deo patri tribuitur. non quod identidem filio in ejusmodi ordinationibus voluntas patris exploranda sit: sed quod ipsi earum rerum absolutissima potestas semel data sit: quodque ipsi in omnibus & singulis, quæ facit, voluntas Patris sui non possit esse non exploratissima, & cum sua planè congruens.

Quemadmodum autem, quicquid à filio fit, Patri meritò tribuitur: ita Pater nihil facit nisi per filium. ita ut jure optimo dici possit in Salutis nostræ negotio omnia per filium facta esse, & fieri.

Vers. 2. Timotheum vocat verum ac genuinum suum filium *in fide*, quod à se esset in fide ac religione Christi institutus & quasi progenitus: quodque eum tanquam parentem filius sedulò imitaretur. Precatur autem ipsi Gratiam, misericordiam, pacem à Deo patre, & Domino Jesu Christo simul, quia, ut supra vidimus, quicquid gratiæ, clementiæ, felicitatis nobis divinitus exhibetur; id à Deo patre per filium proficiscitur. ita ut impetratio omnium, quæcunque à Deo patre in nomine filii petuerimus, filio tribuatur. *Joh.* XIV. 13. & 14. quia impetrationis hujus, ut ita dicam, executio; per filium perficitur, ut glorificetur Pater in filio.

Vers. 3. Dictasse Paulum; non scripsisse, epistolas; indicio sunt tot apodoses, protasibus suis non redditæ, ac periodi quasi non absolutæ ita, quia forte mentem ac verba dictantis, non semper scribentium manuum celeritas assequitur. quod tamen in rebus minoris momenti Paulus, inemendatum relinquere; quàm superfluo orationis cultu occupari maluit.

Quemadmodum enim discedens Epheso Apostolus Timotheo isthic relicto negotium dederat, ut præciperet quibusdam; ne in puram illam ab Apostolis prædicatam doctrinam inveherent aliena ab ea dogmata; ita hic idem istud monitum repetit & inculcat. quam apodosin, sive ipse Paulus gravioribus curis intentus, sive amanuensis, dictantis verba styli celeritate non assecutus; nullo legentium damno aut periculo omisit.

Vers. 4. Quæ sit ista ἑτεροδιδασκαλία, & quæ sint aliena à religione dogmata, specialius attingit, dum ait, præcipiendum esse quibusdam istis *Ne attendant* aut animum applicent *fabulis & generationibus infinitis*, quæ inutiles potius quæstiones præbent ac pariunt, quam *ædificationem Dei*, hoc est, ædificationem, quæ est secundum mentem Dei. ea vero est ædificatio secundum mentem Dei, quæ est *In fide*, hoc est, profectus & incrementum in pietate & sanctimonia, quæ est anima veræ fidei.

Quid intelligi debeat per istas fabulas & generationes infinitas, posterius videbimus. Nunc in genere sufficiat ex hoc loco didicisse; In religione Christiana ea dogmata, quæ plus quæstionum, rixarum, dissensionum in Ecclesia; quàm ædificationis in pietate ac vitæ sanctimonia procreant; non esse magnifacienda, nec ipsis animum applicandum, multò minus propter ea scindendam Ecclesiam.

Tales sunt doctrinæ de rebus perceptu incomprehensibilibus: & quæ ejusmodi contradictionem implicant; ex qua se mortalium hominum ingenium expedire nullo modo potest. Quæ non possunt nisi difficillimas & intricatissimas quæstiones, & proinde exitiabilia schismata, & dissensiones excitare. Ad procreandam vitæ sanctimoniam tantundem valent; quantum aqua ad excitandum ignem. Non possunt vero nisi frigidæ ac dilutæ quæstiones esse rerum quas intellectus capere non potest; imò quas non modo incertas, sed nec suspectas ob evidentem

contradictionem habere cogitur : Ideo nec possunt ullo modo ignem caritatis, & sanctimoniæ, qui cogniti boni ardore ac desiderio flagrare debet, excitare.

Ignoti enim & incerti, atque adeò quod falsum esse vel levissimis documentis deprehendas: quæ cupido accendi potest? Tales autem sunt omnes de incomprehensibili essentia Dei quæstiones. Quæ etiam alia quoque de causa ad excitandum in nobis pietatis studium sunt ineptæ. Caritas enim Dei caritatis proximi origo, ex nuda essentiæ Dei (quam in hoc mortali corpusculo capere nequimus) etiamsi eam in hoc mortali corpusculo capere possemus, consideratione excitari nequit.

Imo quanto captu nostro sublimior, & fragilitate nostra, natura Dei cernitur; tantò magis desperatione potiundi tanti boni dejicimur : nisi aliquid aliud accedat quod nos cum Deo conjungere possit: quodque fidem erga eum nostram & Spem beneficentiæ ejus erigat & attollat : qualis est primum in genere attributorum ejus, hoc est, virtutum; (sic enim ea Apostolus Petrus 1. *Pet.* 11. 9. vocat) deinde in specie beneficæ erga nos voluntatis ejus tot speciminibus exploratæ consideratio.

Ut taceam quoties de essentia Dei, (absque supradictis attributis) homines doctrinas ejusmodi, quales hodie vigent, tradunt, ne quid amplius dicam, nihil admirationis aut venerationis erga supremum numen animis nostris accedere. Quemadmodum autem non immeritò iram Dei provocant qui adversus expressum ejus interdictum, cum ipsum nonquam viderint, imaginem figuræ ejus pingunt aut fingunt: ita non multò majorem gratiam ab eo ineunt, qui essentiam & formam ejus, quam nullo modo capere possint, iis coloribus exprimere ac menti nostræ objicere ac repræsentare audent, qui majestate ejus indigni sunt, & à quibus sobrii hominis cogitatio abhorret.

Imago certe divinitatis, quæ ab Alexandrinæ Scholæ discipulis juxta Platonicorum commentorum lineamenta adumbrata, & in Ecclesiam invecta, posteà in ipsa in immensum invaluit, parum profectò majestate *supremi Numinis* atque eminentia Dei, & patris Domini nostri Jesu Christi digna ac decora est; ut quæ ipsi duos pari potestate ac dignatione socios, personis ac suppositis ab eo distinctos, adjungit. Neque incommodum hoc Unitate essentiæ reparatur aut corrigitur, sed potius commemorata absurditas nova absurditate cumulatur; fingens, & comminiscens tribus in individuis non modo ratione, sed reipsa atque adeo entibus totis suppositis ac personis inter se differentibus; & quæ reipsa sunt tria numero; unam numero essentiam, quasi suppositum ab alio numero diversum, unam eandemque numero cum ipso essentiam habere possit. Quæ doctrina omnia intellectus nostri principia atque adeò usum rationis subvertit, & ad fidem à stirpe excindendam admodum apta est. Quantò tutius erat in exprimenda essentia Dei ultrà revelationem, hoc est, ultrà conceptus ac verba Sacræ Scripturæ nihil audere, neque comminisci. Et in tantæ molis negotio, ex purissimo potius Sacri instinctus fonte, limpidam & perspicuam : quàm ex impuris philosophorum lacunis turbidam, & in qua latens venenum animadvertere non possis, aquam haurire. Sed qui consecuto tempora Apostolica ævo celebriori eruditione claruerunt Scriptores, paganicæ nutricationis alumni, & ab uberibus gentilis philosophiæ nondum depulsi, dum studio convertendarum gentium, nihil novi Religionem Christianam in doctrina veritatis tradere aut invehere; eademque dogmata à celeberrimis Gentium Sapientibus, quæ ab Apostolis tradita esse ostendunt, contrà quam fieri debuit, non humana placita ad divinæ veritatis normam; sed divinam religionis doctrinam ad placita philosophantium, quodque vehementer dolendum est nimium, atque plùs æquo, inflexere.

Vers. 5. Rationem affert cur in religione Christiana ea dogmata quæ plus quæstionum, & litium, quam ædificationis in fide, & pietate afferunt: non sunt magnifacienda, neque eis sit opera danda. Quia inquit *Finis mandati*, hoc est, Religionis Christianæ *(Synecdochicè)* ejusque prædicationis: aut etiam Mens Dei in prædicanda religione, aut potius Mens & finis ejus, qui mandatis Dei in religione obsequi velit, (quæ omnia eodem recidunt.) est *Caritas ex puro corde*, hoc est, in qua nihil sit subdolum, & accersitum, & specie tenus apparens; *& conscientia bona*, hoc est, innocentia vitæ, in qua homo sibi est nullius gravioris culpæ conscius, & *fides non fimulata*, hoc est vera, & operibus bonis animata, non exanimis. Non larva aut persona fidei; sed ipsa solida ac genuina fides, hoc est, vitæ omnibus virtutibus cumulatæ sanctimonia. Subintelligendum hic non igitur ejusmodi dogmata ædificationi Dei in fide, hoc est, Menti Dei in prædicatione Evangelii, aut etiam ipsius hominis religionem Christianam profelli fini atque scopo congrua esse possunt, quæ quæstiones, & lites noxias Caritatis pestes tantum producunt; nihil autem conferunt ad vitæ innocentiam, ad virtutum cælestium, quæ sunt anima fidei, profectum, & incrementum.

Vers. 6. Ostendit ab isto fine, & scopo tam ipsius Dei ea, quæ in religione præcipit, præcipientis; quàm ipsorum hominum religionem Christi suscipientium, & obsequium Dei professorum, quem sibi proponere juxta mentem Dei debuerunt, excidisse & multum aberrasse eos, qui istiusmodi aliena à Christi religione dogmata tradunt; & à vera Theologia conversos esse ad Matæologiam, hoc est, vaniloquentiam. Fontem autem culpæ ipsorum aperit ambitionem. *vers.* 7. Quod voluerint esse *Legis doctores*; cum *nescirent quæ loquerentur, quæque affeverarent; & circa quæ sese obfirmarent.* Quis autem non videt, eos ab Apostolo ambitionis hujus coargui, qui inter Christianos videri volebant legis divinæ peritissimi; non illius solius Mosaicæ sed etiam Christianæ. Quemadmodum enim olim inter Judæos legis Doctores vocabantur non ii tantum qui mandata legis Mosaicæ explicabant : sed qui omnia etiam quæ in Sacris V. Fœderis voluminibus continentur, interpretarentur; Ita & inter Christianos eodem modo dici poterant Doctores legis, qui in Christiana Theologia aliis prælucere volebant. Et quia tunc forte non multi libri Novi Fœderis esse poterant, præcipua circa V. Fœderis libros interpretandos istorum ambitiosorum Theologorum cura occupabatur. Non est autem novum in Sacris litteris per vocem legis omnia ἁγιόγραφα, sacra monumenta sub lege scripta aut recepta vocari Vide *Rom.* 111. 19. ubi Psalmi voce νόμου vocantur.

Et profecto videmus hominum ἐπιχειδιωγμένων industriam in eo præcipuè elaborasse, ut ex veteris instrumenti libris νόμῳ & λόγῳ σοφώτερον adstruerent; innumeros eorum locos adversus receptum antiquitus ab Hebræis sensum explicando. Ad quem lapsum plurimum ipsis contulit idiotismorum Hebrææ linguæ ignoratio. Quo inexcusabilior videtur Origenes, qui ferè unus inter patres ante Hieronymi tempora linguam istam didicerat. Ideoque tàm latam suam culpam, partium, de quibus optimè meritus est, ingratissima conspiratione pro hæretico habitus, & promulgatus, (quod multis aliis justo Dei judicio accidit) non prorsus immeritò luit.

Vers. 8. Ostendit non se id reprehendere quod legis de qua loquitur, periti atque Doctores etiam esse voluerint:

voluerint : quod quidem approbat, & laudat : sed quod peritiam istam neque legitimè ambierint, neque legitimè ea usi fuerint. Non legitimè ambiisse suprà innuit, quia in ea ambitione ea dicebant, & asseverabant, & confirmare volebant, quæ neque intelligerent, neque intelligere possent. Nam ut exemplo à vulgatissima doctrina sumpto utamur. Difficillimum erat concipere animo eum, qui homo natus fuerit; multis seculis ante & quidem in statu nobiliori fuisse; imo tunc cum humano modo nasceretur, divinam & cælestem vitam vixisse. Quod tamen adstruere necesse fuit, si doctrina Christianæ religionis (quam non à Christo incepisse, sed multis ante seculis fuisse magna, & inani contentione demonstrare nitebantur) cum Zenonis aut potius Platonis, & Platonicorum de λόγῳ doctrina conciliandа fuit. Ita cum philosophorum doctrinam; ad dogmata religionis licentius deflectere per gentes non liceret, doctrinam religionis ad dogmata philosophica audacius, quàm par esset, certè iniquissimè detorquebant.

Non legitimè autem legis istius peritia usos esse probat. *vers.* 9. Quia lex omnis divina atque religio tàm Mosaica quàm Evangelica non eò tendit, ut mentes hominum rerum difficilium infrugifera contemplatione sese ostentent : & cognoscendi res abstrusas ambitione pruriant; sed ut homines à peccando abstineant, ad vitæ autem innocentiam, integritatem atque adeò ad illam sanctimoniam quam suprà *vers.* 5. descripsit invitentur, & adducantur. Et Mosaica quidem lex crassiora peccata, quæ longa serie enumerat, qualis est ἀνομία, legum humanarum ac divinarum contemptus; Inobedientia, impietas, vitæ dissolutio, atheismus & profanitas, parricidium, matricidium, homicidium, Scortatio, pæderastia, plagiariorum scelus, Crimen falsi, seu perjurium; hæc inquam peccata graviora lex Mosis oppugnat & extirpat. Lex vero Evangelica cætera quoque omnia quamvis leviora videantur; utpote istorum graviorum mole quidem parva, noxia tamen principia & semina, quæ nimirum sanæ Apostolorum doctrinæ adversantur, eruit atque evellit.

Utitur autem in simili materia modo loquendi verbis Christi conformi. Quemadmodum enim Christus ipse prædicat, se non venisse vocatum justos ad pœnitentiam, sed peccatores, quamvis tunc nemo esset tàm justus, quin pœnitentiâ atque adeò vocatione Christi indigeret, ac proinde ad quem vocandum Christus non venerit. Ita non modò lex Mosaica, sed & Christiana dici potest non esse posita justis, hoc est, sanctimonia omnibus numeris absoluta præditis : sed peccatoribus, tanquam necessarium remedium, & auxilium; quamvis in Ecclesia Christi nemo sit tàm justus, quin ipsi Lex Christi posita dici possit; quia aut jam sit præsertim in levioribus culpis; aut certe possit esse peccator. Verum per istiusmodi locutiones illud denotatur; quod tàm legislatoris quàm ipsius legis non alius sit scopus, non alia mens, quam ut peccata eorumque intimæ fibræ ex animis hominum penitus evellantur; Virtutes autem suprà *vers.* 5. descriptæ ipsis inserantur, hoc est, Caritas ex puro corde, bona conscientia & fides non simulata. Multum igitur ab eo scopo aberrarunt ii, qui doctrinam religionis ab excubiis, & vigili cura emendandæ vitæ, & capiendi jugis ac perpetui in virtute profectus, deflexerunt ac detorserunt ad inanes quæstiones, confessiones, symbola, anathematismos, zelum amarum, & rixas exitiales. Unde postea in Ecclesia διχοστασία, seditio (Nam quibus non furiis agitati Patres in mutua vulnera coorti sunt?) primum; posteà tyrannis Antichristi, & omne malum opus consecuta sunt. Qui profectò rivuli erant ex fonte derivati non illius sapientiæ, quæ à Jacobo vocatur casta, & pura, deinde pacifica, de suo jure remittens ac moderata, obsequens, plena misericordiæ, & bonorum operum à condemnatione aliorum aliena, aliena ab omni fuco & simulatione. Sed illius brutà sapientia, quam idem Apostolus vocat *terrenam*, *animalem*, *diabolicam*.

Sanam doctrinam vocat *Evangelium gloriæ* beati Dei, cujus prædicatio erat Paulo concredita. *vers.* 10. & 11. Ergo cum videamus ipsorum Apostorum ævo nondum fuisse, qui aliena ab ipsorum prædicatione dogmata traderent, prædicationis ipsorum doctrinam tanto obnixius retineamus; ne pro salubri potu toxica bibamus. Vocat autem prædicationem suam Evangelium *gloriæ beati Dei*; quia in eo gloria altissimi Dei Novam creationem, & quidem longè glorioſiorem, & excellentiorem Veteri manuum suarum opere, in conspectu cæli ac terræ superinducentis revelatur.

Quia vero sanam istam doctrinam Evangelii à se prædicati opponi dicit (*vers.* 10.) peccatis, quibus lex, posita est : inde liquido demonstratur per legem istam, quæ peccatis omnibus, tam crassioribus, quam subtilioribus posita est, non Mosaicam solum; sed ipsam quoque Evangelii doctrinam intelligi.

Quo posito non difficile est assequi; Per fabulas, & Generationes infinitas quid Apostolus intelligat. Quamvis enim ad fabulas, & generationes Judaicas respicere cuipiam videri possit Apostolus : tamen id ad philosophorum gentilium commenta, quæ in Ecclesiam invehebant potius referendam, rectè judicat Tertullianus.

Necdum enim tunc temporis Talmudicæ inter Judæos fabulæ invaluerant : & generationes populi illius tempore Pauli plenius descriptæ erant; quam ut perplexæ aliquæ circa eas quæstiones suboriri possent. Nisi quis huc detorqueat celebrem illam inter Matthæi & Lucæ generationes conciliationem : quam Africanus apud Eusebium ita resolvit ac determinat; ut ulteriori (multò minùs infinitæ) disquisitioni locum non relinquat. Fabulas igitur Æonum, & Generationes Gnosticorum potius intelligi Tertullianus existimat : Quorum Pleroma nunquam ita sufficienter impleri potest; quin infra contignationes suas plura tabulata : aut intra tabulata plura admittat æonum matrimonia. Nec male ille quidem nisi quod Valentini mentionem facit : qui Apostolicis temporibus longè inferior est. Quasi vero à primo Valentino, Æonum thalami, eorumque substructiones, inventæ fuerint. Sed epidemicus fuit veterum patrum morbus, omnes eos, quorumcunque sententias, sive falsas : sive interdum veras refellebant : tanquam primo eorum Inventores atque auctores coarguere; ut tanto odiosiores hæretici ac Novatores viderentur, cum tamen plerumque doctrinæ illæ suis defensoribus longè fuerint antiquiores. Negari tamen vix potest, doctrinam de æonibus dum Apostoli viverent, nondum fortasse fuisse tam adultam, ut multo post Valentini tempore extitit. Fuit tamen etiam Apostolico haudubiè opinio ista apud homines profanis disciplinis imbutos in ipsis suis incunabulis; & generationes istæ, antequam in modum, & formam Valentini, & aliorum digererentur; ab initiis mole parvis cæptæ, sensim longius progrediebantur; ut fabularum circa eas terminus non appareret. Ubi enim semel à veritatis orbita deflexeris, error errorem trudit, nec modus ultrà nec finis est ruendi in altius subinde præcipitium. Prima autem à Veritate exorbitatio in eo apparuit; quod homines philosophicis studiis imbuti, quum doctrinam de Jesu Christo cum iis, quæ pueri didicerant, ne ea Senes perderent, conciliare

ciliare vellent; generatione Jesu Christi ex Spiritu Sancto, & maria virgine, non contenti; aliam longe antiquiorem generationem ejus quærerent; quæ sive Zenonis, sive potius Platonis doctrinæ de λόγῳ consona esse posset. In qua invenienda cum nec inter se, nec secum ipsi sæpe convenirent; eo tandem ventum est, ut præter unam illam, quæ nobis apud Matthæum & Lucam descripta est, plurimas generationes, & quia generatio absque matrimonio legitima visa non est, plurima matrimonia confinxerint. Quorum omnium struem, & ridiculam congeriem, quisquis affatim ridere velit, videre potest apud Irenæum, & Tertullianum adversus Valentinianos.

Quod si quis tamen, an hominum dementia in illa Apostolici seculi luce eousque progressa sit, ambigat: de eo certe dubitare non potest fabulas tamen istas, & generationes, Gnosticorum: hoc est, eorum qui excellentiori præ cæteris rerum divinarum cognitione gloriarentur, fuisse commenta. Fit enim ambitionis eorum mentio, qui ea docere, & asserere auderent, quæ ipsi nescirent: volentes videri νομοδιδάσκαλοι, id est, rerum divinarum admodum periti. Nihil autem repugnat, Gnosticorum, antequam sensim in ridiculos errores degenerarent, saniorem fuisse ab initio sententiam, quemadmodum illorum est, qui λόγον non semel genitum esse putant: Sed alteram generationem ejus à multis retrò seculis arcessunt: quidam autem nec initium quidem ejus fuisse, nec finem unquam fore hodieque pertendunt. Ejusmodi generationes ἀπεράντους dici posse, adeoque ab Apostolo potuisse, nemo non videt; cum tamen ad ædificationem Dei, hoc est, ad caritatem ex puro corde; ad bonum conscientiam, ad fidem non simulatam animis hominum inserendam, non multò plus conferant, aut contulerint, quàm Gnosticorum thalami aut tabulata.

Atque hæc dicta sunto de vocum, quibus hic Apostolus utitur, significatione atque intellectu.

Vers. 12. Cum concrediti sibi Evangelii mentionem fecisset; non poterat beneficii tanti recordationem transmittere, absque enixa gratiarum actione, atque ejus commendatione. Quod tanto majus esse *vers.* 13. ostendit; quanto majorem iram potius, quàm gratiam: supplicium, quàm beneficium, meruerat; quod fuerit *blasphemus, persecutor, & contumeliosus.*

Verum *consecutum se misericordiam*, ait *vers.* eodem; quod ea imprudens fecerit in incredulitate.

Tanto majorem igitur in se gratiam Domini superabundasse dicit *vers.* 14. in hoc collato beneficio, quanto eo indignior fuerit. Addit autem *vers.* eodem *cum fide, & caritate in Christo Jesu.* Ubi est tacita quædam antithesis inter provocationem iræ ac suppliciorum vindicis Dei, quæ fuit in ejus ignorantia, & incredulitate; & abundantiam gratiæ Domini, quæ ipsi collata est in fide, & caritate Domini nostri Jesu Christi, hoc est, in fide viva, & per Caritatem efficace. Ignorantiæ enim, fides inchoata, seu notitia & agnitio Evangelii; incredulitati vero, fides consummata, & operibus caritatis animata opponitur.

Notandum autem hic, pro tanto beneficio Apostolum gratias agere primum Christo *vers.* 12. deinde ipsi Deo patri, infrà *vers.* 17. quemadmodum capitis hujus *vers.* 1. utrique beneficium istud attribuit. Deus enim, sed per Christum, ipsi beneficium hoc contulerat.

Nondum autem egressus gratiarum actionem Christo debitam, tradit doctrinam, quæ est principium quoddam, & elementum religionis Christianæ, non sine excitatione Lectoris ad attentionem, & ad desiderium doctrinæ hujus acceptandæ; dum ait: *Fidelis sermo, & omni receptione dignus.* asseverans doctrinam istam esse non modo veram, & indubitatam, neque quenquam fallere aut seducere posse; sed etiam dignam, quæ cum debito grati animi affectu, ab omnibus ad quos pervenit, recipiatur.

Doctrina autem hæc est *quod Jesus Christus in Mundum venit ut peccatores servet.* hinc vero Jesus, hoc est, servator dicitur. Quod statim exemplo suo confirmat *vers.* 16. ostendens propterea se misericordiam consecutum, *ut in eo primo ostenderet Jesus Christus patientiam*, & longanimitatem, hoc est, inexpugnabilem tot antegressis delictis clementiam suam, in exemplum iis qui crediturі erant in eum ad vitam æternam. Fidei enim finis est Salus animarum 1. *Pet.* 1. 9. hoc est, vita æterna. Ut enim prima severitas supplicii Ananiæ usurpata fuit in exemplum ad absterrendos reliquos à perversitate, & mendacio; ita prima & effusa erga Paulum clementia in exemplum cæteris, ne de gratia Dei, & Christi desperarent.

Accedit *vers.* 17. ad gratiarum actionem ipsi Deo debitam, quem vocat primum *Regem seculorum*, quia non modo æternitatem solus ex asse possideat; sed ejus participes facere possit quoscunque velit. *Incorruptibilem, & solum Sapientem.* quia utrumque horum attributorum ex se ipso habeat: omnes autem ex plenitudine ejus accipiant. Per *δόξαν*, ipsum patrum intelligit, quia filius non modo est *δόξης*, sed etiam *τιμὴν*, *honor*, *& gloria in secula.* hujus enim gratia Deus omnia facit.

Quamvis autem utraque istarum gratiarum actionum, ex fortuita beneficii divini mentione exorta videatur; fieri tamen potest eam consilio Apostoli adhibitam, ad excitandum suo exemplo Timotheum; ut impositæ sibi functionis provinciam, tanto pluris faceret, tantoque magis sedulo studio amplecteretur, & administraret; quòd videret Paulum concreditum sibi munus magnificere & optima fide exequi.

Ait enim *vers.* 18. *Hoc præceptum propono tibi fili Timothee, secundum præcedentes de te prophetias, ut in ipsis*, hoc est, ad normam ipsarum, videlicet implendo ipsas, & non fallendo spem ex ipsis de te conceptam, *milites bonam militiam*, id est, administres munus tibi impositum ex fide commissi officii.

Blandè præcipit, tanquam pater filio, sed urgente necessitate premit eum cui persuadere nititur: Ostendens ipsi non jam esse integrum, utcunque defungi imposito sibi officio: quia præcessissent de ipso prophetiæ exactrices conceptæ, & quasi promissæ de ipso spei, quam destituere nequaquam liceret.

Generalitatem præcepti explicat *vers.* 19. per speciem; atque ostendit in quo consistat bona ista, quæ præcipitur, militia. *Habens* (inquit) *non modo fidem, sed & bonam conscientiam*, ubi palàm est, vocem *fidei* specialius accipi pro sana duntaxat doctrina; quatenus absque bona conscientia distinctè considerari potest. Est enim hic fidei, & bonæ conscientiæ oppositio: verum ejusmodi tamen, quæ ostendat, licet alterum absque altero consistere posse cuipiam videatur, verè tamen ac plenè alterum absque altero possideri non posse. Additur enim statim eos qui bona conscientia excidant, etiam circa fidem naufragium facere. Mala enim opera, fructus & signæ sunt pseudoprophetarum. Exemplum ejus rei in Hymenæo, & Alexandro exhibet: simulque supplicium culpam consecutam.

Hymenæum hunc infra epistola secunda *cap.* 11. 17. spem propriè dictæ resurrectionis una cum Phileto subvertentem commemorat. Ejusdem fortean sectæ fuerit Alexander. Quorum pœna fuit Traditio Satanæ, hoc est, Ex Ecclesia, & quasi regno

Christi

Christi proscriptio: Ex quo regno, merito, & legitimè proscripti; in regnum, & potestatem Satanæ recidere dici possunt. Tales enim etiam ante proscriptionem ab Ecclesia semetipsos Satanæ tradidisse videntur, ut ea designarent propter quæ proscripti sunt.

Ut discant non blasphemare. In spem pœnitentiæ ac reversionis aut receptionis in Ecclesiam, homines olim excommunicatos; præter alios multos, locus hic testis est adversus Catharorum hæresin.

CAPUT II.

INter Specialia quæ in hac epistola Apostolus Timotheo tradit præcepta, πρῶτον πάντων, primum omnium præceptum de Precibus tradit; quod esse debeant, & quales esse debeant. Est enim hæc præcipua officii Christiani pars; etiamsi privatim singulorum officia considerentur. quanto magis si integros Ecclesiæ cœtus spectemus? Præcipuum robur armorum adversus omnia hostium genera: præcipuum instrumentum, & compendium acquirendi res desideratissimas: præcipua pro innumeris, & alliduis Dei O. M. beneficiis grati animi nostri significatio.

Congerit autem Apostolus plura vocabula: quibus hanc pietatis nostræ partem secundum diversas ejus species ac distributiones exprimit. Vocat eam primum, δεήσεις, *petitiones.* quæ vox incidentes & extraordinarias in occurrentibus occasionibus petitiones nostras significare videtur: cum vox προσευχὰς, proximè sequens, ordinarium precandi cultum, quæ numinibus exhibetur, denotet. hinc non modo à Spiritu Sancto templum Dei domus orationis; sed etiam ab ethnicis delubra Deorum; proseuchæ vocabantur. Unde illud poëtæ.

——— *In qua te quæro proseuchâ.*

Tertio ponit vocem ἐντεύξεις *interpellationes*, aut potius intercessiones pro aliis, eorumque necessitatibus. quales hoc loco præcipiuntur.

Quarto ponit εὐχαριστίας, hoc est, gratiarum actiones, quæ gratum obligati beneficio animi nostri affectum exprimunt. à qua specie aut parte præcum, universæ preces sæpius in Sacra Scriptura denominantur.

Pro omnibus hominibus. Nec enim tantum pro nostris, sed pro alienis quoque necessitatibus præces fundere debemus. Inter alios autem omnes, pro quibus orandum est, nemo excipitur nisi forte qui ad mortem peccat, & jam est extra spem Salutis 1. *Joh.* v. Adeò ut ii quoque, qui alienissimi, & minus digni præcibus nostris videntur, ab iis excludi nequeant, quales sunt inimici.

Quales etiam videri possint Reges, & Magistratus: non modo quod alienissimi à vera Religione: sæpe, & persecutores esse soleant; sed etiam quod ad convertendos eos aditus sit difficilis, & quasi præclusus. Ergò & pro iis Apostolus preces fundi imperat: addita *vers.* 3. ratione, quia id voluntati Dei congruum, imo Deo gratissimum sit; qui ut omnes alios homines, ita Reges quoque ac Magistratus, in veritatis cognitionem pervenire; atque ita salvari velit. Notandum autem est Servatoris nomen, quod Christo Jesu aliàs peculiariter tribuitur: nusquam alibi sæpius, quàm in hac epistola, Deo patri tribui: quemadmodum & hic *vers.* 3. σωτὴρ *salvator*, à conjugatis esse probatur; quia omnes homines velit σωθῆναι *salvari.*

Antequam autem istam precum pro Regibus fundendarum rationem Apostolus adderet ex voluntate & placito Dei ductam: præmisit aliam ductam à nostro proprio emolumento. Nec enim magis aut gloriæ Dei, aut ipsorum Regum, & Magistratuum, quam nostra interest; ut donum istud ac beneficium Conversionis, & agnitionis veri Dei ipsis impetretur. Quippe cum sine eo vix placidam, & quietam vitam: præsertim in pietate simul, & honestate, σεμνότητι, degere possimus. Homines enim impii, & ab agnitione Dei alieni, quanto magis pace fruuntur atque potentia florent; tanto magis otio ac viribus suis in perniciem ac persecutionem Christianorum abutuntur. Unde fit ut quamdiu Magistratus ipsis iniqui, & infesti sunt: tamdiu placidam, & quietam vitam ducere nequeant. Aut enim impiis persecutoribus mos gerendus est, quod est contra pietatem, & εὐσέβειαν. ideoque internam conscientiæ tranquillitatem conturbat: aut resistentibus plurimà mala patienda sunt. quod externam vitæ pacem, & quietem violat; ideoque homines in honesta apud eos, inter quos vivunt, sui opinione atque existimatione (hoc enim meâ sententia σεμνότης hoc loco significat.) permanere non sinit, sed optimos omnium, & pretio atque honore maximo dignos homines pro venerandis (quod ipsorum sanctitas, & pietas merebatur) abominabiles omnibus, & exosos, & quasi profanos per calumniam efficit: ut hic τὸ σεμνὸν τῆ βιβλῳ tacitè opponi videatur.

Non temerè enim hic Apostolus synonyma ista placidæ, & quietæ vitæ cumulat: præsertim cum eadem per voces τῆς εὐσεβείας, καὶ σεμνότητος explicet. Ἥσυχος enim, aut quod idem est ἡσύχιος βίος, placidam, & optima conscientia subnixam, & gaudentem vitam, significat. qualis ea est quæ in pietate degitur. ἡσύχιος vero quietam ab externis malis, & persecutionibus, & omni rixarum strepitu, liberam significat. qualis est ea quæ in pace cum omnibus, atque adeo in honesta apud omnes existimatione traducitur. ita ut vox εὐσεβείας, ἥσυχος, vox autem σεμνότητος, ἡσύχιος βίος, tanquam causæ effecta sua, respicere & explicare videantur.

Unde fit ut non facile dicere queam, quid in mentem venerit viris bonis, sed opinionum, quas imbiberè, plus æquo pervicacibus; qui locum hunc de solis precibus atque intercessionibus, pro terrena duntaxat Magistratuum pace fundendis, explicant. cum non modo Restrictionis hujus nullam justam, & gravem causam afferre possint; sed etiam gravissima causa obstet, cur ista restrictio hoc in loco locum habere nequeat; etiamsi manifestissimis verbis versus quarti penitus non eliderentur.

Causa vero cur (etiam absque *vers.* 4. esset) præces istæ ad terrenam pacem restringi non possint, est ipsa Orationis natura, quæ nobis ex præscripto, & instituto Magistri nostri Christi proposita est: quæ prorsus requirit ut in fundendis precibus ea, quæ ad gloriæ divinæ propagationem, Regni Christi incrementum, Ecclesiæ ædificationem pertinent, præcipuè vero occasione id postulante; non modo non omittamus; sed etiam privatis precibus ac necessitatibus nostris præmittamus. Quis autem non videt, cum hic solennes pro Regibus præces suscipiendæ præcipiantur: ipsam occasionem planè postulare, ut ejusmodi potius bonum ipsis à Deo impetrare, perfecto voluntatis Dei obsequio, contendamus quod cum maxima Dei gloria, cum insigni Regni Christi propagatione: cum Spirituali simul, & carnali bono Ecclesiæ: cum verâ ipsorum Regum felicitate: denique cum nostra propria *non fluxa, & precaria*: *sed* solida & stabili pace conjunctum sit; quam illud quod nullam Dei gloriam nullum Regni Christi incrementum, ac ne ipsorum quidem Regum verum bonum; sed brevè, instabile, ac temporaneam afferat:

afferat : qualis eſt pax eorum terrena, & illa nobis quoque ipſis precariò indultæ quietis brevis, & fluxa uſura Regum.

Sed omnem dubitationem aufert *verſ.* 3. & 4. ex quibus intelligimus preces pro Regibus non modo honeſtas nobis ac decoras eſſe : ſed etiam gratas, & acceptas Deo ; qui velit omnes homines ſalvari, ſed ita ut prius in agnitionem veritatis veniant. Quomodo enim preces pro ſola duntaxat pace terrena Regum ſuſceptæ Deo gratæ dici poſſent, ſi ipſius voluntati congruæ non ſint ? quomodo ſint congruæ, niſi pro converſione eorum quam Deus cupit & optat ſint ſuſceptæ ? Denique quis non videt Apoſtolum hoc loco præcipere precum iſtud pro Regibus officium à nobis ſuſcipiendum, non in noſtri tantum gratiam : quia id ſit nobis καλὸν, decorum, atque honeſtum ; ſed in gratiam Dei ipſius, quia id menti ac voluntati Dei ſit congruum. Cum autem voluntas iſta Dei non pacem terrenam, ſed converſionem & ſalutem Regum ſpectet : quis audebit præſcriptum hoc loco officium ad pacem Regum terrenam, quæ non ſemper menti Dei congrua eſſe ſolet, detorquere ?

Verſ. 5. Cognitio veritatis, in quam Deus vult omnes venire, cujus *verſ.* 4. mentionem facit ; *Quid ſit* ; quinto & ſexto verſibus explicatur. Quam cognitionem veritatis, quia eſt via ad vitam æternam ; ita totidem propemodum verbis hoc loco explicat Apoſtolus : quomodo Chriſtus olim in oratione ad Patrem ipſam vitam æternam explicuit *Joh.* XVII. 3. Duo enim iſta veritatis principia, & vitæ æternæ à nobis aſſequendæ compendia ; nobis utrobique ad cognoſcendum, & credendum proponuntur. Quorum primum eſt, Unum eſſe Deum, Supremum omnium Creatorem, & arbitrum. quæ pars veritatis ab iſta Unius ſupra omnes ἐξοχὴ & eminentia, omnes omninò excludit ; quicunque præter unum illum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti cogitari poſſunt. Hinc *vox Dei*, quamvis non modo verè ; ſed etiam maximè propriè, propter naturam & omnipotentiam divinam filio à patre datam ; Filio quoque tribui poſſit, atque tribuatur. Tamen principaliter & κατ' ἐξοχὴν, ſecundum excellentiam ſoli patri in Sacra Scriptura tribuitur. Non tamen eadem pars veritatis, ab unius illius Dei cultu, & honore divino excludit filium, quia nunc pater omne judicium filio (hoc eſt, *Omnipotentiam, vel jus ac poteſtatem ſupra omnia cum omnipotentia conjunctum*) & quidem ea mente, eoque fine ut omnes honorent filium, quemadmodum honorant patrem (quem certè patrem divino, non humano cultu, & honore honorant) adeò ut qui eo modo non honoret filium : nec ipſum *patrem, qui miſit eum honorare dicendus* ſit, *Joh.* v. 23. quia ſcopo, & voluntati Dei tam manifeſtis ſignis declaratæ adverſatur.

Ideo hoc loco additur altera pars, & alterum hujus veritatis quam cognoſci Deus ab omnibus cupit, principium, cognitio nimirum illius Mediatoris Dei, & hominum, hominis Chriſti Jeſu. per cujus, tanquam hominis, & mortalium oculis quondam ſubjecti, & viſi atque cogniti cognitionem, ad illius inviſibilis, & Supremi Patris cognitionem aſcenditur. Qui quamvis ſatis propriè & naturaliter, filius Dei, & à Deo per Spiritus Sancti efficaciam progenitus dici poſſit : homo tamen, & ὁ σαρκὶ *natus eſt* : & σαρξ ἐγένετο, ſeu ἐγένετο, quia ita propter homines fieri oportuit. *Heb.* II. 14. Quamvis poſteà ſolenniter miſſus à patre, & in honorem mediatoris Dei, & hominum evectus ſit, & poſt effuſum in gratiam Dei, & hominum per glorioſiſſimum omnium Martyrium pretioſum ſanguinem ſuum : quo fidem voluntatis, & promiſſorum Dei obſignavit : longe ſupra humanam ſortem evectus, & naturæ ſimul ac poteſtatis divinæ conſors, & particeps factus, in gloria, & ὁ δυνάμει jam perfectiſſimo modo filius Dei, atque Deus à dexteris patris ſui conſederit : ita ut, quamvis cum Apoſtolo 2. *Cor.* v. 16. Chriſtum hominem ſecundum carnem in ſtatu mortali, & abjecto fuiſſe agnoſcamus ; nunc tamen eum talem, poſteaquam ad ſummum, & ipſi Patri ſecundum divinitatis gradum aſcendit, non agnoſcamus. Vetera enim præterierunt ; nova facta ſunt omnia.

Notandum autem eſt in iſtis verbis non tantum eſſe brevem expoſitionem, & quaſi Compendium illius, quam Deus ab omnibus cognoſci vult, veritatis : ſed etiam rationem, & argumentum, cur Deus eam ab omnibus cognoſci velit. quia nimirum voluit ut hic mediator daret ſeſe tanquam pretium pro redimendis ; & victimam pro ſervandis omnibus omninò hominibus *verſ.* 6.

Vocat autem iſtud eximium Dei Chriſtique beneficium, quod in morte Chriſti cernitur, ἀντίλυτρον, pretium redemptionis, quia per mortem iſtam redempti, hoc eſt, liberati ſumus à ſervitute peccati, & extremis miſeriis, eam comitantibus.

Nihil enim efficacius eſt ipſius vi atque potentia, ad nos à peccatis liberandos, quia eſt teſtis placati Dei, & remiſſionis peccatorum, ea conditione ſperandæ, ſi ab iis poſthac, pro viribus abſtineamus : imo verò commendatiſſimæ erga nos Caritatis Dei, documentum firmiſſimum *Rom.* v. 8.

Ideò iſtud ipſum ἀντίλυτρον vocat teſtimonium, non modo quod mors Chriſti ſit inſigne veritati religionis Chriſtianæ præbitum teſtimonium ; ſed etiam quod ſit certiſſimum pignus eximiæ gratiæ Dei : quam per multa ſecula dilatam, propriis demum temporibus (καιροῖς ἰδίοις) hoc eſt, ſub novo fœdere, exhibuit. Nec enim antea talis peccatorum remiſſio, aut ejuſmodi juſtificationis modus patuit humano generi, nec omnes peccatores ; nec omnes gentes (unica excepta) ad privilegium gratiæ Dei admittebantur.

Cujus novæ gratiæ Dei præconem ſeſe, & Apoſtolum, idque non ſimplicis aſſeverationis modo, apellavit, ſimulque *Doctorem gentium in fide, & veritate.* quo majorem auctoritatem monitis, & præceptis ſuis, quæ tradere incepit, conciliaret.

Verſ. 8. Poſtquam oſtendiſſet, quod *pro omnibus hominibus*, præcipuè vero iis, qui ſunt in poteſtatis eminentia, orandum ſit : nunc ad doctrinam accedit, docentem, quomodo omnibus & ſingulis orandum ſit.

Primum autem à viris incipit, qui cum (ex ſexus ſui ingenuo) plerumque affectibus facultatis, quam vocant iraſcibilem, utpote robuſtionis, & quaſi ſpiritualioris nequitiæ obnoxii ſint ; monet Apoſtolus, ut ad preces accedentes *Manus attollant abſque ira & contentione.* Quia enim vox διαλογισμὸν, diſceptationem quoque, non modo cogitationem, ſignificat : quæ vix abſque odio adverſus eos, quibuſcum diſceptatio fieri ſolet ; docet nos Spiritus Sanctus, accedentes ad precum ſacrificium, exuere omnes iſtiuſmodi affectus ; qui ex parvis initiis orti, per manuum officium, noxam aliquam (uſque ad necem interdum) iis, quibuſcum contendimus, inferunt. Cum enim ritus precandi non abſque ſublatis manibus fieri ſoleat ; oſtendit manus illas ſupplices, quas ad Deum tendimus, non modo à gravi cædis pollutione : ſed etiam à levioribus initiis, à quibus facilis & ſæpe præceps ad graviora lapſus eſt ; puras eſſe debere.

Nihil enim magis precibus obſtat, eaſque invalidas & infructuoſas reddit ; quàm ſi nos, cum maximarum culparum Deo debitores ſimus ; iis viciſſim, qui erga nos deliquerunt, irati atque infenſi ſimus.

simus. Sic enim meremur, ut Deus quoque, culparum nostrarum memor, desideria nostra frustretur. Ergo, adjecta est hæc conditio, necessariò à nobis præstanda quoties ad Deum accedimus, in illa perbrevi precum formula, quæ nobis à Christo præscripta est. hinc & oblationes nostræ, quibus Deum placare contendimus, suspendi jussæ sunt, donec, quantum in nobis est, inimicis per satisfactionem culpæ nostræ placatis, contentionem nostram cum iis sopiamus.

Accedit mox *vers.* 9. ad fœminas; quæ, cum ex natura sexus sui, ad nimiam & carnalem placendi curam propendeant, quæ non modò cum superbiâ, sed cum libidine quoque conjuncta sit; admonet eas, ut quoties ad Deum accedant, mundus earum muliebris, & ornamenta sint cum pudore & verecundiâ, (quæ virtus adversus libidinem) & cum σωφροσύνῃ, sobrietate quadam mentis, & modestia (quæ contra superbiam militat) conjuncta. Non igitur aut capillorum plicaturis, aut auro margaritisve & vestitu pretioso: sed virtutibus quæ pietatem & sanctimoniam professas decent, ornatas esse debere. Et quia virtutum, (hæc sunt illa ἔργα ἀγαθὰ) quæ fideles fœminas decent, mentionem fecit; subnectit doctrinam, quæ huic sexui propria, & peculiaris & maximè necessaria est, *Ut omni modestiæ genere testentur, quod se minores viris gerant.* Adeoque ab omni supra viros eminentia usurpata prærogativa alienæ sint; ut ne *docere* quidem illos, *præsertim* publice & ex professo, sibi præsumant.

De publico enim docendi munere Apostolum hic loqui, id ostendit, quod cum illis discendi facultatem adimere nec potuerit, neque etiam voluerit; publicè tamen discendi, (quod absque colloquiis, & quæstionibus, aut disputationibus in publico factis, fieri non potest.) interdictum *vers.* 11. non obscurè proponat. Discere vero ἐν ἡσυχίᾳ, hoc est, privatim, opponitur publico discendi aut differendi strepitui.

Atque hic notanda est religionis, & doctrinæ Christi natura; quæ vitia & peccata hominum ab ipsis eorum radicibus extirpare contendit: & leviora primùm omnium sæpe nobis extorquet; ne per ea gradus ad graviora fiat.

Ne enim mulier posset αὐθεντεῖν αὐτοῦ, jus & potestatem aliquam supra viros usurpare; publicè eam docere non permittit: ne publicè doceat publice quoque discere vetat. & levioribus occurrendo ad graviora aditum præcludit. NB. Et tamen Apollos ab Aquila & Priscilla melius edoctus est in via Domini. *Act.* XVIII. 24. Sed hoc ad privatam institutionem atque institutionem pertinet.

Quid autem hoc loco per vocem εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ intelligat Apostolus explicat *vers.* 11. per voces ἐν πάσῃ ὑποταγῇ, (esse in omni subjectione) hoc est, ut sexum suum virili *inferiorem*, & *infirmiorem* ideoque ipsi subjectum esse meminerint.

Et inferiorem quidem eum esse probat *vers.* 13. *quia Adam prior Evâ creatus* sit, quod non temporis tantum; sed & dignitatis præcellentiam significat. quo tacite innuit non Adamum propter Evam; sed Evam propter Adamum creatam esse. quod *Genes.* 11. clarius exprimitur: Creato enim priùs Adamo, quia status ejus absque socio deterior futurus erat; in ejus gratiam Eva creata est. Nec enim tantum in intentione semper; sed interdum in executione quoque finis media sibi servientia antecedere solet.

Infirmiorem autem eum esse probat *vers.* 14. exemplo Evæ, omnium quidem hominum; sed præcipuè (ob eundem sexum) mulierum matris: quæ, cum Adamus deceptus non fuerit; ipsa decepta, peccati, & illius subsequentis supplicii, sibi primum, mox marito principium fuerit.

Reticet autem hoc versu supplicium istud Evæ, ac toti ipsius sexui inflictum, quia illud *versu* sequenti commemoraturus fuerat, aut potius illud *versu* 15. commemorat; quia *versu* antecedente reticuerat. Pœnam videlicet doloris in pariendis liberis, seu in τικτογονίᾳ. Per quam vocem, non inusitata subjecti pro adjuncto metonymia, non tam ipse partus, quàm adjunctus partui dolor intelligendus est.

Etenim ne sexus is, ob rationes ab Apostolo allatas animum desponderet, & à spe salutis sese depulsum esse putaret; ostendit Apostolus Mulieres, quanquam à Deo supplicio ærumnosi partus damnatæ sint; non tamen per istud *supplicium perituras, si manserint in fide, caritate, sanctificatione, cum temperantia:* Difficultas in intelligendo omnis tolletur si quis animadvertat, Apostolum verbo σωθήσεται, hoc est *Servabitur*, usum esse pro *Non interibit.* quod plane eundem sensum habet, licet per contrariam vocem sine particula negativa expressum. *Servabitur* enim, & *non peribit*, voces sunt synonymæ. ideo alterâ pro altera Apostolo, uti licuit.

Non peribunt, inquit, per istud ærumnosi partus supplicium mulieres, si virtutibus istis, seu bonis operibus sese exornaverint. Virtutum primam commemorat *Fidem*, hoc est acceptationem promissorum Veracis Dei, cum firma spe assequendi. Secundam, *Caritatem*, id est Obedientiam præceptorum Dei, in officiis erga proximum. Tertiam, Sanctificationem, hoc est Obedientiam præceptorum Dei in officiis erga ipsum Deum. Quartam, Temperantiam, id est Obedientiam præceptorum Dei in officiis, quæ nobismetipsis debemus.

CAPUT III.

POst doctrinam de precibus; tradit doctrinam de variis in Ecclesia muneribus atque officiis publicis qualia sunt Episcoporum, Diaconorum, Diaconissarum.

Vers. 1. Πιστὸς ὁ λόγος. Quemadmodum Dominus noster, quoties doctrinam aliquam insignem, & veritate sua illustrem, aut utilitate excellentem tradit, addit ipsi aliquam asseverationis notam, puta Amen, Amen: videlicet, Qui habet aures, audiat, ut homines ad attentionem, & observationem ejus rei, quæ docetur, excitet, eamque firmius memoriæ infigat; ita Apostolus ejusdem generis doctrinis, aut speciem aliquam juramenti, aut aliquem peculiarem asseverandi modum, vel commendationem addit, qualis est in hac ipsa epistola hæc affirmandi, & commendandi dogmatis, quod tradit formula, & quidem in tam brevi epistola ter repetita. *Fidelis*, inquit, *sermo*, hoc est, exploratæ veritatis, & qui neminem possit fallere. Addit autem duobus aliis locis *cap.* 1. 15. *& cap.* IV. 9. verba πᾶσα πίστις ἀποδοχῆς ἀξία, & omni acceptione (hoc est, assensu & approbatione) dignus.

Hic autem sermo aut effatum est; Qui *episcopatum desiderat; bonum opus desiderat.* Quo admodum quidem commendat adeundi hujus muneris desiderium, sed eadem opera docet, quæ sint necessaria ei, qui in hoc vitæ genere Deo servire voluerit. In quo salubre sane & maxime necessarium Ecclesiæ tradit monitum, ne temere quoscunque ad Muneris hujus functionem aspirantes admittat, antequam probè despexerit, an huic administrando pares, & istis virtutibus, quas hic commemorat, sint præditi. Quamvis enim unusquisque Christianorum omnibus istis virtutibus præditus esse debeat; tamen

ab iis, qui aliis doctrina & vita prælucere volunt, earundem virtutum, in quibus aliis præire debent, excellentior gradus meritò postulatur.

Cujus rei tacita ratio in primo, eoque generali requisito, quod hic Apollolus reperiri vult in omnibus tàm sancti muneris candidatis, cernitur. Præscribitur enim iis, qui episcopatum ambiunt, *ut sint irreprehensibiles*, hoc est, ut nihil in iis inveniatur, quod aliqua ratione reprehendi possit. quod ii soli consequuntur, qui non modo ea vitant, quæ plane sunt peccata & illicita: sed etiam plurima ex rebus licitis, quæ aliquam peccati præ se ferunt similitudinem, hoc est, non tantum crimina, sed etiam criminum vel minimam suspicionem. Non enim hominibus istis solius innocentiæ, sed existimationis quoque cura habenda est. Quod quamvis omnibus quoque Christianis incumbit; tamen longè restrictius & circumspectius iis vivendum est, quibus aliqua super alios auctoritatis prærogativa necessaria est. Quomodo enim alios efficaciter & cum fructu reprehendat; qui alieni, tametsi non veræ, verisimilis tamen culpæ suspectus, atque ita ipse reprehensioni subjectus est.

Quomodo autem in Ecclesia episcopi, à privatis in abstinentia vitiorum & profectu virtutis differre debeant: & quantò major profectus pietatis in *episcopo*, quam in aliis requiratur; secundum quod à candidatis hujus muneris postulatur, Requisitum ostendit. Præscribitur enim ipsis, ut sint *unius uxoris viri*. Coercendæ libidinis infirmitati, remedium constitutum à Deo est matrimonium. *Melius enim est nubere, quam uri.* Ergo qui sæpius matrimonia iterant; ipso facto uri se fatentur; necdum istius passionis rebellionem in se perdomitam ostendunt. Quemadmodum autem ii, qui suæ domui præesse nesciunt; parum apti, qui domui Dei præsint, infra judicantur; ita hic qui affectus suos, hoc est, seipsos regere nesciunt; ad aliorum gubernationem non satis idonei censentur. Atqui cæteris Christianis à quibus Episcopatus auctoritas per altiorem existimationis gradum non requirit; iteratum matrimonium Spiritus Sanctus permittit. Vide 1. *Cor.* VII. & illo castitatis gradu, qui intra cujuscunque matrimonii leges coercetur, contentus est: ab Episcopis tamen altiorem & sublimiorem requirit, ut etiam à licitis abstinendi sibi legem imponant. Quomodo enim aliis prælucere possint; quorum lux tenebris aliorum nihil excellit.

Idem de reliquis infrà scriptis virtutibus, aut vitiorum fuga censendum est. Requiri eadem quoque ab omnibus certum est: sed ab Episcopis, in altiori & eminentiori gradu: quia ipsi quoque sunt in Ecclesia eminentiores.

Antequam ad tertium Episcopi requisitum abeamus; ex isto secundo notandum, mentem Apostoli fuisse ut nonnisi in ætate matura inauguraretur Episcopus. Quomodo enim abstinentia ejus à matrimoniis iterandis in ipso ætatis limine dignosci potuisset? quomodo & sublimitas & perfectio virtutum acquiri? nemo subito fit bonus, & ad perfectos habitus virtutum acquirendos tempore opus est. Quomodò necessaria ad gubernandum prudentia quæratur fine usu. At enim, *sera venit usus ab annis.*

Tertium candidato Episcopatus præscribitur requisitum, ut sit νηφάλιος. vigilantiam potius hîc, quam sobrietatem hac voce designari, ostendit *versus* sequens 3. ubi sobrietas præscribitur. Vigilantia vero longe major requiritur in iis, qui aliorum quoque curam habere debent; quàm qui tantùm sui.

Quartum, Ut sit σώφρων, *temperans*. Hic quoque temperantia longe restrictior requiritur, non modo ab omni malo & nimio; sed ab omni quoque specie mali & nimii abhorrens.

Quintum, Ut sit κόσμιος, *bene compositus, elegans*, hoc est, cultu, habitu muneri suo convenienti: sed præcipue moribus comptus, & elegans. quæ virtus, quamvis ad profanas in mundo aulas tantum pertinere videatur; tamen & sancto huic muneri necessaria est. Cultus enim & habitus deformis, & abjectus, aut negligentiam vel imprudentiam aliquam olens, & mores incompositi; facile homines offendunt & ad contemptum, aut abhorrentiam ab iis, qui tales sunt, adducunt; cum Præpositio cuique existimatio hominum, favor, & auctoritas necessaria sint.

Sextum, Ut sit φιλόξενος, *hospitalis*. Omnibus ea virtus præcipitur: sed in ea quoque, ut in cæteris, Episcopi reliquis præire debent.

Septimum, Ut sit διδακτικός, *ad docendum aptus*. hoc aliis Christianis tantum pulchrum & utile: Propositis Ecclesiarum etiam necessarium est.

Octavum, In *vers.* 3. tria requisita singula bis proponuntur, Negative & positivè, ut octavum requisitum μὴ πάροινον, ἀλλὰ ἐπιεικῆ. *non vinolentum*, sed ἐπιεικῆ, *moderatum & de suo jure remittentem*. Ubi quis ex ipsa antithesi non animadvertit, non tantum illam crassam ebrietatis speciem hic prohiberi, quæ sobrietati opponitur, & in oculos omnium incurrit: hæc vero quod ab omnibus Christianis procul abesse debeat, facile pro concesso sumitur. sed aliam longe subtiliorem, & occultiorem, quæ opponitur *moderationi, & de suo jure decessioni*, hoc est, quæ ex mero, largius sumpto, non evertit quidem statum mentis nostræ, nec eam de statu suo dejicit: sed tamen admissis copiosioribus æquo in corpus vini spiritibus vehementiam quandam procreat, omni moderationi & juris sui dimittioni repugnantem. quod ii maximo malo suo experiuntur, qui artis subbibendi non sunt expertes.

Præ cæteris autem subtilis ista ebrietatis species iis cavenda est, quibus docendi, aut disserendi, aut & ἀντιστῆναι necessitas aliqua incumbit. quales sunt Pastores aliorum.

Et in opposita huic vitio ἐπιείκεια, hoc est, æquitate quadam & moderatione facile crediderim Apostolum respexisse ad illos sermonum contentiones, quæ inter disputantes ubi vino vel minimum incaluerint; frequentes sunt, quamvis nondum ad ebrietatem ventum sit. Tunc enim sæpe cernitur obstinata in retinendo jure suo pervicacia & pugnacitas, cui ἐπιείκεια opponitur. Inducor autem ut ita existimem; quia proximum & nonum requisitum Apostolus subnexuit, Ut Episcopus non sit πλήκτης, sed ἄμαχος, *non pugnax*; sed *ab omni concertatione alienus*. Quod non de manuum, sed verborum conflictu intelligendum; manifestius est, quam ut anxiè probari debeat.

Atque hæc quidem pestis vel maximè Ecclesiam sequenti ævo depopulata est, & in partes primum plurimas scidit, mox in Antichristorum ubique tyrannidem conjecit. Nullo pietatis fructu, maximo odiorum, calamitatum, errorum, superstitionum proventu. Cum ii, qui omnibus virtutibus, sed præcipuè ἐπιεικείᾳ præire aliis debebant: præirent potiùs pugnacitate, odiis, rixis, maledictis, zelo non Dei, sed interdum quoque vini aut splendidæ bilis, quæ ipsa vino effervescere solet, correpti.

Certè quoties aliquorum scripta symbola, anathematismi, sed præcipuè eorum dogmatum, quæ intelligere ipsi non poterant, explicationes leguntur; satis apparet eos ebrios fuisse, cum hæc scriberent. (Podpil byl sobie rotrafe Atanasius Eredus

suociæ

ſuociæ ſymbolum πίστις.)

Decimum requiſitum, quod ab Epiſcopatus Candidato poſtulatur eſt, ut ſit non αἰσχροκερδὴς, turpis lucri cupidus; ſed ἀφιλάργυρος, non amans pecuniæ, contemptor pecuniæ.

Nullum autem evidentius calamitatis hujus, quod Eccleſia plane ab Apoſtolica doctrina degeneraverit, ſignum eſt, quam quod id genus mortalium, quod cæteros exemplo ſuo, ab omni avaritiæ labe abducere debuit; iſtius vitii ſordibus omnia reliqua mortalium genera; & quidem longiſſimo intervallo, ſuperet.

Undecimum requiſitum eſt *verſ.* 4. *Ut propriam domum rectè gubernet, liberos habens in ſubjectione, cum omni ſui veneratione*, hoc eſt, exiſtimationem, & auctoritatem ejuſmodi ſibi apud domeſticos conciliet, quæ eum ſuis reddat venerabilem. Quæ res prudentiâ indiget, qua deſtitutos homines ad gubernandam Eccleſiam; ineptos eſſe, evidenti demonſtratione *verſ.* 5. oſtenditur.

Duodecimum requiſitum Epiſcopi eſt, *Ut non ſit* νεόφυτος, *recens in Eccleſia plantatus*, novitius, Tyro. Rationem ſubjicit Apoſtolus, *ne tumefactus* aut inflatus honore ſibi, ante perceptam penitus vim doctrinæ Chriſti, aut etiam perdomitos planè carnis ſuæ affectus, præmaturè delato, *incidat in* κρίμα, hoc eſt, in tentationem aut ſeductionem, & quaſi ambitioni ſuæ meritò debitam pœnam Diaboli. Explicatur enim vox κρίμα, *verſ. inſequenti* 7. per vocem παγίδα, hoc eſt, laqueum: quæ tentationis inſidias exprimit. Hujus conſilii Apoſtolici neglectus proximæ poſt Apoſtolos ætatis Eccleſiam à primæva veritatis prædicatione, ad gentilia & philoſophica placita magna ſui parte abduxit. Nec enim fruſtra Apoſtolus ab ejuſmodi hominibus Eccleſiæ timuit, cum animadverteret homines recens Eccleſiæ inſitos (præſertim ex eruditioribus, qui eruditionis ſuæ tumore inflati non ſtatim ſpiritus ſuos, & ambitionem deponere poſſent. Quippe etiam ſapientiſſimis gloriæ cupido poſtrema exuitur.) Tales cum in Eccleſiam reciperentur, ſimplicitatem eorum, qui recta doctrina ab Apoſtolis imbuti fuerunt, facilè præ ſua eruditione contemnebant. Ideò non omnia ab iis diſcere: ſed quædam etiam eos docere contendebant, ne fruſtra ea, quæ ſciebant, didiciſſe viderentur: Quos ſi quando ad clavum eccleſiæ poni accidebat, (non poterat autem id non frequentiſſime accedere) inevitabile periculum adibant Eccleſiæ. Porrò ex iis, qui peregrina in Apoſtolicam doctrinam dogmata invexere, quorum quidem ſcripta ad ætatem noſtram pervenerint, neminem dabis, qui aut Stoica aut Platonica philoſophia; aut aliarum quoque gentilium ſcientiarum non, aut literarum doctrina mediocriter fuerit.

Primi, in quorum ſcriptis novæ doctrinæ veſtigia deprehendimus, Juſtinus, Platonicus Philoſophus fuit, & Irenæus, & apud Latinos Tertullianus, Carthaginenſis Scholæ, quæ tunc in diſciplinis Gentium, ſicut mox & Alexandrina, florebat alumnus. Credo & ante Pantæni Stoici Alexandrinæ plantatoris, quàmvis nullum ejus monumentum ad meam notitiam pervenerit, eandem doctrinam fuiſſe; quæ diſcipuli ejus Clementis Alexandrini, & poſt hanc Origenis, ac totius deinceps ab eo propagatæ Scholæ, philoſophiam hujus ævi ex profeſſo tractantis, & omnem pene orbis Chriſtiani Eccleſiam (ſuppeditatis in Epiſcopatus ſuæ diſciplinæ alumnis) erroris ejuſdem diluvio inundantis; fuerat.

Decima tertia conditio, quæ ad eligendum Epiſcoparum requiritur, exprimitur *verſ.* 7. *Ut honeſto teſtimonio exornetur ab iis qui ſunt extrà.* quod eſt magni in virtute profectus documentum; neque Incipientibus, & recens pietatis curriculum ingreſſis, ideoque in eo non raro adhuc nutantibus aut ceſpitantibus contingere ſolet: ſed adultis jàm, & longo uſu firmatis, & æquabili vitæ tenore conſtanter decurrentibus. Eandem, quæ & ſupra allata eſt, rationem affert. Ne Pronus & facilis ad hallucinandum, ſibi & Eccleſiæ opprobrium accerſat; & *laqueum Diaboli* ſeſe capiendum exponat, qui occaſiones ejuſmodi nunquam negligere ſolet.

Per eos autem qui *ſunt extra*, hoc eſt, τοὺς ἔξωθεν, poſſunt intelligi, aut ſpecialiter ii tantum, qui ſunt extra Eccleſiam, quemadmodum 1. *Cor.* v. 12. 13. Paulus vocem τοὺς ἔξω, hoc eſt, extraneos accipit: aut generalius, præter iſtos etiam ii, qui ſunt in Eccleſia; extra noſtrum convictum aut contubernium; quibus tamen Candidatus hic aliqua occaſione notus eſſe queat. Poſſit enim quiſpiam, aſſumpta pietatis perſona, non paucis, quorum ſuffragio indiget, imponere; ſed omnibus, quibuſcum ante vixit, ſucum facere non poteſt, quin aliqua fraudis, extra fingendi occaſionem parum occultatæ, erumpant indicia. Qui ſenſus generalior, potior videtur: quanquam ne prior quidem repudiandus ſit: niſi quod præceptum antecedens enervare, aut certe limitare videtur. Nam quid opus eſt de homine, in Eccleſia novitio, teſtimonium ab iis, qui ſunt extra Eccleſiam poſcere; ſi novitiis ad Epiſcopatum omnis præcluſus eſt aditus. Ergo iſta explicatio non omnem novitiis iſtis præcludi aditum oſtendit, niſi iis forte, qui tali ab extraneis teſtimonio caruerint.

Verſ. 8. In electione Diaconorum. *verſ.* 8. *&* 9. *&* 10. *&* 12. *&* 13. Item Diaconiſſarum *verſ.* 11. eadem propemodum, quæ in electione Epiſcoporum, tradit præcepta; eodemque modo intelligenda: de gradu videlicet virtutum, quæ præſcribuntur, ſublimiore, & præ aliis excellentiore.

Primo, Σεμνὰς, Non de ſola gravitate, ſed de partâ quoque meritis exiſtimatione loqui Apoſtolum arbitror. quæ omnibus in Eccleſia præpoſitis perneceſſaria eſt.

Secundo, Μὴ διλόγους, *non bilingues*, quæ res non modo auctoritatem iſtam exiſtimationemque deſtruit: ſed fidem quoque abrogat iis, quibus alioqui publica Eccleſiæ pecunia creditur.

Tertio, Μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας. Non multo vino deditos. Eodem plane ſenſu, quo prius.

Quarto, Μὴ αἰσχροκερδεῖς, non turpis lucri cupidos. Quæ aviditas periculoſiſſima publicam pecuniam tractantibus.

Quinto, *Habentes myſterium fidei in bona conſcientia*, hoc eſt, qui præter commemoratas virtutes, alias quoque omnes habeant, quas religio Chriſtiana præſcribit: nec ſibi conſcii ſint ullius habitus ſanctitati hujus religionis repugnantis.

Vocat autem religionem Chriſti *myſterium fidei verſ.* 9. & infrà *myſterium pietatis verſ.* 16. quemadmodum doctrina Antichriſti ab eodem Paulo 2. *Theſſ.* II. 7. vocatur *myſterium iniquitatis*. Sunt vero cuilibet religioni ac doctrinæ ſua myſteria, hoc eſt, initiationes ac dogmata. Et ipſa vox myſterii deducitur à voce μύω, μυῶ, initio ſacris, ut μυέομαι, ἔμυσα initior ſacris. Ita ut citrà omnem Secreti notionem ſignificare poſſit, ipſam religionem.

Tacitè autem indicat Apoſtolus, non ſatis eſſe, ſi quis habeat *myſterium fidei*, (hoc eſt, accedat ad religionem Chriſti, eamque profiteatur) niſi illud habeat *in bona conſcientia*, hoc eſt, niſi ſibi probè ſit conſcius, ſe vivere ſecundum eam religionem, quam profitetur.

Repetit poſtea inter officia aut requiſita Diaconorum ea, quæ prius Epiſcopis præſcripſerat. Ut

Sexto ſint unius uxoris viri. quod eodem modo intelligendum eſt, ut ſupra explicuimus. Ut Septimo Liberis, ac domui ſuæ benè præſint. Cauſas ejus rei ſupra attulit, quia ipſi quoque regiminis Eccleſiæ participes erant futuri. Quædam ex iis, quæ Diaconis præſcribuntur, obiter quoque præcipiuntur Diaconiſſis.

Primum, Ut ſint σεμναὶ, graves. Secundum, Non calumniatrices. Muliebre enim vitium eſt Obtrectatio, quæ rarò eſt abſque comite calumnia. Tertium, Sobriæ, aut vigilantes. Quartum, Fideles in omnibus.

Concludit denique doctrinam de Diaconis & Diaconiſſis peculiari promiſſo *verſ.* 13. quod pulchrum & excellentem ſibi gradum comparaturi ſint, & multam parreſiam ſeu *fiduciam* acquiſituri in fide Jeſu Chriſti. Qui æqualitatem in Eccleſia, & regno Chriſti omnimodam ſomniant: facile animadvertere poſſunt in æqualitate gradus nullos dari. Sed & ad majorem gradum perveniendi viam Chriſtus *Matth.* xx. 26. 27. oſtendit. Miniſteria & labores, qui pro aliis ſuſcipiuntur: Parreſia autem & fiducia multa in fide Jeſu Chriſti, eſt certitudo Spei, quam ex rectè adminiſtrato munere atque officio impoſito; ſibi quiſque in promiſſis Religionis Chriſtianæ firmiter promittere poteſt. Præterea aditus tutus ac ſecurus ad Deum in precibus, & omnium neceſſariorum impetrandi fiducia.

Verſ. 14. & 15. Reddit rationem, quamobrem hæc Timotheo præciperet; quamvis ſe ad eum venturum propediem ſperaret: Quia (inquit,) fieri poterat ſeſe in adventu ſuo moram aliquam facturum. Ergo ut interea Timotheus ſciret, *quomodo in Eccleſia converſari*, hoc eſt, quomodo ſe in adminiſtranda & gubernanda gerere debeat, quiſve ordo in eregenda Eccleſia ſervandus eſſet; neceſſariis præceptis inſtruendus fuerat. Quæ tantò magis anxiè atque ſollicite ipſi eſſent exequenda; quantò majoris, nobilioris, ac pretioſioris rei cura, & adminiſtratio ipſi eſſet impoſita. Nihil vero excellentius eſt Eccleſiâ: quam dum commendat; Apoſtolus vocat primum *domum Dei*.

Nam ſi fideles ipſi, & corpora quoque ſingulorum, templa Dei dicuntur; multò magis integri cætus fidelium, & quidem eminentiori modo ita dici poſſunt. quia Deus in iis habitat: eorum perpetuam & ſingularem curam habet: eorum corda, conſilia, mentes, actiones præ oculis ſuis habet, & aſſiduè inſpicit. Unde obiter ſingulis perpendendum eſt quanta ipſis neceſſitas incumbat, caute & vigilanter coram oculis & in conſpectu Dei vivendi & converſandi. Sed præcipuè Rectoribus Eccleſiarum, qui ex officio muneris ſui ſunt adminiſtri & cooperarii Dei; danda eſt opera, ne in negotio, quod unâ cum Deo, quaſi communi operâ gerunt, negligenter verſentur: neve concreditum ſibi populum, quem Deus tanti faciat, per aliquam culpam ſuam damno aut incommodo aliquo afficiant.

Eandem Eccleſiam vocat *Columnam & firmamentum Veritatis*. Per *veritatem* religionem Chriſtianam, hoc eſt, doctrinam Chriſti intelligit. Chriſtus enim, hoc eſt, Chriſti doctrina, atque religio ejus metonymice dicitur Via & veritas. Via quidem ad æternam ſalutem; veritas autem, quia nobiliſſimam veritatis partem, imò ipſam veritatis perfectionem, in ſe continet. hoc eſt, quod ſupra dixit *Myſterium fidei*: & quod infrà adjicit, *Magnum pietatis myſterium*. quæ omnia elogia religionem & doctrinam Chriſtianam, ejuſque dogmata omnis veritatis plena ſignificant.

Cæterum Eccleſia ideo columen & firmamentum veritatis, hoc eſt, veræ religionis, dicitur; quia per eam veritas & religio toti orbi illuceſcere debet. quemadmodum eandem Chriſtus alibi *Salem* appellat, quia per eam ſaliri, hoc eſt, ſalubri doctrinam primum, deinde ſanctis moribus imbui homines debent. Quò magis Doctoribus & Epiſcopis eccleſiæ advigilandum eſt, ne falſa, pro veris, profana & vitiis indulgentia, pro ſanctis & vitia extirpantibus dogmata Eccleſiæ tradant: ne ſuper aurum & gemmas Apoſtolicas, ligna, ſtipulas, & ſtramina philoſophica ſuperſtruant. Nec enim iſti Eccleſiam tantum, quam falſo & præpoſtere erudiunt, violant; ſed toti orbi, toti humano generi, qui per Eccleſiam in agnitione veritatis & vita ſancta inſtruendus fuerat; cauſam dicent. Nec Deus parcere ſolet iis, qui gregi ſuo non parcunt.

Et quamvis aliqui non malo animo, pias videlicet fraudes commenti: aut etiam inſcii atque imprudentes ea, quæ diximus, commiſerint, licet alioqui pie ſanctèque vixerint; tamen ab iis Deum etiam in ipſa vita æterna pœnas expetiturum, Apoſtolus aſſerit, dum ſalvos quidem fore ait, ſed tanquam per ignem, hoc eſt, ſicut ab incendio ereptos, 1. *Cor.* 3. nudos, & ſpoliatos, atque exutos omnibus iſtis falſis ornamentis, quibus per tot ſecula celebres effulſerunt. Sed quotuſquiſque eorum, qui tot errores invexere, non ambitioni potius, aut avaritiæ, aut iracundiæ, aut ſimili carnalis affectus culpæ potius, quam bono aliquo conſilio, aut zelo, culpas quas commiſit, indulſit. Quotuſquiſque etiam tot jactatorum populi Dei commeritum ſupplicium effugiet?

Et quoniam *verſ.* 15. Eccleſiam dixit eſſe Columnam & firmamentum veritatis, hoc eſt, veræ religionis in humanum genus propagandæ; ideò *verſ.* 16. in laudes iſtius veritatis, hoc eſt, veræ doctrinæ Chriſti excurrit. Vocat autem eam *pietatis myſterium*, quia finis præcepti, 1. *Tim.* 1. 5. finis & ſcopus iſtius religionis, eſt pietas. Sed commendat ac celebrat iſtud pietatis myſterium, oſtendens quam ſit *Magnum*, hoc eſt, glorioſum ac celebre. Quia primum, quamvis *apparuerit in carne*, hoc eſt, in vilitate & infirmitate: prædicatum à pauperibus & plebeiis: nec ulla eruditionis fama celebratis, & inter viles quoque, & pene infirmæ ſortis homines; tamen *juſtificatum ſpiritu*, hoc eſt, confirmatum eſt miraculis à ſpiritu & potentia Dei profectis: *oſtentata eſt Angelis* mirabilis in eo Dei ſapientia: qui multa, ſibi prius ignorata, per Eccleſiam didicêre. adeò ut in eam, quæ in Evangelio prædicabantur, avidè introſpicere deſiderarent. 1. *Pet.* 1. 12. *Prædicatum eſt in gentibus*, quod ipſum quoque Angelis præter opinionem accidit. tunc demum revelato ipſis quoque myſterio, ad gratiam Dei gentes etiam eſſe admiſſas: *fides ipſi adhibita eſt* in mundo. quia per prædicationem & miracula Apoſtolorum multi, ad fidem converſi, crediderunt. *Receptum eſt in gloria.* quia Religio Chriſtiana à tot populis & gentibus glorioſe recepta eſt; ut pro ejus confirmatione innumeri mortales vitam, & ſanguinem ſuum profundere non dubitarent. & ita, Deo & Angelis ſpectantibus, hoſtes & impedimenta prædicati Evangelii glorioſe vincerent: ipſumque Evangelium glorioſo incrementi modo propagarent.

Hunc veriſſimum ſenſum eſſe verborum iſtorum, non dubito. Nam vocem θεὸς, hoc loco intruſam à falſariis, nemo dubitat, niſi aut lectionis Conciliorum expers, aut ad cujus aures fama Liberati Carthaginienſis Archidiaconi, non pervenit.

Cæterum ſi vox θεὸς retinenda eſſet; eam de Deo patre intelligi eſſet neceſſe, quia hæc vox, cum in Sacris literis Chriſto tribuitur, nunquam ſubjecti, ſemper prædicati locum obtinet. Senſus igitur eſſet,

Magnum

Magnum esse pietatis, id est, doctrinæ & religionis Christi mysterium, quia per eam Deus ille supremus *manifestatus est in carne*, hoc est, voluntas, & sapientia, & potentia ejus, in carnis infirmitate patefacta est & apparuit, quia mysteria sua occaluit sapientibus, & intelligentibus, & revelavit ea parvulis & infantibus, *Matth.* XI. 25. *Justificatus Spiritu*, quia Sapientia ejus justificata est (*Matth.* XI. 19.) à filiis suis, id est, ab hominibus, Spiritu & sapientia Dei, non mundi, præditis. *Visus Angelis*, quia per religionem Christi ipsi Angeli viderunt ac perspexerunt penitius ejusmodi sapientiam & potentiam Dei, quam nisi per Ecclesiam non potuissent assequi. *Prædicatus in gentibus*, quia per Christi doctrinam Veri Dei nomen prædicatum gentibus, ab agnitione Dei quondam alienissimis. *Creditum est* ipsi in Mundo, quia divinissimis ejus promissis, non in uno Palæstinæ angulo; sed in toto mundo fides adhibita est. *Receptus est* in gloria, quia doctrina & cognitio ejus recepta est per gloriosa miracula: per gloriosam, de Satana partam victoriam, qui per prædicationem doctrinæ Christi jam tunc tempore Pauli de Solio falsæ Divinitatis suæ, quod apud gentes occupaverat potenter & gloriosè dejici cæpit: ac tandem prorsus dejectus est.

Sed quamvis vox ὃς, de ipso Christo intelligenda esset; nihil tum ex verbis istis adversus doctrinam veritatis erui posset. Quid vero novi est, Christum *venisse in carne*, qui *Heb.* II. 14. propter homines, in carne natos, ipse quoque in carne nasci debuerat, aut eundem *justificatum in Spiritu*, hoc est, agnitum pro vero & legitimo Messia ab hominibus, spiritu Dei præditis: *Visum Angelis*, quibus testibus & administris Deus per ipsum novam Creationem auspicatus est. *prædicatum gentibus* non solis Judæis? nec irritam fuisse prædicationem hanc; sed *fidem ipsi adhibitam in mundo*, & doctrinam ejus gloriosè receptam ab omnibus fidelibus nova subinde sumsisse & sumere incrementa? quanquam, & *ipsum gloriosè in cælos receptum* & exaltatum; meritò dici potuit. Hæc omnia inquam, salva Apostolicæ prædicationis veritate, dici, atque, ut fecimus, explicari possint.

Notandum autem, quia in assertione, quod Magnum esset pietatis mysterium, Apostolus vocem ὁμολογουμένως præmiserat, quæ significat confessione omnium; ideo eum pleraque magnitudinis hujus & excellentiæ testimonia, & quasi confessiones congessisse in unum cumulum. Puta, Spiritum Dei, & ejus miracula, Angelos, tot gentes arbitros & conscios notitiæ Dei participes factas, Sparsas toto orbe fidelium Ecclesias, & gloriosam Evangelii ab omnibus receptionem.

CAPUT IV.

EXposita dignitate & excellentia veritatis in doctrina religionis Christianæ, cujus Ecclesia fulcrum & columen esset, ut ex dignitate & excellentia pignoris fidei Episcoporum concrediti; eos ad tantò diligentiorem de ea suscipienda curam adduceret; nunc exponit præsentissimum ac certissimum veritatis hujus periculum: ut eosdem ad tanto acriorem & magis anxiam de ea conservanda, sollicitudinem provocet. Non igitur incertum venturi mali augurium, aut divinationem proponit: sed expresse dictatam à Spiritu Sancto prædictionem de Apostasia à vera Christi & Apostolorum doctrina. Atque hæc verba *vers.* 1. sunt explicatio verborum 2. *Thess.* II. 3., quibus etiam prædicitur Apostasia, & Antichristi adventus. Ostendunt enim apostasian illic prædici non ab Imperio Romano, quod quibusdam parum aptè in mentem venit; sed à fide, hoc est, vera & pura fidei doctrina. Et hoc loco fidem, pro doctrina religionis, non pro habitu illo, per quem promissis Dei firmiter credimus; accipi patet. sicut & supra *cap.* III. 9. Mysterium fidei sumitur.

Prædicitur autem hoc diserte, ac proinde ut certò eventurum. non quod Deus voluerit, ideoque constituerit, ut hoc certo eveniret: sed quia, posito libero arbitrio & pravitate hominum, partim corruptorum, partim corrumpi facilium: positis & tentationum laqueis; certò prævidit futurum, ut saltem quidam à vera fidei doctrina deficerent, & Spiritu erroris, per Satanæ artificium abrepti; doctrinas dæmoniorum traderent. Vocat autem eas doctrinas dæmoniorum, quia in locum veræ doctrinæ Dei; tanquam loco veri partus, supposititii fœtus, à dæmoniis subjiciuntur. Nisi quis malit doctrinas de cælibatu, & jejuniis, ideò doctrinas dæmoniorum dici, quia nos quodammodo dæmonibus similes reddant, qui neque nubant unquam, neque vescuntur: & tamen sunt mali & sanctimoniæ planè expertes.

Vocat autem *vers.* 2. ejusmodi homines, qui Spiritu deceptionis & doctrinis dæmoniorum dicuntur *In hypocrisi falsiloquos*, quia pietatis & sanctimoniæ simulatione, fallis doctrinis homines decipiunt. Veniunt in vestitu ovium, cum intus sint lupi rapaces. Addit eos *cauteriatas habere conscientias*, hoc est, non puras, & illibatas; sed improbas, & perversas. qualia esse solent mancipia, propter crimina & flagitia stigmate & cauterio signata. Tales vero circa fidem naufragium facere solent; qui rectam conscientiam abjiciunt. Supra *cap.* I. 19. Et ex fructibus suis optimè cognoscuntur. Non tamen illud omiserim, verba *vers.* 2., si Grammaticam constructionem spectemus, non ad vocem λόγοις; sed ad vocem ἀποστήσονται posse referri. ita ut ista simulatio, falsiloquium, & conscientiæ cauteria, ipsis dæmonibus, à quibus hæ doctrinæ suggesta, tribuantur. quod eodem recidit. Ut enim dæmon filios, ex se natos, sui similes efficit; ita, qui ex eo nascuntur, patris sui effigiem ad verum exprimunt.

Duo vero doctrinarum genera in specie *vers.* 3. proponit, quæ Satanas in locum præceptorum Dei supposituras erat: Doctrinam de cælibatu, & alteram de Ciborum delectu. Quarum utraque ad Corporale exercitium pietatis, de quo infra acturus est, pertinet.

Et matrimoniorum quidem Interdictum, ut ad istas damnatas à Spiritu Sancto dæmoniorum doctrinas pertineat: nihil necesse est, ad omnia omninò hominum genera protendi, hoc est, non putandum est, illam tantum esse dæmoniorum doctrinam, si omnibus planè hominibus Christianis matrimonium prohibeatur. Vix enim putò quenquam serio tam absurdum dogma tradidisse, quin aut unius hominis ævo humani generis conservationem terminari; aut promiscuis scortationibus illud propagari voluerit. quod creditu difficile est: etsi à credulis nimium sæpe, aut etiam pias fraudes sibi indulgentibus Patribus traditum sit.

Sed isti, quibus hic Apostolus apostasiam à fide tribuit, sine dubio ad Antichristi apostasiam pertinent: quam diutius certè unius hominis ævo duraturam fuisse, & ratio, & eventus ostendit. Quos ut Satanæ negotium agant, non necesse est toti humano generi cælibatum indicere. Sufficit si maximæ & potissimæ parti Ecclesiæ Matrimonio, tanquam re profana, & sanctitatem polluente, interdicant. cum tamen illud Apostolus in hac ipsa epistola omnibus Episcopis manifestè permittat: Solo ejus usu

ad æquas moderationis leges restricto & limitato. Præterea, quemadmodum interdictum ciborum, quos Deus creavit; hoc loco non significat omnium omninò ciborum prohibitionem, quamvis *Omnes Deus creaverit*, sed tantum quorundam; Ita nec interdictum matrimonii, significare potest prohibitionem ejus omnibus omnino hominibus, sed tantum quibusdam.

Quod attinet ad alterum Pythagorici olim, nunc Antichristiani, dogmatis characterem, hoc est, Ciborum delectum: hunc planè Spiritus Sanctus damnat, tanquam in ipsum Deum injurium. Utpote rebus iis, quos Deus creavit in usum hominum, tribuentem, nescio quam pravitatem; quam neque per se, ac natura sua ullam habent; etsi qua forte ex accidenti, per Mosis legem vetantem, adventitia ipsis adhæsit pravitas; ea jam per fidem Evangelii, & veritatem à Deo revelatam, voluntate Dei sublata sit. Cujus rei testimonium est, quod iis rebus cum gratiarum actione ad vescendum utimur; quod facere non possemus; nisi ejus rei licentia esset nobis à Deo permissa. Quicquid igitur cibo ejusmodi adventitiæ pravitatis per legem Mosis fortè accesserat: omne id tollitur, (*vers.* 5. & cibus ipse sanctificatur dupliciter. Primo, per Sermonem Dei, permittentis, & legem per Mosen latam relaxantis, quemadmodum nos docet veritas Evangelica. Secundo, per preces ad Deum fusas, & per fidem efficaces: quarum efficacia omnes res à Deo, in quem credimus, creatas (*vers.* 4.) nobis mundas, & nequaquam rejiciendas reddit.

Cautè vero Apostolus loquitur (*vers.* 3.) de usu ejusmodi ciborum, quondam ab ipso Deo sub Mose vetitorum.

Neque enim, ait, omnibus hominibus usum ipsorum esse permissum: sed addit istius usus permissi duas limitationes. Primo, quia lege Mosis usus hic vetitus fuit, ait eum voluntate Dei permissum *omnibus fidelibus, & qui cognoverunt veritatem*, id est, omnibus Christianis, & legis Mosaicæ jugo, quantum ad religionem, & conscientiam attinet, quidem jam solutis. (Nam ædificationis interdum alia est ratio) Secundo, quia omnia (præsertim quæ in controversiam vocari possint), ex *fide facienda sunt*. Ea ratione ex mente ac voluntate Dei usum istorum ciborum permissum, si adeò de permissione ista non dubitemus, ut etiam ciborum istorum nomine Deo gratias agamus. quod facere non possemus, nisi istius fidei plerophoriâ confirmati.

Vers. 6. Doctrinam de libertate Christiana circ Matrimonia, & cibos commendans; ait, eam in locum oppositorum dæmoniorum doctrinis; Christianis subjiciendam, substituendam & inculcandam esse. Id vero significant ὑποτιθεὶς. Si quæ autem signa sunt in terris veri, ac genuini, quod in prædicatione veritatis ac Religionis, Christo præstandum est ministerii; nulla certiora sunt, quam quæ hoc loco ab Apostolo indicantur *vers.* 6. hoc est, Si magistri pietatis homines à corporali, (sic enim hoc loco *vers.* 8. vocatur, quod in sensus atque oculos omnium incurrit) pietatis exercitio ad spirituale, hoc est, veram & genuinam pietatem homines revocent: ostendentes doctrinas, quæ vel matrimonia supra quam Deus voluit, restringent, sive vel ciborum abstinentiam aut delectum injungent, aut nihil, aut admodum parum prodesse: solam autem veram pietatem, cui utriusque vitæ promissiones debeantur, urgendam. Cætera autem *nugas & fabulas & quidem aniles* esse; quo contemptius, & contumeliosius agnomen istis dæmoniorum doctrinis, quas tanto studio Græca & Romana Ecclesia inculcat; à Spiritu Sancto tribui non poterat. Merito igitur Apostolus ait, Doctores ejusmodi & Magistros, quia Dæmoniaca ista & simulata specie pietatis, ad eandem subvertendam, excogitato dogmate, ex mentibus hominum excutiant, ad veram autem ac solidam pietatem ipsis viam ostendunt; esse non modo veros & genuinos; sed etiam (καλοὺς) bonos, qui idoneos, & cælestem doctrinam maximè deceant, Christi ministros: ut qui penitùs imbiberint sermonem fidei, ac pulcherrima illa rectissimâ, optimâ, & salubri Apostolorum doctrina enutriti sint. Unde apparet, quàm ista doctrina abhorreat ab omni affectato, & Pharisaico pietatis genere; quod oculos mortalium speciosa sanctitatis imagine ac fuco percellit, quod Christus ipse in prima Concione à Matth. descripta. *cap.* VI. rejecit, & multum insectatus est: quam denique doctrinam hoc loco *vers.* 7. Spiritus Sanctus *fabulas* vocat; & quidem non modo ob impietatem *prophanas*, sed etiam ob deliria & superstitionem *aniles*. Nec vero tantum ipsa superstitionum istarum vanitas, ex mendaciis ac deliriis à Satana suggestis, originem ducit; sed etiam anilium fabularum feracissima est. Sanctitas enim mendax & affectata, artificio Satanæ semper ferè comitem habet miraculorum suspicionem, primum, mox fidem. Qua in re nihil non ausi sunt veteres è Christianis Syri, atque Ægyptii, mox Græci, atque ipsi Occidentales, præsertim postquam otiosorum hominum contubernia sive collegia toto Orbe increbuerunt, quorum pars maxima vix aliter, nisi in comminiscendis id genus narrationibus otium suum collocare poterat. Nam ne quis putet, novitiam hanc esse confingendorum somniorum rationem; & seris demum seculis, in claustris occidentis natam; reflectat oculos ad Mandios orientales, imo & ad propiora Apostolico ævo redeat ad propiora Apostolico ævo tempora atque ipsos *Socrates*, *Theodoretos*, *Sozomenos*, *Evagrios*, etiam Rufinos consulat. inveniet isthic tot conviviales sermones; ut Specula exemplorum, aut Vincentios Belluacenses non multum desideret.

Nam qui in stercoratis illis, & lotio Stylitarum maceratis columnis, præscriptæ à Christo sanctimoniæ vestigia posita fuisse, bona fide crederent; ipsos profectò non caudices & stipites; sed columnas esse oportuit.

Non immeritò igitur corporalis ejusmodi exercitatio; fabularum, & quidem anilium ac profanarum ignominia *vers.* 7. notatur, & pietati opponitur: quia tanquam facilior & carnalior, ab hominibus carnalibus avidè excepta, & paratum statim sui præmium ostentans *Matth.* VI.; veræ pietati, tanquam difficiliori, & quæ non ita promptam sui mercedem polliceri videatur; locum non relinquit. ita ut homines ista neglecta; suaviorem illam & præsentissima mercede commendatam speciem sanctimoniæ consectari malint, quàm in veræ pietatis curriculo conflictari, *aut sibi vim inferre*.

Hunc errorem ut eximat hominibus Apostolus; ostendit *vers.* 8. istam speciem pietatis corporalem, & oculis mortalium obviam, non magnam utilitatem afferre. Nihil enim plus afferre emolumenti, præter illam laudem in hac vita præsenti ab hominibus, quorum oculis placere volunt, captatam. Vide *Matth.* VI.: Mercede autem illâ quæ est apud Patrem cælestem planè excidere. At solidam pietatem ad omnia esse utilem, quia *habeat promissionem non modo præsentis, sed futuræ quoque vitæ*.

Ut verò intelligamus melius, quam exigua sit, affectatæ & oculis mortalium obtrusæ pietatis utilitas; observandum est, non modo præmia & utilitates vitæ præsentis, si cum præmiis vitæ æternæ conferuntur; non posse esse nisi exigua & nullius pretii;

pretii: Sed in ipsa vita præsenti præmia, quæ Deus veram pietatem sectantibus donat, infinitis partibus majora esse: quam quæ homines fucatæ pietati diditi ipsi sibi rapiunt, dum oculis hominum ingerunt & obtrudunt ea; quæ sapientius videntis omnia Dei, conscientiæ credidissent: Nisi quod pro veritate umbram offerentes, id ipsum quod Deo imputant aut ostendant, non habeant: & cum Deo imponere nequeant; oculis hominum ludificandis contentos sint; esse oporteat, miseros mortales, & dignos qui fraudis & ambitionis suæ paratum ac præsens supplicium luant; & pro oblatis umbris ventos ac fumos recipiant: in quos omnem eorum mercedem abire necesse est.

At pro vera pietate in hac etiam vita Deus suis primum æternæ vitæ spem & arrhabonem donat, gaudia & voluptates perpetuas: donat optimam conscientiam juge & opiparum convivium: donat bonam mentem, salubre consilium: interdum quoque valetudinem & existimationem, & prosperos rerum & consiliorum successus. Denique incomparabilia, & ipsis adversis casibus aliquando aucta, & excitata ac quasi eventilata solatia.

Merito igitur assertionem ac doctrinam istam Apostolus *vers.* 9. albo lapillo notat, & præ cæteris multùm commendat: atque omnes, ut eam amplectantur, excitat.

Ostendens *vers.* 10. nos per eam obfirmari atque obdurari posse, adversus omnes labores, ærumnas, persecutiones, & inimicorum opprobria; dum speramus Deum, qui etiam alienos à notitia sui & veræ religionis homines paternâ curâ conservat; (putâ in hujus vitæ casibus & periculis) multo magis nos fideles conservaturum.

Ubi notandum est vocem *Servatorn*, sicut & conjugatum ejus *Salutis*, ad ea quoque referri, quæ ad hanc vitam pertinent. Nam quomodo aliter Deus hominum, à fide alienorum, quos hic fidelibus opponi necesse est; *Servator* dici posset?

Vers. 11. Hanc igitur inter duo ista pietatum genera differentiam, hanc ab affectatâ ad veram & synceram sanctimoniam populi Christi revocationem, hunc corporalis exercitationis contemptum Apostolus à Timotheo *vers.* 11. annunciari & prædicari exigit. Totis hominum ordinibus, promiscuè indictum cælibatum, Ciborum delectum & similia, quæ oculos hominum feriunt atque percellunt, corporalia exercitia, quæ Latina, quæ Græca Ecclesia per tot secula adoravit: quæ in hominibus mortalibus, imò mortuis, divino cultu & apotheosi digna judicavit; sperni, contemni, abjici: & nihili æstimanda censeri, & ad longè utiliora converti Spiritus Sanctus imperat. Quid autem miremur, quando eadem Christus ipse *Matth.* VI. non dico exiguam: sed nullam apud Deum mercedis promissionem habere asserat. Rapiunt enim sibi homines violenter, atque adeo insolenter, quod à Deo modestè expectandum fuerat: nec est quod è cælis earum mercium pretium sperent; quod sibi in terris improba & intempestiva earum venditatione, imo licitatione exegerunt jam ac repræsentarunt. In quo quam longè à Spiritu Dei, à doctrina Christi, à prædicatione Apostolica hominum, imo Ecclesiarum, judicia desciverint, ac discesserint; cunctis perpendendum relinquitur.

Vers. 12. Obiter objectionem solvit, aut potius impedimentum prædicationis, ad quam Timotheum hortatur; removet, ac rationem quomodo illud Timotheus ipse amoliri posset; ostendit. Ad ejusmodi enim speciosarum doctrinarum fucum redarguendum auctoritate prædicantis opus erat, quæ juvenili ætati plerumque deesse solet. Ostendit igitur Apostolus etiam adolescentibus, qua ratione sibi idoneam auctoritatem conciliare, & comparare- & ne ætas eorum contemni posset, occurrere queant.

Ut exemplo suo præeant, & præluceant fidelibus, tàm *in sermone, quàm in conversatione.* Et sermo quidem ut sit, cum instinctu Spiritus Dei. (cujus eodem *versu* mentionem facit οὐ πνεύματος) quod donum assidua lectione Sacræ Scripturæ, deinde continuo *cohortandi & docendi* usu & praxi (de quo *vers.* 13.) acquiritur.

Conversatio vero ut sit *in caritate, in fide, in castitate.* quæ virtutes omnia nostrorum officiorum genera complectuntur.

Fides erga Deum; caritas erga proximum, castitas erga nosmetipsos.

Quia vero sermo ad docendum accommodatus tribus supra memoratis rationibus comparatur: ideo *vers.* 13. hortatur Timotheum, ut usque adventum suum (in quo, verebatur, capite proxime antecedenti tertio, *vers.* 15., ne quâ mora interveniret) paulo diligentiori studio & curâ incumberet in lectionem, exhortationem, & docendi praxin. Ejusmodi enim exercitiis & actionibus excitantur, augentur, & incrementum in nobis sumunt non modo *naturales facultates*; sed etiam *dona supernaturalia.* quod hoc loco diligenter observandum est, ut sciamus Deum quanquam per dona Spiritus sui in nobis expediat Salutis nostræ negotium; tamen ista Dona non minus quam facultates nobis naturaliter insitas, diligenti studio, & cura nostra esse excolenda, excitanda, exercenda, augenda, ne forte tanquam fomites neglecti & vento minimè suffiati extinguantur.

Vers. 14. *Ne negligas*, inquit, *donum in te gratiæ ad prophetandum*, hoc est, docendum, quod tibi collatum est per impositionem manuum presbyterii.

Potuisse igitur negligentiâ donum istud extingui, putavit Apostolus. ideo *vers.* 15. illud diligenter *meditandum*, hoc est, in eo sese exercendum, in eo omnes animi sensus defigendos inculcat, si quis in eo *dono* profectus sperandus sit. Cui verò Arati & Epimenidis carmina ignota non fuerint; quid repugnat cum hæc scriberet quin & illud ex aureo Pythagoræ carmine præ oculis habere potuerit.

Ταῦτα τόν: πάντα μελέτα. τούτων ἐχοῦ ἐρωῆ σε
Ταῦτα σε τοὺς θείας ἀρετῆς ὁδὸς ἴχνια θήσει.

dum *vers.* 15. ait πάντα μελέτα, ὐν τούτοις ἴσθι, *hæc meditare, in his esto.* Sed ex proposito Apostoli non vulgaris aut mediocris diligentiæ cura Timotheo præscribebatur: cum ipsi non simplex in supradictis donis ac virtutibus profectus incrementum; sed cunctis manifestum, injungeretur. Et quidem ἐν πᾶσιν, *in omnibus*, hoc est, non in donis tantùm, quæ ad sermonem & doctrinam aliorum; sed in virtutibus quoque, quæ ad ipsius mores pertinebant.

Omnia vero quæ suprà commemoravit *versu sequenti* 16. quasi compendio complexus, concludit duo Timotheo *Curæ esse debere, Se ipsum* primum, dein *alios*, ut sese quidem sanctis & in exemplum cæterorum conformatis moribus; alios vero doctrina pietatis imbueret. quorum utrumque non aliter consecuturum ait, quàm si utrique studio & exercitio constanter incubuerit. addit enim ἐπίμενε αὐτοῖς, *Inhære istis, permane in istis*, constanter scilicet & perseveranter. Quod ut facilius persuadeat, addit incomparabilem laboris hujus & constantiæ fructum. *Hoc enim faciens*, inquit, *& te ipsum servabis, & auditores tuos.*

CAP.

CAPUT V.

QUia cap. ſuperiori *verſ.* 12. doctrinam tradiderat, per quam Juniores in Eccleſia miniſtros atque Epiſcopos inſtruxit, atque edocuit veram rationem auctoritatis apud majores natu comparandæ, atque contemptus effugiendi; Ideò nunc falſam, & parum idoneam rationem ejuſdem rei aſſequendæ rejicit ac removet. Eſt vero in more poſitum quibuſdam; ut ſe à contemptu vindicent, & metuendos omnibus reddant; oblatas eorum durius objurgandorum occaſiones non omittere, ita ut ne ſenioribus quidem parcant; quorum tamen exiſtimationi in Eccleſia conſulendum ſit. Vetat id Apoſtolus, & cum omnibus quidem, ſed præcipuè cum majoribus natu, blandam quandam, & modeſtam agendi rationem ſervandam præcipit. Maxime vero id cavendum, ne cum omnibus, quaſi, pro *tribunali*, vel ut ajunt, *de ſuperiori loco*, agere videamur: ſed potius, aut de inferiori, ſi ſint natu grandiores: aut de æquali, ſi ſint ætate pares, idque ne ſexus quidem ſequioris ratione habita, hoc eſt, ne in hunc quidem ſexum ſpeciem aliquam imperioſæ auctoritatis uſurpantes. Utitur autem ſimilitudine rei, quam præcipit, planè accommodatâ, & naturam ejus probè exprimente. Nec enim, ſi Patres nobis admonendi ſint, facere id ſolemus, abſque debitæ obſervantiæ ſignificatione: nec ſi fratres & ſorores, ut cum aliqua eorum depreſſione, qui in æquali nobiſcum gradu cenſentur: & patres quidem tanquam ſuperiores; fratres autem tanquam nobis pares honoramus. Itaque Seniores quidem utriuſque ſexus, tanquam parentes; juniores autem, tanquam fratres & ſorores admonendos præcipit: & has quidem in omni caſtitate, quia ei præcipit, cujus ætas, vel minima occaſione præbita, anſam obtrectatoribus dare poterat. Ideo omni meliori modo hunc ſcopulum vitandum eſſe aſſerit.

Verſ. 3. Occaſione mentionis mulierum provectæ ætatis ad doctrinam de viduis tranſit. Quarum duo genera fuiſſe videntur, alterum pauperum, quæ ſumptibus Eccleſiæ alebantur, de quibus infrà *verſ.* 16: alterum, in quibus non tam egeſtas, quàm aptitudo ad miniſterium Eccleſiæ ſpectabatur. quod ego quidem fuiſſe puto, non in inſtituendis tantum privatim, ſed & in curandis junioribus mulieribus, earumque neceſſitatibus ex publica pecunia ſuppeditandis. Cum vero utriuſque ſexus pauperum copia non deeſſet Eccleſiis, qui publica Eccleſiæ pecunia, per publicos ejus miniſtros, ſuſtentabantur; tutius & honeſtius Eccleſiæ viſum eſt; ut ad curam juniorum mulierum, ejuſdem potius ſexus miniſtræ, quarum ætas extrà omnem ſuſpicionem eſſet poſita, adhiberentur; quàm viri. Ac de his quidem *verſ.* 9. & 10. Apoſtolum loqui, mihi dubium non eſt. Hæ Diaconiſſæ vocabantur. quorum ex numero Phœbæ *Rom.* XVI. 1. quam non adeò egenam fuiſſe ſuſpicor; ſed in ea aptitudo ad fungendum iſto officio ſpectata eſt.

De utroque viduarum genere *verſ.* 3. loqui videtur; cum præcipit *honorari* aut æſtimari viduas, quæ verè tales ſint. Quid denotet vox honorari, aut æſtimari τιμᾶν, obſcurum eſſe non poteſt, tum ex conſequentibus, tam præcipuè infrà ex *verſ.* 17. Non ſimplicem videlicet honorem, ſed cum ſuppeditato ei, qui honoratur, neceſſario emolumento conjunctum: pro ut & vox τιμὴ non ſolum honorem, ſed pretium quoque ſignificat. Quemadmodum enim is ignominia & vilipendio afficitur, cui debita quoquomodo vitæ commoda & ſubſidia ſubtrahuntur: aut (ut verbo Act. VI. 1. uſurpato utar) qui παρεωρᾶτο ἐν τῇ διακονίᾳ καθημερινῇ, negligitur & quaſi prætervidetur. in ſuppeditatione victus quotidiani: ita is æſtimari & honorari cenſendus eſt, cujus neceſſaria & commoda procurantur. Quales certe erant illæ viduæ, quæ ſumptu Eccleſiæ alebantur.

Reſtringit tamen Apoſtolus hoc beneficium Eccleſiæ ad ſolas viduas, quæ vere ſint tales. alias vero ab eo excludit, nec verè viduas eſſe oſtendit. Excludit autem eas primum quæ non ſunt planè deſolatæ, & ut ipſe loquitur, μεμονωμέναι, ſolæ relictæ; ſed habent aut liberos, aut nepotes; atque adeo familiam, quam gubernant, cujuſque matresfamilias eſſe poſſint. ubi ſubintelligitur, non deeſſe quoque in earum re familiari vitæ neceſſaria quibus ali poſſint. Res enim ipſa dictat; quantamcunque liberorum copiam habeant, ſi careant vitæ ſubſidiis; eas cum tota progenie ſua ad Eccleſiæ curam pertinuiſſe, nec ab ea potuiſſe excludi. Ergo ejuſmodi viduas, quarum cura & labor in re magis neceſſaria, & ad eorum officium omnino pertinente competentius, occupari poterat: excludit primum omnium ab eorum numero; quæ ſeſe Eccleſiæ, ſive ad Diaconatus miniſterium, ſive ad vitam ſanctius & quaſi publice in oculis totius Eccleſiæ degendam, conſecrabant. Quibus enim privatæ vitæ, propter educationem liberorum in pietate, neceſſitas incumbebat; eas Apoſtolus privatam potius, quam publicam, & quaſi monaſticam vitam degere debere judicabat. ut vel hinc judicari poſſit, quid ſentiendum ſit de illo Hieronymi ni fallor, ad Heliodorum conſilio: *Per calcatum perge patrem*, quaſi Monachiſmus apud nos tanti eſſe debeat; quanti olim fuit apud ſceleratam filiam ſceptrum Superbi mariti.

Graves autem rationes affert cur tales potius privatam in ædibus ſuis vitam; quam publicam in eccleſia eligere deberent. Primùm, quod id ſit pulchrum & acceptum placenſque coram Deo, & omni Monachiſmo potius, ſi matresfamiliàs liberos inſtituant in pietate, ſive vicem parentibus ſuis reddentes, & quemadmodum ipſæ ab eis educatæ ſunt; ira liberos quoque ſuos educantes: ſive ut liberi quoque ſui piè educati; ſuos viciſſim liberos eadem pietate imbuant (utroq; enim modo locus hic explicari poteſt.) Recta enim piorum parentum educatio, eſt quaſi lampas, à majoribus per poſteros ad ulteriores poſteros, tranſmiſſa, in qua invicem tradenda poſteriores prioribus vicem reddere videntur, idem illud poſteritati tradentes, quod ipſis prius majores tradiderant.

Altera ejuſdem rei ratio *verſ.* 8. redditur, quia ſi *quis ſuorum, ſed præcipue domeſticorum curam non habet; iiſque non proſpicit; non modo fidem abnegavit*, atque ita infidelis factus eſt; ſed etiam infideli deterior eſt: quia infideles quoque, ipſo rationis lumine Duce, ſuorum curam gerant. Ubi notanda non pauca.

Primo. Eos quoque fidem abnegare dici, qui graviter contra pietatem, in religione præſcriptam, delinquunt, quamvis ore & profeſſione religionem non abjuraverint.

Secundo. Non ſtatim eas virtutes Chriſtianis eſſe aſpernandas, quæ in infidelibus reperiuntur. Imo verò Chriſtianis connitendum eſſe, ne qua in laude ſeſe ab infidelibus vinci patiantur. Ideoque merito eos fidem abnegaſſe dici, quæ infidelibus deteriores reperiunt. Religio enim noſtra nos ad omnem laudem ſectandum & cæteris præcipiendam ſtimulat.

Tertio. Curam ſuorum, præſertim ut in omni pietate inſtituantur atque educentur; (Sed nec excluſo aliarum rerum neceſſariarum proviſu) Chriſtianis *magis inculcari, quam monachiſmi jactantiam. Quemadmodum in dilectione ita &*

Quarto. In Cura proximorum, pro ratione propinquitatis,

pinquitatis, dari gradus aliquos: Nec eodem modo nobis curam omnium proximorum incumbere. Nam si domesticorum *cura propior nobis incumbit*, quam nostrorum quidem, sed *qui domestici non* sint; multò magis cura nostrorum antiquior nobis esse debet, quam alienorum. Quæ doctrina necessaria est, & utilis in iis casibus, in quibus diversorum graduum curæ vel dilectiones ita concurrunt, ut altera alteram excludat, & optio nobis offeratur, utra earum prævertenda sit.

Porrò verba versus quarti πρωτοτοκον πρῶτον, *distant prius* ostendit hoc genus viduarium, de quo in hoc loco sermo est, si nihil aliud, ex transverso incurrens, impediat; non penitus à verarum viduarum numero excludi; sed postquam privato officio, magis incumbente sibi, magisque necessario educandorum liberorum aut domesticorum ritè perfunctæ fuerint, in eoque prudentiam suam Ecclesiæ probaverint; (Diaconos vero suprà *cap.* III. 10. probari, priusquam admittantur, præceperat.) posse ad publicum Diaconissarum, officium admitti & promoveri.

Alterum genus viduarum, quas Apostolus à numero verarum, & publicis sumptibus Ecclesiæ sustentandarum prorsus excludit; est, quæ lasciviunt, & quarum imbecillitas matrimonio frænanda est: ut sunt plerumque juniores viduæ. quæ primum ideo rejiciendas sese ostendunt, quod pie & sanctè susceptum cælibatus votum violant. ἔχουσαι κρίμα, *habentes notam*, aut damnationem. quæ vox an semper damnationem æternam significet; non absque causa dubito, cum & simplicem condemnationem, reprehensionem, ac censuram, ex vi & natura sua significare possit.

Notandum, quod *votum cælibatus violatum*, dicatur Apostolo *vers.* 12. *prioris fidei abjectio.* quia, ut omnes, præsertim sublimiores virtutes; ita istud Cælibatus publici in Ecclesia, in occupationibus sanctissimis transigendi propositum: quod, omissis aliis omnibus vitæ studiis, uni cultui divino & precibus consecrabatur; ex fide in Deum nascebatur: quia ejusmodi mulieres, alia omni spe humani subsidii carentes, totam spem ac fiduciam suam in Deo collocare oportebat, vide *vers.* 5. ideoque dignæ fuerunt, quæ Deo consecratis sumptibus sustentarentur.

Secundo ideò quoque ejusmodi mulieres sese rejiciendas & à verarum viduarum dignitate excludendas, ostendebant; quia otio suo male uterentur: impendentes illud, non in preces, & cultum divinum; sed in noxias domorum perambulationes, circumcursationes, & circuitiones, in quibus obtrectationi, & indecoris ac pravis sermonibus indulgebant.

Talium ergò mulierum imbecillitati Apostolus non statim inexorabile Gehennæ supplicium denunciat: multò minus eas ad perseverandum in cælibatu violenter adigit: sed accommodata, & idonea sanando eorum morbo remedia tempestivè adhibenda censet. Ne enim cupiditatibus lasciviant; nubere ipsas, & liberos suscipere, ne otio ad obtrectationes abutantur, familiam regere οἰκοδεσποτεῖν, imperat *vers.* 14. Ne publicos Ecclesiæ cœtus siniſtra suspicione, aut inimicorum opprobrio aspergant; jubet eas privatam vitam domi suæ agere. Idque occurrendo, ne (quod *vers.* 15. experientiam jam docuisse asserit,) mulieres ejusmodi Satanæ præda fiant.

Tertium genus viduarum, quas Apostolus ab admissione ad publicam Ecclesiæ curam, cui cælibatus votum adjunctum erat, excludit, est; quæ possint suis aut propinquorum sumptibus vivere *vers.* 16.

Occasione hujus loci illud observandum videtur, Apostolos, in primæva illa Ecclesia, Collegia virorum, *Monastica vota* cælibatus professorum, & in communi vitæ conversatione à reliqua Ecclesiâ secedentium, nusquam instituisse. mulierum tamen, præcipuè vero pauperum & seniorum, & à reliquis hujus seculi curis ad unum Dei cultum animum abducentium: ideòque cælibatum professarum; (quia nuptæ non est integrum curare tantummodo ea, qua sunt Dei; sed omninò cogitur etiam curare, ea quæ sunt mundi, ut placeat marito 1. *Cor.* VII. 34.) quædam quasi Collegia habuisse. Quæ an semper congregatione peculiari in unum *Ecclesiæ* locum colligerentur; in illa præsertim, quæ tunc erat, paupertate & afflictione Ecclesiæ: meritò ambigemus. Illud non dubitatur, omnes ejusmodi *mulieres sumptu Ecclesiæ sustentatas.* Et erat ista tunc quidem species aliqua hodierni mulierum monachatus; sed tamen toto cælo distans, ab invectis posteà superstitionibus. Primum enim, nulla mulierum, præsertim juniorum, tunc, alieno arbitrio in ingratum genio suo ergastulum trudebatur: aut in eo detinebatur. Deinde, ne volentes quidem ad hunc statum admittebantur, nisi aut, quæ domi, quod agerent, planè non haberent, omni educationis onere atque officio solutæ, aut ætate extra matrimonii spem positæ: denique quæ, ob egestatem, aliam vitæ sustentandæ rationem non haberent. Reliquæ vero gravare Ecclesiam sumptu vetabantur. Unde patet, Statum hunc mulierum, non propter *monachatum*; sed propter necessitatem in Ecclesia ab Apostolis institutum.

Si enim monachatus res adeò excelsa, & Deo, præ cæteris vitæ generibus, placens Apostolis visus fuisset; cur ab eo arcerentur mulieres, quæ liberorum suorum poterant esse educatrices? cur ditiores? aut quæ à propinquis suis ali poterant? Suspiror autem, non sine causa, alterum & præstantius genus ejusmodi Ecclesiasticarum viduarum, hoc est, Diaconissas, non modo ex numero reliquarum electas, sed etiam eo fine instituras, ut cæteris ministrarent, & necessaria suppeditarent. Neque enim reliquæ viduæ, quæ à propinquis suis curabantur, ad curam earum pertinere poterant, multò minus nuptæ; aut virgines, quibus viri aut patres earum curatores non deerant. Quia igitur Diaconissæ huic viduarum quasi collegio præerant, & ipsæ quasi ex eodem corpore eligebantur; ideò de utrisque conjunctim tractat. Sed *vers.* 9. & 10. de solis Diaconissis Apostolum loqui, ex his rationibus colligitur. Primò, quia verisimile non est, ad istam sumptus Ecclesiæ publici participationem, quæ ministerio Diaconissarum indulgebatur; non admissas mulieres minores annis 60. Quasi vero periculo esuritionis, per munus Diaconissarum propulsando, non æquè minores natu mulieres, atque sexagenariæ indigerent. Secundo, quia ut aliquarum in Ecclesia viduarum cura negligeretur, atque ipsæ beneficio publico excluderentur; non satis justa vel idonea causa fuit, quod aliquando matrimonium curassent. Tertiò, multò minus, quod liberos nullos educassent: aut forte habuissent. Quartò, vel quod propter paupertatem neque hospites excipere: neque afflictis suppeditando necessaria opem ferre potuissent.

Imo vero supra *cap. tertio* non de viduis Diaconissis, sed de Diaconorum uxoribus, Apostolus locutus; Hic autem primum de Diaconissarum electione agere videtur. Quemadmodum igitur Diaconos unius uxoris viros; ita hic Diaconissas Univiras esse postulat. Ex hoc etiam loco patet, quoties Apostolus aut ab Episcopis, Diaconisve monogamiam: aut à mulieribus Univeratum postulat; non loqui de præsenti matrimonii statu: sed de præterito, aut potius ratione totius vitæ considerato. A vidua vero univiratum exigit; qui non potest, nisi ratione elapsi temporis, in viduam cadere. Quemadmodum autem supra Diaconos probari prius, dein eligi;

ita Diaconiſſas, nonniſi probatas, eligi præcipit. Probatas autem in operibus bonis, præſertim earum muneri ac functioni accommodatis : qualis eſt primum hoſpitalitas, ad quam lotio pedum, ex more orientis, pertinebat. deinde liberalitas & caritas erga afflictos : & cætera hujus generis omnia, quæ ab ipſo Chriſto *Matth.* xxv. recenſentur caritatis opera, quæ interdum peculiariter bonorum operum nomine commendantur.

Verſ. 17. Vox τιμῆς, ut ſuprà quoque diximus, non tantum honorem ; ſed etiam cauſam honoris, *pretium* vel æſtimationem ; ſignificat. Hoc loco tamen, ex ratione aſſertioni *verſui* 17. *verſu* ſequenti adjuncta, patet, eam ſignificare (per metonymiam) officium, ex æſtimatione profectum : quale redditur iis, quos aliquo ſtipendio honoramus : aut quibus, pro præſtita opera, mercedem reddimus : aut quos laboris, propter nos ſuſcepti, fructu frui volumus. Quia vero ut honorem, & æſtimationem ; ita omnia officia, ex æſtimatione profecta, omnibus promiſcuè fratribus debemus : ideo quicunque ex fratribus nos aliquo beneficio obligunt ; eadem, ſed majora officia ipſis novo & peculiari nexu reddere obſtringimur. atque hoc modo, ut quemadmodum honor & æſtimatio eorum ; officia, ipſis ex æſtimatione eorum debita, in ſua, ut ſit loquar, quantitate per novum iſtud & peculiare vinculum duplicentur.

Cum enim omnibus fratribus iſta officia, quibus ad vitæ ſubſidia indigent, debeamus ; eo ſolo nomine quia ſunt fratres : certe iſtiuſmodi fratribus, qui de nobis bene merentur, alio quoque nomine gratiam debemus, quia de nobis bene meriti : ideo geminatam.

Notandum autem eſt diſcrimen, inter eos qui ſermone & doctrina miniſtrant, & reliquos Eccleſiæ miniſtros ; quod illis longè magis officium hoc debitum, quàm iſtis ; puta Diaconis, & preſbyteris, quibus concionandi & docendi populi munus non eſt impoſitum. Senatus enim Eccleſiæ olim non ex ſolis verbi, ut ajunt miniſtris, conſtabat. Deterioribus demum temporibus, maximo Eccleſiæ malo, ordinum iſtorum diviſio inolevit. Proinde omnes alii Eccleſiæ miniſtri, præter eos qui lectioni, concionibus, ac cæteris Epiſcoporum functionibus totam vitam impendere cogebantur ; facilius poterant carere publicis Eccleſiæ ſubſidiis, cum à re familiari gerenda non ita abſtraherentur. Nec tamen iſtos à publico ſumptuum Eccleſiæ fructu penitus excluſos, manifeſtum eſt. præſertim κοπιῶντας.

Verſ. 19. Presbyteros, non Clericos tantum, peſtifera Eccleſiæ catachreſi ſic dictos ; ſed Laicos quoque fuiſſe, paulo ante notavimus. Qui cum in regenda Eccleſia, ac delictis hominum coërcendis occuparentur ; multorum ſimultatibus & occultis inimicitiis, obnoxii erant, & criminationibus atque calumnis patebant. Non igitur eos temere pudefaciendos in Eccleſia ; niſi fortè duobus aut tribus teſtibus convinci poſſent, cenſuit Apoſtolus ; ut auctoritas eorum maneret integra, ſi quando Eccleſia eorum operâ indiguiſſet.

Verſ. 20. Publicè peccantes, publicè redargui imperat, ut peccatores quidem ad pœnitentiam hac ignominia ; cæteri vero omnes, ad abſtinendum à peccando, hujus ignominiæ metu abſterreantur. Quod præceptum tanta cum ſolennitate, & conciliandæ ipſi æſtimationis ſtudio tradit & commendat ; *ut etiam atque etiam obteſtetur* (διαμαρτύρομαι. διὰ auget ſignificationem) & quidem *coram Deo, & Domino Jeſu Chriſto, & electis Angelis, ut iſtud præceptum obſervet & cuſtodiat abſque præjudicio*, ſeu prælatione, qua alios aliis anteferimus. (χωρὶς προκρίματος. à προκρίνω antefero) *nihil faciens ſecundum inclinationem*, hoc eſt, favorem & propenſionem erga aliquem. κατὰ πρόσκλισιν. Injuſta enim eſt libra, in qua lanx altera præponderat.

Omnes quidem actiones, ſermones, cogitationes noſtræ, ſub magnis teſtibus & arbitris, ſub oculis Dei & Chriſti, ſecretiſſima conſilia noſtra penetrantium, ſuſcipiuntur. (quo cautius omnibus vivendum eſt) ſed ea quæ loquimur & agimus in Eccleſia, non modo in præſentia eorum fiunt, quorum alter ob eam, quam habet ex ſeipſo, alter ob acceptam à patre omnipotentiam, omnipræſens aut ubique præſens cenſendus eſt ; ſed etiam in oculis præſentium tunc corporaliter (ut ſic loquar) Angelorum : qui tanquam cuſtodes ac defenſores congregatis piorum cœtibus à Deo attribuuntur ac perficiuntur, & adſunt inconſpicui. Nec ſimplices Angeli, ſed electi, & quos, ob excelſiorem ac ſublimiorem eminentiam, tanto magis revereri deceat, à Deo per Chriſtum adhibentur negotio tàm ſancto & ſublimi, in quo Novæ Creationis opus à Deo per Chriſtum perficitur. Hinc mulieres tecto capite in Eccleſia eſſe propter Angelos jubentur : ut ſi non hominum, at Angelorum tangantur reverentia.

Meritò igitur tantos teſtes & arbitros obteſtatur Apoſtolus Timotheum atque unâ omnes epiſcopos ; ut obſequium iſtud Deo, & Chriſto, & fideliſſimis ejus miniſtris præſentibus ac videntibus ; præſtent ex fide : & cum debita omnibus iſtis, quos præſentes adeſſe ſciunt, reverentia.

Verba vero ἵνα ταῦτα φυλάξῃς χωρὶς προκρίματος oſtendunt neceſſitatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, hoc eſt, neceſſitatem conventium, eo fine peculiariter inſtituendarum, ut peccantes redarguantur, corrigantur, cæteri vero omnes à peccando abſterreantur. Ubi enim erit tempus aut locus redarguendi aliquem coràm omnibus, ut reliqui omnes timeant, niſi in Eccleſia, ad ejuſmodi diſciplinæ exercendæ actum congregata.

Verſ. 22. Quanta cura & cautione οἱ προϊστῶτες, qui præeſſe in Eccleſia debent, creandi & inaugurandi ſint, ex iſtis verbis patet. Neque vero facilè aliis manus impoſitas invenimus, præterquam hominibus epiſcoporum aut diaconorum functiones auſpicantibus, quibus etiam in ipſa inauguratione donum Spiritus Sancti conferebatur. Sed ne id temerè, præcipitanter, & incircumſpectè fieret, quæ in eligendo vel inaugurando requirenda ac ſpectanda eſſent, ſupra quoque Apoſtolus *cap.* III. monuit : quod & hic iterato, quamvis brevius, præcipit. Sed rationem addit prægnantem, & obſervatione dignam, ſi quid ea in re erratum fuerit, culpam ejus rei non tantum penes eos fore, qui impoſita ſibi munera male geſſerint ; ſed penes eos quoque, qui homines, Eccleſiaſticis muneribus ineptos, & parum idoneos, ad ea provexerint. Id enim ſignificat Apoſtolus dum ait *Ne communices alienis peccatis : te ipſum purum cuſtodi.* Non igitur ſatis puri, & culpæ expertes dici poſſunt, iſti, qui indignos & inidoneos ad miniſteria Eccleſiarum promovent : quia in eorum, quæ ipſi committunt peccatorum communionem quaſi veniunt. Multum autem delinquunt iſti, & maxima culpa ſe obligant, qui toti Eccleſiæ nocent. Quo minus tutum eſt, in ejuſmodi culpæ ſocietatem venire.

Verſ. 23. Valetudinis rationem habendam, & moderatum vini uſum præſcribit, propter ſtomachum & varias corporis morbos. Ubi duo obſervanda.

Primum. Etiam illo ſeculo, in quo paſſim ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris miracula patrabantur ; noluiſſe Deum ut Apoſtoli, & Apoſtolici viri, ab infirmitatibus naturæ humanæ liberi eſſent. Quid enim

enim facilius erat, mortuosne ad vitam revocare; an sanitatem hominibus infirmis, nec ad mortem ægrotantibus, conferre?

Sed & miracula, si semper, & ubique patrarentur; miracula esse desinerent. nec absque peculiari Spiritus Sancti instinctu id fiebat: quod nonnisi extraordinaria Spiritus Sancti virtute & efficacia fieri poterat. Sed is instinctus non semper, nec fortasse quoties volebant homines Spiritu Sancto præditi, eos urgebat: Sed quoties id expedire Christo visum est. Non expediebat autem gloriæ Dei, id semper fieri.

Secundo, Illud quoque notandum, Exercitationes corporales, quæ vires & valetudinem affligant, (ut paulo ante vidimus) ab Apostolo parvi æstimatas: Imo verò hoc in loco valetudinis curam, & quæ ad eam conducant sanctissimo viro ab Apostolo commendari. Non puto autem ullum, ex quacunque Occidentis aut Orientis Mandra monachum, ὑδροπότην, aquæ potorem, Timotheo, adeoque ipso Paulo, sanctiorem fuisse.

Vers. 24, & 25. Videtur hoc monitum de valetudine curanda obiter in parenthesi insertum fuisse, quia tunc forte in mentem inciderat: & statim, etiam interrupta argumenti, quod tractat, serie, dictatum; ne forte excideret. Nam in iis, quæ istis versibus comprehensa sunt, redire Apostolus ad propositam doctrinam cernitur, ac rationem reddere, cur non citò nec præcipitanter manus hominibus imponendæ sint. Quia quorundam hominum peccata adeo sunt occulta, ut nonnisi per inflictas à Deo pœnas, & justa judicia revelentur. quamvis forte plurium peccata priùs ab hominibus animadverti possint, quam à clementi & longanimo judice puniantur. Quemadmodum vicissim & bona opera, quæ verè talia sunt; manifesta sunt. quem enim virtutum suarum pudeat? aut quis illas occultet? Sed & vitia, quamvis occultentur, aut etiam bonorum operum speciem induant: (hoc enim est τὰ ἄλλα ἔχοντα) si tamen judicium nostrum (præsertim in provehendis cito hominibus ad præfecturas Ecclesiasticas) non præcipitemus; latere nequeunt. Deus vero illa patefacit per justa & recta judicia sua.

CAPUT VI.

NOn desunt causæ, ob quas videri possit Apostolus in hac epistola non simpliciter id unum spectasse, ut Timotheum monitis ac præceptis instrueret, ad conservandum in Ecclesia bonum ordinem pertinentibus; sed in istis quoque monitis ac præceptis, attigisse aliquos errores; quos hæretici ἐπεισδιαστολῆσαι, tunc in Ecclesiam invehere conabantur.

Quemadmodum enim à refutandis eorum erroribus inchoavit epistolam; ita non modo oblique, sed directè ac palàm *cap.* IV. ad eos redarguendos regressus est. denique capite ultimo, reprehensione ipsorum epistolam finire volens, cum præceptum quoddam, quod memoria fortè exciderat, tradidisset: iterum ad eandem reprehensionem redit; eaque tandem litteras istas concludit. Erat autem in more positum iis, qui vera pietate & bona conscientia excidissent; speciem tamen ejus & fucatam sanctimoniam per aliqua speciosa dogmata ostendere: quæ passim vellicare videtur Apostolus in primo de publicis precibus præcepto, opinionem eorum, qui Magistratus, ob functionis suæ prætensam pravitatem, rejectos à Deo, nec ad cognitionem veritatis pervenire potuisse putabant. In secundo de precibus virorum vellicare videtur eorum hypocrisin, qui simulata pietate ac precibus propius ad Deum accedere se fingebant; cum tamen fervore contentionis erga veræ doctrinæ propugnatores flagrarent.

In tertio, de precibus mulierum taxat imprudentiam, aut etiam pravitatem eorum, qui mulierculis in Ecclesia plus, quam deceret, tribuebant. quales fœminæ erant apud Simonem Helene, apud Apellem Philumene, aliæ apud alios.

In quarto, de Pastorum & Diaconorum electionibus *cap.* III. perstringit culpam eorum, qui in eligendis Ecclesiarum rectoribus, non id spectabant, ut morum exemplo & doctrinæ luce aliis prælucere possent; sed ut pugnaces ac disputaces essent, & falso nominatæ scientiæ strenui ostentatores.

In quinto, de vera & spirituali pietate, corporali exercitationi, cujus jam fundamenta ponebantur, opposita; fraudem & sutilitatem *(cap.* IV.*)* hypocritarum, magno malo ecclesiæ, paulo post erupturam prædicit.

In sexto de viduis *cap.* V., Monachismum & cælibatum, præsertim in sequiori sexu, qualem esse deceat, atque ne in hypocriticos abusus degeneret, ostendit.

In septimo *(cap. cod.* V. 20.*)* nervos retinendæ in Ecclesiæ veræ pietatis, per publicæ redargutionis disciplinam ejusque metum; enervi & infirmæ eorum doctrinæ, qui oculos tantum hominum specie pietatis fallebant, veram autem pietatem offensionum metu urgere non audebant, opponit.

Quæ cum ita sint; nihil impedire video, quominus in hoc quoque octavo præcepto, quod initium capitis hujus sexti occupat, errorem aliquem circa statum aut vocationes servorum ac Dominorum, quasi illicitæ essent in Ecclesia invehi cæptum, evellat: & ostendat quomodo in his quoque vocationibus ac vitæ conditionibus homines Deo servire possint. Quod ut firmius sentiam, eo quoque adducor, primum, quia, præter morem suum, Apostolus hoc loco Dominis nulla præcepta tradit, ut non tàm absolute doctrinam de istis vocationibus, quarum officia sunt mutua, proponere, quàm Dominorum causam adversus servos suscepisse videatur, quod absque data occasione sparsi, quem oppugnat, erroris accidisse non poterat. Secundo, quia huic præcepto statim subjicit Apostolus verba: *Si quis aliter docet.* quæ quanquam ad alia quoque superiora alienarum à religione Christi doctrinarum dogmata referri possunt; tamen non possunt nisi hunc quoque errorem includere. Aliàs huic monito, sine interjectis aliis sensum Apostoli exprimentibus verbis tam immediatè subnexa non fuissent. Accedit, quod præceptum ex istis, quibus errores tacitè refelluntur, pene ultimum; propemodum idem sit cum primo. Causa enim magistratuum, cum Dominorum causa conjuncta est. Nec possunt magistratus à Christianismo excludi; quin prius, & quidem multò meliori jure, ac magis necessaria ratione, Domini, heri, ac Despotæ excludantur.

Cum igitur suprà, adversus superstitionem quorundam docuerit, Magistratuum functiones non esse ita Deo invisas, ut qui eas gerant, eos Deus veritatem recipere ac servari nolit, ideoque pro iis orari imperet: hoc loco etiam adversus doctrinas quasdam Servorum jugum non esse per doctrinam Christi sublatum aut excussum, non modo eorum qui extraneis; sed & qui domesticis fidei serviunt: nec Dominorum statum esse ex Ecclesia præscriptum, docet.

Imperat igitur servis; primum iis qui extra Ecclesiam serviunt, *ut Dominos suos omni honore dignos censeant*, hoc est, ut ex animo, & propter conscientiam, ipsis inserviant. Neque enim bona fide

quisquam ei obsequi potest, quem indignum suo obsequio, & illegitima functione fungi existimet. Non igitur damnari dominos vult à servis Christianis, sed omni honore ac pretio dignos censeri. Sic enim ex animo & bona fide ipsis obsequium præstabitur. quod idem de magistratu, & quidem multo magis, intelligendum. Addit autem causam, cur istiusmodi servi, alienis Dominis servientes, nihil de officio, Dominis suis debito, remittere debeant: *Ne nomen Dei, & doctrina blasphemetur*: hoc est, iniqua reprehensione traducatur: ne malè inter gentes audiat, tàm ipsa Religio, quàm religionis primus autor Deus. Quid sit autem illud probri, quod contemptus iste, & contumacia servorum affricare posset veræ Christi doctrinæ, quærentibus; non aliud occurrit, quàm quod eam vulgo pro seditiosa, & statui humani generis atque institutis à recta ratione profectis, adversante, omnes mortales habituri sint. quæ ratio adversus eos, qui magistratus oppugnant, longè magis etiam quam contra eos, qui servorum statum ab Ecclesia proscribunt, militat.

Deinde iis quoque, qui in Ecclesia serviunt, præcipit, ne Dominos suos contemnant, eò quòd per fraternitatem iis conjuncti & quodammodo coæquati sunt: sed tanto magis ex animo, & syncere illis serviant, eos colant, & magni faciant, quod sint fideles, & dilecti, & eorundem Dei beneficiorum participes. quo ipso significat, statum Dominorum in Ecclesia per doctrinam Evangelii sublatum non esse. Certe si heris privatim, nihil pretii, vel auctoritatis, aut potestatis, & honoris apud servos per Doctrinam Christi decessit; multò minus Magistratibus apud subjectos.

Hanc doctrinam esse sanam, & genuinam, atque Apostolicam ostendit Apostolus.

Vers. 3. *Quod si quis aliena*, contraria huic quemadmodum & aliis superioribus doctrinam invehit, & in eo ita obstinatus est, *ut accedere nolit, sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & illi quæ secundum pietatem est doctrinæ*; hunc acerrimè reprehendit Apostolus. Notandum illud est, quod non simpliciter errantem: sed in errore pertinacem, & qui nolit accedere sanis sermonibus Domini reprehendit Apostolus.

Secundo, observandum *sanam doctrinam Christi*, aut sanos sermones dici, quia hominibus non modo nihil noceant; sed tanquam salubria pharmaca, & remedia, multum prosint: & opponi tacite pestiferis, & insalubribus, & multum noxiis errorum venenis.

Tertio, Quemadmodum ipsos magistros & prophetas Christus ex fructibus cognosci docuit; ita hic Apostolus sanos sermones, salubrem doctrinam eam esse innuit *quæ est secundum pietatem*, hoc est, quæ virtutem, pietatem, innocentiam, sanctimoniam vitæ discipulis suis instillat.

Quarto, Christi doctrina in orbem invecta est, non ut statum, conditionem, vitæ genera mortalium mutaret, aut corrigeret; sed solos *mores*, horum enim emendatio ad salutem animarum sufficit, quæ finis est fidei 1 *Pet.* 1. 9. Merito igitur dicitur *doctrinam secundum pietatem*.

Vers. 4. Reprehendit Apostolus alienas doctrinas invehentes, quod sint *inflati*, hoc est, arrogantes, & superbi opinione scientiæ; cum tamen *nihil sciant*: sed tantum *ægrotent circa quæstiones, & verborum digladiationes*. Videtur autem hic esse allegoria sumpta ab iis, qui interdum specie firmæ valetudinis, & habitudinis bonæ oculis hominum imponant: cum non sint veri succi pleni; sed inani, imò vero noxio humore aut ventositate inflati: ideoque verè debiles & infirmi, imò ægrotantes. Sic enim isti quoque qui se scientiæ falso nomine venditant, cum nihil ejus habeant; sed tantum ægrotent, circa *inutiles quæstiones*, & inanes *verborum pugnas* (λογομαχίας) Logomachias autem istas, uberrimam quæstionum ab hæreticis notarum, & agitatarum segetem, deprehendas in vocibus ex scriptis Apostolorum & Evangelistarum excerptis, quas hæretici, & illi, quos nova dogmata invehendi libido ceperat, in alienum ab eo, quo prolata aut scripta erant sensum detorquebant. quales erant vox *Resurrectionis*, ἀναστασις: vox λόγος, aut sermonis: vox Principii: vox αἰὼν seculi: vox Creationis: vox Sapientiæ; voces *venit in mundum*: voces *venit in carne*: & innumeræ aliæ. Erant & aliæ voces novæ, quas κενοφωνίας dixeris, circa quas longe majores etiam, quam circa priores ματαιολογίαι, hoc est, de vanis & inanibus rebus magni clamores excitabantur, ab hominibus scientiam mentientibus, insciticæ tumore turgentibus; & de quibus philosophia & sapientia hujus mundi prædas egerat. quales fuere *Incarnatio, inhumanatio, Essentia*, vel οὐσία, *hypostasis, Homousion, homeusion, persona* & multæ aliæ.

Quæ profecto voces, vel potius circa eas pugnæ, & logomachiæ, & quæstiones, circa eas motæ; non modo inutiles sunt ad veram pietatem. Quid enim ex istis quæstionibus elicias, quod tibi in studio veræ pietatis prodesse; imo quid, quod non multò magis nocere quam prodesse possit? Sed etiam exitiabiliter pietati noxiæ.

Ex iis enim nascuntur hominum, inter se acri certamine commissorum, mutua odia, invidiæ, rixæ, maledicentiæ, *malæ suspiciones*, dum alter ab altero animo aversus, ac fortassis etiam aliquo scommate, aut verbo, factove irritatus; pessima quæque de altero suspicatur, mox sentit, & loquitur, aut scribit, & omnia in deteriorem partem rapit.

Quæ res animam pietatis charitativæ procul ab Ecclesia exegit atque expulit. quod certè paulò ante Constantini ævum, etiam ante ultimam persecutionem, sed præcipuè Constantini & ejus liberorum ætate, multoque magis sequentibus seculis in Ecclesia palàm animadvertere possimus.

Vide Euseb. lib. VIII. *c.* 1. *cujus verba sunt.*

Postquam vero res nostræ, per nimiam illam libertatem, (Paulo Samosateno jam afflicto) ad mollitiem & segnitiem degenerarunt; & alii alios sunt odio, & contumeliis prosecuti; & tantum non nosmetipsos per nos ipsos *armis ac telis verborum* ubicumque contigit, *impugnavimus*; & episcopi in episcopos irruerunt, ac populi contrà populos, hoc est, Ecclesiæ contra Ecclesias seditiones moverunt; deinde infanda hypocrisis, & simulatio ad summum usque malitiæ progressa fuit. Divinum judicium pro more suo, dum adhuc cætus ecclesiastici congregarentur; sensim ac pedetentim nos invisere cæpit; ita ut persecutio à fratribus, qui in militia erant, exordium sumeret. Cum autem nullo illius sensu tangeremur, neque Deum placatum nobis ac propitium reddere conaremur; sed quasi impii delicta nostra Deum nec curare nec visitare putaremus, nequitias nostras aliis aliis cumulavimus. Et qui pastores nostri videbantur, repulsa pietatis norma, mutuis inter se contentionibus fuerunt inflammati. & dum hæc sola, contentiones videlicet, *minæ*, æmulationem, mutuum odium, & inimicitiam exaggerant: & ambitionem suam quisque in morem tyrannidis studiosè persequitur (NB. Antichristi spiritum) tunc sane Dominus, tunc, inquam, filiam Sion, (secundum vocem Hierem.) obscuram reddidit, & gloriam Israëlis cælitùs dejecit. & quæ sequuntur.

Vers. 5. pergit in describendis incommodis, quæ nascuntur ex quæstionibus ad pietatem inutilibus & logomachiis. Dicit igitur nasci *perversas exercitationes* διαλογισμοὺς, *hominum mente corruptorum & veritate spoliatorum*, seu qui veritate exciderunt, qui veritatem amiserunt.

Nusquam

Nusquam citius veritas perit ac disparet, quàm in ejusmodi perversis certaminum exercitiis. Quotus enim quisque in iis veritatem potius, quam vanitatem, victoriam, aut potius (quod mox Apostolus docet,) *quæstum*, ac turpe lucrum quærit? Vocat igitur disputationes istas Apostolus, *exercitia* perversa *hominum mente corruptorum*. Nihil enim corruptius est ejus hominis mente, quæ turpibus & indignis sordidi lucri illecebris inescatus curas & quidem mentis suæ non in veritate, quæ verum ac solidum mentis bonum est; sed in *quæstu* & lucro defigit. Mens igitur hominum corrupta dicitur, quoties homines peccati alicujus, sed præcipuè auri, argenti, lucri amore exardescunt. Imo vero usus communis ejusmodi Inescationes, in quibus homines muneribus ac pretio ad aliquid inhonestum faciendum adducuntur; *corruptiones* vocat. Vere igitur ejusmodi homines mente corrupti vocantur, quos Satanas ad peccandum per avaritiam allicit. Quam cum radicem esse omnium malorum infrà ostendat, cujus in animo *pestis hæc* radices egit, aut ista radix penitus inhæsit; fieri nequit quin fruticet & vitiosissimas plantas producat, à quibus primum omnium veritas; deinde virtus omnis & probitas strangulatur, & homines ipsi in pernicioſas cupiditates dissolvuntur.

Deserit igitur prima omnium veritas istos, qui lucro aut ventri serviunt; nec inveniri potest ab iis, à quibus ne quæritur quidem.

Hujusmodi homines Apostolus in Ecclesia tolerari vetat. *Secede*, inquit, *ab istis*. Separa te, nihil negotii cum ipsis habueris. Atque hoc nonum est hujus epistolæ præceptum: aut, si quis malit, primi *cap.* 1. 3. dati præcepti repetitio & explicatio. quod præceptum in hac epistola dupliciter tractat Apostolus. Primum enim *cap.* 1. 3. 4. ostendit quomodo se erga ἑτεροδιδασκάλους gerere debeat. Secundum, quomodo ipse sibi ab eorum erroribus cavere *vers.* 18. 19. Deinde in hoc cap. idem eodem ordine repetit. Fine vero hujus *versus* 5. docet quomodo ἑτεροδιδασκάλοις, tractandi sint: post *vers.* 11. quomodo ipsi Timotheo ab hac peste cavendum sit.

Indignissimum autem est, pietatem, quæ incomparabilia commoda hominibus affert; & ipsa est commodum incomparabile, quæstus aut lucri causa quæri; aut suscipi: atque ita rem inæstimabilem sordidi quæstus vilitati inservire.

Jam vero pietatis pars est ἡ αὐταρκεία, hoc est, virtus illa, per quam quisque, sorte sibi à Deo data, contentus est: & cupiditates suas intrà metas, sibi à Deo præfixas, cohibet. Cum enim natura nostra paucis contenta sit, puta alimento duntaxat, & integumento: reliquorum tanquam minus necessariorum ac superfluorum nobis facilis debet esse jactura si Deus nos istis tantum rebus contentus esse voluerit.

Atque in eo primum mens hominum avaritiæ peste afflatorum, subvertitur & quasi destruitur; quod quasi oculis ac lumine suo orbata, & cæca, non videat ea, quæ quærit, esse plane superflua, & non necessaria, cum neque in hac vita tot bonorum congerie indigeat, neque illa secum asportare quæat, quæ tanto conatu, labore ac sollicitudine captat. Sed quemadmodum quisque nudus hanc vitam ærumnosam intrat, neque quicquam secum affert; ita quilibet nudus exibit, nec quicquam secum efferet.

Proxima in avaritia mentis corruptio est; quod in hoc cupiditatis excessu, longè magis etiam quam in aliis modis transiliri soleat (*vers.* 9.) Quid enim non mortalia pectora cogit Auri sacra fames? Quanto & quàm inevitabili impetu homines præcipitat in varias tentationes, & laqueos, & cupiditates, partim stolidas, ridiculas, & omni contemptu dignissimas: partim rabiosas & noxias, & quæ maxima detrimenta, imo exitium ipsis avaris frequentissimè afferunt: & quibus illi in barathrum certissimi interitus demerguntur.

Recte igitur *vers.* 10. Radicem omnium malorum avaritiam nominat. Nihil enim mali est, quod in hac vita mortalibus accidere possit; quod non morbus hic animi secum afferat. Ex quibus malis duo præcipue Christianis metuenda proponit. primum, quod istud aviditatis genus homines faciat aberrare à *fide*. Quo in loco fides, non solam animi in Deum recumbentis fiduciam, sed totam religionem Christi, aut certe illam præcipuè ejus partem, quæ oppositum erroribus veræ doctrinæ puritatem continet, significare videtur. Alterum quod proponit, est, quod ista avaritiæ mancipia *Semetipsos transfigant doloribus multis*: quos magna ex parte profundit, ob desertam veritatem, continuis ictibus saucia conscientia.

Notandum vero hic Primo, quod *vers.* 7. Apostolus persuadendo Christianis, ut sint pii cum αὐταρκείᾳ; utatur ejusmodi ratione, quæ non solis Christianis virtutem hanc commendat, sed omnibus, recta ratione utentibus. Quod frequenter in Sacris litteris fieri videmus. Quia veritas, quæ apud Christianos docetur, & officia omnia, quæ ipsis commendantur, Rectæ rationi, cujus nemo mortalium expers est, sunt admodum congrua; & cum ipsa planè conspirant.

Secundo, ἀλγύναι τοῖς σπαραγμοῖς, per complexionem comprehendant omnia ad hanc vitam necessaria *vers.* 8. deductis solis superfluis.

Tertio, Vox φιλαργυρίας; verti debet, ut verba sonant, Amor argenti. Aliàs relativum ὧν (ἵνες ἐφιέμενοι) non habebit in Latina versione vocem, ad quam referatur. Nec enim avaritiam, aut ipsam φιλαργυρίαν expetunt homines; sed objectum ejus, hoc est, argentum & opes.

Vers. 11. Hominibus, propter diteſcendi esuriem mente corruptis, *vers.* 5. opponit hominem Dei, corruptelas avaritiæ fugientem: consectantem vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Ubi manifestè omnes istæ enumeratæ virtutes, uni avaritiæ opponuntur; quæ vitiorum ipsis adversantium unica mater est & procreatrix. Nihil enim hominibus avaris esse solet injustius: nihil iisdem magis à pietate erga Deum alienum; qui divitiarum ac pecuniæ idolum adorant: nusquam magis fides aut erga Deum fiducia desideratur, quàm ubi omnis spes & fiducia in pecunia collocatur. Nusquam magis erga proximum caritas friget, quàm illic, ubi fervet amor pecuniæ. Nemo impatientior hominibus, aviditate præcipitibus: nemo immitior iis, qui cessationem aut interversionem lucri crudeliter ulcisci solent. Hortatur igitur ad capessendas virtutes vitiis istis appositas Timotheum. Quarum consectationem, ut & aliarum ipsis similium, *pulchrum certamen fidei* vocat: *vers.* 12. cui destinatum sit vitæ æternæ præmium: ad quod vocati sunt omnes quicunque *Christo resuscitato, corde credunt ad justitiam, & eundem ore confitentur ad salutem.* (*Rom* x. 9. 10.)

Hanc enim confessionem & ὁμολογίαν hoc loco intelligo, quæ fit publicè & coràm multis testibus, ab iis qui Christo initiantur, & illum pro Domino suo suscipiunt.

Neque vero tantum persuadet & hortatur Apostolus Timotheum spe præmii æterni, ut pietatem colat, *versu* 12.: etiam præcipit & mandat *vers.* 13. auctoritate Dei & Christi. Verum ita tamen ita, ut tanta auctoritas, ab Apostolo interposita, non tam minas & metum (quod suapte natura efficere apta est) quàm illecebras & gratiam spirare videatur.

Deflectit vero consultò Apostolus istam auctoritatem Dei ad benignissimam ejus *vitæ æternæ* promissionem: addito ejus epitheto *vivificantis cuncta*, ut alte animis nostris infigat, Salutis ac felicitatis nostræ illum esse primam causam, primumque auctorem. Christi vero auctoritatem similiter deflectit ad maximi ejus beneficii memoriam, quod in suscipienda pro nobis morte in nos contulit: ne nos vicissim gravissima quæque in gratiam ejus suscipere gravemur. Suscepit autem mortem ultro pro nobis, quia coràm Pilato confessus est, se esse Regem Judæorum, (neque enim in historia mortis ejus aliam ejus confessionem invenire possumus) nec posteà multum laboravit, ut innocentiam suam purgaret. ita ut ipse Pilatus miraretur. Itaque hoc nomine, & hoc titulo ac prætextu, qui in inscriptione crucis ejus expressus est, damnari sustinuit. Expressit autem beneficium istud Christi per vocem ὁμολογίας, non sine concinna relatione ac respectu, ad eam, cujus paulò ante *vers.* 12. mentionem fecit, Timothei ὁμολογίαν.

Observandum autem est, cum Apostolus in hoc capite ostenderit errorum, in quos homines ἐτεροδιδασκαλοῦντες inciderant, causam fuisse avaritiam, & vitia, quæ ex tam noxia planta fruticabant: par fuisse, ut in admonitione Timothei, ne forte in eosdem errores incideret; primum eum ad fugiendam avaritiam, & quæ ex illa prodeunt vitia; consectandas vero ipsis contrarias virtutes hortaretur *vers.* 11. 14., deinde vero ad custodiendam veræ doctrinæ puritatem, & aversandam profanam vocum & novitatem, & vanitatem, & falso nominatæ scientiæ ambitionem. *vers.* 20.

Quemadmodum enim, qui tramitem pietatis deserit, raro aut nunquam veritatis orbitam premere constanter potest: ita qui veritatis depositum caute custodire velit; necesse est ut pietatis & sanctimoniæ tramitem servet, eique obstinatè insistat & inhæreat.

Notandum & illud, quemadmodum ad id ut quis vitam æternam consequatur, plures virtutes requiruntur, quàm requirantur vitia ad id, ut quis pereat; ita ad id, ut quis purum & immaculatum veritatis depositum servet longè plura, atque adeo totum pietatis & sanctimoniæ officium requiri. Quod hic per τήρησιν τῆς ἐντολῆς, servationem præcepti, *vers.* 14. exprimitur. (Quamvis enim non unum præceptum à Deo per Christum datum sit; tamen universus sanctimoniæ ambitus, quæ tota à Deo præcepta est, voce præcepti singulari numero enunciari potest.) Præsertim cum voci ἐντολῆς, addantur epitheta ἄσπιλος, ἀνεπίλημπτος. Servatio enim præcepti immaculati & irreprehensibilis, nil aliud est; quam omnibus numeris perfecta sanctitas: quæ sine omnium virtutum complexu cogitari nequit. Ad ejusdem *præcepti*, aut potius *præstandi præcepto obsequii perfectionem* pertinet *Constantia usque ad finem*, hoc est, *usque ad mortem*: aut, quod planè idem est, usque *ad apparitionem*, vel *adventum Domini nostri Jesu Christi*. Libentius autem Spiritus Sanctus constantiæ hujus terminum exprimit per vocem *adventus Christi*, quam per vocem *Mortis*, quia vox mortis; nihil solatii: vox autem hujus adventus, maximum hujus Constantiæ præmium exprimit. præcipue quod vox ἐπιφανείας non simplicem, sed illustrem adventum significet, ad refricandam venturæ glorificationis nostræ memoriam.

Nondum autem hujus sive primi, sive noni hujus epistolæ præcepti, (à quo exorsus epistolam: eandem quoque ejusdem inculcatione finire & concludere, ut palam est voluit.) argumentum egressus Apostolus decimum (ne fortè memoria excideret) præceptum epistolæ hujus interserit. *Quomodo se divites in hoc ævo gerere debeant.* In quo ipso tacitè adulterinam, & sub specie pietatis ac religionis in Ecclesiam irrepentem, de necessitate ac voto paupertatis, atque omnium professionum objectione, doctrinam refellit: ostendens posse etiam divites in Ecclesia tolerari & vitam æternam assequi; dum ea observent, quæ ipsis hoc loco præcipit.

Primùm, *ne altum sapiant.* Efferuntur enim homines possessione earum rerum, quas totus orbis tanquam numina adorat.

Secundum, *ne in opum incertitudine, sed in Deo vivente*, cujus nutu & gratia nobis copiosè omnia *ad usum* suppeditantur, *fiduciam collocent.* Tacitè autem hic ἀπόλαυσις usus, τῇ καταχρήσει, abusui, opponitur.

Tertium, ut sint benefici. *Divites in bonis operibus, liberales, & ad largiendum proni.* Communicantes aliis de copia facultatum, sibi à Deo concessarum. Hanc præcepti partem, ut tanto altius in animos divitum infigat; quadrifariam hoc *versu* 18. enunciat, addens gravissimam rationem *vers.* 19. quia per ejusmodi opera & mores *firmum*, solidum & stabilem; qualia superstruendis magnis ædificiis fundamenta vulgo jaciantur, *thesaurum* sibi comparabunt *in futurum*, (quemadmodum in futuros casus thesauri præparari, & recondi solent) per quem vitam æternam assequi poterant.

Atque hac ratione illa difficultas à Christo præposita, quæ divitibus ad regnum cælorum obstat, nutu ac Spiritu ipsius Christi removetur.

Postquam præceptum istud divitibus serviens, interseruit Apostolus; redit ad præceptum, quod Timotheo dare cæperat *vers.* 20. Quem idcirco à *vers.* 11. *usque ad* 17. primum virtutes, omnibus avaritiæ surculis oppositas, deinde omne sanctimoniæ genus atque officium consectari, præceperat, ut tantò facilius præcepto huic, quod in isto *versu* 20. mandat, obsequi, hoc est, ut *vitæ doctrinæ depositum sibi concreditum* servare posset.

Cujus rei ratio supra adducta est. Nec enim tàm sanctum ac pretiosum depositum, nisi ab integræ ac inculpatæ sanctimoniæ viris, integrum atque illibatum servari potest. Hi enim facillime atque dexterrime puritatem doctrinæ Christi servare possunt, qui vitæ puritatem sectantur: hi omnium errorum, doctrinæ & religioni Christi adversantium impuritatem & profanitatem odorari, & aversari, & cavere ipsi, atque ab aliis avertere possint, qui omnem vitæ impuritatem aversantur & abominantur. Ideò vox ἐνστρέφομαι hoc loco Timotheo, in vim præcepti attributa, primum quidem id significat, ut Timotheus ipse sibi caveret, & abhorreret ab iis rebus, quas isto loco cavendas & aversandas Apostolus præcipit; quod & sequens *versus* 21. arguit: ubi alieno periculo sapiendum esse Timotheo ostenditur: Deinde id, ut Timotheus alios quoque, suæ curæ commissos, ad idem cavendum & aversandum inducat.

Animadvertendum vero est, quibus verbis enuncietur id quod commissum sibi Timotheo cavendum proponit, si velit veræ doctrinæ depositum servare. Primo. *Profanas*, inquit, κενοφωνίας, aut forte καινοφωνίας. In utraque enim lectione facilis esse potuit librariorum lapsus.

Prior lectio vanas de *rebus inanibus rixas*, & quasi clamores, & concertationes significat, quales adhibere solent οἱ περὶ ζητήσεις λαλοῦντες, illi quorum τὸ τίμιον λαλεῖ ζητήσεις, ut Judas ait: aut, ut Petrus, ζητήσεις μᾶλλον ἢ φιλονεικίαι, significat. Ejusmodi solent esse quæstiones de rebus menti humanæ inaccessis, & quæ mediocri ingenii humani modulo comprehendi nequeunt: nec tamen liquida & expressa Sacrarum literarum revelatione nobis explicatæ & patefactæ sunt. ut sunt quæstiones de essentia Dei,

Dei, motæ atque agitatæ ab iis, qui ne mentium quidem ſuarum naturam atque eſſentiam ſatis exploratam habent. Præcipuè in quibus aliquid, quod contradictionem implicet, ſtatuitur atque deciditur: quodque *explicari atque intelligi non poteſt abſque verbis*, non è ſacrario Sacræ Scripturæ, ſed aut ex placitis philoſophantium, aut ex commentis humani ingenii depromtis.

Quod certe novi & adulterini dogmatis minimè ambiguum veſtigium eſt, ſi doctrina aliqua nonniſi verbis, ab uſu Sacræ Scripturæ alienis, poſſit exponi. Ubi enim voces novæ & profanæ introducuntur; ibi una cum iis res quoque novas, & profanas introduci neceſſe eſt.

Prætereà ea, quæ de Deo genuinis Spiritus Sancti verbis nobis ſunt prodita; ſimplicia ſunt & captui noſtro accomodata, nec intellectu difficilia. At iſtæ, quæ novis & profanis vocibus proponuntur, verborum, quæ Sacra Scriptura de Deo profert, explicationes non modo longè ſunt difficiliores, nec tantum captum intellectus noſtri ſuperantes; ſed per innumeras contradictionum implicationes nobiliſſimam mentis noſtræ functionem, & uſum rationis planè evertunt. quod ex collatione Symbolorum Apoſtolici & Athanaſiani liquido patet.

Quamvis autem prior iſta lectio, quæ vocem iſtam, cui epitheton βιβήλους additur, per ἰψιλὸν profert, non excludat novas iſtas modo ac recens introductas voces, imò vero, ut animadvertimus, eas præſupponat; quod vel ex ipſo iſto epitheto evincitur, quod rebus ſacris admixtam aliquam profanitatem & anomaliam, quæ ſine novitate cogitari non poteſt, deſignat. Tamen vocem iſtam per diphtongum ει potius legendam, non eſt diſſimile veri. Quæ poſterior lectio prioris quoque ſenſum includit. nihil enim vanius atque inanius eſſe poteſt vocibus iſtis, quæ puram, & ſimplicem, ac ſimpliciſſimis quoque verbis à Spiritu Sancto traditam veritatem; ad peregrinos & philoſophicos ſenſus & opiniones ejuſmodi detorquent, quæ cum primæva prædicatione Apoſtolica, qualis nobis in authenticis Sacrarum litterarum libris exhibetur, nulla vi, aut ope humana, nullo aſtu, aut artificio conciliari poſſunt.

Secundo, Alter modus enunciandi ea, quæ Apoſtolus Timotheo cavenda & averſando præcipit, eſt; *oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ*: quod nihil aliud eſt, quàm quæſtiones de rebus Sacris aut divinis curioſius motæ: & rixæ, atque contentiones de iis excitatæ, quibus alter cum altero colliditur & quaſi bellum gerit. Quia vero quæſtiones iſtæ ſunt non modo, propter fructus, quos ferunt, inutiles imò verò noxiæ: ſed ſuapte quoque natura inanes & falſæ; ideò ſcientia, vel γνῶσις, quæ per illas quæritur, aut oſtentatur; falſò ſic dicta, & nominata ab Apoſtolo dicitur. Vide pleraque Gnoſticorum dogmata apud Irenæum & Tertullianum. Sed & perpende pleraque omnia Conſtantini, & liberorum ejus ævo excogitata Symbola, unico illo, quod nomen Apoſtolici præfert, excepto. Vide & nonnulla philoſophorum de Deo placita: quæ quibuſdam in primæva Eccleſia Chriſtianis plus æquo placuere. Videbis in illis expreſſa ψευδώνυμα γνώσεως dogmata, quæ primi omnium excoluerunt inter Chriſtianos Juſtinus Martyr; & Alexandrinæ ſcholæ Magiſtri: quos inter Clemens ςρωματεὺς. (Nam de Pantæno, ejus præceptore, non ſatis conſtat, niſi philoſophum fuiſſe è familia Stoica.) Proximi ab illis acceperunt Irenæus, curioſæ eruditionis conſectator atque oſtentator. Tertullianus, & qui hanc aliquanto quàm apud Gnoſticos ſaniorem; ſed tamen ψευδώνυμα γνῶσις inter Græcos diligentius excoluit, Origenes.

Quos omnes ejus generis γνῶσιν ἐπαγγελλομένους profitentes ac pollicentes, aberrare à fide neceſſe fuit. Cujus ſimplicitas profanos & Spiritui Sancto ignotas iſtas rerum atque vocum novitates admittere non potuit.

FINIS.

IN

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEUM SECUNDAM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

FIdem, & auctoritatem iis, quæ scripturus erat, more suo conciliat Apostolus ex dignitate functionis suæ, quod esset ex præcipuis Jesu Christi delegatis ad munus prædicandi Evangelii; delectus *peculiari Dei voluntate*. quod quanquam per Christum factum legimus *Act.* IX. 4., hic tamen Deo, ejusque voluntati tribuitur; quia nunc, ut in iis quæ ad Salutem nostram pertinent, Deus nihil facit nisi per Christum; ita Christus quoque nihil facit, nisi ex nutu & *voluntate patris sui*: quia is, & Pater unum sunt.

Describit autem voluntatem istam Dei his verbis, *secundum promissum vitæ in Christo Jesu*. Finis enim, & scopus vitæ, & beatitudinis, qualem Christus nomine Dei promisit; & cujus largiendæ plenariam potestatem ipse adeptus est, qui in mente, & voluntate Dei, tanquam primæ salutis nostræ causa fuit; omnia media ad eundem scopum tendentia promovit: ut ipsi eventus eorum merito tribuendi sint.

Vers. 2. Benevolentiam deinde ejus, cui scribit, aucupatur blanda salutatione, non modo ipsum Timotheum *dilectam sibi sobolem* vocando; sed apprecando ipsi optatissima quæque: qualia sunt *Gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Christo Jesu Domino nostro*. primum videtur spectare immensa, & perpetua beneficia, quæ ab hoc fonte profluunt. secundum, paternam remissionis peccatorum indulgentiam. postremum, ex Hebraico idiotismo, omne felicitatis genus, & cumulum. quæ cuncta nonnisi à Deo patre Christi, & nostro, per manus Christi, cujus in herilem familiam adscripti sumus, speranda sunt.

Vers. 3. Insignem doctrinam habemus hoc loco, quæ nobis ad multa præclara utilissima est. primum ad animi coràm Deo demissionem, & modestiam: deinde ad perpetuam, & anxiam curam, & vigilantiam in omni vitæ genere, atque actione: præterea ad assiduum, & indefessum in precibus ad Deum fundendis studium: denique ad nobilissimum illud, & quod summum aliorum omnium; imo verò certissimum ac facillimum compendium complexum est, Dei præceptum exequendum, hoc est, ad infigendum altissime animis nostris syncerum, ac summum erga Deum, qui cum firmissima fide conjunctus esse solet, amorem, & filialem affectum. Hæc autem doctrina nobis ostendit, non modo reliquarum omnium rerum eventus: sed etiam propriarum nostrarum actionum, & præxêon, ac proæreseôn successum, ab ope divina cælitus impetranda dependere. Atque hoc est quod dicitur *Phil.* II, 13. Deum in nobis efficaciter operari non perficere tantum: sed & velle. Videmus enim hic Apostolum pro eo beneficio Deo gratias agere; quod ipse sibi dare posse videbatur, hoc est, quod indesinenter in precibus suis mentionem Timothei faceret: quæ res prima fronte in mera voluntate, atque arbitrio Pauli posita esse videbatur. Et tamen ejusmodi Paulo visa est, atque adeo in re ipsa fuit; quæ absque gratiâ Dei, atque auxilio cælesti præstari non posset: ideoque digna visa est, in qua gratia Dei, atque cæleste auxilium agnosceretur. Pro quibus enim Deo meritò gratias agimus, ea meritò à Deo petenda, & impetranda sunt. Nec enim semper novimus, quæ nobis, quæve etiam gloriæ Dei expediant: nec solum quid facto opus sit: sed quid optare, aut velle debeamus, ignoramus. ita ut sæpe necesse, semper autem utilissimum sit, ut

Permittas ipsis expendere Numinibus, quid
Expediat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii.
Carior est illis homo, quàm sibi.

Ergo ut apta potius, quàm placentia velimus; Dei Spiritus nobis suggerit. Quo nomine non modo gratiæ agendæ Deo; sed, id uti perpetuò faciat, precibus supplicandum est: præsertim cum in precibus non nostri tantum; sed gloriæ ipsius quoque rationem habere debeamus: Cujus propagandæ viam nemo melius ipso Deo novit. Quod autem hæc sententia, ejusque rei perpetua cogitatio, ac doctrina supradicta nobis commoda præstet; inde patet, Primo, quia nemo sibi, suæque dexteritati, ingenio, sapientiæ viribus nimium tribuet, aut confidet; qui absque Dei ope nihil egregii, imo nihil boni, ac sibi necessarii præstare se posse consideraverit. ideoque perpetuâ manuductione Dei sese indigere senserit.

Secundo, Quo magis est quisque suæ sibi imbecillitatis, atque assidui periculi conscius; eò magis vigilat, & acriori cura excitatur, ut intendat vires ad cautiorem industriam, & quærendum aliundè id, quod apud se non invenit; ad expellendum animo pestilentem securitatis lethargum, & acuendam necessariam industriam.

Tertio, Hinc ad preces stimuli, & quo magis anxia bene vivendi, & evitandorum lapsuum cura distringimur; eo magis enixo, & assiduo studio precibus, & invocationi opis Divinæ incumbimus. Quo certius persuasi sumus, nos absque auxilio Dei nihil

nihil ulla in re auſpicato inceptaturos ; multoque minus ex animi ſententia promoturos ; eo magis ad implorandam Dei gratiam, & opem accendimur.

Quarto, Qui cum precibus ſuorum deeſſe nunquam velit, inde fit ut haud dubie voti compotes evadamus. Inde naſcitur grati, & memoris, atque erga beneficum numen propenſi animi affectio : quæ perpetuo amoris flabello ventilanda, & jugi revocandorum ad animum beneficiorum imagine, ac repræſentatione exſuſcitanda, atque alenda eſt ; cum nunquam, & nuſquam occaſiones deſint, aut opis impetrandæ, aut agnoſcendorum, quæ ſæpe ignaris interdum, & invitis nobis benignus Pater confert, beneficiorum.

Hunc affectum quiſquis penitus inbiberit, ſentiet ſeſe adeptum eſſe compendium aſſequendi res deſideratiſſimas ; & in via ſalutis nihil ſibi difficile fore experietur. Eâdem via, & fides erga Deum mirificè confirmatur, & caritas in proximum acquiritur.

Notandum autem eſt, quia hoc loco majorum matris, & aviæ exemplis ad ardentius pietatis ſtudium Timotheum excitaturus erat ; (quod fecit infra *verſ.* 5.) ut ipſi tanto majorem fovendæ pietatis curam commendaret, & quaſi neceſſitatem imponeret, Paulum ſuorum quoque majorum Deo ſervientium mentionem feciſſe. Cui *ſervio* (inquit) *à majoribus meis, in purâ conſcientiâ.* Deſcribitur autem iſta *Servitus*, ſeu cultus, & λατρεία per puram conſcientiam : Quia cum Deus ſit mens nullius opis, aut ſervitii, proprie dicti, indiga, propemodum ſola mente, & conſcientia pura, hoc eſt, vita, & moribus integris, & incontaminatis ipſi cultus, ac ſervitium exhiberi poſſit.

Notandum etiam eſt, quanquam Deus ab omni proſopolepſia ſit alienus, nec aut ex impiorum progenie, aut ſerò, ac vita prope exacta ad ſe ſerio, ac vere accedentes homines aſpernetur ; eum tamen non parvo æſtimare, ſi quis ſibi longo tempore, & ab ipſa pueritia, imo verò à majoribus quoque ſuis ſerviat : ita ut *in conſpectu Dei*, tali homini laus iſta, & commendatio aliquid apud eum prodeſſe poſſit. Quemadmodum enim non injuſtum eſt quoties majorum culpam poſteri ſæpe luunt ; ita longe æquior, & à Dei benignitate ad milleſimam uſque ſtirpem extenſa ἀνταπόδοσις *remuneratio eſt*, ut merita majorum poſteris quoque proſint. Quanquam enim in eo par omnibus ſors promittitur, quod cuncti denarium illum, hoc eſt, æternæ vitæ præmium aſſequentur (quæ parabola in ſolatium eorum à Domino propoſita eſſe videtur, qui tametſi vitæ ſanctimoniam, ſine qua Deum nemo videbit, ante mortem aſſecuti ſunt ; tamen præteritæ vitæ recordatione, & præſentis quoque non paucis lapſibus admoniti, præterea aliorum fortè comparatione conterriti ; indignos ſe tanta Dei mercede agnoſcunt ; & ne animum deſpondeant in aliquo periculo verſantur) tamen in inſtructiſſimo opulentiſſimi iſtius patris familias promptuario nunquam deeſſe poſſunt, aut poterunt ejuſmodi munera, quibus præ aliis donari, & honeſtari poſſint, qui præ aliis aliquid boni fecerint, aut habuerint. Certum eſt tamen, & immotæ veritatis ; in ἀνταποδόσει *remuneratione* bonorum longè & immenſo quidem intervallo longè magis ſpectatum iri, quid (licet ope Dei adjutus) quiſque præſtiterit, quam

——— *Et genus & proavos & quæ non fecimus ipſi.*

Notandum quoque eſt hic aſſiduitatem precum, ab Apoſtolo graphicè expreſſam, & ad imitandum propoſitam, per voces *indeſinenter* & *noctes*, *atque dies*, ut intelligamus ea quoque tempora, quæ vulgo quieti dantur, aliqua parte ſui decerpta, precibus conſecranda.

Verſ. 4. Qualem in precibus ſuis Timothei mentionem faciat Apoſtolus, hoc verſu ſignificat. Nempe qualem facere ſolent ii, qui alicui optima quæque vovent ; ejuſque deſiderio, & amore tenentur. Ergo ut ad accipienda monita ſua animum Timothei, benevolentiæ, & amoris ſignificatione, præpararet, exprimit hunc affectum, ſimulque cauſas ejus affectus, quod ejus videndi (ſalvi videlicet, atque incolumis) deſiderio teneretur. Cauſas verò ejus duas, impellentem & finalem. Impellentem primum, quod meminerit ejus probitatis, vel etiam erga ſe amoris, & ſynceræ, ac non ſimulatæ fidei. Probitatis, aut erga ſe amoris (Utrumlibet enim duorum iſtorum lachrymas Timothei in Pauli præſentia citare poterat), dum ait μεμνημένος σου τῶν δακρύων, *memor tuarum lachrymarum.* Candoris autem, & veræ fidei *verſ.* 5. quam virtutem ita deſcribit, ut ipſi fuiſſe quaſi hæreditariam, & ex majorum traduce acceptam indicet, commemorans lectiſſimas in pietate matronas, Loidem aviam ; & matrem ejus Eunicen. Dicit enim inhabitaſſe in ipſis non ſimulatam fidem, habitum deſignans, & conſuetudinem pietatis. Unde colligit eandem fidem in ipſo quoque habitare. Nec incertis id ſibi argumentis patere ; ſed ejus rei (ſine dubio aliunde quoque) ſeſe certam concepiſſe fiduciam. Cauſam vero finalem amoris, ac deſiderii, quo ad videndum eum impellebatur, oſtendit *verſ.* 4. dum ait *ut gaudio implear.* Mutuus enim amantium conſpectus, mutuo ipſos gaudio beare ſolet.

Verſ. 6. Expoſito amoris, ac benevolentiæ ſuæ erga Timotheum affectu, Apoſtolus oſtendit, ex eodem, tanquam ex vera cauſa, & fonte fluere admonitionem ſuam præſentem. qua ipſum ſtimulat, (revocando quaſi in memoriam officium ejus) ut *exuſcitet in ſe ipſo gratiam Dei*, metaphorâ ſumpta ab igne favillis opprimentibus ſatiſcente, atque emoriente, & qui, ut conſervari, vel etiam incrementum ſumere poſſit, flatu, aut ventilatione exſuſcitandus ; & quaſi in vitam ſuam revocandus eſt. Quid autem per gratiam iſtam Dei intelligat, oſtendit, quòd ſit *Donum illud Spiritus Sancti, quod per impoſitionem manuum Pauli* conſecutus erat Timotheus.

Unde patet non tantum naturalia animi, & ingenii noſtri dona : ſed etiam ſupranaturalia & cæleſtia chariſmata ; adeoque ipſius Spiritus Sancti gratiam diuturno ſitu, ac neglectu rubiginem quandam contrahere, &, niſi ſubinde excitentur, & exerceantur, ſenſim conſumi, aut extingui poſſe. Unde apparet, quamvis nos abſque ope Dei, in ſalutis negotio propter imbecillitatem noſtram nihil poſſimus : tamen Deum abſque opera noſtra in eodem negotio propter ſapientiſſimum conſilium ſuum ; præſtare nihil velle. Ergo ut Deus in nobis ſalutem noſtram efficaciter operetur ; Deo nos cooperari neceſſe eſt. Non enim ex eo Deus gloriam ſuam quærit, ut nova iſta creatura, ſola manuductione ſua, cui reſiſti non poſſit, effugiendo eam, quæ viget in mundo, in cupiditate corruptionem, divinæ naturæ particeps fiat : 2. *Pet.* 1. 4. Quæ enim eſt artificis laus in eo opere, ſi illud ejus ἀπρίμαστον, nullos ex ſeipſo motus edere poſſit ; ſed perpetuo, atque in omnibus ſuſtentatione, & manibus ipſius artificis indigeat ? Hinc videmus nos tot monitis impelli, & urgeri à Spiritu Sancto ; ut enixiſſimo conatu, & quidem cum timore, ac tremore operemur ſalutem noſtram. Cui bono ; ſi iſta operatio eſt aut impoſſibilis, aut ſuperflua ?

Verſ. 7. Donum illud Dei ; nempe donum Spiritus, quod fuit in Paulo & miraculoſa vi per impoſitionem manuum ejus Timotheo communicatum eſt ; ejus naturam explicat Apoſtolus, primum

oſtendendo quid non ſit, deinde quid ſit. Quid non ſit indicat, dum ait, quod non ſit *Spiritus* ignaviæ, & *timiditatis*. Duæ autem ſunt partes ignaviæ, quarum utraque huc pertinet.

Prima eſt, cum quis in peragendis negotiis eſt nimium remiſſus, lentus, frigidus & ignavus; cui opponitur ſtrenuus, & *πνεῦμα ζῆον ſpiritu flagrans*. Huic *verſ.* 6. Apoſtolus remedium attulit, dum oſtendit dona Dei, hominibus collata, itemtidem exuſcitari debere. etiam *verſ.* 7. per *ſpiritum caritatis*, qui ſolet eſſe *ζῆον flagrans*.

Altera eſt, cum quis in ſuſtinendis periculis eſt timidus, ac trepidus: aut qui coràm hominibus hujus ævi vitioſo pudore ſuffundi poſſit. Huic remedium affert hoc verſu, & infrà, oſtendens datum nobis Spiritum Dei exigere, ut ſimus fortes, & intrepidi. Eſſe enim hoc donum, Spiritum *δύναμιν*, *potentiæ*, hoc eſt, quod animum ejus, cui datur, fortem, ac robuſtum, nec erubeſcentem teſtimonium Chriſti reddat. Quia verò, habitus fortitudinis in hominibus, Spiritu Dei non ſubnixus, in duo vitia impingere ſolet, quorum alterum eſt crudelitas, alterum temeritas. Neque enim vitæ, aut commodis aliorum parcere ſolent, qui vitæ, & commodorum ſuorum ſunt prodigi: & qui ad pericula ſua oculos claudunt, & ad alia quoque multa cæcutiunt, quæ proſpici expedit. ideo donum iſtud Spiritus Dei, longe humana fortitudine excellentius, oſtendit eſſe non tantum ſpiritum fortitudinis; ſed etiam Spiritum Caritatis, & prudentiæ. Σωφρονισμὸν, vero hic pro ſanitate, ac ſobrietate animi, hoc eſt, prudentiâ accipio.

Verſ. 8. Cum igitur Deus nobis Spiritum *δύναμιν* dederit, hortatur Timotheum *ne eum pudeat teſtimonii Domini noſtri*, hoc eſt, ne pudeat Evangelii Chriſti *Rom.* 1. 16., ac ne *teſtium* quidem ejus, qualis tunc fuit Paulus captivus. Notandum autem hic Paulum dici *captivum Chriſti*, hoc eſt, captivum Chriſti cauſa, rariori loquendi genere. Captivus Chriſti, id eſt, pro Chriſto aut Chriſti cauſa captivitatem patiens. Hortatur item, ut una cum Paulo obduret animum contra adverſa, quæ forte propter Chriſtum, & Evangelium perpeſſurus ſit; eaque alacriter exemplo Pauli perferat & quidem unâ cum ipſo Evangelio. *Ait enim συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ Patere una cum Evangelio, quia* ipſum quoque Evangelium pati videtur, & opprimi; cum homines propter illud patiuntur, & opprimuntur. Et tum quia iſtud Evangelium eſt *ſecundùm potentiam Dei*, *κατὰ δύναμιν Θεοῦ*, nihil iis, qui propter illud, & cum illo patiuntur, timendum eſſe; Sed eos ab ipſâ Evangelii potentia ſumere animos, & vires mutuari debere. Ita & nos non modo pro veritate; ſed cum ipſâ Dei veritate patiendo, ab ipſius veritatis invictâ vi, & potentia vires, atque animos ſumere debemus.

Verſ. 9. & 10. Oſtendit quomodo iſtud Evangelium ſit ſecundùm *potentiam Dei*. Quia promiſſa Dei de ſalute æterna nobis conferendâ adeo ſunt firma, & certa & tàm invictis documentis confirmata; ut jam illa adepti videamur, & Deus jam nobis illa contuliſſe, atque adeò ſervaſſe nos dici poſſit. poſteaquam nos *vocavit tam ſancta vocatione* (hoc eſt, ut alibi ait, *tranſtulit in regnum filii ſui*) & nobis, quamvis indignis, & qui nullis noſtris meritis, aut operibus tantam beneficentiam provocaſſe poteramus; liberrima, & benigna voluntate ſua (*κατ' ἰδίαν πρόθεσιν*) gratiam in Chriſto Jeſu (hoc eſt, gratiam per Jeſum Chriſtum revelatam & per eundem nobis conferendam dedit (hoc eſt dare certo, & infallibiliter conſtituit) ante tempora æterna. Multoque magis poſteaquam hanc gratiam nunc revelavit per apparitionem, & adventum Servatoris noſtri Jeſu Chriſti; qui per mortem, & reſurrectionem & exaltationem ſuam mortem, hoc eſt, vim omnem, ac robur mortis deſtruxit; & *illuſtravit vitam*, & *incorruptionem* per Evangelium, hoc eſt, viam aſſequendæ vitæ æternæ, & immortalitatis evidentiſſimis documentis ita aperuit, ut eam illuſtrati omnium oculi, per Evangelium ſeu doctrinam ipſius & Apoſtolorum ejus manifeſtiſſime videre, atque invenire, & capeſſere poſſint.

Verſ. 11. Hujus Evangelii ſeſe, præconem, & Apoſtolum, & doctorem gentium conſtitutum indicat; præconem, ut illud omnibus publice gentibus promulget; Apoſtolum, ut legatione tàm illuſtri, à Deo ſibi impoſita, cum dignitate defungatur; doctorem gentium, ut in doctrina Evangelii gentes eruditat.

Et addit *verſ.* 12. ſeſe hujus rei gratiâ eas, quibus affligebatur, perſecutiones pati. Verum eas invicto, & grandi fiducia ſubnixo animo excipere, ac ſuſtinere: quia *ſciret cui credidit*: Ac certò confideret, eum eſſe adeò potentem, ut poſſit; adeo bonum, ut velit *depoſitum* ſuum fideliter conſervare uſque ad præfinitam ejus reſtituendi diem. Quo exemplo ſuo, hortatur Timotheum ad ſeſe imitandum, non modo in eadem fiducia; ſed *verſ.* 13. etiam in ſana doctrina, ab ipſo Paulo audita, & accepta: quæ, quia eſt *ſecundùm pietatem*, tota tendit ad *fidem*, & *charitatem*; qualis in Chriſto Jeſu nobis præſcripta, & expreſſa eſt, in ſuis, atque aliorum animis, & moribus exprimendam, & plantandam. Quam pietatis per doctrinam Chriſti in ſe, & in aliis plantandæ curam *verſ.* 14. vocat, *bonum*, & *pulchrum depoſitum*, quo majori cura ſervandum & cuſtodiendum indicet; & quomodo ſervari, & cuſtodiri poſſit ſimul inſtruit, hoc eſt, *per Spiritum Sanctum inhabitantem in nobis*. Nec enim tantum optimas cogitationes, optima conſilia nobis, hæc vis divina, & miſſum cælitus auxilium ſuggerit, ac ſuppeditat: ſed in optimis cogitationibus, & contemplationibus, in optimis curis, & occupationibus conſtantiam in nobis cuſtodit, avocans animos noſtros à ſordidis, aut inanibus, aut etiam perniciosis ſtudiis; & illibatam mentis noſtræ innocentiam jugiter ad meliora deflectens. Sed hoc ipſum Spiritus Sancti donum, ut nobis perpetuò adeſſe poſſit, continuis, ac indeſinentibus precibus impetrandum, & ne nos citò deſerat, pravis, aut indecoris cogitationibus, ſermonibus, factis noſtris contriſtatum, & expulſum, danda eſt enixa opera. Ita ut pulcherrimum iſtud depoſitum per Spiritum Sanctum: Spiritus Sanctus autem per aſſiduas preces, & innocentiam ſervanda, & cuſtodienda ſint. Alludit autem ad eam, quam ſupra in voce Depoſiti cernimus, allegoriam. Quemadmodum enim antea vitam, & felicitatem ſuam, ſibi poſtliminiò in ſuprema die non ſine fænore æternitatis reddendam, depoſitum vocaverat; eo reſpectu quod à nobis Deo concreditum ſit: ita nunc proximam hujus felicitatis cauſam, hoc eſt, pietatis in ſeſe, atque in aliis plantandæ, ac retinendæ curam, per Spiritum Sanctum, in habitantem in nobis, cuſtoditam ac ſervatam depoſitum vocat. eo reſpectu quod nobis à Deo concreditum ſit; imponens nobis quandam ejus tantò diligentius ſervandi, & cuſtodiendi neceſſitatem; ſi velimus, ut Deus quoque noſtrum nobis depoſitum ſervet, & cuſtodiat.

Verſ. 15. Quo enixiori, & diligentiori cura depoſitum ſuum Timotheus cuſtodiret, hortatur ipſum ad eandem curam exemplis tam eorum, qui depoſitum iſtud amiſerunt; quàm eorum, qui conſervarunt. Prius facit, hoc ipſo verſu. quod ab eo, hoc eſt, ab Evangelio cujus ille prædicandi Apoſtolus, & doctor fuit, ſeſe avertiſſent quidam

Aſiano-

Asiandrum, quos inter Phygellus, & Hermogenes. Innuens cuivis accidere posse, quod cuiquam potuit.

Posterius facit *vers.* 16. 17. 18. excitans Timotheum ad sui depositi custodiendi curam exemplo Onesiphori, cujus domui primo precatur à Domino misericordiam *vers.* 16., mox ipsi quoque *vers.* 18. sed in illa die præstandam. Unde Vir Magnus eum jam tunc fuisse mortuum conjicit; quasi ipsi jam in hac vita misericordia à Domino exhiberi non posset, nisi ejus domui, ac relictæ familiæ. Quod etiamsi verum esset; nihil in eo absurdi esset, quod ipsi jam defuncto Apostolus precatus sit à Domino misericordiam, pro meritis ejus erga se reddendam. Aliud enim est votum, & exoptatio; aliud preces pro adjuvando aliquo ex professo susceptæ. Sed nec firma est mortis ejus conjectura, quod Apostolus domus ejus potius, quam ipsius *vers.* 16. mentionem faciat. Fieri vero potuit eum numerosam domi suæ liberorum familiam aluisse. In quibus educandis, & sufficienti victu instruendis, insigni Dei ope indigeret. Et ipsius quoque *vers.* 18. mentionem facit. Cui quod post fata misericordiam à Deo precetur, mirum videri non debet; cum ipsi jam ejusmodi misericordiam precatus esset, quâ ante fata quoque in exhibita domui suæ benedictione divina gaudere potuisset. Denique nihil in eo est absurdi, si à Deo; eas quoque res precibus exposcamus, quas scimus etiam absque precibus nostris certò eventuras esse. Petimus enim & meritò in precibus, ut nomen ejus sanctificetur, regnum adveniet. Nunquid ista absque precibus nostris eventura non esse suspicamur? Recenset autem Onesiphori merita, quæ Romæ, quæ Epheſi in gratiam Pauli fecerit: quoties eum pietate sua recreaverit? quam strenue, & fortiter in afflictione captivitatis ejus relevanda, nec periculo, nec labori suo pepercerit. quod legentibus ad similia exemplum, & calcar addere potest.

CAPUT II.

POstquam supra dictis rationibus, & suo quoque simul, & aliorum tam bonis, quàm malis exemplis excitasset Timotheum ad compatiendum Evangelio, vel ad fortitudinem, & patientiam; sermonem concludit, non sine blanda allocutione, & roganti proximus: cohortando Timotheum tanquam Pater filium, ut se confortet in gratia illa, quæ nobis in Christo, & per Christum proposita est: respiciendo semper ad *μισθαποδοσίαν*, *propositæ mercedis redditionem Heb.* 11. 26., Mosis exemplo & patiendo crucem & afflictiones *ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς pro proposito* & oculis nostris objecto inæstimabili *gaudio*, exemplo Christi *Heb.* XII. 2.

Præterea ut ipse indies confirmatior veram doctrinam, *vers.* 2. ab Apostolo conscriis multis testibus auditam, & acceptam, fidelibus proponat, qui alios quoque in ea erudire, atque instituere possint. Quibus in verbis tacitè notat, ac perstringit aliena, & adulterina dogmata, non ex Apostolica prædicatione; sed aliunde hausta: quæ pravi doctores nunquam ab Apostolis audierunt; sed aliunde acceperunt, aut ipsi commenti sunt: de quibus paulo post eodem capite videbimus. Deinde veræ istius doctrinæ, exclusa falsâ, hominibus tradendæ rationem, ac facilitatem proponit; quòd plurimos testes adhibere possit Timotheus ad faciendam omnibus fidem hanc, & non aliam doctrinam ab Apostolo traditam esse, qui eandem una cum Timotheo audierint: atque ut alienam à genuina ipsi dignoscere, ita genuinæ Apostolicæ prædicationi testimonium dare possint.

Vers. 3. Novam rationem affert Apostolus, cur Timotheus magno, & forti animo res adversas, & afflictiones sustinere debeat, quia sit bonus, ac strenuus miles Christi: & in ea simul ostendit viam atque rationem quæ ineunda sit iis, qui sine difficultate omnia mala perpeti velint; atque impedimenta hujus militiæ removet.

Res enim adversæ, & afflictiones maximè graves sunt iis, qui bona vitæ hujus, ipsamque vitam magni faciunt; ideoque negotiis ejus multum implicantur. Quod à militibus Christi alienissimum esse debet. *vers.* 4. quia & in carnali militia, militantes non implicantur negotiis ævi hujus; aliàs emanere, & abesse à signis, & omnes militiæ functiones negligere cogerentur: quod Imperatori eorum non posset nisi displicere; imo ipsos milites eò adducere posset, ut stipendio exciderent. quemadmodum enim in certamine non coronatur, nisi quis legitimè certet, (*vers.* 5.) ita in militia stipendium non accipit, nisi qui rite ac legitime militet.

Vers. 6. & 7. Occurrit tacitæ objectioni, quæ afferri possit adversus id, quod dixerat. Non *esse consultum* ut Christi *milites implicentur curis hujus* ævi; Undè igitur vita sustentanda sit, si non liceat, penitus implicari curis terrenis; præsertim cum *στρατεύεσθαι ἀτάκτως*, *ambulare inordinate* Apostolo dicantur ii, qui alienum panem edunt, ipsi nihil laborantes. Respondet non defore Timotheo victum etiamsi aliis præter prædicationem curis non distringatur. Quia quemadmodum laborans agricola fructibus laborum suorum primum seipsum sustentat, deinde habet unde aliis quoque impartiatur; ita in vinea Christi operarius dignus est mercede suâ. Quod quia *vers.* 6. allegoricè pronunciat *vers.* 7. breviter explicat, tanquam prudenti, & qui operosiori explicatione non indigeat.

Vers. 8. Remotis hujus militiæ impedimentis, ostendit Apostolus unde maximum robur miles Christianus ad tolerandos militiæ labores, & sustinendas omnes afflictiones acquirere possit. *Meminerit*, *inquit Jesu Christi resuscitati ex mortuis*; hominis, ait, illius, *ex semine Davidis*, secundum carnem procreati ac nobis in infirmitate mortalitatis similem, sicut & *Rom.* 1. 9. *secundum Evangelium meum*, hoc est, quemadmodum ego docui, & prædicavi. Ergo non Apostolicum est illud Evangelium, neque Apostolica prædicatio, quæ nobis alium, & natura ab illo, qui mortem susceptt, diversum, & plurimùm dissimilem Jesum Christum substituit. Non desunt, qui Evangelium Lucæ à Paulo hic intelligi velint, quod pro suo agnoscat. Quod etiamsi statuatur, deductionem nostram non infringit: nam nec Lucæ Evangelium nobis alium, & naturâ ab illo, qui mortuus est, longè diversum Christum usquam proponit.

Porro recordatio resuscitationis Domini, quæ nobis pro omnium afflictionum remedio commendatur, Synecdochicè hic, ut alibi quoque sæpe, intelligitur; ut in se comprehendat, & complectatur ea omnia, quæ resurrectionem consecuta sunt, præcipue vero hinc tam sublimem exaltationem, quæ ad *magnitudinem*, & omnipotentiam Christi; illinc peculiarem, atque absolutam in populo suo regnandi potestatem, quæ ad certitudinem promissorum Dei pertinet.

Vers. 9. Hujus autem doctrinæ, & prædicationis causa sese Apostolus omnia mala perpessum usque ad illa postrema sua vincula; profitetur, ac prædicat. Proinde ejusdem causa vitam eum posuisse necesse est; quod idem ab omnibus quoque reliquis martyribus factum liquet. ne quis nobis obtrudat dogmata

alia, quibus quispiam forte martyrum deceptus esse potuit; at nemo propter illa vitam suam posuit; quod ex Justini Martyris morte apud Baronium liquet, quem in illo temporis articulo philosophia sua deseruerat.

Exaggerat autem perpessionis suæ acerbitatem, quod ista patiatur, tanquam *maleficus* (quemadmodum Dominus quoque ipse tanquam maleficus passus est) Verum se erigit maximo solatio, quod licet ipse in vincula conjectus sit; tamen *sermo Dei vinculis* obnoxius esse nequeat: ita nos quoque, quanquam premimur injustis decretis, crudelissimis legibus, exiliis, minis, terroribus, opprimimur, & exterminemur; erigamus nos eodem solatio, veritatem, pro qua Apostolus sese omnia perpessum prædicat, opprimi nullo modo posse imo vero per nostram oppressionem latius spargi, & incrementum sumere.

Recte igitur *vers.* 10. Apostolus sese hoc solatio erectum omnia mala æquo animo sustinere dicit, quia cum sermo Dei vinculis coërceri nequeat; afferat ejusmodi fructus ut electi & fideles, hoc est, quicunque ex alienis ad electionem, fidemque sunt idonei salutem, & gloriam æternam, in Christi doctrina promissam, assequantur: ita ut Apostolus passus esse propter electos quoque dici potuerit. Non tantum enim per afflictiones, & persecutiones, quas pertulit, ad quærendam, & inveniendam veritatem cunctis signum sustulit: sed præibat. Præibat enim ipsis exemplo suo ad constantiam permanendi in doctrina, & fide Jesu Christi usque ad vincula, & necem, ut ipsi quoque eadem sustinere parati essent. Hunc esse sensum loci hujus ostendunt verba *vers.* 10. διὰ τοῦτο πάντα ὑπομένω, διὰ τοὺς ἐκλεκτούς. quorum verba διὰ τοῦτο. referuntur ad propagationem veritatis per vincula, & afflictiones eam prædicantium. Sermo vero Dei per ista vincula non vincitur: sed latius se propagat. verba vero διὰ ἐκλεκτούς, indicant objectum hujus propagationis, hoc est, homines ad salutem vocationemque & electionem idoneos. Una enim est ista causa quæ per particulam διὰ utrobique exprimitur: quia illa propagatio sermonis Dei latius sparsi ad bonum eorum qui sunt Electi pertinet. Porro quamvis mori, aut gravia propter Christum pati, non omnibus contingat bonis, ac fidelibus; sed iis plerumque tantum qui à Domino digni hoc certamine censentur, hoc est, quos Dominus, qui suprà vires neminem tentari sinit, vires tanto certamini non impares habere videt: (nam qui non explorato virium suarum robore temere in certamina ejusmodi procurrunt; turpi clade plerumque temeritatem suam luunt.) tamen omnibus ea mens, & constantia esse debet; ut ejusdem Dei ope carissima quæque, & ipsam vitam amittere; ac profundere parati sint; quotiescumque Dominus voluerit. Quæ constantia & patiendi promptitudo in omnibus ex præceptâ illâ *vers.* 8. mortis, passionis, & resurrectionis, quæque eam consecuta sunt, verè non apparenter crucifixi recordatione, procreatur, confirmatur, & subinde conservatur.

Quod autem omnes Christiani, animis suis ita comparati esse debeant, ut extrema quæque Christi causa subire, & pati parati sint. *vers.* 11. 12. & 13. Apostolus confirmat.

Atque huic doctrinæ *vers.* 11. auctoritatem conciliat, præmittendo hanc commendationem, *fidelis hic sermo*, quam alibi quoque, ubi insignem aliquam doctrinam tradit, usurpat.

Si commoriemur, inquit, convivemus: si compatiemur, & conregnabimus. & contra, Si mori propter ipsum, qui propter nos mortuus est, detrectabimus, &, ne moriamur, ipsum abnegabimus; ipse quoque nos abnegabit, & à vita secum in æternum degenda arcebit, & excludet. Si afflictionibus conterrita fides nostra vacillabit *(vers.* 13.) aut concidet; ille fidelis permanet, & abnegare seipsum non potest; & ut præmio benè meritis commilitonibus fideliter evolvet, ac repræsentabit; ita defectores, & apostatas desertores ignorum suorum supplicio, quod comminatus est, merito plectet.

Hanc igitur saluberrimam de Christi passi & verè quidem, non apparenter (quia homo fuit inter posteros & progeniem Davidis natus) *Crucifixi* resurrectione, & exaltatione (unica fidei nostræ, quæ divina promissa respicit, nutriculâ) item de ipsius in vita, & morte imitandi necessitate, & constantiâ, *doctrinam*, omnibus instillandam, in memoriam revocandam & inprimis, ac perpetuò inculcandam esse Apostolus præcipit, rejectis aliis inutilibus, imo noxiis doctrinis *versu sequenti* 14. quæ non tam vitam & mores instruunt; quàm circa voculas, & inanes logomachias versantur. Quò diligentius autem, ac studiosius pravæ istiusmodi, & noxiæ doctrinæ vitentur, damnentur, ac rejiciantur, præcipit Apostolus Timotheo omnes ut *Obtestetur coràm Deo*, hoc est, quasi in conspectu Dei; cujus in eo cardine non exiguum negotium vertitur; ne λογομαχίαις exerceant; ne inanibus, & contentiosis doctrinis simplicitatem doctrinæ Christi, & Apostolorum obscurent, atque in dubium vocent. Hoc loco vero λογομαχία significat non tantum de verbis solis pugnare; sed etiam de rebus inutilibus, imo vero noxiis in ecclesiam Dei invehendis, verbosa contentione depugnare. Explicat enim se Apostolus, quid per eam, quam hoc loco prohibet, logomachiam intelligat. εἰς οὐδὲν χρήσιμον, inquit, hoc est, nullo fructu, nulli usui: imo verò ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων, *ad subversionem auditorum* λογομαχία verbis disputare. Quamvis enim de rebus ipsis disputatio instituatur, tamen si res illæ sint inutiles, aut etiam noxiæ; nullus ex ea fructus ad disputantes redit; sed inania verba profunduntur, & circa res nihil profuturas vana, imo noxia verborum contentio exardescit. Quid, quod ipsa quoque sæpe dogmata noxia, & ad subvertendos homines in curriculo pietatis, & salutis nata sunt; fidem, ac religionem ipsam subruentia. Itaque cum ex rebus de quibus disceptatur, præter damnum ac periculum nulla ad nos utilitas redire possit; merito talis disputatio ab Apostolo λογομαχία *verborum pugna* vocatur. Præterea uberrima errorum, & inanium dogmatum seges ex verbis ambiguis, aut malè intellectis exorta est; quæ cum reipsa nihil emolumenti, imo multum damni afferant: omnis quæ circa hos errores suscipitur opera vana: & mera logomachia est.

Vers. 15. Hortatur Apostolus Timotheum ut magno studio, & contentione in eo elaboret, ut se *probatum Deo fistat*. In conspectu vero Dei, res ad ejus gloriam pertinentes peragantur: quod supra quoque *vers.* 14. innuit. *Operarium non pudendum seu erubescendum*, & quasi Deo non inficiandum. ὀρθοτομοῦντα *recte secantem sermonem* veritatis. Metaphora sumpta à fabris, qui per usum, & exercitium artis securium suarum ictus in secandis lignis rectè dirigunt, hoc est, non aberrantem in proponenda veritatis doctrina. Opponit autem tacitè ista, quæ Timotheo præcipiis officia, illis pudendis, ac Deo inficiandis operariis: quos Deus neque probare possit, neque pro suis veris ministris agnoscere; quia non recte proponant sermonem veritatis; sed in ejus prædicatione multùm aberrent.

Sed & apertè statim oppugnat istos pudendos Dei ministros *vers.* 16., dum Timotheo præcipit, ut *profanas* vocum, seu vanitates, seu potius (quod hoc loco magis quadrat) novitates cohibeat; & coërceat

vitiatum circumsiste, coërce. Voces enim profanæ in rebus sanctis non possunt esse, nisi novæ; quanquam nec sine vanitate esse unquam soleant. Tales autem sunt essentia, persona, homousion, coessentiale, trinunum, incarnatio, inhumanatio, transubstantiatio, communicatio idiomatum, circumincessio, & reliqua verborum prodigia.

Rationem addit cur ista vocum monstra cohibenda sint; quia per illa impietas magnum sumet incrementum, nisi coërceantur. Sermo enim (*vers.* 17.) talium impostorum, tanquam cancer morbus, aut *gangræna*, latè serpit. Nominat autem *vers.* 17. inter tales Hymenæum, & Philetum, non quod alii similes defuerint, qui in aliis quoque dogmatibus errores sparserint, quorum alibi quoque interdum sine nomine meminit: sed quod isti primi essent, & præcipuum, imò vero essentiale, & omnino necessarium, ad fidem, & salutem nostram dogma subverterint: hoc est spem, & doctrinam de resurrectione. *vers.* 18. quorum opinio fuit, quia renovatio corporis nostri, quod morte penitus dissolvi, & quasi interire videmus, impossibilis est; totum id quod de resurrectione nobis promittitur, ad illam ex mortuis operibus resurrectionem pertinere: quæ nos ad bonæ conscientiæ gaudium, & honestæ vitæ solatia perducit. Qua differendi probabilitate multorum fides *subvertebatur.* Vide 1. *Cor.* XV. caput totum.

Vers. 19. Cum attigisset Apostolus vulnera illa, & mala Ecclesiæ, quæ jam tunc ipsis adhuc viventibus pravis doctrinis infici, & perversis doctoribus passim scatere cæperat: occurrit tacitæ objectioni, „aut potiùs cogitationi, Nihil igitur esse certi in „via salutis: quandoquidem in ipsa Ecclesia, quæ „*columna & firmamentum veritatis* esse debuerat: à „perversis opinionibus, & opinatoribus fides multorum subrueretur. Miseram esse sortem omnium, „qui cum videant, & audiant multos esse in eccle„sia, qui & ipsi pereant, & alios perdant; securi „de salute sua esse nequeunt: sed metuere semper „cogantur, ne & ipsi in numero pereuntium de„prehendantur; atque ita nullum esse in Ecclesia „stabile fundamentum, in quo firma salutis nostræ „fiducia recumbat.

Respondet Apostolus, non deesse in Ecclesia firmum, solidum, & stabile fundamentum, in quo certissima salutis, & solatii nostri fiducia recumbat. & ita quidem, ut nemini fidelium ad illud præclusus sit aditus. Illud autem non aliud esse, quàm verum, syncerumque & quod Deus ipse pro tali agnoscere possit; (qui falli non potest; & omnium optimè novit, quinam sint sui, hoc est, ex animi sui sententia recte viventes) *pietatis & sanctimoniæ studium.* Esse autem istud omnis religionis fundamentum, quasi sigillum quoddam, per quod ut Deus ipse; ita homines, ad Dei populum pertinentes, eos dignoscere ab alienis possint; qui ad Dei populum verè pertinent, & se quoque ipsos explorare possunt, an ad eum pertineant. Idem Christus ipse *Matth.* VII. 16. & 20. docet.

Exigit autem Apostolus, ut istud studium, atque iste conatus sanctimoniæ sit verus, ac syncerus; quia ipsi Deo approbandus est, qui decipi non potest, ut homines formâ, atque imagine pietatis loco veræ pietatis obtrusa delusi. Sed optimè novit, qui sunt sui; nec omnes qui se nominant servos ejus, aut eum nominant Dominum suum recipit pro servis suis: sed eos tantum qui recedunt ab omni injustitia id est cane pejus, & angue vitant omne peccatum. Peccatum vero est iniquitas. 1. *Joh.* III. Atque huic loco genuinus est ille *Matth.* VII. 21. *Non omnis, qui mihi dicit Domine, Domine ingredietur regnum cælorum & : Multi dicent mihi Domine, in tuo nomine prophetavimus, miracula patravimus &c. At ego respondebo, Non novi vos.* (id est Non agnosco vos pro meis) *Abscedite à me operatores* Iniquitatis, hoc est peccati.

Non igitur dogmata, & opiniones, aut confessiones, quibus se tanquam cancellis, & limitibus hodie diversæ Christianorum sectæ, atque Ecclesiæ ab invicem distinguunt, & separant, & in quibus, tanquam certissimis fulcris, salutem suam collocant; sunt istud stabile, de quo loquitur Apostolus, fundamentum; nisi forte aliquæ earum ad fundamentum fidei, Spei, ac pietatis nostræ pertineant: Sed recedere ab injustitia, & ab omni peccato, & sectari unicè Deo placentem, & qualem Deus à suis requirit, sanctimoniam. illud est quod hoc loco digito monstrat Apostolus, in quo firmam, & solidam felicitatis nostræ fiduciam reponere possimus.

Deinde, ne tamen aliquis eo offenderetur, quod in Ecclesia reperiantur tot homines improbi, tot scandala, *vers.* 20., mirandum non esse ait Apostolus, quod in tam *magna domo* non modo pretiosa *aurea & argentea*; sed vilis etiam, & sordida, *lignea, & testacea* supellex reperiatur: quarum illam quidem ad honoratos, hæc ad ignominiosos usus adhibeatur.

Neque tum de Deo quenquam quæri posse, quod ab eo ad ignominiosos usus in Ecclesia Dei damnatus sit; qui (*vers.* 21.) integrum cuilibet reliquerit, ut se *purificet* ab omni immunditia, atque *ita evadat in vas in honorem sanctificatum, & utile Domino; & ad omne bonum opus præparatum:* & in illo stabili, ac solido fundamento, quod sigillo Dei consignatum suprà dixit, sese colloçet. Quamvis enim, in salutis præcipuè negotio, nihil habet homo quod non acceperit; tamen ipsi non pauca ipse Spiritus Sanctus tribuit, ne quis putet cuncta irresistibili Spiritus Sancti efficacia absque ullo operæ humanæ interventu fieri. quod supinam in negotio salutis securitatem necessario infert, & anxiam illam sollicitudinem nobis præceptam, quæ per timoris, ac tremoris voces exprimitur, penitus excludit.

Vers. 22. Soluta objectione, ac difficultatibus remotis redit ad præscribenda ipsi Timotheo officia, quod facit dupliciter. docens non modo quid consectari, sed etiam quid fugere debeat. Ac rerum quidem fugiendarum unam, quæ ad mores, & statim præsentem ipsius Timothei pertinebat, præmittit. Erat enim juvenis, quæ ætas multis carnis, & spiritus tentationibus obnoxia est. Nec tantum libidinum æstu flagrare solet; sed in superbiam quoque, & arrogantiam efferri. hinc 1. *Tim.* III. 6. vetat Apostolus juvenes, aut certe in Ecclesia neophytos, ad Episcopatum provehi. Quanto quisque enim in religione minus est expertus, atque exercitatus; tanto minùs circumspectus, & ad placendum sibi, aliosque contemnendos pronior: ita ut in eo juvenum, & neophytorum par sit conditio. Ejusmodi igitur inveniles cupiditates fugiendas Apostolus præcipit; quibus opponit ea, quæ omni opera, & conatu consectanda sunt, *justitiam*, quæ omne virtutis, & pietatis genus interdum significat; & matrem ejus fidem; & animam istius justitiæ, Dei, atque hominum caritatem; & pacem cum iis, qui Dominum ex puro corde invocant: quæ per *μίσον & φιλαδελφίαν*, *fraternæ charitatis*, descriptio est: quia virtus ista longè plus quam pacem cum iis à nobis exigit. Verum ad propositum Apostoli præcipuè ista pars *& φιλαδελφίας* pertinebat: quia is hoc loco Timotheo mansuetudinem erga eos, qui ex aliqua occasione cum ipso committi, atque collidi poterant, præcepturus erat. Primum igitur ab iis incipit, à quibus gravius diffidere, & quibuscum hostiliter pugnare

nefas est ; quales sunt fratres qui *Dominum ex puro corde invocant.* cum quibus etiam aliquando dissidium intervenire potest ; præsertim si incautæ, & incircumspectæ quæstiones moveantur ; quas (*vers.* 23.) Paulus *Stultas, & ineruditas* (ἀπαιδεύτους ζητήσεις *quæstiones* vocat, ex quibus facile contentio etiam inter fratres, & optimos quosque mortalium emergit. Hæ autem sunt, quæ neque necessitatem illam, ob quam moveri debeant, neque utilitatem habent, ideoque sunt curiosæ, & noxiæ ; quia earum usus nullus est ; nisi ad excitanda inter conjunctissimos quosque dissidia, & jurgia per ambitionem disceptandi. Quæ rixandi, & disputandi scabies à *Servis Domini* (*vers.* 24.) procul abesse debet. Quia *isti mansueti*, & placidi esse debent erga erga omnes : non tantum adversus veros, & genuinos, sed etiam erga suspectos, & falsos fratres, imò omnes adversarios καὶ ἀνθρωποτιθεμένους, & *hostili adversus nos animo affectos.* Docere vero omnes debent ea, quæ nesciunt ; Docentes autem indocilitatem, & vitia discentium multa ferre necesse est. Ideoque διδακτικὸν, καὶ ἀνεξίκακον, *aptum ad docendum & tolerandum*, eos imbibere oportet.

Vers. 25. Ergo in mansuetudine erudire, atque instituere debent adversarios, etiam obstinatos, etiam pervicaces ; si quando ipsis Deus det pœnitentiam, seu resipiscentiam ; ut possint cognoscere veritatem. & ex laqueo Satanæ, tanquam spirituali crapula evigilent, mentisque sanitatem recipiant. Multi enim ab ipso ἐζωγρημένοι, *vivi per venationem capti sunt*, ad obsequendum ipsius libidini.

CAPUT III.

QUo magis necessariam, quam tradit, doctrinam esse ostendat ; præmonet, *extremis temporibus*, hoc est, sub finem illius aurei ævi Apostolici, præsertim vero post obitum eorum, tempora fore difficilia, atque ejusmodi doctrinæ monita, ac præcepta desiderantia. Extrema autem tempora vocari ea quæ erant extremis Apostolorum temporibus, & quæ illa proximè consecuta sunt, docet Joannes, omnibus reliquis aliquantùm superstes, 1. *Joh.* 11. 18. ubi ait extrema ista tempora jam sua ætate advenisse. Quid ? quod & ipse Paulus infra *vers.* 6. ista tempora, illo ipso, quo scripsit, ævo jam tunc initium habuisse, asserat ? *vers.* 6. Et *vers.* 5. ab iis ut se avertat Timotheum monet, quem ut juniorem supervicturum quidem Apostolis fuisse, par erat ; non tamen nisi proximis post Apostolos temporibus. Vocat ista tempora καιροὺς χαλεπούς *dura, ac difficilia*, ac tristia tempora. Quia invalescentibus hominum vitiis mores illius seculi futuri essent corruptissimi. Inter vitia tunc regnantia recenset primum, quod futuri essent homines *Sui amantes*, qui omnis arrogantiæ fons est ; nec minus ventris, & suarum voluptatum ; & ipsius per quam omnia vitia redimuntur, pecuniæ cupidi ; *Jactantes, Superbi, Maledici*, (blasphemia enim maledicentiam vulgo notat.) *Parentibus*, quanto magis aliorum monitis sanis, *immorigeri*, erga beneficos *ingrati*, ac proinde scelerati, ac nefarii ; & qui adeo honestatem omnem neglecturi sint, ut earum quoque virtutum, ad quas vel natura ipsa impellit, expertes sint, tantumque abest ut alios proximos diligant ; ut ne eorum quidem, quibuscum storge naturali copulati sint, *caritate tangantur.* Fidei omnis expertes, etiamsi solenni fœdere sancta sit, ac profligatæ perfidiæ, *calumniatores, incontinentes*, ac libidinosi, immites, crudeles ; & qui *bonorum omnium hostes sint, proditores, præcipites* ; & inconsiderati, ac temerarii ; inflati, & contumelioſi, voluptatum magis, quam Dei amantes, habentes formam externam, & speciem pietatis : sed qui, vim, & animam ejus à cordibus suis proscripserunt, id est, quibus nihil minùs cordi sit, quàm pietas. Hasce tales mortalium pestes aversari Timotheó præcipit.

Vers. 6. Atque ut eos posteà facilius noscitare posset, dicit quosdam ex iis jam suis temporibus existere ; atque illos ipsos esse, quos, in intimam familiaritatem, atque adeo in familiam, & domos mulierculorum dissolutarum sese miris artibus insinuare Timotheus non sit nescius. ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας, *irrepentes.* Judas id expressit per vocem παρεισέδυσαν vel potiùs παρεισεδύσαντες *Subrepentes*, qui subrepserunt ; metaphora sumpta ab iis, qui per imum aliquem, aut sordidum aditum in ædes aliquas penetrant ; quod faciunt ii, qui nihil omittunt, quamvis sit inhonestum, & indignum, quod eos in aliquorum familiaritatem, & consuetudinem admittere quæat ; quodque iis ad eam propiorem, & interiorem accessum conciliare possit. Describit autem mulierculas istas graphicè, quibus sese impostores isti applicare solent. Qui, ne ficus eorum animadverti possit, homines plerumque simpliciores, atque insidiis obnoxios, impostoris suis aggrediuntur. qualis est iste sexus ; præsertim quoties accidit, ut in eo ejusmodi mulierculæ reperiantur, quarum mores hic, graphicè exprimuntur. Ait enim Apostolus eas, σεσωρευμένας ἁμαρτίαις, hoc est, *coacervato peccatorum cumulo, & onere oppressas* ; & causam hujus earum status tangit ; quia variis cupiditatibus exagitentur, & concutiantur. Quæ ubi doctores ex ejusmodi impostoribus nactæ sunt, qui vitia ipsarum rimati, ipsis ejusmodi remedia adhibent ; quæ illorum delectationem non tollant ; impunitatem autem promittant, sese in eorum disciplinam, imo in obsequium, & plane, servitutem tanquam captivæ tradunt ; ita ut isti nebulones meritò dici possint αἰχμαλωτίζοντες αὐτὰ τὰ γυναικάρια. *captivas ducentes mulierculas.* Tradunt autem prætextu, & fortasse aliqua spe discendi meliora : cum tamen (*vers.* 7.) *ad cognitionem veritatis* (quæ absque vera pœnitentia, & abjectione peccati non contingit) *nunquam pervenire possint.* Quid enim sub istis Doctoribus proficiant : qui ipsi veritatis expertes non vitiorum extirpationem ; sed reluctantis tantummodo conscientiæ placationem, aut potius deceptionem moliuntur ? Et tamen ipsorum improbitatem (*vers.* 8.) tantam esse describit : ut quemadmodum olim Ægyptiorum magi *Jannes & Jambres restiterunt Mosi*, ita ipsi quoque Apostolis, veritatis propugnatoribus, in os resistere audeant. Unde apparet homines eos penitus mente corruptos fuisse, & planè reprobos, atque ineptos ad fidem, id est digni, qui audiant quod olim Petrus Simoni Mago dixit : *Non est tibi pars, aut sors in hoc sermone. Cor enim tuum non est rectum coram Deo : sed in bile amaritudinis, & vinculo injustitiæ video te constrictum Act.* VIII. 21. 23. Quia tamen Apostolorum, dum viverent, magna autoritas, magna quoque ob uberiorem Spiritus Sancti gratiam fuit potentia ideò *vers.* 9. ait deceptores istos, mulierculorum magistros, non multum profecturos ; quod ipsorum insania, & nequitia per Apostolos esset omnibus patefacienda : ut illorum Magorum per Mosen, patefacta est. Quod in Simonis Magi historia, quanquam multis fabulis per Justinum, & Eusebium depravatâ, colligere licet. Quem & ipsum unum fuisse ex istis, de quibus hoc loco Apostolus ait, non dubium est.

Notandum autem est Apostolum hoc loco de istis, tantum hominibus loqui, *quod non multum profecturi sint*, qui ipsorum temporibus vixêre, quid enim illi possent contra Apostolos ? non autem de iis, qui

qui post obitum Apostolorum erant venturi, de quibus initio hujus capitis verba fecit: & de quibus etiam infrà dicit *vers.* 13. *quod proficient in pejus decipientes, ac decepti.* & *cap.* IV. 3. dicit quòd *pruritientes* populi *aures* scabendo sanæ doctrinæ prædicationem essent excussuri; ita ut eam populus doceri ferre nequeat, ac non permittat. quod jam Antichristi servitutem redolet.

Vers. 10, 11. Converso ad Timotheum sermone, quàm dissimilis eorum esse debeat, ostendit: præsertim cum probè nosset, atque adeò jam imitari cæperit institutionem, & modum agendi ipsius Pauli. Enumerat autem fusè Apostolus ea, quæ Timotheus in eo imitari cæperit, ac porro debeat. primum doctrinæ puritatem; deinde *vitæ ejus rationem* τῆς ἀγωγῆς; item *propositum* ejus, & scopum ad quem collineabat, τὸ σκοπεῖν; Virtutes item, fidem, longanimitatem, caritatem, patientiam, testatam in tot persecutionibus, & præpessionibus; quas sustinuit Antiochiæ, Iconii, Lystris (videtur ea duntaxat memorare, quæ præsente Timotheo perpessus est) *ex quibus tamen omnibus eum eripuit Dominus.* Quod addit, ne in tam acerbis perpessionibus imitatio gravis Timotheo videri possit ut & illud dum ostendit eam esse sortem omnium (*vers.* 12.) *quicunque voluerint pie vivere in Christo Jesu; ut persecutioni obnoxii sint.* Quo fit ut ad ejusmodi patientiam ipsi quadam necessitate invitemur.

Deinde *vers.* 13. contrarii generis hominum exemplo Timotheum hortatur; ut in bono, & prædicatione veritatis, ejusque successu eam ad proficiendum contentionem adhibeat; quàm illi quoque ad proficiendum in malo, & in erroribus indies gravioribus sibi, & mortalium generi propinandis adhibent. Profecturos enim eos in pejus vaticinatur, tàm in decipiendis aliis hominibus; quam in ipsis quoque mentibus suis deterioribus erroribus imbuendis. Quæ ipsa causa esse poterat excitans, & impellens Timotheum ut tanto magis in officio suo advigilaret.

Vocat autem homines istos *improbos*, & γόητες *impostores*, Incantatores, præstigiatores, ac profecto omnes hæreses à Simone, & Menandro cœpisse historia Ecclesiastica docet; quorum utrumque Magum fuisse, Autorum consensus docet.

Vers. 14. Vel ipsa mentio impostorum Paulum admonere potuit, ut ad cohortationem Timothei reverteretur. Itaque eum hortatur ad *permanendum in iis, quæ didicit, quæque ipsi concredita sunt*; aut potius in quibus confirmatus, & stabilitus est. Sed addit rationem *quia sciret à quo illa didicerit* eodem versu.

Et aliam *versu sequenti* 15. *Quâ à pueritia Sacras literas nosset, quæ ipsum* possent erudire, & *sapientem reddere* (σοφίσαι) *ad salutem, per fidem eam, quæ est in Christo Jesu.* Qua occasione ad commendationem Sacræ Scripturæ postea digreditur. Non temerè autem Apostolus ad eam vim, quàm in erudiendis ad salutem hominibus Sacræ Scripturæ ex seipsis habent, adjungit *fidem eam, quæ est in Christo Jesu:* quia tunc ferè Sacræ Scripturæ veteris fœderis vigebant: nec dum Scripta Novi fœderis, quæ tunc primum à Spiritu Sancto dictabantur, eam celebritatem, & promulgationem ad omnes consecuta erant, quam postea consecuta sunt. Porrò in propheticis antiqui fœderis scriptis obscura erat Spei, ac doctrinæ istius salutaris adumbratio; quæ nobis nunc liquidò per doctrinam Evangelii, prædicatione primùm, mox scriptis Apostolicis explicata, & ob oculos posita est. Ita ut tunc quidem ad plenam salutis doctrinam aliqua fidei, quæ est in Jesu Christo, revelatio requireretur; quam nunc in scriptis Novi fœderis abunde expositam habemus. *Fides* igitur ista *in Christo Jesu* hoc loco, doctrinam illam Novi fœderis, sive voce, sive scripto ab Apostolis traditam, significare; & cum illis receptis Veteris fœderis libris in frustus istius salutaris acquisitione, conjungi videtur.

Ex qua consideratione illa doctrina hausiri potest; Christianis hominibus lectionem Scriptorum antiqui fœderis nonnisi per fidem, quæ est in Christo Jesu ad Salutem prodesse, hoc est, Plenam, & salutarem antiqui fœderis notitiam non contingere; nisi cum lectione antiquæ Scripturæ novi fœderis notitia, aut scriptorum ejus lectio conjungatur. Deinde præposterè fieri à quibusdam, qui Novi fœderis scripta potiùs per scripta veteris, quàm veteris per novi explicant. Quia salutis doctrina, quæ olim obscurè, & propheticò quodam modo eradita erat, nunc clarissima Evangelii luce illustrata est. Ergo à notioribus potius, quam ab ignotioribus cognitio procedere debet.

Deinde *vers.* 16. & 17. *Omnis Scriptura*, hoc est, tàm antiqui, quàm novi fœderis commendatur, atque ipsi præclara elogia tribuuntur. Primum quod sit θεόπνευστος *divino instinctu* conscripta. Quemadmodum enim antiqui; ita multo magis novi fœderis Scriptores Spiritus Sancti numine, atque impulsu scripsere.

Deinde quod sit *utilis ad doctrinam*, & rerum divinarum cognitionem. Thesauri enim Sapientiæ in illa reconditi sunt. Tertio quod sit utilis *ad redargutionem* ἐλεγχον, non modo Sophistarum & adversariorum, doctrinam Sanam oppugnantia, sed etiam ipsius Satanæ tentationum. Vide tentationes Christi apud Mattheum & Lucam. Quartò quod sit utilis ad admonitionem, & *correctionem* ἐπανόρθωσιν, fratrum per præcepta, & exempla ex libris omni exceptione majoribus excerpta. Quintò, quod sit utilis ad παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, hoc est, *institutionem* in moribus, & consequendis habitibus pietatis, & *Justitiæ*. Denique quod sit utilis ad omnem perfectionem consequendam, quæ aliquem Deo commendatum, & *ad omne bonum opus* idoneum, & ἐξηρτισμένον *perfecte* & exactè *instructum*, *reddere possit.*

Tantæ utilitatis libros, quod nunc ex manibus hominum excutiat Romana Ecclesia; quid faciat hominibus desperationem causæ suæ fatentibus, ac profitis?

CAPUT IV.

VErs. 1. & 2. Quemadmodum in priori epistola *cap.* VI. 13., ita capitis quoque hujus initio Timotheum *obtestatur* ἐναντίον Deo, & *Domino Christo Jesu*; quem fore judicem vivorum, & mortuorum *in illustri regni sui adventu* commemorat; ut *Sermone*, hoc est, puram illam Evangelii doctrinam; necdum ullis errorum maculis aspersam, *prædicet*; *Instet tempestivè, & intempestivè*, hoc est, in consolandis, erudiendis, confirmandis, excitandis admonendis, arguendis, corrigendis hominibus, eorumque moribus, nihil diligentiæ omittat: nec dilationibus de die in diem officium functionis suæ protelet: sed malit vel intempestivè munere suo defungi; quàm vel minimum muneris sui exequendi occasionem omittere. Ipse enim se Apostolus explicat, in quo ista sedulitas, ac diligentia exerceri deberet; dum ait *Redargue, increpa, hortare*, aut præcipe, vel consolare cum omni longanimitate (manuetudinem, & patientiam hæc virtus continet) & doctrina. Longanimitatem autem hic cum objurgatione, ac redarguione, & doctrinam conjungit: quia non statim ad

incre-

increpandos, & objurgandos homines properandum est; sed prius lenius admonendi, instruendi, docendi sunt, quàm obstinatione, & malitiâ sua duriorem increpationem mereantur. qua in re multæ longanimitati, & patientiæ locus est.

Vers. 3. Rationem autem affert, cur tantò magis Timotheo in annunciânda vera, & pura religionis doctrina *instandum* sit; quia immineant tempora, quibus salubrem doctrinam homines sibi prædicari non passuri sint. *Non ferent*, inquit, *sanam doctrinam, sed secundum cupiditates proprias sibi ipsis accumulabunt Doctores, prurientes auditu. Et à veritate quidem auditum avertent; ad fabulas autem (vers.* 4.) *convertentur.* Causam vero istius ipsius malitiæ hominum, & aversionis à veritate, non reticet, dum ait id eos facturos propter cupiditates suas. Non ferent igitur sanam doctrinam propter cupidinem peccandi, quæ, tanquam febris, salubris cibi appetitum, imo usum prohibet. Veritas enim, quia mentibus, falsa boni specie deceptis, molesta est, odium sui parit, nec ipsis est tolerabilis. Propter easdem cupiditates accumulabunt sibi doctores, vitiorum patronos. multos enim fore prædicit Apostolus, qui placentia hominibus dogmata essent proposituri, quæ homines adeo libenter admissuri essent, sicuti membra prurientia scabentis manum. Ideo populum ad istas doctrinas, vitiis suis blandientes, audiendas propensum vocat *homines prurientes auditu.* Propter easdem cupiditates, & peccati amore, inquit, repudiata, & rejectâ veritate *convertentur ad fabulas.*

Quarum rerum gustum, & specimen si quis habere cupit, adeat historias Ecclesiasticas, in quibus vix aliquam puræ doctrinæ micam; dogmata verò peccatis mortalium blandientia, & prurientibus auribus accommodata, pleno modio, imo horrea dispersa: sed præcipuè innumera fabularum plaustra reperiet. Ad quas tradendas postquam semel aliis Eusebius signum sustulit, ipse à succedentibus scriptoribus non parvo intervallo superatus est.

Tanto nobis igitur Sacræ Scripturæ libri venerabiliores esse debent, quod prædictiones eorum tàm evidenti eventu testatas esse videamus. Nam quid pleræque Rufini, Socratis, Theodoriti, Sozomeni, Euagrii, Dorothei narrationes distant à Vincentii Beluacensis, aut similium exemplis.

Vers. 5. Quia igitur adeo miseranda conditio Ecclesiæ brevi immineret, *vigilantiam* Timotheo præcipit, & patientiam in afflictionibus, & prædicandi puri Evangelii officium, ac ministerii ipsius ad summam adductam perfectionem; ut in eo ita perfecte Deo serviret, & curreret, tanquam navis cum plenis velis impulsa citatissimo cursu fertur. Τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον.

Addit postea *vers.* 6. novam rationem, cur Timotheo tantò magis vigilandum, animusque intendendus, & studium navandæ operæ inflammandum esset; quod jam ipsi Paulo, cujus ille precibus, ac paternis monitis quasi sustentaretur, ex hac vita discedendum esset. Hunc autem abitum suum exprimit verbis significantibus; primum σπένδομαι *libor.* metaphora sumpta à sacrificiis, aut potius oblationibus, quæ fiebant in honorem Numinis: *quasi sacrificor*, offeror *tanquam victima placens Deo.* deinde alia metaphora sumpta à discessu navigantium, qui solvere ex aliquo portu dicebantur; quia vincula, quibus navis littori alicui adstricta fuit, solvebantur. *Tempus*, inquit, *solutionis meæ jam instat*, imò jam advenit. Denique ut exemplo felicitatis suæ excitet, & in similes spes Timotheum erigat, atque ad officium stimulet; erumpit in voces triumphales: *Certamen*, inquit, *illud bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi*, Supereſt præsentissima laboris, atque victoriæ merces, quæ mihi tanquam in tutissimo depositо reposita est. (loquitur de ea tanquam jam præsens existeret) illa, inquam, *justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die, justissimus judex: non mihi autem soli, sed & omnibus, qui dilexerunt illustrem adventum ejus.* Pios homines, & fideles, quorum unica spes, & omnis thesaurus est in illa exoptatissimæ mercedis expectatione, describit ita, ut exprimat flagrans eorum desiderium; quo in diem adventus Domini feruntur. Quod certe facere nequeunt homines vitæ non benè actæ sibi conscii; qui loco speratæ mercedis pœnas potius metuunt, ac diem illam, in longissimum tempus mallent differri.

Porrò exemplo Apostoli, dilatam sibi paratæ jam, & repositæ mercedis repræsentationem usque ad supremum mundi diem expectantis, discimus, quando omnibus reliquis idem sit sperandum. Quæ verba, ut & similia, nunquam esse scripta magno redemptum vellent, qui clavium potestatem ad statum mortuorum etiam ante extremi judicii adventum porrigant, & extendant. Neque enim ipsis fides haberi potest absque extremo detrimento penus, & calinæ Pontificis.

Reliqua in hoc capite, à *vers.* 9. usque ad finem, privata potius negotia, quam monita, vel doctrinas spectant. Adventum Timothei desiderat *vers.* 9. & quidem maturum, ac properum, quem *vers.* 21. infra *ante hyemem* vult maturari, causam addens *vers.* 10., & 12., quod ab aliis plerisque tunc destitutus fuerit; eosque enumerat, qui diversas ob causas ab eo discesserint. Ac primus Demas, captus illecebris hujus ævi, Paulum deseruit; Crescens in Galliam, Titus in Dalmatiam, Tychicus Ephesum ab ipso Paulo missi omnes videntur: adeò ut solus Lucas Paulo adesset. Nam & *vers.* 20. narrat Erastum Corinthi relictum, & Trophimum valetudine Mileti detentum. Proinde Timothei adventum, utque Marcum secum una adducat, exposcit *vers.* 11. Est enim *inquit, mihi utilis ad ministerium.* Non enim unius loci, aut Ecclesiæ cura Paulus distringebatur. (Vide 2. *Cor.* XI. 28., &c. μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, *Solicitudinem omnium Ecclesiarum.*) Ideò pluribus eguit administris prædicationis suæ. Certe Colossenses, & Laodiceni vultum ejus non viderant: & tamen per emissarios suos quanto studio illis prodesse voluerit, epistola ad Colossenses perhibet *cap.* 11. Præterea etiam in uno illo loco, ubi captivus tenebatur, absque administris vix usui esse poterat vel ipsi Romanæ Ecclesiæ.

Chlamydem quoque, ac *libros*, præcipue *vero membranas*, *vers.* 13. sibi advehi præcipit. Unde patet, quanto labore, & studio vir iste in munere suo desudaverit, qui nihil moratus illam copiosam vim Spiritus Sancti, quæ in eum supra communem mensuram effusa videbatur, inter tot assiduas prædicationis labores, & plurium Ecclesiarum negotia; inter tot itinerum labores, & ærumnas, etiam lectioni interdum vacaverit, & incubuerit. Hinc idem legendi studium Timotheo 1. *Tim.* IV. 13., ac forsan 2. *Tim.* III. 16. 17. commendat.

Vers. 14. & 15. monet Timotheum, ut sibi ab Alexandri nequitia caveat, qui ipsum quoque Paulum multis malis affecerat, Præcipuè (*vers.* 15.) resistendo *vehementer ejus sermonibus.* Quid hominis fuerit iste Alexander, dubitari potest. Fueritne unus è gentilibus, qui prædicationi religionis Christianæ resistebant? an potius ille Judæus Ephesi ab ipsis Judæis, Christiano nomini infensis, tanquam Christianus in turbam seditiosorum protrusus *Act.* XIX. 33.? Quamvis autem, quia nomini ejus hoc loco character opificii ejus additus est, ut ab aliis forte distingi posset; non videatur idem esse cum eo; qui unà cum Hymæneo ob convulsam, ut arbitror, resurrectionis

doctrinam

doctrinam excommunicatus, & Satanæ traditus erat 1. *Tim.* 1. 20. quia huic epitheton χαλκεὺς *faber ærarius* non est adjunctum. Tamen & ejusmodi epitheta, interdum brevitatis causâ omitti non est novum; nec repugnat hunc eundem ærarium fabrum fuisse hæreticum, qui æque vehementer sanis Pauli sermonibus resistere potuerit, atque aliquis è gentilibus. Atque ipsa Pauli imprecatio, *ut ipsi Dominus reddat secundum opera ejus*, magis convenit hæretico, quam gentili. Et qui caritate, & studio erga bonum Ecclesiæ impulsus optare potuit, ut abscinderentur quidam ab Ecclesia; poterat optare quoque, ut aliqua castigatione Dei compescerentur, qui vastabant Ecclesiam. Nec alia mens fuit eorum, qui noxios, & ita meritos Satanæ tradebant.

Ne tamen ex eo exemplo pravum adversus doctrinam Evangelicam scandalum arripiatur; etiamsi hæc verba Optantis, non autem prædicentis Apostoli esse statuamus; nihil ex iis adversus Christi præceptum de bene precando inimicis exprimi poterit. Primum enim multùm interest inter nostros, & inter Dei, atque Ecclesiæ inimicos. Deinde verba, *reddat ipsi Dominus secundum opera ejus*, generalia sunt; nec magis imprecationem mali, quam apprecationem boni, continent. Scimus enim misereri Dominum eorum, qui pœnitentiam agunt. Quibus certè loco supplicii, quod peccando meruere, misericordiam, quam resipiscendo impetravere, impertit. Tam peccata, quam pœnitentia, & correctio vitæ opera sunt eorum, quibuscum Deus negotium habet. Ergo quoties pœnitenti dat veniam, reddit ipsi secundum opera ejus; non illa mala, quæ perpetravit, sed bona, quibus iram Dei placavit. Non magis igitur hisce verbis imprecari Alexandro Paulus, quam orare, & intercedere pro Alexandro potuit.

Nec enim quenquam Deus, quamdiu mala opera patrat, servare potest: neque id aut precari, aut optare à Deo fas est. Sed ut homines bonis operibus mala commutent, & secundum ista bona opera, merces ipsis à Deo reddatur, & precari, & optari officii nostri ratio exigit. Quod & hoc loco quin Apostolum fecisse putemus, quid obstat? & verba ejus cur in sequiorem potius; quàm meliorem sensum trahamus? Annon verba; *Reddat ipsi Dominus secundum opera ejus*, sensum istum sine ulla difficultate admittere possunt? Sit propitius ipsi, si quis adhuc pœnitentiæ, ac resipiscentiæ ejus locus est; si vita, & moribus correctis placaverit Dominum. Nec enim absque conditione istorum bonorum operum ejus ulla ei gratia Dei, aut speranda, aut optanda, aut postulanda fuit; quo minus mirandum, quod conditionem istam Apostolus tàm diserte adjecerit.

Narrat posteà *vers.* 16. quomodo, in causa coràm Nerone dicenda tempore *primæ defensionis* suæ, desertus ab omnibus fuerit (quod ne ipsis Deus imputet precatur) Sed non à Domino, cujus ope corroboratus, munere prædicationis suæ præclare defunctus fuerit; non sine ædificatione gentium, & successu felici: quia ex præsentissimo periculo, & quasi *ex ore Leonis* ereptus est. Quo exemplo non Timotheum tantum; sed & sese ipse confirmat, certo persuasus (*vers.* 18.) eundem Dominum sese erepturum; non quidem ex imminente periculo; quod jam sese evasurum non esse Spiritus Sancti instinctu præsenserat, & *vers.* 6. suprà prædixerat: *sed ab omni opere malo*, hoc est, ab indecoro metu, aut pusillanimitate in suscipiendo, & perpetiendo martyrio: simulque *servaturum in regnum suum cæleste*. Cui pro suggesta tanta suæ opis fiducia, gratias, & gloriam reddit in secula seculorum.

Vers. 19. Salutari jubet nomine suo Priscillam, & Aquilam; ubi uxoris nomen nomini mariti præponit, sicut & *Rom.* XVI. 3. unde apparet insignem fuisse fœminam, nec minus quam maritum apud omnes celebrem. Nam & *Act.* XVIII. 18. Priscillæ nomen præmittitur. Quamvis eo cap. (ut & 1. *Cor.* XVI. 19.) bis Aquilæ tanquam mariti nomen præcedat, præsertim *vers.* 26. Ubi notandum Apollonem illum disertum, & eruditum virum, ab utroque conjugum viam Domini rectius edoctum dici, atque in eo instituendo non postremas Priscillæ partes fuisse. Quia Onesiphori domus, non vero ipse, hic quoque *vers.* 19. salutari jubetur, mortem ejus præcessisse verisimile est. Erasti, & Trophimi quoque ad aliorum absentiam *vers.* 20. adjungit, ut Timotheum ad maturandum adventum suum stimulat *vers.* 21. etiam ante ingruentem hyemen. Adjungit *vers.* 21. Eubuli, Pudentis, & Lini (qui successor Petri fuisse traditur) Claudiæ, & reliquorum salutationes. *Vers.* 22. ultimo concludit epistolam voto duplici; primum ut Dominus Jesus Christus *Spiritui Timothei* (qui tunc Angelus fuit illius Ecclesiæ Ephesinæ) adsit; deinde gratia (puta Dei, Christique) sit cum reliqua omni illa Ecclesia.

FINIS.

IN EPISTOLAM AD TITUM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

QUia Deus, tanquam prima salutis nostræ causa, per Jesum Christum, tanquam secundam, operatur salutem nostram; ideo qui si quis est Legatus, & Apostolus Christi ad prædicandam istam salutem merito *Servus Dei* dicitur. Explicat autem muneris hujus Apostolici functionem, quod occupetur circa docendos, & instituendos homines, *in fide electorum Dei, & cognitione veritatis ejus, quæ est secundum pietatem.* Duæ enim sunt partes religionis, quarum una intellectum perficit, & illuminat, qualis est *cognitio veritatis*; non omnis quidem, sed illius, quæ animis nostris unicè inserit pietatem, & vitæ sanctimoniam. Altera dirigit voluntatem, qualis est ipsa pietas, quæ per fidem in nobis excitatur. Quæ *fides* dicitur *electorum* Dei; quia quisquis Deo credidit, hoc est, promissis ejus, non modo vocatus à Deo; sed electus quoque dici potest ad vitam æternam consequendam: electus autem respectu eorum, qui non crediderunt, nec se promissis Dei ad statum Electorum adduci passi sunt. Quamvis autem fides promiscuè omnibus, qui sunt in Ecclesia, hoc est, non modo *electis*; sed *vocatis* quoque aliquo modo tribui potest, utraque istarum voce *strictius* sumpta, non quatenus inter se opponuntur; tamen vera, & primariò sic dicta fides non est nisi *electorum*, quatenus vocatis duntaxat opponuntur. Nam interdum vox *electorum*, quemadmodum & *fides* latius sumitur: ita ut vocatis quoque, strictius sic dictis, (hoc est, quatenus considerantur, ut electis oppositi) tribuatur. Atque hic quidem vox electorum in sensu strictiori sumitur; quia statim pietatis mentio subjicitur, quæ in Ecclesia veros electos à vocatis distinguere solet.

Explicat autem *vers.* 2. Apostolus utramque istam religionis partem; sed præcipuè fidem electorum Dei, per objectum ejus, hoc est, *Spem vitæ æternæ, quam promisit mentiri nescius Deus ante tempora æterna*, hoc est, promittere decrevit. nec enim istud ad notitiam eorum, quibus promittendam decreverat, qui necdum nati erant, deduxit: sed ista vita æterna erat apud patrem. 1. *Joh.* v. 2. hoc est, in arcano ejus consilio ac decreto. & *(vers. 3.) revelata nobis est temporibus propriis*, (quæ Deus posuerat in sua potestate *Actorum* 1. 7.) *per sermonem Dei* in prædicatione Apostolis *concredita secundum voluntatem, & mandatum servatoris nostri Dei.* Tribuitur hic vox *Servatoris* Deo, sicut & versu sequenti *Christo*; quia uterque est Salutis nostræ causa; ille quidem prima, à quo profecta, hic secunda, per quem Salus nostra perfecta est.

Fit autem mentio hoc loco in munere Apostolatus Paulo delegato, τ' ἐπιταγὴν θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, *mandati servatoris nostri Dei.* quemadmodum & 1 *Tim.* 1. 1. (Quod enim præceptum is per Christum accepit; à Deo accepisse merito dici potest) quæ ἐπιταγὴ, *mandatum.* 2. *Tim.* 1. 1. vocatur voluntas Dei. Quemadmodum & *Coloss.* 1. 1. & *Ephes.* 1. 1. item 2. *Cor.* 1. 1. item 1. *Cor.* 1. 1. Et *Gal.* 1. 1. Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς, *per Jesum Christum & Deum Patrem*, Apostolus missus dicitur. Ita ut propemodum in omnium Ecclesiarum initiis nusquam Dei mentio omissa sit in demandanda Paulo functione muneris Apostolici.

Vers. 4. Inscribit Epistolam *Tito*, genuino vel *germano filio secundum communem fidem.* quemadmodum enim, cui eadem specie essentia communicatur à patre, verus, & proprie dictus ejus filius carnalis: ita cui eadem specie fides, verus filius Spiritualis secundum fidem dicendus est.

Gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Domino Jesu Christo servatore nostro.

Vers. 5. Admonet Titum officii, revocans in memoriam, quo consilio à Paulo in Creta relictus fuerit, ut eorum, quæ Paulus propter brevitatem temporis perficere non potuit, reliqua ordinaret, atque perficeret; & cæptis à Paulo negotiis quasi summam manum imponeret: præcipuè verò in constituendis per *singulas urbes presbyteris*, atque episcopis. hæc enim nomina tunc Apostolico ævo fere idem significabant; idque secundum præscriptam ab Apostolo rationem, quam & in versibus sequentibus statim exponit.

Non vero sine anxio delectu homines præficiebantur Ecclesiis; sed ad presbyterii munus requirebatur, ut eligendus esset *irreprehensibilis*, *(vers. 6.) unius uxoris vir*, hoc est, qui ob frequentia divortia, aut luxuriæ, aut morositatis non esset suspectus: liberos habens fideles, neque ob luxuriam, neque ob contumaciam reprehensibiles. Nam qui prudentia, & auctoritate domesticos in officio continere sciret; eum ad Ecclesiam gubernandam idoneum censebat.

Vers. 7. *Oportet enim episcopum esse irreprehensibilem:* &c. Hinc patet vocem presbyteri, & episcopi Apostolo idem significare. Neque enim ut officia presbyteris præscripta confirmaret, docere potuisset, quid deceat Episcopum; si distincta ista officia esse existimasset.

Utrumque igitur irreprehensibilem esse requirit, *tanquam Dei Oeconomum*, seu Ecclesiæ, tanquam familiæ Dei, præfectum. *Non arrogantem* αὐθάδη, proprio judicio nimium tribuentem, *non iracundum, non vino deditum, non pugnacem*, percussorem, *non turpis lucri cupidum.* Vide 1. *Tim.* III. 3. *Sed hospitalem, bonorum amantem* (φιλάγαθον) *temperantem, justum, sanctum* (ὅσιον,) *Continentem, retinentem* secundum

cundum ſanam doctrinam fidelis ſermonis, ut poſſit ſimul & cohortari, atque conſolari homines in ſana doctrina, & potens ſit contradicentes redarguere.

Neceſſitatem ejus oſtendit *verſ.* 10., & 11. Quia ſunt multi contumaces *refractarii*, *Vaniloqui* (matæologi) & *impoſtores*, mentium deceptores (maximè ex Judæis; ſed ne Græcis quidem exceptis) *quibus os obturandum eſt, qui integras domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.* Porrò ita Judæos impoſtores hoc loco peritrinxiſſe Apoſtolum, ut ne Græcanicos quidem exciperet, documento eſt non modo vox μάλιστα *maxime*, quæ non ideo hac culpâ plane abſolvit Græcos, quia magis accuſat Judæos; ſed multò magis verſ. ſequens duodecimus. Dixit aliquis ipſorum proprius propheta, hoc eſt, poëta Cretenſis Epimenides. Cretenſes ſemper mendaces. (Matæologi & ψευσταὶ, *mentium ſeductores*) κακὰ θηρία, *malæ beſtiæ, ventres pigri*; ideoque turpis lucri cupidi: quia honeſto labore partas opes propter ignaviam non habent. Sententiam hanc approbat Apoſtolus & *verſ.* 13. eos, ſevere ἀποτόμως, *præciſe*; præruptè, hoc eſt, aſperè redarguendos præcipit; ut ſanam doctrinam retineant.

Verſ. 14. Plane ex animi ſententia Græcanicis impoſtoribus accidit, quod Judæi, etiam ad Chriſtianiſmum converſi, rituum ſuæ gentis nimium eſſent retinentes. Nam in introducendis in Eccleſiam ſuis ἰχθυοφαγίαις, ξηροφαγίαις, *piſcium, & aridorum eſu*, & aliis ſimilibus ceremoniis, quæ pura puta erant hominum commenta, & inſtituta propter ſimilitudinem corporalis exercitationis Judæos habebant ſuffragatores. Ergò & *Judaicas fabulas*, ſimul *& præcepta hominum*, quibus puritas ſpiritualis illius in Chriſtiana religione cultus Dei inquinabatur, arguit, ac reprehendit Apoſtolus *verſ.* 14., & ea negligi præcipit.

Verſ. 15. Ex profeſſo refutat, oſtendens *Omnes* cibos eſſe *mundos*, & puros, *mundis: Sed pollutis, & infidelibus nihil purum; quia polluta ſit eorum mens, & conſcientia.* Quamvis enim ſe *noſſe Deum profiteantur: tamen operibus ipſum abnegant*, hoc eſt, ex eorum operibus conſtat eos Deum non noſſe, neque ei credere: quia ſint in vita, & moribus, polluti, & abominabiles; & ſanctiſſimis Chriſti præceptis, ac ſanæ doctrinæ refractarii, & *ad omne bonum* opus, hoc eſt, ad omnem virtutem, *inepti*, atque indociles.

Atque in his verbis non obſcure oſtendit, quid ſit inter veram, & ſanam doctrinam, & inter fabulas, & commenta hominum diſcriminis. Quia ſana doctrina, per veram cognitionem Dei vitam, & mores hominum ad ſanctimoniam exigendo, efficeret, ut hominibus, à fermento vitiorum purgatis, nihil eſſet, aut videretur immundum. At fabulæ Judaicæ, & commenta hominum, quia religionis veritatem à vero pietatis ſtudio ad res nihili, & futiles detorquerent; efficerent ut hominibus per ſanctimoniam à ſordibus vitiorum non purgatis, ideoque pollutis, & immundis nihil poſſit eſſe purum, atque mundum, quandoquidem, quicquid externa religionis profeſſione præ ſe ferrent, vita, mores, & opera ipſorum teſtarentur eos à cognitione Dei procul abfuiſſe; quia polluta fuerit ipſorum mens, & conſcientia.

CAPUT II.

REjecta, & damnata adulterina doctrina, hortatur Titum, ut Eccleſiis ſuis proponat ea, quæ decent ſanam doctrinam. Præcipit igitur ſingulis vitæ generibus, ſanctæ, & honeſtæ vitæ officia: ac primum Senioribus viris *verſ.* 2. dein ſenioribus mulieribus *verſ.* 3. tum eadem opera junioribus mulieribus *verſ.* 4., 5. dein junioribus viris, *verſ.* 6. poſteà ipſi quoque *Tito verſ.* 7., & 8. denique ſervis *verſ.* 9. & 10. Poſtea generalem rationem, cur ea officia ſingulis præſcripſerit producit *verſ.* 11. uſque ad finem capitis; ſummam toties religionis, ac veræ doctrinæ *verſ.* 3. complexus brevi compendio.

Senioribus *verſ.* 2. præſcribit. Primo, ut ſint *ſobrii*. Quia huic ætati prætextu medicandi ſtomachi facillimus eſt ad ebrietatem aditus. Secundo, ut ſint *Graves* σεμνοὺς, venerandi, quia natura religionis, ut ab omni indecoro refugit: ita non ſola honeſta, ſed etiam decora, & convenientia conſectatur.

Tertio *Temperantes* non in vino tantum; ſed in omnibus vitæ partibus.

Quarto, *Sanè in fide.* Ætas enim iſta ob multam experientiam prona eſt ad ἀυθαδίαν *arrogantiam*, & obſtinationem in ſuis opinionibus; è qua proximus eſt in hæreſeos inſulam trajectus. Quanquam, ut vere fatear, non deſint cauſæ cur ſuſpicer, participium hoc maſculinum ὑγιαινόντας; non tam ſignificare ſanitatem, quam robur in fide; quia adjiciantur roboris hujus ſubjecta alia duo, *Caritas*, & *Patientia*; quibus vox, & ſignificatio roboris potius, quàm ſanitatis competit.

Exprimitur autem iſtud robur per ſanitatem metonymicè, quia ſanitas robur afferat, nec iſtud unquam abſque ſanitate reperiatur; ſeniores autem ob multam ætatem, & conſuetudinem, ut omnium aliarum; ita iſtarum virtutum habitus robuſtos, & confirmatos habere debeant.

Quinto, *Sani, aut robuſti in Caritate*, præcipuâ virtutum, & penè omnes aliquando complexâ, certe tam Deum, quam homines reſpicit.

Sexto, *Sani, aut valentes in Patientia.* Tres omnium difficillimas virtutes proponit, in quibus à ſenioribus aliquanto plus roboris, quàm ab aliis repoſcit. Quo enim diuturniori meditatione, & exercitio parti ſunt; eò confirmatiores habitus eſſe convenit.

Verſ. 3. Mulieribus natu grandioribus ſimiliter præcipit. Primo ut *habitu*, *ſanctimoniam decente*, utantur. Pronus enim eſt hic ſexus ad omnem corporis cultum; tam in veſtitus luxu, quam in reliquo comendæ, & exornandæ formæ artificio.

Secundo, *Ne ſint calumniatrices.* Vitium ſexus obtrectatio, cum ætatis vitio garrulitate conjuncta, plerumque degenerat in calumniam.

Tertio, *Non vino multo deditæ*, & mancipatæ; ſobriæ.

Quarto, *honeſtatis magiſtræ*: Quod præceptum ideò ſe inculcare non reticet, ut oſtendat earum eſſe officium, bonis moribus, imbuere σωφρονίζωσι juniores mulieres.

In quo notanda eſt divini Spiritus ſapientia: qui officium inſtitutionis juniorum mulierum, ne lubricæ ſæpe utrinque ætati poneret laqueum, & ut ſuſpicionibus minimis, famam honeſtatis vulnerantibus, anſam præcideret, removet quodammodo à Præſbyteris, & præfectis Eccleſiæ; quos interdum juniores eſſe accidit; & παῤῥησίαν ἐκβαλῶμεν, *Juve-*

IN EPISTOLAM AD TITUM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

QUia Deus, tanquam prima salutis nostræ causa, per Jesum Christum, tanquam secundam, operatur salutem nostram; ideo qui si quis est Legatus, & Apostolus Christi ad prædicandam istam salutem meritò *Servus Dei* dicitur. Explicat autem muneris hujus Apostolici functionem, quod occupetur circa docendos, & instituendos homines, *in fide electorum Dei, & cognitione veritatis ejus, quæ est secundum pietatem.* Duæ enim sunt partes religionis, quarum una intellectum perficit, & illuminat, qualis est *cognitio veritatis*; non omnis quidem, sed illius, quæ animis nostris unicè inserit pietatem, & vitæ sanctimoniam. Altera dirigit voluntatem, qualis est ipsa pietas, quæ per fidem in nobis excitatur. Quæ *fides* dicitur *electorum* Dei; quia quisquis Deo credidit, hoc est, promissis ejus, non modo vocatus à Deo; sed electus quoque dici potest ad vitam æternam consequendam: electus autem respectu eorum, qui non crediderunt, nec se promissis Dei ad statum Electorum adduci passi sunt. Quamvis autem fides promiscuè omnibus, qui sunt in Ecclesia, hoc est, non modo *electis*; sed *vocatis* quoque aliquo modo tribui potest, utraque istarum voce *strictius* sumpta, non quatenus inter se opponuntur; tamen vera, & primariò sic dicta fides non est nisi *electorum*; quatenus vocatis duntaxat opponuntur. Nam interdum vox *electorum*, quemadmodum & *fides* latius sumitur: ita ut vocatis quoque, strictius sic dictis, (hoc est, quatenus considerantur, ut electis oppositi) tribuatur. Atque hic quidem vox electorum in sensu strictiori sumitur; quia statim pietatis mentio subjicitur, quæ in Ecclesia veros electos à vocatis distinguere solet.

Explicat autem *vers.* 2. Apostolus utramque istam religionis partem; sed præcipuè fidem electorum Dei, per objectum ejus, hoc est, *Spem vitæ æternæ, quam promisit mentiri nescius Deus ante tempora æterna*, hoc est, promittere decrevit. nec enim istud ad notitiam eorum, quibus promittendam decreverat, qui necdum nati erant, deduxit: sed ista vita æterna erat apud patrem. 1. *Joh.* v. 2. hoc est, in arcano ejus consilio ac decreto. & (*vers.* 3.) *revelata nobis est temporibus propriis*, (quæ Deus posuerat in sua potestate *Actorum* 1. 7.) *per sermonem Dei* in prædicatione Apostolis *concredita secundum voluntatem, & mandatum servatoris nostri Dei.* Tribuitur hic vox *Servatoris* Deo, sicut & versu sequenti *Christo*; quia uterque est Salutis nostræ causa; ille quidem prima, à quo profecta, hic secunda, per quem Salus nostra perfecta est.

Fit autem mentio hoc loco in munere Apostolatus Paulo delegato, τὸ ἐπιταγὴν θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, *mandati servatoris nostri Dei.* quemadmodum & 1 *Tim.* 1. 1. (Quod enim præceptum is per Christum accepit; à Deo accepisse merito dici potest) quæ ἐπιταγὴ, *mandatum.* 2. *Tim.* 1. 1. vocatur voluntas Dei. Quemadmodum & *Coloss.* 1. 1. & *Ephes.* 1. 1. item 2. *Cor.* 1. 1. item 1. *Cor.* 1. 1. Et *Gal.* 1. 1. διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς, *per Jesum Christum & Deum Patrem*, Apostolus missus dicitur. Ita ut propemodum in omnium Ecclesiarum initiis nusquam Dei mentio omissa sit in demandanda Paulo functione muneris Apostolici.

Vers. 4. Inscribit Epistolam *Tito*, genuino vel *germano filio secundum communem fidem.* quemadmodum enim, cui eadem specie essentia communicatur à patre, verus, & proprie dictus ejus filius carnalis: ita cui eadem specie fides, verus filius Spiritualis secundum fidem dicendus est.

Gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Domino Jesu Christo servatore nostro.

Vers. 5. Admonet Titum officii, revocans in memoriam, quo consilio à Paulo in Creta relictus fuerit, ut eorum, quæ Paulus propter brevitatem temporis perficere non potuit, reliqua ordinaret, atque perficeret; & cæptis à Paulo negotiis quasi summam manum imponeret: præcipuè verò in constituendis per *singulas urbes presbyteris*, atque episcopis. hæc enim nomina tunc Apostolico ævo fere idem significabant; idque secundum præscriptam ab Apostolo rationem, quam & in versibus sequentibus statim exponit.

Non vero sine anxio delectu homines præficiebantur Ecclesiis; sed ad presbyterii munus requirebatur, ut eligendus esset *irreprehensibilis*, (*vers.* 6.) *unius uxoris vir*, hoc est, qui ob frequentia divortia, aut luxuriæ, aut morositatis non esset suspectus: liberos habens fideles, neque ob luxuriam, neque ob contumaciam reprehensibiles. Nam qui prudentia, & auctoritate domesticos in officio continere sciret; eum ad Ecclesiam gubernandam idoneum censebat.

Vers. 7. *Oportet enim episcopum esse irreprehensibilem:* &c. Hinc patet vocem presbyteri, & episcopi Apostolo idem significare. Neque enim ut officia presbyteris præscripta confirmaret, docere potuisset, quid deceat Episcopum; si distincta ista officia esse existimasset.

Utrumque igitur irreprehensibilem esse requirit, *tanquam Dei Oeconomum*, seu Ecclesiæ, tanquam familiæ Dei, præfectum. *Non arrogantem* αὐθάδη, proprio judicio nimium tribuentem, *non iracundum, non vino deditum, non pugnacem*, percussorem, *non turpis lucri cupidum.* Vide 1. *Tim.* III. 3. *Sed hospitalem, bonorum amantem* (φιλάγαθον) *temperantem, justum, sanctum* (ὅσιον,) *Continentem, retinentem* secundum

eundum ſanam doctrinam fidelis ſermonis, ut poſſit ſimul & cohortari, atque conſolari homines in ſana doctrina, & potens ſit contradicentes redarguere.

Neceſſitatem ejus oſtendit *verſ.* 10., & 11. Quia ſunt multi contumaces *refractarii*, *Vaniloqui* (mataeologi) & *impoſtores*, mentium deceptores (maximè ex Judæis; ſed ne Græcis quidem exceptis) *quibus os obturandum eſt, qui integras domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.* Porrò ita Judæos impoſtores hoc loco peſtrinxiſſe Apoſtolum, ut ne Græcanicos quidem exciperet, documento eſt non modo vox μάλιστα *maxime*, quæ non ideo hac culpâ plane abſolvit Græcos, quia magis accuſat Judæos; ſed multò magis verſ. ſequens duodecimus. Dixit aliquis ipſorum proprius propheta, hoc eſt, poëta Cretenſis Epimenides. Cretenſes ſemper mendaces. (Mataeologi & ψευσιπάται, *mentium ſeductores*) κακὰ θηρία, *malæ beſtiæ*, *ventres pigri*; ideoque turpis lucri cupidi: quia honeſto labore partas opes propter ignaviam non habent. Sententiam hanc approbat Apoſtolus & *verſ.* 13. eos, ſevere κατηγόρως, *præciſe*; præruptè, hoc eſt, aſperè redarguendos præcipit; ut ſanam doctrinam retineant.

Verſ. 14. Plane ex animi ſententia Græcanicis impoſtoribus accidit, quod Judæi, etiam ad Chriſtianiſmum converſi, rituum ſuæ gentis nimium eſſent retinentes. Nam in introducendis in Eccleſiam ſuis ἰχθυοφαγίαις, ξηροφαγίαις, *piſcium*, & *aridorum eſu*, & aliis ſimilibus ceremoniis, quæ pura puta erant hominum commenta, & inſtituta propter ſimilitudinem corporalis exercitationis Judæos habebant ſuffragatores. Ergò & *Judaicas fabulas*, ſimul *& præcepta hominum*, quibus puritas ſpiritualis illius in Chriſtiana religione cultus Dei inquinabatur, arguit, ac reprehendit Apoſtolus *verſ.* 14., & ea negligi præcipit.

Verſ. 15. Ex profeſſo refutat, oſtendens *Omnes* cibos eſſe *mundos*, & puros, *mundis*: *Sed pollutis, & infidelibus nihil purum; quia polluta ſit eorum mens, & conſcientia.* Quamvis enim ſe *noſſe Deum profitentur: tamen operibus ipſum abnegant*, hoc eſt, ex eorum operibus conſtat eos Deum non noſſe, neque ei credere: quia ſint in vita, & moribus, polluti, & abominabiles; & ſanctiſſimis Chriſti præceptis, ac ſanæ doctrinæ refractarii, & *ad omne bonum* opus, hoc eſt, ad omnem virtutem, *inepti*, atque indociles.

Atque in his verbis non obſcure oſtendit, quid ſit inter veram, & ſanam doctrinam, & inter fabulas, & commenta hominum diſcriminis. Quia ſana doctrina, per veram cognitionem Dei vitam, & mores hominum ad ſanctimoniam exigendo, efficeret, ut hominibus, à fermento vitiorum purgatis, nihil eſſet, aut videretur immundum. At fabulæ Judaicæ, & commenta hominum, quia religionis veritatem à vero pietatis ſtudio ad res nihili, & futiles detorquerent; efficerent ut hominibus per ſanctimoniam à ſordibus vitiorum non purgatis, ideoque pollutis, & immundis nihil poſſit eſſe purum, atque mundum, quandoquidem, quicquid externa religionis profeſſione præ ſe ferrent, vita, mores, & opera ipſorum teſtarentur eos à cognitione Dei procul abfuiſſe; quia polluta fuerit ipſorum mens, & conſcientia.

CAPUT II.

REjecta, & damnata adulterina doctrina, hortatur Titum, ut Eccleſiis ſuis proponat ea, quæ decent ſanam doctrinam. Præcipit igitur ſingulis vitæ generibus, ſanctæ, & honeſtæ vitæ officia: ac primum Senioribus viris *verſ.* 2. dein ſenioribus mulieribus *verſ.* 3. tum eadem opera junioribus mulieribus *verſ.* 4., 5. dein junioribus viris, *verſ.* 6. poſteà ipſi quoque *Tito verſ.* 7., & 8. denique ſervis *verſ.* 9. & 10. Poſtea generalem rationem, cur ea officia ſingulis præſcripſerit producit *verſ.* 11. uſque ad finem capitis; ſummam toties religionis, ac veræ doctrinæ *verſ.* 3. complexus brevi compendio.

Senioribus *verſ.* 2. præſcribit. Primo, ut ſint *ſobrii*. Quia huic ætati prætextu medicandi ſtomachi facillimus eſt ad ebrietatem aditus. Secundo, ut ſint *Graves* Σέμνοι, venerandi, quia natura religionis, ut ab omni indecoro refugit: ita non ſola honeſta, ſed etiam decora, & convenientia conſectatur.

Tertio *Temperantes* non in vino tantum; ſed in omnibus vitæ partibus.

Quarto, *Sani in fide*. Ætas enim iſta ob multam experientiam prona eſt ad ἀυθαδίαν *arrogantiam*, & obſtinationem in ſuis opinionibus; è qua proximus eſt in hæreſeos inſulam trajectus. Quanquam, ut vere fatear, non deſint cauſæ cur ſuſpicer, participium hoc maſculinum ὑγιαινόντας; non tam ſignificare ſanitatem, quam robur in fide; quia adjiciantur roboris hujus ſubjecta alia duo, *Caritas*, & *Patientia*; quibus vox, & ſignificatio roboris potius, quàm ſanitatis competit.

Exprimitur autem iſtud robur per ſanitatem metonymicè, quia ſanitas robur afferat, nec iſtud unquam abſque ſanitate reperiatur; ſeniores autem ob multam ætatem, & conſuetudinem, ut omnium aliarum; ita iſtarum virtutum habitus robuſtos, & confirmatos habere debeant.

Quinto, *Sani*, *aut robuſti in Caritate*, præcipuâ virtutum, & penè omnes aliquando complexâ, certe tam Deum, quam homines reſpicit.

Sexto, *Sani*, *aut valentes in Patientia*. Tres omnium difficillimas virtutes proponit, in quibus à ſenioribus aliquanto plus roboris, quàm ab aliis repoſcit. Quo enim diuturniori meditatione, & exercitio parti ſunt; eò confirmatiores habitus eſſe convenit.

Verſ. 3. Mulieribus natu grandioribus ſimiliter præcipit. Primo ut *habitu*, *ſanctimoniam decente*, utantur. Pronus enim eſt hic ſexus ad omnem corporis cultum; tam in veſtitus luxu, quam in reliquo comendæ, & exornandæ formæ artificio.

Secundo, *Ne ſint calumniatrices*. Vitium ſexus obtrectatio, cum ætatis vitio garrulitate conjuncta, plerumque degenerat in calumniam.

Tertio, *Non vino multo deditæ*, & mancipatæ; ſobriæ.

Quarto, *honeſtatis magiſtræ*: Quod præceptum ideò ſe inculcare non reticet, ut oſtendat earum eſſe officium, bonis moribus, imbuere σωφρονίζωσι juniores mulieres.

In quo notanda eſt divini Spiritus ſapientia: qui officium inſtitutionis juniorum mulierum, ne lubricæ ſæpe utrinque ætati poneret laqueum, & ut ſuſpicionibus minimis, famam honeſtatis vulnerantibus, anſam præcideret, removet quodammodo à Præſbyteris, & præfectis Eccleſiæ; quos interdum juniores eſſe accidit, & παντελῶς ἀνοίκειον, *Juvenilium*

nilium cupiditatum, (2. *Tim.* II. 22.) non plane expertes; & demandavit Senioribus mulieribus: hinc in primæva Ecclesia ordo Diaconissarum constitutus erat: quanquam nec reliquæ Seniorum mulierum ab hoc officio caritatis arcerentur; præsertim grandiores ævo viduæ. Vide 1. *Tim.* III. 11. & *cap.* v. 4. & 8. Qui ordo cui ex Ecclesia sublatus fuerit, causam non reperio; nisi quod forte posteriores Ecclesiarum præfecti, non inviti supplerent in eo partes grandiorum natu mulierum; ut instituendarum juvencularum provinciam, atque curam susciperent, usque ad secretissima, & sine ullis arbitris instituta colloquia progressi; suscepto apud rudes mulierculas conscientiarum examine in rebus ejusmodi, quas hinc pudor proloqui vetat, inde necessitas inolitæ opinionis patefacere imperat. Ubi teneræ mentes, verecundiâ tanquam veste depositâ, nuditatis suæ arcana patribus interdum succi plenis, & vino madentibus retegere, & in sinum eorum deponere adiguntur. Res tam plena periculi quod in Ecclesiam introducta sit, eo minus miror, quod videam istos juvencularum pædagogos, & magistros conversationem, & commercium tanti discriminis magno exemplo suscepisse, ac tueri. Exemplo, inquam, Magni illius Athanasii, Patriarchæ Alexandrini, qui ejusmodi tentationum discrimina, & occulta suspicionum ab Ecclesiasticis viris tuto contemni posse docuit; dum toto septennio apud virginem formosissimam Alexandriæ sine arbitris delituit. Quod factum verbis Sozomeni *lib.* v. *cap.* VI. exponi præstat. „Eam, inquit, virginem „omnibus illius temporis mulieribus antecelluisse accepimus; ut sicut omnibus in eam intuentibus mi„raculum putabatur, sic viris, modestiam, & con„tinentiam profitentibus, fugienda videretur, ne „ex suspicione labes aliqua ipsis aspergeretur infa„miæ. Erat enim in ipso ætatis flore, pudica cum„primis, & casta, quæ res etiamsi naturæ adju„mentum non accedat, afferre tamen ad insignem „corporis pulchritudinem solet non parum ornamenti. Et mox de eadem virgine loquens ait, „Quæ, „quanquam ob pulchritudinem non satis integrum „putavit, ut sacerdos secum ætatem degeret; ne in„de in suspicionem vocaretur: tamen propter ani„mi magnitudinem eum in suas ædes excepit, & „summa prudentiâ, ac cautione adhibita servavit in„columem; & tàm fidam custodem, ministram„que tàm sedulam ei se præbuit, ut pedes ejus la„varet, & res ad victum necessarias, aliasque etiam „omnes; quas, natura dum urget, necessitas nos „subire cogit, ipsa sola subministraret &c.

Vers. 4. & 5. Nondum absolutis grandiorum natu mulierum officiis, transit ad officia juniorum; quia ea ita conjungit, ut senioribus præscribat ea, quæ minoribus ævo inculcare debeant præcepta.

Quorum primum est, Primo ut sint *maritorum amantes*. Secundo, *Amantes quoque liberorum*. Ubi non bruta illa storge, quam præcipi necesse non est; sed vera caritas præcipitur, quæ vera liberorum bona respicit, & procurat. Tertio, Ut sint *temperantes*. Quarto, Ut sint *castæ*. Quinto, *Ut domum servent*, οἰκουρούς, hoc est, ne rei familiaris curâ neglecta, foris circumcursitent. Ut autem castimoniæ fomes est temperantia; ita ejusdem effectus, & signum est verum domesticorum cura & assiduitas. Sexto, Ut sint *bonæ* ab iracundia, odio, & nocendi studio alienæ. Septimo, Ut indolis suæ bonitatem in *obsequio erga maritos* testentur, atque exerceant. Causam subjungit, cur iis virtutibus præditæ esse debeant: *Ne Sermo Dei blasphemetur*, hoc est, ne doctrina Christiana eo nomine malè audiat, quod vitia eorum, à quibus recepta est, ex animis eorum extirpare; virtutes autem inserere nequeat.

Vers. 6. Eodem modo similibus monitis juventutem masculam instrui imperat. *hortare inquit juniores* σωφρονεῖν; *ut sint sobrii*; aut sana mente præditi; ne vitio ætatis lasciviant, aut insaniant.

Vers. 7., & 8. Ipsum Titum præceptis instruit, ostendens officium ejus ab ipso exigere, ut non sermone tantum, & monitis; Sed opere quoque, & vitâ, moribusque, atque exemplo suo in omni virtute præluceat iis, quibus præest: Typum & *exemplum* ut in seipso cunctis præbeat omnium officiorum.

Secundo, Ut in doctrina sua, hoc est, in docendo exhibeat omnibus *integritatem*, *gravitatem*, *incorruptionem*. Idem quod suprà dixit explicare videtur: aut causas proximi præcepti reddere. Nec enim bona fide, & integre virtutem, ac religionem docent, qui solis præceptis animos hominum informant; nec moribus, & exemplo sua præcepta exequuntur, & confirmant. Deinde monitis eorum nulla auctoritas est apud eos, qui doctores suos ejus culpæ, quam damnant, redarguere possunt. Denique qui docent, nec faciunt ea, quæ docent; non minus atque ii, qui discunt, & audiunt præcepta virtutis, ac pietatis, nec ea exequuntur; nihil stabile, & duraturum efficere aut ædificare possunt, *Matth.* VII. sub finem: Sed omnem fructum laboris eorum corrumpi, necesse est. Quæ mala quomodo vitare debeat Titus, *vers.* 8. ostendit; si nempe *doctrinam* tradat *Salubrem* λόγον ὑγιῆ. Salubris autem doctrina est, quæ vitia sanat, & virtutes inserit; quemadmodum salubris cibus qui morbos arcet, & vires, ac robur suppeditat. Ejusmodi cibo non modo is, cui præbetur; sed & ipse, qui præbet, vires suas reficit.

Deinde in doctrina, quam tradit, requirit, ut sit ἀκατάγνωστον, *incondemnabilis*. Dupliciter autem doctrina aliqua damnationi obnoxia esse potest. Primum si aliqua absurda in se contineat, quæ sana ratio non rejicere non potest. Deinde si in modo docendi culpa aliqua committatur, hoc est, si levitate aliqua, aut incompositis moribus aliquis præceptis suis fidem abroget. Deinde si ea, quæ tradit, præcepta vita, & moribus suis refutet. Utrumvis accidat, non deest adversariis quod carpant, aut cavillentur. Postulat autem Apostolus à doctoribus in persona Titi, ut ita doceant, *ut adversarios pudefaciant, non habentes quicquam mali, quod sibi objiciant*. Hoc quoque dici potest tacite λαλιγχειν, καὶ ἐπιστομίζειν, *os obturare*.

Vers. 9. & 10. Transit ad officia *Servorum* erga Dominos. (ubi notandum, quod Apostolus contrà morem suum mutua Dominorum officia omiserit) quos primum *dominis* propriis *subjectos* esse imperat. In quo jus dominii, proprie dicti, lege Evangelica liquido sancitur. Secundo, Subjectio ista ut sit ex animo præcipit; adeo ut Dominis suis *in omnibus placere contendant*. Tertio, *Ne sint contradicentes*. Morositatem servorum dominis suis responsantium removet. Quarto, Ne quid ex opibus Domini, in suum peculium separent, aut suffurentur. *Sed fidem omnem exhibeant bonam*, hoc est, omnia bona fide exequantur. Subjicit rationem horum particularium præceptorum, *Ut doctrinam Servatoris nostri Dei ornent in omnibus*, id est, ne Religioni Christianæ sint dedecori; sed ornamento.

Sed hæc ratio generalis est, & omnibus serviens, cujus & *vers.* 5. in præceptis junioribus fœminis dandis meminit; & illam fusius à *vers.* 11., usque ad finem persequitur. Non debemus esse religioni, ac doctrinæ Dei Servatoris nostri dedecori: sed potius ornamento. *quia illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegata impietate, & mundanis concupiscentiis, sobriè, & justè, & piè*

& piè vivamus in præsenti ævo ; expectantes beatam spem, & illustrem adventum gloriæ Magni Dei, & servatoris nostri Jesu Christi : Qui dedit seipsum pro nobis, ut redimat nos ab omni iniquitate, & purificet sibi ipsi populum peculiarem, æmulatorem bonorum operum.

Tam paucis verbis summam religionis nostræ complexus est. Vis hujus rationis tota est in debito, & obligatione, quâ immensis Dei, Christique beneficiis in acquirenda Salute æternâ (propter quæ & Gratia ista Dei salutifera, & Deus servator non minùs, quam ipse Christus dicitur) obstricti sumus, & urgemur, ad omnem grati animi affectum, & effectum ipsi reddendum. Nulla autem alia re hunc animi nostri affectum testari, & exhibere Deo, Christoque possumus, quàm si tantis beneficiis quasi respondentes id agamus pro virili parte, & efficiamus, ut Deus, & Christus scopum, ac finem suum, quem in conferendis nobis tantis beneficiis intendit, & secutus est, assequatur, hoc est, *ut nos abnegata impietate, & mundanis concupiscentiis* (seu abjectis omnibus peccatorum habitibus) *sobriè, justè, & piè vivamus, in hoc ævo*, hoc est, omnium Christianarum virtutum habitus, dum in hac vita vivimus, assequamur, & exerceamus. Totum enim virtutum, & officiorum nostrorum ambitum tria ista verba complexa sunt, sobrietas, justitia & pietas. Sobrietas quidem castimoniæ, ac temperantiæ erga nosmetipsos officium ; Justitia totum id, quod debemus proximo, & maximam caritatis partem ; Pietas caritatem, & observantiam, quam Deo debemus, & propter eum interdum ipsis hominibus. Viam autem, & rationem, quâ id præstare, &, quicquid est in eo difficultatis, superare possimus, à Deo per Christum magno bono nostro præparatam, & nobis ostensam indicat *vers.* 13. *Expectantes beatam Spem, & illustrem adventum gloriæ Magni Dei, & servatoris nostri Christi.* Hæc est enim unica via superandi omnes difficultates in negotio pietatis, & sanctimoniæ. Fides, & Spes, atque expectatio promissorum Dei, in adventu Christi nobis gloriosè reddendorum. Cujus fidei, ac spei nostræ certissima confirmatio, & evidentissima argumenta attinguntur *vers.* 14. in morte Christi *qui seipsum* in mortem truculentam, & ignominiosam *tradidit* ; *ut redimeret nos ab omni iniquitate*, hoc est, quemadmodum redempta lytro mancipia à captivitatis malis solvuntur, & liberantur, liberaret nos ab omnis peccati servitute ; & *purificaret sibi ipsi populum peculiarem, æmulatorem bonorum operum.* quod nihil aliud est, quam efficere, ut nos abnegata impietate sobriè, justè, & piè vivamus ; seu efficere, ut nos recedamus à malo, & faciamus bonum. Ubi primum notandum finem, & effectum mortis Christi ab Apostolo hoc loco statui ; non hunc tantùm, ut à pœna peccatorum liberemur : (quanquam & hoc verissimum est) sed ut ab ipsis peccatis liberemur ; & ab eorum immunditia purgati, vitam omnis sanctimoniæ plenam in hoc ævo degamus. Deinde videndum est quomodo hanc innocentiam, & pietatem in nobis mors Christi efficiat. Id autem ex *versu* 13. patet. Neque enim ista innocentia, & pietas in nobis procreari potest, nisi per fidem, & spem efficacem consequendi in adventu Christi præmii æterni. Verum ut ista fides, & expectatio efficax sit, & certioribus documentis subnixa, non aliud certè, nisi mors Christi efficere, ac præstare potest. Eam enim primum resurrectio, deinde exaltatio Christi consecuta est ; per quam & ipsa præmia nostra æterna (loco per ipsam nobis eminentiori præparato. *Johan.* XIV. 2. & 3.) quodammodo aucta, & optabiliora reddita sunt, & eorum consequendorum certitudo mirum in modum confirmata est. Cum jam ista præmia, in manum, & potestatem ejus Mediatoris tradita sint, qui nobiscum in Novi Fœderis pactione nomine Dei transegit. Imo vero cum ista præmia, Ecclesiæ tanquam Dos pauperculæ Sponsæ à Deo promissa ; in manum ipsius Sponsi tradita sint. Adeo ut Sacræ literæ passim jam nobis ista præmia reddita esse, nosque Christo conresuscitatos, & simul cum illo collocatos in cœlestibus asserere audeant ; ponentes ob oculos tantæ spei certitudinem. Porro non modo resuscitationis ; sed etiam exaltationis Christi causam fuisse mortem ejus ; & ipsam per se liquido patet, & *Philip.* II. 8. 9. disertè dicitur. Ubi notandum est, primum *Gratiam Dei* illam Salutiferam, hoc est, promissa Dei prædicata in Evangelio multoque magis morte, resurrectione, & exaltatione Christi confirmata, erudire nos, ut peccatis abjectis piè vivamus per fidem, & expectationem vitæ æternæ : non ut solam impunitatem consequamur, sed ut ab iis planè liberemur, & sanctimoniam assequamur, sine qua nemo Deum videbit. Longè plus igitur in nobis mors Christi cum suis annexis efficit, quam vulgò creditur. Non solum nimirum impunitatem ; sed liberationem, & redemptionem ab ipsis peccatis. Deinde spem vitæ æternæ Apostolus vocat *Beatam*, quia beatos nos efficit. Tertio, Ultimum Christi adventum vocat Epiphaniam seu illustrem revelationem gloriæ Magni Dei, & Servatoris ; Vel quia adventus, & revelatio ista futura sit admodum glorioſa ; vel quia nobis gloriosissima præmia allatura ; vel denique quia Magnus ille Deus, atque adeò ipse Christus, gloriam suam maximam in hoc negotio patefacturus ; & ex eo sit consecuturus, aut potius propter ista omnia simul sumpta. Quarto, Christus dicitur dedisse seipsum pro nobis, hoc est, vitam suam posuisse. Redemptio autem, cujus hic mentio fit, quod propriè intelligenda non sit, illud est argumento ; quod nemo dari possit, qui pretium ejus acceperit. Quinto, Quid sit redimere ab omni iniquitate explicat ipse Apostolus per verba *purificare sibi populum peculiarem, zelatorem, & æmulatorem bonorum operum.*

Summâ doctrinæ Christianæ breviter, & perspicue tradita, cum solam docendam, & inculcandam præcipit : ac pravis & inutilibus doctrinis tacite (quod infra *cap.* III. diserte facit) opponit. Et quia non in sola cognitione, aut confessione sui consistit ; sed in actum, & ad praxin piæ vitæ, cujus causa revelata est, deduci jubetur : ideo sermoni doctrinæ, & prædicationis addi jubet commonefactiones, cohortationes, redargutiones cum omni præceptione. Quibus auctoritatem conciliat, dum eas, ipsosque monitores despici vetat.

CAPUT III.

REdit ad præcipienda populo fidelium officia : Primum autem *principatibus, & magistratibus* subjectionem, & obsequium imperat. In quibus verbis Jus omnis magistratus, & potestas adstruitur, dum obsequium ejus, ac subjectio præcipitur. Atque ut ista subjectio syncera, & ex animo facienda intelligatur ; voci ὑποτάσσεσθαι *subjici*, quæ coactum quoque officium non excludit ; addit vocem πειθαρχεῖν, *obtemperare* ; quæ voluntarium quoddam, & quasi persuasione obtentum obsequium ex natura vocis significat ; quamvis forte promiscuè pro omni obsequio usurpetur. Quia tamen magistratus aliquid mali imperare possit (in cujus rei executione Deo potiùs, quam ipsi obediendum sit) ideò præceptum istud obsequium limitari, & ad bona tantum opera restringi videtur, dum Christiani imperante Magistratu *ad*

omne bonum opus duntaxat *parati esse jubentur.* Ubi tacite intelligitur, si quid forte pravi imperet magistratus, ad illud exequendum ipsos non obligari.

Vers. 2. Exposito officio erga magistratum; exponit postea officium erga reliquos omnes. Primo ut *nemini maledicamus.* Vox enim blasphemiæ, non pro blasphemia in Deum; sed pro maledicentia in proximum plerumque in Sacris litteris usurpatur. Omnis igitur in proximum injuria prohibetur; sed primum ea, quæ fit Sermone. Deinde & ea, quæ fit ipso facto, quarum rerum origo à mutuis rixis, & jurgiis incipit. A quibus ideo Christiani quàm alieniſſimi esse debent, ἄμαχοι, *à pugnis alieni*, & omnia contentionum certamina quàm maximè fugientes. Ad quam rem virtus τῆς ἐπιεικίας, hoc est, æquitatis & de jure suo condescensionis utilissima est. hinc imperatur hic, ut simus ἐπιεικεῖς, *æquitatis studiosi*, & ad dimittendum summum jus nostrum faciles; quod, quia rigidè exactum, summa sæpe injuria est, eò minus retineri, ac sæpius dimitti debet. Unde ex frequentatis ejusmodi actionibus nascitur virtus *mansuetudinis* erga omnes homines; quæ hoc loco quoque conceptis verbis præcipitur. Quæ profecto maxime rationabilis & ad retinendam, ac beandam omnem hominum societatem doctrina utilissima est.

Et quia contraria juxta se posita magis elucescunt; ideò *vers.* 3. veterem vitam eorum, qui nondum cognitione tam salutaris doctrinæ instructi erant, ponit ob oculos, ostendens quam prava, absurda, ab omni laude remota, & quàm ipsa ratio nostra non potuisset non damnare, & aversari, illa fuerit.

Eramus inquit aliquando & nos primo *dementes.* Quemadmodum virtutum prudentia dux est, atque directrix; ita vitiorum omnium causa, & fomes est amentia. Secundo *Inobedientes* ἀπειθεῖς. Non de sola magistratus inobedientia loquitur; sed de contumacia quoque in conversatione, & illo animi habitu, qui nemini cædere; nemini sese accommodare; sed jus suum interdum, & *falsam opinionem* sui juris in omnibus mordicus persequi, nullam occasionem contentionis, & rixæ dimittere consuevit. Tertio, πλανώμενοι *errantes.* In multos enim pudendos, & crassos errores incidere necesse est eos, qui ejusmodi animi sinisteritate, & scabitudine infecti sunt. Quarto, *Servientes cupiditatibus, & voluptatibus variis.* Has enim vitiorum escas, atque illecebras plurimi errores, & hallucinationes consequi solent. Quinto, *in malitia, & invidia ævum degentes.* Διάγοντες. Nihil miserius, & cruciabilius vitiis ejusmodi; quibus tormenta paria ne Siculi quidem tyranni, excogitavere. Sexto, στυγητοὶ. *Odiosi* ipsi, & 7. *alios odio habentes.* Quid ad dissuendam, dissolvendam, aut potius diluvio miseriarum inundandam hominum societatem talibus vitiis aptius fingi potest?

Quia *vers.* 2. Bonitatis, & humanitatis præcepta tradidit; & ea mox contrariorum vitiorum conspectu ob oculos posito tantò commendatiora reddidit; In quibus vitiis præcipua pars malitiæ, & inhumanitatis mortalium cernitur, ideo *vers.* 4. *bonitatem*, & amorem *erga homines*, ac beneficentiam Dei commendat, & prædicat; eo fine, quàm infrà *vers.* 8. diserte exprimit; ut ii, *qui Deo crediderunt, curent*, & conentur relictis vitiis, & pristina malitia *in bonis operibus excellere*: atque (ut suprà *vers.* 14. capitis secundi, per vocem æmulationis expressit) alius alium prævenire περισσοῦ *præcellere* aliis. Neque enim tantum gratuita ista (ut infrà explicat) Dei beneficia nos ad grati animi affectum stimulant: sed & bonitas, & amor Dei erga nos, ad imitationem quoque bonitatis, & caritatis ergo eum, & proximos, aut fratres nostros.

Nunc verba explicemus. Quando verò, inquit, bonitas, & φιλανθρωπία *(amor erga homines)*, humanitas apparuit *Servatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecerimus nos vers.* 5. (de operibus loquitur quæ præcesserunt gratiam, & regenerationem, ut res ipsa, & vox ἐποίησεμεν indicat) *sed secundum propriam misericordiam, servavit nos* (Servator enim dictus est suprà) *per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti. (NB.) Lavacrum* istud non ad præteriti reatus duntaxat noxarum nostrarum ablationem, ut sic loquar imputativam pertinere: sed ad realem ablutionem sordium peccati ex animis nostris per *regenerationem, & renovationem* vitæ novæ, in verâ, & reali sanctimoniâ traducendæ extendi; hinc luce meridiana clarius evincitur.

Quæ *regeneratio*, quia fit opera, & auxilio Spiritus Sancti ideo quoque *renovatio Spiritus Sancti dicitur vers.* 6. *Quem* (porro sermonem suum persequens Apostolus, inquit) *effudit in nos opulenter, per Jesum Christum Servatorem nostrum.* (Quia utrumque Servatorem nominat; utrumque Salutis nostræ causam: sed alteram alteri subordinatam esse necesse est) *ut justificati ipsius gratiâ vers.* 7. (Non enim meruerimus tanto beneficio affici, nec ulla erant aut esse poterant opera justitiæ nostræ, quæ provocarent eam erga nos beneficentiam, cum essemus adeo improbi, & injusti, ut in *vers.* 3. injustitia ista graphicè depingitur) *hæredes fiamus secundum Spem vitæ æternæ.*

Vers. 8. Quia hoc loco iterum Summam religionis nostræ, ac veræ, & secundum pietatem doctrinæ complexus est; ideò doctrinam hanc commendat & mox infra aliis (quæ non sunt secundum pietatem, hoc est, non inferunt animis pietatem) doctrinis disertissimè opponit *vers.* 8. Commendat autem verbis, Fidelis hic sermo. Frequens est ista apud Apostolum doctrinarum notatu dignarum, & quæ præ aliis præcellant, commendatio. Hanc igitur doctrinam, quæ in hominibus credentibus Deo efficit, *ut curent* & omni studio enitantur (φροντίζωσι) *in bonis operibus præcellere*, ideo inculcandam, & firmiter animis hominum inserendam esse monet, *quia est bona & utilis hominibus.*

Huic veræ, & Salutari doctrinæ, quæ hominibus pietatem inserit, opponit falsas, & ad pietatem nihil pertinentes doctrinas. Quas *vers.* 9. vocat primum *Stultas quæstiones*; nullo bono fine susceptas, nec rationem ullam, cur tradantur, continentes, atque ipsas quoque suapte indole erroneas, & absurdis multis (ut fieri solet) scatentes, denique & eo nomine stultas, quia homines stulti per ipsas à Satana decipiantur; qui non alia ratione à vera, utili, & salutari doctrina homines divertere solet, quam suggerendo, & obtrudendo suppositicia, & adulterina dogmata, ut per ea vera & utilissima elidat. Qua in re mundus eo facilius potest, quia vult, decipi.

Vocat & genealogias, quas 1. *Tim.* 1. 4. vocat ἀπεράντους. Generationes æonum apud Gnosticos intelligit Tertullianus. Qualescunque fuerint non plus ad regenerationem proderant, quàm Poëtarum fabulæ, aut veræ narrationes Luciani. Vocat ἔριδας καὶ μάχας νομικὰς, *contentiones, ac pugnas legales.* Potest quidem id ad omnes Theologicas controversias protendi: sed & illorum quoque commenta, & mataeologiam respicit; qui φρενοπλανῶν οἱ περιτομῆς *Impostores ex circumcisione*, suprà *Cap.* 1. 10. dicuntur. Eas omnes quæstiones *cohiberi* imperat, *quia sint & inutiles, & vanæ vers.* 9.

Vers. 10. Ipsos vero *hæreticos homines post unam, atque*

atque alteram admonitionem vitari, hoc est, excommunicari, rejici, & aversationem subire præcipit. Excommunicationis enim natura, est, *vitare*, & fugere conversationem eorum, qui hoc fulmine percussi sunt. Et ut vitentur homines, à fidelibus nulla re facilius perficitur, quàm per excommunicationem.

Vers. 12. & 13. Hinc, ut & ex aliis multis locis discimus, multos prædicationis administros, qui ab ipso dependerent, &, quo opus esset, mitterentur; habuisse Apostolum. quales hic commemorat, quinque. Artemam, Tychicum, ipsum Titum, mox Zenam legisperitum, & Apollo. Quorum primos duos missurum se ad Titum pollicetur; sed quasi in ejus locum, & ea conditione, ut ipse veniat Nicopolim Macedoniæ, ubi Paulus hybernaturus erat. Nunc autem *vers.* 13. ut Zenam, & Apollo ad se expediat, instructos ad iter omnibus necessariis, præcipit. (unde apparet illos hucusque Titi adjutores, & cooperarios à Paulo in Creta relictos, fuisse.) Quæ necessaria, quia sine sumptu Cretensis Ecclesiæ provideri non poterant; ideo *vers.* 14. præcipit liberalitatis, in promovendæ gloriæ Dei usus, officium. *Discant*, inquit, & *nostri bonis operibus* impertiendo in necessarios usus officium. Addita ratione, ne sint ἄκαρποι infructuosi; sumpta metaphora ab arboribus fructu carentibus.

Vers. 15. Salutat Titum nomine omnium, qui secum erant: ut & suo nomine salutari jubet eos, qui cum Tito erant, omnes: quia eos describit his verbis *amantes nos in fide*. quales omnes esse debebant φιλάδελφοι, *fratrum amantes*. Quibus omnibus gratiam, (puta Dei, & Christi, ut solet) precatur.

FINIS.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

PHilemonem è fidelibus Coloſſenſis Eccleſiæ fuiſſe, & in ejus domo diverſantem Archippum, ejuſdem Eccleſiæ paſtorem, atque iſtam ipſam epiſtolam eodem tempore à Paulo ſcriptam, quo epiſtola ad Coloſſenſes mittebatur, è probabilibus conjecturis colligi, alibi monuimus. Nec obſtat quod ad Coloſſenſes epiſtola, in ſubſcriptione per Tychicum, & Oneſimum; hæc autem per ſolum Oneſimum miſſa ſcribitur. Illa enim publica per utrumque legatorum miſſa ab utroque Eccleſiæ reddi debuit: hæc privata, in privato Oneſimi negotio, ſoli Oneſimo tradita eſt, ut redderetur Philemoni, & quibus inſcripta erat. Quos inter Appiam conjugem Philemonis, & illius domus matremfamiliàs fuiſſe, in qua Archippus diverſabatur veriſimile eſt. Ideò inſcriptioni Philemonis ob tam arctam conjunctionem annecti; & Archippi mentioni, ut & reliquorum, qui in eadem domo ex Eccleſia fuerunt, præmitti debuit. Non omiſſa autem eſt in hac inſcriptione reliqua etiam Philemonis familia, non ſine prudenti Apoſtoli conſilio, qui per hanc epiſtolam non modo Oneſimum in gratiam Philemonis reſtitui: ſed etiam exiſtimationi ejus apud ejuſdem olim contubernii familiam conſuli voluit.

Nihil autem omiſit Paulus, tàm in inſcriptione, quàm in ipſa epiſtola, quo benevolentiam eorum, ad quos ſcribit, præcipuè Philemonis aucuparetur & ſibi conciliaret. Primum quo verecundius petere pro alio veniam videretur, non ſolus deprecatur; ſed deprecatorem ſibi Timotheum adjungit. Deinde ſe *vinctum* & captivum *Jeſu Chriſti* (hoc eſt, pro cauſa Jeſu Chriſti) vocat, quo favorabiliorem ſuam interceſſionem reddat. Præterea *Philemonem dilectum, & cooperarium ſuum* nominat. Cooperarium autem non ſine cauſa vocat. Quia cum eſſet, ut res ipſa loquitur, è locupletioribus, & potentioribus, ad ædificandam una cum Paulo Eccleſiam, chariſmata quædam ex iis quæ Paulus *Rom.* XII. 8. commemorat, ipſi non deerant: quibus etiam eum fideliter uſum hæc ipſa epiſtola teſtis eſt. Facultas enim impertiendi de opibus ſuis, & miſerendi poteſtas ipſi aderant; etiamſi alia fortè, quod tamen incertum eſt, defuiſſent. Vide infrà *verſ.* 7. & tota epiſtola oſtendit habuiſſe Philemonem, cujus, magno Eccleſiæ bono, (Dicitur enim Oneſimus ad Epiſcopatum provectus) miſereretur.

Appiam quoque matremfamilias *dilectam* compellat, & *Archippum commilitonem verſ.* 2. ut eorum quaſi interceſſione, & auxilio facilius, quod petit, impetraret. Salutatoriam apprecationem, quam ſolet, adjungit; *gratiamque, & pacem*, hoc eſt, omnem felicitatem, precatur ab uno *Deo*; ex quo omnia, quæ ad felicitatem hanc noſtram pertinent, & noſmetipſi dependemus; & ab uno *Domino*, per quem iſta omnia perficiuntur, & nos ipſi ad eam per eundem deducimur.

Initio ipſius epiſtolæ Spiritus Sancti civilitas atque (ut humano more loquar) humanitas apparet, qui plerumque, quo mollius in animos hominum illabatur, ſuaque præcepta, aut poſtulata inſerat, ſive apertè, ſive tacite à laudibus eorum incipit. quod hic non obſcure facit Apoſtolus gratias agendo Deo, cui omnes bonæ, *verſ.* 4., & laudabiles actiones acceptæ ferendæ ſunt, eo nomine quod optatiſſima quæque de virtutibus Philemonis audierit. Atque iſtam quidem gratiarum actionem Deo ſeſe in precibus ſuis, quas ad Deum perpetuò pro Philemone fundit, offerre. Virtutes iſtas *verſ.* 5. exprimit per voces *caritatis, & fidei ipſius erga Jeſum Dominum & erga omnes ſanctos.* Niſi quis malit voces iſtas dividere, ita ut fides ad Dominum Jeſum, caritas autem ad ſanctos pertineat. in quo caſu neceſſe erit fidei vocem hoc loco ita intelligi, ut etiam officia erga ſanctos comprehendat, hoc eſt, Fidem, caritate animatam, & vivam. quemadmodum *verſ.* 6. explicari videtur; ubi caritas illa Philemonis, cujus poſtea *verſ.* 7. mentio fit, per quam *viſcera ſanctorum recreata* ac refocillata ſunt, vocatur κοινωνία τῆς πίστεως, *communicatio fidei*, hoc eſt, à viva fide in Chriſtum, profecta liberalitas erga fratres. Oſtendit autem *verſ.* 6. non occaſione tantum gratiarum actionis ſeſe in precibus ſuis Philemonis mentionem facere: ſed petere, ac precari à Deo, ut virtus iſta Philemonis, & communicatio in neceſſitatibus ſanctorum ſit *efficax* ἐνεργὴς ad aſſequenda omnia bona in Chriſto Jeſu, tam ſpiritualia, quam temporalia (non fruſtra enim voces παντὸς ἀγαθοῦ, *omnis boni* uſurpat, cum pietas utriuſque vitæ promiſſionem habeat) ita ut quemadmodum virtutes Philemonis ad aures Pauli pervenerunt; ita quoque merces earum ad *notitiam* ἐπίγνωσιν *ejuſdem*, & omnium perveniat, collata non modo Philemoni; ſed iis quoque, qui ad eum pertinent. Non vana enim eſt à ſingulari ad pluralem numerum tranſitio Apoſtoli, quod non σὺ σοι, ſed σὺ ὑμῖν, mercedem iſtam notam fieri Paulus deſideret, ut Appia quoque conjunx, & ſi qui erant, liberi, ejuſdem participes fierent.

Verſ. 7. rationem ſubnectit cur in precibus ſuis Deo gratias ageret, & ipſi Philemoni non obſcurè gratularetur; quia gaudium haberet multum, & conſolationem ex fraterna iſta ipſius erga fratres caritate.

Hinc factum eſſe oſtendit *verſ.* 8., ut *quamvis magnam haberet in Chriſto libertatem*, & parrheſian, ut ipſum officii admoneret, atque id, quod facto opus erat,

erat, ipsi præciperet, tùm ob meritum suum tum ob amorem erga ipsum meritis ejus excitatum; dignum censuerit eum, quem rogaret potius, & sese ad deprecandum submitteret, quamvis esset ejus dignationis Apostolus, & quidem *Senex*, *atque tunc captivus Jesu Christi*. Rogat igitur, & intercedit tanquam *pro filio* suo, quem in *Vinculis* genuerat, *Onesimo*. Quod nomen, quia *utilem* significat, is autem profugio suo damnum potius, quàm utilitatem hero suo attulerat; alludit ad nomen ejus Apostolus, & eum quidem olim hero suo fugitivum, damnosum, & *inutilem* fuisse: sed nunc post conversionem ad Christum utrique tàm Philemoni, quam Paulo *utilem* effectum esse. Quem Paulus ad Philemonem remiserit, petens ut ab eo *tanquam sua viscera* reciperetur. Et quia utrique utilem esse *vers.* 11. asseruerat, id *vers.* 13. explicat, quòd propter ministerium in vinculis suis, quæ propter Evangelium subierat, retinere eum apud se noluerat, ut sibi pro se, & Domino suo ministraret. Verum id *vers.* 14. absque voluntate, & sententia Philemonis facere noluisse; ut *beneficium* istud, quod petit, *Spontaneum potius, quàm necessitate expressum* videretur.

Vers. 15. ad excusandum ejus factum utitur divinæ voluntatis ab eventu ducta conjectura. Fortassis, inquit, ideo *ad tempus* abs *te separatus*, & quasi amissus est, ut *ipsum in æternum reciperes*.

Petit igitur iterum *vers.* 16. *ut eum non tanquam servum, sed supra servum reciperet*, hoc est, tanquam *fratrem dilectum*, *maxime Paulo*, quanto magis igitur dilectus esse debeat ipsi Philemoni; cui pluribus vinculis obstrictus est; non tantum propter spiritualem conjunctionem, quæ est in Domino; sed & propter carnalem, quæ est in terreno nexu inter Dominum, & servum.

Notandum autem terrena vincula, & conjunctiones vocari ἐν σαρκὶ *in carne*, & opponi istis cælestibus vinculis, quibus spiritualiter *in Domino* conjungimur, tanquam carnalia.

Vers. 17. Quia supra *vers.* 16. Onesimum sibi dilectum esse fratrem significaverat, obstringit Philemonem eo vinculo: ut si se non fastidiret, aut averſaretur, adeoque, si se diligeret, illum quoque, nunquam se, reciperet.

Occurrit posteà objectioni *vers.* 18. & 19. ut ostenderet quam anxiis precibus pro eo intercederet: *Si quid damni fecit*, inquit, *mihi imputa. Ego*, inquit, *Paulus chirographo meo testor; me id luere velle; eaque pro re caveo, & satisdo. Taceo*, (inquit *vers.* 19.) *quod & te ipsum mihi debes*. Subjicit hæc verba, ne de amore, ac benevolentia Philemonis erga se dubitare videretur. Quamvis igitur verecunde hactenus egisset; & magna circumspectione intercessionem suam exposuisset, ne qua in re forte animum ejus offenderet, libertatem amici, & fiduciam fraternam sumit; & postulat, ac petit tanquàm à fratre, ut quemadmodum ipse opera Pauli magna felicitate frueretur; ita ipse quoque ejus aliquo dispendio, aut impendio frui posset; præsertim *in Domino*. quia aliqua Domini gloria ex accessione Onesimi ad Ecclesiam emergeret, aut potius quia virtus illa, quæ in Sacris litteris *Gaudium* vocatur, quàm exercemus quoties lætitiam aliquam, & consolationem fratribus operâ nostra afferimus, est Domino gratissima, neque caret mercede suâ. ideò ait, *Recrea mea viscera in Domino*.

Vers. 21. Libertatem, qua nunc uti cæpit, (sicut paulò ante diximus) excusat fiducia ejus erga se benevolentiæ, & obsequii, tanquam repulsæ securus, & sciens quod Philemon etiam ultrà id quod Paulus petebat, ejus causa facturus esset.

Vers. 22. Atque ut ipsum consolaretur, & majori gaudio afficeret, condicit ipsi hospitium, promittens adventum suum, & exponens spem non dubiam, quod ipsum Deus precibus Ecclesiæ condonaturus, & è vinculis liberaturus esset. Ita ut epistola ista scripta videatur paulo ante primum illud judicium, in quo coràm Nerone causam dixit, de qua 2. *Tim.* IV. 16. 17.

Salutationes adjicit eorum nomine, qui cum ipso erant, partim necessitate adducti, ut *Epaphras concaptivus* (*vers.* 23.) *in Christo*, hoc est, Christi causa; partim voluntate, ut *Marcus*, *Aristarchus*, *Demas*, *Lucas*, *cooperarii*, hoc est, administri *vers.* 4. Unde patet, uti jam sæpius dictum, eodem tempore scriptam esse hanc epistolam, quo & ad Colossenses, ac per eosdem missam. Quæ concluditur voto, & apprecatione consuetâ gratiæ Christi Domini.

FINIS

IN EPISTOLAM JACOBI APOSTOLI COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

AUtor epistolæ hujus Jacobus, non ille Johannis frater, Zebedei filius, quem Herodes Herodiadis germanus occidit *Act.* XII. 2. sed is cui consensu reliquorum cura Ecclesiæ Hierosolymitanæ fuit demandata. cujus mentio fit *Act.* XII. 17. & *Act.* XV. 13. Non abludit igitur à commisso ipsi munere inscriptio epistolæ; quam dirigit ad 12. tribus, hinc inde per orbem dispersas; quas ita nominare videtur; ut ab iis, qui in Ecclesia sua Hierosolymitana præsto erant, distinguat. Sed ut aliorum non paucorum Sacræ Scripturæ locorum; ita hujus quoque sensus meritò latius extenditur, quàm ut solos illos secundum carnem Judæos, aut potius Israëlitas designet. Nec enim Spiritui Sancto inusitatum est, omnem ex aliis quoque gentibus collectum populum Dei, quem gratia sua dignatus est, nomine Israëlis vocare: quia perinde ut illa olim electa, & ab aliis populis separata gens; Christiani quoque à cæteris omnibus nationibus secreti, ac Deo sanctificati fuere; nec minus quam Judæi per varias orbis oras dispersi. atque idem veterem quoque Ecclesiam sensisse, agnomen, Catholicæ huic epistolæ inditum, ostendit.

Notandus autem hic est mos Apostolicus, Paulo frequenter usurpatus, in titulis suis, aut limine epistolarum, duarum duntaxat divinarum personarum mentionem faciendi, omissâ Spiritus Sancti mentione. Non quod pater Domini nostri Jesu Christi, aut ipse Christus in Salutis nostræ negotio absque interventu, & opera Spiritus Sancti nos gubernet, atque adjuvet: sed quia, positis principalibus salutis nostræ causis, poni instrumentalem nihil necesse est, quæ suapte naturâ subauditur. Prima verò principalium Salutis nostræ causarum est Pater; secunda filius, quæ ipsæ ambæ causæ, quod ad novam creationem ita quoque concurrant; ut principalis efficiens, & instrumentalis inde cognoscatur, quod Pater dicatur, ex quo omnia, filius per quem omnia; præterea cum uterque sit Omnipotens; Omnipotentiam tamen hanc pater à nullo alio; sed ex se ipso habet: filius vero totam à patre accepit; verum tametsi is in nova creatione primogenitus omnis creaturæ dicatur: tamen ipsi reliquarum creaturarum condendarum potestas, atque negotium data sunt. Porro ad novam istam illarum creationem, quamvis multæ aliæ adjuvantes, atque instrumentales causæ concurrere possint; ut Angeli, atque ipsi homines, servi Dei, & Christi; quorum ex numero fuit hic Jacobus; nulla tamen earum principalis dici potest præter duas istas supremas: quæ omnipotentiam suam in Salutis nostræ negotio exerere possunt. Hæ quamvis eo, quem ostendimus, habendæ, & possidendæ omnipotentiæ modo inter se differant; adeò ut altera dici possit instrumentalis: tamen propter ipsam omnipotentiæ vim, atque dignitatem præcipuæ inferiorum causarum respectu, utraque principalis novæ creationis causa meritò dici solet. Tam pater autem, quam filius operantur in nobis, & ad istam, de qua loquimur creationem concurrunt, partim mediate, partim immediate. Mediatè cum id faciunt angelicarum, aut humanarum personarum operâ, & interventu. Immediate cum id faciunt per Spiritus Sancti donum, atque instinctum. Cujus nobilissimi doni dispensatio absque Omnipotentia ne cogitari quidem potest.

Porrò ab usitata Salutandi formula, quæ frontibus epistolarum præfigi solebat, τὸ πραττειν, ὑγιαινειν, χαιρειν, quarum ultima Jacobus hic usus est, sumpta videtur primæ istius eorum, ad quos scribit; allocutionis ansa, & occasio. Cum enim in Salutatione ipsis omnia felicitatis gaudia comprecatus esset, statim ostendit eos in variis, in quas ex ipsa Religionis susceptæ natura incidunt, tentationibus, multam habere gaudendi causam, atque materiem. Nec levem illam, aut modicam; sed quæ præcipuam felicitatis eorum partem, vel, ut loquitur, totam, aut certè penè totam felicitatem eorum constituat, & complectatur. Dicit enim *Omne gaudium*, aut omnem, ex qua gaudium nascitur, felicitatem id esse censete, cum in varias tentationes incideritis. Quicquid autem per vocem tentationum hic intelligatur, illud certum est rem per se, ac natura suâ gaudio, ac lætitiæ adversam, & contrariam significari, aut certe quæ talis vulgò videri, ac judicari soleat. Contrà vulgares enim opiniones hoc loco Apostolus philosophatur, & paradoxam quandam doctrinam tradit; tunc maximè nobis lætandum, & gaudendum esse præcipiens, cum maximas tristitiæ causas, & occasiones habemus. Quemadmodum infrà *vers.* 10. *Divitibus humiliatione sua*, non gaudere tantum, sed gloriari quoque præcipit. quæ tamen res sibi adversæ sunt ac secum pugnare videntur.

Quamvis autem per tentationes, de quibus hoc loco loquitur, persecutiones, religionis causa incidentes, præcipuè designari videantur, quarum varia sunt genera; cruentæ aliæ; aliæ siccæ. damna, mulctæ, contemptus, odia populi, ignominiæ, exilia, supplicia, aut certè perpetuus omnium horum metus: tamen generalem hoc loco *tentationum* vocem ad unum istud Satanæ stratagema, per afflictiones fidelium grassantis, restringere non ausim; non modò quod verba sensusque Sacræ Scripturæ coarctari non debeant, quoties non incommode latius protendi possunt, sed quia paulò inferius ipse Jacobus, nondum istam, quam tradit, doctrinam egressus, aperte

aperte explicat quid per vocem *tentationum* intelligat. & res ipsa loquitur, δοκίμιον illud πίστεως, *exploratio-nem fidei* nostræ non uno duntaxat *tentationum* per persecutiones genere perfici; atque ipsam ὑπομονὴν *patientiam*, *cujus opus perfectum esse debet (vers. 4.)* ad patientiam boni operis, hoc est, stabilem in virtute constantiam sæpe in Sacra Scriptura protendi.

Ac profecto vox ὑπομονῆς (*patientiæ*) in hoc loco non simplicem mali perpessionem, quæ cum impatientia quoque conjuncta esse potest, ac ne patientem quidem mali tolerationem, quæ ab exploratione fidei nostræ distingui nequit; sed plus aliquid significat; quia hujus explorationis effectum, & quasi præmium esse dicitur. *Exploratio*, inquit Apostolus *fidei nostræ operatur patientiam.* Cur distingueret ista Apostolus, si inter patientem tentationis tolerationem, & quam hoc loco nominat, *patientiam* nihil interesset discriminis? Necesse est igitur vocem hanc isto loco constantem boni operis perseverationem significare. quæ, ut *versu* 4. explicatur, *opus perfectum*, id est, habitum operum omnibus numeris absolutum contineat. Nihil autem obstat, quod perfectio ista hujus operis, & patientiæ nobis præcipiatur potius Imperativum ἐχέτω *habeat*, tanquam officium; quàm promittatur, tanquam præmium illius, in qua fides nostra explorata est, perpessionis. Nec enim unum, atque alterum patientiæ specimen editum nobis eam, de qua loquitur Jacobus, patientiæ perfectionem donat, nisi magna cura, & vigilantia elaboremus, & sapientia provideamus, ne nobis pereat, quod partum est. Est tamen istud verum laboris nostri præmium, quamvis (quia ita Deus voluit) non absque sudore nostro partum sit; ac simul donum quoque Dei gratuitum dici potest, quia absque provida, ac perpetua sapientia, ac Spiritus Sancti ope acquiri non potest: quam nobis Deus precibus nostris exoratus, per Christum gratuito donat, & affert. Vide *vers.* 5, & infrà 17. 18.

Perfectio autem ista, quæ perfectos, integros, & omnibus numeris absolutos Christianos efficit; primum in eo cernitur, ut non unius generis tentationes superentur, & vincantur, sed cujusvis etiam diversissimi generis. Nec enim frustrà epitheton, ac vocem ποικίλοις, τοῖς πειρασμοῖς, hoc est, vocem *variarum*, tentationibus adjecit, atque eandem doctrinam tradit infra, & fusius explicat capitis secundi *vers* 10. ubi docet quod *quisquis omnia legis præcepta servaverit, ceciderit autem in uno, totius legis violatæ reus est.* Deinde perfectio hæc in eo cernitur, ut non interdum tantum tentationes vincamus; interdum autem succumbamus; sed ut perpetuas, nec ullo (quantum fieri potest) lapsu interpolatas victorias omni tempore obtineamus. Denique in eo, ne dimidiatas tantum, aut imperfectas: sed plenas, ac perfectas victorias de incidentibus tentationibus referamus; ira eas prostigantes, ac prosternentes, ne facile redire, resurgere, ac nobis iterum negotium facessere possint. quod fit quando illecebras, aut impetus tentationum ita superamus, ne ullum in nobis aculeum relinquant. Nec enim satis est simpliciter abstinuisse à vitio, ad quod in tentatione impellimur, aut exequi virtutem aliquam, à qua perficienda variis tentationibus absterremur: nisi id fiat promptè, alacriter, & bona fide, atque ideo constanter. Nam qui ægre à peccando abstinent; quod facere solent, qui sola pœnæ formidine id faciunt, parum fideliter peccati delectationem, aut illecebram, aut etiam peccandi voluntatem abjecerunt; resumpturi illud quoties is metus è memoria effluxerit, aut validioris tentationis illecebrâ, aut violentia obrutus fuerit. Quæ sane semivirtus est, non virtus; quæ efficere debet, ut homo non abstineat tantum; sed abhorreat quoque à vitiis, eaque optima fide oderit, atque aversetur; & contrarias virtutes ex animo amplectatur, & alacriter atque obnixè exerceat, & consectetur. Ejusmodi virtus militem Christianum telis Satanæ invulnerabilem reddit; Nec enim is usquam; aut unquam ictibus ejus nudum latus aperit: sed undique tectus, ac Cœlesti armatura cataphractus, quantò minus ab hoste securus, tanto magis tutus est.

Postrema pars in superanda tentatione perfectionis in eo consistit, ne quid isti Spirituali victoriæ vitii, aut adventitiæ culpæ admixtum sit. Exempli gratiâ, in tentatione persecutionum vincenda non satis est, minimè pati sese à professione veritatis, & fide erga Deum dimoveri: sed insuper illicito persecutorum odio, aut concepta adversus eos ultione carere necesse est. Ita in materia liberalitatis cavenda est pestifera labes jactantiæ; aut etiam exprobrandi beneficii, hinc ab eo genere officii, quod hanc virtutem exercentibus præscribitur, virtus ipsa ἁπλότητος nomine vocatur. Et Deus ipse hoc loco ἁπλῶς, hoc est, ut statim explicatur benigne, absque τοῦ ὀνειδισμοῦ omnibus, qui petunt, donare dicitur. Ac nulla fere virtus est, in qua exercenda Satanas optimis sæpe actionibus non aliquid veneni sui admisceat. Quod magna cura, & attentione prospiciendum, observandum, & cavendum est. Quæ res quoniam magnâ, & vires humanas superante vigilantiâ, atque sapientiâ indiget; quam pauci, nec nisi magno, & constanti conatu; nec tamen unquam absque ope divinâ, ac cœlitus misso Spiritus Sancti auxilio assequuntur; ideò *vers.* 5. huic infirmitati humanæ remedium ostendit in precibus.

Vers. 5. Quia in tentationibus, quibus perpetuo oppugnamur, Unicum est perfugium, atque remedium Preces; ideò doctrinæ de hoc spirituali certamine interserit doctrinam de precibus eamque usque ad *vers.* 9. continuat. Primum autem ostensa superius earum necessitate, quod ad hujus certaminis plenam, ac perfectam victoriam magnis animi viribus, magna sapientia opus est; quam nemo mortaliam, nisi cœlitus impetrata ope, atque dono (quod infrà *vers.* 17. inculcat, & explicat) habere potest: Quinto hoc versu invitat ad eas fundendas certissimâ spe impetrandi, quod petimus, propter effusissimam Dei liberalitatem, ac munificentiam erga omnes, qui ad eum confugiunt. *Dantis omnibus*, inquit, *Simpliciter* ἁπλῶς, hoc est, ex benigno, & propenso erga eos, quibus largitur, affectu; ubi obiter dicitur, quæ natura beneficii esse debeat: & quomodo ea conferenda sint. Quia multi quod dant, aut donant, non simpliciter ex benevolentia, aut præclara erga eos, quibus datur, voluntate id faciant, sed vel ostentationis, vel insultationis causa; nec in eo verum bonum ejus, quem beneficio afficiunt; sed suum, & quidem apparens quærunt. Ergo Deum ab ejusmodi more alienissimum esse docet; nec metuendum esse, ut ab eo vel repulsam, vel donum aliquod ingrato amaritiei condimento temperatum feramus.

Deinde *vers.* 6. ostendit, quales preces nostræ esse debeant; atque adeò quales nosmet ipsi, cum ad eas accedimus, esse debeamus. Ostendit igitur nos debere esse fide præditos. Quæ vox ut in aliis plerisque Sacræ Scripturæ locis non mortuam: sed vivam, & operibus bonis animatam, & à peccatorum cæno mundam fidem significat: hoc est puram, & bonam conscientiam; quæ reperiri nequit, nisi in iis, qui nullius peccandi consuetudinis, & habitus; aut etiam notabilioris adversus Deum delicti sibi conscii sunt; quamvis leviorum forte lapsuum

non sint ignari. Tales enim soli aditum habent ad Deum cum fiducia accedendi, qui iram ejus nulla insigniori offensione irritaverunt. Nam qui sibi conscii sunt, Deum justas, & graves causas habere sibi succensendi, nullo modo eâ cum fiducia ab eum accedere possunt, ut se, quod optant, impetraturos confidant. Effectus igitur ejusmodi fidei est, non *dubitare* Deum id sua causa facturum, quod petunt, hoc est, de amore, clementia, gratia Dei erga se in eo, quod petitur, non dubitare. Nec enim fides absque amore nostro erga Deum consistere potest. Amor autem erga Deum, mutuum ac reciprocum Dei erga nos amorem provocat; ac certissimam ejus in nobis fiduciam procreat. Ergo ut nosmetipsi fide, atque amore erga Deum flagrantes; ita preces nostræ cum hoc fidei, & amoris erga Deum effectu conjunctæ esse debent, si quid impetrare ab eo debeant. Addit autem eodem *versu sexto* causam, cur preces ejusmodi hominum, de impetranda quam petunt gratia dubitantium, à Deo rejiciantur, ac repellantur; quia repulsa dignæ sunt ob eorum, qui precantur fidei, & amoris erga Deum inconstantiam, aut potius defectum. Quæ inconstantia similitudine exprimitur fluctuum marinorum, à diversis ventis hinc inde agitatorum. Nec melius exprimi potuit levitas eorum; qui nunc religionis Christianæ veritate, & excellentia ad fidem, & amorem erga Deum impelluntur; nunc vitiorum illecebris in diversum concitantur, & ad Satanam transeunt. Quæ desultoria consuetudo unum eundemque hominem, diversis temporibus consideratum, quasi duplicem facit. Ideo διψυχος ανηρ *duplici animo* talis homo *vers.* 8. dicitur; & alibi duplici corde, quod interdum secundum diversa tempora assumit, & immutat. Quanquam & eodem tempore dici, & considerari potest quispiam *duplex*, aut tanquam duplex; quum aliud in ore, aliud in pectore gestat, & quasi duplicis hominis officio defungitur. Quo sensu apud Poëtam duplicis agnomine Ulysses vocatur. Quæ animi versutia nec in humanis actionibus, ac negotiis laudatur; & quoties cum Deo negotium intercedit, non potest esse, nisi stulta, & scelerata, & in Deum contumeliosa; qui parum reverenter colitur; quoties decipi posse speratur. Et tamen ad eam indignitatem homines Satanas frequenter adducit. Merito igitur hoc loco à Deo ejusmodi precatores rejici dicuntur; quia sunt *inconstantes in omnibus viis suis*. *Via* (sicuti alibi *ambulatio*) hoc loco significat habitum, & consuetudinem multo usu roboratam; quemadmodum via multis vestigiis trita est.

Vers. 9. Quemadmodum suprà, cum doctrinam de Tentationibus in genere inchoaret, quæ per se, ac naturâ suâ, vel ob alicujus Tentationis asperitatem, vel ob ipsum succumbendi periculum tristitiam nobis inferunt; luctari tamen cum affectu tristitiæ, eumque gaudii affectu opprimere, ac vincere præcepit: ita nunc in specie exemplum tentationis ejusmodi proponit, quæ animos nostros propter sortis nostræ humilitatem deprimere, ac dejicere possit. In qua tamen status nostri conditione tantum abest, ut animum despondere permittat; ut eâ tanquam exaltatione aliquâ gloriari præcipiat. Quod exemplum in hominibus pauperibus, aut vilioribus locum habet, qui per vocationem ad Christi regnum nobilissimis omnium principibus Mundi, qui forte ad eundem admissi sunt, coæquantur; præ omnibus autem reliquis, cujuscunque sint in mundo dignitatis, & excellentiæ, extolluntur, & eminent; quippe designati cælestis illius civitatis principes, si sese vocatione sua dignos præstiterint. Ideò eos non modo gaudere, sed gloriari jubet in sublimitate suâ. Sed nequis existimet solos tantum pauperes vocatos esse ad regnum Dei, & cælestem illam sublimitatem, addit, divites quoque gloriari debere in sua humilitate. Quamvis autem ea res, qua utrique gloriari debent, una, eademque sit; diversis tamen, imo contrariis nominibus effertur, propter concinnitatem antitheseos, quæ pauperibus sublimitatem, divitibus autem humiliationem attribuit, & apte sibi invicem opponit. Eadem enim vocationis Christianæ dignitas, & excellentia in pauperibus quidem ob suprædictas causas *sublimitas* (ὕψος) nominatur: In divitibus autem vocatur humiliatio ob causas subsequentes. primum quia divites in Ecclesiâ cum pauperibus coæquantur, nec apud Christum est acceptio personarum; deinde quia per naturam religionis sæpe persecutionibus subjectæ divitiæ, & dignitates non raro abjiciendæ, ac negligendæ sunt, & propter illam sortem, & dignitatem, quæ cum pauperibus communis est, relinquendæ, & contemnendæ. Rationem gloriationis in pauperibus, ac vilioribus non addit; quia manifestum est viles; & humiles cur gloriari possint, ac debeant, quando in altum extolluntur. At in divitibus, cur illi humiliatione sua, & opum quas habent, & quovis tempore amittere parati esse debent contemptu, & ipsa quoque jactura gloriari debeant, rationem luculentam explicat, quia bonum plane fluxum, & caducum, ideoque falsum, longe stabiliori, & nobiliori, ac vero bono commutat. Divitiæ enim, & dignitates terrenæ flori herbæ comparantur, qui exortu, & æstu solis arefactus cadit, & intercidit, quod *vers.* 10. & 11. explicat. Quamvis autem totam istam rationem in divitum, quos pauperibus opponit, antitheto plene, & clare non exprimat, nisi ejus illustrationem, aut prosyllogismum: tamen istud stabile, ac verum bonum necessariò subaudiendum est, partim obscurius in voce ταπεινωσεως, *quod fluxo*, & falso commutatur; quæ hoc loco impropriè, & catachrestice usurpatur, nimirum secundum offerentem se vulgi oculis apparentiam; & cum illa sublimitate pauperibus attributa revera idem est: partim clarius in voce ὕψους, qua non minus divites Christiani quam pauperes verè, & in reipsa gloriari possint. Nec enim de infidelibus, ac damnandis divitibus loquitur; sed de fratribus, & in eodem statu fraternitatis existentibus cum fratribus humilioris fortunæ; & quibus deesse nequeat in quo gloriari possint. Nam divites infideles, aut damnatos dum alloquitur infra *cap.* v. nequaquam gloriari jubet; sed flere, & lamentari. Atque hinc liquido apparet, & contra affectatæ paupertatis patronos concluditur, ne divitum quidem, ac nobiliorum statum; si tales sint, quales vult esse Paulus, 1. *Tim.* VI. 12., *& seqq.* à Regno Christi proscribi.

His obiter explicatis *vers.* 12. iterum redit ad primam illam, à qua epistolam inchoavit, tentationum doctrinam; quas eò libentius, & æquiori, imo verò alacriori animo suscipiendas, sustinendas, ac tolerandas esse docet, quod occasionem præbeant victoriæ nostræ, &, ut suprà dixit, procreant patientiam, in qua fit exploratio fidei nostræ, quam certo consequitur præmium ingens, hoc est, corona vitæ, seu vita gloriosa, spectatæ virtutis victoribus promissa ac reposita merces; quos hoc loco describit, & nominat *diligentes Deum*: quia ad victoriam de omnibus tentationibus obtinendam unicum, & brevissimum, ac facillimum est perveniendi compendium, *dilectio Dei*.

Vers. 13. Doctrinæ de Tentationibus annectit insignem de vera tentationum origine doctrinam; idque adversus erroneam opinionem, quam nonnulli scioli, freti loquentiâ suâ veræ sapientiæ experte, spargebant in Ecclesia. Neque contenti incautâ loqua-

ti loquacitate noxium virus evanuisse, iraſci quoque diſſentientibus, &, zelo amaro repleti, damnare innoxios, & exiſtimationem eorum vellicare audebant; interea vitæ, morumque incurioſi; & qui omne Chriſtianæ vitæ officium in fide abſque operibus collocarent: adverſus quos pluribus prætereà epiſtolæ hujus locis inſurgit; paſſim vitia eorum perſtringens, ac digito oſtendens primum ruditatem, & ignorantiam eorum; cauſam ejus indicans, quod eſſent tardi nimium, ac difficiles ad diſcendum, & audiendum; prompti vero nimium, ac præcipites ad loquendum; vel potius docendos alios, & magiſtralem ſuper eos auctoritatem uſurpandam; prompti prætereà ad iram adverſus eos, qui ſibi vel minimum refragarentur. Vide hujus *cap. verſum* 19. & infrà *verſ.* 26. & 27. ubi effrænem, & indomitam eorum linguam, ſpecie, ac perſona religioſi cultus velatam; cæterum veræ pietatis expertem notat: quod neque caritatis opera exercerent, & mundi cupiditatibus macularentur. Eoſdem taxare videtur ſecundi capitis initio, quod admirarentur homines utilitatis gratia, & pauperes præ ditioribus flocci facerent; quod, conſiſi quorundam legis Chriſtianæ præceptorum obſequio, cætera non curarent; quod doctrinam Apoſtoli Pauli de juſtificatione ex fide ad neglectum bonorum operum abuterentur. Eorundem Magiſtralem ſuperbiam, effrænem, & indomitam linguam, zelum amarum toto capite tertio exagitat. Eorundem vitam, voluptatum avidam, cupiditatis, & invidiæ fluctibus agitatam; ſuperbiam, & arrogantiam; obtrectationem, & condemnationem aliorum; denique vitam terrenis ſtudiis, & mundanæ jactantiæ addictam toto capite quarto: atque haud ſcio annon capitis quoque quinti initio arguit. Ex iis, quæ dicta ſunt, patet, æque, ut alios Sacros Scriptores, Jacobum quoque cum iis, qui doctrinam Apoſtolicam, & illum ab iis ἔμφυτον λόγον plantatum, & inſitium ſermonem jam tum corrumpebant, luctatum eſſe: ut non difficilis conjectura ſit, quid in Eccleſia poſt Apoſtolos factum fuerit.

Hæc de iis, qui errorum zizaniam ſpargebant breviter præfati, nunc videamus quod genus erroris Apoſtolus hoc loco refutet. Illud videlicet quod olim Irenæus in Florino acrius reprehendit apud Euſebium *l. 5. cap.* XVIII. Ait vero Jacobus *Nemo qui tentatur* (inquit *verſ.* 13.) *dicat, à Deo tentor. Nam Deus, ut tentari malis ipſe non poteſt, ita neminem tentat.* Erat hoc in more poſitum carnalium hominum, carnales opiniones ſpargere; quo ſecurius in cupiditatibus, & vitiis ſuis computreſcere poſſent. Nihil autem eſt, quod nos magis peccatis conciliat, quàm ſi opinemur ea in nobis à Deo ipſo procreari; qui quos ad perniciem, eoſdem ad peccata quoque ipſa inevitabiliter deſtinavit. Cui opinioni ad animos hominum, vitiis faventium, aditum præſtruxere loca quædam Sacræ Scripturæ, pravè intellecta, & explicata. qualia ſunt, ubi Deus indurare peccatores dicitur; aut mittere ipſis efficaciam erroris, ut credant mendacio; aut efficere, ut homines auribus, & oculis utantur, nec tamen audeant, aut videant, quæ ipſis expediunt &c. Hoc igitur loco Apoſtolus oſtendit, quod ea loca ita crudè explicari non debeant, ut Deum mali, & peccati autorem eſſe ſignificent. Qui tantum abeſt, ut perficiendi, aut conſummandi peccati hominibus ſit auctor; ut ne ad initia quidem peccatorum, & primas eorum tentationes cum pravitate mortalium concurrat. Aliud enim eſt permittere patrari, aut connivere ad ea, quæ patrantur; aut etiam juſtâ, & graviſſima de cauſâ auxilium ſuum ſubtrahere indignis, quod forte efficere poſſet, ne patrentur: aliud verò velle, & vim, atque operam ſuam conferre, ut patrentur. Illud enim neminem patrati dilecti auctorem efficit; hoc autem maximam culpæ partem, imo omnem culpam peccatorum in eum, cujus voluntati, & efficaciæ reſiſti nequit, conjicit, ac deonerat. Conſideranda autem inprimis ratio eſt, quâ utitur ad tàm peſtilentem errorem refutandum; ex qua patet, non minùs abſurdum eſſe, ſi Deus homines ad peccandum adducere, vel impellere; quàm ſi peccare ipſe ſtatuatur. Utrobique enim peccati, à quo ſanctitas ejus abhorret, ac longiſſime recedit auctor dici poſſet; & ſi rem penitius ſpectemus, non homines, qui voluntati, & potentiæ Dei reſiſtere nequeant; ſed ſolus Deus peccati culpam, & reprehenſionem ſuſtineret, quod vel cogitatu abſurdum, ac nefarium eſt. Et tamen Satanas in eum finem præcipuè ejuſmodi errorum ſemina animis hominum inſpergere ſolet; ut homines habeant in quem culpam pravitatis ſuæ conferant; ideoque ejuſdem malitiæ ſupplicium non timent, præſertim ab eo, in quem tota ferè culpa iniquiſſime derivatur, exigendum.

Non contentus autem Apoſtolus, omnem peccati culpam, & ſuſpicionem à Deo removiſſe; oſtendit veram peccatorum, ac tentationum originem; & penes quem eorum unica, aut certè maxima culpa ſit. Dicit igitur *verſ.* 14. Unumquemque mortalium tentari à cupiditate propria ſua; quæ animum ejus, peccati illecebris ineſcatum, trahit ad peccandum. Quæ cupiditas poſteaquam intus in animo concepit peccatum, parit illud in effectum, & quaſi fætum, intus conceptum, foràs emittit in externâ peccati actione. Peccatum verò demum conſummatum gignit mortem. *verſ.* 15.

Quamvis autem hæc accuratius ita diſtingui poſſe videantur, ut cupiditas, primum ineſcata, voluntatem hominis (quæ irrationales ejus motus compeſcere poſſet, ac deberet) trahat ad aſſenſum; quæ à cupiditate decepta, ſinit ſe pertrahi, & tunc fætus hic infelix in animo concipitur, & poſteà ab eadem voluntate noxio partu in lucem producitur: tamen à verbis, atque ductu Apoſtoli, ac Spiritus Sancti recedendum non cenſeo, qui tàm conceptum, quàm partum peccati cupiditati, non voluntati attribuit. Voluntas enim, quoties cupiditati opponitur, rationis ductum, non appetitus ſequitur. Sed cum appetitus rationem de ſolio deturbat: & cupiditas voluntatis partes, ac munia invadit, meritò ejuſmodi actionum cupiditas potius, quam voluntas mater dici debet. Ex quo fæditas peccati magis conſpicua eſt, quæ nos, dignitate humani ſtatus dejectos, ad brutorum pecudum ſortem proſternit. Cum enim homo carnali appetitu regitur, nihil à brutis differt, quæ eodem appetitui dumtaxat obtemperant; niſi quod in hominibus bruta cupiditas tantò magis eſt & indecora, & noxia, quanto eſt ob viciniam rationis ingenioſior.

Non putaverim autem voces ἀποτελεσθεῖσα vertendas eſſe *peractum*; ſed potius *conſummatum*, & quaſi ad perfectionem habitus deductum. primum, quia hic tria iſta manifeſtè diſtinguuntur. Primo, Conceptio peccati, quæ eſt intrinſeca deſtinatio peccandi. Secundo, partus peccati, cum quaſi in lucem producitur: quæ eſt ipſa externa executio peccati. Tertio, demum conſummatio peccati, hoc eſt, frequens iteratio, & habitus peccandi; qui gignit mortem. Jam igitur ſimplicem actionem peccati, vel peccatum ad actum deductum ante nominaverat; quocirca in tertio iſto gradu aliquid majus, ac plenius ponendum erat, hoc eſt, non peccatum ſimpliciter ad actum deductum; ſed frequenti uſu confirmatum, & quaſi perfectum. Deinde, non ſemper unum aliquod peccatum commiſſum ſtatim mortem procreat: niſi forte grave, & capitale:

pitale : at omnis peccandi habitus lethalis est.

Merito autem mirari quis posset, quamobrem Apostolus in ostendenda vera tentationum origine Satanæ mentionem prætermiserit. Verum in eo Spiritus Sancti sapientia notanda est. Cum enim pravæ istius doctrinæ ex mente Satanæ scopus esset, ut homines, conjecta in alium peccati culpa, sibi viderentur in conspectu Dei excusabiles ; eoque minus peccatorum pœnas pertimescerent, atque in peccando essent securiores : non expediebat propositò Apostoli, culpam Deo iniquè attributam, in Satanam transferre ; sed potius in ipsos peccatores rejicienda erat, tanquam ipsorum propria ; ob quam debitum supplicium merito formidare deberent. ut videre possent sese suæmet fortunæ, suique exitii, ac mortis æternæ fabros esse, quam evitare in eorum esset potestate, si suasmet cupiditates Christi, ac Spiritus Sancti auxilio compescere vellent.

Deinde quanquam Satanas permissu Dei homines frequentissime tentare soleat ; unde alibi Tentator appellatur ; eas tamen hominibus vires Deus dedit, ac dare promisit, ut, nisi latissima eorum culpa interveniat, Satanam vincere, ac profligare non difficulter possint. Nihil est igitur, quod in Satanam peccatorum suorum culpam conjiciant, qui neminem ad peccandum violenter trahit : sed nonnisi sponte, ac voluntarie ad se accedentes recipit. Non igitur Satanas pro eorum delictis ; sed pro suis duntaxat, tam aliis, quam in ipsa hominum tentatione commissis suppliciis luet. Sed & illi suorum quoque, non Satanæ ; (quamvis ex occasione tentationum à Satana profectorum,) commissorum peccatorum pœnas non effugient. Non igitur propositò Apostoli consentaneum erat, hoc loco Satanam ejus culpæ arguere ; quæ solis hominibus attribui merebatur.

Vers. 16. Absurditatem erroris hujus ostendere incipit, simulque ab eo fratres, sed blanda dehortatione abducit ; fratres dilectos vocans, qui tam fœdo errore tenebantur. Unde apparet non ilico homines capitali odio prosequendos ob errorum, quibus implicîti sunt, fœditatem ; sed paterno, aut fraterno affectu, citra omnem acerbitatem monendos, instruendos, rationibus convincendos. Duas autem rationes invictas affert ad hujus erroris falsitatem, & absurditatem detegendam, qui ullam tentationum, aut peccatorum originem Deo attribuit *vers.* 17. Primum, quod fieri nequeat, ut ab eo ullius mali origo profluat, à quo omne bonum cælitus descendit : vel ut is sit aliquarum tenebrarum, quæ in peccatis interveniunt auctor, qui est pater omnium *luminum: & in quo nulla sit mutatio, aut conversionis obumbratio*, hoc est, qui non possit ex autore perpetui luminis mutari in autorem aliquarum tenebrarum. Nec in eum cadere possit ejusmodi imperfectio, qualis in corporum cælestium quibusdam cernitur, præcipuè in Luna ; quæ pro conversionum suarum varietate, nunc alieno lumine fulgens est, & lucida ; nunc per eclipses ; aut accepti à Sole luminis à nobis aversionem obumbrari videtur. Verum Deus, ipso Sole lucidior, perpetuum, & inexhausto lumine jugiter fulgens, reliqua omnia, quæ modo illuminari possunt, aut merentur, clarissimæ lucis radiis illustrat. Quemadmodum igitur in ipso ne minimum quidem deprehenditur tenebrarum vestigium ; ita nullæ ab ipso tenebræ proficisci possunt. Altera ratio est, quod fieri nequeat, ut is, qui paterno erga homines affectu flagrat, & qui omne donorum, etiam perfectissimorum, genus in eos largiter profundit, mortiferum aliquod virus per tentationem peccati ipsis instillet : præsertim cum paternam erga nos voluntatem testatus fuerit, per prædicationem Evangelii *vers.* 18. Ea vero *sermo veritatis* vocatur & est *semen illud incorruptibile, ex quo renascimur; quod ipsum manet in æternum* 1. *Pet.* 1. 23. ; 25. ita natos ex sese manentes in æternum, atque sic novas creaturas, & vere filios Dei efficit. Quod certe indubitatum eximii erga nos amoris divini testimonium, at ab omni immissarum nobis à Deo tentationum suspicione alienissimum sit, omnino necesse est. Nescio autem quo respectu vocem (ἀπαρχὴν) *primitiarum* voci creaturæ (perquam nova intelligitur) Apostolus hic adjunxerit ; an respectu aliorum simpliciter hominum, ævum Apostolicum subsequentium, quorum ratione Apostoli, & eorum coævi Christiani primitiæ, novæ in Christo Creaturæ dici poterant ; an vero eorundem quidem hominum, sed diversorum Creationis graduum respectu ; quia inchoatus per fidem, & vitæ sanctimoniam novæ Creationis gradus nihil aliud est, quam primitiæ quædam ejusdem creationis, per immortalitatem, & glorificationem nostram consummandæ, quas in antecessum ex cultu, & servitio Dei decerpimus. Vide 1. *Joan.* III. 2. Quod posterius quidem malim ; sed nihil decernere audeo ; quia prior sensus loco huic satis etiam quadrat.

Animadvertendum autem est dogma istud, quod hoc loco potentissimis rationibus oppugnat Apostolus ; non modo in Deum injurium ; sed hominibus mirè pernicioſum, firmiores nunc in orbe Christiano radices egisse, quàm ut facilè à stirpe erui possit.

Quo magis Apostolicis hoc loco monitis, & rationibus inhærendum est ; simul observanda non modo ipsorum, quos Apostolus arguit, errorum cognatio, aut potius eadem forma, atque indoles, idem fructus ; sed eorum quoque, qui Apostoli ævo hæc somnia urgebant, cum iis, qui nunc ea postliminio reducunt, comparatio ; & inspiciendum accuratè an ducta à Jacobo veterum lineamenta novis istis conveniant.

Prima autem erroris istius incunabula apud expertes cognitionis Dei poëtas, in anilibus, & singulis mortalium fata sua nectentibus Parcarum filis, reperias. E quibus mox vetus, & pannosa, atque ipso ævo detrita de Fato doctrina confuta est à Barbaris in Stoa magistris. Dehinc locus iste communis ad captandas, mulcendasque imperitæ plebis aures, multorum Scriptis ita tritus, & celebratus est ut inter Christianos quoque dicendi, aut placendi, quàm sapiendi studiosiores, deesse non posset benigna, & plausibilis de Fato differendi materies. In qua, tametsi Christiano amiculo utcunque induta, Stylum exercuere quidam celebres ex Africa patres. mox eandem excoluit paulo ante ævum nostrum magnorum virorum facundum sane, & torrens ; sed vehementius, quam nervosius ingenuum. Nunc videamus colores, quibus illos veteres Fati patronos depingit Apostolus. Linguæ primum effrænem usum, & præceps loquendi potius, quam audiendi, hoc est, docendi, quam discendi studium ipsis objectat ; quod vitium iis præcipuè obrepit, qui Stylo, & eloquio pollent ; & quæcunque cogitare libet, verbis, atque ore prompte ac decenter explicare possunt ; natura singulos impellente, ut qua quisque dote potissimum præstat, eam in communi vitæ usu frequentius exerat, & exerceat. Tales quoque ματαιόφωνους καὶ φλυαρολόγους, hoc est, *prætumida vanitatis crepare* solent ; effrænis linguæ morsu nec hominibus, nec ipsi Deo parcentes ; in quem perniciei, & malitiæ mortalium culpam, quamvis interdum facere id voce graventur, reipsa, & vi doctrinæ suæ conferunt ; nihil morati, quod sese ab ea calumnia Deus nec sine interposita interdum jurejurando purgaverit. Non est igitur mirandum,

randum, quod iſtorum hominum linguæ Jacobus toties frænum imponat. Sed præcipuè impotentem eorum iracundiam notat; quæ primum in injuſta omnis generis conviciorum plauſtra: mox in injuſtiſſima quæque, & Deo abominabilia facta erumpit. Reliqua eorum vitia ſuperbiam, arrogantiam, zelum amarum; & quæ plenius ante commemoravimus, repetere nihil opus eſt; quemadmodum & ea, quæ de veteribus dicta ſunt, novis applicare, quod odioſum, & invidiæ plenum. Neque nobis tangere ullum mortalium propoſitum eſt; nec iraſci nobis quiſquam poterit; niſi de ſe, ſuiſque aliquid tale voluerit confiteri. Non enim exagitandi cujuſquam; ſed errorum arguendorum animo hæc ſcribimus, qui melius caveri nequeunt, quàm ſi eorum magiſtri, ex fructibus ſuis, quod præcepit Chriſtus, cognoſcantur. Quæ nos una neceſſitas adegit, ut ad ea ſigna, & κατηγόρια digitum intenderemus, ex quibus eorum, quos Apoſtolus refellit, aut ſimilium errorum auctores dignoſci poſſent. Cætera tacitis judiciis melius relinquuntur.

Verſ. 19. Refutatis erroribus fratrum, quos in Eccleſiam invehebant, convertit ſeſe ad ſananda eorundem ulcera, ex quibus tam noxia ſanies profluebat. Et quia ex ſingulorum malis moribus publicæ leges naſcuntur, quæ omnes obligant; ideo non ſolis iſtis falſæ doctrinæ magiſtris, quorum occaſione tam neceſſarium monitum tradere cæpit; ſed omnibus fratribus ſatis blande præcipit: ut unuſquiſque eorum ſit *celer ad audiendum*, hoc eſt, ad diſcendum, & *tardus autem ad loquendum*, hoc eſt, docendos alios. quod eo ſpectat ut veritatis, præſertim divinæ, addiſcendæ ſimus quàm cupidiſſimi; ad ea vero dogmata, quæ in cerebro noſtro naſcuntur, promulganda, & aliis per ſermonem propinanda, quam tardiſſimi. Quemadmodum autem doctrina religionis *ſermo* vocatur, ita *loqui* λαλεῖν doctrinam eam prædicare, aut ſermone propagere ſignificat. Evenit autem frequentiſſime, imo ordinariè, ut quemadmodum cibus minime concoctus crudos, & vitioſos in corpore humores; ita doctrina omnis, etiam Chriſtiano non bene, ac penitus percepta, & tamen à ſemidoctis doceri cæpta, noxios in mentibus tam docentium, quam diſcentium errores producat. Hinc tardos nos eſſe Apoſtolus ad ejuſmodi docendi functionem jubet, antequam ipſi probè addiſcamus, quod alios docere poſſemus. De quo clarius infrà cap. tertii initio loquitur, dehortans ne ad *magiſtrorum* officium properemus; quia in ſermone *multùm labimur omnes*, in quo ipſum evitare perfecti hominis eſt, & qui poſſit, evitatis omnibus ſcandalorum ſcopulis, ſermonem ſuum frænare, nec ad veritatis tantum: ſed ad ædificationis quoque fructum attemperare. Atque hinc doctrinæ de frænanda lingua occaſione ſumpta, dimidium ferè (ut videbimus) tertii capitis in eo præcepto conſumit; & mox ad doctrinam de cohibendâ irâ, ac zelo amaro, & quæ his connexa ſunt, tranſit, ac reliquam capitis in eo conſumit. Ita hic quoque præcepto de cohibenda linguâ; præceptum de frænanda iracundia annectit; quæ nullâ occaſione citius accenditur, & nocentius ſævit, atque in furorem convitiorum, & zelum amarulentum erumpit, quàm ex rixis circa doctrinam ab ambitioſis ingeniis obtruſam, nec ab aliis forte diſſentientibus receptam. Et quemadmodum in antedictis, hoc eſt, erroribus refutatis, oſtendit juſtam cauſam, cur ad loquendum, hoc eſt, docendos alios præcipitanter properare non debeamus; ne exemplo eorum, quos refutavit, turpi lapſu nobiſmetipſis, & aliis noceamus: Ita *verſ.* 20. cauſam affert ob quam iracundiæ temperare debeamus. *Ira*, inquit, *viri juſtitiam Dei non operatur. Juſtitia Dei* generaliſſima notione hoc loco pietatem vitæ, & ſanctimoniam deſignat, qualem Deus à nobis requirit. Poteſt enim aliqua etiam juſtitiæ ſpecies; ſed falſa, atque apparens, in iracundis etiam hominibus oſtentari; ut cum crudelitatem ſuppliciorum, qua ſontes interdum ultra fas plectuntur, vulgus juſtitiam vocat. Sed Dei juſtitia charitatem, & manſuetudinem poſcit; cum qua iracundiæ commercii nihil eſt. Iram autem *verſ.* 20. vitioſam, & immoderatam intelligit: non omnem planè, ac ſimpliciter, nec eam, de qua *verſ.* 19. locutus eſt. Dum enim tardum eſſe ad iram præcipit, iraſci interdum ſed raro, & moderatè permittit; nec citò, aut levem ob cauſam irritari. Eſt autem hic manifeſta μείωσις, hoc eſt, illa Rhetorum ſermonis figura, per quam id, quo Lectorum, vel audientium animos percellere volunt, diminuendo exaggerant. Cum enim dicere deberet Iram homines ad atrociſſima, &, quæ Deum graviter offendunt, injuſtitiæ delicta ſæpe impellere; dicit duntaxat, eam Juſtitiam Dei non operari. Neque verò ideo vocem Viri, voci iræ adjunxit; ut monitum, aut cautionem iſtam ad viros duntaxat reſtringeret; quæ non minus fœminas ad manſuetudinem obſtringit; ſed aut quia mollior ſexus ad benignitatem, natura propenſior eſt; aut potius, ut melius iræ pravitatem, & venenatos, Deoque, atque hominibus abominabiles fructus exprimere, & quamvis non auribus, vel oculis audientium legentiumque; propter figuratum loquendi modum; verum mentibus & cogitationibus omnium repræſentare poſſet; cum fœminæ ob ſexus ſui conditionem, & infirmitatem ea, in quæ viros frequenter præcipitat iracundia, facinora patrare nec poſſint, nec ſoleant.

Verſ. 21. A particularibus præceptis de cohibenda præcipitantiâ, ac temeritate decernendi, ac docendi, quæ in ſemidoctis hominibus plerumque deprehenditur; ſicuti ab arroganti quoque iracundia, quæ patronis errorum familiaris eſt, tranſire videtur Apoſtolus ad generale præceptum de abjiciendis ſordibus omnium peccatorum; quorum alia maculant, & inquinant mentes noſtras voluntatum (infrà cap. quarti initio), aut mundi hujus (infrà *verſ.* 27.) cupiditatibus: alia verò eo uſque malitiæ progrediuntur; ut proximum lædant: quorum illud vitii genus per *ῥυπαρίαν ſordes*: hoc autem per περισσείαν κακίας *redundantiam* exprimit. Niſi forte quis malit Apoſtolum particulari ſuo præcepto, quod propoſuerat, adhuc inhærere, & per *ῥυπαρίαν ſordes*, purgamenta, & impuritatem errorum, quos puræ veritati, ac doctrinæ ab Apoſtolis prædicatæ opponit: per malitiæ autem redundantiam, minimè neceſſariam, & planè ſuperfluam, atque admodum vitioſam illam diſſentientibus ſuccenſendi conſuetudinem deſignare: Quâ nihil magis ſuperfluum fingi poteſt. Nam propoſita opinione, quam veram putes, & à diſſentientibus falſa eſſe oſtenditur, quid opus eſt iraſci? cum vel veritas, ſi penes nos ſit, facilè ſe ſuiſmet armis defendat; vel nobis ab apparente fuco veritatis ad ipſam veritatem tranſire honeſtiſſimè liceat. Dicitur ergo *redundantia malitiæ*, quaſi mala, & vitioſa ſuperfluitas, non inuſitato in Sacra Scriptura loquendi modo. Qui poſterior ſenſus nobis magis arridet: quamvis alioqui voluptatum maculas, & ergo proximos injurias, in iſtorum errorum patronis infra ab Apoſtolo notari cenſeamus, ut ne prior quidem uſquequaque rejiciendus videatur.

Sed poſteriori favet manifeſta antitheſis, in qua vetitæ ab Apoſtolo iracundiæ manſuetudo, alienæ, atque adventitiæ doctrinæ *inſitus* ἔμφυτος, & plantatus ab Apoſtolis *ſermo*, inutili, atque damnoſæ, ac vitiis mortiferis faventi doctrinæ, aut certè, quæ nihil ad Salutem conſequendam conferre poſſit, opponitur.

ponitur sermo, *qui animas salvare possit*, hoc est, doctrina illa, quam Paulus secundum pietatem appellat; quæ vitæ sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit, efficaciter instillat.

Vers. 22. Ostendit Apostolus non satis esse, ut intellectus noster puræ illius, & Apostolicæ, & quæ animas nostras salvare possit, doctrinæ cognitione instruatur; nisi voluntas quoque præcepta ejus doctrinæ ita amplectatur: ut ea statim ad executionem deducat.

Qua in re ut solida Christianorum sapientia cernitur; ita ejus rei omissio capitalem errorem, ac sui deceptionem continet; in qua hoc miserrimum est, quòd tàm noxia fraude non ab aliis; sed à nobismetipsis circumveniamur.

Hac perneccssaria doctrinâ Christus primam illam prædicationem suam, tribus apud Matth. capitibus explicatam, claudit; & eos, qui auditui doctrinæ suæ executionem ejus adjungunt, *prudentes*, ac sapientes, qui eam omittunt, *Stultos* vocat: quos hic Jacobus quoque *vers.* 22. *deceptores sui, auditores tantum, & non effectores sermonis; versu ante* 26. *deceptores cordium suorum vocat; & Auditores oblivionis vers.* 25. seu oblivioses. Eosdem *vers.* 23. & 24. comparat contemplatoribus rerum vanissimarum, ex quibus nihil utilitatis capi potest; quales sunt speculatores imaginum, à speculo repercussarum, quæ videntur aliquid vanius esse ipsa umbrâ, quæ à poëta dicitur

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Quocirca ob inutilem sui vanitatem, ne memoriæ quidem fideliter imprimi solent.

Verum ut exprimam quod sentio; non videtur Apostolus hoc loco istos homines, sui deceptores, comparare homini faciem suam in speculo simpliciter inspicienti; sed temere, negligenter aut raptim inspicienti, ita ut non infixis memoriæ faciei suæ lineamentis citò abeat, & statim eorum obliviscatur. Docet enim experientia, si quis accuratè ejusmodi imagines contempletur, non ilicò infixarum memoriæ obliviscl. Explicationem hanc confirmat non hæc tantum ab experimento ducta ratio; sed ipsa antithesis *vers.* 25. expressa vocis παρακύψας, quæ eum significat, qui penitus, & accurate, non raptim, & alió abituriens aliquid introspiciat; & opponitur non eodem modo; sed aliter, & raptim, ac perfunctorie inspicienti. Unde apparet Apostolum istis oblivioses auditoribus culpam hanc non obscurè objicere, quod negligenter, ac perfunctorie legem Domini inspiciant, non autem penitus, & accuratè introspiciant; non minus atque ii solent, qui in speculo vultus suos raptim, & ad alia magis seria properantes inspiciunt. *Personam* autem *nativitatis* vocat figuram vultus, quam cuique sua nativitas dedit: sicut infrà *cap.* III. 6. τροχὸν τῆς γενέσεως, *rotam nativitatis*, hoc est, vitæ curriculum; quæ in singulis mortalibus à nativitate incipit.

Culpam autem hominum, qui negligenter legem Domini inspiciunt; ita ut ejus statim obliviscantur, tacitè notat Apostolus in supradicta antithesi *versus* 25. ubi ipsis opponit homines παρακύψαντας, hoc est, quasi incurvando se introspicientes in legem Domini, ut eam tanto diligentius inspiciant; quando istius legis encomia, quamvis breviter, commemorat. Dicit enim *versus* quod ista lex sit *perfecta*, & quidem *lex libertatis*. In quo Legi Mosaicæ Christiana opponitur; quarum illa imperfecta fuit, & nihil ad perfectionem adduxit *Heb.* VII. 19. & spiritum servitutis, non adoptionis redolebat. Digna igitur est lex Christiana, quæ diligenter introspiciatur; quò in ea constantius permanere, & ejus opera perfectius exequi, atque ita felicitatem in actionibus vitæ nostræ consequi possimus.

Proinde qui legem tàm præstantem diligentius non introspiciunt, ac mentibus suis fideliter non infigunt, merito in eam injurii censentur. Quod iis, quorum errores refutavit, tacitè objectum, clarius *vers.* 26. exprobrat; inanem eorum externam devotionem (quam hic θρησκείαν, hoc est, cultum religiosum, vocat) esse asserens; quoniam *neque linguam suam frænent*, quòminus calumnias in Deum, quasi peccati autor sit, & convitia fortè in proximos dissentientes iracunde profundant; & specie externi religiosi cultus semetipsos decipiant, cum sint plane nudi auditores, & non executores legis Christi. Huic inani, & inquinato religioso cultui opponit verum, & immaculatum cultum; qui apud Deum acceptus sit; totius pietatis nostræ compendium, quæ in caritate in proximos, & curâ immaculatæ à mundi vitiis vitæ consistit. Nec in isto compendio caritas, & officium erga Deum omittitur; quia in caritate erga proximum includitur, ad quam posteriorem aditus nullus datur, nisi per priorem caritatem. Quemadmodum & in altero illo compendio, & summa legis Christi, in qua sola erga Deum, & proximum caritas, & officium exprimitur; tertium illud erga nosmetipsos sanctitatis officium non omittitur: sed in caritate erga Deum includitur; quia omnis diligens Deum purificat seipsum, sicut Deus purus est.

Exprimit autem caritatem in proximos synecdochicè, partem ejus pro totâ nominans, officium, inquam, *ergaviduas*, & afflictos pro officio erga omnes proximos; quia qui difficilius istud præstare libenter solet, ne facilius quidem omittet. Officium vero erga nosmetipsos vocat *Immaculatum seipsum servare à mundo*, quia nihil magis mores nostros privatos corrumpit, quam publicus mundi in vitia consensus, & frequens cum corruptis conversatio. In utroque pietatis genere tacita hic eorum, quos docet, ac perstringit, censura latere videtur.

CAPUT II.

Vers. 1. Πίστιν τοῦ Κυρίου. id est, fidem gloriosam vocat Apostolus fidem in Deum, per Christum glorioßissimum, supra omnes Universi principatus imperio exaltatum.

Primum omnium mirum videri cuipiam possit, quid ita in exagitando eo delicti genere tot verba consumat Apostolus, quod aut nullam, aut exiguam, certè non adeò notabilem, culpam continere videatur.

Sed ejus naturæ sunt præcepta religionis Christianæ, ut interdum omissis gravioribus peccatis; quæ vulgus etiam hominum reprehensione, ac supplicio digna putat; ea vitia insectentur, quæ ob occultam pravitatem vulgò ne vitia quidem esse putantur, & tamen in iis lateant principia, & semina graviorum, & ab omnibus damnatorum scelerum. Ita Christus in illa primâ, & celebri concione sua, quam tribus capitibus Matthæus exponit, homicidii vix mentionem facere dignatus est, quod humanis quoque legibus damnatur; sed in ira, convitiis, resistentia, ac summi juris sui retinentiâ, ac leviorum injuriarum impatientia vetanda; quæ res plerumque rixis, & gravioribus, quæque in ipsas cædes erumpere solent, offensionibus ansam, & alimentum præbent; in omnibus, inquam, istis, quæ ne vitia quidem cuipiam videri possint, vetandis multum immoratus est. Deinde non temere suspicor id genus vitii, quod hoc loco pluribus taxat Apostolus, in illis hominibus præcipuè deprehensum esse; quorum & errores, & vitia Jacobus tota ista epistola, quamvis benignè

benignè admodum, ideoque minus notabiliter insectatur. Ex occasione etenim delictorum, quæ singuli committebant; leges, ac præcepta generalia, atque omnes obligantiæ nata sunt. Legimus autem id ipsum vitii genus ejusmodi hominibus, quorum errores, ac mores in primitiva Ecclesia arguebantur, ab aliis quoque Apostolis objectum. *Admirari enim personas utilitatis gratia*, θαυμάζειν πρόσωπα ὠφελείας χάριν Judæ *vers.* 16. nihil aliud est, quàm προσωπολημπτεῖν, *personas accipere.*

Denique penitius introspectâ naturâ hujus vitii, satis illud dignum videbitur, quod tanto pluribus verbis exagitetur, quanto occultius nocet; quantoque minus reprehendendum prima fronte videtur. Cum enim Deus per religionem Christianam discrimen ordinum, & vocationum, quibus inter se singuli mortalium status distinguuntur, non sustulisset, facilis in eo lapsus esse potuit, ut in honore hominibus habendo nimium mundi moribus inhærentem, & addictum delectum Christiani haberent, atque observarent; adeo ut æqualitas illa vocatorum ad regnum Dei in Ecclesia violaretur.

Accuratè igitur expendendum est, quid in ea re Christianis liceat, quidve non liceat; quid tolerari possit, quidve non debeat. Primum igitur omnium illud tolerari nequit, si caritas erga proximum, aut potius fratrem in ejusmodi honoris habendi discrimine violetur. Quod Apostolus hujus capitis *versu* 8. aperte indicat, docens illud, quod hoc loco reprehendit, esse cum violatione *regiæ Legis* (hæc enim regis nostri Christi peculiaris, ac præcipua lex est) *caritatis*, conjunctum. Sed apertius pravitatem hujus vitii designat *versu* 6. dum ait, *Vos autem contumeliâ affecistis pauperem.* Ergo ubi in discrimine honoris habendi pauperi simul, ac diviti, aliqua vel minima pauperis contumelia intervenit, violatur caritas; neque id tolerari debet. Longe enim aliud est aliquanto plus honoris deferre diviti, quam pauperi; præsertim si pauper nulla pietatis dote præ divite sit commendabilior; aliud autem pauperem nequaquam id commeritum, & in vitæ sanctimoniâ divite longe superiorem, contumeliâ aliquâ afficere. Quale est, si pauperibus, interdum fortè pedibus ægris, in honorem divitum standi necessitas imponatur; prout passim mos est, ut servi, aut famuli in præsentia dominorum considere non audeant. Aut si iisdem sedendi quidem copia fiat; sed non nisi, loco inhonesto, & à cæteris nimium dispari. Quem locum Jacobus describit. *Sede*, inquit, ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου, *subter scabellum pedum meorum.* quæ sedes, scabello ipso pedum humilior, nonnisi humi cogitari potest; ubi canibus quoque sedere per mores hominum licet. Aggravant autem sæpe ejusmodi delictum circumstantiæ. Primùm si, quæcunque illa sit pauperi illata ignominia, non pauperis voluntate; sed necessitate quadam, & quasi coactivo imperio eorum, qui Ecclesiam gubernant, expressa sit. Nam si pauperes ultrò voluntaria veneratione ditiorum, & honoratiorum stare, aut depressiori loco sedere velint: casus is ad Apostoli reprehensionem non videtur pertinere. Deinde evenit frequenter, ut isti pauperes, qui in hoc honoris habendi officio cum divitibus concurrunt, sint longe divitibus meliores, & honore digniores. De quo casu potissimum Apostolum loqui patet ex versu quinto, & sequentibus. Loquitur enim de *pauperibus*, qui sint in *fide divites, & electi hæredes regni promissi diligentibus Deum.* Divites autem, de quibus loquitur, ait esse persecutores Christianorum violentos, & infestos, & quidem blasphemos; aut certe cum iis in eadem classe reponit *vers.* 6. & 7. quod facere non potuisset, si de divitibus locutus fuisset, fide opulentis, & regni cælestis hæredibus.

His ita præmissis liquido patet, quam vitiosa sit ista, quæ hoc loco ab Apostolo vetatur prosopolepsia. Nec enim de omni prorsus honoris divitibus juxta & pauperibus habendi discrimine loquitur Apostolus: sed de vitioso, hoc est, qui & ex causis vitiosis profluat; qualis est nimia divitiarum; exigua verò, & iniqua pietatis, ac fidei erga Christum æstimatio. cum tamen fides ista, & pietas; si vero sui pretio æstimetur, longe pluris à nobis fieri debeat, quam ulla opum affluentia, vel splendida aliqua externarum rerum ornamenta. Ideo *vers.* 1. vocatur *Fides* (erga Christum) *gloria*, *seu* glorioſa. Magis enim hoc loco vox gloriæ ad fidem, quam ad Dominum nostrum referri videtur. quippe cum istius *fidei* cum opibus, aut fortunæ bonis comparatio mox instituatur; & rei tam pretiosæ vilis, & iniqua æstimatio reprehendatur; præsertim *vers.* 4. ubi ejusmodi iniqui æstimatores dicuntur *non uti judicio* (puta recto) in semetipsis, *& esse judices cogitationum malarum*, hoc est, malè cogitantes, pravè judicantes. Neque tantum ejusmodi prosopolepsia ex pravis causis proficiscitur; sed fructus quoque pravos, & caritati erga proximum, imo vero fratrem adversos producit. Contemptum videlicet & contumeliam & ignominiam eorum, quos magni facere, ac suo merito propter fidei eorum divitias, quæ ab ipso Deo magni æstimantur (*vers.* 5.) honorare debeamus: quod injustum, & caritati adversum est.

Duabus igitur rationibus ab hoc vitio dehortatur Apostolus. Prima est *vers.* 5. quam priusquam proponat attentionem simul, ac benevolentiam eorum, quos alloquitur sibi conciliat, dum ait *Audite fratres dilecti, Nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, divites in fide, & hæredes regni, quod promisit diligentibus sese.* Non igitur licet nobis contemnere, aut contumelia afficere eos, qui apud Deum ipsum magno sunt in pretio. Quamvis autem Deus ne divitibus quidem præcluserit aditum ad regnum, & gratiam suam; tamen prædicationem Evangelii sapientissimo consilio à pauperibus exorsus est. atque in eo manifeste pauperes divitibus prætulit. Altera ratio dehortationis est *vers* 6, & 7. quia isti divites, de quibus loquitur, infideles & indigni sunt eo honore, ut in eorum gratiam, & honorem pauperes fideles vel minima injuriâ, aut contumeliâ afficiantur; sunt persecutores fidelium, & blasphemi *nominis Christi, quod apud Christianos invocatur*, τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς. alii explicant à quo estis cognominati. Καλὸν ὄνομα *pulchrum*, ac præclarum *nomen* Christi dicitur; sive à proprio nomine Jesu, quod salutis auctorem, vel servatorem significat; sive ab apellativo Christi; quod regiam ejus dignitatem exprimit. Unde statim *vers. sequenti* 8. regiam legem caritatis vocat. Porro animadvertendum est præcipuum regiæ de caritate legis caput esse præceptum φιλαδελφίας, *fraternæ caritatis*, quod ejusmodi prosopolepsiæ, de qua loquitur Apostolus, genere violatur.

Vers. 10. Ac ne quis existimare posset, delictum istud prosopolepsiæ, quod hoc loco reprehendit Apostolus levius esse, quàm ut auxiè, ac sollicitè caveri debeat; quod certe (ut supra diximus) nonnemini in mentem venire potuit: ostendit non esse illud parvi faciendum, quia in eo Lex Christi violetur. Non debere autem nos esse contentos quorundam duntaxat præceptorum obsequio; sed omnibus dicto audientes esse teneri. Quemadmodum enim absurdum, & ridiculum esset, si quis se legem impleviſſe diceret; quod unum forte, atque alterum præceptum de furto, vel adulterio diligenter observaverit: cædis autem veniam sibi fecerit: ita si quam Christi legem transgrediamur, obsequium reliquarum ejus legum minimè nos absolvit à crimine inobedientiæ. Præcipue vero regiæ istius, & peculiaris

culiaris Christi legis de caritate, multoque magis de præcipua ejus parte φιλαδελφια; observatio plena, atque integra nobis cordi, atque curæ esse, debet. Nec temere Apostolus *vers.* 11. exemplum violatæ caritatis reliquarum legum obsequio opposuit; quia de præcepto ad caritatem pertinente disseruit, cui prosopolepsia adversatur.

Sed & altera ratio cur integrum, ac plenum legibus Christi obsequium præstare teneamur, quam *vers.* 12. proponit, idem significare videtur. Magnum enim specimen charitatis, & benignitatis erga nos Deus edidit; quod nobis legem gratiæ, ac libertatis plenam per Christum propoluit. Æquum igitur est, ut nos vicissim ea erga Deum, & Christum charitate flagremus; ne quid omittamus eorum, quæ ipsis placere; aut ab ipsis exigi novimus: præsertim in iis virtutibus exercendis, quarum insignia erga nos in lege Evangelica specimina Deus edidit, ut sunt caritas, beneficentia, misericordia. Non modo enim metu mortis; sed summi quoque juris, quo erga nos Deus uti potuit, formidine per legem Christi liberati sumus: Nec modo à commissorum ante peccatorum pœnis; sed etiam ab impendente à lapsibus fragilitatis nostræ periculo misericordia Dei per Christum liberati sumus. Merito igitur Lex *ejus, lex libertatis dicitur.* Proinde in dictis, factisque nostris vel minimis ea erga tam benignum, & misericordem legislatorem nostrum caritate, & animi propensione affecti esse debemus; ut ne minimam quidem occasionem obsequii, aut gratificandi ipsi negligamus: & quantò liberalius, & clementius nobiscum egit, tanto enixius voluntati ejus morem geramus.

Nisi malimus ob ingrati animi nefas tanto beneficio excidere, & omnem fructum tantæ Dei erga nos gratiæ, ac misericordiæ amittere. Ea mente etenim erga nos tanta (in Christo gratiâ, & misericordia usus est; ut mutuam nostram erga se voluntatem provocaret. Quod si ob indignitatem, & ingrati animi neglectum tanta Dei gratia successu caruerit; metuendum est, ne Deus vicissim absque misericordia nos judicet, qui sapientissimo, & justissimo judicio congruam singulorum meritis mercedem retribuit; atque ut erga bonos, & beneficiorum suorum gratos, ac memores benignus, & misericors: ita erga ingratos, & qui beneficentia, & clementiâ ejus ad mutuum grati animi affectum excitari nequeunt, justus, & severus est. *Vers.* 13. Quemadmodum enim misericordia ipse indignus est, qui, cum res poscit, misericordiam non exhibet: ita quem tanta Dei caritas, & misericordia ad mutuam erga Deum caritatem, ac plenum voluntatis ejus obsequium non commovet; dignus est à quo, veluti ingrato, tanta Dei beneficia tollantur. Contra verò, qui cordis sui duritiem misericordiâ Dei emolliri passus est, & tanta Dei beneficia grato animo agnoscens, amore erga Deum, & syncero obsequii ejus studio flagrat: nihil est quod severitatem Dei reformidet. Gloriatur enim misericordia adversus judicium, ac damnationem.

Certè cum ad judicandas à Supremo Judice vitæ nostræ actiones ventum fuerit, in negotio justificationis, aut damnationis nostræ, multa Dei erga nos misericordia, multa indulgentia, & propenso, ac paterno affectu erga nos indigebimus. Quomodo autem is erga nos Judicis affectus sperandus est, si nos vicissim mutuo erga ipsum affectu ipsi non respondeamus. An non ut immisericordes misericordia; ita ingrati gratiâ; & animis à Deo aversi favore ejus indigni sunt? Proinde si velimus gloriari solatio misericordiæ Dei, quæ nihil aliud est quam caritas erga inferiorem, profecto Legum Dei obsequio testari debemus mutuam nostram, & morigeram incunctis voluntatem; quæ est caritas erga superiorem.

Hujus doctrinæ occasione refellit errorem noxium, quem forte iidem illi errorum terminatores, quos supra refutavit, spargebant in Ecclesia. Fidem ejus rei facit errorum istorum cognatio, & in peccatorum nostrorum favorem, & patrocinium quasi conspiratio. Quemadmodum enim ille delictorum nostrorum culpam in Deum transferendo nos in delinquendo reddebat securiores; ita hic nuditatem nostram fidei amiculo velando, nos ad bona opera faciebat segniores.

Ortus autem videtur hic error ex Pauli verbis male intellectis, aut potius pravè detortis. Cujus mentem, ac doctrinam hoc loco clare, ac dilucide explicat Paulinæ prædicationis optimus interpres Jacobus. Unde apparet, quemadmodum Petri secundam, ita hanc Jacobi epistolam aliquanto posterius scriptas esse; quàm Paulus ad Romanos scripserit. Ac nescio an non prior quoque, & superius refutatus error, ex eadem Pauli epistola perverse detorta, haustus sit. Nulla autem certior Apostolicæ Pauli prædicationis explicatio dari potest, quàm ea quæ ab aliis Apostolis, scripta ipsius explicantibus, ac declarantibus, profecta est. Nec enim Paulus diversam ab aliis; nec alii diversam à Paulinâ doctrinam tradebant. Sed cum inter eos optime conveniret, quemadmodum Petrus existimationem Pauli ab imperitorum, ac perverse difficiliora dicta ejus detorquentium traductionibus 2. *Pet.* III. 16. defendebat; ita hic Jacobus puritatem ejus doctrinæ, ac prædicationis de fide, & operibus, ab absurdis, & noxiis interpretationibus vindicat. Ostendens minus expresse quidem; sed satis dilucide Paulum in doctrina Justificationis fidem ab operibus fidei nunquam sejunxisse: sed per vocem fidei vivam, & operibus suis animatam fidem intellexisse, per quam nos justificari docuit.

Fidem autem istam, quæ operibus, opponitur, si sola, & absque operibus sit, mortuam, & ne fidei quidem nomine dignam, esse. Ideo initio dissentationis dum ait *vers.* 14. *Quid prodest, fratres, si quis fidem dicat se habere, opera autem non habeat?* non dicit, neque concedit, ejusmodi hominem, operibus fidei carentem, veram fidem habere; sed tantum illâ, quamvis falsò, gloriari. Probat autem falsam esse istam gloriationem; quia cum vera fides (ex vera quoque doctrina Pauli) hominem justificare, ac salvare possit; ista falsa, & apparens fides, quam homines exclusis operibus se habere jactant: ipsos servare, & justificare nequeat. Illustrat autem id exemplo clarissimo *vers.* 15. *&* 16. allato. Si quis *videat fratrem, aut sororem* nuditate, Fame, & extrema egestate conflictari, eique loco rerum necessariarum nuda verba donet, annon ejusmodi fides, ac beneficentia non modo vana, & inanis aut inutilis; sed falsa, atque deceptrix meritò dici potest? Quid enim prodest verum anxilium poscenti vana verba dare?

Ita *vers.* 17. concludit, ejusmodi pictam, aut fictam fidem, quæ in reipsa non exeritur, neque exercetur non esse veram fidem: sed umbram tantum, aut potius cadaver fidei. Non esse verò eam veram fidem, quæ operibus opponitur, & absque illis jactatur, probat *vers.* 18.; quia caret unico, ac certissimo sui documento, ex quo probari, atque ostendi possit.

Cum enim fides in animo sit, corporeis oculis cerni nequit; sed externis, ac visibilibus operibus sui fidem facit: quibus si careat homo, qui fidem se habere putat, aut jactat; sese primum, deinde alios decipit, cum vera, & genuina fides otiosa, & mortua esse nequeat; sed per opera sua vim, & efficaciam

efficaciam ſuam ſemper exerat. Contra quibus operum quidem gloriatio conceditur ; fidei autem decus denegatur, ex ipſis operibus ſuis vim, atque decus veræ, & efficacis fidei demonſtrare poſſunt : cum iſti otioſi mortuæ fidei jactatores, quia fidei operibus carent, ne fidem quidem ipſam ſe habere oſtendere queant.

Oſtendit poſtea iſtius falſæ, & mortuæ fidei, quæ in bonis operibus non exeritur, vanitatem, atque inutilitatem *verſ.* 19. ; fidei, inquam, quæ in ſenſu duntaxat, atque opinione de rebus divinis tota conſiſtit ; qualis ab ultimis perſecutionibus Chriſtianorum ad noſtra uſque tempora in Eccleſia Chriſti ſola pene urgebatur, & maximi æſtimabatur, quam tot Patrum concurſationes, tot pugnantia ſecum Concilia, tot polemica nova, & antiqua ſcripta, tot magiſtratuum decreta, tot cruentæ lictorum, & carnificum manus propugnabant ; vilitatem, ſeu vile admodum in conſpectu Dei pretium, & exiguum fructum. Credis tu, inquit Jacobus, quod Deus unus ſit ? Nobis vero nunc addere liceat, credis divinarum perſonarum ἀσυγχυσίαν Tertulliani ; σφύγκλειν λόγε Juſtini ; allegorias Originis ; homouſion Alexandri, & Athanaſii ? Credis articulos fidei tot Conciliis fabricatos ? Ecquid in eo habes, in quo dæmonibus præſtes ? qui, quæcunque vera in iis ſunt, longe melius quam tu, ſciunt, & falſa à veris longe perfectius dignoſcunt ? An vero ideo fidem ſalvificam habere cenſendi ſunt ? Atque ut eo magis urgere, & convincere poſſit homines, iſto, quem refutat, errore implicatos, *verſu* 20. tranſit ad aliud genus argumentorum, in quo verbis fidei, & operum utitur non in ea ſignificatione, in quâ Paulus ; ſed in qua ab illiſinetipſis uſurpabantur ; Quod fecit, non quia à Paulo diſſentiret ; ſed ut imbecillitati eorum, quos docebat, ſubveniret. Quem ſcopum ſuum in ipſa tranſitione non diſſimulat. Vis, inquit, cognoſcere, *ô Vane homo, quod fides abſque operibus* fides non eſt ; ſed tantum fidei cadaver ? Ubi notandum obiter in abſurditate errorum repræſentanda manſuetudinem Chriſtianam interdum permittere, ut Scapha Scapha vocetur, & culpa errantis perſtringatur, & ſuo proprio nomine apelletur. Quemadmodum enim ipſa fide abſque operibus nihil eſt inanius ; ita nihil vanius eſt hominibus, ejuſmodi fidei ſalutem tribuentibus. Dicit igitur, *verſ.* 21. & oſtendit Abraamum ; non ex illa *mortua*, & inani fide, quam vani homines jactabant ; ſed ex vivâ, & operibus ſuis animatâ juſtificatum : ſed utitur verbis quibus & errantes uſi ſunt, & ſimpliciter dicit Abraamum ex operibus juſtificatum eſſe, atque iſtorum operum ſpecimen oſtendit, quod Iſaacum obtulerit Deo ad ſacrificium ; addito mox *verſ.* 25. altero Rahabæ exemplo. In quo, tametſi abire videatur à verbis Pauli, qui opera excludere à juſtificatione, & eam ſoli fidei tribuere videtur, etiam in ejuſdem Abraami exemplo. Tamen reipſa uterque Apoſtolorum egregie inter ſe concordes ſunt. Nam neque Paulus omne genus operum excluſit à juſtificatione. Nec enim magis opera fidei, ex verâ, & viva fide naturâ ſua promanantia, excludere ab eadem potuit ; quàm radios à Sole ; ſed tantum (ut expreſſe *Rom.* III. 28. loquitur) *Opera Legis*, aut (ut *Rom.* IV. 4. loquitur) Opera, quibus merces, non ex gratia ; ſed ex debito confertur. Et Jacobus id ipſum quod hic operibus tribuit, non adimit Fidei ; ſed eam non modo operibus cooperari ; verum etiam ex operibus perfici, & conſummari *verſ.* 22. oſtendit. De qua perfectâ & conſumata Paulus loquitur, quam in epiſtola ad Romanos non ſuiſmet propriis, ex ipſa neceſſario fluentibus, operibus ; ſed operibus legis, aut operibus meritoriis opponit. Sed hoc loco Jacobus in gratiam errantium, ut tanto meliùs doctrinæ Apoſtolicæ, atque adeò ipſius Pauli mentem percipere poſſint ; cum blæſis balbutire viſus eſt, & operibus id tribuere, quod Paulus Fidei : ſed operibus quoque ſuis animatæ tribuit. Cautè tamen Jacobus loquitur. Nec, ut Paulus in negotio juſtificationis opera à fide prorſus excluſiſſe prima fronte videtur ; ita Jacobus quoque, de eadem materia diſſerens, fidem ab operibus excludit : ſed in ipſis includit, & ab iis fidem illam, cui juſtificatio tribuitur, perfici, & conſummari oſtendit. Ut vel inde pateat Jacobum nihil, quod verè Pauli doctrinæ adverſetur, docuiſſe ; ſed potius Pauli doctrinam, & verba male intellecta evidenter explicuiſſe, atque adeo, in quo ſenſu Paulus vocem *Fidei* acceperit, cum de juſtificatione diſſereret, demonſtraſſe. Reſpexiſſe autem Jacobum eò, ut Pauli verba explicaret, & ex eorum pravo intellectu exorientibus erroribus occurreret ; non illud tantum indicio eſt, quod ita cautè, uti diximus, verba, & doctrinam ſuam, doctrinæ Pauli attemperet ; ſed quod eodem Abraami exemplo, imo vero iiſdem plane Sacræ Scripturæ verbis expreſſo, utatur. Non autem Paulum Jacobus ; ſed Pauli verba ad pravum ſenſum detorquentes refellit : oſtendens veram ſignificationem vocis *Fidei*, quâ Paulus uſus eſt. quod non illum nudum dogmatibus veris aſſenſum, quem & dæmones jactare poſſunt : qui abſque operibus cadaver potius fidei, quam fides dicendus eſt ; ſed veram, vivam, & operibus ſuis animatam fidem, hoc eſt, pietatem, & vitæ ſanctimoniam deſignet. Atque hic Apoſtolus eximiâ ſimilitudine oſtendit eodem modo opera fidei cum fide ad efficiendam juſtificationem noſtram concurrere ; quomodo anima cum corpore ad conſtituendum vivum hominem concurrit : & opera quidem eſſe animam ; nudum vero aſſenſum eſſe corpus fidei, quod abſque animâ operum accedente nos ſalvare, & juſtificare nequeat.

CAPUT III.

OCcaſio culpæ eorum, qui tàm fœdos errores de Auctore peccati Deo, ac de bonorum operum neglectu ex male detortis (2. *Pet.* III. 16.) ad ſuam, atque aliorum perniciem, Pauli verbis hauſtos, ſpargebant in Eccleſia, ut viderentur perfectionis rerum divinarum cognitionis magiſtri ; dedit anſam Apoſtolum ad reprehendendam promiſcuam multorum, qui ad docendi eminentiam, & auctoritatem aſpirabant, ambitionem ; atque ad dehortandos fratres ab affectanda iſtius muneris dignitate. Non ſimpliciter autem vetat, atque inhibet ſtudium aſpirandi ad hanc functionem : neque enim ſimpliciter prohibet, ne quis omnino magiſter eſſe optet, vel audeat ; Et Paulus aperte ad Spiritualia dona ambienda, præcipuè vero ut prophetent, 1. *Cor.* IV. 1. omnes hortatur. Sed prohibet ne id temere, & non expenſis probè ſuis viribus, quid ferre queant, aut recuſent, quilibet ſibi permittat, aut præſumat. Nam ubi cuilibet magiſtro eſſe liceat ; multos, & pleroſque pravos errorum magiſtros evadere neceſſe eſt. Mihi tamen verior verborum iſtorum explicatio eſſe videtur, ſi vocem magiſtrorum hoc loco, non de prophetis, aut doctoribus, in Eccleſia munus docendi obeuntibus ; ſed de novorum, aut novarum opinionum, vel explicationum primis inventoribus, intelligamus. Hi enim per excellentiam magiſtri dici poſſunt, qui non ſimplicem tantum plebem juxta doctrinam, ab anteceſſoribus traditam ; ſed ipſos aliorum doctores docent,

non ea, quæ ab aliis didicêre; ſed quæ ipſimet invenêre. Quale docendi genus non quidem penitùs ab Eccleſiâ proſcribere Apoſtolus audet. Nec enim decurtata eſſe poteſt unquam manus Dei, aut myſteriorum ejus theſaurus exhauſtus, quominus alicui ſedenti, ac ſilenti (1. *Cor.* XIV. 30.) revelare poſſit id, ad quod ſtantes, & loquentes obticeſcere debeant. Et Eccleſiam non ſemper in eo ſtatu Deus eſſe voluit, quin novis interdum doctrinis, & illuminationibus, & inveteratorum errorum remediis indigeat.

Sed quia ejuſmodi docendi genus plenum eſt difficultatis, atque periculi, & per hanc portam irrupit in Eccleſiam multorum errorum colluvies; merito ab eo non quidem omnes, ſed promiſcuam plebis Chriſtianæ turbam dehortatur Apoſtolus.

Rationes autem dehortationis ſuæ affert duas. Prima eſt *verſ.* 1., metus judiciorum Dei, ſi forte *ingentibus* noſtris excidamus auſis, & loco ædificationis deſtruamus Eccleſiam. Nam qui templum Dei deſtruit, deſtruet ipſum Deus 1. *Cor.* III. 17.

Secunda *verſ.* 2. exprimitur. Magna, nec vulgari perfectione opus eſt, ut quis ejuſmodi novarum doctrinarum introductioni par eſſe poſſit; in quo negotio omnium difficillimæ rei, hoc eſt, linguæ frænandæ neceſſitas nobis incumbit, ne cum periculo ſcandali, aut deſtructionis Eccleſia exorbitet. Nec enim tantum in novis iſtis doctrinis pejores errores ſæpe latent; quàm ſunt ii, qui per illas ex Eccleſia exterminari videntur: ſed etiamſi ipſæ doctrinæ puræ ſint ab omni errore; modus tamen earum tradendarum, & introducendarum ædificationi Eccleſiæ plurimùm nocere poteſt, niſi in frænandâ linguâ ſedula cura adhibeatur. Diſputandum enim eſt non modo maxima cum prudentia; ne qua in re aut veritatis cauſam prodamus, aut errori alicui imprudentes viam aperiamus: ſed maxima etiam cum manſuetudine, ne linguâ, verbis, aut ſtylo noſtro eos offendamus, aut alienemus; quos docuiſſe, & in partes veritatis pertraxiſſe præſtiterat.

Non alia igitur hic notari, aut vetari videtur magiſtrorum famam affectandi ambitio; quam eorum, qui, dummodo abſtrahant diſcipulos poſt ſe *Act.* XX. 30., nihil penſi habent; ſed loquuntur διεστραμμένα perverſa; aut, ut Petrus ait, (2. *Pet.* III. 16.) στρεβλοῦσι γραφάς; *& detorquent Scripturas abſtrahendorum in ſuam ſententiam diſcipulorum gratia.* Qui genuinus eſt omnium hæreſiarcharum character.

Tantis difficultatibus, quas paulò ante liquido ob oculos poſuimus, ſupperandis vix quiſquam par eſſe poteſt; *quia omnes in multis labimur:* ſed præcipuè in linguæ uſu. Unde ſequitur, provinciam, cui ſuſtinendæ vix ullus, hoc eſt, vel nemo, vel pauciſſimi pares eſſe queunt, à multis paſſim non ſuſcipiendam, neque invadendam. Notandus autem eſt primum frequentiſſimus, ne dicam perpetuus, in Sacra Scriptura uſus vocis ἁπαντες, aut πάντα, quæ ſemper fere ad ſubjectam materiam reſtringitur. Quæ hic non alia eſt, quam promiſcua majora viribus ſuſcipientium, aut certe nova, & ſublimia docentium turba; in qua frequentiſſime nemo reperitur, qui non ſuis lapſibus obnoxius ſit. Quo ſenſu, infrà *verſ.* 8. nemo hominum, hoc eſt, quotidianorum, aut talium, quales plerumque reperiuntur, domare poſſe linguam dicitur. Quam univerſalitatem reſtrictionem pati, ac poſtulare; & regulas tam generales exceptionibus non carere, hic ipſe verſus ſecundus indicat. In quo manifeſta exceptio generalis iſtius regulæ, quod omnes in multis; ſed præcipuè in lingua labantur, additur. *Si quis*, inquit, *in ſermone non labitur, hic perfectus eſt vir, qui poſſit frænare totum corpus.* Quod nihil aliud eſt, quàm ab iſta generali, & omnibus objecta culpa excipere ſolos perfectos, & verè pios. hoc eſt, qui in frænandis, ac perdomandis affectibus, & quaſi membris corporis ſui, eouſque progreſſi ſunt; ut linguam etiam, & ſermonem (ne ſtylo quidem, linguæ, ac ſermonis vicario excepto) domuerint. Quo ipſo oſtenditur eos, qui tentationem omnium difficillimam ſuperaverint, hoc eſt, linguæ lapſus, reliqua etiam vitia, quæ per alia corporis noſtri membra, præter linguam exercentur, ſuperare poſſe, aut jam potuiſſe. *Membra enim noſtra ſuper terram*; metonymicè dicuntur vitia, & peccata; quæ per membrorum organa exercentur *Coloſſ.* III. 5. Sed & hic totius corporis à nobis frænandi antitheſis eandem metonymiam eſſe in voce *Sermonis* indicat, quæ pro voce *linguæ* hoc loco ponitur.

Alterum quod hic notandum eſt, Apoſtolos interdum in prima perſona, & quaſi de ſeipſis loqui, ac ſibimet ea tribuere, quæ ipſis tribui nequeant. Quo in caſu alienam perſonam aſſumere non inſolitâ ubique loquendi figurâ videntur. Ita Paulus *Rom. cap.* VII. ita hic Jacobus, *in multis*, inquit, *labimur omnes*, non quod Jacobus quoque ex eorum eſſet numero: ſed omnia omnibus fiebant Apoſtoli, doctrinæ, & ædificationis cauſa. Quod ſi Paulus infirmis factus eſt infirmus, ut infirmos lucraretur, 1. *Cor.* IX. 22.; ecquid mirandum eſt, Jacobum etiam ſeſe eorum turbæ ultrò quaſi immiſcuiſſe, qui variis lapſibus obnoxii erant: ut nemo eorum, quos alloquebatur, & monebat, ſeſe adeò firmum putaret; ut labi non poſſet: quando videret, ne Apoſtolum quidem ſeſe ex eorum numero eximere. Nec enim cogitari poteſt, eum, qui tanta Spiritus Sancti vi, & ſapientia inſtructus eſſet; ut tàm divinam nobis de lingua frænanda doctrinam traderet: linguæ ipſum ſuæ moderari non potuiſſe.

Verſ. 3. continet rationem, aut illuſtrationem ejus quod *verſu ſecundo* dictum eſt. Oſtendit vero Apoſtolus eum, qui os, & linguam ſuam frænare poſſit, poſſe & reliquum corpus ſuum frænare, ac regere. Quia, ut equorum ori frænum injectum totum eorum corpus circumagit, ac prorſus eos nobis obſequentes reddit; ita ori, & linguæ noſtræ frænum à ratione injectum, totum corpus rationi obſequens efficit.

Ne quis autem dubitet an, aut miretur quomodo tantillum membrum tantam vim habere poſſit; ut, ſi fræno rationis regatur, reliquum corpus quò velit circumagat, & rationi obſequens reddat; explicat, & illuſtrat doctrinam iſtam duplici ſimilitudine.

Cæterum duplex iſta ſimilitudo, magnam eſſe vim linguæ in utramque partem, oſtendit; ſive ea ad bonum utamur; ſive ad malum abutamur. Et prima quidem ſimilitudo rectum, ac minime vitioſum, & tamen ingentem uſum linguæ eſſe oſtendit *verſ.* 4.; quia à re utili & innoxia ſumpta eſt. Quemadmodum *naves*, inquit, etiamſi tantæ ſint molis, & magnitudinis, ac præterea motus, ac regimen earum ſæpe à ſæviſſimis ventes impediatur, à minimo tamen gubernaculo flectuntur, quocunque impetus regentis voluerit: *Ita lingua puſillum membrum eſt: & tamen ſeſe effert magnificè.* Ubi primum notanda eſt Chriſtianorum Maſoritorum oſcitantia, qui primæ ſimilitudinis apodoſin non in eodem *verſ.* 4., ubi genuinus locus ejus erat, collocavere: ſed diſtractam à ſua protaſi, cum protaſi alterius ſimilitudinis in *verſu* 5. confuderant; cum integras ſimilitudines, duobus duntaxat verſibus (ſuperfluo medio omiſſo) comprehendere potuerint. Quod ego quidem longo poſt Apoſtolicum ævum tempore factum eſſe ſuſpicor, cum, ingruentibus ignorantiæ tenebris,

nebris, homines de eruendis Sacræ Scripturæ ſenſibus minime anxii voces Spiritus Sancti parum intellectas, tanquam humana verba pſittaci, in Eccleſiâ ſonarent.

Deinde animadvertendum eſt, apodoſin & inverſo protaſeos ordine, & breviter reddi; quod tamen eodem recidit, & brevitate commendatur. Facile enim quilibet reſpondentem ordini protaſeos apodoſin ita ſupplere poteſt; *Ita quanquam omnes alios, atque ipſos quoque linguæ lapſus effugere, res ſit ingentis moli, ac difficultatis, præſertim tot undique tentationibus, tanquam ventis, rationem noſtram turbantibus; tamen ſi quis ſemel membrum tam puſillum linguam ratione domuerit, reliquis omnibus animi paſſionibus ſuperatis, vitam ſuam eò, quò Ratio, Spiritu Sancto adjuta, voluerit, ſemper diriget, atque impellet.* Quæ deſcriptio eſt illius perfecti viri, quem ſuprà verſu ſecundo etiam paulo brevius deſcripſit; dum ait *eum poſſe freno moderari totum corpus ſuum.*

Cum igitur lingua, recta ratione gubernata, tantam gloriæ ſegetem viro iſti *perfecto* præbeat, meritò Apoſtolus tam puſillo membro tribuit eam laudem, quod ſupra cætera corporis noſtri organa magnificè glorietur. Per eam enim primum (ut infra *verſ.* 9. dicitur) *glorificatur Deus, & pater*, per eam ædificatur Eccleſia, per eam doceantur ignari, confirmantur infirmi, excitantur ſegnes, conſolationem accipiunt triſtes. Breviter pleraque omnia tam erga Deum, quam erga proximum caritatis officia exercentur. quæ ſumma eſt legis, ac pietatis.

Altera ſimilitudo pravam, & vitioſam, & tamen maximam vim linguæ eſſe *verſ.* 5., & 6. oſtendit: quia ſumpta eſt à noxio rei, alioqui non inutilis, effectu, & exemplo. Quemadmodum, inquit, ignis, quamvis exiguus, ingentes ſylvos incendio depaſcitur, & maxima damna eorum poſſeſſoribus infert; ita lingua quoque non ſemper utilis; ſed ſæpe noxius ignis eſt: & quamvis exiguum membrum, tamen omnium penè malorum, omnis injuſtitiæ, & non minus ferè quam mundus, omnium rerum capax eſt, quia ita naturâ ſuâ comparata eſt, ut poſſit *totum corpus* delictorum reatu, & crimine *maculare, rotam nativitatis* inflammare, hoc eſt, totum curriculum vitæ humanæ ab ipſa nativitate incipiens, incendere, hoc eſt, miſerum & infelix reddere, corrumpere atque in interitum vocare; donec tandem ipſa quoque *à Gehenna incendatur*, hoc eſt, morte æterna intereat. Poſſet etiam quiſpiam voces iſtas *mundus injuſtitiæ* aliter, & quidem melius explicare.

Lingua enim *verſ.* 6. à Jacobo *ignis* vocatur, hoc eſt, elementum, quod ſi incaute tractetur, non aliis tantum; ſed ipſismet quoque illud tractantibus maxime nocere poteſt. Aliis autem tam graviter Lingua nocet, ut mundum totum injuſtitiâ, & iniquitate repleat: ita ut non abſurdâ metonymiâ Lingua ab iſto ſuo malefico effectu *mundus injuſtitiæ* dici poſſit. quemadmodum ſi quis rem, quæ plurima mala procreat, Lærnam malorum, aut Iliadem malorum vocet. Nocet autem toti orbi lingua, atque ipſum omni iniquitatis genere implet per ſparſos errores, & perplexis nodis intricatam, & multa nebularum caligine involutam veritatem per prava, obſcæna, & ſcurrilia colloquia, per adulationes, per ſuppeditatas blandas peccantibus ſpes, & excuſationes, per virulenta convitia, per calumnias inſontium, per inflammata adverſus eos odia, per excitatas adverſus diſſentientes perſecutiones, per conflatas inter multos inimicitias, bella quoque, & ſupplicia ad cædem uſque, & crudelitatem ſævientia.

Quibus pene omnibus malorum generibus cum à prima Chriſtianorum pace, in hodiernum uſque tempus Theologicorum magiſtellorum *Linguam* in orbe pene toto non ſine capitali injuſtitiæ crimine graſſatam eſſe videamus; quis credat Apoſtolum, Spiritu Sancto plenum, & futurorum præſagum, inter commemoranda *Linguæ* maleficia, & venena, tantam Eccleſiæ peſtem prætermiſiſſe?

Poſt commemoratam vero hanc publicam Linguæ, qua toti orbi nocet, virulentiam, rectè poſtea illa malignitas ejus, qua ipſiſmet hominibus, ipſa abutentibus, & conſequentur ſibimetipſi nocet, annectitur. ita uti ſuprà explicavimus.

Verſ. 7. Expoſita linguæ in utramque partem maxima vi; atque hinc, ſi ratione frænetur, incredibili utilitate; illinc autem, ſi cura ejus negligatur, non minori noxietate, atque periculo: ſatis oſtendit, neceſſariò nobis illius frænandæ, & ratione gubernandæ, curam incumbere. Ne autem exiſtimemus ad eam moderandam, qualemcumque curam ſufficere, hoc loco oſtendit, magno conatu, & collectis undique viribus eam rem aggrediendam, utpote omnium difficillimam. Facilius enim omnia animalia, cujuſcunque ſint generis, ſive feræ, & immanes beſtiæ, ſive volatiles aves, ſive maris monſtra natantia, ſive reptilium, ac ſerpentium malignitas ratione humanâ cicurari, ac domari poſſunt; quam lingua (*verſ.* 8.) quæ eſt *indomitum malum*, ἀκατάστατον κακόν, & quod coërceri ægre poſſit, ac ſoleat. Oſtendit autem hac comparatione commemoratorum omnis generis animalium, quæ feritate, ſævitiâ, immanitate, ac veneni malignitate hominibus vel maxime nocent; linguam, niſi magno labore frænetur, eſſe nocentiorem, & cicuratu intractabiliorem: *quia veneni mortiferi plena eſt.*

Manifeſtum autem eſt, voces univerſales; quod cum omne genus animantium vel è maximè feris ratione cicurari poſſit, nemo tamen mortalium linguam domare poſſet; non ita præciſe, ut ſonant, intelligendos eſſe, nec impoſſibilitatem; ſed maximam difficultatem ſignificare. Eſſet enim id ſcopo Apoſtoli adverſum, homines deſperatione perficiendæ rei ab omni frænandæ linguæ conatu abſterrere; ſimulque excuſationem peccandi ipſis ſuggerere, quod efficere nequeant, quæ factu ſint impoſſibilia. Procul id à mente Apoſtoli fuit, qui *verſ.* 10. infrà ab iſto effrænis, & indomitæ linguæ abuſu, fratres ſeriò dehortatur. quod certe ridiculum, & abſurdum fuiſſet, ſi ea facere mandaſſet, quæ plane factu impoſſibilia ipſe judicaſſet. Sed ſolam difficultatem virtutis hujus, magiſtris excellentioribus in Eccleſia neceſſariæ, eò magis exaggeravit, ut ab hujus eminentiæ magiſtralis ambitu promiſcuos fratres abſterreret, quæ in legitimo, ac prudenti linguæ uſu maximè exeritur. Cui virtuti, & excellentiæ, ac perfectioni; quotuſquiſque mortalium par eſſe poteſt. Poſtremo ſi quis mordicùs τῷ ῥήματι, vel expreſſis verbis univerſalitatis inhærere velit; atque illa explicare, ut ſonant; illa ad ſolos non regeneratos reſtringenda ſunt, quorum cum multi omne genus animantium cicurare norint, nemo tamen linguam ſuam domare poteſt.

Nam regeneratos, & qui ex Deo nati ſunt; eumque verè, ac merito Patrem vocare poſſunt, confortante eos Chriſto; poſſe id præſtare, ut cætera omnia ardua, ac difficillima mox oſtendit; dum *verſ.* 9. & multò magis *verſ.* 13., docet eos, qui verè invocant ac benedicunt & colunt Deum, & patrem, & cæleſtem ab eo ſapientiam impetrarunt; donum deſuper adveniens, ac perfectum, poſſe id præſtare. Quippe qui *ex bonæ converſationis* operibus fidem faciant *ſuæ manſuetæ ſapientiæ.* Quæ Chriſtianæ ſapientiæ manſuetudo certiſſimum eſt illius perfectionis veſtigium, quæ in coërcenda, ac perdomanda lingua cernitur. Meritò autem veram iſtam pietatem,

natem ; & sapientiam *vers.* 13. *bonam conversationem* vocat, quia de linguæ officio loquitur ; quod præcipuum est hominum inter se societatis vinculum, & quasi coagulum. quod sibi mutuo proximos, & unâ conversantes obstringit, ut honesto invicem & jucundo amicitiæ usu frui possint. Nihil autem erat, quod Apostolus id Christianis esse factu possibile apertius assereret ; quia id apud eos, quibus scribit, pro concesso ponendum erat ; utpote qui ignorare non possent officia, quæ ipsis præscriberentur, non esse factu impossibilia.

Ergo posito pro concesso eo, quod nullo modo in dubium vocari poterat ; visum est Apostolo potius ; ex eo quod jam omnibus planum, & confessum erat ; argumentari. Et quoniam per sermonem Christo regeniti Christiani, ut animas, & corpora sua ; ita linguam etiam Deo ad sacros usus, ad ejus gloriam deprædicandam, & proximorum, imo Ecclesiæ ædificationem consecraverant ; deducere, non posse eos rem semel Deo consecratam ad profanos, & impios usus, aut verius abusus deflectere. præcipuè vero ad maledicentiam, & execrationem hominum, quos Deus, cum ad imaginem sui creaverit, & spirituali secum cognationis vinculo dignatus fuerit, meritò per latus eorum læditur, atque offenditur, quod facit *vers.* 9.

Unde posteà colligit, primum facti hujus absurditatem, atque inconvenientiam ; si ex *eodem ore tàm benedictio, quàm maledictio procedat*, non minùs incongruam, & rationi adversantem, quam si *idem fons eodem foramine dulcem unâ, & amaram aquam ebulliat vers.* 10. *&* 11.

Deinde concludit, quoniam ex genuinis proprietatibus, & operationibus omnia, & ex fructibus dinoscuntur plantæ, non esse verè dulcem fontem, ex quo amara aqua profluat ; nec bonam arborem, ex qua mali fructus producantur : ac proinde nec verâ Sapientia, & scientiâ præditum hominem esse, qui in vita, & conversatione sua non bona mansuetudinis, ac prudentiæ opera : sed pravam invidiæ amaritudinem, & odii acerbitatem producat. quod facit *vers.* 12. *& seqq.* Sed in *vers.* 14 addit meram esse hypocrisin, & falsam, ac mendacem atque procul ab omni veritate recedente gloriationem eorum, qui cum zelo amaro, & carnali pleni sint ; zelum pietatis, ac religionis mentiuntur. quod dupliciter probat ; primum naturam, & originem, & pravos effectus falsæ istius sapientiæ, ac mendacis zeli *vers.* 15. *&* 16. deinde originem, & naturam veræ sapientiæ, scientiæque, & optimos ejus fructus *vers.* 17., *&* 18. describens, & ob oculos proponens.

Primum igitur *vers.* 15. rixosam istam, & odii, atque amaritudinis plenam Sapientiam, ac scientiam ait *non supernè*, neque à cælesti arce, aut à Deo descendere ; sed esse terrenam, humi serpentem animalem, & nobis cum bestiis prope communem ; imo dæmoniacam ; qualem dæmones quoque humani generis hostes habent, eamque suis discipulis inspirant. *Nam ubi invidiæ, & rixa*, ibi & seditioni, & perniciosis dissidiis locus est ; unde omne pravum opus, omne scelerum, ac flagitiorum, & suppliciorum, ea consequentium, genus nascitur *vers.* 16.

Deinde Originem, & naturam veræ sapientiæ, atque scientiæ indicat, *vers.* 17. ; ostendens primum quod *supernè*, hoc est, cælitùs, & à Deo descendat ; unde omne donum, ac munus perfectum à patre luminum defluere supra *cap.* 1. 17., & quam à Deo precibus obtineri posse in ipso epistolæ limine *vers.* 5. dixerat. Naturam vero ejus describit, primum quod pura, *& casta* sit ; nihil terrenæ fæcis, nihil carnalis impuritatis, & concupiscentiæ admixtum habens ; deinde quod sit pacata, aut *pacifica*, ab omni rixâ & contentione aliena : ab omni resistentiâ, ac summi juris retinentiâ abhorrens, & ad *æquitatem* propendens ; persuaderi, & *obsequi* (quantum per leges divinas licet,) facilis, *plena misericordiæ, & bonorum caritatis fructuum*, liberalitatis, ac beneficentiæ cornucopiæ ; candida ipsa, & *non simulata*, nec ad suspicandum, aut de aliis malè sentiendum, multò minùs cum iis contendendum, aut disceptandum prona, aut flexilis. Has autem virtutes *versu* 18. *Semina justitiæ* vocat, quæ in pace, aut per pacem *seruntur* ; ut uberrimos fructus adferant hominibus *pacem facientibus*, hoc est, pacificis, aut pacatè viventibus, & pacis avidis.

Tangit hoc loco Apostolus periculosum ulcus, quod jam tunc Apostolico ævo in Ecclesiam serpere cæperat ; & proximis posteà seculis corrupto pietatis, & caritatis mutuæ sanguine purulenta scabie, ac fœda porrigine totum corpus ejus infecit ; ambitionem, inquam, eminendi in Ecclesia, & per novas invectas doctrinas magistrorum famam aucupandi. Ex qua nata sunt odia, contentiones, invidiæ, rixæ, mutua maledicta, atque injuriæ, damnationes, anathemata, persecutiones, cruentæ bellorum furiæ, & suppliciorum immanitates ; &, quod indignissimum est, omnia ista tecta specioso ; sed mendacissimo velamine, ac prætextu zeli pietatis, ac religionis. Quod quamvis sequenti capite austerioribus remediis ; ac non satis parcente manu contrectet, ut sanari possit ; antequam tamen illuc accedamus, libet hic subsistere ; & considerare an ullum sit è ductis hoc loco à Spiritu Sancto lineamentis, quibus ambitiosos, & rixosos errorum auctores depinxit, quod non in plurimis celebrioribus post ævum Apostolicum Magistris palàm deprehendatur. Nominare singulos odiosum, & factiose judicantium calumniis patens. Nemo tamen ignorat, quot novarum rerum cupidi, & in quam fœdos errores prolapsi in Ecclesia magistri extiterint. Annales Ecclesiæ quid frequentius referunt, quàm infestis, & infensis animis collisos inter se eos, qui unius Christi nomen invocabant ?

Nulla fuit tam levis in rerum divinarum sensu dissensio, quæ non ad acerba odia, amara utrinque maledicta, mutuas damnationes, & anathemata suffecerit. Diversum celebrandi Paschatis tempus, & resipiscentium ab hæreticorum erroribus in Ecclesiam receptio, quanta nomina inter se commisit. Mox homines, obsequio Domini sui neglecto, de naturâ ejus disputare, quam voluntati morem gerere maluerunt. quod paulo ante, & post tempora Antiochenæ Synodi incidit ; in qua Samosateno Episcopatus ereptus est. A quibus cæpta pestis hæc usque ad adultam Antichristi tyrannidem in Ecclesiâ grassari non desiit. Quod Eusebii verbis, commemorati temporis mores describentis, exequi præstat ; quæ *libro* v., *cap.* 1. sic sonant. Postquam res « nostræ per nimiam pacem, & libertatem ad mol- « litiem, ac segnitiem degenerarunt ; & alii alios « sunt odio, & contumeliis prosecuti ; & tantum non « nos ipsos per nos ipsos armis, ac telis verbo- « rum, ubicunque contigit, impugnavimus ; & E- « piscopi in episcopos irruerunt ; ac populi contra « populos seditionem moverunt ; deinde *Infanda hy- « pocrisis, & simulatio ad summum usque malitiæ pro- « gressa fuit* ; divinum judicium pro more suo sen- « sim nos invisere cæpit, ut persecutio à fratribus « qui in militia erant, exordium sumeret. Cum au- « tem nullo illius sensu, tangeremur ; neque Deum « placatum nobis, ac propitium reddere conaremur ; « sed quasi impii delicta nostra Deum nec curare, « nec visitare putaremus ; nequitias nostras alias aliis « cumulavimus. Et qui pastores nostri videbantur, « repulsa pietatis norma, mutuis inter se contentio- « nibus fuerunt inflammati ; & dum hæc sola, con- « tentiones videlicet, minas, æmulationem, mutuum « odium, «

„ odium, & inimicitias exaggerant, & ambitionem „ ſuam quiſq; in morem tyrannidis ſtudioſe perſequun„ tur; tunc ſane Dominus filiam Sion obſcuram red„ didit, & gloriam Iſraëlis cælitùs dejecit &c. Quæ verba non multò poſt pulſum Antiochenâ ſede Paulum Euſebius ſubnectit. Quibus non illud tantum ultimam perſecutionem antegreſſum ævum; ſed ſuamet ipſe, & ſubſequentium ſeculorum tempora graphicè depinxit; ac ſimul oſtendit Jacobi Apoſtoli cenſuram, & monita ad illos maxime quoque mores, ad illa tempora, pertinuiſſe. Quid vero tanto excitatorum in Eccleſiâ fluctuum æſtu; tàm turbidis procellis, ac tempeſtatibus, tot odiis, contentionibus, maledictis, injuriis, inimicitiis, exiliis, ſuppliciis actum, & perfectum eſt? *Verba, & voces, & opiniones inventæ ſunt*, quas ne ipſi quidem, qui eas cruentiſſimis perſecutionibus promovent, ſeſe ſatis intelligere poſſe aſſerere auſint. Ingens vero illi Patres fecere operæ pretium, tot adverſus Deum, & proximum commiſſorum delictorum pretio; mercati altiorem humanæ mentis indagine myſteriorum expoſitionem; quæ nec ignorata olim Chriſtianis antiquioribus fidem, & ſalutem eripuit; nec inveſta progeniem eorum meliorem, aut ſanctiorem reddidit. quæ ſi vera eſt, à dæmonibus melius percipitur, & creditur; ſi falſa, majoribus cachinnis, & ſibilis excipitur. Ancipitem autem dogmatum iſtorum fidem, ac veritatem non magis male concors eorum inter ſe nexus, & cohærentia, quam ipſe Jacobus Apoſtolus hoc loco reddit: Qui cum nobis manifeſta aperiat ſigna, & criteria, quibus vera à falſâ; cæleſtis à terrena ſapientia, ac ſcientia dignoſci poſſit; iis coloribus veram, ac cæleſtem depinxit, quorum ne veſtigium quidem in authoribus dogmatum, de quibus res eſt, apparet: iis verò lineamentis falſam adumbravit, quæ ad unum omnia in iiſdem cernuntur, ac deprehenduntur. quomodo enim credamus ſcientiam hanc ſupernè per Spiritus Sancti interventum demiſſam, quæ ab iis Doctoribus invecta eſt, qui zelum amarum, & rixandi rabiem in cordibus ſuis habuere; quales eos præter Jacobum ipſe depingit Euſebius: & in quibus infanda hyprocriſis, & ſimulatio ad ſummum uſque malitiæ progreſſa fuit. Nec enim altius nequitia aſcendere, neque capitalior injuſtitiæ peſtis fingi poteſt; quam tunc, cum maximè fallas, ac noceas, cæleſtis ſapientiæ, & ſanctimoniæ ſpeciem mentiri. Atque hoc eſt, quod Jacobus ait, *Ne gloriemini, neque mentimini contra veritatem. Non eſt enim iſta ſapientia*, ſcientiave *cælitus deſcendens*, quæ ſui participes non meliores; ſed deteriores efficit; quæque eorum corda ab invidiâ, æmulatione, ab odio aliorum, & contendendi rabie purgare nequit; unde graveolens omnium malorum operum ſentina proſluit.

Nam cælitus deſcendens ſapientia, ut ipſa pura *atque caſta, pacifica, æqua, obſequens, plena miſericordiæ, & bonorum fructuum*; caſtos quoque, & pacificos, de ſuo jure decedentes, & æquos, ac faciles, & tolerantes, benevolo affectu in omnes pronos, & ex candore ſuo reliquos æſtimantes, omnis fuci expertes, ac ſynceros homines ſui participes efficit. Quarum virtutum ne micam quidem exiguam in multorum dogmatum propugnatoribus reperias; cum ex adverſo contrariorum vitiorum, & conviciorum plena plauſtra deprehendantur: Atqui Chriſtus ipſe ex fructibus pſeudoprophetarum, doctrinas eorundem cenſeri ac dignoſci præcepit.

CAPUT IV.

CUm ſuperiori capite occaſione errorum, qui in Eccleſiam invehi cæperunt, primum quidem de culpâ peccatorum in Deum conjiciendâ; deinde de neglectu bonorum operum, quæ ſunt anima fidei; mox effrænem linguæ abuſum; adhuc contentiones, ac Zelum amarum, unde maximâ ex parte hic linguæ abuſus profluebat; denique ambitionem eorum, qui tam noxiarum doctrinarum ſemina ſpargere cæperant, exagitaſſet, hoc capite ad ſcrutandas penitius morbi iſtius cauſas, ac prima incunabula accedit, atque oſtendit, unde hæc pugnandi, & contendendi rabies; ac libido naſcatur, & accendatur; idque eo fine, ut ſublatis cauſis tanto facilius effectus tolli poſſint.

Verſ. 1. Dicit igitur zelum iſtum amarum, ac ſtudium contendendi, ac pugnacitatem *naſci ex voluptatibus, quæ militant in membris noſtris*, hoc eſt, in corpore noſtro, vel potius in carne noſtra. Cum enim *Col.* III. *mortificare jubemur membra noſtra ſuper terram*, ſeu terrena. non corpus, & locomotivas ejus facultates occidere; ſed carnem, & carnales affectus ejus, & concupiſcentias ſubigere jubemur. Per iſtas *voluptates*, quæ militant in membris noſtris, in genere quidem paſſiones, & affectus animi, ex anima ſenſitiva, atque appetitu, qui carni nimium addictus eſt, orti intelliguntur. Quæ paſſiones vulgò in duas facultatum ſpecies dividuntur, iraſcibilem, & concupiſcibilem. Cum autem inter iſtas paſſiones ipſa quoque pugnacitas, & contendendi rabies numeretur; cujus hoc loco cauſa, & origo inveſtigatur; certe cauſam iſtam, & originem, illud paſſionis genus eſſe neceſſe eſt, quod in facultate concupiſcibili cernitur, hoc eſt, ipſam libidinem, & concupiſcentiam à dulci, & jucundo objecto excitatam per metonymiam; aut ſi quis tropum hoc loco ſuperfluum putet, ipſum iſtud dulce, & jucundum objectum.

Verè autem ira ex concupiſcentia oriri dicitur; quia hæc natura, & ordine prior illa eſſe videtur, & ſecundum modum, ac menſuram concupiſcentiæ intenditur, aut remittitur Iracundia. Quanto magis enim quiſpiam fertur in cupiditatis ſuæ objectum, tanto majori iracundiæ impetu repellere nititur ea; quæ ejuſdem cupiditatis fructum impediunt. Meritò igitur rixæ, & contentiones ex voluptatibus oriri dicantur, quas hic *pugnas* & *bella* vocat, voluptatibus autem militantibus, hoc eſt, violenter graſſantibus in corpore noſtro. Per vocem enim *militiæ* paſſionum iſtarum violentiam quandam exprimere voluit: quia in militia

Pellitur è medio ſapientia, vi geritur res.

Non eſt autem novum Spiritui Sancto contentionum ejuſmodi ſtudium, aut mores, ac certamina iis nominibus vocare, quæ propriè corporeis pugnis, ac bellis competunt; ut cum homo contentioſus 1. *Tim.* III. 3. dicitur πλήκτης *percuſſor*, cui ibidem opponitur ἄμαχος *alienus à pugna.*

Quamvis autem propoſita ab Apoſtolo materia poſcere videatur; ut hoc loco vox *voluptatum* de ſolis illis ſpiritualioribus voluptatibus intelligatur, quæ ex faſtu vitæ, hoc eſt, libidine excellendi, &, ſi placet, concupiſcentiâ oculorum, hoc eſt, ambitione, & avaritia proficiſcuntur, (ex quo genere voluptatum maxima diſcordiarum ſeges naſcitur, ac pullulat) tamen vocis generalitatem reſtringi nihil neceſſe eſt, eamque latius ad omnes reliquas voluptates protendi; (propter parem ubique rationem) nihil vetat. niſi quod verba antecedentia, & ſubſe-

ſubſequentia denotent potentiſſimum hoc loco de habendi, aut excellendi libidine, quæ ad comparationem cum aliis hominibus reſpectum habeat, tractari. Quamvis enim negari nequeat, brutas quoque voluptates ſæpe diſcordias, ac bella ciere; ut cum fœminæ propter amorem

Græcia barbariæ lento concuſſa duello eſt.

Tamen frequentiſſima omnium rixarum origo ex habendi, aut excellendi præ aliis, libidine naſcitur; Præſertim ſi ſucceſſu ſuo careat, & fruſtretur. Unde primum ira in obvium quemque exonerandæ; deinde invidia, peſſima odii, & æmulationis mater, & omne pravi certaminis, & diſcordiæ genus exiſtit. Quod evidenter *verſ.* 2. Apoſtolus indicat, *concupiſcitis & non habetis, Invidetis, & æmulamini, non poteſtis autem conſequi; pugnatis, & bellum geritis.* hoc eſt, infeſto, & hoſtili odio, & affectu (qui in ipſum quoque effectum erumpat) adverſus eos, qui dona Dei habent, & conſecuti ſunt, certatis. Nec tamen vel hilum proficere poteſtis, ut, quæ tanto molimine quæritis, aſſequamini. Quæ tantæ culpæ exprobratio tacitam continet dehortationem à committendis ejuſmodi delictis, quorum nullus fructus, nullum emolumentum ſperari poteſt. Subſequitur autem tacitum ibidem conſilium, & remedium; quod huic malo adhiberi poſſit, in commonſtratione cauſæ, ob quam hucuſque ii, qui reprehenduntur, votis ſuis exciderent. Quod antequam aggrediamur, libet hoc loco expendere, non unum eſſe illud carnalis voluptatis genus in veneris, aut vini, aut gulæ vitiis conſiſtens; quod nobis cane pejus, & angue fugiendum ſit. Verum eſſe alias quoque voluptates, quæ in mundo paulo honeſtiores cenſentur, & tamen à Spiritu Sancto non minùs ſevere, & minaciter vetantur: præcipue vero cæcam illam, & imprudentem *dona aliqua Dei habendi*, & aliis excellendi libidinem, & ſacerrimam omnium eminendi famem; quæ poſt Apoſtolicum ævum in tot jurgia, ſchiſmata, diſcordias, & ærumnas, ac poſteà morbis ipſis nocentius remedium, tyrannidem, atque oppreſſionem; Chriſti Eccleſiam dedit præcipitem.

Et illis quidem carnalioribus voluptatibus quæſita ſunt remedia, tot clauſtra, & monaſteria, tot otioſorum armentorum mandræ. At huic, quam Jacobus hoc loco extinguere nititur, peſti ne quæri quidem cæptum eſt remedium. Ipſos Anachoretarum ſeceſſus, & columnas, ipſas Monachorum cellas, ipſas Pontificum, & Patriarcharum ſedes, Epiſcoporum conventus ipſam Conciliorum celebritatem invaſit, ac depopulata eſt. Non ſatis autem erat voluptates, nobis cum brutis communes, proſcribere. Voluptates quoque cum immundis ſpiritibus communes coërcendæ erant. Ambitio, & ſuperbia, odia, & invidiæ, obtrectandi, damnandi, multo autem magis perſequendi, ac nocendi aliis ſtudia extirpanda fuere.

Prius illud voluptatis genus privatim ſingulis nocet; poſterius hoc zeloſæ pietatis prætextu univerſum orbem, ac totas devaſtat Eccleſias. Sed & privatim ſingulis ſuſpecta debet eſſe illa mentis dulcedo, quæ inanibus illecebris decepta multum temporis, multum ſpirituum, ac virium, interdum & valetudinis, melioribus ſtudiis, & occupationibus dandum, intervertit. Voluptatum nomine iſtiuſmodi ſtudia Spiritus Sanctus indigitat. Quippe unicus, aut certe acerrimus ejuſmodi ſtudiorum ſtimulus, & exactor eſt ille affectus, qui ex ſpecioſa ſcientiæ laude commendationem venatur; atque in eo præ cæteris eminere contendit. Eſt enim cuique inſitus ſui amor, qui per ſe vitioſus non eſt, quamdiu cæcus non eſt; quod fit dum nimius eſſe incipit, hoc eſt, dum præ ſui pretio alios parvi facere audet, adeò ut, ſi quem à Deo aliqua dote ornatum conſpiciat, quam in ſeipſo non deprehendat; illum ipſi indignum cenſeat, ac tacitè judicium Dei reprehendens, odiſſe illum incipiat, atque excellentiam ejus deprimere contendat: qui ſuccus loliginis invidiæ proprius eſt; quæ non faſtigia tantum, ſed totas ſubſtructiones aliorum demoliri contendit, ne luminibus ſuis obſtruant. Unde *primum* injuriæ, vindictæ, irritationes, jurgia, & odia, quæ vix conciliari poſſint, denique pugnæ, & omne genus hoſtilitatum oriuntur. Quæ res & in profanis maximè noxiæ; at in ſacris plane nefariæ, & execrabiles ſunt. Ab iſta autem voluptate, atque mentis dulcedine, quâ mortalium quiſque ſibi maxime blanditur, & placet, aut placere, ideoque ſeſe aliis præferre contendit, originem habent. Quæ tamen improba Siren, non minus quam Circæa brutarum voluptatum pocula, cunctis vitanda eſt.

Nunc ad propoſita ab Apoſtolo tanti mali remedia regrediamur. Præſentiſſimum illud eſt res omnium deſideratiſſimas conſequendi compendium, quod hic non obſcurè proponitur; dum vera cauſa oſtenditur, ob quam homines deſideriis ſuis excidant: quod nimirum ea, quæ precibus à Deo impetranda erant, aut petere omninò negligant, aut vitioſe, & incompetenter petant.

Precibus enim à ſe obtineri Deus omnia voluit, ut animos noſtros tanto magis dona, ac beneficia ſua obſervantes, eorumque gratos, ac memores redderet. Sed preces iſtas ab animo ſegni, aut impuro fundi noluit; ne ſanctitas Majeſtatis ſuæ pollueretur ullo hominum inquinatorum commercio. Nihil autem eſt quod magis inquinet mentes noſtras, quam dilectio mundi, quæ in ſe cum alias omnes carnis, & oculorum voluptates; tum eas quoque, quæ ad faſtum vitæ ſpectant, teſte Johanne Apoſtolo, continet: quas hoc loco Jacobus potiſſimum tangit.

Ergo iſti, qui dona Dei precibus expoſcunt: ut ea in voluptates ambitionis, ac ſuperbiæ impendant, eo ipſo impuritatem & mentium, & precum ſuarum oſtendunt, ſimulque animum à Deo averſum, ac Deo inimicum produnt: quia qui diligit mundum, & concupiſcentias ejus, planè à charitate Dei alienus eſt; 1. *Joh.* II. 15. nec ſibi viciſſim faventem, & propitium Deum polliceri, ac ſperare, nec ei confidere poteſt: atque ita fide caret, ſine qua Deo placere (*Heb.* XI. 6.) aut quæ deſideres impetrare (*Jacob.* I. 6.) impoſſibile eſt. Tales autem homines, quos idem Jacobus ſuprà *Cap.* I. 8. *duplici animo* dixerat, hoc loco eodem plane ſenſu adulteros, & adulteras vocat *verſ.* 4. Quemadmodum enim mulier quæ animum, atque amorem ſuum inter virum atque adulterum dividit, quodammodo duplici animo eſſe videtur, & adultera dici meruit: ita qui ad Deum accedere audeat, vitioſo mundi amore, & concupiſcentiis ejus impliciti; adulteri ſunt, & inimicitias cum Deo ſuſcipiunt. Quis autem ab inimico precibus aliquid obtineri poſſe ſperet?

Non diſſimulat autem Deus ſæpius in ſpiritualis ſui cum mentibus fidelium matrimonii copula zelotypiam ſuam: ideo Spiritus Dei, quem impertitur accedentibus ad ſe, *ad invidiam concupiſcere* dicitur *verſ.* 5. hoc eſt, rivalitate quadam concurrere cum Diabolo, qui mundi illecebris deſponſas Deo mentes, ab amore illius ad ſe abſtrahit. Quis igitur non longe malit Spiritui Dei, aut potiùs ipſi Deo, adhærere, quàm Diabolo? Spiritus enim Dei, aut quod idem eſt, ipſe Deus, incomparabili intervallo majorem dat gratiam ac felicitatem iis, qui ſeſe ipſi ſubjiciunt; quàm Diabolus iis, qui ſeſe illecebris

ſuis

ſuis decipi patiuntur : quod, breviter *verſ.* 6. inſinuatum, probat eodem verſu, quia ea, quæ forte Satanas offert, ac promittit, iis præcipuè, quos ambitionis, ac ſuperbiæ illecebris ad ſe pellicit (hæc enim ſubjecta hujus doctrinæ tractationi materia dare, ac præſtare nullo modo poteſt : quia Deus frangit omne ſuperbum. At Deus iis, qui vanas iſtas Satanæ illecebras ſpernunt, & ab omni ſuperbia alieni, ſemetipſi reverenter ſubjiciunt, omni exceptione majorem gratiam, & felicitatem donat.

Ideo *verſ.* 7. ad iſtam Dei ſubjectionem cohortatur eos, quibus ſcribit ; quæ conſtare non poteſt abſque reſiſtentia adverſus Diabolum: addito ſtimulo bonæ ſpei, quod non nimium operoſo, ac difficili conatu Satanam vincere, & in fugam conjicere poſſint. Fugere autem Satanas videtur, ſi videat ſibi ſerio reſiſti ; ne in hoc tàm inæquali certamine, à tàm imbecilli creatura vincatur. Superbus enim eſt, & exiſtimationis ſuæ tenax. Ideò (præcipuè in Angelorum conſpectu) virium ſuarum infirmitatem prodere erubeſcit.

Verſ. 8. Ac ne quis peccatorum conſcientia animum diſpondeat, ſatis ſibi conſcius ſe delictis ſuis Spiritum Sanctum à ſe procul abegiſſe, ac Deum ipſum à ſe abalienaſſe ; præcipit confidenter *appropinquare Deo*, ac promittit *Deum* viciſſim nobis quaſi obvia ope ſua *appropinquaturum* : oſtendens peccatorum noſtrorum immunditiam non eſſe tàm deploratam, quin purgari, ac mundari poſſit : modo peccatores purificent manus, hoc eſt, deſiſtant à peccatis, & malis operibus. Quia enim pleraque opera noſtra manuum miniſterio peraguntur, purificari manus jubet, hoc eſt, omnia organa noſtra (quæ *Rom.* VI. 13. vocantur arma (ὅπλα) *juſtitiæ*, aut *injuſtitiæ*,) quibus ad perficienda opera noſtra utimur, nonniſi bonis, & caſtis operibus adhibere. Inprimis autem corda mundare præcipit, hoc eſt, duplicitatem illam cordis, quâ nunc Deo, nunc Satanæ gratificari volumus, extirpare, ac purgare, atque uni Deo conſtanter adhærere. Promiſſionem vero, qua nos excitat ad appropinquandum Deo, clare illuſtrat inſignis parabola patris, revertenti filio perdito procul occurrentis *Luc.* XV. 20.

Docet poſteà *verſ.* 9. modum, ac viam purgandi cordis, & purificandarum manuum ; per quam Deo appropinquare poſſunt peccatores ; quæ non alia eſt, quàm ſeria delictorum pœnitentia, agnitio noſtræ, in quam per peccata incidimus, miſeriæ, atque ipſius ſenſus. Qualis fuit in Petro, poſtquam animadvertiſſet delicti ſui in abnegando Domino commiſſi magnitudinem, quem ſenſum amaro flectu teſtatus eſt. Nihil enim magis ſordes peccatorum eluit, quam lachrymæ, & vera, nec ad eundem iterum lapidem offendens, eorum pœnitentia. Duplici autem nomine modus hic in nobis veram efficit pœnitentiam; primum quia peccator pœnas quaſdam voluntarias à ſeipſo exigit per dolorem, & luctum, ne iterum ea committere audeat, quæ tanto luctu expianda ſunt. Ex quo vigilantia quædam mentis & præcautio, ac proſpicientia malorum naſcitur ; cum lætitia, & riſus noxium, & periculoſum mentis ſoporem, & ſecuritatem teſtetur. Quod *verſ.* 9. ſatis exprimitur.

Deinde (quod *verſ.* 10. innuit) quia in vera agnitione miſeræ ſortis noſtræ, in quam ex reatu peccatorum incidimus, humiliatio quædam naſcitur, & ſubmiſſio erga Deum; quam cæleſtis pater magni æſtimat, & libenter aſpicit: ideoque homines ejuſmodi ope ſua ſublevat, & attollit ; ut tanto altius erigantur, quantò ſemetipſi humilius in conſpectu ejus demiſere. Ut enim ſuprà *verſ.* 6. dictum, *Deus Superbis reſiſtit, at humilibus*, ac ſeſe coràm eo demittentibus, *dat gratiam.* Cum igitur toties hoc loco tam ſuperbiæ vitium perſtringat, quam contrariæ virtutis conſectationem inculcet Apoſtolus, quis dubitat per τοὺς *luxuriates in membris noſtris militantes* (quamvis aliæ quoque propter parem rationem prorſus excludi nequeant) potiſſimum tamen illud genus voluptatum intelligi, quas nonnulli non ſatis accurate loquendo in iraſcibili facultate collocant, hoc eſt, ambitionis, & ſuperbiæ delectationem, & concupiſcentiam, quæ tamen revera ad concupiſcibilem pertinent? Nemo enim voluptati : ſed potius impedimento, aut verius impedienti voluptatem iraſcitur. Proinde effectus quidèm concupiſcentiæ hujus, id eſt, pugnæ, contentiones, diſcordiæ ad iraſcibilem, quam vocant, facultatem pertinent. Cæterum cauſam iſtorum merito Apoſtolus in voluptate concupiſcentiæ collocat. In qua admiranda videtur Spiritus Sancti ſapientia, qui dulci quidem, ſed noxia prurigine tot jam ſeculis ſerpentia Eccleſiæ Dei ulcera tanto ante præviderit, ac prædixerit.

Verſ. 11. Nondum egreſſus materiem, quam tractat, Jacobus adjicit præceptum de cavendis obtrectationibus ; quibus fama, & exiſtimatio eorum, quos fraterno amore proſequi tenemur, lædituꝛ, qui præcipuus etiam diſcordiarum fomes eſt. Quamvis autem omne genus obtrectationum huc pertineat, quod contra φιλαδελφίαν, toties nobis præceptam, delinquit ; (Nec enim temere Apoſtolus vocem *Fratrum* τῆς ἀδελφότητος hoc loco uſurpavit) Tamen ſubſequentia verba indicant potiſſimum hic illam obtrectandi ſpeciem exagitari ; qua ſeſe invicem fratres, non per nudum in dogmatibus diſſenſum, aut vitiorum aliquorum reprehenſionem ; ſed perinique uſurpatam in Eccleſia judicandi, ac damnandi poteſtatem condemnabant ; ac mutuo anathemate feriebant ; quod malum, ut paulo ante diximus, per tot ſecula devaſtatâ Eccleſiâ primum diſcordias peſtilentes, mox triſte ipſarum remedium, tyrannidem Antichriſti peperit. Non contentus Apoſtolus voce καταλαλῶν (*obtrectans*) addit καὶ κρίνων τὸν ἀδελφὸν, quod non ſimplicem *reprehenſionem*, aut vituperium : ſed ex uſurpata judicandi poteſtate profectam condemnationem ſignificat. Duplici autem ratione hunc auſum reprehendit, & oppugnat Apoſtolus. Primum in *verſ.* 11, dum oſtendit, iniquos ejuſmodi poteſtatis uſurpatores, non in ipſos tantum, quos judicant, ac damnant, fratres : ſed in totam Legem, ac religionem Chriſti injurios eſſe. Cum enim lex Chriſti fraternam caritatem inprimis nobis commendet, qui præceptum hoc Legis violat ; ipſam legem violat, adverſus ipſam Legis hujus animam delinquendo. Deinde parum modeſte, ac reverenter erga Legem Chriſti ſeſe gerere eos, qui, cum præceptis ejus abſolutum obſequium debeant, eam interpretari, atque ad libidinem ſuam torquere, quam exequi malint ; atque ita imperium ſibi quoddam in leges Chriſti pro libitu figendas, aut refigendas vendicent. Id enim ſignificant verba *non es executor legis, ſed judex*, hoc eſt, loco obſequii, Legi Chriſti debiti, in cujus poteſtatem te ſemel tradidiſti ; poteſtatem quandam in eam ad libitus tuos flectendam uſurpas.

Deinde alteram rationem, qua hunc auſum impugnat *verſ.* 12. ſubnectit. Iniquos iſtos poteſtatis ſibi nunquam conceſſæ uſurpatores, non in Chriſti legem, ac religionem tantum ; ſed in ipſum legis iſtius latorem Chriſtum graviter delinquere. Invadere enim in jus, ac poteſtatem, ſoli Chriſto traditam, cui cum ſoli poteſtas in cœlo, & in terra omnis, perdendique, aut ſervandi facultas attributa ſit, indigniſſimos eſſe miſeros homunciones, qui ne ſemetipſos quidem ſervare poſſint ; involare in jus tanti faſtigii, tantæ Majeſtatis Regi ſoli debitum;

bitum ; ut alios damnandi, ac in æternum perdendi facultatem sibi usurpent.

Res ipsa autem loquitur Apostolum hoc loco, non de illa Excommunicandi potestate ; quam Christus, & Apostoli Ecclesiæ tradidere loqui ; qua homines secundum carnem viventes ab Eccl sia segregantur.

Cum enim carnis opera manifesta, & in propatulo sint ; verba quoque Legis Christi, quibus tales damnari jubentur, nihil difficultatis, aut cavillationis admittant ; non excedit humani indicii modulum talium judicatio, & condemnatio. Ideo non tantum permissa Ecclesiæ ; sed imperata est. Sed propter errores in rebus involutis, ac perplexis, quales sunt quæstiones de natura, atque essentia Dei, Christique, quæ, omissa pietatis curâ, in Ecclesia invaluere ; alios damnare, atque ab aditu Ecclesiæ arcere, persecutere anathemate, multoque magis affligere, ac persequi ; non modo nusquam permissum, sed universæ religionis nostræ analogiæ primum minime consentaneum : deinde multis particularibus interdictis, tandem isto quoque in loco severè vetitum deprehendimus. Cujus enim potestatis, vel authoritatis fiduciâ nobis tantum sumimus, ut alios damnare audeamus ? Quo satis irrefragabili documento istis, qui tam difficiles perceptu dissertationes ingressi sunt, constare potest, eos in re, quam rationis captum superare fatentur, non errare. Naturam certe suam nemo mortalium satis exploratam habete. Cur ad Naturam Dei explorandam festinamus ; nisi ut mens nostra in tàm ardua contemplatione hebetior evadat ; quam fuit in longe faciliori ? Nam in authoritate eorum ; nihil præsidii, è quorum scriptis, ac factis ; plus amarulentiæ, quam Christiani succi haurias. Fac tamen eos, qui toties damnati sunt, errasse. Unde sciunt isti scrutatores cordium eos malitia potius, quàm fragilitate, aut imprudentia erasse ? Res hæc absque inspectione cordium constare non potest. Quis ipsis hanc potestatem dedit, quæ uni Legislatori nostro concessa est, ut possit salvare, ac perdere. Unde nobis tantum fiduciæ, vel audaciæ, ut Solium, ac tribunal supremi judicis nostri scandere audeamus. Quid igitur aliud supereſt, quam ut hic cælestis Legislator, & unicus temerati legis suæ obsequi, vindex ; tot anathematum decreta in conspectu suo deleri, & concerpi jubeat : quæ & hoc loco omnia Jacobus unâ liturâ inducit.

Vers. 13. Transit ad aliud doctrinæ genus, cujus connexio cum superiori hæc est. Posteaquam initio capitis hujus ostendisset originem, & causam tot contentionum inter Christianos, ac discordiarum esse voluptates, præsertim superbiæ, & ambitionis, quarum fere inseparabilis pedissequa invidia est ; ex eo orta, quod homines Simonis Magi exemplo, dona Dei habere concupiscant, & habere nequeant ; ideoque habentibus invideant, ac proinde odio, atque injuriis persequantur : Causam quoque ejus miseriæ, quod dona Dei habere, vel assequi nequeant, duplicem ostendisset, quod nimirum aut à Deo dona ista non petant, aut malè, & illegitimè petant ; In qua doctrina duplex adversus ista mala consilium, atque remedium non obscure traditur. Quorum alterum in neglectu precum, alterum in abusu earundem cernimus. Huc usque posterius duntaxat membrum hujus consilii, atque remedii tractavit ; primum illegitimum, ac præposterum istum precum usum reprehendens, deinde docens quomodo legitimè precibus ad Deum uti debeamus ; puras, & purgatas ab omni flagitio manus, & corda ab amore mundi, præcipuè vero fastu omni, ac superbiâ mundata ad eum attollentes &c. Nunc tandem *vers.* 13. redit ad priorem hujus consilii, atque remedii propositi partem, quæ simplicem neglectum precum causam multorum malorum esse ostendit, atque ex animis nostris extirpat ; acres autem ad vigilantiam in precibus stimulos addit, ac subjicit. Neque enim alia est neglectus precum causa, quam consoporatio quædam mentis, atque securitas suismet viribus multum tribuentis, & oblitæ, nihil nos absque ope Dei efficere, ac præstare posse. Hinc fit ut vota, atque proposita nostra in multum ævi jaculemur, ea nos sollertiâ, atque industriâ nostra confecturos sperantes, in quibus frequenter nutu Dei, improbas spes nostras castigantis, longe à destinationibus nostris decidimus. Quam certe omissarum precum causam Apostolus hoc loco graphicè depingit, hoc est supinam illam, & conditionis suæ oblitam mortalium securitatem ; qui quàm sint brevis ævi, & tot casibus obnoxii immemores, eas sibi Spes despondere audent : quarum optatus successus ex solius Dei gratia, atque arbitrio dependet. Quid enim est aliud vita nostra, nisi *vapor ad exiguum tempus apparens*, qui levissimo flatu perculsus dicto citiùs disparet ? Nihil igitur efficere, aut præstare possumus nisi quod Deus ipse fieri, aut permittere voluerit. Unde vel in minimis negotiis, atque curis nostris perpetua precum necessitas est. A cujus nutu, & voluntate omnia pendent ; nec sine injuria ejus gestas res, aut gerendas quisquam mortalium, viribus, aut conatibus suis vendicare potest. Ideo hanc ἀλαζονίαν καὶ καύχησιν *(jactantiam, & gloriationem)* Apostolus *vers.* 16. reprehendit & πονηρὰν malam esse dicit. Notandum autem est, Apostolum dum Oscitantiam, & securitatem mortalium, ex qua Neglectus precum emergit, depingere vult, exemplum terrenorum potius, quam Spiritualium votorum proponere ; partim ut culpam eorum, qui terrena magis, quam spiritualia consectentur, & cuncta ad terrenarum suarum voluptatum fructum referant, perstringeret ; partim ut ostenderet, Deum, qui ne terrena quidem commoda, & emolumenta suis absque precibus largiri velit ; multo minus ipsis spiritualia dona absque fusis ad eum precibus collaturum. Porro quia istiusmodi spiritualis, ex qua neglectus precum sequitur, oscitantiæ peste fideles, & Christiani, potissimum ex infidelium, & à fide alienorum, quibus etiam absque precibus cuncta prospere succedere solent, exemplis inficiuntur ; occurrit ejusmodi cogitationi Apostolus *vers.* 17., & ultimo. Ubi ostendit, non ideo quod Deus infidelibus, de quibus capitis insequentis initio agere videtur, etiam absque precibus multa donat, & largitur, eosque ditescere, & prospera fortuna aliquamdiu uti permittit ; Christianos etiam sine precibus posse similiter ea, quæ optant, consequi. Illos enim apud Deum ipsa excusat cæcitas, & ignorantia : at Christianos, qui optimè norunt, aut nosse debent, quid ipsis factu opus sit, ac Deum nolle ipsis absque precibus optata concedere : ipsâ eorum scientiâ, ac divinæ voluntatis notitiâ reddit inexcusabiles, quominus sibi pollicere possint Dei, negligentiæ, atque oscitantiæ eorum infensi, in consequendis exoptatis rebus, opem atque auxilium. Addit autem initio sequentis capitis aliam rationem adversus ejusmodi tentationem ; quòd ista felicitas infidelium ; sit fluxa, & brevis ; ut in summam infelicitatem, imò interitum eorum desinat. Ex quo posteà adversus specialem persecutionum tentationem, eximiam doctrinam tradit ; regressus ad id, quod initio epistolæ docere cæperat, beatos esse qui hanc, & similes ipsi tentationes pertulerint, atque superaverint ; Ita ut traditæ ab Apostolo in hac epistola doctrinæ pulcherrimè inter se cohæreant & connectantur : reliqua sequenti capite considerabimus.

CA-

CAPUT V.

Affert in hoc capite Jacobus alteram rationem, ob quam fideles Chriſtiani infidelium exemplo preces negligere non debeant; quod quamvis infidelibus, ac Deum non curantibus, multo minus precibus ſollicitantibus, ſive dono, & gratuita miſericordiâ Dei ſortem, quam ſibi infelici judicio elegerunt, ipſis affatim exolventis, ſive juſto judicio ipſos per patientem longanimitatem indurantis, ſive imperveſtigabilis ſapientiæ permiſſu omnia ex animi ſententia ſuccedere videantur, adeo ut divitiis, auro, argento, & omnibus fortunæ ornamentis floreant; ideoque opes ſuas omni injuſtitiæ genere augere impune audeant (*verſ.* 4.) uſque ad luxum, & laſciviam, denique ad inſontium perſecutionem, & crudelitatem abuti non dubitent; (*verſ.* 5. & 6.) tamen omnis iſta primum fluxa, & brevis (*verſ.* 2., & 3.) deinde luctuoſo exitu terminanda (*verſ.* 1.) felicitas eſt: ita ut non alio conſilio in tàm altum faſtigium ſublati eſſe videntur; quàm ut lapſu graviore corruerent.

Sumit autem exemplum nationi Judaicæ, cujus primarius Epiſcopus fuit, obvium, & perſpectum; ex quo cæteri quoque Chriſtiani; tanquam ex primo, & inſigni documento diſcere potuerunt, quis maneret exitus Chriſti, & Eccleſiæ ejus perſecutores. Hieroſolymitani vero, ac totius gentis excidii fatum poſt Chriſti prædictionem nemini ignotum eſſe potuit. Et quo propius ingruebat, tanto evidentiora ejus, jam jam venturi, Spiritus Sanctus præbuit teſtimonia, quæ eos, quorum Jacobus Epiſcopus fuit latuiſſe quis dixerit? Et Jacobus poſt Pauli epiſtolas, ſicuti & Petrus, ſcripſiſſe deprehenditur. Nec longo ante urbis ſuæ excidium intervallo, quod extremis jam Apoſtolici ævi temporibus evenit; quæ *extrema tempora*, *extrema hora* paſſim à Spiritu Sancto vocantur 1. *Joh.* 11. & hoc loco *verſ.* 3. *extremi* dies; partim reſpectu illius generationis, quæ ipſum Chriſtum, atque Apoſtolos audivit; partim quod aureum illud ævum terminarent, qui deteriora tempora erant ſucceſſura; partim denique reſpectu durationis in ſuo ſtatu gentis illius, cui proxime imminens excidium impendebat: ut hoc loco iſtæ voces ſumi videntur. *Verſus ſextus* quin ad Hieroſolymitanos pertineat, nullum eſt dubium. *Condemnaſtis*, inquit, *interfeciſtis juſtum; non reſiſtit vobis.* Tangit autem *verſu* 2, & 3. cæcitatem eorum, qui fluxa, & caduca bona ſibi theſaurizanda elegerant; quo magis ab imitatione, & exemplo eorum Chriſtianos abduceret. dum oſtendit bona, & ornamenta eorum, in quibus ſibi tantopere placebant, putrefactioni, corruptioni, ærugini obnoxia: ac dicit hanc ipſam corruptionem iſtarum rerum teſtimonium contra eos dicere; quod vitioſam, & corruptam mercem ſibi elegerint. Cujus corruptionem ipſa quoque eligentium corruptio conſequetur. *Devorabit* inquit *ærugo auri, & argenti carnes veſtras ſicut ignis.* ubi vocem σάρκας corpora ſignificare nihil prohibet. Nam qui ſeminat in carne una cum carne corruptionem metat neceſſe eſt. Oſtendit poſteà bona iſta, quorum theſaurum ſibi paraverant, non tantum vitioſa, & parum durabilia; ſed noxia quoque eſſe: quia homines in injuſtitiam, & avaritiam *verſ.* 4. in luxum, & laſciviam *verſ.* 5., denique impiam adverſus Sanctos crudelitatem *verſ.* 6. præcipitant.

Vox σφαγὰς *verſ.* 5. non male à nonnullis per vocem *Epuli* exponitur. Convertit autem ſermonem ad eos, quibus luctum ob imminentia ſibi ſupplicia imperat, non indecore; quia paulo ante cap. ſuperiore *verſ.* 9. luctum ob peccata, à ſe commiſſa, pœnitentibus imperaverat, niſi quod inter iſtos luctus eadem eſt differentia, quam Paulus 2. *Cor.* VII. 10. ſtatuit. Mœror enim ſecundum Deum pœnitentiam ad ſalutem; mœror autem mundi mortem operatur.

Ovum autem ovo ſimilius non eſt; quàm hæc Jacobi, quibus mores, ac fortunam perſecutorum Chriſti depingit, lineamenta cæterorum omnium, qui inſontes diſcipulos Chriſti perſequuntur, imagini, moribuſque, ac fortunæ aliquamdiu ſecundæ, quæ in horribilem tandem & luctuoſum exitum definit.

Quæ contemplatio; quamvis non nimium læta ſit, & amœna: præſertim Chriſtianis; qui etiam inimicorum, multò magis autem communis cum inimicis gentis, ac patriæ miſeratione tangi debeant. Utilis tamen eſt ad firmandam ſalubribus exemplis fidem, & in perſecutionibus patientiam. Oſtendit enim primum, Deum quamvis ad ſcelera mortalium interdum connivere videatur; res tamen humanas minime negligere. Oſtendit ipſi cordi eſſe injuriarum noſtrarum ultionem: Quid ni igitur patientiæ quoque ac fidei noſtræ præmium, ac mercedem? Oſtendit nihil nobis per afflictiones, ejus nomine perceptas, perire, niſi forte commune cum perſecutoribus noſtris ejuſdem patriæ periculum; quæ periculi jactura lucro potius addenda, quam pœnitenda eſt. Sæpe enim fideles miſerrimè cum perſecutoribus ſuis perierant; niſi prius per eoſdem feliciter periiſſent. Quæ cum ita ſint, meritò Apoſtolus ex ea conſideratione judiciorum Dei deducit corroborationem patientiæ noſtræ. Per particulam οὖν *igitur*, cohortatus omnes ut *durarent uſque ad adventum Domini.* Quamvis autem *Adventus Domini* τοῦ κυρίου ſic dictus, denotet extremi judicii diem; quæ eſt præcipua, & principalis Spes, ac ſolatium patientiæ noſtræ; tamen hoc loco voces iſtas ſumi in ſenſu minus principali, non deſunt cauſæ cur ſentiam. Inprimis quod *verſ.* 8 adventum hunc Domini appropinquaſſe aſſerit; quod de ultimo adventu Chriſti dici non potuiſſe tot jam elapſa, & porrò labentia ſecula oſtendunt. Nec aptum ex re in tàm longum tempus differenda argumentum in ſolatium patientiæ afflictorum dari potuit; Deinde quia hunc tàm prope inſtantem Domini adventum, primo ſtatim verſu deſignaſſe videtur in illis pœnis, atque miſeriis; quæ impiis perſecutoribus mox erant ſuperventuræ. Meritò autem ſicut eximia Domini, quæ Eccleſiæ ſuæ præſtat beneficia; ita illuſtria ejuſdem Judicia, *adventus Domini* dicuntur; quia quamdiu effrænis impietas regnat, & impune graſſatur; quamdiu ſervi Chriſti nihil habent, ex quo pateat, eos eſſe curæ ſuo Domino: tamdiu quodammodo abeſſe eorum Dominus videtur. Contrà *advenire*, quando extraordinariam eorum curam ſuſcipit; ſive nova in eos, atque ingentia effundat dona, atque beneficia; ſive inimicos, ac perſecutores eorum publico, & in multos populos promulgato afficiat ſupplicio.

Sed & allata ad confirmandam Apoſtoli hortationem ſimilitudo, huic explicationi magis favet, quæ hoc loco non de ultimo Chriſti adventu agi aſſerit. Dicit enim *agricolam pretioſum terræ fructum expectantem; patientia, & longanimitate uti in eo, donec accipiat pluviam matutinam, & veſpertinam.* Quia vero hoc loco patientiam agricolæ in expectando fructu terræ Apoſtolus per *particulam ἰδοὺ*, non ad ipſum illum principalem, ac pretioſum terræ fructum metendum; ſed tantum ad prævium ejus cauſam adjuvantem, hoc eſt, pluviam matutinam, ac ſerotinam protendit; ideo patientiam quoque Chriſtianorum Idem per eandem particulam, non ad ipſum principale, quod expectant, præmium; ſed ad cauſam ejus adjuvantem, ac patientiam iſtam mirè con-

firmantem, restrinxit, hoc est ad illum *Domini adventum*, qui jam jam imminebat, nec post multa demum exacta secula erat expectandus.

Vis enim argumenti Apostolici sita est in illa appropinquatione adventus Domini; ideo in similitudine quoque particulam *ἵνες*, non ad id quod longiùs expectandum; sed ad id, quod proximè sperandum fuit, restrinxit. Certe hic Apostoli locus iis, qui persecutionem patiuntur, non mediocre malorum solatium simul, ac remedium affert. Ostendit enim istos, qui nos per afflictiones miseros efficere volunt, longe magis esse miserabiles, quam nos efficere possint, etiamsi ad hoc omnes vires suas advocent. Ideò non nimium, neque muliebriter adversus ipsos ingemiscendum esse: qui nobis sint longe miserabiliores. Aut si forte tamen iniquitas injuriæ nobis justos gemitus exprimat, esse præsto Dominum injuriarum ultorem, sæpe & libertatis nostræ vindicem; qui statis temporibus advenit: ut cognitionem faciat de iis, qui ad eum suspirando, & ingemiscendo quodammodò ad tribunal ejus provocant. Quocirca omnibus dandam esse operam, ne quam adversum se suspirandi, & ingemiscendi ansam cui quam præbeant, non modo alienis ab Ecclesia; sed fidelibus etiam, quos inter aliquando ejusmodi lites interveniunt, ut alter ab altero injuriâ se læsum existimet, eoque nomine ad Dominum contrà se mutuò suspirent. Quæ suspiria nihil sunt aliud, quam lis coram cælesti judice contestata; quam dirimere Dominus solet magno cum eorum qui in crimine injustitiæ deprehensi fuerint, malo. Quemadmodum enim gemitus Ecclesiæ, à persecutoribus oppressæ, non negligit; ita nec in ipsa Ecclesia mutua fratrum adversum se suspiria. Quæ semper quidem vitanda, & fugienda sunt: sed præcipuè tunc cum Dominus cognitionem inter Ecclesiam suam, & persecutores suscipit. Tunc enim, quasi post res prolatas injuriarum judicia exerceri incipiunt; quorum in numerum illa quoque veniunt, quæ inter unius Ecclesiæ membra exercentur. Et quemadmodum in ipsis persecutionibus, sæpe judicium à domo Domini incipit propter ipsius Ecclesiæ delicta; ita in pœnis persecutionum; quum Dominus illatas ab externis Ecclesiæ suæ injurias vindicat, ne domesticorum quidem adversus fratres suos injurias finit inultas.

Multis autem ex causis, vel in ipsa persecutione mutua ista fratrum contra se suspiria exoriri, docet experientia. Sunt enim quæ plane ex privatis causis, vel injuriis ortum habent. sunt alia magis publica eorum, qui partem aliquam fratrum, ansam persecutioni dedisse aut judicant, aut criminantur: sicuti & eorum vicissim, qui innocentiam suam iniquam accusatione gravari ingemiscunt. Talia omnia, & his similia suspiria *vers.* 9. Apostolus non sine commination præsentissimi Dei judicii vetat. Quia injuriæ istæ sæpe aut nullæ sunt, & falsò fictæ, aut leves, sed multum exaggeratæ, quam criminationem Deus non facile dimittet inultam: aut si quæ sint graviores injuriæ nullis opus sit suspiriis; cum præ foribus earum pœna excubat. Quod autem præceptum hujus *versus* noni ad sensum injuriarum, ex occasione persecutionis ortarum, pertineat; inde colligi videtur, quod inter præcepta doctrinæ de tentatione persecutionum interjectum sit.

Statim enim iterum *vers.* 10., & 11. pergit cohortari fratres ad patientiam in persecutionibus: primum in genere exemplo *Prophetarum, qui locuti sunt nomine Domini, eosque beatos haberi ab omnibus, qui aliquid adversi in gratiam Dei pertulerint*: prorsus, ut ipse servator, *Matth.* v. 12., *beatos* esse pronunciat discipulos suos, *& eo nomine gaudere ipsos*, & exultare jubet, si quid adversi patiantur propter ipsum; addita causâ, *Sic enim persecuti sunt Prophetas ante vos.* Quo in monito reversus videtur Apostolus ad doctrinam de tentationibus, quam initio epistolæ tradere cœperat: nisi quod ante de omni tentationum genere egerit, nunc autem de tentationibus duntaxat persecutionum agat.

Affert deinde speciale exemplum patientiæ Jobi, cujus præmium, ac lætissimum finem, in quem tandem evasit illa tot adversis exercita ejus patientia, commemorat; addita causa, quæ patientibus altè memoriæ infigenda est; quia, inquit, *πολύσπλαγχνος*, *abundans intima misericordia*, & *οἰκτίρμων misericors*, hoc est, valde misericors est Dominus. Ideo tanto majori mercede prosequitur patientes, quantò magis eorum malis tangebatur.

Vers. 12. Addit præceptum, quod vel eo nomine ad patientiam pertinere videtur, quia istum juramentorum, quem vetat, abusum naturâ suâ impatientia extorquere solet eorum, qui propter justitiam patiuntur, tanquam injusti, & multa calumniarum purgatione indigent. In quo statu sæpe lubricus est ad jurandum, Deumque testem invocandum transitus; qui sæpe solus oppressæ ab hominibus innocentiæ testis supereſt, ideoque facile temere, & sine gravi causa pro teste invocari potest. Hoc præceptum ex doctrina Christi *Matth.* v. desumptum est; ideò iisdem etiam verbis propemodum traditur. *Sit sermo vester sic, sic: non, non.* Nam ista jurandi adverbia ab hominibus plerumque mendacibus ipsa extorsit necessitas; ut ipsorum mendacia à veriloquiis signo aliquo dignosci possint. At Christianos veracitatis sectatores non decet in sermone ejusmodi signis uti, quæ veras ipsorum narrationes à falsis (à quibus prorsus abhorrere debent) distinguat. Addit autem huic præcepto rationem *Ne sub judicium cadatis.* Quia juramenta non tantum falsa; sed etiam temere, & sine gravi causa prolata, puniuntur. Utrobique enim sanctum Dei nomen profanatur, nec à nobis eo, quem meretur, honore afficitur.

Ideò præstat omninò etiam veris juramentis abstinere; ne vel per incogitantiam aut falsa aut temere ac sine necessitate prolata effutiantur: quo casu nos sub judicium cadere oporteret. Quamvis enim, in cogitationibus, ac sermonibus, ac totâ vita nostra nobis perpetuò cum Deo conversandum sit, ut statim infrà *vers.* 13. docet; tamen hæc conversatio, singulari erga Deum honore, & observantia carere non debet. Non habetur autem ipsi debitus honos, quoties levissimis quibusque de causis, multo magis autem falsis in testimonium vocatur.

Proponit posteà certissimum, & præsentissimum in omni tentationum, præsertim quæ contristant animos nostros, genere remedium, hoc est, Precationem *vers.* 13., quod initio quoque epistolæ præscripserat: cujus in omni tentationum genere maximus est usus, qui infrà quoque pluribus ostenditur, & commendatur. Quemadmodum tota epistola præceptis, ac monitis de tentationibus; ita de unico, aut certe præcipuo eorum remedio, hoc est, precibus referta est.

Si qua autem, omnium aliorum ad religionem pertinentium functionum, precum profectò functio, ad eam cum Deo conversationem pertinet, in qua omnes nervi industriæ contendendi sunt; ne quo neglectu, aut oscitantia, aut vel minimo Dei vilipendio semper, & ubique præsentissimum nobis numen offendamus.

Porrò mœroris in adversis rebus mentio, & huic mentis statui consilium inserviens occasionem dedit Apostolo, ut lætitiæ quoque in rebus secundis, remedium præscriberet. Ut igitur illic orare, ita hic psallere præcipit; nunquam videlicet à sancta cum Deo conversatione recedendo. Psalmorum enim ad decan-

decantandas Dei laudes inventorum usus præter divinarum rerum contemplationem, quæ memoriæ infigitur, preces quoque, & crebras mentis ad eam ejaculationes continet.

Vers. 14. Tradito præcepto, quo modo nos gerere debeamus in animi ægritudine, addit præceptum, & consilium quid nobis facto sit opus in corporis quoque ægritudine. Quia vero, ut cæteræ Dei castigationes, ita morbi quoque, & infirmitates nobis ob aliqua peccata nostra solent immitti; quod ex ore Christi, multos infirmos sanantis, didicimus; remedium pro depellendis morbis proponit, preces non nostras tantum, sed eorum quoque, qui pietate nobis, & aliis præstare videntur. Quales tunc erant plerumque seniores Ecclesiæ. Cum enim nomen Dei precibus rite & efficaciter invocare nequeat qui peccatorum sarcina onustus est, ut initio epistolæ docuit: merito in casu morbi, præsertim lethiferi, ejusmodi remedium præscribit, quod efficax esse possit, hoc est, orationem eorum, in quorum gratiam Deus aliquid præstare velit. Nam peccatores exaudire non solet; ut recte apud Johannem sanatus à Christo cæcus ratiocinatur. Quod addit de *oleo* Apostolus, nullo modo ex his verbis evinci potest, novam hic ab Apostolo præscriptam ceremoniam, adversus religionis ab iis prædicatæ analogiam, & institutum Ecclesiæ vulgare. longè posterius est ævo Apostolico; atque adeo illa tempora redolet, quibus propter alia videlicet potiora, ac philosophica studia sacras literas accuratè legendi studium neglectum fecit, ut verba Sacræ Scripturæ parum intellecta ad opiniones hominum potius deflecterentur, quàm opiniones hominum, ad verba Sacræ Scripturæ fideliter examinata, exigerentur. Aut enim oleum istud significat oleum non vulgare, aut medicum: Sed sacrum & peculiare, quod miraculosè sanandis ægris adhibebatur; quod quia dono miraculorum patrandorum fuit adstrictum, usus ejus una cum ipso dono in Ecclesiâ cessavit. Aut si latius sumptum oleum intelligi placeat, potest hoc loco oleum per synecdochen significare omnia cætera medicorum remedia, quæ propulsandis morbis adhibentur, inter quæ olea illa fuere, quibus ægra laborantium corpora ungebantur. Nec refert quod istò *oleo in nomine Domini* ungi jubeatur. Ut enim cætera omnia; ita curationem corporis, ac valetudinis in nomine Domini fieri decet. Ostendit vero Apostolus ita præcum remedium adhibendum, ut consueta medicorum remedia non omittantur: sed, quo efficaciora sint, præmissis precibus adiuventur. Precibus tamen (*vers.* 15.) non medicis remediis Jacobus tribuit, impetratæ sanitatis donum; quia sine precibus remedia ista irrita fuissent. Sed hic fortè prioris generis oleum intelligi præstat.

Vers. 15. Vocat autem preces ἐυχὴν τῆς πίστεως, *orationem fidei*; quia, ut initio epistolæ disseruit, oratio omnis debet esse *in fide*, hoc est, debet proficisci ex fide, ac promissæ divinæ opis fiduciâ; nulla graviorum Dei offensarum conscientia concussâ. Verba autem *oratio fidei servabit laborantem, eriguque eum Dominus*, hoc loco non de æterna salute: sed de restitutâ valetudine loqui videntur. Primum enim res ipsa indicat, intercessionem piorum, etiam peccatoribus, qui nondum è peccatis suis plene emersere; posse impetrare valetudinem; at non posse æternam salutem, nisi illimet ipsi è peccatoribus evadant sancti. *quia sine sanctimonia sua* (non alienâ) *Deum nemo videbit.* Nam quod remissionem peccatorum promittit iis, pro quibus Ecclesiæ presbyteri intercedent; de iis peccatis intelligendum est, quæ causa morbi fuere. quo sublato tolli ejus quoque causas manifestum est: & cum pœnæ peccatorum abolentur, ac remittuntur; remitti ipsa peccata necesse est. Vide *Matth.* IX. 2. *& seqq.* Deinde verba quoque ἵνα ὑγιάνητε, *ut sanemini vers.* 16. de sanatione corporis hoc loco agi ostenditur. Apparet autem Jacobum efficaciam hanc intercessionis piorum pro ægris non restringere ad eos solos, quibus propter peccata immissi sunt morbi; sed ad omnes alios quoque protendere; qui alia ex causa ægrotant. quod & res ipsa indicat; & verba κὰν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, *si peccata commiserit*, etiamsi quoque peccatis sibi morbum hunc accersiverit.

Atque ex ea occasione *vers.* 16. præceptum de Confessione tradit Apostolus, non quasi separatam aliquam ab ea, quam de tentatione ægritudinis corporum superius tradere cæpit; doctrinam, ac præceptum; sed tanquam rem, ac præceptum ad superioris doctrinæ explicationem pertinens. Nec enim pro dimittendis ægrorum, & laborantium peccatis, pii homines, aut presbyteri, ad juvandos eos accersiti, orare, atque intercedere poterant; nisi scirent eos isto genere intercessionis indigere: Scire autem non poterant, nisi confessione ipsorum admoniti. Occulta enim sæpe solent esse peccata propter quæ Deus peccantibus morbos immittit.

Qualis autem ista confessio esse debuerit, generalis, an arcana, singulorum enumèrationem complexa, hoc loco non exprimit Apostolus: quod facere non omisisset, si peculiarem de Confessione, qualis hodie quibusdam in Ecclesiis usurpatur, doctrinam tradere in animo habuisset. Liberam igitur ægris optionem reliquisse videtur, in eo alterutrum confessionis modum eligendi; nisi quod interdum distinctior morbi cognitio medenti ad quærenda ejus, aut adhibenda remedia plus opis, ac momenti afferat: & confitentis ingenuitatem magis deceat. Sed ægris duntaxat præceptum hoc ab Apostolo datum, indicant, ut diximus, voces, *ut sanemini.* Eum igitur in finem confiteri imperat; ut confitentes peccati illius, aut plurium, cujus gratia morbo afflictantur, remissionem per intercessionem piorum obtineant, ac sanari possint.

Addit autem præceptum aliud, quod non jam ægris; sed iis, qui in ægrorum auxilium advocantur, hoc est, accersitis Presbyteris, aut qui spectatâ pietate pro iis, qui faciliorem ad Deum aditum habeant, haberi meruerunt, competere videtur, ut orent pro aliis. Verum hoc officium generale est, ac mutuum; ideò generalibus quoque verbis exprimitur. Fieri enim potest, peccatores ægros in eum gratiæ Dei statum restitui, & illos, ad eorum opem accersitos, fratres culpa sua vicissim in eandem miseriam incidere posse; ut eorum ope indigeant, quibus ipsi opem tulerunt. Quo in casu mutuam, ac reciprocam opem sibi invicem ut præstent, exigit Apostolus. *Orate*, inquit, *alii pro aliis, ut sanemini.* Quamvis vero sanatio nonnisi ad ægros pertineat; oratio vero ad eos, qui ægris opem ferunt, tamen & fideles hic, tanquam unum corpus considerantur, ut sanitas unius membri ad aliud quoque, licet ejus minus indigens, spectare videatur: & huic ipsi sanitatis, atque alienæ orationis, atque intercessionis indigentiæ etiam ii, qui hodie obnoxii non sunt, cras obnoxii esse queant.

Ostendit posteà eodem versu quantæ vires precationis esse soleant; si ab homine *justo efficaciter* ad Deum fundatur. *Multum*, inquit, *potest precatio justi* ἐνεργουμένη, hoc est *efficax*, & cum homo ἐνεργουμένῳ ἐνεργήσῃ, hoc est, ardentissime erat. Quod duobus exemplis unius Prophetæ Eliæ probat, altero, quo clausit cælum ne plueret (*vers.* 17.) per menses quadraginta duos, altero, quo idem aperuit *vers.* 18.

Qui numerus mensium, & annorum mysticus ty-

pus, & figura fuit temporis omnium calamitosissimi quo Ecclesia Christi sub jugo tyrannidis Antichristi gemere debuit. Numerus hic alibi primum per tres annos cum dimidio, deinde itidem per 42. menses, tertio per 1260. dies, quarto denique per tempus, tempora, & dimidium temporis in Apocalypsi expressus est. Ubi primum obiter considerandum est, quàm sit sui similis Spiritus Dei, in improbitate hominum punienda: Deinde quàm exquisite descripta sint apud Deum, quæ ad diversos status Ecclesiæ pertinent, tempora.

Sed ante omnia huic loco accommodatissima exurgit contemplatio, homines ὁμοιοπαθεῖς ἡμῖν *iisdem nobiscum infirmitatibus obnoxios*, qualis fuit Elias, precum interventu res adeo incredibiles, atque admirabiles præstare posse, ut nobis quoque non desperandum sit ea, quæ ad Salutem nostram, ædificationem Ecclesiæ, & proximorum multum conferunt, quamvis sint ardua, & vix credibilia, obtinere nos tamen posse; primum si in vitæ sanctitate duremus, deinde si ardenter, & omni studio connixi petamus.

Vers. 19. Quia occasione superioris præcepti, ac doctrinæ, homines ad adjuvandos sese invicem mutuis precibus hortatus est, nunc simile præceptum tradit de succurrendo periclitanti proximorum saluti: Verum ita, ut simul maximo præmio invitet omnes ad illud exequendum.

Ponit igitur casum, *si quis in Ecclesia aberret à veritate*, quod frequenter quidem evenire solet, ut in sententiis, ad religionem pertinentibus, homines in aliquos errores incidant; quorum pene nulli contemnendi sunt: Sed longe frequentius, ut in moribus, ac vita nostra à puritate Evangelicæ veritatis aberremus. quod maximè providendum, & cavendum est. In eo casu officium convertendi, hoc est, mutandi in meliorem statum tales homines tacitè præscribit; pollicendo insigne Deo navatæ operæ præmium; Cujus certitudinem innuit, dum ait γινωσκετω *Norit hoc*, ac pro certo habeat: Sese hujus facti præmium (quod statim exponit) consecuturum. Quod autem posterius genus aberrantium à veritate, hoc est, à vitæ puritate, & sanctimonia ab hujus loci sensu excludendum non sit, patet ex *verbis versus ultimi* 20. *qui converterit peccatorem ex errore viæ ipsius*. Voces enim *peccatorum*, & *viæ* de moribus, & habitibus potius, quàm de doctrina erronea dicuntur; & vox erroris, præsertum cum voce viæ conjuncta, delicta adversus legem sæpius iterata designat. Ut *Psal.* 1. *Non iter errorii tenuit.*

Porrò præmium hoc quo fratres in Ecclesia ad curandam fratrum Salutem invitat, exprimitur his verbis, *Qui converterit peccatorem ab errore viæ ipsius servabit animam ex morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Non est quidem negandum per ejusmodi conversionem servari animum conversi, ejusdemque peccatorum multitudinem obliterari: sed de convertentis anima, & salute, ejusque peccatorum abolitione loqui res ipsa, & scopus verborum indicat. Qui non alius est, quam proposita mercede insigni convertentes potius, quàm convertendos invitare ad hoc tam pium, & utile erga proximum officium. Neque vero dubium est, & tanta asseveratione Apostoli dignum, homines bona fide ad Deum conversos servari, ac peccatorum remissionem obtinere; cum id sit plane necessarium, & ex ipsa conversione certò consequatur. Sed eos, qui alios convertunt, ac servant non semper necesse ipsos quoque servari, cum Paulus ostendat nihil repugnare, quin aliqui prædicando aliis Evangelium Salutis ipsi perire possint. Ostendit igitur hoc loco Apostolus fructum hunc navatæ Deo operæ, convertentium alios profuturum ipsismet ad propriam Salutem, ac peccatorum remissionem.

FINIS.

COGITATIONES SACRÆ AD PRIMAM PETRI APOSTOLI EPISTOLAM.

CAPUT I.

VT in cæteris Spiritus Sancti voluminibus, ita in Principis hujus Apostoli epistolis nullum vestigium reperias illius potestatis, quæ ipsi verbis Christi *Matth.* XVI. super cæteros Apostolos, & omnem Ecclesiam tradita asseritur. Cum tamen exemplum Apostoli Pauli, in limine epistolarum ex impositi sibi muneris excellentiâ doctrinæ, quam traditurus erat, fidem, & auctoritatem conciliantis, Petrus sine dubio secuturus fuisset; si qua ipsi super cæteros; & omnem Ecclesiam potestas, aut jurisdictio, aut certè auctoritatis eminentia collata fuisset: Apostolum se tamen Jesu Christi, in inscriptione vocare non omittit; ne nescirent, quibus scribitur; qua reverentiâ epistolæ ejus monita accidere tenerentur.

Eusebius *lib.* III. *c.* IV. hanc Epistolam Hebræis in Ponto, Galatia, & reliquis propinquis Asiæ provinciis dispersis, scriptam narrat; quibus & ipsis prodicasse Petrum existimat; non sane tunc cum eam scriberet; quia Babylone missa dicitur. Orientalis illa fuerit, an Occidentis Domina nunc non quærimus. Sed cum Apostoli inscriptio eam ad Judæos non restringit, nihil est quod solis Judæis scriptam putemus. Imo vero *versus* 10. capitis secundi, palàm ostendit Epistolam hanc præter Judæos gentibus quoque scriptam. Ubi dicitur *Qui quondam non populus, nunc estis populus Dei* &c. Quod de Judæis dici non poterat. Unde in legendis Sacris Scripturis oscitantia Eusebii deprehenditur. Sed non vacabat illis Gnosticorum Coryphæis præ Platonicis, aut potius Plotinicis studiis suis accuratiori Sacræ Scripturæ lectioni incumbere. Catholicæ tamen titulum cur ipsi antiquitas tribuat justius quæritur, cum certis quibusdam Ecclesiis nominatim ab aliis distinctis inscripta sit, & per Sylvanum (alias Silam) missa, particulares Salutationes, in Universalibus epistolis omitti solitas, contineat. Nisi forte propter pondus, ac pretium eorum, quæ continet, digna visa est; quæ manibus omnium teratur: Simul & quia non uni, sed pluribus simul Ecclesiis, situ locorum, & nationum discrimine distinctis, scripta est. Qui tamen posteriorem in dubiam vocant, & Primatum Petri defendunt; reddant rationem oportet cur Catholicus episcopus nullam Catholicam epistolam reliquerit.

Cur advenas dispersionis, hoc est, dispersos, vocet, ad quos scribit, rationem reddere videtur infrà *capitis secundi versu* 11. *Precor, ut tanquam inquilini, & advenæ abstinentis à carnis cupiditatibus, quæ militant adversus animam &c.* Nec enim Christiani habent civitatem manentem in terris: sed sunt inquilini, & advenæ in mundo: ideò nimiis præsentis ævi curis implicari, aut terrenas felicitates, ac vitæ carnalis solatia consectari non debent. Notandum autem in hac inscriptione quod quemadmodum seipsum conciliandæ suis literis auctoritati, Apostolum, & Legatum Regis omnium Regum vocavit: ita eos quoque, quibus scribit, sive conciliandæ eorum benevolentiæ gratia: sive ut eos excellentissimæ vocationis suæ admoneret, pulcherrima descriptione decoraverit.

Vocans eos *vers.* 2. *Electos secundum præcognitionem Dei patris in sanctificatione Spiritus, ad obedientiam, & aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Neque enim casu fortuitò ipsis vocationis eorum felicitas obvenit: sed ex consilio, & destinatione Dei Patris, qui ante multa secula decrevit per eam viam, quam Christus humano generi ostensurus erat, maximam mortalium partem felicitatis æternæ compotem reddere. Quam viam hoc loco ita describit; ut ostendat, eam consistere in sanctificatione Spiritus ad obedientiam Christi, ejusque præmia; hoc est, significat non alia via nos assequi posse hanc felicitatem; quàm si nos Spiritui Sancto sanctificari permittamus ad obediendum Legi Christi; quæ obedientia secum unà cum alia præmia, tum remissionem peccatorum trahit, & unicum Salutis nostræ impedimentum, hoc est, reatum peccatorum nostrorum removet. Sæpe enim in Sacris litteris Spiritus Sanctus absolutè, ac sine solito epitheto Spiritus dicitur, præsertim cum hoc loco voci sanctificationis adjungatur, quæ vim ipsius epitheti in se continet. Sanctus vero ideo quoque hic Spiritus dicitur quod homines sanctificatos, sanctos, & à vulgaribus, ac prophanis hominibus separatos reddit. Remissio autem peccatorum, aspersio sanguinis Christi dicitur: quia inter cæteros mortis, ac effusi sanguinis Christi fructus non postremus est, quod quemadmodum olim præcipuæ illius sub lege victimæ sanguine aspersi; à peccatis suis mundati declarabantur; ita nunc quicunque sanguine Christi aspergimur, remissionem peccatorum assequimur, non absque interventu tamen obedientiæ, legi Christi debitæ, quæ non temere ab Apostolo aspersioni isti adjuncta, imo præmissa est; ut omnibus planum sit non ad alios aspersionem sanguinis Christi, hoc est, omnes mortis ejus fructus pertinere, quam qui à Spiritu Sancto ad obediendum legi Christi sanctificati, & quasi ab aliis separati sunt: nec ista sanctificatione ob aliquam latam culpam suam exciderunt.

Gratia

Gratia vobis, inquit, *& Pax multiplicetur*. Cum vox Pacis apud Hebræos per complexionem omne felicitatis genus significet; quæ ante alios Christianis promissa, ac destinata est: frequens ejus usus in Votis, & apprecationibus Apostolicis deprehenditur: sed nunquam fere absque addita voce gratiæ. Quarum vocum conjunctio ostendit eximiam illam felicitatem, quæcunque à Christianis animis concipi, & exoptari potest; nonnisi gratuitam, & ex mera Dei benignitate nullis officiis nostris, nullo obsequio provocatâ, aut commeritâ profectam esse.

Notandum hic quoque *præcognitionem* fidelium ubique ferè expresse Deo Patri, aut, ut cum vulgò loquamur, personæ Dei patris tribui; nunquam autem (quod quidem meminerim) Filio. Hoc loco præcipuè, cum totius sanctæ Trinitatis mentio fiat, soli Deo patri adscribitur, & ita quidem, ut ea, quæ Filio & Spiritui Sancto tribuuntur; tanquam longe post præcognitionem istam futura proponuntur: ut sanctificatio spiritus, quæ ante sanctificatos certe non extitit; ut nec aspersio sanguinis Christi ante mortem ejus. Vide *Rom.* VIII. 29. *Eph.* I. 4. 5. Imo vero ipse filius sæpe inter præcognitos ponitur, ut eodem *cap.* I. *Pet.* I. 20. dicitur προεγνωσμένος, *præcognitus Rom.* I. 4. dicitur ὁρισθεὶς υἱὸς θεοῦ ἐν δυνάμει, *designatus filius Dei in potentia*.

Vers. 3. Abundantiam gaudii, quo repleta erant omnium Apostolorum pectora, vel ex initiis Epistolarum, quas singuli scripsere, deprehendas. Ex quatuordecim Pauli Epistolis vix una est ad Timotheum, altera ad Titum, in qua à gratiis Deo agendis non incipit.

Jacobi Epistola in ipso limine gaudium trepidis ac periclitantibus præcipit. Petri secunda ab inæstimabili Dei beneficio; sicut & Johannis prima epistola à communione nostra cum Deo patre, & filio ejus, & utraque posteriorum à gaudio incipit. Eodem modo hæc quoque prima Petri inchoatur à gratiarum actione pro maximo Dei beneficio.

Porrò gaudii hujus abundantia, quia non ex alia causa, quam ex hoc Dei beneficio, pro quo Deo gratias agit, proficiscitur, cujus omnes planè Christiani participes sunt, communis est, atque esse debet cum Apostolis, & omnibus Christi nomen profitentibus: quod infra *versu* 6. *&* 8. ostendit. Hinc toties gaudium istud ex summæ nostræ felicitatis sensu percipiendum nobis passim præcipitur. Quamvis autem versu secundo totius Sacro Sanctæ Trinitatis mentionem fecisset; dirigit tamen Apostolus *versu* 3. gratiarum actionem pro tanto beneficio, ad unum Deum patrem Domini nostri Jesu Christi: quia is solus est prima, ac præcipua, atque principalis causa efficiens Salutis, ac felicitatis nostræ; quam tamen per filium, sicuti (*vers.* 2, *&* 20.) ante constitutionem mundi destinavit, nec sine potentia Spiritus Sancti *vers.* 5. efficit: quæ causæ secundæ, & quasi instrumentales quomodo ad felicitatis nostræ, ut ita dicam, efficientiam cum Deo patre concurrant *vers.* 3, *&* 5. explicatur. Attingitur *vers.* 3. & causa impellens, quæ causam hanc principalem ad præstandum hoc beneficium impulit. Multa videlicet ipsius Dei patris erga nos misericordia, hoc est, gratia & dilectio nostri, & paterna erga nos propensio; quamvis non deessent causæ ob quas nos puniret potius, quàm adeò indulgenter tractaret. Sed commendat (*Rom.* v. 8.) suam erga nos caritatem Deus, eo quod cum adhuc essemus peccatores; Christum pro nobis in atrocissimam mortem tradidit, ut nos *per ejus resuscitationem in spem istam vivam*, pro qua nunc gratias agit, *regeneraret*.

Ac ista quidem *regeneratio*, alibi à Spiritu Sancto creatio, aut nova Creatio, velut nova creatura vocatur, respectu veteris creationis, ac generationis nostræ. Dicitur & novus homo respectu veteris, dicitur etiam vita Dei, hoc est, secundum Deum; ambulatio secundum Spiritum, oppositæ ambulationi secundum carnem, Generatio, aut *regeneratio* (infrà eodem Capite) *ex semine incorruptibili*. Hujus novæ generationis, & creationis respectu tempora, quibus illa perficitur, nova secula, ac per eum, qui Dominus, & hæres omnium constitutus est, facta dicuntur *Heb.* I. 2. Quamvis enim ista regeneratio novam quandam, quâ antea carebamus, felicitatem nostram, per spem certissimam hæreditatis illius æternæ in nobis procreatam, etiam absque respectu vitæ, ac morum nostrorum mutationis, significare cuipiam videri possit; tamen quia vivæ spei fit mentio, quæ absque ista vitæ renovatione, & viva fide esse, & cogitari nequit; ideo vocis hujus frequentissimus & usitatissimus in Sacris literis sensus, atque usus retinendus est. ut ista in regeneratione novæ felicitatis nostræ accessio unâ & morum, ac vitæ renovationem comprehendat. Quisquis enim hac *spe se* pascit, ac sustentat, *purificat seipsum, sicut ipse Deus purus est.* 1. *Joh.* III. 3. ut infrà *vers.* 15. *&* 16. cap. eodem Petrus præcipit.

Vers. 4. Objectum *Spei vivæ, in quam nos Deus per resuscitationem Christi regenuit*, dignis coloribus depingitur. Vocatur primum *hæreditas*. Non simplex possessio, quæ plerumque perpetua esse nequit; sed aut ad tempus definitum sese extendens: aut ad vitæ duntaxat terminum usufructuaria. verum ejusmodi, quæ cum pleno, & perfecto jure dominii nobis obtingit, & in perpetuum durat. Præterea ad exprimendum patris cælestis beneficium, quæ neque pecunia empta; neque ullo impendio, aut merito nostro parta sit: sed ex benignissimi parentis patrimonio, ac beneficio descendat. Deinde hæreditatis istius maximè optabiles qualitates, quæque ipsam apprime commendent, depinguntur. primum quod sit *incorruptibilis* Gaudemus vero sæpè rerum fluxarum, & caducarum possessione, quæ momento intereunt, ac disparent; quamvis alioqui videantur aliquo bono commendabiles. Procul id à rei tàm pertiosæ, quæ nobis æternum possidenda promittitur, indole, ac natura. Nec enim nobis unquam adimi, vel eripi, aut suapte natura dissolvi, ac interire potest; quales sunt pleræque mortalium possessiones, quos licet hostis eripere nequeat, suopte interitu intercidunt. Deinde quod sit *incontaminata*. Voluptates profecto, quas ex carnalibus possessionibus percipimus, ut ipsæ impuræ sunt; ita circa impura objecta, & organa versantur. Esculentorum, aut quæ ad gulam quoquomodo pertinent, eorum possessio circa ventrem, & stercora versatur. Desideratissimæ mortalium voluptates, in quarum usum cuncta, quæ possidemus, convertimus, sordidæ carnis sentinam, & excrementa redolent. Ipsa gloria cæde, & sanguine polluitur. Agricolæ cæno, Opifices sordibus, ipsi pecuniæ, rerum dominæ, contrectatores metallorum fuligine manus inquinant. Nihil in caducis, possessionibus castum, aut purum est: Cum & animus corporei domicilii fæce polluatur. Tale nihil in promissa nobis hæreditate reperias. Voluptas, quæ ex possessione ejus percipitur, casta, & pura est, nec quidquam nauseandum habet, vel erubescendum. Tertio quod sit ἀμάραντος, quæ *marcescere*, aut senescere *nequeat*; sed in vivido suo flore jugiter permaneat. Nulla voluptatum terrenarum est, si eadem continuo redeat, quam non mens humana fastidiat. At vitæ illius immortalis, & cælestis patri-

patrimonii fructus nova perpetuo, ac viridi delectatione animum demulcebit, cujus nulla satietas, nullum fastidium, nec illi rabidarum deliciarum voci locus ullus erit; *Quousque eadem?* Quartò hæreditas ista dicitur in cælis *pro nobis reservata.* Spiritus Sanctus de rebus etiam longe post futuris, sæpe tanquam præsentibus loquitur, propter summam earum certitudinem. Sed nihil prohibet quo minùs etiam propriè loquendo præsens dici possit ista, quam sponsa Christi expectat, hæreditas; cum jam dos ista promissa in manum Sponsi tradita sit, & consignata. Nec enim sine causa Christus dixit sese in cœlum abire, ut locum sponsæ suæ præpararet. Paratus igitur jam est locus iste, & omnia, quæ ad felicissimum ejus statum pertinent, confecta, peracta. Nihil supereſt, nisi ut definitum fruendæ huic felicitati tempus adveniat.

Vers. 5. Quia reservatæ, hoc est, dilatæ hujus felicitatis mentionem fecit; addit alterum maximum Dei beneficium, per quod mora, & quasi defectus hic dilati tanti boni quodammodo suppletur, divini Spiritus auxilio, qui hoc loco *δύναμις potentia* Dei dicitur. Ut nobis nullo Oecumenico concilio opus sit ad percipiendam naturam præstantissimi istius vitæ æternæ pignoris, quod nobis in anteceſſum ejus suo tempore reddendæ confertur; cum Spiritus Sanctus naturam nemo melius quàm Spiritus Sanctus explicet.

Dicit igitur Apostolus, interea dum tantum bonum expectamus, nos *custodiri potentiâ Dei per fidem, ad salutem paratam revelari tempore extremo.* Hæc enim potentia Dei; hoc donum, quod nos in *fide, ac spe* Vivâ retinet & confirmat; custodit nos ab omni lapsu diffidentiæ, desperationis, negligentiæ spiritualis: imo vero continuâ delectatione, atque exultatione certò venturi tanti boni pascit, & corroborat animos nostros. Verba *paratam revelari*, quasi præsentem tantæ felicitatis fructum indicant. Et profecto donum istud Dei inæstimabile, ita nobis pretiosum istud spei nostræ objectum repræsentat, ut eo, jam quasi præsenti, frui, delectari, beari videamur. Sed quia delectatio hæc spiritualis est, & in intimis duntaxat mentis nostræ penetralibus abscondita; ideò salus, & felicitas nostra nondum revelata: sed tantum *Parata revelari* dicitur.

Vers. 6. Hæc igitur mentis nostræ *exultatio* (ἀγαλλίασις) sanitatis ejus, & vivæ fidei; hoc est, bonæ conscientiæ testis, est illa præcipua pars hujus felicitatis, qua nos Spiritus Sanctus adhuc terris existentes beat, & custodit ad vitam æternam. Nulla enim fidelior mentis nostræ custodia dari potest, puro illo, & jugi gaudio, quod ex Spe vitæ æternæ, identidem confirmatâ, & quasi crescente nascitur, ac sese, mentesque nostras perpetuo vegetat, ac retinet in constanti vitæ illius jucundissimæ, ac beatissimæ proposito. Ideo *Philipp.* IV. 7. vocatur *Pax Dei exuperans omnem mentem.* Cui etiam φρουρὰ *custodia*, præsidium, animi nostri tribuitur.

Hunc cælestem, ac lætissimum ignem, à Spiritu Sancto in cordibus nostris accensum, venti, ac procellæ persecutionum interdum, (si ita Deo videatur; qui plerumque in eo bono nostro prospicit) quantum quidem ad mentem Satanæ attinet, extinguere nituntur; sed quantum ad scopum Dei, atque ipsum eventum, ventilare, & augere solent.

Nec enim exiguæ istæ permissu Dei à Satanæ immissæ (nam Deus ultrà vires nos tentari non patitur) tentationes, & exiguo quoque tempore durantes, semel accensum cælestem, & æternum, ac illo Vestali multo Sanctiorem ignem in cassissimis mentium nostrarum penetralibus vigilante, ac fideliter servatum extinguere possunt. Accendunt potius, & augent, & lætiori flamma exardescere faciunt. ita ut merito Apostolus *vers.* 6. dicat *in quo exultatis*, inquit, *modicum nunc (si opus sit) contristati in variis tentationibus.* Primum igitur elevat, & extenuat tentationum istarum vim; Ostendens eas, nec semper accidere, nisi quando Deus videt nobis istis stimulis, ac remediis opus esse: præterea modicam earum vim, quippe paternâ Dei indulgentiâ moderatam, nec diuturnam, aut perpetuam.

Deinde *vers.* 7 justam, & gravem causam, & quæ nostram quoque felicitatem respiciat, esse cur Deus nobis istas tentationes immittat, aut immitti sinat. Quam antequam aggrediamur, libet illud hoc loco considerare, quid per tentationes istas Apostolus hoc loco intelligat. Solasne persecutiones, an omne reliquarum tentationum genus.

Quamvis igitur nimium repugnare nolim iis, qui forte verba ista latius porrigant, & ad omne tentationum genus extendant, cum suo modo verba Apostoli reliquis etiam tentationibus adaptari queant. Tamen parenthesis ista *(si δεον ἐστὶ si opus sit)* verba ista ad persecutiones restringi, ostendere videtur. Tentationes vero reliquæ non interdum, aut *si opus sit* immittuntur: Sed perpetuæ sunt vitæ piæ comites, quamvis ab initio, & ante insignem in pietate profectum frequentiores sint, & vehementiores, in progressu remissiores, & rariores; vix ullum tamen dari tempus potest; ut respectu illarum homo extrà teli jactum positus videri possit: quod in persecutionum tentatione aliter se habet.

Nunc accedamus ad causam, quam affert Apostolus (*vers.* 7.) cur nobis Deus istas tentationes immittat, aut immitti sinat. Ut *probatio*, exploratio, *fidei nostræ multò pretiosior* (exploratione) *auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, reperiatur in laudem, honorem, & gloriam, in revelatione Jesu Christi.*

In cujus causæ expositione continetur tacita solutio objectionis, quæ afferri poterat ad extenuationem felicitatis, & exultationis, nostræ *vers.* 6. commemoratæ: quæ videlicet tot persecutionum tentationibus, quæ tristitia carere nequeunt, interrumpatur, & impediatur. Ostendit igitur nihil esse cur istis tentationibus perturbemur, quæ nobis incomparabilem *Laudis, honoris, & gloriæ* fructum, ac mercedem in revelatione Christi percipiendam afferunt. Quod illustrat similitudine sumpta ab exploratione auri, quod non modo purius enitescit; sed longè majori prætio æstimatur, postquam per ignem exploratum fuerit. Ita quorum virtus, & fides igne persecutionum explorata, ac probata fuerit; tanto majorem laudem, honorem & gloriam in conspectu Dei, ac spectatorum immortalium consequuntur, quæ ne nunc quidem ipsis deesse dici potest; imo ipso facto statim post editum virtutis specimen repræsentatur: sed non revelatur aliis ante revelationem ipsius Jesu Christi.

Ait autem tanto pretiosiorem esse istam fidei nostræ explorationem, auri exploratione; quanto pretiosior est Incorruptibilis, ac Cælestis credentium

tium animus, qui per hunc ignem probatur, auro corruptibili, ac terreno, quod natura suâ interitui obnoxium est. Quod addit, ut ostendat, nos magni æstimare debere beneficium hoc Dei, quum digni judicamur, qui ejus gratiâ aliquid patiamur. Ac tantum abest, ut felicitas, & gaudium nostrum per hanc tentationem aliquod detrimentum faciat; ut eo magis gaudere, & exultare debeamus (*Matth* v. 12.) quoniam merces nostra tantò major evadit in cælis.

Vers. 8. Fidei nostræ, quæ exploratur, & per quam incæpta in terris felicitate usque ad cælestem vitam, ope Spiritus Sancti custodimur, naturam describit hoc *versu octavo*, quod Christum quamvis non videamus, diligamus; ejusque promissa, quamvis oculis nostris non subjecta, credendo amplectamur; ac fide quidem adeo firma, & vivâ ut in nobis procreet gaudium ineffabile, & glorioſum. *Est enim fides rerum ſperatarum ſubſiſtentia, & rerum inviſibilium documentum. Heb.* XI. 1., hoc est, fides in eo consistit, ut ea, quæ nondum sunt, adeo certo futura, tanquam jam præsentia, ac in reipsa subsistentia essent, credamus, ac speremus. Et quamvis illa oculis non videamus, firmissima tamen quasi demonstratione illa nobis parata esse, ac reservari, persuasi simus. Itaque fides est invisibilium. Nec temere nos Paulus 2. *Cor.* IV. 13. *ut ſpectemus inviſibilia, & æterna*, hortatur; nam quæ corpores oculis subjecta sunt, non possunt esse nisi caduca, & momentanea.

Porro veræ, ac vivæ fidei & comes, & signum est gaudium inenarrabile, & glorioſum: quippe cum ejusmodi homines viva fide prædíti, per arrham illam Spiritus Sancti jam quasi in reipsa præsentem *referant, & accipiat mercedem illam fidei ſuæ* propositam (ut *versu* 9. expresse dicit) hoc est, *Salutem animarum ſuarum.*

Vers. 10. Quo altius fidem istam, cujus & objectum, & scopus propositus est *ſalus animarum*, animis nostris infigeret, salutis istius certitudinem probat ex prædictionibus prophetarum veteris fœderis: ac simul ex iisdem prædictionibus ostendit, nostram, ac temporum nostrorum fælicitatem temporibus prophetarum multum antecellentem. quæ ipsos etiam Angelos; accessione hominum ad conditionis, ac status sui societatem plurimum gaudentes, magna delectatione afficiat, ac desiderio accendat ad contemplandam accuratius destinationum, ac decretorum Dei, quæ in arcano ejus consilio tamdiu latuerant, inexspectatam revelationem, atque executionem.

Eodem modo Paulus *Rom.* 1. 2. lætum istum de salute animarum nostrarum nuncium, quem Evangelium vocat, prædictum, & *ante promiſſum per prophetas Dei in Scripturis Sanctis* dicit. hic ipse quoque Petrus 2. *Pet.* 1. 19., quamvis paulo aliter, & quasi inverso ordine probare, & confirmari ait *Propheticum ſermonem* ex illis miraculis, quæ Apostoli viderunt, & audierunt Adventus Christi tempore: quia tunc ille propheticus sermo implebatur; atque ipso eventu confirmabatur, ac perficiebatur. Verum res istæ sunt sibi mutuò causæ adjuvantes, ac sese invicem confirmantes; ut prophetiæ de salute animarum, quam nobis proponit Evangelii doctrina, per ipsum prædictionum eventum, non parum confirmantur; ac veritas earum palàm ostenditur; ita vicissim certitudo Salutis animarum, ac doctrinæ Evangelii, quamvis aliis suis documentis non careat, ex prædictionibus prophetarum multum accipit lucis, & argumentorum veritatis suæ. Sic enim ostenditur gratiam istam, quam Deus in animarum salute sub Evangelio nobis confert, pridem fuisse ab ipso destinatam, ac promissam; adeo ut prophetiarum cum ipso eventu consensus, & cohærentia veritatem, ac certitudinem istius doctrinæ clarè ponat ob oculos.

Occasione argumenti hujus, à prædictionibus ducti; docet nos Apostolus, Prophetas earum rerum, quas prædicebant, distinctam cognitionem non habuisse; sed circumstantias earum, præsertim autem temporis articulum quæsiisse, ac scrutatos esse, quibus Spiritus Sanctus non omnia quidem; sed unum illud ostendit, id quod prædicebant, eorum tempore non eventurum; sed felicioribus posterorum seculis reservatum esse.

Sic in posteriori epistola *cap.* 1. *verſ.* 20, *&* 21. ait nullam prophetiam esse propriè explicationis, hoc est, prophetiam seipsam explicare non posse; quia ne prophetæ quidem ipsi distinctam, & explicatam ejus rei, quam prædicebant, cognitionem haberent. Non enim proprio; sed alieno, hoc est Dei, ac Spiritus Sancti instinctu impellebantur ad effundenda illa oracula, quæ voluntate Dei mortalibus pandebant.

Vers. 11. Spiritum autem hunc, quo impulsi Prophetæ lætum de salute animarum nuncium, & Evangelium; quod per Christum revelari, prædicari, ac perfici debuit, prænuntiabant; vocat *Spiritum Chriſti*: rationem hujus agnominis statim reddens, & explicans; *quia prænunciabat paſſiones*, & afflictiones *Chriſti*, simulque subsequentem eas mercedem, & glorificationem. Nulla vero est in ejusmodi tropo catachresis, ubi Spiritus ab objecto, circa quod prædicandum versatur, sumit denominationem.

Ex eo quod *vers.* 12. asserit, prophetias illas de salute animarum, per Christum consequenda, non prophetarum, sed nostris temporibus inserviisse, tacite deducit Apostolus quanti æstimare debeamus, & temporum nostrorum felicitatem, & gratiam Dei per Christum nobis exhibitam. Quod ad exhortationem ejus, quam *vers.* 13. incipit, pertinet. Sed ex ministerio Spiritus Sancti, miraculosè è cælo missi, ad Evangelii prædicationem apertè, ac disertè probat prædictiones prophetarum, de Christo, & allato ab ipso Evangelio, non aliis temporibus, aut hominibus inserviisse, nisi iis, quibus miraculoso Spiritus Sancti dono instructi illud ipsum Evangelium prædicabant.

Ad auctoritatem vero, ac pretium Sermoni, ac prædicationi Apostolicæ conciliandum, adjungit, ea quæ ab Apostolis prædicabantur, ab ipsis Angelis tanti fieri, ut ingenti studio, ac desiderio ad ea contemplanda, & considerandà ferantur. Perea enim, quæ Deus Ecclesiæ suæ beneficia confert, revelatur Angelis mirifica Dei sapientia, & bonitas, & absolutissimæ potestatis magnitudo.

Hinc igitur *vers.* 13. ansam exhortationis arripit ad consectandam fidem, pietatem, atque omnis generis sanctimoniam. Quod ne levi, ac perfunctorio studio; sed acerrimo nisu, & conatu faciamus; jubet nos accingere lumbos mentis nostræ. Quemadmodum enim in corporis laboribus, quando arduum aliquod opus aggredimur, non facimus id negligenter, & discincti, quod otiosorum, & voluptati deditorum est proprium: sed, ne nos promissarum vestium laciniæ impediant, accingimus lumbos corporis nostri, & altè cincti, impigre adorimur susceptum opus, & in eo strenue progredimur. Ita multò magis in labore isto Spirituali lumbi mentis nostræ accingendi sunt, ac posita omni negligentia, ac remissione animi intendendi sunt nervi mentis nostræ; ut arduum istud, ac difficile: sed glorioſum, & utile fidei, virtutis, & sanctimoniæ studium alacriter, & vividè exordiamur; strenuè, & impigrè, imò improbè urgeamus; constanter

ſtanter & obſtinatè in eo perſeveremus. Duas autem virtutes commemorat, quæ ad eam rem nobis maximo poſſunt eſſe adjumento. Vigilantiam primum, Deinde & perfectam ſpem ac fidem iſtius mercedis, quæ nos manet in revelatione Jeſu Chriſti.

Vigilantiam quod attinet, illa in proſpiciendis tam virtutum, quibus Deum demereri. quam vitiorum, ac tentationum, quibus eundem offendere poſſimus, occaſionibus; illas, ut ſtrenuè captare, has vero, ut ſollerter, & cautè vitare poſſimus.

Perfecta vero Spes, & certa expectatio promiſſæ nobis mercedis, & gratiæ Dei excitatur ex ea conſideratione, quod iſta *gratia*, quam accipiemus in revelatione Jeſu Chriſti, ultrò nobis defertur, & quaſi in manus obtruditur, (Vocat enim eam τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν, *gratiam, quæ nobis defertur*) ut, niſi la iſtima noſtra culpa accedat, excidere eâ nequeamus.

Sed antequam ambas iſtas virtutes nobis inſinuet, *verſ.* 14, 15, *&* 16. paucis tangit iſtam ipſam, ad quam nos cohortatur, vivam fidem, atque pietatem, ut eam tantò magis commendet.

Ait igitur primum *verſ.* 14. Decere nos & convenire nobis ut eam omni ſtudio ſectemur, tanquam *filii obedientiæ*, hoc eſt, obedientes voluntati Dei, & quidem paternæ, & in nos indulgentiſſimæ, non *configurantes*, aut accommodantes nos *iis, quibus in ignorantiâ delinquebamus, cupiditatibus*, quæ nos reddebant inobedientes Deo, ideoque hoſtes ejus, non filios.

Deinde *verſ.* 15. oſtendit, Decere nos, ut ei, qui ex gratuito, & miſericordi affectu erga nos vocavit nos ad tantam felicitatem, mutuo affectu reſpondentes, configuremus nos, & beneplacito ejus accommodemus. Qui cum ipſe *ſanctus* ſit, omnes ſui amantes, ſibique obedientes ſanctos eſſe optat, imo vero, ut ex ſubſequente *verſ.* 16. oſtendit, præcipit. ſanctimonia vero hæc debetur *In omni converſatione* domi, foriſque, privatim publice, cum fratribus & cum alienis.

Redit poſtea ad ſupradictas virtutes, quæ nobis in acri, & ſtrenuo pietatis ſtudio adjumento ſunt. & primum *verſ.* 17. ad vigilantiam. Cujus contrarium vitium, hoc eſt, negligentia, aut oſcitantia in ſalutis negotio, quemadmodum ex nimia ſecuritate naſcitur, eaque fovetur; Ita hæc virtus animi ſobrii, atque vigilantis naſcitur ex metu, & conſideratione præſentiſſimi, in quo verſamur, periculi. Quod in eo cernitur, quia propiùs ad Deum accedimus, quando filii ejus adoptivi evadimus; *qui eſt ignis conſumens*, niſi *cum pudore, & reverentia* ipſi appropinquemus *Heb.* xii. 28, 29. Et quamvis in vocandis nobis paternam dilectionem nobis exhibuerit, etiam dum eſſemus peccatores; tamen, ſi poſt revelatam nobis voluntatem ſuam, nos manere in peccatis videat, non ex perſonarum noſtrarum acceptione, aut proſopolepſia; aut ſemel, vel ſæpius exhibito nobis favore, ſed ex operibus noſtris nos judicabit. Metuendum itaque nobis eſt, ne ingrati, & immemoris, ac ſupini animi culpâ indignationem ejus provocemus; & hoc ſalubri metu continere nos in officio debemus, quamdiu in hoc terrenorum inquilinarum ſtatu commoramur. Quo ipſo innuitur trepidum hunc, & anxium ſtatum noſtrum, non fore perpetuum; ſed ad breve tempus duraturum, proinde patienter, & fortiter ferendum.

Affert poſtea *verſ.* 18. novam rationem, ob quam nobis periculum indignationis Dei tantò magis metuendum ſit, quantò majoribus Dei beneficiis ad hoc officium obſtricti ſumus, ne *ſecundum vanitatem converſationis à majoribus nobis traditæ* vivamus. Beneficium autem iſtud Dei, quo nos ſibi obſtrinxit, ne peccemus, eſt in *redemptione* noſtra per impendium rei apud Deum pretioſiſſimæ. Impendit enim Deus in hanc liberationem noſtram à peccatis *non argentum vel aurum*: ſed rem longè pretioſiorem (unde incredibilis dilectio Dei erga nos æſtimari poteſt.) hoc eſt, *pretioſum ſanguinem agni irreprehenſibilis, atque immaculati*, hoc eſt, filii ſui innocentiſſimi. qui perfectiſſima vitæ puritate, atque obedientia chariſſimus, atque ipſi unicè dilectus evaſit; cujus excellentiam, & apud Deum inſigne pretium oſtendit ex eo; quia multo ante revelationem ſuam per nativitatem ex carne, *præcognitus fuit verſ.* 20. *à Deo, etiam ante conſtitutionem mundi?* (Unde patet Creationem, & conſtitutionem mundi veterem factam eſſe propter novam.) Hinc toties mors Chriſti dicitur ſuſcepta pro peccatis noſtris, hoc eſt, ut per eam confirmaretur præteritorum quidem peccatorum remiſſio: Sed eo ſcopo nobis indulta, ne in futurum amplius peccemus. Itaque mors Chriſti donat nobis non modo præteritorum peccatorum veniam: ſed & futurorum abſtinentiam. Stringit enim nos tanta Dei dilectio in morte filii ejus teſtata, ne tàm amantem noſtri patrem in futurum offendamus.

Cæterum periculum hoc, in quo verſamur, ſi capitale hoc Dei, Chriſtique beneficium, debitum in nobis grati animi obſequium non excitet, exprimit Autor epiſtolæ ad *Heb. cap.* x, 26. *&* ſeq. *Si ultrò peccare pertexerimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua eſt hoſtia: ſed horrenda quædam expectatio judicii, & ignis ſervor, qui devoraturus eſt adverſarios. Qui aſpernatus fuerit Moſis legem, abſque miſericordia ex duorum, aut trium teſtimonio moritur. Quanto, putatis acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur: qui Filium Dei conculcarit,* (hoc eſt, dilectionem ejus, nobis in morte ejus exhibitam, ſpreverit) *& ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & ſpem gratiæ contumelia affecerit?*

Verſ. 21. Accedit ad alteram virtutem, quæ nos in ſanctimonia vitæ acquirenda adjuvet, perfectam nimirum ſpem, ac fidem, quòd ea, quæ nobis Chriſtus nomine patris promiſit, certò, ac ſine ulla dubitatione accepturi ſimus; quia jam ſint in manu Chriſti, nobiſcum tam arctè connecti, quam arctum eſt vinculum capitis, & membrorum, ſponſi, ac ſponſæ. Per eum enim credimus in Deum, qui non modo *ſuſcitavit eum ex mortuis, ſed etiam gloriam ei dedit*, hoc eſt, glorificavit eum, & exaltavit, data in cælo, & in terris omni poteſtate, eo fine, *ut fides, ac ſpes noſtra in Deo eſſet*, hoc eſt, ut tanto firmius, certius, ac perfectius crederemus, ac ſperaremus nos à Deo conſecuturos omnia, quæ nobis per filium ſuum promiſit. Hæc ſalutis galeâ armandum eſt caput omnis religionis, & obedientiæ noſtræ.

Verſ. 22. Harum duarum virtutum effectum, vitæ ſanctimoniam, & pietatem deſcribit *verſ.* 22. complexus ſummam legis, & obſequii noſtri in duplici amore Dei, & proximi. Incipit autem à Charitate Dei, ut par eſt, quia & natura, & dignitate prior eſt, & per illam proximus aditus patet ad caritatem in fratres; primum, qui nobis principaliter proximi ſunt, deinde in alios omnes. Caritatem Dei ponit, in *purificatione animarum noſtrarum atque obedientia veritatis per Spiritum.* Duæ igitur partes caritatis Dei ſtatuuntur, purgatio à peccatis, quæ Deum offendunt; & obſequium in virtutibus, quæ Deo placent, hoc eſt, abſtinere à malo, & facere bonum. Cæterum obedientia iſta dupliciter iterum deſcribitur: primum ab objecto, aut indolis ſuæ proprietate, deinde & à cauſa ſui efficiente, vel adjuvante. Dicitur enim *obedientia veritatis, per*

Spiritum. *Obedientia veritatis* quidem explicari potest, obsequium Legi, ac doctrinæ Christi; quæ est ipsa veritas. Malim tamen usitatissimum in Sacris literis loquendi modum hic quoque agnoscere, ut *obsequium veritatis* explicetur per obsequium verum, hoc est, non fucatum, non umbraticum, aut ceremoniale. Sic enim eodem versu dicitur & φιλαδελφία ἀνυπόκριτος, *fraterna caritas non simulata*, hoc est, vera, & genuina. Quod autem obedientia ista vocetur *obedientia per Spiritum*; quamvis vox spiritus hoc loco cum voce veritatis conjuncta, ut alibi quoque, veram, & spiritualem obedientiam, aut etiam vitam secundum spiritum actam, vel agendam significare possit; nihil tamen est, cur à proprietate particulæ ἐν, quæ causam efficientem significat, recedamus; & per vocem *Spiritus* Spiritum Sanctum non intelligamus, cujus instinctu, & manuductione obedientiam istam veram perficimus. præsertim cum Spiritus Sanctus in nobis istam veram, & spiritualem obedientiam procreet. ita ut in explicatione causæ, ille quoque alter sensus, & explicatio effecti contineatur.

Accedit eodem versu ad alteram istius compendii pietatis partem; Officium nostrum erga proximum, præcipuè verò fratres, qui revera propriè, & principaliter proximi nostri dicuntur: Quæ virtus φιλαδελφία, in se reliquam etiam caritatem latius extensam continet; non modo quod, qui caritatem in gradu, ut loquuntur intenso, qualis esse debet erga fratres, assecutus est, nullo negotio remissiore etiam erga alios caritate præditus esse possit: sed quia qui fratres bona fide, atque, ut hic dicitur, ἐκτενῶς *intense* diligit; eos quoque, qui fratres evadere possint, quamvis remissiori caritate, non potest non diligere. Cæterum officium istud erga fratres ita describit, ut non obscurè ostendat virtutem hanc ex caritate Dei profluere. Additâ præcepto purificationis, & obedientiæ (quæ dilectionis nostræ erga Deum testis est) particulam εἰς φιλαδελφίαν *in caritatem fraternam*, ut significet Caritatem, & obedientiam Dei nos ad ipsam philadelphiam, manuducere, atque impellere. Describit autem φιλαδελφίαν hanc, seu *amorem fraternum*; primum quod ἀνυπόκριτος, hoc est *non simulatus*; sed verus, ac genuinus; deinde quod ex *mundo corde*; denique quod *intensus* esse debeat.

Non videtur autem Spiritus Sanctus in eò τυπολογεῖν, quod Caritatem, quam semel non simulatam esse præcepit, iterum, ex mundo corde proficisci debere præcipiat. Potest enim caritas non esse simulata, sed vera; nec tamen ex mundo corde proficisci: sed propter carnalem respectum esse vera, & intensa. Non sine causa autem officio huic erga fratres, purificationem animarum, præmisit; ut doceret veram fratrum caritatem nonnisi ex mundo corde proficisci debere. Quamvis ego existimo purificationem animarum plane latius protendi; quia cordis munditiem, ex qua fraternum amorem profluere debere hoc loco præcipit. Illa enim omnium plane peccatorum mundationem: hæc verò eorum tantum, quæ ad impediendam veram in fratres caritatem pertinent, continere videtur; quæ *vers.* 1. capitis secundi recensentur, hoc est, depositionem omnis malitiæ, & omnis doli, & simulationis, & invidentiæ, & obtrectationis; ut eorum cor ita sit mundum, quasi modo genitorum infantium.

Vers. 23. Describit deinde sanctimoniam, ad quam cohortatur, à divinissimo effectu, quem in nobis producit per exoptatissimam mutationem, & innovationem, aut potius regenerationem mentis nostræ; non ad vitam caducam, & corruptibilem, in cujus sortem per veterem creationem, & generationem geniti sumus; sed ad vitam æternam, & gloriosam; in quam renascimur, non ex semine mortali, & carnali: *sed ex semine incorruptibili*, & spirituali. Quod semen est *Verbum Dei vivum*, & efficax, & *manens in æternum*. Nec enim hoc loco epitheta ζῶντος, καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, *vivi, & manentes in æternum*, ad Deum, sed ad verbum ejus, de quo loquitur, referenda puto, cum posterius epitheton versu ultimo non Deo; sed verbo ejus disertè tribuatur. Prius quoque epitheton *vivi* verbo, aut sermoni Dei tribuitur *Heb.* IV. 12. *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti*.

Ut vero nobis tanto magis & ipsam regenerationem, & semen ipsum, ex quo renascimur commendet, comparat generationem nostram ex semine carnali, cum regeneratione ex semine spirituali, & incorruptibili, ostendens ex carnali semine non posse nasci nisi carnem fluxam, & caducam, quæ quamvis sese excogitatis ab ingenio mortalium ornamentis, & gloriâ commendet; tamen, ut ipsa nihil aliud est, quam *gramen* ad breve tempus virens; ita *gloria ejus nihil* aliud, quam *flos istius graminis*, qui gramine exarescente marcescit ipse, ac decidit. At verbum Domini, semen istud immortale, ut ipsum stabile est, & æternum; ita omnes ex sese genitos æternos, & gloriam eorum perpetuam, ac stabilem, & in omnia secula duraturam reddit. Hoc ipsum autem verbum esse designat, quod Apostolica prædicatione ipsis est annunciatum.

CAPUT II.

Ita commendata paucis pietate, nunc ad explicandam illam ejus partem accedit, quàm in munditie cordis collocaverat, repurgandi ab iis maculis, ac sordibus, quæ fraternam caritatem impediunt. Abjicere igitur jubet *omnem malitiam*, hoc est, nocendi studium, *omnem dolum*, hoc est, decipiendi conatum, *hypocrision*, hoc est, simulandi, ac dissimulandi artificia, *invidias*, hoc est, ægritudinem, ex alienis bonis correptam; ex quâ omnes *obtrectationes*, quas & ipsas abjici præcipit, nascuntur. Hæ sunt immunditiæ cordis, quæ, fraternam caritatem assequi volenti, prius expurgandæ sunt. Adumbrat autem istam, quam præcipit, cordis munditiem, sumpta à recens natis infantibus similitudine; quos omnium, supra memoratarum, immunditiarum expertes esse innuit; nec alio affectus, aut cupiditatis genere agitari, quam illo innoxio, ac necessario, lactis expectandi desiderio, quod natura ipsa inserit, ut per illud viribus, & incremento augescere possint. Quarum nobis etiam exemplum ad imitandum proponit. Observandum est autem, Principem hunc Apostolorum nondum illo Pythagorico dogmate, de primigenia labe etiam in pueris, etiam in infantibus insita, imbutum fuisse. Quid enim piscatoribus cum philosophia negotii esse poterat? At Christi, sub quo magistro profecit, doctrinam egregie exprimit; qui ob easdem causas puerorum innocentiam, & omnis ambitionis expertem simplicitatem, discipulis suis imitandam proponit *Matth.* XVIII. 3., & *Matth.* XIX., & talium esse regnum cælorum asserit. quod certe non fecisset, si mortiferâ peccati lue infectos esse sensisset.

Sed ad apodosin similitudinis revertamur. Præcipit igitur *vers.* 2., ut, tanquam recens geniti infantes, Lac illud sermonis, aut verbi Dei, & *quidem ἄδολον syncerum, & omnis doli expers*; expetamus, ut in illo, hoc est, *per illud augescamus*. Eædem plerumque causæ rerum conservantes, quæ & procrean-

procreantes esse solent ; atque unum, idemque verbum Dei, sicuti, propterea quod ex eo renascimur, Semen, & quidem incorruptibile dicitur : ita eo quod per usum ejus in sanctimonia vitæ proficimus, & augescimus Lac, & quidem ἄδολον, *sine dolo*, syncerum, & in quo nihil mali ; nihil noxii, aut venenosi fugere possumus, vocatur.

Vers. 3. Ad expetendum lac istud tàm bonum, ac salutare, ac vires nostras reficiens, hoc est, verbum Dei, & quæ in ipso traditur, doctrinam Christi, hortatur nos ab experimento ; quod cuivis, qui modo doctrinam Christi vel extremis labiis gustaverit, præsto est. Ut enim sæpe vox ipsius Christi pro doctrina Christi ; ita & hic vox *Domini* pro doctrina Domini usurpatur. Quamvis, si quis velit obstinatius proprietati verborum inhærere, repugnari magnopere nolim : cum ipsa ista expetenda, & desiderabilis Domini bonitas, quam interdum in vitæ nostræ experimentis sentimus, in saluberrimo simul, ac jucundissimo verbi ac doctrinæ ejus lacte degustari possit. Et quia suprà *cap.* 1. *vers.* 22. primæ illi pietatis parti, hoc est, purificationi animarum ; adjecit obedientiam veritatis per Spiritum, cum hoc loco purificationem istam, & munditiam cordis specialius explicuisset ; pergit in explicanda ulteriori obedientia, ac primum *ad Christum accedere vers.* 4. præcipit. quod nihil aliud est ; quam Christi vitam, & sanctimoniam imitari, & in ea sanctimoniæ ejus imitatione in dies proficere, & crescere, & quasi ædificari. Sumpta metaphora ab ædificatione alicujus structuræ, quæ in ædificando perpetuo augescit, atque incrementum sumit. Idem enim est ; accedendo ad Christum, tanquam lapidem vivum, ædificari, & quasi crescere, quod & lacte doctrinæ ejus nutriri & augescere. (ut planum est ex subsequentibus verbis versus quinti.) Imitationis autem hujus ratio in eo est ; ut quemadmodum Christus in domo, ac templo, quod sibi Deus pro jucundissimo domicilio elegit, est *lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus : sed à Deo electus, & apud eum pretiosus*, ita nos quoque, *veluti vivi* lapides, ædificemur in domo eadem spirituali, cum Christo omnium quidem odiis, ac persecutionibus objecti : sed apud *Deum accepti* ; ut qui *in isto templo spirituales hostias, ipsi gratas*, & jucundas *per Christum* offeramus.

Notandum autem hic allegoriam istam, quâ spirituale domicilium, ac templum Dei dicimur, ita ab Apostolo explicari ; ut simul ejusdem templi sacerdotes, & antistites vocemur. Ea enim est natura spiritualis templi, ac domicilii, in quo Deus habitat ; atque ea à templo manufacto, atque corporeo differentia : ut in hoc quidem aliud sit templum ; alius templi sacerdos : at in illo tàm templum, quam antistites ejus iidem sint ; qui templum quidem vocantur, quia in iis Deus habitat ; sacerdotes vero, quia spirituales hostias, precum, & laudum sacrificia Deo offerunt. Quæ (*vers.* 5.) *acceptæ Deo per Christum* dicuntur, quia propter Christum, summum sacerdotii nostri principem, Deus preces nostras libenter audit, atque exaudit, & sacrificia nostra acceptat ; ita ut nos quoque ipsi, non merito nostro : sed propter Christum grati, & accepti simus, & quamdiu Christi sumus, maneamus.

Probat autem è Scripturis *vers.* 6., similitudinis hujus, in qua Christum imitari, eique conformes fieri jubemur, protasin ; ostendens Christum esse lapidem vivum, angularem, electum, pretiosum, & in Sione positum ; *in quem qui credit, nequaquam pudefiet.* quo præceptum in apodosi datum tanto magis commendet, nobisque persuadeat ; ut ipsi quoque vivi lapides in eodem, quo Christus, Dei domicilio ædificemur : nihil morati quod nos homines, sicuti & Christum, damnent, ac reprobent : quia Spiritus Sanctus promittit, eos, qui in ipsum credunt, eumque imitantur, pudefactum non iri, hoc est, (per ultitatam μίωσιν) maximo, & glorioss simo honore affectum iri. Quam felicissimam sortem Christum imitantium, in eoque spem, ac fiduciam reponentium ; non modo variis, & pulcherrimis elogiis ornat : sed & comparatione deterrimæ sortis adversariorum Christi, commendabiliorem, & optabiliorem exhibet : ut contraria juxta se posita magis eluceścant.

Ait enim, *vers.* 7. *lapidem hunc angularem*, à stolidis Judaicæ Synagogæ architectis *rejectum*, credentibus quidem in eum esse honori, & summo ornamento, ac solatio : at inobedientibus, quique ipsum rejecerunt, esse *lapidem offendiculi, & petram scandali.* Quos ita describit *vers.* 8. qui offendunt & *impingunt ad sermonem* videlicet prædicationis, ac doctrinæ Christi, contumaces, & *inobedientes, cui supplicio* sane pridem *destinati sunt.* Posuit enim Deus in Sione hanc Petram scandali, tanquam insidias, & laqueum improbissimis mortalium, quorum neminem quidem nominatim, ac specialiter, aut destinavit, aut cogit ad peccandum ; ac ne patitur quidem quenquam errare non præmonitum, aut sufficienti auxilio instructum ad evitandas istas insidias, antequam homines ipsi latissima culpâ consumpserint omnem Dei misericordiam, & longanimitatem. Tunc enim justissimo judicio suo permittit improbas mentes implicari positis improbitatis suæ laqueis ; ita ut ejusmodi homines ad tàm miserabilem statum constituti & tanquam victimæ gravissimo supplicio devotæ esse merito dicantur. Non quod ante commissam latissimam culpam suam huic pesti specialiter, ac nominatim devoti fuerint ; sed quod culpam hanc cum subsequente eam supplicio indissolubili vinculo connexam, cujus evitandæ potestatem Deus ipsis nequaquam ademerat, evitare neglexerint.

Vers. 9. Ejusmodi miserabili sorte contumacium, & infidelium ob oculos posita, redit iterum ad commendationem beatissimi status Christianorum, vocans eos, *Genus electum*, quasi in nobilissimam omnium in orbe familiam adoptione transierint ; *regale sacerdotum*, quod eos Christus fecerit reges, & Sacerdotes Deo, & patri. *Apoc.* 1. 6. *gentem sanctam*, quia sibi Deus hanc gentem à reliquis omnibus seposuerit ; *populum in acquisitionem*, hoc est, aut quem sibi Deus, tanquam proprium ? acquisivit, & acquirere destinavit ; aut qui in acquisitionem supremæ felicitatis destinatus, & ad eam acquirendam quasi admissus est. In commemorandis tot ingentibus Dei beneficiis, quæ in Christianum populum larga manu effudit ; interserit eodem *vers.* 9. finem, & scopum, quem sibi Deus in tantæ beneficentiæ consilio proposuerat. Nec enim alio consilio nos tanta felicitate affecit, quàm ut *virtutes ejus annunciaremus.* Paupertas oris humani etiam Apostolos adegit ea Deo tribuere, quæ vulgò solis hominibus tribuuntur. Sed per *virtutes* Dei non aliud intelligitur, quàm inexhausti fontes illorum laudabilium habituum, quorum vel exiguæ rivuli scatebræ, in homines derivatæ, *virtutes* dicuntur, hoc est, bonitatis, benignitatis, misericordiæ, justitiæ, atque omnis æquitatis, beneficentiæ, sapientiæ, patientiæ, longanimitatis laudes, atque ornamenta. Atque hic ea tantum, nec tamen omnia commemoro, quorum structuræ aliquæ ab illa immensa luce promicantes in hominibus quoque apparent. Nam illa Dei solius propria, aut certe non promiscuè mortalibus exposita decora omitto, Æternitatem, Omniscientiam, Omnipotentiam, Omnipræsentiam,

Summam ſuper omnia poteſtatem, & eminentiam, quæ nec ſingulæ numero facile comprehendi, mente autem noſtra capi, ut dignum eſt, nullo modo queunt. Et tamen tot ornamentis, dignitatibus, ac beneficiis Dei, cumulatim in nos congeſtis, idcirco dignati, atque exornati ſumus; ut has virtutes, has divinas dotes, hæc miracula, ad quæ mentes noſtræ obſtupeſcere queant, dignis laudibus celebrare, ac perpetua prædicatione extollere, ac nobis invicem ob oculos exhibere conemur. Maximum autem earum laudum argumentum, & uberrimam materiem in iſtis ipſis, propemodum ſine modo in nos congeſtis, beneficiis reperiemus. Quum enim conſideramus parte ab una denſiſſimam ignorantiæ, & errorum caliginem, qua obruti eramus, cum profundiſſimam miſeriarum pelagus, in quo penitus demerſi fuimus; cum vilitatem, & indignitatem, imo vero malitiam noſtram, qua toties optimi patris indignationem irritavimus, introſpicimus: parte ab altera cum oculos reflectimus ad illam amæniſſimam, & admirabilem lucem, qua illuſtrati; & ad infinitam illam, nec ulla cogitatione terminabalem æternitatis extenſionem; præterea ad ſummæ felicitatis gaudia, ad quæ invitati; imo tranſlati ſumus: tum demum æſtimare poſſumus quanta miſericordia, benignitate, clementia Dei; quanta præterea liberalitate, ac benefaciendi magnificentiâ (deſunt enim rebus non verba tantum; ſed conceptus, & cogitationes noſtræ) quanta denique potentia Dei opus fuerit; ut hoc fieret.

Quum autem contemplamur Modum, & viam, atque rationem, qua Deus iſta omnia perfecerit, ibi iterum tot ſapientiæ, tot juſtitiæ, tot æquitatis ejus veſtigia, ac teſtimonia occurrent, ut mens noſtra, in admirabilium rerum obtutu defixa, extra ſe rapiatur; nec tamen tam jucunda cogitatione ſatiari poſſit. Harum rerum memoria nobis perpetuò refricanda; harum facies, & imago omnium ob oculos ponenda, ac repræſentanda eſt; primum ut amore tàm benigni, ac benefici in nos, tam admirabilis numinis flagrare incipiamus; deinde ut eximiam ejus in nos Charitatem, non dico excitemus, aut provocemus: ſed ſuamet ſponte propendentem, & noſtra ſtudia prævenientem, ac ultrò obviam; retineamus, ac foveamus. Poſtremò hic ſcopus eſt collatorum in nos Dei beneficiorum; quem ſi Deus attingat, non eſt periculum, ne aut ab ingratis beneficia tollat, aut ne majoribus ſubinde beneficiis nos ad flagrantius indies erga ſe ſtudium, ſimulque ad ſtudii hujus præmia ſtimulare, ac pertrahere negligat.

Verſ. 10. Felicitatem noſtram, ut ante, comparatione cum infidelium, & inobedientium miſeria *verſ.* 7. commendabiliorem reddere conatus eſt; ita hic comparatione cum noſtro proprio, antequam in admirabilem iſtam lucem à Deo vocaremur, ſtatu, illuſtriorem reddit.

Cum enim *ante eſſemus non populus* Dei, nunc evaſimus, & *ſumus Dei populus*; quod aut gentium duntaxat, ad gratiam Dei admiſſarum, cauſa dictum, aut de gentibus in pleniſſimo ſenſu intelligendum eſt. Quod autem additur, *Qui non conſecuti eramus miſericordiam; nunc eam conſecuti ſumus*; hoc etiam ad Judæos pertinet, qui quamvis ſuo modo, eſſent populis Dei, nondum tamen eam, quæ per Chriſtum eſt, miſericordiam erant conſecuti. Niſi quis malit etiam ſuperiora verba promiſcuè tam de Judæis, quàm de gentibus intelligenda; ea vero, quæ poſterius adduntur, eſſe explicationem ſuperiorum, hoc eſt, ideò non modo gentes; ſed & Judæos non fuiſſe populum Dei, in ſenſu nimirum principaliori intellectum; quia nondum conſecuti erant miſericordiam; quam conſecuti, demum verus populum Dei utrique evaſere.

Verſ. 11. Poſteaquam Apoſtolus eos quibus ſcribit nobiliſſimi & excellentiſſimi ſtatus, ac felicitatis ſuæ admoniſſet, atque ut in ea proficere conarentur cohortatus eſſet; antequam ad danda ſpecialibus Chriſtianorum vocationibus præcepta accederet, duo præcepta univerſis tradidit, univerſam officii noſtri rationem in ſe continentia. Primum eſt *abſtinentia à carnalibus concupiſcentiis, quæ militant adverſus animam.* quod tradit *verſ.* 11. quæ nihil aliud eſt, quàm victoria ſui ipſius, alibi abnegatio ſui dicitur; cicuratio affectuum, qui nos indomito impetu ſæpe in abrupta abripiunt, ac præcipitant; contemptus mundi, & omnium terrenarum illecebrarum; obturatio aurium ad concentum Sirenum, in exitium noſtrum dulcem; breviter frænum, & capiſtrum effræni rerum terrenarum cupidini inditum.

Quod ex ratione, huic adhortationi eodem verſu annexâ, intelligitur; ut infra oſtendemus. Cæterum quia præceptum hoc duriuſculum videtur, eò quod terrenæ felicitatis ſtudium, & curam nobis excutit; blanda allocutione animos ſibi eorum, quibus ſcribit, conciliat; *Dilectos* eos nominans, & roganti, quam præcipienti proprior. Unde patet quam liberam, & voluntariam religionem, ac pietatem Chriſtus eſſe voluerit, & quam longè à Chriſti Spiritu recedant; imò quàm contumaciter ei adverſentur, qui fidem, religionem, pietatem imperioſe ab invitis in Eccleſia Chriſti extorquere audent. Non tantum Petri Apoſtoli, quantum ipſorum, ad quos ſcribit, intererat; ut præcepto huic obedirent: Et tamen ſeſe ad rogandum demittit, ut ſponte, non inviti ſalutari monito auſcultare velint, perſuadendo, non imperando. Affert enim rationem rei, quam perſuadet aptiſſimam; nimium terrenæ felicitatis ſtudium, (quæ præſentium objectorum ſtimulis cupiditates noſtras excitat) non eſſe conſectandum, eò quòd in hac terrâ inquilini, & advenæ ſimus, brevi morituri; & eò tranſituri, ubi cupiditatibus noſtris locus non erit. Atque hic notandum, eam ipſam rationem, quæ infideles ad indulgendum cupiditatibus, & ad rapiendas avide fluxas fugientis ævi voluptates impellere ſolet, ab Apoſtolo fidelibus afferre; ut contemnant ejuſmodi voluptates, quæ ſunt tam breves, & incertæ, & quibus nonniſi exiguo temporis ſpatio frui poſſumus. Non enim hæc terra nobis hæreditate poſſidenda data eſt; ſed ad breve momentum uſus fructus ejus nobis permiſſus eſt. Quæ ratio & ipſa per ſe firma eſt, & ab altera ratione, quæ eodem verſu adjicitur, majus pondus accipit. Nec enim tantum *cupiditatum iſtarum*, illecebræ breves, & fugaces ſunt; ſed etiam rationi noſtræ, ac nobilitati animi noſtri repugnantes; quippe maxima ex parte nobis cum pecudibus, & belluis communes, aut certe generoſa, & honeſta mentis noſtræ deſideria non implentes. Hanc rationem iis verbis profert Apoſtolus, *quod militent adverſus animam.* Quæ verba non id tantum, quod diximus; ſed illud quoque ſignificare poſſunt, quòd in bello iſto, quod nobis cum Satana geritur, propriæ noſtræ carnis cupiditates ad hoſtem transfugiant, eique adverſus nos militent; adeo ut proditione ſuâ & pugnâ adverſus nos infenſiſſimum hoſtem noſtrum adjuvent.

Notandum verò: quod vocem *animæ* Apoſtolus pro animo, ac Spiritu noſtro, *& Ratione illa ſuperiore* uſurpet; quemadmodum & ſupra *Cap.* 1. *verſ.* 22. *& verſ.* 9., quam appetitui, & cupiditatibus opponit.

Alterum univerſale Apoſtoli præceptum traditur *verſ.* 12. Ut *converſationem noſtram honeſtam habeamus inter gentes*, hoc eſt, inter homines extra Eccleſiam poſitos. Prius igitur illud Apoſtoli præceptum ædifica-

ædificationem, ut ita dicam, noſtram propriam; hoc autem ædificationem aliorum reſpicit. præcipuè verò externorum. Nec tamen ideò quod expreſſe gentium earum mentionem facit, excludenda eſt ab hoc præceptio converſatio cum Eccleſiæ domeſticis. Nam quotidiana cum aliis tàm ſuis, quàm alienis converſatio in oculos omnium incurrit: nec magis ea domeſticos, quàm ipſas gentes ædificat; quarum vel ideo tantum mentionem facit, quia gentes longe magis, quam domeſtici ædificatione indigebant. Cur autem converſatio cum ſuis ab hoc præcepto excludi nequeat, documento eſt, quod occaſione generalis iſtius præcepti de converſatione, ſpecialia ſtatim erga eos, quibuſcum converſamur, officia reliquo capitis hujus, & initio ſequentis tradit. Officia inquam ſubditorum erga Magiſtratus, & poteſtates; ſervorum erga Dominos; uxorum erga maritos; maritorum erga uxores. Nihil autem repugnabat tunc, ſaltem Dominos, uxores, maritos, erga quos officia præſcribuntur, eſſe Chriſtianos. Imo erga Chriſtianas uxores Apoſtolum officia præſcribere maritis verſus ſeptimus capitis tertii documento eſt. Ac verſus octavus ejuſdem capitis officia erga fratres, expreſſe præſcripta, continet. Quemadmodum enim mala, & inhoneſta converſatio cum ſuis, atque domeſticis non raro etiam externos, & alienos offendit: ita honeſta, & ſcandali expers ædificat.

Quamvis igitur ædificationis gentium, quæ ex honeſta converſatione noſtra proficiſci debeat, duntaxat mentio fiat; tamen honeſta converſatio, etiam cum ſuis aperte præſcribitur, & eorundem ædificatio tacite ſubintelligitur. Quomodo enim ædificare ſuos nequeat id, quod alienos & gentes ædificare poteſt? Sed tamen gentes præcipuè ædificatione iſta indigebant, & ipſos Chriſtianos urgentior premebat neceſſitas & cura ædificationis gentium, & alienorum, qui ſeipſos ædificare non poterant; quàm eorum qui poterant: præſertim cum gentes traducerent, ac perſequerentur Chriſtianos, ut facinoroſos. A quibus malis Chriſtiani liberari non poterant, niſi per ædificationem, & converſionem gentium.

Ergo *verſu* 12. Exprimit fructum iſtum bonæ converſationis ſive cum ipſis gentibus, ſive cum domeſticis fidei: quarum utraque non poterat eſſe, niſi inter gentes, hoc eſt, in conſpectu, & ob oculos gentium: *Ut in quo gentes traducebant Chriſtianos, tanquam facinoroſos, ex bonis operibus, quæ ſpectarint, glorificent Deum in die viſitationis*, hoc eſt, ut per eam ipſam rem, qua infamabant noxie Chriſtianos, vitam nimirum, & converſationem earum, ædificati glorificent Deum in die *viſitationis*, hoc eſt, converſionis ſuæ. Nec enim glorificare Deum poterant, niſi ad eum converterentur. Vocem autem ἐπισκοπῆς *viſitationis* ſignificare inſigne Dei beneficium erga eos, quos viſitat, teſtantur loci *Luc.* 1. *verſ.* 68, & 78. & alii plurimi. Porro omnia reliqua Dei beneficia conſequuntur hanc gratiam, quam effundit in eos, quos ad ſe convertit.

Notandum autem eſt inter iſtas gentes, hoc eſt, homines, ab Eccleſia alienos, qui à Chriſtianis per honeſtam converſationem converti debeant, poni primùm omnium Magiſtratus gentium, quibus Chriſtiani tunc ſuberant. Primum enim iſtud bonæ converſationis ſpecimen collocat in ſubjectione, & obſequio poteſtatibus, tàm ſupereminentibus, quàm ſubalternis: quas poteſtates vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν *creaturam humanam*, ad differentiam nimirum divinæ illius Creaturæ, & Regenerationis, quæ per Chriſtum ſub novo fœdere non in moribus tantum: ſed in naturâ quoque, & ſtatu hominum perficitur. Atque hinc illud quoque liquido patet, vocem *Creaturæ* in Sacris litteris, ita uſurpari, ut ſignificet rei Creatæ mutationem in ſtatum longe quam ante excellentiorem. Quemadmodum in veteri, ac proprie dicta creatione res ex nihilo, aut certe à non ente producuntur ad ens, certa quadam, ac definita forma prædituni; quæ mutatio eſt ex deteriori ſtatu in meliorem: ita ſive humanam iſtam, de qua Petrus loquitur, Creaturam ſpectemus, ab æquali cum aliis ſorte promoventur ad longe excellentiorem, & quaſi divinæ dignitatis participem, ſtatum poteſtates jus vitæ, neciſque habentes: ſive novas, ac divinas Chriſti creaturas reſpiciamus, promoventur in iis homines in ſtatum longe excellentiſſimum, ac diviniſſimum, hoc eſt, ad arctiſſimam cum eo conjunctionem, qui creaturæ hujus primogenitus, divinam omnipotentiam, & omnium Regum Regis poteſtatem à patre accepit. Cauſam vero hujus ſubjectionis eandem affert, quam Paulus. *Rom.* XIII. 5. *Propter Dominum*, inquit, hoc eſt, ut Paulus ait, non modo propter iram, ſeu ſupplicium à Magiſtratu, inobedientiæ vindice, metuendum; ſed & propter conſcientiam legibus Domini, ad hoc officium obſtrictam.

Verſ. 14. Extendit etiam ſubjectionem iſtam ad omnem poteſtatem, ſive illa ſit ſupereminens, ut in regibus, & imperatoribus, nemini ſubjectis, ſive inferior, & ſubalterna, utræque poteſtates ab ipſis Regibus dependens: quarum utræque poteſtates in maximum ſubjectorum, & humanæ in terris ſocietatis bonum conſtitutæ ſunt; hoc eſt, *in ultionem*, & coërcitionem *maleficiorum*; *laudem* verò, & patrocinium *benefactorum*.

Oſtendit autem *verſ.* 15. quid à nobis in hoc negotio Deus fieri velit, ac requirat. Verſu autem 16. quid fieri nolit, ac prohibeat. *Hæc eſt*, inquit, *voluntas Dei, ut benefaciendo*, hoc eſt, ſuum cuique debitum officium, præcipuè magiſtratui reddendo, calumniatorum noſtrorum ora obſtruamus, & ſtultitiam eorum pudefaciamus. At illud Deus non vult, & planè prohibet, ut libertate, ac dignitate ſtatus noſtri, in quem vocati ſumus, abutamur ad malitiam, hoc eſt, ad inobedientiam Magiſtratui, ad ſubtrahendum debitum cuique officium. Quamvis enim è ſervitute peccati, & mortis, ac Satanæ ad veram libertatem vocati ſumus, tamen à ſervitio Dei exempti non ſumus: cujus voluntati, ut in omnibus aliis; ita præcipuè Magiſtratui debitis officiis, morem gerere debemus. Extendit autem iſtud reddendi unicuique, quod ipſi debetur, officium ad omnes, quibuſcum nobis aliquid negotii, vel converſationis intercedit *verſ.* 17. quorum primum neminem lædere, aut contumelia aliqua afficere permittit. *Omnes honorate*, inquit. Deinde *fraternitatem*, hoc eſt, in genere fratres, eo, quem ſuprà præſcripſit, modo diligi præcipit. Tertio Dei ſuprà omnia timorem, ac reverentiam inculcat. Sed nec eorum, qui Dei vices in terris gerunt, regum reverentiam, & honorem, qui in debito ipſis obſequio exhibetur, omittit. Idem Paulus quoque *Rom.* XIII. 7. præcepit *reddite*, inquit, *debita unicuique officia. cui tributum debetis tributum: cui vectigal, vectigal: cui timor, timorem: cui denique honos exhibendus eſt, honorem: nemini quicquam debete, niſi ut vos diligatis invicem.*

Tranſit poſtea *verſ.* 18. ab officio ſubjectorum Magiſtratui reddendo, ad officium ſervorum Dominis ſuis debitum. Subjectos igitur eos eſſe *præcipit Dominis ſuis in omni timore*, hoc eſt, non modo propter ipſorum Dominorum metum; ſed etiam propter timorem Dei, cujus voluntatem jam ante explicuit. Occurrendo autem omnibus exceptionibus, protendit iſtud obſequium, cum omni reverentiâ præſtandum, non modo ad bonos, & æquitatis

amantes

amantes heros ; sed ad morosos quoque , pravos , difficiles , & asperos , & qui positos in potestate sua iniquè affligant. Et quo patientius servi ejusmodi dominorum injurias ferre possent , ostendit magnam in eo mercedem sperandam esse , magnamque gratiam Dei iis , qui iniquè illatas sibi afflictiones , atque injurias patienter terant. Verba Apostoli sunt *Hoc enim est gratia* , (id est , magna mercede & gratia Dei dignum , ac remunerandum) *si quis propter conscientiam Dei suffert molestias , injustè afflictionem patiens. Conscientia Dei* hoc loco , non *religionem* , propter quam itidem persecutiones alacriter suscipi , & patienter ferri debent ; sed Obsequendi voluntati Dei , ac Deo gratificandi studium significare videtur. Quamvis alioqui nec verba Apostoli , nec res ipsa repugnet , quominus doctrina ista etiam ad patientiam persecutionum religionis causa protendatur. Sed generaliora verba sunt Apostoli , quàm ut ad persecutionum ob religionem patientiam restringi debeant. Nam illi quoque propter *conscientiam Dei* pati dici possunt , qui aliud quoque afflictionum genus præter persecutiones religionis : in gratiam Dei , ac studio ipsi morem gerendi patienter ferunt. Magnum hîc solatium & præmium omnibus injustè afflictis & tamen moderatè injurias ferentibus , non servis tantum ; sed omnibus reliquis in eorum innocentia ostenditur.

Quod *vers.* 20. à contrario illustratur ; simulque tacitum traditur præceptum , ac monitum , ne adversus eos , quorum in potestate sumus , delinquamus ; ut illatas ab iis pœnas justè , ac merito sustinere videamur. Quamvis enim eas patienter feramus , aut potius ferre cogamur , nullam tamen inde laudem consequimur. At si insontes , & officium nostrum facientes injusta supplicia sustineamus ; illud est , quod nobis laudem , & gratiam apud Deum conciliat.

Protendi autem ultrà servos moniti hujus doctrinam *vers.* 21. indicat ; ubi generale , & omnibus serviens Christi exemplum proponitur. In cujus societatem , ac premenda vestigia omnes vocati sumus ; qui *passus est pro nobis* , hoc est , propter nos ; inter alias graves passionis suæ causas , illam quoque præ oculis habens : ut nobis *relinqueret* exemplum (ὑπογραμμὸν) aut *exemplar* , *ut sequamur vestigia ejus.*

Qui (*vers.* 22.) cum esset omnium innocentissimus , omnis peccati plane expers ; cujus non modo vita , sed sermo omni lapsu , ac nævo caruit ; non modo iniquissima (*vers.* 23.) convitia , calumnias , traductiones : sed afflictiones etiam , & mortem crudelissimam tulit patientissime ; proponens nobis exemplar innocentiæ simul , & patientiæ suæ imitandum.

Patientiam vero Christi *vers.* 23. describit , quod convitiis prosciissus , non regessit convitia ; quod indignissimis modis tractatus , ab omnibus minis abstinuit ; *sed tradidit causam suam ei , qui justè judicat.* Quæ verba non id denotant , quod Deum precaretur , ne injuriam suam inultam relinqueret. Contrarium enim mortis ejus historia docet. Sed illud quod nobis Apostolus Paulus *Rom.* XII. 19. præcipit , ipse ante omnes in morte sua expressit ; *nequaquam se ipsum ulciscens : sed relinquens locum justæ Dei* animadversioni , qui sibi hoc jus reservavit ; dum ait , *meum est ulcisci , ego rependam.*

Addit *vers.* 24. *Qui peccata nostra ipse sustulit in corpore suo super lignum illud crucis , ut peccatis mortui , justitiæ viveremus.* Hoc est , Qui in illo , & una cum illo crucifixo corpore suo peccata quoque nostra crucifixit , & abolevit ; non modo confirmando morte sua , & obsignando sanguine suo privilegium illud gratuitæ remissionis præteritorum nostrorum peccatorum : sed futura quoque vi mortis suæ non uno modo abolendo ; ne nos in illis , aut illa in nobis jam vivere possint. Multi autem modi sunt , quibus Christus morte suâ peccata nostra futura abolevit , hoc est , morte sua præstitit , & effecit , ne post obtentam præteritorum peccatorum remissionem in futurum peccemus. Primum per excitatum efficaciter grati erga Deum , & Christum animi affectum pro immenso beneficio in morte Christi præstito. Secundo per confirmatam placati nobis Dei fiduciam , fidemque ac spem nostram roboratam per tàm insigne dilectionis Dei ; & Christi erga nos specimen exhibitum. Tertio per metum quendam , & reverentiam , quæ nos obstringit ; ne tantum Dei , Christique beneficium , eo fine in nos collatum , ne in futurum peccemus , spernamus , & quasi sanguinem Christi frustrà pro nobis effusum , conculcemus. In quo præsentissimum judiciorum Dei periculum nos è somno spirituali excitat , & à peccatis absterret. Non enim uno in loco Sacræ Scripturæ admonemur Christum ita *mortuum esse pro peccatis nostris* ; ne post annunciatam nobis , ac debite expensam mortem ejus peccemus , aut in peccatis nostris vivamus ; *sed peccatis moriamur* , aut quod idem est , peccata in nobis mortificemus , & quasi occidamus ; *vivamus autem Christo , & justitiæ* , aut quod idem est , vivat in nobis Christus , & justitia. Illustris ad eam rem demonstrandam est hic locus , ut & Pauli *Rom.* VI. 2. 3. 4. 6. &c. Quarto , Morte sua Christus peccata nostra abolevit. Quia mortem hanc secuta est Christi resurrectio , omni exceptione majoribus testimoniis confirmata ; quæ in nobis quoque spem resurrectionis , & vitæ æternæ ; ac vivam fidem , quæ peccatorum habitus non admittit , progeneret. Quinto , quia mortem hanc necessariò consecuta est (*Philipp.* II. 8. *& seqq.*) Christi exaltatio , & omnipotentia ; ita ut nos nunc pascere , & curam animarum nostrarum gerere ; auxilium Spiritus Sancti opportunè suppeditare ; morbos peccatorum , & infirmitates animorum nostrorum sanare ; vim , ac robur nobis ad resistendum Satanæ addere ; breviter animas nostras ad vitam æternam pascere possit. Meritò igitur hoc loco *vibicibus* , & afflictionibus *Christi sanati* dicimur , qui per mortem , & afflictionem Christi , tam benignum , & salutarem pastorem nacti sumus.

Vers. 25. Miserrima enim conditio nostra , ac persimilis conditioni ovium , absque pastore vagantium , atque errantium , & luporum prædæ expositorum fuisset ; nisi hic nobis obtigisset tàm arcto nobiscum vinculo conjunctus , & tamen ad tam sublime fastigium evectus Pastor , & Curator animarum nostrarum. Porrò istam per Vibices Christi sanationem nostram , ita explicandam esse indicat particula causalis γὰρ , per quam explicatio ista Apostoli , cum verbis versus superioris connectitur.

CAPUT III.

QUia ab officiis eorum , qui sunt in aliena potestate , erga suos superiores , honestæ conversationis doctrinam exorsus est ; exposito subditorum erga Magistratum , servorum erga Dominos officio , exponit mox uxorum erga viros suos officia ; præcipiens , ut subjectæ sint , & obsequentes suis maritis ; ut si quæ forte infidelibus conjunctæ sint ; per conversationem bonam , virtutesque , & obsequium lucrari maritos possint.

Vocat autem Infideles , λόγῳ ἀπειθοῦντας *Sermoni* , hoc

hoc est, prædicationi Apostolicæ *inobedientes*, aut non credentes, ac persuaderi nolentes. Sæpe verò efficacius res quam verba loquuntur, ac persuadent. Nam boni, ac probati mores fideliores sunt sanæ doctrinæ testes, ac sponsores, quam nuda verba, & voces: adeò ut mutæ hominum actiones, sine ullo persuasionis, & eloquii artificio animos eorum quoque infidelium, qui verbis intractabiles sunt, inflectere queant. Facilius enim creditur, quod oculi in rebus ipsis vident; quàm quod aures in verbis percipiunt.

Vers. 2. *Casta* imprimis, *& in timore Uxorum conversatio* maritos ad veritatem acceptandam impellit. *Timor* hic, timor Dei intelligitur, qui in se illum quoque, qui maritis debetur, ac præcipitur (*Ephes.* v. 33.) timorem comprehendit.

Vers. 3. Et quia sexus hic ornatus, & munditiei plus æquo avidus, ac studiosus est, quibus videlicet ornamentis placere viris, aut sese supra alias extollere conantur, docet *vers.* 3. *non in complicationibus capillorum*, aut fulgore *circumpositi auri*, aut pretiosis vestimentis; vera ipsarum ornamenta, verumque mundum muliebrem consistere: sed *vers.* 4. ostendit in quo verus ipsarum ornatus positus sit, per quem & maritis, & ipsi Deo commendari, & placere possint. Ornatum hunc vocat *Occultum cordis hominem, in incorruptione mitis, & mansueti spiritus.* Frequens est hæc in Sacrâ Scripturâ metonymia, in qua vox *hominis* pro moribus hominis, aut etiam statum animi humani, unde ipsi mores, & habitus profluunt, usurpatur. Quod vel ex ista veri muliebris ornatus descriptione intelligitur. *Occultus enim cordis homo*, qualem hic intelligit Apostolus, nihil aliud est quàm Animus, (qui, quod oculis cerni nequeat, occultus dicitur;) in optimo suo statu constitutus: quem statum ejus describit per *Incorruptionem mitis, & mansueti spiritus.* Incorruptio est innocentia, & puritas ab omni vitiorum labe. Cujus qui sibi conscii sunt, quia plerumque eo nomine se magnificè circumspiciunt, & insolescunt, ideo additur mitis, & mansueti spiritus lenitas, quæ præcipuè uxoribus erga maritos, tanquam superiores necessaria est. Porrò ne virtus hæc duntaxat metu, à maritis impendente, extorta videatur, addit ornamentum ejus, quo magis commendata sit, ostendens eam (sicuti suprà *Cap.* 11. 19. dixit) propter *Conscientiam Dei* suscipi debere, quia talis mulieris ornatus non maritis tantum, quorum magis interesse videtur, ut ejusmodi mundo eorum conjuges exultæ sint: sed ipsi Deo mirificè placeat, *& apud eum sit pretiosus.* In quo alludit Apostolus ad mores mulierum, quæ ornatu pretioso plerumque gaudent, ac delectantur; ostendens ipsis ornamenta, auro, & gemmis contrà æstimanda. Cæterum quamvis occasione mulierum doctrina hæc data sit; omnibus tamen discenda est: quia non magis mulierum, quam virorum interest, excolere animum ornatu, qui Deo maximè placeat.

Ad obsequendum huic, quod tradit, Monito, excitat Apostolus uxores exemplis primum in genere *Vers.* 5. *Sanctarum olim mulierum, quæ sperabant in Deum*, hoc est, quæ Spes omnes suas in Deo collocabant; quæ eodem se cultu comebant debitæ maritis suis subjectionis.

Deinde in specie *Vers.* 6. Saræ exemplo, quæ animum mansuetum, & viro suo obsequentem testata est, *Dominum eum vocans.* *Cujus factas esse filias* Christianas uxores asserit Petrus; non minùs videlicet, quam viros factos esse filios Abraami *Rom.* IV. 16. & 17. &c. asserit Paulus. Factas nimirum ejus filias non aliter, quam benefacta ejus imitando, nec potestatis maritalis formidine: sed propter *conscientiam Dei*, hoc est, propter curam placendi Deo, modestum, & mitem animum, tanquam pretiosissimum in conspectu ejus ornatum induente. Opponit enim hic ingenuam, & liberalem Deo placendi curam, servili offensionis maritorum formidini.

Vers 7. Expositis eorum, qui in aliena sunt potestate, bonæ conversationis officiis, transit ad officia aliorum, qui non sunt in aliena potestate; sed aut aliis imperant, aut pares sunt. Et quia proximè de uxorum officiis disseruit, incipit à mutuo maritorum officio. Cæterùm longè brevius doctrinam hanc tractat, quam priorem; quia eos, qui aliis sunt superiores, ipsa religionis Christianæ analogia, & Caritatis æqualitas docet, quantum de jure suo quisque dimittere, & inferioribus indulgere debeat. Contra iis, qui sunt inferiores, Christianæ vocationis coæquatio, *in qua non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, Omnes enim unum sunt in Christo Jesu, Gal.* III. 28. suppeditat ansam, & suggerit spiritus, ne se ad cultum, & obsequium superiorum, ita uti par est, demittant, neque se minores iis gerant; unde multa scandala, præsertim externis, & ab Ecclesia alienis præbentur. Hinc nonnulli bonorum quidem, sed incautiorum Christianorum arripuere ansam, alienas à mente Apostolorum doctrinas tradendi de excludendo ab Ecclesia Magistratu. Quasi Deus gradus istos vocationum, quibus humana societas maximo emolumento suo sese ipsa nutu Dei sustentat, penitùs sustulerit. Aliud enim est, certò credere quod omnes promiscue nullo præsentium, quas gerunt, personarum respectu, ad eandem spem vocati sint; imo quod accidere quoque possit, ut aliqui, qui nunc sunt quasi postremo loco, quondam primum & excellentissimum sint occupaturi. Aliud verò, dum hic in terris vivimus, & militamus, ima summis miscere, vocationes, quibus invicem Dei nutu distinguimur, confundere; atque id quod humani generis societatem animat, ac sustinet, maximo cum probitatis, innocentiæ, justitiæ, atque ipsius religionis periculo velle excindere. Æqualitas, aut etiam juxta mentem Dei graduum felicitatis facienda distinctio, non ad militantis; sed ad triumphantis Ecclesiæ ævum pertinet. Nec isthic sibi quisquam pro libitu, quod libuerit, arripiet: sed ab aliena manu capiet, quod meretur. Et in terra quoque, ubi militamus, eam plerumque fortunam habemus, in quam nos Deus nasci voluit. Quis istos importunos Othones ea potestate instruxit, ut in hoc Orbis theatro ipsius Dei voluntate posita subsellia, sede sua moveant?

At enim ipsi quoque (ut excipiunt) urgent Magistratus obsequium. Viderint qua fide id faciant, qui omnem ex animis hominum piorum reverentiam, & æstimationem ejus eximunt; qui eam pro Ethnico, & publicano habere postulant; qui eum à civitate sancta proscribunt, & foris inter canes, & veneficos collocant. Hicciine est honos regibus, ac potestatibus præstari imperatus? Si patrant scelera, nihil est quod debitam culpæ suæ sortem recusent. At si duntaxat ob id damnantur, quod Deo ministerium præstent, qui sunt isti, qui ministros Dei, cætera insontes, tantum ob id, quod ministri Dei sint, damnare audent? At enim Deus improbis quoque, imo & hostibus suis ad executionem voluntatis suæ abutitur. Ita est. Sed improbi, & hostes Dei nihil minus cogitant, quàm ut Deo tunc ministerium præstent. Magistratus in suo ministerio nihil aliud

vult, quam quod & ipse Deus; nec potestate sua uti auderet, nisi à Deo sciret sibi permissam; nec exequeretur ministerium Dei, nisi impositum sibi munus exigeret. Non redolent opiniones istæ Petri; non Pauli dogmata Alienum, nescio quid, & mendosum subærato sanæ doctrinæ auro tinniunt. Nec frustrà Petrus longe plus verborum consumpsit in docendis iis, qui libertatem, ac dignitatem vocationis Christianæ pro *velamine* ἐπικαλύμματι pravi sive erroris, sive affectus sui rapiebant; quàm in iis, qui potestatem à Deo super alios concessam habebant, officii sui admonendis: ut paulo post animadvertemus.

Nunc ad ea, quæ maritis præscribit officia, accedamus. Jubet igitur eos *cohabitare*, seu conversari cum uxoribus *secundum cognitionem*. Addunt quidam interpretes voci *cognitionis* vocem Dei, me non repugnante. Quamvis enim existimem γνῶσιν hoc loco prudentiam potius, quam religionis notitiam significare, quæ sicut Magistratui ad regendum populum, patri familiàs ad regendam familiam, ita maritis quoque ad gubernandas uxores omnium maximè necessaria virtus est; tamen non sum nescius omnis sapientiæ, ac prudentiæ initium, & originem esse notitiam, ac timorem Dei.

Deinde imperat *vasi muliebri, ut infirmiori, tribuere honorem*. Per vocem honoris non is quidem honor intelligitur, qui debetur superiori. Id enim non permittit ipsa γνῶσις, &, quam supra præcipit, prudentia. Significatur tamen ejusmodi affectus, ex quo intelligere possint uxores, se non contemni à maritis, nec despicatui esse. quo pertinet omne indulgentiæ genus, omnium necessariorum suppeditatio, tractatio honorifica, non servilis neque mancipiorum more; verum ut sociam vitæ, *cohæredem ejusdem gratiæ*, ac Spei *vitæ* æternæ. à qua conversatione absit omnis rixa, & simultas, ac mutua animorum exacerbatio, quæ res precum societatem; (quam tacitè commendat ac præcipit) *interrumpere* solet.

Vers. 8. Non visum est Apostolo reliquis eorum, qui potestatem supra alios habent, quales sunt Domini, & Magistratus, peculiaria singillatim officia præscribere; quia eorum officia, in officiis aliorum omnium; neque suam super alios potestatem habentium, neque alienam agnoscentium, continentur. Breviter itaque ista omnium officia in uno fasce comprehendit; ita omnibus, quales esse debeant, præcipiens; ut ne Dominos quidem, aut Magistratus omiserit. Nam præter eos, quibus suprà singillatim sua præscripsit officia, duplex hominum genus supererat, præceptis Apostolicis instituendum. Superiores cum potestate, & pares absque ulla potestate. Ergo ad superiores, præcipue Dominos, pertinet præceptum, ut sint συμπαθεῖς, hoc est, *mutuo molestiarum sensu affecti*, quæque sibi à superioribus fieri nollent, aliis non facientes *Eph.* VI. 9. *Colos.* IV. 1. Qui enim memor est, se quoque in Domini sui esse potestate, sympathia erga eos, quos habet in potestate, & sortis earum sensu, facilè tangitur. Præterea ad superiores, *præcipuè* vero Magistratus, quibus à Deo divina quædam potestas, hoc est, vitæ, necisque jus permittitur, pertinet præceptum, ut sint εὔσπλαγχνοι *ad intimam misericordiam proclives*. Non quod ista officia ad pares quoque non pertineant; Omnibus enim præscribuntur: sed quod benignitatis istius, & misericordiæ copia, & occasio longe sæpius Dominis, & Magistratibus occurrat, quàm privatis, atque omnis super alios potestatis expertibus. Ad quos reliqua *Concordiæ, fraternæ charitatis, & comitatis* officia; æque ut ad superiores pertinent. Sed ultimum de vindicta, non æquè ad superiores, ut ad expertes omnis potestatis pertinet. Ad eos enim, qui carent omni potestate, absolutissimè pertinet. At quibus vindicandi, & puniendi potestas à Deo concessa est, longè restrictius hac lege tenentur. Licet enim iis interdum *malum pro malo*, hoc est, pœnam pro delicto reddere; quamvis iisdem ulciscendi affectu, & rabie etiam ergo eos, quorum puniendorum potestatem habent, flagrare non liceat. Nam quod ad eos, supra quos potestatem non habent, attinet, eodem plane, quo privati, & omnis potestatis expertes, legis hujus nexu stringuntur: ut iis non modo ultionem adversus eos, quos in potestate non habent, spirare; sed ne punire quidem eos, tametsi pœna digni sint, liceat.

Præceptum de vindictâ prohibitâ, sicuti & ipsa vindicta, duas habet partes. Exercetur enim vindicta, aut reipsa, & facto; aut verbis. Utraque vetita est. Prior Interdicto, *Ne reddamus malum pro malo* posterior *ne convicium pro convicio*. Utriusque interdicti afferuntur rationes. Posterioris quidem ratio, quæ à contrario sumitur; Quia omnibus *benedicere* tenemur non igitur cuiquam fas est maledicere. Tenemur autem cunctis benedicere; quia *vocati sumus, ut benedictionem hæreditate consequamur*. Quæcunque igitur nobis fieri volumus, & optamus; aliis quoque facere tenemur. Quis autem non optet sibi benedici? Hæc enim est perfectio Legis Christi, per Legem Regiam Caritatis addita illi justitiæ, cujus ne Lex quidem Mosis, aut ipsa sana ratio expers esse potuit, quæ verbis istis comprehendebatur, *Quod sibi fieri non vis &c. alteri ne feceris*.

Porrò hæreditas ista benedictionis æternitatem felicitatis nostræ significat, ac perpetuitatem. Quæ enim usufructuario, aut hypothecæ, aut alio aliquo precario jure possidemus; ad tempus possidemus. hæreditatis possessio perpetua est; adeo ut etiam in fluxâ ista, & caducâ vitâ morte nostra non desinat: sed ad hæredes posteros longissima serie devolvatur.

Sed quia moriente possessore, possessio ipsa desinere merito dici potest; longe meliori jure æterna illa promissa nobis possessio *hæreditas* dicitur; cujus possessio morte possessionis interrumpi, aut ad alium transire nequit.

Vers. 10. Affert posteà ex Psalmo utriusque interdicti de vindicta rationem *vers.* 10, 11, 12. quæ sic sonat; Qui *vult vitam diligere, & videre dies bonos*, hoc est, summam omnium beatitudinem consequi, *desistere faciat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum*. Hoc illud est Jacobi de frænanda lingua præceptum, arduum quidem, & difficile: sed cui quisquis auscultaverit perfectus vir redditur. Cujus quidem præcepti magna pars in eo est, ne nobis injuriæ sensus, aut vindictæ desiderium, vel vehementissimum iracundiæ tormentum, maledica, & calumniosa verba extorqueat; in quibus pestilens, & maximè noxiâ doli species cernitur. Nam convitia præsertim re gesta, & adversorum convitiorum flabello ventilata, & exardescentia, absque mendaciis, & calumniis, fere effundi non solent. Quibus verbis posterior pars interdicti de vindicta, quæ verbis exerceri solet, prohibetur *vers.* 10. At *versu* 11. prior quoque pars ejus, quæ in factis consistit, prohibetur non sine additis rationibus. Cujus iterum præcepti duæ sunt partes: altera prohibens malum; altera præcipiens bonum. Quarum utraque generale quidem, & quod ad omnia virtutum, aut vitiorum genera prodesse possit, præceptum continet: sed ne à proposito Legis de vindicta argumento abire videatur, verbis *Declinet à malo, & faciat bonum*, subnectuntur verba *quærat pacem, & persequatur eam*. Nihil enim magis paci inimicum est, quam vindicta;

præ-

præsertim quæ in factis ipsis exercetur : quæ & ipsa dicta sæpe crudelibus exemplis vindicat. quemadmodum nihil pacis vinculum arctius adstringit, quam pro malo bonum, pro injuria beneficium redditum. Ideò non modò ab injuriis, quamvis lacessamur, abstinendum est, in quo verè pax à nobis quæritur ; sed etiam in persequenda ista pace longiùs progrediendum, & pro injuriis beneficia reddenda sunt ; quo certaminis, ac victoriæ genere nihil est divinius, & in conspectu Dei acceptabilius.

Non nego autem verba de quærenda, & persequenda pace posse etiam accipi, & explicari secundum Hebraicum idiotismum, de quærenda illa summa felicitate, cujus & initio verborum è Psalmo citatorum, & in fine mentio fit ; ita ut hæc explicatio tàm cum initio, quam cum fine verborum non male connectatur. Cæterùm & secundum priorem sensum intellectis istis verbis omnia inter se optimè cohærent : & ab argumento, quod Apostolus tractat, minimè receditur. Nihil vero est quod oculos certamina nostra spectantis Dei magis delectet, quam ejusmodi piorum pro vindicta beneficium reddentium victoria, & pacis desiderium ; quodque eum ad exaudiendas eorum preces magis permoveat. Ex adverso nihil est, quod magis Deo displiceat, quodque magis torvum ejus vultum mereatur ; quam sive provocantes mutuas, sive retaliantes injurias, ac serrâ istâ reciprocatâ pacem theatri, in quo Deus præsens spectator adest, turbantes.

Merito igitur *vers.* 12. non modo Spe præmii, sed metu quoque supplicii divini stimulantur omnes; ut ab omni injuriarum, sive inferendarum, sive regerendarum specie abstineant.

Vers. 13. Novam affert pro præcepto abstinendi à vindicta rationem ; Ostendens innocentibus, & qui ne injuria quidem ad nocendum permoveri possint, neminem posse facessere negotium. Quanquam in verbis, *Si boni imitatores fueritis*, non sola innocentia, aut nocendi abstinentia ; sed benefaciendi quoque, & gratiæ omnium conciliandæ consuetudo præcipi videtur. Fit autem mentio *imitationis*. Quia in ea virtute imitanda Christum habemus archetypum, & Apostolos nobis ad imitandum propositos ; qui, quæ nobis in omnibus etiam inimicis diligendis præceperunt, eorum in seipsis illustre exemplar exhibuerunt. Quorum vestigiis si constanter inhæreamus, ab omnibus aliis injuriis tuti esse possumus ; præter eas forte, quæ justitiæ, & religionis causa inferuntur.

Adversus quas ipsas *vers.* 14. remedium affert ; ostendens etiamsi forte interdum *propter justitiam*, διὰ δικαιοσύνην, vel, ut Christus ait, ἕνεκεν δικαιοσύνης (*Matth.* v. 10.) hoc est, propter Christi religionem, & pietatem patiendum sit : id pro lucro potius, quam damno ; pro felicitate, potius quàm miseriâ reputandum : Unde gaudendum nobis sit potius, & exultandum ; quàm mærendum, aut formidandum. Metus enim eorum, qui nos persequuntur, aut potius μορμολύκεια *Larvæ*, & minarum strepitus, quibus nos ab officio absterrere conantur, nobis metuenda non sunt, quod ipse Christus *Matth.* x. 28. nobis inculcat ; ex adverso ostendens, quid potius formidandum sit. Ita ut hoc loco Apostolus non obscurè ad istam Christi doctrinam respexerit, & metum persequentium metui Dei, dicto loco expresso, opponat. hic vero in sequentibus verbis *vers.* 15. aperte quoque metui huic ab hominibus incusso, metum à Deo impendentem opponat. quasi dixisset, non homines formidate sed Deum. Metum autem istum Dei hoc loco vocavit *Sanctificationem Dei in cordibus nostris* ; ut exprimeret maximam inter metum ab hominibus, & metum à Deo differentiam. Metus enim ab hominibus profanus, & servilis, aut potius hostilis est ; quia nobis ab iis, tanquam ab hostibus, metuendum est : At metus à Deo sanctus, religiosus, & filialis est : quia nobis non ab eo, sed ne eum tanquam patrem, & quidem valde propitium offendamus, metuendum est. Cum igitur earum rerum, quas pro sanctis habemus, religione quadam teneamur, merito religiosus hic metus Dei *Sanctificatio ejusdem in cordibus nostris* dicitur. More loquendi etiam in aliis linguis usitato : Latini certe rerum, quas absterrente conscientiam facere metuunt, religionem sibi esse dicitant.

Vers. 15. Quamvis non semper, sed interdum (quando ita fert voluntas Dei ut infra loquitur) persecutiones incidant : *Semper* tamen (ἀεὶ) *paratos nos esse jubet ad reddendam rationem* spei nostræ ; idque facere jubet *cum mansuetudine, & timore.* Redditionem istam rationis vocat ἀπολογίαν *defensionem*, quæ fit verbis. Porrò, ut defensio, quæ fit armis, habet sua jura, quibus circumscribitur ; unde apud Jurisconsultos *moderamen inculpatæ tutelæ* : ita neque defensio, quæ fit verbis, legibus suis caret. quas hoc loco Apostolus tangit duas ; quamvis ad unam reduci posse videantur, cum altera profluat ex altera. Prima est *Mansuetudo*, eò magis necessaria ; quo magis animus injuriis persequentium irritatur, ac perturbatur, ut in verba quandoque erumpat aculeata. Altera est *Metus*, hoc est, vigilantia quædam circumspecta animi metuentis, & caventis ; ne loco ædificationis, in cujus gratiam apologia suscipitur, ansa offensioni præbeatur. Quod quamvis potissimum in animis dolore, atque ira, & ultionis stimulo perturbatis, & quasi efferatis contingere soleat ; tamen etiam contingere potest in animis nimium securis, & oscitantibus. Quia vero apologia male procedit, nisi bonæ vitæ conscientia subnixa sit, quam in malâ conversatione, aut pravis moribus frustrà quæras, ideo præceptum, suprà *cap.* II. 12. traditum, iisdem propemodum verbis repetit, eademque ratione confirmat, nisi quod allatam *vers.* 16. rationem ad subjectam, quam tractat, persecutionis materiam paululum deflectit. Conscientia enim bona, ut in eodem versu explicatur, nihil aliud est, quàm bona in Christo, hoc est, secundum leges Christi conversatio. Ratio vero ista, quæ supra fuit, talis ; *Ut per illud, in qua accusant vos, tanquam maleficos*, hoc est, per opera vestra, quæ diligentius inspecta, bona esse deprehenderint, glorificent Deum in die visitationis ; hoc est, gloriam Deo dent, & convertantur. Videtur enim hic vox glorificationis eodem sensu sumi, quo *Joh.* IX. 24. *Da gloriam Deo. nos scimus hunc hominem esse peccatorem* ; ut significet, ingenuam erroris agnitionem, & ab eo aversionem.

Nunc vero ista ratio ita immutata est, ut in eo, sive per illud ; in quo accusant vos, tanquam maleficos, (subintellige itidem, sicuti & prius expressum est, per opera vestra) ; *pudore suffundantur ii, qui audent tanquam hostiliter invadere*, ac persequi *vestram in Christo benam conversationem.*

Res tamen eodem redit. Utrobique enim insontium Christianorum injuria, quod tanquam malefici accusentur ; deinde bona eorum opera & conversatio in Christo : denique erroris, & calumniæ innocentibus impactæ agnitio ; & quasi pœnitentia accusatorum satis clare exprimit.

Alteram rationem præcepti de bona conscientia affert, dum ait *Vers.* 17. *Melius est, benefacientes (si ita ferat voluntas Dei) pati, quàm malefacientes.* Non deest in istis verbis μᾶλλον ; sed & majorem in se continent emphasin, quàm prima

fronte videri possit. Sensus enim eorum est is. Cum sæpe, voluntate Dei ita ferente, accidat, ut Christiani persecutiones ferre cogantur, mature armandus est eorum animus bonâ conscientiâ; ut in eo casu apertum latus non præbeat persecutioni. Quicquid enim etiam propter Christum perpessus fuerit is, qui sibi malè conscius vixerit; propter peccata sua, & meritò perpessus censebitur. Notandum igitur est, bonam conscientiam semper quidem utilem, & jucundam esse; sed præcipuè in adversis temporibus, & *in die mala* necessariam.

Vers. 18. Præceptum de habenda bona conscientia, hoc est, de pie vivendo, quod *vers.* 6. tradidit, cum supra duabus rationibus probasset, addit nunc tertiam. Abstinendum esse à peccatis, id est, vivendum in bona conscientiâ; quia Christus pro peccatis mortuus est, hoc est, propterea ut præteritorum peccatorum venia, morte ejus promulgata, in futurum à peccatis abstineremus. Dicit autem *Christum semel passum esse*; ne qua nobis, de industriâ in peccatis hærentibus, ulterior expiationis peccatorum nostrorum spes reliquatur. Neque enim iterum Christus morietur, aut alteram tantæ nequitiæ veniam promulgabit. Vide *Heb.* x. 26. *nec ulla pro peccatis reliqua est hostia.* Et quo magis beneficii magnitudinem exaggeret, addit *justus pro injustis*; quia indignitas nostra tanti beneficii gratiam, & pretium auget, & intendit.

Explicat posteà quomodo pro peccatis nostris Christus passus sit. Eo fine, inquit, passus est, *ut nos ad Deum adduceret*, hoc est, è potestate tenebrarum, ex carcere Satanæ ereptos tranferret ad regnum Dei; quod & regnum filii ejus dicitur, quia in eo Deus per filium regnat. Porro accedere ad Deum sine fide vera, & peccatorum quidem experte, bonis autem operibus animata nemo potest: quin ipsi tanto magis displiceat, quanto magis appropinquet. Adductio igitur istà ad Deum absque expurgatione peccatorum cogitari nequit. Quomodo autem Christus morte suâ peccata nostra purget, atque nos ad Deum adducat, ulterius exponit, *Mortificatus quidem*, (inquit,) *carne*; *vivificatus autem spiritu*, hoc est, Exemplo mortis, & resurrectionis suæ nos adducens, ut nos quoque carne quidem moriamur; secundum carnem minime viventes, & carnis affectus mortificantes, & à mortuis peccatorum operibus plane resurgentes: vivamus autem spiritu: hoc est, secundum spiritum ambulemus. Quem sensum verborum istorum posterioribus verbis suis quomodo Apostolus ipse explicet, infra videbimus. Nunc satis est observare ita Apostolum, vitam Christi in carne ista caduca, & fragili actam, quam libenter propter nos abjecit, opponere vitæ ipsius immortali, ac spirituali, in quam à Deo excitatus est; quemadmodum vita secundum carnem; in nobis, vitæ secundum spiritum opponitur. Quemadmodum igitur Christus vitam suam, quamvis alioqui innoxiam, & pretiosam, in gratiam nostri impendit, & abjecit, atque ideo longe beatiori, spirituali videlicet ac cælesti, & quidem glorioſissima vita à Deo donatus est: ita nos quoque vilem, & immundam secundum carnem vitam, in gratiam ejus projiciamus: (nec enim est, quod rem adeo vilem, imo noxiam nobis propter eum spernere gravemur) vitam autem secundum spiritum; quæ præter præmium sibi propositum suamet se insita felicitate commendat, libenter; & alacriter amplectamur.

Addit deinceps *vers.* 19. verba. *In quo etiam spiritibus, qui sunt in carcere, profectus prædicavit.* De Christo mortificato carne vivificato autem spiritu Apostolum loqui, palam est. Sed relativum ᾧ τ, ad spiritum quo Christus post resurrectionem accepto corpore glorioso, & quod seipsum vivificare posset, vivificatus est referatur, non perinde liquet. Nam & ante mortem, & per ipsam mortem Christus prædicavit; imo per sublationem in crucem, ut Johannes ipse explicat (*Joh.* XII. 33.) omnes ad se traxit. Possunt & particulæ istæ non ad spiritum solum; sed ad totum tam mortis, quam resurrectionis Christi eventum referre. Utroque enim doctrina Evangelii validè prædicatur, & confirmatur. Imo & absolutè absque expressâ in textu voce relativa ita sumi, ut supra hujus capitis versu 16. sumuntur, ᾧ τ κατελαλεῖτο ὑμῖν, *In quo obloquuntur vobis.* Nisi quod adjectum participium πορευθὶς *profectus* quasi in cælum, magis restrictioni relationis hujus ad vocem *spiritus* favere videtur. Verum & Mors, quæ est ab una vita ad alteram transitus, non congrue tantum; sed ex frequentissimo usu ἰτὲ πάρ dici potest. Magis igitur inclino in eam sententiam, ut quemadmodum vocem πορευθὶς (*profectus*) ita particulas *in quo* tàm ad mortem, quam vivificationem Christi referam.

Restat illud in hoc versu explicandum, qui sint isti Spiritus in carcere, quibus prædicatum sit; & cur in carcere esse, aut fuisse dicantur. Quantum ad priorem quæstionem; Ego universum genus humanum, aut potius omnes gentes, quibus prædicatum est, intelligo: quæ cur in custodia, aut in carcere fuisse dicantur, explicat divinus Autor epistolæ ad Hebræos *cap.* 11. *vers.* 15. Per hoc enim iter Christi, per hanc ad mortem, ac resurrectionem, ac deinceps in cælum profectionem, effracta est janua carceris hujus, in quo humanum genus detinebatur à Satana; fractum & robur hujus, qui potestatem mortis habuit; per hanc liberati sunt (*Heb.* 11. 15.) *quotquot metu mortis, per omnem vitam ad miseram damnati erant servitutem.*

Totum autem genus humanum tàm miseræ conditioni subjectum fuit. Quia totus mundus, ut hoc supplicio plecteretur meruerat; legi à Deo cordibus insitæ, interdum & monitis nomine Dei prædicatis refractarius & contumax.

Cujus rei exemplum ostendit Apostolus mundo antiquo, quem Deus diluvio obruit, qui monitis Dei, per Noë prædicatis, (unde in altera epistola præco justitiæ dicitur) inobediens, & contumax; quamvis per 120. annos, quibus extruebatur Arca, Deus patientissime pœnitentiam ejus expectaret, tandem deletus est tàm universali excidio, ut octo tantum animæ in Arca servarentur. Notandum autem ejusdem generis tropo (Synecdoche) *vers.* 20. homines vocari *animas*, quo *vers.* 19. vocati sunt *Spiritus.* Subaudiendum autem est, quod res ipsa dictat, genus humanum ne post diluvium quidem resipuisse; sed eadem inobedientia Deum ad simile supplicium, servitutis videlicet istius & subjectionis morti, & quidem æternæ, provocavisse: quod nemo effugere possit, nisi exhibito à Deo remedio utatur; quemadmodum olim nemo ab inundatione servatus est, nisi qui ostenso à Deo remedio in ingressu Arcæ usus est. Unde obiter ostendit Apostolus *vers.* 21. Remedium illud Arcæ, super aquam cum hominibus supernatantis; typum, & figuram fuisse remedii per baptismum, nos ex aqua, quamvis jam demersos, eripientis, ac resurrectionem Christi, & per eam nostram quoque, adumbrantis. Et quo concinnius typum opponat antitypo, quia baptismus per aquam administrari solet; dicit olim paucos, id est, octo homines in Arca servatos esse *per aquam*, δ' ὕδατος, hoc est, per supernatationem super aquam. Eodemque modo ostendit *vers.* 22. nos in baptismo servari per *aquam*, seu per emersionem

ex aqua

ex aquâ, quæ figura est resurrectionis Christi, & nostræ, simulque resurrectionis à mortuis operibus. Sed in protasi similitudinis illud metonymiæ genus videas, in quo subjectum pro adjuncto usurpatur, hoc est, aquâ pro eo, quod fit circa aquam, aut per aquam.

At in apodosi pro aquâ ponitur absque ullo tropo id, quod fit circa aquam, hoc est, *baptismus*; in quo post immersionem sequitur emersio; Sicuti post mortem sequitur resurrectio.

Ne quis autem existimaret baptismi ceremoniam, quæ fit per aquam, materialem esse tantarum virium, ut nos à tanto exitio servare valeat, explicat quomodo nos baptismus aquæ servet. Non per illam scilicet materialem aquam, quæ sordes corporis; sed per spiritualem, quæ sordes animi abluit, & purgat. Hæc enim animi mundities est illa *bonæ conscientiæ interrogatio.* quando animus in se descendens, & introspiciens, atque conscientiam suam interrogans, quantum humana infirmitas ferre potest, saltem in gravioribus delictis illud se videt assecutum; ut possit

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Ubi illud quoque observandum est, in baptismo aquæ repræsentari nobis tàm officia nostra, à nobis omnino præstanda; quam promissa Dei nobis certò sperandi, atque expectanda: Ac officia quidem pluribus modis adumbrari.

Primum, quia aquæ materialis natura, cujus interventu baptismus perficitur, est, ut sordes corporis abluat; nos quoque non contentos typica istâ ablutionis adumbratione, veram, & spiritualem sordium mentis nostræ ablutionem præstare teneri. quæ cum interrogatione bonæ coram Deo conscientiæ, idem est. Neque enim Apostolus hoc loco negat, baptismum verum, ac salutarem, seu qui nos servare possit, ablutionem sordium nostrorum in se continere: sed ostendit, ablutionem istam non corporis, sed animi nostri sordium esse debere. Deinde quia in baptismi cerimonia immersionem emersio sequitur: illud quoque per baptismum officium nostrum adumbratur, ut ex peccatis, & vana mundi conversatione, quibus immersi fuimus, emergamus; & quasi à mortuis operibus resurgamus; & ad illa nunquam revertamur, si velimus promissorum Dei, quæ nobis per eundem baptismum adumbrantur, participes evadere.

Promissa autem Dei, quæ nobis in baptismo adumbrantur, duo itidem statui possunt. Primum est donum, & arrha illa promissæ nobis hæreditatis, Spiritus Sanctus, qui in mundatas, ut suprà diximus, & repurgatas mentes statim, & certo ingreditur, easque inhabitat, & indies magis, magisque repurgat, ac mirâ Dei potentia ad salutem custodit. 1. *Pet.* 1. 5. Causam verò cur hoc genus promissi divini per baptismum adumbrari censeamus, nobis primum res ipsa præbet: quia ipsa animi mundities à sordibus suis, quæ per baptismum adumbratur, cum dono Spiritus Sancti arctissimo nexu copulata est. ita ut unâ posita, altera res quoque necessario ponatur. Deinde occasionem nobis præbent *Interrogationi bonæ conscientiæ* addicta verba *apud Deum*; quæ interventum Dei, qui nonnisi per Spiritum suum nobiscum commercium habet, in hoc negotio significant. Alterum genus promissi divini est ipsa *resurrectio*, quæ in baptismo per emersionem nobis clarissimè ob oculos ponitur. Quia vero resurrectio nostra resurrectione Christi, &, quæ eam consecuta est, Exaltatione, tanquam firmissimo fulcro innititur; 1. *Cor.* xv. 17. ideo Apostolus dicit Baptismum (qui typus est resurrectionis nostræ) servare nos per *resurrectionem Christi*, & *vers.* 22. adjunctam ejusdem exaltationem. De resurrectionem Christi vide 1. *Cor.* xv. 12. *& seqq.* Exaltationem Christi describit quod sit *ad dexteram Dei*, hoc est, loco in cælis post Deum honoratissimo. Addit autem eum *profectum in cælum* πορευθέντα; eodem vocabulo quo usus est *vers.* 19. Unde quispiam posset vocabulum hoc ad solam in cælum profectionem restringere, quod Apostolus optimus interpres suimet esse videatur; cum tamen nihil repugnet, ut suprà ostendimus, illud latius protendi. Ratio vero ista, quod Apostolus sui sit interpres, esset firma, si latior vocis hujus explicatio interpretationi Apostoli repugnaret; quod secus est. Altera exaltationis Domini descriptio est, quod ipsi *subjecti sint Angeli, & potestates*, & virtutes. Christus ipse exaltationem hanc describit, quod data *ipsi sit omnis potestas in cælo, & in terra*, hoc est, Omnipotentia. Vide Paulum *Eph.* 1, *& Col.* 1. *&c.* Quid vero opus fuit, post istam in cælum profectionem subjici ipsi Angelos, & potestates; si nunquam ipsi subjecti esse desierant. an humana natura per communicationem idiomatum potestatem supra Angelos communicatam sibi non habuit? an hypostatica unio post ascensum demum in cælum peracta est?

CAPUT IV.

Cum hucusque tertia ratione allata probasset Apostolus, curandum nobis esse, ut bonam habeamus conscientiam; (quod *vers.* 16. præceperat) nunc explicat, quid sit illud habere bonam conscientiam, hoc est, Abstinere à peccatis, quibus Deus offendebatur, & in posterum, non cupiditatibus humanis; sed voluntati Dei obsequi, ac reliquam vitam consecrare (*vers.* 2.) Simul rationem istam tertiam applicat ad istam bonæ conscientiæ descriptionem, & explicationem. Supponit autem tacitè, quemadmodum Christus in carne suâ pati, & carnem suam quasi occidi, pro nobis sustinere non est gravatus: ita nos quoque carnales nostras, & quales in hominibus vulgò inveniuntur, cupiditates propter Christum mortificare, & quasi occidere debere. Quæ suppositio, & hypothesis in illis verbis cernitur, quod nos *quoque eadem cum Christo cogitatione armari debeamus.* hoc est, quod sicut ille propter nos vim sibi fieri passus est, nos quoque vicissim propter illum vim nobis fieri, aut potius ipsimet facere debeamus, ac teneamur. Expresse verò concludit, quoniam Christus jam passus est in carne (passus autem ita; ut caro ejus mortua, & vitæ plane expers facta sit) ità nos quoque sic mortificare, atque edomare carnem nostram (hoc est, cupiditates ejus) debemus; ut non vitæ quidem (sicut ex *vers.* 2. patet) sed peccandi, & cupiditatibus suis indulgendi planè expers fiat. Versus secundus igitur non modo quid sit *bona conscientia*: Sed etiam quid sit Mori carne explicat, hoc est, *Nequaquam hominum concupiscentiis; sed voluntati Dei reliquum vivendi in carne tempus consecrare.* Explicat hoc argumentum fusè Paulus *Rom.* vi. ubi, quod hic dicit, *Qui mortuus est carne, destitit à peccato*, Paulus *Rom.* vi. 7. dicit, *Qui mortuus est justificatus est à peccato.* hoc est, liberatus, aut in eum statum adductus, ut peccati accusari nequeat; cum ne peccare quidem possit. Cum enim carnis infirmitas in nobis peccato obnoxia sit, pereunte carne, infirmitas quoque ejus, & peccandi facultas tollitur.

Notandum autem hic est, verba *Qui mortuus est destitit à peccato*, tam apud Petrum, quàm apud

Paulum non de Chriſto ; ſed de iis , qui Chriſto commori debeant , dicta videri. Non enim dicit Petrus cum Chriſtus paſſus ſit carne , deſtitit à peccato : ſed tranſit prius ad apodoſin ſimilitudinis, & dicit nos quoque eadem cogitatione armari debere : quoniam ipſi commori teneamur , ut à peccatis deſiſtamus , cum , qui mortuus ſit , peccare nullo modo poſſit. Idem apud Paulum quoque obſervare licet ; antequam enim *verſ.* 7. Paulus dixiſſet , *mortuum liberatum eſſe a peccato* , jam *verſ.* 6. dixerat noſtrum hominem veterem crucifixum eſſe cum Chriſto. hoc eſt , nos Chriſto commortuos eſſe ; ne obſcurum eſſe poſſit *verſ.* 7. illum jam de nobis loqui. Nam quod *verſ* 10. manifeſte de Chriſto loquitur , *eum mortuum eſſe peccato ſemel* ; non ſignificat , eum peccare deſiiſſe , ſed mortuum eſſe pro peccatis noſtris : ut nos peccare deſineremus. Particula enim *ſemel* denotat illam hoſtiam , ſemel Deo oblatam.

Verſ. 2. Opponit autem hic voluntati hominum voluntatem Dei efficaci antitheſi ad id, ut in utriuſque optione voluntati Dei , quam hominum potius obſequi malimus.

Verſ. 3. Quartam rationem affert , quamobrem eniti debeamus , ut bonam habeamus conſcientiam. Quod *nobis ſufficere debeat quod præterito tempore hominum* , & quidem à Deo alieniſſimorum , infidelium, ac turpi idololatria maculatarum gentium voluntati obſecuti fuerimus ; idque explicat fuſius , *Incedendo in laſciviis , cupiditatibus , vinolentiis , comeſſationibus compotationibus , & nefariis ſimulacrorum cultibus.*

Incedere, ſicuti & *ambulare* habitus enumeratorum peccatorum ſignificat. Latet autem in iſtis verbis eximia doctrina , quæ oſtendit remiſſionem peccatorum , ſub Novo Fœdere promulgatam , ad præteritorum duntaxat , quæ in ignorantia divinæ voluntatis commiſimus , peccatorum habitus pertinere ; nec ullo modo ad ejuſmodi vitiorum poſt cognitionem veritatis conſuetudinem protendi poſſe.

Non enim hic iſtorum verborum ſenſus eſſe poteſt , ſufficere nobis , quod terrenæ quoque felicitatis voluptate , ac deliciis hucuſque fruebamur ; jam ad potiorem , ac cæleſtem felicitatem amplectendam animum applicandum , quamvis hæc explicatio cuipiam ultrò ſe offerre videri poſſit. Nec enim in ullius felicitatis cenſu ponere potuit Apoſtolus nefandis idololatrias , & alia flagitia. Et alibi , ubi Spiritus Sanctus mentionem facit præteritorum peccatorum noſtrorum , hæc verba legimus : *Quem igitur fructum habebatis tunc ex iis , de quibus nunc erubeſcitis ? Nam finis illorum mors eſt Rom.* VI. 21. *& Rom.* VII. 24. poſtquam ſervitutis legi peccati mentionem feciſſet , peccatoris perſona aſſumpta , exclamat ; *Ærumnoſus ego homo ; quis me eripiet ex iſto corpore mortis.* Sed potius ſic explicanda ſunt ; Sufficere nobis debere hanc Dei gratiam , quod præteritorum peccatorum habitus , eoque nomine contractas culpas , & offenſiones Majeſtatis ſuæ nobis remiſerit. Impudenter , & inique poſtulari , ut nobis in ejuſmodi pravæ conſuetudinis cœno nunc quoque volutari per illum liceat. Cujus indignatio non ultrà nobis provocanda ſit ; neque committendum, ut oblata nobis venia indigni cenſeamur. Quod ſi abſolutè pro omnibus tàm præteritis , quàm futuris peccatis noſtris Deus ſatisfactionem accepiſſet , non poterat hæc admonitio Apoſtoli locum ullum habere. Nec enim ſuffeciſſet Deum præteritæ vitæ noſtræ improbam conſuetudinem venia proſequi : ſed & ulterioris quoque vitæ , peccata ad eandem gratiam , & veniam pertinuiſſent : cum pro iis quoque jam Deo ſatisfactum dicatur.

Verſ. 4. Objectioni occurrit : ſi quis prætendat, non eſſe nobis integrum cupiditatibus hominum non obſequi , quod ad bonam conſcientiam habendam requiri dixerat : quia iſti homines offenduntur , & à nobis alienantur ; niſi unà cum iis concurramus ad eadem deſignanda flagitia ; (flagitia hæc vocat ἡ ἀσωτία ἀνάχυσιν , *intemperantem profuſionem.*) eoque nomine nos blaſphemant , hoc eſt , maledictis proſcindant , ac perſequantur.

Reſpondet igitur *verſ.* 5. Id non impune iis fore; ſed eo nomine *reddituros rationem ei , qui paratus eſt judicare vivos , & mortuos :* Subaudit igitur , nobis quoque non impune fore , ſi iis potius , quam Deo morem geramus. Per vivos autem hoc loco Chriſtianos , & gnaros voluntatis Dei intelligit : ut ex adverſo per mortuos homines Dei ignaros , & qui mortuis operibus dant operam. Sicuti ſe ipſe *verſu* 6. explicat. Ideò enim & in hunc finem *prædicatum* dicit eſſe *Evangelium etiam mortuis* (ubi mortui vocantur , qui aut nondum crediderunt , aut credere noluerunt Evangelio) *ut damnentur* , & blaſphementur *ſecundum homines carne ; vivant autem ſecundum Deum , ſpiritu.* quod ad eos duntaxat , qui prædicationi credunt , pertinet. Ac *vivere* quidem *ſecundum Deum ſpiritu :* (hoc eſt, vitam ſpiritualem, vitam Dei , quæ Deo placet , & cui apud Deum magna merces repoſita eſt) quid ſit , ipſa verba oſtendunt. Sed antitheton hujus , *damnari ſecundum homines carne* , habet aliquid difficultatis. Quamvis enim ipſa antitheſis oſtendat , hæc verba ſignificare non vivere ſecundum carnem , ſicut illa *vivere ſecundum ſpiritum.* Tamen verba ſua ad propoſitam materiam applicans Apoſtolus , plus aliquid in iis indicat , quàm ſimplicem ſenſum ſecundum carnem non vivendi. Quia enim ſuprà blaſphemiarum , & conviciorum , quibus afficiuntur ii , qui non concurrant cum aliis ad vivendum ſecundum carnem , mentionem fecerat : ideo hic eos , qui à vivendo ſecundum carnem abſtinent , deſcribit ; quòd judicentur , aut potius condemnentur ſecundum homines carne , hoc eſt , condemnetur eorum miſeria , & ſtultitia , qui Felicitatem , quam reliqui in carne collocant , & conſectantur , culpa ſua negligant. Quæ tamen damnatio nihili facienda ſit , præ ea laude, & felicitate , quam apud Deum conſequuntur , vivendo ſecundum ſpiritum vitam Deo placentem, & ab eo magni æſtimatam.

Verſ. 7. Quia metu judiciorum Dei , quæ impendebant tàm Gentibus , quæ pertrahebant Chriſtianos ad concurrendum ſecum in eandem *intemperantiæ profuſionem* : quàm iis , qui ſe ad eam pertrahi patiebantur : abſterret Chriſtianos ab ejuſmodi concurſu ; metum hunc intendit propinquitate periculi , & imminentis ſupplicii ; *verſ.* 7. dum ait *Omnium finis imminet* ; imo jam appropinquavit , ἤγγικε. Non autem de fine univerſali Apoſtolum loqui , multa ſunt indicio. Nec enim latebat Apoſtolos , extremum mundi diem ab eorum ævo plurimum abfuiſſe. Vide Paulum 2. *Theſſ.* II. 1. *& ſeqq.* Vide & Petrum 2. *Pet.* III. 3 , 4 , 8. Sed particularem finem patientiæ Dei adverſus omnes , qui tunc indignationem ejus irritabant tam gentes , quam Chriſtianos proximè imminere indicat ; quod & ſuprà *verſ.* 5. reſpectu omnium aſſeruerat, dum ait Deum *jam paratum eſſe ut judicet : tàm vivos , id eſt* , Chriſtianos , *quam mortuos* , hoc eſt, gentes. & infrà *verſ.* 17. reſpectu Chriſtianorum ait, *tempus eſſe , ut incipiat judicium à domo.* Ubi & judicia , gentilibus impendentia & quidem longè graviora , non omittuntur.

Concludit igitur , eos , ad quos ſcribit , eſſe debere *temperantes , & ſobrios ad preces.* Nec enim bona conſcientia ſine victoria tentationum paratur; nec victoria adverſus tot hoſtes , & ipſum Satanam abſque

abſque ope divina contingit, nec cæleſte auxilium abſque precibus advenit, nec preces abſque animo vigili, ac ſobrio, ad vitæ noſtræ cuſtodiam excubare poſſunt. Nunquam igitur laxandus eſt animus in vitiorum diſſolutionem; nunquam aut ſupinâ ſecuritate conſoporanda; aut voluptate, vel fortunâ ulla inebrianda eſt mens noſtra, quominus ad preces alacris, & apta ſit. Non modo tanquam in conſpectu Dei perpetuo vivendum; ſed ſæpe propius ad Deum accedendum, eique veluti in aurem neceſſitates noſtræ inſuſurrandæ ſunt. Quanta vero id circumſpectione, quanta animi demiſſione, ac reverentia indiget. Tam ſancto negotio vacare nequit ullus mortalium aut crapula onuſtus, aut ſomno gravis, aut arrogantia ebrius, aut vitæ curis prave attonitus, aut alicujus pravæ cupidinis æſtro percitus. Nec tamen aliis artibus pervenies ad illum ſalutarem, quem nobis hoc loco Apoſtolus commendat, bonæ conſcientiæ fructum.

Verſ. 8. In tradendis præceptis pietatis, & bonæ conſcientiæ ante omnia φιλαδελφίαν *fraternam caritatem*, commendat, eamque non mediocrem, & vulgarem; ſed *Intenſam* ἐκτενῆ eſſe præcipit. ſicut & ſupra *cap.* 1. 22. fratres *intenſe* ἐκτενῶς diligi juſſerat. Addit rationem, quod *Caritas operiat multitudinem peccatorum.* ſicuti & Daniel olim veniam peccatorum eleemoſynis redimi poſſe cenſuit. Ex quo Petri loco intelligitur, quod apud Jacobum quoque Caritas, converſis exhibita, operiat multitudinem peccatorum, non tàm à converſis, quàm à convertentibus commiſſorum.

Verſ. 9. Ad ſpecies iſtius Caritatis deſcendit, quas inter eſt *hoſpitalitas* omnibus quidem aliis, ſed præcipuè fratribus debita: eaque abſque murmure præcipitur. Hilarem enim datorem, & beneficii collatorem diligit Deus.

Verſ. 10. Altera ſpecies caritatis eſt, ut quiſque eo dono, quod ſibi à Deo collatum habet, utatur ad emolumentum proximi ſui. Quorum donorum alia ſunt temporalia, ut Gratia, exiſtimatio, opes, potentia, ex quibus magna conferendorum in fratres beneficiorum ſeges exurgere poteſt: quarum rerum, benignitate Dei nobis concreditarum, *boni* & fideles Oeconomi, ac *diſpenſatores eſſe debemus.*

Alia vero ſpiritualia, de quibus *verſu* 11. loquitur, quale eſt in Eccleſia primum eorum, qui ſermone, ac doctrina aliis ad ſalutem prodeſſe poſſunt. Hortatur igitur eo dono præditos, ut reverenter, & circumſpectè munus docendi obeant; prædicationem doctrinæ ſuæ non ex commentis ſuis, aut aliorum: ſed ex ipſius Dei oraculis haurientes, eaque devote, ac religioſe tractantes. Sunt & aliæ, functiones Eccleſiaſticæ, in uſum piorum inſtitutæ; ubi Diaconorum, qui etiam pro virili officio ſuo fungi, nec ſolis pecuniarum diſtributionibus incumbere; ſed omnium ſanctorum neceſſitatibus ſuccurrere, denique etiam in ſpiritualibus miniſterii occaſionibus non deeſſe jubentur: exemplo Stephani, qui non ſolis menſis miniſtrabat; ſed diſceptando cum hoſtibus prædicationis convincebat repugnantes, ut non poſſent reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui eius. *Ut in omnibus*, inquit, *glorificetur Deus per Jeſum Chriſtum; Cujus gloria & potentia celebretur in ſecula ſeculorum* Amen.

Gloriam Dei hoc loco apertiſſime diſtinguit à gloria Chriſti, oſtendens, ſicuti olim divinum cultum, in quo non exigua pars eſt gloriæ Dei, populus per Sacerdotes, præcipuè vero ſummum Sacerdotem, Deo exhibebat: ita nunc populus Chriſtianus, qui ex meris ſacerdotibus conſtat, per Chriſtum ſummum Sacerdotem ſuum eundem cultum, & gloriam, ac celebrationem nominis ejus eidem Deo, tanquam beneplacentem victimam, offerre. Non temere autem addit Petrus voci Gloriæ vocem κράτος *robur.* Maximum enim gloriæ, potentiæ, roboris ſui ſpecimen Deus edidit, in Chriſto reſuſcitato, & exaltato longè ſuper omnem principatum &c. Quod Paulus *Eph.* 1. 19. vocat ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως, εἰς τοὺς πιστεύοντας, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν, hoc eſt, *Supereminentem magnitudinem potentiæ* (*in credentes*) *ſecundum efficacitatem roboris virium ipſius, quas exeruit in Chriſto per ſuſcitationem & exaltationem ejus.* Ut vel ob eam cauſam, ſi cæteræ deeſſent, dici poſſit Deum glorificari nunc per Chriſtum, & eodem nomine per membra quoque ejus glorificandum in ſecula ſeculorum.

Verſ. 12. Familiare eſt Petro Apoſtolo, quod de ſe quoque Paulus fatetur (*Philip.* III. 1.) expreſſis verbis, quoties præceptum neceſſarium, & magni uſus tradit, illud non ſemel; ſed iterum, atque etiam tertiò inculcare. Ita Paulus citato loco Gaudium in Domino: ita Petrus bonam conſcientiam, & bonam converſationem 1. *Pet.* II. 12., & 1. *Pet.* III. 16. repetita ſimul, iterum eadem præcepti ratione præcipit. Ita hoc loco patientiam in innocentia, & perſecutionibus tertio aut quarto jam repetit. primum breviter *cap.* 1. 6., ſecundo expreſſius *cap.* II. 19., tertiò *cap.* III. 14, tandem quarto hoc loco *cap.* IV. 12. Utitur autem his verbis in hoc patientiæ præcepto; (præmiſſâ propter præcepti duritiem, blanda allocutione) *Dilecti, ne perturbemini tanquam re nova, & inexpectatâ, exploratione illa per ignem,* (Vide *Cap.* 1. 7.) πυρώσει, *quæ fit ad veſtri experimentum*, & probationem auro pretioſiorem. Πειρασμὸς enim, & *tentatio* hoc loco non Satanæ tentationem, ſed exploratione Dei ſignificat. Rationem hujus animi tranquillitatis præmiſerat ſuprà *cap.* II. 21. *In eam rem enim vocati eſtis.* Et Apoſtoli doctrinam Chriſti prædicantes præmonebant omnes, Chriſti ſacris initiandos; manere ipſos cruces, & perſecutiones; ne inopinato earum adventu poſſent perturbari.

Sed potius *verſ.* 13. *gaudete, & exultate*, quod digni à Deo ſitis æſtimati, *qui paſſionum Chriſti* participes & *conſortes fieretis*; eo certe fine, & eventu, ut, quando ejus gloria revelabitur, *gaudeatis exultantes:* hoc eſt, incomparabili gaudio, & felicitate fruamini. Idem Chriſtus ipſe *Matth.* v. 10. *& ſeqq.* docet. Cujus verbis illic *verſ.* 11. prolatis Apoſtolus hic *verſ.* 14. utitur. *Si conviciis afficimini in nomine Chriſti, BEATI eſtis*, ſubjuncta mox ratione; *Quia ille Spiritus gloriæ, ille Spiritus Dei ſuper vos requieſcit.* Spiritum gloriæ ſuper afflictos, & patienter ferentes afflictiones in gratiam Chriſti ſuſceptas; requieſcere merito dicitur; quia ſpectata in hoc certamine Chriſtianorum virtus eminentiſſimo honore, & immortali gloria coronabitur; & nunc quoque apud cæleſtis theatri ſpectatores plauſum, & gloriam meretur. quamvis id nunc videre non poſſimus antequam id nobis in adventu Chriſti reveletur: Noſtræ enim præſenti ignorantiæ, revelatio hæc opponitur. Credibile enim eſt Deum, quoties in hanc certaminis arenam athletas ſuos producit, cæleſtis unâ felicitatis conſortes ad tanti ſpectaculi delectationem admittere. Nec fruſtra Apoſtolus ait, *ſpectaculum facti ſumus Deo, angelis, & hominibus.* Ut vel hinc pateat quanta curâ nos componere debeamus, quoties tam illuſtris theatri oculi in nos defigantur. Diſtinxit autem Apoſtolus aperte hoc loco Spiritum gloriæ à Spiritu Dei; Quamvis enim iſte *ſpiritus gloriæ* ſit quoque Spiritus Dei; tamen aut ad plures mortalium extendi videtur ſpiritus Dei, quam ſpiritus gloriæ. hic enim duntaxat illis competit, quos victores ex

victoria

victoria certaminis singularis, & præ cæteris, qui forte eodem certamine non sunt defuncti, eminentior gloria manet. Spiritus Deo vero ad omnes extenditur, qui *pacis Dei, quæ exuperat omnem mentem*, ut Paulus *Philip.* IV. 7. ait; *aut potentiæ Dei*, ut Petrus 1. *Pet.* 1 5. *loquitur*, *præsidio custodiuntur*, φρουρούμενοι, in Christo Jesu ad salutem olim revelandam. Uterque Spiritus ab impiis, inquit, persecutoribus *blasphematur*: sed *à vobis glorificatur*. Videmus hic blasphemiam in spiritum Dei tribui impiis, & persecutoribus; quando spem, & patientiam piorum derident, & patientiam illam Dei, qua custodiuntur ad salutem, ignominioso maledicto stultitiam vocant; quod à nobis ne pili quidem faciendum est.

Ne quis tamen gloriationem hanc ex afflictionibus, quas culpa sua patitur, falso sibi arroget, declinandas ejusmodi malorum occasiones admonet; non obscurè ostendens, felicitatem hanc patientiæ promissam ad eos, qui ob maleficia puniuntur, non pertinere *vers.* 15. Inter maleficia, quæ nobis meritas pœnas accersere solent; non modo graviora, ac turpiora; homicidia videlicet, & furta: sed levioris etiam injustitiæ delicta commemorat. qualis est πολυπραγμοσύνη & ἀλλοτριεπισκοπία, hoc est, importunitas hominum alienis rebus sese immiscentium, quæ sæpe hominibus maxima mala conciliat. Præsertim si se Magistratuum officiis; aut gubernandæ Reipublicæ functioni, ad hoc munus nequaquam vocati, ingerant: quod ex præscripto Apostoli maximè cavendum est. Causa enim Martyrii, aut afflictionis facit martyrem; non ipsa afflictio.

Vers. 16. Sed si propter Christum patiamur, tanquam Christiani, ne pudeat nos hujus supplicii, tam honesti, & glorioſi. Imo verò Deus à nobis eo nomine glorificandus, eique maximæ gratiæ agendæ sunt lætissimis, & exultantibus animis, tanquam pro summa omnium felicitate.

Causam reddit *vers.* 17. cur de afflictionum patientiâ doctrinam tradere inceperit; eandem propemodum, quam supra *vers.* 7. ejusdem capitis attulit, cum doceret quamobrem temperantes, & sobrii esse deberemus. *Omnium*, (dixit ibi) *finis imminet*, hoc est, finis patientiæ, & longanimitatis Dei; quâ tàm erga Christianos, quàm erga gentes, ipsorum persecutrices, usus est. Nisi quod nunc explicatius eam exponat, scilicet jam imminere tempus, quo in omnes Deus judicia sua exerceat tam Christianos videlicet, quàm gentes; sed eo ordine rem hanc à Deo decretam, ut prius ab ejus domo, hoc est, ab Ecclesia judicium incipiat. Unde discimus 1. non propter solam illam explorationem auro pretiosioris credentium fidei; sed etiam propter repurgationem vilioris fidei, & in qua multum, ac sæpe plus quam auri, admixtum est scoriæ, ut fiat purior & pretiosior; imo etiam propter rejectionem istius scoriæ, & eventilationem frumenti à paleis, Ecclesiæ à Deo persecutiones immitti. Breviter persecutiones, sicuti propter aperiendum piorum virtuti campum; ita pro impiorum in Ecclesiâ punitione, aut semipiorum castigatione, & correctione accidere. 2. Illam quoque causam persecutionis Ecclesiæ sæpe consilium Dei sequitur; ut tanto gravius gentes, quas inter populus ejus habitat, propter ingratitudinem, veritatis odium, vitiorum studium & varias corruptelas, punire possit.

Tunc verò impedimenta illa miraculosæ protectionis suæ, quibus luporum rabiei semper obnoxias oves suas longo tempore tutas reddere solet, interdum removet; ac permittit impiis sævire in populum suum; ut in eos postea exempla justæ severitatis, spectantibus desuper Angelis, & aliis, qui oculos ad videndum habent, edere tanto gloriosius possit. Spectantium enim tàm Angelorum, quàm hominum causa tam ordinatam judiciorum suorum seriem Deus esse voluit; ut omnes, vel in ipsa decretorum ejus executione, bonitatis, potentiæ, justitiæ, sapientiæ ejus vestigia cernerent.

Quotiescunque igitur Deus Ecclesiam suam persecutionibus objecit; non defuisse in illa delicta, quibus ira Dei provocabatur, credendum est: quemadmodum & persecutorum crudelitas, aut injustitia nunquam fuit inulta. Nam Petri quidem tempore, sicuti & Pauli, mysterium iniquitatis peragi cœperat. Vide 2. *Thess.* II. 7. Vide & epistolæ Petri secundæ caput secundum, in quo tametsi initio capitis falsorum Doctorum, & pseudoprophetarum adventum, tanquam futurum prædicit: eorum tamen anteambulones, & præcursores, tanquam jam in Ecclesia existentes, in progressu ejusdem capitis graphicè depingit.

Indicat autem *vers.* 17., & 18. persecutorum pœnas, longe graviores, & atrociores futuras; quàm sint martyria, & afflictiones justorum, probans id à minus verisimili. Si enim Deus ne istis quidem parcit, qui receperunt Evangelium; quomodo eos patietur inultos, qui rejecerunt? & si justi, ac fideles ægrè servabuntur; quid injustis, & peccatoribus sperandum est?

Impletam esse hanc Petri prophetiam in prima sub Nerone persecutione; sed & in pœnis, quas primum ipse Nero, deinde alii persecutores, tam Judæi tempore Neronis, & Vespasiani; quàm gentiles post occisum Neronem tristi gentis & urbis suæ excidio, concussa civilibus armis totius Romani Imperii mole, dedere.

Concludit igitur *vers.* 19. Eos, qui *voluntate Dei paterentur*, eidem, ut *fideli Creatori*, *animas suas tradere*, *& commendare*, (παρατιθέσθωσαν) debere; bene agere non desinendo. Fidelem *Creatorem* Deum vocat, non respectu veteris tantum creationis, juxta quam ab ipso, tanquam à patre, originem dicimus; sed multò magis respectu novæ, in qua nos per mortem ad vitam, per afflictiones ad æterna gaudia nobis fidelissimè repræsentanda deducit; si perseveremus ἐν ἀγαθοποιΐᾳ *in benefaciendo*, hoc est, in bona conscientia, bona, & honesta conversatione, ad quas nos suprà adhortatus est.

CAPUT V.

QUemadmodum anteà post generale præceptum honestæ conversationis, specialia singulis hominum generibus, & quidem mutua præscripsit officia; ita & hic iterum descendit ad specialem doctrinam tam senioribus, quàm junioribus tradendam. Quam postea ad omnes protendit: & mox datis quibusdam necessariis, quæ ad omnes pertinent, præceptis, voto & comprecatione claudit epistolam.

Seniores vocat, qui in docendo, adhortando, admonendo moribus aliorum inspiciendis, nec sermone tantum, aut monitis; sed inprimis vitæ suæ exemplo corrigendis toti Ecclesiæ præeunt. A qua cura quidem Christus, & ipse Apostolus (qui intensam erga fratres charitatem præcepit:) neminem fidelium exemptum esse voluit. Quia tamen pro ratione, & gradu donorum Dei ad ejus rei curam, non omnes æquè sunt idonei: noluit deesse in Ecclesia sua Christus ordinariam, & solennem ejusmodi functionem, quâ rudiorum, & infirmiorum animi in religionis, & salutis negotio erudirentur, manuducerentur, confirmarentur. Per quam tamen functionem non ita distinxit hominum in Ecclesia

status

ſtatus, & ordines; ut erant olim diſtincti ſacerdotes, & Levitæ ab aliis tribubus, quos etiam genere, & natalibus ab aliis omnibus diverſos Deus olim eſſe voluit; nec licuit unquam ei, qui de tribu Levi non eſſet, ſeſe in Sacerdotum officia ingerere. At nunc diſcrimen iſtud Lege Chriſti ſublatum eſt, qui omnes fideles, & ſervos ſuos fecit Sacerdotes, & quidem Regios, Deo, & patri ſuo, quos & Petrus omnes promiſcuè *Regale* vocat *ſacerdotium* ſuprà *Cap.* II. 9. *ad offerendum hoſtias acceptas Deo*, per ſummum Sacerdotem noſtrum, qui jam in Sanctum Sanctorum ingreſſus eſt. Non igitur ſtatus iſti ſpecie, ſed gradu differunt. neque peccat, aut in alienam meſſem falcem ſuam intendit, qui, cum non ſit Ordinarius Eccleſiæ paſtor in docendis tamen, admonendis, animandis nec ſermone tantum, ſed exemplo ſuo ad pietatem trahendis hominibus; paſtoris, & epiſcopi ſui partibus fungitur: modo abſit confuſio, ſuperbia, ſcandalum; ædificationi autem omnia ſubſerviant.

Breviter. Non fruſtra Apoſtolus genus hoc Paſtorum non alio nomine poſitivo, differentiam aliquam ſpecificam ſignificante; ſed comparativo Seniorum nominavit: ut oſtenderet eos ab aliis gradu tantum differre, non ſpecie. Ac profectò peſſimè de Eccleſia meruerunt, qui ſtatus iſtos Paſtorum, & qui in Eccleſia ab aliis paſcuntur, nimium inter ſe diſparatos, aut diſſeparatos eſſe voluerunt; planè Judaicam inter illos ſeparationem introducentes. Quod ad extinguendum in Eccleſia pietatis ſtudium, inter efficaciſſima, non poſtremum fuit Satanæ artificium. Primum enim paſtores occultâ ambiendæ potentiæ ſuperbia inflammavit, ut ſibi paulò plus arrogare inciperent, quàm conveniebat.

Principio ergo in nomina, & titulos toti Eccleſiæ ſervientes invaſerunt, & Eccleſiaſticos ſeſe primum vocare cæperunt: quaſi alii, quoque ad Eccleſiam pertinentes, eccleſiaſtici non eſſent; deinde Sacerdotes, & veterum quondam Levitarum ſucceſſores; quaſi nulli alii ad ſacrificandas Deo per Chriſtum placentes victimas pertinerent. Quarum offerendarum officium cum aliis eripere non poſſent, quærenda erat peculiaris victima, quam aliis offerre non liceret. Qui error citiùs, quàm quiſquam nunc exiſtimare poſſit, in Eccleſiam irrepſit, & multos alios progenuit. Præterea ſuperbum, & iniquum Cleri titulum ſibi ſolis vindicarunt; quaſi non alii præter ipſos ad cæleſtem hæreditatem vocati eſſent. Denique Sacrum ſeſe ordinem vocari, atque haberi voluerunt; quaſi aliis profanis eſſe Chriſtus, & Apoſtoli permiſiſſent. A verbis ad rem proximus fuit tranſitus. Cum enim diſciplinæ morum in Eccleſiâ eſſent præcipui cuſtodes; paulatim ejus vim totam ad ſolum presbyterium, mox & à presbyterio ad ſolos Epiſcopos (introducto prius novo inter presbyteros, & epiſcopos diſcrimine) traxerunt, ac reſtrinxerunt. Deinde leges diſciplinæ rigidiores æquo introduxerunt; ut ipſa neceſſitas eas moderationi Epiſcoporum ſubijci extorqueret. Qua in re non tam moribus conſultum (quid enim proderat rigor legum, cum obvium, & facile præſto eſſet remedium) quàm potentia Epiſcoporum immane quantum aucta eſt.

Quam illi poſteà cælibatus oſtentatione, & externæ ſanctimoniæ ſpecie venerabiliorem reddere conati ſunt. Cælibatus igitur Epiſcoporum primum, mox aliorum etiam introductus eſt, nulla caſtitatis cura gravis; ſed onerum matrimonii expers, eoque multis expetendus. Maximam poſtea potentiæ partem Metropolitani, ac præcipuè Patriarchæ Epiſcopis eripuere: quam eodem jure ipſis Patriarchis potentiſſimus eorum Occidentalis extorquere contendit. Atque hæc fuit Antichriſtorum generationis ſeries; qui omnes inter ſe itidem non ſpecie; ſed gradu potentiæ differunt, cum univerſi in violentam, & Coactivam conſcientiarum oppreſſionem conſpirent. Quæres quô factum ſit, quod in illa primitivæ Eccleſiæ libertate paſtoribus Eccleſiarum tantum licentiæ permiſſum ſit? Non deerant Satanæ illecebræ, quibus iſtam Laicorum ſervitutem, ac depreſſionem tolerabilem, imo jucundam ipſis redderet. Cum longe perfectiorem ſanctimoniæ gradum ſibi Clerici ſolis vindicarent, nec tamen cæteros à ſpe ſalutis excluderent; æquiſſimo animo tulerunt Laici ſeſe onere, ac labore moleſtiſſimi conatus, qui ad veram ſanctimoniam neceſſarius eſt, levari. proinde eorum dominationi ultro favebant; in quos anxiam ſalutis ſuæ curam rejicere poſſent. Ipſi verè Clerici, & præcipuè Epiſcopi, præſertim potentiores, quo longius ab Apoſtolorum ævo receſſum eſt, eo magis externam potius, & in ſenſus incurrentem ſanctimoniæ ſpeciem; quæ multo facilior eſt, quam vim, & animam ejus, quæ difficilior, conſectati ſunt. Nec tàm, ut ex *fide bene viverent*, quàm ut *de fide bene* ſentirent, dederunt operam: Quod Clericorum exemplum cum Laici æmularentur, pro vivâ, & bonorum operum feraci fide exangue, & exanime, & mortuorum operum; præcipuè vero zeli amari, ſuperbiæ, injuriarum, oppreſſionum, tetrâ exhalante mephiti graveolens fidei cadaver Eccleſiam occupavit. Id etiam ante ultimam perſecutionem tam ante, quàm poſt oppreſſum Paulum Samoſatenum accidiſſe, locuples teſtis eſt *Euſeb. lib.* VIII. *cap.* I. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Nec enim in Eccleſiæ Antiſtitibus tot, ac tantæ corruptelæ momento temporis extitiſſe: ſed juſto tempore ad conarahendam illam, quàm citato loco deſcribit, *κακὴν malam habitudinem*, Eccleſiæ opus erat. Sane maculoſum Eccleſiæ ævum à Victore Pontifice Romano, cæpit, quum homines calcatâ regiâ caritatis lege ob res nullius momenti, ſeſe invicem, damnare, & ſacra communione ſibi interdicere cæperunt. Quod non modo malitiæ, atque ſuperbiæ; ſed illius quoque peſtilentiſſimi erroris indicium fuit, quod in rebus nihili, & exigui ponderis tantum Chriſtianæ pietatis, ac religionis momentum collocarent.

Sed nos ad corruptelas Eccleſiæ, ſeniorum, quos hic admonet Paulus, culpâ in populum Chriſti ingreſſas, aliquantum digreſſi; à diverticulo ad orbitam redeamus.

Exorditur igitur admonitionem à concilianda eorum, quos alloquitur, benevolentia; non ſine modeſta quadam eminentiæ ſuæ ad quandam cum ipſis æqualitatem demiſſione. vocans ſeſe *compreſbyterum* quaſi ejuſdem cum ipſis corporis membrum, ejuſdem collegii collegam. Nec tamen id reticet, quo præ ipſis eminebat, ut non ſolam benevolentiam, ſed auctoritatem quoque monitis ſuis conciliaret. Vocat enim ſe *martyrem afflictionum Chriſti*, hoc eſt, Mortis Chriſti teſtem; ſed & illius, mortem Chriſti conſecutæ, gloriæ (1. *Pet.* 1. 11.) hoc eſt, reſurrectionis, & glorificationis quoque, & quidem oculatum, & qui aliquomodo glorificationi huic, aut certè repræſentationi ejus præſens adfuerit, & Majeſtatem Chriſti oculis ſuis inſpexerit 2. *Pet.* 1. 16. Ideò *ſe conſortem* non modo teſtem, *hujus gloriæ* apellat. Glorioſum enim erat iſtis quoque, quos repræſentatæ gloriæ ſuæ teſtes, ac participes Chriſtus eſſe voluerit, Majeſtatem ejus oculis ſuis uſurpaſſe. Nec erat hic communis cum cæteris Chriſti diſcipulis, qui mortis, ac reſurrectionis Chriſti teſtes fuere, gloria; ſed trium duntaxat Apoſtolorum propria: cujus mentionem ne in ſecunda quidem epiſtola ſilentio tranſmittit. Quo magis mirandum eſt, cur Apoſtolus hoc loco illam, ſibi ſoli propriam, nec

Joanni, & Jacobo communicatam excellentiam in regenda Ecclesiâ reticuerit; si ipsi *Matth.* XVI. totius Ecclesiæ universalis cura commissa est.

Si quis autem contendat non de præterita, sed de futura, & olim revelanda gloriâ expressis verbis Apostolum loqui, cujus consors, aut particeps propriè loquendo Petrus tunc nondum fuerit, sed tantum esse debuerit; huic ego regeram, cum propriè verba Sacræ Scripturæ sumi possint, nihil esse causæ, cur ea ad improprium sensum torqueamus. Quamvis autem ipsa ista gloria futura, & quoad cæteros homines, revelanda olim fuerit; nihil impediebat tamen quominùs imago, & repræsentatio ejus, quoad personam Petri, præterito tempore jam revelata fuerit: ut revelationis ejus consors, ac particeps Petrus dici potuerit. Nec tamen in diversa explicatione magnum est lapsus periculum.

Vers. 2. In ipsa admonitione, primum tàm interdicta, quàm præcepta ipsa; deinde præmia obsequii in utrisque notanda sunt. Interdicta cum præceptis conjunctim per tres diversas antitheses tradita sunt.

Interdici autem illa ipsa vitia videas, quæ tristi experimento Ecclesiam penè funditùs evertisse videntur. Quorum primum est, caritatis illius intensæ erga fratres defectus, qui efficit, ut cura salutis eorum gravis, & onerosa videatur, quos non tàm flagranti, uti par est, studio, & affectu diligimus. Quod vitii genus, nisi fallor, Dominus Angelo Ephesinæ Ecclesiæ objicit *Apoc.* II. 4. Opposita huic virtus, id est, caritas intensa efficit, ut non modo libenter; sed non ignavo studio, verum ferventi Spiritu flagrantes, in procuranda fratrum salute Deo serviamus. Quæ omnibus quidem virtus præcipitur; sed maximè omnium pastoribus, quibus cura gregis dominici commissa est.

Alterum est *avaritiæ* interdictum, cui vitio nimium quantum semper Ecclesiasticus ordo obnoxius fuit. Quia enim instituto Christi operarius mercede sua carere non debuit; plerique mercedem ipsam magis, quàm adeo sanctæ functionis officium adamavere; & non boni pastores, sed mali mercenarii evaserunt. Quod vitium certe ipsum etiam caritate flagrantem animum enecat, atque efficit, ut cura ovium nonnisi luculenti lucri spe suscipiatur, nec unquam syncero, prompto, & alacri animo administretur. Hinc *vers.* 2. τῷ αἰσχροκερδῶς, id est, *turpis lucri cupiditati*, opponitur τὸ προθύμως, hoc est, *alacre studium* in procuranda salute aliorum.

Vers. 3. Tertium est ambitionis, superbiæ, & dominationis interdictum. In quo vitio Satanas, intrudendi in Ecclesiam Antichristi, breve invenit compendium. Nam quia curatores salutis mortalium duplici honore digni sunt, non modo quia ipsi propria virtute honorem mereantur, sed quia efficiant, ut alii quoque eundem sua virtute mereri possint; hinc apertum est ostium animis ambitiosis, & superbis ad arrogandum sibi, quod fas, & æquum non sinebat, præsertim ubi falsi nominis scientia in abstrusarum rerum notitia religionem, ac pietatem collocans, ad rixas, & digladiationes primum, mox ad injurias, & oppressiones mutuas signum sustulit, & classicum cecinit. Opponit huic vitio dominationis virtutem illam, qua superiores, ac præpositi demittunt se ad quandam cum iis, quibus præsunt, æqualitatem; dum eos non vi, atque imperio, non minaci supercilio: sed exemplo invitant ad eorum, quæ tradunt, præceptorum obsequium. *Sitis*, inquit, *exemplaria gregis.* Non ita Pharisæi, & qui in cathedra Mosis confederant, qui ligabant onera gravia, & difficilia portatu, & imponebant humeris hominum; digito autem nolebant ea movere. *Matth.* XXIII. 4. quem dominationis characterem in plerisque Sacri ordinis antistitibus hodieque videre licet.

Vers. 4. Obsequii huic præcepto præmium ostendit, certò in revelatione Christi expectandum. Quem quia ἀρχιποίμενα *Pastorum principem* apellat, eo ipso, quia eos in eodem cum Christo pastorum quasi censu, & ordine collocare videtur, ostendit ipsis aliquanto propioris Christo, quàm aliis destinata sit, excellentiæ gradum esse expectandum. Quem *coronam amarantinam*, similitudine ab herba, quæ nunquam marcescit, sumpta, apellat: propemodum eadem voce, quà supra 1. *Pet.* I. 4. usus est, utens; sed, ut apparet, in sensu paulò excellentiori. Nihil enim impedit in illa æternæ vitæ mercede (quæ etiam, universè considerata, immarcescibilis dici potest) dari posse gradus, quorum unus, respectu alterius, sit excellentior, & quasi immarcescibilis dici possit.

Transit *vers.* 5. ad admonendos *juniores*, hoc est, præpositis istis, quos seniores, ac presbyteros vocavit, subjectos. quibus subjectionem ita cautè præcipit, ne ex hoc præcepto præpositi ad dominandum ansam ullam arripere possent.

Subjectionem enim junioribus præceptam, statim porrigit ad *omnes*; quos inter ipsi quoque seniores aliquando censentur, aut certè ab hac generali voce non excipiuntur. Atque hoc est, quod Paulus ait, 1. *Cor.* XIV. 29. *Prophetæ duo, aut tres loquantur, & alii dijudicent.* Loquendum igitur est superioribus, & senioribus ad juniores, tanquam ad eos, quibus sermonis nostri judicibus esse licet. Addit enim ibidem Paulus *vers.* 30. *Quod si quid alii revelatum fuerit assidenti, prior taceat. Potestis enim omnes singillatim prophetare,* hinc est, quod diximus suprà, eos, qui eminentiores functiones in Ecclesia gerunt, à gregariis fratribus non distare specie; sed solo gradu: ita ut possint propheticum munus obire etiam ii, qui, antequam ipsis à Deo aliquid revelaretur, non erant prophetæ. Quo in casu subnectit *vers.* 32. Paulus *Spiritus prophetarum prophetis subjectos esse debere.*

Quare Petrus, cum omnes vicissim sibi subjectos esse debere præcipit, ne doctores quidem, aut prophetas in Ecclesia excipit; præsertim cum vox ἀλλήλοις *invicem*, aut *vicissim* denotet quandam subjectionis reciprocationem: ita ut etiam ii, qui alios sibi subjectos habuere, iisdem interdum subjici detrectare non debeant. Quam ad rem *modestiæ*, quam barbari *humilitatem* vocant, virtus perneccessaria est: quam hoc loco, à speciali præcepto ad generale transeundo, Apostolus omnibus præcipit, & inculcat; voce usus, virtutis hujus officium, & naturam admodum exprimente. Præcipit enim, ut nos hac virtute *intus vestiamus.* Quod officium in omnibus quidem virtutibus tenendum, atque observandum est: sed præcipuè in ea animi demissione, quam veræ pietatis, & sanctimoniæ simia, ipsa morum civilitas; sed externa duntaxat specie, ostentare solet. Nihil enim frequentius est, inter ipsos mundanos homines, aliorum erga alios demissi animi significatione: quo mutuæ societatis ornamento omnes se in externo, & oculis mortalium subjecto cultu vestiunt, & exornant: cum tamen in interiori animi affectu nihil minus, quàm modestiam, & *justum, ac vile*, hoc est moderatum sui pretium, spirent.

Addit rationem, cur eo cultu intus, ac penitus nos excolere debeamus; quia Deo, qui non externas

animi

animi noſtri ſignificationes, ſed intimum ejus ſtatum, & affectum contemplatur, ac reſpicit, mirum in modum placet animus ab omni elatione, ac ſuperbia alienus. E contrà cui tale animi ornamentum deſit, is adeo diſpliceat, ut infeſtum, ac reſiſtentem, imo hoſtem Deum habeat.

Quid igitur mirum, quod iis, qui hoc ornamento Deo placere meruerunt, Deus gratiam ſuam, & omne felicitatis genus largiatur: ita ut ipſis, (præſertim in ſpiritualibus) omnia proſpere cedant, cæptiſque, & laboribus eorum Deus cæleſtis opis auram aſpiret; at ex adverſo iis, qui inflatæ mentis tumore, ac ſuperbia Deum offendunt, gratiæ ſuæ beneficium ſubtrahat, imo vero hoſtili animo reſiſtat, ac nimios ſpiritus eorum coërceat, & comprimat.

Porrò notandum eſt, Petrum virtutes quaſdam iiſdem plane & rationibus, & verbis, quibus Jacobus uſus eſt, commendare. *Modeſtiam* quidem, *quod Deus ſuperbis reſiſtat*. *Caritatem*, quod operiat multitudinem peccatorum. Unde conformitas doctrinæ utriuſque dignoſcitur. Prædicabat enim uterque iis, qui erant ex circumciſione. Quod genus hominum præ omnibus aliis virtutum iſtarum inculcatione indigebat; cum eſſent cæteris mortalibus ſuperbiores, arrogantium res, & (quod vitio huic connexum eſſe ſolet) à Chriſtiana caritate alieniores. *Juſtitiam enim propriam ſtudentes conſtituere, juſtitiæ Dei ſubjecti eſſe noluerunt* Rom. x. 3.

Neque mirandum eſt, quod ſuperbiæ vitium adeò Deum offendat. Nec enim erga hominibus tantum; ſed erga ipſum Deum injurium, & contumax eſſe ſolet. Homines enim, ea labe, vel tabe infecti, omnia ſibi tribuunt, omnia arrogant; nec è manu Dei quicquam poſcere, aut expectare dignantur; imo ultrò oblata, ſicuti Judæi, Dei beneficia ſpernere audent: ſuis autem fluxis, & infirmis viribus omnia aſſequi contendunt, ac moliuntur. Merito igitur Apoſtolus *verſ.* 6. ſubnectit monitum *Submittite vos robuſtæ manui Dei, ut vos opportuno tempore extollat.* In quo monito primum *robuſtam* manum Dei facilè fluxis noſtris viribus opponit. Secundum, Deinde honorem hunc, & eminentiam quam ſuperbæ mentes unicè conſectari, ſuiſque viribus, ac proprio marte quærere ſolent; ab uno Deo expectandam oſtendit. Tertiò non nimium nobis ad vota noſtra properandum eſſe docet. Neſcimus enim ſæpe quid petamus, & æmulatione, aut invidia decepti, nocitura intempeſtive quærimus, & optamus: cum Deo longe melius perſpectum ſit, quid nobis conducat, aut expediat. Opportunum igitur illud tempus votis noſtris erit, quod ipſe Deus eliget. Nec enim omittet occaſionem extollendi noſtri veram, & idoneam; ac nobis ſalubrem. Multum autem intereſt quàm opportuno tempore votorum noſtrorum compotes fiamus, quas opportunitates Deus melius novit. Unde ſaluberrimum illud monitum, præcepto huic de *modeſtia* ſubneſtit *verſu* 7., quod ex illa fluit, ut *Omnem ſolicitudinem noſtram in Deum conjiciamus; quia ipſi curæ ſumus.*

Permittes ipſis expendere Numinibus; quid
Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.
Carior eſt illis homo, quàm ſibi. ——

Verſ. 8. Generale poſtea, & admodum neceſſarium præceptum, quod omnibus hominibus, omnibus temporibus competit, de *Sobrietate*, & *vigilantia* mentis noſtræ tradit *verſ.* 8. quamvis illi adnectere videatur rationem, tempori duntaxat perſecutionis, quod ſuprà *Cap.* IV. 17. imminere prædixerat, ſervientem. Prædictam autem fuiſſe primam illam ſub Nerone perſecutionem arbitror, quæ & ipſum Petrum cum Paulo abſorpſiſſe dicitur. Sobrietatem autem hic non crapulæ corporis, (quanquam nec ea ab hac voce hoc loco excluditur) ſed mentis ebrietati, ſive nimia fortuna, ſive nimia ſecuritate inebriata ſit, opponit; quemadmodum & vigilantiam non ſomno naturali, ſed ſpirituali oſcitantiæ. Quæ virtus omni tempore Chriſtianis utilis, ac neceſſaria eſt, etiam cum adverſarius eorum Satan vulpem, non Leonem agit. Sed maximè tunc, cum *obambulat tanquam Leo rugiens, quærens quem devoret*: quo tempore maximè divina ope, accuratiſſimis præcibus efflagitanda, indigemus. Nec enim cum carne, & ſanguine res eſt; ſed cum potentiſſimo, & maximè formidabili hoſte, infirmitatem noſtram horrendis undique copiis, & machinis oppugnante.

Cui quomodo reſiſtendum ſit, obiter docet *verſ.* 9. Primum pugnandum eſt firmitudine, & ſoliditate fidei, quâ credimus Deum nobis ſimul, & opem in pugna, & promiſſum victoriæ præmium certò certius repræſentaturum. Secundum, Exemplis aliorum animandæ ſunt mentes noſtræ, maximè omnium Chriſto; ſed & ſanctiſſimorum hominum, qui ante nos perſecutiones propter juſtitiam perpeſſi ſunt; denique omnium toto orbe fraternitatis noſtræ conſortium, qui ab iiſdem perpeſſionibus non ſunt exempti. ne conditionem noſtram deterrimam omnium eſſe queri poſſimus, qui ſoli tàm moleſtis affictionibus objiciamur.

Verſ. 10. Voto, & comprecatione claudit epiſtolam; oſtendens ſimul tacitè, unde nobis in tanto certamine auxilium & quærendum, & certo expectandum ſit; dum ait, *Deus omnis gratiæ* (à quo omne bonum petendum, & ſperandum eſt) *qui nos vocavit ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu*: (hoc eſt, qui jam irrefragabile documentum, ac teſtimonium propenſionis ſuæ erga nos in promiſſo æternæ illius gloriæ per mortem, reſurrectionem, exaltationem Chriſti confirmato exhibuit: *vos pauliſper afflictos,* (Vocem ὀλίγον non modo æternæ gloriæ opponit, cui tota vita noſtra collata minus eſt, quàm nihil; ſed etiam ipſius vitæ noſtræ ſpatio, cujus exigua pars ejuſmodi afflictionibus obnoxia eſt) ipſe (cælitùs ſubmiſſa ope) *perficiat* (potentia ſuâ infirmitatis veſtræ defectus ſuppleat) *ſtabiliat*, ac ſpiritu ſuo *roboret* mentes veſtras; & vos in veſtris veſtigiis, tanquam immotis fundamentis, firmiter ſtantes, & quaſi ſuâ manu defixos, à tam valido hoſte proſterni non ſinat. Cujus cæleſtis, ac divinæ opis tantam certitudinem oſtendit; ut eo nomine.

Verſ. 11. Deo jam gratias agat, & nomen ejus glorificet.

Verſ. 12. Commendat Sylvanum, per quem epiſtolam miſit, *fidum*, hoc eſt, vere, & ex animo ipſos, & intenſe diligentem fratrem eum eſſe teſtimonio ſuo confirmans. Nec vero voces (*ut puto*) dubitantis; ſed ſententiam ſuam de eo ferentis ſignificationem habent: ut monitis quoque ejus, oretenus dandis, &, quæ Petrus paucis in epiſtola complexus erat, fuſius exponendis, fidem, & auctoritatem conciliaret. Voces enim διὰ Σιλουανοῦ *Per Sylvanum*, tam ad verba *paucis ſcripſi*, quàm ad participia ſequentia παρακαλῶν, *adhortans & teſtificans* æque referri poſſunt. Ergo quæ paucis in epiſtola per Sylvanum miſſa attigit, per eundem Sylvanum plenius, & fuſius explicari Apoſtolum voluiſſe nihil prohibet; præſertim in iſto de perſecutionibus argumento: Quas adeò ægre ferendas non eſſe in epiſtola docuit, ut hanc eſſe gratiam Dei ſuprà *Cap.* II. 19. aſſeruerit, ſi quis *propter conſcientiam Dei injuſtè patiatur*. Idem hoc verſu ſeſe ipſis

per Sylvanum quoque inculcare ait, ſtatum hunc, in quo tunc eſſent (puta perſecutioni obnoxii) eſſe veram Dei gratiam.

Verſ. 13. Per Babylonem Romam intelligi, facilè ſic explicantibus concedi poſſet; ſi qua urgeret neceſſitas, verba, quæ propriè intelligi queunt, ad improprium ſenſum torquendi.

Marcum hunc Evangelii ſcriptorem Petri familiare fuiſſe, hiſtor. Euſebii docet: ideo *filium* vocat.

Salutatio hic pro omnibus aliis charitatis officiis ſumi videtur, ſicut 2. *Cor.* XIII. 12. *& Matth.* v. 47.

L. D. O. M. 20. *Maij* 1660.

FINIS.

AD EPI

AD EPISTOLAM PETRI SECUNDAM COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

EPistolam hanc, ſicuti & Judæ Apoſtoli, quidam veterum fortaſſe, quia ſeſe in utrâque expreſſis nimium lineamentis notatos videbant, rejecerunt: qui, quod ὑπερογκα ματαιότητος *prætumida Gnoſticæ vanitatis* loquerentur, plus æquo Euſebio placuerunt; idque ipſum non difficulter perſuaſerunt. Sed quia neque idoneos auctores, neque juſtas cauſas Euſebius ſecutus eſt; merito Eccleſia damnato ipſius judicio libros iſtos in Canone retinuit.

Inſcriptionem hujus Epiſtolæ quod attinet, ſeſe quidem ſcribentem *Servum, & Apoſtolum Jeſu Chriſti* vocat; ſatis ſe auctoritatis verbis, ac præceptis ſuis conciliaturum hoc titulo ratus, etiamſi collatæ ſibi poteſtatis ſuper univerſam Eccleſiam nullam faceret mentionem; quæ tamen hic omittenda non erat, ſi collata eſt. Eos vero, ad quos ſcribit, quò promptius monita ſua acciperent, ita deſcripſit, ut ipſis vocationis ſuæ excellentiam poneret ob oculos. Dicit enim, eos *æquè cum Apoſtolis pretioſam fidem ſortitos eſſe, in juſtitia Dei noſtri, & ſervatoris Jeſu Chriſti.* Ubi diſertis verbis Præſtantiam illam, & inæſtimabile pretium *fidei* iſtius, quàm ſortiti erant, collocat in *juſtitia Dei, & ſervatoris Chriſti.* Quæ nihil aliud eſt, quam ſub ſpe promiſſionum obedientia præceptis, quæ Deus per Chriſtum præcepit, hoc eſt, vita Fidei, ſine quâ Fides nonniſi putre, & graveolens cadaver cenſetur. Sic enim generaliter juſtitiæ nomen ſæpe ſumitur. Dicitur autem hæc fides *æquè pretioſa*, ſicuti & Apoſtolorum: primum ratione promiſſæ vitæ in æternum beatæ, ſeu æternitatis, quæ videtur deſignari per illum denarium omnibus in vinea Domini, tametſi non æqualiter laborantibus, æqualiter tamen exſolvendum. Deinde quia in vocatione Chriſtianâ nemini obſtructus eſt aditus, quominus eo felicitatis aſcendere poſſit, quo ipſi Apoſtoli aſcenderunt; ſi parem contentionem adhibeat, cui gratuita, ut ſic loquar, gratia Dei deeſſe non ſolet. Inde tamen concludi nequit, in cæleſti felicitate nullos gradus, aut inæqualitatem fore.

Verſ. 2. Salutationis verba ſunt *Gratia vobis, & pax multiplicetur in agnitione Dei, & Jeſu Domini noſtri*, Unde diſcimus; 1. Gratiam Dei non eſſe in indiviſibili; ſed incrementum admittere, ſicuti & felicitatem, quæ pacis voce deſignatur 2. Gratiæ hujus & felicitatis in hac vita maximam partem ſitam eſſe in Cognitione Dei, & Chriſti, pro cujus gradibus, & incrementis, gratia quoque Dei, & felicitas noſtra creſcit, & augetur.

Verſ. 3. Ex Voto in Salutatione expreſſo occaſionem ſumpturus tradendorum præceptorum, explicat primum votum ipſum, ejuſque voti fiduciam; quod Autor felicitatis hujus, quam augeri, & multiplicari Apoſtolus comprecatur, jam nobis dederit ea beneficentiæ ſuæ pignora; ut de exitu tàm exoptandi voti nullo modo dubitare poſſimus. Jam enim Deus per *Spiritum* ſuum, quem hoc loco *divinam potentiam* vocat, nobis omnia dedit, & contulit; quæ tàm ad vitam æternam, quàm ad viam ejus aſſequendæ requiruntur. Vitam autem æternam vocat ſimpliciter *vitam*: quia ſola perpetua vita hoc nomine κατ' ἐξοχὴν digna eſt. Fluxus enim iſte fluxæ præſentis vitæ ſtatus, in continua corporis noſtri mutatione, quæ ad certiſſimam mortem iter eſt, conſiſtens, ne vitæ quidem nomen meretur.

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Viam vero, & rationem perveniendi ad veram vitam, hoc eſt, æternam, vocat *pietatem*, εὐσέβειαν. Cujus virtutis nomine Synecdochicè tota obedientiæ mandatorum Dei ratio deſignatur. ſicut & ſupra *verſ.* 1. nomine *Juſtitiæ*. Generalius igitur vox iſta hoc loco ſumitur, quàm infra *verſ.* 6., & 7., ut videbimus. Porro eodem verſu explicat, in quo conſiſtat donatio iſta, & munus Dei, quod nobis per Spiritum, & potentiam ſuam contulit, *omnia, quæcunque ad felicitatem* noſtram requiruntur. Et oſtendit conſiſtere donum iſtud in *cognitione* Dei, ut ſuperius indicaverat. Unde videmus quantum ſtudii nobis ſit impendendum, ut in hac cognitione Dei perpetuo proficere poſſimus. quandoquidem in ea continentur omnia, quæ ad felicitatem noſtram nobis ſunt neceſſaria. Cæterum in eo fædè, ac pernicioſè lapſus eſt Chriſtianus orbis, qui cognitionem Dei, & Chriſti per tot ſeculâ quæſivit in cognitione eſſentiæ, & naturæ eorum. Quam capere, & comprehendere in hac vita ingenia mortalium nequeunt; quæ ne propriæ quidem naturæ, & eſſentiæ cognoſcendæ ſufficiunt. Hanc curioſitatem Deus eo exitu punivit, ut miſeri mortales tot publicis, privatiſque rixis, & digladiationibus circa ea, quæ à conſpectu eorum denſiſſimâ caligine abſcondita erant, Andabatarum more commiſti; ſuper aureis, & gemmeis, quæ Apoſtoli poſuerunt fundamentis, tantam copiam lignorum, fæni, ac ſtipulæ accumulaverint; pabulum illius ignis, ex quo pauci meliores, ſed rebus tamen omnibus amuſſis, & fortunis exuti, tanquam ex naufragio nudi, evadent.

Lapſus hic eo minùs eſt excuſabilis, quod cogni-

tionis istius Dei, & Christi objectum liquido, & apertè Apostolus tangit, expresse mentionem faciens vocationis nostræ à Deo ad summam felicitatem nostram, per *gloriam, & virtutem.* Quod quidem usitato in sacris literis loquendi more explicari potest, nec falsò, nec incompetenter, quasi dixisset per *virtutem gloriosissimam.* Nihil enim gloriosius est isto certamine, per cujus conflictum, & victoriam vocat nos Deus ad gloriosissimum, & perpetuum triumphum. Non desunt tamen rationes, ob quas *gloriam*, & *virtutem* separatim hoc loco ab Apostolo proponi censeam; tanquam causas, per quas nos Deus vocaverit, & quasi gradatim ducat ad summam nostram felicitatem: primùm quia non minùs *gloriæ*, quam virtuti præfixit particulam διὰ (*per*). Secundo quia *vers.* 4. de utraque (tanquam unum non essent.) plurali numero loquitur δι' ὧν, *per quas.* Tertio, quia satis distincte explicat, quomodo per gloriam promissorum, ad obedientiam præceptorum, hoc est, virtutem, impellamur. (Nomen enim *virtutis* hoc loco, sicut suprà *pietatis*, & *justitiæ*, generaliter pro tota obedientia præceptorum Dei sumitur; non, ut infrà, pro peculiari virtutis, aut istius obedientiæ specie, aut habitu.

Ostendit igitur expresse *vers.* 4., quomodo à Deo per gloriam vocati simus ad nostram felicitatem; quia maxima illa, & pretiosissima, ac proinde gloriosissima promissa Dei excitant nos ad ejusmodi virtutem, per quam liberati ab omni corruptione mundanarum cupiditatum, vitam degamus incorruptam, vitàm Dei: consuetudine bonorum habituum in naturam versa, ut etiam in hac vita vivendo secundum spiritum quasi divinæ naturæ consortes fieri dicamur. qualis vita cum vita æterna, & gloriosa inseparabili vinculo connexa est. *vers.* 5. Quamvis autem *gloriæ* beneficium ad Deum, *virtutis* autem officium (nisi quatenus à Spiritu Sancto adiuvatur) ad nos pertinere videatur; tamen, ut virtutis officium absque conatu, & studio nostro constare nequit: ita ne gloriæ quidem beneficium absque aliqua operâ, præcipuè verò fide nostra, nobis prodesse potest. Proinde merito nos Petrus in hoc versu ad ardentissimum, & excitatissimum in ea re studium hortatur, omnemque operam nostram conferendam; ut nobis ad vehementissimam in hoc negotio contentionem nihil faciamus reliqui. Et statim docet, atque instruit, qua methodo in hoc pietatis studio, & labore, atque contentione uti, atque eniti, & per singularum virtutum gradus in omnibus proficere, & quodammodo per faciliores ad difficiliores ascendere debeamus. Quod genus doctrinæ, atque præcepti è penitioribus divini spiritus, & Apostolici instinctus thesauris depromptum, nec ubique in sacris literis obvium est. Et verè μεθοδία ἀληθινὰς, καὶ ἀγωγὴν machina, & artificium quoddam *veritatis & virtutis*, & scala pietatis dici potest. quo ne careremus per Eusebium, & inepta quorundam judicia minime stetit.

Cum igitur Deus nobis affatim suppeditaverit, omnia quibus ad habendam ipsi *fidem*, & præstandam obedientiam opus habebamus, per Apostolicam prædicationem; ex qua certo scire, ac nosse possumus, quod Deus & possit, & velit nobis æternam felicitatem conferre; si præceptis ejus, per Christum datis, pareamus, cujus rei irrefragabilia documenta habemus in doctrina de morte, resurrectione, & glorificatione Christi: nihil superest, nisi ut nos quoque vicissim pro parte nostra, omni studio ea suppeditemus, quæ ad executionem hujus decreti, ac voluntatis Dei necessaria sunt. Nam per ea, quæ Deus Christi ministerio, & circa Christum fecit, & quotidie per eum efficit, *fidem* nobis donavit. Unde fides gratuitum Dei domum dicitur; quia sine operâ nostra pro parte suâ Deus jam omnia præstitit, quæ requirebantur ad id, ut promissis ejus credere, & præceptis obsequi possemus. Id tantum requiritur, ut *fidem* istam per *virtutem* retinere, & indies efficaciorem reddere constanter velimus. Nam ut possimus jam nobis Deus dedit, & quotidie per spiritum suum dat. quem Christus unicuique, cælitùs opem emploranti, tempestivè suppeditat; amovendo omnes difficultates, & impedimenta, quæ virtuti huic, & obstinatæ distinationi nostræ obstare solent; & vires nobis subministrando, ut tentationes occurrentes vincere possimus. *Phil.* IV. 13. *Omnia enim possumus in eo, qui nos confortat, Christo.*

Vox *virtutis* autem hoc loco sumitur pro tenacitate propositi, & obfirmata, atque efficaci constantia in vita secundum istius Fidei præscriptum instituenda; quæ masculè, & viriliter per obstantia impedimenta erumpat; nec se aut objectis illecebris muliebriter emolliri; aut malis, sive terroribus frangi, & effæminari patiatur. Id enim vox ἀρετὴ significat; Martium quendam, & militarem animi vigorem, & impavidam ad pericula mentem, & avidos, atque capaces victoriæ spiritus designans.

Cæterum quia ejusmodi vis animi sine Prudentiæ oculo cæca est, & in zelum sine scientia aut inutilem, nec necessariam temeritatem sæpe degenerat; saluberrimè præcipit Apostolus, ut huic animi fortitudini, ac robori adjungamus γνῶσιν, id est, *Cognitionem*, seu scientiam, hoc est, non illam contemplativam, seu veterum, sive recentiorum, seu vecordium, sive saniorum Gnosticorum scientiam circa essentiarum, ac personarum divinarum naturam non minùs curiosè, quam inaniter laborantem, & ut Apostolus ait, *ægrotantem*: sed practicam, & Christianam in vita secundum leges Christi instituenda, prudentiam, quæ inter licita, atque illicita; necessaria, & adiaphora; tolerabilia, & intoleranda discernere; quæ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα *Philip.* I. 10. *explorare* ac distinguere possit ea, *quæ* inter se *discrepant.* Sæpe enim vitium virtutis, turpitudo honestatis, vetita licitorum specie, & contra imponunt.

Quarum rerum cognitio neque captum mortalium superat, & aliquanto magis necessaria, & minùs curiosa est; quàm incomprehensibiles naturas, & essentias divinas, earumque Oeconomias venandi prurigo.

Rursus cum homines instructi ejusmodi legum divinarum, & incidentium in vita casuum peritiâ, quæ homines reddit verè Juris Christiani consultos, facili sibi permittere possint, ut ea, quæ reipsa, ac natura sua licita esse norint, & sibi voluptatem, aut emolumentum aliquod afferant; non periculo tantum, sed maximo damno ædificationis, aut scandali facere non dubitent: visum est Spiritui Sancto huic exertæ, & extrà limitem officii interdum exorbitanti rerum peritiæ frænum imponere. Jubet igitur, ut Jurisprudentiæ Christianæ addamus virtutem *continentiæ*, quæ virtus efficit, ut à licitis quoque facilè abstineamus; quoties ea ædificationis ratio reddit illicita.

Verum enimverò non modo ob specialem hanc causam necessariæ huic officiorum, ac religionis notitiæ; Spiritus Sanctus continentiam addi jubet: sed ob generaliorem quoque. Nam non immerito nescio quis culpâ suâ moriturus exclamavit

Quid juvat innumeros scire, atque evolvere casus,
Si fugienda facis, si facienda fugis.

Vident sæpius mortales meliora, probantque; nec minus

minus idcircò deteriora sequuntur : & Christus ipse prævidit multos fore doctrinæ, ac juris sui peritos: nec tamen ejus executores *Matth.* VII. 26. vel, ut Jacobus ait, *Auditores* sermonis, *non autem effectores*, aut actores operis. *Jacob.* I. 23., & 25. Porrò isti, qui vident meliora, probantque, non uno impetu abripiuntur ad deteriora : Sed primum vehementi cupiditatis æstro. Cui in virtute *continentiæ* idoneum Spiritus Sanctus prospexit remedium. Proinde non sola hoc loco à licitis rebus, in casu scandali, abstinentia; sed omnis generis voluptatum continentia, & carnis nostræ mortificatio, & illecebrarum mundi contemptus nobis præcipitur.

Deinde alia quoque, & diversa vis homines juris divini & officii Christiani non ignaros ab officio abripit : metus persecutionum aut impatientia injuriarum : Cui malo in virtute *patientiæ* præsentissimum remedium est : idcircò ea supradicto continentiæ remedio additur. Quid enim prodest, si quis adversus voluptatum illecebras pectus armatum, ac probe munitum *continentiâ* habeat; si illud injuriarum, aut persecutionum ictibus inerme, & obnoxium præbeat. Proinde non modo adversus bona; sed mala quoque apparentia animus patientia, & robore suo armandus est. Quamvis autem metus persecutionum, in quo publice rugientis Satanæ sono percellimur, ab injuriarum, quibus privatim irritamur, sensu longè sit diversus; sæpe tamen unâ mala ista concurrunt, ac saltem in eo conveniunt, quòd non illecebris fraudulenter demulcere, sed minis, atque malo animum violenter frangere, ac subigere conentur.

Sed quia utraque ista tam sustinendi, quàm abstinendi virtus, neque plenè acquiri, neque diu, aut constanter durare absque ope divina, & precibus potest; preces vero absque syncero, & summo erga Deum amore, cum modestâ, & verecunda reverentia conjuncto, efficaces esse nequeant, merito ideo virtutibus supradictis Spiritus Sanctus addi *pietatem* præcipit : quæ & officia ista, una cum cultu, & honore debito, Deo reddendo in se continet, & aditum nobis ad Deum conciliat, precum nostrarum vota rata efficit, & in necessitatibus desideria implet. Atque ista virtus nos præcipuè cum Deo per Christum conjungit, & efficit, ut communio nostra per Spiritum Sanctum, hoc est, instinctum quendam cælitùs nobis missum, sit cum patre, & cum filio ejus Jesu Christo 1. *Joh.* I. 3. Proinde meruerat, ut supremum in hac scala virtutum gradum obtineret : nisi quod Apostolus hoc loco primum virtutes istas secundum difficultatum gradus distinguit, & per faciliores monstrat iter perveniendi, & ascendendi ad difficiliores. Quamvis enim nobilior sit virtus caritas in Deum; tamen difficilior est caritas in fratrem, multoque magis in alienum, aut inimicum. Si tamen recta ratione rem putemus, suprema omnium, ac nobilissima virtus est Amor erga Deum. Sed in ipso isto amore dantur aliqui gradus; quorum infimus, qui hoc loco *pietatis* ὑποβάσις, officii, inquam, erga solum Deum, voce nominatur, potest esse absque caritate erga fratres; quia facilius Deum diligimus propter accepta, & sperata beneficia, ac dignissimum ut ametur, quam fratres, quorum nemo erga nos ita beneficus esse potest; non pauci etiam male de nobis meriti, & omnes amore non adeo digni deprehenduntur, nisi propter Deum imperatus esset. Nemo igitur ad φιλαδελφίας, hoc est, *fraterni amoris* virtutem ascendere potest, nisi prius amore erga Deum stimulatus : & qui eò ascendit, perfectiorem amoris erga Deum gradum assecutus est; quemadmodum is, qui fraterno amore non contentus ad caritatem erga inimicum etiam, & alienum ascendit, in perfectissimo, ac summo Caritatis erga Deum culmine stetit. Pro captu igitur, & utilitate nostra hæc distinguit Apostolus. Cæterum Caritas in fratres, & caritas erga alienos vel inimicos, seorsim consideratæ, ac sibi oppositæ non aliud sunt quam gradus remissioris, aut perfectioris erga Deum caritatis : ita ut perfectissimæ erga Deum Caritati summus tamen, & supremus in hac scala gradus debeatur; quæ in sese omnes inferiores caritates, ac virtutes complexa est; ut ab Apostolo Paulo merito *vinculum perfectionis vocetur*.

Merito igitur simplici pietati, hoc est, simplici amori erga Deum, amorem erga fratres addi jubet Apostolus, ut caritas erga Deum evadat perfectior. Nam qui eos quoque, qui nati sunt ex Deo, diligunt; quia propter Deum id faciunt, multò magis Deum ipsum diligunt 1. *Joh.* V. 1. Et quia intensus, ac summus Amor Deo debetur, fratres quoque intensè amari jubentur; propter arctam cum Deo conjunctionem, & quia Deus quoque ipsos amet. Non quod pari affectu erga eos flagrare debeamus, sicuti erga Deum flagramus. Id enim per ipsam rei naturam fieri nequit, cum nunquam causas amoris erga eos pares habere possimus iis, quæ nos ad amandum Deum compellunt. Sed in ipsâ intensione caritatis gradus dari necesse est; & satis intensè is diligitur, pro quo interdum, officio erga Deum id poscente, mortis periculum subire non recusandum est, quod pro Deo semper, & absolutissimè faciendum est : ideo longe intensior ipsi, quam fratribus Caritas debetur.

Quamvis autem alienis, & ipsis inimicis longe remissior, quam fratribus caritas debeatur (quod vel ex eo perspicitur, quia fratres *intensè* ἀγαπᾶν diligi jubentur; quod nusquam de inimicis, ac ne de alienis quidem legimus) tamen alienorum, præcipuè inimicorum difficilior est caritas, quam fratrum, iis, qui jam Caritate erga Deum præditi sunt : & promissæ à Deo felicitatis gaudium degustaverunt. Illis enim propter Deum omnia, quæ ad Deum pertinent, quæque ipse Deus diligit, cara, & dilecta esse necesse est; & fratres ipsi, præsertim qui tales meritò dicuntur, non possunt non esse digni caritate. At indignos, aut potius odio dignos vel ob id, quod à Deo alieni, aut nobis infensi sunt, amare, aut iis caritatis officia, seu labore, sive damno, atque impendio nostro præstare, atque exhibere, longè est difficilius. Et nisi id à Deo imperatum, & exemplo Dei fieri injunctum esset, vix à nobis præstari posset. Perfecto igitur, atque intensissimo Dei amore flagret oportet, quisquis id à se impetrare potuerit, ut in ejus gratiam pro malo bonum, pro odio caritatem, pro injuriis beneficia reponat. Proinde caritas in alienos atque inimicos, non quia natura sua nobilior virtus sit, sed quia summi erga Deum amoris certissimum signum, atque documentum est, ab Apostolo in hac virtutum Scala supremo in gradu collocata est.

Antequam à contemplatione hujus è pretiosissimis cimeliis, atque gemmis connexæ catenæ abeamus; observandum est sive coordinationis, sive subordinationis Apostolicæ singulare, & in Spiritualis profectus meditatione maximi usus, artificium. Ea enim methodo ordinavit Apostolus virtutum istarum seriem, quo ordine in illis proficientibus progrediendum est. Nec tantum unaquæque absque eâ, quæ proxime collocata est, manca, & imperfecta est, & singulæ à vicinis sibi perficiuntur; sed illud facilitatem profectus mirificè adjuvat, quod à facilioribus ad difficiliores gradatim fiat progressus. Quam vana est fides absque virtute; quàm cæca virtus absque cognitione rerum divinarum, & prudentia; quàm inutilis prudentia absque continentia;

quàm

quàm infirma continentia abſque patientiæ robore; quam exiguæ continentiæ, & patientiæ noſtræ vires, abſque precibus, & pietate; quàm jejunè fungimur officio erga Deum, niſi unâ præſcripto ab eodem fungamur officio erga homines, tam fratres, quam alienos. Rurſus quam præpoſterum eſt velle diligere inimicos, niſi prius intensè diligamus fratres; & quomodo diligere poſſumus fratres, niſi prius diligamus Deum; quàm difficile eſt diligere Deum, niſi ſpernatur mundus, & potentia ejus diligentibus Deum infeſta: quam arduum eſt patientiâ ſuperare adverſa perſecutionum, niſi prius continentiâ viceriimus illecebras voluptatum. quàm irritus conatus eſt continere animum in officio, niſi cognitione, ac notitia officiorum noſtrorum ſimus probe inſtructi, quomodo ad cognitionem rerum divinarum ſeriò animum applicemus, niſi prius firmum, ac ſtabile propoſitum præceptis Dei parendi, tanquam fundamentum, jaciamus? Quomodo nos ad præcepta Dei exequenda accingemus, niſi prius promiſſis ejus credamus.

Cum igitur nos Petrus docere vellet facilem, & compendioſum modum perveniendi ad ſummum cacumen pietatis; baſin primum, & fundamentum tam præclari operis ponit *fidem* quatenus eſt *Dei donum*, quod nullo noſtro labore partum, ſed mera Dei benignitate in nos quodammodo effuſum eſt: Loquimur autem de omnibus iſtis cæleſtibus auxiliis, quæ nobis Deus ad concipiendam, & habendam firmam promiſſis ſuis fidem contulit. de quibus *verſ.* 3, & 4. locutus eſt. Scimus enim *fidem*, quæ viva, & perfecta dicitur, omnes iſtas virtutes, quas hic Petrus *fidei* ſuperſtruit, in ſe continere. Sed hæc, quam nobis ſine ulla noſtra opera Deus donat, quæque hic deſcribitur, & nominatur, initium, & fundamentum eſt fidei perfectæ. Cui initio, ceu fundamento niſi ſuperſtruantur virtutes ab Apoſtolo propoſitæ, necatur, & interit donum iſtud Dei; quod initium ſpiritualis vitæ noſtræ vivum & ipſum eſſe debuerat. Et quamvis aliqua promiſſorum Dei notitia, in abſtruſioribus memoriæ loculis potius recondita, quàm in perpetuâ, & quæ aſſiduè recolatur, cogitatione hærens, & vigens remaneat; ſi operibus, hoc eſt, bonorum actionum habitibus deſtituatur, non fides; ſed fidei cadaver eſt. Quanquam, quod ad donationem Dei attinet, & ipſa viva, & perfecta fides, ſicuti & omnis virtus, & omne omninò bonum quod vel maximi laboris interventu nanciſcimur, Dei donum meritò dicitur; quatenus ſine miſſo cælitùs Spiritus Sancti auxilio, vel alia ope cæleſti nuda operâ noſtra non perficitur. Sed tamen ea Dei dona, in quibus conatus, & opera noſtra non concurrit, ab iis, in quibus nos Deus gratiæ ſuæ cooperatores eſſe voluit, diſtinguenda ſunt.

Poſito huic *fidei*, à Deo donatæ, fundamento, hoc eſt, tam pretioſorum Dei promiſſorum, validiſſimis documentis factæ confirmationi, quam ſuapte natura ſtatim, (niſi cordis improbitas repugnet) fides, & aſſenſus, ac perſuaſio mentis noſtræ ſequitur; jubet inædificari Apoſtolus *virtutem*, quam ſupra tenacem propoſiti animum, in parendo præceptis Dei, eſſe oſtendimus. Quæ præcepta cum virtutes ejuſmodi, & divina animi noſtri ornamenta contineant, quæ Rationi ſanæ ipſi non placere nequeunt; ſi prætereà oculis noſtris obverſentur promiſſa omnibus votis majora, non eſt res nimii negotii, tenere propoſitum aſſequendi res deſideratiſſimas. Quamvis enim variis tentationibus, diſtractionibus, animi averſionibus, etiam in diverſum avocatis curis, aut etiam torpore animi, & oblivione Satanas nos in hoc propoſito turbet, aut ſaltem lentiores reddat; refricatâ tamen identidem memoriâ promiſſorum, & reſpectando ad præmii retributionem, intuendo in fidei Ducem, qui pro ſibi propoſito gaudio tot mala pertulit, & tantis contradictionibus (*Heb.* XII. 3.) & adverſitatibus reſtitit: non eſt nimium difficile in propoſito vitæ Chriſtianæ ſtadio conſtanter decurrere.

Sciendum tamen eſt, ut ſuprà diximus, quo facilius, perfectius, & conſtantius curſum hunc teneamus; in voluntatis Dei *cognitione* indies nobis proficiendum eſſe: quæ, antequam erroribus obrutus eſſet orbis, ex auditu Apoſtolicæ prædicationis ex ore eorum, qui ob collatam ſibi Spiritus Sancti copiam errare non poterant, hauriebatur: nunc vero etiam ex auditu verbi Dei; ſed cum aſſidua, & pia lectione relictorum, ab Apoſtolis monumentorum conjuncto, acquiritur. Ut autem fidei virtus; ita virtuti iſta cognitio neceſſaria eſt: Sed viciſſim quoque, ut per fidem ad virtutem, ita per eam, quam deſcripſimus, virtutem ad cognitionem voluntatis divinæ veram, & perfectam facilis, & compendioſus eſt tranſitus. Unde meritò concluditur eum, qui ſub ſpe promiſſorum Dei præceptis ejus, per Chriſtum datis, conſtanter obſequi velit, atque hoc propoſitum conſtanter teneat, ex Sacrarum litterarum lectione ſufficientem non modo ad ſalutem ſuam; ſed & aliorum ædificationem rerum divinarum cognitionem aſſequi poſſe.

Cognitioni rerum divinarum, hoc eſt, promiſſorum, & præceptorum (non autem eſſentiarum) Dei, & Chriſti, ſuperſtruendam eſſe *continentiam*, *continentiæ* verò *patientiam*, præcipit Apoſtolus. Utraque virtutum continet noſtrum erga noſmetipſos officium. à quo poſteà ordinatè progreditur Apoſtolus ad officium erga Deum, & homines.

Cæterum *continentia* complectitur non modo abſtinentiam à voluptatibus fædis; nimiis, aut quoquomodo illicitis, aut noxiis; ſed affectuum etiam omnium, præcipuè cupiditatum mundanarum, quæ militant contrà animam, mortificationem, hoc eſt, abſolutum regimen, ac dominium. Sub qua poſſit etiam collocari continentia Iræ, & frænum Ultionis; niſi hanc officii noſtri partem referre præſtaret ad proximam virtutem *patientiæ*, quæ *continentiæ* ſuperſtruitur.

Patientia enim non tantum injuriarum, ſed etiam perſecutionum tolerantiam complectitur. quia in tolerandis ſimplicibus injuriis, quibus ſemper obnoxii ſumus, præluditur tolerantiæ perſecutionum, quæ nobis rarius à Deo immittitur. Utriuſque tamen patientiæ eadem eſt propemodum natura; niſi quod in poſteriori non modo ira, & vindicta; ſed etiam metus, ac formido vincenda ſunt.

Merito autem *continentiam patientiæ* præmiſit: Nam qui in quotidianis tentationum luctis valoris roboris animi ſui ſpecimen nullum edidit: in gravioribus, & extraordinario certamine certò ſuccumbet. Ergo prius animus in rebus ſecundis, ac tutioribus continentia armandus eſt; ut in adverſis, ac duris caſibus patientiâ diſcriminibus par eſſe poſſit.

Porro quod ſuprà de *fide*, ac *virtute*, & *cognitione* rerum divinarum diximus; idem nunc de eadem *cognitione*, & *continentia*, & *patientia* dicendum eſt. Sicuti cognitio hæc abſque continentia, & continentia abſque patientia manca, & imperfecta eſt: ita ad continentiæ ſimul, & patientiæ virtutes aſſequendas per ſolidam rerum divinarum cognitionem, & aſſiduam in lege Domini meditationem facillimum iter eſt. Unde concluditur eum, qui velit non magno negotio carnem, & mundum, & Satanam vincere, lectioni Sacræ Scripturæ & ſacris meditationibus ſedulam dare operam debere. Præterea ei, qui in perſecutionibus ſuccumbere nolit,

tenta-

tentationes primum, & certamina incontinentiæ ſuperanda eſſe.

Virtuti patientiæ meritò Apoſtolus virtutem Pietatis ſuperſtrui jubet, quam ſuprà nihil aliud eſſe, quam Caritatem, & flagrantiſſimum amorem Dei, longe ſupra omnem erga noſmetipſos affectum ſcandentem, explicuimus, cum debita humilitate, metu, ac reverentia, cultu, & honore competenti conjunctam. Quo pertinent preces, earumque aſſiduitas in occaſionibus perpetuò occurrentibus gratiarum actionis pro beneficiis; deprecationis pro peccatis; implorandæ opis in neceſſitatibus, in periculis, in ſecundis, in adverſis rebus; interceſſionis pro aliis; in initiis operum, in finiendis quoque ex animi ſententia cæptis noſtris; in negotio ſalutis noſtræ, aut ædificationis aliorum, aut opportunitate virtutis alicujus exercendæ, aut gloriæ divinæ promovendæ; denique in innumerabilibus aliis occaſionibus.

Hæc virtus pietatis, quoniam in amore erga Deum intenſiſſimo conſiſtit, pro ratione, ac differentia profectus, atque incrementi in fide, virtute, cognitione rerum divinarum, continentia, & patientia (nullus enim iſtorum habituum eſt (ut ajunt) in indiviſibili) amor hic multos habet gradus. Primum, eumque excellentem inter alios poſuimus, quo Deum ſolum, ob maximas, quas habemus, diligendi cauſas ex animo proſequimur: Excellentiorem, quo eos quoque diligimus propter Deum, qui propius, ad Deum accedunt; quæ eſt Philadelphia: quo & longiſſime à Deo diſſitos, quoquomodo tamen ad Deum pertinentes, aut quia Deus ita juſſit, diligimus, quæ eſt Caritas Dei, ad ſummum progreſſa cacumen omnium virtutum, & vinculum perfectionis. Per iſtos excellentos gradus omnes ordine Apoſtolus progreditur: ſed primum à patientia ad pietatis quem diximus, excellentem gradum; inde ſcandit ad ſuperiores. In occaſionibus enim patientiæ maximum habemus ad pietatem, ac preces ſtimulum; & in omnibus injuriarum, ac periculorum tempeſtatibus nullus tutior eſt portus, quàm in auxilio, & miſericordia Dei.

Quia vero omnis patientia, etiam privatarum, (citrà perſecutionem) injuriarum, multo magis autem in perſecutionibus, propter Deum, & in gratiam ejus à nobis præſtatur; non facillimus tantum, ſed neceſſarius nobis ad Deum per eam aperitur aditus: ita ut, qui hac virtute inſtrui velit, non modo ſine ulla difficultate pietatis officia exequi poſſit; ſed etiam urgente neceſſitate compellatur.

Ergo, quemadmodum ſuprà diximus, ſicuti patientia, abſque pietate, ac precibus manca eſt, & mutila: (ſi modo abſque iis vel cogitatione fingi poteſt) ſicuti excellens pietatis gradus abſque ſuperiore, & ſuperior abſque ſupremo, nondum omnes numeros perfectionis implevit: ita viciſſim quoque ad veram erga Deum pietatem nulla eſt facilior via, nullum brevius compendium, quam per ſuſceptam in gratiam Dei malorum patientiam. Qua benigniſſimum numen quamvis revera obligari nequeat, cum imperanti vel ſine mercede parere teneamur, tamen (quæ ejus ſumma, & gratuita bonitas eſt) ſinit ſe obſtringi.

Quid? quod ad aſſiduitatem in precibus, quæ præcipua pietatis pars eſt, nihil acrius urgeat, quam patientiæ neceſſitas, & ipſa patientia præſtari vix queat, niſi precibus impetretur. Eodem modo ad ſuperiorem pietatis gradum, quo propter Deum fratres diliguntur; multoque magis ad ſupremum, quo in gratiam ejuſdem alienis, & inimicis caritatis officia præſtantur; non modò nullus facilior; ſed penitus nullus alius eſt aditus, niſi per amorem, ac pietatem erga ipſum Deum. Ita ut nobis hoc loco Petrus tradiderit facillimum, & ordinatiſſimum in omnis generis pietate proficiendi compendium.

Porro, ne quis hic vehementer decipiatur, monendus eſt verborum Apoſtoli Lector, non eam eſſe Petri mentem, quaſi ſeorſim, ac ſeparatim ſingulæ iſtæ virtutes acquirendæ ſint; nec attingendas ſuperiores, donec inferiorum habitus comparentur. Omnes enim ſimul, ac ſemel-animo amplectendæ ſunt; præcipuè verò, & ante omnes pietas, & amor erga Deum, ac preces in omnibus reliquarum virtutum occaſionibus urgendæ ſunt. Sed docet Apoſtolus quod & res ipſa oſtendit; etiamſi omnes ſimul ab initio urgendæ ſint, inferiorum tamen & faciliorum virtutum habitus facilius, & prius ferè, quam ſuperiorum, ac difficiliorum acquiri, per ſingulos eunti deprehenditur. Servandi boni propoſiti voluntas facilior eſt rerum divinarum cognitione, & habitus cognitionis, ac ſcientiæ habitu continentiæ, & continentiæ conſuetudo patientiæ habitu. Quamvis autem ſupradicti virtutum habitus abſque præcibus, & pietate acquiri nequeant; tamen quia pietatis, & legitimæ in precibus conſuetudinis gradus iſto, quam hoc loco poſuit Apoſtolus, inferiores multi ſunt, nemo excellentem, de quali Apoſtolus loquitur, pietatis gradum aſſequi poteſt, niſi prius ſupra memoratos habitus acquiſiverit; quemadmodum excellentiorem pietatem niſi prius habeat excellentem; & excellentiſſimum, ante excellentiorem. Ac profectò in omni virtute, cognitione, ac prudentia, continentia, & patientia exercitatus ſit oportet, quiſquis in quotidiana, imo aſſidua cum Deo, ut ita loquar, converſatione, & perpetuo commercio tale ſummi amoris cum divino honore, ſummi gaudii cum anxio metu temperamentum ſervare poſſit; quale vera, & excellens erga Deum pietas requirit. Pietatem tamen & preces etiam, in imperfecto gradu profuſas, tamdiu Deus boni conſulit, & exaudit, quamdiu videt vel in imbecilla pietate durare tamen in melius proficiendi deſiderium. Ideo adjuvat homines, ut in inferioribus virtutibus, atque ipſâ erga ſe pietate, ac tandem omni ſanctimoniæ perfectione proficiant.

Qui epiſtolam hanc è Canone expungere voluerunt, aut non legiſſe iſta Apoſtoli verba, aut imperitos Mangones fuiſſe oportuit, qui pretium tam raræ gemmæ non intellexerint. Sed quid illi ſuo pretio æſtimarent, qui nullo veræ ſanctimoniæ guſtu tenebantur; aſt omnem ingenii ſui obtutum in ſpeculationibus ſuis Gnoſticis defixerant.

Non ita Apoſtolus, cui cum dictata à Spiritu Sancto doctrina iſta vehementer placeret, *verſ.* 8. eam omnibus commendat, & inculcat: & (quamvis non ſine μιάσματι) utilitatem ejus exaggerat. Ait enim, *hæc ſi nobis, & quidem abundanter adſuerint, non otioſos nos, nec infructuoſos effectura, in Cognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti*: hoc eſt, ſtrenuos, & admodum utiles in vinea Domini, in Eccleſia, in nobis, aliiſque ædificandis operarios. Cognitionem autem iſtam, ſeu ἐπίγνωσιν *agnitionem* Domini noſtri Jeſu Chriſti, quamvis hic cuipiam latius ſumenda videri poſſit, quam illa ipſa γνῶσις *cognitio*, & *ſcientia*, in ſupra explicata virtutum ſcala collocata; nihil tamen eſt, cur iſtam ab illâ (præſertim ſpecie) diſtinguamus, cum virtutum, quæ vulgo ſororio vinculo inter ſe copulatæ dicuntur, ea ſit natura, ut altera alteram perficiat; & quanto quiſque in aliquibus virtutibus plus proficit, tanto perfectiores reliquarum omnium habitus contrahat. Præcipue vero quando ſcientia, & cognitio actioni virtutis opponitur, hæc adeo ſe invicem perficiunt, ut quanto ſolidior eſt divinarum rerum ſcientia, tanto perfectiores virtutes ex ſe producat, quanto vero excellentiores virtutes exercentur, tanto perfectior, & fructuoſior ſcientia iſta, & cognitio efficacior evadat.

Maluit igitur Apostolus hoc loco unum illum ex supradicta scala gradum, hoc est, γνῶσιν, vel ἐπίγνωσιν, quam aliam aliquam virtutem reliquis opponere; quia tunc jam plerique in studium γνόσεως, seu Gnostici habitus, quam in Christianarum virtutum exercitationem; aut potius omissa earum meditatione, in unam contemplationem Gnosticam diligentius incumbebant. ut infra quoque videbimus.

Quamvis autem ex uno contrariorum posito, alterum quoque sua sponte pateat; tamen quo magis doctrina hæc in animos hominum descenderet, & infigeretur, Apostolus non contentus fructus & utilitatem virtutum in ista Scala comprehensarum; exhibuisse: *vers.* 9. ostendit quam noxia & damnosa sit virtutum illarum omissio & neglectus his verbis. *Cui verò non adsunt ista Cæcus est*, luscioſus (ut alii vertunt) *nihil procul videns. Oblitus se à veteribus peccatis purificatum esse.* Arrigite aures ô contignationum Fabri; aut Oeconomiarum Gnosticarum Atrienses & villici: Vos hæc Censura perstringit; qui uno sublimioris & nimium philosophicæ in rebus divinis Cognitionis eoque cæco studio abrepti & attoniti virtutum curam abjeciſtis: & reliquis omnibus ad eandem insaniam insaniendam præsultores ac Duces fuistis. Nam qui solos mentis oculos otiosa contemplatione pascere voluistis; usum ipsorum istorum luminum vos amisisse & in miserandam cæcitatem delapsos Apostolus docet. Quodque magis dolendum ultro & imprudentes, non sine latissima culpa vos id feciſse idem Apostolus arguit; dum vos μυωπάζοντας conniventes & claudentes oculos cæcitatem hanc contraxisse innuit & ostendit. Non minùs atque illi quondam, quibus post Esaiam Christus exprobrat, quod τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐκάμμυσαν *conniventes oculos clauderent* (*Matth.* XIII. 15.) ne viderent & converterentur & sanarentur à Deo. Cæcitas enim ista mentium est oblivio ac stupor; sese in illud peccatorum cænum: à quo ablutæ fuerant, relabi non sentientium. Causam igitur dicetis Christo Judici illius, culpæ per quam Christianus orbis dum aerias speculationes, & res suprà captum mortalium sublatas rerum divinarum consectatur; in vita moribusque suis ad Ethnicismum relapsus est.

Vers. 10. Apertè à nimio & reliqua negligente ac tantum contemplativo rerum divinarum cognitionis studio, ad obviæ cognitionis praxin: & per supradictam scalam adumbratum vitæ sanctimoniam avocat & abducit Christianos Apostolus. *Vers.* 10. cum ait *Quapropter Fratres, Potius studete firmam facere vocationem, & electionem vestram. Hæc enim* (inquit) *si feceritis nunquam impingetis.* Per virtutes supra descriptas ostendit firmam fieri *vocationem & electionem* nostram Christianam.

Vocatio & electio hoc loco idem significare & unum per alterum explicari videtur. Per vocationem enim ad Christianismum Deus nos è reliquo humano genere elegit & quasi secrevit, ut simus peculiaris ejus populus. Alibi vero interdum electio vocationi opponitur: quando ex hominibus vocatis illi electi dicuntur, qui vocationem suam virtute & sanctimonia vitæ firmam faciunt. Strictius igitur Electorum vox sumitur, cum solis *vocatis* opponitur. Latius vero cum infidelibus & à Deo alienis & tunc Electi & Vocati iidem sunt.

Hinc etiam apparet ex mente & consilio Dei, non sufficere ad salutem nostram vocationis & Electionis ejus *beneficium*: sed requirere à nobis Deum; ut ipsi quoque omni studio & opera nostra firmam faciamus hanc vocationem atque electionem, virtutum ejusmodi consuetudinem acquirendo; quales nobis suprà sunt adumbratæ.

Deinde vocationem & electionem eandem, si cesset opera nostra, non obscurè ab Apostolo parum firmam censeri: atque adeo posse nos in tam excellenti Statu, in quem à Deo vocati & electi sumus cespitare & labi; interdum eo quoque excidere. Cur enim à nobis firmam fieri jubet electionem nostram: si jam absque nostra opera firma est atque immobilis? aut cur nos, non alia conditione ab omni lapsu liberos ac tutos fore asserit; quam si in studium confirmandæ electionis nostræ incumbamus.

Rationem addit *vers.* 11. quia per eas virtutes, quas supra recensuit, Regia nobis via munitur & latissimus aperitur aditus, aut potius ingressus & introitus in æternum regnum Domini nostri Jesu Christi. Viam hanc angustam Christus ipse quondam esse docuit: & est profecto difficilis ac salebrosa. Multum tamen facilitatis ipsi addit proposita hæc ab Apostolo in ea progrediendi methodus & quasi artificium. Non deest autem hic in adverbio πλουσίως catachresis; quâ mira utilitas doctrinæ hujus indicatur; ut quemadmodum media ejusmodi, per quæ divites evadimus, utilissima censentur: ita præcepta quoque ista quæ nobis cælestis sapientiæ thesauros recludunt, atque ad eos consequendos viam aperiunt; utilissima esse sciamus.

Vers. 12. In ostensa hujus doctrinæ utilitate, indicat Apostolus causam & necessitatem, qua impellente eam ipsis tradiderit; ac porrò quoque traditurus sit: Præcepta scilicet pietatis & sanctimoniæ continentem. Qua in re exemplo suo omnes excitat, ut rem tantæ utilitatis ad Ecclesiæ ædificationem & gloriam Dei pertinentem non negligant. Quamvis enim præcepta ejusmodi nota omnibus, & vulgata publicè videantur, non omittenda tamen est eorum Commemoratio & inculcatio; quia mortalium mentibus ejusmodi præceptorum memoriam Satanas excutit: nisi perpetuo in memoriam revocentur. A cujus mali periculo, non modo ii, qui rerum divinarum scientiam primis labiis atrigerunt: sed Confirmatiores quoque & ἐστηριγμένοι, ac penitus imbuti veritatis notitia non sunt exempti.

Vers. 12. Non igitur frustra Apostolus promittit se *non neglecturum eos, ad quos* scribit, *semper de istis commonefacere quamvis scientes & stabilitos in præsenti veritate.*

Vers. 13. & 14. Affert novam causam; cur eos per monita sua subinde expergefacere debeat; quia Christi oraculo admonitus sciat se cito è tabernaculo vitæ hujus emigraturum esse. Justum igitur censuit exiguo isto vitæ, quæ supererat, tempore uti ad ædificationem Ecclesiæ. Non est autem novum Christum populi sui curam perpetuo habentem, sive per spiritum propheticum, sive per visionem, aut specialem revelationem viris, propiori commercio secum devinctis, futurarum rerum notitiam impertiri. Non solo autem sermone prædicabant Apostoli ea, quæ ad religionem necessaria vel utilia erant; sed scriptis quoque. Quæ pars prædicationis, ac doctrinæ Apostolicæ, eò præstantior fuit altera, quia illa nonnisi vita ipsorum durante ædificabat; non longo tempore Ecclesiam: at hæc etiam post obitum eorum, eandem aut stantem confirmat, aut nutantem fulcit, aut collapsam erigit, & omnibus seculis prodest. Vox eorum morte conticuit; at Stylus omnibus locis, omnibus seculis ea proponit ac in memoriam revocat, quæ quondam oretenus docuere.

Nec alio fine aut scopo (*vers.* 15.) sese hanc scribendi operam suscipere Apostolus profitetur; nisi ut post obitum ejus non deesset memoria præceptorum doctrinæ, ab ipsis Apostolis prædicatæ, quæ ab ipsis merito vocata est

est doctrina secundum pietatem. Unde patet non sine summa injuria arceri populum Christianum à legendis Apostolorum monumentis ; quæ illi non tineis & blattis absumenda ; neque solis Doctorum Theologiæ manibus terenda ; sed in usum totius Ecclesiæ Christi convertenda composuere. Certe Petrus non solis Magistris, sed toti populo Christi Catholicam hanc Epistolam scripsit : ut etiam post obitum ejus universis & singulis præscripta ab Apostolis vitæ sanctæ officia cunctis in memoriam revocaret.

Vers. 16. Cum supra *Doctrinæ secundum pietatem* utilitatem, ostendisset Apostolus ; nunc ostendit etiam certitudinem : quam itidem inter causas impellentes Commonefactionum Scriptis suis comprehensarum ponere videtur.

Certitudo autem ac veritas hujus doctrinæ ex eo evincitur ; quod tradita sit ab iis, non qui excogitatas ingeniosè *ab aliis* : & multo artificio elaboratas fabulas secuti : doctrinam religionis Jesu Christi mortalibus tradiderint : Sed qui ipsi oculati testes Majestatis : & excellentiæ ejus, qui hanc religionem terris primum intulit, extiterint. Vocat autem doctrinam religionis Christianæ Jesu Christi *potentiam* & adventum, quia hic primus ejus Autor, tam efficacem atque excellentem doctrinam hominibus attulerit, quæ homines quasi in Angelos transformare ; ac divinæ naturæ primum quidem in fragili isto corpore : deinde multo perfectius in immortali & glorioso participes efficere possit. Quod si quis vocem δυνάμεως (potentiæ) de ipsa Jesu Christi persona & excellentia, aut de modo tradendæ doctrinæ divino ac potentissimo intelligere malit, eodem res recidet : quia satis commendari videtur doctrinæ cujusvis ac religionis præstantia ; quando Autoris ejus excellentia commendatur.

Quamvis autem inter duos adventus Christi, hoc est, inter adventum ejus ut munere prophetico in terris fungeretur : & alterum adventum ut Regio Judicis officio fungatur, hæc poni differentia soleat, quod posterior iste adventus respectu prioris in excellentissima gloria futurus sit. Tamen ne prior quidem ejus adventus suâ gloriâ & excellentia caruit : quam hic Apostolus per vocem μεγαλειότητος Magnitudinis (& si placet δυνάμεως quoque) explicat, hoc est, Magnificæ ac divinæ virtutis & Majestatis.

Natus enim divinissimo modo ; & flamine Spiritus Sancti sine mensurâ inundatus, ac cælesti patrandorum miraculorum potentia instructus, acceptis à Patre tot miraculosis commissi sibi muneris, ac dignitatis suæ testimoniis in supremum Magistrum, ac Regem populi sui inauguratus est : edito quoque futuræ ipsius gloriæ in oculis Apostolorum *in illo monte Sancto* specimine. Quod hoc loco Apostolus unum commemorat, cum ejusmodi voces, cælitùs demissæ, non semel dignitatem, & excellentiam Domini in terris confirmaverint ; quemadmodum post baptismum Johannis *Matth.* III. 17., *Luc.* III. 22. ; Et paulo ante mortem in præsentia Helleniſtarum. *Johan.* XII. 28. Observandum autem hic est, cum Apostolus vellet excellentiam, & magnitudinem Domini, cujus oculatus testis fuit, ostendere ; non eam potentiam, & excellentiam commemorare, quæ ipsi secundum divinam, vulgò sic dictam, naturam : sed quæ secundum humanam competit. dum ait *vers.* 17. *quod acceperit à Patre honorem, & gloriam per vocem cælitùs delatam* &c. quæ dignitas humanæ naturæ competit, cælesti, ac divino testimonio indigentis.

Vers. 19. Certitudo doctrinæ, ac religionis Christi maximè quidem confirmata est miraculis per eum, atque Apostolos factis : præcipuè verò *Maximo* omnium resurrectionis, & glorificationis ejus miraculo. Sed inde quoque fidem, & auctoritatem accipit ; quod prædictæ de Christo prophetiæ, hoc est, illa προκεκηρυγμένα εἰς τὸν Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, *præmunciatæ Christi perpessiones, & quæ eas secutæ sunt gloriæ*, in Christo impletæ sint : ita ut quemadmodum prophetiarum fidem, ac veritatem comprobavit eventus ; ita eventui quoque commendationem, & auctoritatem conciliet præmissa prædictio, ne casu, aut fortuito : sed certo gubernantis omnia Dei consilio, atque proposito evenisse deprehendatur. Meritò igitur Apostolus ait, quòd ipse eventus firmiorem iplis reddiderit *propheticum sermonem.*

Quibus verbis primum fidem, atque auctoritatem Scriptis Veteris Fœderis præcipuè propheticis conciliat ; ut quæ ab ipso eventu jam sint confirmata, & confirmentur. Deinde Lectionis Sacræ Scripturæ studium expressis verbis commendat. dum ait *Recte facitis, quod lectioni prophetici sermonis datis operam, & attenditis* : In quo faciendo, quod illis præirent Apostoli, satis hoc ipso versu expressit. Quo magis mirandum est, qui fiat quod Petri discipuli ab exemplo, & doctrina Magistri sui ; tam longè recedant ; dum libros Sacros è manibus plebis Christianæ tàm sedulò excutiunt. Addit postea & in eodem versu, quamvis obscuriùs, & in subsequenti *vers.* 20. longè clarius monitum, Lectoribus propheticorum Scriptorum admodum necessarium. Cujus moniti observatio omissa multos in Ecclesia Dei falsos Doctores, & prophetas produxit : & in futurum erat productura.

Ait igitur primum *vers.* 19. *Sermonem propheticum* esse similem *lychno, & lucernæ lucenti in obscuro loco.* Cujus usus tantisper est necessarius, & utilis, quamdiu non illucescat dies, qui præmisso plerumque lucifero noctis tenebras sensim dispellit, ac penitùs amovet. Deinde addit *vers.* 20. Nullam prophetiam esse ita intelligendam, aut explicandam uti verba sonant : quia omnis sit figuratæ, & impropriæ significationis. Quod probat *vers.* 21. Quia prophetæ violento quodam, ac cælitùs immisso instinctu afflati, & impulsi, interdum ne sibi quidem ipsis satis intellecta oracula fundebant : Ideoque non tanquam in rebus sibi exploratissimis, apertis, propriis, & perspicuis verbis utebantur : sed tanquam in rebus suprà humanum captum sublatis sublimibus, & emphaticis potius, & efficacibus, quam vulgaribus, & apertis verbis sensum oraculi exprimabant.

Ex quo intelligitur, omnem prophetiam difficultatibus suis non carere, atque in hoc lubrico proclivem esse lapsui locum. Quo plus curæ ; & vigilantiæ in studio legendi istiusmodi prophetica scripta adhibendum est : non sine implorata divina Spiritus Sancti ope ; ut idem ille Spiritus, qui linguam, aut calamum prophetarum in effundendis oraculis gubernavit, in iisdem intelligendis & explicandis mentem nostram dirigere velit. Neglectum hujus remedii in causa fuisse, in sequenti capite ostendit ; quod olim in populo Dei pseudoprophetæ & errorum magistri non defuerint : Atque eundem quoque in causa fore ; quòd ne inter Christianos quidem, defuturi sint.

Hauritur ex istis Apostoli verbis non spernenda doctrina ; Lectionem quidem prophetiarum Veteris fœderis, Christianis utilem esse ; quandoquidem etiam Judæis durante lege non erat inutilis, tametsi tunc esset longe pluribus salebris, & difficultatibus obsita. Nunc autem plerisque omnibus difficultatibus ipso eventu sublatis, non modo notitiam istarum prophetiarum, ut Apostolus ait, firmiorem ; sed planiorem

quoque, & ab errorum periculo magis tutam Christiani habemus. Quia non ad lucernas, & faces in obscura nocte accensas vadimus: sed exorto lucifero clarior, & meridiana Lux nobis affulsit. Sed tamen lectionem Scriptorum Novi fœderis nobis longè esse utiliorem, & magis necessariam. Primum, quia in ipsa non æque præsens est lapsus periculum. Eventus enim ipse rerum omnes figurarum obscuritates nobis planas fecit; & adventu Christi, qui est lux mundi, non modo luciferi crepusculum: sed liquidissimum meridiei jubar toti orbi illuxit: ita ut cognitio illarum prophetiarum ante eventum lucernæ in obscuro loco positæ, ideoque parce, & malignè lucenti: Notitiâ verò impleti eventus Soli, plenissimâ luce omnia collustranti, merito comparetur. Deinde quia prophetiæ Novi fœderis, & pauciores sunt, nec ita nobis ad felicitatem præsentem cognitu necessariæ, atque illæ Judæis fuerunt, quæ venturum Christum prædixerunt; & omnes fere, non modo in propheticis; sed in didacticis quoque scriptis, planis, propriis, & non typorum, aut figurarum ænigmate involutis, verbis prædictæ sunt. Nimirum præter excitium mundi, & extremi judicii diem, hæc duo præcipua. E. g. I. Infelix Ecclesiæ status, ad quem pertinet Apostasia 2. *Thessal.* II. & alibi toties venturæ hæreses prædictæ; atque adeo ipse adventus Christi. II. Felicior Ecclesiæ status, adhuc in terris militante Ecclesia, prædictus, quem vetusti patres aut male intellexerunt, aut male intellexisse in doctrina de millenario putantur. ad quem pertinet Regni AntiChristi abolitio, & Judæorum conversio. Earum prophetiarum quoque dimidia pars ipso eventu, & tot seculorum experimentis ita impleta est: ut reliquæ dimidiæ parti certo certius implendæ non dubiam fidem faciat.

CAPUT II.

EXposito fonte, ex quo plerumque errorum, & hæreseôn scaturigo promanat; docet Apostolus, quemadmodum olim in populo Judaico prava legis, & Sacræ Scripturæ, præsertim autem propheticorum librorum, interpretatio multos pseudoprophetas produxit: ita nunc quoque in populo Christiano difficiliores intellectu Sacræ Scripturæ locos occasionem daturos ψευδοδιδασκάλοις *falsis magistris*, ut introducant sectas perditionis, & noxias hæreses. quod infra quoque *Cap.* III. sub finem epistolæ, se vivente fieri cæptum asserit, idque ex obscurioribus quibusdam Pauli verbis ansâ arrepta, quæ *homines perversi, & improbi torquebant, ut reliquas Scripturas ad propriam, & aliorum perditionem.* Pseudoprophetæ plerumque erant sectarum in populo Dei patriarchæ. Sectarum autem in veteri populo classes septem Hegesippus apud Eusebium recenset, Esseos, Galilæos, Hemerobaptistas, Masbotios, Samaritas, Pharisæos, Saducæos, è quibus sectis multi ad Christianæ religionis cognitionem veniebant: sed plerique errores, ex iisdem sectis haustos, secum ad Christianismum deferebant. Qualis fuit ipso Petri ævo Simon, una cum discipulo Menandro; uterque Magus, & Samarites: qualis paulo post Thebulis, qui virginitatem Ecclesiæ Hierosolymitanæ post mortem Simonis Cleophæ, variis doctrinis corrumpere cæpit. Vide *Eusеb. lib.* IV. *cap.* XXI. His accessit postea Stoicorum, & Platonicorum philosophorum, quos recte, nescio quis, hæreticorum dixit Patriarchas, progenies, quæ aërias Gnosticæ sectæ Speculationes, & ὑπεροχὴν κενοδοξίας *prætumida vanitatis*, & latè strepentia tympana in Ecclesiam invexit.

Prædictiones Christi, & Apostolorum de horum pseudoprophetarum adventu, in cogitationibus nostris ad 2. *Thessal.* II. magna copia accumulavimus; quas hic quoque congeri supersluum putamus. Sed præter memoratum 2. *Thessal.* C. II. locum, vix alius est Sacræ Scripturæ locus, in quo ventura post Apostolorum obitum apostasia expressius, & copiosius describatur: præcipuè verò ejusmodi coloribus, qui manifestè ostendunt illam, non modo citò post Apostolorum tempora venturam fuisse; sed ipsis jam viventibus Apostolis cæpisse. ut infra quoque ostendemus.

Nunc videamus quomodo isti Novi fœderis pseudoprophetæ describantur. Vocat eos primum Petrus *falsos Magistros*, Pseudodidascalos; quia falsa erant introducturi, imo jam quoque introducerent dogmata. Quæ dogmata vocat *hæreses perditionis*, hoc est, opiniones, quæ homines, à pietatis studio abductos, in perniciem præcipitarent. Nullam enim brevius est ad interitum compendium, quam doctrinæ, quæ pietatis studium ex animis exstirpant. quales sunt eæ, quæ à virtutum, & debiti præceptis Christi obsequii officio mentes hominum ad Gnosticas speculationes abducant, quæ aut ineluctabili necessitate cuncta evenire docent, aut receptos semel in gratiam Dei homines, ab ea excidere non posse asserunt; aut alia adversus pœnas peccatorum remedia præter seriam, & veram ab iis in posterum abstinentiam excogitant; aut resurrectionem Christi, vel nostram in dubium vocant; aut alicujus vitii, puta idololatriæ, aut in opprimendis conscientiis injustitiæ, hominibus veniam permittunt; aut mundi illecebras commendant, & in hujus ævi successibus fidelium, & Ecclesiæ Christi felicitatem, imo veritatem, & auctoritatem collocant; & alia id genus innumera mentibus mortalium instillant, quibus pietatis, & sanctimoniæ studium in nobis exstingui queat.

Objicit postea iisdem falsis Doctoribus Apostolus crimen; quòd ingratissimi mortalium eum, qui ipsos proprio sanguine redemit, Dominum abnegent. Quæ verba non possunt ullo modo, ita uti sonant, intelligi. Nec enim de iis loquitur, qui à Christiana religione planè defecturi, & Dei, aut Christi obsequium prorsus abjecturi: sed qui errores exitiales in Ecclesiam essent introducturi.

Porro Christianorum errantium, atque alios in errores inducentium, nulli tàm impudentes fuerunt, ut Dominum simpliciter abnegare auderent. Desiissent enim esse Christiani. Sed abnegatio hæc dupliciter intelligi potest; aut quoad doctrinam, aut quoad vitam. Multi enim sunt, qui quoad doctrinam Christum nullo modo abnegare dici possunt; præcipuè qui sanam de ipso doctrinam sequuntur, qui tamen, nisi præceptis ejus pareant, vita, & moribus ipsum abnegant. Quod vitium his ipsis pseudoprophetis Novi Fœderis secundum carnem viventibus infra objicitur. Sed & quoad doctrinam Dominum Christum quodammodo abnegare dici possunt, quos pudet filii hominis; illi qui istum Jesum, qui in carne venit, hoc est, Jesum hominem, vel filium hominis negant esse filium Dei 1. *Joh.* V. ac proinde Christum. (Nam Filius Dei καθ' ἐξοχὴν sic dictus, hoc est, unicus, unigenitus, & Christus reciprocantur) Porrò non deerant tempore Apostolorum, qui non quodammodo; sed simpliciter negabant Jesum esse filium Dei, ac sine ulla fronte sibimetipsis usurpabant decus hoc Jesu Christo ereptum: qualis fuit Simon, & Menander. Sed hi, quamvis fortè aliquomodo Christianis sacris initiati fuerint, non ad hæresin, Christiano nomine tectam; sed ad Magicam, & gentilem impietatem desciviſſe videntur.

Erant

Erant tamen alii verecundius errantes, qui quamvis sibi plane tribuere non auderent, quod Jesu filio hominis eripiebant, hominem tamen illum Jesum, per se consideratum, aspernabantur, neque eum filium Dei, ac verum Christum, & populi sui Regem divino cultu colendum esse potuisse credebant, nisi ante conceptionem ex Spiritu Sancto, & quidem multo ante natus fuisset; & ex voluntate Dei mundum condidisset.

Dicit postea eodem versu, eos sibi *accersituros celerem perniciem.* Quod non ita intelligendum est, quasi aut modico tempore duraturi, aut peccaturi esse prædicerentur. Potest enim quispiam propter gravitatem peccati sui mereri, ne Deus ea, quâ erga cæteros peccatores uti solet, longanimitate erga eum utatur; sed eum citò puniat, atque à misericordia sua repellat; Nec tamen ipsum statim è medio tollat, aut in æternum interimat: sed permittat eum *thesaurizare sibi iram in diem iræ*, quo gravius tandem pro commissis sceleribus plectatur. Quale exemplum mox in supplicio Dæmonum proponitur. Quod genus animadversionis tantò horribilius est; quanto est miserius ipsa mora mortis torqueri, & animam per stillicidia emittere; quam subitò, & uno quasi ictu necari.

Causa vero cur in puniendis ejusmodi hominibus Deus à solita misericordia discedat est, quia nocentius quam alii peccant; quippe, ut infrà dicetur, infinitam hominum multitudinem, ac totas Ecclesias in exitium præcipitantes.

Tale autem supplicii genus istiusmodi peccatoribus assignatum esse, quod exiguo momento non transeat; sed longa pœnæ continuatione metuendum sit, verba quoque versus tertii, ut paulo post videbimus, indicare videntur. Interdum etenim homines pro gravitate delictorum cito quidem à Deo puniuntur; sed non statim intereunt, quia tardum supplicii sui *finem*, *atque* exitum habent. Citam tamen ac celerem perniciem subire dici possunt, quando justo Dei judicio in ejusmodi laqueos citò incidunt, qui eos ad dilatam quidem, sed certissimam perniciem ineluctabili malo implicitos trahunt. Citò sibi mortis malum accersivisse dici possunt, qui citò in lethalem, & immedicabilem morbum incidunt; quamvis is non brevi cruciatu, aut compendio ad mortem perducat; & qui inevitabiles perniciei suæ causas sibi comparant, perniciem ipsam jam comparasse meritò dicuntur.

Vers. 2. Crimen pseudoprophetarum, quo iram Dei provocant, describit: quod *multi eorum exitia secuturi sint.* Utitur autem in descriptione pernicioſæ, ac pestilentis eorum doctrinæ numero plurali; aut quia non uno, sed multiplici itinere ad exitium suum ruere debeant; aut quia non unum, sed multiplex exitium eos maneat. Per istam *sequacium eorum multitudinem* non speciales aliquas, aut paucitate sua spernendas hæreses designat: sed gregem mortalium numerosa nimis, ac prope infinita multitudine Ecclesiam inundantes; & quos à formidine judiciorum Dei quasi

Defendat numerus, junctæque ambone phalanges.

Cum enim quod multis peccatur inultum esse soleat; parum verisimile videtur, Deum tot Ecclesias, tantamque hominum multitudinem, longe paucioribus exceptis, punire velle. Proinde ne hujus multitudinis prætextu, aut fiduciâ homines in cavendis pestiferis erroribus, aut læsæ divinæ Majestatis criminibus, sint securiores: multo conatu Apostolus probat, eos multitudine suâ à pœnis judiciorum Dei exemptum non iri, quemadmodum innumerabiles Angelorum Satanæ legiones, quemadmodum universum diluvii tempore humanum genus, quemadmodum integra vicinæ Sodomorum regna fontium multitudine debitas iræ Dei pœnas non evaluere. Qui conatus probandi superfluus planè videretur, si Apostolus nihil plus hoc loco probare vellet, quàm hominum qualiumcunque peccata impunita non fore. Quis enim hoc ignorat? Verum tacitis objectionibus, aut cogitationibus hominum occurrere voluit Apostolus, postquam multitudinis eorum, qui falsos Magistros secuturi erant, mentionem fecisset: ne quisquam titulo Ecclesiæ; aut multitudinis patrocinio pœnas judiciorum Dei effugere se posse speraret. Non defuisse igitur in propositis exemplis omnibus eorum, qui à Deo puniebantur, sed nec sontibus profuisse multitudinem suam ostendit. Quæ in posterioribus duobus exemplis paucitate eorum, qui pœnis exempti sunt, intenditur.

Addit eodem versu, *quod per eos, aut propter eos via veritatis blasphemabitur.* Pronomen *eos* utrum ad ipsos pseudoprophetas, an sequaces eorum, aut potius ad utrosque referatur, non multum interest. Magis refert quærere particula δι᾽ ὃν utrum *per*, an *propter* significet. Qui vertunt *per* δι᾽ ὃν, qui *propter* δι᾽ ὃ legere videntur. Neutrum displicet, & utrique simul locus est. Nam & errorum patroni, in defensores veritatis ipsamque veritatem maledicentissimo ore convitiorum bilem evomunt; ut per eos veritas blasphemari vere dicatur; & propter fædos errores in Ecclesiam invectos eorumque patronos Religio Christiana, quæ est via veritatis, apud externos malè audit, & opprobriis differtur. Et profectò vel ex eo ipso patet Generalem quandam doctrinæ Ecclesiasticæ corruptionem hoc loco prædici, non autem paucorum apostasiam; quia propter paucos via Christianæ veritatis infamari, aut speciosis probris affici non poterat.

Vers. 3. Genuino colore pseudoprophetas depingit, quemadmodum & Paulus 1. *Tim.* VI. 4. *& seq.* Quorum character est φιλαργυρία *avaritia*, & radix omnium malorum φιλαργυρία *amor pecuniæ.* Quia enim Deus eorum venter futurus erat, ideo ab ista prava animi cupiditate formatis, & effectis sermonibus negotiari, & nundinari animas hominum debebant; ut qui *pietatis*, ac religionis doctrinam existimaturi essent non alium in finem dirigendam, quam ut turpem quæstum sibi comparent. Hinc in Apocalypsi *Mercatores terræ* dici videntur.

Additur eodem versu culpæ eorum pœna his verbis, *Quorum judicium aut condemnatio jam olim non otiatur, & exitium non dormitat.* Indicat pœnam, & damnationem ab iis commeritam, non uno antiquissimo exemplo similibus aliorum peccatis, quos mox enumerat, infligitam; ita ut severitas Dei in occasionibus ejusmodi peccatorum, aut peccantium non otiosa sit olim: sed multa eaque illustria sui specimina ediderit. Proinde & ipsorum delictis nullam sperandam esse conniventiam, cum vigil *Oculus justitiæ* Dei (ὀφθαλμὸς δικαιοσύνης) ad ejusmodi scelera non conniveat neque dormitet. Quia verò inter exempla cito, & graviter inflictæ pœnæ dæmonum damnationem collocat, qui licet statim post commissum peccatum exilio, & cæcitate puniti, nondum tamen è medio sublati, imo porro peccare permissi sunt; ideo nihil necesse est ut celerem istam damnationem, ac punitionem pseudoprophetarum novi fœderis ita explicemus, quasi ipsis cito è medio sublatis regnum, atque impostura eorum cito quoque tollenda, neque diu duratura sit. Ut propter superbiam dæmones puniti, ita propter avaritiam impostores isti, & Nundinatores animarum cito puniendi erant, vel ipsa illa mentis cæcitate, in qua occæcando alios, ipsi indies magis magisque proficere debebant, & quod ad singulos attinet, etiam

cito puniri : quamvis notabilis, & consummata universorum punitio, & invectorum ab iis in Ecclesiam damnorum abolitio aut reparatio in longum differenda esset.

Vers. 4. Ad probandum Deum multitudine peccantium nequaquam absterritum esse, quominùs ipsis debita irrogaret supplicia, tria ex antiquissimè divinæ Jurisdictionis severissimè exercitæ exemplis producit.

Primum Dæmonum, aut Angelorum peccantium. Quorum tametsi innumerabilis esset multitudo, tamen iis non pepercit Deus; sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit in judicium servandos. Tartarus hic pro loco immensæ profunditatis sumitur, quem quidem vulgus hominum antiquitùs in imis terræ latebris, ac penetralibus esse imaginatum est. Cæterum quia Angelorum istorum locum, atque domicilium Sacra Scriptura in aëre collocat, nihil obstat, quominus hoc loco immensam illam aëris spatio altitudinem, & quasi abyssum significet, qui inter cælum, & terram, imo inter ipsas quoque fixarum stellarum, & Saturni sphæras ab Astronomis esse perhibetur. Cujus vastissimæ extensionis, ac distantiæ respectu duo integra terræ, & aquæ elementa puncti, cujus pars nulla est, rationem habent: ita ut ista infelicium spirituum, pulsa meliore sede, multitudo isthic non angustè habitet. Nec obstat quod in mentione tartari hujus tenebrarum, & caliginis mentio facta sit; unde quis de terrena potius, ac tenebrosa abysso sermonem esse colligere queat: quia catenæ caliginis, Angelis istis injectæ, non de tenebris corporeæ, sed de tenebris spirituali luci oppositis loquuntur, quæ ne meridianâ quidem luce Solis pelluntur. Quænam autem istæ sint Catenæ caliginis, quibus constrictus Satanas in arcta custodia detinetur, cogitantibus vix aliud occurrit, quàm mentis cæcitas libidine, & amore peccandi semel illaqueata, & longissimo tot annorum habitu, jam in ipsam peccandi, aliosque ad peccatum pertrahendi naturam conversa: quæ captos, atque irretitos in spontaneæ jam, & voluntaria miseria omni carcere fidelius, & arctius ad supplicium servat, & custodit. Nullum peccatum voluntatis est absque errore intellectus, atque judicii; cujus frequentibus actionibus iterata consuetudo, quanto majus pravitatis in voluntate, tantò majus cæcitatis in mente incrementum sumit: atque ut cæcitas pravitatem, ita pravitas cæcitatem, mutuamque invicem caliginem, ac tenebras in immensum auget: donec inexplicabilibus vinculis, & adamantinis compedibus peccatrix anima constringatur.

Vers. 5. Alterum exemplum Severitatis Dei producit; quo usus est in prisco Mundo per Diluvium puniendo. Cujus multitudini, & in ea tot pueris, atque infantibus, propter parentum culpam eodem cum ipsis exitio obrutis, Deus non pepercit: adeò ut, octo tantum animabus ex familia Noë exceptis; universum humanum genus excidio interiret. Vocat autem Noeum justitiæ præconem, quia is per 120. annos arcam ædificando pœnitentiam, & ad saniorem mentem, vitamque meliorem reditum hominibus prædicabat. Quo in exemplo tamen longanimitatis Dei non deest vestigium; ut non tàm ad celeritatem, quàm ad gravitatem punitionis, quæ in promiscuo tantæ multitudinis interitu cernitur, servire videatur.

Vers. 6. Tertium ejusdem severitatis exemplum proponit in civitatibus Sodomorum, horribili excidio in cineres redactis; ne parvulorum quidem, & infantium itidem ob culpam parentum ratione habita; Memorando ad posteritatem supplicio.

Auget pœnæ magnitudinem trium tantum ex tanto mortalium numero animarum conservatio. *Vers.* 7. *Justum* inquit *Lot* impiorum, ac *nefariorum hominum in lasciva conservatione fatigatum* ait: Fatigationem hanc *vers.* 8. exprimit, quod partim conspectu, partim auditu, cum inter perditos illos unus justus habitaret, quotidie justam, hoc est, puram, & castam animam nefandis illorum sceleribus, & flagitiis excruciaret.

Vers. 8. Ex productis Loti, atque Noë exemplis eruit, & concludit *vers.* 8. bonitatis, ac providentiæ Dei doctrinam. *Novit*, inquit, *Deus & pios ex tentatione*, hoc est, ex periculo etiam præsentissimo: [ubi notanda est vocis hujus pro periculo usurpatæ non infrequens significatio.] *eripere*; *Injustos, autem atque impios, in diem judicii pœnas dantes, servare.* Ubi ceteris istius perditionis, quam sibi pseudoprophetæ Christianorum accersunt, natura disertissimè exprimitur: quod quamvis in commeritam perniciem citò incidant, pernicies tamen ista in diem judicii ita differatur, ut pœnas interim, ad quas celeri, sed justo decreto damnati sunt, dare non desinant, donec in die judicii supplicium eorum consummetur. Ubi iterum notandum est, posterius istud membrum de impiorum ad diem judicii reservatione non tàm ad secundum, & tertium exemplum, quàm ad primum, in quo ejusdem vocis mentio facta est: sed præcipuè ad futuram istam, quàm prædicit, Christianæ doctrinæ corruptorum pœnam respicere; ut patet vel ex ipsa versus noni cum decimo connexione. Nam in secundo, & tertio exemplo ita prisci Mundi: & Sodomitarum multitudo punita est, ut repente, & quasi uno ictu peccatores illi diluvio, hi autem sulphureo incendio deleti, & è medio plane sublati sint. At in primo exemplo dæmones non statim ultimo supplicio puniti; sed quasi in carcere ad ulterius supplicium servati sunt, sicut & in quarto, ad quod probandum tria priora adducta sunt, isti Christianæ doctrinæ corruptores non subitò abolendi, sed in diem judicii *pœnas dantes*, (κολαζόμενοι) custodiendi, & servandi dicuntur. Statim enim *vers.* 10. ad eos, de quibus loqui cæpit, & quos jam suo seculo exoriri cæpisse, tanquam jam præsentes, non obscurè arguit; applicat judicium istud Dei de reservatis tanquam in carcere ad supplicium noxiis.

Atque ex isto quidem decimo versu, & *qui* ab eo dependent, subsequentibus omnibus liquidò patet; prædictionem Petri de falsis magistris versu primo factam, jam illo vivente impleri cæpisse, subintrantibus in Ecclesiam ejusmodi hominibus, quos isto capite suis coloribus graphicè depingit. Quos tamen *vers.* 1. futuro tempore introducturos doctrinas exitiales asserit: quia viventibus Apostolis nondum tantum auctoritatis habuere, ut eas introducere possent, aut ut multi sequerentur eorum exitia: quod tamen utrumque mox post Apostolorum excessum factum est. Ut profecto doctrina Petri in hoc capite cum Pauli doctrina 2. *Thessal.* 11. eadem, ac plane gemina videatur.

Antequam ad expendenda illorum hominum, qui Ecclesiam subintroductis exitialibus doctrinis corrupturi erant, lineamenta, ab Apostolo Petro depicta, accedamus: observandum est in allatis ab eo tribus exemplis triplex peccatorum genus, quod Deum ad irroganda atrocia suppliciorum exempla provocat.

Primum genus est, quod in punitis Angelis deprehenditur, quod non sine gravi causa *superbia* esse putatur. Vitium maximè omnium Spirituale, & quod pene solum (si injustitiam adjungas) in natura adeo excellenti, & nobili locum habere potuit; cum status Angelorum à belluina carnis, aut humana

oculorum

oculorum cupiditate, & vel minima avaritiæ neceſſitate, aut illecebrâ remotior videatur.

Secundum genus eſt, quod in obruto per diluvium orbe punitum eſt, injuſtitia. Tertium, quod in Sodomis igne, ac ſulphure luſtratum eſt, Libidinum, & laſciviæ exceſſus. Quæ omnia in iſtis coloribus, quibus Apoſtolus corruptores Eccleſiæ ſuo tempore depravari incipientes depingit, ſatis apertè reperiri videmus: ut non mirum ſit hodie ſub adultis, & florentibus Antichriſtis tot corruptelarum exempla notari, cum in prodromis eorum jam tunc Apoſtolico ævo pleraque apparuerint. Hinc apparet quam juſta Deo non defuerint, neque deſint cauſæ, in tàm nefarios homines triſtibus exemplis animadvertendi.

Ac decimo quidem verſu omnia fere tria delictorum genera in ipſis deprehendi Apoſtolus oſtendit. Primum libidinem, quam ita deſcribit, ut dicat eos *poſt carnem in cupiditate pollutionis ambulantes*. Quo loquendi modo in deſcribendis Sodomitis Judas quoque *verſ.* 7. utitur, niſi quod non ſimpliciter *poſt carnem*; ſed *poſt alienam carnem eos abiiſſe* dicat. *Poſt carnem in cupiditate pollutionis ambulare*, eſt carni, & cupiditati ejus obſequi, in obſcœnis pollutionibus: *poſt alienam* verò *carnem*, eſt belluino alienæ carnis appetitu, ac deſiderio exardeſcere. Addit deinde ſuperbiam ſimul, & injuſtitiam. Superbiam, dum ipſis objicit, quod *Dominatum contemnant*, quod *ſint audaces*, & *ſibi obſtinatè placentes* αὐθάδεις. Quæ verba ipſum ſuperbiæ habitum; nondum in actus injuſtitiæ erumpentem ſignificant. Sed ipſam *injuſtitiam* exprimit Apoſtolus, dum ipſos accuſat, quod non *horreant δόξας dignitates blaſphemare*. eamque injuſtitiam exaggerat verſu ſequenti 11, producto bonorum Angelorum exemplo; qui cum ſint viribus, ac potentia ſuperiores, non tamen adverſus iſtas dignitates ferant coràm Domino blaſphemum judicium, hoc eſt, ipſis in conſpectu Domini (aut ob reverentiam Domini) maledicere non audeant. Quod genus dignitatum per vocem δόξας deſignet Apoſtolus, non ſine cauſa quæritur. Nam Angelorum exemplum allatum Satanæ Angelos reſpicere videtur, ut Judas explicat, qui in hac doctrina Petri veſtigia ſatis exactè premit, ut mentis quoque ejus nemo melior interpres videri queat. Eaſdem porro δόξας Angelos blaſphemare noluiſſe, quas iſti homunculi blaſphemare audebant, contextus, & *verſ.* 10. cum 11. connexio indicat. Unde non aliud elicitur, quam ut, iſtos carnales ſpendoprophetas, aut eorum prodromos, Satanam, ejuſque Angelos blaſphemaſſe, hoc eſt, maledixiſſe ſtatuamus.

Quam explicationem confirmat *verſus* 12, ubi dicitur *eos blaſphemia uti in iis, quæ ignorant*. & multo magis *Judæ verſ.* 9, & 10. Nec enim Magiſtratus terreni poteſtas, & dignitas, aut excellentia ipſis ignota dici potuit; quæ etiam ſimpliciſſimis mortalium nota eſſe & debet, & poteſt.

Porro ſi cui probabile non videatur, vitio iſto maledicendi Satanæ aliquos ita laboraſſe, ut ab Apoſtolo eo nomine accuſari meruerint; is conſideret, profeſſionem Chriſtianiſmi militiam eſſe adverſus Satanam. *Eph.* VI. 12. In omni verò militia evenire, ut ignaviſſimus quiſque verbis ſuper menſa maledicis, quam armis in periculo hoſtem debellare malit. Præterea iſta hoc loco depicta voluptatum mancipia, quæ reipſa pugnare contra Satanam detrectabant, quanam alia larva, & oſtentationis ſpecie ſuam adverſus eum inertem militiam obtegere poterant; niſi ſuperbis, & maledicis adverſus eum verbis. Denique Coævi Apoſtolorum fuere Simon, & Menander, à quibus omne poſtea Gnoſticæ ſectæ genus profluxit. Hi cum palàm eſſent Magi, quorum incantationibus, ex condicto Satanas nimium ſerviliter, ac trepidè morigerum ſeſe præbere ſolet; atque iidem portentoſis de ſe mendaciis in ipſius Dei, & Chriſti Majeſtatem invadere auderent Deos ſeſe ferentes: nihil profectò repugnat, eos ad oſtentandam divinitatem, ac potentiam ſuam ſibi, ac diſcipulis ſuis adverſus iſtos Spiritus ſuperba, & contumelioſa verba permiſiſſe: quæ alii quoque Gnoſtici, quamvis non eſſent Magi, ſint imitati.

Nam quod aliqui vocem δόξας Angelis Satanæ tribui negent: non video in quo vox iſta vocibus *principatuum*, & *poteſtatum* ἀρχῶν, καὶ ἐξουσιῶν, καὶ κυριοτήτων præſtet, aut præcellat: Quod ſi cui tamen hoc loco maledicentiam adverſus Magiſtratus intelligendam eſſe magis placeat: quia idem Apoſtolus non uno loco primæ epiſtolæ Magiſtratuum cauſam egit; Angelorum tamen exemplum ad modeſtiam erga Satanam nobis à Juda explicatam referendum eſt. Et ſecundum hanc explicationem vis argumenti Apoſtolici, qua injuſtitiam maledicorum erga Magiſtratum exaggerat, eſſet; Si Angeli viribus, & potentia majores, quàm Satanas, exiſtentes, non tamen Satanæ maledicere ſuſtinent; quam injuſtum eſt homines poteſtatibus terrenis maledicere, quæ non modo viribus, ſed jure quoque imperii iis, qui in ſubjectione ſunt, præcellunt. Malim enim in *verſ.* 11. vocem μείζονες ad Satanam, quam ad homines iſtos maledicos referre: quia ſic vis argumenti firmior evadit. & Principes Angelos, qualis eſt Michaël (hunc enim hoc loco reſpici Judas oſtendit) viribus, & potentiâ Satanæ multum præſtare dubium eſſe nequit: vel ob id ipſum, quod Dei miniſter ſit, & incomparabili intervallo potentiores partes tueatur.

Verum etſi hæc explicatio tam apud Petrum, quàm apud Judam tenenda eſſet, illa tamen verba, ubi, *in iis quæ ignorant*, aut *ea, quæ ignorant blaſphemare* dicuntur; non ad Magiſtratum, cujus dignitas, & poteſtas nemini ignota eſſe poteſt: ſed ad dogmata, quæ in rebus, ſupra captum mortalium ſublatis, Gnoſticè commenti ſunt, referenda erunt. & verbum *blaſphemandi* non tàm maledicentiam, quam impium de rebus divinis ſenſum, aut ſermonem ſignificabit. qui etiam abſque animo convicciandi obrepit, quando homines in rebus obſcuriſſimis hallucinando Dei, aut Chriſti naturæ divinæ abſurdum aliquid, aut inconveniens, & parum decorum non ſatis piè tribuunt. Quod in illis primis γνώσεως, ſeu Gnoſticæ doctrinæ oſtentatoribus, qui Apoſtolorum ævo vixere non erat infrequens. Senſus igitur *verſus* 12. erit, quod illi futuri corruptores doctrinæ Chriſtianæ, jam tum Apoſtolicis temporibus exiſtentes, ſimiles eſſent pecudibus, quæ non ratione, ſed belluinæ naturæ impulſu reguntur. Vox enim ζῶα φυσικὰ, opponitur Rationali naturæ quæ eſt ſuprà inferiorem φύσιν. Animalia vero rationis expertia, quia cæco, & uniformi impulſu reguntur non ſunt idonea, ad vitandos & vario rationis flexu, ac declinatione evadendos poſitarum inſidiarum laqueos; ideoque in prædam, & captionem nata videntur.

Ita iſti quoque, cum in rebus notis, & quæ ipſis ſenſibus, nobis cum belluis communibus, obviæ ſint, ratione non utantur: ſed belluino appetitu in voluptatum vitia, & corruptelas ruant, audent miſeri res ignotas, & obſcuras nec ſine zelo amaro, & blaſphemia rimari. Qua in re cum eos ſine ratione, cui nuncium remiſerunt; imò contra rationem impingere neceſſe ſit: planum eſt, eos ſeſe ultrò prædæ Satanæ objicere, & laqueis induere, atque ita cæcis, & in prædam, & laqueum venantium natis beſtiis ſimiles eſſe. Tales autem ſuo ſibi

jumento

jumento malum accerſunt, ſuaque corruptela corrumpuntur, atque intereunt, quia voluptatibus corrupta mente, & ſede ſua expulſa ratione uti nequeunt in iis, quæ maxime ſanæ ac ſobriæ rationis uſum requirunt.

Verſ. 13. Deſcribit poſtea iſtos homines Apoſtolus, primum à ſcopo, & intentione eorum, deinde ab interno animi habitu, denique ab effectis. Scopum & intentionem eorum depingit, quòd felicitatem ſuam collocarent in quotidianis voluptatum deliciis (in voce enim ἡμέραν *diei* tacitè ἡδονὴν *uniuſcujuſque* ſubauditur) quam eorum felicitatem vocat *mercedem injuſtitiæ* (ut alibi Spiritus Sanctus vocat momentaneum peccati fructum) eamque reportaturos eos aſſerit Apoſtolus; quia Deus plerumque permittit homines frui peccatorum ſuorum fructu, quò graviores eorum pœnas luant. Quotidianas autem iſtas voluptatum delicias deſcribit, quòd convivando cum aliis Chriſtianis oblectarent ſeſe ſuis impoſturis, ac ſeductionibus, hoc eſt, inter poculorum, & menſarum lætitiam ſua convivis ipſis errorum venena inſtillarent, quò blandius, & cum voluptate, remiſſis hilaritate mentibus, inſinuarentur; atque ex eo ipſi maximam caperent delectationem, quod ſua commenta ab incautis convivis pro oraculis accipi animadverterent. Quam ad rem maximam ipſis præbebant opportunitatem frequentes tunc inter Chriſtianos Agapæ & cœnæ pluribus convivis refertæ.

Habitum autem animi eorum depingit, quod eſſent labe, & maculis peccatorum inquinatiſſimi. Unde ipſos ſatis emphatica metonymia *Labes*, & *maculæ* vocat.

Duo vero præcipuè peccatorum genera notat, quibus eſſent maculati *verſ.* 14. libidinem, & avaritiam. Libidinem exprimit, *oculos*, inquit, *habentes plenos adulterii, & qui à peccando ceſſare neſciant.* Avaritia verò, quod *cor in avaritia exercitatum haberent.* & *verſ.* 15., 16. quod relicta rectâ Chriſtianiſmi via in viam Balaami deflexerint, qui quandam adeò *mercedem injuſtitiæ* adamavit; ut à muto jumento, in humanam vocem erumpente, ſtultitia tanti prophetæ reprehendi meruerit. Cum enim ex officio muneris, & affectus ſui erga Deum populo Dei prodeſſe debuerit, pretio regis Balacci corruptus eſt, ut ei noceret. Quod pretium hoc loco *merces injuſtitiæ* vocatur, non minus atque illud, quod ſupra pſeudoprophetas reportaturos dixit; qui non ſolas voluptates, ſed emolumenta quoque ſua venabantur in eo, quod populum Dei corrumperent.

Addit ſupradictis eorum vitiis, quæ ad habitum animi eorum pertinent, duo *verſ.* 17. Hypocriſin, & Levitatem. Hypocriſin, quod externo morum, & actionum habitu præ ſe ferrent, ſe eſſe inexhauſtos myſteriorum cognitionis Dei fontes, ex quibus ſalutaris aqua hauriendæ eſſet; cum tamen ne gutta quidem hujus aquæ in ipſis reperiri poſſet. Levitatem autem, quod, tanquam nubes à turbine agitatæ, quovis doctrinæ erroneæ vento circumferrentur. Denique habitum animi eorum in genere deſcribit, quod eſſent homines execrandi, ac deteſtabiles (*verſ.* 14. *filios execrationis* vocat) ac digni, quibus *æterna tenebrarum caligo ſervetur verſ.* 17., hoc eſt, digni æterna morte.

Poſtremò homines iſtos ab effectis deſcribit, Eccleſiæ, ac populo Dei admodum noxiis; quòd *inescarent animas inſtabiles verſ.* 14. ubi notandum, effectum hunc proximè adjunctum eſſe deſcriptioni horum impoſtorum, qua eorum animus impurus, & æſtu libidinis uſque ad adulterii auſum flagrans, depingitur.

Proinde per *animas inſtabiles* præcipuè quidem ſequior ſexus notatur; non tamen in virili quoque muliebres, leves, & inſtabiles animi ab hoc ineſcationis periculo excluduntur.

Sed ineſcationis hujus fraudulentiam, & impoſturam *verſ.* 18., & 19. graphicè delineat, dum ait eos pulcherrima quæque, divina, & ſublimia profeſſos, ac pollicitos (ſola quidem ſpecie, nam in reipſa nihil aliud illa erant, niſi *prætumida vanitatis* verba) ad turpiſſimas & pudendas carnis libidines, & laſcivias non modo ipſos decidere; ſed alios quoque ſuis illecebris ineſcatos pertrahere, qui jam verè voluptatum vitia, & pravam converſationem effugerant. Facinus profectò indignum, & meritò æternæ caliginis ſupplicio puniendum; cujus etiam pœnæ *verſ.* 17. commemoratæ, poſita ob oculos tanti delicti gravitate, *verſ.* 18. ratio redditur.

Videtur autem *verſ.* 18. eodem modo, Prætumidæ vanitatis ſonus probroſis & turpiſſimis carnalium libidinum flagitiis opponi: quomodo ſtatim *verſ.* 19. *Libertas ſervituti corruptelæ opponitur.*

Vocat autem prætumidos vanitatis ſonos Gnoſticorum deliria, qui, omiſſa viæ ad veram ſanctimoniam ducentis cognoſcendæ cura, omiſſis præceptis, ac monitis ab Apoſtolica prædicatione nobis ad eam rem ſuppeditatis; cæleſtium naturarum, & eſſentiarum, generationum, & oeconomiarum contemplatione ſeque, & alios diſtringentes, ipſi interim, à tentationibus carnis, & avaritiæ turpiter, & flagitioſe ſuperabantur: & in idem exitii barathrum unâ ſecum alios quoque præcipitabant; imò verò his ipſis turpium peccatorum illecebris in hominibus ad falſa, & vana ſua dogmata alliciendis, ac pertrahendis utebantur. Porro quod Apoſtolus ait, Libertatem ab iis aliis promiſſam, cum ipſi corruptionis mancipia eſſent, legimus Menandrum ex Simonis diſciplina docuiſſe, *non poſſe quenquam Angelos* (mundi hujus opifices) puta dæmones, *vincere, niſi primum ad hoc magica experientiâ à ſe tradita. Euſeb.* III. *cap.* XXIII. Legimus & Carpocratem, qui apud Euſebium & Irenæum Gnoſticæ ſectæ pater dicitur, Simonis præſtigias apertius etiam, & impudentius, quàm ipſe Simon tradidiſſe. In quibus erant philtra neſcio quæ, de quibus gloriabantur. Sed inprimis ejuſmodi doctrina, *Oportere eos, qui perfectionem myſtagogiæ ipſorum conſequi velint, quævis factu turpiſſima operari* eo quod Mundanos, ſicuti illi dixerint, *principes alia ratione evaſuri non ſint, niſi per hujuſmodi arcanam operationem, cunctis ſua debita ſolvantur. Vide Euſ. l.* IV. *c.* VII. Non diffiteor autem nimis impios iſtos & vecordes Gnoſticos fuiſſe; Nec paſſum eſſe Chriſtum, ut nimium diu Eccleſiæ illuderent; ut ſi cui forte placeat, ταχυτὴν ἀπωλείας *celerem interitum verſ.* 1. *cap.* II. ad eorum abolitionem referre; cum eo multùm contendere nolim. Sed tamen apud multos è ſanioribus quoque Gnoſticis, quemadmodum errorum in doctrina, ita macularum in moribus reliquiæ manſere ſuperſtites: vel ex eo planum fit, quia pleraque eorum commenta & contemplationes ſuas tanti facerent, ut eas zelo amaro, & blaſphemiis in diſſentientes tutari non dubitarent.

Porro iſtos falſos Libertatis Chriſtianæ pollicitatores, ipſos Servos, ac mancipia peccati fuiſſe Apoſtolus probat: *quia, à quo quis ſuperatus, huic etiam in ſervitutem addictus eſt.*

Verſ. 20. Non ipſos tantum Errorum Magiſtros, & diſſolutæ vitæ propagatores accuſat, ac redarguit: ſed illos quoque, qui per doctrinam Chriſti verè in libertatem ſanctimoniæ aſſerti, poſtea Impoſtorum horum laſcivis illecebris ineſcati, ad ſervitutem peccati relapſi ſunt, aut relabi incipiebant, graviter admonet; oſtendens miſerrimum eorum ſtatum, & priori longè deteriorem. Adeò ut longe felicior eorum ſtatus fuiſſet, ſi nunquam felicitatem ſanctimoniæ Chriſtianæ deguſtaſſent, nec viam juſtitiæ cogno-

cognoviſſent ; quàm dum more canum reverſi ad ſuum vomitum , aut impuriſſimarum beſtiarum in modum poſt ablutionem ab omni immunditie ; regreſſi ſunt ad volutabrum cæni. Servos peccati *verſ.* 19. vocat *ſervos corruptelæ* ; quia nihil naturam noſtram magis corrumpit , quam peccatum. Peccata vocantur *Pollutiones Mundi verſ.* 20. quia ipſis Mundus ipſe inquinatus alios quoque polluit. *Cognitio Domini, & ſervatoris* ibidem ſignificat cognitionem doctrinæ ejus. Doctrina, & Cognitio, imo Religio Chriſti dicitur *Via juſtitiæ*, *verſ.* 21. quæ & ibidem *Traditum nobis ſanctum præceptum dicitur.* quia in pietate, atque juſtitia, & in obſequio ſanctorum præceptorum conſiſtit. à quo qui deficit , quanquam religionem Chriſti profiteatur , perinde damnabitur , ac ſi profeſſione quoque à religione Chriſti defeciſſet.

CAPUT III.

QUantò magis Satanas in eo eſt , & omni contentione laborat ; ut hominibus veritatis , & religionis Chriſtianæ cognitione imbutis memoriam hujus doctrinæ excutiat , & cogitationes eorum aliò reflectat , & præceptionum , monitorum , ſtimulorum, conſiliorum , promiſſorum, ſolatiorum ejus oblivionem inducat ; tanto magis , & omnes quidem, ac ſingulos , ſed præcipuè qui alienæ quoque ſalutis curam gerunt , contra eniti decet aſſiduis ſermonibus, ſcriptionibus , epiſtolis , cautionibus , cohortationibus , commemorationibus excitare populum Chriſti ad recolenda ea , quæ in ſchola Chriſti didicere. *Hanc* , inquit , *jam dilecti alteram nobis ſcribo epiſtolam , in quibus expergefacio per ſubmonitionem ſyncerum mentem veſtram ; ut memores ſitis verborum , quę prędicta ſunt à Sacris prophetis* (non de antiquis tantum, ſed novi quoque fœderis prophetis , nec de ſolis futura vaticinantibus ; ſed de docendi quoque munere in Eccleſia fungentibus loquitur) *& præceptionis noſtræ* , hoc eſt , *doctrinę Apoſtolicę , qui ſumus legati Domini , & Servatoris.* nota doctrinam totam per vocem præcepti deſignari. Vide 1. *Joh.* 11. 7. , 8. Addit autem *Mentis ſyncerę* epitheton , docens obiter ad audiendas, legendaſve iſtiuſmodi præceptiones , & commonefactiones mentes ſynceras audientium , ac legentium requiri. Quâ ſine ſynceritate exiguus monitorum iſtorum fructus ſperandus eſt. Porrò doctrinam iſtam inter alia ſalutaria præcepta multis neceſſariis prædictionibus Spiritus Sancti refertam eſſe voluit. Et quemadmodum olim Chriſtus multa diſcipulis ſuis prædixit , antequam fierent ; ut cum facta fuiſſent ; non modo improviſorum novitate non percellerentur , ſed etiam in fide , ac veritate doctrinæ ejus confirmarentur : Ita Apoſtoli quoque in doctrina ſua plurima cognitu ſanè tum jucunda , tum utilia , ac neceſſaria prædixerunt ; qualia erant venturæ peſtiferæ hæreſes uſque ad latiſſimè propagatæ Apoſtaſiæ infelicitatem , quod & ſuperiori capite factum ab Apoſtolo videmus , qualis regni Antichriſti adventus , & ejuſdem abolitio , qualis Judæorum converſio , & per multa ſecula (quæ mille annorum ſpatio deſignantur) refloreſcens afflictæ in terris Eccleſiæ fortuna , qualis denique mundi ipſius finis, & ſuprema dies , & reliquæ reſurrectionis noſtræ circumſtantiæ.

Sed inter prædictiones calamitoſi Eccleſiæ ſtatus ſingularis eſt iſta , & obſervatione digna , quam hoc loco tractat , prædictio de *Atheorum adventu* ; quorum nunc innumeri greges in Eccleſiam irrupere. Et profecto ejuſdem ſpiritus ſapientia , quæ prævidit exitiales hæreſes in Eccleſia regnaturas , fieri non potuit , quin prævideret regnantibus illis Atheiſmum quoque emerſurum , ac late propagatum iri ; cum abſurdi errores Chriſtianam veritatem apud multos in dubium eſſent vocaturi. Qua ſemel mentibus hominum ſuſpectâ reddita ; nulla religio eſt , nulla doctrina , aut philoſophia , cujus nos clypeus ab Atheiſmi ſpiculis , & miſſilibus protegat. Attentionem autem huic prædictioni conciliat in verbis τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες , *illud primum ſcientes* , quibus non inter poſtrema monita , doctrinam iſtam collocat.

Exponit autem hujus , quem prædicit , Atheiſmi proprietatem primum , deinde radicem. Mox objectiones Atheorum ſolvit. Proprietas Atheiſmi eſt Irriſio , quæ ex tot mortalium vanæ , & prætenſæ , quam ſibi falſo fingent , ſpei deceptione ludibrium , ac voluptatem quærit. Quæ irriſio cum per latus mortalium , Deum ipſum petat , & attingat ; in autores ſuos revoluta , nequiter ipſis expetit. Nam Deus viciſſim , & ſapientia ſaperdas iſtos irridet , & veris , non falſis ludibriis objicit.

Radix atheiſmi in illis verbis exprimitur , *ſecundum proprias ſuas cupiditates incedentes.* Cum enim omnis in Deum fides , ſed præcipue Chriſtiana veritas licentiæ cupiditati frænum imponat moleſtiſſimum ; hoſtes ipſi evadere neceſſe eſt , qui ſe libidini ſuæ permiſere , & excuſſo rationis , & religionis imperio affectuum ſuorum jugum , atque tyrannidem ſubiere. Quicquid igitur rationis judicium crepent , aut jactitent , nullo ipſius ductu , ac regimine , ſed fœdi ſæpe libitus impulſu gubernantur : & refragantem interdum rationem & conſcientiam obſtinati ad indulgendum propoſiti violentiâ , nec tamen unquam bona fide compeſcunt. Nec enim unquam hic animi habitus adeo in pravum indureſcit, ut flagellantis conſcientiæ verbera , aut morſus effugiat ; cum error eorum , ut mox videbimus , non inſciis , aut imprudentibus ſuperveniens , ſed ultrò, ac ſpontanea proæreſi acerſitus ; & voluntarius ſit. quæ altera proprietas atheiſmi *verſ.* 5. notatur.

Objectio autem eorum *verſu* 4. proponitur. *Ubi eſt*, inquiunt , *pollicitatio adventus ejus ? Nam ex quo patres obdormierunt , omnia ita permanent ab initio creationis.* Unde apes dulces ſuccos ; inde venena ſugunt araneæ. Imo hæc ipſa ordinis ſemel præſtituti ſtabilitas , hæc ipſa Naturæ conſtantia animos eorum ad ſtupendam tanti Artificis ſapientiam , & potentiam reflectere debuit ; ut prænunciatum rerum exitum tanto patientius expectarent , quantò minus habent cauſæ , cur adventum illius temporis avidè , & feſtinanter exoptare debeant ; ſibi inprimis funeſti , & metuendi.

Nam Mundum eſſe à Deo creatum , & , quæ ſententiam hanc conſequuntur, mundum ejuſmet omnipotentia gubernari , eique cum humano genere eſſe aliquod commercium ; latere ipſos , (niſi volentes , ac dedita opera ignorantiam affectantes ,) nullo modo potuit.

Cum ipſa ſana , & ſobria ratio , etiam citra omnem revelationem , oſtendat , partes materiæ , ex qua mundi univerſitas conſtat , non modo diſparatas ; ſed ſibi hoſtiliter repugnantes ; quarum ſingulæ ad unum tantum , & ſimplicem agendi modum ſint adſtrictæ , ac determinatæ ; non potuiſſe ad tàm congruum concentum , & concinnè reſpondentem ſibi harmoniam redigi , niſi ab Excellentiſſima aliqua mente , quæ effecerit ut nihil fruſtra , ac temere; ſed omnia , etiam rationis planè expertia , propter aliquem finem Univerſo aut neceſſarium , aut utilem agant. Acceſſit huic naturali Rationis diſtamini voluntaria Dei revelatio , ad quam referri poſſunt quædam etiam opera Dei publica , quæ univerſis populis ignota eſſe nequeunt ; quale fuit Diluvium illud , quod in alieniſſimis à cognitione Dei genti-

bus etiam profani Historici memorant. Unde efficitur irrisores istos atheos ; tàm creationis, quàm Omnipotentiæ, & gubernationis Dei (præcipuè post factam specialem religionis revelationem ;) nisi de industria, & per affectatam ignorantiam, ignaros esse non potuisse. Describit autem creationem secundum Mosis doctrinam. *Quod Cœli per Dei sermonem jam olim extiterint:* hoc est, producti sint; *& terra ex aqua, & in aqua consistens* eodem sermone itidem producta sit. *Terram ex aqua* productam ait, quia ex aquâ, ejus superficiei innatante, emerserit: *In aqua* autem *consistere*, quia ipsa nunc Oceano undique circumdata, aquæ innatare videatur. Eo libentius vero in Creatione *aquæ* mentionem fecit, quia mox de Diluvio per aquam facto locuturus erat. Cujus utriusque magnifici Dei operis, quia sponte, aut ignari, aut obliti esse debebant : idcircò prædictum nobis supremum illum mundi exitum in dubium erant vocaturi. Voluntariæ vero, & affectatæ istius ignorantiæ non alia debuit esse causa, nisi quia in suis cupiditatibus erant ambulaturi, quam nos unicam Atheismi radicem merito diximus. Porrò quem creationis mundi, & Diluvii historia non lateat ; eundem de destinato mundi cum impiis Dei rebellibus excidio, dubitare non posse, tacite asserit. Nam qui de potentiâ Dei ita est persuasus, ut eum tam eximium mundi opus condere potuisse credat ; is ambigere nullo modo potest, quin illud idem destruere si velit, possit. Et qui mundum, hoc est, homines mundo contentos propter scelera eorum per aquam interiisse novit : nihil miratur Cælum istud, ac terram, tot impiorum dæmonum, & hominum sedem, damnatam esse ad ignis supplicium. Solennè autem est Spiritui Sancto certitudinem alicujus rei, hoc est, aut præmii, aut supplicii futuri, per vocem *servandi & τηρεῖν*, aut thesaurizandi denotare. Quemadmodum enim, quæ diligentius asservantur, ac reconduntur, ea certò nobis mansura, nec ullum periculum subitura sunt ; ita nullum est periculum quin ea, quæ Deus semel promisit, aut certo comminatus est, & constituit, certo certius eventura sint. Ita hic cæli, ac terra interitus quasi in thesauro reconditus, & mundus igni asservatus (ne hoc supplicium ullo modo effugere possit) dicitur. Ita suprà *Cap* 11. 4. Deus *angelos, qui peccaverunt, detrusisse in abyssum, damnationi servatos*, dicitur. Ita ibidem *vers.* 9. *impios in diem judicii pœnas dantes servare*, aut custodire dicitur. Ibidem quoque *vers.* 17. *impostoribus Caligo tenebrarum in æternum asservata dicitur.* Notandum autem est hic, quod *eodem sermone*, τῷ αὐτῷ λόγῳ quo cælum, & terra condita dicuntur *vers.* 7., eodem inquam λόγῳ in thesaurum recondita perhibentur, tanquam in carcerem, in quo ad supplicium ignis retinentur. Qui modus loquendi ostendit, vocem λόγου hoc loco minimè pro λόγῳ subsistente accipiendam.

Cum enim τῷ λόγῳ θεῦ, *sermone Dei*, Cæli reservari dicuntur ad interitum ; palàm est consilium, ac decretum Dei sapientissimum simul, & justissimum intelligi : ut hoc loco ista vox in maximè propria significatione accipi videatur. Significat enim λόγος propriè tàm sermonem, quam istius sermonis directricem rationem, ejus cujus est λόγος. quæ fere semper, sed præcipuè in hoc loco refertur ad eum, cujus est λόγος. hinc & *vers.* 5. ὃ θεῦ λόγος, & *vers.* 7. dicitur. Refertur igitur ad suppositum suum ; non autem est ipsum suppositum. Nec enim impropriæ explicationes comminiscendæ sunt, ubi propriis locus est. unde patet cum hoc loco λογος proprie sumatur, etiam isthic, ubi de Creatione agitur, vocem hanc propriè sumendam esse.

Vers. 8. Nunc ad allatam *vers.* 4. objectionem respondet, suppeditans longè post futuris seculis congruam responsionem, quâ occurri possit huic atheorum objectioni. In quo mira Spiritus Sancti sapientia cernitur, qui cogitationes quoque ac sermones impiorum tanto ante præviderit : & venenis longo post tempore noctiuris remedia præparaverit. Neque enim suprema dies Mundi ante Christum, & Apostolos clare prædicta fuit, neque Petri tempore nimium retardatus hujus prædictionis eventus videri potuit, quemadmodum longo intervallo post subsequentibus seculis. Non igitur Petri ævo, sed nostro, aut posterorum quoque temporibus hæc remedia serviebant. Quanquam *vers. nonus* asserere videatur Petri quoque ævo non defuisse, quibus Deus promissiones suas tardare videretur. Quod ex illo salubri errore profluxisse credo, qui multorum in primæva Ecclesia mentes occupaverat, supremam mundi diem suo ævo venturam adeo credentium, ut secunda ad Thessalonicenses epistola refelli meruerint.

Dicit igitur, illud menti alte infigendum esse, Quantacunque sit temporis longitudo, eam æternitati comparatam exiguam, aut potiùs nihil esse. Cum igitur Deus æternus sit, & quibus mysteria consiliorum, ac decretorum suorum aperit, æternos quoque efficere destinaverit ; non posse cuiquam eorum videri, quod nimium serò, aut tardè decreta sua exequatur. Ponit autem numerum certum pro incerto, hoc est, mille annos pro longissimo, & quod designatum numerum longè superare possit, tempore. quemadmodum in Apocalypsi Joannes Mille annos pro justo, & sufficienti tempore posuit, in quo constricto Satana Ecclesia in terris florere debeat. Quam puerile autem commentum sit, quod homines otiosi ex isto Petri loco elicuerunt ; qui æternitatem sine ulla sui extensione in puncto indivisibili collocant, Spero & pueros mox animadversuros, posteaquam lucescente veritatis die, comessantis per ignorantiæ noctem, & ebriæ, ac mente captæ philosophiæ deliria suo vultu in publicum producta apparuerint.

Vers. 9. Alteram, & quidem gravem, atque justam causam affert, cur Deus tàm promissa sua, quam comminationes exequi differat ; Longanimitatem videlicet Dei, qui peccantium hominum conversionem, ac pœnitentiam diu expectet. Quam non modo erga singulos mortalium brevi cujusque ævo ; sed erga totum humanum genus, & quidem per succedentes sibi ætates in uno quasi complexu consideratum, longo seculorum defluxu exercet. Nam si Deus propositorum suorum præcepitaret eventus, præcluderet multis aditum non modo ad pœnitentiam, sed ad ipsam veritatis, ac religionis notitiam. Quid autem meruit per longa serie subsequentium sibi seculorum ordinem succenturianda posteritas, quid inquam illa

Progenies magnum cœli ventura sub axum,

ut ab ea gratiâ, quæ nobis, & ante nos aliis contigit arceretur. Nondum Deus, tot effusis gratiæ suæ muneribus, omnia destinatæ nobis in terris munificentiæ dona exhausit. Est quod posteritati quoque reliquerit. Lux Evangelii ignaris Dei gentibus affulsit antehac, sed Deus justo judicio eam tot atris nubibus à Satana intercipi passus est, ut ea, nunc ne electus quidem olim Dei populus frui possit. Sublata tamen ista tot oculos obfuscante caligine, & constricto Satana, illucescet & his jubar purgatæ ab Ethnicismo veritatis. Quantò clarius idem gentibus ipsis lucebit, posteaquam Judæorum cæcitatem illuminaverit. *Rom.* 11. Nec istud tam exoptatum tempus, ubi venerit properato exitu decurtari par est. Nam cur deterior sit Regni

Christi,

Christi, quam Satanæ conditio? At enim in longum interea producitur reddenda in Domino dormientibus merces. Angit enim eos scilicet tantisper moræ tædium, aut excruciantur irrito desiderio, ac non potius in ipsis thalami Christi penetralibus dulci somno sepulti, & præsaga divinæ felicitatis mente suaviter fruuntur. Facilis jactura est temporis, cui nihil in æternitate deperit, quod non infinito immensi ævi fructu abunde possit redhiberi.

Vers. 10. Certitudinem venturi ultimi Mundi excidii asserit. Sed & quasdam ejus circumstantias: Mox usum, & insignem fructum doctrinæ hujus proponit.

Inter circumstantias primum improvisum, & inopinatum ejus adventum memorat. *Veniet*, inquit, *sicut fur in nocte*. Quo major est insania hominum, qui nonnullis vestigiis adventus hujus tempus assequi moliuntur. Apparet tamen adventum hunc, vel ex tamdiu dilata sui mora profluentem securitatem quandam sui, in animis mortalium deprehensurum. At nos ad improvisa mala non curiosi, sed parati semper esse debemus. Altera circumstantia est Ingens terror, quem ex ruina mundi omnes sensus nostri (sed & auditus) percepturi sunt. Quem autem non percellat ruentis alicujus magni ædificii sonitus, quanto magis cum non modo tecta, & fastigium; sed & parietes Universi corruent; & ipsi cæli, atque elementa devorantis omnia ignis flammâ ustulabuntur?

Vers. 11. Usus, & fructus istius doctrinæ, ac prædictionis exponitur. Multa alia sunt incitamenta, quibus animi nostri ad obsequium Dei, & sanctimoniam excitantur. Vix tamen alium reperias stimulum, qui mentes nostras Spe, ac metu, & urgentis necessitatis formidine violentius concutiat, & efficacius ad pietatem impellat, ejusmodi de tam horribili totius Mundi excidio cogitatione. In qua præcipuum toti æternitati memorabile severitatis Dei documentum palàm faciet cunctis, quorum in conspectu dira hæc in mortales simul, atque immortales exempla statuentur; quanto Deus adversus impietatem odio flagret; & quantò supplicii discrimine constet ausum esse quenquam adversus Deum hostilia. Nec enim tantum terram, sedem hominum (quod olim in diluvio fecit) propter mortalium scelera; sed ipsum ætherem, Spirituum rebellium domicilium, ipsa hujus mundi, cujus se Deum Satanas ferebat, mænia in cælestis perduellionis ultionem eruet, atque excindet. Scilicet is belluinarum voluptatum cæno conspurcatis animabus ignoscet, qui Spiritus olim glorioso, & summis Angelorum dignatione pares, quia peccati labe maculari sustinuerunt, mansuri in æternum supplicii ignominia perdet? Et noxiis hominibus parcet; qui innoxiis elementis, qui tam pulchris syderibus, qui tàm excellenti divinarum suarum manuum opificio, propter insons alieni peccati contagium non ignoscet? Meritò igitur Petrus *vers.* 11. monet, *hæc cum ita eventura sint, quales, quantosque nos esse decet, in omni vitæ pietate, & sanctis conversationibus?* ut digni videlicet inveniamur, quos Deus à publicâ, & communi Universi sorte eximat: & quorum in flagrantissimo indignationis suæ æstu misereatur.

Et quia supra prædixerat diem hunc præter omnem spem, ac subitò, & improviso nihil minus expectantibus superventurum; ideò docet maturè præparandos esse animos nostros, & omni studio properandum, ne imparati deprehendamur ab ingruente hac tempestate, idque tunc dum maturandum, dum adhuc expectatur aut metuitur. Nam ubi Dies ista Domini aut Dei (ita in Sacra Scriptura suprema mundi dies appellatur) venerit in illa rerum omnium perturbatione, atque formidine serum erit apparare ea, quæ jam pridem parata, & consummata esse oportuit. Ergo ante tempus id laboris, & studii suscipiendum est, posita omni mora, ac dilatione: ut Mentes nostras omni virtutis, & pietatis genere obarmemus adversus horrorem tàm tremendi temporis; ita ut illud potiùs cum desiderio expectemus, quam cum formidine aversemur. Hunc enim in statum reducendus, atque componendus est animus noster, ut non modo non aversemur; sed amemus potius illustrem istum adventum Domini, eumque cum desiderio expectemus. Quamvis enim præsens istud varia pulchritudinis specie ornatissimum Mundi domicilium, in quo nunc habitamus, perituram sit: tamen eodem tempore manet nos longe nobilius, & excellentius, promissum nobis ad inhabitandum palatium; in quod peccato, atque miseriæ subrependi nullus est relictus aditus: sed in eo justitia omnis, & sanctitas tanquam in ipsius Dei sede habitat.

Notandum autem est hic *vers.* 13. *Novos cælos, ac terram*, quæ expectamus, dici non simpliciter, sed secundum quid, hoc est, non quod novum cælum, aut terra, creanda sunt; sed quod nobis nova futura sint, quibus illuc immigrandi gratia indulgebitur; quamvis ipsa per se nova dici nequeant.

Vers. 14. Cum igitur in illam beatam justitiæ sedem nulli peccato, aditus pateat, quicunque eam, uti par est, exoptant, atque expectant, dare operam debent, ut in illo adventu Domini *deprehendantur impolluti, & incontaminati.* Duplici autem genere pollutionis maculatur hominum innocentia. Primum quando in corpus, aut animum suum peccant aliqua Intemperantiæ specie: quod genus culpæ hoc loco contaminationis voce designatur. Deinde quando in Deum, aut homines alios peccant aliquo Injustitiæ modo. Cui culpæ opposita virtus hoc loco generali *pacis* nomine apellatur. Nam si omnem peccati culpam effugere velimus, non modo nobis animi, & corporis puritas, ac mundities; sed etiam pax apud Deum, & homines consectanda est. Quæ nihil aliud est, quam bonæ conscientiæ interrogatio, ac testimonium in officiis tam Deo, quam hominibus persolvendis. Hic autem conatus, & opera, quæ in animo purgando, & bona conscientia comparanda suscipitur, justo tempore indiget: cum non uno animi impetu, sed frequentium actionum constantia felicitas hæc acquiratur.

Vers. 15. Proinde mora, & tarditas Dei, quâ ut semper ad exigenda ab hominibus peccatorum supplicia cunctabundus accedit, ita in extremi judicii dilatione utitur; admodum utilis, & salubris est iis, qui sese non statim è vitiorum laqueis expedire possunt. Non igitur incusanda, aut culpanda est tarditatis hæc Dei longanimitas, & patientia; quod fit ab Atheis: sed pro salutari beneficio reputanda: utpote quæ nobis spatium colligendi sese, & pœnas Dei effugiendi donet. Quod Pauli testimonio confirmat, sine dubio præ oculis habens epistolæ ejus *ad Rom. caput secundum, & nonum*: qui utrobique salutaris istius Dei longanimitatis, & patientiæ (qua tamen homines interdum ad indurationem suam abutantur) mentionem facit. Prænonet autem eadem occasione quid in Pauli Epistolis cavendum sit. Quædam nimirum, quorum non postremum est caput nonum Epistolæ ad Romanos, intellectu difficilia loca (δυσνόητα) quæ in sequiorem sensum explicari posse, noxio experimento docuerunt jam tum Petri, & Pauli ævo quidam rudes, & indocti, & parum in doctrina Christiana confirmati homines;

loca istæ ut & reliquas Scripturas detorquentes ad proprium exitium. Quod non carpendi Pauli studio proponit, quem & suo merito dilectum fratrem suum nominat, & in quem magnifica Dei dona effusa, atque inprimis eximiam sapientiam testatur. Sed ut prævisa à Christianis jacula minus ipsos ferirent, necessaria monitione præscios illos facit istarum difficultatum, quarum occasione fortè nefariorum hominum errore, aut impostoris abrepti, sua in Christiana vita constantia, & stabilitate excidere possent.

Claudit voto Epistolam, quo comprecatur, ut *in gratia, & cognitione Domini nostri, & Servatoris Jesu Christi crescant, & augescant.* Cui *gloria* victimam *reddit & nunc, & in diem seculi*, hoc est, in sempiternum. Hinc Christus Paulo Deus dicitur benedictus in secula. Planè enim divinus is honor est, quo gloriam in æternum alicui reddimus, nec cum ullo unquam Sanctorum communicabilis. Hinc apparet redditionem illam regni Deo patri, hoc est, illius absolutæ in creanda nova creatura potestatis, nihil aut repugnare, aut derogare illi exaltationi, & summæ secundum Deum Omnipotentiæ, quæ gloria in æternum reddendâ honoratur; quia & ista ipsa gloria est in gloriam Dei patris *Phil.* 11. 11.

1660. *d.* 16. *Junij.*

FINIS.

AD EPI

IN EPISTOLAM PRIMAM JOHANNIS COGITATIONES SACRÆ.

CAPUT I.

FUndem Evangelii, & Epistolæ hujus auctorem esse nemo dubitat. Quisque autem sui ipsius optimus est interpres. Proinde Epistola Evangelio, & Evangelium Epistolæ mutuam sibi invicem lucem prælucent. A voce verò *Principii* tàm Evangelium, quàm Epistola incipit. Quæ quid in Evangelio denotet, utrum veteris illius, quam Moses descripsit; an novæ, cujus describendæ provinciam Evangelistæ susceperant, creationis initium; inter dissentientes interpretes non exigua lis est. Sed eadem vox, quòd in Epistola novæ Creationis, aut Evangelii initium significat, neque ullus (quod sciam) in dubium vocare audet, neque si audeat, verba loci permittunt: quæ tàm in ipso ipso Epistolæ limine quam in ulteriori ejusdem progressu iterata non aliud initium designant, nisi illud, in quo primum doctrinam Evangelii prædicatam audiverunt oculati testes, ac familiares prædicantis Domini. Clarior igitur hic locus est, qui consentientibus omnium judiciis, eodem ab omnibus modo intelligitur, Obscurior, in quo dissentiunt interpretes, quorum in eo dissensu alterutros errare, nec mentem scribentis bene percepisse, necesse est. Quis igitur dubitet, tenebras obscurioris per lucem clarioris esse dispellendas? Ut taceam, parum verisimile esse historiam Evangelii scribere incipientem, mentione facta vocis *initii* vocem eandem non de susceptæ narrationis argumento; sed de alienissimâ à proposito suo materiâ intelligere. Sed nec sola *initii* vox est, quæ ostendat Evangelii, & Epistolæ prima verba, eadem de re loqui; sed plurima verba, quæ utrobique, aut ipsa dictione, aut certè sensu eadem sunt. Qualia sunt vox λόγου *sermonis*, vox *vitæ*, voces *erat apud Deum*, quæ sunt ipsa inchoati Evangelii verba formalia. Sensu verò eadem sunt in Evangelio quidem, *Lux hominum, illuminans omnem hominem*; in Epistola vero, *quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectarunt.* Et rursus, *& vita conspicua facta est, aut revelata est, & illam vidimus, & quæ erat apud patrem* (putà inconspicua) *conspicua facta est nobis*: Quæ omnia utrinque vocabula quis non videt & eodem ferè modo proferri, & eundem plane sensum includere? Unde non modo illud necessariò concluditur; eadem de re utrobique tàm in Evangelio, quam in Epistola sermonem esse; sed etiam non levis conjectura sumitur, Johannem, cum videret prima verba Evangelii sui, à Gnosticis ad alienos ab analogia prædicationis Apostolicæ sensus torqueri, Epistolam hanc scripsisse: in cujus initio quæcunque in Evangelii exordio verborum obscuritas fuit; satis dilucide explanaret; & in progressu de prodromis Antichristi, eorumque doctrinâ in filium hominis, Jesum, qui in carne in mundum venit, injuriâ, & iniquâ, Ecclesias præmoneret.

Ut igitur apud eos, quibus scribit, dictis suis fidem, & auctoritatem conciliaret, ostendit, se eorum, quæ prædicaret, oculatum, & locupletem testem fuisse, quippe quæ non modo oculis viderit, auribus audierit, sed plane manibus suis contrectaverit. In quibus verbis, ut vocem *initii* temporibus extremis, quæ horam extremam infrà *Cap.* II. 18. vocat: ita fidem, & auctoritatem oculatorum testium, qui primi doctrinam Evangelii prædicarunt, tacite opponit prodromis Antichristi, de quibus citato loco, & infra ejusdem *cap.* II. 21, *&* 26. Impostoribus, & *Cap.* III. 7., & *Spiritibus, qui non sunt ex Deo*, multis pseudoprophetis in mundum venientibus *Cap.* IV. 1. *& seqq.* quemadmodum & doctrinam, quam ab initio prædicatam ab Apostolis acceperant *(Cap.* II. 24.) opponit illis novationibus, quas circa personam illius Jesu, filii hominis, qui in carne venerat comminiscebantur præcursores Antichristi.

Commendat postea *vers.* 3. prædicatam illam à se, & ab aliis sui Apostolatus sociis doctrinam à fine, & fructu maximo, quem afferret iis, quibus prædicabatur, quòd nimirum per eam Christiani credentes participes fierent ejusdem boni, & ejusdem felicitatis, quâ fruebantur Apostoli. Qui fructus 2. *Pet.* I. 1. exprimitur his verbis, *quod æquè pretiosam* (ἰσότιμον.) *sortiti essent fidem in justitia Dei, & Servatoris Jesu Christi.* Ne vero contemnenda videretur participatio ejusdem cum Apostolis boni, ostendit istam felicitatem esse Communionem cum Deo patre, & Filio ejus Jesu Christo. Qua felicitate, quia nulla major dari, aut fingi potest, fieri nequit, quin maximum, & omnibus numeris perfectissimum gaudium afferat iis, quibus communicatur, & qui ejus participes fiunt. Cum igitur Joannis doctrina, tam viva voce, quàm scripto tradita, tàm excellentis, ac divinæ communionis fideles participes faceret; eadem opera ipsos gaudii quoque pleniffimi, ac perfectissimi participes faciebat. Quid enim est, quod mentes nostras purioris, & cumulatioris lætitiæ fructu diffundere queat, quàm viva, & certissima fides, persuasio, & expectatio, *maximorum illorum, & prætiosorum promissorum Dei (2. Pet.* I. 4.) *hæreditatis illius incorruptibilis incontaminatæ, immarcescibilis.* (1. *Pet.* I. 4.) Solidissimæ felicitatis, quæ in hac vita ex virtutis actione fingi potest, fructus est Amicitia, hoc est, commercium, & communicatio cum iis, qui nostrâ amicitia digni sunt. Quæ communio tanto beatior est, quanto ii, quibuscum conversamur, digniores sunt, & excellentiores. Quid autem

celsius, eminentius, excellentius cogitari potest ejusmodi amicis, qui & nostri vere ac syncere amantes sint, & nos divinissimo consortio suo non in hac vita tantum; sed in omnis æternitatis immensam & sempiternam longævitatem beare possint, non sine maximo, quod ex eorum favore ac beneficentia referamus amicitiæ hujus (si humanis vocabulis divina exprimi fas est) emolumento. Communio igitur nostra, hoc est amicitia, conversatio, commercium cum fidelibus, cum sanctis, nihil aliud est, quam amicitia & conversatio cum Christo & Deo, quo fastigio profecto altius sortis nostræ humilitas attolli non potest.

Atque hinc Christianæ vocationis excellentia æstimari potest. Si quis Principum ævi hujus, pauperem aliquem & mediocritatis sortem non egressum, interioris suæ admissionis fortunâ dignetur: quis non eum honorandum atque in pretio habendum censeat? Atqui omnes fideles per Christum interioris ad Deum admissionis clientes fiunt, quos ille paterno affectu propitius, pro genuina prole agnoscit, & patris illius Evangelici in morem, tanquam prodigam ac perditam sobolem postliminio ad se reducem amplectitur & exosculatur. Depingit istius vocationis nostræ excellentiam passim Spiritus Sanctus atque ipse Christus, sed & Auctor Epistolæ ad Hebr. Cap. XII. 22.

Cæterum ne quis absolute & sine ulla conditione nobis impositâ oblatam, & promissam nobis istam felicitatem arbitretur, ideo promissum istud quale sit, & quid à nobis necessario requirat & reposcat, atque adeo fides ejus viva quid in nobis suapte natura operetur atque efficiat, proponit; & per hunc aditum in argumentum præcipiendæ pietatis & sanctimoniæ, quod tota Epistola variè tractat, ingressus est; non omittens interea detegere præcursorum Antichristi imposturas, qui per prava dogmata sua, falso nominatæ scientiæ obtentu subornata, homines à cura pietatis, ad indagandæ naturæ Dei ac rerum difficilium, nobisque non revelatarum, imò in quibus lapsus fidei nostræ noxius esset, curiositatem abstrahebant & avocabant.

Et profecto nihil manifestius est, quam Joannem mysteria ista fidei, quorum cognitionem & confessionem præcursores Antichristi jactabant, damnasse, & quod ad veram Dei cognitionem nihil prodessent asseruisse, cum toties inculcat cognitionem Dei veram nihil aliud esse quàm præceptorum ejus observationem.

Deinde cum falsi isti Doctores, opiniones suas hominibus ita obtruderent, ut zelo amaro adversus dissentientes accensi, præcipuæ & Christianis ante omnia præceptæ virtutis Caritatis fundamenta molirentur, ac subruerent, nihil dubito illorum potissimum odia, & adversus caritatem delicta præ oculis habuisse Apostolum, cum toties in hac Epistola Caritatem inculcat, & odium erga fratres damnat & insectatur. Hinc apparet quam fallantur, qui existimant Joannem præ cæteris Apostolis & Evangelistis, hominibus ad sublimioris Theologiæ contemplativæ dogmata, quæ postea acerrimis odiis, altercationibus, calumniis, fraudibus, criminibus falsi, injuriis, oppressionibus exculta & exercita sunt, signum sustulisse, cum nullus aut à Curiositatis vanitate, aut à pestiferi vitii hujus assecla, zelo amaro, alienior fuerit.

Id in hac Epistola præcipue animadverti potest, in qua cum toties Cognitionis Dei & Christi mentionem fecerit, nunquam eam in opinione aut scientiâ, vel confessione aliquorum obscurorum ac difficilium dogmatum, aut mysteriorum contemplatione; semper in praxi & obsequio præceptorum Christi, præcipue vero Caritatis collocat.

Sed nos ad *vers.* 5. redeamus: Ait igitur, *Hanc esse* ἀναγγελίαν (sive *annunciationem* & doctrinam prædicationis Apostolicæ, sive ipsam *promissionem Dei* per vocem hanc intelligamus) *quam* inquit *audivimus ab ipso, Deum lucem esse, & tenebras in eo esse nullas.* Hoc est, Deum perfecta & omnibus numeris absoluta sanctimonia nobis prælucere, atque ut ejus pulchritudine & splendore multum delectatur, ita omnem illibatæ puritatis istius maculam aversari & odisse. Ita ut qui Deo placere, ejusque communione (quæ alias *Pax apud Deum* vocatur) & quasi Commercio frui velit, lucere quoque sanctimonia, & opera tenebrarum aversari, atque cane pejus & angue fugere teneatur. Præcipuè vero peccatorum habitus, quos hic per *Ambulationem in tenebris* Joannes describit, plane abjiciendi sunt. Alias nihil impudentius, nihil mendaciùs ac perfidiosius est hominibus, qui cum sibi conscii sint sese in cæno peccatorum volutari, ac præcipue in fermento odiorum ac zeli erga fratres acerbi, macerari, mysteria tamen rerum divinarum, & oeconomias rerum cælestium, tanquam recens è cælo delapsi, & à colloquio Numinis digressi crepant atque jactant. *Si dixerimus*, inquit Apostolus, *nos communionem cum Deo*, cum Christo, *habere, & in tenebris ambulamus mentimur, nec syncere agimus.* Ut autem *ambulatio in tenebris* habitus vitiorum: ita virtutum habitus *ambulatio in luce* Joanni dicuntur. Lux ista Sapientiam, justitiam & omnium virtutum, omnis pulchritudinis fulgorem & splendorem, quo nihil formosius, nihil ornatius, nihil amabilius, nihil jucundius, ac dulcius cogitari potest, significat. Quæ lux & augusta pulchritudinis, bonitatis, & generositatis indoles, quia Deo penitus insita & admodum placens est, ideo quo plus ejus pulchritudinis & ornamenti miseri homunciones sibi auxilio ejus, à quo nemo arcetur, comparare possunt, eo pluris à Deo æstimantur, & magis ipsi placent, & propius ad eum accedunt, & arctius ipsi adhærent, & ejus misericordiam, favorem, paternam indulgentiam & amorem experiuntur. Sed præcipuum est hujus felicitatis solatium, noctes atque dies patens ad Deum aditus, assidua cum eo conversatio, cum absque ope ipsius nihil omninò habere, & rem nostram bene gerere minime possimus. Quàm opem ipse à se peti non velit tantum, sed maxime gaudeat, ut per infirmitatem nostram magnificàm de potentissimo hoste nostro victoriam reportet. In quo si nos sequacia, & obsequentia Deo instrumenta præbuerimus; gloriam quodammodo suam cum nostra conjungit, & quamvis ipsi tota debeatur, utpote inexhausto fonti omnis potentiæ & victoriæ: tamen ex vasta felicitatis suæ Scaturigine ingentia in nos beneficentiæ suæ flumina effundit: suamque in nobis victoriam coronat, & tanquam durissimi, difficillimi, ac celebratissimi belli Commilitones, per Christum, supremum hujus militiæ Ducem, nos gloriose remuneratur. Merito igitur Joannes ait *vers.* 7. *Si vero in Luce ambulamus, sicut ille est in luce, communionem habemus mutuam, & sanguis Jesu Christi filii ejus, purificat nos ab omni peccato.* Duo ingentia commoda proponit, quæ ambulantibus in luce certo certius speranda sunt. Primum quod mutuam cum Deo communionem habeant. Voces enim μετ' ἀλλήλων invicem aut mutuo non relationem inter alios homines & Apostolos, de qua *vers.* 3. locutus est, sed relationem inter Deum & homines significare ostendit explicita similitudo; *Ambulamus in luce sicut ille est in luce.* Cum eo enim communionem nos habituros dixit, quem in vita & sanctimonia imitemur: & communionem mutuam, quia sicuti nos ad Deum (nisi peccata obstent) perpetuo liberum aditum habemus: ita Deus nos mutuo

per

per Spiritum ſuum perpetuo adjuvat, docet, inſtruit, præmonet, conſolatur, confirmat. Nihil autem utilius eſt homini ſalutis negotium procuranti, quam obſervare mutua iſta communionis cum Deo & cum Chriſto momenta, iiſque ad emolumentum ſuum, ac rem bene gerendam uti, interdum & frui, hoc eſt, obſervare quoties nobis Deus per Spiritum ſuum cogitationes ſanctas ingerit, ne parum animadverſæ, aut per objectam à Satana oblivionem, aut à propoſito avocationem; obliteratæ aut dilatæ, aut rejectæ, effluant: obſervare quoties mentem noſtram cæleſti luce illuminat, ita ut ea nobis in mentem veniant, quæ ſua ſponte non veniſſent. Quoties aurem noſtram vellit ſive per nudam cogitationem, ſive per negotiorum aut circumſtantiarum concurſum, ea menti noſtræ obtrudens, quæ ad rem noſtram maxime conferunt, & quæ nos nobiſmet ipſis relicti nunquam aſſecuti fuiſſemus: item quoties nos improviſo, & plane cælitus delapſo ſolatio erigit & confirmat. Nam protectionem ipſius perpetuam & per Angelorum miniſteria aut divinitus objecta impedimenta, averſa à nobis mala aut pericula noſtra non attingo. Præcipuum vero ejus auxilium in tentationibus ſuperandis, & omni vel minima certaminis occaſione, ſi modo uti velimus, præſto eſt, nec unquam deſideratur. Quo major nobis incumbit neceſſitas, ut in conſpectu atque præſentia, & quaſi converſatione numinum, interdum & Angelorum viventes; cum timore, & verecundia, & omnis generis vigilantia & continentia ætatem tranſigamus. Sic enim vere in luce ambulabimus, proſpicientes longe omnes viarum noſtrarum, quas Satanas lubricas reddit, ſalebras, ne porro ceſpitare aut cadere poſſimus, cum in tam altum & excelſum ſtatum ſublati, nunquam longe abeſſe poſſimus ab immani præcipitio.

Alterum ambulationis in luce emolumentum ponit Joannes, quod *Sanguis Jeſu Chriſti filii ejus purificat nos ab omni peccato*. Ubi primum notandum relativum αὐτοῦ, toties hic repetitum, de Deo Patre intelligi, cujus ſit filius Jeſus Chriſtus. Deinde illud quoque animadvertendum propter ſtrictiſſimam conjunctionem, quæ in ſalutis noſtræ negotio intercedit, inter Patrem & filium, quæcunque hic de Patre dicuntur, eadem omnia & de filio intelligenda eſſe, quia eorum nihil ſit, quod non per filium Pater faciat, ita ut jure in Evangelio per Filium omnia fieri & facta dicantur. Sed maxime omnium illud obſervandum, Remiſſionis peccatorum & Redemptionis, quæ facta eſt per ſanguinem Chriſti, privilegium, ad ſolos ambulantes in luce reſtringi. Ne quis ſub mendaci ſpecie humilitatis, quæ totum ſalutis noſtræ negotium non Dei imo vero Chriſtique beneficio tribuere vult videri, ſuam à Spirituali certamine operam, ſuum ſudorem & contentionis propriæ difficilem & ærumnoſum conatum aſtute & fraudulenter ſubtrahat; non ſine contumelia Dei, quem iſta fraude circumveniri poſſe, inaniſſimam ſpem alant homines delicati & Deo atque Chriſto & ipſi Spiritui ſancto pro vera vitæ Sanctimonia, ſpecioſa verba dare aſſueti.

Nec illud omittendum, verba *purificat nos ab omni peccato*, non ſolam juſtificationem, hoc eſt, eorum qui non omni ex parte juſti fuerunt (quia interdum in peccatum lapſi ſunt) pro juſtis reputationem & quaſi abſolutionem ab omni reatu peccati: ſed etiam ipſam juſtitiam, hoc eſt, pietatem & præceptorum Chriſti obedientiam, talem tamen qualis Deo ſub novo Fœdere ſufficit, hoc eſt, ſaltem à peccatorum habitu & conſuetudine liberam, ſignificare. Mors enim & Sanguis Chriſti eas habet vires, ut non modo præterita peccata nobis gratuita Dei miſericordia eſſe remiſſa teſtetur; ſed etiam ut nos in futurum à peccando, præcipue vero à peccandi conſuetudine, abſterreat & abſtrahat.

Verſ. 8. Occurrit objectioni Hæreticorum quorundam, qui Gnoſticis illud exitialis doctrinæ venenum inſpiraverant, Turpiſſima quæque, quæ homines patrent, non modo peccata non eſſe, ſed ad perfectionem religionis neceſſaria eſſe: quia homines mundanos, ut ajebant, principes, alia ratione evadere nequeant, niſi cunctis ſua debita ſolvant. Vide *Euſeb. Hiſt. Eccleſiæ Lib.* IV. *Cap.* VII. Tales igitur homines, quia pravas actiones ſuas pro peccatis non habebant, peccatorum ſe expertes eſſe putabant. Ait igitur iſtos ſeſe miſere decipere, & omnis veritatis expertes in profundo errorum, & ignorantiæ barathro demerſos eſſe arguit. Ex quo barathro emergendi non alia pateat via, quam ſi delicta quidem noſtra, quæ negari nullo modo poſſunt, confiteamur: ſed ad clementiam & miſericordiam Dei confugiamus. Quem noſtra nobis peccata remiſſurum, probat Joannes ex duplici Dei attributo. Primum, quia eſt *Verax*, *Fidelis*. Cum igitur promiſerit nobis remiſſionem peccatorum, dubitari nullo modo poteſt, eum promiſſa præſtiturum. Secundo quia *Juſtus*, hoc eſt, benignus, clemens, miſericors. In cujus vocis uſu notanda eſt Spiritus Sancti conſuetudo, quod vox juſtitiæ ſæpe non pro juſta pœnarum retributione; ſed pro benigna earundem relaxatione, & clementia, & miſericordia ſumatur. Ita ſponſus Mariæ Joſephus *Juſtus* dicitur, quod in eam noluerit exemplum ſtatui. Cum igitur Deus bonus ſit, & benignus, tanto certius ſperare poſſumus eum noſtra peccata remiſſurum & nos juſtificaturum. Ubi iterum verba *purificabit nos ab omni injuſtitia*, non tantum gratuitam illam juſtificationem; ſed ipſam quoque juſtitiam, innocentiam, & à peccatorum conſuetudine purgationem, quominus ſignificent, cauſa nulla eſt.

Verſ. 10. Oſtenſa Dei fidelitate, ac bonitate, & benignitate, qui ad remittenda nobis peccata, & nos non modo pro juſtis habendos, ſed etiam ex injuſtis juſtos reddendos propendeat; nunc iſtam objectionem, quam prius non niſi reprehenderat, & erroris, atque ignorantiæ accuſaverat, refellit per deductionem ad abſurdum, idque duplex. Primum eſt, Si vera ſit opinio eorum, qui ſe peccato carere putant, non igitur & ante religionis cognitionem peccaverant. Quod ſi id ſit verum, quomodo Deus, qui peccatorum remiſſionem ipſis obtulit, & per Apoſtolos prædicari fecit, à mendacii culpa abſolvetur. Atqui hoc in tam fidelem & veracem Deum non cadit. Abſurdum igitur & illud. Alterum eſt, ſi quis tam abſurdam rem aſſerere auſit, quæ doctrinæ, quam Deus Mundo prædicari juſſit, adeo contraria eſt; certe doctrinam & religionem Chriſtianam non cognovit, neque bona fide recepit. Atqui id homines, falſas doctrinas in religionem, ut diſcipulos in obſequium Magiſterii ſui abſtraherent, tunc invehentes, non facile erant conceſſuri. Ergo opiniones religioni Chriſtianæ, & ſermoni Dei ab Apoſtolis prædicato tam adverſas abjicere debebant.

CAPUT II.

AD præcipienda pietatis officia accedens Spiritus Sanctus, hic quoque antiquum obtinet, & miti quadam, ac benigna ratione præcepta ſua proponit; ut leniter influant potius in obvios & occurrentes, quam violenter irrumpant in invitos ac reluctantes hominum animos. Blando teneræ ætatis *liberorum* nomine alloquitur Apoſtolus eos, quibus ſcribit; & ne qua in verbis ejus difficultate offendantur; ſuamet verba explicat. Cum enim opinionem eorum refellens, qui nobis nihil eſſe metuendum

à pec-

à peccatis docerent, quorum reatu nullo teneamur, docuisset nos & præteritorum, & præsentium peccatorum culpâ supplicio Dei obnoxios esse, ac periclitari: ne cui forte in mentem veniret, sufficere si peccata ista, quæ evitare non possumus, confiteamur, & expectemus, ut nos absque ulla nostra opera Sanguis Christi purificet, aut Deus justificet, quorum utrumque supra dixerat: Ideo addit se ista scripsisse eo fine, ut in id omni studio incumberent, *ne peccarent*. Quod satis ostendit peccata non esse simpliciter inevitabilia. Cur enim tentaret Apostolus impossibilia, aut hortaretur homines ad ea facienda, quæ fieri nequeunt? Est sane in evitandis peccatis maxima, & absque divina ope vix superabilis difficultas. Sed primum habitus, & consuetudines peccatorum vitari, accedente divinâ ope, simplicissimè possunt, non obstante mortalium imbecillitate. In singulis peccatorum actibus evitandis, quominus interdum interveniant, longe plus est difficultatis. Sed & hæc à precum vigilantia, & comparatis, ac subinde incrementum sumentibus virtutum habitibus multum imminuitur, & tandem eo res evadere potest; ut saltem ad aliquod, nec illud breve tempus, homo peccati non modo gravioris; sed & mediocris expers esse possit. De levissimis non loquimur, quæ sub judice nobis adeò benevolo, ac virium nostrarum non iniquo æstimatore, an in peccatorum censum referenda sint, potest ambigi.

Cum igitur Apostolus loquitur *hæc scribo vobis ne peccetis*, præcipue de peccatorum consuetudine intelligendum est, cujus evitatio planè nullam impossibilitatem habet; ideò necessariò nobis evitandi sunt omnes peccatorum habitus. Sed verba, *quod si quis peccavit*, de singulis peccatorum actibus intelliguntur. Qui lapsus infirmitatis nostræ, quia positis tentationum fluctibus, atque, ut nostræ quoque virtuti locus sit, non semper succurrente divinitùs ope, interdum vix evitari possunt: ideoque in illis datur veniæ locus, & paratum est refugium in clementia, & benignitate Jesu Christi, Cui Pater ita omne judicium dedit, ut ipse immediate neminem judicet. Hic autem causæ nostræ *advocatus* dicitur *apud Patrem*, non proprio loquendi modo. est enim Judex, non advocatus: Sed favor ejus erga nos, & benignitas per hanc vocem exprimitur; quasi causam nostram ipse agat, & procuret apud Patrem. Quo loquendi modo benignitas, & clementia Judicis nostri exprimitur, ne animum forte lapsi desponeamus; apud quem adeò advocato infirmitas nostra non indiget, ut ipse sit causæ nostræ advocatus, & Patronus apud Patrem. Eadem benignitas judicis nostri exprimitur per vocem δίκαιον, *Justum*, quæ hoc loco bonum, benignum, clementem, sicuti supra quoque docuimus, significat. Quæ vox non intellecta doctrinam de Justitia imputativa genuit. Sed præcipuè benignitatem, & erga nos favorem Christi denotat; quod *vers.* 2. dicitur *propitiatio pro peccatis, non modo nostris, sed totius mundi*; quia non modo per mortem ejus promulgata sit remissio peccatorum, tàm nobis, quam omnibus aliis hominibus, qui doctrinam ejus recipere volunt: Sed per resurrectionem quoque, & exaltationem omnes erecti sint ad spem vivam liberationis ab omnibus peccatorum pœnis; præcipuè verò à morte æterna. Quemadmodum enim Christus sedens in dexterâ Dei intercedere pro nobis *Rom.* VIII. 34. dicitur: ita hîc quoque advocatus noster apud Patrem esse, eumque nobis, ac toti humano generi placare asseritur: ut hæc propitiatio pro nostris peccatis non ad solam mortem ejus restringenda; sed ad exaltationem quoque porrigenda sit. Nihil enim necesse est sensus Sacræ Scripturæ coarctare, quoties latius prætendi possunt.

Quod autem hæc gratia, favor, redemptio, & propitiatio Christi pro peccatis nostris, nos non eximat ab officio pro virili, & cane pejus, & angue vitandorum peccatorum; satis accurate demonstrat tota ista Epistola, propemodum ubique inculcans nobis necessitatem servandorum ejus præceptorum.

Præcipuè vero eos, qui *Cognitione* mysteriorum religionis, & ipsius Christi gloriabantur & in ista sua γνῶσει proram, & puppim religionis collocabant; docet *vers.* 3. non alia conditione eos *cognovisse Christum*, ejusque religionis mysteria dici posse, nisi ejus *præcepta servent*. Quæ si forte non servent, & tamen cognitionem ejus jactant, *Mendaces esse, & omnis veritatis* ignaros, & *expertes vers.* 4. Solos vero eos, qui servant sermonem ejus (hoc est, præcepta per ejus sermonem, & prædicationem tradita) veram cognitionem ejus habere. quia in iis caritas Dei adimpleta, & consummata est: qui non auribus tantum præcepta ejus per filium data percipiunt; sed vita, & factis exprimant. Maxima enim *vers.* 5. caritas Dei in prædicatione Evangelii apparuit. Sed istius Caritatis fructus in solis iis perficitur, qui prædicatæ voluntati Dei obsequuntur. Ac tales homines soli & Christum *verè nosse, & in Christo verè esse, ac manere* dici possunt. Quid sit autem *esse, & manere in Christo*, explicat *vers.* 6. *Ambulare, sicut ipse ambulavit*, hoc est, vivere, sicut vixit, & eosdem virtutum omnium habitus exercere, quibus ille nobis præluxit.

Vers. 7. Quia præcursores Antichristi novitate doctrinarum suarum discipulorum animos captabant, & aucupabantur; Apostolus hoc loco ait, se veterem doctrinam à Christo ipso prædicatam *ab initio*, hoc est, initio Evangelii tradere: atque ipsorum musteis, ac novis dogmatibus prædicationis suæ antiquitatem tacitè opponit. Christus enim ipse non audiri tantum, sed in praxin, & executionem præcepta sua deduci docuit: & Apostoli toties inculcabant monitum, ne Auditores duntaxat legis essent Christiani; sed executores: utque non Christi tantum doctrina in languida eorum memoria; sed ipse Christus, & virtutum ejus vegeta imitatio in cordibus eorum viveret. Porro voce *præcepti* totam doctrinam religionis significari, supra quoque 2. *Pet.* III. 2. monuimus.

Quanquam *vers.* 8. quasi sese corrigens, *Novam* quoque dici posse doctrinam, quam tradit, ostendit; quia Novitatem vitæ inducat: & quemadmodum de ipso Christo verè istud dici potuit, vetera præteriisse, & novâ per eum facta esse omnia, atque adeò per lucem Evangelii mundo illatam ipsa aurea sæcula condita; ita de fidelibus Christi idem verè asseri potest, eos abjectis veteribus tenebrarum operibus, nova lucis opera consectari, & in luce ambulare.

Cæterum laudem istam, & gloriationem in *luce vivendi* (*vers.* 9.) non ad omnes pertinere, qui se putent, aut dicant luce Evangelii collustratos. Quicquid enim γνῶσεως, *cognitionis, ac dogmatum* lumen aliqui jactent, quia fratres suos ingenio forte, aut eruditioni suæ non statim assurgentes, nec in omnibus assentientes, aut similem aliquam ob causam odio prosequuntur, nondum ex densa tenebrarum caligine eluctati sunt, nec ullius lucis Evangelii lumine, quod mundo illuxit, collustrati sunt; sed atra nox errorum, & ignorantiæ ipsis incubat. At qui servant præcepta Christi, quorum præcipuum est de fratribus diligendis, illi vere in luce manere dicuntur, quæ ipsis monstrat iter, ne offendant ad obvia forte offendicula: inter quæ præcipua sunt odiorum erga fratres ansæ, & occasiones. At iis, qui sibi fratres odisse permittunt, nondum vera lux Christi affulsit, & in tenebris vivunt, nec facile aliquid aggredi possunt, quin turpiter cespitent: quia oculi eorum, caligine cæcati, non prospiciunt in tenebris impedimenta, forte

sorte gressibus eorum objecta. Itaque omnibus, qui propter dogmata sua, ab aliis forte non recepta, oderunt eos, quos diligere Lex Christi præcepit; suspecta debent esse sua dogmata. Odium enim istud erga fratres tenebrarum erroris, & ignorantiæ signum est certissimum; *ut vix aliud falsorum dogmatum certius videatur vestigium, quàm zelus amarus, & accensa adversus dissentientes iracundia.* Et qui sibi hujus infirmitatis conscius est, cavebit, si sapit, novadogmata cudendi fiduciam; quis vix aliquid sani ab eo sperari potest, qui morbo huic obnoxius est. Cæcat enim animos mortalium odium; nec est ulla alma pura, tam liquida, tam incurrens in oculos veritatis Lux, quæ cerni, aut recipi possit ab animo, qui odio proponentis veritatem præoccupatus est.

Vers. 12. Cum de fraterna caritate, quæ à subortis, de quibus infrà mox agitur, Pseudoprophetis violabatur, disserere cæpisset; eandem porrò doctrinam continuat, tacitè ostendens nostrarum esse partium, ut omnes fratres amemus, qui siquidem sint multo juniores, atque ætate inferiores, nobis amandi sunt tanquam proprii liberi: si verò sint superiores, diligendi tanquam Patres: denique si nobis sint pares, amandi sunt sicuti fratres. Ex quo triplici fidelium ergà nos respectu, & consideratione, dividit hoc loco integrum Christianorum, qui nobis fraterna charitate prosequendi sunt, cœtum in tria ætatum genera, pueros, juvenes, & senes, quos hoc loco Patres vocat. Et expressè asserit sese merito Christianorum cœtum his arctioris Caritatis, ac necessitudinis nominibus vocare posse. Incipit autem à *pueris*, quia suprà initio capitis hujus eos, ad quos scribit, τεκνια μου, hoc est *filiolos suos*, diminutiva voce nominaverat; quod non ætatis modo; sed & Apostolicæ dignitatis respectu merito facere potuit. Dicit igitur merito ipsis hoc nomen tribui, & quidem omnibus posse; quia quemadmodum patres teneræ, & infirmæ ætatis liberis hallucinationes eorum non ægre dimittunt: ita ipsis omnibus propter nomen Christi, hoc est, quia ad Christum pertinent, & sunt membra corporis ejus, peccata remissa sunt.

Vers. 13. Progreditur longius, & *Patrum* quoque venerandum nomen omnibus ipsis tribui posse affirmat, quia cognoverint eum, *qui est ab initio* omnium parentem; imo qui est omnium quidem rerum initium; sed præcipuè Prima omnium, & suprema Salutis, ac felicitatis nostræ causa.

Denique ad mediam, & omnium robustissimam ætatem accedit; & *Juvenes* quoque eos omnes vocari posse asserit; quia in Spirituali certamine Satanam superaverint. Nec enim frustrà vulgari dicterio Consilia senum hastæ juvenum vocantur.

Quæ ubi breviter protulit, æquè breviter explicat. Ac *pueriles* quidem (παιδια) sese eos merito vocare posse ostendit *vers.* 14 quia Paternam benignitatem Dei talem experti sunt, qualem vulgo tenera, & innocens ætas ab indulgentia parentum experitur: in ea videlicet (quam suprà expressit) peccatorum remissione.

Patres autem eos à se apellatos ait ob eandem, quam suprà protulit, causam, quia cognitione summi illius Dei, qui suprema est salutis nostræ causa, instructi sint, ita ut alios quoque eadem instruere, & quasi gignere Deo possint. Mutat autem in hoc *versu* 14. verbi *Scribendi* tempus; nec *Scribo*, ut prius, sed *Scripsi* ait: quia *vers.* 13. idem scripserat: nec enim alibi, nisi in hoc *versu* 13. scriptum id ab eo deprehenditur.

Postremo rationem, cur eos *Juvenes* dici posse asseruerit, plenius *vers.* eodem 14. explicat. *Quia*, inquit, *robusti sint, & sermo Dei in ipsis manet, & vicerint illum malum.* Robur ætatis in juventute exeritur: Sed hoc spirituale adversus Satanam robur unde proveniat, non reticet. Adeò robusti sunt, inquit, ut tàm potentem bellatorem vicerint; quia sermo Dei, hoc est, verbum Dei, doctrina illa cælestis, in ipsis manet. Unde patet, quibus armis profligetur Satanas, & quali armorum genere adversus tam validum hostem nos instructos esse oporteat; cui nihil magis sit funestum, & metuendum, quam *gladius verbi Dei*, quem hodie è manibus hominum excutiunt, qui à lectione Sacræ Scripturæ, eaque assiduâ arcent Christianos. Observandum obiter, ut alibi in Sacra Scriptura, ita hoc loco Satanam dici absolute *Malum*, quia ut prima peccati, & malitiæ origo ab ipso fluxit; ita regnum istud pravitatis, & peccati, ad quod expugnandum, ac debellandum Christus venit, propagare non desinit. Notandum autem est, omnes istas rationes, ab Apostolo adductas, cur istis nominibus (quæ pene omnia caritatis vocabula sunt) Christiani vocari possint ejusmodi esse, quæ amorem, & Caritatem eorum mentibus nostris insinuent. Quis enim non diligendos eos existimet, quos Deus unâ nobiscum, communi peccatorum veniâ dignatus, dilexit; qui eadem, quâ nos cognitione Dei instructi, & ornati sint; qui in eodem bello, in eodem periculo commilitones nostri, & victoriæ socii sint?

Vers. 15. Cum ostendisset Apostolus, quid nobis diligendum sit; ostendere aggreditur, quid nobis odio, & aversatione prosequendum sit. Aut potius cum vellet Apostolus Caritatem erga fratres, strictiùs animis nostris inferere, maximum ejus impedimentum, hoc est, Caritatem Mundi ex animis nostris extirpare nititur. Nihil enim magis contemptos, imo etiam exosos reddit fratres, quam amor, & dilectio mundi, & eorum, qua sunt in mundo; sive voluptatum amore, quibus omnes veri Christiani bellum indixerunt, flagremus; sive habendi cupiditate, quæ etiam conjunctissimos odio collidere solet, capti simus; sive fastu, & ambitione cunctis eminendi attollamur, quæ nos superbos, & contemptores aliorum, præsertim modestiam professorum efficit.

Ergo dilectionem Mundi serio vetat, atque damnat. Addit autem *ea, quæ sunt in Mundo*; ut explicet mentem hujus Interdicti, quæ non insontium Creaturarum, neque etiam ipsorum, qui in mundo sunt, hominum amorem, hoc est, humanitatem ex animis nostris excutit: *sed inanissimorum, & noxiorum Mundi studiorum, ac desideriorum*, ex quibus uberrima omnium scelerum, & flagitiorum messis germinat, & exurgit. Quæ studia, & desideria *Mundi* dicuntur; quia longè major pars humani generis ea consectatur: quæ major pars Mundi nomine omnium pene linguarum vocari solet mundus.

Addit autem rationem, cur ista diligenda non sint; quia dilectio eorum adversatur dilectioni Dei, eamque ex animis nostris eliminat; non modo, quia visibilium, & quidem præsentium amor curam invisibilium, & quasi absentium rerum removet, & extinguit: sed etiam quod nos Deus ab illecebris hujus ævi tàm promissis, quàm præceptis suis magno conatu abstrahat. Quæ si semel animum nostrum occupaverint, quid nisi neglectum, & aversationem salubrium Dei monitorum nobis insinuabunt? Nam si ea, quæ Deus damnat, & odit, nobis vehementius placuerint: eadem operâ Dei, nos ab illis arcere cupientis, voluntatem displicere necesse est. In qua tentationum lucta victrix cupiditas, si non infandum ipsius Dei odium subrepere: at certè amorem, & beneficia ejus certissimo neglectu, & oblivione obliterari efficit, & procurat. Nec vacat studiis, ac spinis hujus ævi implicato mentis oculos attollere ad invisibilia: Et si semetipsa ultro luminibus nostris ingerant, claustra mentis, & cogitationum palpebras reperiunt, & contumeliosè exclusa arcentur.

Probat autem *vers.* 16. Omnia ista Mundi studia, atque desideria, quibus mortalium genus dat operam, non esse ex Deo: sed ex mundo, hoc est, non esse voluntati Dei congrua; & consentanea: quia non ex dictamine rationis, verbo ejus illustratæ, originem trahant; sed esse vana decipi volentis, ac decepti Mundi ludibria, ex pravitate mortalium ortum habentia: Probat id, inquam, per enumerationem triplicis generis cupiditatum, quæ voluntati Dei repugnent, nec ullo modo ex Deo proficisci potuerint, aut possint. Primum est cupiditas carnis, quo omnis libidinis, gulæ & intemperantiæ vitia pertinent. Alterum Cupiditas oculorum, seu, Radix omnium malorum; Avaritia, ex qua omnis injustitiæ germina pullulant. Tertium Fastus vitæ, & ambitio, ex quâ non privatæ modo injuriæ; sed publica bellorum incendia excitantur: in quibus injustitiæ crudelitas additur. Atque hoc loco omnes flagitiorum, ac scelerum fontes recluduntur, cum vix ullum dari possit vitium, quod non ad aliquam trium istarum cupiditatum originem suam referat. Quæ certè cupiditates omnes, ex pravitate mortalium, muneribus Dei tàm naturalibus, quàm acquisitis pravè utentium, aut potius abutentium, oriuntur; non autem ullo modo ad auctorem Naturæ Deum referendæ sunt. Insevit enim Deus omnibus naturales impetus, quibus in bonum, ad conservationem, aut propagationem sui pertinens, atque ipsa voluptate commendatum, ferantur: sed neque nimios aut insanos. Et ne qua fortè furere, aut exorbitare possint, frænum rationis hominibus addidit, quibus compesci, aut in ordinem redigi queant. At nos tantis muneribus Dei turpiter abusis, frænum moderationis in calcar nequitiæ convertimus; & in luce rationis, modum invenimus quomodo densiores cupiditatum nostrarum tenebras redderemus, & brutis, ac cæcis naturæ motibus non modo furorem, & vehementiam: sed & ingenium addidimus. Vis scire quantum homini Ratio, vel potius Rationis abusus nocuerit; respice brutorum sortem, & utrum tàm rabidis vitiorum æstibus agitentur dispice. Sanè in illis naturali voluptatum usui finem affert satietas, nec sibi potu crapulam, nec cibi ingluviè morbum, nec nimio veneris usu mortem accersunt, rudes ad reliqua scelera; quia lumine isto uti nequeunt, quo nos abutimur. Nulla avaritiæ, nulla ambitionis siti torqueantur, superbiam in paucis, sed innoxiam reperias, nec in ullas injurias erumpentem. Vides igitur non in naturâ, aut ejus auctore; sed in pravo rationis usu vitiorum omnium quærendas esse origines. Nec ratio ipsa accusanda: sed eâ, vitiosè utentium pravitas. Cæleste illud, & eximium est; sed in quos à cæcis mortalibus detorquetur.

——— *Non hos, donatum munus in usus.*

Atque hæc, quia omnibus liquido patent, subaudiri maluit Apostolus, quàm superflua diligentia explicari. Illud unum dixisse contentus, omnes istos vitiorum, quos enumerat, rivos ex divinæ bonitatis fonte derivatos non esse: sed ex Mundi, hoc est, ipsorum hominum pravitate profluere. Notandum autem, ut alibi non semel in hac epistola, ita in hoc loco; Deum, absolutè positâ voce *Patris* nominari; idque bis intra duos versus: primum quia sit Pater Domini nostri Jesu Christi; quod sub Novo fœdere agnomen ejus inolevit; deinde quod erga nos paterna voluntate, & indulgentiâ propensus sic vocari meruerit.

Vers. 17. Affert alteram rationem, cur mundus amandus non sit; aut potius, quia in superiori ratione ostendit, Non posse simul & Deum, & Mundum amari, nunc probat Deum potius, quam mundum amandum esse. *Quia mundus*, inquit, *præterit, & cupiditas ejus: at qui facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Hoc est, Promissa, & illecebræ, & Spes, quascunque ostentare potest mundus, fluxæ, & fugaces sunt, & momento transeunt. Proinde & isti, qui tam caduca bona amplexi sunt, qui studiis, ac desideriis mundi fallacis tenentur, atque indulgent, ipsi quoque una cum istis pereuntibus bonis intereunt. At summus Deus, ut ipse stabilis, & æternus est; ita omnes, qui voluntati suæ morem gerunt, felices in perpetuum, atque æternos efficiet. Per voces *mundus præterit*, non illud tantum ultimum, & post multa secula venturum, mundi excidium designat: nequis sibi falsem, productæ in longum tempus felicitatis morâ blandiri possit; sed etiam præterea citò marcescentem, & quotidianis casuum procellis caducum humanæ felicitatis florem; quæ fallax, & insidiosa felicitatis umbra etiam vita hominum superstite momento citius senescit, ac nos deserit, & si quando præter morem suum eam durare contingat, à nobis certè per concessi ævi brevitatem deseritur. At eorum, qui voluntatem suam ad voluntatis Dei normam, & legem componunt, felicitas; quia non circa caduca, & peritura occupatur, nec est mortale, quod optat, & captat, primum ipsa exemplo illius, quæ una cum fragilibus bonis frangitur, quamdiu vita superat, non senescit, aut imminuitur: sed crescit occulto velut arbor, ævo, & indies novum florem induit, nova sumit incrementa, novum robur; tanquam cælestis planta, Spiritus Sancti rore irrigata. Nec enim habent ullum statum, & fixum crescendi modum, quæ ad æternitatem tendunt; à quo iterum veluti à summo floris sui fastigio retro sublapsa deorsum relabantur. Brevis, & fugacis ævi vestigium habet hic circulus. Fides, & spes æternorum illibata, (modo per obstantia vitiorum eluctetur, & erumpat) vires ab ipso ævo sumit. Nec atteritur certamine: & quo longius tentationum fluctibus verberata est, eò est compactior, & firmior, & leviores subinde undarum ictus sentit, donec nullos sentiat; & quo propior est terreni certaminis exitus, eò & ipsa victoriæ propior, eò firmior: in reposita sibi glorioſissima præmia animo, & cogitatione præcurrit. Casuum interea, & fortunæ atque omnis damni, aut interitus secura, & ex alta, ac tuta specula fluctuum mundi vices, & fatorum ordinem ac theatrum universi una cum indigenis cæli spectatoribus nunc quoque despiciens; jam in hoc ævo æternitatis nectare, & Ambrosiâ fruitur. Scopum Apostoli fuisse in hac epistola, non modo veram Cognitionis Dei, & Christi rationem, quæ in vitæ puritate, sanctimonia, & fraternâ caritate consistit, tradere adversus eos, qui falsas, & Gnosticas cognitionis hujus rationes Ecclesiæ obtrudebant: sed etiam ipsos illos falso nominatæ scientiæ introductores, avos, atavosque præsentium Ecclesiæ oppressorum, & Antichristorum latenter in Ecclesiam Apostolicam irrepentes detegere, locus hic ostendit. Quæ eadem doctrina non modo hic fuse tractatur; sed iterum initio *Cap.* IV. satis accurate inculcatur; & iterum eodem Capite, *vers.* 18.: & initio Cap. quinti, licet occultius repetitur. Nunc ad *versum* 18. redeamus.

Vox diminutiva *pueruli mundi* paternæ, non tàm authoritatis observantiam, quam dilectionis teneritudinem arguit; Et videmus ipsos Apostolos Paterni nominis honore ad affectus potius sui propensionem exprimendam usos, quàm ad eminentiæ suæ supercilium abusos esse; probe memores præcepti Domini, qui in Magistrali auctoritate secum; ita in paternæ reverentiæ fastigio cum patre suo neminem in Ecclesiâ concurrere voluit. Tam blando igitur agnomine veros Christi, & Apostolorum discipulos flectere voluit ad amplectendam gratò, & mutuo affectu monitionem suam. *Ultimum*, inquit, *tempus adest.* Vocem *ultimi* ad primum, ac medium quoque tempus, quæ antecedunt, relationem habere necesse est. Primum igitur

tempus

tempus illud videtur, quod ipse Joannes ubique principii nomine designat, *Initium prædicationis* Christi & Evangelii; quod ab ipsius Domini ore primitùs promulgari cæpit. Medium post assumptum in cælum Dominum, cum non modo in Judæa à Petro, ac reliquis undecim aliquamdiu: sed toto orbe à Paulo, & reliquis Apostolis, & Apostolicis viris, propagaretur purissima illa Evangelii veritas, quam in eorum scriptis ad vivum expressam legimus. Ultimum autem erat, cum deficientibus paulatim Apostolis, quibus ultimus supervixit Joannes, variis erroribus inficeretur Ecclesia, & via ad illam apostasiam, 2. *Thess.* II. prædictam, præpararetur; quamvis adhuc quorundâ Apostolorum, & Apostolicorum virorum superstitum opera, vigilantiaque Ecclesia pene tota contineretur in officio, nec illi errores adhuc regnare permitterentur; licet jam multi Antichristi, hoc est, Antichristo, & apostasiæ viam præparantes, coorirentur.

Hinc patet totam istam temporis continuitatem, cujus respectu ævum, de quo Joannes loquitur, fuit ultimum, respicere virginitatem illam Ecclesiæ, cujus apud Eusebium Hegesippus meminit, hoc est, *puram genuinam, & illibatam doctrinæ Christi ab eo, & Apostolis prædicatæ Veritatem.* Huic autem ultimo tempori successuram fuisse Antichristi apostasiam. Cui Apostasiæ Joannes in hac epistola opponit sæpius veritatem illam, quam noverant (infrà *vers.* 21.) & quam audierant à *principio* (infrà *vers.* 24.) & unctionem quam acceperant à Christo. Vide & *cap.* III. II. Illa igitur pura doctrinæ Christi veritas, quam à principio audierant isti, quibus scribit Joannes, quam suborientibus extremo ejus ævo Antichristis tanquam acceptam à Christo unctionem tenebant: illa inquam veritas casta, & incontaminata fuit; cujus ævum ultimum advenisse asserit Apostolus. Ultimum autem ideo; quia statim flos hic illibatus veritatis marcescere debuit, afflatus noxiis doctrinæ Antichristi auris: quæ tametsi omnem salutarem vim religionis exinguere, ac tollere non possent; decus tamen, & florem ejus delibare, lucem obscurare, atque ipsam vim salutiferam non uno modo infringere, per multa secula potuerant. Quamvis autem in cogitationibus nostris, ad *cap.* V. epistolæ Jacobi, vocem Ultimorum dierum, aut temporum; alias quoque ob causas illic ita dici potuisse monuerimus: hoc tamen loco non alio, quam aurei illius Apostolici ævi respectu, quo pura, & incorrupta veritas in Ecclesia regnavit, Ultimum tempus dici, non una de causa censemus.

Primum quia signum istorum ultimorum temporum præcursorum Antichristi adventus esse dicitur. Unde necessario patet Tempus illud totum, cujus pars *ultimum tempus* dicitur, ipsius Antichristi adventu terminandum fuisse. Nec enim Antichristus extra Ecclesiam; sed intra Ecclesiam sedem ac regnum, aut potius tyrannidem suam habiturus erat. Quæ tyrannis cum omni seductione injustitiæ, & efficacia erroris conjuncta erat futura. Regnantibus igitur, ac prævalentibus Antichristi ævo erroribus, aurei illius veritatis seculi felicitas submoveri, ac desinere debuit. Deinde earum, quas citato loco proposuimus, causarum, ob quas illa tempora ultima dici possent, in præsenti loco nulla locum habet. Neque enim hoc ultimum tempus dici potest respectu durationis in suo Statu gentis, ac Reipublicæ Judaicæ; quia non Judæis Joannes; sed Christianis maximâ sui parte ex gentibus collectis scribit, quos gentis istius excidium terrere minimè poterat. Atqui admonitu casus, aut instantis ultimi temporis terrere, & excitare ad vigilantiam Christianos Apostolus voluit. Casus igitur ille, atque periculum instans, quod ponit ob oculos Apostolus, non Judaicæ genti; sed Christianæ Ecclesiæ imminebat. Præterea quamvis Judaicæ quoque gentis excidium alibi prædictum sit à Christo, hoc loco tamen Joannes non hujus: sed alterius prædictionis mentionem facit; quâ prædictus maturè fuit Antichristi in Ecclesiam adventus, ne improviso imparatis ingrueret. Neque etiam hoc ultimum tempus hic dicitur, respectu solius illius generationis tam deficientis, quæ Christum & Apostolos audivit. Quid enim opus fuisset quod ex aliis signis, puta ex adventu Antichristorum, adventum ultimi temporis indagare: si ex solo obitu eorum, qui Christi seculo vixerant, liquido omnibus patere potuit. Præterea non statim post obitum Apostolorum, & hominum ipsis coævorum; nec subito, aut uno ictu; sed per certa intervalla, & spiramenta temporum; conspiratio errantium in Ecclesia prævaluit. Productum enim est istud *ultimum* tempus etiam aliquanto post decessum Apostolorum; sed non in longum invalescente sensim eorum numero, qui in erroris factionem indies magis magisque conspirabant.

Denique ne Mundi quidem ultimum excidium, per ultimum tempus hoc loco intelligi, ulla probabilitas permittit. Nec enim vivente Joanne ita vicinus fuit mundi exitus, ut illum jam jam instare dici posset. Non igitur aliud per Ultimum istud tempus intelligitur, quàm quod adventu Antichristi terminari debebat; illud olim intaminatum doctrinis Antichristorum ævum, hoc est, pura, & illibata prædicationis Apostolicæ veritas.

Postquam dixisset Apostolus *ultima hora est*; subjicit, *& sicut audistis Antichristum venturum; & nunc Antichristi multi* (γεγόνασι) *facti sunt*, hoc est, evaserunt: seu ex Christianis, Christi servis, Antichristi, & Christi hostes facti sunt. Multum vero interest apud Joannem inter voces γέγονε & ἐγένετο, quarum illa perfecti, hæc imperfecti significationem habet. & illa per Latinam vocem *Factum est*, hæc per *Erat*, aut *Fuit* explicanda est.

Sicuti audistis. Ex his verbis patet, inter cætera prædicationis Apostolicæ præcepta, & doctrinas, non postremam fuisse Doctrinam & traditionem de Antichristo. Quam doctrinam, ab Christo acceptam, omnes Apostoli inculcabant: Nec ullum eorum, qua extant hodie, scriptum est, quod non aut apertam ejus mentionem, aut occultiorem & implicitam, non tamen obscuram ejus prædictionem contineat. Adeo Spiritus Sanctus hominibus venturo huic malo remedium præsto esse voluit; ne imparatis, & nihil minus exspectantibus Christianis pestis hæc superveniret: verum ut unusquisque futurorum admonitu, ac provisu tantò cautius, ac vigilantius sibi caveret, atque prospiceret.

Notandum & illud Tempus adventus Antichristi, non multò post Apostolica tempora venturi, esse designatum, & prædictum; cujus mysterium viventibus adhuc Apostolis peragi cæpit, cujus rei vestigia non occultiora modo apud omnes omninò (nemine excepto sed apertissime quoque apud præcipuos Apostolorum, Petrum, Joannem, Paulum reperias. Ita cum tempus adventus Christi Spiritus Sanctus occultum, & ignotum esse voluerit; tempus tamen venturi Antichristi ignorari noluit: quia illud distincte prædici, ac præsciri longe magis, quàm aliud aliquid ex rebus futuris Ecclesiæ intererat. Ideò Christus ipse, quotiescunque de rebus futuris, quas prædixerat interrogaretur; etiam tunc, cum eas in parte revelare rogantibus constituisset, semper tamen prius sub nomine pseudoprophetarum, Antichristorum adventum discipulis suis cavendum proponebat: quasi curas eorum de rebus futuris, ab eo quod minus ipsis incumberet, ad res provisu magis necessarias averteret. Vide *Matth.* XXIV., *Mar.* XIII., *Luc*, XXI.

Cum verò Antichristi adventus purissimam illam veritatis Evangelicæ lucem in ecclesiâ non leviter obscuraturus esset; mirum videri possit cuipiam, & parum credibile, Lucem istam cælestem ea conditione orbi terrarum affulsisse, ut intrà breve illud Apostoli ævi spatiũ evanesceret, aut extingueretur, ut merito quispiam illud poëtæ queri possit an ideo tantum venerat, ut exiret.

Atqui hæc difficultas non est tanti, ut liquidissimis & manifestissimis Pauli, & Joannis, imo ipsius quoque Petri, atque Judæ testimoniis fidem abroget. Quis enim beneficiis, aut liberrimæ simul, ac sapientissimæ Dei voluntati aut modum, aut certos fines statuat aut præscribat, intra quos justissima & consultissima decreta coërceantur? Permissionem autem licentiæ hujus, Satanæ indultæ; quâ in Ecclesiam Dei, nisi ipsa sibi non perfunctoriâ vigilantiâ caveret, possit grassari, decretam à Deo fuisse ex tot prædictionibus constat. Non igitur ulla lege ad rationem ejus reddendam obligamur, neque quisquam vel minimum juris habet, ad eam à nobis reposcendam.

Constat ubique Deo ratio consilii sui, quam etiam reddere non gravatur verbis Apostoli 2. *Thess.* II. 10. 11. Sed ne hominibus quidem judicia sua prorsus impenetrabilia esse voluit. Neque enim per adventum Antichristi, aut regnum Christi, aut lucem doctrinæ Christi tolli penitus, & extingui in Ecclesia permisit; sed tantum viam Salutis aliquanto impediriorem reddi, quàm fuit antequam invectis ab Antichristi errorum salebris impediretur. Quæ permissio beneficium Dei non sustulit; sed quo pluris ab humano genere æstimaretur, pretium ejus quodammodo intendit, & hominum conatus ad enitendum ipsa difficultate excitavit. Cur autem difficultates eas in via salutis capessenda hominibus objici permiserit, multas habere causas potuit; quas ut Deus ipse nemini, ita pro Deo nemo cuiquam reddere tenetur. Illa tamen cunctis est ita obvia, ut se etiam non vocata, nec nimium quæsita ultrò obtrudat: nempe quia in viis suis laqueos, & insidias Deus ponere voluit, quibus non modo aliorum hominum improborum, sed Judæorum inprimis perversitas, & incredulitas caperetur. Et tamen has quoque difficultates, & salebras, adeoque regnum Antichristi, constricto Satana, tandem sublatum iri, & ipsius Israëlis reliquam post tot exacta secula progeniem, ad regnum filii sui redituram, Deus non mendax promisit. Quid igitur habet morositas mortalium, quod hic queratur, aut expostulet? An Deo non licuit, proposito tanto mortalibus victoriæ præmio, legem certaminis pro beneplacito, & arbitrio suo nunc duriorem, nunc faciliorem reddere? Facessant ergo ejusmodi cogitationes, quæ non mentes nostras ad normam Judiciorum Dei modeste componere conantur: sed judicia & decreta Dei ad normam sensuum nostrorum arroganter exigere audent. Satis disertis Spiritus Sancti oraculis tempus adventus Antichristi, Apostolico ævo vicinum fore, prædictum est: cujus tot indicia etiam viventibus Apostolis erumpebant.

Proinde Paulo, & Joanni, ac reliquis Apostolis plus fidei adhibendum est: quam iis, qui tot elapsis post Apostolos seculis, demum AntiChristi apostasiam assignant.

Prædictarum à Spiritu Sancto prophetiarum eventum, & circumstantias nemo melius quam ipse Spiritus Sanctus explicat. A cujus verbis, ac testimonio si recesserimus; quemadmodum Judæi in explicandis de Messia prædictionibus recesserunt; metuendum est, ne nos quoque tam inaniter Anti-Christum venturum expectemus; quàm inaniter, & ridiculè illi suum Christum, aut Messiam expectant. Neque sane multo cæciores esse existimo, qui post religionis Christianæ per orbem prædicationem, & ignaris Dei gentibus exortam limpidissimam lucem, regnantem Christum non vident; quam eos, qui post oppressam in Ecclesia libertatem, & invectas tot tenebras; non vident dominantem Antichristum.

Ac si nullum esset in Sacris oraculis tam propinqui Apostolorum ætati adventus Antichristi vestigium, satis graves supererant causæ quærendi; unde tàm cito tàm discors priscæ religionis analogiæ doctrina, unde corrupti mores emerserint, quæ pestis illam fraternam inter Christianos caritatem extinxerit, quæ calamitas fidem à sancta conversatione ad novas Symbolorum, & confessionum formulas, à seriâ vitæ sanctimonia ad speciosam corporalis exercitationis ostentationem, à veritate ad fabulas, à concordia, ac mutua tolerantiâ ad mutua odia, & dissidia transtulerit? Quamobrem homines de natura Dei disputare, quàm voluntati morem gerere; Christum verbis potius, & excogitatis confessionibus, quam imperato obsequio demereri; Spiritum Sanctum laudibus ornare, quàm mereri maluerint? Unde ille principis Ecclesiæ Clerus psychicus? unde levissimis de rebus aniles rixæ? An ego Thaumaturgos, Narcissos tàm levidensium nugarum satagentes feram? aut patrasse miracula credam; qui roboratæ miraculis Apostolorum doctrinæ tam turpiter derogabant? Taceo inania, & fabulas; taceo ipsas fraudes, & circumveniendi versutiam. Illud omnem veniam consumpsit; quòd se invicem Christiani, nondum à persecutionum discrimine securi, discordibus studiis, & commissis invicem viribus obterere ausi sint. Et quos forte propria potentia frangere non poterant, commodatâ à persecutoribus tyrannide opprimerent. Quid ita Ecclesiæ exequendis decretis Aureliani potestas intervenit? Nondum (inquiunt) persecutor erat Ecclesiæ. At à Christianis Christianorum persecutor esse didicit. Posteaquam enim ab altera certantium parte ad alteram opprimendam advocatus est, biennio post omnium opprimendorum consilium cepit. Nec verò unum Paulum injuria illa afflixit; Nec ille privata ope domum Ecclesiæ retinere usque ad Imperatoris interventum potuisset, nisi pars potentior illius Ecclesiæ; & conventus Antiocheni illi astipulata fuisset. Quod vel ex ipsius Aureliani decreto intelligas; in quo non ea de causa Sede suâ cedere Paulus jubetur, quod concordi illius Concilii consensu damnatus esset: sed quia unâ cum suis à Romani tunc Episcopi sententia dissideret. Nam in cæteris, quæ in odium Pauli memorat Eusebius, non plus fidei meretur, cum obtrectat inimico; quàm cum assentatur principi Constantino. Verum hæc alió pertinent, & aliàs diligentius excutienda sunt. Nunc ab hoc diverticulo ad orbitam Apostoli vestigiis pressam regrediamur.

Dicit is inde cognosci ultimi temporis adventum; quod multi Antichristi facti, hoc est, coorti sint. Signum ultimi temporis dicitur Antichristorum adventus. hinc apparet ultimum istud tempus non absolutè sumi; sed secundum quid. Non enim adventu Antichristi duratio, atque ævum mundi finiendum prædictum est. Sed durante mundo Antichristi interitus, Constrictio Satanæ, Conversio Judæorum, & florentissimum Regnum Christi in terris, atque illud quidem minime brevi temporis spatio duraturum prænunciatum est. Non aliò igitur tempus istud ultimum referri potest, quàm ad illam veritatis Apostolicæ puritatem; cui insignis mutatio ab adventu Antichristi imminebat.

Illud quoque hoc loco notandum est, uni illi Antichristo, cujus adventus vulgò omnibus in Ecclesia erat prædictus, multos Antichristos, tanquam videlicet præcursores, & administros ejus opponi: aut potius prædictionem de uno Antichristo venturo, per eventum adventus plurium Antichristorum exponi. Unde patet, cum in prædictione Spiritus Sancti unius Antichristi, in singulari numero mentio fit, non esse eam prædictionem morosè ad unum duntaxat singularem hominem restringendam; sed in pluribus quoque, qui modò naturam Antichristi habeant,

habeant, impleri posse. Antichristus enim hostem, atque adversarium Christi significat; ut ex ipsa vocis significatione liquet. Nihil autem repugnat ejusmodi hostes Christi, & adversarios esse plures, non modo hominum, diversis temporibus sibi succedentium respectu; sed etiam imo eodemque tempore, & quorum unus alteri non subordinetur. Qua in re autem repugnantia ista, & hostilitas adversus Christum cernatur, considerantibus illud occurrit: Cum Christus ex natura vocis Regem populi Dei, ab ipso *Deo unctum*, significet: Antichristum non alia in re magis huic Regi adversari: quàm quod ipse quoque Rex populi Dei esse velit, & in tàm impio conatu cum legitimo Domino suo infanda rivalitate concurrat. Invadere autem in jus, legitimo Domino, ac principi debitum, hostis est, & perduellis, illegitimam tyrannidem occupantis. Ex eo fonte manant reliquæ omnes, inter verum, & falsò prætensum Regem repugnantiæ. Verus enim Rex vero, ac legitimo jure suo nititur, nec ulla in re credulitatem populi sui decipit. At falsò prætensus impostor dolis, & fraudibus injustitiam suam velat, & abscondit.

Præcipuè vero à nulla adversus verum regem injuria, calumnia, & criminatione, aut obtrectatione abstinet. Verus Rex paterno affectu populum suum prosequitur: & quia invicem diligi ab eo optat, blando, ac benigno eundem imperio regit; libertatem, ipsi divinitùs datam, illibatam relinquit. Sed nullo erga populum affectu tyrannus ducitur, suas res agit, nec odium populi, quem non amat, moratur; dum metu, ac violentia vel invitos in obsequio teneat; & quia justa rebellionis formidine trepidat, nihil ingenuæ libertatis subjectis relinquit; sed gravi, & crudeli potestate constrictos, quasi in carcere, detinet. Affectata igitur in Ecclesia tyrannis, *& dominatio* est, quæ Antichristum cum Christo committit, hoc est, oppressio mentium, & conscientiarum; quarum legitimus Rex nemo esse potest, nisi qui omnem in cælo, & in terra potestatem accepit. Hanc autem sibi, impudenter vendicant, qui in jus Christi invadere audent. Quemadmodum autem eos, qui dominari Ecclesiæ, & conscientiis volunt; quia naturam religionis convellunt, multa falsa, & impia dogmata invehere necesse est; ita qui falsâ dogmata in Ecclesia propagant, si fœtus suos vitales esse velint, dominationem conscientiarum invadere coguntur. Adeò ut nesciam utra pestis prior in Ecclesiam irrepserit. Nam & dominationis libido etiam absque ulla alia cupiditatis illecebrâ satis acres aculeos habet; & gloriæ sitis etiam modestos homines urit interdum, atque urget ad mentis male sanæ commenta ad posteritatem propaganda. Credibile est utramque simul primos illos, subsequentium hostium Christi anteambulones; à recta prædicationis orbitâ in transversum egisse. Nisi quod dominandi libido aliquanto serius, quam errorum propagatio successum, quem quærebat, obtinuerit. Cæterum ex dictis liquet, ejusmodi potestatis Christi æmulos plures esse posse; qui tamen sub unius nomine prædicti sint, quia unus idemque ipsos Spiritui Christi adversus Spiritus agitare debuit. Prætereà quia uni Christo concinnius unus quoque Antichristus opponitur; quos tamen plures esse, qui diversis temporibus singillatim ei opponi possint, nihil impedit.

Non temerè autem Antichristos, de quibus loquitur, ait *Factos esse* (γεγόνασι) quia facti sint id, quod ante non fuerint, hoc est, mutati sint, ac in deterius degenerarint.

Subjicit enim statim *vers.* 19. *Ex nobis exierunt: sed non erant ex nobis.* Cui similis loquendi modus est *Actor.* xx. 30. *Ex vobis ipsis* exurgent viri, loquentes perversa. Verba autem (ἐξῆλθον) *exierunt*, non videntur significare hoc loco exitum eorum ex Ecclesiâ, hoc est, schisma, & segregationem ab Ecclesia, sive ultrò factam, sive iis pro pœna inflictam; quamvis alterutra, aut utraque etiam evenire potuerit. Nam quod non *mansisse nobiscum* statim dicantur, id de permansione in eadem recta doctrina intelligi potest. Sed hic vox *exire* in præterito significat idem, quod *Act.* xx. exurgere in futuro; Ex nobis exierunt, hoc est, *ex nobis exorti sunt*, quia in eodem nobiscum Christianæ vocationis cœtu fuerunt, antequam falsa dogmata spargere inciperent. Ex Christianis igitur, & fidelibus exortos istos Antichristos dicit. Sed ne quis Christianis, & fidelibus ejus rei culpam attribueret; addit eos non fuisse ex Christianis, & fidelibus. Hinc patet vulgatam illam Ecclesiæ visibilis ab invisibili distinctionem immeritò carpi. Quis enim non videt, voces ἐξ ἡμῶν *ex nobis* Ecclesiam Christi significare, ita ut hic Apostolus Antichristos, de quibus loquitur, exiviisse ex Ecclesia Christi, & tamen non fuisse ex Ecclesia Christi, manifestè asserat. Quamvis enim essent ex illa visibili Ecclesia, in qua promiscuè boni, malique reperiebantur: tamen ex illa invisibili, vera, ac soli Deo, Christoque notâ non fuerunt. Neque enim ausi fuissent ab Apostolica doctrina vel latum unguem discedere. Et propter pravas cupiditates suas non violassent Ecclesiam. Fieri autem poterat, non paucos mortalium ita sese Ecclesiæ adjunxisse; quemadmodum Simon Magus *Act.* viii. 13. qui accesserat ad Ecclesiam visibilem, & tamen non habebat partem, neque sortem hæreditatis in sermone Evangelii. Ibid. *vers.* 21. Et hic fuit hæreticorum omnium primus, cujus vestigia secutos istos à Joanne detectos Antichristos nullum dubium est, quanquam eum forte non in omnibus sectari auderent.

Ne quid autem dissimulatione transmittamus (quamvis alioqui generaliores Sacræ Scripturæ sensus, ubicunque locum habere possunt, præferamus iis, qui arctius restringuntur) possint forsitan voces ἐξ ἡμῶν *ex nobis* ad solos Apostolos restringi: ita tamen ut non ipsas eorum personas, sed eorum doctrinæ, & institutionis naturam, & genium designent. Præsertim cum voci ἡμῶν, quæ *vers.* 19. quinquies repetitur, proximè sequenti *versu* 20. quasi opponatur vox ὑμῶν, *vos*. Dicit igitur secundum hanc explicationem Apostolus istos Antichristos, quia à prædicantibus Apostolis religionem Christianam didicissent, ex doctrina quidem, & institutione eorum prodiisse: non tamen doctrinam istam, & institutionem, fideliter servasse; quia ab ea defecerint, nec in ea constanter permanserint. Unde pateat non omnes, qui Apostolorum discipuli quoquomodo dici possunt, esse veros, & genuinos eorum discipulos. Ut si pater, de filio degenere diceret; Ex me quidem natus est hic: sed ex natura, & indole mea nihil habet. Si quid enim paternæ indolis haberet, non degenerasset à moribus meis, premeret vestigia majorum. Sed apparet non omnes, qui ex parentibus nascuntur, esse indolis eorum participes.

Quæ explicatio huic loco aptior videtur, & consectario isti, quod Apostolus in fine *vers.* 19. ex isto Antichristorum exemplo deducit, magis est consentanea, & confirmatur verbis versus sexti cap. quarti, & saluberrimum, atque in historia Ecclesiastica maximi usus monitum continet.

Ex eo enim quod discipuli, & auditores Apostolorum viventibus adhuc ipsis pravas, & Antichristi spiritum redolentes doctrinas invexerint, liquido deducitur; non omnes, qui religionis Christianæ doctrinam ab ipsis Apostolis acceperint, veros, ac genuinos eorum discipulos, & successores fuisse.

Sed multos qui in doctrina, & prædicatione eorum non permanserint, spuriam, & adulterina eorum progeniem fuisse.

Quemadmodum autem Paulus 1. *Cor.* XI. 10. eo fine hæreses à Deo permitti ait; ut probati manifesti fiant inter Christianos (Nam in ejusmodi bellis, ac certaminibus spiritualibus virtuti, & gloriæ campus aperitur) Ita hanc Apostasian Antichristorum Joannes hoc loco à Deo permissam innuit; ut planum sit omnibus, non omnes qui se jactant Apostolorum successores, esse genuinos eorum discipulos.

Vers. 20. Cum versu præcedenti ex eo probasset Antichristos, de quibus loquitur, non fuisse veros Christianos, aut Apostolorum discipulos: quia in Apostolorum doctrina non permanserint; opponit ipsis eos, ad quos scribit, tacitè eos laudando, quod in ista doctrina permanserint: quia unctionem habeant à *Sancto*.

Per nomen autem *Sancti* hoc loco, aut ipse Spiritus Sanctus denotatur, & tunc ipsa unctio effectum hujus spiritus designaret, hoc est, Sufficientem illam cognitionem omnium rerum ad Salutem necessariarum, qua eos imbutos fuisse eodem versu asserit. Aut si Spiritum Sanctum per ipsam *unctionem* designari statuamus: tunc vox *Sanctus* significabit eum, à quo ipse Spiritus Sanctus procedit, hoc est, Christum, qui alibi. *Marc.* 1. & *Lucæ* IV. etiam à Dæmoniis quondam *Sanctus* Dei appellatus est.

Cæterum non modo verba textus, sed & ratio ipsa ostendit unctionem hoc loco veram mysteriorum religionis Cognitionem significare. Ratio quidem, quia aptissimò, & frequentissimo loquendi more *Unctio* Cognitionem perfectam, ac penitiorem rerum, quas forte didicimus, significat. Exprimit enim aptissima similitudine illam non levem, ac perfunctoriam tincturam; sed penitiorem, ac durabiliorem imbutionem perceptionis earum rerum, quas cognoscimus, & quasi per Mansurum colorem, quem imbibimus. Longe melius autem, & perfectius colorem hunc imbibit, qui illo quasi ungitur, & violentiori contactu eum sibi imprimi & affricari curat; quod fieri in unctione solet: quam qui duntaxat tingitur, & leviori contactu madefit. Taceo quod unctio absque oleo fieri non soleat, quod intra poros ejus, qui ungitur, præsertim valido ungentis contactu accedente, penitus descendit, ac firmius recipitur: ita ut *unctio* longe penitiorem atque, ut sic loquar, intimiorem unctorum imbutionem efficiat quam tinctorum tinctio.

Verba textus autem eandem perfectam Cognitionem, per Unctionem istam denotari arguunt, quia se ipse *vers.* 20. Joannes explicat quid per eam intelligat, dum subjicit verba: Et *nostis omnia*. Particula autem & in Sacris litteris, sæpe ponitur pro *id est*.

Deinde *vers.* 21. tribuit ipsis sufficientem veritatis cognitionem, ex qua possint mendacia, & falsitates impostorum cognoscere, & coarguere. Tertiò, quia quemadmodum unctio *vers.* 27. manere dicitur in ipsis; ita *vers.* 24. Notitia per auditum à principio accepta, ut in ipsis maneat, inculcatur. quæ non alia esse *vers.* 25. ostenditur, quam Doctrina illa religionis, ab Apostolis prædicata, viam ad vitam æternam perveniendi docens, & ostendens. Postremo ista Unctio *vers.* 27. vocatur verax, & non mendax: quod Doctrinæ, & Cognitioni veritatis Apostolicæ, præsertim falsis doctrinis Antichristorum oppositæ, apprimè congruit. atque ibidem qui unctionem hanc in se manentem habeant, non necesse habere dicuntur; ut quisquam eos doceat: quia qui sufficienter veritatem novit, in refellendis contrariis erroribus ipse sibi magistri loco, esse potest. Atque hic occasione *vers.* 21. notandum; (quod & *vers.* 26., 27. confirmatur) Apostolum, ideo, quia sciret eos, quibus scribit, sufficienti divinæ veritatis cognitione (nondum enim per Antichristos obscurata erat) instructos esse, hoc labore tanquam minus necessario supersedisse, ut iis mysteria religionis plenius explicaret; Hoc tantum inculcasse, ut in ea Cognitione quàm primitùs (à principio) ab Apostolis acceperant constanter perseverarent.

Quamvis autem veritatis illius, ab Apostolis prædicatæ, dogmata distinctius non explicet, nec universos forte Antichristorum errores excutiat, non omittit tamen ea refellere, & oppugnare, quibus jam tunc maximè Ecclesiæ nocere incipiebant, & posteà nocuerunt. quæ partim ad doctrinam; partim ad vitam, & mores hominum pertinebant. Eorum, quæ ad doctrinam pertinebant, unum præcipuè impostorum illorum dogma perstringit, & exagitat, quod animis hominum instillarent, illum Jesum, è Spiritu Sancto conceptum, è virgine natum, filium hominis, & hominem, qui in carne mortali venit, non esse filium Dei, nec illum Christum, in quo populo Dei fiducia esset collocanda. quod facit *Cap.* II. 22., *& seq. Cap.* IV. 1. 2. 3., *Ibid vers.* 15. *Cap.* V. 1. *& 5.* Quæ vero ad vitam, moresque pertinebant, tria præcipuè adversus eos tractat. Primum enim quia homines studia à praxi bonorum operum, & pietatis exercitio ad curiosas, & Gnosticas de natura Dei, & Christi, de generationibus æternis, & infinitis; denique de eo, quid Autor Christianæ religionis Christus fuerit, antequam Jesus è Maria nasceretur, quæstiones, & contemplationes avocabant; simplici illi, & puræ, quam ab Apostolis à principio Christiani acceperant, prædicationis cognitioni (in qua ut permanerent eos hortatus erat) addendam esse omninò ante omnia, primum in genere vitæ sanctimoniam, & pietatem ostendit.

Quam nunc *ambulationem in luce cap.* I. 6., nunc vitæ *innocentiam cap.* II. 1., nunc debitam *præceptis Christi obedientiam* C. II. 3., nunc *Mundi contemptum Ibid. vers.* 15., nunc *justitiam ibid. vers.* 29. *nunc vitæ puritatem cap.* III. 3., nunc à *peccando abstinentiam Ibid. vers.* 6., & pluribus aliis locis appellat; & passim ubique serio inculcat. Deinde quia iidem impostores dogmata, & errores suos propagabant, & propagaturi erant cum zelo amaro per fraudes, conspirationes, injurias, convitia, calumnias, per vim, & oppressionem; quæ omnia fraternæ caritati adversantur: ideo Caritatem quoque istam notitiæ religionis addendam esse ostendit, & sæpius iteratis præceptionibus magnopere inculcat, præcipue *Cap.* II. 9., 10, 11. *Cap.* III. 10., 11., *& seqq. Cap.* IV. 7. *& seqq. Cap.* V., initio, & alibi.

Denique tertio, quia Spiritu fatidico præsagiebat Antichristos istos per Crimen idololatriæ magna Ecclesiæ detrimenta allaturos; in ipso epistolæ exitu crimen istud cane pejus, & angue fugiendum esse præcipit; sed breviter, quia tunc nondum eò potentiæ provecti erant, ut in eo Ecclesiæ multum nocere possent. quanquam Simonis discipulos, qui omnium Antichristi ministrorum hæreticorum patriarcha dicitur, ne ab hoc quidem criminis genere abstinuisse narrat Eusebius *libr.* II. *cap.* XIII. Non fruſtrà autem Apostolus in refellendis doctrinæ Antichristorum erroribus haud ita multum immoratus, vitæ inprimis sanctimoniam, ejusque perfectionem *Caritatem* urget; quæ doctrinæ fidei, ac religionis Christi ipsa Anima est, quia non tam ipsæ doctrinæ falsitate sua, quam earum vis dissolutione morum, à sanctitate præscripta abeuntium, Ecclesiæ nocitura erat. Adeò ut si quis forte parendi præceptis Christi (quæ manifesta sunt, & in Sacris voluminibus cuivis obvia, nec

nas ea Christus opera Antichristorum unquam oculis hominum subtrahi passus est) firmum propositum retineret, nequaquam illi dogmatum Antichristi virulentia lethalis esse posset. Quisquis enim præceptis Christi constanter, & ex animo obsequitur, is quia vere Christum amat, & Spiritu ejus ducitur, illud quicquid in dogmatibus noxiis latet veneni, ad præcordia non admittit, Spiritus Christi amuleto præmunitus: ita ut, etiamsi quid secus, quam oporteat, opinetur, sola mens à vero aberret, voluntas autem à recto, atque bono nunquam abducatur. Nec solent ejusmodi hominum animi quidquam absurda, aut noxia opinari, nec in ejusmodi contemplationibus nimium esse curiosi, quæ ad pietatem, & Sanctimoniæ eorum institutum, aut nihil conferunt, aut etiam noxæ, vel impedimento sunt. Imo ut ejusmodi cogitationes aversentur, quamdiu rectum animi propositum retinent, necesse est. Merito igitur Apostolus in protegenda ab istibus Satanæ, quos per Antichristos infligit, Ecclesiâ jugulum oppugnationis ejus petit: nam Satanas qui ideo falsas doctrinas spargit, ut pravos, & vitiosos mores producat. Cui malo si ante omnia occurratur, errores aculeo suo exarmati, aut suamet futilitate evanescunt: aut non multum nocent.

Vers. 22. Dixerat antecedenti *versu* 22. eos, quibus scribit veritatis cognitione, ita instructos esse: ut falsitatem & mendacium, ipsi repugnans, non difficulter ab ea dignoscere possint. Nunc in specie ad mendacium istud & errorem quem Antichristi Ecclesiæ propinabant detegendum accedit. Hunc in eo esse ait, quod negarent illum qui in carne venit, & homo natus, ac Jesus vocatus est, esse Christum, aut quod idem est (ut *cap.* IV. *vers.* 2. *& cap.* V. 5. inquit) esse filium Dei. Falsi scilicet Regis & Usurpatoris proprium est veri Regis, jus potestatem & excellentiam in dubium vocare; quominus mirandum sit, cur Antichristus dignitati, veri Christi adeo infestus sit: qui tamen Verus Christus & filius Dei non alius esse potest, quàm qui in carne venit, de Spiritu Sancto conceptus: ex virgine Maria natus, sub Pilato præside passus, mortuus, mox resuscitatus & exaltatus. uno verbo Jesus ille, cui baptizato Deus è cælo testimonium præbuit. Nam qui talis non fuit; multò magis autem qui talis esse non potuit, ei quomodo Christi, de quo hic Joannes loquitur, dignitas & nomen tribui possit: etiam atque etiam videndum est.

Ex hoc loco, ut cæteris quoque apud Joannem supra annotatis, discimus inter falsa Antichristi dogmata præcipuam, illamque maxime erroneam de persona Jesu Christi doctrinam esse debuisse, ut inter cætera ejus signa hoc quoque dogma non postremum esse videatur.

Cum autem Antichristi doctrina Ecclesiam occupare, in eaque diuturnam dominationem retinere debuerit: non difficile est conjectura assequi; inter controversas & sibi oppositas de persona Christi doctrinas, quænam illa sit, quæ proximè post Apostolicum ævum invaluerit: quæ multorum, præcipuè carnalium, & mundanorum hominum conspiratione, potentia, violentia, adversam sibi sententiam oppresserit: & hucusque Magistratus viribus, & carnali brachio, autoriatem suam propugnet.

Sed etiamsi signum istud Antichristiani dogmatis, quod in ista violenta, & quæ adeo prosperè successit ejus propagatione cernitur; missum faciamus: & opposita sibi de persona Christi dogmata: ipsa per se, nuda & in sua natura consideremus: non tamen minus arduæ erit dijudicatio; utrum eorum huic accusationi Apostoli propius sit: quod per illud negetur Jesus esse ille Christus. Quamvis enim apud eos qui jam credunt, tunc cum nulla quæstio, dubitatio, aut disceptatio de persona Jesu Christi intervenit: ambo illa nomina tàm Jesus quàm Christus, unum idemque significent: hoc est unam singularem personam, ac proinde discerni non videantur. Tamen cum ex occasione Antichristorum ea de re disceptatio movetur; ipse Johannes testis est, illa inter se plurimum distingui: quando Antichristus objicit, quod negent Jesum esse Christum. neque enim hæc verba idem sonant ac si objecisset ipse, Apostolus, quod negent scapham esse scapham.

Sed manifestum est Apostolum supponere illud pro concesso, eos qui personam de qua agitur, negare esse Christum non negare eum esse Jesum: sed non idcirco quia sit Jesus, concedere eundem esse Christum. Unde apparet in hac enunciatione, in qua Christus de Jesu (ut loquuntur Dialectici) prædicatur: tàm ab Antichristis; quàm ab ipso Joanne prædicatum à subjecto distingui. Proinde antequam ulterius progrediamur; quid Joannes per Jesum: quid autem per Christum intelligat expendere operæpretium est. Ac per Jesum quidem, res ipsa loquitur; quod cum *hominum intelligat; cui nato aut nascituro nomen hoc* impositum *est; absque ulla tunc divinitate excellentia sua considerato*, utpote cui prædicatum, *Christus*, etiam cum de eo affirmatur tanquam diversum quid opponi necesse sit; multò magis autem cum negatur. Neque enim prædicatum vinculo affirmationis indigeret; si nullo modo à subjecto suo distingui posset.

Sed & ipse Joannes infra *Cap.* IV. 2. 3. sese explicat; Jesum hunc describens, per verba *Qui in carne venit.* Quæ non aliud designant, quam eum *qui in mortali natura natus* est: & mori poterat, ex homine genitus, eoque filius hominis dictus.

Cujus ipsa mortalis natura; & multo magis ipsa mors & afflictiones crucis; non Judæis tantum, utrum esset, ille promissus Messias: sed gentibus etiam; utrum esset ille ipse; cui Regis populi Dei potestas & excellentia à prædicantibus Apostolis tribuebatur dubitandi ansam præbere poterat.

Per nomen Christi autem Regem populi Dei intelligi, per quem is Salutem consecuturus erat, olim à Deo promissum; vocis ipsius, præsertim cum articula positæ natura ostendit. Sed & ipse Joannes infrà dum *cap.* IV. 15. *& cap.* V. 5. de eodem subjecto personæ Jesu vocem Filii Dei prædicat: satis evidenter prædicatum istud vocis Christi explicat: ostendens vocem Christi de illo Filio Dei explicandam, cui Deus, olim præbito de Cælo quod dilectus ejus filius esset testimonio, *Matth.* XVII. 2. *Pet.* I. superi populum suum imperium detulit, & obsequium præstandum imperavit.

His ita præmissis, videndum est, Utra earum partium, quæ in sententia de Jesu Christi persona, inter se dissident, eo nomine verius accusari possit: quod neget Jesum esse Christum, aut Filium Dei.

Sed prius partium sententiæ ponendæ sunt ob oculos. Una est quæ ab expressis verbis Sacris litterarum & Symboli Apostolici recedere non audet; seu nec ullum alium præter Jesum hunc (quia apud Johannem subjecti vicem obtinet) pro Christo & unigenito Filio Dei agnoscit. Nec ullum alium, ante aut præter eum, qui ex Spiritu Sancto conceptus & Maria virgi natus est (& quæ sequuntur) Jesum: pro Christo & unigenito Filio Dei agnoscit.

Altera est eorum, qui Symbolorum trecentis fere annis Apostolico posteriorum auctoritatem secuti, ante Jesum hominem conceptum & natum; personam divinam fuisse asserunt: cui Filii Dei unigeniti atque adeò Christi nomen, longe quidem principalius & magis propriè (quia à potiori fit denominatio) competit.

In discernendo igitur, utra istarum sententiarum, crimine

crimine ab Apostolo notato, hoc est, quod neget Jesum esse Christum; aut filium Dei, teneatur: illud ante omnia animadvertendum est, prioris sententiæ defensoribus, crimen hoc nullo prorsus modo, objici posse. Non tantum enim Jesum illum, de quo Joannes loquitur: & cujus is dilectus discipulus fuit, quamvis homo natus esset, tamen & Christum & filium Dei, & accepta à patre potestate Deum omnipotentem, & vivorum ac mortuorum Judicem esse credunt & agnoscunt: sed eum solum: nec ante aut præter eum; ullam personam esse putant; cui ista Christi & filii Dei dignitas tribui possit.

Non igitur ullo modo ipsis hic Antichristi spiritus character (quod Jesum negent esse Christum) inuri potest, cum non modo Jesum; sed solum Jesum agnoscant esse Christum.

Quod si quis eos ita insimulare velit, cum Christi & filii Dei dignitas & potestas divinam naturam & omnipotentiam sibi adjunctam habere debeat; eos divinam Christi naturam negando, homini illi Jesu dignitatem & potestatem Christi adimere: huic isti homines, hanc defensionem opponunt. Sese divinam illam naturam & omnipotentiam, quæ Christi dignitati & potestati conjuncta esse debuit; minimè negare, sed plane agnoscere, Christum, quamvis homo morti obnoxius natus fuerit; tamen à Patre resuscitatum: non modo immortalem, & divinam, atque adeo ipsius Patris excellentiæ planè proximam naturam; sed & omnem in cælo & in terra potestatem, seu omnipotentiam & nomen supra omne nomen accepisse, & in æternum habere: ita ut nihil eorum adversarii, tam divinum atque excelsum, de Christi natura & potentia loqui aut cogitare possint, quod non illi quoque libenter tribuant & agnoscant; unico illo excepto; quod *Patri ex quo omnia* non sit æqualis: quamvis adeo proximus, ut per eum fiant omnia.

Id autem verum esse, vel ipsi adversarii eorum fatentur: & si qui eorum diffiteri velint, suamet accusatione revincuntur: dum eos accusant quod *binos Deos* introducant. Fatentur igitur eo ipso divinam eos naturam & omnipotentiam Jesu Christo tribuere; & quidem in tali gradu, ut divinæ naturæ & omnipotentiæ summi omnium Patris comparari aliquomodo queat. Hæc autem criminatio vel eo ipso refellitur, & in ipsos criminatores revolvitur, quod modo supra diximus, eos filium Patri non æqualem, sed subordinatum statuere. cum criminatores parem statuant.

Vindicatâ igitur & purgatâ penitus, ab objecto per Apostolum Antichristis crimine; prioris sententiæ defensorum innocentia. Nunc videamus, utrum posterioris opinionis patroni; ab eodem crimine æquè purgari possint.

Non sufficit autem ad innocentiam verbis objectam culpam negare; si in re ipsa hæret. Nam uti, si accusasse satis sit, nemo innocens: ita si negasse objecta sufficiat, nemo erit nocens. Ergo quid in re ipsa, sententia ista contineat: quod huic culpæ affine sit, dispiciamus. Nec enim aut Satanas in decipiendis hominibus tam improvidus: aut Antichristi, in spargendis per Ecclesiam erroribus, tàm impudentes fuerunt; ut ea dogmata Ecclesiæ obtruderent, quæ Ecclesia Christi recipere non potuit; nisi plane desiisset esse Christi Ecclesia. Ac ne Deus quidem ipse id fieri permisisset: qui premi quidem per Antichristum Ecclesiam, ac doctrinam Christi obscurari; at non penitus opprimi & extingui permittere constituerat. Documentum ejus providentiæ irrefragabile videmus in Sacræ Scripturæ stupenda conservatione. Quale profectò dogma istud fuisset, si palam atque apertè Antichristi docuissent; Jesum illum, primum Christianæ doctrinæ prædicatorem; nullo modo Christum esse; aut ad *Christum cælestem Christianæ religionis* Auctorem, pertinere. Sufficiebat Satanæ; ut id per cuniculos efficerent; quod aperte fieri, proposito ejus non expediebat.

Videamus igitur, quid in sententia vulgari deprehendatur quod clàm insinuet: aut quoquomodo efficiat, ut homines non credant Jesum illum quondam hominem natum, esse Christum. Primum igitur, qui *Filium Dei & Christum* Regem cælestem longe antequam *Jesus* conceptus aut natus esset, fuisse credunt & inculcant: ii hoc ipso dignitatem Christi, ad personam illam, cui nomen Jesu impositum est, quondam ita natam ut mortis obnoxia esset, sed postea resuscitatam & exaltatam, non adsingunt; sed eam latius porrigunt. Deinde, (quod pejus est) dignitatem & potestatem istam, atque omnem quæ munus Christi censetur, excellentiam, (dum eam longè antequam Jesus nasceretur extitisse & personæ longè nobilius natæ competisse statuunt) ab illo Jesu, homine nato, seu filio hominis, per ipsam dogmatis hujus naturam, (in qua, ut à potioribus denominatio fiat, necesse est) tacitè, & imprudentes, ac nihil minus forte cogitantes, alio transferunt.

Hinc evenit, ut quidam eorum, cultum & adorationem Christo debitam; homini illi Jesu, etiam à Deo exaltato, nisi esset secunda ut ajunt, divinitatis persona, exhibere detrectent: quando illud huc detorquent; Deos, qui non crearunt cælum & terram, maledictos esse. Quo tamen usque, nisi fallor, non omnes progredi audent.

Tertio, (quod maximè noxium est); quia novam hanc & adventitiam doctrinem cum veritate, ab Apostolis primitus prædicata, quæ symbolo Apostolico continetur; ejusmodi vinculis connectunt, in quibus absurdorum & contradictionum inexhausta copia, homines ad dubitandum, de veritate totius religionis Jesu Christi: atque ita de eo an ille, primus prædicationis Autor Jesus, sit vere Christus, qui nos Regni cælorum participes efficere possit, adducit. Pauca & plurimis delibasse sufficiat. Eum quondam fuisse hominem & quidem occisum: qui summus Deus nunquam esse desierat. Hypostaticæ unione humanam naturam, cum divina conjunctam esse: & tamen divinæ naturæ vim; humanæ mortalitatem non absorpsisse. aut certè id, quod posterius natum est, personam non esse. Impassibilem passum: immortalem mortuum: æternum fuisse natum. Eum qui careat principio; habuisse principium: Generationem initium, non habuisse nec finem; & tamen generatum esse, & quidem ab æterno, eum, qui nisi facta & perfecta generatione sua existere & generatus dici non potuit. Exaltatum eum, qui semper altissimus fuit; nec unquam exaltatione indiguit. Capi ista, inquies, angustiis mentis nostræ nequeunt. Imo vero capi queunt, quod sint falsa & contradictionem implicantia. Sed si adeò capacitatem mentis nostræ superant: quid ita, quæso vasi adeò incapaci tanta vasta, & quidem violenter, ingeruntur? Nesciri præstat, quæ ipsa intelligi nequeunt: & tamen iis, quæ possunt intelligi, fidem derogant: & totam religionem in dubium vocant.

Quarto; quod omnium maximè capitale est, & in quo sententiæ posterioris patroni, si non omnes, at zelosiores criminis manifesti sunt, & inexcusabiles; quod fidem *eorum, qui credunt Jesum, esse Christum*, eamque fidem obsequio præceptorum, ex animo præstito, testantur & obsignant; adeo condemnent ac detestentur; ut eos Christiano nomine indignos statuant, oderint, execrentur, persequantur. Qui fidem in hunc Jesum adeò vili pendunt & oderunt, eam in *Christum fidem* esse non pateat; quid aliud faciunt, nisi quod eundem Jesum, Christi honore indignum

indignum statuunt? Atqui vel propter ipsum Jesum, quem isti simplices ejus discipuli amant, & venerantur, cuique fidem & obsequium præstant, & ob eum tot persecutiones patiuntur; quamvis fortè altiora mysteria aut percipere nequeant, aut admittere non audeant, favorem ac miserationem merebantur. Neque vero id, quod modo diximus, mirum cuipiam videatur. Nam si persecutores eorum, qui Jesum illum filium hominis credunt esse Christum; hunc Jesum vere Christum esse statuerent; non possent ullo modo eos, qui in eum fidem habent, tantopere odisse, aut tam acerbè criminari, quod fide in Christum careant: quodque omnino Christiani dici non possint. Nam qui Jesum credit esse Christum, fidem quoque in Jesum, nullo modo negare potest, fidem esse in Christum. Qui autem fidem in Jesum, fidei in Christum nomine non dignatur: ne Jesum quidem Christi nomine dignum judicare potest. Si propugnatores posterioris de Christo sententiæ, intra supra descriptos tres gradus erroris hujus sese tenuissent, nec ad quartum hunc pestilentissimum omnium usque progressi fuissent; (quod fecit antiquissimus omnium, quorum pro hac sententia scripta extant, Justinus Martyr: nec dubium est innumeros alios idem & olim fecisse, & hodie facere) erroris quidem accusari; at objecti à Joanne criminis, quod & certissimo Spiritus Antichristi signo, & charactere nobis proponit, non ita facile convinci potuissent. Sed quia post oppressum sub Aureliano Paulum Antiochenum, Episcopi tunc, & posteriorum ætate in Ecclesia rerum potientes, in eas iracundiæ intemperias, à Satana sese agi, passi sunt, ut per longam maximæ partis Ecclesiæ praxin, & Conciliorum sanctiones, eos qui Jesum esse Christum credebant, fidem in Christum non habere, nec Christianos esse, statuerent, eosque Antichristi artibus, & violentiâ opprimerent ac persequerentur: Ideo manifeste objecti Antichristis à Joanne Apostolo criminis reos, & convictos sese præbuerunt: hodieque præbent, quicunque in eo ipsorum vestigia premunt, nimirum quod Jesum pro Christo non habuerint, neque habeant, nec Jesum esse Christum, aut filium Dei crediderint aut credant.

Neq; vero quisquam existimet nos tanti criminis culpam omnibus, qui posteriorem, quæ in Christiano orbe invaluit, sententiam sequuntur, impingere; Jam ante diximus, non omnes in tam vastum erroris profundum delapsos. Nec nudi errores, aut deceptiones mentis, absq; pravi affectus culpa quenquam damnare queunt. & innumeri sunt, quos zelus amarus & rabies adversus eos, quos forte errare putant, non exagitat. Solos igitur terreni, carnalis, & quem Jacobus Dæmoniacum vocat, zeli æstro percitos; sceleris hujus arguimus.

Qua in re subdola primum versutia Satanæ: deinde admiranda Dei sapientia consideranda est.

Ac Satanæ quidem artificium in eo est, quod non contentus ejusmodi de persona Christi errorem, mentibus hominum injecisse, qui viam Salutis, non mediocriter quidem impedire: at non penitùs obstruere possit; præter alia cunctis erroribus communia incommoda, quæ nisi perversitas, & malitia accedat, lethalia plerumque non sunt; singulare quoddam huic dogmati venenum admiscuit, quod ab omnibus illud profitentibus ægre caveri; aut caritatis æquitatisve antidoto propulsari possit: carnalioribus vero, & perversis, necessariam & inevitabilem perniciem afferat. Speciosissimum enim errori huic prætextum dedit; dignitatis & excellentiæ Servatoris nostri, ornandæ studium. In quo modum egredi neminem posse; carnalioribus facile persuadet. Ita adversus eos, qui fucum ascititiæ hujus dignitatis subodorantur ac detegunt; deceptorum animos, adeo acuit & exasperat, ut eos calumniari non vereantur, atque ipsis iniquissimè detrahere id, quod, salva ejusdem illius Jesu Christi dignitate, ipsis detrahi nequit, fidem nempe in Christum. Atque ut jure feciisse videantur; iracundiæ & affectus sui furori, addunt erroneam, qua suas aliorumque mentes decipiunt doctrinam, de justa videlicet fidei illorum in Christum falsæ, & adulterinæ execratione, damnatione, & anathemate, quæ non potest nisi in injuriam illius Jesu filii hominis, (qui per hoc Christus esse negatur) recidere. quod jam lethale crimen & patratoribus funestum est: non modo Caritatis violatæ, sed & ipsius Regis nostri Majestatis læsæ culpâ metuendum.

Summa jactantiæ Satanæ in hac versutia huc recidit, quod specie ac prætextu extollendæ Jesu Christi excellentiæ, homines eo adigat, ut Filium illum hominis Jesum; contumelia afficiant, ac negent esse Christum.

Hanc Satanæ vafritiem, admirabili sapientia Deus ita circumvenit; ut suismet laqueis implicata caperetur.

Cum enim hostis excellentiæ Christi Satanas, per speciem honoris, Filium Dei hac contumelia afficere conaretur: Deus per Spirituum suum, in servo ejus Joanne Apostolo loquentem; dogmata, quibus tanto tempore Ecclesiæ illusit atque imposuit; per istum ipsum irritum contumeliæ conatum, palàm detegit, & ostendit, quænam sit illa Antichristi doctrina, quæ in Ecclesia eo usque grassari debuit, ut à Christianis, Christianos innoxios persequentibus, Jesus esse Christus negaretur.

Summa stupendæ, de qua loquimur, Sapientiæ Dei, est in eo; quod tanto ante per Spiritum suum Apostolo Joanni verba, quæ nunc explicamus, dictantem, prospexerit, ut astus Satanæ, suamet versutia circumventi, ab imbecillibus, & artium perversitatis rudibus homuncionibus palam deprehendi, & explodi ab omnibus posset. Nec enim Deus ausos hostilia Spiritus, per bellatores tanto certamini pares compescere dignatur. Sed aspernatus insaniam, ludibrio dignam, objicit furentibus infirmos vermes; ut neque parta forte Satanæ victoria, ullam ipsi laudem, & accepta clades tanto majorem afferat ignominiam.

Quod si aliter vafrities versipellis Spiritus, & tam longo ævo incubantis Ecclesiæ Antichristi, in filium hominis, injuria; nisi per ærumnas & afflictiones nostras deprehendi non potuit: est tanti vel graviora; quam quæ sustinuimus pati, dum Spiritus iste Antichristi, Regi ac Domino nostro infensus, detegatur: dum ex alto sopore excitatus Christianus orbis evigilet, ac mordeat frænum, quo tam indigne tot seculis circumactus est.

Nobis autem malorum nostrorum ingens solatium supereſt, quòd, ab injuria Christi omnipotentis, injuriæ nostræ divelli nequeant, nec nisi per latus ejus offendamur: qui ut inflictorum nobis ictuum seusu; una nobiscum non potest non tangi, ita vulneribus nostris glorioſissimas in æternum ac triumphales cicatrices obducere potest.

Sed jam ad verba textus revertamur. Dicit igitur *vers.* 22. Hunc hominem, *qui Jesum negat esse Christum*, non modo *Mendacem esse*, sed *& Antichristum*. Vox *Antichristi*, ut patet hoc loco, non aliquem magnum, & qui principaliter, κατ' ἐξοχὴν, sic dici possit; Antichristum, designat: sed quemlibet de grege Antichristi, opinionibus ejus imbutum: aut etiam Spiritu Antichristi præditum. quemadmodum infra, *Cap.* IV. 3., Spiritum istum describit, ab eo effectu, quod illum, qui in carne venit, Jesum confiteri detrectet: ac Spiritum istum; illum ipsum esse, qui prædictus est: & suo ævo jam tum in Mundo fuisse.

Quia eos hæc in filium Dei ab Antichristis profecta injuria, ad ipsius Dei Patris injuriam pertinebat; ideo criminis hujus culpam exaggerans, asserit, ab ipsis non *filium* modo, sed *Patrem* quoque ipsum *negari*.

Injuria vero Patris, in hac filii injuriâ multiplex esse potuit. Sed illam infra *Cap.* v. præcipue exprimit, quod ii, qui in illum Jesum non crederent; mendacem facerent Deum: quia tot testimoniis Dei, quæ infra eodem *Cap.* v. recensetur, quibus Deus hunc Jesum filium suum esse asseruit ac testatus est, non crederent. Hoc loco autem *vers.* 23. pro concesso sumens, Jesum hunc esse filium Dei; quasi ex relatorum naturâ deducit, eos, qui negarent filium Dei, patrem quoque ipsius negare, cum hæc sint natura ita conjuncta, ut unum alterum ponat aut tollat.

Vers. 24. Adversus istas Antichristorum impostu-ras, unicum exhibet remedium, ut puram illam, & simplicem Apostolicam doctrinam, quam ab initio prædicati Evangelii audierant; constantissimè retineant: neque ab illa vel latum unguem recedant. Date operam, inquit, *ut maneat in vobis illa* rerum divinarum *cognitio, quam ab initio audivistis. Sic enim, & vos in filio, & in patre*, hoc est, in Caritate & protectione Dei patris, quam per filium exerit, *permanebitis*, & ut *vers.* 25. adjicit *promissionum ejus ac vitæ æternæ participes evadetis*; aut ut Judas ait *Jud. vers.* 21. *In Caritate Dei vos conservabitis.* Unde discimus Primum, quo sensu vocem *initii* simpliciter positam, usurpare, Apostolo in more sit positum. Secundum, Satanam paulo post initia prædicationis Evangelicæ, omne ope connixum; ut veram illam Apostolorum doctrinam, adulteraret, & immutaret, admiscendo ipsi ea, quæ salutarem vim ejus tollerent. Cavendas igitur, etiam vivente Joanne, fuisse eas insidias, præmonitis Christianis, nisi vellent vera Dei Christique cognitione, excidere. Quanto magis nobis, qui longius ab ævo illius puræ prædicationis recessimus. Nec aliud ipsis nobisque huic periculo remedium exhiberi, quam ut primæ illi, quæ fuit *ab initio* prædicationis eorum simplicitati mordicus inhæreamus, quam nusquam alibi extra Scripta Apostolica reperiemus. Unde quid virium aut ponderis habere apud nos debeat hominum, etiam Apostolis coævorum auctoritas; si qua vel minima in re ab Analogia traditæ primitùs eorum doctrinæ discedat, facile intelligi potest.

Vers. 25. Præmium hujus constantiæ ostendit, in illa amplissima *vitæ æternæ promissione*, quam illo aureo seculo, nomine Dei, cælitus humano generi attulerunt Apostoli.

Vers. 26. Necessitatem admonitionis hujus ostendit, quod illi Antichristi, & Pseudoprophetæ, etiam viventibus Apostolis, *discipulos eorum decipere* auderent. Unde patet, non tàm de iis loqui Joannem, qui sese ab Ecclesia separaverant, quales fuere Simonis, & Menandri discipuli; quam de iis, qui adhuc in Ecclesiæ visceribus hærebant: & tamen ejusmodi dogmata spargebant, quæ crassiores quidem illos apertorum hæreticorum errores callide vitarent; sed tamen admisto peregrinæ doctrinæ veneno occultius nocerent. Nec enim Christiani, tàm ab iis, qui ab Ecclesia secesserant; quam ab iis, qui Ecclesiæ adhærebant, decipi poterant.

Vers. 27. Possit aliquis dubitare, si cognitio illa Dei Christique, quâ primitus Christiani ab Apostolis imbuebantur, vocatur *unctio*; ut supra asseruimus: quid ita? id ipsum, quod *vers.* 24. ut permaneret in ipsis, dandam esse operam hortatus fuerat; idem inquam *vers.* 27. *manere in ipsis* affirmet. Sed in eo difficultatis nihil est; cum aliqua doctrina, & persuasio manere in aliquo possit aliquousque, imo & longo tempore; & tamen eadem ad finem non permaneat: ita ut is ad constantiam ejus retinendæ; monitis ac stimulis indigeat.

Per *unctionem* igitur istam, Doctrinam intelligimus, quâ imbuti ab Apostolis fuerant Christiani. Si quis tamen per *unctionem* istam, opem potius Spiritus Sancti, nos instruentis ac in veritate retinentis, intelligat; cum eo obstinate non pugnabimus, quia res eodem recidet. Vox autem ἀυτὸ, ut in *vers.* 25. ita in 27. ad filium simul & Patrem refertur, quorum utriusque mentionem fecit in fine *vers.* 24. Refertur autem vox singularis ad plures, quia ambo pro uno considerantur. Nam in promissionibus, & omnibus quæ ad Salutis nostræ negotium pertinent; nihil est quod non per filium Pater faciat. Quemadmodum igitur promissio; ita & unctio *ab illo* dicitur, hoc est, à patre per filium.

Et in fine *vers.* 27. *Manetote* ἐν αὐτῷ, sicut & in 28. ad eundem Patrem & filium refertur, sicut supra in *vers.* 24. hoc est, Manete & conservate vos in Caritate, protectione, cura Paterna Patris per filium. Quod autem Apostolus dicit, *eos* quibus scribit, *non opus habere ut quis eos doceat: quia suamet ipsos unctio de omnibus docere possit*; non eo usque extendendum est, quasi asseret Apostolus, eos jam nulla Pastorum cura, exhortatione, aut etiam in occurrentibus forte dubiis, instructione vel eruditione indigere. frustra enim illis cohortandi, imo docendi officium præstaret, si ipso plane nihil indigerent. Sed, primum quia novas, & veteri ac primitùs ab Apostolis prædicatæ doctrinæ; contrarias doctrinas ab Antichristis introduci jam ostendit: superfluum esse ait, ea quæ probe ab Apostolis didicerant, ipsis singillatim repetere, & quasi denuo eos docere: cum ex eâ, quam possideant veritatis scientiâ, facile possint ipsimet cuncta Antichristorum mendacia refellere; quia ut *vers.* 21. dixit, & hic quoque dicit, veritas ipsa omnem falsi mixturam repudiat. Deinde, merito ipsos, Non opus habere ut quisquam eos doceat, asserit, quia adeo sufficientem ad salutem doctrinam ab Apostolis didicerant, ut novæ & adventitiæ Antichristorum doctrinæ subsidiis, nihil indigerent. Indigebant sane quandoque in occurrentibus singularibus casibus, pastorum suorum cura, monito, instructione. Nec deerat quod ab ipsis discerent. Sed novis, præter eas quas Apostoli tradiderant, doctrinis, novis fidei articulis, novis symbolis, & confessionibus, novis etiam vocabulis, ac Theologiæ, ut vocant, terminis, nihil indigebant.

Notandum autem est, Joannem, in illa doctrina ab initio Christianis prædicata, nullum ψεῦδος, nullam falsitatem, aut mendacium esse tam *vers.* 21. quam *vers.* 27. asserere. Jam vero eundem, τὸ ψεῦδος seu mendacium in eo collocare, si Jesus negetur esse Christus. Ergo illam genuinam Apostolicam veritatem, in eo opponit Antichristorum mendacio; quod Apostoli quidem docerent simpliciter Jesum esse Christum: Antichristi autem, si non expressis verbis, at vi & efficacia dogmatum suorum, & quasi per indirectum, negarent Jesum esse Christum, ut ostendimus.

Viam igitur & rationem manendi in Deo & Christo (quod quid sit supra explicuimus) non aliam esse ostendit, quam si in illa doctrina, quod Jesus sit Christus, quâ ab Apostolis imbuti & inuncti erant Christiani, constanter perseveremus, & contraria huic sententiæ quævis dogmata prorsus aversemur. Ejus enim doctrinæ magna, & vis & necessitas est. Ac necessitas quidem hic innuitur, quod non aliter in Deo, & Christo manere possimus, nisi firmissimè credamus Jesum esse Christum. Vis autem infra *vers.* ultimo 29. obscurius: sed planius *cap.* v. 1. quòd *omnis qui credit Jesum esse Christum, ex Deo natus est*, hoc est, Filius Dei est. Etenim qui ex animo, & bona fide credit, Jesum illum præceptorum Dei sub novo Fœdere Magistrum & promulgatorem; esse Regem populi Dei omnipotentem; qui præmia, & pœnas legum suarum in manu sua habeat; fieri nullo modo potest, quin se ad obsequium legum ejus componat, regeneretur ex semine incorruptibili, & Filius Dei ac designatus cælestis patrimonii hæres evadat.

Vers. 28. Rationem affert, cur in genuina doctrina Christi

Christi & Apostolorum, & proinde in Deo & Christo, hoc est, in gratia & caritate Christi, atque ipsius Dei manere debeamus, ut quando apparuerit & manifestus factus fuerit, habeamus παῤῥησίαν, *parresiam, & non pudefiamus coràm eo, in ipsius adventu.* Quamvis autem *parresia* ex natura vocis, loquendi libertatem significet: tamen hic latius accipi videtur, pro libero accessu, aditu, atque adeo admissione, quam habent ii, qui de cujusquam erga se favore certo persuasi sunt. sicut eadem vox explicatur per subsequentia verba; *Neque pudefiamus coram eo, in ipsius adventu.* Nam qui dum viverent, in Deo & Christo non manserunt, hoc est, gratiam & charitatem Christi demereri, omni studio & conatu, neglexerunt; in adventu Christi non possunt nisi pudore quodem suffundi, & conspectum ipsius defugere: atque ita omnem ad ipsum aditum & accessum sibi intercluſum habere.

Vers. 29. Ostendit, quomodo ex ea doctrina, quod Jesus sit Christus, si quis eam constanter retineat; consequatur, ut idem in Christo & Deo maneat: quia per eam doctrinam omnes docentur Jesum illum, qui non modo sanctimoniam & justitiam nobis præcepit, sed nobis in ea exemplo suo præivit & præluxit, ut vestigia ipsius prementes, filii Dei evadamus; & quomodo ipsius sanctimoniæ ac obedientiæ voluntatis Dei, quæ in ipso eluxit, ita præmiorum huic obedientiæ propositorum, & in exemplo ejusdem persolutorum, participes fiamus: hunc, inquam, Jesum esse Regem nostrum & Dominum omnipotentem, qui ut nos sibi obedientes æterna felicitate donare; ita refractarios omnes in æternum perdere possit.

Ex qua doctrina, si quis eam, uti par est, imbibat, & constanter retineat; necessario sequitur, ut nova creatura fiat, & ex semine incorruptibili renascatur, ad vitam sanctè, juste, & pie agendam, hoc est, (ficuti hoc loco loquitur) ut exerceat justitiam, ac per id filius Dei evadat. Revera enim *fides, & receptio doctrinæ hujus*, quam Jesus, qui in carne venit, ἐληλυθὼς, & caro fuit, hoc est, homo, natura nobis in omnibus, absque peccato, similis attulit ac tradidit *Joh.* 1, dat nobis has vires & hanc potestatem, ut regeneremur; & ex verbo Dei, per ipsum prædicato, renascamur, in divinam quandam naturam (per mores, consuetudines, conversationes sanctas) conversi: quia oculis nostris, in exemplo Jesu, proponit præceptam in ejus doctrina sanctimoniam, etiam ab iis, qui in carne sunt, posse exerceri, ac præstari: eandemque certissimum, & maximum habere præmium, in eodem exemplo, per resurrectionem & glorificationem Christi, ostendit.

Quæ certissima & solidissima fidei nostræ argumenta; vivam illam, & per caritatem, & sanctimoniam efficacem fidem ingenerant, excitant, & confirmant, & nos ex peccatoribus in filios Dei transmutant. At contraria doctrina, quæ fidem illam, quod Jesus sit Christus, aliquo modo, vel per indirectum, uti explicuimus, in dubium vocat; hæc ad pietatem & sanctimoniam consequendam data mortalibus cælitus auxilia, nobis eripit. Nec enim ex eo, quod is, qui ab æterno Deus fuit, in terris sanctè vixerit; ulla nobis similem sanctimoniam consequendi, aut imitandi spes suboriri potest: nec ea præmia, quæ Christus propter obedientiam consecutus dicitur; nos ad similem obedientiam pertrahendi vim ullam habent: cum ea & ante obedientiam, & absque obedientia, persona ejus semper habuerit, nec collatione eorum unquam eguerit. Sed præcipuè spes resurrectionis; præcipuus vitæ sanctæ stimulus, per contrariam, de qua loqui cæpimus, doctrinâ enervata est. Quid enim nobis solatii affert reditus ad vitam ejus personæ; quæ nunquam vita verè exui potuit: & quæ tunc vel maximè, cum mortua putaretur, vitam immortalem ac beatissimam vixit? Imo vero non modo resurrectio, sed & mors ipsa, ac proinde maximum in ea Dei Christique caritatis erga nos, ac beneficii specimen, vocatur in dubium? Nam neque ipsa, ut putatur, assumpta mortalis natura, vere mori potuit; postquã hypostatica unione, cum divinâ connexa est: nec proinde ad vitam redire; quâ nullo modo spoliari potuit.

Et si vel maxime ista eadem natura mori potuisset; quid hoc ad nos? quorum non naturæ, sed personæ moriuntur? Nihil igitur doctrinæ, quòd Jesus sit Christus, contraria doctrina prodest ad spem resurrectionis: nihil ad pietatem. Imo, ut ostendimus utroque, non mediocriter noxia est.

Unde summum Apostoli consilium & cælestis sapientia elucet in eo; quod ad refutanda Antichristorum dogmata (quæ nec ipsa tunc fortè in hodiernæ Theologiæ formam planè adoleverant) tam hoc loco, quàm in tota epistola non multum descenderit; Sed animam veritatis & cognitionis cælestis, veram pietatem, & sanctimoniam vitæ ante omnia urserit & ubique inculcaverit. Quæ certè pietas & sanctimonia aut errores istos ab Antichristo sparsos ipsa per se refellere: aut quicquid est in iis virulenti & noxii, facilè repellere potest. Cum enim errores isti ad subversionem pietatis & sanctimoniæ à Satana disseminati sint; unico isto pietatis & sanctimoniæ remedio occurritur: ne aut plane recipi, aut multum nocere possint.

CAPUT III.

Quia in calce cap. præcedentis dixerat, omnem, qui facit justitiam, ex Deo natum, hoc est, filium Dei esse: cujus justitiæ faciendæ specimen Jesus ille Christus nobis in vita præceptisque suis proposuit: una eademque opera, & excellentiam status ac vocationis nostræ; & exuberantiam caritatis Dei erga nos explicat, quod nos dignatus fuerit *filiorum* nomine, aut in filios adoptare. Nec enim tantum nos filios Dei vocari, primo versu; sed *& esse*, versu secundo asserit. *Quantam*, inquit, *Caritatem dedit nobis* Pater, *videte.* Rectè hortatur ad eam rem considerandam, cujus frequentissima cogitatio atque expensio perneccessaria est. Quemadmodum si quis ex humili sorte, in magnam fortunam erigatur; honoris illius & eminentiæ, in quam evectus est, perpetuo memor esse debet, ne quid indignum loco aut dignitate sua committat: ita nobis perpetuo versari ob oculos par est, quod nobis in eandem cum maximis Angelorum sortem admissis, admodum circumspecta nostri cura, intentis & anxiis excubandum sit, nequid pudendum & indignum Spectatore Deo & Christo, spectatoribus Angelis Dei: nequid optandum spectatoribus, & consciis acerrimis culparum nostrarum Censoribus Angelis tenebrarum committamus. Sed omnia nostra cogitata, dicta, facta, cedant in Dei gloriam, Angelorum gaudium, & cælestis imperatoris Christi per infirmitatem nostram, de hostibus triumphum. Quam ad rem præcipuè prodest intentissima curâ observare cupiditatum nostrarum impetus, quonam vergent; quo instinctu suscitentur? quid nobis in officii nostri, quod nobis Deus imposuit munere; prodesse aut nocere possit: & quæ longo usu nocuisse didicimus, ea in ipsis suis incunabulis suffocare, & in eo perpetuas precum excubias agere, ut ope divinâ bene gerendæ rei occasionibus non deesse: male gerendæ verò casus prudenter evitare, aut avertere possimus. Temporis etiam parcos dispensatores esse decet: & monitis Spiritus Sancti dociles: cujus auxilium verè desiderantibus nunquam deest; si modo dicto audientes simus, & suscitatos cælitùs piæ voluntatis igniculos in ipsis scintillis non extinguamus. Superbiæ scopulum (quod vitium sæpe ex magnæ ac sublimis fortunæ conscientia emergit) eo facilius prætervehi poterimus, quod non sine præsentissimo discrimine in tanti fastigii altitudinem attollamur, è quo despectus in abrupta, si forte decidamus, præcipitia horrendus est. Ita ut vix in acerrimæ curæ metu ac necessitate vacare

liceat, istis securæ mentis deliriis, potius quàm deliciis. Sed præcipua hujus considerationis utilitas est, ex tanti erga nos amoris specimine exortus, mutuus redamandi impetus. Quid enim in nobis, vilissimis creaturarum suarum vermiculis, invenire Deus potuit, quod adeo paternam ejus indulgentiam posset mereri? præsertim tot peccatis, & flagitiis nostris offensus? Et tamen nos in tanti certaminis, quod cælo & terrâ testibus decertatur, gloriam admisit; & vires infirmis benigne ac paterne suggerit, simplici *Salutis* dono non contentus, nisi illud gloriosissimæ victoriæ honore laureatum redderet.

Habet ea cogitatio plurimum dignitatis: sed non minùs solatii atque utilitatis, ideo merito nobis ab Apostolo inculcatur. Occurrit autem eodem versu tacitæ objectioni. Illud enim statim in mentem venit. Nosne adeo viles, & contemptos homunculos qui ab omnibus vulgo despicimur, & pro purgamentis populi, & vulgi fæce habemur, tantum nobis spirituum sumere, ut filiorum Dei nomine gloriemur? Si ex verbi ejus semine incorruptibili, in novos ac cælestes mores regeniti, divinarum virtutum habitus frequentibus bonorum operum actibus nobis comparavimus; progenies ejus sumus: nec ob misericordiam ejus, ipsi plane inficianda. Quod vero mundus nos pro filiis Dei non agnoscat; ecquid mirandum est, cum is ne genitorem quidem nostrum Deum (quamvis ex operibus suis satis superque notum) agnoscere velit? Proinde judicia mundi judicia vulgi sunt: cæca & improvida: & quæ æstimare vel morari non deceat. Sumus enim, sumus, si tam benignum Patrem debito affectu redamamus, progenies ejus. Redamamus autem, si cupiditatum corruptiones in mundo effugientes; divinæ in terris naturæ, hoc est, sanctimoniæ & pietatis participes efficimur. Hac enim veste, hac prætexta, his dignitatis insignibus filii Dei in terris, censentur & agnoscuntur. Quod si jam nunc progenies ejus censemur; quanto meliori jure eo honore gloriari poterimus, cum vere divinæ naturæ compotes fiemus: immortalem & incorruptibilem vitam consecuti: & naturam Deo similem adepti. Quod tamen certissimo futurum est: nec frustra Apostolus asseverat. *Scimus vero quod cum apparuerit* (puta Christus in adventu suo) *similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Mortales oculi etiam ad conspectum Solis, pleno lumine suo radiantis, caligant. Multò minus aut Deum in luce ab æterno inaccessibili, aut Christum nunc in glorioso vultus sui fulgore lucentem, ferre possunt. Divina & Deo similis natura sit oportet, quæ ad conspectum plenissimæ, & talis, in qua Deus æternum regnat, gloriæ admittetur.

Vers. 3. Quisquis autem *in eam spem* animum suum sustulit; *purificat seipsum, sicut & ille*, cui spes ista innititur, *purus est*. Amor enim benefacientis, & tanti beneficii, tantæ felicitatis desiderium; eas habet vires, ut, accedente divinitùs ope, possit omnes veteres maculas eluere, & mentem in purissimo munditiei statu collocare.

Vers. 4. Quia in calce Capitis proximi dixerat, eum qui facit justitiam ex Deo natum esse: & versu proximo, purificationis ab omni immunditie mentionem fecerat; nunc explicat quid per justitiam, quid autem per immunditiem intelligat.

Justitiam igitur innuit esse, conformitatem mentis nostræ ad legem Dei; ut secundum eam perpetuo vivamus. Immunditiem vero esse, violationem istius legis, & contrà eam delicta. Atque hoc versu, tacitè rationem reddere videtur, cur puritatem & sanctimoniam vitæ, quæ à peccatis immunis est, Justitiam vocaverit: quia omnis qui committit peccatum, injustitiæ reus est; vel ob id, quod legem Dei violando, debitum Deo obsequium non reddit. Omne igitur peccatum merito injustitiam dici: sicut vitam sanctam & peccatorum expertem; justitiam.

Vers. 5. Notanda hic Joannis in scribendo consuetudo, quod pronomina ἐκεῖνος, ἐκεῖνος, ipse, ille &c. non semper ad proximum relativum; sæpe ad remotius referat: interdum vero (ut hic feciſse videtur) nullo præmisso eorum relativo, illud duntaxat subaudiri velit. Hic tamen per vocem ἐκεῖνος Christum intelligi, necesse est. Hoc loco à peccatis dehortatur eadem ratione, quâ capite superiori *vers.* 24. hortatus fuerat, ad manendum in doctrina, quam audierant à principio. Scilicet non committenda peccata, si in filio Dei Christo manere velimus. quod ut fiat, nostra multum interesse ibidem *vers.* 25. probaverat, quia in eo, & (quod una eademque opera perficitur;) simul in patre ejus manentibus vita æterna promissa est. Non posse igitur eos, qui peccent, hoc est, in peccatis vivant, & peccatorum consuetudine teneantur, manere in Christo, probat, quia in ejus regno peccato locus nullus est; ut qui eo fine, eo Dei consilio, in mundum venerit; ut peccata nostra tolleret: cælestium autem virtutum habitus animis nostris inſereret. Quamvis autem hic illa quoque peccatorum nostrorum remissio, quæ sanguine Christi fuso nobis promulgata est, etiam comprehendatur; tamen non sola. Præcipuè, cum ne ista quidem ipsa remissio locum habere possit; nisi in iis, qui ab eorum, quæ remittuntur peccatorum, immunditie, reipsa purgati & purificati sunt. quæ purificatio paulo ante nobis commendata, & præcepta est. Tollit igitur peccata Christus, non per solam illam imputativam justificationem, sed & per regenerationem, sine qua justificatio ne cogitari quidem potest.

Atque hic tacite pungit Apostolos Antichristorum, quos in tota ista de pietate doctrina efficacissimè oppugnat, doctrinam, qui totius religionis & adventus Christi rationem & scopum collocabant in mysteriis, nescio quibus, γνώσεως, cognitionis rerum divinarum. Non dicit igitur, Christum ideo apparuisse, ut, quæ natura vel essentia ejus fuerit, antequam nobis apparuisset, aut antequam natus esset; curiosè inquiramus: sed ut à peccatis planè abstineamus, & sanctè vivamus.

Unde *vers.* 6. deducit, *eum qui peccat*, hoc est, vivit in peccatis, & tamen Christianæ religionis nomen profitetur; vera cognitione Christi planè destitutum, atque ipsius plane ignarum esse. Exprimit autem hanc ignorantiam, per hyperbolen. Quemadmodum enim is, qui faciem hominis nunquam vidit, nosse eum dici non solet; ita doctrinam Christi nosse dici nequeunt, qui eam non gustarunt, ac ne primis quidem labris attigere. Quod de iis dici potest, qui prima ista religionis Christi elementa, hoc est, à peccatis omnino abstinendum esse, ignorant, aut alios ignorare faciunt, quicquid alioqui mysteriorum aliquorum cognitione glorientur. Antichristorum autem doctrinam hic notari, verba sequentis versus septimi indicant. *Filioli, nemo decipiat* vos. Antichristos enim, de quibus *cap. superiori vers.* 18. locutus est, eodem *cap. vers.* 26, Seductores, & impostores nominaverat. Nec vero alia mens Satanæ in immittendis Ecclesiæ ejusmodi seductoribus fuit, quam, ut per obtrusa Christianis sublimioris γνώσεως, cognitionis mysteria; vitæ & morum curam è mentibus eorum excuteret. Proinde docuit experientia, istos sublimioris cognitionis Magistros, nec ipsos ab omni peccati, præcipue adversus caritatem, genere abstinuisse: nec ut alii abstinerent, curasse: dum doctrina opinionum, ab iis introductarum; ad amussim servaretur. quod historiæ Ecclesiasticæ

ſtaſticæ notitia, non modo Apoſtolico ævo, ſed proximis, & omnibus ſubſequentibus ſeculis, mille experimentis comprobavit.

Hujus igitur doctrinæ pravitatem & impoſturam, hoc loco exagitat Apoſtolus, & oſtendit *verſ.* 7. Non qui ſterilem bonorum operum fidem, & caſſam abſque nucleo nucem, & Gnoſticæ cognitionis putamen, jactat; eſſe juſtum (aut *juſtificatum*): Sed eum, qui omninò juſtitiam faciat, hoc eſt, pietatem & ſanctimoniam conſectetur: nec eam quidem vulgarem; ſed ad exemplum ipſius Chriſti, quantum humana infirmitas ferre poteſt, exactam. Soli igitur illi juſti & juſtificati cenſentur, qui exercent juſtitiam; ſicut Chriſtus juſtus fuit.

Contrà vero *verſ.* 8. Qui peccatis indulgent aut dediti ſunt, non manent in Chriſto; nec ex Deo geniti ſunt, ſed ex diabolo. Quemadmodum vero qui ex Deo naſcuntur, Dei doctrina per Chriſtum tradita, Dei ſpiritu, & extraordinaria ope; immutantur, ſanctificantur, renaſcuntur in vitam, mores, & quaſi indolem, & naturam Deo ſimilem; ita qui ex Diabolo naſcuntur, Diaboli artificio, & ſuggeſtione, pravâ doctrinâ, callidis tentationibus corrumpuntur, ac in vitam impuram, & vitioſam, & naturam atque indolem Satanæ degenerant: ita ut ex Satanâ nati, & filii Diaboli dici poſſint. Qui, ut ipſe ab initio peccat; ita ad peccandum, quantum in ipſo eſt, homines adducit; ut ſibi in iis, ad ſimilem ſuæ improbitatem adductis, regnum quoddam conſtituat, Regno Dei, quod in hominibus Chriſtus conſtituere conatur, adverſum, atque oppoſitum. Cæterum filius Dei eo fine in mundum venit, & à Deo miſſus eſt, ut opera Diaboli, quæ in Regno ſuo conſtituendo exerit, diſſolveret, & omnes, qui ſe non indignos vocatione ac beneficio Dei præſtiterint, ad regnum Dei pertraheret. Datur igitur optio omnibus & ſingulis, quid eligere malint, Deum habere patrem, an Diabolum.

Sed ut Deum patrem habeamus, peccatis planè renunciandum eſt. Quia *is, qui ex Deo natus eſt, peccare non poteſt.* Documentum igitur eſt irrefragabile eum ex Deo natum non eſſe, qui in peccatis hæret. Eum verò, qui ex Deo natus eſt, *peccare non poſſe*, probat, quia *ſemen Dei manet in eo.* Semen autem iſtud, eſt ſemen illud incorruptibile, hoc eſt, *verbum Dei*, quod in iis perpetuò manere debet, qui ex eo nati, aut potius regeniti ſunt.

Verſ. 10. Et quia medium inter iſta duo dari nequit, ſed neceſſe eſt, ut unuſquiſque aut Dei filius ſit, aut Diaboli: illud eſt certiſſimum diſcrimen inter homines illos; quòd ut quiſquis Dei filius eſt, exercet juſtitiam, & vitæ ſanctimoniam ſectatur; inprimis verò diligit fratres ſuos; ita qui non exercet juſtitiam, nec diligit fratres ſuos, non eſt Dei, ſed Diaboli filius.

Atque ex his fructibus, Chriſtus ipſe homines cognoſci; ſed præcipuè pſeudoprophetas à veris prophetis dignoſci; docuit.

Probat autem *verſ.* 11. eum, qui non amat fratrem (jam enim à generali pietatis & juſtitiæ, tranſiit ad ſpeciale Caritatis præceptum, quia doctrina Antichriſtorum, quos tota epiſtola oppugnat, ex omnibus ſanctimoniæ præceptis, maximè legem Caritatis violare debuit) non eſſe ex Deo. Quia hæc eſt legatio, ἀγγελία, vel denunciatio Dei, cum qua miſſi ſumus nomine Dei ad vos, & quam vos ab initio audiſtis; *ut nos invicem diligamus.*

Quod præceptum quàm juſtum, & neceſſariò ſervandum ſit, *verſ.* 12. & ſequentibus oſtendit. Quia neglectus eius hominibus gradum ſtruit ad nefarium homicidii facinus: quod manifeſtè opus Diaboli eſt, nec niſi ad Auctorem Diabolum referri poteſt. Quemadmodum Cainus Diabolo, & ſuggeſtioni ejus morem geſſit, cum occidit fratrem ſuum, & jam tum, antequam occideret, *ex Diabolo fuit*, hoc eſt, quaſi ex eo natus, & ab eo corruptus, peccando ad ſimilitudinem Diaboli, quia opera ejus mala erant. Hæc enim interfectionis Abelis cauſa fuit, quod Cainus fratrem Deo magis placere, quam ſeſe videret. Magis autem placere ideo, quod ipſius opera juſta eſſent: Caini verò mala & improba. Unde tacite oſtendit, quàm certa ſint ſemina odiorum in hominibus malis adverſus bonos, quia mali pro injuria ſuâ reputant, quod boni Deo magis quam ipſi placere contendunt. quod ex diſſimilitudine operum, utriuſque generis mortalium, cernitur. Hic invidiæ inſtinctus Cainicum adverſus bonos odium accendit, non dormiente interim Satanæ malitia, patris omnis peccati & pravitatis. Quamvis autem morum diſſimilitudo in bonis quoque aliquam malorum averſationem procreat; non tamen ullum vividum odium efficit, quia per lapſus ac delicta improborum, nullo ſeſe directè damno affectos Boni queri poſſunt; nec habent quod iis invideant; quorum potius miſeratione tangi ſolent. Non igitur boni adverſus malos odio flagrare ſolent, ſed mali adverſus bonos. Nam qui ex Deo nati ſunt; tolerare utcunque malos, vel ſpe emendationis, poſſunt: at qui ex Diabolo; ferre plane nequeant eos, qui ex Deo nati ſunt.

Hinc apertè *verſ.* 13. deducit Joannes, *mirandum non eſſe, quòd Chriſtianos oderit mundus*, ſimulque perſequatur. Sicut enim Cain ideò oderat fratrem ſuum, quia erat ex Diabolo; eique in patrandis malis operibus morem gerebat: ita nos quoque odit ac perſequitur Mundus. quia, ut explicat infrà *cap.* v. *verſ.* 19. Mundus totus (hoc eſt, homines improbi & mundani) in malo (hoc eſt, in Diabolo) poſitus eſt, hoc eſt, ex eo natus, & operibus ejus exequendis dans operam.

Verſ. 14. Non tamen ideo deſpondendus eſt nobis animus, quòd nos oderit & perſequatur mundus, *quia ſcimus nos tranſgreſſos eſſe ex morte ad vitam.* Cujus rei certiſſimum documentum habemus, *quod diligamus fratres noſtros.* Soli enim ii manent in ſtatu morti obnoxio, qui non diligunt fratres ſuos. Cum enim Charitas & ipſa dilectio fratrum ſit vinculum perfectionis, & faſtigium virtutum omnium; quippe difficillima, & ad quam aditus non pateat, niſi per intenſam Dei Charitatem, quæ reliquas omnes virtutes complexa eſt; meritò homines ea præditi, in eo ſtatu ſeſe eſſe ſentiunt, in quo vitam æternam ſibi quiſque certiſſima ſpe deſpondere poteſt. Contrà verò ii, qui dilectione fratrum deſtitutos ſe eſſe ſentiunt; facilè ex eo conjicere poſſunt, ſe nondùm è ſtatu, morti obnoxio, emigraſſe. A neglectu enim & contemptu fratrum ad odium; ab odio ad homicidium, brevis & lubricus eſt gradus.

Imò verò qui fratrum odio flagrant, jam in corde ſuo *homicidæ ſunt*, quod clarè *verſ.* 15. aſſerit. At verò tanti ſceleris reus, quod ipſe Deus morte omnino plecti voluit; quomodo ſibi vitam à Deo immortalem polliceri queat? Proinde ſicuti homicida, ita omnis qui odit fratrem ſuum, non habet vitam æternam, hoc eſt, ſpem vitæ æternæ, in ſe manentem. Et hæc ipſa ſpes, quia ex verbo Dei nata, eodem ſuſtentatur, pertinet ad ſemen illud incorruptibile, ex quo renaſcimur; & quo, in nobis manente, peccare non poſſumus.

Verſ. 16. Accedit ad explicandam naturam, & perfectionem virtutis hujus, quam inculcat, hoc eſt, Fraternæ dilectionis & Charitatis. Explicat autem eam ejuſmodi exemplo, quod non modo naturam virtutis hujus ob oculos ponere; ſed etiam incitamento, &

ſtimulo nobis ad ipſam capeſſendam eſſe poſſit. *Eximiam*, inquit, *erga nos charitatem Chriſti* (quem per vocem ἐκεῖνος intelligit) *agnoſcimus, quod pro nobis animam ſuam*, id eſt, vitam *poſuit*. Quo beneficio ita nos demeruit ac ſibi obſtrinxit, ut nos quoque, quoties vult, *vitam ponere pro fratribus* noſtris obligemur. Vox ὀφείλομεν officii noſtri vinculum & obligationem exprimit.

Verſ. 17. Poſita ob oculos fraternæ dilectionis perfectione, quæ eo uſque progredi debet, ut vitam pro fratribus ponamus; non omittit cætera quoque Caritatis officia (in hominibus avaris & ad rem attentis, æquè difficilia) præſcribere. In quo hominum aſtutorum hypocriſi occurrit; qui vultu, geſtu, ſermone, & parvo conſtantibus officiis, ſpeciem fraternæ dilectionis præ ſe ferebant: cum tamen reipſa nullo erga fratres affectu tangerentur. Ponit igitur ob oculos Chriſtianum divitem, cui neceſſaria vitæ affluenter ſuppetant, pauperis fratris egeſtati non ſuccurrentem; ſed viſcera miſerationis erga ipſum claudentem: & oſtendit Caritatem Dei in ejuſmodi homine non manere, quia per caritatem in fratrem ſeſe non exerat. Cum tamen ſæpe etiam mundanos homines ſortis afflictæ miſeratio tangat; & ipſa innata cuique ratio ſingulos ad hunc affectum frequenter incitet, niſi homines, quærendæ & ſervandæ rei attenti, virtutis hujus ſemina atque igniculos in ſe extinguerent.

Unde omnes, quibus ſcribit, blandè admonet *verſ.* 18. *Filioli, ne diligamus ſermone, aut linguâ ſolâ* (quæ, ut ex antitheſi apparet, falſa, & ſubdola dilectio eſt) *ſed reipſa, & opere, ac veritate.* Veram igitur, non ſimulatam, nec ſpecioſam duntaxat, ſed ſolidam, & opere ipſo exhibendam Caritatem erga fratres præcipit. In quo obiter admirabilis Spiritus Sancti ſapientia obſervanda eſt; qui omnem quidem ſanctimoniam, ſed præcipuè Caritatem erga fratres, occaſione ſeductionis Antichriſtorum; Johanni inculcandam ſuggeſſit; quia divinitùs prævidit, ſubintroducendas in Eccleſiam doctrinas, omne quidem veræ ſanctimoniæ ſtudium, ſed præcipuè caritatem erga fratres, extincturas fuiſſe. Nec enim aliâ ratione auctoritatem, imo vitam, caducis alioqui natura ſua, nec diu vitalibus aut duraturis dogmatibus ſuis adſtruere poterant, niſi fraude, factione, conſpiratione, convitiis, odiis, anathematibus, perſecutionibus, oppreſſiſſent in Eccleſia eos, qui aut tunc, cum prævalere inciperent, diſſentiebant: aut in poſterum, vel minimum ab ipſis eſſent diſſenſuri. His fluctibus & procellis ab Antichriſtis excitatis, & vitæ ſanctimonia, ſed præcipue fraterna Charitas, in Eccleſia naufragium fecit: ut mirum non ſit, Joannem, malorum præſagum, vitæ ſanctimoniam & charitatem tot præceptis & monitionibus, inculcaſſe. Quibus præceptis ac monitis ſi obtemperatum fuiſſet; nunquam eò potentiæ in Eccleſia Antichriſti: aut eò pretii & auctoritatis, dogmata eorum aſcendiſſent.

Sed redeamus ad *verſu* 18. *Sermonem* (ſeu λόγον) *& linguam*, opponit *operi ac veritati*. Unde patet cognitionem & ſermonem abſque opere, eſſe rem inanem & falſam. At opus ex intentione & ſermone emergens, eſſe rem ſolidam ac veram. Nec enim verè deſtinat ac promittit, qui ea, quæ ſtatuit aut loquitur, opere non præſtat. Hortatur igitur Apoſtolus ut fratres ſolidè ac verè diligamus. Rationes hujus moniti affert *verſ.* 19. duas: quæ quamvis eodem collineent ac recidant: duæ tamen ſunt.

Prima, quia ſi verè fratres dilexerimus, eò ipſo tanquam evidentiſſimo ſigno patebit, *nos ex veritate eſſe*. Ubi vox *veritatis* poteſt quidem ſumi pro ſynceritate cordis, ut cum homines probi, candidi, & ex animo omnia facientes; ex veritate eſſe dicuntur. & hic ſenſus huic loco admodum accommodatus videtur. Nihil tamen impedit quominus hic vox *veritatis* latius ſumatur, ita ut illam quoque veritatem una comprehendat, quæ falſitati, & mendaciis (quæ ab Antichriſtis obtrudebantur) opponitur. Præſertim cum iſta veritas Apoſtolica mendaciis Antichriſtorum oppoſita, ſynceritatem illam cordis, & probitatem, præcipuè verò caritatis candorem, omninò requirat, nec abſque iſtis omnibus unquam eſſe poſſit. Locupletes enim theſauri ſapientiæ divinæ ſæpe latent in verbis à Spiritu Sancto dictatis, ut res interdum diverſiſſimas, non tamen ſibi adverſas, eadem ſignificatione comprehendere poſſint. Erat autem hic locus poſteriori quoque veritatis explicationi ac ſenſui, quia Antichriſti illi mendacia ſua veritatis prætextu colorabant, dum Gnoſtica illa myſteria, tanquam ad cognoſcendam veritatem neceſſaria, panderent, cum tamen nihil ipſis eſſet mendacius atque inanius. Ideò doctrina quoque ipſorum, veram pietatem & caritatem ſynceram non requirebat, fallaci & ſubdolâ ejus ſpecie contenta: imo verò ſolidam, & veram pietatem, & caritatem efficaciter ſubruebat. Meritò igitur Apoſtolus, veram & ipſo opere teſtatam erga fratres caritatem, pro certiſſimo ſigno eſſe aſſerit eorum, qui *eſſent ex veritate*, hoc eſt, non modo probi & ſynceri, ſed etiam verâ & non mendaci rerum divinarum cognitione imbuti, quæ talem candorem, probitatem, & caritatem ab hominibus planè requirit.

Altera eodem in verſu poſita ratio eſt; quia ſi verè fratres dilexerimus, *coram Deo ſecura & de ejus gratia bene perſuaſa reddemus corda noſtra*. Nec enim facilè animus & conſcientia noſtra, ſibi in ejuſmodi rebus imponi patitur, & quamdiu quidem nobis graviorum criminum conſcii ſumus, nullo modo mens noſtra credere poteſt, ſe tutum ad Deum aditum & liberam admiſſionem habere. Imo & quamvis forte nulla nos gravioris delicti conſcientia terreat; ægrè perſuaderi ſibi ſinit ſeſe precibus ſuis facilem Dei aurem habituram, niſi ope Spiritus Dei ſuffulta: quam Chriſtus conferre ac mittere non ſolet, niſi earum ſibi virtutum conſciis, quarum ut actiones æterno ſalutis præmio remunerari, ita neglectum æternâ pernicie punire ſe conſtituiſſe, denunciavit. Tales autem ſunt actiones & opera veræ caritatis; quæ nobis parreſiam illam ad Deum, & patentem aditum, & certam ſpem impetrandi quæ petimus, præſtant. Nec enim nos amorem noſtrum erga Deum vel Chriſtum, niſi in amore erga fratres, hoc eſt, ex eo genitos teſtari poſſumus. Nullis noſtris officiis aut beneficiis indiget. Sed beneficia fratribus collata ſibi imputari imperat. Nihil igitur ſecuriorem nobis ad eum aditum præſtat, quàm ſi nobis conſcii ſimus, nos inſigni impendio noſtro, aliquid in gratiam Dei, id quaſi petentis aut poſtulantis, feciſſe. Neque enim tunc dubitare poſſumus, quin ille viciſſim in gratiam noſtri, quoties pætierimus, omnia ſit præſtiturus. Quamvis autem non ſemper iſta conſcientiæ noſtræ ſecuritas, nos eorum, quæ optamus, compotes facere poſſit; cum Apoſtolus *dicat*, *Nullius rei mihi conſcius ſum, ſed non per hoc juſtificatus* 1. *Cor.* IV. 4. quia Deus poteſt in nobis ea peccata videre, quæ nos ipſi non animadvertimus; Ideo hic *verſ.* 20. dicitur, *Deus eſſe major*, hoc eſt, ſapientior, ſcientior, *corde noſtro, & noſſe omnia:* Semper tamen nos libertatis illius & parrheſiæ, quæ nobis in precibus noſtris neceſſaria eſt, compotes efficit. Nec ſæpe contingit, malitiam cordis noſtri, eſſe tam alte reconditam, quin eam aut ſuamet ſagacitate ipſa mens noſtra ſubodoretur: aut certe miſericors Chriſtus, miſſa peropportune ope Spiritus Sancti nobis revelet. Dummodo ſimus ex veritate, hoc eſt,

est, animo probo ac syncero, & veræ doctrinæ ejus cognitione instructi. quod fiet, si cognita ejus præcepta, præcipuè verò charitatem, ad praxin & executionem deducamus. Nam qui præcepta Christi vita, & moribus non exprimit; neque Christum neque præcepta ejus nosse, meritò à Spiritu Sancto dicuntur. Imò Christianos peccantes, Christum *ne vidisse quidem unquam*, suprà *vers.* 6. Joannes asseruit; quasi doctrinam ejus ne primis quidem labris gustassent.

Illud igitur præceptum, quod nobis *vers.* 21. traditur, semper oculis nostris obversetur. Ideò illud Apostolus blandè insinuat, quasi roganti propior. *Dilectos* vocans, quibus tàm utile monitum tradit, Dandam esse, inquit, operam *accedentibus* ad Deum, *ne ipsos cor eorum condemnet.*

Additur autem ratio, & fructus hujus *bonæ conscientiæ*, Parresia, & liber accessus ad Deum; & quæ *vers.* 22. describitur, *Spes impetrandi quæcunque petierimus.* Hujus autem spei causa, & quasi assecuratio additur. *Quoniam*, inquit, *præcepta ejus observamus, & quæ in ipsius conspectu placent*, facimus. Ingens profectò *vocationis nostræ excellentia* in eo cernitur, quod nos Deus quodam secum commercio, & quasi conversatione dignetur. Primum enim in perpetuo ejus sumus conspectu, nec ad facta tantum, sed ad dicta quoque, imò cogitata nostra animum atque oculos advertit. Quo magis, & frequentius nobis, mens eo reflectenda est, ne quid, quod ipsi displiceat, audeamus: Præcipuè verò ne præcepta ejus, imo ne singularia quidem monita Spiritus Sancti, quibus persæpe aures nostras vellit, negligamus; ita ut non modo arbitrum Deum, sed conscientiam quoque nostram testem, revereri assuefiamus, per quam à Deo sæpe commissorum criminum convincimur. O nos felices, si nos tàm grave testimonium non urgeat! Quid? si adjuvat ac sublevet? quid si aliqua, eaque non pauca suggerat, quibus Dei favorem elicere; illâ, quæ nobis suppetit, virium nostrarum exiguitate connitamur. Non arduum nimis, neque abruptum & inaccessum iter, in aditu throni misericordiæ suæ Deus esse voluit. Præcepta ejus gravia non sunt, etiam obedire incipientibus: ac tantò subinde jucundiora, quantò longius in obsequio progredimur. Opera autem nostra non suæ levitatis pondere; sed grati & propensi affectus in sese fide ac studio Deus æstimat: in quibus, etsi non desint, quæ fortè displiceant, nullas tamen causas placendi repudiat. Huic tàm facili, tam utili, tam honesto, & glorioso labori nostro; posuit præmium mortali voto majus; optatissima quæque obtinendi copiam, & expectationem.

Ponit autem ob oculos Joannes *vers.* 23. summam eorum, quæ *in conspectu Dei placent*, & sunt ἐν δυσὶ, in duobus. Quorum primum est; *ut credamus in nomine filii ejus Christi*, hoc est, fidem nostram in eum obsequio præceptorum ejus testemur. Neque enim cadaver, per vivo fidei corpore recipit. Alterum est, *ut diligamus alii alios*; quod per verba *Sicut præcepit nobis*, non dissimulat pertinere quoque ad illa præcepta, quorum obsequium fidem in Christum constituit. Explicatius tamen illud præ cæteris præceptis tradidit, non modo quia est perfectio reliquorum præceptorum obedientiæ: sed quia à prædictis, & imminentibus Antichristorum impostoris, præceptum φιλαδελφίας vehementius oppugnandum, & violandum fuit.

Vers. 24. Rationem ostendit, cur Christiani veri, & præceptis Christi (quæ eadem sunt Dei, quamvis per Christum tradita) obtemperantes, quicquid petunt à Deo, impetrent. Quia per istam præceptorum Dei obedientiam tàm stricto dilectionis & amoris, &, si ita loqui fas est, amicitiæ vinculo cum Deo conjungimur; ut *& nos in Deo habitemus, & Deus in nobis.* Quod idem de Christo quoque intelligendum est, ob parem rationem, cum Pater & filius (sine cujus interventu Pater nihil facit) in Salutis nostræ negotio, unum sint. Ideo *Joh.* XIV. non modò *vers.* 20, Christus dicit *se esse in Patre suo, & discipulos suos in se; & se in suis discipulis*, summam conjunctionem, & quasi unitatem Patris, & sui, & discipulorum suorum in negotio æternæ salutis exprimens: sed etiam *vers.* 23. ita loquitur. *Si quis diligit me, sermonem meum observabit; & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* Eadem enim operâ cum patre conjungimur, quando cum filio ejus conjungimur; quia Pater cum eodem filio strictissimè conjunctus est; ut si quis disjungatur à filio, aut neget filium, eadem opera à patre disjungi, & patrem negare dicendus sit, ut supra *cap.* II. 22. expresse dicitur. Meritò igitur suprà *cap.* II. 24. Apostolus iis, qui in doctrina ab Apostolis initio prædicationis tradita permanserint, pollicetur eos quoque in filio simul & Patre permansuros.

Nunc quid sit *habitare in Deo aut Christo*: & vicissim habitari à Deo aut Christo videamus.

Et habitare quidem in Deo aut Christo quid sit; expresse Apostolus *vers. ultimo* indicat, nimirum *Observare Dei præcepta per Christum tradita.* quod verè est diligere Deum aut Christum. & fieri aliter nequit, nisi quis omnes (quantum potest) cogitationes suas in eo defixas habeat: &, (quod homines amoris affectu saucii facere solent) continuâ rei amatæ recordatione sese oblectat; ad mentem ejus quem amet, omnes non modo sermones, & actiones; verum & cogitationes suas, componat, quia eum semper præsentem, & secretissima quæque suorum consiliorum spectantem, sentiat. Ab hac continua, & quasi perpetua cogitationum nostrarum in Deo ac divinis rebus mora, & huic uni rei affixis, & hærentibus curis nostris, in Deo vel Christo habitare dicimur. quia perpetuo animam & cogitationem nostram mittimus in illud cæleste Dei Christique domicilium, atque in eo constantissimè detinemus.

Arduum id quidem, & excelsum honesti propositi culmen, primò obtutu apparet; sed connitentibus non inaccessum: quia hic imbecillitati nostræ succurrit illud alterum, quod nobis deinceps explicandum incumbit quid illud sit, quod Deus vel Christus *in nobis habitare* dicitur. Quæ res quantum ad nostram felicitatem attinet, adhuc excellentior videtur illo Statu nostro, per quem in Deo vel Christo habitare dicimur; quia hic Status illius præmium est: nisi quòd uterque horum ita alteri conjunctus est, ut alter alterius individuus comes dici possit. Quamvis enim Deus visibilia, & cunctorum oculis obvia obedientiæ sibi præstitæ præmia, in longum differat; tamen invisibilem virtutum, præsertim verò syncери erga se studii mercedem, sine ulla morâ reddit ac repræsentat. Ergò qui in eo sedula mente, & cogitatione sua habitare connititur; in eodem quoque Deus, & unâ Christus, Spiritus sui interventu, statim habitare incipit, hoc est, præsentiâ spiritus sui erigere, & consolari conscientiam ejus; confirmare fidem; refocillare spem; illustrare mentem; suggerere salubria consilia, largiri eorum ex animi sententiâ successum: munire pectus adversus incidentia aut obstantia, aheneo fiduciæ muro; dare gustum futuræ immortalitatis; impertire gaudia felicitatis, quâ Deus ipse in contemplatione admirandorum operum suorum fruitur. Breviter, quicquid honoris, emolumenti, lætitiæ, ex præsentia tanti hospitis, rerum omnium Arbitri,

animi

animi noſtri capere poſſunt ; illud in eos non parca manu effundere. Et quæcunque alia præterea dari poſſunt Spiritus Sancti beneficia, aut adminicula eò dem pertinent. Per Spiritum Sanctum enim, hoc eſt, vim tàm beneficam, & ſalutarem, mentibus noſtris illapſam, Deum & Chriſtum in nobis habitare : per iſta verò ipſa beneficia, (quæ non ſentire non poſſumus) Spiritum Sanctum nobis donatum eſſe cognoſcimus.

CAPUT IV.

MEntio ſpiritus, quem Deus dare ſolet manentibus in ſe, ſeu diligentibus ſeſe; dedit occaſionem Apoſtolo valde neceſſarii moniti de cavendis ſpiritibus fallacibus : & falſo ſpeciem ac nomen ſpiritus Dei ſibi vendicantibus. Ideo huic monito addit ſignum, quod in iis, quæ magis ſedulo præcipit, frequenter uſurpat, blanda allocutione benevolum erga eos, quos monet, affectum indicans, & quaſi præcepto preces addens, quo altius, & efficacius illud animis eorum infigeret. *Dilecti*, inquit, *non omni Spiritui credite : Sed probate Spiritus, an ex Deo ſint.* Rationem addit, *Quia multi Pſeudoprophetæ venerunt in mundum.* Quemadmodum veri prophetæ Spiritus Dei inſtinctu erant inſtructi : ita nec falſi prophetæ caruerunt ſuo ſpiritu. Diſcernendi igitur erant eorum ſpiritus ; ut falſi à veris prophetæ diſcerni poſſent. Atque hoc capite plura manifeſta ſigna proponit, per quæ ſpiritus pſeudoprophetarum & Antichriſtorum poſſent agnoſci ac deprehendi.

Primum omnium ſignum, quo Spiritus Dei, à Spiritu Antichriſti ſeu Diaboli diſcernitur, explicat *verſ. ſecundo & tertio.* Tribuit enim Spiritui Dei, vel qui ex Deo eſt, quod *confiteatur Jeſum Chriſtum illum, qui in carne venit.* Spiritui verò, qui ex Deo non eſt, tribuit ; *quod eundem non confiteatur.* Atque hunc ſpiritum averſantem & abnuentem, hoc eſt, negantem hunc Jeſum, qui in carne venit, ait *eſſe Spiritum Antichriſti*, ſeu adverſarii Chriſti, qui à prædicantibus Apoſtolis fuit pridem prædictus ; quæ prædictio vivente Joanne jam impleri cæperat : *& Spiritus hic jam tunc erat in Mundo.*

Primi igitur verbi ὁμολογεῖν, confiteri, eadem propemodum vis, & ſignificatio eſt, quæ *Rom.* x. 9. Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum. Ut enim illic confiteri Dominum Jeſum ſignificat, confiteri Jeſum illum eſſe Dominum ; ita hic confiteri Jeſum Chriſtum, illum qui in carne venit, ſignificat, confiteri Jeſum qui in carne venit eſſe Chriſtum, & Regem populi Dei. Niſi quod verbum confeſſionis hoc loco à Joanne ; quàm citato loco à Paulo, latius ac plenius ſumi videatur. Paulus enim illud reſtringit ad oris confeſſionem, quia huic confeſſioni addit, & quaſi opponit cordis fidem. At Johannes hoc loco confeſſionem latius ſumit, ita ut cordis fidem includat. Nec enim ſatis eſt ad id, ut quis ex Deo ſit, ore confiteri Jeſum eſſe Chriſtum, niſi quis idem corde confiteatur, & firmiter credat. Cæterum quia verba iſta, confiteri Jeſum Chriſtum, qui in carne venit, vulgò interpretes prave explicant ; probandum nobis incumbit, ea aliter niſi uti ſonant, & à nobis in Latinam linguam vertuntur, explicari non poſſe.

Sunt igitur qui verba ὁμολογεῖν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, explicant, *confiteri Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe.* Quod ferri nullo modo poteſt. Nam in vertendo ſignificationem Dativi apud Græcos, Ablativi apud Latinos ; detorquere ad ſignificationem Accuſativi apud utroſque : idque non explicando ſenſum : ſed audacter interpretando verba : non eſt explicare, ſed violenter torquere ac depravare Sacras Scripturas. Gravis hic, nec levi cenſura dignus eſt auſus : tolerabilior futurus ; ſi interpretatio quidem verborum, ita ut in Græco ſonant, Latine poſita fuiſſet. nec impediebat quicquam, quin poneretur. ſignificationis verò ſenſus ad opinionem interpretum demum deflexus fuiſſet. Sed voluere iſti interpretes, non ſatis licito dolo, compendifacere difficilem illum, imo inutilem, quin irritum laborem in perſuadendo hominibus, quod voces, venire in carne, idem ſignificarent, quod venire in carnem, ſeu incarnari. Cæterum ſi idem ſignificant, cur interpretando immutarunt caſus, cum de verbo ad verbum (ut ajunt) vertendo, eadem ſignificatio ipſis, nihil immutata manſiſſet. Sin verò non idem ſignificant ; cur auſi ſunt diverſa verba, ac diverſum ſignificantia, pro genuinis Joannis verbis ſubſtituere? Latet igitur hic non pravus tantum & noxius ; ſed ignobilis dolus : & qui gravem reprehenſionis notam, aliter effugere non poterat ; quàm ſi animadverſus non fuiſſet. Jam verò iſta diverſum ſignificare manifeſtiſſimum eſt, cum venire in carne (ſubintellige in Mundum) omnes homines dici poſſint ; præſertim qui in hoc Mundo, celebrem aliquam, & mundo notam actionem aggrediantur : etiam ipſi illi pſeudoprophetæ multi, quos *verſ.* 1. in mundum prodiiſſe ait ; oppoſitè videlicet ad Angelos aut dæmones, qui ubi in mundo ad aliquid peragendum accedunt, non in carne, hoc eſt, fluxa & mortali naturâ ; ſed in natura perfectiori ; atque immortali accedunt ac veniunt. Venire autem in carnem, hoc ſenſu, quem iſti viri boni, non ſine aperta petitione principii, pro conceſſo ſumunt, hoc eſt, incarnari, nemo præter unum ex eorundem ſententia dici poſſit. Quanquam ſi petitio principii, quam deteximus, abſit, etiam ii in carnem venire dici poſſent, qui in mundo in ſortem, & naturam mortalem naſcuntur, quia Caro naturam fluxam, & fragilem ſignificat, quales ſunt omnes homines, de quibus Poëta ait

Progenies magnum cœli ventura ſub axem.

Ita ut nihil hic aſtus, etiam poſt tàm gravem auſum, iſtis interpretibus prodeſſe poſſit : & tanta rei pretioſiſſimæ, hoc eſt, exiſtimationis impendio & jacturâ ; aut nihil ſibi ; aut aliquid vilius quam nihil, hoc eſt, probrum mercati ſint. Et hæc quidem ſi vocum naturam ſpectemus ita dici poſſunt. Cæterum ſi uſus vocis hujus, venire in mundum, in Sacrâ Scripturâ, præſertim apud Joannem, reſpiciatur ; non tam iſti venire in mundum Joanni dicuntur, qui ex utero matrum in lucem prodeunt, ſeu naſcuntur ; quàm hi, qui aut miſſi in orbem cælitùs legationem ad mundum obeunt : aut qui alioqui ita in mundo emergunt, ut publice noti eſſe incipiant. quemadmodum hoc loco pſeudoprophetæ veniſſe, aut prodiiſſe in mundum dicuntur ; in quo non nativitas eorum exprimitur. nec enim tales nati ſunt ; ſed longe poſt nativitatem facta publica eorum apparitio ac celebritas. Ita Chriſtus de ſeipſo loquitur. *Joh.* XII. 46. *Ego lux veni in mundum, ut, quiſquis credit in me, in tenebris non maneat.* Qui adventus hujus lucis, triginta annis poſt nativitatem ejus extitit, cum prædicatione ſua illuminare orbem, ac tenebras ex eo pellere cæpiſſet. Quanquam etiamſi adventus in mundum, de ipſa quoque nativitate intelligatur, noſtrâ nihil interſit : nec de eo ullo modo pugnare velimus.

Illud unum evincere ſatis eſt, quia vox venire motum ad locum ſignificat ; & cum Chriſto tribuitur, locus iſte, in quem venit, apud Joannem Mundus aut expreſſe dici, aut tacitè ſubintelligi, frequentiſſimè ſoleat. (Expreſſe quidem dicitur. *Joh.* IX. 39.

Joh.

Joh. XIV. 16. *& cap.* XVI. 28. *& cap.* XVIII. 37. Tacite verò subauditur *Joh.* I. 15, 30. *& cap.* III. 31. *& cap.* V. 43. 1. *Joh.* V. *vers.* 6. *&* 20. & alibi. Atque adeò quod in hoc ipso loco *vers.* 1. eadem vox cum pseudoprophetis tribuitur, adventum eorum in mundum expressè designat. Idcircò in *vers.* quoque secundo, & tertio cum eadem vox venire Jesu Christo tribuitur, adventum quoque ejusdem in mundum significat: ita ut post vocem venire in carne, subaudiri debeant voces in Mundum. Quod vel ipsa vis antitheseos exigit. Ut enim pseudoprophetæ venisse in mundum expressè dicuntur: ita Christus quoque (qui in carne, hoc est, mortali, & humana natura venit) in mundum venisse subintelligitur. Proinde per verba ἐν σαρκὶ, *in carne* non terminus ad quem verbi veniendi, motum ad locum significantis, intelligitur; (qui terminus hoc loco non alius esse potest, quàm mundus) sed modus veniendi in mundum. Possunt enim in mundum venire Angeli, possunt & dæmones, sed non in carne (subintellige verâ) quamvis forte ut videri à nobis possint, speciem carni similem aut phantasma induant. Nullo modo igitur voces ἐν σαρκὶ, verti poterant aut debebant *in carnem*, quæ versio terminum ad quem vocis veniendi carnem esse ostendit: sed tantum sicuti sonant; atque ut reliqui omnes fideliores interpretes fecere *in carne.* quæ genuina versio modum, & rationem adventus istius in mundum, in fluxâ, & fragili ac nostræ simili naturâ exprimit, non verò terminum ad quem.

Refutata hac prima audacioris versionis absurditate; quæ unius fortè (quod sciam) interpretis est, & à reliquis modestioribus ac syncerioribus damnatur: restat altera versionis absurditas; quæ pluribus imò plerisque interpretibus communis est refellenda. Illa vero in eo est, quod verba ὁμολογῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα explicent Latine, *Confiteri Jesum Christum in carne venisse*, seu *quod Jesus Christus in carne venerit.* Quæ & ipsa versio à vero, & proprio sensu verborum, ita uti sonant explicandorum recedit: qui ad verbum in diversa lingua explicatus, participium per participium, aut certe per circumlocutionem participii, vel modum loquendi participio æquipollentem exprimi postulabat. Excusatur tamen partim ob causam non levem, partim ob usum linguæ Græcæ; qui tale participium ita uti faciunt explicari sæpe permittit. Causa quam illi gravem putant, est; quia nisi hoc loco verba *in carne venit* prædicatum constituunt; quod Jesu Christo tanquam subjecto respondeat, necesse est illa ad subjectum pertinere; quod si fiat, prædicatum quod Jesu filio hominis, tanquam subjecto respondeat; Christus erit: atque ita dignitas Christi, quatenus in eum credimus aut eum confitemur, ad humanam naturam restringi videtur, quod vulgari ac receptæ ab ipsis opinioni repugnat.

Cæterum ista causa, quanticunque momenti videatur, justa tamen non est. Nec enim verba Sacræ Scripturæ ad normam opinionum nostrarum explicanda: sed opiniones nostræ ad normam verborum Sacræ Scripturæ exigendæ sunt. Usus autem linguæ Græcæ participium quidem tale hoc loco, ita uti faciunt, explicari permittit; sed non postulat, præsertim si gravissimæ rationes obstent quominus ita explicari possit.

Non posse autem ista verba ita explicari, ut voces *venisse in carne* prædicatum contineant istius enunciationis, quæ confessionem de qua agitur constituit, vel una ista ratio potentissimè evincit; quia si illud continerent, assertio Apostoli versu secundo proposita; falsa, & toti analogiæ religionis Christi contraria esset. Quod quia absurdum est, ideo verba ista prædicatum enunciationis, quæ de confessione ista loquitur, continere nequeunt. Quid enim falsius est, quàm eum qui confitetur quod Jesus ille, qui à discipulis suis pro Christo habitus est, in carne seu natura mortali ad prædicandam doctrinam suam venerit; ex Deo natum esse? Id certè infensissimi ejus hostes, sed præcipuè interfectores ejus, senserunt, credideruntque, & experimento ipso præ aliis edocti fateri cogebantur Jesum illum, in carne ad prædicandum in Mundo venisse; qui carneos artus ejus flagellabant, cruciabant, & cruci affigebant, non minùs atque ii qui supplicii hujus auctores atque exactores erant impii Judæi. Quos tamen non ex Deo, sed ex Diabolo (patre homicidarum) fuisse, etiam ante mortem Domini quod animum ac propositum ejus occidendi haberent, ipsi Christo id asserenti *Joh.* VIII. 44. credimus.

Quod si verba, *venisse in carne*, prædicatum enunciationis, de qua loquimur, constituere nequeunt: necesse omninò est, ut ad subjectum ejus, hoc est, Jesum illum (qui venit in carne) pertineant. Unde necessariò concluditur, hoc loco subjecti hujus prædicatum non posse esse, nisi *Christum.* ità ut non aliter verba versus secundi verti possint, quàm hoc modo: *Omnis qui confitetur* (subaudi non modo ore sed & corde) *Jesum illum qui in carne venit, esse Christum* (hoc est, filium Dei ac Dominum, & servatorem animarum nostrarum, & judicem supremum actionum) *ex Deo est.* (subintellige Natus aut regenitus) Id ipsum vero non modo ex ipsis verbis Joannis, quibus in hac eadem epistola non semel usus est, sed & firmissima ratione evincitur.

Verba Joannis idem sonantia, & explicantia sunt primùm *cap.* II. 22. quibus arguit culpam eorum, qui ex Diabolo patre mendacii nati, & ipsi quoque mendaces sunt; qui confessionem hanc salutarem Jesu Christi; quæ homines ex Deo nasci efficit non habent: *quia negant quod Jesus sit Christus.*

Deinde infrà ejusdem capitis *vers.* 15. evidentissimè verba ista versus secundi explicat, *quòd omnes qui confitentur Jesum esse filium Dei* (quod prædicatum cum superiori prædicato, hoc est, filius Dei cum Christo reciprocatur, & plane idem est) non *modo ex Deo, sed in Deo quoque sint, & Deus in ipsis maneat.*

Tertio infrà *Cap.* V. 1. omnium manifestissimè explicat istam confessionis ac fidei nostræ enunciationem, dum ait: *Omnis qui credit* (quod verbum Credendi, vocem confitendi plane explicat) *quòd Jesus* (Vide subjectum, quod significat filium hominis qui in carne venit, hoc est, mortalem) *est Christus* (vide prædicatum, quod filium Dei regium nomen, & potestatem super populum Dei adeptum designet) *ex Deo natus est.*

Quartò infra eodem v. *cap. vers.* 5. ubi toties iteratam enunciationis hujus, qua fides, & confessio nostra exprimitur; explicationem inculcat. *Quis est qui vincit mundum* (hoc est, qui ex Deo natus est) *nisi is qui credit* (seu confitetur) *quod Jesus sit filius Dei.* Ubi quis non videt, in omnibus allatis enunciationis, quæ fidem, & confessionem nostram continet, exemplis subjectum esse Jesum illum filium hominis: prædicatum verò Christum; aut, quod æquipollet voci Christi, filium Dei unctum jam & factum Regem populi sui.

Quinto denique, paulò ante propositam hanc *Cap.* IV. *vers.* 2. enunciationem, quæ fidem, & confessionem nostram continet *vers.* 23. *capitis tertii*, *hanc esse præceptionem Dei* asserit Joannes, *ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi;*

quod aliter explicari nequit quàm ut credamus Jesum unum filium hominis, esse Christum, regiam potestatem (nomen enim potestatem significat) super nos habentem. Sic enim credemus & confidemus ejus potestati; ac voluntati, & imperio Dei, morem geremus.

Præter allata verò manifesta verba Joannis, quibus sese toties explicat, cum explicatione nostra congruentia; illa pro sententia nostra ratio militat, quod ii qui serio, & ex animo credunt Jesum illum; qui nobis sub conditione æterni præmii obtinendi præcepta sua servanda tradidit, & morte sua summam erga nos caritatem testatus est, esse vere Christum, qui accepta summa in cælo, & terra potestate, æterna ista præmia in manu habeat, non possint nisi præcepta ejus servare ac regenerari: & ex verbi illius semine incorruptibili; atque ita ex ipso Deo renasci. Talis enim fides, & confessio, si vera sit, & in animo penitùs innxa maneat; non potest esse mortua, sed viva omnino est, & comitem habet regenerationem ac vitæ sanctimoniam.

Vers. 2. In hoc cognoscite Spiritum Dei. Non vulgaris Spiritus Sancti sapientia cernitur in ea doctrina, in qua docemur δοκιμάζειν τὰ πνεύματα probare, & explorare differentes spiritus, per traditam nobis infallibilem normam, discernendi Spiritus Dei à Spiritu profano. Quæ non alia est quàm Confessio vera, seu in qua syncerus oris cordisque consensus concurrit, quod Jesus ille filius hominis, qui in carne seu mortali natura in mundum venit, sit Christus & filius Dei, Rex populi Dei omnipotens. Quam confessionem quicunque Spiritus suggerit, & insinuat, Spiritus Dei censendus est: Contrà quicunque eam spiritus extinguit; aut quoquomodo convellit, profanus, & à Deo alienus Spiritus censendus est.

Cæterum longe major adhuc, & admirabilior ejusdem Spiritus Sapientia in modo doctrinæ huius, & normæ tradendæ deprehenditur. Cum enim Spiritus Dei, qui ipsam Antichristorum apostasiam prævidit ac prædixit, Status, & conditionis Ecclesiæ qualis tempore oppressionis ac tenebrarum Antichristi futura esset, ignarus esse non posset; ejusmodi remedium atque antidotum in doctrinâ ista Joannis adversus pestem istam præparavit, quod arcendæ ac submovendæ ejus virulentiæ plane salubre atque conveniens esset. Nec enim Dei propositum erat, tantum licentiæ indulgere Satanæ vel Antichristo, ut omnem plane Cognitionem Jesu illius filii hominis ex sancta virgine nati, è mentibus hominum in Ecclesia evelleret. Ita enim tempore Antichristi omnis omnino ad salutem aditus humano generi, præclusus fuisset futurus, quod à consilio Dei fuit alienum. Sed impediri tantum variis errorum falebris viam salutis non autem penitùs obstrui permisit: nec ut nullus omnino, in illis Antichristi tenebris ad vitam æternam, sed ne facilis duntaxat esset mortalibus accessus voluit. Ejusmodi igitur doctrinam de hoc dogmate prævalere in Ecclesia permisit; quæ non quidem omnibus qui eam primis labris gustassent, aut etiam recepissent lethiferum illud venenum (quod Jesus non sit Christus) instillaret, sed tantum iis qui sibi ab eo (maxima quidem, & latissima culpa sua) non caverent. Proinde sententia illa, quæ filium Dei ante natum ex Maria Jesum, fuisse statuit, non statim quidem natura sua infert & ostendit Jesum filium hominis planè non esse Christum: sed tamen illud infert, & statuit, Christi Regiam dignitatem, & sublimitatem, multo potiori iure pertinere ad eum qui ab omnibus seculis Altissimus fuit; quàm ad eum, qui mortalis mortuus, & sepultus à Deo patre demum excitari, & à morte liberari debuit.

Quod si quis nimium doctrina ista delectari, & carnali defensorum ejus factione ac zelo abripi incipiat (quod experientia tot seculorum docuit; & præsentis docet) facillimè è tam lubrico loco, in abruptum hujus præcipitii decidet, ut Jesum illum hominem despiciat; nec in eum (illius maledictionis metu; quæ in homine fiduciam collocantibus intentatur) tutò credi posse existimet, & omnem Christi dignitatem ad eam personam; quæ longè ante natum Jesum populi Dei Rex fuisse dicitur, restringet. Quod iis potissimum accidit, qui inhumano, & felle amaritudinis perfuso zelo, eos qui unum illum Jesum filium hominis pro Christo agnoscunt; & secundum traditas ab eo leges Deum colunt, condemnant, pro Christianis non habent, persequuntur, interficiunt. Quibus enim fides in illum ipsum Jesum non videtur esse fides erga Christum, satis ostendunt quod ipsis ille Jesus non videatur esse Christus.

Ne igitur efficacia istius erroris, qui in Ecclesia per Antichristos propagandus fuit, tàm facilè deciperentur ii, qui justo Dei judicio, ipsum forte errorem effugere vix poterant; Spiritus Sanctus per Joannem succurrendum Ecclesiæ censuit; ut non minùs nec rarius illud inculcaret; *eos qui credunt Jesum esse Christum esse ex Deo, natos esse ex Deo; esse diligendos*: quàm illud, *eos qui non credunt, nec confitentur Jesum esse Christum, non esse natos ex Deo, esse mendaces, habere spiritum Antichristi, esse Antichristos* &c. Hoc loco autem etiam prius *illud* quam hoc, ostendit. Nihil enim magis in hac periculosissima opinione cavendum est; quàm ne eò usque erroris progrediamur, ut inspiciente Deo; audiente Christo, Angelis, dæmonibus, cælestibus ac terrenis spectatoribus coràm; per damnationem, & persecutionem eorum qui credunt Jesum esse Christum, clarissimo testimonio profiteamur, nos non credere quod Jesus sit Christus.

Ac illo quidem Apostolico ævo, cum collectæ ex Gentibus Ecclesiæ adolescerent; & hausta ex profana Sapientia dogmata in ii invalescerent; quodque Paulus admodum pertimescebat; ex prædicatione ejus prædas agerent: quamvis homines mysteria, & secreta fallacis Gnoseos suprà fas, & vecum rimarentur: non tamen ausi sunt eousque descendere, ut simplicem illam doctrinam aut fidem de Jesu filio hominis quod verus sit Christus detestarentur: aut Confessores ejus damnarent. Alte enim hærebant animis eorum hæc Joannis monita, de diligendis iis, tanquam filiis Dei, qui vel hoc unum crederent; hominem illum Jesum esse verum Christum ac Messiam, hoc est, Regem populi Dei divina potestate præditum. Hinc omnes illi è Judaica gente conversi ad Christum Nazaræi, in quos subsequenti ævo, Ebionitarum agnomen; quod illi rudioribus, & Judaisantibus Christianis meritò imposuerunt, immeritò retortum est, primis post Apostolos temporibus; à Gentilibus ecclesiis, quamvis in iis philosophicæ opiniones prævalere inciperent; (quicquid nonnulli carnaliores obstreperent) fraternè tolerati sunt, quod ex Justini cum Tryphone dialogo, adeoque ex ipso Tertulliano manifestum est. Nec ante Victoris Pontificis Romani, in Occidente: aut ante Origenis ac discipulorum eius ætatem in Oriente, reperias ullum vestigium simplicis istius sententiæ, quæ Symboli Apostolici sensum exprimit, ab Ecclesiâ condemnatæ. imo vero eam primitus viguisse; & opposita sibi opinione, antiquiorem fuisse:

fuisse : præter Sacrarum literarum testimonia, Symboli illius, quod Apostolicum meritò vocatur, evincit antiquitas, & auctoritas.

Post Victoris primùm ac Zephyrini Pontificum tempora in Occidente sub Artimonianorum; post Sodum verò Antiochenam in Oriente sub nomine Paulianorum refelli ac damnari ab Ecclesia cæperunt, qui credebant Jesum esse Christum, ut irrefragabili testimonio jam tum omnibus Dei timentibus constare posset, Spiritum Antichristi dominationem in Ecclesia Christi occupasse, qui homines imprudentes ac pene invitos dignâ Satanæ ingenio versutia, eò redigeret; ut innoxios Jesu Christi ejusque crucifixi servos, damnando ac persequendo; palàm testarentur sese non credere Jesum crucifixum esse filium Dei aut verum Christum, quæ dignitas videlicet, ei potius competeret, qui crucifigi nullo modo potuit.

Hanc spiritum Antichristi jam tunc scribente Joanne (quod tempus centesimo Christi nati anno vicinum fuit) in orbe fuisse, hoc loco *vers.* 3. omni exceptione majus extat testimonium. Verum, & illud *vers.* 4 apparet, Spiritum hunc Antichristi, quamvis jam tunc cum spiritu Christi in Ecclesia certare ac luctari inciperet, nondum eum certaminis successum habere potuisse, ut prævaleret. Non quod ipsi robustissimæ vires, atque omnis versutiæ quam posteà exeruit, nervi deessent: Sed quia Christiani tunc viventibus, aut recens mortuis Apostolis, longè majoribus viribus adversus cum essent armati; quòd (*ut hoc loco dicitur*) & ex Deo essent; & in Deo manerent, & vicissim Deus quoque in ipsis esset ac maneret, qui longè potentior est Satanâ, qui in mundo est, ac manet: quia Mundus quoque in eo est, & (ut infrà *cap.* v. 19. idem Joannes loquitur) jacet, (κεῖται) & quasi recumbit. Vincebant igitur tunc Christiani istos Antichristos divina ac cælesti ope; adeò ut viventibus quidem Apostolis & Apostolicis viris, quamvis forte aliqui imo multi in Ecclesia mundanas illas & philosophicas doctrinas, simplici symboli Apostolici confessioni adversas introducerent; numero tamen & auctoritate, Symboli Apostolici sequaces in Ecclesia antecellerent. Et quamvis tot spuria scripta sub nomine Apostolicorum virorum legenda Ecclesiis obtrusa sint, nullum tamen verum documentum dari potest, Clementem Romanum, Ignatium, Polycarpum, Hegesippum atque eorum Coævos, qui ante Justinum, secundo post Christum seculo vixerunt in opinionibus de Christo, vel latum unguem à Symbolo Apostolico recessisse. Primus omnium Justinus Martyr, sententiam eorum qui suprà symbolum Apostolicum sapere audebant, famâ nominis sui celebrem fecit: quem mox Irenæus, (si non ut Ignatii, ita hujus quoque depravata vel supposititia scripta sunt) & Tertullianus in Occidente; in Oriente verò Scholæ Alexandrinæ, descendens usque ad Originem successio, latissimè in Ecclesia propagavit. Cæterum toto secundo post Christum seculo; vix ullus Gnosticæ suæ opinioni tàm deditus fuit; ut simplicis Symboli Apostolici confessores damnare; aut limine Ecclesiæ submovere ausus fuerit; quod probe viderent omnes id aliter fieri non posse; quin Jesus esse Christus palam negaretur.

Ergo toto post Joannem seculo & paulò longius, puræ illius, & Apostolicæ veritatis patroni; mundanæ istius, & philosophicæ doctrinæ propugnatores aut vincebant; aut in Christianæ caritatis, & tolerantiæ officio continebant: ac sese planè vinci non passi sunt; quamdiu in plerisque Christianorum, Christi spiritus, & Dei charitas (de qua posteà hoc eodem capite tot præcepta tradit Apostolus) permansit. Nec certe in opinionibus, ab Antichristi spiritu obtrusis, Justinus & commemorati patres nimium noxiè aberrabant: primum quod altissimæ in Universo potestatis Monarchiam, uni Patri Domini nostri Jesu Christi, magno omnes, & unanimi consensu deferrent. Deinde quod eos qui Jesum illum crucifixum (quem solum Paulus noverat & prædicabat) crederent esse Christum, damnare aut odisse non auderent. Ita ut jure dici possit, quamdiu charitas illa, & tolerantia Christiana in Ecclesia duravit, hoc est, plus quàm integro post Joannem seculo; in ea lucta ac certamine cujus *vers.* 4. Joannes mentionem facit, Antichristi spiritum Christi spiritu in Ecclesia inferiorem fuisse. Quamvis idem Antichristi spiritus nihil inausum relinqueret, ut factione & conspiratione mundanorum fratrum opprimerentur & damnarentur in Ecclesia ii, qui à Gnostica curiositate alieni, una cum Paulo Apostolo, nihil nosse aut scire laborabant nisi Jesum Christum eumque crucifixum. Quæ contentio spiritus Antichristi, ipsis quoque Apostolis viventibus quanta fuerit; vel ex eo ostenditur quod versu isto quarto Joannes iis ad quos scribit, *de insigni victoria* gratuletur, quæ nisi post grave certamen antegressum, obtineri non potuit.

Vers. 5. *Ipsi è Mundo sunt, ideo ex Mundo loquuntur.* Novum signum & criterium doctrinæ Antichristi est; quod sit hausta ex Mundanæ sapientiæ: hoc est, philosophicis lacunis. Ex Mundo autem esse dicuntur qui mundanis opinionibus ac studiis imbuti, & addicti; genium Mundi redolent, spiritui Dei adversum ac repugnantem. Opponuntur autem hic Antichristi; Christi fidelibus in eo, quod hi ex Deo: illi autem ex mundo sint; quòd τὸ ex Deo esse; τὸ ex mundo esse sit contrarium; quia qui diligit mundum, in eo dilectio Dei esse nequeat suprà *Cap.* 11. 15. Cum igitur Antichristi de quibus loquitur, mundanis curis, & studiis incoctum pectus haberent: ideo eos *ex mundo loqui*, hoc est, mundana, philosophica, ab omni revelatione aut prædicatione Apostolicâ aliena dogmata tradere, asserit. Sermo enim Crucis, hoc est, prædicatio Apostolorum de homine illo Jesu crucifixo, sapientibus seculi hujus, stultitia videbatur; quamvis omni philosophorum scientiâ, & γνώσει esset sapientior 1. *Cor.* 1. 18. Eadem prædicatio Apostolorum de Iesu crucifixo; hoc est, qui in carne venit, dicitur non fuisse in sermonibus, quos docet humana sapientia 1. *Cor.* 11. 13. ubi Apostolus ait *Quæ autem loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis* (seu sicuti alias interpres vertit non in sermonibus quos docet humana sapientia) sed *in doctis à Spiritu Sancto*, hoc est, in verbis à Spiritu Sancto dictatis loquimur. Unde patet ex mundo loqui esse prædicare vel tradere ea, quæ docet humana sapientia: ut ex Deo loqui tradere dogmata, quæ spiritus Dei docet. Loqui enim pro docere, aut doctrinam aliquam tradere aut prædicare sumitur. Addit Joannes eodem versu, quòd eos qui mundana loquuntur mundus audiat; rationem quasi redderis cur tam multi Antichristi exurgerent, & propagarentur, qui ipsis quoque Apostolis ac toti Ecclesiæ negotium facessere, & cum fidelibus certare auderent. Cum enim in Ecclesia multi sint qui spiritu Mundi ducantur, non mirum est, multos accedere iis doctoribus, qui mundo placentia tradunt. Notandus igitur est hic quoque doctrinæ Antichristorum character, quod habeat dogmata, ex profanæ philosophiæ traditionibus deprompta, quorum verba videlicet, longe expressius in Platonicorum, (præcipuè recentiorum) Scriptis, quàm in codice Sacro legantur. Antiquissimus eorum, qui Gnostica è mundo in Ecclesiam introduxisse dogmata per superstites libros convincuntur, Philosophus, Justinus Martyr doctrinam de Creatione mundi per λόγον ὑποστατικὸν, hoc est, per sermonem aut verbum hypostaticum, hausisse sibi videtur è Platone; (idemque censendum de cæteris recentis Academiæ philosophis) Platonem autem id didicisse ex Mose. Quam verè illud prius non disputo. Posterius notoria falsitate conspicuum est. Nam apud Mosem hypostatici sermonis nec vola apparet, nec vestigia. Quid enim Dixit Deus (inquit) ut fieret mundus & quæ in eo sunt: & facta sunt. Sermone ejusmodi subsistente, atque adeò personam fuisse, quis commentator? quæ

gloſſa Platoni indicaſſe poterat ; cum locum hunc veterum apud Hebræos juris divini conſultorum ; nemo ſic intellexerit ; nemo explicuerit : Et proprius verborum ſenſus ſuamet luce ſatis fulgeat, nec ulla ſit neceſſitas confugiendi ad improprium. Ac ne Plato quidem ipſe, id ſenſiſſe convincitur. At poſtrema Platonicorum progenies, quæ Chriſtiana tempora attigit; illa Magorum ferax; illa Simonis Magi & Menandri nutricula, in ejuſmodi commentis, mire ſibi placuit. Hæc profanæ ſapientiæ officina ; tot hæreticarum ſectarum examina, in Chriſtianiſmum effudit. Et quia ex Mundo fuit ; mundana quoque & exotica dogmata, nova, peregrina & Apoſtolis ignota vocabula, novos loquendi & ſentiendi modos introduxit, quia ex mundo loquebatur. Ideò populi Chriſtiani pars longe maxima, quæ ex tot gentibus Eccleſiæ aggregabatur, gentilium doctrinarum commenta, & acroaſes aviditſimis auribus hauſit. Nec ullus in doctrinæ Chriſtianæ cognitione proficere ſe poſſe credebat, niſi prius in philoſophorum ejus ævi ſtudiis ætatem triviſſet. Vide ſtrenuum Origenis encomiaſtem, in hiſtoria Eccleſiaſtica librum Euſebii ſextum. Et ne Academicæ tantum familiæ, tot novarum opinionum farraginem Eccleſia debeat ; Zeno quoque rerum naturæ diſpoſitorem atque Opificem Univerſitatis λόγον prædicabat. Hujus doctrinâ imbutus Pantænus, Alexandrinam ſcholam inſtituit, & exoticas ſub nomine Chriſtiano ſententias, in intimum uſque Orientem propagavit. Quem ſecuti Clemens & Origenes, patrum prope omnium ante Nicænæ Synodi tempora magiſter, & innumeri alii, qui Chriſtianam religionem, ex doctrina pietatis, artem fecere opinandi & confitendi. hinc tot poſteà annuæ, menſtruæ fidei confeſſiones ; tot cruenta odia ; tot factioſa concilia ; tot mutua anathemata, donec civile in Eccleſia bellum, ſolennis tyrannidis exitus compeſceret.

Verſ. 6. Reddere rationem videtur, cur mundus Antichriſtos audiat, hoc eſt, cur tot Chriſtiani, relicta genuina Apoſtolorum prædicatione, Antichriſtos audiant, & ad doctrinam eorum tranſeant. *Nos*, inquit, *ex Deo ſumus*. Pronomen iſtud, ſicuti & ſuprà *cap.* 11. 19. Apoſtolos ipſos deſignare non dubium eſt. Opponitur enim non modo Antichriſtis, ſed & iis quibus ſcribebat Joannes, & quos *verſ.* 4. allocutus eſt. Dicit igitur ; cum nos Apoſtoli ex Deo ſimus ; quotquot ſunt ex Deo, hoc eſt, qui vera cognitione, & caritate Dei præditi, ex Dei nutu dependent, eique obſequuntur, nos quoque audiunt, & noſtram doctrinam ſequuntur : quales vos eſtis, qui doctrinæ noſtræ adhæretis. At qui ex Deo non ſunt, nec veram ejus cognitionem & caritatem habent, non audiunt nos, hoc eſt, doctrinam noſtram rejiciunt, nec ei morem gerunt : quales ſunt Antichriſti & eorum ſequaces. Atque hoc pro peculiari ac certiſſimo ſigno, criterio, & charactere dignoſcendorum ſpirituum an ex Deo ſint, nec ne, hoc eſt, verorum à falſis prophetis, ponit Joannes. Nam qui audiunt Apoſtolos, eorumque doctrinam ſequuntur, nec ab eorum veſtigiis, ſententiis, verbis, vel latum unguem diſcedere audent ; ii ſpiritu veritatis, qui ex Deo eſt, ducuntur. At qui ab Apoſtolicâ doctrina, ad mundanæ ſapientiæ dogmata vel minimum declinare, & cum novis verbis, novas res in religionis doctrinam introducere audent; ſpiritu erroris, & impoſturæ decipiuntur. Atque hæc norma dignoſcendorum ſpirituum à Joanne tradita, omnium Chriſtianorum memoriæ altè infigenda eſt. Nec enim fruſtrà is aſſeruit, ex hoc criterio optimè dignoſci poſſe, ſpiritum veritatis à Spiritu erroris. Notandum illud quoque eſt, *Eſſe ex Deo*, & *noſſe Deum*, pro eodem ab Apoſtolo uſurpari. Vera enim cognitio Dei (ut infrà videbitur) amorem Dei, & proximi includit, qui nos Deo adhærere, & ex eo plane dependere efficit. Cum enim Eſſe ex aliquo, originem ejus rei, quæ eſt ex aliquo, ſignificet ; certe eſſe ex Deo, denotat ortum habere ex Deo, naſci aut renaſci ex Deo, hoc eſt, ex verbo Dei, tanquam ſemine cæleſti & incorruptibili. Quæ generatio non eſt terrena, phyſica, & ex neceſſitate naturæ ; ſed ſpiritualis, cæleſtis, ex libertate ac rectitudine voluntatis : nec ad veterem Dei creationem pertinet ; ſed ad novam, cujus Chriſtus eſt primogenitus, ſimul & Summus Dei adminiſter, & quaſi Creator. Fit autem iſta generatio per verbum Dei, quo voluntas ejus revelatur & cognoſcitur. Proinde ex iſto verbo Dei, ipſoque Deo, nemo naſci poteſt niſi per iſtud verbum veram Dei, hoc eſt, voluntatis ejus cognitionem habeat ; ideò naſci aut eſſe ex Deo ; & vere noſſe & cognoſcere Deum, idem ſunt. Vera autem cognitio Dei, ejuſque voluntatis eſt, quando animi noſtri, cognita Dei præclara & eximia erga nos voluntate, ac beneficentia, imo paternâ charitate & indulgentiâ, quam nobis in filio ſuo exhibuit ; mutua erga ipſum charitate, ad obſequium voluntatis ejus accenduntur, & exardeſcunt. Quæ erga Deum charitas, ut mox docebit Joannes, charitatem erga eos, qui ſunt ex Deo, & vitæ ſanctimoniam ſemper habet comitem atque pediſſequam.

Porro inter omnia, quæ Antichriſtorum adventus Eccleſiæ Dei afferebat mala & incommoda, prope funeſtiſſimum fuit illud erga fratres ejuſdem vocationis conſortes odium, animorum alienationes, diſſidia, perſecutiones, oppreſſiones, injuriæ, quæ res abſque extrema morum diſſolutione eſſe non poterant. Sapienter igitur Apoſtolus, cum aliqua (ut ſuprà vidimus) ſigna & criteria, è quibus cognoſci poſſent Antichriſti, tàm in ipſa eorum doctrina, quam in iſtius doctrinæ origine, quæ ex mundanæ ſapientiæ placitis, profluxit, & ab Apoſtolica prædicatione aliena fuit, tradidiſſet & quaſi digito oſtendiſſet, ejuſmodi remedium adverſus doctrinam eorum *verſ.* 7. proponit, quod ejus malignitati plurimum adverſaretur ac repugnaret. Et ſi fideliter in Chriſtianis Eccleſiis adhibitum fuiſſet, ſegetem errorum Antichriſti in ipſa herba extinxiſſet, ac tyrannidem ab Eccleſia arcuiſſet. Remedium verò iſtud eſt Charitas erga fratres, quam longo ſatis ſermone, & ſedulo conatu præcipit, tanquam præſentiſſimum ingruentium Eccleſiæ malorum amuletum. Addit autem præcepto huic, blandæ allocutionis condimentum. *Dilectos* vocans, quibus tam fidele & amicum monitum inculcat. *Diligamus*, inquit, *alii alios*. Rationem addit, *quod Charitas ex Deo ſit*. Originem virtutis hujus refert ad Deum, quod infra *verſ.* 30. facit plenius, ſicuti & *verſ.* 19. Primum enim Deus nos exemplo Charitatis ſuæ invitat ; & quaſi viam nobis præit : imo vero amore ſuo nos ad mutuum redamandi officium ſtimulat. Deinde expreſſo præcepto, ut nos invicem amemus, imperat. Vide ſuper *cap.* III. 23. & infra *verſ. ultimo*. Hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Ex ea Charitatis origine ſequitur, quiſquis eam virtutem habeat, ex Deo natum eſſe, & veram Dei cognitionem habere. Contra vero, qui eâ virtute careat; Deum non noſſe, aut ut *cap.* III. 6. loquitur, Deum ne vidiſſe quidem unquam. Rationem affert priori ſimilem, ſed paulò efficaciorem; quia Deus eſt Caritas *verſ.* 8. quod idem repetit infrà *verſ.* 6. hoc eſt, Deus tanta Charitatis, & bonitatis excellentiâ præditus eſt, ut mera Caritas, & bonitas dici poſſit. Proinde qui eâ virtute præditi ſunt, naturæ & Spiritus Dei participes eos, ac Deo acceptiſſimos & maximè placentes eſſe neceſſe eſt.

Verſ. 9.

Verſ. 9. Oſtendere incipit documenta & effecta eximiæ erga nos Charitatis Dei. primum, quod filium ſuum unigenitum miſerit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Multa erat Dei benignitas, quod nos rationis compotes creaverit, cujus opera per admirandorum Dei operum conſpectum aliqua tanti boni cognitione frui poteramus. Longè plus bonitatis ejus in eo apparuit, quod communi Rationis dictamini ſpecialem revelationem addidit: miſſa cælitùs legatione illuſtri, quæ non modo oblatam à Deo gratiam nunciantis dignitate, ſed & ipſius lætiſſimi nuncii immenſo pretio commendaret. Atque ad eam quidem legationem delectus eſt, dignitate nunc Deo proximus futurus, & gratia præ cunctis aliis præcellentior, unigenitus Dei filius; qui quondam in carne venit in mundum; Jeſus Chriſtus. Nuncium verò nobis attulit, & promiſſum immortalis vitæ, quæ verè vitalis, & vitæ nomine digna eſt. Neque verò tantam erga nos charitatem, ac benefican voluntatem Deus exhibuit ullô noſtrô antegreſſo merito, aut charitate erga ſe provocatus, ſed tunc cum eſſemus hoſtes, iram ejus peccatis noſtris irritantes, miſit filium, ut tanquam propitiatoria pro peccatis noſtris victima, in ſignum ac documentum placati nobis, imò verò nos ardentiſſimè diligentis Dei, crudeliſſime immolaretur. Quo dilectionis ſpecimine, cum quis rem omnium pretioſiſſimum in gratiam, & emolumentum alicujus profundit; nullum dari poteſt excellentius. Nec reperiri poterat evidentior ratio, qua Deus charitatem erga nos ſuam commendaret, quàm, quod dum adhuc *Rom.* v. 8, peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

Unde meritò *verſ.* 11. concludit Joannes, Si Deus tantopere nos dilexit, nos quoque viciſſim fratres diligere debere. Cum enim ipſi pro tanta dilectione, mutuum debeamus affectum, & ſciamus eum non modo id optare, tanquam rem ſibi placentem; ſed etiam præcipere, atque exigere à nobis tanquam debitam; ut fratres exemplo ejus diligamus, quanquam nos fortè aliqua imperfectione offendant, non debet nos ulla eorum culpa (niſi forte fratres, & filii Dei eſſe deſinant) aut indignitas à debita ipſis charitate avertere. Hinc & hic Joannes debitum hoc eſſe ait, quod Deus à nobis pro ſua erga nos dilectione exigit: & Paulus *Rom.* XIII. 8. idem debitum eſſe ait; quod nunquam ſatis exolvere poſſumus, & quo, tanquam alieno ære, dum vivimus, liberari non poſſumus.

Verſ. 12. Rationem affert, cur à nobis Deus exigat, ut maximæ erga nos Charitati Dei, quaſi vicem reddentes, dilectionem erga fratres exerceamus. Quia Deum ut reipſa in hac mortalitate videre, ita amoris erga eum documenta exhibere, niſi in iis fortè; quibus ea vice ſui exhiberi juſſit, non poſſumus. Nec Deus aut Chriſtus ullo beneficio noſtro indigent. Proinde veri amoris erga ſeſe documenta in iis præcipuè exhiberi voluit, qui beneficiis noſtris indigent. Et amare quidem reipſa eos quoque, quos oculis non videmus poſſumus, quia mente & cogitatione, cauſas amoris eorum aſſequimur. Sed amorem hunc teſtari, ita ut palàm conſpicuus ſit omnibus, ægrè poſſumus, quia, ut ipſum amoris noſtri objectum, inviſibile: ita ipſius quoque amoris documenta, & veſtigia; oculis non ita ſunt obvia. Quanquam infrà ex *verſ.* 20. colligi videtur, quaſi Apoſtolus verba iſta *Deum nemo vidit unquam*, ad id probandum attulerit, quod Caritas erga inviſibilem difficilior ſit, caritate erga eum quem videmus; quod Ignoti, & à ſenſibus noſtris remotioris, vix aliqua cupido eſſe ſoleat. Ait enim, *Qui non diligit fratrem ſuum, quem vidit: Deum quem non vidit, quomodo poteſt diligere?* Cæterum, cum alioqui charitas erga Deum, qui ob perpetua beneficia, & ſpem futurorum, prætereà propter eximiam ſui excellentiam, nos in amorem ſui rapit; longè videatur facilior, quam erga fratres (quibus neque ita obſtricti eſſe, neque ab iis eos amoris fructus ſperare poſſumus, & quorum multis imperfectionibus, offendimur:) non levis hic difficultas oboritur.

Quæ duplici modo ſolvi poſſe videtur.

Aut Si concedatur quidem charitatem erga Deum non ſimpliciter; ſed ſecundum quid, videri poſſe difficiliorem; quatenus objectum caritatis hujus remotum, & abjunctum eſt à ſenſibus; & ad iſdem pertinet: cujus virtutis difficultas efficit ut ea non cuivis contingat. Simpliciter tamen; præſertim iis, qui jam principia antegreſſæ fidei habent; ob cauſas ſupradictas caritas in Deum, adeo ſit facilior, ut per eam demum ad caritatem erga fratres aditus pateat.

Aut, (quod potius ſentio,) ſi verba *verſus* 20. ita explicentur: Qui dicit, diligo Deum, & fratrem ſuum odit; mendax eſt. Quia ex eo quod in omnium oculos incurrit, hoc eſt, quod oderit fratrem ſuum; convincitur id non habere, quod eſt inviſibile, & ab oculis hominum remotum, puta caritatem Dei; quæ certe obedientiam, præcepto Dei *ſequenti verſu* expreſſo, requirit. hæc autem cum in conſpectu omnium violetur; meritò homines, inviſibilem, & occultam Dei caritatem jactantes, per viſibile fratrum odium mendacii convincuntur.

Ac profectò in ipſo *verſu* 12. non id dicitur; nos facilius fratres quàm Deum amare poſſe: Sed Caritatem Dei, quæ, vel ob rationem objecti ſui, eſt inviſibilis, fieri quaſi viſibilem, & certis documentis ſuis cognoſci, ſi mutuam erga nos caritatem exerceamus.

Patet id ex *verſu* 13. *Per hoc cognoſcimus, nos in eo habitare, & eum in nobis; quod de Spiritu ſuo dedit nobis.* Ubi primum videmus, Apoſtolum loqui, non de comparatione inter ſeſe caritatum erga Deum & proximum, utra ſit difficilior, ſed de ſignis atque indiciis, per quæ cognoſci poſſit utrum Caritatem Dei habeamus. Secundò verba, quod *Deus in nobis habitet, & nos in Deo*, nihil aliud ſignificare, quàm Caritatem Dei. nam qui in Deo habitant, hoc eſt, omnes curas, cogitationes, ac totam mentem ſuam in eo defigunt: ſimiliter in *quibus Deus habitat*, quorum in pectore ſemper eſt Deus præſens, & quem tanquam præſentem perpetuo venerantur; ſoli veram caritatem Dei habent. Tertio verba *de Spiritu ſuo dedit nobis*, ſicuti & ſuprà *Cap.* III. *verſ. ultimo.* ſignificare illud donum Spiritus Sancti *quo alii alios diligimus.* Hanc igitur donatam nobis à Deo fraternam caritatem; ſignum ac documentum certiſſimum eſſe ait, veræ noſtræ erga Deum caritatis.

Prætereà verba *verſus* 12. *Caritas ejus adimpleta*, aut potius *perfecta* eſt in nobis, τετελειωμένη ἐστὶ ἐν ἡμῖν, indicant, Caritatem erga fratres non modo non eſſe faciliorem Caritate erga Deum: ſed illa aliquanto difficiliorem. Per caritatem enim erga fratres, teſte Joanne, ipſa erga Deum Caritas perficitur, hoc eſt, perfectior evadit. Perfectio autem, vel id quod perficit; ipſa inchoatione difficilius videtur.

Verſ. 14. Iterum caritatem Dei, quæ in nobis caritatem erga fratres excitat ac requirit, non modò commemorat; ſed probat quoque à teſtimonio ocularorum teſtium, hoc eſt, Apoſtolorum omnium (quos inter ipſe quoque comprehendebatur) qui miſſionis, doctrinæ, mortis & reſurrectionis Chriſti erant teſtes locupletiſſimi. Miſſionis; audita toties cælitus voce, hunc eſſe Filium, in quo Deo complacuerat, dilectum, & cui auſcultare omnes juſſi ſunt. Doctrinæ; quæ certiſſimam mundo viam vitæ, & ſalutis æternæ conſequendæ tradebat. Mortis demque,

que & resurrectionis, & assumptionis in cælum; quibus omnibus rebus præsentes adfuerunt. Ut autem hoc testimonium pluris ab omnibus fiat, dicit sese spectasse oculis, & ut initio primi capitis asseruit, manibus ea palpasse quæ postea annunciavere ac testati sunt omnibus, de misso in mundum Servatore mundi. Qui cum non alius fuerit, quàm ille spectatus oculis, palpatus manibus Apostolorum, Jesus filius hominis, merito ex eo deducit *vers.* 15. quod quisquis confessus fuerit, Jesum esse filium Dei, aut ut initio capitis quinti se explicat; Jesum esse illum Christum, Deus in eo habitet, & ipse in Deo, hoc est, & ipse diligat Deum, & à Deo diligatur. Qui enim in Deo habitat, hoc est, qui Deum amat, & in eo omnes cogitationes suas defigit; nec ab eo mentem suam unquam reflectit: in eo vicissim Deus habitat, hoc est, eum vicissim Deus amat eique amoris sui testimonia per Spiritum suum jugiter exhibet. Qui status hominum dilectionem Dei activam simul, & passivam habentium, alibi, præcipuè verò infrà *cap.* v. 1. exprimitur per voces ex Deo genitus est. Nam qui filius Dei est eum & amare patrem, & à patre suo amari necesse est. Atque hic locus, ut & supra *cap.* II. 23. & infra *cap* v. 1. & eodem *cap.* v. 5 Omnes, inquam isti loci evincunt locum *cap.* IV. 2. & 3. non aliter esse explicandum, quàm suprà à nobis explicatus est, hoc est, Enunciationis illius in qua confessio hominum de Jesu Christo, exprimitur: tam affirmantis (quæ est filiorum Dei;) quàm negantis (quæ est Antichristorum) subjectum esse Jesum filium hominis, qui in carne venit, & ab Apostolis spectatus est, hæc enim omnia idem sunt. Prædicatum autem esse Christum, filium Dei, Servatorem Mundi: hæc enim omnia iterum idem sunt.

Cum igitur in eo quicquid Deus in hoc mittendi in mundum filii sui, negotio egit, ejusmodi caritas Dei elucescat, ut Deus pura puta Charitas dici possit; quicunque cognoscunt & credunt istam publicam erga nos Dei caritatem, fieri nequit, quin mutuâ erga Deum charitate exardescant, & in ea maneant; quod nihil aliud est quàm in Deo ipso manere, quod cum reciproca, privata Dei erga nos charitate indissolubili nexu conjunctum est, quod *vers.* 16. dicitur & *vers.* 19. repetitur.

Vers. 17. & 18. Fructus istius caritatis incomparabilis exponuntur. Charitas enim nostra erga Deum, charitatem Dei erga nos provocat. At charitas Dei erga nos, in eo perficitur τετελείωται, quod dono Dei ac Spiritus Sancti instinctu firmissimam in Deo fiduciam habeamus in die judicii, suggerente nobis conscientiâ, quòd qualis ille est, nos quoque in hoc mundo simus; hoc est, quod vitam Dei, vitam omni sanctimonia plenam; sed præcipuè Dei, & filiorum Dei, hoc est, fratrum charitate flagrantem in hoc mundo vivamus. Quæ fiducia ita perfecta est, ut in ipsa illa publicâ minacissimæ judiciorum Dei procellæ tempestate ac trepidatione, metus omnis planè expers reperiatur. Quantò enim perfectior est erga Deum charitas; tantò perfectior vicissim Dei erga nos Amor, qui ubi perfectus est, foràs ejicit omnem timorem, puta ejusmodi qui punitionem in se habeat; & sit pars quædam commeriti, & imminentis nobis supplicii. Ex eo enim patet, de quali metu loquatur, servili nimirum & eo, qui à mente male sibi conscia proficiscitur, non de filiali; qui tamen alioqui alibi Timor ac tremor dicitur quamvis nullam in se supplicii partem contineat, imò ne supplicia mereamur, prospiciat. Sed quia hoc loco de tempore judiciorum Dei Apostolus loquitur; timori isti filiali tunc locus nullus est; qui adversus solam securitatem in secundis rebus subrepentem necessarius est. At cum panico trepidationis terrore omnes perturbantur, non est periculum ne mens nostra, ingruente rerum terribilium metu excitata, obdormiscat. Verum adversus metum qui mentem cruciat, & excarnificat, tunc animus armandus est, qui nulla re melius quàm consummata ergâ Deum caritate armatur.

Vers. 20. Expositio mutuæ nostræ, & immensæ Dei erga nos charitati respondentis ergo Deum charitatis officio, ejusque fructu & utilitate, ostendit non satis esse ut solum tantummodo Deum diligamus; sed ipsam charitatem erga Deum omninò requirere, ut fratres quoque diligamus, ita ut qui fratres non diligunt, ne Deum quidem ipsum diligere dici possint. Deus enim qui amore nostro erga se, delectatur quidem, & non multum indiget, visibilia amoris erga se officia in visibilibus, & qui ope nostrâ indigere possunt, fratribus, sibi exhiberi voluit & præcepit. Nulla igitur fides iis haberi debet qui cum oderint fratres suos, Deum aut Christum sese diligere mentiuntur.

Quapropter mendax fuit illa veterum erga Christum caritas, qui amorem, & honorem ejus præ se ferentes; eos qui Jesum filium hominis, qui cum Apostolis quondam conversatus pro nobis mortem suscepit; esse verum Christum, & filium Dei, hoc est, omni divina in cælo, & in terra potestate præditum credebant; ob quascunque in cæteris opinionibus dissensiones, odio capitali & in maximas quidem injurias erumpente, prosequebantur.

Mendax & omnium penè Conciliorum zelus; quæ amarissimo felle odiorum imbuta anathemata; toties & verbis eructabant, & factis evomebant adversus eos; quos Jesum esse Christum credere, non erant ignara. Nec ullum poterat à Joanne Apostolo salubrius ac præsentius adversus ingruentium Antichristorum venena exhiberi amuletum, quàm imposita charitatis adversus fratres; nominatim vero eos qui credunt Jesum esse Christum, necessitas. Nec ullum item poterat, ab eodem frontibus Antichristorum contumeliosius inuri mendacii atque impostoræ stigma, quam detectus iste, per feralium odiorum indicium, subdolæ & affectatæ erga Deum & Christum dilectionis, fallax atque ignobilis æstus.

CAPUT V.

CUm amorem erga fratres tanto conatu præcepisset, docet quousque nomen fratrum extendatur, hoc est, ad eos omnes qui ex Deo geniti sunt. Supponit enim eos quibus dilectio fratrum præcipitur, ex Deo quoque genitos, & filios Dei esse. Quorum sane officium est, ut patrem ex quo geniti sunt, diligant. Atqui hoc officium iterum poscit, ut qui patrem diligunt, eos quoque qui ex patre suo geniti sunt, tanquam fratres suos diligant. Porrò omnem qui credit, quod Jesus sit Christus asserit esse ex Deo genitum; Omnem igitur ita credentem, à veris Christianis diligi debere, firmissime concludit.

Atque hic admiranda est Spiritus Sancti sapientia, ipso rerum paulò post in Ecclesia gestarum eventu, approbata; qui præcipuum improbitatis Antichristorum conatum, tantò ante præviderit; eique retundendo & avertendo, præsentissima remedia præparaverit. Nihil enim magis curæ atque cordi Antichristis futurum erat; quàm ut veros Jesu Christi discipulos, hoc est, eos qui credebant Jesum esse Christum, atque in iis ipsum Christum opprimerent; simulque illam genuinam, & simplicem in symbolo Apostolico expressam ejus cognitionem, simulque

simulque ipsam Apostolorum prædicationem densissima errorum caligine obscurarent. Id ne fieret, maxime idoneam doctrinam Joannes opposuit de simplicis illius Apostolicæ prædicationis Confessoribus atque adeò omnibus, qui Jesum illum crucifixum, crederent esse Christum diligendis tanquam veris Dei filiis, verè ex Deo natis. Quam doctrinam toties in hac epistola, partim per affirmativæ (quod Jesus sit Christus) enunciationis commendationem, partim per negativæ, & ejus contradictoriæ, detestationem ac reprehensionem inculcat; ut hæc epistola nihil aliud continere videatur; quàm præparatam adversus futuros, venenatos Antichristorum morsus, antidotum.

Vers. 2. Verba versus hujus; non id significant, quod prima fronte significare videntur. Nec enim verus eorum sensus potest esse contrarius doctrinæ Apostoli, quam hucusque tradidit, docens ex charitate fratrum cognosci posse charitatem Dei: hoc est, charitatem in fratres quos videmus: & quæ ipsa in oculos non incurrere, non potest, esse signum atque indicium veræ erga Deum charitatis. Cur igitur nunc rem planè, & verbis suis & ipsi rationi contrariam doceret? Proinde per verba; *In hoc cognoscimus quod diligamus filios Dei quando Deum diligimus* non illud intelligitur; nos ex amore Dei quando ipsum diligimus; cognoscere indicium ac documentum, quod diligamus filios ejus. Sed potius nos quando diligimus Deum cognoscere, & invenire certam viam, & rationem, assequendæ illius difficillimæ virtutis in diligendis fratribus tanquam filiis Dei. Charitas enim Dei nos manuducit, ad diligendos eos qui sunt Dei: præsertim cum Charitas erga Deum, non possit esse absque obsequio præceptorum ejus, præcipuè verò præcepti de Caritate fratrum. Imo verò, ut suprà monuimus (& hic *vers.* 3. manifeste dicitur) quia cum neque Deus neque Christus charitate nostrâ indigeant, non alia in re charitatem erga eos nostram testari possumus; quàm servando Dei, tradita per Christum præcepta *Vide Joh.* XIV. 15. *&* 21. *&* 23. 24. *& cap.* XV. 10. *&* 12. Quæ certe præcepta amantibus Deum, hoc est, natis ex Deo, aut verbo ejus, gravia non sunt. vide *Matth.* XI. *ultim.* Quia qui jugum Christi suscipit, jugum illud suave in quo cælestis opis auxilium nunquam deest; satis habeat virium ac roboris ad superandas omnes difficultates ac tentationes. Habet enim ad Deum aditum, & paratam in occasionibus opem, & quia Deus potentior est, quàm Mundus & omnes Christianorum hostes, victoria de mundo ac cæteris hostibus, semper est in manibus ejus.

Ostendit tamen specialius *vers.* 4. quænam illa via sit vincendi Mundi, & in qua virtute atque animi nostri affectatione aut habitu, lateat robur illud, quo tantus hostis vincitur. Ait igitur hanc *esse fidem nostram*; quæ nos omnium hostium victores ac triumphantes efficit; & quâ potissimum Deo placere; imo justificari, justi fieri, & ab omnibus culpis & suppliciorum metu absolvi possimus.

Mox *vers.* 5. Fidem istam mundi victricem, ejusque objectum plenius explicat, atque asserit. *Neminem posse vincere mundum; nisi eum, qui credit quod Jesus sit Christus* aut *filius Dei.* Hæc enim pro eodem sumi superiora ostendunt. Nam qui verè credit, quòd Jesus sit Christus aut filius Dei, ille Servator nostri adeò amans ut Deo ipsum propter Salutem nostram, in atrocissimam mortem tradenti promptissimè paruerit, incredibili primàm erga Deum qui tàm salutarem nobis Servatorem miserit: deinde erga filium ejus per quem servamur Charitate exardescit, ideoque præcepta per eum tradita, sanctè & reverenter observat.

Hæc enim est vera fides in Christum, aut per Christum in Deum quæ est per Charitatem efficax; cum quis verè, & ex animo credit hominem illum Jesum, qui nobis in carne existens nomine Dei præcepta ejus tradidit; ac prædicationem suam, vitæque æternæ & remissionis peccatorum promissum, sanguine suo & morte tàm atroci obsignavit; esse verum Christum Regem à Deo unctum, cui omnis in cælo & in terra potestas data sit; & cujus in manum tradita jam sint, cuncta præmia militiæ & fidei nostræ; quæ nobis ille quondam nomine patris sui promiserat. Hæc qui verè, & ex animo credit, non modo mundum sed & Satanam, & omnes hostes vincit, quibus nemo resistere potest; nisi ejusmodi fide pollens & armatus.

Vers. 6. Explicat uberius objectum istius fidei nostræ: Jesum videlicet Christum, ejusque adventus qualitates & circumstantias; in quibus illud notandum est maxime eas esse non modo causas efficientes fidei nostræ sed etiam effecta. Quatenus enim in ipso Christo considerantur, omnia ista tria fidei nostræ in ipsum documenta ac testimonia, hoc est, *Aqua, sanguis, & spiritus*, efficiunt in nobis eam fidem ut propter hæc testimonia credamus Jesum esse Christum, & filium Dei. At hæc fides ita in nobis procreata; eadem ista tria testimonia in nobis efficit, per quæ certissima fides fiat, nos quoque esse servos Christi, & filios Dei. Venisse enim Jesus ille Christus *per aquam & sanguinem*, vel etiam *in aqua & sanguine* dicitur: quia non sola vitæ sanctitate & innocentia, seu in lege sua præscripta, sive in moribus exhibita & expressa: sed etiam cruento martyrio suscepto, & quæ illud consecuta sunt, præmiis affectus, sese verum esse Christum ac filium Dei fuisse probavit. Duobus autem istis *Aquæ*, & *sanguinis testibus* adjunctus tertius, *Spiritus* ille mirabilium operum patrator, tantò certiorem nobis fidem fecit, neminem alium, præter illum hominem Jesum, antiquitus à Deo promissum Christum ac Messiam esse potuisse. Hæc fides ubi in animis nostris radices egit, ac Dei Christique caritatem nobis altius inseruit, efficit nos quoque omnium istorum trium testium suffragio niti, in eo probandò quod simus servi Christi, & filii Dei, hoc est, non modo puritate vitæ, cujus mentionem fecit Joannes suprà *cap.* III. 3. dum ait *quod nos Spes videndi Dei sicuti est purificet*: non modo sanguine quem ob caritatem erga fratres fundere parati esse debemus: multò magis ob caritatem erga Deum, suprà *cap.* III. 16. sed etiam illius Spiritus Dei efficacia, ex quo cognoscitur quòd in Deo maneamus, & Deus in nobis suprà *cap.* III. 24. *& cap.* IV. 13. qui tametsi nunc mirabilia non patret; partam tamen nobis ex hostibus admirabilem victoriam donat. His tribus terrenis ut ab Apostolo vocantur, testibus qui in uno debito divinissimæ Christi dignitati testimonio dando conspirant; adjicere videtur Apostolus *vers.* 9. quartum *ipsius Dei de cælo testimonium.* Sine dubio illam cælitus nec una vice demissam vocem, qua homini illi Jesu, audientibus Apostolis, luculentissimum quod esset Christus perhibitum est testimonium, cujus ut Petrus meminit, ita ne Johannes quidem oblitus esse videtur. Nisi quis malit hoc Dei testimonium referre ad Spiritus testimonium aut ipsius sanguinis, quatenus cruentæ morti Christi arctè connexa fuit resuscitatio, & exaltatio, quæ Deo patri toties in Sacra Scriptura tribuitur. quod sane omnium Dei testimoniorum divinissimum, & omni exceptione majus, de tam divina Jesu Christi dignitate, fuit testimonium. Notandum autem hic est verba *per aquam aut sanguinem, & in aqua vel sanguine venire*, pro eodem hoc loco sumi. Deinde verba *Spiritus est is qui testatur, quod Spiritus est veritas*, non

carent

carent ambiguitate. Alii enim explicant Spiritum esse testem, quia sit verax imo ipsa veritas, quod potissimum in omni teste requiritur. Alii verò Spiritum id ipsum testari, quod Spiritus sit veritas. Posterior explicatio manifesta incompetentiâ laborat. Nihil enim testi fidem magis derogat, quàm dictum in suamet causa testimonium. Prior non modo rationi congruentior, & concinnior, sed à Johannis more loquendi non aliena; qui ut Deum quia maxima charitate præditus est, ipsam charitatem; ita Dei spiritum quia est summè verax, ipsam veritatem per emphasin vocat. Et nemini magis testimonium dicere competit; quàm qui ob veracitatem fide dignus est.

Versum autem *septimum* esse suspectum, imo verò manifestè intrusum, docet maximus & pene unanimis exemplarium consensus ante Hieronymum, adeò ut Hieronymus eum, ab Arianis expunctum fuisse suspicaretur. Cujus suspicionis vanitatem evincunt vivida, & infensa Athanasii ac cæterorum in Arianos odia, qui accumulatis hostiliter adversus eos undecunque criminibus, nusquam istius tam projectæ audaciæ culpam illis impingere audent. Nec locus hic Arianorum sententiæ adeò infestus est, ut non ab ipsismet Arianis tenebrionibus (quæ nonnullorum effrænis, & effrons sedulitas fuit) in obscuris Hispaniæ aut Britanniæ angulis contrà tantam aliorum regionum lucem, subjici aut obtrudi potuerit. Abfuit versus hic ab omnibus, præter paucissimos, orbis terrarum exemplaribus. Abest etiam nunc à Syris! Illyris & Rutenis vetustissimis Codicibus. Lutherus eum rejecit. Tigurini omisere. Unus fere ex antiquioribus Hieronymus laboranti ejus fidei vadem se præbet. Cujus Sponsioni si acquiescendum est, testimonium Dei, hoc est, cæleste, cujus *vers.* 9. mentio fit, in eo expositum censendum erit; in quo primum Pater (puta de cælo loquens) ponitur: deinde Christus qui sermo Dei vocatur; quod nobis arcana patris tot seculis abdita exposuerit; sed tanquam exaltatus jam & omnipotens ac in cælis habitans, & per patrata ab Apostolis miracula, doctrinæ suæ fidem faciens: denique Spiritus Sanctus quatenus consideratur ut virtus in patre residens; quæ cælitus vim suam in terras effudit atque effundit, qui meritò cælestis testis dici potuit, præsertim cum post exaltationem Christi, miraculoso in Apostolos descensu testimonium doctrinæ eorum præbuit. In quo à terreno teste itidem spiritu distinguitur; quod is tanquam in hominibus terrenis habitans consideratur. Quorum omnium tam cælestium quam terrenorum testium consensus, & conspiratio, fidem illam in nobis efficit; quæ nos partæ de Mundo victoriæ compotes reddit.

Vers. 9. Testimonium Dei cum humano compatat; atque illud isto longè excellentius ac fide dignius esse asserit. Videtur autem Joannes hoc loco, illud testimonium Dei de filio suo, quod voce cælitùs missa dedit, designare. Nec enim alii tàm illustre testimonium Deus dedit, nisi Jesu illi filio hominis, ut homines crederent, eum esse verum Christum, olim à Deo promissum; quod supra *vers.* 1. & 5. præcepit. Quod testimonium longe majus ac potius est omni humano etiam verissimo testimonio. Multò igitur majus ac certius dubio & incerto mortalium testimonio; qui testimonium dant alteri alicui, præter aut ante illum Jesum, personæ.

Vers. 10. Ait igitur *vers.* 10. *tot qui credunt Jesum esse Christum* (aut ut brevius loquitur, *qui credunt in filium Dei*) *habere in seipsis testimonium Dei*, hoc est, habere in se fidem, adhibitam testimonio Dei. Nam illud testimonium nihil aliud erat, quam fides in filium Dei: seu fides, quod ille Jesus, cui testimonium datum est, esset Christus & filius Dei. Ut autem hanc fidem testimonio Dei adhibitam (quod Jesus sit Christus) magnopere commendat, & fructus ejus in versu sequenti exponit: ita in hoc versu incredulitatem Antichristorum perstringit, imò verò objurgat; quod quærendo alium filium Dei, præter illum filium hominis, cui Deus tàm illustre testimonium præbuit, non crederent *illum Jesum esse* filium Dei, ac proinde fidem ipsius Dei, de filio suo testantis, convellerent, maxima cum Dei ipsius injuriâ; cui mendacii crimen blasphemo ausu, non obscurè objicerent.

Vers. 11 & 12. Fructum fidei testimonio Dei adhibitæ exponit, quòd ii qui credunt Deo testanti; quod Jesus sit Christus verus, & filius ejus, habeant vitam æternam; quia habeant filium Dei sibi proprium semper & præsentem, in quo solo est vita æterna, quia & viam ad eam perveniendi solus docet, & eam largiendi cui vult absolutum à Deo accepit potestatem, contrà verò miserrimam sortem eorum non reticet, qui non credunt testimonio Dei, quòd Jesus sit filius Dei; quia non habendo filium Dei sibi propitium: non habent vitam æternam, & manet eos sempiterna pernicies.

Vers. 13. *Hæc* autem & sequentia usque ad finem epistolæ *Apostolus* fatetur *se scribere, iis qui credunt in nomen filii Dei* (hoc est, qui credunt illi Jesu filio hominis Deum tradidisse omnem potestatem in cælo, & in terra. Nomen enim pro potestate frequenter sumitur) non alio fine, nisi *ut scientes* hac ratione *se* certò *certius consecuturos vitam æternam tanto magis in ista fide confirmentur ac proficiant.*

Vers. 14. Addit alium propiorem ac præsentiorem fructum; qui ex fide testimonio Dei de filio suo adhibita resultat. Quia si verè credamus Deo testanti de illo Jesu filio hominis quòd sit ejus dilectus filius, *habemus fiduciam apud Deum, quòd si quid petierimus secundum voluntatem ejus audit nos, nec tantum audit sed omnia, & singula postulata nostra exaudit, atque à se impetrari patitur.* Quo fructu profectò ac mercede, post vitæ æternæ spem, nihil in vita nostra excellentius habere possumus.

O fortunatos nimium sua si bona nôrint
Christicolas!

Est autem hic adjunctum precum nostrarum requisitum, ut ea quæ petimus sint *secundum voluntatem Dei*, doctrinæ Jacobi Apostoli de precibus addendum. Nec enim quodvis omnino nostrum postulatum exauditum iri Christus promisit, sed justum & æquum & voluntati Dei congruum. Ideo optimum est Christi exemplum in precibus sequi: ut desideria nostra ipsius Dei voluntati subjiciamus, qui melius novit quid nobis conducat aut expediat: neque decreta sapientiæ suæ propter inania sæpe vota nostra mutare æquum censet: & si qua in re optatum rerum nostrarum successum frustratur, mille rationes ipsi præsto sunt; quibus salubrem repulsam pensat aut solatur. Viva præterea illa sit fides in Christum oportet, cui tanta merces promissa est, non fluxa aut anceps, aut languida; quæ nos accedentes ad Deum Spei in gratia ejus repositæ fluctuatione odiosos reddat.

Non igitur unquam Deus in causa est, quo minùs obtineamus, quod petimus, sed culpa hominum, aut iniqua vel nocitura, aut immundo animo petentium.

Observandum autem distinguere Joannem in ipso Deo auditionem precum nostrarum ab exauditione, quia ista reipsa distincta sunt. Nam nec omnem auditionem semper sequitur Exauditio; & sunt quidam mortalium, quos tantum abest ut exaudiat Deus; ut ne audire quidem dignetur. Et homines quidem pios, quoties precantur, quia diligit Deus audit quoque: sed ea duntaxat, quæ sunt secundum voluntatem ejus, impetrari patitur. Quamvis enim omnes audire possit (quia Omnipotentem simul omniscium esse necesse est)

eos

eos tamen duntaxat quos vult (hoc est, diligit) audire, & si ea petant quæ ipsius voluntati non repugnant, exaudire quoque solet. Deinde tantum Deus tribuit precibus eorum, qui credunt in filium ejus, (hæc enim fides per Christum in Deum est, & in Deo terminatur) ut non modo sibi, sed aliis quoque, impetrare possint, quæcunque petierint, dummodo voluntati Dei non adversentur. Quid enim difficilius est, quam peccatori Deum offendenti, impetrare veniam? Et tamen id efficere possunt, qui verè credunt Jesum esse Christum, dum peccata eorum pro quibus intercedunt, prorsus lethalia non sint. Qua occasione tradit doctrinam de peccatis eorumque distinctione.

Ac *vers.* 17. quidem ait, *Omnem injustitiam, esse peccatum*, hoc est, quicquid iniquum, indecorum, inconveniens est, offendere Deum, & esse delictum adversus Deum. Cæterum esse quasdam leviores injustitiæ species; alias graviores: & aliis delictorum levius irasci Deum; aliis gravius esse infensum. Gravissimum tamen omnium peccatorum est, quod vocat *ad mortem*. Cui Deum adeo implacabiliter irasci asserit; ut pro eo nullam intercessionem aut deprecationem admittat. Ideò *vers.* 16. Joannes pro illo intercedere vetat. In omnibus reliquis peccatis intercessionem permittit imò suadet. Tanto diligentiùs igitur dispiciendum est, quodnam sit illud peccati genus tàm pestilens, & exitiosum, ut omni veniæ spe apud Deum careat; quo impensius evitetur.

Primum igitur per *Peccatum ad mortem* non tam videtur actio aliqua peccati, quam habitus designari. Et inter ipsos peccandi habitus, non tam species aliqua peccatorum (quæ ratione objectorum distingui solent,) quàm gradus eorundem pro peccato lethali, & incurabili censeri potest. Quod in iis hominibus deprehendi solet, in quibus peccati amor tam altas radices egit, ut omnem resipiscendi voluntatem prorsus abjecerint: nec voluntas, aut potius cupiditas eorum, à perpetua peccandi consuetudine, ullo modo possit avelli. Tales homines insanabiles esse necesse est; qui ne sanari quidem volunt, si possint, quia jam ne velle quidem possint. Non semper tamen oculi mortalium, in ejusmodi mentium humanarum latebras, & morbos penetrare queunt, ut de tali hominum statu, certum ferri possit judicium. Ideò in eam potiùs partem propendere præstat; ut bona spe sanabilitatis peccantium decipi malimus, quàm præpropera desperatione, omittere curam eorum tanquam incurabilium, qui nondum forte sanabiles esse desierunt.

Cæterum generale adversus omne genus peccatorum remedium *vers.* 18. affert Regenerationem, quam per verba *nasci ex Deo* exprimit; quod nihil aliud est, quàm ex semine incorruptibili verbi Dei sive audito, sive lecto percepta voluntatis Dei notitia; adeo renovare atque immutare statum mentis suæ, hoc est, omnes cogitationes, sermones, actiones suas; earumque omnium habitus, & consuetudines; ut plane novus homo, & quasi recens genitus videaris. Quod plane est nasci ex Deo, hoc est, evadere filium Dei. Hujusmodi autem hominem describit eodem versu, partim ab officio, partim ab excellentia ejus. Officium ejus est, *Custodire seipsum*; quod denotat perpetem vigilantiam, qua homo Christianus mentis suæ excubias agit. partim periculorum prospicientiâ; partim precibus, & omni conatu, occurrentibus forte tentationibus resistens. Excellentia verò est in eo, quod *ipsum maligne non tangat*, hoc est, Satanas. Nam is ejusmodi vigilantia armatum hominem, adoriri non audet. Et qui velit immunitatis hujus bono gaudere, officio suo non desit necesse est. Negligentes enim, & somnolentos, aut ebrios Satanas non tangit modo, sed vulnerat, prosternit, ac devorat.

Vers. 19. Cum fideles, expositis fidei in Christum fructibus, in eorum fide confirmasset; quos inter postremo loco positus est, quod eam fidem habentes, à Satanæ ictibus liberi, & immunes sint: felicem eorum statum commendat, oppositâ contrarii Antichristorum status miseriâ. Qui cum non ex Deo (sicuti veri Christiani) sed ex mundo sint, ex mundo loquantur, mundus eos audiat suprà *Cap.* IV. 5. ideo una cum toto Mundo non modo Satanæ ictibus præbent se obnoxios, ita ut eos aggredi non vereatur: sed ultro ipsi ad Satanam accedunt, & in eo quasi recumbunt, atque ita cum ipso in æternum pereunt.

Vers. 20. Cum Antichristi potissimum falso nominatæ scientiæ seu Gnoseos prætextu, doctrinam de vero, & unico Deo altissimo; per introducta, ad injuriam veri illius filii Dei conficta dogmata (scilicet quæ illum Jesum esse Christum negabant) mirum in modum obscurare, & intricatam reddere conarentur; opponit Apostolus ipsis excellentiam eorum, qui Jesum credebant esse Christum, & filium Dei; quòd illi veram, & omni Gnosticorum Antichristorum scientiâ potiorem cognitionem veri illius, & altissimi Dei, haberent. Quippe cum illis Jesus ille, qui est verus filius Dei, veniens in mundum dederit, non modo perfectissimam notitiam summi Dei: sed etiam eam felicitatem; ut in illo summo Deo (per curas, & cogitationes in eo defixas) essent, manerent, & habitarent: quod quidem haberent beneficio religionis Jesu Christi, & fidei in eo collocatæ. Atque ita haberent (ut supra *cap.* II. 23. dixit) non modo filium (credendo illum Jesum esse Christum) sed & patrem, seu illum verum, & supremum Deum, qui vitam æternam per filium ipsis promissam, per eundem filium certò certius repræsentabit.

Vers. 21. Quia tota fere epistola Spiritus Sanctus adversus noxia Antichristorum venena, idonea tradit antidota: non modo doctrinæ eorum falsitatem detegendo; sed etiam scopum Satanæ, ad quem per obtrusas iis impostura tendebat, irritum faciendo, per inculcatum, tam generale vitæ puritatis, & sanctimoniæ, quam speciale Charitatis in fratres (præcipuè qui credunt Jesum esse Christum) officium; æquum est existimare, hoc quoque ultimum speciale præceptum de fugienda idololatria, ideo eundem Spiritum Sanctum hoc loco tradidisse; quia certo prævideret, Antichristum non modo odiorum & crudelitatis acerbitate, eos, qui crederent Jesum esse Christum, vexaturum; sed & verum Dei cultum horrendis idololatriæ maculis inquinaturum fuisse: præsertim cum occasione mentionis Summi, & veri Dei, ad prohibendum falsorum Deorum cultum, ansa data fuisset. Verum quia is idololatriæ abusus, non tàm cito in Ecclesiam introducendus erat, quam feralia adversus eos odia, qui Jesum esse Christum, essent crediturí; ideo in urgenda & inculcanda, eorum tanquam fraterna charitate, majorem epistolæ partem consumsit.

FINIS.

IN EPISTOLAM SECUNDAM JOHANNIS COGITATIONES SACRÆ.

FUisse Apostolo cognominem alium itidem Johannem, qui præsbyteri nomine vocatus sit, ex Papia apud Eusebium, *Lib.* III. XXXVI. discimus. Qui vulgo hujus, & proxime subsequentis Epistolæ auctor censetur ex ipsa inscriptione *Senioris*. Sive autem ab Apostolo, sive ab Apostolico viro utraque conscripta est; non sine causâ inter canonica scripta relata est. Utraque autem docet, jam tunc illis Apostolicis, aut proximis post Apostolica temporibus, non defuisse in Ecclesia homines, qui non *ambulabant in Veritate*, hoc est, neque puram illam Apostolica prædicationis doctrinam retinebant; sed prædicationem crucis, & humanam illam Domini nostri, in qua passus est, naturam fastidiebant: neque fidem in Christum, & cognitionem doctrinæ ejus obedientiâ mandatorum, præcipue vero injunctæ nobis Caritatis usu, atque officio, in vita, factisque suis exprimebant, ac testabantur: sed ambitione præcipites, jam tunc dominationem in Ecclesia, & oppressionem aliorum moliebantur. quorum illud priori; hoc posteriori Epistola describit. quamvis utrumque ita conjunctum sit, ut alterum ex altero suapte natura profluat.

Lectissimam fœminam fuisse, cui scripta hæc Epistola est, eamque matrem familias, quæ liberos in cognitione Veritatis, ac pietate rite educaverat, ex inscriptione apparet. Ideo ipsi Auctor Epistolæ tribuit hujus nominis honorem, ut *Dominam* vocet. quod propter eos notandum est, qui prava superstitione ab ejusmodi titulis, quos vulgo obvia humanitas sanctis non parce tribuit, in Ecclesia morosè abstinent. Liberos mulieris hujus laudando tacite ipsam laudat, quod ab omnibus *in Veritate*, hoc est, vere, syncerè, candide amentur, quicunque veritatem agnovere. Causam hujus amoris, aut amabilitatis *vers.* 2. exponit; quia veritas, hoc est, pura doctrina Apostolica tam altas in iis radices egerit, ac tam firmiter in iis hæreat, ut eam in ipsis æternum mansuram esse appareat.

Vers. 3. Comprecatur autem huic Dominæ, ac toti familiæ ejus à Deo Patre, & Domino Jesu Christo tria, *Gratiam*, *Misericordiam*, *Pacem*. Et *gratiâ* quidem opus habemus, quia nullum nobis beneficium Dei merito nostro contingit; *Misericordia*, ut remissionem peccatorum assequamur; *pax* (præsertim apud Deum) omnis felicitatis cumulum complectitur. Patris vero duntaxat, & Filii mentionem facit more Apostolico, & Filium vocat *Patris Filium*, ut vinculum hujus relationis inter Deum Patrem, & Dominum Jesum Christum intelligatur longe strictius, atque nobilius, & magis proprie dictum, quàm sit ille nexus Filiationis, qui inter Deum, & reliquos ex eo natos intercedit.

Generalia vero dona Dei, quæ ipsis optat, & precatur (gratiam, misericordiam, pacem) restringere videtur ad duo beneficiorum genera. Quorum unum est, ut gratia, & Spiritu Dei confirmentur, ac retineantur in veritatis cognitione, quæ tunc ab Antichristis, & Pseudoprophetis periclitari incipiebat. Alterum est, ut eodem Dei Spiritu, & potentia retineantur, & confirmentur in Caritate, hoc est, in effectu, aut executione istius Veritatis, quam alte, ac penitus in pectora admissam, vitâ, & moribus, atque factis exprimere debeant. Quæ comprecatio æque tunc necessaria fuit, propter tempora Ecclesiæ sensim non in doctrinæ tantum puritate, sed morum etiam, ac vitæ sanctimonia in deterius vergentis.

Vers. 4. Gaudium ingens testatur, quod eos, qui sibi ex liberis ejus notiores facti sunt, *deprehenderit ambulare in Veritate*, hoc est (ut se ipse eodem *versu* explicat) in vita, & moribus obsequi præceptis Veritatis à Patre per Filium, & Apostolos ejus traditæ. Atque is vere, & efficaciter Veritatem cognovit, qui in ea ambulat, hoc est, qui ea, quæ mente percepit, in usum, ac vitam, moresque suos transfert.

Vers. 5. Captata benevolentia per laudes liberorum ejus, aut potius subdito calcari, ut Virtus laudata cresceret, per blandam precum speciem præcipit, ut in hoc pietatis curriculo pergant, & progrediantur longius omnes, in quo præcepto tradendo, ne semetipsum quidem excipit, eandem sibi necessitatem obsequii huic præcepto incumbere innuens.

Vocat autem istud *præceptum non novum*, sed *vetus*, *quod ab initio* audiverint. *Initium*, hic Evangelii initium designare nemo non videt. Præceptum autem hoc est *caritas* tam erga Deum, quàm erga Fratres. Et erga Deum quidem caritas in obedientia præceptorum ejus consistit, *Joh.* XIV. qui unicus modus est nos vicissim in caritate Dei conservandi. Erga Fratres autem est adeo reciproca, & mutua, ut etiam nomine Dei præcipientes (ut paulo ante vidimus) eodem præcepto non minus quam alii teneantur. Porro causam, cur præceptum istud Caritatis *vers.* 5., & 6. tam diligenter inculcet, tradit, ac rationem reddit *vers.* 7. quia *multi Impostores ingressi sunt in mundum*, imo in ipsam Ecclesiam (ut infra Judas ait) παρεισέδυσαν, subrepserunt, qui pietatis, & caritatis curam per obtrusa Gnostica dogmata fidelibus excutiunt. Nec enim cohærens esset connexio *versus* 6, & 7. nisi isti impostores pietatis, & caritatis omnis negligendæ duces essent, quod suprà Petrus, & infrà Judas egregie explicuit. Tanto magis igitur tunc pietati, & caritati incumbendum erat in Ecclesia, quanto majus utrique ab impostorum illorum pravitate immineret periculum. Porro multos Planos seu *impostores ingressos* esse ait *in mundum*, non quod aliunde in mundum ingressi sint, sed quia cum ante laterent, in lucem, notitiamque hominum pervenerint. Errorem, & impostaram eorum detegit, quod Jesum illum, *qui in carne venit*, hoc est, mortalem, & nostri similem hominem non agnoscerent pro Christo, naturam videlicet, & infirmitatem humanam regia, & divina dignitate Christi inferiorem rati. Hos igitur asserit esse illos dudum à Christo & Apostolis prædictos, *Impostores*, & *Antichristos*, adversarios Christi.

Quam noxius autem error is futurus esset illis, qui se illo abripi sinerent, *vers.* 8. ostendit, dum innuit eos per hunc errorem, aut totam, aut certe maximam

maximam eorum, quæ acquisivissent, jacturam facturos, ideoque aut nullam, aut certe non plenam laborum suorum mercedem relaturos. Quod posterius potissimum urget, & addit ideò, quòd non omnes isto errore abrepti necessariò perituri essent, sed etiam ex ipsis ejus propagatoribus latæ culpæ expertibus aliquos salvos fore; sed tanquam per ignem, (quæ illa non plena merces est) 1. *Cor.* III. contingere possit.

Vocat autem *vers.* 9. errorem hunc παράβασιν *transgressio* (& profecto magna in eo est μεταβασις εἰς ἄλλο γένος, *transitio, transgressio ad aliud genus* doctrinæ diversæ ab illa simplici ab Apostolis tradita, ut homines hac imbuti, tanquam in alium orbem delati, in novis istis opinionibus genuinæ Apostolorum doctrinæ nec voces, nec lineamenta agnoscere possint) si quis non maneat in simplici illa doctrina Christi. Quæ transgressio, quia in hominem illum Christum injuria est, in ipsum quoque Deum, ipsius Patrem, injuria censeri debet. Quemadmodum è contra agnitio, receptio, fides erga illum Jesum Christum, qui in carne venit, testata est ipsius Dei patris agnitio, receptio, & in ipsum fides, qui per hunc, & non alium Filium in se credi, ac sese coli voluit.

Concludit igitur *vers.* 10, & 11. ab ejusmodi planis, & impostoribus, qui à simplici Apostolorum doctrina recedunt, plane abhorrendum esse, nec eos in domos recipiendos, aut aliqua conversatione, vel familiaritate dignos esse censendos, ne qua ad nos tàm pestilentis erroris contagio serpat. Quod in ipsis illis initiis, dum adhuc pura, & incontaminata virgo esset Ecclesia, necessarium, atque utile fuit monitum.

Vers. 12. Atque hac ad præcavendas impostoras necessaria monitione per literas præstitâ; reliqua, quæ ad gaudium, & consolationem eorum, quibus scribit, pertinebant sese coram, & oretenus executurum brevi pollicetur, & salutationem nomine *liberorum* alterius lectissimæ itidem fœminæ, sive secundum carnem, sive tantum in Domino *Sororis* adjungit.

FINIS

IN EPISTOLAM TERTIAM JOHANNIS COGITATIONES SACRÆ.

Qua de causa secunda, & tertia ista Epistola Joannis Catholicæ nomen obtinuerit, cum utraque privatim ad singulos propemodum scripta sit, dispicere nequeo. Nisi forte librariorum error sit, inter alias, quæ vere Catholicæ dici possunt, has quoque interjectas sub eodem nomine describentium. Cujus emendatio, quia non multum noxæ afferebat, neglecta est.

Caium istum Præsbyteri discipulum, aut neophytum fuisse, *versus quartus* argumento est, ubi eum Filium suum vocat.

Amare in Veritate aliquem est vere, ac syncere amare, aut etiam ob Veritatis cognitionem, & professionem ut supra in Epistola 1. 2.

Vers. 2. Comprecatio valetudinis ac felicium successuum, & prosperitatis ad bona fortunæ pertinet, quia comparatur, & opponitur prosperitari in bonis animi. Quam animi ejus prosperitatem *vers. sequenti tertio* intellexit, accepto à fratribus nuncio, ac testimonio pietatis ejus, quam vocat *veritatem*, aut *ambulationem in veritate*, quod nihil aliud est quam vita ad normam veritatis, seu veræ Christi doctrinæ exacta, ita ut *ambulare in veritate*, significet *vivere secundum Veritatem.*

Vers. 4. Gaudii sui magnitudinem exponit ex nuncio, & auditu veræ pietatis eorum, quos Christo genuerat. Quæ pietas *vers.* 5. indicatur esse testata per caritatem, exhibitam fratribus, iisque peregrinis, & hospitibus. Et hæc illa est pars pietatis, cujus Dominus sese rationem habiturum in supremo judicio promisit, ac denunciavit.

Laudationis verba sunt (πιστὸν ποιεῖς) *Fideliter agis*, hoc est, Genuinum fidei officium exerces, quæ tum demũ est viva, vera & genuina, cum est per caritatem efficax. Dicit autem *vers.* 6 à fratribus istis, beneficio affectis, præbitum esse testimonium toti Ecclesiæ de Caritate Caji; cui Ecclesiæ se scripsisse ait in frà *vers.* 9. Eodem *vers.* 6. apparet eos adhuc adfuisse præsentes Caio, quia eos expedire jubetur, uti dignum erat, hoc est, instruere viatico, & rebus ad iter necessariis. Jubetur autem blande per laudationem.

Digne Deo. Quæcunque fratrum causa facimus in gratiam Dei facimus. Quominus parci, aut sordidi esse debemus in ejusmodi officiis. Quibus si forte Fratres satis digni non sint, at Deus dignus est cui in eo gratificari velimus, & qui sufficiat reddendæ mercedi benefactorum nostrorum; Certe nemini creditorum suorum decoquet.

Vers. 7. Ostendit causam, cur officia fratribus illis præstita, ipsi Deo imputari possint, quia *propter nomen Dei exierunt*, fortasse pulsi sedibus suis in persecutione, aut sua relinquentes propter ministerium Dei, aut Veritatis prædicationem. *Nihil accipientes à Gentibus* Alii explicant *excesserunt ex Gentibus, nihil accipientes*, hoc est bonis, & fortunis suis omnibus provoluti; quas inter Gentes possidebant.

Vers. 8. Officium erga Fratres afflictos, & libgralitate nostra egentes, præscribit, quoties Dei, Christique causa egestatem patiuntur; & homines ejusmodi officium præstantes vocat cooperarios Veritatis. Quemadmodum enim ii, qui propter Veritatem Dei patiuntur, sunt utiles operarii veritatis, quam afflictionibus suis promovent, & confirmant; ita qui ejusmodi testibus Veritatis subveniunt, & succurrunt sunt eorum adjutores, & cooperarii in propaganda veritate. Atque hoc fuisse videtur argumentum Epistolæ Præsbyteri, quam scripsisse Ecclesiæ *vers.* 9. dicitur. Huic tamen sancto Præsbyteri proposito, & conatui refragatum Diotrephem queritur ipse, quem ab ambitione describit, quod in Ecclesia dominari, & æquo plus eminere velit, quæ prima tunc initia regni Antichristi strui cæperant. Causa vero ob quam Diotrephes, tam sanctum negotium impediret, præter notatam ambitionem ejus, non exprimitur. Non difficile tamen est conjectura assequi, quid illa mens ambitiosa secuta sit in impediendis erga istos veritatis Martyres, fratrum liberalitate. Homines illi excellendi, ac dominandi avidi, errores istos, qui postea invaluere, spargebant in Ecclesia; ut attraherent in suas partes maximam discipulorum turbam. Quod quia ex carnali eminendi affectu ortum erat propositum, carnalibus etiam mediis exequebantur. Nam calcata omni caritate, odio prosequebantur Fratres, qui in sententiam eorum descendere gravabantur, nec eos fratrum nomine, aut officiis tam arcto vinculo debitis prosequi dignabantur, sed ubi poterant persequebantur, & eorum commodis repugnabant. Eadem causa fortasse Diotrephem in odium insontium, & de religione Christiano bene meritorũ fratrum stimulabat. Præsertim cum excommunicationis mentio *vers.* 10. fiat, quæ plerumque ab istis Gnosticis Pseudoprophetis infligebatur iis, qui Gnostica eorum dogmata non reciperent. Nec enim error unquam tolerare potest consortium veritatis; cum sibi ab illa male metuat. Ideo propagatores errorum sunt plerumque (ἀποδιοζόντες ἑαυτούς) *segregantes se ipsos* aut *si possint alios ejicientes* ex Ecclesia.

Vers. 10. Remedium huic malo, quod Ecclesiam illam vexabat, sese allaturum Præsbyter pollicetur adventu suo, ac detectione facinorum Diotrephis; qui primùm primoribus, ac benemeritis de Ecclesia viris obtrectaret, ac detraheret sermonibus malis, hoc est, improbis, falsis, & calumniosis garriens, atque traducens eorum actiones, ut auctoritatem eorum, quæ luminibus suis obstruebat, convelleret: deinde factis quoque audacioribus ipsis resisteret, & nec ipse Fratres caritate Ecclesia dignos reciperet, nec alios recipere pateretur, ejiciens ex Ecclesia eos, qui ab eo vel minimum dissentire auderent.

Vers. 11. Hac tanta Diotrephis improbitate ne offenderetur Caius, blande, & amanter admonetur: Sed potius ut abhorreret ab imitatione ejusmodi malitiæ, & quod bonum est, consectaretur, si vellet *ex Deo* esse, hoc est, esse verus, *ac fidelis Dei servus*, & Christi discipulus. Nec enim omnes, qui in Ecclesia Dei sint, esse ex Deo; sed tantum eos; qui bonum, & bene agunt. Eos vere nosse Deum, ac vera Dei, Christique notitia præditos esse. Cæteros qui male, aut male agant, adeo esse à Deo, ejusque notitia remotos, ut eos nunquam Deum vidisse, dici possit.

Vers. 12. Demetrium hunc unum ex istis fratribus fuisse verisimile est, quos Caius receptabat, Diotrephes rejiciebat. Cujus integritati testimonium perhibet, & ipse Præsbyter, haud dubie adversus Diotrephis calumnias. Reliqua ad adventum suum, quæ melius coràm dicturus erat, differt, & versu ultimo salutationes subnectit.

FINIS.

IN EPI-

IN EPISTOLAM JUDÆ APOSTOLI COGITATIONES SACRÆ.

HÆC Epistola, quia ejusdem fere cum maxima secundæ Petri parte argumenti videtur, non minùs atque illa à Gnosticis, quos suis coloribus depingit, & eorum Coryphæo Eusebio oppugnata est; Christi tamen providentia adversus factiolam quorundam conspirationem in Canone retenta est.

Hic Apostolus in inscriptione Servum se Jesu Christi vocat, ad differentiam à proditore, & Fratrem Jacobi propter discrimen ab Iscariote. Christianos vero, ad quos scribit, *sanctificatos in Deo* Patre, & *Jesu Christo asservatos*, *Vocatos apellat*. Atque hæc unâ cum secunda Petri vere Catholica est Epistola. Omnibus enim Christianis universe inscripta est. Describit autem eos, mentione facta duarum personarum divinarum, quæ sunt primariæ salutis nostræ causæ, quia præliminaris Epistolæ comprecatio, quæ statim *vers.* 2. sequitur, ea bona continet, quæ ab iis solis speranda, & obtinenda sunt. Vocat autem Christianos primum *Vocatos*, qui primus gradus est, & quasi atrium illius templi, & sanctuarii; quod solis *electis* patet. Deinde *sanctificatos in Deo Patre*, quia vocationis eorum scopus est, ut fiat sancti, sicuti Deus sanctus est, & sanctuario electorum digni. Denique *Jesu Christo asservatos*, propter jugem, & continuam curam Domini de eorum salute, & conservatione. Atque hæc duarum personarum mentio in salutis nostræ negotio omnibus Apostolis usitata est, & familiaris.

Vers. 2. *Misericordia* inquit, *& pax, & caritas vobis multiplicetur*. Hæc est illa caritas, caritas, inquam, Dei, in qua sese ut conservent Christiani sub finem Epistolæ *vers.* 21. hortatur.

Vers. 3. Docet omnes Christianos, præcipue vero qui salutem aliorum procurant, nihil omittere operæ, atque studii in hominibus verbis, scriptis, factisque suis ad salutem adducendis. Quam *salutem* vocat *communem*, quia omnibus Christianis *æqualis sors*, ἰσότιμον (2. *Pet.* 1. 1.) æternæ spei obtigit. Non modo igitur caritas, quæ in voce ἀγαπητοὶ exprimitur, sed necessitas ipsa, tunc cum hæc scriberet Apostolus (ἀναγκὴν ἔσχον) exigebat, ut eos hortaretur ad decertandum pro fide semel sanctis tradita.

Scripsit enim hanc Epistolam, ut apparet ex *vers.* 4, & sequentibus, tempore ultimo, cum jam Antichristi magno numero in Ecclesiam irreperent, & periculum esset, ne illa, semel ab Apostolis initio prædicationis tradita, pura Religionis Christi doctrina versutia Satanæ fidelibus extorqueretur; ita ut non mendiocri labore, cura, atque adeo certamine opus esset, ad retinendam illam semel traditam doctrinam, quam *fidem traditam* vocat per Metonymiam objecti. Neque enim ipsa fides, quatenus ipsum credendi actum denotat, æque tradi potest, ut ejus fidei objectum, hoc est doctrina, quæ per auditum discentibus instillatur. Vocat autem *semel traditam fidem sanctis*; quia post primam illam Apostolorum prædicationem, quæ fuit ab initio (1. *Joh.* 11. 24.) non licuit posteà ulla fidei dogmata, ullos fidei articulos cudere, quod sibi maximo rei Christianæ damno tot seculis ab Apostolico ævo remota arrogarunt concilia.

Vers. 4. Subingressi sunt, hoc est, quasi per cuniculos in Ecclesiam subrepserunt clam, & sine sensu, occulto Satanæ artificio quidam homines, jam olim ad hoc judicium destinati, prædicti, nec sermonibus tantum, sed scriptis Apostolorum designati (εἰς τοῦτο τὸ κρίμα) *in hoc judicium, aut damnationem*. Nec enim casu, aut inopinato hæc mutatio, in Ecclesia fieri debuit; sed destinato Dei consilio, ideoque sæpius prædicto eventu: ut cum illa pura Christianæ religionis veritate, ingrederetur unâ errorum colluvies, à qua veritas non leviter obfuscari debuit. Quod justo Dei judicio permissum, & prædictum est, ne inexpectato ejus rei eventu Christiani percellerentur.

Vocat autem actionem hanc prædictorum Pseudoprophetarum *Judicium*; quia in ea justum erga homines in Ecclesia improbos judicium Dei apparuit, aut apparitùrum erat: quanquam & respectu ipsorum impostorum, quos eo nomine certissima manebat pernicies. impostura eorum *judicium* vocari potuit, quod judicium, & suppliciũ illos certo manere exemplis mox probatur.

Describit autem istos homines, per quos tradita semel primitùs vera religionis doctrina corrumpebatur, suis genuinis coloribus, ac primum in genere vocat *impios* (breviter, nam paulo post fusius eorum lineamenta adumbrat) addita ratione, quod Dei nostri gratiam transferrent ad lasciviam, quod summum impietatis cacumen est. Cum enim nos gratia Dei ad amorem, & gratitudinem ejus, atque ad vitæ sanctimoniam invitet, maxima est impietas eam Deo gratiam referre, ut illum dissolutæ vitæ profanitate irritemus. Cæterum tales homines Dei, quem præ oculis minime habent, oblivisCuntur; imo vero factis suis eum abnegant. Nec enim ad negandum Deum necesse est, ut quis conceptis verbis, & dictis Deum non esse profiteatur. Satis est, si ita vivat, quasi Deus non esset, aut res humanas non curaret. Quia vero supra Christianos homines per mentionem duarum divinarum personarum Apostolico more descripserat; ideò vicissim impios istos, quos Christianis opponit, earundem mentione facta describit, docens impios illos negare unum illum Monarcham, qui herile in omnes dominium habet, simulque Dominum nostrum Jesum Christum. Quod non de dictis, sed de factis eorum intelligendum est, quæ infra accuratius describit.

Vers. 5. Videtur autem in adferendis, quæ mox proponit, tribus horrendi judicii divini exemplis, non modo probare, quod supra breviter dixerat, illos impios homines, quorum mentionem facit, destinatos esse ad certissimum, & inevitabile supplicium (προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα). sed etiam duplici tacitæ objectioni occurrere. Quarum una è consimili, & parallelo huic loco. 2. *Pet.* 11, 2. *& seqq.* elicitur; in quo cum Petrus prædixisset, plurimos fore eorum asseclas, qui hæreses perditionis essent introducturi, ne cui ipsa multitudine peccantium à pœna exitii eximendi fore viderentur, producit mox ejusmodi exempla judiciorum Dei, in quibus delinquentibus ad impunitatem nihil eorum multitudo, ac numerus profuit. quod supra quoque annotavimus. Eadem enim fere hic quoque exempla producit, quæ tacite huic objectioni occurrunt, nisi quod supplicio diluvii omisso populi illius pervicacis, qui in deserto Dominum tentavit, pœnam substituit; è cujus maximo numero duo tantum communi supplicio exempli leguntur. Quod exemplum alteri quoque tacitæ objectioni occurrere videtur. Nimirum si cui parum verisimile videatur, Deum, qui luce veritatis in doctrina Christi clarissime effulgente, mundum per Apostolos collustravit, passurum esse tam cito lucem istam errorum aliquorum tenebris, & caligine obfuscari, quod absque præsentissimo plurimorum exitio evenire non potuit, quos tamen Deus per Apostolicam prædicationem ad salutem

vocaverat. Oſtendit igitur hoc exemplo Judas Apoſtolus, nihil eſſe quod vana iſtiuſmodi ſpe, atque fiducia ab intentiſſima ſalutis ſuæ cura, & vigilantia, atque ab enixa in certamine fidei contentione dimoveantur Chriſtiani omnes, quibus ſcribit; cum habeant evidentiſſimum exemplum præ oculis, in quo Deus eos ipſos, quos jam ſemel magnificè, & miraculoſe è ſervitute Ægypti eduxerat, ut in beatas promiſſæ terræ ſedes introduceret, iterum ob incredulitatem, & diffidentiam in deſerto perdidit. Opponit autem voculam (ἅπαξ) *ſemel* voci δεύτερον (*iterum*), ita ut particula ἅπαξ, id eſt, ſemel, non inuſitata metatheſi non ad *ſcientes* (εἰδότας) ſed ad vocem σώσας (cum ſervaſſet) referatur.

Quemadmodum enim τὸ σῶσαι, *liberaſſet*: τῷ ἀπολέσαι, *perdidiſſe*; ita τὸ ἅπαξ τῷ δευτέρῳ, opponitur. Eo libentius vero hoc *verſu* 5. in exempli ſimilitudine vocula ἅπαξ (*ſemel*) Apoſtolus uſus eſt, quia jam *verſ.* 3. eadem in illa re, quam per ſimilitudinem illuſtrare debuit, uſus erat. Dixerat enim *verſ.* 3. decertandum eſſe omni contentione in fide doctrinæ veritatis ſalutaris *ſemel* traditæ, puta ad ſalutem conſequendam, ſubintelligendo præcepti, & officii hujus neceſſitatem, ne forte ob incredulitatem tanto bono excidentes, iterum ad miſerum perditionis ſtatum relabamur.

Id iſto verſu exemplo Iſraëlitarum in deſerto illuſtrat, inferens, quemadmodum olim apprime cavendum erat populo ex Ægypto educto, ne accepto ſemel beneficii, ac promiſſi divini tam miraculoſo pignore, eo propter incredulitatem excideret, & iterum ad æque miſerum ſtatum, aut parem ei, è quo erat eductus, relaberetur; ita nunc Chriſtianis quoque eundem caſum eſſe metuendum, aut fugiendum.

Eſt autem hoc exemplum mire illuſtrans, & ob oculos ponens juſtam Dei O. M. in maximis ſuis beneficiis ingrati animi culpam punientis ſeveritatem, quæ neque multitudinem delinquentium reſpectat, neque beneficii ſui jam magna ex parte collati conſtantiam in hominibus indignis tueri ſuſtinet; ſed illud protinus ab ingratis adimit, & pro ſapientia ſua tamen viam, & rationem promiſſæ ſemel gratiæ præſtandæ adinvenit, ut omnes ad mirum, & ſapientiſſimum bonitatis, & juſtitiæ ſuæ temperamentum obſtupeſcant.

Ovum ovo ſimilius non eſt, quam modus agendi, quo Deus olim ergà populum Veteris Fœderis in ipſo ejus initio uſus eſt, huic rationi, quam in ipſo Novi Fœderis limine in gubernando Chriſtiano populo ſecutus eſt. Quemadmodum enim iis, quos miraculoſe è ſervitute carnali Ægypti eripuerat, ut liberos in beatis ſedibus ſiſteret, ob incredulitatis culpam non pepercit; ita iis, quos per Chriſtum, & Apoſtolos divinæ veritatis luce colluſtravit, ut viam ſalutis veram, & genuinam invenirent, *iti idem ob incredulitatem*, & amorem peccati, atque odium Veritatis miſit efficaciam erroris, ut crederent mendacio, atque ita in judicium inciderent præparatum iis, quibus præ veritate placuit injuſtitia. 2. *Theſſ.* 11. 11. 12.

Notandum autem eſt Judam hoc exemplo uti ad commonefaciendos, & efficaci comminatione terrendos Chriſtianos illius primævæ Apoſtolicæ Eccleſiæ, ut metuerent, ne ſibi quid ſimile eveniret illi caſui, qui in ipſo plane limine adeundæ felicitatis, in antiquo Fœdere promiſſæ, veterem illum populum oppreſſerat. Sic enim manifeſtum eſt illum ſenſiſſe, & aſſeruiſſe, idem Chriſtiano quoque populo (niſi ſibi acerrima cura, & contentione caviſſet) tunc juſto judicio Dei accidere potuiſſe. Proinde vana, & futilis eſt conjectura, atque opinio, non eſſe veriſimile Deum ſtatim poſt Apoſtolos in errores noxios, & exitioſos Eccleſiam incidere paſſum fuiſſe, quaſi fruſtranea illa, & inutilia omnia futura eſſent, quæ in Chriſto, & per Chriſtum, & Apoſtolos egit, niſi Eccleſia in integro, & florenti ſtatu per multa ſecula ad nos uſque perduraſſet. Non fruſtranea, & inutilia fuere illa Dei magnifica opera, quæ in eripiendo glorioſe populo ſuo è ſervitute Pharaonis deſignavit, tametſi omnis ille populus, (duobus duntaxat exceptis) in deſerto occubuiſſet. Profuere enim & illis duobus, profuere poſteris reliquorum, qui puniti ſunt, & ſeris nepotibus, profuere mox Chriſtianis, & nobis quoque proſunt, atque aliis porro proderunt. Idem de iis quoque magnificis Dei operibus, quæ in Chriſto perfecit, dici poteſt, etiamſi mox poſt Apoſtolos Eccleſia errorum, & Antichriſti caligine oppreſſa ſit, longe tamen melior Chriſti fidelium conditio præ veteris populi fortuna in eo cenſenda eſt, quod non ſicut olim omnes, qui tunc incredulitate ſua iram Dei meruerunt, à gratia Fœderis illius excluſi ſunt; ita nunc quoque omnes, qui in errores noxios inciderunt, à gratia N. Fœderis excludantur, quia iſti errores Fidem, & ſpem ſalutis ſæpe adeo non tollunt, ut eorum etiam auctores, nonnulli & introductores, lignearum videlicet, & ſtraminearum caſarum ſtructores, & architecti, fidem habere, & ſalvari poſſint.

Cæterum quamvis in gradu infelicitatis ſuperet fortaſſe Synagoga Eccleſiam, tamen in ſpecie culpæ Chriſtianorum, & eam ſubſecutæ animadverſionis divinæ, admodum ſimilis eſt Eccleſia Synagogæ, ut quemadmodum hæc ſua culpa in ipſo initio ſtatus ſui juſtum Dei judicium paſſa eſt, ita & illa ſimili culpa citò poſt prima prædicationis initia tanta divinæ veritatis detrimenta, & jacturas fecerit.

Verſ. 6. Accedit ad alterum exemplum ſeveritatis Dei adverſus Angelos peccantes. Quibus etiam nec multitudo, nec collatum in eos Dei beneficium, ad impunitatem profuit. Tangit autem primum eorum peccatum, deinde peccati ſupplicium.

Peccatum in duobus collocat. Primum, quod non ſervaverint ἰδίαν ἀρχὴν, quod alii explicant, *ſuam originem*. Quod ferri quidem poteſt, quia culpa ſua immutarunt ſtatum illum ſuum optimum, in quo creati erant ab initio. ſed nihil eſt cauſæ cur non potius explicetur *Suum Principatum*. Nec enim gregarii fuere, ſed principes Angelorum, qui ordines, in quibus à Deo collocati fuerunt, deſeruerunt. Alterum, in quo peccatum eorum tangit, eſt quod *deſeruerint proprium domicilium*. Utraque peccati eorum deſcriptio vix alibi in Sacra Scriptura reperitur. Utrumque delicti genus manifeſtam adverſus Deum contumaciam, & rebellionem ſapit, cui origo eſt ambitio, atque ſuperbia. Sed ex deſcriptione iſta peccati Angelorum patet, Deum in diſtribuendis inter cæleſtes indigenas ordinibus, atque officiis, ſua ſingulis quoque aſſignaſſe domicilia, ſeu οἰκητήρια: ita ut qui in ſtatu, in quo à Deo collocati erant, manere nollent, domicilia ſua relinquere neceſſe habuerint. De quo Angelorum delicto in ſacris monumentis nuſquam forte plura, aut ſpecialiora habemus. Ex quibus diſcimus humilitatem erga Deum, atque obſequium, & illam ὑποταγήν, qua deſtituuntur μεμψίμοιροι, *queruli*, qui ſorte à Deo conceſſa contenti eſſe nolunt. Nihil autem aptius, & ſalubrius nobis excogitari poteſt, quam illa conditio, in qua nos Deus vivere omnino vult, quamvis interdum ipſe nos ex deteriori in meliorem ſtatum transferat. Verum tunc manifeſta eſt, & quæ à nobis animadverti poteſt, ejus manuductio. Nam qui nobis præſtantiorem vitæ conditionem deſtinat, ipſe ad eam cuncta ſervientia media præparat; ut in fortunæ noſtræ incrementis manifeſta divinæ opis veſtigia animadvertere liceat.

In deſcribendo peccati Angelorum ſupplicio ait, pœnam eorum ultimam ad illud *magni diei judicium* eſſe delatam. *Magnam* autem *diem* vocat ſine dubio diem ſupremi judicii, quod Chriſtus, in conſummatione ſeculorum exercebit. Dico autem *ultimam*, reſpectu præſentium, & antecedentium, quas luunt, pœnarum; quemadmodum cum dilatum ſupplicium carceris pœna antecedit. Porro antecedentem iſtam pœnam deſcribit, quod *vinculis æternis ſub caligine conſtricti detineantur*. Caligo iſta cæcitas eſt mentis eorum, atque vecordia, qua nullus eſt durior carcer, nullum inexplicabilius vinculum, aut catena magis adamantina ad detinendas in miſerrimo

rimo ſtatu rationales Creaturas.

Verſ. 7. Tertium ſeveritatis Dei exemplum commemorat *in Sodomæ, & Gomorrhæ*, & reliquarum ſimili modo corruptarum civitatum ſupplicio. quibus itidem, nec multitudo, nec illud Dei beneficium ad impunitatem profuit, quod in beatiſſima, & omni genere bonorum affluentiſſima ſede eſſent collocatæ. Deſcribit autem peccatum eorum, ſeu *ſcortationem, & impuritatem, quod carnem alienam ſectarentur.* Carnalium voluptatum turpitudinem, & ignobilitatem perſtringens, cum quiſque ex propriæ carnis vilitate, impuritate, ac turpitudine facile videre poſſit, quàm minime expetibilis, imo quam abominabilis ſit aliena. Supplicium vero eorum deſcribit, ſimulque ſupplicii finem, & ſcopum. Supplicium in eo, quod *ignis æterni pœnam ſuſtineant*, quod etiam, citra pœnarum Gehennæ reſpectum, de illa ſulphurei ignis pœna explicari poteſt. Quamvis enim ille ignis ſulphureus dicto citius populos illos unà cum domiciliis ſuis conſumſerit; tamen ignis illius relicta veſtigia, in lacu Aſphaltite æterna manent, ut eo nomine ignis quoque æternus dici poſſit. Præſertim ſi finem, & ſcopum, ob quem Deus veſtigia iſta ignis ſulphurei æterna, aut certe longæva eſſe voluerit, conſideremus, qui eſt, ut præſtaret ad ſeram poſteritatem tam inſigne indignationis Dei exemplum.

Verſ. 8. Eorum, qui ad corrumpendam doctrinam, & mores Eccleſiæ clàm ſubingreſſi erant, indolem, & culpam comparat cum ſingulis ſupra allatis exemplis, tacite indicans, quorum culpam imitarentur eorum exitus ipſis eſſe pertimeſcendos. Incipit autem à poſtremo, & ait, ut Sodomitæ & Gomorrhæi carnem ſuam maculabant; ita iſtos quoque maculare: ut rebelles Angeli adverſus poteſtatem Creatoris ſui intumuere olim; ita hos quoque, poteſtates Magiſtratuum à Deo conſtitutas rejicere: ut populus olim Iſraëliticus effræni, & murmurante lingua Deum offendit, ita hos quoque *dignitates* (δόξας) audaci, & maledica lingua blaſphemare. Quamobrem autem per δόξας *dignitates*, hoc loco ipſas Angelorum rebellium poteſtates intelligam, reddidi rationem in Cogitationibus ad 2. *Pet.* 11. Sed & hoc loco ſequens verſus nonus non patitur aliter octavum explicari. Quod enim ad iſtam dignitatum blaſphemiam attinet, ſubjicit ſtatim Apoſtolus, Michaelem Archangelum id facere veritum eſſe, quod illi non vereantur. Veritum autem eſſe blaſphemare dignitatem, aut qualemcunq; poteſtatem Diaboli. Neceſſe eſt igitur, ut illi Diaboli quoque dignitatem, ſi ita loqui fas eſt, contumelioſis verbis blaſphemare non veriti ſint, quod ab Simonis, & Menandri imitatoribus non fuit nimium alienum. Porro Hiſtoriam hanc de altercatione Michaëlis cum Diabolo, circa corpus Moſis, unde Judas acceperit; non conſtat. Apparet præter eos libros, qui nunc in canone Hebræo leguntur, non defuiſſe alios quoque fide non indignos, ex quorum uno iſtam Hiſtoriam hauſerit Judas; ſicuti & alterum illud ex libro Enochi teſtimonium *verſ.* 14. Legimus in calce lib. ſeptimi hiſtoriæ Euſebianæ *cap.* xxxi, mentionem Mathematum Enochi; quæ etiam circa finem ſeculi poſt natum Chriſtum tertii eruditiorum inter Chriſtianos ingenia exercebant. Laodicenus certè Epiſcopus Anatolius, vir omnigenæ eruditionis, Expoſitiones, & Mathemata Enoch inter ſtudiorum ſuorum monumenta reliquit. Hæc certe Mathemata è libris, qui ſub Enochi nomine circumferebantur, illum hauſiſſe oportuit. De occultatione ſepulchri Moſis alibi quoque legimus: verum quod id Michaelis opera factum ſit, antegreſſo prius tam acri cum Diabolo certamine, Judas hoc loco explicat.

Verſ. 10. Alterum argumentum ex *verſ.* 10. ſumitur non poſſe ad Magiſtratus blaſphemiam iſtam dignitatum hoc loco referri, proinde ad Diabolum referendam. Nec enim poterant illi homines dici ignoraſſe naturam, aut munus Magiſtratus, cum id non excederet menſuram cognitionis eorum, non minus atque illud, quod ratio cuivis dictat, à belluinis, aut potius deterioribus quam belluinis voluptatibus abſtinendum eſſe: imo, quod ipſis quoque belluis natura dictat, extra naturæ uſum, ac neceſſitatem ipſis fruendum non eſſe. At maledicere, & conviciari iis, quorum naturam, dignitatem, & quantum iis permiſſu Dei liceat ignoramus, non eſt noſtrarum partium. Pauca certe de iis nobis ſcire permiſſum eſt. Porro, ut jam innuimus in altero antitheto, in quo loquitur de iis, quæ bene novimus, & noſſe debemus, homines iſtos corpora ſua maculantes ipſis belluis deteriores eſſe oſtendit. Sciunt enim homines, & ſcire debent ratione duce, quod vel ipſis belluis natura dictat, voluptatibus extra naturæ uſum non eſſe fruendum, nec eas immoderate conſectandas; & tamen in iis contra conſcientiam, & ipſum commune cum belluis naturæ dictamen corrumpuntur, atque ita belluis deteriores evadunt.

Verſ. 11. Tam improbis hominibus denunciat judicia Dei, commemoratis quibuſdam eorum peccatis, ſupplicio dignis. Primum quod omnis caritatis expertes, & plane homicidæ ſint. In quo Caini ſpiritum teſtantur. Idem ſupra Johannes Antichriſtis objecit, & utrorumque lineamenta omnino congruunt, ut iidem prorſus videantur. Deinde quod ſint avari, turpis lucri cupidi, & ventri ſervientes; quod tam Paulus, quam Petrus Antichriſti præcurſoribus objecit. In quo Balaami cupiditatem imitantur. Denique quod aut adverſus Magiſtratus inſurgerent, aut etiam iis, quos tunc in Eccleſia Dominus poſuerat, tanquam cæterorum duces, Apoſtolis, & Apoſtolicis viris reluctarentur. In quo ſeditioſi illius Core veſtigia premebant; quibus in ejuſdem perniciem deducerentur.

Verſ. 12. Antichriſtos iſtos, aut Antichriſti anteambulones, qui hic à Juda, & alibi à Petro depinguntur, non extra Eccleſiam, ſed in ipſa Eccleſia fuiſſe, non illud tantum documento eſt, quod in Eccleſiam irrepſiſſe dicantur; ſed etiam quod iiſdem agapis, & conviviis cum cæteris fratribus uterentur. Nec enim cum hæreticis ab Eccleſia ſegregatis, cibum capere licuit. Hos igitur in conviviis Chriſtianorum *maculas* fuiſſe aſſerit, quod profana converſatione cæterorum ſanctitatem polluerent, quod in illo copioſiore appoſito cibo, potuque, tanquam in profanis conviviis ſeſe largiùs invitarent, minime caventes aliorum ſcandala, dummodo ventri, aut gulæ ſuæ indulgerent, quod erat *ſine metu ſe ipſos paſcere*; quod nihil bonæ frugis, aut utilitatis ex convictu eorum fratres percipere poſſent, quia eſſent quemadmodum *nubes pluvia carentes*, quæ agros non irrigant, ſed à ventis alio auferuntur; quemadmodum *arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ*, quæ fructum, quem promittere videntur, nullum afferunt; ideoque *eradicari* dignæ ſunt. Præterea *verſ.* 13, quod ſint ſimiles undis, & fluctibus maris efferatis, intractabiles, & ſiniſtris moribus, audaces, & nullo pudore, nullo aliorum reſpectu, aut reverentia, ſua vitia renudantes, & quaſi ſua dedecora deſpumantes, quas vocat *ſtellas erraticas*, quæ nullo certo ordine, ſed temere quaquaverſum moventur, quorum vitiis, erroribus, culpis *caligo tenebrarum in æternum ſervata*, & conſtituta eſt. Quemadmodum autem caligo ſtellis (quarum natura eſt in luce) funeſta, & exitioſa eſt, ita deſtinatum iſtis hominibus ſupplicium ipſis erit exitioſum, Probat autem iſtos homines pœnas daturos *verſ.* 14, & 15. teſtimonio Enochi, qui in ipſo mundi initio, quippe ſeptimæ ab Adamo generationis, pœnas ejuſmodi in ſolenni judicii Dei die impiis ſuperventuras vaticinatus eſt, non pro factis modo, ſed pro dictis etiam impiis ab hominibus rationem exacturas. Dicit enim *verſ.* 16. eos non factis modo, ſed dictis quoque delinquere, atque Deum irritare, non minus atque illi murmuratores Iſraëlitæ in deſerto, quibus nihil eorum plăcuit, quæ Deus cum illis egit: ſed ubique ſine cauſa culpam in Deum conferebant. Tales homines μεμψιμοίρους, *ſortem ſuam incuſantes* vocat, qui cum cupiditatibus ſuis humiliter, ac ſerviliter, & flagitioſe indulgerent; tamen prætumida vanitatis loquebantur, &

tur, & ad factorum suorum dedecus, ac turpitudinem addebant dictorum suorum odiosam jactantiam, & insolentiam. Atque ita id, quod non essent, perverse, & hypocriticè videri volebant; præcipue verò apud eos, à quibus aliquid utilitatis sperarent. Est autem hic infallibilis character servorum Antichristi, cum illi, qui sacra tractant, admirantur personas utilitatis gratia, hoc est, cum eos præ cæteris colunt, venerantur, affectantur, qui in eminentiori statu constituti, ipsis ad fortunam suam fabricandam, prodesse possunt; breviter qui libentius fortunam hominum, quàm homines ipsos amplectuntur.

Obiter autem hic notandum est, extitisse temporibus Apostolicis librum Enochi nomine inscriptum. Ac forte tertiò quoque post Apostolos seculo, quia Anatolius Episcopus Laodicenus apud *Euseb. lib.* VII. *cap.* XXXI. de eo, quod primus mensis apud Hebræos circa æquinoctium sit, Expositiones, & Mathemata Enoch, & alia quædam scripsisse, ac reliquisse dicitur.

Cæterum ne tantis Ecclesiæ corruptelis homines in Ecclesia pii percellerentur, & animos desponderent, mature prædictum est à Christo, & Apostolis *vers.* 17, 18. venturos *extremis temporibus*, hoc est, exeunte ævo Apostolico, *irrisores*, illusores, quibus cordi non esset religio, sed venter, atque voluptates, & tamen *prætumida* loquendi, atque ostentandi simulatione sese religiosos esse præ se ferrent. Quos plane suis coloribus depinxit *vers.* 19. quales erant illi Victores, Zephyrini in Occidente, Heleni, Hymænei, Theothecni, Milchiones, & qui ævum eorum proxime insecuti sunt, Eusebii Cæsarienses, ac cæteri in Oriente; ἀποδιοριζοντες ἑαυτους *segregantes seipsos*, hoc est, qui levi de causa caritate, & tolerantia Christiana calcata, ad ejiciendos homines ex Ecclesia, & ad scindendum Ecclesiam præcipites essent, quod est hominum Psychicorum proprium, in quibus nihil esset Spiritus Christi. Talis quondam Clerus Romanus Tertulliano visus est.

Notandus autem est hic ultimus hominum Psychicorum, & qui Spiritu Dei destituuntur, character, quod sint ἀποδιοριζοντες. Divisor Ecclesiæ Spiritus eos agitat, & carnali zelo accendit.

Vers. 20. Cum supra *vers.* 17. monuisset fratres fideles ne percellerentur, & scandalizarentur ea temporum infelicitate, & hominum pravitate, quæ toties ipsis ab Apostolis prædicta est; quia prævisa, ac prædicta jacula minus ipsos ferire deberent: nunc hortatur, ut istorum hominum sint quam dissimillimi, & quia illi receptæ Christianæ de Deo, Christoque doctrinæ, ac fidei non superstruxerunt pietatem, sed Deum, Christumque ore professi sunt, factis abnegarunt, ideo eos monet, *ut fidei*, ac doctrinæ receptæ *superstruant seipsos*, hoc est, ita huic fidei, ac doctrinæ sese inferant, atque inhæreant, ut illa nunquam excidere possint. Quod fit cum præcepta ejus non memoriæ, sed moribus, & consuetudini vitæ, atque factis infiguntur; ita ut quodammodo in naturam nostram transeant. Nam consuetudo, & habitus migrat in naturam, & est natura acquisita. Quomodo autem doctrinam, & præcepta Religionis, moribus, & factis nostris infigere possimus, rationem ostendit, in verbis *per Spiritum Sanctum orantes*, hoc est, auxilio Dei, sed precibus nostris impetrato: precibus autem non vulgaribus, aut jejunis; sed Spiritu Sancto animatis. Atque hic ipse Spiritus precibus impetrandus est. Nihil autem est quod apud tam indulgentem Patrem, & facilem Dominum obtineri nequeat; modo à nobis bona fide diligatur, beneficia ejus accurate observentur, grato animo recolantur. Hinc enim fit, ut nos Deus vicissim diligat, & quamdiu hanc dilectionem Dei provocabimus, tamdiu nos in caritate Dei conservabimus. Quo statu dari nequit felicior, aut magis expetendus. Quid enim beatitudinis deesse possit homini, quem perpetuo Deus diligit? Quam dilectionem etiamsi palam, & in conspectu reliquorum hominum non exhibet, intùs tamen per Spiritum suum benevolum hunc erga eum, quem amat, affectum sufficienter testatur. Nam ut fidei locus sit, differt Deus exhibendæ perfectæ caritatis suæ testimonia ad adventum Filii sui. Quæ ipsa æquo animo, & patienter expectanda sunt, quia lætissimo, & in æternum mansuro gaudio, & perenni felicitate terminabuntur. Quanquam & ipsa Spiritus Sanctus dona, in dies cumulatiora, patienter quoque expectanda sunt. Nec enim Deus statim, & quasi una vice prodigit, & effundit sua beneficia; sed ea pro modulo capacitatis nostræ, tanquam sapientissimus Pater, dispensat.

Vers. 22. Postquam *vers.* 20, & 21. docuisset qualem curam circa propriam salutem, & pietatem adhibere debeant Christiani; nunc docet, quomodo se erga alios, præsertim errantes, aut delinquentes ædificandos gerere debeant. Monet igitur non eodem modo cum omnibus procedendum; sed accurate discernendum, ac delectum habendum inter levius, ac tolerabilius peccantes. Et eorum quidem, qui ferri quoquomodo possunt, miserendum, atque erga eos maxima tolerantia utendum; sed gravius peccantes rigidius castigandos, (non sine metu tamen, & maxima cautione) salubri disciplina coercendos, atque ex peccato, & præsentissimo exitio, tanquam ex igne eos esse rapiendos, ea quidem severitate, & peccati odio, atque abominatione, ut intelligant nos etiam licitis actionibus, quæ tamen ad peccati speciem accedunt, non parcere, tantum abest, ut ad ipsa peccata conniveamus. Hoc enim est *Odisse etiam vestem peccato maculatam*; Maximum odium, & aversationem, & abominationem adversus peccata testari, & ostendere quantopere ab iis abhorreamus.

Vers. 24. Hæc autem officia nostra, tàm erga nosmetipsos, quam erga Fratres alios, præsertim peccantes, præstanda, & exequenda esse, invocato auxilio divino. Cum enim simus admodum infirmi, & imbecilles, vires huic operæ pares non habemus. Sed Deus, & is, qui nos divina, & patria potestate gubernat, Christus solus est, qui nos possit ab omni lapsu immunes custodire, & *constituere in conspectu gloriæ suæ irreprehensibiles in exultatione*, hoc est, qui nos innocentiæ, & bonæ, atque exultantis conscientiæ compotes efficere queat, per Spiritum suum Sanctum. Vocat autem *solum sapientem Deum servatorem nostrum*; quia prima, & suprema salutis nostræ causa Deus est, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui hoc loco in se quasi complectitur secundam, & quasi instrumentalem ejusdem salutis causam, Filium suum, per quem in negotio Salutis nostræ omnia facit. Cujus summi, & unici Dei mentione facta, laudibus ejus concludit Epistolam, tribuendo ei gloriam, magnificentiam, robur, & potentiam, atque potestatem seu dominationem, non in præsenti modo seculo, sed in æternum sine fine reddendam, ac celebrandam.

FINIS.

Ejuſdem

AUTHORIS.

VARII

TRACTATUS

PRÆSERTIM

THEOLOGICI.

Index

AUTHORS.

VANI

TRACTATUS

PRAESENTIUM

THEOLOGICI.

EDITOR LECTORI S.

TUmultuosum hoc seculum, Lector candide, dissidiis belliſque tam politicis quam Eccleſiaſticis turget. Aurea pax plurimorum votis ac ſuſpiriis expetitur. Et ut quidem ſumus homines ad ea magis, quæ ſenſibus & carni ſubjacent, proni, quàm quæ ad animum vel ſolum vel primaria ratione referuntur; ita qui terrenam atque circa externa corporis bona verſantem precibus ſuis pacem à Deo poſcant, ad eamque recuperandam, capeſſendam, fovendam populum Chriſtianum exhortentur, longe plures hodie invenias iis, qui pacem ac concordiam Eccleſiæ opera ſua, quantum in ipſis eſt; promoveant. Ea eſt, proh dolor! mentis noſtræ cæcitas, ut inſtar pecorum ventri obedientium eorum malorum ſenſu querimoniaque vehementius afficiamur, quæ carnalem mundi tranquillitatem quoquo modo turbant, quàm quæ ſpiritualem illam animorum conjunctionem ſcindunt ac tollunt. Spirituale ſcilicet illud damnum, quod ex Eccleſiaſticis emergit diſſidiis, interna mentis acie ii duntaxat cognoſcunt, dolent, deplorant, quorum animus divino lumine ad ſancta illa regni Chriſti myſteria piè indaganda propius colluſtratur. Hi ſoli myſticam illam Eccleſiæ deſolationem, iniquitatis illud myſterium, ſolidè norunt, atque Eccleſiæ reformationem non humano ingenio, vel, quantacunque etiam, eruditione Scholaſtica, ſed ſola Dei voluntate gratioſa niti intelligunt. Itaque aſſiduis ab eodem precibus contendunt, ut populi ſui cladem miſeratus manum ipſe ſalutarem admoveat, apertiſque inexhauſtæ miſericordiæ ſuæ theſauris generalem illam orbi terrarum gratiam denuo efficaciter offerat, quam Chriſti atque Apoſtolorum tempore eidem exhibuit, quaque primitivam illam Eccleſiam, Satana ejuſque organis, nequicquam ſeſe opponentibus, ipſe fundavit. O utinam, Chriſtiane Lector, tam frequens eorum, qui hoc ipſum à Deo unicè flagitarent, numerus foret, quam horum eſt, qui variis ſcriptis polemicis ultro citroque editis Eccleſiæ reſtaurationem hactenus ſunt moliti, atque etiamnum moliuntur! Pius quidem nonnullorum & moderatus hac in parte Zelus vituperari non debet: magis tamen commendandus videtur pius eorum conatus, qui in arena iſta luctantium manus conſertas dirimere, diſſenſioniſque ſchiſmate disjunctos animos mutuæ ſi minus concordiæ, attamen tolerantiæ vinculo reconciliare ſatagunt. Quorum quidem è numero hujus quoque libelli autor fuit, vir, ut apparet, pius pariter ac doctus: qui cum ex omnibus Chriſtianorum familiis cœtibuſque eum hodie maximè exoſum haud ignoraret, cujus & confeſſione & ſcriptis Socini de perſona Chriſti atque officio ſententia propugnatur; intempeſtiva Zelotarum nonnullorum Chriſtianæ prudentiæ lenitatiſque limites excedentium in eundem odia libello iſto reſtinguere conatus fuit: non quod probaret Socini ſententiam, (eam enim ſemel atque iterum aperte, idque merito, hic reprehendit) ſed quod perſuaſum haberet, mitigatis acerbioribus de ſententia omnium maximè inviſa judiciis hoſtilem illum in religionis profeſſione diſſentientes acrius inſectandi affectum in plerorumque animis paulatim penitus exſpiraturum. Atque hoc quidem conſilio, Chriſtiane Lector, per me quoque libellus hic in lucem nunc editur, nequaquam vero ut quaſi per cuniculos in Socini ſententiam incautum te ſeducam. Ingenuè namque fateor, Socini de Chriſti perſona dogma (ut alia ejuſdem placita nunc taceam) in eo mihi maximè improbari, quod Chriſtum ante ſuam ex Maria Virgine nativitatem extitiſſe neget: interim quoque ſtatuo, eundem contra receptam in populo Chriſtiano de Trinitate perſonarum in unica numero Dei eſſentia ſententiam, contraque ſpinoſas, intricatas, omniſque ſpiritualis animorum ædificationis fructu vacuas de æterna Chriſti ex eſſentia Dei Patris generatione aſſertiones ſolidè diſputare, neque ab antagoniſtis ſuis ſine principii petitione refutari in quæſtione illa poſſe. Tu vero, mi Lector, ſi ad ſalutarem Dei, Filiique ejus Jeſu Chriſti notitiam, in qua, teſte ipſo Chriſto *Joh.* XVII. 3. vita æterna conſiſtit, ex animo adſpiras, ne illius initium vel ex Socini, vel ex ejuſdem adverſariorum ſcriptis pete, ſed memor eorum verborum Chriſti *Luc.* X. 22. Nemo novit quis ſit Filius niſi Pater: & quis ſit Pater, niſi Filius, & cuicunque voluerit Filius revelare, miſſis ad tempus quibuſcunque ſcriptis polemicis, quod caput rei eſt, mentis tuæ tenebras, in quibus tum natus, tum educatus es, divina adjutus gratia, qua ſine ne hoc quidem poteris, ex animo agnoſce: poſtmodum cum cœco illo, filio Timæi *Marc.* X. 47. miſericordiam ac opem Chriſti implorans humili, devoto, atque ſpiritualis viſus avidiſſimo animo ſubinde ingemina ponderoſa illa & ad permovendum Chriſtum maximè accommoda cœci iſtius verba: da *Domine ut videam*, fac piiſſime *Domine ut videam*: nec dubita, quin pium illud pectus, *vera* illa *Lux* oculos animæ tuæ benignè tandem ſit illuminatura. Hæc eſt unica & vera ad veram Chriſti notitiam perveniendi methodus cum aſſidua Sacrarum literarum de Chriſto teſtantium lectione piaque meditatione conjungenda. Extra hanc qui aliam inſiſtunt, & vel in Scholaſticis illis Theologorum concertationibus, ſcriptiſve eorundem polemicis, vel in ipſa etiam Sacræ Scripturæ litera ſolius diſputatoriæ artis methodique beneficio Chriſti cognitionem quærunt, næ illi à veritate illius neceſſario tantum abſunt, quantum vel humana ratio, vel ipſa etiam Sacri Codicis litera à vivificante Dei Spiritu, unico illo divinæ veritatis Doctore. Iſtam vero illuminationem divinam quicunque à Chriſto conſecuti fuerint, re ipſa experientur, cum Spiritu lenitatis eandem ſemper eſſe conjunctam: hinc nemini in religionis

Christianæ doctrina errantium profanum detestandæ hæreseos crimen proterve intentant, neminem ob errores, gravissimos etiam eos, oderunt aut anathemate feriunt, neminem eam ipsam ob caussam infernalibus, multo minus judicialibus quoque carnificis flammis adjudicant, (ignei enim istius Zeli in hæreticos, quos vocant, Spiritus nequaquam à Deo est) sed errantibus divinam potius illuminationem, sine qua ex erroribus nec ipsi eluctari potuere, ideoque nec alium quenquam eluctari posse probè intelligunt, ex animo precantur. Hoc in errantes animo quisquis non est, sed vel odio prosequendos, vel seculari etiam brachio arcendos, imo è medio tollendos censet, is ipsemet errorem errat longè gravissimum, & graviorem quidem quam ii, quos ceu hæreticos odit & aversatur; nec minus Dei gratia, qua ab intempestivo illo Zelo liberetur, eget; quam isti, qua à sua, si ita placet, hæresi. Vale, mi Lector, eoque animo libellum hunc lege, quo & ab autore conscriptus, & à me tibi communicatus est.

Epigramma de cognitione Christi.

Nec caro nec sanguis, sacri neque litera textus
Notitiam Christi sola docere potest.
Scilicet à solo proficiscitur illa Magistro,
Discipulis Christus quem dedit ipse suis.
Discat ab hoc igitur Christum, quicunque laborat
Ejus salvifica cognitione frui.
Omnis homo mendax; cœlestis fallere Doctor
Nescius æternæ verba salutis habet.

De ruina Babylonis.

Quid per Lutherum, Calvinum, perque Socinum
Funditus eversam jam Babylona putas?
Perstat adhuc Babylon, & toto regnat in orbe,
Sub vario primum nomine robur habens.
Ostentat muros, jactat sublimia tecta:
De fundamento quis metus esse potest?
Ni Deus hanc igitur molem disjecerit ipse,
Humano nunquam Marte vel arte ruet.

Conradus Graserus in Commentario Cap. IX. Danielis, pag. 159.

EGo existimo, Ecclesiam Israëliticam melioribus suis temporibus mysterium Trinitatis rectius intellexisse: sanius æstimasse, & sanctius tractasse, quam Ecclesiam Gentium ullo tempore. Quod autem Trinitatis, personæ, τρισυποστατον vocabulis non sunt usi, ideo factum est, quod primum alia commodiora vocabula ipsis affatim suppetebant, ut ad mysterium illud exprimendum hujusmodi crudis terminis nil opus haberent. Deinde, ii his vocabulis caruerunt, caruerunt etiam illis indecoris certaminibus, quæ in Ecclesia Catholica illa excluserunt, dum Orthodoxi se per ea contra hæreticorum insidias tueri conantur: ut illorum inventio non perfectionem Ecclesiæ illius, sed potius donorum ejus defectionem arguat. Vetus autem Israël tam curiosus & temerarius numquam fuit, ut de Dei essentia in publico disputassent, & sic profundissimum illud omnis cognitionis mysterium humanæ curiositatis censuræ subjecissent, ut qui etiam nomen τετραγραμματον vulgo proferri nollent: idque non ex superstitione aliqua, ut hodie posteri illorum faciunt, sed quod primum in eo Christi mysterium agnoscerent, quatenus is tum adhuc à tergo Abrahami in dumeto implexus hæreret, Gen. XXII. 13. de quo ipsemet Mosi nomen suum nimis scrupulose percontanti respondet: Ero, qui ero. Exod. III. 14. Deinde ut indicarent ea, per quæ Deus se ei revelasset, religiosè potius custodienda & observanda esse, quam ut profano vulgi usui aut humanæ disceptationi permitterentur. Quæ sancta & castissima consuetudo si in Ecclesia Catholica olim observata fuisset, aut adhuc observaretur, Theologiam hodie multo simpliciorem haberemus, ambitiosæque contentionis, & scandalosissimorum certaminum minus esset.

We do not know why this treatise of Przipcovius should now be entered among the works of John Hales "the ever-memorable." It was one of two anonymous irenical pamphlets of the Socinian school, issued in 1628 and 1633 respectively, and ascribed by Anthony à Wood to Hales, who had nothing to do with the authorship or the printing of either.

The Dissertatio was also assigned by some to Episcopius.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
PACE ET CONCORDIA ECCLESIÆ

Antehac Edita

Sub nomine

IRENÆI PHILALETHI.

CAPUT I.

Sors veritatis & innocentiæ in hoc ſeculo : prolepſis authoris de ſeipſo.

NUnquam Veritas rea fuit, ut non eodem in foro cauſam diceret innocentia : quantumque illa odii, tantum hæc ſemper ſuſtinuit invidiæ. Nempe ad flagitia gens prona mortales ſumus, ideoque non ſolum apertam veri judicii libertatem odimus, ſed & tacitam integritatis alienæ cenſuram. Non eſt hoc peculiare ſeculo noſtro crimen. Jam olim vetus erat improbitatis ingenium, non magis vivam admonentium vocem, quàm mutam aliorum innocentiam expaveſcere ; & in poſterum quoque virtus eorum ſenſus vulnerabit, quorum mentes vitia occupavere. Ac veritatem quidem, quæ tangit ulcera delictorum, ſuo quodam jure improbitas noſtra averſatur. At illam quæ innoxio obtutu ſuſpexit in cælum quamobrem abominamur ? An quia prout utraque harum duobus animi noſtri morbis medetur, erroribus nimirum ac vitiis : ita nos pariter utraque iſta ægritudo delectat ? Ita eſt profecto : ultra omnium pignorum charitatem amamus, & exoſculamur errores noſtros : ſive quod ad affectuum furta & laſciviam conniveant : ſeu quia nos obſtinatum præjudicium & inſana partium ambitio ad rabiem uſque contra diſſentientes exagitat. Sed tamen nuſquam jucundius, quam circa rerum divinarum ſenſum erramus, eoſque lapſus, humanæ imbecillitatis teſtes, adeo non agnoſcimus, ut & oraculi loco æſtimemus. Nec contenta hic placuiſſe ſibi temeritas, opiniones ſuas porro invitis aliis obtrudit ; tantumque ſibi ſumſit decernendi licentia, ut vel leviſſime diſſentiendi libertatem excluſerit. Oppreſſis ad hunc modum generis humani judiciis, per multa ſecula denſa caligo Eccleſiæ incubuit, cum pleriſque nec proferre liceret quod ſentiebant, nec ſentire liberet, quod proferri non licebat. Tantam tenebrarum nubem nondum in orbe Chriſtiano tot venti ac procellæ certaminum plane diſcutere poterant, ſed velut inter ſparſa toto cælo ſpiſſi aeris volumina, pauci per intervalla nubium plenam ſolis faciem vident, alii ſtricturas tantum luminis eminus conſpiciunt, mox & ipſum ſolem viſuri : ita obducta erroribus veritas nondum ſe omnibus pleno vultu oſtendit : licet ad magnam mortalium partem lucis ſuæ radios præmiſerit. Quicquid ſit futurum poſtea, res divinæ in præſentia denſa ſunt involutæ caligine ; nihil tamen eſt, quod magis obſcuret æternæ ſalutis myſterium, quam ignoratio viæ, quæ nos ad tantæ fœlicitatis faſtigium ducit. Nam ut omnia in excelſo ſita difficiles & arduas aditus habent, ita & ſublime illud futuræ vitæ cacumen. Nec vero omnibus integrum eſt eniti per præcipitia, præſertim quos terreno abdomine pingues animi & obeſi ſpiritus ad infima vota deprimunt. Itaque magno generis humani exitio inventa eſt alia ad fœlicitatem via ; facilis illa quidem & expedita, ſed quæ ad deſtinatum ſibi terminum non pertingit. Maxima enim pars mortalium, cum per ſanctitatem vitæ illuc aſcendere gravaretur, in ſola confeſſione fidei tanti itineris compendium quæſivit. Illac etiamnum pleroſque ad cælum adſcendere videas, ſecuros quid faciant ; dum ſe ſentire probè exiſtiment, & in maxima cæteras reſcrutandi libidine vitæ & morum incurioſos. Non eſt itaque mirandum cum tanto major ſit ubique ingenii, quam animi cura ; ſi vel leviſſima in rerum divinarum ſenſu offenſio plus cenſeatur habere momenti ad æternam perniciem, quam vel graviſſimorum ſcelerum licentia. Sed hoc monſtri ſimile videtur, unde tanta nonnullis acceſſerit confidentia, ut, cum in vita & moribus mortalitatis ſuæ lapſus vel inviti agnoſcant, in ſenſu ac dogmatibus conditionis ſuæ obliviſcantur : & cum in anima fidei ob delicta ſua toties labantur : in ſolo ejuſdem cadavere ſe non offendere quidem poſſe exiſtiment. Nam unde tam cœca atque præceps alios damnandi libido, niſi à temeritate definiendi ? Unde tanta decernendi audacia, niſi ab infallibilis ſententiæ præſumptione promanat ? Et quod peſſimum eſt, nullius ingenium nunc errare poteſt, quin probitas quoque male audiat : ſæpeque opinionum reprehenſio in morum criminationem degenerat. Ego quidem jam inde ab ipſo portu tempeſtates proſpicio, nec tam ſententiæ, quam hoc libello propono, quam famæ ac ſecuritati meæ timeo. Quotuſquiſque eum ſine injuria authoris cenſebit ? Quis hic erratum aliquod cenſorio obelo figet ; ut non me quoque ſimul transfigat convitio ? Siquid hic falſum aliquibus videbitur, non tantum ipſis mendax, ſed & impius ero ; Audiam impoſtor ac tenebrio, & damnatæ patronus hæreſeos. atque ita à multis ſcriptum hoc vapulabit : ut neque ego ſi cognoſcar, fortaſſe id impune laturus ſim. Sed animus delicti purus ac integer fructum laboris, qui ei ab hominum judiciis debebatur, capiet à conſcientia : neque debile defenſæ veritatis argumentum habebit improbe traductam innocentiam ſuam. Idem enim genius utramque iſtarum oppugnare ſolet : nec ulli mirum videri debet, veriſimam ſententiam inique erroris argui, qui innocentiam ſuam injuſtis criminibus circumventam videbit. Obteſtor tamen illos, qui poſt lectum hunc libellum de exiſtimatione noſtra ibunt in ſuffragia, ne me aliena invia onerent, neve mihi fraudi ſit innoxia libertas. Nemo mihi erroris patrocinium imputet, ſi forte errantibus favi,

vi, nisi humanum non est, cum vitiis succenseas, personis non irasci.

CAPUT II.

Quænam de Deo & Christo ad salutem scitu necessaria : quæ partes veri fidei.

IAmdudum totum Ecclesiæ corpus vecors quidam spiritus exagitat, ac membra secum singula intestino dissidio committit. Alit enimvero studia partium ambitio pertinax, multumque olei huic incendio affundit vana de controversis capitibus persuasio quod in singulis summa religionis nostræ periclitetur. Hæc opinio quam altè in animis nostris radices egerit, argumento est civilis inter nos rabies, & odia in mucuam conversa perniciem. Quam vero futilis sit & falsa, planum fiet ex iis, quæ infra dicturi sumus : In quibus omnia quæ in disputationem veniunt, vocare in examen longum esset & laboriosum. Sufficit unum ex iis præcipuum decerpere ; quod si evincemus, non requiri necessario ad æternæ fælicitatis acquisitionem, multo minus id in reliquis levioribus verum erit. Hæc vero est exacta essentiæ (quam vocant) Dei cognitio, & distincta Sacro-sanctæ Trinitatis enucleatio. Naturam profecto Dei nemo mortalium comprehendere potest ; Et frustra hic subsultat irrequieta mentis nostræ indoles, ut tantæ altitudinis mysterium in hac vita contingat. Defectus quidem & omnem imperfectionis umbram à tanto numine facilimè secernere mente nostra possumus : sed formare in animo dignam nobilissima essentia imaginem, non est mortalitatis nostræ. Adeoque scire quid non sit possumus, & debemus : quid autem sit, ut maximè debeamus, non possumus ; nisi fortè quod sit Rex & Dominus universi, & id genus alia, quæ propriè loquendo ad essentiam ejus non pertinent. Dissimulari non potest, aliqua nobis de his ex Sacris constare oraculis ; Verum ea sunt oppido pauca : & quædam obscuris tantum lineamentis adumbrata; & si qua sunt, in quibus non omnibus Christianis convenit; ea profecto tot hodie contortis sophistarum spinis involuta sunt : tot olim quoque agitata dissensionibus, ut à multis etiamnum in dubium vocentur. Accedit probabilis utrinque scripturarum allegatio, ut si quis ambas partes sine præjudicio audiat, non facile se plerumque ex tantis difficultatibus expedire possit. Mihi non est propositum scalpere ingenium meum, ut in alterutram partem disputet. Satis est, sit demonstravero, quæstiones istas, quæcunque specialiorem essentiæ Dei, & accuratam distinctionis personarum explicationem attingunt, ut maximè sint utiles ; non esse necessarias ad salutem, aut, quod eodem redit, posse Christianum hominem promissam fœlicitatis suæ metam attingere : licet aut ignoret ista : aut etiam in iis (quæ imbecillitatis nostræ condicio est) erret, atque hallucinetur. Error in his si non tollit salutem ; multo minus ignorantia. Itaque ne quid in hac dissertatione redundet, in illo priori in præsentia pedem figemus.

Ac mihi quidem considerantiviam, quæ nos in cælo sistit, apparuit, contemplationes ejusmodi extra ipsam esse nostri itineris orbitam. Nam profecto, quid nos ad vitam æternam satis, imo abundè instructos reddit, nisi fides, per charitatem operans, qua sola justi pronunciabimur? Quâ si quis habere possit, licet Sacro-sanctæ Trinitatis mysterium prave perceperit; quid obstat, quo minus cum hoc errore in cœlum simul & Ecclesiam recipiatur. Ne quis vero erroris voce decipiatur ; non voco nunc tam miti nomine scelus hominum, qui dum adhuc aperta & liquida esset in Ecclesia veritas, nec ab ullo in dubium vocata ; primi huic articulo tenebras offuderunt : sed lapsus eorum, qui nostra tempestate *metuunt Danaos & dona ferentes* : hoc est, qui Antichristo post tot mendacia & imposturas, ne tum quidem credere audent, cum verum dicere videtur : prout ex sequentibus latius patebit. Porro fidem perfectam ab errore isto non tolli animadvertemus; si in singulas ejus partes inquiremus. Neque vero in toto fidei nostræ ambitu plura Credentium reperiemus officia, quam fidem promissorum Jesu Christi, & præceptorum ejus obedientiam: quorum illud corpus ; hoc vero animam esse Fidei aptè profecto innuit Jacobus Apostolus cap. 11. Ad promissorum fidem sufficit simplex illa confessio, quæ Apostolici symboli nomine circumfertur ; & si quid ultra desideretur, non video quid addi possit, præter debitam Sacris Scripturis reverentiam ; quibus si semel Fides derogetur, periclitatur salutis nostræ certitudo. Horum sive utrumque, sive alterum impleat omnem naturam fidei, quæ divinis promissis debetur : equidem errantes in supradicti mysterii cognitione, partem hanc fidei egregie adimplere posse, ipsa testatur experientia. Sacris enim literis & symbolo Apostolico sine ulla exceptione credunt. Et quid tandem igitur ipsis deest ad id, ut plene credant, fieri non posse, quin Deus summam sui promissi compleat? Quod autem ad id credendum supradicta sufficiant, vel hinc manifestum est. Promisit nobis Deus salutem per filium suum, &c. Huic promisso ut confidamus satis est nos esse persuasos, Deum id nobis & posse & velle dare, quod promisit. Sic enim recisis omnibus diffidentiæ causis, nihil erit quod de tanto promisso dubitemus. Atqui sacris literis & compendio earum Symbolo Apostolico credentes non possunt vel tantillum de potentia aut voluntate Dei dubitare : cum tamen possint aberrare in cognitione essentiæ. Non tollitur igitur hæc prior fidei pars per errorem istum. Quantum ad Christi præceptorum obedientiam, hæc quidem multo minus per ejusmodi hallucinationes tolli potest. Nec enim Dominus per mandata sua ingenii nostri aciem, sed probitatem voluntatis exercere voluit. Proinde quantumlibet cognitio nostra in difficilioribus cæcutiat, potest tamen voluntas ad divinæ legis (qua nihil est manifestius atque apertius) obsequium conformari. Nec indiget hic advocato multorum errantium pietas : ipsa pro se causum dicit ; sæpeque fidem suam vel in mutis operibus ostendit, quam plerique verbis frustra jactantes in vita & moribus suis non inveniunt. Nec vero imperatum nobis est quippiam, in quo virtus ac obedientia nostra elucere non possit. Quid enim opus est ad ea præmiis invitare, quæ sponte ac libenter facimus? At vero levissimo pretio fœlicitatem mercantur, qui in eam solam ingenii sui operam impendunt. Etenim veri aliquid de Deo scire improbissimus quisque & suæ salutis incuriosissimus potest. Nec in talibus jactare possumus obedientiam, nisi infelices genios in nostræ laudis consortium admittamus. Præterea præceptorum omnium ea debet esse natura, ut ea esse præscripta, omnibus imperata facturis, certo liqueret. Hoc vero dogma quam sit manifestum, rei ipsius incredibilis altitudo; quam vero manifeste præscriptum, vel tot olim Patrum & Conciliorum labores & contentiones testantur. Et ut vel maximè aliquid hac in parte sciri & credi imperatum esset, tamen hæc, quæ expresse in sacris literis extant, credere nemo detrectat : neque est ullus tam impius, qui eis obloquatur. Sensus & consequentiæ veniunt in controversiam, in quibus error atque lapsus non magis inobedientiam, eamque sequentem condemnationem infert, quam obsequentis famuli simplicitas, qui male intellecto imperio Domini, tamen pro virili paruit. Quod si promissis Jesu Christi credere, & præceptis parere, licet sic aberrantes, possumus, quid

quid nobis deerit ad plenam vivæ fidei possessionem? An est aliquid adhuc in natura fidei, duabus istis partibus non comprehensum? Atqui mirum de tertia ista parte in sacris oraculis silentium; nec video quomodo non sit perfecta fides, quæ viva est: aut viva non sit, quæ corpore quodammodo suo & anima constat. At enim multa sunt nobis credenda necessario, quæ sunt præcepta ipsa, nec promissa. Nempe illa ad alterutrum horum pertinent, sine quibus nimirum neutrum rectè præstari potest, qualis est omnipotentia Dei, & similia attributa, item creatio, providentia, &c. quæ quamvis nec præcepta nec promissa sint, tamen fides promissorum absque illis constare non potest; ut in iis error jam non sit periculosus, sed omnino pestilens ac pernicioſus. Verum enimvero errores circa dogmata, de quibus tota ista institutа est oratio; patuit neutrum fidei membrum, saltem natura sua & necessario subvertere.

CAPUT III.

Quod amor erga Deum & Christum sincerus ad salutem sufficiat: isque in errantibus esse possit.

Addamus argumento huic mantissam, quæ vel novæ rationis loco esse possit. Quis enim ad æternæ mortis supplicium damnare ausit eum, in quo vivit sincerus amor Creatoris & Redemptoris sui? Aut quodnam est certius æternæ beatitudinis pignus, quam amare Deum & Dominum Jesum Christum ex toto corde & omnibus animi sui viribus? Hoc quidem nimis compertum est; cum hic sit summa obedientiæ nostræ, quæ ut non sit salutis nostræ causa; saltem via est, argumentumque evidens & signum certissimum. Quod si planum fiet eos, qui ex perplexis illis & confragosis, de quibus dictum est, quæstionibus se non possunt expedire, posse tamen interea temporis amare Deum & Dominum Jesum Christum ex totis animi sui viribus; quid causæ erit quo minus eosdem salvari posse censeamus? Ajunt Dialectici, proximam & immediatam (quam vocant) causam non posse impediri, quin è vestigio effectum producat. Consideremus igitur primum amoris hujus causam proximam; deinde, utrum inesse possit in hominibus sic errantibus, videbimus.

Perfectus amor alicujus ingeneratur in animis amantium tribus potissimum de causis, simul concurrentibus. 1. Ex firma & constanti memoria præteritorum, & sensu præsentium beneficiorum. (est enim pars amoris, gratitudo quoque) 2. Ex certa spe & fiducia supremæ felicitatis assequendæ ex re amata, si ea potitus fueris. (languet enim amor sine desiderio) 3. Denique ex apprehensione, quantum fieri potest, perfecta, summæ pulchritudinis ac præstantiæ objecti: quæ vera est & principalis ipsius amoris effectrix. Jam vero quia nec perfectus amor Dei, nec perceptio perfecta ejus præstantiæ, potest nobis plenè in hac vita contingere: loquimur de utriusque perfectione non absoluta, sed in suo tantum genere summa, nempe quanta potest in hac mortalitate existere. Neque præterea, quid ad summum amorem requiri possit, intelligo. Quis enim non videt, non magis appetitum nostrum abstinere posse à perceptæ pulchritudinis amore, quam ignem ab admotæ stipulæ ustione? Quæ pulchritudo si perfectè videatur, perfectus etiam amor emerget: sin tantum in suo genere perfectè, amor quoque exurget in suo genere perfectus. Profecto si quis amorem summum ex causa ejusmodi necessario fluere negat, subvertit Naturæ principia; quę vel pueris dictat, quicquid bonum aut pulchrum videatur, non posse nisi placere: quod si nimis bonum aut pulchrũ videatur, nimis etiam placebit: & sic amor secundum modum apprehensæ pulchritudinis intendetur. Restat ut videamus, an ejusmodi perfecta perceptio Præstantiæ, Dei Christique ejus, duabus illis adjuvantibus causis comitata, non possit inesse iis, qui abdita ac retrusa essentiæ ejus mysteria non capiunt. Quam si nobis cæteris non errantibus, inesse non repugnat; aut illis quoque inesse poterit, aut ostendenda erit ratio prerogativæ, quam hic præ illis habeamus. Ac primum de Deo Patre agamus. Quod attinet ad meritorum ejus recordationem, illi quoque una nobiscum obstrictos se ipsi agnoscunt, infinitorum beneficiorum memoria sempiterna; quorum caput est, quod nos in liberum loco habere velit. Quantum ad certam ingentis boni expectationem; quæ immanior spes? quod improbius votum fingi potest? quam quod illi à supremo numine una nobiscum optant & expectant. Superest pulchritudinis & majestatis ejus contemplatio. Equidem nihil est in rebus mortalium tam exactum, quod umbram suam tantæ majestatis imagini commodare possit. Tamen quod ad Deum Patrem attinet, ferè nobis cum illis convenit. Nihil enim tam magnum & sublime de eo concipere possumus, quod non & illi concipiant. Neque vero si in recepta hypostaseon distinctione se curiosæ subtilitati pares esse negant; idcirco pro captu mortalitatis suæ, divini vultus speciem, profanis mentibus non videndam, concipere; atque adeo ineffabilis majestatis imaginem, intra pectoris sui sacrarium dedicare & venerari non possunt. Quasi vero difficile sit, omnia præclara de eo sentire, quem omnis boni atque pulchritudinis fontem & originem esse certo scias, & assiduè cogites: licet dogmata per tot nodos contorta atque implicata non capias. Satis jam de Deo Patre dictum videtur. Quid? si pares, adeoque easdem nobiscum habent causas amoris erga filium Dei, numquid impediet, quo minus hujus amoris ęque atque nosmetipsi sint capaces? Incipiamus à spe. Annon eandem illi quam & nos munificam Domini Jesu expectant dexteram, quæ olim singulis fidelibus cælestem mercedem porrigat? An non in hoc voto luxuriant? Quis non sentiat vulnus animi Christi amore saucii, qui modo illum sibi donantem militię suæ stipendium ponat ob oculos? At in beneficiis ejus æstimandis videntur ipsi facere injuriam, dum ajunt, iram Patris in nos absque ejus interventu placatam, nec ullum propriè dictum pretium pro peccatis nostris esse annumeratum. Omnes enim fere qui in S. Trinitatis articulo hodie à nobis dissentiunt, in ea esse sententia video. Non defendo opinionem hominum, video tamen illos talem proprie scilicet dictam redemptionem & absurdam & impossibilem judicare. Quid igitur decedet de gratitudine erga Dominum Jesum, deque sancta meritorum ejus memoria, si sentiant illum, ea quidem quæ fieri nullo modo poterant, nostri causa non fecisse: cætera vero omnia, quæ ab illo in nos proficisci poterant, cumulate præstitisse? Nihil enim aliud ad strictissimam beneficii obligationem requiritur, quam ut benefaciens alicujus causa faciat quicquid possit. At illi Dominum Jesum ob salutem nostram nulli labori, ne vitæ quidem pepercisse agnoscunt. Cujus sanguinem licet non ad Deum placandum, eoque non ita rigide ad satisfaciendum pro peccatis nostris, exactum putent; impensum tamen & profusum nostri causa statuunt, ut licet mortis ejus scopum & effectum alium specialem, quam nos, idem tamen in genere meritum agnoscere videantur. Quis vero non imbuatur affectu erga eum etiam tenerrimo, quem suę vitę causa acerbissimam mortem susceptisse sit persuasus? Quis non ejus eximia dilectione flagret, cujus beneficiis ne nunc quidem

dem putat ullum transcurrere tempus otiosum? Quo si accedat supremæ fœlicitatis è manibus ejus exspectatio, jam fieri non potest, quin animus liquescat in delicatissimæ flammæ sensu. Venio nunc ad præstantiam Domini Jesu, quæ cum imperfecta ab ipsis concipiatur, non videtur sui amorem perfectum excitare posse. Quantum enim de majestate ac nobilitate ejus detritur, cui aufertur omne id quod habuit ab omni æternitate? Non agitur nunc de eo utrum bene sentiant, qui Filio Dei certo demum tempore datam esse omnem potestatem in cælo & in terra, olim vero illum fuisse tantummodo λόγον ac summum prophetam existimant. Sed si verus amor præsentium est, non præteritorum (Nec enim hic affectus reflectit retro oculos, ut complectatur ea quæ olim erant) profecto magis ad rem pertinet considerare, quid illi de præsenti, quam quid de præterito ejus statu & conditione sentiant. Equidem ut pulchritudo prorsus extincta amorem sui non excitat, eo quod olim floruerit: ita eadem in præsentia ad invidiam usque fœlix, eo quod antea talis non fuerit, amorem & admirationem sui nihilo deteriorem reddit. Quid igitur illi in præsentia Servatori nostro attribuunt; Quid? nisi æqualem Deo Patri majestatem ac præstantiam supra omne quod cunque fingi potest fastigium assurgentem? illum nempe colunt atque adorant ut unicum Dei filium, ut Deum verum & cuncta nutibus suis dispensantem; qui jura Universi describit arbitrio suo; qui beatis cæli indigenis provincias atque imperia mandat, proscriptos cælo spiritus frœnis invictæ potestatis coercet: cui sydera & elementa parent non invita, qui denique ipsam rerum naturam vectigalem habet, ex qua censum Ecclesiæ & tributum populi sui colligit. Quid vero de tanti honoris corona per hoc decerpitur, quod fortunam tanti principatus Patri suo debet? quod ne nos quidem omni ex parte ausimus negare? An præstantiæ Servatoris opinio in judicio amoris nostri laborabit, cum oculos mentis nostræ allevabimus ad tam magnificam ejus majestatem, qui est syderibus & omni luce formosior, & mundo ipso ornatior? Quid jam immensam ejus bonitatem & sapientiam commemorem, ac reliquum divinum splendorum, ad quem animi nostri lumina caligant? quid cæteras laudes, ad quas paupertas oris humani obmutescit? Quæ certe sine ulla tergiversatione, ac libenter illi quamvis errantes Jesu Christo Servatori suo adscribunt. Hæc omnia aut ad excitandum summum erga Deum patrem, ac filium ejus amorem non sufficere: aut in istis de quibus disserimus, hominibus inesse non posse, omnino statuendum est; si illos sancto isto ardore tangi posse non putemus. Quorum cum neutrum probabile videatur, non est dubitandum, quin eos quoque amor iste cælestis vehementius curis suis imbuere, tandemque æterno exitio eripere possit, & beata cæli possessione donare, si quidem ad finem usque in eo perseveraverint.

CAPUT IV.

Quod quamvis fides & S. Sanctus sint dona Dei, ea tamen errantes habeant, & habere possint.

DUbitaverit tamen quispiam merito; si fides donum est Dei, & amor ejusmodi perfectus & integer ex Solo Spiritus S. impulsu proficisci debeat, quo jure id recipientis potestati tribuamus, quod in solo donantis situm est arbitrio. Nam si fidem nonnisi ex Numinis liberalitate habemus, & illa non cuilibet contingit; profecto in solo munificatoris beneplacito tanti muneris beneficium consistit. An vero liberrimo ejus arbitrio legem nos hominciones ponemus, ex cujus formula certo hominum generi hanc suam munificentiam necessario præstet? aut id nostris viribus arrogabimus, quod in manu ejus sacra collocant oracula? Credibile vero num est, illum tantorum donorum cumulum (loquor de fide & Spiritu sancto) in homines tot erroribus depravatos, & perversis de se opinionibus imbutos, prodigere velle? Fac illos tanti boni naturaliter esse capaces: tamen non illico sibi hanc Dei gratiam despondere debent: quam nemo unquam sanus mentis mortalium; multo minus tot errorum perversitati deberi putavit. Resp. Si mihi cum iis solis res esset, qui à Fidei donatione omnem liberæ receptionis nostræ operam excludunt, aut qui æternam salutem pauciori bus putant serio promissam, quam foris oblatam: equidem fusius ista hoc loco tractari conveniret. Nunc cum non pauci è Reformatis errores istos aversentur; diffundi hic longius & evagari, esset præter operis mei institutum. Pauca perstrinxisse sufficiat: nec illa quidem è potioribus verioris sententiæ argumentis, sed quæ in præsentia prima occurrunt. Primum igitur alterutrum nobis eligendum est, ut aut æternam salutem, quibuscunque prædicata & oblata est, iisdem cum fidei conditione esse vere promissam censeamus; aut Deum quibusdam hominibus id verbis & ore obtulisse, quod re & facto ipso non præstare decreverit. Posterius quicunque elegerint, obsecro ut huic rei novum nomen inveniant, aut id veteri vocabulo hypocrisin, hoc est, dolosam simulationem ac deceptionem esse fateantur, quod ipsi tam imprudenter summo Deo adscribunt. 1. Sed mihi cum talibus minus est negotii, qui Deum pravæ simulationis, quam se erroris argui & convinci malunt: itaque hoc primum responsionis meæ jacio fundamentum: Deum fidelem esse, & quibuscunque æternam felicitatem per Evangelii prædicationem obtulit, iisdem eam serio dare velle: nisi mortales ipsi officio suo defuerint. 2. At neminem ex his exclusit, ad quorum aures vox tam læti nuncii accedit. Sed vult congregare etiam eos, qui nolunt, si modo nolle desierint. Quod si Deus prædicando Evangelio æternam salutem promiscuè omnibus promisit, qui eam consequi volunt; promisit & omnia media ad hunc finem tendentia, quæ ex parte ejus necessario requiruntur. Ridiculus enim sit; qui mendico se è vestigio stipem daturum promittat, & interim manum ad crumenam protendere non curet, imo nolit, ut porrigat quod promisit; præsertim si mendicus stipem illam nulla alia ratione nisi porrectione ipsius accipere possit. Nec potest dici vere aliquid polliceri, qui sibi relinquit liberam illius rei largiendi potestatem; sine qua illud quod promisit, accipi & acquiri nullo modo potest. Absit vero à cogitationibus nostris tanta in Deum impietas, ut de fide dictorum ejus quicquam sinistri suspicemur. Quibuscunque promisit aliquid, vere & candide promisit, neque ullis strophis & tergiversationibus credulitatem cujusquam circumveniet. Nihil illum ad tanti b neficii indulgentiam impulit: nisi benigna in humanum genus voluntas. Favet igitur muneribus ipse suis, nec ullum iis impedimentum reliquit: adeo ut nihil jam ex parte ipsius ad assecutionem eorum desiderari possit, quod non libenter omnibus præstet. Quo fit ut donum istud fidei, & quicquid Deus confert ad officium credentium, licet, quemadmodum & ipsa salus, gratuitum sit & voluntarium, nec ullo modo promeritum; nemini tamen denegetur, qui auditis novi fœderis conditionibus, libenter iis accedit, nec ipse sibi in tanta Dei misericordia deest: quod & de omnibus donis spiritualibus intelligi velim, sine quibus promissum ejus acquiri non potest. Non enim negaverim esse quædam, ad quæ promiscuè largienda

nemini

nemini fidem suam obligavit : quæ cum extra præcisam salutis assequendæ rationem posita sint, non sunt hujus loci. Sed quæ ad naturam fœderis novi requiramus ex parte Dei, conditiones has Deus jam implevit, aut certo impleturus est : id unum restat, ut pars altera tam sanctæ pactionis meminisse, & fœderi huic confidere simul ac parere velit. Quod posterius cum in hoc genus hominum, de quo loquimur, cadere possit, ut patuit ex præcedentibus, quid est quod eis in hac Dei cum hominibus transactione comprehensis ad plenam omnium donorum & promissorum copiam & potestatem desit ? Nam errores quidem mentis, in rebus præsertim ipsam fœderis naturam non concernentibus, non possunt eos ab ipso fœderis fructu arcere : quippe (ut jam ante ostendimus) cum scientia rerum istarum sit extra ipsas fœderis conditiones, (hoc est, vivam fidem & obedientiam) posita : ideoque & abesse, & depravari, salvis istis conditionibus possit. Sed de his sequenti capite ulterius tractabimus.

CAPUT V.

Quod sola inobedientia & incredulitas excludant hominem à salute æterna. His autem errantes carere probatur. An nudi errores mentis hominum damnent ?

QUid præpotenti Deo in humanum genus liceat, nemo quærit : qui modo absolutum ejus imperium non ignoret. Quid facere velit ac soleat, & quomodo jussa sua, & universam orbis rempublicam præmiis ac pœnis temperet, ac moderetur, id vero imprimis consideratu dignum est. Equidem omnes in regno nati sumus, quod nobis tam mite ac placidum summi Numinis benignitas reddidit, ut præ illo omnis libertatis dulcedo sordeat. Ille vero magnæ parti mortalium pro Domino ac principe patrem se obtulit, de qua etiam sola in præsentia disseremus. Quicunque etenim vocem promissorum ejus audivimus, omnes ab humilitate sortis nostræ ad divinæ adoptationis conditionem vocamur. Tanta fœlicitate ut potiri beatum : sic excidere nimis est miserum & calamitosum. Multum igitur interest mortalium, prospicere quibus gradibus de tanto fastigio devolvi possint. Et qui tam alte jam ascenderunt, ut ipsis, sub Novi fœderis conditionibus spes æternæ salutis facta sit : non possunt de statu suo, nisi per incredulitatem & inobedientiam, deturbari. Nam cum à nobis in hoc postremo fœdere nihil aliud præter vivam fidem requiratur : de qua superius egimus, profecto non alia ratione sanctum istius pactionis sacramentum violare possumus, quam si hac ipsa fide destituamur, quod absque manifestæ inobedientiæ crimine fieri non potest. Injuncta enim illa nobis est, & imperata, nisi perire malimus. Et quid aliud est Fides, quam obedire Deo sub certa spe & fiducia promissorum ejus ? Quemadmodum Abraham per Fidem appellatus obedivit. (*a*) Itaque uno hoc inobedientiæ scopulo vitato, nihil est, quod salutis nostræ naufragium metuamus. Jam videndum superest, utrum nudi errores mentis sine inobedientia. Non esse vel inde constat, quod illi in intellectus hallucinatione, hæc in voluntatis pravitate consistat. Deinde cum Deus non actiones ipsas, sed mentem agentium spectet, quam Græci vocant συνείδησιν, quis non videt eos, qui cum parere ex animo velint, errore & imprudentia non pareant, violati obsequii jure argui non posse ? Non detrectat ministerium famulus, qui male perceptam Domini voluntatem juxta sensum suum implet : multo minus pro inobedientia, & quidem æterno supplicio puniri potest. Nec multum Deus effectum, sed decretum potius consilii humani respicit. Ac si eventum rei spectemus, ne Abrahamus quidem reipsa paruit Deo, jubenti immolare Isaacum, paruit tamen mente & animo. Voluit enim parere, & omnia fecit quæ potuit : cætera prohibitus est facere ab Angelo. (*b*) Fac præceptum esse, credere veram SS. Trinitatis explicationem. Non parent huic præcepto reipsa simpliciter errantes ; dissentiunt enim à vere sentientibus, parent tamen mente & animo, quia volunt credere, & credunt id omne quod putant verum ; licet ipsius veri genuinum sensum in omnibus non assequantur. Et ita quæ possunt faciunt : Cætera facere ab ignorantia prohibentur. (*Obj.*) At ignorantia ista crassa est, & affectata (*Solut.*) Affectatam non excuso, qualis erat in illis, qui viventibus adhuc Apostolis, aut successoribus eorum, ultro ac de industria errabant. Hæc quidem malitia fuit. At qui post tantas Ecclesiæ tenebras exorientem lucem ab adulterinis facibus nondum discernunt, malitia & culpa sua nemo peccare dixerit, quod etiam infra fusius tractabitur. Quid ? quod ne præceptum quidem id esse, ac ne pertinere quidem ad Fidei ac obedientiæ nostræ naturam, supra ostensum est ? An vero statim dicto non audientes erunt, qui mysterium, quod intelligere plene nusquam præceptum est, plenè non capiunt ? Ut rem in pauca conferam, an nudo mentis errore peccent ii, quos Socinianos vocant, posterius videbimus. Mihi quidem nunc evincere satis est, nudos mentis errores in Novo fœdere à Deo sempiternis suppliciis non puniri. Scitum est illud Bernhardi ; Nihil ardet in inferno, nisi propria voluntas. Hæc enim sola fœditatem peccati recipere potest : cui in tota rerum universitate locus non fuisset, nisi Deus voluntatem liberam & integram intelligentibus creaturis reliquisset. Nisi hanc Deus (inquam) omni servitutis conditione emancipasset, periret una cum peccandi licentia, virtutis specimen. Quamvis plerique malint Deum peccati authorem, quam gratuitæ hujus libertatis datorem beneficum agnoscere. Cujus tamen libertatis evidens indicium est, quod ea sola ad peccandi licentiam abutimur : ita ut merito intellectus quidem nostri offensio, commiseratione & venia ; voluntatis vero pravitas odio ac pœna dignior videatur. Non est itaque mirandum, quod Deus hanc potius quam illam, æterna præsertim pernicie, puniat : quippe in hac culpæ, in illa soli locus est imbecillitati. At imbecillitatem & ignorantiam nunquam pro contumacia punivit, extremo præsertim ac sempiterno supplicio. In lege quoque Mosis, cujus ita severus exactor erat, ut lignatoris pauperculi sanguine reverentiam unius cæremoniæ sanciret, tamen errato veniam, & ignorantiæ reliquit perfugium, idque in gravissimis criminibus quæ vitam & salutem hominis tangunt. Homicidæ imprudenti scelus suum Mosaici juris rigor condonat, eique postliminium post mortem Pontificis relinquit. Cur non errantium quoque culpam Christiani fœderis lenitas absolvat post mortem Pontificis nostri Christi, cujus dulce jugum est, & leve onus, quique nos peccatorum nostrorum sarcina deonerare ac relevare non gravatur ? Qui quam dignos venia errores censuerit, pene extrema sui Testamenti cera testatum reliquit, cum in ipso crudelissimo necis articulo pro errantibus oravit. (*c*) Orare certe pro illis qui ad mortem peccant, non licet : (*d*) nec id unquam Dominus in tanti sceleris sacrilega audacia fecisset, nisi cum infelicis ignorantiæ subiisset miseratio. Ignosce iis, inquit. Quamobrem vero ? quia nesciunt quid faciant. Quod si in tanti parricidii imprudentia restabat adhuc judicio Servatoris nostri aliquis venię locus ; an vero nos meras mentis nebulas, & innocentem ignorantiam sententiis nostris ad æterna supplicia damnabimus ? *Obj.* Nunquamne igitur ignorantiam

(*a*) *Hebr.* XI. 8.

(*b*) *Gen.* XXII. (*c*) *Luc.* XXIII. (*d*) 1. *Joh.* V. 16

norantiam & errores æterno exitio puniri dicemus? Quid vero fiet tot infidelium animarum millibus? Quid Barbaris illis Brasilianis, & id genus cæteris, quorum plerique Deum & Christum esse, ne suspicati sunt quidem. An hos ob contumaciam punitum iri dicemus, qui legem nesciunt ullam, à cujus potiùs deficere obsequio? An non in illis sempiternas dabit pœnas Dei Christique ignoratio? (*Resp.*) Primum illos nego ulla ratione puniri, quibus nunquam salutaris doctrinæ vox ad aures accidit: Sed eos ajo tantum in misera illa conditione relinqui, ad quam nascendi sorte adstricti fuerunt. Cum enim primi parentis pœna miserrimum mortis æternæ statum etiam ad posteros derivasset, licuit Deo pro sapientia ac beneplacito suo quos vellet ab hac miseria eximere: alios in eadem relinquere. Quis enim absolutæ ejus potestati legem ponat? aut clementiæ terminos præscribat? Quibus igitur legem suam revelavit, eos nisi pareant pro contumacibus punit, non novo aliquo supplicii genere (præsertim post mortem) sed tantum eos in suo misero statu una cum cæteris relinquendo. Alios, quos tanto beneficio non erat dignatus, relinquit sane in eodem statu, sed non idcirco punit. Æternæ enim mortis, quatenus pœna vocanda est, ratio, non in novi simplicii constitutione, sed in ademptione quadam gratiæ divinæ consistit, qua illos ex veteris pœnæ servitute liberare potuisset: quæ certe illis non adimitur, quibus nunquam oblata est. Cur igitur, dicet aliquis, ignorantes isti miseri æqua olim cum impiis & contumacibus conditione erunt? Quasi vero Deus in hos injustius sit, quia in illos est clemens. An facit injuriam Dominus vineæ fossoribus suis, cum inæqualia diversorum merita uno pretio compensat; (a) nihil quidem magis meritis detrahendo, sed tantum minus meritis aliquid adjiciendo? Quod si aliquid præmiis eorum, qui minus merentur, adjici potest, sine injuria eorum qui plus merentur: licebit & pœnis eorum aliquid detrahi, qui eas magis merentur, sine injuria eorum, qui minus. Fac aliquem Titio, captivo suo certa conditione libertatem promisisse: fac eundem Sejo nihil pollicitum. Titius ob contumaciam præmio excidit, nihil à Domino accipit, perinde atque Sejus, servus & miser manet. Anne est quod queratur Sejus, se innocentem eadem, quæ contumax Titius, perpessum? Titius potius Domini clementiam agnoscat, qui sola præmii ademptione contentus esse voluerit. Quemadmodum igitur Sejus innocens non punitur à Domino, licet in eadem, in qua Titius nocens, miseria relinquatur: ita nec olim ignorantes illi Brasiliani punientur per id non datum, quod ipsis nunquam fuerat promissum. Hi potius grave contumaciæ suæ expendant supplicium, qui suam salutem cernunt,

——— Intabescuntque relicta:
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci?

Satis ostensum videtur, tales de quibus agitur, ignorantes non puniri. Quid? si illos quoque puniri concedamus? Illicone ob ignorantiam suam punientur? Quasi vero ignorantia ista sit id quod puniri debet, ac non potius ipsa sit quædam punitio. Quis nescit, Deum sæpe improbitatem ac scelera erroribus ulciscì? Quis ejusmodi ignorantiam inter horrenda Dei supplicia non numeret? Hoc igitur insuper quærendum restabit, ob quas illos causas tanta cœcitate puniverit? At quis cognovit cogitationes Domini? Aut quis fuit ipsi consiliarius? (b) Non est, quod quisquam à me secretum expiscetur istud: nisi quod Deum tardum & invitum ad pœnas accedere certo scio, & mortalium quemlibet sui sibi exitii fabrum esse constat. Ex omnibus sceleratis, & sub peccato inclusis licuit supremo Deo aliorum misereri: alios punire. (c) Ita ut pœnæ hujus causa, non in ignorantia, sed in mortalium sceleribus, & singulari quodam sapientis Dei beneplacito, quærenda videatur. Progrediamur longius. Puniantur sane & ob ignorantiam Brasilienses illi Barbari. Quid hoc ad nostros errores? Ignorantia ipsorum & fidem omnem, & religionem ac pietatem tollit. Nos de nudis mentis erroribus loquimur, qui tantum abest, ut fidem aut religionem labefactent, ut etiam ab omni improbitatis contagione, sub pœna æterni exitii, remoti esse debeant. Denique fac nudam mentis ignorantiam luere Brasilienses (quod tamen non concedimus) idcircone dicemus, eandem ignorantiam in nostris errantibus à Deo tam gravi atque acerbo supplicio puniri? Immane quantum illorum pœna ab horum supplicio discrepat. Facilis jactura est rerum, quas sibi nunquam animus blanda spe promisit. Non est illis promissum æternæ vitæ præmium; nulla spes facta immortalitatis, nullus sempiterni gaudii gustus oblatus: non annixi sunt intrare per angustam portam, non abnegare seipsos: non portare crucem suam, non per hujus seculi afflictiones sequi Servatorem suum sunt conati. At eorum, qui nuda ingenii imbecillitate errant, plerique ad certissimam salutis spem & omnem vitæ piæ laborem, & crucis Christi tolerantiam nihil sibi reliqui fecerunt. Hosne ob solam inscitiam & intellectus hallucinationes ab æterni gaudii præcepta jam dudum & prælibata exspectatione deturbatum iri putabimus? Horum labores in vanum? spem & fidem in fumum abituram censebimus? Miserrima hæc quidem esset conditio, nec cum barbarorum illorum pœna conferenda! ut omnino ignorantiam tam acerbè puniri nemini probabile videatur, qui sibi ponat ob oculos, sub novo præcipue fœdere, infinitam Dei gratiam & misericordiam.

(a) *Matth.* xx. 15. (b) *Rom.* xi. 34.

(c) *Rom.* ix. 18.

CAPUT VI.

Quod ad salutem scitu necessaria sint pauca & simplicissima, omnibusque simplicissimis cognitu facilia. Non tale est dogma vulgatum de Trinitate.

NOn desunt inter tot Christianorum familias, qui certos quosdam & singulares homines, quos reprobos vocant, à cælesti hereditate nominatim exclusos existiment: in eo tamen omnium penè dissidentium sententiæ consenserunt, nulli hominum generi viam illam ad salutem præclusam & obstructam esse. Nec sane injuria. Etenim cum omnes pares sint in conspectu summi Numinis, nec sua quenquam dignitas cæterorum conditione eximat; nulla est illic personarum ratio, nullus eminentiæ respectus. Quippe cum singulorum mortalium mentes non per ista corporis involucra, aut exterioris fortunæ mundum atque ornatum contempletur, sed nudas, & ab omni fuco secretas; non erat, quod apud eum sua quemquam conditio distingueret, quæ plerumque extra ipsum hominem consistit. Quantum igitur ad consilium magni Dei attinet: pariter omnes æternæ felicitati destinantur, sive viri sint, sive fœminæ; sive juniores; sive jam annis graves: sive illos purpura, seu vilior lana vestiat, seu prædia sua numerare non possint, sive quod numerent, non habeant: denique ad imperium aut servitutem nati sint; liberales aut sellularias artes exerceant, omnes promiscuè, & in eodem gradu ad cælestem illam hereditatem vocantur. Horum omnium quotus-

quisque

quisque potest in illa arcana atque adyta sublimiorum dogmatum penetrare? Itaque sapientissimo Dei consilio capita ad salutem necessaria sic comparata sunt, ut ab omnibus nullo negotio comprehendi & percipi possint. Verum enimvero dogma istud, de quo præsens instituta est dissertatio, adeo est intricatum & difficile, adeoque omnem simpliciorum captum exsuperat, ut pauciſſimi illorum sibi salutem spondere possint, si cuiquam fraudi sit, male hæc intellexisse. Non enim de Sancta Trinitate quæstio est, quam omnes confitentur & adorant, etiam qui Samosatenianorum nomine male audiunt; sed de personarum ac essentiarum discrimine, de communicatione idiomatum, de mysteriis illis, quæ nemo unquam vidit, nec satis percepit, disputatur. Hæc adeo supra imbecillitatem nostram assurgunt, tantaque istic, ubi semel agitata sunt, spinarum ac veprium seges succrescit, ut raro tam felix ingenium natura producat, quod se ex isto senticeto bona fide expediat. Si quis ex hebetioribus (& quis ad res tam subtiles satis acutus videtur?) in vepribus istis hæreat, cur hoc ejus improbitati imputemus, quod imbecilli debetur ingenio? Difficultatem rerum ipsa arguit sublimitas, & objecti præstantia, nunquam ab humana mente comprehensi, nunquam capiendi. Itaque non multo post Apostolorum tempora magna de his altercatio totum orbem concussit, adeoque Patrum illorum ingenia exercuit, ut post tot sudores & concilia, nec inter se omnes, nec secum etiam singuli consentirent. Tanto facilius est majestatem Dei scrutari, quam comprehendere. Quæ curiositas, quam infeliciter orbi cesserit, credamus conqueren ti Hilario, qui felices Galliæ Episcopos prædicat, quod aliam nec excudissent, nec recepissent, nec omnino cognovissent confessionem, quam veterem illam & simplicissimam, quæ ab ætate Apostolorum apud omnes Ecclesias recepta fuerat. O si cum istis Gallis felices esse mallemus, quam nimis altum sapiendo turbare quietem Ecclesiæ, aut tantorum mysteriorum incapaces animas toto cælo proscribere! Quot homines vere pios & simplices reperias, qui suam sententiam quandoque veram tueri ac defendere non possunt? His si de veritate dubitare contingat, aut etiam per imprudentiam in talibus prolabi, illicone tanquam Dei Christique perduelles ab ingressu cæli simul & Ecclesiæ arcebuntur? Quid faciant miseri, sæpe inter magnam utrinque probabilitatis speciem suspensi? Cur vero eorum, quæ ad salutem omnino requiruntur, cognitio non sit æque rudibus, quam eruditis obvia ingeniis? An Deus doctis & ingeniosis faciliorem quam cæteris ad salutem viam stravit ac munivit? Nec multum refert, posse rudiores id ex institutione doctiorum apprehendere, quod ipsi forte suo Marte non possunt assequi. Nam cum inter ipsos eruditos tot sint controversiæ; aut judicabunt de iis suo Marte rudiores, quod eodem recidet (æque enim difficile est ac arduum, inter veras & falsas sententias, & inter earum utrinque argumenta, discrimen ac judicium) aut authoritatem aliorum temerè sequentur. Quod si electio veræ sententiæ excedit vires eorum, ut omnino cogantur alios nulla præmissa deliberatione sequi; quæ hic erit culpa illorum, si quidem aberraverint? Ergo aut innocentes ipsi alienæ culpæ pœnas dabunt, quod à justitia Dei alieniſſimum est: aut si nocentes peribunt, in hoc erit positum illorum delictum, quod sint hebetiores, quod ridiculum est. Ponamus enim, quod sæpenumero fit, esse homines aliquos simplices, innocentis vitæ, & qui secundum mortalitatis suæ vires piè & sanctè vivant: ponamus item, quod sæpe accidit, homines doctos & ingeniosos, sed peccatis atque sceleribus coopertos. In utriusque fortasse Deus invenire justam supplicii causam potest; sed non tantum ingeniis honorem habet, ut cum melioribus ob solam ruditatem severius agat, quam cum deterrimis mortalium, & ipsa donorum suorum ingratitudine vindictam ejus provocantibus. Ageret autem severius cum melioribus, si illis ob tarditatem ingenii certa & infallibilis via ad salutem esset omnino præclusa; incerta tantum & lubrica, & ex alieno ingenio pietateve pendens, esset relicta. Contra vero si sceleratis, dummodo ut ingenioſi, sit semper (si modo velint) facultas rectam & salutarem orbitam insistendi. (*Obj.*) At enim Deus nemini est obligatus, & cum in utrisque causam justæ severitatis inveniat, licet non parem, potest pro beneplacito suo in illis jus suum persequi, his autem licet majores offensas condonare. (*Resp.*) Quid possit Deus, non tam hic quæritur, quam quid velit & soleat facere. Proinde quantumlibet concederemus, illum hoc posse facere, nondum tamen constaret, illum hoc facere velle & solere. Multa enim Deo, salva eius justitia, in homines licent: quæ alioqui misericordia ejus solita non videtur permittere. Sed an non sic manifestè Deo personarum respectus adscriberetur, si in conspectu ejus meliore conditione essent docti, quam simplices? & tamen ille non sapientibus mundi hujus, sed simplicibus ac rudibus, mysteria sua revelare solet, quod & primitivæ Ecclesiæ facies testatur, quæ paucissimos eruditos habebat: id quod si non meliorem rudiorum præ doctis, in religionis negotio, conditionem, saltem parem evincit. Piget in re clara diutius morari. Non enim hæc cuiquam obscura esse possunt, nisi ei, qui vana sui fiducia & scientia inflatus, charitatem & omnem Christianæ tolerantiæ mansuetudinem penitus efflavit & expiravit. Itaque errantes sæpe à nobis improbitatis insimulantur, non quod ipsi gravissime errent, sed quod nos gravissime errare existiment. Quærat quos volet prætextus superbia nostra; suam plerumque causam agit: & magna pars errantium, non tam ignorantiam suam, quam dissensionem à nobis, damnatione atque anathemate luit.

CAPUT VII.

Quod non detur in hac vita perfecta cognitio Dei, mysteriorumque divinorum, sed in altera vita: sufficiatque ad salutem fides, spes, charitas.

SI in salutis nostræ negotio inter scopum ipsum felicitatis nostræ, eaque media, quæ tendunt ad illum, discrimen poneremus: pauciora essent, quæ pro scitu omnino necessariis haberemus: longeque facilior iniri posset ratio sarciendæ in Ecclesia concordiæ. Nunc dum cum fine ipso media confundimus, fit ut præposterо ordine, quod in intentione primum fuit, idem in executione quoque primum esse velimus: cum tamen media finem ita sua natura sequantur, ut illum tempore præcedant. Quid est, quo nobiliſſimarum mentium adspiret desiderium? Nempe æterni gaudii voluptas: quam absque exacta Dei cognitione ne concipere quidem mens humana potest. Sed ista ad invidiam usque felix contemplatio nos in cælis demum manet: nec eam in hac fragilitate capere potest terrenæ indolis angustia. Quemadmodum itaque ridiculus sit, qui supremæ beatitudinis fructum in hac vita speret; ita & nos magna ineptiendi libido occupavit, dum in hoc mortalitatis nostræ diversorio perfectam naturæ

Dei cognitionem ab omnibus cæli candidatis exigimus: quæ non gustus est aut exordium felicitatis nostræ, sed jam supremus cumulus atque complementum. Hanc si in terris (ut dictum est) mentis nostræ capacitas nequicquam integre comprehendere nititur; oportet, ut una cum Apostolo omnia in parte cognoscentes, & in parte prophetisantes, (a) venturam perfectionem expectemus. Sed quibus regionibus vagam & imperfectam istam cognitionem circumscribemus? Tutissimum est hos ipsi ponere limites, quos ipsa fœderis novi natura constituit. Nempe ut eam tantum Dei, Christique cognitionem omnibus principaliter ac necessario inculcemus: sine qua ea non constant, quæ ex vi fœderis novi à nobis requiruntur. Qualia sunt certa in Deo Christoque ejus collocata fiducias spesque promissorum ejus, & perfecta Charitas. Ista quidem omnia una cum hallucinationibus istis, circa subtilem naturæ Dei Christique indaginem facilè consistunt. Maxima porro in talibus dissensionibus plerumque difficultas exoriri solet, de statu Servatoris nostri, ante quam rebus hominum lapsis succurrisset. Sed profecto, si benè rationem putamus, quamvis hoc æternitatis ejus mysterium verum sit ac planè divinum, tamen ad nos propriè non pertinet, quibus ille se in humana tantum natura & conditione Mediatorem obtulit & revelavit. Ut omnino excusatione digni sint, qui illum ea tantum parte vident & adspiciunt, qua ipse se generi humano obtulit videndum. Quemadmodum enim præmiis fœderis non excidunt ii, qui naturam ejus, cum quo, & cujus interventu paciscuntur, non exacte cognitam & perspectam habent: dummodo eum utrumque ita habeant cognitum, quatenus fœderis ratio & communis utilitas postulat: ita nec ii cælo excludi posse videntur, quibus in Dei Christique mediatoris cognitione ad novi fœderis rationem & observationem nihil deest: licet ad sublimiorem utriusque contemplationem non assurgant. Præsertim cum plerique eorum, qui hodie in re tanta à communi Ecclesiæ sensu recedunt, nulla temeritate adducti, sic de Dei filio sentiant: sed pio metu potius, ne Deo Patri aliquid de suo honore detrahant. In quo si quid amore Patris contra filium imprudentes delinquunt (si quidem se improbitas errori non admiscuerit) admodum credibile videtur, Filium, vel ob ipsius Patris amorem, errorem ipsis hunc condonaturum. Dedit enim mansuetudinis suæ grande documentum, (b) cum pro ipsis interfectoribus suis imprudentibus oravit, quod supra etiam commemoravimus. Quid eum non Patris amore facturum putamus, qui amore hominum tantam hostibus suis injuriam condonavit? Quod si ille amore humani generis formam servi assumere, & extremas re ipsa pati contumelias non dubitavit, (c) feret profecto errores mortalium, si qui majestatem ac præstantiam ejus, præsertim præteritam, non satis digne concipiunt. An qui propter homines ad infimam se ultro sortem demisit, eos ob idipsum puniturus est, quod per imprudentiam inferius, quam par sit, de conditione ejus sentiant? præsertim cum huic imprudentiæ ipse sua demissione ansam & occasionem quodammodo dederit. Non est perfecto credibile, eum qui contumeliosum mortis genus ob scelera hominum ultro suscepit, simplicem opinionem aliquid antiquæ suæ præstantiæ derogantem, infirmitati humanæ non largiturum, si modo innoxius error sit, & ab omni malitiæ crimine semotus. Plura in hanc sententiam dici possent: sed neque omnia dicere animus est, & candidis judiciis jam dicta sufficient. Fuscas vero mentes ab insitis præjudiciis abduci posse, vovere magis quam sperare licet. Nunc ad specialiora descendamus.

(a) 1. Cor. XIII. 9. (b) Luc. XXIII. (c) Phil. II.

CAPUT VIII.

Generalis Apologia pro Socinianis, quod non ambitionis, avaritiæ, voluptatum aut superstitionis gratia ita sentiant, nec ulla malitia peccent, sed nudæ salutis suæ cura.

QUæ (malum) ista est contumacia & dedignatio parendi, quod nulla in re mortales promptius desciscimus à cælesti obsequio, quam quæ nobis accuratissimè injuncta atque præscripta est? An ille infaustus cæli exul, terras ad rebellionis societatem sollicitans, ea nos potissimum parte tentat, qua maximè læsæ Majestatis reos efficere possit? (d) An potius divina providentia id enixius imperavit, in quo nostram obedientiam magis habuit suspectam? Quicquid sit, mutuam charitatem & benevolentiam quanto magis nobis sacra injungunt oracula, tanto prorervius detrectamus. Quodque magis dolendum, duces in eo sequimur, quos minime hic anteire decebat, Religionum mystas atque magistros, qui inhumanæ pietatis Zelo decepti, odium dissentientium in parte officii ponunt. Magna pars eorum prius personas, quam vitia odisse cœpit: & quod iniquissimum est, publicæ causæ obtentu privatas plerique inimicitias exercent. Quid? quod ad inexpiabile, atque omni imbutum odio bellum sufficit nudum partium nomen: & ut alibi amorem, ita hic odium atque inimicitias perverso profecto ordine sequitur judicium. Etiam ipsi veritati fraudi est ab errantibus esse prolatam aut defensam; nec virtus suo prætio in iis censetur, quos veluti pestilenti sidere errorum afflavit suspicio ac præjudicium. Nulla probitas, vel leviſſimæ hæreseos rea, in Romana Ecclesia tuta est: neque minus Catholici hominis probitas vapulat apud Protestantes, qui & ipsi in plurimas factiones discerpti, cælum aut inferos sibi invicem superbis denunciationibus decernunt. Nusquam mortalitatis recordatio; nulla erato venia. Ut nihil in moribus offendas, tamen in sensu rerum divinarum, vel cespitare capitale est. Sed in nullos mortalium publicum orbis odium facilius consensit, quam in eos, quos Socinianorum aut Photinianorum nomine designare placuit. Infelix hominum genus, & inter tot injurias & contumelias pene gratis probum. Nec enim errores, quotquot habent, excuso. Illud miror, homines tam procul ab omni ambitione & avaritia semotos, & in omnibus vitæ partibus innocentes tam graviter errare posse. Plerisque ingeniis ad optima quæque natis atque factis altum sapere voluisse nocuit. Sed hoc vitium ex gloriæ cupidine promanans, si cæteræ libidines absint, ibi non est, ubi ambitio dignum suo tumore spatium non invenit. (1) Quis enim, cui mens sit sana, inter ignobilis vulgi partem contemptissimam, atque omnium inimicitiis exercitam celebritatem nomini suo despondeat? Quis in tenebris obscuritatis illustris famæ radios quærat? qui modo eam in luce & aprico invenire possit? Quales esse inter illos plerosque constat, quos & natalium splendor, & ingenium ac eruditio à spontanea vilitate non exemit. (2.) Nec avaritiam ipsis jure objicere possis; quorum magna pars excelso animo omnem ditescendi copiam sprevit: nec facile uspiam aut pauperiores homines invenias, aut quibus ex præscripto suæ sectæ, plura largiendi necessitas incumbat. (3.) Supereſt superstitio; cujus ingenium timidum, in eo quod ipsum meticulosa religione repudiat, semper libertatem alienam condemnat. Hæc profecto aut illinc exulat, aut id quod in natura sua odiosissimum habebat, ibi exuit: cum ita in omnibus dogmatis à cæteris dissen-

(d) *Insectatur odia atque discordiam Christianorum.*

dissentiant, ut nec ab æterna salute, nec à fraternitate ullum, nisi manifesti vitii patronum excludant. (4.) Quod ipsum, ita vivam, vel minimam superbiæ suspicionem eluit; quæ nunquam se ad tantam modestiam demittit, ut quam sibi arrogat veritatem; eam non aliis omnibus pene ex formula venendam atque observandam præscribat: prorsus ut invenire causam non possim, cur se infestis omnium odiis atque periculis exponant; si non hic sit ardor placendi Deo, ac veræ studium pietatis. Quo majore venia digni videntur, si quid iis in rerum sublimium investigatione humanitus accidit. (5.) Nam profecto quid nos tam implacabili præjudicio in eos accendat, non intelligo: quos non famæ dulcedo, aut opum stimuli, aut solutioris vitæ illecebræ, sed nuda salutis suæ cura in eas angustias conjecit. Favere potius miseris, & salutarem dexteram vel in vitis porrigere debebamus. Nunc etiam favorem nostrum ambientes aspernamur: & quos amice erudire oportebat, odisse atque abominari malumus. Quo jure? quove illorum merito? An quod ea, quæ vera existimant, tanto honoris ac securitatis suæ impendio defendunt? Vellemus igitur eos fidem & conscientiam suam alienæ lubidini gratificari? An quia vera existimant ea, quæ falsa sunt? Facimus grandem mortalitati injuriam, si errores ac lapsus mentis nostræ scelera putamus. (*Object.*) At enim de industria peccant; nec fortuito, sed voluntario casu labuntur. (*Resp.*) Quis vero id nobis indicavit? Aut quis nobis intima illorum consilia prodidit? Certe non charitas siniſtris suspicionibus inimica, sed acerbitas & scabitudo animi, siniſtra semper alienæ mentis interpres. Tametsi nullum haberent evidens innocentiæ documentum; tamen in re dubia, & soli mentium arbitro cognita, non erat nostrum tristius quicquam contra reos decernere. Quanto minus condemnari possunt, cum nihil appareat, quod eos ad tam miseram ac periculosam malitiam invitare atque impellere potuerit? Saltem Pisonis illud laudabile hic adhibuissemus, *Cui bono?* Nam si ab iis abest dignitatum atque opum scabies, si non voluptatum porrigine pruriunt, si terreni solatii nihil sperare possunt, si vitam ad præscriptum sacratissimæ legis conformant: ubi latebit tantæ improbitatis stimulus; quod dedita opera una cum æterna pernicie tot sibi accersant molestias?

CAPUT IX.

Responsio ad objectiones de rejecto Ecclesiæ consensu: pro solius Scripturæ authoritate.

(*Object.*) AT mysteriũ ante tot secula ab omni Christiano orbe magno plausu receptum, ipsa canitie venerandum, ac tot sanctorum Patrum & Conciliorum authoritate munitum, in dubium vocare ausi sunt: omnes improbitatis numeros implentes, quod quæ credi oportebat, discutere sacrilega curiositate tentarunt. (*Resp.*) Illud reprehendi intelligo, quod de re tam certa dubitare inceperint. Quid? Nefas igitur est ad rem non dubiæ veritatis advocare ingenium, ut post prælius examen tanto citius à te ipso impetres assensum? Enimvero veritatis contumelia est, si eam judicia mortalium expavescentem fingimus. Neque enim ipsi indecorum est, ream se ad rationis tribunal sistere; ut magnifice vincat, ipsumque judicem in subsellium suum trahat: quæ si huius fori exceptione utitur, multum jam ipsi de causa suæ fiducia decessit. Quamquam enim in divini oraculi fidem non licet, tamen in mentem genuinam inquirere possumus ac debemus: & calumniantur, qui eos Scripturæ verbis non credere ajunt, quod de sensu recepto dubitent. Quid si justas quoque dubitandi causas habuisse videantur? Sanctos enim Patres, & tot seculorum consensum, plus dignitatis & venerationis, quam præsidii afferre isti dogmati censuerunt. Quo jure, non disputo. Constat tamen, non primos illos extitisse, qui publicam Ecclesiæ authoritatem, & multarum synodorum ac ætatum conspirationem gravissimorum criminum suspicionibus onerarent. Quam cum in multis aliis magni momenti rebus falsi non accusatam tantum, sed & convictam viderint; quod tantum scelus commiserunt, quia huic ipsi fidem ac opinionem de rebus divinis suam concredere ausi non fuerunt? Ex sedecim enim seculis, duodecim posteriora plerisque multarum rerum fidem facere non possunt. Negari non potest, eos longius quam cæteros progressos, etiam quatuor primorum, præcipue vero tertii & quarti repudiare consensum. Nam cum in authoritate humana per tot infimæ vetustatis tempora, parum præsidii veritas invenerit, existimabant sententias suas, ad solius sacri Codicis normam exigendas. In quo profecto tam graviter errare non potuerunt, quin longe graviorem errandi causam habuerint. Quid enim ipsis poterat sancire semel suspecta Ecclesia fides? Unde scire poterant, non diutius quam decem aut duodecim seculis orbem Christianum sub errorum caligine gemuisse? aut aliquod privilegium prisca illa tempora præ sequentibus habuisse, in eo ut errare non potuerint? Homines illic fuisse videbant, eosque jam tum, proh dolor! vitiis & flagitiis magna ex parte contaminatos. Non poterant eos latere Nicenorum Patrum factiones, & ambitio evidens; non tot aliorum pravæ artes; non hominum, etiam alioqui sanctissimorum, pudendi errores. Et quamvis circa trecentesimum salutis annum statuendum esset, ecclesiam adhuc primigeniam veritatem retinuisse; tamen in tot dissensionibus, in tot adversis conciliis, saltem electionem verioris sententiæ suarum esse partium censebant: In qua eligenda non subsequentis Ecclesiæ judicium, jam ante in multis capitibus fidei jure damnatum, sed infallibilem Sacri codicis normam sequi debuerunt. Quomodo enim ipsis alienæ sententiæ fidem facere posset Ecclesia, quæ suam propriam probare nequibat. Præterea veniebat ipsis in mentem genius seculi, & Patrum illorum ingenia, de quibus magnus quidam vir (a) nostra ætate scripsit; Multos tum ita externa professione Christum induisse, ut animo Platonem non exuerent. Proinde nec abs re suspicati sunt, in permultis doctrinæ capitibus, simplicia verba in alienos ac Philosophicos sensus detorta: cum mysteria Philosophiæ suæ verbo divino ingeniosis commentis assuerent, ne frustra didicisse viderentur. Quorsum enim pertineret, ajunt illi, quod de recepta Sacrosanctæ Trinitatis explicatione Plato & Trismegistus clarius loquantur, quam Sacra Scriptura? aut quid erat in causa, ut Scripturæ tam sanctum mysterium timidius atque obscurius traderent, quam supradicti Philosophi? Hæc & talia ut eos erroris non absolvant, tamen excusant temeritatem. Nihil enim certius est, quam doctrinam Christi non tam debili fundamento niti, quale quidam in humana authoritate constituunt. An vero hæc arma olim Pontificiis ideo extorsimus, ut iis ipsi contra alios uteremur? Nos vero neque illorum arma sumere, neque nostra illis tradere convenit: sed cum ad solum sacro-sancti Codicis tribunal citamur, non debemus hac laude adversariis concedere; ut de æquitate & favore tanti judicis melius quam nos speraſſe videantur.

(a) *I. Lipsius.*

CAPUT X.

Responsio ad tres alias objectiones. Et collatio doctrinæ Calvini de fatali prædestinatione cum aliorum doctrina.

Obj. AT enim verbis manifestis sacrarum literarum impie obloquuntur, & perspicuam atque ingerentem se veritatem contumelioſe repudiant. *Resp.* Sed quicquid illi laboris ac moliminis in hoc negotio suscipiunt, id omne non adversus S. Trinitatem, quemadmodum injuria infamantur, nec adversus sacram Scripturam conantur, sed contra humanas utriusque explicationes. Hinc videre est omnibus eos sacris ea de re oraculis libenter assentiri & credere: interpretationes tantum & formulas aliquot post seculis natas, repudiare. Credunt se ex mandato (*a*) Christi baptizandos esse in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti; (*b*) credunt tribus illis in cælo Sacro-sanctis testibus, Patri, Verbo, & Spiritui sancto. Agnoscunt in principio fuisse λόγον, & hunc λόγον Deum agnoscunt: Cui tamen data sit omnis potestas in cælo & in terra, ut ipse de se dicit &c. Longum esset omnia recensere hujus generis S. Scripturæ testimonia, quibus absque ulla exceptione credunt. Arduas illas atque subtiles de essentia atq; hypostasi; de communicatione idiomatum, de cæteris id genus, opiniones, aut non intelligunt, aut simplici Dei verbo repugnare existimãt. Nescire, inquiunt, licuit quæ non nisi periculoſe creduntur. In his tam subtilibus ac spinosis explicationibus si forte aberrant more humani ingenii, continuone Dei atque Christi hostes audient? Nulla errori venia in tanta rerum difficultate; nulla imbecillitati excusatio reperietur? quam tamen peccatis vel gravissimis in summa eorum fugiendorum facultate ingenioſe quærimus? An edicta Principum per ignorantiam & errorem violantes, à crimine læsæ majestatis absolvuntur? in divinis vero oraculis si quis offendat, nullum nostra opinione habebit in cœlestis Patris misericordia infirmitatis suæ refugium? (*Obj.*) Atqui blasphemiæ illorum horrendæ sunt, in quibus impietas miserationi locum non reliquit; eæque in Dei Filium contumelioſæ, ac fundamentum fidei nostræ subruentes. (*Resp.*) Si qui inter eos linguæ fuerint aut stili intemperantioris, ii non apud nos tantum, sed & apud ipsos malè audiunt. Quid vero hic per fidei fundamentum intelligatur, non satis percipio. Suprà quidem abundè patuit, errores ejusmodi nec fidem nostram nec salutem necessario tollere. Non enim salutis fundamentum est, nosse essentiam ejus, qui nobis salutem promisit, modo ne quid impium & contumelioſum de ipsa sentiamus, perinde ac non tollit promissi certitudinem ignoratio naturæ promittentis, nisi quid nobis sub ejusmodi scientiæ conditione pollicitus sit. Ac in Patris quidem cognitione ferè nobiscum concordant. Filium quoque divino cultu adorant & venerantur, velut salutis suæ authorem & sequestrum, hæredem ac Dominum universi, & nostræ militiæ supremum imperatorem. (*Obj.*) At enim æternitatem ejus negant. (*Resp.*) Nempe unà cum (*c*) Paulo nihil scire admodum curant nisi Jesum Christum, eumque crucifixum, maluntque cum tanto Apostolo in hujus scientiæ simplicitate subsistere, quam aut cum Ario ad non entia, aut cum Athanasio ad Homouseon ascendere. Spiritum vero sanctum quantum honorent, argumento est, quod ipsum à summo Patre vix distinguunt. An in hos igitur blasphemi dicentur; si quid in reliqua illorum cognitione hallucinantur? Multæ quidem odioſæ sententiæ ex dogmatis eorum eliciuntur, quo miseris major fiat invidia, idque ab iis, qui dum alienis erroribus invigilant, suis indormiunt. Sed si ex humanis opinionibus omnes paleæ eventilandæ sunt, magnam partem reformatarum Ecclesiarum optarem ego prius in defensione suæ causæ elaborare, quam in oppugnatione alienæ: illos præsertim, qui arcanam & inevitabilem Fati legem jam inde à Chrysippi seculis in hæc usque tempora postliminio revocavere; qui etiam peccata, & perniciem humani generis, denique omnes & singulos voluntatis nostræ motus ac impulsus ex æternæ dispositionis decreto promanare statuunt: quibus falsa quoque ista hæc persuasio fatalis esse videtur. Ex qua opinione profecto, si ponamus præjudicia, prope plures ac magis pudendos errores eruemus, quam ex libris Socinianorum. Quid enim est in Deum contumelioſius, an eum tam in persona, quam in essentia unum constituere: an vero (ut nudam injustitiam mollioribus verbis vestiam) inducere punientem homines, quod ea non fecerint, quæ ejus ipsius opera ipsis factu impossibilia sunt? An absurdius est statuere aliam esse Patris, aliam Filii essentiam, quam Deum (horreo eloqui) aliud in lingua promptum, aliud, & quidem contrarium, in mente clausum gestare? Satis hic contumeliæ in summum Numen est, etiamsi non addatur, simulationem istam cum deceptione conjungi. An magis traducitur Spiritus sancti dignitas, cum dicitur esse tantum virtus ac potentia Dei, quam Dei bonitas, cum statuitur author peccati? Quod consequens fatali quoque ac inevitabili fluxu ex doctrina ista de Fato promanat. Qui enim peccaturos homines necessario decrevit, certe voluit ut peccarent: alioqui nihil non contra votum suum decrevisset. Et cujus decretum atque voluntatem immutabiliter sequitur eventus, ille profecto eventus illius causa dici debet: sive id per se, sive per alium effecerit. Denique an plus de Christi præstantia decedit, cum duæ naturæ in ipso negantur, ne duplex persona constituatur, quam de sapientia Dei, cum statuitur eum id voluisse humano generi persuadere, quod tamen non persuaserit, nimirum quod omnibus salutem dare velit, cum tamen eam paucis destinaverit? Profecto si rem penitus introspiciamus, Socinianorum de Sancta Trinitate doctrina non tam sua natura prava atque impia, quam imperfecta & mutila censenda est. Nihil enim falsi aut absurdi S. Triadi affingere, sed tantũ aliquid veri detrahere videtur; nempe divinam illam Christi naturam, & propriam Spiritus sancti personam, &c. At hoc de Fatali singulorum prædestinatione dogma, non defectu aliquo, sed manifesta pravitate laborat. Etenim non solum Deum indignissimis calumniis lædit, sed & fidei nostræ fundamentum molitur. Nam ut securitatem ac desperationem omittam, quibus veluti duobus arietibus quatit nostræ pietatis murum; ipsam promissorum Dei fidem mirifice elevat, cum Deum, proh dolor! pravè simulantem introducit.

(*a*) *Matth.* 28. (*b*) 1. *Joh.* v. *Joh.* 1. *Matt.* 28. (*c*) 1. *Cor.* 2.

CAPUT. XI.

Rationes & exempla pro tolerandis hæreticis: & quinam vere hæretici sint.

QUorsum igitur hæc dico? nempe ut ostendam causæ nihil esse, cur non eos tolerandos in Ecclesia censeamus, quorum dogmata aut ipsa per se, aut ob absurda consequentia, vix tolerabilia videntur; modo nihil Deo impium sua sponte ascribant, & amorem erga Dominum Jesum præceptorum ejus obedientia testentur. Quamvis enim utrique modo memoratarum sententiarum patroni inutiles imo damnandas opiniones, veluti fœnum & stipulam super fundamento nostro, quod est Jesus Christus, superstruxissent: tamen, ut principio etiam ostensum est, dogmata quidem ab illis per errorem introducta ignis ac pernicies, illos vero ipsos (nisi quid aliud impediat) teste (*d*) Apostolo, venia ac salus manet. Neque vero quos Deus in æternæ beatitudinis consortium recepturus est, eorum communionem repudiare aut aspernari possumus: nec licet eos in terris odisse, quibus in cælo æternus amor debebitur. Indigni sumus nomine filiorum Dei, si eorum fratres esse dedignamur, quorum Deus Pater esse cupit. Quod si ab ejusmodi errorum contagione vel nobis, vel potius infirmioribus

(*d*) 1. *Cor.* 111.

infirmioribus è nostris timemus, primum non idcirco fraternæ charitati, quam illis etsi errantibus debemus, renunciare licet. Non enim, ne dubium malum eveniat, certum ac liquidum officium nostrum deserere debemus, nec vel sanctissimos fines per illicita media consectari. Deinde vanus equidem iste metus est. Nam si veritatem non habemus, parum est ab iis periculi: multo minus si habemus. Cum enim nullis armis nec ulla potentia sententias suas propugnent, atque ne fas quidem putent, nec ullis carnalibus illecebris commendent; profecto nunquam ab iis veritas aut vi opprimi, aut fraude subverti poterit; cujus ea natura est, ut velut aquilinæ pennæ cæteras omnes levissimas opinionum plumas devoret, nec unquam se à nobis subducat, nisi cum eam, aut servitutis nostræ, aut flagitiorum tædet. Quorum utrumque cum nobis in modesta dissentiendi libertate, & veræ charitatis studio metuendum non sit, quid est, quod tantopere nostris sententiis ab illorum opinionibus caveamus? certa nos potius spes teneat, fore ut quemadmodum testacea vasa cum stanneis vel argenteis juncta confringuntur: ita quoque si beatam illam tolerantiam ipse pacis author Deus in Ecclesiam reduxerit, falsæ opiniones cum veris cominus ac de proximo congressæ & collisæ conterantur ac dispereant. Aliàs si tantopere mutuam istam patientiam, & amicam collationem reformidamus, non satis bene de causæ nostræ bonitate sentimus. (a) Olim in redeunte lucis Evangelicæ crepusculo, Lutherus cum sequacibus optasset, se in Romanæ Ecclesiæ communione tolerari. Sed Pontificis intererat tenebris suis ab illucescente aurora providere. Iterum in exorto inter Lutheranos & Reformatos dissidio, quis oblatam concordiæ formulam aspernatus est, nisi qui de causa dubitavit? Nunc etiam in ipsa reformata Ecclesia in dissensione de Fato, nullis magis tolerantia displicet, quam quibus suæ doctrinæ fides suspecta est. Utinam esset error tam circumspectus in infantiæ suæ incunabulis quam est providus, postquam adolevit. Sed ille cæcus cum nascatur, acutum postea videt, & fatum suum à longe prospicit & vitat: nunquam ad prorogandam sibi vitam ingeniosior; quam cum infirmitatis suæ conscientiam circumivit. (*Objct. De Hæretico.*) Itane vero, inquies, Hæreticum, quem Apostolus post paucas admonitiones vitare jussit, (b) etiam pro fratre agnoscemus? Cur Spiritu sancto clementiores esse volumus? Ne nobis ista misericordia in miseriam vertet, postquam Dominus tot seductorum innocentium animas è manibus nostris requirere cœperit. An vero qui tanta in re à sana Ecclesiæ doctrina recedit, eum non putabimus hæreticum? An doctrinam nostram non putamus sanam? Quoties vero admoniti tam scriptis quam disputationibus nihilominus ad errores suos tanquam ad saxa adhærescunt? &c. (*Resp.* 1.) Nemo sibi tantum placeat, ut cum Apostolica mansuetudine certare velit. Deploratæ profectò sanitatis membrum est, quod Apostolus à reliquo Ecclesiæ corpore amputari imperat. Verum enimvero multis his error aliis medentibus oboriri, multa caligo offundi potest. Neque enim semper sana pars à morbida discerni potest, alteraque alterius specie atque imagine sæpe imponit: & ut maximè pateat, quænam sit vero morbo implicita; tamen hæc ipsa secanda sit, an lenientibus curanda remediis, restat quandoque deliberandum: Quippe ea tantum abscindi expedit, in quibus pestifera lues molliori medicinæ locum non reliquit. (*Resp.* 2.) Nec alia mens est Apostoli, cum plures admonitiones præmitti jubet excommunicationi. Ac ne dubium esset, quem Hæretici nomine designaret, subnexit argumenta ejus, quæ ipsius quidem Hæretici effecta, ut vocant, nobis vero, ut eum evitemus, causæ sunt impellentes. Inquit enim ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. Et ne quis putet has esse quidem causas impellentes, sed non facti nostri, nec nostræ vitationis sed tantum Apostoli decreti, ut ille quidem ob has causas omnem hæreticum à communione Ecclesiæ excluserit, nos tamen non sit necesse ad illas respicere; præmittit participium εἰδὼς, *sciens*, ut innuat, nos quoque scire debere causas, cur alicui civium in cœlesti illa republica aqua & igni interdicamus, nec temere ad ejusmodi proscriptiones properemus; sed postquam nobis demum de tanta illorum malitia certo constiterit. (*Resp.* 3.) Et profectò licet non addidisset Apostolus, ipsa id nobis charitas, & religionis nostræ analogia dictabat. Magnum hoc enim est supplicium, nec nisi evidenter peccantibus irrogandum. Et quia in re tanta error parvus esse non potest, illud nobis primum certo constare debet hominem damnandum tam rigida sententia dignum esse, talem nimirum, qualis hic suis coloribus depingitur. Quod cum ad homines meræ ignorantiæ, aut temporum injuria à publica orbita exerrantes non pertineat, quid faciemus hac exceptione utentibus? An vero qui in his calamitosis temporibus, in hac Ecclesiæ vastitate sero post Antichristum nati nondum longæ noctis plenè discussa caligine in devios tramites declinant, perversitate animi peccare censebuntur? Ubi vero nunc regia illa via, quæ secure atque inoffenso cursu ad salutem pii grassentur? Si in Ecclesiæ authoritate sita est; illa vero Antichristi insidiis jam à multis seculis obsidetur. Miramur eos suspectam semel Ecclesiæ fidem formidare, cum id nostro exemplo faciant, & in tanto periculo tuta omnia timere prudentiæ pars sit. Et audemus ipsis adhuc temeritatem in secessione à communi doctrina objectare, cum eam justo adacti metu facere videantur. Sin hæc via in Sacrarum literarum authoritate consistit, ab illa quidem non exerrant, cum sanctos illos Codices una nobiscum debita reverentia honorent. Sed enim potius rectus & sanus Sacrarum literarum sensus est solus trames, qui nos in ipsa veritatis arce sistere potest. Olim is quidem publico Christianorum gressu terebatur. Nunc vero primum succrescentibus Antichristi vepribus absconditus; ideoque paucis tritus nec dum omni exacto senticeto detectus, ac tot præterea falsis occurrentibus semitis in dubium vocatus, Regiæ viæ nomen & naturam pridem amissam nondum recuperavit: Quo major venia ab illo deviantibus debetur. Nec enim deplorata animi malitia aberrant, qui illum in tot virarum divortiis non semper insistunt. Recenseat mihi quispiam universas Christiani nominis sectas, & virum putabo, si nullam præterierit: in tanto sententiarum concursu si veriorem non elegerunt, quis improbitate id potius factum dicat, quam ignorantia? Quo enim argumento, post tot invectos errores, ipsis debebat evidenter patere veritas? An unanimi Ecclesiæ consensu? O consensum unanimem in sexcentis discordibus sectis! (*Obj.*) Atqui in doctrina ipsis contraria pleræque consenserunt. (*Resp.*) At in pluribus quoque erratis consenserunt. Ergo rursus quærendum erit huic dogmati privilegium, quo factum sit, ut in aliis errantes, in eo labi non potuerint. Quod si existimamus eos ad sacræ Scripturæ normam omnes sententias exigere, ac postea veriorem eligere debuisse utrumque illi fecerunt: nisi quod in posteriori non veriorem, sed quam ipsi talem putarunt, secuti sunt. Qui certe error est, non malitia, nec in eo possunt dici peccare αὐτοκατάκριτοι pro quo vitam & fortunas suas profundere parati sunt. Nec enim seipsum condemnat, saltem in conscientia sua, is qui in atrocibus suppliciis vitam æternam, veluti defensæ veritatis præmium à Deo sperat. Itaque cum non tantum nobis non constet, illos esse perversos, & αὐτοκατακρίτους sed etiam certo constet, non esse tales, vel ex morte, quam errorum suorum causa libenter suscipiunt; & errores ejusmodi (ut supra probatum est) non subvertere æternam salutem: non videntur illi à communione Ecclesiæ segregandi, si quidem amorem suum erga Dominum Jesum obedientia præceptorum ejus testari velint.

(a) *Exempla pro tolerantia.* (b) *Tit.* III.

CAPUT

CAPUT. XII.

Quinam hæretici excommunicandi, qui non: Et amplior Apologia pro hæreticis nostro sæculo habitis.

Obj. QUotusquisque igitur, dicent nonnulli, hæreticorum excommunicabitur? quis non inveniet pravitati suæ prætextus plausibiles? Nullum est tam absurdum ac pestilens dogma, quod isto erroris tegmine palliatum non pollit irrepere in Ecclesiam. (*Resp.*) Non est quod solliciti simus, ne nobis hoc tam rigido excommunicationis jure utendi nulla se offerat occasio. Utinam etiamnum nullos haberet Ecclesia divinæ Majestatis voluntarios perduelles. Sed nec Apostolorum temporibus deerant homines, aut fidem nostram in Deum, aut spem immortalitatis, aut præceptam nobis pietatem & charitatem subvertentes, atque non per deductiones ac consequentias sed γύμνῃ, ut ajunt, κεφαλῇ blasphemi ac impii. Quorum conatus & impietas non est tam obscura, ut non pateat illos suæ sibi pravitatis & fraudis conscios esse. Ut si quis resurrectionem neget, (*a*) quis non videt hominem hujusmodi post visam S. Scripturæ certam & non ambiguam sententiam in seipso convictum iri; licet fieri potlit ut id dissimulet? par ratio est in manifesti alicujus vitii patrono. Quæ cum omnia sint manifesta (veluti opera carnis) & omnia manifestè prohibita, (*b*) non habet talis ullum in ambiguitate aut obscuritate S. Scripturæ refugium; nisi ei fidem abroget, & sic omnem religionem subvertat. (*c*) Quicunque igitur doctrinas, natura sua salutem nostram ac fidem subruentes, invehunt in Ecclesiam, jure una cum illis facessere jubentur: non tantum ne noceant reliquis, sed quia & ipsi, ut ostensum est, deploratæ sunt malitiæ & perversitatis, adeoque αὐτοκατάκριτοι. Non enim illico medicus partem pestilenti tabe correptam urit aut secat, quia nocere reliquo corpori contagione potest: sed illam ipsam prius vellet à suscepta tabe purgatam: quod si non succedat, amputat demum tanquam insanabilem. Sed quæ dogmata intra necessitatis ad salutem nostræ cancellos non subsistunt, in iis error, in hac præsertim rerum perturbatione, voluntariæ pravitatis argui nequit; nec vel authorem suum damnare, vel ab Ecclesiæ gremio excludere potest. (*Obj.*) Occurret quispiam: Nullius igitur, vel maximi erroris, qui modo salutem nostram non evertat, defensorem pertinacem hâc spirituali censura notabimus? Atqui multa sunt, quæ licet natura sua salutem nobis nostram non adimant: ita tamen sensim subruunt ac labefactant, ut illa postea sua sponte corruat. Placetne istiusmodi morbos alere in Ecclesia? (*Resp.*) His quidem ego citra vulnera & cauteria occurri cuperem: præsertim cum veritas nisi vi oppressa, aut spreta ab hominibus vitiorum libidine cæcis, non soleat unquam à pernitiosis istis erroribus supplantari: imo vero hæc temporis filia atque alumna ipsa ætate robustior semper, omnia cerea falsitatis argumenta lucis suæ radiis dissolvit, ac liquefacit; nisi alterum eorum, quæ supra memoravi, impediat: quorum utrumque sane à vera Christi Ecclesia exulare par est. Nam cum vi, aut cupiditatum nostrarum lenocinio tam veritas quam mendacium (si tamen veritas potest) promoveri possint; libera vero collatione in mutua charitate sola veritas; & falsum aliquando veri vultum mentiatur, tutius est hanc solam in Ecclesia viam insistere, quæ excluso errore soli veritati patet, quam dum veritatem omni ratione mortalibus insinuare volumus, aditum falsitati relinquere ac munire. Sufficit igitur ad leviores istas hallucinationes (nam de levissimis non loquimur) cura & vigilantia pastorum; quos charitas errantibus debita in convellendis pro virili parte falsis opinionibus non retardabit. Sed profecto, ut hoc vel maximè largiamur, in primis nascentis Ecclesiæ incunabulis, & in sequentibus incrementis hæc prima fronte leviora, multum tamen in recessu abdentia non esse tolerata, non tamen ideo evincetur, etiamnum in hoc Ecclesiæ senio tolerari non debere. Fallunt enim & falluntur, qui ad florentis istius ætatis exemplum nostra tempora exigunt. (*d*) Non iisdem remediis nunc afflicta Ecclesiæ valetudo restitui potest, quibus olim poterat ægritudo submoveri? Multa morbum in incunabulis opprimunt, quæ dant adulto incrementum. Cum sana esset ac robusta Ecclesia, in primo illo ætatis flore, & Apostolorum Choro superstite, etiam violentis uti remediis ob vigorem suum par erat. Nunc morbis ac senio confecta & debilis, superanti jam ægritudini pene succumbit: nec magis unquam periclitatur, quam cum in crudeles medicos incidit. Olim sectionem venarum & sanguinis diminutionem pristinus vigor admisit: Nunc si quid post exhaustas tot malis vires, supereſt vitalis succi; non potest nisi cum vita ipsa & spiritu effundi. Mihi credite vos, qui mera scalpra & cauteria loquimini, intempestiva curatione occidetis Ecclesiam, si, quod ipsi cruoris est reliquum, in hoc ipso temporis articulo effunditis, cum pene animam agere videtur. Quæcunque ad salutem & conservationem Ecclesiæ inventa sunt remedia, quale hoc est de pœnis hæreticorum, tunc omitti prudentia imperat, cum damni plus & periculi, quam utilitatis afferunt. Cur enim populum Dei amplius veluti friabilem massam in infinitas micas conteri cupimus? Quis erit schismatum modus, si promiscua dissentio ad secessionem sufficit? Cur nobis voluptati est scindi & lacerari non tunicam tantum, ut Magnus quidam vir (*e*) scripsit, sed ipsum corpus Christi, cujus ille est caput? Sed valeat utilitatis respectus: videamus num liceat nobis hac tempestate errantes istos abigere à communione cœtus Christi. Multum enim inter hos interest, & illos Apostolorum coævos hæreticos. (*f*) Fac enim eos qui hodie in rebus Fidei hallucinantur, sisti coram illo venerando Apostolorum & aliorum æqualium consessu: fac eos sæpe convinci & admoneri; nihilominus tamen persistere obstinatos, etiam in levissimo errore, quis non malitiam eorum detestaretur? Jam profecto leviculus error in sceleris nefarii naturam migraret. Quamobrem vero? Quia Sancto Spiritui per Apostolos loquenti resistere ausi sunt: & cum nullas haberent causas dubitandi de illius sanctissimi Concilii doctrina & fide, nisi simul de tota Christiana religione dubitarent, tamen ipsi non crediderunt, nec obtemperarunt, & nihilominus voluerunt videri Christiani. Quæ verò amentia, quod scelus erat, quæ perversitas, cum hac ipsa infidelitate satis testarentur, se Christianos non esse, quippe qui Apostolis, & eorum similibus fidem abrogarent, tamen sub prætextu Christianismi, fraude ac mendaciis in Ecclesia grassari? Quid? quod malitia hominum ejusmodi, in illis initiis tanto manifestior erat, quanto magis apparet nævus in puro corpore, quam in diversis conspersо maculis. Facile igitur erat videre, ac punire improbitatem hominum, à via communi, nec unquam in dubium adducta, tunc exorbitantium. Nunc quamquam de nostræ fidei certitudine sumus vehementer persuasi, quis tamen nobis eo nomine cavit, aut satis dedit, quod errare non possimus? Quodnam hodie imaginari

(a) 1. Cor. XV. (b) Gal. V. (c) *Quinam excommunicandi.*

(d) *Non est utile hoc tempore excommunicationis remedium.* (e) *M. Antonius de Dominis.* (f) *Nec licet hoc remedio uti.*

nari possumus tam incorruptum concilium, quam illud Apostolorum, aut primitivæ Ecclesiæ? Et tamen quot proscriptiones hoc seculo videas? quot decreta? quibus homines sibi invicem ob res levissimas cælo & Ecclesia interdicunt. Hæc non idcirco dico, quod de sanitate orthodoxæ sententiæ dubitandum esse censeam: sed ut pateat primum, nos longe timidius hac in parte, quam olim Apostolos, contra reos decernere debere: deinde in rebus levioribus non nimis scientiæ ac persuasioni nostræ confidere: denique in gravioribus etiam, modo fidem in Dominum Jesum & præceptorum ejus obedientiam non subvertant, posse nos & teneri errantium imbecillitatem tolerare. Quid enim refert, quod ego me in his salutarem doctrinam tenere certo sciam, si tamen hoc non omnibus Christianis manifestum est? aut si hoc non semper possim erranti nimis evidenter demonstrare? An non longe justiorem habent omnes hodie causam dubitandi de vera sententia, quam olim tempore Apostolorum? Potest igitur quispiam facillimè in ejusmodi rebus imprudentia labi: quod quidem absque extremæ impietatis interventu olim fieri non poterat. Neque malitia opus est ad perseverationem in errore, ubi sufficit præjudicium, & contra veræ sententiæ patronos firmiter animo impressa erroris suspicio: Quæ sanè facile etiam probum animum occupare potest, præsertim cum singulæ Christiani nominis familiæ cives ac domesticos suos odio & aversatione cæterorum à teneris imbuant, iisque jam inde à primis annis placitorum suorum inserant semina: quæ ubi radices egerunt, difficillime ex adultis evelli possunt. Quæ vero crudelitas est, homines probitatis & veritatis studiosos, ob errores sibi nulla sua culpa insitos & impressos (qui tamen ipsam salutem non evertant) arcere à sinu & gremio Ecclesiæ, præsertim concordiam ambientes? Nempe Hæretici sunt, idcirco vitandi tanquam αὐτοκατακρίτοι. Imo αὐτοκατακρίτοι ob supra dictas causas non sunt. Nec vitandi nunc igitur, neque hæretici. Aut si nos horum non miseret, saltem ipsius quam defendimus veritatis misereat, cujus incrementis invidemus, primum quod ab illa proprius cognoscenda alios submovemus; deinde quod illam, modo sit falsis suspicionibus gravata, ab aliis Christiani nominis cœtibus jure excludi posse ac debere, nostro exemplo docemus.

LECTORI S.

NE sequentes pagellæ, Christiane Lector, vacuæ oculos tuos eluderent, paucis hic iterum te affari libuit. Percepisti itaque hactenus mentem & scopum nostrum, quem & autor Dissertationis hujus in conscribenda ea, & ego quoque in eadem usibus tuis evulganda præfixum habuimus. Si vel mica candoris animo tuo inest, & si ex veritatis præscripto sententiam ferre volueris, scriptum hoc non hæreticum, sed irenicum judicabis atque apellabis. At inquies: quæ pax, quæ concordia homini Christiano cum hæreticis esse vel potest vel debet? Hæreticis, mi Lector, non patrocinamur. Priusquam vero Christianę dilectionis ambitu excludas alios, fulmenque anathematis in eos vibres, probè oportet dispicias atque intelligas, cuinam hæreseos crimen merito sit intentandum. In censura de hæreticis ferenda non tam proclivis erat error aureo isto seculo, quo Ecclesia Christiana ab Apostolis fundabatur, & ab illis ipsis quoque regebatur, quam nostro hoc. Quamvis enim in istis quoque Christianæ Ecclesiæ primordiis varii errores, imo etiam hæreses pullulaverint, nondum tamen ex ista dissidentium opinionum confusione peculiares Ecclesiæ diversis Confessionum, atque Ceremoniarum formulis distinctæ tum temporis emerserant; sed una tantum tunc erat Ecclesia Christiana, eaque vere Apostolica, ac in omnibus doctrinæ, quam profitebatur, capitibus recte sentiens. Huic igitur Ecclesiæ, ejusque doctrinæ contradicere, verè blasphemum, verè erat hæreticum: & quoscunque vel Apostoli ipsi, vel alii etiam Ecclesiæ primitivæ illius Doctores Apostolici hæreticos declararunt, ii ab omnibus Christianis tales etiam merito censeri poterant; nullumque in ista censura erroris erat periculum, ne apud rudiores quidem Christianos, quippe ipsius Spiritus sancti, quo divinos illos Ecclesiæ Antistites gubernari evidentissimis argumentis intelligebant, judicium hac in parte sequentes. Hodie vero cum tot sint, proh dolor! atque tam variæ Christianorum Ecclesiæ, quænam omnium sacro-sanctum illud tribunal, ex quo in reliquas, ceu hæreticas, sententiam dicat, conscendere pari cum Apostolis confidentia sustinebit? Uni tantum authoritatem istiusmodi competere posse extra omnem est controversiam. Vera enim Ecclesia non nisi una fuerit: reliquas vero omnes hæreticas judicare atque damnare vera tantum potest. Cum vero ex omnibus illis Ecclesiis, quæ Christianæ hodie audire volunt (Romanæ Ecclesiæ vanam arrogantiam hic merito excipio) nulla Apostolicæ illius veritatis infallibilem certitudinem in omnibus Confessionis suæ capitibus indubitato sibi arrogare ausit, satis hinc etiam liquere potest, nulli earum hæreticæ pravitatis censuram tam evidenter competere, ut judicio ipsius merito quoque sit acquiescendum. Non ignoro quid plerique Theologorum nostrorum hic soleant regerere: Primitivam illam, inquiunt, Ecclesiam Apostolicam defeciſſe haud imus inficias: veruntamen cùm Ecclesiæ illius doctrinam Euangelistarum atque Apostolorum monimentis consignatam habeamus, non possumus non hæreticos pronunciare eos, qui doctrinæ ibidem expressæ contradicunt. Ego quoq[ue], O Amici, facile patior, ut in nostra hac disceptatione locum Apostolorum divina eorundem scripta tueantur, ita ut qui iis contradixerit, non minus hæreticorum in censum referatur, quam qui vivæ Apostolorum prædicationi olim contumaciter sese opposuerunt. Sed ne sic quidem censoria illa in hæreticos virgula vobis debebitur;

bitur : Tantum enim abeſt, ut ii, quos hæreticorum familiæ voſmet jam adſcribitis, SS. Scripturæ contradicant, ut etiam ex eadem contra vos militent, & ad illius judicium in cauſæ ſuæ examine non ſine certa ſpe victoriæ provocent ; quippe quam pari vobiſcum animi veneratione per omnia amplectuntur : neque ex omnibus Chriſtianorum Eccleſiis, quæ hodie extant, ullam (quod quidem ego ſciam) dabitis, quæ non ſanctè & ex animo, omnibus his, quæ in Sacris literis proponuntur & docentur, aſſenſum indubium præbeat. Nihil itaque cauſæ ſubeſt, cur aliquam earum hæreſeos damnetis : cum omnes in debita Sacro Codici fide habenda vobiſcum conſpirent. Quemcumque igitur carnalis veſtri Zeli in hæreticos, vobis dictos, prætextum quæratis, non tamen alia illius æquis animis cauſſa apparere poteſt, quam eorum à veſtra ſacrarum literarum, quoad controverſa dogmata, interpretatione diſſenſio. Liberaliter hic jam vobis largiar, veram voſmet Sacræ Scripturæ mentem ubique aſſecutos eſſe ac defendere. Atqui præterea requiritur, ut hoc ipſum quoque iis, quibus hæreſeos crimen aſpergitis, planum faciatis. Quæ vero hic rationum veſtrarum pondera ? Ad Scripturam ſacram iterum provocatis, ex hac damnatis hæreticos. Sed hoc telum illi è manibus vobis jam excuſſerunt, oſtendentes Scripturam Sacram non niſi ex veſtro ſenſu atque interpretatione pro vobis facere, ſeque proinde non ex Scriptura Sacra, ſed ex veſtra Scripturæ ſacræ interpretatione à vobis damnari. Atque hic eſt probationis veſtræ circulus, quem illi merito rejiciunt. Promite ergo contra hæreticos tela illa verè Apoſtolica, non Thraſonicam Academicæ cathedræ garrulitatem, ſed potentiam illam Spiritus Sancti qua prædixit Apoſtoli blaſphemantes Satanæ tradere 1. *Tim* 1. 20. & hypocritas verbo occidere *Act.* v. potuerunt. Hujus Spiritus potenti efficacia ſi caretis, agnoſcite temeritatem veſtram atque iniquitatem in damnandis iis, quibus veſtram Sacrarum literarum interpretationem evidentibus idoneiſque argumentis demonſtrare haud poteſtis, quique eodem jure atque ex eodem fundamento vobis ſive errores ſive etiam hæreſes obiiciunt. Noſtis illud Chriſti : *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Juſto huic judici quam rationem reddituri eſtis præcepti hujus toties à vobis violati ? Non excuſabit tum vos zelus veſter gloriæ divinæ : is enim, ut ut auguſtum hoc nomen præ ſe ferat, tamen, quantus quantus, carnis eſt, ac Deo exoſus. Sin à Spiritu ſancto illum proficiſci affirmaveritis, digna tanto autore argumenta oſtendite. Neque enim hic Spiritus tam infirmus eſt, quin divinæ ſuæ autoritatis atque præſentiæ indicia in Miniſtris ſuis atque per illos contra hoſtes ſuos edere queat. Sed quo prolabor ? Tu, mi Lector, da veniam huic digreſſioni meæ, & poſtquam pium autoris noſtri conſilium probaveris, Deum ora, ut cæteris quoque Lectoribus animum pacis & concordiæ ſtudioſum inſtillet.

Vale.

F I N I S.

APOLO

APOLOGETICON

adversus Satyram Viri Clarissimi

DANIELIS HEYNSII;

Cui titulus

CRAS CREDO HODIE NIHIL.

APOLOGETICON

adversus Satyram Viri Clarissimi

DANIELIS HEYNSII;

Cui titulus

CRAS CREDO HODIE NIHIL.

LEgenti mihi acerbum hunc eruditi ingenii lusum; subiit humanæ sortis miseratio; in qua nihil numeris omnibus exactum; pauciſſima verò tam laudata reperias; quin longè plura in iis, &, quod pejus est, potiora, desideres quam admireris. Magnæ sunt illæ dotes, quas flagranti studio consectantur, supra vulgi indolem sublata pectora. Ingenium, eruditio, eloquentia; grandis & erectus animus. Tamen ista tam nitida ornamenta, nescio quæ bonis suis nimium intumescens fiducia corrumpit: ita quidem, ut tanto plus de eorum pretio detrahat; quantò plùs iis tribuere persuasit. Jam neque ea sola, neque summa sunt; quæ mortalium animos ornare possint; & si pleraque alia desint: non rarò ex virtutum ministerio; in arma atque instrumenta vitiorum degenerant. Quò fit, ut sæpe pretiosissimi cœli muneribus abutamur ad res abjectissimas; non secus ac si quis expositum gemmarum ac metallorum pretium, ad tractandas Patroclianarum sellarum sordes damnaret.

Batavorum, tanti credo fuit, Danieli Heinsio, una atque altera adversus paucos, leviſſimis ex causis contracta, offensiuncula; ut totum fœcundi ingenii apparatum, explicaret in contumelias insontium; atque adeò ut promiscuè in obvios incurreret, vel, (ut ejusmet verbis utar) cornua obverteret. Quasi hæc ipsum habere nemo divinasset; nisi frons libelli ejus præferret illud Poëtæ

Occurſare capro, (cornu ferit ille) caveto.

Nam illa quidem, quæ ita in deliciis ipsi sunt, ut perpetuò in ore habeat, an in vertice quoque unquam gestaverit Artemidori cornua, pronunciare nolim. Non quod eam styli moderationem mereatur qui amarulentos sales calumniis condire non dubitavit; Sed ne, (quam ut Christianis parum dignum damnamus) vernilitate certare videamur; neve fortè insons conjunx, pro fonte marito vapulet. Nec enim æquum est (quod plurimum in homine reprehendimus) committere, ut culpam alieni dilecti luant innoxii.

Quanquam & hæc culpa quæ tam gravem virum in tantam præcipitavit iracundiam; quanta sit libet expendere. Primum *peregrinus nescio cui Batavorum visus est.* Facinus immane & cruento styli mucrone vindicandum! Quasi aut Batavi in Flandria viciſſim habeantur pro indigenis; aut ipsum urbis pudeat, quæ magno Imperatori prima dedit incunabula. Nisi fortè invidiam non fert, quâ in priscorum annalium memoria, plebs patriæ suæ laboravit. Quæ in principes suos turbida semper & seditiosa; ne in alieno quidem sterquilinio, infestam legitimis magistratibus ferociam posuit. Specimen ejus antealiquot lustra; priusquam duodecennes induciæ exirent, luctuoso eventu Batavia experta est. Atqui virum hunc, si non natalium dignitas (de qua mihi parum constant;) certè notum orbi ingenium & eruditio; à vilitate tunicati popelli satis exemerat, nisi se ultrò dicteriis scurrilibus & plebejâ dicacitate proletariæ turbæ quandoque immiscere mallet.

Sed videamus, quid præterea hominem in eas intemperias egerit. *Pruriginem scribendi nescio quis objectavit, alius cessationem* trihorii. Summam adhuc delicati hominis cutem stringi video. Non nemo, infensior, *nihil ipsi admodum tribuere; atque idem*, ut credo, *stipendio suo indignum arbitrari ausus est.* Hic fortè altius pupugit. Sed ejus sive sermonis sive opinionis; si quod est delictum, nullus alius, sive Batavorum, sive Italorum; seu Sarmatarum, præstare tenebatur. Nam Amicos qui aut ab *Aulæ strepitu remotum*; aut in civili *dissidio ad partes vocatum dolebant*, Satyricum dentem meruisse, vel ipse negabit; non magis atque eos *qui sparso de obitu suo rumori crediderant.* Nisi forte se mortalem haberi molestè fert. Aliàs qui succensere possit iis, qui sibi id semel accidisse putarant; quod semper potest; & aliquando accidere necesse est? *Qui responsum ad literas Flandrorum Batavorumve tamquam crimen objicit*; contemptu quàm Satyrâ dignior erat. Quod si mendacium aut calumniam aspersit; detegenda hæc fuerat, non in innoxios regerenda. Neque enim quorum vitia reprehendimus; æquum est libidinem imitari. *At enim, aliquis mirari se ajebat quod Heinsius erectus animo & acer adolescens, spes & vota Academiarum septis inclusissent; nec de magnis aliquando cogitaret.* Nondum quæro, jure an injuriâ id, quisquis ille fuit, miratus sit; certè magis miror, judicium illius satis alioqui de Heinsio honorificum: tam indignè & contumelioſe accipi. Nam si is de Finibus bonorum & malorum; non ex sententia Tullij, aut præscripto philosophorum sensit; humanius tamen ab Heinsio tractandus & mitius instruendus fuit: vel ob id quod de ingenio atque animo ejus sensit tàm honorificè. Neque verò quia multis parum providi voti gratiam facimus; idcircò ejusdem nullam debemus. Facimus profectò grandem mortalitati injuriam; si nullum errorem corrigimus absque convitio: majorem etiam Amicitiæ; si, quæ simplici & parum circumspecto affectu benevoli precantur, contumeliis rependimus. Atque hæc ita loquor; quasi Is qui indoli Heinsii dignius vitæ genus optavit; judicio suo turpiter lapsus esset. Quem tamen eo nomine, non omninò damnandum videri; (quamlibet reluctante Heinsii pulmone) paulò post nisi fallor patebit. Nunc ad illam omnium qui de suis literis nimio plus sentiunt; querimoniam accedamus; quorum nemo est adeò infra omnem invidiam abjectus; quin invideri sibi suspicetur & clamitet. Ita ut sæpe de invidiosa sorte sibi blandiatur, qui se non sentit esse miserabilem. Ego ingentia naturæ atque industriæ bona; in Heinsio contemnenda

nendi non censeo ; quamvis acre ac vividum ingenium ad levitatem ac maledicentiam ; prolapsum aut detortum, deploro. Tamen animus nescio quomodo gestit, quovis pignore depositò contendere, quum hunc Satyram scriberet, neminem fuisse qui ipsius æmulatione ac livore ureretur. Sed non poteramus, (quod nostrâ videlicet multùm intererat) ex ore ipsius Heinsii scire, *Scripta sua ubique legi* nisi hunc miserum. *Ouin* ex Utopia in suam scenam produxisset. Supersunt *duo in Gallia exules, eruditi*, ut ait, *omnibus inviſi, quorum jugi ſugillatione, homini* alioqui mitissimi ingenii, splendida tam *inclyti ſcripti* mater, *hilis commota eſt*. Eos infra *iram ſuam vir magnanimus* semper *judicaverat*, nisi *quod tunc tam bella ulciſcendi occaſio*, ipso fatente, *negligenda non videtur*. Credo sublimi animo generosius visum, afflictis & extorribus, quam florentibus & integris irasci. Neque enim credo amore aut miseratione ; aliove benevolo affectu adductum ad istam utriusque metamorphosin. Saltem enim honestius bruti genus, ambobus elegisset. Sed inepta profectò sunt, hæc vindictæ ratio. Etenim neque illis absentibus, ut opinor, humana pellis ac figura detrahi poterat. Et, si hæc poteritis insciis quosque & remotissimos excoriandi, Heinsio tam efficax & formidabilis visa est ; deteriorem certè sortem suam fecit ; quum sese ultrò telis hostium (quos sui vicissim non attingant) fecerit obnoxium. Quid enim illos prohibeat, quo minus ejus exemplo, Madaurense myrothecium excutiant ; & fœdum aliquod animantis genus quærant, in quod miserum Heinsium, transforment ? Quod quidem ne longè arcessendum sit ; lepida isthæc Satyra suppeditat *Cercopitheeum* animal breve, salax, facetum, ludibundum & petulcum ; & quoties iracundiâ percitum furit, in obvios unguibus non abstinens. Præterea quod Heinsio non familiare tantum ; sed in deliciis fuisse ; adeò ut mortuo parentare non dubitarit, vel ex hoc divino ingenii sui monumento discere possunt. Proinde ne ipsi quidem molestum fore censebunt ; cujus desiderium ferre nequit, ejus sibi redivivi subeundi copiam fieri. Sed nugis omissis non aliæ fuerunt causæ Scriptori Satyrico, præter eas quas modo percurrimus, tot alios insontes homines, tot integros mortalium cœtus adoriendi. Idque contra Edictum suum ; quod in hæc verba concepit. *Qui religionem, factionem integram ; aut Sectam, (nisi ſi quæ ſit quam profiteri omnes verè Chriſtiani metuunt) ad partes vocant, vîm negotii aut malum ſibi creant* &c. Quasi aut Remonstrantium, aut eorum quos per ambages Sarmaticorum Sacrorum intellexit, familiæ, non integras constituant Sectas ; in quas præcipuè contortâ hujus Scripti fronte, arietat. Nisi fortè religionem utrorumque obscurè aut perfunctoriè taxat. Addit *Ultrò aliquem laceſſere aut procacè eſſe, aut inſani*. Ergo nisi Heinsius suomet judicio procax est : nihil propriùs factu est, quàm ut ad agnatos & gentiles Lugduno Gandavum usque deducatur ; qui Faustum & Sarmatas, à quibus nè in somnio quidem, tàm longo, læsum se memorat, impetere non dubitaverit. Quos quidem si eo loco vult haberi ; quasi communi odio dignos *de quibus nihil unquam poteſt peccari & quorum ſectam profiteri omnes vere Chriſtiani metuunt* ; eò majorem miseris necessitatem imponit ; ut aspersas sibi per jocular somnium maculas, seriâ vigilantiâ abstergant. Sed audiamus reliqua Edicti Capita. *Provocare eos qui cum lubet referire poſſunt, aut quos ſua dignitas tuetur ; atræ bilis argumentum eſt*. Hoc illud, inquam, est, quod antea commemoravi ingentis animi specimen. Omnes infra iram suam censere, quos metuas ; nec tangere quemquam animantem, nisi qui referire nequeat. Sed profectò dabitur à nobis opera (citrà tamen scurrilem immodestiam) ut se in conscribenda hac Satyrâ, atrâ bile laborasse sentiat. Non quod semper ejusmodi Lupercos referire deceat ; Sed quia sæpe (quod nunc quoque accidit) publicæ multorum existimationis, ac præcipuè communis causæ interfit ; quæ per calumniam asperguntur, ejusmodi spongiâ deleri. Pergit in edicto : *Inſultare infelicibus aut miſeris, eruentum* ; (addere debuerat Mortuis ferum atque funestum) *eſt : niſi*, inquit, *ultrò in innoxios, à quibus nunquam Læſi ſint, incurrant*. Sed non puto mortuos postquam elati sunt, incursare in obvios. Et hi tamen in tam mordaci scripto, non unam paginam implent.

Percurrimus carptim stimulos ; quibus actum se minimè dissimulat ipse, in tot insontium contumelias. Antequam defensionem eorum aggredimur ; genus ipsum Styli atque Scripti quod sumpsimus ventilandum, expendere exigua mora est. Monitum enim principio Lectorem volumus ; nos ut non admodum dissimili scribendi genere, responsuros ; ità profectò, ad scurrarum dicteria ; multoque minus ad obscœnos sales non descensuros. Non pudet confiteri : si hac scribendi venere atque urbanitate certandum sit ; ad quam nec naturâ, neque institutione facti simus : nos, jam ante ipsum certamen, herbam Heinsio porrigere. Si modò certamen vocandum est, in quo innocentia, maledicta & contumelias, ne in ignorantium animis hæreant, modestè propulsat. Itaque non eodem ictus genere ferientem referri placet ; neque in hac arena cum eo committi, in quam eum descendisse, unum esse è præcipuis supplicüis putamus, quibus vindex Nemesis, statim ulta est, lascivè traductam probitatem. Habeat igitur sibi hunc plebeii saporis lepôrem Heinsius ; ad quem si temperare ingenio voluisset ; nihil necesse erat confugere. Satis illud, alioqui, fœcundum erat honestæ urbanitatis, atque eruditi acuminis ; cujus specimina ut alibi ita isto quoque libello sparsa ; fateor ingenuè, adeò non displicent ; ut non mediocriter nos ipsos delectent. Nihil igitur opus erat toties alieni thori subsessores ; nihil furta puellarum ; nihil adulterarum fraudes aut mœchorum nequitias ; nihil denique muliebrem libidinem etiam in suâ vicinâ, tanta cum animi lubentiâ ac voluptate commemorare. Quæ licet non semper prætextatis verbis narrentur, sine obscœna tamen imagine legi atque intelligi nequeunt. Sed profectò non difficulter assequor ; quid hac prurientis libidinis titillatione secutus sit. Frigidum alioqui Satyræ futurum erat argumentum ; nisi vitia hominum undique petitis salibus traducenda, arcessiviſſet. Quæ quoniam benigna risus materia est ; putavit invisa sibi capita facilius cunctis ludibrio fore, si ea in mediam ridendorum turbam protrusisset ; quemadmodum virides taleas inter aridam struem interjectas, communi flamma protinùs corripi necesse est. Atque ut procacius illuderet, quæsivit libidinoso Lectori condimentum ; quasi non alium victuræ chartæ genium requirant ; nisi quum

Carmina lumbos
Intrant & tremulo ſcalpuntur ubi intima varſu.

Simul aliquam flagitiorum istorum suspicionem ; redundaturam speravit in eos ; quibus, cum nihil horum apertè objicere posset ; maculam tamen ab iis aliquam in existimationem eorum furtim irrepere vellet. Nobis alia mens ; alia est instituti ratio. Nec enim innocentem Heinsium ignominiâ affici ; sed innoxios à calumniis ejus & contumeliis eximi ; optamus & contendimus. Quod tamen ipsum sine erubescendi necessitate fieri an possit, merito ambigi potest. Proinde nihil est, quod expectet, dum corruptæ virginis canamus Hymenæum. Ista fortè pompa deceat subsultantem Heinsium. Nos huic festivitati impares atque ineptos profitemur. Simul ne

ne difficiles nugas agere videamur ; (quibus certè in Academiæ umbra, plus quàm in luce hominum atque negotiorum ſtrepitu, otii tribui poteſt) nullas hîc larvas aut præſtigiatrices mulieres, nullam Lunam producemus. Quamlibet ejus numen ſentiant eruditi ; quos inter, Heinſius, honoris cauſâ, collocari non moleſtè feret, nos iſto Sidere minimè afflati, literatis aſſurgere malumus quàm invidere. Si tamen petulantius rudioribus inſultent, non ſumus ità eorum dignitati obnoxii : quin vocem pro innocentiâ mittere liceat. Cæterum cum vigilantes à ſomniantibus traducimur : dormire læſis non libet ; neque ridere cum cruentis mucronibus pungimur. Ignoſcant igitur, quod omiſſis ineptiis crimina inſontibus impacta removere aggredimur.

Inter alias iracundiæ ſuæ victimas ; triplex hominum genus potiſſimum in hac Satyra ſibi author ſumpſit inſectandum. Gentis atque urbium Batavorum Optimates, Remonſtrantium, quos vocant, & Sarmaticas Eccleſias. Horum unicuique paſſim aſperſas maculas ; abſtergere ſeparatim conabimur. Cæteros quos non immerito Satyræ immiſcuit, exhiberi omnium ludibrio nihil moramur ; ſatis jam alioqui de injuriâ conqueſti ; per quam inter ſontes & flagitioſos ; immerentium nomina conjecta ſunt.

Ac primores quidem Oppreſſæ quondam Batavíæ à nemine minus quàm ab Heinſio carpi merebatur. Multis eorum beneficiis obſtrictus, longo auctoratus ſtipendio, gratum iis animum debuiſſe ſi fatetur ; eâdem operâ damnet ſe ingratitudinis neceſſe eſt. Si negat, tantò ingratiorem ſe exhibet, & nunc ſinceris mortalium judiciis, & poſteritati. Quæ quantò à luctuoſa illa tempeſtate, remotior erit ; tantò de iis quæ id temporis geſta ſunt, judicabit incorruptiùs. Non eſt quod ſperet turbulentis illis temporibus per iniquas & violentas leges ita bene quorundam criminibus proſpectum eſſe, ut cauſæ, ſaltem apud poſteros dicendæ, poſſint eſſe ſecuri. Nulla *Amneſtia* efficit quin omnibus conſtet Heinſium magnis Ordinum Batavíæ beneficiis fuiſſe obligatum. Quod autem erga hos mutuæ voluntatis officium hominis minoris conſtare poterat ; quàm ut proſtratis jam & jacentibus ; quibuſdam & ſepultis, parceret. Finge homines fuiſſe malè meritos & calamitate ſua dignos ! At profectò

Res eſt ſacra miſer.

Quid benemeritus ? quid inſons ? Hiccine ſine injuria petiſ ? ſineſcelere lædi ? ſine rudelitate potei vio lari ?

Quæret hîc à nobis reus non ſine convitiis, (ſat ſcio,) quod tantum in Patriæ patres facinus admiſerit. Non excutiemus multis ſuſpiciones incertas, non ea, quæ ita ambiguè paſſim jacta ſunt ; ut cum exiſtimationem eorum apud plebem lædant ; negari tamen apud eruditos poſſint. Quorum, qui obiter guſtum aliquem poſcit ; revocet in memoriam quæ temporibus illis integritati ſummorum virorum invidia popularis, per intolerandam calumniam crimina objectaverit. Addat poſteà è divina Satyra quæſtionem in gratiam vaniſſimæ plebis propoſitam, *Cur potentiores cæteris Hiſpani eſſent ?* eique, ſubjectam reſponſionem inverecundæ calumniæ aſſentatricem, Quia *nimirum bellum cum avaris ſæpenumerò geſſerunt.* Quod tamen ſi in alios quoque non ſine argumento, torqueri poſſit ; ſcribat tamen Heinſius quinam in Batavia ſceleris hujus per ſummam injuriam recens poſtulati fuerint. Neque ignorabat quoſnam hoc loco cogitationes hominum erant deſignaturæ. Quos quidem, non credo tam impudentem eſſe, ut expectet, dum ab hoc crimine purgemus. Alioqui ſi (quod infeſtiſſimorum Judicum uſque ad ſanguinem prolapſa Crudelitas auſa non eſt :) Heinſius homo mitis & candidus, hujus eos criminis damnare vult videri ; (ne in re manifeſta Lectorem diu moremur) provocamus ad mentem hominis arcani de rebus iſtis judicii conſciam. Quæ ſi quid in tàm crudelis ac diræ calumniæ genere peccaſſe hominem deprehenderit ; contineri ut opinor nequibit

quin ſurdo verbere cædat
Occultum quatiente animo tortor flagellum.

Cæterum reliquas id genus ſuſpiciones rimari, animus non eſt. Teneri enim in tàm lubricis manifeſtò vix poteſt. Diſſimulandum tamen id genus obtrectationis non fuerat ; quia quò verſutius nocet ; eò præſentiori dignum eſt remedio. Venio ad apertius malevolentiæ indicium, cujus per placidas licet ambages, prodit ſe ac pellucet lucidum virus. Principiò narrationem de calmitate Bataviæ ingreſſus, quæritur de partium odiis, & incenſos in mutuam perniciem animos exagitat : Plauſibili in ſpeciem ſtudio ; ſed quod multiplicem ſiniſtri adverſus alteram partem præjudicii, injuriam, non ſatis occultet. Primum enim, ſi, (quod hoc loco ambire videtur) neutri ſe parti obnoxiè devinctum ; utriuſque errorem bona fide arguere vult videri ; cur culpæ ejus ſe paulò ante participem faciebat ; cujus mox ageret cenſorem. Aut quâ fronte nunc arguere non erubeſcit ; quod ipſum commiſiſſe non puduit ? Nullus equidem illa tempeſtate peſtilentior extitit Batavici diſſidii fomes, quam illa Synodus probri & flagitii plena ; quæ Dordraci in oppreſſionem inſontium ferale claſſicum cecinit. Auſa facinus, proh dolor ! tot jam annorum cladibus & manifeſta irati Numinis ſignificatione, vindicandum. Hæc enim mentes civium ſententiis diverſas, in concordiam animorum coaleſcere non permiſit : hoc funeſtum Reformatis quas vocant, Eccleſiis ſchiſma, veluti immedicabilem plagam inflixit ; hæc tot hominum millia ſine ulla juſta cauſa ab unius Eccleſiæ corpore, crudeli vulnere detruncavit & avulſit ; hæc tot injuriis, tot contumeliis, cives in ſe mutuò concivit & exaſperavit &c. ut & lædentium animos in barbaram crudelitatem efferaret ; & in læſorum ſi quando ſanarentur vulneribus, ne honeſtè quidèm cicatrici locum relinqueret. Hæc igitur cum agitarentur in communis rei perniciem, ubi tunc Agrippa Menenius qui apologo ? ubi Heinſius qui anapæſtis incenſos civium animos mulceret ? qui occurreret injuriæ, quæ in ingentem animorum alienationem, fuit evaſura ? Vidimus profectò hunc Cenſorem, qui in rabiem civium tanto ſupercilio decernat : inter alterius partis Scribas atque Actuarios aſtipulantem criminibus, quæ non ex Satyrico aceto perfunderet. Nam quod hoc loco invidioſius traducit quam

quod immanes ducerent iras
Et, quod diſcordes in ſæva ruant
Prælia cives.

At quis eos irreconcilibili diſſidio commiſit ; niſi qui in gratiam Alterius factionis : iniquiſſima in alteram dictitabant atque ſcribebant edicta. Aut igitur ſibi nunc non conſtat Heinſius & transfuga divitum

Partis linquere geſtit.

aut odiorum quæ traducit invidiam ; quia apertè non poteſt ; furtim in alteram hoc eſt oppreſſam partem derivat. Atqui, ſi ſpiritus hominis ſatis novi, non opinor eò ſe demiſſurum ; ut ſeſe in privato Lugduni Muſæo plus nunc videre fateatur : quàm in publico antea Bataviæ Concilio viderit. Nec ipſe

in

in hac Satyra aliter exiſtimari permittit, dum grandiuſculis literis ad Columnas Herculis Edictum curat perſcribi in quo *pulchrum* ſe, *arbitrari* ſignificat, *nisi ſe conjungi, quibus olim publice conjunctus eſſet cum præſertim niſi ſalvis iis ſtare Patria haud poſſit.* Relinquere igitur eum, omnem quam exagitat civilis diſſidii culpam; non huic à qua ſe meritò ſtetiſſe gloriatur; ſed alteri contra quam ſtetit parti tribuere. Quæ profectò quanto occultior, tanto nocentior calumnia eſt. Cujus ſuſpicio non deletur illo ſubterfugio, ſi quis ex iis, quæ modo commemoravimus verbis faciat conjecturam, Heinſium non ideò olim publicè Gomariſtis conjunctum fuiſſe, quod omnia probaret quæ ab iis gererentur; ſed quod videret niſi ſalvis iis, ſtare patriam haud poſſe. Primùm enim multum intereſt, ad delicta aliena conniveas, an temetipſum admiſceas, aut iis implicari timeas. Deinde, nihil impediebat Gomariſtas (columina patriæ) ſalvos eſſe; licet eorum Injuriis atque tyrannide Heinſius unà cum aliis ſubſcribere refragatus fuiſſet. Tantum verò abeſt, ut in illâ controverſia Salus eorum ullum in diſcrimen veniret, ut ne minimi quidem detrimenti, nec leviſſimæ injuriæ tunc adirent periculum. Niſi forte paſſuros injuriam fuiſſe cenſet Heinſius, ſi non feciſſent; more eorum qui ſibi de incolumitate periclitari videntur; niſi omnium capitibus pro libidine inſultent. Sed hoc illud eſt ſcilicet, quod excutiendum ſumſimus occultæ calumniæ artificium. Exaggerandus fuit civilis diſſidii furor; deinde fingendum præſens & grande alterius partis diſcrimen, in cujus videlicet incolumitate Salus patriæ verteretur. Ex quo non inepto Lectori liquere poſſet; quænam diſcordium factionum criminis iſtius teneatur; quæque per latus æmulorum ipſius patriæ Statum ac Salutem, inexpiabili ſcelere petierit.

Ecquid hoc criminationis genere excogitari poterat inverecundius? Tuam fidem Heinſi? Juſtumne tibi & tanto verborum apparatu dignum certamen videtur?

Ubi tu pugnas, ego vapulo tantum.
Nullus igitur pudor eſt *quoties civilia bella*
Una acies patitur, gerit altera,

pari utramque ſceleris convitio involvere! A quo enim tandem Gomariſtis tuis impendebat periculum? Nam Remonſtrantes, aut potius Bataviæ Proceres, ipſe rerum eventus hac ſuſpicione abſolvit: à quibus non modo non incipit prima calamitoſi diſſidii anſa: verum etiam poſt graves ac periculoſas injurias nulla capeſſitur

Pugna; ſed hinc jugulo; hinc ferro bella geruntur.

Nondum Theologorum Remonſtrantium cauſam ago, ſolos nunc defendo Optimates Bataviæ. Cedo mihi unicum illorum violentum facinus, quo diverſam partem in tàm acerba odia, egerint lacetſitam! Scilicet quia non ad alienam libidinem, illicò ſævierant in eos, quibus crudelis & barbara de æterno Fato opinio ſuſpecta videbatur, idonea irarum cauſa viſa eſt; quæ tantos fluctus cieret. Suone igitur arbitrio Magiſtratum rem tantam judicare par erat? an alieno? An ipſi integrum fuit damnare tot inſontium capita? qui ita modeſte ab altera parte ſententiis diſceſſerant, ut animis omninò divertere nollent? An in negotio, quod (ſi per adverſæ partis intemperias licuiſſet) placide componi potuit, præcipitanda fuit inconſultæ poteſtatis ſeveritas? quæ mox inſanabile Reipub. atque Eccleſiæ vulnus infligeret? Adeone illa, quam ab altera parte oblatam urſerunt Optimates neceſſaria in diverſis opinionibus Pax & Tolerantia, offenditæ nulæ Sectæ patronos, ut eo nomine ipſos, contra omne fas & patrias leges, jure ſuo & dignitate omnes, nonnullos libertate & fortunis, & vitâ quoque ipſâ ſpoliarent! Expendat nunc æquus iſtius ſcenæ ſpectator, utra pars civilis illius tempeſtatis cauſam dicere debeat; illane cui pacis ſtudium incolumitatis ſuæ pretio conſtitit? an altera quæ tanto Reipubl. & Eccleſiæ ſuæ periculo atque detrimento, funeſtis odiis uſque ad proſcriptionem & ſanguinem, indulſit? Simul de fronte Heinſii ferat (ſi placet) ſuffragium; quem in tam notoriæ injuriæ indignitate; ſive ambas pariter partes; ſive quod pejus eſt; oppreſſam quoque magis; civilis diſcordiæ invidiâ gravare non puduit. Verumenimverò ne non modo homines ſed ipſi fungi ac ſtipites neſcirent; quoſnam iſtis aculeis pungendos ſuſceperit, aulus eſt Conſcriptionem militis de conſilio quondam Procerum Bataviæ factam apertè ſugillare. *Martem*, inquit, *intra oppidum* (ſcit Lector quas urbes hoc nomine deſignet) *admiſerant & quidem ſua ſponte.* Liceat mihi primùm divinare quid ſibi velit illud *Sua ſponte.* Nam ſi voluntatem, quavis etiam graviſſima cauſa impulſam, deſignat, ſuperflua eſt hæc & inepta oratio. Quis enim neſcit, in neminem conferri poſſe ullius facti culpam; niſi ad id voluntatem ſuam quoquo modo flexerit? Proinde niſi ineptire videri vult Heinſius, fateatur oportet; ideò ſeſe hoc loco Martem ſponte admiſſum objectare Batavis, quia id nequaquam gravi cauſa coacti ſed levi occaſione impulſi fecerint. Porrò quid per admiſſum Martem intelligi velit, ambigere neminem ſinit dum ſtatim ſubjicit: *Miles quippe rerum omnium egenus; qua & unde incertum; ſumma vi conſcribebatur. Ei ſalus civium & vita ne quid detrimenti caperet, committebatur.* Non miror hominem à ſomno dimiſſum in calce Satyræ, excuſare viſa minus cohærentia. Nam profectò ſi uſquam alibi hoc certe loco dormitans Heinſius, multùm de judicio remiſit; qui id ſponte, hoc eſt, ſine gravi cauſa, commiſſum criminetur; quod obiter ſtatim Salutis ac vitæ tutandæ cauſâ factum fateatur. Nam quod obiter militi egeno Salutem civium commiſſam indignatur, ridiculum eſt; quaſi in delectu militis cenſus ratio ſpectetur. Quamquam, (ut vere fatear) non tam militi, quam Imperatori opulento ac potenti ſalutem civium non ſemper ſatis tutò committi; tempora de quibus loquimur; docuere. At enim propugnandæ Salutis neceſſitatem; duntaxat obtentui ſumptam, ſeſe intellexiſſe contendet! Hoc verò quî fieri poteſt; cum ipſi aliud agenti exciderit evidens ſuppreſſæ veritatis veſtigium; nimirum *illius Curiæ quam conſcriptus miles ſervabat, amore, multos utrimque deperiiſſe.* Ain, verò Heinſi! Utrinque? Id quidem tibi mirum non videri; egomet haud miror. Quippe, & iis, qui antiquitùs in ejus poſſeſſione fuêre ſua ſors minime aſpernanda; & infimæ plebi, patriciorum fortuna merito invidenda viſa eſt. Sed quo pudore utroſque invicem commiſſos miraris; cum alteram partem alterius dignitati inhiaſſe fatearet; qua verecundiâ Magiſtratum occulte criminaris; quod ſordidæ & magna ex parte inquilinæ plebi in Curiam irrumpenti quoad licuit reſtiterit; quodque ad frænandam ſeditioſorum licentiam, legitimum ſimul ac neceſſarium præſidium comparaverit. *Ignotâ* ait *Dominam* cum tanta dote male *creditam.* Horum tamen fides non paulò melius eventu ſpectata eſt quam aliorum, quos Heinſius notos intelligit; neque ego inficior cum vel ipſa Batavis notiſſimos reddiderit injuria. At etiam in oppreſſæ Bataviæ luctu placet eſſe faceto. Curiam ejus, cujus tunc amore Sutores ac Cerdones Flandri flagrabant, Matronam vocat honeſtiſſimam. Etiamne poſt atroces injurias, novo locus erat ludibrio? Non eſt tanti iis qui hujus Matronæ caſibus ingemiſcunt; regeſtis in auctorem Salibus, jactum in ſeſe ulciſci dicterium; ut in lachrymis ſuis ridêre ſuſtineant. Sed ſi malis atque dolore alieno

Heinſius

Heinſius tam libenter paſcitur, agnoſcat iſtius Nymphæ genitus; quæ ſic illius temporis caſus, conqueſta eſt.

Audi Deorum quiſquis humanas vices.
Vagos in orbes, dextera inſtabili rotas
Audite Fata, veſtra vos tellus vocat,
Deſponſa magnis nempe rerum exordiis,
Cruenta ſævi ſcena Mavortis diri,
Mox facta populis liberæ Pacis domus
Inſons aſylum gentium creſcens fugâ;
Et ſervituræ publica Europæ mora
Batava tellus; nota jam cælo ſatis
Terriſque nimium. Funera immenſæ ſtragis
Vulnuſque, quis non ſenſit & lachrymas meas?
Uſtus cadenti Sole miles Celtiber
Suoque multum concolor gens Heſpero;
Senſere Galli, quique Danubium bibunt,
Sed non adultum; quique præcipitem Padum
Hæres ſuperbi nominis Gotthus potens
Et clauſtra gelidi Cimber obſidens maris
Impune, taceo quos brevi furens freto
Neptunus orbe ſubmovet toto viros
Medius Britannos. Damna Mavortis mei
Senſere & Indi; ſi qua gens Bætim timet
Aliquam laboris abſtulit partem mei:
Non ſola vici, ne triumphavi quidem.
Recepit orbis quod dedit; victoriæ
Ad opitulantes magna pars ſocios redit,
Suæque Reges ſpontis vendico mihi.
Nunc reſtitutæ quis Deum lævus rei
Premens adurget rurſus afflictas opes?
Fortuna alumnæ terga quid vertis tuæ?
Hoſtemne toties perfidum fregi foris,
Ut non deeſſet hoſtis infelix domi?
Divulſa laceror, parſque faſcibus mei
Pars certat odiis; hæc poteſtate; altera
Hoſtilitate pugnat implacabili.
Diſtracta mater, inter infenſas manus
Pereo Nepotum. Talis evantes nurus
Lymphatus egit error, in diram necem
Gnati & nepotis; cum caput tabo fluens
Raptaret iſthinc mater; hinc matertera.
Miſerere noſtri; abſtine impias manus
Vetina proles. Corda ſi tangunt pia
Lamenta matris, noſco noſtri pignora
Germana partus; quos juvat vitæ ſuam
Securitatem reddere expenſam meæ.
Et jura ſanctæ qui poteſtatis mihi
Pacique donant. Non queror veſtros metus
Privigna timeo pignora, & vulgus ferum
Quibus noverca ſum viris *Batavia*
Et quos recepi gremio in exitium meum.
Oblita juris exulum fæx impia
Meritis rependit talia altricis ſuæ.
Partus nocentis ſic puerperæ nocens
Dirus parentem viperam fœtus necat.
Nutrix alumnum ſic bidens lupum fovet
Subitura ventrem lacte quem paſcit ſuo.
Perfidia noſtris, una, non ſat eſt malis:
Infenſa cive pejus ingrato furit
Cohors ſororum: queis meâ miſſis manu
Noſtro trahendos ore ſpiritus dedi.
Heu pulſa dudum cætibus mortalium
Aſtræa virgo tuque Fas. Jus & fides
Contaminati ſi qua res tangit ſoli
Seclique cura, perfidi inteſtabilis
Teſtor ruina nil volo involvi meâ,
Cum cuncta poſſim verrere & forſitan caput
Servare noſtrum. Nulla me arguet dies
Animi impotentis. Vos tamen ſtolidi meas
Veſtra luetis ſervitute injurias.

Par erat ejus potiſſimùm Nymphæ verbis, faciem illius temporis depingi, cujus tunc proprium & capitale agebatur negotium. Nec verò eſt quòd tantùm liberos parricidas, ſed & ingratas ſorores injuriarum apud Poſteritatem, poſtulet: quarum libertati cum duplo plus opum ſuarum; quàm illæ ipſæ impenderet; eam retulit gratiam; ut ſibi per eas legibus ac moribus ſuis vivere non licuerit. Porrò innocentiæ ſimul & poſteritatis intereſt, detergi factioſis narrationibus fucum; larvamque detrahi; ut genuino vultu in lucem prodeat veritas. Etenim in ejuſmodi diſtractarum partium ſtudiis & ambitu ſeculi

Pauca ſua tantum veniunt in ſecula famâ

Pluribus aut gloriam deterit invidia: aut calumniam aſpergit malevolentia: aut immeritas laudes affingit adulatio. Omnia verò ſucceſſus invertit. Cui ſi Fortuna favorem indulſerit; illicò panægyricis celebrabuntur flagitia

ſcelerique nefando
nomen erit virtus

Si verò conatus deſtinatis exciderit; non in titulos tantùm, ſed in ſupplicia quoque ſcelerum, ſuccedit laudatiſſimum facinus. Neque tamen adeò humani generis conſcientiam, ulla unquam potentia ſubegit: quin per infuſæ in vulgus famæ caliginem, erumperet aliqua veri judicii ſcintilla, ex qua poſteà clariſſima lux, quæ omnes falſi latebras retegeret, exoriretur. Libet & iſtis præſentis ſeculi caſibus eundem augurari eventum. Quem quò firmiori ſpe præcipimus, eò alacrius præſtanda nobis eſt, iſta fides ac libertas veritati; ut ob ejus patrocinium, nulla odia, nullam invidiam, nulla vereamur ſuſcipere pericula. Nec enim contra veſanam plebem tantùm; aut ignobilia nomina, hoc eſt effrænes Concionatorum linguas, dicendum eſt. Veniunt in maximam culpæ partem; maximi & manſuræ memoriæ conſecrati Europæ Principes. Quorum honori ac prioribus meritis; vellem donari poſſent ſequentium temporum auſus: ſi quâ forte liceret, fidem ſimul noſtram & alienam innocentiam; cujuſquam gratificari dignitati. Prodeat igitur eorum unus & exprimendo tempeſtatis illius genio; æſtus animi ſui quibus tunc agitabatur ſuomet ore explicet.

Utramque famâ Solis implevi domum
Patriamque meritis. quâ novum terris jubar
Depromit, & quâ condit auratas faces
Per ſpatia mundi curſuum Phœbi comes
Noſtrum vagatur nomen: & quâ Sol nequit
Etiam cucurrit. Spectat Arctoo gelu
Gemina rigentes Urſa Naſſovios ſinus,
Et quæ jacenti prona gens ſubeſt Noto
Neſcire fame non poteſt littus meæ.
Per me Batavus flebile excuſſit jugum
Heri potentis; liberam aſſerui manu
Victrice patriam: pro pudor! quæ degener
Famuli miniſtra Martis; imbellem togam
Didicit vereri. Quoſne ſubſtraxi plagis
Domini furentis. Vindici imperent ſuo?
Colamque proprios (turpe) libertos cliens?
Humilis ſuperbos? Tædet aucti nominis,
Orbem pudoris conſcium feci mei
Dignus ſeniles tamdiu faſtus pati.
Utcunque voti defidis veniam ferat
Facilis juventæ obnoxium caput dolis
Virum ſenemque pudeat anguſtæ ſpei.
Nunc quid paratis objicis rebus moras
Concepta quondam verba ſacri Carminis
Juriſque rupti triſte jurandi nefas.
Quid volvis anime? quid colis ſtolidam fidem?
Plebeja res eſt huic locum ſummum dare.
Reges honorem altiùs ſacrum locant.

An ſtare dictis celſius putas decus?
Quam præmitentis fulgido ſolii gradu
Se fraudat ipſum, cujus imperio fuit
Fraudi ſacramentum? Eſſe perjurum nego
Quicunque ſceptrum nactus eſt perjurio
Servare pudor erit; quod prius fœdus mihi
Inviſa frêgit Optimatum factio;
Partita mecum ſubdolâ faſces fide.
Nos nempe bellis: illa Paci præſidet.
Nobis laborem: præmium aſſignans ſibi:
Ipſumque rurſus abſtulit bellum mihi,
Unàque honorem. Redde jam martem precor
Hoſtem repoſco: quem tamen vano metu
Foris negatum; mox mihi dabo domi.
Quid anime ceſſas? ipſa te invitat dies:
Dum ſciſſa Patrum ſtudia; dum plebes furit
Venire vili cara Libertas poteſt.
Quoties in arctæ ſervitutis compedem
Vindicta populos truſit: & diſcors furor!
Dum quiſque domino triſtiùs civem timet.
Adſum vocantes protinus ſequor Deos.
Fatiſque lætus vado lætis obviam:
Oblata cupido tempora amplector libens:
Quibus ferventi Nereus quaquâ ſalo
Tundit Batavi littoris curvos ſinus,
Sparſaſque Ponto Cycladas Mattico.
Quicquid duobus Rhene brachiis capis,
Et quicquid agri Moſa ſtringit corniger
Sub jura veniet noſtra. Dignos impetus
Hac mole rerum; læta mens tandem cape;
Et diſce victrix eſſe par magnę ſpei.
Non nimia poſco: nec novum genti decus
Diadema noſtræ! teſtor Auguſto avos
Maneſque Adolphi gaudeat regno ferox
Impune raptor. Auſtrius, toties meos
Expertus enſes? Victimæ patri jacent:
Litemus atavo? jam luit ferro necem
Damnis rapinas penſet infelix Iber.
Raptos repoſcens Imperi faſces avis:
De male coactis Auſtrii cenſus bonis
Nil occupare, quod meum non ſit, queo.
En cauſa regni! Cauſa ni melior foret
Conſentientis una vox plebis Hero.

Nempe hi ſunt calamitatis Batavicæ fomites; veriores certe quam quos in pyxide Heinſio per ſomnium oblatâ, crinitum Meteoron occluſerat. Acceſſit Tranſmarini Principis intempeſtivum adverſus alteram partem ſtudium, alteram odium. Cujus tamen vel maxime intererat; interpoſitâ auctoritate pacem inter utramque tueri. Quam ad rem, celebris literaturæ Seni, matura adoleſcentuli Regis prudentia illuſtri exemplo præiverat; documentum ſeculo exhibens canitiem & literas, non eſſe unica certave bonæ mentis pignora. Et profectò firmus recti ac ſolidi judicii mucro; omnem ingenii aciem atque omnia eruditionis arma, facile provocat. Sed tum temporis & aliquanto poſt; neſcio quod peſtilens ſydus, aulam illam Inſulanam afflaverat, ut ſalubris conſilii patiens non eſſet. Niſi forte illa Divarum maxima, quam Heinſius diu quæſitam atque invocatam, ſub Senecionis cujuſdam pileolo, fugitivam clàm deprehendit; toto terrarum orbis Continente pulſa, illo potiſſimum ſub axe latebras elegerat. Omnibus enim illîc conſiliorum erroribus unica fuit Mater; neſcio quæ

Simplicitas cujus non audeo dicere nomen.

Quanquam & alios pleroſque Mediterraneos Principes, indomitæ ſuiſmet viribus fortunæ propriæ, crimine non abſolvo. Qui dum alteri Batavorum parti incautius gratificantur, utramque pene impulêre, neque minus quàm offenſam infelici conſpiratione Galliam; ad opem ſibi in proxime impendentibus malis ferendam; minime idoneam reddiderunt, parum memores quod in hujus Provinciæ diſcrimine, veluti in Maleagrio ſtipite, cuncta Fatorum ſuorum momenta verterentur. Quæ tantæ temeritatis plena incogitantia, eandem illam quam paulò ante produximus Nympham iterum êgit in has voces.

Impendentem Orbi totâ jam mole Pyrenen,
Et regnum Oceani ſero de littore ſurgens
Injectâ moror uſque manu: non fanda furentes
Heſperias Batavo ſubmovi faſce ſecures.
Nec ſatis eſt pugnaſſe mihi: ſed turbine eodem
Meque ſimul, Regumque manu, diademata miſi.
Neſcit mundus adhuc: cujus ſit munere liber,
Neſcit turba Ducum, mea quos vindicta relaxat.
Sed noſter nimis urit honos & mitia Fata.
Mene frui cunctis, peperi quæ munera, terris,
Invidia eſt? Impar magnæ ſucceſſor Eliſæ.
Teque adeò patrii quondam cui Martis alumno
In mea ſtringendum conceſſi viſcera ferrum.
Quæ tandem mens læva ſubit? quiſve abripit error?
Heu laſſata brevi nimium mea Fata favore.
Cur mihi nunc primum ſurgens Fortuna ſeneſcit?
Non jam prima peto poſſeſſi jura Tridentis:
Non domitam Calpen; vel Ponti littora rubri.
Nec reduces ſpoliis claſſes Orientis onuſtas.
Plura quidem fortuna dabas, verùm improba vota
Largior invidiæ. Non amplius oro, ſuperſit
Nunc mihi; quam quantum terris mea munera donant.

Atque hæc pro Optimatibus Bataviæ dicta ſufficiant. Quorum alioqui injuria pariter atque innocentia, proprio ſatis teſtata, alieno non multum get, patrocinio.

Nunc ad Remonſtrantium, quos vocant, cauſam, aliquoties hoc libello perſtrictam accedamus. Quorum huc uſque exiſtimationem nemo momordit; quin fregerit genuinum. Quò minùs negotii nobis fuerit, in famâ eorundem; quæ divinæ hujus Satyræ dente arroſa eſt, vindicandâ.

Primùm igitur ſub Zenodori nomine tràduciturs, qui in hoc hominum genere familiam ducere videtur: Dein tota eorum multitudo: denique Religio calumniis ſimul atque contumeliis aſpergitur. Ac Zenodoro quidem; quiſquis ille fuit, literarum primùm ignorantiam: deinde ambitionem & ſuperbiam; denique in dogmaticorum opinionibus negandis audâciam objicit Heinſius. Nullis, inquit, literis fuit inſtructus, nihil legerat. Mirum, igitur, qua ratione in ſua ſecta, dictaturam quam ipſi tribuit, occupaverit; atque etiamnum de ſententia ejus retineat. Ait enim Zenodorum iſtis hominibus nunc eſſe *Omnia*. Quos tamen inter, non imperitum tantùm vulgus; ſed & aliquos auctoritate pollentes collocat. Facit contumeliam ſollertiæ ſeculi in quo vivimus, qui putat rudem hominem atque illiteratum eò faſtigii ſcandere potuiſſe. Certè inter hanc hominum quam taxat, turbam; plerique ingenio, literis, facundiâ non modo præſtantes, ſed celebres quoque eminent. Nec deſunt quædam ſeculo ſuo majora & poſteritati æſtimanda ingenia; eaque ex intimis, niſi fallor, olim Heinſii amicis, qui (quod pace Satyrici ſcriptoris dictum ſit) ingenio, indole atque ipſa nominis celebritate, ipſi pares: ut de animi modeſtiâ & candore nihil dicamus; acri certè judicio; eruditione omnigena: linguarum pene omnium peritiâ incomparabili; induſtriâ ingenti; longo poſt ſe intervallo Heinſium reliquerunt.

Sed quoniam Zenodoro literarum imperitiam objicit; quæro quid nomine literarum intelligat? An illas humaniores; quæ in duarum linguarum penitiori notitiâ verſantur? At neminem ex principibus hujus ſectæ dabis non utriuſque linguæ quod ſatis eſt peritum. Certè omnium caſta eſt & latina; atque etiam erudita oratio. An poëticas delicias? Non cuilibet Theologorum in promptu eſt; in infamiam

Ordinis ſui Carmina edere juvenilia: præſertim cum quoſdam editorum pœnituerit. An potius illam legendi ingluviem, quæ non ſincero alimento nutrit; ſed inani ac momentaneâ voluptate detinet ac moratur ingenia; donec ibi conſeneſcant; unde ad ſolidiora gradum facere oportuit? Nemo Criticorum laborem aut officium contempſerit. Multùm tamen inter abuſum literarum; & ipſas literas intereſt. Nec multiplicem omnis generis auctorum lectionem damnamus. Sed eſt quædam ingeniorum quoque Gula; cui infinitæ lectionis non alius eſt ſcopus: quàm legiſſe: aut potius legere. Non iſti, ad vitæ aut animi, aut ipſius ingenii uſum, ex tot replicatis paginis quicquam depromunt; ſed ſterili legendi dulcedine abrepti; ſaucium inexplebili *Boulimiâ* mentis (liceat ita loqui) ſtomachum, novis ſubinde librorum cupediis irritant atque ingurgitant. His in tanta legendi aſſiduitate nunquam diſcere vacat. E. tamen ad eam ſupinæ lectionis libidinem & oſcitantiam; Contemplationis nomine aburuntur. Cujus finem, hoc eſt, veritatem; aut ob inertiam non quærunt; aut ob ambitionem tanquam ſcopulum, anxiè vitant. Quamquam quæ poteſt veritas depromi ex pleraque illâ auctorum colluvie: qui fabulis aut inanibus tricis orbem repleverunt. Quorum tamen ipſorum probatiſſimis quibuſque non contenta Eruditorum ambitio; purgamenta inſuper antiquitatis; è pulvere bibliothecarum everrit: atque illorum lectione; tanquam ſublimium rerum contemplatione, coram rudioribus ſuperbit. Quaſi rudiores cenſendi ſint quos in Augiæ ſtabulis mentibus ſuis pabulum atque alimentum quærere piguit. Talem ſuſpicor fuiſſe Zenodorum qui illuſtri labore vires ſuas experiri maluit; quam ignobili diligentia conſeneſcere. Quo in Conatu ſi quid humano more hallucinatus eſt; non eruditio flagellanda ſed error oſtendendus eſt. Aliàs Heinſii probrum erit, habere quod diſcat ab indocto. Nemo eruditorum eâ conditione in literis verſatur; ut ipſi omnia ſcienda ſint: vel ſi quid hominem uni ſtudio intentum fugerit; ilicò pro illiterato ſit habendus. Sufficit ſi præter neceſſaria, ea quoque teneat, quæ ab ejus inſtituto minus ſunt aliena. Hos potius pudeat, quos in puerilibus curis, Canities occupat & qui capaci ingenio atque indole, magnificum neſcio quid polliciti, ſpem ſeculi ac poſteritatis turpiter deſtituunt. Quid enim ipſis prodeſt multijuga lectio & excelſi acumen ingenii? ſi tot dotibus ſuprà vulgi indolem aſſurgentes, nondum tamen vile ac plebejum neſcio quid ſapere dedidicerunt? Aut quam exile ac turpe ſibi tot laborum præmium deſtinant, Eruditionis apud vulgus hominum opinionem atque jactantiam? Melius in honoribus captandis nobiliori ambitioni impendiſſent miſerrimam mentem; quàm in tàm humili arena nominis decus quærunt, nec tamen ideò ſemper aut uſquequaque aſſequuntur. Non igitur prorſus nihil viderat ille: qui animo Heinſii dignius vitæ genus optaverat: in quo certius atque honeſtius, illius, quam unicè venatur, famæ, exerceret aucupium.

Stulta fames tituli; tibi quod poſt Fata negatur
Poſſe frui; vacuas quid tandem quæritis umbras?
Et miſeram lucem longâ ſub nocte latentem?
Finge triumphatis erectos gentibus arcus;
Sub pedibuſque orbem & vaſtâ ſpe præcipe, quicquid
Optaſſe erubuit Pellæi inſania voti.
Ipſe tamen duri ſpolium miſerabile Fati
Reſtabis: gelidaque cinis lugendus in urnâ.
Sume animum ingentem potius, & te quoque dignum
Finge polo. Incipient illis anguſta videri
Vota Ducis Macedûm, ſpes quos magis improba pulſat.

Libet adhuc ſemel rogare quamobrem Heinſio rudis viſus fuerit Zenodorus. An quia Theologiam ac Philoſophiam modicè attigerat? Hoc quàm verum ſit, edita in lucem, ingenii ejus monumenta, certiùs teſtari poſſunt. Sed ſi hoc ipſi verè objici poteſt; ille verò, meâ quidem ſententiâ, vehementer ſapuit. Ad Philoſophiam enim ac Theologiam noſtri temporis, propiùs accedere, res eſt ſummi diſcriminis. Adhuc profectò pauciſſimi utriuſque Divæ penetralia, adierunt; quin dimidio ſtultiores evaſerint, quàm acceſſerant. Neque id in ipſarum ſcientiarum ſed in dogmatum contumeliam dictum eſto; quæ in utramque invexit; ſtolida in ſacris pariter, prophaniſque philoſophandi ambitio. Quam poſteà in immenſum auxit; triſtis & barbara, per tot ſeculorum caliginem, ſatis proterve in ingenuam judiciorum liberatem, diuque graſſata tyrannis. Earum utriuſque initium, paulò altius arceſſere orbis incipit, quàm vellent nonnulli: Quibus nequicquam muliebriter ejulantibus, aliquando neceſſitas & humani generis Reſipiſcentia extorquebit, ut cogantur

Qua pueri didicere, ſenes perdenda fateri.

Horum tametſi HODIE NIHIL fiat: CRAS CREDO aliquid, multò magis perendie fore. Namque illa rediviva lætiſſimi augurii volucris;

Tarpejo quondam quæ ſedit vertice cornix
Europæ aſcendit præſcia culmen avis:
Ne tantum priſcis caneret ſua Fata tyrannis,
Eſt bene non potuit: nunc quoque dixit *Erit*.

Alterum Zenodoro crimen objicitur Ambitio atque Superbia; cujus fidem faciunt Cornua in maximos ſeculi viros (ita enim loqui placet) obverſa. Nam quod is Theologorum ſe ac Politicorum primum ſomniaverit, atque hinc ſcilicet homini tanta acceſſerit fiducia: mihi non ſatisfacit. Novi enim aliquos, qui etiam vigilantes ita, adeoque magis fortaſſe magnificè, de ſe ſentiunt, nec tamen in Calvinum aut Bezam cornutâ fronte incurrunt; imò ſummos ſeculi viros prædicant. Præterea mihi certò conſtat, Zenodorum de ſomnio ſuo, id nemini unquam aperuiſſe. Hinc mirari ſubit unde tanta Heinſio divinandi peritia; ut, quid homines ambitioſi ſomnient, ſcire poſſit. Certè apud Artemidorum de arte iſta diſcere nihil potuit; qui interpretes ſomniorum inſtituit, non divinos. Credo igitur, in hoc Menippeo ſomnio ab Optima Dearum Luna; de iis quæ humanæ indaginis ſolertiam effugiunt, edoctum. Sed hujus Divæ numen apud Lunaticos fortaſſe ac ſomniantes quantivis fuerit pretii; apud ſanos certè & vigilantes, in cauſa de objectis criminibus dicendâ jure repudiamus. Verumtamen cur Principes ſeculi viros laceſſere auſus eſt Zenodorus? Atqui non ſtatim lacerſere aut cornibus eos impetere, dicendi ſumus; à quibus modeſtè diſſentimus.

Etiam in maxima ſentiendi ac judicandi libertate, poteſt ſua cuique conſtare exiſtimatio. Niſi fortè Syllogiſmi & dilemmata quæ in ſententias aliorum torquentur; pro armis & cornibus in homines ipſos directis habenda ſunt. Ego verò dentes & ungues & cornua in hoc loquendi genere, Convitia potius atque calumnias, & illa, quæ rixantibus Chriſtianis ſemper ſunt ad manum, anathemata, eſſe exiſtimo; quæ intactis plerumque opinionibus homines ipſos petere ac vulnerare ſolent. At hoc in Zenodoro, quod ſciam, nunquam planum fiet. Errores is (fateor) magnorum virorum non nimiâ

tamen libertate, detexit. Sed hoc an sine superbiæ crimine nequit? Quis verò sibi plus sumere censendus est? Hiccine qui, in quo alterum errare putat, ingenuè ac modeste profitetur? an qui omnibus suam, suorumque auctoritatem obtrudit; ne contra eam quisquam hiscere audeat? Cujus est fiducia tolerabilior? Ejusne qui rationibus & argumentis? an qui ingenio atque existimationi suæ suorumve credi postulat? Quasi ullum mortalium suæ dotes tàm altè sustulerint; ut supra omne lapsus discrimen positus sit. Itaque crimen illud meritò in criminatores revolvitur.

Restat in evertendis Dogmaticorum placitis audacia; Zenodoro cum assectis objecta. Quo in crimine duo potissimum urgeri intelligo. Primum quod *omnia damnare atque audere dicuntur*; atque ut alibi ait *Academicos imitati in omnibus assensum sustinent; ne in quidem exceptis, quæ gravissima habentur; & necessitate plus quam Geometricâ nituntur.* Atque hoc est; quamobrem adversarios eorum *Dogmaticos* vocet; quasi ipsi, (quod uni eorum nulla fronte objicit) *Pyrrhoniorum sectam secuti, nihil dum certò sciant; nihil certò affirmare audeant.* Alterum est, quod *levissimis de causis tantas turbas conciverint; dum minutas, rancidas, & jampridem sepultas quæstiones revocant*; quas nunc *vilia scruta & trita ac sæpe jam rejecta*: jam vocant *fila putria & nodos quosdam, mille modis involutos contortuplicatos.*

Prima criminationis pars, tantò impudentiùs calumniæ genus continet, quantò minus inveniri poterat, saltem verisimilis calumniandi prætextus. An is qui *aliqua* fortè *sciri non posse* ait, *Omnia sciri posse* negat? An qui *aliqua sciri negat*, eadem statim *sciri non posse* asserit? An denique qui ullum mortalium *nescire aliquam* rem affirmat eâdem opera rem illam *sciri negat*? Nunquid Zenodorus everso pestilenti de Fato dogmate, nihil in ejus locum sanius reposuit? Num falsâ & absurdorum feraci opinione rejectâ; nihil sibi in eo, de quo disserit, liquere testatus est? Non errore discusso, aperuit, quid in ea re statuendum esset?

At enim *forsitan nullum esse hominem asseruit, qui falli, aut fallere non possit.* Hoc verò ad Pyrrhonis insaniam nihil pertinet. Nec enim quia lubrica & proclivis in errorem esse solet, humani ingenii fiducia; idcircò nihil veri percipi potest. Non ideò nemo mortalium, ab errandi periculo exemptus est; quod errare ipsum necesse sit: aut evitare errorem nullo modo possit. Sed quia sæpe vires suas non intendit: sæpe nimiâ fiducia aut affectu; aut aliquo incurrente impedimento, *negligit velle* quod *potest*; aliquando etiam *non curat posse*, quod *velle debet.* Pauci in hoc negotio de natura queri possunt; nemo de Deo. Nihil est igitur, quod eo nomine malè audiat Zenodorus; quasi nihil certò sciat; nihil affirmet. Firmissimâ istud asseveratione omnibus inculcat; quod se certissimè scire confidit: Reducis iterum post extinctam Stoicorum sectam Fati asserto res, fædè ac turpiter lapsos esse. Præterea, rem in qua illorum errorem redarguit, ipsâm per se, ita planam esse; ita manifestam & liquidam; ut longè difficilius fuerit, in ea perversè quàm recte sentire. Documento sit, quod in ea imperiti & simplices plerumque meliùs sentiunt: ut hic ad delirandum propemodum opus sit, ingenio & literis. Ita sæpe veritas simpliciter quærentibus obvia; mille nodis ac filis sæpe putribus (placet enim Heinsii verbis uti) involutam & contortuplicatam eruditionem refugit.

Quid enim planius est; quàm Deum Sapientissimum rerum Arbitrum; proposito mortalibus in hac vitæ arena, cælestis vitæ præmio; summa contentione & viribus pulcherrimum eos certamen certare voluisse? Hoc vulgus hominum plerumque sentit; nec fallitur. Quid Eruditi? Primum placet ipsis vitam æternam certaminis hujus præmium statui; quæ in æterna Electione, sine ullo respectu ad hoc certamen, certis quibusdam hominibus nominatim destinata est. Deinde si hæc certandi merces esse dicatur; periculum esse putant, ne meritis nostris aliquid tribuamus. Denique contentionem istam & vires; quid? nisi damnatam olim Augustino hæresin sapere ajunt? Et multa id genus, sæpe adeò impudenter nugatores oggerunt; ut vix abstineant, quin in gratiam Hipponensis Antistitis Christum & Apostolos Pelagianæ hæreseos condemnent. Præterea quid apertius est, quàm *Deum*, optimum ac *philanthropon* numen; cum omni mortalium generi: tùm præcipuè omnibus iis quos per Evangelii vocem invitat, seriò & candidè benevelle; ac vitam æternam nisi ipsi sibi desint, donare constituisse? Ita opinatur vulgus, nec abit à vero. Quid nonnulli Eruditi atque ingenioſi? Indignantur hac in re idem cum plebe sapere. Altius itaque assurgere conati; non omnibus iis, quibus promittitur vita æterna; re ipsâ destinatam subodorantur. Solis nimirum iis, qui nominatim ad eam rem constituti sunt (quos Electos nominare placet) & quidem nulla ab iis præstanda conditione prævisa, reservatum hoc bonum. Stolidam plebem esse quæ non intelligat quid interfit inter vocem promittentis & mentem proponentis *Dei.* Vis plura ejus generis? Quid manifestius est, quàm, quod vulgò receptum; ipsa æquitas & sana dictat ratio; *Sui quemque sibi exitii Fabrum esse?* Delicta autem omnia ex libero, quodque aliter flecti potuit, quam flexum est, mortalium arbitrio, fluere? Quid ad hæc Eruditorum plerique? Periclitari universi gubernationem; ipsamque Dei Omniscientiam clamitant; si detur in rebus Contingentia: si libero arbitrio tribuantur plæraque quæ ab hominibus fiunt. Præstare igitur, ut omnium scelerum omnis improbitatis, fraudis, perfidiæ, turpitudinis, injustitiæ, immanitatis origo; ad sanctissimam Dei voluntatem, consilium, propositum, referatur; quàm ut vel tantillum licentiæ voluntati humanæ; vel vestigium aliquod Contingentiæ, in tam vasta rerum universitate concedatur. Quod sidus in toto æthere splendidius fulget, quam illud intaminatæ justitiæ jubar; quo summum Numen res humanas moderari modesta ingenia unà cum vulgo censent. Huic tamen, non tenebras modo offundere, sed deliquium afferre; nititur quorundam ambitiosa Eruditio. Quid enim clarius est, quam quod simplicissimi quique sentiunt; justissimum Deum nemini facere injuriam; sed si quem puniat, merito suo punire, quia videlicet ea commiserit, quæ non committere & poterat & debebat? Quid Eruditorum plurimi? Neminem eorum, qui puniuntur contendunt potuisse aliter vivere ac vixerit: aliàs sua Deo prædestinatio non constaret. Refragari æternæ legis decreto fluxas mortalium voluntates non posse. Immutabili sanctione velut adamantino clavo, semel fixa esse, quæcunque bonorum aut malorum eveniunt. Suo jure uti Deum, quoties mandat impossibilia: quum nihil sit, quod ipsi in Creaturam suam non liceat. Eodemque jure æternis cruciatibus torquere posse, eos, qui aut hæc non præstant, quæ illos præstare re ipsa noluerit; licet verbis jusserit, aut ea committant, quæ ipsos ob æternam reprobationem committere immutabiliter decreverit; tametsi eadem temporario interdicto, dicis causa, vetuerit. Quid nodis istis, magis contortuplicatum fingi potest? Atque huc illud alia mente ab Apostolo usurpatum, pravè detorquent. Argillam cum Figulo expostulare non posse! Egregiè & planè ad mentem mulieris illius; quæ privigno in summa fortuna constituto; eandem cantilenam

occinebat ; *Imperatori licet , quod libet.* At quantò aliter , ſimplex ille & nequaquam tàm ſublimi Theologia inſtructus , Amicus tamen Dei dictus Abraamus , præſenti atque annuenti Deo, auſus eſt figere juſtitiæ legem ? Abſit , inquit , à te ; ut qui judex es univerſæ terræ , æquitatem non ſerves. Atque hos tàm turpes ac fædos, alioſque infinitos iſtis gemellos Errores ; è medio Theologiæ ac Philoſophiæ gremio , nobis depromunt. Meritone ergo, paulò ante dixi , ad utrumque hodie inconſideratè accedere, nihil aliud eſſe, niſi facere certiſſimum deſipiendi compendium.

Hujus generis deliria quod coarguerit Zenodorus, *non ideò omnia damnaſſe dicendus eſt.* Neque item *dubitaſſe de iis quæ graviſſima habentur , & neceſſitate pluſquam Geometrica nituntur.* Niſi fortè graviſſima hic & neceſſaria vocet : quæcumque Theologus neſcio quis ; aut philoſophus falſo præjudicio occupatus , ritè quidem & ex præcepto artis : ſed ſuper putri ac futili fundamento extruxit. Multa enim in his ſcientiis meliores habent conſequentias , quam hypotheſes. Hinc ſtultiſſima dogmata , videas plerumque propugnari à Sapientibus : quia deductionis quidem neceſſitatem conſiderant : fundamenti certitudinem non explorant ; dubitaſſe de illo non auſi ! At plurima è receptis opinionibus , tot abſurdis , contradictionibus , ineptiis , cæteriſque non dubiis falſitatis veſtigiis ſcatent ; ut longè , non dicam ſtultius ; ſed periculoſius ſit Conſectariis iſtis ſubſcribere ; quam fuerit , de primo illorum fundamento dubitaſſe. In tàm ancipiti optione, Zenodoro tutiorem viam eligere ; religio eſſe non debuit. Sed ea licet fortè graviſſima putentur , in numerum neceſſariorum referenda non ſunt. Nihil enim neceſſarium eſt , præter id ſine quo æterna Salus contingere non poteſt. At ſi dogmata Chriſtianorum excutias , quæ pro orthodoxis paſſim obtruduntur , idque ſub pœnâ æterni exitii , neſcio an non omnia penè ex hoc numero expungenda ſint: præterea quæ orthodoxis cum hæreticis communia cenſentur. At dolendum eſt , vulgarem illam , in commendandis opinionibus , prætenſionem neceſſitatis ad Salutem, tàm extenſa eſſe , ut quicquid nonnullis in mentem venerit , in quo alios ſecum idem ſentire cuperent , id neceſſarium eſſe ad Salutem contenderent. Et quum tempore Apoſtolorum cuilibet in ſenſu ſuo abundare eſſet integrum ; dum fidem & obſequium in Regem ſuum Chriſtum , vita factiſque exprimeret : ſtatim poſt exſtinctos ea ſunt ſubſecuta tempora ; ut nulla res tàm levis eſſet & nugatoria , in qua diſſentire ab Epiſcopis auctoritate pollentibus capitale non eſſet. Nempe ſubſequentis ſeculi plærique Epiſcopi , Diotrephis ambitionem quàm Johannis tolerantiam imitari malebant : atque ut auctoritatem ſuam ſancirent , neminem à ſe diſſentire impune patiebantur. Hinc tot excommunicationes, tot anathemata , tot ſchiſmata in Eccleſiam ob res leviculas invehi cæpta ; etiam tum , cum ſub ærumnis perſecutionum gemeret. Quid autem mirer Victorem principis urbis Epiſcopum , in Johannis Apoſtoli diſcipulos ; longo poſt obitum ejus tempore ; ſine cauſa vibraſſe fulmen anathematis ? quum ipſo vivente Apoſtolo : aut certè cognomine ejus diſcipulo : neſcio quis in obſcura urbe *philoproteuon* Epiſcopus, auſus ſit ejuſdem , quos ipſe vocat Fratres ; ac neſcio an non & ipſum Joannem : ab Eccleſia excludere ? Tantas jam tum radices egerat effrænis Epiſcoporum ambitio , ut ne Apoſtolicæ quidem Cenſuræ verecundiâ contineretur. Et arbitramur ſublatis ſanctis illis & modeſtis Eccleſiæ plantatoribus , immodeſtiam hominum nihil feciſſe incrementi ; quæ jam tum viventibus illis , in eas vires adoleverat ; ut ipſis tantum negotii faceſſeret ! Neſcio an primum , certe memorabile ejus ſpecimen , is quem modo commemoravimus Victor edidit ; qui non certos aliquos homines , ſed totas Aſiæ provincias à corpore Eccleſiæ detruncare non dubitavit. Grande videlicet & tanta ſeveritate piandum flagitium admiſerant. In celebrando Paſchatis feſto die ; morem à reliquis Eccleſiis in re leviculâ diverſum , ſed à majoribus , iiſque Apoſtolicis diſcipulis acceptum , retinebant. O homines indignos quibuſcum ſocietatis Eccleſiaſticæ vinculum retineretur !

Non injuriâ igitur Narciſſus & Theophilus aliique Palæſtinæ Epiſcopi idem cum Victore ſentientes , in hac ipſa celebrandi Paſchatis quæſtione hæc de ſententia Synodi ad ſuos ſcripſere. *Satagite* , inquiunt *noſtræ Epiſtolæ exempla per totam Paræciam mittere , ne rei ſimus Errorum eorum , qui ſuas animas tam facile ſeducunt. Significamus autem vobis quod & Alexandriæ eadem die qua nos Paſchatis Feſtum agunt.* Magna profectò res agebatur. Plurimum videlicet Salutis animarum intererat ; qua die hujus feſtivitatis celebrarentur Solennia. O mores ! O tempora ! quæ in tanta Apoſtoli ſeculi vicinià ; tàm fædam noſtratis ævi barbariem redolent ? Et tamen adhuc Chriſtianorum animi perſecutionum metu in officio utcunque continebantur. Quid ergo de illis temporibus ſentias in quibus remoto diſcriminum fræno ; Chriſtianorum auctoritate & opibus auctis ; patentiorem vanæ gloriæ campum nacta eſt Epiſcoporum ambitio ? Quot & quam in futiles interdum opiniones vulgatum putamus iſtud neceſſitatis ad Salutem privilegium ? Multùm tunc Eccleſiæ intererat , quibus magiſtris uterentur ; quibus diſciplinis , ab ineunte ætate , quibus philoſophiæ præceptis imbuerentur , ii qui in potentiores Epiſcopos erant evaſuri. In eorum enim ſacras prophanaſque ſententias , reliquos omnes , pedibus deſcendere neceſſe fuit ; niſi hæreſeos crimine , ab Eccleſia ſuſtinerent avelli. Quotuſquiſque tunc Epiſcoporum , ſeſe aliquid veri docuiſſe putavit ; ut non idem omnibus , *Quicunque ſalvi eſſe vellent* , credendum occineret ? Itaque eò res redacta erat ; ut de ingenio factioſi & potentis Epiſcopi ; quam propriæ Conſcientiæ judicio , melius ſentire ; neceſſarium eſſet ad Salutem. Hinc illæ menſtruæ , hinc annuæ de Deo *Fides !* (libet enim hic non aliâ voce uti : quàm qua illi Epiſcopi ad arrogantiam ſuam abuſi ſunt.) hinc cum novis vocabulis ; novæ in Eccleſiam introductæ contentiones ; hinc Epiſcoporum concurſationes ; hinc veluti in Comitiorum ambitu conquiſita & poſteà numerata ſuffragia : hinc mutuæ damnationes , perſecutiones , exilia , paulò poſt vindictæ ; ac rerum vices ; eæque non ſemel converſæ ; hinc de Catholici nominis honore , accenſa utrinque certamina : quum hac voce ſemper validior pars infirmiorem premeret ; nec ſemper robore ac numero, ſed ſæpe factionis artificio : & Principum favore prævalentem potentiam , pro conſenſu omnium venditaret. Hinc ſemel ſparſo in Eccleſia peregrinorum dogmatum ſemine ; uberrimè ſemper ſuccreſcens errorum ſeges ; atque inde nullus odiorum & contentionum finis. donec quod in diſcordis populi Libertate evenire ſolet ; ad unius tyranni nutum atque libidinem, cuncta recideret.

Neſcio igitur quid ſit illud ; quod Heinſius plus quàm Geometricâ neceſſitate niti autumat. Nam ſi ea deſignat dogmata , quæ ſola multitudine aſſentientium , & ſuffragiorum numero fulciuntur ; iſta quidem , ſi ulla eſt , non alia quàm Arithmetica neceſſitas eſt ; ſed nihil prohibet quominus aſſenſu , ad tempus , ſuſpenſo , in eorum fidem , veritatemque inquiratur. Sin ad ea reſpicit ; quæ S. literis evidenter prodita ; veram in Chriſtum , cujus nomen omnes jactamus , fidem involvunt ; grandem Zenodoro cum ſociis impingit calumniam ; quibus ut ipſius Chriſti

& Apostolorum; ita oraculorum quæ ab iis profecta sunt; sanctissima semper fuit & est, fides atque auctoritas.

Sed jam ad alteram partem Zenodori audaciæ transeundum est : quæ in eo statuitur *quod levissimus de causis tantam tempestatem conciverit, dum leves, minutas ac dudum sepultas quæstiones movet.* Antequam crimen diluam : libet ad tempus fingere, verum esse quod Heinsius objicit. Quæro ab ipso primùm : utrum illum id facturum fuisse ; ab æterno putet decretum ? Si non putat, idem cum Zenodoro sentit, nec est quod hominem accuset : quia id quod falsum ipsi accusatori videtur, repudiet. Si putat : quid reprehendit ? An Dei decernentis consilium ? an Zenodori Deo parentis obsequium ? *At enim*, inquiet, *dum id facimus à Zenodoro suscipi decrevit ; decrevit simul ut ab Heinsio reprehenderetur.* Quicquam igitur Deus decernit, quod sine causâ & injustè fiat. Nam Zenodorus certe non peccat, quod paret æterno Dei decreto. deinde facit, quod non potest non facere ? quid igitur injustius est, quam eum, qui in nulla culpa est, reprehendi ? Certè si qui hic est culpa, aut in ipso facto est : aut in prava Zenodori voluntate. Factum ipsum culpari nequit : quia à Deo non prævisum tantum, sed decretum ; non fieri non potuit. Multò minus voluntas Zenodori. Primum enim, non aliud, quam quod & Deus ipse, voluit. Deinde nolle non potuit, quod ut vellet ineluctabili Fati vi cogebatur. At *enim*, instabit, *licet idem quod Deus vellet : tamen alio fine voluit.* Atqui ut istum ipsum finem voluntati suæ proponeret, jam olim Deus constituerat. Non alio igitur fine voluit; quàm quo illum Deus velle, voluerat. Quid multa ? in omnibus paruit Deo. Ubi isthîc culpa Zenodori ? Hunc igitur Deus non dicam eo nomine puniri ; sed reprehendi, decrevit ? Quo jure ? *Figulo*, inquiunt, *in argillam omnia licent.* Ergo & injuriam facere ? sine culpâ reprehendere ? innoxiam punire ? *Hæc*, ajunt, *inter alios pares, si accidat, injuria censeretur. At Deus in opus manuum suarum nihil potest peccare.* Si igitur omnia Deo in argillam suam licent : licet & datam ipsi fidem fallere. *Minimè*, inquit, *Quia ne injuriam quidem facere licet. Sed injuria non est, quoties Deus innocentem tanquam opus manuum suarum punit.* O crassam subtilitatem ! Ergo ne perfidia quidem aut deceptio erit ; si idem ipsi, non servet, quod promisit. *At enim hoc Deo non licet, quia jam fidem suam promisso obligavit.* Non jam illud dicam, Deum quoque jurejurando confirmasse ; se nolle mortem peccatoris, & toties apud Prophetas æquitatis suæ atque erga humanum genus justitiæ famam sollicitè purgasse. Sed hac erga argillam suam obligatione Deus quo jure teneatur : si in eam injustus non est, quum ab eo innoxia vapulat. Dici hîc potest, *injustum fortasse Deum videri posse, si quidem creaturæ suæ pœnas ; quas non meruerit infligat. At si non habita ratione supplicii, jure plenissimi dominii, ad aliquem statum calamitosum, creaturam suam fingat ; facere id posse absque injustitiæ reprehensione.* Omitto alia quæ hîc dici possunt. Nos enim consultò ejus generis exemplum elegimus, in quo ejusmodi effugio locus non esset. Illud unum urgebo. Nunquid reprehendere Deus justè poterit in quo nulla culpa est ? an illud ut reprehenditur justè decernere ? Nisi fortè eò delabatur Heinsius ; *non id à Deo decretum esse ; ut justa esset reprehensio facti, quod caret omni reprehensione ; sed veluti alia omnia delicta, furta, flagitia, scelera, ineluctabili Dei voluntate eveniunt : ut ista quoque Heinsii reprehensio ; quo jure, quave injuria, necessitate Fati eveniret.* Sed hoc quidem quam durum est atque crudum (ut jam tandem reprehensionem istam reprehendere desinam) decrevisse Deum, idque nulla prævisæ improbitatis ratione habitâ : non ut scelerata aliqua facta, ab incerto quopiam qui forte sua liberâ voluntate abuti vellet ; committi possent, atque contingerent : sed ut omnia fæda dictu, eventu tristia, crudelia visu, auditu immania, cogitatu abominanda facinora, quæcunque à sceleratis patrari videmus ; à certis hominibus seorsim ad eam rem assignatis, necessario patrarentur. Hisce illos pestibus jam ab æterno immutabili Dei voluntate nominatim devotos atque addictos, hanc singulis peculiarem assignatam provinciam : aliter neque facere neque velle posse, neque fixæ semel & inevitabili legi, ullo modo obniti atque reluctari.

Quamobrem igitur eos toties ad virtutem præmiis invitat ? cur à sceleribus pœnarum terrore, atque horribili interminatione absterret ? cur eorum se mortem nolle jurejurando confirmat ? *Scilicet hæc non Reprobis quos vocant sed Electis inculcantur.* Hoc vero impudenter asseritur, cùm Deus, non modò eò loci ad omnes promiscuè, & potissimùm peccatores, nemine quidem (quod ullo modo appareat) excluso, verba faciat : sed cum hîc tum alibi sæpius omnem eorum exitii causam à se removeat, & in illos solos qui pereunt, conferat. Duo igitur tantum hoc loco ac ne ea quidem integra aut tuta effugia supersunt. Primum voluntatem Dei aliam esse occultam, hoc est veram : aliam apertam : quæ quidem aliquid Deum velle aperte præ se ferat ; quod tamen occultè nolit : quemadmodum Salutem omnium hominum. Alterum est ; Deo in argillam suam omnia licere : Non modò punire insontem ; sed etiam credulam decipere ; imò etiam propriam culpam in eam minimè merentem, ultrà omne fas & æquum, conferre. O scelera ! O Blasphemias! Quisquamne veterum hæreticorum turpius lapsus esse putabitur ; quam qui hæc portenta primi, Orbi prodiderunt ? Plus igitur Summi illius Dei gloriæ interesse censebimus ; quid homines de essentia ejus opinentur ? Simplicem eam penitùs, an aliquomodo triplicem asserant ? quàm quid de justitia, de bonitate, de veritate : de ipsa denique arbitrii ejus (qua quidem nunc uti possit) libertate, sentiant ? Quid enim Deo relinquunt tàm pestiferi dogmatis patroni ; quod nunc velle aut facere ipsi integrum sit ? Quem omnia & singula in uno altissimæ æternitatis momento voluisse ac decrevisse putant ; ut nihil posteà velle ac decernere posset hoc est omnia semel propemodum fecisse ; ut semper penè otiosus esset. Etenim in Agentibus intellectu præditis ; quotæ quæso pars actionis in executione ejus remanet ; cum ipsa Actio potissimùm consilio agentis, & præsertim perfectâ, qualis in Deo cogitatur, destinatione censeatur ? Itaque nunc de sententia eorum, Deus suarum actionum Dominus non est : nec eas aliter flectere potest, nisi ex præscripta jam ab æterno formulâ. Ne insontem quidem licet absolvere, qui sine ullo respectu sui arbitrii, immutabili necessitate miser, tàm ad improbitatem ipsam ; quam ad eius supplicium adigitur. Non misericordiâ, non bonitate suâ uti Deo integrum est. Quid horres Christianum pectus ? Ne veraci quidem esse licet ; per illam Prædestinationis partem, quæ plurimis Salutem promittere destinavit ; quibus tamen hoc promissum prorsus non præstare, decrevit. Hæccine Heinsio levia aut ludicra visa sunt ? Hæ quæstiunculæ minutæ ? Quæ non modò Summi illius Numinis existimationem ; sed totius virtutis, probitatis ac Religionis : denique omnis tam divinæ quàm humanæ gubernationis fundamenta penitus convellunt, ac subruunt. Quis enim virtuti locus est : ubi ne velle quidem turpiter agere, cuiquam qui honestè agit, liberum est ? quis vitio, ubi nemo eorum qui turpiter aliquid audent, honestius agere, per æternam legem ; finitur ? quid probitati præmia propo-

proponuntur ? quasi stultum non sit ad ea illecebris invitare, quæ etiam citrà mercedem suscipi necesse est ? quid pœnis à peccando absterremus : cum nullis frangatur minis peccantibus lex posita inevitabilis ? Quid nos ad Religionem tanquam ad tutissimum Salutis portum recipimus ? quicquid conentur aut contendant mortales, facient in hoc portu naufragium, quos ad hanc pestem ab æterno divina devovit Reprobatio. At electos quicquid Deo obluctentur ; irresistibilis gratia sistet in eo gradu, de quo nullis sceleribus aut flagitiis suis dimoveri possunt. Quid irrita vota suscipimus ? quid inanes preces fundimus ? Flecti Deus ab æterni decreti instituto nequit. Quid eum prompto obsequio demereri conamur ? Nemo libentius Dei voluntati (veram illam & occultam ac fatalem intelligo) obtemperat, quam qui flagitiosam vitam libidinibus suis tradidit. Nihil tamen ipsi prodest parendi alacritas. Manet, ut opinor, hominem æterna pernicies. Nam Electos quidem ipsos, nescio an utrique ; veræ certè voluntati Dei ; aut refragari, aut invites ac reluctantes parêre, ipsi fatentur. Et tamen istis destinatam felicitatem nihil eripiet. Deterior igitur conditio eorum est, qui Deo libenter parent. Itaque nihil interest quo labore ; quâ contentione ; quo ardore quispiam in Salutis suæ negotio enitatur. Nihil jam nobis laudis ; nihil operæ relictum est. Quo animo ; qua mente ; qua conditione quisquis fuerit aut futurus sit ; jam olim semel immutabiliter provisum & constitutum est. Quid igitur virtus ? quid probitas ? quid religio censebuntur ? nisi vana nomina ? quid contentioni, studio, labori nostro relinquetur ; si neque irresistibili pietatis & Salutis gratiæ ; neque horribili impietatis ac mortis decreto, vel minimâ in re refragari possumus ? Nulla igitur vera præmia : nullæ pœnæ ; nulla vera laus ; nulla in hominibus culpa ; nulla locum habet reprehensio. Nemo quicquam mereri poterit. Omnia improbè, flagitiosè, sceleratè admissa : omnia ridiculè, stolidè, perversè facta, unus Deus præstare tenebitur. O dogmata plus quàm Geometrica necessitate nixa ! O fœcundam scelerum simul atque stultitiæ necessitatem ! Hæc igitur, tàm inepta, tàm absurda ; tam noxia religioni ; tam repugnantia virtuti ac pietati : tam in ipsum Deum contumeliosa dogmata : cum oppugnaret Zenodorus ; cum everterent cæteri ; vilia scruta & fila putria tractasse dicendi sunt ? Sanè quidem nihil verius dici potuit ; si his nominibus oppugnata ab iis dogmata, non quæstiones ad ea evertenda motæ, intelligerentur.

Sed jam ad ea quæ toti, ut ita loquar, Remonstrantium populo, objiciuntur, accedamus. *Quidvis credere Zenodoro dicuntur, non plebs tantum, sed etiam sectæ principes* : quibus obiter iniquissimum elogium affingitur : *quod auctoritatem suam novitati aut maledicentiæ libenter commodent.* Nam nec Zenodorus cuiquam mortalium maledixit : nec ideò novitatem ullam introduxit ; quia nova & usque ad Augustini tempora ; in solis Manichæorum latebris abdita dogmata ; nec unquam postea, ante Calvinum inculcata ; vigere in Ecclesia passus non est. Illa potius novitatis infamiâ laboret doctrina ; quæ ne Augustini quidem ævo, planè ab Ecclesia recepta, (ut ex Cœlestini Episcopi Romani ; ad Episcopos Galliæ epistolâ constat) nostrâ insuper ætate, unicâ excepta Reformatarum Ecclesiarum ; eaque non tota parte ; ab omnibus reliquis Christianorum familiis acerrimè oppugnatur. Maledicentiæ verò morbum Heinsius citius apud suos, summos illos sæculi viros, reperiret. E quorum scriptis, si *nebulones, tenebriones, canes, impuros, insanos, impostores, rabiosos, blasphemos, latratores, balatrones, obscœnos, impios, Diabolicos, Dii derisores, stuporis, hæreses, bestialitates ; & reliqua effusa* totis plaustris convitia subtraxerit ; propemodum triente sui contractiora volumina effecerit : & pauperiorum inter suos studiis egregiè consuluerit. Qua in re longè melius de Compendiorum sectatoribus merebitur ; quàm qui olim suscitavit Anastasium de Valle Quieti.

Nunc quamobrem cuipiam Remonstrantes *quidvis Zenodoro credere, videri possint* quæramus. Nam nunc illis quidem *Zenodorus omnia* esse dicitur. Mihi crede Heinsi ; qui hanc superbæ auctoritatis pestem penitus ex Ecclesia volunt exterminatam ; non facilè inducentur, ut in unius (ejusque, si sibi fides habenda, ineruditi) ingenio, judicioque recumbant. Nihil profectò minus objici potest hominibus qui diutinam Ecclesiæ servitutem miserati ; aut eius pertæsi ; Christianis ad recuperandam judiciorum libertatem signum sustulerant. Nec enim, (quod magnæ parti Reformatarum Ecclesiarum accidisse dolent ;) tantum iis Dominus ; sed ipsum servitium displicuit. Neque causam esse arbitrantur ; qui Julium Cæsarem ferre non potuerunt Dominum, cur serviant Antonio. Ac ne vobis quidem decorum esse putant ; post excussum Pontificis jugum ; in cujusquam, sententiarum magistri, verba jurare : aut alios sacramento adigere.

Quò magis mirum videri debet (ut jam totius Remonstrantium doctrinæ calumnias strictim attingamus) quibus tam fœdum, (*Zenodoro serviendi*) flagitium exprobrat Heinsius ; quamobrem eosdem *libertate ac licentia delectari* : Eoque *condimento doctrinam eorum potissimum commendari* asserat. Et libertatis quidem condimentum sibi sapere agnoscunt ; licentiæ abnuunt. Neque causam vident, cur hujus criminis insimulari possint ; idque non alio nomine ; nisi quia id aliis tribuere verentur ; quod si Zenodoro verè tribuerent ; justioribus eos probris, quam facit, Heinsius differret. Quidvis enim cuiquam mortalium post Apostolicum sæculum credere, non indignum tantum Christiana ingenuitate ; sed Libertati quoque Ecclesiæ & hominum Saluti, periculosum esse arbitrantur. Non alia ab omni ævo sævior pestis, Christi populum depopulata est, quam ista quidvis Episcopis suis credendi ; primùm Facilitas, deinde Necessitas : Quarum illa nimiam eorum auctoritatem enixa est, ut hanc ex ea pejorem matre neptem susciperet. Citò enim illa gratuita existimatio in metuendam potentiam evasit ; donec sensim in duriorem & crudeliorem degeneraret tyrannidem.

Supereſt ultimum doctrinæ Remonstrantium probrum ; si probrum dicendum est ; quod ex ejus instituto *homines virtutis nomen ; sæpius quam eruditionis aut scientiæ usurpent.* Hinc Aretalogus nescio quis inducitur qui *de allio* cum *cæpit aut porro, in virtutis commendatione definit.* Et hoc *multis hodie non parum placere additur*, ne cui dubium sit ; quæ hominum secta isto scommate perstringatur. Mirum quam sordeat istis hominibus virtutis nomen ; qui ne frequentiorem quidem ejus mentionem ferre possunt. Neque mirandum est, qui necessitati tantum tribuunt iis virtutem, præter inanem verborum sonitum, nil videri. At ad hæc divinare non difficile est ; quid iis doleat, qui sibi eruditionis opinione nimium placent. Plus virtuti quam scientiæ tribui molestè ferunt ; ne nobis obscurum esse possit ; cujus sint studiosiores. Sed hæc profectò labes ; quemadmodum orbi ab omni ævo, ita potissimùm Ecclesiæ incubuit ; quod hominibus semper ingenii quàm morum cura fuit antiquior. Quæ igitur vastitas ; quæ corruptio totius Ecclesiæ insecuta sit : facilius cogitatione percipi, quàm verbis exprimi potest. Nam postquam Fidei titulus ab eo ; quod proximè voluntatem nostram ad parendum Deo movet & invitat ; ad inanes ingeniorum

ingeniorum ſpeculationes tranſlatus eſt : ilicò omiſſâ pietatis curâ ; ad dogmatum contemplationem , ſtudia Chriſtiani orbis converſa ſunt. Neque tam ut ad præſcriptum Chriſti viveretur , quam in eo elaboratum eſt , ut ad præſcriptum Epiſcoporum ſentiretur. Hinc homines morum incurioſi , dum excolendo dant operam ingenio , à priſcæ fidei ſimplicitate in ſuperfluas ſubtilitates delapſi ſunt. Hinc inter vitioſos & famæ avidos diſputationes primum, mox orta jurgia ; quæ ſectis , ſchiſmatibus , hæreſibus ac internecinis odiis , jam inde ab Apoſtolorum ævo Eccleſiam repleverunt. Non mirum eſt igitur , ſi huic morbo primum medendum putent , qui Eccleſiæ benè conſultum cupiunt. Atque utinam , quod olim fecit Socrates , Zenodori ſocii efficere poſſint ; ut Chriſtiana philoſophia de aëriis illis ſpeculationibus ; ad vitæ ac virtutis diſciplinam retrahatur. Equidem vitia moribus melius , quam verbis oppugnantur ; ſed tamen ad ipſos mores comendos , multum verborum ſtimuli conferunt.

Atquè hæc quidem pro cauſâ Remonſtrantium , Satyrico dente paſſim admorſâ dicenda viſa ſunt. Nec tamen ad omnia quæ in eos jacta videntur reſpondimus. Privatorum enim contumelias omittere, vel ideò neceſſe fuit , quia ad quos pertinerent nobis ſcire non vacavit. Nam *illam Eriſticis inuſtam* ſeditionis *notam , quod non Syllogiſmos texant , ſed malleolos & Facis meras* , intactam , iis qui hoc ſtigmate notari meruerunt non inviti , relinquimus. Ultrò etiam inimicos Remonſtrantium , eo nomine accuſamus ; quod adverſariorum Syllogiſmis cum aliud non haberent , malleolos & faces , & commotæ in Magiſtratum plebis proterviam : ac poſteà militarem vim , ac nefas , oppoſuerint. Nam de Eriſticorum nomine , ne litem quidem ſibi moveri patiuntur Gomariſtæ , nata ad rixas animalia , nec ſcriptis ſolum maledicentiſſimis , ſed vitâ factiſque , Tolerantiæ concordiæque Chriſtianæ acerbas inimicitias profeſſi.

Reliquum eſt , ut clam vibrata in Sarmatas ſpicula repellamus. Ac primum *panni veteris Fauſtini in novos centones conſuti* inducit mentionem. Cujus ego viri laudes , omni prædicatione majores , hominis obtrectationi non opponam. Tantum illud regeram, Fauſtum (hominem ſane non antiquum) nullam novam texuiſſe ; ſed veterem ; eamque è filis putribus, antiquiori ad textam telam retexuiſſe. Quam certè antiquiorem ; liceat Heinſio panni veteris nomine vocare ; dum Fauſtinum non appellet , qui Apoſtolorum manibus contextus eſt. Quod ſi veteris panni nomine lacerum aliquod & pannoſum intelligit ; non apud Fauſtum equidem , ſed alibi , centones iſtos quærat neceſſe eſt. Is enim vir in eam curam nuper incubuit ; ut omnes ſordidos pannos , pleroſque autem è recentiſſimorum Platonicorum centonibus , male conſarcinatos , atque Chriſtianæ doctrinæ pejus adſutos ; & peſſime cum ipſâ cohærentes, revelleret atque abrumperet. Quibus certe reſcindendis , eò minus operæ impendit , quòd putrido ſubtegmini operoſe intextum ſtamen ſuâ ſponte diffluit.

Carpit deinde , neſcio quem Heinſius quod aliena , hoc eſt Sarmaticarum avium , ornamenta ; juventuti , pro ſuis oſtentaſſet. Faciunt ei Sarmatæ gratiam hujus patrocinii ; quibus ad perſequendum jus ſuum Heinſio advocato , minime opus eſt. Neque ſibi ſolis ornamento iſta vendicant , quæ omnibus veritatis cupidis quærenda

medio poſuit Deus , omnia campo.

Magis etiam ad injuriam ſuam pertinere arbitrantur ; quod in eo ulla ſibi facta fingatur injuria : quaſi hæc ſibi ornamenta & decora , aliquâ ingenii oſtentatione , non mero veritatis ſtudio parta ſint. Tamen in hoc ſcommate ; invictæ veritatis vi extortam confeſſionem Heinſii libenter accipiunt ; quâ licet ὑφειδῶς , non obſcure tamen oſtendit ; ſibi per Dei gratiam , non deeſſe ; quæ & ambitioſis ingeniis movere poſſint jactantiam & æmulis invidiam. Reſtant incluſa pyxidi folia Sarmatica. In quam plura ſimul calumniæ genera coacervata reperias. Nec enim aliter pyxis illa tot malorum in Batavia , cauſa eſſe potuiſſet. Nam fila quidem putria, aut folia exotica ſola , tot odia & injurias , quibus tum referta fuit Batavia , procreaſſe non poterant. Calumnias verò hîc in Sarmatas duntaxat contortas, examinabimus. Quarum illa familiam ducit , quòd libellis eorum

gens pelago , gens jam toties
Invicta ſolo ; perit infelix.

O nimium potentes libros; qui tã validâ gentẽ fregerint!

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marſi
Minacis aut Hetruſca Porſennæ manus :
Nec fera cærulea domuit Germania pube ,
Parentibuſque abominatus Hannibal.

Aut ut præſentis ævi lingua loquamur : quam neque medium amplexa orbem & ingentibus lacertis propè captum ſtringens , Iberica potentia ſubegit ; eam folia in remota gente conſcripta , debellarunt. Quod iſtud tam potens & efficax genus carminis fuit? quod adeo validum ſcripti genus ; quod invicti toto orbe Regis potentiam ; tanto intervallo ſuperaverit? Fabulas fuiſſe aniles : aut inepta deliria : aut infirmis hypotheſibus ſuperſtructas nænias , non crediderim. Ajunt enim , ne homines quidem , ſine nervis , ambulare poſſe. Ergo ſi Heinſio fides habenda eſt , nervoſius aliquid fuiſſe neceſſe eſt : quod tantarum virium ſpecimen ediderit : quantas nihil habet præter unam Veritatem , quæ non ſummis tantum Regibus , ſed rebus omnibus potentior meritò cenſetur.

Cujus equidem vis ingens eſt atque inſuperabilis ; ſed nequaquam in ullius gentis aut populi exitium funeſta. Quod ſi errorum patroni tantum in Batavia potuiſſe cenſeantur : aut illinc adhuc exulabat veritas , quæ omnibus falſitatis præſtigiis ſuperior eſſe ſolet : aut nimium nequam patronos nacta eſt : qui firmiſſimis ejus præſidiis ad defenſionem ejus , uti neſciverint. Utrumlibet eligat Heinſius niſi mavult aliam calamitatis Batavæ cauſam fateri ; præter folia Sarmatica. Ego verò ut oblatæ Heinſio optionis alterutram ; aut quod magis mirandum eſt : utramque partem aliquo modo veram eſſe poſſe , facile credo ; ita nec negare auſim , folia iſta , aliquam calamitati Batavæ cauſam dediſſe. Verum non alio modo , quam quo , olim Romanum imperium , Matthæi aut Lucæ ſcripta ; aut Pauli Epiſtolæ ; per trecentos circiter annos ; cædibus , exiliis & triſti ac varia malorum facie , deforme reddebant , ac miſerabile. Scilicet plurimum intereſt, alicujus rerumnæ in cauſâ ſis tantùm , an in culpâ quoque. In cujus diſcriminis confinio , ſedem ſibi plerumque calumnia eligit. Quod ne nunc quidem facere dubitavit ; & quidem pluribus pediſſequis ſororibus ſtipata.

Quas antequam excutere aggredimur ; libet obiter , animantem iſtum quem foliis Sarmaticis incubaſſe ſomniavit Heinſius, propiùs contemplari. Quodnam genus iſtud bruti fuerit ; ipſe ignorare videtur. Tantum *animal non magnum fuiſſe* , ait , *facie humana.* Mirum ni *Cercopithecus* fuerit , animal quod ſupra quoque non longum eſſe diximus ; pleriſque hominum ſimile , quibuſdam & familiare. Nam quod ex coloris mutatione Chamælontem fuiſſe conjicit , fugit eum ratio. Somniantis hoc vitium eſſe ſolet ; cui plerumque imagines de aliis in alias migrantes , illudunt : ita ut non magis res viſa , quam ipſe contemplator

templator evadat Chamæleon. Et quia Heinsius tot Menippearum pater, tàm sæpe somniat; verendum est ne assidua consuetudine Chamæleontis ingenium contraxerit. Cujus rei, hæc ipsa Satyra, fidem facere videtur. Nam si veris coloribus bestiam hanc depinxit; speculum sibi fabricatus est; in quo suamet (in hac Satyra expressa) lineamenta contemplari potest. Cum enim in hoc scripto varius ubique & versicolor appareat; duos tamen, quos commemorat, colores, studiosè vitasse videtur. Nam & candorem in narrando, sæpius desideravimus; & in tot calumniis in insontes conjectis; ne semel quidem erubuit.

Quarum cæteras ut porrò ab iniquè tractâ innocentia ordine amoliamur; altera nunc levitatis criminatio repellenda est. Quæ in *Chamæleontis* ingenio per ambages adumbrata; deinde in inscriptione tergoris; qua *dies diem docere dicitur*, significantius notata atque expressa est. Nemo igitur ulla in re profecisse censebitur; quin ilicò inconstantiæ crimine vapulet? Atqui ne Heinsium quidem à nutricis ubere recens depulsum, statim sapuisse credo. Nec video, cur ulli mortalium, ignominiæ ducatur, didicisse, quod nescierit. *At*, credo, *in divinis aliter res habet*. Quasi non tantò lentius enitatur mortale ingenium; quantò magis in ardua scandit. Nisi forte putemus Bezæ aut Calvino; in unius momenti ictu, infusam omnem rerum divinarum scientiam. An quod singulis permittimus, integris Ecclesiis non licebit? Imo verò, an non dum singuli proficiunt, Ecclesias ipsas proficere necesse est? Tristi experimento compertum est, singulorum errores integras occupasse Ecclesias. Neque enim errarent universi; nisi errarent singuli. Ergo singulis errores more humanæ imbecillitatis; gradatim deponere permittemus; integras autem Ecclesias, si quicquam in receptis opinionibus corrigant, damnabimus inconstantiæ? Enimverò sub iniquo tyrannidis Pontificiæ jugo, etiamnum gemerent Germani; si Lutherus existimasset Ecclesiæ decorum non esse; quod sibi turpe non putavit. Idem de Helveticis ac cæteris Ecclesiis statuendum est; si Zvinglius, & Calvinus ac cæteri inconstantiæ crimen formidassent: quod aut ipsi multa in sententiis ritibusque mutarent: aut integris Ecclesiis mutanda suaderent. Nisi forte existimamus in tot sæculorum caligine errorem Ecclesiæ incubantem; tàm sterilem fuisse, ut non more suo, in innumera aliorum errorum examina pullulaverit, quibus ante centum annos Ecclesia tàm fædè scatebat. Huic tam fæcundo germini, funditùs atque uno ictu exstirpando, credimus aut unius hominis ingenium, aut certum aliquem Ecclesiæ cætum, in exiguo temporis momento, sufficere potuisse? Aut saltem si quod post crassiora explosa dogmata, reliquiarum erroris superesse videatur; id posse rejici, salvâ constantiæ famâ, non existimabimus? Quid verò nos ad hanc tàm duram in errore perseverandi legem alligat; quæ in miserâ pertinacia laudem constantiæ captat?

Quondam porticus attulit
Obscuros nimium senes:

Qui unà cum iniquâ fati lege; introducebant stolidam & amænioribus ingeniis meritò ridendam; in sententia permanendi necessitatem. Quasi quisquam sit adeò stupidus; ut à sententia recedendum putet, nisi alia vicerit melior.

Tertia succedit criminatio per quam sinceritas traducitur eorum qui Heinsio Sarmaticorum sacrorum habentur Antistites. In qua profectò criminantis candorem desiderare necesse est: qui genus hoc hominum, quod apud vulgus Christianorum triste candoris sui expendit supplicium, tàm atro colore denigrare non veritus fuerit. Certè nisi bona fide & ex animo isti, de rebus divinis intimos sensus suos Orbi prodidissent; atque etiamnum proderent: atque adeò si decepti orbis ludibriis; & suavitèr irridenda stultitia taciti pasci maluissent; plus nisi tallor securitatis; plus honoris & gratiæ haberent; denique

Plus dapis, & rixæ multò minus, invidiæque.

Nunc monstratæ errantibus viæ comitas, & illa multis tàm invisa monendi sinceritas; omnium eos odiis atque inimicitiis objecit. Quapropter quò pluris ipsis constat, eò indignius est; hanc ipsis candoris laudem per injuriam eripi. Nisi fortè in evitandis periculis circumspecta sui cura; aut in odiis atque injuriis hominum declinandis solertia, fraudulentiæ digna est convitio. Atqui hanc versutiam Christus ipse docuit; hanc à magistro acceptam artem Apostoli, quoties commodum fuit; dextrè usurpare non dubitaverunt. In quo profectò vehementer mirabor, homini tàm eleganti & ingenioso Heinsio, rem tam stultam venire in mentem potuisse, ut sub sinceritatis nomine atque officio; exigat à quoquam, incolumitatis suæ incuriosam imprudentiam.

Succedit quartum calumniæ genus Impudentia. Quam quo pudore objiciat Sarmatis, ipse viderit. Nihil enim profert in quo eos frontem perfricuisse probet. At nos innumera proferemus; quorum cum Sarmatas vehementer pudeat; Heinsium cum suis minimè pudet. In gravissimo doctrinæ Christianæ capite, de summi Dei persona; pudet eos ultra expressa S. Scripturæ verba: aut conceptam Symboli Apostolici formulam, altius aliquid comminisci aut sapere. Heinsium, nisi me opinio fallit, cum quibusdam non pudet explicanda Christianorum oraculorum simplicitate, Hermete, Plotino, Jamblicho, aut ipso Christianorum hoste Porphyrio; denique Rabinis Cabalistarum coryphæis, uti interpretibus. Eosdem post convictam falsi; tot sæculorum & conciliorum auctoritatem, pudet in sanciendâ dogmatum fide; niti factiosis suffragiis. Heinsius cum Patribus Dordracenis, non erubescit explosam à majoribus tyrannidem, revocare ad opprimendam Ecclesiam. Errorum quos de prædestinatione Dei commemoravimus; fædam & pudendam colluviem, Heinsius cum Gommaristis honori; Sarmatæ sic sentientibus probro esse ducunt. Utros teneriori fronte putamus? Longum esset singula deceptæ in orbe Christiano plebis deliria persequi. In omnibus istis Sarmatæ, iniquè irrogatam sanctissimæ Christi doctrinæ ignominiam non ferunt; quibus tamen non asserendis tantum; sed jactandis etiam & violenter obtrudendis, Heinsius cum suis exultant. Et audent homines videlicet summo ipsi pudore atque modestia, omnibus qui in imperiosa verba jurare nolint, objicere inverecundiam!

Supereſt ultimus criminandi conatus; nescio cujus mali, Christianis cavendi, exprobratio. Et quia de foliis Sarmatis sermo erat, credo lectionem librorum istorum, in tàm diram suspicionem vocari. Sed quænam in iis est tàm valida atque efficax illecebra, quæ cavendos potiùs quàm refellendos suadeat? Scilicet voluptatum dulcedine, aut vitiosarum cupidinum escâ; animos mortalium sollicitant. Nihil minus. Curiosas potius artes & maleficas præstigias continent. At neque id quisquam adhuc objecit; & à Magicis artibus alieniſſimos esse vel inde agnoscas, quod Zoroastri de Deo commenta rideant. Restat ut in propinando opinionum suarum veneno; callidissimo utantur artificio. Quid igitur? Nunquid novos ac veteribus Sophistis ignotos invenerunt Elenchos? an fallacias commenti sunt; de quibus neque Peripateticorum principi; neque tot per viginti secula scriptoribus Dialecticis venit in

mentem? Quod si veteribus fallendi modis ludificantur ingenia, ecquid habet discriminis lectio in qua notum omnibus artificium pellucet? Factum profectò bene, quod in hoc criminandi genere somnus Heinsium subitò reliquit. Cujus somnia licet apud vigilantes parum fidei & auctoritatis habere debeant: tamen quia major pars Christiani orbis; quod ne ipse quidem ignorasse videtur, etiamnum dies noctesque stertit; possunt apud multos incautos & somniantes; falsam de insontibus imprimere imaginem. Nos homini, quò placidius in posterum dormiat, saniorem mentem precamur. Non ignari nihil esse turbulentius ægrorum insomniis.

Quod si in carpenda innocentia ulterius experiri vires suas voluerit, more suo fecerit; cum ipsi in re plerumque difficili, falsâ atque paradoxâ, periclitari famam ingenii; & eruditionis nervos contendere, novum non sit. Nisi quod ut ausu minus iniquum, ita factu magis proclive videatur, Asino aut Pediculo Panægyricum, quam in insontes Menippeas scribere aut Philippicas. Quamobrem si perrexerit, dabitur à nobis opera; ut minus ipsum pæniteat, brutorum inhonestissimis falsas affinxisse laudes; quàm honestissimis atque optimis mortalium veras detraxisse.

BARCLAJUS.

Hoc mihi sit sanctum; quicquid coluere parentes:
Et damnare suos mens mea nolit avos.
Non me sollicitet tanta sapientia molis:
Nil facit ad mentem Cura superba piam.

RESPONSIO.

Sed Venerem atque Jovem nostri coluere parentes:
An damnare suos mens pia nolet avos?
Non hunc sollicitat nimia sapientia molis,
Qui vitæ, in cœcis palpat iter, tenebris.
Nomina Majorum titulis, sed inania vanis,
Sunt quibus, ab, potius Cura superba tumet.

FINIS.

APOLOGIA
PRO
ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPE
JANUSSIO
DUCE
RADIVILIO,
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPE;
DUCE BIRSARUM ET DUBINCORUM &c.
quondam
PALATINO VILNENSI,
ET
EXERCITUUM MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ SUPREMO
GENERALI.

HERCULEÆ virtutis opus est, pugnare cum monstris ac belluis. At nulla populo bellua immanior, nullum horridius & horribilius monstrum illius invidiâ. Quæ pestis nunquam mediocri inter mortales virtuti infesta est. Magnos semper animos, & communis sortis metas egressos, aggreditur: nec vulgari aut quotidianâ virtute domanda est. Luctatos cum eâ videas, ab omni ævo, tot Semideos Proceres, nec omnes ubique aut semper, aut certè statim ac facilè, funestam ejus vim eluctatos. Quod si non parvam vim negotii sibi creant, qui insitatæ virtutis eminentiâ, sævissimum hoc monstri genus lacessunt; non minoris profectò molis inimicitias suscipiunt, qui pro livido dente admorsâ illustrium virorum existimatione, vocem mittere, audent. Nec hostilius invidiæ furor erumpit, adversus ipsam virtutis excellentiam, quàm contrà ejusdem patrocinium; nec rabiosius ipsos Heroïs, quàm eorum defensores, allatrat, quò pauciores passim veræ laus & innocentia inveniat advocatos. Cæterùm ut nihil est tàm ferum & indomitum, quod non virtutis robore frangi possit, ita nihil tàm caliginosâ mendacii nocte sepultum, quod non tandem clarissimâ veritatis luce effulgeat. Quo minus trepidandum est iis, qui eximiæ virtutis conscii, ac testes, adversus factiosè conspirantis vulgi calumnias, testimonium in publico dicere cunctantur: magisque enitendum, ne pluris viles ac plebejas linguas, aut stolidæ turbæ censuras, quàm posteritatis judicia æstiment. Non eas res gessit Illustrissimus quondam inclytæ memoriæ Princeps, Palatinus Vilnensis, Supremus Exercituum M. D. L. & Generalis Præfectus, quas aut fugientis ævi lapsus oblivione delere, aut invidorum malignitas, atro loliginis succo decolorare possit. Tanti nominis mordendi rabie æstuans infelix livor, adduxit obscænos rictus, non alio opere & impotentis odii pretio, quàm ut avidè impressum & offensum solido frangeret genuinum. Nam ut virtute validiùs, ita veritate durius & durabiliùs nihil est; & utriusq; hostes, non tàm firmis dentibus Natura instruxit, ut quæcunque arrodere audent, perfringere possint. Non tamen omnia, quæ aut pro innocentiâ Principis, aut adversus Criminatores dici possunt, in medium producemus. Plura fortassis aliis narrantibus, scire aut legere posteritas poterit. Nos eâ moderatione defensionem præsentem exequemur, ne quisquam etiam eorum qui accusari meruerunt, sese accusatum à nobis, meritò queri possit, nisi forte obstinatâ innocentiæ criminatione, semet ipse ultrò ictibus ac telis defendentis objecerit, aut in diluendis insonti objectis, propter adhibitum à nobis inculpatæ tutelæ moderamen, sibi minimè satisfactum esse putaverit. Fatemur enim longè evidentiorem esse innocentiæ causam, quoties affictæ culpæ culpa, in verè nocentibus, digito ostenditur, quàm cum duntaxat ab innocentibus removetur. Nobis tamen, in neminem nominatim publicorum malorum culpam conferre, propositum est; ne quis alius nobis irasci possit, nisi qui sub nomine suo, & palàm coarguí, h. e. imprudens de semetipso aliquid ultrò confiteri voluerit. Ergò quandiu insontium causa, absque isto patrocinii genere defendi poterit, sontes non substituemus. Quod si qua nobis hominum importunitas, transferendorum in malè meritos criminum, necessitatem extorserit, nullâ provocati culpâ provocans vapulabit. Provocantem autem intelligo, non venalem & mercenarium calamum, sed emptorem calami, in cujus rem stringetur. Causa nobis etenim, eversæ proximo bello Lithuaniæ dicenda est. Dicenda autem in publico Europæ theatro, audiente Orbe ac posteritate. In quo negotio, causæ quidem eventuum nonnullæ, & consiliorum aut rerum gestarum origines, premi aut taceri nequeunt, quippe quæ ita obscuræ ut supprimi possint. Hominibus tamen

quantùm per ipsosmet licuerit, à nobis parceturne, qui latuisse poterant, in lucem inviti protrahantur. Unâ in re defensio nostra descendet ad singularia; ut à proximè nominato Illustrissimo Principe, omnem vel minimam calamitatum publicarum culpam, removeat & amoliatur. Nec enim simplici criminationis genere insontem appetit invidia, Sed primum apud imperitos, publicum & fatalem Patriæ casum, trahit ad privatam bellicæ virtutis ignominiam. In quo cum sapientioribus, ac rerum gnaris imponere nequeat, mox horribili calumniâ intactam ullâ suspicione fidem Principis adoritur, eamque clandestini cum hostibus consilii & collusionis insimulat.

Utrumque Criminationis genus separatim refellere aggressi, à priori ordiemur. Quid enim est in quo ruenti Lithvaniæ Ducis hujus virtus, aut industria, aut extremi conatus contentio defuerit? quid ex prosperis non summo consilio? quid ex adversis non summâ necessitate susceptum? quid non ab eo ritè atque ordine factum, & pari fortitudine atque prudentiâ perfectum est? Regrediamur in ipsa Servilis belli primordia. Concussio primùm in extremis Ucrainæ oris Regni Polonici limite, cùm eodem tempore orba Supremo Principe Respublica, non levi indigeret præsidio; quid non per summum periculi contemptum tentatum est, ne Princeps hic (qui pæne unus tunc cum imperio erat) ullo publico milite succinctus esset? Ast præsentissimum discrimen aderat, ac metus à plebe Russici generis, quæ pæne sola (paucissimis terrarum angulis exceptis) totum, quà patet, Lithvaniæ corpus occupabat. Et coortum atrox in Ucrainâ incendium, in contiguum Magni Ducatus viciniam Russici belli favillas jaculabatur, quo mox non extrema tantùm Albæ Russiæ latera, sed penitiora Lithvaniæ, usque ad Brestensis urbis calamitatem conflagrarunt. Tàm cæca tamen fuit Civilium contentionum æmulatio, ut dum domestici Civium incrementis aut gloriæ obstaret, oculos ad externum & commune periculum non adverteret; atque ut unus militiæ Dux inermis esset, universam Lithvaniam publico milite exarmare contenderet. Et nisi privato Principis impendio huic malo maturiùs obviam itum fuisset, sera profectò aut tarda fuissent publicæ defensionis præsidia. Sed quàm in prospiciendo discrimine solertem ac providum; tàm in comparando Exercitu promptum, & in improviso bello profligando strenuum Ducem hunc, experta est Rebellium ferocia. Is enim primùm in absentiâ Illustrissimi Ducis Boguslai, per submissum opportunè præsidium, repulsâ ab Urbe Slucensi, mox in Pinscensi municipio, per Gregorium Mirscium Excubiarum Mag. Duc. Lithvaniæ Præfectum, concisâ maximâ hostium manu, nihil afflictam fortè valetudinem, nihil iniquius tunc anni tempus moratus, unâ expeditione universam è totâ Lithvania Rebellionem ejecit. Nidificaverat fortè hostis, in locis Polessiæ inaccessis. Hunc brumæ opportunitate usus, & invia lacustris Provinciæ, per conglaciata paludum, in offenso cursu peragrans, è cubilibus latrociniorum passim pepulit; ut quicquid illic turbidi esset in oppidum Mozyrense confluaret, atque unâ expugnatione deleretur. Cùmque in proximâ isthic Lithvanici juris orâ, nihil ultrà propemodum hostilium virium ad Borysthenem usque supereset, flexit illinc ad interiora Lithvaniæ, ubi malum recens serpere cæperat, & Bobrujsco occupatâ, ac Ducibus seditionis supplicio affectis, reliqua nutantis Albæ Russiæ oppida, partim deditionibus recepit, partim admoto propiùs exercitu, in fide atque obsequio continuit. Ita non toto bimestri spatio temporis, quantum inter Brestiam & Borysthenem terrarum interjacet per quadringenta circiter passuum millia in longum, dimidio ferè minori latitudine extensum, incredibili celeritate pulsis rebellibus, perdomitum est & pacatum. Et eo quidem successu, ut cæptâ ab eo tempore, & partis mox illustribus victoriis continuatâ pace, usque ad proximam Moschorum irruptionem, tota (quanta est) Lithvania, sub clypeo virtutis Radivilianæ frueretur ac requiesceret. Nec alia subsequentibus annis belli cum Cosacis sedes, quàm aut in extremo circa ripas Borysthenis limite, aut longè ultrà Lithvaniæ fines in hostico fuerit, cùm nonnullæ è vicinis Provinciæ bellum altiùs intrà viscera receperint. Sequitur æstiva Anni noni suprà Millesimum Sexcentesimum & quadragesimum expeditio; in quâ seu paucitatem Copiarum, sive rerum gestarum magnitudinem, sive in subitis quoque casibus expediendi consilii celeritatem respicias, editum est à Principe artis Imperatoriæ specimen memorabile. Præcipiti & improvisâ hostium festinatione, cum modicâ ter Millium militum manu, in Castris ad Lojovum deprehensus, atque hinc cis Borysthenem ad triginta Millium Cricviani exercitus multitudine circumfusus, illinc ex hostilibus trans amnem munitionibus, non paucis hostium millibus trajicientibus, cominus oppugnatus, eâ animi præsentiâ & fortitudine quinque diversis, uno die, locis cum hoste conflexit; ut non modò propemodum triplo majorem suis vincentibus numerum hostium in acie sterneret: sed ipso (quanquàm seminece) Duce hostium capto, tantæ molis turbam, sparsim disjectam, nusquam in vestigio consistere, aut in unum colligi passus fuerit. Incidit hujus victoriæ opportunitas in illud tempus, quo flos militiæ Regni, unà cum præcipuis Ducibus, ad Arcem Zbaraslium, ab immani Russorum & Tartarorum multitudine, acerrimâ oppugnatione premebatur. Et nisi tunc Serenissimus Rex CASIMIRUS periculoso intrepidæ virtutis ausu, cum mediocribus Copiis, præsentissimo solvendæ obsidionis discrimini sese objecisset, de tot fortissimis viris actum fuerat, & Regni Copiarum flos ac robur perierat: Sed collatis de propinquo Castris, datisque & acceptis mutuis vulneribus, Regem inter & Tauricanum de pace agi cœptum est, & recens allatus acceptæ ad Borysthenem cladis nuncius, non exiguum hosti ad transigendum stimulum addidit. Tunc quoque vigilantiâ Ducis Radivilii factum est, ut Lithvania extra omnis belli damnum ac pænè sensum, nec tamen extra victoriæ fructum fuerit.

Brevem Anni, post Millesimum & Sexcentesimum, quinquagesimi quietem, resumpti Anno sequenti belli excepit incendium. In quo auspicatò sumptis ab eodem Principe armis, repulso ac proturbato procul à limite bello, Lithvania extra Lithvaniam gloriosè defensa est. Rerum tunc ac locorum difficultas consilio superata ac propè expugnata est, ac citrà ullam fidei labem, propriâ Ducum arte circumventus hostis. Fracta claustra hostium & perrupti Borysthenis obices, capta fine sanguine in adversâ ripâ Munitio, transportatus invito ac gemente hoste ultrà amnem exercitus, protritus acie Dux hostium Nebaba, eodem, quo cæteri ferè omnes cum Principe congredi ausi, fato, vitam pugnando amisit. Terror hinc improvisus, atque arma per intima hostium penetralia circumferri cæpta. Sed Arx belli Kiovia, duobus hostium Ducibus (& ipsis quoque paulò ante acie pulsis) infessa, Principem iterum retrò ripæ Borysthenis admovit. Ergò ducit ad Urbem, præcipuum hostium domicilium & sedem, tot nostrorum spoliis & cladibus ovantem. Nihil victori invium, dilapsis hostium præsidiariis, veniam petit Kiowia supplex, & impetrat. Illic paululum militiæ Regni Duces, qui conjunctionem armorum obstinatis precibus flagitabant, præstolatus, post sociatos Exercitus, ubi primùm in conspectum hostium ventum, non improspero successu, nec dubiâ spe patrandi belli, victricia signa in adversam aciem inferre cæperat, nisi sociis Ducibus, præ victoriæ fiduciâ, cauta potius & incruenta pax placuisset. Secuta igitur transactio, anterioribus pactis, longè æquior: & bellum post quadriennem tumultus tempestatem posuisse videbatur. Quod tamen Anno sequenti, abruptâ pactorum fide, & immani nostrorum in Ucrainâ cæde patrata, recruduit. Recens improvisi vulneris dolor, promptum atque acre poscebat talionis supplicium; Sed cùm sufficiens stipendiarii militis copia ad manum non esset, evocandæ in publicam Expeditionem Nobilitatis necessitas urgere videbatur, quod nuper in Berestecensi victoriâ remedium hoc Reipublicæ prosperè cesserat. Illic enim Serenissimi CASIMIRI Regis, evocatæ Nobilitatis robore succinc-

ti,

ti, ac more majorum præsentis, invictâ virtute atque auspiciis, ingentis triumphi decus partum erat. Nempe post paucorum dierum experimenta, explicatâ utrinque ad prælium acie; actus in præcipitem fugam, cum numerosissimo equitatu Tartarus; dissecta Cosacorum acies ac Duce fugiente destituta, ægrè subitâ primùm carragine, deinde extemporaneo vallo sustentata, post brevem obsidionem toleratam, clam, per paludum uliginem, memorabili ad posteros commento factam sibi perviam, evasit. Cùm tamen tunc tota ferè gens Rebellium, non longius ab internecione, quàm obsidentium robur, ab obiecti valli vicinià aut expugnandi spe abfuisset.

Verùm post acceptam ad Batohum cladem, sonticus Regiæ Majestatis Morbus, hujus remedii usum abstulerat. Hinc factum, ut ingruentis belli moles in proximum Annum devolveretur. Erat is præsentis Sæculi tertius & quinquagesimus, quo Transylvani machinis excitatâ proditione, mox armis & violentiâ detrusus Principatu Moldaviæ Basilius, conjugis & liberorum salutem Sozaviæ munimentis ægrè tuebatur. Huic in auxilium Chmielnicii filius, & matrimonio recens per vim extorto, Basilii gener, cum mediocri Cosacorum manu advolaverat. Pacta nobis inde ex Senatus-Consulto cum Transylvano, tanquàm adversus communem hostem, fœderâ, destinatum in Cosacos exercitum Moldaviæ finibus admoverunt. Jamque & Cosaci Tartaricæ societatis, ceu non parum damnosæ, pertæsi, ad Moschicum patrocinium respectare, & Moschus in nos simultatum ansas undique captando quærere cœperat. Documento fuit missa ad Serenissimum Regem, Leopoli tunc iter ad exercitum, cujus mentionem fecimus, apparantem, solennis Legatio. Sed Legationis ejus non minus iniqua & arrogantia postulata fuere, quàm petulâs ablegatorum insolentia, quàcunque incederent, passim illatis hospitibus injuriis ac violentiis, captatam in obtentum belli talionem provocantium. Nihil eorum Duci RADIVILIO ignotum, aut inexploratum fuit. Qui cum videret hinc non dubiâ fraude Moschum Lithvaniæ imminere, inde Cosacos cum eo colludere incipientes, illinc autẽ exercitum Regni, procul ad Austrum remotum, extra omnem subsidii sibi adversus Moschum ferendi facultatem & copiam, immensis locorum divortiis arceri, maturè circumspicere coactus est, ne quid illâ tempestate creditæ armis suis Lithvaniæ Status detrimenti acciperet. Non latebat eum, si cum mediocri quæ præsto erat manu Borysthenem trajecisset, alterutrum ipsi metuendum fuisse; ne aut, dum trans tot fluminum ac locorum difficilium trajectum, in hostilis ditionis interiora penetrat, interea Moschicæ irruptioni nudam & inermem Lithvaniam invadendam relinqueret; aut reditu intercluso, inter Moschum & Cosacos medius, sine ullâ spe subsidii, non dubio exitii metu intercideretur. Proinde quod in præcipiti periculo unicum supererat, ex re præsenti ripę Borysthenis infidendæ consilium capit, & castra ad Rezizam metatur. Loci imprimis opportunitate invitabatur, quo nullus situ melior atque commodior fuit, ad Moschi simul atque Cosaccorum irruptiones, quas vel ipsâ trajectus difficultate morari posset, arcendas. Illinc & alia hosti finitima oppida præsidiis firmavit, & uni Smolenscensi urbi, duas præcipuas Exercitus sui Legiones adversus meditantem perfidiam Moschum transmittit: denique rebelles, undique à finibus ita submovit, ut in ditionibus Lithvanici juris, nusquam impunè vestigium posuerint. Et eo quidem Anno, paci atque integritati Lithvaniæ satis prospectum videbatur, nisi contagiosa ad Rezizam lues, (quæ ne mutatione quidem loci sisti potuit) viros pariter & equos depopulata, triente propemodum sui, exhaustas Ducis copias minuisset. Cęterùm hęc jactura, sopito statim ad Camenecium bello, imminentium per hyemem Comitiorum provisu non difficulter sarciri, imò verò ad novum & longè difficilius bellum nova & idonea præsidia, novæ & justæ vires comparari poterant (jam enim palàm renudatis animis & Cosaci ad Moschum desciverant, & Moschus rebellium patrocinium susceperat) nisi fatalis nescio quis, & offensi Numinis irâ cælitùs immissus animis hominum furor, Comitiorum illius temporis consilia abrupisset. Credet forsitan, sed inter prodigia referet posteritas, in illo periculosissimo temporis articulo, inventos ex Ordinibus ad publica consilia delegatis, qui procurando publicæ salutis præsidio interessent, & in Comitiis ad repellendam Patriæ perniciem ritè & ultimâ necessitate indictis, nihil decerni passi fuerint. Ille primum ictus de cœlo datus Lithvaniam veluti periculo proximam, mox totam Rempublicam impulit in immane præcipitium. Non cladibus postea Exercituum, non deditionibus Urbium, non oppidorum direptionibus, aut vastationibus agrorum; sed eorum tunc vocibus ac linguis eversa est Respublica, quæ jugulum ejus nudum & obnoxium districtis hostũ ensibus præbuerunt. Nempe illorum imprudentium ore, ultrix delictorum nostrorum, divinitùs adversus nos pronunciabatur sententia, cujus postea executio per tot finitimarum gentium Moschorum, Suecorum, Tartarorũ, Transylvanorum, Moldavorum, Austriacorum, & rebellium manus administrata est. Ac enim quid fruttrà in vicinos aut rebelles populos calamitatum nostrarum culpam conjicimus? Nullus externorum in nos hostilior ictus incidit, quàm qui Tribuniciis Civium linguis tunc impactus est. Imò verò nihil postea vulnerum accepimus, quod non intempestiva illa intercessio nobis inflixerit. Nam quid Lithvaniam primo discrimini objectam perdidit? quid supremum ejus militiæ Ducem exarmavit? quid Moscho Smolenscium, Polocium, Witepscium, & florentissimam Albæ Russiæ provinciam, imò totam Ukrainæ oram prostituit, & in manus tradidit? denique; quid Suecis invadendi nostri animos & stimulos addidit, nisi inauspicata illorum Comitiorum destitutio, per quam stetit, ne utrumque Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ latus, idoneum haberet præsidium? Dimota tunc, & de summo suo gradu per abruptam ac præceps devoluta Resp. binis subsequentibus Comitiis, neq; restitui, neq; sisti potuit, donec ad imum sterneretur atque procideret. Sed Lithvaniæ præ cæteris provinciis velocius ac tristius fatum fuit, cui Moschus primùm totâ belli mole incubuit: neq; ullæ ad resistendum vires supererant, præter illas tot præsidiis exhaustas, & noxiâ ad Rezizam lue diminutas. Quapropter nulli magis noxium, magis injurium, & metuendum fuit facinus illud, quo tũc publicarũ Consultationũ exitus irritus efficiebatur, quàm Principi, cujus armis Lithvania defendi, cujus oppositò pectore, tàm paratus ac potens hostis, arceri debuit. Quò magis ambiguũ est, risunè vecordia, an indignatione dignior impudentia fuerit eorum; quos abrupti Comitiorũ cõventus, culpam, in eum Ducem conferre non puduit, cujus maximè omnium, intererat, ea desiderato exitu cõcludi. Scilicet is impedire sustinuit, ne sibi sufficiens ad resistendum hosti exercitus decerni atque instrui posset, cui præcipuum resistendi munus incumbebat. Credibile verò cuiquam videri possit, eum ipsum abrumpendis Comitiis dedisse operam, qui abruptis iis propè nudus ac semiermis armato & potentissimo hosti objicicbatur? sed quid argumentis aut conjecturis opus est? Nondum exolevit Conventus istius memoria, nec Sexennium istud omnes testes & conscios rerum extinxit. Neminem latet qui in ejus exitu, protestationibus factis, Comitiorum cõsilia dissolverint. Non ad Historias, non ad Acta publica provocandum est. Extat in mentibus omnium recens & fixa recordatio, eosdem disturbandis illis Comitiis incubuisse, qui dignitatem hujus Principis toto Comitiorum tempore oppugnaverint. Procul igitur ab ejus criminis suspicione eum abfuisse necesse est, quod in acerrimis ejus inimicis palàm deprehenditur; qui cùm debitam ipsi Supremi Ducis dignitatem apud S. Regiam Majestatem eripere non possent, id unum tandem egerunt, ut isthâ dignitate præsidiis suis exarmatâ, Dux absque exercitu inermis, ac propè vinctus ingruentibus hostibus dederetur. Post avulsas sub Sigismundo Augusto Rege à corpore Lithvaniæ, florentissimas & maximas, Volhinię, Kiovię, Podlachiæ, Polessiæ, provincias, nunquam Majores nostri cum Moschis bellum gessere; quin (etiam in Lithvanici juris ditione) totius Regni vires Lithvanis adjungerent

gerent. Nunc imminâte potentissimo Septentrionis Principe, qui per plura lustra facto in bellum apparatu, fiduciâ virium fretus, præsens tanquàm ad exploratam victoriam veniebat, non modò Polonia, sed Lithvania ipsa, principio belli, ne unum quidem ad tantam potentiam propulsandam militem contulit. Quasi illa exigua, nec mittendis tantùm, quâquaversum præsidiis, sed morbis grassantibus exhausta manus, vix Cosacis à limite arcendis sufficeret, ingruentem tantæ tempestatis molem, sistere aut frangere potuisset. Quæ nunc tam perfricta frons erit, quæ à Principe viribus & exercitu destituto, postularet audeat, servandæ tali in re ac tempore Lithvaniæ officium? Titulone Supremi Ducis, & inanibus dignitatis ornamentis, tot hostium legiones debellandæ fuerunt? Ut manu atque armis & Regni capitis objectu semper, sic tunc consilio Serenissimus Rex CASIMIRUS Reipublicæ non defuit, collato in eum Summi Ducis munere, qui tot speciminibus virtutem suam patriæ approbaverat. Defuit quorundam Civium in Patriam amor & fides, qui privati odii instinctu, salutem publicam Principis hujus exitio posthabuere. Nec una fuit ista occasio, in quâ S. Regiæ Majestatis eximiam in Rempublicam voluntatem & studium, quorundam Civium contumacia destituit, aut frustrata est. Nam & aliàs quoque Comitia disturbata sunt, adeò nullâ aut levi de causâ, ut de eâ ne nunc quidem satis constare possit. Et Berestecensis victoriæ Regio CASIMIRI periculo ac virtute partæ, fructum in quo domestici belli finis, & futurarum miseriarum certissimus obex præstò jam aderat: quid aliud, nisi paucorum astu & culpâ, concitatæ ad inferendam conficiendo bello moram, Nobilitatis obstinatio corrupit? Absque Ducibus istis ac seditionum follibus fuisset pridem tàm difficili bello, summa esset domi imposita manus, & foris externa arma, nullâ laborantis Patriæ opportunitate invitata quievissent. Et quisquam malæ Reipublicæ ab optimo Regum reposcere audebit, quæ malè sana quorundam Civium studia & intemperiæ nobis intriverunt! Non meliori jure adversa & calamitates Lithvaniæ reposcuntur à Principe, cui si defendendæ Lithvaniæ mandabatur provincia, non erat subtrahendus saltem triplo aut quadruplo minor hostium potentiâ exercitus. Et tamen Princeps hic tam exiguâ manu, quantula deductis necessariis pro vasto Lithvaniæ limite præsidiis reliqua esse poterat, res gessit ad posteritatem memorabiles. Primùm enim hostem Smolensco plures Exercitus advoventem per Tribunum suum Gantzkoffium, eâ fortitudine excepit, ut Castris unius exercitus nocturnâ invasione direptis, multorum millium manus delata sit. Quo tempore malignè dicam an stolidè Principem reprehensum meminimus, quod non propter muros Urbis Castra metatus esset, molestè videlicet ferentibus inimicis, quod non unâ cum periclitante urbe, obsessus atque oppressus sit. Sed ille, hostis juxtâ suasque vires æquâ lance pensitans, dum validissimis ubique copiis diversæ Arces petuntur; haud æquis viribus incumbentem potentiam eludendo, hinc suis opis ferendæ, inde aggrediendorum hostium occasiones circumspectans, huc illuc volitabat, donec captatâ loci opportunitate, ad Scloviam oppidum, hostem Triginta Millium Exercitu fretum cruento prælio pulsum, cedere loco pugnæ coëgit. Sed non multos post dies, supervenientibus majoribus hostium Copiis, simul Mohiloviæ perfidiâ, victoriæ fructus interceptus, Castraque retrò, intrà sua præsidia moveri necesse fuit. Satis est defensandis finibus, ac propulsando hoste, tres solidos Menses exactos, intrà quod spatium sive ab exercitu Polonico, sive ab excitâ ad defensionem Patriæ nobilitate, accitis Copiarum suarum viribus posset succurri. Sed nemine comparente, Sepelovicensis casus intervenit, in quo Princeps, ingruenti multitudini impar, postremus tamen ex acie excedens succumbere fortunæ coactus est. Et tamen statim, rarissimo exemplo, duodecimo à loco pugnæ Miliari restaurato exercitu, victores ultrà tendere passus non est, omnemque à Berezinâ ad Nemenum amnem oram, partim præsidiis, partim copiarum suarum excubiis insessam & hosti inaccessam reddidit. Sed ne tunc quidem longo tempore expectatam opem obtinuit, Nobilitate ad nuncium propioris hostis, in fugam potius dilapsâ, quàm ad defensionem concurrente. Sero postea ac propè præcipiti in hyemem anno, Seculi præsentis quarto supra quinquagesimum, novi delectus supplementa advenerunt, quibus accessere missa è Poloniâ auxilia & è quibusdam Lithvaniæ provinciis, seorsim auctoratus à Nobilitate miles. Sed veteranæ ac propriæ Ducis copiæ, non præliis magis & morbis accisæ, quàm multiplici damnorum genere, & longis laboribus fessæ requiem poscebant, illa præcipuè tempestate, quæ hostem quoque ipsum à pellibus & Castris, intrà tecta ac tepida munitionum cubilia compulerat. Ac fortè tunc initio Brumæ inclementia cæli, horridiori & à multis annis propè inaudito gelu, obriguerat. Quiescendum Duci videbatur. Satis alioqui hostium, quibuscum pugnandum esset, fore reputanti, etiamsi ipsis socius & commilito, sævus adversus nos æther, non adderetur. Nam quid sese proximè post ineunte Anno, recenti atque integro hosti oppositurum, si illa justi exercitus, qualiscunque species, hybernis laboribus, ac cæli injuriis afflicta frangeretur. Cæterùm cunctantem, & attritas Veteranorum suorum vires, per breve otium restaurare parantem Principem, publica multorum effl agitatio, ac pænè convicium, invitum sanè, sed amplius reluctari non sustinentem, ab hybernis ad intempestivum bellum extrusit, allatis ex Poloniâ quoque Primatis Archiepiscopi literis, consilia & moras Principis, sequiorem in partem flexas, aculeatè perstringentis. Non primo isto experimento patuit, nusquam auspicatum fuisse consiliorum successum, quoties solis pacis artibus innutriti Proceres, adeoque pacis præcones & Antistites, bellorum sese administrationi aut negotiis insinuant, ac sæpè è cubiculo aut lectulo imprudentes imperant, aut consulunt, quicquid hosti conducit. Tunc quoque non alio exitu, tàm infensâ tempestate, rapta sunt à nobis arma, nisi ut Lithvania vires, quas in ipsam rerum naturam, cælique præter morem sævientis injurias, nullo operæ pretio, imò maximo damno suo effuderat, tunc cùm ipsis hosti mox ineunte Veri opponendis maximè opus esset, non haberet. Nam quis irritè expeditionis fructus sperari poterat, cùm ob rigentis ætheris intemperiem, hostis extrà nidos & munimenta sua nusquam compareret; in oppugnandis autem firmis valido præsidio urbibus, non situs locorum, non arma aut rabies, aut desperatio obsessorum violentius pro hoste adversus nos, quàm cælum & frigora dimicarent? Quanta inde in pedite, quanta in Equitibus jactura consecuta sit, verbis exprimi non potest. Sed in iis præcipuè, quos nullo reficiendarum virum, aut damnorum reparandorum spatio dato, statim ad hybernos labores atque pericula iterùm accingi necesse fuerat. Tentata igitur necquicquam Bychovia, obsessa & oppugnata in spem melioris successus Mohilovia. Quibus in obsidionibus quicquid à provido & vigilanti Duce, consilio, sumptu, operâ, patientiâ & fortitudine præstari potuit, nihil omissum est. Tempore importunissimo, in summâ eorum penuriâ, quæ ab Artilleriæ Curatoribus suppeditari mos est, sumptu Principis necessaria aliunde suppeditata, & omnia benè ordinata, rem ad vota processuram toties pollicebantur. Defuit successus, partim milite provinciali à Nobilitate submisso, post exactum militiæ suę trimestre, palam & consciis obsessis, magno obsidentium damno dilabente; partim eo, qui reliquus erat, multùm imminuto, & ad exequenda Ducis imperia non unâ de causâ segniore, interdùm & contumaciore; partim denique satis jam tunc aliud (quod mox eventu patuit) de fortunâ Lithuaniæ decernentibus. Nec enim semper validissimis viribus, aut summis Ducum artibus, belli fortuna respondet, nec modò præliis legionum, sed urbium quoque captivitatibus cælestis nutus intervenit. Et hybernæ præcipuè obsidiones, etiam victricium copiarum sepulchra censentur. Quid nuper Torstensonio ad Imperatoriæ artis fastigium defuit? Is acri ad Lipsiam prælio Cæsarianos Duces fregerat, mox tamen ipse ad hybernum Friburgi obsidium, suam ipse victoriam fregit. Et

cui

qui postea tot hostium acies, tot urbium atque arcium propugnacula cesserunt, ejus impetum ac robur, & rapidum victoriarum cursum, una Moravorum Brunna stitit ac sustinuit. Solet etiam summæ virtuti bellicæ, Deus ponere obicem. Sed ad solvendum periculo Mohilovū, nullo opus erat miraculo. Cùm enim obsidentium copiæ, triplici militum genere constarent. Provincialis quidem (uti diximus) miles, Castra injussu Ducis deseruit. Auxiliaris è Poloniâ precario imperio regebatur. Reliquus Duci peculiaris, non modò Brumæ & obsidionis malis, sed nunquam intermissis belli laboribus, fessus fatiscebat. & quotidie minuebatur, ut gravius ultrà infortunium expectari minimè expediret.

Solutæ sub initium Veris obsidioni, supervenere ultimæ ante irruptionem Suecorum Comitia. Quibus ut adesset Princeps Reipublicæ interesse putavit. Cui tunc maximè expediebat defensionem Magni Ducatus præsentiâ suâ urgeri, & ut toti malis attrito, & hybernâ expeditione fesso exercitui suo reliquæ, quæ in evocandâ ad bellum Nobilitate Lithvaniæ supererant vires adjungerentur, effici. In quo tametsi non inanem operam posuerit, ut lege publicâ vetustus mos & Statutum Magni Ducatus Lithvaniæ confirmata sint, quibus universa evocata in bellum Nobilitas exercitui Summi Ducis accedere & subesse tenetur; tamen ubi in arenam ventum est, inimicorum malevolentiâ factum, ut executione recens sanctæ Legis impeditâ, Exercitui Ducis nihil opis aut spei à Nobilitate affulserit. Quod nihil aliud erat, quàm Patriam suâmet sponte ruentem novo impetu in præcipitium impellere. Jamque adeò Magnus Dux Moschoviæ, cum ingenti Moschorum & Cosacorum multitudine, virium fiduciâ præsens, Vilnam versus directo itinere adventabat, cum Polonica auxilia accenso domi bello, per improvisum Suecorum in Poloniam incursum, ad extinguendum ejus incendium revocata sunt, quo mox non Major modò (quæ jam desciverat) sed Minor quoque Polonia, Varsavia quoque, Cracovia, & dedentibus se passim Proceribus atque Provinciis, universum pænè Regnum conflagravit. Destituto discessu auxiliorum Exercitu, cùm exigua illa & fessa veteranorum manus, sistendæ aut sustinendæ tantæ belli violentiæ par non esset, versæ à Principe ad Nobilitatem, quæ seorsim in armis erat, obtestationes, ne communem salutem, ne Patriam defererent atque ex legis mente atque officio, junctis secum viribus, semetipsos unâ imminenti periculo eriperent. Sed apud animos factionibus discerptos, aut criminationum peste afflatos, nihil ratio, nihil auctoritas, nihil ipsa necessitas valuere. Pars degeneri metu torpebat aut fugiebat, pars malevolorum artificio aut partium studiis abrepta, seorsim tendebat; ut adventu periculi, tantò licentius posset dispergi. Non igitur Principi, qui capitis sui objectu, ingruentia Patriæ pericula arcebat; sed illis potius eversæ Lithvaniæ causa apud posteritatem dicenda est, qui procul ipsi à Martio pulvere atque discrimine, unicum attriti & laborantis Exercitus ejus, quod à confluente in Castra Nobilitate tunc habere potuit, subsidium, novis & antiquis Patriæ Legibus calcatis, malignè subtraxere. Eadem tempestate validus Suecorum exercitus, reliquâ Livoniæ parte, quæ hucusque in ditione Reipublicæ fuerat, occupatâ, Lithvaniæ imminebat. Nec ulla spes adversus utrumque hostem subsidii è Regno supererat, quod hinc Sueci, inde Zaporovii, magnis viribus, nec dispari utrinque successu, urgebant: eum nova atque improvisa cura Principem, ad propinquum periculum advertit. Deerat adhuc ad supremum mali cumulum, ut hic ipse afflictus, extenuatus, destitutus ac debitis sibi subsidiis fraudatus Exercitus, prospectante de proximo hoste, in seditionem & conspirationem adversus Ducem suum efferaretur. Non difficile erat continuatis expeditionum laboribus confectatum, & in tot Reipublicæ necessitatibus nihil non perpessum militem, cui neque ulla pro anteactis meritis gratia hucusque relata, neque ruente Republica in posterum speranda videbatur, sub Duce præsertim disciplinæ retinente, in licentiam & detrectationem periculorum impelli. Nec mora, scinditur miles in adversa studia atque factiones, & frustra saniorum consensu reluctante, plerique manipulariorum adversus imperia Ducis conspirant. Quæritur seditioni color, instantis diei exolvendis stipendiis præfixa prætextus, & propinqua Moschorum & Cosacorum vicinia, palàm omnia tumultu perstrepunt. Atque hæ fuere primæ illæ militaris conspirationis scintillæ, quæ post obitum Principis in illegitimam & iniquam postea bonorum ejus direptionem exarsit, & aucupata infelicissimi Reipublicæ temporis statum, ausa est barbam vellere mortuo Leoni. Cæterùm tunc hoste omnium consecio, properare inde Moschus ad urbem Vilnam, pro cujus mœnibus Exercitus constiterat; hinc Princeps animo anxius, atque urbi metuens, & exiguæ exercitus vires suo pretio æstimans, cujus tamen jam ne satis quidem potens esset, cùm tàm vasto infimæ Civitatis pomerio, tantam paucitatem etiam concordem includi, nulla ratio permitteret, monitis statim reliquis civibus (nam pleriq; pridem periculum evaserant) ut sibi consulerent; de conservanda urbe ambigere cœpit. Ne quid inausum tamen relinqueret, inter illas Urbi vicinas monitum angustias tentare statuit, si qua fortè longius à mœnibus rejici posset hostis. Sed ubi in rem præsentem ventum est, ad conspectum eminus longè venientis horribilis hostium agminis, major pars turbidi militis, cum signis & cohortibus in effusam sese fugam conjecit, non alio festinationis pretio, nisi ut Counensibus, aut Merecensibus (nec enim omnes manipuli una fugiebant) maturius nunciarent, relictum à se in acie Ducem. Cùm res esset in præcipiti, nō sese deseruit Princeps, sed tunc primùm ultima necessitate sibi extortum, destituendæ urbis, consilium cœpit, & cum reliquâ parte Exercitus, propter urbem jam semidesertam, servatis Ordinibus, pontem Viliæ amni impositum trajecit. Ubi cum incumbente recedentibus hoste, & propè jam pontem occupante, quamvis tàm insigniter diminutis viribus, ac errima pugna conflixit, ac sæpius trans amnem perrumpere ausum, fortissimè rejecit, ipse signa admovens, & ubique in conflictu primus, donec igne subjecto, maxima pars ponti scorruit, & omni spe trajectus hosti adempta, qui supererat Exercitus honestissimo receptu servatus est. Suprema tunc necessitas, & urgentis Fati vis, Principem adegit, ut cùm Vilnam ingredi ac defendere non posset, nisi una & exercitum præterea perderet, servare alterum maluerit, quàm utrisque simul semirutæ Urbis cineribus sepeliri. Sed & illo ultimo Principis conflictu, Samogitia cū vicinis aliquot trans Viliam amnem territoriis Moschorum jugo subtracta est. Neque ausus Moschus ultrà progredi, intactas propemodum ad hanc usque diem, provincias istas reliquit. Et si pugnarum exitus, pugnantium consiliis eorumque successu æstimandus est, non victus ab illa pugna Princeps, sed victor recessit. Nec enim servandæ urbis causa, quæ jam humanis viribus servari non potuit, sed servandi sui exercitus ergò dimicabat. Nec ipse in obtinendo illius certaminis præmio atque fructu, sed hostis succubuit, nunquam postea ausus, non dico Ducis exercitum aggredi, sed Trans-Vilianas illas ditiones subigere.

Hucusq; bellicas Principis actiones percurrimus. Quæ deinde subsecuta sunt circa Transactionem cum Externis, ad alteram defensionis partem pertinet. Nunc satis est ostendisse in bellicis ejus laudibus, nihil habere invidiam quod arrodat aut mordeat. Nam qui Smolenscī obsidionem non solutam objectant, longè iniquius agunt, quàm qui Gustavi Adolphi Suecorum Regis gloriam carpere audent, quod ante junctas cum Electoribus vires Magdeburgo nuper opem ferre non potuerit. Qui Sepelovienſi infortunio partas antè victorias obliterare contendunt, parùm intelligunt, non ideò obscuram esse Hannibalis memoriam, quod pluribus præliis à Marcello, uno sed capitali à Scipione victus est. Longè tamen paucioris militum jactura casus iste Principis Reipublicæ stetit, quàm accepta ad Dyrrachium clades Julio Cæsari. Nec ideò huic partarum antè in Gallia victoriarum laurea emarcuerat. Vilnæ in conspectu Principis captæ pudeat eos, quorum artibus vires urbi protegendæ pares

denegatæ aut subtractæ sunt. Omissum id à se Princeps nunquam erubesceret, quod humanâ ope præstari non potuit. At eodem tempore hostis, contactum jam & quasi faucibus comprehensum recipientis sese exercitus bolum, tàm exiguis viribus, sibi tunc à Principe extorqueri erubuit, neque compertam toties virtutem lacessere ultrà ausus est.

Satis hucusque nobis bellica Principis hujus virtus defensa videtur. Superest eorum quæ suscepimus alterum, ut integerrima ejusdem erga Sacram Regiam Majestatem ac Patriam fides, ab improbæ calumniæ missilibus vindicetur. Enim verò versutior fuit invidiæ astus, quàm ut non animadverteret, nihil in bellicis Principis hujus gestis carpi potuisse, quod non in uberiorem ejus laudem cederet. Quid enim innoxio obiceret? Moschine, an Sveci, & totius Septentrionis vires Gosacis conjunctas ab eo nequaquam debellatas? Id vero qui fieri ullo modo potuit, tantillâ manu, Castrensi contagio, continuis laboribus, tot cum potentissimo hoste velitationibus, tot cruentis prœliis, uno præterea adverso, non leviter imminutâ, fame, frigore, vigiliis, damnis confectâ, ab omnibus auxiliis destitutâ, in seditiosam denique, adversus Ducem contumaciam accensâ? Si nullas omnino post Moschiam irruptionem ---

Res gerere, & captos ostendere civibus hostes,

Si nullos locupletes successum suorum testes dare potuisset, si nulla capta de hoste signa retulisset, ac ne tentare quidem pro defensione Patriæ quicquam prorsus voluisset, quis non prudentiam potius ejus exculatam habere, quàm culpam inculare debuisset? Nunc post concisum ad mœnia Smolenici non parvum hostium exercitum, post cruentum nec improsperum cum Triginta Millibus hostium ad Scloviam certamen, post defensam etiam in adversis rebus Berezinæ ripam, atque hostium insufflaminatam victoriam, post tot vexillorum congerie constratam & captivorum hostium multitudine (cum Regiæ Majestati traderentur) confertam aream, denique post actem ad Vilnam nec certe adversum pro conservando reliquo exercitu conflictum, post honestissimum cum exiguâ manu in conspectu tanti hostilis exercitus receptum, post tot rerum fortiter gestarum pignora, quis Ducis hujus aut in deploratis ac trepidis rebus invictum animi robur, aut in incertis & ambiguis, prælentis consilii vim, satis admirari aut prædicare poterit? Enimverò hebescere hîc aciem criminationis suæ sensit invidia. Flexit igitur aliò spicula sua; & Principem non ignaviâ quidem aut rei militaris imperitiâ, sed perfidiâ victum accusare cœpit. Quasi ulla fides absque viribus & exercitu, validissimo copiarum robore armatis hostium manibus extorquere victoriam potuit. Et quæ plerumque malignitati comes esse solet, vecordia quorundam, spargere cœperat, Moschicis quoque pollicitationibus occupatam Principis fidem. Est verò scilicet in illâ servitutis barbarie, Principibus præcipuè viris, magna illecebrarum copia atque materies, quibus forte inescari potuit. At cur Mohilovum (inquiunt) non cepit? Malâ videlicet fide secum Carolus V. egerat, quia Metim aut Algieram; aut nuper ipse Moschus, quia Rigam, denique Carolus Gustavus quia Hasfniam non expugnavit. Usque adeone, nullus mortalium conatus irritus esse, absque perfidiâ potest? Sed post explosam eventu, tanti delirii fabulam, illuc omnis calumniæ cura incubuit, ut clandestinæ cum Suecis pactionis suspicionem Principi impingeret. Quid primum, postremumve in istâ criminatione querar? Stultitiamne, an impudentiam? an utrâque deterius projectum in omne scelus calumniandi studium? Bene habet, quòd profligata malevolorum improbitas, ne speciose quidem crimina confingere novit. Nam quid eo stultius, quod Princeps Suecis Lithvaniam constituto facinoris præmio tradere voluisse fingitur. Cur igitur non tradidit? ac ne tradere quidem unquam conatus est, quando tradi potuit, quando in ejus potestate esset, quando & à tradente major apud Suecos gratia iniri, & officii præstiti fructus uberior penes eos, quorum gratiam captasse fingitur, manere potuisset? An verò in illo ultimo, animam agentis Lithvaniæ, fingultu, cùm Moschis & Cosacis latè omnia occupantibus, recedentibus Regni auxiliis, nullum in consternatâ & discordi Nobilitate, nullum in destituto, atque adeò bonâ parte sui, in scelus corrupto Ducis exercitu, Urbi Vilnæ aut reliquæ Lithvaniæ præsidium superesset, placuit (si Diis placet) tam serò cum Sueco de proditionis mercede pacisci? Quid autem ultra novo hosti Sueco prodi poterat, quod non esset jam ante, ab inimicis Principis, veteri hosti Moscho proditum & planè in prædam prostitutum? Quid eo tempore aut Princeps Suecis operæ luæ præstare, vel imputare, aut Sueci Principi acceptum ferre potuere? cùm & ipsis Princeps, nihil pænè ostentare posset, quod non in alienâ potestate esse videretur; & illi nihil à Principe acceptare, quod non eorundem periculo ac viribus, à Moschorum violentiâ vindicandum esset aut defendendum. Tunc igitur proditioni nullus locus, nulla occasio erat aut facultas. Quam si vel maximè Princeps urgere voluisset, ipsi Sueci justissimâ dedignatione sprevissent.

At enim tunc tamen pactio cum Suecis, non tentata modo, sed conventa, non inanem accusationis conatum eventu ipso ostendit. Pactionem cum Suecis conventam neque Princeps unquam negavit, neque in eam cum reliquis consensisse erubuit, aut apud posteritatem sibi erubescendum fore meritò judicavit. Nam neque primus ipse, sed post multos Polonæ Proceres atque Provincias, neque solus, sed cum Primatibus Senatus Lithvaniæ, cum Ordinibus, qui in tàm præcipiti casu præstò esse poterant, neque clam aut privatim, sed conscriis imò flagitantibus omnibus, ad id negotii accessit. Neque in eo, aut jus cujusquam læsum, aut fides in Patriam violata videri potuit, in quo suprema necessitas, omni tunc nexu solutos Magni Ducatus Lithvaniæ Ordines, spem quæ reliqua erat salutis publicæ sequi adigebat. Jam florentissimæ Poloniæ provinciæ, nullis belli calibus attritæ, non suis præsidiis exarmatæ, sed viris atque armis suis instructæ, ultrò in deditionem Suecorum concesserant, & copiis eorum vires suas adjunxerant, jam reliqui exercitus, adeòque plerique Duces atque Ordines Poloniæ Regni, fatali ac præcipiti omnium impetu, sed & urgente à tergo Moschorum & rebellium vi, eòdem, quò mox reciderunt, vergebant: jam ipsi Serenissimo Regi CASIMIRO non magis hostium vis, quàm è militibus suis quorundam conspiratio metuenda, præcipitis & calamitosi extra fines Regni receptus, necessitatem imposuerat: cùm Ordines Lithvaniæ desertos ac semiermes, inter tot hostes undique veluti malleum inter & incudem positos, ineluctabilis fati vis, ad idem illud quærendum Suecorum patrocinium adegit, quod jam majore sui parte, Polonia receperat. Non igitur tunc licuit uni ex præcipuis Lithvaniæ Civibus (quoniam absque idoneo exercitu, Ducis artibus patriæ prodesse non poterat) ex Principis Secularium Senatoris officio, (præcipue plurimis Illustribus e Senatorio Ordine Collegis, & saniori quæ fortè præsto erat Nobilitate, urgentibus) prospicere rationes, quibus illa ex ultimi exitii casu posset eripi? Nihil isthic absque consensu & subscriptione Antistitis Vilnensis, Primatis in Sacro Ordine Lithvaniæ, inceptatum. Protracto in longum negotio, cùm Princeps, magnâ Suecorum offensione, iniquioribus conditionibus tranigere gravaretur, tertius aliquantò cum Suecis Samogitia & adjacentes regiones transegerunt, quam pleræque in Polonia Provinciæ in ditionem Suecicam concesserc. Non igitur in eâ tranlactione Princeps Rempublicam deseruit; sed in rebus deploratis, & per discessum atque ablentiam S. R. Majestatis, quasi in orbitate publicâ, præcuntem totam fere Rempublicam (nec parvo quidem intervallo restitans) secutus est. Quod vero mox Polonia, post extorta per Suecos Prussica à Serenissimo Electore Brandenburgico pacta, introspectis Caroli Gustavi consilius à salute Patriæ alienissimis, tam iniquam & noxiam, spesque suas tàm indignè frustrantem protectionem abjecit, id Principi morte prævento facere non licuit. Quàm iniquo tamen animo, brevem illum & funestum statum Reipublicæ ferret, vita in ipso ævi flore ac robore, ante diem intercepta ostendit. Quippe florentissimâ, nec dum ullo sinistri casus exemplo delibatâ Suecorum fortunâ, decessit. Qui rerum exitus non dubium relinquit, quid facturus fuerit; si redeunte postliminiò Patriæ felicitate, superstitem esse Deus voluisset. Ut rem in pauca conferam, si ad confugiendum in Suecici patrocinii fidem nulla provincia, nullus exercitus, nemo Ducum aut Procerum signum ante Principem sustulisset, tanti tamen erat, illa supremi periculi, quæ Principem strinxit, necessitas, ut ejus nomine omnis ejusdem cum Suecis pactio, apud æquos Judices, debuerit esse excusata. At nobis id non satis est. Pergimus igitur ultrà & audacter dicimus; Si nulla Principem strinxisset, tàm propinqui utrinque periculi necessitas; quis tamen consilium ejus accusare potuisset? quòd cum videret Provincias, exercitus, vires, & præcipuos Regni Militiæ Duces, fatali quodam impetu in Suecicam protectionem ruentes, ipse qu oque sese ac Lithvaniam suam à corpore Regni separare reculaverit, & quamcunque fortunam unâ cum Regno ac totâ Reipublicâ, quam Scorsim Moschicam tyrannidem ferre maluerit? Quod si factum Principis, non minus etiam sine ullâ necessitate aliorum exemplum, quam sine ullo exemplo ipsa excusat necessitas; quantò magis illud præ omnibus aliis exculatum videri debet, cùm & magnis exemplis tanta necessitas, & suprema necessitati tot exempla accesserint, imò verò jam tunc eam præcesserint? Quid igitur est, quod in eâ Principis cum Suecis negotiatione livor carpere, aut deteriorem in partem trahere ausit? Palàm, non conscriis tantùm, sed postulantibus, imò flagitantibus provinciarum Ordinibus acta omnia, quos ingruentia undique pericula de vitâ bonisque anxios & supplices ad quærendam obvii patrocinii securitatem urgebant. Nec magis Princeps hostium armis, quàm suorum Civium precibus oppugnatus, ad eam pactionem descendit.

Postremò, si ex eventu consilia æstimanda sunt, non aliâ melius ratione, & Moschum cum Sueco committi, & Moschicæ tyrannidi Samogitiam cum proximâ vicinâ subtrahi potuisse, exitus docuit.

At enim suspectæ Ducis in Rempublicam fidei locuples videlicet testis, proprius ejusdem miles producitur. Absit verò, ut veteranas Principis Legiones, quarum virtute tot victoriæ partæ sunt, laurearum ejus & gloriæ socias & administras, tàm pravæ & iniquæ accusationis, invidiam suscipere existimemus. Falsò & impudenter criminationis hujus nomine, universus Magni Ducatus Lithvaniæ exercitus traducitur. Paucissimi sunt, itque è turbidâ & ad omnem seditionem corruptâ colluvie, quos cùm ipsos in lucem prodire pudeat, commotæ clàm gregariorum fæci nomen exercitus imponunt. Quibus hæc fraus non minùs quæstuosa est, quàm turpis & flagitiosa militia fuit. Quippe infelicissimi Reipublicæ Status occasionem aucupati, in invadendo per calumniam Principis patrimonio, calcato jure, calcatis patriis legibus ---

Ausi sunt immane nefas, ausique potiti.

Quod facinus tàm diu inultum relinqui, temporum pudor est & infelicitas. Horum paucorum flagitiosi quæstus interest, insontis Principis manes, tàm iniquâ accusatione gravati. Egregios verò testes, qui fidem testimonii, non aliis documentis, quàm armorum formidine tuentur. Eximium & omni exceptione majus testimonium; quod perhibet seditiosus primùm, deinde desertor & profugus ex prælio miles, cui nunquam tutius credi poterat, quàm cùm post conspectum ad Vilnam, & longinquo hostem, pavore & fugâ examinis, deficiente ad trepida verba anhelitu, nunciaret obviis, destitutum à se in prælio Ducem. Proditionem videlicet objectabit Duci, proditor ipse Ducis & fugitivus manipularis, & à quo supplicium pro flagitio metuebat, ei abstrusa ab omni mortalium luce, & nunquam probanda crimina, intentare audebit? Scilicet ita se imperantium auctoritas prostituit, sic rigor disciplinæ relaxat, ut ad secreta Ducum consilia, aut documenta, etiam seditioso aut suspecto & malevolo militi admissio pateat. Sed nec ejus modi documentis, quibus tanquàm vestigiis ad cujusvis arcani cubile penetratur, in hâc causâ locus ullus est. Nec enim de eo quæritur, utrum à Principe quæsita Suecica protectio, & post longam negotiationem tandem concluſa fuerit. Id tantùm abest ut renuat Princeps, ut ultrò venditet, & communi Polonis Lithvanisque patriæ ac toti Reipublicæ imputet. Nullum enim testimonium certius constantis erga eam studii exhibere potuit, quàm cùm in tantâ necessitate positus, eandem cum reliquis Patriæ Ordinibus sortem subire, quàm seorsim Moschicis illecebris & pollicitationibus inescari maluerit. Non inquam cognitio præsens de eo instituitur, utrum ipsi pacta cum Suecis conventa, sed utrum malâ in patriam fide conventa sint. Proinde non factum, sed animus Principis vocatur in dubium, & sola mens prava ac voluntas accusatur. Viderint accusatores, in hujus arcani latebras quibus &

ipsi

ipſi emiculis ingreſſi ſint, & æquos Judices introducere ſperent. Nullis certè earum rerum argumentis inſtructi eſſe poſſunt, quæ non modo, ſi unquam eſſe potuiſſent, nuſquam tamen alibi, niſi in mente ſedem ſuam habuiſſent, ſed neque uſquam fuere, neque eſſe potuerunt: verum ineptis tantùm conjecturis, & meris ſuſpicionibus fulciuntur, quæ in tantæ dignationis ac virtutis Principem nullo modo cadere queunt. Vin licet eum à tam vili atque ignobili criminis flagitio, inclytus natalium ſplendor, & ſupra privati civis ſortem illuſtris, plena Patriciis imaginibus Domus, & accepta pridem à proavis ac longâ ſerie deducta Principis Romani Imperii dignitas poſtremò ſanguis, patriis quoque ſceptris, non minùs quàm Sereniſſimis extra Patriam gentibus immixtus. Taceo vetuſtas & ipſo ſitu ac ſenio fuſcas Jagellonizæ gentis origines. Regali primùm Mazoviæ Ducum ſtirpi, mox ipſi Poloniæ Regum Majeſtati per matrimonia innexam Gentem hanc, Majores noſtri meminerunt. Nos eandem per honoratiſſimum Electorii ſanguinis vinculum, non modò Celſiſſimorum Germaniæ Principum, ſed potentiſſimorum Europæ Regum cognationibus inſertam vidimus. Tam excelſi Majorum generis non degenerem ſeſe neque inficiandam progeniem Princeps hic præſtitit, ut meritò ambigi poſſit, utrum plus lucis ac ſplendoris Majoribus ſuis debeat, an dederit. Reddidit certè tam brevi ævo, non ſine fœnore acceptam à progenitoribus, rerum geſtarum famam atque memoriam. Tam nobilis & ſplendidæ ſortis animæ, non ſolent eſſe dem ſtere ad flagitioſi dedecoris vilitatem. Vilius & ignobilius eſt nefas iſtud, cujus calumniâ malevoli lacerant laudatiſſimi Principis memoriam, quàm ut ſuſpicio ejus cadere poſſit in tam altam indolem. Et cùm nihil documenti habeant aut habere poſſint, & tamen de a imi culpâ & crimine quæritur, meritò hic uſurpem, aut ad uſum meum tranſferam, celebrem olim Romæ & animoſam cujuſdam ex Romanis Optimatibus vocem. Neſcio quis è caſtrenſi coſtuvie, belli cauponator verius & deſertor, quàm miles, aſſerit Imperatorem ſuum malâ fide, in defendendâ Patriâ verſatum. Imperator tantâ dignitate tantis rebus geſtis negat, & oſtendit longius ſortem & indolem ſuam abeſſe à Proditore quam hunc terræ filium à Calumniatore. *Utri credîtù Quirites?* Sed quid ego id non factum pluribus oſtendo; quod factum neque probatur, neque probari poteſt, ac ne fieri quidem ullo modo potuiſſe nobis planum facere in expedito eſt? Nemo grave & periculoſum neſas abſque evidenti ſceleris pretio atque emolumento ſuſcipit. Pœnitet: oporter ac tædeat privatæ domi ſortis ſuæ, quos in publicum patriæ exitium, melioris fortunæ ſpes aut deſperatio impellit. Aut certè longè majus & pretioſus, hujus delicti præmium, alibi dari aut ſperari neceſſe eſt, quàm quod unquam Patria præſtare poſſit, aut pollicęri, Oſtendat Accuſator, ecquid honoris, ecquid dignitatis, aut opum & emolumentorum in Patriâ Principi huic defuerit, quamobrem illum fortunæ ſuæ domi pigere poſſet? Oſtendat unde felicitati ejus foris quicquam accreſcere potuerit, quod non ſtatum ejus convelleret potius, quàm ornaret, aut augeret? Exhibeat aliquod apud Moſchos aut Svecos fortunæ vel honoris præmium, quod Summorum apud nos Procerum libertati atque faſtigio, dum manſit in ſuo ſtatu, quoquomodo opponi poſſit. Quibus quò communior erat cum cæteris civibus immunitas, eò celſior ſupra cæteros eminentia, eò venerabilior ipſis Regibus, ac tantùm non optabilior potentia. Quod ſi nuſquam apud externos dari poteſt beatior eo, quem hic Princeps habuit in Patria, Status; dicat ſaltem quid in patriis atque domeſticis ornamentis deſiderari potuit, quod ad felicitatis ejus cumulum accedere poſſet? Emenſus brevi annorum ſpatio, omnes dignitatum gradus, in ipſo honorum ſolſtitio ſteterit, nec velociori curriculo, ad partam ex rebus optimè geſtis gloriam, quàm ad debita virtuti ſuæ præmia decucurrit. Et quod altius ſuperabat faſtigium, quò porrò aſcendere poſſet? Nulla igitur neceſſitas, nulla dari poteſt illecebra, quæ huic Principi, externæ cupidæ incertæ ac periculoſæ prædæ, præ certo ac tuto domeſticæ felicitatis fructu commendaret. Proinde adeò veri expers eſt hæc criminatio, ut ne ſpeciem quidem ejus aut ſimilitudinem ulla refert. Quis enim tam cæco & mendoſo judicio tantum Principem fuiſſe opinetur, ut libens tàm ditem furorem furere ſuſtinuerit? Prudentiam quidem ejus, ſaltem in propriæ dignitatis curâ, aut privato ſuo ſtatu ornando atq; augendo, etiam iſti agnoſcere coguntur, qui fidem & pietatem in Patriam criminari audent. Adeòne verò is dignitatis & ornamentorum ſuorum oblivioſi potuiſſe cenſebitur, ut non intelligeret, quanta & quàm violenta neceſſitas eum adigeret, ut Patriam quàm maximè tutam, liberam, & ſalvam eſſe vellet. Divitiæ, dignitates, ornamenta, quo cuique civium majora ſuppetunt, eò pluribus pignoribus Patriæ obſtrictus cenſetur. Quis enim eam ſubmergi aut periclitari optet, in quam unà cum vitâ, omne fortunarum ſuarum depoſitum conjecit? Quis cùm domi ſuæ florere ſuique juris eſſe, & quas habet ingentes opes, abſolutiſſimo jure ac Dominio poſſidere queat, periculoſo & calamitoſo conatu, foris Dominos & externam ſervitutem quærat? per quam non modò opes ac dignitatem, ſed vitam ipſam, non niſi precariò retineat? Hæc videlicet Principem fefelliſſe perſuadent ſtolidis, quem fallere nullo modo poterat, quàm adducto imperio Sueci, exteros in ditionem receptos frænare ſoleant. Jam tunc obvia erant oculis omnium, nec exolèra ejus rei exempla. Continua Lithvanorum cum proximâ Livoniâ commercia ignorari non patiebantur fortunam eorum, qui in tranſitarini juris obſequium conceſſerant. Idem apetiebant illæ Germaniæ partes, in quibus Sueci rerum potiti ſunt. Quorum victoriæ, per quas ſibi ſedes in Germaniâ figere experunt, in illud tempus inciderunt, quo Princeps apud exteros agens, non auditione tantùm, ſed propemodum oculis ſuis uſurpare poterat cuncta, quæ iſthic gerebantur. Abhorret igitur ab omni ratione illa criminatio, quòd Princeps jugo, cujus gravitas ipſi ignota eſſe non poterat, ſciens volénſque ultrò liberam cervicem indere voluerit. Ut tem gaueis abſolvam, nulla aliena præter eam, cui inſiſtimus, via dari poteſt certior & expeditior, penetrandi ad arcanam Principis mentem, qualis tunc fuit, quando ad pacta cum Suecis deſcendebatur. Quam, duo ſunt quæ liquido & evidenter purgant, & abſolvunt ab omni ſuſpicionis labe. Antecedens neceſſitas, & more ſubſecuta. Quarum utraque averſum ab iſtis pactis animum, & alieniſſimam fuiſſe gentem ejus oſtendit. Spontaneum animi propoſitum non exſpectat ultimam neceſſitatem: ubi hæc advenit, voluntas etiam nolens urgentia fata ſequi compellitur, nec ulla eſt culpa cedentis, quando reſiſtere nequit. Neque tamen Principis voluntatem illâ tam violentâ neceſſitate frangi, aut inflecti, aut præſenti tunc ſtatui rerum conciliari potuiſſe, ipſa mors oſtendit. Nam quòd invitus pactis iſtis intervenire ſuſtinuit, precibus & miſerationi Ordinum deprecantium dari debuit atque indulgeri; qui ad effugiendum ultimum excidium, illum rerum ſtatum depoſcebant. At Princeps quantum ab eo abhorruerit ſatis oſtendit, quod eum mortiendo effugere, quàm vivendo tolerare maluerit. Plura de innocentiâ Principis loqui, res ipſa non permittit, quæ objecta ipſi crimina tàm liquido purgat, ut ejus evidentiæ, quæſita verborum & argumentorum copia faciat injuriam.

Quod ſi quis quæſierit, qui factum ſit tamen, quòd vix ullus ex iis, qui ante Principem in Patriâ magnas res geſſerunt, tam obſtinatis, ac ne morte quidem exſtinctis odiis appetitus ſit? In promptu cauſa eſt, *Seculi malignitas*, quæ patrum noxas ſcelere antegreſſa, luendis quoque ejus ſuppliciis omnes Majorum pœnas ſuperavit. Olim quoque homines deteriores, annis licet geniti melioribus, virtutem, ſed non niſi incolumem, oderant. Nunc etiam ſublatam ex oculis degeneres mordent. Sed non in longum duraturâ rabie ſævi. Quia & ipſos triſte lethum citò rapiet ignorabiles, & virtutis interea famâ æternùm ſuperſtite & florente, eodem cum malevolis tumulo, damnata & ſepulta interibit Invidia.

Nec tamen adeo nova, aut ſine exemplo videri poteſt iſta, quæ tam benè meritum Principem violat, injuria. Vel in ipſo Patriæ ſinu, in Summis ejus Civibus, invenias ejuſmodi vulnerum cicatrices. Quid Joanni Zamoyſcio profuit, parta domi foriſque non ſuo tantùm ſed patriæ nomini gloria? Tantis rebus geſtis, exactâ ætate Senex, ea dignitati ſuæ præſidia quærere coactus eſt, quæ mox non ſine Patriæ diſcrimine, in inteſtini belli mala erupere. Niſi quod morte præventus, incertum reliquit, utrum vivente ipſo partes, quas fovit, vincere potuerint, quæ mortuo ſuccubuere. Quid Zolkievium juvit, illuſtri ad Cluſſinum prælio, Moſchicæ gentis vires ita fregiſſe, ut deditum in vinculis Magnum Ducem, & quaſi ſubacti imperii faſces & ſacramentum Regi ſuo traderet? Nunquid navata ab ipſo, hîc & alibi opera, aut fructum quem ſperabat attulit, aut ipſum ab incertis ſuſpicionibus immunem præſtitit, ne malâ fide poſtea, in defendendâ Patriâ uſus putaretur, viribus in hoſtem non uſus, quando malevolis ejus oportuiſſe viſum eſt? Quo publici rumoris convicio verberatus Senex, mox oblatâ occaſione impatibus viribus adverſus hoſtem uti auſus, & ipſe periit, & Patriam pæne perdidit. Quid verò, quæ de proximo ſumi poſſunt, exempla longius arceſſimus? Illuſtriſſimus Princeps, cujus cauſa à nobis defenditur, decedentis Patris obitu, non magis patrimonium aut virtutis indolem, quàm meritis ſuis iniquam & adverſantem fortunam & invidiam hæreditate crevit. Nam quis Illuſtriſſimo Duce CHRISTOPHORO RADIVILIO Palatino itidem Vilnenſi, & exercituum Magni Ducatus Lithvaniæ Generali, dum viveret, pacis & belli artibus inſtructior aut ornatior fuit? quis & in togâ, prudentiâ, conſilio, eloquio præſtantior? & in armis, rei militaris peritiâ, animi fortitudine, & bellicâ laude eminentior exſtitit? quis aut domi Patriæ libertatis acrior Vindex? aut foris Dux, hoſtis exiguâ manu propulſandi, peritior, in utrâque tàm pacis, quàm belli arenâ, laudabilius decertavit? Et pacis quidem decora totidem numerare potuiſſes, quòt ejus tempore Comitia Regni, aut publici Conventus celebrati ſunt. Difficillimis temporibus, etiam in orbitate Reipublicæ, cùm ſibi ſedendi ad rerum gubernacula provinciam fors obtuliſſet, quæ & quanta illius, in tutandâ ſalute Reipublicæ cura; quam in tractandis populi animis dexteritas eluxit? quæ animi magnitudo ſimul & moderatio, in ſervando temperamento, ne aut illuſtris fortunæ ſuæ ſplendor oculos inferiorum nimiùm perſtringeret, aut alioqui obvia cunctis, & nimium ſeſe demittere viſa popularitas vel minimùm detraheret dignitati? Quibus eximiis artibus, id aſſecutus erat, ut etiam inimici, qui fortunam ejus odiſſe vellent, virtutem non amare non poſſent. Jam verò quoties foris aliquod periculum Reipublicæ increpuit, quæ fuit in gerendis adverſus hoſtē rebus ſolertia? quæ conſilii, q; animi firmitas? quæ in proſpiciendis futuris ſagacitas? quæ in præſenti diſcrimine fortitudo? Ac fortè cū præſtantiſſimo ex longâ Annalium memoriâ bellatore Guſtavo Adolpho Sueciæ Rege, Ducem nunc fortuna commiſerat, quo minùs ipſi deeſſet ampla exercendæ virtuti materies: niſi iſtud ad certamē compoſitum par, impari ſemper Marte decertaſſet. Quippe Guſtavo Regi aderant ſemper vires, quātas Regiæ poteſtatis arbitriū poſtulabat. Noſtro autem Duci non magis cum tam acri & valido adverſario, quam cum paucitate ſuarum copiarum, & malignè ſuppeditato apparatu, luctandū erat. Et tamen noſter, quod viribus deerat, conſilio & animo ſupplevit, eoq; eventu bellatum eſt, ut ſi unam Rigam excipias, (quæ antequam Princeps juſtum exercitū opponere poſſet, improviſâ hoſtis celeritate circumventa eſt: nec unquam poſtea ad eam recuperandam peditatum ac cætera neceſſaria obtinere per tēpora Reipub. licuit) integro biennio, & quod excurrit, nulla arx, nullum oppidū in Suecorum poteſtatem venerit, quod non poſtliminio mox in manus Principis redierit. Campeſtrium autem certaminum (præſertim ubi equeſtris acies explicari potuit) ea fuit fortuna, ut Principi ſæpe acie cōſligere cupienti nunquam prælii copiam facere hoſtis auſus fuerit. Paulo poſt cum per injuriam impoſitus Principi major cum poteſtate Collegam, ſalvâ dignitate ferre nō eſſet integrū, ac proinde Princeps militari imperio ultrò deceſſiſſet; nō modò vulgatū eſt illud grande Livoniti belli arcanū, noſtros à Suecis acie vinci poſſe, ſed pæne tota Livoniâ amiſſâ, in ipſam Lithvaniam arma tranſlata ſunt, Birzeuſi arce, poſt ireratam obſidionem, captâ. Caſo majoris Collegæ exercitu, redeundum Principi fuit, ad vim victoris propulſandam, cum exiguâ & raptim collectâ manu. Quem is tamen, licet imminutis & multum imparibus viribus, eâ virtute

ſuſtinuit

fustin uit ac repressit, ut omissâ Lithvania, & Arce Birzensi restitueret, bellum in Prussiam transferre maluerit. Ita ille flos Ducum & belli fulmen metuendum, qui paulò post unus victrices Cæsarianas aquilas frangere potuit, qui intra biennium totam victoriis peragravit Germaniam, cum hoc semper exigua manu succincto Principe, in angusto Curlandiæ angulo aut vicino limite, toto pæne quadriennio luctatus, ne pugillo quidem terræ, de quâ utrinque certabatur, auctior discessit à certamine: Nam Riga nondum armato, & reliqua Livonia (uti diximus) à bello gerendo per injuriam repulso Principe amissa est.

Jam verò in bello Moschico, quæ & quanta Ducis hujus animi magnitudo, atque solertia enituit? Illustria ejus specimina pleniùs memoraturis nobis, eò prôptius veniam dabit Lector; quò malignius ea vulgus Scriptorum, affectato silentio supprimere tentavit. Districtam fortè Interregni discrimine Rempublicam improviso bello invaserat hostis, Smolenscum magnis viribus oppugnare adortus. Adulto Autumno obsidiû cæperat, Principe in mediâ Polonia Interregni curis occupato. Nec ante multos exactos Menses, justus & par coërcendo hosti comparari poterat exercitus. Interea Urbs validissimis copiis constricta, desperatione potissimùm auxilii periclitabatur. Ergò dum conscribuntur exercitus, dû necessaria bello apparantur, confirmandis laborantium animis, ipse Dux advolat nihil robur hostium, nihil paucitatem suorum, nihil anni tempus moratus, captoque & munito, in vicinia hostium, Castris loco, nunc mittendis ad obsessos nunciis trepidos erigebat, nunc perpetuis excursionibus Castra hostium assultans, cùm de propinquo obsidentibus immineret, non modò per integram hyemem excubans, oppugnationem remorabatur, sed semel atq; iterum perruptâ hostium custodiâ, introductis in urbem auxiliis, obsessis tantum virium & animi addidit, ut hostem usq; ad succursum collecti justi exercitus, fortiter sustinuerint. Mox adventu S R Majestatis cum Polonicis copiis, quûm Rex VLADISLAUS, distributis seorsim Ducum officiis, perrumpere ad obsessos diversis partibus aggressus esset, demandato sibi munere tam dextrè perfunctus est, ut cùm alii à castris Prozorovii, re infectâ, non sine clade recesserint, ipse in oculis, atq; adeò in præsentiâ Regis, per montem Pocrovienscm nullo accepto damno perruperit, urbemque valido subsidio introducto firmaverit. Res alibi non ex animi sententiâ gesta, cœptum opus eo dle differri coëgit. Paucis post diebus igitur, Rege cum aliis Ducibus per Pocrovienscm montem irrumpente; Duci Radivilio ipsa illa pars, in quâ recens non satis prosperè pugnatum erat, invadenda commissa est. Gaudius ac felicius quàm alii nuper, tunc pugnante Principe, & hinc per hastatorum equitum turmas, ab eo constratâ hostium cadaveribus Borysthenis ripâ; inde Regiis in Pocrovienscm colle fortiter pugnantibus: utrobiq; res feliciter gesta, & Castellis hostium partim vi occupatis, partim proximâ nocte præsidiariis profugientibus desertis, Mons Pocrovienscs castris Regiis occupatus, & tota trans Amnem urbis vicinia, hostilia præsidia pulsa sunt, atq; ita Urbs per pontê castris Regiis conjuncta est. Hæsit aliquandiu hostis cis Amnem, in castellorum suorum præsidiis, donec vicino mœnibus Castello à Principe oppugnato, & nisi culpâ quorundam (quos commemorari nihil attinet) intervenisset, propè capto; præterea accurrente numerosissimo hostium equitatu exiguâ manu fortissimè repulso, tantum hostibus terroris injectum sit, ut proximâ nocte, valida illa Prozorovii castra, & octo præcipua Castella commeatu & quibusdam tormentis, partim relictis, partim in fugâ abjectis deseruerint. Quos & reliqua manus obsidentium, cum majoribus tormentis, intra paucos dies secuta est, omnesq; in magnis Schinii castris, Monti Alaudarum oppositis, armis & commeatu instructissimis receptum habuere. Liberata sic & ab annuâ obsidione recreata urbe, proximus labor fuit, hostis in vastissimis illis castris suis obsidendi. Lustrata igitur priùs à principe Regiis castris metandis idoneâ sede; monte Pocrovienscm deserto, universus exercitus, in opportunum ad Borysthenem locum translatus est, planè à tergo hostium, qua patebat in Moschoviam recedentibus iter, ut inter urbem & Regia Castra inclusi, faciliùs undique cingi possent. Eodem impetu, nec opinante hoste, captus est Alaudarum collis, majori parti Castrorum Schinii de propinquo ita imminens, ut ab iis angustâ duntaxat valle dirimeretur. Quem locum è vestigio Dux Radivilius, tribus peditum legionibus, adjunctis paucis equitum vexillis, muniendum tradidit. Castra Regia paulo longius inde (interjecta planitie) trans limosum fluvium posita sunt. Tam improvisus nostrorum adventus hostê incertum contilii reddidit, quod antequam is expedit, interea nostri per ingruentem nox noctem, metandis castris & muniendo colli, aliquantum spatii habuere. Et aderat summo mane cum suo exercitu Dux Radivilius, metuens & excubans, ne colle hosti tam vicino, nondum satis munito, ab hoste peditatu præpollente, dejicerentur impositæ recens legiones. Sed nemine ex hostium Castris comparente, deflexo à Meridie Sole, jam equitatum in castra deducere cæperat, ipseque adeò arma posuerat, cùm erupisse è castris Schinii magnam vim peditatus, & rectâ ad collem Alaudarum tendere, nunciatur. Nec mora, ne armorum quidem induendorum spatio sumpto, secum obvium quemque rapiens, reliquis properè subsequi jussis, revolat, multos hostium pedites, qui nondum ex planitie colli virgultis obsito successerant, retrò in sua castra reprimit, & in ipsis vallis, inter castra hostium & collem interjectæ, angustis faucibus, cum equitatu subsistit. Sed quia majorem jam hostilis peditatus partem, inter virgulta per acclive montis enitentem, ab impetu equitatus nostri tutum locus ipse præstabat, veritus ut imposita colli præsidia tantam vim hostium ferre posset, nuntiat properè Regiæ Majestati, ut quantum potest peditum, à tergo collis subsidio mittat, sese cum equitatu interim in valle intermedia tantisper mansurum, curaturumque ne quid subsidii, è castris hostium iis, qui ad expugnandum collem successerant, mitti posset. Concurrunt igitur in collem ad vilio pleræque peditum nostrorum legiones. Non fefellit hostem quantùm interesset eorum, qui montem oppugnabant, ut etiam propinquis castris ex affluente peditatu, quo tunc nostratibus longè prævalebat, subsidia acciperent. Sed prodire è castris nemo poterat, quin à paratoc instructo equitatu, portam castrorum obsidente, statim protereretur. Nihil igitur intactum, nihil inausum reliquit hostis, quò equitatum nostrum, ex illâ angustâ planitie depellere posset. Primum autem omni genere tormentorum in vallem hanc de superiori loco detonuit. Deinde quò latus istius vallis, in qua equitatus noster constitit, manuariis quoque tormentis infestum redderet, quia ripa Borysthenivicina, virgultis cõtegebatur, clam huntribus aliquot signa peditum tranmittit, qui nostros ex transverso peterent. Quod ubi ex primis ictibus animadvertit Princeps, unam peditum legionem ex iis, quæ colli supperias ferebant, ab iis secernit, lævoque lateri equitatus sui adjungit, ita ut hostes, peditatum nostrum per virgulta ad te vadentem sentientes, retrò non difficulter submoverit. Magna tamen prius, in equis præcipuè, nostratibus strages facta erat, cum hostes sclopetis ripæ impositis, capite tenus super eam extantes, per breve virgultorum intervallum latera nostrorum aliquandiu peterent. Hinc destinato inferiores ictus, & equis potius quam equitibus incidebant: præterea cadentium virgultorum lentitudine, quo minus nocerent, refringebantur. Plus terroris, & damni quoque dentium tormentorum fulmina, desuper ingruentia afferebant; nisi quod ex superiori loco missiles globi rarius destinatos scopos attingebant. Itaque non pro strepitu ac terrore, stragem fecere, atque itidem equis magis quem equitibus nocuere, qui quò longius à periculo abesse visi sunt, eò plures sternebantur. Hinc multum inter equites nostros, loco tam iniquo cedere cupientes, trepidatum, nisi Dux Radivilius (quamvis tunc fortè exarmatus) per imbrem globorum, undique cadentium, inter vexilla volitans, & voce, manu, exemplo, denique pudore, cunctos, in quo semel constiterant, vestigio stare coëgisset. Sæviit hæc procella, usque ad occumbentem Solem. Quo tempore ultimam eruptionem tentavit hostis, si quæ fortè reliquiæ suorum, quæ montem oppugnaverant inter arbusta laterent, ut haberent tutius ad castra sua perfugium. Sed & oppugnatores collis, concurrente prope universo peditatu nostro circumventi, occidione perierant, & qui è castris prodire sunt ausi, nondum explicatis ordinibus ab equitatu obtriti, aut retrò in sua castra compulsi sunt. Tandem ingruentibus tenebris nox pugnam diremit, & fulminantia machinarum tonitrua conticuere. Sed possessio collis nobis firmata est, & hostis fiore peditatus amisso, nunquâ postea tam propinquas sibi munitiones, multò minus ulteriora castra, aggredi ausus est. Nulla toto isto bello dimicatio fuit, quæ plus momenti ad prosperum istius belli exitum contulerit. Cujus victoria & fructus, inexpugnabili unius Principis hujus constantiæ ac fortitudini debetur. Prona inde nobis via ad conficiendum bellum aperta est. Fixo enim firmiter in locis illic occupatis vestigio, quæ tergum hostis amplexa, rectum iter in ulteriora Moschoviæ præcidebant, non difficile fuit, exstructis utrinq; ad urbem usq; frequentibus castellis, ac cæsis alicubi arboribus, tanquam indagine, hostem arctius cingere. Quapropter Rex, post tam prosperum certaminis successum, ab hoste tutior, parte exercitus cum reliquis Ducibus in hosticum emissâ, unum istum Principem retinuit, cujus operâ & ministerio deditione hostibus extortâ, & amplissimis spoliis potitus, glorioſum illum, & ad posteros memorabilem, de subacto, & abjectis ad pedes victoris vexillis supplice hoste, duxit triumphum, quem paulò post optatus nobis confecti belli exitus cõsecutus est. Quæ pauca ex rebus ab hoc Principe gestis delibavimus, ut ingeniæ & invidiam supergressa merita ejus ostenderemus. Quæ tamen eum ab hujus Monstri morsibus immunem non reddiderunt, quo minùs & sub SIGISMUNDO Tertio Rege, indignissimis criminationibus traduceretur, & sub VLADISLAO (licet invito & favente) adverso alieni judicii exitu ac mœrore contabescerct. Victorem tamen invidiæ vel inde agnoscas, quòd & SIGISMUNDUS Rex infonti conciliatus, innocentiam ejus benignè amplexus fuerit, & VLADISLAUS obitu ejus vehementius indoluerit, & benevoli animi affectum, quem Patri (sibi nec opinanti è vivis erepto) non potuit, superstiti filio illustribus testimoniis exhibuerit. Non igitur unus Principum JANUSSIUS Dux Radivilius fuit, in quem triste & abominandum invidiæ portentum rabiem & virulentiam suam effudit. Hæc eadem, ab omni ævo, in summos quoque & eminentiori virtute præcellentes Duces bellua desæviit. Hæc Athenis Themistoclem, post fugatum è Græciâ Xerxem, patriâ exegit. Hæc Romæ Scipionem, post fractum Hannibalem, Linternum deportavit, eique urbem in quâ natus est, ob ingrati animi crimen, adeò ingratam & exosam reddidit, ut in eâ mori aut cineres suos recondi non sustinuerit. Hæc eadem antecessores, hæc majores Principis atque ipsum Parentem non furioso duntaxat latratu, sed rabioso quoque dente appetiit. Ecquid igitur mirandum, quòd à virtute ac vestigiis majorum non degeneranti (sublabente præcipuè quotidie in deterius ævo) minime pepercerit. Nec tamen ideo sanctas & illustres animas ulla infelicitas tangit, quod in hoc universi Amphitheatro, hinc Diis, inde hominibus spectantibus, ejusmodi bestiis objectæ videantur. Certaminis tam excelsi non alius finis esse solet, quàm gloria certantium atque victoria. Nec enim Deus ad ejusmodi pugnæ laudem admittit, nisi benè munita virtute pectora, cujus solido dentes belluarum imprimi nequeunt, quin illicò confringantur atque dissiliant. Et quomodo insectorum venenatiora, amisso aculeo pereunt; ita qui virtuti genuinum imprimunt, & quorum vita, nisi noceant & mordeant, vitalis non est, dentibus & nocendi instrumentis exarmati, fœdas & ignobiles animas, non in vulnere, sed in irrito vulnerandi conatu profundunt, aut verius unâ cum rabidi latratus spumâ expuunt. Obruet istos sua nox, & sempiterna caligo in profundo oblivionis merget, ignoratos & illachrymabiles. Non ita vos, (quibus hæc consecranus) Æthereæ mentes, quas ab omnibus, virtutem pretio suo æstimantibus, publicæ famæ traditas, res à vobis gestæ & scribentium ingenia, sera in secula victuras, ostendent posteritati.

FINIS.

PANEGYRICUS

Honori & gloriæ

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

VLADISLAI SIGISMUNDI

REGIS POLONIÆ,

MAGNI DUCIS LITUANIÆ;

RUSSIÆ; PRUSSIÆ; MASOVIÆ;

SAMOGITIÆ; LIVONIÆQUE;

NEC NON

SUECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE;

REGIS HÆREDITARII,

Electi

MAGNI MOSCOVIÆ DUCIS,

DICATUS

ab Equite Polono.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXIII.

PANEGYRICUS

Honori & gloriæ

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

VLADISLAI

SIGISMUNDI

REGIS POLONIÆ,

MAGNI DUCIS LITUANIÆ,

RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ,

SAMOGITIÆ, LIVONIÆQUE,

NEC NON

VANDALORUMQUE,

REGIS HAEREDITARII,

Necnon

MAGNI MOSCOVIÆ DUCIS,

TRIUMPHUS

ab Utopiæ Polonæ

ANNO CHRISTI M DC XXXII

PANEGYRICUS

Serenissimo & Potentissimo

PRINCIPI AC DOMINO VLADISLAO SIGISMUNDO POLONIÆ ET SUECIÆ REGI

Dicatus.

AFFero Tibi, SERENISSIME REX, utinam tàm capiente Te, quàm me offerente, non indignum donarium. Neque enim aut ego, quia de paupere censu opulentius domum depromere non potui, idcircò devoti tibi animi specimen edere non debui: aut Tu, quòd ingenii vires spernendæ sint; ideò voluntatis meæ studium aspernabere. Non indiget animi tui magnitudo stimulis & exemplis summorum Principum, qui oblatâ sibi munera, non eorum dignitate censebant, sed offerentium benevolentiâ. quo factum est, ut rebus sæpe perexiguis, comitate accipiendi, non inventum in ipsis, pretium fecerint. Conatus hic, potiùs apud morosos infantiæ meæ censores, egebit patrocinio, quod aliunde quàm abs te petere, voluntatis de te merendi avidæ non sinit conscientia. Arido sanè ac jejuno genio laudes tuas lacessere, quid aliud est, quàm, contra Maximi Regis interdictum, sepositam Apellæ manui tabulam rudi penicillo invadere. Hujus mihi temeritatis veniam, ô Rex, apud alios aliter conciliare non potes, nisi ipse dederis. Dabis autem, ubi perpenderis, rem esse perdifficilem, in publicâ omnium lætitiâ, privato gaudio erumpentem vocem continere. Enimverò, non violentiùs olim in Lydio Principe pietas aut pavor, obsepti oris claustra reseravit; quàm diffusum gaudio pectus, etiam impeditissimas linguas laxare plerumque solet in improvisam facundiam. An ego inter tot festas gratulantium voces, inter hos plausuum strepitus, solus luctantem lætitiam premam? Quin inter tot millia hominum fortunam tuam adorantium, ego quoque hoc cultûs erga te mei monumentum virtutibus tuis consecro. Quod etiamsi fortè ad posteritatem durare non mereatur; repudiare non potes; cùm toties ea quoque tuorum officia humaniter amplectare, quæ mediocritatem non excedunt. Non mihi in hoc fortunæ tuæ auspicio consilium est, debita virtuti bene merentium præmia adulatione venari. Longiùs hæc pestis, & ab incorrupta aure tuâ, & à linguæ meæ simplicitate remota est; quàm ut assentationis veneno, aut illam inficere possit, aut hanc infecerit. Præmia verò bene meritorum, SERENISSIME REX, anis intercipere censebitur, qui Tuam ac Sarmatici nominis gloriam proferre in gentes exteras nititur eâ linguâ, quâ loquentem tot populi, tot nationes humanitatis cultu subactæ intelligant? Sed hæc ipsa, Anonymus & Agnostus quî sperare potest, intra nominis sui ignorationem delitescens? qui profectò etiamsi quâ fortè innotescat; cùm alia plurima fortunæ suæ sufflamina prospicit, tùm illorum præcipuè hominum formidat judicia, quorum apud nos uberrimus est hac tempestate proventus, qui quæ capere ipsi, aut præstare non possunt, carpere aut fastidire malunt. Nihil autem, etiam mediocribus ingeniis tristius, nihil magis adversum atque timendum est, quàm non intelligi. Ac ne illud quidem requisitum iri dubitat; cur potiùs stylum, quàm ensem; ingenium, quàm manum, ad obsequium tuum attulerit? Quasi tibi, ô REX, aut aliorum dexteræ ad navandam operam desint: aut ad virtutem resque tuas famæ ac posteritati prodendas, affluens ingeniorum copia superfit. Verum ne sensim à Panegyrico ad Apologiam stylus deflectat; ad laudum tuarum celebrationem properandum est. Quam priusquam aggredior, patere me primùm Deo immortali, cujus nutu ac numine in hoc summæ fortunæ fastigio collocatus es, pro ingentibus in patriam nostram beneficiis, debitas grates ac laudes reddere. Neque enim fas est cum meo me munere ad tuum solium festinare, priusquam hoc votivæ tabulæ anathema, ad januam ejus templi suspendero. Ac profectò nulla res est, quæ majestatem Regum cœlo propiùs asserat; quàm si honori vestro semper summi Dei honos prævertat. Cujus quemadmodum vos non imaginem tantùm, sed vicem in terris ac potestatem gerere constat: ita ejus venerationi cultum vestri ponè succedere meliùs liquebit, si illa hunc proximè præcedat. Tuo quoque honori militabit, antiquiorem videri curam, nobis de oblato divinitus REGE, quàm tibi de REGNO gratulandi. Etenim tametsi non minùs fortè tuæ gloriæ intererat, tantum te Regnum, quàm nostræ Salutis, talem nos habere Principem: fidelior tamen, & ab assentationis specie remotior videtur hic affectus, qui amorem tui à proprio emolumento auspicatur; eâdemque operâ, dum sibi magis favere videtur, de te meliùs judicat. Quemadmodum enim nullum à Deo in populos imperio subjectos salutarius conferri potest beneficium, quàm bonus & utilis Princeps: ita nullum à subjectis Principi luculentius dari potest laudis testimonium, quàm si ideò vehementer amari intelligatur, quia multùm prosit. Cæterùm quia non unum neque primum hoc est in patriam nostram propitii numinis specimen, quod te nobis Regem dederit; paulò altiùs ejus in nos munera arcessenda sunt: quò magis & Senatus populusque Polonus immortalibus

ejus beneficiis obstrictum se sentiat : & tu quoque intelligas, quantæ curæ hucusque Summo Deo fuerit, quod nunc tuæ curæ, tuæ fidei commisit. Enimverò ingens est atque stupendum, quotquot sunt in orbe aut extra orbem deorum hominúmve concilia, lege ac potestate suâ complexum Imperium. Cujus supremus Conditor & Arbiter eâ majestate & gloriâ universarum rerum gubernacula moderatur, cui neque celebrandæ oris humani pauperies, neque concipiendæ mortalis ingenii egestas sufficit. Quippe ubi ad tanti fulgoris radios ventum est, etiam divinissimarum mentium jubar superfusâ lucis extinguitur, & ad æterni luminis obtutum caligat. Quid enim hîc primum ? quid postremum cogites, aut admirêre, ubi infinita sunt, ad quæ ipsi immortales dii obstupescunt ? An illud supra omnes plenissimi juris dominium, naturis intelligentibus libertatem abstulit ? quid, immensa vis atque potentia nullis limitibus coërcita, non ipsa ultrò se cohibet, ut ea quoque fieri permittat, quæ impedire posset ? Nunquid liberrimum, (si ita loqui fas est) in summæ fortunæ licentiâ, quidvis faciendi jus & arbitrium, vel minimum de exquisitissimi officii æquitate, atque illibatæ justitiæ sanctimoniâ delibavit ? Quid illud certamen commemorem, quo incomprehensibilis sapientia, cum invictæ potentiæ robore, tàm ancipiti eventu contendit, ut incertum semper maneat, utra superior evadat ? Quid alterum par, non minùs memorabili contentione commissum celebrem ? in quo summæ bonitatis comitas, cum celsissimæ Majestatis fastigio certat. Nempe huic benignitati acceptum ferendum est, quòd sub herili domino nati, liberalitate Dei manumissi sumus. Cujus sapientissimo consilio præstare visum est, in civitatem universi delicta admitti ; quàm Libertatem ac virtutis laudem exulare. Quapropter ut ingenuis imperaret, maluit quosdam rebelles, quàm omnes esse servos. Ita cui in demerendis nobis de suo jure decedere placuit, tantò plùs accessit, quantò præstantius est liberis, quàm servientibus imperare ; quantoque nobilius, ingenuos animos amoris ac beneficiorum vinculis, quàm mancipii nexu obstrictos tenere. In quo sanè effusa bonitas cum sublimi sapientiâ ita concurrit, ut nescias, utri palmam victoriæ porrigas.

Hæc eadem Bonitas curam humani generis, nec tantùm salutis singulorum, sed universorum etiam utilitatis (si fas est cœlestia humanis verbis effari) providam ipsi solicitudinem commendavit. Neque verò hujus loci est ostendere, quanto ipsi impendio parta nobis æterna salus constiterit. Magis ad institutum pertinet dispicere, quanta benignitate, quanta sapientia, Respublicas, imperia, cætus ac societates hominum moderetur. Cujus rei si uspiam alibi, apud nos inprimis illustria extant documenta. Quibus omnibus gratâ memoriâ recolendis, quum sit impar mentis nostræ angustia ; pauca tantùm è plurimis, eaque duntaxat, quæ præ reliquis eminent, commemorabimus. Nullum autem est certius ejus in nos munificentiæ pignus, nullum magnificentius donum, illâ, quam penè ad invidiam reliquarum gentium universus orbis celebrat, Libertate. Nempe hæc est Dei benignitate pars multò maxima, simulque instrumentum felicitatis nostræ. Nam etsi nihil nobis præter semetipsam afferret ; quid tamen esset beatius, quàm in ea degere civitate, in quâ non modò sine iniquo superiorum metu, sed & sine molestâ æqualium invidiâ, vivere possis ? Nulla hîc dominantium formido ; nullus innocentibus offensi principis pavor ; nullus circa Regium tribunal reorum scopulus. Nihil est præter Leges, quod aut sontibus triste ; aut civibus quoquo modo verendum sit. Earum quoque vindicta maxima ex parte penes nosmetipsos. Ita quod apibus natura, nobis majorum institutа præstant ; Regem sine aculeo, solâ majestatis armatum reverentiâ. Inde inauditum in patria nostra crudelitatis nomen, ignota suppliciorum ingenia ; maxima indemnatorum securitas. Damnati pereunt : sed soli. Nulla ad posteros derivantur crimina ; nemo se nocentem supplicio tantùm experitur ; nequaquam per invisas Procerum domos intentata serpunt pericula. Etiam bonis sontium, insons fiscus plerumque abstinet. Itaque Reges nostros non timore maleficiorum, sed spe beneficiorum colimus. Syncerus hinc, neque ullius discriminis metu fucatus erga eos amor. præsertim ubi liberalitas, (cujus ipsis nunquam opportunitas abest) mutuam grati animi vicem reposcit. Eant nunc alii Principes, & absoluti in puniendo juris potestatem jactent. Si quibus noxios plectendi tanta est gloria, si pœnis eorum fruendi tanta voluptas ; experiantur licet omnem tyrannidis sollertiam : nunquam tamen assequentur, quin ipsos lictoribus & carnificibus suis istâ gloriatione concedere oporteat. Sin istis artibus apud subditos populos Majestas quæritur atque observantia ; quantò fidelior est atque præstantior veneratio, ad quam animos suómet impetu ruentes, beneficiis lacessitus Amor impellit ? Bene profectò majores nostri Regibus suis consultum esse voluerunt ; dum quod in regnando molestissimum, ac ipsi quondam Neroni grave visum est, pœnarum irrogationem, quantum licuit, ab iis amoliti : quod suavissimum est, præmiorum remunerationem illibatam reliquerunt. Reges quoque nostri summo consilio, quantum potuere, declinarunt odiorum atque acerbitatis materiem : dum sibi per honores & beneficia conciliandæ subditorum benevolentiæ potestas intacta maneret. Verumenimverò liberorum civium felicitati non sufficit, vitam agere nullo Regum metu anxiam ac trepidam ; nisi eadem decorè quoque ac glorioſè transigi possit. Dulce est condimentum libertatis securitas ; sed honor & gloria dulcius. Quotusquisque civium alibi ad altiorem eâ, in quam genitus est, sortem aspirare potest ? At apud nos, quis civium tàm infeliciter nascitur, cui ad summos magistratus & honores præclusus sit aditus ? Non jam è solis philosophantium libris petenda nobis est unica Libertatis hujus custos atque nutricula, æqualitas. Nulla enim apud nos in natalibus civium discrimina ; nulla in legibus. Quotquot indigenas cum jure suffragii videas ; tot Legumlatores, tot Regum suorum ac Magistratuum Electores, totidem summorum munerum ac dignitatum numeres licet Candidatos. Itaque nos mutuo, sine fastidioso delectu, cuncti amabili Fratrum nomine compellamus. Non enim censu, non titulis, non ipsis majorum imaginibus dirimimur ; quamvis alioqui eorum quoque memoriæ ac meritis debitus constet honos. Sed Patriciorum ac Plebis factiosa nomina proscripsimus : etiam exterorum scrupulosos dignitatis gradus. Omnes nascimur equites, omnes patricii, omnes nobiles & Barones, & si quos alios recens adoptatos titulos ignoravit antiquitas. quorum apud nos usus, tantùm pro dignatione apud exteros servatur. Totam autem nobilitatis prærogativam, omnem splendoris summam complexum est CIVEM POLONUM ESSE. Ita fit, ut quamdiu intemeratus mos majorum viget, sortem, in quam universi nascuntur, invidere sibi singuli non possint : nec si quis optatis excidat, justiùs fortunæ suæ, quàm sibimet ipsi succensere queat. Patet enim apertus promiscuis omnium virtutibus campus. Et nisi iniquus exoticæ censuræ delectus interveniat ; tantum sibi cuique polliceri fas est, quantum industria contendere audet. Sed hæc Libertatis bona, quamvis in seipsis maxima sint ; cumulatis in patriam, quæ largè peperit,

peperit, muneribus & commodis longè majora evadunt. Nam quò enixiori grati animi cultu cœleſte beneficium veneremur; facit hoc fortuna Reip: ut ambiguum ſit, utrùm nobis Libertas ipſa ſingulis privatim, an quæ Libertatem comitantur emolumenta, univerſis publicè pluris eſſe debeant. Etenim non modò magnitudinem, potentiam, victorias, triumphos, & reliqua patriæ decora: ſed ipſam ejus incolumitatem huic nos uni acceptam ferre neceſſe eſt. Quid enim aliud ampliſſimo huic Regno vires dedit atque incrementum, niſi mutua tot fortiſſimarum gentium concordia; quæ in unius civitatis corpus admirabili conjunctione coaluerunt? Quæ verò illecebra tot Ruſſici, Lithuanici, Germanici ſanguinis nationes, tantis terrarum ſpatiis diviſas, tam diverſis legibus disjunctas, moribus difformes, religionibus diremptas, animis ac ſtudiis diſcordes, linguis diſſonas, mutuiſque adeò & hæreditariis injuriis infenſas, ad unius Reipub. pellexit ſocietatem? Nempe hæc blanda Libertatis Suada, cujus mercede etiam ſuperatis gentibus expediebat debellari. Hoc maximè duraturum & ſtabile victoriæ genus excogitarunt majores noſtri; cujus ne victos quidem unquam pœnitere poſſet. Non enim id agebant, ut ſervientium multitudine; ſed ut imperantium numero vires ſuas augerent: nec ad proſtratæ fortunæ conditionem; ſed ad victoriæ præmia deditos vocabant: neque ſervire ſervatos, ſed vivere liberos cogebant. Ita latiùs ac fideliùs promoti imperii fines; cùm ſufficeret ſemel vinci populis, perituris, niſi periiſſent. Sapientiùs id quidem, ſimul & æquiùs, quàm Romani olim: qui quam nos etiam devictis ultrò dedimus civitatem, ne ſociis quidem, quorum armis & viribus orbem fregerant, niſi multo ſanguine compulſi concedere voluerunt. At nos civium, quàm ſervorum, aut ſociorum multitudine ac robore Rempub. ſubnixam eſſe maluimus: ſimulque guſtu libertatis ſemel alienigenis præbito, plures, etiam integros & intactos populos, ad earundem legum traximus ſocietatem. Hinc factum, ut modicum initiò Polonici imperii corpus, in tam vaſtam molem adoleverit; quæ à Ponto Euxino, uſque ad mare Balthicum, imò ad Finnici Sinus anguſtias, in intimum Septentrionem procurrens, Tyram quoque à meridie, & Boryſthenem ab ortu trajicit. Et quò pluris æſtimetur tam fructuoſæ Libertatis utilitas; non in ſecuro ac pingui otio; neque in opulentâ pace; ſed inter perpetuorum armorum ſtrepitus, inter aſſiduas barbaricarum incurſionum detrimenta, iſtud rerum noſtrarum fecimus incrementum. Stetimus enim adhuc pro vallo Europæ, excubantes pro cæterorum quiete contra ferociſſimarum gentium immanitatem atque barbariem. Qua in ſtatione vix ulla gens tàm diu impunè duravit. Luget etiamnum proſtratus Oriens; luget everſa Græcia, & accuſat barbarorum viciniam; neque ſatis feliciter eorum impetum objectu ſuo proxima nuper Pannonia excepit. Unum hoc eſt Divinæ in nos indulgentiæ peculiare nobis ac proprium monumentum, quòd ex tantis diſcriminibus toties, non tantùm incolumes, ſed florentes & auĉti evaſimus. Has nobis vires, hanc fortunam, conſpirantium in unum populorum felix concordia; concordiam Libertas; Libertatem Deus ipſe contulit. Quò arctiùs nos hanc tam nobilem ejus beneficentiæ arrham decet amplecti: quæ præter ea, quæ commemoravimus, infinita alia communi patriæ præſtat emolumenta. Quid enim Reipub. aut ad exiſtimationem glorioſius, aut ad ſalutem utilius eſt, quàm ſi ejuſmodi civium copiâ ſuccincta ſit, quos vitam & cariſſima quæque pro honore & laude non pigeat paciſci? At qui tam generoſæ indolis nihil feracius eſſe poteſt Libertate. Hæc enim ab omni ævo impavidas ad pericula mentes educavit: hæc bellatores populos ad famam & imperia protruſit: hæc Romanam virtutem per ſubacti orbis victorias exercuit: donec eâ ſublatâ, nihil propè magni pòſt auſum concideret imperium. Statim enim Auguſtus Rheno & Euphrate amnibus, Romanorum armorum gloriam, & antiquæ indolis ſpiritus circumſcripſit. Et alioqui ſervitus ipſa reddiderat animos degeneres, atque

——— nil magnæ laudis egentes.

At majores noſtros eadem, quæ ingenuas olim gentes, felicitas, ad pulcherrima quæque ſuſtulit & erexit. Sua illis libertas gloriæ ſtimulos, eadem capaces & maximis rebus gerendos pares dedit animos. Teſtis ſummota toties à finibus, hinc Germanici, iſthinc Moſchici, illinc Ottomannici imperii vis, ingenti licèt mole quandoque incumbens. Præterea non modò plurimo ſanguine repreſſum, ſed fractum penitùs Ordinis Teutonici robur, receptum longi belli domicilium, ſublatum ferociſſimæ juventutis receptaculum. Inde peragratus victoriis Septentrio: inde tot erecta, per Livoniam, Moſchoviam, Podoliam, Moldaviam, Valachiam, Polonicæ virtutis trophæa. Neque verò quantum Libertati & gentis noſtræ virtuti tribuere videor, tantum divinæ protectionis beneficio derogare exiſtimandus ſum. Manet ipſi perpetuò ſuus honos & illibata gratia. Nec enim ad grati animi rationem intereſt, victorias nobis Deus, an victoriarum cauſas contulerit: præſertim cùm præteritis ejus muneribus aliter ferè uti neſcierimus, niſi ea novis cumulaſſet. Verum in iis, quos nobis Deus indulſit, ſucceſſibus, fuit aliqua indolis & virtutis laus, quam tamen ipſam divinitùs obtigiſſe, ultrò nobis gratulati ſumus. Idque tantò juſtiùs, quantò fortunatior eſt, in hoc Libertatis ſtatu, patriæ noſtræ, quàm reliquarum gentium conditio. Nam quò jucundior hujus boni poſſeſſio, eò difficilior ſolet eſſe cuſtodia. Etenim animi Libertatis ingenio ad excelſa erecti, huic ipſi generoſitatis ſuæ nutrici plerumque inſidiari amant. Magnos igitur ſemper ac bellatores cives, famaque & victoriis inclytos produxerunt ſui juris Reſpublicæ, eorumque virtute ac rebus geſtis imperii ſui fines latè protulerunt. Sed eoſdem libertati ſuæ plerumque graves, aliquando & pernicioſos expertæ ſunt. Plena eſt exemplorum antiqua Græcia. quæ anxiè conquirere quid attinet, cum Romæ ipſi gentium dominæ, Gallia ſub jugum miſſa, jugum impoſuerit. Hinc apud populos nemini ſubjectos, ſuſpecta ac ſæpe per injuriam violata civium virtus: hinc ne quid in æqualitate emineret, ſupra reliquorum modum protuberans indoles, ſæpiùs Oſtraciſmis, aut Petaliſmis, aliiſque id genus rationibus, retuſa atque depreſſa eſt. Quo remedio Libertati utcunque; incremento Reipub. malè providebatur. Eoſdem enim, qui æqualitati ejus periculoſi cenſentur, rebus contra hoſtem gerendis optimos videas. Quorum virtuti ac indoli quantum domi decerpitur, tantum civitatis gloriæ & fortunæ foris decedit. Nec deeſt hodieque Reſpub. quæ hoc artificio celebratiſſimam toto orbe libertatem, à multis ſeculis ad noſtra uſque tempora proſperè deduxit. Quæ ſanè, niſi ſolicitâ ejus curâ indolem civium (quibus ne bella quidem gerenda credere audet) enecaviſſet, aliquantò latiùs, niſi fallor, imperâret. Sed illa quidem ſapienter non exiſtimat tanti, foris florere, ut domi periclitetur. At nobis ea ſors libertatis obtigit, in quâ bellica virtus efflorescere ſine pacis periculo poteſt: neque domeſtica ſecuritas redimenda eſt externis diſcrimimbus. Nulla enim à magnitudine civium Libertati formido: ſpes potiùs & patrocinium oſtenditur. quippe Regum faſtigio inumbratur, quicquid ſupra communem ſortem eminet.

eminet. Itaque nos soli omnium, Dei immortalis beneficio, è Libertate duas ejus famosissimas pestes exegimus, Ambitionem & Invidiam. Nusquam enim gentium, quæ servitutem proscripserunt, licet usitatam virtutis gloriam egredi, quin aut ambitionis suspicioni, aut invidiæ missilibus objectus sis. Apud nos verò nullius civis tàm altè surgere potest magnitudo, cujus luminibus, salvâ libertate, majestas Regum non obstruat. Fortunatam igitur Rempub. cui neque virtutem civium timere, libertatis studio; neque odisse, servitutis tædio necesse est. Sed & rarum Libertatis genus, cujus Regnum custodiam gerit: quæ neque ambitionis periculo populum, neque invidiæ malis proceres solicitat; & quam erectis civium pectoribus animi magnitudinem inspirat, ipsa minimè formidat. Neque verò satis est Libertatem nostram summi Dei munere ita foris patriæ prodesse, ut domi secura sit sui: nisi eam à domesticis quoque tutam reddat insidiis atque periculis. Cùm enim cives in beatissimo rerum suarum statu collocet, qualem alibi terrarum frustrà quærant; incredibile dictu est, quantum ipsis patriæ amorem, quantam in eam fidem ingeneret? Enimverò segne studium afferas ad navandam Reipub. operam, quam non matrem putes, sed novercam: nec unquam iis civibus diu in patriam fides duravit, quibus æquè jucundè extra patrios fines vivere licuit. Nam illis quidem consiliis stolidius nihil est, quibus efficitur, ut alicui parti civium in patria, quàm apud alienos, pejus sit. Quo enim pignore studia retineas? quo terrore coërceas animos eorum, quibus, ut beatiùs vivant, exilio opus est? Placeat civibus conditio sua; sortemque vivendi sub alienis legibus oderint, aut despiciant: nusquam sibi dignitatem, nusquam libertatem salvam extra patriam fore persuasum habeant. hæc demum arctissima erunt fidei & amoris vincula, quibus patriæ obstringentur. Ubinam autem gentium is honos, ea prærogativa Nobilitati, qualis apud nos viget, speranda est? ubi tam liberum in figendis ac refigendis legibus arbitrium? ubi tantam in intercedendo potestatem? ubi par suffragiorum jus? ubi similem ad summos honores ac præmia aditum? ubi tam beatam omnium Ordinum æqualitatem? ubi legum indulgentiam? ubi tantam denique libertatem ac securitatem? ubi dignitatem & splendorem invenient? Itaque nulla apud nos post hominum memoriam perfidiæ exempla; nulla procerum contra Principem, aut præsentem statum cum alienigenis conspiratio; nulla penè (alibi in tam libero civitatis statu non infrequens) populi seditio. Semel ante aliquot lustra commotæ Libertatis æstus efferbuerat. Sed is illicò miti exitu resedit, atque ob novitatem exempli æternâ oblivione damnatus est. Cæterum jugi ac perpetuâ pace tranquilli, quodque vehementius mirandum est, cum continuis motuum occasionibus pervicaci quiete contendimus. Quæ regio in Europa paulò celebrior extitit, (cui modò per servitutis compedes commovere se licuit) quam non tristis ac pestifer bellorum civilium turbo concusserit? Ubique religionum prætextus feralibus odiis cives in mutua vulnera armavit; idemque infestos secum populos ac Reges commisit. Transeant silentio vetera Helvetiorum aut Germaniæ arma; simul Anglicana pax, toties omni bello crudelior. Nam Italicæ quidem atque Ibericæ servitutis rigor, quem tot Catholicarum gentium aspernata est ingenuitas, non venit in hunc numerum; quamvis ambustos tristibus flammis torres, ac fæda suppliciorum spectacula ostentet. Prima post Romani imperii fastigium dignitate & opibus Gallia, quas non civium strages? quæ non infandi belli crimina perpessa est? Quis crederet, dimidium seculi in his malis exactum, quibus provincia Europæ princeps attrita, atque diu cum fatis suis luctata, ægrè supremi exitii discrimen evasit? Nec tamen incendium illud patrum memoriâ ita extinctum est, quin nostrâ iterum tempestate, in novas civium clades, nova civitatum excidia erumperet. Proxima situ, ac terrarum spatio minor; sed roborem ac divitiis æmula Belgica, ne in calamitatum quidem certamine se vinci passa est. Eodem enim Religionis fomite accensa, per annos penè septuaginta, semel duntaxat remissis magis, quàm intermissis funesti belli flammis deflagravit. Quid non cladium & malorum expertam credamus? quæ tanto jam tempore, tot Regum ac populorum arma, tot exercituum licentiam, tot atrocis belli furias, miseriis & sanguine suo aluit atque sustinuit? Hæc illa est vetus ingentis fabulæ scena, cujus cruentos actus trepidis utrinque oculis adhuc spectavit Europa; donec tam sævi spectaculi proscenium intra ipsa Germaniæ viscera promotum est. Vidimus igitur totam illam quâcunque patet, vicini imperii molem, sævissimi belli incendio inflammari. Quæ dum per tot annorum decursum, magno utrinque nisu cognatas acies committit, novissimè externa arma domesticis implicuit. Serpit indies atrociùs malum, & nunc quoque scrutatur intima Germaniæ; ne quis sit ejus tam repostus angulus, quem non hæc pestis penitùs occupaverit. Tanti belli furor, quos illic passim ingentibus jacturis luctus permiscuit? quot, non dico civium, sed urbium & exercituum occidione, mutuis utrinque cædibus parentavit? Pudet post immania cladium exempla memorare Bohemicos aut Pannonicos motus, quos idem religionis obtentus conciverat, etiam antequam postremi belli, sive occasio, sive accessio esse inciperent. Nihil enim præsenti spectaculo atrocius fingi potest ubi; tantis utrinque stragibus colliduntur conversæ in se Europæ vires. Nihil & ipsa crudelis belli sede calamitosius; cui, sive trahatur bellum, lentâ pernicie tabescendum; sive plurimo sanguine præcipitetur, alterutrâ clade propè pereundum est. Neque enim, quod in diversi generis certaminibus accidit, ejusmodi victoriam fida pax & tranquillitas manet; neque profuso tam largi sanguinis flumine, æstus hic, qui correpta bellorum peste membra depascitur, remittet. Utravis enim partium dimicationis hujus victrix evaserit, superest ei altrinsecùs metuenda sociorum manus, qui in aliena clade periculum suum verti intelligunt. Frangi hæc uno prælio, uno bello, ac fortasse uno seculo non potest. Dedit experimentum domita nuper, mox majori mole rebellis Germania. Ita infinita malorum series in tot alternis fortunæ vicibus restat exantlanda. Interim defessum gemit & vapulat imperium. Cui tametsi longo post tempore stabilem alterutrius partis fortunam promittere possis; periculum tamen est, ne continuato malorum pondere fatiscens, ante plenæ victoriæ fructum pereat Germania. Unicum malorum remedium, cita & æquis utrinque legibus dicta pax supereſt. Magnis igitur exemplis compertum est, quo luctu & quo discrimine Regnis atque imperiis constet Relligio bello, atque impietate defensa pietas. Nam quæ denique mali species tàm funestis dissidiis abfuit? Immissi utrinque summis Ducibus percussores, Regibus sicarii. Suppliciis & cruciatibus nobilitas, Principes securibus, Regiæ quoque stirpis ac fortunæ fœminæ carnifici subjectæ sunt. Adde virorum ac mulierum illustrium exilia; adde rapinas fortunarum, & quâvis nece tristiorem pauperiem. Taceo stratas in campis acies, ipsorúmque adeò Ducum, imò Regum funeribus lugubres; vicos & fora & compita madentia, & flumina ipsa sanguine tincta. Inde agros vastitate horridos; alia rapinis exhausta, alia deleta incendiis oppida: præterea communium damnorum dolorem privatæ

vatæ luctibus orbitatis accensum ; deformes ubique & fumantes sævitiæ relliquias ; denique tot excisarum urbium, ac penè gentium cadavera. Nam quo alio appellem nomine populos, ereptis legibus, erepta libertate exsangues ? Hæc fuerunt ab omni ævo susceptorum ob religionem bellorum specimina, hi fructus inconsulti pietatis zeli. Quos licèt enixo studio vitandos sibi majorum quoque nostrorum prudentia prospexerit : nostro tamen seculo tàm feralis dissidii exemplum, longè magis abominandum effectum est. Quum enim Europa pridem in partes discesserit ; præcipiti nonnullorum studio, veluti classico excitatæ factiones, propriæ incolumitatis stimulis in mutuam perniciem coortæ sunt. Factum inde, ut nihil in remotissimis quibusque oris ob religionem tentari possit, quin reliqui sacrorum socii, quid isthic eveniat, suâ interesse censeant. Hinc non modò occultis ubique opibus, sed apertis auxiliis subnixi imbecilliores, ancipitem reddunt potentiorum fortunam. Inde bella initiò confectu facilima visa, ambiguo Marte, in annos, & lustra, & secula extenduntur ; dum privatæ singularum regionum simultates, in publica partium certamina migrant. Inde semel acceptum hospitio bellum, nunquam penè è miseris, quibus incubuit, oris exterminari potest. Sensit luctuoso experimento Gallia, mox vicina Belgica, sentit etiamnum afflicta Germania, certamen tàm impium & atrox, quàm ægrè placitam sibi semel scenam relinquat. Quid autem miserius est, quàm tot malis, quæ suprà rudibus lineamentis adumbravimus, ita cruciari, ut eorum aut nullum, aut admodum serum videas exitum ? Æstimet hinc, quanto immortalis Dei beneficio patria nostra obstricta sit, qui eam, inter regiones sacrorum dissidio laborantes, solam & unicam tot tantarumque miseriarum immunitate dignatus est. Benignitatem Dei commendat commune cum cæteris gentibus tanti mali periculum. Eadem enim apud nos odiorum semina, externorum studiis ventilata & sparsa, civium moderatione in herba suppressa sunt. Hanc moderationem uni Deo Optimo Maximo acceptam ferre possumus ; qui cùm nos præ omnibus liberis Europæ populis, felicissimi status conditione beâsset, pacis nobis amorem, quæ unà cum libertate cunctas prosperitatis nostræ illecebras complexa est, insevit. Enimverò amamus omnes & exosculamur libertatem nostram, cujus pacifico fructu nihil est dulcius. Hæc una est, quæ efficit, ne nos unquam conditionis nostræ pœniteat. Hæc in turbulentioribus ingeniis novarum rerum studium extinguit ; (quò enim altiùs vota cujusquam ascendere possint ?) hæc est unica funestissimæ pestis, quæ finitimam viciniam vastat, antidotus. Nam non modò quieta Libertatis possessio, sed ne Libertas quidem ipsa integra nobis constaret, si aut bello, aut belli causis, hoc est, legibus, suppliciis, & violentiâ, animi civium cogerentur ad Religionem. Felicem nimiùm ac Deo dilectam gentem, quæ tam blando & molli fræno retinetur, ne vicinorum exemplo in proprium ruat exitium ! feliciorem etiam, si tàm jucundum, tàm utile, tàm gloriosum propitii Dei munus æstimare nôrit ! Quòd enim in eam crevit magnitudinem, quòd tantâ contra hostes potentiâ, inter vicinos existimatione pollet ; quòd tantis civium animis attollitur, & exultat ; quòd nullâ domi tyrannide, nullâ perfidiâ, nullis seditionibus, nullis bellorum civilium fomitibus laborat ; breviter, quòd salva floret & incolumis ; uni sese Libertati debere, fateatur necesse est. Nempe hoc nobis Deus imputat certissimum felicitatis nostræ compendium atque instrumentum ; quod ut nostræ genti proprium ac perpetuum esse velit, sanctissimis ejus aris supplices advolvamur. Ille unus libertatis nostræ puritiam ab ipsis ejus incunabulis per lenta incrementa liberaliter educavit, donec in eum ætatis suæ florem adolesceret. Ille nobis continuâ serie hucusque indulgentissimos, patres dicam ? an principes ? dedit ; quorum benignitate sensim status nostri felicitas effloruit. Atque in eo manifestum ejus providentiæ vestigium agnoscas, quòd inter tot proximorum seculorum Reges, nemo penè libertati nostræ gravis ; plerique utiles & salutares exstiterint. Atque ex iis quanto quis benignior & liberalior, tanto diutiùs regnavit. Quis enim Casimiro magno indulgentior, Jagellone melior, Casimiro altero lenior extitit ? Quid illud laudatissimum principum par, primum, inquam, Sigismundum patrem, & filium Augustum commemorem ? qui maximâ secum contentione certasse videntur, uter fortunam Reipub. florentiorem, libertatem ampliorem, memoriam sui gratiorem nobis relinqueret. Nam Sigismundi quidem Tertii nunquam satis celebratam animi moderationem atque clementiam, quis pro dignitate deprædicet ? Horum aliqui propè attigerunt quinquagesimum ; plærique quadragesimum regni annum multùm superavere ; nemo infra triginta septem regnavit. Ne Ludovici quidem, aut Vladislai Varnensis, aut Joannis Alberti, atque Alexandri & aliorum contractiora imperia, Libertatis nostræ amplitudinem coarctarunt, quæ continuo tot annorum spatio glisens, nullo adverso intervallo prospera sui incrementa distinxit. Ancipiti cogitatione distringor, quid magis in tot Regibus mirer : Animine magnitudinem ? an moderationem ? amorem in patriam ? an in subditos indulgentiam ? bonitatem denique ? an sapientiam ? Quorum in prædicationem, SERENISSIME REX, excurrere, rerum ab iis gestarum invitat fæcunda gloriæ materies ; nisi jam subvereri inciperem, ne longiùs ab instituto digressus, & alieno argumento proprias tui nominis laudes diutiùs æquo remoratus esse videar. Quanquam quis hanc alienam a tuis laudibus materiem censeat ? Tot potentissimi Reges, pacis bellique virtutibus insignes, victoriis inclyti, famâ nominis celebratissimi, libertatis ac felicitatis nostræ auctores & parentes, tui sunt progenitores. Quicquid in eos laudum congeri potest, in te refunditur. Neque causæ quicquam est, quin quod iis debere nos confitemur, Tibi, SERENISSIME REX, tribuamus. Quicquid igitur adhuc verborum fecimus, si quis a tuis laudibus remotum existimat, is reputet velim, quam debitis hucusque præconiis celebravimus Libertatem, ita summi Dei munus esse, ut simul majorum tuorum beneficium censeri non desierit. Nihil de Magni Dei beneficentiâ decerpitur, quoties in partem insignis meriti ultrò mortales admittit. Habet ille alia suæ Majestatis jura, ad quæ nemini sine capitali crimine aspirare fas est. Beneficia quidem plerumque hominibus per homines confert. Quanquam igitur totam hanc, quâ fruimur, felicitatem, Summo Deo, & quidem soli, in solidum acceptam ferimus ; quatenus nullus est alius, qui proprio motu atque a nemine impulsus, per eos, quos præ aliis sibi adhibere placuit administros, tanti nos boni compotes fecerit : Tamen & istos voluntarios beneficentiæ suæ administros Reges, qui nullâ vi aut inevitabili instinctu adacti, ac ne divini quidem consilii conscii, liberâ & gratuitâ nos subinde liberalitate prosecuti sunt, ab ejusdem beneficii obligatione excludere non possumus. Adeò gratiæ ac beneficii ferax est, communis illa generi humano, atque divinitùs indulta arbitrii licentia. Quominùs mirandum est, si nostra quoque peculiaris Libertas, pluribus nos beneficiorum vinculis, ac debitæ gratiæ officiis (quanquam dissimili ratione) obstringat. Debemus enim SERENISSIME REX,

tanti boni fructum inprimis Deo Opt. Max., debemus Majoribus tuis; debemus & Tibi, quem illi gratitudinis nostræ, quàm dominationis suæ hæredem esse maluerunt. Sapientissimo id quidem consilio. Etenim in libertatis indulgentia Summi Dei exemplum imitati, amore subditorum, quàm legum metu, firmare in gente suâ imperium; nec precarium, sed gratuitum posteritati transmittere, jam olim consultius arbitrati sunt. Quæ spes illos nullo unquam tempore fefellit. Suffecit enim posteritati eorum ad gloriam & summæ fortunæ fastigium, propè nihil ex imperio parentum hæreditate crevisse, præter civium benevolentiam. Quippe hæc ipsis iterum, (addito gratiæ & fidei fœnore) abdicatam olim amplissimi hujus Regni successionem, subinde reddit ac rependit. Vidimus certè alibi, hæreditaria Regna, non modo legitimum Regum suorum sanguinem: sed ipsos inauguratos Reges, à sceptris suis per summam injuriam partim repulisse, partim repellere summâ vi contendisse. Ne antiquiora repetam; testis est patrum atque nostrâ memoriâ Septentrio: testis ipsa Regnatricis alioqui domûs observantissima Gallia. At nos per tot secula, per tot successionum traduces; plenissimam eligendorum, quos vellemus, Regum licentiam possidentes; quando ad Regum nostrorum sobolem, quàm rarò etiam ad sanguinem à Regno excludendum, nostro jure usi sumus? Tantò fidelior est semper beneficii, quàm legum aut potestatis reverentia. Non debet cuiquam, SERENISSIME REX, ab instituto meo alienum videri, quòd tua præconia professus, identidem ad gentis, aut libertatis nostræ, aut ad ipsius Dei laudes relabi videor. Etenim nihil horum absque tuâ gloriâ prædicari potest. Quin eâ quoque ratione nomini tuo, minus invidiæ, plus admirationis accedit. Quid enim? Genti nostræ aliquâ commendatione blandimur? Nempe in ejus existimatione decus tuum vertitur. Libertatem ac patria instituta celebramus? E maximis rebus, quas majores tui gesserunt, nihil est immortalitate dignius. Beneficia Dei debitâ veneratione recolimus? Ea verò adeò cum tuâ gloriâ conjuncta sunt, ut jam ampliùs separatim à nobis, absque tuarum laudum commemoratione, celebrari non debeant. Quantò enim cariores nos Superis videmur; tantò tu augustior, cujus fidei tam nobile depositum, cujus ditioni gens tam dilecta Deo commissa est. Infinitum sit, omnia propitii nobis Numinis vestigia persequi. Itaque ea tantùm modicè percurremus, quibus in demerendâ Republicâ nostrâ, Tuo, SERENISSIME REX, interventu aut operâ Deus immortalis usus est. Quid verò ad solidam virtutis existimationem efficacius est, quàm ad ingentium rerum decora, incorrupto æterni Regis judicio deligi ac destinari? Multis enimverò magnisque olim majorum tuorum condecoratum trophæis, victoriis illustratum, accessionibus auctum Regnum hoc fuisse fatendum est. Verùm, SERENISSIME REX, Moschici Patris tui triumphi, reliquis omnibus partis antehac de vario hoste laureis, quodammodo palmam præripuerunt; adeò ut majores quidem ejus, cum finitimis gentibus, de salute, aut imperio; ille cum majoribus suis de gloriâ certasse videatur. Quod enim antehac bellum viribus & hostis magnitudine nobilius; vastissimarum regionum spatiis diffusius; exiguarum copiarum virtute animosius; indefessæ juventutis alacritate operosius; victoriarum numero frequentius; raptis ex hoste spoliis opulentius; denique captivorum Ducum ac procerum pompâ glorioſius, gentes nostræ gesserunt? Atqui totus ille commoti Septentrionis æstus, tot victoriæ, tot ad conjecti usque Oceani glaciem erecta trophæa; tuæ gloriæ, tuo nomini tituliſque militabant. Neque verò tu tam illustris imperii ambitu, tot gentium sollicitabas quietem; neque erat quisquam alius, præter unum Deum, qui honoris ac rerum tuarum satageret. Tibi nec opinanti barbararum gentium, suffragante Numine, voluntates, tibi conciliata sunt studia; tibi fidem, in obsequium ultrò ruentes populi, solenni sacramento obstrinxerunt. Atque utinam tam liquidis, ac manifesto signatis divinæ voluntatis vestigiis insistere placuisset! uberiorem equidem tanti sudoris & sanguinis fructum tulissemus. Sed quoniam magnis jam olim erroribus fides facta est, malè divinis humana interponi consilia; tuâ posteà, SERENISSIME REX, operâ, tuâque fortunâ factum est, ut nos tamen, seu gesti, seu finiti belli non omninò pœniteret. Nempe prærepti ab hoste, aut (quod potiùs firmet omen Deus!) dilati honoris injuriâ non accensus, juris tui vindicias submisisti temporibus Reipublicæ. Quâ excelsi animi moderatione, non modo defessæ quietem, ac necessariam districtæ aliis periculis patriæ pacem; sed insignem amplissimæ regionis accessionem præstitisti. Et quò manifestiùs liqueret tua in eam pietas; dum in suspecto utrinque apparatu, Inducciarum negotium fervet, armatus pro ejus otio egisti excubias. Primum hoc tuis auspiciis obvenit gloriosum Reipublicæ compendium, quieta possessio provinciæ, quam neque victrices Sigismundi primi acies, neque Augusti potentia & fortuna, neque urgentis Stephani metuendi successus, tàm longo jam tempore incubanti hosti extorquere potuerunt. Agnovit memor Respublica ingentis meriti debitum, dum pro restituto tot terrarum dominio, earum tibi iterum reddidit usum fructum. Hoc pignus grati ejus animi tantisper habuisti, o REX, donec tibi illustrius officiosi affectûs testimonium exsolveret. Vix hæc turbati Aquilonis procella tuis auspiciis posuerat; quùm nova in nos & atrocior ab Oriente tempestas coorta est. Namque ille superbus Asiæ atque Europæ domitor, qui ex tot regnorum, tot imperiorum ruderibus, substruxit immanem potentiæ molem, flagrantibus incitatus odiis, ac furore vecors, non tàm bellum nobis, quàm excidium minabatur. Tanti periculi denunciatio, dum difficillimis consiliis intentam exercet Rempub., minimum abfuit, quin repentinus & miserabilis casus, Tibi, SERENISSIME REX, Patrem, patriæ Regem, iniquissimo rerum articulo, abstulerit. Non ille vitæ suæ, quàm salutis nostræ præsentiori periculo, inciderat in belluam, nescio quâ Curatorum incuriâ, ex injunctâ legibus custodiâ sui elapsam. Quo enim alio nomine appellem, qui extincto mentis lumine, jamdudum non modò civem, sed hominem exeruat? Quæ tum, SERENISSIME REX, in illo subito discrimine tua mens? quæ pietas? quis ardor animi? Quùm horribilis incepti ausus, latè fugam circumstantium ac trepidationem feciſſet; cunctis improvisâ re perculsis, atque ipsâ ignoratione periculi consternatis, primus arma corripis, strictoque in hostes mucrone irruis. Quid refert, quòd unus duntaxat, isque mentis inops, fuerit? Tu tanquam contra multos, eosque instructos ferebâre. Sanè quùm plærique capita sua ignoto periculo subducerent, eaque trepidatio discriminis magnitudinem arguere putaretur; licuit tibi in eas vitam tuam non præcipitare insidias, à quibus remotior, atque ipsâ januâ templi exclusus videbaris. Vicit in optimum patrem pietas, & animi fortitudo; quæ non certiori experimento testata esse poterat, quàm si neque mediocri periculo lacessita, neque necessitate expressa videretur. Neque verò successu virtus caruit. Tantisper enim vecordis patricidæ ictus divina frustrata est providentia, dum tu patriæ salutis vindex accurreres. Alii fortè labentem vulnere Regem exceperint: sed tuâ, SERENISSIME REX, dexterâ, tuo demùm ense repulsum infelix monstrum, spem perpetrandi

facinoris

facinoris abjecit. Macte animo, fortissime Regum, cui servati Patris, atque in ejus capite tot civium coronam Fata imposuêre! Etenim nefandum ictus, quem tu à paterno capite, virtute atque armis tuis repulisti, nostrum omnium salutem petebat; & supremam patriæ, in subitâ atque intempestivâ orbitate, perniciem moliebatur. Scilicet illa privatæ fortitudinis quercus, publicarum victoriarum lauros, quæ mox circùm tua tempora serperent, portendebat. Simili olim ad amnem Ticinum facinore, juvenis Scipio Hispaniensibus & Africanis triumphis præluſit. Nec diu expectandum fuit trophæorum, quæ tibi propitium cœlum destinavit, exordium. In quo equidem non ignobilius tibi partum est nomen, quàm quod suis olim victoribus, seu subacta Asia, seu domita peperit Africa. Quippe non earum modò, sed Europæ quoque spoliis superba gens Ottomannica, speciosissima præscriptione tuam nobilitavit victoriam. Quoscunque enim devictarum gentium titulos præfert; ii, triumphi tui pompam adornant. Hic equidem hostis est, qui quot oppugnavit, tot evertit imperia. Namque excidio Byzantini, Græciam ac Thraciam; Trapezuntini, Pontum & vicinam Asiam; Sultanici, Syriam & Ægyptum sibi asseruit. Non sua Asiaticos multitudo; non Græcos calliditas atque solertia; non Ægyptios barbaries & Mamæluccorum robur; non Armenios atque Arabes, atque ipsam Babylonem vicinia Persidis tutata est. Sæpe illud opulentum ac præpotens imperium, quod unum Romanas olim aquilas cis Euphratem stitit, validissimis Ottomannicorum virium lacertis, longè trans sua flumina propulsum est. Taceo occupata passim Africæ littora, in quibus, adulto jam Hispaniensi imperio, summâ diu contentione retenta Carthaginis ruinæ, ereptæ sunt. Jam in ipsa Europâ, præter Græcos atque Macedones; nunquid Mæsos, Triballos, Dacos, Dardanos, Illyrios, atque Pannonios finitimum Occidentis imperium protexit? Per impulsas tot Ducum, Despotarum, atque Regum acies; per calcata ipsa cadavera; per tot urbium ruinas, ac populorum clades; secundùm adversum Danubium, hostis hic in ipsa Austriæ viscera penetravit. Et certè tunc, potentissimi post hominum memoriam Imperatoris opibus suffulti Germani, non vicini modò atque integri Belgii, aut totius Italiæ; sed Hispanici quoque imperii viribus erant metuendi. Quùm igitur tam potens hostis ac formidabilis, in nos non universam modò Europæam militiam, atque prætorianum robur; sed validissimas Orientis copias cieret; quùm superbâ futuri spe, atque fiduciâ virium, ipse tyrannus vindictæ libidine furens, cladibus atque exitio nostro interesse vellet; nec tantùm præceptæ victoriæ fructu, sed ultionis crudelitate animum atque oculos suos satiare contenderet: quis tum erat Europæ princeps aut populus, qui non sinistrum nobis exitum auguraretur? Subibat animos hominum horribilis cogitatio, quænam illa futura esset rerum facies, quùm ipsâ multitudine obtrito propugnatore exercitu, florentissimum Regnum in prædam Barbaris & servitutem concessisset. Parùm est, formidata belli mala: stragem exercituum, vastitatem terrarum, direptiones urbium, incendia oppidorum, virorum cædes, stupra mulierum, grassantem ubique crudelitatis atque libidinis licentiam. Tristiùs post victoriam pacis miseriæ timebantur: oppressa religio, prophanata templa, extinctæ Leges, sublata judicia, calcata illa delicatæ libertatis felicitas, & firmandæ tyrannidi nobilitas stirpitùs excisa: Præterea superba dominantium fastidia, æterna tributa, & nihil intactum avaritiæ; sublata privatarum rerum dominia; nihil cuiquam proprium; sæviendi in insontes licentia, & suppliciorum barbarica crudelitas. Insuper infandarum libidinum contumeliæ: abstracti è gremio parentum liberi, abreptæ ex sinu maritorum conjuges. Et quis omnia servitutis flagitia enumeret, quæ tum trepidis hominum mentibus, & penè oculis obversabantur? Neque verò in illo tam grandi atque improviso periculo, aut exterorum evocare auxilia, aut idoneos ad tanti belli molem vacabat facere apparatus. Unica hyems extemporaneos delectus, stipendia, commeatus, ac subita consilia ægrè expediebat. Quis eâ tempestate spectatorum fuit, cui illa militum manus, quæ ineunte æstate contra hostem movit, non ad certissimum exitium tendere videretur? Cui tamen temetipsum, SERENISSIME REX, adjungere non dubitasti; nihil cunctatus iis castris vitam tuam committere, quibus salutem Reipub. creditam esse cerneres. Quæ fides in patriam spectatior esse potest, quàm incolumitati ejus nolle esse superstitem? Sed & invicti animi quod est certius documentum, quàm in tam ancipiti discrimine, neque paucitate suorum, neque hostium numero ac viribus terreri? Non igitur hostem intra fines, non pro mœnibus munitissimæ urbis, non in ipsâ ripæ crepidine, rapidissimo flumine diremptus, expectare voluisti, neque adeò eminùs aliorum eventus atque pericula, expers ipse discriminis, speculari. Trajecisti nobilissimi amnis limitem, quasi verendum esset, ne hostis destinatæ impressionis mutaret consilium, ut in suis finibus ultrò quærendus videretur. Itaque castra novis legionibus aucta, Ducum ac militum animi adventu ac præsentiâ tuâ confirmati, ea fortitudinis, tolerantiæ, constantiæ exempla dedêre, quæ tandem imminentis exitio nostro tyranni pervicaciam fregerunt. Et dubitabitur adhuc, quantum tibi servata debeat Respub., qui nisi advenisses, jam Fortuna legiones nostras internecioni, patriam servituti damnaverat? Sic quoque collectæ in unum vires, sub pondere ingentis belli laborabant; quùm pluries centenis veteranorum millibus succinctus hostis, confertas acies castris illideret; quùm innumera Tartarici equitatûs agmina lateribus nostris circumfunderet; quùm ipsum fluminis munimentum, quod terga tuorum claudebat, occupatâ adversâ ripâ redderet inutile. Illinc enim horribili tormentorum fulmine detonans; parte alia quotidianis penè præliis, paucitatem copiarum nostrarum superante multitudine, atterere conabatur. Equidem non modò ingrati, sed in Majestatem Divinam injurii quoque essemus, nisi tam evidenti documento testatam ejus opem fateremur. Manebit hæc in animis nostris infixa perpetim, ac seris quoque nepotibus non ignorabilis, neque obliviscenda. Nam si nullum esset aliud ex iis, quæ paulò antè recensuimus, summi in nos Dei beneficiis; hoc unum pro multis sufficeret propitiæ in nos voluntatis monumentum, quod nulla unquam sæcula tacebunt. Cui enim tam dubiæ dimicationis fortunam acceptam ferámus, nisi ei, qui & Ducibus mentem, & militibus nostris animos ministravit? Quis crederet, copias vehementissimis impressionibus oppugnatas, prodire quoque in æquum, atque acie decertare ausas? Magnum erat, SERENISSIME REX, vos tanti exercitus procellam terribili turbine ingruentem, eodem quem semel ceperatis loco, eodem vestigio expectasse: majus etiam, adventantis agmen carpendo irritare non veritos: maximum, oppugnantis violentiam, tenui munimento, neque satis arduo loci situ discretos, tamdiu sustinuisse: Etiamne valli objectu submovere hostem dedignati, pectorum oppositu à munitionibus vestris arcuistis? Nam quid aliud tàm iniquis viribus, tam vasto apparatui, tam duræ ac difficili sorti, humanitùs opponi potuit, nisi unica spes in armis, & projecti ad insanos ausus militis ferocia? Ecquid igitur mirum, quoties nostra castra adortus est, eâ virtute hostem exceptum, ut repulsa plurimo sanguine agmina, suismet

castris impingi cerneret? Sed & in illis per adversos colles, superbâ specie latè explicatis tentoriis, sensit, irrumpentium nostrorum audaciam; & quam alienis paulò antè struebat, in propriis stativis cædem ac trepidationem expertus est. Idque invadentibus nostris adeò impune fuit, ut luculentâ subinde prædâ aucti discesserint. Credibile verò cuiquam videbitur, militem numero tam imparem, apparatu tantò inferiorem, tot laboribus exhaustum, cum tot difficultatibus, morbis, & commeatuum inopiâ conflictantem; non modò in propugnationis constantiam, sed in prælii quoque, atque ipsius oppugnationis audaciam durare potuisse? Sanè hostis, qui primo statim adventu, atque ipso innumerabilium agminum conspectu ac terrore, dissipaturum sese mediocritatem copiarum nostrarum speraisset; postquam non modò castra castris, sed signa signis impunè collata conspexit, de improbæ spei fastigio turpiter dejectus, frangi sensim animo atque concidere cæpit. Ubi verò præcipuis Ducibus amissis, cladibus ac detrimentis suis dubiæ belli fortunæ admonitus est; simul tuum, SERENISSIME REX, parentem, cum novo exercitu advenare accepit; magis adhuc consternatus, non jam de nostra pernicie, sed de salute suâ; nec de gloriâ victoriæ, sed de securitate receptûs, cogitationem suscepit. Nemo eorum, qui in tam illustri specimine Reipub. operam navârunt, debito præconio fraudandus est. Manet sua cujusque merito merces apud posteritatem: seu quis auspiciis suis, sive ductu, sive consilio, sive operâ, seu quocunque tandem insigniori modo aut laude, in tàm præclari facinoris societatem accessit, perenni annalium memoriæ consecratus est. Quanquam nemo penè in illis castris fuit, qui non periculo saltem atque tolerantiâ, laudem ac sermones hominum meruerit, sed maximâ omnium celebratione digna est benefici Numinis providentia, quæ non modò nos eorum, quæ concipiebamus, votorum; sed ipsa vota nostra timiditatis damnavit. Quis enim nostrûm in tàm improbas spes attollebatur, ut sibi post indicti belli minas, plus quàm incolumitatem promittere auderet? Parùm benefico numini visum est, dare salutem periclitantibus, nisi servatis victoriæ decus addidisset. Itaque voluntate ejus ac numine, eò superbissimus tyrannus indignitatis redactus est, ut quam nobis absens insolenter renunciaverat amicitiam, eam, virtute nostrâ castigatus, præsens ambire coactus sit. Posteaquam enim, qui terrebat omnes paulò antè viribus atque apparatu, cladibus ipse suis trepidare didicit, compressis illicò tumidis barbarici fastûs spiritibus, resedit vana irarum rabies; & qui gloriosæ sibi victoriæ ultionem desponderat, ad pacem vel ignominiosam sua vota deflexit. Nam quis de paciscentis dedecore dubitet, qui ne glebâ quidem hostilis terræ auctus, tot impendiis & jacturis unum illum flagitiosum ac trepidum receptum mercatus est. ut non aliud tanti moliminis adventu egisse videretur, nisi ut turpiter discederet; & quam sponte colere noluit pacem, invito sibi extortam, teste toto orbe, fateretur. Atque haud scio, an id tibi, SERENISSIME REX, nostræque genti ad famam confecti belli videri possit illustrius, quòd victoriam vobis hostis confessione suâ tradiderit, quàm si internecione reliquisset. Certè aliquantò plus est, post edita tot virtutis documenta animos hostium, quàm corpora dejecisse. Si supremarum virium periculum fecissetis, poterat hostis, aliquo fortunæ casu, sive ignoti astûs ingenio sese supplantatum causari. Nunc quia post vestræ virtutis experimentum adeò pertimuit, ut spes atque vires suas ultrò damnaverit; quid aliud, nisi suo se ipse suffragio debellatum confessus est? Placuit in tam glorioso tibi ac genti nostræ argumento diutiùs immorari; in quo te potissimùm, SERENISSIME REX, magni Dei consilio electum cernimus, per quem nos salutis simul ac tantæ gloriæ compotes redderet. Felicissimi hoc erat augurii specimen; quodque tibi, si cætera abessent, merito nostrûm omnium animos adjungere debuit! Quò enim aliò spes & suffragia nostra verteremus? Tecum, SERENISSIME REX, militare, tecum periclitari, tecum pugnare, tecum vincere, tecum prosperè pacisci, tecum felices esse consuevimus. Ecquis nos ab exploratâ felicitate ad ignotæ fortunæ incertam sortem avocasset? Quid enim te Rege polliceri nobis non liceat, qui te commilitone tàm magnificè vicimus? aut quid tuis non præstes, qui alienis auspiciis res tàm arduas gessisti? Jam enim, SERENISSIME REX, ad illud collatorum à Deo Opt. Max. in Rempub. nostram beneficiorum recentissimum veniendum est; quòd Te nobis Regem dederit. Quo profectò non minùs ejus Majestati obstrictos nos arbitramur, quàm eùm è maximis toties, quibus penè hausti sumus periculis, præpotenti ejus numine sumus erepti. Horret animus meminisse, quoties occurrit ipsi facies illius temporis, quo nuper orbata Rectore Reipub. navis, ingentibus undique tempestatum ac ventorum turbinibus objecta est. Quàm metuimus omnes, ne patriam nostram lethali contagio pestilens illud sydus inficeret, quod pridem varias Europæ oras, recèns autem miseram Germaniam affiavit? Novus enim, & parentibus nostris abominatus, genioque libertatis ac Reipub. infestus morbus, per ipsa patriæ præcordia serpere cæperat, qui nobis similem affectæ viciniæ pestem minitari videbatur. Quid dignum imprecer diris exoticæ disciplinæ præceptis, quibus animi civium in mutuas stimulantur injurias; nisi æternum a Sarmaticis mentibus exilium? Maneant ibi terrarum, ubi nata sunt, isthæc prodigia. Nam Pacis ac Libertatis nostræ ingenium, non fert opiniones ac voces sanguinis ac servitutis alumnas. Et profectò neminem felicitatis, quam paulò antè prædicavimus, pœnitere potest, nisi quem patriarum Legum, & majorum suorum candoris ac simplicitatis pertæsum est. quibus opulentiores, si Deo placet, fortasse possumus; meliores ac sapientiores cives esse non possumus. Verùm ille animorum habitus, terrarum quas colimus advena, indigenarum mentes in mutuas suspiciones ac simultates excitaverat, quæ in funestam aliquam Reipub. tempestatem erupturæ timebantur. Ecquod tanti mali remedium occurrebat, quod animis optimorum utrinque civium, hoc est intimis Reipub. fibris ac medullis insinuatum, omne humanæ opis remedium respuere videbatur? Unus supereras, SERENISSIME REX, divino numine atque consilio huic immortali in patriam merito destinatus, qui tanto periculo mederi posses; qui infensos civium animos conciliares, distracta popularium studia ad unam salutis communis curam revocares; qui metum è pectoribus, suspiciones è mentibus hominum exigeres. Si tibi sic facilior ad imperium struebatur aditus, propè est ut discrimini nostro faveamus. Quanquam ejusmodi temporum nostrorum status, non magis tibi ad hoc fastigium viam sternebat, quàm aliis omnibus præcluserat. Quis enim erat flectendis ac molli fræno circumagendis voluntatibus hominem æquè idoneus? quis, cui aut fidei plus, aut benevolentiæ tantum, apud cives supereſſet? quis in quem adeò concors atque unanime discordium animorum studium conspiraret? denique quis erat alius, quem in Principem eligi non modò expediret Reipub. sed esset necesse? Non tibi, SERENISSIME REX, innumera alia ornamenta deerant, quorum penè singula conciliandis honori tuo suffragiis sufficissent. Multum tamen interest, nemini in certamine dignitatis concesseris, an omnes superaveris, aut ipse in meritorum veneris societatem, an eorum magnitudine reliquos excluseris.

Id

Id profectò sine cujusquam contumeliâ dici potest, alios quoque imperio dignos, ad electionis nostræ suffragia admitti aliàs potuisse: te hac tempestate non potuisse prætermitti; ut non modò capessendo imperio par, sed unus hoc tempore idoneus repertus sis. Itaque in hac divinitùs ad gubernatæ electionis gratulatione, non est quod multùm illa tua decora celebremus, quorum in societatem quisquam mortalium venire potest. Satis est, ad tantæ suffragationis gratiam, nihil usquam alibi reperiri potuisse illecebræ, quod non in te uno cumulatè deprehensum sit. Quæ enim res in eligendo Principe spectari solet, cujus in te rationem habitam non constet? Patria candidatum quæ potior decuit, quàm quæ eodem æthere, iisdem syderibus genium Principis finxit, quibus & mores subjecti populi, atque regnandæ regionis formavit ingenium. Gratulamur genti nostræ, tandem inter populares inventum, quod hactenus apud alienos quæsivit; dignum imperio caput, ac Regem indigenam. Hoc ornamento per te, SERENISSIME REX, decoratisumus, quo nobis priùs cive frui, quàm principe licuit. Quo fit, ut tàm affari te sine interprete, quàm abs te compellari possimus sine nomenclatore. Nôsti enim (quæ tua comitas fuit atque humanitas) non vultus tantùm, sed nomina singulorum. Nihil natalium tuorum fortuna affabilitati; nihil naturæ bonitas, majestati detraxerat. Semper magni Regis filius, in maximas spes susceptus eras atque educatus: & pridem Magnus Dux Moschoviæ electus; ac proximè Rex Sueciæ esse inceperas. Necdum meminimus, quando privatis videri desieris. Ita singula fortunæ tuæ momenta accipiebas, ut non sentires incrementa. Hac animi magnitudine, dignus altiori fastigio judicari merueras, quem tot accessionibus auctus honos non posset tollere. Sed & maximum tibi regnandi usum ista humanitas attulit. Dum enim à consuetudine privatorum non abhorres; tuismet experimentis mores nostros atque ingenia, aliquorum & merita didicisti. Quantum tibi ad imperandi scientiam contulisse arbitramur, quòd in spem imperii natus, tàm longo tempore non modò imperantis Patris, sed civium parentium spectator fueris & arbiter? Quò facilior tibi earum rerum delectus fuerit, quos sub alieno imperio bene aut secùs cessisse meministi. Felicem te hujus institutionis prædicarem, nisi nos feliciores censerem eo nomine, quòd institutis ac moribus patriis innutritus, in Legum ac Libertatis nostræ consuetudine bonam ætatis partem exegeris. Cujus tu tàm frequenti specimine assuetos oculos, tot vocibus pulsatas aures, tot imaginibus imbutum animum gerens; non potes genium ejus aversari, quoties fortè nativa ingenuitate lætiùs luxuriaverit. Hæc tibi regnandi rudimenta atque præsidia, solum ipsum, in quo natus atque altus adolevisti, contulit. Nam quid ego generis tui splendorem referam, qui Regum nostrorum imagines, concurrente in te clarissimarum stirpium nobilitate, illustravit? Addiderat Genitor tuus, Jagelloniæ atque Aragoniæ stirpi, tot Regum ac Principum genitrici, sceptrigeræ in Septentrione gentis claritudinem. Tu verò utriusque generis celebritatem, honoratissimæ toto orbe domûs titulis atque insignibus cumulâsti. quæ duplicis imperii potens, hinc antiquum Romani fastigii decus; illinc novam Hispaniensis potentiæ fortunam & gloriam ostentat. Quòd si majorum meritis certandum fuit; quis præter Te atque Serenissimos Fratres, in beneficiorum ingentium, quibus nos sibi majores vestri devinxerunt, jus atque gratiam successit? Quid attinet Pacis atque libertatis domesticæ, quæ paulò antè commemoravimus, bona repetere, pro quibus sempiternam Avis Atavisque vestris memoriam, vobis gratitudinem, debemus. Promoti foris imperii limites, tot opum, tot populorum accessio; tantum apud hostes reverentiæ, apud finitimos auctoritatis, apud omnes gloriæ partum; quid, nisi capta sunt à nobis, ac per tot parentum traduces vobis relicta, nostræ in vos voluntatis pignora? Quis fuit, qui nos adjectis finitimæ potentiæ, & fractis Teutonici Ordinis viribus, primus infestæ utrinque viciniæ metu & calamitate liberavit? Hoc Atavo vestro Jagelloni debemus officium. Quis celeberrimas Prussiæ urbes, præcipua maris Balthici emporia, in fidem Regni accepit? Primum hoc futuræ opulentiæ auspicium atque incrementum, Abavus nobis vester Casimirus imputat. Quis integræ Borussiæ possessionem, tandem bonâ fide Reipub. asseruit? Huic equidem tam illustri ac fructuoso patriæ operi, supremam manum Proavus vester Sigismundus imposuit. Quis illam per tot littorum spatia mari prætensam Livoniam, reliquo Reipub. corpori adjecit? imò quis ipsum Reipub. corpus, validissimis copulatarum gentium nexibus, atque in se implicatis nodis adstrinxit, ne ullâ posthac vi aut machinâ, coagmentata moles dissiliat? Ista sunt præ cæteris, quæ Avo vestro Augusto, Respub. nostra fert accepta emolumenta. Denique, quis præter tot parta domi forisque trophæa, latissimos illos Severiensis ditionis fines, conterminæ Lithuaniæ ac Russiæ nostræ prætexuit? Hæc Patris vestri Sigismundi sunt, mansura ad posteritatem, meritorum in Patriam monumenta. Tantorum in nominum sanctissimam apud nos obligationem & gratiam, omnes pariter, SERENISSIME REX, successeratis; nisi tu maturioris ætatis opportunitate usus, positis apud Rempub. peculiaribus ac propriis tuis beneficiis, potiorem conditionem tuam reddidisses. Quæ ut abs te bene fuisse collocata censerentur, debito tibi ac satis destinato munere, Resp. officiorum tuorum vicem rependit. Difficile est, SERENISSIME REX, non modò verbis exequi, sed ipsa mente & cogitatione universa consequi, quæ tibi ad prosperum, quem maximò nostro bono tenuisti, fortunæ tuæ cursum velificata sunt. Sed reliquis, seu fortunæ, seu genii tui dotibus, in hoc genere umbram facere videntur tua illa, quorum jam aliqua suprà commemoravimus, effusa in nos beneficia. In quibus, rem suo pondere librantibus, quod tempore postremum, magnitudine penè primum videtur; saluberrimum illud, pestilenti contagio recèns infectæ patriæ adhibitum abs te, civilis dissidii amuletum. Nam sive nostri discriminis rationem, sive tui meriti laudem reputemus; quid aut nobis ad salutem magis eâ tempestate necessarium erat; aut tibi tam peculiare ac proprium, atque in cujus societatem tecum adeò nemo venerit, ut ne accedere quidem potuerit? Spernant ignari rerum, quantùm volent, illa primâ specie modica, sed in recessu multum discriminis abdentia, publicorum ob religionem studiorum certamina. Deum immortalem, quantum illa exigua scintilla excitare parabat incendium! Scindebantur injuriis ac mutuo metu accensi popularium animi: periculosis utrinque studiis pugnabatur: atque istæ civilium æstuum simultates, vanis quidem, sed sinistris invicem suspicionibus, penè in professa odia & partes abierant. Denique (ne, quæ invitus ac dolens tracto vulnera, refricem) syncerus ille Libertatis & concordiæ nostræ genius, nescio quâ seu temporum intemperie, seu contagionis aurâ afflatus, in ignotum majoribus nostris discidium degenerare periclitabatur. Unus, SERENISSIME REX, inventus es, qui nos ab eâ peste liberare posses, cujus etiamnum imaginem refugiens animus, ipsam quoque abominatur mentionem. Quamvis enim civium animos, nondum à moderatione majorum, & paeatæ libertatis ingenio penitùs aversos deprehenderis: tamen nisi maturè huic operi

manum admoviſſes, quo ſponſore nobis de pace & ſalute patriæ potuit caveri? Magnum hoc igitur eſt, quòd certantium contentionem dirimere volueris: ſed longè majus, quòd potueris. Illud tuæ fuit in patriam pietatis: hoc civium in te benevolentiæ ac fidei pignus: utrumque autem virtutis ac ſapientiæ tuæ documentum. Itaque inter concurrentes civium ordines ſtetiſti medius, & partes in ſe mutuò incitatas, prudentiæ ac dexteritatis tuæ objectu collidi paſſus non es. Ecquid autem mirer, unum te demulcendis omnium animis ſuffeciſſe, cujus fidei, ſinguli cauſæ ſuæ depoſitum ultrò crediderant? Tantum tibi ſpectatâ virtute auctoritatis, tantum meritis tuis ſynceræ apud omnes benevolentiæ comparaveras; ut nemo eſſet diſſidentium inter ſe civium, qui non litem ſuam arbitrio tuo permitteret. Ea erat cunctis exploratæ æquitatis atque juſtitiæ tuæ fiducia, ea ſapientiæ opinio; ut tibi certatim ſinguli, juris aut injuriarum ſuarum cognitionem deferrent. Nondum per leges patrias Rex eligi poteras; & jam dijudicandis Ordinum cauſis, ſummiſque Reipub. gerendis negotiis, ſupremus eligebare moderator & arbiter. Ita antequam honorem adiiſſes, jam vim principatûs, liberrimis tibi ſuffragiis delatam, exercebas. Tuliſti, SERENISSIME REX, ex tot hominum judiciis magnum anteactæ vitæ fructum. Sed & Reſpub. ingentem ſuæ erga te fiduciæ mercedem retulit. Cujus expectationem nullâ in re fruſtratus, libertatem & ſalutem in tuto poſuiſti. Neque verò hæc in patriam pietate, erga pietatis magiſtram religionem impius: neque iſtâ in diſcordes cives æquitate, in auctorem concordiæ Deum extitiſti injurius. Neque adeò tibi magis integrum erat, à majorum tuorum, quàm nobis utile, à noſtrorum exemplis atque inſtitutis diſcedere. Quorum neutri quicquam in religionem deliquerunt, quòd eam ſanguinis & violentiæ invidiâ infamare veriti ſunt: multòque minùs, quæ in tot exemplorum triſtibus documentis, à parentum veſtigiis recedere timuit poſteritas. Præcipuè quùm illud, quòd nos aliquorum ſtudia & turbata vicinia vocabat, iter, non modò multo ſanguine lubricum, ſed & infidæ fortunæ ancipiti viciſſitudine abruptum ac præceps videretur. Neque ſatis juris erat, aut deſignato Principi à populo ſuæ ſpontis; aut civibus à civibus, ejus rei rationem repoſcere, quàm pari jure omnes, nullius poteſtati obnoxii, uni Deo reddere tenerentur. Quorum illud univerſorum libertas; hoc admittere non poterat æqualitas ſingulorum. Multum hæc animi tui moderatio atque prudentia Reipub. profuit. Quid enim in proximo Interregno gravioris difficultatis incidit, quod non feliciſſimè operâ atque interventu tuo expediveris? Eximia hæc ſunt maturi judicii ac prompti ingenii tui, & eloquentiæ, quæ Principem deceat, teſtimonia. Non modò quid Reipub.; quid tibimet factu opus fuerit, intellexiſſe; ſed penetraſſe in animos & inclinationes hominum, ac tot longo uſu partæ prudentiæ, in flectendis ſtudiis, expugnandis voluntatibus hominum, feciſſe experimenta. Præterea partibus utrinque jus ſuum mordicùs retinentibus, tam feliciter perſuaſiſſe, ut de rigoris hujus pervicaciâ decederent. Sed majora illa ſunt juſtitiæ tuæ ſpecimina: Primùm quòd anteactâ vitâ eam tuæ æquitatis fiduciam in animis omnium excitaveris. Deinde multò magis, quòd non fefelleris. Si in mentem dominationis avidam iſta incidiſſet atterendæ libertatis opportunitas; quid erat factu promptius, quàm alteri partium gratificari alterius exitio? Non alia fuit olim munitior ad tyrannidem via, quàm in civium diſcordia, alterutrius partis viribus uti ad utriuſque ſervitutem. Quid ego hîc juſtitiam duntaxat, quid fidem tuam, meritiſſimis elogiis ad cœlum efferam? quum animi tui magnitudo præcipuam ſibi laudis hujus partem vendicet. Debetur pulcherrimis factis iſta gloria, ut ad poſterorum notitiam tradantur. Dicam igitur, quod attonitus audiat orbis, & inter ſtuporem ac fidem dubius accipiat. Quùm, ut fieri ſolet, in conciliandis diſcordium partium ſimultatibus, nonnulli conceptis odiis perſeverantiùs inſiſterent; audita eſt palàm illa tua denunciatio: Fruſtra tibi in tuum duntaxat honorem conſpirantia parari ſuffragia; nolle te, niſi concordium inter ſe civium ſuſcipere imperium. Credet igitur hoc ventura poſteritas, Regnum tot æmulorum votis exoptatum, tot ambientium rivalitate (uſque ad ſanguinem aliquando) petitum, nuperà te penè paſſum repulſam? aut tibi tuæ dignitatis, quàm noſtræ ſalutis, curam fuiſſe poſteriorem? Scilicet ea tibi virtutis atque meritorum tuorum, ea benevolentiæ civium fiducia fuit; ut nihil iniquam veritus offenſionem, improvida ſtudia redarguere, præcocia ſuffragia aſpernari ſuſtineres; & quas majores tui in adeundo honoris hujus faſtigio, pacis ac libertatis leges accipiebant; eas tu ultrò Electoribus tuis ferre auderes! Macte ingenti animo, ô Rex, ſpretâque altior dignitate, eas nobis ipſe conditiones præſcribe, quibus Libertas noſtra auctior atque ſecurior evadat. Sciebas nimirum, ejuſmodi te à nobis illo tempore accipere beneficium, quod nobis viciſſim optimo jure imputare poſſes. Etenim ambiguum eſt, utrùm tu nobis ſalutem pro honore; an tibi nos honorem pro incolumitate noſtra reddiderimus. Unum illud in mutuâ iſtâ beneficii vice liquidò cernitur; niſi te nobis Regem Deus impoſuiſſet, neque te ſatis faſtigii tui dignitatem, neque nos planè libertatis & ſalutis noſtræ ſecuritatem tueri potuiſſe, cujus niſi in mutuâ pace ratio conſtare non poterat. Meritóne igitur initiò diximus, magis nobis de Rege, quàm tibi de Regno gratulandum videri? Certè enim ſalutis propriæ, quàm dignitatis alienæ cura ſolet eſſe antiquior. Meritóne in agendas propitio Numini grates effuſi ſumus, quòd ad ingentes beneficiorum ſuorum cumulos, te nobis inſuper Regem addiderit. Plurimum equidem tibi, SERENISSIME REX, totum verò unà tecum, Deo Opt. Max. debemus. Quod ſi cui mortalium, illius in te ornando atque augendo obſcura eſt providentia; revocet ſibi in memoriam proximi interregni, ſed maximè Electionis tuæ eventus ac circumſtantias. Lætis enim auguriis proſperum ſeculi tui ingreſſi ſumus auſpicium. Cujus in ipſo limine ea nos excepit tranquillitas, quam neque ſpe præcipere, neque votis optare poteramus. Cujus verò è majoribus tuis, poſt reddita exercendis legibus judicia, tàm quietum fuit imperium, quàm pacatum habuimus proximum ſilentis fori & rerum prolatarum juſtitium? Mitto, quæ ab externis hoſtibus timebantur pericula, admirabili faventis cœli indulgentiâ inhibita. Domeſtica gentis tam liberæ licentia, quæ in maximo pœnarum metu, nec majeſtate Regum, neque poteſtate magiſtratuum, neque ipſorum ſæpe judicum conſpectu à delectis cohiberi poterat; quaſi orientem fortunæ tuæ Solem reverita, frænos ſibi ipſa ultrò adduxit. Ipſa illa, confluentis ad Electionis ſolennia, armatæ multitudinis tam numeroſa frequentia; tot militum, tot cohortium, tot legionum, ſine Duce atque Imperatore ſua ſibi ſeorſim ſtativa aut caſtra metantium, formidata incolis examina; propemodum non aliâ diſciplinâ, quàm felicitatis tuæ miraculo continebantur. Enimverò proſperrimum ineuntis ſeculi omen habet, tempus illud faſtigii tui auſpicio deſtinatum: nullâ ſeditione, nullo triſti eventu, nullo latrocinio, nullâ cæde & ſanguine pollutum. Itaque memorabili nobis argumento compertum eſt, quantò tutior ſit pacis publicæ cuſtodia, cùm ipſe

Deus,

Deus, quàm cùm ejus Vicarius pro nobis agit excubias. Quis enim præsentissimi Numinis vestigium, in illa inopinatâ animorum ac temporum quiete non agnoscat? Quod ut evidentiori erga te favore nostrûm omnium oculos perstringeret, cœlum ipsum honori tuo famulari jussit. Quò enim pertinuit illa, post tot fœdos imbribus dies, statim unà cum dedicato Electioni tuæ tempore exoriens, & plus quàm per quadraginta dies continuata cœli serenitas? Annus hic alioqui assiduo imbre horridus, turbidas campestribus concionibus tempestates minabatur. Quis illam subiti aëris fortuitam censeat amœnitatem, quæ ita cæpit, ita duravit, ita desiit, ut exactè temporum tuorum momentis obsecuta videatur? Nempe antè inchoata Electionis cómitia, pluvius aër, quicquid habuit humoris, exstillasse videbatur; ut tota illa tuo honori consecrata festivitas, lætâ ridentis cœli temperie renideret. Rediit enim illicò post elapsum definiti temporis ambitum, sua ætheri intemperies, ut de industriâ dilata, hunc ipsum comitiorum terminum expectasse videretur. Medio tempore puri ac sine labe dies, lætissimum prosperi principatus omen fluxere; ut ne quis in comitiis tam auspicato habitis, de cœlo servatum obnunciare potuerit. Magna hæc sunt atque manifesta divini in te favoris argumenta: Sublato legum metu, effrænem audaciam, solâ tui nominis reverentiâ sese ad inexpectatam composuisse modestiam! ipsas etiam temporibus tuis obsecundasse tempestates! Sed illa majora, quòd suffragiorum numero, non dico æmulos, sed majores tuos omnes superaveris: quódque unanimi universi populi consensu ac voce ad imperium vocatus sis. Singulare fuit olim patrum nostrorum in Gallum Principem studium. sed illud magis sanguine ac simultatibus vacuum, quàm unanimi civium consensu insigne celebratur. Multi enim è longinquis, multi è vicinis oris Principes, flagranti vacui Regni ambitu certabant; nec deerant inter nostros, qui aliquorum rebus studuerint. Nam in cæteris quidem Interregnis, non suffragiis tantùm; sed odiis atque armis pugnabatur. Unum hoc est, SERENISSIME REX, auspicatissimæ Electionis exemplum; in quâ, non anceps consiliis, non divisa studiis Respublica, te solum unâ voce Regem depoposcit. Quid autem mirer, nullum inter cives ab honore tuo aberrasse suffragium; quum nullum inter fortunæ tuæ æmulos animadversum sit ambitûs vestigium? Itaque majores quoque tuos suffragiis vicisti; quando tibi non modò Electores, sed ipsi electionis capaces, & quondam candidati, ipsique adeò hostes, regnum deberi judicaverunt. Tibi coràm Serenissimi fratres; tibi per legatos Cæsar avunculus; tibi ipse Christiani orbis arbiter Pontifex maximus suffragati sunt. At quoties antehac Imperatorum studia concordiæ nostræ intercessisse meminimus? Tibi reliqui Principes, sive æmuli, sive hostes, silentio suo concesserunt; satis confessi, te imperio digniorem, quòd tecum non auderent concurrere. Nam quis tecum posset contendere; qui ætate atque usu rerum Fratres; natalibus atque auctoritate indigenas; communis nobis cum patriæ necessitudine, ac genti; nostræ amore, externos; ingentibus meritis & civium benevolentiâ, omnes omninò superavisti. Venio nunc ad illum memorabilem Comitiis tuis præfixi temporis articulum. Ex destinato legibus spatio, una duntaxat dies eligendo Principi supererat; quam infectâ re non transmitti, multùm dignitatis tuæ interfuit. Arduum id factúque inexplicabile videbatur negotium; non quòd honorem tuum studia hominum destituerent, sed quòd incumbentia Reipub. negotia morarentur. Ille tibi dies animos fidemque ac studia hominum, experimento approbavit irrefragabili: sed & manifestum divinæ voluntatis exhibuit indicium. Bene sit supremo in patriâ nostrâ sacrorum Antisti, qui consentaneum muneris sui pietati executus officium, illâ nobis tempestate adorandi Numinis princeps & auctor extitit. Juvat illius temporis animo repræsentare imaginem, quo refertis undique circumjacentibus campis, ingens illa Senatus populique Poloni concio, quam nulla templa, nullæ basilicæ cepissent, sub aperto cœli, humi provoluta, Regem à Regum Rege poposcit, & accepit. Dignum illud fuit Deo hominibusque spectaculum, & ad eliciendam optimi Numinis benevolentiam mirè efficax; quùm ex cunctis amplissimi Regni partibus collecta in unum civium multitudo, publicorum negotiorum consilia religiosis precibus interjungeret, & inspectante (ut existimare par est) cœlestis militiæ exercitu, uno ruentis confertim turbæ impetu, universi in genua procideret. Quid simile ex omni antiquitatis memoriâ referam, nisi illud fulminatricis apud Romanos legionis miraculum; quæ, quia pariter armorum fiduciam precum humilitati submiserat, creditur non modò præsentissimam suis opem; sed illustrem impetrasse victoriam. Proindene nos quidem illarum, quas ritè ac devotè fundere non puduit, precum repulsam tulimus; supra fidem & omnium expectationem, exiguo temporis momento, attonitis divinitùs ac flexis ad unanimem sententiam omnium voluntatibus. Salve igitur nobis, Rex Augustissime; diuque tibi cœlitùs procurato imperio fruere; cujus honori, ad reliqua cæterorum studia atque judicia, suum insuper supremus Deus adjecit suffragium. Fruere fatis, supra spem tuorum, atque hostium invidiam, felicibus. Nos autem votorum rei facti & compotes, quæ pro nostrâ ac Reipub. incolumitate suscepimus; nova iterum pro diuturnitate imperii tui vota nuncupamus; Deum immortalem precati, ut muneribus suis propitius, longam huic, quâ meritò exultamus, prosperitati usuram largiatur. Etenim lætissimis, SERENISSIME REX, omnibus, Regni tui auspicia ingressus, in maximas nos spes erexisti. Quotquot enim res abs te gestas contemplamur, tot obsides; quotquot virtutes in te adoramus, totidem habemus felicitatis nostræ sponsores. Pacem civibus & concordiam ante susceptum principatum præstitisti. Non patière muneris tui fructum Te Principe corrumpi. Magna in animis omnium justitiæ tuæ fiducia, proximum ejus experimentum præcesserat; major post injunctam blanda necessitate partibus concordiam apparuit. Hinc maxima spes exsurgit. qui singulos invicem opprimi non tuleris; libertatem universorum convelli non passurum. Quid illa explorata animi tui æquitas, virtutem, ubicunque inventa fuerit, æstimans; nunquid bene meritos à præmiis excludet, non alio nomine, nisi quia Guelfi sunt, aut Gibellini? Tu verò in hoc fastigio resides, ut exemplo summi Dei, uni æquus virtuti, in ea remunerandâ spectes nihil præter ipsam. Animi tui fortitudo, quæ quondam Patrem, mox patriam protexit; vadem se nobis pro nostra ab hostibus securitate sistit. Enixiùs etiam defendes tanquam proprium, qui pro alieno regno toties caput tuum objecisti discrimini, quoties aliquod Reip. periculum increpuit. Multum enim interest, tuæ gloriæ milites, non alienæ. Victoriarum vero augurium eadem spondet felicitas, quæ perpetua lateri tuo comes adhæsit, etiam quùm alienis auspiciis vinceres. Hic autem omnium Ordinum, omnium civium in te unum consentiens amor, non unâ illâ, quæ fastigii vestri majestatem temperat, naturæ tuæ comitate securus est. Nempe impetum hunc, quem ab acuenda virtutis acie, cotem fortitudinis vocant; patriâ animi mansuetudine ac moderatione frænare didicisti. Præterea ita vixisti hucusque, ut omnium interesset te Regem fieri: ita vivis, ut nemo desideret successorem. Et quia naturale, ideò factu proclive est, iisdem artibus unumquodque retineri,

retineri, quibus partum est. Porrò illa judicii tui maturitas, illa expedita promptitudo, cui nunquam in deliberando anxiè ac morosè quærendum est quod sequatur; tàm digna est ac decora imperio, quàm in explicandis arduis, quæ sæpe incidunt, Reip. negotiis, felicissimum pollicetur eventum. Est enim, quando subitam agendi celeritatem malè moratur nimia consulendi cunctatio. Nec semper aut expedit, aut tutum est, alieno incumbere genio: ad quem scopulum magnorum hodieque Principum videas naufragia. Piaculum esset, exultam ingenii tui felicitatem silentio transmittere. quæ quid aliud promittit, quàm te literis & ingeniis honorem habiturum? Interest existimationis tuæ, ô REX, eminere præ cæteris temporum tuorum gloriam atque memoriam. Quam nisi literarum illustrent monumenta; belli pacisque artes ingloriæ ac pigro situ obductæ jacebunt. Virtutem enim ipsam ingenia suscitant. Dedisses Alexandro illum, quem Achilli invidit, laudum præconem; quantâ curâ actus suos composuisset ad posteritatis reverentiam? quanquam ævum illud, quod ipsum tulit Aristotelem, haberet non paucos, qui levius facere possent Homeri desiderium. ut vel hinc intelligi possit, nusquam uberiorem esse magnorum exemplorum messem, quàm ubi non est sterilis ingeniorum proventus. Quibus, SERENISSIME REX, si bene consultum cupis, suscipe ac defende majorum tuorum clientem ac Reipub. alumnam, in principe regni Urbe Academiam, tibi supplicem. Favor principum alit ac vegetat ingenia. Quæ ne dicendis tuis temporibus desint, tam tuæ est prudentiæ velle, quàm fortunæ efficere posse. Reliquum ut effusa propitii Numinis indulgentia præstet, nuncupatis pro salute Tua votis supplicabimus.

Quisquis fortè avidi crimen meditare Batylli;
Non quem molle canens arsit Anacreon:
Musa verecundi sed quem petit alta Maronis,
Dum, quæ non meruit, præmia corripit:
Non tibi sit tanti, tenuem usurpasse laborem.
Quòd si te plagii dira tenet fames;
Carmina en mutili vacuas prius impleto lacunas.
Ejusdem ingenii est fœtus & hoc melos.

SPes ego — nam —
— magnis — —
Jam despons[a] — — — nda marit[o]
— — — — — — — is
Despexi — — — — — —
— Boreæ — — — — —
— — dominam — — — —
— — — — torpentibus undis
Cimmeriâque hyems — — — — —
— — — populos — — —
— — — Nunc — —
— — — — Nominis umbra
Sic quoque — — — — —
— me — — — —
— — Inflrata — — —
— — — jovat — —
— — — dos magna cubilia

FINIS.

VITA

VITA
FAUSTI SOCINI
SENENSIS

VITA
FAUSTI SOCINI
SENENSIS

VITA
FAUSTI SOCINI.

FAUSTI SOCINI vitam paucis ac perfunctoriè persequi infrà tanti viri dignitatem; plenius verò atque elaboratè, suprà nostras fortasse vires fuerit. Nam & illustrium hominum laudes raptim ac negligenter narrare, virtutis injuria est: & si quis unquam alius, hic certè vir fuit non cum curâ tantùm, sed cum ingenio quoque dicendus. Sed quia eximias dotes non satis pro merito laudari præstat, quàm penitus taceri; iniquum est, si aut viris ingentibus narrantium mediocritas, aut scribentium ingenio fraudi sit eorum quos celebrant magnitudo. Mihi verò alio quoque nomine venia debetur, pluribus districto curis, & intrà præfixos angusto tempori cancellos præcipitanti scriptionem.

Patria viro celeberrima urbs Hetruriæ Senæ. Gentis antiqua nobilitas, & cognationum splendor ultrà privati hominis sortem illustris. Patri præter gentilitia decora acceſserat è materno sanguine Salvettorum nobilitas: quæ gens apud Florentinos eâ quondam potentiâ floruit, ut expulsus Senis Pandulphus Petruccius, Pauli Salvetti potissimùm auxilio & opibus restitutam patriam & mox principatum suum debuerit. Quo beneficio obstrictus Senensis ipsi civitatis jus contulit, &, ut patriam cum Senis commutaret, persuasit. Hic Paulus Camillæ pater fuit; quæ Mariano juniori nupta, Alexandri & Lælii Socinorum mater, Fausti fuit avia. Mater, ne in privatam quidem spem suscepta, patre Burgesio Petruccio Senensis quondam Reipublicæ Principe, matre Victoriâ Piccolomineâ genita. Quæ cùm esset Andreæ Piccolominei Castilionis & Piscariæ Domini filia; Pii Secundi & Tertii Pontificum neptis; Johannis Cardinalis Piccolominei, Ducum Amalphitanorum, Marchionum Capistrani, Comitumque Calani, multorumque aliorum Italiæ Procerum soror aut consobrina; nupsit in domum Petrucciam, quæ tunc Senensis principatus fortunam tenuit. Sed Burgesius Pandulpho patri succedens, & mox vertentibus fatis pulsus, non diu dignitati suæ fuit superstes. Successit tamen ipsi in regimine patriæ Raphael Cardinalis Petruccius, atque illius Reipub. gubernacula aliquamdiu tenuit. Cæterum relicta vidua Victoria animum, quem in prioris fastigii splendore nunquam sustulerat, tàm iniquâ rerum vicissitudine frangi non permisit. Itaque annis quinquaginta sex, quibus mariti vitæ & communi fortunæ superfuit, singulari modestia & spectatâ integritate ac pudicitiâ vidui status solitudinem toleravit. Filiam Agnetem, quam, ut tanto genere dignum erat, sanctissimis moribus imbuerat, Alexandro Socino in matrimonium dedit, patricio quidem juveni, sed tamen privato. Is fuit Fausti nostri pater: in eâ domo genitus, quæ non armis atque potentiâ; sed ingenio atque eruditione principatum quendam in certo literarum genere aliquamdiu tenuisse visa est. Nam & hic ipse Alexander subtilitatum. & pater ejus Marianus junior ICtorum principes vocati sunt: & patruus Mariani Junioris Bartholomæus, ab Angelo Politiano suæ ætatis Papinianus dictus est: denique pater Bartholomæi Marianus senior, ICtus gravissimus, ab Æneâ Sylvio tot præconiis extollitur, ut propè narrationis fides laboret. Hujus Mariani filius fuit Alexander senior, & ex eo nepos, alter Marianus; pronepotes Alexander & Lælius: ille, ut diximus, pater; hic Fausti nostri patruus. Ambo ingenii magnitudine atque eruditionis dotibus usq; ad invidiam insignes; sed ad quos illud Poëtæ jure deflecti potest:

Ostendent terris hos tantùm Fata, neque ultrà
Esse sinent.

Nam & Alexander, cùm ad mirum ingenii acumen divina memoria & excellens eloquium accessisset, vix dum primo ac tricesimo ætatis anno expleto raptus, grande toti Italiæ sui desiderium reliquit: Et Lælius brevis ævi curriculo res maximas complexus, septimum ac tricesimum vitæ annum non excessit.

Hujus ego viri memoriam maximâ posteritatis admiratione dignam censeo, qui tantillo quo vicit tempore, tot tantosque errores, qui in Ecclesiam furtim irrepserant, non modò suis vestigiis odoratus est; sed ex ipsis cubilibus extractos primus jugulari docuit. Is à patre Mariano ad studium impulsus pomini suo hæreditarium, humanarum Legum scientiam ex ipsis divini juris fontibus hauriendam sibi putavit. Quo consilio dum S. libros impensius evolvit, non difficulter deprehendit, plurima ex iis, quæ vulgò recepta sunt, Ecclesiæ dogmatis, divinis testimoniis planè adversari. Idque tantò faciliùs, quòd ex iis pleraque Rationi quoque, &, quæ nobis ipsa Natura insevit, principiis repugnarent. Cùm igitur ad excellentis ingenii altitudinem & judicii acrimoniam singularis animi probitas accessisset, deprehensis Ecclesiæ erroribus (quod plerique faciunt) non est abusus ad Scripturæ & Religionis contemptum; sed potiùs Scripturæ & religionis Christianæ auctoritate usus est ad sanandos Ecclesiæ morbos, qui nisi detectis erroribus curari non poterant. Itaque in eo studio, ad quod sublimis & pia mens inflammato impetu rapiebatur, non sine divinâ procul dubio ope, magna ei lux repentè obortа est, præcipuè cùm ad eruendos Scripturæ sensus Orientalium linguarum, Hebraeæ præcipuè atque Græcæ, quin & Arabicæ cognitionem attulisset. Sive igitur, ut credi potest, periculi metu, sive exactiori purioris Theologiæ & linguarum studio incensus, citò ex Italia in Helvetiam atque Germaniam concessit.

Admodum adolescens 1547. patriam reliquerat, annum vicesimum agens alterum & vicesimum. Proximo quadriennio Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam universam, ipsam quoque Poloniam emensus, apud Helvetios Tiguri sedem fixit. Unde licet privatis publicisq; negotiis sæpiùs abstraheretur, potissimam tamen illic exilii sui partem exegit: multis passim principibus viris carus, nonnullis quoque Regibus conciliatus. Nemo eâ tempestate è viris doctrinâ illustribus extitit, (quorum tamen nulla ætas feracior fuit) cujus non amicitiam modò, sed familiaritatem quoq; moribus non meruerit. Quo factum est, ut ad insitam judicii bonitatem singularis quædam prudentia & morum suavitas accesserit. Quas dotes in eo cum alii è summis viris plurimi agnoscunt, tum præcipuè Philippus Melanchthon laudat in commendatitiis suis, quibus abeuntem prosecutus est, literis. Et profectò quis ipsi cum celeberrimis illius seculi viris, Calv. præcipuè, Melanchthone, Bullingero, Brentio, Musculo, Munstero, Zanchio, Vergerio, Castellione, Beza, Martyre, Ochino, Cælio, & aliis plerisque usus intercesserit, frequentes ad eum plurimorum epistolæ testantur, quorum autographa magno numero ad nos pervenerunt. Non ille horum amicitiâ frui maluit ad fortunæ suæ perfugium; quàm uti ad Ecclesiæ emolumentum. Itaq; ipsos illos metuendos florentis tunc Theologiæ antistites quæstionibus suis multùm ursit atque exercuit. Habeo

literas Calvini manu scriptas, quibus motam sibi ab eo bilem non dissimulat, & pro responsione objurgationem ac minas reponit. *Non est, inquit, quod expectes, dum ad illa, quæ objicis, quæstionum portenta respondeam. Si tibi per aereas illas speculationes volitare libet, sine me, quæso, humilem Christi discipulum ea meditari, quæ ad fidei meæ ædificationem faciunt. Ac ego quidem silentio meo id quod cupio consequar, ne tu mihi posthac sis molestus. Liberale verò ingenium, quod tibi Dominus contulit, non modò in rebus nihili frustrà occupari; sed exitialibus figmentis corrumpi vehementer dolet. Quod pridem testatus sum, seriò iterum moneo: nisi hunc quærendi pruritum maturè corrigas, metuendum esse, ne tibi gravia tormenta accersas. Ego si indulgentiæ specie vitium, quod maximè noxium esse judico, alerem, in te essem perfidus & crudelis. Itaque paululum nunc meâ asperitate offendi malo, quàm dulcibus curiositatis illecebris malè captum non retrahi. Erit tempus, ut spero, cùm te ita violenter expergefactum fuisse gaudebis. Calend. Jan. 1552. Joh. Calv. tuus.*

Neque verò fluxa fuit aut spernenda minarum fides. Nam in Octobre anni sequentis Genevæ Servetus exustus est. Lælii tamen veneratio, & in maximis doctrinæ atque ingenii ornamentis incredibilis modestia, & morum dexteritas adeò sævientium iracundiam exarmaverat, ut, cujus libertatem ferre non poterant, odisse tamen hominem non sustinerent. Sciant, quos nimia veri libertas in pericula sæpè intempestiva præcipitat, ipsam illam, quam propugnant, veritatem in circumspecta prudentiæ lenitate, quàm in effreni zelo plus habere præsidii. Ut qui ultrò suis discriminibus occurrunt, magis ad privatam laudem, quàm ad publici emolumenti rationem festinare videantur. Et, si usquam alibi, hîc profectò columbina simplicitas serpentino astu temperanda est: nisi nobis suspectum est Servatoris consilium, damnantis eorum inconsultam temeritatem, quibus sæpè nequiter expetit, suas illîc margaritas prodigere, ubi pretio suo æstimari nequeunt. Lælius certè inter capitales sententiæ suæ hostes mansit integer & inviolatus. Nec tamen commisit, ut judicii sui sensus periret intrà conscientiæ suæ secretum. Itaque quibus visum est, concredere non est veritus quæ sibi divinitùs patefacta censebat. Suos præcipuè Italos erudiit, quos pium ac voluntarium exilium per multas Germaniæ atque Poloniæ regiones sparserat. Reperio in Polonicarum Ecclesiarum commentariis geminum ejus in patriam nostram adventum. Primùm circà annum 1551. ætatis verò ejus sextum & vicesimum; quo tempore cum plerisque è nobilitate Polonicâ non sine maximo fructu conversatus dicitur. Is quoque tunc Francisco Lismanino Corcyræo, Bonæ Sfortiæ Reginæ Confessario (qui tunc, nisi fallor, fratrum minorum provincialis, mox deficiendi à Pontifice in hoc Regno primus signum sustulit) abjiciendæ cucullæ acerrimus auctor extitisse perhibetur. Sed tunc quidem intrà pauciſſimos menses discedens in Moraviam, & inde ad Helveticos se recepit. Alterum ejus in Poloniam adventum deprehendo post mortem Mariani patris, qui Bononiæ obiit anno 1556. Non multò post enim, circa annum 1558. & 1559. literis Poloniæ atque Bohemiæ Regum muniri voluit, ut securiùs in urbe Veneta cum amicis de patrimonio agere posset. Tunc profectò patuit apud plerosque Germaniæ atque Poloniæ proceres, ipsosque adeò Reges, quantùm is gratiâ potuerit. Summis enim studiis in ejus causâ apud Ludovicum Priulum Venetiarum, atque Cosmum Hetruriæ Duces certatum est. Eodem ferè tempore atrox ob suspicionem hæreseos coorta tempestas, universam Socinorum domum periculoso turbine concussit. Post obitum Alexandri tres germani fratres Lælio supererant: è quibus Celsus Bononiæ, Cornelius & Camillus unà cum Fausto fratris Alexandri filio Senis agebant. Hos inter quoque, suggerendæ veritatis mirus artifex Lælius, ejus semina sparserat, eaque longis licet terrarum spatiis divisus, tàm efficaci studio fovebat, ut nonnullorum uxores ignotus adhuc & absens in partes traxerit. Nec deerant ex aliis quoque familiaribus & amicis ejusdem instituti partim consortes, partim conscii. Sed istius messis tàm blanda spes in ipsa herba extincta est, capto Cornelio, cæteris perculsis aut fugatis. Hic metus Faustum quoque, admodum tunc juvenem, non urbe tantum patriâ, sed Italia ipsâ exegerat. Qui cum aliquamdiu Lugduni in Gallia viveret, Lælius interim Tiguri præmaturâ morte extinctus est. Ejus de obitu literis Marii Besozzi certior factus Faustus, structas lucubrationibus ejus insidias ægrè antevertens, earum hæreditatem crevit; jam ante quoque plurimarum ab eo rerum notitiâ imbutus, quas ipse longo postea intervallo, acri ingenio & studio indefesso excoluit. Incidit mors Lælii in diem perendinum Id. Maji, anni 1562. ætatis verò ejus septimi suprà trigesimum. Tantam indolem longævam aut vitalem non fuisse, minùs mirabitur, quisquis expenderit, quàm præcox extitit. Vixdum ex ephebis egressus Italiam reliquit. Intrà sextum & vicesimum ætatis annum, universis penè Occidentis provinciis peragratis, plurimis passim è præcipuâ nobilitate, omnibus autem fortasse ubique eruditis viris, eximiæ laudis nomine innotuit. Quindecim propemodum annos numeres quibus à patria abfuit. Ex tantillo ævi spatio magnam sibi partem longinqua itinera vendicant, quibus per varias Europæ oras fructuosum multis exilium circumtulit. Adde perpetuam cum tot tantisque viris consuetudinem; adde continua literarum commercia: quibus deductis, quota quæso pars temporis studiis ejus relicta est? Quærendum jam stupentibus superest, quodnam illud tàm profundum otium? quæ tàm acris industria? quæ tàm versatilis indoles? quod tàm vastum ingenium fuerit, quod tot linguis, tot scientiis hauriendis, simul altiùs revocandæ in seipsam menti, simul maximis rebus gerendis sufficerit? Hæc de Lælio præmittere, nisi ultrò libuisset, ipsa postulabat necessitas. Quippe is ipsi Fausto atque aliis ingrediendæ, quam postea secuti sunt, viæ dux & auctor extitit. Nunc ad Faustum redeo: cujus primùm vitæ seriem ac præcipuos casus compendio retexam; deinde rerum gestarum capita complectar; postremo quæ de animi & corporis habitu cursim inquirenti comperta habere licuit, paucis adjiciam.

Natus est duabus horis & tribus ferè quadrantibus ante solem Nonis Decembris oriturum, in calce anni 1539. annis ferè quatuordecim Lælio patruo minor. Mortuus est anno 1604. paulò ante ineuntis veris initium, annum ingressus quintum ultrà sexagesimum.

Ejus ætatis viginti primùm, & paulò post duodecim annos in patriâ: triennium circiter in secessu Lugdunensi; reliquos triginta annos continuos egit in voluntario exilio. Orbata parentibus fuisse videtur ætas illa, quæ capiendo literarum & ingenii cultui maximè docilis est. Levissimè enim, & omni præceptore destitutum bonarum artium studiis sese operam impendisse queritur. Et alibi, Se philosophiam non didicisse; nec Scholasticam Theologiam unquam attigisse; & ipsius Logicæ artis nihil nisi rudimenta quædam, idque valdè serò degustasse fatetur.

Superbientis hæc fuit seculi contumelia, quòd tàm insigni documento compertum est, etiam sine istis (quæ meritò quidem, sed tamen sæpe intemperantiùs

perantiùs ſuſpicimus) præſidiis eſſe

Magnos poſſe viros, & magna exempla daturos.

Forſitan & expediebat, natum ut de dogmatibus orbis cognoſceret ingenium, nullis delibari præjudiciis; ne quam errorum fibram admitteret, quibus extirpandis adoleſcebat. Etenim fæta errorum Theologia ipſam quoque philoſophiam ac propè omnes bonas artes infecit. Itaque non in cunis tantum, ſed in ipſis quoque primæ doctrinæ rudimentis jam olim pueritia orbis decipitur, & opiniones tanquam veras imbibit, priuſquàm judicare poſſit, an falſæ ſint. Ita fit, ut ſæpe præſtet nullis, quàm perverſis documentis imbui: nec mirum ſit interdum turpiùs eruditos deſipere, & rude vulgus judicare incorruptiùs. Quod non ita accipi velim, ut eruditionem, ſed ut abuſum ejus damnare exiſtimer; nec frænum ipſi, ſed cautionem optare. Iſtiuſmodi levi literarum tinctura, ſimulque Juriſprudentiæ (ut arbitror) ſtudio prima Socini ætas occupata fuit, ad annum uſque tertium & viceſimum. Hauſerat tamen jam ante divinæ veritatis principia, partim acri ingenio, partim Lælii patrui monitu, præcipuè cum ſubito ingruente diſcrimine, quod antea quoque monuimus, in Galliam conceſſiſſet. Tametſi Lælius, ingenio nepotis confiſus, plura divinanti innueret, quàm traderet diſcenti; nonnulla etiam in experimentum judicii adoleſcentem celaret; non diſſimulato inter amicos præſagio, plenius hæc atque feliciùs à Fauſto orbi prodenda. Sed cum poſt obitum Lælii revertiſſet in Italiam, in illo ævi fluxu, ætas adoleſcentis veluti navis ſine rectore fluctuans, neſcio quibus ventis abrepta, pene ad aulicas Sirenes conſenuit. Etenim in Regiam Franciſci Magni Ducis Hetruriæ aſcitus, eique honoratis miniſteriis plurimùm conciliatus, cum iſthic flagrantiſſimâ gratiâ & dignitate floreret, totos duodecim annos in aulâ Florentinâ conſumpſit. Periit ipſi tunc (ut ipſe perpetuis gemitibus dequeſtus eſt) florentiſſima pars ævi; ſi modo periiſſe cenſenda eſt, in quâ non umbraticis doctrinæ præceptis, ſed ſolidis vitæ experimentis formatum eſt ſublime judicium; in quâ & ille juvenilis æſtus deferbuit, qui plerumque magna in magnos lapſus præcipitat ingenia. Et profectò niſi id quoque aliunde nobis conſtaret, vel ex ipſâ ingenii vi conjectura duci poſſet, quàm vehementibus olim animi motibus æſtuaverit illa indoles. Sub exitum iſtius temporis tetigit animum ejus ſeriò de bonorum dilectu deliberatio; quam ea animi magnitudine expedivit, ut ſibi ob ſpem cœleſtium omnia terrenorum votorum emolumenta calcanda decerneret. Itaque nihil cunctatus, deſperata ab invitiſſimis principibus miſſione, ſuâ ſponte patriam, amicos, ſpes & opes ſuas deſtituit, quò liberius ſuæ atque aliorum ſaluti incumbere poſſet. Non ingratam ejus operam Magno Duci fuiſſe abſentis jam & exulis deſiderium oſtendit. Sæpius enim per literas atque nuncios, Pauli potiſſimùm Jordani Urſini, viri illuſtris, qui ſororem Magni Ducis in matrimonio habebat, operâ hominem ſollicitavit ad reditum, ſolitâ quidem modeſtiâ, ſed obſirmato animo renitentem. Annus agebatur Chriſti nati 574. ætatis autem ejus quintus & trigeſimus, cum ex Italia in Germaniam ſeceſſit. Venientem hoſpitio excepit Baſilea, benigna receptatrix Chriſti exulum, & quæ jam pridem periclitantem innocentiam gremio ſuo fovere didicerat. Illic ſolidum triennium & quod excurrit Theologiæ ſtudio incubuit; Sacris præcipuè voluminibus inrentus, quorum ad ſynceram intelligentiam cùm aſſiduis votis atque precibus aſpiraret, pauciſſimis Lælii patrui ſcriptis, & pluribus ab eo ſparſim relictis notis multùm adjutus eſt. Quod ipſe, cum ſupprimere poſſet, ingenuè ſemper præ ſe tulit ac profeſſus eſt. Cum ad annum uſque 1577. Baſileæ degeret, creditum ſibi veritatis pignus in ſecreti pectoris cuſtodia minimè detinuit. Itaque dum lumen ſibi exortum ad alios propagare ſtudet, ab amicis ad alienos ſenſim delapſo diſſerendi argumento, diſputationem de Jeſu Chriſto Servatore ore primùm inchoatam, poſteà ſcripto complexus eſt. Quam antequam abſolveret, primùm valetudine à ſtudiis, deinde peſte à ſcriniis Baſileæ relictis excluſus, aliam interim cum Franciſco Puccio diſputationem, ineunte anno 1578. Tiguri confecit; mox eodem anno Baſileam reverſus libro quoque de Servatore ſummam manum impoſuit. Multùm illa tempeſtate Tranſylvanicis eccleſiis turbarum dederat Franciſci Davidis & reliquorum de honore ac poteſtate Chriſti opinio. Cui malo remedium quærens Georgius Blandrata (cujus tunc & in illis Eccleſiis, & apud rerum potientes principes Bathorreos magna erat auctoritas) illo ipſo Chriſti nati anno Socinum Baſileâ evocavit; ut præcipuum factionis ducem Franciſcum Davidis à tàm turpi & pernicioſo errore abſtraheret. Id quo commodiùs fieret, conducto apud eundem grandi ære hoſpitio, eâdem utrumque domo atque menſâ paulò plus quàm per trientem anni uti voluit. Sed Franciſco exiſtimationis inter ſuos retinendæ, quàm quærendæ veritatis cura fuit antiquior. Itaque errorem ſuum non modò privatim ſpargere, ſed publicè pro ſuggeſtu promulgare auſus, præſens ſibi periculum accerſivit, in carcerem mox juſſu Tranſylvaniæ principis conjectus, in quo paulò poſt mortem obiit. In hujus exitu cum ab omni culpâ abeſſet Socinus, invidiam tamen non effugit. Quaſi verò aut hic aliis armis Franciſcum debellare non poſſet, cùm utriuſque diſputantis documenta publicè extent; aut Magiſtratus ille ita fuerit cauſæ Socini addictus, ut ipſius, ſive cujuſquam ex eodem hominum genere arbitrio ſtringeret arma ſuæ poteſtatis. Quod ſi quis fortè à Socini cauſâ non alienus (quod mihi quidem non conſtat) auctor fuit principi acerbioris in Franciſcum conſilii, ejus certè culpam Socinus præſtare non debuit, cujus neque conſilium ſcire, neque factum ullo modo probare potuit. Nam ut alia plurima taceam, nihil magis adverſum Socini ſententiæ accidere poterat, quàm illud dogma, quod Franciſci viventis voce atque ingenio defendi non poterat, ejuſdem morientis muto, ſed efficaci teſtimonio ſancitum videri: præſertim cùm obitus ejus martyrio ſimilis ſtatim omnium in ſe oculos converterit. Socini diſputatio, quam cum ipſo habuit, licet eo ſuperſtite conſcripta, quintodecimo demum poſt anno vix in lucem prodire potuit. Poſt hanc diſputationem in Majo anni 1579. abſolutam, & Eccleſiis Tranſylvanicis exhibitam non diu iſthîc Socino commorari licuit, per morbum ibi vulgò graſſantem, quem colicam vocant. Eodem igitur anno jam quadragenarius migravit in Poloniam, ubi Eccleſiis Polonicis, quæ ſolum patrem Domini Jeſu ſummum Deum agnoſcunt, publicè adjungi ambivit: Sed cum diſſenſionem in quibuſdam dogmatis non premeret, ſatis acerbè atque diu repulſam paſſus eſt.

Qua tamen ignominia minimè accenſus, vir, non tàm indole, quàm animi inſtituto ad patientiam compoſitus, nulla unquam alienati animi veſtigia dedit. Quin potiùs impreſſionem variorum hoſtium, à quibus tunc illæ Eccleſiæ vexabantur, ſuo ſibi ingenio ſumſit propulſandam. Primus Andreæ Volani impetus refellendâ ejus paræneſi exceptus eſt; eademque occaſione rogatu Nemojevii ſeptimum caput Epiſtolæ ad Romanos explicatum. Mox Jacobum Palæologum adoriri placuit, cujus tunc exiſtimatio

matio atque auctoritas pestilentium errorum reliquias in hominibus alioqui minimè malis fovebat. Hunc non odio, sed consilio, durius aliquantò habitum, semper excusavit. Paulò post, cum redintegrante pugnam Volano certamen recruduit, simul ad Posnanienſis Collegii Theſes responsum est. Dum pro veritatis patrocinio tot pugnas atque odia Socinus susscipit, calumniatoribus tot inimicitiæ non caruerunt. Stephanus tunc Regnum Poloniæ obtinebat. Ejus aures accusator imbuit seditioſi contrà Magistratum scripti criminatione. Indignum esse, si authori vago atque exuli Italo impune abeat hæc audacia. Libellus contra Palæologum designabatur. Qui licet aliud non postularet innocentiæ testimonium, quàm sui lectionem, declinari tamen periculum placuit.

Proinde Cracoviâ, ubi quartum jam annum degebat, commigravit ad virum nobilem, Christophorum Morstinum, Pawlikovii Dominum, ubi non tàm latebris, quàm Nobilitatis in gente noſtrâ privilegio innocentiam tutatus est. Nam rus illud suburbanum paucis passuum millibus Cracoviâ distat. Illuc, quàm ex vinculis crimina purgare, consultius visum. Nec ad illum modo temporis articulum periclitanti patuere officioſæ domus hoſpitalitii lares; sed amplius triennio foverunt hoſpitem. Et quò cumulatiùs esset exhibitæ humanitatis ſpecimen in exulem ac peregrinum, paulò pòst etiam ambienti filia familiâs virgo nobilis in matrimonium collocata est; factusque ex hoſpite gener, securitatem in illis locis suam affinitatibus & amicitiis sanxisse visus est. Ruri dum ageret, cùm alia multa præclara, tùm præcipuè librum contra Eutropium conscripsit: constanter illius Ecclesiæ famam & causam propugnans, à qua iniquissimo præjudicio damnatus multa insons indigna jugiter pertulerat. Filiam Agnetem sustulit circa Pentecosten anni 1587. ætatis 48. ex qua, cùm post mortem patris Staniſlao Wiszowatio Equiti Polono nupsisset, nepotes nepteſque etiamnum superſunt. Eodem anno in Septembre amisit uxorem Eliſabetham: quem casum viro luctuoſum & acerbum gravis ægritudo corporis excepit; adeò quidem pertinax, ut per aliquot menses ſtudiorum usum intercideret. Et, ne qua calamitatis ſpecies abesset, eâdem ferè tempestate, per mortem Franciſci Magni Ducis Hetruriæ, fructus bonorum ejus, quem quot annis ex Italia capiebat, penitus ipſi fuit ereptus. Sanè aliquantò antè, criminatorum acerbitate ac minis Pontificum, bona ejus in periculum venerant. Sed Iſabellæ Medicææ Magni Ducis Hetruriæ ſororis, quæ Paulo Jordano Urſino, quem ſuprà memoravimus, nupta fuerat, dum vixit, enixo ſtudio, & posteà ipſius Franciſci Magni Ducis benevolentiâ, factum est, ut illo ſuperſtite annuos ex iis reditus Socinus caperet. Adeò nondum illic meritorum ejus exoleverat memoria, ut literis ac precibus, damnati & exulis, pridem deſtituti ac sæpè repudiati, principes difficillimâ in re gratificarentur. Humaniſſimis quoque literis compellatus, & in posterum quoque bono animo esse jussus est, quamdiu vita illis ſuppeteret, dum ne in libris edendis nomen ſuum publicè extare pateretur. Sed tunc illos principes infeſtum Socino fatum abſtulerat. Atque ut omnia in ſollicitudinem viri conſpirâsse viderentur, viduum, ægrum, & fortunis omnibus provolutum ipſa Reipublicæ noſtræ tempora angebant, tunc maximè decertantibus inter ſe regni Polonici candidatis turbulenta; ideoque inimicorum licentiæ opportuna. Jam enim iterum Cracoviam migraverat. Proinde in tot malis ſolatium à negotio petit, quod ſibi repurgandis, qui tum in Eccleſia vigebant erroribus, divinitùs datum sentiebant. Quanquam igitur anteà quoque Eccleſiaſticos conventus frequentare ſolitus, anno tamen 1588. in Breſtenſi Synodo (quod oppidum est in Lithuaniæ finibus) majori quàm anteà conatu atque fructu, de morte & ſacrificio Chriſti, de Juſtificatione noſtra, de corrupta hominis natura, denique cum Davidianis & Budneiſtis, de Jeſu Chriſti invocatione diſputavit. Hic fuit annus, quo primùm Luclaviciani Cœtus cura atque provincia mandata est Petro Stoinio, Petri illius Statorii Thonvillani filio, cujus progenies olim inter indigenas nobiles cooptata, hodie quoque habet aliquos in patria noſtra magnis honoribus perfunctos viros ſuperſtites. Is non minùs judicio acer, quàm promptus eloquio, poſtquam Socini amicitiæ copia facta est, in ſententiam ejus libenter conceſſit. Paulò ante quoque non paucos è præcipuis privatim in ſuam ſententiam pertraxerat, & ſuffragantium ſibi non exigua indies fiebat acceſſio. Refragabantur tamen adhuc viri maximæ auctoritatis, Nemojevius ac Czechovicius, & plerique è Miniſtris natu majoribus. Primus olim Securinius ſententias Socini, in quas deſcenderat, propugnâsse palam dicitur ausus. Secuti mox alii. Quos inter grande partibus momentum addiderant, Andreas, Staniſlaus, Chriſtophorus, tergemini fratres Lubjenecii, quos ſplendidis natalibus, & in ſummam ſpem genitos, atque partim in aula Regia, partim in ſummorum Procerum contubernio educatos, à mediis vitæ illecebris ad Religionis curam ſacer quidam inſtinctus abripuerat. Hi, quemadmodum flagrantiſſimo zelo omnia pietatis impedimenta calcaverant, ita agnitæ veritati pari animi candore ac magnitudine ſubſcripſerant.

Jamque & alii certatim è paſtorum ordine partibus addebantur, præſertim è junioribus, quos minùs morabatur inveteratæ opinionis atque auctoritatis præjudicium; cùm evenit caſus novitate inſignis, qui quanta vis ſit veritatis documentum dedit memorabile. In magno ſententiarum diſſenſu laudabilis hæc fuit illius Eccleſiæ concordia, quod tantùm opinionibus, non etiam odiis homines illi pugnaverint. Et cùm alii aliorum ſententias deteſtarentur, ſeſe tamen mutuo minimè damnarent. Itaque integrâ utrinque tolerantiâ ſæpiùs acriter diſceptabant, atque hoc fuit præcipuum illarum Synodorum negotium.

Anno igitur 1589. in Synodo Lublinenſi, ſententia Socini de cap. ſeptimo ad Romanos non mediocriter agitata est. Erant qui defenderent; ſed & oppugnantium paſtorum non minor fuit numerus. Ex iis unus, Nicolaus Zitinius, ab aliis earundem partium juſſus contrà mentem Socini caput illud exponere, eoque conſilio rem ſtrenuè aggreſſus, delapſus inter diſſerendum ad verba, quibus Apoſtolus gratias agit Deo liberationis nomine, hæſit attonito ſimilis. Et mox, Ecqua verò est iſta liberatio? ait, ecquod beneficium illud, quod tantas Apoſtolo grates expreſſit? An quod in tantâ eum peccati ſervitute detineri neceſſe fuit? Hoc verò mihi equidem probari nullo pacto poteſt. Ego igitur (inquit) pariter ingentes Patri luminum ago gratias, quòd mihi nunc ab errore liberato veritatis ſuæ lucem oboriri voluerit. Mox contrariam explicandi rationem ingreſſus, pro ſententiâ orthodoxâ accuratè diſputavit. Stupentibus & arguentibus quorum cauſam ſuſceperat, reſpondit, ſe non potuiſſe convictæ mentis judicio refragari. Magnum ea res momentum attulit ad veritatem propagandam; ſed non minus illorum ſtudia, qui ad amplectendum eam ſignum cæteris ſuſtulerant. Hos inter eminuit Petri, quem diximus, Stoinii eloquium. Unam illam facundiam parem ingenio Socini Deus Eccleſiis iſtis contulerat, quæ ſubtiles & à rudiorum captu remotiores Viri ſenſus populari ratione tradere, & flexanimæ orationis genio cunctis probare potuerit. Hoc ille videlicet ſuæ mentis præcipuo interprete uſus est, ad inſigne

ad insigne Ecclesiæ Dei emolumentum. Quicum ut tantò arctius jungeretur, evenerunt nonnulla quæ cogerent. Jamdudum Socinum Cracoviæ commorantem circumstare undique pericula cœperant, quæ plerumque fideles Christi servos comitari amant. Quanta ibi contumelia affectus fuerit ab insolenti milite Verneco, ipse in quadam epistola exponit. Sed præcipuè post librum de Servatore typis evulgatum inimicorum odia recruduerunt. Itaque anno 1598. commota per Scholasticos infimæ plebis fæce, æger tunc & fortè curandæ valetudini intentus, extrahitur è cubiculo seminudus, & per forum ac celeberrimas plateas, deposcentibus ad supplicium plærisque, contumeliosè raptatur. Tandem in illâ furentium colluvie pessimè mulctatus, à M. Vadovita professore Cracovienſi ægrè furenti multitudini eripitur. Direptas tunc sarcinas & supellectilem, quæque alia rapi potuêre, longè minori dolore tulit, atque scriptorum quorundam jacturam irreparabilem, quam ipsius vitæ impendio sese redempturum fuisse sæpè professus est. Periit ibi unà insignis contrà Atheos labor, quem refellendis ingeniosis magni cujusdam Viri commentis susceperat. Cum verò ad tam barbarum sævitiæ exemplum minæ quoque accederent, Cracoviâ Luclavicias migravit, in pagum ultimâ suâ habitatione atque obitu nobilem, novem circiter milliaribus Cracovia dissitum; ubi aliquot annos, usus mensâ & ædibus viri nobilis Abrahami Blonscii, vicinus Stoinio vixit. Ambo igitur mutuam sibi operam de propinquo navantes in profligandis errorum reliquiis, jam ad unanimem in omnibus sententiis consensum penè universam illam Ecclesiam redegerant. Nam & ipse pridem Nemojevius plerisque in rebus Socino assensus, hallucinationes suas nunquam satis prædicandâ ingenuitate damnaverat.

Solus Czechovicius à sententiâ suâ dimoveri non potuit. Qui cùm, vincente potiori parte, ad cætera ægrè quidem, sed tamen utcunque conniveret, paulò post in sententiâ de Baptismo cière turbas cœperat: quæ tamen citò ex voto Socini sopitæ, posteà sua sponte evanuerunt. Repurgatâ sic plenè ab erroribus Ecclesiâ, veluti ad unam eam rem hucusque vitâ productâ, non tàm immaturo sibi, quàm luctuoso suis fato eripitur Luclaviciis, exeunte brumâ, anno ætatis quinto ultrà sexagesimum. Ultima morientis vox excepta, se non magis ævi, quàm invidiæ & molestiarum satiarum, lætâ atque intrepidâ spe propendere in supremum illum fati sui articulum, qui missionem ab ærumnis simul & laborum stipendium ostenderet. Quem vitæ ac laborum socium, eundem funeris laudatorem, & sequenti anno comitem habuit, Petrum Stoinium; qui tanquam præstitutum quoque jam vitæ pensum exegisset, Socinum secutus est vix quadragenarius.

Curriculum vitæ ejus emensi, per quod compendiis festinavimus, restat ut in dispiciendo quid gesserit, quid præstiterit, paululum figamus vestigium. Nemo memoriâ nostra de toto Christiano orbe, sed inprimis de Ecclesiis Polonicis, melius meruit. Primùm enim genuinam sacrarum literarum mentem, tot editis lucubrationibus, innumeris in locis aperuit. Deinde sententias de Dei atque Christi personâ, quas jam in Poloniâ vigentes deprehenderat, solidis argumentis confirmari, & à subtilibus cavillis atque sophismatis peritè defendi unus egregiè docuit. Mox quasdam impias, alias prophanas sententias, quarum exitiabile virus furtim in Ecclesiæ gremium irrepebat, felicissimè extinxit. Nemo acrius Judaizantes repressit: idem Chiliastarum opinionem: idem multa præterea alia fanatica somnia explosit. Errores autem, qui à reformatis Ecclesiis hausti magno adhuc numero in ea Ecclesia regnabant, mirâ felicitate extirpavit. Talia erant, de Justificatione, de placandâ justitiâ Dei, de prædestinatione, de servitute arbitrii, de peccato originis, de Cœna quoque Domini, de Baptismo, & alia sinistrè intellecta dogmata. Denique sublatis pernicioſis erroribus, ne quid ineptiarum quoque in Ecclesia relinqueret, superstitiones plurimas circa res indifferentes exterminavit. Ex hoc genere fuit nimia vilis vestitus ambitio, deinde capessendi magistratus, aut etiam citrà vindictæ studium sui juris persequendi religio, & si quos similes nævos primi fervoris inconsideratior zelus asperserat.

Vitæ ordine atque rebus gestis expositis, reliquum est, ut de animi & corporis habitu pauca addamus. Ingenii & judicii laudes memorare, superfluæ est operæ, cùm tot ejus monumenta in promptu sint. Eruditionem autem quò pertinacius occuluit, eò se prodit impatientius. Serior hæc, velùm solidior accesserat. Nec desunt in ejus scriptis felicis quoque memoriæ vestigia. Unum ipsius specimen præterire nequeo, quod in disputatione cum Christiano Francken edidit. Hic in consessu Synodi Chmelnicensis, doctrinæ atque ingenii specimen ostentare cupiens, tumidiùs quàm par erat pastores illos ad disputandum provocaverat, mediocrem singulorum eruditionem despiciens. Et quò magis disputaturum ipsâ copiâ percelleret, atque obrueret, meditato apparatu quinquaginta simul argumenta contrà invocationem Christi proposuit. Turbaverat ea res nonnullos, & Socino, licet ab Ecclesiâ toties repulso, respondendi provinciam mandaverant. Is hominem improvisò iniquam disputandi rationem ingressum, & uno penè spiritu tot præparata spicula effundentem, attentè audiens, monebatur ut saltem capita rationum quibus respondendum esset notaret. Sed memoriæ fiducia calami subsidium sprevit, & hominem quousque libuit suas illas rationes declamantem, patienter audiit; mox eodem planè ordine longam argumentorum seriem retexens, adeò ad singula solidè respondit, ut vix quicquam adversario superfuerit quod contrà mutire posset. Itaque se minùs in ea materia promptum ac paratum professus, &, stupentibus omnibus, confusus abiit. Et quoniam naturæ ejus dotes attigimus; si quem fortè ea cura tangit, ut figuram quoque corporis cognoscere aveat, sciat illi non defuisse formam indole suâ dignam: statura justam quidem non excedens, sed proceræ vicinior fuit. Habitus corporis gracilior, intrà modum tamen. In vultu porrectæ frontis dignitas; & oculorum masculus decor vibrabat. Venustas & gratia oris vigorem & majestatem nihil minuebat. Cibi somnique parcior, & omnium voluptatum citrà ambitionem abstinens, in una valetudine curanda scrupulosus, & sæpe nimius fuisse videbatur. Quâ tamen prosperâ plerumque usus est, nisi quod interdum calculi doloribus, & pathioni colicæ obnoxius esset. Lippitudinem quoque nimiis lucubrationibus contractam jam senior querebatur. Lenis vitæ atque insons genius. Mira simplicitas in moribus; quibus ita gravitas inerat, ut abesset supercilium; & hominem faciliùs revereri velles, quàm posses timere. Alloquio facilis honorem cuique ultrà modum exhibuit, & si quid damnare in eo cuperes, nihil fuit vituperio propiùs, quàm nimia sui contemptio. Modestus corporis cultus, sed tamen comptus & elegans, tametsi à fastu longè recesserat, faciles minùs aspernebatur munditias. Officiosus in amicos & in omnibus vitæ partibus diligens. Principes quorum in ministerio partem ævi posuit, ità demeruerat, ut nec desiderium ejus diuturna absentia, nec favorem manifesta offensio extinxerit. Patruos, fratres, agnatos, omni officio prosecutus, Lælium præcipuè suspexit & coluit. E propinquis mulieribus, præter Camillam aviam matronam

matronam lectissimam, Portiam amitam, & Phyllidem sororem, suo utramque merito vehementiùs dilexit. Quarum illa dum vixit laudatissimæ pudicitiæ exemplar, prudentiâ simul & comitate morum incredibili, adeò Lælium Beccium maritum, virum insignem sibi devinxerat, ut is sæpè cùm lachrymis se tali tantaque conjuge indignum fuisse diceret: Hæc morum atque in regenda domo disciplinæ sanctitate, viro probata, (is fuit Cornelius Marsilius nobilissimo loco natus) immortale sui moriens desiderium reliquit. Et quoniam pridem à naturæ dotibus ad ea quæ suâ sibi operâ quæsiverat bona delapsi sumus, non sunt premendæ silentio nonnullæ è virtutibus ejus, quibus suprà multos eminuit. Non facilè dixerim, in tàm vehementi indole plùs ignis, an ingenii fuerit; adeò antequam impetus suos ratione composuisset, præcipitem ad bilem natura formaverat. Quam tamen ita fregit ac domuit, ut quæ posteà in homine eluxit mansuetudo, plerisque visa fuerit naturæ laus esse, non industriæ. Patientiæ quoque commendationem, cùm fortunæ & injuriarum indignitas; tùm delicata, ideoque irritabilis auget indoles. Nihil ejusmodi hominibus malorum accidere solet sine exquisito doloris sensu; neque adeò mirandum est, quòd sæpè plùs capere possit tristitiæ ingenium capacius. At ille in hoc quoque certamine sortis & naturæ suæ victor apparuit: postquam tot calamitates ab alienis, tot à suis injurias, pericula ab hostibus, ingratitudinem ab amicis, invidiam à doctis, odium ab imperitis, infamiam ab omnibus, pauperiem à fortunâ, denique ab ipsâ illâ quàm unicè ornavit Ecclesiâ, jugem nec sine ignominiâ repulsam, Christianâ animi magnitudine tulit ac perpessus est. Penè injuriam feci fortunæ, quòd in eam paupertatis ejus causam rejeciſſe videor. Verùm ego nunc non culpam ejus accusavi, sed indicavi statum: quem Socino evadere per fortunam forsitan licuit, si aut per conscientiam, aut per quandam animi generositatem fuisset integrum. Sanctitatis certè famam ex mendicitate nunquam venatus est. Quoties tamen vel tenuissimo sumptu conditionem suam tolerare potuit, adduci nequibat ut munera ultrò oblata caperet. Ultrò quin etiam in egenos facultates suas erogabat. Nec tantùm eleemosynæ, sed & liberalitatis nullum genus omisit: ut agnosceres flagrantem promiscuo omnium amore caritatem. Sumptibus quoque suis nonnullos libros in lucem edidit; ut ad ardentem promovendæ divinæ veritatis zelum, nihil sibi faceret reliqui. Hanc tot scriptis, tot epistolis, tot privatis publicisque disputationibus, tot informationibus eorum quos mentis suæ passim habuit interpretes, tot longis, plerisque ab extremâ Silesiæ orâ in intimam Lithvaniam, susceptis itineribus: valetudinis, famæ, fortunarum dispendio, sui denique capitis periculo, sibi sumpserat propagandam. In tantis laboribus, & discriminibus, quo uno se sustentabat solatio, idem toti Ecclesiæ, unicum ad vitam sanctius agendam remedium inculcare non destitit. Spem enim immortalitatis jugem sollicitè ac delicatè fovendam censuit. Adeò ut cuidam senecioni in argumentum pietatis tumulum sibi constructum ostentanti, ac subjicienti, mortem se perpetuò meditari: rectiùs facturum responderit, si resurrectionis rationem meditaretur. Sanè in omnibus vitæ partibus, sed maximè in rerum spiritualium judicio, prudentia ejus eluxit. Quæ veluti fructus quidam fuit humilitatis ejus atque modestiæ: virtutis ita ingenio suo insitæ ac peculiaris, ut in cæteris alios, in hac seipsum æmulatus fuisse videatur. Neminem unquam contempsit, nullam rem nisi consultò ac circumspectè aggressus est. In studiis quoque adeò omnis sui fiducia aberat, ut nihil scribere auspicaretur, nisi longâ & maturâ meditatione concoctum. Idem in lucubrationibus ejus non difficulter deprehendas. Quoties is per salebras quas alii securo gradu calcassent, suspenso incessit vestigio! ut nemo sic alieno, quemadmodum is proprio judicio diffisus fuisse videatur. Quod singularis ejus modestiæ, ut diximus, tunc fuit præmium, nunc est indicium. Sed præcipuè fides ejus multùm inter cæteras laudes enituit. Nemo post hominum memoriam omnibus præsidiis instructior fuit, quibus ad famam, atque opes, & altissimum vitæ istius apicem ascenditur: nobilitatem generis, amicitiarum splendorem, gratiam principum, opes ingenuas, valetudinem, ingenium, eloquium, eruditionem & maximarum rerum capacem indolem, Natura, Fortuna, industria denique certatim cumulaverant. Tantarum illi rerum jacturâ constitit vocantis obsequium Dei, & concreditæ veritatis Fidei commissum. Parum erat destituisse tot summæ spei pignora, nisi se ultrò infinitis miseriis, egestati, discriminibus, inimicitiis, omnium despicatui, probris & contumeliis, & execrabili ubique sui nominis memoriæ; veluti devotam publicis odiis victimam, sciens prudensque objecisset. Neque verò respexit ulla præsentis, aut saltem propinquæ mercedis stipendia. Longè ille sua vota, ultrà vitæ quoque suæ limitem, imò ultrà labentis tunc seculi curriculum jaculatus est; adeoque bona fide spes ejus in cœlum erigebatur, ut in nullo terreni solatii fulcro recubuerit. Non detraho debitas aliorum meritis laudes: manet singulos suum decus. Verùm pace omnium dixerim, tentavêrè forsitan illustrium virorum aliqui, ad tàm sublime fidei specimen eniti, sed nescio an quis evaserit. Plerique enim non caruêre subsidiis quibus eorum virtus citò sublevata est, ut non diu creditores summi Dei existerent. Lutheri & aliorum animi magnitudo plausu mox & studiis principum ac populorum excepta est. Quot alios, inopes alioqui & obscuros, causæ Dei defensio, ad opes atque potentiam provexit? Quos tamen hæc vicissitudo à fidei laude non excludit, si quæ ipsos provexit causâ, unà cum iis demum ipsa adolevit.

Sed illi in hunc numerum non temerè veniunt, qui florentem jam & adultam Dei causam (sive illa verè talis, sive prætensa sit) etiam non exiguis rerum suarum impendiis demerentur. Habent enim quod sperent in terris, etiam citrà cœli respectum, & in ejusmodi præsentium præmiorum expectatione non semper facilè discernas, utrum magis Deo confidant isti, an industriæ suæ.

At Lælius & Faustus, viri tanto judicio, tantâ illius (quo vixerunt) ævi cognitione atque experientiâ, quodnam sibi in terris dum viverent, imò & proximo post seculo, tot laborum atque discriminum solatium despondere poterant, dogmata professi, nullâ auctoritatis pompâ, nullo partium studio, nullâ dissolutioris vitæ conniventiâ, nullo alio lenocinio commendata; quin potiùs austeritate suâ cunctis exosa atque invisa. Nullam hic sanè video terrenæ spei latebram, quæ vel minimum decerpat de nobilissimæ fidei laude, quæ quanta quanta fuit, omnibus terris exclusa, in cœlum evolaverat, & in solius Dei clementiâ collocabatur.

Ignatius quoque, ut alios taceam, majorum nostrorum memoriâ, patriam, agnatos, opes, honores & alias illecebras contempserat, multos quoque labores, multa discrimina ultrò subierat, zelum gloriæ Dei & fidei militiam professus. Non despicio animi magnitudinem quæ in eo aut nonnullis similibus apparuit. Neque enim prorsus molli itinere ad gloriam contenderunt. Sed nondum hîc video illud magis arduum, quod quærimus, nobilioris fidei specimen. Non sumo mihi tantum, neque etiam in

præsentia

præsentia multùm interest, ut de cujusquam mentis proposito sententiam feram, quam ferat olim judex falli nescius. Itaque nihil moror quid Ignatius in animo habuerit, cùm ad præsens negotium sufficiat, quid habere potuerit. Videbat ille sanè res Pontificum in quibusdam provinciis afflictas; sed in pluribus quoque aut saltem potentioribus, adeoque in patriâ, & ubi sedem fixurus erat, benè firmatas & florentes ignorare non poterat. Immensa quæ propugnatoribus suis Ecclesia illa statim reponit præmia, virum istum latuisse quis dixerit? Acris est profectò in generosis animis gloriæ stimulus. Ubicunque illustris famæ campus panditur, non modò ipsi voluptates atque opes sordent, sed vita quoque ipsa vilis est. Itaque & martyria pro felici atque opulentâ Ecclesiâ, etiam citrà nobilius religiosæ fidei documentum facilè suscipiuntur, neque adeò plus admirationis mereri possunt, quàm illi quondam, qui

——in Punica nati
Tempora, Cannarum fuerant, Trebiaque juventus,

aut si Castrense vulgus displicet, quàm

Cordus pro patriâ non timidus mori,

Sanè quisquis in Ecclesia Romana æternitatem nominis quæsivit, non stultè profectò elegit gloriæ suæ spatium. Nunquam enim Romana olim Respub. (quamvis hac potissimùm ratione adolevisset) tot aut tanta præmia periculis pro se susceptis proponebat, quot & quanta Romana Ecclesia repræsentat. Serò illa pulvinaria atque aras, & solis tantùm Imperatoribus posuit. Hæc passim bene meritis præter sempiternam nominis venerationem, templa, & sodalitia, & honestam inter Deos indigetes sedem exhibet. Quid altius suspiret flagrantissima gloriæ sitis? Quisquis igitur propositis ac propè manu comprehensis tàm invidiosis stipendiis, quantumvis non sine aliquâ rerum suarum jacturâ, militiam istam ingressus est, nihil est quod Fidem suam Deo imputet. Ubi opes Ecclesiæ Romanæ, tot principum potentia, atque ipsius Hispanici imperii sparsa per orbem moles, stetêre in sublidiis, facilè fuit etiam in maximo discrimine procurrere ante signa. Humanæ istud erat atque militaris fortitudinis specimen. Ad primævæ quidem Ecclesiæ martyrum aut confessorum sanctiorem gloriam non assurgit. Ita illi sincerè in cœlum suspexerant, ut nihil sibi in terris quod sperare possent reliquum esset. Eorum exemplo ita Lælius & Faustus Deo crediderunt quæ in ejus gratiam perdebant, ut nulla propè terrena futuræ mercedis pignora, nullam humanam divinæ spei fidejussionem, nullum solatium acceperint. Unius Dei fidem atque clementiam, eamque longo post fata sua intervallo expectandam secuti sunt. Suo quoque ævo jugiter spreti, atque inglorii, & solis odiis nobiles, ne morituri quidem secundioris famæ auspicium delibarunt. Nulli tamen unquam credentium decoxit fidelissimi numinis beneficentia. Ne istud quidem servorum suorum nobile par diuturnâ oblivione sepultum esse voluit. Ostendit illos orbi, quâ parte sui gloriosè noscitari poterant, protractis in lucem tot inclytis ingeniorum monumentis. Ac licet non hâc mercede steterit plenum militiæ illorum stipendium; tamen ipsum quoque inter mortales nominis decus ita benignè afferere cœpit, ut fortasse magis periculum sit ne nimios, quàm ne nullos ipsis honores habitura sit posteritas.

FINIS.

DISSERTATIO
FAUSTI SOCINI
OPERIBUS

præmittenda

LECTORI S.

VEnit ad te, CANDIDE LECTOR, & usibus tuis se devovet erudita Equitis Poloni dissertatio. Eam ante aliquot annos flagrans pietatis ardor expressit, ut, quia Fausti Socini opera sub prælum à nobis tum revocanda erant, unà cum Vitâ ejusdem prius in vestibulo te aditui ritu exciperet, quàm in eorum adyta penetrares. Sed cum inviderint nobis laudabilis voti successum iniqua veritati tempora, & scriptorum Socini editionem usque distulerint, in nova consilia animus flectendus fuit. Vitam proinde Fausti divulsam à sociâ dissertatione publico dare visum est, ut agnoscat tandem orbis ingens illud cœli depositum, & quem natalium splendorem fors aspera sepelierat spirante, is jam fatis functo reviviscat & ad meritam sui venerationem mentes hominum accendat. Verum Vitâ illâ editâ, hæc quoque dissertatio mordere tarceres & post longa molesta custodia tadia foras spectare cœpit. Nos initio quidem ambigui aliquandiu & animi suspensi stetimus. Monebat hinc insignis commodi spes eique jam alludentia signa, ut emitteremus cupientem: sed illinc longo à nobis intervallo dissitus autor obstabat, sine cujus suffragio præcipitare editionem incensulta temeritatis videbatur. Vicit tamen utilitas tandem, & ancipitem dubitandi curam sic abstulit, ut ab autore festinati officii expectare veniam, quam apud alios neglecti culpam contrahere maluerimus. Accipe igitur, Lector, benigno vultu ad te properantem, & ita lege, ut judicii quoque adhibeas dexteritatem; ità judica, ut nihil odio, nihil gratiæ dedisse videaris. Vale.

DISSERTATIO.

MUltùm olim in quærendo ad Felicitatem aditu humanam elaboravit ingenium : Sed nulla contentio, nulla induſtria mortalium invenire potuit, quod non niſi Dei immortalis beneficio par erat deberi. Magnam igitur generis humani partem blandæ voluptatum inescavêre illecebræ. Nec pauciores auri fulgor extrà ſe poſuit, atque opum utilitas ſibi addixit. Sanè in hoc viſco ferè tota plebs mortalium hæſit. Quam tamen turpem aut ſordidam felicitatis imaginem, meritò damnarunt nobiliora ingenia. Gloria iſtis, imperium, potentia, atque id genus cætera, viſa ſunt iſto faſtigio digniora. Sed & hæc inania & fluxa fortunæ munera Sapientiores mortalium optimo jure ſunt aſpernati. Cætera quoque fugacis ævi blandimenta primùm, mox ſpolia, veluti forma & vires corporis, conjugium felix, ſoboles numeroſa, & longævi ſenii vivacitas, eodem cum ſuperioribus faſtidio obnoxia viſa ſunt. Reſtabat vitæ per virtutem actæ decus atque integritas; in quâ optimi quique beatitudinis noſtræ apicem poſuêre. Neque ego ſanè negaverim, nihil eſſe in rebus humanis, quod altiùs ac propiùs ad hoc culmen aſſurgat : in quo tamen iſthic mens noſtra conquieſcere poſſit, nondum perſpicio. Sublatis enim cæteris vitæ humanæ ſolatiis atque illecebris, non alium in virtute fructum video felicitate dignum, quàm bonæ conſcientiæ. Neque verò ſpernendum puto iſtud gratantis ſibi animi gaudium. Sed quomodo ab incidentibus, quibus vita humana infeſta eſt, miſeriis nos vindicare; aut omnino juſtæ beatitudinis numeros implere poſſit, aſſequi nequeo. Animus enim noſter in felicitate, quam ambit, non malorum ſolatium tantùm; ſed vacationem quærit; neque ſe beatiorem miſerrimis eſſe, ſed omnis miſeriæ expertem deſiderat. Nam mala & miſerias non vocare, quæ corpori aut vitæ humanæ acerba ſunt, ſtylum ſapit tumentem, & à mortalitatis captu alienum. Relinquamus eum Homero, qui unus Deorum lingua loqui audebat, ſuo quidem jure uſus, cum non pictor eſſet, ſed poëta :

Chalcidem (ait de avi quadam) *homines*, Cymindin *Dii vocant.*

Nos quamdiu corporis & fortunæ caſibus obnoxii ſumus, bonorum & malorum vocabula rebus imponere cogemur, ex humanitatis potiùs ſenſu, quàm philoſophandi ambitione. Itaque calamitoſæ virtuti ad felicitatem deeſſe multùm judicamus, dignamque meliori fortunâ rectè factorum conſcientiam, miſerationi ſæpiùs, quàm invidiæ propiorem arbitramur. Non latuit id emunctioris judicii philoſophos; qui beatitudine in virtutis actione poſuiſſe non contenti, vitæ proſperæ & externorum bonorum conditionem adjunxêre. Quo quidem nomine ſummi viri immeritò malè audiunt. Nihil enim eſt ineptiùs quàm beatitudinis rationem, quæ in ſolidâ rerum affluentia conſiſtit, hilari quidem, ſed nuda ac ſterili cogitatione circumſcribere. Nempe inops eſt atque egena Felicitas, cui virtus ſuo ſtipendio militat, nec alia laborum atque periculorum præmia habet, quàm eorum memoriam. Neque verò ego præcipuam ejus mercedem cenſeo, res in hac vita proſperas & ex voto fluentes : quod ne principi quidem philoſophorum in mentem veniſſe putamus. Sed tamen miſera, & indigna virtute conditio eſt, inſontem eam gravibus infortuniis mulctari; aut optimè meritam, præcipuis tamen adeoque neceſſariis fraudari vitæ commodis atque ſolatiis. Itaque æquum erat, illud, quicquid eſt, ſine quo vita mortalium acerba & calamitoſa exiſtit, ei felicitati adjungi, ad quam per virtutem aſcenditur. Neque tamen rurſus ſine argumento hæc beatitudinis ſpecies exagitata eſt. Etenim ſi abſque externâ proſperitate non conſtat, quæ neque initio comparari, neque parta retineri noſtro arbitrio poteſt; quid in eâ ſpei aut præſidii ponendum putabimus, quùm nec connitentibus nobis obtingere, & invitis eripi poſſit?

Verumenimverò juſtiùs hîc mortalitatis noſtræ ſortem deplores, quàm acutiſſimi philoſophi judicium reprehendas. Fecit ille, quod potuit : & felicitatis, quantamcunque olim in hâc vitâ ſperare fas erat, duxit lineamenta. Quid meruit, ſi ea non cujuſvis induſtriæ patet? ſi in ea eſt aliquid, quod nec firmum, nec ſtabile putes? denique ſi non implet aviditatem mentis humanæ? Etenim quæcunque erat illa felicitas, quæ ſperari in hac vitâ poterat, plurimo atque multiplici laborabat defectu. Primùm enim cum ad eam nonniſi per virtutem pateret aditus : neque ea certum ac ſeſe dignum haberet ſtipendium, arcebantur ab eâ penitùs infeliciùs nata ingenia. Eandemque ob cauſam etiam nobiliores animi ad ſupremum virtutis faſtigium aſpirare non poterant. Deinde ſi quis feliciori genio ad aliquam virtutis laudem eluctatus eſt, oranda erat Bona Fortuna; non minus ſurdum, quàm cœcum numen, ut aut venire aut manere propitia vellet : ſine cujus incertiſſima fide nemo ſola virtute ſuæ felicitatis ſtatum tueri poterat. Denique ut quiſquam proſperrimè virtuti ſimul ac fortunæ litaverit; ac utriuſque conſpiratione uſque! ad invidiam felix evectus fuerit : impendebat nihilominùs trepido inevitabilis moriendi neceſſitas. Quæ decerptæ beatitudinis ſolatio adeò leniri non poterat, ut quantò quis feliciùs viveret, tantò ægriùs à felicitate ſuâ divelleretur : & in uberiori maximorum bonorum affluentia, copioſius haberet juſtiſſimi metus atque doloris argumentum. O duram igitur mortalitatis ſortem, cujus ne iſta quidem rara & paucis optanda conditio, tanti doloris tantæque formidinis expers eſſe poterat! Horum malorum ac miſeriarum exitum invenire, ideoque rectum ad ſinceram felicitatem curſum tenere, quod initio diximus, non erat humanæ opis. Manebat iſta gloria ſummi Dei beneficentiam, qui unus per filium ſuum humano generi vulgavit arcanum illud æternitatis, ESSE aliquod dignum virtute præmium, præter ipſam. Primus hic ingentibus promiſſis ad veram beatitudinem erexit deſideria mortalium, primus incredibilis voti non ſpem tantùm blandam aperuit, ſed ipſius ſpei non dubia dedit pignora. Habemus paternæ fidei obſidem filium, cujus ipſa primùm doctrinæ puritas & ſanctitas etiam ſine advocatis ac patrocinio ſatis pro ſe perorat : cujus vitæ innocentia doctrinam, ſtupenda miracula ipſam præterea confirmant innocentiam. Cujus mors pro ſuæ doctrinæ teſtimonio ſuſcepta, optimæ fidei ſpecimen arguit : ſuperata verò certiſſimi teſtimonii veritatem oſtendit. Cujus à morte ſuſcitatio ardui promiſſi exemplum, exaltatio verò atque imperium certitudinem repræſentat. Cujus denique res per Apoſtolos geſtæ & ille Spiritus admirandorum operum opifex, qui tandem armatum orbem inermis ſubegit; qui ad virtutis ærumnas tot gentes ſine illecebris pellexit, nunquid levia videntur

tur divini ejus imperii simul atque spei nostræ documenta? Credibile verò est olim immensam laborum molem non modò sine ullâ mercede, sed præsentissimo exitio, ullos mortalium in hoc ævo subituros fuisse, nisi habuissent, quo posthumæ spei sustentarent fiduciam? An excelsæ fidei robur in recenti adhuc rerum gestarum memoriâ tanta sui experimenta dare potuit, si suberat ulla non levis aut iniqua diffidentiæ suspicio? Itaque nihil propiùs factum est, quàm ut universo orbi earum rerum fides fieret, quas initiò paucissimi & simplicissimi mortalium oculis suis usurpârunt. Tot urbes atque imperia, tot gentes ac populi, tot insulæ ac terrarum ultimæ oræ, quanquam in aliis rebus plerumque discordes, in eorum tamen fide consentiunt, quæ Christiana religio pollicetur. O fortunatum igitur humanum genus, cui pridem in altâ demerso caligine, tanta lux repentè oborta est! ô beatam conditionem hominum, quibus ad cœlum & immortalitatem via non modò comiter ostensa, sed firmiter strata atque munita est. Hæc illa est vera felicitas, quæ & unicuique seriò volenti patet, nec invito eripi potest. Nihil in illam fortuna, nihil fabulosa Fati necessitas, nihil anilis Parcarum colus jactet potestatis. Ipse Deus quod in eam juris habuit, tradidit iis qui promissis suis per Christum sincerè crediderunt, pactorum memores, nobiscum

Quæ pepigit, nati quos sanguine prodigus emit.

Postremò quæcunque humanam olim in hac vita prosperitatem turbabant aut morabantur, longè ab hac felicitate remota sunt. Tanta in eâ virtuti præmia proposita sunt, ut omnibus ad supremum ejus fastigium accessus pateat: tanta præsidia atq; adminicula addita, ut neminem ab eo infelicior indoles, neminem prava educatio, neminem ingenii tarditas, neminem literarum insciția, non sexum imbecillitas, non humilitas sortem nascendi, non inopia, non vitæ institutum, non ulla denique alia res quenquam, nisi voluntaria improbitas arceat. Postquam Christiana religio tot gentes cælestibus curis imbuit, desiit Fortunæ virtus supplex fieri, ne acerbissimis casibus cursum suum turbaret, ne solida ejus gaudia terroribus humanis aut luctibus interciperet. Tunc illa profectò cœcum istud numen sine superbia spernere, tunc sine temeritate provocare cœpit: tam incolumitatis suæ quàm victoriæ secura. Nam & in præsenti vitâ non plus in virtutem fortunæ licere Deus voluit, quàm quantùm humanissimo parenti sueta erga liberos indulgentia permittit. Et ut minarum ejus ictus non sint irriti; gloriæ nostræ militat ac felicitatis incremento, quando omnibus malis superstites, lætа & gloriosa laborum memoria manet. Denique ipsa illa invicta moriendi necessitas, quæ postremò vitæ agmini incumbens, etiam undique cumulata ejus gaudia eminùs terrore, cominùs luctuoso carpebat interitu, jamdudum Christianæ virtuti ac Fidei domitum caput submisit. Nec obstat, quod nondum hostis hic arma abjecisse videatur, quum præcipuus ejus mucro retusus sit, morte pridem per reducem Christi vitam debilitata. O felix & plus quàm Saturnium seculum, quo primùm tàm amœnum jubar terris illuxit! Poterat mortalium genus in tàm salutiferâ luce facili & inoffenso gradu vadere ad immortalitatem: sed ipsi tanta felicitate, nescio per quam vicissitudinis injuriam, sincerè diu frui non licuit. Sive quis mundo infestus genius; sive ipse sibi ingratus orbis hanc fortunam invidit, sive hoc denique fuit supremi Dei consilium, ut virtuti nunquam idoneum certamen deesset: spem certè tàm invidiosæ sortis, ipsumque ad eam aditum à multis jam seculis maximis difficultatibus involvi contigit. Primùm enim ipsa spei nostræ fiducia (quæ sola nos in veræ beatitudinis fastigio sistere potest) admotis pænè machinis subrui cœpit ac labefactari. Deinde ipsa Religio Christi, quæ sola humano generi tantæ spei fidem fecerat, non uno nomine in dubium vocata est. Denique non modo concipiendæ, sed etiam adeundæ huic spei ingens est objectum impedimentum. Quodque maximè dolcas atque indignêre, hæc omnia facta ab iis, qui se speratæ felicitatis candidatos profelli sunt.

Etenim, ut ad id, quod primo proposuimus, revertamur, quæ erat machina subruendæ fidei nostræ aptiora, redeundi ad vitam difficultate? Vitam fortè in immensum produci posse, utcunque rationi humanæ probari poterat, sed ereptam postliminiò in æternum restitui, non contra rationem quidem, sed tamen suprà fidem erat. In tanto præter naturæ morem rei miraculo credere humanum genus, nisi exemplo, vix poterat. Itaque ejus rei certum Deus subjecit omnium oculis experimentum, revocato ad vitam eo, qui naturæ mortalis conditione nihilò cæteris præstabat. Hoc tàm evidens fidei nostræ adminiculum communis Christianorum opinio nobis eripit: si JESUS ille resuscitatus est ille ipse summus Deus, à patre essentiâ non diversus. Nam nec bona fide mortuus erat; (quis enim supremum numen planè mori posse censeat? quis personam illam Patri coæternam & homousion trucidatam asserat?) nec in ipsâ morte exsistens (quemadmodum nos) aliena ope indiguit: Et ad vitam glorioſè redux, propriis viribus, nec unquam adempta sibi aut depositâ potentiâ, sese ipse è faucibus lethi eripuit. Cedo, quid in nobis simile? Non accessiones nostri, sed nos ipsi morimur: quid verò spei sit in nostris viribus, penitùs per mortem fractis & prostratis? Certè defunctorum manes aut personæ in id non excubant, ut se suapte potentia ex sopore tàm profundo excitent. Parum fuit fidem nostram in re maximi momenti tàm periculosè convelli: quin etiam ne aliunde quærere posset, quo se erigeret, satis providè prospectum est. Cum enim præcipuum vivæ fidei officium esset, tàm sublimibus Dei promissis sincerè credere; vulgò persuasum est Christiano populo, in eo cardine verti fidei specimen, ut certas de Dei natura aliisque similibus dogmatis sententias credamus. Ita à vero fidei exercitio, ad inanium opinionum ambitionem, mentes omnium deflexit publicus error atque detorsit. Quo factum est, ut de natura Dei omnes disputarent; promissis pauci crederent: ac proinde præceptis quoque non multi obtemperarent. Ita exiguo momento fides in opinionem, religio in philosophiam, virtus in contemplationem, zelus in contentionem, caritas in studia partium degenerarunt. Neque aliter fieri poterat, posteaquam relictis moribus, sola coli atque examinari cæpêre ingenia.

Venio nunc ad alterum illum concussæ fidei arietem, quo per universæ religionis latus spes nostra petitur. Cœlum ac sydera benè meritis nulla secta, nulla religio solidè despondet, præter Christianam. Perit tantæ sponsionis pignus, si sponsor ipse vocatur in dubium. At quominùs falsi condemnetur, aut justissima suspicione traducatur Christiana religio, nulla mora est per eos, qui ipsi falsa atque ab omni ratione abhorrentia dogmata veluti fundamenta substernunt. Quis non illachrymetur malis Ecclesiæ, reputans quantùm à primigenia castitate desciverit? Atque in medio dolore nonnunquam & justa erumpit indignatio, quod in proximo de Deo dogmate non puduerit priscos illos Episcopos S. scripturarum sensum ad normam placitorum, Græcanicæ dicam, an Barbaræ philosophiæ, violenter exigere. Gnosticis olim vetus Ecclesia irrisit, quòd prophanam philosophiam, additis è Christiana doctrina centonibus prodigioſè contextis, corruperint. Ipsa verò

si Dis

si Diis placet, magis sobriè philosophata, maluit Christianam Theologiam, quàm illius ævi eruditionem inquinasse videri. Usque adeone patres illi miserum putarunt, illarum artium rudes censeri, quæ tunc flagranti seculi studio celebrabantur? Sed quod accidit iis, qui duabus sellis sedere volunt, ut utraque excidant; nec sacræ revelationis primævam simplicitatem, nec prophanorum ingeniorum conjecturas sincerè retinuerunt. Quamobrem absurdis ac invicem pugnantibus sententiis referta sunt Ecclesiæ dogmata: quæ, quia nobis notitias à naturâ insitas ipsamque adeò rationem à stirpe evellunt, Fidei obtentu ingeruntur. Quod ferri utcunque posset, primùm si vim humanæ mentis superarent, non everterent. Multùm autem interest, utrum illa rationem alicujus rei non capiat, an videat falsitatem. Verum enim sæpè tam altè reconditum est, ut erui vix possit; at falsum raro se in eas latebras abstrudit, quin suis vestigiis deprehendi queat. Utinam verò tam facilè ignorantiæ mederi possemus, quà promptè errores falsi convincere licet! Aliàs quid ultrà menti nostræ relinquetur, si quo prætextu damnare timebit, quod implicat contradictionem. Præterea ferri quoque posset ista paradoxorum sub Fidei clypeo defensio, si saltem bonâ fide ab examine rationis, ad testimonii divini auctoritatem refugerent. Sed ubi sub rationis judicio causa laborare incipit, subitum à sacrâ revelatione præsidium arcessitur. Postquàm hæc ipsa revelatio venit in examen, primùm (quod antea quoque innuimus) Platonicis ingeniis quàm scriptoribus Apostolicis evidentiùs patefacta deprehenditur. Deinde si quis est in S. oraculis locus, qui ejus fidem facere videatur, tàm obscurus est, ut rursus ad volucres atque aëreas humani cerebri contemplationes redeundum sit, ex quibus de ambiguo ejus sensu constet. Quibus in consecutionibus nectendis, si causa iterum titubare incipit, iterum quoque ad cœlestis patefactionis fidem, veluti ad notum diverticulum, ridiculus fit receptus: quasi jam pridem confessum esset, hoc esse dogma divinitùs traditum, & non id ipsum tunc vel maximè veniret in dubium. Ita dum incerta ratio à suspecta revelatione, & hæc iterum ab illâ, intempestivam petit opem, in utraque tandem parùm præsidii deprehenditur. Postremo tot in S. literis, tamque manifesta adversæ sententiæ testimonia extant, ut neque salvis iis paradoxa dogmata consistere possint, neque in dubium vocatis S. librorum maneat autoritas incolumis. Quamobrem etiam nemo è Christianis testimoniorum istorum vel fidem, vel sensum vocare in dubium audet: manca tantùm & mutila esse, ideoque iis ad plenam rerum divinarum notitiam aliunde nonnihil addi debere contendunt. Concedamus id sanè postulantibus, dum ne obtentâ hâc addendi licentiâ abutantur, ad subruenda ea, quæ videlicet supplere polliciti sunt. Sed quid? si talia additamenta proferunt, quæ eorum, quibus adduntur, fidem & rationem penitùs evertunt? hoc verò minimè ferendum est: nam testimonia nostra supplere promiserant, non tollere. At enim supplementa ista ex S. oraculis hauriunt, ad quorum normam cætera eorum testimonia exigi postulant. Equidem non negamus, scripturam fidissimum esse sui ipsius interpretem. Sed primùm videndum est, quâ fide id aliunde ex scriptura hauriant, quod alibi apertæ ejus sententiæ repugnat. Deinde rogandum est, quâ fronte eos locos, de quorum sensu ipsis (ob apertam evidentiam) cum adversariis ferè convenit, explicari postulent per alios, de quorum expositione maxima lis est. Quis est iste tàm perversus ac præposterus cognitionis ordo, qui per tenebras lucem illustret? quasi hæc sit ratio percipiendi res notissimas, si in ignotis cœcutiamus. Quantum igitur in divinis oraculis præsidii opiniones habeant rationi alioqui repugnantes, & quo jure fidei opem implorent, ex iis, quæ disseruimus patet. Sed quid refert? si tamen maximæ hominum parti persuasum est, plurimùm Religionis Christianæ interesse, ut tàm incredibilia credantur. Neque hoc unum est caput, in quo tàm divinæ Fidei veritas traducitur. Quid ego hoc loco memorem, fœdissimorum errorum colluviem, quibus purissima quondam ejus doctrina passim inundata est. Nulla fuit olim tàm profana opinio, nullum tàm anile delirium, nulla tàm ridicula superstitio, quæ non in eâ (per summam hominum injuriam) non modo locum, sed pretium quoque invenerit. Taceo de Transubstantiatione, de Sacerdotum atque Pontificis infinita potestate, de cultu simulachrorum, portentosas sententias: taceo arcessitas ab Academia, de Limbo, de Purgatorio, fabulas: taceo tot apparitionum spectra, tot absolutionum nundinas, atque delictorum pretia, tot alienos ritus atque peregrinas ceremonias: quæque alia sive Græca quoque sive Latina tantùm Ecclesia, tamdiu pro Fidei columinibus venditare non erubuit. Quicquid enim aut ab omni ratione absonum, aut S. literis repugnans Christianorum vulgo per tot secula obtrusum est, omne id in religionis ac Fidei nostræ contumeliam redundavit, cum nec ingenitum nobis mentis lumen ullo modo extingui, nec Scripturæ autoritas salvâ fide nostrâ possit convelli. Sed fuerit ista sanè lapsi in barbariem orbis deploranda calamitas: nunc postquam felicioris seculi luce obortâ è spissâ caligine emergere cœpit, indignum est experrecto atque laboranti easdem aut tetriores etiam tenebras offundi. Quo enim pertinet ineluctabilis divinæ destinationis conditio? quo iniquissima Fati necessitas, etiam supra antiquorum somnia fabulosa & barbara? quæ non æquam omnibus & communem vitæ Legem, sed ratum jam de immutabili singulorum statu fixit decretum, quæ omnia scelera atque flagitia, priusquam ulli venirent in mentem, ipso (quod ajunt) actu fieri voluit, ac certis hominibus assignavit, & tamen acerrimè vindicat: quæ denique id unum in hominibus sive immensis præmiis, sive immanibus suppliciis dignum censet, quòd Dei voluntati, ut maximè velint, resistere nequeant? Quò spectat, inquam, tam scæva ac finistra opinio, nisi ut divini simul imperii atque humani obsequii rationem atrâ involvat caligine? Quid sibi vult & illa quorundam peculiaris de bonorum operum pravitate? quid altera communior de alienæ sanctimoniæ proprietate ac possessione nostra, sententiâ? Præter offusas menti nostræ tenebras, per miram utrobique pugnantium rerum mixturam, nonne à veræ pietatis studio arcemur? si & optimè agentes terret benefactorum conscientia, & pessimè viventibus non deest alieni meriti fiducia. Quid persolutum propriè pro gratuita impunitate pretium? quid æquissimæ severitatis Lege injunctum nobis, quod fieri non potest? quid ipsam denique humani arbitrii, hoc est, libertatis servitutem commemorem? Non magis omnes istæ opiniones cum sincero piè viveni conatu, quàm secum singulæ conciliari possunt. Quis enim carissimarum rerum impendio præmium captet, quod jam alieno sumptu perfitùs ac sine ulla suâ operâ sibi putet quæsitum? quis eò per ardua & salebras niti contendat, quò non modò evadere posse, sed ne vadere quidem velle, sibi integrum esse, sit persuasus? Intelligo me eos locos doctrinæ Reformatæ (quæ vocant) tetigisse, qui veluti delicatissimæ partis ulcera tractari sine exquisito doloris sensu nequeunt. Itaque plura non addam; nec enim verborum compendio comprehendi possunt, quorum ne numerum quidem mente inire facile est. Et alioqui

sat scio

sat scio nonneminem fore, qui lectis istis pauculis, veluti inopinato stimulo ictus, exiliat, atque stomachetur; quamvis ita moderari stylum contendam, ne cui meritò bilis moveri possit. Indormit enim placidè suis vitiis Christianus orbis, istis opinionibus molliter suffultus: quem si quis pulvinum delicatæ cervici subtrahere aulit, illicò

orbâ tigride pejor

furit accensa Theologorum factio, & Fidei ac Religionis fortunas agi clamitat: cum tamen vel privata nonnullorum existimatio, vel publica tantùm peccandi illecebra veniat in periculum. Honori & gloriæ Dei Christique zelum hunc imputant: quasi Deo Christoque cordi sint ejusmodi præconia, quæ verum cultum & observantiam Numinis ejus, litam in obsequio, ex animis hominum funditus extirpant. Dandam sibi operam unusquisque pro virili existimat, ne qua de essentiâ, personâ, beneficio; breviter, gloriâ Dei Christique humilis opinio obrepat. Rectè sanè: Sed enim ô bone vir,

quid pulchra vocabula pigris
Prætentas vitiis

Vis tu gloriam Deo tuâ operâ verè ac magnificè asseri; da operam, ut præluceat omnibus virtutum tuarum splendor. Quod ut promptiùs facere possis, remove omnia opinionum portenta, quæ te in veræ pietatis cursu remorari possunt. Nisi hoc studium ad res divinas attuleris, necesse est te in magnâ earum ignoratione versari. Nam quod tu gratiam Dei atque Christi, quæ obsequio quæritur, assentatione demerêri te posse putes, inanissimam spem alis. Aspernabitur Christus blandimenta & titulos, quorum sub umbra hactenus inobedientia mandatorum ejus delituit. Illuxit autem orbi salutiferum jubar: sed homines magis adamavêre tenebras, quia improbitatis suæ lenocinium depereunt. Quid igitur mirum? tàm absurda, tàm pugnantia, tam ab omni ratione remota & abhorrentia incautis obtrusa? Omnia ista per diram noctem atque caliginem obrepsêre, dum homines dulci peccatorum sopore sepulti animum ad cæcas insidias non advertunt. Sed præcipuè, ut diximus, Christianæ religionis existimationi pessimè consultum est: postquam hominibus persuaderi cœpit, eam sine tàm putribus & infirmis adminiculis stare non posse. Quæ non tantùm evidentissimæ falsitatis suspicione; sed eo quoque nomine fidem sibi derogant, quod virtutis stirpem ex animis hominum radicitùs vellant, quam unâ cum cæteris communi notitiæ insitis principiis mens nostra, quicquid conetur, damnare non potest. Jam verò per tot inextricabiles errorum ambages vocata in dubium Religione, (ut alienos taceam) quotusquisque ipsorum Christianorum tot tàmque gravibus suspicionibus intactam & illibatam spei suæ fiduciam servare potuit?

Hinc illud tandem promanavit, (quod tertio loco proposuimus) ut impeditâ fide ac spe nostrâ, quæ sola nos in obsequio Christi retinere potuit, ipsum quoque obsequium, ac proinde rectum ad speratam felicitatem iter impeditum fuerit. Omnis enim generis crimina atque flagitia ingenti agmine in Ecclesiam irrupere. Tot morum corruptilis, tot morbis & ulceribus, scatet universum Ecclesiæ corpus, ut longum sit singula persequi. Innumeri errores infinitos abusus peperêre. Itaque omissis cæteris, quæ cum infamia Religionis vulgò regnant, duo tantùm commemorabo, quorum non modo permissa impunitas, sed injuncta quoque impietas est. Primùm enim cultu summi numinis, à spirituali & cælesti ratione, ad informes ritus ac ceremonias detorto, triste ac pudendum Idololatriæ genus invectum est: Et quasi periculum esset, ne injussi mortales timidiùs expressa Dei mandata calcarent, publicis Ecclesiæ sanctionibus & dogmatis, tantùm non conceptis verbis imperatum est, ut prima ac potissima Dei præcepta violarentur; alterum verò etiam è numero reliquorum decem expungeretur.

Deinde nova illa & Regia Lex Christi, quæ inter alias, non modò ut perfectionis complementum & cumulus, sed ut peculiaris populi ejus tessera eminet, Lex, inquam, Caritatis fœdissimis moribus atque institutis publicè abrogata est. Taceo alia, quæ in fraudem ejus, non clandestinâ infirmitate, aut privato ausu, sed publico consilio factitantur. Illud unum sufficit, quod in pudendam Ecclesiæ Christi contumeliam à multis jam seculis inolevit: Eos homines, qui JESU illi Nazareno pro Christo Dei agnito, se suasque spes atque opes crediderunt, qui in familiam ejus atque militiæ sacramentum nomina dedêre, quos ne odisse quidem cuiquam (qui modò Christi legibus se solutum non putet) fas est, non aliam ob causam, quàm quod aliqua in re dissentiant, à cæteris suis conservis & commilitonibus, non modò acerbissimis odiis, contumeliis, injuriis violari: sed etiam exquisitis cruciatibus, & immanibus atque horrendis supplicijs mactari. Non est hæc privatæ crudelitatis macula: Ecclesiæ nomine hæc tàm dira ac detestanda patrantur. A multis enim seculis invaluit in populo Christi prophana & crudelis factio, quæ Christi Ecclesiam ferro atque ignibus atrociter depopulata, ejus se tamen nomine, cæteris exclusis, sola immeritò venditat. Hæc illa est, quæ ex cæde ac vulneribus innocentium tàm infamem sibi saniem ac tabum asperfit; hæc est, quæ sibi tot funestis ignibus, tot feralibus flammis, hanc indelebilem notam, hæc stigmata ad sempiternum dedecus inussit: hæc est, quam oppressorum manes, ad summi Judicis tribunal, non minùs in cœno vitiorum, quam sanguine insontium lapsantem ac trepidam trahunt: hæc denique factio Reipub. atque Ecclesiæ imposuerat principem, cujus potentiam nuper gremio Europæ incubantem gemuit Christianus orbis, nunc iterum horret ingruentem. Etenim durissimæ, quâ premebamur, sortis misertus benignissimus Deus, jugum hoc à nostris cervicibus depulerat. Jamque discussâ turpis servitii caligine, amœnissima lux libertatis affulgebat, cum subitò tempestatum nebulæ coortæ tristiores pæne prioribus tenebras minantur. Quid, nisi nostra ingratitudo, efficere solet, ut Deum beneficii sui pœniteat? Præmiserat exorienti luci gratissimum auroræ splendorem: nos maligno crepusculi lumine contenti, clausimus oculos ad ipsum solis jubar, ut in tenebris liceret verecundiùs peccare. Libertatem restituere cœperat: nos maluimus servitutem. Quam enim dominationem alii in nos, eandem nos in imbecilliores exerceri passi sumus, ut liqueret palàm nobis non tàm servitium, quàm dominum displicuisse. Quid igitur accusemus Deum, quòd nos in teterrimas iterum retrudat tenebras, qui lucem tàm sœde aspernamur? quid queramur nos in servitutem Pontifici postliminiò redi, qui nos ignobilioribus dominis erubescendo mancipii nexu addiximus? Si servire libet, est aliquis in honestiore capiendo hero dilectus. Quid ergo? Invitabimus omnes, ut excussum olim cervicibus jugum iterum accipiant? minimè verò. Nam quanquam novitiæ servitutis piget pudetque; tamen cum veteri tyrannide pulsam Idololatriæ labem meritò nobis gratulamur. Gratulamur & aliis multis in rebus suam Ecclesiæ faciem redditam. Sed præcipuè S. libris debitam auctoritatem ac reverentiam vindicatam pro eximio

Dei

Dei munere agnoſcimus. Jacta ſunt igitur optimæ ſpei fundamenta : ſupereſt ut pulſæ Idololatriæ admus reſtituram Caritatem , quæ , niſi proſcriptâ non modo crudelitate , ſed omni quoque tyrannide atque iniquitate reſtitui nequit. Sacrorum verò librorum , quam aſſeruimus , auctoritate , atque ductu utamur ad profligandas tenebrarum reliquias , quæ hactenus non minùs ſpem ſalutis convellebant , quàm fidem & formam Religionis noſtræ deformabant. Quid cunctamur amplius ? quid expectamus acriores excitantis Dei ſtimulos ? Hac profectò tempeſtate , neſcio quid grandius mortali ore inſonuit. Non jam humana voce , ſed metuenda divinorum judiciorum objurgatione admonemur officii. Triſte quidem , ſed ſalubre Deus ægritudini noſtræ remedium adhibet. Nimia nos corruperat felicitas , & in rerum proſperarum blandimentis palàm jam ſolveramus cupiditates. Quos ex nobis fugitiorum aut certè honeſtæ improbitatis vis non abripuit ad crudele auſteræ veritatis odium , eos tamen aliquis rerum terrenarum amor aut metus , molli ac lenta compede in blandis detinuit erroribus. Illorum impietas ſupplicium , horum imbecillitas auxilium poſtulabat. Itaque ſuum ſingulis diſpenſat providentia remedium. Obrutæ vitiis mentes , recidivæ caliginis pœnâ luunt veritatis odium atque contemptum. Probis autem , ſed tamen rerum terrenarum nexu conſtrictis animis laxat vincula divina benignitas. Præſtiterat ſanè in florenti fortuna atque rebus integris ingerentem ſe amplecti veritatem. Sed ne ſic quidem clementiſſimus Deus probis pectoribus malè conſuluit , quod illecebras & impedimenta , quibus ab ejus cognitione arcebantur , removit. Itaque nunc palàm atque conſcio orbe periculum facit , quâ fide unuſquiſque noſtrum ab Antichriſti grege ſeceſſerit. Si quos factionis conſpiratio , aut ſtudium partium , aut humana aliqua ratio hactenus in Chriſti militia continuit , patet illis transfugium ac receptus illûc , ubi plus præſentis emolumenti oſtenditur. Vos verò quicunque Imperatoris veſtri fidei credidiſtis dilatæ mercedis ſtipendium , ne deſpondete animos in tanta ſævientis fortunæ tempeſtate. Ita ſuos Deus exercet atque explorat. His calamitatibus ab omni ævo virtus ac veritas educata eſt : his adolevit ſpeciminibus : his etiam malis Chriſtus ipſe & Apoſtoli , his primævæ Eccleſiæ martyres & confeſſores conflictati ſunt. Iſtis denique armis Mundus ſemper in meliores ſævit , iſtis cuniculis Antichriſti tyrannis jam à multis ſeculis irrepſit , iſtis rationibus magna pars eorum , quos plùs æquo ſuſpicitis , Patrum graſſata eſt : iſtis artibus illa , quæ etiamnum adoratis , ſtetêre concilia , cum in Synodis controverſiæ violentis factionibus atque auctoritate deciderentur , decreta verò Synodorum Imperatoriâ vi ac poteſtate , mulctis , ignominiis , exiliis , ac tandem etiam ſanguine & extremis ſuppliciis ſancirentur. Deguſtare vos Deus voluit ejuſmodi artium æquitatem atque ingenium , ut intelligere poſſetis , quid vobis ſit de ea auctoritate judicandum , quæ ſimilibus modis atque rationibus crevit ac ſtabilita eſt. Quin igitur abjectis iſtis prophanis ac meritò ſuſpectis ætatum atque auctoritatum præjudiciis , unicam S. oraculorum fidem imploratis , atquè in eorum patrocinio veritatis cùm inveniendæ rationem , tùm inventæ tutiſſimum præſidium quæritis. Adferte modò ſinceros ac veri cupidos animos : & quoniam vobis propemodum non majori jacturâ atque impendio tota veritas conſtare poteſt , quàm hactenus portio ejus conſtitit , audete obviis eam ulnis recipere , quum vobis tandem gratis atque impune ſui copiam faciat. Ita fiet ut firmioribus adminiculis ſpes atque fides veſtra ſuffulta , ſeſe ad verum Dei cultum atque obſequium promptiùs erigat , in eoque ſtabilior maneat. Quam ad rem profectò vobis atque univerſæ Eccleſiæ fructuoſiſſimam operam navavit is , cujus hoc tempore relicta poſteritati opera in lucem prodeunt: Fauſtus Socinus , vir genere , virtute , atque ingenii ſui monumentis nobilis ; & ubi unâ cum ſeculi ignorantiâ deferbuerit invidiæ æſtus , longè apud poſteros futurus nobilior. Cujus viri laudes ſilere præſtat , quàm modicè perſequi. Præſertim cum eas Vita ipſius , quam unà tumultuariè exhibemus , aliquomodo ; cæterum ſublimis ingenii partus & ſcriptorum ejus genius cumulatiùs teſtentur ac prædicent. Is in eo acerrimi judicii nervos contendit , ut ab Eccleſia Chriſti removeret , quæcunque aut gloriam Dei , aut ſpei noſtræ ſolatium , aut Religionis dignitatem , aut denique pietatis ſinceritatem convellere judicabat. Habebit igitur Lector in ejus ſcriptis , primùm convulſas pleraſque machinas , quibus unâ cum ſummi Dei honore ſpes , ad quam aſpiramus , Felicitatis noſtræ ſubruebatur. Habebit univerſæ religionis decus defenſum , & exiſtimationem ab abſurdis ac deformibus (quarum nomine hactenus per ſummam injuriam apud exteros malè audiebat) opinionibus vindicatam & aſſertam. Habebit denique ſublata omnia impedimenta , quæ non ſperandæ tantum , ſed etiam adeundæ cœleſtis patrimonii hæreditati , ipſi ſibi mortales objecerant , injunctæ pietatis perræſi. Nec enim tantùm univerſæ ſanctimoniæ ſtudium blandis & perniciosis opinionibus extinguebatur , ſed etiam manifeſtorum contra Legem Dei delictorum partim permiſſa licentia , partim aut accenſa libido , aut etiam impoſita fuit neceſſitas. His obicibus ſubmotis , habebit viam ad ſupremam vel improbiſſimi voti beatitudinem , incredibili Dei beneficio ſtratam atque expeditam : quam per plura annorum millia ante Chriſti adventum humanum genus ſemper deſideravit , ſemper ignoravit : quam ipſi Moſaicæ legis cultores pertenui aliquando ſuſpicione odorari , nunquam apertè deprehendere potuerunt : quam denique à Chriſto Apoſtolis patefactam , mox ſuccreſcentium errorum ſpinis obſitam , atque dirâ obruente caligine abditam , rurſus exacto fabularum ſenticeto , ac reddita veritatis luce benigniſſimus Deus detexit atque reſtituit. Cui quidem veritati adeò claræ atque illuſtri , ut aſſentiatur univerſus Chriſtianus orbis , ſemel illam ſepoſitis præjudiciis contemplari ſatis eſt : verum id uti facere velit , atque auſit , fallor ? an (quo alioqui ineuntis ſeculi ſtatus vergere videtur) iterum inſontium ſanguine , & novis martyriis excitandus eſt.

Ad Lectorem.

Autor diſſimulat nomen : tu noſſe laboras :
Edidimus nomen : nec tamen edidimus.

Nomen Autoris ἀναγραμματιζόν ,
SAPIS CUM ZELO PURIUS.

Num ſine flagranti pura eſt ſapientia Zelo ?
Cum Zelo ſapiens puriùs ergò ſapit.

FINIS.

JUDICIUM

Synceri & Antiqui

Majorum moris retinentis;

NEC MINUS RELIGIONIS; QUAM PATRIÆ

SUÆ AMANTIS CATHOLICI

DE LIBELLO

Ordinibus

REGNI POLONIÆ

A PATRE

NICOLAO CICHOVIO

Soc: Jesu oblato.

JUDICIUM DE LIBELLO CICHOVII.

PLurimorum suffragiis hucusque Ordini Patrum Societatis Jesu hæc palma delata est; quod ex ejus gremio, præcipui & solidissimi Sanctæ nostræ fidei Catholicæ defensores prodierint. Gloriationem hanc & elogium Ordinis sui minimè auxit aut confirmavit pater Nicolaus Cichovius, edito libello cui titulum præfixit, Adhortatio ad Ordines Regni, ut Constitutionem adversus Arianos urgeant & exequantur. In quo videre licet, non tàm plenè & bona fide accensum ignem; quàm ut sese omnium oculis ostentet sursum altè emicantem flammam; zeli ac studii, ad operam sanctissimæ fidei nostræ navandam. Sed idoneorum ad eam rem mediorum; & in vera Ecclesia propugnanda, imò & protegenda, Rationis atque prudentiæ, ne scintilla quidem apparet. Non est nostrum alienarum Cogitationum abdita rimari. Omnia potiùs meliorem in partem deflectere, decet: atque existimare ea recto animi proposito facta. Cæterum decipit omnes, quicunque vitiosas actiones honesto mentis proposito incrustant; illa Regula, quod *Finis det medijs amabilitatem*. Reperias enim adeo prava & turpia media, quæ ne optima quidem & sanctissima mentis destinatio excusare, multò minùs commendare queat. Non sunt igitur Apostolo judice, facienda mala ut eveniant bona. Nec profectò S. Catholicæ fidei patrocinium aut propagatio, subversione fundamentalium legum Reipublicæ, in qua floret, indigere potest: Nec liberas gentes in triste servitium redigi postulat. Nec supremis Principibus aut Reipublicæ Ordinibus ac totis Regnis atque imperiis perjuria mandat. Non eget ullis impudentibus calumniis; aspernatur omne genus impostura & præstigias quibus vulgò Circulatores oculis populi imponunt. Damnat omnes innocentium; multoque magis de Republica bene meritorum civium insectationes atque oppressiones. Repudiat cælo delapsa veritas, Acheronte profectas injurias atque injustitias. Quicunque igitur ejusmodi officiis eam demereri contendit; aspergit maculam intaminatæ ejus existimationi, & quam propugnandam suscepit, propriis manibus convellit, & lingua aut calamo suo in dedecus ejus, abutitur. Sed præcipuè stare ac defendi potest, rationi mirè consona Catholicæ Ecclesiæ doctrina; absque ineptis & fine ullo judicio adductis rationibus, quarum non modo adversus errores imbecillitas & futilitas omnibus patet, sed longè validius adversus imprudentes veræ Ecclesiæ patronos urgeri possunt. Quo ultimo genere lapsus in ipso libelli sui limine Pater Cichovius tàm fædè corruit; ut loco tituli quem affectat, Actoris adversus Arianos obtinendi, in suspicionem inciderit occulti eorum patrocinii & prævaricationis. Sed & supra memoratorum armorum genere, quod passim idem Pater adversus Sectas à Catholica Ecclesia aberrantes depugnet, suo loco planum faciemus. Nunc ab exordio præclari hujus scripti ordiendum est.

Quàm futilis hæc primum ad damnandos Arianos ratio producitur; quod sicuti quondam populi Dei Ducem Josuam, propter delictum Achani, Panici in exercitu ejus terroris pœna Deus tantisper punierit, donec in Achanum animadversum est: ita Rempublicam nostram, eo quòd Arianos toleraret, supplicio fugacitatis exercituum in aciem adversus hostes productorum, affecerit, donec Constitutionem adversus Arianos sanxisset. Hoc loco primum ab ipso quærimus: Quamdiu est ex quo Deus hoc Panici terroris supplicio patriam afficere cœperit. Respondere aliter nequit, nisi quod pœna hæc, post fata demum Vladislai Regis infligi cœpit. Quærimus iterum. An secta Ariana in patria ante illud tempus recens exorta sit, quo Deus post obitum Vladislai Regis, patriam nostram subito & violento impulsu, in tot mala præcipitavit; quemadmodum olim in recenti Achani delicto Deus, posita omni mora, supplicia ejus culpæ debita non distulit. Nonne ipse pater Cichovius in eadem ad Ordines Regni adhortatione Sententiam à Rege Augusto adversus hanc Sectam ante annos propemodum centum latam producit? Quæ paucos post annos in gratiam Pacis Dissidentium in religione in Confœderatione anni 1572. expressa mentione, abrogata est. Atque ex eo tempore usque ad proximam Constitutionem anni 1658. Ariani in patria pari cum reliquis jure gaudebant. Cur igitur Deus Vladislai? cur Sigismundi Tertii, cur Stephani, aut Henrici Regis, aut ipsius Augusti ævo Arianos in patria impune tolerari passus est? Annon cum exercitus nostri (ut oratorios patris Nicolai colores verbis ejus exprimam) Ottomannicæ potentiæ pelagus, pectorum suorum oppositu sustinerent, ne reliqua Europæ regna inundaret; cum ad mentionem nominis Polonici Septentrionalia imperia tremerent: cum Moschicos ad Clussinum, Livonicos ad Kircholmum, Silesios ad Bytschinam campos, cadaveribus hostium miles noster sterneret; cum Smolenscum expugnatum, ipse Moschorum Imperator una cum Metropoli in potestatem nostrorum veniret; Non (inquam) tunc Ariani in Polonia æquo cum cæteris jure fruebantur? Nonne longè altiori pace & religionis suæ exercitio tunc, quam extremis temporibus, sub ipsa bellorum servilium initia florebant? Quinimo nonne tunc primùm florentissimus patriæ Status vacillare ac in deterius sublabi visus est; quando ipsorum aut potiùs omnium Dissidentium securitas convelli, quando iniquioribus Tribunalis Regni primum; mox Comitiorum Decretis aggravari cœpit? An non proxime ante hoc judiciorum Dei diluvium, quod post obitum Vladislai Rempublicam inundavit, in extrema pene crepidine hujus præcipitii periclitabantur; in quod eos nunc impulsos ac dejectos videmus? Nunquid fando auditum est usquam aut unquam, quod Deus totis gentibus, quando & quamdiu Majestatem ejus delictis suis graviter offenderent, propitiam opem & successus prosperos largiretur: quando autem resipiscere & emendari inceperunt, eas pro delictis punire incepisset, à quibus jam alienissimæ fuerunt. Si illud iram Dei adversus nos provocabat; quod per integrum seculum Arianos toleravimus: cur hoc indignationem & vindictam ejus promeruit; quod

eos sub exitum hujus seculi variis afflictionibus vexare & è patriâ eijcere cæpimus? Pudet me pessimorum optimæ causæ patronorum, qui per pravam & præposteram hostium Ecclesiæ Dei oppugnationem, arma ipsis adversus eam ultrò suggerunt. Nam si huic telo, quod in primo libelli sui limine Pater Cichovius arripuit, aliquid adest ponderis & momenti: habeat quantum libet ferreas aut giganteas manus non effugiet; quin illud eripientibus Arianis dimittere; atque ictus ejus ipse excipere cogatur. Etenim si Deus gentes punit; quoties in iis aliquod anathema exoritur aut toleratur, quemadmodum Achani delictum in populo Israël; hoc est quando in iis secta hæretica exoritur & fovetur; certe illi firmiter urgebunt & contendent, se non esse hæreticos, quoniam Deus per integrum seculum patriæ nostræ; tunc cum eos maternâ indulgentia foveret, propitius fuit. Quodque magis ad rem facit, quanto gravius eos una cum reliquis Dissidentibus à religione Catholica, opprimi contigit; tanto notabilius Reipublicæ opem suam subtrahere; mox & infestus videri cæpit. Unde postea supplicia atque iram Dei adversus patriam, ultioni innocentiæ & bonæ causæ suæ speciosè attribuent. Nec deerit illis argumentum opinionis suæ; quod quam primùm Decretis primùm Tribunalitiis, mox Comitialibus gravari unâ cum reliquis Dissidentibus cæperunt: illico fortuna patriæ nutare cæpit. Post aliquot alia rigida adversus eos Decreta ultimum regnante Vladislao, adversus antelignanum eorum Slichtingium anni 1647. memorat pater Cichovius. Quod è vestigio, Cosacorum seditionis, (quodque indignius est) Aulico igne susçitatum atque inflammatum incendium, deinde statim impuberis principis mors; nec toto vertente anno Regis ipsius obitus & unâ cum eo acceptæ, ad Flava Vada & altera ad Corsunam, clades & infortunia consecuta sunt. Intervenit paulò post, in Comitiis Convocationis sub Interregno, acris adversus eosdem Manifestatio; cui præcipuus flos Senatorii & Equestris Ordinis subscripsit. An verò tàm immitis adversus eos rigor sævientem adversus patriam indignationem Dei cohibuit aut sufflaminavit? Minimè gentium. Quin potiùs iidem isti, qui cruentis subscriptionibus adversus infirmiores sed tamen ejusdem juris, ac mutui fœderis vinculo conjunctos Cives conspiraverant, ad arcem Pilavicensem, subito & prope miraculoso terroris Panici, fulmine percussi, relictâ hosti longè imbecilliori incruenta Victoria, in fugam præcipitem acti, inæstimabili præda ac spoliis opulentis eum auxere. Accessit tunc extraordinariæ castigationi ludibrium & flagitii dedecus: & non dubium divinæ indignationis adversus improvide peccantes vestigium & character.

Cui Arianorum apologiæ, quamvis nos Catholici usque quaque assentiri nequeamus, tamen eam ex vero multum trahere non dubitamus. Nam judicia Dei sunt tàm liquida & intuentibus manifesta, ut parum absit, quin humana voce quamobrem nos Deus puniat, proloquantur & exprimant. Objiciet hoc loco quispiam. Nunquid in verum Catholicum cadit, istiusmodi oratio atque adeò opinio quæ Deum nobis proponit, supplicia injuriarum Hæreticis illatarum à Catholicis exigentem? Credibile verò esse potest, Deo errores hæreticos magis quàm veritatem Catholicam cordi esse: quia illis magis quàm huic fingatur propitius? In promptu responsio est. Malè mereri de Catholica fide qui bonitatem causæ ejus male defendit: nec Veritati ingenuè cedit, quando ipsi resisti nequit. Castigat Deus Catholicos quoque, castigat frequenter populum suum, non quod deteriorem religionem vel causam tueantur, sed ob delicta eorum, ob injustitias & diversos dolos, quoties eos fœdifragos, quoties fidei præsertim jurejurando firmatæ, violatores esse contingit. Exigit ab orthodoxis & fidelibus pœnas injuriarum etiam heterodoxis, etiam infidelibus illatarum. Non quod ipsi fides vel causa injuriis affectorum quam afficientium magis placeat; sed quod ipsi omnis injuria admodum displiceat, à quocunque illa inferatur. Nec prodest inferentibus injurias, quod fidem & causam meliorem aut Deo magis placentem tueantur; sed abest potiùs quia ab ipsis Deus plus exigit; quàm ab ignaris veræ fidei & religionis. Quantò purioris enim fidei donum quantò perfectiorem voluntatis suæ notitiam, in eos contulit; tantò molestius fert, quoties à populo suo sibi propius admoto & ad veram Ecclesiam admisso detrectatione obsequii & violatione mandatorum ejus irritatur. Punivit olim Deus Saulem in ejus posteritate, punivit populum suum ob injuriam Gabaonitis illatam, nec punire desiit, ante expiatum ultione delictum. Non quod Gabaonitis quam posteris Abrahami magis faveret aut esset propitius: sed quia omnis injuriæ atque perjurii esset osor & vindex acerrimus. Non dederat fidem jurejurando obstrictam Saulus neque populus illo ævo Sauli subjectus afflictis Gabaonitis, quemadmodum ne nos quidem ævo nostro Lutheranis & reliquis Dissidentibus fidem jurejurando firmavimus: Sed juraverant Saulis ac toties populi majores, & ob hujus jurisjurandi violationem Deus eorum qui juraverant posteritatem punivit. Interrogemus nos quoque conscientias nostras, num quo facto nostro meruerimus, ut in nos Deus propter perjurium; propter datam à majoribus fidem violatam, propter abrupta vincula fidei, honoris, & conscientiæ, quibus majores nostri seque ipsos & posteritatem suam in perpetuum obligaverunt, animadverteret? Dispiciamus utrum Deus perpetui fœderis, quo majores nostri sese & successores suos obstrinxerunt, fracti & violati pœnas tot manifestis iræ suæ vestigiis à nobis non exigat. Certè longè omnium maximè verisimile reperiemus, Deum nobis idcircò offensum esse, quod majorum fidem sibi mutuò datam, tot fœderum solennitatibus munitam, tot Regum juramentis confirmatam infringere ausi fuerimus. Quo & illud accedit; quod Deus ordinariè, per id ipsum peccantes puniat per quod peccant, ne signum ipsis atque vestigium desit quamobrem puniantur; & ut sui in alieno delicti turpitudinem, tanto accuratius introspiciant. Quod vero fuit aliud pœnarum quas Deo dedimus instrumentum; nisi perfidia & perjurium adversus nos; primùm domi, servorum nostrorum; deinde foris vicinorum principum, cui in excidium nostrum conspirantes nos undique adorti sunt. Quæramus & nos in consiliis factisque nostris, similis delicti vestigium; si quâ forte à nobis crimen perjurii commissum; aut data fides violata est. Certe introspectis penitùs conscientiis nostris, nusquam foris adversus vicinos hoc delicti genere à nobis peccatum reperiemus: exceptis domi Civibus nostris qui sunt Caro de carne & os de ossibus nostris. Non igitur mirandum est Deum in nos vicissim domesticæ perfidiæ, & cum delictum agnoscere nollemus, etiam externi vicinorum perjurii scelere animadvertisse. Denique in ipso supplicio, quod Deus post obitum Vladislai Regis de nobis sumpsit, inveniemus non dubia vestigia quamobrem in nos animadversum sit. Quæ in eo cernuntur, quòd istius (qualecunque sit) delicti, quod Deum offendit; luit pœnas patria, luit & ordo Equestris, cum reliquis omnibus Ordinibus. Sed præcipuè S. Catholicæ fidei promotio inæstimabile damnum & diminutionem perpessa est. Huc accedit; quod ista ipsa promotio, per istas ipsas rationes & modos quibus exercebatur, speciosum ansam & prætextum ad bellum

servile

servile, præsentium malorum originem præbuit. Nam per obtrusam invitis populis Latinæ cum Græca Ecclesiæ Uniohem, Clerus Russicæ gentis supplantatus & per violentam multis in locis oppressionem plebs concitata, excitavit hanc tempestatem, quæ nobis pridem dira minata est. Quia vero absurdum & impossibile est, ipsam per se fidei Catholicæ propagationem à Deo puniri, necesse est eum non in ipsâ ejus promotione, sed in modis & rationibus hujus propagationis inveniſſe aliquid, quod penetrantibus cuncta oculis ejus displicuit. Ac profectò in abrumpendis sanctissimis vinculis, in frangendis fœderibus quibus & Ordines & gentes Reipublicæ nostræ secum mutuò coaluerunt, in violentâ conscientiarum oppressione, in neglectu tot juramentorum non erat quod placeret. Manifestum ergo indicium & argumentum ejus rei habemus, quod à nobis Deus iniquæ Dissidentium à religione nostra Catholica (quos inter Græci & Rutli comprehenduntur) oppressionis pœnas exegerit. In qua primum sanctissimum ejus nomen perjurio profanatum, fides pactorum ac fœderum Reipublicæ fundamentalium (quod infra fusius palam fiet) violata, plurimæ injuriæ & injustitiæ commissæ, vindicis Dei interventum implorabant, nec implorare desinunt. Evidens quoque signum ac testimonium habemus, Deum ejusmodi rationes propagandæ veritatis Catholicæ abominari, nec ipsis optatos successus indulgere: sed eas in conspectu omnium damnare, & ne iis populus suus utatur, toties iterato adversæ fortunæ admonitu, tam pravi moris usum nos dedocere conari. Quod tamen ejusmodi consequentiam non infert, eum vel erroribus hæreticorum, quàm Catholicæ veritati magis favere: aut injurias hæreticorum, quàm Catholicorum pluris æstimare. Unum illud certum est, eum delictis populi sui, quanto ad eum propius accedit gravius offendi, quam peccatis eorum, qui ab eo longius recessere. Ideò in Turcicæ perfidiæ exemplis, raro reperias tàm insigne tàm liquidum & manifestum castigati perjurii specimen, quale nobis ad Varnam, ob oculos positum est. Non quod Deo barbarus Amurathes, quàm noster Vladislaus carior fuerit: sed quia Catholicum orthodoxum minimè decuit facinus illud, quod sibi interdum cæca infidelium barbaries, aliquanto majori cum venia permittit.

Quod vero Pater Cichovius inde adversus Arianos argumentum depromit: quòd quam primùm lex lata est de pellendis ex Polonia Arianis, versa est in melius Regni Poloniæ fortuna, ac restitui cæpit militi nostro pristina adversus hostem animositas, manumque & opem Dei, non exercitus nostri tantùm, sed & patria sensit propitiam, totum id duplici nomine vanum & falsum esse deprehenditur.

Primum quod militi nostro sua adversus hostem animositas, longe ante latam istam legem rediit, quæ bienno post, anno 1658. lata est. Exercitus autem nostri initio anni 1656. animadversa ex pactis cum Electore Brandeburgio, Pruthenicis, & aliis actionibus Regis Sueciæ mente, atque introspectis ejus à Salute patriæ nostræ alienissimis consiliis; subitò à partibus ejus desciverunt, & conjuncta manu cum iis, qui nondum Suecicam protectionem admiserant, ad Jaroslaviam, Premisliam, Varcam, hostem strenuè profligare cæperunt, & per totum annum pluribus secundis prœliis adeò attrivere, ut quamvis ipsi ad Varsaviam fortuna semel arriserit; tamen cum omnibus propè copiis in angulo Prussiæ latebras quærere, atque in illis angustiis sese diu continere coactus fuerit. Quanquam ne ifthie quidem per Prostcovienſem Gasievii victoriam, & perpetuas ex Masovia, Lithuania & Samogitia incursiones ipsi securo esse licuit, donec novæ Societatis spes à Rokocio affulsit. Qui Anno 1657. profligatus, Cracovia recepta Elector Brandeburgensis ad perpetuum Fœdus accessit, Anno integro ante sancitam hanc Constitutionem. Non igitur post sancitam hanc Legem, neque propter sancitam Militibus nostris antiqua adversus hostem virtus in præcordia postliminio rediit.

Altera causa, cur P. Cichovii frivolum argumentum censeamus est, quod quicunque negotium istud quod nunc Deum inter & Patriam nostram intercedit, consideraverit, nullo modo agnoscere possit quæcunque nobis post latam adversus Arianos Legem prospera evenerunt Expulsionis Arianorum præmium dici posse. Primo. Non modo eo quod (ut supra patuit) per integrum seculum impune Arianos tolerari passus, nullo voluntatis suæ indicio ostendit; expulsionem eorum ipsi cordi fuisse.

Secundo. Nec modo eo quod, quamprimum ii una cum reliquis Dissidentibus vexari & opprimi cæperunt, varias iræ suæ procellas in Patriam effundere cæpit, Et cum jam proximi exitio essent, memorabili ad Arcem Pilavicensem indignationis exemplo declaravit, quantum ipsi istiusmodi adversus Dissidentes molimina displiceant, quod istis etiam aliquantum spatii ad permanendum in Patria dedit.

Tertio. Nec modo eo, quod sicuti domestica perjuria nostra per Moschum & Suecum; ita Moschos & Suecos pejerantes per nos vicissim Deo ulcisci licuit.

Quarto. Sed multo magis eo; quod si verum esset, quod Pater Cichovius asserit, Deum terribilia sua post mortem Vladislai Regis supplicia, ob Arianorum tolerantiam, in Patriam nostram effudisse, cum postea eosdem, post plurimas vexationes, è gremio suo præcipites ejecisset, & rem Deo adeò gratam, quam (ut Pater Cichovius ait) solam & unicam Deus expectavit, præstitisset: necesse omnino fuit severitatem pœnarum Patriæ nostræ inflictarum relaxari, eamque ab iis liberam & immunem effici, atque saltem in veterem Statum restitui. Quam restitutionem in integrum cum nondum videamus, liquet aperte istud quod nunc Deo imputatur in hac Constitutione condenda officium, ei neque curæ, neque cordi fuisse, nec illud à nobis Deum requisivisse, aut expectasse, & inflicta nobis supplicia, quæ hucusque etiam post hanc legem latam durant, aliam ob culpam nostram; quæ ipsa quoque hucusque durat, nobis irrogasse.

Quod vero restitutionem nostram in integrum nondum videamus, ita planum facimus. Quænam alia post obitum Vladislai Regis nobis pœna irrogata est, nisi quod dextera Patriæ nostræ manus Ucraina, cujus robore omnia Barbaricæ viciniæ pericula per tot annos fortiter ac feliciter retudimus, non modo à reliquo corpore nostro avulsa est; sed arma roburque suum in nos oppugnandos convertit. Præterea quod tanta Procerum & Equestris ordinis multitudo bonis & possessionibus suis provoluta, non modo numerosa illas (quoties aliquod Reipublicæ periculum increpuit) militarium virorum manus gratis, & suo sumptu suppeditare nequit, sed in egestate per alieni juris possessiones exilium suum circumferre cogitur. Denique (quod maximum est, quodque nos præcipue cum Patre Cichovio & reliquis tubicinibus, qui ad oppressionem Dissidentium in Religione matrem & originem omnium malorum classicum canunt, committit) quod Sancta Fides Catholica, non modo ex tota Ucraina, sed ex occupata à Moschis potissima Lithuaniæ parte, ejecta, tam insignem latissime patentium provinciarum jacturam ac diminutionem passa est. Nunc post istam præclaram Legem latam omnibus istis in damnis quænam mutatio, melioratio, aut restitutio apparet? Si Ucrainæ restitutionem perpendas, eadem ifthic quæ ante Cosacorum licentia grassatur, quæ nullis pactis, nullo jure jurando, aut

facta

ficta pœnitentia elicurari atque edomari poteſt. Sed arma ſua adverſus nos partim convertit, partim convertere quandocunque libuerit poteſt. Major etenim pars Plebis, & latiſſimæ trans Boryſthenem ditiones, Externo adhuc Principi obſtinate adhæſerunt. Non modo igitur Patriæ fines ab ea parte priſtina defenſione carent, ſed in perpetuo periculo verſantur. Si vero miſeros Ucrainæ exules reſpicias, in tot ac tam late patentibus Provinciis, Kioviensi, Braclavienſi, Czerniechovienſi: & proximè contiguis Ucrainæ ditionibus (ut Magnum Ducatum Lithuaniæ taceam) nullus ex incolis Equeſtris Ordinis in ſuum Patrimonium & ſecuram bonorum ſuorum poſſeſſionem reſtitutus eſt pauciſſimis forte exceptis, qui ſuſcepta Religione Ruſſica in mores & inſtituta gentis tranſiere. Qui & ipſi quotidie ſuſpicioſæ & incredulæ Plebis ſectionibus trucidantur. Denique ſi ad dolendum ex tot latiſſimis Lithuaniæ & Ucrainæ Provinciis Catholicæ Religionis exilium animum atque oculos advertas, ne minima quidem in eo cernitur emendatio aut melioratio. Nihil igitur præclara iſta Lex profuit Patriæ ad reſtitutionem Ucrainæ; Obfuit potius, & fidem noſtram, quam cognatæ & conſanguineæ Nobilitati cum perjurio fregimus, tanto ſuſpectiorem Ruſſicæ Plebi, tam gente, quàm Ordine alienæ, & quaſi externæ reddidit. Nihil Equeſtri Ordini ac tot Proceribus ad recuperanda in tot tantiſque Provinciis hæreditaria patrimonia, nihil profuit Sacro Ordini atque ipſi Religioni ad recipiendas amiſſas innumeras Eccleſias & Monaſteria. At enim Pater Cichovius partos ex obtentis de Chovanſcio & Seremeto victoriis jactat triumphos. In quo eſt ſane quod D. O. M. numen grato animo veneremur, quod tandem Moſchica perjuria ulciſci cæperit. Verum iſtæ victoriæ, neque Patriam, neque Equeſtrem ordinem, neque præpoſteros Fidei Catholicæ promotores, à pœnis quæ omnibus inflictæ ſunt exemerunt. Eodem quo prius dolore Patria per avulſionem partium corporis ſui integrantium cruciatur; eodem quo prius damno Ordo Equeſtris ingentibus in Ucraina Patrimoniis exutus nunc quoque conflictatur. Eodem quo prius gemitu Religio Catholica adeo grandem Diœceſium ſuarum diminutionem deplorat. Cum igitur obtentæ de cæſis hoſtibus victoriæ, pœnas iſtas non ſuſtulerint, quas Deus nobis ob ingens neſcio quod delictum commiſſum inflixit, manifeſtum eſt Legem iſtam delictum hoc non expiaſſe nec ſuſtuliſſe. Liquet & illud quod illa expiaſſe putatur delictum, hoc eſt Arianorum tolerantiam, non eſſe illud delicti genus, cujus nomine Deus de nobis ſupplicium ſumſit, quia nec dum ſumere deſinit.

Quid autem dicemus quando & illud perpenderimus Victorias iſtas non modo pœnas inflictas nobis non relaxaſſe, ſed ipſas quoque auxiſſe. Primum enim quæ à nobis ſperari poterant victoriarum iſtarum præmia, niſi in Regno quidem Kuoviæ, Percaſlaviæ, & omnium trans Boryſthenem ditionum recuperatio? In Magno autem Ducatu Lithuaniæ receptis Polocenſis, Vitepſcenſis, Smolenſcenſis, Moſciſlavienſis Provinciarum & plurimorum aliorum Albæ Ruſſiæ Diſtrictuum? Cuncta hæc Victoriarum præmia penes hoſtem relicta, nudas autem victorias non plus nobis attuliſſe videmus, niſi datam militi utriuſque Gentis meritorum fiduciâ facto, anſam & occaſionem, imo additum ſtimulum & impoſitam neceſſitatem, ad ſibimetipſis ſimul & Patriæ libertati conſulendum, cum videret in eis, qui nunc ad gubernacula Reipublicæ ſedent (excipio ſemper infontis Principis Majeſtatem), nullam eſſe boni publici curam, cum videret eos qui nunc in Collegio Delegatorum ad Comitia dominationem occupavere, non de Salute & incolumitate Reipublicæ: ſed de novis ſubinde laqueis & inſidiis Libertati ponendis conſultare, & hunc Conſeſſum in quo antehac ſemper cuſtodia & excubiæ Libertatis agebantur in machinationum noxiarum & ſervitutis atque oppreſſionis officinam convertere ac transformare. In cujus rei mentione S. R. Majeſtati Domino Noſtro Clementiſſimo debetur hoc teſtimonium, quod neque unquam in cura boni publici Regio officio defuerit, neque ullam ad ſupplantandam Patriæ Libertatem anſam præbuerit. Noſmetipſi proh dolor, Ordinaria Comitiorum remedia in mortiferum virus convertimus. Proinde tot tantiſque Reipublicæ corpus intus depaſcentibus morbis abſque gravi & periculoſa convulſione extraordinarium remedium afferri non poteſt. Quæ præteritorum & externorum malorum nova & interna acceſſio, an impoſita nobis pro Peccatis Pœnarum onera relevaverit, nec ne, expendendum aliis relinquo. Obtinuit igitur per ſupradictas victorias miles noſter illud, quo digniſſimus fuit, & quod laboribus, periculis & fortitudine ſua promeruit præmium ac remunerationem. Sed miles Legem & Conſtitutionem iſtam non condebat, nec ad tendendas libertati inſidias ſuam operam contulit. Cæterum neque Patria, neque iſti qui præſentem ſtatum gubernant, (Regiam Majeſtatem ſemper excipio) neque ii qui omiſſa Reipublicæ cura, Patrimonio duntaxat ejus incubant & pinguescunt, neque iſti qui neglectis Reipublicæ urgentiſſimis neceſſitatibus, introductis non neceſſariis, imo noxiis propoſitionibus (privata inde commoda aucupantes) Comitia extrahunt, neque Sacer Ordo, neque alii Legis hujus novæ conditores, ullum pro iſta Lege condita à Deo præmium aut remunerationem, quin potius inſignem novorum onerum ac difficultatum acceſſionem obtinuere. Ac profectò quiſquis præſentem ſtatum rerum introſpexerit, reperiet in iſtis victoriis manifeſta caſtigationis Divinæ, quibus in Patriam noſtram animadvertitur, veſtigia. Solito enim & ordinario rerum curſu hunc fructum victori affert victoria, ut ex devictis hoſtibus damna ſua reparet, aut certe prædam & ſpolia ſua recuperet. Nunc quia res aliter cecidit, quia Deus ordinarium curſum rerum inhibuit ſatis, liquet in eo peculiarem & extraordinariam voluntatem ejus interveniſſe, quæ utrum meliorem Patriæ ſtatum aut deteriorem ſpectet, ego pronunciare nolo. Per ejuſmodi veſtigia vadendo in præteriti Anni ſucceſſibus, non aliam venatione aſſequimur prædam, quam quod Deus nobis ut perjurum hoſtem puniret vincere permiſit, Sed ne nos quoque impunitos dimitteret victoria nos uti non permiſit. Plura igitur in præſenti fortuna noſtra manifeſtæ animadverſionis, quam remunerationis argumenta ſeſe offerunt. Neque enim adeo pœnitendum eſt, victoriam non aſſequi, quam cum eam in manibus habeas, fructu ejus excidere, idque non ſine inſigni domeſticarum turbarum acceſſione.

Oſtenſo ac in lucem producto inſigni Patris Cichovii in ipſo Scripti ejus limine lapſu, ad detegendos ejuſdem iniquos & propoſito propagandæ Fidei S. Catholicæ repugnantes, imo noxios errores accedamus. In quo primum ſcopum & propoſitum ejus in hoc Scripto, Deinde media quibus ad eum tendit, & utitur excutiemus.

Scopus & propoſitum ejus eſt, Conſtitutionem Arianos opprimentem urgere, utque ad executionem deducatur efficere, hoc eſt, Hiſpanicam in Patria ſervitutem introducere. Quod nihil aliud eſt, niſi fundamentalia Patriæ Jura funditus evertere, ut hoc pulcherrimum ad invidiam vicinarum Gentium à Majoribus nobis extructum Liberæ Reipublicæ domicilium eò citius corruat. Etenim Nobilitatem Polonum in Libertate Conſcientiæ quiſquis opprimit,

mit, eadem opera pupillam oculi Politicæ Libertatis ictu læthali transverberat, & prærogativam Ordinis hujus, quem Leges nostræ potissimam Partem Regni vocant omnibus quibus gaudet ornamentis exuit ac spoliat. Quid enim generosis animis omnes reliquæ præeminentiæ prosint, si ipsis palam profiteri quod conscientia jubet, non liceat? si perpetuum vermem, qui conscientiæ præcordia rodat, alere necesse est? Denique si Deum colere eo cultu, quem legitimum censent, impune non possint? Deum videlicet tàm tristi servitute demereri mortales contendunt? Quasi Deo coactus & violentia extortus, hoc est, insyncerus & fucatus cultus cordi esse possit.

Subvertit igitur Lex ista & constitutio primum acceptam a Majoribus Ordinis Equestris præeminentiam & dignitatem, quæ est primum fundamentum ædificii Liberæ Reipublicæ nostræ: atque eo tendit, ut cives Poloni non libera voluntate, neque ex instinctu Fidei (sine qua Deo nihil placet) Catholici sint, sed metu & necessitate premente Catholici esse cogantur.

Subvertit deinde Pacem & securitatem Dissidentium in Religione civium, quæ quod sit alterum Reipublicæ fundamentum, primum recta ratio ostendit, cum civium Concordiam firmet, qua res etiam minimæ crescunt, ac medetur discordiæ, qua vel maximæ dilabuntur. Nec modo inter singulos privatos cives, nec tantum inter Ordines civium, Sed & inter Gentes quæ cum diversis Religionibus ad unionem Reipublicæ nostræ accessere, concordiam tueri, pertinet ad fundamentum Reipublicæ. Deinde idem testantur Jura nostra, quia Pacem hanc, non modo Quadraginta fere Constitutionibus, Sed & expressa in Juramento Regio, eaque ter repetita Cautione, confirmarunt.

Tertio, Eadem Constitutio tacite indulget licentiam *Judicio Tribunalis* Regni ad opprimendam totam Rempublicam, hoc est, Patri Præsidenti Spirituali, eiusq; aliquot Assessoribus, itidem Clericis, qui perpetuam quamdiu vivunt judicandi potestatem retinent: Ideoque maximam præ cæteris novis & annuâ duntaxat potestate gaudentibus Judicibus auctoritatem habent, & quasi perpetuam Dictaturam gerunt; quam cæteri omnes suspicere ac revereri, quippe mox deposita annua functione sub eorum potestate futuri, coguntur (quam ob causam isti Spirituales Judices toti Collegio Judicum formidabiles in hoc supremo Judicio regnant ac dominantur.) His inquam paucis è Spirituali Ordine Judicibus indulget licentiam ad insultandum omnium capitibus, permittendo ipsis infinitam potestatem, super bona, honorem, & vitam civium, etiam innocentissimorum, dum modo prætextu Arianismi aut complicitatis ejus in eorum Judicium vocari possint. Cui periculo omnes obnoxios esse necesse est. Satis & ante enormiter potestate sua sæpius abusi sunt & limites ejus excesserunt, adeò ut pluribus Comitiorum Constitutionibus frænandi fuerint. Quid non ausuri sunt, quando ipsis ad usurpationem absolutæ potestatis, ipsa Comitiorum & Constitutionum auctoritas, ansam & occasionem præbuerit?

Quarto, Ex occasione incaute ordinati, aut potius corrupti Judicii Tribunalis Regni, hæc Constitutio Ordinem Secularem Spirituali in servitutem absolutissimi dominatus tradit. Quos Ordines Conditores Liberæ Reipublicæ nostræ, pares inter se, aut certe non multum impares esse voluisse, vel inde patet, quod inter eos compositionem multis jam annis Respublica exoptavit. Nunc eo res recidit, ut nulla compositione opus sit; cum Status Spiritualis Seculari illud inculcare possit.

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

quoniam non modo in hoc supremo Subsellio, etiam ad causas non sui fori sese immiscendo, Judicium totum in potestatem suam pridem redegit, sed etiam Inquisitionem de hæresi, sibi è manibus extorqueri, non patietur. ejusque obtentu, omnium secularium capitibus longe magis quàm ante insultabit. Proinde post illas veteres & diuturnas lites & controversias, quæ Compositionem inter Status antiquitus desiderabant, nihil supereſt nisi ut Sacer Ordo, alteri illam Cantilenam occinat, Væ Victis.

Quinto, Onerat hæc constitutio, multoque magis ejus Executio crimine Perjurii, non modo Principem; Sed omnes Reipublica Ordines. Qui non modo Majorum suorum Jurejurando ac Fœdere, tanquam posteri & successores eorum, Sed & ipso Regio juramento ad observandam ac defendendam pacem inter Dissidentes in Religione arcte obstringuntur. Nam Jusjurandum quod Princeps in Electione & Coronatione præstat ipsi ab Ordinibus injungitur. In quo Ordines non modo Juramento huic consensum præbent; sed ejus necessitatem Principi imponunt. Quia vero crimen perjurii propius tangit ac lædit Majestatem Divinam, quam alia; non mirum est, Deum illud magis ad animum revocare & severius ulcisci, quam alia. Qui utrum Strophas & cavillationes in verbis Dissidentium in Religione Christiana admissurus sit vehementer dubitamus. Nam Arianos in Possessione Pacis Dissidentibus indultæ, ac Jurejurando sancitæ, non modo Legislatores ipsi in Codice Legum explicantes verba Dissidentium in Religione, ita ut ea tribuant omnibus, qui ab aliis in Confessione Religionis Christianæ dissident: sed etiam praxis integri Seculi confirmavit. Quod vel ipsum citatum à Patre Cichovio Regis Augusti Decretum, cum memoria ac rerum gestarum notitia nostra conjunctum, testatur.

Præterea vox Dissidentium in Religione Christiana est generalis, quæ in communi usu nullam restrictionem patitur, sed omnes & singulos significat, qui Christum pro Domino agnoscentes & nomen ejus profitentes in Dogmatibus religionis ejus, ab aliis dissident. Quo titulo non modo omnes Lutherani, Reformati, Ariani, Sed & ipsi Catholici comprehenduntur. Omnes enim isti Christi Religionem & cultum profitentur; quamvis in Dogmatibus ejus inter se dissentiant. Et quemadmodum omnis amicus ejus respectu cujus est amicus, dicitur ejus amicus; Ita qui dissidet, ab alio est ab dicitur ac eo dissidens, & contra, quia hæc vox est ex numero relatorum unius nominis: sicuti ab ipsis Patribus Societatis in Scholis eorum didicimus.

Quod autem attinet ad verba *in Religione*, occasione quorum quibusdam objicitur quod non sint in religione Christiana, quamvis eam profiteantur; nemo non videt jura nostra, quoties mentionem faciunt Dissidentium in Religione, non decernere quinam ex illis vere sint in Religione, qui vero non: Sed tantum ostendere Subjectum eorum dissidii, in quo dissident, hoc est, Religionem Christianam, aut potius ejus Articulos. Quamvis igitur aliqui eorum non essent veri Christiani, tamen quia se profitentur Christianos esse, & quidem veros, ab aliis vero dissident, in articulis ac doctrina ejusdem Religionis, Ideo nomen Dissidentium in Religione Christiana tanquam in subjecto eorum dissidii ipsis denegari non potest. Quemadmodum mulierum in Judicio Salomonis litigantium; utraque merito dici poterat Dissidens ab altera in illo infante, de quo litigabant ambæ: quamvis una duntaxat earum vera Mater esset, altera vero Mater prorsus non esset. Simili modo, qui in articulis Religionis Christianæ dissident & tamen omnes eandem Religionem profitentur, & Christum pro Domino & æterno Rege suo agnoscunt, non possunt non vocari Dissidentes in Religione Christiana, quia Religio Christi est subjectum mutui eo-

sum dissidii : quamvis forte quidam eorum ad Christum vere pertineant, quidam autem plane non pertineant. Vanam igitur spem alunt, qui putant Deo istiusmodi cavillationibus imponi posse, quibus nemo prudentiorum decipi potest.

6. Invehit hæc Constitutio in Patriam Inquisitionem Hispanicam, onus Liberæ Genti tanto minus supportabile, quod in Regnis quoquè absolutissimi imperii venit in abominationem, quia injuriarum, oppressionum ac tyrannicæ crudelitatis, fæcundum sit. Quis nostrum siccis oculis spectare potest tot Nobilium agmina, utriusque sexus nullius criminis reos; tantùm propter conscientiam periclitantes aut in egestate, per infestos latrombus saltus in Pannoniæ aut Siliæ confiniis incertis sedibus vagantes? quis direptionem patrimoniorum ad nobilissimos Cives pertinentium? & Juris caduci sævitiam? Deerat adhuc, id, in quo sedulam operam Pater Cichovius collocat, ut aut Scenæ pro nocentium supplicis extructæ, innoxio sanguine madefiant, aut fora ambustorum corporum graveolentiam redoleant.

Vanum autem est, eorum solatium, qui Cothurnum hunc pro pedibus duntaxat Arianorum confectum existimant. Quis est reliquorum Dissidentium, cujus pedibus apud iniquos judices adaptari nequeat? Quotusquisque inter ipsos Catholicos, adeò suprà omnes fortunæ casus evectus est, cui à malevolis aut inimicis Arianismi aut certè complicitatis ejus, crimen objici nequeat? Quemadmodum antehac actiones de extortis teloneis aut Ciginorum complicitate ad alienissimas ab ea culpâ causas ab iniquis litigantibus, detortæ sunt; ita nunc novum crimen Arianismi aut complicitatis ejus, cunctis forensibus actionibus & causis admiscebitur. Non frustrà in hac Constitutione De fautoribus, & complicibus Arianorum rigida appendix annexa est; quæ absque ullo delectu hominum & religionum cunctis patriæ incolis minatur. Imò verò non Arianos, sed eos qui non sunt Ariani petit. Quo pertinet & illud quod Arianismi nomen; ne ipsi quidem Ariani agnoscant; nisi forte ii qui extrà patriæ fines evaserunt. Quærendi igitur erunt, quoties jure conveniri debebunt, inter diversas ab Ariana religiones. Sed in hac Constitutione, non modo reliquis Dissidentibus à Catholicis, quibus ipsius Arianismi crimen, in causâ apud infestos Judices dicenda formidabile objici potest: verum & omnibus, ab omni Arianismi suspicione alienissimis, atque adeò Optimis Catholicis, periculosæ positæ sunt insidiæ. E quibus quotusquisque est, qui aut propter sanguinis aut affinitatis nexum, aut propter alia amicitiæ, & officiorum vincula; aut propter quamcunque aliam causam aut negotium suum, homini Arianismi suspecto favorem aliquem exhibere non cogatur. Cujus facti nomine, rigor pœnarum qui scelestissimis quibusque debetur, optimis civibus subeundus est. Nemini mortalium favor aut commiseratio justius debetur; quàm iis qui propter conscientiam patiuntur. Tales enim ut ut vel maximè errent, probitatem tamen & constantiam suam, vitæ & omni fortunæ suæ præferunt. Talia verò pectora non modo commiseratione; sed non perfunctoria laude digna sunt. Ergò eos hæc legum omnium injustissima, misericordiam exerceri vetat; eamque accerrimo supplicio plectit. Imoiam igitur atque tyrannicam legem hanc esse necesse est, quæ tàm pium affectum, è pectoribus mortalium evellit: & quæ etiam Catholicorum optimos, quibus Deus pro misericordiâ misericordiæ mercedem promisit: ob exhibitam misericordiam absque misericordia puniendos statuit.

7. Denique lex hæc & Constitutio præcipua libertatis Equestris Ordinis privilegia abrogat. Inter quæ non postremum locum occupat, privilegium quod in legem transiit, *de Nemine captivando nisi Jure victo.* Quam legem aliquot post Statutum Velunense annis impetravit & obtinuit Polona Nobilitas, cum animadvertisset quod Statutum istud servitutis & summarii processus jugum cervicibus eorum imponeret, & causas ab executione incipiendo, prætextu religionis, indemnatos & nondum jure victos cives opprimeret. Cum igitur hæc, cujus exceptionem Pater Cichovius urget, Constitutio Statutum Velunense, ab Orco revocet, ac resuscitet, eo ipso præcipua libertatis nostræ privilegia, quæ ex occasione tollendi tàm noxii Statuti, obtinuimus tollit & abrogat.

Ex dictis patet quanta cum injuria; quanto damno ac periculo Reipublicæ nostræ à Patre Cichovio scopus propositi ejus præfixus est. Proximum est ut demonstremus, hæc injuria; hoc damnum & periculum Reipublicæ; quantum ipsi religioni Catholicæ injuriæ; quantum damni atque discriminis afferat, ut videat Pater Nicolaus quod ad propagandam sanctam fidem, præpostheris ac dedecus & damnum ipsi afferentibus rationibus utatur; atque ideò aut ineptum, aut perversum; fine dubio verò infirmum & parum idoneum ejus defensorem aut promotorem sese exhibeat. Quod hac ratione deducimus. Quoniam Deus terris Ecclesiam suam Catholicam; non in fera & legum experte barbarie, sed apud omnes gentes in legitime constituta Reipublica degere voluit; Ideo per ordinationem & confirmationem potestatis omnis Magistratus & obsequii ipsi debiti, jus cujusque Reipublicæ instituit & stabilivit, ac pro sua propria ordinatione voluit haberi. In quo scopus & propositum Dei non aliud fuit; quàm ut malorum & nocentium injustitia cohiberetur; bonis autem & innocentibus præsidium non deesset. Quod nisi fecisset Bòni, etiam mediocriter tales, inter malos & omnis juris ac Justitiæ expertes, vivere non potuissent. Multò minus homines optimi & sanctioris vitæ, quales Deus potissimum ad Ecclesiam suam Catholicam invitat. Duabus de causis igitur damnum atque injuria Reipublicæ cum damno atque injuria religionis connexa sunt.

Primum quod religio in Reipublica, per hujus ævi pælagus, tanquam in bene constituta navi, navigat & Reipublicæ statum Deus in rem & commodum religionis ordinavit: Ideo rationes utriusque ita sunt inter se conjunctæ; ut quicquid Reipublicæ nocet, idem religioni quoque nocere necesse sit. Quisquis igitur Reipublicæ noxam infert atque injuriam: quomodo effugiet, quin in ipsam religionem injurius esse censeatur? Quisquis patriæ Reipublicæ Statum convellit, eadem opera in religionem graviter delinquit. Periclitante navi; væ nautis atque vectoribus. Incensâ domo salus habitantium in discrimine est. Ita & religio laborante Reipublica in summum periculum adducitur; & quicquid Reipublicæ nocet; religioni prodesse non potest.

Altera causâ est, quod religio inter alia præcepta & officia quibus animos & conscientias mortalium obstringit, officium erga patriam atque Rempublicam omnibus & singulis imposuit, & ne adversus leges patrias aut legum Custodes Magistratus, delinquatur, prohibuit, confirmato eorum imperio; & injuncto obsequio non modo propter metum gladii; quem non frustrà Deus in manus Magistratuum tradit, sed etiam propter conscientiam: hoc est, non humani tantum, sed etiam divini supplicii metu. Quisquis igitur tàm noxiis, quas suprà exposuimus, rationibus Rempublicam

& patriam

& patriam ſuam, in gratiam externorum inſtitutorum, violat atque oppugnat, nonne adverſus leges atque inſtituta ipſius religionis delinquit? an non crimina ab ipſa Religione vetita committit? Quis ejuſmodi officio religionem demereri aut promovere poſſit; quod illa damnat, & intentato præſentis & futuræ vitæ metu atque periculo vetat?

Invenit pravitas mortalium tamen adverſus tam liquidam veritatem ſpecioſas cavillationes hominibus incautè religioſis imponendo; atque urgendo, æquum eſſe, ut non religio Reipublicæ, ſed Reſpublica potius religioni tanquam digniori cedat, atque inſerviat: atque inde concludunt, etiam cum maximo Reipublicæ damno & injuria, religionem promoveri poſſe atque debere. Quod eò ſpecioſius prætenditur, quia id eſt explora tiſſimæ veritatis, ſi quomodo contingere poſſit, ut rationes Reipublicæ rationibus Religionis vere repugnent: Rempublicam religioni & obſequium hominibus, obſequio Deo debito cedere debere. Verum in eo latet frequentiſſima fraus & impoſtura, quod id in Chriſtiano populo vix unquam contingere poſſit. Deus etenim tam religionem quàm Rempublicam ejuſmodi limitibus diſpeſcuit, de quibus altera cum altera certare legitime nequeunt. Fucus hic eſt & impoſtura hominum propria commoda quærentium, *quorum Deus venter eſt*: quod poteſtatem Religionis (*cujus Regnum non eſt ex hoc mundo*) intra limites Reipublicæ (cui regimen hujus Mundi commiſſum eſt) porrigendo & extendendo, lites inter utramque noxias ſerere audeant. Quo facto & in Rempublicam injurii ſunt; nec religionem demerentur: verum cupiditatibus ſuis & privato commodo velum religionis obtendunt. In quo iterum religionem graviori injuria violant; dum propter commoda & cupiditates ſuas, ipſam ejuſmodi ſuſpicione atque dedecore, onerant, quod terrena magis quàm cæleſtia quærat. Id genus hominum quo magis Rationem Status inconditis clamoribus oppugnant & acerbius perſtringunt, eo magis ſtatus ſui privitati rationem urgendo, capitalis injuſtitiæ veniam ſibi permittunt. Quaſi vera ratio cujuſque ſtatus non ſit officium à Deo impoſitum iis; quorum fidei eſt commiſſa. Illud ſane non negaverim, quoties homines injuſti ad rerum gubernacula ſedent, injurias ſæpe atquè injuſtitiam honeſto rationis ſtatus prætextu velari. Nam vitium injuſtitiæ non modo inter privatos, ſed in ipſis quoque Magiſtratibus non raro reperias. Verum tunc illud quod rationem ſtatus homines apellant, hoc nomine indignum eſt; cum ſit falſus & adulterinus ejus prætextus, non vera ſtatus ratio, quæ à Juſtitia nunquam recedit, cum omnis ſtatus Juſtitia ſtabiliatur, & quoties ab ea declinare incipit, ruinam minetur.

Maxime igitur dolendum eſt, quod adeò graveolentem, regularium Scholarum Pedantiſmum redolens prudentia Politica, in patria invaluit, quæ cum damno & injuria rationis ſtatus Reipublicæ religionem promovendo, maxime omnium religioni nocet.

Non eam viam ingreſſi ſunt recens * Viri in ſtatu ſpirituali eminentiſſimi, ſenatus Eccleſiæ Romanæ Cardinalium lumina & columina; qui rationem ſtatus potentiſſimorum regnorum in manibus ſuis verſantes, coortis undique Scholaſticarum ranarum coaxationibus neglectis, nunquam fucato religionis prætextu ſeſe à veræ rationis ſtatus Regnorum ſuorum, defenſione dimoveri paſſi ſunt. Et hanc ipſorum prudentiam Deus feliciſſimo ſucceſſuum ſuffragio & approbatione proſecutus eſt. Non eam viam ingreſſi ſunt quoque longè ante Majores noſtri; præcipuè illi ſempiterna memoria ob amorem in Patriam digni, regni Poloniæ Epiſcopi. Qui tam in lite noſtra cum Crucigeris quàm in negotio cum Cortiſanis, & in pluribus aliis occaſionibus cauſam Patriæ adverſus iniquitatem miniſtrorum Sedis Apoſtolicæ liberè & animoſe tuebantur: quorum aures illa verba Legatorum Pontificiorum vulnerabant, *Præſtat ut tria Regna pereant, quàm ut vel minimum de auctoritate Sedis Romanæ decedat*; Qui propter commodum & rationem Status patriæ, Schiſmaticam in Ruſſia, hæreticam in Pruſſia & Livonia Religionem ſub protectionem & patrocinium Regni recipi, imo vero in corpus Reipublicæ incorporari paſſi ſunt. Qui & in ipſa patria propter bonum Pacis, fœderibus inter Diſſidentes in religione Cives, ſubſcripſere. Prudentiam & moderationem eorum Deus, ſecundis ſucceſſibus approbavit & proſecutus eſt, adeò ut non modo ab externo limite fines Reipublicæ longè lateque diductos, non modo domi altiſſimam ac feliciſſimam Pacem & florentiſſimam libertatem, ſed & religionem Catholicam pacificis & ſenſim creſcentibus incrementis, in capaciſſima tam latè diffuſarum ditionum circumferentia inſigniter auctam, & ſupra cæteras Sectas evectam, imo vero cæteris dominantem, nobis poſteris ſuis reliquerint.

Nos autem novarum Scholarum aut præcoces, aut immaturi diſcipuli, quid novi præſtitimus? Cedò Pater Nicolae quod ſpecimen exoticæ diſciplinæ edidimus, quod oſtendat nos gente Polonos, non fruſtra Hiſpanicæ nationis Grammaticam didiciſſe? Numquid pares fuimus, non dico augendis ac novis comparandis, tam Reipublicæ quam religionis acceſſionibus, ſed veteribus ac virtute majorum partis retinendis & poſteritati noſtræ relinquendis? Omitto ad præſens Reipublicæ vulnera, experta eſt malo ſuo fides ac religio Catholica apud nos inauſpicatum patris Cichovii & ſociorum ejus miniſterium. Guſtavit acerbiſſimos fructus operæ quam ipſi navare conati ſunt, eorumque amaritie ad nauſeam ſatiata eſt. Nam quæ paulo ante altiſſima pace ac dignitate florens, tanquàm vera Patriæ noſtræ Materfamilias; reliquas ejus inquilinas Sectas prudenter ac benignè tractando, magnum indies tametſi ſenſim præ omnibus incrementum ſumebat. Nunc præcipiti inquietorum capitum opera ac feſtinatione, longè anguſtioribus quam ante dominationis ſuæ limitibus coarctata; primum per oppreſſionem Diſſidentium Rigam ac totam Livoniam è manibus Reipublicæ extortam, ſimulque triſte & prope irrevocabile ex illis oris exilium ſuum ſpectat ac deplorat. Deinde per Schiſmaticorum injurias, tot latiſſimas ditiones; totamque Ucrainam Polonicam, & bonam Lithuanicæ partem, non ſine irreparabili damno è poteſtate ſua ereptam, maximæ natu inquilinæ ſuæ relinquere coacta eſt. Pro tantorum damnorum reparatione, pauperrimam, & à qua nemini metuendum erat, quod omnium injuriis obnoxia & expoſita eſſet, inquilinam patriæ ſectam Pater Cichovius cum Sociis, è patriis ſedibus extorrem agere contendit. Sed utrum hæc ſit proportionalis acceptorum detrimentorum reparatio, pro tot millibus templorum & monaſteriorum amiſſorum jactura; quindecim aut ſexdecim ſemideſertarum Eccleſiarum Statum abolere, omnibus expendendum relinquo. Et tamen quanta cum libertatis Ordinis Equeſtris diminutione id fiat non multo ante oſtendimus. Porro quis futurus ſit ejus rei ſucceſſus, tempus & eventus aperiet. Etiam vehementiſſimi quoque ac violentiſſimi turbines, qui robuſtiſſimas quercus radicitus evertere poſſunt, ſterilem

* *Cardin. Richelius & Mazzarinus.*

flexilem ac cedentem arundinem frangere nequeunt: & liberæ Genti facilius vitam quam conscientiarum libertatem extorqueas. Et tamen accepta damna, damna manebunt. Ostendit igitur Deus, docuit experientia violentis & Reipublicæ noxiis rationibus promotam Religionis propagationem, quæ à Patre Cichovio tantopere suadetur, nunquam prosperum habuisse successum. Nam & Rempublicam semper afflixit, nec Religioni profuit, sed utramque irreparabilibus damnis & difficultatibus involvit. Ostendit eventus lethale & ab ipsa Religione non frustra damnatum ac vetitum id esse delictum, quoties per detrimenta Reipublicæ Religio augetur. Hoc adversus Rempublicam simul & Religionem crimine quia manifeste tenetur Pater Cichovius, quis non videt, quam imprudentem & ineptum se præstet Fidei Catholicæ Patronum, qui defensionem ejus professus manu sua tot ipsi noxia vulnera infligit.

Posteaquam demonstravimus Scopus & propositum Patris Cichovii non modo Reipublicæ, sed ipsi Religioni quantum noceat: reliquum est ut videamus, an directa quibus ad scopum suum utitur media Religioni Catholicæ sint utilia atque salubria. Porro media ista sunt Rationes, quibus persecutionem Arianorum Ordinibus Regni persuadere contendit. Quarum omnium, quæ primam (quam paulo ante in fronte Libelli ejus ante signa procurrentem excussimus, & manifestæ impostura convicimus) consequuntur, nulla est penitus in qua liquidum Falsi crimen, atrox Calumnia, fraudulenta deceptio, capitalis injustitia; sed præcipuè crassa & exerta impudentia non reperiatur. Hujusmodi vero armis aut Catholicam Fidem defendi? aut hostes ejus propulsari decet aut æquum est? Errant Ariani & quidem gravissime, quis enim non erret, quoties in profundo disquisitionis, de rebus abditis & rationem excedentibus urinatur? Sed errores eorum honestiori ratione detegi & convinci possunt.

Primum enim Ad Errores, in quibus verè à Catholica Veritate recedunt, non sunt adjiciendi, quorum sunt plane expertes, & quos pro suis Dogmatibus non agnoscunt, eosque diffiteri merito possunt. Alias per iniquas Criminationes fides abrogatur justæ ipsorum accusationi; & quando evincent multis in rebus sese falso accusari, facile prætendent eandem injuriam sibi in omnibus inferri. Quod veritati Catholicæ non expedit.

Præterea ad ea delicta, quæ non nulli ex iis commiserunt, non sunt adjungenda ea, quæ non commiserunt: quia hac ratione veræ eorum culpæ, in innocentia falso objectarum paratum habent latibulum.

Multò minus iis qui forte deliquerunt admiscendi sunt insontes, & omnis culpæ expertes. Nemo alieni delicti culpam luere tenetur, & Justi Judices à damnandis aut affligendis insontibus adeo abhorrent, ut decem sontes absolvere malint, quam unum insontem damnare aut plectere.

Exaggerationes ad hæc nimiæ, in quibus ex musca Elephas fingitur, non multum fidei accusatoribus Arianorum conciliant. His in genere propositis, ad speciales eorum quibus impetuntur Criminationes, accedamus.

Primam ex iis de quibus nunc loquimur Arianorum criminationem, aut Exilii eorum rationem Pater Cichovius ita proponit: „Quòd eo tempore quo „Suecis Cracovia deditionem fecit, palam erupit „Arianorum adversus Patriam affectus. Illico enim „aliquot eorum Centuriæ Cracoviam frequentia sua „implevêre vocatis in Societatem plurimis Scotis, „Ciganis, & Judæis. Hoc subsidio fultus & auctus „hostis, vires defendendæ Urbi pares nactus est, Quas nisi nactus fuisset, retinere Cracoviam nun- « quam potuisset. Hinc in omne Regnum Septentrio- « nalis hæc procella effusa est. Hucusque verba Patris « Cichovii. «

Qui putavit forsitan sese eorum, quæ Mexici aut Calecuti gesta sunt relationem legentibus nunciare, ubi nullus eorum unquam fuit, aut certè existimavit, cunctos jam pelle consumptos, qui obsidioni Cracoviæ adfuere, aut ab illis oris non remoti rerum, quæ tunc isthic gerebantur, ignari esse non potuerunt. Si putavit neminem superesse cujus conscientiæ verecundiâ tangeretur, suæ certè conscientiæ reverentia tangi debuit, ne narraret ea, quæ probe sciebat vera non fuisse.

Primum igitur in genere de Arianis loquens, affectum & inclinationem eorum in partes Suecicas adversus Patrium Regnum colligit ac deducit, ex facto eorum, qui tunc Cracoviam confugerant. Sed isthic pauciſſimi tunc Ariani fuere, nec quindecim aut sedecim Patrum familias numerum excedebant. Quorum nulla fuit proportio ad cæteros passim toto Regno dispersos, qui aut in Regis Casimiri Exercitu, aut in particularibus Districtuum expeditionibus, in rebus tunc ubiquè trepidis refugium quærebant, alii vero Casimirum Regem suum in Silesiam secuti, omnes à protectione Suecica animo erant alieniſſimo. Nec deerant qui adversus eos Districtuum copias & vexilla ductarent. Quod si quis eorum Patrocinium Suecorum recepit, magnis exemplis excusatur. Cum illud prius tot Catholici, tot Territoria, atque ipsi cum Ducibus suis Exercitus recepissent. Iniquissimum igitur est, culpam pauciſſimorum in omnes nemine excepto conferre. A quibus ii qui Cracoviæ fuere, nullam delinquendi potestatem acceperant, sed suo periculo egere. Atquè hoc primum est in hac relatione falsi vestigium.

Sed & isti qui Cracoviam confugerunt, non favore erga Suecos, aut affectu spontaneo, sed violenta necessitate coacti id fecerunt, cum in eos montana agrestium manus immissa est, cum Plebs concitata Nobilium domos invadere, cædibus ac direptionibus omnia miscere & fugientes passim consectari jussa est. Quorsum tunc miseri confugere, suque una cum vitâ pignora abducere debuerunt, nisi eo ubi aliqua spes salutis fugientibus affulgebat? Si scelus erat in tali casu Cracoviam confugere, penes eos sceleris hujus culpa hæret, à quibus tam violenta injuria ad hanc fugam compulsi sunt. Manifesta hæc est injustitia, sed & evidens mendacium, ei qui invitissimus suam suorumque vitam & incolumitatem fuga servare adactus est, voluntariæ perfidiæ crimen impingere. Denique nullum in eorum facto fuit ad hostem transfugium, sed hostium & prædonum vim fugientes, effugerunt ad eos, in quorum fidem & patrocinium Patria confugere cæperat. Nam cujus memoriâ excidit, statim post deditionem Exercitus coniepolio Regni Vexillifero adhærentis, atque ipsius Urbis Cracovienſis, Omnes penè Palatinatus ac Districtus, partim Cracoviæ, partim Varsaviæ, patrocinium Suecorum amplexos? Non igitur tanquam transfugæ, à suis ad hostes, sed tanquam à prædonibus & hostibus, ad eos quorum tunc in potestate illius Palatinatus defensio fuit, effugerunt. Atque hoc est alterum liquidi in hac relatione mendacii vestigium.

Tertium in eo est, quod Pater Cichovius narret, quo tempore Præsidium S. R. Majestatis Cracovia excessit statim & illico Arianos Cracoviam advolasse. Quod memoriæ omnium repugnat, qui nondum obliti sunt, satis diu Cracoviam in possessione Suecorum fuisse, antequam per montanos latrunculos in Submontana Regione impetus in Arianos fieret,

qui homines Cracoviam confugere coëgit.

Quartum ſuſpectæ relationis Punctum eſt, quod aliquot Centuriæ eorum Cracoviam advolaſſe finguntur. Credo cum hæc ſcriberet Patris Nicolai frontem intolerabili pruritu vexatam ; adeò crudeli vellere perfricta eſt. Nam ex aliquot ſupra decem hominibus plures Centurias conficere , eſt nimium fæcunda multiplicatio.

Verum hoc non contentus, addit quintum falſiloquii ſpecimen, aliquot iſtas Centurias Cracoviam frequentia ſua impleviſſe. Oportet iſtis Centuriis non defuiſſe longe plures aſſeclas, qui Urbem tam amplam repleverint. Non fefellit hic ſcrupulus ipſum Patrem Nicolaum. Quem ut eximeret, cumulando mendacia mendaciis ne perpluerent , de iſta aſſeclarum multitudine Arianis proſpexit ; ſextum adjungens mendacii adminiculum , quòd ſecum plurimos Scotos , Ciganos , & Judæos adduxerint. Mirum profecto , quomodo vim latronum fugiendo , tantum ſpatii habere protuerint ad invitandum in ſocietatem tantum hominum numerum ? Credo numeroſas eorum catervas fugientibus obvias fuiſſe. Fieri nequit , quin aliquando Pater Nicolaus venationis ſtudio operam dederit , adeo ſuſpectarum narrationum fæcundus eſt.

Navigat igitur plenis velis ulterius , & in ſeptimo mendacii puncto addit , hoc ſubſidio confirmatum hoſtem , pares defendendæ Urbi vires adeptum. Id verò cui mirum videri debeat , cum ipſi tot fortes & militares viros & ipſi rei militaris peritiſſimi (nam omnes & ſingulos probe novimus) fugientes ex Submontano tractu Ariani adduxerint. Sed cur iſtis tam validis ſubſidiis , quæ viribus hoſtium robur addiderunt , quæ (ut Pater Cichovius narrat) ad Tynecenſe & Moligenſe Monaſterium tam fortiter ac feliciter rem geſſerunt , adverſus inconditam agreſtium turbam & montanos latrunculos , quos tunc maxime fugiebant , uſi non ſunt ?

Nondum in navigando Pater Nicolaus littus attigit. Proinde fidem faciendo ſuprapoſitis Relationis ſuæ punctis , addidit octavum ejuſdem furturis. Quod niſi hoc Arianicum ſubſidium Suecis ſuccurriſſet , propter diminutionem eorum præſidii per morbos ac mortes militum , nullo pacto hoſtis Cracoviam retinere potuiſſet. Neſciebat Reſpublica quando in ejus Exercitu , tot in expeditionibus , tanquam nix urgente æſtu diffluerent Legiones , quod ex Arianis , Ciganis , Judæis tam valida habere poſſit ſupplementa. Nunc cum ipſi in tàm efficaci ad perſuadendum Suaſione , Pater Nicolaus oculos aperuerit , pœnitentia ejus rei ducitur , quod tam utiles ac neceſſarias bellatores dimittat , & parum abeſt , quin commota tam prudenti Patris Nicolai perſuaſione , revocandorum eorum capiat conſilium. Quem enim tam firmorum argumentorum plena perſuaſio non commoveat?

Sed ut ad ſeria accedamus , non auſim categorice aſſerere , ne in culpam incidam , quam in Patre Nicolao reprehendo. Sed poſita hypotheſi illum cum hæc ſcriberet , cum aliquo ſodalium depaciſci voluiſſe , uter eorum craſſius & impudentius mentiendi ſpecimen ederet : plane nihil dubito , eum ſponſionis & pacti hujus lucrum & victoriam adeptum. Nam ad hæc octo , tam craſſa in una adeò brevi narratione mendacia, Nonum pro Colophone addere non gravatus eſt : aſſerendo quod poſt hoc Arianorum ſubſidium , in totum Regnum hæc Septentrionalis procella effuſa eſt. Ergo niſi quinque aut ſex ſupra decem agreſtes bellatores (quorum capacitas & merita nobis ſunt exploratiſſima) Suecis in auxilium accurriſſent , Regnum Patrium ab hac procella liberum & immune fuiſſet , quod etiam ante Cracoviæ deditionem , non modo in Majori , ſed in Minori quoque Polonia pridem maximâ ſui parte , frænum Suecicum mordebat. Egregium & validum ſubſidium Suecicas tunc partes adventu ſuo firmavit. Quindecim aut ſedecim Patresfamilias , quorum unicuique loco equi bello idonei conjux & liberi , loco enſis lignea clava qua nudius tertius ruri in regendis Colonis ſuis utebatur , aut ſcipio Podagra laborantium pedum miſerum adminiculum in manibus erat. Inter eos vero dimidia pene pars verbi Divini miniſtrorum fuit, quorum nullus unquam bellum oculis ſuis uſurpavit , pleriſque ignotus Sclopeti uſus , & pyrii pulveris odor abominabilis , niſi quis forte configendarum volucrum ſtudio delectaretur. Ejuſmodi bellatoribus Præſidium Suecicum firmatum aſſeritur. Qui tanquam imbellis turba , magis oneri quam uſui futura , Cracoviam admiſſi non fuiſſent , niſi tam pauci fuiſſent. Indignè profecto ſprevit Pater Nicolaus lectorum Polonicorum judicia , quibus ejuſmodi ſaporis narrationes propinabat. Nullo pudore , nulla reverentia tangebatur propinquorum Cracoviæ incolarum , ac noſtrum omnium , quicunque rerum quæ tunc gerebantur conſcii eſſe potuimus. Ne igitur moleſte ferat , quod ſua ſibi impudentia , ſua falſi crimina , ſuæ calumniæ , ſua pravitas & injuſtitia , in os exprobretur. Nam ſi Ariani digni erant hac contumelia , at Pater indignus erat qui faceret tamen. Magnum igitur Sacerdotii ſui vocationi , nec minus ordinis ſui regularitati , affert dedecus. Fidem abrogat narrationibus ſuis quibus in deformiſſima ſpecie paſſim depingit Arianos. Sed (quod peſſimum eſt , quodque nos cum eo maxime committit) abrogat fidem Eccleſiæ Dei , & adverſariis ejus hæreticis , præbet anſam ne & ipſi credant , & alios credere ſinant , omnibus quæcunque de veteribus Hæreticis Catholica Eccleſia tradit. Nam ſi hodiernæ de Arianis narrationes , quas nos ipſi Catholici falſas & calumnioſas eſſe videmus , non modo ab hominibus Spiritualis Ordinis typis vulgantur , ſed & cenſorum Eccleſiaſticorum approbationes obtinent : qui fieri poteſt , non de veteribus quoque eandem ſuſpicionem oboriri , eas dubiæ & ancipitis fidei eſſe , nec niſi factione & potentia auctoritatem obtinuiſſe. Quanquam hoc loco mentem cenſorum , quos modo memoravimus , meliorem in partem interpretari malo. Tametſi enim Scripti hujus lectioni (cui diſertè approbatio ſubſcripta eſt) vacare nobis non contigit , tamen in eorum approbatione ne leviſſimam quidem mentionem ejus Scripti , quod legimus & nunc refellimus , deprehendimus. Unde non obſcurum Patris Cichovii aſtum colligere licet , quod cum non poſſet approbationem Adhortationis ſuæ obtinere , furtim unâ cum Scripto approbato , protruſerit in lucem minime approbatum. Qui quia ſub prætextu zeli erga Sanctam fidem mendaciorum & calumniarum plenus eſt , magna injuria nec minori damno vera Fides afficitur, quoties homines Spirituales zelum erga eam profeſſi , liquida & omnibus patentia mendacia ſerunt, quibus veterum Eccleſiæ Hiſtoriarum fides apud eos qui nunc vivunt , in dubium vocatur. Nam omni rationali creaturæ inſitum eſt , quod ſuis oculis plus credunt quam alienis , & difficile eſt prudentis hominis intellectum captivare , ut credat aliquid eſſe verum , quod oculis ſuis videre & manibus palpare poteſt , eſſe falſum. Quomodo igitur ſuo , quomodo Ordinis ſui , quomodo totius Eccleſiæ exiſtimationi conſuluerit , ſecum ipſe reputet. Atque ita ipſi ſuccellit prima Arianorum accuſatio, quam pro prima exilii eorum ratione aſſerre placuit.

Altera adverſus eos Criminatio continet erroneas , quas ipſis obiectat , opiniones. Quo in genere nunc omittimus nimias diſputantium exag-

gerationes, in quibus vulgo, dum alii alios in turpissimo, quantum possunt, vultu spectandos hominibus exhibere contendunt, sæpe ex involuntariis & commiseratione dignis de Deo erroribus, voluntariam & nefariam Majestatis ejus læsionem & blasphemiam atque maledicentiam (& quidem raro absque iniqua calumnia) comminiscuntur, & efficiunt. Communis hæc & forte incurabilis disputantium scabies, & qua non primus neque solus Pater Cichovius lucubrationes suas infecit. Non adeo mortales culpæ ejus pudere potest, quæ ipsis est cum multis aliis communis Sed in Criminationibus Patris Nicolai non unum reperias tam capitalis impudentiæ specimen; cujus sibi veniam nemo reliquorum facere ausus est. Errores Ariaporum gravi reprehensione dignos de S. S. Trinitate, de Prææternitate Filii Dei, refutarunt multi in Ecclesia Dei viri Magni. Ac merito quidem; quamvis in iis refellendis alii plus, alii minus acerbitatis admiscuerint Nullus tamen Error ipsis adhuc objectus est; quem non & nosmetipsi quoquè ex familiaribus eorum Colloquiis observare ac deprehendere potuerimus. Nam per integrum Seculum quo inter nos pacifice vixerunt; mutuas ac differentes inter nos Sententias, ita explo ravimus, ut eas utrinquè probè calleamus. Nec potest nos Pater Cichovius in eo plus docere aut informare; quam ipsi novimus, atque informati sumus. Et tamen non pudet eum nobis ea obtrudere, quæ falsa & calumniosa esse certo scimus. De Dei essentia, naturis, personis, errores Arianorum detexere multi Doctores Ecclesiæ Catholicæ. Sed quod præter illum unicum Deum, quem solum verum esse omnes agnovere Christiani, alium aliquem pro vero Deo, puta altissimo, habeant; quodque milliones verorum Deorum; & quidem æquè verorum (sicuti est unicus ille altissimus Deus) sibi fabricent; hujus erroris nunquam convinci potuere, nec ullus eum ipsis ante Patrem Nicolaum objicere ausus est; neque nunc vere objicere potest; cum ab eo ita abhorreant, ut non frustrà homines ipsorum in opinionibus similes Monarchianos olim Tertullianus vocaverit: illi autem ipsi nunc in quibusdam vicinis regionibus ex oppositio Trinitariorum Unitarii appellentur. Satis igitur mirari nequeo, cur tàm effrontem frontem induere pater Nicolaus sustinuerit, ut in eo nec tot Catholicorum nobiscum unâ sentientium conscientiam; nec ipsorum adversariorum; quos per calumniam istam longius à veritate repelli necesse est, scandalum reveritus sit. Aut nescit qua ipsos injuria afficiat, aut novit. Si novit; jam non modo frontem, sed conscientiam habet cauteriatam. Si nescit miseret nec hominis, qui ad defensionem Catholicæ fidei planè ineptus est cum isthic quoque cespitet; ubi nihil est lubrici. Quomodo vero is sanctissimæ fidei idoneus defensor esse; aut ejus adversarios refellere queat; qui aut consultò, aut etiam imprudens in opinione adversæ partis, falsum ejusmodi idolum sibi effingit & comminiscitur; quod nunquam in mentem adversariorum venit, atque id omni conatu & contentione oppugnare nititur. Nonne omnes ejus ictus & conatus irriti erunt; quando non in hostem, sed in umbram hostis diriguntur. Nec verò id adeò indignum esset, si lapsus aut culpa quam reprehendimus, justam aliquam occasionem haberet. Sed quod aliquis Sacræ Scripturæ vestigia premendo, Magistratus terrenos Deos apellet, quoniam eos Deus divinæ potestatis suæ in jure vitæ necisque, quod super alios habent participes fecit, criminari eum quod eos altissimos Deos esse sentiat: est in eo sane puerilis consequentiæ vanitas; sed & adultæ ac robustæ nequitiæ calumnia. Roganti vero Patri Nicolao; cur igitur eos veros Deos apellent, meritò respondent, cuivis patere in epitheto verorum Deorum manifestam ambiguitatem. Nec enim minus vox veri quam boni ambigua est. Notum id est optimis Catholicorum; quod aliquando & quidem frequentius vox boni malo: veri autem falso opponitur. Interdum vero sed rarius voces boni & veri, non malò aut falso, sed imperfecto, aut non omnibus numeris absoluto opponuntur. In quo rariori sensu voces istas soli Deo altissimo tribui, nec Ariani diffitentur; nec in isto excellentiori sensu, voces has ulli præter Deum altissimum tribuunt. Sed in sensu vulgari & frequentiori, quòd eos quibus Deus divinæ suæ potestatis aliquid impertitus est, veros etiam, hoc est, non falsos Deos apellent: faciunt id sicuti & Sacra Scriptura, sine ulla summi Dei injuria; nec in eo adversus fidem Catholicam peccant. Nihil igitur est cur Ariani, graviorum, quàm habent errorum insimulentur. Satis graves sunt & isti quibus implicati tenentur.

Sed non minùs in altera quoque Arianorum criminatione, quòd summum Deum incesti Absolonis auctorem & animarum perditorem, homines ad crassos errores & gravissima scelera impellentem statuunt, frons Patris Nicolai Lynciorum unguium vulneribus & cicatricibus fæda est. Ausim affirmare ne unum quidem inter Polonicos Arianos, tàm ignarum esse communis suorum sententiæ, dari posse qui non opinionem hanc iniquam & calumniosam in summi Dei Majestatem & bonitatem statuat. Non ignari sumus eos hoc ipso nomine, cum adversæ partis Theologis collidi, dum refellunt eos qui Deum peccati Auctorem quocunque modo statuunt; atque hoc detestabile absurdum quod pater Nicolaus pro eorum opinione, venditat, adversariis in hoc dogmate suis sæpe objectant & exprobrant. Crediderim igitur deductionem istam ad hoc absurdum, ab homine libros eorum aut oseitanter legente; aut perverse & fraudulenter citante, pro communi eorum sententia subjici & obtrudi. In quo si Pater ipse Cichovius deceptus est; gravis error & pudendus lapsus est; Sin ultrò & consultò Lectorem decipere voluit; gravis adversus eum sed gravior adversus Ecclesiam Catholicam injuria commissa est; cujus fides & auctoritas, patris Nicolai facto, vocatur in dubium. Nec enim quivis Lectorum in re tàm liquida decipi facile potest. Sed si Nicolaus Cichovius, quamvis Catholicus quodque magis mirere Clericus; imò vero regularis Clericus, audet ejusmodi calumniis onerare publicam confessionem eorum; quorum sententiæ; huic absurdæ opinioni repugnantes nobis omnibus probe notæ sunt. Quis nostrum effugiet quominus ipsi veniat in mentem hæc suspicio & scrupulus, eodem modo veras & genuinas olim oppressorum hæreticorum sententias, non fuisse tales quales hodie venditantur. Quis ferat ejusmodi homines, qui sive imprudenter sive malitiose id agunt, ut laboret annalium Ecclesiasticorum fides, atque unâ Ecclesiæ auctoritas? Non puto ex bonis & fidei suæ verè amantibus Catholicis, quenquam inventum iri, qui non modo in doloris ac displicentiæ, sed etiam querimoniæ adversus patrem Nicolaum, partem ac societatem nobiscum non veniat; quod præcipuum fidei Catholicæ præsidium, & columen, Ecclesiæ fidem & auctoritatem, adeò temere in dubium vocet. Id unum nobis solatio est, quod sese tàm parvi æstimare lectorum suorum judicia, adeò palàm non dissimulet, ut iis, vel pueris animadvertendum fucum fieri posse, speret. Quo vilipendio non magnam apud ipsos gratiam inivit. Namque ipsi vel dejeranti non credunt; nec plus quàm meretur, ipsi tribuunt. Vident enim quàm tenui sit ingenio atque eruditione, quàm exili judicio; contrà, quàm maligno

per

per fas & nefas nocendi ſtudio efferatur & abundet. Pudoris ingenui, ne mica quidem homini reliqua eſt, cui in perpetuum nuncium remiſit. At ſuperbiæ & ambitionis plus ſatis. Elegit materiam viribus ſuis imparem, Arianorum errores refellere aggreſſus. Non tali auxilio nec defenſoribus iſtis in hoc negotio indigebat Eccleſia Dei. Poſt Bellarminos, Vujekos, Smiglecios, ſuſcepit hanc provinciam, tanquam Clavam poſt Herculem: Et ranæ Æſopicæ in morem, ſeſe inflat; quærens ab aſſentatoribus ſuis utrum tantorum virorum exiſtimationem aſſecutus ſit. Verum ipſi neſcio quis ex tranſverſo occinit.

——non ſi te ruperis (inquit)
Par eris.——

Oportuit ante primum meliori ingenio & indole natum eſſe. Deinde diligentius ſua ſtudia tractaſſe. Ante omnia Dei timorem imbibiſſe & in conſpectu ejus cum verecundia & metu vixiſſe. quod factu arduum eſt iis, quorum ab indole ingenuitas & pudor ab oculis abeſt. Oportuit hæc dona Dei cælitùs precibus obtinuiſſe; quæ is in animas invenuſtas, improbas, & inverecundas prodigere non ſolet. Fruſtrà ignobili labore fatigatur, ex alienis libris tanquam aranea venena exſugens; quæ mox mendaciis & calumniis ſuis condiat & venditet. Quodnam operæ pretium facit, cartam innocentem ejuſmodi ſcriptis maculando, quæ aliam reſponſionem, neque merentur nec habere poſſint, niſi ejuſmodi: Hæc narratio mendacii: illa citatio falſi crimine tenetur: iſto criminatio calumniæ manifeſta eſt: hic inſontibus infertur capitalis injuria: ibi pueriles nugæ virum exercent: hic imprudentiâ, illic fraude delinquitur: hic laqueus in cuncto Lectori tenditur; ubique autem craſſa & indomita impudentia regnat & exeritur. Quo poſtremo culpæ genere pro univerſali condimento utitur omnium ciborum quos Lectoribus in culina Muſæi ſui apparat. Hujuſmodi operâ navandâ, pater Nicolaus Ordini ſuo dedecori eſt, non ornamento. Nec deſunt qui Præpoſitorum ejus incuriam mirentur quod ipſum libellis conſcribendis atque in lucem edendis occupari permittant, cum vix indicibus librorum à doctioribus conſcriptorum concinnandis & ſecundum alphabetum ordinandis par eſſe videatur. Et ſi hic Ordo fato rerum humanarum nondum conſenuit; hæc tandem opera & functio, patrem Nicolaum manet. Illud certum eſt antiquam hujus Ordinis diſciplinam, paſſuram non fuiſſe, ut tàm rudi & inconcita voce ſtreperet hic Anſer inter olores.

Atque hanc Cenſuram pater Nicolaus boni conſulat, profectam à bonis Catholicis, quos ille, (dum in Arianos furioſius calcitrat) & ipſos identidem ſordidis & ſimo plenis calcibus impetit, nunc fidei & patriæ inſtitores: nunc molitionum noxiarum machinatores, nunc tutores Arianorum vocitat; & non modo in Catholica fide teporem ſed & majorem ſanguinis quàm honoris divini curam, denique Judæ proditoris avaritiam ipſis objectat. Æquum igitur & conſultum eſſe ut huic aſino tàm fætens & plus nimio excreſcens ungula, interius admiſſa ferri acie dedolaretur, conſentientibus ſuffragiis cenſuêre.

Redeuntes ad ulteriorem eius Arianorum accuſationem, ex qua rationes eorum exilii petit; varia & pugnantia ſecũ crimina ipſis objectari videmus. Nunc enim eos ſine Deo vivere. Nunc milliones verorum Deorum habere aſſerit. Nunc eos ſine fide & religione vivere; nunc quaſdã opiniones ex analogia fidei eorum profectas contendit. Nunc affirmat ipſos baptiſmo carere, nec Anabaptiſtas ſed abaptiſtas eſſe, nunc Conſtitutionem quæ eos pro Anabaptiſtis habet laudat & commendat. Velim ex ipſo ſcire, quando ſibi credi poſtulat. Citat literas defuncti Palatini Cracovienſis quibus eos inſectatur. Non erat ignotus nobis hic ſacerdos; qui literas iſtas ſuo ſtylo compoſuit. Verum & illud novimus, hoc ipſi antidotum omnium ibidem congeſtarum criminationum, defunctum Palatinum addere imperaſſe (quod pater Cichovius mala fide citando, omiſit) quod à mente & conſilio quærendi eorum hominum exitu, eſſet alieniſſimus; quorum perniciem pater Cichovius omni contentione quærit. Citat decretum Regis Auguſti ſed hoc duntaxat adverſus alienigenas latum, & mox Confœderatione anni 1572. tantum non non natum abolitum eſt. Citat decretum Vladiſlai IV. Regis anni 1638. quod quia in vim legis (quamvis ægro & invitiſſimo Principe) latum eſt, interceſſit adverſus illud multorum ex Collegio Delegatorum ad Comitia terreſtrium Manifeſtatio. Non oblitus eſt Decreti ejuſdem Regis anni 1647. quod, quæ ſymptomata Reipub. attulerit, ſupra monuimus. Addit duo Tribunalitia oppreſſionem redolentia. Ad quæ ſingula Ariani excipiunt, *Errores non eſſe allegandos.* Jàm verò omnia pene verba cauſam Arianorum aggravantia, quæ in iis reperiuntur non ex ipſa Decretorum eſſentia, ſed ex antecedentibus Decreta citationibus ab accuſatoribus eorum pro acerbitate odii efformatis ſunt deprompta. Nulla tamen ex iſtis Decretis quamlibet acerbioribus, pacem & ſecuritatem Arianorum in Regno tangere auſum eſt. Ideo ſilentio prætereunda ſunt.

Pluris eſt quod S.R. Majeſtatis Domini noſtri Clementiſſimi ſolenne & publicum votum & ſponſionem Leopoli factam, quod Arianos in toto Regno ſuo toleraturus non eſſet, allegat. Quaſſata & convulſa tot falſis narrationibus patris Nicolai fides, in hac quoque ipſi credi non patitur, præcipuè quod dupliciter peccet in S. R. Majeſtatem. Primum quod ipſi tribuat illegitimum, abſolutæ in regno ſuo poteſtatis uſurpationem redolens propoſitum: quod à bonitate Optimi Principis ſcimus eſſe alieniſſimum. Non ignorabat is tunc cum hoc feciſſe prætenditur; limites poteſtatis ſuæ legibus circumſcriptos, quæ ipſum ſubjectos cives ob religionem pro arbitrio regno pellere non patiebantur. Non poterat igitur Superis vovere id, quod in ejus non erat poteſtate. Deinde quod S. R. Majeſtatem, crimine perjurii & divinæ Majeſtatis irreverentiæ oneret atque inſimulet; aſſerendo Sereniſſimum Regem: quod jam ante non facere, ſolenni & publico jurejurando Deo promiſerat: hoc eſt, neminem religionis cauſâ affligi permittere, neque ipſe affligere: illud idem facturum ſeſe eidem Deo, ſolenni & publico voto promiſiſſe. Quod verò ex iſtis ſolennius fuit ſacramentum? quod magis publicum aut validius conſcientiæ Regiæ vinculum? Pactanes cum Ordinibus Regni Varſaviæ prinum in Comitiis Electionis, mox Cracoviæ in Comitiis Coronationis in facie Reipublicæ jurejurando ſancita; quorum nexu à nemine eorum quorum intererat ſolutus eſt? An voluntarium votum, ad abrumpenda tam ſancta vincula Leopoli præſente frequentiſſimo populo, ut Cichovius aſſerit, factum. Quæ comparatio privati, & clàm ordinibus emiſſi voti aut factæ ſponſionis cum publico in Comitiis præſtito jurejurando: præſentiæ frequentis populi, cum præſentia totius Senatus, & Equeſtris Ordinis, qui faciem Reipublicæ repræſentabant. Non ſunt iſta vincula ſecum compatibilia, altera ex parte jusjurandum Regium, quod nobis omnibus notiſſimum eſt, parte altera votum Leopolienſe, quod pleriſque noſtrum ignotum eſt. Aut igitur poſterius vinculum confictum eſt; aut infirmius validiori, privatum publico, cedere neceſſe eſt.

Conſtitutiones præterea adverſus Arianos allegat. De quibus quia ſupra dictum, non plus addam, niſi hoc breve monitum. quod Conſtitutio hæc; quemadmodum primitùs cum damno & periculo Libertatis in volumen Legum intruſa eſt; ita non minori cum periculo ejuſdem inter alias leges poſita maneat, quamvis pondus & valorem ſuum cæteris legibus parem non habeat; nec habere poſſit: & quia vitio nullitatis laborat, neminẽ obligat. Quæ omnia tria ſuo ordine ita demonſtramus.

1. Intruſa eſt in codicem Legum hæc Conſtitutio, cæterarum ejuſdem furfuris mater, cum periculo libertatis

tatis Equestris ordinis : Quia fundamentum ejus ac liberi Status est, jus & auctoritas Custodum ejus, Delegatorum ad Comitia ab Equestri ordine : qui neque à Collegis suis, neque à S. R. Majestate ; neque ab ullo ordine possunt functione suâ detrudi, nisi ob causas in jure expressas : quæ sunt, si aut discordibus suffragiis electi sint, aut ad causam in iisdem Comitiis dicendam, citati fuerint. Concordibus suffragiis electus ac delegatus ad Comitia anni 1658 fuit Tobias Iwaniclii Oncialis terræ Czerniciovienſis. Dies ipsi nulla dicta fuit ad causam in iis Comitiis dicendam. Sed cum non ignorarent Arianorum malevoli paratum in particulari Opatoviæ Conventu pro constitutione adversus eos formandâ, articulum, intercessione ejus abolitum iri, absque ullo judicio, sine suffragiis, per oppressionem & acclamationes ex Camera Consistorii Delegatorum extrusus est ; nullo alio prætextu, nisi quod ipsi, (quanquam neganti) Arianismi crimen objectum, nec probatum est : cum tamen nondum ulla adversus Arianos, Constitutio adhuc sancita esset. Res hæc fuit pessimi & periculosi exempli ; quæ terrorem plurimis eidem Constitutioni contradicturis injecit, ne eodem modo eademque violentia opprimerentur. Repertus est nihilominùs è Delegatis vir fortis ac prudens, ætate atque auctoritate aliis præcellens, Stanislaus Chrzastowski Subjudex Cracovienſis, qui Constitutioni huic quoad vixit, constantissimè inhæresit. Is quoniam cum ista contradictione ex Collegio Delegatorum mox ex hac vita decessit ; nemo jactare potest, istam Constitutionem consensu totius Collegii Delegatorum sancitam. Intrusa igitur est hæc Constitutio inter alios, quorundam è Delegatis oppressione ; aliorum verò contradictione obstante. Quàm legitimè viderit posteritas.

2. Quanto vero cum libertatum nostrarum damno ac discrimine hæc Constitutio reliquis adjuncta maneat ; multis rationibus suprà ostensum est ; Quarum illa ultima fuit : quod reassumat ac resuscitet Velunense Statutum, quorum Lex de nemine captivando, nisi jure victo consistere nequit. Quibus id hoc loco addimus, quod lex nullitatis vitio laborans, quæ neminem obligat, enervat reliquarum quas inter collocata est vim atque auctoritatem.

3. Nullitatis autem vitium deprehenditur in hoc lege ; ubi pondus & validitatem ejus perpenderimus. Omisso igitur vitio ejus, quod illegitimè per oppressionem, & absque omnium consensu lata sit ; duo in ea veniunt consideranda. Primùm quod cum tot legibus, quibus pax & fœdus Dissidentium in religione stabilita sunt ; & cum ipso jurejurando Regio hæc Constitutio neque simul consistere ; neque pari jure & auctoritate concurrere potest. Oportet igitur alterutram istarum sibi repugnantium legum validitatem & obligationem subditorum ad obsequium habere, alteram autem prorsus non habere. Quæ vero pars repugnantium sibi legum vincere aut cedere debeat ; non obscurum est ubi perpenderimus, in quo pretio legem de pace Dissidentium, fundatores liberi Status Reipublicæ nostræ esse voluerint ; qui non contenti quòd in confirmatione aliorũ omniũ juriũ, hæc quoq; lex confirmata sit ; peculiariter & nominatim eam juramento Regio inseruerunt.

Alterum est quod Ordines Legislatores Constitutionis de Arianis ; quamvis repræsentarent totam Rempublicam & haberent plenum jus & potestatem figendarum legum aliarum, jus tamen & potestatem abrumpendi nexus Pacis Dissidentium planè non habuerunt ; nec habere ullo modo potuerunt. Quamobrem ex defectu potestatis Legislatorum, legem istam vitio Nullitatis laborare necesse est. Quod autem jus & potestatem condendæ hujus Constitutionis Ordines in Comitiis anni 1658. Varsaviæ congregati non habuerint patet ex infrà dicendis. Primum quia obligationem conservandæ Pacis Dissidentum, sibi à Majoribus in perpetuum imposita constricti tenebantur ; qui pro se & successoribus suis, mutuis juramentorum vinculis & sanctissimis fidei, honoris, conscientiæ sponsionibus sese & posteritatem ad servandam hanc pacem obstrinxêre. Perpetuis igitur temporibus constitutam Pacem servare tenebantur. Deinde quod sicuti in lege de Unione Polonicæ & Lithuanicæ gentis ; ita in lege de mutuâ Dissidentium securitate non reliquit sibi Respublica jus abrogandæ & imminuendæ Legis à se latæ : Sed potius expressis verbis in ambabus Constitutionibus earum antiquandarum aut mutandarum omnem sibi potestatem ademit : atque in eo tacitè præsumpto juri suo quod in figendis ac refigendis cæteris legibus habet, hâc una duntaxat in re renunciavit.

Porrò ratio cur utraque Constitutio à cæteris eo differat ; quod eam ne Consensus quidem Ordinum in Comitiis loco suo dimovere possit & cur Respublica sibi potestatem earum abrogandarum ; sive iis minimum derogandi relinquere non potuerit ; est hæc, quod utraque non ex sola vi publicæ potestatis, hoc est, non ex solo bene placito & decreta aut Consensu Comitiorum ; sed etiam ex vi perpetui fœderis, quod pacem hanc, tam inter gentes, quam inter Ordines civium stabilivit, dependeat, ac vim & validitatem suam accipiat. Nam quod attinet ad Pacem Dissidentium ; prius hanc pacem & fœdus Dissidentes in religione cives inter se pepigerunt & sub vinculis juramenti, fidei, honoris, & conscientiæ eam sese perpetuis temporibus servaturos promisere ; iisdemque vinculis successores & posteritatem suam obstrinxere, quàm executionem & conservationem hujus pacis & fœderis Regibus suis jurandam ac servandam in perpetuum proponerent, eamque multis postea legibus confirmarent. Quamvis igitur Constitutio de Arianis, non modo semel iterum atque tertium reassumatur, & DE FACTO practicetur, & ad executionem deducatur : tamen DE JURE pondus & validitatem suam habere nequit, quamdiu vincula majorum quibus posteritatem suam obstrinxêre, durant. quæ perpetuis temporibus durare de jure necesse est. Atque hinc fit, quod neminem obliget ; quemadmodum reliquæ Constitutiones. Hujus secreti non omnibus noti ; nec fortasse placituri, pater Nicolaus particeps faciendus fuit, ne in posterum tàm confidenter Constitutiones, morbo Nullitatis fractas & invalidas jactet atque ostentet.

Post supradictas allegationes redit iterum, pater Nicolaus, ad consuetum exercitium, in quo supra omnes mortales palmam obtinet. Non modo impetu naturæ, illuc ubi maximas vires suas agnoscit vergentis, sed & necessitate quadam, cum non haberet quod vel in speciem ac verisimiliter Arianis objiceret, confugere ad inverecundas calumnias necessarium judicavit. Ergo duo pægrandia crimina ipsis objicit. Primum, quod externas gentes in exitium patriæ advocarint, adduxerint, atque unâ cum iis vastationibus direptionibus incendiis, adversus eam grassati sint. Secundum, quod adversus defensores patriæ, cruenta edicta Cracoviâ emiserint, plebem ad interficiendos Dominos suos concitantes. Hinc concludit indignum esse ut bonis patriæ fruantur & in protectione Ordinis Equestris relinquantur.

Respondeo. Cogitanti mihi diu multumque cur pater iste Nicolaus nunquam prorsus erubescat ; nihil aliud succurrere potuit nisi quod arbitretur sese ad id officii non teneri. Si quis roget, Quamobrem vero ? In promptu ratio est. Quia opinatur satis esse, quod suus pro ipso ordo erubescere teneatur, præcipue in præsentia tot mortalium, qui mendaciorum patris Nicolai testes sunt. Cui opinioni ejus plane assentior, sed in eo duntaxat sensu, in quo vera est. Quod patet vel ex istis objectis criminibus ; quæ nobis suo singula ordine excutienda sunt. Primum ait, externas gentes in perniciem Regni ab Arianis adductas. Quænam sunt

sunt istæ externæ gentes? Potest sane nunc plebs quoque Russica & Cosaci externa gens dici, à quibus prima adversus regnum hostilitas cæpit. Accessêre iis Præcopenses Schythæ. Subsecuti Moschi, Sueci, Transylvani. Nam hæ gentes superiori tempore, cædibus, vastatione, direptionibus, incendiis in Regno nostro grassatæ sunt. Primum igitur ostendat vel unum ex Arianis, qui Chmelnicium & Cosacos in exitium patriæ concitaverit. Id se non posse, diffiteri nequit. Reperias, quod dolendum est, inter mortuos, qui id facere ausus fuerit. Sed Catholicum, & acerrimum Arianorum hostem. Unius ergo aut alterius ob noxam ac delictum Catholicis omnes Catholicos & Arianorum hostes bonis patriæ frui & ornamentis Equestris Ordinis gaudere indignum est? Et prava, & stulta & impudens est hæc consequentia, quales fere omnes è cerebro patris Nicolai prodeunt. Progrediamur ad Scythas. Hos videlicet, absque ducibus Arianis per deserta camporum viam ad nos ducentem ignorasse credibile est? Sed & hos posteà sub sociorum nomine hostes, non sine damnis ac direptionibus in præcordia regni ipsi Catholici adduxerunt. An hi quoque bonis patriæ frui & nos unà cum iis omnes Catholici indigni sumus? Moschos nullus Catholicorum advocavit aut adduxit. Sed neque Arianorum aut aliorum à Catholicis dissidentium quisquam. Absque ullis itinerum Ducibus per Smolensc enſem ditionem, in Lithvaniam penetrarunt. Nec ullis externis advocantibus aut concitantibus indiguere, cum haberent ipsi domesticas & veteres adversus nos prætensiones. Idem de Suecis sentiendum. aut ostendat Pater Nicolaus vel unum Arianum qui in Sueciam ad hostem navigârit; & una cum copiis hostium advenientes; patriam occupantibus operam suam præbuerit, antequam protectionem Suecorum integræ ditiones & ipsi exercitus regni recepissent. Unus duntaxat Catholicus hujus ministerii argui potest: quamvis ad id fortè invitus, & necessitate constrictus accesserit. Idcircone omnes Catholici exilio digni? Quænam ista tàm perversa Logica est; quæ patri Nicolao tam pravas consequentias suggerit? Accedo ad Transylvanos aut potius eorum Principem. Hunc absque ullo Arianorum interventu, Sueciæ Rex per Legatos suos adversus nos partibus suis adjunxit. Quæret hoc loco pater Nicolaus an quisquam Arianorum Principi huic tunc præsto fuerit? Aderat fortasse unicus, partim veteri officio; partim occasione turbarum in Polonia eò compulsus eodem exemplo quo multi Submontanæ regionis Nobiles in proximam Pannoniam concesserant. Sed aderant ibidem plures Catholici. verum non ea mente ut eum ad bellum adversus regnum concitarent; Sed quia Princeps hic jam inde à Soczavienſi obsidione Socius atque amicus populi Poloni habebatur. Cui ad obtinendum regnum promovendo, operam & studia sua Ariani ut offerrent, causam nullam habere poterant, nondum obliti quanta eos injuria ante biennium circiter, per violationem (nec sine perjurio) jurium quibus nitebant & gaudebant Claudiopoli affecisset. Reperti sunt Regni Proceres, qui eum post Varsavienſem anni 1656. cum Suecis conflictum ad Regnum vocarent. Sed boni Catholici & animo Regno non inimico. Quòd ille tunc propositionem eorum contempserit, aut oblatos æstate conditionis repudiarit, & mox proxima hyeme amicitiam Regis Sueciæ complexus fuerit, nulla in eo Arianorum culpa est. Quorum nullus aut in eo Regi Sueciæ ministerium præbuit; aut nomine Procerum vel Communitatis suæ ad eum offerendo Regnum ablegatus fuit. Quanquam si quis forte repertus fuisset, qui hanc provinciam susciperet (quod nunquam ostendi potest) an culpam ejus reliqui omnes præstare aut lucre tenebantur? Etiam omnis criminis expertes? etiam illi qui constanter patriæ adhærebant? etiam qui vitam pro ejus incolumitate profundebant; qui vexilla pro ea defendenda ductabant; qui filios, qui fratres; qui proximos cognatorum in ejus propugnatione omisere? Quæ verò est in ea sententia æquitas? quæ ratio, aut prudentia, aut probitas? Ob unius, aut etiam alterius delictum omnes licet insontes, imò bene meritos supplicia afficere. Tam iniqua, impia; tàm ab omni ratione aliena consequentia, nusquam alibi locum inveniet quàm in patris Nicolai cerebro, & præclara ejus ad Ordines Exhortatione. Quod tibi fieri non vis; alteri ne feceris. An ferret pater Nicolaus si ob unius aut etiam plurium Sociorum ejus Ordinis culpam; quæ in Anglia aut Gallia judicabatur ultimo supplicio digna, eadem severitas promeriti à quibusdam supplicii in reliquos omnes ejusdem Ordinis absque delectu extenderetur? Voluit, aut jussit, aut consensit quispiam Jesuitarum in Gallia Regem interfici? Digna supplicio culpa. Sed eam totus Ordo luere non tenebatur, si consensum facinori non præbuit. Conatus est aut consensit unus & alter ex Sociis Ordinis patris Nicolai in Anglia Regem cum Ordinibus Regni, subjecto Curiæ Comitiis destinatæ nitrati pulveris subterraneo fulmine in aërem evibrare. Iniquum est sontes in facinore deprehensos protegere. sed longe iniquius insontes, eodem cum sontibus supplicio involvere. Imprudenter pater Cichovius ut solet, & sine judicio Arianos accusat, objectans adversus Rempublicam probatu difficilia crimina; quorum nunquam uspiam accusati sunt aut pœnas dedêre; neque nunc, saltem palàm, pœnas luunt, parum memor, quod ipsi vicissim Ariani ejusmodi crimina regerere possunt, quorum causa palàm & quidem in Catholicis ditionibus, totus Ordo ejus, publico exilio mulctatus est. Imperitè, ut video, pater Nicolaus, arma argumentorum tractat; quæ stringit sæpius mucronis acie manu comprehensa; capulo vero punctim adversarium transfigere tentat: hinc sæpe extorto & proprio ense saucius utrinque vapulat. Sed in calumniarum & impudentiæ missilibus eminùs jaciendis, nemini secundus est. Nisi quod, ut mendaces memoriæ; ita calumniatores judicii defectu laborare Deus voluit; ut neque modum neque delictum calumniarum habeant; atque ipsa impudentia hominum odium provocent.

Satis de primo crimine.

Alterum crimen est quod cruenta edicta Cracoviæ emiserint; ad cædem Dominorum agrestes concitanda. Quod crimen si nuda negatione diluerent sufficeret ad eos absolvendos: cum Actore non probante, reus absolvatur. Nec ejus rei documenta produci possunt; præter nudas conjecturas; quæ in tàm capitali crimine, quod pœnam talionis criminatoribus minatur; nihil probant. Illi verò & argumentis innocentiam purgare possunt. Nam hæc Edicta auctores habere alios non poterant, præter eos qui tunc jus imperii sibi usurpabant: pœnasque & præmia, quæ plebi ostentarent, in manibus habebant: quorum neutrum de Arianis dici potest, qui ipsi in aliena essent potestate. Non sunt Sueci adeò liberales aut indulgentes in eos, qui in illorum veniunt potestatem; ut eos imperii sui faciant participes. Omnes potius stricto obsequio obnoxios habent. Nec adeò sunt simplices, ut ad ea quæ sibi emolumento; hosti verò exitio esse possunt, monitu & instinctu alieno indigeant. Præterea quod commercium Arianis? quæ confidentia esse potuit cum plebe, cujus seditione Cracoviam compulsi sunt? Proinde neque crimen; neque criminis verisimilitudo penes eos inveniri potest, quibus objectum est.

Non dissimulavit pater Nicolaus odium; quod concepit erga moderatos; & mitem ac mansuetam Servatoris sui indolem redolentes Catholicos, inter convitia & aculenta verba, objectans ipsis nescio quas ad evertendam hanc Constitutionem molitiones; quæ, ut ostensum est, absque ullis machinis *suamet nullitate*, ruit & evertitur. Eosdem patrocinii Arianorum insimulat, quod petitioni quorundam Arianorum faveant;

eosque justa petere judicent: qui volunt doceri & morum exilii postulant. Asserit hoc esse falsum & impossibile, ut velint doceri; nec superesse ullam spem eorum emendationis; aut conversionis, idque probat ex Scriptis quorundam Arianorum obstinationis vestigia continentibus. Hinc patet quàm sit morosus & præceps, pater Nicolaus; qui tàm cito de animarum salutæ desperet. Quasi & inter pertinaces reperiri nequeant, minùs obstinati. Quasi & obstinatiores de pertinacia sua remittere non possint. Non eadem genitrice omnes nati sunt; non eandem cunctis gratiam Deus largitur; non eadem ratione mortalium corda pulsat atque aperit. An quæ citat Scripta obstinatiorum memorata sunt Conversionem eorum quorum in eadem Adhortatione sua mentionem facit? qui à Deo ad Sanctam fidem Catholicam conversi sunt, & quibus persuadere nititur ab uxoribus hæreticis divortium: ignorans (quamvis Magni Theologi nomen & opinionem captet) insufficientem esse divortii causam, hæresin. Ergo cum præ oculis non desint, tot conversorum exempla; quâ fronte, quâ pietate aliis ad conversionem januam præcludit? Hinc apertè liquet, patrem Nicolaum & ejusdem farinæ zelatores, non salutem animarum; non religionis incrementum; non fructus spirituales, sed terrenam ostentationem, eorum quos oderunt oppressionem & speciosam apud eos, quorum favorem Romæ captant jactantiam, consectari, ut habeant quod Generalibus suis nuncient & in eo quod quærunt, privatis cupiditatibus & ambitioni suæ satisfaciant. Quod cum Deus scrutator cordium, & quem nulla arcanorum consiliorum latebra, fallere potest, videat: ideò talia consilia & proposita, tàm sæpe adversis successibus eludit.

Pro colophone, monitum illud inculco, Tempus esse ut jam tandem omnes Catholici evigilemus, & nos nostraque omnia gubernantis Dei voluntatem observemus; & quæ nobis nutu ejus domi forisque eveniunt, diligentius animadvertamus. Non una voluntatis suæ significatione ostendit, quantopere ipsi rationes istæ promovendæ veræ fidei displiceant; quæ vim & oppressionem, quæ sanctissimorum vinculorum dissolutionem, quæ violationem patriarum legum redolent. Quid igitur est, cur damnare dubitemus; quod Deus ipse damnavit? aut cur ejusmodi consiliis factisque inhæreamus, quæ nos Deus ex professo dedocet? Zeli erga Deum & Ecclesiam ejus prætextu colorantur, hæc fervida & abrupta consilia. Ponamus nobis ob oculos, quos nobis, quos Reipublicæ, quos denique Ecclesiæ Dei fructus, zelus hic in patriâ nostra attulerit; reputantes quàm in angustum redacta sit, auctoritas & regimen nostræ Matrisfamiliâs, Religionis Catholicæ? Idem extrà patriam quoque animadvertet; quisquis considerare voluerit quorsum illæ nuper de Hæreticis obtentæ, Cæsarianæ victoriæ & triumphi evaserint. Eò tandem ventum est, ut pax ab iis emendicanda, & multis millionibus redimenda fuerit. Ut omittam tot Archiepiscopatus, tot Episcopatus, & spirituales principatus imperii in eam rem impensos, & in secularem regiminis formam translatos, atque in manus hæreticorum traditos esse. Et nisi Catholicæ partes in tàm cupidos auri hostes incidissent, deterioribus conditionibus transactum fuisset. Interpositæ quidem sunt adversus hæc à Sanctissimo Patre protestationes. Sed melior est condito possidentis, quàm protestantis. Hic fuit exitus belli ex occasione oppressionis Dissidentium in Religione in Germania inchoati. Quod verò per totos triginta annos sanguis Christianus tàm copiosè effusus; & Christianorum ditiones tam miserè vastatæ sint, in fumum abiit, sine ullo operæ pretio. Taceo antiquiora Galliæ & Belgii exempla. Nusquam terrarum Deus violentis & per oppressionem grassantibus promovendæ veræ fidei rationibus optatos indulget successus. Multò minùs iniquis & cum eversione Legum, violatione fœderum, denique cum perjurio conjunctis. Meritò igitur & sapienter majores nostri, illi antiqui moris patrii & probitatis priscæ retinentes Catholici fugiendum sibi censuerunt tàm noxium ignem, quo tot Christiana regna conflagrarunt. Meritò Confœderationem inter Dissidentes in religione Cives; non modò instituerunt & jurejurando Regio, ac tot aliis Constitutionibus stabilierunt, sed eam sacrosanctè executi sunt, observarunt & omni ex parte sartam tectam esse voluerunt. Atque egomet memini, meminere mecum omnes Seniores Catholici, non multò ante suprema Sigismundi III. tempora; quoties in Collegio Delegatorum ab Equestri ordine, aliqua violatæ pacis dissidentium querimonia incidit: vix passos esse Catholicos, ut Dissidentes causam suam urgerent. Adeò certatim injurias violatæ pacis eorum, tanquam suas vindicandas sibi statuebant; atque in ipsis scintillis extinguendum ignem hunc censebant: quem nos nunc improvida posteritas, usque ad periculosam inflammationem fuscitamus. Qua in re non tam belli pericula pertimescebant; quàm discrimen libertatis & mala servitutis ex coacta religione promanantia. Nempe libero potius & voluntario animi motu, (qualem & ipse Deus, in Cultu sui, solum requirit) quàm metu & necessitate extorto obsequio Catholicam fidem sequi maluere. Hæc fuit generositas in omnibus fundatoribus liberi Status Reipublicæ antiqui moris patrii retinentibus Catholicis. Hæc & in illo immortali memoriâ digno Regni Cancellario & Exercituum Duce Joanne Samoscio eluxit & enituit. Cujus specimen & excelsum genium: in quadam occasione violatæ pacis dissidentium in religione, dicta à se in Senatu sententia edidit; ac vivis coloribus expressit, in hæc verba erumpens, Impenderem, inquit, lubens dimidium vitæ meæ, in eam spem atque solatium; ut quicunque in patriâ ex Ecclesia Catholica egressi sunt, postliminio suamet sponte ad eam reverterentur. Ideo dimidium (inquit) ut vel semivivus, fructu tàm exoptatæ pacis frui & gaudere possim. Sed ne conversio hæc per oppressionem & violentiam fiat, atque extorqueatur obstando, paratus sum integram vitam profundere; ut priùs moriar quàm ejusmodi servitutem oculis usurpem. Judicet igitur unusquisque, utrum nos, qui illorum patriæ libertatis Antistitum, probitatis & intemeratæ fidei, Catholicorum vestigia premimus: ab officio erga Ecclesiam unâ cum illis desciverimus; an isti potius qui tàm sapientem videlicet in persuadendo Magistrum, patrem Nicolaum, sequi malunt; à generositate majorum degenerârint.

FINIS.

HYPE-

APOLOGIA

Afflictæ innocentiæ ad Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, & ſupremum Ducatus Pruſſiæ Principem.

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps Elector, Domine Clementiſſime.

ADvolvitur pedibus Tuis ſupplex quotacunque portio Nobilitatis Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ, ſedibus ſuis pulſa, fortunis provoluta, & extorris, eo quòd antiquior ei fuerint, Dei & conſcientiæ, quam hominum per illegitimam vim & ſævitiam, Religionem ſuam propugnantium, reverentia. Si quid forte (ut in rebus humanis ſolet) erroris aut imperfectionis nobis adhæret; illud certè innocentiam noſtram præſtat favore Tuo dignam, quòd patriam, fortunas, ipſam virorum bonorum exiſtimationem perdere ſuſtinuimus, ne conſcientiam perderemus. Crudelitatem Civium libertati noſtræ gravem fugiendo, tanquam Naufragio ejecti, ad portum Clementiæ tuæ confugimus, freti Jure ſupplicum, & innocentiæ noſtræ fiduciâ. Cui ne apud benignitatem & Clementiam tuam criminationibus inimicorum aditus obſtruatur, crimina primùm, quibus vulgò traducimur paucis refellemus. Non æquitatem cauſæ ac deſiderii noſtri proponemus; quâmobrem rigidiorem adverſus nos proceſſum, jure ac meritò deprecemur. Et quia dogmatum ac Religionis noſtræ invidiâ potiſſimum percellimur ante omnia humillimis precibus contendimus, ne à nobis ſubtilis ac ſpinoſa Theologicorum dogmatum profeſſio requiratur. Pleriq; omnes nobili genere nati, aut in negotiis Reip. aut in Principum aulis, aut in Oeconomicâ bonorum noſtrorum adminiſtratione, ætatem contrivimus. Subtilitates litigioſæ pietatis aut ignoravimus, aut tanquam ſuperfluas omiſimus, non ignari Servatorem noſtrum pro ſupremo tribunali ſuo, à nobis non ingenii aut doctrinæ; ſed morum ac vitæ rationem eſſe exacturum. Alterum quod enixè petimus eſt, ne quid è polemicis aut qualibuſcunq; noſtrorum ſcriptis adverſus ingenuam confeſſionem noſtram, quam præſenti declaratione aperimus, allegetur. Nemo eſt mortalium in cujus verba juraverimus, Magiſtrum unicum agnoſcimus Chriſtum. Cæterorum uti hominum & erroribus obnoxiorum auctoritatem non magis moramur, quam inimicorum odia aut celebritatem. Proinde ſi quis noſtrorum ab amuſſi veritatis deflexit, liberrima litura delemus, nec nobis fraudi eſſe volumus. Sed jam crimina & reprehenſiones diluendæ ſunt.

Prima, graviores inter criminationes, ordinem ducit, quod S. S. Trinitatem blaſphemis vocibus inceſſamus. At nos procul à tam diro crimine abſumus. Quamvis enim Unicum omninò Supremum & Altiſſimum Deum agnoſcamus, unde olim Monarchiani nunc Unitarii à quibuſdam vocati ſumus, Doctrinam tamen de S. S. Trinitate, Patre, Filio & Spiritu Sancto in quorum nomine baptiſamur, debitâ veneratione proſequimur. Præcipuum erga tam Sanctum myſterium obſervantiæ noſtræ documentum eſto, quòd illud exprimere, aut de eo aliis verbis loqui non audeamus, niſi quæ Spiritus Sancti inſtinctu, in Sacris literis pronuntiata ſunt. Atque utinam intra tam juſtæ moderationis metas cæteri ſeſe tenuiſſent: Sed irruperunt in tam abſtruſum arcanum, tot ignotæ Sacris Scriptoribus voces, tot ſalebræ ac difficultates; quæ nec mente ſatis concipi neque ſecum conciliari poſſunt. In his igitur ſuſpenſo veſtigio progredi & ſtylum Scripturæ ac Symboli Apoſtolici anxiè premere tutiſſimum arbitramur.

Altera criminatio nobis læſæ Majeſtatis ac dignitatis Domini ac DEI noſtri Jeſu Chriſti culpam impingit. Hoc quoque crimen longiſſimè à nobis abeſſe anxiè proteſtamur. Nos enim eum ſummi illius Patris Omnipotentis, propriè dictum & (verè ac propriè ſumptâ hac voce) Unigenitum Filium eſſe agnoſcimus, etiam tunc cum ex voluntate Patris in humanæ naturæ vilitatem ex Spiritu Sancto conciperetur & ex Virgine naſceretur. Quantò magis, quantò plenius, perfectius & eminentius propriè dictus & Unigenitus filius Dei dicendus ac cenſendus eſt, cum non in immoralem tantum & cœleſtem, ſed in diviniſſimam quoque, & ſummi Patris naturæ proximam, omnipotentiæ ſuæ adæquatam & ſummæ ſupra omnia poteſtatis, ac cæterorum Dei attributorum capacem naturam genitus filius Dei in potentiâ evaſit. Quem profectò ex eſſentiâ Dei genitum cenſere, nobis religio non eſt: Nam quomodo is qui in divinam naturam ex Patre genitus eſt. *Actor.* XIII. ex eſſentiâ ejus genitus negari poſſit; qui idem cùm in humanam naſceretur ex Spiritu Sancto conceptus à Sacrâ Scripturâ expreſſè dicitur. Hunc igitur verum & Unigenitum filium Dei, non propter ſolam Regni ſibi dati poteſtatem, & omnipotentiam; ſed propter diviniſſimam quoque quam per amantiſſimi ſui Patris voluntariam generationem adeptus eſt Naturam, in quâ divinæ Patris ſubſtantiæ character elucet ac reſplendet, verum, propriè dictum, & naturâ DEUM, in ſecula benedictum ac benedicendum colimus, adoramus; invocamus. Nec obſtat quòd divina exaltatio Chriſti præmium aut Dei donum in S. S. literis eſſe doceatur. Nam & ipſa generatio in tam ſublimem naturam; atque adeò ipſa hæc ſublimis natura, quia ex liberrimo Dei Patris beneplacito profluxit, donum dici poteſt. An fideles Chriſti in illâ ad vitam æternam ſuâ regeneratione non maximo Dei beneficio ac dono obſtricti fore cenſendi ſunt: quamvis cœleſtem & immortalem naturam ſortientur? Sed ad divinam Unigeniti eminentiam aſpirare nemini fas eſt aut erit, qui licet particularem illam, & ad certum negotium certumque tempus adſtrictam (quippe fidei duntaxat & ſpei noſtræ confirmandæ ergo ſibi collatam) Regis in militante Eccleſia abſoluti & independentis poteſtatem (in quâ Pater judicat quenquam; ſed omne judicium dedit filio tunc cum poſt exoluta militiæ noſtræ ſtipendia; neque fidei neque ſpei neque huic ipſi poteſtati locus ullus eſt, Patri ſuo redditurus à Paulo dicitur 1 *Cor.* XV. At univerſalem & æternam ſuper omnia poteſtatem (quam Pater per Filium exercet, cui locus nunquam deerit) in perpetuum retinebit. Ut enim Pater ſemper erit Deus ex quo omnia: ita Filius Dominus per quem omnia, Patri quidem (ut Paulus loco ſupra citato & alibi ait) tanquam Capiti ſuo ſubjectus; & cæterorum omnium, ſicuti & populi ſui Rex æternus & cœleſtis Hierarchiæ caput, cujus glorioſiſſimi Regni finis nullus erit.

Spiritum quoque Sanctum injuriâ afficere accuſarsur.

Quæ criminatio ita à nobis dilatur, ut nihil tam ſublime de Spiritu Sancto à quoquam dici poſſit, quòd non libenter admittamus, dum ſoli Patris omnipotentis perſonæ, nomen ac titulus ille maneat illibatus, quòd ſit Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Longum eſt per cuncta rerum faſtigia currere, brevius igitur cætera perſequimur. Mortis Chriſti meritum & pretioſiſſimo ejus ſanguine profuſo factam Redemptionem noſtram, humillimo & gratiſſimo erga Servatorem noſtrum animo agnoſcimus, ita quidem ut benigniſſimo ejus Patri ſalva maneat ac debeatur remiſſionis peccatorum gratia. Magiſtratuum in puniendis ſontibus, aut inſontibus gladio defendendis, miniſtrum Dei cum Paulo confitemur, nec ob iſtud Dei miniſterium ab Eccleſia Chriſti eliminari poſſe contendimus. Cæteris in Religionis articulis, nihil blaſphemi aut hæretici, aut abſurdi fovemus, ut qui ab amuſſi Symboli Apoſtolici: & Sacræ Scripturæ ne latum quidem unquem deflectere audeamus. Diſſentientes in pluribus Religionis capitibus, dum una cum Apoſtolo Johanne Jeſum credant eſſe Chriſtum, eamque fidem vitæ integritate teſtentur, damnare non ſuſtinemus, in eoque Catholicæ Chriſti Eccleſiæ gloriationem æmulamur & implemus, qui non opinionum delectu; ſed præceptorum ſuorum obſequio ſervos ſuos cenſeri voluit. Evangelicas quoque Eccleſias, dum in hoc ſeculo, ſobriè, juſtè & piè vivant pro veris Chriſti Eccleſiis agnoſcimus, & quoties ſacram cœnam celebrantibus adſumus cum corporibus non liceat, animis certè ac devotis mentibus cum iis conjungimur & pro tanto Dei beneficio quod in Euchariſtico ſacro celebratur, humillimas unà gratias agimus.

Repulſis quorum inſimulamur criminibus, ſupereſt ut indignas per injuriam titulos & agnomina deprecemur. Anabaptiſtarum nomen agnoſcere non poſſumus, quia baptiſmum nec veterem renovamus, nec novum & à primævo Apoſtolorum ſeculo uſurpato differentem, comminiſcimur; denique hunc ipſum qui in Eccleſiis Evangelicis receptus eſt, non damnamus. Arrianorum appellatio eò nos acriùs pungit, quò pejus quondam iſtius ſectæ homines de Eccleſiâ meritos eſſe ſcimus. Grave igitur nobis eſt eorum vocari nomine, quorum errores & culpas ſatis deteſtari non poſſumus. Si quid igitur Sereniſſime Princeps Domine Clementiſſime ſub iſtorum titulorum nomine & invidia durioris & rigidioris ſententiæ adverſus quenquam à Serenitate veſtrâ, per importunam aliquorum inſtantiam ſive poſtulatum, ſive obtentum eſt, ad nos pertinere non arbitramur; quia nos iis nominibus, quæ non agnoſcimus, comprehendi non poſſe, humillimè proteſtamur. Perſtrictâ ita breviter criminationum quibus appetimur congeriè, nunc iterum Serenitatis veſtræ pedibus ſupplices advolvimur.

Tua Sereniſſime Princeps res agitur, Tuâ plurimum intereſt, ne tot nobiles ſupplices, qui fideles Vaſalli & imperio tuo ſubjecti eſſe cœperunt, à Subjectione tuâ arceantur. Prætextus ne in tuo obſequio relicti noceamus, levior eſt, quàm ut ejus ratio haberi debeat. Quid enim nocere poſſint ii, qui nullis ſubnixi viribus, nullis armati conditionibus, pridem in fidem & clientelam tuam conceſſere? Nulla nobiſcum nova aut exotica jura, nullos inviſos ac damnatos mores introduximus. Ad jura & conſuetudines Provinciæ dudum acceſſimus, in Tua. Tuorumque ſubjectione victuri. Si quis novorum hoſpitum ab officio exorbitet, an non in Tua, Tuorum q; Magiſtratuum poteſtate relinquetur. At enim noxia, opinionum ſemina ſpargemus. Alterum jam luſtrum labitur ex quo hîc ſumus. Oſtendant vel inimiciſſimi ecquis ad opiniones noſtras ſeductus? imò verò ecquis tentatus aut ſollicitatus eſt; via quam ad ſalutem eligimus anguſta eſt; & aſperis obſita ſentibus. Non eſt periculum ne ullis captus illecebris populus ad eam confluat. Ubi ſtrictioris vitæ officia moroſius exiguntur, non facilè mortales convolant. Sed & ſi in relicta nobis conſcientiæ libertate aliquid eſſet periculi, ne ſimplices ſeducantur, aut ſcandala patrentur; nunquid idcirco libertas conſcientiarum violanda aut in diſſentientes ſæviendum eſt. Deſunt videlicet huic malo aptiora remedia.

Et ſcandalis quidem publicis obviam ire, eſt in manu & jure Magiſtratus poſitum, ut huic incommodo ſine magno negotio per parendi neceſſitatem poſſet occurri. Ad mentes & conſcientias mortalium; jus aut poteſtas Magiſtratus non pertingit. Meſſem hanc Deus ſibi ſepoſuit, in quam tanquam alienam & ſacram Magiſtratui falcem ſuam immittere fas non eſt. Defenſor equidem ille & Patronus Eccleſiæ eſt; ſed contra vim illatam non adverſus ſubrepentes errores. Quia à Deo corporalibus duntaxat armis, armatus eſt, quibus vis retundi poteſt; ſed ad expugnandos errores nihil proſunt, imò ſi adhibeantur nocent. Sunt alii qui vincendis erroribus à Deo armantur; ſed armis ſpiritualibus, doctrinâ ſcilicet & verbo Dei, Paſtores inquam & Doctores Eccleſiæ. His adverſus errores præſidiis utendum eſt. Sed homines docendi & inſtruendi, non affligendi aut expellendi ſunt. Nullus igitur à Religione prætextus adverſus conſcientiarum libertatem tyrannidi ſuppetit. Periculis enim ejus non deſunt aliunde remedia, quamvis ipſa conſcientiarum libertas, tanquam res ſacra & inviolabilis, ſoli mentium Regi Deo ſepoſita ſervetur. Non graviori damno & populorum jactură ſuperiori bello irrumpentes Scythæ, aut finitimi hoſtes, Tuas Sereniſſime Princeps ditiones vaſtarunt, quam vaſtare aliud agentes cupiunt, qui non modo pellendorum tot innocentiũ civium autores ſunt: ſed etiam in eorum calamitate, erigunt formidabile ſignum ac terriculum, quo Cæteri, aut ſimiles à ditione & ſubjectione tua abſterreantur. Hoccine eſt augendo populi affluxu firmare Provinciæ Potentiam. Benè proſpexit, bene ceſſit Batavis nunquam ſatis laudati & glorioſiſſimæ memoriæ Principis Guilhelmi Auriaci prudentia, qui hos ipſos Anabaptiſtas, in quorum nomen, hæc quæ nos petere videntur, edicta ſæviunt in cenſum reliquorum civium recipi, auctor fuit. Floruere exinde, affluxu & multitudine populi uſq; ad vicinorum invidiam, & omnium ſtuporem opulentiſſimæ iſtę provinciæ. Ferre unà cum cæteris onera publica qui non refragantur, quid eſt cur unà cum cæteris pace & ſecuritate publica gaudere non debeant. Neque verò exilii noſtri ſola Pruſſia miſerta videri poteſt, recepere noſtros benigniſſimi, bini Evangelici in Sileſia Principes, & cum nupero Turcico bello, provinciæ illius ordines contributionibus graverentur, etiam ab hoc onere immunes præſtiterunt. Recepit intra ducatus ſuos Opolienſem & Ratiborienſem Sereniſſima Poloniæ Regina, & cum iſthic Pontificius clerus noſtratibus negotium faceſſeret, etiam Reſcripto ſuo protexit. Tres continuâ ſerie ſibi ſuccedentes Tranſylvaniæ Principes Bartſchaium, Kemenium, & præſentem Abaffium haud commemoro, patrocinium nobis non denegantes, quia receptis illic legibus, negari non potuit. Humanius cæteros inter ſuſcepit noſtros Comes Franciſcus Redaius Princeps Evangelicus, in comitatu ſuo Maramuroſſio. Quod factum ejus cum Zelota quidam Anglus miniſter Anathemate dignum judicaret, ob hæreſin, promptè repoſuit Comes, ipſius Angli judicium Anathemate dignius videri, ob crudelitatem. Recepit noſtros exules, Sereniſſimus Elector Palatinus deſtinatâ ipſis Manheimii ſede. Nec Tua Sereniſſime Princeps benignitas contineri potuit, quin eoſdem in Tua quoque Marchia reciperes. Hujus erga afflictos humanitatis ac benignitatis cum Pannonia, Dacia, Sileſia, citerior atque ulterior Germania participes eſſe voluerint: quid cauſæ eſt, cur ſola Tua Boruſſia expers eſſe malit? Nempe vetera jura ſua municipalia, pro rigore adverſus nominatas ſectas allegant. Sed quomodo allegari poteſt Lex, quæ nuſquam in codice legum Provinciæ exſtat. Si quid uſpiam ad immunuendam iſtorum hominum dignitatem reperias, vel id ipſum documento eſt, Pacem & ſecuritatem eorum manſiſſe illæſam. Uſum & praxim adverſus eos jactare nequeunt, cum iſtius generis homines in his oris ab antiquo uſque ad noſtra tempora non defuiſſe notorium ſit. An verò cum in to-

to Poloniæ Regno, cui tunc provincia hæc arctiori feudi nexu conjuncta fuit, ejus generis homines pleno jure Pacis dissidentium in Religione fruerentur, adeoque florerent, ut in Senatum & ad summas dignitates sæpe admitterentur, sola hæc Provincia Pacem dissidentium in Religione, tot Regum juramentis sancitam violare potuisset? Quam pacem etiam Serenissimi Antecessores Tui, per legatos & ministros suos in Regno Poloniæ toties propugnarunt, ac sedulam dederunt operam, ne in ullius generis aut ordinis hominibus violaretur. Eadem pax omnes à Catholicis dissidentes, & nos ipsos complexa, ut in eundem statum in quo ante proximum bellum Suecicum viguit, in Poloniâ restitueretur, in tractatu Olivensi Tua Serenitas per legatos suos efficere, omni ope contendit. Liquebat enim omnibus, atque ipsis quoq; Suecis, generalem dissidentium à Catholicis pacem, infringi & convelli per hoc unum reliquorum dissidentium antemurale convulsum. Nec aliâ machinâ nos in Patria subversos, ex disertis verbis constitutionis constat, quam revocata in usum quæ obsoleverat Jagellonis lege, quę omnes Evangelicos unà nobiscum jugulat. Iniquum igitur est, nos, qui per tot annos discriminis nostri objectu, Pontificiorum insultus sustinuimus, & omnium Evangelicorum pericula remorati sumus; eò quòd tandem hostium violentiâ oppressi sumus, nunc ab ipsis Evangelicis affligi & opprimi. Nec Tua Serenissime Princeps Clementia & moderatio sinit pœnas à quoquam exigere, aut in quenquam sævire, eò quòd conscientiam suam impio vulnere sauciare non audeat. Laudabilis & omni prædicatione digna est Serenitatis Vestræ anni proximè elapsi declaratio, quâ palam & publicè professus es, quemadmodum hucusque nullius è subjecto tibi populo Confscientiæ aut Religioni vis illata est, nec ob diversæ fidei confessionem quisquam Tuo Jussu persecutionem passus est, ita & in posterum Tibi Decretum, neminem propter suam fidem aut errorem vexare aut persequi velle. Tanto igitur certior & repulsæ securior nos impetrandi spes atq; fiducia tenet, quod non aliud præsenti supplicatione humillimè obsecramus, quam ne in nostrâ quoque causâ à tam Sancto & Christiano animi Tui proposito recedere velis. Tristia & sęva, & Clementiæ tuę repugnantia sunt, quæ paucorũ quorundam, qui mansuetudinis & Christianæ tolerantiæ expertes esse sustinent, operâ à Serenitate Tua adversus nos postulantur. Neque id inter gravamina collocari ullo modo meretur, quo in statu suo relicto nullus mortalium gravabitur, convulso autem & abolito non exigua pars afflictorum Serenitatis vestrę subditorum miserabili calamitate involvetur. Nam gravamina quidem, quorum abolitionem vulgò populus à Principe postulat, libertatem & immunitatem civium aliquâ oppressionis specie aggravant: At conservatio libertatis conscientiarum; libertatem & immunitatem civium politicam nulla omninò specie oppressionis gravat: imo stabilit & conservat. Et sublatâ conscientiarum libertate, quis erit locus libertati Politicæ? Succedet in ejus vicem servitus, insontium oppressio, præsumptorum sontium inquisitio, pestis & scabies Hispanica etiam servientibus populis gravis ac detestanda. Sunt qui zelo Religionis suę non ferunt alienam conscientiæ libertatem; sed in eo dum alienam infectantur conscientiam suæ suorumque non parcunt & Religioni & conscientiæ. Quantò melius Religioni suæ consulerent: si eam ultrò ac libenter receptam, quàm per vim & metum extortam esse malent. Dedecus & ignominia est Religionis, quoties ad eam adigi opus est necessitate & violentiâ. Non igitur in eo gravamen est ullum, dum ingenuè & liberaliter; sed in eo dum violenter ac serviliter tractãtur conscientiæ: dum ob eas homines vexantur, premuntur, puniuntur, aut in exilium pelluntur. Horum potius gravaminum abolitio à Tua Serenissime Princeps Clementia petenda & impetranda est. Nam illorum qui eo gravari se putant & queri audent quod dissentientes ab ipsis incolumes sint & pace fruantur iniquâ & delicatâ, & repulsa digna sunt desideria. Neq; vero verendum est, ne adventus noster in hanc regionem similtri aliquid provinciæ aut afferat aut portendat. Illuc potius unde ejecti sumus, sævissima tempestas & procella malorum incubuit, continua ab hostibus damna, perpetuæ à milite injuriæ, frequentes Exercituum confœderationes, acerba Regem inter & Proceres odia atque dissidia, paupertas omnium ordinum, tabes vitiosæ monetæ, quæ omnem bonum succum & sanguinem è corpore Regni exhausit, & aquâ replevit intercute, denique cumulus omnium malorum civile bellum & quod gravius est, nihil solati; sed pejor metus ex futuro. At è diverso nobiscum unà migravit in has oras alma pax & benedictio Dei, cessit annonæ difficultas, succedere anni non steriles, redit incorrupta, nec viliori metallo adulterata pecunia, & pleno per Dei gratiam sufficit omnia copia cornu. Remotis tam frigidis accusationum prætextibus, quid est quamobrem tot innocentes, à jure Supplicum; jure humanitatis & misericordiæ repellantur? Nihil est quod magis favorem hominum mereri debeat, quam ademptionem bonorum, exilium & innumera mala pati propter conscientiam & jam si forte non optimè informata sit. Id enim est eximię probitatis documentum, magis amare Deum, quam se ipsum; magis timere quam homines, pluris facere cælestia prœmia, quam terrena bona, & caducam fœlicitatem. Enim verò hic est lydius lapis veræ & non simulatæ fidei, hoc pignus & tessera exploratissimæ erga Deum reverentiæ & obsequii. Quæ animi constantia si non omni laude, commendatione & mercede, at profectò favore & miseratione digna est. Quam indignum verò & miserabile est, tot utriusque sexus Viros & fœminas Nobiles, tot Viduas & pupillos, patriis finibus extorres, fortunis omnibus, quosdam & latifundiis expulsos, & qui multis olim beneficia præstare solebant, nunc aliena non beneficentia tantum, sed misericordia indigere & novæ ac penè atrocioris (quia jam pares vires ferendis malis non suppetunt) persecutionis discrimine periclitari? Talium preces ac necessitates negligere aut repellere, non modò inhumanitas, sed ipsa videtur crudelitas. Quę quãtoà Clementissimo Serenitatis Vestræ animo & mentibus Procerum nobilioribus abest, tanto nocentius interdum occupat aliquos, quibus ad sæviendum nunquam deest occasio aut prætextus. Tot undis ac tempestatibus jactati atque omninò dira atque immania passi hospitio prohibemur arenæ. Verè profectò arenæ, & quidem sterilis ac desolatæ. Non enim ad pingues & uberes cultioris Prussiæ glebas; Sed ad deserta & arenosa, nox & nuperis nec semel repetitis Scytarum, dein Litvanorum & aliorum incursionibus vastata Nahoriæ confinia naufragio nostro ejecti sumus. Hæc quia sterilia & inculta sumptu & labore nostro excolere, & exusta ac semiruta pagorum rudera instaurare incipimus, ecquod damnum aut detrimentum regioni ad quam accessimus afferre dicendi sumus? Idcircone minis aut edictis vexari & ad contumelias populo proponi meruimus? Nec enim satis est quod nobis inauditis, atque indefensis, ac ne testibus quidem postulatis aut productis tanquã jam convictis, objectorũ per injuriam conventiculorum culpa imputetur. Interdictum insuper ipsum ejusmodi verbis exprimitur, quæ legem horrendi carminis, de nobis in exilium pellendis, jam jam secuturam denuntiare videntur. Hoc ultimæ calamitatis nostræ infortunium Serenissime Princeps Domine Clementissime accisis jam & exhaustis ac diuturnâ persecutione adeo fractis viribus nostris, ut longius per alias gentes exilium nostrum circumferre per inopiam non liceat, humillimis & enixissimis precibus deprecamur. Ita Te Domine, tuaque pignora, Serenissimam conjugem atque progeniem (pro quorum omnium incolumitate ardentissima quotidie vota fundimus) sospites semper & florentes Deus Opt. Maximus prosperimis consiliorum successibus rebusque ex animi sententia fluentibus augeat, & cumulet, synceriſſimis suspiriis apprecamur.

Serenitatis vestræ Domini Nostri Clementissimi
Fidelissimi subditi Exules ex Regno Poloniæ.

HYPERAS-

HYPERASPISTES

seu

DEFENSIO APOLOGIAE

AB AFFLICTIS NUPER IN POLONIA, ET EXTORRIBUS ECCLESIIS IN PRUSSIA PERICLITANTIBUS

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. FRIDERICO WILHELMO ELECTORI BRANDEBURGICO.

&c. &c. &c.

Oblatæ

&

ILLUSTRISSIMIS DUCATUS PRUSSIÆ ORDINIBUS TRADITÆ.

anno Domini. 1666.

PRÆFATIO

ad Lectorem.

Est hoc in more positum, plerisque, qui errores, præsertim primi oppugnant, ut convellendo penitus, inolitam hominum mentibus falsitatem, nihil omittere velint, quod contrà illam dici posit; non semper attendentes an hoc ipsum quod in mentem venit verum; aut certum sit, dummodo errorem, quem justissima & liquidissima de causa oppugnant, subruat & prosternat. Quasi errori sola Veritas, non autem interdum & alius error, hostis esse posit. Sæpe & per ἀμετρίαν τ ἀντιθλιβῆς, dum nimium violenter in adversam partem, sententia aliqua trahitur, legitimum veritatis locum transilit & ad alterum erroris extremum deflectit. Præcipue cum Christianæ religionis dogmata; dum quondam à Judaismo longius abstrahuntur, post Justini Martyris & philosophi, multoque magis post Origenis ævum, dici non potest, quantum ad ultimæ Academicorum secta opiniones declinaverint. Ità inter Judaismum & Ethnicismum, Christiana doctrina fluctuans, dum ab altero extremorum violentius trahitur, ac rursus retrahitur, diversis temporibus de utroque non parum hausit. Nam ut eam olim à Judaismo abstrahentes, ævo Apostolico propiores Patres; Ethnicismo propemodum immiscuere; ita eandem nuper ab Ethnicismo avellentes, Maximi Viri, evitare non potuerunt quin alicubi nonnulli, ad Judaismum propius æquo deflexerint. Ut Jacobum Palæologum, Franciscum Davidis, plurosque alios præteream, Simon etiam Budneus nostràs, Vir eruditione, judicio, & linguarum Orientalium notitia eximius ad scopulos istos impegerat, naufragio proximus, nisi maturâ ante obitum resipiscentia, lapsuum suorum memoriam deleviset. Id cum vitio insitæ mortalibus imbecillitatis accidat, nemo è summis etiam Viris, cum homo sit humani aliquid à se alienum patet. Nemo etiam alienæ auctoritati tantum tribuat, ut in opiniones eorum qui magnis de Ecclesia meritis, celebres sunt, inquirere non ausit. Aliàs, pressius sequendo, verioris maxima ex parte sententiæ, antecambulones, & post eos proxime nos antecedentium gregem, ibimus non quâ eundum est sed quâ itur, nec ingenuè & bona fide soli Christo, sed factiosè, magistris nostris adhærebimus. Quæ pestis factionum, vulgares errores in tantum, fastigii provexit, ut hodie veritatis luminibus tam pernicioso, obstruant. Et si ad verioris de qua loquimur, sententiæ defensores serpat, factionem prævalidam & potentem, quæ nunc in orbe Christiana regnat, infirmâ & nullas dum vires nacta factione, nunquam subvertet. Nec verò auctoritate, nec factione; sed sola veritate & rationibus, vulgarium errorum patrocinium, tantis præsertim viribus suffultum, vinci potest.

Non ideò tamen Summorum virorum auctoritas & existimatio violatur, quia in ipsis primam Falsi glaciem frangentibus, errores aliqui notantur. Sua illis laus integra, suum decus illibatum manet, quòd adversus tot sæculorum conspirationem, tot præjudicia adhuc rum veritatem, ex spissa errorum caligine eruere, & fortiter ausi; & auso, non sine incredibili laude, maximâ ex parte, potiti sunt. Facile est inventis addere, aut operâ aliorum oborta luce, ea videre, qua forte cum densis tenebris luctantibus, qui nobis præluxere, animadvertere non vacavit. Nec dubito nos, qui nunc alienâ ope, maxima luce perfusi, non pauca, in publicatis majorum scriptis, damnamus aut desideramus, si eodem cum ipsis ævo, eundem laborem suscepissemus, longe pluribus & forte gravioribus in rebus, infirmitatis humana documenta dataros fuisse, quàm ii dedêre, qui dum in dubia falsi caligine, certum ad veritatem iter quærunt aliquando recta quidem, sed in speciem errori vicina orbita vestigia incautius vitavêre. Eorum nos nomini & existimationi, quantum quidem possumus libenter assurgimus: præcipuè quoties id absque veritatis injuriâ, & inprimis sine Christi gloria detrimento fieri potest. Hoc enim est criminum, quæ Ecclesiis nostris objiciuntur, maximum & plane capitale, quodque nos cunctis exosos, & veram quam profitemur doctrinam, suspectam omnibus mercem, imo invisam & rejectaneam reddit. Atque hac forte, si non sola at præcipua est causa, cur veritas divina, ad quam longe propiùs (absit dicto invidia) afflictas in Polonia Ecclesias, quàm cæteras omnes accessisse, arbitramur, lentos nimium atque tardos progressus habuerit. Quia à plerisque sui defensoribus, male defensa videtur. Quid enim opus erat simplici veritatis amiculo, pannosas Judaismi aut ad eam propius accedentis Ebionismi lacinias assuere, & regnum Christi æternum ac cæleste, intra breves terrenæ regiminis metas, includere? ut plane omnis ejus, cælestis in triumphante Ecclesia potestas & exaltationis eminentia; in æternum deponenda censeatur? quid, naturam ejus in cælo glorioso viventis, in humanæ vilitatis ordinem redigere; cum Paulus olim Christum secundum carnem cognitum, non ultrà se, secundum carnem nosse asserat? quid attinuit, de prærogativâ Unigeniti & veræ ac propriè dictæ ex Patre generationis, dignitate vel minimùm detrahere? Divina & nuda veritas, absque ejusmodi auctoris, sibi probè constat: qua satis ipsa per se errantibus odiosa est: Quid si ejusmodi coloribus, & Judaismum redolentibus fucis, incrustetur, qui calumnias & insultationes adversariarum provocent? Nec enim tantum falsa ista omnia; sed invidiosa quoque sunt, in quibus per noxiarum opinionum latus, innoxia veritas, immeritos ictus excipit ac vapulat.

Non

Non desunt qui in ejusmodi sententiis proponendis Judaicæ gentis rationem haberi; aut certe sub hoc obtentu his & similibus Judaismis; aut Judaismo vicinioribus opinionibus, veniam postulent. Verum fugit istos homines ratio, qui ejusmodi illecebris, gentem tàm duræ cervicis, inflecti posse ad Christianismum sperent. Quicquid iste populus erumnarum & calamitatum; in spem falsam cælestis præmii, justo Dei judicio, tolerare videatur, mentem tamen in terrenis & bonorum hujus ævi affluentia, tenet. Proinde removeantur licet omnia, quæ eum à Christianismo aversum reddidere scandala, & opinionibus eorum etiam plus quàm satis est, indulgeatur: nequaquam is populus Jesum inopem & persecutionibus obnoxium, agnoscet aut recipiet. Nunquam purior veritas quàm Christi & Apostolorum tempore genti huic illuxit. Et tamen crux Christi, populum hunc ab eâ transversum egit & abegit. Quem posteà Antichristiana Ethnicismi tenebræ in incredulitatis suæ caliginem profundiùs mersere. Pulsis istis tenebris, sed toto Christiano orbe, pulsis, ita ut Christi rediviva potestas, in extortam è manibus Antichristorum Ecclesiam, postliminio redeat, pura ejus veritate & hujus filiâ pietate, in terrarum orbem restitutis, spes demum effulget, gentem hanc ad obsequium Regis sui, sed regnantis latè, & triumphantis, respecturum.

Nec verò illa nunc è paucis, iisque à cæteris afflictis Christianis, doctrinam totius Christi religionis æstimat: sed potius ex populis in errores longè lateque diffusos factiosè conspirantibus. Qui nisi respiscant & Christiavum nomen, doctrinæ & vitæ maculis inquinare, desinant: inter tot tubas & cornua Antichristi classicum canentia, populus hic, paucorum è nostris voces & dogmata sibi blandientia, non exaudiet: aut certè despiciet. Si quis igitur Judaicæ genti consultum velit: Christianæ potius Ecclesiæ morbis sanandis, prospiciat; non autem in gratiam Judæorum, Christianis offendicula præbeat.

Quapropter hunc laborem, inter alias causas, eo quoque consilio suscepimus, ut opiniones, & errores Judaismum redolentes: aut saltem ei propiores, atro calculo notaremus, ne à vestris incautius disputantibus, non levi veritatis malè defensæ dispendio, urgeantur, & invitis Christianorum animis, atque adversis studiis, obtrudantur.

Quia verò opiniones eminentiam Christi deprimentes & Iudaismo viciniores, magnâ ex parte argumentis, è sola ratione depromptis, fulciuntur, dabit veniam æquus Lector, quòd in plerisque quæstionibus; ejusdem generis rationibus uti, coacti simus.

CAPUT I.

In quo ostenditur quòd Dominus noster Jesus Christus non per metaphoram, sed propriè dictus FILIUS DEI censeri debeat.

ERrorum quos refutandos suscepimus, primus omnium esto, qui novissimus nuper exoriri cæpit; quando ausi sunt quidam natalium Domini nostri dignitatem & generis nobilitatem in dubium vocare; dum eum non simpliciter verum & genuinum filium Dei, esse, sed per metaphoram aut metaphoricè sic dictum, contendunt.

Cujus rei culpa, non tàm penes eos hæret, quibus id forte aliud agentibus, & nihil minùs quàm ignominiam Domini sui animo agitantibus, præcipue in Scriptis inter armorum strepitum conceptis, & morte præveniente, parum accuratè recognitis excidit (quod interdum innocentissimis mortalium usuvenit) & qui primo cujuscunque hominis admonitu, pro candore suo, verba proximis offensionem præbentia

Emendaturi, si licuisset, erant.

quàm penes eos quorum palato hic error adeò allubuit ut eum per Ecclesias spargere, & in publicam lucem protrusum, cunctis propinare sustinuerint.

Summa præ omnibus, & soli Domino nostro competens adeoque propriè dicta Nobilitas est; quod verus, genuinus, & Unigenitus seu proprie dictus, Patris illius omnipotentis, ex quo omnia filius sit. Hanc illi opinionis tam crudæ sectatores, sine capitali injuriâ eripere velle nequeunt. Quis ferat, generis sui, si quam habet claritudinem, ejusmodi cavillationibus fugillari ut cum Regis, Principis aut Nobilis cujuspiam viri, de cujus vera & certa nobilitate nemo dubitet; filius ab omnibus dicatur; & reipsa sit: ab aliquo tamen, non verus & genuinus, sed per translationem & metaphoram dictus ejus filius esse, asseratur? Quis non per hanc contumeliam maculosum generi suo dedecus, & gravem natalibus notam inuri, meritò quereretur? Et isti ipsi boni viri, quo stomacho, qua indignatione acciperent, si non veri & genuini, hoc est, proprie dicti; sed metaphorice nominati Christiani censerentur? Quicquid est nominum, quæ dignitatem aut honorem, rebus nominatis afferunt, qualis est vox filii Dei, manifestam imperfectionem rerum nominatarum ostendunt, si de ipsis non propriè, sed metaphoricè dicantur, & ipsis tropicè tantum non verè competant. Atqui Patri cælesti placuit; ut in Christo, tanquam vero & unigenito filio suo, omnis plenitudo ac profectio habitaret. *Coloss.* 1. 19. Quid multis opus est? Historia utriusque generationis filii

Dei, in Sacris literis extat. Cum in humanam naturam nasceretur, quemadmodum propriè loquendo, ex Maria virgine natum; ita proprie loquendo ex Deo & Spiritu ejus conceptum eum nobis perhibet. Cum in divinam, eundem illum exhibet, ab ipso Deo non simpliciter tantum, puta in eandem quam vixerat, vitam & naturam regenitum ac resuscitatum: Sed per novam generationem in divinam & omnipotentiæ ac divinorum attributorum capacem naturam genitum & plane filium Dei in potentia. Utrobique metaphoræ locum nullum reperias. Nam ut humanam primùm naturam, ita posteà divinam nullus alius Pater quàm Summus Deus filio suo per sanctæ utrobique ac divinæ, sed tamen propriè dictæ Generationis modum contulit. Filius igitur Dei, utrobique proprie dictus, optimo jure nominatur. Quod si ratione prioris generationis, filius hominis simul & filius Dei propriè dici potuit quia non modo ex virgine Matre natus; sed ex Deo quoque patre, conceptus est; quamobrem ratione posterioris, filius Dei propere dictus, censeri, nequeat, cum ex ipso solo Deo patre, sine ullo sexus interventu natus est. Illud autem vehementer miramur, cur à recepta & communi Ecclesiæ nostræ sententia abierint, tàm crudæ & falsæ opinionis auctores, qui ignorare non poterant, à nostris Christum patris sui filium naturalem agnitum esse. Naturaliter igitur Christum, filium Dei esse censuere. Atqui, quicquid est naturaliter id quod esse dicitur, id necesse est propriè loquendo esse id, quod dicitur. Cum igitur nostri Christum naturalem esse filium Dei faterentur; eadem opera ipsum propriè dictum Dei filium esse censuere. Nihil enim magis propriè cuiquam competit, quàm quod ei naturaliter competit. Sed hæc sua sponte, (si pervicacia & nimium addicta hominum auctoritati observantia absit) cuique patent. Si quis tamen plura desideret, pauca ista ipsi perpendenda proponimus.

I.

Filius Dei, ob generationem suam propriè dictam proprie dictus & ipse censendus est, quia generatio ejus fuit substantialis. Vox autem generationis ad substantias pertinet propriè, ut Alterationis ad accidentia; & ea generatio ex qua substantia producitur ut substantialis, ita properè dicta sit oportet, qualis est Filii Dei. Alia est ratio, generationis impropriæ dictæ, per quam Christiani regenerati, ex Deo nascuntur; quæ potius Alteratio est, uti & natura aut potius qualitas per eam producta; accidentalis est; quæ adesse & abesse potest, absque corruptione subiecti. Idem enim subiectum & regeneratum ad sanctitatem fieri, & tale aliquamdiu manere, & tale quoque esse (nihil mutata natura sua substantiali) definere potest. Non ita se habet Christi generatio, qui semel natus Dei filius; filius Dei esse definere non potest. Substantialis enim ejus generatio est: ideò essentia per eam producta, à supposito suo, avelli non potest: quemadmodum ea, quæ per accidentalem, hoc est, impropriè dictam, generationem, supposito inhærent.

II.

Eundem filium Dei, propriè dictum esse necesse est. quia Deus ad eum primitus, in humanam & imbecilli naturâ generandum, sexus operâ usus est. Quid autem ad impropriè dictam generationem, aut etiam simplicem creationem, sexus operâ, opus fuerat?

III.

Idem propriè dictus filius Dei est, quia in utero matris suæ, intactæ & sanctissimæ virginis, ex Spiritu Sancto, hoc est, virtute & potentia patris essentiali conceptus est; nec ullum alium proprie dictum Patrem, præter unum illum Deum Patrem, ex quo omnia, sortitus est.

IV.

Idem proprie dictus filius Dei est, quia cum à Deo patre in divinam & omnipotentem naturam, & Statum, tanquam filius in potentia *Rom.* 1. 4., ex resurrectione mortuorum genitus est: tam excellens ei natura collata est, quæ omnipotentiæ, & summæ tam in cælo quàm in terra potestatis à patre tamen dependentis, capax esset. Non minùs igitur naturâ (quamvis ista natura ex dono sit patris) quàm potestate & omnibus Dei attributis, ipsaque adeo dignitate & eminentia, adeò similis & proximus Deo patri evasit, ut etiam non prælucente nobis Sacræ Scripturæ auctoritate, eum verum & propriè dictum Patris hujus progeniem fateri cogamur. Quanto magis id faciendum, cum eum Sacræ Scripturæ filium Dei proprium, eumque *Unigenitum* & expressam invisibilis Dei imaginem & substantiæ ejus characterem, apellet, ut ab aliis filiis impropriè aut analogicè sic dictis, discernatur.

V.

Idem propriè dictus filius Dei est. Quia à generatione ipsius; qui non ex voluntate carnis aut viri: sed ex Deo vere & propriè natus est, ducitur metaphora, ad impropriè dictam generationem filiorum Dei; qui similiter non ex sanguinibus nec ex voluntate carnis, sed ex Deo impropriè nati sunt. Propriè dictam igitur generationem esse necesse est, à qua ad impropriam metaphora ducitur, quia metaphora est translatio vocis à proprio sensu ad improprium. Et sensus improprius semper supponit, eum à quo ducitur esse proprium: nec ulla metaphora metaphoræ esse solet.

VI.

Omne quod per metaphoram de aliquo dicitur aut prædicatur sine ulla absurditate, potest ab eadem metaphora denominari metaphoricum. (ex natura & legibus conjugatorum) Atqui filius Dei cum de Jesu Christo prædicatur, non potest sine absurditate dici metaphoricus (ex sententia autorum tàm crudæ opinionis), Ergo filius Dei non per metaphoram, sed propriè de Jesu Christo dicitur. Major ex legibus Conjugatorum manifesta est. Sed si probatio ejus requiratur, nititur insuper definitione Metaphorici, & ita probatur. Omne quod per metaphoram à proprio sensu ad improprium transfertur, sine absurditate potest dici Metaphoricum. At omne quod per metaphoram de aliquo dicitur, per eandem metaphoram à proprio sensu ad improprium transfertur. Ergo omne quod per metaphoram de aliquo dicitur, sine absurditate potest dici metaphoricum. Ita major principalis syllogismi definitione Metaphorici (quæ de definito suo sine absurditate prædicatur) Minor confessione adversariorum nititur. Quomodo igitur negari aut in dubium vocari potest Conclusio?

Quod si quis ex eo, quia metaphoræ, non in rebus sed in vocibus tantum propria sedes sit, arguat nos de eo litigare quod vox est tantum, præterea que nihil; huic in mentem revocandum est, nos de rebus aut personis, nisi per verba & voces loqui aut differere non posse; ideoque in gratiam rerum aut personarum, quoties illis absurdæ, ineptæ, aut incompetentes voces tribuuntur, eò necessitatis adigi, ut voces quoque ad res & personas intelli-

intelligendas excutiamus. Nam quicquid in vocibus peccatur, res ipsas quarum sunt signa afficit. Non agitur de lana caprina, aut de eo quod præter vocem, nihil est disputatur, quoties de vocibus quibus res exprimitur disceptatur.

Nam refugio illo ad distinctionem metaphorici, à, metaphoricè dicto, nihil est inanius aut absurdius; quæ adeò non distinguuntur; ut inter se recidant, imò unum idemque sint. Nam quod adjunt Metaphoricum, in eo à Metaphoricè dicto differre, quod sit nihil, aut Non ens, nihil falsius aut ineptius commento isto; excogitari potuit. Nullum enim Metaphoricum, dici potest nihil aut non ens uti & metaphoricè dictum. Nam cujus vox, à propria significatione alterius rei, translata est, ad impropriam alterius illud certè esse in rerum natura necesse est; quia est simile ei, cui vox istius impropria; propriè competit. Non ens autem nulli rei simile dici potest, cujus nullæ sunt affectiones. Nec nos cum metaphoricam filii Dei significationem impugnamus adversariis, quòd filium Dei non ens esse statuant, objicimus, sed quod illum opinentur esse Ens natura & dignitate, propriè dicti filii Dei, longe inferius quemadmodum (quod suprà attigimus) si quis eos Metaphoricos Christianos esse, assereret, non negaret quidem eos esse Entia, aut homines; sed negaret eos esse propriè dictos & veros Christianos, nec plus ipsis daret quàm quod sint Christianorum similes. Ità qui Jesum Dominum nostrum, metaphoricè dictum filium Dei esse existimant, entitatem ei non adimunt, sed nihil plus ei tribuunt quàm quod sit veri & propriè dicti filii Dei, similis. Quod adeo absurdum est, ut non mirum sit, quod vis veritatis ab iis extorserit, ut eos Metaphorici filii Dei, per inadvertentiam suam, satis imprudenter excogitati; puderet.

Plura in hanc sententiam dici possent. Sed quis ultrà huic labori locus relinquitur, ubi adversarii, ad tacitam quidem sed non obscuram veritatis confessionem adacti sunt. Nec plura satisfacerent iis, quibus ista tam pauca non sufficiunt. Nunc igitur argumenta tantum partis adversæ refellenda supersunt.

REFUTATIO

argumentorum Contrariæ sententiæ.

QUi diversum sentiunt, propriè dictam Generationem Deo tribui posse negant. Primùm, quia eum non deceat, quòd hæc actio sit viliorum & corruptibilium Creaturarum; puta animantium aut etiam ignobiliorum rerum, ex elementis constantium mixtorum aut miscibilium corporum; non verò nobiliorum & incorruptibilium, quales sunt Angeli & cælestia suppositа.

Proinde sicuti non cadit in Angelos, quorum individua sempiterna sunt; ita & quidem multò minus in Deum. Loquimur de supremo. Qui cum sit, & esse debeat Unus; alium generare nequeat; quin sit Deus, putà omnium Supremus. Plures autem tales Deos esse absurdum sit.

Deinde quia Deus summus, propriè dicta generatione non indigeat. Cujus ut ita dicam, individuum, æternum sit ac perpetuum, quod nullâ sui aut speciei suæ propagatione opus habeat. Reliquum est ut sola impropriè dicta generatio Deo Supremo tribui possit.

Resp. Speciosè quidem ista dici & adversus Revelationis fidem & auctoritatem etiam ab Atheis atque ipsis Judæis, jactari non ignoramus. Sed ut cæteris in rebus omnibus, ita hic quoque nihil repugnans Rationi, revelatio nobis proponit dictam propriè dictam generationem Deo tribuit. Imo verò obscurum Rationis lumen, claritissima sua luce illuminat; ità ut ipsa tandem ratio, agnoscere & fateri cogatur, non modò in generatione propriè dictâ, nihil esse quod Summum illud Numen dedeceat: sed etiam ipsam, in maximam ejus gloriam cedere posse.

Quodque longe plus est eandem generationem primario & principalissimo modo, soli Deo competere, reliquis omnibus generantibus minùs principaliter, quàm Deo; non ideò tantum quod Deus longe nobiliori, & præstantiori ac diviniori modo quàm cætera omnia generantia, immediatam suam generationem perficiat; sed etiam quòd ad alterorum omnium generationem, immensæ potentiæ suæ vi, & quasi influxu concurrat; ac tanquam prima Causa, per mediantes causas secundas, omnia tam generet quàm producat: & cuncta conservet, quod in omnium generandorum seminibus, mirificâ & quasi non suâ vi præditis, non sine stupore, cernitur.

Quem igitur magis hæc æternitatis æmula; & præstantissimarum rerum productrix, & multiplicatrix (de generatione proprie dicta loquar) deceat? quàm summum rerum omnium Genitorem, Patrem ex quo omnia, qui etiam ab Ethnicis Divûm atque hominum pater dictus est? Qui cum rerum omnium primus productor & effector sit; diversis producendi modis singula fecit. Nam longius à se remota & ignobiliora simplici Creatione; Nobiliora verò & sibi viciniora & similiora Creationi admixta; divinæ auræ suæ inspiratione; denique nobilissima, propriè dictâ generatione, produxit.

Hic igitur productor omnium Deus, si propriè loquendo, nihil generare possit; potentiam ita generandi eum non habere certum est. Atqui longè certius est datam ab eo generandi potentiam (loquimur semper de generatione propriè dicta) iis, quæ generare possunt. Quomodo igitur dare potuit, quicquam quod ipse non habuit? Nec tamen illum id habere, ullo modo, (ut ostendimus) dedecuit. Quod si habuit generandi potentiam, quid prohibuit; quo minùs eam ad actum, quando placuit deducere potuerit?

Non pugnat igitur Ratio cum Scriptura, quæ propriè dictas generationes Dei, nobis ob oculos ponit; nec authoritas S. S. & revelationis, nobis per speciosa, sed parum solida, rationis commenta, subruenda est.

Quæ quanti facienda sint, nunc expendere incipimus.

Ajunt enim Deos supremos plures, eosque sibi natura & potestate æquales, ejusmodi generationem si daretur illaturam fuisse.

Resp. Minime vero gentium. Deus enim summus generare quidem Deum potest, sed summum & sibi æqualem neque potest, quia generatio ejus voluntaria est. Velle autem sibi parem generare, gloriæ ejus ratio, & universi conservatio non permittit.

mittit. Potest is omnia quæ vult ; sed velle non omnia potest , in primis quæ sapientiæ & gloriæ suæ adversantur. Itaque generatio summi Dei , à reliquis generationibus , præter cætera discrimina ; in eo quoque differt ; quòd in cæteris quidem generatum generanti par , aut eo interdum excellentius esse soleat. Summus autem Deus , nonnisi seipso minus atque inferius generare possit , aut potius velit. Propter evidentem rationem , quia Summa plura dari nequeunt. Nec unquam ejusmodi generationem Deus suscipere & velle possit , quæ cum majestatis & gloriæ ejus detrimento , conjuncta sit. Proinde assertio illa , quod Deus generare nequeat nisi Deum ; aut sibi parem , falsa est ; cum ejus generatio proprie dicta , ad eas generandi leges non sit adstricta ; ad quas cæteræ adstringuntur , ut genetatum generantis naturam plane & plenè adæquet, interdum quoque ob aliquam intervenientem causam, superet. Sed in divinis generantem generato excellentiorem esse omninò necesse est.

Quapropter Deus generantium omnium liberrimum agens, etiam hominem generare potest ; quemadmodum in priore Christi generatione factum videmus. Potest & Deum , qui caput sit cæterorum omnium Deorum ; Sed tamen talem , cujus, Paulo teste , ipse pater sit caput : quod in altera Christi generatione cernitur.

Sed urgebit quispiam , indignam Deo videri actionem , quæ ipsi communis cum animantibus fingitur, qualis est sobolis propagatio.

Resp. Atqui innumeræ actiones in Deo reperiuntur , & in Deum cadunt , quæ ipsi cum inferioribus Naturis , communes sunt : imò quas ipse , ut sibi cum iis communes sunt , exigit. nec ideo de dignitate aut Majestate Dei quicquam decedit. Deus benefacit , punit , præmio afficit ; justitiam exercet , clementia erga pœnitentes utitur , poscit ut homines sese in omnibus , tanquam filii patrem imitentur. Quid hoc de dignitate aut gloria Dei decerpit ? Præcipuè cum etiam communes mortalibus cum Deo actiones , nunquam ad perfectionem ipsarum Dei actionum perveniant.

Quod si quis dicat instantiam nostram , non ejusdem generis actiones Deo cum hominibus communes proponere , cujus generis est generatio proprie dicta; quæ non est ex libera prœreli , sed ex necessitate naturæ ; aut saltem non liberæ voluntatis , sed solis naturâ viribus perficitur.

Resp. In creaturis quoque intelligentibus , quas Deus ad imitationem suarum actionum invitat ; & quibus generandi potentiam dedit , generationem quoque propriè dictam ; neque esse ex necessitate naturæ , neque solis naturæ viribus perfici ; sed voluntatis quoque nutu atque imperio. Nec omnes natura eunuchi sunt. multi qui sese eunuchos fecere propter regnum Dei , nec quisquam generat nisi voluntatis suæ permissu , aut instinctu. Quantum igitur ad generationem propriè dictam attinet , ea tàm in hominibus quàm in Deo , liberrimæ voluntatis prœresi subjecta est , æquè ut aliæ ordines actiones , quas nos in exemplum communium cum Deo actionum proposuimus. Non igitur instantia nostra vitiosa est , nec ad diversum genus actionum evagatur.

At enim à modo & circumstantiis quibusdam generationis animantium , vel ipsa ratio abhorret , easque dedignatur : tantum abest ut in actionem tàm sancti Numinis cadere possint.

Resp. Generatio etiam propriè dicta ; non unum generandi modum , sed pro diversitate naturæ & conditionis generantium : interdum & generatorum , nobilioris aut ignobilioris , diversissimos habet. Non eodem modo Deus quo homines , generat , nec eodem modo generat ea , quæ in cælestem aut divinam naturam , quo ea quæ in terrenam & humanam producuntur. Generatio cælestium absque adhibito sexu perficitur. Terrenorum & hominum sexus postulat interventum , quia in cælestibus sexui locus non est : est in terrenis atque hominibus. Deus ipse cum sapientiæ suæ , in ejusmodi natura , in quam sexus cadit , filium generare placuisset , sexus opera usus est. Non igitur ideò impropriè dicta generatio censenda est , quia diverso ab aliis , propriè itidem dictis aut longe nobiliori modo peragitur. Ut cætera præter animantia , dissimilem ab animantibus generationis modum sortita sunt ; ita ne ipsa quidem animalia eodem modo , sed alia ovipara , alia vivipara generantur.

Neutris tamen horum propriè dictæ generationis nomen abstuleris. Verum ut generatio cæterorum præter animantia , diversum à generatione animantium modum habet ; ita generatio animantium, à generatione divina toto cælo distat. Plena hæc sanctitatis atque honestatis ; illa non parum vilitatis aut occultandi dedecoris habet. Quid refert igitur , quod humanum vel animantibus competentem generandi modum Deo indignum fatemur , quando divina generandi ratio Deo dignissima est ? Quod vel in ipsa Christi in humanam naturam generatione liquidò cernitur. Ubi in sanctissima virgine , miraculosa spiritus & virtutis Dei opera , nobilis ac divinus ille fœtus productus est. Quanto sanctior & eminentior generatio videri potest , in qua sine ullâ sexus operâ , Dominus noster in divinissimam & omnipotentiæ divinæ capacem naturam est genitus ?

At iterum objicitur. Angelos propriè dicta Generatio , non decet. Multò igitur minus Deum. Non decet autem , quia nuptiæ aut matrimonium non decent.

Resp. Quasi verò ii qui natura cælesti & immortali prædita sunt , si ipsis à Deo generandi potentia donaretur , eam nonnisi humano more , perficere possent. Sed Angeli non ideò non generant ; quod generatio eos non deceat ; sed quòd generare non possint , cum datam sibi à Deo generandi potentiam non habeant. Qui dedit unicuique quod ei satis est. Cum verò nihil frustrà faciat , non dedit id Angelis quo non indigebant. In his enim indigentiæ ratio locum habere potest , qui donis Dei & gratia indigent ; & quorum indigentiæ succurri ab eo potest. In Deo qui nulla re indiget , & cui ab alio succurri nequit , indigentiæ ratio , ut mox videbimus , inepta est , nec ullum locum habet. Non indigebant autem generatione Angeli, quia ipsis Deus individuorum æternitatem donavit , ne speciei propagatione indigere possent. Longè plus igitur acceperunt , quàm quod ipsis negatam est.

Superest ultima adversariorum ratio refellenda , quam nec multùm , quia nec meretur , morabimur. Generatione, inquiunt, Deus non indiget ? cum sit æternus. Ergo non habet generandi potentiam.

Resp. Quod consecutionis pondus ? Deus nulla re aut actione indiget , & tamen habet potentiam ejus efficiendæ aut exercendæ. Non indiguit creatione Mundi. Idcircone ipsum creare non potuit ? Non indiguit hominis ad cælum admissi indigenatu. Non igitur olim eum ad regna cælestia admissurus est ? Talia argumenta arena sine calce sunt : adeo non cohærent. Opulentior Deus est, quam ut ex indigentia aliquid facere soleat. Quæcunque vult, habet in potestate. Nulla re indiget , & omnia facit , non propter indigentiam , aut Status sui necessitatem ; sed aut propter gloriam, aut propter bonitatem suam quantum fieri potest communicativam. Frigida igitur est hæc in Deo , ab indigentiæ defectu ducta consecutio.

Atque ita generationem propriè dictam , sicuti Deo patri activam ; ita passivam filio ejus meritò tribui,

tribui, satis, ut opinor, ostendemus.

CAPUT II.

In quo ostenditur quod Christus propriè loquendo sit, & vocetur Filius Dei Unigenitus.

SAtis mirari non possumus, dum cogitatione revolvimus, quid in mentem venerit iis, quibus in voce Unigeniti, tàm sollicitè causas tropicæ significationis scrutari placuit, cum propria & usitata Domino nostro tàm aptè conveniat, ut melius quadrare nihil possit. Quis unquam alias præter eum extitit, qui propriè loquendo ex Spiritu Sancto conciperetur & ex virgine nasceretur? Quis unquam alius in ejusmodi divinæ substantiæ characterem genitus est aut generabitur, ut ei omnipotentia, summa suprà omnia potestas, & cætera divina attributa, quæ in Christo cernimus competere vel tribui possint? In utraque igitur naturâ tàm divinâ, quàm humanâ, Unigeniti nomine ac dignitate cunctis præcellit. Quid aliud est, nodum in scirpo quærere, quàm in vocibus, quarum propria significatio verissima & planissima est, impropriam superflua & operosa investigatione venari? Atqui id jura Theologorum municipalia vetant. Substituunt nobis, pro Unigeniti voce, vocem Dilectissimi & singularissimi. Nos Unigeniti voce contenti, cæteras quæ vim ejus non exhauriunt, vel sensum diversum reddunt, nihil moramur. Aliud est Unigenitus, aliud singularissimus, quæ vox posterior, strictissimum illum, filii cum patre nexum non exprimit. Aliud est dilectissimus, aliud Unigenitus. Potest enim esse dilectissimus, qui adeo non sit Unigenitus, ut ne genitus quidem sit ab eo, à quo diligitur. Potest & unigenitus ob aliquam causam, non esse dilectissimus. Fatemur libenter Christum Deo charissimum & singularissime dilectum esse. Sed eundem non propter solam charitatem patris; verum quia in re ipsa quoque talis sit, Unigenitum dici contendimus. Illud non diffitemur; istam charitatis paternæ erga filium necdum natum excellentiam causam impellentem posse videri, ob quam eum Deus, tàm in humana; quàm in divina naturâ successivè, Unigenitum reipsa nasci, non per tropum, dici voluerit. Sed quid opus erat vocem Unigeniti, obtorto collo, ad improprium sensum mordicùs trahere, cum proprius in promptu esset? Quid attinuit, pravè interpretandis vocibus, rerum per eas significatarum naturam immutare? Unigenitus est, qui ita solus propriè loquendo ex patre genitus est, ut fratrem alium proprie dictum, ex eodem patre genitum, non habeat. Talis est Dominus noster, propriè dictus, patris cælestis filius. Nam impropriè dicti, ejusdem filii multi sunt; qui non possunt esse proprie dicti filii Dei; quia alios præter Deum, patres suos propriè dictos habent. Non ita Dominus noster, cui præter Deum nullus est alius pater. Solus igitur & nunc dicitur, & in æternum mansurus est, Unigenitus. Nam quod fratrum Christi, ratione Dei patris alicubi mentio fit, id non de propriè dictis fratribus, sed novæ creationis participibus (in qua Christus primogenitus alicubi: verum alibi Pater æternitatis, & Novus Adamus progeniei ex se ortæ genitor dicitur) intelligendum est. Hujusmodi autem fratres, licet ratione cælestium suorum corporum immortalitatis, corpori glorioso Christi conformes; at longè infrà divinam Christi naturam, majestatem, & omnipotentiam positi erant.

Qui vero Christum filium Dei adoptivum aliquomodo dici posse asserunt toto cælo errant, & sua verba non intelligunt; cum interea divinam veritatem, cujus sunt defensores, calumniis & conviciis obnoxiam exponant. Nam qui ita loquuntur, adoptivum eum simpliciter dici non posse, statuunt & fatentur. Genuinum igitur & proprie dictum eum filium Dei ut fateantur necesse est.

At proprie dictus filius, quo prætextu, quo excogitatæ rationis colore, adoptivus dici potest? Defectum veræ generationis adoptio supplet; & est vinculum inter adoptantem: & adoptatum, quam inter naturalem patrem & filium, longè infirmius & ignobilius. Ubi est vera & naturalis generatio, adoptioni locus non est, ubi adoptio, illic veram generationem abesse necesse est. Quid opus est adoptare eum, qui citrà ullam adoptationem naturalis filius est? in quo citrà contumeliam & injuriam veræ generationis, nulla adoptio fingi vel somniari potest. Illud autem admodum absonum est, adoptionem quam Christo tribuunt, in posteriori & excellentiori Christi generatione, per quam divinam naturam adeptus, & verè Deus natus est, collocari. Quæ generatio tam fuit naturalis, quàm prior. Quia sicuti prior humanâ, ita posterior divinam naturam Domino nostro contulit. Sed generatio & adoptio ita sibi oppositæ sunt, ut neutrum eorum poni possit, quin alterum tollatur. Quisquis est adoptivus, veræ generationis expers est: & vere generatus nulla adoptione indiget. Quid vocabula indimus, rerum quas significant, naturæ repugnantia?

Quod si quis objiciat, Fideles Christi cum nova creatio consummabitur, & cælestis naturæ reipsa participes fient; filios Dei propriè dictos fore. Non igitur Christum tunc Unigenitum, sed tantum primogenitum mansurum.

Vox filii Dei etiam propriè dicti, sicut & ipsius Dei, sunt vocabula quæ vocantur ab Uno, seu genera analoga, quæ principali speciei primariò competunt, reliquis admodum inæqualiter. Quamvis igitur tunc fideles glorificati, magis quam nunc propriè dicti filii Dei vocari possent; tamen vox ista ipsis, minùs principaliter competeret. Sed ne tunc quidem cum prærogativa Unigeniti comparari; nec satis propriè filii Dei fore censendi sunt. Unigenitus enim à patre immediate naturam, non cælestem tantum, sed divinam quoque & Omnipotentiæ capacem accepit. Fideles Christi autem ab Unigenito, naturam cælestem tantùm, non autem divinam (strictius eâ voce sumptâ) accipient. Hinc ille Pater æternitatis & novus Adamus dicitur, à quo progenies in Ecclesia triumphante æternam mansura propagabitur. Ut taceam fideles, præter Deum aut Christum, patres suos propriè dictos primigenios habuisse: Christum autem neminem alium præter Deum patrem ex quo omnia. Ita Christo manebit semper salva Unigeniti prærogativa, quia est Deus benedictus in secula *Rom.* IX. 5. unctus à Deo patre oleo lætitiæ ac beatitudinis supra consortes suos. *Heb.* I. 9. Quorum nemo tam sublimis exaltationis compos fingi potest.

CAPUT III.

Quòd nulla sit justa aut gravis causa, ob quam Christum, ex essentia Patris genitum esse, negari debeat.

SUperfluum videri potuit, quærere Utrum Christus ex essentia patris sui genitus sit, dum eum verè ac proprie, ex eo genitum constaret. Magnorum enim operum Dei efficiendorum modus tutò

ignorari poteſt, dum ipſa opera cunctis liquidò pateant. Sed quia hæc quæſtio, magnis utrinque ſtudiis agitari cæpit, aliis fortiter affirmantibus; aliis obſtinatè τὸ κεκρίμενον negantibus: Præterea quia vulgo perſuaſum eſt multis, veram & proprie dictam generationem, fieri non poſſe niſi filius ex eſſentia Patris generetur, nobis quoque in eam neceſſario ingrediendum eſt.

Cauſam igitur neque juſtam, neque gravem ullam animadvertere poſſumus, cur aliqui noſtrorum adeo præfractè negent, filium Dei ex eſſentia patris naſci potuiſſe. Nam illa ratiuncula, mentione indigna eſt ipſa; quæ indignum Deo aſſerit, ex eſſentia generare quia ſic omnia, & ipſa animantia generent. Eadem igitur illationis vi arguemus indignum eſſe Deo, ſi dicamus eum eſſentiam ſuam habere, quia unumquodque animantium, imo viliſſima quæque entia, eſſentiam ſuam habent. Vox eſſentiæ ita generalis eſt, ut etiam infimis entium negari nequeat: quamvis nobiliſſimo enti, longe perfectius & excellentius competat. Nam & viliſſima entium eſſentiam ſuam habent. Idem de productione ex eſſentia dicendum eſt. Sed ut eſſentia alia nobilior & excellentior, alia vilior & humilior eſt, ita productio vel generatio ex eſſentia. Quamvis igitur ſpecialis modus producendi ex eſſentia, quali animalia utuntur ſit indignus Deo, non tamen inde ſequitur Deo nullum ſuppetere nobiliorem modum, & planè divinum, quo utatur ad generandum ex eſſentia ſuâ.

Porrò eſſentiæ vox, quanquam in Sacris libris, quod meminerim, non reperiatur; niſi forte in ſignificatione longè diverſiſſima: legimus tamen Deum, ab eſſendo (ubi rerum copia poſcit paupertas linguæ novis vocibus ſupplenda eſt) ſibi nomen adoptaſſe. Et cum ipſa ratio oſtendat, eum eſſe Ens eminentiſſimum, eſſentiæ quàm naturæ vox, longè aptius ipſi tribuitur, quippe qui nunquam natus ſit, aut naſcendo naturam acceperit. Ens autem abſque eſſentia & quo potius eſt; eo abſque potiori eſſentia, eſſe nequeat. Nihil igitur peccant, qui eſſentiæ vocem Deo tribuunt. Ex qua, an produci aliquid poſſit? videamus.

Ex ſpiritu quidem Dei, qui meritò Sanctus dicitur conceptum & productum filium in humana naturâ natum Sacræ Scripturæ teſtantur.

At ſpiritus Dei (objicient) non eſt eſſentia; ſed vis atque potentia Dei. Reſp. Quid? iſta vis & potentia, non eſt Deo eſſentialis? non ab eſſentia ejus procedit? Quid intereſt, mediate aliquid, an immediate ex aliquo producatur; dum tamen ex eo, producatur? Certe eſſentia Dei quæ omnium perfectiſſimum Ens conſtituit, non ita ſterilis putanda eſt, quin ex infinita perfectione ejus, Deus quicquid voluit derivare, & in deſtinatam à multis ſeculis, ac dilectam ſibi progeniem conferre, potuerit. Qui igitur cum in humanam naturam naſceretur; ex Spiritu Sancto conceptus eſt, cum poſt mortem in divinam glorioſam & omnipotentiæ capacem naturam regenitus eſt; quamobrem naturæ ſuæ divinitatem & perfectionem, ex immenſa & infinita, eſſentiæ paternæ perfectione derivatam, accipere non potuerit, nulla juſta & idonea cauſa reddi poteſt. Præſertim cum & homines ex divina eſſentia aliquid inſpiratum habere, videantur. Nam divinæ illa auræ particula, quæ in Angelis & hominibus Animum (quo nihil eſſe præſtantius atque divinius, neſcio quis, meritò dixit) conſtituit unde hauſta eſt? Annon igniculi iſti ſunt accenſi è divinæ luce? Eſſentiæ, inquam, patris luminum? Unde (ut de Angelis taceamus) humanum quoque genus, Dei genus, meritò ab Apoſtolo dicitur. *Act.* XVII. 25. Quod ſi per inſpirationem Creationi additam propagare Deus aliquid homogeneum eſſentiæ ſuæ poteſt, etiam in fluxâ & fragili humanâ naturâ: quantò magis cum non inſpirat, ſed ex profeſſo generat ſobolem, in quamcunque Naturam generetur? Quantò autem eminentius ac perfectius, cum eam in diviniſſimam & excellentiſſimam ſibique proximam & congenerem naturam, generat; ut ea ſit character ſubſtantiæ ejus & gloriæ reſplendentia?

Quod ſi quis dicat, Ex eſſentia Dei naſci hominem non potuiſſe, cum eſſentia Dei ſit perfecta, incorruptibilis, divina glorioſa: Natura vero in quam Chriſtus natus eſt, fuerit imperfecta, mortalis, humana, humilis.

Reſp. Primum Dato, at non ſtatim conceſſo Naturam humanam Chriſti, non eſſe hauſtam, ex ipſa Dei eſſentia: Natura tamen divina glorioſa & eſſentiæ Dei homogenea, quam per ſecundam generationem adeptus eſt, nihil repugnat quominus ex Dei eſſentia hauſta fuerit. Non enim homo mortalis, ſed Deus immortalis, omnipotens & glorioſus per eam generationem natus eſt.

Secundo Etiam in humana natura, Sanctum illud, quod filius Dei vocandum erat, ex divina eſſentia derivari, potuit, tanquam diviniſſima ſubſtantia; quæ omnipotenti ſapientia Dei in humanum ideoque infirmum corpus Chriſti, tanquam complementum ſuum, ita potuit infundi, ut fragilitatem naturæ humanæ, nobis in omnibus ſimilem, non aboleret: ſed in eo fidei ac cæleſtibus virtutibus, quibus ille ſuis præluxit, locus relinqueretur. Cujus ſapientiæ & potentiæ Dei modum, ſicut in plurimis aliis rebus, in quibus τὸ ὅτι liquet: τὸ διότι obſcurum eſt: ita hic quoque, ut plene aſſequi, ita plene explicare nemo mortalium tenetur.

Cæterum an inſitam, & ut ita dicam naturalem potentiam ad actum deducere, indecoram aliquam & in Deum non cadentem mutationem inferet? Boni præcipuè Summi Natura aut eſſentia, eò propendet, ut ſui ſit, (ſicuti loquuntur) Communicativum. Nihil igitur eſſentiæ Dei repugnat, qui ſummum bonum eſt, ſi per generationem, ſeu per generati, ex infinito lumine ſuo luminis accenſionem, bonum eſſentiæ ſuæ in quos vult propaget. Nec ſtatim in fonte inexhauſto, mutatio ſomnianda eſt, ſi quid ex eo ad ſedandam ſitim hauriatur, quod ilico perenni affluxu reſtitui ſoleat. Breviter. Si ex inferioribus eſſentiis, conſtat alias eſſentias gigni & propagari, quamobrem ex perfectiſſima omnium & ſuprema eſſentia; quæ omnium rerum origo eſt, gigni aut produci nihil poſſe cenſeamus?

Sed habent iſti homines duas rationes, quarum fiduciâ eò licentius peccant, quòd eas invictas & auro contrà caras æſtiment; cum ambæ tribus abolis indignæ ſint. Nemini mirum eſto, interdum etiam à ſapientibus Viris rationes aliquas pluris, quam æquum ſit æſtimari, quoties præjudicato animo ad eas accedentes; iis ſemel conſpectis, nec bene perpenſis (quia tamen ad juſtiſſimum propoſitum ſerviunt) citra ullum examen, ultrò ſe vinciendos tradiderint.

Prima eſt. Si Deus ex eſſentia aliquid generaret, mutaretur in eſſentia. Reſp. Atqui generatio ex eſſentia nullam in Deo eſſentialem mutationem efficere poteſt. Dato enim at non conceſſo, in cæteris generantibus, eſſentialem iſtam mutationem, dum generant, contingere, hoc eſt, aliquid de eſſentia eorum, aut certè de viribus, ob generationem decedere vel imminui, id certè per accidens contingeret, ob exiguas & infirmas eorum vires, aut imperfectionem eſſentiæ. At Deo immenſæ vires, inexhauſta eſſentia & potentia eſt, quæ nihil tam magnum ex ſe producere poteſt, quin ipſa non ſolum reſpectu producti,

major & perfectior: sed & sui respectu integra semper & perfecta in suo statu, eademque plane numero permaneat. Quid verò immenso illi Romanæ urbis sub Nerone incendio decessisset, si quis facem ex eo accendisset? Num per accensionem istam, ignis illius Romam consumentis, essentia mutata fuisset? Et tamen hæc inter duo finita proportio, ad infinitæ Dei virtutis & essentiæ rationem, nihil esset.

Sed nobis eo progredi non est opus. Facile enim ostenditur, in cæteris quoque præter Deum generantibus, essentialem istam mutationem non contingere. Nam per essentialem mutationem mutatur essentia rei & res cujus mutatur essentia non eadem numero manet, sed alia fit. Atqui videmus generantia, etiam post generationem, sicut & in ipsa generatione eadem plane manere, quæ & qualia ante generationem fuerunt; nec alia ullo modo fieri. Nihil igitur mutatur eorum essentia quæ generant, dum generationem peragunt.

Urgent tamen, quod essentialis esset mutatio, si Deus ex non generante, fieret generans, aut ex generante, non generans. Resp. Non futile modo, sed ridiculum est, quod urgetur. Sed qui id objiciunt aut urgent, non alio laqueo decipiuntur quàm quod videant; quoties ex nondum generato, fit generatum, toties essentialem mutationem, à non esse ad esse intervenire. Nova enim forma & essentia in rem generatam per generationem introducitur; & generatum fit id quod antea non erat. Inde ineptè colligunt, etiam cum ex non generante, fit generans, essentialem mutationem in generante fieri. Atqui tunc nulla nova forma, nulla essentia in generantem introducitur, sed idem & non alius generans post generationem manet, qui ante generationem fuerat

Nec alia mutatio in eo intervenit, quàm quæ cernitur in eo qui cum nihil aut aliud ageret, actionem aliquam aggressus est. Quod leviſſimum mutationis genus est, nec essentiale aut substantiale, sed ipsius generantis, non autem generati ratione habita plane accidentale (nam respectu generati substantiale censetur) Quale & in Deum cadere posse planum est. Deus enim ipse, ex non creante, factus est creans, & ex creante iterum quiescens. Factus est etiam sæpe, ex non puniente puniens. Fit denique frequenter, ex irato & infesto nobis, propitius & favens. Et væ nobis nisi ejusmodi mutatio in Deum cadat. Et tamen ista mutatio, longè major & evidentior est, quàm cum ex non generante, fit generans, quia fit à contrario ad contrarium, non autem duntaxat à privationæ ad habitum procedit. Cæterum ejusmodi mutationes respectu generantis planè sunt accidentales, quas in Deum cadere nihil prohibet. Nullam igitur essentialem mutationem infert generatio ex essentia in generante; sed tantum in generato.

Altera eorum ratio est. Dei substantia nec in partes dividi, nec multiplicari potest; nec tota eadem numero filio communicari. Ergo Deus ex substantici generare non potest.

Resp. Non sunt quidem confundendæ substantiæ & essentiæ voces; quia illa concretum, hæc abstractum significat. Præterea vox essentiæ latius patet, cum & eorum quæ per se non subsistunt, sit aliqua essentia. Sed quia res eodem redit, dicimus in antecedente, insufficientem esse enumerationem modorum, generationis ex substantia, aut essentiâ. Quoties enim aliquid ex substantia aut essentia generatur, non necesse est generantis substantiam aut essentiam dividi, aut ex ea aliquid imminui neque multiplicari. Una enim eademque numero, generantis substantia manet, tàm ante quam post activam generationem, & in ipsa generatione. Multò minus totam generantis substantiam vel essentiam, eandemque numero transire in generatum, quod implicat contradictionem. Sed sufficit ut substantia aut essentia generans, producat aut gignat aliam numero, sibi tamen similem & homogeneam substantiam aut essentiam. Quod in omnibus generantibus atque ipsis animantibus fieri videmus. Quorum generatio hanc rationem penitùs refellit, & ostendit, quàm vana & imbecilla sit. Nam aut nihil ex ulla usquam essentia gigni potest ac ne homines quidem ex patrum suorum essentia gignuntur: aut dari potest vel præter eos, qui in hac argumentatione ponuntur, alius modus producendi id, quod ex essentia gignitur, ut jam diximus. Aliud vero est, aliquid ex seipso gignere, aliud multiplicari. Non enim generans aut ejus essentia (quæ semper una eademque numero permanet) ipsa intra se multiplicatur; sed potius aliud extrà se gignit. Quod si divinæ generationis lege modoque Summo Deo ejusque essentiæ, non possit adæquari, nihil per ejusmodi generationem, Summi Dei gloria & majestas imminuitur.

Quod si quis tamen urgeat, per hanc rationem ostendi Dei essentiam per generationem, in plures Deos generanti æquales, multiplicari non posse, cùm Summum Deum unum esse necesse sit. Respondemus hujus argumenti vim nihil adversus nos pugnare; cum neque nos statuamus, Summum Deum generare posse sibi æqualem, quia id velle nullo modo possit. Sed tantum generare & generare velle, cum qui ad gloriam suam augendam, generetur, sive ille in humanam, sive in divinam naturam generandus sit: quorum utrumque in Unigenito ejus filio factum videmus.

Ad eam de generatione filii Dei ex patris essentiâ, dissertationem, pene inviti descendimus. Sed ferre non potuimus quod ii, qui præaeternam filii Dei generationem impugnant, superficum & ad jugulum causæ suæ non pertinentem laborem suscipiant, in oppugnanda ex patris essentiâ filii Dei generatione. Et res eo indignior visa est, quod cum adversarios in investigando & constituendo divinæ generationis modo abdita & inaccessa scrutari objectent, ipsi itidem assertiones eorum, sine justa & gravi causa, negando, eadem illa confessione suâ abdita & inaccessa ingredi & scrutandi licentiam sibi indulgere non dubitent. Potius infirmas humani ingenii vires agnovissent, in perscrutatione rationis, quâ Deus pater filium generaverit (ad quam reddendam alioqui nemo tenebatur.) atque ita decisionem quæstionis hujus, suspensam in medio reliquissent.

Nobis tamen in alteram quæstionis partem inclinare, gravissimis de causis, satius visum est.

CAPUT IV.

Duas naturas, humanam primùm, mox divinam in Christo negari non debere: & quæ altera præcesserit.

QUicquid natum est, naturam per generationem suam adeptum est. Cum igitur duplicis Christi generationis, quarum altera ab altera multùm distrepet, historia in Sacris literis exter, duplicem quoque eum naturam, alteram ab altera discrepantem assecutum esse necesse est. Primam generationem ejus duo Evangelistæ Matthæus & Lucas suorum Evangeliorum initio, nobis exponunt, per quam humanam naturam imbecillam, & morti obnoxiam adeptus est.

Secundam quæ resurrectioni annexa est, omnes in fine Evangeliorum suorum describunt, per quam in divinam naturam genitus, filius Dei in

potentia evasit. Quam fusè Paulus Apostolus *Act.* XIII. explicat, & spiritus Dei testimonio subnixus Generationem vocat. Nec simplicem fuisse ad eandem, quam vixerat vitam, reductionem, sed ad novam & corruptionis sorte carentem, divinam & immortalem naturam & vitam, generationem fuisse ostendit. Naturæ istæ ita sibi adversæ & repugnantes sunt, ut unâ secum in uno eodemque subjecto non modo esse non possint; sed ne considerari quidem queant, quin altera alteram tollat, & ubicunque est altera, alteram inde abesse necesse sit. Et tamen utrumque Christo in Sacris literis tribui legimus. Unde liquido perspicitur non eodem utramque tempore, Christo competere potuisse; sed alteram alteri extinctæ jam & sublatæ, successisse. Duæ igitur istæ in Christo naturæ, non simpliciter negandæ, neque confundendæ, sed secundum diversa tempora distinguendæ fuerunt. Christum enim hominem verum fuisse, atque tunc humanam & morti obnoxiam naturam habuisse certum est. Eundem nunc Deum esse & divinam naturam, quæ humanam vilem & imbecillam absorpsit ac sustulit, habere; æquè certum est. Hominem tamen nunc quoque vocari posse, non propriè & simpliciter, sed secundum quod, quatenus homo fuit & in prima terrena generatione & primigenia natura sua, homo conceptus, homo natus, & more hominum mortuus est, è Sacris literis didicimus. Cæterum propriè ac simpliciter Deus nunc est ac dicitur; non modo propter potestatem, sed naturam quoque divinam per secundam & cælestem generationem sibi collatam, in qua nunc gloriosè non tantùm regnat, sed & vivit. Non satis competenter nos loqui cogit, maxima sententiæ eorum quos oppugnamus incompetentia, qui, cum Christum divina potestate regnare fateantur, eumdem in divina naturâ vivere, diffiteri non dubitent. Sine qua (divina naturâ) Omnipotentia ejus & supra omnia potestas, ac cætera divina ejus attributa, nec esse, nec intelligi possunt. Et profectò si generatio ista resuscitationi conjuncta, vera & propriè dicta fuit, quod nostri meritò contendunt; Naturam novam per eam esse introductam necesse est. Quæ nulla alia quàm divina & Dei patris naturæ simillima & proxima, atque potentiæ & potestati collatæ adæquata, fingi potest. Nec enim humana natura, vilis & abjecta, omnipotentiæ & summæ suprà omnia potestatis exercendæ capax est. Nam quod etiam homines miracula patrant, id non suâ & sibi insita, sed ascititia & aliena, hoc est, Dei omnipotentiæ vi, facere possunt. At Christus nunc insita sibi vi ac potentia omnia sibi subiicere potest. *Philip.* III. 21. Falsum est igitur Christum unam tantum humanam naturam habere. Nec minùs falsum uno eodemque tempore duplici simul naturâ, quarum altera alteri adversetur, præditum esse. Illud tantum verum est, olim unam tantum humanam habuisse: nunc autem unam tantum divinam naturam eum habere. Cum igitur pateat istarum generationum & eas consequentium naturarum, utramque nonnisi successivè Christo tribui potuisse; Restat dispiciendum utra alteri successerit.

Ac generationem quidem, & naturam humanam antecessisse, multa ostendunt.

Primùm Sacræ historiæ series, in quâ conceptionem ex Spiritu Sancto & nativitatem ex virgine, justo aliquot & triginta annorum intervallo generatio resurrectioni annexa, subsecuta est.

Deinde operum & actionum Dei lex & norma, qua utitur perpetuo, à vilioribus ad præstantiora; & ab humilioribus ad sublimiora præcedens, postulat omnino ut is filium suum unicum, in viliorem & humiliorem naturam gigneret priùs, quàm eundem, divina natura sibi secundum, supra omnes attolleret. Divinæ illud sapientiæ & potentiæ vestigium est

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.

Prætereà, quem ex consilio, decretoque Dei, à prophetis antiquitus revelato, pati multa & mortem subire oportuit, priusquam gloria meritis suis debita coronaretur 1. *Pet.* 1. 11. eum certè prius in glorioſissimum statum nasci, quàm destinatis sibi æruminis atque laboribus defunctus esset, præposterum erat. Præmiis enim post antegressa demum merita locus est. Nec in istis passionis Christi sublecuti gloriis, quas memorat Petrus, quicquam sublimius fingi potest, quod excellentiam filii Dei, qualis vulgo ab æterno statuitur, superet. Gloriæ igitur istæ frustra passiones Christi subsecutæ dicuntur, si eas ita antecessere, ut ex vulgo recepta sententia, nunquam (ne passionum quidem istarum tempore) divinæ suæ naturæ æternam Majestatem & gloriam Christus deposuerit.

Quid? quod pati Christus & mori, imò verò homo esse aut nasci nullo modo potuit, si, priusquam homo esset, natus Est, Deus summus, impassibilis, immortalis, Patri sui Omnipotenti, per omnia æqualis. Et si absurdum est, Patrem Domini nostri, pati aut mori, æquè absurdum est eadem tribui huic, qui sit ipsi plane æqualis.

Quod si assumpta mortalis natura inæqualitatem istam efficit ut defectus & mala, quæ in patrem cadere non possunt in filium cadant: viderint adversarii, quomodo post assumptam à Christo humanam naturam, æqualitatem ejus cum patre, tueri possint. Certe ne sibi quidem ipsi, qualis ante assumptionem istam fuit, æqualis dici potest; quemadmodum aurum cum viliori metallo confusum, deteriori quàm cum purum esset pretio censetur. Et quia assumpta vilior natura in perpetuum filio Dei annexa fingitur, inæqualitatem hanc æternam fore necesse est. Ergo secundum istum præposterum, generationum Ordinem, Christus à glorioſissimo & æquali patri suo statu, ad longe minùs glorioſum, & inæqualem patri, eumque sic perpetuò duraturum transiit. Deterior igitur Christi status, post obedientiam patri præstitam manebit, & gloriæ, quibus post passiones suas cumulatus dicitur, longe inferiores sunt iis, quas ab æterno habuit. Et tamen his æternis, nunquam, ut asserunt, exutus est. Itaque nihil per obedientiæ præmia Christo accessit, imò multum decessit; postquam iis affectus est. Quis ferat tot contradictionum pugnam?

At in legitimo & vero generationum ordine, nihil est præposterum aut perplexum; nihil prius natum, quàm conceptum; nihil prius glorioſum & beatum; posteà despectum & miserabile, aut certè longè ignobilius. Conceptus hic filius Dei primùm ex Spiritu Sancto dicitur. Congruit hoc primæ ipsius origini, & existentiæ primordiis. Hoc illud est quod Angelus *Matth.* 1. 20. τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, in virgine genitum, nominat. Deinde natus ex virgine, puta in mortalem statum, ut quem multa adversa pati, & mortem quoque veram & atrocem subire oportuit. Quam & vere, non apparenter, sub tot testibus oppetiit, adeò ut sepultus quoque in illo miserabili statu, aliquamdiu permanserit, donec à morte in vitam & naturam ἀφθαρσίας, hoc est, corruptionis expertem, puta divinam & glorioſam iterum generatus. *Act.* XIII. non dignitatem tantum Uni Deo secundam, quæ in Symbolo Catholico, per sessionem ad dextram patris adumbratur; sed potestatem quoque Regis & judicis absolutam; quod ibidem per judicium vivorum & mortuorum exponitur, acciperet.

Quam

Quam dissimilis huic doctrinæ Gnostica contemplatio, quæ nobis generationes & naturas istas ordine inverso & in deterius progrediente depingit. Cum enim Deus à principiis mole parvis, ad maxima & magnifica opera procedat, & ab ignobiliori ad nobiliorem statum, omnia deducat: per ejusmodi opiniones fingitur idem Deus Unigenitum filium suum, quem ad excelsum, summæ divinitatis fastigium ab æterno genuerat: iterum in humilem & imbecillam humanæ sortis & naturæ fragilitatem genuisse. Nisi fortè cum is è Spiritu Sancto conciperetur & ex virgine nasceretur; non à Deo patre genitus; sed suamet virtute & potentia, fragilem istam naturam assumpsisse censeatur, quemadmodum cum à mortis sopore, excitatus est non patris sui, sed suamet virtute & potentiâ excitatus vulgò dicitur. Quorum utrumque quàm apertissimis Sacræ Scripturæ testimoniis, repugnat, nemo non videt. Certè Angelus ideo Christum vocandum fuisse Filium Dei, asserit, quia de Spiritu Sancto, hoc est, de Dei patris virtute, conceptus est. Non igitur seipsum Christus: sed Deus pater eum, in humanam naturam genuit. Quod si pater filium in deteriorem statum genuisse censetur, non ad breve tempus ipsi ignobilior natura per hanc generationem à patre collata; sed in perpetuum duraturo nexu, per Unionem (ut ajunt) hypostaticam, personæ ejus annexa statuitur. Qui nexus aut morte solvi non potuit, aut si solutus est, eadem ignobilior natura per resuscitationem, ipsi in æternum restituta est. Cujus suppositi ex duplici naturâ concreti, pretium & æstimatio non magis per Unionem ejusmodi crescere, & augeri potuit, quàm purissimi auri pretium, plumbi aut vilioris metalli accessione admixtâ. Talis dilectissimi filii ad ignobiliorem & perpetuum Statum traductio, an in amantissimum ejus patrem cadat, cunctis cogitandum relinquimus.

Non est quidem novum, eminentissimam virtutem, gustare interdum ignobilioris, aut etiam humillimæ sortis angustias atque miserias. Imo per hoc ipsum decus ejus enitescit. Sed longè aliud est, ab excelsæ sortis in quam natus sis fastigio, ad humanæ fragilitatis vilitatem, transire in perpetuum. Christus quoque seipsum exinaniisse & ad miserrimi status angustias sese demisisse prædicatur (quod certè, quin quantumcunque tum habuit naturæ suæ excellentiam exueret, fieri non potuit.) Sed tantam abest ut in eo statu in æternum hæserit; ut ne diuturnâ quidem deterrimæ sortis tolerantiâ exaltationem supra omne dignitatis culmen, eamque stabilem & perpetuam, meruerit. Hæc genuina sunt Apostolicæ prædicationis vestigia, quæ nobis Ducem & Servatorem nostrum ponunt ob oculos, non magis doctrinâ & divinissimis promissis, quàm brevis miseriæ, in longam nec unquam desituram felicitatem migrantis, exemplo, nos ex misero atque infelici statu, ad felicissimum & eminentissimum invitantem. Ita decuit supremum Universi principem ac Patrem, omnibus quos ex viliori in præstantissimam sortem transferre destinaret; non alium dare Ducem quàm eum; qui in glorioßissimæ exaltationis suæ imagine promissæ nobis felicitatis lineamenta, exprimeret.

Sed ut revertamur eò unde digressi sumus, quantum ad perpetuum & stabilem dignitatis statum attinet, progrediendum filio Dei fuit semper ad altiora, non ad inferiora relabendum aut descendendum.

Nec verò nostræ saluti tantum utilius, sed summi Dei quoque potentiâ & gloriâ longè dignius est, ex mortali immortalem, ex homine Deum; quam ex Deo immortali, imo Supremo, mortalem hominem efficere. Quod nec ullus Apostolorum unquam asserere ausus est; & fieri posse ratio reclamat, adeo ut ne ipsi quidem opinionis hujus, quam oppugnamus architecti, Christum revera ad humanam naturam transisse; sed nunquam divinâ depositâ humanam duntaxat assumpsisse, aut induisse statuant. Quod si ita est, personam assumentem nihil passam, saltem non mortuam, solam tantum adventitiam illam & assumptam naturam pro nobis mortuam esse, necesse est. Quæ omnia an salva Sacrorum voluminum auctoritate; & religionis totius analogia, fieri potuerint; quia nobis aliò properantibus excutere non vacat; ipsi quibuscum nobis res est, viderint. Nunc enim sufficit ut ostendamus, nullo modo rationem permittere, ut is qui Deus immortalis, & quidem summus natus est, à patre sui amantissimo, quem nullo unquam facto læserit, iterum per generationem propriè dictam, qualis fuit cum conciperetur in virgine homo mortalis generari possit. Nam cum naturæ ita repugnantes ut altera fit corruptibilis, altera corruptionis expers, altera vilis & ignobilis, altera glorioßa: altera imbecilla: potens altera, imò Omnipotens, altera animalis, altera Spiritualis, non possint simul & eodem tempore in eodem subjecto existere, quin altera (scilicet infinitis partibus potentior) alteram absorbeat, & in suam naturam convertat: Si generationi divinæ (ex voluntate Dei) humana ita supervenit, ut natura humana per posteriorem generationem introducta duret atque maneat in perpetuum: necesse omninò est ut generata soboles, de divina natura transierit in humanam. Quod si ita est in eadem prole generatâ, exutam naturam quamvis divina fuerit & immortalis, extinctam esse necesse est, quod absurdum est & contradictionem implicat plane evidentem; cum fieri nequeat, ut divina & immortalis soboles, præcipue Deo patri ita dilecta, quantum ad illam suam primigeniam naturam divinam, mori potuerit & mortua fuerit. Hæc absurda & contradictiones ut evitentur, divinam potiùs generationem & naturam, humanæ supervenisse, & succesßisse statuendum est. Et divinæ naturæ humanam tanquam corruptioni obnoxiam, per mortem antegressam locum dedisse, Rationi & veritati convenientius est, nec ulla hæc sententia difficultate laborat. Et Sacris voluminibus adeo consentanea est; ut in illis (quod suprà diximus) historia humanæ Christi generationis antecedat divinæ subsequatur.

Præterea hæc sententia nisi potius eligatur, ex adversa opinione, non unum, sed duos diversos Christos, aut filios Dei esse; non naturis tantum, sed personis inter se distinctos inevitabili consequentiâ deducatur. Est enim humanæ generationi, quæ posterior perperam fingitur, adjunctum ejusmodi criterium & character, qui ostendit eam à priori generatione, quæ præcessisse prætenditur non dependere neque cum ea, ullo modo connexam esse; quemadmodum cum humanæ generationi divina succedit; dependet quodammodo ab eâ & cum ea tanquam ejusdem suppositi generati perfectio & complementum connectitur. Quia illud ipsum suppositum, illa ipsa persona, quæ in humanam naturam, per humanam itidem generationem, nata est, deposita sua mortali naturâ, transit & nascitur in divinam; ideoque cum illa persona quæ humana fuit, eadem est numero, quamvis per novam generationem fiat divina natura prædita. Naturarum igitur duntaxat non personarum, mutatio intervenit. At si fingamus humanam generationem divina posteriorem esse, quia in ea Sacræ Scripturæ addunt ejusmodi signum, quod ostendit personam per humanam generationem genitam, nunquam ante eam generationem extitisse, sed primum existentiæ suæ initium, per eam accepisse, dum ea persona non nata tantum ex virgine,

ſed ante nativitatem ex Spiritu Sancto concepta narratur, eo ipſo demonſtratur generationem poſteriorem, non eſſe ejuſdem ſuppoſiti generationem quod in prima genitum eſt; neque cum eâ ullo vinculo connexam eſſe. Illud enim ſuppoſitum dudum exiſtere cæpit & extitit: hoc infinitis, ut ajunt, poſt ſeculis, primum exiſtentiæ ſuæ initium (tunc cum conciperetur) habere cæpit. Quamvis enim unum idemque ſuppoſitum, de viliori in præſtantiorem naturam tranſire; atque ita bis naſci poſſit, quod in regeneratione fidelium Chriſti in vitam æternam accidet: nullum tamen ſuppoſitum initium primæ ſuæ exiſtentiæ bis capere ſeu bis concipi poteſt. Primam verò exiſtentiam voco eorum, quæ dum concipiantur primum exiſtere incipiunt. Qualia ſunt Suppoſita illa in quibus animæ rationales, corporibus ſuis veluti organis in conceptione uniri incipiunt. Quæ quidem animæ, etiam à corporibus Separatæ ſunt & exiſtunt; quippe natura ſua ſimplices & incorruptibiles, ac Spirituales, & quæ ſubſtantiæ aut Suppoſita incompleta; (dum organis ſuis carent) dici merentur. Quæ naſci quidem iterum; & in meliorem naturam tranſire queunt. At incipere iterum exiſtere, cum corrupta non ſint, & exiſtere non deſierint, hoc eſt, iterum concipi nequeant cum ſemel concepta eſſe ſufficiat. Imperfectum enim perfici & incompletum compleri poteſt. At quomodo factum ſemel, infectum fieri non poteſt; ita ſubſtantiæ quæ jam ſunt conceptæ aut factæ incorruptibiles, nec eſſe aut exiſtere deſierunt, iterum concipi & eſſe aut exiſtere incipere nequeunt. Præcipuè vero cum divina perſona, quæ ab æterno nata ſtatuitur, naturam ſuam nunquam depoſuiſſe, aut deponere potuiſſe putetur. Quomodo igitur eadem perſona, in iterata generatione ſuâ, concipi potuit, quæ ne id quidem quod eſſe cæpit ante, eſſe deſiit? Separatam igitur & aliam numero perſonam iſtam eſſe neceſſe eſt, quæ in humana generatione (quæ poſterior fingitur) conceptione indiguit, aut concipi potuit. Nam quod ſemel & glorioſè quidem natum erat, & per tot ſecula extitit; conceptione, & initio primigeniæ exiſtentiæ ſuæ, indigere; hoc eſt, concipi non potuit. Et quia tamen ſuppoſitum per humanam generationem generatum, in iſta generatione, primum exiſtentiæ ſuæ initium, (tunc cum in utero Virginis conceptum eſt) accepit: hinc firmiter concluditur, illud antequam exiſtere inciperet, non extitiſſe, & ſuppoſitum quod ab æterno extitit; aliud planè ac diverſum fuiſſe ab eo, quod in conceptione ex Spiritu Sancto demùm primùs exiſtere cæpit.

Nam ſi quis occurrat in humana generatione Chriſti non ſuppoſitum aut perſonam natam; ſed naturam tantum humanam ſuſceptam: facilè regeritur, in ſuſceptione aut aſſumptione naturæ, à perſona jam exiſtente, & eſſe id quod erat, non deſinente, nihil conceptione; ac ne patris quidem interventu opus fuiſſe. Suffeciſſe illam Dei filii omnipotentiam, quâ is divinæ perſonæ ſuæ, nihil in naturâ ſua mutatæ, humanam adjicere & quaſi circumdare potuit; non aliter quam qui humanæ perſonæ, nihil in natura ſua mutatæ, exuvias Leonis ſuperinduunt. Quæ opinio vicina eſt eorum hæreſi; qui olim Chriſtum ſpeciem tantum, non naturam veri hominis habuiſſe opinati ſunt. Sed hæc omnia, divinis oraculis planè adverſantur, in quibus humana Chriſti generatio, ità deſcribitur; ut in ea nihil aſſumptum aut unitum perſonæ quæ tunc naſcebatur, legamus; ſed ſubſtantiam & perſonam, quæ in humanam naturam naſci debuit, per conceptionem ex Spiritu Sancto primum exiſtentiæ ſuæ initium accepiſſe, & per uſitata & naturalia incrementa, in utero matris progeſtam & perfectam, mox natam, per eadem naturalia incrementa ſua, adoleviſſe, expreſſè ſcriptum ſit. Non natura igitur duntaxat humana, tunc concepta & nata; ſed ſuppoſitum & perſona itidem humana, concepta & nata eſt. Natura enim ſola humana; ſine perſona humanâ; abſtractum ejus eſt: & Ens rationis, quod per ſe in rerum natura, ſolum ac ſeparatum non ſubſiſtit, ſed in Intellectu, facilioris perceptionis gratiâ, ſolum ac ſeparatum ſubſiſtere fingitur. Concretum ejus eſt, ipſa perſona & ſuppoſitum humanum. Cui ſoli actiones & paſſiones humanæ tribui poſſunt; & quod ſolum concipi & naſci poteſt. Nam ſi ſola tunc natura humana concepta & nata eſt, abſque ſuppoſito ſuo: ſola etiam abſque eodem, pro nobis mortua eſt, quod abſurdum & ridiculum eſt.

Supereſt ut illud explicemus cur, & quomodo generationum diverſarum altera alteri ſuccedat, cur etiam perſona generata de natura in naturam migrare poſſit; & quando migrat quomodo fieri poſſit, ut una eademque numero maneat? Cum enim paulo ante dixerimus, mutata rei aut perſonæ eſſentia, rem aut perſonam aliam fieri, nec eandem manere, dici poſſe. Natura autem & eſſentia; aut forma quæ dat eſſe rei, idem videantur; quî fieri poteſt, ut perſona, per novam generationem, mutata ſua naturâ, una eademque numero manere poſſit.

Reſp. Attendendum igitur eſt, diſcrimen inter Naturam & eſſentiam ſeu formam quæ dat eſſe rei, Quæ duo non idem ſunt, nec ſine gravi errore confundi poſſunt. Natura enim præcipuè humana eſt illa inſita per generationem proprietatum congeries, quæ ſequitur corporis temperamentum, quod pars quidem ſuppoſiti cenſetur, ſed organica, non eſſentialis. Eſſentia verò ſeu forma in Rationalibus ſuppoſitis; tota ad Animum pertineat, qui motor eſt corporis organici, & paterfamilias tabernaculi in quo habitat. Inde fit ut Animus de viliori & deteriori organo ſive domicilio, in melius & nobilius facilè tranſire queat, non per Pythagoricam μετεμψύχωσιν, ſed eam quam nobis Paulus depingit. 1 Cor. xv. 43. dum oſtendit quomodo per reſurrectionem, quæ altera noſtri generatio eſt; reſurgentes & regenerati, ex corruptibili in incorruptibile; ex pudendo in glorioſum, ex imbecillo in potens & validam ex animali & terreno in ſpirituale & cæleſte corpus migrare poſſint. Natura igitur humana & mortalis eſt, proprietates & habitus inſiti corpori animali. Divina & cæleſtis, proprietates & habitus inſiti corpori ſpirituali. Quod cum Spiritui rationali cognatum & homogeneum ſit, divelli ab eo nequit, ordinario Naturæ curſu, niſi extraordinariâ forte Dei potentia; quâ niſi ob graviſſima ſpiritualium ſuppoſitorum ſcelera Deus uti non ſolet; ut quidam fore opinantur, in deſtinato Diabolo & Angelis ejus ſupplicio. Contrà corpus animale quia Spiritui noſtro rationali heterogeneum eſt, imò ſæpè contumax & adverſum, divelli ab eo nullo negotio poteſt. Supervenit igitur generatio generationi; quando nos Deus ex viliori, hoc eſt, humana & corruptibili naturâ, ad glorioſam & incorruptibilem traducit. Perſona quoque ex ignobiliori in nobiliorem naturam generata, non ægrè heterogeneum relinquit & ad homogeneum ſibi organum tranſit; quod ejus naturæ multo convenientius eſt. Nec alia fit; ſed eadem numero manet; imo natura ejus perficitur; ſeu perfectior & magis una numero evadit; quando non repugnans ſed homogeneum ſibi organum nanciſcitur. Mutatio enim ſuppoſiti in melius, illud unum numero ſuppoſitum, non deſtruit, ſed perficit & excellentius reddit. At mutatio in deterius puta ſi idem ſuppoſitum ex immortali mortale fieret: deſtrueret perſonam aut deſtruere incineret & via ad corruptionem ejus eſſet. Imò vix

fieri

fieri posse videtur, si natura mortalis succedat immortali, illam personam unam eandemque numero manere. Quæ nova ratio videtur ad ostendendum, quod suppositum in natura immortali jam natum, naturam mortalem suscipere aut assumere nequeat, nisi magna sui parte jam corruptum, & organo sibi homogeneo spoliatum, in heterogeneum verò tanquam in carcerem detrusum & compactum, & ad corruptionem properans.

Adversus ea quæ diximus si quis inferat Non minus corpus quam Animum, partem hominis essentialem videri; idque vulgo à plerisque receptum. Non posse igitur essentiali parte mutata aut extincta non mutari aut extingui ipsam suppositi essentiam. Non igitur eandem numero, ad aliud organum posse traduci.

Resp. Ut longioris responsionis moras compendiuciamus, non attingemus quæstionem, An organum ingredi possit essentiam ejus cujus est organum. Sed concedemus corpus etiam mortale, partem videri posse essentialem hominis, puta mortalis & in corpore animali viventis. At non idem est pars essentialis Suppositi aut personæ, cujus forma & essentia residet in Anima seu Spiritu rationali: quæ anima rationalis totam secum, suppositi essentiam trahens, interveniente Dei ope, & humanam naturam deponere, & in organum Spirituale demigrare, & ex statu animæ viventis; ad statum Spiritus vivificantis, nihil immutata essentia sua, transire ac mutari potest.

Concludimus igitur, Generationem unius ejusdemque suppositi, posteriorem (quæ priorem subsequitur) si à mortali natura, ad immortalem progrediatur; esse Rationi & veritati consentaneam. At eandem si ab immortali natura ad mortalem procedat; tam rationi quàm Veritati esse repugnantem. Imò ne generationis quidem nomine dignam, cum potius sit destructio aut corruptio. Generationis enim natura, est à deteriori statu ad meliorem progredi; hoc est, à Non esse ad Esse: hæc autem præpostero Ordine inversa, ab immortali natura ad mortalem, transgressio ac mutatio est à præstantissimo Esse; ad Non esse processus aut certè ad mortem appropinquatio. Certe legitimæ ac veræ generationis posterioris exemplum (extrà τὸ ἀμώμητον) in hominibus quoque ad Salutem regenerandis seu generandis Sacræ Scripturæ nobis exhibent. At ab immortali naturâ ad mortalem migrationis; nullum extat in gubernatione Universi exemplum. Et si id per absolutam & extraordinariam Dei omnipotentiam fieri posset, destructum eo modo suppositum, quondam immortale, mox mortale, nequaquam idem numero manere dici posset. Dispar enim est, (ut ante ostendimus) migrationis in meliorem, & naturæ rei cujusque convenientiorem statum ratio, & longè differens, à migratione in deteriorem & naturæ rei cujusque repugnantem naturam & statum. Non igitur in Christo, generationi Cælesti & eminentiori generatio terrena succedere potuit; quia duo diversi Christi constituerentur.

Satis superque demonstratum videtur, primùm ficuti duas in Christo generationes diversas: ita duas sibi repugnantes naturas dari potuisse. Deinde quia illæ uno eodemque tempore, personæ ejus competere non poterant; ut generationem ita naturam quoque terrenam ac mortalem præcessisse: Cælestem autem, gloriosam & divinam, subsecutam fuisse, necessaria consequentiâ evinci.

CAPUT V.

Quod filius Dei, nunc in cœlis regnans, non humanam sed cœlestem ac divinam naturam habeat, ideoque divina substantia; & naturâ Deus vere ac proprie, optimo jure dici possit, imò debeat.

SUperest ut Christi nunc in cælo viventis ac regnantis, non cælestem tantum, qualis & Angelorum est, & servorum ejus in æternum erit, sed plane divinam & propriè sic dictam Naturam esse demonstremus. Qui divinam & cælestem ejus potestatem atque adeo Omnipotentiam, seu vim & potentiam, quâ sibi cuncta subjicere potest & cætera divina attributa; absque divina ejus natura consistere posse statuunt, non minùs absurdam opinionem introducunt, atque ii, qui peculiarem & ab aliis distinctam personam, absque peculiari & ab omnibus distinctâ essentia, consistere posse opinantur. Quo magis mirandum magisque iniquum est, eos qui in aliis manifestam absurditatem notant, non posse, quosdam etiam forte nolle videre, manticæ quod in tergo est: sibique indulgere id, quod in aliis acriter accusant ac damnant. Aut enim persona ab aliis omnibus distincta; non est Ens ab aliis omnibus distinctum: aut non potest esse absque sua, ab aliis omnibus distincta essentia. Nam ens absque sua essentia & unum (quod cum eo reciprocatur) absque sua à reliquis, quæ cum eo simpliciter ac in omnibus plane rebus unum idemque non sunt, essentiali distinctione, neque cogitari, neque fingi potest. Pariter Christus aut Omnipotens, omnipræsens, omniscius, scrutatur cordium & abditissimarum cogitationum non est; aut insitam sibi naturam habet tam divinorum attributorum capacem. Quæ non alia est; quàm divina & propriè sic dicta. Propter quam etiam meritò Deus dicitur non tali loquendi modo, quali utimur, quando Reges quoque & Magistratus Deos vocamus, sed longè excellentiori & principaliori, & qui sit illi modo, quo Pater Omnipotens κατ' ἐξοχὴν Deus vocatur, proximus. Quippe non alia distinctione aut significatione ab eo differens, nisi quod Deus pater Omnipotens intelligitur Unus ille Deus ingenitus, omnium supremus & independens, atque ipsius Christi filii sui caput, ex quo omnia & ipse Christus est ac dependet. Filius autem Dei sit à patre suo genitus & summæ suprà omnia naturæ potentiæ ac potestatis particeps factus. Patri tamen suo subordinatus, & ut Paulus ait subjectus, per quem nunc omnia pater gubernat.

Locus admonet ut distinctionem vocis Deus, quæ in Sacris quoque literis, pluribus præter Unum illum Deum tribuitur in qua vulgo exponenda, à nonnullis gravissime erratur, paucis explicemus. Vox igitur Dei aut Verum (quatenus falso opponitur) Deum significat aut Falsum. Verus (falso contradistinctus) Deus est; qui divina aut à Deo ordinata potestate, præditus est. Vox Dei veri, hoc est non falsi genus analogum est, quod de speciebus suis non æqualiter prædicatur. Species ejus sunt. Propriè aut Analogicè dictus Deus. Proprie dictus Deus est qui naturam divinam habet, strictius sumpto divinæ nomine: seu cui Omnipotentia, ac cætera divinæ naturæ attributa competunt, qui jure Verus Deus, hoc est, non modo non falsus, sed eminenter & natura Deus dicitur. Atque hic ipse aut est Supremus & ex seipso Deus, cui vox Dei in Sacris literis per excellentiam tribuitur, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi. Aut Supremo subordinatus & ab eo genitus, ac divinorum attributorum particeps

ticeps factus, qui est Dominus noster Jesus Christus. Analogicè dicuntur Dii, qui non natura sed potestate Dii sunt, iique aut Cælestes. Hierarchiæ cæli participes, Aut Terreni, quales sunt Reges & Magistratus à Deo ordinati. Falsus Deus est cui falso divina natura ac potestas, aut usurpatur, aut tribuitur, isque aut principalius & sine catachresi, sic dictus est Satanas qui pristina ordinatione Dei excidit, itemque figmenta ejus idola aut Dii gentium. Aut per catachresin sic dictus, ut venter apud homines ventri deditos.

Quæ cum ita sint, nimis jejune de Christo sentire & loqui videntur, qui eum nunc quoque humanam naturam & substantiam habere, quicquid autem divinitatis ipsi insit, non naturam aut substantiam in eo existentem, sed qualitatem quandam ipsi inhærentem esse asserunt. Quæ cuncta si de eo tempore pronunciarent, quo Christus quondam in naturâ mortali in terris versabatur, utcunque ferendi essent. Sed de præsenti Christi statu prolata, non falsa modo sunt, sed sine injuria Christi dici nequeunt. Qui nunc non mortalis & terrena, sed immortalis & cælestis, nec cælestis tantum sed divina & veri Dei (quatenus non falso tantum, sed minùs proprie & eminenter sic dicto Deo, opponitur) attributorum capax substantia est, ut paulo post præbebit. Hunc nos licet, cum Paulo quondam, in carne humanâ infirmitatibus obnoxium cognoverimus. At nunc amplius talem non cognoscimus. Consummata enim in persona ejus est per generationem, quæ *Actor.* XIII. nobis proponitur; nova creatio; postquam filius Dei in potentiâ (quæ servorum quoque suorum novæ creationi consummandæ viribus pollet) evasit.

Quæ cuncta ita se habere antequam evincamus, paucis quid sit humana; quid cælestis, denique quid divina natura propriè & strictius sic dicta inquiremus, tum qualis nobis in Sacra Scriptura depingatur Christus dum in carne vixit; qualis nunc cum in cælis regnat, perpendemus. Denique id quod capitis hujus initio proposuimus, invictis rationibus demonstrabimus.

Natura igitur humana (sicut ante quoque attigimus) sunt proprietates, quæ completam hominis, quatenus homo est substantiam, præsertim vero quæ corporis humani temperamentum consequuntur. Animi enim & spiritus humani, sine corpore considerati; substantiæ quidem spirituales sunt, sed incompletæ & complemento suo indigentes; ideo per corporis humani organum complentur. Quod organum in hominibus cum substantiæ quam complet heterogeneum: nec spirituale sed corporeum sit; natura sua ab ea, facile separabile est, quam separationem mors suppositi subsequitur, quamvis substantia ipsa spiritualis, ipsa per se, nisi divina virtute corrumpatur, non sit corruptibilis. Hinc apparet animabus hominum quamvis per se substantiæ imperfectæ sint, & organo demum aliquo sibi adjuncto, quasi perficiantur, propter illam tamen divini luminis quam in Intellectu & voluntate suâ continent auram & essentiam, aliquid divini inesse, ut non sine causa homines, divinum genus à Paulo *Act.* XVII. dicantur.

Præterea Spiritus humanos, quia per se sunt incorruptibiles, non vilis tantum & corporei, sed spiritualis quoque organi (& hujus quidem tanquam homogenei, multò magis) capaces esse, & hanc illis ad beatam immortalitatem viam patere. Patet & illud, Spiritualem & ex spiritu Dei conceptam nobilissimam substantiam (qualis fuit Christi dum in humanam naturam nasceretur,) caduco & corruptili corpori adjungi posse: ita ut Deus quoque hominem verè ac propriè generare possit.

Sed jam ad cælestem naturam transeamus, cujus Angeli & qui à Christo ἰσάγγελοι dicuntur participes sunt. Hæc natura nihil aliud est, quàm proprietates insitæ supposito cælesti essentiam ejus spiritualem consequentes, qualis est simplicitas compositionis heterogeneorum expers, atque ipsa immortalitas. Quamvis enim immortalibus suppositis, atque ipsi Domino nostro Apostolus corpus tribuat: Tamen quia corpora ista spiritualia esse docet, non pugnat ejus doctrina, cum eorum sententia, qui simplicitatem heterogeneæ compositionis expertem in cælestibus substantiis esse censent. Causa verò cur Apostolus complementum illud, incompletæ eorum substantiæ, qui per mortem corpore organico spoliati ad immortalitatem regenerantur, quod in locum corporis organici terreni substituitur, quamvis sit incorporeum, corpus tamen vocet, non alia est; quam quòd in corporis crassi & terreni locum succedat & organi quibus corpus fungebatur officia præstet. Nec aliter potuit Apostolus doctrinæ tàm difficilis & à sensu remotæ, percipiendæ facilitati consulere, quàm si id Corpus vocaret, quod Corpori nostro, quo in hac vita utimur respondet, & quasi analogum est. Satis tamen mentem suam explicat, dum corpus istud non corporeum sed spirituale esse asserit, & insigni attributorum ejus nobilitate, à corporeo organo nostro discernit. Spiritus autem spiritui adjunctus, non magis redivivi suppositi simplicitatem violat, aut heterogeneam compositionem infert, quàm ignis igni, aqua aquæ addita. Præsertim cum id, quod in locum corrupti organi, Spiritui incorruptibili adjungitur non modo illi homogeneum sit; sed quia organi ejus officium præstat, in usum, possessionem, & quasi subjectionem ejus convertatur, ita ut nullo modo spiritum cui confertur alium numero aut minima sui parte imminutum, aut in deterius immutatum, sed potius perfectiorem, potentiorem & prorsus excellentiorem reddat; ut si quis auro purissimo aurum æquè purum adjiciendo, naturam illius auri nihil mutaret sed tantum pondus & pretium augeret. Ostensum est igitur, Animos seu Spiritus humanos, substantias esse quidem spirituales, sed complemento organi sui indigentes. Quod si corporeum sit ac terrenum Animam efficit aliquamdiu viventem, quæ inter substantias cælesti natura præditas, poni non meretur. Quia corpus ut spirituali animarum nostrarum naturæ heterogeneum; ad interitum per separationem à Spiritu, cui ut organum adjunctum est trudit. Sin istud complementum & organum sit Spirituale, ideoque Spiritui nostro homogeneum, Spiritum afficit seipsum in perpetuum vivificantem, & planè cælesti naturâ præditum, quia homogenea Spiritualia ad separationem sui tendere nequeunt, sed mutuam sibi, ad conservationem sui opem ferunt. Doctrinam igitur Apostoli nihil delibare de simplicitate substantiæ spiritualis completæ: hoc est, spirituali complemento & organo suo præditæ; vel illud documento est, quod eam spiritum apellat vivificantem: hoc est, vivendi & vitæ prorogandæ facultatem in seipso habentem.

Satis de cælesti natura; quæ aliàs divina quoque vocari solet, latius videlicet protenso divinæ naturæ nomine. Sic fideles Christi divinæ naturæ, non modo impropriè sic dictæ quoties effugiunt mundanam in concupiscentia corruptionem, 2. *Pet.* I. 4. participes fore dicuntur; sed etiam propriè dictæ, quando vitæ & naturæ cælestis participes fient. nam si nova Creatio etiam inchoata, est quædam divinæ naturæ participatio; multò magis consummata.

Verum strictius sumpto hoc nomine. Divina natura significat, proprietates & attributa Omipotentis substantiæ,

ſubſtantiæ, quæ eſſentiam ejus conſequuntur; neque cuiquam tribui poſſunt quin ipſa divina natura, (non eadem quidem numero quæ in ſummo Deo patre Domini noſtri ab æterno extitit: ſed ea, quâ dilectum filium ſuum donare dignatus eſt) eidem tribuatur. Qualia ſunt Omnipotentia, ſuprema in cælo & in terrâ poteſtas, Omnipræſentia, Omniſcientia, & cætera omnia.

Nunc qualis Chriſti natura fuiſſe cum in terris verſaretur, qualis item nunc eſſe, Sedenti ad dexteram Dei patris, ab hiſtoria ſacra nobis proponatur, videamus. Chriſtum filium Dei ex Spiritu Sancto conceptum, verum quidem, at non nudum aut ſimplicem, ſed divinum hominem ex virgine intacta miraculoſe natum, Sacra oracula nobis perhibent. Non poterat autem è Spiritu Sancto concipi, niſi nobiliſſimæ ſubſtantiæ fœtus. Qui ideò in beatæ virginis utero conceptus eſt, ut humani corporis organum ſuſciperet, & in humanæ naturæ imbecillitate nobis quam ſimillimus ex voluntate patris, naſceretur. *Heb.* II. 14. 17. In qua naturæ noſtræ infirmitate, quamdiu in terris vixit: noluit Deus ut divina generis ejus nobilitas, Spiritus Sanctus abſque menſura datus, nulla delibata tranſgreſſione ſanctimonia, patrandorum miraculorum inſita ipſi potentia, in mentes & cogitationes hominum penetrans ſapientia, ac cæteræ divinæ dotes, vel minimum de humanæ ejus naturæ fragilitate decerperent, quominùs iiſdem plane malis & tentationibus, quibus cæterorum mortalium natura vexatur, ſubjaceret, interdum quoque ultro in patris gratiam ſeſe ſubmitteret.

Vilitas & ignobilitas, atque adeo plurima incommoditas hujus tabernaculi, in quo tantus hoſpes, dum in terris eſſet, diverſatus eſt innumeris malis & perpeſſionibus quas pertulit, atque ipſa morte, teſtata eſt.

Hunc poſt editum tam nobile, in ſubeunda atrociſſima morte obſequii ſpecimen, utrum in tàm ærumnoſo humanæ naturæ piſtrino, hucuſque detinuerit & in perpetuum detenturus ſit, amantiſſimus filii adeo obſequentis pater, mox diſpiciemus, poſteaquam quid nunc eſſe dicatur paucis expedierimus.

Defunctum igitur, tàm duræ militiæ rudimentis, & victorem tàm glorioſi certaminis, in quo per eum peccatorum noſtrorum ablutio, & noſtra redemptio peracta eſt, conſtituit Pater, hæredem Univerſi *Heb.* I. 2. 3. aut ut verba textus retineam *hæredem omnium*, poſtquam illum, eo die, quo glorificatus eſt (qui dies ibidem per vocem *Hodiè* deſignatur) ita genuiſſet; ut eſſet divinißima ſubſtantia, quæ veram imaginem ſupremi patris ſubſtantiæ, non aliter exprimeret, quàm character exprimere ſolet, id, cujus eſt character, non modo in naturâ corruptionis experte *Act.* XIII. 34. ſed in gloriæ quoque reſplendentiâ & omnipotentiæ efficacia, patri proximâ. Quippe portans omnia verbo virtutis ſuæ, & proximo poſt patrem loco, ſedens ad dexteram Majeſtatis excelſiſſimæ, & adorantibus ſeſe Angelis imperans, tanquam Deus, unctus oleo lætitiæ ſuprà conſortes ſuos. *Heb.* I. 9. effectus Creator eorum, quorum novæ creaturæ primogenitus erat. *Phil.* III. *verſ. ult.* & Pater æternitatis, per quem nova aurea æternitatis ſecula condita ſunt. *Heb.* X. Talis nunc à Spiritu Sancto depingitur, talis & eſt Dominus noſter, poſtquam mortis & mortalis naturæ ergaſtulo, ſolutus, nec unquam ſubiturus ἀποθανεῖν, in cælo divina poteſtate, regnare cæpit.

Quæ cum ita ſint, nullo modo veriſimile appareret eum nunc humana natura præditum eſſe, quæ cum ſequatur temperamentum corporis humani; Corpus autem humanum Chriſto nunc non competat, ne natura quidem humana nunc Chriſto competere poteſt. Nam ſi corpus humanum, quale Apoſtolus. I. *Cor.* XV. deſcribit, corruptibile, pudendum, imbecillum, animale, quod alibi Corpus humilitatis noſtræ, alibi carnem & ſanguinem vocat, ne ſervis quidem Chriſti, ad cæleſtis regni poſſeſſionem admittendis, competit; adeo ut homines illo præditos transformari, & illud cum incorruptibili, glorioſo, potenti, commutari neceſſe ſit: Multò minùs Chriſto nunc competere poteſt.

Quamvis autem Chriſtus nunc humanam naturam non habeat, nec habere poſſit; Homo tamen dici non ſimpliciter, ſed ſecundum quid poteſt, quia primigenia ejus natura humana fuit & quondam verus homo, in omni humanæ naturæ imbecillitate (ſi peccatum excipias) noſtri ſimilis fuit. Deinde quia tunc cum Verus homo eſſet, & in humana natura degeret, de nobis, deque ipſo patre ſuo, tàm bene meritus fuerit. Quæ eadem cauſa eſt, cur etiam tunc Agnus dicatur; cum jam Leo victor de triba Juda, evaſiſſet. Præcipuè cum legimus *Apoc.* VI. 12. Reges & principes ac potentiſſimos terræ incolas, imploraturos montium opem, ut eos cooperiant & abſcondant ab iràAgni, quia venit dies magna iræ ipſius & quis poterit ſubſiſtere? Certe tunc Chriſtus hoſtibus ſuis adeo terribilis, nihil minùs erit, quàm Agnus; & tamen agnus nominatur; quod olim Agnus fuerit; crudelitati, & injuriis hoſtium ſuorum expoſitus.

Tenue verò & levidenſe, ex ejuſmodi apellationibus argumenti genus, præſertim adverſus capitales rationes, & clariſſima Sacræ Scripturæ teſtimonia arceſſitur. Tribuuntur enim ſæpe apellationes perſonis, naturâ earum longe viliores, ex quibus illa mendoſe colligitur, ut cum idem Chriſtus dicitur, Agnus, Leo, Lapis, via. &c. Nam Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus meritò dicitur, cum hoc mediationis officio in humana ſua natura defunctus ſit. Judicaturus autem Deus dicitur mundum per virum quem definivit ac deſtinavit; quia is etiam in humanâ naturâ degens, Judex vivorum & mortuorum deſignatus eſt. Quid autem miremur, eum, qui humanam naturam jam exuit; hominem tamen dici; cum idem antequam diviniorem & priſtina glorioſiorem induiſſet, Deus dicatur? Nam & ille Sermo, qui nobis cuncta Dei de nobis conſilia & decreta enunciavit, & expoſuit (quod in humano Chriſti ſtatu factum eſt) Joanni Deus fuiſſe dicitur, quia paulo poſt, etiam ipſa natura Deus proprè dictus futurus erat. Vocari igitur potuit homo; qui jam propriè & ſimpliciter homo eſſe deſierat; ſicuti Deus nominatus eſt, qui in humana natura degens nondum actu ipſo Deus proprie dictus eſſe cæperat. Quanquam & cum Evangelium ſuum ſcriberet Joannes, jam & ille ſermo proprie dictus Deus eſſe cæperat.

Ac voces quidem rebus & perſonis interdum præter exactam loquendi formulam, liberius aptari poſſunt Sed Chriſtum nunc in cælis glorioſe regnantem, reipſa & natura ſua præſenti hominem eſſe opinari & prædicare; eſt Deum immortalem, mortalem eſſe, obſtinatè contendere. Naturam ejus, humanam, quam etiam nunc habere fingetur, toties jactare; eſt corpus

priſtinæ humilitatis ejus (cum morti & injuriis obnoxius eſſet) quod à divinitate ejus abſorptum eſt: ipſi pertinaciter obtrudere & quaſi ex probrare. Cum autem à potiori ſemper fieri debeat, juſta & legitima cujuſque rei denominatio, & æſtimatio cujuſcunque perſonæ, non ex brevi Statu in quo aliquando fuit, ſed ex perpetuo in quo eſt & æternum manſura eſt fieri debeat; ſatis mirari non poſſumus, cur nonnulli Chriſtum denominare malint, à breviſſimo & ærumnoſo paucorum annorum quibus in terris diverſatus eſt hoſpitio Hominem: quàm à perpetua & æterna diviniſſimi Status, cujus à patre compos factus eſt ſorte & Univerſi hæreditate Deum.

Quanto igitur competentius & convenientius Chriſtus nunc Deus dicendus eſt; propter naturam quam habet & in perpetuum habiturus eſt diviniſſimam, quamvis interdum per modum loquendi minùs proprium, propter naturam, quam habuit, ſed habere deſiit homo nominetur. Nec enim humana natura præditus nunc dici poteſt; qui non modo cæleſtem, ſed planè divinam & propriè ſic dictam, adeptus eſt, quæ humanæ ejus naturæ ſuperveniens, quicquid humanæ imperfectionis in eo fuit non abolere, non potuit.

Quod nobis initio hujus capitis propoſitum perſpicuè demonſtrare, jam tandem (quod Deus bene vertat) aggrediamur.

In quo Lectorem multis verbis non morabimur, quia Veritatis brevis eſt & Simplex oratio.

Duo ſunt prævalida, divinæ Chriſti quam nunc habeat, Naturæ, argumenta; quæ rem plane conficiunt.

Divina primùm, quæ in Chriſto cuncta reperiuntur attributa; divinæ eſſentiæ & naturæ perpetua pediſſequa. Deinde cultus divinus ipſi ex voluntate Dei debitus, qui ab omnibus Chriſtianis qui nomen ejus profitentur & in eum credunt, meritò exigitur.

Divina attributa quod attinet, ea non alia ſunt quàm quæ Veri, (hoc, eſt non modo non falſi, ſed etiam propriè & eminenter ſic nominati) Dei, propria cenſentur. Qualia ſunt. Primum, Inexhauſtus fons immortalitatis, qui in quemcunque velit derivari poſſit. Secundum, Omnipotentia. Tertium, Jus ſupremæ ſuper omnia poteſtatis. Quartum, Omnipræſentia. Quintum, Omniſcia ſapientia & ſcrutatio cordium & intimorum conſiliorum in mentibus ratione prædictis. Sextum, Sanctitas perfectiſſima. Septimum, Diviniſſima, & omnium reliquorum qui Veri Dii non ſunt, felicitatem tranſcendens beatitudo. Octavum Denique, æterna & perpetua, atque omni termino carens ſupradictorum attributorum, & ex ipſis reſultantis felicitatis poſſeſſio.

Hæc quæ recenſuimus attributa Veri & proprie dicti Dei ſunt propria. Et propria quidem excellentiſſimo modo, quem quartum Logici numerant: quia Deo vero & proprie dicto Omni, ſoli, & ſemper conveniunt. Omni; quia nec Verus Deus dici poteſt cui hæc non conveniant. Soli; quia nec ullus cui hæc conveniunt dari poteſt quin ſit proprie dictus Deus Semper; quia nec ullum tempus dari poteſt, quo hæc non conveniant tàm æterno patri; qui ex ſeipſo verus Deus eſt: quam filio ejus unigenito; ex quo tempore is in propriè dictam divinitatem à patre genitus eſt.

Attributis iſtas naturam veri Dei contineri nemo diffiteri poteſt. Sunt enim hæ proprietates, quæ eſſentiam ejus plane conſequuntur, & abſque eſſentia Dei, eaque ipſa de qua quæritur natura eſſe nequeant: adeò ut, cuicunque ea competunt ac tribuuntur, eidem divinam naturam competere ac tribui debere, irrefragabili conſecutione concludatur. Nec iſtæ proprietates aliud eſſe videntur, quam ipſa Dei natura. Nunc videamus an & quomodo, iſtarum proprietatum ſingula Chriſto Unigenito Dei filio in cælis regnanti, conveniant.

Prima divinæ naturæ proprietas eſt, immortalitatem tàm perfectè, tamque abſoluto jure poſſidere, ut quem velis immortalem facere, aut tui velis immortalitatem dare poſſis. Soli Deo hæc proprietas tribuitur. 1. *Tim.* VI. 16. quo loco Deum ſolum habere immortalitatem, ſupra dicto modo explicandum eſſe, documento eſt quod ſimplicem immortalitatem habeant & Angelorum minimi: ſed eandem in tam eminenti ſenſu, intellectam, nemo præter Deum. Atqui Chriſtus ejuſmodi immortalitatem in ſe ipſo habet, ujus vi, immortalem faciet olim totum populum ſuum. Ut enim pater habet vitam in ſemetipſa, hoc eſt, vitam quæ non modo poſſidentem tantum in perpetuum vivificet: ſed alios quoque quos velit in perpetuum vivificare poſſit. *Joh.* V. 26. ita Dedit & filio habere vitam in ſemetipſo eandem perfectionem atque eminentiam habentem. Quibus verbis naturam non poteſtatem Chriſto datam exprimi; inde liquet, quod Separatim verſu ſequenti, de poteſtate tanquam alio & diverſo dono Dei patris addit hæc verba. Et poteſtatem dedit ipſi etiam judicium facere, hoc eſt, ſervare aut damnare quem velit. Qui locus evidentiſſimè oſtendit præter poteſtatem judicandi vivos & mortuos, vitam quoque & naturam divinam Chriſto à patre datam eſſe, & hanc quidem primo loco à Chriſto poni, poſtea ei diſtinctè ſuperaddi etiam poteſtatem judicii, quemadmodum & prius natura videtur habere naturam divinam; quàm divinam poteſtatem.

II. Omnipotentia Chriſti magnificè aſſeritur *Philip.* III. *verſ. ult.* quod habeat ἐνεργείαν ſeu vim efficacem ſubjiciendi ſibi omnia.

III. Jus ſummæ ſupra omnia & Univerſalis poteſtatis, patri tamen ſubjectæ; ipſe ſibi Chriſtus aſſerit *Matth.* XXVIII. dum ait, Datam ſibi eſſe *omnem* poteſtatem in cælo & in terra. quæ poteſtas alibi *Heb.* II. 8. ſic explicatur, Ita ipſi eſſe omnia ſubjecta, ut nihil relictum ſit ipſi non ſubjectum. Quod tamen 1. *Cor.* XV. unica illa exceptione limitatur δηλον ὅτι τοῦ ὑποτάξαντος præter eum qui ſubjecit.

Quamvis autem fateamur jus magnæ poteſtatis ſuper eos qui humanam & imbecillem naturam non excedunt; etiam infirmis homuncionibus tradi poſſe: Tamen jus divinæ & ſummæ poteſtatis, ſuper eos qui diviniori natura prædiți ſunt Deus tradere noluit niſi ei, cui cum poteſtate divina, diviniorem quoque & ſubjectis excellentiorem naturam donaverit. Male gubernat poteſtas, viribus adverſus contumaces deſtituta. Nec durare poteſt obſequii reverentia erga eos, quorum natura tanquam ignobilior à ſubjectis ſpernitur. Nec video cur livor Satanæ, nudâ poteſtate Chriſti magis cruciari poſſit, quàm naturâ quoque ipſi longè eminentiori collata quàm ſua nunc ſit, aut olim fuerit. Sed de jure poteſtatis ſatis dictum eſto. Cæterum Omnipotentia & aliæ id genus proprietates, ad robur & vires pertinentes; quæ non juris ſed naturæ adminiculo fulciuntur, ſine Natura divina, nec intelligi nec fingi, nec ſomniari poſſunt.

IV. Quas inter loco quarto ſequitur, Omnipræſentia Chriſti, quæ vel inde arguitur quod is ubivis locorum à ſuis invocari poſſit.

V. Eidem

V. Eidem omniscia sapientia & scrutatio abditissimorum mentis arcanorum subtrahi non debet; quia sine iis rebus judicium vivorum & mortuorum exerceri nequit Vide *Apoc.* 11. 23.

VI. Sanctitas omnibus numeris absoluta sequitur. Ea vero quomodo ei nunc in cælis regnanti, & sedenti ad dexteram patris deesse possit; qui in terris cum Naturæ humanæ infirmitate ac tentationibus gravissimis certans tàm incorruptæ & plane divinæ integritatis specimen edidit.

VII. Divinissima & omnium reliquorum qui non sunt Veri Dii felicitatem transcendens beatitudo, annon inde elucet, quòd eum Deus & pater ipsius unxisse dicitur oleo lætitiæ supra consortes ejus. Consortes enim felicitatis suæ Deus habet non paucos, quos eosdem Christi consortes merito dixeris. Verum supra illos Christum esse voluit Deum benedictum ac beatum in secula *Rom.* 1x. 5.

VIII. Denique æterna & perpetua, nec unquam terminanda felicitatis hujus possessio Christo verbis illis asseritur dum *Heb.* 1. 3. dicitur constitutus hæres rerum omnium sive Universi. Quibus non fluxa & fugax; sed perpes & æternùm mansura potestatis & opulentiæ Christi possessio exprimitur.

Hæc nostra argumentatio, quia nititur confessis & immediatis κεκοινῶν principiis (quantum enim est inter istas proprietates simul sumptas & naturam divinam discriminis?) nihil est cur pro legitima demonstratione, quæ ex evidentibus præmissis & causis conclusionis, id quod concluditur evincit, censeri non debeat.

Sed jam veniamus ad alteram argumenti nostri partem sive speciem, ex qua divina natura Christi quam nunc habet, evidenter cognoscitur. Hæc autem est Divinus ejus cultus, divina adoratio, & invocatio. Quæ etiamsi nobis nullis præceptis mandata, nullis exemplis commendata essent, ob ipsam tamen rei naturam ex supradictis divinis proprietatibus profluerent. Verum nec præcepta nobis aut certe monita; nec exempla hujus officii desunt; adversus eos qui turpius aut crassius, judaisant. Quos nunc, quia pridem ab Ecclesiis nostris alieni sunt ex professo, non refellimus. Sufficit nobis, quod inter eos, qui in divina, quam nunc Christus habet, natura neganda propiùs ad Judaisantes accedunt & nos qui hunc errorem redarguimus, satis conveniat, cultum, adorationem, invocationem divinam Christo plane deberi. Præsertim cum omnia quæ enumeravimus gloriosæ Christi naturæ attributa, non alia mente à patre collata, Christus ipse asserat, quàm ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Divinus autem honor patri defertur, divinus igitur & filio deferendus est. Quo officio erga filium quisquis defuerit, officio erga patrem defuisse convincitur *Joh.* v. 23.

Quid autem opus est argumenta adversus eos conquirere, quos habemus confitentes divinum honorem nemini, nisi propter divinitatem deberi. Agnoscunt igitur nunc Christo, qui colitur tanquam Deus, non deesse divinitatem.

Sed bone Deus, qualis ista divinitas ab iisdem fingitur? Explicat enim paulo post ibidem verba sua citatæ sententiæ Auctor, dum ait, Christi divinitatem, „non naturam seu substantiam esse in Chri„sto existentem; sed qualitatem quandam inhæren„tem. Cujus rei rationem paulo ante attulerat. „Quia Christi divinitas nusquam à Sanctis Auctori„bus ut divina quædam substantia; sed ut maxi„mum Dei beneficium consideranda proponitur. Quæ sententia & sensu ac verbis perplexis profertur; & ratione primum insufficienti, deinde falsa quoque fulcitur. Sensus & verba perplexa sunt. Divinitatem Christi, non naturam seu substantiam esse, quasi natura & substantia idem essent, cum alterum alterius abstractum sit; & natura licet substantialis, à concreto suo differat. Nec natura divina, si loquamur accuratè, substantia divina dici possit. Deinde divinitatem Christi negat esse substantiam. Quis vero id affirmat? aut ita loquitur? Non divinitas Christi, sed ipse Christus est divina substantia. Ne divinitas quidem aut natura Dei patris, est substantia: sed substantialis natura.

Ratio verò allata, primùm futilis & insufficiens est. Christi divinitas, inquit, à Spiritu Sancto consideranda proponitur ut beneficium Dei patris. Ergo non est natura neque substantia. Quasi & in natura & in substantia quanto nobiliores cuipiam conferuntur à Deo, tanto majori dono gratiæ & beneficio Dei locus esse nequeat. Sed argumentator concludere debuit sic: Christi divinitas proponitur nobis à Spiritu Sancto ut beneficium. E. eadem divinitas non est natura substantialis Nec enim abstracta cum concretis confundenda sunt. At nos respondemus. An vero promissa & donanda fidelibus immortalitas vel immortalis natura; non erit eorum natura substantialis, ob quam meritò substantiæ immortales censeri poterunt? Nunquid ideo natura eorum, & in substantias cæleſtes cooptatio Donum ac beneficium Dei esse definet? Falsitas autem rationis in eo est, quod ait divinitatem ac sublimitatem Christi, Nusquam, à divinis auctoribus proponi ut divinam substantiam. Hic quoque mens dicentis erat aut esse debuerat: Non proponi eam ut naturam divinæ substantiæ, aut substantialem. Resp. Atqui quoties Christus ex mortali in immortalem, & omnipotentem, naturam transisse dicitur, (cum is substantia sit & hæc mutatio substantialis fuerit) toties divinitas & sublimitas ejus, tanquam natura divinæ ejus substantiæ, aut substantialis consideranda proponitur. Et si expressam vocem Substantiæ in Sacræ Scripturæ auctoribus requirant, utitur ea Divus Auctor Epistolæ ad Hebræos, cum vocat Christum characterem substantiæ Dei patris, hoc est, dicit gloriosam Christi substantiam; tam ad vivum aut exacte exprimere substantiam patris, quàm exprimit character figuram ejus, cujus est character. Quid amplius desiderari potest ad divinæ & substantialis naturæ Christi dignitatem stabiliendam? Quæ porro causa est, cur quomodo humanitas humanam naturam, ita divinitas divinam significare non censeatur? Certe saltem non minus Deus quàm homo substantia est. Si igitur humanitas non aliud est quam humana natura; substantialis quamobrem divinitas, non natura substantialis, sed qualitas tantum accidentalis, subjecto more accidentis inhærens, statuitur? Quid est verborum significatione à genuino sensu, ad peregrinum abstracta ad opiniones suas violenter abuti, si hoc non est?

Sed inanis labor est, quoties veri vocum sensus ad falsas opiniones, mordicùs & plane invita Minerva detorquentur. Nam quis unquam divinitatem substantiæ, substantialem? quin & Christum ipsum substantiam esse negavit? quo jure substantiales naturæ rediguntur ad qualitates & accidentia? An formæ, quas totales nonnulli vocant, qualis est humanitas, divinitas & similes, naturæ substantiales dici nequeunt?

Vereor ne plura quàm par esset verba consumpserimus in refellendo eo, quod refelli non meretur.

Supereſt ut eorum criminationem amoliamur, qui novam hanc & inauditam in Eccleſiis noſtris de divina, quam nunc Chriſtus haberet natura, doctrinam eſſe objectant. Nos verò ea in re præ criminatoribus noſtris, longè fidelius quàm ipſi, majorum noſtrorum veſtigia premimus. Quorum memoriam in eo dogmate liceat nobis Ethnico voto ſed Chriſtiano animo proſequi.

Dii majorum umbras tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesque crocos & in Urnâ perpetuum ver.

Qui cum Judaiſantibus diu multumque luctati, & bonam Eccleſiæ partem, ab eorum erroribus avellentes, quamvis aliqui ædificationis cauſa, à vocibus quæ infirmioribus tunc offendiculo eſſe poterant, abſtinuerint; reipſa tamen divinitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti fortiſſimè aſſeruere; primum dum divinam Chriſti potentiam atque poteſtatem: deinde ex ea profluentem cultum, & invocationem ejuſdem tàm anxiè & ſollicitè inculcarunt; ut jam per Dei gratiam nemo in Eccleſiis noſtris reperiatur; qui divinas de quibus egimus proprietates, & cultum Chriſto debitum denegare: hoc eſt, præmiſſas concluſionis noſtræ negare auſit. Quo fit ut unanimi omnium conſenſu, conceſſis præmiſſis, in neganda concluſione, nemini frontis perfricandæ, aut licentia permiſſa ſit; aut anſa & occaſio juſta præbeatur.

CAPUT VI. & Ultimum.

In quo oſtenditur

Quòd Regnum Chriſti Deo patri ſubordinatum, & ab eo dependens æternum ac perpetuum ſit, & varius loci. 1. Cor. XV. 24. *Senſus; adverſus falſas & periculoſas ejus explicationes, eruitur.*

REgnum Chriſti Domini per quem omnia, Deo patri ex quo omnia ſubordinatum, & ab eo tanquam capite Regis hujus dependens, cujus poſſeſſionem in Exaltatione ſuâ adiit, æternum ac perpetuum, nec ullo fine terminandum fore, certo credendum & ſtatuendum eſt. non modo quod plurimis id expreſſis & illuſtribus Sacræ Scripturæ teſtimoniis proditum eſt. *Dan.* VII. 14. *Luc.* I. 33. *Heb.* I. 8. *Rom.* IX. 5. & alibi.

Sed quatuor præcipuè de cauſis, quas & ipſæ è Sacris monumentis eruuntur.

Prima eſt, quæ ſuperiori capite demonſtrata eſt, Chriſti in naturam Deo proximam generatio, cui Regalis ſuper omnia dignitas, & eminentia annexa eſt, quæ ipſi adimi aut ab eò deponi, niſi divina natura depoſita nequit, quam tamen ab eo unquam deponendam, nuſquam in Spiritus literis legimus.

Altera eſt, quod iſta ipſa Regalis exaltatio Chriſti per ſe ac directè facta ſit; atque tendat in gloriam Dei patris. In ea etenim ſupereminentem magnitudinem potentiæ ac virium ſuarum, nec minùs excelſum jus poteſtatis ſuæ Deus efficaciter exeruit; cum Chriſtum non modo ex morte in vitam revocavit, (quod ſæpius divini quoque Viri fecere.) nec tantum quod eundem ex mortalis naturæ ſorte, in vitam & naturam corruptionis expertem tranſtulit; (cujus potentiæ olim quoque in Enocho & Elia ſpecimen editum jam non erat novum) ſed quod eundem inuſitato nec unquam ante audito facinore, in naturam ſimul regeneraverit; & in dignitatem ſuæ proximam extulerit; & tanti honoris capacem reddiderit, ut is longe ſupra omnes cæleſtium principatuum gradus evectus, ad dexteram Majeſtatis paternæ patri proximus aſſederit. Hoc demum facinus erat tanta prædicatione, tanta Apoſtoli exaggeratione dignum, in qua exprimenda eum, quamquam undique congeſta & coacervata verba defeciſſe videntur. Tunc profectò in ſummum Majeſtatis ſuæ apicem, Supremi patris gloria efloruit, collocato in ſolio cæleſti, tàm potenti & glorioſo Rege *Epheſ.* I. 20. & reliq. qui tamen à nutu atque imperio ejus, tanquam Capitis & patris, & Dei ſui dependeret: ita ut nunc omnis lingua confiteatur Jeſum Chriſtum eſſe Dominum & hæredem univerſi in gloriam Dei patris *Philip.* II. 11. *Heb.* I. 2. Cujus cauſæ efficacia, fieri nequit, quin in æternum vim ſuam exerat. Ut enim ipſa ſummi Dei gloria, ita omnia per quæ eniteſcit; & ſplendidior ac venerabilior redditur, in perpetuum manſura ſunt. Sola illa finem ac terminum habitura ſunt, quæ gloriæ Dei patris quoquomodo derogare videntur.

Tertia cauſa eſt, quod eadem Regalis excellentia, ſuperexaltatio, & nominis ſuprà omne nomen donatio, quæ Chriſto à patre collata eſt, ſit præmium perfectiſſimæ & omnibus numeris abſolutæ, ejus ad mortem uſque & mortem quidem Crucis, obedientiæ. *Philip.* II. 8. 9. Quam cauſam in mente Dei ſepelire nulla unquam oblivio poteſt. Abſurdum autem eſt, cum Deus ſervorum Chriſti mancam & mutilam, & multis noxis interpolatam obedientiam, æterno præmii remuneretur, exactiſſimum & nulla macula inquinatum Chriſti obſequium, non longè majori, & quæ in perpetuum quoque duret, mercede rependi.

Quarta cauſa eſt. Flagrantiſſimus patris, erga filium ita de ſe meritum Amor. *Joh.* V. 19 20. Cui ita placuit ut in filio omnis plenitudo & perfectio, non ad præfixum tempus conſpiceretur; ſed inhabitaret perpetuo. *Coloſ.* I. 19. Unde conſtituit ipſum non brevem reſpectu æternitatis & ad præfixum tempus regnaturum Adminiſtratorem, ſed tanquam filium hæredem & perpetuum poſſeſſorem omnium rerum. *Heb.* I. 2.

Quæ cuncta efficiunt, ut in excelſa dignitate Chriſti, diminutionem aut degradationem, ullam unquam fore, ſuſpicari non liceat.

Cum igitur præſentis exaltationis ejus cauſæ in æternum manſuræ ſint, æternum eam quoque futuram, ſtatuendum eſt. Nam & gloria patris, ſublata præcipua rationum per quas illuſtratur, obſcurari nequit, multo minùs debet: & beneficia ejuſdem, quibus dilectos ſibi aut benemeritos proſequitur, ἀμεταμέλητα (ſine pœnitentia) ſunt; nec unquam niſi ingratis aut male meritis adimuntur, quod de Chriſto ſuſpicari nefas eſt.

Adde quod regnum evecti ſuper omnia ſibi ſubjecta Chriſti Univerſale de quo loquimur, & à patre dependens, perpetuum fore, negare, nemini minùs integrum ſit, quàm iis quos oppugnamus, qui eum divina natura carere opinantur; & ob ſolam regni ejus poteſtatem Deum dici contendunt. Quoties enim iis objectatur, quod Chriſtum nudum eſſe hominem cenſeant, Exaltationis & poteſtatis ejus ſcuto ſeſe protegunt. Quæ ſi ex eorum ſententia tamen deponenda, eâque in æternum Chriſto carendum eſt, nihil ipſi divinitatis in æternum manſuræ eorum opinio relinquit: cum neque ob naturam neque propter poteſtatem divinam Deus jam futurus ſit. Nec effugere poterunt, quòminus eum tunc nudum & cæteris parem hominem in æternum fore cenſeant. Homines enim omnes, etiam poſt obtentum cæli indigenatum fore, maxima pars eorum quibuſcum diſputamus contendunt.

Imo ne æternitatem quidem Chriſti, aut fidelium ejus

ejus tàm prava opinio intactam relinquit, dum sectatores ejus in explicando loco. 1. Cor. xv. 24. omnia de æternitate regni Christi testimonia enervando & convellendo, vocem æternitatis, in promissionibus novi fœderis, ad ea quoque protendant quæ finem habitura sunt. Cujus vocis ejusmodi significatio, in rebus ac personis veteris fœderis, quæ plurumque futurorum typi fuerunt, admitti facilè potest, ut æterna vocarentur quæ æternorum erant figuræ. Sed eam ad promissiones novi fœderis admittere, ad quas præcipuè regni Christi æternitas pertinet, res est plena periculi & quæ fidei ac spei nostræ fundamenta molitur ac subruit.

Ab æterno Christi regno, vitæ nobis promissæ excellentia, felicitas & æternitas pendet. Et si potestas regni Christi, finem habitura est, quamvis ei perpetuitas expressè promissa est, quid nobis indignis homuncionibus sperandum est, quando nobis eadem perpetuitas promitti videtur? Num melior conditio, membra manere potest quam quæ capiti obtigit? Plenus igitur periculi & noxius eorum error putandus est (quod pace Summorum Virorum dictum esto) qui ad solvendam repugnantium sibi in speciem Sacræ Scripturæ locorum difficultatem; alibi in voce æternitatis periculosam fidei nostræ distinctionem quærunt; cùm hoc ipso in loco. 1. Cor. xv., in voce Regni, quæ inter plures sui species, hanc quoque continet de cujus depositione agitur, quærenda fuerit, & inveniri sine ullo incommodo & prope sine difficultate potuerit.

Quis enim non facile videat Apostolum 1. Cor. xv. 24. non de omni, multo minùs de Universali; & naturæ Christi glorificatæ seu Exaltationi ejus affixo Regno Christi, loqui, cujus gubernacula is per subjectionem sibi omnium præter Patrem accepit; quodque cum à patre dependeat, per se ac directò in gloriam Dei patris tendit, & ob amorem ejus erga filium in præmium obedientiæ Christo collatum est. Sed de certa quadam & singulari regni Christi specie, agere: quæ neque patri subjecta videri possit; neque in gloriam patris per se ac directè tenderet; sed potius in gloriam patris deponenda esset; neque antequam tradatur patri, nunc à patre possideri videatur; denique quæ ad certum & singularem populum, & particulare negotium, adstricta, ad tempus tantum non in perpetuum Christo concedi potuerit & concessa fuerit. Atqui non omne Christi regnum est tale. Nam Universale de quo diximus, patri subjectum est, & à patre dependet, ideoque in gloriam patris per se ac directè tendit; & à patre perfectissimo modo, etiam nunc regnante Christo possidetur. Gloriosior enim regni possessio est, cum quis per alios sibi subordinatos, magnos & ipsos & gloriosos Reges, qui tamen planè in potestate sua sint, quam cum per se, ipse, subjectos sibi populos gubernat. Est verò aliud particulare & ad certum populum certumque tempus adstrictum, regni Christi genus, quod licet à patre datum, patri tamen nunc subjectum non esse, ab Apostolo dici observatur. Et quo vigente pater non omnia in omnibus esse, hoc est, posse seu non omnia sibi subjecta habere, à Paulo non obscure dicatur. Quodnam igitur tale regnum esse censebimus? Id verò non aliud videtur, quam absoluta illa atque à patre non dependens Ecclesiæ militantis administrandæ potestas, Christo à patre collata, qua durante Pater non judicat quenquam sed omne judicium, hoc est, plenissimam salvandi vel damnandi quem vult, potestatem filio dedit. Joh. v. 21. 22. Qua in potestate Christo conferenda, non suæ gloriæ incrementum: sed fidei & spei nostræ adminiculum, Deus pater, spectasse videtur: ut ostenderet omnia quæ Ecclesiæ per filium promiserat, sese jam in manus & liberrimum sponsi & capitis ejus potestatem, quem alibi advocatum & misericordem Pontificem nostrum Spiritus Sanctus vocat, tradidisse. Eâdem in potestate Deo patri reddenda nulla exaltationis Christi per quam ipsi omnia subjecta sunt, diminutio interveniet; quia cum potestas ista absoluta, tantum ad conficiendum cum Dei Christique & nostris hostibus bellum Christo tradita sit, confecto bello & sublatis hostibus omnibus, glorioso triumpho finietur; quando hic cælestis imperator, victorem exercitum suum Deo patri sistet & tanquam manubias bello & sanguine suo partas tradet, & unâ secum quasi subjiciet. Neque grave videri poterit bello confecto belli potestatem tanquam non necessariam deponi: præsertim ei qui non suam sed patris sui gloriam semper quæsivit & qui acceptâ à patre tam absoluta potestate, in gloriam patris jam nunc usus sit, dum omnium preces & invocationem, in rebus quæ liberrimæ suæ potestati subditæ sunt, ad patrem direxit atque convertit, ut regnum istud tam plene potestatis Patri suo jam nunc ante tempus quodammodo ultrò reddidisse, cum gloriam ejus ipsi tradidit: & cum amantissimi patris beneficio: gratissimi animi officio certasse videatur. Quæ tamen erga patrem observantia, plenitudinem collatæ filio potestatis, in reipsa minimè tollit, nec ad filium confugiendi, eumque in necessitatibus invocandi facultatem excludit. Ut rem in pauca conferam, Regia potestas Christi Universalis & à patre dependens Christique naturæ, & exaltationi ut ita dicam affixa, ità comparata est; ut neque Pater ejus recuperandæ, quam nunc quoque perfectissimo modo obtinet, neque filius ejus reddendæ, quia nihil gloriæ patris derogat aut obest, imo eam illustrat, causam ullam habere possit. Longè alia est ratio independentis & absolutæ potestatis, cujus deponendæ gravissimam causam is habere censendus est, quem non suam sed patris gloriam semper quæsivisse & nunc quoque quærere ostendimus. Præterea cum eadem absoluta potestas, neque in gloriam Dei patris, cui potiùs adversari videtur; neque in gratiam exaltandi Christi, cui patris gloria magis quàm sua cordi est. Et qui alioqui ejusmodi gloria & quidem æternâ & perpetuâ donatus est, quâ sublimior salva patris gloria, ne cogitari quidem potest ut eâ satis superque contentus sit: Sed tantum uti diximus fidei & spei nostræ stabiliendæ causa Christo à patre collata sit: Ideo postquam causæ isti locus nusquam erit, ne potestati quidem ob eam solam collatæ locus esse potest. Ut taceam potestatem hanc si perpetua esset gloriæ Dei plane repugnaturam fuisse, quia Christum cum populo ejus, à subjectione patris in perpetuum eximeret, quod fieri ne Christus quidem ipse vellet aut sineret. Illud igitur duntaxat regni genus patri tradendum aut reddendum dicto loco prædicitur, quod in perpetuum à Christo retineri integra patris gloriâ nullo modo potest. Contrà, illud regni genus, quod Christo adimi salva patris gloria ob rationes supradictas non potest, penes Christum mansurum esse in æternum necesse est. Nec de eo loqui Apostolus isto loco potuit; qui alibi divinam Christi potestatem supra omnia in secula mansuram agnoscit. Rom. ix. 5.

Vocatur autem à nobis ista olim deponenda potestas particularis; quia non ad omnes Christo subjectos, sed ad militantem duntaxat Ecclesiam: ac propemodum ad unum illud judicandi vivos & mortuos, (cum suis annexis) negotium, restringitur. In quo solo pater absolutam potestatem, quodammodo à se abdicatam Christo plenissimè tradidit, ut quos velit, servare aut damnare possit; quàm Christus judicio supremo absoluto patri suo reddet.

Quod non ita intelligendum est, ut post traditum patri hoc, de quo Apostolus loquitur, regnum, nihil in eundem populum potestatis Christo relictum iri censeamus. Illud tantum ἀνυπόστατον & inde pendens potestatis jus Christus à se removebit, relictâ omni potestati super populum suum, sed à patre dependente, sibi relicta integra, æquè ut in cæteris omnibus, quæ ad subjectionem omnium universalem patri subordinatam pertinent: nisi quod tamen cum peculiari populo suo sanguine redempto, tanquam caput cum membris & sponsus cum sponsa suâ, strictiori vinculo conjunctus erit. Caput enim & Rex populi sui & sponsus sponsæ suæ nunquam esse desinet.

Non est autem hoc novum, nec summam plenissimi juris ac potentiæ eminentiam dedecet, aut ei derogat, si summus princeps in certo aliquo negotio particularem potestatem, Præcipuo eorum qui sunt in potestate sua; tàm perfecta absoluti juris plenitudine, committat; ut sibi in eodem nihil plane juris aut prætensionis relinquat: sed totum negotium liberrimo ejus, cui confidit, arbitrio tradat. Sed hoc ut gloriam & majestatem supremi Principis minime lædit, si commissa potestas absoluta, non perpetua, multoque minùs Universalis sit; ita si perpetua & æterna sit, gloriæ & majestati ejus planè repugnat.

Falli igitur necesse est eos, qui inter Universalem & particularem, dependentem à patre & independentem Regni Christi potestatem, discrimen non animadvertunt. Ex quo duplex Christi regnum, alterum ab altero plurimùm differens & quorum alterum alteri opponi possit, aut certè ab altero disparatum sit, profluit.

Quod si cui jam nostratium, cum millenarii sæculi, quo Christus in tetris regnaturus fingitur, assectoribus disputanti excidit Regnum Christi Unicum & simplex esse, id ità intelligendum est: Christi regnum, quod ipse ex Mundo esse negat, tantum cæleste ac divinum esse, nec unquam ut Chiliastæ opinantur, terrenum aut mundanum fore.

Atqui utraque potestatum, tàm à patre dependens, quæ cernitur quando pater per filium regnat; quàm quæ à patre quasi abdicata, ad solum filium plane translata est, cælestis ac divina nec ullo modo terrena est. Cæterum eadem duo disparata regna constituit, inter quæ non una manifestissima differentia, deprehenditur. Alterum regnorum istorum Universale est & super omnia; alterum particulare super solam militantem Ecclesiam. Illud à patre dependens, qui in eo per filium regnat: hoc liberrimo regnantis filii arbitrio permissum. Illud perpetuum & æternum, hoc ad præfixum tempus, quasi concreditum. Illud de quo Paulus sive exaltationem Christi in gloriam Dei patris tendentem, sive eandem pro præmio obedientiæ datam describens, loquitur. hoc de quo idem Paulus ne gloriam patris in perpetuum obscuret à Christo patri reddendum fore asserit 1. *Cor.* xv. Denique alterum regnorum istorum puta Universale atque à patre dependens, nisi æternum & perpetuum esset, gloriæ patris, quæ per illud mirum in modum extollitur, plurimùm in perpetuum decederet: alterum puta Independens si perpetuum esset, gloriæ Dei patris in æternum derogaret. Ergo gloriæ Dei interest; alterum æternum esse, alterum præfixo tempore, deponi & patri restitui. De quo posteriori Paulum. 1. *Cor.* xv. agere, manifestum est, cum de priori tot alia Sacræ Scripturæ loca, regnum Christi æternum asserentia, loquantur.

Antequam loci 1. *Cor.* xv. sensum exponere definamus, prava aliorum explicatio paucis refellenda est; qui ad eam accedentes non uno modo iniquè agunt. Nolim autem mea verba tàm sinistrè accipi, ut injuriam ab iis veritati de industria illatam censeam. Procul id & ab eorum mente atque integerrimis moribus & à mea modestia fuerit. Etiam innocentissimi homines, qui veritatis victoriam, vitæ suæ pretio redimere parati sunt; interdum vel inviti & nihil minus cogitantes facere possunt ac solent, quod Veritatis injuriam involvat. Præsertim ubi Error Veritatis specie tectus, ita sanæ rationis ictus evadere nititur, ut nonnisi per latus Veritatis confodi & confici posse quibusdam videatur. Æqualitas filii cum Patre omnimoda, quam & Apostolicum æquum & primorum post Apostolos patrum atque seculorum simplicitas ignoravit, illâ certissimæ Veritatis partæ protecta, se in Ecclesiam insinuavit: quod æterna Christi exaltatio, potestas, atque regnum tot evidentibus Sacræ Scripturæ testimoniis niteretur. Cum igitur æqualitas ista omnimoda, Viris optimis meritò convellenda videretur; non mirum, neque veniâ indignum est, eos occasione loci hujus, qui eam planè subruit, usos aut potius abusos, ad exaltationis quoque & æterni Regni Christi injuriam per nimium erroris subruendi studium prolapsos esse. Sed quia falsa ista æqualitas, salva æternæ Christi exaltationis gloriâ subverti potest, injuria etiam sine dolo malo, veritati illata, injuria esse non desinit. Proinde sinat nos benignus Lector Scapham Scapham vocare & quam nos veniam iis, quos errare censemus, libenter largimur; eam nobis non deneget, propria rebus quas reprehendimus vocabula imponentibus, & plures eorum quos oppugnamus iniquitates arguentibus.

Quorum prima est, quod difficultates ex isto loco emergentes tollere negligant, tanquam nullæ sint aut non magni momenti; cum tamen gravissimæ sint, & ut tollantur magna necessitas exigat.

Deinde quod non modo locum tàm obscurum, per apertos ac dilucidos non explicent; sed etiam alios eosque clarissimos, per ejus tenebras obscurent.

Difficultatum, quas locus iste nectit prima est, Regiæ dignitatis Christi æterna degradatio. Nodus hic certè vindice non indignus erat.

Altera est, quod in hoc loco, licet in subjectione rerum omnium Christo, pater expresse exceptus ostendatur: Paulo ipso explicante: Tamen per omnia militantis Ecclesiæ secula, filium patri subjectum non esse, nec fore; non obscurè asseratur. Sed ante redditionem Regni Deo patri, æqualitas fere omnimoda, inter utrumque introduci videatur. Hæc quoque difficultas obscuritatem loci arguit, & ostendit eum per alios lucidiores, non alios per ipsum, explicandos fuisse. Has difficultates interpretes, quos refellimus, præcipue primam non tollunt, sed augent. Primùm dum verba loci non distinguunt, nec ulla commoda explicatione, duriorem eorum sensum molliunt: sed nihil obscuritatis distinctione indigentis locum hunc continere contendunt quo vix quicquam falsius aut iniquius est.

Nisi quod capitalior iniquitas est, dum æternitatis vocem, quæ in locis Sacræ Scripturæ huic Paulino in speciem repugnantibus ex mente eorum qui eâ usi sunt, (ipsismet auctoribus explicantibus) propriè sumitur: ab iisdem impropriè sumi contendunt.

Exemplo sint duo loci *Dan.* VII. 14. *& Luc.* 1. 33. Ajunt enim ii, quos refellimus, Æterni vel æternitatis vocem, non semper propriè & pro eo sumi, quod finem non habet ullum; sed interdum impropriè, quod finem quidem ac terminum habet, sed ob aliam aliquam causam, non quod finem non habeat æternum dicitur. Quæ distinctio vera quidem est; Sed perperam & injustissimè applicatur ad verba omnia, quæ æternitatem regni Christi

plurimis

plurimis in locis prænunciant aut asserunt: dum ea in posteriori & improprio sensu accipi contendunt, quod in istis duobus citatis locis evidentissimè patet. In iis enim, adversus apertissimam eorum mentem, qui voce æternitatis usi sunt, sensum ejus vocis à proprio ad improprium Interpretes isti detorquent. At qui isti ipsi qui eam vocem protulere, utrobique diserte explicant, quo sensu eam protulerint. Daniel enim de Regno Christi loquens, ait *Potestas ejus potestas æterna.* neve nesciremus quo sensu vocem æternæ sumat, sua verba explicando addit, *quæ potestas ab eo non auferetur* & regnum *ejus non corrumpetur.* Ubi quis non videt, vocem *æterna* ita ab ipso Daniele explicari, ut in proprio sensu de tali regno Christi sumatur; quod planè non desinet nec ullum finem habebit? Angelus autem apud Lucam ait de Christo, *Et regnabit super domum Jacob in æternum.* ac ne quis in *æterni* voce impropriè sumenda hallucinari posset, subjecit verba vocem hanc explicantia, *Et regni ejus non erit finis.* Ubi iterum quis ita oculis captus est, quin videat vocem æterni sic ab Angelo sumi ut explicatur. Ita autem explicari, ut perpetuam & fine carentem regni de quo sermo est, durationem significet. Male igitur & iniquè verba prophetæ & Angeli cum Paulinis conciliant, adversus apertissimam mentem, & expressa verba tàm prophetæ quàm Angeli; & menti & verbis eorum injustam vim inferendo. Certè uterque verborum, quæ protulit, fidelior est interpres, quàm quisquam alius. Qui ambo cum de æternitati quæ fine omni careat loqui se testentur, qua æquitate isti quibuscum agimus, jus sibi arrogant, eandem vocem de æternitate quæ finem habeat, interpretandi adversus disserta utriusque verba? Suorum quisque verborum, suæque mentis legitimus interpres censetur, neque conjecturis locus est adversus expressum Auctoris, de cujus voce agitur, testimonium.

Sed ut injuria injuriam, error errorem trudit, non hoc fine stetit eorum iniquitas. Comminiscuntur enim traditionem Regni Christi patri in eum finem fore, ut abolita omni subalternâ potestate, solus Deus pater immediate cunctos gubernet. Quod commentum nusquam in Sacris literis extans; vel auditum, insignem injuriam Dei patris simul & filii Dei involvit. Dei patris injuria est in eo, quòd gloria & majestas ejus, quæ per plures gradus inferiorum in cælo potestatum, jam olim altissimè ascendit, ac deinde post novæ Creationis sublime opus cœptum; & universalem (à patre tamen dependentem) potestatem Christo traditam; longe altius promota est; à summo suo fastigio & culmine per hoc audax & inauditum commentum, ad infimum imperantium gradum quo singuli reguntur, deturbatur & in præceps devolvitur. Christi autem injuria est, quod immediato Patris regimine in æternum introducto, nullus plane filio Regiæ dignitatis locus in perpetuum relinquitur.

Huic autem commento, quæ verba huius loci occasionem dederint, vix satis divinare possimus.

Maximè verisimile videri potuit illud ortum ex verbis qui prædictionem traditionis Regni Christi, proximè sequuntur. „ Quando (inquit *vers.* 24.) „tradet regnum Deo & patri, quando abolebit „omnem principatum, & omnem potestatem ac „potentiam. Sed bene habet, quod hæc verba, omnes, nisi fallor, certe & isti ipsi quos oppugnamus, de inimica duntaxat hostium Christi (quos inter mors quoque *vers.* 26. collocatur) potentia & potestate intelligant & explicent.

Reliquum est ut errori huic ansam verba illa dederint *vers.* 28. „ Quando verò subjecta fuerint ipsi „omnia, tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. „ Resp. Sed hæc verba nihil minus significant quam omnis hierarchiæ cælestis abolitionem, aut immediatum Dei patris super omnes regimen, quod sine injuria Dei Christique mente concipi non posse ostendimus. Nam & Christus etiamsi eminentissimæ suæ, quæ cogitari pollit, potestatis Majestatem non deponat, & Rex omnium inferiorum suprenus in æternum maneat, Patri subjectus esse potest: Et verba, *ut Deus sit omnia in omnibus*, quo jure ad immediatam Dei gubernationem detorquentur? Quæ non aliud significant, quàm ut plenissimam habeat potestatem super omnes.

Nec ulla causa dari potest, quæ Deum moveat; ut immediate potius, quàm per subordinatas potestates omnia gubernare malit. Nunquid enim plenìori aut sublimiori jure & efficacia, immediata potestas sibi subjectos regit; quàm qui illi immediatæ potestati absolutè imperat? Id in humanis fortè rebus, ubi potestati, vix unquam plena & stabilis potentia adæquata est, ob imbecillitatem eminentium super alias potestatum somniare quis posset. Sed hic tamen non juris aut potestatis, verum potentiæ defectus esset. quòd immediata potestas inter mortales de propinquo, melius nosse coërcendos & citius oppressis succurrere, & reliqua officii sui commodius forte quàm remotior exequi possit. Verum in rebus divinis id ne somniari quidem potest, ubi quo altius ascendit potestas, eò magis intenditur potentia & altissimæ potestati adhæret absoluta omnipotentia. Quod ad jus quidem & potestatem attinet, de qua loquimur; etiam in rebus terrenis nunquam immediata dominatio tam pleno, tàm sublimi, jure adeoque pari cum eâ, cui ipsa subest potestate subjectos gubernat. Nec video cur pæniteat Deum, quod hucusque Angelos per Angelos, & homines per homines gubernaverit; & utriusque generis potestates in unum quasi collectas Christi dominio subjecerit. Nulla igitur necessitas, nullus usus, aut fructus est hujus, præter omnem Sacræ Scripturæ auctoritatem, & vel minimam mentionem, vel ejus rei indicium, excogitatæ, immediatæ in omnes summi Dei potestatis, nisi ut ejus gloria, de sublimi ad imum imperii gradum devolvatur.

Præterea an Deus ante traditum Christo absolutum regnum non erat omnia in omnibus? Et tamen tunc non immediata potestate gubernabat omnia. Potest igitur Deus esse omnia in omnibus, non demittendo se ad immediatam potestatem, qua subordinati Principes possunt sufficienter defungi.

Denique nihil vitium est in verbis quod *Deus erit omnia in omnibus* ad significandam ejus immediatam super omnes potestatem. quæ non aliud significare possunt quam omnem, hoc est, plenam potestatem habere super omnes, Omnia in omnibus, aut super omnes posse, seu omnes sibi subjectos habere etiam ipsum Christum.

Rejecta igitur falsâ, ad veram explicationem nobis redeundum est. Ut autem suprà verba prophetæ & Angeli, per ipsa eorundem verba explicuimus, ita hæc Pauli per ipsum Paulum explicanda censemus. Qui libenter utitur ejusmodi loquendi formulis. Omnibus esse omnia & omnia esse in omnibus. Nisi quòd in significatione & sensu earum altera alteri, opposita sit. Illa enim significat omnium moribus aut voluntati sese accommodando, omnibus subjectum, & quasi servum eorum esse, ut patet ex loco 1. Cor. IX. 19. *& seqq.* Hæc vero contrario sensu; Omnium Dominum & quidem absolutum esse. Qui enim omnibus omnia est, omnium voluntati subest, seque accommodat, & inservit. At vero qui est Omnia in omnibus, is omnes voluntati suæ subjectos & inservientes in omnibus rebus habet;

habet; quemadmodum & is qui omnia in omnibus complet *Epheſ. 1. verſ. ultimo* quod de Chriſti poteſtate ſuper Eccleſiam dicitur. Res hæc adeo plana eſt, ut pluribus confirmari non deſideret. Ideò concludimus verba Apoſtoli quod Deus pater ſit futurus Omnia in omnibus, nihil plus ſignificare, quàm poteſtatis ejus, *amplitudinem* ſimul & *plenitudinem*. Amplitudo exprimitur per vocem in Omnibus, in qua ne Chriſtus quidem & populus ejus excipitur. Plenitudo autem poteſtatis per Vocem Omnia eſſe hoc eſt, Omnia poſſe, aut potius omnia ſibi in ſubjectos poteſtati ſuæ obnoxius licere.

Immediatæ poteſtatis hic nulla mentio, nec vola nec veſtigium apparet, per quod eam quiſpiam odorari poſſit. Tam amplitudo verò quam plenitudo poteſtatis Dei patris, per traditum Chriſto abſolutum illud & particulare regnum, quodammodo coarctata & diminuta videtur. Cum enim per eam poteſtatem, abſoluto & Independenti jure, Chriſtus eccleſiam ſuam gubernet, præſertim in negotio Salutis & damnationis ſingulorum, palàm eſt non modo ipſum Chriſtum, ſed & populum ejus à Dei patris ſubjectione quodammodo exemptum eſſe. Unus enim populus duos Dominos abſolutos habere non poteſt.

Meritò igitur hæc tradita Chriſto abſoluta poteſtas, Patri iterum reddenda dicitur, quia in perpetuum retenta, Dei patris gloriæ non parum derogaret. At illa univerſalis ſuprà omnia poteſtas à patre dependens, quæ adeò patris gloriæ non repugnat, ut eam mirificè augeat & illuſtret; nihil impedit quominùs à Chriſto in perpetuum retineatur. Nec ad locum iſtum Paulinum pertinet; qui ejus tantum regni poteſtatem à Chriſto deponendam aſſerit, quæ ſi æterna eſſet, cum gloria Dei & pleniſſima ejus ſuper omnia poteſtate pugnaret.

Cur autem Apoſtolus generali, & non diſtincta Regni quod Patri tradendum dicitur, voce uſus ſit, eò factum eſt, quòd vox Regni, ut genus analogum, propriè & principaliter illam regni ſpeciem ſignificet; quæ à nemine dependet ſeu nemini ſubjecta eſt: Quæ Chriſto tunc data eſt, cum pater omne judicium filio dedit; abdicata quaſi omni judicandi voluntate, & facto decreto quod neminem judicaturus ſit. Rectè autem à Crellio noſtro ſummi judicii Viro, obſervatum eſt, unum illud regni genus maxime proprie dici regnum, quod à nemine dependet & à ſolo ſummo Deo, patre Domini noſtri abſolutè poſſidetur. Quod quia Chriſto à patre in Salutis noſtræ negotio communicatum eſt, jure Apoſtolus de illo regno abſoluto quod per excellentiam regnum dicitur, abſolute & ſine ulla limitatione, & diſerta explicatione locutus eſt, præſertim cum ex verbis ejus liquido patere poſſet, de quo genere regni loqueretur.

Quòd vero alii, qui de æterno & Univerſali Chriſti Regno agunt, quamvis illud non ſit independens, quod ſolum per excellentiam regnum dicitur: Illud tamen abſolutè & ſine diſtinctione regnum vocent ideo fieri videtur; quod iſtud Chriſti regnum univerſale ſit, & Supremo Regno Dei patris proximum. Quippe reſpectu inferiorum omnium altiſſimum & in æternum duraturum. Imo vero præ iſto regno Chriſti, quod finem habiturum eſt, duobus de cauſis excellentius videtur. Primùm quòd ad omnes extenditur, præter ipſum patrem, non verò tantum ad eos qui à Chriſto judicandi ſunt. Deinde quod æternum & perpetuum. Excellentior autem eſt & magis optanda dependens à Deo poteſtas, quæ eſt univerſalis & perpetua, quam abſoluta & independens ad certum populum & negotium adſtricta; quam confecto negotio finem habere neceſſe eſt. Si igitur terrena regna, quæ finem ſuum habent, quamvis à cæleſti poteſtate dependeant, in communi loquendi uſu, qui verborum tyrannus eſt, propriè dicta & ſine diſtinctione regna dici ſolent, quanto magis cæleſte, divinum, univerſale, & æternum, ſine ulla limitatione regnum dici poteſt?

Satis hucuſque nodus ille difficultatis, qui ex degradatione filii Dei in hoc loco nectitur, diſſolutus eſt. Ne igitur culpa, quam in aliis arguimus, nos viciſſim redarguat, altera quoque propoſitarum à nobis difficultatum tollenda eſt. Hæc vero eſt, quomodo animis noſtris concipere poſſimus Supremum Deum, patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ipſi omnia præter ſeipſum ſubjecit, per tot militantis Eccleſiæ ſecula, non omnia ſibi ſubjecta habere, vel (ut Apoſtoli verbis utar) non omnia in omnibus eſſe, id eſt poſſe, dici queat, cum ipſius Chriſti caput & Deus, & pater ſit, & fuerit & eſſe nunquam deſinere poſſit. Tam Chriſtus igitur quàm populus ejus, in genere loquendo, Deo patri abſolutè ac ſimpliciter ſubjectus ſemper eſt. Quodammodo tamen & ſecundum quid, quantum ad ſpeciale quoddam negotium attinet, eidem aliquamdiu non ſubjectus videri ac dici poteſt.

Quod ut melius intelligatur, duo Summi Dei attributa potentia & poteſtas diſtinctè conſideranda ſunt. Potentiam ſuam, quâ cuncta ſibi ſubjecta habet, ſupremam, ob quam potentiſſimus omnium & abſolutè ac ſine ulla exceptione Omnipotens eſt ac dicitur Deus pater nemini tradere potuit. Ut enim ſummum, ità potentiſſimum unum eſſe neceſſe eſt. (Unde inter patris & filii omnipotentiam illud diſcrimen cernitur, quod ab illa nihil exceptum: ab hac ipſe pater exceptus intelligatur: quod idem de jure ſummæ poteſtatis Apoſtolus oſtendit, 1. *Cor.* xv. 27.) Verum jus & poteſtatem univerſalem & ſupra omnia (ſeſe & Chriſto inferiora) at non abſolutè ſummam, ſed ſibi ſubjectam & ſubordinatam Pater Filio tradere potuit, ſalva majeſtatis ſuæ eminentia. Eadem integrâ potuit eidem ſupremæ quoque & abſolutæ poteſtatis jus tradere, ſed particulare & non perpetuum, ad certum populum certumque negotium adſtrictum, puta ſuper populum ejus peculiarem, ratione vitæ neciſque ſingulorum ex iſto populo. Quæ tradita Chriſto poteſtas particularis ſed abſoluta, quamdiu durat, efficit Chriſtum patri quodammodo & ſecundum quid non ſubjectum, puta ſecundum illam particularem, de qua Apoſtolum loqui. 1. *Cor.* xv. meridiana luce clarius eſt, poteſtatem.

Duæ igitur cauſæ ſunt, quæ efficiunt ut Chriſtus etiam dum militantem Eccleſiam abſolutè gubernat, Patri tamen ſubjectus ſit ac dicatur.

Primùm abſoluta patris, ſupremaque & ſine ulla exceptione Omnipotentia; qua omnes ne filio quidem excepto habet ſibi ſubjectos; quæ neque per univerſalem non abſolutam nec ſupremum: neque per ſupremam, ſed particularem & non perpetuam poteſtatem, Chriſto traditam imminui potuit. Qui licet ex poteſtate, ſecundum quid & ad tempus quaſi manumiſſus è potentia tamen patris non exiit. Unum enim ſummum, unum potentiſſimum eſſe neceſſe eſt.

Altera cauſa cur nunc quoque filius patri ſimpliciter ſubjectus dici poteſt, flagrantiſſimus erga patrem amor & perpetua Chriſti voluntas qua ſeſe patri ſubjicit; ejuſque deſiderio ſubjectus eſſe conatur.

Parte alia rurſus Unica eſt duntaxat cauſa, quæ efficit ut Chriſtus, quodammodo & ſecundum quid, Deo patri ad tempus præfixum, ſubjectus eſſe non videatur. Hæc autem eſt Voluntas Dei patris, quæ ex amore & fiducia erga filium; & effuſâ erga nos gratia profecta eſt, quâ voluit & decrevit, ut filius

ut filius absolutâ potestate Ecclesiam militantem, regeret, ut fides & spes nostra tanto adminiculo niteretur. Quæ nisi interveniisset, parum credibile videtur, filium id potestatis susceperturum fuisse. Qui cum summopere diligat patrem & ejus gloriam (quod perfectissimæ sanctitatis ejus specimen ac documentum est) absolutam & à patre non dependentem potestatem, & quicquid gloriæ ejus adversatur neque optare, neque suscipere, nisi urgente voluntate patris potuit.

Quale autem fidei ac fiduciæ nostræ adminiculum præbeat absoluta Christi, in servandis aut damnandis nobis potestas, inde liquidò patet, quod promissa nobis per eundem æterna Salus & gloria, planè & plene in manus ejus tradita est, qui caput nostrum & Sponsus Ecclesiæ audit, qui nos tanto amore prosecutus est, ut mortem, eamque truculentam pro nobis subire non detrectaverit, qui nobis remissionem peccatorum, solenni & sanguine suo pacto fœdere obtinuit & obtulit. Quorum remittendorum absolutam ipse potestatem à patre accepit. Qui ideo advocatus & misericors pontifex noster dicitur, quod nobis mirificè faveat, quodque ipsi æterna nostra salus cordi ac præcipuæ curæ sit, à quo proinde (nisi nobis ipsimet gravissima & non adeo difficulter evitabili culpa nostra deesse velimus) nihil triste timere possumus; ut non immerito nunc jam unâ cum eo convivificati, conresuscitati & in cœlestibus unâ collocati & conglorificati dicamur *Ephes.* II. 6. *Coloss.* II. 3.

His ita explicatis, concludimus Traditionem patri ejus regni Christi, quod, si maneret in perpetuum, potestatem patris limitando & imminuendo, gloriæ patris repugnaret aut ei derogaret; nihil derogare, multò minùs repugnare illi regno Christi in perpetuum continuando, quod gloriam patris auget, & illustrat, nec quenquam in perpetuum è potestate Dei patris eximit.

Hoc nostra explicatione admissa, manebit Deo patri in æternum, illibatum super omnes, altissimæ Majestatis fastigium; manebit Christo intacta, æterni & universalis sed à patre dependentis regni & potestatis dignitas: Atque ut ille *Pater ex quo omnia*, ita hic *Dominus per quem omnia* esse nunquam desinet. Nec enim filius eâ lege semel in solium patris evectus est, ut ex eo unquam & quidem in perpetuum descenderet. Nec ideo paterni regni & rerum omnium hæreditatem crevit, ut ejus possessione aliquando excideret: manebit simul Judaismo in Ecclesiam irrumpere avido, & per ejusmodi Ebionismos, sensim sibi aditum paranti oppositus immobilis obex; manebit obstructum calumniis, quibus insons Ecclesia nostra exagitata est, ostium; aperietur latissima Veritati porta ad Orbem Christianum luce ipsius illustrandum, qui nulla re magis ab eo recipienda absterretur, quam admixta puritati ejus immundâ Judaismi illuvie aut suspicione.

Contraria explicatio an eosdem fructus afferat; æquus Lector melius dispiciet.

APPENDIX.

EX iis, quæ hucusque disseruimus, speramus benigno Lectori Veritatem, quam defendimus, ejusque lucem, qua tenebras explicati Loci dispulimus, clare & liquidò patere posse. Si quis tamen in animo cujusquam scrupulus hæreat, an ista quæ distinguimus regna Christi, quorum alterum æternum; alterum deponendum est, in ea revelatione quæ à Sacris Libris petitur, deprehendantur: pauca ista ad pleniorem Veritatis illustrationem dictis annectimus, nihil morati culpam, si qua est, quod nobis, lucis causa, aliqua è supernis dictis toties repetenda sint. Non enim concinnitati Scripti nostri, sed eorum, quibus scribimus, emolumento consultum esse voluimus.

Regnorum igitur istorum utrumque à Christo distincte possideri, Sequentibus rationibus demonstratur.

I.

Imperium Christi, in quo ipsi pater, omnia præter seipsum subjecit: ita ut nihil omnino, sit ipsi non subjectum. *Heb.* II. 8, Universale esse necesse est. At regnum Christi super peculiarem populum ejus, non potest esse nisi particulare, quia non ad omnes porrigitur, sed ad sola capitis sui Christi membra restringitur, idque tamdiu duntaxat dum sunt in militante Ecclesia. Nec verò iisdem legibus & rationibus utrumque regnorum istorum gubernari è Sacris literis constat. Diversa igitur ista regna esse necesse est.

II.

In imperio Christi universali; nusquam legimus Deum patrem, regimen omnium, quæ ipsi subjecit, abdicasse. Nec ejus rei causa ulla probabilis fingi potest. Imo id absurdum & impossibile est. Proinde illud à patre dependere necesse est. At in peculiari regno Christi legimus patrem judicium vivorum & mortuorum, servandorum aut damnandorum abdicasse, facto decreto quòd neminem judicaturus sit & omni judicio, hoc est, pleniissima & liberrimâ judicandi & rem judicatam exequendi potestate, filio traditâ, idque ob causam satis idoneam & manifestam, putà propter fidei & spei nostræ adminiculum. Palàm est igitur voluisse Deum patrem, ut regnum filii sui particulare, non à se suaque voluntate: sed ab absoluto & liberrimo Christi arbitrio penderet. Quæ differentia ad duo disparata & sibi quodammodo opposita regna sufficit.

III.

Regna Christi, ex quorum altero ad alterum homines transferri à Deo possunt & solent, diversa & disparata esse necesse est. Cum igitur in Universo varia regna sint, quale (ut omittam terrena) est Satanæ regnum Spirituale super filios inobedientiæ, regnum inquam, & potestas tenebrarum omnia vero Christo à patre subjecta sunt, palàm est, quòd ut ipse Satanas non est extrà potestatem & imperium Christi, ita ne subjectos quidem Satanæ esse extrà Regnum Christi universale. Atqui Deus è potestate tenebrarum, quæ ipsa Christi regno subjecta est, transfert aliquos in regnum filii sui. Oportet igitur, aliud esse regnum Christi Universale, in quo unâ cum Satana etiam subjecti ipsi comprehenduntur & Christo subjecti sunt; aliud regnum peculiare ejusdem dilecti filii, in quod transferuntur etiam ii, quos in Universali Christi regno jam comprehensos fuisse, negari nullo modo potest.

IV.

Regnum Christi aliud est, quod etiamsi perpetuum & æternum sit, non modo gloriæ patris nihil derogat, sed eam multùm extollit & illustrat, qua-

lis est illa in exaltatione Christi, subjectio ipsi omnium rerum, præter ipsum Deum patrem, à nutu & potestate ejusdem Dei patris dependens. Cum enim Christus Rex cælestis, cum summa & universali, à Deo tamen dependente potestate in solio ipsius Dei collocatus est, Majestas & eminentia ipsius Dei, altius ascendit atque promota est; quando ipsius quoque Christi, benedicti super omnia, in secula Dei Deus & pater est ac dicitur. Hoc regni Christi genus per se ac directe, ad augendam & illustrandam gloriam Dei patris tendit. Alterum autem quod (si perpetuum esset) Christum & populum ejus è patris potestate in perpetuum eximeret, & efficeret ne Deus Omnia esset in Omnibus, hoc est. amplitudinem & plenitudinem potestatis super omnes in rebus omnibus integram retineret; palàm est ad augendam gloriam Dei patris non tendere. Oppositа igitur sibi esse, regna ista necesse est.

V.

Ut causæ regnorum Christo à patre collatorum, duplicis generis sunt: aliæ in perpetuum permanentes; aliæ quæ ad tempus duntaxat durare debent: ita duo Christi regna esse necesse est: aliud perpetuum: aliud ad certum tempus duraturum. Causæ Regni Christo collati æternæ ac perpetuæ sunt. Primo. Gloriæ Dei patris exaltatio, quæ in Exaltatione Christi super omnia, uni Deo patri secundâ & proxima cernitur.

Secundo. Æternum ac perpetuum Obedientiæ Christi præmium. Quod ipsum rursus duabus ex causis ipsis quoque perpetuis profluit. Primo. ex flagrantissimo Patris erga filium amore; qui mutuo filii erga patrem studio atque obsequio mirum in modum confirmatus est, nec unquam desinet. Secundo. ex perpetuâ Dei justitia & in præstandis promissis fide; qui ut eventuras Christi passiones; ita certamen ejus atque victoriam consecuturas, in vim præmii glorias, constituit olim ac prænunciavit, & certamini, labori, denique victoriæ Christi proposuit divinum illud & immensum gaudium (*Heb.* XII. 2.) quo ad certandum & vincendum animaretur. 1. *Pet.* I. 11.

Hæ causæ omnes, quia sunt æternæ ac perpetuæ, Regnum quoque Christi universale, quod ob eas ipsi collatum est, perpetuum & æternum esse necesse est.

Est præterea alia collati Christo, particularis in Ecclesia Regni causa. Fidei, videlicet ac Spei nostræ adminiculum. Quæ quia non simplex, sed absolutum atque independens regnum Christo in Ecclesia, permitti postulabat, absoluto quoque & independenti regno Christi affixa est. Et quia ipsa causa perpetua esse, & ultrà Novæ Creationis, in toto populo Christi consummationem durare nequit; ne regnum quidem ob eam collatum, perpetuum esse, potest; sed post dictam consummationem, deponendum est: de quo solo Apostolus 1. Cor. XV. loquitur.

Hæc tàm aperta, manifesta & palpabilia, cujus obstinationem expugnare, & assensum extorquere non poterunt: ei nihil ultrà molestiæ exhibendum; sed tantum pura & à præjudiciis libera, præcipuè verò pudendæ & idololatricæ mortalium hominum (quantæcunque illi Virtutis pietatis & auctoritatis fuerint) venerationis expers Mens à Deo optanda, & si se ad preces eo nomine fundendas demittere velit, impetranda est.

FINIS.

ANIMADVERSIONES APOLOGETICÆ

in

Aculeatum Ioannis Amosi Comenii adversus Ecclesias Christi recens in Polonia afflictas, libellum occasione IRENICI Irenicorum ab Anonymo propositi refellendi in lucem emissum.

PRÆFATIO

ad Lectorem.

Quid animo secutus, quove instinctu impulsus fuerit, Joh. Amos Comenius, quando ad vaticiniorum festinato eventu jam jam falsi convincendorum patrocinium nuper accessit, ipse viderit. Gravis inde existimationis ejus jactura consecuta; ansam dedit homini cogitandi, qua ratione inustas nomini suo maculas deleret. Nihil igitur ipsi consultius factu visum est quàm ut Reformatas Ecclesias, quas adeò turpi facinore infamaverat; insigni aliqua opera navata demereretur. Proinde non ignarus; quanto plerique suorum odii atque irarum æstu adversus Ecclesias recenti in Polonia fulmine percussas ferveant: exagitandi miseros atque afflictos consilium cepit. Sed dum aliquorum ex suo ingenio ac moribus gratificatur, causam & existimationem omnium imprudens offluxit: quasi doctrina sua in quâ ab istis Ecclesiis, divertunt: honestius quàm à prophetis falsi convictis, aeterfitum deesset, patrocinium.

Praterea susceptam provinciam, adeò perperam tractavit, ut se passim, etiam ubi maximè triumphat, victum at constrictum adversario tradiderit; quasi cæteris omnibus neglectis id unum ageret; ut præter latus anonymi sine noxa transvolantia Spicula in Ecclesiarum quas nominavimus corpore defigeret. Libellus ejus, tot calumniis, contumeliis & undique quæsito maledicentiæ genere refertus est; ut quâ Tisiphone quibusve colubris Auctor exagitatus fuerit nemo satis mirari queat. Reposuimus homini oppugnata veritatu & innocentia defensionem ea moderatione ut à maledictis abstineremus: atque ubi reprehensionis austeritas necessaria visa est; non eo à nobis consilio adhibita est; ut ejus intemperiæ ulciscaremur. Sed quia pleraque calumniarum tela in nos conjicit, nulla probandi curâ, verum sola nominis sui auctoritate fretus: res ipsa exegit interdum ne hominis supercilioso existimationi parceretur, quò minus nocitura insontibus; apud Lectores fidei aut benevolentiæ inveniret. Vale.

ANIMADVERSIONUM APOLOGETICARUM PARS PRIMA.

In qua (præmissis quæ initio libri animadversione digna visa sunt) Sophismata Comenii circa primam Reconciliatoris normam, hoc est, Rationem sanam examinantur.

I

AD TITULUM

Conditiones Pacis à Socini Secta Christiano Orbi oblatæ.

Labi & errare, ideoque falsa proloqui, humanæ est infirmitatis, & sæpe excusabile. At si quis de industriâ, & quidem publicè, id asserat; quod non modo verum esse nescit, sed falsum esse, certò scit; culpa ejusmodi quo nomine, quo elogio digna sit Lector æquus judicet. Cujus delicti reum sese Comenius prima statim libelli sui pagina §. 4. convincit: ubi fatetur, Auctorem Irenici Irenicorum Anonymum, negare se ulli Sectæ addictum. Ergo Ne Socinianæ quidem. Nec ipse id neganti fidem derogare aut potest aut audet; sed an hoc ita sit conscientiæ ejus, & tempori relinquit. Suspendit igitur mentis suæ judicium, donec tempus veritatem aperiat aut confirmet; & aperte ostendit sese nondum certò affirmare posse, illum esse Socinianum. Multò igitur minùs, publicum ejus Sectæ ad Negotiationem Pacis ablegatum Commissarium. Addit isthic sane; quia nullius præterquam Socinianæ sectæ, toto hoc tractatu causam agit (quod ipsum, quam verum sit paulò post videbimus) *tantisper* eum Socinianis quibus patrocinatur annumerandum esse. Sed aliud est tantisper, dum communis error refutatur, aliquem licet invitum errantibus adjungere: aliud verò imponere alicui invito personam missi à tota Secta, à qua se alienum testetur, Legati & Commissarii, ad negotiationem Pacis cum reliquo Orbe Christiano. Ex eo enim ipso quod nulli se Sectæ addictum Auctor Irenici Anonymus protestatus fuerit: satis certò scire potuit; atque adeò scivit Comenius, Anonymum ea quæ scripsit, nullius sectæ nomine, sed suo tantum Orbi Christiano proponere voluisse; quod & expressa verba præfationum ejus, & totius Scripti contextus testatur. Et tamen libellum eius vocare audet Conditiones Pacis à Socini secta Christianoorbi oblatas; quo jure? quâ fronte? & conscientia?

Justa igitur Dei vindicta in ipso libelli sui frontispicio, eorum sese criminum coarguit, quæ satis ostendunt quantum ipsi fidei habendum sit in iis, quæ afflictis in Polonia Ecclesiis tàm accusatoriè objicit. Primum enim ipsi Comenio expendendum relinquimus, quid gravius meruere qui privata testamenta supponunt; quæ testatori in mentem nunquam venere: quàm ii, qui nomine alicujus Societatis proponere audent Conditiones publicas, de quibus ii, quorum nomine proponuntur, ne cogitarunt quidem? Deinde Lectorem sumimus judicem in dispiciendo quonam vocabulo exprimendum sit flagitium Comenii, qui certò scit Anonymum suo, non alieno nomine quæ scribit proponere; & tamen in isto Titulo ostendit; eum alieno & omnium communi non suo nomine eadem proponere; quamvis is ab illorum, quibus hæc falso & violentur attribuuntur, consortio se alienum esse, expressè testetur. Præterea in plurimis quæ hoc libello asserit, præcipuè verò in admissa simpliciter & sine ulla conditione, inter pacificationis normas Traditionis auctoritate; à mente & sententia Ecclesiarum; quas sibi insectandas Comenius sumpsit apertissimè discedit. Denique non simplex in eo est adversus veriloquium delictum sed admista calumnia mordax, quæ in eo cernitur, quòd Ecclesiis istis, quas omni studio exosas reddere conatur; affingit eas non alia conditione pacisci velle; quàm si omnes reliquæ sectæ, dextrum fidei suæ oculum eruendum porrigant; hoc est, opiniones in controversiam venientes, abjiciant. Procul id à Caritate & moderatione earum abesse; sæpiùs ipsæ testatæ sunt. & nunc protestantur. Veriores quidem ac tutiores opiniones, omnibus ex animo optant; sed eas nemini invito, aut sub conditione Communionis vel Concordiæ obtrudunt. Consensum in omnibus mallent, sed & dissensum in pluribus tolerant. Unum præscriptæ à Christo legis obsequium urgent; nec id spectant quàm speciosè quispiam de Natura Christi sentiat aut loquatur; sed quàm prompte & fideliter præceptis ejus obediat. Et si in vero pietatis studio (cujus fraterna Caritas & tolerantia præcipua pars est) per adductiorem morum disciplinam, in Ecclesia retinendo, illis cum aliis convenerit; quæ supererunt dissensiones, pacis negotium non abrumpent; dummodo fidei erga Deum, fides erga Christum addatur, hoc est, Jesus credatur esse Christus, Rex videlicet populi Dei, Natura divina & omnipotentia à patre donatus. ita ut nunc merito dicatur Deus super omnia, benedictus in secula.

II.

Ad *præfationem, qua Ecclesiæ &* Academiæ Belgicæ compellantur.

In ea præfatione Comenius sese *Canem*, esse gloriatur; *qui* Lupos *latratu abigat si possit; aut certe prodat.* Non audemus in eo, hominis assertionem, falsi arguere. Nam & istius quem sibi tribuit, latratus sonitu, totum ejus Scriptum perstrepit, ac reboat; & morsus alicubi vulnera; & impressa passim dentis vestigia extant, nisi quod tametsi multi virulenti sint; per Dei gratiam, nullus est lethalis. Præterea nec illud ab istius feræ cicuris moribus abludit: quod insontes juxta cum sontibus (qui tales putantur) hic quoque allatrari cernamus. Sed absentes tamen illa vulgò non adoritur; quod hic fieri videmus, facto impetu in eos, qui Anonymo ad concinnandum ejus Scriptum, nihil contulerunt, & à quibus ipse ultrò alienum se profitetur. Unde apparet malignioris feræ esse hunc incursum. Certe lupini rictus dentem: vel in ipsa præfatione sub finem; (tametsi non absque blando Iscariotis osculo) male cicurata fera ista exeruit. Lupum igitur sese verius dixisset; si lupus latrare posset. Quamvis nos in aliena præfatione quicquam mutare audemus. Illud unum admonemus, Canes in Sacris literis spiritualiter intellectos plurimum ab isto genere Canum abesse: qui etiam non lacessiti, & sine ulla causa usque ad rabiem latratu simul ac mansa sæviunt. Canes cælestium bonorum custodes, mutos esse non decet. sed neque rabiosos, aut in cujusquam hominum perniciem efferatos; quales ne ad terrenorum quidem bonorum custodiam apti sunt; aut unquam admittuntur.

III.

Ad præfationem ad Lectorem.

Ecclesias in Polonia afflictas, quas nomine Socinistarum Comenius traducit, vocat populum ex verbi Dei semine, & ratione Cornali, & philosophia gentili, adulterâ & incestuosa mixturâ prognatum. Quam iniquum & calumniosum sit istud maledictum, non exanimo. Nam & agnomen ejusmodi populus hic non agnoscit: Multò minùs suam ex philosophia gentili, aut ratione carnali originem. Quippe qui Mundanam & Gnosticam, Stoicorum, (quam Pantænus Scholæ Alexandrinæ primus Antistes) & Platonicorum philosophorum (quam Justinus, & assecla secuti sunt) Sapientiam; cum Apostolo Paulo meritò acerrimè oppugnant. Illud unum nunc æstimare libet quàm insulsum & ineptum sit. Ex incestuosa verbi Dei & rationis humanæ aut philosophiæ mixtura, nata progenies, minùs profectò reprehensionis habet; quàm qui incesto mixti sunt progenitores. Quemadmodum Ammon & Moab incesti culpam præstare non tenentur, quam Lot & filiæ ejus commisere. Verbum igitur Dei, (accusante Comenio) incestum commisit, ut hic populus generaretur? Stupendum est, tàm cæcum fuisse Comenii adversus insontem populum hunc odium; ut non videret sese falsum quod in eum jacularetur probrum, ex vera verbi Dei contumelia quæsisse? Nam illud disquerendum non puto, an adeò stricta sit verbo Dei, cum humana ratione cognatio; ut cum ea misceri absque incesti crimine nequeat. Oportet scomma istud ex intimo thesauri Pansophiæ myrothecio depromptum esse, tàm lepidum est, & elegans.

IV.

Ad pag. 1. §. 2.

Magna est Numinis irreverentia; prodire ante tribunal ejus, ibique, velut illo teste, pacis consilia cum Dissidentibus *pacifice tractaturum se* polliceri ac profiteri. Idque *adhibito illo Dei metu & reverentia, quali utendum esset, si per totam hanc actionem ageretur causa, ad Christi tribunal:* & statim, non modò toto libro; sed proximè sequenti peragrapho; à tam sancto promisso ac proposito recedere; ac minari sese, si adversarium Sophistum aut blasphemum deprehenderit, legem quam sibi coram Deo tulit non servaturum. Licetne cuiquam causam coram throno Dei agenti; præsertim ultrò tribunalis istius mentione facta; & accito quasi in conspectum Deo; in eum cum quo lis est, tanquam Sophistam & blasphemum, suo, hoc est injusto & incompetenti judicio judicatum; intemperanter debacchari? licetne legem in conspectu Dei sibi ultrò positam violare; & in Judicis præsentis (quia quodammodo in rem præsentem advocatus est) officium, ac damnandi, imo & puniendi potestatem involare? At *enim id justum Dei zelum requirere aut permittere asserit Comenius.* Resp. Coram tribunali Dei causam agenti: non zelo; sed metu ac modestia, pudore & Numinis reverentia opus est. Nec est iste justus Dei zelus; sed sapientiæ, quam Jacobus dæmoniacam vocat, flabello suscitata bilis: non ignis de sanctuario, sed profanus & peregrinus, quem Deus sacris rebus admisceri, memorabili sacerdotum supplicio vetuit. *Nimis teneræ* Comenius inquit, *gloriam Christi & pacem Ecclesiæ amo.* Imo nimis temerè dilectionem erga Christum & Ecclesiam isti delicatuli jactant, qui & præcepta Christi de fraterna caritate ac tolerantia violant, & propter dissensum in dogmatibus, quæ rationem nostram non capere; imo verò iis adversari Comenius fatetur, pacem Ecclesiæ abrumpunt.

V.

Ibidem ad 4. §.

Neganti Anonymo sese ulli sectæ addictum, non audet fidem derogare Comenius. Verum pessima fide. Nam utrum verum dicat anonymus, judicium relinquit conscientiæ ejus ac tempori. Suspendit igitur, uti suprà diximus, in hujus quæsiti decisione judicium suum. Statim tamen eum Sectæ, quam sibi exagitandam sumpsit, vel invitum annumerat. Estne hoc suspendere judicium, ac rem tempori relinquere? an verò Anonymo mendacium statim ac sine ulla dilatione objicere? Sed anonymum à mendacii suspicione res ipsa liberat, cum ne in isto quidem libello suo, dissensum alicubi suum à Socinianis dissimulet. Idque cum multis aliis in rebus; tum in adjuncta simpliciter, indistinctè, ac proinde incautè, duabus legitimis normis Reconciliatoris, tertiâ fallaci, & nonnisi interdum certis conditionibus admittendâ Traditionis norma aut potius Testimonio. At Comenium in ejusdem vitii culpa, locus hic convincit. Nam si tunc adversus veriloquium non delinquit cum Anonymum Socinianis annumerat: certè tunc delinquit, cum se rem tempori relinquere ait. Si tunc verum dicit; cur id anonymo tribuit; quod ipsi tribuendum esse nondum judicavit? Cur aliud loquitur; aliud sentit?

Quid, si quis ex vocula *Tantisper*, eam excusationem nectat, quod Anonymus à Comenio non planè aut absolutè huic sectæ annumeretur; Sed ad tempus tantum

tantum ; hoc est, tantisper dum inter eos disputatur, nihil magis ridiculum & iniquum fingi potest; quàm ei cum quo disputes, invito ac reluctanti induere personam ; quæ an ipsi verè competat nondum Induens apud se constituit. Quoquo se vertat Comenius, Verilogium in eo desideratur. Adeo quos semel spiritus *mendacii* discors afflavit in vaticinando eosdem non dimittit in disputando ; ita ut ancipitia ac sibi repugnantia loquentibus, nescias quando credendum sit.

Sed causam videamus quam affert, cur ipsi liceat anonymum vel invitum Sectæ, quam non probat, annumerare. *Quia nullius*, inquit, *præterquam Socinianæ toto hoc tractatu, causam agit, & aliter res non cohæreret.* Primum id quoque ipsum falsum est. Cum Mennonisticæ dogmata apud Ecclesias istas Polonicas minime recepta, satis apertè omnibus proponat atque insinuet. Deinde cum nulla Christianarum secta sit ; quæ non aliqua cum omnibus communia habeat dogmata ; an æquum est, si quis opinionem suam, cum opinionibus fortè diversæ sectæ communem defendat ; eum protinus illi sectæ annumerari ; aut illius invidia gravari ? At id fit tantisper ! Licetne, unquam tantisper falsa proloqui, aut aliquando injustè falso criminari dum nobis commodum sit ; & ut oratio vel Scripta nostra cohæreant ? Nonne vitiosius hiat oratio nostra cum Veritati non cohæret ? Quomodo autem per admistos huic disputationi, invito Anonymo, invitos & ipsos Socinianos, res à Comenio suscepta cohæreat, non explicat : Quod arcanum infra commodiori loco, reludemus.

VI.

Ad pag. 4. §. 2.

Nodum in scirpo quærit Comenius, hoc est, culpam erroris in ordine Normarum Reconciliatoris. Quasi vero id semper prius poni debeat; quod est nobilius & excellentius & non aliquando præmittere liceat ; aut præmitti soleat, quod est tempore prius ; aut notius aut facilius aut aliam aliquam ob causam. An semper ignobilius est, quod præmissis succedit ? Sacram Scripturam Normam esse omnium nobilissimam, vel ideò nemo dubitare potest ; quod cum cæteræ interdum fallere possint ; ipsa semper maneat infallibilis. Ipsa tamen Scriptura ut rectè intelligatur, & explicetur usu Rationis indiget. Traditionem inter normas sopiendarum litium Anonymus suo periculo recipit ; præsertim indistinctam : neque ullis conditionibus limitatam. Quam & *iniquam* esse normam ex eo patet: quod & ipsa sæpe in controversiam veniat ; ideoque ab Ecclesiis, quas Comenius unice insectatur, jure repudietur : & *superfluam* quia licet utrinque reciperetur : rata & valida esse nequit si vel minimum ut solet, duabus prioribus normis repugnet. Uti tamen interdum traditione possumus tanquam proprio adversæ partis testimonio contrà ipsam ; quia etiam suspectis testibus creditur, quando contra suæ partis causam testimonium dicunt, quod hoc loco recte fecerat Anonymus si cautius fecisset. Sed Comenius ansam criminandi captat, & ex eo quod Rationem prius posuerit Anonymus quàm Scripturam, concludit eum non Scripturam sed rationem ; primum & imum fidei fundamentum constituere. Quod & falsum & calumniosum, sed præcipue ineptum est. Quasi verò ut in consessu hominum honestorum primus locus vulgò honoratioribus assignatur ; ita in dissertatione de rebus, dum omnes simul pronunciari ac poni nequeunt ; præcedentia in verbis sit honoratioris loci vestigium.

VII.

Ad pag. 4. §. 3.

Statum quæstionis, in qua versatur argumentum Anonymi subdole immutat Comenius, ut ambiguitate Lectorem decipiat. Non enim controversia est de Divinitate Christi, quam Anonymus non impugnat, ut qui firmiter credat Christum dono patris sui & naturam & omnipotentiam divinam habere : ita ut meritò Deus super omnia benedictus dicatur. Sed quæritur de summa & patri æquali ; aut potius cum patre eadem divinitate. Quam & Christus ipse & Apostoli, &, ut ex Petavio deduxit Anonymus, primorum duorum seculorum Patres, & omnes orthodoxi adversus Praxeanos, Patri-passianos, Sabellianos & alios unanimiter impugnant. Unde intelligitur ; quàm maligna & fallax criminatio sit, pag. sequenti in eodem §. impacta Anonymo quod *Christum oppugnet* : qui pro Christo potius eminentiam patris præ seipso, manifestè asserente ; contra somnia hæreticorum ex imâ loco, & ultimâ tempore Philosophiæ Platonicæ fæce, prognatorum, dimicat.

VIII.

Ad pag. 9. §. 8.

Quare Monarchiani vocentur, quos Comenio Socianos indigitare libet, idem ex Tertulliano didicisse se fatetur. Fuerunt igitur Tertulliani ævo qui cum Ecclesiis, hodie Sociniani nominis invidiâ aspersis, idem senserunt. Et si fides ipsi Tertulliano habenda est, plures tunc Monarchiani in Ecclesia fuere ; quàm Oligarchiani; aut Naturarum supra captum humanum eminentium Diribitores & Oeconomi Vide *cap.* III. libri contra Praxean.

Hoc eodem paragrapho subnectit Apostrophen ad Socinianos, grandi & phalerata ad populum calumnia suffarcinatam. « Vos *inquit*, dum Monarchi-« am soli Patri pervicaciter assertam vultis & patri« & filio resistitis, nec aliud vestrum molimen est ; « quàm hodiernorum Judæorum & Mahometanorum « qui solum quoque Patrem regnare volunt. « Monarchiam autem paulo ante explicuit, Regiam potestatem sub toto cælo ; quàm Messiæ dandam fuisse Prophetæ prænunciarunt. *Psal.* II. 8. *&* LXXII. 8. *Dan.* II. 44. *&* VII. 14. de qua Christus locutus est cum dixit Datam sibi omnem potestate in cælo & in terra. Hanc igitur Monarchiam ita pervicaciter nos patri assertam velle, ut filio eripiamus. Ideò verba Judæorum *Luc.* XIX. 14. *Nolumus hunc regnare super nos*, ad nos injuriosè detorquet. Resp. Nullum magis alienum à nobis crimen fingi potuit ; quàm quod hoc loco objectatur. Nosne universalem super omnia potestatem, hoc est, Regni ejus Monarchiam, quam servatori nostro dandam fuisse à Prophetis prædictum est, subtrahere Domino, aut ullo modo imminuere ? qui eam longe fidelius & constantius agnoscimus & veneramur, quam hic Criminator, qui ex vi sententiæ suæ, potestatem super omnia Christo dari, aut dandam prædici non potuisse, sentire ac profiteri cogitur ; quandoquidem eam ab omni æternitate ab ipso habitam, nec unquam depositam, contendit. Nos verò non illam modo propter spem ac fidem nostram firmandam liberrimo filii arbitrio plane permissam ; Regiam & independentem potestatem, in reddendis vel denegandis, militiæ suæ beneaut male meritorum stipendiis, quam Apostolus aliquando Patri reddendam asserit, Domino ac Servatori nostro ex animo tribuimus :

sed

sed æternam quoque Regalis Majestatis & Exaltationis, licet à Patre dependentem, gubernationem & omni potentiam in immensum ævi duraturam, cujus imperii finis nunquam erit. Hæccine est in nobis renovata Veterum Judæorum Regem hunc aspernantium rebellio? hæc recentium Judæorum vel Mahometanorum, adversus Christum (quæ aggressi sumus) molimina? Meritò Deus hujus Balaami imprudentis & inviti voce hoc loco abusus est; ut quando à calumniando retrahi non passus est, saltem non aliis verbis tam capitalem adversus nos criminationem effutiret; quàm quæ illius enormem culpam, & flagrans nocendi studium, insontium autem innocentiam palàm omnibus evidentissimè prodiderint.

IX.

Ad pag. 10. §. 9.

Technas ad decipiendum ullius Sectæ simplicitatem nullas excogitavimus. Quod in manu nostra non est, præstare non tenemur, ne quis nostratium à nostra societate transferat se ad alienam. Sed odium quorundam; quo solo, omissis legitimis Veritatis armis, adversus nos pugnant, ferax est vanissimarum suspicionum, & falsarum criminationum; quas in nos sine ullo veri colore, aut incrustationis artificio: tantum fortiter & obstinatè calumniando; fine modo effundunt.

X.

Ad pag. 11. §. 2.

Mirum, sed minime ferendum est, Spiritus prophetici mentionem facere ausum, hominem publicè Spiritus pseudoprophetici defensi convictum. Anonymus de præteritis aut præsentibus rebus loquitur, dum quos deviasse putat, erroris admonet. Sed Drabicius musto turgidus & hilaris, & tu ejus Adjuncte (hæc enim tibi denominatio à Spiritu nescio quo, Drabicium alloquente assignata & à te recepta est) unde nobis futurorum rerum præscii Spiritus fidem facietis?

XI.

Ibidem §. 13.

Arianorum injurias & crudelitatem, si vera sunt quæ ab hostibus eorum memoriæ produntur, unâ vobiscum detestamur. Quos Gnosticus Spiritus in transversum egit; & abjecto sanctimoniæ studio, fidem in opinionibus & confessionibus collocare, eamque carnalibus & illegitimis modis, odiis, conviciis, iniuriis, factionibus, oppressionibus & Magistratus violentia defendere aut propagare docuit. Quid igitur sentiendum de Comenio, & si qui sunt præterea, qui eodem Spiritu agitante in nos irruunt?

XII.

Ad pag. 14. *in respons. ad* §. 20.

Quod Comenius refragantem licet, anonymum, tamen obstinatè nobis annumeraret; accusabamus hucusque injuriam; præsertim cum facti hujus causam afferret, non modo insufficientem, sed & falsam. Nunc in eo facto fraudem quoque deprehendimus. Cum enim Ecclesias nostras exagitare vellet; nec haberet ullam idoneam ac recentem exagitandi ansam, speravit in quibusdam Anonymi lapsibus, inventurum se occasionem speciosæ in nos invectivæ. Ideò Anonymum obtorto collo ad nos, & ipsos invitos retraxit, In cujus præfatione cum quædam superfluæ jactantiæ vestigia reperissent; in omnes nos eo nomine invehitur, & nos Bullas venti plenas criminatur. Atqui nos alienas culpas, si quæ sunt, præstare non tenemur; & malignitatem Criminatoris, vel ex eo arguimus, quòd is ex innumeris Ecclesiarum nostrarum scriptis certò scire, poterat nos ab ejusmodi scribendi ratione, qua usus est Anonymus esse alienissimos. In qua aut è trecentis vocabulis extructa periodorum moles, & enormiter hiantia hyperbata Lectores fatigant; aut gloriationis intemperiæ offendunt; aut modus exponendæ Veritatis intricatior, patroni culpa, insontis causæ patrocinio nocet. Nec dubitare poterat: si voluntas aut consensus Ecclesiarum nostrarum, in editione hujus libri interveniisset; innumeras in eo lituras, antequam in lucem prodiret, faciendas fuisse. Certè ipsa Traditionis auctoritas, idque sine ullo Conditionis aut distinctionis limite inter normas Reconciliatoris admissa; plane est adversus nostrum omnium mentem atque sententiam. Et tamen quæcunque in eo displicent; audet Communitati nostræ tribuere, eodem, quem in cæteris rebus adhibuit, pudore. Atque hic demum suum illud arcanum prodidit; veram videlicet causam. cur Anonymum nobis annumeraverit. Nimirum ut res inter se cohærerent. Nisi enim Anonymum unum è nobis fecisset; culparum Anonymi Criminatio cum criminatione Ecclesiarum nostrarum, non cohæsisset.

XIII.

Ad pag. 16. §. 5.

Ut ad cætera omnia, quæ ad Salutem & proximorum ædificationem pertinent; ita ad fidem & veritatem persuadendam Christianis omninò Spiritus Sancti auxilio opus esse; nec acutam Dialecticam, aut publice receptas & legitimas disputationis regulas sufficere censemus. Proinde pudeat calumniæ eos, qui tam audacter jactant Spiritum Sanctum apud nos quod agat non habere; & omnes digladiationes nostras solius Dialecticæ ope peragi. Leges disputandi receptas non rejicimus; sed ante omnia opem Spiritus Sancti implorandam etiam disputantibus profitemur.

XIV.

Ad pag. 18. §. 24.

Latet hic quoque occulta calumnia; dum per Anonymi latus omnes sauciare contendit; qui facultatem subdendi se veritati, libero hominum arbitrio à Deo subjici sentiunt. Eorum quos Deus per Evangelii prædicationem ad Veritatis cognitionem admittit; neminem sane invitum divinitùs ad veritatem cogi; sed omnibus ei refragandi libertatem permitti, firmiter credimus. Cæterum non eas vires arbitrio nostro tribuimus, ut sine Dei misericordia & Spiritus ejus ope, primum annunciationem; deinde cognitionem veritatis habere; denique ea obtenta profectum in pietate & constantiam, nisi accuratissimis precibus auxilium cælitus imploremus impetrare possimus.

XV.

Ad pag. 20. §. 27.

Plurima (præcipuè circa Logicas quæstiones) in quibus

quibus Anonymus strenuè defendi potest, ipsimet defendenda relinquimus. Ea tantum, quæ ad causæ nobis communis aut existimationis Ecclesiarum nostrarum defensionem faciunt, prætereunda non sunt. Sed hic iterum statum quæstionis, Comenius, ad falsum & invidiosum sensum malignè detorquet. Nec enim de eo inter partes quæritur, An Christus in tanto honore, ut à Christianis habetur, porrò quoque habendus sit, nec ne: quod & in dubium vocare impium & disputando asserere superfluum est. Sed de eo, An ea quæ de Christi natura citrà perspicuam Sacræ Scripturæ revelationem creduntur, vera an falsa sint. Sacrilegus & impius esto, quisquis vel minimum honorem atque adeò divinum Christi cultum imminuere ausit. Quapropter nos eo honore & cultu Christum prosequimur quo major à nemine ipsi deferri potest: quia divino & pene eodem quo Patrem ipsum honore colimus. Nec enim tantum divino cultu adoramus: sed invocamus, & intima animi nostri secreta inspicientem, veneramur. eumque absolutum ac independentem, (quia Pater omne judicium filio dedit) salutis aut damnationis nostræ, Judicem, Dominum ac Regem nostrum esse de voluntate Patris confitemur. Maximum tamen cultus & honoris erga eum specimen, in eo collocamus, in quo & ipsi amoris erga se certissimum signum collocat, ut præcepta ejus enixè servemus; nec ea in Ecclesiis nostris violari impune permittamus. Hunc tam sublimem honorem ipsi de voluntate patris habemus ac deferimus, ac propemodum eundem aut potius fere parem quem patri exhibemus; quia quamvis Christo patrem ipso majorem esse affirmanti firmiter credamus, quem tamen patri in religiosis actionibus nostris cultum supra eum quem Christo tribuere tenemur, tribuamus, vix habemus; præterquam, quòd ut fides habita, ita cultus exhibitus filio, in Patre tanquam prima & ultima rerum causa terminetur. Opiniones de ea nativitate Christi, cujus in Sacræ Scripturæ historia non extat; aut de numerica & menti nostræ repugnante essentiarum Unitate; aut de divinarum personarum æqualitate, ac cætera quæ aureo Apostolorum fundamento è lignis & stramine superstructa sunt: quia cum injuria gloriæ Dei patris conjuncta, quia ab ipso Christo damnata sunt; qui sese patri suo æqualem esse negavit, nihil ad honorem aut cultum Christi pertinere arbitramur. Cum enim Christus exaltatus sit ad gloriam Dei patris *Philip.* II. 11. non recipit eum honorem, qui honori patris vel minimum deroget. Nec honor quoque is est; sed vana opinio, aut, ut humana vitia humano quoque vocabulo perstringamus, spreta ab ipso Christo assentatio; qui pro rebus quas exigit; inania verba quæ negligit, sibi dari meritò indignatur: atque ea quanti faciat satis *Matth.* VII. 21, 22, 23. ostendit; dum eos condemnat, qui ei dicunt, Domine Domine; & non faciunt voluntatem patris ejus; qui sibi Uni supremum omnis gloriæ fructum sepositi: Non recipit Christus & eum honorem, qui Ecclesiæ sponsæ suæ nocet; quales sunt opiniones, quæ seipsas destruunt; fidem nostram, suborientibus absurdorum scrupulis, subruunt; pietatem quædam funditas excludunt; spem resurrectionis in dubium vocant; Ecclesiam in infinitas discordes sectas comminuunt.

XVI.

Ad pag. 21. §. 28.

Puerilis cavillatio in vocibus *Summus* aut *Super omnia*. Posteriores voces ipse Paulus explicat 1. *Cor.* XV. 27. ostendens exaltationem Christi super omnia; ab exaltante patre proficisci: ideoque in voce *Omnia* patrem comprehendi non posse. Verba igitur ista interdum absolutè, interdum relata intelliguntur. Absolutè *summus* & *super omnia* Deus nemo præter patrem dici potest, quem ipse Christus sese majorem agnoscit. Relate seu respectu reliquorum omnium, quæ ei pater subjecit: Christus quoque summus Deus dici potest, quia est super omnia, excepto Patre. Quæ omnino distinguenda qui confundunt; ubi rationibus urgentur; nec habent quod respondeant stomachantur, & rationum tela in errores suos conjecta; in ipsum Christum contorta esse calumniantur: Christus autem quia super omnia Deus ac cælestis Rex ab omnibus agnoscitur, extra teli jactum est. Sed opinatores cerebrosi trepidant; & ringuntur; atque omissis in se contortis rationibus quas refellere nec sciunt, nec possunt; eos quibuscum disputant conviciis & calumniis proscindunt, quod unum egregiè norunt.

XVII.

Ad pag. 22. §. 30.

Dialecticis artibus contrà Sophistas, aut quos tales esse putamus uti, natura Religionis nostræ, simplicis alioqui & idiotis quoque obviæ ac patentis, non prohibet. Quod ipse Comenius facere ubi potest, contendit. Quamvis enim religio, subtilitatibus non indigeat, tamen sophismata absque illis aliquando refelli nequeunt. Earum non omnes esse capaces fatendum est. Sed invectorum in doctrinam Christianam, intricatissimorum dogmatum, perplexitatem; etiam eorum, qui ipsis implicati tenentur, nemo, nemo, nemo, (quidni enim nos quoque Comenii exemplo trigemina utamur Epizeuxi) capit; & humanum intellectum ea transcendere prætendunt. Quomodo igitur ea (sicuti vera Christi dogmata) tantummodo parvulis & idiotis revelata censebimus? Sublimitatem vel potius fastum humanæ sapientiæ redolent; quæ ex nescio quibus Trismegistis Numericis Jamblichis Plotinis Chalcidiis hausta, & simplicissimæ Christi religionis doctrinæ admixta sunt.

XVIII.

Ad pag. 23. §. 31.

Quia Anonymus rationi suæ Syllogistice conclusæ præmisit hunc titulum *Primum probationis membrum*: inde concludit Comenius ab ipso suaderi ut in rebus fidei; non à fidei Auctore Deo divinisque testimoniis; sed à nobis ipsis propriæque rationis dictamine, inchoetur. Quæ consequentia? Annon ipse adversarius, sæpe rationes aut Syllogismos suos, numeris distinguendo ut ordine pergat, à primo incipit. Id circone id quod præmittitur, quàm quod succedit potius aut nobilius putat? aut ut omnes ab eo necessario incipiant ullo modo suadet?

Cæteris quæ hoc loco differit, repugnare nolim, præsertim illi monito. *Nemo credat aptiorem sui mysteria divina capienda esse illum, qui se humanæ sapientiæ placitis primum inebriavit.* Et tamen primi illi, controversorum in doctrina Christi dogmatum introductores, qui super Apostolicum aurum tot lignorum & straminis acervos accumularunt, Justinus, Pantænus, Clemens Alexandrinus, & prima Scholæ istius urbis cohors, pene omnes prius philosophi, quàm Christiani fuere. Inspice sextum Hist. Eccles. Eusebii librum; videbis illic quo studio & certamine, quanta contentione, ii qui in Ecclesia celebriores esse volebant, Heracles, Origenes, ac tot ejus discipuli, antequam in Ecclesia docere cæpissent, sese philosophicis doctrinis ingurgitarint. Unde judicari facile potest, orthodoxa sint, an hæretica; Apostolica an Gnostica dogmata; quæ à Patriarchis Philosophis profecta sunt.

XIX.

Ad pag. 26. §. 11.

Si non credis nisi quod vides (corporis aut mentis oculo) quid est Fides, ait Comenius? Resp. Fides præcipuè circa promissa Dei, & ea quæ ad ipsa pertinent, versatur. Quæ licet corporeis oculis nostris non pateant; nec proponantur; at mentis oculis & proponuntur; & videntur; & proponi ac repræsentari perpetuò desiderant. Nusquam nobis præceptum est ut absurdis & secum pugnantibus ac rationem subvertentibus doctrinis assentiamur: sed ut promissis Dei credamus, quo promptius præceptis pareamus, sæpè injunctum est. Non alia ratione Vera & in sacris literis commendata fides in Ecclesia vitam amisit; & in putre atque graveolens cadaver migravit: quam cum nomen ejus à Caritate & vitæ sanctimonia; ad factiosas opiniones, Confessiones & profana dogmata translatum est.

XX.

Ad pag. 27. §. 111.

Meminimus tamen, nuperrimè aliam nobis *Lucem in tenebris* à Comenio publicè obtrusam; illa, inquit, quorundam prophetarum, ipso evento mendacii convicta, vaticinia. Quam lucem *Fatuum ignem* à sanioribus Theologis apellatam, nondum oblitus es. Nam cui dolet, meminit. Sed rationis lumen divinis normandis; (ita loqui Comenio placet) adhibitum, vocare Ignem fatuum; neque Comenio jam integrum, neque æquum est. Non integrum in lumen Rationis, cæleste Dei donum, debacchari, quia jam pag. 3. libri sui §. 2 Normam illam triplicem, in qua & Ratio comprehenditur, admisit, his verbis. *Concedo eam tibi, quia concedit Deus*, jubens nos (quod ad primum attinet) *Mente* (hoc est, Ratione) *attendere operibus suis, etiam in rebus Cognitionem sui concernentibus. Rom.* 1. 20. 1. Cor. X. 15. Quæ igitur est levitas tàm citò resilire à sententia? Non æquum est. Nam divina oracula sine usu rationis, nec intelligi nec explicari possunt. Proinde qui à perceptione eorum usum rationis abigant: conscii sibi sunt absurdarum, & irrationalium doctrinarum; Ideò nos exarmant ejusmodi organo, quod ipsorum ulcera detegit. Sed fatuus sit oportet, qui sibi lumen istud ullis persuasionibus extorqueri sinat. Quæ persuasiones potius; quia homines fatuos efficere contendant, Ignis Fatui nomen merentur. Atque hic quidem ignis Comenium rursus ad criminandas Ecclesias Polonicas deduxit, & inflamavit, quibus objicit, quod *rejiciant verbum Domini*, Rationem affert, quia omnia illorum non in hoc primum principium, *Deus dixit*: sed in hoc, *Ratio sic dictat*, se resolvunt. Quod cum illi falsò sibi objici querantur, nullam ultrò probationem affert. Fortasse quia Credi sibi postulat. Sed difficile est illi in narrando credere; qui fidem in vaticiniis veris à falsis dignoscendis decoxit. Socinum quoque non alio fine, de Auctoritate Sacræ Scripturæ scripsisse contendit; nisi ut auctoritatem patrum, & Conciliorum; eòque antiquitatis de Apostolica fide testimonia, eludere possit.

Resp. Quid mali fecit quod Sacræ Scripturæ; quàm patrum & Conciliorum auctoritati, plus tribuendum censuit? At enim facilius sic sacram scripturam, ad rationis placita flecti posse censuit. Resp. Egregium verò sacræ scripturæ patronum Comenium, qui eam Nasi cerei instar flecti posse putat! Atqui id praxi ostendit. Resp. Cedo verò exemplum? Sed promptius factu est calumniarum acervos cumulare: quàm earum insontes convincere.

Ejusdem asseclas ait Sacræ Scripturæ testimoniis auctoritatem non ultrà concedere; quàm Ratio permittit, nec alio sensu quàm hæc dixit. Resp. Auctoritatem Scripturæ magis convellunt, qui ipsi sensus absurdos & rationi repugnantes affingunt; quàm qui dignitatem ejus, rectâ & rationabili interpretatione tuentur. O præclarum, & artis suæ regularum probè peritum Scripturæ interpretem; qui in ea explicanda sensus absurdos & rationi repugnantes admittit!

XXI.

Ad pag. 28. §. 32.

Digna tanto triumpho; & quæ providentiæ Dei tribui mereatur; Comenio visa est observatio, quòd se Anonymus Opponentem vocaverit. Taceo puerile in ambiguitate cavillum, quasi qui in disputando Opponentis partes suscipit: ilicò Diaboli agatur spiritu; cujus totum studium est opponere se Deo, gloriæ ejus, verbo ejus, Veritati ejus intentionibusque. Et audet præterea, idque mutato literarum charactere, quasi notabile & memoriæ insigendum præceptum promulgare, dum ait Quid *enim est*, inquit, *in rebus fidei Opponentis sibi sumere partis, nisi Diaboli in se sumere partes?* Non tu ipse Comeni in rebus fidei nobiscum disputans, Opponentis tibi partes sumis, non rationes, Syllogismos, argumenta opponis; & quantum potes destruere sententias nostras contendis? Aut igitur istud tuum pronunciatum dele ac destrue: aut te Diaboli partes in te sumere tuomet ore confitere. Vide vero nunquid melius & assensu dignius sit hoc pronunciatum, quod tuo opponimus. *Quid est, inquam nullam vel levissimam (quàm hæc sint) insontes calumniandi ansam præmittere, nisi Diaboli in se sumere partes, qui ob habitum in naturam* conversum vel ipso suo nomine Calumniator audit? Ita miser, tametsi incautam, quæ tibi excidit, assertionem tuam revocaveris, post tot atroces & falsas criminationes; quin partes Diaboli in te sumpseris, non effugies. Adjicis enim & plenis buccis crepas *Omnibus Sociniani hoc Satanicum artificium, opponendi, vellicandi, & in dubium omnia vocandi; adeò perpetuo in usu & praxi esse, ut hac arte Manichæos longè superarint.* Hic ipse stomachus tuus & effusa bilis, indicio est quod tua dogmata, quæ nimium tenere diligis, nescias defendere. Nec enim adeò moleste ferres, ea legitimis disputandi modis oppugnari, si tibi aliqua spes aut fiducia esset, ea abs te defendi posse. Nam ut virtus, ita veritas ipsa vulnere vires cit.

At enim *struere* Dei opus est; *destruere* Diaboli. Resp. Atqui & Diabolus multa struit, & struxit, ad quæ destruenda Christus venit: & Deus vicissim multa destruit, ut struat potiora: nec veritas, nisi destructis erroribus, fideliter astrui potest. Proinde *destruere*, non *semper Satanicum* est: sed calumniari & falsis criminibus insontes incessere *semper Diabolicum*.

Nos autem quod in rebus fidei, nihil struere videamur, inde fit; quod nobis super aurum fundamenti Apostolici, novas substructiones erigere, religio sit; metuentibus, ne, quod aliis accidit; loco gemmarum, viles & friabiles, nec secum cohærentes, lapillos, aut etiam stramen & paleam, ad novi ædificii parietes afferamus. Structa igitur ab Apostolis, nobis sufficiunt.

sufficiunt. Quæ quia Catholica & omnibus communia sunt, à nemine oppugnantur. Et hi sunt fidei nostræ articuli, Symbolo Apostolico comprehensi, quos astruere necesse non habemus, quia eos nemo vocare indubium audet. Viderint illi quibus trecentis aut quadringentis post annis, nova Symbola struere visum est; quomodo illa defendant, quæ cum Apostolico, omnium antiquissimo, non cohærent: quanquam ut connecterentur, etiam innumeris absurdis admissis à præstantissimis ingeniis frustrà laboratum est. Nostra vero etiam absque substructione & tibicinibus sua mole stant: quia à sapientissimis architectis semel extructa sunt. 1. Cor. III. 10.

XXII.

Ad pag. 30. §. 33.

Non mysterium oppugnat Anonymus, sed errorem circa mysterium, nec per rationem solam: sed per lumen Scripturæ. Pro superpondio adjicit & traditionem. Qua fronte igitur, solius rationis armis pugnare dicitur? Scripturas ratione illuminandas non dicimus, nec dicere possumus; quia eas mentis nostræ lumen esse confitemur. Quis autem lumen, per illud ipsum illuminari dicat; cujus est lumen: & quod ipsum tanquam tenebricosius, à lumine illuminatur? Non solemus nos tàm dissona, & se mutuò perimentia asserere. Illis hæc relinquimus, qui rationis usum ab interpretatione Scripturæ proscribunt, ut possint impune falsa & quæ secum non cohærent, venditare. Nulla hic nostra versutia, nulla fraus, quæ Dei sapientiâ detegenda sit. Mendacia detestamur, vel ob idipsum quia illis potissimum oppugnamur. Testis esto vel hic ipse irritus Comenii conatus, qui cum nos disertis verbis profiteamur Rationem Scripturæ lumine illuminandam, audet nos criminari, quod Scripturas per rationem illuminandas doceamus. Quid hoc aliud est, nisi magna deviatio à veriloquio? Utrumque lumen est: utrumque à Deo. Sed Scriptura infallibilis est. Ratio interdum falli potest. Quod si quis obscurus Sacræ Scripturæ locus illuminandus sit; non facimus id per Normam solius rationis; sed per normam Sacræ Scripturæ, obscuritatem illius loci per clariores Sacræ Scripturæ locos explicando. Non sine ratione quidem. Sed tunc Ratio Sacræ Scripturæ ministra est; non directrix aut domina, quia secundum ipsius Scripturæ ductum ac normam procedit. Illud fideiter asserere audemus Rationem quamdiu sana; quamdiu decepta non est; nunquam Sacræ Scripturæ adversari. Unde vicissim certò concluditur Revelationem & Scripturam nunquam sanæ & incorruptæ rationi repugnare. Utrumque enim Dei donum est, nisi quod alterum interdum nostra culpa vitium contrahere potest, alterum nunquam. Et si quando Sacra Scriptura falsis expositionibus obscuratur: non scripturæ vitium est; sed Rationis exponentium deceptæ. Non ita Scriptura Rationi opponitur, ut illam unquam à se abigat, aut proscribat. Est enim lumen à Deo datum, quod rationem illuminet ac dirigat. Cui tunc lucebit lumen Scripturæ cum Ratio ab ea repelletur? Illisne quæ rationem non habent; an qui usum ejus amisere? aut (ut ingenua simplicitate loquar) Brutisne & pecudibus? an fatuis & mente captis?

Hoc loco Syllogismum Anonymi destructurum se minaciter proclamat, oblitus quod paulo ante dixerit: Destruere opus esse Diaboli. Cæterum vereor ut id possit. Ita serò ad jugulum causæ accessit; & in calumnias atque ineptias vires effudit. Videbimus tamen.

Quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu?

XXIII.

Ad pag. 31. §. 34.

An non prædixi, Lector, (nam in negotio cum prophetarum Adjunctis divinationi locus est) ubi ad jugulum causæ ventum fuerit; defessum tot criminationibus hominem infeliciter certaturum? Quamvis enim sese alacriter excitare & movere lacertos contendat; dum pæana ante victoriam canit, tamen fatiscentibus viribus, suomet pondere prolapsus, solo cervicem afflixit. Nam quid ipsi prodest inanissima jactantia; qua pueriliter de capta præda exultat, non semel ingeminans: (Dic Dic inquam, Dic, Teneo te Sophista teneo, non te dimittam.) cum cordatus Lector videat & rideat; illum nihil reipsa comprehendisse; aut si quid sibi nunc tenere videatur, mox eum damno suo dimissurum? At interea dum ventos & umbras captat; victoriam hosti tradidit; qui in hoc primo probationis membro, de sola Sana ratione sibi relictâ distinctè loquitur. Seorsim autem alterum probationis membrum, hoc est, Normam Sacræ Scripturæ, quæ tamen sine immisterio rationis adhiberi nequit, alio loco tractat. In quo primo probationis membro, nihil plus anonymo evincere incumbebat; quàm id quod Comenius hoc loco concedit; Homines divina luce nondum illuminatos, quales sunt Judæi, Turcæ, & alii, vel ipsius Sanæ rationis ductu, sententiam Anonymi veram esse hoc argumento evincere. Nec obstat quòd Marginalis annotatio sacræ scripturæ mentionem facit: Quia hæc annotatio Titulum proximè præmissum secuta, utrumque simul probationis membrum & utramque normam respicit. Sed Anonymus dum primum probationis membrum tractat, non tractat secundum: aliàs secundi tractationem separatim non adjecisset. Præterea Comenius jam ad illud marginale notatum, respondere conatus fuerat; nunc verò ad primum (nondum autem ad secundum) probationis membrum refellendum accessit. Si igitur concedit homines divinæ lucis expertes Turcas, Judæos & alios; dum sola sana ratione Duce usi; argumentum hoc opponunt, rectè argumentari; vicit Anonymus, & frustra Comenius, ulterius in hoc primo probationis membro inania verba fundit. Rectè enim argumentatio à veritate nunquam recedit; & si qua recedit, vitiosam eam esse necesse est. Ita videmus quò recederint illæ destruendi argumenti, quod Anonymus opposuit, minæ.

Sed ne Comenii exaltatio, in quâ, dum *in accessario* (ut sic loquar) triumphat: victum se imprudens, *in principali* non sensit; aliquid solidi habere videatur, vanitatem ejus ostendemus.

Primùm in eo; quod tàm superciliosus Logices magister & errorum Logicorum anonymi Censor, novam sed ineptissimam disputandi legem figit; quæ ex omnibus Auditoriis explodi & exsibilari digna est. Nimirum si quis argumentum proponat, quod respondenti negotium facessat (quale hoc fuisse ex eo apparet, quod ipsi Comenius vincendas manus dederit) Licere Respondenti tanti Logici exemplo, à legitima responsione ad examinandum opponentem transilire, quærendo quis te sic argumentari docuit? & nisi Doctorem ostenderit, jam opponentem captum, jam respondentis cassibus teneri. Quis nobis tàm æqua disputandi jura præscribit? An illa tamdiu expectata omnigena Pansophiæ eruditio? Bene est, quod ista virguncula, indotata, innupta spreta interiit, si talia nobis sapientiæ suæ instituta erat tradituta.

Deinde si in eo proram & puppim disputandi Comenius ponit ut syllogisinorum nostrorum, in scripturis

aut Christianis Theologis, exemplum aliquod ostendatur, quoniam ita placet sequemur hominis opinionem. Ego verò non exemplum; sed ipsum hunc syllogismum, hoc est, omnes ipsius partes, etiam conclusionem in Scripturis ostendam. Quantum ad Majorem. Annon passim Sacræ Scripturæ Summum illum Deum, in omnibus divinæ excellentiæ & perfectionis, felicitatis, æternitatis, potestatis atque potentiæ attributis immenso intervallo à filiis hominum distare docent: contrà verò homines, pulverem è pulvere sumptum; miseriæ & passionibus variis tandem, & morti obnoxios; nec ex faucibus mortis eripi nisi ab alio, scilicet à Deo posse, ubique ob oculos ponunt? Hoc si ita est, quænam alia Scripturæ mens, & quod aliud dictamen est, nisi Hominem vilioris sortis Creaturam miseriis & morti obnoxium; & in morte ope Dei indigentem, etiamsi post in longe meliorem statum transeat, absolutè & κατ' ἐξοχὴν sic dictum Summum Deum esse non posse. & quicunque sit talis summum Deum non esse?

Minor in tota historia Evangelica narratur, Christum hominem natum, passum, mortuum; & prope frequentissimè omnium, à patre resuscitatum. Conclusionem verba Christi continent, dum ait Patrem se esse majorem; quod nihil aliud est quàm Christum quantacunque sit exaltatione ac divinitate præditus, Summum tamen Deum non esse; sed patrem majorem ac superiorem agnoscere. Et verba Pauli ubi ait Virum caput esse uxoris, Viri Christum, Christi Deum. Sed maximè 1. Cor. xv. dum post redditionem Regni, Filius subjiciendus dicitur Patri. Annon prædicata ista supra se Deum tanquam caput habere; & subjici patri; æqui pollent huic prædicato Non esse summum Deum? Quid hoc aliud est, quàm Patrem esse absolutissimè summum Deum, cui & filius ipse subjiciatur? Omnes igitur partes hujus syllogismi, in Sacra Scriptura continentur. Nunc ubi tua illa Comeni indecore frigutiens & gravitate Theologi tàm indigna exaltatio? Dic, dic. Teneo te, teneo. Non dimittam. Atqui jam, si quid tenere te putasti, dimittere compulsus es. Imò ut magis propriè loquar: nihil ceperas, nihil tenuisti. Nam imaginaria illa præda, antequam caperetur, evasit ex manibus. Aut certe miseret me Venatoris, captam (ut vis) sed (ut liquido patet) elapsam è manibus prædam frustrà respectantis.

Ter conatus erat collo dare brachia circum;
Ter frustrà comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.

XXIV.

Ad pag. 32. §. 2.

Beneficii in relinquendo deliberandi spatio gratiam Comenio facit Anonymus, nec eo utitur. Syllogismo autem suo de rationali; citrà divini luminis respectum, processu litem movere non integrum esse Comenio contendit; qui hanc argumentationem, si non ab illuminatis proponatur, rectam esse agnovit. Præterea quæritur cur tàm sæpe & tam cito Comenius mutet sententiam? quærit etiam quando ipsi credendum sit; dum asserit aliquid? an dum idem paulò post negat? Quid si Anonymus ipsi vicissim regerat. Teneo te Sophista; nec dimittam, nec finam recedere ab eo, quod semel confessus es. Quid habebit quod opponat suamet confessione captus Comenius?

Si tamen dimitti supplicet; quamvis hostilem animum retineat; dimittatur sane etiam sine lytro, ad restaurandum bellum. A quo tanto minùs nobis periculi est; quantò magis in aggrediendis nobis vires dispergit; quas ad jugulum causæ adoriendum in unum colligi præstabat. Partem enim copiarum toti syllogismo, sed eminus & extra teli jactum, opponit: Partem ad expugnandam Majorem; aliam ad minorem convertit. Parte denique invadit conclusionem; aut ne nos à verbis suis recedere quiritetur, (ut formalia ejus verba sonant) litem movet conclusioni, quod ut minime omnium formidabile ita maximè ridiculum est. Nisi forte novum disputandi compendium in omnigena illa sapientia, quam toto suo ævo pollicitus est, repertum suspicamur Negandi Conclusiones, quæ nobis plerumque ipsis præmissis odiosiores esse solent. Non frustra igitur paulo ante Conclusionem, cui tale periculum parabatur, disertè in Sacris literis extare demonstravimus.

XXV.

Ibid. Ad §. 3.

Eorum quæ toti Syllogismo Anonymi opponit, plæraque falsa; omnia futilia sunt. Inter falsa sunt, primum quòd Anonymus Controversiæ statum non formaverit; quem ab eo formatum & suprà pag. sua 21. §. 28. & hoc ipso loco confitetur. Deinde quod obiter formatum & ambiguè queritur. Id quoque falsum & futile. Falsum. Satis enim distinctis vocibus constitutus status quæstionis apparet; quando vocem Summi Dei hoc loco, non relatè aut secundum quid; seu ratione inferiorum Deorum; sed absolute ac simpliciter intellectam, vel ipsa tacita filii cum patre Comparatio ostendit. Futile autem est, quod Obiter, hoc est, breviter & sine pompa id facere prætenditur. Nec enim omnes morbo loquacitatis, quo laborat Comenius, ægrotant. Ubi verò Anonymus affirmanti probationem afferre aut absolvere non permittit; invenire non possumus. Sed à negando, inquit, ac destruendo incipit? Resp. Quid? an respondens negando aliquam præmissarum; probationem ejus afferre Opponenti non permittit? Imo verò ejus afferendæ necessitatem imponit. Cætera omnia, id genus, vel ideò futilia sunt; quòd etiamsi verè Anonymo objecta fuissent; nihilò invalidiorem Syllogismum ejus fecissent. Neque enim error aut culpa aliqua Opponentis; argumentum ejus tangit: dum in ipso argumento vitium non deprehendatur. Ita prima ista totius syllogismi irrita oppugnatio Comenio infeliciter cessit.

XXVI.

Ad pag. 33. §. 4.

Nihilò felicius majorem oppugnat. Quam ut evertat septem Propositiones affert; judicio suo falsas, quas tamen Majori Anonymi, æquipollentes judicat. Duæ primæ non sunt ipsi æquipollentes; nisi pro voce Dei, vocem Summi Dei substituat; quæ est in nostra majore. Quo pacto correctæ; non minus atque nostra propositio verissimæ erant. Tertia ideò falsa est; quia apud nos utrinque in confesso est. Eum qui alicui subjectus est, voluntate Dei, posse ipsius præpositum aut Dominum effici. Josephi quondam in Ægypto, ipso Pharaone tantum solio minoris, potestati patrem ejus exemptum fuisse non legimus. Nec aliud somnium illud ejus fatidicum præsagiit. Sed hæc tertia nostræ æquipollens non est: quia vobis frustra contradicentibus, nos evincimus summum Deum à nemine fieri aut effici posse, quin eo ipso superiori illo & efficiente,

efficiente, inferior esse dignoscatur. Quarta si vox Fuit; (ut æquum est) absque ambiguitate, tam in subjecto, quàm in prædicato idem significat, verissima est. Quinta & sexta absolutissimè veræ sunt. Septima, si *esse in mundo* in prædicato de propriè dicta præsentia accipiatur; uti necesse est, cum in subjecto abire è mundo; itidem de propriè dicto abitu sumatur, verissima est. Ita quæcunque æquipollentes nostræ sunt, verissimæ sunt; quæ falsæ deprehenduntur, nostris non æquipollent. Stat igitur sua mole firmiter propositio nostra & irritos arietum ac tormentorum Comenii ictus, cauda vulpinâ detergit.

XXVII.

Ibid. §. 2.

De Minore cui litem movere proposuerat; perplexè loquitur ut eam quoque evertisse videri possit. Sed quam negare aut falsi arguere nullo modo potuit; rectius & simplicius egisset; si eâ, quam in Assumptionibus, duarum supra propositarum à se æquipollentiam exprimit distinctione eam distinxisset, fatendo Christum quidem fuisse hominem & passum & mortuum esse secundum carnem; sed esse Deum benedictum *super omnia*, hoc est, *summum* secundum spiritum sanctificationis *Rom.* 1. Sed quia timuit, ne applicatio distinctionis hujus ad argumentum propositum; proderet ingentem dissimilitudinem inter hanc distinctionem & eam quæ ab illis vulgò usurpatur; satis astute tàm distinctione quam applicatione ejus abstinuit. Et ita neque negando, neque distinguendo minorem incolumem reliquit. At nos distinctionem quàm ex locis *Rom.* 1. & *Rom.* 9. affert libenter recipimus, sed à vulgari distinctione inter divinam & humanam naturam, toto cælo abesse ostendimus. Quia in ista posteriori adversariorum distinctione, divina natura, non simpliciter divinitatem, sed supremam & altissimam, eandemque numero cum paterna & resurrectione imo nativitate Christi antiquiorem essentiam, & divinitatem denotat. At in priori, Spiritus sanctificationis illam Christi divinitatem significat; quæ mortem & resurrectionem ejus consecuta est; propter verba à Paulo addita ex resurrectione à mortuis. Non negamus igitur nos in ipso quoque Christo divinam ejus naturam ab humana distingui posse: sed secundum diversa tempora. Natus enim homo est, & quamvis ex cæleſti stirpe, hoc est, Spiritu Sancto conceptus est; quamdiu tamen mortalem naturam habuit; quamvis propter effusam in eum Spiritus Sancti copiam; & datam maximam potestatem esset in forma Dei; & cum Deo quasi paria faceret; verè tamen ac propriè homo fuit; quantum ad naturam humanam, excepta peccati culpa, ab aliis non differens. Sed cum iterum ex resurrectione renatus exaltatus; primogenitus novæ creaturæ & perfectissima ratione filius Dei quasi genitus est; propriè loquendo desiit esse homo; & divinæ naturæ imo omnipotentiæ, particeps factus, verus ac proprie dictus, ac benedictus super omnia (uno patre excepto) Deus in secula seculorum vivit. Nihil igitur distinctio ex verbis Pauli deprompta; adversus nos aut argumentum nostrum pugnat; At distinctio vulgata quia id pro concesso sumit, quod nos oppugnamus, principium petit, & meritò à nobis rejicitur. Ita in oppugnanda quoque minore, irritus Comenii conatus apparuit.

XXVIII.

Ad pag. 34. §. 6.

Post irritos in præmissis oppugnandis conatus; *ferum* est conclusionem aggredi; quia vi præmissarum firmiter consistit. Et profectò ad conclusionem oppugnandam qui descendit: facilè fatetur, præmissas non esse bona fide expugnatas. Nam quid opus est superfluum laborem suscipere; cum vel unâ præmissarum convulsâ, ipsa per se Conclusio corruat. Ad ea verò quæ hic Comenius affert satis est dicere. Quia nunc omnia quæcunque Pater Domini nostri Jesu Christi, in Ecclesia facit, per filium facit. nihil mirum est quæ olim de Patre (idem in veteri Ecclesia faciente) dicta sunt; nunc de filio quoque dici: imo & nunc quæ fiunt omnia non minùs filio quam Patri, & contrà tribui posse, eo tamen discrimine, ut cuncta tribuantur Patri tanquam causæ primæ ex qua omnia; filio verò tanquam causæ secundæ per quam omnia.

XXIX.

Ad pag. 36. Sylleg. 1.

Non omnia quæ in Anonymum jacit Comenius refellenda suscipimus; quem non defore defensioni sui speramus. Ea tantum quæ vel ad communis causæ jugulum; vel ad insigniores quibus Ecclesiæ nostræ petuntur calumnias pertinent, attingemus. Trium igitur Syllogismorum primum, quo vulgata in Christo divinæ & humanæ naturæ distinctio adversus nos probari tentatur, principiò aggrediemur. Quem adversus nos aut argumentum nostrum nihil pugnare, paulò ante satis demonstravimus; cum nos in Christo utramque naturam, quamvis diversis temporibus, agnoscamus. Nihil mirum igitur, quod Sacra Scriptura de eo, nunc tanquam homine; qui & verè & propriè, dum esset mortalis, sic dici potuit: nunc tanquam de Deo; qui vere & propriè post resurrectionem & exaltationem talis fuit; diversimodè loquatur. Verum si Comenius Syllogismum hunc, ut adversus nos militare possit, ità correxerit, ut sic sonet. De quo subjecto scriptura; nunc tanquam de homine; nunc tanquam de absolutissime summo Deo; qui nullum parem, aut superiorem habeat loquitur; hunc & hominem & supremum simul eodemque tempore Deum esse necesse est.

Atqui de Christo. Ergo.

Tunc utramque præmissarum falsam esse ostendimus. Majorem duas ob causas. Primo. Quia & de Ministris summi Dei, per quos is aliquid facit, sæpe loquitur Scriptura tanquam de Summo Deo. Ut de Angelo qui in rubo apparuit: & qui cum Abrahamo paulo ante Sodomæ excidium collocutus est: item de iis qui Mosi legem tradidere. Quanto meliori jure Sacra Scriptura sic loqui de filio potest, propter longè arctiorem, patris cum filio, quàm cum Angelis conjunctionem *Heb.* 1. Et tamen ut Angeli non idcircò sunt Summi Dii: ita & filius non ideò definit esse minor patre: aut etiam subjectus Patri 1. *Cor.* xv. Secundo. Fingamus, (quod est impossibile) de uno subjecto verè dici posse; quod sit & Homo & Deus summus tamen id uno eodemque tempore, de illo verè prædicari non posset propter contradictionem in adjecto.

Minor autem falsa est, quia non potest dari locus Sacræ Scripturæ ejusmodi qui hanc supremam & absolutissimè intellectam, patri æqualem divinitatem Domino nostro tribuat. Quod si quid uspiam

in hanc sententiam Sacra Scriptura loqui videtur, obscuritas hujus loci. ne male intelligatur ab ipsa Scriptura mille aliis locis ejusdem clarissimè illustratur.

XXX.

Ad pag. 37. §. 2.

In secundo Syllogismo; integro pudore & salva Comenii reverentiâ, Minorem negamus. Jam enim supra Sectione nostra XXVII. demonstravimus, inter naturam patri coessentialem & Spiritum sanctificationis ex resurrectione à mortuis, quanta sit differentia. Non igitur Comenius ipsissimâ Scripturarum distinctione utitur, sed petit Principium.

XXXI.

Ibid. Syllog. 3.

Recipimus libenter hanc conditionem; ut de omnibus mysteriis fidei, præcipuè de patris, & filii divinitate, non verbis quæ humana sapientia & philosophia introduxit; sed quæ Spiritus Sanctus in sacris literis docet, solis duntaxat utamur. Nam si cubi hucusque ad peregrina & inusitata, in doctrina Evangelii vocabula descendimus, non nostra culpa est; sed eorum qui cum novis opinionibus, nova vocabula invexère. Necessitas igitur expressit, ut refellendo peregrinas opiniones, peregrina quoque quibus exprimuntur vocabula tangeremus. Non igitur adversus nos Syllogismus hic, sed adversus Comenium militat; qui sententiam tuetur quæ absque novis vocabulis non modo defendi; sed ne proponi quidem sufficienter aut explicari potest. Philosophica dogmata nos nulla fovemus, solos fidei articulos, Scriptura & Apostolico Symbolo comprehensos, urgentes; quos & alii omnes recipere coguntur; quia Catholici sunt & communes omnibus: sed eos quidam cum privatis suis philosophicis & recentius subintroductis articulis frustrà, *sed non gratis*, conciliare conantur. Audite id omnes homines (ait hoc loco Comenius) cui nos quoque suffragantes, cunctos ad audiendum invitamus. Quibus hanc majorem Comenii propositionem, trutinandam proponimus.

Quicunque de mysteriis fidei, non verbis quæ Spiritus Sanctus in Sacris literis, sed quæ humana sapientia docet, loqui amat, ille à Scripturis, à Spiritu Sancto, à Christo, ab Ecclesia Apostatat.

Subsumimus nos minorem. Atqui errorum Comenii patroni, de mysteriis fidei non verbis Spiritus Sancti aut Sacræ Scripturæ; sed peregrinis & in Sacra Scriptura inauditis, quæ humanæ sapientiæ & placita redolent, loqui amant. Nam quid sibi volunt in eorum Theologia, personarum, essentiarum, Unionis hypostaticæ, Homousii, Incarnationis, inhumanationis, communicationis idiomatum & sexcenta alia, ignota prisco ævo & tanto post Apostolos nata vocabula?

Ergo errorum Comenii patroni, à Sacra Scriptura, à Spiritu Sancto, ab Apostolis, ab Ecclesia apostatant; quando id verbi apud Cyprianum Comenio placuit.

Enimvero non usquequaque nobis probatur hæc argumentatio; quia de iis qui super auro & gemmis Apostolicis, lignea vel straminea tabulata extruxerunt, unà cum Apostolo 1. *Cor.* III.: multò verò magis de iis quos præcedentium grex; & tàm longi ævi canities decepit; mirius sentimus & loquimur. Sed vis Comeniani Syllogismi, quæ tota in Majore ipsius propositione latet; quàm ipsi Comenio & qui cum eo sentiunt, sit metuenda, ostendere voluimus.

XXXII.

Ad pag. 39. §. 36.

Nullam vere Theologiæ partem oppugnat Anonymus, sed tantum unam, in uno ejus articulo aberrationem. Eamque non unico ista de Disparatis axiomate; sed pluribus aliis de contrariis & contradicentibus regulis. Ideò enim disparata de uno subjecto non prædicantur; quia contrarias imo contradicentes sibi proprietates habent. Oppugnat item communissimo illo & latè patente principio, quod falsa & absurda esse indicat; quæcunque implicant contradictionem.

XXXIII.

Ibidem.

Tametsi quicquid boni ulla Creatura in se habet; scit, vult, potest, totum id habeat sciat, velit, possit Deus infinito modo perfectius & eminentius: non idcircò tamen Deus erit omnia. Quia multæ creaturæ sunt viles, invalidæ, imperfectæ, sed præcipuè culpâ sua evaserunt pravæ & vitiosæ; quæ (ut Logicè loquamur) neque subjectum neque prædicatum Dei ingredi possunt. Non ægre ferit Deus ejusmodi laudes sibi non tribui, in quibus occultæ ejus contumeliæ latent. An in Deo quoque sunt omnia mala vel eorum causæ? & quidem ita ut de Deo prædicentur? Idvolunt, qui omnia quæ eveniunt, non modo evenire potuisse: sed necessariò; & immutabili Dei destinatione evenisse, docent. Illud quoque fortasse per hoc paradoxon venantur: ut humanis mentibus persuadeatur; nihil esse absurdi Deum hominem fieri: qui jam per eorum loquendi modum fuerit omnia, proinde & homo.

Sed istiusmodi loquendi rationes, nihil aliud sunt quam gerræ, tricæ, affaniæ & omnia, quæ in illo libello, alicubi Comenius ex suis Locis communibus, ne ibi meritis labor periret congessit, buttibatorum synonyma.

XXXIV.

Ad pag. 40. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Regula Logica de Disparatis; loquitur de enunciationibus veris & propriè dictis, hoc est, quorum prædicatum de subjecto, propriè prædicatur: non autem de falsis, impropriis; & interdum tropica catachresi figuratis; qualia sunt exempla, quibus evertere hujus regulæ universalitatem Comenius contendit. Ad Rhetoricam pertinent enunciationes coloratæ. Logica ut ambiguas non admittit nisi distinctas: ita nec impropriè loquentes nisi ad proprias reductas, in quibus scilicet prædicatum de subjecto, propriè dicitur. Hoccine tantum Logicum Comenium ignorasse; aut, (quod pejus est,) dissimulasse?

Sed exempla ab eo allata qualia sint videamus.

1. Hominem esse corpus; aut Spiritum separatum; non minùs falsum est: quam Totum esse unam sui partem: quæ nullo modo de Toto prædicari potest; quamvis de illo partes simul sumptæ interdum verè prædicentur. Ut cum dicitur Homo est Corpus simul & Spiritus; nihil falsi habet hæc propositio, sed ad regulam non pertinet; quæ loquitur de duobus prædicatis disparatis seorsim, hoc est,

in duabus

in duabus enunciationibus de uno subjecto enunciatis. Ubi autem simul sumptæ partes, de Toto prædicantur; una est enunciatio; utrumque disparatum tanquam partes in prædicato conjunctim comprehendens.

II. Vinum est aqua, & Vinum est ignis. Propositiones istæ aut falsæ sunt; aut admodum catachrestice enunciatæ. Neque enim aqua, aut ignis est prædicabile de vino; cum nec sit genus ejus, nec species, nec accidens; nec proprium.

III. Idem propemodum de Cerevisia dicendum, de qua tametsi potus sit prædicabilis tanquam genus; ac cibus nullo modo. ita ut si de cerevisia dici possit Cibus; etiam de potu necessario dici posset.

IV. Quartum exemplum est sophisticum, & planè idem cum eo de quo num. 1. diximus; ubi partes simul sumptæ de Toto in una enunciatione prædicantur: cum Regula de duabus enunciationibus loquatur. Vide suprà.

V. Inveni crumenam & inveni pecuniam. Resp. Si propositiones istæ Logicè examinentur, neque crumena neque pecunia potest esse inventionis prædicatum; quia neutrum est de illo prædicabile, ullo eorum quos recensuimus modo. Potius inventio ut accidens de utroque est prædicabilis. Sed tunc exemplum non quadrabit ad Regulam, quia in eo non duo disparata de uno subjecto; sed unum accidens de duobus disparatis prædicabitur.

VI. Angelos in humano corpore apparens, non potest dici Vir aut juvenis verè; nisi impropriè & secundum quid. Non igitur exemplum hoc quadrabit ad Regulam.

Quæ cuncta si agnoscere cunctabitur Comenius, ne reipsa agnoscet prudens Lector; & erubescendum Comenio relinquet, quod Logicorum disputatorum censuram professus, doctrinam de prædicabilibus in limine Logicæ fiam, aut ignoraverit aut oblivioni tradiderit; aut quod pessimum est, notam sibi sciens prudensque dissimulaverit. Interea de Disparatis regula firma stat, & inexpugnabilis.

XXXV.

Ad pag. 44. §. 42.

Finiti ad infinitum nullam proportionem fatemur. Non ideò tamen Ratio nostra *finita* dum sana est, & in suo naturali statu, finitum ab infinito dignoscere nequit; Imo vel ob ipsam istam regulam tantò facilius potest. Cum enim infinitum fines nullos habeat: Ratio verò nostra finitæ rei fines, ac limites, quibus circumscripta est, assequi possit; tantò promptius dignoscere potest; illam rem finitam non esse infinitam. Et hoc ipso principio argumentatio nostra suffulta est. Qui enim natus est homo, (ut cætera taceam) finitus non potest esse summus omnium Deus; qui ipsi Comenio est infinitus. alias finitum esset infinitum: haberet fines & non haberet: & contradictionem implicantia possent esse vera.

Deinde si res divinæ, hoc est, cognitionem voluntatis Dei concernentes, modulum rationis ac mentis nostræ excedunt, cur Comenius suprà pagina. 3. sui libri §. 2. in triplici Reconciliatoris norma sanam etiam rationem admisit. & quidem ex mente Dei, addita ratione quod *Mente attendere* jubeat *Deus operibus suis, etiam in rebus Cognitionem sui concernentibus*, & citatis locis *Rom.* 1. 20. & 1. *Cor.* x. 15.? Sed illic quidem rectè Comenius sensit. Quamvis enim Deus ipse, ratione naturæ, potentiæ, perfectionis suæ, infinitus sit; adeò ut omnibus numeris perfecta cognitio ejus modulum infirmitatis humanæ, præsertim organis nobilioribus destitutæ, superet: tamen ea quæ à nobis de se cognosci voluit; ne captum quidem nostrum superare voluit; tantum abest ut rationi nostræ adversari permiserit. Ergo si qua reperiantur, quæ captui mentis nostræ: præsertim luce revelationis illuminatæ, adversentur aut adversari videantur: aut falsa sunt, aut certe ea Deus à nobis cognosci noluit, aut eorum cognitionem à nobis saltem non exigit. Neque enim Deus mentem aut fidem nostram onerat rebus perceptu impossibilibus: nec usquam præcepit ut absurda & rationi adversantia credamus: Sed ea, quæ nobis scienda & credenda proposita & imperata sunt; pertinent aut ad promissa, aut ad præcepta religionis, quæ non difficulter percipi possunt. Qualis est, exempli gratiâ, ad æternam vitam resurrectio. Cujus etiamsi modus atque ratio nobis à Paulo 1. *Cor.* xv. ita explicata sit; ut omnes dubitandi scrupuli exempti videantur; si quis tamen adeò hebessit, ut modum, & rationem ejus non intelligat; non plus ab eo requiritur quàm ut rem ipsam credat; cujus manifestum exemplum in Christo, jam admirabili potentia Dei resuscitato, glorificato, & exaltato extat. Essentiæ quidem & naturæ Dei infinitæ, distincta & omnibus numeris absoluta Cognitio; aut de ipsa aliquam opiniones & dogmata, ubi nobis præcepta sint non reperimus. Quo magis miramur, cum adversarii nostri toties, hinc infirmum & humilem mentis nostræ captum esse inculcent; illinc mysteriorum in symbolis posterioribus propositorum perceptionem rationi nostræ imperceptibilem esse asserant; primùm cur ausi sint, & quidem totis post Apostolos seculis, eò scandere quo menti humanæ aditum præclusum jactant. Deinde cur eorum credendorum necessitatem imponant omnibus; quæ cum sanæ rationi adversentur; apertè in sacris literis revelata non sunt, ut apparet ex omnibus Sacræ Scripturæ locis, unde sua firmamenta petunt; quibus nihil obscurius est; nisi à manifestissimis aliis ejusdem Scripturæ locis pro nobis militantibus illustrarentur.

XXXVI.

Ad pag. 45. §. 43.

Frustrà vobiscum, (ait & calumniosè insultat Comenius) de fide & mysteriis disputamus; qui fide & mysteriis carebis. Resp. Hoc si verum esset, tanto magis nobiscum de fide & mysteriis disputandum esset; ut eorum participes fieremus. Ne Apostoli quidem prædicare absque oppositione contrà disputantium solebant, ut ex Stephani & Pauli prædicationibus patet. Nec tamen à prædicatione & disputatione cum iis abstinebant, qui fide & mysteriis carebant. Sed hæc iniqua & malitiosa est nostri criminatio. Mysteria habemus & sanctè veneramur, sed Sacra, è Scripturis & prædicatione Apostolica; non profana ex Ethnicismi lacunis hausta. Distinctionem ex *Rom.* 1. & 12. *capitibus* depromptam, longè à vestra quâ utimini abire; nec adversus argumentationem nostram pugnare, jam ostendimus.

XXXVII.

Ad pag. 46. §. 43.

Si ratio, (ut ais Comeni) irregenita; non (ut explicas) verbo Dei nondum illustrata; contra Deum & verbum

& verbum ejus est: cur igitur suprà inter Normas Reconciliatoris; Rationem sanam, Sacræ Scripturæ contradistinctam, admisisti? Sententia tua omni Proteo ac Vertumno mutabilior est. Errores eorum, qui ratione pravè utantur; Rationi ipsi sibi relictæ tribuendi non sunt, sed pravè utentium culpæ. Non est errorum culpa, in Rationem, præstantissimum Dei donum; sed in abutentium eâ pravitatem conferenda. Aliâs excusabiles essent gentes, quas Paulus *Rom.* 1. arguit; quod fœda idololatriæ & morum dissolutionis labe pollutæ fuerint; si rationis lumen, revelatione nondum illustratum, erat adversum Deo & verbo ejus: atque adeò omni veritati. Sapientia hominum, quæ apud Deum stultitia est 1. *Cor.* 11; non lumen rationis, sed tenebras jam errantis rationis designat. Lumen rationis descendit à patre luminum, ideò stultitia esse nequit.

XXXVIII.

Ad pag. 47. *&* 48. §. 45.

Rectè asserit anonymus, quicquid adversum est *rationi*, falsum esse & impossibile. Contrà quam universalem assertionem allatæ à Comenio exceptiones & instantiæ, nullius sunt momenti. Non enim de eadem Ratione loquuntur, de qua loquitur Universalis assertio. Quæ primum Rationem Sanam, necdum culpâ hominum deceptam & errantem intelligit. Deinde Communem omnium hominum (additum enim est ab Anonymo *Sana omnium hominum ratio*) non singularem Aristotelis, aut Platonis aut, Galeni; in quibusdam eorum opinionibus hallucinantem. Manet igitur firmâ & Universalis hæc Anonymi assertio, ut ex eâ subsumi, quoties opus est, assumptiones queant, & firmiter contra Sophistas concludi possit.

XXXIX.

Ad pag. 49. §. *eodem.*

Nos verò optamus, ut ad hanc Criminatoris Apostrophen concurrat omnis populus Christianus. Certè longè meliori jure exclamabimus: Videte Fideles; quàm infidelis sit hic monitor, qui Ecclesias in Polonia afflictas, capitali calumnia appetit. Quia vel Typographo mendum subrepsit; vel descriptor hallucinatus est: vel etiam Anonymo, (qui se ex eorum Ecclesiis non esse fatetur) per incuriam aut imprudenti vocula (alii) excidit, ideonè in totam Ecclesiam, quæ eorum, qui ad se non pertinent, culpam præstare non tenetur, debacchandum est? Atqui tu Comeni non credis? aut certè nondum credis, Anonymum esse Socinianum, quia rem istam tempori reliquisti: nisi forte tunc quoque, cum ea de re judicium suspendebas, tibi credendum non fuit. Cur igitur, nunc aliud credis, aliud credere te & quidem publicè, præ te fers, homo omnium incautissime, qui dedecora tua, etiam advocata concione, toti fidelium populo, conspuenda proponis. Quid magis hic mirer. Odii acerbitatem; cujus satiandi libidine, tàm vilis tibi fuit existimatio tua? an impudentiæ confidentiam; quæ in tàm manifesto crimine, calumniam hanc deprehendi non timuit? Sed fruſtrà pudorem requirimus in ea fronte; quæ tot stigmatum cicatricibus, sese contra verecundiam munivit.

Nos Christum, non in alienis, privatorum & à nobis abalienatorum hallucinationibus; sed in publica fidelium concione, non alieno, sed nostro genuino ore; Supremum, tàm errantium quàm orthodoxorum, vitæ necisque æternæ Dominum & Judicem, & supet omnia Deum à Patre constitutum, & omnipotentem, divino cultu ab omnibus adorandum & invocandum humillimè confitemur. Quem de divino solio suo, impio facinore detraheret: quisquis in ministrorum ejus, Principum in cælis Archangelorum, (qui glorioſissimâ in cælo exaltatione fruuntur:) Multò magis autem Apostolorum & Prophetarum; (quibus ea fruenda adhuc destinata ac reposita est,) & multò maximè promiscuam fidelium (sint quamlibet orthodoxissimi) turbam conjicere auderet.

XL.

Ad pag. 50. §. 46.

Multos in homines hoc scripto Comenius injurium se ostendit. Sed nemini plus nocuit, quàm causæ, quam tuetur, existimationi. Quam non aliter defendit; nisi odio & calumniis, quæ non sunt legitima veritatis arma: verum genuina ac certissima errorum indicia, & misera refugia. Quid autem miremur Anonymum, qui eum disputando ad lassitudinem exercet; ab eo perpetuis calumniis admordeti? quum iisdem dentibus eos quoque appetat; qui hucusque ipsi nullam molestiam exhibuere? Sed hoc loco Comenius Anonymum ejusmodi calumnia mordet; quam non modò scit: sed ipse publicè hoc libello professus est, falsam esse. Non unicam enim, sed triplicem normam in limine libri ab Anonymo statui; & quidem rectè, atque ex mente Dei professus est. pag. 3. Cur nunc Rationem, pro unica ab illo normâ, obtrudi criminatur? Excipiet Comenius, sese non negare unâ plures normas ab eo statui; sed inter eas unicam infallibilem, hoc est, Rationem. Non excusatur isto modo calumnia; sed culpa ejus intenditur. Cum enim Sacra Scriptura, inter istas tres normas, utriusque partis consensu posita sit: si inter illas, solam & unicam rationem, normam, infallibilem Anonymus statuit: certè Sacram Scripturam normam fallibilem, ab eo statui necesse est. Quo quid magis intolerandum fingi potest; cùm ejus blasphemiæ; in toto Anonymi scripto, nec vola, nec vestigium extet. Quæ à revelatione Dei veniunt, Rationis Magisterium non agnoscunt, sed sine ejusdem ministerio percipi & aliis tradi nequeunt. Verum & à revelatione venientia: ita à Deo proponuntur; ut rationis humanæ captum non superent; multò minùs evertant. Novit enim is capacitatem Rationis nostræ, nec in eam plus, quam capere possit, infundit; nec aliâ nobiscum lingua loquitur; nisi ea, quæ à nobis intelligi possit. Neque ratio nostra in omnibus etiam altioribus & obscurioribus se unicam esse normam aut mensuram prætendit; sed revelationis auxilium implorat. Quæ tamen ita sunt manifesta, ut vel ipsa sibimetipsi relicta, falsa esse videat; merito de iis judicium ferre non recusat. Errores in Matheſi (quæ apertissimis demonstrationibus subnixa est) neque Rationis, neque Mathematicæ doctrinæ, sed ipsorum Mathematicorum culpâ, interdum subrepunt; in quibus aut naturæ hebetudo, aut artis inscitia intervenit; aut etiam pravitas alicujus affectus, ambitionis, philautiæ, odii, iracundiæ, cupiditatis tenebræ defæcatissimam quandoque ingenii lucem obscurant. Idem de reliquis scientiis dictum esto. Nec tamen ideò Ratio rerum Mathematicarum aut aliarum humanarum judicandarum norma esse definit. etiam nulla Sacræ Scripturæ ope adjuta. In divinis autem, si qui sint ita sublimia, ut ad ea ipsa per se ratio scandere non potuisset; ubi tamen divinitùs Rationi proposita sunt; adeò rationem non evertunt; ut eam potius reficiant & vegetent; & perfectiorem reddant.

Proinde

Proinde quæcunque propositæ rationi, adversantur, & eam evertant, facile & recte Ratio colligit, ea non esse divinitùs revelata. Nam quod sapientia humana divinæ adversari in Sacra Scriptura dicitur, non illic Ratio sana per sapientiam humanam, sed errores Rationis, sæpe epidemici, quales & isti sunt quos oppugnamus, designantur.

XLI.

Ad pag. 51. §. 47.

Probavit Anonymus absurda & repugnantia Rationi sive in Naturalibus, sive in divinis, esse falsa; quia se mutuò perimunt nec possunt simul stare. Respondet Comenius hoc nihil esse puta, falsum esse. Nec addita causa cur nihil aut falsum sit, amota Conclusione anonymi substituit suam dum ait. *Ita dicendum est, Omnia verè absurda falsa sunt; sive in naturalibus sive in divinis.* Resp. Imo verò Comenius ità respondendo nihil dixisse convincitur; Quia professus se aliquid verius in locum ejus Conclusionis quam damnat, repositurum, nihil ad eam addit; nec aliud concludit, quàm Anonymus. Nam & Anonymus non de apparenti sed verâ absurditate locutus est. Quo posito Conclusio anonymi cum Comenii conclusione, & reipsa & verbis eadem est. quæ (anonymi) sic sonat. *Probatum manet, omnia absurda rationi* (puta verè, non apparenter) *esse falsa, sive statuantur in divinis sive in naturalibus.* Ecquid differant hæ Conclusiones? Ergo jam lis inter partes composita est.

Sed quia errorum defensores sibi nunquam constant, incipit pœnitere Comenium, quod vi veritatis adactus, illud idem concesserit; quod asseruebat Anonymus. Rogat igitur Anonymum. Quis definiet ac dijudicabit; quid verè sit absurdum? & objicit anonymo quod is hunc judicem solam statuat rationem. Id autem facere malè ac vitiosè. Primùm quia Divina sint suprà rationem: deinde quia & in naturalibus ratio sæpe fallat. Respondebimus pro Anonymo. Nec quod ipsi objicitur, esse usquequaque Verum, nec eum quod in Vero à falso discernendo judicem statuat Rationem delinquere. Ut à posteriori incipiam; rationes quibus oppugnatur nihil agunt. Quamvis enim quædam divina eaque paucissima sint suprà rationem; tamen nulla sunt contrà rationem; nulla principiis rationis repugnant. Non semper quidem ratio capit distinctam cognitionem, ac modum omnium rerum divinarum. Res tamen ipsas etiam divinas capit, & intelligit non repugnare communissimis principiis suis. Cum enim Omnipotentiam Dei, ex operibus Dei (*Rom.* 1.) cognoverit; quamvis non assequatur qua ratione quove modo potentia Dei sive in effectis jam, sive in efficiendis rebus ad effectum deducta aut deducenda sit; deduci tamen potuisse ac porrò posse, & omnino deducendam esse, vel ex iis in quibus jam deducta est, cognoscit. Non igitur in divinis difficillima quæque perceptu, principiis rationis adversantur sed mirè congruunt. Nam quæ verè adversantur, jam suspecta, jam falsa sunt. Sed ea quoque in divinis, quæ captum nostrum superant paucissima sunt. Nec religio Christi eo fine introducta est ut intellectum nostrum perplexis contemplationibus exerceret, sed ut voluntatem vitæ sanctimoniâ emendaret. Homines vitiis corrupti & vitam Vocationi Christianæ repugnantem viventes; ne tamen frustrà religionem recepisse viderentur; Theologiam artem fecerunt, aut scientiam contemplativam. Quam ipsam tot in se contortis & involutis nodis implicuerunt, ut plerique dum in iis explicandis solvendisque dissentiunt, in partes discesserint: hinc tot in orbe Christiano sectæ. At vera Theologia practica & captu facilis est; in praxi & exercitio difficilior; nisi quod ope Spiritus Sancti, & primis difficultatibus superatis facilior evadit. Non igitur periculum est; ne intellectus noster mysteriis ejus capiendis par non sit, saltem quantum ad Salutem sciri necesse est. Quod autem ratio humana in naturalibus etiam aliquos fallat, non rationi, sed hominibus prave ratione utentibus tribuendum est. Nec ideo jam norma ista abjicienda est, quia quidam, & quidem in paucissimis rebus, ipsâ male usi sunt. Nam & alii non errantes; & ii ipsi qui alicubi lapsi sunt, per hanc normam non infeliciter in veritate cognoscenda profecerunt. Hinc tot admirabiles rerum inventiones; tot artes ac scientiæ.

Sed nec illud quod Anonymo objicitur est usquequaque verum, quod solam rationem judicem constituat, in dignoscendo quid sit verè rationi absurdum. Nec enim, ut initio libri professus est, Sacram Scripturam ab hoc judicio excludit; imò infallibiliorem esse normam libenter concedit. Sed rationem in dignoscendo quid sibi adversetur nec ne; etiam in divinis competentem esse judicem, sine ulla Sacræ Scripturæ injuriâ dici potest. Nec enim quicquam est in rerum Naturâ, etiam ex inanimatis tàm Omnis sensus expers; quod ipsa Natura duce, non sentiat quodammodo & fugiat, aut etiam oppugnet id, quod sibi repugnat. Quanto magis sensu, & quam multo magis intellectu præditæ? Quo magis absurdus & sibi contradicens est Comenius, qui etiam in rebus rationi subjectis, vel ut mox loquitur, in foro rationis dignoscendi, quid sit absurdum & verè rationi repugnans, jus & facultatem rationi adimit: præterea absurda fidei, ab absurdis rationi distinguit; quasi aut fides absque ratione esse possit, aut quod est absurdum fidei, non idem quoque Rationi (præsertim fide præditæ) absurdum esse necesse sit.

XLII.

Ad pag. 52. §. 48.

Responsio ad Opponentis argumentum in hoc paragrapho fuit Regulam Theologiam, de Scriptura ita interpretanda, ne absurditas aliqua introducatur, admittendam esse duntaxat in locis obscurioribus, non in clarioribus. Cum igitur absurdorum patroni; quales sunt Antropomorphitæ, loca Sacræ Scripturæ, ex quibus ansam erroris sui arripuerunt; nec sine speciosо prætextu, jactare possint esse clarissima: si in clarioribus absurditas aliqua introduci possit; erit aliqua absurditas vera, Scripturæ patrocinio protecta. Quo posito, Antropomorphitæ & alii omnis literalem Sacræ Scripturæ sensum etiam absurdissimum urgentes, refelli non poterunt.

Comenius respondet posse illos ex eadem Scriptura refutari, quod in ea Deus dicatur Spiritus, Spiritus autem ossa & carnem non habet. Atqui urgebunt Anthropomorphitæ loca suam sententiam confirmantia, clariora esse allegatis locis de Spiritu carnem & ossa non habente. Explicabunt igitur allegatos locos per suos tanquam clariores; & dicent Deum quidem quia sit Spiritus carnem & ossa terrena, vilia & corruptibilia non habere: at nihil obstare quominùs eadem omnia cælestia, gloriosa & incorruptibilia habeat; quod ex locis suis, ut putant clarissimis evinci arbitrantur. Proinde rectè dixit Anonymus si absurditas ulla in locis Sacræ Scripturæ explicandis admittatur: Anthropomorphitas & similes absurdorum patronos refelli non posse.

XLIII.

Ad pag. 54. §. 49.

Ex istâ allegatione locorum capitis *Joh.* VI. appareret, quâ fide Comenius loca Sacræ Scripturæ citare soleat. Certe Dominus noster *vers.* 35. 36. 37. nihil minùs fecit, quàm ut illic à Rationis judicio ad fidem provocaverit; & quæ non intelligebantur credere jusserit. Nam non illic suâ verba rectè & sano sensu explicari (quod facit infrà *vers.* 63.) sed in se credi; hoc est, se pro Christo, pro Messia recipi postulat. Nondum enim murmurabant Judæi de non intellectis Christi verbis, quibus se Panem esse asserebat. quod (ut ipse Comenius citat) versu demum 41. & 42. narratur. Sed & ipsa Christi verba satis se explicant.

Porrò *versu* 63.; quamvis verba illa Christi sano sensu mystica dici possint; non tamen illic Dominus à ratione ad fidem & mysterium, sed à sensu literali, ad spiritualem provocat. Etenim non simpliciter ea quæ non intelligebant credi jussit, sed rationabiliter & Spiritualiter explicari atque intelligi voluit; addita etiam ratione cur spiritualiter intelligi deberent. Quia carnali sensu intellectus cibus de quo loquebatur, nihil illis profuisset. Unde patet, Christum ejusmodi verborum suorum explicationem, quæ absurdum aliquid & à ratione absonum introduceret, damnasse: & verborum suorum interpretibus; non cæcam & literali sensui affixam fidem; sed ad effugienda absurda, rationabilem eorum explicationem præcepisse.

XLIV.

Ad pag. eand. §. 50.

Si ita Christus dici potest infinitus; aut, quod est in quæstione, summus Deus, ut homo dicitur immortalis; vide Comeni, quo te confessione tuâ demiseris. Homo enim immortalis nullo modo dici potest; cum sit Compositum ex duabus partibus, quarum alteram citò corrumpi necesse est; unde dissolutio Compositi, hoc est, Mors sequitur; quæ in Immortalem non cadit. Hinc & in communi omnium usu homo immortalis nunquam dicitur, semper Mortalis.

XLV.

Ad pag. 55. §. cod.

An Distinctio Naturarum in Christo, quâ vulgò utuntur, rectè supponatur non Logicam sed Theologicam esse quæstionem dicit Comenius, & addit, *quò nondum ventum est.* Agnoscit igitur in hoc primo probationis membro ad illuminationem Revelationis seu Sacræ Scripturæ nondum ventum esse. Cur igitur post Confessionem suprà. §. suo 34. factam quod argumentum Anonymi, citrà illuminationem Sacræ Scripturæ rectè arguat & concludat; tantum inanium verborum profudit; & profundit in refellenda argumentatione istâ; quæ in hoc primo probationis membro, dum adhuc ad revelationem Scripturæ seu Theologiam ventum non est, ipsomet confitente recta est.

XLVI.

Ad pag. 56. §. 51.

Hoc loco ita loquitur Comenius, quasi Norma Sanæ rationis, citra potiorem Normam Sacræ Scripturæ posita; non latiùs pateret, quàm ars Dialectica. Atqui ea reliquas artes & præterea scientias & communem in omnibus hominibus Rationis usum, comprehendit. Logica tantum Regulas & faciliorem ratiocinandi modum & auxilium suggerit. Nec absurdè Molendinum dici potest, quod absque ingestâ fruge inutiliter rotatur. Sed non semper triticum aut nobiliores fruges: interdum ignobiliores ipsi inverguntur. Nec tamen id fit inutiliter, quod tot, præter Theologiam, pulcherrimæ scientiæ & inventa mortalium docent. Nec in isto primo probationis membro Anonymus solius Logicæ ope usus est; nec usquam calumniis & conviciis tumultuatus est; quas densum & luminibus hominum maximè noxium pulverem excitare Comenius exemplo suo docuit.

XLVII.

Ad pag. 56. §. 52.

Trophæum anonymi Comenio dicitur Marginale annotatum his verbis expressum *Sana omnium hominum ratio per Sacram Scripturam illuminata, & secundum æquissimas æternasque suas disputandi Regulas procedens solum Patrem Domini nostri Jesu Christi summum Deum esse dictat.*

Hoc enunciatum quadruplici machina Comenius aggreditur.

1. Prima est. *Nullius hominis Ratio sana est in divinis*, idque probat ex locis aliquot Sacræ Scripturæ, quibus Corruptio in Voluntate ac moribus hominum exprimitur; aut etiam errores hominum gentilium perstringuntur. Qui loci ad rem præsentem non pertinent; in qua non de Voluntatis aut morum; sed de Rationis & Intellectus sanitate sermo est; de qua Anonymus loquitur. Fallitur igitur Comenius ambiguitate vocis Sana. Porrò à corruptione in moribus ad corruptionem in intellectu prava est consequentia. Facilius enim & frequentius ægrotant mores, quàm Ratio: Hinc homines vident meliora, probantque: deteriora sequuntur. & Verum simplex Intellectuale; difficilius à Falso vincitur; quam Verum bonum à bono apparenti, propter affectuum nostrarum proditionem & ad hostem transfugium. Quæ perfidia in disquisitione Veri aut non intervenit: aut rarò & non æque intervenit, ut in electione Boni.

2. Si ratio nostra in divinis sana non est; cur eam, & quidem Sacræ Scripturæ contradistinctam, Comenius ad [illegible]licem illam Normam admisit; quam Reconcili[illegible] Dissentientium in rebus divinis concessit?

3. Ludit ac fortasse luditur ipse Comenius & alia ambiguitate in eadem voce Sana; alio sensu eam accipiens quàm Anonymus. Cum enim Anonymus rationem sanam omnium hominum nominat; non intelligit, illam esse lumen ita perfectum, ut majori lumine præsertim in divinis non indigeat, sed quod errorum tenebris non sit obscuratum & corruptum, sed maneat tale quale à Deo nascentibus infusum & matureſcentibus, nisi ipsi sibi desint adest, sitque sanum atque integrum in suo genere & naturali statu. Comenius autem sanitatem istam de perfecta (qualis per revelationem acquiritur) illuminatione intelligit, dum ait, *Deum, insaniæ humanæ* obvam eundo, seipsum revelasse verbo suo 1. *Cor.* 1. 21. Non igitur putat Rationem sanitatem acquirere, nisi per revelationem verbi. Proinde ob vitium ambiguitatis, missile istud à prima machina emissum,

emissum. ne attingit quidem, tantum abest ut evertat, trophæum Anonymi.

Alteram ad evertendum illud machinam admovet, negando Anonymum Rationem suam per Sacram Scripturam; sed contrà Sacram Scripturam per rationem illuminare velle: quia rationem in tribunali collocavit, & peremptoria in divinis decreta ferre voluit. Quibus demum Sacram Scripturam accedere fecit, non ut libere sententiam diceret; sed ut decretis rationis subscriberet. Documentum objecti hujus criminis non aliud affert, quam quod rationis normam, normæ Sacræ Scripturæ præmiserit. Quod quàm vanum sit & ineptum, suprà quoque attigimus. Scilicet Paulus cum Fidem, Spem, Caritatem hoc ordine positas secum comporat, digniorem locum Fidei, tanquam potiori, dedit, quàm Caritati; quæ ipsi major cæteris expresse dicitur. Idem res ipsa ostendit. Nec enim judices pari plerumque potestate, simul & semel sententias ferre possunt; nec ordo semper à potioribus incipit; imo ut plurimum præses concilii, dignitate reliquis excellentior, ultimus sententiam dicit: Sæpe etiam ab inferiori subsellio, dicendæ sententiæ ordo incipit: Semper autem Conclusio decretorum, post dictas omnium sententias, ultimo loco pronunciatur. Nec unquam dicta prius sententia obligat collegas, ut in eam vel inviti descendant, aut ipsi subscribunt, nisi forte in iniquissima tyrannidè, cujus hoc loco periculum non est. Proinde tam levis & infirma machina admota operi, sumet fragilitate dissilit; ac trophæum Anonymi manet intactum.

III. Tertiò oppugnat Comenius illam trophæi partem; quâ Anonymi disputatio innuitur esse Ratio secundum æquissimas æternasque suas disputandi regulas procedens. Quia hunc rationis processum Anonymus non exhibuit: sed perpetuæ potius sophisticationis specimen edidit. Addit autem Deum nobis per Prophetas & Apostolos, nullas disputandi artes commendasse. Resp. Nullum (ut patuit) in Anonymi argumento veri sophismatis specimen ostensum est. Et legitimò ipsum in hoc Rationis foro, hoc est, primo probationis membro disputasse evidentissimo documento est; quod Comenius coràm illo judice causam dicere detrectaverit & toties exceptione fori & judicis usus fuerit. Male metuit sibi à judice, qui judicium ejus subire detrectat. Nunc quoque in hac disputatione sese victum esse manifeste fatetur; Cur enim disputandi artem perstringeret; nisi quod eam sibi malè cessisse senserit. Negat eam à Deo commendatam. Nec tamen audet asserere esse condemnatam. Atqui nos in eo falsi convincere Comenium possumus quod hic asserit. Nec enim tantum legitimam disputandi viam nobis à Deo per Apostolos commendatam, sed præceptam esse probabimus. An non per Apostolum Petrum 1. *Pet.* III. 15. paratos nos esse jubet ad reddendam rationem spei quamlibet suæ; quæ, cum in Exactores morosos & infestos incidit, raro sine lite ac disceptione reddi potest? An non per Paulum *Tit.* 1. pastoribus & Episcopis præcipit, ut sint tenaces ac defensores fidelis sermonis ἀντιλέγοντας, ita ut possint non modo cohortari in doctrina sana, sed etiam contradicentes refellere, imò ut *vers.* 11. addit, etiam iis os obturare. Id quod absque disputando legitimè fieri nequit. Hortatur igitur ac præcipit Deus, ut nobis disputandi quoque artem, & facultatem ad suprædictos usus comparemus; sed legitimam, quæ procul sit ab omni rixa & maledicendi rabie: multo autem magis incusso metu ac violentia. Hac arte Stephanus; hac Paulus adversarios urgebant. Sed Christianorum quidam, satis bene se instructos putant; si pro rationibus & argumentis; maledictis & calumniis grassentur; cujus moris specimen præclarum nobis in hoc libello exhibuit Comenius. Quasi nobis uspiam Deus, pro damnata & rejecta disputandi arte, artem calumniandi & maledicendi commendaverit. Tantum igitur abest, ut hac tertia Comenii machinâ trophæum victoriæ Anonymi concussum; ut tacita victi confessione; quam dolor acceptæ cladis extorsit, confirmatum sit.

IV. Quarta machina idem trophæum eatenus corroborat; quatenus in ea Comenius ultrò concedit Rationem corruptam, hoc est (ut se statim explicat) per Scripturas nondum sanatam, seu illam quam nos sanam absque revelationis luce vocamus; dictare id quod vult Anonymus; quod unum quoque in hoc primo probationis membro, ipsi probandum incumbebat. Sed quia in Marginali Sanæ rationi; additum est epithetum illuminatæ à Sacra Scriptura, affert Comenius argumentum ad probandum, quòd Ratio per Sacram Scripturam sanata & illuminata, doceat: æterno patri; coæternum esse filium, quia Relata sint simul naturâ. Resp. Quo nihil inanius ad rem propositam afferri potuit. Nec enim ex hac Regula, (quæ tamen rationis est, non Scripturæ) sequitur v. g. Isaacum quamvis filius Abrahami fuerit, esse patri coævum: nec creaturam creatori coæternam; nec Bethsabeam cum Davide; nec Mosem cum Josua; nec alia mille relatorum subjecta, simul cum suorum correlatorum subjectis esse cepisse, quamvis relatio singulorum utrinque simul esse cæperit. Nihil igitur impedit quominùs persona Abraami respectu personæ Isaaci: faber respectu ædificii; Deus O. M. respectu Mundi (quamvis omnia relata sint) non idem aut initium aut spatium durationis habuerint. Quemadmodum enim ex creaturæ relatione ad creatorem, (licet ista relata & simul sint natura) non sequitur creaturæ cum creatore coæternitas: ita ne ex filii quidem relatione ad patrem (quamvis & relata, & natura simul sint) sequitur filii cum patre aut coævitas in humanis, aut coæternitas in divinis, præcipuè à parte ante considerata.

Non progredior alterius; in ostendendo quid ipsa ratio dictet in eo genere Relatorum, in quo versamur; hoc est, substantiæ efficientis & effectæ, generantes & generatæ, creantis & creatæ, quantum ad initium durationis eorum pertinet. Manifestum enim est Initium ævi, substantiæ effectæ, generatæ, creatæ; tunc primum existere, cum efficitur, generatur, creatur. At initium ævi ac durationis substantiæ efficientis; generantis, creantis; necessariò durationem antecessisse effectionem, generationem, creationem, ac proinde & ipsas quoque substantias effectas, generatas, & creatas.

Brevitatis inquam causâ, non progredior ulterius: quia ad evertendam allatam à Comenio machinam, sufficit ostendisse, ex eo quod Relata sint simul naturâ; non posse concludi; subjecta & substantias Relatorum, absolutè consideratas, esse sibi coævas aut coæternas: quod innumeris exemplis & eorum Inductione constat.

Stat igitur firmiter à Comenio frustra oppugnatum trophæum, nec irrita ejus quassatione dejici potuit.

PARS SECUNDA.

In qua Sophismata Comenii circa secundam Reconciliatoris normam, hoc est, Sacram Scripturam examinantur.

I.

Ad pag. 59. §. 53.

I. QUid causæ est quod Comenius, omnia quæ tot paginis partem inter utramque disputata sunt, seponi aut potius deleri petat, eoque loco haberi, quasi nihil hucusque inter partes actum esset? An non principio integrum erat homini, ac longè melius, primum istud probationis membrum respondendo non attingere; nec adversarium lacessere, quàm à lacessito precariam eorum, quæ invicem acta sunt, amnestiam & oblivionem exorare? Nimirum ante certamen aliqua spes bene gerendæ rei affulgebat. Visum igitur experiri vires. Nunc post rem malè gestam certaminis pœnitet, & facta infecta vellemus.

II. Numquam Socinus sensit sanam Rationem Scripturæ tam adversam esse; ut ipsi repugnaret. Sensit homines, Ratione abutentes, & Sacræ Scripturæ lumen, quo mens nostra illustratur, spernentes, misere decipi. Philosophica enim dogmata quædam, quamvis aliquam rationis speciem aut larvam præ se ferant; Christi quidem doctrinæ inimica esse: sed non minùs veræ ac sobriæ rationi. Non igitur rationem, sed erronea philosophiæ dogmata Christi doctrinæ opposuit; atque ubi rationem Theologiæ opponere videtur; corruptam & specie tenus apparentem Rationem intelligit; quæ non minus ipsi sanæ rationi, quàm Theologiæ repugnat. Fruſtrà igitur à Ratione ad Scripturam, tanquam ad adversa & hostilia castra, transfugia suadentur. Nec Scriptura Rationi, nec Ratio Scripturæ bellum aut hostilitatem indixit; sed lumen Sacræ Scripturæ rationem perficit; ejusque normam luce sua perfusam reddit infallibilem. Et quisquis in Castra Sacræ Scripturæ transit; castra Rationis non deserit, non effugit. Nam & illic rationem inveniet; nec inter sordes reorum, sed in subsellio Judicis quæ isthic quoque de rebus divinis loquitur, judicat, docet; sed secundum normam longè perfectiorem, quàm fuit illa, quam ante illuminationem habuit: prout terreni judices secundum legum præscriptum. Nec enim propriè loquendo Scriptum judicat; sed judicanti prælucet. Rationi propriæ judicium competit, non minus quam simplex apprehensio aut inventio. Sacra Scriptura verò est lex posita, propriè dicto judici; & lumen prælucens.

III. An Franciscus Davidis & Christianus Franken in disputando Socino graves fuerint, ex Disputationibus eorum, quæ in manibus hominum versantur; quàm ex inimicorum judiciis, melius intelligitur.

II.

Ad pag. 61. §. 55.

Quia paucis verbis anonymus sententiam suam expressit; impossibile esse, ut adversa opinio sit vera; aut in Sacris Scripturis doceatur; non erat causa cur càm graviter & morosè tumultuaretur Comenius: multo minùs cur malediceret aut calumniaretur. Facit idem sæpius ipse; & quicunque alius disputando contrariam sententiam oppugnat; ut existimet & clarè profiteatur illam è Sacræ Scripturæ probari non posse. Nec ideò æquum est, ut censeatur non admittere probationes ex Sacra Scriptura, quando eas proferri non prohibet, imò postulat. Convicia & calumnias, quia tàm frequenter totis plaustris effundantur, jam refellere piget.

III.

Ad pag. eandem. §. 56.

Status controversiæ dolosè mutatur. Nec enim quæritur an Christus sit verus, (quod est extrà controversiam) Deus: Sed an summus Deus.

IV.

Ad pag. 63. §. 57.

Probat Comenius posse duo Contraria simul esse in eodem subjecto; tàm pueriliter, ut non animadvertat; aut se non animadvertere simulet, ea quæ producit in exemplum, non esse contraria. Quia aut diverso sensu accipiuntur: alterum propriè; alterum improprie, ut primum. Aut secundum diversas partes; ut secundum: Aut alterum est verum; alterum apparens; ut tertium. In quo fallacia Ignorationis Elenchi, decipitur aut decipit. Verum hoc pejus, quod rem impossibilem conanti, non absurda modo; sed blasphema quoque (incogitanti? an de industriâ?) excidant. Quale est illud, *Deum esse mortuum, dici* posse. Quasi Deus noster, sit Magnus Pan apud Plutarchum. Qualem forte eum somniat; cum asserit eum esse *omnia, & nihil*. Mox addit *Quidni Christum Deum peccasse dici possit?* Quasi peccatum fieri & peccare idem sit. Hæc quidem *ludificando dici sibi fuisse volupe* fatetur. Scilicet ex ejusmodi blasphemiis voluptatem captare decet. Sed illud omnium pessimum, quod cum nodum seriò solvere aggreditur, sic loquitur: *Absurdus est, si quis Christi divinitatem membris humanis inhabitantem, peccatis maculatam mortuamque assereret: Qui autem assumptæ humanitati illa tribuit (quemadmodum Scriptura tribuit) quid absurdi?* Nihilne absurdi; assumptæ humanitati; hoc est, homini Christo, quod peccatis maculatus fuerit, tribuere? Quid magis hic stupeam? contortam in Christum? an in Sacram Scripturam, calumniam? quæ humanæ Christi naturæ communem nobiscum fragilitatem describens, toties expressam macularum peccati exceptionem inculcat. Id quidem adhuc deterius est, quàm quod suprà eodem paragrapho Paulum Apostolum sanctum quidem mente; at carne peccati mancipium fuisse asseruerat. Non sine Numine igitur factum, quod hunc paragraphum his verbis pene concludit. *Quid nos de his tàm inverecundè in conspectu Dei altercamur?*

Et quis

Et quis invitum Comenium ad altercandum tàm inverecundè compulit, nisi illa cujus confessionem ipsi suprà veritas extorsit, in divinis & quidem in conspectu Dei, ludendi, vel ut ipse ait, *ludificandi* voluptas?

V.

Ad pag. 67. §. 59.

Syllogismus Anonymi, non in fidem Christianam, sed in errorem, circa dogma unum istius fidei, vibratus est. Syllogismum autem Comenii, loco nostri vicissim redditum, libenter accipimus; quia cum nostra, neque argumentatione neque sententia pugnat. Nam Conclusioni ejus, quod Christus, homo tantùm, nulla ratione esse potest libenter assentimur. Idque duplici nomine.

Primum quod Christus, divina stirpe satus; & neminem alium præter Deum, patrem habens; nudus homo & aliorum similis, ne tunc quidem cum mortalis esset, dici potuerit. Quamvis enim in eo humanæ naturæ infirmitas eadem quæ in aliis fuerit; sed omnis peccati expers vitæ sanctimonia, & effusi quoque in eum Spiritus Sanctus abundantia, supra omnes alios mortales enituit. Deinde multò magis, quod cum mortalis esse desiit; Deus immortalis, natura & omnipotentiâ divina præditus; & verus super omnia (dono tamen Patris) Deus in secula benedictus evasit. *Philip.* 11. 9.

VI.

Ad pag. 68. §. 60.

Primus lapis in Anonymum conjectus, non modo frontem ejus & caput, sed & totam aream, in qua stat, longi intervalli distantiâ prætervolat. Nec enim magis Comenius, quàm Anonymus, per istum natum è Virgine filium, Deum nobiscum esse; & paternam suam gratiam in nos effundere cæpisse, credit aut asserit.

Secundus, quia statim, ut è manu aut funda dimissus est, collisuit, ictum non pertulit. Neque enim in textu est, perfectum γέγονε, quod significat Factum est: Sed ἦν ἔπιπτε, quod significat Fuit. Quod si Johannes hoc loco, perfecti significationem locum habere voluisset; ipsum perfectum posuisset, non indefinitum, ut fecit hoc eodem *capite vers.* 3. *vers.* 15. *vers.* 27. *vers.* 30. & alibi. Deinde etiamsi de Christo dictum fuisset; quod Caro factus fuerit, non tamen inde vulgaris de incarnatione opinio concludi posset: quia vox Caro factus, idem valeret, quod Caro natus est. Quemadmodum alibi de Christo dicitur; quod factus sit ex muliere, hoc est, natus ex fœmina. Nec enim illic aliter, vox Factus intelligitur; cum non ita factus sit ex muliere; ut quondam mulier ex costa viri.

Tertius, quartus, quintus, non sunt lapides Anonymo metuendi: sed articuli fidei ejus quos libenter credit & profitetur.

Primùm, Christum licet sit ex Judæis patribus secundum carnem; tamen (ut idem Paulus initio ejusdem epistolæ explicat) secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum est Deus super omnia. Secundo, quòd sive Deus ille summus hic intelligatur, is per Christum, qui in carne venit, nobis conspicuus fuerit: Sive intelligatur Christus, qui conspicuus in mortali carne fuit; fuerit Deus, quia fuerit Summi Dei filius unigenitus, divinæ omnipotentiæ accipiendæ destinatus. Tertiò quod Christus sit *Verus Deus & vita æterna*, Anonymus firmissimè credit: sicut & omnes ii, quos hoc Scripto Comenius insectatur, credunt: licet illa verba hoc loco ad patrem pertinere non dubitent.

VII.

Ad pag. 70. §. 3.

Christus, filius Dei, Rex Regum & Summus in perpetuum Pontifex, se ultimum Judicii diem ignorare profitetur. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, id tanquam ridiculum negat. Utri credamus? Comenius in Cyrilli sententiam descendit. Nos Christo potius credimus & adhæremus.

VIII.

Ad pag. 71. §. 71.

I. *Johan.* 1. *Omnia per Christum facta*, de nova Creatura dici ipsa loci subjecta materia testatur. Nec enim veteris Creationis historiam, sed novæ Evangelista, enarrandam suscepit. 2. Verba quoque Evangelii, cum his, quibus in primæ epistolæ suæ limine utitur; utrobique propemodum eadem, de re quoque eadem sermonem esse arguunt. At in epistola de iis, quæ in novæ creationis exordio Apostoli fieri, viderunt, audierunt & manibus palparunt Johannes loquitur. De iisdem ergo in Evangelio quoque eum loqui necesse est.

II. Quod attinet ad locum de Mundo per Christum facto; non damno vulgatam responsionem, quæ ex Hebrææ linguæ idiotismo ostendit verba simplicia apud Sacros Auctores aliquando poni pro Compositis; & factum aliquid dici, pro renovatum, refectum ac restitutum. Planior mihi tamen & potior explicatio videtur, ut in hoc loco voces, quæ vulgo vertuntur *per Christum*, potius *propter Christum* legantur & intelligantur. Quamvis enim inter voces *per* & *propter* in vertendo magna sit differentia; tamen inter voces δι' ἀνω, & δι' ἀνω, eorumque apices in scribendo adeo exiguum est discrimen, ut sive incuriâ, sive factione librariorum, & qui eorum scripta censebant, in inferiori parte ultimæ literæ vocis ἀνω, pro acuto angulo obtusus impune subrepere potuerit. Et quia partis, quæ in Christianismo prævaluit, atque alteram sibi oppositam violenter oppressit, intererat, apicem aut literam istam per obtusum angulum depingi: ita postea conspiratione eorum, qui rerum potiti sunt, depictus, & locus ex animi eorum sententia explicatus sit, quando propter istiusmodi minutias in manifesto crimine falsi, deprehendi non metuebant. Res autem ipsa indicat, Creationem veterem propter Novam, & Mundum propter Christum factum fuisse, potius: quàm Christum creatum propter Mundum, ut is demum per ipsum crearetur. quod maxima pars saniorum Gnosticorum, qui posteà Ariani dicti sunt, sentiebat.

III. Locum *Coloss.* 1. 16. 17. de nova creatura loqui, apertissime liquet. Nec enim isthic de alia creatura Paulus loquitur, quam de ea, cujus primogenitum esse Christum asserit. Qualis autem Creaturæ primogenitum Christum esse asserat, semetipsum ibidem explicat; dum repetit, eum esse primogenitum ex mortuis. quæ verba nonnisi de novæ creaturæ primogenitum intelligi possunt. Idem series & contextus totius loci docet. Proinde per illa invisibilia, thronos, principatus, potestates; non Angelos aut veterem Creaturam; sed præparatos jam pro nova Creatura consummanda dignitates & eminentias Regni cælestis intelligimus, quæ ita

jam sint repositа pro fidelibus ; quomodo repositа fuit pro Paulo Corona justitiæ.

IV. Locus *Heb.* 1. 10. continet Apostrophen ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, cujus mentio facta erat in proximè adducta testimonio, quod unxisset filium suum Deum ibi quoque vocatum oleo lætitiæ super consortes ejus. (Ubi notandum obiter Deum, qui hic unctus dicitur, habuisse consortes suos, super quos unctus fuit. quales consortes Supremus Deus pater, nullos habuisse potuit.) Non facile enim invenias ullum Dei factum gloriosius, quodque magis illum ostendat, esse absolutissimum rerum omnium Dominum ; & cujus facinoris nomine (utpote nobis utilissimi, & maximorum solatiorum plenissimi) magis à nobis celebrari debeat nomen & gloria ejus, quàm Exaltatio Christi. Quid igitur mirum, quod divinus Autor, ad mentionem ejus lætitia gestiens, in tàm piam ad Patrem Domini nostri, Apostrophen eruperit ?

IX.

Ad pag. 72. §. 63.

Magnæ molis opus aggreditur Comenius, Subvertere communissima rationis principia, & probare duo Contraria & Contradictoria esse posse simul Vera.

Primum Omnium Omitto, quod Contradictoria (uti secundum propositum ab Anonymo problema debuit) conciliare aggressus ; Contraria tantum conciliet ; aut potius, (in titulo scilicet hujus paragraphi) conciliare videri velit. Majorem verò inter contradicentia, quàm inter contraria pugnam esse, vel ex eo didicisse potuit ; quod illa quidem nec vera, nec falsa simul esse possint : hæc vera quidem simul esse nequeant ; falsa possint. Mitto quod ne contrariorum quidem, quæ se invicem tollunt ; sed aut relatorum, quæ se invicem ponunt ; quale est centri & circumferentiæ, aut disparatorum quantitatum, quale est circuli & lineæ rectæ exempla attulerit. Hæc forte magis ad neglectum disputantis officium, quàm ad frangendum causæ jugulum pertinent. Accedamus igitur ad id, quod propius videtur.

Fatetur igitur contraria & contradictoria eadem de re nunquam dici posse ; secundum Logicam Aristotelis, (cujus nomine complectitur haud dubiè & reliquos hujus artis Magistros) posse autem secundum diviniorem Logicam, quam nobis nescio quis è novis Mundi Doctoribus enuncleationem Omnis Sapientiæ professis, (Pansophiæ) invenit aut potius excogitavit : *quæ entis infiniti affectiones contemplans, & secundum eas pronuncians, etiam distantissima & diametraliter oppositа, in (suo) isto infinito jungi & coincidere videt.* Arctum enimvero nimis & angustum hujus infiniti spatium esse necesse est ; quod res pugnantes & distantissimas, ita comprimit & coarctat ut secum vel invitæ jungi cogantur. Sed quam mirabile & artificiosum istud contemplationum Comenii objectum est ; quod extendendo se in infinitum, res sibi affixas aut in se contentas, licet natura sua distantissimas, sibi invicem propius admovet, imò penitius secum conjungit ! Fallor ? an qui somnia sua ratione redargui nolunt, ultima necessitate adiguntur, ut conentur novas ejusmodi artes Logicas comminisci, in quibus contraria, contradicentia, extremè opposita, intima, extima, recta, curva, bona, prava, ipsa quoque vera & falsa, per nescio quam fermentationem, dimensiones suas invicem penetrent, & fiant unum. Quæ ne solo mentis figmento ; sed reipsa ac solidè omnia jungantur, iterum in mortario ferreis pistillis prius bene contusa, MISCE ET FIET PULVIS ; hunc pulverem in ignem conjice, & fiet cinis pro Lixivio, quod nobile ac præsentissimum remedium est, abluendo & sanando eorum capiti ; quibus cerebrum helleboro ; & tribus Anticyris insanabile, fortitò obtigit.

Sed ne nos ludere tantum Comenius quiritetur ; si ipsi suprà licuit loco responsionis regerere Anonymo : Quis te sic argumentari docuit ? Liceat & nobis ab ipso serió quærere : Unde hanc Logicam diviniorem didicerit, quæ communissimas notitias & rationis principia subvertit, & omnia in confusum chaos redigit. Respondebit fortasse ex argumenti sui textu. *Novum hujus Logices Theorema duorum exemplorum demonstrationibus evinci.* Resp. Non igitur diviniorem hanc artem hausit ex Sacris Scripturis, aut Spiritus Sancti revelatione ; sed ex oculari schemate *Quasi Mathematico.* Nam ea nunc seculi civilitas est ; ut quomodo puellæ pleræque volunt videri virgines, cum sint duntaxat, Quasi virgines : plurimi velint haberi boni aut etiam docti viri cum nihil aliud sint, nisi quasi boni, quasi docti : ità plerique è literatis velint audire Mathematici ; cum sint tantùm Quasi Mathematici. Cedò igitur istius novæ & admirandæ Matheseos exemplum ! *Circumferentiam primùm & centrum ; deinde Circulum & lineam rectam sibi extremè oppositа ait* Comenius. Non examino propositiones istas, quia me examen istud omissurum promisi.

Pergit igitur ille & ait. *Duo istа quæ in rebus nostris sensibus subjectis ; nunquam in æternum coire possunt ; in infinito non tantum coëunt ; sed unum idemque fiunt.* Papæ ! quantam in animis nostris excitat cupidinem videndi & explorandi, quonam modo fieri possit, ut in isto infinito centrum & circumferentia idem fiant.



Ostendit igitur in schemate, quanto minor *est circulus, tantò minorem esse centri & circumferentiæ distantiam.* Ita & nobis videtur. Sed quid inde eliciet ? Jubet fieri minimum circulum *qui cogitari possit ; donec centrum & circumferentia idem sint ; sicut in quolibet indivisibili puncto reipsa idem sunt.* Et subnectit illam Mathematicarum demonstrationum solennem clausulam. *Id quod demonstrandum fuit.*

Resp. Atqui, (ut à fine incipiam) falsò istam clausulam adjicit. Non enim hoc erat demonstrandum ; Sed potius illud In infinito, centrum & circumferentiam idem esse aut fieri. Hic autem non in infinito ; sed in re omnium finitarum minima, hoc est, in puncto, cujus pars nulla est, id demonstratur, si modò demonstratur. An Logica ista divinior Comenii, circa punctum contemplandum versatur ? An punctum est ens infinitum ? Punctum verò omni re finita, quæ modo quanta sit, minùs est. Nulla igitur hujus demonstrationis connexio est cum Logica diviniore, quam circa Ens infinitum (quod finito longe majus est, quia innumera finita capere potest) versari Comenius somniat. Sed omissis ambagibus revertamur ad orbitam : & videamus tam divina

divina è diviniori Logica deprompta demonstratio quomodo procedat. *Jubet nos in diminuendis perpetuò circulis tamdiu progredi, donec ad minimum perveniamus, in quo centrum & circumferentia idem sint.* Atqui nos merito imperata detrectabimus, cum id impossibile factu statuamus; & hoc ipsum in controversia versetur. Faciat igitur ipse quod nos facere jubet; ac demonstret centrum & circumferentiam posse esse idem. Si dicet se id jam fecisse, hoc est, progrediendo in infinitum, tandem pervenisse ad minimum circulum qui sit punctum, cujus partes nullæ sunt; homini etiam jurato & per omnia divinioris suæ Logicæ Sacra pejeranti non credemus. Primum quia est in sua causa testis & fidem toties decoxit, qua indignus est, dum asserit se inveniſſe, quod certò scimus, eum invenire non potuisse. Secundo, quia seipsum mendacii convincit, dicendo se per infinitum vadentem, ad infiniti metam pervenisse. Sed quàm improba atque impudens est, ista principii petitio, velle probare τὸ προκείμενον, ex eo ipso quod pene totidem verbis prolatum in quæstione est?

Quid enim hic demonstratur? centrum & circumferentiam posse fieri eadem. Unde id probatur? Ex eo si fingamus cogitatione centrum & circumferentiam jam esse in puncto eadem. Sed qua fronte mens fingere jubetur in præmissis; quod in conclusione inferendum erat. Nam hoc figmentum quod poscitur aut idem est cum τῷ προκείμενῳ, aut eò longe adhuc ignotius & incredibilius. Quippe ea quæ fidem superant; aut potiùs sibi abrogant, aliquantò facilius credi potest fieri posse; quam actu esse.

Verum ut jam tandem ad ipsam propositi nodi solutionem veniamus, prætensa demonstratio (nec enim apodixeos nomine tàm puerile sophisma dignum est,) fallacissimis hypothesibus innititur.

I. In *puncto indivisibili centrum & circumferentiam idem esse.* Nihil falsius aut absurdius. Quomodo ea alicubi idem esse possunt: quæ ibidem prorsus neque esse: neque fingi nisi mendaci fictione possunt? Quomodo in indivisibili ea vel esse vel fingi possunt, quæ sunt divisibilia? Circumferentia continet aream, quæ per diametrum bifariam semper dividitur. Quis igitur ipsi locus in puncto? An sola cogitatione? Atqui ne hæc quidem fingi potest absque contradictionis implicatione. Cujus absurditas quamvis nunc à Comenio in quæstionem vocetur, tamen communissimum istud Rationis principium nondum eversum est. Iniquè igitur & inverecundè id ipsum in præmissis fingi & concedi poscitur: quod in conclusione concludendum erit.

II. In faciendis circulis qui perpetuò decrescant, tàm parvus circulus qui aream circumferentia contentam excludat, neque fieri, neque cogitari, nisi falso & absurdè potest. Quemadmodum igitur per montem præcipitio abruptum progredienti; ubi ad præcipitium ventum fuerit, subsistendum est, aut regrediendum; ita in diminuendis circulis ubi area à circumferentiæ exiguitate tantùm non eliditur, fieri jam minores circuli nequeunt; in rebus sensui subjectis. Quod ad cogitationem & Intellectum obtinet; huic aliquanto plus, quàm sensui, licet, quia præcipitium ejusmodi non semper moramur, dum tamen primas rationis notitias non subvertat; quod facere Comenius contendit. Sed si tunc in diminuendis circulis cogitatione in infinitum pergere velimus, quia in promovendo centro ad summitatem circumferentiæ per diametrum maximi circuli (vide lineam A.M.) quæ suam quantitatem in infinitum divisibilem habet progredimur; nunquam ad eum circulum, qui jam dividi nequeat, perveniemus. Nam si perveniremus, divisibilitas quanti esset finita, contra communem opinionem ab Aristotele in acroamaticis ejus libris demonstratam: & contra proprium Comenii propositum, qui in infinito concursum centri cum circumferentia demonstrare proposuerat; non in re quæ terminari possit. Quod si ad minimum circulum, aut potius ad punctum, propter infinitam diminutionem aut divisionem Quanti, nunquam perveniemus, nunquam etiam ad absurdum illum centri & circumferentiæ suæ concursum res deveniet.

Breviter, Progressio sive in diminuendo sive in dividendo Quanto, aut est finita aut infinita. Si finita (ut in rebus sensibilibus accidit) necesse est subsistere illic; ubi jam alter circini pes, qui circumferentiam depingit, diduci ab alio, qui centro infixus est, non potest: quamvis illud spatium cogitatione divisibile sit: & ita ad punctum indivisibile, unicum Comenii propositi cubile, non pervenietur. Si infinita sit, multò minus illuc pervenietur, quia Infinitum pertransiri non potest. Ita hæc demonstratio, non modo nihil efficit; sed sua se absurditate refellit ac perimit. Supponit enim per infinitum vadendo, ad ultimam infiniti metam posse perveniri.

Altera pars demonstrationis, quæ in altero exemplo demonstrare debuit, Circulum & lineam rectam in infinito, non tantum coire, sed & unum idemque fieri, quomodo procedat videamus. Inverso modo jubet, *in eodem schemate augere circulos*, donec linea recta, cum circulo coincidat. Æquè iniquus ut ante, imo magis ac ridiculus & fœda petitione principii, imo & Æquivocatione implicatus processus. Sed ne inter sensibiles & abstractas à materia quantitates, discrimen non intellectum, aliquem turbet, & sophismati locum relinquat, sic breviter respondemus. Aut Circulus in lineæ rectæ contactu; ab ea tangitur in puncto aut in quanto. Si prius, ut accidit in quantitatibus Mathematicis à materia abstractis, nulla circulorum auctio efficiet, ut major circulus à linea recta, in majori Quanto contingatur; quàm minor. Omnes enim ab eâ in puncto tangentur. Atque ita tantum abest ut linea recta cum Circulo seu tota Circuli circumferentia, idem evadat; ut ne pars quidem ulla lineæ rectæ (quæ modo quanta sit) circumferentiam contingat, & cum illa conjungatur. Si verò Circulus in contactu lineæ rectæ; ab ea aliquâ sui parte continua & divisibili tangatur; quod in sensibilibus, & à materia non abstractis apparere videtur: fatendum est quidem, quanto major sit Circulus; tanto tunc majori quantitate illum à linea recta attingi. Sed ne tunc quidem unquam eò absurditatis ventum iri liquet: ut linea illa & circulus aut circumferentia idem sint. Etenim quanto major evadit pars illa; qua tangens circulum tangit; & quæ cum parte circumferentiæ coincidit in A. E. tanto magis, & quidem longè notabiliori augmento crescit ipse Circulus; nec major differentiæ fuit principiò inter partem quantum contantus lineæ rectæ cum circumferentia in minori circulo; quàm posteà fit in majori. Licet enim pars contactus augeatur in majori circulo: tamen vicissim quoque, & quidem longe majori quantitate & incremento augetur ipse circulus, hoc est, tanto majori; quanto major fit pars contactus. Ita quamvis forte tota linea recta B. A. C. à circumferentiæ magnitudine absorbeatur: non tamen unquam illa recta linea erit idem cum circumferentia; sed tantum valde exigua pars ejus. Quod in rebus sensibilibus; ita apparere, aut propter sensus nostri imbecillitatem; aut propter vitium in rotunditate, nihil mirandum est. Et ejusmodi necessitas adegit Mathematicos, ut ad evitandas similes difficultates, quantitates accuratiùs mensurandas abstraherent à materia.

Tantum igitur abest ut in contradicentibus, aut contrariis; ut ne in relatis quidem; aut disparatis, ea quæ

ea quæ vel minimam involvunt Contradictionem, simul Vera esse posse Comenius probaverit. Quapropter in hujus prætensæ demonstrationis examine, non effugiet quin aut ignorantiam aut imbecillitatem judicii sui agnoscat. Ignorantiam, si quantitatem à materia abstractam, in infinitum esse divisibilem, ab Aristotele non didicit; aut ejus quod puer didicit, senex oblitus est.

Infirmitatem judicii, quòd cum vis ratiocinationis ejus ipsi offerret, alterutrum horum esse concludendum; ut aut quantitatem à materia abstractam, in divisione vel diminutione sui in infinitum progredi, nec unquam ad punctum indivisibile pervenire posse, statueret: aut implicationem contradictionis admitteret; in tali Optione, posterius potius quàm prius elegerit: ac proinde demonstrationem nobis monstrosam & ridiculam, tanquam arborem cacumine ad terram verso, radicibus autem cælo minantem, præposterè inversam exhibuerit; nullo alio operæ pretio nisi ut ab omnibus doctis pariter & indoctis derideretur & exploderetur. Talia igitur nobis ingenia, novas & Aristotelica diviniores Logicas excogitabunt, & plures unâ Veritates; quarum altera videlicet in humanis, altera in divinis locum habeat, comminiscentur; & insita nobis divinitùs rationis principia à stirpe evellent! Veritas ubique simplex & una est; & qui in humanis rebus nobis notioribus & captui nostro vicinis ab ea deflexerit, ne speret in divinis vestigia sua in orbitam ejus esse reponenda. Quamdiu in hac vita agimus nullis novis principiis, novis ratrocinandi Organis opus habemus, Nec ideo nobis divina illuxit Revelatio ut intellectum nostrum perplexa & salebrosa cognitione veri exerceret: sed ut Voluntatem ad consectationem BONI per Dei & proximi Charitatem tantò potentius compelleret. At nos præpostere per violatam proximi Charitatem, per calcatas Christi leges, per odia, convicia, calumnias, anathemata, injurias, persecutiones, exilia, supplicia & sanguinem; steriles nescio quas & obscuras veritates, invitis mortalium ingeniis obtrudimus, quas rationibus & argumentis defendere nescimus. Suspectum FALSI est VERUM quod per tot ac tanta MALA propagatur; quia nec BONO cum FALSO: nec VERO cum MALO ullum est vinculum, ulla cognatio, ullum commercium.

X.

Ad pag. 75. probl. 11.

I. Christum non tantum esse debuisse: sed reipsa esse potentiorem, sapientiorem, melioremque omni Creaturâ, libenter admittimus.

II. In distinctione nominis Summi Dei duo desideramus. 1. quòd membra propositæ distinctionis, cùm clarè, distinctè; & ita ut à nobis quoque distinctio admitti posset; sibi opponere potuerit; de industria ità obscuraverit Comenius; ut verba quibus usus est, ne à suis quidem admitti possint. Ait enim summum Deum dici: aut respectu Deorum inferiorum; (quo sensu infrà Christum dici summum agnoscit) aut respectu æternitatis Deitatis fontem intelligendo. (quo sensu, solum Patrem dici summum, paulo post affirmat.) Quid? an Christo quoque ex ejus sententia æternitas non competit? an soli fonti Deitatis, hoc est, Patri æternitas affixa est? Miror hominem alibi disertum, hoc loco aliud voluisse loqui, aliud locutum. Nonne posteaquam in primo distinctionis membro respectum ac relationem ad inferiores Deos nominasset, longe simplicius, concinnius & verius in posteriori aliquid oppositum huic relationi posuisset? puta absolutam significationem, respectu relatæ: aut respectui inferiorum Deorum oppositum respectum omnium? Sic à nobis distinctio hæc absque omni exceptione admissa fuisset; & ipse suamet vincta non cæcidisset.

2. Alterum quod desideramus est, quòd Distinctioni quæ absque petitione Principii, egregie proponi potuit; quædam perplexa, falsa, & quæ ipsa in controversiam veniunt admisceat.

Qualia sunt. Primùm quòd inferiores Dii, dici non possint per *naturam Dii*. Quamvis enim homines mortales propter potestatem solum; non autem propter naturam Dii dicantur: Tamen potestates illæ quæ in cælis Dii vocantur; etiam propter naturam ac per naturam ita dici nihil repugnat; cum naturam gloriosam & potestati quisque suæ conformem à Deo habeant. Secundo, quod naturam cum excellentia seu τῇ ἐξοχῇ confundat. quasi per naturam Dii esse nequeant, qui καθ' ἐξοχὴν sic non vocentur. Tertiò, quòd Gratiam & Donum; naturæ opponat. Quasi verò unâ cum potestate, natura quoque divina conferri gratiâ summi Dei nequeat.

III. Tria coæterna principia, quemadmodum ex Platone, Proclo, Plotino Chalcidius explicat; si Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Paulus, Jacobus, Petrus, Judas, eundem in modum explicuissent, nulla inter nos invicem disceptandi ansa vel occasio fuisset. Sed meritò & ex mente Pauli, ipse Comenius nobis à philosophia toties cavendum esse monet, & inculcat.

IV. Qui respectu inferiorum Deorum duntaxat summus Deus dicitur; is absolutè & respectu, omnium summus dici nequit. Quod posterius (id est absolutè & respectu omnium summum esse) quia patri consensu omnium tribuitur: solus is meritò per excellentiam summus dicitur. Christus autem non modo iis qui non sunt naturâ Dii; sed iis quoque qui naturâ Dii sunt, sed ex gratia Dei; & opponi; & præponi idque longissimo intervallo, ὑπερέχων πάντα ἀρχῇ debet. ideò & Magnus Deus; & super omnia benedictus in secula Deus, & verus Deus (salva unius Patris excellentiâ τῇ ἐξοχῇ) meritò à nobis dicitur, adoratur, & in necessitatibus invocatur. Nec enim summam potestatem tantum, & Omnipotentiam sed & naturam longè omnibus diviniorem, gratia patris sui consecutus est. Locum 1. *Joh.* v. 20. quamvis aliter intelligendum non dubitemus, quia tamen de ipsa re inter nos convenit, (cum Christum jure dici verum Deum & vitam æternam fateamur) consultò omittimus.

V. Illatione, quæ petitur ex eo, quod Deus pater, multa de se sub veteri fœdere, ore prophetarum prædicari jussit; quæ eodem postea sub Novo, de filio enunciari per Apostolos voluit; nihil infirmius est. Postquam enim Deus in filium summam illam omnipotentiam & tantæ potestati conformem naturam divinam seu divinitatem contulisset; cui mirum videri possit, elogia quæ olim soli patri tribuebantur; nunc filio communicari: per quem Deus nunc omnia facit & sine ipso ejusque potestatis interventu, nihil facit. Loca allata, quia de re quæ ex iis concluditur inter nos convenit, examinari superfluum puto.

XI.

Ad pag. 77. §. 65.

Quicquid Comenius in hoc paragrapho stomachetur, non modò in oppugnando Anonymi ex Sacræ Scripturæ deprompto Syllogismo sed & in susceptæ ac tentata sententiæ suæ tàm ex ratione quàm ex Sacræ Scripturæ defensione; in suo (quod vanissimè jactabat) elemento ab Anonymo victus est.

PARS

PARS TERTIA.

In qua Sophismata Comenii circa tertiam Reconciliatoris normam, hoc est, Traditionem examinantur.

I.

Ad pag. 81. §. 1.

INter normas sive pacandarum, sive decidendarum in religione litium: utrum locum habere debuerit Traditio, vellem paulò accuratiùs expendisset Anonymus. Certè distinguenda erant: atque etiam limitanda, quæ confusius proposita; facile in errorem inducunt. Nos igitur omissa supplebimus.

In omni lite per conciliationem aut judicium sopienda, consideratur primùm Judex, aut sumptus inter partes arbiter: deinde Lex aut norma, secundum quam is pronunciat aut decernit. Et quia dissidentium partium allegata, præcipue cum non de jure sed de facto quæratur; æquo judici suspecta esse debent; est locus interdum testibus, quos sibi partes in fulciendâ causa quæque suâ, advocant: in quibus id requiritur; ut fide digni & neutri partium addicti sint. Et judex quidem omnis, à norma secundum quam judicat, discernitur: quamvis interdum normæ quoque Judicis nomen tribuatur; ut cum Lex judicare aut decidere aliquid dicitur; verum id improprie & per translationem. Nam propriè loquendo Lex non est judex; sed norma judicis. Ita lex testari dicitur; quæ tamen propriè testis non est. Accidit autem interdum; ut judicium instituatur: nulla positiva aut civili præsidente Lege: in quo casu legis positivæ absentiam supplet Lex naturalis seu dictamen rationis, quod discrimen inter Verum & falsum, bonum & malum, justum & injustum ostendit: quæ lex naturalis à lege quoque civili aut positiva; quæ modo Legis nomine digna sit; nunquam abesse debet; quin unâ cum ipsâ sit legitima judicandi norma. Nec enim legis nomine digna est; quæ juri naturali repugnat, aut illud violat.

Porrò Lex ista naturalis seu dictamina rationis sæpè cum ipso judice; qui absque rationis usu ne cogitari quidem potest, confunduntur; cum tamen sint omninò distinguenda. Cum enim Ratio, judex esse aut judicari dicitur; propriè intelligitur homo ratione præditus; quia Actiones sunt suppositorum. Sed tunc Ratio aut potius homo qui ratione utitur; aliud est: aliud autem dictamina rationis; seu lumen illud à Deo infusum, quod hominem in judicando dirigit, quemadmodum Lex judicem. Fit autem judicium aut in Sacris aut in profanis. Ut vero in profanis, à norma legum positivarum; nunquam abesse debet norma legis naturalis; aut ipsius Rationis: quæ & interpres & ministra solet esse Legis positivæ: ita & in sacris à norma legum Sacrarum; nunquam abesse debet aut potest eadem Norma dictaminum rationis, quæ legum sacrarum mentem & imperium explicet, aperiat propriè dicto judici; atque exequatur. Nam Legum quoque Sacrarum norma ineptè aut irrationabiliter adhiberi non debet.

Hæc ad negotium præsens si applicentur. Sana ista hominum & sobriâ ratio rectè ab Anonymo posita est, pro norma illa Legis naturalis, quæ homines dirigit, in discernendo verò à falso; bono à malo; justo ab injusto; in omnibus occasionibus judicandi.

Et quia ut in profanis, profanæ positivæ leges additæ sunt, quæ facem præluceant judici; ita in Sacris, sacras quoque leges exhibet nobis Sacra Scriptura; quæ normæ nostræ naturalis infirmitati succurrunt: rectè & altera norma Sacræ Scripturæ ab eodem ponitur: tantò præstantior normâ illa naturali, quantò infallibilior.

De Traditionibus, antequam, utrum inter Normas reliquas locum habeant, pronunciemus, vox Traditionis distinguenda est. Interdum enim Dogmata ipsa aut instituta à majoribus posteris antiquitùs tradita; significat: interdum de dogmatibus istis, aut institutis; imò aliis quoque rebus, ex antiquitate, deprompta: & seu historica fide, sive relictorum monumentorum indicio, subnexa testimonia.

Dogmata & instituta, quæ ipsa in controversiam veniunt, nullo modo ad normam decidendæ litis admittenda sunt. Neminem enim in suamet causa judicem sedere fas est. Norma verò litis seu Lex, quamvis propriè judex non sit; non sine argumento tamen judex dici solet; quia est aliquid majus judice; & quod cum judice in cognitione causæ non modo conjungitur, sed præsidet & ipsum judicem dirigit & manuducit. Et si judex ab ea discedat injustus est: At Lex etiamsi diversum à mente aut voluntate judicis jubeat & fieri velit; justa manet atque ita ipso judice superior, & sanctior, & infallibilior; qui non Dominus aut arbiter, sed minister Legis est. Quod si nemo litigantium in causa suâ judex sedere potest; multò minùs ipsum judicem dirigere & manuducere debet. Loquimur autem de norma primario sic dicta, qualis est Lex seu naturalis sive positiva, profana aut sacra. Nam & allegata à partibus & testimonia, norma dici possunt; quia secundum ea judex quoque judicat; sed hæc catachrestice tantum & secundariò normæ vocari possunt.

Porro testimonia de ejusmodi dogmatibus sive aliis rebus; quæ itidem traditiones; seu traditæ antiquitùs de rebus antiquis notitiæ dicuntur; ne ipsa quidem ad normam judicandi proprie & primariò sic dictam, admittenda sunt; nec pro tribunali una cum judice sedere digna sunt; sed collocanda sunt in subsellio testium; quibus ea lege creditur; si fide digni & non suspecti sint.

Vitiosè igitur & incautè ab Anonymo factum est, quod inter normas judicandi traditiones collocaverit; quod nec sine Veritatis injuria & periculo fieri poterat, & adversus mentem omnium, qui longævâ vitia & diuturnos abusus

Ecclesiæ emendari cupiunt, factum est. Quicquid igitur ille, in hoc negotio suo periculo ausus est: nemo nostrum lapsu aut culpa ejus, ad pravè sentiendum obligatur: qui ejusmodi antiquitatis testimonia non pro normis aut legibus judicandi; sed pro testibus ad cognitionem judicii, de quo loquimur; utcunque, (nec tamen sine certis legibus) admittimus. Utcunque, inquam, quia testes istos pro suspectis & rejectaneis habemus. Idque post oppressam, fraude primùm, post violentia quoque Antichristorum, Ecclesiam.

Quod mysterium iniquitatis Apostolicis temporibus, Paulo & Joanne testibus, concipi cæptum, per duo prima post Christum natum secula, parturiit Ecclesia, donec tertio seculo, post admissos in Ecclesiam plurimos errores; & invecta vitia & abusus, nasceretur & quasi in lucem prodiret; in Occidente sub Victore serius in Oriente circa 270. nostræ Salutis annum. Quarto vero seculo postquam Christiani rerum potiti ac terrenæ potestatis gladio armati sunt: multoque magis quinto & sequentibus, factio Antichristorum in robustissimas vires adolevit; donec posterioribus seculis, præcipuè in Occidente Ecclesiastica potestas, supra ipsum Civilis potestatis apicem & Majestatem scandere, & sibi absolutum Ecclesiæ imperium vindicare ausa est. Non est autem quod quis in una duntaxat particulari, licet amplissimè patente, Ecclesia; grassatam aut grassantem Antichristum somniet. Universalem Ecclesiam, non solum Occidentem pestis hæc invasit; nisi quod alibi pingues & succi pleni; aut etiam congestis opibus saginati; alibi pannosi & macilenti tyranni grassentur. Ubicunque violentia & oppressio conscientiarum regnat, tametsi verbis & scriptis, concionibus & maledictis ibidem oppugnetur Antichristus, genuinum Antichristi dominium est. Non ejusdem omnes coloris aut vultus ministri sunt, quibus in oppugnando Christo utitur Satanas. Non ex figura & foliis arbores istæ infelices, sed ex fructibus noscitandæ sunt. Ubi in fructu superbæ dominationis amarities, ubi acerbitas tolerantiæ & caritatis hostis, & succus lethifer doctrinæ aut regiminis peccatoribus faventis deprehenditur; sint quamlibet foris arbores speciosæ, intus latentes Christi hostes & perduelles occultant. Nisi aliunde affatim indicia suppeterent, aliquantò post duo prima secula, indigniffimè circumventæ Ecclesiæ; vel ex hodiernis, quæ se ad priscarum morem & gubernationem componunt Ecclesiis; indolem, antiquarum expiscari liceret: in quibus jam tunc illis, quæ nominavimus seculis, perdomita Ecclesia; non unum sessorem Antichristum admiserat; perinde atque nostrates hodie, etiam quæ Romam deseruere admittunt. Quamvis autem tertio demum seculo Antichristorum dominationem invaluisse arbitremur, tamen quia semel occupatam tyrannidem nunquam è manibus dimiserunt; imò indies magis magisque ad nostra usque secula propagarunt & auxerunt; ideò ipsam quoque notitiam rerum; quæ statim post Apostolos in Ecclesia primis duobus seculis gestæ sunt, veram & genuinam nobis eripuerunt. Hinc illa tempora ignorantiæ tenebris sepulta, aut fabulosis narrationibus inquinata sunt, adeò ut ne testes quidem idonei ac fide digni inde peti possint. Ac primum sedulam in eo Satanæ operam navavit, Gnosticum hominum genus, Majores Arianorum; & qui recepto vulgo loquendi abusu Ariani meritò dici possunt; antiquiores istis, qui eos postea justissimo judicio Dei iisdem plane artibus, quibus illi usi erant, oppresserunt. Hi non multò post Justini atque Irenæi tempora, quibus nondum caritas & tolerantia dissentientium ex Ecclesia pulsa fuit, coitione facta, pessimis artibus falsa Ecclesiæ obtrudebant, vera supprimebant, aut opprimebant dogmata. Malas artes voco Fraudem & Violentiam. Fraus in eo fuit primum, quod Scriptorum è quibus vera rerum notitia peti potuit monumenta, è manibus hominum suffurari omni studio contenderent, quo artificio Hegesippus non ignobilis rerum Ecclesiæ Scriptor suppressus est. Deinde quòd ea quæ supprimere desperabant factiosè & impudenter corrumperent, subtractis aut adjectis aut mutatis, quæ mutari causæ suæ expediebat. Specimen hujus criminis eximium in corrumpendis quibusdam, (quæ veræ putantur) Ignatii epistolis detectum est à Jacobo Usserio Archiepiscopo Armacano. Quo in flagitio adeò sedulì fuere ac pervicaces, ut vix ac ne vix quidem improbas manus à Sacris codicibus continerent. Tertiò quòd adulterinos libros falsis Auctoribus inscriberent; eligentes ex antiquitate celebriores patrum, quibus supposititios suos fœtus subjicerent. Cujus rei innumera exempla, apud Gelasium, Baronium & alibi videantur. Hujus furfuris est Hermas, qui ab Anonymo primus testium producitur. Quartò, quòd falsa miracula, pro iis quibus favebant; falsa item crimina adversus insontes, quos oderant, confingerent. Insigne ejus rei exemplum exhibet Eusebius. *Hist. Eccles. l. v. cap. ultimo.* Nec deerant plura similia fraudum genera, quibus non suo tantum ævo, sed posteritati quoque imposuere.

Violentiæ primum specimen editum est ab iis, qui suffragantium sibi numero & potentia inflati; & spreta paucitate dissentientium; ausi sunt tertio seculo eos ab Ecclesia proscribere; quos totis duobus primis seculis nemo pro hæreticis habere, nemo adverso scripto lacessere & oppugnare ausus est. quales fuere Victor & Zephyrinus Episcopi Romani. Alterum aliquanto pejoris exempli in iis, qui damnatione & anathemate non contenti, quos viribus propriis honorato in Ecclesia loco dejicere non poterant: commodato sumpta à Gentili Magistratu potentia oppresserunt. quales fuere conciliabuli Antiocheni Patroni. Tertius longe efficacior violentiæ gradus quarto seculo extitit, ac postea semper obtinuit in iis, qui Romani imperii viribus in dissentientes ac factiosè in Conciliis damnatos sæviebant. Quo factum est; ut ad fraudes & factiones veteres, adjecta nova Civilis potestatis dominatione; non modo Dissentientes oppressi; sed & scripta quoque eorum; & quæcunque ipsis ex antiquitate suffragari poterant, testimonia abolita; aut impune corrupta & adulterata sint; ita ut vix quicquam sani & integri relictum sit, in antiquis, præsertim quæ publicè prostant monumentis aut traditionibus, præter ea quæ cum doctrina & institutis, partium quæ regnum in Ecclesia occupavere, congruunt.

Reddidimus igitur causas, ob quas Traditionum testimonia non modo inter normas & leges decidendarum litium; sed ne inter testes quidem fide dignos recipi queant; quia testes isti, turpiter corrupti, alteri partium nimium addicti sunt.

Unus tamen casus est in quo testimonium eorum pro valido & fide digno recipi potest; quando vi veritatis, potentissimè semper emergentis, adversus eos testari adiguntur, quibus nimium addicti sunt. Proinde non aliâ lege & conditione tam suspectorum testium testimonia recipimus; quàm si liquidò pateat neque fraude circumventos, neque violentia mortalium coactos testimonium suum perhibere, quod accidit tunc cum aliquid contra eos, qui cum viverent in Ecclesia rerum potiebantur, audent testari. Nec enim ullum tunc periculum est; ne aut gratiæ aliquid dedisse, aut metu extorto silentio aliquid suppressisse videantur.

Atque

Atque hac sine dubio mente Anonymus testes istos accersivit, non quòd absolutè in omnibus fide digni sint; sed quod in iis saltem, quæ contra suos, hoc est, illos, qui ad eos (ubi urgentur) confugere solent, testantur, fide digni videantur.

Cæterum ad productos testes istos trepidat: nec nisi certis legibus & conditionibus eorum testimonium Comenius admittit: cum tamen illud suprà etiam pro norma judicandi sine exceptione admiserit; & apud eos quorum partes sequitur, quoties in duabus prioribus normis causa laborare incipit; ad hos testes frequenter confugiatur. Legibus ab adversa parte latis nemo tenetur, nisi utrinque receptæ sint. Sed earum quas hoc loco fert Comenius, non paucæ iniquæ sunt: ac recipi indignæ.

Ut in prima statim testimoniis propheticis & Apostolicis subdole admiscet Comenius illustres Ecclesiæ Doctores. Ut enim homines possunt esse sceleribus nobiles; ita Doctores erroribus illustres, & magnæ magis famæ, quàm bonæ. Quid si isti ipsi quomodocunque illustres, Doctores ex antiquitate redarguantur?

Secunda conditio satis iniqua est. Quasi ex solis, duntaxat historiis traditiones aut dogmata antiqua eruantur & non sæpius ex aliis antiquorum scriptis, non res gestas narrantibus sed dogmata eorum continentibus.

Sexta Conditio, quæ suffragia vel testimonia numerat non expendit, iniqua & fallax est.

II.

Ad pag. 83. Reg. 9.

Nona conditio desperationem Comenii de causa, in judicio secundum tertiam hanc prætensam normam instituto, obtinenda, plane arguit, & multis de causis fallax & iniqua est. Præcipuè quia primis & antiquissimis in religione Christiana testimoniis, quæ ab ipso ævo Apostolico; aut temporibus ipsi proximis petuntur, fidem abrogat. Et Tertulliani, Hieronymi, Augustini, secula plus divinæ lucis, in illis fulgedis Ecclesiæ luminibus lucentis habuisse contendit: quàm primum illud Ecclesiæ diluculum & primævos ejus Doctores, cum Judaismo & Gentilismo adhuc luctantes, & ante excultam Theologiam balbutientes. Vis veritatis extorsit à Comenio hanc Confessionem, in qua victum se primævis illis antiquitatis testimoniis ægrè quidem, sed non obscure fatetur. Testes contrà se habet, qui ab iis, ad alios provocat: & primi religionis ævi suffragio urgetur: qui opem posterioris, quasi cultioris jam & adultioris implorat. Atqui, Tertullianus post ducentesimum; Hieronymus & Augustinus quadringentesimum Salutis annum floruerunt. Hæc excultæ videlicet Theologiæ tempora, post vexatam demum fædissima tempestate & collisis inter se Conciliorum procellis, concussam Ecclesiam assignat. Quid aliud est in hoc certamine herbam Anonymo porrigere, si hoc non est? qui non ultrà Tertulliani tempora progreditur: nec quam male aut bene in cæteris senserint, decem hi quos producit testes, ipsius interest, dum eos omnes id sensisse evincat, Unum Patrem Domini nostri Jesu Christi, esse Summum Deum. Antiquiorem igitur puriorum duorum seculorum traditionem Anonymus urget; cum Comenius ab ea ad posteriorum seculorum traditionem confugiat: illam vero antiquiorem multorum vitiorum & defectuum insimulet; & quia contra se suosque testimonium perhibet, omni ratione suspectam reddere conetur.

Primum quod minorem & quasi initialem mysteriorum Dei cognitionem habuerint, illa Tertulliani ævum antegressa tempora respectu temporum subsecutorum, præcipue quo Hieronymus, & Augustinus, & alii fulgentes Ecclesiæ pholphori luxerunt, qui plenius (si Diis placet) revelatam quam qui ante eos duobus primis seculis præcesserant, Veritatem habuere.

Deinde quod incultam aut nondum excultam Theologiam habuerint; quæ posterioribus demum seculis exculta est.

Denique quod primævi illi, cum Judaismo simul & Gentilismo luctantes adhuc sensaque sua diversimode exprimentes Doctores balbutiant; hoc est, male aut vitiosè, aut imperfectè de rebus divinis loquantur propter contagium Judaismi aut Gentilismi, quibuscum luctantes, utriusque pestilenti aurâ afflati sunt.

Hæc sententia quia purum putum carnalem mundanum spiritum Antichristi redolet; & ab imo totum Christianæ religionis fundamentum occultè molitur & evertit; nec in primævam tantum antiquitatem, sed ipsos Evangelii prædicatores Apostolos, imò & in recens elapsi proximi seculi Reformatores Ecclesiæ, iniqua & injuria est; accuratius nobis est refellenda.

1. Falsam eam esse primum ostendit, Christi ipsius Omnipotentis Domini, Sponsique Ecclesiæ majestas, & proximè ipsi succedentium Apostolorum dignitas, existimatio atque auctoritas, tot miraculis, tot martyriis orbi testata; quæ non permittit ut quisquam existimare possit, in illa purissima divinæ cognitionis veritate, quæ per eorum prædicationem toto illo primo seculo Ecclesiæ illuxit; desiderata esse aliqua religionis mysteria, aut fidei articulos, qui pluribus demum post eorum prædicationem seculis Ecclesiæ revelarentur. Non tam manca aut imperfecta aut ut loquitur Comenius initialis fuit illa Apostolorum prædicatio & doctrina; non tàm obscurum notitiæ rerum divinarum diluculum, ut plenam lucem nonnisi post tria quatuorve secula ab Hieronymi & Augustini temporibus mutuari debuerit. Quod si purissima & castissima omnium fuit, doctrinæ Christianæ veritas, quæ ab ore Christi & Apostolorum processit, quorum ultimus Joannes primo seculo exacto aliquantum supervixit, & secundum attigit; quantò propiora fuere aureo Apostolorum ævo tempora: tantò castiorem quoque & puriorem eorum doctrinam fuisse existimari par est. Duo vero sunt prima secula, & aliqua pars tertii, quorum traditiones Anonymus rimatur & allegat.

2. Alterum falsitatis sententiæ à Comenio obtrusæ argumentum præbet Sacrorum Novi fœderis voluminum auctoritas; quæ omnia primo seculo prodiere; & publico omnium consensu recepta sunt, ut essent lucerna pedibus nostris. Quin ipsi illi, post excultam opinione Comenii Theologiam, Ecclesiæ Doctores, ex hoc fonte veritatis, omnia sua dogmata hausisse videri volebant, & plus auctoritatis, plus mysteriorum & scientiæ Scripturas, instinctu Spiritus Sancti conceptas, quam semetipsos habere, non ausi sunt negare.

3. Utraque allatarum rationum ostendit, Comenii sententiam veram esse non posse, quin Ecclesiæ nimia licentia & potestas concedatur cudendi novos fidei articulos. Nam si Deus fingatur per ejusmodi gradus processisse; ut tantò pleniorem veritatis Christianæ cognitionem

quarto & quinto Ecclesiæ seculo præ duobus primis dederit ; quantò fulgidior est lux Solis altius supra horizontem evecti ; quàm lucescentis primum diluculi crepusculum : omnium controversiarum decisio, ab illius primævæ prædicationis fide & auctoritate transferetur ad posteriorum seculorum Ecclesiæ judicium , consensum ac decisionem.

4. Præterea si vera est Comenii sententia , Notitiam Veritatis ac Theologiam , incultam ante & balbutientem; quarto demum & quinto seculo; per Hieronymos, Augustinos, aliosque excultam ; quasi confirmatioris ætatis sermone de divinis rebus loqui, docere , & controversias decidere cæpisse ; evertetur fundamentum illud ; quod unicum omnibus Christianorum sectis , in spem redivivæ concordiæ Deus adhuc firmum & inconcussum reliquit ; dum omnes in Sacræ Scripturæ infallibili normâ , tanquam communi principio, unanimes consentiunt. Etenim Corrupta Ecclesia terrenæ primùm potestatis aut potentiæ fiducia , deinde commentitio Comenii privilegio , tanquam sacri instinctus Spiritus turgens & ebria : quicquid pii ac seduli Sacræ Scripturæ Lectores aut discipuli garriant non audiet , & salubribus monitis auctoritatis suæ inflato à Comenio tympano obstrepet ; & populum Christi obtorto collo, ad intolerandam violentæ servitutis patientiam , tanquam ad Gemonias scalas ; raptabit ac pertrahit.

5. Denique admissâ Comenii opinione , corruent omnia Lutheri , Zvinglii , Calvini & aliorum qui prima Reformationis in Ecclesia fundamenta posuerunt ; fulcra & adminicula : qui præsenti in Ecclesia conspirationi , Sacræ Scripturæ & Apostolorum & antiquiorum temporum auctoritatem opposuêre. ostendentes quòd in Christianæ religionis initio , errores & abusus posterius invecti , locum non habuerent. Quo enim jure ausi sunt consensum Ecclesiæ Occidentis , ac in multis rebus Orientis quoque aggredi ac refellere ; si Spiritus Sanctus , qui in quarti & quinti seculi Doctoribus & Conciliis Theologiam longè magis excoluit ; quam fuerat exculta in seculis primis ; ita perpetuo adest Ecclesiæ , ut eam per continuos gradus , in majorem semper & clariorem perducat lucem veritatis.

6. Postremò si Comenio credendum est , abroganda est fides Paulo , monenti & obtestanti , etiamsi Angelus è Cælo descendens novas afferat doctrinas ; præter eam quam semel tradiderat , rejiciendum esse tanquam anathema. Abroganda & Johanni : qui adversus Antichristorum impostura & missilia , hoc impenetrabili scuto aut clypeo armat Christianos ; hortando ut maneat in ipsis ; quod audierunt ; quod didicerunt ab initio.

7. Septimum falsi Comenii dogmatis documentum est. Quia duobus primis post Christum natum seculis , longe minor morum dissolutio ; longè sanctior vitæ secundum leges Christi agendæ disciplina in Ecclesia viguit. Ut autem sanctiores mores verioris doctrinæ ; ita mores in deterius corrupti ; corruptioris doctrinæ indicium præbent ; ipso Christo monente , arbores ex fructibus ; falsos doctores & prophetas , ex operibus dignoscendos. Comparet nunc Lector in persecutionibus gementis , & pulcherrima illa martyrum certamina decertantis , Ecclesiæ mores , cum corruptissima temporum sequentium disciplina ; quando oppresso paganismo , Christiani in dissolutiorem vitam prolapsi , injurias quas olim ab externis patiebantur ; externis pariter & suis inferre cæperunt. Conferat , inquam , utrinque tempora ; ac demum judicet , utra eorum sint aurea , utra ferrea secula ; utra saniorem , utra corruptiorem doctrinam habuerint. Tunc in incultos paganismi mores degeneravit Ecclesia ; quando illa dogmata à philosophantibus gentibus hausta , inanibus rixis , odiis , anathematibus, oppressionibus & lictorum ministerio excoli cæpere.

8. Octavam rationem suggerunt peculiaria quædam , quarti & quinti seculi , tantopere Comenio commendati vitia : quæ non modo ea præcedentibus præferri ; sed ne cum iis quidem ullo modo conferri patiuntur. Primum , Episcoporum corruptissimi mores , factiones , ambitus , feralia invicem odia , & indigna Christianis flagitia ; quæ tametsi tertio quoque seculo invalescere cæperunt , longe notabilius tamen , quarto & quinto grassata sunt. Deinde Conciliorum omnium quarti & quinti seculi , pudendæ Christiano nomini maculæ cum in illis loco illius , quam Jacobus *cap.* III. 17. depingit castæ , pacificæ , æquæ , obsequentis, & fructuum bonorum plenæ cælitus descendentis ; terrena, animalis, dæmoniaca Sapientia : loco Spiritus Sancti , mutuæ Episcoporum supplantationes, & Imperatorum aut Regiarum mulierum, interdum & Eunuchorum potentia regnaret.

Nona ratio quamobrem falsa sit Comenii sententia , quia Mundana & carnalis est. Quicquid aliud prætendat, non aliam habet causam cur Hieronymi & Augustini ævum proximæ post Apostolos ætati præferat ; quàm quod tunc mundana & carnali felicitate floruerit Ecclesia , nacta Imperatores sibi propitios ; & qui pacem & propagationem Ecclesiæ ; violenta & terrena potestate tuerentur aut promoverent. Quam suspecta verò & futilis ista ratio sit, veræ felicitatis in Ecclesiâ æstimandæ , ostendit exemplum Mahometanæ superstitionis, iisdem planè terrenis artibus , & propagatæ , & in floreatissimo Statu tamdiu conservatæ. In quo notandum , ejusmodi de quibus loquimur artibus ; superstitionem hanc per triginta annos , tàm celeriter tanta sumpsisse incrementa , quanta ægrè per trecentos annos , bonis ac legitimis artibus usa vera Christi religio sumpserat.

Contra verò ex quo Christiani illegitimam hanc promovendæ divinæ veritatis viam ingressi sunt : non multùm profeciſse , imò verò ingentia damna passos eos videmus , quia Mahometismus ferè ex ruinis ac detrimentis Christianorum crevit. Non igitur pluris æstimanda sunt ea tempora, quibus Christiani terrena potentia religionem suam sustentabant aut promovebant : quæ tàm infeliciter in Ecclesia cesserunt : quam sancta illa secula, quibus duntaxat bonis ac legitimis artibus , conservabatur & propagabatur Ecclesia.

Decimum adversus hanc opinionem argumentum est ; quòd apertissimis & frequentissimis Spiritus Sancti in Sacris literis prædictionibus , non modo adventus Antichristi & ventura apostasia prædicta sint : Sed ejusdem Spiritus distertissimis verbis admoniti : ac certiores facti simus ; calamitosum hunc Ecclesiæ statum , sensim ab Apostolicis temporibus initiò sumpto , per gradus atque incrementa sua progredi debuisse.

Ipsius Pauli temporibus mysterium iniquitatis cæpit. Non multò post durante adhuc Joannis , (cæteris Apostolis superstitis) ævo ; plurimi Antichristi exoriri cæperunt. Quos ita describit idem Apostolus ; ut *In doctrinâ* quidem illud dogma introducturi essent , quod Jesus ille qui in carne venit , hoc est , qui ex Spiritu Sancto conceptus ; ex virgine homo natus , & in quo natus est Statu cum Apostolis est conversatus , non esset Christus ; quia forte ipsis Naturam & potestatem Christo dignam , habere non videretur. *In vitâ autem & moribus* quod fraternam in Ecclesia charitatem essent extincturi. Cui posteriori characteri Paulus extinguendæ hujus caritatis causam addit ; Superbiam & elationem suprà omne Numen ; unicam oppressionis ac dominationis

tionis causam & injuriarum ex ea ortarum; quæ ne vestigium quidem proscriptæ ex Ecclesia fraternæ caritatis essent relicturæ. 2. *Thess.* II. 4.

Qui duo characteres Antichristorum, cum duobus primis seculis nondum adeò virulenter Ecclesiæ nocuerint; sicuti tertio & quarto, & multò magis posterioribus; multùm profecto duorum istorum doctrinæ lux & felicitas temporum præcellit tertio & quarto seculo: quemadmodum quarti quoque & quinti ætas, minùs quam posteriorum vulgò corrupta censetur. Totis enim duobus ac penè tribus seculis, posterior ac pejor Antichristi character; hostili violentia Caritati infensus & Oppressor Spiritus continuo externarum persecutionum sensu aut metu comprimebatur; nisi quod sub finem tertii etiam ante ultimam persecutionem, lupini rictus dentes non occuluit; viribus quas domi in Ecclesia habere non potuit; foris commodatò sumptis. Prior character jam Johannis temporibus per Gnosticorum culpam grassari cæperat; non tamen ità ut genuinis Apostolorum discipulis prævaleret; quod vel ex Joanne discimus. 1. *Joh.* IV. 4. Post decessum tamen Apostolorum, Hegesippo teste, castimonia veritatis in Ecclesia sensim magis magisque periclitari cæpit: sed ante decursum secundi seculi, Gnostici & è lacunis Ethnicismi hausti errores, nondum eousque potentiæ progressi sunt, ut fraternam caritatem & tolerantiam dissentientium ex Ecclesia proturbare auderent. Tertium seculum infelicius fuit; in quo maturius in Occidente; aliquanto serius in Oriente Gnosticus Antichristi Spiritus, movere lacertos cæpit; donec omnia posteà præcipiti lapsu in pejus corruerent. Vide Euseb. in ipso libri 8. initio Hist. Ecclesiasticæ.

Ex iis quæ dicta sunt ita breviter concludimus. Quoniam prædictus Antichristi adventus teste Sacrâ Scripturâ ab ipsis temporibus Apostolicis initium habuit: Experientia verò & ipsa Historia Ecclesiastica testatur eum in introducendis quoque erroribus; sed præcipuè tyrannide & vitæ dissolutione; primis illis & Apostolorum ævo vicinis Ecclesiæ seculis non æquè nocuisse; ac posteà nocuit & nostro quoque ævo nocere non definit: hinc necessariò deducitur, religionis Christianæ castimoniam & felicitatem, atque ipsam divinarum rerum cognitionis lucem, in Ecclesia prioribus seculis, longè excellentiorem fuisse, quàm posterioribus.

A qua ratione antequam digredimur; scrupuli quidam qui hoc loco Lectoribus oboriri possunt paucis evellendi sunt. Primum autem illud occurrit dubium, parum verisimile videri, Deum per Christum & Apostolos Orbem luce Evangelii illuminasse, eo fine, (certe eventu) ut statim aut non multò post obitum Apostolorum; lux ista per Antichristos extingueretur. Ubi igitur illa Cura & providentia Christi; quâ se ad futurum suis, ad consummationem seculi pollicitus est?

Resp. Nunquam eo fine Deus lumen veritatis hominibus allucere facit ut statim obnubiletur; multò minus extinguatur. Contingit tamen in eventu illud interdum contra mentem Dei obnubilari; quoties homines contra mentem Dei sese illo indignos exhibent. Sed lampas Evangelii, à Christo & Apostolis accensa; non modo per præcursores sæviorum Antichristorum; sed per ipsos jam adultos ac sævissimos Antichristos ejusdem Christi providentiâ, non extincta est sed tantum obfuscata. Nec enim inductis tenebris ita obscurata est: ut via ad Salutem perveniendi, semel omnibus monstrata & aperta; cuiquam penitùs occultata, aut obsepta sit. Via, inquam, perveniendi ad promissa Dei per obsequium præceptorum. Impeditam sane non mediocriter fatendum est. Non tamen penitùs, Dei Christique amantibus obstructam. Porrò quid in eo absurdi est; quòd Christus milites suos, non modo cum iis difficultatibus, quibus tempore Apostolorum via Salutis infesta fuit: sed etiam post ipsos, cum erroribus quoque & hominum Ecclesiam intùs vastantium iniquitate pugnare voluit? Tantò tunc amplior evasit divinæ Christi providentiæ; &, ut sic loquar, Imperatoriæ ipsius Curæ materies; quantò plùs hostium, plus difficultatum militibus ejus objiciebatur. Diligentibus Deum errores epidemici nocere nunquam potuerunt. Obsequium præceptorum Christi; quibus cordi fuit: aut eos ab erroribus ipsis: aut ab errorum virulentia ac veneno: (qui est ille metuendus mortis aculeus) hoc est, peccato tutos præstabat. Utar notissimo exemplo: Quis fuerit Romanæ Ecclesiæ status, quo tempore Thomas de Kempis in ea floruit; nemo ignorat. Quis verò sit tam audax & anathematizandi cacoëthe ità perditus, ut viram tàm sanctum condemnet, aut de salute ejus dubitare non vereatur? Multis illis antiquis illustribus Ecclesiæ Doctoribus, quos Phosphoros Ecclesiæ Comenius vocat, Vir hic non comparandus modo sed anteferendus est. Plurimos ejus similes ubique locorum, & per tot labentia secula semper fuisse, nemò meritò ambigere potest. Hinc multorum apotheosis, & superstitione credulorum tot interdum afficta miracula. Quorum tamen sanctitate, nihil est quod illa, in qua vixêre superbiat Ecclesia. Ut improbitas unius Iscariotis, reliquos undecim jure infamare aut damnare non poterat: ità paucitas virorum sanctorum, non justificat aut protegit eorum Ecclesiæ culpas & abusus. Imò vitæ puritas, comparatione deteriorum, ponit in luce reliquorum crimina. Nam quod illi crassis aliorum erroribus aut potius criminibus, subscripsisse prætenduntur; aut falsum est id ipsum: aut interdum quosdam eorum, qui forte id fecisse certò convincuntur; falsâ sanctimoniæ specie imposuisse orbi, verissimum ac certissimum est. Unde patet, quàm bene de Ignatio suo meruerit Ribadeneira; qui probatam suffragio ejus sceleratam ac nefandam Romanensis Inquisitionis sævitiam prodiderit. Sed ego quidem longe plures ac potiores, quos apotheosi non dignata est Ecclesia, fuisse non dubito: qui quò sanctius vixere; quo longius à moribus & flagitiis reliquorum, & consensu in scelera atque adulatione recessere; eò magis alienati & contempti aut calumniosè oppressi; aut versutissimè suppressi sunt. Noverat tamen Dominus semper qui sui essent; & qui bona fide ab injustitia recesserant. Et longe divinior atque omnipotentia Christi dignior cura ejus eluxit, inter tot adversa ac difficultates, ab Antichristorum conspiratione in Ecclesiam publicè invectas, singulorum pietatem & salutem gubernantis. In Ecclesia visibili agminatim Dominum colimus: in occulta & soli Deo notâ, singillatim ac seorsim quisque Imperatori suo militat. Nec ullus mortalium, vel alienam fine sua luet; vel suam culpam aliena innocentiâ eluet.

Non eo ista dicimus, quod promiscuè ac sine delectu, in omnibus, quæ modo non sint impiæ, religionis sectis, omnes semper servari posse statuamus. Port ortum renascentis in Ecclesia Evangelicæ veritatis: quibus vel minimum verioris lucis affulsit, severissimo Christi mandato, in talentorum parabola expresso, & Christianæ caritatis analogiâ, constringuntur, nè cælitùs demissum à patre luminum lumen occultent aut in carnalis prudentiæ cistis sepeliant. Sed non ubique neque semper; aut videre licuit, licetvè, quod expedit aut palàm profiteri, quod videris, aut videas. Sæpe occasio opportunior expectanda erat, aut est. Interdum & ædificandi studium aut metus scandali aut speciales circumstantiæ

cumstantiæ, frequentissimè verò culpæ hominum veritatis promovendæ officio intercessere aut intercedunt. Quo in negotio non modo inter culpam & innocentiam, sed inter latam quoque & leviorem culpam dignoscere, solius est Christi clementissimi Judicis. Latissima tamen eorum esse solet culpa, qui carnali cupiditate aut metu; veritatis jam plurimis mortalium ac totis Ecclesiis patefactæ professionem deserunt: quæ facti turpitudine & scandali perniciosissimo in Christi Ecclesia damno veniam consumpsit; nec ullo se sustentare potest solatio. Sed in tàm fertili & copiosa materia, tàm longæ digressionis veniam dabit Lector.

Redeamus nunc à diverticulo ad orbitam & confutata Comenii opinione; rationem qua fulcit tàm noxium errorem, refellamus. *Pro certo habendum*, inquit, *sicut alia Dei opera gradatim procedunt à minori ad majus. ita & mysteriorum Dei revelationem.*

Resp. Id verò nos minimè negamus: atque ultrò urgemus, Excellentiam Dei operum procedere semper non retrocedere. Sic veteri creationi successit nova, longè excellentior. Veteri fœderi Christi fœdus multo præstantius. Novæ in terris creaturæ; quæ perficitur in resurrectione à mortuis operibus carnis, inchoationi succedet ejusdem Creationis consummatio cœlestis, in resurrectione è Statu mortuorum ad vitam æternam perfectè sanctam & beatam. Sed quamvis Deus gradatim dispenset beneficia sua; à minoribus semper ad majora procedendo; fit tamen sæpe culpa nostra, ut nos ipsi à beneficiis Dei retrò cedamus. Eductioni populi Israëlis è miseria & servitute Ægyptiaca; quominùs citò succederet introductio in terram promissionis, non per Deum stetit. Sed quando populus ille duræ cervicis recalcitrando voluntati Dei, indignum se beneficio ejus exhibuit; quos jam proximè finibus Cananæis admoverat, retrocedere in desertum jussit, ut in eo sceleris sui supplicium luerent. Ita per Christum & Apostolos purissimum Evangelii lumen cunctis revelavit. Sed quia homines veritatis amorem non receperunt: ut servarentur; misit eis spiritum erroris ut crederent mendacio. 2. *Thess.* 11. Hinc Apostasia & Antichristi vastantes Ecclesiam; per quos non extinctum est quidem lumen religionis Christi, sed non mediocriter obtenebratum; non obsepta via salutis sed multis salebris impedita. Annòn Deo licuit, in scelera hominum animadvertere; & laborum in via salutis exantlandorum difficultatem augere; ut solos indigniores arceret à gratia sua? Rectæ sunt viæ Domini, probi & recti homines ambulabunt in iis: perversi & improbi corruent. Piis pectoribus non insidiantur laquei, quos Deus in viis suis soli nequitiæ tetendit.

Porrò, quod ait Comenius, Apostolos ab ignorantiæ nocte ad fidei lumen sensim promotos, fatemur. Sed postquam flumine Spiritu Sancti cœlitùs inundati, & in susceptо Ecclesiæ regimine multis miraculosis revelationibus, & quasi experimentis plenius instructi sunt; nihil in illis notitiæ mysteriorum desideratum est; quod ab Hieronymis demum & Athanasiis aliisque serò post natis & nulla, quod sciamus, revelatione illustratis; in Ecclesia supplendum esset. Suam & Spiritus sui præsentiam Christus ad finem usque sæculi promisit: & profectò stetit promisso, nec stare desinit: Sed & de ventura apostasia & Antichristis, per se ac suos omnes anxiè præmonuit, & fidem ac prædictionis veritatem firmavit eventus ac docet experientia. Flumen Ezechielis & beneficia Dei sub novo fœdere, non pleno tantum, sed exundanti alveo decurrunt: & nobis quoque in terris, olim meliora speranda sunt, ut Constrictio Satanæ, cui nunc ad tempus fræna laxata sunt, Regni Antichristi interitus, Judæorum & aliorum gentium conversio. Antequam tamen ea eveniant, nihil mirum est melioribus in Ecclesia seculis interdum succedere deteriora: quæ & ipsa reddi meliora posse ac certò reddenda, Spiritus testatur fallere & falli nescius.

III.

Ad pag. 48. §. 40.

Decimam & ultimam Comenii legem admittimus. Sed de atroci, quam subjicit, calumnia adversus eum afflictæ in Polonia Ecclesiæ protestantur. Non cessat maledicum hominis Os, tetram & fœtentem falsarum criminationum exhalare mephitim; & audet asserere eas Christum, respectu inferiorum Deorum negare summum esse Deum. Quod falsum esse crimen clara voce asserimus, qui unà cum istis Ecclesiis, Christum non sola potestate sed natura quoque Deum; non factitium cum Comenio; sed factum à patre cum Petro, (*Act.* 11. 36.) non titularem cum profanis calumniatoribus; sed Omnipotentem cum Sacra Scriptura; non paululum supra Angelos exaltatum (quæ Comenii criminatio est) sed longe suprà omnes cælestes Deos & Angelorum Principes evectum, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς *Ephes.* 1. atque adeò ipsis omnibus cum potestate & imperio præpositum esse, cum Paulo Apostolo constanter profitemur; & (uno Patre excepto) cæterorum omnium summum esse Deum agnoscimus.

IV.

Ad pag. 86. §. 71.

In ridenda Anonymi Rhetorica facetus esse voluit Comenius. Verum artem *bene dicendi* non exercet sed nec jactat Anonymus: at artem maledicendi perpetuò exercet Comenius, ut mirum non sit, quod in eâ *tantùm* profecerit. Hic quoque quantos fluctus ciet in simpulo. Lapsus forte sit in intelligendis Eusebii verbis Anonymus. Quid attinuit, sicuti paulò ante nugarum & butubatorum; ita nunc tot maledictorum congerere Synonyma? Publicum eum vocat Impostorem; fraudis & doli mali reum; veteratorem, furem in Sacro, Manticulatorem, Falsi convictum; fraudatorem, circumventorem, & quid non? & quidem hæc omnia in uno non longo paragrapho. Ubi vel minima occasio occurrit, conviciari non cessat; donec totos suos verborum aut phrasium loculos communes exhauriat; ne sibi puerilis quondam studii labor pereat. Sed dum sedulus est in verbis; in rebus ipsis incuriosus, seipsum falsi arguit. Ipsos enim Christianos doctrinam de Deo, & Christo corrupisse, magna bile & contentione negat. Et tamen eorum qui illam corruperunt, hæreses; ex septem Judaicis, quas Hegesippus commemorat; in Ecclesiam Christianam illapsas asserit. An hæreses absque hæreticis in Ecclesiam illabi potuerunt? Annon hæretici Christiani nominis obtentu in Ecclesia grassati sunt? Non omnes æquè vecordes hæreses fuere. Erant Gnostici qui ob enormitatem absurdorum dogmatum, aut ejecti sunt; aut ultrò extrà Ecclesiæ castra tendebant. At nec deerant saniores ac subtiliores Gnostici; qui nova quidem rerum divinarum tabulata non extruerent. Sed Oeconomias tamen nescio quas subtiles, & Sacræ Scripturæ ignotas in ipso Ecclesiæ gremio comminiscerentur.

V. Ad

V.

Ad pag. 88. §. 72.

Non dogmatis de Trinitate ; ſed erroris in hoc dogmate initium Anonymus Simoni tribuit. Quem ipſa in Sabellio Eccleſia damnavit. Numericam videlicet perſonarum divinarum unitatem & confuſionem, quam in ſua una numero & individua perſona impoſtor hic introducebat. Hunc errorem utrum bona fide effugerint ; qui vel maxime damnant ; & quàm procul ſit numerica perſonarum ; à numerica eſſentiæ in perſonis identitate, Lectoribus expendendum relinquere, quàm judicium noſtrum interponere præſtat. De patre quidem & filio, & Spiritu Sancto, (quæ Trinitas dicitur) neſciviſſe hic Magus non potuit. Sed pravas de eo dogmate opiniones primum ipſum ſpargere cæpiſſe in eoque Praxeanis, Patripaſſianis & ipſi Sabellio præiviſſe, res ipſa & hiſtoria loquitur. Verum quidem & ſanum & ſatis ſimplex de ſancta iſta, quoniam ita loqui placet, Trinitate dogma, à Chriſto ipſo & Apoſtolis prædicatum, nemo negare poteſt, quin Sacram Scripturam & ſymbolum Apoſtolicum rejiciat.

VI.

Ad pag. 92. §. 74.

Eorum, quæ in doctrina de Chriſto, ſimpliciſſimæ Apoſtolorum prædicationi & ſymbolo eorundem, adjecta ſunt ; Defenſorem neminem Juſtino antiquiorem agnovit vetuſtas. Teſtis antiquus apud Euſebium in opere adverſus Artemonem Auctor Anonymus, qui dum iſtorum dogmatum antiquitatem, aſtruere contendit, regrediendo in vetuſtius ævum ; ultrà Juſtinum progredi non potuit : cui proximum Tatianum ejus diſcipulum, & Clementem (ſine dubio Alexandrinum, ut alibi probabimus) annectit ; omnes, propter adjecta Apoſtolicis ſublimiora ; ut putabant, dogmata Gnoſticos. Hoc enim titulo etiam gloriatur Clemens hic Alexandrinus, Origenis præceptor, dum ſuorum ſtromatum librum ſic inſcribit : De vera philoſophia Gnoſticorum commentariorum ſtromates. *Euſeb. l. 6. cap.* 12. Sed Juſtinus quidem & Clemens non modo inter ſaniores Gnoſticos, verum & optimos viros numerandi, quibus cum aliis in Eccleſia non niſi ultrà Symbolum Apoſtolicum ſapientibus, (nondum pulſa ex Eccleſia caritate ac tolerantia) bene conveniebat. Tatianus ad vecordes Gnoſticos propius acceſſit, qui ſegreges ab Eccleſia cætus (ſponte an ejecti dubium) habebant.

Quæ ſub Ignatii nomine venditantur Epiſtolæ, pleraſque omnes ſpurias eſſe & à Gnoſticis poſterioris ævi ; qui tandem Ariani dicti ſunt ; partim ſubjectas, partim inverecunde corruptas, cum multi alii tum inprimis non obſcurè oſtendit Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armacanus. Proinde quæ ex tàm ſuſpecto codice citantur, niſi forte aliquid contrà ipſos Corruptores eorum pugnans contineant, nullâ fide digna ſunt. Quamvis enim quædam purgata jam & emendata cenſeantur ; quis nobis idoneus ſponſor erit, ea quoque, quæ quibuſdam ſana & integra videntur, non eſſe corrupta ? Nunquid enim una falſaria manus iſtiuſmodi Scriptis admota eſt ? Et quamvis vetuſtiores Codices recentioribus ſaniores videantur ; præſertim illi duo Latini Uſſeriani ; tamen quia primitùs non Latinè ab Autore ſcripti ſunt ; quis pro ipſis interpretibus ſpondebit ? Certe paulo ante citatus à nobis vetuſtus apud Euſebium auctor ; non reticuiſſet Ignatii nomen ; ſi illo ævo iſtæ epiſtolæ, tales uti nunc ſunt, extitiſſent. Ac ne ipſe quidem Euſebius ignorantiam aut incuriam auctoris Anonymi ſupplere neglexiſſet ; ſi quid in iis, quas commemorat, adverſus Artemonitas pugnans inveniſſet : quorum redarguendorum nullam occaſionem omittit. Quod non leve documentum eſt, eas quoque quæ pro veris cenſentur Ignatii epiſtolas ; nec ſemel quidem aut ab uno fallatore corruptas, & falſationes ſuprà falſationes, ut vulnera ſuprà cicatrices ipſis inflictas : nec ſi forte à ſequenti depravatione emendatæ ſunt ; ideò nihil jam in illis antecedentis nævi remanſiſſe.

VII.

Ad pag. 93. §. 76.

Paulus Apoſtolus Philoſophiam latrocinio inſidiari doctrinæ Chriſtianæ præmonet. Comenius & Auguſtinus non inſidiatricem illam ſed ad eam pædagogam eſſe affirmant. Utri teſtium parti credendum eſt ? Præterea ſi hæc Platonica cum Chriſtianis ità pulchrè ut vult Auguſtius congruunt, cogitandum Sapientioribus relinquitur, utrum ſit veriſimilius ; dogmata hæc ex religione in philoſophiam ; an ex philoſophia irrepſiſſe in religionem ? præcipuè tunc cum in tot Apologeticis ſuis Chriſtiani, omni ope contenderent, dogmata ſua ita proponere ; ut perſecutoribus perſuaderetur, ea ab ipſis quoque Gentium philoſophis approbari ; ſi quà forte vel hoc modo crudelitas eorum miteſcere poſſet. Sed & in pelliciendis ad Chriſtianiſmum Gentibus ; multum prodeſſe videbatur ſi dogmata religionis, cum præcipua gentilis ſapientiæ ſectâ, congruere viderentur.

VIII.

Ad pag. 94. §. *eod.*

Pergit Comenius oſtentare improbum & pervicax & indefeſſum Eccleſias afflictas calumniandi ſtudium quibus objectare audet. *Quem eſſe Deum non credit illum tamen aut adoratis aut adorare ſimulatis.* Nos verò non Verum tantum, ſed omnia ſibi à patre (præter unum illum qui ſubjecit) ſubjecta habentem Deum in cælis credimus eſſe : illum Jeſum, qui pro nobis in terris mortuus eſt. Hunc igitur ſolum Dei filium agnoſcimus, qui pro nobis quondam mori potuit : non alium, qui & nunquam & nullo modo mori potuit. Nec ſimulata ſed vera adoratione dignum cenſemus eum : quem Angelicis quoque poteſtatibus pater adorandum propoſuit. Non pudet igitur hominem tam inverecundæ criminationis ? Sed quid pudeat eum, cujus non modo fraus, poſt mille perfrictas cicatricis lacera : ſed totum os vulnus eſt.

IX.

Ad pag. 95. §.

Quinam illi fuerint Chaldæi ; aut Hebræi à quibus ſua de S. Triade dogmata Platonici acceperint, non exprimit Comenius ; nec nos iſta curioſè exquirimus. Sufficit nos ipſis Comenii veſtigiis, perductos eſſe ad cubile aliquorum controverſorum dogmatum, in medio gentilis philoſophiæ Sacrario latens atque deprehenſum.

Sibyllarum teſtimonia quanti fecerint, plerique ſaniores Lactantio patres, notum eſt, quibus vir iſte bonus & diſertus, viſus eſt longe melius deſtruxiſſe aliena, quam ſua adſtruxiſſe dogmata.

X. De Herma.

Ad p. 98. §. 80.

Quantum fidei & auctoritatis libro Hermæ qui Pastor dicitur tribuendum sit ; consulat Comenius Tertullianum suum ; quem cum pluribus aliis tanquam fulgidum Ecclesiæ phosphorum obscuro, duorum seculorum (quorum traditiones allegat Anonymus) crepusculo opponit : cum tamen diluculum illud Apostolos & Apostolicos viros comprehenderet. Is libro de pudicit. *cap:* x. hæc elogia libro isti tribuit. *Crederem tibi*, inquit, *si Scriptura Pastoris, quæ sola mœchas amat, divino instrumento meruisset incidi ; si non ab omni Concilio Ecclesiarum etiam vestrarum* ; (alloquitur Montanista Psychicos) *inter apocrypha & falsa judicaretur ; adultera & ipsa, & inde patrona sociorum*, id est, adulterorum. Nec melius de eo censet aut decernit Gelasius Pontifex Romanus cum toto concilio Romano : ut mirum sit non deesse in Ecclesia Romana qui ipsi faveant aut patrocinari audeant.

Nec tamen frustrà, suspectus licet, hic testis ab Anonymo citatur ; quia eorum vineta cædit ; à quibus magni fit.

XI.

Ad pag. 99. §. cod.

1. Imposturæ crimen quod anonymo fine causa objicitur, in accusatorem Comenium recidit. Non enim ipsum textum verborum libri Pastoris recitat Anonymus, dum exponit de qua potestate & imperio Pastor locutus est ; sed sensum & suam illorum verborum explicationem. Non igitur Pastoris verba anonymus : sed Anonymi sensum Comenius adulterat. Quod autem de tradita à Patre post mortem potestate, isthic, sermo sit ; inde liquet, quia ante mentionem acceptæ istius potestatis proxime mentionem fecerat, deletionis peccatorum & passionum quas perpessus est Christus.

2. Verba Christi de tradita sibi à patre potestate, ante mortem ejus prolata ; quæ congerit Comenius, explicantur per alia plurima Sacræ Scripturæ loca ; quæ ostendunt potestatem istam traditam in exaltatione ejus post mortem & propter mortem factâ *Philip.* 2. 9. Usurpatur verò in iis idem loquendi modus, quo nobis quoque gratia data dicitur ante tempora æterna 2. *Tim.* 1, 9. quæ multò post promulgata, imo post mortem demum nobis perfectissime danda est, aut convivificati dicimur & conresuscitati & unâ collocati in cælis cum Christo *Eph.* 11. 5. 6. cum tamen reipsa post mortem demum hæc sperare debeamus. Talia plurima dari possint quæ alibi à nobis allegantur.

3. Sacrificio mortis Christi, (quod in terris cæptum in cælis consummatur) in quo maximè placatum nobis, imò amantem nostri patrem ejus experti sumus ; abolita esse ; & non uno modo aboleri peccata nostra non negamus. Sed Comenius illa nobis à benigno patre gratis remissa esse non credit. Nec patris modo indulgentissimi gratiam, ingratissima mente agnoscere detrectat : sed filii quoque erga nos beneficium elevat ; dum non ipsum filium, sed accessionem ejus ; sine qua ab æterno beatissimus vixit ac vivere potuit ; quæque adeo non exaltationem aut gloriam sed humiliationem ipsi attulit ; pro nobis mortem gustasse, opinatur.

XII.

Ad pag. 101. & seqq.

Nugacitas istius supposititii Hermæ ; asserentis Spiritum Sanctum esse Filium Dei, Christum autem Spiritus Sancti servum, indigna est quæ aut defendatur aut refellatur. Nec ideò Hermæ hypobolimæi testimonium produxit Anonymus ut eum hominem quisquis ille fuit, in omnibus orthodoxè sensisse ostenderet. Fatetur enim plerosque ex iis quos producit testibus, jam fuisse seductos erroribus variis (pag. sui Scripti 18.) non tamen eo usque ut Christum Patri æqualem statuerent. In eo tamen hallucinatus videtur Anonymus, quòd inter testes quos decem producit, distinctionem ponere neglexerit. Quorum quatuor primi fuerunt verè orthodoxi & Apostolici, nullo (quod sciamus) Gnostici erroris nævo rejectanei. Ac de Clemente Romano quidem & Polycarpo, fama quoque & falsariorum protervia mentiri verita est. Hermæ autem & Ignatio, quæ affingere ausa est scripto sese ipsa suamet futilitate refellunt : & genuina ipsorum non esse palàm dignoscuntur. Sex posteriores, à Justino initio sumpto Gnosticarum opinionum aut suspectos aut patronos fuisse non ignorabat Anonymus ; (si modò quibusdam ex iis quoque falsariorum fraus non illusit) Nec dissitetur seductos esse multis aliis erroribus ; de eminentia tamen patris supra filium rectè sensisse.

XIII. CLEMENS ROMANUS.

Ad pag. 104. §. 81.

1. Clementi Romano Photius & alii iniquiores sunt ; quia stomachantur quod in Scriptis ejus nihil quod ad gustum Gnostici palati serviat ; reperiunt.

2. Hunc autem virum de eminentia patris suprà filium ; non Gnosticè sed Apostolicè sensisse, non ex eo deducit Anonymus ; quod doctrinam Trinitatis Corinthiis ex professo non explicuerit ; sed ex eo quod de Deo & Christo, non Gnosticè, sed Apostolicè locutus fuerit. Gnostici enim quos oppugnat Anonymus, nullam occasionem omittunt, quin rerum vetustæ Creaturæ conditorem filium vocent atque inculcent. Clemens autem Romanus ; cum patrem & filium contradistinctè sibi nominet ; soli patri creationem tribuit, filio non item. Quod factum Clementis adeo quibusdam receptæ longè post in Ecclesia opinioni repugnans judicatum est, ut eum apud ipsos Arianismi suspectum reddiderit.

3. Porro ex eo quod Clemens, ad unitatem Corinthios adhortans, unius Dei, & unius Christi & unius Spiritus gratiæ mentionem fecerit, non magis evincitur, eum recepto vulgo Trinitatis dogmati adhæsisse ; quàm si quis ex eo, quod Paulus itidem concordiam Ephesiis commendans (*cap.* IV. 5.) unum Dominum, unam fidem, unum baptisma ; unum Deum & patrem omnium esse dicat, colligere velit, eum de quaternitate eorum quæ nominat, tanquam personarum in una essentia conjunctarum, cogitasse.

4. Quod asserit Clemens, autorem epistolæ ad Hebræos (*cap.* 1. 3.) secutus, Christum esse splendorem & radium magnificentiæ Dei : quis non videt id Christo impropriè tribui cum is substantia & suppositum sit, non accidens ? & modum hunc loquendi esse similem illi, quando Vir imago & gloria Dei dicitur, quis ex eo colligat ; virum Deo coæternum

cò æternum esse, quia videlicet Deus absque gloria sua nunquam fuit.

XIV. De IGNATIO.

Ad pag. 107.

1. Non eo fine testes plerosque producit Anonymus, ut ostendat eos in omnibus rectè & orthodoxè sensisse; aut secum consensisse; sed ut in solo isto de Summo Deo articulo unanimem illius ævi consensum exhibeat; adversus posteriorum temporum dogmata. Defensoribus veritatis semper licuit, etiam ex errorum patronis; pro veritate testimonia colligere: & longè validius adversus hostes Veritatis pugnat illud telorum genus; quod è manibus adversariorum eripitur.

2. Si Anonymus plenarium supposititii hujus Ignatii cum sententia sua consensum jactasset; poterat ipsi specioso colore fraus objici; quod quibusdam in quibus cum eo sentire videtur locis allegatis, cæteros in quibus dissentit, reticuisset. Nunc cum is apertissimè fateatur, in plurimis eum seductum, in hoc tamen de eminentia patris suprà filium capite rectè sensisse: quid attinuit loca ista citari, ex quibus liquebat Anonymo, eum esse seductum? Non sapientiùs ista ab eo postulantur; quàm is feciſſet; si veram & congruam in uno articulo prætensi Ignatii doctrinam, ostensurum se pollicitus; errores ejus sententiæ suæ adversantes allegasset.

3. Hic quoque sub exoso nomine Ecclesias in Polonia afflictas invadit; idque ex nugacissimis larvati tenebrionis commentis; quibus ipse sese non credere profitetur. Negare igitur non potest se scientem ac volentem, ejusmodi armis, quæ ipse pro mendaciis habet, illas oppugnare. Nec potest prætendere suismet eos armis oppugnari; quæ non plus fidei istis impostoris quàm Comenius adhibent. Imo vero eas ipsas, quas ille veras Ignatii epistolas putat; meritò pro suspectis & inquinatis habent. Quia tamen, quisquis ille fuit Impostor, Gnosticus fuit; meritò adversus Gnosticorum complices ex eo sumantur testimonia.

4. Notandum autem est, testimonium ex epistolis ad Ephesios depromptum; astutè à Comenio omissum; quia quod responderet non habebat, cum hanc epistolam Auctoris genuinam opinetur. Cuneum tantum cuneo, extendere contendit, ostendens ex eadem epistola Ignatium ab Anonymo dissensisse. Quasi id non ultrò asserat Anonymus, Ignatium, aut illum quisquis fuit, qui sub nomine Ignatii orbi imponere voluit; seductum in aliis, in uno isto, de eminentia patris superfilium dogmate, ab Apostolica doctrina non recessisse.

XV. DE POLICARPO.

Ad pag. 109. §. 83.

1. Non respondet ad allegata è Polycarpo Comenius; Sed verba Polycarpi in Ecclesias Poloniæ afflictas calumnioſe contorquet, ne qua sibi criminandi ansa elabatur. Objicit illis primùm quod non confiteantur Christum in carne venisse: atque ideò sint Antichristi.

Resp. Primum, Dato, sed nullo modo concesso; participium ἐληλυθότα ὁ σαρκὶ. 1. *Joh.* IV. 3. in verbis Joannis, quæ hoc loco discipulus ejus Polycarpus respicit, per infinitivam explicari debere: Ecclesiæ Polonicæ, quomodocunque hic vox adventus Christi accipiatur; sive de nativitate; sive de prædicationis initio, utroque modo Christum in carne venisse libenter confitentur. De nativitate loqui Comenium palàm est. Tunc igitur & illas Christum in carne venisse; cum in mortali, carneâ, fragili naturâ nasceretur, firmiter credunt & profitentur; In utero virginis è Spiritu Sancto conceptum & natum, verum quidem; non tamen nudum, sed divinum hominem, quippe ex divinâ stirpe satum prædicant. At enim extitisse antequam in carne veniret negant? Resp. Quid tum postea? Hoc non est negare adventum in carne; sed existentiam ante adventum in carne, de qua nec Joannes nec Polycarpus loquitur. An venire in carne (puta in mundum) dici nequit, qui in carne nascitur, licet ante non existeret? Vulgatissimum illud est.

Progenies magnum cæli ventura sub axem.

An igitur homo recens natus; aut progenies quæ in lucem prodit, extitit antequam nasceretur? An cum dicitur venit hora aut tempus, necesse est horam illam, aut tempus ante extitisse? Quis hujusmodi improprios sensus, in sacris juxta & profanis frequentissimè usurpari ignorat?

Deinde tam Joannis quam Polycarpi verba, falsa versione Comenius depravat. Nam voces ἐν σαρκὶ ἐληλυθὼς, propriè & ad verbum, participii significatione reddita, *eum qui in carne venit* significant. Nec ulla est causa cur per infinitivum explicentur; sensu à proprio aliquantum abeunte. Imo vero gravissima causa est, cur per infinitivum non explicentur. Quia ab ejusmodi interpretibus falsa Joanni enunciatio affingeretur; qui dicit Omnem eum qui confitetur Jesum Christum ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα esse ex Deo. Si hoc ita explicetur, Omnem qui confitetur Christum in carne venisse, esse ex Deo; nemo magis id credidisse & professus esse dici potest, quàm illi qui interficiendi Domini auctores, & tam nefarii sceleris executores fuerunt; qui neque consilium tam sævum iniissent; neque facinus patrandum suscepissent; nisi Christum vere in carne fuisse, ac proinde in eadem in mundum venisse, certò essent persuasi. Hos igitur Satanæ ministros ex Deo fuisse censebimus? Nihil falsius.

At si verba ista interpretemur, Omnis qui confitetur Jesum qui in carne venit; esse Christum, ex Deo est (quod explicatur per verba *cap.* v. *vers.* 1. Omnis qui confitetur Jesum esse Christum, ex Deo natus est.) nihil est verius. De confessione enim vera non simulata loquitur Apostolus.

Nos igitur secundum hanc saniorem verborum Joannis explicationem, Jesum illum qui in carne venit, ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα. esse verum Christum & filium Dei; longè verius & fidelius confitemur & in eum credimus, quàm Comenius. Qui infelix detrito jam in rixis Theologicis ævo nondum scit grande illud secretum; quod obstinatissimè non credat Jesum esse Christum. Discat igitur docendus adhuc, ut fidem & conscientiam suam introspiciat; & agnoscat Joannis & Polycarpi suffragio ac sententia, sese esse geminum Antichristum. Nam qui fidem in Jesum illum, qui venit in carne; non habet pro vera fide in Christum; is Jesum non habet pro vero Christo. At qui nos credentes in illum qui in carne venit Jesum; in eoque fiduciam nostram collocantes;

& eam præceptorum ejus obsequio exprimere contendentes, non credere in Christum aut in filium Dei; nec Christianorum nomine dignos, affirmat; & ubi potest insectatur ac persequitur: is fidem in Jesum illum qui venit in carne, non habet pro vera fide in Christum. Non igitur Comenius Jesum illum, in quem nos credimus, habet pro Christo vero, aliàs nos diligendo; sibi putaret 1. *Joh.* v. 1. ac proinde non modo spiritu Antichristi ducitur 1. *Joh.* iv. 3. Sed ipse est geminus Antichristus 1. *Joh.* ii. 22.

Neque est quod tanti criminis solatium quærat in eo, quod latissima ista culpa tot hominum millia teneri videantur, quos.

Defendit numerus junctæque umbone phalanges.

Neminem alium accusatio ista petit, præter Comenium ejusque similes, qui non contenti suâ sive vera, sive falsa sententia; eos insuper qui Jesum illum quondam hominem (id enim epithetum οὐ σαρκὶ ἐληλυθὼς significat) at nunc benedictum super omnia Deum confitentur; & credunt esse Christum filium Dei unigenitum, neque confessionem hanc, vitâ & moribus abnegant; damnant tanquam infideles fide carentes, ideoque cane pejus & angue oderunt; atrocibus & falsis calumniis onerant, & usque ad necem & sanguinem persequuntur. Tales enim omnes, quicquid ore crepent, Dominum, Dominum, ingeminantes esse Jesum Christum; non credunt illum Jesum hominem exaltatum; esse Christum aut filium Dei; cujus leges tàm protervè calcare audent; & aliorum fidem in eum, tàm contumeliosè traducunt; quæ injuria per latus insontium ad ipsum Dominum pertingit, & eos operatores iniquitatis arguit; quos Dominus solis labiis ad se appropinquantes, corde autem amarissimo, adversus mitem ejus spiritum pugnantes, abire in malam rem à se (ni resipiscant) imperat, & illos pro suis non agnoscere palàm profitetur. Proinde nihil est quod in culpæ hujus societatem, insontes Comenius violenter pertrahat. Nec enim eos qui innoxio errore abducuntur, suamque fidem bona fide custodiunt; alienam non judicant, sed competenti judici judicandam relinquunt; tanti criminis reos arguimus. Aliud est allucinatio, aliud, iniquitas, crudelitas & scelus.

Quisquis nostrùm simpliciter in opinionibus hallucinatur; misericors est Dominus, qui ad infirmitatem mortalium connivere novit, dum ipsi admixta non sit perversitas. Sed hypocritas istos, qui gloriam ejus tenerè amare se fingunt; ut sibi conservis suis convitiari eosque verberare liceat: & interim hominem illum Jesum divina stirpe satum, qui in carne venit; de solio Majestatis suæ, in quod à patre evectus & exaltatus est, tàm contumeliosè detrahant; pro eo ac merentur judicabit, & juxta dilecti sibi Apostoli verba ac monita (1. *Joh.* ii. 22. & *cap.* iv. *vers.* 3.) hostes suos & Antichristos fuisse declarabit, atque ut eorum, qui conservos verberant, partem assignabit cum hypocritis (*Matth.* xxiv. 51.) ita ejusmodi hypocritarum (ni maturè resipiscant) partem assignabit cum Antichristis; ibi erit fletus & stridor dentium.

Ita Comenius, qui paucos ante annos in collegium pseudoprophetarum cooptatus, & quibusdam eorum peculiaris *Adjunctus* erat; quia in Spiritu, insontium, & propter conscientiam afflictorum, oppressore, tantum profecit: nunc se in Ordinem & gradum Antichristorum promoveri boni consulat.

II. Alterum quod afflictas Ecclesiis objicit Comenius est, quòd non confiteantur mysterium crucis, ideoque secundum Polycarpi verba, ex Diabolo sint. Non confiteri autem eas istud mysterium probat, quia negant Crucis mortem *aliò quàm ad* patientiæ exemplum spectare. Quam falsissimam esse calumniam redarguunt illæ; dum palàm & clara voce confitentur, præter exhibitum patientiæ exemplum, innumeros & quosdam longè majoris quàm hic sit, momenti esse mortis & crucis Christi fructus, in nos redundantes.

Præcipuè verò certissimam tam Dei patris, quàm ipsius Christi erga nos amoris fiduciam; remissionis peccatorum certitudinem; acerrimum ad abstinendum à peccando & crucifigendum carnem stimulum; fidei nostræ ac totius religionis confirmationem, præterea quæcunque ex Christi exaltatione, (ad quam per mortem & propter mortem ventum est,) in nos derivantur emolumenta. Quæ omnia & singula quis numeret? Non sunt igitur Ecclesiæ istæ ex Diabolo: sed homines rabido adversus eas zelo æstuantes, flagrantes, debacchantes, quo Spiritu agantur ipsi viderint.

III. Tertium quod Ecclesiis istis objicitur, quod resurrectionem & judicium impiorum negent. Illæ verò firmiter utrumque asserendo calumniam refellunt. Ac de piorum quidem resurrectione; ne Comenius quidem litem illis movere audet. Judicium vero impiorum fore firmissimè credunt. Quod si quis in modo judicii hallucinetur, aut ab aliis dissentiat; non in reipsa; sed in modo rei dissensus est. Et quia de impiorum pœnis, quales futuræ sint, quæritur; non nimium distinctè aut curiosè ea scire laborant; quæ ut ad se nihil pertineant; auxilio & gratia Dei, pro viribus conituntur. Comenio & aliis ejusdem farinæ mortalibus hæc scrutanda relinquunt; qui se huic periculo propiores, nescio quo instinctu, sentiunt.

II. Ex oratione Polycarpi patet, antiquiores illos viros Apostolicos in cultu & laudum divinarum celebratione Deum patrem ex quo omnia; cum Filio per quem omnia, semper conjunxisse, quod & hic facit Polycarpus, gloriam Deo cum Christo tribuens, in Spiritu Sancto. Cum enim in Spiritu Sancto orare jussi simus (*Jud.* xx.) quid mirum quòd Polycarpus ferventer orans, & in oratione Deum per Christum sempiternum Pontificem laudens & glorificans; faciat id in Spiritu Sancto, gloriam reddens Deo patri per filium tanquam Pontificem; verum ita ut filius quoque, tametsi Pontifex, hujus gloriæ fiat particeps, ac totum id fiat ex afflatu & instinctu Spiritus Sancti. In quo rectè notavit Anonymus, quia Christus dicatur Pontifex per quem victimæ precum & gloriæ, offerantur Deo: manifestum esse Inæqualitatis cum patre vestigium. Quamvis enim gloriæ per filium Patri à Polycarpo oblatæ, ipse quoque filius vel propter ipsum tàm divinum Pontificatus sui officium fiat particeps, tamen principaliter patri tanquam superiori ea gloria offertur. Quia pontifex, per quem victima offertur, prorsus æqualis ei cui victima offertur esse non potest: particeps tamen fit & Pontifex hujus victimæ, quia sedet à dextris Dei; cui uni tanquam dilectissimo filio Deus Omnipotentiam contulit, ut per eum omnia fierent; atque etiam tam divinum Pontificatus munus administraretur. Spiritus Sancti mentio ita fit, ut afflatus duntaxat illius & sacri instinctus, quo offerentes Deo per Christum precum & gloriæ victimas, agitari debent efficacia exprimatur. Evidentissima igitur hic inter patrem, & filium, & Spiritum Sanctum cernitur inæqualitas, cum ille Supremus esse innuatur, cui per Pontificem Christum à Polycarpo victima

victima gloriæ absolutè offeratur. Proximus ei sit ipse Pontifex ; ad ejusdem victimæ fruendæ consortium admissus. Idque per istud ipsum ministerium suum, quod absque proxima Deo patri dignitate & omnipotentia peragi nequit. Admissus autem, non ut supremus Deus ex quo omnia ; sed ut supremus Dominus per quem omnia. Qui sempiternus Pontifex dicitur, non à parte ante ; cum summus Pontifex esse non potuerit antequam Sacerdotis victimas offerre cæperint, sed à parte post ; quia sine ullo est successore. Denique ultimo loco Spiritus Sancti mentio fiat, tanquam Sacri afflatus ; qui tàm sancto piorum, Deo patri per filium ejus victimas suas offerentium, negotio intervenire debeat.

XVI. DE JUSTINO.

Ad pag. 112. §. 84.

Cum negare plane non posset Comenius, quod de duabus in Christo naturis simul & eodem tempore conjunctis sententia Justini demum temporibus esset in Ecclesia celebris facta : & fateri tamen istud puderet, rem istam hoc modo semifatetur : *Semper illam quidem creditam, ut jam vidimus*, inquit, *sed tunc explicatius proponi cæptam, requirente id hæreticorum insaniâ.* Ergo id tantum confitetur, ejusmodi de duabus Christi naturis doctrinam ante Justini tempora distinctam & explicatam non fuisse ; verum aliquam tamen imperfectiorem fuisse. Resp. Doctrinam istam de naturis toto genere distantibus, in unum suppositum eodem tempore confusis creditam fuisse semper ante Justinum, tantum abest, ut jam docuerit Comenius ; ut ne docere quidem tentaverit. Quod si quid adversus anonymum attulit ; id ex suppositiis testimoniis sumptum est ; & fidem nullam meretur. Imo verò in ista ipsa Confessione sua, qua explicatius illam post Justinum, quàm ante fuit propositam fatetur, satis asserit illam alio modo Apostolico ævo : alio autem à Justino & subsequentibus Patribus propositam ; illic imperfectè & confusè : hic distinctiùs & explicatiùs. Nisi quòd in eo Lectoribus imponit, quòd istos proponendi modos præpostere invertit. Longè distinctior enim duarum istarum Naturarum Cognitio fuit ante ; quum mortalis & humana Natura quidem ante mortem ; divina verò & immortalis post resurrectionem, in Christo consideraretur ac distingueretur. quemadmodum Paulus *Rom.* 1. 3. & 4. hæc distinxit. Infirmam quidem Christi naturam secundum carnem apparuisse antequam resurgeret ; at ex resurrectione potentem evasisse, secundum illum spiritum sanctificationis, Spiritum Seipsum vivificantem, Spiritum æternum & qui ipsi ad corruptionem omnem aditum præclusit ; secundum quem à patre genitus dicitur per resuscitationem ejus *Actor.* XIII. 33. Et hæc fuit Apostolica naturarum Christi distinctio, satis clara & explicata. At duas simul, nec sibi succedentes, sed eodem tempore existentes ; mortalem & immortalem, humanam & divinam, infirmam & potentem, Naturas simul in Christo fingere ; non erat, distinctam & explicatam de istis naturis, sed confusam, intricatam & contradictionem involventem : ideoque novam & falsam doctrinam tradere.

XVII.

Ad pag. 113.

I. Ad allegata è Justino testimonia, nihil respondet Comenius. Causam addit, quia tricas non amat. Hoc respondendi compendium ; neque Aristotelis, neque ullius boni auctoris Logicam redolet. Mirum in ex divina Comenii Logica sumptum est. Enimverò quamvis alibi judicium ejus : alibi eruditionem desideremus ; hoc loco sapere Comenium judicamus ; qui intentata sibi ab adversario victore vincula aversatur, hoc nomine, quod eorum tricas quibus implicandus est, non amat : perinde atque ille *Fur in Sacco*, (Comenii phrasis est) deprehensus. Cujus damnati ad supplicium collo dum Carnifex laqueum indueret ; reluctabatur violenter ut poterat ; excusans suum jugulum esse tàm teneri ac delicati sensus ; ut laquei contactum ac titillationem ferre non posset. Meritò & Comenius tricas istas aversatur ac refugit, & cum ad eas non haberet quod responderet, fateri coactus est ; hæc fuisse Justini errata, condonanda potiùs quàm exaggeranda. Atqui Justinus hac in re ; nec à nobis erroris arguitur ; nec ulla à Comenio venia indiget ; quia hæc non errata sunt ; sed purioris Apostolicæ doctrinæ reliquiæ. Cujus hominis probitas etiam martyrio testata ; meretur ut si quid in aliis rebus, humanitùs cespitavit, ipsi condonetur potiùs quàm exaggeritur, vel eo nomine quia dissentientes in Ecclesia toleravit, nec leges Caritatis unquam temerare ausus ; ad eandem mansuetudinem ac tolerantiam aliis Dux & Autor extitit. Unde potuit quicquid circa personam JESU, opinando lapsus fuerit, cum tamen nec fidem in illum Jesum ; olim filium hominis secundum carnem ; posteà verò filium Dei in potentia, secundum Spiritum Sanctificationis, ex resurrectione mortuorum (tanquam ea non esset in Christum aut filium Dei) unquam condemnasse, & quòd idem ille JESUS qui in carne venit, vere fuerit Christus certò credidisse. Quod innumeros quoque alios ; quanquam adversis præjudiciis occupatos, feciſse ; & facere : & cognita vera, non calumniis adulteratâ sententiâ nostrâ, facturos esse non dubitamus. Comenium excipimus, & cæteros calumniatores & persecutores nostros : qui cum fidem in Jesum, non putent esse ; fidem in Christum, nullo modò credunt Jesum esse Christum. & non modo in depravanda Apostolica & veteris Ecclesiæ doctrinâ ; sed in opprimenda quoque libertate sunt puri, puti Antichristi. Atque illi quidem ad ulcera Justini, (quæ nos silentio contegimus) tanquam muscæ advolant. Ideò Invectiva Martyris in Judæos facta ad illos, uti veros Judæorum imitatores, ac posteros, pertinet.

II. Quod ad divinæ lucis gradus attinet ; tantò majorem eam in Justino Martyre & ipsius coævis, quàm in Nicænis patribus eluxisse, certum est quantò propiores illi, lucidissimæ Apostolici ævi veritati quàm isti fuêre atque ut per Apostolorum meridiem, vespertinum Justini crepusculum ; ita per Justini dubiam lucem, adulta Nicænæ noctis caligo illuminanda est. Argumento est quod Justinus fratres dissentientes non oderit sed toleraverit.

III. Si decisa semel in Conciliis ventilari fas non est ; de causâ Lutheri, Zvinglii ; Calvini, actum est. Si delectus Conciliorum adhibendus, quod privilegium habuit Nicænum præ Tridentino, potestatis Ecclesiasticæ. Æquè factiosum utrumque, æquè

Mundanæ poteſtatis violentia minax ; niſi quod Executorum Tridentini potentia impar fuerit ac longè inferior viribus ; florentis adhuc Romani imperii. At nos hic non de Vi , ſed de Jure , agimus.

IV. Vaniſſima eſt exultatio hominis ventoſiſſimi Comenii ; qui verba anonymi aut non intellecta ; aut ſubdole explicata in argumentum jactantiæ ſuæ arripit. Cum igitur Anonymus ait, ex uno Juſtino quid crediderint omnes cognoſci poſſe non loquitur de omnibus Chriſtianis , ſed de iis duntaxat quos poſt Juſtinum producit teſtibus ; quos ut in iis , quos reticet erroribus Juſtinum ſecutos non diffitetur ; ita in hac (de ſummi Dei patris eminentia) veritatis parte cum eo conſenſiſſe oſtendit. Nihil igitur in marginali delendum eſt , quoniam ipſi Comenio veritas extorſit doctrinam de duabus in Chriſto naturis , imperfectam , ſua ſententia , & confuſam , fuiſſe mutatam Martyris hujus ævo in explicatiorem & perfectiorem. Factam igitur mutationem negare non poteſt Comenius ; niſi quòd eam falſò putat in melius factam , cum nos in deterius prolapſam evincamus.

XVIII. ATHENAGORAS.

Ad pag. 115. §. 85.

Athenagoram in ſententia de Patris ἀρχῇ præ filio , Juſtino conſenſiſſe non paulò in lectione patrum verſatior judicioque & eruditione Comenio præſtantior judicavit Petavius. Sed & Comenius diffiteri nequit, qui nuditatem hujus philoſophi miſeratur, quod voculæ ἴδιος lectione & verſione deceptus ; Chriſtum ἀτίδιον eſſe putaverit : quod certè eſt longè inferiorem eſſe patre. Quid igitur ſe hoc loco torquet in tàm ſinuoſos flexus , defendendo id ; in quo ipſe nuditatem & errorem & quidem ut putat illuſioni obnoxium agnoſcit.

Deterior tamen & illuſione dignior eſt error Comenii, quem hic paucis tangit. In æternitate non eſſe prius & poſterius , ſed omnia ſimul , in uno inſtanti indiviſibili ; quo nihil magis nequitiæ ſuæ congruum ; & effuſiſſimis cachinnis deridendum , Satanas in decipiendis mentibus , quæ ſubtilitatem futilitate venantur, excogitare potuit. Sed & nihil eſt quod promiſſis Dei caliginem & tenebras magis affundat, quam ſub hac imagine mortalibus æternitatem proponere, in qua nulla intervenit abſtractio à materia aut à ſingularibus ; ſed eſt purum putum mentis noſtræ figmentum , contradictionem infinitis rationibus implicans ; & quæ nobis durationem illam infinitam eis coloribus depingit, qui menti noſtræ nil aliud repræſentare poſſunt ; præter MONSTROSUM NIHIL & Chimæram in obſcuriſſimo vacui antro imperceptibilem. Neſcit iſta ſine dubio Anonymus , neque ſcire curat & ſcire ſe opinantes , aliquando ſuaviter ridet , interdum ſortem miſerorum deplorat.

THEOPHILUS.

Non id egit anonymus ut oſtenderet Theophilum nulla in re à ſe diſſenſiſſe ; ſed in uno duntaxat de patris ſuprà filium eminentia capite , ſecum idem ſenſiſſe. Ludit igitur operam Comenius dum citat alia, in quibus ab Anonymo Theophilus diſſenſit, quæ ad propoſitam quæſtionem de inæqualitate patris & filii , nihil faciunt.

Deinde ea diſtinctione , vim producti contra ſe teſtimonii evadere contendit ; quæ ipſum magis
„ implicat. Ait enim λόγον ab æterno fuiſſe ἐνδιάθετον,
„ poſteà factum προφορικόν. hoc eſt, Rationem æter-
„ nam tunc factam eſſe verbum cum vi verbi FIAT,
„ fieri cæpit Mundus , id quod ex Evangelio probatur. Reſp. Quæro à Comenio ; quando eſt genitus λόγος ; an cum fuit ἐνδιάθετος , hoc eſt , ratio æterna ? an cum ratio iſta in initio creationis facta eſt verbum ? Si prius , Tres Chriſti generationes inducuntur. Prima λόγε ἐνδιαθέτε ab æterno. Secunda λόγε προφορικε initio mundi. Tertia ex Maria virgine. quibus addenda omninò quarta de qua Paulus *Act.* XIII. 33. Qua neceſſitate tot entia multiplicantur ?

Si poſterius. Ergo ex mente Theophili non ab æterno ſed paulo ante initium mundi verbum eſt ſive factum , ſive genitum , per prolationem verbi FIAT.

II. Quæro , (utracunque harum explicationum generationis τ̃ λόγε) quomodo ex Evangelio probetur & ex quibus Evangelii verbis ? Hic vero demum tricarum finis nullus erit ; quas non amat Comenius , quando Caſſibus Veritatis intricatur & conſtringitur.

TATIANUS.

Cubile erroris Tatiani ipſemet Comenius oſtendit, *Proverb.* VIII. 22. Imo verò diſertis verbis fatetur bonum Tatianum cum cæteris erraſſe, dum ait: Inducebat tunc omnes in errorem erronea Græca verſio &c. Cur igitur inania verba fundit ; in oſtendendo , quod ab orthodoxa, hoc eſt, Comenii ſententia non aberraverit ? Aut Tatianus non errat quamvis in errorem inductus ſit. Aut Comenius unâ cum Tatiano errat. Medium nihil eſt. Quod in æternitate adjungit prius non eſſe , nec poſterius ; ipſiſſimæ ſunt gerræ ; (quidni enim Comenii magiſtri locis communibus utamur ad noſtrum profectum) puræ putæ affaniæ , & mera butubata.

IRENÆUS.

Quid opus eſt toties objectare Anonymo productorum ab illo teſtium diſſenſum in aliis rebus, præter eminentiam patris præ filio ; cum ille toties hunc diſſenſum non diſſimulet & ſeductos eos in aliis fateatur , non tamen eouſque, ut in hoc quoque de quo agitur capite ſeducerentur.

Irenæus filium facit minorem & inferiorem patre quia eum dicit miniſtrum patris. Non igitur æqualem. Reſpondet Comenius. Etiam Chriſtus dicit Pater major me eſt. Et tamen ex aliis Sacræ Scripturæ locis probatur filius Patri æqualis. At Anonymus inſtat. Exemplum & inſtantiam Comenii ſic vulgò conciliari ; quod æqualis ſit ſecundum divinam naturam ; minor ſecundum humanam. Atqui Irenæus eum miniſtrum & inæqualem ſecundum ipſam divinam naturam ſtabilit. Quid ad hæc Comenius ? Non aliud trepido refugium ſupereſt quàm in illa divina Logica ; ubi omnia heterogenea , imò extreme oppoſita ; veluti in regione æſtu torrida ; ad unicum fontem congregantur ; atque ibi invicem mixta nova ſubinde monſtra producunt ; & quæ nos ad illam omnimodam & admirabilem ſapientiam manuducit , quæ docet

Nil intra eſt oleam ; nil extra eſt , in nuce duri.

TERTULLIANUS.

Qui vim ac virtutem adverſarii ſuſtinere nequeunt , extrà cancellos duello præfixos excurrunt. Non ea res nunc agitur , utrum Tertulliano cum Anonymo in omnibus conveniat ; quem is ultrò ſeductum & errantem queritur : ſed an Tertulliano conveniat , cum Comenio , in hoc uno ; quod pater & filius

æquales

æquales sint secundum divinitatem. quod Anonymus cum Tertulliano negat : Comenius adversus Tertullianum affirmat. Victum se fatetur qui cominùs congredi non audet, sed extrà teli jactum ab adversario procurrit.

Ne tamen videatur, non & aliquando propius accedere fatetur vocem portionis è verbis Tertulliani tollendam, si omnia verba sana censeri debeant. Accipimus quod datur. Dissentit igitur Tertullianus à Comenii sententia qui vocem hanc addidit. Revocat postea quod dedit, & ait ; per vocem portionis intelligi communicatam essentiam. Resp. At certè non totam. Nam ubi pars aut portio dicitur oppositè ad Totum : ut fit in verbis Tertulliani ; ibi parti aut portioni non communicatur tota essentia totius ; sed pars essentiæ ; ideoque Totum & pars æqualia esse nequeunt & semper Totum majus est sua parte.

„ Fatetur & Tertullianum scribere, Deum qui-
„ dem ab æterno fuisse semper Deum ; non tamen
„ Patrem vel judicem ; quia nec Pater dici potuit,
„ antequam habuit filium ; nec Judex antequam es-
„ set delictum. Sed ad hæc Tertulliani verba nihil respondet, nisi forte in responsionibus quas sequenti Tertulliani loco subnectit, ubi aberrationem Tertulliani invitus licet, fatetur. Tertio subjungit „ Tertulliani verba ; quod Deus ut sibi necessariam „ sensit ad opera mundi sapientiam, statim eam con-
„ didit ; & generavit in seipso. Respondet Comenius Primo. Atqui sibi necessariam ab æterno sensit sapientiam. Ergo illam ab æterno genuit. Sed urget anonymus Tertulliani nomine. Comenium æquivocationis dolo decipere aut decipi in voce sapientiæ, quæ interdum proprie sumitur ; pro ratione vel sapientia propriè sic dicta ; quæ est attributum Dei ; aliquando improprie pro hypostatica & subsistente sapientia. Propriè dictam atque ingenitam semper in Deo fuisse, quia semper fuit sapiens & rationalis ; at Tertullianum de posteriori loqui, scilicet genita, vel ut addit Condita, postquam Deo mundum condere placuit. Non igitur istam esse potuisse ab æterno seu conditam ; sive genitam.

Secunda Comenii responsio Fatetur Tertullianum deceptum quod biberit ex impuro fonte versionis Græcæ. &c. Responsionem hanc non examinamus ; quia non is est status quæstionis, an Tertullianus bene senserit ; aut locutus fuerit ; sed utrum filium patri, ævo, dignitate, potestate, æqualem fuisse senserit, necne. Accipimus igitur quod datur, & discessisse Tertullianum ab ea quam orthodoxam Comenius putat ; sententiâ, probavit Anonymus.

Tertiò Comenius respondet, alterum fontem erroris Tertulliani & aliorum patrum ostendens, quod in æternitate prius & posterius esse ; falsò putaverint. Resp. Ne id quidem discutimus ; quamvis nihil stultius unquam cuiquam in mentem venisse, aut venire potuisse quam hoc commentum, non dubitemus. In quo vel ambitionem aut incogitantiam Boëtii viri aliâs elegantis & eruditi satis stupêre non possumus. Sed nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ est. Quamcunque causam isti patres sententiæ suæ, quam Comenius erroris accusat habuerint ; Anonymo hoc loco sufficit, eos sic sensisse.

Quarto Respondet Comenius ; Posito patres in tam profundo mysterio alicubi aberrasse, At. nos venia indignos, qui unâ cum afflictis in Polonia Ecclesiis, totum mysterium S. S. Trinitatis tollamus. Resp. Nos verò mysterium hoc nullo modo tollimus ; sed ab ejusmodi absurdis erroribus ; qui non modo seipsos, sed ipsum mysterium & totam religionem perimunt ; & innumeros mortales, in atheismum protrudunt, vindicamus. Mysterium S. S. Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti reverenter agnoscimus, & de personis ac rebus tàm sanctis ; verbis quoque sanctis & Sacræ Scripturæ usitatis, & ex Spiritus Sancti instinctu profectis, non profanis & multis post Apostolos seculis inventis aut invectis, utendum esse statuimus. Totum negotium religionis & salutis nostræ Pater per filium orbi revelavit ; eumque non modo pro nobis in mortem tradidit, sed resuscitavit, exaltavit & sedere ad dexteram suam fecit, datâ in manus ejus plenaria Salutis nostræ potestate, eumque tam arcto nobiscum nexu copulavit ; quàm arctum est inter sponsam & sponsum : caput & reliqua membra vinculum. Filius è terris in cælum discedens, spiritum paracletum promisit ; & à Patre in Apostolos & reliquos fideles misit, nec mittere cessat ; cujus operâ non modo Ecclesiam per orbem propagavit & propagatam gubernat, sed singulos fideles secum & cum Patre suo conjungit, ut cum patre & filio per istum spiritum (in quo orare & accedere ad utrumque jubemur) ac proinde inter nos quoque invicem, communionem habeamus. De naturis, essentiis, cælestibus Oeconomiis, hypostasibus & similibus nihil perspicuè revelatum, nihil omnino præceptum habemus. Altiora hæc captu mortali : & nova vocabula, ne novas res introducant, fugienda putamus.

XIX.

Ad pag. 121. §. 90.

Nemo propemodum veterum patrum fuit ; qui in summa rei, circa aliquod dogma consensere ; quin in modo explicandi, diversum aliquid ab aliis attulerit. Quod in enodandis perplexis & difficilibus quæstionibus (quales post Justinum in dogma S. S. Trinitatis invectæ sunt) accidere solet. Non ideo tamen quod ad rem ipsam attinet, inter se non consensere ii ; qui in modo explicandæ rei interdum à se differunt. Quid mirum si quid Arius quoque in explicatione communis dogmatis de suo adjecit. Sententiam tamen ejus, præcipuè de eminentia patris suprà filium, longe magis quam Homousianorum, conformem antiquitati fuisse, rectè asserit Petavius. Fallitur autem imò de industria fallit Comenius, dum ait ante Arii ævum Patres filium non factum sed generatum credidisse. Plerique enim eorum factum esse inculcant ; adeò ut ipse Tertullianus, quamvis omnium ut puto, illorum, sententiæ Homousianorum proximus ; conditum promiscuè & generatum prædicet. Multò autem indignius fallit dum id asserendo addit parenthesin (*ut vidimus*) quasi verò Lector meminisse nequeat, (quod adeò ad nauseam inculcavit Comenius ; ut repetitionem ejus rei Crambem vocârit) patres illos veteres, deceptos voce versionis Græcæ ἔκτισε creavit, aberrasse. Quisquis igitur locum hunc rectè versum credidit (quales omnes fuerunt) quem Deus creasse dicitur ; creaturam negare non potuit. Quapropter Gnostica veterum sententia pura puta Ariana fuit, Homousianâ antiquior ; quod rectè Petavius animadvertit. Nec (si quid pudoris supereſt) Comenius ipse negare potest ; qui exultam quarti & quinti seculi Theologiam ; quando Ariani oppressi sunt, opponit seculis prioribus, tanquam in diluculo veritatis balbutientibus.

XX.

Ad pag. 122.

Ad primum argumentum Anonymi, Respondet Comenius eum Mentiri. Resp. Compendiosum respondendi genus, & dignum divina Comenii Logicâ. Sed annon honestius possunt adversarii assertiones negari; aut refelli? At enim Ignatii verba alio quam spectant trahit Anonymus. Cedo quamobrem? Quia ipsi, inquit, cum Antitrinitariis res fuit. Quid tum posteà? Quacunque occasione id Ignatius dixerit; verba tamen, ut sonant, ostendunt Comenium, Ignatii sententiâ, Satanæ ministrum esse. Ad secundum Respondet Mentiris iterum. Nescio ubi ætatem triverit Comenius: sed ita vulgò in vilioribus popinis, inter ebrios, muliones, & caprimulgos altercantes, disputatur. Sed quid tantam bilem excivit homini? Commemorat Anonymus citatos à se Doctores; qui pro absurdo censuerint, dicere Deum omnipotentem unquam in terris apparuisse. Quid igitur ad hoc respondet Comenius? Iterum ringitur; & ad furias properat, quia ratione caret. Dicit tamen, ut suprà, citatos Doctores hæc contra Antitrinitarios prolocutos. Id verò nihil ad rem pertinet quando, & qua occasione id dixerint, sed an id dixerint: an ità, ut locuti sunt, senserint: Id unum ad jugulandam Comenii causam sufficit, quòd illi Christum patri non fuisse æqualem asseuerint. Quod ubi evincimus, alias circumstantias non moramur.

Ad tertium & quartum. Gratias agit & exultat: frustrà & satis pueriliter. Non enim id Anonymus ait, Confessionem patrum illorum in omnibus dogmatibus ab Apostolis profectam esse, neque Ecclesia semper mansisse; sed, uti se suismet verbis explicat, Confessionem duntaxat de summo Deo, patre, hoc est, de eminentia patris, suprà filium.

Secundo. Fatetur anonymus illos à se dissensisse, quòd Christum ante constitutionem Mundi à patre factum, aut genitum fuisse senserint. Non suam igitur, sed alienam & quidem testium ab adversa parte stantium, ad quos illa Sæpe recurrit, sententiam proponit; de qua nunc non id quæritur, veranè an falsa, an partim vera partim falsa sit: sed an ea patrum illorum sententia fuerit: aut an id, quod vult Anonymus in uno isto dogmate & quidem constanter testentur. Professos igitur eam, ait; non modo privatim, sed publicè, etiam coràm Imperatoribus. Proinde etiamsi illi errores quoque suos, unâ cum isto de summi Patris eminentia dogmate; pro publica & Apostolica doctrina venditassent, non idcircò se hac ipsorum jactantia Anonymus ad assentiendum ipsis in omnibus obstrictum esse existimat. Non enim suos sed alienos, imò adversæ partis testes producit: ut tanto validius sit, contrà ipsum eorum testimonium. Breviter, Testibus adversarum partium, minimè stringitur anonymus. At si quid illi, in ejus rem vel adversus causam eorum, qui ad eos confugiunt testentur, causa à suismet testibus oppugnata & convicta jugulatur.

XXI.

Ad pag. 126. §. 94.

I. Quemadmodum ipsi Apostoli, ita Symbolum eorum omnibus citatis ab Anonymo, præsertim quorum libri suspecti non sunt, patribus, antiquius est, & majoris auctoritatis. superfluum igitur est illud fulcire alicujus patrum præterquam ipsius Sacræ Scripturæ, testimonio. Nec explicari indiget; omnibus etiam Idiotis perceptu facile ac patens, ut Apostolica omnia.

II. Non potest os Comenii maledicum quiescere. Ubi occasionem conviciandi non invenit, ipse sibi ex nihilo creat. Non adjecit vocem Homo ad symbolum anonymus, tanquam in eo contineretur, sed explicuit vocem Jesus in symbolo positam. Quod autem rogatur, unde vocem aut explicationem illam acceperit, respondetur; Ex Joanne, qui Jesum ita describit, *Qui in carne venit*; quod non aliud significat quàm hominem; deinde ex tot Sacræ Scripturæ locis, quæ Christum fuisse filium hominis asserunt. Quæ igitur Comenio causa fuit tota ingentia plaustra tot maledictis onerandi, ut illis Anonymum obrueret? Quem non Logicum, sed Sophistam, falsarium, publicam fidem Christianitatis licentiosis additamentis depravantem; dignum omnibus pœnis, quas falso testi jura irrogant, magno conatu accusat. Annon hæc omnia in Conviciatorem recidunt? qui similiter vocem *Credo*, vocibus in Jesus Christum, addidit & particulam *Et* omisit; quarum illa in Symbolo deest, hæc autem superest. Æquumne censebit Comenius sese eo nomine pro falsario publicari? & puniri?

III. Cur ea, quæ posterius in symbolo, Jesu illi, in quem creditur, tribuuntur; puta Conceptus è Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & cæterum; sint aut tantum, aut magis *prædicata* τοῦ λογου, quàm quæ prius; putò Christus; Filius Dei, Unigenitus; nunquam ostendet Comenius. Sunt enim & hæc omnia tria, de Jesu illo (qui in carne venit, & ideò ab Anonymo homo vocatur) prædicabilia: imo verò in Sacra Scriptura de hoc ipso Jesu prædicantur omnia. Christus 1. *Joh.* 11. 22. & *cap.* v. 1. Filius Dei 1. *Joh.* IV. 15. & *cap.* v. 5. Unigenitus. 1. *Joh.* IV. 9. & passim alibi. Doctor igitur & Censor Logices Anonymi; discat discipulum doctrinæ de prædicabilibus agere; cujus se penitùs ignarum ostendit.

XXII.

Ad pag. 128. *ad lit. c. d. e.*

I. Argumentum anonymi est. Prædicatum ita esse intelligendum, quomodo natura subjecti permittit. Ergo & quæ in symbolo prædicantur de Jesu, cui nascituro ex Maria virgine nomen hoc imponendum; & nato homini impositum fuit, ita sunt intelligenda, quomodo natura illius divini hominis; divina quidem stirpe sati, sed in mortali natura geniti, permittit. Respondet Comenius, Logicæ strophæ, spinæ, tricæ exsunto. An loco rationum, quas Logica suppeditat ac dirigit, lictores & carnifices, cum ferreis & cruentis argumentis advocabit? Estne hæc legitima respondendi ratio?

II. Verba deinde Anonymi turpi falsatione depravat Comenius. Concipi, nasci, mori, resuscitari, non sunt proprietates naturæ infinitæ; quæ Deus est (puta omnium summus) Ergo de quo ista prædicantur, filius esse non potest nisi Metaphoricè, aut metonymice. Antecedens est Anonymi. Sed illata conclusio Comenii falsa pro verâ furtim supposita: & expressis hoc loco Anonymi verbis contraria, quæ sic sonant. "*Qualis filius Dei* hic intelligatur, constare, nimirum, qui natus est ex Maria Virgine, crucifixus, mortuus, resuscitatus, receptus in cælos, sedens ad dexteram patris & venturus ad judicandum vivos & mortuos; quæ omnia Singularem & unigenitum *Proprium*que Dei filium indicant." Hæret igitur potius Comenius in manifesto

FALSI

FALSI crimine deprehensus, tanquam Mus in pice. Nec respondet ad argumentum; sed verba argumentantis depravat, & in contrarium sensum detorquet.

III. Non minùs Redemptio & sanctificatio, per excellentiam tribuitur Patri; quam Creatio vetus. Est enim Summus Deus, & causa omnium prima. creatio vetus nunquam filio tribuitur, nisi nova & cujus est primogenitus ipse primum; mox & creator, & per quem omnia ad eam pertinentia administrantur.

IV. Supersluam aperam, & quidem adversus semetipsum suscipit Comenius, probando id quod nos maxime urgemus; nihil ex iis quæ credenda sunt in Symbolo Apostolico omissum: & tamen videmus de æterna generatione altum illic esse silentium. Unde invictum adversus supposititiam Gnosticorum doctrinam sumitur argumentum, Quod est de essentia fidei, in fidei Symbolo protereundum non fuisse. Si tam necessaria igitur ad fidem est, Gnosticorum, aut qui eos subsecuti sunt sententia; necessariò in hoc symbolo disertè ponenda fuit. Nunc videmus silentio transmissam. Nam quod causam hujus silentii Comenius reddit, quia per se patet, Deum esse ex Deo genitum, vanissimum est. Si enim id per se pateret, non explicaret tam apertè & accuratè ipsum Symbolum, quomodo Jesus sit Christus & filius Dei unigenitus tàm secundum carnem: quam secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, ut facit.

Secundum carnem quidem ostendens, quod conceptus sit ex Spiritu Sancto & ex Maria virgine. Unde necessario liquet; neque filium habere potuisse alium patrem, nisi cujus Spiritu & potentia conceptus & ex intacta virgine natus est; neque patrem ullum ejusmodi alium filium habuisse; qui tam propriè filius Dei unigenitus dici posset. Quorum utrumque multò magis secundum Spiritum Sanctificationis generationem filii considerando patet, quæ generatio exprimitur in symbola in verbis, Tertia die resurrexit, ascendit in cælos, & sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos & mortuos. De hac generatione, cui exaltatio conjuncta est, Apostolus loquitur. *Act.* XIII. 33. Satis igitur in symbolo Apostolico explicata est; vera illa & germana unigeniti generatio ac filiatio; quæ utramque naturam Christo contulit: humanam quidem primum & mortalem secundum nativitatem ex Maria virgine; deinde subsequenter divinam & gloriosam, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, hoc est, secundum exaltationem illam in Naturam, dignitatem & potestatem; Unico & unigenito filio Dei dignam; resurrectioni ejus adjunctam.

At Gnosticæ sive generationi; sive creationi, ubinam in hoc Symbolo locus est? ubi vel minima ejus mentio aut indicium? Cur ea, inter scienda aut credenda, collocari non meruit?

Unde patet, quam apertè tàm sancti testis fide convincatur Comenius.

XXIII.

Ad pag. 129. §. 95. *& seqq.*

Antequam ad refellendum Comenium accedamus, aliqua nobis præfanda sunt, quæ ad historiæ Ecclesiasticæ notitiam pertinent.

Sententiam hominum; qui suprà Symbolum Apostolicum sapere non audebant, quam Eusebius *lib.* v. *cap. ultimo*, Artemonis vocat hæresin; nemo ante Victorem in Occidente; in Oriente verò ante Origenis tempora, qui sub Zephyrino Romæ fuit; nemo inquam hæresin, eamque ab Ecclesia excludendam palàm vocare audebat. Nec ullum ex antiquioribus, qui hæreses oppugnabant, Scriptoribus, invenit Eusebius, qui adversus istud hominum genus ex professo calamum strinxerit.

Quamvis enim Gnostica post Justinum opinio, in Ecclesia multum invalescere cæperit: Caritas tamen & tolerantia erga eos, qui symboli Apostolici scuto & auctoritate protegebantur, diu mansit intemerata. Primus nescio è quibus latebris eratus ab Eusebio; aut subornatus; Zephyrini tamen ævo non antiquior tenebrio, in famam & nomen eorum; hostiliter sanè & maledicè, sed minimè audacter, (quia nomen suum prodere ausus non est) invasit. Eusebius apertius illis, ubi potest, maledicit; adversus quos ex professo decem libros Ecclesiasticæ suæ historiæ, composuit, quod hominis consilium atque propositum primus ejus liber aperit. Unde patet quantum fidei narratio ejus mereatur, quoties sinistri quid adversus eos profert. Comenius non sine argumento suspicari videtur, sub nomine istius ignoti Auctoris, Artemonis adversarii, Eusebium ipsum loqui. Nec fortasse fallitur. Sed, ut ut sit, cujuscunque hoc scriptum est, Auctor ejus imprudens atque invitus pro Artemone testimonium dicit. Primum ubi susceptæ adversus eum causæ defensio titubat atque laborat. Deinde ubi calumniæ iniquitas aut stultitiâ pravè traducta in innocentiam, profert in lucem.

Primum quod attinet. Gnosticæ de Christo sententiæ antiquitas è Sacra Scriptura deduci nequit; cujus compendium est symbolum Apostolicum, in quo, ut vidimus, opinionis hujus nec vola extat nec vestigium. Quod ad proximos Apostolorum successores attinet, nemo Justino citatur antiquior. reliqui discipuli ejus fuere, philosophiæ studiosi, aut hæretici, ut Tatianus. Prætereà nihil adversus Artemonem pugnat; quod Christus aut verus Deus, aut tàm divinus homo dicitur, qui unâ verus Deus dici possit. Idem enim Apostoli & Apostolici viri, tàm Nazaræi saniores, quibus Ebioneorum nomen falso, nec sine dolo malo, Eusebios imposuit, quàm alii ante Artemonem innumeri; quos Monarchianos Tertullianus vocat; atque ipsi Artemonis majores & asseclæ crediderunt. Nimirum Jesum quamvis homo natus fuerit, à Deo patre tamen constitutum Dominum ac Deum verum, cum summa super omnia potestate. Proinde & psalmi isti & hymni de Christo tam Deo vero, quam verbo Dei; ab iis non modo cani, sed componi quoque salva eorum sententia potuere. Subdole prætereà & calumniosè in hoc scripto Artemoni tribuitur, quod Victorem suæ sententiæ astipulatorem jactaverit. Nihil minùs enim quàm id ex supra posita, in eodem libro, Artemonis assertione colligitur; qui non aliud affirmat *quàm veram Apostolicæ prædicationis rationem, usque ad Victoris tempora integrè servatam; sed à Zephyrino*, PENITUS *corruptam & depravatam fuisse*. Non igitur ille Victorem à suppressæ aut oppressæ veræ in Ecclesia doctrinæ culpâ planè eximit: sed expressè, eum ab integrè servatâ ista veritate excludit; cum ad ejus tantum tempora veritatem integrè servatam in Ecclesiâ affirmat; & apertè Victorem cæpisse innuit oppressionem veritatis, quam successor ejus Zephyrinus penitùs perfecerit. Non enim alium ullum Victor ex Ecclesia ejecisse dicitur; præter Coriarium istum Theodotum, cum multi alii eruditissimi Mathematici, philosophi, Medici, Theologi; quos paulo post ignotus ille Auctor insectatur & calumniosè traducit; imo frequens Ecclesia, quæ mox Episcopo suo indigeret; idem cum Theodoto sentirent. Quos à successore demum Victoris Zephyrino ab Ecclesia exterminatos; vel hæc ipsa de Natalio narratio testatur.

teſtatur. Nihil igitur in verbis Artemonis, productus ab Euſebio Auctor hucuſque verè refellere potuit; ac proinde aſſertio Artemonis, de ſententiæ ſuæ, ab Apoſtolis continuè deductâ antiquitate vera atque inconcuſſa permanet. Nam fabella quæ ſubjungitur, & calumniæ quæ adjiciuntur, ſuâmet ſe futilitate refellunt. Jam enim ad alteram rationem, quâ ignotus hic Auctor imprudens atque invitus, Artemonitarum innocentiam palàm aperit, veniendum eſt. Fabella primùm de Natalio ab Angelis virgis cæſo; & quidem per integram noctem, quàm bella eſt? Hac enimverò ratione, plagis videlicet ac verberibus, Chriſtus Eccleſiam ſuam gubernat: hujuſmodi imperiis Angelorum ſuorum miniſteria exercet. Apparet jam tunc violentam iſtam & plagoſam Orbiliorum in Eccleſia gentem, iſtiuſmodi ſomniis, ſæviori poſteà & truculentiori, dominationi in Eccleſia ſecuturæ, præluſiſſe. Nam & tunc, ſi vera narrantur, quis ille Zephyrini faſtus, quæ crudelitas fuit, ſupplicem ac pœnitentem, ſinere tamdiu ſuperbis ac fœtentibus pedibus ſuis advolvi; & adeo ægrè ac tardè exorari. Ita fabulatores iſti, ſuamet deſpumant dedecora. Cauſa vero ſuſpecta eſt fabulis ejuſmodi pugnantium; quibus errores ſuos ſemper ſtabilivere Antichriſti. Aliquantò plùs & judicii & frontis, ignotus iſte Anonymus habuiſſe videtur (ſi modò alius fuit, non ipſe Euſebius); qui nomen ſuum tàm anili ſomnio non appoſuit; quàm Euſebius qui propter inſulſiſſimam fabellam, (quod ipſe quoque non diſſimulat) narratione ſua de Artemone, & qui cum ipſo ſenſere, non parum nobis lucis, ad diſpellendos, ab hiſtoria Eccleſiæ, quas in eam ipſemet infudit, tenebras, attulit. Adeò amans fabularum erat (quod de Abgaro quoque & de Narciſſi miraculis narrationes teſtantur) ut à lege, quam ſibi fixerat de omittenda mentione eorum, qui in doctrina Chriſtiana ſuprà ſymbolum Apoſtolicum ſapere non audebant; & quam hucuſque ſanctè ſervaverat, diſcederet. Nam iſto ſilentio id venabatur, ut quicunque poſteà ejuſdem veritatis profeſſioni conſtanter adhærerent, pro novarum opinionum inventoribus diffamari poſſent. Hæc enim Gnoſticorum, qui poſteà Ariani vocati ſunt, fuit techna, qua veteris Apoſtolicæ doctrinæ defenſores, ſupplantabant, quâ Euſebius multùm uſus eſt; nec in iſta ipſa Narratione abſtinuit: dum ſtatim ab initio ſuis adhuc verbis „*Artemonii hæreſin quam Paulus Samoſatenus ſua ætate renovare tentavit*; quæ ſervatorem ſolum hominem „eſſe aſſeverabat, *non longe ante exortam*, affirmat. Quibus in verbis quot commata ac pene verba ſunt, tot mendacia, quæ ab ipſomet Euſebio falſi convincuntur. Neque enim Artemon ejus hæreſeos auctor dici poteſt; quam Euſebius ipſe, ſub mendaci itidem Ebionitarum agnomine in ipſo pene Apoſtolico ævo commemorat. Ac ne renovator quidem ipſius cenſeri poteſt, ſi verum eſt, quod tacente ac volnt aſſentiente. Euſebio, ſcriptor ab eo productus, narrat, Theodotum Coriarum primum hujus ſectæ Ducem & quaſi parentem fuiſſe; primumque Chriſtum ſolum hominem dixiſſe, & expreſſe mox hujus erroris *Inventorem* fuiſſe repetit.

Quæ omnia fabulas eſſe non ignoramus; ſed ideo commemoranda fuerunt, ut pateret, quomodo ſibi ſtructæ fraudes & mendaciâ cohæreant. Deinde doctrinam Artemonis Paulum Samoſatenum renovare tentaſſe, eodem mendacii ſpiritu dicitur; quaſi doctrina quam Artemon, unà cum aliis profeſſus eſt; ante Paulum extincta fuerit; quæ pluribus poſteà ſeculis, uſque ad adultos Antichriſtos, ſub variis, partìm veris, partìm falſis agnominibus duravit. Taceo quàm iniquè & mendaciter, tam Paulo, quam Theodoto: quàm ipſi Artemoni ac ſociis tribuatur, eos Chriſtum ſolum hominem dixiſſe, quaſi eum filium Dei in potentia ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum, à patre genitum (*Act.* XIII. 33.) ac proinde verum & ſuper omnia Deum, cum ſumma poteſtate & imperio, negarent. Illud unum urgeo, qua fronte & conſcientia Euſebius aſſerit doctrinam hanc, quæ teſte ſymbolo Apoſtolico; primum viguit: deinde (ut ipſa hiſtoria oſtendit) uſque ad Victorem tolerata eſt in Eccleſia; paulo ante Victoris tempora exortam eſſe? Unde verò ſcivit Euſebius, longo an brevi tempore, ante Victorem iſta doctrina exorta ſit? Si neſcivit; cur aſſerit, quod ignorat? Si ſcivit, cur tempus iſtud? cur auctores? cur cauſas & occaſiones exortæ hæreſeos non indicat? cur hiſtoriam ſcribere aggreſſus hiſtorici officio deeſt? Hæc ſunt quæ nobis fraudis & mendacii, non ſuſpectum modo; ſed convictum Euſebium reddunt. Non deerant homini eruendæ veritatis ſubſidia, ni cæco Gnoſticæ & Origenicæ factionis ſtudio abreptus, ſupprimere quæ ſciebat; aut certò ſcire poterat; quam vocare in dubium quæ falſò opinabatur, maluiſſet. Cur enim cum alias omnes hæreſes deſcribit, auctores earum, tempora quibus exortæ ſunt, occaſiones non reticet? cur ſatis anxiè; Auctores à quibus ad eum de rebus iſtis notitia permanavit exhibet, eorumque verba religioſe recitat. Ubi ad Confeſſores Symboli Apoſtolici ventum eſt; primum nullum auctorem, à quo id quod ſcribit acceperit, citare audet: ſed ſua fide, ſuis verbis narrationem inſtituit, ita tamen ut falſitas tanquam Sorex, ſuo ſe indicio prodat. Deinde quia tale hominum genus, nullum præter Apoſtolos auctorem habuit, & ſymboli Apoſtolici doctrinam puram profeſſum eſt; nec inter Chriſtianos ex Judæis tantùm, ſed gentes quoque ad Chriſtianiſmum admiſſas, maximo numero reperiebatur; præſertim priuſquam Gnoſtica factio, in vires & majora incrementa exurgeret; nec poterat nec auſus eſt Euſebius uni alicui Auctori ſententiam iſtorum hominum attribuere, ſed contemptum atque exoſum inter Chriſtianos ex Judæis ſectæ genus Ebionitas elegit; cum quo hos Apoſtolicos primi ſymboli confeſſores calumnioſiſſimè commiſceret. Quæ ſecta Ebione neſcio quo auctore (nam Euſebius hominis nomen ſuppreſſit) Chriſtum Joſephi filium aſſerebat: & Judaicos ritus omnibus Chriſtianis neceſſariò ſervandos ingerebat. Ebionem ſectæ auctorem plerique tradunt, & circà excidii Hieroſolymitani tempus venena ſua ſparſiſſe Petavius ex *Epiphan. lib.* v. *cap.* v. Rationarii temporis refert. Cui opinioni favet mos vulgaris, ac pene univerſalis Sectarios à Sectæ auctore vocandi. Euſebius tamen non ab auctore, ſed ab opinionum de Chriſto paupertate atque vilitate, ſic denominatos credi vult. An ideo fortaſſe (nihil enim fraudis in ejuſmodi rebus omittere ſolet) ut hæreſin iſtam infamem cum orthodoxa Confeſſorum Symboli Apoſtolici ſententiâ (quæ ipſi quoque vilius de Chriſto loqui viſa eſt) confunderet? Quod mihi quidem à genio & inſtituto Euſebii; (quem ſibi, pii, aut potiùs factioſi mendacii veniam paſſim permittentem video,) non abhorrere videtur. Ut ut ſit, ſive Ebion aliquis Joſephitarum auctor exiterit; ſive illi propter cognitionis rerum divinarum, in religione Chriſtiana egeſtatem, (ut ſic loquar) ita vocati ſunt, nomen iſtud Hebraicum eſt; nec à Chriſtianis gentilibus tunc Hebræam & linguam & gentem averſantibus: ſed ab iis qui ex Hebræa gente Chriſti fidem & doctrinam receperunt, inventum & impoſitum eſt. Hoc eſt, à Nazareis; qui ab infidelibus Judæis tribulibus ſuis, in contumeliam Domini, qui ſub hoc titulo crucifixus proſtitit, ita vocati ſunt, & ſaniorem Symboli Apoſtolici doctrinam profeſſi

professi Josephitas, homines in Christi cognitione rudes, Semi-Christianos & planè Judaizantes, hoc agnominis discrimine à se separabant. Quo magis iniquitas Eusebii conspicua est, qui Gnostici astus malignitate agnomen id in eos ipsos transtulerit; qui illud arguendæ Josephitarum ignorantiæ & errori adinvenerant. Cujus culpæ semetipsum convincit *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap* XVI. ubi cum interpretes Bibliorum, Aquilam, Symmachum, & Theodotionem nominasset, addit hæc verba, *Sciendum vero est ex interpretibus illis Symmachum fuisse Ebionæum. Est vero hæresis illa Ebionitarum sic dicta eorum, qui Christum de Joseph & Maria natum dicunt, & nudum esse hominem; & legem more Judaico servandam esse putant.* Quibus verbis Symboli Apostolici confessores ab agnomine Ebionæorum prorsus excludunt; qui Christum non ex Josepho sed ex Spiritu Sancto conceptum; nec nudum, sed divinum & divina stirpe satum hominem, dicunt: nec necessitatem observantiæ Mosaici fœderis, sed cælestis ac sedentis ad dexteram Dei Regis Omnipotentis obsequium urgent. Prætereà cum Symmachum solum à reliquis duobus Aquila & Theodotione separet, quos tamen constat non Gnosticos sed Apostolici symboli confessores fuisse; quis non videt, istos Gnosticorum adversarios, viros Apostolicos ab Ebionæorum hæresis societate, palàm secerni ac removeri? Unde patet quo jure eos *lib.* III. *cap.* XXIV. cum veris Ebionæis confundere tentaverit; idque tàm turpi & inhonestà fraude; ut cum de veris Ebionitis narrationem præmisisset; illisque istos insontes & Ebionæis in omnibus adversos inverecundè admiscuisset: descriptionem postea verorum Ebionitarum subdole subjungat; quod Pauli epistolas & Evangelia opinioni ipsorum adversâ rejiciant. Factum id haud dubie eo consilio, ut Lector deciperetur; & putaret istos quoque Symboli Apostolici Confessores, in eo veris Ebionitis suffragari. Quæ fraudulenta est, & indigna Cæsareæ Palæstinæ Episcopo, impostura. Cur enim isti Evangelia rejicerent, qui confitente ipso Eusebio Christum ex Spiritu Sancto conceptum esse credebant? cur Pauli Epistolas? qui tametsi ipsi, (ficuti & Paulus) ritus gentis suæ (præsertim in patria) non negligebant, necessitatem tamen eorum servandorum gentibus non imponebant. Quod alterum ex ipso quoque Eusebio patet; qui hoc ipso loco; ubi istos Apostolicos viros cum Ebionæis quam maximè commiscere & confundere satagit; inter ipsos ac veros Ebionæos, manifestum circa servandam Mosis legem discrimen reticere non ausus est: quòd videlicet Ebionæi, omninò necessariam esse legalem observantiam statuebant; hi verò tantùm, ipsi legis cultum sectari sategerunt. In quo cum Paulum Ducem haberent (qui perinde atque alii Judæi aut etiam alii Apostoli legem ipse observaret) nihil doctrinæ aut epistolis ejus repugnans sensisse aut fecisse censendi sunt. Cum igitur in ea Confessorum Symboli Apostolici parte, quæ ex Judæis orta, Christianismum recepit (qualis erat tota Judaica Ecclesia) Gnostica & factiosa Eusebii fraus deprehendatur; non plus fidei ipsi in altera, & multò majori eorundem Confessorum parte, quæ ex Gentibus orta est, adhibendum est; neque ullo modo credendum, eorum sectam non longe ante Victorem exortam. Neque enim secta fuit: sed tota fere Ecclesia eaque Catholica ex illis, quos Tertullianus Monarchianos vocat, maxima ex parte constans, quæ Symboli Apostolici confessione doctrinam de rebus divinis ac religionem suam profitebatur: Neque soli Judæi, sed Gentes quoque omnes ad Christum admissæ ejusmodi compendio, mentem ac sensum suum de rebus ad fidem pertinentibus exprimebant. Nec aliunde quam ab ipsis Apostolis publica hæc & antiquissima omnium sententia, orta esse evincitur. Enimverò patescere incipiunt tam subtilis fidei Scriptoris doli; qui plurimùm historiæ veritati, falsis aut à vero (ubi potest) detortis narrationibus, sed plùs maligno silentio nocuit. Quod si non multum in his rebus Eusebio; Multo minùs subornato ab eo testi credendum est, Scriptori ignoto, & in impudentibus mendaciis & fabulis nomen suum prodere non audenti. Qui quâ fide Theodotum coriarium istius sententiæ primum auctorem, Ducem & inventorem statuat; dicat ipse Eusebius; qui opinionem hanc pridem Ebionitis; nunc autem Artemoni tribuit. Nam alterutrum mentiri necesse est. Redarguat quoque seipsum productus tenebrio; qui in eodem libro suo apud Eusebium, secundum ipsius quoque Comenii interpretationem: Theodotum hunc Coriarium, *primum propter istam novam prudentiam, imo verò* (ut ait) *amentiam, ex Christianorum communione à Victore exclusum prædicat.* Hinc nimirum vana collectio & fabula derivata est; quod primus ejus sententiæ auctor diceretur aut putaretur, qui primus propter eam à Victore damnatus & excommunicatus est. Atqui multum inter hæc discriminis intercedit. Nec ullo pacto verisimile est, hominem illiberale opificium exercentem, tot viris eruditis, Logicis, Mathematicis, Philosophis, Medicis, Theologis, quot & quales ab eodem infrà prædicantur, in opinionibus fidei facem prætulisse.

Ex hoc de Theodoto somnio, in quo tàm impudenter tenebrio mentitur, facilè conjici potest, quanti & quam calumniosi mendaciorum folles, in posterioribus verbis ejus, inflentur. Scripturas ab Artemonis complicibus corruptas ait, & probat quia non pauci inter eos, diversa & inter se discrepantia Sacrorum librorum exemplaria habuerint. Cui verò id mirum videri possit; qui diversas versiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis 70. interpretum & alias non ignoret? è quibus postea Origenes Tetrapla & Hexapla sua formabat. Sed quid hoc ad emendationem aut potius falsationem Sacræ Scripturæ facit? Nunquid hodie Sacrorum librorum falsarii censendi sunt, in quorum bibliothecis denæ aut vicenæ Sacræ Scripturæ librorum versiones aut editiones planè diversæ ac discrepantes inveniuntur. Nam illud refelli indignum est; quod iis bonarum artium studia tanquam crimina objectantur: quasi Obtrectatores ipsi Platonicis libris impalleſcere neglexerint. Cætera calumniarum plaustra ne mentione quidem digna sunt.

His ita præmissis ad insultationes Comenii accedamus, quæ cum maxima ex parte Eusebii, & istius ignoti Scriptoris fide, suspectissimis testibus nitantur; quàm vanæ & futiles sint, benignus Lector judicabit.

Rationes Eusebii adversus nos pag. 132. allatas, partim jam refutavimus, partim mox commodiori loco refutabimus. Spiritum Antichristi, quem in Zephyrino ignotus Auctor vel Eusebius depingit, sævum, crudelem, superbum; in Comenium illapsum pag. ejus 133. legimus; quandò tàm facilè & tàm avide arripit, in nos, etiam pœnitentes & ad veritatem prætensam conversos; sæviendi exemplum, & omnes sibi unquam adversatos pedibus calcandi libidinem. Et quasi morositas & arrogantia Zephyrini laudabilis sit & imitanda, probat apertè nos Artemonitarum

similes esse. Quod refellere superfluum erat nisi calumnias contrà nos pariter, atque ipsos Artemonianos aut potius Symboli Apostolici confessores, admiscuisset.

Prima adversus illos calumnia est, quod secta eorum, non ab Episcopis aut Ecclesiæ Doctoribus; sed ab opificibus Coriariis & mensariis orta sit. Atqui Sacra Scriptura & compendium ejus Symbolum Apostolicum: ab Episcopis Episcoporum Apostolis ortos eos ostendit: nec sectam eos fuisse sed Ecclesiam Dei, antequam conspiratione impii erroris, (ut Hegesippi verbis utar) sub Victore & Zephyrino Romæ opprimeretur; & post oppressionem demum falsò secta dici cæperit. Cujus rei vel in productorum adversus eos testium confessione satis evidentia extent vestigia. Annectitur hic contrà Ecclesias in Polonia afflictas similis calumnia; imò additamento isto augetur; quod ordinatum ministerium Ecclesiasticum non habeant; quod falsum esse omnes, rerum istius Ecclesiæ non ignari, sciunt.

Calumniæ postea plurimæ, contra utrosque plena manu sparguntur. Quas, quia nullis documentis innixæ sunt, uno verbo non agnoscimus: & quia liquidò falsæ & inverecundæ, contemnimus.

XXIV.

Ad pag. 135. §. 96.

I. Clementem Romanum Justino in Gnostico dogmate præivisse, ex nullo Scripti ejus vocabulo aut vestigio colligi potest. Alexandrinus non dogmatibus tantum, sed titulo quoque Gnosticorum gaudet. Hunc igitur potiùs Origenis præceptorem; ignotus Eusebii Auctor intelligit.

II. Justinus florere non potuit statim atque natus est aut in pueritia sua: & ad Christianos ætate & philosophiâ maturior accessit; quam ut Joannem, Ignatium, Polycarpum audire præceptores potuerit. Neque id in scriptis suis dissimulasset; quemadmodum de Polycarpo fecit Irenæus.

III. Viguit Symboli Apostolici auctoritas; quamdiu Caritas & pietas in Ecclesia viguit. Quid enim obstat quod boni quidam patres; nec illi pauci, in quibusdam de Christo opinionibus seorsim ab aliis abirent; si tamen iidem unà cum illis credebant Jesum esse Christum, & mutuæ Caritatis officiis connectebantur.

At postquam extincta Caritate, Fides in Jesum pluribus visa non est, esse fides in Christum; atque ita per obliquum, Jesus ille cæpit videri non implere dignitatem Christi; spreta est, quæ insontes protegebat, Symboli Apostolici auctoritas; & successit in Ecclesia mutatio; quæ toto tertio seculo, nova post Apostolicum symbola parturiens; tandem initio quarti Nicænum ac demum subsequentia enixa est.

IV. Mutatio doctrinæ in Symbolo Apostolico comprehensæ; neque subita fuit; neque ab uno homine, uno quopiam angulo, ut ait Comenius, residente fieri cæpit, quemadmodum nova illa doctrina Mahometis; quæ ab uno homine in Arabiam invecta, momento temporis exiguo, id est, annorum circiter triginta spatio ab obitu pseudoprophetæ, maximam orbis partem occupavit. Aperte & violenter, ideoque subitò in orbem ingressa est Mahometis impietas. Sed Antichristi deceptio ac dominatio, per cuniculos, fraudes, & impostura, ideoque lentè in Ecclesiam irrepsit; nec usa est suis viribus; donec ipsi prius probè placuissent. Mysterium iniquitatis & errores Antichristo viam munientes; jam inde à temporibus Apostolicis initium sumpsere, omnibus quidem Sacris Scriptoribus; sed præcipuè Paulò & Joanne testibus. Certè Joannis tempore multi dicuntur extitisse Antichristi, quorum videlicet messis adhuc erat in herba. Errores quoque, quos spargebant, præcipuè circa personam Christi, Apostolico digito indice notati sunt: & Spiritui Antichristi characteres additi; quibus noscitari ac deprehendi posset. 1. In doctrina quidem, quod omni conatu tentaturus esset; ne homines Jesum illum; qui in carne venit, hoc est, homo natus est: qualem nobis Symbolum Apostolicum describit, crederent esse Christum. 2. In vita & moribus quod extincta fraterna Charitate, in Ecclesia dominationem occupaturus; & conscientiarum oppressione esset grassaturus. Non igitur Justinus primus errores Antichristo viam munientes sparsit in Ecclesia. Jam ante ipsius quoque Pauli tempore; multi Doctores aureo Apostolorum fundamento, ligna, stipulam, fœnum inædificare cæperant; animo plerique non malo, sed pernicioso ac tristi exitu; quod vel inde patet, quia licet opera eorum exurenda sint, ipsi tamen salvandi dicuntur, sed tanquam per ignem. Nec deerant alii deterioris notæ; qui pravo & contentioso animo Evangelium non cassè prædicabant. *Philip.* 1. 16. tantum ut vinculis Pauli novam afflictionem adderent. Non pauci etiam perversa & διεστραμμένα loquebantur, ut abstraherent discipulos post se. *Act.* xx. 30.

Jam verò Joannis quoque tempore, Antichristi, aut eorum prodromi certare in Ecclesia cum fidelibus ausi sunt; illo ipso Spiritu armati, qui pro charactere & indicio agnoscendi Antichristi, nobis propositus est. Sed homines ex mundo loquentes (1. *Joh.* IV. 5.) victi sunt (1. *Joh.* IV. 4.) ab iis, qui Apostolis auscultabant *ex Deo loquentibus.* (1. *Joh.* IV. 6.) Post obitum Apostolorum impii erroris conspirationem indies magis magisque invalescere cæpisse, Hegesippus queritur, in ipsa quidem Ecclesia. Quid enim ad virginitatem ejus imminuendam pertinebat, quod fiebat extrà Ecclesiam? Et omnes propemodum hæreses sub titulo reconditioris rerum divinarum cognitionis & scientiæ (sed falsò nominatæ) irrepebant in Ecclesiam: quod tot Gnosticæ sectæ testantur in ea exortæ. Gnosticas autem sectas, generali vocabulo apellamus omnes, quæ symboli Apostolici simplicitate non contentæ; altiori ac sublimiori γνώσει & scientiâ homines imbuere videri volebant. Quæ affectata scientia, quia falsa & falsò prætensa fuit; ψευδώνυμος γνῶσις, hoc est, falsa nominata scientia dicta, & in plurima errorum divortia diffecta est. Quamvis autem absurdiores & magis væcordes Gnostici aut pulsi sint; aut ultrò ex Ecclesia excesserint; Saniorum tamen Gnosticorum maximus numerus in populo Christi remansit; quarum aliqui ne titulum quidem Gnosticum fastidiebant; ut in Clemente Alexandrino notavimus. Alii verò tametsi nomen aspernarentur, & illud absurdioribus sectis tribuerent; revera tamen supra Symbolum commune & Apostolicum sapere sibi videbantur. Certè Ecclesiæ adhærebant, quotquot non malo animo impulsi in Gnosticas hallucinationes deflexerant. Etenim præter malas & vitiosas libidines; quæ perversos homines ad excogitandas hæreses stimulabant, non deerant plures causæ satis honestæ, quæ etiam proba pectora ad Gnosticos errores impellerent. Primum omnium philosophi ac literati eruditionis

eruditionis ſuæ opes ad locupletandam religionis doctrinam conferre, in parte officii ponebant. Proinde ſi quas aut voces, aut res, in doctrina Chriſtiana invenerunt, quæ cum Ethnica Sapientia conciliari, poſſent ad propoſitum ſuum vel invitas trahebant; & interdum Ethnica dogmata emendabant; ut Chriſtiana apparerent: nonnunquam Chriſtiana quoque ita inflectebant, ut Ethnica & Gentium ſapientibus nota & probata; videri poſſent: hoc modo facilius religionem inter externos propagari poſſe, non ſine cauſa, arbitrati. Accedebat perſecutionum gravitas: quarum rabiem & accenſa adverſus Chriſtianos odia, non leviter mitigari credebant; ſi eadem apud Chriſtianos doceri oſtendiſſent; quæ vulgò in Sapientum Mundi hujus, & ipſorum perſecutorum ſcholis diſcebantur. Qua potiſſimum utilitate, & quaſi popularitate; Gnoſtica ſententia multis Chriſtianorum commendabatur. Hinc in tot philoſophorum & eruditorum hominum Apologeticis, Juſtini, Athenagoræ, Melitonis, Clementis Alexandrini, Tertulliani, plurima auribus & palato gentium data & conceſſa legimus, quæ luci veritatis & ipſi Symbolo Apoſtolico tenebras offuderunt. Hæc & talia, permiſſu & juſſo, atque ab Apoſtolis maturè prædicto, judicio Dei; verſutia verò & artificio Satanæ; ingenii denique humani ad deteriora pronioris infirmitate, non in uno Chriſtianiſmi angulo, nec ab uno homine, ſed paſſim in Eccleſia, ab ævo uſque Apoſtolico fieri cæpta; non primus intulit Juſtinus: ſed jam illata; & indies incrementum ſumentia invenit. Cæterum inventis majus de ſuo incrementum addidit; & nominis ſui exiſtimatione opinionibus nondum adeò receptis auctoritatem adjecit; aut etiam rudes & inconditas emendavit & expolivit; ac tanquam merces vendibiliores expoſuit. Quo minus mirandum eſt, quod, poſt obitum Juſtini, Saniorum Gnoſticorum opinio, (quæ poſtea Ariana dicta eſt) longe lateque per Eccleſiam propagata, Pſychicis, in Occidente Scholæ Alexandrinæ alumnis in Oriente adnitentibus, multùm adoleverit, donec, ubi vires ſuas ſub Victore conſulit, & experta eſt; in violentam ſub Zephyrino dominationem atque oppreſſionem erupiſſet.

Imaginem hanc Status illius temporis Eccleſiæ veram & genuinam eſſe; vel iſtæ ipſæ hiſtoriæ docent; quæ rerum geſtarum veritatem, ſupprimere aut adulterare tentarunt. Nec enim ſymboli Apoſtolici teſſeram, ab ipſis Apoſtolis Eccleſiæ relictam, notitiæ poſteritatis eripere potuerunt; nec illorum temporum mentionem prorſus amittere, quibus Confeſſores hujus Apoſtolicæ fidei premi aut opprimi cæpere. Unum eſt, in quo verſuti ac mendaces calami fucum Lectoribus facere connitebantur, quòd oppreſſos & per injuriam ab Eccleſia exturbatos, recens & paulò ante acceptam injuriam, exortos confingerent. Sed futilis figmenti fides, non una ratione refellitur. Primum enim egregii annalium Eccleſiæ conditores oſtendere nequeunt Secta à Victore ac Zephyrino oppreſſa, quando exorta ſit. Sufficit ſcribentibus ac dolos malos conſuentibus leviter indicare, Non longè ante exortam. At nobis legentibus non ſufficit tam leve ac perfunctorium indicium. Quæramus igitur Quando fuit illud, *non longe ante?* quod tempus exortæ, quis auctor exorientis ſectæ? In locum hujus Ulyſſei Utis, ſubſtituit Euſebius Artemonem; Auctor ignotus, Coriarium. Hæret in manifeſto mendacio deprehenſa narratio diſcors. Sed is qui Coriarium ſectæ Ducem aſſerit; ea mox de ipſa ſecta narrat; quæ illum id ipſum, quod de Sectæ principe aſſeruit, mentitum fuiſſe arguunt. Redeamus igitur ad Euſebium, qui nobis hanc fuiſſe hæreſin Artemonis indicat. Unde verò eam fuiſſe Artemonis didicit? Cur auctorem non exhibet, à quo id accepit; ut in Simone, Menandro, Cerintho, & aliis hæreticorum primipilis fecit? Suſpecta nobis eſt narratio Euſebii; ſed ſuſpectum magis ſilentium. Cur enim neque ante quicquam de hæreſi iſta monuit, neque nunc verbum ullum de Artemone addidit? Saltem cauſam docuiſſet, Cur inter ſe: & productum à ſe, ignotum ac ſine nomine, quaſi ſine fide teſtem, de iſtius ſectæ Duce non conveniat. Tædet alterius ſcrutari fraudum tenebras & mendaciorum latibula. Sufficit nobis illud, quod in clariſſima luce poſitum eſt, Symbolum Apoſtolicum à primis auctoribus ſuis, uſque ad Victorem, imo vero uſque ad nova nata ſymbola, maximo ſemper in pretio apud Eccleſiam fuiſſe; neque tunc unquam abſque plurimis confeſſoribus ſuis eſſe potuiſſe. Non igitur, aut non longè ante Victorem lux ejus Eccleſiæ illuxit; aut Confeſſores ejus, non longe ante, ſed ab ipſis Apoſtolis exorti ſunt. Sed Euſebii fides turpe, & hiſtorico pudendum deliquium paſſa eſt.

Quod ſi quis à nobis viciſſim ſcrupuloſius exigat, ut exactam & ſpecialem narrationem exhibeamus, quibus gradibus & circumſtantiis, aut Error ac dominatio, in id, in quo nunc eminet, faſtigii, aſcenderit; aut Veritas ac Libertas, de primævo Statu ſuo detruſa ac devoluta ſit; non tàm id nobis factu arduum (quoniam id aliqua jam parte præſtitimus) quam exigentibus poſtulatu iniquum, & plane poſcere integrum non eſt. Nemini enim ignotum eſſe poteſt, qua nocte, quâ caligine, res Eccleſiæ, ævo Apoſtolico proximæ; involutæ ac ſepultæ ſint; non Scriptorum, certè aut ſcribendorum inopiâ: ſed ejus factionis, quæ in Eccleſia prævaluit, artibus atque potentia. Non igitur à nobis exigi ullo modo æquum eſt; ut ea, quorum ſpeciales circumſtantias longa & iniqua vetuſtas, in profunda oblivione demerſit, eruamus & in lucem protrahamus. Sed nos ab Euſebio optimo jure rationem repoſcere poſſumus, cur ea, quæ ſcivit, aut ſcire potuit; cum adhuc in aperto res eſſet, nondum ſuppreſſâ Hegeſippi hiſtoriâ; cum tot alia, nunc abolita, veterum monumenta manibus hominum tererentur; Non ex fide veracis Hiſtorici memoriæ prodidit? cur pleraque reticuit? quædam non ſuo vultu poſteris depinxit?

Interea manet invictum adverſus Gnoſticos, criminis documentum, quod non fruſtra veram antiquitatis in Eccleſia notitiam ſuppreſſerint. Sed metu ac neceſſitate adacti, ne ipſâ rerum in Eccleſia geſtarum memoriâ errorum & culparum ſuarum, convincerentur. Meritò igitur, nec ſine inflicto divinitus ſupplicio, iiſdem ipſi mox artibus ab adverſariis, qui prævaluere, oppreſſi ſunt; quibus ipſi quondam adverſus Apoſtolici Symboli confeſſores prævaluerant.

Sed nos juſto adverſus Suppreſſores Veritatis, dolore abrepti, & longius forte quàm voluiſſemus in publicas querimonias evagati, eò revertamur unde digreſſi ſumus. Dicimus igitur, nequaquam nos Juſtino aut primo, aut uni mutationem in Eccleſia attribuere,

sed incrementum duntaxat & corroborationem Gnosticarum partium ; præterea expolitionem quoque erroris, quo speciosior videretur ; qui tamen error, ejus ætate, & proximo usque ad Victorem tempore, quia mentis allucinationi, voluntatis pravitas & adversus Caritatem delicta non admiscebantur ; intra metas Christianæ tolerantiæ cohibitus ; non fuit ita Ecclesiæ pernicioſus, ut postea extitit ; cum sub Victore ac Zephyrino usque ad oppressionem insontium Symboli Apostolici Confessorum ventum est. Victori autem ac Zephyrino non veræ doctrinæ depravatio (ne quem forte error in verborum Græcorum versione decipiat) sed in gratiam depravatæ doctrinæ ; hominum incorruptam & Apostolicam veritatem profitentium oppressio ; ita objicitur ; ut propriis testibus convicti, crimen, quod Antichristo Spiritus Sanctus assignat, negare vel diffiteri nequeant.

XXV.

Ad pag. 137. §. 97. *lit.* (d)

Verba, sine rebus, inania, omittimus. Sed capitalem calumniam, crimine falsi tanquam tibicine subnixam, dissimulare non possumus. Ubi verò Anonymus tam sceleratam blasphemiam effutivit *potuisse Apostolos, aliquid ab eo quod scripserunt, diversum sentire, ac docere, quod per traditionem Artemonitæ acceperint. Justinus* autem aberrarit? Verba Anonymi in ipsius Comenii superiore textu citata sunt. *Cum Apostoli aliquid sentire ac docere potuerint, à quo Justinus cum aliis aberraverit.* Comenius verba *ab eo quod Scripserunt diversum*, verbis Anonymi insarcire ausus est? Nefas est sentire & impia calumnia asserere Apostolos ab eo quod scripserunt, diversum sentire ac docere potuisse ; perinde ac Deum aliud aperta voluntate mandare : aliud occulta omninò fieri velle. Non minus ministrorum Dei ; quam ipsius Dei simplex & una est Voluntas, simplex & una doctrina. Nec sermo unquam à scriptis discors est. Si vel levissimam criminis tàm pudendi speciem in Scriptis anonymi inveniſſet ; quas non turbas, quos non tumultus excitasset Comenius, quæ non onusta maledictorum plaustra effudisset? Nos eum tacitæ Lectoris Censuræ & castigationi relinquimus.

XXVI.

Ad pag. 39. 40. *& seq.* §. 98.

Lubrica est & proclivis ad lapsum explicandi ratio ubi ambigua non distinguuntur ; quod hoc loco Anonymum præcipitem dedit ; ut non modo grandem in judicii sui usu solæcismum committeret ; sed & suamet ipse verba turpi contradictione implicaret. Dum enim nimium properans, plurimas easque diversissimas res in unum periodum coacervat, & quasi plures congios uno hausto exhaurire contendit ; ejus quod in capite periodi asseruerat fortasse oblitus, contrarium in calce attexuit. Dixerat initio Paulum unum è Nazareis fuisse : nunc in fine dicit, Nazareos Pauli acerrimos adversarios fuisse. Alios igitur Nazaræos fuisse necesse est, quorum unus Paulus fuit : alios qui fuerunt inimici Pauli : qui sibimetipsi adversarius esse non potuit. Unde & necessitas distinctionis & culpa omissæ liquet. Res ita habet.

Nazaræi ab infidelibus Judæis dicti sunt omnes Christiani ; quoniam & ipse Christus, sub agnominis Nazaræi inscriptione passus est ; quem fortè Nazareum, hoc est, Galilæum, quàm Christum aut Messiam : ideo discipulos quoque ejus Nazaræos ; quam Christianos, vocare infideles maluerunt. Cum igitur Paulus fatetur se esse Nazareum, perinde est ac si dixisset, se esse Christianum. Cæterum inter Christianos, qui omnes Nazarei Judæis erant, non deerant homines plus æquo Mosaicæ legi addicti ; qui Paulo & aliis Nazaræis facessebant negotium. Quos illo ævo Apostolico eo nomine, quod in hoc errore ab aliis dissiderent, Nazaræos vocatos nusquam legimus : (nec ulla causa fingi potest cur ideo sic vocarentur) sed aut ex Pharisæis ortos seu Pharisaizantes *Act.* xv. 5. aut irreptitios falsos fratres παρεισάκτους ἄδελφους *Gal.* ii. 4. aut Pseudapostolos, Judaizantes Malos operarios, aut simili nota à cæteris Nazareis distertos. Nazaræorum agnomen huic generi hominum serò inditum est. Certè post urbis Hierosolymæ sub Vespasiano, imo & gentis Judaicæ sub Adriano excidium. Tota enim orthodoxa Ecclesia Judaica antea nomen hoc habuit. Quæ eum durante Republica Judaica, patrios ritus, præcipue in patria, Apostolorum exemplo servaverit : nec tamen gentes ad eos servandos coëgerit, post eversam patriam, cum extorres agerent pæne omnes, bifariam secta videtur. Nam quicunque inter eos Sapientiores & spiritualiores erant, liberos se, ut par erat, à patriis legibus arbitrari, cum Gentium Ecclesiis in unum coluerunt. è quorum numero Hegesippum fuisse existimamus. Reliqui infirmiores & carnaliores, instituta, quibus innutriti erant, obstinatius retinuere, quod ea ab ipsis Apostolis per manus tradita accepissent. Qua defensione posteà Polycrates Ephesius Episcopus in Paschatis negotio, adversus Victorem usus est. His igitur nomen Nazaræorum, hæreditaria quasi successione, relictum est. Quo & ab ipsis Christianis vocati sunt ; ut qui rituum externorum discrimine discrepabant : etiam agnomine separarentur.

Hoc hominum genus, quamvis cum veris Ebionitis seu Josephitis aut Symmachianis confundere nitatur Eusebius etiam in legis Mosaicæ observantiâ : non obscurum tamen inter eos discrimen statuit, dum illos necessitatem servandæ Legis omnibus imposuisse ; hos autem duntaxat secundum legem Mosis vivere sategisse ostendit. quæ res inter se admodum discrepant. Nam symboli Apostolici confessores fuisse adversos Ebionitarum opinioni, palàm non diffitetur. *Vide lib.* iii. *Eccl. Histor. cap.* xxiv. Sed huic hominum generi, post ætatem Apostolorum, utrum aut quando, propter Judaicos ritus ; anathema dixerit Ecclesia Gentium non explicat Eusebius. Imo fere totam de Nazaræis narrationem (si nuda nomina episcoporum Hierosolymæ : & quædam paucissima excipias) & ipsius quoque Nazaræorum nominis mentionem plane omittit. cum tamen non majores posteà causæ tumultuum in Ecclesia, ob diversam observationem Paschatis, quàm propter totius Mosaicæ legis observantiam, exoriri potuerint : aut debuerint, & sine ullo dubio exortæ sint. In quo mala fides Eusebii ; ac dolosum & malignum silentium cernitur ; hominis id unum agentis ; ne qua Confessorum Symboli Apostolici memoria in Ecclesia extaret, antequam falso novitatis prætextu injustè ac violenter opprimerentur. Nam Ecclesia gentis Judaicæ, quæ tunc Nazaræi nominis hæres fuit ; quanquam in observatione rituum gentis suæ ; nimio patriorum legum studio abrepta erraret, veram tamen & Gnosticis opinionibus intemeratam sententiam de Christo, retinebat ; atque in eo statu, usque ad Augustini tempora permansisse dicitur. Non erant igitur illi Nazaræi, quorum unum se Paulus Apostolus agnoscit, ab Anonymo confundendi cum iis, qui erant ejus acerrimi adversarii.

Ac

Ac ne isti quidem acerrimi Pauli adversarii, qui perinde ut veri Ebionitæ aut Josephitæ necessitatem servandæ legis omnibus obtrudebant; commiscendi cum illis Nazareis, quos Eusebius sub Ebionitarum Saniorum nomine, tantum ipsos studiosè sectatos Legem testatus est. Orthodoxorum enim tantum non ante heterodoxorum Nazaræorum exemplo & rectâ sententiâ Anonymus gloriari potuit ac debuit.

XXVII.

Ad pag. 139. lit. (g.)

Qua de re quæstio fuerit, cum Jacobus JUSTUS *apud Euseb. lib. II. cap.* XXIII. interrogaretur, fidelius ostendit Hegesippus, & ipse Jacobus, quàm Comenius. Hegesippus enim ait quæsisse Judæos, quodnam sit ostium Jesu crucifixi. Ipse Jacobus interrogationem hanc sic explicat, quòd cum interrogarent de Jesu filio hominis. Si igitur de Jesu filio hominis tunc interrogarunt Judæi; frustrà Comenius negat, eos interrogasse de persona; cum Jesus filius hominis esset persona.

In respondendo idem Jacobus non dicit, eum esse Deum Supremum & unum essentia cum Patre: sed dicit, Sedere nunc ad dextram magnæ potentiæ, & postea venturum omnium judicem, in nubibus cæli. quæ verba illum hominem exaltatum; & à Deo Christum ac Dominum factum: divina natura simul & omnipotentiâ donatum significant; & cum Symboli Apostolici verbis plane eadem sunt, nec ullum posteriorum symbolorum additamentum continent.

Fatetur Comenius Jacobum hac sua responsione fidem suam de Christo Messia exposuisse (*pag. 140. lit. g.*) Et quidem veram & genuinam. Approbat enim verba Hegesippi (nisi quod nescio qua oscitantia lapsus putet ea esse Eusebii) quod ista responsio veraciter omnibus testaretur Jesum esse Christum. Cur ergò eos, qui hæc Symboli verba à Jacobo pronunciata sanctissimè credunt; item qui cum Joanne & Hegesippo Jesum esse Christum ex animo credunt & confitentur, nec confessionem suam vita abnegant; fide in Christum carere Comenius ait? Nulla alia est causa, nisi quod fidem in Jesum sufficere non putet ad fidem in Christum. Atqui non modo hic Hegesippus, sed alibi sæpe Joannes Apostolus & Evangelista; ad fidem in Christum sufficere asserit, ut quis credat illum Jesum esse Christum, hoc est, Regem à Deo unctum & exaltatum; cui tanquam unicè dilecto filio omne judicium dedit pater. Quicquid igitur stomachetur, excandescat, ringatur, convicietur Comenius; non modo Hegesippo & Eusebio; sed, quod pejus est, Jacobo & Joanni Apostolis non credit: & quod pessimum est, non putat Jesum esse Christum. In quo non est melior tàm Judæis incredulis, quam Ethnicis infidelibus, quibus Jacobus moriturus tàm veraci testimonio, & martyrio, ac sanguine persuadere non potuit, quod Jesus esset Christus.

XXVIII.

Confessorum Symboli Apostolici doctrinam atque sententiam seculo quarto expirasse; nec à Theodosii temporibus usque ad Socinum aut Servetum, per undecim secula, quenquam in toto Orbe Christiano ita sensisse exprobrat. Resp. Finge veram esse hominis exprobrationem. Longum certe tempus grassaturo in Ecclesia Antichristo indultum est. Mirùm verò, cuiquam videri possit; quamdiu immissa à Deo erroris efficacia viguit, partem aliquam veritatis suppressam, tantisper latuisse? Non idcirco Ecclesia nulla fuit, quia variis omnes erroribus deciperentur, dummodo aliqui eorum fidem & pietatem suam vitæ integritate Christo approbarent.

2. Sed nec verum est quod exprobrat. Primùm enim partem hanc veritatis, omnibus planè pertot secula ignoratam probare nequit; quia tunc, cum manifesta professio ejus nemini impune abiret, innumeri in sepositis universalis Ecclesiæ angulis ejus conscii latere potuerunt.

3. Quid? si ostendamus à primis illis Apostolorum successoribus, Confessionem hanc sub nomine Nazaræorum, Artemonitarum, Paulianorum; mox sub calumnioso Manichæorum, Eutychianorum, aliarumve sectarum agnomine non modo in Oriente sed in Occidente quoque ad Albigenses; mox Valdenses ac cæteros, non interrupta serie ad nostri usque tempora deductam esse? Imperitus historiæ imo rationis expers sit oportet, qui Artemonis, Pauli Antiocheni Patriarchæ, Marcelli aut Photini discipulos, una cum illustrium in Secta sua virorum obitu extinctos esse asserere audeat. Quamdiu duravit aut durabit Symbolum Apostolicum, tamdiu Confessorum ejus copia, non defuit, non deerit quamvis forte Antichristorum doctrinis oppeder plærique ausi non fuerint, nec audeant; quas tamen in occulto sinu, satis deridere nequiverint aut nequeant.

PARS QUARTA.

In qua coacervata calumniarum Comenii congeries refellitur.

AD singula plus quàm senilis garrulitatis suæ diverticula, nihil est quod responsum expectet Comenius. Contemptu & silentio pleraque digna sunt revinci. Ne tamen alicubi ob intactas rationes suas triumphare possit: pauca è potioribus attingemus.

I.

Ad pag. 152. §. 114. finem.

Ecclesiam distinguit in Nascentem & adultam. Et tolerantiam quidem (præcipuam Caritatis partem) soli nascenti assignat. Ad adultam an hæc pertineat, dubitat primùm, mox non pertinere decernit, quia Apostoli in minimè tolerandis Judaizantibus exemplo suo nobis præiverant. Resp. Atqui Apostoli, adeoque ipse Paulus, non modo fideles, legem Judaicam servantes; tolerarunt; verum & ipsi eandem legem observarunt; solos eos damnantes; qui cum essent tolerantiæ Christianæ hostes; gentes, jugo Legis solutas, tolerare noluerunt, & officio tolerandas eliminato, minimè ferendam servitutem in Ecclesiam introducere nitebantur.

II.

Ad pag. 162. §. *Ad* 3. *&* 4.

Si Comenii ſententia vera eſt ; tàm Neſtorii quàm Eutychetis opinionibus, nihil eſt verius : quamvis ſibi oppoſitæ & contrariæ fiant. Ut enim diverſitas naturarum, perſonarum diverſitatem ; ita perſonæ identitas, naturarum unionem & conjunctionem neceſſariò infert. Tam diſtantia & ſibi repugnantia dogmata, Comenii opinio parit ; quia falſa eſt & ſibi non uno modo contradicit. Proinde non magis argumento anonymi Neſtorius, quàm Comenius urgetur. Nec enim viſibilis ille Chriſtus, quem Joannes in Jordane, cæcus ſanatus ante ſe vidit, tantum ſecundum inviſibilem ſui partem, ſed tota Chriſti perſona, tam ſecundum inviſibilem, puta animam, quam ſecundum viſibilem ſui partem, hoc eſt, ſecundum viſibile illud humanitatis corpus, quod in utero Mariæ opera Spiritus Sanctus conceptum & γενόμενον (*Matth.* 1. 20.) fuit : Filius Dei dici merito potuit.

III.

Ibid. §. *Ad* 5.

Hoc modo ante Joannem & ipſum Abraamum Chriſtus fuiſſe jure optimo cenſeri poteſt ; quia in deſtinatione ſui ad tam glorioſam dignitatem & eminentiam, quamvis longe ſerius naſciturus, omnes præceſſit. Ergo *Joh.* 1. 15. tempore adventus poſterior ; at dignitate prior Chriſtus meritò dicitur. Nam *Joh.* III. 13. Chriſtus ante mortem & reſurrectionem ſuam, aſcendiſſe in cælum expreſſe dicitur. Soli enim ipſi hæc excellentia præ omnibus aliis vindicatur ; quod antequam Nicodemum inſtitueret in cælum aſcenderit. Quid opus autem fuit aſcenſu, ſi Chriſtus in cælo ſemper fuit? Sed & participium ὤν, quod non modo præſentis, ſed imperfecti quoque ſignificationem admittit, prave & abſurdè vertitur *Qui eſt*, cum vel ipſa affirmatio quod deſcenderit omnino poſtulet vocem hanc verti, *Qui erat*. Nec enim eſſe quiſpiam poteſt illic, unde deſcendit. Nec inde deſcendiſſe dici poteſt quiſquam *ubi eſt* : ſed tantum *ubi erat*.

Quæ verò Chriſtus aſcenſurus in cælum *Matth.* XXVIII. dicit, non ad illam humanam mortalem & imbecillam naturam, quam deponebat : ſed ad divinam, quam accipiebat, naturam & omnipotentiam pertinent.

Locus *Heb.* 1. 10. apoſtrophen ad patrem continet, cui, ut Creatori & abſolutiſſimo rerum omnium Domino, licuit ungere Regum ac Deorum omnium Regem, cujus thronus in ſæcula ſeculorum duraturus dicitur, oleo exultationis ſuprà omnes ejus conſortes, hoc eſt, Exaltationis ὑπεροχὴν παντὸς ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος. quo facinore Dei nullum magnificentius & illuſtrius, & celebratione dignius cogitari poteſt.

Porro quòd Chriſtus Spiritu Dei ſuprà menſuram inundatus, cui cælum, & elementa, atque ipſi Spiritus immundi obtemperabant ; cujus poteſtati nihil reſiſtere poterat ; in forma Dei fuiſſe dicatur : & cum Deo quaſi paria feciſſe ; & tamen hanc poteſtatis ſuæ excellentiam, non tanquam raptò partam mordicùs retinuerit, ſed tanquam dono patris acceptam, in gratiam volentis id Patris, ante mortem ſuam, ut mori poſſet, ultrò ac libere depoſuerit : omnia iſta de Chriſto homine ; longè omnium aptiſſimè & commodiſſimè dici atque exponi poſſunt.

Sicut & illud, quod cum eſſet dives ; propter nos factus ſit pauper 2. *Cor.* VIII. 9.

Nam quod *Hebr.* VII. 8. Melchiſedecus, typus Chriſti, ſine patre, ſine matre, dicitur, non aliud ſignificatur, quàm nullam mentionem in S. S. majorum, & anteceſſorum Melchiſedeci extare, ex qua pateat illum Sacerdotali genere ortum fuiſſe. In quo, extraordinarium ejus ſacerdotium Chriſti ſacerdotio, itidem extraordinario, ſimile fuiſſe, Auctor hujus epiſtolæ aſſerit. Et profectò hic Melchiſedecus, aut ipſe Chriſtus, aut certè hominum aliquis fuit : Chriſtus eſſe non potuit. Quis enim unquam ſui ipſius typus fingi poteſt? Si quis mortalium fuit; nec ſine patre, nec ſine matre fuit, & initium dierum profectò habuit. Non igitur hæc propriè de Melchiſedeco dicenda aut intelligenda ; ſed eo, quem oſtendimus modo, explicanda ſunt. Quod ſi ne de ipſo quidem Melchiſedeco hæc omnia propriè dici atque intelligi poſſunt ; quâ fronte ea proprie de eo quem figurabat Melchiſedecus explicantur?

Chriſtum in principio fuiſſe apud Deum, fuiſſe Deum, omnia per ipſum facta ; quæ Apoſtoli in illo novæ creationis initio facta viderunt ac palparunt, Filium hunc à Deo miſſum ; ſed prius factum ex muliere (mitti enim non poſſe, quod nondum eſt, ipſe Comenius fatetur) nemo eorum negat, qui cum Anonymo ſentiunt. Nec iſtiuſmodi nodis Anonymus innodatur, qui ſua ſponte ſolvuntur ac diffiliunt.

Rectè igitur ab Anonymo dictum eſt, Nullum Sacræ Scripturæ locum eſſe ; in quo non homini Chriſto, ea omnia tribui non modo poſſint, ſed etiam debeant ; quæ vulgo naturæ ejus divinæ ante nativitatem ex Maria, ut putant, exiſtenti tribuuntur ; & ex quibus ſolis iſta natura colligitur atque elicitur. Nam aliàs divini illius hominis, etiam dum mortalis eſſet, quodammodo divinam fuiſſe naturam non negamus. Sed multo magis poſtquam immortalis evaſit & regenitus, hoc eſt, quaſi iterum genitus eſt, ſimpliciter, & abſolute, imò excellentiſſimo modo divinam ; & paternæ omnium ſimillimam naturam ipſi à Patre datam eſſe libenter confitemur per illam generationem, cujus mentio fit *Act.* XIII. 33. per quam factus *eſt filius Dei in potentia* ex reſurrectione mortuorum *Rom.* 1. 4.

IV.

Ad pag. 164. DE NAZARÆIS.

Non erubeſcenda eſt Anonymi provocatio ad eos Nazaræos, quorum unum ſeſe Paulus Apoſtolus fuiſſe aſſerit. Sed Comenio erubeſcendum eſt ; quod nimis aperta & manifeſta vocis hujus ambiguitate hominem urgeat ; quaſi Nazaræi non alii eſſe potuerint quàm Judaizantes. Judaizantes autem voco non eos, qui cum Judæi nati eſſent, legis ceremonias obſervabant, præſertim in Judæa, durante illa Republica. Sic enim & ipſi Apoſtoli, Judaiſmi inſimulari poſſent. Sed eos duntaxat ; qui violata Chriſtiani officii tolerantia, Legis jugum gentibus, contra Apoſtolorum doctrinam, imponebant. Cui hominum generi Nazaræorum agnomen, non magis ſerviebat, quàm Chriſtianorum. Neutrius enim diſcrimine, à veris & orthodoxis Chriſtianis, diſcerni poterant. Adeò ut mirandum ſit, quod Comenius & alii ante ipſum agnomen iſtud quo Apoſtolus gloriatur, iis, quos pro peſtilentibus hæreticis habent, tribuant tanquam contumelioſum. Nam quod inter Nazaræos, non modo Judaizantes, ſed Joſephitæ quoque ſeu Ebionitæ reperti ſunt ; non ideò Nazaræorum nomen infame eſſe debet, cum inter Chriſtianos quoque & iſta & plura hæreticorum genera

genera reperta sint ; nec tamen ideò Christiani nominis existimatio , vel minimum detrimenti passa sit.

Porrò non ex eo Anonymus colligit Nazaræorum doctrinam antiquissimam , Apostolicam ; & unicè veram fuisse , quod quisquam veterum plærumque vero infensissimorum ipsis hostium , eorum omnium , aut quorundam ex iis errantium mentionem faciat. Sed primùm quia , (contrà quàm pleræque Christianorum familiæ) antiquissimo, Apostolico, & unicè vero ; quodque extra omnem controversiam est, Symbolo conformem doctrinam de Dei Christique notitia habuerint. Secundo quod ante Victorem & Zephyrinum in Occidente , Conciliabulum autem Antiochenum in Oriente ; nemo etiam dissentientium ab ipsis Christianorum ; ipsorum sententiam tanquam hæreticam oppugnare ausus fuerit , cum tamen ipsos extitisse & floruisse ex *Euseb. l.* v. *cap. ultimo* : imo verò numero ac multitudine primùs cæteros Gnosticè in Ecclesia philosophantes superasse ex Justino & Tertulliano constet. Primus productus ab Eusebio adversus eos , sed sine nomine , testis (an hostis?) supra à nobis refutatus est. Alter ab eo ipse Eusebius , sed sub nomine historici ; memoriam & existimationem eorum ubi potest arrodit ac vellicat : verum ità ut magis maligno silentio ; & supprimenda eorum memoria , quàm refellenda eorum causa , certet : Cujus tamen fraudes & mendacia per ipsos ab eo malo consutos dolos pellucent.

Toleratos quorundam è Nazaræis , præcipuè ad Judaismum inclinantes errores Comenius fatetur & probat. Non tamen omnium , (inquit) sed infirmorum. Addimus nos, & eorum , qui vicissim dissentientes ex mente Hierosolymitani *Act.* xv. Concilii tolerare non abnuebant. Nam qui abnuebant ; tolerantiæ vinculum ipsi abrumpebant ; nec de neglecto erga se mutuo tolerantiæ officio queri poterant. At nos meritò querimur , quòd nobis ob ejusmodi dogmata officium hoc denegetur , quæ ipsi in dissentientibus tolcramus : nec eorum nomine cuiquam anathema dicimus.

Dogmata, quæ inter nos veniunt in controversiam (quale est incarnationis mysterium & quæ ad illud pertinent) ipsos Apostolos post acceptum Spiritum Sanctum non ilico fuisse assecutos , nec aliis credenda obtulisse vi veritatis adactus fatetur Comenius : nisi quod etiam dum vera dicit , falsa & sibi contradicentia admiscet ; dum ait Apostolos istos, qui ipsi mysterium illud nondum assecuti ignorabant ; ignorantiam ejus in hominibus recens ad Christum conversis, eumque in Messiam saltem admittentibus (verba sunt Comenii) tantisper tolerasse. Quomodo verò is alienam ignorantiam tolerare, idque ad tempus dici potest ; qui in eadem ipse ignorantia bona fide versatur ? Cæterum accipimus hanc adversarii confessionem , Ecclesiam Christi atque ipsos Apostolos primitùs , incarnationis Christi mysterium ignorasse , eamque ignorantiam in Ecclesia Christi , vetustiorem fuisse introductis novis de illa dogmatibus. Utrum autem mysterium hoc , per Apostolicas epistolas & Joannis Evangelium detectum sit , plenius disputare non est hujus loci. Sed judicent omnes, qui controversa epistolarum & Evangelii hujus verba longè commodius secundum illam cognitionis mensuram ; quàm secundum novas & paradoxas doctrinas , explicari posse animadvertunt. Quippe etiam ii qui incarnationis mysterium ignorant : Christum λόγον, sapientiam & Sermonem Dei , per quem thesauri cognitionis ejus recusi sunt , jam ab initio fuisse apud Deum, (de initio enim Evangelii sese loqui Joannes in epistola expresse explicat) & fuisse Deum , quia in forma Dei apparuerit; quamvis caro fuerit , morti & humanis imbecillitatibus obnoxius ; & Mundum per illum in meliorem faciem esse quodammodo transformatum , ut qui propter ipsum quoque factus fuerit. Hæc longe melius cum doctrina simplicium illorum Christianorum cohærent : quam fuisse in principio eum qui ab omni æternitate , nullum unquam principium habuerit ; & fuisse apud Deum ; qui ipse plane idem numero Deus fuerit ; apud quem hoc loco fuisse dicitur & mundum per eum conditum esse ; qui non multò ante initium prædicati Evangelii natus fuerit : & quidem in statu vili ac mortali , carnis & sanguinis particeps. Si Paulus & Joannes sibi novum mysterium detegendum sumpsissent ; an , non clarioribus verbis uti fuissent. Credibile verò est illos , ignorantiam Ecclesiæ in tanto mysterio verbis aut ambiguis aut obscuris , nec id quod docere volebant exprimentibus, alere potius quàm tollere maluisse?

V.

Ad pag. 179. *§.* 153. *& seqq.*

Quæ Comenio Anonymum alloquenti in verbosa Scripti sui clausula , sub Admonitionum obtentu, garrire libuit ; Anonymo confutanda relinquimus: si modo & is tàm aniles nænias responso dignabitur. Criminationes tantum , quibus afflictas in Polonia Ecclesias impetit paucis attingemus. Vocat eas manipulum hominum curiosorum. Quid ita ? an quia simplicissima illa Symboli Apostolicæ confessione contenti , ad Naturæ Dei arcana curiosè scrutanda ; & supra illuminationem Sacræ Scripturæ confictas divinarum personarum Oeconomias, non irrumpunt ? Addit esse homines Deo incredulos. At illi Deo credidere cuncta , quæ recens in patriâ & cum patriâ amisere , qui nemini unquam creditorum suorum decoxit aut decoquet. Hanc ipsam existimationem, quam Comenius tanta rabie oppugnat, sibi toto orbe postliminio beneficio Dei restituendam , non sine allatrantium probro , nihil dubitant.

Ait illos Sacræ Scripturæ illudere. Nimirum ex proprio ingenio de aliis judicat. Sancta apud illos fuit atque semper erit Sacræ Scripturæ auctoritas. At Comenius Deum , qui nos proprio , hoc est, Christi sanguine redemit , mortuum esse : Christum Deum peccasse: calcata Sacræ Scripturæ auctoritate ludificando dictum à se volupe sibi fuisse fatetur pag. sui Scripti 63.

Ait eos conscientiæ propriæ habenas laxare ; alienæ pratervè insidiari. Resp. Habenas suæ conscientiæ laxare nequeunt , qui non modo dogmata habenas istas laxantia rejiciunt ; & adducentia promovent ; sed ipso facto ac disciplina atque institutis Ecclesiæ suæ eas adducunt. Alienis autem conscientiis insidiari eorum est , qui illas opprimunt , & oppugnant ; non eorum qui rationibus flectunt ; & libertatem earum defendunt , nec aliter atque suas proprias tractant. Pharisæorum propago utri potius dicendi sint ; qui pietatis formam verbis & confessionibus speciosis ostentant ; an qui vim ejus , in moribus castigandis exerant, Deus judicabit. Quinam autem formam, qui vim pietatis sectentur; qui Christum amare se fingunt : aut qui verè amant : iine qui in decantandis Christi laudibus duntaxat & naturæ quam ab æterno habuit excellentia inculcanda elaborant ; an qui , naturæ quidem secundum ipsum Deum excellentissimæ, quam in æternum habiturus est , nihil detrahendo , & supremam ejus omnipotentiam agnoscendo ; eundem præterea serio obsequio demereri contendunt : Christus jam olim decidit

decidit atque hanc litem diremit, dum magnificis titulis blandientes sibi operatores iniquitatis tanquam ignotos & alienos à se repellit.

Tot calumniis quas attigimus, posteaquam exosas sibi Ecclesias Comenius momordit; osculum Iscariotæ, verum præpostere, hoc est, non antequam noceret; sed postquam nocuisset; vulneri eorum figere cognatur. Nec tamen absque novo morsu, dum gregem Socini vocat eos, quibus in ullius, præter unum Christum, magistri verba jurare religio est. Oblitus sese illius sævi pastoris pecudem esse, qui, cæteris Evangelicis, veris & mansuetis Christi discipulis gementibus, in ovilia Christi ferro & igne grassari docuit.

Non ego vos, (inquit) ô Socini grex, odi aut oppugno, sed errores vestros, quos vos non excogitastis ipsi. Resp. An verò objecta curiositas, incredulitas Dei, Sacræ Scripturæ illusio, habenarum conscientiæ propriæ laxatio: alienæ insidiatio, uno verbo Pharisaismus; errores sunt mentis, non autem culpæ & quidem latissimæ voluntatis? Statim igitur se Sorex suomet indicio prodit, quâ fide, eos quos ad lassitudinem oppugnat, non oderit, dum vix alloquium eorum ingressus, animum sibi non esse plura ipsis loqui asserit; quia indociles eos esse expertus est. Quid ità verò? *Quia sibi (inquit) de magna quadam præ omnibus luce ac perfectione præjudicii velum tam densum oppanderunt; ut verioris lucis nihil ad eos, justo & terribili Dei judicio, penetrare possit.* Resp. Quàm verè culpa ista ipsis impingatur; quia nihil probat Criminator, Deo & Lectori judicandum relinquimus. Mirari tamen satis non possumus de magna quadam præ omnibus luce oppansi præjudicii veli mentionem facere, & culpam objectare ausum hominem, qui nuper *Lucem in TENEBRIS* edidit; quæ nemini præter ipsum & pseudoprophetas, quibus Adjunctus fuit, luxit, quæque ita oculos ipsius cæcavit; ut non videret tenebricosas illas, quas amplexus est, adjunctorum suorum revelationes, terribili Dei judicio, ad sempiternum nominis sui opprobrium, toto Orbe ridente ac detestante, in lucem & quidem clarissimam, prodituros.

VI.

Ad pag. 180. §. 125. *& seqq.*

Sed quamvis Ecclesias, quas oppugnat, ulterius alloqui recuset; aliis tamen de illis loqui, pollicetur & bona fide præstat promissum. Nempe facilius est obtrectare ei, quem oderis absenti; quàm eundem præsentem erroris aut culpæ convincere.

Quid igitur est quod aliis de ipsis loquitur aut narrat? Ait inter omnes Christianorum Sectas Socinianam ut tempore postremam, ita dogmatibus deterrimam esse, ab imis Christianismi fundamentis aberrantem; quantò turgentiorem ostentatione tanto inaniorem virtutis Dei, meram religionis superficiem & corticem habentem; solidi & nucleosi nihil. Verissimum novi Testamenti Pharisaismum, Saducæismo mixtum; nihilo meliorem Manicheismo, deteriorem Pelagianismo, Photinianismo, Nestorianismo, Eutychianismo, omnique hæresi; ultimas prorsus Christianismi scorias, sine ulla mysteriorum medulla, ultimum denique Satanæ crepitum, in ultimum Atheismum viam sternentem; abominationes licet suas, inusitatæ cujusdam concinnitatis, & hypocriticæ sanctitatis, fuco mangonizantem.

Quæ criminatio ut famasi libelli infamiam effugiat, objectorum criminum singula sibi Comenius probanda suscipit. Sequamur præeuntem.

VII.

Ad pag. 181. §. 157.

Primum Ait hanc sectam ut tempore inter omnes postremam, ita dogmatibus deterrimam esse. Videamus id quomodo probet. De dogmatibus primùm nihil probat, nisi quod calumniam audacter inculcat, quod hæc secta Divinitatem Christi oppugnet, cum tamen illa divinitatem Christo & omnipotentiam, quam à patre habet in æternum tribuat. Deinde quod sectaram postrema sit, revocat ac refellit probando primam esse. At quomodo prima simul & postrema esse aut dici potest? Quid aliud hoc locò censeam, nisi quod Deus loquacissimi hujus Balaami suffragio & stylo abusus sit, ut vel invitus & populo Dei maledicere contendens, imprudens vero & glorioso illum elogio exornârit? Primus enim & postremus nemo dici potest, nisi in eo sensu, quo Christus Opt. Max. alpha & omega, principium & finis dicitur. Hæc igitur secta (prout ipsi hanc vocem usus mortalium tribuit, cujus Apostolum non puduit) ut in jaciendis Christianismi fundamentis prima extitit, quod Symbolum Apostolicum ostendit; ita evanescentibus omnibus reliquis, victis & triumphatis erroribus, postrema regnabit, & frementibus ac ringentibus Comeniis, supremum Ecclesiæ militanti colophonem imponet.

VIII.

Ibid. §. 158.

Secundo, **Sectam hanc meram religionis superficiem habere & corticem, solidi nuclei nihil**, probat. Quia **præter** *nudam de Christo homine historiam, qui eximiè vixit innocenterque multa passus, in exemplum quomodo Deus sales diligat, & remunerari velit, datus sit, nihil arcani continet, ut Christianumne talem agat an gentilem nihil aut perparum interfit.* Resp. Capitalis calumniæ specimen. Nam præter nudam de homine Christo historiam; plenam habet de Christo Deo ejusque omnipotentia, omnipræsentia; æterno ejus regno & sacerdotio, præterea mystico cum Ecclesia matrimonio notitiam; inexhaustum mysteriorum thesaurum continentem. Imo verò Christum jam cum Apostolo, secundum carnem non novit, sed tanquam Deum omnipotentem, & in secula benedictum agnoscit atque adorat.

Sed Comenio Nucleus religionis sunt opiniones, quæ propter absurditatem suam id requirunt, ut tanquam Sacra Eleusinia in arcano serventur; quia Opinatores palàm illarum pudiat. At nobis, neque talia secretum amantia aut poscentia mysteria; neque ipsa professæ veritatis confessio; cujus generis fidem Jacobus etiam Dæmones habere arguit; pro nucleo religionis habentur: sed fides per caritatem efficax & vitæ sanctimonia unicus religionis scopus, cui merces, animarum salus, assignata est. Hunc nucleum Ecclesiæ nostræ ad multorum invidiam urgent ac sectantur.

IX.

Ad pag. 182. §. 159.

Tertiò Eandem sectam *Pharisaismum vocat Saducæismo mixtum*, idque probat quia *ut illi totum legit intellectum*

intellectum *de Dei cultum externis terminando, sublimioribus de Messia conceptibus, Vitæque interioris ab ima radice regenerandæ studio nec se nec alios occupando, propriæ tamen justitiæ opinione tumidi alios præ se contemnebant: isti autem resurrectionem futuram negando, vitæ profanæ habenas laxabant: ita hi dum nativam corruptionem negant regenerandi nostri necessitatem, totumque Adami novi Domini de cælo, iterum nos ceu de novo creantis opus tollunt: & negantes impiorum resurrectionem ut impio esse, cuicunque libet, non displiceat, facile obtinent.* Resp. Quot verba, totidem pene calumniæ. Nec enim nostræ Ecclesiæ, externæ de Deo confessionis putamine religionis officium terminant: sed interiorem vivæ fidei, atque novi & interni hominis, in sanctimoniam regenerati nucleum, & vitæ purioris ab ima radice renovandæ studium conatumque unicè proponunt ac urgent. Neque ut Comenium, de incomprehensibili Dei, Christivè natura subtiliter ac Platonicè disputanda; conceptibus, quos ipsorummet nemo satis intelligit, animos mortalium occupant: sed per Christum unicum Dei λόγον atque interpretem patefactæ, & omnibus notæ voluntati Dei morem gerere & ipsi contendunt, & aliis ejus obsequium comœndant: partem tamen hujus sanctimoniæ non exiguam esse, Non multum sibi præ aliis tribuere; ac Neminem spernere non ignorant. Corruptionem vitæ mortalium, eamque nimiam & inexcusabilem agnoscunt, sed quæ ex propria corruptorum culpa, non alienâ: aut ab alicujus destinationis necessitate proficiscatur. Nihil autem magis quam Regenerationis, hoc est, sanctimoniæ, sine qua nemo Deum videbit, officium urgent & inculcant. Comenius est, qui totum Adami novi Domini de cælo, iterum nos ceu de novo creantis, opus tollit: qui tot Sacræ Scripturæ loca de nova ista Christi creatione loquentia; ad veterem contrà omne fas & æquum, detorquet. Neque est in quo magis Ecclesiarum istarum fides; quàm in spe resurrectionis exultet. Pios ad æternam vitam atque mercedem capiendam. Impios ad æternas pœnas luendas abituros firmiter credunt. Quo genere pœnarum impii torquendi sint, sua non multum interesse, neque eam curam ad se pertinere arbitrantur. Comenio curiosam hinc sollicitudinem non inviti relinquunt; quem cur istiusmodi Cura remordeat, ipse viderit.

X.

Ibid. ad §. 160.

Quartò. Non meliorem Manichæismo (quæ hæresis olim pro deterrima habita est) esse Socinianismum asserit Comenius. Resp. Non ideo ista hæresis olim pro deterrima habita fuit; quod Christum divinum olim hominem; divino modo ex virgine natum; & ante susceptam mortem Carnem, hoc est, mortalem fuisse crederent: quod Augustinus *lib.* VII. Confess. C. XIX. Se olim sensisse queritur: sed quia multa absurda & quædam huic ipsi commemoratæ Augustini sententiæ adversa credenda proponeret, quæ enumerat Socrates *lib.* I. *c.* XVII. Multos enim Deos colendos. Solem (ut Persicam originem agnoscas) adorandum docebat. Fatum (cum nonnullis hujus ævi Theologis) introducebat, & (quod hujus consequens est) id quod in nostra situm est potestate tollebat, animarum ex uno corpore in aliud migrationem Pythagoricam tradebat. Christum natum esse homines isti nolebant: spectrum fuisse dicebant; quod Augustinum nunquam sensisse, etiam cum Manichæus vocaretur, vel ex verbis ejus patet. Præterea Legem & prophetas abrogabant. Manetem paracletum fuisse credebant. Ex quibus Socratis & Augustini locis inter se collatis, liquido patet Manicheismi titulum, qui initio deterrimæ omnium Sectæ jure congruebat, succedentibus annis ad Confessores Symboli Apostolici iniquè protensum, quorum ex numero fuisse olim Augustinum liquet. Non enim novum est, nec ævo quoque nostro inusitatum, innocentissimis mortalium, non titulos modo sed errores quoque deterrimæ notæ, per calumniam tribui.

XI.

Ibid. ad §. 161.

Quintò. Deteriorem Pelagianismo, Photinicianismo, Nestorianismo, Eutychianismo, omnique hæresi Socinianismum asserit. Resp. Quæ sententia ex nominatis verior aut sanior fuerit, ferat olim sententiam judex falli nescius: imo Tempus ipsum cujus filia Veritas dicitur. Nos certè Manichæâ hæresi, longe veriorem fuisse Augustini sententiam, etiam dum cum Fausto suo idem sentiret paulò ante ostendimus, cujus in eo vestigia afflictæ in Polonia Ecclesiæ sequuntur. *

Hominis autem corruptionem, longè deterius quam Pelagius, Pelagii insectatores extenuant, qui illam omnis culpæ exortem statuunt: & vi, cui resisti non potuit, infusam excusant. Christum ante Mundum conditum gloriam suam habuisse, eoque sensu, quo Sacra Scriptura loquitur, extitisse, afflictæ in Poloniâ Ecclesiæ agnoscunt. Totum fidei Christianæ Syntagma non dissolvunt, qui Symbolum Apostolicum & omnia quæ in eo continentur credunt; & inculcant. At Comenio doctrinæ Apostolicæ simplicitas in eo comprehensa; præ symbolis tribus aut quatuor post secula natis contemptio est.

Nestorianâ simul & Eutychianâ sententiâ nihil verius esse, si Comenii opinio vera est, suprà ostendimus. Ambæ etenim, licet secum capitaliter discordes, ex uno eodemque isto fonte, calido simul & frigido promanant. Quod istum musæum omnigenæ sapientiæ Doctorem coëgit, ad imam Rationis radicem eruendam & asserendum, simul & semel vera esse posse contradicentia.

Si Divinitas Christi tota est vis illa, per quam Mundi salvator est (ut ait *pag.* 184. §. 165. Comenius) certè Socinus Christo divinitatem totam tribuit; tantum abest, ut eam ex toto auferat; qui vim & omnipotentiam illam, per quam Christus Ecclesiam suam (ad cujus gremium totum mundum invitat) ex faucibus lethi eripiendo; Mundi Salvatorem sese esse ipso facto ostendit, sanctissimè credit.

XII.

Ad pag. 184. §. 166.

Sexto. Scorias Christianismi, Socinianismum vocat, nihil nuclei aut medullæ retinentis. Resp. Edit

ſpecimen Comenius, quam in maledicendo exercitatus ſit: ſed & quanto erga afflictas iſtas Eccleſias odio ferveat; dum in excogitandis rationibus, quibus animos omnium, adverſus eos ad ultimam uſque crudelitatem exacuat atque exaſperet, ingenium ſuum fatigat. Quid hoc aliud eſt, quàm furiarum officium occupare, & ad flagrantem perſecutionis ſævitiam mentes omnium accendere? Quis enim tam acerbi odii fructus alius eſſe poteſt, niſi omnis plane miſerationis expers crudelitas? Hæc demoniaca divini & impia pii zeli ſimia, ab omni ævo, tyrannorum mentes ad excruciandam afflictorum innocentiam exſtimulavit. Quid verò turpius, aut abominatione dignius cenſeam? Carnificum munus exequi? an ſtimulos ad carnificinam addere: quod propoſitum ſuſcepit & bona fide exequitur Comenius. Sed convicii quod hoc loco facit, iniquitas facilè patet. Quis enim alius eſt nucleus: quæ medulla Chriſtianiſmi? niſi donata nobis à Deo, ad vitam æternam & pietatem conſequendam adjumenta, per quæ naturæ divinæ participes efficimur? 2. *Pet.* 1. 3. 4. Hæc Socinus & afflictæ Eccleſiæ, unicè conſectantur. Nihil morantur ſteriles, neſcio quas & jejunas (& tamen falſi meritò ſuſpectas, aut potius convictas) de quibus Chriſtianus orbis digladiatur Veritates; & Virtuti infeſta; vitiis blandientia dogmata. Unam ſectantur doctrinam ſecundum pietatem. Hanc introductâ in cætus ſuos ſtrictiori morum diſciplina; exercent: neque magis ore, quam operibus Chriſtum confiteri docent. Eſtne hæc ſcoria Chriſtianiſmi an potius purum putum aurum?

XIII.

Ad pag. eandem. §. 167.

Nunc videamus quid ſeptimò Eccleſiis noſtris impingat. Verba ejus ſunt. Ut magis quàm parum Chriſti retineant, pateat; dico illos à fundamentis etiam Chriſtianiſmi, ſeu Diſcipulatus Chriſti aberrare. Antequam videamus, quàm ineptè id probet: expendamus prius quàm calumnioſè objectet.

Fundamentum Chriſtianiſmi non aliud eſſe poteſt; quàm illud quod Paulus aliique Apoſtoli poſuere. Atqui Paulus negat aliud fundamentum Chriſtianiſmi poni poſſe; niſi quod ipſe, tanquam ſapiens architectus, jecerat, hoc eſt, Jeſum Chriſtum. Non autem alium Jeſum Chriſtum prædicaverat, niſi quem noverat. Nec alium noverat, niſi crucifixum; qui antequam filius Dei in potentia ex reſurrectione mortuorum evaderet *Rom.* 1. crucifigi poterat. At poſt exaltationem ſuam; crucei aliiſque afflictionibus obnoxius eſſe non poterat; ideoque ab ipſomet Paulo jam eſſe in carne aut humana imbecillitate non agnoſcebatur; ſed tanquam Deus ſuper omnia, in ſecula benedictus adorabatur.

Hanc de Chriſto Pauli doctrinam, tanquam Chriſtianiſmi fundamentum, Eccleſias, quas Comenius oppugnat, firmiter & obnixis veſtigiis premunt, neque ſe de fundamento iſto ullis Comenii maledictis aut calumniis dejici patientur.

Præterea Chriſtus ipſe Diſcipulatus ſui fundamentum poſuit; Ædificare in petra, hoc eſt, doctrinam præceptorum Chriſti non ſola notitia & aſſenſu apprehendere; ſed vita moribuſque exprimere, & obſequio præceptorum præcipientem demereri. *Matth.* VII. 24. *Joh.* XIV. 23. 24. Hoc diſcipulatus Chriſti fundamentum mutuo morum ſuorum examine, & acri ac ſeverâ diſciplina, Eccleſiæ, quas oppugnat accuſator; præ omnibus aliis urgent ac retinent. Nec ab ullo Chriſtianorum exigunt; ut omnis plane erroris expers, aut ipſorum ſententiis, quamvis eas veriſſimas putent, plane aſſentiatur aut addictus ſit. Tolerant omnes, etiam diſſentientes; dummodo Legi Chriſti ex animo obſequuntur, & huic fundamento una cum ipſis conſtanter inſiſtant atque inhæreant.

Sed videamus quomodo objectam criminationem probet. Chriſtus, *ait*, ita pronuuciavit. Quiſquis non renunciaverit omnibus bonis ſuis, non poteſt eſſe meus diſcipulus *Lucæ* XIV. Ergo qui diſcipulus eſſe Chriſti velit, non modo opes & cætera ſi res poſcat; ſed & interiora ſua bona, animam ipſam unâ cum internis facultatibus ejus, Intellecto ſeu ratione, voluntate; *Viribuſque propriis* relinquere debet; atque ita ſe Chriſto tradere; ut Chriſtus in eo ſit omnia; ipſe verò nihil. At Sociniani rationem propriam abnegandam negant; ſed, fidei magiſtram conſtituunt; omnibus Chriſti ſermonibus Capernaiticum Quomodo opponunt; proprias arbitrii vires plus quàm Pelagiani jactant; ſeque cum ſua juſtitia *plus quam Phariſæi efferunt.*"

Reſp. Antequam crimina diluamus, gravis Comenii error notandus eſt, qui nec allegata Chriſti verba, nec ſeipſum, dantem ſine mente ſonum, ſatis intelligit aut explicat: aut certe laqueis, quos Lectori tendit, ſemetipſe intricat. Qui bonis ſuis in gratiam Chriſti renunciat, aut ea relinquit; nequaquam ea Chriſto poſſidenda, aut, ut ſic loquar, utenda fruenda tradit: ſed ſæpe improbiſſimis mortalium relinquit, & planè ea perdit atque amittit. At qui Chriſto animam ſuam cum facultatibus ejus tradit, non perdit eam nec poſſeſſor ejus eſſe deſinit; ſed eam Chriſto planè ſubjicit; & ad normam Voluntatis ejus componit. Non igitur locus hic de relinquendis Chriſti cauſa, bonis ſuis: ad animam & facultates ejus trahendus eſt; quæ nec relinqui, aut amitti, ab homine dum vivit, poſſunt; nec ea Chriſtus relinqui, ſed renovari & quaſi regenerari ac Legi ſuæ ſubjici poſtulat. Aliàs quid habebimus quod tradamus Chriſto, ſi ea in ejus gratiam plane relinquenda, hoc eſt, perdenda ſunt? Ex tropicis aut impropriis locutionibus, monſtroſa plærumque eliciuntur dogmata. Ut rationem, intellectum, atque voluntatem noſtram relinquamus, hoc eſt, amittamus & abjiciamus, nuſquam præceptum eſt: nec præcipi poterat, quia dum vivimus, imo dum Chriſto militamus, iſtis rebus carere non poſſumus. Rationem enim, intellectum, voluntatem ſuam nemo perdere poteſt; quin unâ fidem ſuam & quæcunque nos Chriſtus habere jubet animi noſtri bona, quin & legem conſcientiæ, bonarum actionum cuſtodem relinquat atque abjiciat.

Atque hæc eſt illa machina, quam Satanas in perniciem humani generis inventam, Antichriſto ad ejus dominium formandum & ſtabiliendum tradidit. Cæca nimirum Obedientia; quam homines callidi Chriſto imputant, ſibi præſtant. Cathedra enim Chriſti occupata, ſibi tanquam Chriſto & locum Chriſti obtinentibus, etiam cæcum, etiam reluctante conſcientia extortum obſequium vendicant & arrogant.

Et

Et quò indiginus nihil eſt, in eo eminentiſſimum virtutis faſtigium vulgò collocant; quo nihil ſceleratius, atque in Deum & Chriſtum iniquius, excogitari potuit. Qui ſingulis mortalium *legem conſcientiæ*, tanquam omnis erga Deum officii fidelem cuſtodiam poſuit & inſevit. Hanc legem quiſquis violat aut violari imperat, crimine adverſus Deum perduellionis tenetur. Et qui proprias conſcientias mortalium libitui proſtituunt; quid niſi mentium ſuarum caſtitatem, uni Eccleſiæ ſponſo debitam, turpibus adulteris polluendam exhibent? Qui verò alienas conſcientias invadunt; quid niſi cum Domino ſuo, impudenter commiſſi ſuſcipiunt infandam rivalitatem. Id igitur hoc loco Comenius agit, ut Rationem, intellectum, voluntatem, ac totam conſcientiæ ſedem à ſtirpe eruat. ut oculum conſcientiæ, verbo Dei illuſtratæ (quo unico Duce in Salutis noſtræ negotio utendum eſt) configat; quò cæca gens mortalium lumine rationis adempto, Errorum magiſtris, interdum & falſis prophetis, abſurdiſſima quæque docentibus; aut prædicentibus, obnoxia pateat.

Non igitur Rationem Sociniani; ſed irrationales, quamvis carni gratas & jucundas, concupiſcentias abnegandas ſtatuunt; non extirpandam rationem; ſed lumine verbi Dei, illuminandam putant; Non fidei magiſtram; ſed legis Chriſti miniſtram eam conſtituunt. Nullis Chriſti ſermonibus fidem derogant; aut aſſenſum abnuunt, ſed in mentem ejus, ſub verborum cortice ſæpe latentem, modeſtè inquirunt. Non jactant proprii arbitrii vires, quas ipſas per ſe exiguas & tenues, ac ſine auxilio Spiritus Sancti propè nullas eſſe agnoſcunt: ſed illas tamen qualeſcunque ſunt, contendendas eſſe ſtatuunt, & elaborandum ut divinam opem, invocando, provocemus. Non ſe cum ſua juſtitia efferunt; ſed juſtitiam & pietatem, cujus fundamentum modeſta humilitas eſt; omnibus confeſſionibus præferendam, & ante omnia conſectandam eſſe admonent.

XIV.

Ad pag. 185. §. 168.

„Octavo Socinianos ultimum Satanæ crepitum, „meritò à ſe dictos probat, propter fætores „in naribus Dei & ſanctorum Angelorum, tot errorum, tantique faſtus de propria juſtitia. Fætores autem iſtos oſtendit in libello, Belgico idiomate emiſſo anno 1659. cujus octodecim capitum contenta ordine recenſet.

Reſp. Non potuit hic ſtomachator honeſtius maledicti genus eligere, quod in eos; quos odit, torqueret: niſi tàm obſcæna impuritatis imagine ſuam & Lectorum mentem inquinaſſet. Verè profectò teterrimo hujus Spiritus crepitu afflati ſunt; qui tam impura & graveolentia verba; ore maledico exhalant: qui dirum & crudele adverſus inſontes odium, ipſam Satanæ animam, in præcordia admiſſam, nihilo melioribus verbis eructant.

Calumniam de faſtu ex propria juſtitia; toties refellere piget. Deterior faſtus eſt, non modo dictis factiſque oſtendere, ſed etiam gloriari quod omni juſtitia careas, quodque errores ab omni ratione alienos, imò rationi repugnates foveas. Libellum Belgica lingua conſcriptum, qui anſam adeò turpiter ſtomachandi Comenio præbuit; neque oppugnatæ ab eo Eccleſiæ; neque nos vidimus; ideo quæ ex eo accuſatoris fide proferuntur, neque oppugnare, neque defendere volumus. Auctor ſine dubio cauſæ ſuæ non deerit. Nos alienam, ut culpam, (ſi qua eſt) præſtare; ità lucubrationem propugnare non tenemur. Utrum tamen tàm indecore tumultuandi juſtam anſam Comenio dederit, Lector benignus judicabit.

XV.

Ad pag. 187. §. 169.

Nono Objicit, ultimo Atheiſmo viam ſterni „per Socinianiſmum. Quia atheiſmus eſt pro„priæ rationis contrà Deum ipſiuſque Mundi „adminiſtrandam rationem, rebellio. At So„ciniani non ita res geri & regi videntes, ut „ipſi gerendas & regendas autumant, ſupernam „adminiſtrationem, illiuſque præſidem Deum; „quàm tenebricoſa rationis ſuæ dictamina ne„gare malunt. Id verò ipſum probat quia Deo „& ejus verbo regimen eripiunt: hoc iterum „confirmat; quia nullum Dei verbum ve„rum eſſe niſi ratio approbet permittunt.

Reſp. Calumniarum hæc eſt, malè inter ſe cohærentium pejus contexta coacervatio. Primum enim (ut ab ultima incipiam) Sociniani omne Dei verbum, etiamſi illud ratio non capiat, veriſſimum eſſe credunt; ſed nullum Dei verbum Rationi repugnare ſciunt & experiuntur, niſi forte ratio parum ſana aut decepta ſit. Verbo Dei igitur, quod verbum Dei eſſe certò ſciunt, rationem libenter ſubmittunt; quia Ratio cum ſit lumen à patre luminum promanans: ultrò ſe revelatæ lucis lumini, tanquam infirma & fallibilis norma, infallibili ſubmittit. Quia tamen Satanas loco verbi Dei, ſæpe noxios errores ſubjicit, non ſine ratione atque judicio, verum & genuinum Dei verbum, à falſo & ſuppoſititio diſcernunt. Non igitur verbo Dei regimen eripiunt; ſed pſeudoprophetarum verbum Dei falſò jactantium, fidem, ratione quidem & judicio, ſed ad normam verbi Dei exacto, explorant. Quæ duplex nobis divinitùs tradita eſt. Primum ut ex fructibus & operibus eorum ipſos agnoſcamus. *Matth.* VII. 16. Deindè ſi prædictiones eorum eventus mendacii coarguat. *Deuter.* XVIII. 22. *ult.* Quorum utroque indicio Comenius, quamvis verbum Dei toties ingeminet, pſeudopropheta eſſe convincitur. Quos enim alios fructus ex hac arbore colligere licet, niſi calumniandi impudentiam & maledicendi rabiem? Deinde prophetarum, quibus nuper Adjunctum ſe fuiſſe gloriatus eſt, prædictiones quorſum evaſêre? Et audet hic falſus vates, publico orbis Chriſtiani judicio falſi convictus, qui nuper nobis pro verbo Dei ſomnia Drabicii venditabat, prodire in publicum, & nobis rationem atque intellectum eripere, ut nobis iterum pro verbo Dei, quicquid vult obtrudat? O impudentiam tàm terribili Dei judicio nondum ſatis caſtigatam. Sed tàm iniquæ criminationis nexus, quomodo cohæreat, videamus. Ilicone ſupernam adminiſtrationem ac Deum ejus præſidem negat; qui lumen verbi Dei, lumini rationis ſobriæ & incorruptæ ſemper congruere aſſerit? Imo verò ſupernam adminiſtratio-

nem libenter approbat ; ejusque præsidem Deum deprædicat ; cujus rationi non adversatur nec displicet ; quicquid à Deo proficiscitur. At enim quò vendibiliorem reddat calumniæ suæ mercem, plurium interrogationum laqueum nobis tendit ; & rationem affert cur nobis superna administratio displiceat ; cum nullâ ratione, nullo testimonio probaverit ; aut probare possit eam nobis displicere. Ait enim nos res non ita geri ac regi videntes, sicuti autumamus, supernum regimen ejusque præsidem negare. Quem verò tàm impium ex nostrum omnium numero producere potest, qui id facere ausus fuerit ? Nempe ex semetipso de aliis, inanissimam conjecturam facit. Nec enim res ita regi atque geri Comenius vidit, sicuti Adjunctus suus Drabicius prædixerat. Idcirconè supernam administrationem ejusque præsidem Deum negare æquum putavit ? Suamet igitur ratiocinatione, suo laqueo constringitur. Atqui hæc conjectura fallax est. Nos enim ita animati sumus, ut si non fiat in orbe id, quod fieri optamus, futurum tamen certò credamus id, quod & melius, & nobis ipsis optabilius est. Deus enim, quid nobis expediat, quàm nosmetipsi melius novit ; cui rationes consiliorum suorum probè constant.

Scimus autem, quid hoc loco ita de nobis loquendi ansam Comenio dederit. Afflictis rebus nostris & persecutioni insultandum putavit. Cujus nos nequaquam pudet aut pœnitet. Deo potiùs gratias agimus, quod nos dignos censuerit, qui in gratiam ejus aliquid adversi pateremur. Et quoniam ipsi placuit res ita geri atque regi, nos regimen istud & administrationem supernam, non æquo tantum sed libenti animo recipimus & exosculamur ; & beatos nos eo nomine, quod persecutionem patiamur, Christo pronuncianti, non inviti, assentimur. Cujus rei fidem facit, tot malis inconcussa in defendenda veritate constantia nostra ; quæ nobis durare non posset, si supernæ administrationis Rectorem Deum negaremus, cum nullo negotio nosmet ex tot malis, quibus urgemur, expedire liceat, nisi offensionem Numinis, quod sanctè ac reverenter colimus, metueremus.

Non igitur ulla per nos, aut sententias nostras ad Atheismum via sternitur. Deum enim præ omnibus rebus ac nostris propriis fortunis & incolumitate nostra diligendum esse ; non doctrina tantum sed exemplo nostro ostendimus. Doctrinam verò & sententias ejusmodi proponimus, quæ omnia peccatis blandientia dogmata refellunt, & ad Deum pura mente ac vitæ integritate colendum mirificè stimulant. Et quia nihil absurdi aut fidem nostram convellentis continent ; aut sibi inhærere patiuntur, idcircò omni atheismo aditum præcludunt ; quod sequenti paragrapho plenius evincemus.

XVI.

Ad pag. eandem §. 170.

Decimò plurimas & magnas abominationes nos singularis cujusdam elegantiæ ac pietatis incrustare fuco asserit. Resp. Atqui primùm, tantum abest ut gravem aliquam abominationem in doctrina nostra deprehensam produxerit ; ut nullam omninò invenire potuerit. Nullum enim est, ex dogmatibus, quæ credenda omnibus qui salvi esse velint inculcamus, quod non aut in Apostolico Symbolo, aut in Sacris litteris, disertè expressum, ipse nobiscum credere & confiteri vel invitus cogatur. Ea verò de quibus inter nos lis est, non sunt nostra, sed ipsius Comenii dogmata, quæ fundamentis, de quibus inter nos convenit, ineptè superstructa, nec aptiùs cohærentia, merito rejicimus ac refellimus, cum non modo ad salutem necessaria vel utilia non videamus ; sed etiam noxia & (ne per ea fides nostra subruatur) periculosa esse deprehendamus. Ea tamen moderatione additamenta ista respuimus, ut neminem eo duntaxat nomine, quod illa credat aut recipiat, condemnemus, si alioqui fidem in Christum, vita sancta & legum ejus obsequio testetur. Non igitur nostra ista sunt dogmata, in quibus abominationes istas Comenius quærit ; quæ adeò non inculcamus, ut silentio aut oblivione, & profundâ ignoratione sepulta esse mallemus. Suis in dogmatibus, præcipuè verò proprii ingenii commentis, Comenius abominanda absurda inveniet, & quidem nulla elegantiæ concinnitate incrustata, sed insulsum, crassum & pingue, nescio quid, sine fuco sonantia : cujus generis sunt Deum altissimum esse mortuum : & Christum, quem omnes nunc Deum super omnia benedictum in secula colimus, peccavisse ex mente Sacræ Scripturæ dici posse.

Quid ? quod vel in hoc ipso paragrapho doctrinam nostram Comenius ab omni abominationis probro imprudens expurgat ; dum nostram Theologiam, & quidem totam in hoc Compendium redigit. Verba ejus sunt. Ex laboribus Socinorum nata est« nova hæc simplicior, si Diis placet, Christianismi« forma. Ut quisquis immortalitatem adipisci velit, de commissis peccatis pœnitentiam agat ; de« hinc autem præcepta Dei, data primùm per Mo«sen, sed perfectius per Christum, impleat, habitu«rum post mortem quoque vitam, sicuti in Christo« datum sit specimen. Hæc illorum Theologia est« TOTA. Non potuit jejunius & aridius proponi summa nostræ de rebus divinis doctrinæ. Verum quid abominandum in tota ista (ut ipse loquitur) nostra Theologia deprehendit ? An ad æternam vitam aspirantibus, pœnitentia delictorum agenda non est ? An in peccatorum locum, succedere non debet, præceptorum Dei, præcipue per Christum traditorum, obsequium ? Quid est, quod hic pio pectori, abominandum videri possit ? Nempe non ad gustum Comenii Theologia ista est, quæ peccatis planè nuncium remittere præcipit ; qui Christum ipsum peccasse, qui Paulum Apostolum secundum carnem, peccati mancipium fuisse asserit, qui præceptorum Christi obsequium impossibile docet, eosque qui illud inculcant Pharisaismi accusat. Una tamen vox in isto compendio est, quæ ambiguitate sua pravam de nobis opinionem animis hominum instillare possit : quòd implendam Legem Dei præcipuè per Christum latam censeamus. Quæ vox ex mente nostra non aliter explicatur, quàm ut omni studio & contentione in implenda ista lege connitamur ; ita ut nullus peccati habitus in nobis relinquatur, quamvis accidere possit, ut in isto conatu interdum infirmitas nostra cespitet ; quæ peccata quia non sunt ad mortem, Deus ea vi fœderis sanguine Christi sanciti, nobis benignè condonat. Fortasse ne id quidem palato Comenii sapit ; quod peccatoribus conversis etiam post mortem vita promittitur, ut qui Deum supremum Deum vivum qui hoc titulo in Sacra Scriptura toties celebratur, mori potuisse, (jocone an serio) asserit. An in resurrectione Christi, quæ adjunctam sibi exaltationem continet, exiguum est fidelibus, in expectanda vita post mortem reditura, aut spei solatium aut fidei adminiculum ? Breve nimis & æquo simplicius est istud Theologiæ nostræ compendium ; sed purum

rum tamen ab omni erroris labe & in quo nihil abominationis reperiri, novus hic Balaamus (prophetarum enim & prophetissarum Adjunctum, se haberi ambivit) imprudens adversus tot calumnias suas ostendit; eademque opera sese inverecundum calumniatorem esse, ore suo tantùm non confitetur.

Accipimus igitur libenter duo illa Balaami nostri, quæ nobis quamvis invitus, & præter morem suum conceptus animi sui, reluctantibus verbis vix exprimens, tribuit elogia. Primum, quòd singularis cujusdam pietatis elegantia errores nostros incrustemus. Nec refert quod elegantiam hanc fucum apellet. Nam fucus inde abest; ubi adest pietas eaque singularis, & aut error non est; aut levis admodum & excusabilis, qui pietatis velo contegi se patitur. Alterum est, quod illa omnia tollamus, quæ in Christianismo Turcas, Judæos, Gentiles offendunt. Optimè igitur de religione Christiana mereri nos arguit; qui cuncta ejus propagandæ impedimenta removeamus, & in doctrina sua plæraque esse fatetur; quæ Turcas, Judæos, Gentiles offendunt. Nisi quòd in eorum enumeratione callide cæteris mysterium crucis adjungit; quod nihil in se veræ absurditatis continet, quæ hominum ratione recte utentium animos perturbet. Ideò mysterium hoc Apostolis nihil obstitit, quominus tantam gentium simul & Judæorum multitudinem Ecclesiæ Christo adjungerent. At cætera quæ præmittit, aliaque ipsis similia, rationis usum subvertentia dogmata; quæ innumeris suborientibus scrupulis, fidem nostram moliuntur & subruunt, non modo efficiunt ut ob ea Christiana religio apud externos nullo suo merito male audiat, sed ad turpem & noxium atheismum, infinitos mortalium greges protrudant, qui veluti corrupti humores morbidum Ecclesiæ corpus implent, & vitâ ac moribus palàm, sua sententia Deum non esse, aut res humanas non curare, testantur. Has Ecclesiæ ac religionis pestes qui ex ea eliminant, nonne ad Atheismum viam atque aditum præcludere, nec tantum propagationi, sed puritati, castitati atque emendationi Ecclesiæ prodesse, censendi sunt? Accipimus inquam hoc vi veritatis ac plane divinitùs Balaamo nostro extortum, innocentiæ & laudis nostræ testimonium, ex quo liquido patet, quàm iniquâ onerati simus calumnia; quod ad ultimum atheismum viam sternamus.

XVII.

Ad pag. 188. §. 171. *& seqq.*

Exonerato toto maledictorum plaustro; sed nondum tamen maledicendi impetu consumpto, Theses aliquot calumniis adversus nos onustas, sibi olim, ut ait, ad depingendam Theologiam nostram concinnatas & nimium placentes, ne videlicet tàm pretiosum cimelium posteritati periret, publico exponit. Quas antequam Lectori ostendat, dici non potest quantas, in amplexando isto tàm dilecto suo fœtu, delicias faciat: quantique illum æstimet, dum jaciendi in nos teli, scilicet tàm validi, necessitatem, Deo quoque non semel ad testimonium vocato, excusat. Inter suspiria & lachrymas conceptas esse, affirmanti libenter credimus; adeò nobis jejunæ videntur & miserabiles. Viperini quoque aliquid nonnullas habere videmus; quia in lucem prodeuntes parientem mordent. Præcipuè prima, quæ Theologiam Scepticam Diabolicam esse asserit, quæ propositio ab innocentiæ nostræ clypeo resiliens Comenium ferit. Illa enim Theologia sceptica est, quæ justas de veritate dogmatum suorum dubitandi ansas; non modo externis & alienis; sed professoribus suis præbet; qualis est Comenii. Qui nec ea quæ credit, intelligit aut intelligere potest; quippe rationi suæ repugnantia, nec suborientes fortè scrupulos sibi aut alius eximere novit; sed inter rationis suæ dictamen & opinionis pertinaciam fluctuare cogitur. Nostra autem dogmata tàm perspicuæ & certæ sunt veritatis, ut in iis nobis etiam adversarii nostri assentiri cogantur. Nam quæ nos negamus aut rejicimus; utpote dubitationum, scrupulorum, & absurdorum plena, non nostra sed aliena sunt.

Altera verò Thesis falsa aut ambigua est. Falsa si rationem illuminatam verbo Dei intelligas. Ambigua si simplicem rationem, revelationi oppositam. Cui nos certe soli inniti, quia interdum falli potest, abnuimus. Sed verbum Dei falli nequit. Quantò verior & simplicior thesis est. Theologia rationis expers, bruta & stulta est.

Tertia puram putam calumniam continet. Nec enim nos Legem & prophetas rejicimus, ideò quia Evangelium, tanquam ad nos magis pertinens amplectimur.

Quarta in propositione vera quidem est. Sed quod subsumi intelligitur, falsissimum; quasi in ea sententia, quòd nostra non aliena culpa corrumpimur, aut in libero arbitrio, quod sæpius in deteriorem partem flectimus; aut in pietatis conatu & contentione, quam absque ope Dei irritam credimus, ulla adversus Deum gloriatio vel cogitatione fingi possit.

Quintæ itidem assumptio falsa & calumniosa.

Sexta pura puta absurda mysteria vocat: quæ potius superficiariam & mancam Theologiam reddunt.

Septima in assumptione laborat, & fundamenta vocat, dogmata fundamento ab Apostolis jacto pluribus post eos seculis superstructa.

Octavæ assumptio itidem calumniosa. Crucis enim & mortis Christi fructus longè plures & veriores, quàm Comenius credimus, & agnoscimus, & consilium Dei in morte Christi, omnibus erroribus in quibus homines sibi nimium sapere videntur, longè sapientius judicamus. Sed quia Comenius nuda criminationum tela, sine idoneis; quædam etiam sine ullis probationibus in nos projicit: nihil istis miseris thesibus inanius est. Piget igitur in rebus nihili, plura verba terere: & tamen Lector meminit, collocatum in concinnandis istis thesibus laborem suum, quanti Comenius fecerit; cum cassa nuce vilior sit.

XVIII.

Ad pag. 191. §. 173.

Nec pluris faciendum; quòd Diabolicam esse jactantiam nostram, hoc est, Communitatis nostræ, stomachetur, quia nescio quis è nostris poëticè Judens: alios tecta & parietes, Socinum fundamenta Babylonis dixisse canit, tanquam, si quod in eo crimen esset; unius culpam tota societas præstare teneretur.

XIX.

Ad pag. eandem. §. 174. *& seqq.*

Ejusdem furfuris est quod pluribus exemplis probat,

bat, per noſtram Theologiam totam Scripturam everti. Sequamur ordinem criminantis.

I. Ait *Joh.* 1. 1. dicitur In principio erat verbum hoc eſt, (explicat) in principio creationis, uti *verſ.* 3. ſequitur. Vobis autem erat verbum in principio Evangelii. Reſp. Atqui *verſ.* 3. nulla principii creationis mentio eſt. Tantum per Chriſtum omnia facta dicuntur, quæ ipſe Joannes in epiſtola ſua facta eſſe per Chriſtum in principio novæ Creationis, ſuis oculis viderat & manibus palpaverat. Nec verò is veteris, ſed novæ creationis hiſtoriam texit, tanquam oculatus eorum teſtis quæ narranda ſuſceperat.

II. Ait Verbum erat apud Deum, & erat Deus. Vobis verbum eſt factitius Deus, qui à principio non erat apud Deum. Reſp. Nos verò in principio de quo Johannes loquitur, credimus verbum fuiſſe, apud Deum. Sed apud Deum fuiſſe dici non poterat is, qui erat ipſe Deus, ab eo apud quem erat eſſentia non diſtinctus. Factum autem Jeſum à patre Dominum & Chriſtum & datam illi divinam omnipotentiam Petrus *Act.* 11. & ipſe Chriſtus teſtatur *Matth.* xxviii. non nos comminiſcimur.

III. Omnia per hoc (Verbum) facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil. Vobis nihil per illum factum eſt. Reſp. Omnia de quibus hiſtoriam ſcribere Joannes orſus eſt, per Chriſtum facta, ſanctè credimus, quæ non ex antiqui rumoris auditione accepit ſed oculis ſuis vidit, & manibus in illo Evangelii initio palpavit, ut ſe in epiſtola explicat. Ideo illud generale *Nihil ſine eo factum eſt*, limitat per addita verba *quod factum eſt*, ut intelligatur de quo genere factorum Evangeliſta loquatur: qui certè non veteris creationis, ſed novæ narrationem ſuſceperat.

IV. In ipſo vita erat. Vobis Chriſtus nihil plùs vitæ habet quàm vos ipſi, hoc eſt, rivulum vitæ non fontem. Reſp. Calumnia capitalis. In Chriſto vitam & fuiſſe: & eſſe, in ſenſu abundantiſſimo, palàm & clarè profitemur: eumque uberrimum & inexhauſtum vitæ fontem, ex quo flumina aquæ vivæ exiliunt agnoſcimus. Nec enim tantum Spem vitæ æternæ, per remiſſionem delictorum peccatoribus attulit, & viam ad eam in doctrina & præceptis ſuis patefecit; atque in exemplo ſuo oſtendit: ac fœdus eò nomine cum Deo factum ſanguine ſuo obſignavit: ſed mox reſuſcitatus & exaltatus; non modo ipſe in Spiritum vivificantem factus; ſed alios omnes vita æterna pro arbitrio ſuo donandi pleniſſimam poteſtatem adeptus eſt; ut non minus quam pater quemcunque vult vivificare poſſit. Non igitur rivulum vitæ, ſed fontem in ſecula ſeculorum ſcaturientem eum, adverſus calumniatorum impudentiam, gratiſſimo animo agnoſcimus.

V. Verbum illud eſt Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Vobis Chriſtus neminem illuminat, præſertim ante ſe natum; ſed tantum illuminatur æquè ut reliqui homines.

Reſp. Nos Chriſtum illuminare omnes; etiam Angelos, quibus per Eccleſiam ejus multa arcana Dei revelantur; etiam homines ante ipſum natos; quorum multi ſcire cupiebant ea, quæ nonniſi per Chriſtum patefacta ſunt; omnes autem per munificam Chriſti manum æternæ beatitudinis lumen habebunt, clara voce profitemur.

Eundem vero illuminari tantum æquè ut reliqui homines qui dicit, noſtrâ ſententiâ blaſphemus eſt.

VI. Verbum caro factum eſt. Hoc quid myſterii habeat, veſtra Theologia non plus explicare poteſt, quàm Manichæorum. Reſp. Malè textus verba è Græco vertuntur; quæ potius ita verti debent *Verbum caro fuit* Nulla enim cauſa eſt cur vox ἐγένετο in *verſ.* 14. non idem ſignificare putetur; quod paulo ante *verſu* 6. ſignificat. Contrà innumeræ cauſæ ut idem ſaltem ut promptius effugiantur tot abſurdorum myriades, quæ deteriorem verſionem ſequuntur. Qua in re quid Manichæi ſenſerint, noſtra nihil refert. Sufficit nobis ſcire quid ſentiendum ſit. Unum illud ex allegato Auguſtini loco patet; ab ejuſmodi calumniatoribus, qualis eſt Comenius, tunc quoque orthodoxos Chriſtianos, Symboli Apoſtolici confeſſores, deterrimæ Manichæorum ſectæ crimine inſimulatos & nomine deſignatos fuiſſe, ut ſuprà oſtendimus. Per verbum autem nos non naturam aliquam, ſed ipſum Chriſtum intelligimus, divinæ poteſtatis jam tunc cum in carne eſſet, quamvis longè imperfectiori modo quam nunc participem, & in forma Dei exiſtentem. Verbum enim aut ſermo, (ſcilicet Dei) dicitur ab illa actione, quod nobis arcana Dei conſilia expoſuerit; ſicuti ſermo arcanos mentis conceptus exponit. Actiones autem ſunt ſuppoſitorum.

Hunc igitur Chriſtum, quamvis in forma Dei fuerit, & gloriam, qualis unigenitum & præ cunctis aliis unicè patri dilectum filium decebat, habuerit: Carnem tamen fuiſſe, hoc eſt, in imbecilla carne natum, ut cum Joanne ac cæteris Apoſtolis converſari atque ab iis videri, audiri & palpari poſſet, narrat Evangeliſta noſter; quod idem ferè in epiſtola ſua repetit. Quod ſi quis adverſariorum tamen vulgatam verſionem pervicacius retineat; ne ſic quidem opinionis ſuæ veritatem evicerit.

Carnem enim Chriſtum factum non negamus, eo verborum ſenſu, quo dicitur à Paulo factus ex muliere, eoque Dei conſilio quod indicatur *Heb.* 11. 10. 14. 17. ut in natura mortali ſimilis fratribus fieret.

VII. Qui poſt me venit, ante me fuit, dixit Johannes Baptiſta de Chriſto. Id quod veſtra Theologia non credit. Reſp. Non Theologia noſtra, ſed nos ipſi credimus, Chriſtum quamvis tempore poſterior fuerit, dignitate tamen & omni genere eminentiæ ante Joannem & reliquos omnes fuiſſe.

VIII. Ex cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Neque hoc verum eſt juxta Theologiam veſtram, quia fideles veteris Teſtamenti accepiſſe aliquid negatis. Reſp. An Joannis verba ad fideles antiqui fœderis pertineant, largiri malumus quàm diſputare. Cæterum Donum vitæ æternæ per Chriſtum promiſſum, fidelibus quoque veteris Teſtamenti, per manus Chriſti repræſentandum non negamus. Cujus ſpei certitudinem & quaſi jus Chriſti beneficio quæſitum accepiſſe illi quoque dici poſſint.

IX. Lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per Jeſum Chriſtum. Vobis per Chriſtum nihil datur, niſi nova lex: Moſaicâ aliquantò perfectior. Reſp. Nobis per Chriſtum non modò novam legem Moſaicâ non aliquanto; ſed multis paraſangis perfectiorem dari, ſed omnia quæ ad felicitatem æternam pertinent, gratiæ Dei munera, umbris fœderis antiqui adumbrata, in reipſa verò ac veritate, per Chriſtum jam data, & ſuo tempore plenius repræſentanda; agnoſcimus & contrà calumniatores publicè proteſtamur.

X. Ecce agnus Dei qui tollit peccata Mundi. Vobis hic Agnus nihil ſuſtulit; qui mortem ejus pro mundi

mundi peccatis sacrificium, fuisse non creditis. Resp. Peccata omnium in Mundo quicunque in Christum crediderint, & acta pœnitentia habitus & servitutem eorum exuerint, per Christum ejusque fœdus, tàm nobilis victimæ sanguine obsignatum, remissa & sublata credimus & confitemur. Quod autem impiorum & infidelium peccata maneant & non remittuntur, non Dei aut Christi voluntas, sed ipsorum culpa est. Neque enim æquum est ut tàm nobilis sacrificii fructus ad indignos pertineat. Sublata verò per Christum peccata (puto in iis, ad quos eorum remissio pertinet) longè meliori & pleniori fide nos, quam Comenius, credimus: qui peccatorum duntaxat pœnas per Christum & ejus mortem sublatas existimat, cum nos ipsa quoque peccata, in iis quibus mors Christi prodest (quantum per humanam infirmitatem licet) tolli & aboleri credamus.

XI. Natanoël ex unico Christi verbo illum esse filium Dei agnovit; Vos ad eam lucem nulla Christi verba permovere possunt. Resp. Atqui nos Jesum ex Spiritu Sancto conceptum, ex Maria Virgine natum, pro nobis mortuum, Verum Christum & (quod idem est) filium Dei unigenitum esse agnoscimus & firmiter credimus. Ergo Comenius, qui nos non Vatiniano tantum; sed crudeli odio; contra legem Christi, & monitum Joannis (1. *Joh.* v. 1.) prosequitur & persequitur, non modo non amat Deum; sed ne Jesum quidem credit esse Christum, & est purus putus Antichristus suis ab Apostolo Joanne lineamentis adumbratus. Nam cui fides in illum Jesum, non videtur esse fides in Christum; ei ne Jesus quidem videtur esse Christus.

XII. Christus in cælos ascendendi scalam, fidelibus suis ostendit Seipsum. Vestra Theologia vobis vosmetipsos propriaque merita ostendit. Resp. Christi doctrinam, ore ipsius proprio; mox Spiritu, per Apostolos prædicatam; esse primum gradum ascendendi in cælum; alterum vero fidem & omnia, quæ nobis ad eam à Deo per Christum adminicula donata sunt: tertium perpetem & continuam opem Christi, quam fert singulis fidelium, in eadem fide per obsequium præceptorum ejus exercenda & ad exitum vitæ constanter continuanda. Quartum gradum resurrectionem, omnipotentiæ & arbitrio Christi subjectam. Quintum supremæ beatitudinis, præmium de manu Christo capiendum, hosce nos omnes Scalæ cælestis gradus, quibus per Christum in cælum ascenditur, esse statuimus: quorum graduum nullus, absque gratia, auxilio, beneficio Christi ascenditur. Nostra merita nulla agnoscimus, non modo quia exiguum est quod præstamus, nec tantum quia id ex officii necessitate præstare tenebamur: sed quia id ipsum quantumcunque facimus, absque ordinaria & extraordinaria ope Christi non facimus. Quis meritorum aliquorum jactantiæ in hac sententia: quis calumniæ in hac innocentiâ locus sit Lector æquus expendat.

XIII. Christus ad Judæos dixit. Destruite templum hoc & intrà triduum excitabo illud. *Joh.* 11. 19. loquitur autem de templo corporis sui. Vobis Christus seipsum, (corpus suum morte destructum) non resuscitavit. Resp. Quod verò mihi dabis Christianæ religionis dogma aut axioma; quod non dico pluribus, sed totidem locis Sacræ Scripturæ, nec illis tropicis aut allegoricis; sed verba proprie dicta continentibus confirmetur, quàm filium Dei à Deo patre resuscitatum esse? Utrum autem æquius est, plurima loca per unum, & proprie dicta verba per allegorica explicari, ac contrà? Quis unquam dixerit homines propter Christum morientes proprie loquendo seipsos excitare à mortuis? quia dictum sit, Qui perdiderit animam suam, vivificabit eam. *Luc.* XVII. 33. aut alibi *inveniet eam*: cum mortui non magis invenire aliquid, quàm quærere propriè dici possint. Nisi forte excitare se ipsos dici possunt; ac mortem quoque vincere, qui eam ne sibi multum nocere possit aculeo suo exarmant, ut ex vi gratuiti promissi Dei impossibile, sit eos in ipsa detineri. Qui sensus ut ita dicam, improprius, longè aptius ac perfectius Christo, quàm ulli fidelium ejus, applicari potest. Non igitur nos ullis unquam Scripturis contradicimus; sed Sacræ Scripturæ apparentes contradictiones, obscuriora loca per clariora explicando, conciliamus.

XIV. Apostolus dicit, Primus homo (Adam) de terra terrenus: Secundus homo (Christus) Dominus de cælo 1. *Cor.* XV. 47. Vobis uterque terrenus est. Dices Cælestis dicitur, quia conceptus est è Spiritu Sancto sine patre terreno. Respondeo Etiam primus Adam sine patre terreno productus fuit, à Spirituum patre Deo. Ergo uterque terrenus; uterque cælestis Sensu vestro. Ubi erga manebit differentia, quam Apostolus urget?

Resp. At nos respondemus primum, Comenium ludere Sophismate quod Logici Consequentis vocant. Hujus Specimen est, quod Omnis quidem Dominus de Cælo cælestis; at non omnis cælestis Dominus de cælo dici possit. Unde apparet male explicari, voces *Dominus de cælo* per vocem Cælestis; quæ latiùs patet, cum Comenius utrumque pro uno eodemque sumat.

Secundo. Non ideò tantum Christus *Dominus de cælo* dicitur, quia sine patre terreno natus est, sed longè magis ideò, quod unà cum natura cælesti ac divina, tali excellentiæ competenti, data ipsi sit omnia potestas in cælo & in terra, quæ illum Dominum cæli ac terræ effecit. Quod in Adamo frustra quæras, qui licet ob cælestis auræ particulam, terreno corpori ejus inspiratam, fortasse cuipiam Cælestis dici posse, videri queat, propter corpus tamen terra fictum; terrenus meritò dicitur, nec ullo modo *Dominus de cælo* vocari potest.

3. Nam illud taceo, longe aliud, & longè vilius esse, Sine patre terreno, de terra fieri seu fingi, quod tot figulorum opera testantur, quorum hac in parte similis est Adamus: aliud autem sine patre terreno, ex cælesti semine nasci, quod uni Domino nostro peculiare ac proprium est.

4. Denique Christus licet terrenum & corruptibile corpus olim habuerit, nunc tamen exaltatus terrenum corpus non habet; nec ullo modo terrenus dici potest. Quia homini de terra opponitur Dominus de cælo. Opponit autem Apostolus originem & quasi materiam Corporis de terra; origini & quasi materiæ corporis de cælo: & alibi ait, Sese jam Christum in carne, puta terrena & mortali non nosse. Non igitur Adamo opponit Christum, qualis erat dum esset in fragili adhuc & mortali corpore; sed qualis erat dum esset Dominus de cælo & in glorioso & immortali corpore: quod inter mortale quale Adamus habuit, ingens differentia est. Manet igitur, salva sententia nostra, differentia quam Apostolus urget: & frustrà cavillatur Comenius.

XVI.

Ad pag. 194. §. 176.

Fessus tot odiosis criminationibus accusator; jam nobis valedixerat: Sed ecce iterum nos novâ calumniâ salutat, adeò atroci & inhumano odio adversus nos sævus, ut ipse fateatur, ut nos persequi cessare nequeat. Quendam è nostris & quidem primariis ait non alium cognoscere Messiam, quàm qualem Israëlitæ hucusque expectant. Nec aliud interesse,

»terefſe, niſi quod illi adhuc eum proſpectant. Nos »autem jam fuiſſe, eumque Jeſum Nazarenum eſſe »confiteri. Hinc concludit nos merito ab Eccleſia »ſegregandos, tanquam Judæos modernos, Pha»riſæorum propaginem, qui putum putum homi»nem expectant, carnales quaſdam ipſis paraturum »epulas; At non talem fuiſſe antiquorum Iſraëlita»rum fidem qui Deum expectabant non hominem. »*Eſai.* xxxv. 4. Deus veniet & ſalvabit nos. & *cap.* »LXIV. 1. Utinam diſrumperes cælos & deſcen»deres.

Reſp. Fallit, aut ipſe quoque fallitur accuſator, illo fallacia genere, quod a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter dicitur. Quisquis ille noſtrâs eſt, qui non alium a nobis cognoſci Meſſiam, quàm qualem Iſraëlitæ expectabant aut expectant, aſſerunt, quibus verbis aſſertionem hanc protulerit, multum intereſt. Quæ quia ſola fide accuſatoris citantur & nobis prorſus non ſunt: nos verbis omiſſis mentem aſſerentis ex communi ſententia noſtra non alium eſſe potuiſſe contendimus, quam quod talem non ſimpliciter, ſed ſecundum quid à nobis cognoſci Meſſiam, qualem Judæi expectabant aut expectant, aſſeruerit. Scilicet ratione qualitatis naturæ in qua naſci debuit, non vero ſimpliciter ratione qualitatum omnium; & præcipuæ Regni ejus; quod terrenum & ex hoc Mundo fore, etiam antiquos Iſraëlitas: etiam ipſos Chriſti diſcipulos ſomniaſſe, quiſquis ille fuit, ignorare non potuit. Ut mirum non ſit noſtræ ætatis Judæos, in opinione de qualitate Regni ejus longè etiam deterius errare. Secundum quid igitur & in eo tantum ſententia noſtra, tam antiquorum quàm hodiernorum Judæorum opinioni conformis eſt; quòd qualem olim prophetam (ut Moſis verbis utamur) ſuſcitaturum fuiſſe Deum, ex populo ſuo & à medio fratrum, Moſis inſtar, in natura videlicet humana non divina, naſciturum & venturum Judæi crediderunt & hodie credunt: Talem nos Deum ante plura ſecula ſuſcitaſſe credamus, eumque eſſe hunc ipſum Jeſum, quem nunc tanquam Deum in ſecula benedictum, divino cultu colimus. Nec obſt, quod citatus hic Anonymus, unum tantùm differentiam, inter noſtram & Judæorum ſententiam, ſtatuiſſe videtur, quòd hi quidem eum adhuc proſpectent, nos autem jam veniſſe eumque Jeſum Nazarenum eſſe contendamus. Nam hæc differentia ſuo completa, non ratione qualitatis (ut ſic loquar) naturæ tantùm, in qua venit in mundum Jeſus: ſed ratione qualitatis etiam Regni ejus (quod ipſe non ex hoc Mundo eſſe pronunciavit) diſcrimen inter noſtram & illorum ſententiam, atque adeò omnes Veritatis, quibus cæcitati Judæorum præſtamus partes comprehendit. Etenim qui credit Jeſum illum qui jam venit, (venit autem in carne, ut reliqui homines in mundum veniunt) eſſe Chriſtum, & illum Meſſiam promiſſum, cui ſub periculo extirpationis è populo Dei, obediendum eſt, ex Deo natus, & ab omnibus qui Deum amant diligendus eſt 1. *Joh.* v. 1. In quo omnibus non Judæis tantum & infidelibus, ſed falſis quoque Chriſtianis atque imprimis Comenio, qui Jeſum eſſe Chriſtum, ut alibi demonſtravimus, non credit, longo intervallo præſtat & præcellit.

Nam quod antiquos Judæos non hominem, ſed Deum expectaſſe ex Eſaiæ verbis *cap.* xxxv. 4. & LXIV. 1. probat: ludit operam; cum in Sacris libris, Venire Deum aut deſcendere ut ſalvet & eripiat ex malis populum ſuum, innumeris in locis de inſigni aliquo Dei in liberando eodem beneficio intelligatur: quod neque ad adventum Meſſiæ aſtringi aut limitari ſemper ſit neceſſe: & ſicubi id ad ejus adventum pertineat: quicquid aliquis per alium facit per ſe feciſſe jure dici poſſit. Quicquid enim per adventum Chriſti beneficiorum in populum Dei collatum eſt: ipſi Deo acceptum ferri, & quaſi proprio ejus adventui tribui par eſt.

Calumnias, quas in nos hoc loco larga manu ſpargit, nos conſtantiſſima negatione, quali mendacia revinci fas eſt, refellimus. Quarum prima eſt quod unà cum Phariſæis Chriſtum Deum dicere blaſphemiam eſſe affirmemus. Nos enim quamvis ab omnibus Judæis etiam Phariſæis, Meſſiam tanquam hominem non Deum expectatum: at in reipſa quoque hominem non Deum natum (neque enim in Deum cadere poteſt ut humano more naſcatur) credamus; Tamen eundem poſteà ob illam Spiritus Sancti in eum ſine menſura effuſi vim, in forma Dei exiſtentem & mox ab divinam naturam cum abſoluta omnipotentia collatam, tunc cum filius Dei in potentia ex reſurrectione mortuorum ſieret & quaſi renaſceretur; Deum & quidem omnipotentem, & ſuper omnia benedictum in ſecula agnoſcimus, adoramus & invocamus. Et quicunque hanc divinam poteſtatem & cultum ipſi adimat blaſphemum cenſemus. Sed & Comenius in nos blaſphemus & maledicus eſt; qui nos id, quod ex animo credimus & pleno ore confitemur, pro blaſphemia habere fortiter calumniatur. Quod ad cæteras calumnias hoc loco in nos non parcè congeſtas attinet, quid argumentis aut defenſione opus eſt? Credimus Chriſtum vulneratum propter iniquitates noſtras, (pro peccatis enim & propter peccata noſtra mortuus eſt) attritum propter ſcelera noſtra, ut nos livoribus ejus ſanemur. Credimus nos juſtificari fide in Chriſtum, qui animam ſuam poſuit in ſacrificium pro reatu. Exultamus etiam inde quod Jehova ſit juſtitia noſtra; qui nos non modo per remiſſionem peccatorum, quamvis injuſtos & extrema omnia promeritos; pro juſtis recipit: ſed etiam per pœnitentiam regenerat & perpeti auxilio, quamdiu in hac vita ſumus, ut piè & ſanctè & juſte vivamus ſublevat; ſine cujus ope conatus omnes noſtri irritieſſent & inanes. Nec poſſimus liquidius accuſatorem noſtrum falſi convincere, quàm ſi cuncta quæ nobis verbis objicit; ipſo facto ac reipſa aliter ſe habere oſtendamus. Phariſæi Jeſum crucifixerunt, quòd ſe Chriſtum & filium Dei eſſe diceret. Nos quoque ideò quod eundem Jeſum, non verò ullum alium præter crucifixum; Chriſtum ac filium Dei eſſe credamus, Comenius crucifigi poſtulat. Quæ in re non degeneres ſe Phariſæorum progenies oſtendit.

XXI.

Ad pag. 195. §. 177. *& ſeqq.*

Inſiſtit obſtinatè congerendis in nos calumniis. Phariſæis (inquit) & vobis ceremoniæ legis nihil »ſignificabant. Umbra erant ſine corpore. Luſit »ibi Deus ut luderet. Reſp. Quid Phariſæi de »ceremoniis legis ſenſerint; noſtrâ nihil refert, nec etiam anxie quærimus quid ſub iis myſterii lateat, quæ jam Chriſti lege ſublatæ ſunt: quamvis nihil eorum aſpernemur, quæ aptè doctrinæ Chriſti, quæ in illarum locum ſucceſſit, applicari poſſunt. Sub ceremoniis tamen illis myſteria latuiſſe non negamus. Sed non illico, hæc aut talia; qualia Comenio in mentem veniunt.

Eſſe aliquos in Sacra Scriptura locos percepta & explicatu difficiles non negamus. Sed iſtorum ipſorum nullus eſt in cujus intellectu error aut ignorantia pernicioſa aut etiam periculoſa ſint. Nam omnia ad ſalutem, & viam ſalutis pietatem neceſſaria, ita eſſe comparata Deus voluit; ut factu quidem ardua ſed intellectu & explicatu, plana ac pervia ſint. Omnia, inquit, vos per vos ipſos intelligitis; aut certe

certè nonnisi Aristotele in consilium adhibito. Resp. Sicubi Spiritus Sanctus obscurius loquitur ; alibi idem clarius sese explicat. Scripturas igitur per scripturas scrutamur, non Aristotele, sed sano & sobrio judicio adhibito, nunquam omissis ad Deum precibus atque suspiriis, ut nos illuminet. Quid autem deliquimus, quod non cæco & factioso impetu sequamur antecedentium gregem ; qui olim simplicem & perceptu facilem Apostolorum doctrinam, Plotino, Chalcidio, Jamblicho & si qui alii fuerunt ex ultima Platonicorum face, in consilium adhibitis, in salebrosam & perplexam Theologiam transformarunt ? Hoc loco alloquitur nos omnes Comenius *Turba infidelium attende*, tanquam adhuc ludi magistri personam inter impuberes & suæ jurisdictionis discipulos ageret. At nos unum Comenium insontium persecutorem alloquamur. Nos non esse infideles eo ipso demonstramus, quia Jesum optima fide credimus esse Christum. Quam fidem cum tu rejicias & nos infidelitatis insimules, propter illam quærimus cur non credas illum Jesum qui in carne venit esse Christum ? cur te Christo fidelem censes cum erga illum Jesum, qui in carne venit, sis infidelis. An fidelis erga Christum esse potest, qui erga Jesum infidelis est ? Parcius igitur ista nobis in posterum objicienda memento, cum eo ipso quod nobis infidelitatem objicias temetipsum imprudens manifestæ infidelitatis convincis. Non Aristotelem inquit nobis in rebus fidei magistrum dedit Deus. Sed neque Platonem. Christum unum audire jussi sumus. Non igitur Justinum philosophum, aut Origenem ; aut Alexandrum & Athanasium ; nec illos, quibus Comenius sese adversus nos inflat, quarti aut quinti Ecclesiæ seculi Phosphoros. Quod per vim trahamus & torqueamus verba Dei, ut phantasiis nostris serviant, objicitur nobis at non probatur. Arrogantiam & spiritum carnis nobis objicit Comenius : cum scriptis ejus nihil sit arrogantius, & magistralius, qui se omnigenæ sapientiæ promum condum, & pansophum profiteatur ; nihil carnalius, qui in maledicendo ad obscæna usque turpiloquia demittere sese non dubitet. Revocat nos à nobis ad Deum. Levamus hominem isto labore. Ultro id facimus, qui veritatis divinæ causa persecutionem patientes, & in eo solo spem collocantes, nosmetipsos ac nostra omnia unà cum patria deseruimus. Revocat à philosophia ad Theologiam. Nos verò in divinis adeo à philosophia abhorremus ; ut ne Theologiam quidem philosophicis doctrinis simplicem Apostolorum prædicationem corrumpentem, ferre possimus. Revocat à ratione, ad fidem. Nescit quid loquatur. Deinde sibi non constat. An verò ad fidem accedenti ratio deserenda est ? Quid erit fides, si rationem tollas ; an brutis eam pecudibus assignabis ? Fides & scientia non ita heterogenea sunt, ut unà secum consistere nequeant. Credentem enim Deo, voluntatem ejus scire necesse est.

Si verbum Dei datum est post rationem, utrumque Dei donum est. Utrumque igitur grato animo amplectendum. Nunquid inter se mutuo committi aut collidi possunt Dei munera ?

Multa sunt quorum modum ratio sibi relicta assequi non potest. Sed nullum est fidei objectum tàm sublime, quò fide Duce, ratio ascendere nequeat. Denique quid pluribus opus est ? Inter normas judicandi de rebus divinis Comenius jam rationem admisit ; nec ipsi integrum est resilire à pronunciata semel sententia. Si de eo lis est utra normarum præstantior sit. Fidesne aut verbum Dei, an ratio ? Nos fidei ac verbo Dei hanc palmam libenter deferimus, utpote cui lumen rationis nostræ ultrò assurgat, quia cum ipsa decipi se posse sciat ; illorum luce certiori & infallibili illustrari cupit & optat. Quid igitur opus est, toties nobis id inculcare, nisi ut tacita calumnia & suspicio in animis hominum hæreat nos ejusmodi inculcatione indigere ? Quid verò arrogantiæ habet querimonia nostra, quod Lectione librorum nostrorum cunctis vulgo interdicatur ? Non nostra ista est jactantia ; sed eorum qui interdicunt de causæ suæ imbecillitate confessio. Quorum patrocinio Comenius eundem metum de infirmitate ejus testatur. Nec excusat hominem quod venena quoque & latrones timeantur. Nullus metus, nulla formido esse potest ab imbecilliori. Validius sit oportet viribus nostris, quod timemus. Metuimus quidem ac meritò, mala quoque & verè noxia : sed sæpius etiam quæ nonnisi talia nobis videntur. Itaque bonitatis quidem aut pravitatis incertum ac suspectum argumentum est metus ; at virium atque potentiæ certum & irrefragabile. Nam infirmiora tametsi mala sint, tutò & impune spernuntur. Cæterum in disquisitione Veritatis homines levidensibus armis instructos, ubi adversus cataphractam documentorum phalangem in acie constitere, non sine causa Panicus terror occupat. Præsertim eos qui rationis, etiam verbo Dei illuminatæ judicium & dictamen ; ac proinde rationum & argumentorum conflictum defugientes, non modò trepidationem : sed desperationem causæ suæ non obscure fatentur. Agnoscat igitur Comenius quàm stolidè excusentur, qui veritatis patrocinium & causam professi, disputationes aut libros adversariorum sedulo vitant aut vitare præcipiunt, cum veritate nihil sit potentius ; magisque intrepidum : errore & falsitate nihil fragilius ; ideoque nihil pavidius.

Sacrificium Christi quo peccata Mundi, sed non absque pœnitentia & regeneratione peccantium, delentur agnoscimus & credimus.

XXII.

Ad pag. 199. §. 182.

Nec verborum satis nec methodi ad infestandos nos Comenius invenire se queritur. Id garrulis accusatoribus usuvenit ; quibus quantamcunque verborum copiam profundant, non sufficit : & nullo judicio aut delectu, nullo ordine aut methodo : quicquid in buccam venit effutiunt ; & iterum atque iterum tanquam novum crimen intendant, quod jam ante sæpius objectarunt. Comparavit nos toties Pharisæis, hic rursus eandem crambem recoquit ; nisi quod nos stupidiores illis aut magis perversos criminetur. Quamobrem verò ? Quia verba Christi non eo sensu quo Pharisæi intellexerunt ; intelligimus. Nos verò à Pharisæis cum Comenio consentientibus dissentire, neque pudet, neque pœnitet. Relinquimus non inviti hanc Comenio gloriationem, quod in verborum à Spiritu Sancto profectorum intellectu cum Pharisæorum sapientia consentiat.

Ratio verò quam affert, cur Pharisæi rectè senserint ; quia à Christo & Joanne contraria ilico protestatione aut explicatione emendati non sunt, vana & nullius est ponderis, cum in objectâ Christo prætensâ cum Deo patre æqualitate, manifesta eorum calumnia fuerit, quia Christus ab ista æqualitatis cum Deo prætensione adeo alienus fuerit ; ut ne Deum quidem (quamvis id optimo jure potuerit) sed filium Dei duntaxat sese vocaverit. Ad ejus generis autem notorias calumnias, non semper Christum respondere dignatum exempla extent innumera. Quin & citra omnem calumniam Christus interdum verba sua non rectè accipi videns ab hominibus improbis, & ad lucem suam oculos claudentibus eos in suo errore atque culpa relinqui sæpius passus est. Vide *Matth.* XIII. 12, 13. *Mar.* IV. *Luc.* VIII. &c. Nec refert quod aliquando Christus

homines in aliquo errore relinqui noluerit ; quia in hominibus, quibus Evangelium prædicabat, delectus sapientissimo ejus arbitrio suberat.

Vitio à nobis verti cuiquam, quod Christi aut Apostolorum sermonibus credulus sit ; non calumnioſum modo crimen sed ineptum, nec responso dignum est. Ecclesiarum Christianarum maximæ parti credulitatis culpam objici posse Spiritus Sanctus arguit, dum prædixit 2 *Thess.* 11, venturam in Ecclesia apostasiam, in qua hominibus ob veritatis neglectum, missurus esset Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio, quod fit, quando Christiani in disquisitione veri credunt multitudini, potentiæ, secundis successibus & factionis suæ Ducum existimationi, falsis miraculis, antiquitati, successioni & similibus malæ plerumque causæ illecebris. Quæ documenta quàm falsa & inania sint aperte Deus orbi Christiano ostendit, excitari Mahometem passus, per quem simul & peccata Ecclesiæ puniret, & oculos cunctis aperiret ; quàm mendax sit istud argumentorum genus ; quibus vulgo potentiores Ecclesiæ suos errores fulciunt, cum eadem omnia Mahometani jactare possint ; & tamen evidenter ac pernicioſè errent.

Quàm vero ridiculum se Comenius exhibet in suæ credulitatis patrocinio ! Quisquis Orbis Christiani credulitatem damnat, vitioſam intelligit, nec aliter fere vox hæc usurpata est, nisi ut credulis vitiò verteretur. At verbis Dei credulitatem, nemo ante Comenium tribuit. Fides ista est non credulitas, quæ vox planis & impostoribus, & venientibus sub pelle ovium lupis potiùs competit ; quos Christus & Apostoli quoties cavendos dixerunt ; toties nos Deus per verba ejusmodi, à credulitate ipsis præstanda dehortatus est. Christus neminem reprehendit qui ipsi nimium crederet, quia ipsi nimium credi non poterat : nec fides verbo ejus habita credulitas dici ullo modo poterat. Sed quoties incredulitatem infidelium insectatus est, toties earundem credulitatem, cæcis errorum suorum magistris obnoxiam, damnavit. Spiritus Sanctus quando arguit mundum de peccato ; quod non credat in Christum ; eadem opera mundum arguit de credulitate erga suæ infidelitatis magistros. Non fuit igitur mutandus quæstionis status. Neque enim inter nos lis est de credulitate verbis Dei aut Christi & Apostolorum adhibita : (qui modus loquendi Contradictio est in adjecto) sed de credulitate errorum magistris. Quos inter pestilentissimi sunt, qui Comenio auctore homines pios, & qui ad sanctitatis Christianæ perfectionem (prout vires humanæ extendi possunt) aliis Duces sunt ; homines propria justitia turgentes & *sanctitiurientes* vocare non erubescunt ; ut vel ex eo homines peccaturientes, plane agnoscas.

XXIII.

Ad pag. 201. *§.* 187.

Dilemma Comenii, quo famosum suum adversus nos libellum claudere voluit ; est Taurus-excornis. Aut non invocatis Christum, ait, aut invocatis. Primum cornu etiam ante factum in nos impetum fractum est. Sciebat enim Comenius nos Christum invocare. Alterum in ipso impetu frangitur. Si invocatis inquit, quem Deum esse non creditis, idololatræ estis. Quasi & idololatræ eum quem colunt aut invocant Deum esse non credant. Quid? an Babylonii Belum suum Deum esse non credidere.

Nos verò Christum ideo invocamus, quia Deum esse credimus, in eo ab idololatris immenso spatio distantes, quod illi falsos Deos ; nos vero in colendo Christo verum, & divina naturâ & omnipotentiâ, à patre donatum colamus & invocemus : Præcipuè cum cultus noster erga Christum, Dei patris unicum filium, in cultum erga ipsum Deum patrem tendat ; desinat & in eo terminetur. Nec enim sola potestate, sed naturâ quoque divinæ potestati congruâ & divinâ, Christus Deus est. Nemini Deus pater per hoc suum honorem concessit, quod filium unigenitum, Deum & Regem æternum unxit oleo exaltationis suprà omnes consortes ejus. Imo verò gloriam suam altius extulit, cum sedere à dextris suis eum jussit, cui omnia præter seipsum subjecit ; quo ipso eminentia & gloria Dei patris, nemini alii præter ipsum competens, & quam se daturum nemini juravit, clarissimè eluceſcit.

Cui enim tantum liceat ? & quis tàm sublimis exaltationis specimen edere potuit ? nisi qui in principio terram creavit, & opera manuum ejus sunt cæli, & qui tàm magnifica veteris Creationis opera abolebit ; & quidem per eum ipsum, quem ideò unxit & exaltavit, ut in nova & longe potiori creatione vicarius ejus esset atque administer ; per quem nunc omnia fiunt, & futura sunt, quæ ad eam pertinent. Ut non immeritò Auctor epistolæ ad Hebræos tanti facinoris Dei patris mentione facta, in illam apostrophen erumpat ; quæ ostendit à Deo patre & ex Deo patre omnia esse, & in Dei patris gloria omnia terminari. Cujus potentiæ & majestatis glorioſum, & in omne ævum memorabile specimen, mentibus omnium infigetur atque inhærebit ; quando machinam istam Mundi, admirabili Sapientia suâ fabricatam, & postea mortalium simul & immortalium ; Spirituum & hominum, perduellium suorum sedem, unâ cum ipsis eruet & excindet ; idque per eum ipsum ; quem unxit in Regem cæli ac terræ potestatem dono suo adeptum. Cur igitur non invocemus ejusmodi Dominum, cui pater omne judicium ita tradidit, ut ipse per se non judicet quenquam ; sed arbitrio ejus vitam æternam singulis largiendi potestatem absolutam concesserit, qualem ipse habuit *Joh.* v. 21. idque eo consilio ; ut omnes honorificent & colant filium ; sicut honorificant patrem. *Ibid.* 23.

XXIV.

Ad pag. 204. *§.* 191. *& seqq.*

Jam nobis ægrè relictis, contulerat se ad Remonstrantes & Mennonitas ; non aliud facturus operæ pretium, quàm ut virum generis nobilitate ; vera pietate, recondita eruditione insignem ; ac sese longo intervallo præstantiorem ; plebis & Magistratuum invidiæ objiceret. Quibus tanquam Classicus Magister, delectu librorum habito, quosdam è manibus excutit, alios in eorum locum subjicit & commendat. Ridicule ; ut omnia. Quia nemine vocante ad consilium impertiendum se ingerit. Sed ex concepta adversus nos bile, nondum satis tot vomitibus purgato stomacho ; redit ad nos iterum, ut quod reliquum erat isthic amari loliginis succi in nos effundat.

Ait, sibi blandiri Socinianos, quod faciliorem vulgari, & liberam à nodosis quæstionibus Theologiam habeant. Resp. Sane in eo præ cæteris gloriari possunt, qui suprà simplex illud & facile ; simplicis & planæ Apostolicæ prædicationis Compendium Symbolum Apostolicum, sapere non audent.

Negat id accusator ratione allata, quod fando auditum non sit, nos vel unum Judæum aut Mahometanum ad fidem Christianam convertisse. Quasi in ejusmodi rebus nihil evenire possit ; quod Comenii notitiam fugiat. Jactet, ut libet, Pansophiam suam,

am. Multis istis rebus quas scire se putat : incomparabili proportione plura sunt quæ nescit. Vel ista ipsa quam narrat fabella ostendit quanto facilior istis barbaris per oblatam Symboli Apostolici, quàm Nicæni aut Athanasiani, confessionem aut formulam pandatur aditus ad Christianismum. Neque enim hujus Nobilis Sociniani sententiam Vezirius damnare ausus est ; imò palàm collaudata, ostendit homini Unius Dei cognitione instructo, si modo sit sanus & sobrius, longè facilius esse persuadere, Jesum esse Christum & æternum populi Dei Regem, & anilia Mahometis deliria ex animo excutere ; quàm eidem (cum inter partes utrinque confessum sit Summum Deum unum statui debere) persuadere, tamen eum non unum sed trinum in personis esse, quarum trium unaquaque separatim Deus Supremus & altissimus sit : & reliqua nodosis quæstionibus referta dogmata. Quod verò in hac fabella contumeliam nostram captavit Comenius, ex eo quod in unius Dei cognitione conveniamus ; quàm parum à Musulmanis differamus ostendere contendens : longe meliori jure nos Comenium à Turcis & Judæis exiguo intervallo distare arguemus ; quia is una cum illis non credit Jesum esse Christum & æternum populi Dei Regem, cum fidem in eum, non puret fidem esse in Christum ; aliàs nos pro turba infidelium non haberet.

Ait nos religionem corrumpere per philosophiam. Resp. Nos verò omnia philosophica dogmata à religione eliminari contendimus : relicta nuda & simplici & Sacræ Scripturæ congruâ Symboli Apostolici confessione ; cui nihil philosophicæ vanitatis, ac flultitiæ admixtum est.

Atque hìc tàm crudæ fortasse calumniæ nauseâ irritatus usque ad diros vomitus stomachari adversos nos non definit Comenius, *non ex stomacho tantum sed eximis intestinis in nos bilem evomit.* Nomen habere Christi nos fatetur ; sed sine spiritu Christi ; quasi in tot iniquis ejus criminationibus & conviciis vel tantillum Spiritus Christi appareat. Columnas sepulchrales nos vocat, & in ipsis Christianismi cardinibus fide, spe, vitâ, præ omnibus deficientes, operosè sed ineptè probat. Uno verbo ait, nos vita Pharisæos, spe Saducæos, fide Atheos aut esse aut eo viam sternere. Piget retractare tot impura per miserum os redeuntia βδελύγματα, vel eo ipso spernenda quia nos non attingunt. Tantum miseret hominis morbo laborantis insanabili. Nam an tales simus, quales depingimur : Christus olim, sed & nunc sobrius Lector judicabit. Hæreticos nos ait esse propriissimè dictos. Nescivit igitur quid diceret, cum nos paulò ante Turbam infidelium vocavit. Sed præ cunctis tamen qui unquam fuerunt Immaniores. Bona verba. Quid ita ? Quia cæteri inquit, unum aut alterum fidei articulum hi omnes labefactant. Atqui nos omnes Apostolicos articulos, in Symbolo fidei eorum comprehensos, amplectimur, urgemus, defendimus. Plus tamen nos esse quàm hæreticos ait, hoc est ipsissimum & ultimum Antichristum ; negantem Christum in carne venisse, hoc est ut ipse explicat, constituentem Christum carneum tantum, tunc ortum cum natus est, æquè ut nos. An verò is qui Christum cum ex virgine Maria nasceretur, carneum fuisse credit, Christum in orbem in carne venisse negat ? Oblitum sui hominem esse necesse est, qui rem aliquam asserendo & probando, statim se aperti mendacii convincit. Quæ verò in eo Christi contumelia est, quod in natura humili & fragili, æquè ut nos natus est ? Hoccine Antichristi vestigium est ?

At vide ne aliquanto certius ac potius illud, si quis neget eum hominem, hoc est, personam humanam natum esse : sed præcipue si eos, qui credunt Jesum illum hominem natum, esse Christum, tanquam vera Christi fide carentes eo nomine pessimè oderit, & persequatur.

Numerat deinde quatuor Antichristorum genera ; satis ineptè, ut omnia, ignarus sese inter eos non postremo loco constitutum ; ut sæpius ostendimus & hic patet, cum Christum in carne venisse ; & hominem aut personam humanam unquam fuisse inficietur : Præterea cum fratres suos insontes, imo mortalium optimos, tyrannicis artibus opprimere contendat ; atque ut tanquam publici odii victimas per injuriam & calumnias sævo supplicio immolentur, nihil non moliatur ac tentet.

XXV.

Ad pag. 206. §. 195.

Postquam nos omni contumeliarum, maledictorum, calumniarum genere flagellasset, & conspuisset, deerat adhuc ut nos latronum in morem crucifigeret. Fecit igitur id & nos ad sinistrum, Felgenhaverum ad dextrum Christi latus collocatos, ultimo ac servili supplicio afficit. Credo risum captasse legentium ; hominem ipsum ridiculum, & imprudentem, qui non animadverterit ab iisdem lictoribus passum Christum, à quibus latrones crucifixi sunt. Facilè igitur patimur nos quoque cum Christo crucifigi, dum carnifex noster Comenius inter lictores, qui Christum crucifixere, suomet suffragio numeretur.

Credebamus nos inflicto nobis supplicio defunctos, nec habere quod à carnificibus post fata metuamus. Sed nimium verum esse experimur quod canit poëta:

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem cum jacet hostis habet.
At lupus & Turpes instant morientibus Ursi.

Ne Comenius quidem cessat nos obstinato odio ad imos usque manes persequi, & à nobis quasi jam in crucem sublatis & extinctis, converso quoque ad alios sermone, in nostra tamen memoria & existimatione tincta & imbuta atrocis odii veneno spicula sua defigere tentat. At nos relinquamus tandem hominem furore percitum & umbras gladio sodientem, Lectoribus garrulitate sua sine fine molestum, & rabiem stomachantis risu ; conjecta verò in insontes & ab ambone clypei innocentiæ nostræ, ultrò in jaculantem refilientia missilia, contemptu & silentio ulciscamur.

FINIS.

RESPONSIO

AD SCRIPTUM

Illustris ac Magnifici Domini,

GEORGII NEMIRICII,

Succamerarii Kiovienſis,

Quo;

Cum ipſe ad SACRA GRÆCANICÆ ECCLESIÆ tranſiiſſet, Cunctos in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, a Religione Romana diſſidentes, hortatur; Ut ſe in gremium ECCLESIÆ ORIENTALIS recipiant.

E Polonica linguâ in Latinam

Converſa.

PARS PRIMA.

De Ecclesiæ Auctoritate.

CAP. I. *Examen Præfationis.*
CAP. II. *Ex quatuor ab Auctore propositis invenienda veræ Ecclesiæ modis, secundus plane rejicitur ac refellitur.*
CAP. III. *Ex propositis ab Auctore invenienda veræ Ecclesiæ modis, Primus, Tertius, Quartus approbantur & confirmantur.*
CAP. IV. *Adversus libertatem & necessitatem utendi privato, in publica Ecclesiæ doctrinâ examinanda, judicio, prima & secunda Objectio refellitur & dissolvitur.*
CAP. V. *Adversus eandem privati judicii libertatem, Objectio Tertia, Quarta, & Quinta refellitur.*
CAP. VI. *Responsio ad refutationem trium causarum, quæ nos adigunt ad usum privati judicii, in publica Ecclesiæ doctrina examinanda.*
CAP. VII. *Ad novarum Objectionum refutationem Responsio.*
CAP. VIII. *Voces Ecclesiæ, & Catholicæ Ecclesiæ expenduntur & distinguuntur.*
CAP. IX. *Errores non pauci Auctoris examinantur, Primus, Secundus, Tertius, Quartus & Quintus.*
CAP. X. *Sextus, Septimus, Octavus error. Ubi quæritur de Invisibili Ecclesia.*
CAP. XI. *Errores examinantur, Nonus, Decimus, Undecimus, Duodecimus, Decimus tertius, Decimus quartus, Decimus quintus, Decimus Sextus.*
CAP. XII. *Error Auctoris Decimus Septimus, Decimus Octavus, Decimus Nonus, Vigesimus, Vigesimus primus.*
CAP. XIII. *Vigesimus secundus, Vigesimus tertius, Errores refelluntur.*

PARS SECUNDA.

In qua quæritur,

An Dissidentes ab ECCLESIA ROMANA & GRÆCA Dogmata & Ritus Orientalis ECCLESIÆ illæsa Conscientia recipere possint.

CAP. I. *De Tolerantia.*
CAP. II. *De levioribus Adiaphoris Undecim.*
CAP. III. *De Confessione Auriculari Duodecima.*
CAP. IV. *In examine plurium Errorum raptim, & obiter de Eucharistia Tredecima.*
CAP. V. *De Liturgia aut Missa quatuordecima.*
CAP. VI. *De Imaginibus in Sacris locis erigendis.*
CAP. VII. *De Cultu Imaginum & Idololatria.*
CAP. VIII. *De Sacrosancta* TRINITATE.
CAP. IX. *De Statu Mortuorum.*
CAP. X. *De Invocatione Sanctorum.*
CAP. XI. *Defenditur causa secedentium à Corruptis Ecclesiis.*
CAP. XII. *Occasione responsionis ad quartam Auctoris objectionem, Disseritur de* PROVIDENTIA DEI *in gubernando Reformationis Ecclesiæ negotio.*
CAP. XIII. *De necessitate secessionis à corruptis* ECCLESIIS.
CAP. XIV. *Responsio ad Conclusionem* SCRIPTI *Autoris.*
CAP. XV. *De* ORDINIBUS *ac* REGULIS *Monasticis.*

CAPUT I.

Examen Præfationis.

NEmini dubium esse potest, quòd ad inveniendam inter tot prætensas Christi Ecclesias veram & genuinam, horum utrumque impedimento mortalibus esse soleat. Primum quod eam quærere nolint. Deinde quòd nesciant. Porro noluntideo, quod cæco impetu sequantur Patrum, Avorum, ac Proavorum suorum Auctoritatem; præcipue quoties carnales causæ, præsertim verò, blanda aliqua licet incerta narrationum aut revelationum fides (quibus passim omnium sectarum factiones scatent) commendat trita majorum vestigia. Quod quia non modò discordibus Christianis, sed Judæis quoque & Ethnicis, in more positum est, non caret reprehensione. Nesciunt autem, eo quod nolint. In quo, quòd optimus & Salutis mortalium avidissimus Deus extra culpam sit, quæ tota penes homines hæret, recte judicavit auctor scripti, quod nunc refellimus. Nam qui serio id efficere velit, & contendat, hujus conatum nulla difficultas cludet aut morabitur; cum ipsi Dei bonitas non modo obtati successus Spem, sed opem quoque & auxilium ultro porrigat. Unde necessario inferri potest, quantacunque videatur in veritate, aut vera Ecclesia invenienda difficultas, eam non esse tantam, ut omnes reliquas quæ in Religionis negotio objiciuntur difficultates superet. Multo enim major occurrit difficultas; in vitâ ad inventam veritatis seu veræ Ecclesiæ normam instituendâ, quam ipsa veritate inveniendâ. Longe autem omnium maxima in hoc vitæ Sanctæ proposito, & perfectæ veritatis amplexu, ad finem usque vitæ perseverandi constantia. Et tamen hæc quoque viribus, quas Christus corroborat, non est insuperabilis. Sed quidquid sit in ipsa Ecclesiæ invenienda difficultatis, apprime laudabilis hic est Auctoris conatus in inveniendis modis ejus superandæ. Quandoquidem autem hæc deliberatio publica est, & ad omnes, quibus æterna salus cordi est, pertinens: nemo in sequiorem partem accipere poterit, quod nos quoque ad propositas communis boni assequendi rationes, Sententiam nostram modeste ac reverenter adjungamus. Quod antequam aggrediamur, paucis attingenda sunt, quæ Auctor in Præfatione sua asserit. Primum igitur expendendum est, an verum sit, inter propositas ab aliquo Ecclesias, unam solam esse veram. Quemadmodum enim falsum videtur inter diversas doctrinas atque sententias propositas, unam necessario veram esse, ita non semper verum est, inter diversas Christi nomen jactantes Ecclesias unam necessario esse genuinam. Accidit interdum omnes errare, nec esse id quod se esse gloriantur. Quamvis enim scopus ad attingendum jaculantibus præfixus unus omnino sit: aberrationes tamen ab eo infinitæ esse possunt: quæ universæ extra verum scopum sunt. Illud quidem satis liquido apparet, Veram Fidei Christi Doctrinam tantum esse unam, quæ non alia est, quam illa ab Apostolis olim prædicata, & verbis instinctu Spiritus Sancti prolatis, & in Sacra Scriptura expressis posteritati prodita. Cui qui adhæret, & ad normam ejus vitam exigit, est verum Corporis Christi membrum, & ad veram Christi Ecclesiam pertinet. Hominum istiusmodi cætus est vera Christi Ecclesia κατ' ἐξοχὴν sic dicta. Sed illud incertum, imo pro noxio potius errore habendum est, quem Satanas per Antichristum suggessit: Cœtum aliquem qui Christi Doctrinam recepit, ejusque nomen profitetur, propter aliquos errores, qui forte in ejus Doctrina reperiuntur, & nomen Ecclesiæ Christi, & aditum ad æternam Salutem amittere. Nam inter leviores & graviores errores multi gradus dantur, & in ipsis gravioribus erroribus propugnandis, quemadmodum forte plures reperiuntur interdum, qui per malitiam & latam culpam suam peccant; Ita non pauci dari possunt, qui leviori culpa tenentur. Qua in re dispicienda quia in corda hominum inspiciendum est, Judicium ejus rei altiori subsellio relinquendum est. Documento est & quidem infrangibili, quia & isti Auctores errorum, qui super Aureum Apostolorum fundamentum olim jactum in Ecclesia Dei, tot ligneas, tot stramineas Dogmatum substructiones erecturi erant & erexerunt, servari possint. 1. *Corin.* III. 15. Quanto magis qui per eos decepti sunt, si pro simplicitate & exiguis viribus suis non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambularunt, ac vixerunt. Talium hominum cœtus dici quoque Ecclesia Dei potest, quamvis non in tam perfecto, ut superior, sensu. Ejusmodi cœtui aut Ecclesiæ qui temere dicere Anathema, aut sese ab ejus communione sine necessitate separare ausit, non Christi, sed hostis ejus Antichristi, Spiritu ducitur. Nisi forte cœtus hominum in multis errantium, non voluntariam pietatem, sed coactam Conscientiarum servitutem quærat & urgeat, ac mentibus eorum qui veritatem profitentur dominari, & ipsam veritatem violenta persecutione opprimere contendit, quod jam non sancti & Dominici, sed maledicti Antichristi spiritus indicium; nec simplex error, sed grande scelus, & læsæ Majestatis Divinæ crimen esset. Tali casu separationis & schismatis ab Ecclesia veritatem persequente, non hi accusari, aut esse in culpâ possent, qui à patefacta sibi veritate recedere nequeunt, sed qui ductu Antichristi Spiritus, alios cum libera eorum Conscientia tolerare nolunt. Hic igitur hostis Christi Spiritus, Ecclesiam ejus in tot sibi adversas, & quæ sese mutuo condemnant, sectas discerpsit (& quamvis aliæ plus, aliæ minus de ipso participarint, vix aliquam tamen ejus expertem reperias) hic spiritus eos ab invicem muro adamantino dissepsit, ne quis alteri ad alteram aditus pateret, adeò ut nullus sit tam liquidus & turpis error, quem altera in gratiam alterius abjicere; nullâ sit tam clara veritas, quam altera ab altera ostensam recipere velit, sed etiam nihil sit adeò exiguum ex adiaphoris, quod altera propter bonum pacis, alteri concedere sustineat. Hic spiritus inter carnales homines ejusmodi pomum Eridis jaculatus est, de quo sine ratione colliduntur, seque invicem mordent & lacerant, nec modo ex eadem Ecclesia sed eadem Patriâ quoque alii alios exturbent, quos ne unus quidem terrarum Orbis una cum iis quos semel damnaverunt capere potest. Jure & sapienter igitur in tam gravem mortalium culpam Auctor invehitur, & parum abest quin omnes propemodum Sectas ejus vere convincat. Si tamen omnibus, omnino nulla excepta, eam objicit, grandem infert injuriam huic in Polonia Cœtui, quem probe scit, neminem ob diversas in Religione Sententias condemnare, aut à communione sua arcere. Sed unicæ Doctrinæ Christianæ normæ, Symbolo Apostolico, adhærentem de suis alienisque sententiis,

sententiis, in mansuetudine Spiritus Christi disceptare, & omnia tolerare velle, dum obsequio Legum Christi & morum in Ecclesia Disciplinæ prospectum sit. Hæc ad Præfationem pauca prælocuti, nunc ad propositas ab auctore inveniendæ veræ Ecclesiæ modos accedimus.

CAPUT II.

Ex quatuor ab Auctore proposito invenienda veræ Ecclesiæ modis, secundus plane rejicitur ac refellitur.

Quatuor ab Auctore proponuntur. I. Sacræ Scripturæ testimonium. II. Ecclesiæ judicium. III. Sanctimonia vitæ. IV. Spiritus Christi vestigia. Primum igitur, Tertium & Quartum ex propositis non gravatim admittimus. Quis enim alius est lapis Lydius qui nobis ostendat an aurum Doctrinæ Cælestis, quod sibi omnes Sectæ & Ecclesiæ vendicant, aliquid scoriæ admixtum habeat, nec ne, nisi Sacra Scriptura unanimi omnium consensu pro norma, quæ nos fallere nequeat, recepta? Quodnam certius criterium ad discernendos veros à falsis Prophetis, quàm fructus ex quibus Arbores istas æstimari Christus voluit? *Mat.* VII. 16. Præterea fons bonorum fructuum Spiritus Sanctus, Spiritus Christi quem qui non habet, non est ejus. *Rom.* VIII. 9. At secundo ex propositis modo, hoc est, judicio & auctoritati Ecclesiæ, quis locus inter reliquos esse potuit, quoniam & Rationi, & Sacræ Scripturæ, & omni æquitati, denique ipsi Auctoris menti ac sententiæ adversatur. I. Repugnat Rationi. Quia nihil magis præposterum & ineptum fingi potest, quam velle ejusmodi signis & indiciis odorari & investigare, ubinam sit vera Ecclesia, quæ signa & indicia nobis patere nequeunt, priusquam illam ipsam Ecclesiam quam quærimus, jam inventam habeamus. Certe prius ista vera Ecclesia invenienda est, antequam ejus auctoritas à nobis probetur. Proinde per ejus auctoritatem, veritatem & auctoritatem ejusdem indagare non possumus. Quod si quis excipere velit, aliam esse Ecclesiam cujus auctoritate ad indagandam præsentis ævi Ecclesiam utendum est, hoc est, veterem & quam Primitivam vocant, exceptio hæc nullius momenti deprehenditur. Nam ubi ad ostendendam auctoritatem istam ventum fuerit, non alia nobis autoritas exhibetur quàm ejus Ecclesiæ, quam una cum hodierna propter ejus errores damnamus, & cui longe antiquioris, hoc est, Apostolicæ Ecclésiæ autoritatem in scriptis & rebus gestis Apostolorum expressam jure opponimus. 2. Repugnat Sacræ Scripturæ, quæ nos humanæ ejusmodi autoritati incumbere plane vetat, prohibendo ne ullum alium Patrem præter cælestem, nullum alium Magistrum præter ipsum Christum agnoscamus. Tradidit autem Dominus Doctrinam hanc opponendo statum Populi Solio suo subditi, Statui Populi Cathedræ Mosis subjecti *Matth.* XXIII. 19. Quod infra uberius attingemus. 3. Repugnat hic modus omni æquitati. Idcirco enim nunc inter diversas Sectas vera & genuina Ecclesia nobis quærenda est, quia diversis Sectis & Ecclesiis cum Ecclesiis potentioribus, quæ sibi super alias autoritatem usurpant, acerrima lis de eo intercedit, quod imbecilliores potentioribus, non modo gravissimos errores, sed Capitalia Spiritus Antichristi crimina objiciant, hoc est, terrenum & carnalem in cælesti ac Spirituali Regno Domini, dominatum, oppressionem Conscientiarum, & persecutionem aliorum. Purgare igitur accusatæ Ecclesiæ objectas sibi culpas & crimina suomet proprio testimonio, aut usurpata à se majoribusque suis potestate & autoritate nullo modo queunt, quæ auctoritas apud eos qui ea rejiciunt, nullius est ponderis. Nec profecto quicquam iniquius fingi potest, quam si quis contestatam inter partes litem alterutrius partis sententia, judicio & auctoritate decidere velit. In ejusmodi controversia jus aliquod dari necesse est cui partes subjaceant, quis vero id à litigantibus exigere possit ut causam suam adversæ partis judicio ac decisioni submittant? Bene habet quod nobis quoque ejusmodi jus omnibus commune ac receptum non desit, cujus potius quam adversarum partium normâ in dirimendis litibus uti possimus. 4. Denique repugnat hoc medium rectæ & prudenti ipsius Auctoris Sententiæ, qui ubi de Auctoritate Sacræ Scripturæ loquitur, fatetur omnes Apostolis posteriores Doctores (ergo & celebrium Conciliorum Patres) discipulos eorum fuisse, atque ultrò in libris suis testatos, sua scripta verbo Dei dijudicanda esse. Mox ibidem de Traditionibus ait; Ea quæ Apostoli oretenus tradidere non esse rejicienda, nisi quid verbo Dei scripto adversum contineant. Tunc merito dubitari posse, num hæc sint Apostolica, an supposititia, Ergo & Traditiones ad normam Sacræ Scripturæ exigendæ sunt. Egregias vero normas quæ aliis normis indigent; An non satius est nos hac unica & ab omnibus recepta cæterarum normarum normâ, hoc est, Sacris Literis contentos esse? Multo plus est quod ibidem Auctor sub finem addit his verbis usus. „ In Epistola ad Galatas quid scriptum sit Vide *Galat.* „ 1. 6. 7. Cum igitur Apostoli ne sibi quidem credi jubeant si præter id quod semel prædicaverunt, „ aliquid aliud prædicare audeant, multo minus fallis Apostolis quisquam credere potest, Cum & „ Angelis Cælitus delapsis aliena ab Apostolica Doctrinâ docentibus, credere prohibeamur; multo „ minus hominibus Ecclesia Dei credere potest, „ non ignara ipsum Satanam in Angelum lucis transformari. Jam cauta semper fuit Ecclesia per Spiritus Sancti præsentiam. Ac nemo præsenti ævo cautior aut accuratior esse potest in negotio æternæ Salutis, quam fuerunt illi Viri Divini. Hucusque verba Auctoris. Respon: Proinde ne nos quoque illis cautiores esse volumus, puta Paulo & cooperariis ejus. Sed nec audacioribus ac securioribus nobis esse licet. Nam si illi veriti sunt, ne Satan amictus specie Angelica loco doctrinæ lucis, subjiceret aliqua tenebrarum dogmata; longe magis nobis metuendum est & cavendum; & Angelis & ipsis Apostolis fidem derogando, si quid repugnans Doctrinæ semel in Sacris Literis expressæ tradant. Non puto autem Conciliorum œcumenicorum Patres & Assessores majorem supra Angelos & Apostolos auctoritatem sibi jure usurpare posse. Quapropter & ex mente ipsius Auctoris in dignoscenda veritate Dogmatum Ecclesiæ, nulla mortalium (quantacunque illa prædicetur) auctoritas, cum Sacræ Scripturæ autoritate concurrere potest, sed omnes normæ & regulæ auctoritati Sacræ Scripturæ non tantum concedere, sed subesse quoque & subjacere debent. Non libet hoc loco judicium & consensionem Ecclesiarum (quarum auctoritas vulgo prætenditur) pluribus excutere, Ostendendo quam procul à primitiva Apostolica Ecclesia & titulis, quos usurpant, abjerint, & ista prætensa eorum concordia quam discors fuerit, quantum illis de auctoritate, cujus nomine præter mentem Dei ad ejus Populi dominationem abusi sunt, decesserit, quam iniquè eripiendo mortalibus Rationem per Dogmata rationi adversa, delere in ipsis imaginem Dei contendant, quomodo eripiendo iis liberam voluntatem (per servitium & oppressionem) eos ad brutorum compeditorum, aut ad hominum collum reste implica-

tum habentium, ne vadant quo velint, sed quo violenter trahuntur, statum & conditionem adigant, quomodo adimendo mortalibus sensum in rebus quæ visui, & tactui subjacent, truncos eos & caudices efficiant, quomodo in rebus naturam superantibus, ea docere homines ausi sint, quæ quia ab Apostolis non didicere, ipsi nesciunt, nec scire ullo modo possunt, cum ipsi fateantur, neque suas, neque aliarum hominum mentes ea capere posse. Longa esset nectenda series, si omnes errores & abusus Ecclesiarum de quibus loquimur recenseantur, propter quos si quæ ipsis fuit auctoritas & existimatio amissa est. Sufficit nunc efficere ne eorum existimatio cum Sacra Scriptura & ejus autoritate concurrere, aut in judicio conscientiarum ad subsellium tanquam judex admitti possit; sed potius decretis ejus subjaceat.

CAPUT III.

Ex propositis ab Auctore inveniendæ veræ Ecclesiæ modis, Primus, Tertius & Quartus, approbantur & confirmantur.

Verbum Dei etenim (ut ad primum verum ac principale ex propositis redeamus) lucerna est pedibus nostris, verbum Dei, hoc est, Sacra Scriptura (nec enim illud alibi, quam in Sacra Scriptura reperies), similis est Soli, qui insitæ nobis rationis subobscuram lucem meridiani splendoris lumine illustrat, & sine quo illa nulla autoritate, nulla mortalium factione aut conspiratione vere illuminari potest. Eo fit; ut eam lucem cuncti recipiant & agnoscant. Cum igitur hoc sit unicum principium in quo omnes consentiunt, quodque recipiunt, ac præter illud ad examinandam veritatis doctrinam omnium Ecclesiarum nullum aliud aptius reperiatur: Ideò in tot discordium Sectarum Doctrinis, ad eas in unam veritatis orbitam reducendas, atque ad explorandum, quænam earum veritatem teneat; aut ad eam propius accedat, non supereſt ulla alia ratio, præter hanc quam nulla earum rejicere vel potest vel audet. Quod cum ipse Auctor eleganter proponat, pluribus non persequimur. Cæterum veram Dei Ecclesiam non sola Doctrinæ veritas, sed vitæ Sanctimonia quoque & Pietas ut ornet necesse est. Quemadmodum enim ad constituendum verum Dei cultorem, non satis est, ut quis veram Divinæ voluntatis notitiam habeat; sed requiritur, ut secundum eam sanctè & piè vivat; Ita ad constituendam, & per consequens inveniendam veram Dei Ecclesiam non sufficit, ut in ea vera Doctrinam vigeat, sed ut bonos quoque fructus, ex hac bona veritatis arbore producat, requiritur. Jure igitur optimo ad inveniendam veram Ecclesiam, Auctor competens hoc medium tertio loco posuit, Fidem cum pietate conjunctam, Fidem vivam per bona opera efficacem & vitæ sanctimoniam. Hi enim sunt fructus ex quibus Dominus bonas malasque arbores discernere, ac proinde falsos Prophetas eorumque Cætus & Ecclesias agnoscere, aut evitare imperat.

Quamvis autem sub finem scripti Autor asserit omnibus Sectis deesse vitæ sanctimoniam; Et omnes atque adeo ipsam quoque veram Ecclesiam refertas esse omnibus vitiis; ac vitæ dissolutione, tacite innuendo per hoc sanctimoniæ judicium difficile aut impossibile esse, veram à falsa Ecclesia dignoscere, quod in nulla Ecclesiarum deprehendi potest. Tamen hæc assertio huic alteri medio, quod Auctor tertio loco & merito quidem ac verissime proponit, quemadmodum & expressis Christi verbis plane repugnat. Quemadmodum veram Christi doctrinam sola Sacra Scriptura, in qua est Spiritus Veritatis, digne exprimit, Ita Populum Christi non nisi pietas & sancti mores, quos nobis per Spiritum Sanctum ipse inserit, clare & quasi digito ostendunt. Ne quis tamen ambiguitate decipiatur, non id hoc loco pro indicio Populi Christi, & veræ, quæ nobis quærenda est, Ecclesiæ, intelligimus, si omnes in ea nemine excepto pietate & Charitate, quæ est anima fidei, flagrantes reperiantur, quod nec in illo quidem exiguo XII. Apostolorum Cætu, multo minus in primitiva Ecclesia deprehensum est, in qua ipsi Ananiæ, Simones, Demæ, falsi Apostoli, falsi fratres, falsi operarii, de quibus Apostolus cum lachrimis queritur, non defuere; sed sufficit ut vera Christi Ecclesia Doctrinam secundam pietatem 1. *Tim.* VI. 3. quantum potest observet & urgeat: præterea ejusmodi regimine gubernetur, ne cuiquam in ea peccare & secundum carnem dissolute vivere impune liceat. Porro doctrina secundum pietatem illa est, quæ ad confirmationem fidei promissorum Dei, præcipuè vero resurrectionis collimat & aspirat, quæ nulla absurda rationi verè adversa, & fidem subruentia dogmata patitur, multo minus promovet, nullas doctrinas peccatis hominum blandientes admittit, nullas alias pro peccatis victimas & satisfactiones vel expiationes hominibus, Sanguine Christi semel expiatis (*Heb.* X. 14.) præter unicam, veram vitæ emendationem, atque in ea ad extremum spiritum perseverantiam sperandas proponit. Regimen autem veræ Ecclesiæ in amore Justitiæ, & odio iniquitatis situm est. Amor justitiæ ad caritatem & communionem atque tolerantiam in magna longanimitate admittit omnes, qui pro mensurâ cognitionis Christi sibi indulta, Leges ejus sanctè observant, tametsi forte graves errores & periculosas opiniones foveant, dum modo in fundamentalibus, hoc est, ad salutem plane necessariis (quæ paucissima sunt, & de quibus nulla fere controversia excitatur) non errent. Odium Iniquitatis nemini peccantium quis quis ille sit parcit. A consuetudine & habitu peccandi non recedentes, ab Ecclesiæ communione arcet, quantamcunque illi veritatis notitiam & pleniorem, quàm cæteri omnes DEI cognitionem habere videantur? Ad hunc Lydium lapidem explorentur omnes Christianorum Sectæ & statim patebit, quænam ex illis propius ad Doctrinam secundum pietatem accedat.

Sapienter igitur ab Auctore animadversum est, quod sicuti olim Cornelio, qui secundum exiguam tunc rerum Divinarum cognitionem sibi donatam Deum bonis operibus demereri satagebat, dedit Deus longe clariorem & perfectiorem sui cognitionem, & mox donum Spiritus Sancti addidit. Sic ii quoque qui tam seriam curam adhibent ad conservandam in Cætibus suis Pietatem, non ferunt à DEO repulsam ejus doni, sine quo negotium Salutis friget. Doni inquam Spiritus Sancti. Qui cum hodie ordinariis miraculorum signis (quoniam Dei voluntate in Ecclesia desiere) dignosci nequeat, ideo ex aliis indiciis, præcipue vero ex oppositio Spiritui Christi, Spiritu Antichristi investigandus est. Ex natura enim posteriores, qui operibus carnis, quæ sunt manifesta, delectatur. *Gal.* IV. Natura & attributa prioris, qui fructus Spiritus (oculos hominum non adeo ferientes) producit; facile investigari possunt, quia contraria juxta se posita magis elucescunt. Spiritus Sanctus enim, quem Pater in nomine Filii *Joh.* XIV. 26. hoc est, per Filium & potestatem ei traditam fidelibus mittit, merito dicitur Spiritus Christi, sive donum hoc ipsum per se, sive fructus ejus spectemus. Huic Spiritui quia repugnat Spiritus Antichristi;

tichristi; Ponamus ob oculos omnium tanquam in Speculo cernendam imaginem atque effigiem utriusque.

1. Spiritus Christi, est purus, & sanctus, & à peccati labe homines purificans.

2. Spiritus Christi humilis, modestus, & ad modestiam animos hominum flectens, & miti ac omni violentiæ experte regimine, Populum DEI moderatur.

3. Spiritus Christi mitis, mansuetus, pacificus, in magna longanimitate delicta hominum tolerans.

4. Spiritus Christi ad omnem æquitatem ~~iniquitas~~ & elementiam propendens.

5. Spiritus Christi de suo jure sæpe descendens, obsequens ~~iniuriis~~.

6 Spiritus Christi in meliorē partem (quoad ejus fieri potest) cuncta accipiens.

7. Spiritus Christi candidus, sine fuco, rectus, veram & spiritualem pietatem inspirans.

8. Spiritus Christi plenus misericordiæ, & bonorum fructuum, benignitatis, humanitatis, Caritatis erga omnes.

9. Spiritus Christi Cælitus descendentis SAPIENTIÆ plenus.

1. Spiritus Antichristi, impurus, carnalis, & peccatis hominum, per absolutiones, indulgentiarum thesaurus, & claves ad tam pretiosum depositum aperientes favens & blandiens.

2. Spiritus Antichristi arrogans, & superbus, efferens sese non modo super homines, sed super DEUM ipsum; & Ecclesiam DEI (quam Christus non coactive, sed voluntarie & quasi præcario regimine gubernat) violenta dominatione frænat & opprimit.

3. Spiritus Antichristi ferus, insolens, indomitus, discordiæ appetens, rixæ & zeli amari plenus, ad fulmina Anathematum & maledictionum levissimas ob causas pronus, & iracundiæ dedicus.

4. Spiritus Antichristi summo & rigido jure (posito omnis æquitatis respectu) omnia metiens.

5. Spiritus Antichristi Juris sui supra omnem modum & æquitatem retinens.

6. Spiritus Antichristi Calumniosus.

7. Spiritus Antichristi, sub specie Pietatis, plenus mendacii, simulationis, amorem peccati corporali & externo & oculos duntaxat perstringente exercitio occultans.

8. Spiritus Antichristi immisericors, immanis, odio flagrans, gravi Tyrannide & servitute Conscientias premens, Crudelis & sanguinis avidus, ferro etiam persequens.

9. Spiritus Antichristi, Terrenæ, animalis, Dæmoniacæ vafritiei artibus instructus & pollens.

Inspiciant hoc Speculum omnes Ecclesiæ & SECTÆ: & expendant, quæ de alterutro Spiritu plus hauserit, & cui alia præ aliis magis adhæreat, ut indagare possint, quænam ex illis vera, quæ falsa Ecclesia sit: præterea quæ propius ad veram Christi Ecclesiam accesserit, quæve longius ab ejus indole recesserit.

CAPUT IV.

De libertate ac necessitate utendi privato judicio in examinanda publica Ecclesiæ doctrinâ, Prima & secunda Auctoris Objectio refellitur.

EXposita descriptione legitimorum veræ Ecclesiæ inveniendæ mediorum, & rejecto iniquo & illegitimo; Nunc videamus quid Auctor ad commendandum & urgendum rejectum à nobis medium afferat. Id autem conatur duplici ratione. Primum enim libertatem utendi proprio ac privato judicio ad dijudicandam totius Ecclesiæ doctrinam damnat ac rejicit. Deinde autoritatem Universalis Ecclesiæ commendat, quodque in rebus capitalibus errare nequeat, quodque in ea vitæ sanctimonia reperiatur docet ac persuadere nititur.

Libertatem utendi propriæ & privatæ rationis judicio adversus judicium Ecclesiæ damnat, fretus his rationibus.

Prima est. Quia libertas hæc dirimit ac dissolvit Fraternam Charitatem. (quasi vero eandem stabiliat servitus & oppressio) quoties quisque suum sensum sequitur, tam sequior quam melior sexus; parit totidem Sectas & Ecclesias quot sunt homines. Omnes in ea judices esse ambiunt, omnes rectores, nemo sese judicari aut regi patitur. Ita perit omnis ordo & tota Ecclesia est in confusione.

Respon: Sumitur hæc ratio ex loco communi Patronorum Curiæ Romanæ. In quo quicquid est in odium libertatis & favorem oppressionis Conscientiarum excogitatum, nihil aliud est quam fucus & fraus. Primum enim, etiamsi maximus esset in privatis hominibus propriæ rationis abusus, non tamen tot ac tanta incommoda afferre posset. Nam si quis cerebrosus præposteri judicii fætus excludat, aut potius abortiat; non multos reperiet approbatores & asseclas, eumque extingui necesse est, tanquam scintillam, fomite & alimento suo substracto destitutam. Ipsa veritas non semper consensum & factionem multorum superare potest, tantum abest ut futilis aliqua morosi cerebri inventio prævalere queat adversus saniora plurium recta ratione utentium judicia. Proinde liber usus insitæ cuique rationis, non est adeo metuendus, ut servitus & oppressio mentium & conscientiarum.

Secundo. Nulla res est tam bona & expetenda, in qua vel in excessu, vel in defectu peccari non possit. Idem accidit in usu propriæ rationis. Nimium tenacem esse sententiæ suæ, quod faciunt homines arrogantes, superbi, pertinaces, non minor est culpa, quam cæco obsequio pedissequum esse alicui judicii: quod faciunt bruta & trunci atq; cavdices, eo excusabilius quia ratione carent. Nimiam igitur judicii sui fiduciam & ostentationem nos quoque damnamus. Tales enim homines plerunque alios mordicùs ac violenter in suam sententiam trahunt, quod non minori reprehensione dignum est, quam cæco & alieno ductui nimis obnoxia obedientia. Cæterum sanæ rationis & accurati judicii vis, dona Dei sunt, quæ in eum finem Deus hominibus contulit, ut iis uterentur. Usus igitur eorum, non modo licitus, non modo laudabilis, sed & necessarius est, quo nemo prudentium carere potest, quod ipse quoque Auctor in hujus ipsius quæstionis tractatione diffiteri ausus non est.

Tertio. Est in promptu divinitùs nobis collatum remedium, quod efficit ut quisque propria ratione recte uti possit, imo teneatur, nempe illuminatio mentium nostrarum per verbum Dei, in S. Literis revelatum. Cui S. Lit. lumini, tantam Deus apud omnes auctoritatē conciliavit, ut per tot Annos hucusq; illibata perseveraverit. Hujus ductum quādiu ratio cujusq; bona fide & constanter sequitur, errare nequit, multo minus errores spargere.

Nos autem solius rationis dictamen, absque Sacræ Scripturæ lumine non urgemus.

Quæret quispiam. Unde igitur tot Sectæ & errores prodiere? Cum Christianis lumen Sacrarum Literarum non defuerit? In promptu responsio est. Quod homines pene statim post Apostolica tempora (quod à Spiritu Sancto non uno Sacræ Scripturæ loco prædictum est) à Sancta ista & infallibili Scripturæ norma recedentes, & erroneam hominum & quidem Ethnicorum Sapientum autoritatem secuti, introduxerunt in Ecclesiam ejusmodi Dogmata, quæ cum ratione & Sacra Scriptura fulcire non possent, per fraudem primum, mox per vim & oppressionem artibus illegitimis propagarunt, & hominibus mordicus obtruserunt. Cum igitur ferre non possent alii aliorum, tàm conatuum iniquitatem, quàm opinionum absurditatem, non modo in sententiis, sed in erectis diversis sectis & Ecclesiis necessario dissidium exortum est. Quod autem non omnes sectæ à potentioribus segregatæ statim veritatis orbitam tenuère, eo factum est, quod qui in Ecclesia rerum potiti sunt Pauli Apostoli de Apostasia vaticinium. 2. *Thess.* II. implentes, nimium longe à vera itineris via deflexerunt. Non mirum est igitur eos, qui errorem subodorati, regressum moliebantur, diversis semitis ad veriorem viam tetendisse, nec statim eam assecutos esse. Præcipue, cum non illico ex tenacis cæni uligine eluctari, multo minus sordes & maculas ejus eluere possent, quibus in tam diuturna Antichristi servitute erant conspurcati. Hinc illæ lachrymæ. Verum ubi homines ductum Sacræ scripturæ, quæ lucerna est pedibus nostris, fideliter sequi incipient, viam invenient infallibilem sese ex tot errorum labyrinthis extricandi.

Quarto. In hac objectione plurimum fuei oculos hominum eludentis latet in ambiguitate vocis judicii humani, quod in responsione ad alteram rationem statim patebit, ad quam jam accedamus.

Alterum adversus usum propriæ rationis argumentum ab eadem incude prodit: Quisquis propositum hoc aggreditur ut dijudicet Ecclesiæ universalis Fidem ejusque bases, & audet id sibi usurpare; is in opinione sua constituit se judicem Ecclesiæ Dei, & hominum in ea tam vivorum quam mortuorum. Et paulo inferius addit: *An non is homo venditat se pro Numine quodam in Ecclesia Dei offerendo se super Ecclesiam? Nonne evadit Antichristus?*

Respond: Ex hoc argumento liquet, quomodo homines semetipsos & alios deceperunt ambiguitate vocis *judicii humani*, quam & in priori argumento latuisse diximus. Multum profecto interest inter salubrem usum propriæ rationis & judicii (præsertim sacræ scripturæ lumine illustrati) in discernendis erroribus à veritate circa Fidei Confessionem aliquorum in Orbe mortalium, & inter usurpationem potestatis & autoritatis decisivæ legitimo judici competentis supra eosdem mortales in eorum opinionibus dijudicandis. Illud enim judicium est absque omni usurpatione potestatis: hoc apertam in decidendo potestatem & supereminentiam continet. Eapropter judicium illud non modo omnibus licitum est, sed eo fine à Deo hominibus ratione sana præditis vis judicandi insita est, ut ea quoties occasio fert utantur. At posterius judicium, hoc est, potestatem judicandi, non omnibus Deus concessit. Nullam potestatem aut jurisdictionem privati erga Ecclesiam Dei exercent aut prætendunt, qui ad normam sacræ scripturæ exigunt aut examinant, an hæc aut illa Ecclesia alicubi erret, nec ne. Nam illorum judicium non consequitur ulla pœna aut oppressio damnatorum. Quis illis nobilioribus ἐυγενεσιν (*Act.* XVII. 11.) Berræensibus objicere audeat, quod in opinione sua se constituerint judices ipsorum Apostolorum salutem ipsis prædicantium, aut quod se efferrent supra numinis spiritum per Apostolos loquentis, Eo quod quotidie inspicerent sacram scripturam, & dijudicarent utrum cum ipsis prædicatio Apostolorum congrueret. Legimus factum eorum spiritui sancti probatum. Sed qui non modo judicare, sed etiam regere & imperare præter ac sæpe contra mentem sacræ scripturæ sibi permittunt, & in populum Dei coactione, potestate, & metu pœnæ, præsertim carnalis grassantur; Isti profecto in opinione duntaxat sua (nec enim permissionem Dei ullam allegare possunt) constituunt se Judices & Deastros in Ecclesia, & isti aut ministri aut simii sunt Antichristi. Talia judicia si passim in orbe licerent; exularet omnis ordo. Omnes enim vellent esse Judices, nemo judicandus, omnes rectores, nemo regendus. Sed nudum judicium absque usurpatione legitimæ potestatis, quemadmodum nullum à Deo constitutum ordinem turbat aut convellit; ita nullam confusionem affert.

CAPUT V.

Adversus eandem privati judicii libertatem, Tertia, Quarta, & Quinta ratio allata refellitur.

TErtium argumentum usum rationis adversus Ecclesiam damnans est. Væ istis, qui sibi videntur sapientes, quibus non satisfacit primitivarum Ecclesiarum consensus, fretis fiduciâ suæ sapientiæ, & existimantibus sese plus sapere ac scire, quam tota Ecclesia Dei, à Christo & Apostolis constituta, hoc est, illi Sancti Doctores, Martyres, Monachi, Cæsares & pii Reges, lumina totius Orbis sapiebant ac sciebant, quodque eruditio & ingenium eorum totius Ecclesiæ judicio præstat, nec eos fallere potest, quemadmodum decepta sunt omnia secula ab initio doctrinæ apostolicæ usque ad tempora Lutheri, Calvini, Socini, Arminii &c.

Respon: Consensus primitivarum Ecclesiarum est consensus Ecclesiarum Apostolicarum. Hæ enim vere primitivæ fuerunt, & sic dici possunt. Sed Ecclesiæ, quæ post clarum illud & simplex symbolum Apostolicum, obscura quædam & intellectu difficilia, primo autem repugnantia, symbola cudebant; non sunt primitivæ, sed primitivis repugnantes. Ideo earum consensus nobis non satisfacit. 2. Non peccat is fiducia suæ sapientiæ, nec sibi nimium tribuit, qui confessionem & doctrinam ipsorum Apostolorum, in libris non suspectis clare expressam, adversus omnes alios homines, cujuscunque sint status, propugnat ac tuetur. Multo minus is, qui non adversus omnes homines, sed contra quorundam tantum Patrum peregrina & scripturæ ignota Dogmata propugnantium, factiose coalitam conspirationem pugnat & ipsi sese opponit. Nulla enim in eo superbia est, vel arrogantia, quoties quispiam autoritatem sacræ scripturæ longe pluris facit, quam autoritatem hominum & totius mundi. Quin potius omnes, qui in verbo ac Lege Dei meditantur, gaudent illo promisso, quod ope Divina Magistris ac Doctoribus suis sapientiores evadere debeant. Ille potius est magna reprehensione dignus animi tumor, quando quispiam oblitus, quod stulta mundi & humilia elegerit Deus ut pudefaciat sapientes & sublimes, adversus expressum Dei verbum terrena, & Mundi hujus gloriatur auctoritate, puta Doctorum, Cæsarum, Regum, & celeberrimorum in orbe hominum. Nam ex Martyribus, si quis forte alicujus erroris expers non fuit; nemo tamen erroris illius, quem damnamus, gratia passus est, sed purissimæ veritatis gratia, quæ in communi nobis & omnibus Christianis

Christianis symbolo Apostolico consignata est. Porro si qui Anachoretarum in illis initus, ex zelo veræ & à Deo præscriptæ Pietatis Mundo in Ecclesia dominanti, nuncium remiserunt; tantum abest, ut nobis autoritatem Ecclesiæ sui temporis confirmasse videantur; ut eam potius ipsi palam rejecerint & condemnaverint. Quia cum non possent in tam corrupto Cœtu mores hominum ferre, maluerint separatim piè vivendo Deum colere, quam cum superbis & dissolutis hominibus, qui tum Ecclesiam Dei regebant, conversari & colluctari. Quod si qui ex illis, præcipue posterioris ævi, vitiis alioqui & erroribus hominum in Ecclesia tunc vigentibus, patrocinantes; propter vanam duntaxat gloriam, & ut pro luminibus Mundi haberentur post Legem Christi, novas leges, & vivendi regulas, aut commenti, aut ingressi sunt; tantum abest ut erroneis Opinionibus apud nos fidem facere possint, ut maxima reprehensione dignos judicemus, quos in conspectu Dei atque hominum, cum legem Christi omnium perfectissimam præsto habuerint, non puduit novas & quasi perfectiores leges, & vitæ normas comminisci. 3. Non nostro nos judicio simpliciter, quam Judicio Ecclesiæ plus credimus & tribuimus, quando errores Ecclesiæ arguimus, sed scripturæ sacræ apertissimis & clarissimis testimoniis, judicium nostrum illuminantibus, plus tribuimus & credimus, quam judicio Ecclesiæ, sacræ scripturæ repugnanti. 4. Conspiratio usurpatorum vetitæ in Ecclesia Dei potestatis, non spiritualis sed carnalis, mundano brachio minacis & sævientis, nullo modo vocari meretur tota, aut Catholica Ecclesia Dei. Non assensi sunt dogmatibus horum usurpatorum primum isti, qui carnali & violenta eorum potentia sunt oppressi; Non assensi sunt alii (qui plures etiam fuerunt) qui metuebant ne eadem potentia, eodem exemplo opprimerentur, ideo cauto magis quam forti consilio, inclinare ad ruiturum parietem detrectabant. Non à Lutheri, Calvini aut Socini temporibus primum cæperunt adversus oppressionem Ecclesiæ Dei, protestationes. Longa series est, & quam plures libri vix capiant ab omni propemodum ævo testium, qui adversus tam iniquam potestatem producuntur. Multo autem plures inventum iri, si cæterorum nomina partim in suppressis, partim in corruptis opera falsariorum libris erui ex ruderibus oblivionis mortalium possent. Non deest nobis infragibile documentum in oppressa Ecclesia fraudis ac deceptionis tyrannidi adjunctæ; suppressa aut fabulis intercepta notitia rerum statim post apostolicum ævum in Ecclesia gestarum. Inspiciamus Acta Ecclesiastica. Non arcessenda nobis sunt aliunde testimonia. Ipsi Baronii & Petavii, tametsi inviti & quasi vim sibi inferentes, fatebuntur res Ecclesiæ illius Ævi fabulis esse involutas, & multâ oblivionis caligine deletas, cui tantum in Ecclesiæ monumenta licuit? Quis id aliorum vel tentare auderet, vel efficere posset præter eos, qui rerum in Ecclesiâ potiebantur? Quæ vero acta ista supprimendi alia causa ipsis esse poterat, nisi ut posteritati ignotum esset, quibus artibus in Ecclesiam irrepserunt illi Philosophorum dogmata, quæ præter Sacræ Scripturæ autoritatem introducta sunt, hoc est, quibus artibus in Ecclesiam invecta est illa (quam suis temporibus tentare aditum cæpisse, post obitum vero suum irrupturam fuisse præmonebant Apostoli) à sana Doctrina Christi aversio & apostasia, ad suppositicia Antichristi dogmata. *Act.* xx. 2. *Thess.* ii. Sed quemadmodum jam inde ab initio erant qui falsæ doctrinæ resisterent, qui malis artibus opprimebantur, quamvis eorum quidam, ob incumbentem sibi partim suo ævo, partim post obitum suum terrenam & carnalem potentiam, nullam sui memoriam, aut scripta posteris relinquere potuerint. Ita & succedentibus annis per omnia fere secula, non defuerunt, qui adversus ejusmodi in Ecclesiam abusus, protestarentur, & illegitimis Majoris partis & factionis artibus opponerent sese, seque ipsos cæterorum culpæ expertes præstarent. Ac licet forte eorum nonnulli in publica Ecclesiæ caligine erroris alicujus participes fuere, graviorum tamen antichristi criminum ac scelerum puri & exortes manserè. Plena sunt ejusmodi exemplorum secula. Lutherum toto seculo antecessit Hussus, & ejus assecla: Hussum, Viclefus cum suis: Viclefianos in occidente albingenses & Valdenses continua serie ad nostra tempora propagati. In Oriente autem illi, quorum mentionem facit in literis suis Alexandrià datis ad Vlodimirum, Kijoviæ Principem, nondum tunc Christianum, missus ab eo Byzantium, Religionis ac rerum Græcarum explorator, paulo ante annum salutis Millesimum. Quid opus est altius ascendere? Hi sunt qui urgentem tunc in Ecclesia servitutem ac tyrannidem palam damnabant, non sine grandi periculo & oppressione sui. Sed multo plures erant, quibus ad ejusmodi pericula subeunda, aut animus, aut occasio deerat, & tunc exemplo illorum septem millium veri Dei cultorum Baale nunquam adorato, neque Populo neque Præpositis innotuerant, sed Deo soli manifesti erant. Hos verò ipsos numero superabant, qui in tam crassa & profunda caligine, quamvis aliqua errorum contagione afflati, tamen ad ea, quæ in Ecclesia injustè ac violenter gerebantur, tacitè ingemiscebant, interim pro modulo virium & illius qualiscunque notitiæ Dei, integro & pio Legum Christi obsequio, fidem suam Deo probaverunt, nec à spe salutis æternæ excludi queunt. Habuit semper Deus, etiam in Ecclesia corrupta, incorruptos sui cultores: & quemadmodum Satan in Ecclesia Dei sacella sua longè lateque propagat; Ita Deus etiam isthic, ubi est solium satanæ, habet degentes una cum angelis eorum Ecclesias suas *Apoc.* ii. 13. Quod si inter profanum illum, qui ad Gentilissimum prope degeneraverat, Populum Judaicum fieri potuit, quanto magis in Ecclesia Christi corrupta potest.

Quarta ratio usum propriæ rationis adversus autoritatem Ecclesiæ oppugnans est: *Uti ratione in convellendâ autoritate Ecclesiæ, est novam doctrinam in Ecclesiam introducere. Quemadmodum autem Dominus & Apostoli novam Doctrinam Populo Dei tradendo & prædicando, non solis rationibus & argumentis, sed & miraculis doctrinam suam confirmarunt; Ita & omnes, Rationi adversus Ecclesiam utentes, novas Doctrinas suas Miraculis confirmare tentantur. Quibus cum careant; Rationes eorum repudiandæ sunt.*

Respon: Si quis post prædicatum Evangelium, non uno apostolorum & Domini ipsius, sed præcipuè summo Resurrectionis & Exaltationis Domini miraculo confirmatum, argumentis ex solâ ratione sumptis, sententiam aliquam verè novam, & doctrinæ traditæ repugnantem in Ecclesiam inveheret; non liceret ipsi fidem adhibere non modo miracula non patranti, sed ne patranti quidem, cum hæc falsa & ficta miracula esse necesse sit. Paulus enim ne sibi quidem (quanquam patrare miracula posset) ac ne angelo quidem cælitus descendenti, ac novas & veteri adversas doctrinas afferenti credi vetat. Sed si quis non ex commento Rationis, sed auctoritate sacræ scripturæ (cujus tamen usus, sicuti & totius Religionis à spiritu sancto *Rom.* xii. 1. nomine rationabilis servitii vocatæ, absque usu rationis non constat) non rem novam, sed quæ Ecclesiæ Dei jam probe cognita fuit & esse debuit, proponat & urgeat; hic profecto non Doctrinam novam, sed

veterem & priſcis documentis & miraculis confirmatam, urget ac proponit.

Dogmata, quæ Chriſtus & Apoſtoli Populo ad gratiam Dei vocato propoſuere, tunc erant adeo nova & ignota, ut ex ſola lectione Moſis & Prophetarum inveſtigari non poſſent, quæ non homines modo, ſed & Angeli, ignorabant nec aliter iis niſi per ea quæ Deus Eccleſiæ ſuæ per Chriſtum revelavit, nota eſſe poterant. Non erat igitur conſultum ejuſmodi Legatos, tam bonum & inopinatum nuncium afferentes, mitti abſque literis (ut vocant) credentialibus, quæ miracula fuere, ſupra quæ, ſalva fidei natura, majora edi non poterant. Sed ad revocandum hominibus in memoriam voluntatem Dei, ad excitandos & admonendos eos officii ſui, de quo nullum dubium habere poſſunt; Miraculis Deus adeo non indiget, ut etiam nolit uti. Non viſum eſt olim Domino æquum, (eum Parabolam de Lazaro proponeret) *Luc.* XVI. ut miraculoſo monitu, fratres hominis illius opulenti ad officium revocarentur. Cujus rei cauſam verbis Abrahami exprimit, quia Moſen & Prophetas haberent. Quæ igitur nunc æquitas eſt aut neceſſitas, quando Præpoſiti Eccleſiæ Dei, obliti fidei & impoſiti ſibi muneris *Matth.* XXIV. 44. comeſſantur cum ebrioſis, & cooperarios ſuos opprimunt, ut miraculis ad ſaniorem mentem revocentur? Non eſt hoc rationi, non voluntati Dei congruum. habent Evangelium & ſcripta Apoſtolica. Quæ quod in tam corrupto ævo, & in tam diſſoluta Antichriſtorum in omne ſcelus licentia, integra & illibata ad nos pervenerint, id ipſum miraculorum maximum eſt, & quo mirabilius ne ipſe quidem Antichriſtus patrare queat. Ergo inde quod nunc voluntate Dei miracula deſierint, non ſequitur nos argumentis ac teſtimoniis Sacræ Scripturæ adverſus commenta hominum probabili ratione uti non poſſe.

Quintum argumentum, uſum rationis adverſus autoritatem Eccleſiæ oppugnans eſt, Quod nos quoque ipſi, qui à Græca & Romana Eccleſia deſcivimus, non credamus id quod aſſerimus, nempe quod cuilibet liberum ſit ſalutarem Doctrinam ſecundum opinionem ſuam fingere & excogitare ſuæ ſapientiæ fiduciâ niti, quodque omnes inter nos pari autoritate ac ſapjentia cenſeantur. Quod enim in Synodo publice ſancitur, contradictione privatorum everti nequit. Ita canones noſtros ſancte obſervamus uti Apoſtolicos.

Reſpon: Hoc argumentum tollit quædam adverſus nos ſupra propoſita, ac nos purgat ac juſtificat, O. ſtendens nos minime, prout inſimulamur, adeò exertam ac diſſolutam uſus rationis licentiam hominibus permittere, quæ pacem & ordinem in Domo Dei turbet, aut tollat. Sed in eo quædam ſunt quæ libenter fatemur & agnoſcimus, quædam vero, quæ plane diffitemur.

Agnoſcimus nos credere, Eccleſiam Dei ad retinendum ordinem, poſſe in quibuſdam rebus minutioribus novos Canones conſtituere, non tamen nova ſymbola aut novas Fidei aut vitæ Leges, quibus jam Eccleſia non indiget cum pridem præſcriptas, ac tot miraculis, tot martyriis, etiam ante nova nata Symbola, confirmatas habeat. Nos quoque quoties opus eſt novos Canones, at non articulos fidei condimus, ſed eos pro Apoſtolicis non venditamus, & ſecundum circumſtantias temporis, loci, perſonarum, eos obſervare aut conſenſu omnium emendare, limitare, interdum quoque tollere ſolemus. Quod in Legibus Chriſti & Canonibus Apoſtolorum, nec facimus unquam, nec fieri fas eſt. Agnoſcimus illud, nos libertatem Conſcientiarum privatim aut publice opprimendi, aut Religionis per vim & carnalem poteſtatem propagandæ licentiam, neque nobiſmetipſis, neque cuiquam mortalium indulgere. Sed ut cuivis ſalutarem doctrinam ex animi ſui ſententia excogitare liceat, quemadmodum ipſo autore teſte, non credimus: ita nec aſſerimus, nec aſſerere ullo modo poſſumus, damnantes prorſus hanc audaciam, ſi quis à Sacræ Scripturæ Canone rectè & ſecundum ſanam rationem explicato, recedendo, ſine ratione, ſæpe etiam contra rationem, ſententia & judicio ſuo obſtinate nititur. Non ideo tamen ad evellenda ejuſmodi zizania aut perſecutiones pænaſve talium hominum quos Deus ſuæ poteſtati reliquit: Multo minus ad oppreſſionem Conſcientiarum quam ne Deus quidem ipſe exercet, deſcendere audemus. Agnoſcimus nos dominationem in Eccleſia, qualis in Repub. cernitur, quemadmodum & nimiam autoritatis ſuperiorum reverentiam non admittere. Sed ut judicio noſtro omnes promiſcue pari Auctoritate aut ſcientia cenſeantur, id vero non agnoſcimus. Nam pro diverſis gradibus Donorum ſcientiæ ac pietatis, ſingulis à Deo collatorum, diverſos etiam & inæquales gradus auctoritatis in hominibus deprehendimus, & quod Spiritus Propheterum Prophetis ſubmittere ſe debeant confitemur. Deus enim non eſt Deus diſſidii, ſed Pacis. 1. *Cor.* XIV. 32. 33.

CAPUT VI.

Reſponſio ad refutationem trium cauſarum, quæ nos adigunt ad uſum privati judicii, in publica Eccleſiæ doctrina examinanda.

ULterius progreſſurus Auctor, poſtquam attuliſſet aliquot iſtas rationes adverſus oppugnantes auctoritate Eccleſiæ, refellere conatur cauſas, ob quas homines in negotio ſalutis ſuæ, ſuo potiuſquam Eccleſiæ judicio uti malunt. Antequam ad perpendendas cauſas iſtas, an ſolide refutatæ ſint accedamus, omitti non poteſt injuria, quam nobis infert, objectando nobis quod non agnoſcimus. Non agnoſcimus autem, quod noſtro potius quam Eccleſiæ judicio uti malimus. Nec vero nos judicium noſtrum, judicio Eccleſiæ opponimus, ſed lumen & auctoritatem Sacræ Scripturæ opponimus, tenebris errorum, auctoritate Eccleſiæ introductorum, explicando & illuſtrando obſcuriora Sacræ Scripturæ loca per clariora, & omnium captui obvia. Non igitur nudum noſtrum judicium, ſed ipſius Sacræ Scripturæ auctoritatem adverſus pravè elicitos ex locis difficilioribus errores afferimus. Quod ſi Autor perpendiſſet, nequaquam ipſi facti noſtri cauſæ quærendæ fuiſſent. Cui enim manifeſta cauſa non pateret, ob quam omnes malunt auctoritati Sacræ Scripturæ judicio noſtro congruenti (ſine quo alioqui ratiocinari non poſſumus) quam judicio & autoritati Eccleſiæ, Sacræ Scripturæ ſuffragio carenti, cedere & aſſentiri?

Sed jam expendamus quomodo cauſas iſtas Auctor refellat. Primam brevi, eaque ſubobſcura mentione attingit, verius quàm refellit, quantum tamen ex verbis ejus elici poteſt ita eam proponit: Quod Sectarii (ea generali voce ſpeciales adverſarios Auctori nominare placuit) tam flagranti odio adverſus auctoritatem Eccleſiæ inſaniant, ut eam ejuſmodi telis appetant, quibus uti, eorummet judicio, fas non eſt. Nihil hoc loco morabor Sectariorum agnomen, aut Eccleſiæ univerſalis vocem, Opportunius id alibi tractabitur. Hoc tantum non reticebo, Inde liquido apparere, multis & magnis injuriis Eccleſiam hanc tantum iſtorum hominum odium provocaſſe ac meruiſſe. Sed ubi ad examinandum, quomodo cauſam

hanc

hanc refellat accessimus, deprehendimus nihil aliud ab eo afferri præterquam quod probat, nos ejusmodi ensem (*rationis* videlicet *& proprii judicii*) in Ecclesiam stringere, cujus usum ipsi prohibemus, metuentes ne propriis telis jugulemur. Id vero non est amovere causam cur judicio nostro adversus Ecclesiam utendum putemus; sed novum argumentum afferre ad damnandum ejusdem rationis usum. Quod ita proponit. *Judicium propriæ rationis apud illos jacet humi; nec eo uti permittunt. Nam simpliciores inter illos* (excipe paucissima nomina) *nescium proprio marte sententias suas defendere. Si quæras ab homine indocto, quid de controversis Religionis Capitibus sentiat, postquam responderit id, quod non à ratione propria; sed ex Catechismo, aut à Magistro suo didicit, mox causabitur se non esse Theologum & ad doctiorem te relegabit.* Quæris ab illo, *Catechismus an judicio tuo conscriptus sit? Nequaquam regeret, sed judicio & consensu Seniorum.* Resp: Judicium Auctoris primum apello, consideret an ex eo quod simpliciores nostrorum reperiantur, qui cum non adeo sint eruditi aut sacris scripturis periti sicuti alii, quoties sententia nostra defendenda est, relegant adversarios ad peritiores & eruditiores; concludi potlit, nos aut contemnere judicium propriæ rationis in rebus ad defensionem fidei pertinentibus, aut usu ejus cuiquam interdicere. Apello præterea fidem & memoriam ejusdem, rogans an cuiquam sobriæ rationis & judicii usu iisdem in rebus interdiciamus. Imo vero utrum id ab omnibus pro necessario officio non exigamus ut sacræ scripturæ sint quam peritissimi, atque rationem fidei suæ cuivis reddere norint. Si quis huic officio desit, culpa & negligentia ejus in causa est, non doctrinæ nostræ confessio, aut interdicti nostri impedimentum. Catechismi non ideo apud nos eduntur, ut disputationibus materiam præbeant, sed ut Catechumeni, hoc est, incipientes proficere in Religione, (quales sunt adolescentes & pueri) propter memoriæ adminiculum habeant breve & succinctum compendium articulorum, ad cognitionem Dei & religionis pertinentium. Quod vero ad eos concipiendos non omnium promiscue, sed seniorum & peritiorum opera adhibetur, non est mirandum; quando in aliis quoque Ecclesiis non omnes ad Postillas aut Homilias conscribendas adhibentur, sed soli doctiores. Nos vero non de Catechismo, cui fidem adversarii non adhibent, sed ex Sacra Scriptura cujus auctoritas apud omnes in confesso est, depromere argumenta omnes solemus. Ideo lectionem sacræ scripturæ cunctis sine delectu inculcamus, & ad hanc normam, non Ecclesiæ tantum reliquæ, sed nostra quoque dogmata exigi volumus, tanta veritatis eorum sacræ scripturæ congruæ, & conscientiæ fiducia freti sumus.

Altera causa, ob quam nostro potius, quam Ecclesiæ judicio niti aut stare solemus, ponitur ab eo. Quia verbum Dei pronuntiat, *quemlibet suum onus portaturum, quemlibet sui suarumque actionum rationem redditurum Deo, qui reddet singulis secundum opera eorum.* Unde efficitur, singulos saluti suæ consulere debere tanquam fidissimos salutis suæ custodes, nec decere ut quisquam animæ suæ depositum credat cuiquam mortalium, quorum unusquisque mendax est. Ne confidite in Principibus, aut in ullo filiorum hominum in quo nulla salus. Ad hanc pravam opinionem ait nos pravè detorquere hæc loca sacræ scripturæ, quod ita probat. *Quia non modo sub V. Fœdere Deus ad Sacerdotes confugere imperat omnibus tàm in morbo lepræ (cujus dignoscendæ rationem solis exploratam esse voluit) quam in rebus judicatu difficilioribus; verum etiam sub N. Fœdere Filius Dei cunctos ad eosdem Sacerdotes remittit. In Cathedra Mosis consedere Doctores & Pharisæi &c.* Matth. XXIII. *Quibus verbis* Auctor *aut filium Dei supra allegata loca refellere, sensus enim verborum Dei est: Obsequere Sacerdotum jussis, at mala ipsorum opera ne imitaris. Istis enim propemodum verbis concludit hanc Doctrinam. Ex operibus igitur quisque sua ratione reddat Deo: sed fidem ac Doctrinam à Sacerdotibus discere tenetur, multoque magis à tota Ecclesia Catholica.* Hucusque verba Auctoris. Nam quod ulterius addit, quod in operibus quoque sibimet ipsi confidere nemo debeat, ita ut nimium proprio judicio nitatur: ad responsionem ejus non pertinet, nec sententiæ nostra adversatur, quia in eo cum Auctore idem plane sentimus. Imo vero id addimus, non modo in operibus, sed in Confessione & opinionibus suis neminem debere obstinatè stare judicio suo aut aliorum, multo minus totius Ecclesiæ judicia contemnere: Sed omnia in timore Dei perpendere, & quod verbo Dei consentit acceptare, quod repugnat ejicere. Sed ad refellendum responsionem ejus accedentes, primum omnium dicimus. Neque ex eo quod Judæis sub Lege in judicio Lepræ ad Sacerdotum opem confugere imperatum est, Neque quod iisdem Doctorum & Pharisæorum in Cathedra Mosis sedentium obsequium injunctum, nullo modo sequitur quod etiam sub Evangelio Religionis Christianæ mysteria nemini discere liceat, nisi à Magistris ad docendum consecratis. Primum enim nos nunc non Cathedræ Mosis, sed Solio ac Tribunali Christi subjecti sumus; cujus regimen quantum distet à regimine Mosis, hic ipse locus *Matth.* XXIII. ut infra expendetur ostendit. Ergo nihil ad nos præceptum ac doctrina de leprosis pertinet. Secundo, Obsequium Pharisæis aliisque in Cathedra Mosis sedentibus injunctum non in perpetuum; sed ad breve duntaxat tempus Christus præcipere videtur, hoc est, quamdiu Cathedra Mosis: quamdiu jura illa forensia una cum Republica Judaica in suo robore vigerent. Quod Judæos quoque ad Evangelium conversos, antequam Dominus hanc Rempub: sustulisset, observasse (præsertim in Patria sua) videmus. Tertio, Quia obsequium hoc non modo non in perpetuum, sed ne in omnibus quidem rebus imperatur, sed tantum in iis, quæ ex Doctrina Mosis, ejusdem Mosis autoritate præcipiebantur. Hoc enim ipsum erat ex Cathedra Mosis loqui aut docere. Quod enim verba ista, *Omnia, quæ præceperint,* (sicuti multis in aliis Sacræ Scripturæ locis usuvenit) ad subjectam materiam limitari debeant, docet Petrus *Actor.* v. 20. qui certe, cum ipsi Cathedræ Mosis assessores prædicatione Evangelii severissime interdicerent, non existimabat id quod tunc facere jubebatur comprehendi sub verbis *omnia quæ præceperint vobis.* Sed ipsis serio refragatus est, contentus Deo potius quam hominibus obtemperandum esse. Quarto denique, quod hoc loco palam & aperte opponit Dominus obsequium Discipulorum suorum suis præpositis sub Evangelio debitum, Obsequio Judæorum Sacerdotibus sub Mose debito: tanquam res sibi contrarias. Nec tantum in doctrina & (ut ita dicam) clave scientiæ, sed etiam in pondere auctoritatis. In quorum utroque tunc sub Lege Mosis, Deus Sacerdotii munus & eminentiam, non modo ad unam Tribum, sed in hac ipsa tribu ad nonnullas duntaxat Gentes ac familias adeo adstrinxerat; ut ad illud non omnibus aditus pateret. Quamobrem fieri non poterat quin apud omnes, maximâ præ aliis floreat autoritate, quia Deo ita visum erat. At nunc Servator omnes in eo coæquavit & fecit Sacerdotes 1. *Pet.* II. 9. *Apoc.* 1. 6. atque id expresse vetuit *Matt.* XXIII. 8. 9. ne quisquam inter nos seu clavem Scientiæ tanquam Magister & Doctor Ecclesiasticus, cui contradici non liceret,

liceret, aut Paternam in Ecclesia autoritatem, cui refragari nefas esset, sibi usurpare posset, exclusis ab utraque præeminentia hominibus omnibus plane, eamque Patri suo & sibi reservata. Nec tamen illis quoque temporibus Judaicis Doctoribus & Pharisæis licuit clavem Scientiæ & vim auctoritatis ita extendere, ut aditu Regni Dei quenquam ingredi volentem, arcere aut excludere possent. Hæc enim Dominus in iis accusat, & culpæ hujus pœnam prædicit *Mat.* XXIII. quod non fecisset, si ipsis id licere existimasset. Quanto minus nunc Ecclesiasticis clavem istam scientiæ Cœlum aperientem sibi vendicare licet, quoniam in re ista & prærogativa Rabinica & Magistrali, quemadmodum & Paterna auctoritate, utraque tam expresse interdictâ destituuntur. Quanquam igitur nobis alia multa loca Sacræ Scripturæ nimiam Seniorum in Ecclesia auctoritatem evertentia non desint. Brevitatis tamen causa locus hic, quem ad jugulandam causam suam citat Auctor, sufficiat. Nam moderatam & legitimam Seniorum auctoritatem nemos quidem rejicimus, dum ita limitata sit, ut interdum Seniores æqualibus suis, sicuti Petrus Paulo Antiochiæ, aliquando & junioribus subjicere se non recusent, quoties ipsis Deus ea dona confert, ut Seniores quoque erudire possint. Nec enim nunc Deus ad loca, personas, generationes & alias circumstantias suam gratiam alligat. Spiritualium titulum nusquam Sacra Scriptura Pastoribus Ecclesiæ adstringit. Sero post Apostolica tempora commentum hoc nequitiæ suæ in Ecclesiam Satanas introduxit, decipere in eo homines contendens, ut opinarentur Pastoribus tantum officium hoc incumbere, ut sint spirituales, hoc est, vivant secundum Spiritum. Quia vero carnales à carnalibus, & corrupti à corruptis sanari & emendari nequeunt, merito Apostolus ad ejusmodi emendationem spiritualem *Gal:* VI. spirituales requirit.

Quod superest, noxium esse errorem libenter agnoscimus, si quis in salutis suæ negotio proprio judicio nimium confidat, eoque solo nitatur. Sed addimus longe nocentius peccari, si quis in rebus; judicio proprio & conscientiæ repugnantibus, cæco impetu ruat in alieni (adeoque ipsius etiam particularis Ecclesiæ, nam earum, quas nominat, vel intelligit Auctor; nulla est Universalis) judicii obsequium. Ratio in promptu, Quia superior error quamvis vitandus sit, tamen conscientiam non lædit. At hic non potest, nisi vim inferre conscientiæ. Non igitur Auctor oppositam sibi objectionem refutavit, sed potius per adductum locum *Mat:* XXIII. Causam & Opinionem suam funditùs evertit.

Tertiam Causam, cur nostro potius quam alieno, etiam totius Ecclesiæ judicio niti malimus, affert, quod existimemus Ecclesiam Dei Catholicam errare posse in fundamentalibus Fidei aut Doctrinæ Christianæ. Antequam ad objectiones, quas inde sibi elicit ac ordine refellere conatur, accedamus, expendamus primum, Utrum id vere ac merito de nobis pronunciet necne. Quemadmodum autem vox Ecclesiæ Catholicæ, ita & vox *fundamentalium* non caret ambiguitate. De Catholica Ecclesia posterius viderimus. Nunc satis est eam quæ in *fundamentalium* voce hæret, ambiguitatem distinguere. Fundamentalia Fidei & Doctrinæ Christi dupliciter sumi possunt. Aut enim significant res & doctrinas Christiano omnino ac præcise scitu factuve necessarias, ita ut absque illis nemo fidei & sanctimoniæ sine qua nullus Deum videre, particeps esse aut salutem consequi possit, in quibus error aut ignorantia æternam secum trahit perniciem. Aut significat Doctrinas quidem maximi momenti, atque admodum utiles, in quibus errantibus difficile est pie vivere, ac proinde salutem consequi, verumtamen serii conatus simul & Divini auxilii interventu, non plane impossibile. Si vox ista priori sensu intelligatur, non objicimus id Ecclesiis, quas Auctor immerito Catholicas vocat, quod in fundamentalibus errent. Quamvis enim forte ob humanam imbecillitatem & astum Satanæ errare potuerint, Credimus tamen eos (saltem plerosque) bonitate & providentia Dei, ab hoc infortunio liberatos. Quoniam documenta irrefragabilia habeamus, quod tametsi Sathanæ plurimum ut videmus Deus licere permiserit, id unum tamen ipsi non licuit, ut S. Literas aut falsationibus adulteraret, aut debita autoritate & observantia plane exueret. Quod Divinum Lumen si probitas mortalium accedat omnes errorum tenebras ex integris & magnis Ecclesiis, ac proinde universali quoque dispellere atque homines devios in rectam orbitam reducere potest, quod experientia ostendere incipit. Unde liquido colligi potest, singulis quoque hominibus (per omnia præterita secula) quicunque sacram scripturam pro verbo Dei vero agnovere, ad fidem atque sanctimoniam ac proinde ad salutem æternam, viam patuisse, angustam quidem illam & pluribus salebris impeditam; quæ tamen prorsus obstructa non fuerit. Quam viam, quod homines spretâ lata & vulgari plurium in Ecclesia vestigiis tritâ viâ, invenire ac ingredi, conati sint, documento sunt variæ semitæ diversorum in monachismo ordinum, quibus aditum in Cœlum affectarunt; quamvis non omnes rectum iter tenuerunt, imo plurimos in deteriores errores abduxere, atque etiamnum abducunt. Ergo in hoc sensu dici potest, Ecclesias quas Auctor Catholicas vocat, in fundamentalibus non errasse, & propter Christi curam atque providentiam errare non potuisse, quia Dominus per publicos errores viam salutis plane obstrui noluit, quamvis eam multis salebris impeditam reddi permisit. Qui non tam id à nobis requirit, ut nimium multa, imo omnia norimus & sciamus, nec ullo unquam errore allucinemur, quam ut omnes virtutes, quantum per infirmitatem licet consequamur, nullius autem vitii habitu ac servitute detineamur. Sed in posteriori vocis hujus sensu, quando fundamentalia intelliguntur Articuli capitales & maximi momenti, quique ad pietatem aut salutem longe plurimum conferunt, Ecclesias istas non modo in eis errare potuisse, sed gravissimè quoque errasse. De quo certe Ecclesiarum casu in ipso prædicati Evangelii initio, à Christo & Apostolis satis mature præmoniti sumus.

CAPUT VII.

Ad novarum Objectionum refutationem Responsio.

NUnc ad ea quæ novis objectionibus respondet aggrediamur. 1. Ex tribus quas sibi opponit prima est, quod Orientis atque Occidentis Ecclesiæ, eos sibi mutuo errores exprobrant, quorum gratia se mutuo damnare, atque Anathemate percutere audent. Si potuit igitur Occidentalis adeò errare graviter, potuit & Orientalis, & contra, proinde aut alteram aut utramque errare omnino necesse est. Ad hanc Objectionem nihil respondet nisi quod Ecclesiis, quas Orientalis Ecclesiæ auctoritatem hac censura elevare velint, idem objicit, quod eandem ob causam errare potuerint. Ipsos autem Censores complicitatis Atheismi accusat, quod ejusmodi argumentis ostendant se sentire, in terris nullam esse universalem Ecclesiam. Atqui Censores isti pro se & Ecclesiis suis respondent, sese quidem & suas Ecclesias falli potuisse, si insisterent vestigiis aliarum Ecclesiarum, quæ à ductu & orbita Sacræ Scripturæ deflexere. Sed quia illi in

Ecclesiis

Ecclesiis suis hanc orbitam obstinate premunt in qua errori locus nullus est, eam ob causam non errare. Universalem autem Ecclesiam in Terris esse ne per somnium quidem unquam negare sustinuerunt: quam ubicunque dentur particulares eam (quippe ex iis compositam) dari necesse sit. Non reperitur igitur id in illis in quo Auctor Atheismum collocat, objectio vero eorum ab Auctore intacta manet & immota.

Secunda Objectionum est, quod Spiritus Sanctus in Sacris Literis prædixerit sessurum fuisse Antichristum in Ecclesia Dei tanquam Deum. Respondet confitendo eum sessurum fuisse in magna Ecclesiæ parte, at non in tota, eamque partem in Occidentali digito ostendit, quæ cum ab Orientali dissideat, nihil huic cum Antichristo esse negotii, neque illam præstare teneri, si quid Occidentalis delinquat. Respon. Certum est alienam culpam luere neminem teneri. Sed si Occidentalis adeo graviter labi potuit; quod Privilegium Orientalis ostendet, illam similiter labi non potuisse? Deinde non unus hic aut solus Antichristus est, qui sedet tanquam Deus in Ecclesia Christi. Is enim pinguis & jam saginatus, atque abdomine gravis Antichristus est. Sed erant etiam Joannis tempore plures macilenti Antichristi, & in immensum numerum aucti sensim excreverunt, quando homines sanæ doctrinæ impatientes & auditu prurientes asciscere sibi Magistros, ex animi sui libidine, cœperunt. Quisquis Antichristi doctrinas & violentam dominationem cum oppressione Conscientiæ sibi usurpat, eum adversarium illius Domini esse necesse est, qui placidis & ab omni coactione alienis artibus animos hominum ad se pellicere conatur.

Tertia Objectio est, quod ipsa doceat experientia Ecclesias quæ se Catholicas venditant, in multis reipsa & liquido erraſſe, quod non ex longe petitis & parum firmiter connexis consequentiis deducitur, sed singuli in specie errores, quantum à veritate divertant, ex Sacra Scriptura ostenditur. Verum ad istam rationem nomine quidem nostro, sed non satis ex mente nostra propositam, quomodo respondeat videamus. Ratio ipsa sic ab eo proponitur. Tempore Evangelii in Ecclesia Christi pacem futuram fuisse altissimam, & omnia bella desitura prædictum est. At in Ecclesiis quæ Catholico nomine gloriantur contrarium videmus. Nec enim tantum de Articulis Fidei digladiantur, sed etiam (quod clarius exprimere neglexit) cruenta inter se bella gerunt, & quidem instinctum ac doctrinam Ducum suorum secuti doctrinam sine dubio intelligit bellorum licentiam permittentem. Videamus ad hæc quid respondeat. Fatetur simpliciter, quod negare nullo modo potest. Sed primum eandem culpam & criminationem in reliquas omnes Sectas, quæ modo statum suæ Reipublicæ habent (ut ait) formatum, regerit & nullam earum esse asserit, in qua non bella impune gerantur. Deinde ostendit bellorum istorum causam non esse errorem aliquem in doctrina Christi, sed corruptos hominum mores. Resp. At nos ut illud omittamus, mutuam criminis regestionem, objectum crimen minimè purgare, ostendimus istius ipsius morum corruptionis, in istis de quibus loquimur Ecclesiis veram causam esse errores, ut alios innumeros, ita præcipue in hac ipsa de Bello sententia ac doctrina, quæ mortalium vitiis nimium fræna laxavit. Qua in re non satis est, delictum fateri coram Atheis & Judæis (quod facit Auctor) imo ipsis quoque Christianis, sed agnito errore, non sententia tantum, sed vita quoque emendanda est. Nam hæc lignea & straminea dogmata, quæ magno numero super Aureum Apostolicæ doctrinæ fundamentum superstructa sunt, quia non sunt secundum pietatem, non mirum est quod mores hominum corruperint. Et quamvis Auctores qui ea primitus non malo animo aut sine in Ecclesiam introduxerunt, quanquam non sine maximo damno suo salvi esse possunt, sed qui eorum occasione ac doctrina peccandi illecebram amplexi sunt, eundem ignem quem dogmatibus ipsis Spiritus Sanctus destinat, nisi pœnam pœnitentia prævertant, horreant necesse est.

Rationi quâ Auctor Judæos urget & convincit, plane subscribimus; sed inique traductas aliquas inter Christianas Ecclesias, silentio transire non licet, Ait Auctor. *Nullam esse Sectarum in qua perfecta Charitas vigeat, verum signum & sigillum discipulorum Christi. Saltem (addit) sibi notam non esse, si qui sunt* inquit *profitentur nomina sua, & causam dicant Ecclesiæ Christi. Neque referre ait, quod talium quidam in Polonia non desint, cum inter se in sententiâ de Bello dissentiant; & cum statum formatum* (hoc est) *peculiarem & à reliqui separatam Rempublicam non habeant; Ita ut an perfecta charitas in eorum statu publico regnatura sit, liquido non appareat. Præterea cum vicinos Pannonios & Transylvanos pro ejusdem Ecclesiæ membris & fratribus agnoscant, apud quos hæc sententia exulat Christianis bellum gerendum non esse, cur eos non excommunicant? Cæterum hos Cœtus* inquit *Societates verius dixeris aut Regularium Communitates, quàm Ecclesias.*

Resp. Non mirum est eos, qui non nisi status formatos Ecclesiarum carnali potentia florentium somniant, non nosse eos qui perfectam Caritatem urgent, quia nosse non curant, nec eos pili faciunt. Sed illud mirum, quod eos ad causam coram Ecclesia Dei dicendam citent, quo ad supprimendam & occultandam lucem Caritatis, ne omnibus luceat, nihil est efficacius, quasi non sufficiat quod singulos verecundia & pudor ingenuus ab ostentanda adeò sublimi virtute abstrahat, ut adductiori fræno, hoc est, metu ac terrore opus sit ad eam occultandam, quod ejus virtutis tanquam criminis alicujus causa dicenda sit. Nec vero obscurum est quanti facienda sit Ecclesia, quæ supremum in Religione Christi virtutis nomine, apud se causam dici postulat. Quod autem in sententiis quibusdam de Bello quidam in Polonia dissentiant nihil mirandum est. Satis est quod in eo consentiant perfectam Charitatem in Ecclesiis Christi, non minus nunc, quam Apostolicis olim temporibus exercita est, exercendam esse. Qua tempestate quamvis non deessent quondam aliqui Fratrum, qui sese mutuo morderent (quod quia ipsis impune non licuit eo nomine graviter reprehensi sunt.) Erant tamen alii qui sese mutuo vere diligerent. Et si nunc mala exempla eorum, qui in Ecclesiis nostris adversus dilectionis Officium delinquebant, hærent in memoria Auctoris, non debebant excidere, aut oblivione sepeliri bona exempla eorum, qui non delinquebant. Bella qualia nunc inter Christianos impune geruntur veræ Ecclesiæ Christi probare aut permittere nequeunt, neque adeò permittunt. Quamvis autem nonnullos formatos (ut ait) status Politicos non habeant, ut publica Bella suscipere aut prohibere possint, sufficit; quod in quantum possunt, inhibent ne privata inter suos suscipiantur, aut gerantur, ut quisquis ea gerere audeat locum inter eos habere nequeat. Quod autem Transylvanos ob sententiam quæ non omnibus falsa videtur non excommunicent, recte & ordine faciunt, quod morem majorum secuti adversus Caritatem & mutuam tolerantiam peccare detrectent. Porro arcanum illud quod ii Christianorum Cœtus, qui statum Politicum (ut ait) formatum non habent, Ecclesiæ dici nequeant, ignoratum hucusque est ab omnibus, qui plantatos ab Apostolis & per tria Secula ad Constantini usq; tempora propagatos per Orbem Christianorum cœtus,

Ecclesias vocabant, quamvis suas nondum peculiares Respublicas haberent.

CAPUT VIII.

Voces Ecclesiæ, & Catholicæ Ecclesiæ expenduntur & distinguuntur.

PRogrediendo ulterius dicit Auctor, *Postquam Objectionibus Adversariorum respondimus* (responsiones istas proxime vidimus & diluimus) *duo nobis evincenda sunt. Primum, Ecclesiam Catholicam numquam in fundamentalibus Fidei errare posse. Secundo, quamvis in Sanctimonia vitæ plurimum ipsi desit, non esse tamen adeo universalem ejus corruptionem, ut in ea homines Sancti, & Legum Christi servantissimi non reperiantur.*

Respon: Jam ante ostendimus nos Ecclesiis, quæ sibi nomen Catholicarum vendicant, ipsiquè adeo Universali Ecclesiæ, non objectare, quod adeo graviter in fundamentalibus errent, ut in illis reperiri nequeant Homines (quamvis raro & difficulter) qui sint vera membra Corporis Christi. Non quod pietas & sanctimonia eorum æque perfecta sit, aut esse possit, ut fuit olim eorum, qui dum casta adhuc & intaminata Apostolorum Doctrina vigeret, Christo obsecuti sunt. Sed quod secundum mensuram cognitionis ipsorum Dominus eos olim judicaturus sit; minus exigendo ab iis, qui minus rerum Divinarum peritiæ habere potuerunt, plus autem ab iis quibus plus Talentorum datum est. Nam ne isti quidem ipsi, qui temporibus Apostolorum vera corporis Christi membra fuere, propter opera & sanctimoniæ suæ gradum (quamvis forte posterioribus is longe eminentior fuerit) Cælestem mercedem accipient, sed omnes æquè tam antiquiores quam recentiores ex fide & Caritate sua erga Deum justificabuntur.

Verum ad hoc, ut errores deceptarum Ecclesiarum ponamus ob oculos, sufficit ostendisse aut ostendere, quod non modo errare potuerint, sed & manifeste erraverint in rebus maximi momenti & ad salutem utilissimis, quæ suo modo fundamentales dici possunt, quamvis ipsi per se errores, nisi malitia admixta sit, non sunt plane lethales, sed tantum admodum periculosi & noxii, atque viam salutaris Sanctimoniæ adeò impedientes, ut & pauci inter sic errantes reperiri possint, qui eam invenire, pauciores qui inventam constanter premere, & ad exitum vitæ in ea decurrere possint, & fieri vix potest ut ejusmodi hominum pietas variis, tametsi forte non nimis crassis, & nimium noxiis, sed tamen indecoris & periculosis superstitionibus maculata esse non deprehendatur. Unde liquido apparet, quanta necessitas incumbat omnibus, qui ejusmodi errores peculiaris gratiæ Dei interventu, detexere, atque in iis errantibus oculos mentis aperire possunt, ne ob eam causam quod in istis erroneis Ecclesiis, hominibus aditus ad salutem non est plane præclusus: propter carnales respectus ad tantos errores connivere, & errantibus assentari, denique concreditum sibi talentum, humi defodere audeant: nisi severissimum Dei judicium subire velint. Neque enim omnibus impune esse potest, quod quibusdam potest, & inde quod Deus ab hominibus non exigat quod ipsis non concredidit, nullo modo sequitur, eum ab iis quoque non plus exacturum, quibus pretiosissima cognitionis suæ dona, in suum & aliorum usum contulit & concredidit. Quid vero est quod gloriæ & Regno Dei Christique propagandis, majus afferre potest incrementum; quàm si via hæc ab omnibus noxiis impedimentis & salebris expurgetur, quam Deus ad salutem mortalibus aperuit, quo fiat, ut & longe plures & multo facilius & perfectius pareant illi voluntati Dei bonæ ac perfectæ. (*Rom:* XII. 2.) Porro quam Dei amans? quam gratus beneficiorum ejus, is censeri possit, qui propter vanas & fluxas hujus ævi illecebras omittere aut negligere audeat tam utilem & idoneam, propagandi Regni & promovendæ gloriæ ejus rationem? Quomodo is, si incumbenti sibi huic officio desit, prædictum ac destinatum culpæ huic effugiet supplicium? Non igitur metuendum est ne hominibus pius ac prudentibus, suamque salutem plus quam Mundum hunc diligentibus, detur ansa & aperiatur aditus ad reverendum postliminio in Babylonem, eo quòd libenter id concedamus quod in illa quoque captivitate Babylonicâ, inter innumeram eorum multitudinem, qui Deum operibus suis abnegaverunt, habuit tamen Deus (licet exiguum) peculiarem suum Populum, qui sub gubernatione & providentia Servatoris sui, vivendo secundum Spiritum, verum Christi corpus dici poterat. Inanem igitur operam & vanum laborem suscepit Auctor, magna & longa contentione probando id, quod (ut & ipse alicubi fatetur) non sicuti hoc loco loquitur, vel invitis, sed ultro ac libenter concedimus & confitemur. Verum quia in dissertatione sua multa attulit quæ concedi nequeunt, paucis in ea animadvertendum est. Sed quoniam ipse ostendit in voce Catholicæ Ecclesiæ facile errari posse, ita ut aliquis particularem Ecclesiam pro Catholica, & contra Catholicam pro particulari habere possit, confitendo quod particulares Ecclesiæ gravissime errare atque labi possint. quod in Catholicam non cadit; Ideo antequam longius progrediamur, ne vox ista allucinandi ansam præbeat, nomen Catholicæ Ecclesiæ, imo ipsius quoque Ecclesiæ, nobis necessario distinguendum est.

Ecclesia Dei & Christi Domini est Cœtus & Congregatio eorum, qui Deo per Christum, hoc est, Secundum Legem & Doctrinam Christi obsequuturos sese professi sunt. Hoc obsequium omnes profitentur. Sed quod inter eos plures futuri forent vocati, qui tantum audiant verba & mandata Domini, non autem imperata faciant; quam Electi, qui non modo sunt auditores Legum Dei, sed & factores *Mat.* VII. 24. *Jac.* I. 22. ab ipso Domino præmoniti sumus, & ipsa docet experientia. Utriusque generis Cœtus, aut simul & promiscue atque confuse, aut sigillatim & distincte considerari potest.

Cœtus Christianorum simul & promiscuè consideratus est visibilis & externa Ecclesia Dei, in qua bonos juxta & malos, triticum & Zizaniam vocatos & electos reperias. Ideo similis dicitur Sagenæ aut Reti in Mare jacto, non minus malos quam bonos pisces adprehendenti *Matth.* XIII. Porro Cœtus iste sigillatim & distincte consideratus, exhibet nobis duas Ecclesias, sibi prorsus dissimiles & difformes, bonorum & malorum Christianorum; Quas inter non aliud est discrimen, quam quod videmus inter veros & falsos fucatosque servos Christi. Proinde & ipsarum Ecclesiarum veram alteram, alteram falsam esse, necesse est. Quemadmodum autem promissa Dei quæ unusquisque fidelium, aut fidem professorum sperat, non pertinent nisi ad veros fideles, ita promissa toti Ecclesiæ facta, nonnisi ad veram, ac unicè fidelem Ecclesiam pertinent. Ergo sicuti singuli fidelium, qui verba & Leges Domini, non modo auribus percipiunt, sed vita & moribus sequuntur, in Petra Domos suas extruunt. *Matth.* VII. Ita & vera (per excellentiam dicta) Ecclesia, in Petra est ædificata. Petra vero ista utriusque ædificii est fundamentum Apostolorum & Pro-

& Prophetarum, cujus lapis angularis est Christus *Eph.* 11,20. Parte altera sicuti externa specie apparens Christianus & auditor tantum, non autem executor verborum Domini, ita ejusmodi Cætus hominum, in arena domos extruunt, nec privilegiis Petræ Sponsæ Corporis & Templi Domini, denique nomine veræ Ecclesiæ Dei gaudere aut gloriari possunt. Ergo duo tantum genera congregationum supersunt, quibus nomen Ecclesiæ Dei quocunque modo tribui potest. Primum est cui proprie, perfectè, simpliciter, & per excellentiam competit ac tribuitur qualis est Cætus genuinorum & perfectorum Christi fidelium. Alterum cui dunctaxat aliquatenus & secundum quid, hoc est, ratione partis ejus quæ genuinos & vere obsequentes Christi fideles continet, tribui potest, qualis est illa supra descripta promiscua & externa Ecclesia Christi. Cui similiter omnes ut proprietates, ita privilegia & promissa Ecclesiæ Dei facta non simpliciter, sed secundum quid competunt, respectu illius melioris ejus partis, quæ Electos continet. Inter hanc igitur veram, ac per excellentiam ita dictam, & promiscuam Ecclesiam Christi hæc deprehenditur differentia, quod hæc est mortalium oculis visibilis, illa invisibilis, & soli ad occultissima quæque penetranti Dei Christique obtutui, nota & obvia. Nam solus Dominus novit qui sunt sui. Cum enim ex veris Christi membris constet, & nihil impuri aut peccati consuetudine maculati contineat, oculis mortalium atque judiciis inaccessa est, quoniam veram inter & externa specie apparentem sanctimoniam discernere, longe difficilius est, quam veram inter & falsam doctrinam, adeo ut in ejusmodi judicio & delectu isti ipsi homines, qui secum habitant & seipsos explorare volunt, non raro decipi possunt. Tantum abest ut aliena occulta vitia mortales nosse queant, qui ne proprios quidem defectus sæpe videre possunt; qui tamen omnia penetranti oculo Dei subtrahi nequeunt. Ergo si de singulis hominibus non semper irrefragabile judicium fieri potest, multo minus de totis eorum Cætibus. Hæc differentia ostendit ab altera Ecclesiarum istarum, ad alteram non posse nisi fallacem deduci consequentiam. Sed hæc promiscua & externa Ecclesia iterum duplex est, aut particularis qualis est Romana, Corinthiaca, Ephesina, Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana, aut Universalis seu Catholica. Præterea vox Catholicæ Ecclesiæ in communi usu dupliciter sumitur, aut proprie, atque ut ajunt ad literam, aut ex more veteri primitivæ, quæ Apostolico ævo floruit, Ecclesiæ. Proprie & ad literam Ecclesia Catholica seu universalis, est Cætus & congregatio omnium Ecclesiarum quanquam inter se diversarum, quæ omnes particulares in se continet, quemadmodum totum corpus omnia membra, atque adeo totum suas partes.

Porro ex more Primitivæ Ecclesiæ usitato Catholica Ecclesia dicitur Cætus is, qui sequitur Catholicam doctrinam, hoc est, qui nihil hominibus pro articulo fidei credendum obtrudit præter id, quod omnes reliquæ Christianæ Ecclesiæ, quanquam inter se differentes, confiteri, agnoscere, credere coguntur. hoc est, quod in symbolo Apostolico & sacris literis comprehenditur, quorum utrumque omnium consensu receptum est. Quapropter ob errores & opiniones diversas etiam in rebus maximi momenti & maximæ utilitatis, dummodo non sint ad salutem plane & omnino necessariæ; non rejicit quenquam, sed omnes sinu suo recipit. Sola carnis opera & peccatorum habitus non patitur, proinde & ejusmodi doctrinas quæ fidem in Deum per Christum, matrem omnis sanctimoniæ, sine qua nemo Deum videbit, à stirpe subruunt, ferre nequit. Solam enim doctrinam Catholicam, quæ est secundum pietatem, urget, quam & reliqui omnes approbare quodque eam sequantur & urgent, saltem externa specie præ se ferre coguntur. Hanc Ecclesiam ideo Catholicam primæva nominavit antiquitas, quod non modo Catholica & quæ omnes recipere necesse est, dogmata & articulos fidei proponit, sed & omnia ex reliquis Ecclesiis vera Christi membra, doctrinam servatoris sui non sola confessione, sed vita quoque & moribus exprimentia, ad se recipit. Præterea hoc ipso Catholicæ nomine discernebatur, imo opponebatur Ecclesia, hæreticis Sectis, quæ ad doctrinam Apostolicam commenta sua addentes ob ista additamenta sese ab aliis separabant; quod etiam Apostolicis temporibus accidisse legimus *Judæ* 19. opera hominum carnalium & ambitiosorum, qualis & ille fuit Diotrephes 3. *Joh.* v. 10. Tales falsi Prophetæ introducebant Hæreses exitiales 2. *Pet.* 11. 1. Ex operibus suis tunc dignosci facile poterant tanquam ex signis, ex quibus eos judicare Dominus præcepit. Non igitur Ecclesia Occidentalis Latina, neque Græca Orientis, neque Australis Æthiopica, nec tot in Septentrione Germanicæ, Danicæ, Sveticæ, Helveticæ, Britannicæ Ecclesiæ, Catholicæ (oppositè ad alias) ullo modo dici possunt, quia neutro sensu Catholicæ sunt. Non primo, quia neque membrum unum universum corpus, neque omnino pars totum dici aut esse potest. Non secundo, quia omnes pene nominatæ Ecclesiæ etiam synceriſſimos & solidæ pietatis Dei cultores ad communionem Sacrorum non admittunt, nisi istis Symboli Apostolici additamentis subscribat, quibus ab aliis Sectis & Ecclesiis discernuntur. Cuinam vero præter nominatas ab Auctore, Ecclesiarum secundum posteriorem sensum merito competere possit Catholicæ nomen ac titulus, memoriam, notitiam, judicium ipsius Auctoris appellamus.

Præter supradictas Catholicæ Ecclesiæ significationes, reperias adhuc unam plane falsam & indignam, cui apud homines Cælestis veritatis amantes locus concedatur, quod eam versutia Satanæ ad subvertendam per Antichristum veritatem nequiter excogitaverit. Sed quia vocis hujus ambiguitas omnibus vulgo imponit, omitti à nobis non potest. Quemadmodum enim hic versipellis Spiritus, contra omnem veritatem & æquitatem, vocem atque titulum hæreditatis atque Cleri, præterea vocem Spiritualis status, ita & vocem Ecclesiæ, & Ecclesiastici status (quæ omnes apellationes ac tituli Universis & singulis Ecclesiæ membris competebant) limitavit & restrinxit ad longe minorem Ecclesiæ Dei partem, hoc est, ad Concionatores & Sacrificulos. Quos inter iterum hanc introduxit effrænis & absolutæ potestatis gubernationem, ut omne regimen, omnia consilia, judicia & officia, non modo toti eorum ordini, sed universæ Ecclesiæ Dei (ne laicis quidem exceptis) competentia, unum caput sibi uni vindicet ac usurpet, aut interdum paucissimis, quos forte ad regiminis sui societatem admittere dignatum fuerit. Quæ capita quia semper Terrenæ dominationis curis distringuntur, æque apta & idonea sunt ad gubernationem spiritualis Ecclesiæ, quemadmodum & homines solis spiritualibus curis dediti, ad curas ut vocant seculares. Atque horum paucissimorum capitum commenta, decreta, leges & instituta omnibus aliis totius Ecclesiæ, & quidem Catholicæ nomine, violenter obtruduntur, ita ut si qui forte adversus ea vel mutire audeant, illico fulmina anathematum, & tanta tempestas eos percellat, ut aut silendum ipsis, aut pereundum sit.

Detecta & in apertum producta ambiguitate, quæ in voce Ecclesiæ, & proposita quæstione sanis mortalium judiciis insidias struit, ad ea in quibus Auctor (quanquam in principali quæstione nobiscum consentiens) decipitur aut exorbitat accedamus.

CAPUT IX.

Errores non pauci Auctoris examinantur, Primus, Secundus, Tertius, Quartus & Quintus.

PRimum igitur errat, quod privilegium veræ & invisibili Ecclesiæ Christi (quæ firmissimæ Petræ inædificata sola duntaxat verum corpus & Sponsa Christi dici meretur) peculiariter competens, tribuit Ecclesiæ externæ & promiscuæ, imo vero huic Ecclesiæ, quæ ut olim Laodicena in specie tantum talis apparet, qualem veram descripsimus, quodque sibi immerito tribuit & vindicat, revera non habet. Ecclesiæ inquam & Cœtui hominum, qui non in Petra veræ pietatis & doctrinæ ab ipsis Apostolis prædicatæ: sed in arena Auctoritatis mortalium, qui carnalem & violentam dominationem, afflictionem, servitutem & oppressionem diversa sentientium, denique sanguinis effusionem innocentium in Ecclesiam Dei introduxerunt, eamque obstinate urget & exercent; domum Ecclesiæ suæ extruunt. Qui cum in terreno, fluxo & corruptioni obnoxio fundamento ædificent, non modo ruere possunt, sed necessario ruituri sunt. Quippe ædificium, putrido ac ruinam minante fundamento nixum, consistere stabili fede nequit. Nec quicquam instabilius est humana sive naturâ gramini, sive auctoritate, flori ejus simillimâ. Non eripimus igitur nos Privilegium veræ Ecclesiæ Catholicæ, præcipue vero ex veris fidelibus in diversis gentibus, sectis & professionibus ac vitæ generibus collectæ, quod corruere nequeat. Firmiter enim consistit, ac sua mole stat fundamentum Dei, nec sede sua dejici potest, in quo extructi sunt, & extruuntur, qui recesserunt & recedunt bona fide à peccatis & injustitia, & qui confessam veritatem vitâ exprimunt, quos licet inter infinitam hypocritarum turbam oculi mortalium ab aliis non semper discernere queunt, ideoque Cœtum hunc invisibilem dicimus. Sed Dominus qui inter veram & fucatam pietatem discrimen liquido cernit, novit qui sint sui. Verum in eo longe nocentius errat Auctor, quod hæc Privilegia externæ Ecclesiæ tribuendo, eadem opera istis quóque hominibus tribuit, qui non modo super laicos & populum, sed superipsos Episcopos & Sacerdotes spiritualem & absolutam dominationem occupavere, ac totius Ecclesiæ auctoritatem sibi solis (ut ante monuimus) vendicant & usurpant.

Alter Auctoris error est, Quod eam Ecclesiam Catholicam vocet, quæ Catholica nullo modo dici potest. Ecclesiam, inquam, Orientalem quo nomine eam designat, quæ Patriarchæ Byzantino paret. Sed hæc Ecclesia quocunque sensu vox Catholicæ Ecclesiæ explicetur, seu proprio, sive eo qui Apostolico seculo viguit, neutro eorum Catholicæ nomen meretur. Quod ad proprium sensum attinet. Ecclesia obedientiæ Episcopi Byzantini non comprehendit in se omnes Ecclesias obedientiæ Christi. Nam ut remotiores taceam, ne ipsas quidem Orientales omnes complectitur. Neque vero hîc populos designo Antiochenæ aut Alexandrinæ obedientiæ. Nam etsi Triumviri isti in unam Orientalem Ecclesiam coalescerent, tamen eorum Ecclesia, neque Nestorianos, aut Jacobitarum, nec Maronitarum in Syria, nec Thomæorum in India, neque Chaldæorum, nec Armeniorum, nec alias in Oriente Ecclesias complecteretur. Multo minus (si recedamus ab Oriente) nec Meridionales Æthiopicas, nec Romanam Occidentalem, nec tot in Septentrione, quæ à Romana secessere, Ecclesias comprehenderet.

Porro una ex his Romana, non modo numero & multitudine, sed potentia quoque & auctoritate Politica & Spirituali omnes istas tres Græcam, Syriacam & Ægyptiacam Ecclesias longo intervallo superat ac præcellit. Jactat Græca & profitetur obsequium Christi, sed non sola, neque in angusto ejus spatio tot commemoratæ Ecclesiæ locum inveniunt. Quapropter in hoc sensu Universalis censeri nequit, sed particularis Ecclesiæ nomine contentam esse necesse est. Alio vero sensu qui Apostolorum temporibus viguit Catholica dici nequit. Nec enim solam Catholicam Doctrinam urget ac proponit, neque contenta est Catholico Apostolorum Symbolo, sed ipsi diversa atque adeo repugnantia Symbola, & particulares, nec ab omnibus receptas, doctrinas adjicit, quibus à reliquis Ecclesiis discernitur. Deinde non omnes qui vere ad Christum pertinent in se comprehendit. Excludit enim eos, qui antiquissimam & Catholicam Fidei Apostolicæ Confessionem profitendo (cuicunque Sectæ adhæreant) secundum Legem & Doctrinam Christi vivunt. Excludit autem eò, quod additamenta ejus & commenta hominum rejiciant.

Tertius Auctoris error est, quod illud confiteri nolit, quod nobis non modo Doctrina Christi toties inculcat & ipsa quoque ratio dictitat, quamvis externas & particulares Ecclesias oculis hominum obvias & visibiles esse necesse sit, tamen & Universalem Ecclesiam secundum propriam significationem suam, & veram illam Ecclesiam per excellentiam sic dictam, quæ ex solis vere piis constat, non posse esse nisi invisibilem, & oculis mortalium minus obviam, sed sola mente perceptibilem. Quod ad veram istam Ecclesiam attinet, doctrina Christi nobis inculcat, atque ipsa ratio demonstrat, solum eum qui corda hominum scrutatur nosse, qui sint veri fideles Christi, quia eos solus ex cordibus & animi eorum statu, & abditis cogitationum judicare potest, & judicaturus est. Proinde nos miseros homunciones, qui in abdita cordium arcana penetrare non possumus, vera corporis Christi membra non modo corporeis oculis videre; sed ne judiciis quidem nostris discernere non semper posse liquet. Multo minus Cœtum aut Ecclesiam, ex illis solis collectam, corporeis oculis cerni posse. Etenim ubinam Gentium ejusmodi Ecclesiam aut Concilium reperias, in quo non multo plures vocati tantum, quam electi deprehendantur. Quod autem attinet ad Universalem & Catholicam proprie sic dictam, ratio ipsa & sana Philosophia docet, singularia tantum & individua sensibus corporeis percipi posse. Universalia vero quoniam à singularibus sola mente abstrahuntur oculis corporeis esse inaccessa. Nam quis ille tam Lynceis oculis reperiri possit, qui vel unum universale oculis carnalibus cernere queat. Quo igitur pacto Universalis Ecclesia visui corporeo obnoxia esse possit? Qualicunque sensu intelligatur hæc Universalitas seu pro toto, omnes partes comprehendente, sive pro vera & perfecta Ecclesia, in qua soli tantum fideles electi Christi reperiuntur. Si pro toto, nonne ad Universalem Ecclesiam, non modo omnes qui vivunt, sed etiam mortui in Domino, & isti quoque qui posterioribus seculis fideles Christi evasuri sunt, pertinent? Quis autem Cœtum istum ante adventum Christi ultimum oculis corporeis usurpare speret? Idem & longe plus de Electorum Ecclesia dici potest: ad quam cernendam mortali oculo præclusus est aditus.

Quartus Auctoris error est, quod explicando locum *Matth.* XVI. de Portis inferni, asserit promissa & Privilegia Catholicæ Ecclesiæ data, nullam plane sive apertam sive tacitam conditionem continere aut continere posse.

Resp.

Resp. Hac assertione, nescio an aliquid tam naturæ Religionis quàm Sacræ Scripturæ magis repugnans, fingi aut pronunciari possit. An vero Deus Catholicæ Ecclesiæ simplices tantum & nudas promissiones proposuit? Nonne promissis Præcepta & leges suas addidit? nonne omnibus & singulis conditionem & officium præstandi sibi obsequii imposuit, in quo viva fides & sanctimonia continetur, sine qua nemo promissis Dei frui & gaudere potest. Nonne cum Ecclesia sua novum fœdus pepigit? Quodnam autem fœdus absque conditionibus utrique parti impositis & præstandis fingi potest? Ad conditiones Catholicæ Ecclesiæ, hoc est omnibus in ea comprehensis mortalibus, impositas, non modo vera fides pertinet, sed in ea quoque perseverandi usque ad finem constantia.

Quod si excellentissima Dei promissio donum & gratia vitæ æternæ est conditionata, multo magis omnes aliæ. Promisit Dominus fidelibus donum Spiritus Sancti, sed si quis huic Cælesti hospiti, mundam sedem & dignum diversorium in animo suo non præparaverit, si præsentem ipsum debito honore colere neglexerit, aut ipsum incidentibus delictis contristare, aut habitu & frequentia peccatorum expellere ausus fuerit, quis eum hujus promissi fructu gavisurum putet? Promisit Deus curam tutelarem & protectionem atque opem suam omnibus fidelibus, hoc est, toti Ecclesiæ. Sed si constanter ipsi adhæreat. Alias qui Deum deserit, ipse vicissim à Deo deseratur necesse est. Non objicimus id (quemadmodum supra exposuimus) toti Ecclesiæ Catholicæ, quod deseruerit Deum. Quamquam enim innumeræ mortalium myriades, Satanam, Mundum & peccatorum illecebras secutæ, Deum deseruerint, nunquam tamen deerant Christo Domino, qui ipsi & Legibus ejus adhærerent, & in simplicitate cordium suorum Deum colerent, quod etiam non sine peculiari ejus cura, gubernatione, providentia fiebat. Quamobrem assertiones ejusmodi fundamenta Religionis Christianæ molientes, dignæ sunt reprehensione. Quæ certe ejusmodi adminiculis stabiliri nequeunt, quibus eas Auctor fulcere contendit, nimirum quod inter Ecclesiam & Christum non minus arctum sit vinculum & conjunctio, quam inter Caput & membra, Sponsum & Sponsam. Primum enim conjunctio hæc, reipsa non in tota externa & promiscua Ecclesia, sed in meliori ac nobiliori ejus parte deprehenditur. Deinde quod hæc ipsa conjunctio, quamdiu in terris Ecclesia Christi militat est conditionalis, nec cuiquam æternam salutem conferre potest, nisi in fide & sanctimonia vivat, & ad extremum vitæ perseveret. Etenim connectionem istam & vinculum cum Christo duplex esse animadvertimus. Alteram conjunctionem imperfectam, & (ut ita loquamur) initialem, qualis est in ejusmodi Dei cultoribus, qui bonum certamen certare, & in salutis curriculo currere cæperunt, sed nondum certamen & cursum suum absolverunt. Alteram perfectam & consummatam, qualis est in iis, qui in hoc certamine constanter ad exitum ejus depugnantes victores evaserunt, & gloriosum istud curriculum consummaverunt 2. *Tim.* IV. 7. hoc est, qui ad exitum vitæ Deo servierunt & in Deo mortui sunt, quamobrem ab Auctore Epistolæ ad Hebræos vocantur πνευματα τετελειωμενα Spiritus, qui jam perfecti facti sint. *Heb:* XII. 23. Utraque conjunctionum istarum conditione non caret. Sed hæc inter eas est differentia, quod in priori conjunctionis genere, conditio nondum est impleta, ideoque quamvis respectu certitudinis promissorum Dei firma & certa videtur, at respectu inconstantiæ humanæ est incerta, quia vinculum ejus hominum culpâ abrumpi potest & sæpe abrumpitur. Frequenter enim homines postquam salutis curriculum, Spiritu exorsi sunt, carne perficiunt, *Gal:* III. 3. In altera vero perfecta, conditio ab hominibus jam præstita & impleta est. Ideoque conjunctio hæc certa & firma sit. Non enim jam aliam conditionem Deus ab hominibus exigit, sed ipsis absque ullo dubio paratam jam & quasi ad hoc ipsum sepositam reddet mercedem. Et hic forsitan futurus Ecclesiæ Dei status obversabatur menti Auctoris, quando assere ausus est, promissiones Ecclesiæ factas esse absque ulla conditione. Verum illud forte memoria exciderat, litem inter nos esse non de futuro triumphantis, sed de præsenti statu militantis Ecclesiæ Dei. Perfecta enim cum Christo membrorum & sponsæ ejus conjunctio, nonnisi post debellatum Satanam & peccatum continget, quod tum demum fiet quando quis ad exitum usque vitæ in cultu Dei perseverat. Quapropter in hoc ævo homines, & ex iis collectæ Ecclesiæ gloriari nequeunt, quod ob illam nondum perfectam cum Christo conjunctionem errare & corrumpi, aut à Sponsa Christi deficere, ac transire ad meretricem Satanæ, non possint; adeo ut sæpe contingat, eos qui membra Christi fuere, hoc est, palmites vitis illius Cælestis culpa sua ab illa excindi: atque aut in eodem cum cæteris cumulo fœdum in modum putrescere, aut à vite sua separatos exarescere, & in ignem conjici. *Joh.* XV. 6.

Quintus Auctoris error est, cum ait, *Quemadmodum homo Jesus Christus errare non potuit, sed omnem voluntatem Dei adimplevit, propter conjunctionem naturæ divinæ cum humana. Ita corpus Christi non potest corrumpi propter conjunctionem cum capite suo Christo.* Quæ verba veræ doctrinæ repugnant. Etenim ne Servator noster dum esset in terris errare non posset, non requirebatur divinæ Naturæ cum humana conjunctio, de qua in Sacris Literis altum silentium. Sufficiebat ille Spiritus supra mensuram in eum effusus, de quo *Joh.* III. 34. legimus. Quemadmodum Apostoli propter eundem Spiritum, quamvis longe parciori mensura sibi collatum, in prædicando Evangelio errare non potuerunt. Præterea conjunctio Ecclesiæ militantis cum Christo longe imperfectior est quam triumphantis, ut supra ostensum est, multo magis vero quam hæc, quæ ab adversariis statuitur, naturarum toto genere diversarum unio hypostatica. Non valet igitur in hac ratiocinatione à firmiori & perfectiori, ad longe infirmius & imperfectius vinculum & consecutio. Præcipuè cum nobis in Ecclesia militante innumeras myriades, hominum nexum conjunctionis cum Christo abrumpentium & salutari gratia in æternum exitium excidentium, experientia ostendat.

CAPUT X.

Sextus, Septimus, Octavus error. Ubi de Invisibili Ecclesia.

IN responsione ad exemplum Ecclesiæ Israëliticæ tempore Eliæ Idololatriâ corruptæ, in qua Deus sibi sepoluerat septem Millia virorum Prophetæ ignotorum, non unus error, & tergiversatio multa est. Unde patet quam graviter argumentum istud Auctorem torserit. Nam cum refutationem ejus suscepisset, longe & eminus vitat occursum ejus, ac refellit id, quod ipsi nemo objicit. Nam quis ipsi objicit, quod Ecclesia Judaica à Catholica Christianorum Ecclesia diversa non fuerit? tam ratione perfectionis in doctrina, quam ratione magnitudinis in comparatione Gentis unius, cum omnibus Orbis nationibus? Cui bono diversitatem hanc

anxie probat, quam non modo agnoscimus, sed ex ea idem nostrum argumentum eo firmius adversus eum confirmamus & concludimus. Quia si in tantilla Provincia, quando Ecclesia Israëlitica adeò fuit Idololatria publice corrupta, sepofuerat tamen sibi Deus septem Millia hominum hoc scelere non corruptorum; quos ita inter cæteros latere permisit, ut etiam tanto Prophetæ fuerint ignoti. Quanto majorem hominum numerum in tot per totum Orbem diffusis Gentibus notoria Idololatria; & Antichristi impietate tanquam peste infectis, secrevisse ac reservasse sibi Deus potuit, qui membra corporis Christi, & verus Dei Populus esse non desierunt. *Ecquid mirandum est*, ait Auctor, *obscuram & ignotam fuisse illam Ecclesiam, quæ in uno duntaxat totius Orbis angulo Judaica videlicet Regione latebat.* Resp. Atqui non in eo est vis argumenti nostri, quod pars illa Populo Judaici Septem hominum millia obscura & ignota esset Græciæ, Hispaniæ, Italiæ aliisque in Orbe Populis, sed quod ignota esset Samariæ incolis, atque inter eos Eliæ Prophetæ. Pergit porro & ait, *Ecquid mirandum est Prophetam non vidisse, quod Deus vidit.* Torquet & invertit mentem argumenti nostri ita respondendo, quasi nos admirationis causa exemplum istud produxerimus, ignorantes causam cur Deus plus scire & videre possit quàm homo. Etenim sedulo nos docet id quod simplicissimis mortalium notissimum est. At nos non admirandi causa exemplum istud produximus, sed ad probandum in Ecclesia publice corrupta præsertim ubi dominatio & oppressio grassatur, non modo posse, sed propter bonitatem Dei solere inveniri verum Populum Dei, qui non modo vulgo hominum, sed iis quoque qui Spiritum Dei habeant, ignotus sit. In ulteriori responsione redit iterum ad differentiam inter Ecclesiam & Synagogam, quod hæc cito desinere debuerit, illa vero æternum fuerit duratura. Verum hæc responsio adeo argumentum nostrum non refellit, ut ne refellere quidem tentet.

Denique cum non posset refellere illud, quod sibi ad probandam invisibilem Ecclesiam nomine nomine nostro oppofuerat argumentum; suis allatis rationibus probat Ecclesiam Christi non debuisse nec potuisse esse invisibilem. Quarum prima est, quod filius Dei dignitatem & ornamenta Ecclesiæ suæ exprimat per similitudinem Urbis in monte positæ, addens quod ejusmodi Civitas latere & occultari, hoc est, inconspicua esse nequeat *Math.* v. 24.

Resp. Quoties loquimur de Ecclesia Dei invisibili, non negamus esse in Orbe externam & visibilem Ecclesiam. Imo vero invisibilem absque visibili dari non posse censemus. Visibilis enim Ecclesia atrium est invisibilis, nec quisquam in Ecclesiam invisibilem ingredi potest, nisi per externam & visibilem. Nec enim satis est corde credere, sed & ore confiteri, & externa atque visibili ratione testari quemque necesse est, quod in Cœlestis Domini famulatum sese tradiderit, & in familiam ejus transierit. In hac igitur externa Ecclesia, quam & nos libenter agnoscimus, locus est alienæ ædificationi, perquam alii aliis, atque reliquis mortalium luce bonorum operum prælucere debent. Nihil igitur sententiæ nostræ propofita ratio, quemadmodum & subsequens, repugnat. Deinde, ne illud quidem asserimus homines ad invisibilem Ecclesiam pertinentes vere pios & aliis sanctimonia prælucentes, dum vivunt oculis subjectos non esse & invisibilis Ecclesiæ membra non constituere, quæ semper in externa Ecclesiâ repertæ sunt & reperiuntur, etiam cum maxime sunt sterilia virtutum seecula. Tales igitur homines vulgo exemplis suis Ecclesiam ornant & ædificant.

Atque hoc mutuæ ædificationis Officium Dominus toti Ecclesiæ imponit, quam certe ædificationem oculis hominum subjectam esse necesse est. Sed nos tamen cum Paulo Apostolo 1. *Cor.* IV. 5. de hominibus piis frequenter mutabilibus, multo magis de totis eorum Ecclesiis (præcipue cum eos raro multos, nunquam autem omnes simul, atque in uno Cætu cernere possimus) ante tempus judicare non audemus, neque possumus decernere, an ad illam veram Ecclesiam quam solus Deus novit, pertineant. Quamvis enim nullius eorum peccati conscii sumus, non idcirco illi protinus sunt justificati. Ad hæc perfectissimus quisque mortalium dum vivit, in lubrico gradu infirmitatis consistit & nisi diligenter sibi caveat, proximus est ruinæ. Idcirco judicium ac decisionem de vera Ecclesia Domino relinquimus, qui cum venerit illustrabit occulta tenebrarum, & revelabit consilia cordium, & tunc singulis laus à Deo erit. Quoniam vero homines non vitæ modo sanctimonia sed & sanæ doctrinæ veritate, (quæ sanctimoniæ mater est) aliis prælucere possunt, ne illud quidem postremo arbitremur, confessores puræ veritatis Dei & vere Apostolicæ doctrinæ, semper fuisse aut fore adeo obscuras aut latentes, quemadmodum septem illa hominum millia Eliæ temporibus fuere. Nam & ille antiquus Dei Populus, non semper erat æquè corruptus, ut illa tempestate. Imo vero certo credimus, sicuti tempore Apostolorum & aliquanto post, plena luce luxit Orbi, solis instar, veritas, ita reducem postliminio reversuram, & longo tempore omnes illustraturam. Sinet aliquando impetrari Deus, quod in præscripta nobis Orationis formula Christus peti jussit, ut Regnum ejus adveniat, & in terris quoque voluntati ejus æquè ac in Cælis mos geratur, præcipue cum in vincula conjici jubebit Satanam & abolebit Antichristum toto fere Orbe per famulos, aut imitatores suos tamdiu grassantem. Proinde ejusmodi temporibus felicibus & optatissimis perfectissima ratione officium hoc competit, ut oculis omnium in nos defixis, non modo pietatis exemplo, sed doctrina sana, & clara ejus confessione ac prædicatione præluceamus. Sed cum homines sanæ doctrinæ impatientes sunt & à veritate ad fabulas aures suas avertunt, & ad omne lumen Cæleste oculos connivent, imo claudunt, & in porcos evadunt, qui oblatas sibi margaritas lutulentis pedibus proterunt, & quod pejus est, offerentes eas crudeliter discerpunt; Illic est locus monito & doctrinæ Christi, ne demus sanctum canibus, ne projiciamus Margaritas ante porcos. Tunc mirandum non est quod lumen veritatis (quanquam ejus occulti confessores non desint) violenta mortalium malitia extrusum tenebris concedere, & tanquam solem Orbi ad tempus occumbere necesse sit, adeo ut per Satanæ & Antichristi potentiam afflicta Dei pupilla, sponsi Christi fuga sibi consulere & in deserti latebris occultari usque ad tempus à Deo præscriptum cogatur. Quod tamen respectu præteritorum ita intelligi par est, quanquam aliquomodo, decus & ornamentum Ecclesiæ Dei in oppressis ab Antichristo Sanctis, calcatum & profanatum fuisse videatur; diversa tamen ratione, non modo ipsam per se sanæ doctrinæ veritatem, sed etiam quæ ex ejus cognitione nascitur sanctimoniam in profundissimis quoque Antichristi tenebris clarissime luxisse. Quod ad veritatem & doctrinam secundum pietatem attinet, hæc per Sacræ Scripturæ fenestras, non quidem Cæcis Antichristi Vespertilionibus, quorum innumera examina paucitatem Columbarum Christi inumbrabant: sed iis qui oculos ad videndum habebant radios luminis sui liquido spargebat. Quanquam in tanta oppressionis servitute margaritas suas

distentis

distentis fagina Antichristi porcis minus ostentarent. Quod si quis eorum fætentis hujus haræ alumnis aliquid pretiosi obtulit, aut statim discerptus est, aut si ope Dei & sanctimoniæ opinione protectus est, miro artificio perversitas ministrorum Antichristi per corruptelas & falsationes verborum & scriptorum hominum virtute & doctrina celebrium infensos hostes ejus, pro suffragatoribus errorum ejus posteritati venditavit. Quod attinet ad Sanctimoniam; Quamvis veritatem, quæ est compendiosa ad virtutem & sanctitatem via, Antichristus opprimeret, non erat tamen adeò effrons, ut virtutem & sanctimoniam ipsam per se affligere sustineret, ita ut tametsi quispiam per veritatem seu perfectam (quales multos fuisse non dubito), sive interdum aliquo errore obtenebratam, ad vitæ sanctimoniam pervenit, cum propter tyrannidem non posset veritatis & sanæ doctrinæ professione, quod unum potuit, sola vitæ sanctimonia sese intuentibus præluxit. Ergo & in mediis Antichristi tenebris huic mandato Domini de ædificatione aliorum, à veris Christi fidelibus mos geri potuit & gestus est.

8. In altero suo adversus Ecclesiam invisibilem argumento non minus hallucinatur Auctor, quam in primo. In utroque enim cum vellet evincere Ecclesiam Christi non debuisse nec potuisse esse invisibilem; id tantum probat, necesse esse ut sit aliqua Ecclesia externa & conspicua, in qua ut aliorum ædificatio, virtutum Christianarum exemplis, ita processus & pœna adversus delinquentes institui possit. Quod probari non erat necesse, cum nos quoque fateamur & probe sciamus, ad illud in conspicuum veræ Ecclesiæ Sacrarium nullum patere aditum, nisi per Ecclesiam visibilem. Nec enim solo corde suo, sed & externa confessione, & ingressu in externam Ecclesiam, testari tenentur omnes se ad obsequia Domini sui accessisse. Ita ut ille invisibilis, ex solis electis constans, Cœtus, quamdiu in terris vivunt, partem aliquam illius externæ & visibilis Ecclesiæ constituat. Seorsim autem in altero argumento suo hunc errorem committit; quod potestatem ligandi & solvendi in processu adversus delinquentes, latius extendat, quam fuit mens Legislatoris nostri, ut apparet ex verbis ejus, quibus multis in locis utitur. Quasi vero Ecclesiæ semper obtemperandum sit, imperanti aliquid etiam repugnante conscientia nostra, faciendum: In quo oblitus esse assertionis suæ videtur, quo Ecclesiam particularem errare posse etiam in fundamentalibus confessus est. Nos autem ut oculis nostris usurpare universalem Ecclesiam, ita cum ea negotii aliquid habere non possumus: quod singulari competit, etiamsi sibi nescio quos titulos universalitatis vendicet, per repræsentationem totius Ecclesiæ. Cui repræsentationi præcipue tunc locus esse nequit, quando is qui repræsentationem prætendit, dissidet ab eo quem repræsentare conatur. quod in omnibus Oecumenicis (quæ vocant) Conciliis accidit, quæ idcirco universalitatis nomen non merentur, sed mere particularia sunt, quia nutu & potestate Imperatorum Romanorum, interdum & mulierum aut Eunuchorum Imperialium gubernabantur. Fatemur vero etiam particularibus ac singularibus Ecclesiis, datum à Domino tam ligandi per Excommunicationem patrantes scandala, quam solvendi vere pœnitentes potestatem. Sed hæc potestas non porrigitur ultra pœnas scandalorum & emendationem manifeste delinquentium. Nullo modo autem pertinet ad condenda nova Symbola, aut Fidei Articulos, ad introducendam in Templum Dei idololatriam, vanasque superstitiones, ad oppressionem Conscientiarum, ad alias innumeras rationes dominandi super hæreditatem Christi. Quæ omnia crimina non dicimus, quod totæ Occidentis aut Orientis Ecclesiæ, aut ipsa Catholica Ecclesia integra commiserit, sed superbissimi dominatores Sacerdotum & Ecclesiasticorum in supradictis Ecclesiis, nimia potestate grassantes, commisisse non veriti sunt.

CAPUT XI.

Errores examinantur, Nonus, Decimus, Undecimus, Duodecimus, Decimus tertius, Decimus quartus, Decimus quintus, Decimus Sextus.

NOnus error est, quod frustra probare contendat duos aut tres Ecclesiam Dei vocari non posse, qua de re nihil est quod cum ipso litigemus. Nam ad tam exiguum numerum, verum & in tot tantisque corruptis Ecclesiis incorruptum Populum Dei, non restringimus, etiamsi singula seorsim secula expendamus. Sed ita argumentamur. Si Deus olim totum Orbem puniendo, Octo duntaxat homines reperit dignos qui servarentur. Si de quinque Regnis sumendo supplicium, Lothum duntaxat cum filiabus ex dignum censuit quem pœnæ eximeret; ecquid mirandum est Christum, dum Ecclesiam suam visibilem censet ac judicat, longe minorem & vix alteri comparabilem partem ejus pro vero populo suo agnoscere ac servare? Numerum istorum electorum scire aut computare non est nostrum, quia sunt invisibiles. Quod autem Dominus pluris æstimet duos aut tres sanctos & incorruptos, quam totum Orbem corruptum & vitiosum, exempla proxime memorata ostendunt. Nec tamen inde sequitur, in omnibus corruptis Ecclesiis non nisi duos tantum aut tres singulis seculis veros & incorruptos Dei cultores repertos esse. Non deerant Domino ejusmodi electorum longe plures, quam nosse aut opinari possimus.

Decimus error Auctoris est dum ait, *Ecclesia Dei una est ab Apostolis usque ad hodiernum diem non interrupta serie perseverans. Nec potest esse nisi una Catholica & Universalis, aliæ vero particulares ab ea dependentes. nam amputatæ, vivere desierunt.*

Resp. Unam esse veram Ecclesiam Dei ab Apostolis ad nos non interrupta serie propagatam, nimirum externam illam & visibilem, quæ ratione invisibilis, quam continet, & comparatione reliquarum Synagogarum, vera dici potest, una cum Auctore confitemur. Sed aliquam visibilem, cum qua nobis aliquid negotii intercedere possit, Ecclesiam ex qua aliæ particulares dependere debeant, dari; id vero est quod negamus. Romana id sibi tribuit & arrogat, verum ideo ab Auctore & merito quidem Antichristiana censetur. Inter alias vero reliquas, cur hanc Ecclesiam nominare puduit, à qua reliquæ dependere debeant. Quamobrem vero Ecclesia super Ecclesiam potestatem sibi vendicare audeat, præsertim universalem, ut ab una omnes dependere teneantur? Ostendat Auctor locum & speciales circumstantias supremæ istius Ecclesiæ, quam Catholicam vocat, ubinam gentium quærenda est? Num Constantinopoli, an Alexandriæ, aut Antiochiæ; an in omnibus istis simul collectis Ecclesiis? Producat Privilegium quod supra cæteras Orientalis Ecclesia obtinuit. Ostendat saltem usum & possessionem, an unquam Occidentalis Ecclesia ab ea pependerit. Probat eas Ecclesias esse solas vera membra Catholicæ Ecclesiæ, quæ ab Orientali dependent, reliquas vero ab ea avulsas, aut quibuscum vinculum intercedens abrupit, esse damnatas. Fabulæ

istæ

istæ sunt, quibus frustra prurientes mortalium aures titillantur. Non minus Orientalis est particularis Ecclesia, quam quæ regnat in Occidente, nec minus Meridiana Æthiopica, quam Septentrionalis Germaniæ aut Brittanniæ. Non habet ulla earum super alias potestatem aut prærogativam. Sola & una primæva Apostolica Ecclesia (quam non nisi per Sacræ Scripturæ perspicilla intueri possumus) hanc præcellentiam obtinet, ut omnes ab ea dependere teneantur, tanquam ab universali Magistra Doctrinæ Christianæ. Cæteræ omnes sibi pares sunt. Omnes respectu universalis Catholicæ ex illis collectæ, particulares. Ideoque ipsius Auctoris sententia ab errandi periculo exemptæ non sunt.

Undecimus error est, dum ait, Quicunque non est membrum corporis Catholicæ, hoc est (ut ipse autor intelligit) Orientalis Ecclesiæ Dei, salvus esse nequit. Rationes affert, primo, quia talem Dominus censeri jubet pro Ethnico & Publicano. Resp. Quasi vero & ipsam hanc Ecclesiam una cum aliis ejus similibus, respectu majoris partis Cætus ipsius, præcipue vero ad omnem impietatem projectis ejus Præpositis, Spiritus Dei non jubeat censeri pro Ethnica & Publicana. Quid enim aliud est hæc Ecclesia respectu longe majoris partis sibi adhærentium, Ethnico imo pejus quam Ethnico more viventium, nisi atrium illud Templi Dei, quod in Apocalypsi metiri prohibitus, imo ejicere jussus est Angelus; addita ratione relictum esse pro Ethnicis, hoc est, hominibus Ethnico more viventibus (*Apoc.* XI. 2.) qui calcare debebant Civitatem Sanctam per spatium temporis à Deo præfixum: & calcabant hucusque, & ista proculcatione gloriari audent, tanquam ducto ex tot oppressis violenter Sectis triumpho. Quorum assectis non Apostolico more persuasis, sed per vim oppressis, eos hæreticos fuisse, calumniati sunt, & falsissimorum criminum insimularunt. Calcabant sine dubio & eorum multos qui inter illos pie vixerunt, nec vitiis eorum astipulati sunt. Raro enim mali bonos in societate tolerant.

Secunda Ratio auctoris est, quod qui se ab aliis separant *Ecclesiam Dei diserpunt, vastant & supplicio digni sunt. Resp.* Nempe longe majori supplicio digni sunt, qui propter diversitatem Sententiarum alios temere anathemate feriunt, & conscientias mortalium opprimunt, ferro & igne Ecclesiam tanquam hostilem ditionem vastant. Tales potius Deus æterno supplicio puniet. Tertia Ratio est, quod ii qui ab Orientali Ecclesia excommunicantur, Unitatem & mutuam Charitatem abrumpunt. Respon: Quasi non magis utramque abrumperent qui insontes excommunicant, & ferro & igne violant.

Duodecimus error est, quod falsa & longe à ratione abhorrentia de nobis opinatur, imo vero & propria opinione falsius nos traduxit quasi nos affirmemus. Ab Hussi primum dein Lutheri & Calvini aut Socini ævo Ecclesiam Dei revixisse, & tanquam ex mari ortam esse. Scimus fuisse & vixisse Ecclesiam Dei veram, in medio pravi populi & iniquæ dominationis servitute, cura & providentia Domini protectam. Imo vero ausim asserere ex hominibus pietati deditis plures fuisse, qui simplex Apostolicum Symbolum crediderunt, quam eos qui ad sero post illud inventa eaque difficilia & incomprehensibilia Symbola animum adjicerent. Sacra etiam Scriptura, quanquam subinde è manibus hominum excuteretur, propter autoritatem suam, quam Deus convelli non passus est, magnam vim habuit instillandæ omnibus sanctimoniæ; sed per supradicta organa Dei labascere cæpit, ac ruere Servitus Babylonis, qui nulla Fidei principia subvertebant, nemo eorum Symbola & Scripta Apostolica subruebat. Catecheses non propter recens conficta Dogmata, sed propter breve veterum compendium conficiuntur; in usum quod vox ipsa designat Catechumenorum, hoc est, qui rudimenta Religionis discunt, quales sunt pueri, aut qui recens Domino Fidei & obsequii dextras dedere. Locus *Heb.* V. 12. qui huc inepte & ridicule detortus est, non ad discere incipientes, sed ad maturos pertinet. Quibus tamen & ipsis hæc doctrinæ Christi compendia non inutilia sunt.

Decimus tertius Auctoris error est in male intellecto & parum apte citato loco *Eph.* III. 10. *Angeli* inquit *& Archangeli quod ignorabant, per Ecclesiam Christi didicerunt de multiplici Sapientia Dei. Homines vero mortales corrupto ac tenui judicio calcitrando adversus Ecclesiam & Catholicam concordiam, non permittunt se doceri ab Ecclesia, sed illam secundum cerebri sui regulam reformare nituntur.* & addit. *Non dicit Spiritus Sanctus per Scripturam N. Fœdere nota facta est Sapientia Dei, sed per Ecclesiam. Præterea, non unum arcanum, sed multiplex Sapientia Dei.*

Resp. Velim ab Auctore doceri, quis nam Doctorum Ecclesiæ aut quis Cætus Fidelium (loquendo proprie) erudivit Angelos in cognitionem Arcanorum Dei; quando & ubi Angeli hominibus Magistris usi sunt. Nam si ut ipsa quoque verba sonant & ratio dictat, verba Apostoli explicentur quod per Ecclesiam, hoc est, per ea quæ Deus in Ecclesia sua (sæpe vero ipsorum Angelorum ministerio) egit nota facta & revelata ipsis est multi formis sapientia Dei, hoc est, ipsi eam perceperunt, nullis aliis usi Magistris, quis non videt ex eorum exemplo nullam consecutionem necti posse, ad id ut nos erudiendos Ecclesiæ præbere semper teneamur, præcipuè quoties ipsa variis erroribus decepta deprehenditur. Nonne dici potest per Pharaonem, hoc est, per ea quæ Deus cum Pharaone egit, nota facta est hominibus & ipsis Angelis magna potentia, Sapientia, Justicia Dei. Num idcirco tunc homines Pharaonis institutioni tradendi erant? Aut igitur Auctor locum prave intelligit & explicat, aut quod probandum suscepit male demonstrat. Illud miror cum Auctor Sacram Scripturam Ecclesiæ opposuisset, in ea quam ab utraque accipere possumus doctrina; ilico audacter dissidentibus Ecclesia objiciat, quod eam ex animi sui libitu reformare contendant. Sed veritas dum maxime premitur & in imum fundum demergitur; sursum ultrò emergit. Ipsa enim verba Auctoris ostendunt quod illi non ex sui Capitis, sed ex Sacræ Scripturæ Auctoritate Ecclesiam reformare conentur, quoniam is Sacram Scripturam tantopere infrà Ecclesiæ Apostolos subsecutæ autoritatem, deprimere contendit.

Decimus quartus error Auctoris est, quod citando adversus nos verba *Math.* XXIV. 26. Si dicatur vobis ecce Christus in deserto, ne exieritis, ecce in loco clauso, ne credite, non sentit se sua vineta cædere. Nos enim neque in deserto, nec in ulla Apotheca aut Claustro ostendimus Christum præsertim substantialiter & corporeo modo existentem, neque adorationem, honorem, gloriam soli Deo servientem ulli rei, quæ cura & conservatione hominum indiget, tribuimus, aut tribui patimur.

Decimus quintus Auctoris error est in eo, quod aliquos hominum Cætus condemnet ut Samosatenianorum, Eustatianorum, Photinianorum, Eutychianorum &c. Qui Cætus quales revera fuerint, neque certo scit, neque scire potest, cum de illis alia ad eum notitia pervenire non potuerit, nisi à capitalibus eorum & virulentis inimicis profecta. Quorum cum falsationes, fraudes, mendacia palam in lucem prodire incipiant, fidem nullam merentur nec habent. Imo vero ex eo ipso quod ejusmodi homines de illis tam infensum testimonium perhibent merito conjicimus, aliquid boni in illis fuisse, quod tanta odia

assectarum

assclarum Antichristi provocaverit. Sed illos oppressos ait & ab omnibus Sectis damnatos. Rogabo hominem numquid eodem modo Apostoli non fuerint oppressi? Ita esse respondebit. Sed tamen doctrinam eorum tandem vicisse, quamvis ipsi Mundo periisse visi sint. Respondebimus vicissim, quod eorum quoque doctrina si Apostolicæ doctrinæ fuit congrua non periit neque peribit, sed de erroribus triumphabit, qui nunc auctoritate carnali & potentia subnixi vigent virentque non aliter atque gramen & gloria eorum sicuti flos graminis. Arescent & obsolescent brevi ista gramina & flores eorum decident; *verbum autem Domini manet in æternum.*

Decimus Sextus error est, quod reliquas omnes præter Orientalem Ecclesias oppugnando ait, *Quo argumento hodiernæ aliæ Sectæ ostendunt, sese fuisse lucem Mundi per omnia elapsa Secula, & Civitatem in edito loco ab Apostolis extructam?* Quibus verbis satis innuit Orientalem Ecclesiam non carere ejus rei argumento, quod fuerit Lux Mundi: Argumentum istud quoniam ex loco *Math.* v. 18. desumptum est non aliud esse potest, quam vitæ sanctimonia per bona opera omnibus mortalibus in hac Ecclesia lucens. Videamus nunc an hoc argumento uti possit Orientalis Ecclesia, quando de ea sub finem hujus scripti sic Auctor loquitur: *Ecclesia Dei plena est malitiæ ac vitæ dissolutæ. Baptismum habemus à Christo, & doctrinam Evangelii, & Sacramenta & Doctores Sacræ Scripturæ & Sacerdotes, & tamen quo discrimine in moribus nostris ab Ethnicis discernimur? Imo vero quod maxime dolendum est, non paucis virtutibus superamur ab Ethnicis, qui cum illis consistent adversus nos in tremendo Judicio Christi. Caritatis illius perfectæ inter nos ne vestigium quidem extat. Unus quisque avaritiam consectatur, Carnalium voluptatum libido quotidiana consuetudine vulgata est. Exulat Justitia, & nemo est qui iram Dei revereatur, Premit potentior inferiorem. Ora omnium mendacio imbuta. Quodque maxime deplorandum est* (ne quis eum de præsenti duntaxat tempore loqui existimet) *Ab antiquis Seculis hæc vitæ dissolutio regnat in Ecclesia &c.* Et mox iterum, *Quis nunc est usus præcepti illius Apostolici* Denuntio vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut separetis vos ab omni fratre inordinate ambulante, *multo igitur magis impie vivente.* Et iterum ait idem Apostolus. Nunc autem scripsi vobis ne communicetis si quis cum vocetur frater parum Christiane vivat &c. *Tot sunt vitiosi Christiani supradictis omnibus peccatis corrupti, ut omnes pene Anathemate & excommunicatione digni sint. Atque hoc est fundamentum Monasticorum Ordinum, & Regularum, & Sanctorum Eremitarum, quod illi cum viderent tantam corruptionem Christianorum atque impœnitentium multitudinem, ut Apostolico monito mandatoque satisfacerent, ne cum ipsis cibum caperent, separaverunt se ab aliis, atque alii Eremum, alii Monasteria petierunt.* En habemus ab ipso Auctore graphice depictam Lucem Mundi in Ecclesia Orientali non modo domesticis Fidei, sed externis quoque; neque hodiernis duntaxat temporibus, sed ab antiquis Seculis lucentem. Cum igitur esset conscius horum & agnosceret tam densas in ea mortuorum operum tenebras atque caligineni, modestior ac circumspectior esse debuit in objicienda & exprobranda aliis Sectis atque Ecclesiis vitæ dissolutione. Præterea, satis eum à conscientia sua vapulare necesse est, quod tam graviter in eligenda Ecclesia erraverit.

CAPUT XII.

Error Auctoris Decimus Septimus, Decimus Octavus, Decimus Nonus, Vigesimus, Vigesimus primus.

17. SUccedit multorum errorum manipulus, in Responsione ad Objectionem, quam sibi nomine nostro opponit his verbis. *Sed dicet aliquis Deum neque olim ulli genti ullis promissis obligatum fuisse, neque sub Evangelio toti Mundo esse obstrictum. Ut si qua Gens Fœdus Dei violet Deus tamen ipsi sua promissa præstare tenetur, ad ostendendam stabilem suæ veritatis constantiam. Math.* XXI. 43. ait Filius Dei, qua propter dico vobis Auferetur à vobis Regnum Dei & dabitur genti facienti fructus ejus. quod infra quoque Dominus proverbio illustrat. Nuptiæ sunt paratæ, sed invitati non erant digni. Quamobrem ite ad viarum divortia &c. *Math.* XXII. Et Joh: Baptista dicit, facite fructus dignos pœnitentiæ; nec incipiatis dicere Patrem habemus Abrahamum. Dico enim vobis, Posse Deum ex istis lapidibus excitare progeniem Abrahami. Voluit Deus in deserto excindere totum Populum Israelis, & ex uno Mose educere alium Populum. Ita uti ante totum Orbem diluvio obruit, quem mox per progeniem Noë reparavit & replevit. Hinc ait nos ejusmodi conclusionem deducere: Quoniam tam Occidentalis quam Orientalis Ecclesia universa externa & visibilis corrupta & collapsa est in fundamentis Fidei Doctrinæ & Morum, *Deum utramque rejecisse, & in Paucis Novæ Arcæ Hominibus ad nostra tempora conservasse veritatem, & exuno Mose eduxisse Populum Ecclesiæ suæ.* Antequam ad excutiendam *Responsionem* ejus accedamus, monendus est Lector argumenti hujus nostri conclusionem mala fide ab Auctore recitari. Nam ut supra ostendimus, non id nos in Conclusione asserimus, quod Ecclesiæ Orientis & Occidentis erraverint in fundamentis fidei & doctrinæ, id est, in rebus plane ad salutem necessariis, sed quod erraverint in rebus maximi momenti, & ad Salutem admodum utilibus, quæ suo quoque modo fundamentalia dici possunt. Neque concludimus quod Deus in aliquot duntaxat Novæ Arcæ hominibus veritatem conservavit ad nostra tempora, sed quod in Ecclesiis visibilibus reliquit ac sepositi sibi quamvis longe minorem quam cæterorum, bonam tamen partem hominum, quos non rejecit & qui fuerunt vera Christi Ecclesia, quamvis inter eos essent nonnulli in illis tenebris aliquo errore decepti, quemadmodum sibi sepositerat tempore Eliæ septem Millia hominum. Præterea non id concludimus quod Deus rejectis plane totis supradictis Ecclesiis, ex novo Mose novum sibi Ecclesiæ suæ Populum suscitavit. Nam si olim Populo illi Israelis pepercit: multo minus nunc erga Populum Christi ea severitate usus est. Præterea inter carnalem ex Mose Gentis eductionem, & spiritualem per Semen verbi Dei Ecclesiæ alicujus suscitationem aut regenerationem multum est discriminis. Non autem priori sed posteriori generationi locus est in Conclusione nostra, sed potius Conclusionem nostram sic proponimus. Quod Deus Ecclesiarum Christi misertus, non ex alia quapiam Gente, sed ex iis ipsis excitat sibi Populum regeneratum, dum illam efficaciam erroris Antichristi (ἐνεργείαν πλάνης) quam Ecclesiis istis propter earum peccata immiserat, per varia earundem Ecclesiarum membra removere incepit, ut in illis omnes resipiscant, nec removere definet donec resipuerint. Nunc videamus qua ratione huic argumento

Auctor respondeat. Primum ait, varia esse Dei promissa, quædam conditionalia, alia sine conditione, Categoricè enunciata. Quod vero Ecclesia Dei duratura sit ad consumationem Seculi promissionem esse sine conditione & Categoricam *Math.* xxviii. 20. Resp. Non placet litigare cum Auctore quærendo utrum Ecclesia Dei durare debeat usque ad consumationem Seculi. Credo enim firmiter duraturam esse interventu curæ & providentiæ Christi. Sed tamen non probat auctor promissionem *Math.* xxviii. factam fuisse sine omni conditione. Imo verba textus contrarium suadent. Palam enim isthic imponit Apostolis Dominus quoddam officium, & mandat ministerium in prædicando Evangelio, parte altera vicissim opem de Cælo & præsentiam suam pollicetur. Fidelis est Dominus in promissis, sed nisi illi officio sibi impositio defuncti essent (quod cum haberent liberum arbitrium non erat absolute impossibile) & si in vitia & impietatem degenerassent, aut adamato præsenti Seculo functionem suam abjecissent, sicuti Demas, promissionis hujus compotes sine dubio non fuissent. Dominus autem suæ & Patris sui gloriæ aliter prospexisset. Sed de promissionibus Curæ & Providentiæ Dei erga homines, quod non possint esse nisi conditionatæ quamdiu nimirum homines Deum non deserunt, egimus supra, quo lectorem remittimus.

Deinde ait: *Promissorum alia veteri Israëlis, aliæ & diversi generis novo Christi Populo esse oblata. Illa momentanea, conditionata, in quibus Deus Dominus absolutus punichat & miserabatur pro arbitrio suo: hæc vero æternitatem spirantia, sempiterna, quæ Dominus omnino ac necessario præstat, nec ea mutare, hoc est, à præstandis abstinere potest.*

Resp. Quasi vero post facta novi fœderis promissa Deus arbitrii sui compos & liberrimum agens, atque absolutus omnium Dominus esse desierit, aut potentiam suam ita limitaverit, ut ipsi ab ingratis gratiam & beneficia sua tollere, aut punire homines misericordia indignos non liceat. Assertio hæc quantum & Sacræ Scripturæ repugnet & Religioni noceat, supra ostendimus. Quantum vera ad jugulum causæ attinet. An promissio Novi Fœderis Ethnicis facta, secundum quam in locum illius rejecti Populi Dei inseri debuerunt in Oleam Populi Dei, conditionalis non fuit? Quisquis novus surculus arboris hujus evadere & æternam Dei gratiam obtinere voluit, duæ conditiones ipsi erant præstandæ. Prima ut reciperet vocem Evangelii & vitam secundum eam instituendam proponeret. Quam conditionem quia multi non implevere, excisi aut non insiti sunt. Altera ut in hac excellentia & gratia vocationis suæ, usque ad finem perseveraret. Quod itidem quia non omnes præstitere, ideo sunt excisi. Videmus quid de eo differat Apostolus *Rom.* xi. 22. sermone ad conversas Gentes directo. *Cerne*, inquit, *bonitatem hinc, inde severitatem Dei. Adversus eos qui lapsi sunt. Severitatem: Erga te benignitatem, si remanseris in benignitate. Alias tu quoque amputaberis. Illi autem* (hoc est Judæi) *si non perstiterint in incredulitate iterum inserentur.* Ex his verbis manibus palpare possumus, quod hic Deus duas conditiones à nobis exigit, si velimus potiri promissionibus ejus. Altera est (sicuti diximus) ut gratiam ejus grato animo & fide erga eum viva, & per caritatem efficace acceptemus. Altera ut in hac fide & sanctimonia usque ad mortem perseveremus. Progrediendo ulterius, inter promissa Novi Fœderis (ut ab Auctore vocantur) æterna, hoc est, absque conditione data, videmus illum collocare, quod Ecclesia Christi duratura sit ad consumationem Seculi & ejus adventum. Nos hanc sententiam quod duratura sit in dubium non vocamus. Sed in Argumentis Auctoris tamen pravam Consequentiam ostendimus. Etenim inde quod aliquis ad Corpus Domini & Sponsam ejus pertineat, non sequitur eum excellentiæ suæ gradu, dum vivit in terris excidere non posse. Idem de totis Ecclesiis sentiendum est. Nam hoc vinculum conjunctionis cum Christo nondum est perfectum, donec in eo mortales ad mortem perseverent, & fiant Spiritus perfecti. *Heb.* xii. 23. ut superius demonstravimus. Non igitur propter nudam conjunctionem cum Christo, tantisper dum vivimus nondum perfectam, duratura est Ecclesia ad consummationem Seculi, sed propter peculiarem curam, providentiam & voluntatem Servatoris, qui pro inperveſtigabili Sapientia sua, & nunquam satis laudata bonitate (quibus in attributis est viva Patris sui imago) novit inire rationem, ut quamvis omnes fideles ejus libero præditi arbitrio & inclinatione ad peccandum lethaliter corruere, & Statu ac felicitate sua excidere possint, ita ut forte Ecclesia quoque ejus invisibilis extingui queat: Tamen ob singularem gratiam, providentiam, opem ejus, non omnes excidunt ac pereunt. Cujus gratiæ Domini interventu; quidam qui pro debilitate virium suarum in negotio Salutis suæ contendunt quantum possunt, præcustodiuntur ne cadant, alii negligentiores quanquam ruinæ vicini, per misericordiam sublevantur; Alii denique licet indigni misericordia (quoties id Ecclesiæ necessitas exigit) saltem tamdiu sublevantur, ne cadere possint, donec in locum ipsorum, aut pares ipsis (in eo statu consideratis antequam veniam & misericordiam decoxissent) aut etiam meliores, antequam isti cadant, succrescant & succedant. Quod non modo de membris externæ & visibilis, sed multo magis vera & invisibilis Ecclesiæ (cujus Cura Christi potior est) dum in Terris vivunt, intelligi debet. Nam ex invisibili Ecclesia unusquisque tanto facilius (tantisper dum in terris militat) excidere potest: quanto difficilior fuit ad eam aditus, difficilior quoque in ea (quamdiu in hoc ævo vivitur) perseverantia. Sed Dominus quemadmodum novit qui sunt ejus, & in quibus Patri Cælesti non deest ansa per quam ipsos ad se trahat, omnem movet lapidem, salvo justitiæ & sapientiæ suæ moderamine, ne quid perdat, ex eo quod ipsi Pater dedit. Hæc est vera causa cur Ecclesia ejus tam visibilis, quam invisibilis duratura sit usque ad consumationem Seculi.

Ulterius progrediendo, affert duas promissiones Domini Ecclesiæ factas, sed eas Categoricas esse ut loquitur seu sine omni conditione probare non potest. Prima est. In hac Petra ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus illam *Math.* xvi. hoc est, ut explicat, ipse non desinet & durabit ad finem Seculi. Respon. Portæ inferi hoc loco significare nequeunt simplicem & naturalem mortem, quam æterna mors non necessario sequitur. Videmus enim ejusmodi mortis & sepulchri portas vincere singulos ex fidelibus, & sensim totas Ecclesias Visibiles & invisibiles superare, donec ad supremum diem ventum fuerit: ita ut omnes per tot Secula per ejusmodi portas exierint & exeant ex hoc mundo. Ergo vox Portarum mortem æternam, & eum qui habet potestatem mortis hujus significare necesse est. Qui in Portis ejus (quemadmodum olim in Portis Urbium suarum antiqui Magistratus) vim & imperium suum exercet; & valvas earum latè aperuit, ad quas miseros mortalium greges agit. Et vox superandi magis proprie competit Portarum Inferni Domino, qui in vincenda Ecclesia & Capite ejus laborat, quam morti naturali (quæ absque peccato & Patre peccati Satana vim nullam habet) imo & ipsis portis. Jam vero à magis proprio & convenienti sensu ad minus eo venientem recedere nulla cogit necessitas. Præterea

terea quia mox quasi per Antithesin Regni Dei, hoc est, promissæ hominibus vitæ æternæ mentio sit. Quod Regno Satanæ potius & æternæ morti, quam simplici & naturali morti opponitur. Nam mors naturalis, ut proxime innuimus, & singulos fideles, & integras ex iis collectas Ecclesias haurire potest, quamvis Regno Cælesti non excidant. Ita ut sensus verborum Domini non alius esse possit quam hic: Super te Petre, & super eos, quorum nomine respondes (nam is hanc Confessionem, quam Dominus tanta mercede remuneratus est, quemadmodum non solus interrogatus erat, ita non suo solius, Sed omnium Apostolorum nomine edidit & confessus est. Et alibi quoque eadem promissio una cum Petro, reliquis etiam Apostolis est facta) ædificabo Ecclesiam meam, quam vis & potentia Satanæ non superabit, nec ad æternæ mortis Statum dejiciet. Imo hæc Ecclesia Regnum Cæleste & æternam Salutem assequetur, ad quam assequendam ego tibi, & his, quorum nomine Confessionem hanc edidisti (id ipsum enim Spiritus Sanctus aliis in locis supplet) dabo Claves Scientiæ & cognitionis voluntatis Dei, quibus ad eam per prædicationem Evangelii omnibus Gentibus aditum aperiatis. Ut rem in compendium conferam. Primum Dominus hoc loco Ecclesiæ suæ non ab aliquo fortuito temporario casu, sed ab æterno interitu liberationem pollicetur. Deinde quia hæc liberatio hoc est, æterna salus sub conditione Sanctimoniæ mortalibus promissa est, liquido patet promissionem hoc loco factam non posse esse nisi conditionalem. Denique promissio hæc reipsa non toti, externæ (de qua Auctor locum hunc explicat) sed veræ & invisibili Ecclesiæ facta est. Nam istos Portæ Inferorum superabunt, qui cum sint in Ecclesia Dei, tamen in æternum perituri sunt. Alterum Dei promissum iterum adducit ex loco *Matth.* XXVIII. 20. Quæ, ut supra ostensum est, non fuit absque expresse Apostolis imposita conditione. Nam Dominus ante quam promitteret, imponit Apostolis Officium prædicandi Evangelii. Cui conditioni nisi satis feeissent; promissionis hujus fructu certo excidissent. Quanquam igitur nos in principali quæstione, quam Auctor demonstrare nititur, ipsi assentimur, tamen illam vitiose probari & in probando plures errores commissos esse ostendimus.

18. Magnus & multiplex Auctoris error inde patefit, quando rogat, ubinam Terrarum ostendi potest alia Ecclesia Christi (puta præter Orientalem) cum qua Christus, & quæ cum Christo fuerit, per tot Secula ab ingressu in Cælum Christi, hucusque? Primum enim nec ostendit, nec ostendere potest Ecclesiam istam (si à potiori & majori parte sui & ratione Præpositorum suorum consideretur) cum Christo fuisse, eique vere adhæsisse, quoniam tot vitiis corrupta fuit & est, ut ipse auctor fatetur; Cujus verba supra in sedecimo errore ejus recitavimus. Deinde quia planum fecimus veram Christi Ecclesia esse invisibilem, quæ semper adhæret Domino suo, & in Domino habitat, non secus atque Dominus in ea: Vanum & superfluum hoc est postulatum, poscere ut ostendatur id, quid oculis hominum ostendi nequit. Denique postulatum aut sententia ista repugnat verbis ipsius Auctoris, quæ paulo ante hoc postulatum, vi veritatis adactus, verissime protulit, quæ sic sonant. *Fateri omnes necesse est, Deum nulli Genti aut Gentibus sese obstrinxisse, ut apud illos soles haberet Ecclesiam suam, atque depositum promissionum suarum collocaret in æternum.* Si nulli Genti aut Gentibus Deus sese obligavit: multo minus loco aut locis. Quamobrem igitur Auctor hujus Ecclesiæ Dei, de qua loquimur, locum sibi ostendi postulat? Deinde si Deus non est obstrictus genti uni aut pluribus, Certe neque Græcis aut Minoris Asiæ Populis, neque Syris, aut Ægyptiis, neque supradictis omnibus simul samptis, Quibus in Gentibus Sedes est Ecclesiæ Orientalis.

19. Sine causa Auctor stomachatur adversus Ecclesias à Romana diversas, quod Orientali Ecclesiæ errores & corruptionem objiciant, causatus id fieri non posse absque Christi Domini contumelia, Capitis ejus & sponsi. Quantum ad errores, hi per se (nisi sint nimium crassi, hoc est, nisi illis malitia admixta fuerit) nullum fidelium à Christo avellere possunt, multo minus objectio aut accusatio illorum. Præcipue si sit vera, quæ admonitione alios emendare studet; Caput cujusque Ecclesiæ Christum, non potest offendere, Sed morum corruptio & sanctimoniæ defectus, etiamsi nullus error admixtus sit, efficit ut Christus cum hominibus ac totis Ecclesiis vitiosis divortium faciat. Cur igitur eum afficiant de decora & flagitia exprobrata istis, quos ipse rejicit, & eos pro suis non agnoscit? Quid criminosius aut acrius esse potuit accusatione, quâ ipse Auctor supra Ecclesiam suam Orientalem non pupugit, sed confodit part. 16. Quod si id, & quidem merito, Auctori licuit, quare idem Ecclesiis à Romana diversis non liceat?

20. Quod artes Satanæ & Portæ Inferi superare nequeant homines, qui Spiritu Sancto ducuntur, quamdiu eo ducuntur, inde concludi nequit eosdem interdum, imo vero sæpè superari non posse, quando eos Spiritus Sanctus deserit. Quod accidit cum tam nobilem hospitem contristare non desinunt *Ephes.* IV. 30., quando eum contumelia afficiunt *Heb.* X. 29. quando veritatem abnegant *Hebr.* VI. 4.

21. Error est Verbis Domini, & Experientiæ repugnans, Salem Terræ, qui fideles designat, corrumpi & infatuari non posse, quando mores eorum corrumpuntur.

CAPUT XIII.

Vigesimus secundus, Vigesimus tertius, Errores refelluntur.

22. AFficit nos insigni injuria Auctor, aut ipse insigniter errat oblitus Sententiæ nostræ, dum nos inique traducit, quasi sentiamus Regnum Christi fuisse in suspenso, antequam Ecclesia Dei, à Centum circiter quinquaginta Annis in Luthero, Calvino, Socino revivisere cæpit. Fuit ac duravit Christi Regnum semper, non in suspenso; Sed in summa praxi & gubernatione tunc quoque, cum profundissima caligo & servitus Antichristi vigeret. Non otiata est tunc Sapientia & Justitia Christi, cum & iis, qui veritatem ejus parum dilexerunt, mitteret efficaciam erroris, ut crederent mendacio, & eos tamen quos sibi fideles expertus est, ab hac tentatione eriperet. Ideoque non passus est unquam invisibilem suam Ecclesiam desinere & extingui. Natura Religionis ejus sita est in Spirituali certamine. Cæterum Spirituale bellum, hoc discrimine à bello carnali differt, quod in terris miles maxima ex parte non ipsius Ducis immediatæ gubernationi subest (qui in copiis numerosis huic functioni non sufficeret) Sed Præfectis & Officialibus suis parere tenetur: & raro singillatim, sæpius vero conjunctim una cum Commilitonibus pugnat adversus hostem; & ordinariis Exercitus excubiis tuto protectus, periculi securus est. In Spirituali vero certamine singuli militum non per propiores gradui suo Officiales, sed ipsi per se immediate & separatim ab aliis Supremo Duci suo, & Spiritui ac voluntati ejus

obsequuntur, & longe sæpius seperatim, quam conjunctim cum aliis adversus hostem pugnant, ut & ipsi seorsim ab aliis, non committendo alienæ curæ suæ custodiam, salutis suæ excubias agunt. Cum igitur placuisset Domino, Præpositos & majorem partem Ecclesiæ suæ, peccatis ipsorum id poscentibus, hoc supplicio plectere, quod indigni judicati sunt, per quos publice aliquid boni in Ecclesia sua ageret, habuit hic Imperator perpetuas occasiones, ut ipse privatim & singillatim unumquemque ex iis, quos dignos cura sua judicavit, divina sua custodia, protectione, & ope sustentaret. Quod longe majus & difficilius est, & divinæ potentiæ ac Sapientiæ ejus magis adæquatum regimen, quam cum Ecclesiæ suæ florentior status esset, tunc cum non modo immediata ejus per Spiritum Sanctum gubernatione, sed etiam per mediatum, fidele, ac perfectum Apostolorum & Apostolicorum virorum ministerium administraretur. Quoniam vero rogat nos Auctor, Ex qua Scriptura aut ratione, quibus ex traditionibus, ex quo Spiritu sententiam hanc hausserimus, ad omnia ipsa sigillatim respondendum est.

Rogat ex qua Scriptura. Resp: Hausimus id primum in genere ex Scriptis Apostolorum, Evangelistarum; Prophetarum N. Fœderis. Quæ nescio an aliquam aliam doctrinam, aut Prophetiam, aut Præceptum sive frequentius, sive enixius nobis in memoriam revocant & inculcant, quam istud monitum, *Quod Ecclesia Dei post Apostolica tempora debuit corrumpi.* Quæ Corruptio quod cito post obitum Pauli Apostoli subsequi debuerit; ipse *Act.* xx. 30. monet: & quod invalescere cæperit tempore Joannis, Apostolorum penè omnium superstitis, ipse Joannes testatur 1. *Joh.* ii. 18. Imo tempore ipsius Pauli (ut apparet ex omnibus ejus Epistolis) in omnibus pene quas compellavit, Ecclesiis reperiebantur, quos jam tum patuit esse Antichristi anteambulones.

Secundo, In specie hausimus hoc monitum ex *Cap.* ii. *Epistolæ* 2. *ad Thessalon:* ubi duo expresse descripta habemus, 1. quod Capitalis & publica in Ecclesia Dei Apostasia, & à veritate Apostolica ad errores Antichristi esset ventura defectio. 2. Istius Apostasiæ initia jam cæpisse tempore Apostolorum, præcipue Pauli, quæ sensim per lenta incrementorum intervalla adolescere debuerunt, donec palam & publicè revelaretur ipse Antichristus. Primum quod attinet, id expressum est. 2. *Thess.* ii. 3. per vocem ἀποστασίας, rebellionis ac defectionis à Doctrina Apostolorum. Quæ vox non potest significare modicam aliquam dissensionem ab aliis, aut privatorum hominum ab Ecclesia abscessum; sed publicam, & insignem seditionem & corruptionem Ecclesiæ. Sed multo magis per id, quod hæc Apostasia, & doctrinæ Apostolicæ corruptio fieri debebat per Antichristum, ita descriptum, quod sessurus fuerit in Ecclesia Dei tanquam Deus, usurpaturus Jura Majestatis tanquam Deus, in gubernando & absoluto dominatu, pro libitu suo premenda Ecclesia Dei. quod absque extrema Ecclesiæ servitute & oppressione fieri non potuit. Nam si quid suæ Libertatis Ecclesiæ superesset, ejiceret eum de medio sui, tanquam Corporis sui noxium purgamentum. Sed quia ita per afflictas suos corroborari debuerat, quemadmodum prædicit Apostolus, apparet veros Dei cultores eo miseriæ devenire debuisse; ut non modo tantum potentiæ non haberent, quantâ ad ejiciendum de Domo Dei Antichristum opus erat, sed ipsi quoque ab eo affligerentur & opprimerentur. Alterum expressum est *vers.* 7. & 8. & alibi frequenter in Sacris Literis.

Secundo. Iterum rogat ex qua ratione hausimus hanc Sententiam.

Resp. Ex ratione Divinæ Sapientiæ, descriptæ ab Apostolo. 2. *Thess.* ii. 10. & 11. Nihil enim magis decebat Sapientiam Dei, quam ut homines per id punirentur, in quo delinquebant. Cum igitur hominibus non placeret Lux veritatis, quæ nuditatem & vitia eorum revelabat, merito ipsos Deus permisit incidere in laqueum Diaboli, ubi à caligine turpis mendacii obrutos, æternum perire necesse est.

Deinde ex ratione sana, omnibus hominibus communi, quam in nobis ipsa experientia, certissima ingeniorum magistra confirmavit. Quis enim id manibus palpare nequeat, quod tot seculorum usus docuit, homines in Ecclesiam tot futiles, tot adversas sacræ scripturæ & rationi doctrinas invexisse, quæ nullo alio medio suam autoritatem tueri potuerunt, nisi vi, coactione & oppressione. Quæ oppressio cito post Apostolica tempora furtim in Ecclesiam irrepere cæpit, donec ad sævitiam & tyrannidem Antichristi ventum est. Cujus praxim Historia Ecclesiastica nobis ob oculos ponit.

Tertio rogat, Quibus ex Traditionibus notitia eorum ad nos pervenerit? Respondemus, ex iisdem, ex quibus eam habuere illi, de quibus Joannes scribit 1. *Joh.* ii. 15. dum ait *Filioli, Extremum tempus est, & quemadmodum audivistis Antichristum venire, jam nunc multi facti sunt Antichristi.* (hoc est ministri ejus, qui ipsi mox consecuturo viam muniebant) *Unde cognoscimus extremum illud tempus &c.* Habuere igitur hanc traditionem fideles, Antichristum extremis temporibus (hoc est secundum modum loquendi sacræ scripturæ) non multo post Apostolos subsequi debuisse. Eandem nos ab ipsis per multorum manuum traditionem transmissam, & quod majus est, sacræ scripturæ authoritate confirmatam habemus, quam nobis Paulus Apostolus satis evidenter explicuit.

Quarto denique rogat. Ex quo & quali spiritu hausimus hanc sententiam. Resp. Ex spiritu Prophetiæ N. Fœderis. Qui nobis non modo ore Domini, quamvis obscurius, mox Apostolorum doctrina longe clarius arcanum hoc revelavit. sed post omnes istos etiam per Joannem in Apocalypsi Jesu Christi, quam dedit ipsi Dominus ut ostenderet servis suis id, quod evenire debuit citò post tempora Apostolica, & prænunciavit hoc per Angelum, ad id ex professo missum servo suo Joanni *Apocal.* i. 1. In quo Libro, quamvis reperiantur quædam (& illa quidem pauciissima) difficilia intellectu, quod in Libris Propheticis solemne est, nescio tamen an quis reperiri possit, qui non cogatur fateri, in Prophetia hac duos Populi Dei status, sibi ordine succedentes, esse depictos. Priorem sub servitute Antichristi miserum & afflictum, posteriorem post liberatum eum ab hac servitute, etiam in terris felicem ac per longum tempus quasi triumphantem.

23. Quemadmodum multa supradicta & jam refutata repetiit, ita hanc quoque exprobrationem iterat Autor, inquiens nos novos Apostolos, damnatâ præsenti Ecclesia, neque meliorem illâ Ecclesiam ante nostra tempora ostendere, neque in nobis vitaque nostra plus virtutum & sanctimoniæ exhibere, aut nostram missionem miraculis confirmare.

Resp. Neque nos nova Dogmata proponere, neque Apostolicam auctoritatem, aut solennem nomine Dei ad humanum genus legationem nobis vendicare. Ideo literis, quas vocant credentialibus miraculorum non indigere, neque eas jactare. Gloriationem patrandorum miraculorum istis Ecclesiis relinquimus, quæ novas & supposititias doctrinas, loco Apostolicarum, in Populum Dei invexere & invehunt; ideoque ipsis egent, atque eorum patrationem prætendunt. Nisi quod ut ipsa dogmata, ita eorum argumenta, hoc est miracula, suspecta exhibent. Reprehendimus & accusamus corruptas

Eccle-

Ecclesias, sed eas ipse quoque Auctor reprehendit, & corruptiones accusat. Vide supra in errore sedecimo. Porro in reprehensorum locum praeteritis seculis ostendimus meliores Ecclesias, non modo in tot oppressis ab iis Ecclesiis, eorum, quos (non minus quam nos hodie vivos adhuc & de injuria protestantes) manifestis variorum errorum & blasphemiarum calumniis onerabant, & nunc quoque onerant; Sed etiam in corpore & penetralibus ipsorum magnum proborum hominum numerum, qui exemplis aliorum oppressorum admoniti, nec audentes manifestae veritatis professione aliis facem praeferre, quod supererat, sola vitae sanctimonia aliis praelucebant. Ex quo tam bono fructu virtutis atque pietatis bonas illas arbores & salutaris veritatis non expertes agnoscimus. Quemadmodum autem non omnibus de sanctimonia quorundam relationibus promiscue fidem adhibemus, videntes Satanam per externam pietatis formam, in multis hypocritis falso splendentem, veram aliorum pietatem suspectam reddere conatum; Ita falsam gloriationem corruptarum Ecclesiarum redarguimus. Neque credimus homines vere pios & sanctos tam crassos errores, abusus, & confusiones, aut potius Tyrannicam in istis Ecclesiis dominationem approbare unquam sustinuisse. Non deerant igitur semper in externa tam Orientis quam Occidentis Ecclesia homines, qui, licet ob graves & praegnantes causas à publicis Ecclesiis non secesserunt, (praecipue quod putarent sese hoc modo magis prodesse Ecclesiae posse) id tamen, quod tutius poterant, non omiserunt, ut sanctis exemplis alios ad pietatem excitarent. Quos si forte oculi hominum, non ita, ut par erat, ab aliis dignoscere poterant; tamen eos Dominus noverat, & in suprema die pro suis agnoscet. Atque ex ejusmodi hominibus, eorumque similibus collectam Ecclesiam Dei vocamus. Sed ex vobis aliquis regeret. Atqui tales homines in Ecclesiis nostris non vidimus, qui pie & sancte vivendo Doctrinas & regimen Ecclesiae damnarent. Resp. Credo vos non vidisse, quia eos vestra tyrannis & oppressio occultari, libertatemque suam supprimere aut submissa voce paucis revelare adigebat. Quod si cujusquam vox clarior aures vestras perculit, nihil omisistis diligentiae atque artificii, quò nomen & memoria ejus posteritatis notitiae eximeretur. quorum autem famam supprimere non potuistis; carbone Avernali denigratos, non suo, sed per calumniam effecto, vultu spectandos posteritati exhibuistis. Sed Dominus & eos, & vestras fraudes, ac versutias noverat, & novit: & posteritas, detracta ex multis eorum larvata facie ac persona, pleroque noscitare incipit, & plures vero vultu agnoscet, quam primum veterum Librorum Bibliothecas ex Antichristi Carcere emiserit.

Supereſt illa Exprobratio, quod qui Orientalem Ecclesiam, aliasque similes reprehendunt, plures virtutes in vita moribusque suis non exhibent, quam in iis quos reprehendunt reperiuntur. Verum id Auctor falso exprobrat ob eas rationes. Primo enim, quo plura sunt vitia & peccata, quae in istis Ecclesiis deteguntur & reprehenduntur, qualis est Idololatria, Impudicitia, & infanda in Caelibatu libido, Oppressio Conscientiarum, Dominatio in Ecclesia Dei, Anxius ciborum delectus & ad luxuriam gulae conniventia, Hypocrisis & externa pietatis forma, à vera & solida ipsius vi, ad varias superstitiones translata, & alia ejus generis; eo plures sunt virtutes ipsis adversae, quibus reprehendentes praeditos esse, reprehensos carere necesse est. Secundo, Candor & simplicitas mentis, Amor Dei & proximi, Amor gloriae Dei, qui cernitur in conatu extirpandorum errorum, qui in Christi Ecclesia regnant, qui homines in via salutis impediunt & pietati obstant, & iis qui peccatis suis indormiunt, blandiuntur. Amor veritatis, fabulis & superstitionibus inumbratae, verbo Dei debitus honos delatus, & adversus praetensam hominum auctoritatem vindicatus, & similes laude dignissimae mortalium virtutes reperiuntur in reprehendentibus, quas in reprehensis frustra quaeras. Tertio, Odium peccati & dilectio Justitiae, unde profluit emendatio regiminis & disciplinae Ecclesiasticae, quae nullum peccati habitum in Ecclesia tolerat, est virtus eorum, qui dissolutis moribus Ecclesias emendari volunt. Quarto, Dei & Conscientiae causa propter veritatem & virtutem, propter bonum verè Catholicae Ecclesiae, spernere vitam, fortunas, & omnia in vita optabilia, suscipere odia & inimicitias totius Orbis, & eas subsequentia pericula, atque in isto certamine ad finem usque perseverare; aliquanto majores & nobiliores sunt virtutes, quam vice carnium, solis semper vesci piscibus, non absque nobilissimo vino & condimentis quantacumque excogitare potest acerrimum gulae ingenium. Ut taceam omnium ciborum genera, cum omni eorum apparatu istis Ichtyophagis permissa. aut, quam sublimem Columnam ascendere, atque in ea, prout accipiter in pertica venatorum solet, cum applausu vulgorum, risu prudentium, longo temporis spatio stare aut sedere. Nunc igitur rationes ineamus invicem & inquiramus, quaenam istarum virtutum apud hos aut illos inveniantur, aut non, simul æRimemus quaenam earum solidiores sint aut sublimiores.

PARS ALTERA,

In qua quæritur,

An Dissidentes ab ECCLESIA ROMANA & GRÆCA possint, illæsa Conscientia, recipere Dogmata & Ritus Orientalis ECCLESIÆ.

CAPUT I.

De Tolerantia.

QUantum ex toto hoc Scripto, praecipue posteriori ejus parte animadvertere licet, scopus & intentio Auctoris in hoc opere fuit, ut non modo sese hoc veluti publico, ut vocant, Manifesto purgaret, expositis rationibus (ut existimat) praegnantibus, quibus inductus ad Ecclesiam Orientalem ab iis, quibus ante adhaeserat, secessit; sed etiam aliorum quamplurimos ex omni dissidentium genere exemplo suo ad eandem pertraheret. Qua in re ne sibi graves

dissensiones cum in Doctrina, tum in ritibus eas inter Ecclesias intercedentes essent impedimento, Persuadere Dissidentibus contendit, Dissensiones istas partim iniquas esse, partim non tanti momenti, ut ob eas ab Ecclesia Orientali secedere liceat. Utrumque ut facilius persuadeat, incipit à levioribus, puta ab adiaphoris, à rebus inquam ejusmodi, quæ (ut vulgo videri potest) illæsa Conscientia recipi possunt, & ipsæ per se nullum in se peccatum continent. Mox ad graviores lites accedit, ac demonstrat, non eam absurditatem in repugnantibus sibi Sententiis reperiri, quæ multos ab ista Ecclesia absterret, eamque elevando, & controversa dogmata specioſe proponendo, animos Dissidentium primum placare, mox ad plenum assensum, suumque exemplum imitandum pellicere contendit. Nos amoliti in priori hujus operis parte robustissimum arietem, qui vulgo in ea tentatione mentes hominum violentissime quatit & oppugnat, hoc est, Ecclesiæ Auctoritatem, longa responsione ad hæc levioris momenti persuasiones Lectorem non morabimur. Nam si omnes Controversiæ, quas Auctor leviter attigit, prout par est excuti deberent, non caperent hoc opus propositæ brevitatis angustiæ. Nec desunt in manibus hominum de singulis, quæ in controversiam veniunt, tot libri & lucubrationes pro defensione veritatis, ut ea nunc ex professo expendere, nihil sit aliud quam Aquam Oceano affundere. Proinde ad ea doctorum hominum monumenta Lectorem merito remittimus.

Antequam Auctor ad Adiaphora accederet, de obstinatione & iniquitate diversarum Sectarum, quæ à potentioribus Ecclesiis secessere, queritur, quod non modo sibi nimio plus tribuant, existimantes & gloriantes, quod Deus omnes cognitionis suæ Thesauras apud ipsas depositerit, Sed alias quoque omnes sæpe, ob res levissimas condemnent, ab iis hostiliter dissideant, & libertatem sentiendi de rebus ad assequendam Salutem pertinentibus, secundum unius cujusque conscientiam affligant & opprimant. Huic accusationi ejus, & nos quoque gravi cum animi nostri dolore subscribimus, eique illud ab Auctore omissum crimen adjicimus, quod non modo libertatem Conscientiarum ac sententiarum convellant, Sed interdum ad cruentas persecutiones ob Religionem & Conscientiam descendere audeant. Quod tantum abest ut probemus, ut ex animo detestemur, damnantes istud abominabile nefas & commune vitium. Quod non in Christi, Sed Antichristi Schola excogitatum est.

Quem Christi adversarium, quamvis non pauci externa professione deseruisse videantur, Tamen, uti magnam partem Dogmatum & errorum ejus, Ita hos quoque fædos ac detestabiles mores ac morbos ab Idololatrica ejus Synagoga ad Ecclesias suas transtulerunt. Quod tamen an omnibus plane à Græca & Romana Ecclesia secedentibus Ecclesiis merito objici possit; Conscientiam & memoriam suam Auctor introspiciat & interroget. Scire enim illud eum & fateri necesse est, Afflictum hunc Populi Dei Cætum, quem deseruit, soli duntaxat primævæ Apostolicæ Ecclesiæ, integrum arcanorum cognitionis Dei depositum tribuere, & ab illa sola per accuratam Sacræ Scripturæ doctrinam omnia discere, & si qua in re errare cuipiam videntur, in caritate ac tolerantia Sententiarum suarum rationem reddere, & amica collatione, id quod verius est doceri semper paratum fuisse, Cæteros autem diversum sentientes, dum sancte vivere velint, à communione sua non arcere, sed benigne tolerare. A Nemine ex iis, qui Sacræ Scripturæ & Symbolo Apostolorum credunt & pie vivunt, Cætus hic exigit, ut omnia credat & sentiat, quæ sequaces ejus sentiunt, modo vivat sine scandalo. Anathemate neminem ferit, aut ferire compellit, præter eos, qui fidem in Deum per Christum non habent, & Leges Domini per obstinatos peccatorum habitus, violant. Ab his solis se segregat, sed ne hos quidem odio aut violentia persequitur. Qua moderatione cæteros omnes in Religione dissidentes exemplo suo excitat, ut per Charitatem & tolerantiam Christianam ad Pacem & unionem aspirent, & abjectis circa opiniones litibus & jurgiis, in obsequium Legum Domini secum conspirent. O Si mortales, non spreta aut calcata Charitate, qua se mutuo tolerare tenentur, veræ pietatis studio flagrare vellent, desinerent omnes lites & controversiæ, pacarentur dissidia, & omnes errores, non secus atque nix à radiis solis, sponte liquescerent & evanescerent. Verum tamen hæc pravitati ac sceleribus Antichristi repugnans Tolerantia limitibus suis circumscribitur. Ac licet contendere debemus, ne nobis solis, sed & proximis quoque nostris placeamus, & nos quantum possumus eorum desideriis adaptemus, Tamen id eo usque licet, quantum fieri potest absque Divinæ veritatis injuria, & absque scandalo, præcipue domesticorum fidei (quos vocant), quibus cum arctiori supra cæteros vinculo connexi sumus. Nam licet de rebus nauci contendere: & anathemate ferire obvios Christianorum (ut Auctor ait) sine respectu, & segregari ab iis quos tolerare præstaret, & nolle quicquam, etiam illæsa Conscientia, desideriis hominum largiri, reprehensione non caret. Tamen id quoque laudem non meretur deserere veritatem: ne communionem cum hominibus deseras, assentari erroribus, ut odia hominum effugias, dare scandalum domesticis fidei, ut alienis & externis placeas, blandiri desideriis hominum per vulnera Conscientiæ: provocare Iram Dei, ut indignationem hominum placare possis. Extrema ista sunt, & sibi oppositi limites, Ad quorum utrum libet inclinaveris, ilico ex orbita officii tui decesseris.

Fefellit igitur Auctorem hoc artificium, quo usus est, dum per reprehensionem rerum vituperio dignarum, commendare & conciliare nobis voluit res ipsis quidem adversas, sed non minus vitiosas & reprehendendas. Quæ quamvis prima fronte videri possunt adiaphora, hoc est, licita, & quæ salva Conscientia fieri, aut omitti queunt, tamen sæpe numero propter varias circumstantias, peccato non carent.

Primum ejusmodi rerum, quæ pro indifferentibus vulgo habentur exemplum (quamvis extra numerum aliorum quæ postea certo numero proponit) attulit, Preces ad Deum fusas in Templo ritui Orientali Sacrato. Resp. Preces in ejusmodi Templo, ubi vulgo Idololatria exercetur, primum ipsius precantis Conscientiam lædere necesse est, quæ ab omni Idololatriæ contagio abhorrere debet. Deinde scandalum præbet præsentibus forte, aut quoquo modo ejus rei consciis domesticis Fidei. ita ut, quamvis alicui nullus ex ea re oboriatur Conscientiæ scrupulus; tamen imbecillioribus ansam offendendi præbet, qui idem exemplum sequentur, Sed contra Conscientiam suam. Quod ad preces in Templo Lutherano attinet, nulla isthic suspicio Idololatriæ est, ubi imagines sunt, at non coluntur.

CAPUT II.

De levioribus Adiaphoris Undecim.

NUmerat mox ista Adiaphora, hoc est, res ut existimat licitas, & quæ illæsa Conscientia admitti possunt. Quæ breviter singillatim expendemus.

Primum

Primo. Constitutiones Ecclesiæ in Jejuniis, hoc est, in delectu ciborum. Resp. Potest aliquis una cum Apostolo doctrinæ huic non assentiri, nec tamen oculos hominum offendere aut animos irritare.

Secundo. Constitutiones Ecclesiæ in observandis Festorum solennitatibus. Resp. Verba Apostoli in Epistola ad Galatas litura induci nequeunt; qui si nullum in ea re periculum fuisset: certe illud non timuisset. Quod si ab ipso Deo sancitum temporum delectum sustulit Spiritualis Apostolorum Doctrina, multo magis novas istiusmodi sanctiones prohibuit ac damnavit. Tamen in hoc quoque rerum genere, quantum fieri potest absque veritatis dispendio, hominum imbecillitati indulgere & non nostris, sed alienis Conscientiis gratificari nemini à nobis interdicitur.

Tertio. Signum Crucis in Templo, aut quocunque alio ædificio erigere minutius est, quam ut anxia disquisitione expendatur. Signare tamen faciem signo Crucis, est externum indicium & quasi professio, quod is qui se signat Græcæ aut Romanæ Ecclesiæ adhæreat. Cui bono igitur hoc indicium præ se ferunt isti, qui dictis Ecclesiis salva conscientia adhærere nequeunt, multas alias ob causas, sed ideo quoque quod ab iis anathemate notentur. Nullus alius ejus rei usus esse potest, nisi hominum deceptio, & suarum Ecclesiarum ab hoc instituto alienarum condemnatio, & muta quædam abnegatio veritatis, quam profitemur: quæ cuncta lædere Conscientiam necesse est.

Quarto. Baptismorum differentiæ, & Ceremoniæ. Resp. Baptismos Ecclesiarum (quamvis nonnulli plurimis non careant superstitionibus) diversos, nos non damnare, documento est, quod eos iterari aut emendariin iis, qui ex aliis Ecclesiis ad nostras accedant, non exigamus. Quamvis enim maximum est baptismum inter & ἀναστροφὴν immersionem, & conspersionem discrimen, & veterem Apostolorum morem potius quam immutationem vel emendationem sequimur: Tamen in istis exterioribus summam rei non collocamus, certo persuasi etiamsi quis in externo ritu, quo se Christi obsequio consecrat, hallucinetur, dummodo se bona fide Christo consecret, & vivat in obsequio ejus, de ejus salute non dubitandum esse. Quemadmodum autem in multis aliis ritibus & Ceremoniis (quales sunt rasuræ Sacerdotum & amictus Ecclesiasticus. num. 5. Asperiones Aquæ Consecratæ, Inunctiones Oleo Sacro, numero 6. Suffitus in Templo num: 7. Osculum figendi Evangelio mos num: 8. adde si placet panem in spumam panis mutatum num: 9. Imo & Candelarum usum diurno tempore num: 10. Etiam munerum Ecclesiasticorum gradus præter morem veteris Ecclesiæ Apostolicæ num: 11.) Ita de his quoque rebus facilius utrinque transigi posset; si capitaliores controversiæ possent componi. Quamvis enim in commemoratis ritibus multa sint superflua, superstitiosa & Populo Dei minus decora, tamen si per receptionem eorum aut consensum nostrum efficere possemus, ut Idololatria & Antichristi Tyrannis ac dominatio Conscientiarum, ac veritatis oppressio ab Ecclesia excluderetur ac proscriberetur, esset tanti hæc superflua recipere: quia jam inciperent esse utilia non per se, sed per accidens, propter tantum, quod secum afferrent emolumentum. Quanquam si in potioribus emendatio admitteretur, hæc omnia licet ex professo non tollerentur, ipsa per se veritatis luce exoriente, evanescerent. Sed poscere à nobis ut in istis minutioribus, quæ videlicet facilius concedi possunt, aliquid de jure nostro dimittamus, & tamen non propter potiora, in quibus nihil concedi potest, non modo Anathemate: sed infensissima persecutione premere & iniquum & inutile, & insipiens est postulatum.

CAPUT III.

De Confessione Auriculari.

Accedit mox ad Confessionem Auricularem Num: 12. In qua quæstione tractanda contractiores essemus, nisi Auctor in Constitutionis hujus defensione multos errores proposuisset. Quorum primus est. Quod Confessio quæ privatim in aurem sacerdotis deponitur non sit Ecclesiastica, sed Apostolica in Sacris Scripturis expressa Constitutio.

Resp. Non deest mentio, & adhortatio ad confitenda peccata *Jacobi* v. 10. Sed hæc confessio ad Sacerdotes isthic non adstringitur. Ecclesiastica demum constitutio, restrinxit hanc confessionem ad solos Sacerdotes. Spiritus Sanctus Officium hoc generalibus verbis proponit; *Confitemini alii alii, aut mutuo sibi.* Ubi quamvis inter eos quibus confitendum est Sacerdotes quoque includi possunt, at nec alii præter Sacerdotes excluduntur. Præterea ex verbis Spiritus Sancti generalibus concludi potest, ipsis quoque Sacerdotibus confitendum esse, etiam aliis præter suum ordinem, dum ad audiendam hanc Confessionem apti sint. Quorum utrumque constitutioni Ecclesiasticæ adversatur.

Alter Auctoris Error est, dum ait, Disciplinam publicam sufficientem non esse ad purganda peccatoris delicta, qualia præter alia sunt illa quæ peccatori ipsi ignota sunt. Affert deinde ut pro aliis disciplinæ defectibus, ita pro isto supplendo remedium his verbis: *Ad hanc rem remedium certius non datur præter Confessionem Sanctam* (hoc est, *Auricularem.*) Resp. Quo pacto Confessarius purgabit peccatorem hujus ipsius peccati culpa, quod ipsi confessus non est? quomodo etiam peccator delictum istud confiteri possit, cujus sibi non est conscius?

Tertius error est, quod ad eas conditiones & requisita quæ requiruntur in hominibus, quibus confiteri Spiritus Sanctus imperat, addit potestatem ligandi, & solvendi, id est excommunicandi, & recipiendi iterum exclusos in gremium Ecclesiæ. Quæ potestas quia est publica, & toti Ecclesiæ competens, privatis Confessariis vindicari nequit. Neque ipsis ejus ullus usus est, cum publico officio apud privatos locus esse nequeat.

Quartus error latet in ea consequentia, quam Auctor nectit, dum ait, Absurdum est quemadmodum revelare omnia peccata occulta omnibus Christi membris, Viris & Mulieribus, Uxoribus, Virginibus, ita tradere judicanda. Non aliis igitur negotium hoc præter Sacerdotes competere potest. Resp. Quamobrem vero non aliis quoque virorum qui ad eam rem apti sunt. Judicia Ecclesiæ Dei in dignoscendis & castigandis delictis (ad quæ duntaxat potestas ligandi & solvendi pertinet) iis solis competunt, quibus Spiritus Sanctus loqui in Ecclesia permittit, quales sunt Viri in cognitione Dei exercitati, prudentes & pii. Nam qui ad judicandum apti non sunt, quales sunt mysteriorum Religionis rudes, imprudentes, præcipue juniores & rerum ignari, suamet verecundia & conscientia ab hac functione absterrentur. Peccatores autem & homines secundum carnem viventes, expresse Apostolus ab hoc munere excludit, cum solis spiritualibus (non sacrificulos aut Popas, sed qui secundum spiritum vivunt, hac voce designat) emendandi mores infirmiorum provinciam mandat. Idem etiam expressius sexui fæminæo hac functione interdicit, dum eas loqui in Ecclesia

Ecclesia non permittit, sine quo judicia Ecclesiæ exerceri nequeunt. Non igitur inde quod Uxores & Virgines ad judicia Ecclesiæ non pertinent colligi ullo modo potest, Ergo soli Sacerdotes pertinent. Alii vero viri prudentia & pietate Sacerdotibus pares, interdum eos quoque superantes, cur ab hoc munere arceantur?

Sed notatis in hac dissertatione Auctoris erroribus, redeamus ad Confessionem peccatorum ab Apostolo imperatam. Hoc igitur Præceptum aut monitum Spiritus Sancti non modo non rejicimus aut prohibemus; sed ad Antichristo limitatum, & ad pauciores restrictum, secundum verba Sacræ Scripturæ latius porrigimus, & ad plures extendimus, & plane approbamus. Id tantum præcavendum censemus, ne occulta ista confessio sive occultorum, sive incertorum, ac dubiorum peccatorum, circumstantiis quæ hodie in usu sunt, non limitetur, nec ad solos Sacerdotes restringatur. Idque duas ob causas, ob quas sine dubio Spiritus quoque sanctus remedium istud confitentibus tam necessarium, ad solos Sacerdotes aut Episcopos non adstrinxit, sed generalibus verbis apud alios quoque qui apti sint hoc remedium quæri permisit. Prima est, ne Sacerdotes & Episcopi ob hanc prærogativam nimiam sibi in Ecclesia potestatem & authoritatem vendicent, ex qua usurpatione, tanquam ex viperæ ovo, Antichristus exclusus est. Altera est ne per ejusmodi Confessionem qualis nunc est in usu, utilius ac solidius remedium pro extinguendis peccatis, hoc est, Disciplina publica penes quam est potestas excommunicandi, aboleatur, quod nunc per auriculares confessiones factum videmus. Cum enim unusquisque non occulta tantum, sed & manifesta peccata sua Confessario aperiat, eorumque respectu injunctam sibi pœnitentiam cum absolutione recipiat, nullum supereſt peccatum, quod publica disciplina indigeat. Quia vero eidem Sacerdoti aut Confessario per leges & instituta Apostolica integrum non est, ut unico & privato suffragio suo, tam publicam excommunicationis pœnam cuiquam infligat, ideo ne Excommunicationi quidem ullus locus supererat aut supereſt. Itaque in spem privatarum & occultarum absolutionum, non occulta tantum sed & manifesta peccata propemodum impune in Populo Dei regnant. Et nunquam Ecclesia scandalorum sarcina exoneratur. Quem adeò noxium abusum quia nos damnare necesse est, merito modum auricularis Confessionis, qui nunc in usu est, reprehendimus; Sed Confessionem quam nobis Apostolus (salva integritate publicæ disciplinæ) præscribit, non modo libenter recipimus & approbamus, sed ad eam omnes hortamur & excitamus. Nam si quem Conscientia aut occultum peccatum angit (in quo statu aut ad desperationem Salutis, aut ad dissolutionem vitæ lubricus est gradus) cur ejusmodi animi sui vultum peccator aut Pastori & Episcopo suo aut viro alicui prudenti & pio sibique amico (nam in eo Spiritum Sanctum ducem sequuti nullum delectum habendum putamus) ostendere aut aperire detrectet, à quo & salutare consilium propter prudentiam ejus, & efficaces pro se preces & intercessionem habere possit, propter ejus pietatem. Pariter si ratione alicujus peccati dubia aut scrupuli oboriantur, cur non quærat ejusmodi Amicum & Consiliarium, qui eos eximere possit?

CAPUT IV.

In examine plurium Errorum raptim, & obiter de Eucharistia.

IN Decimo Tertio puncto multos Errores Auctor committit. Primus est, quod Dissidentes ab Ecclesiis potentioribus, eo adducere cupiens ne ob dissensum à communione eorum resiliant, affert rationem, quæ non tantum sanæ rationis usum, non modo omne inter veritatem & mendacium discrimen; sed omnem fidem, & certitudinem veritatis ac Religionis tollit, & purum putum introducit Atheismum, vocans in dubium omnes plane articulos Religionis. Ratio hæc est. In tanto opinionum diversis in sectis dissensu, si certo scire possemus nos præ cæteris melius, imo planè rectè sentire, aut id procederet ex dono Dei, aut ex nostro proprio ingenio. Ex dono Dei procedere non potest, quia Deus non est unius tantum sectæ Deus, sed omnium. Præterea non est Deus dissidii. Neque ex nostro ingenio procedere potest. Nam & in aliis sectis atque Ecclesiis sunt ingenia, rationes, deductiones ad absurda, Ergo nullus homo, ac proinde (ut expresse ait Autor) nulla Ecclesia potest certo scire, & per consequens id sibi soli usurpare, quod in tanto Religionis dissidio, sola sapiat, & viam salutis teneat, reliquæ autem sint damnatæ. Resp. In hac argumentatione plurimi sunt laquei. Sed inter eos primum hunc detegere libet. Quod in ea pro concesso sumatur quod non modo dubium sed plane falsissimum est, erroneam opinionem præsertim si gravis culpæ & malitiæ nihil admixtum habeat, ilico æternam afferre perniciem. Alter laqueus quod Auctor in propositione majori Syllogismi sui disjunctivi, opponit sibi res ejusmodi, quæ secum una concurrere solent, nimirum Donum Dei ingenio aut rationi humanæ; quasi ingenium & ratio homini collata non sit Donum Dei, & quasi id quod quis ingenio suopte, hoc est, ex lumine naturæ certo scire potest, ex alio quoque simul dono Dei, hoc est, lumine gratiæ nosse non queat, & contra. Itaque ipsi objici potest, in hac disjunctiva propositione insufficiens enumeratio partium. Plerunque enim homo de veritate certo persuasus esse potest, non per unum duntaxat donum & lumen Dei, sed per utrumque simul. Tertius laqueus in ambiguitate verborum *esse Deum alicujus*, quæ aut sumuntur proprie, & in ordinario sensu, & significant Habere super aliquem Divinam potestatem, aut minus proprie, & in excellentiore sensu, ut cum Deus se vocat Deum Abrahami etiam post ejus obitum, propter singularem gratiam ejus erga Abrahamum etiam mortuum. Non igitur inde, quod Deus non unius tantum Sectæ aut populi sit Deus, ac divinam super omnes habet potestatem, sequitur eum uni præ alteri populo, aut Ecclesiæ plus donorum & gratiæ suæ conferre non potuisse. Quartus laqueus est, quod in prosyllogismo partis prioris assumpti, sumitur pro concesso, Sectas quæ à potentioribus Ecclesiis recesserunt esse in culpa tam exosi Deo dissidii. Cujus culpæ quam immerito insimulentur paulo post patebit. Quintus laqueus est in prosyllogismo posterioris partis assumpti, ubi Auctor probare contendit ex rationis nostræ principiis nos certo scire non posse penes nos esse veritatem, quoniam aliæ Sectæ & Ecclesiæ non carent suis rationibus & ingeniis. Resp. Quid futilius atque infirmius esse potest, hac aranea tela qua nos tanquam retibus includere conatur Auctor. Nulla res est tam falsa quin aliquas rationes speciosas,

nulla

nulla tam iniqua, quin prætextum justitiæ invenire possit. Verum ubi rationes istæ & prætensiones ad trutinam rationis sanæ, multoque magis verbo Dei illustratæ examinantur, nullo negotio discerni potest, quænam ex illis prævaleant. Proinde hoc argumento Athei non multum proficient.

Alter in hoc paragrapho error Auctoris est, quod, ut supra attigimus, culpam dissidiorum in Ecclesia conjiciat in eos, qui propter diversum de Cæna Domini aut sacramentis, aut aliis Fidei articulis opinione divisi sunt ab Ecclesia: & objicit ipsis quod in minutas partes laceraverint Ecclesiæ Corpus. Resp. Non hi lacerant Ecclesiam, qui homines errore deceptos ab eo liberare, aut ignaros erudire aut corruptos emendare contendunt: sed qui non modo doceri & emendari se non patiuntur, Verum etiam monitores & emendatores suos, ab Ecclesia proscribunt, anathemate feriunt, & effreni rabie in eos sæviunt. Movet bilem veritas peccantibus, & lux odium sui affert tenebrionibus, quia opera eorum pudenda sunt, ideo tanquam vespertiliones lucem fugiunt. Numquid autem ideirco veritas, præsertim salutifera, deserenda aut supprimenda est? Prius Pontifex Lutherum, propter obtrusam in corrigendis Indulgentiarum abusibus veritatem, Anathemate perculit, antequam ipsi vicissim Lutherus renunciaret obsequium. Spiritus igitur Antichristi, qui non modo in Occidente, sed in Oriente quoque & septentrione regnat, Ecclesiam Dei misere laniat; quia veritatis austeritatem non patitur, & emendationi Populi Dei pro viribus obsistit.

Tertius error Auctoris est, quod Ecclesiis non nullis magni Criminis loco objicit, quod sedendo ritum Cænæ sacræ administrent, atque ita non venerentur veneranda, nec adorent adoranda.

Resp. Utile ac laudabile est Dominum humili cultu adorare, & in honorem ejus ingeminare sæpius Domine Domine. Sed utilius ac laudabilius, facere voluntatem ejus. Bonæ sunt victimæ & sacrificia, sed melius obsequium. Deest vero nobis videlicet aliud adorandi Domini tempus aut ratio, nisi in hoc ritu transgrediamur ejus institutum, Qui non hoc olim in memoriam sui facere jussit, quod nunc homines faciunt, sed illud quod eo tempore coram illo & cum illo, quanquam longe palpabilius quam nunc præsente; faciebant Apostoli.

Quartus error est; dum ait. *Vanum est contraniti, dicamus quicquid velimus, quoniam Filius Dei panem vocat Carnem suam, & Vinum Sanguinem, non possumus aliter credere, nisi hoc esse corpus hunc sanguinem vere & proprie sic dicta & essentialiter per transsubstantiationem paucis & vix, in Carnem & sanguinem transformata.*

Resp. Quoniam igitur se quoque vocat alibi viam, non possumus aliter credere, nisi eum esse Orbitam, pedibus & ungulis animantium calcatam, verè & proprie sic dictam: quoniam se appellat vitem, necesse est illum esse transsubstantiatum in plantam vegetabilem: quoniam Petro dixit, Tu es Petra, fieri nequit quin Petrus transformatus fuerit in Rupem. Quis id genus improprios, & tamen admodum usitatos loquendi modos ratione probabili & intelligere atque explicare non teneatur? An vero in verbo Dei novum aliquid & insolens existimandum est sermo Parabolicus, vel Tropus, aut Figura, & typici loquendi modi. In quibus sæpe figura id ipsum quod figurat, non minus quam imago Alexandri Alexander dicitur. An fractio Panis, & effusio vini, id ipsum quod Carne & sanguine Domini fieri debuit, non exprimebat? ita, ut & Panis Carni & vinum sanguini Domini, in hac figura apte & pulcre respondeat. Nonne effigiem Alexandri, Alexandrum vocamus? Tam infirmo igitur & fragili fundamento tanta absurdorum pondera, tantam Paradoxarum & incredibilium opinionum molem superstruimus?

Sed regerit Auctor. Si Panis hic non esset verum Corpus Domini; Cur istiusmodi comminatio ad nos terrendos scripta est? Quisquis Panem hunc comederit & sanguinem biberit indigne, reus erit Carnis & sanguinis Domini 1. *Cor.* XI. 20.

Resp. Nonne Auctor ipse (ac merito quidem) paulo inferius sic loquitur. *Qui imagines Sanctorum contumelia afficit, ipsos Sanctos contumelia afficit, quia contumelia, quæ imaginem dehonestat, in eum redundat quem imago exprimit.* Ergo & *contumelia Panis & vini Consecratorum, quæ Carnis & Sanguinis Domini figuræ sunt, in carnem & sanguinem ipsum merito redundat.* Spiritualis Carnis & sanguinis Domini usus, hoc est, spiritualis Cibus & alimentum ex consideratione fructuum mortis Christi, quod vitam æternam & habitationem nostram in Domino, sicut & habitationem Domini in nobis affert; nequaquam inde sequitur, nos Carnem Domini mandere, vel sanguinem gutturi nostro invergere, & utrumque ad stomachos nostros demittere. Imo vero si panis iste & vinum est spiritualiter caro & sanguis Domini (ut ipse Auctor asserit) certe idem corporaliter & propriè esse nequit. Si Panis iste est particeps Carnis Domini, hoc est, si nos participes Carnis Domini reddit, ita ut unus Panis & una caro omnes fiant, qui uno pane communiter utuntur (ut sonant verba Auctoris) certe usus hic Carnis Domini spiritualiter non carnaliter intelligendus & explicandus est. Numquid enim panis iste sacer, quo utimur, in nostra Corpora aut nos ipsos transmutatur, aut nos ipsi in Carnem Domini per transsubstantiationem transmutamur? Quod si nos Caro aut Corpus Domini, & Dominus Caput nostrum à spiritu sancto (sine necessitate ullius transsubstantiationis) vocamur, quamobrem & ab eodem spiritu sancto panis eadem caro & vinum sanguis (absque necessitate ullius transsubstantiationis) vocari non potuit? Non de possibilitate hujus transmutationis, sed de necessitate tam duræ & audacis explicationis horum verborum inter nos quæritur. Scimus Deum omnia posse quæ velit, sed non omnia velle aut facere quoque quæ possit. Et quemadmodum in explicatione verborum hujus interpretationis, ita & in ipso Dei consilio, nullam tam duræ sententiæ necessitatem invenire possumus. Sed tam audax verborum istorum interpretatio ingentem auctoritatem & honorem peperit Ordini Ecclesiasticorum, qui dum sensus tam absurdos sanctissimis Domini verbis affingerent, sine dubio cupiebant digito monstrari & dicier (ut ipsi gloriantur) Creatores sui Creatoris.

CAPUT V.

De Liturgia aut Missa.

IN qua dum sacerdotes Orientis sacramenta administrant, Primum ejusdem erroris culpam immerito committunt, quem ipsi merito in Ecclesia Occidentali damnant. Quemadmodum enim Occidentalis Ecclesia eorum judicio peccat per ademptionem Calicis & figuræ sanguini Domini ex Eucharistia; Ita ipsi pariter delinquunt per amotionem à celebratione

hujus instituti Dominici communionis aliorum, quod singulis Christianorum celebrandum docent. Non igitur id quod Dominus instituit, sed aliud faciunt, quemadmodum & Occidentales. Et quemadmodum apud Occidentales cum Laicos ad usum hujus Sacramenti admittunt, ad plenum instituti Dominici ritum deest vinum. Ita & Orientalibus in eorum Liturgia deest societas eorum qui ad communionem pertinent, contra quam Dominus instituit. Causa mutationis quam prætendunt, ne Laici indigne utendo pane & vino, provocent Judiciorum Dei severitatem, aliquanto plus ponderis haberet, si ipsi Sacerdotes tam frequenter suas Liturgias celebrando eodem Sacramento indignè abuti non possent. Præterea, si Dominus homines peccatores & præter alia peccata præceptum de celebratione hujus ritus omittentes: non æquè aut etiam severius puniret, quam præcepto huic morigeros, quamvis ob alia forte peccata ritum hunc indigne celebrantes. Huic malo igitur per istud remedii genus obviam non ivere Præpositi Ecclesiæ. Imo vero omnibus Laicis ad dissolutius vivendum habenas laxarunt, quas doctrina Christi in hoc ipso ritu peragendo, adduxerat, absterrendo eos à peccatis necessitate quadam, cum Officium celebrandi hujus ritus omnibus imponeret; qui vero indigne eum celebrarent, severissimas pœnas comminaretur, ita ut quasi coactione & vi quadam impulsi & constricti à somno peccatorum excitarentur, quoties celebrandi hujus ritus necessitas ingrueret. Nunc per ipsos Sacerdotes suos, vinculis istis exoluti in omne flagitii genus eruperunt, ut Auctor ipse fatetur. Vide Partis primæ *Cap*: XI. Hoc Ecclesiæ damnum cum utilitatibus hujus Liturgiæ quas affert in comparationem venire non potest. Imo vero nulla plane vera utilitas ex ea mutatione emergit, aut emergere potest, ut palam fiet, si omnes percurramus. Prima utilitas vana imo nulla est. Nam iidem ipsi, qui ideo ne ore indigne manducent Corpus Domini, ad hunc Sacrum ritum non admittuntur, non posset eodem tempore, corde & fide suâ dignius vesci eadem carne quam si eam ore manducassent. Secunda, Tum demum instituto ac præcepto Domini satisfit, cum ritus hic eo plane modo peragitur: quo is imperavit. Secus si fiat, mandati transgressio est, non obsequium. Tertia. Non possunt homines eo facto excitari ad præparandum animum tam sancto ritui quando vident eum per alios homines celebrari. Nam qui celebrant sibi solis necessitatem præparationis hujus imponunt; non aliis, qui certe tunc videntur ea soluti. Quarta, nullus metus indignis peccatoribus incutitur ab Ecclesia per hoc remedium, quando pro illis alii sacro hoc, sed periculoso officio funguntur. Imo securitas quædam animis eorum inseritur; quando vident & existimant sese hoc periculo exemptos, quod alii in se suscipiunt. Quinta Non eo fine ritus hic institutus est, ut ira Dei peccatis nostris suscitata placaretur. Sed ut Deo & Christo nobis jam placato ac propitio, imo eximium favorem testanti, pro ingenti gratia & beneficio in morte Christi præstito gratiæ agantur. *Rom.* v. 10. Sexta, Gravissimus hic error est in Religione Christiana, ingerere sese atque intrudere in munus Sacerdotale ipsius Christi Domini & sibi vendicare atque usurpare id, quod nobis Deus non contulit *Heb*: v. 4. Fecit quidem nos omnes Servator noster Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo *Apocal*: 1. 6. Ideoque Petrus populum Christi vocat Regale Sacerdotium, sed hoc Sacerdotium est alterius generis, ac diversum à Sacerdotio Christi, cujus initium in Terris factum est, in Cœlis autem perficitur. Non habet Sacerdotium nostrum, quâ Sacerdotium est, peculiare munus & eminentiam præ cæteris, quemadmodum Sacerdotium Christi. Omnibus enim membris Corporis Domini æquè competit. Oblationes & victimæ nostræ sunt 1. Victima viva, Sancta, placens Deo, rationabile servitium, & virtutes nostræ *Rom:* XII. 1. Secunda, Preces nostræ, gratiarum actiones, intercessiones, laudes & grati pro beneficiis animi assidua testimonia, prædicatio virtutum ejus qui nos ex tenebris vocavit ad mirificam lucem suam. 1. *Pet.* II. 9. Atque utinam isti usurpatores in hoc solo, ad quod ipsis aditus patebat, Sacerdotii genere, reliquo populo Christi, duces esse & bono exemplo prælucere voluissent; non aspirando ad tam excelsum munus, quo Deus unigenitum Filium suum honorare dignatus est. Sed hæc superba & ambitiosa Diotrephis posteritas, primas præ cæteris in Ecclesia affectabat, ideoque omissis supradictis impositi sibi una cum cæteris Sacerdotii officiis, usurparunt sibi munus soli Domino competens sacrificandi corporis & sanguinis Christi. Quod munus non modo uni competebat, *Heb:* VII. 23. 24. Qui tamen illud nequaquam sibi sumpsit ipse. Sed ad illud vocatus à Deo fuit secundum ordinem Melchisedeci (*Hebr.* v. 5. 6.) verum etiam collatum æterno & mortis experti Sacerdoti, non potuit habere ullum aut post illum successorem, aut eum illo participem & collegam *Heb.* VII. 24. Competebat enim hoc munus Sancto, pravitatis omnis experti, intaminato, separato à peccatoribus, & super Cœlos exaltato *Ibidem vers.* 26. At Usurpatores sortem & vitam suam inspiciant, & reputent quid sint. Atque ipsa Oblatio sive Carnis & sanguinis, sive personæ Christi, non poterat esse quotidiana (aut quod in Liturgiis fieri videmus) toties iterata; sed semel tantum oblata *Hebr:* VII. 27. Et *Cap.* IX. 25. 26. Præterea sicuti constitutum est hominibus semel, mori, deinde judicium. Ita & Christus semel oblatus est. *Ibid: vers.* 27. 28. Et Sanctificati sumus per victimam Corporis Domini semel oblatam *Hebr:* X. 10. Et hæc oblatio non potuit esse nisi una. Una enim oblatione Dominus perfectos fecit Sanctificatos *Hebr.* X. 14. Quoniam autem vi Novi Fœderis Sanguine Christi obsignati remissionem peccatorum obtinuimus, non superest jam ulla pro peccatis oblatio, neque omnino est necessaria *Hebr:* I. 18. & 26. Præterea ad hoc Carnis & sanguinis Christi sacrificium pertinet Spiritus Christi æternus, per quem se obtulit Deo irreprehensibilem *Hebr:* IX. 14. Quomodo igitur tam nobilis ac Divinæ Victimæ Sacerdotes possunt esse, terreni, mortales, peccatores, qui cum multarum culparum reatu: tum hoc quoque crimine tenentur, quod se impudenter in functionem sibi incompetentem intrudant. Quoniam autem sine Controversia benedicens major est eo cui benedicit *Hebr:* VII. Ita (quoties Sacrificium à Sacerdote diversum est) Sacerdos Victima, quam offert, præstantior est. Qua fronte igitur, & qua debiti Domino suo honoris reverentia, utraque tam Occidentalis quam Orientis Ecclesia Sacerdotibus suis imposuit Officium offerendi Deo in pane & vino agnum incontaminatum Christum Dominum: Tales actus spectare aut præsentia sua ornare, multo autem magis devota adoratione approbare qua Conscientia pius ac Dei timens Christianus possit?

CAPUT VI.

De Imaginibus in Sacris locis erigendis.

QUæstio de Imaginibus duabus partibus constat. Prima est An usus & collocatio earum in Templis, ubi cultus Dei exercetur, permitti debeat. Altera, An adorandæ & Divino cultu honorandæ

honorandæ sint. Primam partem nimium fuse Auctor persequitur; quamvis nihil esset quod in ea multum laborare contenderet. Satis in eo conscius tolerantiæ nostræ erga Ecclesias Lutheranas. Sed ipsi visum est per confirmationem prioris partis, quæ nos non adeo offendit, viam sibi munire & aditum aperire ad alteram; à qua animi nostri, tanquam pura puta Idololatria, non possunt non abhorrere. Proinde in prima parte usum Imaginum quinque rationibus defendit. Quorum singulis oppositas responsiones nostras proponit ac refellit, sequemur igitur Ordinem refellentis.

Primam rationem pro usu imaginum ponit Ornamentum Templi Dei. Responsionem nostram proponit. Non fuisse usquam Terrarum ornatius Templum Hierosolymitano, *cum ratione structuræ magnificentissimæ, tum ratione splendoris in auro atque argento ac cæteris ornamentis. Nec tamen istic ullam imaginem fuisse, sive ipsius Dei, sive Sanctorum hominum, quales fuere ante Legem Abel, Enoch, & Patriarchæ populi Dei, Deo unice dilecti, quorum se Deum etiam post obitum vocare sustinuit. Sub Lege autem Prophetæ, Moses, Samuel, Dæuid, Elias. Nam duo Cherubim super* ARCAM FÆDERIS *neque Deum neque ullum Angelorum speciatim designabant. Proinde nec ullius personæ memoriam referebant, aut effigiem exprimebant neque honorum adorationis, qui ad personas per eorum figuram figuratas referretur, admittebant.* Videamus quid respondeat. Primum ait, Deum sub Lege præscripsisse *Mosi formam Tabernaculi cui addere quicquam aut demere non licuit. At sub Novo Fœdere neque structuram Templorum, nec ornamentum ullum Christus aut Apostoli præscripsere, verum hæc judicio, voluntati ac zelo quoque Ecclesiæ reliquerunt.* Respon: Cæterum hæc responsio adeò rationem nostram non refellit, ut eam non mediocriter fulciat. Non refellit. Quamvis enim nobis neque structura neque ornamenta Templorum præscripta sunt, tamen neque Lex ejusmodi ornamenta Templorum in Ecclesia expresse prohibens, atque exemplo istius ipsius Templi Dei satis confirmata, sublata est. Imo vero ab omni similitudine Idololatriæ fugere & abhorrere jussi sumus. Ostendat Autor ubi nobis secundi in Decalogo Præcepti violandi licentia permissa est. Et si qua in eo Christianis licentia relicta fingatur, tamen id inutile & noxium censeri debet, in quo est periculum & lubricus ad Idololatriam gradus. Confirmat autem rationem nostram hæc responsio. Nam si Deus ipse quamvis ornatu & splendore illius Templi oculos hominum perstringi voluerit, aut permiserit, imaginum tamen ornamentis uti noluit neque permisit, cur nos in istis Templi Dei ornamentis excogitandis ipso Deo sapientiores & ingeniosiores esse volumus? Præterea, si tunc cum in externis & oculos ferientibus Ceremoniis cultus Dei maxima ex parte consisteret, talia tamen ornamenta in Domo sua Deus non tolerabat, quanto minus nos decet ejusmodi ornamentis velle demereri Deum, quando nunc in locum externi cultus, spiritualem substituit. Non templorum parietes imaginibus vel aulæis ornandi sunt, sed Spiritus & Corda nostra viva Templa Dei virtutibus in Lege Christi præscriptis excolenda sunt.

Cum autem infirmitatem Responsionis suæ Auctor animadverteret, ad alias confugere contendit, sed conatu irrito. *Tempore Legis*, inquit, *in quinque Libris Mosis quibus tota Lex fuit descripta, nullam apertam & expressam promissionem habuere Judæi de resurrectione, donec in eo ipsis oculos Christus aperiret. Quoniam igitur Statum mortuorum ignorabant Judæi quamobrem eorum imagines pingere, aut effigies fingere debuerunt.* Resp. An vero Ethnici notitiam aliquam aut promissionem habuere de statu mortuorum, & tamen videmus eos & imagines hominum memoria dignorum pinxisse & statuas ipsis posuisse & Colossos quoque erexisse. Imo vero quanto minus homines de redivivo statu, aut vita post mortem reduce spei vel notitiæ, aut promissionis habuere, tanto magis memoriam sui & suorum & omnium, quos memoria dignos censebant, qua poterant per imagines etiam & statuas propagare & posteritati tradere conati sunt. Sed ne de Judæis quidem id vere dici potest, quod statum mortuorum ignorarent aut redituræ vitæ spem non haberent. Soli Saducæi longe minor pars Populi, reducem vitam aspernabantur. Reliquos omnes, hoc est, totas Duodecim Tribus Israëlitici Populi, aliquam spem resurrectionis habuisse Paulus coram Rege Agrippa asserit *Act.* XXVI. 6. Deus ipse ne ulla figura exprimeretur grave fuisse interdictum fatetur Auctor. Sed huic objectioni aut non respondet aut sic respondet, quod Deus voluerit ut arcanum de statu mortuorum non revelaretur nisi sub Evangelio.

Respon. Quæ verò Dei cum statu mortuorum connexio est? Præterea eò quod aliquis in terris vivere desierit, quæ causa vel necessitas adigit, ut memoria quoque ejus penitus intereat? Hæc responsio cum homini non satisfaceret recurrit ad aliam. Quod sub Lege non tantum formula Precum præscripta non esset, sed ne Præceptum quidem de precibus, præsertim autem intercessionibus pro aliis extaret: quo nunc non caremus. Non examino hanc assertionem, sed quid ex ea extorquere Auctor contendit? An inde concludi potest Judæis olim imagines erigere non licuisse, nobis autem licere. Obsecro, quis Conclusionis cum præmissis nexus est?

Altera ratio erigendarum in Templis imaginum ab Auctore affertur, propter homines simpliciores Sacræ Scripturæ expertes, ut Christum, Sanctissimam virginem & Apostolos nosse possint. Responsionem nostram addit his verbis; Erant & sub Lege permulti Literarum rudes, & tamen in eorum gratiam imagines erigere non licuit, imo acriter prohibebantur. Quid ad hæc Auctor? Ad responsiones, quæ ut vidimus tam futiles ac frivolæ fuerunt, ut non modo solidi nihil, sed ne speciem quidem ullam rationis haberent, addit & hanc novam propositis non meliorem quod *sub Lege una fuerit Gens Hebræa, unum Templum Salomonis, in quo Deus ipse illos alloquebatur per Angelos, & visibiliter inobedientes punichat, & vetabat misceri cum Ethnicis. At sub Evangelio Populus Christi per varias Gentes dispersus, in quo multi sunt homines literarum rudes. Hos igitur docuit habere Doctrinam de Deo, Christo & Sanctis ejus per imaginum erectionem, oculis obviam.*

Respon. Omnis hujus responsionis vis est in eo, quod nunc sub Evangelio simpliciores ac rudiores sint homines, quam olim sub Lege, & simpliciori quoque discendi modo, qualis est per imagines indigent. Sub Lege vero erant sapientiores, & plus habebant Cælitus opis ne errarent. Sapientiores, quia erant ex una Gente & Ecclesia nec erant in diversis gentibus ita dispersi, ut Christiani postea. Plus habebant Cælitus latæ opis, quod illos Deus alloqueretur per Angelos Respon. Prior pars Responsionis ne similitudinem quidem ullam veri habet. Nam ut in doctrina

Evangelii plura Sapientiæ Cæleſtis myſteria Chriſtus Dominus cunctis aperuit quam Moſes olim in Doctrina Legis, ita homines vulgo & ordinarie ſub Evangelio ſapientiores eſſe, quam ſub Lege neceſſe eſt. Incommodis autem ex converſatione cum Ethnicis probe medetur Converſatio cum domeſticis fidei, Lectio, auditio verbi Dei & mutua correctio ac diſciplina. In altera parte reſponſionis ratione monitionis quam homines ſub Lege habebant, ne errarent, ita loquitur Auctor, quaſi hodie quoque Deus homines non alloquatur per Spiritum Sanctum, & quaſi interdum non puniat homines Ananiæ ſimiles per viſibilia in Populo Chriſti judicia ſua. Alloquebatur ſane Deus homines olim per Angelos, ſed non omnes, neque ſemper & ordinarie, ita ut inter eos rudiores & ſimpliciores monitu & informatione ſapientiorum indigerent: præſertim in illa Legis doctrina obſcura, umbrarum & figurarum plena, antequam idem Deus alloquendo nos per Filium (*Hebr.* 1. 1.) Solem Evangelii Orbi Terrarum exoriri feciſſet. Nunc per Spiritum Sanctum & vim penetrantem verbi ſui nobiſcum loquitur, quod verbum vivum & ad profunda cordium penetrans, etiam in ſimpliciſſimis longe plus quam mutæ & inanimæ imagines efficere poſſunt. Nec de facie nobis & vultus lineamentis Chriſtus Dominus & Apoſtoli ejus agnoſcendi ſunt, ſed ex Doctrina & myſteriis fidei per illos prædicatis. Non oculi nobis picta & ficta & plerunque falſa & ab artifice excogitata ſpecie, ſed aures vera Chriſti & Apoſtolorum Doctrina paſcendæ ſunt. Non per oculos ſed per aures & verbi Dei auditum fidem cordibus noſtris vox Dei inſevit. Objectæ oculis & viſui noſtro imagines, neque Leges, neque promiſſiones Dei nobis exprimere poſſunt. Nec video quamobrem tunc potiſſimum cum aures & cor noſtrum ad attentum verbi Dei auditum, erigi debent, oculi noſtri imaginum vanitate & cogitationum diſtractione ab eo quod tunc agitur averti debeant. Verum non ſatis erat quod Deus ſub Lege erigere imagines, tanquam res tunc illi Populo ſecundum mentem auctoris non neceſſarias minime juſſerit. Longe plus & majus eſt, quod eam rem tanquam noxiam & voluntati ſuæ repugnantem præciſe vetuerit. Quam rationem Auctor ne attigit quidem.

Tertia ratio uſus in Templis imaginem eſt. Quia id expedire videatur ad abducendos Chriſtianos ab Idololatria Paganorum.

Reſpondent noſtrates, vix ullam Gentem fuiſſe magis pronam & proclivem ad Ethnicorum Idololatriam, quam fuit Hebræa, & tamen ad Hebræos ab ea abducendos, non modo non imperatum, eſt erigi imagines, ſed vetitum & interdictum. Cujus interdicti violationem merito Turcæ ac Machometani Chriſtianis exprobrant: Reſponſionem hanc refellit Auctor. *Fateor*, inquit, *fuiſſe præ aliis Gentibus maxime pronos Hebræos ad Idololatriam Paganorum, ſed fædam & craſſam. Nam viſibilibus miraculis educti ex Ægypto, non fecerunt imaginem Enochi aut Abrahami, ſed muti animantis Vituli quem Ægyptii colebant. Tanto magis igitur placuit Deo hoc remedio eos ab Idololatria abducere ut nullam omnino imaginem permitteret.* Reſp. Hæc exceptio adeo non tollit reſponſionem noſtram, ut eam non mediocriter confirmet. Nam ſi Deus ipſe, ad avertendos ab Ethnica Idololatria homines, genus remedii invenit & elegit, ut uſu imaginum in Templis interdiceret, qua fronte Eccleſia damnare in eo ſapientiam Dei auſa eſt, & contrariam viam ingredi, dum per introductionem imaginum è Templis Ethnicorum Idololatriam pellere contendit? Sed urget Auctor Deum ſub Lege per interdictum imaginum uſum, homines ab illo fœdiori & craſſiori Idololatriæ genere, quale vigebat in Ægypto avertere voluiſſe, contra ſub Evangelio, à ſubtiliori Idololatria plane diverſo genere remedii homines abducendos eſſe. Reſp. Ita loquitur Auctor, quaſi Chriſtianis temporibus non eadem quæ olim ſuperſtitio ubique terrarum regnaret. Imo vero craſſior eſt Idololatria divino honore & cultu colere non Deum; quam Deum honore & cultu parum ſufficienti & parum divino, quemadmodum tunc Hebræi Deum qui ipſos ex Ægypto eduxerat colere volebant. Atqui prioris generis id eſt craſſiores Idololatras adveniens in Orbem Doctrina Chriſti deprehendit, atque illas ipſas Ægyptias & ſimiles ipſis paſſim regnantes ſuperſtitiones. Verum conſequentiam, argumenti Auctoris examinando dicimus. Si prohibitarum imaginum remedium avertendis hominibus à craſſioris Idololatriæ genere prodeſt, tanto magis prodeſt, (imo neceſſarium eſt) ad eoſdem arcendos à ſubtiliori, quanto magis uſus imaginum (quemadmodum Auctor ſentit) ſubtiliori Idololatriæ ſimilis eſt. Propter hanc igitur imaginum ſimilitudinem cum profana ſuperſtitione noluit Deus hoc externo & ſuperſtitionibus Ethnicis maculato cultus genere coli, ſed ſpiritualem modum cultus & honoris ſibi delegit etiam tum, cum varia Ceremoniarum genera in populo ſuo ad tempus eſſe vellet. Quod ſi tunc quoque cum prima & tenuis cognitionis Dei aurora hominibus illuceſcere inciperet: abominatus eſt Deus iſtud per imagines colendi ſui genus; multo magis nunc Doctrinæ Chriſti ſole exorto, & meridianæ lucis radiis Orbem illuſtrante.

Ad reprehenſionem & exprobrationem Idololatriæ quâ Turcæ & Machometani Chriſtianis inſultant, non aliud reſpondet Auctor, quam quod ad condemnandum iſtum in Eccleſia Orientali aliiſque pluribus regnantem errorem plurimum facit & confert. Verba ejus ſunt. *Quod autem Turcæ imaginibus non utantur, eaſque in Templis ſuis non colocant, hæc eſt cauſa quod ex craſſiſſimo & maxime barbaro Ethniciſmi genere exierint, quod Deum creatorem Cæli & Terræ ignoravit. Deum igitur inviſibilem pingere neſciunt, nec poſſunt nec audent.* Reſp. Quid aliud ex iſtis verbis concludi poteſt, quam quod Chriſtiani imaginibus utentes, eaſque in Templis ſuis colentes, ac Deum inviſibilem quamvis nec poſſint nec ſciant pingere audentes, nondum exierunt ex craſſiſſimo & maxime Barbaro Ethniciſmi genere, quod Deum creatorem ſuum ignorat aut quod pejus eſt, illum non plane ignorando voluntatem tamen ejus rimari negligit, imo vere reſiſtere ipſi ac repugnare contendit.

Quarta ratio uſus imaginum. Honor Chriſti & Sanctorum ejus. Reſponſio noſtra eſt, Sancti homines omni ſemper honore ac veneratione digni erant, tam ſub Novo, quam ſub Vet: Fœdere, & tamen nullius ex dilectiſſimis Dei viris imago ad cultum erigi permiſſa eſt, imo id ſeveriſſime vetitum. *Serpens Æneus figura fuit Servatoris noſtri in Cruce pendentis, & mandato Dei fuit erectus magno populi emolumento. Sed quando Populus ipſi Thus adolere cœpit pro Organo Idololatriæ habitus, & à Rege Ezechia contritus eſt* 2. Regum XVIII. 4. Cauſam non aſſequor, cur ad iſta Auctor, non ſuo ſed Eccleſiæ nomine reſpondeat, niſi quod reſponſio ſibi minime ſatisfaciat. Fatetur igitur Sanctos Dei æque dignos fuiſſe omni honore ſub Lege, atque nunc: Sed ait nobis id ſub Evangelio nunc longe notius eſſe, quam fuit olim Iſraëlitis, ut in prima ratione memoratum eſt.

Reſp. Exceptionem hanc primam, etiamſi vera eſſet, non refellere reſponſionem noſtram. Secundam Veram non eſſe, non refellit. Reſponſio enim

noſtra

noſtra non id continet ſolum, quod homines ſub Lege per erectionem imaginum Sanctos non colerent, ſed etiam quod id ipſis à Deo expreſſe fuit vetitum. Ergo etiamſi habuiſſent longe perfectiorem notitiam dignitatis Sanctorum Hebræi quam nos habemus, vel ipſa vi interdicti divini facere id quod ipſi repugnabat, vetabantur. Quod interdictum nunc eſſe ſublatum Auctor oſtendere nequit. Vera autem non eſt. Numquid enim homines ſub Lege carebant ejuſmodi documentis dignitatis Sanctorum quæ nos habemus? Enochum & Eliam Deus è terris in Cœlum vivos tranſtulit. Abraham Amicus Dei vocatus eſt. Moſi quod dederit ipſe Deus teſtimonium Sacra Scriptura non reticet. Davidem agnovit virum ſecundum animi ſui ſententiam. Aliis Prophetis miracula quæ patrabant quanti à Deo æſtimarentur fidem faciebant. Ad mentionem æenei *Serpentis* ait *nos nunc quidem noſſe, quod is figura Chriſti fuerit: verum id Judæis non pariter notum fuit. Ideo ipſi thus adolebant tanquam Serpenti.* Reſpon. Ut ipſum colerent tanquam verum Serpentem, cauſa ipſis nulla eſſe potuit, veri enim Serpentes erant eorum noxii hoſtes, à quibus eos hic æneus miraculoſa Dei potentia liberabat. Quamvis igitur illos myſterium de Chriſti morte latuiſſet, tamen quod cum Deus erigi juſſerit & per illum tot miracula patrarit, ignorare non potuerunt, ideo propter hanc viſibilem cauſam cultum ipſi divinum aut divino proximum exhibebant: quod Deus per iſtud vile & inanime organum tantum majoribus eorum beneficium præſtitiſſet. Non aliter quam hodiè Chriſtiani ligno, aut Clavis de quibus Chriſtus pependit divinum honorem exhibentes, hunc obtentum prætendunt, quod in eo memoriam miraculoſi Dei beneficii celebrant, per ejuſmodi vilia organa in morte Chriſti in nos collati. Sed quemadmodum hic prætextus olim non valuit, ita multo minus nunc valere poteſt.

Fatetur poſtea vi veritatis conſtrictus, *In Imaginibus magnum poſſe eſſe abuſum eumque non minus quam nos damnare ſe* ait. *Sed addit etiam abſque imaginum cultu poſſe committi Idololatriam, præſertim ab hominibus avaris, quod genus Idololatriæ regnare in Eccleſiis à Romana & Græca ſejunctis. Quiſquis igitur eorum Eccleſiam Orientalem hortatus fuerit, ut ejiciant imagines de Templis tanquam lapidem ſcandali, ne anſa præbeatur Idololatriæ, huic viciſſim reſponderi poſſe; Ejiciendum è corde cultum Mammonæ perpetuam Idololatriæ occaſionem, & ſuſcipiendam voluntariam paupertatem, præſertim cum Chriſtus in divitiis inextricabiles difficultates & impedimenta ſalutis eſſe cenſeat.*

Reſp. Removere impedimenta & pericula in via ſalutis obſtantia, Ratio ſana, & Piieas ſuadet. Non omnia tamen impedimenta ſalutis æque conatibus piorum obſtant, & quæ obſtant non omnibus neque ſemper removenda videntur. Præterea ſunt quædam impedimenta & pericula, quæ Deus ab omnibus plane removeri vult & imperat. Sed nec deſunt quorum remotionem arbitrio hominum ſubjecit, neque ullo interdicto aut generali voluntatis ſuæ ſignificatione damnavit aut prohibuit. Quales ſunt divitiæ quas Auctor Mammonam appellat. Quibus ſi quis ſerviat & in illis fiduciam collocet, ſervire Deo non poteſt quia ſervit Idolo. Quod tamen divites poſſint divitiis non ſervire neque iis animum applicare, ſed in bonis operibus diteſcere, & quaſi in theſauro ſibi recondere fundamentum bonum, & ad conſequendam æternam vitam efficax legimus. 1. *Tim.* VI. 17. 18. 19. Sed imaginum colendarum uſum in præceptis ſuis Deus aperte vetuit, & eas in Templo ſuo collocari noluit. Præterea Abjectio divitiarum ſi ab omnibus ſemper & ubique exigeretur, multæ difficultates, multa incommoda inde oborientur, & plurimarum virtutum occaſiones præciderentur. At imagines è Templis tolli, aut in iis non erigi nullam difficultatem aut incommodum continet, nec ullius virtutis facultas aut occaſio per earum ſublationem tollitur. Contra vero præſentiſſimum capitalis ſceleris periculum amovetur.

Quinta ratio pro erigendis in honorem Sanctorum imaginibus prætenditur, ut refricetur eorum viva & viſibilis memoria. Reſpondent noſtri Deum rerum memoria dignarum, quemadmodum gratiæ & beneficiorum in Sanctos collatorum memoriam, non per hanc damnatam Legibus ſuis rationem: ſed aliis modis refricari, imperaſſe, qualis eſt lectio, & aſſidua Legis ſuæ conſideratio, & feſtorum quorundam in memoriam beneficiorum Dei inſtitutorum celebratio. Hac eadem ratione ad eam rem Chriſtianos uti æquum eſſe. Huic reſponſioni Auctor ſic occurrit. Eccleſiam quoque non omittere utrumque modum à Deo præſcriptum, ſed adjicere tertium hunc in erectione imaginum, ut quanto plura in nos per Chriſtum Deus beneficia contulit, quam in Judæos per Moſen, tanto ſtabiliorem & plane aſſiduam eorum memoriam nobis ob oculos ponamus. Qui tertius modus eo melior eſt & efficacior, quod pictura aut res pictæ melius imprimantur animis hominum per nobiliorem ſenſum, quam per auditionem earum rerum & mortales plus uni huic ſenſui, quam reliquis quatuor fidei adhibeant, quod confirmat teſtimonio Pauli *(Gal.* III. 1.) exprobrantis Galatis Chriſtum oculis eorum ita fuiſſe delineatum, tanquam inter eos fuiſſet crucifixus. Reſp. Mirum eſt profecto iſtud tam efficax remedium imprimendæ firmiter in cordibus noſtris bonarum rerum memoriæ, neque ipſi Deo ſub Lege, neque Chriſto Domino ſub Evangelio in mentem veniſſe. Qui nobis jam ſub gratia Novi Fœderis conſtitutis maximi ſui Patriſque ſui beneficii, in ſua morte nobis exhibiti, memoriam, non per imagines, aut picturam, ſed per Ritum repræſentandæ Cœnæ Domini refricandam inſtituit. Eccleſiam vero demum poſteriorem longo poſt Apoſtolicum Ævum tempore hunc meliorem (ſi Diis placet) & efficaciorem modum inveniſſe. Sed niſi id ſuſpectum ac periculoſum fuiſſet, nunquam à Deo ipſoque Chriſto omiſſum fuiſſet. Quod autem viſus nobilior eſſe ſenſus prætendatur cæteris, nihil refert. Fides enim noſtra verſatur circa inviſibilia *Hebr.* XI, Et Apoſtolus nos ſpectare jubet potius inviſibilia quam oculis ſubjecta. 1. *Cor.* IV. 18. Vellem profecto nobis ejuſmodi pictoris dari copiam, qui res fidei noſtræ objectas depingere norit, quæ non niſi per verbum Dei & ejus auditum ad mentem & cognitionem noſtram penetrare queunt. Porro argumentum ex Epiſtola ad Galatas ſumptum minus eſſet ridiculum, ſi Auctor oſtendere poſſet Apoſtolum Galatis proprie dictam & materialem (ut ſic loquar) imaginem mortis Chriſti delineaſſe. Sed quia & res ipſa & verba oſtendunt picturam hanc factam fuiſſe per doctrinam & prædicationem, ideo contrarium ex illis concludi neceſſe eſt, hoc eſt, ad eas res ob oculos ponendas Pictoris penicillo opus non eſſe, quæ pio ac religioſo ſermone longe melius exprimi ac delineari poſſunt.

CAPUT VII.

De Cultu Imaginum & Idololatria.

ABſoluta priori quæſtionis parte de erigendis in Templis imaginibus, nunc ad alteram accedamus. An ſint colendæ & religioſo cultu adorandæ, quæ tanto gravior eſt priori, quod error

in illa non neceſſariò ſecum trahat crimen Idololatriæ, hæc autem illud in ſe plane includat. Ad cultum earum religioſum pertinet genu flexo ipſas adorare, thura adolere, eas vocare Deos, aut vocantes in eadem Eccleſia tolerare, lumina ipſis accendere, religioſa oſcula figere, itinera ad eas viſendas ſuſcipienda vovere, preces ad eas directe convertere, denique agnoſcere in iis divinam aliquam miraculoſam poteſtatem. Hæc omnia in Orientali Eccleſia aliiſque ſimilibus deprehenduntur, in quibus manifeſta Idololatria etiam cæcorum manibus palpari poteſt. Quod cum nos acriter reprehendamus, reprehenſionis noſtræ rationem Auctor nomine noſtro hanc reddit. Nihil erat ſub Lege Sanctius & honore dignius *Arca Fœderis*, quam ipſe Deus ad præſcriptam normam conſtrui curavit, & quam ejuſmodi miraculis condecorabat, quæ ab ipſa patrari viderentur. Si qui forte eam attigiſſent ſubita morte extinguebantur, perinde atque ii qui eam introſpicere auderent, qui eam domi ſuæ ſervaret, inſigni benedictione Dei gaudebat. 1. *Sam.* v. Ad præſentiam ejus Idola Palæſtinorum contrita cadebant. Eadem Gens detentionem ejus miraculoſi morbi ſupplicio luit: nec ab iſto malo liberari potuit donec eam honorifice remiſiſſet. Et tamen hanc Arcam nemo Iſraëlitarum ſupradictis adorationis ſignis honoravit. Quis ipſi divinum cultum exhibuit, aut divinam in ea poteſtatem veneratus eſt? Deo hæc omnia tribuebantur, non Arcæ aut Cherubinis in ea erectis. Ergo licet omnes iſtæ ſuſpectæ relationes & miracula, quibus religioſum imaginum cultum adſtruere & confirmare nituntur, vera eſſent, tamen religioſa adoratio imaginibus non eſſet exhibenda, quæ ſoli Deo competit. Reſpondet Auctor, Negando Orientalem Eccleſiam ſupradictum cultum religioſum exhibere imaginibus ipſis per ſe, hoc eſt, ligno & materiæ illarum, aut formæ & coloribus, ſed tantum iis perſonis, quas imagines denotant & figurant. Per imagines igitur ipſius Dei, ait coli Deum cultu latriæ. Per imagines Sanctiſſimæ Virginis ipſam Virginem coli cultu hyperduliæ, denique per imagines Sanctorum ipſos Sanctos cultu Duliæ.

Reſp. Tam frivolis excuſationibus non purgabunt accuſati objectum ſibi crimen Idololatriæ. Primum enim quod ipſum Deum attinet, unde ipſis hæc audacia, quod adverſus ſecundum Decalogi Præceptum (quod ſicuti & primum Idololatriæ occurrit) ipſius Dei effigiem pingere audent. Nonne ipſe Auctor paulo ante confeſſus eſt gravi interdicto cautum fuiſſe, ne Deus ipſe unquam pingeretur? Ubi vero hoc interdictum ſublatum? Ubi ſecundi Præcepti vinculo Populus Dei ſolutus eſt? Non eſt noſtrarum partium curioſe inquirere cur Deus effigiem ſuam exprimi vetuerit. Sufficit nos ſcire quod vetuerit. Docet tamen Spiritus Sanctus, dictat & ipſa ratio ejus rei manifeſtam cauſam, quod eum nemo unquam viderit in luce inacceſſa habitantem. An vero ſub Evangelio Deus invisibilis eſſe deſiit? Præterea quemadmodum Deus ipſos Deos falſos abominatus eſt, ita & ipſam colendorum rationem eſt abominatus. Colebantur enim per imagines variarum Dei creaturarum. Quæ colendi ratio cum ad ſummi omnium rerum Creatoris Majeſtatem adhiberetur: non poterat eâ contumelia Deus niſi graviſſime offendi. Plerumque tamen per humanas imagines colebantur. Quod erat manifeſtum veſtigium oſtendens ipſos falſos fuiſſe Deos, mortalium enim hominum figuram imagines illæ exprimebant. Et omnes fere Dii Gentium, quorum nomina extant, quondam homines fuere. Habuit igitur in ſeipſo modus hic religioſi cultus Divini per imagines exhibiti manifeſtum veſtigium & quaſi tacitam illegitimæ Idololatriæ confeſſionem, dum homines mortales pro Diis immortalibus colerentur. Nec mirandum eſt Deum hanc colendi ſui rationem repudiaſſe, quæ non niſi falſis Diis competere poterat, qui quod aliquando mortales fuiſſent, non niſi per mortalium imagines coli poterant. Rationes iſtæ voluntatis divinæ nunc quoque non minus quam ante locum habent. Sed nobis & ipſa divina voluntas & ſecundi præcepti interdictum ſufficit. Quod tametſi ſequioris ævi Eccleſia tacita ejus omiſſione ex mentibus ac memoria hominum abolere contendat, tamen è verbo Dei Sacra Scriptura conſignato eradi nequit. Quod igitur Adverſarii ſolum Deum cultu latriæ colere velint improbare non poſſumus. Sed quia cultum hunc eo modo exhibent, qui non niſi falſis Diis competit, & eſt proprie dicta Idololatria, ſeu Idolorum cultus, à Deo ipſo damnatus, id vero reprehendimus. Quod enim iſtud genus honoris aut venerationis eſt, tantum Numen honorare velle eo cultus genere, quod ipſum repudiat ac abominatur? Non erant adeò vecordes Iſraëlitæ in deſerto, quando vitulum fabricari curarunt, ut illi auro quod Mulieres conferebant, aut figuræ ab Aarone formatæ divinam poteſtatem tribuerent. Deo qui eos ex Ægypto eduxerat honorem hunc deferebant, quod verba ipſorum exprimunt. Sed quia in Ægypto didicerant, non alio cultus genere venerationem exhibitam iis qui pro Diis haberentur; Idcirco & vero Deo eundem cultum (quem falſo pro divino reputabant) tribuere non dubitabant. Quod tamen eos culpâ idololatriæ ſolvere non poterat: quæ non in eo erat quod falſo Deo, hoc eſt non Deo divinum honorem: ſed quod vero Deo non divinum, ſed idololatricum cultum exhiberent. Quamvis enim ab Aarone humanam effigiem efformari curaſſent: non minus Deus ejuſmodi cultum abominatus fuiſſet, & pro Idololatrico damnaſſet. Frigida igitur eſt ac frivola excuſatio hominum, qui ſe non lignum aut materiam, non colorem aut formam, ſed vulgo ipſum Deum adorare cauſantur, quando contra expreſſam voluntatem ejus Idololatrico modo per cultum (vulgo) Idolis & imaginibus delatum, verum Deum adorant.

Deinde quod Sanctos, ipſamque Virginem Sanctiſſimam attinet, differentia Cultus religioſi, quæ inter honorem Deo, & honorem Sanctis exhibitum ponitur: In ſolis verbis callidè confictis, non vero in reipſa deprehenditur. Ideò iſtud Græcæ vanitatis commentum, neque Latina, neque Polonica lingua ſatis apte exprimi poteſt. Niſi quis per cultum latriæ Divinum, per cultum duliæ, *Servilem*; per hyperduliæ ſuper ſervilem intelligere velit aut explicare. Sed hæ diſtinctiones adverſariis non proderunt, ubi oſtenderimus honorem & cultum Sanctis exhibitum, non modo in oculis mortalium, diverſum non eſſe à cultu ſoli Deo debito, ſed in reipſa quoque eſſe purum putum cultum latriæ, hoc eſt, illum ipſum cultum qui ſoli Deo debetur ac tribuitur. An non enim cultus iſte, quo Divinam Omnipotentiam ei qui colitur tribuimus, eſt ſolius Dei proprius, & cujus is neminem participem facere poteſt, quin ipſi prius omnem poteſtatem in Cælo & in Terra concedat? An non religioſe adorando imagines illorum, quos oculis non cernimus, eorum opem precibus invocando tribuimus ipſis jugem & aſſiduam in omni loco & tempore præſentiam, ſeu omnipræſentiam quæ abſque omnipotentia ne cogitari quidem poteſt. Annon agnoſcimus nos ab ipſis ſemper & ubique exaudiri & præſenti ope adjuvari poſſe? Unde autem evincere poſſunt datam à Deo Sanctiſſimæ Virgini aut ulli Sanctorum regnantem in Cælo & in Terra Omnipotentiam: quæ ſola poteſtatem exaudiendi, & opis ſemper & ubique ferendæ

ferendæ ſecum affert? Hoc etiamſi abſque adhibitis imaginibus fieret, tamen apertum adverſus primum Decalogi mandatum contineret delictum. Multo gravius eſt quod peccata peccatis cumulando, primum juxta & ſecundum præceptum unà violatur. Imagines ſicubi reperiantur, contumeliis afficiendæ non ſunt: Sed non ideo adverſus manifeſtum Dei interdictum divino cultu colendæ & adorandæ ſunt. Poteſt unuſquiſque ab earum contumelia abſtinere, & tamen eaſdem ex eo loco, ubi eas collocare nefas eſt, transferre in alium, quemadmodum poteſt unuſquiſque Diabolo non maledicere, & tamen ei non obſequi, imo cum eo viriliter pugnare. Fatetur vero Auctor in cultu imaginum vilis & ſtultæ Plebeculæ abuſus, & gentiles ſuperſtitiones non deeſſe, ita ut extirpari hucuſque non potuerint. Reſp. Tanto magis deplorandum eſt, quod cum noſtri officii ſit Ethnicas & Gentiles ſuperſtitiones veteres, abuſuſque extirpare, nos eo omiſſo, novas Chriſtianas ſuperſtitiones accumulamus, & quidem adeò turpiter & notoriè, ut barbaras quoque Turcarum exprobrationes provocemus, qui adverſus nos eo nomine in Judicio Chriſti actionem inſtituent.

Progrediendo ulterius, fidem conciliare nititur miraculis prætenſis & incertis narrationibus, quarum plena eſt ut ait Hiſtoria Eccleſiaſtica. Et ait Scriptoribus earum rerum nullam eſſe potuiſſe cauſam cur in gratiam gloriæ Dei mentirentur ſeque & alios ultro deciperent. Reſp. Quando Dominus contemptoribus veritatis (ut à Spiritu Sancto prænoniti ſumus) miſit efficaciam erroris ut crederent mendacio, permiſit Satanæ excitare tot mendaces impoſtores, præcipue ex hominibus per Monaſteria profundo otio deditis, aut ex iis quorum Deus erat venter, qui ut placerent hominibus aures prurientes habentibus, tot ac tam inverecundas fabulas confinxerunt, ut earum nomine Spiritualis & inſons Religio Chriſti apud Externos male audire cogatur 2. *Tim:* IV. 3. Quibus aures ſtultarum mulierculârum & virorum muliebrium demulcent ac titillant. Sapientiores autem ad contemptum Religionis & Atheiſmum impellunt.

Mox probat adorationem quæ fit coram imaginibus eorum quos deſignant, ipſam per ſe nihil delicti continere. Affert ejus rei exemplum *quod licet in Scriptura Veteris Fœderis non extet præceptum de Arca Fœderis ſub Lege adoranda. Tamen Joſue ſciſſis veſtimentis facie ad Terram verſa, procubuit humi ante ipſam, & uſque ad veſperam jacuit cum Senioribus Populi, & tamen id ipſi non fuit imputatum pro peccato & Idololatria, ſed à Deo exauditus eſt & gratiam impetravit.* Reſp. Arca Fœderis non erat perſona, neque effigies perſonæ Domini. Proinde cultum & honorem illum Joſue Arcæ non exhibuit, nec exhibuiſſe videri poterat. Sed quia Tabernaculum Dei in quo erat hæc Arca, fuit Domus Precationis, non mirum eſt urgente gravi neceſſitate invocandi auxilii divini, Joſuen in eodem Tabernaculo aſtante Arca Fœderis Preces ſuas ad Deum effudiſſe, non ſine omni genere externæ corporis ſui humiliationis. Quoties res aliqua materialis non exprimit perſonam & faciem ejus cui cultus primarie exhibetur, (quemadmodum Arca non exprimebat Dei perſonam) adoratio quæ prope illam in proximo aſtantem fit, non poteſt dici quod illi ipſi exhibeatur, alias quiſquis Deum religioſe in Templo adorat aſtantibus in proximo Templi parietibus; ipſis quoque parietibus aut Columnis honorem hunc exhibere putandus eſſet.

Denique ſub finem demum Objicit ſibi argumentum, à quo potius incipiendum erat. Nempe ſecundi in decalogo Præcepti divini autoritatem, in quo Idola ſeu imagines colere & effingere nobis ullius creaturæ Dei ſimilitudinem, ad eam adorandam, prohibemur. Quod quia ſub Evangelio nuſquam ſublatum legimus, illud tranſgredi nefas eſt.

Reſpondet *Sabbati quoque obſervatio eodem decalogo præcepta eſt, nec uſquam ſub Novo Fœdere abrogata: Nec tamen ad ejus obſervantiam quiſquam adigitur.* Mox probat Chriſtum Dominum. Cum toties à Judæis violati Sabbati crimine impeteretur, nuſquam tamen abrogatum eſſe expreſſe declaraſſe. Hæc probantis argumenta nos non refellimus, quod Auctori aſſentiamur Chriſtum nullo ſingulari Præcepto Judaicam illam & carnalem Sabbati obſervationem abrogaſſe. Verum tamen reſponſio hæc incaute ab Auctore propoſita eſt, quia per eam ita ut facit propoſitam, non unius tantum ſecundi: Sed omnium & ſingulorum decalogi præceptorum auctoritas convellitur. Cui reſponſioni hunc in modum occurrimus. Reſp. Non venit Dominus ad tollendam, ſed ad ſupplendam Legem (*Matth.* v. 17.) & perficiendam ſeu deducendam ad perfectionem quæ ipſi defuit *Hebr:* VII. 19. Quædam igitur Præcepta Decalogi ſingularibus præceptis quæ legimus *Matth.* v. alia vero per generalem analogiam & naturam Spiritualis Doctrinæ ſuæ prædicatione & praxi Apoſtolorum ſuorum confirmatæ ſupplevit ac perfecit. Sed & ipſa Præcepta Dei ſub Lege duplicia fuere. Quædam Spiritualia ad habitus virtutum & vitæ pietatem pertinentia. Alia quodammodo Carnalia ſeu Ceremonialia, ad externam temporum, locorum, circumſtantiarum, & rituum obſervantiam alligata. Poſterius præceptorum genus, nihil aliud fuit quam typi, umbræ, & figuræ rerum longe potiorum, quæ ſub Evangelio locum erant habituræ. Quicquid igitur in tota Lege ſive decalogo ſive alibi repertum eſt, quod ad poſterius præceptorum genus pertineret, id primum Analogia & natura Doctrinæ Chriſti ſuſtulit. Quia figuras rebus figuratis abſque ullo ſeveriori interdicto dare locum neceſſe eſt. Deinde ipſi quoque Apoſtoli omni exceptione majores Leges Chriſti interpretes prædicatione & praxi Eccleſiaſtica antiquarunt. Præcipue cum decreto primæ Synodi Hieroſolymitanæ, omnes Gentes totius Legis Ceremonialis jugo exemerunt. *Act.* xv. Idem Paulus in Epiſtola ad Galatas & alibi toties inculcat, præſertim ubi obſervationem dierum & Menſium, temporum, imo vero nominatim Sabbatorum, damnat *Gal.* IV. 10, 11. quo loco manifeſta eſt abrogatio ejus, quicquid in hoc ipſo decalogi præcepto Ceremonialem Dei cultum redolebat. Nam totum iſtud præceptum de Sabbato, Ceremoniale ideoque ſublatum fuiſſe nemo dixerit Vis & anima hujus præcepti in eo ſita eſt, ne homines laboribus negotiis & occupationibus hujus ævi, quibus vulgo plus æquo indulgent, & in iis frequentiſſimas peccandi occaſiones reperiunt: ita immergerentur, quin iis interdum imo ſæpe omiſſis, aut intermiſſis, bonam partem temporis & ævi ſui ad eas occupationes convertant, quæ ad gloriam Dei, ad conſiderationem beneficiorum ejus & preces & invocationem nominis ejus, ad exercitium omnis pietatis ac devotionis pertinent. Id vero nemo ſuperfluam ceremoniam, ſed neceſſarium vitæ Chriſtianæ officium putaverit. Id neque Dominus neque doctrina ejus, neque Apoſtolorum, nec primitivæ Eccleſiæ praxis ſuſtulit, ſed potius ad hoc officii genus urgendum multos & acres ſtimulos addidit. Verum allegatio hujus officii & quaſi celebrandi hujus Feſti adſtrictio, ad certam aliquam diem, aut præfixum tempus (quod jam Ceremonialem ritum redolebat) repugnabat analogiæ Spiritualis doctrinæ Chriſti. Nec doctrinæ ſecundum pietatem ſublimi ac perfectæ utilis eſſe poterat. Quæ non præſcribendo

bendo ullas circumstantias, id à nobis requirit, ut non modo septimam vitæ nostræ partem, sed quoad fieri potest, & quantam nobis conditio vitæ nostræ permittit, longe maximam ævi nostri partem, ejusmodi occupationibus consecremus. Imo vero requirit à nobis, (in quo carnale illud Sabbatum figura fuit Spiritualis Sabbati) ut per omnes vitæ nostræ dies festum celebremus, non in veteri fermento malitiæ & impietatis, sed in azymis veræ Sanctimoniæ 1. *Cor.* v. 8. Si volumus ingredi requiem Domini, quam ante nos Dux noster, ingressus est. Quod gloriosum Sabbatum (ut Auctor Ep: ad Hebr: ait) manet adhuc & præparatum est Populo Dei *Hebr.* IV. 9. Nullum igitur Dominus & Legislator noster Decalogi præceptum abrogavit. Sed defectus tantum, si qui erant, sustulit, partim supplendis perfectioribus virtutibus, quod in tertio, sexto & septimo fecit, partim amputandis, nunc jam parum necessariis ritibus, quod in hoc quarto feciſſe videtur. Non potest igitur Auctor sic argumentari. Quoniam nunc Decalogi præceptum de Sabbato licuit Ecclesiæ abrogare aut immutare. Ergo & secundum licuit penitus abrogare. Nam Ecclesiæ, post Apostolica tempora, nullum præceptorum Dei tollere aut immutare licuit. Legislatori nostro integrum erat figere & refigere Leges præsertim ceremoniales. Erat enim Dominus non tantum Sabbati, sed omnium aliarum rerum, quæ officium & doctrinam ejus figurabant. Sed ille (quemadmodum de se ipse testatur) nullum Legis præceptum ad vitæ pietatem & sanctimoniam pertinens (secundum quam sui partem Lex spiritualis dicitur) abrogavit aut sustulit: sed omnia confirmavit, quædam & perfectiora reddidit, quemadmodum hoc ipsum præceptum, recisa ab eo omnis imperfectionis superfluitate. Id vero fecit dum in Terris viveret, non per singulare aliquod præceptum suum (gravissimo, ut infra patebit, obstante impedimento) sed per generalem spiritualis doctrinæ suæ introductionem. Quod ex colloquio ejus cum Muliere Samaritana discimus, cui prædicit in locum externi illius cultus Dei Judaici, qui multas rerum futurarum figuras in se continebant, successurum esse verum, hoc est, in quo figuræ rebus figuratis cedere debeant, & spiritualem cultum Dei. Quod autem Dominus, dum esset in Terris, Sabbati & aliarum rerum figuras & ceremonias ex professo & singulari præcepto non abrogaverit, justa & gravis causa intercessit. Quamdiu etenim illa Judaica Respub: manſit in vestigiis suis; noluit Dominus Judæos ab hoc jugo exolvi. Id enim Legibus & institutis illius Gentis, & custodi eorum Magistratui plane repugnasset, cum tamen Dominus potestatem omnis Magistratus & gubernationis Politicæ per doctrinam suam nulla in parte convellendam, imo potius confirmandam & stabiliendam statuisset. Post exaltationem demum suam, revelato Apostolis per visiones & spiritum suum vocationis gentium mysterio; per eundem Apostolis suppeditatum spiritum Gentes primum à jugo Legis liberavit, mox & ipsos Judæos, interventu excidii ipsorum Reipublicæ, eodem jugo exolvit. Sed ante excidium hujus Reipublicæ, tàm Apostoli dum vixerunt, quam alii ex Judæis fideles ac Proselyti, saltem in ipsa Judæa, Mosaicæ Legis instituta plene observabant, ut ex Actis Apostolicis discimus. Neque igitur Dominus, neque ejus Apostoli verum ac genuinum Decalogi de Sabbato Præceptum abrogarunt; sed illud potius perfectius reddiderunt. Multo minus igitur Ecclesiæ, eorum tempora subsecutæ, ullum Decalogi Præceptum penitus tollere atque abrogare licuit.

Quod si urgeat Auctor. *Quoniam cultus Dei per imagines est externus & Ceremonialis; Præceptum quoque de illo ad legem Ceremonialem pertinere videtur. Quæ eum sit plane sublata, atque id ipsum quicquid ad eam pertinuit, ex Decalogo amotum sit, integrum erat Ecclesiæ Secundum Præceptum ad ritum externum colendi Dei pertinens immutare ac reformare.* *Resp.* 1. Præter ea, quæ Christus & Apostoli in doctrina sua tradiderunt, non licuit Ecclesiæ quicquam novi circa cultum Dei introducere, præsertim quæ literis quasi fiducialibus Missionis suæ, hoc est, miraculorum patrandorum potestate destituebatur. 2. Præcipue vero in illa potissima Legis Divinæ parte, secundum quam spiritualis dicitur, hoc est, in Decalogo, in quo ne Dominus quidem aut Apostoli quicquam plane abrogasse leguntur; nefas erat quicquam penitus tollere. 3. Sed ante omnia præceptum de imaginibus non modo omnis ceremonialis ritus, ac proinde omnis imperfectionis expers est; sed eam penitus tollit, ac veram & spiritualem atque ab omni externo ritu alienam colendi Dei rationem introducit. Quemadmodum igitur ipsum per se à ceremoniis, quibus repugnat, & quas omnino tollit, est alieniſſimum, ita respectu spiritualis cultus, quem introducit, est maxime spirituale, & in eo nulli Præceptorum maxime spiritualium, cedere censendum est. Nec enim per imagines, ordinarie falsas (quis enim hodie pictorum est, qui vultus hominum, quos depingit, unquam viderit) sed in spiritu & veritate Deum colere docet. Nefas igitur erat, tam necessarium & utile præceptum temerario ausu violare, atque id purum putum crimen læsæ Divinæ Majestatis censendum est, cujus nos participes & complices esse merito detrectamus. Narratio de veronica, & D. Lucæ pictura, non ex Actis Apostolicis, genuino ejusdem Divi opere desumpta est. Nemo igitur nobis vitio vertet, quod ejusmodi fabulatoribus pro tam veris nuntiis nihil credimus.

Quæstionem hanc concludit Auctor his verbis. *Quoniam igitur Auctoritas Ecclesiæ Christi vi potestatis sibi datæ id concluſit, (hoc est, quod non tantum nobis licentia data, sed & necessitas imposita sit faciendi imagines & similitudines eorum rerum, quæ sub Cælo & in terris sunt, ad eas adorandas & colendas, in gratiam eorum, quorum figuras & imagines adumbrant) debemus id cum reverentia recipere. Ego* (addit Auctor) *non tam ipsas imagines, quam auctoritatem Ecclesiæ, defendo.*

Resp. Nobis autem reverentia erga Deum & Majestatem ejus obstat, quo minùs ea reverenter acceptemus, quæ, per abrogationem spiritualis & capitalis Præcepti Dei, Crimen & læsæ Divinæ Majestatis nefas in se involvunt. Imo vero ejus generis ausus & effrænis ac temeraria illegitimæ potestatis usurpatio, vocarunt apud nos in dubium auctoritatem Ecclesiæ, & nobis liquido planum faciunt, ejusmodi potestatem Ecclesiæ non esse concessam, quam adeò inverecundè usurpat, & qua ad violandas & calcandas Leges Dei abutitur.

CAPUT VIII.

De Sacro-Sancta TRINITATE.

IN hoc paragrapho satis humaniter & comiter (prout prima specie apparet) nobiscum agere videtur. Relinquit enim nobis intactas sententias & opiniones nostras. in duobus tantum Trinitatis & prææternitatis Filii Dei vocabulis, & præter ea in adoratione spiritus sanctus, nos Ecclesiæ Orientali gratificari postulat, oblata spe non dubia, nos hunc in modum in ea Ecclesia tolerari posse. Verum istam ejus comitatem accuratius introspicientes, videmus eum id nobis dare aut concedere, quod eripere nullo modo potest, viciſſim autem exigere à nobis

nobis, quod illæſa Conſcientia à nobis fieri nequit, Ut primum Confeſſionem ac ſententiam noſtram ſupprimamus, Deinde ut per confeſſionem ac receptionem ejuſmodi vocabulorum, quibus errores adverſæ partis exprimuntur, abnegemus veritatem, & erroribus blandiamur, quodque eos credamus & recipiamus, planam omnibus faciamus, ac præ nobis feramus, hoc eſt, ut *hypocriſis* culpam committamus, aliud in mente clauſum, aliud & contrarium in ore promptum habentes. Quod alte in mentibus noſtris hæret ac defixum eſt, quodque verum eſſe certo perſuaſi ſumus, nulla humana vi nobis eripi poteſt. Sed extorquere cuiquam libertatem, ne quod ſentit loqui poſſit, ſed potius errores quos ex animo damnat, & pro noxiis erroribus habet, pro ſua ſententia venditet, injuria eſt & oppreſſio Conſcientiæ. Quæ neque Deo, neque hominibus ullo modo aut probari, aut prodeſſe poteſt. Producit enim ſimulationem Deo hominibuſque exoſam. Neque mirum eſt eam ne hominibus quidem ſatis facere, non quod veritatem ament, aut oderint mendacium, ſed quia ejuſmodi ſimulatoribus minime fidant, metuendo ne ſcintillæ veritatis in cordibus eorum latentes, quandoque occaſione oblata in grande incendium erumpant. Proinde, fides Auctoris pro tam ſuſpecta mere nobis in Eccleſia ſua ſecuritatem promittentis dubia nobis & incerta eſt: & quam præſtare aut liberare vix poſſit. Sed etiamſi ejuſmodi promiſſis ſua conſtaret certitudo, numquid ingratiam hominum Deum offendere expedit? An vero nobis conſultum eſt, propter brevem & caducum peccati fructum, vermem in præcordia admittere, qui perpetuo trepidam conſcientiam rodat, & æterni ſupplicii formidine terreat? Non aliud igitur ejuſmodi ſollicitatoribus à nobis reſponſum dari expedit, quam hoc: Deum non ideo Talenta Cognitionis Veritatis ſuæ nobis credidiſſe; ut ea in cordibus & cogitationibus noſtris ſepulta, tanquam ſub terra, recondamus ac defodiamus, ſed ut negotiationem illorum palam inter homines exerceamus, & fructum negotiationis noſtræ Domino afferamus. Rationem nos ejus negotiationis ſtrictam reddituros interminatur Dominus. Eſt igitur quod metuamus, & culpam hanc tanquam ingenti ſupplicio luendi criminis vitare contendamus. An os noſtrum abnegandæ veritati commodabimus, reclamante identidem violata conſcientia? An agnoſcet Dominus in conſpectu Patris ſui, & aſtante immortalium Cætu eos pro ſuis, qui in terris, in gratiam mortalium, veritatem ſingulari gratia ejus revelatam & mentibus ſuis agnitam, ingenuo ore agnoſcere & confiteri detrectarunt? Si nolumus ut olim Dominum in conſpectu Patris & Angelorum immortalium noſtri pudeat, ne nos quidem in conſpectu mortalium veritatis ejus pudeat. Pudeat potius homines pudendorum & abſurdorum dogmatum. Noſtra confeſſio nullum hominibus fidei articulum proponit, quem non omnes pro vero agnoſcere neceſſe ſit. Addita duntaxat ſymbolo Apoſtolico dogmata non admittit, eo quod non modo veris Apoſtolicis doctrinis, ſed ſibimetipſis repugnant, plena contradictionum & abſurdorum ejuſmodi, quæ aures hominum offendunt. Quæ quoties ipſis exprobramus, aut ſimplici mentione attingimus, illico blaſphemias eſſe dicta noſtra crepant. Et in eo quidem non longè à vero diſcedunt, quod abſurda iſta blaſphemias vocent, ſed in eo longiſſime ſimul à vero & æquo exorbitant, quod earum blaſphemiarum culpam nobis tribuant, quæ tota illorum eſt. Nec enim iſti blaſphemi ſunt, qui errantibus blaſphemias eorum vero ſuo vultu oſtendant, eaſque dedocere contendunt; ſed qui eas incaute committunt, culpam eorum in monitores & emendatores ſuos impudenter rejiciunt: & interea principia earum tot blaſphemiarum fœta & fœcunda adeò moroſe hominibus inculcant, ut cum non poſſint ad ea recipienda mentes hominum veritatis illecebris pellicere, invitis ac reluctantibus aſſenſum imperent, & ad eum neceſſitate & violentia homines adigunt.

Quod ad Spiritus Sanctus adorationem attinet, ſi eum Spiritum intelligit qui eſt in Deo, tanquam ſpiritus hominis in homine, nos hunc Spiritum ab ipſo Deo (præterquam ſola ratione) non diſtinguimus. Ita ut adoratione Dei, hujus quoque Spiritus adoratio includatur. Sin illum Spiritum denotant, quem Deus per Chriſtum hominibus impertitur, adoratio ejus abſque adoratione hominum illo præditorum conſiſtere non poſſet. Et D. Petrus hoc Spiritu abunde præditus, ſaltem in honoris ejus gratiam Cornelii adorationem non detrectaſſet.

Vocabula Trinitatis, & Præ æternitatis Domini, non ideo tantum apud nos in uſu non fuere, quod iis Sacræ Scripturæ non utatur (quanquam hæc quoque non levis nec injuſta cauſa fuiſſet) Sed quia in vulgari & uſitata ſua ſignificatione, errores eos denotant qui Sacræ Scripturæ adverſantur. Alias vocabula iſta non damnamus & bono ſenſu recipere non recuſamus. Nec enim tantum ante Abrahamum, ſed ante Secula quoque fuiſſe dici poteſt, qui gloriam habuit & excellentiam apud Patrem ſuum ante eadem ſecula. Illud tantum præcavemus, ut in horum vocabulorum uſu liceat nobis verum eorum ſenſum & ſignificationem aperire. Nam ſi id facere ſuo loco non eſſet integrum, omnibus palam eſſet in eorum ambiguitate veritati inſidias tendi. Cæterum non eſt hæc recta via aut ratio, uniendarum tot inter Chriſtianos partium, in verbis ac dogmatibus novis præter uſum Sacræ Scripturæ introductis, quærere ſenſum ejuſmodi, quem cuncti diſſidentes probare aut recipere, aut etiam tolerare poſſint. Id enim neque ſine veritatis injuria, quæ ambiguitatibus iſtis intricatur, fieri ſolet, & ipſum per ſe factu eſt impoſſibile. Novæ enim voces & Καινοφωνίαι, præter uſum Scripturæ in Eccleſiam introductæ, ſecum una nova & intellectui imperceptibilia dogmata adduxere, quæ & Sacræ Scripturæ & ſibimetipſis repugnare animadvertimus. Quales ſunt quas Auctor recenſet *perſonalitates*, *eſſentialitates*, & quæ illis addi poſſunt *communicationes Idiomatum*, *Circumincеſſiones*, & ſimilia rerum & vocabulorum portenta. De quibus nullus erit litigandi finis, donec ad ſimplicitatem Doctrinæ intellectu facillimæ, & Confeſſionis Apoſtolicæ Chriſtianus Orbis redierit. Hæc via una eſt animorum ſimul ac dogmatum conciliandorum, & congregandarum ad unum Ovile per tot diſſidia diſperſarum Ovium Chriſti: Doctrina de Deo Patre & Filio ejus, de Spiritu Sancto & omnibus aliis myſteriis & articulis Fidei, puris putis verbis Spiritus Sancti hominibus tradita, Vitaque ad ejus normam ſanctè & pie exacta. Quam viam quia plerique omnes Conciliatorum inter Chriſtianos ingredi neglexerunt, Oleum ipſis & opera ſuſcepti laboris periit. Quemadmodum enim auctoritatem, ita verba Sacræ Scripturæ nemo rejicere audet. Verba vero & dogmata in Sacra Scriptura manifeſte expreſſa longe ſunt perceptu faciliora, quam nova vocabula & novæ explicationes veterum Sacræ Scripturæ verborum, quæ ad elucidandam Doctrinam. Apoſtolicam maximo damno ac detrimento veritatis, præterea maxima cum alienatione animorum, ſero poſt Apoſtolicum ævum ſunt introducta. Ergo ſi Auctor conciliationem diſſidentium optat, aut molitur, non ut nova vocabula in uſum recipiantur, Sed ut vetera & infeliciter neglecta, in uſum revo-

centur ; det operam. Nova enim non omnibus placere possunt, at vetera nemini displicere fas est. Quemadmodum vero Apostolorum, quam subsequentium Doctorum fortior debet esse auctoritas : Ita quoties verba eorum sibi repugnare deprehendentur, æquum est, ut nova potius Apostolicis, quam Apostolica novis vocabulis ac dogmatibus locum concedant. Propter dissensum in Articulo de Præterna generatione Filii Dei, quamvis veritati & Symbolo Apostolico constanter inhæreamus, non abrumpimus Catholicæ Ecclesiæ concordiam. neminem enim ob ejusmodi dissensum in hoc aut aliis pluribus Fidei articulius à communione nostra arcendum putamus. Sed eam potius isti abrumpunt, quorum odiis oppugnamur. In quo nulla nostra culpa est : Neque enim simulationem hanc & hypocrisin à nobis exerceri fas est, quam nobis Auctor eo fructu ut odia ista effugiamus, commendat. Penes eos culpa est, qui hæc odia in animis suis adversus nos sine causa concipiunt & fovent.

Quia vero non aliam ob causam odiis & persecutionibus eorum appetimur, quam quod hunc eundem Jesum Christum, quem una cum ipsis Deum in Secula benedictum, omnipotentem, & cujus in manu Silus nostra sit, libenter agnoscimus, hunc inquam eundem Jesum verum hominem natum, ac proinde filium hominis esse, confitemur. Cum in tota Sacra Scriptura aliam ejus nativitatem proprie dictam descriptam nequaquam legamus : Ideo non ob aliud nisi propter Filium hominis nos istis odiis & persecutionibus objici merito gloriari possumus.

Nam quod objicit Auctor, eos itidem duas naturas Christo tribuendo agnoscere eum fuisse Filium hominis & verum hominem, id solis verbis crepant & præse ferunt, non autem reipsa ac solida cognitione sentiunt. Etenim reipsa (quamdiu sibi in sententia sua constare voluerint) Christum fuisse verum hominem, nobis in forma & mortali natura parem, sentire aut asserere nullo modo possunt. Rationes in promptu. Primum, Quia is, qui semper fuit altissimus Deus nec unquam talis esse desiit, Verus homo nobis in natura æqualis, nunquam esse potuit. Secundo, qui statim in nativitate sua persona humana in lucem non prodiit, nec unquam persona humana fuit homo verus dici nequit. Cujus id est proprium plus quam in quarto modo, uti ajunt, ut sit humana persona. Christum autem humanam personam fuisse agnoscere nequeunt, quia quatuor personas in una Divina essentia non agnoscunt. Cum igitur sententia eorum id neutiquam permittat, quamdiu ab ea recedere nolunt, Christum fuisse verum hominem asserere nequeunt; proinde eum nec filium hominis vere agnoscunt, quod nos Sacra Scriptura duce urgemus.

Quærat quispiam, Cur igitur nos una cum cæteris Christum Deum benedictum in secula & omnipotentem vocamus, Si ante Secula natus non est, & si fuit in natura suâ talis verus homo, quales nos nascimur. Respond: De præterna generatione aut nativitate in Sacris Literis nihil legimus, quam rem certe Spiritus Dei expresse & ex professo describere, aut saltem differtam aut expressam mentionem nobis credendam proponere non dubitasset; cum in ea re ratio nostra manifestissima revelatione indigeret. Quod alioqui videt factu impossibile esse, ut quis sit æternus ante omnia secula, & tamen nascatur, hoc est, fiat, quod ante non fuit : quod ipsum non nisi in eo seculo fieri potuit, quod natum aut nasciturum præcessit. Sed præter nativitatem ex Maria Sanctissima virgine, de alia præstantissimo modo sic dicta nativitate, hoc est, de resurrectione ex mortuis & exaltatione Domini legimus in Sacris Literis, quod eum tunc Deus Pater genuerit, cum ipsi in locum illius humanæ, infirmæ, & mortalis naturæ, non modo immortalem & Divinam, & suæ propriæ homogeneam & proximam naturam contulit, sed & omnem potestatem in Cælo & in Terra donavit, ut ipsi omne genu Cælestium, terrenorum, subterraneorum flecteretur. Quanquam enim etiam ante, dum esset in terris, Filius Dei fuit, quia non modo nullum alium proprie dictum Patrem, qui in proprie dicta conceptione & generatione ejus, Patris efficaciam adhibuerit, præter altissimum Deum Patrem omnipotentem agnoscat, non modo in forma Dei, respectu illius Spiritus Dei, in eum sine mensura effusi, & immensæ potestatis patrandi miracula apparuit : Attamen excellentissimo modo Deus esse cæpit, & quasi natus est Deus, quando humana & infirma natura deposita, Divinam & glorioſam naturam consecutus est, una cum plenissima rerum omnium potestate. Tametsi igitur nos, & Deum & hominem proprie dictum Christum fuisse agnoscamus, sed non uno eodemque tempore. Nec enim id fieri poterat aut potest, nec fluxæ naturæ corruptibilitas, cum incorruptibilis excellentia in unam eandemque personam simul & semel compingi potest. Verum diversis temporibus. Præterea non prius Deum, postea hominem ; (præceps enim esset ista degradatio) sed prius hominem, deinde Deum supereminenti magnitudine Paternæ potestatis exaltatum. Quod ex Apostolo discimus 2. Cor. v. 16. Quod ex eo tempore quando Dominus à mortuis est excitatus (hæc enim verba immediate præcedit vox, ἐγερθέντι, hoc est, resuscitato) neminem jam novimus secundum carnem, & quamvis noveramus secundum carnem Christum, nunc tamen eum non novimus, puta ejusmodi qualis in carne vixit, hominem. Quod si quando Christus post resurrectionem homo vocatur ; id idcirco fit, quia homo natus est, & fuit homo, humanæ naturæ vilitate ab aliis non discrepans, & ad exprimendam conjunctionem quam habet cum fidelibus suis, tanquam eorum Caput, & unus è medio eorum, tametsi proprie loquendo verus homo nunc vocari vix queat : non magis ac fideles ejus, qui fluxam & mortalem humanam suam cum immortali & Angelica commutabunt, cum hæc vox longe sit ignobilior, & vix digna præsenti ejus natura & statu. Quod vero Auctor ait, Inde quod Ecclesia Carnem & sanguinem Domini honorat & veneretur in Eucharistia, patere posse, eam Christum etiam in humana ejus natura colere, & venerari ; fugit eum ratio. Neque enim hinc sequitur quod eum pro vero homine habeat, quamdiu erroribus suis adhæret. Errores enim hujus Ecclesiæ Satanas ejusmodi esse voluit, ut non modo veritati, sed sibimetipsis repugnarent : Idque ut minori negotio fidem ita opinantium subverteret. Quoniam igitur Dogmata eorum sibi parum constant, manifestis vestigiis assequimur, ea longe à veritate abesse, & aperte erroris convinci, qui sibi nusquam constare solet.

Pergit Auctor & ait, *Eos credere, mortem Domini & sanguinem pro genere Humano effusum, resurrectionem, & exaltationem ejus cum multis aliis, non nisi humana ejus naturæ tribuenda esse, Sed cum præterna Divinitate conjunctæ.* Et addit, *ejusmodi Sententiam nihil derogare seu Deo Patri, qui fons est Divinitatis, sive Filio in utraque natura* Verum in eo plurimum fallitur. Hæc enim opinio dici non potest quantum deroget, primum illi unico Deo altissimo, Patri Domini Nostri Jesu Christi, deinde ipsi quoque Filio in quacunque natura confideretur.

Derogat Deo Patri, quia statuit non eum solum, & unicum esse altissimum Deum, Sed habere alios duos sibi æquales, qui personis à se & inter se differant

ferant ejusdem Divinitatis & potestatis participes, quorum unusquisque est altissimus Deus ab omni æternitate.

Præterea derogatur plurimum bonitati, & clementiæ personæ Dei Patris, quando homines, refragantibus, tot Sacræ Scripturæ testimoniis, asserunt eum nobis peccata gratuito remittere noluisse, donec eorum culpas in humana Filii sui natura ultus esset, & donec ipsi pro iis plene satisfactum esset.

Filio vero ejus unigenito per speciosam istam de æterna ejus Divinitate Sententiam, primum nihil veræ excellentiæ aut eminentiæ tribuitur: Deinde, vera & genuina ipsius gloria diminuitur.

Nihil veræ dignitatis tribuitur, quia opinio hæc quicquid una manu Domino porrigere videtur, altera manifeste adimit. Quia enim plena est absurdorum, & contradictionum, sese perimentium; nihil tam excelsum Domino tribuere potest, quod non evidentissimam nullitatem in se involvat. Et similis est hominibus alieno ære obrutis, qui immensam vim pecuniæ creditoribus suis solvunt, aut ostentant in bonis, quorum possessione ipsi jam exciderunt, aut in defossis sub terra thesauris, quos in rerum natura nusquam reperias.

Derogat & eam hæc opinio veræ, & genuinæ Christi dignitati, & excellentiæ. Quia omnis glorificatio & exaltatio Christi, de qua Sacra Scriptura verissimum testimonium perhibet, quod eam à Patre Filius pro merito suo acceperit, simul consistere nullo modo potest cum æterna gloria, & potestate ante omnia Secula per æternam generationem accepta. Quid enim opus erat exaltatione à Patre accipienda; si Filius æternam & Patri æqualem divinitatem ab æterno, & semper, & prætensæ mortis suæ tempore habuit?

Derogatur & beneficio in nos divinitus collato, quod per opinionem istam mors, & Passio Domini vocatur in dubium, maximo cum gloriæ ac meriti ejus detrimento. Divina enim persona Christi, neque pati neque mori pro nobis potuit, ipsis opinatoribus fatentibus. Multo minus humana persona quam Dominus non habuit. Quis igitur pro nobis passus & mortuus est? Certe neque pati neque mori cuiquam competere potest, nisi personæ, aut ut in Scholis loquuntur, suppositi.

Tertia & quarta nec levis est, quæ Domino per Opinatores istos infertur injuria, Quod doctrina & Religio ejus ob tam absurdas Opiniones male audit apud externos, nisi quod gravior videatur illa, quod ob easdem etiam apud suos, atque (ut ajunt) fidei domesticos veniat in dubium & contemptum. Unde innumera inter Christianos *Arbeorum* examina pullulant.

Quinta. Quid autem memorem, quod etiam apud optimam Christianorum partem opinio hæc fundamentum Religionis, hoc est, certam spem promissæ resurrectionis moliatur & subvertat. In cujus tamen Spei confirmandæ gratiam, Christus tam acerbam mortem subiit. Cum enim in humana Domini persona, nobis quod ad naturam mortalem attinet æquali, à mortuis resuscitata, specimen edideret nostræ resurrectionis: Hæc opinio non permittit ut credamus personam humanam esse mortuam, quæ nusquam fuit; sed in abstracto naturam & quidem indissolubili, hoc est, hypostatica unione cum æterna Divinitate, aut potius Divina persona secunda conjunctam. Quanquam & illud percipi nequit, quomodo istud unionis vinculum morte Domini abrumpi potuerit, aut si abruptum non est, quemadmodum mors Christi vere evenire potuerit. Sed ne ulteriorem absurdorum colluviem attingamus, maneat illud intactum quod Auctor asserit, quod Dominus in humana natura cum æterna Divinitate conjuncta mortuus est, & resurrexit. Quid inde nobis miseris hominibus, quorum naturæ hypostatica unione cum æterna Divinitate conjunctæ non sunt; solidæ spei affulgebit? Nec enim naturæ nostræ, sed personæ morientur. Persona autem Domini mortui non est, tantum natura. Non igitur resurgere quoque potuit, nisi natura, si modo & ista ipsa natura mori potuit, ad immortalem Divinitatem, imo secundam Divinitatis personam tam arcto nexu adstricta. Hujusmodi scrupulos Auctoris opinio de nostra resurrectione producit.

Pergit Auctor & ait, *Spiritus Sanctus, qui est in Deo*, hoc est, *Spiritus Sanctus de quo Scriptura Sacra dicit quod in Deo sit, tanquam Spiritus hominis in homine, aut est aliquid diversum à Deo, aut est ipse Deus. Si quid diversum; ergo Deus non est perfecte unus aut perfecta unitas.* Respon: Mirum est profecto quod Auctori magis repugnare videatur Unitati & simplicitati Dei, si quid in eo diversum, & quod Deus dici non possit; consideretur (qualia sunt attributa & proprietates, aut quo vocabulo à Scriptura designantur virtutes Dei) quam si in uno supremo Deo tres diversæ personæ sibi æquales, quarum unaquæque sit Deus, statuantur. An non id longe magis unitatem & simplicitatem naturæ divinæ tollit, magisque inducit compositionem. Spiritus igitur Dei, qui est in Deo, ut Spiritus hominis in homine, non indiget peculiari adoratione. Sed quomodo cum homini honos habetur: non defertur peculiaris honor spiritui ejus, sed eodem honore qui defertur homini, honoratur & ipse ejus spiritus: Ita quoties Deus ipse adoratur, quid opus est peculiari Spiritus Sancti adoratione, nisi ut per eam vocetur in dubium unitas & simplicitas Dei (quod merito Auctori absurdum videtur) & ut suspicio oriatur eum non esse individuum, sed (ut Auctor ait) esse compositum. Nos tamen eos, qui adorant spiritum Dei, in Deo manentem, non accusamus Idololatriæ, atque ut Spiritum Dei in Deo manentem à persona Dei ipsius non distinguimus, ita nè honorem quidem aut cultum ejus ab honore, & adoratione ipsius Dei separamus. Donum tamen Spiritus Sancti, quod hominibus diversa mensura confertur, ab illo Spiritu Dei, qui in Deo habitat, distinguere nos necesse est. non minus atque exiguos igniculos ab accenso forte totius Orbis incendio, aut scintillas promicantes ab immenso, & ipsa mente incomprehensibili Igne. Cui dono Divina adoratio competere nequit, quin iis hominibus, quicunque eo præditi sunt, quales erant Apostoli, eadem adoratio tribuitur. Huic dono quoties aliquid ejusmodi tribuitur, quod ordinarie proprie loquendo non nisi personæ competit, aut tribuendum est, quis improprium in eo loquendi modum non videt? Nam quod omnia & singula donorum istorum personæ sint, id ne ipsi quidem Adversarii dixerint. Unius etiam Divinæ personæ partitionem in tot inæquales particulas Spiritus diversis hominum personis collati, nec Sacra Scriptura usquam docet, & ratio plane refellit.

CAPUT IX.

De Statu Mortuorum.

SUperest ultima Quæstio de Statu Mortuorum, & Sanctorum Invocatione. De Statu mortuorum ait Auctor, *Ecclesiam Orientalem credere, & confiteri, Sanctos post mortem videre faciem Dei, & Cœlestibus gaudiis frui.* Fundamentum hujus Opinionis jacit Auctor duas assertiones, ac tertiam Parabolam, aut ut ipse vocat Historiam de Lazaro & Di-

vite. Prior assertio est Pauli *Philip:* 1. 23. *Utrinque constringor, Cupio dissolvi & esse cum Christo, quod longe melius esset, sed ut maneam in Corpore magis necessarium propter vos.*

Altera est 2. *Cor.* v. 6. 8. *Scientes quod quamdiu sumus in carne peregrinamur à Domino: (fide enim ambulamus non per speciem) Sed confidimus & probamus potius peregrinari, & migrare è corpore & præsentes esse Domino. E quibus assertionibus patet, primum quòd post migrationem è corpore animæ nostræ sunt cum Domino, & præsentes sunt Domino. Secundo, quod id ipsis sit multo melius quam manere in corpore. Quod si istæ animæ tunc cum sunt præsentes Domino, cum Christo conversari, aut illum videre, gaudio Cælestibus una cum ipso frui, cum colere, gloriam ejus cernere &c. non possent; sed tanquam surdæ, mutæ, cæcæ creaturæ in statu vegetabilium longe deteriori & viliori, quam sit mutorum animalium, relinquerentur, non esset hoc longe melius pro ipsis, præcipue pro Apostolo, Spiritus Sancti solatia præ aliis abundante, quam vivendo servire Christo, cum colere & gaudio bonæ Conscientiæ ac spe vitæ æternæ frui. Proinde certum est Animas Justorum post migrationem è corpore, absque corpore, habere aliqua organa sensus, visus, auditus, intellectus, sermonis &c. priusquam generalis resurrectio adveniat.*

Resp. Ex utroque locorum istorum Pauli, non plus Auctor elicere potest, quam animas mortuorum in Domino, esse cum Christo, eique adesse præsentes, atque proinde esse in statu perfectæ cum Christo conjunctionis. Propterea à Spiritu Sancto vocantur Spiritus justorum, qui perfecti evaserunt. *Hebr:* XII. 23. *Phil:* VIII. 12. Vide supra quæ de perfecta cum Christo conjunctione disseruimus. Quamvis enim & in hac vita conjunctionem cum Christo habeamus, per Spiritum quem nobis donat. Sed quia donum istud Cæleste culpa nostra amittere possumus, ideo hæc præsentia & conjunctio cum Christo, quam hoc loco Sacra Scriptura animabus nostris tribuit, est longe perfectior, quæ jam est extrà aleam & periculum omnis disjunctionis. Quod si donum Spiritus Sancti in hac vita (quanquam culpa nostra amitti potest) merito arrhabo æternæ mercedis nostræ dicitur, multo magis felicissimus status mortuorum in Domino, & requies ab omnibus laboribus arrha & initium ulterioris eorum felicitatis dici potest, quæ ipsos plena demum & perfecta post resurrectionem manet. Ita ut animæ Sanctorum in eo statu non aditum tantum, sed exordium beatitudinis suæ habeant. Sed quod faciem Dei videant: & pleno Cælestis felicitatis gaudio fruantur, præcipue vero, quod & functiones aliquas aut officia exerceant, sicuti cum resuscitabuntur & glorioſis corporibus induentur; Id neque in istis locis neque alibi usquam in Sacra Scriptura legitur; ac proinde in ea Opinione tanquam fundamento invocatio eorum superstrui non potest. Cæterum de Statu mortuorum id ex Sacra Scriptura discimus, quod requies & somnus vocetur eorum, cujus ea est proprietas, quod is qui vero & profundo sopore sepultus est, quamvis organa & facultatem sensuum non amittat, tamen ob organa impedita, uti iis vigilantium more non potest. Idem de mortuis in Domino statuendum est, quod licet loco veterum, vilium & corruptorum instrumentorum longe nobiliora quam ante in glorioſis corporibus quibus induendi sunt, pro se jam præparata habeant, nondum tamen illis utuntur, donec ex tam blando sopore excitabuntur. Nam quæ nobis à Spiritu Sancto in Sacris Literis expresse revelata non habemus, tametsi conjectura quadam assequi posse videamur, de iis nihil firmiter asserere possumus. Ergo id quoque quod animæ Justorum antequam glorioſa corpora induent, loco corruptorum corporis instrumentorum, aliqui sensuum organa habeant iisque utantur, nihil asserere licet, quoniam de eo in Sacris Literis altum est silentium. Sed inde quod mortui in Domino, antequam è tam felici somno suo excitentur plenis æternæ vitæ gaudiis æquè frui nequeant, atque cum excitabuntur, concludi nullo modo potest, eos non modo mutis animalibus, quæ sensibus utuntur, sed hominibus etiam vigilantibus, & sub spe vitæ æternæ in terris certantibus, non esse longe intervallo feliciores. Habent enim duo præ hominibus in hac vita felicissimis. Primum quod qui in terris degunt adhuc non absque metu dubii successus certent, & quod operati sunt amittere possunt. At mortui in Domino, ea victoria potiti sunt, quam nulla tentatio, nullus hostis, nullus casus ipsis eripere potest. Alterum est, quod Fideles in terris aut cum peccato, aut cum tentationibus ejus, cum infirmitate corporis mortalis, cum Mundo maligno & stolido, cum perversitate & sævitia persecutorum, cum astutia & potentia Satanæ molestè luctari & conflictari coguntur. At mortui in Domino à laboribus requiescunt, jamque ex isto periculoso gurgite, qui tot myriades hominum absorpsit enatarunt: non jam ipsis labor, non metus, non dolor aut tristitia molestiave ulla timenda est; sed paratum triumphum ac mercedem virtutis suæ placido somno in Domini sui domicilio quiescentes expectant. Non aliter ac si quis Magnorum in terris Principum fortissimum militem, qui pro gloria ac dignitate sua dimicando glorioſi facinoris specimen in prælio edidit, victorem pugnæ labore & vulneribus fessum ac semivivum è loco prælii auferri, & in palatium suum transferri jussum, certa jam & exploratâ spe vitæ & mercedis gaudentem ad breve tempus destinata virtutis suæ præmia expectare jubeat. Quis dixerit conditionem militum in Prælio relictorum: & in æstu certaminis adversus hostem sub ancipiti victoriæ spe sudantium posse conferri cum statu & sorte ejus, qui jam laboris & periculi expers, victoriæ & præmii securus, gratissima requie, ad breve cito venturi gaudii tempus fruitur? Quærat tamen aliquis, quomodo in Cælesti Palatio nunc animæ istæ quiescere possint, quoniam legimus 1. *Thes:* IV. 17. simul cum iis qui in terris transmutabuntur rapiendos in nubibus, ut in Aëre obvii fiant Domino, fideles resuscitatos, & ex illo temporis articulo, utrosque semper cum Domino futuros. Resp: Sed ibidem *vers.* 16. expresse Apostolus ait, Mortuos in Domino prius resuscitandos, hoc est, corporibus glorioſis induendos esse, quam vivi transmutentur, mox postquam immortalitatis compotes facti fuerint omnes, utrosque simul in aëre obvios fore Domino, ut cum illo perpetuò maneant. Nihil igitur impedit quominus quemadmodum respectu temporis non simul, ita respectu loci, non eodem in loco, sed alii in terris, alii in Cælo immortalitate induentur, & mox utrique in Aëre conjuncti in eodem aëre obvii fiant Domino. Præcipuè quia sicuti particula ἅμα est ad verbium loci ita particula ἅμα (qua hoc loco Apostolus utitur) est adverbium temporis; ita ut non unum locum ex quo utrique prodituri sint ad occurrendum Domino, sed unum tempus istius occursus vocula hæc isto loco significat. Aliàs animas mortuorum ibidem esse, ubi est earum Dominus, hoc est, in Cælis, & ex promissis Domini & ex verbis Apostoli de conjunctione eorum cum Domino, ita ut sint præsentes Domino, satis liquido constat.

Huic nostræ Responsioni occurrendo dicit Auctor. *Quod si quis intelligat & credat verba Apostoli duntaxat designare certitudinem salutis suæ, nonne de ea certo fuit persuasus dum ait Certamen bonum certavi, cursum absolvi, fidem servavi &c?*

Resp.

Resp. Non modo ratione certitudinis in salute consequenda, sed etiam ratione liberationis à necessitate certaminis: & quod à laboribus & molestiis requiescere debeant, longe potior est conditio mortuorum in Domino, quam militantium ac certantium. Sed & hæc verba Pauli certitudinem salutis ejus continentia, prolata sunt sub exitum vitæ ejus, quando se cito sacrificandum esse prædixit: & appropinquante dissolutionis ejus, hoc est, mortis tempore ut *vers.* 6. immediatè gloriationem hanc Apostoli antecedente legimus. Aliter locutus est Apostolus priusquam finis certaminis ejus appropinquasset *Philipen:* III. *vers.* 11. *Si forte occurram resurrectioni mortuorum, non quod jam acceperim, aut perfectus factus sim (vide supra) sed sequor ut assequar aut comprehendam, quemadmodum & ipse comprehensus sum à Domino. Fratres ego me existimo nondum apprehendisse.* Alibi vero. *Contundo carnem meam & subigo, ne fortealiis prædicans ipse reprober* 1. Cor: IX. 27. Et iterum *nihil mihi conscius sum, sed non ideo justificatus sum. Nam qui me judicat Dominus est* 1. *Cor:* IV. 4. Magna igitur præ aliis prærogativa est, certitudo salutis quam nemo assequi potest ante certamen victoriâ finitum. Sed non minor Requies ab omnibus laboribus & molestiis quæ in Spirituali certamine animos & corpora certantium affligunt. Quorum utrumque sub exitum demum vitæ contingit, per quem Spiritus justorum perfecti fiunt.

Quod attinet ad celebrem illam de Lazaro & Divite narrationem causa nulla est, cur inter tot alias Parabolas Domini, hæc sola duntaxat historia dici debeat, multæ autem causæ sunt cur historia censeri non possit. Causam non esse, cur historia censeatur, ob id quia in ea Lazari nomen extat, ex eo patet, quod hæc circumstantia ad istam narrationem clarius ob oculos hominum ponendam, erat necessaria, in qua Dives ille damnatus longo loci intervallo distantem à se singularem aliquam ab aliis diversam sibi autem notam personam, noscitare & alloqui debuit, quod aptius enarratur per singulare ejus nomen quam per generalem descriptionem. Non repugnat igitur naturæ Parabolæ ista circumstantia, sed eam potius ornat & illustrat. Contra multæ sunt causæ, Cur hæc narratio, proprie dicta historia esse nequeat. 1. Quod Auctor Epist. ad Hebræos omnes quos recensuit, (quos inter ne Abrahamum quidem omisit) negat assecutos esse promissionem, & asserit, quod Deus noluerit eos absque nobis evadere perfectos *Hebr:* XI. 39. 40. Quod de illis dici non poterat, si ante tempora Christi & Apostolorum in Cælo æternis jam gaudiis fruerentur, & eorum compotes homines in sinum suum receptos efficere possent. 2. Repugnat id vel ipsi adversariorum opinioni, qui ex hoc loco argumentantur. Nam si hæc narratio vera est, id ante mortem Domini accidisse necesse est. Tunc vero ne ipse quidem Abrahamus secundum ipsorum opinionem erat liberatus ex Limbo inferni, tantum abest ut quenquam posset in Cælo in gremium suum recipere ac beare. 3. Status damnatorum & pœnas inferni luentium propter circumstantias loci & plurimas causas non permittebant ut damnati cum Sanctis & in æternum beatis aliquid negotii aut commercii, aut colloquii habere possent. Est igitur hæc pura pura Parabola, ex qua nullum argumentum ad confirmandam Auctoris opinionem sumi potest.

Hæc legentibus patet Auctorem allatis argumentis suis nil probasse. Nunc videamus quomodo rationes nostras refellere contendat. Duas duntaxat proponit, tametsi earum plena sit Sacra Scriptura. Prima est 2. *Tim:* IV. 8. ubi Apostolus ait coronam, hoc est, mercedem Justitiæ, tam Ipsi quam aliis fidelibus revelandam esse in illa die cum Justus Judex veniet ad judicandum vivos & mortuos. Ad eam nihil respondet aliud, nisi quod ea loca ab ipso adducta non refellat, cum tantum de coronatione corporum in generali omnium resurrectione intelligenda sit. Resp: Non loca ab Auctore adducta, sed explicationem Auctoris ratio nostra refellit, quia non de corpore tantum, sed de tota persona sua, quemadmodum & personis omnium fidelium loquitur Apostolus, quod in resurrectione demum accepturi sint mercedem suam. Corona enim Justitiæ. 2. *Tim.* IV. est corona vitæ quam promisit Dominus omnibus qui diligunt eum, iisdemque omnino reddenda est, quod non ad sola corpora, sed ad totas earum personas pertinet. Jam vero ex locis supra propositis evincere voluit Auctor, mortuos in Domino etiam ante resurrectionem contemplari faciem Domini & gaudiis cælestibus frui. Ruit igitur hæc explicatio Auctoris, cum Apostolus ostendat Animas mortuorum in Domino, licet sint cum Christo, & ipsi sint præsentes, tum demum tamen plenam mercedem suam accepturas cum resurgent homines.

Altera ratio est ex loco *Heb:* XI. 39. Ubi Apostolus congesta magna Sanctorum multitudine ait: *Omnes eos testimonio Fidei probatos non accepisse promissionem, quod Deus de nobis melius aliquid constituerit, ne absque nobis illi plenam mercedem acciperent.* Unde apparet non singulos statim post mortem suam singillatim admitti ad gaudia Cælestia, sed omnes Justos expectare resurrectionem, ut unâ & simul omnes eorum fiant compotes. Ne ad hanc quidem quicquam, quod ad rem faciat, respondet. Primum enim cum vellet suam supradictorum locorum explicationem à nobis proxime refutatam, cum hoc Pauli loco conciliare, difficultatem & contradictionem auget, dum ait Sanctos sub Lege cum non haberent promissionem plus accepisse, quam continebat promissio, ita ut ipsis abunde satisfactum sit. Hic autem spiritus sanctus expresse asserit, eos habuisse promissionem, sed ejus fructum nondum obtinuisse, ne sine nobis salutem consequerentur. Deinde in ulteriore responsione, sententiam suam de statu sanctorum sub lege defunctorum ipse in dubium vocat, dum ait: *Sive illi Sancti non habendo promissionem jam contemplantur faciem Dei & gaudiis Cælestibus fruuntur, nulla per hoc injuria affecti sunt. Sive etiam alicubi detinentur, aut detinebantur, antequam Filius Dei veniret in Mundum, ne absque nobis mercedem acciperent. Si quis id ad extremi Judicii diem dilatum iri putat: Quis non videt eum vim inferre verbo & menti Pauli & Sacræ Scripturæ repugnantiam objicere.* Resp. Hic iterum cum nollet in locis sacræ scripturæ repugnantiam tollere in sua propria Opinione repugnantiam & contradictionem aperit. Nam si animæ sanctorum sub Lege mortuorum alicubi detinentur, palam est eas nondum faciem Dei cernere posse, si fuerunt tantum ante adventum Domini detenti, quo testimonio probat eos ex hoc detentionis carcere dimissos? Quia vero asserit detentionem hanc ad Diem Judicii non posse protendi, certe aut per mortem Domini (ut communis opinio fert) aut post mortem Domini, atque adeo post scriptas literas istas ad Hebræos ex ea dimissi sunt. Si per mortem Domini, quia post eam Epistola ad Hebræos scripta est, cur in ea spiritus sanctus asserit, eos nondum promissionem obtinuisse? Sin id factum post istas literas scriptas, quærimus quomodo & quando id factum, & quis hunc nuncium nobis alio ex orbe attulit? Nam de eo in sacra scriptura & historia Ecclesiastica altum est silentium. Proinde nobis cum Paulo Apostolo sentiendum ac dicendum est, ipsis æque ac nobis Coronam & mercedem esse repositam, quam ipsis reddet Justus Judex eodem tempore quo & Paulo

& omnibus qui dilexerunt adventum Domini. Nos vero non modo ab Apostolis, sed ab ipso servatore didicimus fructum & impletionem promissorum Dei & præmiorum Novi Fœderis expectandum esse usque ad illustrem adventum Domini, hoc est, ad supremum Judicii diem *Joh.* VI. 39. & 44. 45. *Hæc est voluntas, ait Dominus, ejus qui misit me Patris, ut ex omni eo quod mihi dedit, nihil amittam, sed resuscitem in die supremo.* Quæ verba planum faciunt; quod nisi Dominus mortuos excitaret supremo die, non evaderent è statu mortis: quem Dominus hoc loco perditionem seu interitum vocat. Quod dici nullo modo posset, si homines illico post mortem gaudiis vitæ fruerentur. Et hæc Prædicationis Christi doctrina erat ita vulgata & nota omnibus, ut ne Martam quidem, quamvis sequioribus curis multum distractam, lateret *Joh.* XI. 24. Argumentis igitur nostris adeo non concussis; ut ne levi quidem brachio & parcente manu tangerentur, suisque opinionibus, ne per speciosas quidem rationes confirmatis, audet gloriari Auctor, quod eas testimonio sacræ scripturæ & idoneis argumentis stabilierit. Quod judicio æqui Lectoris subdis.

CAPUT X.

De Invocatione Sanctorum.

TAm putri ac debili, quod jam vidimus, fundamento jacto, non è meliori materia in eo substructionem erigit, quæque adeo fundamento suo male cohæret, ut quamvis illud esset firmum ac solidum, ruere tamen esset necesse quod superstruitur. Tametsi enim hæc opinio, quod sancti ante resurrectionem facie in faciem videant, vera esset, tamen id quod ex ea deducunt; quod iidem in facie Dei quam contemplantur omnia videant, ac proinde preces omnium ad se confugientium audiant, consistere nullo modo posset. Quamvis namque Deus felicitatis suæ in Cælis homines quodammodo participes facere velit; Potestatis tamen, omniscientiæ & omnipotentiæ suæ eos compotes fore non promisit. Multo minus consistere possunt quæ ultrà superstruuntur, cum non modo parietum, sed ipsius fundamenti moles ruinam minetur.

Sed antequam ulterius progrediatur Auctor propositâ Ecclesiæ suæ sententiâ, quod sancti mortui audiant preces hominum ad se ut pro ipsis intercedant confugientium, fulcit eam ejusmodi ratione. *Si Abrahamus vocem damnati Divitis, & vicissim Dives ille loquentem Abrahamum audire potuit, licet inter eos immensa Abyssus intercederet, quanto magis vox & preces viventium in terris & loco intermedio existentium à Sanctis audiri possunt?*

Resp. 1. Oblitus est Auctor assertionis suæ, quam proxime protulit, quod Abraamus cum cæteris alicubi detineretur, saltem ad adventum vel potius mortem Domini, quando descendit ad inferos secundum opinionem illorum. Non poterat igitur is ante mortem Domini esse extra custodiam, in qua detinebatur, aut ex Cælo per locum intermedium oculis suis penetrare, usque ad sedes inferiorum. Unde apparet Parabolam hanc esse non historiam. 2. Sed quod Abraamus glorificatus, ac, ut autumant, Dei faciem contemplans, Cœlestem perfectionem adeptus, tam longo intervallo distantem Divitem vidit & audivit, minus forte mirandum sit. Verum Dives damnatus, qui neque faciem Dei cernere, nec ulla Cœlesti perfectione præditus esse poterat, quomodo è tam longinquo, per tot impedimenta Abraamum proprie loquendo videre, & audire potuit? Hinc iterum apparet Parabolam hanc esse, non historiam.

3. Verum hic ipse locus *Heb.* XI. 39. ostendit Abraamum, qui nondum ipse ante mortem Domini promissionem Dei obtinuerat; non potuisse, quamquam reipsa & proprie loquendo in sinum suum receptum, Cœlestibus gaudiis beare. De quo quia jam dictum est & infra dicetur, nunc satis dictum esto.

Opponit mox sibi Auctor objectionem nostro nomine his verbis: *Quid opus est quærere alios intercessores ad Deum, cum unus sit omnium hominum Intercessor ac Mediator Christus Dominus, qui ita pro nobis intercedit, ut ipse nostri misereri possit. Respondet.* Hoc nihil obstare quominus & ad ipsum hunc mediatorem mortales peccatis onusti intercessionem indigeant. Cur enim Apostoli commendant & imperant preces & intercessiones pro aliis, cur pro se ipsis intercedi postulant? Cur non modo suas & aliorum necessitates, sed etiam res ad ipsius Dei gloriam pertinentes, precibus piorum promoveri optant? Quibus tamen omnibus officiis nostris non læditur munus mediatoris Christi, & in omnibus Dissidentium Ecclesiis vulgo omnes preces aliorum pro se imploranti, Salvo honore mediationis Christo competentis.

Resp. Non in eo adversus Mediatoris Christi Officium delinquunt implorantes eorum preces, qui prodesse cuiquam apud Deum possunt, quod pro se ad Deum Christumve intercedi postulent? Id enim per se, non modo licet, sed laudabile & injunctum nobis est. Sed in eo, quod id vitiosè faciunt: tribuendo Sanctis tacitè potestatem Divinam, quæ Deo tantum & unico Filio ejus Mediatori Dei & hominum competit. Recte vero Auctor ipse munus Mediatoris descripsit, quod ita pro nobis intercedat, ut ipse quoque misereri possit. Idem illi ex vi opinionis & actionum suarum Sanctis hominibus tribuunt. Scientes enim primum quod in Domino obdormierint, deinde non videntes eos, & ignorantes an præsto adsint, vel eos audiant precesve eorum intelligant, audent semper & ubique ad eos confugere, credentes sese ab iis semper & ubique exaudiri posse. Quod non nudam omniscientiam, sed & omnipræsentiam & omnipotentiam in se includit. Talis enim facultas exaudiendarum precum absque divina omnipotentia cogitari nequit. Unde autem constat cuiquam Sanctorum ejusmodi potestatem collatam? Unus est Mediator Christus, qui eam in Cœlo ac terris accepit & exercet, nec præter eum tribui cuiquam potest, absque ipsius dignitatis injuria. Illa vero excusatio calva est, quod tantum intercessio Sanctorum, non vero auxilium imploretur. Cum enim iis tantam potentiam & potestatem, qualem descripsimus, tribuant, etiamsi ulterius non progrediantur, satis in eo Christi injuriæ cernitur, dum in ejus dignitatis consortium admittuntur alii quæ ei soli duntaxat competit. Verum id vix fieri potest, quin ulterius progrediantur. Cui enim tantum ut diximus divinæ potestatis tribuitur, nil propius factu est, quam ut ab eo non intercessio tantum, sed & auxilium ipsum speretur. Quod non modo posse fieri, sed passim fieri, Auctori ipsi & omnibus notissimum est.

Objectioni supradictæ occurrens Auctor dicit, *Aiunt, Licere quidem ambire ac postulare Intercessiones viventium, at non mortuorum.* Loco responsionis quærit, *Quamobrem?* Resp. Causam ejus rei, & quidem capitalem & maximi momenti, exposuimus.

Mox affert duas rationes, cur Sanctos mortuos precibus invocare liceat. 1. Quia licuit diviti precari Abraamum, ut mitteret Lazarum ad domum Patris ejus. 2. Quia jam (ut asserit) probavit animas Sanctorum vivere, audire, videre, loqui.

Resp. ad primam, quamvis & supra refutata sit, 1. Parabola pro re gesta allegari nequit. Nam nec

Abraamus

Abraamus tunc obtinuerat promissionem. *Hebr.* xi. Neque Dives damnatus, in reipsa aut videre in Cælo existentem Abraamum, neque compellare, aut loquentem audire potuit, cum non esset in Statu Beatorum, quibus solis eam speciem omnipotentiæ, quod videant & audiant quicquid volunt, in facie Dei quam intuentur, Auctor tribuit.

Secundo. Exemplum hoc est admodum dissimile, nec ad propositum quadrat. Quæritur enim, an eos, quos non videmus Sanctos religiosis precibus invocare liceat. Auctor vero allegat exemplum, non religiosarum precum, quæque ad invisibilem & nobis non præsentem funduntur; Sed simplicem petitionem ad eum directam quem Dives vidit, audivit & cum eo collocutus est. Tertio. Non omnia quæ Parabola continet, vel in vera historia referuntur, digna sunt quæ imitentur. Plura eorum, quæ vere narrantur, vitanda sunt. & in ipsis Domini parabolis non desunt quædam, quæ nullo modo imitanda sunt, quale est factum Dispensatoris illius, cui muneris ejus abdicatio denunciata fuit. Quarto mens & Scopus Domini in hac de divite Lazaroque narratione fuit, ut ostenderet, Sero tunc implorari misericordiam, cum quis in Statum damnatorum incidit: Præterea Deum quoties dat doctrinam, & Leges fert Populo suo, velle ut secundum eas vivamus, non expectantes miraculosam aliquam Cælitus admonitionem aut revelationem extraordinariam, qua excitemur ad faciendum officium. Quorum utrumque continebat postulatum illius Divitis. Imo eo ipso Dominus damnavit id genus precum, quod eas non exauditas & repulsam tulisse ostendit. Inique igitur & parum aptè nobis ad imitandum proponuntur ejusmodi preces, quas Dominus iniquas & parum concessibiles fuisse censuit.

Ad alteram rationem respondeo. Animas Sanctorum ante resurrectionem videre, audire, loqui, An Auctor sufficienter probaverit, æqui Lectoris judicium esto. Sed quamvis probavisset, aut id extra controversiam esset, non ilico sequitur animas istas esse omnipotentes, omniscias, omnipræsentes & omnes quicunque ad eas confugiunt, ubique & semper videre, audire, intelligere quid petant, atque adeò exaudire & adjuvare posse. Longa inter hæc distantia est. Ideo diximus, tametsi istud debile fundamentum, quod jecit Auctor, in vestigiis suis maneret; substructiones tamen in eo erectas, suamet invalida mole ruituras.

Mox ostendit rationes ob quas ad intercessionem Sanctissimæ Virginis confugiat Orientalis Ecclesia. 1. *Quod per solam naturæ debito, cum obdormisset in Domino, recepta est in Cælum. Quod licet in Libris Novi Testamenti non legatur, non tamen est vocandum in dubium. Quamvis enim hic liber sit solus, in quo Leges Dei descriptæ sunt, quibus addere aut demere quicquam nemo ausit. Tamen & Mosis Libri soli erat quinque, in quibus Lex Dei descripta fuit. Nec idcirco alii Libri Veteris Fœderis, Prophetarum, Historiarum, & Psalmorum fides derogatur, quamvis eos Deus nusquam pro authenticis proposuerit; Sed autoritate Ecclesiæ Judaicæ fulciantur. Credunt igitur omnes Eliam esse in Cælum receptum, quamvis de eo in Libris Mosis nihil extet. Cur idem de Sanctissima Virgine credi non debeat, quamvis de eo in Novo Testamento nulla sit mentio?* Resp. Quemadmodum Libri Veteris Fœderis, non modo Lex Mosis in Quinque Libris ejus comprehensa, Sed alii omnes Prophetici, Historici, & Psalmi sunt omnium consensu in Canonem recepti, Ita libri quoque Novi Fœderis non modo leges Novi Fœderis ab Evangelistis, & Epistolis Apostolicis descriptas, Sed historias & Acta Apostolorum & Prophetiam Revelationis Joannis continentes, sunt unanimi omnium consensu pro Authenticis recepti. Sicut igitur olim historiæ de Elia in Cælum recepto credebatur, quamvis ea in Libris Mosis non extaret; (nec ullo modo scriptum extare poterat: quod longo intervallo post scriptos istos libros gestum est) eodem modo nunc, quicquid in Actis Apostolicis scriptum est, fidem invenit apud omnes, quamvis neque in Evangeliis, neque in Epistolis Apostolicis narratur. Sed prava est ista & doli mali plena antithesis, qua Auctor totum Novi Testamenti Codicem solis quinque Libris Mosis opponit: suspectas autem & fabulosas post ævum Apostolicum historias, reliquis Prophetiarum & historiarum Biblicarum Libris, nullo modo suspectis, sed jam in Canonem receptis. Nam ut olim toti Bibliorum Codici credebatur, Ita nunc omnibus Novi Testamenti Libris sua constat autoritas. Alii omnes libri extra Canonem, quemadmodum ante hac partim fide digni, partim suspecti erant; Ita nunc sub Evangelio alii aliis certiores aut suspectiores censentur. Nullus tamen tantæ autoritatis ac certitudinis est, ut cum libris in Canonem Christianorum receptis conferri aut certare possit.

Quod autem rogat Auctor Libros Prophetico Josue, Judicum & Historias Biblicas *Ubinam Deus pro authentici haberi jusserit, & asserit eorum certitudinem, sola Ecclesiæ Judaicæ authoritate fulciri. Ut Christianæ quoque Ecclesiæ autoritatem, supra Sacræ Scripturæ auctoritatem extollat:* Ad quæstionem hanc ita respondemus.

Resp. Nullus liber est, quem Deus peculiari aliquo mandato, aut miraculoso & extraordinario modo confirmaverit: Sed effecit ut Cælestis ejus veritas suâmet primum indole ac naturâ, Rationi plane congrua, imo rationem convincente commendata, mox miraculis & sanctimonia eorum qui eam prædicarunt, & in scriptis suis posteritati reliquerunt, confirmata, fidem apud omnes Dei timentes inveniret. Hæc Fides nulla imperiosa Ecclesiæ auctoritate inculcata est, quæ quia homines invitos ad credendum aut opinandum cogit, fidem potius abrogare, quam conciliare solet. Sed ex unanimi & voluntario ac libero omnium consensu nata est, ne istis quidem exceptis, quos ista superba & violenta dominatione minax Ecclesiæ auctoritas, posterioribus seculis oppressit aut afflixit. Cum enim nullam in ejusmodi Libris homines causam dubitandi aut suspicandi invenirent; Imo puram Doctrinæ veritatem Cum prædicatione Apostolorum congruam agnoscerent, ficuti primitus eos pro certissimis habuere, ita certitudinem istam & auctoritatem eorum, posteris suis per manus tradidere, ita ut hodie quoque omnes, quanquam in plurimis aliis rebus secum discordes sectæ atque Ecclesiæ, ab unanimi isto in agnoscenda eorum auctoritate, consensu discedere non audeant, quod absque miraculosa & extraordinaria Dei potentia & providentia accidere non potuit.

His breviter ad verba Auctoris de Auctoritate Ecclesiæ præmissis, primum ostendimus, Non ideo incertis narrationibus fidem derogari, quia in Libris Novi Testamenti non extent, Sed quia non ex Scriptis fide dignis, sed potius fabulosis desumptæ sunt. Quamvis enim Libris Novi Testamenti, ac proinde cæteris quoque Biblicis præ aliis omnibus fidem habeamus; tamen alios quoque libros, sine justa & gravi causa non rejicimus. Deinde res post exaltationem Domini, & circa ævum Apostolicum gestas, credimus quidem ab hominibus piis conscriptas, & memoriæ posteritatis relictas, quod fecit Hegesippus, & si qui erant ejus similes. Sed eorum Scripta nostris temporibus invidit atque eripuit ab antiquo inveterata erroris conspiratio, cujus idem Hegesippus mentionem facit, hoc est, Antichristus ille in errores non paucos & factiosus consensus,

qui

qui veras narrationes aut libros partim suppressit, partim corrupit, & immutavit, & in locum illorum commenta impostorum & fabulas subjecit, quoniam gliscentibus erroribus & eorum Patronis, vera rerum tunc in Ecclesia gestarum notitia noxia erat & funesta. Quod ne quis à nobis solis dici putet, inter defensores opinionum Auctoris celeberrimus Vir Dionysius Petavius, idem queritur (quanquam non omnia aperte uti decuit exprimens) *lib. v. cap. III.* Rationarii Temporum. Quibusdam enim actis D. Petri breviter commemoratis, addit *Reliquorum Apostolorum Acta, nulla fere certa ac fide digna historia comprehensa in obscuro latent* Deinde initio *Cap: v. lib:* ejusdem ait. *Christianæ res illius temporis haud magna in luce versantur.* Causam infra ibidem subnectit *quia pleraque fabulis & incertis narrationibus aspersa sunt* Hæc igitur testimonia de Annalium per ea tempora Conditoribus, qui nunc extent, habemus. Non nos igitur soli, sed ipsi defensores opinionum, ad quas defecit Auctor, narrationes illius Seculi, falsi & fabularum arguunt.

Quod ad rem ipsam attinet, Sententiam hanc de recepta in Cœlum Beatissima Virgine, nos oppugnare, aut falsi arguere nolumus, neque id à nobis ulla necessitas, aut Sententiarum nostrarum ratio requirit. Nec de omnibus cum potentioribus Ecclesiis litigandum est. Scimus enim & credimus, quem admodum Dominus noster exaltatus est, longe super omnes Principatus, atque imperia Cælestia; Ita & beatissimam Matrem ejus dignam esse, quæ supra Angelicorum Ordinum eminentiam extollatur. Sed ex hac ejus excellentia inferri nequit, eam in Divino cultu & invocatione cœquandam esse cum eo, qui datam sibi habet omnem potestatem in Cœlo & in Terra, aut post interdictum Præcepti Divini in cultu religioso hominum facere audeamus id, cujus nobis neque per Præceptum, neque per expressam permissionem licentia concessa est.

Alteram rationem ob quam Ecclesia confugere debeat ad intercessionem Sanctissimæ Virginis, ponit quod illa Spiritu Prophetico prædixerat. *Ab hinc me beatam prædicabunt omnes Gentes. Luc.* 1. Quis quis igitur hanc beatitudinem Divæ Virginis non colit, verbo Dei repugnat. Omnes igitur Gentes beatam illam confitentur propter institutum Catholicæ Ecclesiæ. Resp. Non potest Auctor propter hoc institutum Ecclesiæ Sanctissimam Domini Matrem beatiorem censere quam nos absq; ullo Ecclesiæ Edicto censemus, credentes firmiter, eam non solum fuisse, sed fore in secula beatissimam. Vanum igitur laborem suscepit satis operosè & multis verbis contendens probare, quod probari nulla postulabat necessitas. Magis causæ ejus expediebat probare, quod personæ ejusmodi, quæ beata censenda est, religiosus cultus & invocatio deferenda sit, cum fiducia quod nos ubique & semper audire & juvare possit eo quod sit beata. Nam & primus Psalmus eos qui in lege Domini delectantur, Et ipse Dominus audientes verba sua, Pauperes Spiritu, misericordes, persecutionem patientes, & Jacobus Apostolus eos qui tentationem superaverint, beatos prædicat. Nec tamen inde concludi potest, quod ejusmodi homines potestate in Cælo & in Terra carentes, semper & ubique quemlibet audire & juvare possint, quod uni soli Deo Patri & filio ejus unigenito competit.

Tertiam rationem adjicit. Visiones varias piorum miraculosas. Quibus cur fides abrogetur, rationem non videt auctor.

Resp: Imo cur ipsis fides habenda sit, causa nulla suppetit, quoniam veteris prædicationis doctrinæ, jam sine satis miraculis confirmatæ. Nos autem ut novis doctrinis, ita miraculis eas confirmantibus nequaquam indigemus: insuper præmonuit nos Spiritus Sanctus Filium perditionis venturum in mirac. mendaciis.

Affert postea rationem, cur Ecclesia ad Sanctorum mortuorum intercessionem confugiat: quod quemadmodum dum viverent Caritatem nobis exhibebant, ita post mortem placant iram Christi adversus nos. Resp: Verum id nulla ratione probat, eos qui in Domino obdormierunt, antequam è somno suo excitentur, posse nobis æquè, imo magis etiam operi ferre, quam dum viverent. Nam dum viverent, non poterant preces audire nisi præsentium: nec per somnium; sed vigilantes nos juvabant, nunc vero tam longe à nobis dissiti, neque à somno suo excitati, quomodo semper & ubique preces nostras audire, vel exaudire possunt?

Docet postea quomodo dignoscendi sint post mortem Sancti à cæteris mortuis, & ostendit Ecclesiam nec pios quidem homines pro Sanctis recipere, nisi corpora eorum miracula patrent. Sed non docet quomodo nunc vera à falsis miracula dignoscendi sint, quorum quanta copia germinaverit, nescire esse nequit.

Deinde aliquot objectiones proponit quibus respondet.

1. Aliud est petere à Sanctis ut intercedant apud Deum, Aliud Divinum cultum & adorationem ipsis exhibere, non aliter atque ipsi Deo, quæ enim differentia est cultus ipsius Dei, à cultu Sanctorum, quibus Templa extruuntur, genua flectuntur, adoratio exhibetur, Festis diebus memoria recolitur, thura adolentur, lampades accendantur &c. Respondet Auctor agnoscendo magnam esse debere differentiam inter cultum Deo & cultum Sanctis exhibitum. Fatetur tamen externam & corporalem adorationem, quæ Deo & Sanctis exhibetur, non habere differentiam: Sed hanc differentiam esse in corde & animo. Sed ne quis suspicetur nos verbis nostris sensum Auctoris adulterasse, verba ponimus. *Deo igitur ait competit Cultus Latriæ, Sanctissimæ Virgini Hyperduliæ. Sanctis vero Dei Duliæ. Qui cultus Deo debetur principaliter & finaliter. quicquid autem cultus & honoris exhibetur Sanctis, id propter Deum & in gratiam Dei facimus, & ad Deum referimus. Id vero in Cordibus hominum habet fundamentum, externus & corporalis cultus nullam habet differentiam. Nam & olim legimus adorationem usque ad terram exhibitam esse non modo Deo, sed & Angelis & hominibus quorum exemplorum plena est Sacra Scriptura.*

Resp. Bene est quod habeamus confitentem reum, qui id agnoscat, quod ad eum convincendum sufficit. Deus cui soli licet & competit gloriam suam quærere, non est contentus occulto & soli cordium scrutatori cognito honore & cultu, sed manifestum & omnibus notum cultum, & qui reliquarum creaturarum honorem manifeste superet, ab omnibus tam Angelis quam hominibus requirit. Si igitur hæc latria à reliquis cultibus differentia (qui cultus soli Deo exhibendus est) intùs & in cordibus duntaxit mortalium latet, nec in exterioribus signis à cæteris cultibus discerni potest; non potest ab aliis hominibus aut Angelis videri: sed in loco tam inaccesso abdita est, ad quem aditus nonnisi ipsius Dei oculis patet. Quem igitur gloriæ fructum Deus ex ejusmodi cultu habere possit, qui nec Angelis, nec hominibus notus esse, nec ab aliis distincte cerni & animadverti potest? Quanta Dei injuria est, quod vel in externi cultus honore, honor gloriaque ejus cum hominibus cœquetur? Quid prodest quod sola mente & cogitatione eum supra cætera omnia extollimus; si in honore Angelorum & hominum oculis patente, nihil ipsi supra cæteros defertur aut exhibetur? Nonne cultus iste arcanus Angelorum & hominum &

oculis

oculis subtractus, figmentum & Ens rationis, non autem aliquid in re ipsa existens cuiquam videri possit? Ac profecto distinctio ista inter Latriam, Duliam & Hyperduliam in mente sola non in re ipsa sedem suam habeos, purum putum est rationis figmentum, quoniam differentia horum cultuum nusquam alibi præter mentem & cogitationem, nostram existit. Deus autem realem & omnibus suis creaturis notam, non in latebris inaccessis abditam gloriam & honorem supra omnia reliqua eminentem requirit. Quod autem addit, in Libris Veteris Fœderis legi, quod Angelis & hominibus adoratio usque ad terram exhibita fuerit, inde non sequitur, tunc quoque in externo cultu Dei atque hominum nullam fuisse differentiam. Nusquam enim legitur quod Angelis aut hominibus non præsentibus, & ab oculis colentium semotis, tanquam omnipræsentibus Religiosa adoratio, qualis uni invisibili Deo competit, exhibita fuerit, soli præsentes & oculis subjecti adorabantur? In quo aperta liquet differentia. Nam adoratio personæ oculis subjectæ exhibita, simplicem potestatem & eminentiam, quàm homines quoque à Deo constituti super homines habere possunt, designat. Sed eadem adoratio personæ invisibili exhibita, Divinam & humanâ eminentiorem potestatem significat.

Sed aliunde probat Auctor Ecclesiam Orientalem cultum Deo debitum non *exæquare Cultui Sanctis exhibendo, quod in quotidiana Liturgia preces ad Deum fundi pro Sanctissima Virgine & cæteris Sanctis soleant. Resp.* Simile hoc effugium est defensioni perditi nepotis, qui cum infelicis forte alcæ jactura commotus & in rabiem actus Deo maledixisset, delicti culpam excusare voluit, quod tamen Templum quotidie frequentet & Orationem Dominicam recitet. Quod is quotidie facit, rectè facit. nec minus tamen adeo grave delictum, merito supplicio dignum est. Apparet autem & quotidianas istas preces ejus non ex animo fundi, quando quidem tam impio facinore obligare sese veritus non est. Quemadmodum igitur neminem improborum excusat, quod interdum, aut etiam frequenter aliquid boni faciat; Ita neque Orientalem Ecclesiam, quod inter innumeros novos introductos errores, supersunt adhuc aliqua priscæ veritatis vestigia. Hoc enim ipsum quotidiani cultus Dei in Ecclesia institutum planum facit eos, à quibus id primitùs introductum est, existimasse istos, pro quibus ad Deum intercedi voluerunt, nondum beatitudinem illam assecutos, in qua faciem Dei videant & Cælestibus gaudiis una cum Deo fruantur. Tales enim nulla intercessione indigent. Discessit igitur in hoc cultus Sanctorum errore Orientalis Ecclesia, ab illis quoque primævis Liturgiæ suæ institutoribus.

Altera quam sibi opponit objectio est. *Cur Israelitæ Angelo, qui eos deduxit per Desertum; Victimas non immolarunt, & reliqua Divini cultus officia non exhibuerunt?* Respondet *quia Angelus, qui erat in Deserto præsens Israelitis, Deus vocabatur, & in rubo ardenti cum loqueretur Mosi nomen ac personam Dei gessit, & responsa dabat Israelitis tanquam Deus, Ideo necesse est Israelitas ei victimas immolasse, & per eum ipsi Deo.*

Resp. Confundit hoc loco Auctor duas diversas Historias. Revelavit se Deus Mosi, cum ipsi legationem ad Pharaonem mandaret. Angelus autem ductabat Populum post expeditam istam legationem. Cui Angelo victimas aliquas immolatas aut cultum Divinum exhibitum nusquam legimus, quemadmodum id ipse Auctor in responsione ad tertiam objectionem statim refellit, ideo hoc loco plura non addimus.

Tertia Objectio est. *Cur aliis Angelis & Archangelis nulla adoratio exhibita est ab Hebræis, quemadmodum nec Sanctis hominibus, Abeli, Enocho, Abraamo, Isaaco, Mosi, quod neque Deus id permittere, neque ipsi id tentare auderent. De Angelis & Archangelis* respondet Auctor. *Quod illis adoratio exhibita non sit, Templa & altaria non exstructa, ob eam causam, quia tunc Israelitæ erant sub Lege, tanquam Pædagogo, nec poterant quicquam agere quod ipsis præscriptum non fuisset.*

Resp. Hæc responsio tollit & falsam esse arguit priorem proxime allatam. Nec satis mirari possumus Auctorem in duabus suis responsionibus proxime juxta se positis, adeo manifestam contradictionem non animadvertisse. Sed non tàm ideo quod non haberent præceptum, quam quod haberent expressum interdictum, & quidem in nobilissima parte Legis, hoc est, Decalogo, primo loco posita violare illud Israelitæ non ausi sunt. Nec propter hanc Legis partem, quæ maxime Spiritualis fuit, Lex Pædagogi nomine vocata est; Sed propter aliam carnalem & ceremonialem. Sed Lex Spiritualis in Decalogo & doctrinis ad eam pertinentibus non modo per Evangelium sublata non est, sed impleta confirmata &, perfectior reddita. Ideo ipsi derogari per Orientis & Occidentis Ecclesias non oportuit. Ad omissam ante Legem & sub lege Sanctorum adorationem nihil respondet, tantum invocationem Sanctorum duabus rationibus fulcit. Prima est. *Quid est cur ad Sanctos, Preces non fundamus, quando quidem illi pro nobis intercedunt, & victimas nostras afferunt in conspectu Dei Apoc.* v. 8. *Resp.* 1. Ex Libris Propheticis, & quorum explicatio incerta est, certa argumenta produci nequeunt. 2. Imo vero quid est cur ad eos preces fundamus, quos obdormivisse in Domino, necdum excitatos, aut gloriosis corporibus indutos constat? Altera ratio est. *Quid est cur Sanctos invocandos non putamus, cum sciamus in gratiam illorum non modo vivorum, sed mortuorum quoque, multa Deum facere solitum? Resp.* Imo quid est cur mortuos invocamus, quos non videmus, nec præsentes esse scimus. quod autem non sint omnipotentes probe nonimus. Quarta Objectio est. Cur Angelus in Apocalypsi non permisit sibi à Joanne honorem & adorationem exhiberi? Respondet Auctor, quod Angelus hoc facto testatus est, Cœquatos in Christo *homines cum Angelis, verum tamen quemadmodum Angelus erat Sanctus, ita Joannes quoque fuit Sanctus, nos autem summi peccatores.* Unde tacite concludit, nos ad eam cœquationem non pertinere, ideoque à nobis Sanctos, & ipsos Angelos adorandos. Resp. Non ideo quod fideles Domini sese peccatores esse agnoscere tenentur, partim propter vetera peccata, partim propter delicta infirmitatis, quæ interdum hi quoque committunt, qui secundum spiritum vivunt; non ideo, inquam, excidunt dignitate vocationis suæ in Christo, ac proinde & istius prætensæ cum Angelis cœquationis. Idem enim Joannes 1. *Joan.* 1. Omnes (*ut se quidem excepit*) agnoscere præcepit, quod sint peccatores, & tamen eum hoc loco (& merito quidem) Auctor Sanctum vocat, atque ad eam cœquationem pertinere arbitratur. Quisquis noxie peccat, & secundum carnem vivit, nihil ipsi Sanctorum aut Angelorum cultus proderit. Quisquis secundum Spiritum vivit (sicuti omnes tenentur) etiamsi à delictis rarioribus & levioribus plane exemptus non sit, dignitatem vocationis suæ in Christo non amittit. Sed non tam propter cœquationem cum Angelis, ab Auctore propositam (quam dum sumus in hac vita tentationibus & infirmitatibus plurimis obnoxii nescio an tutò jactare possimus) quàm propter interdictum Dei divinam Angelis adorationem exhibere non debemus, quemadmodum ostendit ipse Angelus *Apoc.* XXII. 9. quando delatam sibi à Joanne adorationem, non acceptando, Deo ipsam exhibere imperat, quia eam soli sibi Deus reservaverit. Sed & ideo, quod nobis cultus Angelorum (cui facile malorum Angelorum cultus admisceri potest) expresse vetitus est *Colos.* II. 11.

Dum ad hanc Objectionem respondet, unâ ad exemplum D. Petri, qui Cornelii adorationem inhibuit, respondere nititur, ac dicit, eum id fecisse demissionis animi sui testandæ causa, quam nobis vicissim exhibere tenemur. Quæ responsio ostendit, adorationem hanc Petro à Cornelio quidem fuisse debitam, quamvis eam Petrus verecundè & civiliter propter modestiam non acceptarit. Resp. Sed Petrus ejusmodi rationem addit, quæ ostendit, adorationem hanc ipsi non fuisse debitam, nec propter solam modestiam à se recusari, dum ait *Act. x. 26. Se quoque esse hominem, ideoque ipsi Divinum honorem non deberi*, quemadmodum & Angelus Joanni idem ostendit quando ipsi Deum potius adorandum præcipit, quasi dixisset, id sibi non deberi, quod sibi uni Deus reservasset. Præcipue cum alioqui D. Petrus nullam in Terris potestatem (cui interdum divinis simillimi honores deferuntur) gereret.

Quintam Objectionem sibi opposuit, *Cur D. Petrus Angelum non adoravit à quo ex Carcere eductus est? quin & Sacra Scriptura expresse cultum Angelorum vetat Coloss. II. 18.* Cui Objectioni ne verbum quidem ullum reposuit, quia cum quod respondere posset, non habuerit; Silentio eam & oblivione involvere maluit.

CAPUT XI.

Defenditur Causa Secedentium à corruptis Ecclesiis.

CUm supradicta controversa Dogmata, de quibus inter Christianos lis est, percurrisset, aeriter reprehendit id quod nos una secum damnare probe novit. Quod videlicet Christiani ob ea inter se adeo gravi-
„ ter & indecore digladientur, quod mutuis odiis fla-
„ grent, ac sese vicissim tot anathematismis feriant, quod
„ se invicem diris devoverint & optent ut omnes vel mi-
„ nimum dissidentes terra dehiscens absorbeat. Hinc
„ tot cædes, virulenta scriptorum certamina, convicio-
„ rum plaustra, exilia, proscriptiones, carceres & marty-
„ ria. Unde vero tanti odiorum æstus? Propter suas aut
„ Patrum suorum opiniones calcare libet mandata Chri-
„ sti, & leges ejus de Fraterna Charitate, de tolerantia
„ imbecilliorum. Annon omnes Christi sumus? Huc usque merito queritur, in quo nos habet suffragatores. Utinam tam salubria monita Ecclesia ejus admittat. Sed in iis quæ addit plures errores admiscet, quos breviter percurremus.

1. Ait primum. Nonne in gratiam aliorum Opinionibus quas fovemus, renunciandum est? Resp: Hic vero iam Auctoris oratio in errores degenerare incipit. Caritas & amor concordiæ exigit à nobis ne ob diversitatem sententiarum animis atque odiis dissideamus. Sed non exigit, ut antequam à veritate convincamur, sententias quas pro veris habemus, tantum in gratiam amicitiæ, falsi condemnemus. Amicus Plato, magis amica veritas. Ecquod à nobis officium requirit, ut propter homines, Deum offendamus, propter mortalium conjunctionem, à veritate Dei discedamus? Non impedit Caritas & tolerantia Christiana, quominus quisque suo sensu abundet. Quia veritas sibi ab errore non metuit, etiamsi quàm proxime ipsi admoveatur, quia eum rationis armis semper debellare potest. Sed errorum suspecta doctrina sibi à veritate male metuit, nec conspectum aut vicinam ejus ferre potest. Nam quoties cum ipsa concurrit, etiam absque ullo certamine, non secus atque nix ad solem suapte natura liquescit, ac dilabitur atque evanescit. Ideo non rationum conflictu, sed corporeis armis per vim & persecutionem, confessionem eius, quam longissime à se arcere & excludere contendit. Certissimum falsarum Opinionum signum atque documentum est, quoties istiusmodi artibus defenduntur, tunc omnibus apparet eas propriis ac genuinis veritatis armis destitui. *Ad furias properat, qui Ratione caret.*

2. Exagitat postea, nec sine causa, perversitatem atque hypocrisin mortalium, quæ in dissidiis Religionis frequens est, quod homines, gloriæ Dei ac devotionis prætextu, ea sæpè audent, ac delignant, quæ nec absque injuria Dei, nec absque Religionis ignominia patrantur. Sed huic veræ ac justæ reprehensioni falsas admiscet rationes. Opponit enim sibi quandam Objectionem his verbis, *Sed dixerit aliquis, ego sane de sententia mea facile decederem; Sed gloriam Dei negligere non licet.* ac respondet. *Quamlibet Sectam ejus generis effugio uti, nec tamen omnes veras esse posse. Unde autem scis*, inquit, *tuam omnium optimam ac verissimam esse. Omnes enim ratrocinantur ac disputant, interdum & martyria patiuntur. Sed opiniones suas omnes, & existimationem tuentur, non gloriam Dei. Resp.* Hæc responsio gravem erga eos involvit injuriam, qui veram Dei gloriam, ac licitis & honestis imo Apostolicis modis defendunt, hoc est, verbo Dei, rationabili & Sancto Dei cultu, atque ipsis martyriis. Nisi forte Auctor nullam esse veram in terris Ecclesiam sentiat, sed omnes erroneas & suspectas. Cujus rei judicium facit dum ait, *Unde scis tuam esse optimam Sectam?* Quam Atheorum objectionem suprà solvimus, quo Lectorem remittimus. Nunc ad istam captiosam quæstionem. *Unde scis tuam esse optimam*, ita breviter respondemus: Quia est ad Lydium lapidem Sacræ Scripturæ sufficienter examinata. Quoties homines inter se variis litibus commissi disceptant; Unde cognosci solet; quinam eorum justam causam tueantur. Annon sunt Jura & Leges, quibus omnes tenentur, quæ litibus omnibus dirimendis sufficiunt? Eodem modo in litibus & controversiis Religionis, est Sacræ Scripturæ Codex, cujus auctoritati cuncti se submittunt. Qui Judicis hujus suffragium obtinuerit, victorem evadere necesse est. Omnes enim eum infallibilem fatentur esse. Quemadmodum vero à Judiciis forensibus nequit, ita a Theologicis sanæ rationis ministerium atque usus excludi potest. Præterea eos qui propter sententias in Religione pœnas Martyriorum sufferunt, veritatem tueri, si non in omnibus quæ credunt ac sentiunt, saltem in iis opinionibus, ob quas maximè patiuntur, ostendit experientia. Sed qui alios martyres efficiunt, quemadmodum ab omni veritate, ita ab omni probitate ac pietate plane sunt alienissimi. Proinde & integræ Ecclesiæ quæcunque dissentientes odiis ac suppliciis persequuntur, habent stigma istud frontibus suis inustum, quod falsi non esse suspectæ nequeant. Quoties igitur quispiam ab afflictis & insontibus Ecclesiis ad istas stigmate Antichristi perustas & signatas transfugit, merito illam Christi comminationem sibi objici audit. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* At enim sese à privata atque particulari Ecclesia ad universalem transiviisse prætendit. Atqui supra planum fecimus, neque Orientis neque Occidentis Ecclesias, cum invicem plane dissideant, nec sibi subordinentur, Universales esse posse; in quacunque significatione sumatur vox universalitatis. Illud quoque patuit, in eo sensu qui circa tempora Apostolica fuit in usu; Ecclesiæ, quam Auctor deseruit, agnomen Catholicæ præ omnibus aliis tribuendum esse. Quod autem ditiores ac potentiores Ecclesiæ sibi hoc nomen vendicent, eo fieri, quod multitudine, opibus, & potentia præcellant. Proinde & istis qui coram ejusmodi potentia florentibus hominibus, veritatem sibi bene cognitam, abnegant supra dicta Domini comminatio merito metuenda est. Pergit Auctor & ait. *Sed in Orientali Ecclesia* (idem & occidentalis jactare solet) *cultus Christi ab initio viguit, & nunc quoque viget ac vigebit in perpetuum. Respon:* Hic Populus (non loquor de omnibus, sed de longe

longe majori hujus Ecclesiæ parte, præcipue vero de Præpositis ac Ducibus cæterorum cæcis) quod labiis atque ore ad Dominum accesserit & accedat, nemo negat. Sed quam alienus ab eo fuerit, atque etiamnum sit corde & vita sua, documento est Tyrannis in Ecclesia occupata, atque Idololatria in locum veri cultus Divini subjecta, quamvis id ignorare non posset, quàm graviter Deus utroque isto crimine irritetur. Consecrabat Deo manus suas in sanguine Servorum ejus insontium, & ejusmodi cultum Deo tribuebat, quem Deus pridem aspernatus, sibi tribui severissime vetuit.

3. A defensione sui redit Auctor iterum ad captiosas interrogationes, & primum quærit. *Quid factu melius est? Scindere in partes Ecclesiam Dei: & Anathema dicere totis tam Orientis, quam Occidentis, imo aliis quoque Ecclesiis Dei? An vero etiam cum erroribus* (ut nobis videri potest) *manere in Ecclesia Catholica* (hoc est, in quacunque ex potentioribus Ecclesiis) *in gratiam communis concordiæ, Sed & ideo quoque, ut ii qui se perfectiores esse censent, tam in vera doctrina, quam in vera pietate insinuanda possint prodesse Ecclesiæ Dei, societate aliorum non abjecta, ne scandalum dissidii in Populo Dei exoriatur, & ne ii, qui forte ab aliis proficere possint, eos ipsos odio prosequi teneantur, neve alii, qui alios docere & emendare queunt, eorundem odiis atque inimicitiis sese objiciant.*

Resp. Quis est tam vecors & impius, qui non posterius eligat, si modo id per nequitiam & impietatem, hoc est, tyrannidem præpositorum in iis de quibus loquimur Ecclesiis regnantem (quæ nihil aliud, quam contra Christum perduellio est.) præterea per crimina læsæ Divinæ Majestatis (quæ in iisdem Ecclesiis cunctos tam gravis culpæ communione involvunt) impune facere liceat? Sed cuneus cuneo tradendus, & quæstio quæstione elidenda est. Ponamus ob oculos, id quod in Populo Dei sæpius factum & semper fieri potest. Revelat forte Deus alicui in densis tenebris lumen veritatis suæ: videt in sua Ecclesia non modo crassissimos errores, sed flagitia & scelera absquè idonea animadversione regnantia: videt Idololatriam propemodum Ethnicam, præterea Tyrannidem Antichristi impotenter grassantem, quæ non simplicia delicta sunt: Sed læsæ Divinæ Dei juxta atquè Christi Majestatis crimina. Satis novit, si tangat ista ulcera mortalium, quantis eorum & quam irreconciliabilibus odiis, Anathematismis & hostilitatibus sese objiciat. Quæro invicem ab Auctore, quid huic homini in eo casu faciendum sit? An præstat ut sileat, neminem moneat, nec se tot odiis atque periculis objiciat? Quid hoc aliud est nisi suam in terris pacem & tranquillitatem; quàm Deum & Christum, quam proximum, quàm salutem propriam pluris facere? Nam ut omittam Deo debitum officium; quænam hæc esset erga proximum Caritas? exorto forte pleno discriminis incendio ab excitandis dormientibus Amicis abstinere, ne sibi somnum intempestive abruptum stomachentur.

Excipiet Auctor. *Integrum esse cuivis monere, & quod in rem Ecclesiæ sit consulere in medium. At unitatem Ecclesiæ scindi, non licere, nec expedire alienari ab Ecclesia eos, quorum monitis alii doceri & emendari possint.*

Respon. Non deserenda est Ecclesia quamdiu se moneri, doceri, & emendari patitur. Sed si hunc monitorem una cum iis qui se doceri & corrigi passi sunt, eadem Ecclesia ignominiosè exturbet, aut ad palinodiam tyrannice adigat. An veritas abneganda, & adversus Conscientiam, excommunicationis metu, approbandi errores, aut post excommunicationem societas aliorum in cultu Dei omittenda est, ne forte ullus Cætus extra illam excommunicantem Ecclesiam opera nostra extet in orbe ab illa diversus? Ergo antiquius erga tam pravam atque vitiosam Ecclesiam, quam erga Deum obsequium censebitur? Præterea cum Ecclesia de criminibus, quæ adversus Deum committuntur admonita, non emendatur, imo monitores ad eadem perpetranda cogit; an ut hominibus obsequamur Deus offendendus, an vero à complicitate criminum procul secedendum est? Agnoscit Dominus hanc veritatis suæ fortunam; quod ejus prædicationem, dissidia, discordiæ, odia, persecutiones, tanquam umbræ corpora in sole sequuntur. Cæterum malorum istorum culpa non veritati, sed malitiæ mortalium tribuenda est, qui aut erroris dulcedine abrepti, salutarem veritatem spernunt, aut peccati illecebris capti, ab eo desistere nolunt. Ideo aut ipsi veritatis defensores à societate sua proscribunt: aut eos qui peccati contagium vitant, ad segreges Cætus faciendos adigunt.

4. Quærit iterum. *Quis est scopus eorum qui segreges Cœtus à Catholica Ecclesia abjungunt* (per Catholicam intelligit potentiorem. patuit enim supra, neminem à vere & propriè dicta Catholica recedere) & instat. *Non alium dari posse scopum quàm Gloriæ Dei & ædificationis proximorum per Caritatem prætextum. Neutrum vero hic locum habere. Non Gloriam Dei. Quia discedentes ab antiqua Ecclesia, statim non modo cum Ecclesia, sed inter se dissidiis colliduntur. Indè lites, Anathemata, damnationes, exilia, persecutiones mutuæ. An vero Deus est Deus dissidii? An non potius Pacis & Caritatis, imo ipsa Caritas; quam & supra omnia nobis injunxit? 2. Inter Judæos factum id non legimus, quamvis eorum Ecclesia sæpe corrumperetur. Et Elias, quanquam zelo præ omnibus fervens, non ausus est id facere. 3. Multo minus nunc licet nobis ad eo duris & pervicacibus esse, ut aliorum infirmitatem tolerare, & imperatam nobis Caritatem exercere detrectamus. 4. Si adeo displicerent Deo Idololatria & cætera Crimina, quæ potentioribus Ecclesiis objectantur: Concordiam & successum optabiliorem largius fuisset iis, qui errores & crimina ista extirpare aggressi sunt.* *Resp.* Quærenti quis sit scopus secedentium ab Ecclesiis quæ rerum potiuntur, aut in ea secessione permanentium; respondemus primum, nec omnibus, nec semper vere objici posse quod secedant. Sed plerosque eorum ipsæ Ecclesiæ ejiciunt & exturbant, anathemate feriunt, ferro & igni persequuntur, offensæ veritatis patrocinio, quæ apud homines carnales Vatiniano odio laborat. Quod igitur homines ex corrupta Ecclesia ejecti, Dei tamen cultum, quamvis in exiguo Cætu non omittunt, nec peccant, nec officio suo erga Deum desunt. Deinde quoties Ecclesia aliqua adeo corrumpitur, ut non modo graves errores, sed crimina quoque graviora adversus Dei Majestatem committat, & foveat, atque ad ea cunctos adigat; nihil ab officio suo alienum pii homines fecerint, si ab ea secesserint. Quamvis enim tolerantia & Caritas à nobis exigit ut mutuas infirmitates invicem toleremus; tamen eadem erga Deum & homines Caritas requirit, ne in lædendæ Majestatis Divinæ societatem cum aliis veniamus, sed eos absque ulla conniventia (nimium lenibus & nihil pro futuris remediis vulnera Populi Dei nequaquam curantes) omni meliori modo, ex præsentissimo

exitio eripiamus. Non ob diversas opiniones aut errores, sed propter peccata & crimina adversus Deum, Spiritus Sanctus nos *ab inordinatè ambulantibus*, hoc est, viventibus, secedere jubet. Quæ vero crimina graviora dari possunt, Idololatriâ, & cæcâ hominibus superbis & carnalibus addictâ, adversus conscientiam obedientiâ, quæ in potentioribus Ecclesiis regnant. Sed videamus rationes, quibus probat auctor, ex secessione ab Ecclesia Deum gloriam habere non posse. Primum ait, *quod secedentes non modo ab Ecclesia, sed à se ipsis quoque dissident. Ille autem est Deus Caritatis & pacis, non dissidii.* Resp. Non omne dissidium nec omnis pugna Deo vel Caritati adversatur, sed illud tantum quod illicitis & illegitimis modis exercetur. Si quis usquam in Terris: Servi certe Christi, dissidiis & pugnis continuis exercentur. Pugnandum est ipsis cum Satana, pugnandum cum Mundo, & prophia carne, Pugnandum cum hominibus, eorumque erroribus ac vitiis. Propugnanda veritas & innocentia. Oppugnandæ imposturæ ac scelera. Sed hæc pugna legitimis armis exercetur, non carnali odio, aut ferreo gladio, Sed Spirituali ergà Deum & homines propensione, Spirituali & ancipiti Ense verbi Dei. His armis non cum potentioribus modo, sed imbecillioribus quoque Ecclesiis pugnandum est, quoties exigit necessitas aut occasio, & hoc telum ipsa Dei proximique Caritas uniciquè porrigit, quod nemini nocet, omnibus prodest. Sunt alii illegitimi certandi modi, quos Deus pacis aversatur, qui noxiis injuriis animos mortalium exacerbant, & inimicitias ac discordiam propagant, Qualia sunt odia, convicia, Anathemata, oppressiones, persecutiones, & sanguinis effusiones. His armis quæcunque Sectæ pugnant, sive cum Orientali, sive cum aliis Ecclesiis; est quod sibi à Deo metuant, quod sub prætextu cultus ejus, injuncta ab ipso Præcepta Caritatis violent & proculcent. Sed istum illegitimis modis potius, Orientalis & similes Ecclesiæ pugnant adversus imbecilliores, nihil est quod dissidiorum ac bellorum culpam conferant in insontes Ecclesias. Ex quibus innocentibus & iniquè oppressis Ecclesiis; dum adversus Seculi fluctus tanquam rapidum vorticem natando luctantur, Causamque veritatis & innocentiæ contra errores & scelera fortiter & animosè & constanter tuentur: elicit sibi Deus, toto inspectante Spectatorum Cælestium Choro, gloriam longe potiorem quam ex innumeris Porcorum myriadibus in Cæno flagitiorum sese volutantibus.

Altera ratio est, quod inter Judæos, quamvis sæpè corrumperetur Ecclesia, *non separabant se meliores à reliqua Ecclesia, ne ipse quidem, licet fervoris ac zeli plenus, Elias.*

Resp. Non magis Elias, quam reliqui omnes, qui flectere genua in honorem Baalis dedignati sunt, ab aliorum Idololatria non abhorrere, ab eaque sese immunes & innocuos non præstare non potuerunt. Hoc tantum inter eos intererat, quod alii cautius aliorum sævitiam evitando latere, alii abundantiore Spiritus Sancti copia repleti cæterorum impietatem palam coarguere, ideoquè procul ab illis fugiendo, incolumitatem suam quærere coacti sunt. Secessionis in Machibæis & pluribus aliis exempla non desunt.

Tertia ejus quod Caritas & tolerantia requirit, ut mutuæ imbecillitati indulgeamus, & in Caritate perseverantes, nos invicem per secessionem non deseramus.

Resp. Quoties Caritas erga Deum aliud requirit, Caritati erga Proximum locus non est. Sed & Caritas erga eos, à quibus secedimus, exigit à nobis, ne errores & delicta eorum per conniventiam tolerando foveamus, Sed asperiori secessionis remedio quantum in nobis est extirpemus: atque exemplo nostro ad fugiendum ab Idololatria alios præcamur, præcipue cum inter eos deprehenduntur atrociora adversus Deum crimina.

CAPUT XII.

Occasione responsionis ad quartam Auctoris Objectionem, Disseritur de Providentia Dei in gubernando Reformationis Ecclesiæ negotio.

QUartam rationem affert his verbis. *Si objecta à Reformatis Ecclesiis potentiori Ecclesiæ crimina, hoc est, Idololatria & absoluta Antichristi dominatio adeò displicerent Deo, ut exaggerantur, non denegasset Deus reformatoribus ejusmodi unitatem & concordiam, ut unanimi consensu conspirantes adversus errorem Ecclesiam, secundiori conatus sui successu, in ea reformanda gauderent. Sed quia eos Deus dissensu ac discordia punivit (pauci enim sunt, nec tantum inter se discordes, sed nec usquequaque pii, aut certe nec pietate eos quos reformant superantes.) Hinc apparet Deo magis ipsos Reformatores, quam quos reformandos susceperunt, displicere.*

Resp. Hæc ratio digna est, quæ non perfunctoriè refellatur. Sumitur enim è successu & eventu consiliorum humanorum, in quibus gubernandis immensa Judiciorum Dei profunditas dehiscit, in qua mentis humanæ imbecillitas imum fundum non invenit. Verum id Orientalis Ecclesia ex Machometicarum Gentium adversum se successibus didicisse potuit; Nequaquam è secundis successibus bonitatem causæ investigandam aut æstimandam esse; aut quis in certamine justius induit arma posse dignosci. Sæpe evenit causam quæ à malis defenditur esse meliorem: Sed causæ deterioris defensores ac Patronos esse bonos atque Deo gratiores, & magis placentes. Non igitur mirandum est, frequenter meliorem causam improbitatis ac scelerum quibus defensores sui Deum provocant pœnas luere: deteriorem autem interdum in gratiam hominum Deo gratorum, aut saltem minus displicentiam victoriam obtinere. Nec raro Deus absque causæ præjudicio alterius duntaxat partium scelera ulciscitur. Novit enim internos sensus, & in abdita mortalium consilia penetrat, Ideoque deterioris causæ Patronis victoriam donat, aut pro virtutis eorum præmio, aut pro culparum adversæ partis supplicio, aut ob aliquam arcanam consilii sui rationem, cui perscrutandæ impar est nostra curiositas. Periculosum igitur est ex inaccessa menti nostræ, quæ in humanis actionibus cernitur, Dei gubernatione, dubias pro certis nectere consequentias aut decisiones colligere. Nam & illud aliquando evenit, Deum deterioris causæ Patronis successum aut victoriam largiri, non quod ipsi eorum causa, aut mores placeant, sed quia utrumque vehementer displicet, idcirco eos suismet successibus, suaque victoria tanquam supplicio plectit, ut in ejus statûs infelicitate diutius permaneant, ex quo si victi fuissent, in longe feliciorem statum, migrare poterant. Quod Spiritus Dei olim Bestiæ Apocalypticæ promiserat, cui danda fuit potestas ut ipsi longo temporis intervallo vincere Sanctos liceret. Non igitur sibi Ecclesiæ potentiores hoc solatio nimium blandiantur, quod secundiores habeant successus, quam illi qui errores & abusus eorum reformare aggressi sunt. Nam & solatium istud vanum est, & multas ob causas mendax. Et si omni ex parte verum ac solidum esset, multæ dari possunt causæ ob quas Deus defensoribus Idololatriæ & Antichristi Tyrannidis adversus veritatis defensores prosperos successus largiatur.

gitatur, præter eam quod ipſi Idololatria & oppreſſio Eccleſiæ cordi ſit aut placeat. Quis enim novit, an Eccleſias iſtas Deus dignas cenſeat, ut ex tenebris & ſervitute quam ſerviunt per tot ſecula, eripiantur? Quis ſcit an non Reformatores quoque culparum ſuarum pœnas dare velit? Cui vero & illud exploratum eſt, celerem ac felicem reformatorum victoriam univerſali Eccleſiæ Chriſti conducere, aut ſalubrem eſſe? An Deum id non videre putamus, quod noſtris quoque oculis obvium eſt, homines rebus ex voto fluentibus & victoria corrumpi? quodque ſecundæ res acrioribus ſtimulis animos explorent & victoria mater ſuperbiæ ſit? Quis vero inde fructus ad Eccleſiam Chriſti univerſalem redundaret, Si veteri Antichriſto ſolio ſuo detruſo, novus ac forte deterior, idem Solium occuparet? Si Populo Chriſti gravis eſt hæc ſervitus, quâ nunc ab Antichriſto premitur; in perpetuum exeutiendus hic ſeſſor, non ſimili ſucceſſore commutandus eſt. Hæc omnia, & his plura, & longe penitiùs, cuncta penetrans oculus Dei, introſpicit: Ideoque non ſemper melioris cauſæ Patronis, etiam ipſis quoque melioribus proſperos indulget ſucceſſus. Præcipue cum etiam boni, bonam quoque cauſam ſæpe pravis rationibus defendant. Quod quamdiu faciunt, ecquid mirandum eſt, quod ipſis Deus fructum quem quærunt, ſubtrahat, donec eum melioribus modis ac rationibus quærere incipiant. Solo Spiritu Oris Domini, hoc eſt, ſolo verbo Dei, miti & manſuetâ atque ab omni violentia alieniſſima via & ratione prædicato, hoc eſt, Spiritualibus & invictis armis Antichriſtus cum Sociis & mancipiis ſuis debellandus erat. Atque hoc primum in Eccleſia Occidentis reformationis principium in ipſo ejus limine feliciſſime ceſſit. Major ac potior pars Germanici Imperii, tot Urbes, tot Principes, & in vicinia integra Regna, libero & unanimi conſenſu Romanæ Sedis obſequium exuerunt. Et reliquæ paſſim Chriſtiani Orbis Provinciæ exuere parabant. Mox ubi ad puram Sacræ Scripturæ & verbi Dei normam, cœpit admiſceri Patrum auctoritas, ubi ad rationes ac perſuaſionem cœpit adſici poteſtas & violentia, ubi diſſolutioris vitæ veniam ſibi ſumere cœperunt, tam reformatores, quam reformati, inter iſtos ſcopulos ſecundus curſus & fortuna reformationis hæſit. Nam & reformatores, citrà manifeſta Scripturæ verba, Doctrinas, quæ ſola Patrum auctoritate, aut Magiſtratus poteſtate fulciri queunt, urgendo, & per hoc antiquas lites ceu ulcera refricando, inter ſe diſſidere coacti ſunt, & Pontifex Romanus in auctoritate Patrum, à Reformatoribus incaute receptâ, Doctrinæ ſuæ patrocinium inveniſſe viſus eſt, Et præcipuæ in Orbe Chriſtiano Gentes, Itali, Hiſpani, Galli, quæ jam à ſervitute Antichriſti ad ſanctioris in Chriſto vitæ libertatem aſpirabant; animadverſa inter ipſos Reformatores Conſcientiarum oppreſſione, ac vitæ diſſolutione, ſiſtere gradum; ac retro regredi, ac veterem & opulentum Dominum, veteresque abuſus in pacato Statu ſuo tolerare: quam cum diſcrimine turbulentæ mutationis novos, eoſque egenos & famelicos Dominos, cum iiſdem propemodum incommodis, ut ante regnantes, obnoxiis cervicibus accipere maluerunt.

Non Deus igitur Reformatoribus immiſit hunc diſcordiæ ſpiritum, cum ſit Deus pacis: Sed partim eorum culpæ ac delicta, partim errores in illegitima reformandi ratione commiſſa: Quæ delicta & errores ſiniſtros ſucceſſus omnino merebantur. Nam antequam errores ac delicta iſta invaluiſſent: quamobrem Deus proſperum reformationi curſum indulſit, cujus fructus etiamnum manet illibatus, in iis præcipue oris, quæ Spirituali & Divino inſtinctu, non carnali brachio aut armis, è poteſtate Antichriſti ſunt ereptæ. Unde apparet, id quoque quod de ſucceſſu Reformatorum Eccleſiæ Auctor aſſerit, non eſſe uſquequaque verum. Ut vero in eo narrationis adulterinæ non parum reperias: Ita in exaggeratione, paucitatis & diſſenſionis ac ſuſpectæ integritatis eorum, qui Reformationem aggreſſi ſunt, longe plurimùm. Nam qui errores & abuſus Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ oppugnant, in Occidente, adeo pauci non ſunt, ut eos tota terrenæ ſuæ potentiæ mole Occidentis Eccleſia obruere nequeat: & quamvis in quibuſdam articulis fidei, qui non tam grande Salutis amittendæ periculum trahunt, diſſideant: at in damnandis erroribus ac vitiis Eccleſiarum quas oppugnant, unanimis eſt earum conſenſus. Quod ſi quid iis in pietatis negotio deeſt, at eorum ſcelerum & læſæ Divinæ Majeſtatis criminum, quæ accuſatis Eccleſiis objectant, magna ex parte ſunt expertes atque immunes, Ideoque iis quos reformare conantur, meliores. Ac licet fateamur inter eos, qui perfectiorem veritatem & reformationem urgent, longe eſſe reliquis pauciores, Ideoque à pluribus uti carnalioribus opprimi: Status tamen hic diuturnus eſſe nequit. Dogmata enim controverſa, quorum cauſa opprimuntur, non Sacræ Scripturæ auctoritate, ſed potentia brachii carnalis nituntur: Et quia omnis caro fluxa & caduca eſt, ipſi quoque errores carnis adminiculo fulti, in perpetuum durare, imo diuturne eſſe nequeunt, ſed tanquam mortalium manuum opera ruere, & vana ingeniorum humanorum commenta evaneſcere neceſſe eſt.

Tunc vero demum, cum vis & oppreſſio ex Eccleſia Dei eliminabitur, longe perfectius & excellentius gloria Dei efflorebit. Quæ nunc quoque eo magis florere incipit, quo majus oppreſſio Conſcientiarum detrimentum accidit. Fruſtra igitur Auctor probare conatus eſt, quod è ſeceſſione Chriſtianarum Eccleſiarum ab Antichriſto gloria Dei promanare nequeat.

Sed ab hac prolixiori ad quartam Auctoris ratiunculam reſponſione redeundum nobis eſt, ad refellendum reliquum quod ſupereſt ejus argumentationis.

Dicit igitur *Ex ſeceſſione Reformatarum Eccleſiarum à potentioribus, non proficiſci ædificationem proximorum, præter iſtos ipſos forte, qui è Reformatis naſcuntur, aut ſi quis forte Centeſimus aut milleſimus aliunde accedit. Nam ut unius Sectæ articulos Univerſus Orbis etiam Chriſtianus recipiat aut approbat, fruſtra ſperari.*

Reſp. Id quoque antequam longius progrediamur, accuratius refellendum eſt. Veritas Divina, quamvis una ſit tamen; cognitio ejus, in gradu licet impari, non eſt uni alligata Eccleſiæ. Nititur enim non Carnali, ſed Spirituali fundamento, à quo Deus nullam Eccleſiam ſecluſit. Verum omnibus non modo naturale Rationis lumen omnibus commune infudit: ſed lumen quoque gratiæ in verbo ſuo relucens addidit. Porro verbum iſtud Dei, non modo olim prædicationis Apoſtolicæ ſermone, miraculis confirmato, ante plura Secula Orbi promulgavit; ſed ſcriptis quoque, ac Libris fide digniſſimis, eamque apud omnes habentibus ad omnem poſterietatem contineri voluit. Sermonem nunc Sanctæ illius Apoſtolicæ prædicationis auribus uſurpare non licet, ſed vox verbi Dei, in Sacris Literis ſonantis, ferit aures Eccleſiarum omnium. Cui verbo, quia additamenta commentorum humanorum plurima admiſcentur hinc jurgia, diſſidia, lites, bella; & diluvium malorum Orbem invaſit. Sacra Scriptura enim & ejus auctoritas unanimi cunctorum conſenſu recipitur. expoſitiones tantum & interpretationes Scripturæ, ad opiniones hominum, quæ non Scripturæ, ſed Philoſophicis Dogmatibus originem ſuam debent, detortæ, diſſidia inter diſputantes ſerunt. Quæ lis & controverſia non aliter decidi poteſt, niſi ſanæ &

lumine ejusdem Scripturæ illuminatæ rationis judicio: quod dignoscit quænam expositiones Analogiæ doctrinæ in Sacra Scriptura revelatæ, congruant; quæve non. Quod facillime quivis dijudicare potest, dum impedimentum & metus oppressionis non obstet. Hæc vero Conscientiarum oppressio, quia natura sua injusta & Deo repugnans, atque ipsis hominibus gravis est, ac debili fundamento nititur: fortuna videlicet carnalis potentiæ in Ecclesiis Christi nomen agnoscentibus; diu durare nullo modo potest, & ruinæ suæ proxima est. Quam & elapso seculo minari cæperat, nisi quæ modo memoravimus impedimenta obstitissent, quæ plenam veritatis illuminationem, & Ecclesiæ libertatem remorata sunt. Porro in amovendis istis beati Ecclesiæ status obicibus, non modo impossibilitas nulla, sed ne difficultas quidem magna est, ubi Deus homines reformandæ Ecclesiæ cupidos, in eandem rectam reformationis orbitam, ex qua nuper in devia declinatum est, reduxerit. Quod fiet, cum homines integram oculorum suorum aciem tam claro & sereno Divinæ Scripturæ Sole lucente: malignè scintillantibus Patrum lychnis aut lampadibus non turbabunt, & cum oppressionem conscientiarum, unicum & verum Antichristi characterem, quo solo trepidum Spiritum ducit, ab Ecclesia proscribent. denique cum in obsequium Legum Servatoris sui, si non omnes, at præcipui, si non ubiquè, saltem in primariis Christiani Orbis partibus conspirabunt. Liceat modo assutas veritati heterogeneas errorum lacinias, dissuere, atque amovere: liceat Conscientiis à Persecutorum formidine securis, divinitùs concessa libertate frui: Præterea cuncti non labiis, sed cordibus ad Dominum propius accedant, eumque non verborum blandimentis, aut titulis (quod assentatoribus in more positum est) sed vitæ & factorum obsequio demereri contendant; Ilico videbit Auctor, exarmatis violenta potestate erroribus, quam subito Veritas genuinis viribus suis freta, in uno oculi ictu ac momento, confringet atque conteret, nucleo suo obducta mendaciorum putamina. Non est postulandum ut totus Orbis unius exiguæ Sectæ doctrinam recipiat, & ad ejus dogmata accedat. Nam ad ejus Sectæ, quæ à Symbolo Apostolico latum unguem non recedit, dogmata jam dudum accessit Orbis, si Symbolo Apostolico bona fide credidit. Sufficit tam pretiosæ vesti, parum concinnè assutos viles jam, ac longo usu dicam, an abusu detritos centones abrumpere. Qui cum jam innumeris absurdorum scissuris laceri, suumet putredine ultrò indies dissiliant; tanto minus in abjiciendis iis erit & difficultatis & jacturæ, dum modo omnes ad unicum illud Apostolicæ operæ pretium & propositum, hoc est, Legum Christi obedientiam, Caritatem erga Deum & proximum, ex puro corde & recta conscientia, ac fide syncera, serio convertantur. Quod ut fieri nequit quamdiu oppressio in Orbe Christiano durat: Ita hæc ipsa oppressio diu durare nequit, cum sit violentiæ atque injuriæ plena, quibus rebus neque Deus neque natura ipsa promisit perpetuitatem. Convulso fundamento, quo nititur Auctoris ratio; Respondeo, Quod defensores veritatis ab erroneis Ecclesiis aut ejecti, aut ultro secedentes, non modo eos, qui ex illis nascuntur, sed alienos quoque, qui modo non sunt pravo ac perverso ac verbo Dei reluctanti ingenio (nam eos, qui semper Spiritui Sancto resistunt, Deus aversatur) non ædificare non possunt, magna spe prosperi successus: dummodo supra memorato exemplo moniti, vitare velint scopulos ad quos Reformatores impegisse diximus. Fingamus autem, obstante hominum malitia, neminem ædificari, imo culpa sua multos scandalizari: num ideo quisquam, propter alienam pravitatem, deesse proprio officio, aut collata sibi talenta defodere tenetur? Præcipue cum nobis secedendi ab improbis & inordinate viventibus, & ex Babylone exeundi imposita sit necessitas? de quo pluribus infra agemus. Nunc quod præterea addit, non omittendum est. *Nulla* inquit *ædificatio cernitur in iis, qui ex ipsis nascuntur. Nam & paucissimi sunt, nec adeo ut videri volunt, tam in doctrina quam in vita perfecti &c? Resp.* De paucitate eorum, qui à potentioribus Ecclesiis desciscunt, supra diximus. Illud nunc adjicimus. Si hodie pauci sunt, Spes est cras plures futuros. Quantum ad imperfectionem Doctrinæ attinet, quod non omnes forte rationem sententiarum in Religione suarum reddere norunt. Resp: Id raro accidere, idque pura puta culpa eorum qui nesciunt, quod ex præscripto Sectæ suæ scire tenentur. In Ecclesiis enim, à quibus Auctor secessit, non omittuntur frequentes & acres stimuli ad legendum audiendumque verbum Dei, & vitam ad normam ejus conformandam. Ponat sibi ob oculos Ecclesiæ, ad quam accessit, populum, & numerare incipiat eos, qui tot absurdorum dogmatum & institutorum Ecclesiæ suæ rationem reddere possint. Plus illic ignorantiæ reperiri necesse est. Ubi Sacræ Scripturæ lectione maximæ parti hominum interdicitur: Ubi tanta articulorum Fidei, & quæstionum ac dogmatum congeries coacervatur, ut ægrè à paucissimis è doctioribus memoriâ comprehendi, à nemine vero quantum satis est, intelligi possint. Articuli nostri ex brevissimo Apostolorum Symbolo nullius memoriam fatigant, aut captum excedunt. Cum vellet probare Auctor nostram in vitæ pietate imperfectionem ait, *Sicuti in qualibet Secta, peccantium multitudo magna est (quamvis* (inquit) *nonnullæ huic malo melius mederi norint quam aliæ) ita nec Pii homines ubique, etiam in potentioribus Ecclesiis, desunt.*

Resp. 1. Si qui sunt in Potentioribus Ecclesiis quoad vitæ pietatem melioris notæ: Tamen eorum saltem læsæ Majestatis Divinæ criminum convincuntur; quæ Ecclesiis istis verissimè objectantur, eoque ipso accusantibus imperfectiores censendi sunt. Proinde oppositæ potentioribus Ecclesiis plus in pietate vitæ profeciisse arguuntur. De quo supra. Deinde quod in unaquaque secta reperiuntur homines improbi aut dissoluti, Id certe vitio Ecclesiæ illius verti non debet. si per Leges & mores ejus improbis esse impune non liceat. Nam & in Apostolicis Ecclesiis, & inter Apostolos ipsos reperti sunt improbi, quo tamen nomine nec Apostoli ipsi nec eorum Ecclesiæ male audiunt. Satis est, quod sicuti olim Apostoli huic malo mederi noverant, ita hodie quoquè non desunt Ecclesiæ, quæ iisdem remediis malum istud arceant, secedendo juxta Canonem Apostolicum ab omnibus inordinatè ambulantibus. Quod testimonium de veritate & innocentia Ecclesiarum, à quibus secessit Auctor, extorsit ab eo vis (quæ maxima esse solet) conscientiæ, & innata ingenuitas.

Culpa dissidiorum nobis tribui nulla potest. neminem enim dissentientem ob dissensum nudum, si modo Christianè & sine scandalo vivat, à Communione Societatis nostræ arcemus, multo minus persequimur, aut affligimus. Unde apparet nos in confessione aliquorum dogmatum aut articulorum (exceptis paucissimis & necessariis in Symbolo Apostolorum expressis) summam Salutis nostræ minime reponere, Sed in pietate & Legum Domini obsequio. Non nos igitur admonitionem aut reprehensionem Apostoli, quam hoc loco urget Auctor, commeruimus; Sed illæ Ecclesiæ, quarum unam sibi Auctor elegit, ut in ea vitam degeret. Non nos ἑτεροδιδασκαλοῦμεν, hoc est, non nos aliam præter Apostolicam doctrinam tradimus. Nec enim tantum Doctrinæ, Sed verbis quoque Spiritus Sanctus & Apostolicis anxie adhæremus

hæremus, & peregrina vocabula nulla admiſcemus, omnia averſamur, aut certe ægre admittimus. Non nos fabulis oblectamur, Sed ii quorum credulitati illuditur. Non nos quæſtiones, aut ſermones infinitos de generationibus, quæ neque principium neque finem habent introducimus. Omnia potius iſta parum perceptibilia ignorare, & in ſimplicitate doctrinæ Apoſtolicæ conquieſcere malumus. Non nos docere præſumimus ea, quæ nec ipſi intelligimus, nec omnium confeſſione intelligi poſſunt. In quo plurimum notamus & arguimus multorum vaniloquentiam. Sed ad obſequium Legum Domini, ad Caritatem ex puro corde, ad rectam Conſcientiam, ad fidem non fictam, nec mortuam, ſed veram & per innocentiam vitæ & bona opera efficacem, omnes quantum in nobis eſt, (nemini indulgendo) ſimulamus & adhortamur.

CAPUT XIII.

De neceſſitate Seceſſionis à corruptis Eccleſiis.

SUpereſt ad ultimam, quam ſibi refellendam ſumſit Objectionem, Reſponſio. Objicit enim ſibi, quod Spiritus Sanctus ſecedere & ſeparare ſeſe imperavit ab infidelibus, & in tenebris viventibus. Cui rei probandæ duo loca producit, primum 2. *Corin.* VI. 14. Deinde. *Apocal.* XVIII. 4. Prior locus, quamvis de Ethnicis potius, quam de pravis Chriſtianis explicari poſſe videatur, ſaltem tamen propter ſimilem rationem ad hos quoque pertinere debet. Nam ubicunque Antichriſtus regnat; quæ concordia Chriſti cum adverſario ſuo fingi poteſt? Tunc certe in terris inerme Regnum Chriſti violentiæ Antichriſti ſuccumbere neceſſe eſt. Ubi denſa caligo omnes obruit; Et ſi quod uſquam lumen effulſit, ſupprimitur & extinguitur: quomodo in luce ambulari poteſt? Ubi Idololatrica ſervitus ſedem fixit, qua patientia eam animi liberales & generoſi, ſi modo jugum excutere liceat, ferre queant?

Sed alter locus *Apoc:* XVIII. 4. directe Antichriſtum & miniſtros ejus aut ſequaces petit. Ubi exire Babylone Populo Dei, Spiritus Sanctus imperat, idque duplicem ob cauſam. 1. Ne fiat particeps peccatorum ejus. 2. Deinde & ſupplicii ipſi imminentis.

Reſpon. Hunc ictum ita evitare conatur Auctor, ut per vocem Babylonis non Orientalem, ſed Occidentalem Eccleſiam denotari contendat *ob ſequentes rationes.* 1. *Quod omnes pene Sectæ id de Romana Eccleſia & Pontificis in ea regnantis, tyrannide explicent. Quam Orientali Eccleſiæ objicere nemo auſus eſt.* 2. *Quod Orientalis Eccleſia non bibit ſanguinem Martyrum, Et nunc paſſis manibus omnes ad ſe benigne invitet ac recipiat.* 3. *Quod ſit diverſa à Romana Eccleſia.* Quam diverſitatem multis perſequitur.

Reſpon: Sed hæc effugia Auctori ad evadendum nihil proſunt. nam Spiritualis Babylon deſignat omnem Eccleſiam, quæ ſub Evangelio Populum Chriſti & Conſcientias hominum in ſervitute detinuit. Ut autem Deus ſub Evangelio Populum & Regnum ſuum uni Regioni aut loco non affixit; Ita Simius Dei Satan, qui Templo Dei ubique atria ſua & porticus adjungit, Regnum ſuum ad unam gentem aut locum alligare non potuit. Sed ubicunque mitis & manſuetus Spiritus Chriſti in ejus Populi gubernatione ſedem fixit, ibidem ſuperbum & oppreſſorem Spiritum ſuum Satan, ad illum elidendum & extinguendum intrudere contendit. Quorum Spirituum differentias ſuprà conſideravimus. Quod tametſi Satan, non multo poſt Apoſtolica tempora, per poteſtatem & vim Imperii Romani, tunc penè omnem habitabilem terram (ſic enim à Spiritu Sancto *Luc.* II. vocatur) complexam, perfecit; non ſolius tamen Civitatis Romanæ, quam nunc Romanus Pontifex inoolit, miniſterio in hoc opere uſus eſt, ſed totius imperii, & ipſorum Principum, qui Româ Byzantium ſedem tranſtulerunt. Eundem igitur Spiritus Antichriſti habuit aditum ad Conſtantinopolim, ad Antiochiam ad Alexandriam, quem ad ipſam veterem Romam, nec minus in Oriente, quam in Occidente, violentæ Dominationis poteſtatem exercuit, cum utraque Mundi & Eccleſiæ plaga uni eidemque ſupremo Magiſtratui per tantum ævi ſubeſſet; & Spiritus idem ubique brachio, ut loquuntur Civilis & carnalis Juriſdictionis, ad opprimendam Spiritualem Eccleſiæ Dei libertatem, abuteretur. Quanquam autem multas ob cauſas & circumſtantias, carnales potius & Politicas quam Spirituales, Epiſcopi & Patriarchæ Orientales, nec poſſent, nec auderent adeo effrænatam vim, poteſtatem & ſupereminentiam ſibi vendicare; quàm Occidentalis; tamen & illi eodem Civili carnali, & quidem ejuſdem ferè imperii brachio & perſecutione ad eos qui errores aut abuſus eorum arguebant abuti non omiſerunt; quod ad dominationem Antichriſti & Babylonis ſervitutem ſatis eſt. Anima etenim Antichriſti dominationis in Eccleſia eſt Conſcientiarum oppreſſio, quæ ubicunque reperitur, illic dominatur Antichriſtus.

Horum autem adverſariorum Chriſti, Opera Satanæ plures ſunt in terris. Quod verò eorum alii ſint potentiores, opulentiores, ideoque ſuperbiores & magis conſpicui: hoc egentiores & infirmiores ex numero Antichriſtorum non eximit, quoniam non minus hi quam illi oppreſſione & ſervitute Eccleſiam Dei vexant. Multi accuſant Antichriſtum, & de dominatione ejus queruntur, imò propter eam ab Eccleſia ejus ſeceſſerunt & emigrarunt: nec ſentiunt ſe Spiritum ejus ſecum aſportaſſe, & in tenuiori & anguſta fortuna tantundem ejus habere, quantum Romanis in opulenta ac florenti, ſuppetit. Ut igitur qui habent Spiritum Chriſti, quocunque in ſtatu ſint, ſunt Miniſtri Chriſti, ita nulla hominum externa conditio impedit, quo minus ii qui Spiritu adverſarii ejus fervent, nomen ac titulum ſervorum Antichriſti ferant. Rationes quibus Orientalis Eccleſia excuſatur, nihil valent. Quiſquis enim in ejus res atque inſtituta introſpicit; Spiritum Antichriſti ipſi merito objectare poteſt atque debet. Et fruſtra gloriatur ſe martyrum ſanguinem non bibiſſe, contra ſuorummet Annalium fidem; quando nunc quoque, quoties poteſt & licet, & ubi ſub Turcico jugo non gemit, bibere eum ſemper & ubique parata eſt.

Quantum ad differentias à Romana Eccleſia; Equid illi proſunt cæteræ, cum in iis rebus, quæ Antichriſtum conſtituunt, ab ipſo non differat? Qualia ſunt. Poſt Apoſtolicam prædicationem, & ab iis conditum Symbolum, novorum Symbolorum, novorum articulorum fidei, eaque violenta & cruenta introductio, nimia uſurpatio auctoritatis Eccleſiæ, oppreſſio Conſcientiarum, Prætenſum jus eradicationis Zizaniorum ante meſſem, Idololatria, & alia crimina in quibus cum Eccleſia Romana congruit.

Catholicæ titulum etiam reſpectu Romanæ ſibi vendicare nequit propter denominationem loci. Nam ut Byzantinæ aut Alexandrinæ abſque adſtrictione ad unum locum Orientalis, Ita Romanæ Occidentalis nomine ac titulo gaudere licet: At Catholicæ titulus, nulli earum competit. Imò verò ipſa hæc ab Oriente aut Occidente denominatio, neutram earum Catholicam eſſe arguit, ſed partem duntaxat

Catholicæ.

Catholicæ. Quod si earum singulæ partes sunt universæ: Particulares igitur censendæ non universales. Nec enim pars totum esse, aut dici potest.

Civitati Romanæ cur magis affixa esse Romana Ecclesia debeat, quam Constantinopoli Byzantina, aut Syriacæ vel Ægyptiæ Ecclesiæ suæ quoque metropoli, causam nullam video. Ruina Urbis Romæ ruinam ejus Ecclesiæ minari nequit, cum Religio & potestas Episcopi Romani floruerit etiam tunc cum per LXX Annos hæreret Avenione. An potestas Imperatorum desiit, cum Romæ Gotti primum, mox Pontifices rerum potirentur? Arrogantia, & potestas, ac titulorum usurpatio, quam Orientalis Ecclesia in Pontifice Romano ferre nequit; non minor certe in eadem Ecclesia apparuisset, nisi post migrationem Imperatorum Constantinopolim, primum impendente supra cervices præsentium Principum reverentiâ: mox inhærente ipsis cervicibus Turcarum jugo, retenta fuisset intra modestiæ limites. Pontifex ipse Romanus, si sub externorum, aut Christianorum quoque Principum potestate fuisset, longe modestiorem se exhibuisset, nec abjectorum ad pedes Imperatorum cervices calcare, nec Majestati Regum osculandas crepidas suas præbere ausus fuisset. Audacia ac protervia, quam ita vocat Auctor, in adimendo populis Calice, effusionem salutaris Dominici sanguinis designante, in Ecclesia Occidentali; non excusat audaciam Orientalis in adempta & subtracta communione plurium à ritu hujus sanctæ Ceremoniæ excludorum. Et si hujus confidentiæ veniam sibi fecit Orientalis: quo jure ejusdem fiduciæ accusat Occidentalem? Festa & ordinationes temporum ad exhibendum Deo peculiarem cultum consecratorum, quemadmodum primitus instituere; ita & postea justa ex causa mutare licuit Ecclesiæ Romanæ, præcipuè in Provinciis obsequio suo addictis. Cujus rei exemplum si Orientales in suis Oris imitari gravantur, cui bono ob res nihil cum Occidentalibus digladiantur? Quorum imitatione si Camelum alibi deglutierunt, cur ibi hic tam scrupulosè Culicem percolant?

Canones de fide quibuscunque mortalium, imo ipsi quoque Deo, per juramentorum ambiguitates non servanda, quicunque introducunt, sunt hostes humani generis, atque ipsius Dei illusores, Qui eas quidem injurias impune abire non sinet: Sed nec illos impunitos relinquet, qui etiam absque Canonibus ea de re ex professo sancitis, eadem perpetrant.

Ademptio Uxorum Plebi Clericorum, Si est Lex à rebellibus Christi introducta & doctrina Dæmoniorum; eodem jure & ademptio Uxorum Prælatis, & potiori, imo vero majori parti (si monachos comprehendamus) Ecclesiasticorum, non potest dici Lex Christi, aut doctrina bonorum Angelorum, aut ipsorum Apostolorum.

CAPUT XIV.

Responsio ad Conclusionem Scripti Auctoris.

Finit & obsignat hoc Scriptum Auctor Sanctæ Confessionis Sigillo, quam totius Ecclesiæ suæ nomine facit. quam repetere nihil opus est: nec ad ejus mentionem adjiciendum quicquam supereſſet (nihil enim verius est criminationibus, quibus suam Ecclesiam onerat) si in hac conclusione quosdam errores veritati & sibimetipsi repugnantes, non admiscuisset.

1. Error dum ait. *Omnes Christiani dissentientes hac ratione membratim discerpserunt Ecclesiam Dei Catholicam, quod alii optima intentione (sic enim Caritas sentire imperat) excesserunt metas antiquæ fidei, Deum demereri volentes. Alii vicissim, cum nondum debitum scopum attigissent, inter istas metas constitere, nec longius progredi volunt. In omnibus autem sanctitas desideratur.*

Resp. Ultima in istis verbis assertio, non modo veritati, sed verbis etiam ipsius Auctoris supra positis repugnat. Quæro enim quo pacto Auctor in iis Ecclesiis vitæ sanctimoniam desiderare potest, quas fatetur ad arcenda peccata melioribus remediis uti. Merito id quidem, cum manifestos peccatores in gremio Ecclesiæ plane non ferant: de occultis vero aut dubiis reprehendi non mereantur. Tam exacta vero perfectio, ut puro Dei tritico nihil esset admixtum zizaniorum & peccatorum, ne Apostolicis quidem temporibus reperiebatur. Ecclesiam Corinthiam olim in ea ipsa Epistola, in qua Paulus ob delicta non pauca arguit, vocat sanctificatos in Christo, vocatos sanctos. Et ipse Dominus *Act.* XVIII. agnoscit in hac urbe populum suum multum. Et tamen quot & quanta in ea delicta videas. Non deerant ibi Sectæ, & inflationes mutuæ adversus alios, Matrimonium cum Noverca, injuriæ & lites apud exteros judices, impudicitiæ, scandala, Cænæ Domini profanatio. Denique Dogmata & opiniones fidem nostram de resurrectione subvertentes. Sed quia hæc tamen impune non tolerabantur; nemo tunc in Ecclesiis Apostolicis Sanctimoniam desiderare merito poterat. Quemadmodum nostris quoque Ecclesiis hodie fraudi esse nequeunt ea quæ forte contingunt delicta, quando ea impune inter nos tolerari non sinimus.

2. Alter error in iisdem verbis est. Quod Auctor culpam discerptæ membratim Ecclesiæ in utramque partem sibi mutuo adversam rejicit, quæ unidumtaxat parti tribuenda est. Extenuet ut velit, ac elevet culpam eorum, qui optima intentione & studio Deum demerendi *excesserunt metas antiquæ fidei*, tamen eorum culpa non potest nisi graviter reprehendi, neque periculo caret; & ut eventus ostendit, Ecclesiæ non leviter nocuit. Penes hos autem, qui ab aliis ad excedendas metas antiquæ fidei se pertrahi passi non sunt, quænam culpa hærere aut fingi potest? Audet tamen dicere, quod non eo usque contenderint, ut debitum scopum attingerent. Debitum ergo scopum censebimus excedere metas antiquæ fidei? Atqui Apostolus, ne sibi quidem credi aut Angelo imperat, si forte extra primæ prædicationis metas evagari & novum aliquid introducere tentet. Erumpit veritas ex eorum ipsorum ore, qui eam supprimunt, nisi quod ipsi cum admixtis erroribus male convenit.

3. Tertius error Auctoris occultus aut dubius & anceps est, cum non satis certum sit, an pro excusatione aut satisfactione pro gravissimis Ecclesiæ suæ, quorum convincitur, criminibus producat sanctimoniam vitæ in Monasteriis fulgentem, quæ videlicet Deo pro sceleribus ac dissolutione vitæ reliquorum satisfaciat. Sed quia id palam & aperta voce exprimere non audet; ne nobis quoque id ipsi objicere, aut sententiam hanc pluribus refellere placet. Id tantum strictim attingemus. Apud Deum istiusmodi compensationibus locum nullum esse, Sed singulos onera sua portaturos. Si tota Ecclesia ita est corrupta, ut ex ea tanquam ex mundo egrediendum sit, tota Ecclesia pœnas luet, nec ipsi proderit aliena Sanctitas. Vitæ vero integritas & Sanctimonia ne his quidem ipsis, qui ea præditi sunt, Cælum promereri potest, nisi gratuitum Dei beneficium accederet, tantum abest ut alienas culpas delere, aut pro compensatione alienæ improbitatis æstimari queat.

CAP. XV.

CAPUT XV.

De Monastici Ordinibus & Regulis.

IN laudes & commendationem Monasticæ vitæ effusus Auctor, ostendere nititur perfectissimam hanc esse cultus Dei rationem, & quæ sola corruptionem & abusus Ecclesiæ emendare possit. Nos quanquam dissentiamus, & corruptionem atque abusus ipsorum Cœnobiorum, quæ in ipsis novum Mundum procrearunt, ex quo rerum egrediendi nusquam exitus pateat, detestemur, credimus tamen & optima intentione primitus ea vitæ genera instituta: & primos illos Monachismi auctores gravissimum secessionis suæ à reliqua Ecclesia impietate, Gentili turbæ non cedente, causam habuisse, si paulo aliter separationem hanc ab aliis, instituissent. Præcipue vero corruptæ Ecclesiæ vitiis assentati non fuissent. Credimus & optimos quosque Christianorum ad ea vitæ genera se recepisse, cum in hanc Eremum & solitudinem multi veri & fideles Servi Christi improbitate Antichristorum expulsi, confugerent. Verumtamen quia perfectissimum vitæ modum à Servatore in doctrina ejus, præceptis & vitæ exemplo traditum censemus, qui tamen nobis hanc viam non præscripsit, neque suis, vel Apostolorum vestigiis tritam reliquit, idcirco Auctoris sententiæ accedere non possumus, multis & magnis rationibus impulsi, quas adducimus.

I.

Primum. Quod perfectissimam ad æternam beatitudinem viam à perfectissimo Magistro, quam ab aliis, qui cum eo ne comparandi quidem sunt, discere malimus.

II.

Quia in istis vitæ Regulis atque institutis ejusmodi mores pro virtutibus atque officiis obtruduntur, quos & ipse Christus vitare & Apostoli spernere imperarunt: & quorum natura Spiritualis Religionis perfectioni adversatur, qualis est Corporalis in pietate exercitatio, quæ nihil aliud est nisi species & forma, aut potius Simia veræ Pietatis. Ne gustato, ne attingito, vestimentis & amictu extraordinario & multis aliis externis, & oculos ferientibus signis, nescio quid eximium præ cæteris præ te ferto; ascendito columnam in qua cereo candelabro sanctitas tua hominibus luceat: Hæc neque cum Præceptis Domini, neque cum Analogia Religionis conciliari possunt, & ipsa per se neminem in Cœlum evehent; miseros autem homunciones in eo decipiunt, quod quisquis hanc formam & quasi ornatum pietatis induit, putat se ipsa pietate quæ longe difficilior est minus indigere, *Sint qua tamen Deum nemo videbit.* Huc & illud addi potest quod in quibusdam Monachorum Sectis, pro eminentissima supra omnes virtute habeatur ac præcipiatur Cæca adversus proprium judicium & conscientiam obedientia, quæ nihil aliud est, quam nefandum scelus, & aperta adversus Majestatem Dei perduellio.

III.

Tertio. Quia Carnales istæ Pietatis formæ & ostentationes cum carnali per Idololatriam Dei cultu cognationem quandam & conjunctionem habent. Ideo Regulæ istæ ac vitæ instituta præsertim postquam corrupta sunt, non modo non damnabant & extirpabant Idololatriam, sed ipsi multum incrementi addiderunt.

IV.

Quarto, quia Ordines isti Monastici cum omnibus in Orbe toto Antichristis conspirarunt in confirmanda eorum potestate ac dominatione, & Conscientiarum oppressione. Imo vero in Occidentali Ecclesia videmus Pontificem Romanum eorum opera, non modo Seculares (quos vocant) Principes, sed & Ecclesiasticos reliquos in Officio continuisse. Idem Monachi in Occidentali Ecclesia, Carnificum officium occupavere Hispanicis atque Italicis in Inquisitionibus, & functionem hanc Sancti officii nomine honestarunt, ne toti Orbi ignotum esse posset, quale sanctimoniæ genus miseris istis eximiæ pietatis affectatoribus arrideat.

V.

Quinto. Quia Ordines isti etiamsi ab omni Corruptione & abusi immunes essent, natura tamen sua, omnia remedia tollunt quibus Ecclesia Dei in suis vitiis emendari posset, optimum quemque & sanctissimum mortalium ad se ab Ecclesia pellicientes, atque pertrahentes. Ita Ecclesiæ à melioribus desertæ in dies in pejus prolabuntur. Nam istæ excursiones in Mundum atque iterum reversiones, quarum Auctor mentionem facit, quando & ubi fuerint, quidve boni attulerint, nemini nostrum constat.

VI.

Sexto. Quia Ordines isti, reliquam Ecclesiam non damnantes, imo ad scelera ejus conniventes, palam faciunt multos servari posse, quamvis ad perfectionem non contendant. Præterea non obscure indicant, pie ac perfectè vivendi officium non ad Laicos, imo ne ad omnes quidem Clericos, sed ad Monachos solos pertinere. Quibus opinionibus nihil dari potest efficacius ad Ecclesiam in omnia flagitia dissolvendam. Nam dictis factisque ostendere quod Ecclesia sit Mundus, nec tamen à Spirituali ejus communione recedere, & agnoscere illam esse veram Sponsam Domini, nihil aliud est, quam omnibus planum facere, eos posse diligere Mundum & concupiscentias ejus, & tamen Salutem æternam assequi.

VII.

Septimo. Experientia compertum est, Monachales istos Ordines neque Orientis neque Occidentis Ecclesiæ profuisse, imo plurimum nocuisse. 1. Per erronea Dogmata, introducta Legum Christi ejusmodi differentia quod aliæ sint Præcepta, quæ omnes obligant, aliæ Consilia tantum, quæ sequi aut detrectare unicuique integrum sit. His autem duntaxat sequenda esse, qui velint evadere perfecti. Ita impositum omnibus officium ut enitantur ad perfectionem, ad quosdam tantum restringunt, cæteros vinculo istius officii exolvunt, & studium ejus in majori parte mortalium extinguunt. 2. Per vitam flagitiosam Mundi concupiscentiæ & carnalitatis plenam, quæ identidem per obtensam pietatis speciem foràs erumpit, & innumera scandala procreat.

VIII.

Octavo. Illud quoque Monasticis Ordinibus dedecoris accedit, quod, veritatis odio & amore mendacii, Libros ad rerum gestarum notitiam pertinentes post Apostolica tempora editos ; partim suppresserint, partim falsationibus corruperint. Alios vero, sub nominibus fictis, subjecerint (*profundo Cœnobiorum otio ad eam rem abusi.*) Ita ut nunc in dignoscendis veris ab adulterinis & suppositiis, nobilissima in orbe ingenia BARONIORUM PETAVIORUM & aliorum multorum (quos ex adversa parte subticemus) ægrè desudent. Ita hæc pernicioſa loculatarum agmina, omnem pene veritatis viriditatem ex herbis, usui & necessitati posteritatis à majoribus relictis, exederunt, & consumserunt, atque in ejus locum nugas & aniles fabulas suppoſuerunt, quæ non nisi demulcendis & titillandis mulierum, & virorum muliebrium, qui ad indolem sequioris Sexus desciverunt, auribus serviunt.

IX.

Nono. Modus ac Regula perfectæ Sanctimoniæ nobis ab ipso Servatore tradita, ut in omnibus reliquis rebus, ita in eo est supra cæteras perfectior, quod omni vitæ generi, Statui, Conditioni & Sexui ad se aditum præbet, Nobilibus juxta & ignobilibus, pauperibus ac divitibus, rudibus, & literatis, Magistratibus & Subditis, Cælibibus & Maritis, summis Principum, & mendicorum infimis. REGULÆ autem & Monachorum Ordines quos homines commenti sunt, multa vivendi genera, multa officia generi humano necessaria vel utilia è suis Cœnobiis proscribunt : aut excludunt Cœnobia ingredi volentibus maritis Uxores, Uxoribus mariti deserendi sunt, Præpositis Magistratus, Regibus Sceptra deponenda sunt. Si quisquam alius error Salutari Doctrinæ noxius est, inprimis is damnandus est, qui aut penitus ab Ecclesia, aut certe à perfectione obedientiæ Christi arcet & excludit functiones & officia humano generi necessaria ; Præcipuè Magistratuum aut Regum eminentiam. Hæc prava & incauta hominum interdum optimorum opinio, tàm veritati quam virtuti imprudens noxia & funesta est : eximiis mortalium ad utramque, & vicissim utriquè ad homines eximios & ædificationi unicè idoneos, aditum præcludens, qui ductu & exemplo suo plurimos mortalium, imo totum orbem emendare possent. Quamvis autem turpius errent qui Magistratus ex Ecclesia eliminent, Tamen & hi noxie delinquunt, qui eosdem à perfectione Sanctimoniæ Christianæ arcent ; Id Regularum suarum institutis docentes, neminem ad perfectionem aspirare posse, qui non eorum Semitas ingressus fuerit. Quod menti Dei Optimi Maximi adversatur, qui vult ut eum homines cujuscunque Status & conditionis sint ; (dummodo Status hic honestus & omnis flagitii expers sit, quid si non utilis modo, sed mundo necessarius sit ?) quam perfectissimo quisque modo possit, colant. Quapropter omnia Dogmata, quæ Mundo necessarias functiones & status, aut à Communione Christiana, aut à perfectæ Virtutis officio amovent, etiamsi ab hominibus non malis, & non pessima intentione tradantur ; non modo pro suspectis, sed pro maxime erroneis ac Doctrinæ Apostolicæ adversis & repugnantibus habenda sunt : atque incrementis in Orbe Regni Dei, & veræ Pietatis & Sanctimoniæ, ac proinde & Gloriæ Dei mirifice obstant. Quæ inter Dogmata, hæc quoquè de Monachis opinio Auctoris censenda est. Quæ, quoniam veram & perfectam sanctimoniam in Cœnobiorum Carceres compingit ; quid facit aliud nisi quod eandem procul à Regum Palatiis, à Principum Aulis, ab Arcibus Nobilium, à Domiciliis Civium, à tuguriis Agrestium, imo vero ab ipsis Templis, & Ecclesiasticorum Domibus & Cubiculis ejicit & expellit.

Fruſtra Auctor memoriæ omnium tanquam æri incidendum inculcat, quod ait Dominus *Difficile esse opulentos Regnum Cælorum ingredi.* Neque enim quod addit Dominus, sive legendo sive citando adjunxit, *quamvis ea res hominibus sit impossibilis, Deo tamen possibilem esse & facilem*, Cujus oblata Cælitus gratia, & verbum ancipiti gladio penetrantius tantam vim & efficaciam habet, ut etiam opulentissimum & eminentissimum mortalium, modo in eo probitatem mentis reperiat, hoc est, animum virtutis & veritatis amantem, miraculoso modo transformare possit. Nec semper ab eo exigit, ut quas Dei munere habet possessiones deserat : Sed ut illas deserere paratus sit, quoties Deus voluerit, atque id Gloriæ ejus interierit. Neque hoc est spernere divitias & possessiones, abjicere eas, vel Cœnobiarchis donare : Sed animum ad eas non adjicere, & paratum esse iis, in gratiam Dei, carere. Interim autem dum possidentur, eas ita in terris fideliter dispensare, ut tibi possis in Cœlis certioris possessionis congerere ac recondere thesaurum.

Vera Peccata quod attinet. Superbia, Vindicta, Avaritia ; non magis pannosum Cucullum, quam sericum, aut Purpuram metuit. Comessationes & Convivia splendidius fortasse alibi aut pompoſius celebrantur. Sed nec à Monasteriis (*præcipue ditioribus*) exulant. Libidinum verò arcana, Secretum & latebras Monasteriorum depercunt.

Quod vero Auctor ait, *In Mundo* (hoc est extra Christum) *esse, & Mundi flagitia non inquinari*, Nihil aliud esse nisi morionem inter homines agere, non politicum, atque id genus homines, nec Mundo nec Conscientiæ suæ satis facere ; refellitur à propria sua experientia. Redeat in memoriam ævi sui viridioris, ac secum bona fide exigat, an eo nomine vel minimum apud homines existimationis aut gratiæ detrimentum fecerit, quod tam in Ebrietate, quàm in impuritate, imo & sermonibus etiam aut verbis prætextatis exemplis aliorum corruptus non fuerit. Recordetur, an non tunc quoque apud Deum & homines gratia floruerit ? Conversatio & Societas cum deterioribus, homines in Mundo potissimum corrumpit. Sed ea in Cœnobiis ferenda est, qualiscunque reperitur. In Mundo libera est sodalium electio. Quis vero me liberum cogere possit, ut alicujus delicti socium me præbeam ? si illud bona fide detestor & abominor, male nostram culpam in alios conferimus. Caicunque in Mundo propria probitas & conscientia peccatum odioſum & abominabile non reddet ; sine dubio secum amorem ejus in Cœnobium afferet, neque ipse maculas suas eluet : & ipsum Cœnobium, cœno suo & lutulenta fama conspurcabit. Clausira hæc & Monasteria formâ pietatis eminus

compl-

compta, & ornatam nec solida pietatem & sanctimoniam nobis hucusque præstiterunt, & in omnibus reliquis in Ecclesia Dei qui Monachi esse non potuerunt, aut noluerunt, omne studium & conatum nitendi ad perfectionem extinxerunt. Sed hæc est techna Satanæ, quam is ad objiciendum profectui in pietate impedimentum solerter & ingeniose commentus est. Quæ animadvertenda omnibus & ex Ecclesia Dei eliminanda est. Nemo simul & Rex & Monachus esse potest; potest tamen simul esse & Rex, & fidelis Christi servus. nemo simul & opulentus & Monachus esse potest: At idem potest esse opum simul & bonorum operum dives. Nemo simul & Maritus & Monachus esse potest: At idem esse & Maritus, & corde purus & animi carnisque munditie multis Monachis præcellentior, potest.

Ideo Deus istos emittentes supra institutum à Filio suo Sanctæ vitæ omnium regularissimum Ordinem, Ordines, hac ignominia pudefecit, ut loco perfectæ, quam pollicentur Sanctimoniæ, magnâ ex parte officinas iniquitatis & omnium flagitiorum diversoria, in cœcis illis Claustralium solitudinum latebris, exhibeant.

FINIS.

APPENDIX.

CAPUT I.

MOnachorum & Anachoretarum instituta, non esse viam ad sanctimoniæ perfectionem perveniendi optimam aut compendiosissimam, Imo vero Ecclesiæ noxiam & periculosam; ob rationes subsequentes.

I.

Quia perfectissima ad salutem perveniendi via non ab alio melius monstrari potuit quam ab eo, qui eam perfectissimo modo ingressus ad præmia ipsi proposita compendio pervenit. Ergo non modo ab Auctoris & Ductoris dignitate ac nobilitate; sed etiam à fructus & utilitatis suæ certitudine longè commendatior nobis esse debet illa via, cujus Divinus auctor divina præmia in conspectu omnium consecutus est: quàm incerta mortalium indicia, de quibus certo non constat, an ipsi eo itinere quod ingressi sunt; quodque aliis ingrediendum proponant, metam propositi sui attigerint. Atqui nec in præceptis, nec in exemplo Domini eas vivendi rationes deprehendimus, quæ nobis à Monachis obtruduntur.

2.

Videmus in Monasticis Canonibus ea nobis pro maximis virtutibus atque adeo Signis perfectionis proponi, quæ & ab ipso Domino reprehensa & ex parte vetita; & ab Apostolis contemni jussa sunt: atque adeo maximæ imperfectionis indicia esse necesse est. Corporalem exercitationem Paulus in genere non magni æstimandam ostendit, & veræ pietati opponit. Cælibatus necessitatem ac ciborum delectum in specie doctrinas dæmoniorum apellat. Pietatis ostentationem per externa & oculis obvia, ejus vestigia Christus ipse expresse vetuit: atque adeò illis abstinentiæ generibus, quibus Joh. Baptista populo admirabilis videri potuit; suum vivendi genus ex adverso opponit. Ac profecto externa ista, quæque omnium oculos ferit pietatis species; nihil aliud quam veræ pietatis Simia & mimus est. Quæ nec ullum mortalium veræ felicitatis compotem efficere potest: & illud in se mali habet, quod qui sibi hoc genere Ornamenti satis compti & omnibus commendati videntur, veræ pietatis vim & curam, quæ longe difficilior est, facile omittunt. Longe pluris enim mortalibus constat, Esse quàm Videri: & qui laboris præmium, hoc est, Opinionem & existimationem pietatis jam adepti sibi videntur, non facile ipsum laborem, quasi jam superfluum, suscipiunt. Adde quod in quibusdam Regularium Ordinibus, Cæca Superioribus præstanda obedientia exigitur: & pro eminentissima virtute venditatur: quæ tamen nihil aliud est quam infandum scelus, & pura puta erga divinam majestatem perduellio.

3.

Externæ pietatis ostentationi, quæ mortalium oculos percellere contendit; strictus Cognationis nexus cum externo & Idololatrico Dei cultu intercedit: qui non tam in spiritu & veritate, quàm in corporali & oculis omnium subjectâ imaginum & idolorum adoratione consistit. Eo factum est, quòd abusus Idololatriæ in Ecclesia à Monachis non modo oppugnati non sint; sed maxime omnium propugnati, & aucti sint, atque promoti.

4.

Omnium monachorum secta cum iis, qui ubique gentium in ecclesiis non mitem & mansuetum Christi; Sed violentam prætensi Antichristi potestatem usurpabant, conspirarunt in promovenda usurpati juris eorum iniquitate. Nec aliud genus hominum habet in Occidente Romanus Pontifex, cujus ope firmius dominationis suæ vim in coërcendis omnibus populis atque adeo ipso Episcoporum ordine stabiliat. Ipsi verò adeò tyrannidis hujus atque prætensi juris studiosi videri volunt, ut ad cruentas quoque potestatis hujus executiones, vel cum regularitatis suæ jactura, demittere sese non dubitent. quod in Sacræ Sanctæ Inquisitionis officiis per Hispanias ac totam Italiam cernere licet. Atque horum Carnificum officium sanctum vulgo dicitur, ne quenquam latere possit quodnam sanctimoniæ genus cucullati isti patres consectentur.

5.

Etiamsi nullæ vitiorum maculæ Ordines istos deformes redderent; tamen quia à Convictu & conversatione reliquæ Ecclesiæ se segregant, & optimum quemque ad partes alliciunt, per se & natura sua magis distruunt quàm ornant Ecclesiam.

Neque enim ornamento magis quam dedecori Ecclesiæ censeri potest, quod vitæ ac morum rationem quæ in ea reperitur, censura sua tanquam mundanam non vero Christianam condemnent. Neque id usui potius, quam damno & quidem maximo Ecclesiæ esse potest; quod non modo intra ipsam maneant moresque ejus & exemplo ipsi corrigere & emendare nolint; sed eos quoque qui forte emendare possent subtrahant: dum omnes quicunque sanctioris vitæ desiderio flagrant, à reliquæ Ecclesiæ societate avulsos; ad suas Societates invitant & miris artibus pelliciunt.

6.

Nulla pestilentior labes pietatem & sanctimoniam Ecclesiæ devastavit, quam Monachismi professio. Segreges enim ab Ecclesia Cætus eo nomine condere: quod, Mundo & ejus concupiscentiis in Ecclesia regnantibus renuncient: nec tamen mundum istum à Spirituali secum communione arcere, Sed potius eum esse veram Christi Ecclesiam & sponsam fateri, quid aliud est, quam longe majori parti hominum permittere ut mundum & ejus concupiscentias diligant: permittere ne tanto perfectioris sanctimoniæ studio flagrent: quanto se flagrare Monachi profitentur. idque illis impune fore potius. Perfectionis enim studium esse arbitrarium, nec exigi nisi ab iis qui Monachismi vota nuncuparunt.

7. Præterea

7.

Præterea non uno nomine Monachiſmus pietati ac moribus Eccleſiæ fuit funeſtus. 1. per falſas & noxias doctrinas. 2. per deteſtabilia exempla ſcelerum & flagitiorum, per externam pietatis formam, ex abdito Monachiſmi receſſu in lucem perrumpentium.

Falſa inter & noxia dogmata, quibus Eccleſiam infecerunt, eſt, quod inter leges præceptaque Chriſti ejuſmodi diſcrimen invexerunt, ut alia quidem eorum omnino ſervanda, aliis nonniſi arbitrarium obſequium deberi, ſtatuerint. Perfectioris enim vitæ orbitam à Chriſto ſignatam, non eſſe veram legem, aut præceptum, ſed conſilium duntaxat, quo non alii obligentur niſi qui voluntario perfectioris ſanctimoniæ ſtudio incenſi ſint. Quò fit, ut injunctum omnibus perfectiſſimi obſequii ſtudium ac deſiderium; ad paucos reſtrictum: reliquis autem omnibus, qui velint, capeſſendi hujus officii venia & gratia facta; & zelus atque ardor enixioris pietatis extinctus ſit.

Exempla criminum & flagitiorum nota nimis & cunctis obvia ſunt.

8.

Illud ſane ſanctitatem inſtitutorum iſtorum, quam promittunt, non parvo dedecore aſpergit, quod, mero veritatis odio & amore mendacii impulſi, non paucos libros, ad notitiam Seculi proximè poſt Apoſtolos inſecuti pertinentes, partim aboleverint & ſuppreſſerint: partim interpolarint atque immutarint, profunda otii ſui quiete abuſi: partim adulterinos fœtus inſciis atque invitis ideoque falſis parentibus, ſuppoſuerent: ita ut nunc ad veri falſique diſcrimen indagandum, non parum negotii nobilioribus ingeniis tam inter Pontificios quam Proteſtantes, objectum ſit. Ita hæc pernicioſa locuſtarum agmina florem ac viriditatem herbarum, in uſum poſteritatis à majoribus relictarum, depaſta ſunt: & in earum locum anilium fabularum, quæ muliercularum & virorum muliebrium duntaxat aures poſſint delectare, examina effuderunt.

9.

Norma ſanctitatis ac vitæ perfectioris, quam Servator noſter tradidit, cum aliis multis in rebus; tum in eo quoque inventas à Monachis vivendi Regulas ſuperat; quod omnis generis hominibus, divitibus juxta & pauperibus, privatis & Magiſtratibus, Regibus & ſubjectis populis conveniat. Inſtituta vero monaſtica plurima & præcipua vitæ genera à limine ſuo arceant ac ſubmoveant. Ingreſſuris enim clauſtra monachorum; maritis ab uxoribus, uxoribus à maritis diſcedendum, eſt: præpoſitis præfecturæ, Regibus ſceptra & coronæ abjiciendæ atque omnibus reliquis id genus plurimæ mutationes ſubeundæ ſunt. Nullus autem error Eccleſiæ nocentior eſt, quam ſi aut ab Eccleſia; aut à perfectiori pietatis ſtudio, functiones vitæ generi humano neceſſariæ, præcipue vero Magiſtratus, repellantur & excludantur. Prava iſta & parum circumſpecta opinio veritatis & ſanctimoniæ peſtis eſt, utriuſque aditu eos prohibens, qui exemplo & auctoritate ſua reliquos mortalium ad utramque impellere poſſent. Quamvis autem turpius errent, qui à Chriſtiana communione Magiſtratus audent repellere: tamen æque periculoſus eorum error eſt, quoties iidem à perfectioris pietatis officio removentur. Quod menti ac propoſito ſummi Dei, qui cunctos mortales, & eos quoque, quos vices ſuas in terris obire voluit, ſalvos eſſe cupit, plane repugnat. Ejuſmodi dogmatum auctores, quantamcunque præ ſe pietatem ferant; pravum ac pernicioſum, ſed præcipue pietati noxium errorem fovent. Dum enim perfectum ſanctimoniæ ſtudium atque officium in clauſtrorum carcerem conjiciunt & compingunt; eadem opera illud è palatiis Regum, ex ædibus virorum principum, ex publicis & privatis univerſorum & ſingulorum mortalium domiciliis non abſque præcipiti contumelia ejiciunt & exturbant. Fruſtra vero Autor memoriæ omnium inſculpere nititur Chriſti effatum, quo teſtatur quàm difficile ſit Diviti Regnum cælorum ingredi. Neque vero ſequentia verba adjicit; quibus expreſſe oſtenditur, quamvis id hominibus difficile & vix credibile videatur; Deo tamen difficile non eſſe. Cujus divinitſima promiſſio & ſermo, omnis gladii acie penetrantior, eſt tantarum virium, ut etiam nobiliſſimorum ac ditiſſimorum animos nullo negotio in melius transformare poſſint. Neque vero Deus ſemper divitias abjici poſtulat: ſed earum nexu conſtrictos eſſe animos noſtros non vult, quominus eas, quoties ille velit, abjicere parati ſimus. Proinde opibus ac divitiis renunciare; non aliud eſt, quàm animum ab earum vinculis avellere, ut eas deſerere parati ſimus: quamdiu vero in poſſeſſione noſtra ſunt; ea fide ac liberalitate eas in terris diſpenſemus, cui merces in cælis magna propoſita eſt.

Vera peccata quod attinet, Superbia, Vindicta & avaritia, non magis cuculli ſordes, quam pretioſum corporis cultum fugiunt aut averſentur. Deliciæ, gulæ, atque convivia plus fortaſſis pompæ alibi extra clauſtra habere poſſunt: Sed nec à clauſtris exulant, nec minus habere voluptatis ſolent. Libidinum vero arcana & flagitia; etiam receſſu Monaſtico gaudent.

Et profecto Deus cunctas morum & ſanctimoniæ Regulas, altius & ſupra perfectiſſimas filii ſui leges ſcandere auſas, eo dedecore caſtigavit: ut loco illius, quam pollicebantur perfectionis, flagitiorum officinam & dignorum tenebris ſuis operum cubilia in opacis receſſuum ſuorum antris extraxerint.

CAP. II.

Non ſolum Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum.

SPiritualis Babylon, ex qua egredi fideles juſſi ſunt; non poteſt niſi eas deſignare Eccleſias, quæ ſub Evangelio populum Chriſti ejuſque conſcientias ſpirituali in ſervitute detinent: quemadmodum olim illa potentiſſima Chaldæorum urbs electum Dei populum in ſervitute corporali detinuit. Atque ut Deus ſub Evangelio, Regnum aut populum ſuum, uni genti aut regioni affixum eſſe noluit & alligatum; ſed ad omnes orbis oras genteſque propagavit: Ita Simius Dei Satan; qui ſemper in Eccleſia Dei peculiares ſibi cœtus atque Eccleſias condere nititur; non potuit Regnum ſuum intra unius loci aut regionis angustias cohibere aut reſtringere, Sed ubicunque mitis & manſuetus Chriſti ſpiritus regnare & propagari cœpit: ibi ſimul Satanas . . . . . æmuli & adverſarii Chriſti eumque ſuperbum & oppreſſorem Eccleſiæ ſpiritum intrudere ac propagare non omiſit.

Cujus Spiritus violentiam, tametſi Satanas paulo poſt Apoſtolica tempora per vim ac potentiam imperii Romani, quæ tunc maximam habitabilis terræ (ſic enim *Luc.* 11. vocatur) partem occupaverat, exercuit; non tamen ſolius Urbi Romanæ, quam nunc Pontifex incolit, operâ in eo negotio uſus eſt: ſed toto imperio Romano, præcipuè vero Imperatorum

torum potentia, qui Roma Byzantium ſedem ſuam tranſtulerant. Proinde Spiritus Antichriſti æque in urbe Byzantina, Antiochena, Alexandrina, aliiſque regnare potuit atque in Romana. Cum omnes iſtæ urbes unius & ejuſdem Imperatoriæ potentiæ, quâ Satanas ad ſervitium Eccleſiæ abuſus eſt, brachio & complexu continerentur. Quanquam autem varias ob cauſas & circumſtantias Politicas potius quàm Eccleſiaſticas, Orientales Epiſcopi nec potuerunt, neque auſi ſunt, tantum ſibi poteſtatis & arrogantiæ ulurpare; quantum unus Occidentalis. Tamen & illi Coactiva & violenta, ſeu ſeculari quam vocant poteſtate opprimebant eos, quicunque delicta aut errores ipſorum tangere auſi ſunt: quod ad dominationem Antichriſti & ſervitutem Babylonicam ſufficit. Vita enim atque anima tyrannidis Antichriſti in Eccleſia eſt oppreſſio conſcientiarum: Hæc ubi viget; dominationem Antichriſti graſſari, evidentiſſimum indicium eſt. Hoſce homines, plus quam æmulos & uſurpatores, ac potius violatores & tranſgreſſores poteſtatis ſuæ in eccleſia paſſim per orbem; quotquot audent, (vires æquales eſſe ubique neceſſe non eſt) nominis ejus prætextu, ad opprimendas violentis mediis liberrimas conſcientias, abuti qui propriis viribus & ſunt potentia prævalent: alii vires eas non habent. à Magiſtratu ſeculari mutuantur. Omnes perinde nequam, quia æquè iniqui & violenti: Quid enim infert tuis an alienis viribus ſævias ad injuriam?

Quodque magis mirandum, plurimos videre accuſatores Antichriſti, tyrannidi & criminibus ejus convitium facere, ſuaſque ab eo ſegregare Eccleſias: qui tamen imprudentes plurimum de Spiritu ejus hauſerunt; & ſecum in ſuas Eccleſias detulerunt: adeo ut non nunquam ambigas pingues an macilenti Antichriſti inſolentius ſe gerant. Nec enim à nominis invidia vindicari poſſint, qui reipſa & factis Antichriſtum exprimunt. Et quemadmodum qui Spiritu Chriſti aguntur, Chriſti miniſtri ſunt: ita qui furiis & violentia Antichriſti agitantur vel æſtuant, aut miniſtri Antichriſti ſunt, aut æmuli & imitatores, utrique odioſi agnominis infamia digni.

CAPUT III.

An omnes Eccleſiæ ab Antichriſto Segregatæ tàm ob paucitatem ſuorum quàm ob doctrinæ & diſciplinæ defectum meritò culpentur.

QUod ad paucitatem attinet, hæc paulò magis, quam par ſit, exaggeratur. Tantus enim eſt hoſtium potentiſſimorum omnium numerus; ut eos miniſtrorum ſuorum multitudine & validiſſimis Occidentis viribus frangere nequeat. Sed & ſi pauciores hodie ſunt; quid refert, cum cras Deo adjuvante, plures eſſe poſſint?

Quantum ad doctrinam ac rerum divinarum ſcientiam; non mirandum eſt aliquos, imo plures quoque reperiri, qui fidei ac religionis ſuæ rationem reddere nequeant. Hæc enim ſingulorum non autem Eccleſiæ culpa eſt. Quæ cum Sacræ Scripturæ auctoritatem; potentiſſimæ Eccleſiæ auctoritati primitus oppoſuerit, & nunc quoque hunc unicum clypeum miſſilibus hoſtium opponat: eo ipſo exigit à ſuis, ut in iis libris, è quibus rerum divinarum notitia petitur, ſint quam exercitatiſſimi. Contra quia Romana Eccleſia libros iſtos è manibus longè maximæ partis hominum excutit; pauciores eam rerum divinarum peritos habere neceſſe eſt.

Præterea qui fidei articulos paucos & brevi ſymbolo comprehenſos eoſque planos & perceptu faciles ac dilucidos habent: eorum unuſquiſque inde ac religionis ſuæ rationem reddere poteſt, longe facilius: quam aliqui qui articulos fidei ſuæ neque memoria completi ob multitudinem, neque intellectu comprehendere propter difficultatem quorundam ullo modo poſſunt. Talia vero dogmata ſuis Græca & Latina Eccleſia propinat: quæ captum mortalium excedere ultro ipſa confitetur; quæ certe ingenua ignorantiæ confeſſio eſt. Quo magis mirandum occurrit; quid ita tanta obſtinatione ac ſævitia receptionem eorum dogmatum urgeant iſtæ Eccleſiæ, quorum ignorantiam vel invitæ diffiteri nequeunt. Qua fronte vero audeat alius objectare inſciam; qui nihil eorum ſciendum aut credendum obtrudunt, quæ natura ſua ſciri aut credi nequeunt.

Quod ad omnium diſciplinam attinet, opponitur à quibuſdam *Quemadmodum in ſegregatis Eccleſiis complures impii ac vitæ diſſolutæ deprehendantur.* (quamvis huic malo alii præ aliis meliora remedia adhibeant) *ita in Græca & Latina quoque viros bonos ac Dei timentes non deeſſe.* Reſpondemus. 1. Ægre in iſtis Eccleſiis reperiri poſſe homines, qui criminibus, quæ illis Eccleſiis publice objiciuntur, privatim non teneantur, qualis eſt Idololatria. Quamvis igitur quoad cætera pii ſint, tamen ab eorum pietate, qui ab eo crimine longiſſime abſunt, magnopere ſuperari eos neceſſe eſt. Idem de reliquis judicium eſto. Manca autem & mutila Virtus eſt vitiorum mixtura fædata; & quò plus aut virulentioris fæcis admixtum eſt, eò minus pura & ſyncera. Nihil verò in cœlis graveolentius Idololatriâ.

Quod vero nulla ſit Segregum ſectarum familia, in qua vitioſos homines non reperias; nulli earum fraudi eſſe poteſt: quæ vitiorum habitus in gremio ſuo non tolerat: Delicta mortalium ubique evenire poſſe per conditionem naturæ neceſſe eſt. Sed neque noxæ neque dedecori eſſe queunt ubicunque impune non tranſeunt neque regnant. Apoſtolica quoque Eccleſia, imo vero ipſum Apoſtolorum collegium malis exemplis non caruit: ſed neque eorum remediis aut ſuppliciis. Non poteſt ab humana imbecillitate plus exigi, quàm ut bonorum ſocietas ad robuſta ſcelera & flagitia non conniveat: quamvis interdum lapſus infirmorum leviori animadverſione caſtiget. Meritò igitur quarundam Eccleſiarum puritati, & innocentiæ adverſariorum confeſſio illuſtre teſtimonium præbet, quod huic malo præ aliis præſentius remedium adhibeant. Ut enim a vitiis longius recedere poſſint: à vitioſis hominibus ſe ſegregant. Si qui tamen eorum ſanabiles videantur, poſt emendatæ vitæ ſpecimen juſto temporis ſpatio editum, poſtliminio admiſſos ad ſocietatem recipiunt: & ſi fortè melioris vitæ conſtantia minimè duraverit, hos ab eadem iterum ſocietate excludunt. Quorum neque anteacta neque poſt commiſſa peccata toti ſocietati fraudi eſſe æquum eſt; cum utraque impune tolerata non fuerint. Diverſa errorum in opinionibus ratio eſt, qui plerumque etiam obſtinatè defenſi in noſtris Eccleſiis tolerantur; niſi fortè aut fidem promiſſorum Dei: aut legum Chriſti obſequium penitus ſubruant atque everrant: aut errori mentis; voluntatis & gravioris delicti culpa admixta ſit. Unde patet diſſenſionum & diſſidiorum culpam penes iſtas Eccleſias nullam eſſe. Neque enim ulla injuria diſſentientes provocant: neque eos ob diſſenſum aut odio & averſatione, aut excommunicatione; multo minus ulla pœnâ aut injuria exacerbant. Quod ſi fortè ob admiſſa adverſus leges Chriſti delicta eos ab Eccleſia arceant; Chriſti negotium agunt, non ſuum quo nomine excuſatos eos ac neceſſe eſt contrà. At qui ob ſententias ſuas non receptas odiis certare non verentur, ſuum non Chriſti negotium

negotium agunt : quo minus veniæ apud læsos habere possint, tanquam arrogantes, & superbi quoque eruditioni atque ingenio suo ab omnibus non assurgi stomachantur, & pro disputatione, atque argumentis, supplicia, & injurias reponunt. Proinde quicunque erga diversum sentientes ea humanitate, atque æquitate utimur, ut eos ne odisse quidem ; multo minus insectari sustineamus, procul ab eorum ob dissensum culpa absumus ; quos Apostolus 1. *Tim.* 1. 3. & 4. gravissima censura perstrinxit. Qui ob ambitionem nova, & ab antiquis aliena docentes ad inania & fabulosa deflexi, eodem omnium animos ac studia detorquere contendunt ; commenti infinitas generationes, & dogmata arduarum, ac difficilium quæstionum, imo vero dubiorum, & absurdorum feracia ; in quibus nullus unquam consensus nisi malo, & minis, & Magistratus supplicio extortus sperari potest. Quis enim in iis ultro, ac syncere cum aliis consentire queat, in quibus nemo unquam secum ipsemet bona fide consensit, fluctibus contradictionum quibus ea dogmata scatent tanquam Euripi æstu, ultro atque perpetuo agitatus, atque impulsus.

Nos vero à prædicatione Apostolica adeo non alienas doctrinas defendimus, ut ne à verbis quidem eorum discedere audeamus ; & unà cum novis dogmatibus voces quoque novas vitandas nobis esse putemus.

Adeo in rebus omnem novitatem odimus, ut voces ipsæ recens juventæ nobis suspectæ sint. Quippe non ita recens est mundi puericia ut ob aliquas res, quas illi obscurarunt, nova nobis nomina fingenda sint. Quæcunque ante Christum, & Apostolos fuere, quæque nobis eorum ore patefacta sunt, satis apertis & significantibus vocibus expressa sunt. voces istæ sunt signa rerum : Ergo si res antiquæ sunt, vocibus antiquis, & Apostolicis menti nostræ repræsentari possunt. At quæ usurpatis à Christo & Apostolis signis significari nequeunt, subtesta & adulterina esse necesse est. Quia ubi vocum novitas necessaria est, non potest nisi rerum ipsarum novitatem arguere. Præterea res divinæ ob sanctitatem & excellentiam suam dignæ sunt, quæ divinitus inspiratis, & Apostolicis verbis exprimantur. Viderint qui fictis Trismegistis, & veris jamblichis, aut Plotinis verborum lucem divinis mysteriis mutuantur. Viderint qui nova fidei symbola condidere, quæ veteris Apostolici mentem convellunt magis, quam explicant ; & quia vetus non explicant, novam introducere conveniuntur. Explicatio enim longe planior, ac dilucidior sit oportet ; quam id quod exponitur. Atqui symbolum Apostolicum veritatem, ac lucem simplicissimi quique capiunt : quia & oratio ejus simplex est. At recentiorum symbolorum tricas & nodos, in semet reflexos atque implexos ; nemo Platonicæ scholæ tàm amans, nemo tam acutus, & sollers est, qui dissolvi, aut humano explicari ingenio posse arbitretur. Miserum igitur laborantibus effugium superest, res quæ in iis traduntur supra mentis nostræ captum sublatas esse prætendere. Sed cur ea, quæ Apostoli tradidere mentis humanæ modulum non superant ? cur eorum symbolum, non modo plebis, sed sexus & ætatis quoque rudioris captum non excedit. Unde liquido evincitur, aliud nobis ab Apostolis, aliud à tertii post illos seculi Patribus traditum esse. Illud enim facile, clarum, ac luce sua conspicuum omnibus, nullas menti nostræ dubiorum & contradictionum nubes, aut caliginem affundit : hoc discentibus arduum, docentibus inexplicabile, auditu absurdum, verbis novum, nec aliud nisi pomum Eridis ; fœda contentionum scabie atque porrigine funestum Ecclesiæ fuit. Fabulas, quas Apostolus novis peregrinorum dogmatum Doctoribus objicit, iis relinquimus, quorum aures muliebri credulitate pruriunt. Nihil magis Satanæ infidus obnoxium est quàm nimia credendi facilitas, omnis superstitionis Mater, & anilium commentorum obtetrix. Odiorum rabies, quæ diversas secum Ecclesias collidit, mutuis injuriis & opprobriis accepta ferenda est. Quamvis enim superba & arrogantia ingenia, etiam ob nudum ac simplicem dissensum, odia facile concipiant & stolide foveant : quoties tamen justa simultatis causa deest, aut auferitur, supprimitur, simultas ipsa aut evanescit ; aut non ita late spargitur. At invecta ab Antichristi Spiritu opprimendarum conscientiarum libido, zelum religionis inique & impudenter mentita, tanto acriores odio faces subdere solet ; quanta sunt aut videntur justiora. Ergo quicunque in Ecclesia, id genus dominationis, quod sibi Deus ipse non sumit, bona fide detestamur ; extra omnem odiorum, ac feralium dissidiorum culpam ponendi sumus. Bona fide, inquam, hoc injustitiæ genus damnandum est. Nec enim desunt homines pueriliter & inepte delicatuli ; quibus aliena erga se tyrannis, ac dominatio displicere videtur ; cum tamen sua vicissim in alios adlubescat. His vero non serio tyrannis ipsa : sed tantum tyranni displicent : quorum facta ubi multum detestati sunt : mox ipsi sedulo imitantur. Atqui parum syncere agunt, qui ea, quæ verbis damnant, factis approbant ; quales sunt eorum non pauci, qui à Romana & Græca Ecclesia discessere ; excussa veteri dominatione non alio fructu nisi ut novam conderent & introducerent nullo jure. Quid autem iniquius quam aut ea, quæ optimo jure in aliis culpavimus, committere : aut relinquendas soli Dei conscientias, non Ecclesiastica animadversione : sed politica quoque & seculari, quam vocant, violentiâ exagitare. Quid injustius quam non Spiritualis metus reverentia ; sed terrenarum potestatum minis atque suppliciis grassari in Ecclesia : Præcipue vero in iis dogmatibus, quæ ne ipsi quidem satis capimus, aut intelligimus ab iis, qui ipsis salva conscientia assentiri nequeunt, aut, quod perinde est, exitii metu consensum exigere eculeo, aut fidiculis extortum. Nescire liceat, quæ nonnisi periculose creduntur. Quid aut gratificatu levius ; aut impetratu æquius est ; quàm ea, quæ capere non possis, ignorandi licentia ? Hoccine tam exiguum beneficii specimen cæteris innoxiis, & supplicibus denegari. Verumenimvero, dogmatibus suis quæ tanto pretio æstimant ; prospiciunt, ne à dissentientibus forte exagitentur. Nam exagitandi benignam esse materiam sentiunt non ignorant. At certe ignorant (quia de industria ignorare volunt) quantæ sint veritatis vires in refellendis & frangendis erroribus, quoties cum ipsis æquo loco congreditur. Adeone congressum hunc reformidanti ut ipsum illicitis & à Christiana benignitate alienissimis modis, hoc est terrenâ violentia, avertendum putent. O miseram, & trepidam causæ, quam propugnant, fiduciam, & quæ absque evidenti virium prætensæ veritatis diffidentia, ac desperatione ne cogitari quidem potest. Verum quid si caveant, & satisdent ii, quorum pacis interest, dogmata ista à se ne verbulo quidem læsum iri, modo non ultro lacessantur. An causæ, terrenis viribus subnixæ, nondum satis cautum videbitur ? nisi dissentientes omnino doceri se patiantur, ut sciant, quæ ignorare malent.

Id vero aliquanto æquius postulatu videretur, si Doctores isti, qui dogmata sua invitis obtrudunt, syncere ac bona fide ea docere, dubia solvere, scrupulos evellere, implicatas mutuo & compugnantes contradictiones conciliare possent. Sed cum ipsi Doctores ista captum suum superare fateantur ;

fateantur: discipuli autem fidei suæ ac religioni ab exorientibus ex istius doctrinæ receptione scrupulis meritò metuant; annon satis causæ habent ut eam nescire malint: quam cum fidei suæ discrimine discere. Vident enim quod non rationi tantum: sed & Religioni cum istis dogmatibus non satis conveniat.

Quin igitur, potius positis utrimque opinionum armis ac certaminibus, in viscera Ecclesiæ tamdiu tamque crudeliter sævientibus, in id unum omnes incumbimus ut Deo ac legibus Christi obsequium, proximis charitatem, nosmetipsis puram præstemus conscientiam. Facilis jactura est opinionum, quibus in hac vita percipiendis impiores simus. An non mutila ista & imperfecta Cognitio, superveniente cælesti post glorificationem luce, abolebitur? Causam vero coram Judice Universi dicturi cum supremus Mundi dies advenerit; non ex eruditione aut opinionibus, sed ex vita & moribus censebimur & judicabimur; nec merces illa cælestis ingenio & rerum peritiæ; (quâ à Satana multum superamur) sed virtutibus sanctimoniæ & erga Deum pietati (quibus ille misere excidit) proposita est ac reservata.

CAPUT. IV.

An expediat universali Ecclesiæ ejusque ædificationi secedere ab Ecclesiis potentioribus: præsertim si scindi contingat in partes exiguas & infirmas, neque cum Ecclesia à quâ seceditur comparandas.

SAne vulgo objectatur atque exprobratur conatus & successus eorum infelix, qui ejusmodi secessiones faciunt, quod intra exiguum eorum qui in partes suas abiere numerum compreheusi, copiam insignioris ædificationis aut incrementi sectæ suæ nullam habere possint. Etenim inter paucos istos, qui sunt intrà exigui cætus pomeria, quodnam insigne veritatis incrementum sperandum est? habita præsertim ratione eorum qui à paucioribus ad plures frequentius transfugiunt. Quippe à pluribus ad pauciores transfugia rariora. Ut autem ad unius ex infirmioribus Ecclesiis doctrinam & opiniones totus Orbis Christianus transeat, spem esse falsam & frivolam.

Resp. Quod postremo loco dictum, primum omnium sumemus examinandum, antequam ad propositam litem decidendam propius accedamus.

Cum igitur errores atque corruptelæ celebriorum in orbe Ecclesiarum nimium sint manifestæ, causam nullam videmus ob quam de Veritatis successu desperare liceat. Quamvis enim errores qui regnant satis jam annosos & longævos videamus, æterni tamen esse nequeunt; non modo ob naturam suam veritatis viribus imparem: sed ob infirmum quo nituntur terrenæ potentiæ præsidium; ut jam ipsius Dei bonitatem cujus patrocinio veritas freta est: atque divinitus prædicti eventus certitudinem taceamus. Porro ipsa veritas tametsi una sit: notitia tamen ejus non uni Ecclesiæ adstricta est, sed ad plures adeoque ad omnes propemodum propagata. Nititur enim fundamento atque principio ab omnibus recepto & omnium communi. Prædicatione nimirum illâ Apostolorum in Sacris literis consignata, cujus Compendium est eorum symbolum. Hæc dogmata cuicunque Cætui Christiano sufficiunt: ita ut ultrà nihil novi aut alieni docere & in Ecclesiam introducere velit: ejus doctrina primum est ipsa pura & syncera veritas, cui pridem cælitus de omnibus erroribus triumphus decretus est. Deinde eadem memorati Cætus doctrina, vere ac reipsa communis est omnibus Ecclesiis, apud quos Sacræ Scripturæ & Apostolorum sancta est auctoritas: quamvis ob admixtos passim errorum nævos interdum in quibusdam noscitari & adverti vix queat. Proinde hæc de quâ loquimur Ecclesia, etiamsi sit infirmissima, optimo jure Catholica dici potest, quia præter Catholicam & omnibus communem doctrinam, nihil hominibus discendum proponit. Anxio & operoso conatu nihil igitur opus est, ut illo ad articulos & doctrinæ suæ dogmata recipienda Orbem totum pertrahat, qui jam ejus doctrinam & articulos recepit ac profitetur, nisi quod hanc veritatis professionem obscuret errorum admixtio. Erronei autem isti cæteris omnibus præsidiis destituti sola conscientiarum oppressione nitantur: quæ tyrannis atque oppressio cum per se ac natura sua iniqua & violenta, & ingenuis ac generosis ingeniis indigna & ingrata sit jam dudum corruisset; nisi terrenæ atque humanæ potentiæ tibicine fulciretur. Atqui hoc fulcrum & statumen, communi mortalitatis sorte fragile, ipsaque vetustate (qua hucusque apud imperitos commendabatur) & sænio putre, exoriente veritatis crepusculo rimas agere ac præcipitem ruinam minari; in quibusdam vero regionibus collabi quoque incipit. Nec ulla firma causa est quæ impediat quominus id in media Italia aut Madritti vel Parisiis evenire possit, quod in media Germania, aut Londini, Hafniæ, Stocholmiæ, accidisse videmus. Nisi quod apud gentes siccas magis & solidas, Cautiorem ideoque feliciorem Reformationis exitum merito auguramur, qui ita libertati Ecclesiæ consulat; ut una publicæ Paci probe prospectum sit. Quod fiet si Religioni quidem Spiritualibus armis relictis, ad usum carnalium omnis aditus prorsus præcludatur. Respub. vicissim in messem Ecclesiæ falcem Magistratus immittere piaculum & religionis injuriam putet: nulla dogmata, nulla conscientiarum onera, aut gravamina, nec aliud quid; Solam autem Pacem & terrenam civium libertatem simulque justitiam & æquabile jus potestatis sum jure ac viribus defendat ac promoveat. Pax & libertas civium absque Conscientiarum libertate non constat. Justitiæ quoque in oppressione ac servitute locus non est, quia ipsa servitus atque oppressio injuria est. Cujus filia oppressorum impatientia semper tam violentæ Paci non potest non struere insidias. Nec ab ejusmodi libertate Paci aut Reipublicæ ullum impendit periculum, in qua nonnisi spiritualia arma privatis conceduntur. Multo minus veræ Religioni ab eadem timendum est, quæ veritate armata in sola libertate certam ac stabilem dignitatem suam retinet. Nam falsæ aut erroneæ religionis facilis & optanda jactura est. Vera autem religio, si relictis veritatis armis terrena potestate in homines grassetur; præter dedecus & probrum quod suscipit non dico fragili sed confractæ jam arundini innititur, quæ nec tanti ponderis onus sustinebit, & incumbentis inerme latus perfodiet. Errorum & superstitionum hæc arma sunt, justo Dei supplicio tot per annos felicia, cæterum jam jam invictâ veritatis dexterâ frangenda. At vera Religio quoties in tàm vano præsidio refugium quærit, à Veritate quam contemnit & polluit deseritur. Proinde neque Religioni præsens Orbis Christiani Status utilis est & Reipublicæ periculosus. Nam quoties aut Ecclesia positis cælestibus terrena à Republica præsidia mutuatur aut Respub. armorum suorum violentiam Ecclesiæ commodat; præterquam quod profanata religione utriusque societatis cives longe fiant deteriores, quod ipsi Reipublicæ noxium est. Insuper Ecclesiasticis præsidibus arma in manus traduntur quibus mox adversus Rempublicam uti possint. Si nisi exemplo non creditur. Insigne ejus rei specimen antea acta secula exhibent documentum

sum & experimentum. Principum Romanorum, qui sedem imperii Byzantium transtulerunt, indulgentiâ, simul & ablentiâ nervos, & vires; mox privilegium quoque sub Phoca principe, ac titulum Universalis Episcopi Romanus Pontifex adeptus est. Gratiam beneficio hanc retulit; ut non modo provincias Occidentis; sed ipsius quoque imperii titulum ad alios transtulerit, & reliquas eorum in Oriente vires enervatas multum, & attenuatas, frangendas Barbaris prostituerit. Idem à Principibus Occidentis, præcipue Germanis vicissim cultus auctus, & ornatus non modo jus eligendi aut firmandi Pontificis, ipsamque urbem Romam; sed Italiam ipsis eripuit: adeoque in ipsum jus creandorum, & deponendorum Imperatorum invadere ausus est. Idem omnium regnorum eripiendorum, regumque deponendorum arbitrium sibi etiamnum vindicat, & non sine multo sanguine exercet. Cujus generis vulnerum non Germania tantum in urbibus, & provinciis Italicis, sed Gallia quoque in utraque Sicilia, & Navarra, nondum ipso ævo satis obductas cicatrices ostentat. Et ne tantum religioni, ac voluntariæ pietati potentiam hanc debeat, in singulis Occidentis regnis, ac Rebusp. peculiares sibi Spiritualis ordinis Resp. Jurejurando obstrinxit, easque ipsas, ut tanto magis dicto audientes sint, per potentissimorum monachorum ordines coërcet. Tantis autem opibus numerosus hic & matrimoniorum damno cælebs, populus instructus est; tam arctis vinculis externo obsequio innexus, & mancipatus; ut ad libitum unius Capitolini, aut Vaticani Jovis singula Occidentis regna periculoso metu concuti possint.

Hunc tam miserum & Externo Principi obnoxium Regnorum aut Rerumpub. Statum diu ferre nequeunt qui singulis præsident. Quem nec hucusque libenter sed metu ac necessitate coacti tolerarunt. Cum enim viderent homines religionem reformatam professos sine ulla necessitate, etiam in iis, qui Pontificum jugum excusserunt Regnis, Religionem ubique propemodum ad terrena arma atque præsidia aspirare: primum quidem ejusmodi religiones falsitatis charactere notatas esse animadverterunt, quæ non veritatis sed belli aut Magistratus gladio, sanctitatem suam tuerentur: deinde justo metu perculsi sunt, ne homines religionem professi, cui terrenis armis graffari religio non est; arma & vires suas quandoque in ipsam verterent Rempub. neve Regiminis Ecclesiastici antiquis corruptelis succederent magis alii homines quam alii mores. Hâc adducti formidine maluerunt in pacato & tranquillo statu antiqua tolerare mala, quam per commoti Status periculum quærere remedia non multum profutura. Hic metus atque periculum in Rebuspub. non aliter tolli potest, quam si religioni nusquam liceat terreno gladio, sive suomet, sive à Republica commodato in ullius mortalium perniciem uti. Sic exarmato ficto, ac turbido religionis zelo, non modo Paci & Rerumpublicæ securitatis: sed ipsius religionis innocentiæ puritati, ac inprimis veritati consuletur.

Nec ullum est brevius compendium ad tollendos errores & litigia Religionis componenda, quam si mala causa & superstitio eiusmodi armis, quibus æque ac veritas tuta esse potest, exarmetur. Nullum ea in re veritatis detrimentum aut periculum si nuda & inermis cum nudis quoque & inermibus erroribus æquo loco committatur. Fluxæ & languidæ sunt falsis dogmatibus vires: ideo armorum ac terrenæ potestatis præsidium implorant. Veritati libertas sufficit ad errores etiam de potestatum & judicum tribunali in æquum detrahendos & jugulandos. Ergo cum tam non minus Religionis; quàm Reipub. interfit præsentem ac servituti obnoxium; & utrique noxium ac periculosum rerum Statum immutari: atque is ab utriusque amantibus & heroico ingenio præditis Principibus non magno negotio immutari possit; quid est quod quisquam adeo animum despondeat, ut de Veritatis & Innocentiæ victoriâ; non terrenis quidem; sed cælestibus armis, parta aut comperanda desperet?

Sublato isto præproperæ desperationis impedimento, eadem opera omnis propositæ quæstionis difficultas tollitur. Primum. Defensoribus enim & patronis veritatis à potentioribus Christianis Ecclesiis sive per vim & injuriam ejectis, sive ultrò ob gravissimas causas desciscentibus, etiamsi sint pauci numero non tantum sed & viribus infirmi; ædificationis seu propagationis veræ doctrinæ atque pietatis copia nunquam deesse potest: non modo intrà illa exigui cætus pomeria, sed etiam foris inter eos, qui domi suæ pietatis ac disciplinæ eorum sanctioris spectatores esse possint & æstimatores. Ignaros simul & parum solidæ pietatis suspectos se reddunt, qui cito desperant de Regni Christi in terris propaganda Repub., quasi nobis aut res factu plane impossibilis precibus exposcendi officium injungi potuerit: aut adventus Regni Dei, unâ cum voluntatis ejus perfecto, & quale in cælis est ejus obsequio, precibus nostris impetrandus nobis propositus non fuerit.

Deinde quia innocentiæ, quam ædificationis potior & antiquior cura esse debet; etiamsi nulla aut non propinqua spes ædificationis affulgeret, imo vero scandalorum præsens metus impenderet: nihilo secius Deo exitum è Babylone minaciter imperanti esset parendum.

At enim quota pars mortalium ædificationis hujus capax est? Scilicet quia hodie pauci apparent; idcirco jam cras aut perendie non plurimi sperandi sunt? Num idcirco ægricolæ omnis spes messis abjicienda est, quia diu in herba esse solet? Quid si nondum & nostra messis maturuit? Idcircone falces in enses aut aratra conflandæ sunt? At eorum qui segreges Ecclesias sectantur non pauci in doctrina neque in moribus multum proficiunt. Id si communi istarum Ecclesiarum vitio fit, planè damnandum est: & ipsæ Ecclesiæ pravitatis aut gravis erroris non suspectæ esse nequeunt. At si in istis Ecclesiis studia in doctrina secundum pietatem proficiendi floreant: si Sacrarum Litterarum lectio præ cæteris commendetur, atque inculcetur & exerceatur, si adversus leges Christi delinquere impune nomini liceat; publici cætus innocentiæ singulorum vitia fraudi esse nequeunt. Nec enim privatæ culpæ publicas leges, aut mores inquinant, nisi nimium frequentes sint, quod nonnisi laxatis publicæ disciplinæ frænis, evenire solet; in quo casu cætus isti non Corruptæ Ecclesiæ remedium afferunt: sed exemplo reliquorum jam corrupti ipsi remedio egent.

CAP. V.

OBjicitur Ecclesiis, à Romana & Græca dissentientibus, non frivola ratione colligi, quod Deo conatus eorum, qui Ecclesias istas reformare aggressi sunt, displicuerit: quoniam istos Reformatores Deus quasi in reprobum sensum egisse & tantò inter se discordiæ mala pu-

niviſſe videtur ; ut in ſe mutuò coorti adverſis frontibus in ſe incurrant atque invicem arietent : adeo ut in minutiſſimas partes partiumque particulas ipſorum Eccleſiæ lacerentur atque comminuantur.

Reſp. Objectio hæc altioris indaginis eſt, quam ut levi ac perfunctorio reſponſo expediri debeat. Sumpta eſt enim ab humana divinæ mentis conjecturâ plerumque incerta, & fallaci in dirigendis humanarum actionum eventibus. Supponit autem hypotheſes duas quarum utraque falſa eſt.

1. Felicem incidentis inter mortales certaminis eventum, non dubium eſſe melioris cauſæ veſtigium. 2. Quæcunque minùs rectè atque ordine inter homines fiunt, qualia ſunt mutua inter eos, qui in unum conſpiraſſe debuerant, odia atque diſſidia, divinitus tanquam pœnas immitti, cum tamen illa poſſint eſſe mortalium potius delicta ; quam pro delictis irrogata ſupplicia. Quamvis enim delicta interdum per alia puniantur delicta, tamen non omne peccatum culpam aliquam priorem antegreſſam eſſe neceſſe eſt.

Prior hypotheſis quam fallax ſit exempla docent innumerabilia, in quibus non ſine nutu aut permiſſu Dei cauſa melior deteriori ſuccubuit. Ratio ejus rei non eſt adeò ſuprà captum mortalium ſublata, quin ſæpe ab hominibus quoque indagari poſſit ; præſertim in generali rerum humanarum conſideratione. Nam ſingularia exempla ſæpe altius reconditos habent receſſus, quàm ut in eos irrumpere poſſint eorum judicia, qui in abdita mentium non penetrant. Nos præcipuas attingemus.

Primum igitur, cur melior cauſa optato ſæpe ſucceſſu careat inquirentibus occurrit illud, quod deteriores habeat patronos ; cauſa vero deterior meliores. Quod non modo de patrocinandi dexteritate aut imperitia, ſed de morali quoque patronorum bonitate aut malitia verum eſt. Neque enim ſemper homines virtutis ſtudio meliorem cauſam ſuſcipiunt aut defendunt, ſed prætextu bonitatis ejus interdum ſæpe ad malas cupiditates ſuas abutuntur. Ita neque omnes propter latam (ut ajunt) culpam deteriorem cauſam fovent : ſæpe ad ipſam per errorem aliquem, aut caſum interdum & neceſſitatem, tanquam tempeſtate aliqua appulſi ſunt. Quis igitur miretur Deum, quem nulla hominum conſilia, nulli habitus animorum latent, illinc eorum perverſitatem, qui bonæ cauſæ prætextu ad prava conſilia abutuntur, ſiniſtri ſucceſſus pœna animadvertere. hinc iſtorum probitatem ac ſimplicitatem proſpera fortuna remunerari. Præcipue cum ejus in manu ſit, quoties velit, & cauſam meliorem impulſam rurſus erigere & deteriorem erectam iterum deprimere.

Altera cauſa occurrit, quod neque ſemper ut cauſa melior vincat bonis expediat, neque malis ut deterior vincatur conveniat. Quid ſi Deus videat bonos quidem victoria & proſperis rebus corruptum iri : Malos autem indignos eſſe qui alienæ victoriæ beneficio in ſtatum longe meliorem tranſeant : (utque illud vulgatum meritò jactare poſſent : *Periera-mus niſi periiſſimus.*) Neque enim deſunt homines, qui idcirco triſti exitu pereunt, quia lætiori ac benigniori non pereunt, & malæ cauſæ patronis victoribus vix unquam bene cedit victoria.

Tertia cauſa eſt, quod in rebus minoris momenti melioris cauſæ victoria, aut impedire aut remorari poſſit ? in rebus longe majoris momenti ejuſdem melioris cauſæ victoriam, aut certe meliorem rerum in orbe ſtatum, ad quem Deus ſenſim conſilia mortalium dirigit. Nihil autem æquius eſt aut utilius, quam ut minus bonum majori aſſurgat, imo de via decedat.

Ad eandem cauſam referri poſſunt multæ ſimiles, in quibus Deus ſapientiſſime conſilii ſui rationes ſequitur ; differendo meſſem donec ſeges matureſcat : & bonæ cauſæ fortunam inhibendo, donec lætiori ſucceſſu efflorereſcere poſſit ; aut etiam donec prius aliud aliquod negotium, quod ſapientiſſimè prævertendum eſſe ſtatuit, exequatur.

Quarta cauſa eſt, quia ſæpe Bonæ cauſæ patroni ; tametſi ipſi quoque non mali ſint cauſam tamen ſuam aut malis aut parum aptis, ſaltem voluntati Dei haud convenientibus modis defendunt ac promovent. Id quamdiu faciunt ecquid mirandum eſt, quod Deus bonam cauſam malè promoventibus proſperum ſucceſſum deneget. Neque enim ſufficit ut bonum ſit quod agitur aut intenditur, niſi bene quoque fiat ac peragatur.

Omnium fere iſtarum cauſarum concurſus in præſenti Reformationis negotio deprehenditur. Quamvis enim in primis ejus auctoribus aut vitæ integritatem, aut conſilii ſanctitatem vocare in dubium nolim ; mox tamen partim ob invectorum dogmatum pravitatem ; partim ob Apoſtolicæ diſciplinæ defectum in iſtis Eccleſiis vitâ & moribus adeo degeneratum eſt, ut hæc interdum & alicubi in Reformatoribus, quàm in reformandis propemodum deteriora apparerent. Deinde in quibuſdam regionibus improbitas hominum meruiſſe videtur, ne apud eos veritas ac melior cauſa vinceret. Neque ſeculum noſtrum ejuſmodi caruit exemplo, eoque illuſtri, in quo ne Reformatæ Eccleſiæ in tota Europa opprimerentur aut extinguerentur, eoſdem in Gallia debellari ipſiſmet expediebat. Plurima ejus generis nos latere neceſſe eſt, quibus in abdita providentiæ Dei niſi interdum admiſſis irrumpere non licet. Illud tamen omnibus liquidò innoteſcere potuit, paulò poſt primæ Reformationis tempora multis in rebus erratum fuiſſe, inſigni ulterioris ſucceſſus detrimento.

Solo ſpiritu oris Chriſti, hoc eſt, ſolo verbo Dei abſque ulla carnali violentia adhibita, aut fundendi ſanguinis periculo, tanquam cæleſti ac Spirituali telo debellari Antichriſtus debuit. Hic enſis ubi primum in Orbe Chriſtiano ſtringi cæpit, maxima pars Germanici imperii, Regna integra Daniæ, Sueciæ, & adiacentium populorum non pauci ; mox Anglia & Scotia ab obſequio ac ſervitute Pontificis reſiliere. Jamque adeo in reliquis etiam Regnis erectos ad eandem Libertatem hominum animos magno in melius proficiendi deſiderio vidiſſes, niſi humanæ fragilitatis conditio ipſos Reformatores à recto curſu in tranſverſum egiſſet. Primum ancipiti verbi Dei gladio ac cæleſti & irrefragabili auctoritati cæpit admiſceri ſuſpecta mortalium exiſtimatio. Deinde rationibus ac perſuaſioni non modo acceſſit, ſed propemodum ſucceſſit Magiſtratus, aut armorum violentia. Denique omiſſo diſciplinæ frano, dogmatum etiam aliquorum illecebris blandientibus, pars magna Reformatorum in omne vitiorum genus abiit præceps. Hos inter ſcopulos hæſit Reformationis curſus ac fortuna. Nam & Reformatores præter confeſſum ac ab univerſis receptum Sacræ Scripturæ principium, dogmata urgendo, quæ nonniſi Patrum aut potius Eccleſiæ auctoritate defendi poterant, veteres ac ſepultas ævo lites ſuſcitarunt ; ac mutuis inter ſe odiis ac diſſidiis diſcerpti ſunt, & Pontificii, veteris ſervitutis aut potius dominationis retinentiores, dato ſemel & conceſſo loco Patrum auctoritati Eccleſiæ ſuæ Jura non animoſius tantum ſed nervoſius etiam propugnavere. Denique qui inter eos æquiores ad excutiendum ſervitutis jugum propendebant, animadverſa apud ipſos Reformatores conſcientiarum tyrannide & morum diſſolutione, tolerare potius in tranquillo Statu veteres corruptelas & Dominum

antiqua

antiqua potentia nixum maluerunt, quàm per commoti Status periculum sibi adsciscere novos, & musteos & potentia quidem impares: sed neque impotentes & crudeles Pontifices, qui veteres abusus ac servile jugum in suas Ecclesias postliminio revocarent.

Non igitur Deus Reformatoribus inspiravit illud discordiæ malum, qui pacis Deus est; sed partim pravitas aliquorum & culpa propria: partim errores, quos attigimus, in Reformatione commissi. Quos etiam, quia successus parum prosperi consecuti sunt, nullo modo mirandum est. Quamdiu enim non potestate aut armis, non humana auctoritate; sed solo verbi divini ense certatum: nec vitiis omnibus palàm impunitas permissa est, cur magis prospere & ex animi sententia res gesta est? Adeo ut nunc quoque in iis regionibus, quæ Spirituali ac divinâ vi, non verò ferro atque armis è potestate Antichristi ereptæ sunt, Reformationis fructus maneat illibatus.

CAP. VI.

Discedentibus à Romanæ aut Græcæ Ecclesiæ obsequio, Ecclesiis imprimis illud objectatur dissidii crimen aut dedecus, quod non modo eas quas deserunt Ecclesias hostiliter oppugnent: sed inter sese quoque irreconciliabili odio collidantur ac digladientur. Non igitur divino instinctu, sed potius Erebi furiis agitari palàm est eos, qui per Pacis latus Pacis auctorem Deum petunt; ac (si ita loqui fas est) vulnerant; cæca belli rabie, nec sociis parcentes, nec hostibus. Nam ubi terrarum almæ paci locus supereſt, si ab eorum quoque societate proscribitur, quos communis adversus eundem hostem defensionis necessitas jungit?

Resp. Non omne dissidii aut belli genus Deo displicet; aut Charitati, quam humanæ generi præscribit, adversum est; sed illud duntaxat, quod pravis ac vetitis ab eo legibus atque artibus geritur. Vita nostra militia est, nec ulli mortalium ad Deum propius accedunt, quàm qui cum longè omnium plurimis hostibus confligunt. Multum tamen interest quos hostes habeas: quibus illos armis adoriare aut propulses. Nec enim aut Satanas ferro atque armis; nec Mundus violentia, neque rebellis caro ense superari solet. Inermè hominum genus in lucem Natura produxit; sed quibus dentes, ungues, ungulas, & cornua negavit, armavit eos cum Rationis præsidio, & expectandâ cælitus ope adversus omne hostium genus suffecturâ. Quisquis igitur idoneis armis aut justam vim infert, aut injustam propulsat; non est quod belli sui causam simpliciter dicat. Nec enim in omnimodam pacem nati sumus: sed sunt ut omnibus mortalium actionibus, ita bellis quoque sua Jura. Proinde non illud quærendum est, quis inter nos suo alienove periculo dimicet, sed quâ causâ, quibus armis, quo jure ad eum necessitatem descendat. Certe pugnare odiis, quæ leviſſima sæpe occasione accenduntur, Ratio prohibet; sed multò magis Lex divina per Christum patefacta vetat: quæ vel ipsa prima odiorum semina in ipsis illis primis, in quibus nascuntur, cubilibus suffocari imperat. Cum vero iracundiæ hominum, sive recentes sive inveteratæ, ferina plerumque rabie in violentiam præcipites ferantur, Vim quoque omnem & ratio & lex divina damnant: nisi quam fortè aut totius humani generis, aut singulorum hominum ineluctabilis necessitas permittit.

Non igitur pacem illegitime abrumpere censendi sunt, qui aut errores aut vitia hominum ubicunque inveniuntur, sive apud ejusdem causæ socios, sive apud hostilia odia professos oppugnant, dum puras manus ab injusta vi abstineant, neque arma atque præsidia uni defensionis necessitati data, ad dominandi libidinem convertant. Jus inprimis conscientiarum ipsi Deo intactum non invadant. Nec enim tàm dissensiones, quam illatæ mutuò injuriæ mortales inter se committunt. Nulla verò gravior est injuria quam oppressæ conscientiæ sensus. Itaque delicias faciunt Latinæ Græcæque Ecclesiæ patroni, quoties eas quæ secesserunt Ecclesias discordiæ accusant: quasi ipsi Concordiæ potius quam tyrannidis, ac iniquæ dominationis studio, atrocibus & intolerandis injuriis animos oppressorum exasperent. Qua fronte de eorum dissidio queri audent, erga quos capitali & crudeli injustitiæ genere grassari non desinunt? Nam quod interdum iis quoque inter se non in omnibus conveniat, quorum unanimi consensu Antichristi dominatio damnatur, non ideò aut Ecclesiæ tyrannidem in Ecclesia propugnantium causa melior, aut eandem oppugnantium deterior est. Primum id fiduciæ in sana causa vestigium est, quod Libertatis vindices ea, quæ sibi vel in ejusdem causæ sociis displicent, non dissimulent: nihil morati emergens inde ab adversa parte, quam junctis viribus oppugnant, periculum. Possunt igitur gloriari, sese in eo non factione, aut partium studio odiove, sed conscientia duci. Deinde non eorum qui à Romanis Græcisve dissident culpa est, quod inter ipsos Dissidentes nondum de omnibus liquido constet aut conveniat. Tantam tenebrarum caliginem invexit in Ecclesiam diuturna ipsius Antichristi, servitus: ut iis discutiendis nondum par fit exortæ nuper auroræ crepusculum. Quid suam in alios culpam frustrà deonerant? Non sublevat noxios, criminis in insontes translatio. Nam quod plurimis in rebus quid statuendum sit nondum liqueat, Romanis Græcisque acceptum ferendum est, qui tradita turpiter in servitutem Antichristi Ecclesia, cum nemo fere tanto tempore pro veritate hiscere auderet, tot errorum tricis ac Sophistarum spinis simplicem & omnibus obvium Religionis sensum implicuerunt; ut ex illis non quodvis statim sese possit expedire ingenium. Hinc illæ multorum allucinationes, & prope cum lacte hausta ab opulentioribus Ecclesiis animorum scabies, in mutua odia, convitia, injurias prurientium.

Neminem igitur eorum, qui veram pacem illegitimè abrumpunt, absolvimus aut protegimus; sed neque ullum eorum, qui errores aut vitia legitimè oppugnant damnamus. Nam in erroribus ac vitiis aut factiosa conspiratio, aut violenta grassatio, vera pax non est sed omni bello tristior servitus. Quam omnibus modis propulsari atque arceri ab Ecclesia ipsius veræ pacis interest; dum non excedat medicina modum, nec sint pejora morbis remedia.

Excederet autem modum, si qua vis afferatur errantium conscientiis. Nec enim gladius aut potestas (etiamsi maximè legitima fingantur) *veritatis*, sed *libertatis* arma sunt. Et quemadmodum libertas adversus violentiæ injuriam verbis aut rationibus non multum proficit, ita veritas adversus errorum aut ignorantiæ caliginem nihil agit; quoties ense aut potestate dimicat. Hæc enim aut illegitima semper erroris aut legitima interdum unius duntaxat Libertatis arma sunt.

Cum enim error adversus veritatem imbellis atque inermis sit, arma quæ in legitimo Rationum certamine non invenit, ab externa vi & violentia mutuatur: quo nihil aut improbius aut injustius est. Eadem sed justior necessitas *Libertatem* urget, ut iniquæ tyrannidis ferro, ferrum & ipsa opponat. Nam gladii furentis violentia, ad omnes rationum

demonſtrationes ſurda eſt; Et quemadmodum firmas & evidentes rationes nullius enſis mucro refellere: ita intentatos mucronum ictus nulla argumentatio repellere ac retundere poteſt. Alia ſunt mentis; alia corporis arma. Quoties veritas cum erroribus dimicat, mentis ac rationum certamen eſt. Quoties cum tyrannide libertas, externum & corporeum. Quid magis iniquum aut præpoſterum eſt quam miſcere tàm heterogenea. Sed armis extra privatam, & quidem urgentiſſimam, neceſſitatem ac ideo rariuſculè incidentem uti nefas eſt, niſi cui à Deo publicum jus vitæ neciſque mortalium traditum eſt. Quod jus ultrà Libertatis, juſtitiæ ac pacis publicæ propulſandæ neceſſitatem non extenditur. Nec à privatis temere invadendum, Præcipuè vero in negotio religionis pravè & iniquè prætenditur: quæ cum voluntaria eſſe debeat, juſtis armis ac poteſtati in ea locus nullus eſt. Quibus neque promoveri neque defendi fas eſt; niſi forte per accidens, quando civium libertas, pax & juſtitia defenditur. Nam in eo ſtatu veritati quoque ac religioni tutiſſimus eſt portus ac præſidium: At error & impietas, quæ adverſus religionem ac veritatem; niſi injuſtæ tyrannidis præſidio armata conſiſtere nequit: Libertatem & juſtitiam cane pejus & angue horret ac refugit: quia in Libertate veritati ac pietati totam aciem ſuam explicare licet; cum in ſervitutis anguſtiis aliquando minima & infirmiſſima parte copiarum ſuarum ſæpe nonniſi tergo aut jugulo pugnet? Tergo, cum patrocinium ejus mortalibus fuga aut exilio: Jugulo, cum morte aut ſupplicio luendum eſt.

Quamvis autem ex defenſa libertate maximus ut patet ad religionem etiam & veritatem fructus redundet: non ideò tamen tunc armis ac poteſtate defendi ipſa cenſenda eſt: quoties arma iſta & poteſtas non ultra libertatis metas progrediuntur. Nec ulla per ejuſmodi Libertatis defenſionem ac victoriam errori aut patronis vera vis aut injuria infertur. Sed ipſis legitima arma ſua ad æqui certaminis leges & inculpatæ tutelæ ſuæ moderamen non minus, quam ipſi veritati ac defenſoribus ejus expedire conceditur. Illegitima vero vis, coactio, & tyrannis; non magis erroribus quam veritati ipſi eripitur. Breviter, Utraque pars certantium iniquis & illicitis armis exarmantur; ut juſtis ac licitis pugnent. Interea vero paci & libertati utriuſque conſulitur. Ecquid hîc veræ injuriæ aut violentiæ intervenit? Quomodo verò dici poteſt per ejuſmodi arma aut poteſtatem religionem aut veritatem defendi: quæ non minus erroris quam veritatis ſecuritatem propugnant? Hæc eſt cauſa cur ideo veritati aut religioni per defenſionem libertatis egregie proſpiciatur, quod libertas per ſe ac natura ſua cum religione connexa ſit, quæ tàm ad bonum quam ad malum, nec magis ad verum quam ad falſum indifferens eſt. Imo niſi libertas arbitrii à Deo humano generi conceſſa fuiſſet, vitiis atque erroribus locus non erat. Et quæ mortalis noſtri ſtatus imbecillitas eſt, optionis libertate permiſſa, ad malum ferè proniores ſumus: quod nunquam voluntas eligere ſolet, niſi prius per errorem aliquem decepto Intellectu. Proinde libertas per ſe & natura ſua nullam errori vim, nullam injuriam affert: imo vero illecebris ejus mortalium ingenia reddit obnoxia. Non igitur quicunque libertatem armis defendit; illico veritatem ac religionem defendere dicendus eſt.

Quæſierit igitur aliquis, quamobrem tamen eveniat, ut veritati ac religioni nunc libertas optanda atque adeò neceſſaria ſit. Nam ſi libertas arbitrii vitiis ac ſceleribus in orbe aditum patefecit, quomodo non ea opprimenda potius, quam propugnanda; aut averſanda quam exoptanda ſit. Atqui non Libertas, ſed culpa voluntatis mortalium & quidem ea, quam merito vocant latiſſimam, vitia produxit. Nec omnia, ſine quibus vitia exiſtere non poſſunt. Vitiis amica aut faventia; multo minus eorum per ſe *procreantes cauſæ* cenſenda vel dicenda ſunt. Abſque creatione eorum, qui ſcelera patrare poſſent, ſceleribus locus non erat. Quis inde creationem hanc propriè ac per ſe ſcelera, & vitia produxiſſe colligat? Deus ut ipſe omnis delicti exors, ita vitia hominum ac peccata exoriri, multò magis vero regnare noluit. Atque in eo mentem ac voluntatem ſuam ſanctiſſimis legibus latis, atque hinc excellentibus promiſſis; illinc intentata minarum formidine cunctis aperuit. Dedit humanæ voluntati libertatem non ut eâ ad virtutem uti; non ut ad vitium poſſit abuti. Non igitur libertas aut ipſius uſus: ſed abuſus & culpa hominum vitia procreavit & progenuit. Nullum ex omnibus aliis Dei donis, quæ non parca manu in hominem profudit reperias, cujus abuſus in vitium non degeneret. Dona igitur Dei, quorum non poſtremum voluntatis noſtræ libertas eſt, accuſabimus, & in ea culpam, quæ tota noſtra eſt, conferemus? Virtuti & pietati, laudi & præmio; paternæ gubernationi ac beneficentiæ, denique gloriæ ſuæ locus ut eſſet, voluntatem noſtram Deus manumiſit. Quid attinet quod per culpas mortalium Donum hoc & beneficium Dei Satanas ad vitia deflexit? An vero ne vitiorum mala maxima Dei cum gloria compeſcenda, evenire poſſent, tot tantiſque bonis aditum obſtrui æquum erat? Sed ut in internis voluntatis humanæ actionibus, ita non obſtante abuſu, Libertas bonum eſt incomparabile.

FINIS.

DEMON-

DEMONSTRATIO

Quod neque Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti per metaphoram Pater, neque Filius ejus, unigenitus, per eandem metaphoram Filius dici queat aut debeat.

NOn deerant alia quædam, quæ in iſto Commentario aliter explicari optaſſemus, ſed pleraque talia, in quibus ſentiendi aut diſſentiendi libertatem conſtringi æquum non putavimus. Unum nobis prætereundum nullo non fuit, juſtiſſimâ cenſurâ dignum, in quo non modo Commentatoris, ſed & Eccleſiarum quoque noſtrarum exiſtimatio periclitari viſa eſt, quod Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti per metaphoram Patrem, & Filium ejus unigenitum, per eundem tropum, Filium dici ſatis incaute Commentator aſſeruerit.

Dato enim (at nullo modo conceſſo) aliquo modo videri, quod Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Patris ſui Filius per metaphoram dici poſſit, puta reſpectu Filiationis improprie dictæ, quæ aut in excellenti præ omnibus reliquis erga eum amore ac beneficentiâ, aut in dignitate & excellentiâ, Uni Deo ſecundâ & proximâ, aut in æterna Regni populi ejus hæreditate ipſi collatâ cernitur. Tamen id à nobis & noſtratibus dici & publicis ſcriptis prodi, ac toties inculcari, minime conſultum eſſet, niſi eo nomine apud cunctos male audire & calumniis atque obtrectationibus malevolorum exagitari vellemus: ſine ullo quidem neceſſitatis aut utilitatis ſolatio: at maximo cum veritatis, quam propugnamus probro ac infeſtatione.

Nulla nos id facere cogit neceſſitas, quia neque ſupremi Dei Majeſtas, nec eorum quæcunque profitemur dogmatum veritas exigit à nobis, ut proprie dictam filii Dei generationem & ex Patris potentia ac virtute productionem hæreamus vel negemus. Quicquid enim in carnali generatione imperfectionis & (ut ſic loquar) inhoneſtatis vulgo intervenit non per ſe ſed ex accidenti eſt, propter culpam eorum potiſſimum, qui naturalibus potentiis & facultatibus, (quæ quia Deum habent Autorem, omnis culpæ & peccati expertes ſunt) abutuntur. Et tamen id ipſum etiam in vulgari & ordinariâ hominum generatione per honeſtatem matrimoniorum, ab ea ſecludi poteſt; unde & à Spiritu Sancto Conjugii vinculum honorabile vocatur. Quanto magis in divinâ miraculoſâ & ſupernaturali generatione id fieri poteſt, ut omnes viles & ſanctitati adverſæ circumſtantiæ & cogitationes ab eâ excludantur & ſubmoveantur: qua de re vide Joh. Maldonatum in cap. 1. Lucæ, ad verſ. ne fallor 34. aut 35. & alibi. Deinde nihil in vero & proprie dicto Patris nomine invenitur, quod ſupremum numen, rerum omnium originem & Procreatorem, ex quo omnia dedeceat. Nec alia vox eſt quæ proprietates veri & optimi Patris, cujus potentiâ & efficaciâ vitam habeamus, cujus indulgentiâ & curâ paternâ fovemur, educamur, conſervamur, vividioribus & aptioribus lineamentis exprimat.

Nulla quoque invitat Utilitas, ad agnoſcendam in Patris & Filii voce Metaphoram. Non magis enim admiſſo quàm excluſo tropico vocum iſtarum intellectu, ſeu divina quam profitemur veritas confirmari ac defendi, ſive errores refelli & expugnari poſſint: At ſi in Filio Dei tropicam ſignificationem admittamus, cavillationibus & calumniis adverſariorum obnoxios nos exponimus, quibus per injurias & inermia latera noſtra Veritas, quam profitemur transfigatur & vapulet. Non alio ariete Smiglecius olim, Libellis de Metaphorice apud nos de Dei Filio evulgatis: nunc Cichovius Jeſuita & plures alii frequentius & infeſtius Eccleſiarum noſtrarum innocentiam oppugnarunt. Nec nos conjectum iſtud in nos telum, quaſi innoxium & inane miſſile unquam recepimus, aut ſprevimus: ſed tanquam nociturum ſemper repulimus atque recudimus, negando præciſe id quod non niſi falſo & calumnioſe nobis objici queſti ſumus. Ea mente, merito Smalcius olim librum grandem de vero & naturali Filio Dei Smiglecio oppoſuit. Sed & ipſe Commentator, contorti in nos iſtius teli virulentiam non obſcurè agnovit, dum in hoc ipſo commentario Cap. xv. 1. inquit. „*Abſurdi ſunt, qui metaphoram à voce transferunt ad* „*rem ipſam, quaſi dicamus, veram cauſam Deum eſſe Pa-* „*trem non verum ſed Metaphoricum, quia per Metapho-* „*ram dicitur Pater, aut Chriſtum eſſe Filium Dei non* „*Verum, aut Redemptorem non verum ſed Metaphori-* „*cum, quia per metaphoram dicitur & Filius & Re-* „*demptor, & hu ſimilia. Ergo nec vitis erit vera ſed* „*metaphorica, quia metaphorice dicitur vitis; Meta-* „*phora ad vocem pertinet, non ad rem ipſam, quæ* „*ſæpe tanto verior eſt, quanto vox minus propriam ha-* „*bet ſignificationem.* Hæc Commentator. Atqui non iſti abſurdi ſunt, qui voces quæ per Metaphoram dicuntur de rebus, metaphoricas eſſe agnoſcunt & aſſerunt: ſed illi potius, qui eaſdem voces, quas Metaphoricè dictas fatentur, metaphoricas dici poſſe negant. Nec iſti metaphoram à voce ad rem transferunt; qui vocum, quas *conjugatas* Logici vocant, alteram ex altera deducunt, quo nihil eſt verius, manifeſtius atque concinnius: ſed tropus & translatio in voce rem deſignante agnita, ipſa rem neceſſario afficit. Non enim vocis, quæ de re aliquâ per tropum dicitur, niſi tropica & ſignificatio & apellatio dici poteſt. Verum Commentator hoc loco in voce *veri* (forte an imprudens) veritati inſidias ſtruit. Quæ vox interdum Falſo, interdum etiam minus perfecto aut præſtanti, ſæpe & improprie dicto opponitur. Vera vitis Chriſtus quando dicitur, non proprie dicta, ſed in perfectiori ac præſtantiori ſenſu dicta vitis intelligitur. Et tamen Chriſtum metaphoricam vitim, viam, panem, lapidem & ſimilia dici, nihil abſurdi aut periculi eſt. Redemptorem etiam improprie dictum (quamvis, in præſtantiori ſenſu veriſſimus Redemptor ſit) facile admitti poteſt: quia propriè loquendo longe majori nos beneficio ſibi obſtrinxit.

——— *Quos animâ & toto quos ſanguine prodigus emit.*

Quam ſi nos pecuniâ redemiſſet. Ideoque longe præſtantiori modo proprie dictus liberator noſter

dicitur, quam si tantum proprie dictus Redemptor esset. Sed Deum Filii sui Patrem, aut Filium unigenitum, Dei Patris Filium, Metaphoricum dici, adeò absurdum est, ut blasphemiæ proximum videatur. Quod nullo modo effugiemus, si aut Deum Patrem, Filii Patrem, aut Filium, Patris Filium per metaphoram dictum, contendere non vereamur. Quam frivola verò est defensio, aut conjecti in nos teli declinatio; cum id quod per metaphoram aut metaphoricè dici fatemur, metaphoricum esse negamus? Non defenditur ejusmodi rationibus veritas, sed proditur. Longe factu promptius est, omittere ejusmodi explicationes, quæ rem magis intricant & involvunt, quam persuadere iis, qui primis labris artem logicam degustarunt; Argumentum à Conjugatis veram & validam demonstrationem non esse.

Sed nos quod initio ad tempus & plane inviti Commentatori dederamus, nunc iterum tanquam rem nullo jure possessam ab eo repetimus, & Dominum nostrum, nullo modo per Metaphoram Patris sui Filium dici posse contendimus. Quis enim unquam eum qui Patris sui proprie dictus Filius verè ceasearetur, etiam ob causam impropriæ Filiationi competentem, Filium ejus per metaphoram dici affirmaet; cum omnes istæ improprie dictæ filiationis causæ, si in proprie dicto Filio reperiantur, filiationi ejus proprie dictæ tanquam fundamento inhæreant: & per ipsum proprie dictam relationem omnes improprie dictæ excludantur.

Ergo id nobis efficiendum unum supereſt ut inter Deum Patrem & Dominum nostrum Jesum Christum, veram & proprie dictam Patris & Filii Relationem esse demonstremus quod jam aggredimur. Qui igitur in utero propriæ dictæ Matris suæ, non per translationem aut metaphoram, sed vere & propriè loquendo, sine ullius alterius Patris interventu, virtute Altissimi & ex Spiritu ejus conceptus est: & quam in vulgari conceptione à terreno Patre accipere deberet essentiam & existentiam, eam in illâ sanctâ & miraculosâ conceptione, à cœlesti Patre accepit: Is quominus ejusdem cælestis Patris propriè dictus Filius habeatur, nulla causa, nulla tergiversatio fingi potest. Neque verò quia Christi ex Maria generatio, propter Spiritus Sancti interventum, quodammodo Spiritualis dici posse videtur; idcirco eadem carnalis esse desinit. Caro enim, id est, mortalis homo in destinatione Dei Christus esse debuit: & expleto tempore Caro factus est & fuit, nec certe per aliam præter eam quam Evangelistæ describunt generationem. Sed neque quia illa carnalis & proprie dicti Christi generatio, miraculosa & supernaturalis fuit (sic enim eam potius vitandæ ambiguitatis ergo, quam Spiritualem vocari præstat) ideo impropriè facta, & metaphorica censenda est. Cum Christus ægros virtute miraculosa sanaret, non magis verè ac propriè sanabantur, quam si medicis herbis aut remediis sanarentur. Nec in eo inter Christi & medicorum sanationes differentia erat, quod Christus improprie atque per metaphoram, medici autem proprie ægros sanarent: verè & propriè dicta utrobique sanatio fuit, sed altera per supernaturalia & miraculosa remedia fiebat. Ita carnalis generatio, per quam Filius Dei caro factus, id est, mortalis homo in utero matris suæ conceptus & expleto ordinario tempore, in lucem editus est: vere & propriè dicta fuit, non tamen vulgaris sed miraculosa; quia is è cujus Spiritu conceptus est, non terrenus sed cœlestis Pater fuit: nec vili ac terreno modo sed cœlesti ac divino, ad generationem sancti istius fœtus, in virginis intactæ utero concurrit, & verè ac proprie dicti Patris vim proprie dictam exeruit; Neque enim Filius hic homines in carnali generatione sua ex sola matre, sine ullo Patre nasci potuit: & tamen vere & propriè loquendo natus & conceptus est, mortalis Patris vices Deo immortali, non terrenâ sed cælesti, non humanâ sed divinâ, non vili & vulgari, sed sanctissima & Deo digna ratione supplente: unde Sanctissimus hic fœtus, non hominis tantum Filius, matris & stirpis humanæ respectu; sed propter divini Patris virtutem & concursum, Filius quoque Dei, teste ipso Angelo, & sanam ratione suffragante, vere & proprie dictus est. Nec simplex & nudus homo, (ut aic calumniator,) sed homo divinus & Patris proprie dicti Filius unigenitus; quippe solus omnium, eo quo diximus modo, sanctâ & divinâ cœlestis Patris virtute conceptus. Quis hic ulli metaphoræ aut translationi locus est? seu adoptivi seu metaphorici filii, cuncti alios vere ac proprie dictos patres præter adoptantem, aut Patrem metaphoricum habent. At Domini nostri quis alius proprie dictus Pater dari aut fingi potest, qui eum in utero matris produxerit? Sicut verò & proprie Christus natus vere & proprie conceptus est, & vere ac proprie dicta mater fuit, cujus ex utero natus est; ita verè & propriè dictus Pater censendus est, cujus virtute & Spiritu in utero genitricis suæ creatus & factus est. Diversitas naturæ aut conditionis eorum, qui genuerunt, non impedit, quominus ex iis generati, verè & proprie dicti Filii eorum dicendi sint, nisi quod nobiliores illi censentur, qui nobilioribus genitoribus gaudent, æque tamen proprie dicti eorum filii atque vilissimorum & proletariorum Patrum progenies habentur. Nec magis huic rei obstat diversitas in Sanctitate aut profanitate conceptionis; quamvis inter incestas & sceleratas nuptias ab unâ, & legitimum atque immaculatum torum parte ab alterâ sit ingens discrimen. Veri tamen ac proprie dicti filii, tam ex castis & legitimis Parentibus, quam ex incestu & scelere nati dicuntur. Nec quia istos naturales filios dici, usus obtinuit, idcirco illi minus verè & proprie dicti Filii putandi sunt, qui castius & honestius concipiuntur & nascuntur. Multò igitur magis dicendum est, non minus verè & propriè dictum filium esse, qui ex divini Patris virtute sanctius & divinius in utero matris suæ conceptus & per plures menses ordinaria gestatione fotus; ac tandem in lucem productus est, quam qui ex terrenorum Patrum virtute vulgari & viliori modo concipiuntur & generantur. Non sine causa Deus generationem hanc Filii sui in solo fortasse conceptionis modo extraordinariam & supernaturalem, ideoque cæteris omnibus excellentiorem, in reliquis propemodum omnibus ab ordinaria & naturali filiorum generatione recedere ac diversam esse noluit, ut non modo verus ac propriè dictus, sed ordinariâ quoque & naturali ratione susceptus, quemadmodum omnes alii filii hominum generantur, filius ejus haberetur. Potuisset enim virtute Spiritus Sancti, citra ullas naturalis generationis ambages, statim perfectus hic filius produci. Sed primum maluit Deus, ut illa divina, & ad omnes excellentiæ plenitudinem & summæ dilectionis specimen ab eo destinata progenies, haberet sese erga eum ut filius potius erga patrem, quam ut opus ad opificem. Deinde quia consilium Dei erat, ut filius iste primum per carnem peccati tentationibus obnoxiam mortis aculeum peccatum frangeret, & frangi posse doceret *Rom.* VIII. 3. deinde per carnem morti subjectam, mortem, & mortis imperium habentem Satanam vinceret & aboleret. *Heb.* II. 14. Idcirco eum per ordinariam hominum generationem verè ac propriè ac sine ullo tropo, ex Spiritu Sancto in utero matris suæ concipi, in eodem gestari, ac tandem nasci voluit. Et quia per hunc unigenitum Filium, novæ Creationis negotium, & multorum aliorum Filiorum

adoptionem

adoptionem Deus moliabatur, ideò in verè & proprie dicta ejus generatione, typum quandam & figuram impropriè dictæ generationis seu regenerationis filiorum omnium adoptivorum extare voluit. Decebat enim eum, qui doctrinam suam recipientibus potestatem dare debuit, ut filii Dei adoptivi fierent, hoc est, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo, aut (ut alibi dicitur) ex aquâ & Spiritu per metaphoram nascerentur; decebat inquam eum ut & ipse prius non ex voluntate carnis aut viri, sed ex Spiritu Sancto & virtute Altissimi verè & propriè, ideoque excellentissimo modo conciperetur, ac produceretur: ut per unigenitum & propriè dictum filium, tot adoptivi filii Dei propagarentur. Hanc differentiam inter unigenitum & adoptivos filios esse, Deus voluit, ut is cum in cæteris omnibus, tum in originis quoque & generis sui nobilitate cunctis excelleret. Hanc differentiam & eminentiam super reliquos tollunt, qui eum in ordinem impropriè dictorum filiorum Dei imprudenter redigunt. Sanctificavit non uno modo & ipsum hunc unigenitum filium, antequam in mundum mitteret, sed prima Sanctificationis pars fuit qua cæteros longo intervallo antecellit, quod eum è Spiritu Sancto concipi voluit. Scio hanc prærogativam & excellentiam Christi, Commentatorem agnoscere, nec ullo modo immunitam velle: sed non satis est eum id ipsi tribuere, quod adimere nequit, nisi de eo quoque ita caute loquatur; ne quod ipsi una manu porrigit, alterâ iterum auferre videatur. Agnoscit ipse alicubi Christum, per conceptionem è Spiritu Sancto, divino semine revera ortum, atque ipsum Dominum in usurpatione tituli Filii Dei, ad eam causam semper respexisse. Vide hujus ipsius Commentarii *Cap.* XIX. 9. cur igitur falsam istam & nullâ necessitate exortam, nullâ utilitate commendatam metaphoram adeo in deliciis habuit? Maledicta sit ista metaphora, quæ ansam nos calumniandi malevolis porrigit. Satis alioqui, insontes Ecclesiæ nostræ, eo nomine vapulant, quod nescio quo odio adversus Filium Dei flagrare per summam injuriam dicantur. Quid spicula adversus nos jaciendo hostibus ultrò porrigimus? Quid illam quam præ omnibus adversariis verissimè jactare possemus gloriationem nostram abjicimus & proculcamus, quod nos longe magis verè & proprie dictum Filium Dei esse Dominum nostrum, quàm illi ipsi statuimus? Neque enim productus sine matre, filius Dei ita proprie dictus dici potest, qualis & Adamus fuit. Neque sine Patre ex solâ matre genitus aut potius voluntate suâ incarnatus & inhumanatus, eoque ipso non unius illius Dei Patris: sed aut sui ipsius aut ex ipsorum hypothesi Spiritus potius Filius dicendus est. Nos soli verè & proprie dictum Patris sui filium esse Christum, & proprie dictam filiationem ejus agnoscimus, quando ex virtute Altissimi, in humanam naturam conceptus essentiam & existentiam suam à Patre accepit. Eminentiorem sanè generationem illam fatemur, per quam divinam & exaltationi suæ super omnes congruam naturam à Patre accepit: sed hæc excellentia, (si quis forte in eâ assequendâ metaphoricam generationem imaginetur) non tunc primum, cum conferretur, proprie dictam filiationem Dei, Domino nostro contulit, sed jam collatæ accessit, eamque perfecit & consummavit: ut propter eam etiamsi impropriè dictam generationem esset subsequuta; nullo modo impropriè dictus filius dici possit, obstante videlicet illâ propriè dictâ ex Patre generatione, quæ in humana natura antecessit. Omnes enim alias metaphoricæ generationis relationes ac respectu Dei filiationes, ipsa verè ac propriè dicta filiatio quasi absorbet & excludit.

Verum ego illam quoque satis propriè dictam quamvis non humanam, ideoque nec ordinariam generationem Christi esse confidenter asseruerim, per quam Divinam, ac tam sublimi super omnia exaltationi, atque adeò omnipotentiæ adæquatam naturam à Patre accepit, cum filius ejus in potentia factus est, ut nihil omnino sit causæ, cur eum quisquam ob hanc generationem impropriè dictam Filium Dei censeat. Neque enim improprie dicta aut metaphorica generatio habenda est, per quam is in divinam, & omnipotentiæ capacem, ideoque summi Dei naturæ immenso intervallo quam omnes alii propiorem, genitus sive regenitus est.

Cum igitur tam in humanæ olim, quam postea in Divinæ Christi naturæ generatione, Deus Pater ipsi merè ac proprie essentiam & existentiam utrique naturæ competentem successive dederit, nihil causæ excogitari potest, quominus non per ullam metaphoram, sed vere ac proprie dictus Pater, Filii Pater, & Filius, Patris Filius esse censeatur.

Tertiæ generationis Filii Dei proprie dictæ in Sacris Literis non modo descriptio aut historia nulla; sed neque vera mentio neque ullum extat vestigium. Censeo igitur aut expungenda esse omnino ista perpauca, quæ de hac metaphorâ tribus ferè in locis dicuntur; aut editioni hujus libri addendam brevem Apologiam, Ecclesias nostras ab hac opinione expurgantem. Quæ quia superflua entium multiplicatio videtur, præstat omitti ea, quæ nullo percipiendi ex libri hujus lectione fructus damno aut periculo possent omitti.

Secundæ animadversionis loco sit censura, quàm penè præterieramus, ad verba inter eadem signa [ ] intercepta *pag.* 370. *ad Caput* XII. *vers.* 24. E quibus colligi possit, Christum à patre suppliciter petiisse id ipsum; quod quia Petrus ab eo inter dehortandum postulaverat, acriter à Christo & inclementer suo merito abjurgatus est. Quasi Christus in precibus suis aliud, præter mortem deprecari non potuisset; aut unquam liceat loca Sacræ Scripturæ, quæ fine ullo incommodo explicari possunt, per sensus absurdos aut difficulter probabiles, interpretari. Si quis adeò valido stomacho est ut vel maxime cruda digerere possit: at in scribendo meminerit, se non sibi tantum sed aliis quoque scribere.

FINIS.

RELI-

RELIGIO VINDICATA
A
CALUMNIIS ATHEISMI.

Contra Epiſtolam F. M.

Atheiſmi ſeſe in Eccleſiam inſinuantis præſtigiæ, in epiſtola cujuſdam, F. M.

QUod ad me attinet, ingenue fateor, (humillime te ante omnia orans, ne ſecretum hoc iis reveletur, qui quæ non capiunt, carpunt) quod ab eo tempore, quo res abſque præjudicio perpendere cœpi, generalem Dei providentiam agnoſco, nullam in orbe ſectam, ratione infallibilis certitudinis æternæ ſalutis, aliis præponendo. Et poſſum ſalvâ conſcientiâ regimini cujuſvis religionis Chriſtianæ, abſque diſcrimine in externis me ſubjicere; ita ut quamdiu in hac vel illa ſtatus rerum & divinæ providentiæ ordo eſſe me ſinit, nemini eorum qui ad eandem Eccleſiam pertinent, ſcandalo eſſe, aut haberi ab eo pro hæretico poſſim: quoniam de occultis nulla Eccleſia judicat, & nemini præter ſolum Deum interni in occulto cordis atque animi, cultus & venerationis ejus ratio reddi poteſt. In eo quod ad internum numinis cultum ſpectat, qui quando eſt verus totam eſſentiam fidei ſalutaris in ſe continet, operam do ut ſemper ſim idem. Nec poſſum etſi maxime velim meam de Deo & rebus ad gloriam ejus pertinentibus ſententiam ullo modo mutare, niſi mihi Deus rationem aut penitus adimat, aut acceſſione novi luminis transformet. De his autem externis, quæ hodie quædam ſectæ pro ceremoniis ac ritibus Eccleſiarum ſuarum, aliæ pro ſacramentis, aliæ pro utriſque, omnes autem pro fide præpoſtere habent, nihil aliud ſentio, niſi quod ſint politica potius, quam ſpiritualia ſocietatum vincula, quæ ad animum non pertingunt. Et quamvis non negem quædam ex iis cum S. Scriptura magis eſſe conſentanea quam alia, omnino tamen ita ſum perſuaſus, quod nec optima, ipſa per ſe quenquam ſalvare, nec peſſima condemnare queant. Nam etiamſi quis externa vincula, quæ ſana ratio pro convenientiſſimis cum S. Scriptura judicat, in ſocietate hominum pietate præcellentium, neſcio quam arcte & accurate obſervet; ſi alias non ſit probus, nequaquam eum larva pietatis, quæ homines externa ſpecie fallit, eo quod corda inſpicere nequeunt, in oculis Dei exornabit: quemadmodum recto & ſceleris puro non erit dedecori, ſi ipſum exemplo juſti Loti Sodomæ habitare contingat, atque id quod in aliis bono exemplo emendare non poteſt, cum dolore intueri. & interdum facere aliquid contra animi ſententiam, ad evitandum id quod pejus eſt, quod ſponte ſua nunquam faceret. Quis enim in orbe pietate præſtantior eſſe poteſt, quis vitæ æternæ propior, ac certior, iis, in quorum ſocietate Dominus & conſummator ſalutis humanæ corporaliter verſabatur? Quis Judâ qui Dominum prodidit, improbior & ſceleratior? Nihilominus tamen neque ei tam arcta cum ſanctis familiaritas & communio, qua pariter, quoad externa, ut optimus Apoſtolorum ad menſam Domini uſus eſt, quicquam ad virtutem profuit, neque Apoſtolis obfuit quod cum maledicto communicarent. Quod ſi me aliquis cætus hominum poſſet in eo certum reddere, quod nullum ejus membrum in ulla re erret, tenerer omnes alias ſectas pro erroneis habere, illi verò uni cœtui indiſſolubiliter adhærere (quamvis mihi implicita fides nihil alioqui prodeſſet, nec aliena veritas, nec virtus, quousque ipſe in operibus tenebrarum vel in errore aliquo manerem.) Sed hucuſque nullum adhuc talem vidi, nec videre poſſum, quamvis enim ſemper magna cum diligentia quæram. Miræ mihi initio viſæ ſunt tot in cultu numinis diviſiones, ſubdiviſiones, & ſubdiviſarum partium adhuc in minutiores particulas partitiones. Quarum cùm nullam aliam cauſam aſſignare poſſem, præter eam, quod alii propter credulitatem res incertas pro compertis habent, alii propter ambitionem vera in contrarium vertunt; utrumque autem (ſiquidem omnes quod ab aliis hauſerunt, ceu ſecretæ rupes ſonum aliquem reflexum multiplicato tumultu referre ſolent) gliſcit poſteritate. Pergebam porrò, & omnibus quibus a teneris ſum imbutus ita ſepoſitis, acſi nunquam de illis inaudiſſem, vel potius ſupponens, omnia quæ audivi falſa eſſe, conſiderabam ante omnia, utrum hæc Scriptura, quæ mihi pro verbo Dei tradebatur, ſit vera & ſancta: & conferens eam quantum per vires meas licuit, non modò cum Thalmude & Alcorano, ſed cum omnibus traditionibus, quaſcunque antiquitates hiſtoria ab ipſis mundi incunabulis poſterioribus temporibus ſervavit; video nec illos qui in hodiernum tempus tot habent ſectatores, nec hos quorum religionis vix aliqua veſtigia in ſcriptorum monumentis reliqua ſunt, ita cum veritate & ratione convenire, quemadmodum libri Veteris & Novi Fœderis conveniunt. Quibus quoniam nec Cretenſis Minos, nec Lycurgus apud Spartanos, nec apud Athenienſes Solon, nec Numa, Tullus, Ancus, Servius, & poſtea Decemviri, XII. Tabularum Sanctores apud Romanos quicquam melius conſtituere poterant, judico jure optimo ab omnibus Eccleſiis Chriſtianis ceu ſanctos & cœleſtes adorari. Et quamvis multa in illis reperio quæ videntur eſſe contra rationem, tamen & Eccleſiarum Chriſtianarum authoritas, & debita modeſtia mea, denique ipſa ratio, (nam aliàs fides in ſcientiam converteretur, ſi omnia quæ nunc non aſſequimur certò ſciremus: & præterea quale hoc eſſet infinitum cujus eſſentiam finita ratio poſſet comprehendere, atque omnia ipſius myſteria poſſidere?) ſic de iis ſentire jubet, quod non ſint contra, ſed ſupra rationem. Quod cum omnibus pleno ore confitens, minime moleſte fero, quod hæc omnia quæ incomprehenſo illi numini coram hominibus celare libuit, captum noſtrum ſuperent. Majeſtati potius divinæ gratias ago, quod ea in quibus verbum ejus viam ſalutis tradit, & è quibus tota lex & prophetæ pendent,

unà cum aliis capere & intelligere possim. In quo inventa sessæ animæ requie, hoc unicum in mea indignitate Deum oro, ut coopertis per misericordiam lapsibus, ex infirmitate proficientibus, concedat mihi vivere secundum hanc voluntatem suam, tam simplicibus & indoctis quam sapientibus revelatam. Subtiles quæstiones & mysteria, in quibus minimum intelligunt, qui maxime cognitionem illorum crepant, existimo non aliam ob causam Spiritum Dei sub velo haberi voluisse, nisi ut monstraret, Sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum. Nam ita superba ingenia homines parum prudentes conturbarunt, ut quemadmodum olim in Philosophia, sic nunc in Theologia, nihil sit tam absurdum, quod aliqua secta pertinaciter non defendat. Atque adeo, si quis mecum absque omni partium studio omnes Theologorum controversias serio inspicere velit, nihil ex illis utilius rescisset, nihil certùs discet, quam in quo omnes conveniunt, & quod quilibet in Sacris Literis facile intelligere potest. Qualia sunt, Deum timendum esse, quamvis eum nullus mortalium viderit, nec ulla humana ratio Majestatis ejus comprehendæ capax sit: proximum tanquam imaginem invisibilis Dei esse diligendum. Ita id quod nemo hominum intelligit varii in varias opiniones trahunt. Quibus in rebus alii sua ingenia ostentant, alii suam authoritatem firmant, alii quærunt lucrum aliquod aut utilitatem, omnes autem iis quibus suas opiniones persuaserunt præesse conantur, sibi ipsis totius Scripturæ notitiam, & revelationem mysteriorum arrogantes. Homines verò simplices & indocti, qui eunt quà itur, quo plus de magistrorum suorum doctrina & pietate credunt, eo sunt procliviores ad damnandos ad æternam perniciem omnes alios qui illos non sequuntur. Nam persuasi, se nulla ratione errare posse, coguntur omnes qui diversum sentiunt pro perniciosè errantibus judicare. Sæpe audivi quod in Anglia (quæ regio sicut in multis aliis rebus, sic præcipue in religionibus totius mundi compendium est) de ejusmodi fanaticis perhibetur, quod ita sui suarumque irrationabilium opinionum sint amantes, ut audeant propter eas divinam providentiam angustis Ecclesiarum suarum (quæ ex angustis cujuslibet penatibus constant) terminis circumscribere. Frequenter aliquis Enthusiasta cum neminem alium in suam opinionem pertrahere potest, putat se solum esse sapientem, solum pium, solum ad singularem Dei gratiam pertinentem, omnesque homines necessariò condemnandos esse propterea quod cum illo idem non sentiant. Et quemadmodum omnes isti miseri aperte delirant, præcipue ii quos zeli æstus eousque deducit, ut tanquam bacchantes aut cerriti, per plateas, domos, templa, absque ullo ordine & respectu cursitantes concionentur, & interdum anseres, equos, vel oves, (cujus rei ibi satis frequentia exempla occurrunt) dum eis homines aures præbere nolunt, ad suas opiniones convertere tentent. Ita existimo etiam populosissimas, & cum S. Scriptura atque ratione convenientissimas sectas, non esse absque mistura alicujus dementiæ. Nam ut illos taceam, qui non multo plus quàm isti Enthusiastæ anserum conversores, vel etiam ipsorum anseres, scientiæ habentes, alios magno cum strepitu & per violentiam docent, quod ipsi nesciunt, omnes fere in eo desipiunt, quod magico, ut sic loquar, suarum Ecclesiarum circulo providentiam Dei definiant, & quod extra sua septa existentes (frequenter ipsi pejores eos qui sunt meliores) ad tartara condemnent, & quod diversum à se sentientibus, propterea tantum quia diversum sentiunt, inexpiabili odio succenseant, minime considerantes, quod vulgo alii aliis ex S. Scriptura ad ravim inculcant, Fidem esse donum Dei, & tam impossibile esse Deum cognoscere antequam ipse animos hominum illuminaverit, ut est impossibile, videre solem antequam oriatur. Quæ omnia si velim accurate persequi, possem implere justæ molis librum. Sed quoniam genius seculi nostri nondum est ejusmodi rebus maturus, & non possunt sine exacerbatione tot hominum quos concernunt evulgari; non audeo reliqua epistolæ credere, eaque ad colloquium coràm habendum reservo. Hæc quoque non ausus fuissem scribere, nisi mihi probe constitisset te supra vulgus sapere, & nisi eam de te fiduciam haberem, quod fratrem tuum malevolentiæ virulenter zelantium idiotarum non sis expositurus, nec livido denti objecturus: quod iterum atque iterum rogo.

Id in super addendum censeo, quod quamvis omnes sectas ubi vituperio dignæ sunt reprehendam, nullam tamen novam cudere in animo habeam, cùm jam plus satis sint multiplicatæ. Opto potius, atque Deum oro, ut sit unus Pastor, & unum omnium ovile; omnique id conatu quousque vivam dare operam contendam, ut cum omnibus in orbe hominibus, non in absconditis de Deo & ejus gloria sensibus atque opinionibus (id enim prorsus impossibile, & facilius omnia horologia quàm sententias hominum concilies:) sed in iis omnibus quæcunque ad externum religionis cultum pertinent, quàm maxime conveniam, paratus me omnibus (secundum simplicitatem cordis mei) in externo cultu Dei socium præbere: etiamsi denique in flosculo summi entis vim, vel in imaguncula majestatem velit adorare. Nemini meam sententiam obtrudam, neminem ab ejus sententia abducam, (nisi ipse sincere aliquid melius doceri velit: contentus ero si non verbis, at honestis actionibus & exemplari vita omnes convertere & ad timorem Dei adducere possim.

PRÆSTIGIARUM ATHEISMI

Deprehensio & reprehensio: seu ad superiorem Epistolam responsio, S. P.

Occultum istud delicti genus, quod Auctor ingenue confitetur, non est adeo abditum & vulgi cognitionem refugiens, quin toti mundo pateat, & veluti falsa moneta passim jam omnibus innotuerit. Ita profectò frequens peccati hujus usus inolevit, quod vulgò quibusdam *piccolo peccadillo* agnominatur, (nihil aut non multum credere) ut jam vel in auriculari confessione, sive per oblivionem, sive per neglectum, tanquam res nullius momenti omittatur. Nec adeo subtile ac perceptu arduum est, ut in eo intelligendo vires mortalium fatigandæ sint, cui percipiendo vel mediocre judicium, modò sit sanum, sufficit. Nec modò futilitatem erroris hujus plene capere, ac meritò carpere, sed firmamenta ejus penitus discerpere atque refellere potes. Quis enim non facile animadvertat, non alium esse hujus doctrinæ & opinionis scopum, quam ut sepositio pudore & conscientiæ (quam pro custode innocentiæ singulis

Deus dedit) monitu, cuivis liceat fidem ac religionem tanquam vestem, propter profanos aut politicos respectus mutare, atque ex una ad aliam sectam, sine delectu, quamvis pessima sit, vel, ut verbis Auctoris insistamus, *sine discrimine*, nos transferre, si modò in ea regione, in qua forte sedes nostra fixa sit, secta aut religio illa ad quam transimus floreat ac dominetur. Quid quod præterea adjicit auctor, licentiam hanc suscipiendæ quamcunque velimus religionis non pro una vice nobis permitti, sed quotiescunque eam suscipi aut mutari status cujusque politicus postulat. Quem statum cujusque privatum præpostere is divinæ providentiæ ordinem vocat: fortasse quia nunquam absque permissu Dei contingat (sæpe enim status is voluntarius est, aut propriâ culpâ accersitus.) Nam nec peccatum ullum Deo non permittente evenit, & tamen eo nomine dignum non est; quia non ex voluntate, sed ex conniventia tantum ac permissione Dei procedit. Quod si fortè is privatus rerum nostrarum status mutetur, satis innuit Auctor, unicuique liberum esse sibi consulere, & abjecta veteri religione aliam, quamcunque sibi libeat aut commodum sit, suscipere. Hæc doctrina tametsi omnem religionis & conscientiæ rationem carnali cujuslibet emolumento subjiciat, tamen videri posset tolerabilior, si dissidentes Christianorum sectæ aut æque bonæ omnes, aut saltem tolerabiles essent. Sed quoniam omnibus liquet, inter tot Ecclesias reperiri quasdam voluntati Dei admodum repugnantes, aut homines in æternam perniciem præcipitantes, quales sunt quæ vel Antichristi tyrannide, vel idololatriâ, vel aliquo pernicioso errore aut peccato delinquunt; quæro quomodo salvâ conscientiâ, aut hostis Christi gubernationi, aut ritibus idololatricis, aut errorum sceleramve magistris sese subjicere possit is qui conscientiæ suæ puritatem soli Deo & filio ejus Christo Domino subjecit & consecravit? Verùm antequam demonstrare incipiam, doctrina ista & opinio quam Auctor primus in orbem Christianum introduxisse (tametsi falso) videri vult, quàm prava & pestilens sit, inprimis verò quàm supremo Deo Patri Domini nostri Jesu Christi, eâdemque operâ ipsi Christo æterno Regi nostro, quàm omni religioni, sed præcipue Christianæ, quàm S. Scripturæ, quam sanæ rationi, quàm omni veritati & sinceritati, omni virtuti, præsertim verò præscriptæ à Christo sanctimoniæ, omni fidei & cœlestis præmii exspectationi, omni honestati, magnitudini animi ac generositati, omni fortitudini repugnet, atque adversetur, quàm plena sit omnis ignominiæ atque dedecoris, plena damnorum irreparabilium, plena omnis doloris atque miseriæ; antequam, inquam, opinionem Auctoris tam turpium ac noxiorum criminum convincamus; placet primùm omnia, quibus nititur, argumenta ab Auctore proposita percurrere, eorumque vanitatem ac futilitatem liquidò demonstrare.

RESPONSIONIS
PARS PRIMA.
Argumentorum hujus opinionis refutatio.

SCopum Auctoris esse diximus, ut ostendat, cuilibet qui modò sibi internum Dei cultum in abditis cogitationibus intactum relinquat, liberum esse regimini quamvis pessimæ inter Christianos sectæ, tam serviliter se subdere, ut etiam sagacissimum inquisitorem fallat, & ne hæreseos in arcano abditæ convinci possit, planè impediat. Argumenta tam suspectæ sententiæ eodem ordine quo ipse Auctor usus est collocabimus. Quorum fundamentum est quòd omnes sectæ ratione infallibilis de æternæ salute certitudinis sint sibi æquales, hoc est, nulla earum sit per quam homines qui ei assentiuntur certiùs æternam salutem consequi possint, quàm qui alias sectas sequuntur. Unde tacitè concludit, nulli sectæ tam firmo & valido vinculo quenquam adstringi, quin illud abrumpere liceat, quoties id politicus vitæ ejus status requirit: quemadmodum & contra, à nulla secta ita esse abhorrendum, ut ejus regimini subjicere sese nequeat is cuicunque id facere commodum est & expedit. Admodum igitur claris & firmis rationibus atque argumentis indiget ista sectarum omnium æqualitas, quæ & rationi & scripturæ, & ipsius Auctoris sententiæ aut confessioni adversatur. Rationi, quæ plane dictat, inter aberratores à scopo fieri non posse quin aliquæ præ aliis scopo sint propiores. S. Scripturæ, quia illa nobis unam veram Apostolicam sectam, miraculosis argumentis fultam ponit ob oculos; sicut ex adverso aliarum sectarum, Deo & veritati repugnantium, qualis erat Nicolaitarum, & aliarum, 1. *Tim.* IV. 1, 2. 3. 6. 20. 2. *Tim.* II. 17, 18. 2. *Pet.* II 1. *Joh.* IV. mentionem facit, pleraſque verò alias spiritu prophetico exorituras prædicit. Sed & ipsius Auctoris judicio hæc variarum sectarum paritas, non modò improbata, sed plane sublata est, cum in eodem scripto suo fateri coactus est, hodie quoque reperiri sectas cum S. Scriptura & ratione præ aliis magis consentaneas. Quid igitur contra tam liquidam veritatem in suis argumentis Auctor producit?

Primum Argumentum.

QUoniam asserit Auctor, Generalis providentiæ Dei agnitionem in eo esse, quando homines unam sectam alteri non præponunt, præterea in rationibus sequentibus acerrime accusat eos qui in variis sectis generalem & ad omnes porrectam providentiam Dei sibi ipsis vindicant, eamque intra sectarum suarum septa magico quasi circulo circumscribunt: denique quia opinionem & dogma sectæ quam introducere nititur, agnitionem generalis providentiæ divinæ appellat; apparet eum suæ opinionis aliquam vim ac verisimilitudinem in hac generali providentia collocare. Qua in re, quod vocis providentiæ Dei ambiguitas Auctori atque adhærentibus ejus fucum faciat, palàm est. Propria vocis hujus notio duo continet. 1. Potestatem & plenum jus Dei super omnem ejus creaturam. 2. Continuam curam & conservationem ac regimen eorum quæ semel creavit: quæ potestas & cura Dei generalis est, & ad omnes ejus creaturas extenditur. Nec ullam puto sectam esse tam profanam, quæ id providentiæ genus non agnoscat. Est alia quoque providentia Dei, sed specialis, & ad eos tantum pertinens qui non ex sanguine & carne, nec ex voluntate parentum, sed ex Deo geniti sunt; paterna illa & salutaris dilectio, & saluti illorum invigilans prospicientia: quæ cum generali providentia Dei malè confunditur. Hanc enim non ad sectas tantum, sed ad creaturas omnes extendi

extendi fateor, quarum Deus curam & gubernationem gerit. Sed ſpecialis ſuper populum Dei providentia iis tantum competit, de quibus S. Scriptura loquitur, *Novit Dominus qui ſunt ejus.* 2. *Tim.* II. 19. Non verò ex eo quòd aliqua ſecta ſit ſub generali providentia, concludi poteſt, regimen ejus & actiones Deo probari. Quamvis enim ipſa à regimine providentiæ Dei exempta non ſit; poteſt pravum regimen, poſſunt & actiones ejus improbæ eſſe Deo deteſtabiles. Non omnes quos generalis providentia Dei ſinu ſuo comprehendit, ad ſalutarem Dei gratiam admittuntur. Nam generalis providentia non pios tantum & probos, ſed & improbos complectitur, quos Deus omnes ſole ſuo illuminat, & pluvia irrigat, nec tamen idem ipſos ad ſalutarem gratiam admittet. Nos profectò neſcimus an uſquam terrarum reperiantur tam vecordes fanatici quales in Anglia Auctor eſſe perhibet, qui vocem evangelii ad aſneres & jumenta convertant. *Similiter apud Papiſtas Franciſcus avibus, & Antonius de Padua piſcibus concionati.* Sed ea de re credere ipſi quàm item movere malumus. Verùm ſi ratio ejus quam opinioni ſuæ ſubſternit admittenda eſt, quòd quiſquis ad generalem Dei providentiam pertinet, ad ejuſdem quoque gratiam ſalutiferam pertinere cenſendus ſit, non eſt quod Auctor vitio vertat, vel inſultet aut illudat iſtiuſmodi aſſerinis concionatoribus, & jumentorum Apoſtolis, quòd aſneres ac jumenta ſua ad vitam æternam aditum habere exiſtiment; cùm generalis providentiæ Dei curam etiam ad mutas & ratione deſtitutas animantes extendi, Pſalmus 36. & 145. atque inſuper ipſius Dei cum Jona Prophetâ colloquium teſtetur. Non igitur auctori integrum eſt homines tam vecordes ac cerebroſos irridere, quin rationem & conſequentiam ſuam ex generali providentia Dei deductam, ſuomet ſuffragio publico dericulo & cunctis exſibilandam præbeat. Nam fundamentum erroris & vecordiæ eorum cum fundamento opinionis, quam fovet Auctor ejuſdem eſt furfuris.

Secundum Argumentum.

SAtis de generali providentia dictum eſto, Altera ejus opinionis ratio eſt, quod internus cultus Dei, ſi ſic verus, totam fidei ſalutaris eſſentiam in ſe contineat: quem cum ſit inviſibilis, cuilibet eorum qui propter carnale emolumentum ad alienas ſectas deficiunt, & liberum & facile eſt ſibi clam intactum relinquere, ut quamvis ſeſe alieno regimini ſubjecerint, fidem ſalutarem integram & conſcientiam ſuam illæſam retineant. Reſp. Hæc ratio non unam rem falſam ſumit pro conceſſo: ſed inprimis aſſertionem hanc, quod internus Dei cultus, ſi ſit verus, totam fidei ſalutaris eſſentiam in ſe contineat. Nam etiamſi veriſſimus videretur, quamdiu in occulto latet, eſſentiam fidei non exhauriret. Salutaris enim fides lux eſt, quæ non ſolum hominem qui eam habet, ſed eos quoque qui eum intuentur, illuminat. *Matth.* v. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, &c. Quomodo verò iis lucebit qui eam non vident? quomodo eam videant, cum ſe in interni cultus latebras ita abdiderit, ut ad eam oculorum ſagaciſſimi inquiſitoris aeies non penetret? Non poſſunt homines fructum ædificationis ex eo capere quod non vident: Non poſſunt Deo gratias agere aut gloriam tribuere eorum nomine quæ non intuentur, imò plane ignorant. Ideo Chriſtus Dominus noſter ab omnibus ſuis exigit ne abſcondant, neve ponant lucernam ſuam ſubter modium, ſed ut operam ut luceat omnibus iis qui Deum eo nomine laudibus celebraturi ſunt. Non in ſolis cogitationibus, non in intentionibus, & propoſitis hominum fructus fidei quos Deo offerimus conſiſtunt. Vera & ſolida, nec tantum Deo, ſed & hominibus manifeſta opera & virtutes, vera & viva fides prægerat. Præterea merito inficiatur Auctor non quemlibet internum cultum eſſe verum. Nam qui externum ejuſdem generis ſibi annexum non habet, multoque magis qui externum alienum, quamvis interno adverſetur, propter politicas cauſas admittere ſuſtinet, verus eſſe non poteſt. Apparet certe, hunc hominem falſò, nec ex toto corde, neque ex totis viribus Deum diligere, qui licet in occulto ſciat quomodo Dei gratiam quàm optime demereri poſſit, id in externo cultu tamen exequi, aut metuit, aut erubeſcit, imò aliquid contrarium facere non dubitat. Cogitationes verò, conſilia, & propoſita noſtra, quæ nunquam ad manifeſtum oculorum hominum conſpectum deducuntur, nil aliud ſunt, niſi mentis noſtræ embryones, qui in lucem nunquam incolumes prodeunt, ſed in ipſo abortu intereunt. Ac talia quidem caduca munera & oblationes offerunt Deo, qui ipſi ſolum internum cultum ab externo ſeparatum offerunt. Et quod deterius eſt, eo magis Deum & conſcientiam ſimul violant, cùm huic interno & quem Deus meritò, ſi ſolus offeratur, contemnit, cultui adjungunt externum diverſi generis, imò interno repugnantem: qui vel Deum ſupremum tanquam idololatricus, vel Chriſtum filium ejus tanquam Antichriſtianus aperte offendit, vel etiam veritatem ejus non modo in injuſtitia detinet, ſed etiam in ſuſpicionem falſi apud homines adducit. Idololatricus cultus eſt cum homines vel non Deum divino, vel Deum non divino, ſed per modum ab eodem in ſecundo Decalogi præcepto expreſſe vetitum honore atque cultu per imagines colunt. Antichriſtianus eſt, cum homines ſub miti & clementi gubernatione Regis & capitis ſui Chriſti Domini exiſtentes, ſubjiciunt ſeſe tyrannico regimini adverſarii ejus. Veritatem divinam is violat, qui eam vel palàm & aperte profiteri erubeſcit, vel repugnanti ei errori externa ſpecie annuit atque adulatur, & ad ſectas veritati contrarias transfugit. Quæ ſectæ quoniam errores ſuos à S. Scriptura & ratione ſana damnatos, ab Antichriſto inventa & uſurpata tyrannide & ſævitia defendunt, Antichriſtianorum nomen ac titulum optimo jure merentur, nec niſi inquiſſime repudiant. Placeat ſibi Auctor in interno cultu uti libet, certe is nil aliud eſt niſi dimidiati hominis officium: 1. *Cor.* VI. *ult.* Deus verò pro toto dimidium non ſuſcipit. Atque omnino ipſum hunc internum cultum valde exilem eſſe neceſſe eſt, quando externus errantibus hominibus ita ſeſe accommodat, ut internum animadvertere non poſſint. Qui interno cultu Deo, externo hominibus placere contendit, magis homines quàm Deum & amat & metuit. Nam illis palàm, huic clam ſeſe accommodat, & ſubjicit. Quem ſui præ hominibus contemtum Deus ferre nequit. Quomodo is proximum diligere cenſendus eſt, qui ob carnale emolumentum quod in corde fovet ipſi revelare non vult, vel non audet? Quomodo Deo placere, qui ut hominibus placeat perfectiorem divinæ veritatis notitiam in abdito cordis ſui premit, & concreditum ſibi talentum quod in lucrum Domini

ſui impendere atque exercere tenebatur, in imperveſtigabili mentis ſuæ ſecreto defodit? Non id tantum Deus à nobis requirit, ut corde credamus ad juſtitiam, ſed præterea ut id quod corde credimus, ore confiteamur ad noſtram & proximorum ſalutem. *Rom.* x. 10. Nemo igitur ſalutem ſperet quicunque palàm profiteri non vult id quod in animo ſuo divinæ gloriæ & humanæ ſalute utile volvit. Quid aliud eſt abnegare Chriſtum coram hominibus, niſi erubeſcere coram iis aperte hanc veritatem in lucem proferre, quam ex profeſſo & ex impoſito nobis officio prædicare tenemur? Unde concluditur, cultum internum qui extra non prorumpit, imò cum externo non convenit, (etiamſi ſub ipſo lateat) nec verum nec perfectum eſſe, nec totam fidei ſalutaris eſſentiam in ſe complecti poſſe. Nam vera fides non deliteſcit in corde, ſed per amorem Dei & proximi exſerit ſeſe extra, & fructus bonorum operum externos progerminat. Præterea id quoque in hoc interno cultu Auctoris notandum eſt, quod Auctor fateatur ſe non poſſe eum quamvis maxime velit negligere, aut abjicere, nec poſſe ſententiam de Deo & rebus ad gloriam ejus pertinentibus ulla ratione mutare. Agnoſcit igitur, id quod in compenſationem externi cultus, non in Dei, ſed in hominum gratiam recepti in ſe Deo relinquit, eſſe rem non ſpontaneam, ſed quaſi coactam. Nihil ergo ſuum proprium & in poteſtate ſua ſitum ſponte ac benevole Deo offert, ſed ipſi id tantum relinquit quod non relinquere etiamſi vellet, non poteſt. At quomodo Deus talem cultum non merito ſpernat, qui non à libera voluntate, nec à prono erga eum affectu, ſed ex immutabili neceſſitate proficiſcitur?

Sed enim quiſpiam occurret: Cùm Auctor internum cultum Dei quem homines cernere non poſſunt ſibi relinquit, non hanc eſſe ejus mentem, ut penitus omnia ſua opera externa, præſertim fructus internæ fidei pietatiſque ac virtutis, à Chriſto præſcriptos oculis hominum ſubtrahat; ſed tantum ea quæ homines offendere irritare & ſcandalizare poſſent. Quales ſunt diſſidentes ab aliis ſententiæ & doctrinæ. Quæ interdum quo ſunt veriores eo magis odioſæ: quoniam veritas odium parit; ipſa verò virtus apud multos pretium habet, aut ſaltem nulli perſecutioni obnoxia eſt. Reſp. Non immorabor huic reſponſionis parti, quod non ſolum veritas, ſed & virtus offenſionem parit. Et Cainus Abelem non propter aliquam fidei controverſiam interfecit; ſed quod opera ejus erant mala, fratris verò ipſius bona, 1. *Joh.* III. 12. Sed ad propoſitam inſtantiam ſic reſpondeo. Negare id Auctor non poteſt, quod hic de interno Dei cultu differentibus nobis, non de qualicunque ſimplici Dei cultu ſermo inter nos eſt, ſed ut ipſe Auctor aperte exprimit, de eo qui ſit verus, hoc eſt perfectus, & qualem Deus à nobis requirit. Non enim ſimplici interno Dei cultui, ſed huic tantum qui verus eſt tribuit, quod totam fidei ſalutaris eſſentiam in ſe complectatur. Quicunque igitur veritatem vel aliquam ejus particulam, ad ſalutem hominum neceſſariam aut utilem ſupprimit, ejuſque notitiam hominibus ſubtrahit, vera pietate & amore erga Deum & proximum caret, nec ad alios in vero Dei cultu imbuendos idoneus eſt. Nam ſicut veritas eſt unica dux & magiſtra virtutis, ita virtus, abſque lumine veritatis & ſcientiæ, cæca eſt & imperfecta, & à cultu Dei aliena. Inde evenit ut homines ejuſmodi rebus Deum colere ac demereri conentur, quibus ille offenditur, quia non lucem veritatis, ſed tenebras erroris ſequuntur. Quid Deo & hominibus prodeſt, cœcus ſine ſcientia zelus? Proinde talis obedientia & tale ſacrificium non ſolùm Deo acceptum non eſt, ſed etiam abominabile. Male in virtute homines inſtituit qui veritatem coram eis ſupprimit, ſine qua ad veram virtutem arduus & invius eſt acceſſus. Breviter ut me expediam: Quemadmodum ſcientia veritatis ſine fructu virtutis & pietatis, impia & improba eſt, & pœnâ potiùs quàm præmio digna, ita pietas & virtus ſine agnitione veritatis non eſt vera, nec ad ſalutarem fidem ſufficiens. Satis male res ſuccedit, cùm aliquis veritatem quæ eſt mater virtutis, ob fragilitatem ſuam non novit, ut tunc cæca & manca pietate Deo ſervire cogatur: Multo certè pejus, cùm veritatis non neſcius eam coram hominibus ſupprimit, & quaſi erroneas opiniones pro veris receperit, fingit ac mentitur. Quo ſcelere homines & in errore confirmat, & à veritate quæ virtuti eorum prælucere debuit, longiſſime avertit. Qua in re eo major eſt pravitas & impietas, quod in his non imprudentia aut imbecillitate, ſed conſilio deliberato peccatur. Alterius hoc loco erroris Auctor admonendus eſt, quod incerta, imò falſa ſpe indigne fallatur, dum exiſtimat, quando erroneæ ſectæ regimini ſe ſubjiciet, ſi modo cognitionem veritatis quoad occultum Dei cultum ſibi relinquat, ſe protinus conſcientiam ſuam plene placaturum. Sciat enim, ſeſe non conſolationem cordi pravitate erroneæ ſectæ ad quam migrat contriſtato, ſed carnificem ad acriores ſui cruciatus ſibi relicturum. Nullam ipſi requiem permittet notitia & conſcientia veritatis, nec tanquam occultus cultus, ſed tanquam occultus vermis & nunquam moriens vipera rodet pectus ejus, qualibet externi cultus erronei & interno ejus cultui adverſantis occaſione oblatæ. Tertiò, maxime omnium & perniciosiſſime Auctor in eo decipitur, dum exiſtimat, ſeſe tam pravæ opinioni ſuæ inhærendo fructus Chriſtiana ſanctimonia dignos producturum, & in exemplo pietatis aliis præiturum. Pia & ſancta in Chriſto vita non eſt adeo in proclivi vel arduæ difficultatis expers, ut non qui eam ingreditur, violentiſſimas ſibi manus inferre cogatur. Seipſum ſæpe vincere, ſeipſum trucidare neceſſe eſt. Ad quam adeo duram & arduam dimicationem, quas ſpes & vires afferant ii qui flagitium facere non dubitant ne quid durius Chriſti cauſâ patiantur? Invictum animi robur, immobilem in propoſito conſtantiam, intactam humanis illecebris mentem, ſublimem & generoſum & ad cæleſtia elevatum, terrena verò deſpicientem animum, Chriſtianæ vitæ officium requirit. In tanto imbecillium virium conatu abſque cæleſti adminiculo & præſenti ope, omnis labor, omnis opera luditur. Hujus adminiculi implorandi continua nobis neceſſitas incumbit. Hinc tot ad vigilantiam & precum aſſiduitatem in S. L. ſtimuli. Sed legitima precatio, molles & faciles ad Deum aditus & impetrandi fiduciam deſiderat. Hanc verò quomodo aſſequi aut habere poſſit animus ſibi tanti dedecoris conſcius, quòd pluris homines quàm Deum, pluris leves & caducas brevis ævi illecebras, quàm ſolidum immenſæ æternitatis pondus, & fluxa terrena quàm perpetua cœleſtia gaudia, æſtimat, quòdque laniandæ conſcientiæ pretio & jactura, omnem aliquid pro Deo patiendi neceſſitatem redimat. Nec fieri ullo modo poteſt ut iſtud læſæ conſcientiæ ſecretum, quamvis alios lateat, ipſum hominem cujus conſcientia læditur, latere poſſit. Nec ulla ratio fingi poteſt qua quiſpiam vulnera mentis ſuæ ita tegat & ſupprimat, quin illa tam ſibi quàm Deo ipſi nota & explorata ſint. Quomodo talis homo ſperet, preces ſuas exauditum iri? Quis in tot ſaucia ac laceræ conſcientiæ doloribus ac morſibus, dono ſpiritus ſancti, quis auxilio cœleſti locus eſt? ſine quo omnis in negotio ſalutis & pietatis labor & conatus, fruſtraneus eſt & infelix. Nihil igitur proderit Auctori internus ejus de rebus divinis ſenſus aut cultus, niſi ad augendum

conſcientiæ

conſcientiæ ſuæ cruciatum : quia fructum veræ pietatis ejuſmodi cultus internus etiam alioqui veriſſimus, ſed cum externo erroneo miſtus, afferre nulla ratione poteſt.

Tertium Argumentum.

SAtis de ratione, ab interno Dei cultu ſumta diſſeruimus ; progrediamur ad tertiam, quam ab externi cultus officiis ſumit. Aſſerit ergo, omnes externi cultus actiones, quas alii pro ſanctis ritibus vel ſacramentis, & omnes ferè pro fide admodum præpoſtere habent, nihil aliud eſſe niſi politica potius, quàm ſpiritualia ſocietatum vincula, quæ ad animum non pertingunt : & quamvis in iis dentur gradus, ut alia eorum aliis meliora ſint ; tamen ut optima neminem ſalvare, ita vel peſſima per ſe ipſa neminem damnare poſſe. Licere igitur, etiam peſſima recipere, abſque ſalutis & conſcientiæ diſpendo. Reſp. Hoc tam enorme paradoxon, conſenſu ferè omnium ſectarum, ac pæne omnium hominum damnatum, qua ratione non modo in opinione Auctoris locum invenire, ſed in mentem ipſi venire potuerit, ſatis mirari nequeo. Quid aliud eſt, ſanctiſſima Dei mandata, à communi uſu ſepoſita, & ſoli Chriſto dicata, profanare, & in vulgarium officiorum cenſum referre, quam religioſos & ab ipſo Domino conſtituros ritus, vocare politica & profana ſocietatum vincula ? Inter externa ejus inſtituta, eſt etiam ſacroſancta communio corporis & ſanguinis Chriſti, quæ omnes communicantes unum corpus eſſe oſtendit. An id quoque vinculum Auctor non ſpirituale, ſed politicum eſſe cenſebit ? Quid verò eſt aliud *Heb.* x. 29. filium Dei calcare, & ſanguinem fœderis ejus profanum eſſe exiſtimare, ac proinde ſpiritum gratiæ contumelia afficere, omnibuſque anſam præbere ut hunc ſacrum ritum indigne celebrent ? quid aliud iram & judicium Dei ſibi & aliis procurare, & tanquam in theſaurum ſibi recondere, in cujus manus incidere horribile eſt ? Qua ratione autem horrendum iſtud paradoxum probare nititur ? Quæro, cur externi cultus Dei officia politica potius quam ſpiritualia ſint ? Reddit rationem, quia ad animum non pertingunt. Sed apertum ſatis errorem manifeſtiori fulcire, vaniſſimus conatus eſt. Nam primò, quis Auctori revelavit, vel ipſa politicarum ſocietatum vincula ad animos hominum non pertingere ? Hoc ſentire & proferre nequeunt, niſi homines fraude & hypocriſi proximos decipientes, qui ajunt, *Juravi lingua, mentem injuratam gero :* & qui exiſtimant promiſſorum & juramentorum ſuorum vincula ad corda & animos ſuos non pertingere, eoſque ſtringere & obligare non poſſe. Deinde ſi politica vincula, non modo manifeſtos actus & ſermones, ſed & intima cordis & cogitationes noſtras obſtringere debent, (aliàs ubi fides fas, & juſtitia, locum invenient ;) multo magis ſancta, & quibus numinis majeſtas intervenit, vincula, quæ conſcientias hominum arctiori nexu ſtringunt, ad animum pertingere neceſſe eſt. Ritus & ſacramentum Euchariſtiæ, nonne ex intimo corde depromta devotione & ſinceræ mentis ſuſpiriis celebrari ſolet ? Cur igitur Auctor aſſerere audet eum ad animum non pertingere ? Quacunque in Chriſtianorum ſecta Auctor nomen ſuum profitetur, videat quam bene exiſtimationi ſuæ conſulat, cum fatetur ſolennem celebrandæ mortis Chriſti ritum ad animum ſuum non pertingere. Nonne apud ipſos quoque Ethnicos in celebratione religioſi ritus, ſolennis illa vox perſonabat, & inculcabatur, *Hoc age ?* qua monebatur homines, ne eum cogitationes eorum aliorſum divagarentur, ſed ad illum quem celebrabant religioſum actum mentes ſuas applicarent. Quamobrem verò ea in re Chriſtiani ritus Ethnicis ſint deteriores ? Vi veritatis convictus Auctor fatetur, inter externos in variis ſectis religionis ritus, quoſdam meliores & S. Scripturæ magis conſentaneos eſſe, quoſdam autem deteriores. Cur igitur melioribus & S. Literis congruis conſtanter non adhæret ? cur ad deteriores & à S. Literis alieniores deflectere non dubitat ? Affert rationem : Externas divini cultus actiones, quemadmodum vel optimas ipſas per ſe nemini ſalutem, ita etiam peſſimas ipſas per ſe nemini damnationem allaturas. Sed hujus rationis pars prior ſuſpecta, poſterior omnino falſa eſt. Suſpectum eſt optimas externi cultus actiones neminem ſimpliciter poſſe ſalvare. Nam legitimus & conveniens uſus corporis & ſanguinis Chriſti, ſi digne, hoc eſt, non abſque ſalutari fide exerceatur, hominem non ſalvare non poteſt. S. Petrus autem etiam baptiſmo tribuit quod nos ſalvet, per reſurrectionem Jeſu Chriſti, 1. *Pet.* III. 21. Quod ſimiliter prædicat & intelligit de vero & efficaci baptiſmo, qui non eſt abſque eo cujus ſignum eſt, hoc eſt ablutione peccatorum, & reſurrectione à mortuis operibus. Sed quoniam Auctor externis iſtis religioſi cultus partibus limitationem hanc addit, quod *ipſa per ſe* neminem ſalvare aut damnare poſſint, apparet, quod iſtas ab interno cultu omnino ſeparet, hoc eſt animam illis eripiat, & exanime tantum cadaver relinquat. Proinde compendifaciam magnam reſponſionis partem, de optimis ritibus, nec ei refellendæ immorabor, poſtquam hoc breviter monuero, quod ſacri ritus ſeparati ab interno cultu vero, non modo non optimi, ſed ne boni quidem dici ac cenſeri poſſint. Illud igitur duntaxat urgebo, quod non ſolùm peſſimi, ſed etiam ſimpliciter mali, & S. Scripturæ repugnantes ritus, homini æternam perniciem afferant : quales ſunt quibus aut Idololatria, aut malitia & indignitas aliqua admiſta eſt. Nam & uſus corporis & ſanguinis Chriſti indignus, præſertim ſemper vel frequentius indignus, delinquenti judicium & damnationem accerſere poteſt. Sed neque id præterire poſſum, ex eo quod aliqua actio ſalutem *per ſe* non auferat, malè deduci, quòd aut ab ea ſuperſedendum ſit, aut ejus ratio non ſit habenda. Quid ſi ſit vel neceſſitate vel utilitate, aut qualicunque ratione conjuncta cum ea quæ ſalutem ipſa per ſe affert ? ut uſus corporis & ſanguinis Chriſti rite celebrari abſque fide ſalutari non poteſt. Similiter etiam ex eo, quod aliqua actio *ipſa per ſe* æternam perniciem non afferat, non ſequitur eam ſedulo vitandam & fugiendam non eſſe. Quid enim ſi ſecum trahat ejuſmodi actiones & peccata quæ per ſeipſa æternum exitium afferunt ? Porrò in hoc Auctoris argumento notandum eſt ſingulare quo utitur fallendi artificium. Nam cùm antitheſin hanc, quòd ſicut vinculum ſocietatis cum optimis vim non habet æternam ſalutem conciliandi ; ita nec vinculum cum peſſimis æternam perniciem afferendi probare vellet, exemplis Judæ proditioris & Loti captioſe uſus eſt. Non enim idem in utroque vinculi genus proponit ; ſed in Juda arctius, & ſanctius, & ad rem propoſitam pertinens ; in Loto laxius, profanius, & vulgarius, & ad rem non pertinens. Aliud enim eſt vinculum ſanctioris in eadem Eccleſia ſocietatis ; aliud vinculum politicæ in eadem Repub. aut civitate conjunctionis & vicinitæ. Illud arctius, hoc laxius ; illud à Deo cum improbis hominibus prohibitum, hoc nequaquam vetitum, & aliquando neceſſarium, niſi ex mundo exire velimus, 1. *Cor.* v. 10. Aliud eſt eſſe alicui vicinum, & ejuſdem civitatis incolam ; aliud ſacra ejuſdem ſectæ aut religionis communione conjunctum. Habitabat Sodomæ Lotus, in eadem

cum Sodomitis patria ; sed non erat cum iis eodem erroneæ sectæ jugo copulatus : nullam etiam societatem in peccando cum iis inierat , & vita ac moribus ab illis alienus , imò adversus , & ipsos redargiens. Habitationem inter improbos & nexus cum iis politicos , Spiritus Sanctus non vetat , (quamvis interdum moneat , ut exeamus Babylone , ne de pœnis ejus , sicuti Loto Sodomæ accidit , participemus ;) sed arctius unius cum improbis sectæ vinculum levere vetat. Nec interdictum Christi & Apostolorum quod in fidelium Christi cœtu habitum peccandi ferri non patitur , violari fas est. Unde facile videre est , quantum sit inter spirituale & politicum vinculum discriminis : quod alterum Deus prohibeat , alterum permittat. Nulla igitur ratione spiritualia vincula pro politicis haberi aut cum iis confundi possunt : quia interdicto & permissione Dei distinguantur. Hinc dignoscere difficile non est eam esse meliorem sectam , quæ doctrinam secundùm pietatem observans , peccatorum liberam patrationem non patitur , deteriorem quæ patitur , deterrimam quæ introducit. Hinc & illud concluditur , quod non modo ab optima ad pessimam , sed ex meliore quoque ad deteriorem deficere non liceat. Turpiter igitur claudicat , & altero pede manca est hæc antithesis , quod quemadmodum adhæsio optimæ sectæ toti per se neminem salvabit , nisi ipse sit probus , (quod verissimum est) sic adhæsio pessimæ , aut ad illam deflexio neminem sit damnatura , si ipse sit probus , quod falsum est , callide involvens contradictionem in adjecto. Nam homines desciscentes à bona secta & migrantes ad malam aut pejorem , probi esse nequaquam possunt. Ad salutem non sufficit in bona secta esse , sed necesse est ut ipsi quoque ejus sectatores vivere , etiamsi quis in optima secta sit. Is verò qui ex bona ad malam , ex meliore ad pejorem migrat , eo ipso gravissime peccat , & ostendit quàm malus sit : ac tametsi aliquorum peccatorum expers esse videatur , hic ipse à probis ad improbos transitus , enorme & periculosum est peccatum & indicium animi nondum satis à peccatorum amore abluti. Ut omittam , quod post initam indisciplinatorum hominum societatem in moribus non corrumpi , vix possibile sit. Multum igitur inter hæc sibi opposita interest : & in promptu ratio est , quod plura ad salutem quam ad exitium requiruntur. Ad cœlos sursum vix omnes virtutes homini sustollendo sufficiunt ; ad inferos deorsum , unius peccati , præcipue gravioris , habitus , mortales dejicit. Proinde inepte Loti exemplum Auctor proponit , qui concesso à Deo , in eadem cum peccatoribus civitate , non autem vetito & religioso vinculo jungebatur. Sed & hæc ejus inter improbos habitatio magno ipsi constitit. Sensit enim omnium fortunarum jacturam , quæ cum opibus Abrahami olim certantes , in cineribus & favillis Sodomiticis relictæ , aut superfuso ruinis earum lacu humidæ sunt : sensit jacturam propriæ uxoris , sensit & ignominiam , qua cum filiæ ejus Sodomitica conversatione imbutæ in oculis Dei atque hominum contaminarunt. Taceo molestiam quam memorat Petrus 2 *epist.* c. II. 7 , 8 cum quotidie justam animam injustis vicinorum sceleribus cruciaret. Sufficit quod Auctor ipse innuit , miseram necessitatem ipsi impositam fuisse , faciendi aliquid adversus animi sui sententiam , quod sponte nunquam fecisset , si inter meliores vicinos vixisset. Proculdubio ad illam submissionem Loti respexit , qua filiarum suarum contumeliâ , apud lascivos Sodomitas hospitum suorum honestatem redimere voluit. Sed isto Loti facto , coactum (ut videri vult) flagitium suum , cum à melioribus sectis ad pejores defecit , non cooperiet , nec defendet. Nec enim omnia quæ Lotus fecit laude vel imitatione digna sunt. Sanius est Apostoli consilium: *Rom.* III. 8. Non esse facienda mala , ut eveniant bona , etiamsi hæc bona ad gloriam Dei pertinerent : quidsi nostram tantum utilitatem spectent ? Annon præstat Ethnici illius exhortationem sequi ?

Phalaris licet imperet , ut sis
Falsus , & admoto dictet perjuria tauro ,
Summum crede nefas animum præferre pudori ,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Juvenal. Sat. 8.

Antequam à tertia Auctoris ratione recedamus , præterire non possumus futilitatem ejus consequentiæ quam nectit Auctor , taliter argumentatur ; Siquidem nec Judæ profuit cum Domino & Apostolis communio , nec Apostolis obfuit communio cum Juda ; certe & illi qui ex meliori secta confert se ad pejorem non oberit communio cum deterioribus quàm sunt ii quorum communione deserit. Nam quod Judæ non profuit communio cum Apostolis , factum est singulari malitiâ Judæ : natura tamen hujus communionis talis fuit , ut prodesse facillime posset. Quod vero Apostolis non obfuit communio cum Juda , plures ob causas mirandum non est. Primum enim multis aut etiam singulis bonis , in bona secta versantibus , nihil est periculi ab uno improbo , & quidem improbitatem occultante. At uni bono , quando ad deteriores deficit , inter multos & quidem in mala secta palàm regnantes , non periculum , sed præsentissimum exitium subeundum est : imò fieri non potest quin is antequam plane deficere statuerit jam bonitatis suæ jacturam fecerit. Deinde ignotam fuisse Apostolis nequitiam Judæ , vel ex ipsa historia constat. Denique non penes Apostolos tunc temporis erat potestas admittendi homines ad illam sanctam societatem , aut ab ea excludendi ; sed penes Dominum , qui , ut scripturæ implerentur , improbum istum discipulum inter Apostolos asciverat , ac tolerabat. Sed istâ improborum in unius Ecclesiæ corpore tolerantiâ , nobis postea interdixit doctrina & praxis Apostolorum. Non igitur ex eo quod Apostolis communio cum Juda non obfuerit , ullo modo deduci potest , nobis quoque defectionem ad improbos & cum iis communionem non obfuturam. Defectio autem ad improbos manifesta est , cùm abjectâ sectâ in qua non tolerantur habitus peccati , migratur ad alium , in qua non modò tolerantur , sed interdum quoque imperantur aut introducuntur.

Quartum Auctoris Argumentum.

SEd jam ad quartum Auctoris argumentum accedamus , cujus examen & æstimatio nobis liquido ostendit , quàm infirmis & fragilibus columnis superstruat informem opinionis suæ molem. Verba ejus sunt : *Si quis me hominum cœtus certum reddere posset , quod nullum ejus membrum ulla in re erret , teneret omnino omnibus aliis sectis damnatis , ac repudiatis tanquam erroneis , illi cœtui in dissolubili vinculo adhærere (etsi mihi alioqui hæc implicita fides aut aliena veritatis scientia , vel aliena pietas non multum prodesset.) Atqui talem nullum invenire possum , quamvis sedulò quæram.* Unde concludit , nulli se sectæ omnino adhærere , aut alias pro erroneis agnoscere teneri : sed sibi integrum esse , ex una in aliam prout sibi commodum visum fuerit , migrare. Resp. Mirum est quàm cœcâ Deus Auctorem incogitantia puniverit , quod cùm paulò ante ostenderit , ejusmodi privilegium quale hoc loco is , ab eo cœtu cui omnes alias damnatis omnino adhærere teneantur , exigit , ne illum

illum quidem sanctum Domini & Apostolorum cœtum habuisse ; ausus fuerit istud opinionis suæ argumentum proponere , ex quo ejusmodi deductio inferri posset : Quoniam Domini & Apostolorum cœtus neminem certum reddere poterat , omnia & singula cœtus sui membra fuisse ab erroris & peccati periculo exemta , quia Judas tam facile erravit & deliquit : Ergo nemo illi cœtui Apostolico constanter adhærere , & cœtus alios illi repugnantes pro erroneis habere tenebatur. Quomodo Auctor ex hoc laqueo quem sibi ipsi tetendit , sese explicabit, ipse viderit. Nobis sufficiat ostendere , admodum iniquam esse hanc conditionem , quam exigit ab omnibus cœtibus & Ecclesiis Christianis , ut si velint homines in gremio suo constanter perseverare , dent operam ut nullum totius eorum corporis membrum ulla in re erret. Nam & ipse in eodem argumento suo fatetur , nemini alienam fidem aut virtutem prodesse. Ergo nec alicujus error aut peccatum cuiquam oberit. Impossibile quoque est , post indultam rationalibus creaturis arbitrii libertatem sub cœlo tantam perfectionem dari , quanta in ipso cœlo post conditos angelos reperta non est : ubi ad ipsos nobilissimos spiritus error & peccatum penetravit. An verò idcirco aut in cœlo angelis , in gloria & cultu Deo tribuendis communicandum non est , vel ad eorum communionem non accedendum , aut in terris Apostolici cœtus contemnendi , quia & inter Angelos Diabolus , & inter Apostolos infaustissimus Judas exstitit ? Si hoc legitimum est veræ Ecclesiæ Christi requisitum , quis hic non videt contumelioſe, sed admodum inique perstrictum ab Auctore ac reprehensum cœtum Apostolicum , quod inter eos tanti sceleris enormitas inventa sit ? Verùm , sicut id Apostolis fraudi esse non potest ; sic nullis cœtibus pudendum est , quod in iis quosdam errare aut peccare contingat. Satis ad id ut iis constanter omnes adhæreant commendationis habent , cum in iis Apostolica doctrina , & sanctimonia viget , quæ peccati habitum nullum tolerat. Proinde nec respondere, nec erubescere, aut causam dicere pro illis ullus cœtus tenetur, qui privatâ suâ culpâ , & tamen non impune errant aut delinquunt.

Quintum Auctoris Argumentum.

QUinta Auctoris ratio , omnes in genere & singulas in specie sectas Christianas carpit , eo nomine , quod in plurimas & pleraſque minutissimas partes divisæ sint. Quam rationem eo consilio Auctor ita proposuisse videtur , ut omnibus culpam tot dissidiorum impingeret : Unde fides fieret , nullam inter eas esse dignam cui constanter adhærere teneamur , & quam exigente aliqua necessitate aut emolumento , deserere , plausibili prætextu nequeamus. Resp. Sed ipse potius Auctor gravi reprehensione dignus est , quod oculos claudat ne videat , culpam hujus reprehensionis non ad omnes sectas & Ecclesias pertinere. Sed primùm ab ea liberam & exemtam esse illam veram & perfectissimam Christi Ecclesiam , & doctrinam quæ ante adventum Antichristi (per coactivas Magistratuum potestates , decretaque & supplicia in conscientias fidelium Christi inique & crudeliter grassantis) ab ipso Christo & Apostolis in orbem introducta fuit. Postea verò cum Sol veritatis salutaris per Veteris & Novæ Romæ Antichristum eclipsin passus est , ad eandem culpam & reprehensionem illæ quoque sectæ non pertinent , quæ à crassioribus in Græca & Latina Ecclesia erroribus discedentes , veræ illi & Apostolicæ doctrinæ & sectæ quàm proxime potuere sese admoverunt : præcipue verò quæ mutuatam illam ab Ethnicis , ad Christianos translatam Antichristi violentiam & sævitiam ab Ecclesiis suis proscripserunt. Nam si Auctor , S. Scripturæ (prout jactat) credit, eâdem operâ credat necesse est , veram fuisse illam Christi & Apostolorum (liceat ita loqui) sectam , tot miraculosis Spiritûs S. operibus , tot martyrum effuso sanguine , tot exemplis ablutæ ab omnibus maculis innocentiæ , confirmatam & comprobatam. Quemadmodum enim Servator noster quod sit verus Christus & Rex populi Dei , tres producit istos minime suspectos & omni fide dignos testes , spiritum, aquam & sanguinem , 1. *Joh.* v. 8. ita & ii qui nomen ejus profitentur , ad probandum quod sint verus ejus populus , in omnibus Domini sui vestigia premens , eosdem testes , licet non in pari gradu , sistere tenentur : Spiritum Sanctum quamvis non in tam sublimi gradu , prout Christus & Apostoli habuere , ut miracula (quorum nunc necessitatem nullam Deus videt) patrare possent , inter eos vigentem ; sed ita tamen ut effectus Spiritûs Sancti in eis eluceant. Ablutionem macularum peccati & vitæ innocentiam , etiamsi non tam perfectam sicuti Dominus , qui nulla unquam peccati labe aspersus est ; sed tamen ut in populo Christi nullus peccati habitus toleretur. Sanguinem , tametsi non ita pretiosum nec ejus efficaciæ , quæ fuit in profuso sanguine Domini , sed tamen testimonium veritati exhibentem : quem propter Dominum , hoc est , veritatem ejus profundere , licèt non cuilibet contingat , tamen ad eum effundendum omnes parati esse debemus. Quæ igitur secta aut Ecclesia hodieque habet ejusmodi documenta , quæ S. Johannes merito testimonio Dei , omnibus humanis certiora appellat , hanc in ordinem aliarum reprehensione dignarum redigere non licet. Quod verò à nobis Auctori nulla fiat injuria , dum asserimus eum in omnes plane sine exceptione Christianorum sectas discordiarum quas incusat culpam conferre , liquido patet tum ex verbis ejus , tum ex allata ratione & causa tantarum quas miratur inter Christianos dissensionum. Verba ejus in quibus causam hanc affert , sic sonant : « Sese istarum divisionum , subdivisionum , & sub- « divisarum partium in minutiores particulas partitio- « num , *nullam aliam causam assignare posse* , nisi quod « alii propter credulitatem res incertas pro compertis « habeant , alii propter ambitionem vera in contraria « vertant , « utrumque autem gliscit posteritate. In qua assertione , non modo aperta falsitas , sed & dolus malus cernitur. Falsitas in eo non dubia est , cum dicit , Istarum discordiarum non posse assignari nisi duas , easque pessimas causas , stultam quorundam credulitatem , & iniquam aliorum ambitionem. Nam ut omittamus quod plures ejusmodi pravæ causæ dari possint , in tot inter se pugnantibus sectis , quarum plures sunt deteriores quam meliores ; Negari nullo modo potest , harum dissensionum & [mutuarum] secessionum dari posse justas & legitimas, nec ullo modo vituperandas causas. Quomodo enim sectæ in quibus doctrina secundum pietatem viget , & quæ in omnibus cum S. Scriptura sunt congruæ, separari non teneantur ab iis quæ Sacræ Scripturæ & pietati repugnant ? Quoties nos Spiritus S. monet , ut errores & tenebras enixo studio & conatu fugiamus ? Non desunt igitur in orbe Christiano sectarum laudatissimæ , quæ commendationem verius quam vituperium merentur eo nomine , quod pro veritate ac virtute adversus errores & peccata fortissime dimicent. Proinde frustra ejusmodi scissuras & partium studia , tanquam rem novam , & admiratione vel etiam reprehensione dignam , Auctor Christianæ religioni exprobat. Nunquam inter Deum & Satanam, Christum & Antichristum, nunquam inter lucem & tenebras, inter flagitia & honestatem, inter scelera & virtutem, inter solidam religionem & inanem superstitionem

nem conveniet. Et quanto longius aut propius ab eorum vitiorum singulis singulæ sectæ recedunt, tanto infensius aut remissius eas inter se committi necesse est. Olim, olim ista nobis bellorum incendia, ex lucis evangelicæ scintillis exarsura Christus ipse, olim spiritus ejus cruenta Ecclesiæ certamina, Antichristorum violentiam & injurias prædixit. Qui posteaquam permissu Dei salutarem Christi veritatem commentis suis obfuscarunt, & violenta sua per Romanos & Græcos magistratus potestate, homines de regia & Apostolica veritatis via deturbarunt; ecquid mirum est non omnes protinus eorum quibus Deus primo exorientis postliminio lucis crepusculo illucescere cœperat, rectam atque tritam veritatis orbitam reperire aut tenere potuisse; sed per obliquos sæpe tramites ad eam contendere conatos esse? Porrò quemadmodum non omnis ab aliis secessio laude digna est; sæpe enim homines iniquissime dissident ab aliis qui veræ pietati student, sæpe & levissimas secessionum ansas arripiunt, qui sese invicem in amabili concordia tolerare possent; ita nec omnis ab aliis separatio reprehensione digna est. Nam profectò, sectæ quæ solis Sacris Literis inhærentes, nihil incerti multo minus iis adversi habent pro comperto, ac omnis ambitionis & culpæ expertes, malunt persecutione pati, quàm ad apertos errores desciscere, aut veritati nuncium remittere, jure meritoque justissimam ob causam sese ab aliis separant. Sæpe & eædem quamvis ob leviores dissensiones secessionem non urgeant, à potentioribus aut injustioribus repelluntur. Manifestum igitur est, crimen & culpam tot secessionum & schismatum, omnibus (sine exceptione) Christianorum Ecclesiis, non sine atrocissima injuria atque adeo calumnia objectari: cùm aliquæ insontes Ecclesiæ inter eas non desint, quæ neque in eo quicquam delinquunt, quòd ab aliis ob justissimas causas secesserunt, neque ob leves ideoque iniquas, ab aliis secedere velint, nisi ultro ab iis injustissimo nomine ac prætextu repellantur, ac arceantur. Dolus malus Auctoris in eo cernitur, quòd secessionis invidiâ tanquam inexpiabili crimine omnes omnino etiam innoxias Christianorum sectas operiat & involvat. Atqui sicut militem & martyrem Christi, non supplicium facit, sed causa supplicii; ita hostem & vastatorem Ecclesiæ ejus, non secessio, sed causa & modus exercendæ secessionis efficit. Causa, si sit levis & iniqua; modus, si feralia odia, si injuriæ, si crudelitas, (crimina Christiano homine indigna) non absint. Alioqui discedere à contacta pestilentium, dividi & segregari ab iis qui pernicioſos errores excogitant aut sequuntur, non modo licitum, sed & laudabile, & ab ipso Christo & Apostolis injunctum est. Sed Apostolica in eo non Antichristianorum praxis exercenda est. Divinis non humanis testimoniis, cœlestis Spiritûs vi, non profanæ potestatis violentiâ, argumentorum pondere, non authoritatis plumâ pugnandum est. Nam si magistratus, si lictor eorum qui mutuò secessere disceptationem finit ac terminat, suspecta est veritas talibus sustentaculis subnixa, miserandæ rationes & argumenta quæ nisi imploratam à carnifice opem impetrent, nihil concludunt. Non igitur omnes secessiones Ecclesiæ pernicioſæ sunt, sed tantum pravæ & illegitimæ. At enim nisi inter tot sectas & opiniones Magistratus litem dirimat, delectus verioris difficilis erit. Resp. Imò si is litem dirimat, qui plerumque suspectus & alteri partium addictus est, introductio ac tyrannis deterrimæ sectæ, non dico facile, sed necessario subsequetur. Unica ratio concordiæ & veritatis tenendæ est, Principium illud in quo omnes diversi, ne Auctore quidem nostro detrectante unanimiter conspirant, Sacræ Scripturæ authoritas. Ab ea quæcunque secta ne latum quidem unguem discedere audet, non à credulitate tantùm & ambitione, quas Auctor solos tot scissurarum causas falsò assignat, sed ab errore quoque præcipue graviori & pernicioso tuta erit. Nec aliud genus errorum est in cujus gratiam scindi ac secari Ecclesiam conveniat. Nam leviores non sunt tanti ut ob eos discedere in partes eam deceat. Quod igitur plurimæ tam discordes sectæ, in secessionibus suis, tot feralium odiorum, tot injuriarum, tantæ crudelitatis specimina ab omni ævo ediderint, idcircone nuda & innoxia dissensio atque discessio in patratorum tot annis criminum societatum vocanda est? Frustra & inique tot insontes Ecclesiæ crudelium & injustarum sectarum maculis aspergantur, quæ ut à mente Sacræ Scripturæ, ita ab Apostolorum vestigiis nusquam recessere. Est igitur hæc enumeratio causarum, quas dissensioni tot sectarum Auctor assignat, non modò manca, mutila, insufficiens, & erga plures earum calumniosa; sed adeo prava & noxia, ut in eo vel ipse Atheismus, vel compendiosa ad Atheismum via deprehendatur. Nam si in qualibet secta non alia est causa dissensionis ab aliis, nisi aut imprudentia credulitatis, aut vanitas ambitionis, breviter, aut stultitia, aut malignitas; nulla est quæ digna sit ut ei Christiani constanter adhæreant, cùm omnes aut falsò aut improbo fundamento innitantur. Quod si id omnibus plane Christianorum sectis objici & improperari potest; ubi quærenda erit totius Christi doctrinæ fides & authoritas, atque adeo existimatio? Firmandæ huic assertioni documento est, suamet quam Auctor affert experientia, quæ propria ejus fide propriisque verbis ita depingitur. *Miræ mihi initiò visæ sunt, tot in cultu numinis, divisiones, subdivisiones, & subdivisarum partium in minutiores particulas partitiones.* Quasi verò id cujusquam animum admiratione suspendere debuerit, quod Christus ne nobis, post eventum, novum & inexspectatum videri posset, tanto ante prædixerat. Ergò ut ait, *initiò* mirandæ ipsi visæ sunt tot aliarum super alias superfætantes sectæ. Quid verò admirationem istam subsecutum est? *Cùm* inquit, *harum divisionum nullam aliam possem assignare causam, præter duas illas pravas & iniquas supra memoratas* (deerant videlicet aliæ, aut æque pravæ, aut justiores) *perrexi ulterius.* Quorsum igitur eum hæc via deduxit? Fatetur ingenue quòd ad Atheismum. Nam pergit: *His omnibus* (inquit,) *quibus à teneris sum imbutus, ita sepositis, ac si de iis nimquam audissem, vel potius supponens, omnia ista falsa esse quæ audivi; dispiciebam ante omnia, an hæc Sacra Scriptura quæ mihi pro verbo Dei tradebatur vera & sancta esset.* Ad tam periculosum scopulum impegit Auctorem omnium in omnino in orbe Christiano sectarum criminatio & damnatio, ut de totius religionis Christianæ, & unici ejus fundamenti cui firmiter superstructa præcipue innititur, S. Scripturæ authoritate, dubitare inciperet. Quam dubitationem si sibi penitus exemit, & S. Literis bona fide, ut asserit, credit, est quod Deo gratias agat, & æquum est illi gratulari, Cujus tamen dubitationis scrupuli ex animis nostris tantisper vix evellentur, quamdiu tam pravæ quam fovet opinioni adhærebit, quæ S. Scripturæ penitus repugnat, prout suprà, & infrà clarius patebit. Verùm quoniam se S. Scripturæ credere, seriò & sancte asserit, age semotis omnibus dubiorum fluctuationibus, libenter ab eo hanc confessionem accipimus: præsertim cùm alioqui videamus eum S. Scripturæ non credere nisi iniquissime non posse. Non ob eas quas asserit, vanas & imbecillas rationes: qualis est modestia quam profitetur, aut simplex Ecclesiarum Christianarum authoritas, quæ apud nos multarum potentium sectarum & errorum quos fovent respectu fidem plane decoxit.

xit. Sed ob unanimem, in omnium inter se pugna & inimicitiis, & quasi miraculosum cunctarum sectarum consensum, quo (cætera contrariæ & sibi infensæ,) in stabilienda S. Literarum authoritate & sanctitate, conspirant: ut quamvis non paucæ ita à S. L. convellantur, ut doctrinam earum ruere necesse sit, nulla tamen sacrosanctam S. Scripturæ authoritatem, saltem aperte ac directe in dubium vocare ausit. Ubi igitur tam mali quàm boni, sibi autem valde adversi testes in eodem testimonio unanimiter conspirant, ibi nulli dubitationi locus relinquitur: quemadmodum & illic ubi testium ipsorum interest ne testimonium illorum admittatur, & tamen vel inviti testari coguntur. Comparationem codicis veteris, & novi fœderis, cum libris ad qualemcunque etiam Ethnicam religionem pertinentibus utcunque admittimus. Sed Minos & Lycurgus, Reip. non religioni jura dedere, quæ duæ res inter se bene sunt disterminatæ. Multo minus hîc Regibus Romanis (præter unum fortasse Numam) locus erat. Id quoque ab Auctore libenter acceptamus, quod fateatur in S. L. nihil esse contra rationem. Si quid verò secus videatur, id non contra, sed supra rationem videri. Quod quidem meritò asserit, quia id ratio eatenus percipit quatenus videt id quidem fieri posse, quia nullam contradictionem continet, quamvis fortè modum & rationem ignoret qua id perfici queat. Scientia à fide non ita longe abit, quin habitus isti non raro misceantur, & quin scientia ad fidem apprime sit necessaria. Fatendum quidem est, fidem proprie ac principaliter esse credere promissionibus Dei. Quæ species fidei differt à cognitione & scientia, quòd tantum ad res futuras referatur. Sed ipsa quoque cognitio quæ ad præterita & præsentia refertur, ad eam pertinet, & in ipsa S. Scriptura fides appellatur *Heb.* 11. 3. Nam & in rebus humanis, quando debitori aut promissori solutionem promittenti credimus, multum interest ad certitudinem fidei nostræ, scire quàm exactissime, qualis sit noster debitor vel promissor, videlicet an aut velit, aut possit fidem promisso obligatam exsolvere.

Sextum Argumentum.

QUandoquidem id in quo omnes sectæ consentiunt, quodque omnes capere possunt, quale est studium pietatis & sanctimoniæ, amandi ac timendi Deum, licet sit invisibilis, diligendi hominis tanquam imaginis Dei visibilis, officium, evidentissima utilitate commendatur, & sufficit ad salutem; Id autem in quo à se discrepant, quod sæpe utrinque non intelligunt, res est partim non necessaria, partim imperceptibilis, sæpe stulta & vana, ac voluntati Dei repugnans, velle id omnibus revelare quod Deus habere voluit sub velo; Certè nulla singularis secta cuiquam præ aliis amplectenda est, nulli constanter adhærendum; sed neque ab ulla ita abhorrendum est, quin quoties velis eam amplectare ac profiteare: eò quod in qualibet salutem assequi potest is qui Deum & proximum amat. Resp. Ambæ propositiones quibus ista argumentatio tanquam hypothesibus nititur, sunt planè falsæ. Nam nec omnes sectæ in doctrina pietatis conveniunt, aut quid sit vera pietas intelligunt: Nec omnia de quibus inter se contendunt, sunt res aut non necessariæ, vanæ, stultæ, aut imperceptibiles, & voluntati Dei eas occultare conantis repugnantes. Incipiamus à priori hypothesi. Videntur quidem omnes sectæ pietatem laudibus & commendatione cœlo æquare. Sed in doctrina secundam pietatem non omnes consentiunt: & plures sunt quæ ipsam neque intelligunt, neque sectantur.

I. Sunt enim primùm sectæ quæ peccata, veræ pietati & sanctimoniæ contraria præcipiunt, & in Ecclesias suas introducunt. Ut sunt variæ idololatriæ species. Exhibitio divini honoris personis aut rebus quæ non sunt Deus verus: Exhibitio honoris & cultus Deo vero, qui non sit divinus, sed à Deo vetitus, & quem ille pro dedecore ac ignominia ducit Mortuorum invocatio: ossium & cadaverum, quæque de cadaveribus hominum supersunt, adoratio. Cœca obedientia soli Deo debita, ad mortales transfata. Quo scelere in orbe nescio an majus & indignius fingi possit. Exornent ut velint quidam cœcum illud obsequium, gloriossimæ virtutis nomine atque elogio; nihil illud in reipsa aliud est, nisi major hominum respectus, major veneratio ac reverentia, quam ipsius Dei, qui singulos homines freno eorum conscientiæ flectit ac moderatur.

II. Sunt & tales sectæ quæ non in pietate, nec in bonis operibus, sed in fide bonis operibus oppositа, aut in imputatione sibi alienæ justitiæ, Sanctimoniam & summam officii nostri erga Deum collocant. Sunt denique tales, quæ bona opera ad salutem consequendam noxia esse asserunt.

III. Sunt aliæ quæ in locum veræ pietatis, speciem tantum ejus & externam formam hominibus conspicuam substituunt; at vim virtutemque illius abnegarunt. 2. Tim. 3. v. 5. qui corporalem exercitationem, quam Paulus inutilem judicat, 1. Tim. 4. v. 8. in Ecclesiam introduxerunt, eaque gloriantur. Hujusmodi sunt jejunia, aut potius Ciborum delectus, flagellationes Corporum, frequentes Confessiones, & creber sacramentorum usus, itinera religiosa, & varii generis vota: Cœlibatus, præcipue talis qui in usu est, non exclusis adversus castitatem delictis: & similia quæ loco veræ pietatis Deo offeruntur.

IV. Sunt & ejusmodi sectæ quæ hominibus salutem promittunt quamvis à peccando usque ad mortem non desistant; non à vera pœnitentia & novitate vitæ, sed aliunde quærentes adversùs peccatum remedia, etiamsi in abstinentia à peccando nullam sibi vim inferant. Tales sunt confessiones præsertim morti proximæ, absolutiones, indulgentiæ, earumque inexhaustus thesaurus, cujus claves apud Clerum, sed inprimis Cleri principem Pontificem asservantur. Missæ post mortem redemtæ. Merita aliena, præcipue Monachorum, qui in lampadibus suis tantâ olei copiâ abundant, ut illud omnibus copiosè impertiri possint: præsertim si quid Monasterio largiantur.

V. Neque tales desunt, quæ tametsi summam pietatis in carnali exercitatione qualem descripsimus non collocent, & ad veram pietatem homines hortentur, non paucas tamen in secta sua doctrinas & opiniones fovent pietatis studium extinguentes: ita ut quod unâ exstruunt, altera manu destruant.

VI. Denique sectarum aliæ, quamvis pietati noxias doctrinas non habeant, carent tamen ejusmodi in Ecclesia sua regimine quod nullum peccandi habitum toleret, nec sinat peccandi consuetudinem impunitate glisscere ac propagari. Quibus licet omnia alia suppetant, defectu disciplinæ laborant.

Longum esset omnes Christianarum sectarum in pietate errores & abusus percensere. Sufficit demonstrasse, plurimas ignorare pietatis iter: ideoque doctrinâ, monito, exemplo instruendas, & in viam revocandas esse. Quæ verò earum rectam viam tenent, iis constanter adhærere, nec ab earum societate discedere, nos ex ratione Christiani Officii omnino teneri, manifestum est.

Progrediamur ad alteram allati ab Auctore argumenti hypothesin. Cujus falsitas eo evidentius cernitur, quod nimis manifesto pateat, non omnia de

quibus variæ sectæ secum digladiantur esse res superfluas, ad salutem non necessarias, incomprehensibiles, aut divinæ voluntati contrarias. Quamvis enim omnia quæ ad salutem pertinent, voluntas & virtus Dei nobis donaverit, cognito à nobis illo qui nos per gloriam & virtutem ad immortalitatem vocavit, 2. Pet. 1. v. 3. tamen non omnes hæc dona Dei debito cum grati animi officio recipiunt, quo fit ut ab ingratis Deus beneficia sua auferat. Quid facilius est perceptu quam præcepta, & promissa quibus nos Deus sibi obstrinxit? Et tamen enumeratione errorum quos sibi mortales in simplicissima pietatis doctrina confinxerunt, pænè defessi sumus. Hos errores refellere, atque è mentibus hominum exstirpare, & adversùs eos maxima contentione pugnare, an non necessarium aut voluntati divinæ congruum officium esse censebimus? Quid in his evellendis erroribus frustum, aut inutile, aut voluntati Dei adversum occurrit? quid captum aut intellectum nostrum superans, aut etiam subvertens? Cuncta adeo plana sunt & perceptu facilia, ut in iis propemodum difficilius fuerit errare, quàm mentem divini oraculi assequi. Sunt in iis quædam ad salutem plane necessaria, sunt alia vehementer utilia: quemadmodum & errores in his alii sunt pernicioſi, alii tantum noxii. Nihil in plerisque omnibus menti nostræ invium aut inaccessum.

Una tantùm est doctrina quæ passim in orbe viget ac pene regnat, perceptu difficilis, imò verò incomprehensibilis, de multiplicatione per generationem præternam personarum, & imperscrutabili summi Dei essentia. Hinc quia nobis S. Scriptura non revelavit, & tamen non modo supra, sed contra captum nostrum esse videtur, non audemus esse tam curiosi, ut in ea supra id quod nobis expresse in S. Scripturæ oraculis revelatum est, aliquid vel minimum divinatione aut conjectura investigare conemur. Quamobrem in eo mysterio enarrando aliis verbis aut terminorum vocabulis uti fas esse non putamus, præter eos quos nobis afflati spiritu Dei scriptores suppeditant.

Revelatio magnificorum Dei operum, creationis mundi & seculorum, diluvii universalis memoria, miraculosæ conceptionis & generationis Servatoris nostri, per quam in humanam naturam genitus est; miraculosæ mox ejusdem per resurrectionem à mortuis gloriosam regenerationis, per quam divinæ naturæ compos factus est, mysterium, singularibus ex professo historiis nobis est descriptum. Id quoque nobis expresse revelatum est, quod ante conditum mundum ratione salutis nostræ per filium, quem missurus erat in orbem, perficiendæ, Deus in consilio suo decreverat. Ac ne illud quidem Deus notitiæ nostræ subtrahere voluit, quid ratione extremi judicii, & consummationis seculi præsentis de mundi hujus exitu, & statu fidelium suorum per eundem filium suum efficere destinaverit. Hæc omnia tam disertis & liquidis verbis nobis sacra oracula aperiunt, ut nulla dubitandi causa cuiquam præbeatur.

Descriptio naturæ atque essentiæ Dei summi, atque ut ita loquar, imaginis personæ ejus delineatio, nusquam nobis est expressa, nusquam adumbrata. Quinimo imaginis illius repræsentatio in qualicumque similitudine nobis est serio ac severe vetita. Hoc proprie solum Deus sub velo habere voluit, quod tamen curiosæ mentes, & quidem sub absurdis imaginibus, non modò oculis, sed & menti nostræ depingere contendunt. Non nostra igitur culpa est, quòd homines sine ductore cœlesti, & sine lumine ex luce verbi Dei accenso, in tam impenetrabile mysterium irrumpant. Nos optamus ut hæc præter verbum Dei curiositas alto silentio & perpetua oblivione sepulta sit. Aliæ quæstiones captum humanum nec superant, nec subvertunt: quarum tamen non omnes necessarias censemus. Tantum ubi de pietate, & mandatorum Dei obsequio, ubi de Patris & filii gloria certatur, ubi capitaliora & salutem spectantia vocantur in dubium; ibi pro veritate strenue dimicandum est. Non omnes igitur sectæ Christianæ reprehensione, quædam & summa laude dignæ sunt. Nam quæ deteriorem causam habent, fatemur à superbis ingeniis profectas, & unà cum Auctore ingemiscimus, quod humanas mentes ea vertigine contorserint, ut vix tam absurdam opinionem reperias, cui non obstinate quædam sectæ præbeant patrocinium: idque in rebus quas cuncti quibus mens læva non est, facile capere possunt. In ejusmodi sectis regnant vitia, quæ Auctor exagitat: Jactantia ingeniorum, usurpatio nimiæ authoritatis, avaritia & turpis lucri amor, & imperiosa super alios dominatio: Et quod iniquius est, mysteriorum in S. L. non expressorum audax & Gnostica venditatio. Aliorum arrogantia, quod sibi totius S. Scripturæ intelligentiam usurpent, neque erubescant (idque magno cum strepitu & violentia) aliòs docere quod ipsi nesciunt, & adeo non intelligunt, ut ne intelligi quidem posse fateantur. Aliorum deforme obsequium quod jugum cæcæ obedientiæ pronis cervicibus receperint. Aliorum insolentia & tyrannis, quod diversum sentientes innoxios oderint, eosque crudelem in modum vexent & atrociter persequantur. Cujus rei causa est, quod cum veritatem à partibus suis non habeant, in rationibus & disputatione succumbere cogantur. Quam offensionem ulciscuntur iracundiâ, violentiâ, & carnifice, atque ita miseri, ad furias properant qui ratione carent. Contra sectæ à quarum partibus stat veritas, quæ sola & nuda erroribus validissime resistere potest, non indigent magistratu, non lictore, non gladio, qui pro ipsis disputent.

Ut verò in aliis suis rationibus, ita hîc quoque Auctor & ipse incidit, & alios secum trahit in illius Fallaciæ laqueum quæ vocatur à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Nec enim quia hæc vitia in quibusdam præcipue potentibus sectis nimium regnant, idcireo in omnibus regnare dicenda sunt. Nec si secundum quasdam sectas Christiani noxiis erroribus implicati sunt, idcirco simpliciter Christiana religio universa vitiosis erroribus scatet. Cùm igitur utramque Auctoris assertionem & hypothesin, tam de consensu omnium in doctrina pietatis, quàm de difficultate aut etiam vanitate dogmatum in quibus dissentiunt, falsam esse docuerimus, corruentibus rationis ejus fulcris & ambobus firmamentis, ipsam quoque rationem corruere necesse est.

Septimum Argumentum,

SEptima Auctoris ratio est: Maximam hanc esse superbiam, sed & injustam Christianarum sectarum (in qua omnes fere sunt sibi pares) arrogantiam, quod sibi solis singulæ totius S. Scripturæ intelligentiam, & mysteriorum ejus revelationem usurpent, sibique solis id arrogent quod nullo modo errare possint, ideoque alias sectas (frequenter etiam meliores) condemnent ac ferali odio prosequantur, eò quòd à se dissentiant. Cujus vitii ne celebriores quidem, & cum ratione ac scriptura convenientiores sectæ sint expertes. Omnes enim ferè magico quasi circulo intra sua tantum septa providentiam Dei erga suam tantum Ecclesiam circumscribunt ac terminant. Ex hoc antecedente Auctor tacitè sed non obscure conclusionem hanc infert, quod nulla ex Christianis sectis atque Ecclesiis tanti sit facienda, ut ei necessariò & constanter semper adhærere quilibet tenea-

teneatur, etiam cum maximo incommodo, & ſtatus ſui in terris periculo, aut jactura. Reſp. In hoc argumento nihil reperies ſani. Falſa conſequentia eſt, falſum & antecedens. Conſequentia non uno modo falſa eſt. Nam etiamſi in omnibus quæ hoc loco Chriſtianis ſectis objiciuntur, antecedens verum eſſet, quanto majori fiducia ſectæ quas reprehendit errarent aut delinquerent, tanto fideliori conſcientia niterentur, tantoque minus liceret ſingulis à ſectis ſuis contra conſcientiam tametſi male informatam, ad alias transfugere: præcipue propter terrena tantum commoda, quæ cœleſtibus præmiis ſine ſcelere anteponi nequeunt. Quamvis enim valde curandum ſit, ut conſcientia ſit quàm optimè informata, tamen enim non optimè informata dum bona fide talis eſt, & nomine Dei animos hominum gubernat, omnino ſequenda eſt, nec ſine injuria Dei ſperni poteſt. Deinde, conſequentia vera eſſe non poteſt, niſi antecedens univerſale nec ullo modo dubium ſit: hoc eſt niſi vitia quæ hoc loco Chriſtianis ſectis objiciuntur, in omnibus plane ſectis reperiantur. Nam à particulari ad univerſale non valet conſequentia: neque ideo quod nonnullæ ſectæ ejuſmodi vitiis ſcateant, omnes omninò contemnendæ ſunt. Omnes autem ejuſmodi vitiis laborare, non modò Auctor aſſerere non audet, ſed manifeſtè innuit non omnibus id objici poſſe, dum ait, *Omnes ferè* in eo deſipiunt quod magico circulo ſectas ſuas definiant. Si *omnes fere*, palàm eſt non omnes omnino id facere. Si non omnes omnino, cur tota religio Chriſtiana eo nomine reprehenditur? Ipſe igitur Auctor falſitatem antecedentis univerſaliter prolati digito oſtendit, ac proindè vim conſequentiæ enervat, expreſſè excipiens quaſdam ſectas ab ea culpa, cujus nomine cunctas arguit. Sed etiamſi in omnibus ſectis quorundam ſuperbia, & injuſtitia, aut aliud vitium reperiatur, non protinus ipſæ ſectæ, neque magis propterea ſunt rejiciendæ, quàm Apoſtolicus olim cœtus propter Judam proditorem. Præſertim autem iſtæ in quibus tamen doctrina ſecundùm pietatem viget. Nam pro alieno peccato cujus ipſe complex non ſit, nemo ſalutis jacturam faciet. Antecedens autem alicubi ambiguum, aut ſupra modum exaggeratum, multifariam autem falſum eſt. Quod & per ſe liquet, & infra clariùs patebit. Ad profligandam rationem Auctoris quæ dicta ſunt ſufficiunt.

Sed inſuper Auctor in proponenda ratione ſua duabus in rebus peccat. Primùm quod id vitium & peccatum appellat, quod non eſt vitium, nec arrogantia, nec injuſtitia. Secundò quod in reprehendendis ſectis Chriſtianis culicem percolet, camelum autem deglutiat. Utrobique dignus juſta animadverſione. Quod ad primum ejus delictum attinet; Nulla in eo ſuperbia vel arrogantia eſt, cum quis exiſtimat, ſe tametſi ratione naturæ ſuæ fragilis, & ingenii variis lapſibus obnoxii, à conditione mortalium exemptus non ſit; tamen ratione illuminationis ſpiritus Dei per S. L. loquentis, quamdiu huic lumini firmiter adhæret, & ratione diligentiæ in precibus, quam quilibet in negotio ſalutis ſuæ adhibere tenetur, videt ſe in rebus manifeſtis, quaſque Deus in præceptorum ſuorum obſequio (fatente Auctore) nulla difficultate circumdedit, non errare, & quamdiu S. Scripturæ adhærebit, errare, præſertim pernicioſe, nullo modo poſſe. Quod privilegium homines non naturæ aut fortunæ ſuæ, ſed Gratiæ, à Deo non modo publice omnibus in S. Scriptura revelatæ, ſed privatim quoque à ſingulis, ſpiritus ſancti opem implorantibus humiliter impetratæ, acceptum ferre debent. Divina autem oracula, etiamſi fortè in pauciſſimis rebus intellectu eſſent difficiliora, tamen in rebus ad ſalutem neceſſariis, tam ſimplicibus quam ſapientibus, ipſe Auctor fatetur eſſe facilia, eoque nomine meritò ingentes Deo gratias agit. Proinde non eſt hæc vitioſa animi elatio, cùm quis bona conſcientia fretus, & videns ſeſe in rebus apertis non errare, in quibus tamen alii decipiuntur, errores aliorum redarguit & damnat, atque ab iis omni contentione (dummodo non Ethnico aut Antichriſtiano more) homines avertit. Neque hæc eſt ulla ſuperbia aut arrogantia, cum quis peritiam S. Scripturæ, non dico totius & in omnibus ejus particulis, ſed in primariis & ſalutem ſpectantibus rebus ſibi tribuit, de quibus Auctor ait, eas à Deo tam ſimplicibus quàm ſapientibus pariter revelatas eſſe. Quod vero S. Scripturæ peritiam præ aliis habeant majorem, eamque ſibi meritò vindicare poſſint ejuſmodi homines qui & ipſam S. Scripturam diligenter legunt & aliis legendam ſuadent, & ipſam pro fundamento omnis notitiæ voluntatis Dei habentes, magni æſtimant, nullus in eo admirationi aut ſcandalo locus eſt. Longe melius enim mentem S. Scripturæ percipere poteſt, qui eam aſſidue volvit & conſiderat, & pluris apud ſe æſtimat, quam qui eam & ipſi raro legunt, & alios legere vetant, & tam pretioſam cœleſtem gemmam præ commentis & auctoritate mortalium contemnunt. Neque commenta ſapientiæ humanæ ad examen ſpiritûs Dei per S. Scripturam loquentis, ſed ſenſum S. Scripturæ ad regulas authoritatis & ſapientiæ humanæ exigunt.

Ac ne in eo quidem ulla ſuperbiæ & injuſtitiæ labes eſt, quando ii qui unanimi conſenſu ſtatuerunt Deum ſecundùm perfectiſſima inſtituta & ritus Apoſtolicos in S. Scriptura expreſſos colere, Eccleſias in peculiari aliquo & ab aliis diverſo regimine & quaſi ſeparato ſepto continent. Aliàs diſciplina, tranſgreſſoribus mandatorum Dei metuenda, privatæ & publicæ admonitiones, & pudefactiones peccantium, & ultima animadverſio in ſeceſſione ab extreme peccantibus extendenda, locum non haberet. Quas tamen leges nobis à ſpiritu Dei non ſolùm commendatas, ſed & imperatas eſſe, ipſe Auctor ſi S. Scripturæ credit, ut aſſerit, fateri ingenue cogitur. Conqueritur is quod variæ ſectæ varias ſalutis vias ingreſſæ ſunt. Ex iis faciliorem aliæ, aliæ difficiliorem modum ejus obtinendæ ſequuntur. Difficilior eſt modus ubi doctrinæ traduntur ſtudium veræ pietatis exſtinguentes: difficilior ubi nullis legibus nulla diſciplina peccata coërcentur. Facilior ubi doctrinæ ſecundùm pietatem vigent, & ubi peccare impune non licet. Felix eorum ſtatus qui ſimpliciſſimam & facillimam viam ad ſalutem elegerunt: miſer eorum qui difficilem, eoque miſerior qui difficiliorem: miſerrimus eorum qui difficillimam, multoque magis qui inviam viam ad ſalutem elegerunt. Quamvis igitur non omnino condemnare audeamus eos qui ſunt extra ſepta noſtra, non idcirco longe miſerior & periculoſior eorum conditio ſorte noſtra eſſe deſinet, ſi facillimam viam elegimus.

Quod verò attinet ad Magici circuli mentionem, ſciat Auctor, limites veri populi Dei, non magicis præſtigiis, ſed obſequio mandatorum Dei eſſe definitos, nec aliâ teſſerâ genuinos regni Chriſti cives à peregrinis diſcerni, niſi illâ, Novit Dominus qui ſunt ſui, & diſcedat ab iniquitate quiſquis nominat nomen Chriſti. Hoc unico diſcrimine indigena regni ejus à peregrino aut proſcripto diſtinguitur, legum videlicet ejus obſequio, aut adverſùs eas contumacia.

Sed jam ad alterum errorem Auctoris accedendum eſt, in quo cum minutos culices percolet, totos camelos deglutit. Rimatur palpebras inſontium ſectarum & ſubtiles in iis paleas venatur ut ejiciat. At noxiarum craſſas trabes, quæ non oculos tantùm, ſed frontes quoque & totos vultus occupant, ne

tangere quidem aut indice digito oſtendere audet. Damnationes opinionum atque unà fortè ipſorum quoque opinantium accuſat. At erga ipſos homines opinione diverſos multijugas injurias, effuſa convitiorum plauſtra, cumulatas ignominias, omne genus oppreſſionum, exſilia, carceres, cædes, cruenta ſupplicia, cruciatus & exquiſitæ crudelitatis ingenium, tanquam ad rem non pertinerent, affectato ſilentio tranſit. Et in damnatione quidem falſorum dogmatum nihil unquam delinquitur. Errores acriter accuſandi, errantibus autem quantum fieri poteſt parcendum eſt, Neque damnatis erroribus ſtatim ad errantium damnationem eſt properandum. Quamvis ferè nulla levior injuria errantibus inferri ſoleat, quàm æterni ſupplicii comminatio aut denunciatio. Et tamen hunc quoque in nobis erga diſſidentes impetum verbo Dei frenari videmus. Inculcatur nobis ſæpius ne judicemus & damnemus alios, niſi ipſi quoque judicari & damnari velimus. Jacobus autem Apoſtolus c. 4. v. 11. damnationem ab incompetenti judice profectam, ad injuriam legis ac legiſlatoris vergere oſtendit, qui non ſolùm eſt ſupra legem, ſed ipſius legis dominus. Quam poteſtatem nemini conceſſit. Quis igitur juriſdictionem invadere audeat, uni filio Dei delegatam. Cauſa verò cur nobis Spiritus S. iſtam damnandorum hominum libidinem vetuerit, eſt, quòd judicio ejuſmodi mortalium conditio & infirmitas ſufficere nequeat. Solus judex à Deo conſtitutus & legiſlator noſter huic judicio par eſt: quoniam eſt perfectè bonus, perfectè ſapiens, & ſuprema poteſtate præditus. Bonus quia mortalibus ſæpe plus dat quam promiſit, & quia tenues & imbecillas eorum vires reſpiciens, de ſuo jure frequenter non invitus decedit? & peccata ſæpe grandia atque acrem ultionem merentia remittit. Sapiens, nam omnia videt, omnia novit, ſcrutatur corda omnium, & facilè diſcernit quid ex improbitate, quid verò ex ignorantia & imbecillitate noſtra originem trahat. Cui indigini nullum humanum ingenium par eſt. Supremæ verò & liberrimæ poteſtatis eſt, quia licet ipſi quædam levius, quædam punire ſeverius, licet promeritam pœnam prout vult moderari, liberum eſt quoque eam plane remittere: præſertim iis qui clementia ejus abuti metuunt. Nemini igitur ad eam juriſdictionem aſpirare fas eſt, quæ unici judicis noſtri perfectæ bonitati, conſummatæ ſapientiæ, liberrimæ poteſtati ac ſupremo arbitrio debetur. Attamen uti memoravimus, hic maxime tolerabilis gradus eſt injuſtitiæ erga proximum, quoties eum ob aliquam cauſam præſertim ſpecioſam anathemate percutimus & damnamus: quia non deſunt cauſæ apertæ ac manifeſtæ ob quas homines ita juſte damnari poſſunt. Peccatores enim in peccatis perſeverantes, ad eas pœnas à nobis quoque merito damnari poſſunt, quæ æternum ſupplicium involvunt. Quos quidem non nos, ſed ſpiritus S. damnat, dum manifeſte peccantes, hoc eſt, manifeſta carnis opera patrantes, Eccleſiæ communione indignos oſtendit, imo ex Eccleſia ejici poſtulat. Sed nos de mentis erroribus loquimur, qui tametſi plerunque ab occulta carnis operum origine profluant, non tamen ſemper id hominibus liquere poteſt. Interdum enim mortalium mens citra malignitatem ceſpitat, & prolabitur. In ejuſmodi erroribus cognitu difficilioribus in decernendum ad deteriorem partem proclives nos eſſe non decet, quibus dijudicandis impares ſumus. Ac dubitare quidem de ſalute quorundam, qui errores ad perniciem ducentes excogitant, poſſumus. Sententiam autem definitivam, & decretum contra eos ferre non nobis; ſed abſoluto judici noſtro convenit. Proinde & concilia quædam, titulo licèt Oecumenica anathematum, quibus turgent pudeat oportet. Neque enim ut ſperabant diris execrationibus & carminis horrendi lege atque pronunciatione poſteritatem deceperunt: tantum abeſt ut ſupremi judicis ſubſellio impoſuerint. Carnis aperta opera humani judicii modulum non excedunt. Occultæ & in mentibus hominum abditæ actiones legitimo judici qui corda ſcrutatur relinquendæ ſunt. Sed ſi is maxime tolerabilis injuſtitiæ gradus nobis tamen vetitus eſt, quomodo pejores & longe intolerabiliores nobis permiſſi erunt? Satis injuriæ eſt de ſalute ejus deſperaſſe de quo ſpes omnis nondum exſtincta eſt. At longe deterior injuriæ gradus eſt, quos jam damnatos & graves pœnas daturos cenſeas, affligere, inſectari, damnis & jacturis, paupertate, exſilio, & omni maleficii genere opprimere. Deterior adhuc atque pejor ſanguinem eorum fundere, & ſupplicijs in miſeros ſævire. Quid ſi exquiſitos cruciatus & tortores, & crudelitatis ingenium adjungas, ad extorquendos actus qui conſcientiam ipſam pejus omni eculeo torqueant? Sed quis omnium injuriarum gradus, alios aliis nequiores percenſeat?

Magna ſanè arrogantia eſt, quando mortales myſteriorum in S. Scriptura non expreſſorum revelationem ſibi arrogant abſque ullo ſibi cœlitus conceſſo patrandorum miraculorum teſtimonio. Sed hæc multò intolerabilior ſuperbia & injuſtitia eſt, quando eos qui myſteria hæc non capiunt, quæ ne ipſi quidem eorum promulgatores ab ullo mortalium capi poſſe confitentur, barbare, & crudeliter mortales inſectantur, & ad ea capienda recipiendaque homines invitos vi ac metu & extremo ſupplicio adigunt.

Hos prægrandes camelos ſilentio deglutiens Auctor quomodo non ſit ſtrangulatus mirandum eſt: niſi forte hîc aliquid myſterii latet. Quod certe conjectura aſſequi in promtu eſt. Verebatur nimirum detegere nuditates, aut potius infanda potentiorum ſectarum ſcelera, propter quæ regimini earum ſubjici nullo modo fas eſt. Videbat illam falſam omnium ſectarum æqualitatem (unicum opinionis ſuæ fundamentum) corruere; ſi palàm fiat, quàm dira in Deum & homines injuſtitia in præcipuis ſectis quæ rerum potiuntur regnet, propter quam cum aliis quæ ad tantam impietatem progredi non audent, non dico coæquari, ſed ne comparari quidem poſſunt. Hæc unica eſt cauſa cùr earum fœdas & manifeſtas maculas reticuerit, quibus ſe ſpurciſſime contaminarunt. Talia ſunt cruenta & abominanda nonnullorum regimina, quibus ut nos in caſu neceſſitatis ſubjicere non dubitemus, hortatur Auctor: quæ an benignis Chriſti legibus & clementiſſimo regimini congruant, vel ipſius Auctoris judicio ſubſit. Idem conſideret, an quiſquam mente ſanus à ſe impetrare queat, ut à benigna Chriſti gubernatione ad tam ſævas, & Draconis ſanguine ſcriptas leges ſeſe transferat.

Octavum Argumentum.

Octava & ultima Auctoris ratio eſt, concordiæ & unionis amor, eò felicitatis adſpirans, ut unus ſit paſtor, & unum ovile, efficere in animis debet noſtris, ut in externis, quæ vulgò adiaphora aut etiam politica ſocietatum vincula cenſentur, cum omnibus conſentiamus, nec ab iis nos ſeparando ſectas novas multiplicemus. Reſp. Amorem concordiæ & unionis non improbamus, & ut alii aliis ſicubi fieri poteſt cedamus atque condeſcendamus æquum eſt. Sed non in gravioribus & majoris momenti quæſtionibus. Minutiora merito adiaphora vocari poſſunt, atque in his concordia non gravatim ſancienda eſt. Politica vincula quæ ad animum non pertingant, non dantur in ſacra religione Chriſtiana, ad quam quicquid pertinet non

pertingit

pertingit tantum ad animos noſtros, ſed eos firmiſſime conſtringit. Quamvis & politica vincula non pertingere ad animos noſtros nequeant. Nec enim ſine crimine imò ſine ſcelere ſæpe abrumpi poſſunt, ut jam oſtendimus. Sed errores ac regimina manifeſte ad perniciem ducentia, quæ cum doctrina ſecundum pietatem, cum gloria & voluntate divina, à diametro pugnant, non ſunt minuta neque adiaphora: Nec ſolùm ad animos mortalium pertingunt, ſed totius religionis noſtræ animam ſauciant & vulnerant. In ejuſmodi rebus amor unionis cum Deo & Chriſto, & primitiva Eccleſia Apoſtolica nos neceſſariò obligat, ut eum amori concordiæ cum erraticis præferamus.

Neſcio an in hoc ſcripto plures rationes opinionem Auctoris confirmantes elici poſſint. Reſtat ut obiter Auctori reſpondeamus ad ea quæ obiter ipſe quoque attingit. Cui cum veritate, aut veritati cum eo nunquam bene convenit: quia quoties eam defendere conatur, ſemper falſis rationibus defendit. Ita immotam S. Scripturæ authoritatem ſimplici & ſuſpecta ſectarum Chriſtianarum, quas ipſe in dubium vocat, authoritate ſtabilit. Ita difficultatis in intelligendis quibuſdam S. Scripturæ locis cauſam affert, quia ſi intelligi poſſent fides in ſcientiam converteretur. Et id genus alia. 1. Tandem & hanc veriſſimam aſſertionem quòd errantes non ſint odio habendi, hac ratione fulſit, quòd in iis erroris & fidei veritati non adhibitæ nulla culpa reperiantur, eò quòd ipſis Deus fidem non donaverit volens ut pereant. At Petrus 2. Pet. 1. v. 3. docet, virtutem Dei nobis omnia donaviſſe quæ ad vitam & pietatem pertinent, ita ut non Dei culpâ fiat quod quidam donum fidei non habeant & pereant, ſed malitiâ & ingratitudine horum, qui tam pretioſum & cæleſte donum prout dignum erat non recipiunt. Egregiam videlicet rationem interitus hominum, quòd ipſis Deus fidem non donet, eo conſilio ut pereant. In quo ſibi homines ſapere videntur, dum culpam pernicii hominum à ſingulorum improbitate ad unius Dei voluntatem transferunt: Et clementiſſimo atque humani generis amantiſſimo Patri id imprudenter affingunt, quod is etiam juramento adhibito à ſe removet Ezech. 33. v. 11. nec tamen fidem apud mortales invenit. Unde apparet non Deum hominibus fidem donare nolle, ſed homines Deo etiam juramenti nolle fidem adhibere. Ejuſmodi ratiunculis, futilitate & mendacio gravidis, veritas, non ægre carere poteſt, ac defenſionis tam ineptæ gratiam Auctori facit. 2. Genius venturi ſeculi qualis ſit futurus divinare non facile eſt. Id tantum certò conſtat, veritatem de devictis erroribus triumphaturam. Præterea nullius ſeculi quàm præſentis genium maturiorem eſſe ad luendas debitas pro commiſſis ſceleribus pœnas. Quanta enim hæc eſt cordis verſutia, verum Dei cultum in mente fovendo, falſum hominibus in externis actionibus oſtentare, non omiſſa vel ipſa in colendis imaginculis idololatriâ.. 3. Non miror Auctorem nullam novam ſectam eudere velle. Hæc enim in qua eſt, ab aliena incude proceſſit, & jam olim ab innumeris ante Auctorem mortalibus practicata & excercita eſt. 4. Sententiam quam in animo foveamus & quæ ad eripiendos ab æterna pernicie proximos noſtros pertineat, nolle cuiquam obtrudere, ſuſpectum eſt charitatis in proximum indicium: nec eſt quod quis eo nomine glorietur. 5. Honeſtæ actiones & exemplaris vita, quomodo cum Auctoris ſententia congruere, ac tam pernicioſa opinio quomodo virtutem ac pietatem cuipiam inſtillare poſſit, ſatis ſuprà oſtenſum, & infra plenius planum fiet 6. Quemadmodum in floſculo eleganti opere omnipotentiam numinis mirari licet, ſed floſculum pro numine colere non licet; ſic & in imaguncula ſpecioſo hominum opere pictoris aut artificis ingenium mirari & laudare conceſſum eſt: at ipſam imaginem colere & adorare, ſecundo Decalogi præcepto expreſſe vetitum eſt.

RESPONSIONIS
PARS ALTERA.

In qua oſtenditur, opinio Auctoris quàm Deo O. M. & omnibus quæ ab eo proficiſcuntur bonis, repugnet.

1. OPinio Auctoris, Deo Patri ex quo omnia, inimica eſt & repugnans. Hæc opinio gravi Deum Opt. Max. injuriâ lædit: quia ipſi in exhibendo debito cultu ſubtrahit id quod is unicè quærit, hoc eſt, gloriam coram hominibus, reſtringendo verum illius cultum ad internum cultum, nempe ad occultas cogitationes, quas nemo præter Deum noſſe aut videre poteſt: prout ipſe Auctor in limine ſcripti ſui oſtendit, dum demonſtrat rationem interni cultus nemini præter ipſum Deum reddi poſſe.

2. Si externus cultus, quem Auctor gratiam mortalium captans Deo exhibet, Deum non offendit, eſtque illi gratus & acceptus, cur internum ab externo diſparatum Auctor ſibi relinquit? ſi eum non fruſtra ſed merito atque utiliter ſibi relinquit, cur externo cultu Deum offendit, cur eum irritat ſacrificio ipſi ingrato?

3. Opinio Auctoris Deo ſimul & hominibus injuriam facit, quòd ad redhibendi Deo grati animi officium ipſis viam præcludit. Deus continua beneficia in animos & corpora noſtra effundit, ut viciſſim à nobis referat grati animi ſtudium ac teſtimonium. Qua verò in re ſtudium atque amor erga eum magis à nobis exprimi ac ſignificari poteſt, quàm ſi in gratiam ejus aliquid libenter patiamur? Dare illi nihil poſſumus, cuncta ab eo habentes, & ille nulla indiget noſtra munificentia. Unicum ac certiſſimum eſt propenſi erga eum animi documentum, quoties in ejus gratiam res adverſas libentur & alacriter patimur. Hæc verò execrabilis doctrina omnem occaſionem & facultatem patientiæ, Dei cauſa ſuſcipiendæ, nobis aufert atque eripit, quum perſecutoribus ſubjici, eorumque infenſam vim ſimulato obſequio eludere, docet: atque hoc artificio efficit ut copiam patiendi propter Deum nullam unquam habere poſſimus. Exploratiſſimum remedium ut religionis cauſa nihil patiamur eſt religioni perſequentium non adverſari, ſed eorum obſequium etiam ſimulatum capeſſere. Æque certum eſt, eum qui tali remedio utitur, nihil cauſa Dei paſſi poſſe, ut exploratum eſt eum nullis aquis ſuffocari poſſe, qui modò

capiti suo ne madefiat prospexerit.

4. Hæc opinio in eo quoque Deum injuriâ afficit, quia singulorum hominum conscientiam tollere nititur atque abolere, qua ceu unico freno Deus homines à malo arcet atque abstrahit, & ad bonum flectit. Violentia verò qua (saltem ad tempus) enecatur conscientia, in eo est, quando illa violenter torquetur & adigitur ut assentiatur iis actionibus quibus assentiri salvâ naturâ sua non potest: ut in exemplo, quando in interno cultu Dei videt meliora probatque, in externo verò deteriora sequitur. Non aliter custos hic innocentiæ humanæ, & monitor Dei quem singulis hominibus præfecit, (saltem ad tempus) interficitur. Quemadmodum enim fides absque operibus mortua est, sic discerpta & strangulata conscientia, & peccato assentari edocta, non est conscientia, sed cadaver conscientiæ, quæ jam non vivit, nec munia sua propter quæ homini à Deo concessa est, exercet. Nec aliud tunc censeri debet, quam extinctus & fumigans adeoque graveolens fomes facis illius quæ nobis ad vitandas res vetitas prælucebat. Quæ tamen mortalium vis & potentia (sicut omnia alia quæ omnipotentiæ Dei repugnare audent) non est tam efficax ut conscientiam in perpetuum tollere atque abolere possit, quin illa tandem opprimentium vires eluctata, ad vitam & munia sua quasi rediviva, sed serò, & magno cum opprimentium malo, (quod calcitrantibus contra stimulum evenire solet) postliminio redeat.

5. Denique Auctoris doctrina apertam adversus Deum hostilitatem continet. Homines enim ea opinione imbuit, ut ex regno Dei in quo voluntas ejus secundum internum Auctoris cultum exercetur, ad regnum Satanæ in quo violatur, transfugere, pro peccato ac dedecore non censeant. Quoties enim quispiam ex meliori, seu cum S. Scriptura & ratione congruentiori secta migrat ad pejorem seu utrique repugnantem, toties à regno Dei ad regnum Satanæ migrare non erubescit. Est enim in hac universitate, quæ alioqui omnipotentiæ unius Dei tota subest, peculiare regnum Dei: est & ipsi oppositum Satanæ proprium. Utrumque spirituale seu voluntarium est, hoc est, potestatis coactivæ expers & immune. Deus enim quanquam omnes cogere posset, ut sint boni, & ad regnum ejus (illud peculiare ac voluntarium) pertineant, non vult; sed bonis artibus eos per fidem ad salutem ducit volentes. Satanas quanquam omnes cogere vellet, ut sint mali, & ad regnum ejus pertineant, non potest; sed pessimis artibus eos per fraudulentas illecebras trahit ad perniciem, ignaros ac nolentes. Hunc enim spiritum Deus ad tempus gravissimæ sapientiæ suæ consilio mala multa in mundo patrare, magnaque cum licentia grassari permittit: sed tamen licentiam ejus certis legum metis circumscribit. Hic igitur hostis Dei Satanas, ut ipse innumeris criminibus & perpetua perduellione majestatem Dei violat, ita quoscunque mortalium ad partes suas pertrahit, eorundem criminum ejusdemque adversùs Deum hostilitatis conspiratione sibi adjungit. Ad Satanæ igitur regnum pertinere eos qui læsæ divinæ majestatis & perduellionis crimine tenentur, omni exceptione majus testimonium est. Tales autem sunt potentiores in orbe terrarum sectæ, atque adeo omnes sine exceptione homines qui ad opprimendas aliorum conscientias, ad invadendum mentium regnum quod sibi soli Deus seposuit, ad vastandum omni feritatis crudelitate populi Dei imperium, hosti Dei Satanæ, vires, operam, & ministerium suum commodant. Cui violentiæ quoniam Auctoris quoque opinio ministerium suum præbet (nam potentioribus qui conscientias oppugnant & opprimunt resistere vetat, turpem eorum libidini atque inhonestam deditionem suadet, & pravo aliorum regimini subjectionem imperat, atque ita Deo refragatur, & Satanæ militat) meritò Deo inimica, & hostis ejus Satanæ administra censenda est.

II.

Eadem opinio filio Dei Christo, æterno regi nostro inimica est & repugnans.

QUoniam vero post adventum filii Dei in orbem pater ipsi regnum populi sui tradidit, jam eo accedendum est, quomodo hæc opinio regni Christi majestatem violet. Qui ut extra Ecclesiam, Satanam & ministros ejus frenis invictæ potestatis coërcet, ita ipsam Ecclesiam cum perduellibus suis, qui ob crimen læsæ majestatis & hostilitatem adversùs regem suum meritò hostes Christi dicendi sunt, per fidem & patientiam sanctorum, spiritualibus armis commissum nec tamen incruentum bellum gerit. Quod ut planius intelligatur, crimina perduellium atque ipsa perduellio paucis explicanda sunt. Crimina violatæ majestatis Christi in Ecclesia patrantur, quoties homines subjectionem Christi professi, potestatem & jurisdictionem Regis sui, quam sibi soli ad præstitutum publici judicii diem reservavit, ante tempus & viribus plane insufficientibus invadunt & usurpant, ultimis in populo Christi damnationibus & suppliciis decernendis. Perduellio suscipitur, cùm in iisdem exequendis lictorum & carnificum violentiâ, carceribus, exsiliis, direptatione bonorum, cruciatu, & effuso cruore madentibus pœnis, & feralium flammarum incendiis, in populum, Christi sanguine redemtum, crudelissime sæviunt, & regnum Christi infestissima populatione ferro atque igni devastant. Ergo adversùs cuncta ista hostium suorum carnalia instrumenta Christus militum suorum spiritualibus armis, fide, constantiâ, patientiâ, & fortitudine utitur & pugnat, & tandem glorioſe vincit. At opinio Auctoris fidem atque patientiam sanctorum subruendo, eosque ad deditionem perduellibus flagitioſe solicitando, longe utiliorem & efficaciorem operam Christi hostibus navat, quàm tot lictorum atque carnificum manus. Ac profectò periculosior hostis est qui milites ad proditionem solicitat, quam qui in eodem cum hostibus agmine in adversam nobis aciem prodit. Adversa arma & prælia palàm non difficulter repellas; fraus intra præsidia nostra admissa & abdita, noxia magis & vix evitabilis est. Porrò ista Anti-Christorum intra ipsam Ecclesiam perduellio atque contra Christum hostilitas, jam olim à Spiritu Sancto prædicta & eventu tot seculorum nimium testata est. Nisi quod non unus ille Christi perduellis censendus est qui veluti pinguis & saginatus aper urbis quondam rerum dominæ sedem occupavit. Non unicus ille Antichristus, sed Antichristorum validissimus est. Omnes illi Antichristorum crimine & perduellione tenentur, qui dominium in conscientias hominum, ac potestatem coactivam soli Christo in Ecclesia competentem invadere audent. Qui cùm erronea dogmata sua, nec ratione nec S. L. authoritate defendere possunt, ad ea cunctos per vim & magistratus violentiam adigere conantur, & liberum populum Christi adversùs libertates à domino suo indultas redigere in servitutem audent. Sumant sibi quos velint ab Euangelio titulos, Romanorum etiam Pontificem ubi possunt insectentur, crimina læsæ Christi Majestatis patrant, si perduellionem Antichristi principis aut retinent aut imitantur, complices ejus atque satellites censendi sunt: eoque

voque minus excusandi, quo propius ad notitiam Evangelii accessere. Quod tamen non ita intelligi velim ut totas Evangelicas Ecclesias quæ servitutis Romanæ jugum legitime & glorioſe excussere accuſem. Soli illi inter Evangelicos affectatæ in Eccleſia tyrannidis causam dicant, qui infontes Eccleſias ſuas earumque exiſtimationem citra & contra aliorum fratrum conſenſum peſtilentibus de ſervitute & perſecutione conſcientiarum dogmatibus infecerunt & contaminarunt. Talium & iſtis ſimilium tyrannorum regimini atque inſtitutis ſubjici cunctos & quidem voluntaria deditione Auctor poſtulat. Atque ſubjici potentioris ac debiliores perſequentis ſectæ legibus atque inſtitutis, eſt ſubjici gubernationi & ſævitiæ hoſtis Chriſti. Proinde qui deditionem ejuſmodi militibus Chriſti perſuadent, hoſtibus ejus navant operam, dum ex militibus Chriſti deſertores & transfugas efficere contendunt. Quorum utros Chriſtus pejus oderit, aut gravius puniturus ſit, hoſteſne profeſſos, & corruptos transfugas ſuos, an verò eorum corruptores, viderit Auctor, viderint & ii quorum applauſum captat aut obtinet.

III.

Opinio Auctoris repugnat omni religioni, ſed præcipuè Chriſtianæ.

OMni religioni, quia docet ſentire, ſacros ritus nihil aliud eſſe niſi politica ſocietatum vincula, & quod pejus eſt quæ ad animum non pertingunt, ideoque profana meritò dici poſſunt. Præcipue tamen Chriſtianæ, cujus inſigne eſt *Crux Chriſti*. Atque iſta opinio facit homines inimicos crucis Chriſti. Nam vel indigniſſima quæque ſuſcipere imperat ne quid unquam Chriſti cauſa patiamur. Docet ſubjectionem regimini ſectarum vitioſiſſimarum, docet adulationem, hypocriſin, ſeceſſionem ab hominibus veritatis virtutiſque amantibus ad homines vitâ probroſos & moribus diſſolutos. Nec laxare tantùm ſed penitus exſtirpare conſcientiam docet, ne quid in gratiam ejus, aut potius Dei Chriſtique ſuſtineamus. Eâdemque operâ hæc opinio ſpernit ac ridet Martyres omnes Chriſti, qui veſtigia Domini prementes dira perpeſſi ſunt; quòd videlicet ſtulte ac ſine cauſa tot mala ſubierint, cùm poſſent nullo negotio, interno cultu Dei ſibi relicto, ſimulato obſequio & ſubjectione perſecutorum violentiam eludere, atque evitare

IV.

Opinio Auctoris repugnat S. Scripturæ.

OMitto innumera S. Scripturæ loca quæ doctrinam iſtam ex profeſſo oppugnant, id ab hominibus omnio exigentia ut non ſolum corde credant, ſed fidem quoque ſuam manifeſtis operibus aperiant & exprimant. Qui credidit & baptizatus fuerit, Mar. 16. v. 16. præterea ut ore profiteantur. Corde enim credimus ad juſtitiam, ore confitemur ad ſalutem. Rom. 10. v. 10. Unum illud urgeo, quod hæc opinio à ſectis cum S. Scriptura conſentaneis ad adverſantes ipſi & contrarias deficere & transfugere permittit.

V.

Opinio Auctoris ſanæ rationi repugnat.

QUia conatur conciliare res irreconciliabili ſecum inimicitia pugnantes. Conatur ut homines videant meliora probentque, & tamen malint deteriora ſequi, illæsâ conſcientiâ. Nam internus cultus per quem Auctor fidem ſalutarem in corde ſuo retinere nititur, non poteſt eſſe ipſius judicio niſi verus. Externum igitur ejuſdem judicio falſum & erroneum eſſe neceſſe eſt. Si enim internus externo contrarius non eſſet, quamobrem ipſum Auctor coram hominibus externum cultum exercentibus ſupprimeret? Apparet igitur judicio ipſius Auctoris, ut internum meliorem, ita externum cenſeri deteriorem: quem tamen in gratiam mortalium ſequitur. Quomodo verò ictu lethali conſcientiæ inflicto, efficiet, ne conſcientia eum ſentiat? Quemadmodum Deus cum Satana, Chriſtus cum Antichriſto, ſic internus cultus verus cum externo erroneo, quem Auctor ipſe talem eſſe non ignorat, conciliari nullo modo poteſt. Difficile imo abſurdum eſt in uno eodemque homine duos cultus ſibi repugnantes, caſtitate ejus conſcientiæ illæſa fingere. Hæc igitur doctrina manifeſtam contradictionem implicat, nec in ullo mortalium cum ſana & incolumi ejus ratione conſiſtere poteſt. Præter ea quæ dicta ſunt, ea opinio vel eo nomine rationi repugnare cenſenda eſt, quod à ſectis ac doctrinis cum ratione congruentibus ad eas quæ rationi adverſantur, tranſire permittit.

VI.

Hæc opinio omni veritati ac ſinceritati adverſa eſt.

VEritati, Quia in re omnium principaliſſima Deum ipſum & filium ejus, æternamque noſtram ſalutem ſpectante, h.e. in religione falſitatem & mendacium docet atq; introducit, docet aliud in corde premere aliud ore promere, & in externis actionibus præſtare. Docet id ſimulare quod à veris ad falſas opiniones vi veritatis pertracti ſimus, & ſic veritatem pro falſitate, falſitatem pro veritate hominibus venditare imperat. Sinceritati, Nam hominibus de quibus nobis interiori animi receſſu certò conſtat quod graviter errent, loco ſalutarium monitorum & redargutionis errorum docet aſſentari. Mendacium igitur & hypocriſin docet, quam decepti, æterno ſupplicio luant, nos autem ſempiterni eorum interitus culpam in noſmetipſos ultro derivemus & transferamus.

VII.

Omni virtuti: ſed præcipuè ſanctimoniæ Chriſtianæ repugnat.

VIrtuti, Nam omnis virtus etiam politica aut Ethica vel Ethnica, per arduos labores atque pericula ad laudem & famam tendit atque enititur. At hæc doctrina & opinio animos hominum enervat, & rerum difficilium ac periculorum tolerantiam turpi trepidatione fugere docet. Sanctimoniæ Chriſtianæ, ſine qua nemo Deum videbit, tanto magis repugnat, quanto illa eſt difficilior & perfectior, & quo majori certamine, in aſſidua vigilantia, patientia, & in periculis conſtantia opus habet. Præcipue verò prava iſta opinio impedit homines ne ſanctificent Deum in cordibus ſuis, 1. Pet. 3. v. 15. ſed timoris hominum, qui corpori tantum nocere poſſunt, majorem rationem habeant quàm timoris iræ, Dei qui animam ſimul & corpus perdere poteſt. Matth. 10. v. 28.

VIII. *Re-*

capiti ſuo ne madeſtat proſpexerit.

4. Hæc opinio in eo quoque Deum injuriâ afficit, quia ſingulorum hominum conſcientiam tollere nititur atque abolere, qua ceu unico freno Deus homines à malo arcet atque abſtrahit, & ad bonum flectit. Violentia verò qua (ſaltem ad tempus) enecatur conſcientia, in eo eſt, quando illa violenter torquetur & adigitur ut aſſentiatur iis actionibus quibus aſſentiri ſalvâ naturâ ſua non poteſt: ut in exemplo, quando in interno cultu Dei videt meliora probatque, in externo verò deteriora ſequitur. Non aliter cuſtos hic innocentiæ humanæ, & monitor Dei quem ſingulis hominibus præfecit, (ſaltem ad tempus) interficitur. Quemadmodum enim fides abſque operibus mortua eſt, ſic diſcerpta & ſtrangulata conſcientia, & peccato aſſentari edocta, non eſt conſcientia, ſed cadaver conſcientiæ, quæ jam non vivit, nec munia ſua propter quæ homini à Deo conceſſa eſt, exercet. Nec aliud tunc cenſeri debet, quam extinctus & fumigans adeoque graveolens fomes facis illius quæ nobis ad vitandas res vetitas prælucebat. Quæ tamen mortalium vis & potentia (ſicut omnia alia quæ omnipotentiæ Dei repugnare audent) non eſt tam efficax ut conſcientiam in perpetuum tollere atque abolere poſſit, quin illa tandem opprimentium vires eluctata, ad vitam & munia ſua quaſi rediviva, ſed ſerò, & magno cum opprimentium malo, (quod calcitrantibus contra ſtimulum evenire ſolet) poſtliminio redeat.

5. Denique Auctoris doctrina apertam adverſus Deum hoſtilitatem continet. Homines enim ea opinione imbuit, ut ex regno Dei in quo voluntas ejus ſecundum internum Auctoris cultum exercetur, ad regnum Satanæ in quo violatur, transfugere, pro peccato ac dedecore non cenſeant. Quoties enim quiſpiam ex meliori, ſeu cum S. Scriptura & ratione congruentiori ſecta migrat ad pejorem ſeu utrique repugnantem, toties à regno Dei ad regnum Satanæ migrare non erubeſcit. Eſt enim in hac univerſitate, quæ alioqui omnipotentiæ unius Dei tota ſubeſt, peculiare regnum Dei: eſt & ipſi oppoſitum Satanæ proprium. Utrumque ſpirituale ſeu voluntarium eſt, hoc eſt, poteſtatis coactivæ expers & immune. Deus enim quanquam omnes cogere poſſet, ut ſint boni, & ad regnum ejus (illud peculiare ac voluntarium) pertineant, non vult; ſed bonis artibus eos per fidem ad ſalutem ducit volentes. Satanas quanquam omnes cogere vellet, ut ſint mali, & ad regnum ejus pertineant, non poteſt; ſed peſſimis artibus eos per fraudulentas illecebras trahit ad perniciem, ignaros ac nolentes. Hunc enim ſpiritum Deus ad tempus graviſſimæ ſapientiæ ſuæ conſilio mala multa in mundo patrare, magnaque cum licentia graſſari permittit: ſed tamen licentiam ejus certis legum metis circumſcribit. Hic igitur hoſtis Dei Satanas, ut ipſe innumeris criminibus & perpetua perduellione majeſtatem Dei violat, ita quoſcunque mortalium ad partes ſuas pertrahit, eorundem criminum ejuſdemque adversùs Deum hoſtilitatis conſpiratione ſibi adjungit. Ad Satanæ igitur regnum pertinere eos qui læſæ divinæ majeſtatis & perduellionis crimine tenentur, omni exceptione majus teſtimonium eſt. Tales autem ſunt potentiores in orbe terrarum ſectæ, atque adeo omnes ſine exceptione homines qui ad opprimendas aliorum conſcientias, ad invadendum mentium regnum quod ſibi ſoli Deus ſepoſuit, ad vaſtandum omni feritatis crudelitate populi Dei imperium, hoſti Dei Satanæ, vires, operam, & miniſterium ſuum commodant. Cui violentiæ quoniam Auctoris quoque opinio miniſterium ſuum præbet (nam potentioribus qui conſcientias oppugnant & opprimunt reſiſtere vetat, turpem eorum libidini atque inhoneſtam deditionem ſuadet, & pravo aliorum regimini ſubjectionem imperat, atque ita Deo refragatur, & Satanæ militat) meritò Deo inimica, & hoſtis ejus Satanæ adminiſtra cenſenda eſt.

II.

Eadem opinio filio Dei Chriſto, æterno regi noſtro inimica eſt & repugnans.

QUoniam vero poſt adventum filii Dei in orbem pater ipſi regnum populi ſui tradidit, jam eo accedendum eſt, quomodo hæc opinio regni Chriſti majeſtatem violet. Qui ut extra Eccleſiam, Satanam & miniſtros ejus frenis invictæ poteſtatis coërcet, ita ipſam Eccleſiam cum perduellibus ſuis, qui ob crimen læſæ majeſtatis & hoſtilitatem adversùs regem ſuum meritò hoſtes Chriſti dicendi ſunt, per fidem & patientiam ſanctorum, ſpiritualibus armis commiſſum nec tamen incruentum bellum gerit. Quod ut planius intelligatur, crimina perduellium atque ipſa perduellio paucis explicanda ſunt. Crimina violatæ majeſtatis Chriſti in Eccleſia patrantur, quoties homines ſubjectionem Chriſti profeſſi, poteſtatem & juriſdictionem Regis ſui, quam ſibi ſoli ad præſtitutum publici judicii diem reſervavit, ante tempus & viribus plane inſufficientibus invadunt & uſurpant, ultimis in populo Chriſti damnationibus & ſuppliciis decernendis. Perduellio ſuſcipitur, cùm in iiſdem exequendis lictorum & carnificum violentiâ, carceribus, exſiliis, direptatione bonorum, cruciatu, & effuſo cruore madentibus pœnis, & feralium flammarum incendiis, in populum, Chriſti ſanguine redemtum, crudeliſſime ſæviunt, & regnum Chriſti infeſtiſſima populatione ferro atque igni devaſtant. Ergo adversùs cuncta iſta hoſtium ſuorum carnalia inſtrumenta Chriſtus militum ſuorum ſpiritualibus armis, fide, conſtantiâ, patientiâ, & fortitudine utitur & pugnat, & tandem glorioſe vincit. At opinio Auctoris fidem atque patientiam ſanctorum ſubruendo, eoſque ad deditionem perduellibus flagitioſe ſolicitando, longe utiliorem & efficaciorem operam Chriſti hoſtibus navat, quàm tot lictorum atque carnificum manus. Ac profectò periculoſior hoſtis eſt qui milites ad proditionem ſolicitat, quam qui in eodem cum hoſtibus agmine in adverſam nobis aciem prodit. Adverſa arma & prælia palàm non difficulter repellas; fraus intra præſidia noſtra admiſſa & abdita, noxia magis & vix evitabilis eſt. Porrò iſta Anti-Chriſtorum intra ipſam Eccleſiam perduellio atque contra Chriſtum hoſtilitas, jam olim à Spiritu Sancto prædicta & eventu tot ſeculorum nimium teſtata eſt. Niſi quod non unus ille Chriſti perduellis cenſendus eſt qui veluti pinguis & ſaginatus aper urbis quondam rerum dominæ ſedem occupavit. Non unicus ille Antichriſtus, ſed Antichriſtorum validiſſimus eſt. Omnes illi Antichriſtorum crimine & perduellione tenentur, qui dominium in conſcientias hominum, ac poteſtatem coactivam ſoli Chriſto in Eccleſia competentem invadere audent. Qui cùm erronea dogmata ſua, nec ratione nec S. L. authoritate defendere poſſunt, ad ea cunctos per vim & magiſtratus violentiam adigere conantur, & liberum populum Chriſti adversùs libertates à domino ſuo indultas redigere in ſervitutem audent. Sumant ſibi quos velint ab Euangelio titulos, Romanorum etiam Pontificem ubi poſſunt inſectentur, crimina læſæ Chriſti Majeſtatis patrant, ſi perduellionem Antichriſti principis aut retinent aut imitantur, complices ejus atque ſatellites cenſendi ſunt: eoque

voque minus excusandi, quo propius ad notitiam Evangelii accessere. Quod tamen non ita intelligi velim ut totas Evangelicas Ecclesias quæ servitutis Romanæ jugum legitimè & glorioſe excussere accusem. Soli illi inter Evangelicos affectatæ in Ecclesia tyrannidis causam dicant, qui infontes Ecclesias suas earumque existimationem citra & contra aliorum fratrum consensum pestilentibus de servitute & persecutione conscientiarum dogmatibus infecerunt & contaminarunt. Talium & istis similium tyrannorum regimini atque institutis subjici cunctos & quidem voluntaria deditione Auctor postulat. Atque subjici potentioris ac debiliores persequentis sectæ legibus atque institutis, est subjici gubernationi & sævitiæ hostis Christi. Proinde qui deditionem ejusmodi militibus Christi persuadent, hostibus ejus navant operam, dum ex militibus Christi desertores & transfugas efficere contendunt. Quorum utros Christus pejus oderit, aut gravius puniturus sit, hostesne professos, & corruptos transfugas suos, an verò eorum corruptores, viderit Auctor, viderint & ii quorum applausum captat aut obtinet.

III.

Opinio Auctoris repugnat omni religioni, sed præcipuè Christianæ.

OMni religioni, quia docet sentire, sacros ritus nihil aliud esse nisi politica societatum vincula, & quod pejus est quæ ad animum non pertingunt, ideoque profana meritò dici possunt. Præcipue tamen Christianæ, cujus insigne est *Crux Christi*. Atque ista opinio facit homines inimicos crucis Christi. Nam vel indignissima quæque suscipere imperat ne quid unquam Christi causa patiamur. Docet subjectionem regimini sectarum vitiosissimarum, docet adulationem, hypocrisin, secessionem ab hominibus veritatis virtutisque amantibus ad homines vitâ probrosos & moribus dissolutos. Nec laxare tantùm sed penitus exstirpare conscientiam docet, ne quid in gratiam ejus, aut potius Dei Christique sustineamus. Eâdemque operâ hæc opinio spernit ac ridet Martyres omnes Christi, qui vestigia Domini prementes dira perpessi sunt; quòd videlicet stulte ac sine causa tot mala subierint, cùm possent nullo negotio, interno cultu Dei sibi relicto, simulato obsequio & subjectione persecutorum violentiam eludere, atque evitare

IV.

Opinio Auctoris repugnat S. Scripturæ.

OMitto innumera S. Scripturæ loca quæ doctrinam istam ex professo oppugnant, id ab hominibus omnio exigentia ut non solum corde credant, sed fidem quoque suam manifestis operibus aperiant & exprimant. Qui credidit & baptizatus fuerit, Mar. 16. v. 16. præterea ut ore profiteantur. Corde enim credimus ad justitiam, ore confitemur ad salutem. Rom. 10. v. 10. Unum illud urgeo, quod hæc opinio à sectis cum S. Scriptura consentaneis ad adversantes ipsi & contrarias deficere & transfugere permittit.

V.

Opinio Auctoris sanæ rationi repugnat.

QUia conatur conciliare res irreconciliabili secum inimicitia pugnantes. Conatur ut homines videant meliora probentque, & tamen malint deteriora sequi, illæsâ conscientiâ. Nam internus cultus per quem Auctor fidem salutarem in corde suo retinere nititur, non potest esse ipsius judicio nisi verus. Externum igitur ejusdem judicio falsum & erroneum esse necesse est. Si enim internus externo contrarius non esset, quamobrem ipsum Auctor coram hominibus externum cultum exercentibus supprimeret? Apparet igitur judicio ipsius Auctoris, ut internum meliorem, ita externum censeri deteriorem: quem tamen in gratiam mortalium sequitur. Quomodo verò ictu lethali conscientiæ inflicto, efficiet, ne conscientia eum sentiat? Quemadmodum Deus cum Satana, Christus cum Antichristo, sic internus cultus verus cum externo erroneo, quem Auctor ipse talem esse non ignorat, conciliari nullo modo potest. Difficile imò absurdum est in uno eodemque homine duos cultus sibi repugnantes, castitate ejus conscientiæ illæsa fingere. Hæc igitur doctrina manifestam contradictionem implicat, nec in ullo mortalium cum sana & incolumi ejus ratione consistere potest. Præter ea quæ dicta sunt, ea opinio vel eo nomine rationi repugnare censenda est, quod à sectis ac doctrinis cum ratione congruentibus ad eas quæ rationi adversantur, transire permittit.

VI.

Hæc opinio omni veritati ac sinceritati adversa est.

VEritati, Quia in re omnium principalissima Deum ipsum & filium ejus, æternamque nostram salutem spectante, h. e. in religione falsitatem & mendacium docet atq; introducit, docet aliud in corde premere aliud ore promere, & in externis actionibus præstare. Docet id simulare quod à veris ad falsas opiniones vi veritatis pertracti simus, & sic veritatem pro falsitate, falsitatem pro veritate hominibus venditare imperat. Sinceritati, Nam hominibus de quibus nobis interiori animi recessu certò constat quod graviter errent, loco salutarium monitorum & redargutionis errorum docet assentari. Mendacium igitur & hypocrisin docet, quam decepti, æterno supplicio luant, nos autem sempiterni eorum interitus culpam in nosmetipsos ultro derivemus & transferamus.

VII.

Omni virtuti: sed præcipuè sanctimoniæ Christianæ repugnat.

VIrtuti, Nam omnis virtus etiam politica aut Ethica vel Ethnica, per arduos labores atque pericula ad laudem & famam tendit atque enititur. At hæc doctrina & opinio animos hominum enervat, & rerum difficilium ac periculorum tolerantiam turpi trepidatione fugere docet. Sanctimoniæ Christianæ, sine qua nemo Deum videbit, tanto magis repugnat, quanto illa est difficilior & perfectior, & quo majori certamine, in assidua vigilantia, patientia, & in periculis constantia opus habet. Præcipue verò prava ista opinio impedit homines ne sanctificent Deum in cordibus suis, 1. Pet. 3. v. 15. sed timoris hominum, qui corpori tantum nocere possunt, majorem rationem habeant quàm timoris iræ, Dei qui animam simul & corpus perdere potest. Matth. 10. v. 28.

VIII. Re-

VIII.

Repugnat omni fidei, & spei cœlestis præmii.

NAm efficit ut homines potius intenti sint terrenis ac præsentibus vitæ bonis, atque omni à persecutione immunitati, quàm cœlestis præmii exspectationi. Ita omnis in promissis Dei collocanda fiducia tollitur, & omnis cura nostra in eo consumitur, ut in hac vita ab omni persecutione tuti atque indemnes simus, etiamsi hæc pax & securitas conscientiæ & innocentiæ jactura redimenda sit.

IX.

Repugnat omni ingenuitati & honestati.

DOcet enim ut hominibus assentemur, usque adversus proprium sensum & judicium nostrum obtequamur. Ita ut Patroni hujus sententiæ possint unà cum illo turpi in Comœdia parasito gloriari, *Negat quis, nego, ait ajo, postremo imperavi egomet mihi omnia assentari.* Is quæstus nunc est multo uberrimus. In quo videtur summæ turpitudinis apex.

X.

Repugnat omni magnitudini animi & generositati.

QUia hæc opinio mentis hominum imbuit degeneri metu & pusillanimitate in captanda vitiosorum hominum gratia. Non permittit potentiores erroris admoneri aut coargui: sed potius errori eorum, quamvis nobis liqueat, adstipulari imò patrocinari jubet, & fingere, nos in eodem cum cæteris quem clam damnamus errore, versari. Quo flagitio quid vilius aut servilius esse potest?

XI.

Repugnat omni robori & fortitudini.

NEmo modestiam & humilitatem Christianam secus quam deceat intelligat aut interpretetur. Efficit religio nostra modestos & suo se modulo metientes: at non pavidos, neque degeneri metu abjectas mentes. Non accepimus spiritum timoris, ut ad omnes mortalium minas expaveſcamus. Ad bellum non ad pacem à Duce nostro auctorati sumus. Ejus auspiciis, in oculis ejus, cum Satana ejusque copiis confligimus. Fortiter & animosè dimicandum est. Spectat hoc certamen Dux noster, & cuilibet quale promerebitur præmium parat. Quid nobis metuendum, si Dominus pugnantibus suis subsidio est? Qui suorum cuilibet causam suam strenuè propugnanti & ad victoriæ gloriam aspiranti, nec ante pugnam trepido aut animum desponденti, nec fugam aut deditionem meditanti, insuperabiles cœlitus suppetias affert. Cui verò validissimam cœlestis veritatis arcem, quæ munitissimo situ, & invicto robore omnes impetus hostium retundere potest concredidit, ab eo, ne vim aut numerum aut potentiam hostium formidet, suo jure reposcit. Sed Auctoris doctrina homines pavidos atque trepidantes reddit, usque fugam potiùs aut deditionem quàm conflictum suadet. Meritò Spiritus Sanctus homines timidos turpi opprobrio notat, & comminatione terret Apoc. 21. v. 8. quibus non aliud quàm quod infidelibus, abominabilibus, homicidis, veneficis, & idololatris, in lacu igne ac sulphure flagrante supplicium decernit.

XII.

Doctrina hæc omnis ignominiæ & dedecoris plena est.

QUia loco militum Christi procreat galeatos lepores: quos quia coram hominibus, veritatis & crucis Christi pudet; cœlestis vicissim Dux noster pro suis se coram patre suo & militia cœlesti non agniturum pronunciat. Meritò & patroni ejus palàm patrocinium ejus agnoscere erubescunt, nec nisi clam veneno suo inficere mortales audent. Doctrina enim hæc fœdam formidinis graveolentiam redolet. Ideo secretum quærit & flagitio suo latebras circumdare nititur.

XIII.

Hæc opinio scandali & damnorum inæstimabilium plena est.

NAm & omnibus publice, & singulis privatim noxia est. Publice omnibus, quia ut se mortalium animis insinuet, totam, ut vidimus religionem Christianam in dubium vocat. Offenduntur ejus pravitate omnes sectæ: quia cunctas eorum criminum arguit propter quæ sperni ab omnibus possint. Offenduntur eæ è quibus transfugium ad alias commendatur. Nec minus eæ offenduntur ad quas idem transfugium suadetur, cùm vident id flagitium in gratiam carnalium commodorum suaderi. Quo fit, ut non modò apud eos qui flagitiosè deserunt, sed & apud eos ad quos turpiter transitur, desertores isti & transfugæ parum fidei nec plus existimationis acquirant, atque ita dignam utrobique perfidiæ mercedem referant. Privatim verò singulis noxia est, quia damna infert inæstimabilia & irreparabilia. 1. Quòd homines hac opinione imbutos æternum cum bona animi sui conscientia divortium facere necesse est: quippe qui sese subjiciant ejusmodi Ecclesiæ regimini, quod propria eorum conscientia non potest non damnare, idque deterius esse eo quod trepide ac turpiter deseruerunt, censere. Quoniam enim internum Dei cultum quem coram iis ad quos accesserunt occultant, sibi servant, hinc liquido constat, quemadmodum internum cultum ita & internum de rebus divinis sensum in iis non definere, & sic in externo cultu quem clam improbant, scientes peccant, & conscientiam, non offendere non possunt. Potest aliquis post melius aut pejus informatam conscientiam illæsa ipsa aliquid facere quod antea non audebat. Sed quando quoad internum cultum & sensum (ut Auctor de se loquitur) semper est idem, apparet eum conscientiam sicut prius informata fuit, non deposuisse, nec mutasse, sed idem semper sentire quod antea. Nihilominus tamen contra sensum suum aliquid facere, quod illæsa conscientia fieri nequit. 2. Homo conscientiæ bipartitæ, ac proinde jam mortuæ, qui aliud sentit, aliud agit, doni Spiritus Sancti boni inæstimabilis spem habere nequit: quo damnum isti opinioni acceptum ferat oportet. 3. Idem homo quemadmodum fiducia plenum ad Deum accessum, ita optabilem precum suarum fructum nunquam habere potest: quoniam duplici corde ad Deum accedit, estque homo inconstans in viis suis, similis fluctui marino, quem ab uno littore interni ad alterum externi cultûs adversæ ventorum tempestates huc & illuc jactant. Ejusmodi hominibus S. Jacobus penitus spem præcidit quod petunt impetrare ut à Deo possint. Jac. 1. v. 16. 4. Idem homo in perpetuum valedicere potest gaudio & solatiis & omnibus commodis quæcunque pura conscientia & Spiritus Sanctus secum affert.

XIV.

XIV.

Doctrina Auctoris discipulos suos in exquisitissimos animi dolores & cruciatus præcipitat.

QUamvis in hac quam exposuimus cœlestium in terris voluptatum privatione atque ademtione multum sit doloris atque tristitiæ, tamen non desunt præterea multo majores cruciatus quos hæc opinio sectatoribus suis affert. Cui notum est quanto gravior est afflictio spiritûs præ afflictione corporis, is facile agnoscet, minus ferendam esse animi quam corporis ægritudinem. Nam animus quanto est durabilior corpore, eo validiores ejus cruciatus & ærumnas, quam corporis esse necesse est. Corpus propter infirmitatem suam magno dolori facile succumbit: animi tamen robore non raro ægritudo corporis sublevatur. At ægrum animum corpus non sublevat, sed per latus ejus, saucium geminato dolore conficitur. Unde videmus homines conscientiæ cruciatibus afflictos, sæpe mortem non optare tantùm, sed suismet sibi manibus conscisscere. Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci? Apparet igitur mortalibus non modo dolorem corporis, sed ipsam mortem, quamvis ultimum malorum putetur, optabiliorem esse quam vitam ad torturas conscientiæ damnatam: Apparet & vitâ temporariâ cum summis doloribus finitâ, esse aliquid terribilius & minus tolerabile. Horribilis est mors vulgaris & dolores ejus, quos tamen Deus per Christum solvere vult & promittit. At mortis æternæ dolores longe sunt minus tolerabiles, & sine ullo bonæ spei solatio. Verum tamen in hoc negotio est quod sibi metuat Auctor à fraudulento Satanæ stratagemate, neque se evasisse putet quòd nondum forte acutissimos quos exaggeramus stimulos & cruciatus conscientiæ magnopere sentiat. Non ignotum ejus est in perdendis hominibus artificium, quos peccati illecebris inescatos tantisper delicate fovet, ne delicti magnitudinem sentire & eluctari possint, donec iis plane sub jugum missis regressum ad bonam mentem præcluserit. Ast ubi voti potitus fuerit mutat pellem versipellis spiritus, atque animadverso, hominem ob diuturnam peccati consuetudinem ex potestate sua exire non posse, scimus quibus artibus excarnificare conscientiam, & commissæ culpæ magnitudinem exaggerare (2. Cor. 2. v. 10. 11.) & horribilis judicii Dei exsecutor esse soleat. Quæ cùm ita sint, non confidat Auctor præsenti malaciæ, quam fœda & pernicioſa tempestas non longo post intervallo excipiet. Rectè enim ipse asserit, semel sibi agnitam veritatem non posse ex animo, etsi quam maxime velit à stirpe evelli. Artibus tamen & versutiâ Satanæ ad tempus ita obnubilari potest, ut tanquam ignis favillis suis oppressus calorem, ita illa salutarem fructum suum non exserat. Nam & Auctor, morsus & exprobrationes conscientiæ suæ fugiens, non difficilem se Satanæ præbebit ad admittendam (quam is mortalium oculis obducere solet) albuginem; ne cernant ea quæ absque dolore mentis culpæ suæ conscii cernere nequeant. Cujus tamen detegendæ potestas, penes eum est qui obduxit. Documentum huic rei præbet expressa in hoc scripto propria Auctoris experientia. Nam etsi initio tam brevis Declarationis suæ asserit, se hanc veritatem, aut suum de Deo & rebus ad gloriam ejus spectantibus sensum, nullo modo, licet quam maxime velit deponere aut mutare posse, sub finem tamen ejusdem scripti, oblitus modo dictæ gloriationis, significat eum se jam magna ex parte mutasse, dum aperte fatetur, sese paratum esse externo cultu Dei in imaguncula adorare majestatem Dei, hoc est, in honorem & cultum Dei, imagunculam adorare eique cultum deferre qui soli Deo debetur. Adeone tam pusillo tempore, antequam breviſſimo scripto finem imponeret, hanc in seipso metamorphosin expertus est, ut ei secundum in Decalogo præceptum memoriâ exciderit.

Precor igitur ex animo, ut Auctor, quam diu ipsi Deus tempus ad conversionem non aufert, quamdiu reliquiæ veritatis nondum plane exstinctæ supersunt, antequam Satan consoporatam nunc conscientiam ejus in seram pœnitentiam excitet, ipse sibi maturè tam pernicioſum somnum abrumpat, & tam tetram opinionem, qualis supra vivis coloribus depicta est, abjiciat, & tam sibi quam aliis ex animo stirpitus evellat. Atque hoc voto ut ipsi Deus in hoc negotio singularem gratiam largiri dignetur, Responsionem meam ad scriptum ejus finio.

FINIS.

ANIMADVERSIONES

in Libellum cui titulus

DE QUALITATE REGNI DOM. N. JESU CHRISTI

Ubi inquiritur, an Chriſtiano, ſive Regni ejus ſubdito, terrenæ dominationes conveniant?

9

ANIMADVERSIONES

in Libellum cui titulus

DE QUALITATE REGNI

DOM. N. JESU CHRISTI

ubi inquiritur, an Christiano, sive Regni ejus subdito, terrenae dominationes conveniant?

ANIMADVERSIONES

in Libellum cui titulus

DE QUALITATE REGNI DOM. N. JESU CHRISTI

Ubi inquiritur, an Christiano, sive Regni ejus subdito, terrenæ dominationes conveniant?

CAP. I.

Qua in re magnitudo ac dignitas Christianorum consistat.

IUdicium Auctoris hujus Scripti, in formando Controversiæ statu, mirificè nobis probatur; quòd in ipso disceptationis limine, animadverterit, non de eo quæri, utrum regimen Regni Christi naturâ suâ spirituale sit; hoc est, precarium & quale Christus *Matth.* xx. depingit; quod ipsius confessione omnes fatentur; sed an, cum terreno, hoc est, Coactivo regimine, quod Paulus *Rom.* XIII. describit, in eodem populo Christi, (quod ad regnantium jus attinet) consistere possit; quod nos asserimus, ille verò negat. Hîc igitur quæstionis status, in materiâ tàm lubricâ, arctè stringendus est, ne nobis, tanquam anguilla negligenter comprehensa elabatur. Nam hic quisquis est libelli Auctor, vir sanè optimus, saltem in primo capite hujus ultrò sibi à se præscriptæ legis, (quod quidem pace ipsius dictam sit.) oblitus esse videtur. Non enim id ex istis Christi verbis *Matth.* xx. 2. probat, (quod est in quæstione) Spirituale & precarium regimen; cum politico & coactivo, in eodem populo Christi consistere non posse: Sed tantum, regimen Christi, in ejus regno spirituali, hoc est Ecclesia; & spirituale & precarium esse: & à Coactivo toto cælo distans; quod neminem nostrûm negare, ipse, ut modo diximus, confessus est. Quis enim nostrûm non libenter fateatur, modum magnitudinis in regno Christi, de quo hic loquitur; diversum esse, à modo magnitudinis hujus Mundi? Idem de cæteris, id genus, judicium esto: Quod nisi in probationibus, quæ ad quæstionem nostram, ut diximus, vix pertinent admiscuisset non pauca, in quibus ab illo plurimum dissentimus: non erat cur ad ea responderemus, quæ causam, quam defendimus non feriunt. Placet igitur ea breviter perstringere, quæ nobis in propositâ ab ipso verborum *Matth.* xx. 2. explicatione, displicent.

I.

Quorum primum est, quod ait in citato loco Chri»stum docuisse discipulos ut suo *exemplo magni* sint »*subjectione humilitate*; *non dominandi in alios ma»jestate.* Quamvis enim alibi mutuam subjectionem Spiritus Sanctus nobis commendet; & humilitatem atque modestiam veluti Christianarum virtutum fundamentum, sæpius inculcet: tamen hoc loco Dominus dominandi majestati, aut, ut ego loqui malim, felicitati atque voluptati; non subjectionem sed ministerii molestias, labores atque pericula, opponit, idque in suo exemplo planum facit. Atque ut caliginem quæ ex vocum variè intellectarum ambiguitate oboriri ac disputantes involvere solet, discutiamus; distinguenda nobis est primum vox subjectionis. Quæ aliquando jugem & ordinarium statum eorum, qui alieno, seu potestati subjacent sive curæ sub sunt, significat; interdum tantum extraordinariam aliquam propter justam causam submissionem; ut cum rectè monenti filio, pater, morem gerit. Posterius igitur genus subjectionis duntaxat, intelligit Spiritus S. quoties nobis omnibus, mutuam subjectionem imperat; quam tamen ita præscribit, ut illud prius, ubicunque locum habet illæsum relinquat. Sed hoc posterius subjectionis genus; neque ad disputationem nostram, neque ad præsentis loci explicationem pertinet. Neq; enim de extraordinario aliquo officio eorum, à quibus dominationem removet, Christus hoc loco loquitur: sed de perpetuo & ordinario. Proinde si subjectionem hoc loco dominationi opponeret; & in locum ipsius substitueret, perpetuam & ordinariam subjectionem exigeret ab iis, qui aliis in Ecclesia præsunt; quod absurdum est, ac seipsum tollit; atque ipsius Christi exemplo refutatur. Qui neque ipse subjectionem (de proprie dicta & jugi ac ordinaria, non de aliquo voluntariæ submissionis officio loquimur) erga discipulos suos exercuit; neque eandem sic intellectam ab Apostolis, aut iis qui in Ecclesia primi aut magni esse velint, exegit: sed & ipse duritiem atque laboriositatem quamque in gratiam eorum, quorum saluti operam navabat suscepit; & præpositis Ecclesiæ suo exemplo suscipienda esse, ostendit. Aliud igitur est subjectio, aliud ministerium, aut ista de qua hoc loco Christus loquitur, servitus. Neque enim ista servitus aut ministerium, de quo hic sermo est, ordinariam præpositurâ & permanentem eminentiæ statum, qui per verba (*Qui primi aut magni esse velint*) designatur, excludit; sed potius includit ac supponit; imò constituit. quam tamen subjectio; si permanens esse debeat, plane excluderet. Deinde, ne quid eorum, quæ mens loci hujus considerationi intenta, volutat, reticeam: quamvis plane negare nolim, Christum hoc loco ambitionem ac superbiam discipulorum, opposito adversæ virtutis ac modestiæ officio retundere voluisse: nec meæ causæ aut sententiæ multum interfit quid de ea re statuatur: tamen adduci nequeo, ut existimem, hunc verborum

ac doctrinæ Christi hoc loco traditæ, primarium ac principalem, (tantum abest ut solus fuerit) scopum fuisse, ut humilitatem doceret. Neque enim ea quæ in locum dominationis substituit, officia, hoc est, labores atque pericula, & navata saluti animarum opera, ex humilitatis, sed potius ex charitatis fonte derivantur. Nec ipse cum animam posuit, pretium pro multis, modestiæ magis quàm caritatis erga nos specimen edidit. Neque verò in gratiam humilitatis ac modestiæ, dominatio à regno Christi, de quo hic sermo est, excluditur, cum ista se mutuò non tollant; sed unâ sæpe consistere possint: sed quia ejus natura coactivam potestatem non fert, quod in cura animarum ad cælestes virtutes invitandarum versetur, quæ omnem violentiam respuit. Videmus igitur salvo humilitatis atque modestiæ officio; relictum à Christo liberum etiam in Ecclesia honestum quendam primi loci aut eminentiæ (liceat ita loqui) ambitum, si quis ad eum bonis artibus grassetur; quod fieri non poterat si perpetuam demissionis ac subjectionis humilitatem, præceptum hoc ejus à nobis exigebat. Neque verò solum erat tunc ambitionis vitium ex animis Apostolorum extirpandum; sed & ille quoque error eximendus, qui huic vitio fomitem dare poterat, quod ex terrena Regni Christi quam somniabant potestate terrenas dominationis illecebras atque delimenta, (qualis erat terrenorum beneficiorum aliis conferendorum potestas) sibi pollicerentur. Quem quidem errorem Christus hoc loco ex professo eximit, ostendens Apostolorum & qui in Ecclesia duces aliorum essent futuri Statum, tantum abfore ab illis quæ dominantium in terris conditionem optabilem reddunt, illecebris: ut si humano more res æstimanda sit, longè optabilior sit status futurus eorum ipsorum quibus ipsi præerunt atque inservient; adeò ut Ecclesiæ præpositi servorum ac ministrorum labores ærumnas atque ipsa pericula, sint susceptari; ii vero qui curæ aliorum commissi fuerint, operâ atque ministerio præpositorum tanquam domini ministrorum sint fruituri.

II.

Alterum est quod probare non possumus, quod Auctor per eos qui hoc loco inter Christianos *magni* aut *primi* esse velle dicuntur, videatur intelligere eos omnes qui *Reges & Sacerdotes* coràm Deo sunt: Quæ verborum istorum interpretatio meritò à nobis repudiatur; quia cum Consequentis fallacia arctè complicata est; cum licet dubitari nequeat omnes quicunque magni aut primi in Ecclesia sint, aut esse velint; esse quoque aut esse velle Reges & Sacerdotes coràm Deo: non tamen æquè verum sit omnes quicunque Reges & sacerdotes coràm Deo sint; primos aut magnos inter membra Ecclesiæ esse, aut esse velle. Latius enim patet denominatio eorum, qui Reges & sacerdotes coràm Deo esse dicuntur, quàm eorum qui inter Christianos magni aut primi esse velint; cum illa ad omnes Christianos extendatur: hæc nonnisi ad eos, qui aliquam in Regno Ecclesiæ eminentiam habent aut affectant.

Quod si Autor putat omnibus Christianis officium hoc impositum esse, ut Magni sint; eamque vocem non sumi relatè vel oppositè ad alios Christianos; sed absolutè; quæ duntaxat magnitudinem & excellentiam communis vocationis nostræ designet; non autem singulorum præ aliis secum comparatis, excellentiam; fugit eum ratio, cum alias plures ob causas, tum verò potissimum ob istas. 1. quòd subjectæ sermoni Christi materiæ ratio, non ferat, ejus vocis absolutam significationem, sed comparatam requirat. Sermo enim Christi respicit tàm duorum Apostolorum, qui comparatam cum aliis seu excellentiorem aliis magnitudinem affectabant, conatum; quàm reliquorum, qui sese isto conatu lædi ac deprimi putabant, affectum. Nulla autem fuisset reliquis Apostolis indignandi causa; si illi duo absolutam aliquam & communem omnibus magnitudinem affectassent. 2. quod additæ istis vocabulis voces, *inter vos* necessariò significent magnitudinem istam intelligendam, non modò, non absolutè; sed ne comparatè quidem aut oppositè ad externos; verum comparatè & oppositè ad reliquos Christianos; quorum respectu magni sint, qui hic dicuntur magni. 3. *Magni inter aliquos* vox, æque relata est atque vox *Primi*. Atqui primus non potest dici nisi respectu posteriorum. 4. Ut quis magnitudinem & excellentiam aliquam, quæ omnibus Christianis communis & necessaria sit, consequatur (qualis est divinæ naturæ participatio aut cum Deo communio) non relinquit Christus arbitrio cujusquam, sed omnibus id necessariò imponit. At istam qualitatem; quâ primi & magni inter alios Christianos fieri conamur, subjicere videtur voluntario cujusque arbitrio.

III.

Tertium est, quod nobis multùm refragantibus, Auctor pro concesso sumere videtur; si voces *inter vos* universum populum Christi designent; præceptum de vetita dominatione non ad solos Apostolos aut eorum similes, sed ad universum populum ejus, directe pertinere: quod quàm falsum sit, tum aliunde tum ex ipsis Auctoris principiis, evidenter statim planum fiet.

IV.

Quamvis autem vocum *inter vos* explicationem, quam refutat, hoc est, quod tantundem valeant, ac si *inter Apostolos meos* dictum esset, minime probemus: tamen nec rationes quibus ea refutatur nobis satis faciunt; quod Autori ipsi diligentius expendendum relinquimus.

V.

Quinto Cum Autor expressis verbis fateatur in loco *Matth.* xx. ut populum Christi populo gentium; ita magnates in populo Christi, Magnatibus gentium opponi jam vero videamus in isto loco iis à Christo præceptum (si quod hic est) de vetita dominatione tradi; qui magnatibus gentium opponuntur, non aliud inde conficitur quàm istud qualecunque est dominationis interdictum, nonnisi ad magnates, (quos vocat) in populis Christi dirigi. Quod non solum diserta verba Christi, quibus præceptum istud limitatur, & ad solos eos qui Magni aut primi in populo ejus esse velint, quales erant Apostoli & eorum similes, restringitur; evincunt: sed ipsa ratio antitheseos & protaseos cum apodosi connexio exigit. Non enim ab aliis dominatio in apodosi removetur; quam qui iis opponuntur, quibus in protasi tribuitur. Atqui dominatio in protasi non gentibus; sed earum principibus & magnatibus tribuitur; nec ipsis gentibus, aut aliis præter primores gentium, absque manifesta falsitate tribui potest. Proinde & in apodosi, non reliquo populo Christi, sed solis ejus magnatibus, atque primoribus dominatione interdicitur. Præsertim cum reliquus populus Christi dominationis ejus, de qua sermo est, capax esse nequeat præter eos qui eminent ac Duces aliorum sunt, aut esse volunt: ita ut hoc interdictum ad eos qui dominationis capaces non sunt, nonnisi inepte possit protendi.

Hue

Huc faciunt ipsa Auctoris principia quibus explicationem vocum *inter vos hoc est inter Apostolos meos* „oppugnat, dum ait. Hæc si Apostolis solum dicta volumus, jam partes dissimilitudinis non recte „sibi invicem opponentur; cum nihil futurum sit „in redditione quod gentibus, inter quas magni dicuntur ii qui regnant, aptè respondeat. Nam ut „Apostoli cum gentibus conferantur, bis sumi debent, sic ut primùm opponantur magnis, aut regibus gentium; deinde gentibus ipsis; nec hinc „sensus elici poterit cum priori positione consentiens; quæ fuerat Reges gentium, aut qui magni „sunt inter gentes, dominari iis, cum hoc si connectas. At sic non erit inter vos, hoc est, Apo„stolos meos, ut qui magni sunt inter vos dominen„tur vobis id est cæteris Apostolis. Vides quàm „malè hæc cum superioribus cohæreant: quæ ut „connexio aliqua sit, sic potius proponi debuissent. „Qui magni sunt inter magnos dominantur iis &c. Resp. Atqui si sententia Auctoris recipienda sit; eadem ista incommoda sequentur quæ Auctor pro absurdis adversariis objicit. Nam si Christus non primoribus populi sui, sed toti populo universè ac promiscuè sumpto, interdictum de dominando tradit; non primores populi Christi sed totus populus promiscuè sumptus principibus gentium, quibus dominatio tribuitur, opponetur. Quid igitur ipsi voci Gentium opponetur? An idem Christi populus totus promiscuè sumptus? Atqui tunc idem antitheton in apodosi utrique protaseos parti opponetur; & bis idem subsumetur, quod longè magis positis ab Auctore principiis, quàm oppugnata ab ipso vocularum istarum explicatio repugnat.

VI.

Sermonem Christi *Matth.* xx. non Apostolos solum, sed omnes Christianos spectare; neque plane ac simpliciter negari, neque simpliciter affirmari potest. Nam si universa doctrina, quæ in hoc sermone traditur, consideretur, ad omnes Christianos pertinere dici potest; quatenus omnes ad regimen Ecclesiæ, cujus hic qualitas quædam atque affectio describitur; tàm activè ut ita loquar, quàm passivè concurrunt. Sin autem quæritur, ipsum speciale de dominatione interdictum aut potiùs illud, quod in locum remotæ dominationis substituitur, officium, cui præscribatur: tunc dicendum est, ad solos Ecclesiæ Rectores, qui per voces Magnorum & primorum designantur; hoc est, ad Apostolos & Apostolorum similes; & sermonem præcipientis dirigi, & vim interdicti hujus pertinere. Neque hoc loco Apostolos, ut alibi fieri solet, totius populi Christi personam sustinere, sed tantum eorum; qui perinde ut ipsi, eminentiam & prærogativam aliquam, in regimine populi Christi habeant, aut habere velint.

Quod ut planum facere possim, duo mihi hoc loco probanda sunt. 1. hîc tantum de regimine Ecclesiastico, ad quod Apostoli vocati erant, præceptum aut doctrinam tradi. 2. quod inde consequitur, solis Apostolis & eorum similibus tradi.

Prius quod attinet. Docent id circumstantiæ loci, atque inprimis ipsa occasio doctrinæ hujus tradendæ; per quam Christo necessitas quædam imposita est, erroris Apostolorum redarguendi, & (si ita placet) carnalis cujusdam ambitionis reprimendæ; quæ animos nonnullorum ex ipsis tetigerat; ut primum ac proximum Regi suo locum, præ aliis in Regni eius gubernatione ambirent: quod putarent omnia dominationis commoda, in novo Regno, sibi affatim obventura: nec minorem ipsos manere, copiarum & honorum omnium affluentiam? quàm quæ Regibus apud omnes gentes; aut proximis Regum Satrapis, purpuratis, suppetere solet. Cum igitur error hic, ex non intellecta Regni illius, ad quod se vocatos à Christo videbant, naturâ proficisceretur: profectò regni hujus natura & gubernationis ejus modus & ratio ipsis necessariò explicanda erat: Regni, inquam, illius ad quod vocati, & in quo plantando atque gubernando ipsi Christo futuri erant subordinati: hoc est non politici regiminis, neque enim ad illud vocabantur; sed regiminis & ministerii Ecclesiastici: quod quia non in dominando; sed in ministrando, & animarum saluti inserviendo consistit; jure ministerium vocatur. Non potest igitur hoc loco alia cogitari subjecta verbis Christi materia, nisi illius regiminis descriptio, cujus ignoratio Apostolos in improvidam ambitionem transversos egerat. Quod regimen cum non esse politicum, non modo ex ipsa vocatione Apostolorum, sed vel inde pateat, quia illis erat ignotum; cum politicæ administrationis natura ipsis teste Christo, satis fuerit nota: apparet doctrinam hanc ad regiminis politici ordinem non pertinere, ut qui sit extra subjectam verbis Christi materiam positus: imo vero desertis Christi verbis, huic ipsi regimini de quo is loquitur, oppositus. Ut mirum sit, quomodo viris bonis in mentem venire possit, Christum in apodosi verborum suorum, quibus dissimilitudinem regiminis Ecclesiæ suæ, à regimine Rerumpublicarum exprimit, legem aut præceptum aliquod inhibitorium de politico regimine tradere. Quo nihil à mente Christi alienius cogitari potest; cum is isthic de politico regimine loqui, ac legem ferre nullo modo possit; ubi se de re politico regimini opposita, loqui ac legem ferre, palàm & expressis verbis profitetur.

Posterius quod attinet. Solis Apostolis eorumque similibus præceptum istud tradi, docent 1. antecedentia. 2. connexa. 3. consequentia.

Antecedentia. Quia ex occasione Apostolorum & quidem primorum (hi enim erant ex Apostolis præcipui, quos Dominus unâ cum Petro ad miraculi illius in monte sancto patrati conscientiam solos admiserat; quosque & aliàs, singularibus miraculis suis testes adhibere consueverat.) datum est hoc præceptum. Quorum ambitio non ex eo oriebatur, quòd essent simplices discipuli Christi, aliis æquales: sed quòd præcipui discipulorum Christi. Idcircò non modo præ aliis simplicibus discipulis, sed etiam præ ipsis Apostolis reliquis eminere volebant; ut ostendit indignatio reliquorum, qui id molestè ferebant. Meritò igitur Christus præceptum suum per se, dirigit ad eos omnes qui præ aliis eminebant, aut eminere volebant: non duos modo illos sed & reliquos Apostolos imo omnes eorum similes, qui ex simili causa eidem ambitioni obnoxii esse poterant, quales sunt Duces populi Dei. Ad cæteros autem Christianos præceptum hoc trahi non potest; nisi forte per accidens: si nempe accidat ut aliquis è reliquo populo Christi in gubernatione Ecclesiæ dominatum usurpare audeat.

Conexa idem arguunt. 1. quia non aliis hoc loco dominatione interdicitur, quàm quibus ordinarium ministerii Ecclesiastici onus imponitur. Ad eos enim solos præceptum Christi dirigitur, quibus imperatur, ut sint ministri & servi aliorum, quales si omnes in Ecclesia Christi esse tenerentur (de ordinario ministerio loquimur) nemo esset in Ecclesia, cui ministerio & servitio de quo Christus loquitur, uti aut frui liceret; atque ita ipsi ministerio, quod sine iis, quibus præstetur, cogitari non potest, locus non esset. Cum autem ipsi inter Christianos locum esse necesse sit; (ut aliunde & ex ipsa experientia patet) apparet longè majorem populi Christi partem esse,

ad quam

ad quam præceptum istud, per se ac directè non pertinet, nisi fortè per accidens aut remotam aliquam consequentiam. 2. Quia disertis verbis Christi præceptum hoc ad eos solos, qui Magni aut primi inter alios esse velint, restringitur. Quod si omnes Christiani magni aut primi esse debeant: nemo primus, aut magnus erit. Nam magni & primi inter alios esse nequeunt, nisi eorum respectu qui magni & primi non sunt.

Quod si quis objiciat, Omnes Christianos tales ministros & servos esse debere nec tamen defore eos quibus hoc ministerium præstetur, quia omnes sibi mutuò hæc ministeria præstare debent; id in explicatione istorum verborum locum habere nequit, quibus ejusmodi ministerium imperatur, quod non modo perpetuum & ordinarium, sed etiam eminentiæ præ aliis in eadem Ecclesia existentibus, affixum est & ex ejus instituto quasi profluit: quæ eminentia nullo modo mutua esse possit. Nam si omnes eminerent: nemo præ aliis emineret. Unde patet, in istis verbis non de eo officio aut ministerio agi, quod omnes sibi mutuò: sed de eo quod eminentiores inferioribus debent.

Quod si quis adhuc pertinacius argutari non desinat, omnes in Ecclesia magnos, primos, imò Reges, & sacerdotes esse; ideoque omnes ejusdem eminentiæ participes; id quoque hoc loco ineptum est. Eminet enim status omnium Christianorum, quam qui maximè. Sed hæc eminentia est respectu eorum, qui sunt extra Ecclesiam. At Christus hic de eo eminentiæ genere loquitur; quod sit intra ipsam Ecclesiam, competens iis qui magni & primi sunt, inter eos, qui ad Ecclesiam pertinent; quales erunt Apostoli, & eorum similes, quicunque ad gubernationem Ecclesiæ erant accessuri.

3. Idem, ut suprà satis superque ostendimus, docet; Principum & magnatum in gentibus, non aliis quàm principibus & primoribus in Ecclesia (ut sic loquar) contradistincta oppositio. Neque enim aliis in apodosi dominatio, inter dici poterat; nisi qui iis opponuntur; quibus in protasi dominatio tribuitur. Atqui in protasi dominationem tribui populis integris falsum est, cum solis principibus tribuatur. Proinde & in apodosi dominationem interdici populo Christi integro; non falsum tantum, sed & ineptum est, cum privatio præsupponat habitum, & interdicere iis dominatione, qui capaces dominationis non sunt, nemo soleat. Solis igitur iis qui ad dominandum in Ecclesia; aditum aliquem habent hoc loco dominatione interdicitur.

Antecedentia & connexa vidimus. E consequentibus quoque idem colligitur; quicquid hoc loco præcipitur aut interdicitur; non ad alios quàm ad Apostolos aut eorum similes pertinere, qui in Ecclesiâ eminebant. Quia Christus ad illustrandum hoc præceptum, ejus exemplum adducit, qui in Ecclesia maximè eminebat & quidem non obscurè eminentiam ejus tangendo. Suum, inquam, exemplum & quidem satis aperte, innuendo eminentiam suam; quæ maximè poscere videbatur, ut sibi ministraretur.

Atque ex his rationibus patet; cum eorum qui Magni & primi inter Christianos non sunt; respectu eorum qui tales sunt, numerus sit propemodum infinitus, necesse esse ut istud, qualecunque hic deprehenditur dominationis interdictum; ad longè minorem populi Christi partem pertineat, hoc est, ad solos Apostolos & eorum similes.

Nec ad eos quidem simpliciter & absolute, sed secundum quid, quatenus eorum aliquis in ipsa gubernatione Ecclesiastica dominatum exercere vellet. Cum enim sola ista gubernatio, coactivæ potestatis expers esse debeat, nec ulla alia ejus species id requirat; dictat ipsa ratio & experientia, posse aliquem fungi præfectura Ecclesiasticâ, qui tamen etiam aliqua terrenæ gubernationis specie fungatur. Possunt enim etiam præpositi Ecclesiastici habere aliquos servos aut famulos; aut subditos, quibus dominentur non quâ præpositi Ecclesiastici; sed quâ homines aut cives alicujus Reipub. aut qua patresfamiliàs. Nam de eo, an præpositus Ecclesiasticus possit fungi aliquo sublimi Magistratu, puta Regno aut principatu; diversi generis quæstio est, quia id genus potestatis curas & distractiones ingentes secum trahit. Quam discutere non vacat. Satis est monuisse. Multa nobis abjicienda esse non quia natura sua nobis non liceant: sed quia iis impares sumus, nec sufficimus; aut etiam aliam aliquam ob causam.

Atque hic sanè contineri nequeo, quin gravissimum errorem eorum breviter ob oculos ponam, qui putant Christum hoc loco de omni omninò regni & gubernationis genere universè sumpto, cunctis Christianis præceptum tradere atque ita populo suo omninò dominationem absolute ac simpliciter prohibere. Et profectò aut nusquam alibi, illud fallaciæ genus, quod Scholastici vocant à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, committitur: aut hoc est illius capitale specimen, quod viros bonos indignissime & quidem multipliciter decipit; dum eam affectionem, hoc est, regendi ac dominandi potestatem; quam Christus neque omnibus, ut ostensum est, simpliciter; sed quibusdam tantum in Ecclesia prohibet; neque iis quibus prohibet absolute ac simpliciter; sed secundum quid, prohibet, hoc est quatenus eam in certo regiminis genere usurpare vellent; deinde quam in isto ipso loco non directè & simpliciter; sed tantum per consequentiam ab isto regiminis genere removet magis quàm prohibet; denique quam non totam quanta quanta est removet aut prohibet; sed cujus partem duntaxat removet, partem intactam relinquit: Eam, inquam, ipsi omnibus simpliciter in Ecclesia; & quidem absolutè in omni regiminis genere & ubique; deinde directe ac simpliciter; denique totam, quanta est, à Christo prohiberi contendunt; ita ut omni super alios potestate penitus inter Christianos extirpata: sola subjectio Christianis omnibus & ubique ac directè quidem & propriè atque universaliter injungi statuatur; quo nihil est intolerabilius.

Ac primum quidem istius fallaciæ laqueum, in eo jam ostendimus quod non omnibus simpliciter, sed quibusdam tantum in Ecclesia Christus id, quod hoc loco prohibet, prohibuerit.

Alter tametsi ne ante quidem intactus dimissus est: tamen ut tantò apertius è latebris suis protrahatur; animadvertendum est, quòd quicquid Christus hoc loco prohibuit non in omni absolute ac simpliciter, sed in certo quodam & peculiari regiminis genere prohibuerit. Nam cum præter istud regni genus de quo hic loquitur Christus, dentur alia regna atque regimina; quæ etiam sub Novo Fœdere à Deo ordinata dicuntur; illud ne Auctor quidem negare potest, Christum hic non de alio regno præceptum tradere quam de suo. Nec de omni suo, sed de eo quod est, in sola Ecclesia. Latius enim extenditur Christi regnum, quàm ut intra Ecclesiæ pomeria concludi possit, ut pote ad omnia reliqua terrestria & cælestia imperia. Neque de eo omni quod est in Ecclesia, sed tantum de precario & impropriè dicto regni genere, quo militans in terris Ecclesia indulgenter admodum & precariò gubernatur. Est enim aliud in ipsa quoque Ecclesia Christi regnum, quod quia Coactivum est; proprie dictum & verum Regnum est; cujus gubernacula filius Dei suscepit, non ut ministraret aut animam poneret pro multis:

sed

sed ut judicaret vivos & mortuos, & cuique redderet secundum opera ejus, quod precaria & Ecclesiastica potestate fieri nequit. Quid multa? de eo regni sui genere Christus loquitur, quod per Apostolos & eorum similes sibi subordinatos administrare in terris debuit, ad quod videlicet Apostolos primitus tanquam sibi administros futuros vocaverat, quod non aliud est, quàm Ecclesiasticum regimen. Horum nihil ab Auctore meritò negari posse video. Quò magis miror quomodo ipsi in mentem venire potuerit, sive præceptum sive interdictum hoc quod ipse Christus adeò limitare ad certam regiminis speciem adstringit, ad omne in terris regiminis genus extendere. Nam si ab eo, quod de regno Christi dicitur; ad omne Regnum prava & vitiosa est consequentia; multò deterior est ab eo, quod de una specie Regni ejus, & adhuc mendosior ab eo, quod de una parte speciei istius, dicitur & sic deinceps.

Tertius fallaciæ hujus laqueus in eo detegitur, quòd si rerum quas sibi Christus invicem hoc loco opponit antithesin penitus consideremus; ne dominationem quidem ipsam, hoc est potestatem coactivam propriè dictam, directè ac per se hic prohibitam, nisi fortè per consequentiam, & per accidens deprehendamus. Nam cum in protasi de uno antithetorum Christus pronunciat: *Principes gentibus dominantur* ex vi relationis innuendo, quod gentes principibus serviant; tàm dominationem quàm servitutem coactivam & propriè dictam intelligit. At cum in apodosi de altero antithetorum dicit, Magnos & primos in Ecclesia servituros aut ministraturos reliquis; innuendo ex vi relationis, quod reliqui ipsis sint, quasi dominaturi; non eosdem comparationis terminos qui in protasi positi sunt reddit ac subsumit; sed ipsis duntaxat analogos. Nec enim id ministerium, quod magnis & primis in Ecclesia loco dominationis tribuit; idem est cum servitute quam gentes principibus debent; nec dominatio quam ex vi relationis reliquis præter magnos & primos in Ecclesia tribui necesse est; est illa ipsa quam principes in suas gentes exercent; cum hæc quidem dominatio & servitus propriè sit dicta: illa verò dominatio & ministerium sint impropriè sic dictæ actiones aut affectiones. Nam ministerium & servitus quæ hic injungitur Magnis & primis in Ecclesia non est propriè dictum nec servile ministerium; multò minus subjectio qualis à subjecto populo principi suo debetur: sed ministerium tale quali Christus & Apostoli usi sunt in procurando salutis fidelium negotio, hoc est labores, pericula, afflictiones, mors ipsa, pro iis quos pascebant, susceptæ: Non quod extra ordinem, quando usus & necessitas & alia gravis causa poscit; etiam servili erga inferiores ministerio, uti non liceat, aut non deceat aut etiam quandoque non oporteat. Sed quod ordinariè ministerium hoc præpositorum in Ecclesia, non circa carnalia, sed spiritualia officia occupari debeat. Nec minus dominatio ista quæ hic reliquis præter Magnos & primos in Ecclesia, ex vi relationis tacitè tribuitur, est admodum improprie dicta ac per analogiam quandam proprie dictæ dominationi respondens quatenus nimirum, quemadmodum Principes, operâ, labore, ministerio, discrimine gentium sibi subjectarum, sine suo labore & periculo; at maximo cum fructu carnali fruuntur: ita reliqui in Ecclesia fideles eorum qui inter eos Duces erant, qualis fuit Christus & Apostoli aut eorum similes; operâ, labore, ministerio, periculo, sine suo labore ac discrimine (puta quod ejusdem sit generis) at maximo cum fructu spirituali, fruantur. Non igitur hic per se ac directè dominatio coactiva & propriè dicta à Magnis & primis in Ecclesia removetur; sed fructus potius ex illâ dominatione resultans, quem modò indicavimus, qui suis illecebris Apostolos potissimùm inescaverat. Quemadmodum nec subjectio à reliquis præter magnos & primos in Ecclesia removetur, quæ ipsis alibi præcipitur; aut dominatio propriè dicta in eos præcipitur permittiturve; quibus spiritualiter subjecti esse debent; sed tantùm aliquid dominationi analogum ipsis tribuitur, ut pateret quàm longè Apostoli à spe sua deciderint; qui ex vocationis suæ prærogativâ, sibi ea commoda promiserant; quorum fructus ad eos potius pertinebat; quorum vilitas & humilitas vocationis eorum excellentiæ erat è diametro opposita.

Quod non ita intelligi volumus, quasi istis verbis dominatio Rectoribus Ecclesiæ, nullo prorsus modo prohibita sit; sed quod non ita directè ac simpliciter, ut adversarii volunt. Nam cum fructus ejus, in cujus gratiam illa est optabilis; & cujus illecebris Apostoli capti fuerant; ab iis removetur; ipsam quoque dominationem quodammodo removeri, sed per consequentiam & quantum ad scopum Christi attinet, quasi per accidens, appareat. Quæ alioqui, etiam absque ejusmodi expresso præcepto, per ipsam religionis naturam, Rectoribus Ecclesiæ in ejus regimine competere nullo modo potest. Non tamen ideo nobis hoc loco absoluta & simplex omnis potestatis in alios prohibitio & nescio cujus generalis subjectionis præceptio, falso ut ostendimus, universalis alicujus & absoluti interdicti prætextu, fingenda est.

Sed ne quis nos, causæ nostræ necessitate potius, quàm veritatis in genuino sensu eliciendæ gratia, hanc explicationem afferre censeat; ultrò & libenter Auctori largiemur; quod nec ante prorsus negavimus dominationem & Coactivam potestatem hic in Ecclesiâ planè prohiberi. Verum ut ante demonstravimus in eo duntaxat regiminis genere; quo Christus per Apostolos & eorum similes Ecclesiam suam regere debuit, hoc est, spirituali & Ecclesiastico. Nec enim de alio sermo esse poterat. Quod si dominatio in Spirituali regimine per hoc interdictum sublata est: servitutem quoque ex vi relationis in eodem regimine sublatam esse necesse est. Non potest autem Autor ex interdicto dominationis proprie dictæ in regimine spirituali, deducere, Christianis etiam extrà regimen Spirituale & Ecclesiasticum dominationem propriè dictam prohibitam esse; quin eadem operâ ex interdicto servitutis ejusdem generis in eodem regimine deducat, servitutem & subjectionem quæ dominationi proprie dictæ relata est ac respondet, extra regimen Ecclesiasticum esse prohibitam. Atqui vel ipso confitente, servitus & obsequia dominationi principum à gentibus debita extrà regimen Ecclesiæ, adeò sub Evangelio Christianis interdicta non sunt; ut accuratè & solenni quidem lege imperata sint. Proinde ut ex interdicto servitutis Ecclesiasticæ, ad politicam servitutem; ita & dominationis Spiritualis ad politicam dominationem nulla consecutio necti potest. Nihil igitur causæ quam defendo interest, an hoc in loco prohibita sit in Ecclesia dominatio, nec ne. Sed tamen loci circumstantiæ evincunt, illam hoc loco directè & ex professo, ne in Ecclesia quidem prohiberi: quod ad odorandum paralogismi ab Autore commissi cubile, satis est: quamvis aliunde nobis constet; atque in eo cum Autore conveniat; illam alioqui ab Ecclesiæ regimine plane proscriptam esse.

Quartus fallaciæ ejusdem laqueus in eo deprehenditur, quod neque hoc in loco neque uspiam in S. literis, tota quanta, quanta est principatus dignitas & prærogativa & gubernationis potestas atque ἀξίωμα, ab ipso quoque Ecclesiastico regimine removetur; sed tantum illa rigor ejus, qui in Cogendi jure & violentiæ usu consistit; ita ut ista potestas & eminentia, plane secundum quid tantum in Ecclesia prohibeatur, secundum quid autem in eadem Ecclesia integra atque intacta relinquatur. Quamvis enim regnum Christi, (de precario & Eccl.

loquimur)à Regnis hujus mundi politicis in uno isto coactivi dominatus discrimine (ut & in iis quæ illud proximè consequuntur) dissideat: in plurimis aliis rebus,& quidem maximi momenti & quæ non modo conciliationem; sed nexum quendam inter ista regna arguunt, cum iis congruit & convenit. 1. in eo,quod tam Ecclesiasticâ quàm Politica potestas à Deo esse & ordinatio Dei etiam sub Novo Fœdere dicatur. 2. quod utraque in bonum eorum qui ad Ecclesiam pertinent, ordinata sit. 3. quod in utraque sint alii qui regunt : alii qui reguntur; alii præpositi, alii subjecti. 4. quod in utraque eos qui regunt Deus pro ministris suis agnoscat. 5. quod utriusque regni Rectoribus propter conscientiam parendum sit. 6. quod ut spiritualis regni Rectoribus, pro eorum Cura & ministerio, subjectio, duplex honor &c,ita politici regni rectoribus pro eorum cura in quam incumbunt, & quasi pro aliis excubant, tributa,vectigalia,timor,honor,obsequium,tanquam mutua& utrinque sibi debita officia, præstanda imperantur. Quare cum ne in ipso quidem intrinseco Ecclesiæ regimine omnis gubernandi præcellentia prohibeatur; imo verò manifestè permittatur, dum liberæ voluntati cujusque subjicitur, ut magnus & primus inter alios, si velit, esse conetur; atque adeò qui via ad eam dignitatem perveniendum sit, doceatur; iniquum est,ex vi hujus loci omnem principatus gradum & potestatis super alios jus aut studium, non modò è publicis cœtibus,sed ex privatis quoque fidelium ædibus,proscribere;& ad nescio cujus subjectionis necessitatem,præcepti hujus obtentu omnes damnare atque adstringere. Cum tamen subjectionis istius in eò præcepto, non modò mentio nulla fiat; sed ne locus quidem ei ullo modo patere possit;nisi Christum ipsum, qui ministerii Spiritualis, (quod hic loco dominationis terrenæ, iis qui sibi in regenda Ecclesia futuri erant subordinati, præcipit ac præscribit) specimen in seipso exhibuit; discipulis suis subjectum esse potuisse fingamus.

Atque ita ostendimus quàm iniquum sit interdictum istud; quod tot tamque diversis ac multiplicibus limitationibus primùm ad certum quoddam & peculiare hominum inter Christianos genus, idque non simpliciter sed secundum quid: deinde ad specialem, imo verò impropriè dictam regni speciem, disertis Christi verbis adstringitur; & in quo nec tota regendi eminentia; nisi secundum quandam peculiarem sui affectionem; interdicitur, imò ne directè quidem ac per se; sed tantum per consequentiam interdicitur: istud, inquam, interdictum, tot restrictionibus à Christo coarctatum; primum ad omnes Christianos; deinde ad omne propriè dictæ seu politicæ sive œconomicæ potestatis genus ita extendere; ut omnis non modo violenta dominandi potestas, sed etiam supereminentis status Majestas, ad subjectionis humilitatem deprimatur ac dejiciatur.

VII.

Explicationem Autoris rationes ex locis,ut vocat,parallelis desumptæ,non fulciunt. Qui, si ideò ab ipso paralleli vocantur, quòd idem in ipsis, quod & hic, præcipiatur, longè aliter res habet. Nam nec idem in illis. 2. nec eodem modo. 3. nec denique iisdem quibus hic præcipitur.

1. Non idem. Effici enim sicut puerulum; aut regnum Dei instar pueri suscipere; non idem est cum eo quod hic dicitur, non *dominari* sed *ministrare*. Nam ut omittam quod aliqui putant similitudinem puerorum credentibus propositam; non solam animi demissionem, sed innocentiam quoque & expertem doli simplicitatem significare;ista animi modestia atque demissio,cujus imago nobis in pueris adumbratur;generaliseſt animi demissio,opposita generali superbiæ vitio; quod ab omnibus Christianis longè abesse debet,quia ut Auctor rest è observavit, dum quæreretur *Matth.* XVIII. quis maximus esset in regno cælesti,universalis quæstio proposita erat; ad quam etiam universe, præceptâ cunctis atque præscriptâ modestiæ virtute, responderi, æquum erat. Atqui officium quod *Matth.* XX. primoribus Ecclesiæ præcipitur,specialem quandam in moderandis Ecclesiæ honoribus animi modestiam: speciali quoque superbiæ vitio,ex eminentia in Ecclesia oriundo,oppositam,eamque cum insigni,nec omnibus communi Caritatis & patientiæ specimine conjunctam, continet: quod nonnisi eos obstringit,quibus nominatim præceptum est. Denique præcepta,quæ ex citatis locis allegantur;ad morum disciplinam pertinent. At istud apud *Matth.* c. XX. magis ad Regiminis Ecclesiastici institutionem.

II. Deinde quicquid in allegatis locis præcipitur,non eodem modo quo hic præcipitur. Illic enim quicquid etiam ex singularis facti occasione, universaliter tamen præcipitur: ad omnes pertinere fatemur, quod de omnibus locis in quibus, cum humilitas omnibus universè præcipiatur,dominationis aut ministerii mentio non fit, dictum esto. At inde non sequitur, ea loca in quibus aliquid quibusdam, hoc est, iis qui Ecclesiæ regimini admoveri cupiunt aut debent, specialiter præcipitur ad omnes universe extendi posse: qualia sunt, in quibus dominationis aut Ecclesiastici ministerii fit mentio,ubi legum latarum universitas, ad certum hominum genus restringitur.

III. Denique cum ea quæ ad humilitatem & modestiam pertinent, omnibus & semper servanda sint, non temere præceptum *Matth.* XX. à Christo dictis verbis limitatur, & quasi ad certum hominum genus coarctatur;eos nimirum qui gubernant Ecclesiam;ac ne ad eos quidem semper pertinere, nisi cum eam gubernant, ex circumstantiis loci colligitur.

IX.

Ministeria Regum ac Principum qui gentibus præsunt, collata cum ministeriis præfectorum Ecclesiæ; ne ministerii quidem nomine digna videntur; & quæ nonnisi per Catachresin talia dici possunt, quia neque tot tantisque laboribus constant, (Facile enim est regere eos qui parere etiamsi nolint coguntur; at precaria potestate continere difficillimum: facile est ea præstare quibus efficiendis mille vicarii aut administri non desunt: at omnibus per temetipsum advigilare arduum.) Neque tot ærumnis & periculis obnoxia sunt; quibus resistendi parata semper præsidia habent; cum iis sæpe Ecclesiasticum ministerium destituatur. Et si qui sunt labores ac molestiæ principum, tot illecebris atque solatiis rependuntur; ut inter præmia ac delinimenta curarum etiam gravissimarum labor evanescat. A quibus illecebris, quia ministerii Ecclesiastici ærumnæ ac pericula longè absunt; meritò illud ministerio dominantium tanquam labor quieti, servitus dominationi opponitur. Non quod ministerium Ecclesiasticum, aut subjectioni affixum; aut potestatis ac prærogativæ suæ expers sit; sed quia status illius si mundana æstimatione res expendatur, sit servitutis ærumnis, laboribus, periculis, iisque nulla mercede redemptis; quàm dominationis eminentiæ similior. Id quod, ex Christi ipsius, quod statim adducitur exemplo planum evadit. Cujus quomodo potestatem & prærogativam (quam ut Dominus & magister suprà discipulos suos habuit) cum ministerio isto spirituali; neutiquam pugnare Autor hic verissime asserit; ita & nos vicissim ejus ministerium cum ea quam diximus potestate & eminentia haudquaquam pugnare subsumimus; quod idem de eorum, qui ipsi,in eodem regimine, subordinati sunt,ministerio dici potest: si tamen illud unum excipias, quòd Christus, non modò ut magister; sed etiam ut Dominus, super suos potestatem habuit, quam Apostoli & reliqui nonnisi ut magistri & Ecclesiæ Rectores habebant.

Verum

Verum enim verò hic accuratè notandum est, Christi istud in Ecclesiæ regimine ministerium, ad cujus normam reliqua exiguntur, ne illi quidem ejus potestati, quam ut dominus suprà discipulos suos habet; repugnare aut eam tollere; ne quis existimet istud ministerium, quod primoribus Ecclesiæ hoc loco præcipitur; naturâ suâ tollere omne jus dominationis; quod ipsis fortè quoquomodo extrà Ecclesiæ gubernationem competere possit. Nec enim id eorum muneri aut ministerio repugnare potest, si tanquam domini servos aliquos aut subditos in potestate habeant, dum nullum dominationis jus, in regimine Ecclesiæ usurpent. Nam Christi potestas in discipulos suos licet in militantis Ecclesiæ regimine tanquam precaria consideretur; non est tamen sine proprie dicto dominii etiam Coactivi jure; juxta quod propriè dictus dominus suorum discipulorum, dici potest; quod tamen Christus, non in regenda militante in terris Ecclesia suâ; sed in illo datæ sibi in cælo & in terra potestatis usu exercet: qui certe, illum precarium in Ecclesia potestatis usum, per quem liberrimos animorum motus; (quamdiu videlicet militiæ; non stipendii aut animadversionis tempus est) illæsa atque illibatâ fidei ingenuitate, miti ac mansueto spiritu moderatur, minimè violat. Neque enim novum aut rarum est, res aut actiones, inter se, ingenio suo nimium pugnantes, (qualis est libertas atque necessitas, precaria & coactiva potestas & earum connexa) diversis tamen temporibus respectibusve distinctas, illæsa utriusque contrarii naturâ, uni eidemque subjecto competere.

X.

Ridiculum est, quod hic dicitur *Christi Regnum non damnare alia regna, nisi in iis; qui regni illius membra sunt.* Satis damnat, si in iis damnat, qui judicio ejus ac censuræ subsunt. Nec enim latius damnandi; quam judicandi potestas protenditur. Atque hoc loco, (quia aliàs frequenter occurrit) paucis & obiter examinanda est ista distinctio; quod Christi doctrina aut Regnum damnet aliquid in Christianis, non damnet simpliciter in aliis. Quæ quidem frustrà & parum circumspecte excogitata videtur, ad palpam obtrudendum iis, qui sunt emunctiori nare. Nam *Damnandi* vox aut strictius sumitur pro effectu judicii, qui aliquam in se censuram aut animadversionem habet; aut latius pro simplici improbatione ac dissensu. Priori sensu si accipiatur, potest aliquomodo concedi: quamvis non usquequaque & simpliciter doctrinam Christi & illud precarium regnum, ex mente Auctoris non damnare regna alia politica; nisi in illis qui regni Christi membra sunt. Sed in eodem sensu; nihil erit quod in aliis damnare possit, ne furta quidem & sacrilegia. Quia doctrina Christi & regnum ejus precariam censuram & animadversionem in extraneos non exercet. Itaque ridiculum erit hoc *Non damnationis* privilegium, quod regnis politicis, cum furtis & sacrilegiis erit commune. Posteriori sensu si vox *damnationis* accipiatur, non potest ullo modo dici doctrinam Christi aut regnum ejus precarium non improbare Coactivam in terris regnandi potestatem, si ab ea, ita abhorret, ut illam suis asseclis prohibeat. Quanquam & in priori sensu sumptâ ea voce, vix dici potest doctrinam Christi aut Regnum ejus non damnare coactivam potestatem. Præcipuè si id ipsum damnet aut puniat, quod aliquis hominum ad asseclas suos, sese aggregare neglexerit. Et si doctrina aut regnum Christi natura sua intendit ac desiderat, ut omnes homines leges Christi sequantur; non potest dici non improbare, aut non damnare eorum factum, qui aliquam è legibus Christi violent, sive illarum jugum susceperint, sive non: cum hoc ipsum non improbare non possit, quod istud jugum non susceperint.

Breviter. Quod regnum Christi, & in suis asseclis, æterno exitio olim puniet; & propter quod solum Extraneos, (etiamsi cæteras leges Christi recipiant) ad gremium suum non admittit, id tàm in suis, quàm in extraneis, non improbare tantùm sed etiam damnare etiam (strictius sumptâ ea voce) dici potest: cum illud tàm in suis Ecclesiastica animadversione; quàm in alienis rejectione ab Ecclesia puniat. Ita Magistratui extraneo, ex istâ destinatione, nihil plus emolumenti accedet; quàm vere Christiano. quia utriusque factum puniet Ecclesia. Imo ejus animadversio in eos mitior esse potest, quos ob unius legis violationem castigat, quam in eos quos planè à gremio suo rejicit. Fatile igitur & subdolum est solatium, quod in ista distinctione quidam Magistratui venditant.

XI.

Christum jus potestatis civilis, qua omnes gentes ab orbe condito gubernatæ sunt, præcepto isto non damnare, rectè Auctor confitetur. Cæterum ex his quæ disseruit, malè concludit, illud quod Christus hoc loco non damnat, in populo suo locum non habere. Nam in eo profectò à proposito statu quæstionis longè recessit: qui, non erat utrum Christus hic spirituale atque dominationis expers regimen in Ecclesia sua instituat: quod unum Auctor multis rationibus (quamvis non usquequaque firmis) ostendit: sed utrum cum isto, quod à Christo institutum omnes fatemur, regimine, in populo ejus politicum regimen consistere possit: quod verum & unicum quæstionis nostræ κεφάλαιον Autor (quod pace ejus dictum sit,) hucusque ne attigit quidem.

Nam si existimat; quia hæc regimina sibi secundum quid contraria ac repugnantia sint; ad id ut alterum excludatur, satis esse alterum poni atque constitui, non animadvertit cavendum nobis hoc loco, ne in duplex fallaciæ genus incidamus; quarum altera A dicto secundum quid ad dictum simpliciter, altera Elenchi ignoratio vulgò vocatur. Nec enim ex eo, quod aliquid alicui secundum quid competere, aut de eo dici non potest; sequitur, id simpliciter ipsi & absolute competere aut tribui non posse. Et multa, non contraria modò, sed contradicentia quoque eidem rei competere, aut tribui posse scimus; si non secundum idem, tribuantur, aut intelligantur. Exemplo res illustrior fiet. Christi populo libertas ita propria est; ut etiam servi vocati liberti Domini evadant, 1. *Cor.* VII. Et tamen iidem obedire jussi sunt dominis secundum carnem *Eph.* VI. 5. *Col.* III. 22. & sub jugo dominorum etiam fidelium relicti sunt 1. *Tim.* VI. 1. 2. Pariter in præsenti negotio, Coactiva potestate in rebus ad religionem pertinentibus populo Christianus regi nullo modo potest, salvâ religionis naturâ. At idem populus Christi in rebus ad Rempub. pertinentibus, eadem Coactivâ potestate etrare non potest, salvâ Rep., imo salvo præcepto Christi quod tulit in gratiam Reipublicæ. Quamvis enim in cælis hujus populi sit Respub. in cælis patria, domus, & patrimonium, in cælis thesaurus; dum tamen in terris vivit, sua Republicâ, sua patriâ, suis tectis, suis facultatibus & peculio cavere non potest. Priusquam enim ad vitam cælestem perveniat, terrena ipsi vita degenda est, & in ejus fluctibus

Longa ipsi exilia, longum maris æquor arandum est.

Quod igitur dominatio Christianis secundum quid, hoc est, in religionis negotio & modo regiminis Ecclesiastici non competat, ex eo non sequitur dominationem Christianis absolute, hoc est, etiam extra religionis negotium, & in ipsa Republica competere non posse: pariter atque ex eo, quia Christianis

ſecundum quid ſervitus tribui nequit ; non ſequitur eorum aliquos Dominis ſuis ſecundum carnem ſervire non poſſe. Non enim ſecundum idem, ſervitus ab Eccleſia pulſa, ſimulque in ea relicta eſt. Cum igitur aliunde conſtet regimen Politicum populo Chriſti in hac vita eſſe admodum utile ac neceſſarium ; deinde cum natura ſuâ non ſit abſurdum Ordinationem Dei in poteſtate coactiva ab eodem populo in Repub. ſervari, à quo nova ac recens inſtituta circa precariam poteſtatem Ordinatio Chriſti obſervatur in Eccleſia, quod tot ſeculorum experientia probavit : idque & ipſe Chriſtus meritò ac licite fieri poſſe innuat, dum oſtendit officium reddendi Deo quæ Dei ſunt, non tollere officium reddendi Cæſari, quæ ſunt Cæſaris ; nemo mortalium poteſt, ex eo ſolo, quia Eccleſiaſticum regimen in populum Chriſti introductum eſt ; diducere politicum regimen à Populo Chriſtum excluſum eſſe.

XII.

Si omnis ſuperior poteſtas prohibetur, ne parentum quidem aut maritorum jura inter Chriſtianos valebunt, quia ſi prohibetur g nus ; prohibentur & ejus ſpecies. Quod autem nemo interpretum iſtam parentum & maritorum poteſtatem hic prohiberi cenſuerit, id nullius momenti eſt, id opinionem Autoris excuſandam ; imò admodum validum ad accuſandam, quia nemini eorum, res tam abſurda in mentem venerit, ut omnem planè ſuperiorem poteſtatem, à Chriſto prohiberi putaret. Quod ſi quis tàm hallucinatus eſſet, non id nobis ſpectandum eſt quid ſenſerit, ſed quàm bene ſenſerit : cum ipſe Auctor non paucos iſtorum verborum interpretes plurimorum errorum arguat. Non poteſt igitur nobis patrocinari auctoritas ; quam noſmetipſi deſtruximus.

Nam ſi eæ poteſtatum ſpecies, quæ ad Chriſtianam moderationem redigi ſe patiuntur ab hoc interdicto exceptæ dicentur ; nulla erit quæ ad iſtam moderationem redigi non poſſit : atque ita regula quam generalem eſſe vult Auctor, innumeris exceptionibus limitabitur. Porrò iſta Chriſtiana moderatio, ut omnem exceſſum, & omne vitium, quod in iſtis poteſtatibus intervenire poteſt ; tollere & amoliri debet ; ita ipſarum poteſtatum naturam & eſſentiam, tollere non debet. Aliud enim eſt rei alicujus moderatio ; aliud ſublatio ac prohibitio.

XIII.

Itaque juris in ſervos Chriſtiana moderatio, non in eo eſt quod dominorum jus, antequam Chriſtum utrinque agnoſcerent ; ipſis in ſervos competens, prorſus ſublatum ſit : ſed quòd ſtricta juris iſtius ; ut & reliquorum omnium, quæcunque nobis competere poſſunt, uſurpatio, hoc eſt, ſummi, quod habeamus juris perſecutio ; ad æquitatem Chriſtianis dignam reducta ſit.

Atque hic omnes in contrarium adductæ rationes Autoris diluuntur.

I. Nam primùm iſta de jure ſuo deceſſio ubi obſervata fuerit ; non metuendum eſt ne nunc, quàm apud Judæos olim, ſervorum conditio deterior ; imo verò ne non multò melior ſit & optabilior. Neque enim ſub lege poteſtas dominorum ideò multùm reſtricta fuit ; quia inutilis & conjuncta cum iniquitate ſævitia, in eos prohibita eſſet. Multùm ab abſoluto poteſtatis jure differt crudelitas ; quæ in privata ob privatam noxam caſtigatione mutilationem membrorum afferebat.

II. Summum igitur jus benigna æquitate temperabit Chriſtianus ; nec de illo tantum ſed etiam de æquo jure ſæpe multùm decedet, nec frenum poteſtatis ſuæ unquam nimium adducet : ſed neque de manibus dimittet aut abjiciet ; neque ſibi vetitum putabit, aliquando malo cogere ad officium eum, qui cum ſit in ſua poteſtate ; dignus eſt qui, quod ſponte non vult, neceſſitate faciat. Id omnes leges, omnia officia in rebus humanis, religione non refragante, ubique permittunt ; imò exigunt. Sola eſt perfectior virtus ; ſola religio ; quæ per iſtiuſmodi violentiam exigi non poteſt ; eoque in Eccleſiæ gubernatione coactivo regimini locum non reliquit, precarii per Chriſtum introductio. Sed extrà Eccleſiæ negotium, quod in conſcientiarum regimine verſatur ; etiam in populo Chriſti, quoties in violatores non cæleſtium ſed terrenarum legum animadvertendum eſt, nuſquam iſta jura à Deo vel Chriſto ſublata ſunt, quæ legum pœnis & dominationis poteſtate coërcent exertam mortalium adverſus leges proteriviam aut contumaciam.

III. Jus poſitivum, quod libertatem vel æqualitatem naturalem ſuſtulit, aut intra certos limites coërcuit ; neque in politico neque in Oeconomico regimine Chriſti doctrina abrogavit, imò ſubjectionem & obſequium tam Magiſtratibus quàm dominis ſecundum carnem debitum præcepit. Quamvis enim Servi ; Domini eſſe liberti dicantur ; tamen libertatem hanc ſpiritualem eſſe oſtendit idem Apoſtolus cum eos à Dominorum ſecundum carnem, etiam fidelium jugo non eximit 1. *Tim.* VI.

IV. Minas, quibus remittere præcipitur, intentare permittitur ; quia metu ſæpius quàm pœna ſervos in officio contineri ; ipſorum ſervorum intereſt. Et Ninivitis Deum minas remiſiſſe ; rectiſſimè à nobis dici poteſt : nec tamen hic modus loquendi, id exigit ut eas Deo ante intentare non licuerit.

V. Reſtrictio dominicæ poteſtatis, qualem Auctor vult, tantum abeſt ut firmetur inde quod ubicunque ſervis præſcribitur officium erga Dominos fideles ; nuſquam hoc concludatur ex violenta eorum dominatione ; ſed ex obſequio Chriſto Deoque debito, & conſcientiam obligante ; ut eo ipſo plane tollatur : poteſtas autem dominorum longè validius firmetur ; quàm ſi ſolo violenti imperii meta obſequium ei debitum ſuaderetur. Quominus enim navis hæc, debiti dominis obſequii, fluctuet ; nuſquam præciſa illa quam ex ipſo jure dominii primitùs habuit ancorâ neceſſitatis ; alteram adjicit Apoſtolus conſcientiæ ancoram. Ridiculum autem eſt, exigere ab Apoſtolo, ut cum ſervos hortatur ad officium dominis Chriſtianè præſtandum, piſtrini aut verberum metum ipſis intenderet ; cum ipſi non id propoſitum fuerit ut eos ſimpliciter ad ſerviendum ; ſed ad libenter & ex animo ſerviendum ; hortaretur. Quod autem ex violento imperio Apoſtolus *Rom.* XIII. concludere videatur, publicis poteſtatibus eſſe obediendum ; neque ſimpliciter verum eſt ; neque efficit diſparem officii privatis dominis debiti, rationem. Nam & iſthic utraque hujus obſequii ancora ; diſertis verbis ab Apoſtolo jacta eſt, dum ait, Oportet eſſe ſubditos non ſolum propter iram ; ſed etiam propter conſcientiam. Quibus ex verbis, ut & ex paulò ante præcedentibus, patet, primariam ac principalem Apoſtoli rationem, per quam ſubditos hortatur ad obſequium, ductam eſſe ; non tàm ex profano & coactivo metu ; quàm ex religioſâ conſcientiâ. Mentionem tamen iſtius metus factam, partim, ne putarent ſibi tantùm propter carnalem ſupplicii formidinem, quæ etiam abſque monitu Apoſtoli mentibus obverſari poterat, obediendum poteſtatibus : ſed etiam propter ſpiritualem conſcientiæ rationem : partim ex oblata occaſione mentionis

tionis de eodem metu jam *vers.* 3. ob aliam causam factæ ; dum occurrit objectioni quod indignum videatur Christianis, imminentis à Magistratu supplicii terrore, contineri in officio. Dicit igitur eum metum non posse pertinere ad Christianos, ut qui sua sponte faciant bonum. Partim denique necessitate quadam urgente, quod iste metus, ut ita loquar, profanus atque politicus, connexus videatur cum metu ipsius Dei ; cujus vicem in terris obtinent Magistratus. Cum igitur nos Apostolus hortaretur ad obsequium potestatum ; quia sunt bonæ, ut à Deo profectæ, & Dei judicia timenda sint, ipsarum rebellibus, quæ sæpe imò ordinariè Deus per eas ipsas effundere solet, in immorigeros ; non poterat ejus rei mentionem vitare, sine qua adducta ab ipso ratio, vix intelligi poterat. Proinde neque in hoc loco vis persuasionis Apostolicæ ; nisi fortè ex accidenti ducta est ab isto profano metu, sed à conscientiâ ; neque sæpe reperias Apostolos dehortantes nos à peccatis intentato mali aut supplicii coactivi metu ; nisi forte in iis casibus, in quibus etiam ii, qui Christianis legibus non tenentur, impune peccare non possunt.

VI. Religio Christiana si non tollit, omne ordinum ac statuum inter homines discrimen ; non tollit eorum omnia jura : si ea non tollit, nec eorum usum tollit, sive sit spiritualis, sive sit carnalis, aut potius terrenus. Nam jus cujus usus plane prohibitus sit, nullum est. Discrimen autem ordinum aut statuum inter homines, præcipuè extra Ecclesiastica negotia, non secundum spirituales sed secundum carnales ac terrenos usus censetur. Proinde si suus singulis ordinibus inter homines status, salvus & integer manet, sua singulis jura servata, suus quoque jurium usus, quamvis ad æquitatis Christianæ moderationem reductus, etiam secundum carnem relictus est.

VII. Personarum delectus, in Ecclesiasticâ morum disciplina non admittitur. Sed in ordine externo etiam Ecclesiastico admittitur. Multò magis in negotiis hujus ævi : in rebus politicis & Oeconomicis, admitti eum etiam à populo Christi, necesse est. Nec obstat dominationum juri ac necessitati, quòd omnes liberi sint naturâ & sibi æquales : non minùs quàm nihil impedit opum ac possessionum proprietatem atque dominium ; quòd omnes inopes nascantur ; nec quidquam secum in hanc vitam afferant, vel ex eâ efferant. Neque enim humanum genus Religio Christiana ad omnimodam naturæ libertatem & æqualitatem reduxit ; neque introductos consensu mortalium, Statuum & vocationum gradus ; aut eorum jura vel eminentiam aut subjectionem sustulit ; imò verò approbavit & confirmavit, ac in sua quemque vocatione sive servili, sive dominica manere disertis verbis præcepit 1. *Cor.* VII. 2. 24. Ex quo ipso apparet (ut ad jugulum causæ paululum digrediar) in eodem populo Christi duplicem eumque diversum & quasi contrarium statum non modo esse posse, sed reipsâ reperiri. Alterum in quo personarum delectus locum non habet ; alterum in quo habet : alterum in quo omnes Coactivæ potestati subjacere non possunt ; alterum in quo possint. Breviter. alterum in Ecclesia ; alterum in Republica. Ecclesia enim Rempub. non sustulit sed confirmavit : proinde nec Ecclesiastici institutio ; politici regiminis institutionem in populo Christi abrogavit sed intra suas singula regimina metas, ita contineri voluit, ut alterum in alterius messem falcem non immitteret. Iniquissimum est si Coactivam potestatem Respub. regimini Ecclesiastico immisceat. Sed nec magis æquum, si Ecclesia gladium, quem Deus ipse potestatibus politicis dedit, è manibus extorqueat.

Atque inde planum fit, quàm iniqua & insufficiens sit Autoris probatio, qua ostendit quia Regnum Christi, spirituale & precarium in populo Christi locum habeat, quod in regimine suo Ecclesiastico à Regimine politico toto cælo distat : ideò in eodem populo, regimen Politicum locum habere non posse.

VIII. Argumentum Auctoris est. Cum Dominus ipse juxtà carnem, in mundo fuerit tanquam vilissimum mancipium, non externa tantum specie, sed & reipsâ ; nulla inter Christianos, quorum conditionem ad domini sui exemplum conformari par est, hac in parte differentia esse debet. Scio sæpe bona verba ad malas consequentias torqueri. Sed profectò hæc neque bona verba sunt ; nèque consequentiam ; quæ aliquo pretio digna sit, in majore propositione argumenti hujus, in syllogismum redacti, continent. Nec enim in omnibus omninò tales esse debemus aut etiam possumus qualis Dominus fuit. Sed exemplar ejus ad quod conformari debemus in moribus potissimùm & pietatis ac sanctimoniæ officiis, non autem in vitæ genere, statu aut conditione spectandum est. Atque hæc est unica imitandi Christi regula, ad quam nos componere debemus ; quæ ultrà mores ac virtutum habitus non est porrigenda. Nam vitæ genus, vivendi statum & conditionem (hoc est ut quis sit dominus, aut servus, cælebs aut maritus, privatus aut cum potestate, agricola aut mercator, dives aut pauper atque id genus alia) ad vitæ Christi exemplar exigere non tenemur. Neque certè doctrina Christi diversa statuum ac vocationum genera in unum confudit ; aut etiam cætera præter unum illud quo Christus usus est sustulit ; sed in omnibus vocationibus, pietatem & sanctimoniam coli præcepit. Imo verò in omnibus vocationibus manere apud Deum imperavit. 1. *Cor.* VII. 24. idque, ne obiter Apostolo excidisse putemus ; eodem loco iteratò inculcat. Fatemur quidem, in vitæ statu cruci ac persecutioni obnoxio, plerumque non meliori nos sorte futuros, quàm Christus fuerit, prædici. Verum id, non per se tanquam officium injungitur ; sed per accidens ut eventus, vèl potius tanquam id quod accidere & evenire possit, prænunciatur. Nec ad imitandum aut potius affectandum proponitur ; sed ad præcavendum animosque nostros præmuniendos, prædicitur. Ideoque non quemadmodum vera & ordinaria imitatio Christi, universaliter ad omnes, neque omni tempore pertinet ; sed ad eos tantùm & tunc, quos & quando Imperator hujus certaminis honore dignatus fuerit. Id tantum universè & semper ad omnes Christi discipulos pertinet ; ut si res atque necessitas exigat : (neque enim injussu Ducis pugnare militiæ quoque Christi disciplina permittit) non, esse reipsa ; sed externa specie, tanquam vilissima mancipia tractari Christi causa non recusent ; quod etiam iis qui cum potestate sunt ; imò maximis Principum accidere non repugnat ; quoties aut in longe potentiores quàm ipsi sint persecutores inciderint : aut sua potestate quoquomodo spoliati fuerint.

Porrò antecedens, aut minor enthymematis hujus in syllogismum redacti, non modo rem falsam, sed absurdam quoque præ se fert ; quam ego licet in meliorem partem accipiam ; tamen istis verbis, quæ aliquid contumelioſi sapiunt ; ab Auctore, viro optimo pronunciatam nollem, quibus ait Dominum tanquam vilissimum mancipium ; non externa tantum specie sed *& reipsa* fuisse. Ut omittam enunciationem istam seipsum destruere. Nam qui duntaxat tanquam mancipium est ; reipsa mancipium esse dici nequit, & qui non externa specie tantum, sed & *reipsa* mancipium est ; tanquam mancipium

esse dici non debet.

• Verum id, ut puto, Autor voluit; Christum licet reipsa dominus omnium; non autem cujusquam mancipium esset; tamen instar vilis mancipii indignissimè tractatum; non fictam aliquam aut theatricam servi formam assumpsisse & exhibuisse (qualem exempli gratia Servus servorum assumit cum anniversario tempore pauperum pedes lavat) sed veras contumelias, cruciatus; & mortem servilem, pertulisse; ita ut licet reipsa servus non fuerit, tamen tanquam vilissimus servus, non scenicè sed reipsa tractatus fuerit.

Atqui cum de eo agitur, quomodo ad exemplum Domini conformari debeamus; non ex iis rebus quæ per accidens & ex aliena malitia Christo acciderunt; sed ex iis quæ per se ipse intendebat atque sectabatur exemplum capiendum est; hoc est, ex propriis ipsius moribus atque actionibus. Status igitur ille Christi iniquus & abjectus, quod tanquam vilissimum mancipium tractatus fuerit, ipse per se ad imitationem & conformationem nostri, ad ejus exemplar, nihil facit. Neque enim id in imitando Christo spectare debemus, quomodo fuerit tractatus ab improbissimis hominibus, sed quomodo se gesserit; cum ita tractaretur. Nec quia ille tanquam vilissimum mancipium tractatus est; idcircò nos dare operam debemus ut vilissima mancipia simus, aut vilissimum eorum statum ultrò ambire aut quoquomodo sectari tenemur. Sed si ejusmodi occasio voluntate aut permissu Dei occurrat; fidei, modestiæ, patientiæ, fortitudinis Christi specimen imitandum est. Verum ista occasio, adeò ultrò captanda non est, Denique arbitrio plane relinquenda: ut quâcunque honesta ratione fieri potest, ex ipsius Domini consilio & monitu, adeoque exemplo, fugienda sit; imo etiam, si fortè ex deteriori in meliorem statum transire liceat, venienti fortunæ sinum non inviti pandere debeamus, id non ratione modò, sed & Apostolo suadente 1. *Cor.* VII. *vers.*

IX. Objicit Autor; Christus à nobis, qui omnes, nullo excepto, humillimi ipsius servuli sumus; nullum exigit ministerium vi aut minis corporalibus extortum. Ergo ne nos quoque à servis nostris exigere debemus.

Resp. Atqui ministerii, quod à nobis Christus exigit natura; à natura ministerii, quod nos à servis exigimus, toto cælo distat. Illa enim non fert, ut ministerium hoc coactiva potestate exigatur; quia *pura fides*, si mali corporalis metu exigatur, non erit *Pura*: *Caritas non simulata*, si per violentiam extorqueatur jam erit *Simulata*. *Bona conscientia* si metu servili exprimatur, non erit *bona*. Denique *cælestes virtutes*, in quibus Christo ministerium præstamus; non *Cælestes* tantum, sed *virtutes* esse desinent, si liberrima & nullo metu coacta proæresis absit. At ministerium quod nos à servis exigimus, quantum quidem ad usus ac necessitates nostras attinet, sufficienter obiri potest, absque ista illibatæ proæreseos libertate. Imo verò nisi absit ista libertas & adsit formido præsentis pænæ, plerumque ministeria ista obiri non possunt; neque ullus servorum usus erit. Ideò tunc jure suo uti Christianus non tantum potest, sed etiam debet. Cujus juris usui, fateor tunc locum non esse, cum servi ex animo officium faciunt, jus tamen ipsum & usus ejus licentiam, quoties ad eam descendere res exigit, retineri nihil repugnat: quia nec omnes servi officium facere, multò minùs ex animo solent; & isti qui hodie ex animo officium faciunt, cras illud remittere aut etiam detrectare possunt.

CAP. II.

Ubi amplius differitur de Excellentia Christiana, deque dissimilitudine ejus cum Mundana Supereminentia collata.

I.

ARgumentatur Auctor. Christianorum Regnum non est ex hoc Mundo: Ergò Christiani mundano modo regnare non debent.

Brevissime responderi potest, negando consequentiam: & antecedens distinguendo, quod si de futuro Regno Christianorum loquitur, infirmitatem consequentiæ non mediocriter auget; sin de præsenti, verum esse nequit, nisi de spirituali regno intelligatur. Ex eo verò, quod spirituale Christianorum regnum non sit ex hoc mundo, falsò deducitur, nullum Christianorum regnum esse posse ex hoc mundo; quia ab una specie ad genus negatè, non valet consequentia. Regnum enim spirituale species est regni latius accepti: sub quo genere etiam alia species regni comprehendi potest, quam esse ex hoc mundo constat. Utramque autem regni speciem, uni populo competere posse, non obstantibus, quæ secum pugnare videntur, diversis eorum proprietatibus; tàm verum est: quàm falsum est, uni eidemque supposito, corpus unâ competere non posse; quia jam spiritus competat, ob aliquas proprietates, quibus hæc invicem committi videntur. Spirituale enim regnum animarum salutem atque æternæ vitæ bonum; Politicum verò præsentis vitæ, dum in hoc corpore vivimus, bonum, procurat. Non autem quia vitæ æternæ bonum ante omnia consectari; idcircò præsentis necessitates prorsus atque semper negligere debemus; nisi cum evenit, ut alterutrum duntaxat eligendum sit, quod non sæpe, certè non semper accidit. Nec enim ad æternam nisi per præsentem vitam aditum nobis Deus patefecit: quarum hujus in terris degendæ Respublica, illius in cælis assequendæ rationes Religio gubernat; & illa mundanum, hæc spirituale regnum continet. Nec quisquam fuit tàm absurdus unquam; qui aut à Repub. sua quenquam excluserit; quia suscepterit religionem, aut à religione; quia aliquo Reipub. vinculo obstrictus sit. Imo verò nulla unquam Respub. absque religione fuit, nec ulla religio nisi in aliqua Republicâ. Sed & hæc pauca, in re tàm liquida nimis multa sunt.

Cæterum quia videmus per hujus generis argumentationes ex tropicis aut improprius aut certè ambiguis verbis desumptas; multos & magnos errores in Ecclesiam irrepsisse; qualis est illa absoluta Rom. Pontificis potestas super unam atque alteram metaphoram, tanquam super solidam petram; ne quid amplius dicam, nimium securè fundata: qualis ἀγιολατρία super tropum audacter exstructa: pace Auctoris simul ac Lectoris liceat nobis argumentum istud, paulò accuratius excutere; præsertim cum ad totius disputationis nostræ cardinem plurimùm pertineat. Etenim primum hoc est, &, nisi fallor, præcipuum argumentum Autoris, quod Statum quæstionis ab ipso formatum attingit. Ideò hujus digressionis prolixitatem, Lector ut excusatam habeat, etiam atque etiam precamur. Argumentum hoc quàm multis æquivocationum elenchis gravidum sit, ut tantò clarius appareat, in syllogismi formam redigemus.

Quorum regnum non est ex hoc Mundo, ii se mundanis dominationibus immiscere non debent. Christianorum Regnum non est ex hoc Mundo. Ergo Christiani &c.

Nescio

Neſcio an ullum ſit verbum in hoc ſyllogiſmo ; quod ancipiti ſenſu careat , qui vel ipſum argumentantem in laqueum impellere poſſit. I. Adeo ut & prædicatum ipſum quæſtionis hoc eſt Concluſionis & majoris , diligenti explanatione indigeat ; quia ſe quiſpiam etiam parendo*, alienis dominationibus immiſcere poteſt : hîc autem de Chriſtianis concludi debet , eos dominari , aut imperare in mundo non debere.

II. Quin & alia verbi *immiſcere* ſc. ſignificatio hic latet ; quæ tam concluſionis quam majoris propoſitionis fidem , falſa quadam probabilitatis ſpecie commendat ; quæ tamen ad præſentem inter nos quæſtionem , de qua concludi & cui concluſioni major in eodem ſenſu ſubſervire debet , nihil facit. Nam immiſcere ſe mundanis dominationibus ſolent οἱ ἀποστατικῶτατοι ; quod non Chriſtianis modò vetitum & indecorum eſt , ſed ne extraneis quidem convenit , aut impune eſſe ſolet. Atque in eo ſenſu utraque enunciatio veriſſima eſt , ſed contrà nos nihil facit. Tenendum igitur firmiter , prædicatum concluſionis , de eâ immiſtione intelligendum , quæ legitimæ dominationis uſum denotat ; in quo ſenſu major concluſioni falſitate non cedit.

III. Venio ad ſubjectum quæſtionis , ſeu concluſionis , quod quamvis in voce nihil æquivoci : tamen in re per vocem ſignificatâ , aliquid ambiguitatis continet , ut & ipſum diſtinctione indigeat. Chriſtiani enim conſiderari poſſunt diverſo reſpectu; aut ſecundum carnem , quomodo Apoſtolus vocat Dominos ſecundum carnem , reſpectu ſervorum quibus ſecundum ſpiritum pares ſunt ; ut cum Chriſtiani conſiderantur tanquam homines in mundo , aliqua vocatione ab invicem deſtincti : aut ſecundum ſpiritum , quatenus Chriſtiani ſunt , qui quoad regimen Eccleſiæ omnes inter ſe fratres , & ſecundum quid pares ſunt. Quorum ſtatuum non imaginaria eſt , ſed in re ipſâ hærens diſtinctio ; quia eorum proprietates inter ſe toto cælo differunt. Nam ut eas non attingam quæ ſunt in controverſia ; illud ne Autor quidem negaverit , Chriſtianos ſecundum ſpiritum planè liberos , nec ulli niſi ipſi Chriſto ſervientes eſſe , quia pretio empti ſint : & tamen eoſdem ſecundum carnem , ſervos mundanarum poteſtatum eſſe , non tantum poſſe , ſed & juberi. Vera igitur & legitima iſta diſtinctio eſt. Qua poſita , oſtendimus , ſi Chriſtiani quâ Chriſtiani id eſt ſecundum ſpiritum ſumantur , veram quidem eſſe minorem ; ſed concluſionem contrà nos nihil facere , ut qui ultrò fateamur Chriſtianos qua ſunt Chriſtiani nullum in terris mundanum regnum , nullam terram , nullam patriam , nullam coactivam poteſtatem habere. Sin ſecundum carnem ſumantur , quatenus ſunt homines , quos alicui regno & vocationi , affixos eſſe neceſſe eſt ; minorem acerrimè negamus : Chriſtianorum nimirum regnum non eſſe ex hoc mundo. Nec ſine cauſa , cum & Autor , eos omnes ſua mundana regna , in quibus ſervire juſſi ſunt , habere , fateri cogatur.

Neque verò eſt quod regerat , ſe quidem fateri Chriſtianos ſua regna in mundo in quibus ſerviant , habere ; at in quibus regnent , non habere. Neque enim in hac Auctoris argumentatione Chriſtianorum regnum aliter intelligitur ; quàm quatenus ad Chriſti Regis ſui regnum pertinent , atque illud conſtituunt : quo reſpectu , non tanquam regnantes , ſed tanquam ſervientes Regi ſuo Chriſto conſiderantur. „Et verba ejus expreſſa ſunt. *Chriſtianos deſcribit* „*nobis Scriptura tanquam populum quorum regnum , ſi-* „*cut principis & Ducis eorum Chriſti non ſit de hoc* „*mundo.* Et paulo poſt. *Chriſtianos in iſto regno ex* „*Chriſti legibus dependentes , velut membra ex uno cor-* „*pore ; ſervos & ſubditos ex domino ſeu Rege ſuo de-* *pendentes* conſiderat. Proinde cum Auctor hoc loco regnum Chriſtianorum reſpectu talis ſtatus , qui ſervitutem ac dependentiam ſpiritualem continet , non eſſe ex hoc mundo aſſerat ; nobis quoque ſufficit , ſi ejuſmodi inſtantiam afferamus , in qua reſpectu ſervitutis ac dependentiæ Mundanæ , regnum Chriſtianorum , ſimul ex hoc quoque mundo , (vel Auctoris ipſius confeſſione) eſſe poſſe oſtendamus.

IV. Tàm ſubjecti , quàm prædicati quæſtionis ambiguitatibus expenſis , ſupereſt medius terminus ; in quo vox mundi una atque altera ; vox *Regni* multiplici æquivocatione laborat , quas omnes , noxias veritati ſtruere inſidias oſtendemus. Ante omnia vox Mundi & rerum mundanarum diſtinguenda eſt , quæ diverſâ notione ſui , diſputantes aut decipere , aut implicare poteſt. Nam ut propriam ejus ſignificationem à tropica ſeu metonymica diſtinctam , per quam homines qui ſunt in mundo Mundus dicuntur nunc omittamus : Aut ſumitur non modo impropriè ſed etiam καταχρηστικῶς quatenus vitium includit ; quomodo frequentiſſimè in Sacris litteris homines improbi Mundus vocantur , ut cum Satanas dicitur Deus hujus mundi ; aut mundus in malo poſitus , vel Chriſtum odiſſe dicitur *Joh.* VII. 7. unde homines *mundani* id eſt vitioſi. Ejuſmodi mundi vitiis atque abuſibus Chriſtiani ſe immiſcere non debent. Aut ſumitur propriè , vel certè ſine illa quæ vitium includit , catachreſi ut cum 1. *Cor.* v. 10. Apoſtolus negat nos ex mundo exire debere , aut Chriſtus in mundum veniſſe dicitur. Majoris igitur conſequentia niſi fortè in priori ſenſu , qui ad controverſiam noſtram nihil pertinet , vox Mundi accipiatur , adeò vera non eſt , ut ne veriſimilitudinis quidem ſpeciem ullam habeat ; ut infrà patebit. Minor autem quanquam etiam voce hac in priori ſenſu ſumptâ , vera dici poſſit. (quo modo ſi utraque præmiſſarum accipiatur , concluſio nihil contrà nos pugnabit) tamen hoc loco in poſteriori hoc eſt proprio aut qui nullam catachreſim habeat , ſenſu vocem hanc uſurpat. Reſpicit enim ad verba Chriſti quibus Pilatum alloquitur. Nemo autem dixerit, Chriſtum cum ait *Regnum meum non eſt ex hoc mundo*, vocem Mundi ſic intellexiſſe , ut à vitioſis duntaxat mundi in regnando abuſibus , regnum ſuum alienum eſſe diceret. Nam ſic nihil ad rem propoſitam , aut Pilati mentem reſpondiſſet. Quo in ſenſu proprio , ſi vox Mundi in majore quoque accipiatur : (ut fieri neceſſe eſt niſi quatuor terminos in ſyllogiſmum admittere velimus) nihil falſius illâ dici poteſt, quia quocunque ſenſu in ea vox Regni accipiatur ſive de futuro Chriſtianorum ſtatu ; neque poſito futuro idcircò præſens tolli ; neque poſito præſenti ſpirituali ; ideo præſens carnalis aut terrenus eorum ſtatus auferri poteſt , ut infrà plenùs oſtendetur.

V. Supereſt vox *Regni* , fæta & ipſa ambiguitatum ; quæ non hanc modo argumentationem de qua in præſentia agitur ; ſed totum libri hujus , qui de qualitate Regni Chriſti , inſcribitur , ambitum , complectuntur. Atque hic primùm in ipſa voce , deinde in re per vocem ſignificata ; plures ambiguitates deprehendimus non minùs opponentibus quàm reſpondentibus inſidioſas.

Vocem quod attinet. Aut metonymicè ſeu materialiter ſumitur , ut cum pro populo ad regnum pertinente ſumitur : aut citrà metonymiam ſecundum formalem rationem ſuam ut cum pro ipſo inter regentes & qui reguntur , regimine ; ſeu regendi aut regnandi ratione vel poteſtate ſumitur. Quo poſteriori ſenſu voce regni Chriſti ſumpta , certum eſt , vim coactivam , qualis eſt in poteſtate politica , Regno Chriſti Spirituali ac precariò , de quo infrà , dicemus , contrariam eſſe : quod idem tamen de voce regni Chriſti priore ſenſu ſumptâ , dici non poteſt.

VI. Verum

VI. Verum & hæc posterior regni significatio vel strictius sumitur, pro activa, ut sic loquar, regnandi potestate; ut cum quis regnum affectare dicitur; quo sensu dicitur regnum Cyri, Alexandri, atque ipsius Christi. Aut laxius ita ut etiam eorum qui regnantur statum ac officium comprehendat; sensu ut sic loquar, passivo, aut qui passivum non excludat, quo sensu regnum ejus dici potest, qui ad illud pertinet; quo genere loquendi civitas Petri dicitur, quæ fuit ejus patria. Atque hoc posteriori sensu passivo Regnum Christianorum in hac argumentatione accipi; ex verbis Auctoris suprà ostendimus, ut pote qui in eo regno considerentur, quatenus ex Rege suo Christo dependent. Jam verò & quæstionis status & ipsa conclusio, de Regno Christianorum in priori hoc est Activo sensu accepto, agit, aut agere debet. Ex quo intelligitur quàm parum firma & solida consequentia sit, quæ unam eandemque vocem in subjecto ejusdem enunciationis aliter: aliter in prædicato intelligit, qualis est ista. Quorum regnum non est ex hoc mundo; ii non debent regnare in hoc mundo: id est, Qui regnantur aut reguntur à Rege Spirituali non mundano; ii non debent regnare aut regere alios mundano imperio, non spirituali: aut non debent esse, ipsi Reges temporales ac mundani. Æquè enim arguere liceret: Qui reguntur à Rege cælesti, non terreno, ut supremi Reges terræ omnes, ii non debent regere alios mundano imperio non cælesti. Aliquanto melior videri posset consequentia, si ita inferretur; Qui regnantur aut reguntur à Rege spirituali; illi non debent regnari aut regi à Rege mundano, quia ex passiva in activam significationem non fieret transitus. Et tamen falsam esse scimus, etiam confessione Auctoris. Nunc satis est consecutionis hujus futilitatem ostendere; quæ, unam eandemque vocem, in eadem enunciatione aliter atque aliter intelligit. Nam si in uno eodemque Regni aut potestatis genere, potest esse aliquis in alieno regno; aut sub alienâ potestate & tamen idem esse Rex, aut super alios potestatem habere: quod in omnibus subalternis potestatibus, sed præcipue Regum subjectis Regibus cernitur; multò magis in diverso genere Regnorum, quorum alterum sit spirituale, alterum Mundanum: quia contraria quominùs secundum idem considerantur, eò magis secum conciliari possunt.

VII. Altera vocis Regni ambiguitas, non tàm in voce Regni generali: quàm in re per illam specialiter significata deprehenditur. Aut enim per Regnum istud, quod hic in assumptione Christianis tribuitur, illud regnum intelligitur, quod non tantum ex mundo non est; sed neque in mundo est, quale est Futurum aut cæleste: aut illud quod tametsi ex mundo non sit, in mundo tamen est, quod in præsenti quoque vita Christianis tribui potest; de quo Auctorem loqui, ex eo loco ubi Danielis testimonium citat manifestum est. In utroque sensu assumptio vera esse potest. Sed & in utroque, futilitatem deductæ ex eo consecutionis, seu majoris propositionis ostendit. Nam primum in priori patet non diversitatem modò, sed & maximam contrarietatem regiminum, uni eidemque populo competere posse secundum diversa tempora, præsens & futurum. Nec enim ullo modo sequitur; quia in futura vita longè præstantius regnum sint habituri; ideò hîc nullum Christianos habere posse; nec sequitur, eò quòd in futura vita longè meliora nobis bona expectanda sint ideò nobis in præsenti vita omni penitùs bonorum usu interdictum; cum eorum abusus duntaxat & nimius amor, non moderatus usus vetitus sit. Equidem neque quia vera hæreditas nostra non est in hoc mundo sed nos in cælis manet; ideo nullam in terris hæreditatem cernere possumus; neque quia illic est, verus noster thesaurus; idcircò nullam hic pecuniam possidere: pariter neque quia non hic sed illîc manentem civitatem aut stabile πολίτευμα habemus: idcircò hîc dum vivimus; nullam omninò patriam, nullam Rempub. nullam conversationem habere debemus.

Deinde in posteriori sensu quia hoc regnum in mundo necessariò constituendum est; certe illud in aliquo è mundanis; aut etiam in pluribus mundanis regnis esse oportet; quia populum ad regnum Christi pertinentem, eodem tempore ad regnum quoque mundi aut plura pertinere erit necesse. Quod si id, quod populus qui dicitur regnum Christi, non est ex hoc mundo, non impedit quominùs idem populus aut aliqui ex illo sint pars Regni mundi regnantibus serviens; multò minus impedit, quominùs aliqui ex illo sint pars Regni mundi, eos qui regnantur regens, quia multò verisimilius & naturæ convenientius est, unum eundemque diversorum regnorum alterius subjectum esse, alterius Regem ac dominum; quàm unum eundemque duobus diversis Dominis (præsertim absolutis & quorum alter ab altero sæpe dissideat) esse subjectum.

VIII. Cæterum in hoc sensu posteriori; quatenus in assumptione aliquod Regnum præsens, quodque in hoc mundo seu in terris locum habeat, Christianis tribuitur latet adhuc alia tertia atque omnium fortè nocentissima ambiguitas. Quæ quia clanculùm obrepit, plane stirpitus eruenda est. Regnum enim quod in præsenti tempore, dum in mundo vivimus, Christianis quoquomodo tribui potest dupliciter sumitur. Propriè aut impropriè. Propriè cum de eo regno dicitur quod coactivâ; impropriè quod precaria potestate regitur: quorum hujus spirituale Ecclesiæ; illius politicum Reipub. regimen exemplum exhibet. Nec obstat quod precariæ potestatis regnum aliquando regno coactivo natura sua possit esse nobilius & excellentius. Neque enim proprietas aut improprietas verborum ex naturis rerum: sed ex usu hominum censetur.

Hac distinctione posita ostendimus majorem syllogismi, quem oppugnamus personatam veritatis speciem ac larvam, mutuari ex propria vocis, Regni significatione: in quâ si isthic ea vox accipiatur, videtur ejus consequentia non pessimæ notæ. Cujus enim regnum, in hoc Mundo, propriè dictum non est Mundanum; is in hoc mundo regnare mundano more, non posse videtur. Cæterùm in eo sensu minor est falsissima. Non enim omne Christianorum qui in mundo sunt regnum, non est ex hoc mundo; sed tantum regnum improprie dictum, hoc est spirituale ac precarium, quale est Ecclesiasticum. Id enim ipsum quod hoc regnum in mundo sit; nec tamen sit ex mundo; hoc est non mundana & proprie dicta regnandi ratione administratur, ostendit regnum hoc respectu alterius regni, esse improprie dictum. Jam verò à posito regno improprie dicto; ad negandum proprie dictum æque firma est consequentia; ac si quis M. Antonium philosophum Imperatorem: Regem proprie dictum fuisse negasset; eo quòd de ipso dici potuerit.

Rex est, qui posuit metus
Et diri mala pectoris.

Porrò ne id, quod dicimus calumniæ aut cavillationi pateat, occurrendum est objectioni; qua quis Christianorum Regnum semper proprie dictum esse contendat, quia semper Christum Regem proprie dictum habent; qui etiam Rex propriè dictus, vere dici potest. Quod nos quidem utrumque fatemur

ac

ac reverenter agnoscimus. Sed primum potest aliquis semper proprie dictus Rex esse ; & tamen idem alio respectu, improprie dictus rex & esse & considerari. Ita potest aliquis populus semper in regno proprie dicto esse ; nec tamen semper in illo considerari. Deinde Regnum Christianorum quâ Christiani proprie dictum ; hoc est illud quod coactiva & verè regiâ, imò divina potestate administratur, ad præsentem distinctionem nostram pertinere nego, in qua Regno eorum ad futurum seculum pertinenti, (quod ipsum multipliciter considerari nihil impedit) aut etiam cælesti modo administrato ; opposuimus Regnum quod in præsenti seculo & in hoc mundo, hoc est in Ecclesia inter Christianos administratur. Jam verò Regnum Christianorum qua talis proprie dictum ; licet in hac vita inchoatum dici possit ; revera tamen illud in hac vita plenè administrari dici nequit, cum ad futurum seculum potiori ex parte pertineat ; præsertim ratione præmiorum ac pœnarum quibus gubernatur ; quæ principaliter ad venturum ævum pertinent. Aut si qua est in hoc quoque ævo, præmiorum ac pœnarum dispensatio, illa tota divina ac cælestis est; & ad cælestem sed tamen coactivam regnandi rationem pertinet. Nos verò, Auctorem secuti, de humano & precario Christianorum regimine loquimur ; quod licet in hoc mundo exercetur, non est tamen ex hoc mundo ; id est non humano more, & vulgari ac proprie dicta regnandi ratione, exercetur. Quantum enim ad publicum Ecclesiæ ordinem pertinet precaria potestate regitur nec regnum propriè dictum dici potest ; quod testantur ea omnia, quæ ad hujus Regni explicationem ab Autore producuntur ; præsertim Judicia, pœnæ, Judices Ecclesiæ ipsa arma & bella ad conservationem ejus pertinentia ; omnia ferè, non propriè sed per translationem sic dicta.

Neminem autem moveat, quod uni eidemque populo Christi, secundum potestatem quâ regitur ; modò impropriè modo propriè dictum regnum tribuatur. Nam & de ipso ejus Rege, regia potestas aliquando impropriè, aliquando propriè dicitur. Quæ diversæ in Christo potestates, quamvis inter se contrariæ videantur, cum altera omnis coactionis expers ; altera particeps sit, tamen respectu unius ejusdemque populi ipsi subjecti ; imo verò respectu unius ejusdemque hominis ; ab uno eodemque Rege Christo, utraque exercetur ; diversis tamen temporibus. Nam in negotio salutis dum tempus est militiæ, Christus coactivâ abstinet, precaria duntaxat potestate utitur ; quæ exercetur per Spiritum Sanctum cui resisti à refractariis potest. At cum stipendii vel animadversionis tempus advenit, Christus coactivâ utitur ; quæ per omnipotentiam illam exercetur ; cui nulla contumacia resistere potest. Illud enim divinæ potentiæ genus, quod propriè Spiritus Sancti dicitur, sine dubio ad differentiam ab alio potentiæ divinæ genere denotandam, Sancti nomine atque epitheto designatur, ab effectu quia in vitæ atque actionum sanctimoniâ hominibus inserenda inque iis propaganda & constanter fovenda ac retinenda versatur, sine qua finis Fidei salus animarum non contingit. Quia verò sanctimonia hæc in perfectissimis ac cælestibus virtutibus consistit ; ideò neque inseri, neque propagari, neque foveri potest alia potestate quàm precaria & quæ liberrimum animorum arbitrium intactum & illibatum relinquat. Atque ideò à regimine Regni Christi Ecclesiastico, omnis abesse debet violentiæ species. Cum igitur Christus per Spiritum Sanctum in cordibus fidelium regnat ; nobilissimo quidem regnandi genere, sed tamen impropriè ac precariò regnat. At cum idem invictâ omnipotentiæ suæ vi, sive suos servat ; sive rebelles coërcet aut punit, non precaria sed propriè dictâ regni sui potestate utitur.

Quod autem Socinus alicubi unum & simplex Regnum Christi statuat ; nihil contrà nos facit. Nam ille de Regno Christi non tantum propriè dicto, sed per excellentiam sic dicto loquitur ; quo is in populo suo absoluta potestate regnat, de quo & Paulus 1. *Cor.* xv. disserit ; quod aliquomodo ad tempus à subjectione patris exemptum, idem Apostolus, Christum ipsum secutus, dicto loco innuit : quod regnum ob excellentiam suam, peculiari quodam modo & κατ' ἐξοχὴν Regnum meritò dicitur ; de quo Christus ipse *Joh.* v. 20. 21. *& seqq.* disserit.

Præter istud autem regnum Christi sic principaliter dictum ; nihil impedit quominus etiam propriè dictum regnum Christi consideretur in eâ potestate, quæ ipsi data est in cælo & in terrâ, etiam extra ipsius Ecclesiæ regimen : quæ quidem potestas ita late extenditur ut expressis S. Scripturæ verbis solus is duntaxat qui eam ipsi tradidit, ab ejus subjectione excipiatur. Quæ quidem exaltatio Christi ; quod unâ cum illo regno Christi de quo Paulus 1. *Cor.* xv. loquitur ; finem non sit habitura, inde adducor ut credam ; quod quamvis illa ad absolutum illud regnum, in quo Christus salutem Ecclesiæ suæ procurat, plurimum conferat ; adeoque etiam (si ita placet) sit necessaria ; tamen non in solius Ecclesiæ gratiam facta, à Spiritu Sancto dicitur. Sed primùm *Phil.* 11. 8. 9. in præmium perfectæ Christi obedientiæ : deinde *ibid. vers.* 11. in gloriam Dei patris. Quibus addi potest ille quoque exaltationis hujus fructus quem Christus ipse memorat, quod in cælum abierit ut suis locum præpararet. Quæ causæ omnes, cum etiam tunc in perpetuum mansuræ sint, cum fidem ac spem nostram fulciri non erit necesse ; nihil video quod cogere possit, ut sublatâ fidei ac spei nostræ sustentandæ necessitate, hæc quoque exaltatio tollatur ; præsertim cum Regni & divinæ potestatis Christi æternum mansuræ ; tot evidentia in S. libris testimonia non desint. Nam ut filius patri subjectus esse dicatur ; non est necesse ipsum omni prorsus potestatis dignitate exui : sed sufficit illud absolutum ac independens ; quod ipsi ad Salutem suorum procurandum & bellum contra inimicos suos atque ipsius Dei conficiendum, traditum est, in populum suum imperium, deponi. Quippe cum nullum sit in cælo aut terris tàm sublime imperium, quod tamen summo Deo subjectum non sit ; nec ideò quia ei subjectum est sublime imperium esse desinat. Ut autem Deus sit omnia in omnibus evenire potest ; etiamsi Christus dependenti à Patre potestate omnes gubernet.

Verum ut eò unde digressi sumus revertamur ; ex illata qualitate Regni Christi aut potius Christianorum in hoc Mundo, impropriè dicti ; quod totius Tractatus hujus præcipuum argumentum est, male infertur in eodem populo abrogatio inter illos, regnorum propriè dictorum dum sunt in hoc Mundo. Nihil enim frequentius est ; quàm ut in uno eodemque subjecto, multò magis autem in eodem populo, reperiantur plura, quæ inter se adeò pugnare videntur ; ut in eodem subjecto aut populo inesse ; aut secum consistere posse non videantur ; ob repugnantes inter se qualitates ; quæ tamen eidem inesse & secum consistere posse, manifestè deprehendamus, qualis est, (ut non attingam controversa) libertas & servitus, æqualitas & statuum diversorum distinctio. Miseria &

felicitas ; Interior homo atque Exterior. Quorum omnium pleraque semper ; quædam autem sæpe, non modò uni populo, sed uni homini simul & conjunctim inesse posse videmus. Nec minùs unà secum consistere ; quàm spiritus & caro in eodem subjecto, dum in hac vita mortali vivitur, consistunt.

Quid ? quod & in ipsa controversâ materiâ, unum eundemque populum Christi non modo ad Christi ac Dei ; sed etiam ad Cæsaris regnum pertinere videmus ; atque utroque erga diversos Reges officio simul ac semel ordinariè posse probè defungi ; nisi si quando Cæsar in messem Dei & Christi suam falcem immittat. Nam Deus & Christus in Cæsaris messem suam non immittit. Quod si unus idemque populus totus, tanquam serviens ac subjectus ad diversa regna ; pertinere potest ; quid obstat, quominùs quidam ex isto populo, in Christi quidem spirituali ac cælesti Regno serviant ; in Mundi autem regno, regnent ac dominentur ? Longè probabilius enim est aliquem superioris quidem subjectum ; inferioris Regem esse quàm eundem duobus dominis servire. Annon videmus omnes etiam supremos terrarum Reges, cælesti Regi subjectos esse ? Quid ista subjectio impedit ; quominus tamen illi in subjectos sibi populos, regiam potestatem exerceant ? Quo ! si in Regno unius generis hoc est coactivo, hoc fieri posse omnes subalternæ potestates ostendunt ; quantò magis id fieri potest in regnis diversi generis, quorum alterum est precarium, alterum Coactivum. alterum propriè, alterum impropriè dictum ?

Denique si in uno eodemque Rege, tàm precaria & impropria, quàm coactiva potestas unà consistere potest ; quod suprà in Christi exemplo ostendimus : cur in quibusdam è Christianis eadem utraque simul aliquando consistere non possit ? Multò magis autem, cur alterius potestatis subjectio, alterius diversæ jus atque usum tollere censeatur ?

Unica causa est, ob quam in pluribus diversis regnis unus idemque populus esse non potest ; sed quæ in eo de quo agimus negotio locum non habet. Hæc autem est Confusio jurisdictionum ; quod contingit, cum metuendum est, ne plures diversæ & à se non dependentes potestates, mutuò concurrant atque collidantur ; ut certe factum fuisset, si (quod Auctor infrà pro argumento sententiæ suæ proponit) Mosis aut Regum tempore alia politica potestas in populum Israëlis intrusa fuisset, quæ ab illis non dependeret. Quod ipsum cum sub Roboamo accidisset ; divisio regnorum ac populi divulsio, necessariò consecuta est. Verum istud exemplum pro Auctoris sententia ; aut adversus nostram non militat. Nam & nos fatemur duo regna politica, à se non dependentia ; in uno eodemque populo esse non posse ; absque mutua jurisdictionum commissione ; quia utrumque ejusdem generis potestatem, hoc est coactivam habet ; quæ concurrere nequeunt quin ad bellum res deveniat. At regna inter se genere diversa, quale est Spirituale ac precarium Christi ; & coactivum Cæsaris aut alterius Regis, in eodem populo simul esse possunt, absque ullo jurisdictionum concursu quia earum altera spiritualis ; altera Coactiva & politica est, atque ejusmodi inter se limites habent, intra quos si maneant (ut par est) inoffenso utrinque potestatis jure exerceri queunt. Spiritualis enim mentes & conscientias hominum & Interiorem hominem, in perfectissimo virtutum genere molli freno coërcet : Coactiva facta hominum externa, & exteriorem hominem, duriori lupato, non in virtute quæ cogi non potest ; sed in abstinentia injuriæ & rebus Politicum ordinem spectantibus, frænat ac moderatur. Ita non modo objectum, sed modus quoque regendi diversa, efficiunt ut hæ potestates secum concurrere atque ideo pugnare non possint.

Quamvis autem ut istæ potestates in eodem populo inoffenso utriusque jure exerceantur ; earum tam objectum ; quam modum regiminis diversa esse necesse sit : non tamen est necesse, ut planè nihil sit, in quo convenire possint : aut ut altera ab altera quodammodo dependere nequeat. Imo verò cum spiritualis potestas vel ob ipsam objecti sui naturam multò sit nobilior ; non convenit tantum sed & necesse est ut politica ipsi subserviat atque ancillatur : quemadmodum facta externa & loco motivas facultates in homine, mentis atque rationis imperio subservire oportet. Cæterum non in eo spirituali potestati politica subservire debet ; quod ipsam politicam potestatem planè destrueret ; cujus essentia est, in juris coactivi, circa facta externa usu ac Regimine ; neque etiam in eo, quod ipsam spiritualem potestatem destrueret ; cujus essentia est in illo illibatæ mentium libertatis regimine quod perfectissimas virtutes ipsis instillat.

Sed in eò primùm, quòd cum crassiora vitia hominum crassiori quoque freno coërceat ; efficiat, ut homines facilius subtiliora vitare possint, qui jam crassiora dedidicerint. Deinde in eo, quòd jus suum cuique asserendo, pacem ac libertatem, præsertim conscientiarum, præcipua animi humani bona, præstet ; vindicando innocentes, ab improborum oppressione & injuriâ, per quam sæpe veritas & consequenter virtus, ita premitur, ut in mentibus hominum regnare nequeat. Veritas enim invicta est, & virtutem efficaciter inserit, nisi aliquo, iniquæ servitutis atque oppressionis impedimento, quale est servitus conscientiarum, coërceatur : quod impedimentum amoliri, ac ne unquam redeat, curare, (quantum ad inservitionem Spirituali Regimini attinet) præcipuum Politicæ potestatis officium est. Denique in eo ne quid in legum politicarum, quas custodit, corpore, admittat aut habeat, quod legibus quas spiritualis potestas custodit, adversetur : hoc est ne leges politicæ quicquam præcipiant, quod legibus Christi adversetur.

Cæterum ut jubere aut præcipere debeant ea, quæ ad legum Christi observationem propriè pertinent ; id planè spiritualis jurisdictionis naturæ adversatur ; neque in eo Religio poscit aut dignatur opem Reipub. imò eam non minus atque immissæ in suam messem alienæ falcis injuriam, odit, aversatur & omni ratione repellit.

Tantum igitur abest, ut spirituale atque impropriè dictum populi Christi regnum in societatem unius ejusdemque populi regendi, politicam ac propriè dictam potestatem admittere nequeat ; ut absque ejus societate nec planè consistere ; nec certè nisi forte miraculis, aut eorum recenti memoriâ subnixum sit, insigniter crescere aut propagari posse videatur.

Et consistere quidem Spirituale Christi Regnum, in cætu hominum, quos inter effera, & nullâ juris aut legum reverentiâ, mansuefacta barbaries regnat, tàm possibile est, quàm è sparso in terram, nulla prius agricolæ curâ subactam, semine, lætam messem exurgere. Nam quòd hujus arvi præparationi, etiam gentilis potestas sufficere possit, nihil obstat. Non enim id in præsentia agimus, ut probemus Christianam politici regiminis potestatem, ad Spirituale Christi Regnum in terris in eodem populo plantandum, esse necessariam : sed tantum politicam potestatem qualiscunque illa sit.

Quod

Quod ubi planum fuerit, id quoque apparebit, (quod isto loco probare, nostri est instituti) tàm spiritualis quàm politicæ potestatis usum & administrationem in eodem populo esse, non modo posse, sed etiam debere. Ex quo consequens erit Regnorum istorum diversorum proprietates non ita secum pugnare; ut introducto in populum Christi uno, alterum ab ipso plane excludendum & proscribendum sit; quod nobis hoc loco sufficit, ad ostendendum nihil repugnare ut gentilis potestatis locum Christiana occupet: imo verò longe magis Christianorum politicam potestatem, cum Regno Christi spirituali in populo ejus, in bonum fidelium Christi conspirare posse: quoniam etiam gentilis legitimè administrata in idem bonum cum ea conspiret. Id tamen addimus, nisi quid aliud impediat, verbi gratia Expressum interdictum, de quo alibi agendum est. Nam hic duntaxat ipsam Regni Spiritualis & politici naturam nude consideramus in eo, an unâ secum in eodem populo consistere possint.

II.

Tam Regnum Christi propriè dictum, seu Coactivæ potestatis particeps; quàm precarium & improprie dictum; dici potest, non esse ex hoc Mundo. Illud quia tametsi cogendi vi præditum; tamen & invisibili modo & cælestibus magis quàm terrenis pœnis ac præmiis gubernatur: hoc quia tametsi visibilibus in Ecclesia pœnis ac præmiis; tamen non Coactivâ & Mundanæ simili; sed precaria & spirituali potestate administratur. In utroque regno Christiani omnes dependent ex Domino seu Rege suo Christo, cum dominationibus & potestatibus suis, qualescunque inter illos locum habere possunt; hoc est tàm spiritualibus quàm terrenis. Sed Spirituales & Ecclesiasticæ potestates in Regno ejus impropriè dicto; politicæ ac terrenæ eorundem potestates; in ejusdem Regno propriè dicto, (sicut & omnes non Christianorum dominationes) ipsi sunt subordinatæ; secundum quod dicitur Rex Regum & Dominus dominantium.

III.

Ex loco Daniel. 11. patet; quia in diebus illorum regnorum quæ ibi ventura prædicebantur, dicitur Excitandum fuisse Regnum Christi; inde sequi illud planè non in futura, sed in præsenti vita excitandum fuisse. Sed non idcircò quia de isto regno ibidem dicitur; quòd omnia regna terrena disperdere debeat; concludi potest, istam aliorum regnorum per Regnum Christi eversionem, in hac vitâ fore: cum ista eversio usque ad excidium Mundi possit differri; cui nullum aliud præterquam Christi regnum superites mansurum sit. Neque ex ista figurata & prophetica adumbratione, ullum firmum argumentum duci potest; ad astruendam Regni Christi, qualem introducere vult Autor, qualitatem, aut naturam. Quamvis illud à nobis haud gravatim concedi potest, Regnum Christi, cum regnis hujus Mundi non esse miscendum, licet eodem cum ipsis tempore existat. Nec tamen inde sequitur, aliquos è populo Christi Reges terrenos esse non posse. Nam si Regnum Christi, cum regnis hujus mundi non miscetur, tunc, cum aut totus populus, aut aliqui è populo Christi Regibus hujus mundi subjecti sunt; ne tunc quidem miscebitur, cum aliqui è populo Christi, Regnis hujus mundi præerunt. Possunt enim in eodem populo, quoad regna inter se genere diversa, distinatæ jurisdictiones unâ consistere; quarum altera in jus alterius non invadat; cum nec spiritualis Christi jurisdictio; politicam Ordinationem Dei destruere, nec mundana jurisdictio spiritualem impedire debeat. Quod autem in isto Regno, leges, judicia, pœnæ, judices, non ejusdem sint generis atque in regno Mundi; id non efficit quominùs hoc regnum, cum illo in eodem populo simul consistere possit, ut paulò ante probatum est.

IV.

Atque hoc loco iterum nobis Autoris argumentum refutandum occurrit; quod plane ad statum controversiæ ab ipsomet constitutum pertinet; nam reliqua ferè quæ hucusque adduxit extrà metas ab ipsomet præfixas exerrant. Id autem est tale.

Si inter populum Dei, sub Mose, judicibus, Davide & Salomone, alia politica potestas esse non poterat; quæ formæ regiminis eorum; ac legibus quas Dei nomine proponebant, non prorsus subjecta foret; etiam inter populum Dei sub Christo, alia politica potestas esse non potest, quæ formæ regiminis Christi ac legibus ipsius repugnet. At verum prius. Ergo & posterius.

Ad quod argumentum antequam respondeamus; primum illud Lectori animadvertendum est, non totum istum Syllogismum aut omnes ejus conclusionis partes contrà nos pugnare. Nam & nos libenter concedimus; nec olim in populo Dei, potestatem ullam esse potuisse; quæ Mosis legibus non prorsus subjecta foret; neque nunc in populo Christi esse posse; quæ Christi legibus adversetur. De formâ Regiminis, longe alia est ratio. Posse enim in regno Christi hoc est in populo ejus Regni, præter illam potestatem quæ spirituali regimine in Ecclesia exercetur; aliam esse potestatem; quæ politicâ Regiminis forma exercetur in Republicâ, suprà ostendimus.

Itaque in præsenti argumento connexum majoris falsum est: quia ab uno populi Dei statu, ad alium cujus longè diversa sit ratio, non potest ulla firma necti consecutio. Nec enim mirum est, olim in populo Dei sub Mose aut Davide, non potuisse dari aliam politicam potestatem, cujus regiminis forma, à regimine Mosis & Davidis dissideret: quia ipsius quoque Mosis & Davidis potestas erat politica. Duæ igitur politicæ potestates; absque confusione jurisdictionum, imò absque pugna & divisione ejus Reipub. in eodem populo consistere non poterant, quod sub Roboamo accidisse commemoravimus. At nunc in populo Christi, quia ejus regnum est spirituale & longè diverso à politici regiminis formâ, gubernationis modo administratur: posse istas potestates unâ consistere demonstravimus ob distinctos jurisdictionum istarum limites non modo ratione objecti; sed ipsius quoque regiminis formæ. Vide ejusdem capitis §. 1. Altera enim in factis hominum externis ordinem politicum spectantibus, altera in mentibus & conscientiis ad perfectissimas religionis ac morum virtutes flectendis versatur. Itaque Politica jurisdictio, in potestate sua exercendâ, ne si velit quidem (quod nonnunquam hominum vitio infeliciter tentatur) potest in religionis negotio ullum facere operæpretium. Ecclesiastica verò & spiritualis jurisdictio; (quantum quidem ad Christum ipsum attinet) ne si posset quidem, vult in Reipub. negotia potestatem suam intrudere; quia Christus ordinationes Dei circa potestates supereminentes, non sustulit; imo istarum potestatum obsequium sanxit & confirmavit. Præterea (quantum ad potestates Christo in Ecclesia subordinatas attinet) ne si vellent quidem, possent in Rempublicæ

negotio, potestate suâ exercenda quicquam proficere. Carent enim coactivâ potestate: proinde ad resistendum hominum minimè spiritualium improbitati plane sunt inermes. Ac veluti surdi hominis ictus, verbis à capite nostro averti non potest; nisi violentiâ repellatur: ita hominum minime spiritualium aures surdæ sunt ad omnem virtutis ac religionis vocem, nisi manus eorum objecta vi magistratus coërceantur. Rursus ut plagis & verberibus, aut ulla violentiâ, nemo pellici potest, ad amorem rerum cælestium, nisi loco injuriarum; quæ animos potius irritant; blandiores adhibeantur illecebræ: ita hominum mentes, qui spirituales evadere velint recalcitrant omni coactivæ potestati, nisi blanda & molli Ecclesiastici regiminis mansuetudine, foveantur & flectantur ad religionem. Itaque potestas Magistratus versatur in frangenda improborum licentiâ: at potestas Ecclesiastica versatur in flectenda & adjuvandâ proborum ac spiritualium imbecillitate. Nec rigor politicæ potestatis quicquam terroris aut molestiæ afferre potest, iis qui sunt sub Ecclesiasticæ potestatis indulgentiâ; nisi velint ex Christianorum censu, migrare in partes sceleratorum, quibus solis supplicia legum infesta sunt. *Vis autem non timere potestatem: fac bonum: & habebis laudem ab illâ.* Non igitur implicat ullam contradictionem; diversa imò contraria in eodem populo Christi, jurisdictionum pugna; cum in diversis objectis versentur: nec altera alteram impedire; aut secum secundum idem concurrere aut collidi possint.

V.

Notandum hîc Autorem fateri politicam potestatem; aliquid conferre regno Christi; quod ipsum probabiliter ostendit, eam cum isto Regno non pugnare cui utilem navat operam. At nos eam Spirituali Regno Christi plane necessariam esse supra eodem cap. sub finem §. 1. demonstravimus, quo Lectorem remittimus.

VI.

Quod ad locum Esaiæ XLIX. 23. attinet; quanquam è propheticis locis quæ propter obscuritatem verborum in varios sensus pro libitu torqueri solent; consecutiones majoris momenti non libenter nectamus; Tamen mirari satis non possumus quid impulerit Auctorem, quod huic loco nimis alienum & à verbis abhorrentem sensum tribuat. Quid enim obstat, quamvis Ecclesiæ potissimum alimentum spirituale sit; Reges autem quâ tales corporalia tantùm Ecclesiæ procurare possint; quominùs id boni per quod augetur, atque incrementum sumit Ecclesia licet illud perfectiori sensu Spirituale dici neqneat, nutrimentum tamen Ecclesiæ dici possit? Quantum enim ad plantationem & incrementum Ecclesiæ conferre potest libertas prædicandæ veritatis? atque illorum impedimentorum amotio; quæ veritatem in injustitiâ detinere & promotioni ejus obstare solent? Præterea ipsorum Regum pietas, ad quorum exemplum subjecti populi; innato quodam instinctu trahuntur? Ut reliqua propagandæ religionis adminicula taceam, quæ Reges & Reginæ Ecclesiæ præstant, posteaquam ad agnitionem veritatis pervenerint. Si gentiles etiam magistratus, aliquid (ut hîc fatetur Auctor) conferunt Regno Christi; quantò magis Christiani? Cum igitur in Regibus postquam conversi fuerint (eos vero Deum converti velle constat) multa videamus quæ propagare possint Ecclesiam; cur istud nutrimentum quod ab iis sumptura Ecclesia prædicitur; spirituale esse volumus; cum eos spirituales nutritios esse non posse, sciamus; & tamen nutritios dici à Spiritu Sancto videamus? Annon ut per translationem nutritii dicuntur; ita nutrimentum quoque per translationem, id commodi, dici potest, quod illi ad incrementum Ecclesiæ conferunt? Præterea cur istud nutrimentum ad id restringamus, in quo illi ipsi, si maneant Gentiles, nihil conferunt Ecclesiæ; sed tantum aliqui è populis ipsis subjectis? Annon additur isthic de iisdem Regibus & Reginis, *pulverem pedum tuorum lingent?* Hæc verba quomodo ad explicationem Auctoris detorqueri possunt; An cum aliqui, è subjectis Regum in gremium Ecclesiæ recipiuntur; illico gentiles Reges ac reginæ pulverem pedum Ecclesiæ lingere dicendi sunt? Ii verò, tantum abest, ut demissionis specie Ecclesiam tunc honorare videantur; ut tunc vel maximè ipsam calcare, deprimere ac persequi soleant; dum subjectos regni sui cives à professione susceptæ invisæ sibi religionis abstrahere contendunt. Idem de loco *Apoc.* XXI. 25. dicendum arbitror. In quibus locis ab aperto, & veritati; imo verò tot seculorum ac populorum experientiæ, consentaneo sensu; ad nescio quas nimium duras & abnormes expositiones descisceret; nihil aliud est, quàm ut dicitur; cum domi tuæ siligineum panem habeas, emendicato furfure vesci malle. Ac profecto Theologorum consensus ejusmodi expositiones damnavit; quæ sine urgente necessitate, à sensu verborum proprio aut saltem viciniore & eorum significationi congruentiore, æquo longius discedunt. Nam quid à verborum sensu alicujus fingi potest quàm ejusmodi glossa. *Reges erunt nutritii Ecclesiæ*, hoc est quidam Regum gentilium subditi, frendentibus licet ac renitentibus ipsis regibus (tales enim eos esse necesse est dum gentiles manent) adjungentur Ecclesiæ. Aut *Reginæ pulverem pedum Ecclesiæ lingent*, hoc est quidam earum maritis subditi recipientur in Ecclesiam. Ex ejusmodi fortè expositionum licentia originem traxit, illa adversus Sacræ Scripturæ auctoritatem iniquè excogitata Nasi Cerei contumelia; qua licentiâ permissâ, nihil à Sacris libris certi concludi poterit.

VII.

Christianorum sortem esse ut per afflictiones ingrediantur in gloriam Dei, ita intelligendum est: id plerumque ac frequenter fieri. Non tamen semper atque perpetuo etiam tunc cum nondum Ecclesia in justa sui incrementa adolevit: quantò minùs semper postquam in eam magnitudinem excreverit; ut in ramis ejus volatilia cæli nidificare possint? Quamvis ne tunc quidem ab humanæ sortis vicissitudine, exempta esse Ecclesia potest.

Deinde afflictiones piis etiam in secundissima Ecclesiæ fortuna deesse non solent. Ut alia taceam acriores tentationum stimuli: & pugna cum iis difficillima & molestissima. Præsertim cum secundæ res, acrioribus stimulis animos hominum explorent quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.

Ac profecto Dei consilio Christianos; ad crucem duntaxat; hoc est ad res adversas ordinatos ac destinatos esse; nec unquam secundæ & ex voto fluentis fortunæ tentationibus exerceri posse; neque Sacra Scriptura usquam asserit; & ratio sana abnuit. neque permittit, ut quos Deus cælestium spirituum spectaculum esse voluit; eos à perfectioris propemodum virtutis specimine edendo; voluntate & consilio ejus exclusos putemus.

Qui dominatur, quâ dominatur afflictionem à subditis pati non potest; sed & dominatio ipsi eripi propter Christum; sive à subditis, sive à potentiori Domino potest; nec ista patientia magis involuntaria dicenda erit, quàm cum pii propter Christum direptionem

direptionem bonorum patiuntur. Non enim omnis violentia involuntariam patientiam arguit ; quoties ista vis facili veritatis rejectione ; aut dissimulatione, evitari potest. Quid ? quod & retenta dominatio, multis afflictionibus propter Christum obnoxia esse potest ? Nam ita sunt res humanæ, ut etiam maximi Reges, ingentibus damnis atque injuriis pateant. Nec istorum malorum patientia ideo coacta aut imperfecta est ; quod à potentiori inferantur si nullo negotio prodita Christi causa, evitari possint. Omnis fere persecutio fidelibus à potentiori infertur ; neque id ipsorum virtuti, aut gloriæ detrahit ; quia se ab impetitione validiorum expedire possent, nisi crederent

Esse nefas ingens animam præferre pudori.

VIII.

Heb. XIII. 14. Non habemus hic *manentem* civitatem.

I. In his verbis, de Christianis nihil dicitur oppositè ad Judæos gentesque. Nam & Judæi gentesque non habent hic manentem civitatem ; cum & illi moriantur plerumque superstite patria suâ ; & ipsi patriæ suæ possint esse superstites. Neque id obstat quod ea ratio adhibeatur ad persuadendum Christianis ut exeant exemplo Christi extrà castra ; quod Christianorum proprium est. Neque enim novum est, Apostolos dum nos cohortantur ad officium Christianum, uti ejusmodi rationibus quæ etiam Judæis gentibusque competunt ; ut cum nos ad *ἀνακλησιν* Paulus hortatur ait. Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec efferre quicquam possumus. An id quoque oppositè ad Judæos gentesque dicitur? Scilicet Judæi aut gentes intulisse in hunc mundum ; aut ex eo extulisse aliquid poterant ! Aut Judæi manentem hic in terris civitatem habebant ; quæ venturo pauculos post annos excidio jam erat destinata ! Quod si Auctor urgeat Tamen Judæos & gentes habuisse hic qualescunque civitates suas, quatenus erant Judæi & gentes. Christianos autem quâ Christiani fuerunt, nequaquam ; id contrà nos nihil facit : qui ultrò fatemur Christianos *secundum quid* hoc est qua sunt Christiani ; non habere hic terrenam aliquam Rempub. Nec tamen inde cognominis fallaciæ non expers consecutio necti potest ; eos ipsam *simpliciter* tanquam alicujus gentis cives habere non posse : de quo hoc loco duntaxat quæritur.

II. Etiamsi non additum fuisset epitheton *manentem*, quod evidenter Judæis gentibusque nobiscum commune hoc enunciatum facit ; tamen verba Non habemus civitatem, non id significassent ; nos planè non habere, aut non agnoscere debere ullam in terris patriam aut Rempublicam : sed non tanti illam facere ; ut non pluris æstimemus communionem cum afflictionibus Christi. Ut cum *Joh.* VI. Christus ait: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* : non ille cibo aut curâ vel labore circà illum suscipiendo interdicit ; sed cibi cælestis potiorem curam commendat. Non damnat cibum communem Christus, nec se ab eo abhorrere ostendit, cum ait *Joh.* IV. *Meus cibus est ut exequar voluntatem patris.* Sed comparatione quadam, Spiritualem istum cibum longè potiorem esse ostendit.

IX.

Differentia inter populum Dei antiquum & novum ; non in eo fuit, quod Israëlitis terram patriam Rempubl. & forenses leges habere licuerit ; Christianis autem nihil horum habere liceat. Sed in eo primùm quòd illi populo Deus legem moralem imperfectiorem per Mosen : huic verò perfectiorem per Christum tulit. Deinde quod ille uni genti affixus : iste per omnes gentes propagatus fuit. Denique quod ille, cum olim extorris ; neque sedem patriam, neque Rempub. haberet ; & terra quondam Majoribus ejus promissa, possessoribus vacua non esset, Deus ipsum in possessionem terræ Cananææ introduxit ; ibique Rempublicam ejus certis legibus forensibus, ad instar aliarum gentium latis, constituit : hic autem populus ex Christianis constans ; quia ratione singulorum ad quos vox Evangelii pervenit, suas patrias sedes, suas leges atque Respublicas habebat, Deus ipsi per Christum nihil horum dare necesse habuit ; tantum potestatum ac magistratuum qui in singulis regnis, patriarum legum, pacis, ordinis, justitiæ ; possessionum omnium civium custodes ac vindices sunt, obsequium ac reverentiam cunctis injunxit ; quorum ne idcircò vilior esset auctoritas ; quod ab ipso immediate, (ut quondam in Judaicâ Repub.) istæ potestates constitutæ non essent ; earum ordinationem pro suâ agnovit ; easque etiam in ipso gladii usu, ministras suas esse declaravit ; idque solenni lege per Apostolum gentium, quò cunctis ad notitiam perveniret, promulgavit. Ex quo patet differentiam inter istos populos ab Auctore propositam quam is fundamentalem vocat ; ipsam esse sine fundamento.

Quæstio an Respublica populo Christi commissa sit : ad controversiam nostram non pertinet, qui id tantum quærimus utrum eâ sit interdictum nec ne.

X.

Regnum Christi, quod nunc inter homines administratur ; præter cælestis civitatis promissum ; nihil aliud continere quàm benedictiones spirituales, excepto Auctarii promisso, tàm ridiculè dicitur ; quàm facetè olim de Stoicis dictum est, eos solos esse Reges sapientes, divites, præcipuè sanos, nisi cum pituita molesta esset. Quid enim an istius auctorii promissio, non est promissio ? Nemo negat bona & promissa spiritualia corporalibus esse longè meliora, & optabiliora : & unicè præ cæteris necessaria. Verum id non efficit : quominus ista quoque ipsa sint bona, & optabilia ; aliquando & necessaria : quominus item à Deo peti ; atque impetrari possint ; ac proinde sint licita nec ullo modo interdicta.

XI.

Abrahami & patrum peregrinationes ; & in posthuma secula dilata terræ promissæ possessio, non corporei exilii ac peregrinationis nostræ à terrestri patria ; sed figura fuit dilatæ in posthuma tempora, adeundæ à nobis cælestis hæreditatis. Nec inde quòd sacerdotes & Levitæ exortes essent hæreditatis terræ Canaan consequitur nos aut patriam ac Rempub. habere, aut patrimonia possidere non posse. Figuratum istarum antitypi, non in carnalibus : sed in spiritualibus rebus quærendi sunt.

CAP. III.

De peculiari Legum Christi natura earumque à Mundi legibus differentiâ.

I.

Leges Christi an graviores decernant pœnas peccatis ;

catis ; quàm leges humanæ aut Mosaicæ ; ad quæstionem nostram non nimium pertinet : ejusque rei disquisitio à nobis citrà dispendium causæ omitti potuisse videtur. Contineri tamen nequeo, quin paucis attingam quid de ea Auctoris dissertatione sentiam ; quia & hoc ad illustrandam quæstionis quam tractamus intelligentiam, inutile non fore existimo. Velim igitur distinctius ab Autore propositam hanc assertionem, quò magis recedere posset, à propinquo nimium falsi connnio. I. Nec enim simpliciter verum esse videtur, in Lege Christi, quæ gratiæ, veniæ, clementiæ plena est ; rigidiores pœnas esse, quàm sint in aliis, præcipue Mosaicis legibus. Illud tantum verum est ; potestatem punientis Christi longè majorem esse potestate punientis Magistratus sive Judaici ; sive alterius gentis, cum iste nonnisi corpus occidere possit, Christus etiam animam. Deinde illud quoque verum est quantò nobilior est mens ac spiritus corpore, tanto graviorem esse jacturam aut pœnam, multò magis autem mortem, animæ quàm corporis. Quia verò lex Christi est prorsus spiritualis, nonnisi spirituales pœnas peccatis contrà se commissis, constituere potest : quæ naturâ suâ per se consideratæ, ut ostendimus, graviores sunt corporeis. Verum id, quod attinet severitatem aut clementiam, decernentis eas judicis, plane est ex accidenti, cum is per se indulgentissimo clementiæ genere leges suas exerceat ; quod ex venia pœnitentibus propositâ, & multiplici benignitatis ejus specimine patet. Præterea cum reliquorum, etiam apud Judæos & gentes, Magistratuum, judicia, divinâ, quamvis invisibili, gubernatione regantur ; & pœnas corporis gravioribus peccatis irrogatas ; supplicia quoque animorum ; aut certe ejusdem status miseriæ ; quæ in Christi lege damnatos manent ferè consequantur ; non videtur melius aut mitius cum iis agi ; qui sub aliis legibus, quàm qui sub Christi, extremo supplicio pereunt ; imo aliquanto regidius isti secundum quid plecti videntur, qui sub lege Christianæ indulgentiæ experte, pereunt. Ita, ut absolutè ac simpliciter loquendo ; etiam naturâ suâ ac per se, vix possent dici severiores pœnæ exigi, à Christianis, quàm à reliquis, nisi fortè quatenus evenit, ut Christiani damnati ; longè propriori felicitate excidant, quàm reliqui, quod ipsum quoque est ex accidenti.

II. Sed etiamsi concedamus, planè graviora supplicia exigi in Regno Christi, quàm alibi ; tamen ea quæ hoc loco dicit Autor, non simpliciter vera esse videntur. In quibus Autor hallucinatus est, eò quod de Regni Christi natura & qualitate scribens, accuratiorem hujus Regni distinctionem neglexerit. Nam hoc regnum, aut est latius sumptum ; quod respicit eos etiam, qui ad Ecclesiam Christi non petinent ; quod plane coactivum est, ac proprie dictum, sed cœleste ac divinum ; de quo quia Auctor non tractat ; nos quoque non loquimur : aut strictius, quod ad solos Christianos restringitur. Atque hoc ipsum aut est propriè dictum, seu Coactivæ potestatis particeps, aut precarium. Illud ad *futuram aut certe cœlestem* & invisibilem : hoc ad præsentem & hujus vitæ ; ac terrenam seu visibilem Ecclesiæ gubernationem pertinet. Illius jurisdictionem solus Christus immediatè ; hujus mediante Ecclesiâ exercet. Ideoque illam oculis corporeis non cernimus, sed fide duntaxat & plerumque tanquam futuram apprehendimus ; hæc oculis subjecta est & in hac vita visibiliter exercetur. Et quamvis in hoc Scripto interdum de Regnorum istorum utroque promiscuè Auctor loqui videatur ; quia tamen illud regnum de quo tractat, in locum regnorum politicorum substituit ; quæ oculis subjecta sunt, & ad visibilem regiminis rationem pertinent : ideò de visibili, quod in terris in Ecclesiâ usurpatur, Regno Christi, eum concludere ac principaliter loqui necesse est. Cui certe falsò tribuit, quod gravioribus pœnis violatores legum Christi coerceat, cum neminem ejusmodi supplicio afficiat, quod is qui punitur, si velit ac serio contendat, effugere nequeat. Graviores enim istæ pœnæ quas Auctor exaggerat, sicut & præmia nobiliora, ad illam jurisdictionem pertinent ; quam nec oculis videmus, nec rerum magistrâ experientiâ, sed fide duntaxat comprehendimus ; & quidem tanquam futuram. Eò fit, ut fidei Christianorum castimoniam & virtutis perfectissimæ specimen ; pœnæ istæ non violent, nec delibent : Quia Fidei, ut sic loquar, meritum ac laudem præsentia tantum & visibilia ; tàm præmia, quàm supplicia ; non autem futura & invisibilia imminuunt.

II.

Verum ex ea dissertatione Auctor deducit, aliquod quasi adversus sententiam nostram argumentum, quod inspectione dignum est.

Cum Christus peccata subtiliora, contrà Spiritualem legem suam commissa, eodem loco æstimet, quo gravissima Legis crimina : si leges Christi, sicut antiquæ corporalem trahebant secum executionem ; occidendi erunt, qui irascuntur, convitiantur mente impudica aliquid illicitum concupiscunt. Atqui hoc absurdum est. Ergo leges Christi non ut antiquæ corporalem secum trahunt executionem, sed spiritualem, qualis in Ecclesia præscripta est. Huic argumento quia idem apertis verbis concludit, quod nos quoque sentimus planè subscribimus.

Verumenimverò si ea quæ suprà dixit Auctor, simul comprehendas, latet in eo aliud occultum adversus nos argumentum ; quod è latebris suis protrahendum ac refellendum est. Id autem est tale.

Quæ pari imò eadem pœna digna à Christo judicata sunt ; eodem modo puniri debent. Ira, convitium, impudica cogitatio, pari imò eadem pœna à Christo digna judicata sunt ; quâ homicidium & adulterium. E. ista pari imo eadem pœna punienda sunt. Atqui ista subtiliora delicta sub Christo morte corporali puniri absurdum est. Ergo & homicidium, adulterium, ac cætera sub Christo morte corporali puniri non convenit.

Resp. Totum hoc quoque argumentum in sensu sano intellectum, à nobis concedi potest. Quæ enim pari, imò eadem pœna à Christo digna judicata sunt, eodem modo puniri debent : sed in eo judicii genere ; in quo ista, eadem pœna digna judicata sunt ; hoc est in spirituali. Cum enim spiritualem legem Christus tulerit, non in externis hominum actionibus hærentem ; sed ad intimas mentium fibras penetrantem ; neque in gratiam continendæ societatis hominum cui externarum actionum frenum ac regimen sufficit ; sed in gratiam salutis animarum ; quæ penitiori mentium curâ & sanatione indiget ; tàm noxium est saluti animarum occidendi aut machandi animum habere ; quàm occidere aut macchari. Ideò tàm delinquit in spirituali judicio, qui peccandi animum habet, quàm qui reipsa peccat. Imo longe majus est in spirituali judicio delictum occidendi animum habere, etiamsi non occidas, quàm occidere, licet animum non habeas occidendi. At in alio judicii genere puta civili atque politico ; diversa ista delicta pari pœna digna, ne ab ipso quidem Christo judicantur, qui probe novit quod societatem humanam, cogitationes nudæ nisi ad actum deducantur, ferè nihil lædant ; quamvis salutem animarum noxiè lædant.

Non

Non igitur mirum est, in judicio Christi spirituali, quod salutem animarum respicit, diversam esse delictorum æstimationem; quàm in judicio civili atque Politico; quod externam duntaxat & civilem gubernationem spectat. Itaque in sensu quem explicavimus, quemadmodum major, ita tota argumentatio vera est, & à nobis admittitur.

At si quis ut nostram causam feriat, Majorem ita proponat. Quæ pari imo eadem pænâ à Christo in suo judicio digna judicata sunt; ea ubique & quolibet in judicio, eodem modo puniri debent; falsam eam esse ex iis quæ à nobis dicta sunt arguimus; nec ullo modo probari posse contendimus, Nisi quis velit eam ita proponere, ut quæ Christus ubique eadem pænâ digna statuit; ea etiam ubique eodem modo punienda asserat. In quo casu minor manifestæ falsitatis convincitur; cum Christus non in quolibet, sed tantùm in suo spirituali judicio, æstimationem istorum peccatorum faciat: ob liquidam rationem quæ alibi locum non habet; nisi in judicio animi atque conscientiæ, & occultarum cogitationum; quò humana & forensia judicia non pertingunt.

Neque enim hic Christus Stoicum dogma de æqualitate omnium peccatorum tradit, sed tanquam cælestis animorum medicus latentia in ipsis animorum penetralibus peccatorum ulcera scrutatur, nec interesse ad animæ interitum ostendit; hærente intùs, an in externam saniem resoluto carcinomate pereat: simul tacitè moralis antiquæ legis imperfectionem tangit ac perficit; quæ nihil propemodum in omnibus decem præceptis suis habuit, quod non forensi lege custodiri atque vindicari potuerit atque debuerit: excepta forsitan unica de concupiscentiâ lege, quam & ipsam; sed nonnisi in actum erumpentem, forensi jurisdictione vindicari potuisse, dubium non est. At Christus leges suas ejus perfectionis esse ostendit; quarum custodiam gerere & executionem contrà immorigeros, nullus Magistratus præter eum qui mentium inspector esse possit, administrare queat. Ideò quædam ejusmodi peccatorum judicia atque Supplicia commemorat; quæ planè extrà forum humanæ ac politicæ jurisdictionis esse, atque ad spirituale duntaxat judicium pertinere, nemo non videt.

III.

In altera Capitis parte Auctor rem verissimam & quam libenter concedimus, probat iis rationibus quas plane repudiamus. Nam Christum majores homini virtutes præscribere, quàm humanis solum præmiis incitatus præstare valeat; & ipsi asserimus. Cur enim obsequio ejus humanis majorem præmiis mercedem constituisset? Sed non idcircò quicquid homo, humanis solum præmiis incitatus præstare nequeat; præscriptum quoque ipsi à Christo censemus; nisi id ex verbis & legibus ejus evidenter ostendatur.

IV.

Dilectio erga quosvis inimicos, etiam Dei & Christi hostes, partim disertis præceptis, partim per analogiam legis Christi præcepta est; sed neque in eo gradu, in quo erga ipsum Deum & Christum præcepta est; nec ipsius Dei & Christi dilectioni coæquata. Quæ sola est, cui omnia, erga reliquos omnes qui diligi possunt, caritatis vincula; atque ipsa vitæ nostræ ac salutis dilectio, cedere debent. At propter inimici dilectionem, non modo erga reliquas omnes necessitudines; sed ne erga nos quidem ipsos caritatem abjicere jussi sumus. Nec enim quia orare pro ipsis, per ignorantiam peccantibus, Christi exemplo incitamur, ac præcepto quoque jubemur; idcirco, aut nos ipsos aut carissima quæque præ illis odisse, aut vitam vel salutem eorum, vitæ ac saluti nostræ præponere usquam jubemur.

V.

Patientia quoque suarum injuriarum à Christo præscripta est; quæ adeò leges Mundi politicas non tollit; aut ab iis non discrepat; ut nihil magis illa præscribant, quam ne quis suarum injuriarum judex aut vindex esse velit; quarum judicium solis legum custodibus permissum est. At enim ne per magistratum quidem injuriarum ultio permissa est. Rectè id quidem, & cum summa ratione. Nec enim Magistratus, ut pote functionis sanctæ & à Deo ob humani generis necessitatem ordinatæ, operâ ac ministerio, ad pravam animi libidinem, aut muliebrem impotentiam abuti convenit. Ultio autem qua talis, ac nimia quoque sui juris persecutio, pusilli atque impotentis animi vitium est. Quod etiamsi legibus divinis coërceatur; non ideò Magistratus usus nullus erit. Imò longè melius & facilius justitiam atque pacem inter cives tuebitur; resque repetentibus & suum cuique reddi curabit, quum ejusmodi animorum exulcerationes; imo verò & pacatæ, sed nimium strictæ sui juris summi persecutiones; nullas in ejus gubernatione tempestates excitabunt. Recordetur Auctor quid apud suum Grotium Ulpianus pronuncier. *Non improbat Prætor factum ejus qui tanti habuit re carere ne propter eam sæpius litigaret. Hæc enim cogitatio ejus qui lites execratur non est vituperanda.* Non igitur ejusmodi patientia à Christo præscripta Magistratui qui legum hujus Mundi custos est, aut ingrata aut adversa esse potest.

VI.

Sub Vet. Testamento dilectionis legem, circa impios & mortis reos, non restrictam fuisse sed ad eos non pertinuisse dicendum est. Prius enim lex contrà mortis reos lata est, quam ulla dilectionis mentio fieret, ut patet ex Exodi initio ad cap. xx. Cum verò ex subsequentibus pareat impios & mortis reos, ex mente Auctoris olim inter inimicos reputatos fuisse, apparet eum hic Dilectionis inimicorum, legem restrictam intelligere. Quæ tamen quomodo olim restricta dici possit; cum nusquam ante lata fuerit, non capimus.

VII.

Idololatras & læsæ religionis reos, quod antiqua lex Magistratuum pœnis subjecerit; imperfectionis ejus signum erat; quod ejusmodi religionis præcepta traderet quæ servili pœnarum metu & coactivâ potestate; in illa veteris populi pædagogiâ conservarentur. Nunc in lucis Evangelicæ libertate ac perfectione, omnia quæ ad religionem pertinent; sed præcipuè divinissima Christi præcepta; quæ ex perfectissimis virtutibus constant, istiusmodi lui conservationem dedignantur; nec per naturam suam ullo modo ferre possunt. Præsertim cum eis non desit Spiritualis jurisdictionis modus à Christo traditus, quem in veteri lege præter Magistratuum animadversionem fortè non reperias.

VIII.

Publicam & civilem adversus maleficos resistentiam in populo Christi sublatam esse per leges ejus fundamentales,

fundamentales, nusquam legitur ; cum Christus de publicis potestatibus nullam aliam legem per se aut per Apostolos tulerit ; nisi per quam, eorum potestatem, etiam in usu gladii, confirmavit. Nec sublata privatorum resistentia publicam tollit ; sed potius ponit & confirmat ; cum potius posito publicæ resistentiæ jure, privatæ licentia tollatur ; & nihil magis publicæ defensionis, non modò potestatem confirmet ; sed etiam necessitatem ostendat, quàm privatæ interdictum, cum absque aliquo resistentiæ adversus maleficos genere humanum genus durare non possit.

Nam quod in locum humanæ atque ordinariæ Auctor divinam atque ipsius Christi miraculosam defensionem substituit ; id quidem recipiendum esset, si Deus atque Christus homines perpetuò, præsertim in externarum quæ ab ipsis fiunt actionum genere ; ipse immediatè & miraculosè ; non autem per homines, & citrà miraculum regeret. Posse enim illud Deum atque Christum præstare nemo dubitat. Sed an id ordinarie velit id verò inter nos quæritur. Proinde à posse ad esse invalida est consequentia. Nolle autem Deum & Christum, à veteri & ordinario hominum per homines regimine recedere, documento sunt ordinationes Magistratuum ; quæ etiam sub Novo Fœdere Dei ministræ dicuntur ; in quibus ne gladii quidem potestas sublata est.

Prætereà quod fidei sub Novo Fœdere natura, in Ecclesia perpetuum & ordinarium miraculorum usum, non ferat : nullo autem modo miraculosa Christi regnantis defensio, ordinariæ per Magistratum defensionis defectum supplere posset ; nisi ipsa quoque esset perpetua & ordinaria, hoc est non miraculosa.

Denique si in spirituali quoque regimine Ecclesiæ, ad quod pertinere nequeunt, nisi ii qui sese spirituali jugo submisere id est homines non pessimi : & in quo Christus, per Spiritum suum, peculiare in singulos gubernationis genus exercet : tamen ob imbecillitatem hominum, noluit Christus, ab ordinario & miraculi experte, hominum per homines regimine ; ac pœnarum visibilium contrà maleficos, quamvis spirituali, resistentia recedere : certe in carnali & politico regimine, quod contrà effrenes ac sceleratos homines publico gladio à Deo antiquitus armatum est, multò minùs decuit, ordinarium & qui solus frenandæ improborum proteriæ par esse potest, ordinem ac resistendi modum aboleri ; substituto in ejus locum miraculoso & invisibili, Dei aut Christi interventu.

IX.

Servator noster Spiritualium legum Legislator unicus, civilium legum nullam sustulit ; quæ modo apertæ Dei voluntati non repugnaret. Quinimò obsequium omnium in obsequio custodibus earum præstando, confirmavit ; & in suo singulas statu integras reliquit. Legalium autem Magistratuum potestatem ; integras reliquit. Legalium autem Magistratuum potestatem, in eum translatam falsò supponitur ; cum & Christo in cœlis regnante, istorum Magistratuum potestas aliquamdiu duraverit ; & secuto Reipub. exidio, Magistratuum quoque ejus potestas abolita fuerit ; non minùs quam Punicorum excisa Carthagine ; aut Parthicorum potestas everso Arsacidarum imperio. Non potest autem dici translatum, quod abolitum est.

X.

Spiritualium legum promulgatio, non sustulit civiles ullius gentis, multò minùs Judaicæ leges. Neque ex eo si Politica Mosis instituta, typum & figuram Christi Regni fuisse concedam, ilico sequetur, ea fuisse umbratica & adventu sui antitypi cessare debuisse. Non enim omnis similitudo aut figura umbratica est, nec præsente suo antitypo cessare debet ; nisi ea forte, cujus nullus alius usus est, nisi ut adumbret id, cujus umbra est. Hominis exaltatio super alias creaturas de qua Psal. VIII. legimus figura fuit, exaltati Christi *Heb.* II. Num igitur cessavit, post exaltatum Christum ? Certe Politicus Mosis ordo ut ante Christum natum, ita & post susceptum à Christo Regnum per annos 40. necessarium sui usum præbuit.

At enim politica Mosis instituta in iis saltem, qui ad regni Christi consortium vocati fuere, cessare debuerunt. Sed quis à Magistratus politici : aut legum politicarum obsequio eos eximere audeat ; quos Christus & Apostoli subjecêre ? Quod si non cessavit iis parendi, (quamdiu salva esset Respub.) necessitas ; ne imperandi quidem cessavit potestas aut licentia : & contrà cessante imperandi jure atque licentia, parendi quoque officium cessasse necesse est : quod falsum esse ne Autorem quidem negaturum puto. Necessitas enim parendi omnibus sine delectu potestatibus ; sive illæ Mosaicarum sive alterius Reipub. legum custodes essent, Christi & Apostolorum mandato imposita est.

XI.

Humanarum legum imperfectio, præcipuè respectu legum Christi agnosci potest : cæterum non impedit, quominus perfectissimæ legi Spirituali subjectus populus iis pareat atque obsequatur : præsertim iis quæ certo justitiæ fundamento nituntur : aut quæ certæ injustitiæ sunt expertes. Porrò incerto justitiæ fundamento niti, quæ naturali jure nituntur, simul gentium ac civili (quæ jura per lubricum hominum judicium contemptim Auctor designat) tàm prompte negari potest, quàm confidenter asseritur. Quid enim obstat, quominus homines, naturali lumine ac multarum rerum peritia, quæ ne divinarum quidem legum notitiam excluserit, instructi ; ea quoque instituerint ; quæ cum divinis legibus congruant ? Certe celebres in Græcia atque Italia duodecim tabularum leges, ex Mosis fontibus derivatæ putantur.

Non decuisse autem Judæos, humanis legibus uti aut obsequi ; præsertim dum essent in iis locis, ubi illæ vigebant, non sine ratione rejicitur. Nec enim Judæos dedecuisse potuit quod Christianis injunctum est.

XII.

Quod autem Christus neque per se neque per Apostolos, certam regulam aut modum externæ politiæ statuerit ; non ideo factum est, quod istam externam politiam in populo suo esse noluerit. Sed primùm quod populus ejus præscripta ejusmodi Reipub. regulâ, non indigeret, cum ex iis hominibus constare deberet, qui suas jam singuli Respublicas habebant. Secundò quod ista regula aut modus ; nullo modo commode præscribi potuerit ; cum pro genio atque indole diversorum populorum, eoque pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum mutabili ; diversis regendi formis ac legibus forensibus, diversarum gentium homines, gubernari conveniret ; quarum una & simplex facies describi non potuit.

Quemadmodum tamen patrum, maritorum & dominorum potestatem, ita & supereminentium potestatum officium, ea generali lege circumscripsit ; quâ statuit, ut non essent terrori bene agentibus

sed

ſed male agentibus : ut eos qui faciunt bonum laude ac præmio, qui malum, pœnis proſequantur : ut Dei miniſtri ſint bonis in bonum, Dei quoque miniſtri in ulciſcendis ſeu puniendis malis ; atque ut pro tributis & honore quem capiunt à ſubjectis, in hoc unum incumbant ; ut in procurandis ſupradictis ſubjectorum commodis, Deo miniſterium præſtent. In quibus verbis non quod vulgò fit : ſed quod voluntate Dei fieri debet, hoc eſt, non eventus deſcribitur ; ſed officium manifeſte præſcribitur.

XIII.

Quod autem ex adverſo mundanæ magnitudinis diverſum genus ab eâ ſuis proponit. *Matth.* xx. non magis Mundanæ magnitudinis uſum excludit ; quàm præceptum de quærendo cibo cæleſti ; oppoſitum ex adverſo curæ de cibo terreno (*Joh.* vi.) ipſum cibum terrenum excludere potuit. Prætereà frigida eſt, iſta ex propoſito diverſo ; quærendæ magnitudinis modo, argumentatio ; quia præſupponere videtur falſam hypotheſin ; quaſi in Mundo nullus alius eſſet, publicus & humano generi plurimùm utilis ac neceſſarius, politicæ poteſtatis uſus ; præter privatam, ſatiandæ, in quærenda magnitudine, ambitionis, voluptatem.

CAP. IV.

De Judiciis & pœnis Eccleſiæ Chriſtianæ.

I.

Judicia quæ Chriſtus tanquam Rex cæleſtis in Regno ſuo exercet ; & pœnæ quas de noxiis ſumit ; ſunt proprie dicti ; ſed inviſibilis & cæleſtis Regni. At judicia quæ Eccleſia exercet & pœnæ quibus plectit ; non ſunt propriè dicti Regni ſed precariæ poteſtatis, actus & executiones.

II.

Peccata omnia proprie dicta in Moſaica diſciplina uno eodemque modo punita ; nullo diſcrimine Reipub. & Eccleſiæ, ſeu potius Ordinis Sacerdotalis, (hic enim tunc Autori fuiſſe videtur Chriſtianæ Eccleſiæ in Repub. conſtitutæ typus, & hunc ordinem Auctor hoc loco Eccleſiæ Moſaicæ nomine intelligit, ut ex adducto Levitarum exemplo patet) falſum eſſe videtur. Scortatio enim filiæ ſacerdotis flammis ultricibus expiabatur ; cum in aliis virginibus mitiori pœna plecteretur. Ejuſmodi exempla oſtendunt, ſeparatum hunc fuiſſe ordinem, à reliquo populo etiam in diſcrimine judiciorum ; non modo quibus fortè ipſi Sacerdotes ſubjecti erant ; ſed etiam quæ ipſi adminiſtrabant ; quale fuit judicium inter lepram & lepram ; in quod ſe ingerere aliis non licuit. Prætereà ſummos Pontifices, ab animadverſione in eum ordinem, cujus erant principes, per Magiſtratum illius gentis politicum, excluſos, non facile Autor probaverit. Cujus quæſtionis interiora ingredi nunc non vacat. Sufficit Reipublicæ Chriſtianæ hodie ; Reipublicæ quoque Judaicæ regimen, Religionis autem Judaicæ adminiſtrationi, hoc eſt, Levitico ac Sacerdotali officio, Eccleſiæ adminiſtrationem, hodie aptè & egregie reſpondere : Ut quemadmodum olim in ea, quæ fuerunt Muneris ſacerdotalis ; iis qui non erant ſacris præfecti ; ingerere ſeſe non licuit : ita nunc in ea, quæ ſunt Eccleſiæ, non liceat involare Magiſtratui ; præſertim cum nunc ſint hæ toto genere inter ſe diverſæ ac pugnantes juriſdictiones. Sed ponamus, aut etiam concedamus, unam fuiſſe olim, tam in Sacerdotum concilio, quam in Republica juriſdictionem : non eadem fuit ratio Hebraicæ olim Synagogæ ; quæ hodie Chriſtianorum Eccleſiæ. Olim enim Synagoga, quia eundem moralis legis ; quem & forenſis ac politicæ legiſlatorem habebat, prætereà quia in morali lege ſibi lata, non adeò perfecta præcepta habuit, quin eorum forenſis Magiſtratus, cuſtos & vindex eſſe poſſet ; æquum erat (& fieri quoque poterat) ut uniuſmodi juriſdictione, omnium legum ſuarum auctoritatem tueretur. Nunc Eccleſia non eundem in forenſibus ; quem in moralibus ac religioſis legibus legiſlatorem habet. In his enim ſolum Chriſtum, at in illis tot diverſos habet legiſlatores ; quot formis diverſarum Rerumpublicarum populi Chriſtiani reguntur. Deinde longè perfectiora religionis præcepta habet ; quam ut eorum politicus Magiſtratus cuſtos eſſe poſſit. Imo ejuſmodi leges morales & Spirituales habet, quas, quia perfectiſſimas & maximè voluntarias virtutes præcipiunt, Coactivâ poteſtate exigi atque exerceri non modo abſurdum & nefas eſt : ſed & impoſſibile ; quia ea quæ imperant, jam non modo cæleſtes, ſed ſimplices virtutes eſſe deſinerent. Cum igitur neque forenſes Chriſtianorum leges, quæ politicum Reipublicæ ordinem reſpiciunt, precariâ Eccleſiæ poteſtate ; neque ſpirituales ac morales Eccleſiæ leges Coactivâ Magiſtratus poteſtate ; tanquam utrinque naturæ legum ſuarum adverſâ, exerceri poſſint ; diverſas nunc utrarumque legum juriſdictiones eſſe neceſſe eſt.

Atque hinc patet Enunciatum Autoris, quod proximè ſubjicit, Lectorem ambiguitate decipere. Verum enim eſt. *Quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ mandat ; idem mandare Reipublicæ* : Sed in moralibus, & ſpiritualibus præceptis ; præſertim voce Reipublicæ non in formali ejus ratione, quatenus Reſpublica eſt, ſed in materiali acceptâ ; quatenus ex eodem populo conſtat, ex quo Eccleſia ; in quo ſinguli æqualiter legibus Chriſti ſpiritualibus parere tenentur. At in forenſibus & voce Reipublicæ ita acceptâ ; ut opponatur Eccleſiæ ; hoc eſt, in formali ratione ſuâ, falſiſſimum eſt. Alias enim leges forenſes ; aliamque juriſdictionem Eccleſiæ Chriſtus mandat *Matth.* xx. : alias Reipublicæ *Rom.* xiii. permittit ; cum iſthic precariam inſtituat ; hic ordinet Coactivas poteſtates.

III.

Porrò quamvis ſæpe, unus populus novus & ſpiritualis, hoc eſt, una congregatio & cœtus populi, voce ac titulo tam Eccleſiæ quàm Reipublicæ indicatur ; nihil tamen impedit eſſe in eo duas diverſas juriſdictiones, unam ſpiritualem, alteram forenſem, ſecundum diverſas leges, quæ diverſam juriſdictionem, atque executionem poſtulant. Imo verò hoc eſſe neceſſe eſt ; non modo propter diverſas earum juriſdictionum leges, ſed etiam ideò, quia non ſemper unus populus, qui Eccleſiam conſtituit, etiam Rempublicam totam conſtituit ; nec ſemper omnes qui ſunt in Republicâ ; ſunt etiam in Eccleſiâ. Cum autem extranei Eccleſiaſtica juriſdictione ſtringi non poſſint ; neceſſaria eſt alia juriſdictio, quæ extraneis quoque ſervire poſſit. Proinde quemadmodum olim, licet ſub umbra legis, per Dei Eccleſiam & Rempublicam ;

non duæ diversæ congregationes ; sed unus idemque cætus populi Israëlitici intelligeretur ; tamen in eo cætu duplices diversæ leges & instituta : seu jura & officia Sacerdotum fuerunt ; distincta, ab officiis aliorum ; qui non essent sacerdotes ; & ita quidem ut iis, qui non erant sacerdotes multa non licerent, quæ licebant sacerdotibus ; & contrà multa non licerent sacerdotibus, quæ licebant aliis : Ita nunc sub Novo fœdere, nihil repugnat in uno eodemque cætu ac populo, esse duplices leges forenses ; duplicemque jurisdictionem secundum duplices leges, diverso modo exerceri solitam. *Forenses* autem leges Ecclesiæ (latius sumpto isto vocabulo) voco, quæ non ad privatam morum in singulis sanctimoniam ; sed ad publicum ordinem Ecclesiasticum institutæ sunt.

IV.

Judicis exemplum aut instantia validior esset ; si in uno eodemque genere pœnæ ista repugnantia remissionis, & non remissionis ostenderetur. Sed spiritualem pœnam remitti posse, etiamsi corporalis exigitur ; manifestum est ; & contrà. Quemadmodum Deus exegit corporalem pœnam à Davide commissi adulterii : spiritualem remisit. Nec dubium est eundem de multis corporalem delictorum pœnam, non sumere de quibus sumet sempiternam. Quoties contrà duas diversas leges simul ac semel peccatur, ut in capitalibus delictis fieri solet ; non mirum est idem delictum ; in diversis jurisdictionibus, diversis pœnis obnoxium esse ; quarum tamen, ob justas & graves causas, alteram remitti ; alteram sumi posse ; tàm rationi, quàm juri nihil repugnat.

V.

Patremfamiliàs fidelem ; in familia sua Christianâ, non alia uti potestate posse quàm pastoris atque Episcopi ; dogma est falsum, & omnem Oeconomicum ordinem subvertens. Exulabit hac ratione à regimine familiarum omnis metus, qui tamen tàm uxoribus, quam servis injunctus est. Sed & obsequium mirè profligabitur. Neque patresfamiliàs puniendi potestate carere ; ullo pacto inde deduci potest ; quòd sint in Ecclesia ; ea verò in proprio ac spirituali suo regimine, quâ est Ecclesia, corporalem puniendi potestatem non habet : nisi prius probetur Eos omnes quicunque sunt in Ecclesiâ, corporalem puniendi potestatem habere non posse. Quod nos falsum & ipsum illud quod inter nos controvertitur κεχυμένον, esse contendimus. Proinde ex eo, in disputatione nostra, nihil concludi potest.

Verum hic velim Auctor ; hypotheseos cujusdam ; super quam bona pars hujus ædificii, quod sententiam ejus continet, extructa est, futilitatem ac fallacitatem paulò diligentius consideret. Quam ejus verbis proponemus.

„*Non est extrà Ecclesiam quod in Christi populo fit.* „*Et quicunque in cœtu seu publico seu privato fidelem* „*constituas, considerari semper debet ut subditus hujus* „*Regni, extra quod si vel ad momentum eum ponas :* „*jam isto modo consideratus, Christianus amplius non* „*est.*

In hac hypothesi ; quædam ambigua ; quædam falsa sunt. Quæ ut tantò rectius redargui possint, prius ambigua distinguimus.

Hæc autem sunt verba. *Esse aut considerari in Ecclesia aut extrà Ecclesiam.* Quæ verba enunciari solent ; aliquando de hominibus ipsis, aliquando de eorum qualitatibus aut actionibus. Quando de hominibus enunciantur ; certum est quicunque sunt semper in Ecclesia ; eos non esse unquam extrà Ecclesiam. Esse enim in Ecclesia tunc significat, non fluxam & quasi transeuntem actionem ; qualis est abstractio mentis ; quæ ad res melius percipiendas fieri ab intellectu solet : sed statum reipsa permanentem : quemadmodum & ipsius contradictorium. Sed considerationi mentis difficile est eosdem limites ponere ; qui coërcent rerum existentiam ; quin ea vel per abstractionem ; vel per aliquam hypothesin, planioris perceptionis causa confictam, aut suppositam, latius evagari possit, aliquando etiam cogatur, citrà ullum veritatis dispendium. Potest igitur etiam is, qui semper est in Ecclesia, considerari à nobis aliquando, tanquam extrà Ecclesiam positus, dum eas qualitates vel actiones ipsius consideramus, quæ nihil ad Ecclesiam pertinent ; ut cum fidelis consideratur, tanquam mercator, aut agricola, aut pictor.

Veniamus ad qualitates aut actiones hominum, de quibus hæc verba, duplici sensu enunciari solent. Aut enim qualitas vel actio hominis Christiani, ita dicitur *esse in Ecclesiâ*, ut plane ad Ecclesiam pertineat, & ecclesiastica dici possit, qualis est fides aut ejus opera ; aut tantum ita, ut competat alicui ex populo Christi, licet ad Ecclesiam non pertineat ; nec Ecclesiastica dici possit ; qualis in Luca ars pictoria fuisse dicitur & ipsa pingendi actio. Ergo quæcunque qualitas aut actio alicui è populo Christi competit ; ea omnis posteriori sensu, *in Ecclesia esse* dici potest : at non omnis Christianorum actio aut qualitas ; quæ posteriori sensu *in Ecclesia esse* dicitur ; priori quoque sensu *in Ecclesia esse* ; vel ad Ecclesiam pertinere dici potest. quia multa Christianis competunt, quæ nihil ad Ecclesiam pertinent ; etiamsi ea in ipsa reperiri, posteriori sensu videamus.

Deinde quod ad mentis considerationem pertinet ; non est obstricta mens nostra ad id ; ut hanc aut illam qualitatem aut actionem ; licet in hominibus Christianis semper existentem ; semper etiam actu considerare debeat. Imò, si id faciat, seipsam confundet, nec rectè intellectionis munere fungetur. Ergo licet Christianus semper & ubique regni Christi subditus maneat ; non semper tamen nec ubique tanquam talis à mente nostra considerari potest : neque debet ; sed tantum in iis rebus quæ ad regnum Christi pertinent. Nam cum pingit aut arat ; non id facit tanquam subditus Christi ; sed tanquam pictor aut agricola ; quales homines regno Christi non esse subditos nihil repugnat.

Falsum igitur est, Christianum semper & ubique considerari debere, ut subditum Regni Christi : Sed nec minus falsum est ; si extrà hoc regnum vel ad momentum ponatur, hoc est, consideretur (sic enim hanc vocem Autor usurpet, oportet) Christianum amplius non esse. Illud tantum verum est, eum tunc non ut Christianum considerari. Nec minùs illud verum est, quomodocunque is consideretur, quia nunquam subditus Regni Christi esse desinit, nunquam etiam legem Christi vel minimam violare debere. Non enim quia præter subjectionem Regni Christi, multa alia Christianis universis & singulis, competere possunt, quæ ad eam non pertinent ; idcirco in iis semper subjectionis Regni Christi, memores esse non debent, aut adversus eam quicquam delinquere possunt.

Denique homines sive sint Christiani, sive non, respectu qualitatum aut actionum, quæ ipsis tribuuntur, considerari dupliciter solent. Aut ratione Habitus illarum (voce habitus latius sumpta, ut & statum & conditionem alicujus significare possit) aut respiciendo habituum actus & exercitia. Qualitates

ratione

ratione habitus consideratæ etiam diversissimæ, uno eodemque tempore, in hominibus semper inesse possunt: ideoque in hominibus simul ac semel considerari possunt. Potest enim quis & agricola & musicus, & pictor & subditus Cæsaris simul & esse & considerari. Sed actus istorum habituum, non semper uno eodemque tempore exerceri possunt. Neque enim quisquam dum agrum colit pingere, aut dum pingit aut arat subjectionem Christo aut Cæsari; nisi forte per accidens, præstare potest. Quod si ea quæ simul sunt, aut insunt; considerari tamen separatim possunt, atque interdum debent; tanquam seorsim existerent: propter planiorem mentis nostræ perceptionem; atque adeò ne ambiguitatum sophismatibus decipiamur: multò magis quæ neque simul esse; neque simul exerceri possunt; seorsim considerari non modo possunt: sed etiam debent. Sed præcipuè actus & exercitia diversorum habituum, misceri & quasi confundi: neque debent, neque possunt. Neque enim fidelis cum arat aut pingit, id facit per se tanquam Christianus aut subditus Regni Christi; neque cum eleemosynam confert, aut pietatis opera exercet; id facit per se, tanquam pictor aut agricola; licet talis neque hic; neque illic unquam esse desinat. Id tamen libenter concedimus, Qualitatem illam, quâ fidelis ut subditus regni Christi consideratur; primariam & principalem esse, quæque reliquas omnes suo quasi colore quodam tingere debeat; ut in omnibus reliquis habitibus aut actionibus; quoad ejus fieri potest, & quantum per naturam rerum licet, (neque enim id semper fieri potest) ejus vestigia deprehenduntur.

VI.

Parvulorum disciplinam, si admittit Auctor, *ob animum, quem per ætatem infirmum gerant: & quia captui eorum accommodata est*; *antequam capaces sint philosophiæ Evangelicæ*; eodem jure servorum aut minimè Spiritualium hominum quales sunt, qui adversus leges gravius delinquunt, disciplinam admittat necesse est: qui æquè ob animum per nequitiam aut improbitatem infirmum & incapacem philosophiæ Evangelicæ; captui suo accommodatiorem disciplinam requirunt, quam sit Ecclesiastica. Nec enim magis ætas homines, spiritualium incapaces reddit, quàm scelere imbuta atque vecors & ad omne dejecta flagitium indoles. Imo tenera ætas ad bonam frugem, sæpe docilior est, & excusatius peccat; quàm mens quæ in pravum ita induruit; ut frangi potius quàm flecti postulet. Hæc profectò pœnis atque remediis durioribus longè est dignior.

Rectè auctor animadvertit, animalium violentam gubernationem, non pugnare cum placidâ administratione regni Christi. Rectè & ex eo arguit, parvulorum disciplinam, egere coactivâ potestate; quia sicut bruta animantia, ad instar Christianorum molli freno duci non possint; idcircò violentiori regimine trahendos, quo solo trahi possunt. Sed cur non videt eandem esse rationem eorum omnium; quos nulla tangit cælestium Cura & apud quos jus & fas, maculosum non edomuit scelus. Quorum plerique, saltem dum tales manent, belluis nihilò digniores, at non paulò sunt nocentiores.

VII.

Incredulos extra Ecclesiam judicandos, res ipsa ostendit. At, ne à Christianis extrà Ecclesiæ judicium judicari possint, lege Christi vetitum, Auctor non ostendit, cum Christiani, quamvis quoad subjectionis Regno Christi habitum & qualitatem, nunquam ex Ecclesia emigrent; multas tamen actiones suas extra Ecclesiam exerceant; quas inter & judicia politica collocantur. Neque enim cuiquam, ut aret, pingat, aut oves mulgeat; ex Ecclesiâ excedendum est: & tamen ista dum fiunt in Ecclesia exercere, per se ac propriè, nemo dixerit; cum ad Ecclesiam nihil pertineant.

CAP. V.

An pœnæ Mosaicæ quæque ejusdem sunt naturæ in Ecclesia Christianâ, patientiæ præcepto abrogatæ sint?

I.

IN hujus loci examine antequam proposita ab Auctore quæstio incidat; prior adhuc quæstio occurrit, quam is omittit. Utrum isto loco Christus Mosis legi, an verò commento Scribarum ex verbis Mosaicæ legis malè deducto, præceptum suum opponat. Prius enim quærendum erat, utrum id quod hic præcipitur, Mosis legi opponatur; quàm quatenus isti legi opponatur; nunquid præceptioni ejus an permissioni tantùm? Aliàs facile in illud fallaciæ genus incidemus, quod *plurium interrogationum* dicitur; quod cum occulta principii petitione conjunctum esse solet; cum in eo, pro concesso sumptâ quæstionis, quæ naturâ suâ prior est, falsa decisione, proponi soleat quæstio super falsum fundamentum extructa.

II.

Porrò hypothesis quam præstruit Auctor, non tàm est falsa quàm insidiosa. Facilè enim concedi potest, Legem Mosis de talione, nihil nominatim læso mandare; aut expressè permittere; sed toti populo Israëlitico & speciatim Judicibus disponere; qua pœnâ afficiendi sint qui proximos lædunt; putà, eo læsionis genere, quod isthic commemoratur. Imo verò ex posita ab Autore & à nobis concessâ hypothesi istâ ostenditur; cum Christus id suo præcepto nihil aliud nominatim mandet, nisi propriarum injuriarum patientiam; nec aliud expressè prohibeat; quàm earundem vindictam & resistentiam; istud præceptum non opponi forensi legi talionis; quæ nihil aliud expressè & speciatim præscribit, quàm pœnas alienorum delictorum. Ratio quoque Auctoris quàm affert, cur legem hanc toti populo aliquid præcipere censeamus; quia in ea de publicis judiciis agatur, admitti potest. Omnes enim publicæ leges universis civibus, seu toti populo, & speciatim singulis è populo, aliquid præcipere aut vetare, suo modo, dici possunt.

Cæterum hic primùm in voce Legis publicæ, deinde in Voce Universorum aut totius populi: denique in maximo inter veteris & Novi fœderis populum; non animadverso discrimine; triplices latent insidiæ, quæ è latebris suis protrahendæ sunt.

I. Sed ante omnia explicandum est id, quod Auctor (ut plerumque solet) rectè animadvertit. Res quæ à lege præcipiuntur; *aliquando tales esse ut publicum statum spectent* (quod ego fieri in legibus forensibus animadverto) *aliquando tales ut privatim duntaxat unumquemque obstringant* (quod fieri in legibus moralibus video.) Rectè & illud addit, in rebus prioris generis (quas ego forenses voco)

judices lege obligari, ut repræsentantes personam totius populi; in rebus autem posterioris generis, quæ unumquemque privatim spectant; (quas esse morales deprehendo) eos obligari æquè ut infimos è populo, hoc est, ut privatos. Moralis enim lex, sic strictè ac propriè dicta, in naturali hominum æqualitate; nullum discrimen aut delectum personarum agnoscit. Quibus ex verbis, illud primùm deducitur, Legem publicam aliam esse moralem, aliam forensem. Deinde utriusque diversam esse naturam in eo; quod universis aut toti populo præcipit.

Neque enim eodem modo judiciales leges, universo populo aliquid præscribunt, quo morales. Morales enim, quia, licet natura & genere suo, generaliores videantur, quàm forenses; tamen privatim quemlibet spectant; ita universis præcipiuntur, ut omnes tàm universim quàm singillatim, per se, proxime, atque ipso actu obstringant, idque æqualiter; hoc est, æque summos & infimos. Atque in harum observatione exigenda, (ut verissimè Auctor ait) Deus personam non accepit.

At forenses, licet ex instituto hominum publicum statum spectent; tamen quia naturâ suâ specialiores sunt; neque per se omnes obstringunt, (nisi fortè per accidens aut remote, quatenus evenire potest, ut quivis è populo in eorum hominum censum transire possit, quos specialim lex obstringit:) neque eos quos obstringunt æqualiter obstringunt.

Ne longius à subjecta materia recedamus, exemplum ex ipsâ Mosis lege de talione mutuemur. Quæ quia publica est, ad omnes quidem pertinet, in quibus saltem potentiâ executioni ejus locus est; & speciatim ad Magistratus, quibus ejus custodia credita est; ad læsos in quorum gratiam lata est: ad delinquentes, quibus pœnam irrogat, & cæteros omnes quos alienæ pœnæ exemplo territat. Sed tamen reipsâ & actu non obstringit, nisi eos in quibus actu executioni ejus locus est, hoc est, Magistratus, & fortè delinquentes; illos ad sumendas alieni, hos ad luendas delicti sui pœnas. At per delictum læsos, quibus succurrit tantùm, non obstringit ad persequendum jus suum, neque punit, si non persequantur; sed tantùm illis tacite permittit licentiam persequendi juris sui. Ac ne delinquentes quidem æque obstringit, ut judices; ideò quod gravius peccant, qui leges, quibus non modò subjecti, sed etiam earum custodes sunt, violant; quàm qui easdem, quarum non sunt custodes, violant: cum judices duplici vinculo ad earum observationem alligari videantur. Ex quo colligitur; leges judiciales ac forenses, è toto populo, maximè quidem & principaliter Magistratibus; minimè verò omnium læsis, id quod præcipiunt, præcipere, cum eos nullo officii nexu obstringant, sed potius in eorum favorem & auxilium latæ sint.

Non sequitur igitur ex eo, quod lex prima decalogi, moralis, quæ ab Auctore allegatur, omnibus singillatim & toti populo universim; & quidem æqualiter præcipit id quod præcipit, idcircò omnes etiam forenses leges, tàm omnibus singillatim, quam toti populo, id quod præcipiunt, æqualiter præcipere, cum potissimum judicibus præcipiant, & eos longè magis quam alios obstringant; quosdam autem, è populo ne obstringant quidem.

II. Deinde Vox universorum aut universi populi distinguenda est; quæ aut sumitur *absolute ac simpliciter*, hoc est, sine ullo respectu, ad aliquem subordinationis aut regiminis nexum, inter istos universos aut populum, quo sensu cum sumitur, nullum discrimen, nullus delectus, status, sexus, aut personarum intelligitur; sed æquè ad omnes pertinet id quod de universis dicitur. Ut cum dicitur Universis hominibus edendum aut bibendum esse si vivere velint; Universis etiam moriendum; aut standum ante tribunal Christi. Aut sumitur *secundum quid*, quatenus omnes in populo sunt uniti aliquo regiminis vinculo. In quo sensu quicquid universis tribuitur, sæpe non eodem modo singulis tribui; quicquid præcipitur non eodem modo singulis præcipi, palàm est. Sed non exiguum inter singula discrimen, status sexus & personarum statuendum est. Ut cum universis tribuitur vox Regni; quam alio modo imperantibus, aliò subjectis tribui manifestum est. Aut cum universis præcipitur lex aliqua forensis, cui alio modo parent judices & executores, alio isti qui judicantur.

Quoties igitur lex moralis fertur, eam universis aut toti populo in priori significatione accepto ferri, planum est: quia præcepta ejus absolute & æqualiter omnes obligant, sine ullo respectu aut discrimine diversi status, sexus, aut conditionis singulorum. Ac præcepta quidem Christi *Matth.* v. vi. vii. capitibus tradita, talia deprehenduntur. At cum lex forensis fertur, ut per Mosen lata est; ea quoque universo populo fertur, quia eâ totus populus regitur; sed tunc in posteriori sensu vox universi populi, & secundum quid sumitur; quatenus est certo quodam regiminis nexu conjunctus. In quo casu, non eodem modo, lege obligantur singuli civium; sed alii minùs, alii magis; alii verò actu ipso, ne obligantur quidem nisi fortè potentiâ.

III. Denique inter populum cui Moses, & populum cui Christus leges ferebat, ingens (quam non observat Autor) differentia est; quæ efficit ut non ejusdem planè generis leges utrique populo ferri possent. Moses enim ei populo leges ferebat; qui cum extorris esset, nullam patriam, nullam Rempub. haberet; non moralibus tantum sed politicis ac forensibus quoque legibus indigebat, quorum utrumque genus, & quidem separatis in tabulis, quod non frustrà commemoro, Hebræo populo præscripsit.

Christus autem ei populo; qui sive in Judæâ, sive alibi gentium, suas jam leges civiles & forenses ubique; suos earum custodes Magistratus habuit. Ideò solas ipsi morales tulit; neque usquam ullum speciale, politicæ ac propriè dictæ forensis legis vestigium (si generale Magistratibus injunctum obsequium excipias) in doctrina ejus deprehendere licet. Itaque ex Mosis quoque legibus forensibus nullam sustulit; quibus omnes obedire, quamdiu staret Judæorum Respublica voluit.

Itaque hic Auctor, flagranti erga sententiam, quam fovet, studio impulsus, seipsum sanè quàm ingeniosè decepit. Primùm quod posteaquàm discrimen utriusque fœderis, itemque inter forensem Mosis & Moralem Christi legem, opportuno causæ suæ, silentio, transmisisset, ita istas leges sibi opposuit, tanquam essent ejusdem generis. Deinde quoque ita; quasi eodem modo, id quod præcipiunt toti populo aut universis præciperent; quod utrumque contrà se habere jam indicavimus. Præterea in voce universorum aut totius populi, judices quoque quâ tales, semper contineri pro concesso sumpsit, quod tamen in his vocibus morali legi applicatis falsissimum est. Nam cum lex aliqua moralis universis aut populo præcipitur; sub voce universorum aut populi: judices quâ tales comprehendi nequeunt; quia tunc universi in naturali suo statu tanquam pares sine ulla inæqualitate aut subordinatione considerantur. Proinde non sequitur ex eo, quod forensis lex Mosis, aliquid toti populo & speciatim, imò potissimum; judicibus qua tales sunt præscribat; ideò moralem quoque Christi legem; sub universitate populi cui aliquid præscribit,

bit, & jam judices qua tales sunt, comprehendere.

Denique & illud Autoris artificium omittendum non est, quod cum ex manifesto & vix controverso, verborum legis Christi sensu, longè facilius animadverti possit, non modo quid præceperit Christus; sed etiam cui præceperit: tamen maluerit ex obscura & quæ in controversiam venit, investigatione ejus, cui præceptum sit, deducere quid præceptum sit.

Porrò causæ quam defendimus, non multum interest, cuinam Christus præceptum istud dederit; populone universo, absolute, in priori quam suprà posuimus significatione intellecto, an populo eidem secundum quid sumpto, id est, quâ publicum cætum è præpositis & subjectis constantem, constituit. Nam licet in posteriori significatione vox Universi populi sumatur; non alium tamen publicum hujus populi cætum Christus intellexisse potuit; quàm ex præpositis & subjectis Ecclesiasticis constantem. Hic enim erat verus & κατ' ἐξοχὴν sumptus ejus populus universus, qui præceptis quæ tradebat obtemperaturus erat. Quibus etiamsi omnibus, quatenus ad publicum, quo uniti sunt, regimen Ecclesiasticum pertinent; corporali injuriarum, etiam alienarum aversione interdixisset; nihil id ad nostræ controversiæ statum pertineret; qui non id quærimus utrum hic Christus præpositis Ecclesiasticis: sed an præpositis Politicis corporali alienarum injuriarum, aversione interdixerit. Quis enim nostrum, Ecclesiasticis præpositis, in officia civilium judicum, involare permittat? Vana igitur est ista, & non satis considerate excogitata, ab universitate populi Christi, in hac materia desumpta argumentatio, & quæ causam nostram non lædit; qui ultrò fatemur, imò contendimus, in precario regimine, quod à coactiva potestate abhorret, quale est Ecclesiasticum, corporali injuriarum aversioni locum nullum esse.

Sed quamvis id sententiam nostram non evertat: nullo modo tamen concedendum est; Christum præceptum istud universo populo suo, in posteriori sensu; quatenus consideratur, tanquam è præpositis & subjectis constans, tradidisse. Nam non modò in doctrina de talione, sed in totâ istâ, tribus *Matth. capitibus* comprehensa concione Christi nullæ sunt leges, quæ non dico judicibus aut Magistratibus; aut etiam patribus & liberis, dominis & servis: sed Ecclesiasticis etiam præpositis aut subjectis, latæ ac præceptæ sint. Ac ne maritis quidem aut uxoribus, quamvis eorum mentio facta est; ulla hic de mutuis erga se officiis doctrina tradita est, solo temperantiæ officio excepto; quod non tàm œconomicum quàm morale est: cum alia eorum officia ad œconomicum ordinem pertineant.

Ratio verò ejus rei est, quod doctrina Christi; non tàm in aliquo inter multos ordine, sive ille politicus, sive sit œconomicus; sive etiam ecclesiasticus, (quàmvis & hos ordines non respuat, imò postulet;) quàm in singulorum morali sanctimoniâ consistat; quæ adeò est promiscua & omnibus æquè sine delectu competens; ut omne discrimen; non modò gentis, status, conditionis, sed & sexus respuat. *Gal.* III. 28. *& Colos.* III. 11. cum tamen Ordo, non politicus modò & Oeconomicus; sed etiam Ecclesiasticus, non sexus tantum sed etiam munerum atque officiorum discrimina requirat & observet.

Sed multò potior ratio ejus rei est; quod tunc Christus ea tantum præcepta proponere in animo habuerit; quorum perfectio, non publici alicujus ordinis institu[illegible]; qualia in genere humano, pro vario populorum [illegible]eu atque ingenio, & circumstantiis varia esse [illegible]nt (quod ex tot Rerumpublicarum formis, quarum nulla usquam à Deo per se damnata est colligitur; nec una aliqua certâ, & ubique in perpetuum mansurâ lege comprehendi possunt; sed ipsius Mosaicæ legis maximè spiritualem partem; quæ ad mores pertinebat præstantia & excellentia sua superabat. Proinde ea, ad privatam duntaxat morum sanctimoniam, quæ ubique & semper certa & immutabilis est; non ad publici regiminis ordinem, qui temporis, loci, hominum ac circumstantiarum varietate incertus ac mutabilis est, pertinere debebant. Ad publicum autem ordinem non politicæ tantum & Oeconomicæ; sed Ecclesiasticæ quoque leges pertinent.

Sed ut à diverticulo ad orbitam redeamus, ex iis quæ diximus patet, quam insigniter Auctor decipiatur, dum contendit Christum hoc loco legem suam etiam judicibus quâ sunt judices tulisse; cum hoc loco, ab omni genere forensium legum; sive illæ ad politicum, sive ad Ecclesiasticum forum pertinerent, abstinuerit.

Unde etiam facile intelligi potest, quàm præposterum sit in hac controversia, velle prius subtiliter scrutari; cuinam Christus aliquid hoc loco præceperit; quàm quid præceperit; atque ex eo cui præceptum sit, investigare velle quid præceptum sit. Nam profectò ex manifestis & expressis obscuriora, non contrà, investiganda sunt. Atqui cui præceptum sit, utrum populo universo, absolutè an secundum quid considerato; aliquantò obscurius est, quia de eo inter nos acerrima lis est. Verum id quod præceptum est; manifestis ac disertis verbis expressum est. Præcepta enim est suarum non alienarum injuriarum patientia; ac de suo jure decessio, non de alieno. Ex quo statim constat, præceptum istud nullo modo ad judices, qua sunt tales, sed tantum ad læsos pertinere. Quanquam læsi possunt etiam judices; sed tunc, (quantum ad præceptum istud attinet) non tanquam judices, sed tanquam læsi considerantur.

III.

Atque hæc ad hypothesin, quam præstruxit Auctor; & quædam quæ ex ea deducit, dicta sunto. Nunc ad argumentationem ex hoc loco deductam accedamus. Cujus vis omnis, quanta quanta est; cum in solo verborum legis Christi indefinite prolatorum *(ne resistite malo)* sensu nimium universaliter intellecto consistat; & tamen infirmitatem consecutionis ex eo sensu deductæ, pro singulari, quo præditus est Auctor, judicio suo animadverteret; mirabile artificium commentus est, quo prætensum istum universalem verborum Christi sensum; quàm latissimè extenderet: Cumque in ipsis verbis, quæ omnia nonnisi de privatis injuriis agunt; rationem reperire non posset; per quam ea ad aliud quoque, hoc est, alienarum injuriarum genus, protenderet; convertit se, ad eam in universitate eorum, quibus hæc lex lata est, inveniendam. Et quia lex Christi de talione (ut & aliæ omnes) universis lata dici potest; sub quibus etiam judices qua tales comprehendi existimavit; judicibus quoque injurias avertere prohibitum, colligit, qui cum non suas modo avertere possint; sed qua judices, ex muneris officio etiam alienas; earum quoque aversionem hoc præcepto vetitam, tandem concludit. Quæ ratio collectionis, si non violentior & iniquior; imò si non absurdior est, quàm ut ferri possit: nullius fortassis legis prohibentis verba erunt quæ non etiam ad innoxias, dummodò cum noxiis sub eodem genere comprehendi possint, actiones extendantur; quoniam omnis lex publica populo universo lata dici potest; sub quo tam noxiarum, quàm innoxiarum actionum Auctores continentur. Itaque nihil factu proprius erit, quàm ut modum hunc argumen-

tandi secuti ; legem de muliere non concupiscenda *Matth.* v. 28. etiam marito propriæ uxoris usum prohibere statuamus ; quia ea lex sub universis quibus lata est ; non modo mœchos, sed ipsos quoque maritos comprehendit.

At enim (objiciet Auctor) verba interdicti in loco citato ; ad alienæ uxoris concupiscentiam restringuntur. At ego regeram, in lege quoque Christi de talione verba interdicti, manifestè ad propriarum injuriarum patientiam restringi. Sed instabit Auctor. Christi legem de talione sub universis etiam judices comprehendere, quia & lex Mosis, omnibus universim & speciatim judicibus lata est. Quid ? an citata lex Christi de adulterio ; non universis quoque lata est ? & sub universis maritos non comprehendit ? præsertim cùm & lex Mosis, cui opponitur lex Christi, tàm aliis quam maritis lata sit ? Urgebit amplius. At verba *Ne resistite malo ;* ita sunt generalia ut etiam judices in suis judiciis obstringant. Non excutiam quàm istud verum sit. Tantum regeram. Scilicet hæc indefinita locutio *Ne resistite malo* plus generalitatis habet, quàm universalis Christi enunciatio. *Quicunque aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, adulterium commisit*, & annon aspicere interdum propriam uxorem est aspicere mulierem ad concupiscendum, si nudus verborum cortex spectandus sit. At enim *judicum vulgò officium est, ut judicia & pœnas adversus malefícos exequendo ; injurias eorum avertant. Quibus cum resisti prohibitum sit, judicum officium planè sublatum est.* Resp. At maritorum quoque vulgò officium est ; ut debitum conjugale suis uxoribus reddant. Cum verò mulierum concupiscentia etiam in cogitatione damnata sit ; maritorum quoque officium planè sublatum est. Ita ut quoquo se vertat Auctor ; nihil inventurus sit causæ ; cur admissa ejus argumentandi ratione ; eodem exemplo non debeant admitti ejusmodi, egregia sanè explicandarum legum Christi specimina.

Sed ut ejus ratiocinationibus sophismata tantò clarius conspicua sint in syllogismi formam redigenda est.

Quali modo, & quibus dictum antiquum Mosis in populo veteri judicia & pœnas præscribit ; eodem modo & iisdem Christus *Matth.* v. in populo suo judicia & pœnas prohibet.

Atqui dictum antiquum Mosis non modo toti populo universim, sed etiam speciatim judicibus judicia & pœnas, hoc est, corporalem injuriarum aversionem (nec enim hic de aliis judiciis sermo est) præscribit ; simulque privatis, (quamvis non expressè) concedit talionem à judice petere.

Ergò & Christus hoc loco non modo Universitati Christianæ ; sed etiam in eâ tum judicibus sive Magnis ; tum singulis è populo, corporali injuriarum aversione interdicit, vel (ut paulo post id explicat) mandatum dat ne exequantur judicia & pœnas contrà maleficum ; vel (ut easdem terminorum syllogismi voces retineamus) judicia & pœnas prohibet.

Syllogismus hic è tot & tàm multiplicibus diversarum fallaciarum centonibus, consarcinatus est, ut ne pilum quidem aut floccum ullum legitimæ argumentationis habere videatur. Quarum saltem aliquas delibabimus.

I. Prima ante omnes se offert, *plurium interrogationum* quam cum *Petitione principii* ferè complicari, jam monuimus. Prius enim id quærendum fuerat ; utrum hic Christus judicia & pœnas prohibeat ; quod potissimum inter nos in controversiam venit ; quàm quibus & quomodo prohibeat, cum quæstio An sit : quæstionem quomodo sit. præcedere debeat.

In quo ipso præpostera verum inquirendi methodus ; nescio cujus doli suspectam se prodit ; quod (ut jam sæpius monuimus, & tamen, non sine causa, inculcandum est) cum ex eo intellecto ; quid hoc loco Christus manifestis & quæ nullo modo in dubium & ancipitem sensum trahi possunt, verbis, prohibeat, facillimè intelligi possit ; quomodo, & quibus prohibeat : tamen Auctor, priorem naturâ quæstionem transiliens, maluerit ex eo, quod longè obscurius & magis controversum esse poterat, hoc est, ex investigatione ejus quæstionis quomodo & cuinam Christus legem istius interdicti tulerit ; eruere quidnam interdixerit ; & quidem adversus verborum hujus interdicti manifestissimum sensum.

II. Notanda est præterea in quibusdam vocibus enunciationum, è quibus hic Syllogismus constat, ambiguitas quales sunt. 1. *Judicia & pœnas præscribere aut prohibere.* 2. *Corporalis injuriarum aversio.* 3. *Præscribere aliquid toti populo universim & singulis separatim.*

Judicia & pœnas præscribere aut prohibere ; intelligi potest, aut latius & generalissimè ; pro omni judiciorum ac pœnarum forensium genere ; aut strictius & specialiter pro solis judiciis atque pœnis talionis ; de quibus in lege *Oculum pro oculo*, sermo est. Et in assumptione quidem nonnisi posteriori modo hæ voces sumendæ sunt, nisi eam falsissimam esse velimus. At conclusio eas in priori significatione intelligit. Unde dici potest, Plus esse in conclusione quam fuit in præmissis, cum eas voces quas assumptio ad certum genus pœnarum & judiciorum restringit ; Conclusio generalissimè ad omne genus extendat.

III. Altera in voce *Corporalis injuriarum aversionis* latet ambiguitas. Quam, ne habeat quod queratur Auctor, non ex nostra, sed ex ejus ipsius mente explicabimus. Vox igitur hæc aliter sumitur & aliud significat cum dicto Mosis, in assumptione : aliter cum præcepto Christi in Conclusione, applicatur. Ibi enim strictius pro publica duntaxat ; hic latius tàm pro publica quàm pro privata injuriarum aversione sumitur. Ibi alienarum duntaxat ; hic ex mente Auctoris, tam alienarum quàm suarum injuriarum aversionem significat. Proinde illic specialius judices tantùm non læsos obstringendo præcipitur ; hic generalius tàm læsos quàm judices obstringendo prohibetur. Qua propter & hic longè plus in conclusione deprehenditur, quàm fuit in præmissis, cum vox quæ in assumptione strictius intellecta est, in conclusione latius se porrigat.

IV. Tertio in verbis *Præscribere aliquid toti populo* ; *totus populus aut* Universitas secundum quid sumitur in assumptione juxta eam distinctionem quam suprà attulimus. Lex enim Mosis, quia forensis est, Universo populo secundum quid ita dicto, hoc est, quatenus è præpositis & subjectis constat, lata est. At eædem voces in conclusione absolute sumuntur, Atqui à dicto secundum quid ; ad dictum simpliciter non valet consequentia.

V. Porrò nequis existimet in Minoris duntaxat & conclusionis dissonantia, omnes hujus syllogismi nævos deprehendi ; Major quoque nobis paucis examinanda est. Cujus falsitas ex eo patet evidenter, quòd non eodem modo Dictum antiquum Mosis ; id quod præcipit præscribit quo Christus, id quod hoc loco vetat ; prohibet : quia Moses id facit per modum legis forensis, Christus per modum præcepti moralis. Leges autem ac præcepta moralia, a judicialibus in hominibus per præceptiones aut prohibitiones suas obstringendis, qu[illegible]opere discrepent supra ostendimus.

VI. Multo autem magis major [illegible]lsitas patebit ubi

ubi quædam, quæ per multiplicem Principii petitionem pro concessis supponuntur, hypotheses subrutæ fuerint. quarum prima est, quod Christus hoc loco, præceptum suum dicto antiquo, seu legi Mosis opponat. Secunda, quod illud ita opponat, ut legem Mosis contraria lege abroget. Tertia, Quòd abrogando legem Mosis de talione, reliquæ omnia contrà maleficos judicia & pœnas abrogaverit. Harum hypothesium duabus prioribus positis, Majorem hujus syllogismi aliquid ponderis habere utcunque agnoscimus. Ideoque statim ipsius operâ in oppugnanda tertio loco propositâ hypothesi (sive eam Conclusionis extensionem aut explicationem vocare libeat) à qua refutandi initium sumere placet, utemur.

Dato igitur, at non concesso, quod Christus legem Mosis de talione sustulisset; (quod quàm verum sit mox videbimus) minimè inde sequi, eum reliqua omnia contrà maleficos judicia & pœnas abrogavisse, contendimus. Possunt enim absque stricto pœnæ talionis rigore, Respublicæ & leges forenses subsistere. Proinde illo sublato, istas tolli non est necesse. Quod si dicat Autor absque pœnæ quidem talionis rigore posse judicia forensia subsistere: at absque resistentia adversus maleficum non posse, quæ hic vetatur; oportet ut resistentiam istam latius, quàm loci subjecta materia patitur extendat; & sumat pro omni, omninò resistentiâ. Atqui non omnis resistentia maleficis prohibita est. Nam certè & Ecclesia maleficis resistit. Instabit Autor. De corporali resistentia tantum Christum loqui. Quæro ego unde istam limitationem colligit? Ex subjecti loci materiâ (respondebit) ubi non de alia nisi Corporali resistentia sermo est. Rectè ait. At ego subjectam istam materiam non eminus & à longe, levi ac desultorio currentis oculi ictu aspici, sed cominus & penitius in eam defixo lumine inspici postulo. Neque enim tantum hic de corporea resistentia sermo est, sed de summi ac stricti juris resistentia, qualis erat in pœna talionis exigendâ. Eodem igitur jure ego ad istud tantummodo resistentiæ genus, vocem hanc restringam, sine quo reliqua judicia & leges exerceri possunt. Nam quid aliud hoc loco resistentia significat; quàm certamen injuriarum, eleganti metaphora expressum, in quo aut seipsum læsus; aut Magistratus læsum; maleficii acerbitate à delinquente vinci non patitur. Præsertim cum & reliquæ præcepti Christi appendices, ad solam exclusionem summi ac stricti juris, quod in lege talionis regnat, aptissimè applicari possint.

Deinde si Dominus non modo pœnam talionis in oculi aut dentis excussi injuriâ præscriptam; sed etiam omnem judiciorum executionem & pœnas contrà maleficum sustulisse dicitur; Cur judicium de Homicidio, cujus pœna capitalis erat; quamvis expresse paulo antè commemoratum non damnavit; ac ne hic quidem ejus ullam mentionem fecit? Imo verò legis istius rigorem; adeò non mitigavit, ut per ejus extensionem ad leviora delicta, auxerit. Nec refert, quod extensio hæc ad spirituale forum pertineat; quia & leges Christus spirituales ferebat. Satis est, quod istas spirituales ferendo, forenses, (quarum tamen se non oblitum ostendit,) non attigerit; sed in suo statu intactas reliquerit. Longè potior autem locus fuit omnis forensis legis abrogandæ, cum capitalium judiciorum, quæ ipsi plus auctoritatis ac reverentiæ conciliant, mentionem faceret; quàm cum reliquas talionis minutias persequeretur; sine quibus alia forensia judicia homines in obsequio legum continere possunt. Unde apparet, tantum abesse, ut Christus omnia forensia judicia abrogaverit, ut ne totam quidem legem talionis sustulisse dici possit.

Tertiò. Christus ipse, ne jota quidem aut apicem legis se subtaturum initio sermonis sui professus est. At quomodo huic dicto fides constabit, si eum maximam, & ad retinendum integrum illius populi statum, maximè necessariam partem Legis, hoc est, totam legem forensem, abrogantem fingimus; quæ & ipsius moralis legis tunc custos fuerat. Neque enim in populo Dei, alia tunc fuit in delinquentes adversus decem præcepta disciplina, quàm Magistratus judicia & animadversio. Quæ licet in spiritualibus Christi legibus adversus spirituales transgressores exercendis, nunc locum non habeat: at in humanis legibus quas ordinatæ à Deo potestates custodiunt; adversus patratores scelerum sublata non est.

Quartò. Si rem tantam, qualis est abrogatio non modo forensium Mosis; sed omnium in humano genere judiciorum, quibus omnes cœtus jure sociati continentur; Christus suscepisset; deerant ipsi videlicet verba, quibus in re tanti momenti, clarè mentem suam aperiret; deerat libertas & παῤῥησία tàm necessarii, ut prætendunt, dogmatis aperte tradendi. Cur tàm communem cunctis; tàm ad publicum omnium statum pertinentem doctrinam; intrà latebras præscriptorum singulis privatim officiorum, occultabat? Nam quid habet injuncta suarum injuriarum salubris patientia virium; ad inducendam pestiferam alienarum tolerantiam? De suo jure cuique decedere, non justum modo, sed & pulchrum est. De alieno liberalem esse, non magis justum aut honestum est, quàm invadere alienum.

Quintò. Sed quid opus est pluribus? Nos Auctorem ad suamet principia revocabimus, & quoniam is supponit Christi præceptum hoc loco Mosis legi de talione opponi, Majorem ipsius syllogismi contra ipsum retorquemus. Quali modo hæc Lex Mosis Hebræis judicia & pœnas præscribit; tali modo Christus isto loco populo suo eadem prohibet. Atqui hæc lex Mosis non generaliter omnia judicia & pœnas contra maleficos; sed specialiter ea tantum, quæ pœnam talionis continent, præscribit. Ergo, ne Christus quidem eam tollendo, generaliter omnia sed specialiter duntaxat talionis judicia & pœnas prohibet.

Atque hoc loco obiter notanda est principalis argumenti, quod suprà proposuimus, eximia firmitas; cujus Major propositio, adeò est efficax ad subruendum id, quod in ea ipsa concluditur.

VII. Nunc ad hypothesin medio loco positam accedamus. Ostendemus igitur, Dato, non concesso, quod Christus, isto loco, legem suam, legi Mosis opponat; tamen inde nullo modo sequi, Christum legem Mosis præcepto suo sustulisse.

I. Primum enim ex ipsius Christi verbis patet, id illi propositum non fuisse, ut vel unum apicem legis Mosaicæ tolleret: sed potiùs illam perficeret, hoc est, defectus & imperfectiones ejus suppleret. Defectus autem isti sunt, Tacitæ permissiones legum, in casibus aut omissis, aut per conniventiam legum, propter duritiem cordis illius populi, ut Christus alicubi ait, indultis. Unde apparet permissiones legum tacitas, cum sint quidam defectus, ad naturam ipsarum legum adeò non pertinere; ut ipsis sublatis, leges non modo in suo robore subsistant; sed longè melius scopum suum assequantur. Ratio ejus rei est, quia vis Legis in expressa præceptionis aut prohibitione; non in tacitâ permissione consistit. Nam legis nulla vis est, quoties eos, quibus fertur, non obstringit. At nemo tacitâ permissione, sed expresso præcepto, aut interdicto quisque obstringitur. Tacitam autem permissionem intelligo; quia evenire potest ut aliqua publica lex feratur, quæ nihil aliud contineat, nisi permissiones expressas.

expressas. Cujus tamen ipsius legis vis, quæ obstringit homines, non erit in permissione, sed in præceptione impunitatis; aut interdicto punitionis earum rerum quæ permittuntur. Porrò sicut ubi expressa præceptio aut prohibitio augetur atque extenditur, ibi tacitas in contrarium permissiones contrahi atque diminui; imò verò in casibus ad quos extenduntur tolli necesse est: ita & contrà; ubi tacitæ permissiones legis contrahuntur aut restringuntur, aut omninò tolluntur; ibi expressa præceptio aut prohibitio, ac vis legis, longè magis, quàm ante, augetur. Quod, & hic in Suppletis à Christo legibus, de homicidio & adulterio, factum animadvertimus. Sicut enim extensio legis de homicidio, ad omissos casus iræ, odii, aut maledicentiæ; & legis de adulterio ad impudicarum cogitationum impuritatem, contraxit ac diminuit tacitas, quæ in legibus istis cogitari poterant permissiones; & quasdam expresse sustulit; ita expressa sublatio istarum tacitarum permissionum; vim præceptionis aut interdictionis istarum legum; intendit simul atque extendit.

2. Cum Christus legibus Mosis prioribus ita præcepta sua opponat; ut ipsis non sublatis (quod pollicitus fuerat) permissiones duntaxat earum, quasi defectus aliquos, sustulerit; ne hanc quidem Mosis de talione legem sustulit, solam permissionem ejus tollendo. Nec enim hic præceptum Christi ullum deprehendi potest, quod præceptioni legis Mosaicæ adversetur; quod ex inductione omnium patet, quæ cum solâ permissione pugnat. Quæ permissio cum privatos duntaxat homines spectet; legis autem obligatio, potissimum publicos Magistratus; non potest id obstringere Magistratus, quod privatis interdicitur.

Object. Quod si quis objiciat, diversam esse naturam tacitarum permissionum; quæ in legibus de homicidio & adulterio sublatæ sunt, à permissione istâ, quæ in lege talionis tollitur: quia illa tolli poterant, intactis ipsis legibus. Potest enim utraque illarum legum in factis externis puniendis exerceri; etiamsi interiores affectus, in facultate animi quam vocant irascibilem & concupiscibilem, refrenentur. At sublata permissione accusandi ac jus suum in talione persequendi; Lex & jurisdictio talionis exerceri non potest. *Resp.* Huic objectioni ut occurramus animadvertendum est; etiam sine læsorum accusatione; quam Christus hoc loco in causis pœnam talionis secum trahentibus, tollere videtur, potuisse Judices defungi officio suo; permanente ad eos aliundè notitia criminis; aut aliis fortè accusantibus; præsertim cum quorundam criminum accusationes, publicis officiis sæpe delegari soleant. *Ob.* Sed enim urgebit aliquis, ubi stricti juris sui persecutio prohibetur; ibidem summi ac stricti juris alieni judicium atque executionem tolli ac prohiberi. *Resp.* Id verò nequaquam concedimus, cum longe maximum sit discrimen, inter sui juris persecutionem, & vindicationem alieni; quarum illa, sine ulla cujusquam injuriâ & multâ cum laude omitti potest; hæc absque capitali sæpe injuriâ; & justissimâ deserti officii reprehensione, negligi non potest. Proinde alterâ intactâ; meritò altera prohiberi potest. *Object.* At enim in publica commoda, & ipsius legis beneficium peccare videntur; qui sibi eâ re interdicunt; quam lex in eorum favorem lata indulsit. *Resp.* Enimverò leges, tametsi societatis humanæ; & in eâ juris cujusque proprii custodes sint & vindices; tamen nullas ab iis pœnas expetunt, qui de suo jure libenter decedunt: eo nomine quod de ipso decedant. Neque enim si quis jure suo non utatur, societatem violat. Magis nocet societati, si quis nimium suo jure præsertim stricto utatur; quia id interdum æquitatem, quæ potissima justitiæ pars est, violat; ideoque semper odia serit atque discordias. Æquitas autem est dictamen rationis, in eo casu, ubi juris scripti aut legis positivæ providentia deficit. Prospicit enim lex in futurum. Sed neque omnes casus, neque circumstantias comprehendere potest, in quibus legis ac justitiæ generalis rigor; speciali æquitatis temperamento, mitigandus est. Denique ita sunt res humanæ; ut stare vix possint, sine venia ac beneficio; quorum utrumque summi ac stricti juris in propriis injuriis persecutioni adversatur. Sed venia in injuriis alienis, plerumque non minus iniqua & absurda est, quàm beneficium de alieno.

3. Quid? quod lex Christi, quam istis verbis de talione exigendâ, opponit, planè moralis est; & non publicum aliquod certis hominibus commissum in Republicæ regimen; sed privatum cujusque officium spectat. Lex autem Mosis de talione plane judicialis est ac forensis, quia potissimum judicibus præcipiendo; modum judicandi & puniendi præscribebat. Tacita vero ejus permissio (quam suprà ad ipsius legis naturam non pertinere demonstravimus) aliquid animo, & affectibus ac moribus læsi indulgebat; quod plane morale fuit; & adeò forensem legem non afficiebat; ut ab ipso, salva illa lege, omitti posset, quippe quod ad privatos potius ipsius mores & affectus, quàm ad publicum exercendarum legum officium pertineret. Ex quo patet, potuisse Dominum per legem suam moralem, ejusmodi legum judicialium permissiones, quæ ad mores hominum pertinebant, præceptis & interdictis suis restringere, intactis & illæsis ipsis legibus judicialibus. Nam si læsi ipsi potuerunt non uti beneficio legis; nec ideò contra istam legem delinquebant; potuit & spiritualis legislator, morali lege sua præcipere; ne uterentur læsi eo beneficio legis; quo ipsis, per ipsam legem, uti, aut non uti, licuit: nec tamen per hanc legis suæ moralis partem ipsam istam legem tollere; quæ etiam læsis non accusantibus, per delationem fortè aliorum exerceri potuit. Quod autem lex Christi moralis eam licentiam tolleret; quam læsis dabat lex forensis; quia id coactivâ potestate non faciebat, sed precariâ; quæ voluntates hominum persuadendo potius, quàm cogendo flectebat; non magis legem forensem lædere aut violare poterat; quàm ultronea, absque lege Christi, læsorum à beneficio legis ejus abstinentia; cum utrobique libera & nullâ propriè dictæ coactionis vi, coacta, læsorum voluntas interveniret: Ita ut per legem Christi, nulla major, quàm per ipsam læsorum liberam voluntatem derogatio ejus legis possit ostendi.

4. Denique non constabit ullo modo ejus antitheseos oppositio, quam Auctor introducit. Nec enim hic talem antithesin Autor constituit, qualis erat in antecedentibus Mosis legibus, cum novis Christi præceptis collatis. Illa enim non erat contrarii cum contrario, sed imperfectioris cum perfectiori; illa non tollebat Mosis legis, sed perficiebat; & confirmabat. Nam per additamenta Christi ad leges de homicidio, de adulterio, non convelluntur leges istæ sed firmantur & extenduntur. At hìc Auctor talem oppositionem comminiscitur; quæ legem Mosis contrario præcepto tollit & evertit. Ergo necesse est ut ista contrariorum pugna fit secundum idem. Quod nisi fiat, stabunt utrinque inconcussa. Nec enim suarum injuriarum patientia tollit alienarum vindictam; nec alienarum vindicta suarum patientiam. Si igitur hic Auctor legem de Talione, Christi præcepto abrogatam contendit, præceptum autem Christi totam de privata suarum injuriarum patientia, aut ut accuratius loquar; de

privat

privata sui juris condescensione duntaxat (ut videmus) loquitur, oportet ut Auctor ostendat, ubinam in lege Mosis de talione, privata suarum injuriarum vindicatio præcipiatur, aut patientia prohibeatur. Alias si id Christus prohibet, quod Moses non præcipit; aut si id præcipit quod Moses non prohibet; sensus & explicatio legis Christi, cum sensu legis Mosaicæ, non magis concurret, quam secum in hastiludio duo hastati equites; quorum alter in Orientem currit, alter in Septentrionem.

VIII. Superest ut illam, quæ primo loco posita est, hypothesin aggrediamur; & ostendamus Christum in isto loco, præceptum suum, non ipsius Mosis legi, quæ quatenus à Mose tradita est, non nisi forensis est: sed morali Scribarum & Pharisæorum commento, ex forensis legis Mosaicæ verbis, ad morale institutum detorto, opposuisse.

Quod inde primum ostenditur, quia præceptum ipsum Christi, quod hic tradit, non judiciale est, sed morale. Quæ res adeò manifesta est, ut ex iis Christi præceptis, quæ tribus istis Matth. capitibus traduntur, nullum ostendi possit, quod ad publicum inter universos ordinem, hoc est, forensem legem referatur nullum quod non ad privatos solummodo singulorum mores, seu ad moralem legem pertineat, ut ex inductione patet.

Idem ex multis Christi verbis, quæ initio concionis protulit; sed præcipuè ex *vers.* 20. *capitis* v. Matthæi ostenditur, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum &c.* Quæ profectò verba, quia ad ea confirmanda Christus legem & præcepta sua, cum lege & præceptis, quæ Scribæ & Pharisæi observabant, comparat, ostendunt Christum in ista comparatione, non de ullâ aliâ Mosaicæ legis parte loqui, quàm de Morali. Quippe cum ista justitia hoc loco, non aliquem multis communem Reipub. ordinem, aut aliquorum rituum instituta publica, sed in singulis morum cujusque integritatem & sanctimoniam significet. De eadem igitur privatâ singulorum sanctimoniâ Christus loquitur, cum comparat leges & regulas, secundum quas vivebant Scribæ & Pharisæi, cum legibus & regulis, secundum quas victuri erant ejus discipuli.

Quia verò è Sacra Scriptura didicimus Scribas & Pharisæos, non semper secundùm ipsam puram legis Mosaicæ regulam, sed etiam secundum falsas legis ejusdem glossas atque interpretationes vixisse (quod ipsis Christus *Matth.* xv. 6. objicit) ideo non est necesse, ut omnia præcepta quæcunque Christus Regulæ, secundum quam illi vitam suam instituebant, opponit, puræ putæ Mosis legi opponantur. Nec modò valde probabile est, sed etiam evidenter patet, Christum aliqua præcepta sua, glossis & commentis Scribarum, quibus verba legis corrumpebant, aut in quibus stabiliendis, verbis legis abutebantur, opposuisse: ita ut simul & imperfectionem legis adimpleret, & commenta eorum redargueret; quod Faustus Socinus, quo erat in rebus divinis usu atque judicio singulari, rectè animadvertit. Sunt enim quædam in istis Scribarum regulis, quibus præcepta sua opponit, quæ totidem verbis in lege Mosis legimus. Sed nec desunt, quæ de legis verbis detruncata ac mutila; quædam etiam ad verba legis paulò audacius adjecta cernimus. Proinde inter genuina & à Scribis adulterata Legis verba, in ipsius Christi sermone eam differentiam deprehendimus; ut quoties genuina legis verba citat, ad verba *Audistis quod dictum est* addat semper vocem *Antiquis*: quoties autem nova Rabbinorum commenta tangit; nusquam eam vocem addat, quam neque hic legimus, quod idem Socinus erudite observavit. Cum igitur Christi legem moralem esse pateat, id quoque cui opponitur ex vi oppositionis morale esse necesse est. Atqui vera Mosis lex judicialis est. Non igitur Mosis legi Christi lex opponitur. Quid enim refert quod verba quibus præceptum suum opponit Christus, in Mosis lege reperiantur? Agnosco sonum verborum, (quamvis & hæc mutila videam ac detruncata) mentem ac sensum legis non agnosco. Nam sensus legis Mosis judicibus potissimum præcipiebat, nullo modo læsis, alienarum injuriarum puniendarum modum præscribebat, nequaquam autem suarum. At ista verba de præcepto, ad læsos tantum, & ad propriarum injuriarum ultionem, pertinente intellecta, ex oppositione præcepti Christi satis animadvertimus.

Alias si verba, quibus hic legem suam Christus opponit, judicibus tantum ac Magistratibus, sicut lex Mosis aliquid præcipiunt: Lex autem Christi (ut videmus) læsis duntaxat; si illa alienarum injuriarum puniendarum modum præscribunt, (quod facit genuina lex Mosis) Lex autem Christi suarum patientiam, quænam ista oppositio fuerit, ubi alterum antitheseos membrum de cepis, alterum de allio loquitur? Et tamen hic veram & quidem paulò majorem, quam in superiorum legum antithesi, oppositionem cernimus, quæ occasionem Autori dedit, ut legem Christi legi Mosis, ut ita dicam, peremptorie oppositam censuerit; hoc est, ut existimaverit per legem Christi Mosis legem, non suppletam; sed penitus esse peremptam.

Et profectò in primis illis legis præceptis, de non occidendo, non mœchando, non jurando, nihil videmus Christum de ipsa legis quam citat, auctoritate decerpisse; sed potius ipsi aliquid addidisse; atque ita eam confirmasse atque per extensionem, ut ajunt, ampliasse, tantum permissiones earum tacitas restringendo; quod non est vim legis diminuendo enervare; sed addendo atque augendo intendere.

Proinde sicubi Christus in hac comparatione suarum & Pharisaicarum vitæ regularum, præcepti aut instituti alicujus vim tollit penitus atque abrogat, jam istud præceptum atque institutum, non esse genuinum legis præceptum; sed suppositicium Scribarum partum esse necesse est. Quid enim obstat quominùs illi, tanquam unici tunc Legis interpretes, hujus legis forensis verbis, ad morale juris stricti persequendi institutum, ac forte paulo laxius quam ipsa natura legis Mosaicæ vellet, abusi fuerint; atque adeo sub istiusmodi plausibili verborum legis cortice commenta carni suæ mire placentia velarent, & hominibus moralem injuriarum suarum non modo per viam juris, ut ajunt, sed etiam per viam Facti, ulciscendarum licentiam darent: atque adeo nimium juris sui proprii tam publice quam privatim aut retinendi aut persequendi, rigorem ac studium urgerent aut defenderent? Præsertim cum ob imperfectionem legis Mosaicæ, cupiditati hominum in multis, plusculum indulgentis, id ipsis magna ex parte impune liceret. Nec enim causam video, cur qui nonnulla legis præcepta depravare non sunt veriti, indulgentia legis moralis, paulò licentius etiam quàm lex ipsa permittebat, abuti non potuerint. Quas omnes tam Legis moralis imperfectiones ac defectus supplere; quam Scribarum & Pharisæorum abusus tollere, nullâ interim legum Mosis sublatâ, Christus egregie potuit.

Nemo autem miretur nos hoc loco sensum & explicationem verborum, quibus Christus præceptum suum opponit, ex Christi potius verbis ac mente; quam ex Mosis aut Legis usu petere maluisse.

Christi enim verba non Mosis aut Legis antiquæ explicamus. Quæ à Christo & quidem satis plano sensu prolata esse Auctor unâ nobiscum dubitare nequit. At nos etiam prima fronte justissimas habuimus causas dubitandi, utrum id præceptum, cui Christus legem suam opponit, vera an à Scribis adulterata Lex Mosis fuerit; cum ex antithesi Christi appareat, illud à sensu veræ Legis Mosis discedere, & sensum privatis aliquid præcipientem continere. Ubi vero penitius locum hunc expendimus, nulla plane supereſt dubitandi causa, verba ista, licet ex antiquæ legis Codice excerpta; non fuisse tamen illud genuinum dictum Mosis antiquum, quo lex forensis exprimebatur; cum ea neque idem quod genuina lex Mosis, neque iisdem, neque eodem modo præscriberent. Lex enim Mosis alienarum: illa suarum injuriarum vindicationem; lex Mosis judicibus, illa privatis, præcipiunt. Lex Mosis forensi ratione judices; illa morali privatos homines instruunt; quod ex verborum Christi appositione liquet.

IX. Subrutis igitur tot hypothesibus, quibus ceu fundamentis Autoris argumentatio nititur; ipsum argumentum ruere necesse est. Cujus tamen vera vis in sola generalitate verborum *Ne resistite malo* sita fuisse videtur. Quæ generalitas, quàm fragile & caducum sit; ac tantæ moli paradoxorum dogmatum superstruendæ impar fundamentum; ipsum Auctorem quæ perspicacia ejus judicii fuit; ut suprà monuimus minime latuit. Primum enim dantur innumera exempla generalium præceptorum aut enunciationum; quæ tamen ad subjectæ materiæ specialitatem restringenda sunt. Sit unum instar omnium: *Ne juretis omnino.*

Deinde nescio an ullum sit in morali materia præceptum aut Regula; quantacunque verborum universalitate enuncietur; quod aliquibus exceptionibus intrà certos particulatitatis, ut ita loquar, limites coërceri non debeat.

Denique quis hominibus istis indicavit, Verba *Ne resistite malo* esse generalia? Annon illa indefinita, & sine ullo Universalitatis charactere, esse fatebuntur? Atqui indefinitæ enunciationes tam universalibus quam particularibus sæpe etiam singularibus æquipollere possunt.

IV.

Detectis adversæ argumentationis vitiis atque insidiis; atque omnibus ejus fundamentis in quibus vis aliqua latere potuit eversis: Cætera quæ subnectit Autor, paucis refellenda sunt.

Primum igitur ait, *cum Christus citat principium legis hujus oculum pro oculo &c. etiam ea quæ non citat, supplenda cuivis reliquit.* Atqui neque hoc est principium legis hujus; cum & *Exodi* XXI. 23. & *Levit.* XXIV. 17. & *Deut.* XIX. sub finem Lex de talione, ab excussi oculi injuriâ, nequaquam incipiat: sed ista verba sint è medio Legis excerpta. Præcedit enim semper longè majoris momenti talio *animam pro anima.* Neque si Christus excussi oculi aut dentis talionem sustuliſſet; ilico sequeretur, ipsum legem quoque de anima pro anima auferendâ sustuliſſe. Gravius enim atque severius, hæc pars legis de capitali talione, à Deo sancita fuit; quàm ut ejusdem generis aut ponderis esset, cum istis levioribus, & quæ ad satiandum duntaxat vindictæ desiderium servire poterant, legis hujus minutiis; quod vel ex eo patet, quia istæ minutiores pœnæ talionis, conniveante Deo, alterius generis satisfactionibus redimi poterant. At effusi voluntariè sanguinis delictum; nonnisi effuso vicissim homicidæ sanguine expiari voluit Deus; nec ulla redemptione legi suæ fraudem fieri, passus fuisset; quominùs tamdiu terra illa tota, polluta sanguine censeretur; quamdiu homicidæ sanguine expiata non fuisset. Vanum autem est, quod Autor ait, quia Judæis tunc ademptum jus gladii fuerit, non fuisse necesse pœnam homicidii nominatim excludere.

Nam quia Christus non judicibus, ne alienæ delicta puniant; sed læsis ne suas injurias vindicent vetat; ut ex inductione partium omnium interdicti hujus patet; debuit etiam persequendæ patratæ cædis injuriam nominatim (saltem alicubi) prohibuisse: sive illa apud Judæos, sive apud Ethnicorum judices exigeretur.

Præterea etiamsi certò, non constaret an Christus hic judicibus nihil prohibuerit; certò tamen constat eum non uni genti; idque pro certo aliquo ejus in quo tunc erat statu; sed omnibus gentibus & pro omni earum statu, præcepta tunc sua tradidisse.

V.

Quod autem ait Auctor; ita Christum antiquæ legi præceptum suum opponere ut suis omnem malorum resistentiam vetet; quæ ejusdem sit naturæ cum eâ quam Judæi oculum pro oculo repetentes, exercebant, puniendo maleficum vel pœnam exigendo à Judice, partim falsum est, partim ambiguum, partim verum & concedi utcunque potest. Falsum esse Christum antiquæ legi præceptum suum opponere, jam ostendimus. Ambiguum est quod ait à Christo omnem malorum resistentiam vetari quæ ejusdem naturæ sit cum eâ, quam Judæi in lege talionis exercebant. Nam cum Judæi dupliciter, ut statim subjicit, resistentiam istam exercerent, aut puniendo maleficos tanquam Judices & Magistratus; aut pœnam exigendo à Judice ut privati; falsum esse à Christo ejus generis resistentiam vetari quam Judæorum judices exercebant, demonstravimus; quia is præcepta sua ad privatos duntaxat dirigit, & de suarum non alienarum injuriarum tolerantia vel punitione loquitur, ut ex omnium præcepti partium inductione patet. Illud tantum concedi potest Christum hoc loco vetare resistentiam ejus naturæ, quam Judæi in lege talionis, circa proprias injurias exercebant; idque sive per viam Facti, ut ajunt, sive per viam juris, ut exempla à Christo expressa docent. Cujus resistentiæ natura cum in retinendo aut persequendo summo ac stricto suo jure consistat; meritò nihil aliud hac lege à Christo prohibitum putamus, quàm proprii juris, præsertim, summi atque stricti, aut retentionem aut persecutionem. De prohibita alieni juris persecutione, ne verbum quidem hic, aut ullius mentionis vestigium, deprehendimus.

VI.

In eo quoque facile Autori assentimur, Christum in hoc loco non solam vindictam prohibere, neque solam mansuetudinem in dimittendâ inultâ injuriâ, præcipere: Neque enim hoc est adæquatum legi Christi subjectum; quod ut exempla ostendunt, latius extenditur. Sed nec Autor satis adæquatam aut absurditatis expertem, invenit ejus explicationem, dum hac lege, non mansuetudinem in omittendâ *ultione; sed maximam à Christo patientiam præcipi ostendit; videlicet cum dilectione & beneficentiâ tali conjunctam; qua quis sponte sua paratus sit, plus facere & pati; si res ita fert, quam malitia à se exigit.* Nam facilitas in mutuo dando; & erga petentes liberalitas quæ eadem lege præcipiuntur; nec ad patientiam ullo

ullo modo ; nec ad ejus generis dilectionem ac beneficentiam , qualem hîc Autor describit , referri possunt : quippe quæ ad veram , legitimam , & rationi consentaneam beneficentiam , quam Christus præcipit , pertineant ; non ad falsam & absurdam & ab omni ratione abhorrentem , istius virtutis speciem, quam Christus nequaquam præscripsit. Quod enim in eo legitimæ beneficentiæ , & si placet dilectionis erga injustum hominem vestigium deprehendi potest: cum quis reipsâ ab eo , plus vult pati , quàm ejus malitia à se exigit ? Annon eadem operâ vult ut malitia proximi incrementum sumat ? Nam quo plus innocentes injuriæ patiuntur ; tanto magis injustorum hominum intenditur delictum. Egregium sane dilectionis ac beneficentiæ in homines injustos specimen , suggerere ipsis etiam invitis , aut certè non exigentibus , peccandi materiem atque occasionem , simulque ipsos in graviores exsolvendi supplicii insidias pertrahere. Hoc genere dilectionis ac beneficentiæ Satanas erga genus humanum flagrat atque assiduè defungitur. Proinde eam Christus minimè præcipit. Nam illud non exigito, quàm ab omni ratione alienum sit , istud patientiæ aut potius ambitionis patiendi genus, vanæ gloriæ ostentationem redolens ; quod hîc à Christo præceptum falsò fingitur. Neque enim vera aut legitima ista patientia est, cum illa nonnisi in iis malis cernatur , quæ invitis ita accidunt , ut iis libentius carerent , si possent. At cum quis ejusmodi mala ultrò ac sua sponte sibi accersit, aut captat , non hæc genuina aut sobria est ac sana patientia ; sed stolida & affectata patiendi ambitio , digna quæ eo , quod captat infortunio impune mulctetur.

Ergo ut hoc loco Christus , non solam in omittenda vindicta mansuetudinem , aut clementiam ; ita nec solam patientiam præcipit ; quæ ambæ sunt juris sui dimittendi species, sed non solæ. Nam & ii qui beneficia præstant, tantò plus de jure suo dimittunt; quantò magis benefici sunt. Dilectionis autem officia , ad aliam separatam legem pertinere videntur , quæ certè hic saltem ex professo non tractantur.

Si igitur ad æquatam legi atque interdicto huic Christi, materiam quærimus , non aliam inveniemus , quàm quod is omnem fortè summi (quod in talione cernitur) quandam etiam interdum æqui juris sui, sive persecutionem , sive retentionem prohibeat ; ita ut præceptum Christi, non modò quàm Lex talionis , sed etiam quàm patientiæ præceptum longè latius pateat. Quod ipsum evidens indicium est , Christum non forensi legi talionis , sed morali Scribarum doctrinæ ex rigore stricti juris, quod in verbis legis forensis expressum videbant, depromptæ præceptum suum opponere.

Cæterum cuicunque legi aut doctrinæ Christus præcepta sua opponat , non is eorum scopus est , ut aut omnem omninò maleficiorum resistentiam tollat , aut patientiam nostram in infinitum , atque (ut Autor ait) longius etiam quam malitia hominum à nobis exigit , protendat. Hoc enim & ipsius Christi , & Apostolorum exemplis , & rationi sanæ ; & religionis nostræ , quæ in rationabili servitio Christi consistit , analogiæ repugnat. Sed ut exemplo Dei , qui non de summo tantum ; sed etiam de æquo jure suo erga nos multum dimittit , doceat ; nos quoque de jure nostro erga alios , sive in patiendis injuriis , sive in remittendis culpis , sive in præstandis officiis , ac beneficiis decedere. Quia vero nos istam juris proprii dimissionem , protendendam in infinitum non putamus ; quærendi sunt limites ejus ; quos Christus in eadem doctrina suâ ponere non omisit. Nec enim ad aliam regulam officium istud erga proximos exigere possumus , quàm ut ea omnia aliis faciamus , quæ nobis vicissim à Deo , aut ab aliis , idque non aliquo inepto ac puerili voto ; sed justo & rationabili desiderio, fieri ac præstari vellemus. Porrò justum ac rationabile desiderium eorum , quæ nobis ab aliis præstari vellemus , non potest extendi longius, quàm si optemus ut illi nostri causâ præstent , quicquid sine suo magno malo facere possunt. Nam si optemus ut aliquid ejusmodi faciant; quod nobis quidem mediocre bonum , illis verò grande malum afferat ; iniquus hic & irrationalis nostri amor erit , quem nullo modo à Christo , pro regula dilectionis erga proximum præscriptum esse censeo. Jam verò de suo jure proximi causa decedere , est aliquid in ipsius gratiam facere , quod vicissim ab aliis , & illo ipso proximo , si res ita ferat , in nostri gratiam fieri vellemus. Quod si nostri gratiâ non omnia ut fiant , justè & rationabiliter optare possumus , profecto nec omnia in gratiam proximi facere , neque semper tenemur ; neque etiam de nostro jure omni aut semper , illius ergò , decedere obligamur ; sed tunc tantùm & toties , quando & quoties justam & gravem causam , ejus retinendi aut persequendi non habemus ; quod tunc tantum accidit , quum sine magno nostro malo , de jure nostro decedere possumus. Nam si id sine maximo nostro malo fieri nequeat , gravem & justam retinendi aut persequendi nostri juris causam habemus , quia nemo longè magis proximum , quàm seipsum diligere tenetur. Sufficit si eum diligat , sicut seipsum.

Non quòd aliquando non incidant casus & causæ , in quibus longè magis proximos , puta fratres , (animas pro illis ponendo) quàm nos ipsos diligere obstringimur ; ut cum id in gratiam gloriæ Dei , qui nobis longè supra nos diligendus est , facere tenemur. Sed loquimur de ordinario , erga proximos , sic vulgò acceptos , quâ proximi sunt , officio. Ultrà quod non modò extraordinaria interdum & quasi ex accidenti interveniens dari potest obligatio, sed & gratuita & voluntaria , de suo jure decessio. Cui lex non facilè , nisi admodum laxa , figi posse videtur, quia volenti vulgò nulla fieri censetur injuria. Et hæc plerumque celsioris gloriæ ac virtutis materies esse solet; si nihil impediat quominus aliquis tantum quantùm velit de suo jure decedat. Nam & hoc impedimentum contingere posse non dubitamus. Adeò in moralibus nihil est , quod universali regulâ , nimium exacte comprehendi possit.

Sed ne in dissertatione ista latius evagemur , ex istis quæ Christus , generalem legem suam explicando adducit exemplis , satis evidenter colligitur , Præcepto ejus de dimissione æqui juris sui, illic tantum esse locum, ubi nulla est satis justa & gravis causa ejus retinendi ; hoc est , ubi sine magno & notabili malo nostro , decedere de nostro jure possumus. Nec enim nimio infortunio mulctamur , si nobis alapa infringatur, nec ingentem jacturam facimus, si tunicæ aut pallii damnum patiamur. Nam istarum rerum apud pauperes propter earum vilitatem ; apud divites propter opum abundantiam facilis esse solet jactura. Nec intolerabilis labor est, mille passus deducendi viatoris causa conficere. Nec statim totis patrimoniis provolvimur , si quem mutui commodatione, aut liberalitate adjuvamus. Quod si in liberalitate aut mutui facilitate erga obvios ac petentes, eum à Christo modum præscribi censemus ; qui sit citrà nimiam opum nostrarum , etiam in indignos , modò impudenter petere audeant , profusionem : eadem certe ratio est in cæteris legis istius præceptis , in quibus non aliter de nostro jure decedere obligamur , quàm si nos nulla justa & gravis causa , multò minus autem necessitas urgeat , ut illud retineamus aut persequamur ; quod nonnisi in leviorum ac tolerabiliorum injuriarum , (quarum duntaxat à Christo exempla allata sunt) tolerantiâ , contingit.

Sed quia paulo ante diximus , gratuitam ac voluntariam de suo jure decessionem , etiam in gravioribus jacturis atque injuriis , esse celsioris gloriæ ac virtutis materiem : lex autem Christi perfectissima

omne celsioris virtutis studium à nobis exigit, necesse quis esse dixerit, etiam in gravioribus jacturis atque injuriis, in quibus sine magno nostro damno, interdum & vitæ jactura aut periculo, jus nostrum dimittere non possumus, semper à nobis per legem Christi exigi, ut de nostro jure decedamus.

Verum hic animadvertendum est; etiamsi à nobis aliquid simile alibi exigi, concederemus, non tamen id hoc loco quæri, quid alibi generalis lex Christi, aut ejus analogia; sed quid speciale istud de quo in hoc *Matth.* loco agimus præceptum Christi à nobis exigat. Cujus cum omnia verba, intrà leviorum damnorum tolerantiam consistant, non possunt latius extendi quàm sonant. Deinde nihil refert quod lex Christi, id à nobis alibi non quidem universè & semper, sed interdum ob justas & graves causas, exigit, cum hic non de specialibus legum Christi Casibus aut exceptionibus, sed de generali injunctæ tolerantiæ lege loquamur; quæ universè & semper observanda est.

Nec semper gratuita & voluntaria de suo jure etiam in gravioribus malis atque periculis decessio; est celsioris virtutis materies, alioqui & eos qui liberos suos Dijs gentium immolabant, excelsioris virtutis specimen edidisse censebimus. Quamvis igitur lex Christi perfectissima à nobis exigat virtutum specimina; tamen non semper ea quæ in apparentiâ talia videntur, revera talia sunt. Ideo suprà non diximus voluntariam de suo jure decessionem semper omnino celsioris gloriæ materiem esse; sed id interdum aut si placet, etiam plerumque accidere.

Postremò sæpe legis Christi analogia, quædam perfectiorum virtutum specimina libenter admittit; nec tamen ab omnibus pro debito exigit; quale fuit illud; quod Paulus in area Christi sibi trituranti, os obligaverat. Nos autem hic, de ea lege Christi loquimur, quæ id quod exigit, ab omnibus & quidem æqualiter exigit.

Quod si quis propositam à nobis rationem urgeat, cum volenti nunquam fiat injuria, legem aut potius metam nullam videri positam edendo celsioris virtutis specimini. Proinde nos, quia ad perfectissima quæque tendere debemus, teneri etiam semper in gravissimi momenti malis de nostro jure decedere: is primùm animadvertat oportet ex eo quod aliquid cuipiam cum laude facere liceat; malè colligi eundem, (multò minùs alios) ad illud ipsum faciendum obligari. Licuit Paulò celsioris abstinentiæ specimen edere. quid? an eundem Paulum eo jure; an Titum ac Timotheum & reliquos Episcopos Ecclesiæ, eodem exemplo, obligatos fuisse censebimus?

Deinde neque hoc semper verum est, Volentem sibi neminem injuriam facere posse ut si quis violentas sibi manus inferat. Præterea sæpe multa impediunt quominùs aliquis, tantum quantum velle possit, de suo jure decedat. Ut alia taceam, imprimis ipsa recta & sana ratio & sobrium prudentiæ judicium, quæ omnium reliquarum Christianarum virtutum Dux & moderatrix esse debet; & quæ nisi facem præluceat; virtutes plerumque in extrema sua degenerare solent. Cum igitur contingere soleat, ut aliquis stultè aliquid & improvide velle possit; profectò non quicquid velle potest: id aut laudari, aut à prudentia admitti potest. Non igitur semper homines; tantum quantum velle possunt, de jure suo decedere, prudentia permittit.

VII.

Etiamsi talionem duntaxat & vindictæ repositionem hoc loco prohiberet Christus (quod falsum est) non tamen ejusmodi præceptum hoc videri posset; quod & ab hominibus gentilibus tunc temporis, & hodie ab omnibus, non difficulter præstari posset. Nam licet Ethnicorum quidam, ratione duce, in ultionis negotio idem quod Christus viderint ac reprehenderint; non tamen ideò ejus virtutis maxima difficultas tollitur; quia illa cum ratione consentit. Aliàs non esset tanta eorum frequentia qui

——— videant meliora probentque, & tamen malint
Deteriora sequi ———.

VIII.

Interpretationem verborum *Obverte maxillam*; & *adde tunicæ pallium* &c. quæ ista potius quamvis iniqua videantur, facienda ostendit; quam id committatur quòd Christus prohibet, inique fugillat Auctor: non modo quod in ejus locum nullam quæ aliquò pretio censeri possit, explicationem substituerit; sed etiam quia in illa nihil reperire potest, quod meritò reprehendat. Vult quidem ipsam eo nomine reprehendere, quod Christum otiosè addentem ista faciat, quæ potius facienda præcipit, quàm res ab eo interdicta committatur; cum jam illam non committi præceperit; aut committi prohibuerit. Atqui hæc ipsa vana & otiosa est fugillatio, quia nihil agit. Quis enim nescit minimè otiosè addi ea verba, quæ ad emphasim præcepti aut interdicti pertinent? licet nihil ipsi præcepto aut interdicto adjiciant aliud, nisi tantò majorem ejus observandi curam atque necessitatem? Ut cum Christus ait Mulierem ad concupiscendum non aspiciendum: sed oculum potius sibi eruendum, si nos scandalizare debeat. Quis dixerit Christum, aut in verbis de oculo eruendo prolatis; aliud novum ac perfectius præceptum tradere quàm ante: aut ea otiosè protulisse? Posterius non sine injuria Christi dici potest. Prius absurdam doctrinam continet; de oculis eruendis ne inducamur in tentationem. Superest illud unicum, Verbis quidem istis nihil plùs quam ante præcipi: sed tamen illa, propter emphasin suam dato præcepto vim & auctoritatem conciliare maximam.

IX.

Antequam accedamus ad examen novæ opinionis, de legibus Christi credentibus illius temporis velut in antecessum traditis; quæque non statim vim suam exererent; admonendus est Auctor non exigui erroris, quem in falsitate consequentiæ committit, dum ait: Regimen populi Judaici, quamvis præ-« cepto Christi sublatum; tamen non statim ex quo « à Christo id præceptum traditum est, pro sublato « habendum fuisse. Nam, inquit, manfit adhuc « Respub. Judaica 40. annis post apud infideles. Ne-« mo non videt, non hic de eo quæri, utrum hoc præceptum in ipso effectu Regimen Judaicum sustulerit. Nulla enim lex, nullum Christi præceptum fuit adeo violentum & efficax, ut omnia quæ prohibet, quo ad ipsum eventum è genere humano sustulerit. Cum igitur non de eventu sed de officio obsequii præcepto Christi debiti sermo sit; nihil falsius est ista consequentiâ. Regimen Judaicum, statim post latam à Christo de ipso tollendo legem, pro sublato habendum non fuit; quia 40. annis post, manfit apud infideles. Eodem igitur exemplo Ira vel maledicentia homicidio; lascivus aspectus adulterio; levia juramenta perjurio coæquata vitia; ipsa vindicta & ultio & stricta summi juris persecutio aut retentio ac cætera omnia, adeo non statim post latas de his rebus, à Christo leges, sublata fuerunt;

ut

ut ne nunc quidem pro ſublatis habenda ſint ; quia manent hæc omnia vitia , non modo apud infideles, ſed etiam apud fidem profeſſos , ſed inobedientes , aut certè infirmos & incontinentes.

Atqui Auctor ſeſe corrigit , ſed ita ut pejus hallucinetur. *Manſit* , inquit , *apud infideles Reſpub. Judaica. His ſiquidem* , inquit , *non fuit abrogata.* Poſtea viderimus quàm verum ſit , quod aſſerit. Nunc quæro , Cui bono rationem hanc attulerit ? Ideone manſit apud infideles illa Reſpub. quod non fuerit infidelibus abrogata ? At cur non manſit poſt 80. annos ; quamvis itidem ipſis non fuit abrogata? Opinor enim (ut aliunde patet) Autorem quod Magiſtratus etiam hodie infidelibus abrogati non ſint , ſtatuere. Ergo ſi id ; quod non fuerit infidelibus abrogata , fuit in cauſa , quod apud eos 40. annis manſerit : cur eadem cauſâ poſita , poſt 40. annos , non idem ſecutus eſt effectus ? *Obj.* At enim poſt immiſſum à Deo huic populo excidium , Reſpub. hæc etiam infidelibus abrogata dici potuit. *Reſp.* Atqui non de ejus generis abrogatione ſermo eſt ; quæ ad ſpecialem gentilium directionem cæleſti & inviſibili modo , in mundo exequendam pertinet : ſed de generali per leges Chriſti facta , ex qua in genere cognoſcimus , quid cuique liceat aut non liceat. Minuta ſunt iſta fateor ; nec à nobis exagitandi animo dicuntur. Sed ut in levioribus quoque rebus oſtendamus ; ingenium Autoris quamvis acerrimum ſit ; tamen quod pace ipſius dictum ſit ; natare inter ambiguitates.

Veniamus enim ad examen , an verum ſit quod aſſerit ; hoc eſt regimen Reipub. Judaicæ (idem autem de aliis quoque ſentit) infidelibus non eſſe abrogatum ; quamvis lege Chriſti vetitum ſit. Perinde eſt , ac ſi diceret : Furta & adulteria & cætera omnia peccata lege Chriſti non eſſe abrogata , niſi iis qui legibus Chriſti ſeſe ſubjiciunt. Ubi rurſus quis non videt in eadem Abrogationis voce diverſam à priori ambiguitatem. Abrogari enim res aliqua dici poteſt , aut Inuſitatius, hoc eſt non modo ex mente legis aut legiſlatoris ; ſed ſimul etiam ex conſenſu aut obſequio eorum quibus lex fertur ? aut Uſitatius tantum ex mente legis & legiſlatoris. Priori modo abrogata dici poſſunt omnia vitia quæ per legem Chriſti non licent ; duntaxat iis qui legi ejus ſe ſubjiciunt atque reipſa obediunt. Sed in iſto ſenſu vox abrogationis neſcio an ab ullo bono Autore uſurpetur. Poſteriori modo etiam omnibus omninò hominibus quorum officium fuit legibus Chriſti ſeſe ſubjicere & reipſa obedire ; tametſi ſe non ſubjecerint ; aut etiam ſubjecti non obediant. In quo poſteriori ſenſu vox abrogationis vulgò apud omnes ſumitur ; etiam in præſenti quæſtione , qua quæritur utrum infidelibus abrogati ſeu illiciti ſint Magiſtratus. Non enim iſthic de facto infidelium ſed de officio ; non de eventu & fructu legis ; ſed de mente quæritur. Ergo nihil falſius eſt iſto enunciato ; quod infidelibus non ſint abrogata jura gerendorum Magiſtratuum ; ſi abrogata ſunt lege Chriſti hominibus. Cujus mens quæ omnium hominum obſequium poſtulabat ; aliquorum contumacia vel inobedientia in diverſum non flectitur ; ſed quod abrogat , omnibus abrogat ; tametſi aliqui non pareant. Neque enim ex hominum libidine : ſed ex propria mente , quæ cum Legiſlatoris intentione congruit , leges aliquid præcipere aut ſancire ; vel etiam prohibere aut abrogare dicendæ ſunt.

Cæterum qui contendunt , res aliquas abrogatas aut potius prohibitas eſſe tantum Chriſtianis ; ii ſtatuant neceſſe eſt leges aliquas aut præceptiones Chriſti non eſſe latas aut præceptas niſi Chriſtianis ; & quicquid à Chriſto aut præceptum aut prohibitum eſt ; ad ſolos Chriſtianos adſtringi. Proinde maximam partem mortalium ; nihil contra leges Chriſti delinquere cenſebunt ; qui eas vel maximè violant, eò quòd non ipſis latæ ſint , ſed aliis. At verò qui nihil contrà leges Chriſti delinquunt , nullas etiam eo nomine pœnas luere poſſunt , quòd contra Chriſti leges deliquerint. Itaque ii qui perfectiſſimas ejus leges violabunt ; non impune tantum ſed & licitè id facient ; quia neque delictum admittunt ; neque admiſſi pœnam merentur. Velim autem ſcire quodnam illud ſit privilegium , quod tantam donet mortalibus , Chriſto non parendi & licentiam & impunitatem. Quærant ut volent; non reperient aliud niſi quod iſti , quos teneri legibus Chriſti negant ; jugum Chriſti aut neſciant aut detrectent. Atqui promulgata per orbem , per tot annorum ſecula lege Chriſti ; quotuſquiſque eſt , qui ignorantiam ejus meritò prætexere poſſit ?

Reliquum erit , ut ſaltem in plurimis hominibus, detrectatio obſequii legibus Chriſti debiti ; ſufficiat, ad homines , ſimul ab obligatione præceptis Chriſti parendi , ſimul à pœnis legum ejus eximendos. Atque hic ſane quàm ridiculum abſurdum conficitur. Eximi poſſe aliquem in judicio Chriſti , à culpâ & pœnâ levioris inobedientiæ ; per longè graviorem inobedientiæ ſpeciem. Multò enim levius & excuſatius peccat ; qui partem aliquam præſertim difficilioris legis Chriſti detrectat aut potius non implet ; quàm qui detrectat totius legis Chriſti obſequium. Non minus ac levius peccat is , qui aliquod principis præceptum , neſcio quo prætextu tranſgreditur , quàm qui fidem & omne erga Principem obſequium exuit.

Sed jam ad examen novæ opinionis accedendum eſt. Ait Auctor. Legem hanc , ut & cæteras , « quæ perfectum regni Chriſti ſtatum concernunt (intelligit autem ut infrà ſe explicat , leges & præcepta perfectionis quæ majorem exigant juſtitiam quàm fuit illa Judæorum , aut gentilium) credentibus illius temporis , velut in anteceſſum fuiſſe traditas , earumque naturam tunc non diſpoſitoriam : « ſed præparatoriam duntaxat , fuiſſe. Non minus « ac legem de tolerandis perſecutionibus , antequam « tempus perſecutionum veniret. «

Enimverò ſcimus leges omnes , etiam Chriſti , in obligandis mortalibus , futuros hominum actus reſpicere ; futuraſque agendi occaſiones. Ex quibus fatemur , quaſdam eſſe , quæ non ſtatim poſt latam legem occurrunt : ſed interdum tempore eoque non exiguo opus eſſe ad expectandam præſtandi ejuſmodi legibus obſequii opportunitatem ; qualis fuit lex de perſecutione. Ratio ejus rei eſt, quia perſecutionem pati nullo modo probe aut fideles poſſunt niſi eam improbi aut infideles excitent ; quod certe non eſt in poteſtate eorum qui patiuntur ; ſed in libidine eorum , qui inferunt injurias. At lex de qua agimus & pleraque omnia perfectionis præcepta , de quibus Auctor loquitur ; ejus ſunt naturæ ; ut eorum præſtandorum occaſiones , longè expectandæ non fuerint ; quia decedere de jure ſuo, abdicare ſe eo quem geras Magiſtratu , ſi id Chriſtus præceperat , ſtatim erat in poteſtate eorum, qui Chriſti legibus ſe ſubjiciebant ; nec in iſtis rebus exequendis , expectanda fuerunt , alienæ libidinis momenta. Nihil igitur eſt cauſæ , cur iſtam legum Chriſti executionis differendæ moram Auctor ad omnes perfectiores Chriſti leges porrigat. Quamvis enim fateamur quaſdam leges ac præceptiones Chriſti , non fuiſſe ejus generis , ut ſtatim poſtquam latæ aut præceptæ ſunt , exequendis illis locus pateret ; qualis erat lex de tolerantia perſecutionum ; Tamen hoc fiebat ex accidenti ; non ex intrinſeca Legis naturâ. Leges etenim per ſe atque in naturâ ſuâ conſideratæ , poſtquam latæ ſunt , vigorem

ſuum habent, quamvis non exerceantur; niſi cum occaſio ipſis parendi offertur. Atqui legi de ſublato Magiſtratus uſu & pœnis maleficorum, ſtatim poſt latam à Chriſti legem, ſi lata eſt, locus patebat.

Illud paulò plus momenti habet; non omnes ſtatim diſcipulos Chriſti mentem legum ejus capere potuiſſe; & quaſdam ignorantias in iis initiò toleratas fuiſſe ut ab eorum exemplis argumentari tutum non ſit. Cæterum ut à nudis iſtiuſmodi exemplis eorum qui doctrinæ Chriſti primitùs initiabantur, (in quibus aliquas imperfectiones, progreſſu temporis corrigendas reperiri potuiſſe, non negamus) ductum argumentum, ſi nudè conſideretur, non eſt apodicticum; (Nec certe in materiâ moreli Mathematicas demonſtrationes facilè reperias; ut quæ univerſales regulas omnium exceptionum plane expertes non habeat) Ita ei multum roboris accedit ex eo quòd iſta exempla à Spiritu Sancto non fruſtrà memorata; vitii aut culpæ alicujus nomine notata non ſint. Longè plus autem inde quod nulla lex aut præceptum Chriſti verè produci poſſit, quod iſta exempla damnet aut delicti arguat.

X.

Præceptum vetitæ reſiſtentiæ, ſi omnia tam politica quàm Oeconomica, maleficiorum judicia; omnes maleficorum pœnas, præter eccleſiaſticas, tollit; tollit & parvulorum aut potiùs puerorum diſciplinam. Nam certe eorum diſciplina, cum virgis aut flagris cæduntur, non eſt Eccleſiaſtica, neque Chriſtiana diſciplina. Et pueri quoque eſſe ac dici poſſunt malefici. Nam quod ait Auctor, Non reſiſtimus pueris ut maleficis, falſum eſt, cum eos ob ipſa maleficia plectamus. Quod autem addit; aut certè non ut talibus maleficis, de quibus allegatus locus agit, vanum eſt, quia ſæpe ob ea, ac talia de quibus allegatus locus agit maleficia, hoc eſt eruti alteri oculi, aut excuſſi dentis injuriam, plecti poſſunt. Nec quicquam refert quod ætas eorum maleficii culpam excuſet. Nam ut maleficiorum, ita pœnarum multi ſunt gradus. Nec ideo quia aliquis minoris maleficii reus; aut minori pœnâ dignus eſt; idcirco maleficus aut pœna dignus non eſt. Rectè à Scholaſticis dicitur: Magis & minus non variare ſpeciem. Si igitur maleficus corporali pœna reſiſtendum non eſt; ne pueris quidem reſiſtendum eſt: quia ſunt malefici, & quidem tales, de quibus allegatus locus agit. Aut afferat Auctor aliam idoneam cauſam, cur pueri ab iſto maleficorum privilegio, quod ipſis à Chriſto hoc loco donari putat, arceri debeant: qui ob ætatis veniam longè levius & excuſatius peccant.

CAP. VI.

Argumenta ducta ex præcepto dilectionis inimicorum examinantur.

I.

PUblicos inimicos à Chriſto in hoc præcepto intelligi probat Autor ex eo; quod circa inimicos publicos, velut communes Dei & populi ejus hoſtes, antiquis odium & odii actus præcepti erant. De privato autem inimico lex, nuſquam, neque diſertis verbis, neque ἐμμέσως dicat *Odio habebis inimicum tuum.* Cum igitur Chriſtus legi Moſis præceptum ſuum opponat, non poteſt de privato ſed tantum de publico inimico agere. Ad quam rationem primum breviter reſpondemus.

Paulò iniquus, Auctorem agere; quod cum aſſerta verba Chriſti, de quorum ſenſu inter nos conſtare poteſt, in eodem legis Chriſti textu habeat, ex quibus liquido patet, eum de privatis inimicis, privatis amicis oppoſitis loqui, tamen malit verborum Chriſti ſenſum, non ex verbis Chriſti, ſed ex verbis Legis (de qua nondum inter nos conſtat, utrum in hac antitheſi ipſius ratio habeatur) inveſtigare. Atqui Chriſtus ſuorum verborum potior eſt interpres; quàm Moſes alienorum, etiamſi is Moſis legi præceptum ſuum opponeret. Quanto potior; quando nondum conſtat utrum id faciat? Quamobrem longè æquior & firmior eſt noſtra argumentatio. Quoniam confeſſione auctoris; id quod apud Matthæum de odio adverſus inimicum dicitur, de privato inimico in lege Moſis nuſquam neque diſertis verbis neque ἐμμέσως dicitur. Chriſti autem præceptum, de privato inimico aperte loquitur: Ideò præceptum Chriſti hoc loco, non Moſis legi, ſed Scribarum commento, atque illius corrupti temporis doctrinæ & praxi opponi, neceſſe eſt.

Conſtat autem & convenit inter nos (ut ego arbitror) Chriſtum in ejuſdem Legis contextu vocem proximi in *verſ.* 46. & 47. explicare per voces quæ amicum; aut aliquâ neceſſitudine conjunctum ſignificant. Voce autem proximi, ita ut Chriſtus facit de privato amico, explicata, Vox inimici ipſi oppoſita de publico inimico explicari nequit. De eo verò an Chriſtus hoc præceptum ſuum Moſis legi opponat, adeò inter nos non convenit, ut nihil magis à nobis impugnetur.

II.

Hac reſponſione præmiſſa; antequam ad plenius argumentationis hujus examen accedamus, ad hypotheſin ejus, quam è præcedentis capitis exemplo reſumit, aliquid dicendum eſt. Ait igitur, hoc „præceptum Chriſti de dilectione inimicorum toti„ populo Chriſtiano; omnibuſque & ſingulis, tum„ vel maximè iis, qui principes inter eos ſunt, da„tum eſſe.„ Atqui hoc præceptum, magis principibus populi Chriſtiani; quàm cuivis è grege ejuſdem populi, datum eſſe falſum eſt: quia ad mores ſingulorum non ad ordinem totius populi pertinet, ut omnia in hac concione præcepta: & placito ipſius Auctoris repugnat; qui iſtiuſmodi leges, quæ mores ſingulorum ſpectant, æquè obſtringere ait principes; ut infimos è populo; cum Deus à magnis juxtà ac pravis, legum ſuarum obedientiam exigat, nullo diſcrimine.

Unde apparet illud quoque falſum eſſe quod ſumit. Quali modo & quibus dilectio erga inimicos præcepta eſt in populo Chriſti; tali quoque modo, & iiſdem odium erga inimicos præceptum fuiſſe, in populo Iſraëlitico, & contrà. Quia ipſe fatetur odium adverſus inimicos populo Iſraëlitico ita præceptum eſſe, ut vel præcipue Magiſtratus aut principes in populo illo obſtringeret; quod forenſis & politicæ legis indubitatum eſt veſtigium, quæ non æquè omnes è populo obſtringit. Nos autem oſtendimus legem hanc Chriſti; quam ille ei, quam memoravimus Moſis legi opponi, falſo opinatur, moralem eſſe non forenſem.

Hinc etiam tertii erroris falſitas evidenter detegitur, quod Autor legem Chriſti moralem legi Moſis forenſi atque Politicæ opponi, opinetur; cum oppoſitio ſecundum idem eſſe debeat; nec veriſimile ſit legem moralem forenſi ſeu politicæ; aut politicam morali opponi. Cumque dubitari nequeat, quin lex Chriſti, ad privatos ſingulorum, & quidem æqualiter omnium, mores pertineat; hinc neceſſariò infertur eam iſti legi opponi non poſſe; quæ

non

non æquè ad omnes pertinet, nec moralis sed forensis aut politica est. Quærenda igitur erit alia doctrina; non Mosis, cui lex ista Christi opponatur.

III.

Nunc ad argumentationem Autoris per singulas ejus partes refellendam, accedamus. Nec enim ullum in eâ enunciatum est, quod non aut manifestè falsum; aut suspectæ veritatis deprehendatur. Nos omnia ordine examinabimus: quærendo primùm An in Mosis lege odium inimici publici præceptum fuerit? Secundo, An in eadem lege ex mente Auctoris odium erga privatum inimicum, prohibitum dici possit? Tertiò, Utrum Christus hoc loco præceptum suum Legi Mosis; an potius Scribarum doctrinæ opponat?

Quod ad primum attinet. Dum quærimus an in lege Mosis odium, vel odii actus erga inimicum publicum, præsertim ita latè acceptum, ut vocem hanc Auctor extendit, præceptum fuerit: non id quæritur utrùm in aliquos ex publicis inimicis; sed an in omnem publicum inimicum, quâ talis est, odium injunctum fuerit. Præceptum enim Christi, de dilectione inimici; ut omnia reliqua moralia, generale est; & ad omnes inimicos extenditur, (puta, ejus generis, de quibus Christus loquitur) proinde si hoc præceptum legi Mosis opponitur, legem quoque Mosis de omnibus inimicis per se, qua tales sunt, putà ejus generis de quibus Christus loquitur, quales Auctor putat esse, publicos duntaxat inimicos, loqui necesse est. Atqui de omnibus inimicis publicis qua tales sunt odio habendis, nulla lex, nullum Mosis præceptum extat. Atque id quomodo probaturus sit Autor, libenter videbimus. Nec enim, quia quidam ex iis, circa quos actus odii (ut auctor loquitur) præcepti sunt; hostes Israëlitarum fuerunt, colligere possumus erga inimicos publicos, per se, qua inimici sunt; ac proinde, omnes, odium aut actus odii præceptos fuisse, nisi in fallaciam consequentis incidere & à permissa in quosdam, permissam in omnes sæviendi licentiam, argumentari velimus, quæ vitiosa & invalida consequentia est. Cum potius id ipsum, quòd in lege enumerentur ii, erga quos isti Actus odii, exerceri permissi sunt, documento sit, erga eos, qui omissi sunt, actus istos non satis licitos fuisse. Nam *ut exceptio firmat vim legis in casibus non exceptis: ita enumeratio infirmat eam in casibus non enumeratis.* Neque enim, ut exemplo rem illustremus, quia Cananæorum internecio mandata, ac fœdus cum iis prohibitum est: idcircò omnes reliquæ gentes, quibuscum forte populo Dei bellum gerere contigit, excindendæ fuerunt; aut fœdus cum iis percuti non licuit. Poterat esse alia peculiaris causa, ob quam Deus Cananæos excindi mandaret, præter eam quòd inimici aut potius hostes Israëlitarum fuêre, ita ut hic quoque fallacia quam causæ non causæ, vocant, incogitantibus subrepere possit. Nec enim possessio populi Dei in illis terris certa ac firma esse poterat; nisi sublatis antiquis possessoribus. Quæ politica sane non moralis ratio est: ut pateat legem quoque quæ illâ subnixa fuit, politicam non moralem fuisse. Idem de cæteris legibus Dei circa speciales populos latis existimandum est, quæ nihil ad mores illius populi perficiendos, sed ad publicum Reipub. ordinem pertinebant. In quo constituendo, licuit Deo pro sapientia & potestate sua; eas rationes sequi, quas nemini reddere tenetur. Quod & ex imparitate istorum, quos ita Auctor apellat, odii actuum, liquet. Aliter enim Amalechitæ; aliter Moabitæ & Ammonitæ tractari jubentur. Unde patet istiusmodi singulares politicas leges, ad statuendam generalem ac moralem, de publico inimico legem, nihil facere.

Nec aliud de eâ specie publicorum inimicorum, in qua Auctor fontes & alicujus supplicii reos, collocat, dicendum est; quos omnes odio habendos fuisse nulla lex Mosis præcepit; ac ne inimicos quidem aut hostes publicos usquam vocatos deprehendimus. Neque verò si erga quosdam fontium odium præceptum esse Auctor evinceret; idcircò sequeretur, erga omnes id præceptum fuisse. Nam qui ob privata delicta plectebantur, nusquam ad ejusmodi publicum, quale Auctor introducit, odium damnatos video. Nec ab omnium delictorum pœna, misericordia aut æquitas exclusa est. Ipsa oculi aut dentis excussio, pecuniaria pœna redimi poterat. Neque statim ubi misericordia vetatur; odium præcipi necesse est. Potest Judex propter publici exempli necessitatem; non misereri alicujus fontium, nec tamen eum odisse.

Atque hic illæ quoque insidiæ detegendæ sunt; in quas se Auctor imprudens præcipitat, dum Actus quos vocat odii, cum ipso odio confundit. Actus enim odii, ut opinor, apellat, supplicia, pœnas, ictus, verbera, vulnera, ipsam cædem. Atqui res istæ ita sunt disparatæ: ut & odium interdum absque istis actibus; & actus isti sæpe absque odio esse possint. Nec unquam istiusmodi actus, odii actus dici possint, nisi cum ex animo odio flagrante proficiscantur. Ipsa cædes frequenter absque odio patrari potest. An qui bovem ad excipiendos hospites mactat; actum odii erga bovem exercere dicendus est? Oderat scilicet Abrahamus filium, cum ipsum immolare vellet? Odit pater filium cum ipsum castigat verberibus? odit ægrum medicus, cum ei scalpra aut cauteria adhibet? Oderat David Absolonem cum impia ejus arma, necessaria defensione propulsavit? Oderat Saul Jonathanem filium; cum ipsum ob violatum per imprudentiam jejunium occidere vellet? Hæc profectò quæ naturâ divisa sunt, nisi accuratè distinxerimus in lubrico ambiguitatum perpetuò volutabimur.

Non igitur omnes isti actus quos in pœnis aut defensione intervenire videmus Actus odii censendi aut vocandi sunt. Nec si usquam ejusmodi actus Lex Mosis imperat, odium ipsum imperare dicenda est. Sane judex & Magistratus absque omni erga fontes odio; officio suo non modo simpliciter potest; sed etiam melius fungi solet. Unde patet, quàm falsa sit consequentia; quia supplicia fontium præcepta sunt; ideo adversus eos odium esse præceptum.

Atque ut videat Auctor, sese de insidiis; quæ ipsi in his vocibus parum distinctis structæ sunt, non temere admoneri: consideret velim, quænam oppositio, inter Mosis & Christi legem esse possit, quas ipse tamen sibi invicem oppositas fingit. Mosis leges quædam speciales & quidem politicæ aut forenses ab ipso citatæ; actus quosdam erga gentes quasdam; aut etiam fontes, præscribunt, de quorum plerisque, quod non sint actus odii, nec ex odio proficiscantur, non dubitatur: de cæteris verò an sint ex odio, meritò maximè dubitatur.

Christi autem lex generalis & quidem, ad mores pertinens, ipsum verum ac genuinum odium, ejusque actus prohibet. Atqui oppositio, secundum idem esse debuit; & quales actus Christi præceptum prohibet; tales actus Mosis doctrina præcepisse debuit. Alioqui si Moses aliquid aliud præter odium præcepit; Christus autem nihil aliud præter odium prohibuit; Interdictum cum præcepto pugnare inter se non possunt.

Nunc ad alterum argumentationis eius enunciatum veniamus; quo erga privatum inimicum, odium

odium atque actus odii, Mosis lege prohibitos ait. Nec enim contentus Auctor dixisse in lege Mosis odium erga privatum inimicum, nusquam esse præceptum; etiam ex citato Levitici loco, expressis ad marginem verbis prohibitum esse ostendit. Atqui id, præsertim voce odii ejusque actuum ita late ut vult Auctor accepta, verum esse nequit; quia omnes actus pænales sunt ipsi actus odii, ut putat: omnes autem isti non modo Judicibus præcepti; sed etiam privatis sive erga publicum, sive erga privatum inimicum lege Mosis permissi sunt. Præterea summi ac stricti juris persecutio, in talione verus odii actus dici potest; Ea tamen non solum judicibus præcepta; sed & privatis permissa est.

Nec est quod dicat, eos qui plectuntur è sontibus seu pænæ reos, esse Dei & populi hostes, & non esse privatos sed publicos inimicos. Nam quis dixerit eum qui ob privatam injuriam pœna talionis plectebatur; eo ipso ex censu ac numero populi Dei, excidisse: nec jam pro proximo ac fratre ejusdem cum aliis juris consorte, habitum fuisse. Præcipiebantur igitur aut certe permittebantur ex mente Auctoris, lege Mosis actus odii, etiam adversus privatos inimicos, qui nequaquam ex censu populi expuncti fuerunt.

III. Veniamus nunc ad tertiam quæstionem. An Christi dilectione inimici præceptum, veræ Mosis legi; an verò à Scribis adulteratæ opponatur? Quod ut rectius intelligatur, ea quæ in simili præcepto capite superiori diximus repetenda sunt; quò Lectorem brevitatis causâ remittimus. Nunc paucis ostendisse sufficiat.

1. Primùm Legis Christi præceptum ut cætera omnia, quæ in hoc capite proponit, generale esse atque morale. Porrò inter generalia, & ad mores pertinentia, Mosis præcepta, nusquam reperitur ullum, de odio adversus inimicum. Nam quæ producuntur particularia esse, nec ad mores pertinere; sed ad publicum Reipub. Judaicæ statum, jam ostendimus.

2. Legem Christi de privato inimico loqui subjecta à Christo exempla; præterea multæ rationes ostendunt, quas quia *lib.* 1. *cap.* IV. de jure Christiani Magistratus in belli pacisque negotio plenius proposuimus; ne rem actam agamus, nunc omittimus. At Mosis legem erga privatum inimicum odium nusquam præcipere ipse Auctor contendit, nobis planè suffragantibus.

3. Lex Christi vocem proximi; qui huic inimico, de quo agit opponatur strictius & magis propriè accipit; ut patet ex exemplis & speciebus ejus à Christo statim propositis. At proximi vocem in lege Mosis latiùs & minùs propriè accipi idem Auctor contendit.

4. Christi præceptum legem eam cui opponitur; non ut imperfectam perficit; sed ut contrariam præceptis suis tollit & abrogat. At Christo nullam præcipue ex moralibus Mosis legem abrogare ac tollere propositum fuisse *versus* 17. 18. 19. ostendit. Proinde, id, quod manifestè tollit & abrogat idem Christus, Mosis legem non fuisse necesse est.

Nam quod occurrit Auctor, hoc pacto legem Mosis in spirituali sensu acceptam non dissolutam, sed carnalibus & typicis sublatis, consummatam & in spiritum versam; partim futile, partim rem dubiam pro concesso sumere, videtur. Futile illud est, cum Christus initio hujus concionis, ne minimum quidem Legis præceptum ac ne apicem quidem ejus, sublaturum se profiteatur, si eum Legem aliquam Mosis penitus sustulisse fingamus. Hoccine est ne apicem quidem legis Mosis attingere; Legem aliquam integram quanta quanta est radicitus eruere? Certe istiusmodi leges tantum perficiuntur & consummantur; quarum tacitæ permissiones duntaxat tolluntur; præceptionibus interim ac prohibitionibus ipsarum salvis manentibus, suprà ostendimus; qualis fuit lex de homicidio, adulterio, perjuria &c. At leges quarum ipsa præcepta aut interdicta, in quibus tota vis earum consistit, abrogantur; non supplentur ut imperfectæ, sed abrogantur ut pravæ & noxiæ.

Dubium autem & controversum est, quod hic autor pro concesso sumere videtur, politica præcepta Mosis typica fuisse, præsertim ex eorum typicorum genere, quæ adventu antityporum cessare debebant, & quæ verè umbratilia dici possunt. Qualia sunt ea quorum nullus alius usus est, nisi ut sint typici & figuræ futurorum. Atqui politicarum Mosis legum (tametsi eas typicas fuisse concederemus) fuit longe alius & quidem magni momenti, & necessarius usus.

5. Quia Christus disertis verbis ait, eum qui proximum, juxta ejus legis, cui suum idem Christus opposuit, sensum diligit, non plus præstare, quàm tunc vulgò peccatores & publicani præstabant. Atqui ipsi Auctori, vis veritatis hæc verba expressit: *Quis credat Christum dicere voluisse, cum qui proximum juxta legis Mosaicæ sensum diligit; non plus præstare, quàm tunc vulgò peccatores & publicani præstabant?* Proinde me subjungere necesse est. Quis credat Christum veræ Mosis legi, & non potius imperfectiori aut potius pravo nescio cui commento Scribarum, legem ac præceptum suum opposuisse? Objicient id quod opponit Christus perfectum præceptum ac perfectam legem vocat. Quasi verò etiam perfectissimæ leges; quamlibet imperfectis, imo pravis ac perversis opponi non soleant. Imò verò tantò magis pravis, quàm imperfectis præceptis opponuntur: quod illa quidem tollant & abrogent; hæc verò duntaxat perficiant & impleant.

Tantò autem perfectior est virtus; quantò difficilior. Atqui longè difficilius est, privatum inimicum diligere, quàm publicum: quia erga publicos aut nulla aut languidiora; erga privatos inimicos vivida odii esse solent. Nihil igitur repugnat, Christi quidem præceptum perfectissimum esse; quamvis ea lex cui Christus illud opponit non modo imperfecta; sed prava sit & nimium carnalis, qualem Mosis legem fuisse non decuit. Certe si non plus præstat, qui proximum juxta sensum legis hoc loco Christi præcepto oppositæ diligit, quàm publicanus & peccator, Legem istam nimium carnalem esse necesse est; & quam à Deo per Mosen latam esse, minus est verisimile.

6. Præterea legem cui Christus præceptum suum opponit, non esse Mosis vel ex adjectis verbis, *Odio habebis inimicum*, apparet.

Nam aliquæ imperfectiones, legibus alioqui bonis adnexæ; aliquando etiam in legibus Mosis, non pravis illis quidem, sed tamen imperfectis, per modum tacitæ permissionis aut conniventiæ subintelligi utcunque possunt. Ut cum dicitur Non esse cum alienâ uxore adulterium committendum, subintelligi potest legem hanc nudè consideratam, ad occultam impudicæ cogitationis delectationem connivere. At si tacitæ ejusmodi permissiones aut conniventiæ in ipsa legis verba inferantur; non jam imperfectam, sed pravam legem efficiunt: quia id quod tacitâ conniventiâ, verecunde & quasi ægrè & occultè permittebatur, per modum apertæ præceptionis impudenter quasi imperant atque injungant. Quæ pravitas in legem Mosis non cadit.

Jam verò qui sine fronte ejusmodi adulterinas lacinias veræ Mosis legi de proximi dilectione assuebant; non mirum est etiam proximi vocem ad alium sensum (qui ipsis magis proprius visus est) hoc

hoc est strictiorem, quam apud Mosen [illegible]ligebatur, detorsisse. Quem Christus & ipse sequi cum eorum præcepto suum opponeret, necesse habuit.

IV.

Non latuit Autorem, quæ *mentis ejus perspicacia* est, argumenti quod modo confutavimus imbecillitas; ideoque illud cum per se ipsum nutare, ac ruinam minari cerneret, tacite & occultè novo quodam & subsidiario tibicine fulciendum putavit. Quod tamen ipsius adminiculum, cum diversi generis rationem contineat, seorsim evertendum putavimus.

Ait igitur aut certè innuit, Idololatras, blasphemos, aut quoquomodo in religionem peccantes in populo Christi, ex vi & analogiâ religionis Christianæ nullo corporali supplicio plectendos esse; quos tamen olim populus Hebræus severissimis suppliciis plectere jussus est. Hinc apparere, reliquos etiam sontes, qui in leges Reipub. peccant in populo Christi, non esse istis quibus ante subjecti erant suppliciis puniendos; quia tàm hi, quam illi olim eadem essent conditione, hoc est, publicis suppliciis, vel ut Auctor ait; publici odii actibus subjecti & obnoxii essent. Cum igitur nunc alteri eorum generi assignatæ olim pœnæ sint relaxatæ; nihil esse causæ; cur non & alteri generi sint remissa supplicia.

Verumenimverò ut peccantium adversus religionem longè diversam esse nunc atque olim conditionem ostendimus; ita justam causam, imò gravem necessitatem intervenire patebit; ob quam nunc & illi qui in religionem peccant, à pœnis corporalibus quibus olim addicti erant, sint exempti: & isti qui in Rempublicæ delinquunt; non sint exempti. Cum enim nunc, carnali & imperfecto cultui Dei, hoc est, carnali (ut ita loquar) religioni spiritualis ac perfectus Dei cultus ac religio successerit; quæ ut spirituale regimen, ita spiritualia judicia; spirituales pœnas introduxit; absurdum & spirituali religione indignum; atque in ipsam injurium est; si in ejus messem carnalis & terrena potestas falcem suam immittat. At publicus ordo in rebus humanis; qui ad cœtus legibus sociatos pertinet, introductâ religione Christi nullam in rebus quæ ipsi essentiales sunt, mutationem subiit: sed eadem quæ fuit olim, Rectoribus gentium potestas confirmata & divinæ approbationis, imò Ordinationis justo prætextu ac titulo honestata simul & stabilita: eadem quæ olim subjectio, populis qui reguntur imperata est. Quo inter parentes atque imperantes essentiali vinculo integro relicto, legum & judiciorum vim, per quam imperantes subjectos gubernant, & quæ ad conservandas hominum societatis necessaria est, in suo robore relictam esse, necesse est.

Carnalem autem & imperfectam religionem olim, quæ in tutela Reipub. fuit, esse oportuit. Nam quia cultus Dei apud Hebræos ad externos actus & circumstantias adstrictus; si quid adversus eum delinquebatur; poterat simul atque debebat Magistratus animadversione plecti & corrigi. Quicquid in tota Mosis lege maximè spirituale fuit ac perfectum; in duabus moralis legis tabulis comprehensum est. Et tamen haud scio, an ullum ex omnibus illis decem præceptis dari possit, cujus violatio forensium judiciorum severitate non vindicaretur. Nam & alieni avida injustitia tametsi nonnisi in actum erumpens plecti posset, Civilis potestatis cognitionem non effugiebat. Quis igitur miretur, tunc puerilem illum (ut ita loquar) & pupillarem statum fidelium in illa antiqua religione; à Legis forensis tanquam pædagogi, potestate non fuisse exemptum? At in spirituali & perfecta religione Christi, cum ex ephebis egressa est Ecclesia, in locum illius antiquæ servitutis, succedente libertate Evangelica, atque ut pœnis ita & præmiis posthumis ac spiritualibus propositis, atque inprimis legibus perfectissimis & maximè spiritualibus imperatis, quæ nobilissimorum virtutum specimina, ab omni Coactionis specie, quàm longissimè abhorrentia exhibent; denique Spirituali foro, spirituali cognitionis genere introducto, in delictis contra Religionem, Carnalis seu politicæ potestatis juri, locum non reliquit, jus spiritualis regiminis; idque, ut alia plura taceam, quadruplici potissimùm de causa.

1. Primum, quia nec virtutes cœlestes ullam ferre possunt Coactionis violentiam. 2. Et terrenæ potestatis imbecillitas ad occulta mentium gubernanda pertingere nequit. 3. Tertio, quia Spirituali regimine introducto, carnalis potestatis falci ad messem spiritualem invadendum, jus nullum relictum est; frustrà enim spirituale regimen institutum esset. 4. Imò vero peculiari interdicto, & quidem gravissimam ob causam jus istud terrenæ potestatis, in delictorum spiritualium animadversionem si quod sibi aliquo prætextu vindicare poterat; à Christo abolitum & exclusum est. Qui cum videret potestatem civilem Cognitioni rerum spiritualium imparem, & parum competentem; in delictis adversus religionem puniendis pernicioſe errare; & pro zizaniis triticum evellere posse; (quod postea nimis luculenta & perpetua experientia docuit) suprema & peremptoria criminum istorum supplicia; quæ peccantium in religionem extirpationem spectant; qualia in politicis judiciis usurpari solent, terrenis potestatibus prohibuit & ademit; atque ad sui tribunalis Majestatem retracta, usque ad novissimæ diei adventum distulit. Itaque nunc religionis injurias Respublica non vindicat; non modo quia istæ injuriæ ita vindicari nec possent, nec debeant: sed etiam quia id Respublica, neque si velit, facere usquequaque aut sine gravi periculo, possit, neque si ullo modo possit, facere debeat. Quæ mutatio non in favorem, aut ob dilectionem eorum, qui adversus religionem delinquunt, accidit; sed ob mutatam religionis naturam, quæ adeò omnem Coactivæ potestatis severitatem ex foro judiciorum suorum pepulit, ut ne ullius quidem Coactionis aut dominationis speciem admiserit. Atque ex hac in negotio religionis mutatione, nihil noxæ in generis humani societatem redundavit; cum publicus ordo in rebus humanis & pax atque justitia civilis, etiam in eorum criminum, corporali, ut ita loquar, impunitate durare possit, quæ sibi religio spiritualiter vindicanda sepositi. Manifit enim semper etiam inter impios & adversus veram religionem iniquos populos legitimæ societatis regimen. Secus se res habet in Republica, cujus natura per legem Christi in rebus quæ ad ejus essentiam pertinent, nihil immutata est, nec immutari potuit, absque subverso omni in rebus humanis ordine; & per promulgatam maleficiorum impunitatem immisso in genus humanum, omnium scelerum diluvio. Ideò sub Novo fœdere, eodem metu & obsequii necessitate subjecti populi potestatibus obnoxii sunt; quibus gladius & jus puniendi, adeò è manibus extorta non sunt; ut in animadversionibus suis, vices Dei gerere, & ministerium Deo præstare, disertis verbis dicantur, quod tamen nunc non disputationis sed lucis causâ dictum esto.

Gravis igitur & justa causa est, ob quam nunc ii qui in solam religionem peccant mutata religionis naturâ; à pœnis corporalibus exempti sint; cum neque per se societatem humanam violent; quæ stare potest etiam inter veræ religionis expertes; & soli spirituali jurisdictioni, ob suprà dictas causas subjaceant.

Cæterum cum istius cui subsunt jurisdictionis natura ab omni corporali violentia abhorreat, non modo gravis causa, sed necessitas quoque intervenit, ut à pœnis istis exempti esse debeant.

Sed nec levior aut injustior causa est; ob quam ii qui in Rempub. peccant, ab ejus pœnis non sint exempti; quia etiam sub Novo Fœdere Reipub. naturam non esse mutatam; non modo ex essentiali inter imperantes & subjectos, mutuò debiti officii nexu firmius adstricto; sed & ex relicto, Dei nutu, in manibus imperantium contumaciæ vindice gladio discimus. Nec levior aut minùs urgens ejus rei necessitas cernitur, in horrendo atque inevitabili, malorum ac miseriarum pelago, qui ex permissa maleficiorum impunitate, in genus humanum inundaret.

Atque hinc patet, quam decipiatur Autor; qui nunc exemptionem à pœnis Corporalibus eorum qui in religionem peccant, colligit ex imperata erga illos, tanquam inimicos, dilectione. Cum nec illi inter inimicos, de quibus hic loquitur Christus, referri possint, ut suprà docuimus: & ista dilectio, aut erga eos imperata non sit; aut si quia alibi fortè imperata dici possit, tanta esse nequeat, quæ illos à commerito delictorum supplicio liberare possit; nisi aliæ causæ, quas suprà enumeravimus, intervenirent. Neque enim vel erga ipsos inimicos tanta dilectio imperata est, quanta amicis & fratribus; quanta hominibus erga nos beneficis, quantàque Deo ipsi debetur. Itaque quoties diversi gradus dilectionum concurrunt, inferiorem superiori cedere necesse est. Honos quoque parentibus & dilectio uxoribus debita imperata est; sed nisi cum honore ac dilectione Dei concurrat. Diligantur sanè & illi qui in religionem peccare possunt: sed dum in eam peccant; dilectio eorum cum dilectione religionis concurrit. Utra igitur harum dilectionum, præponenda aut postponenda est? Ita videmus dilectionem, si qua etiam maleficis deberi potest; non posse eos à pœnis protegere; quas potior erga alios dilectio exigit; nisi forte aliquid aliud, ut ostendimus, interveniat.

Ac enim orare pro persequentibus nos, iisque bene precari jussi sumus. Qui autem nos persequuntur, annon adversus religionem peccare dicendi sunt? Possit igitur aliquis colligere, nihil obstare potiorem erga religionem affectum, quominus peccantes adversus eam, quales sunt persecutores ejus, diligamus; ac proinde iis quoque parcamus, nec eos ob illorum peccata puniamus, aut illis quoquomodo resistamus. Verumenimvero animadvertendum est, primùm, quod potior erga religionem affectus, non omnem erga eos, qui adversus eam delinquunt, Caritatem extinguat; nisi eam quæ sine injuriâ religionis ipsis præstari non potest. Possumus igitur eo jure spiritualis animadversionis quod nobis competit, uti adversus delinquentes in religionem; & tamen orare pro ipsis, atque ipsis bene precari. Itaque secundum est, non semper obstare, potiorem erga religionem affectum, quominùs peccantibus adversus eam, dilectionis officia præstemus, quia non semper istæ dilectiones concurrunt, nisi tunc cum alterutrius dilectionis officium præstare non possumus absque neglecto alterius officio. Ut cum iis, quorum spiritualiter puniendorum jus habemus; impune erga religionem delinquere permittimus; quia isthic dilectiones istæ concurrunt liquet obstare potiorem erga religionem affectum, ne peccantibus contrà eam parcamus. At cum ii quorum puniendorum nullam potestatem spiritualem habemus, quales sunt persecutores, delinquunt in religionem; nullum nos officium religioni debitum stringit; ut in eos animadvertamus; proinde illæsâ religione, non modo alio officia dilectionis ipsis præstare, sed & animadversionem in eos nobis & incompetentem & impossibilem omittere possumus. Præterea ut, quoties patientia persecutionum injungitur, eos persecutores intelligi convenit; in quorum nos jure & potestate sumus; aut certè qui in nostra potestate, non sunt. (quales erant tunc Judaici aut Ethnici Magistratus; qui Christianos persequebantur; qui certè pœnis & jurisdictioni eorum quos persequebantur non subjacebant; nec dilectione eorum indigebant) ita quoties dilectio erga inimicos, aut beneficentia præcipitur; eos inimicos intelligi necesse est qui dilectione ac beneficiis nostris indigent. Proinde eos qui persecutionem patiebantur; potior erga religionem affectus, stimulare non potuit, ut in puniendis aut impune dimittendis persecutoribus, potiorem religionis quàm persecutorum rationem haberent, cum eorum puniendorum jus nullum haberent. At præter miserationem erga delinquentes per ignorantiam; vel ipse erga oppressam religionem affectus, ipsos ad preces pro iis fundendas stimulare potuit; ut hoc modo non iis tantum si resipiscerent, sed ipsi quoque religioni consuleretur. Longe diversa est ratio eorum; qui cum in nostro jure ac potestate sint; quoquomodo contra religionem peccant; quorum dilectio, nisi quid aliud interveniat, nullo modo nos eò adducere potest; ut in pœnis adversus eos extendendis potiorem peccantium; quàm ipsius religionis rationem habeamus. Quod in pœnis quoque atque animadversionibus Ecclesiasticis quotidie fieri videmus.

Neque verò ex eo, quod aut latius hodie quàm olim Lex dilectionis extensa, aut ipse dilectionis gradus intensior erga quosvis mandatus sit; confici ullo modo potest, aut omnes adversus fontes pœnas sublatas esse; aut omnem adversus injustos homines resistentiam prohibitam. Non magis quàm ex eo, quod nobis hodie longè plus quàm olim de nostro jure decedere imperatum sit; idcirco omnem juris nostri retinentiam; aut persecutionem esse vetitam deduci potest. Imo verò cum officium dilectionis ejus sit naturæ ut pluribus simul; sed non in eodem gradu debeatur; sæpenumero evenire necesse est, ut superiores gradus cum inferioribus concurrant. In quo casu inferioris gradus dilectionem potiori, ut diximus, cedere necesse est. Unde & pœnarum & defensionis adversus injustos jura; non modo salvâ, verum & exigente lege dilectionis emergunt. Nisi forte velimus legem dilectionis, magis iis, qui sunt dilectione indigni, quàm longè dignioribus consulere, quod absurdum est. Proinde ex dilectionis lege atque officio, aliquid fortè pro mitigandis fontium pœnis; aut leniendâ adversus hostes acerbitate; at nihil pro tollenda criminum animadversione; aut justâ in casu necessitatis defensione elici potest. Neque enim aut dilectio erga solos inimicos & injustos homines imperata est; aut gradus dilectionis erga proximum latius acceptum, hoc est, omnem hominem qua talis, eousque extensus est; ut dilectionem erga nosmetipsos, aut eos qui nobis strictius vel sanctius conjuncti sunt, longè superet.

V.

Excusso non modo ipso Autoris argumento, sed etiam iis quæ in imbecillitatis ejus subsidium adduci potuerunt; reliqua, quæ Autor in hoc capite addit, cursim perstringemus. Nec tamen omnia; quia & nonnulla leviora sunt, & quasdam objectiones quas solvere conatur pro nostris non agnoscimus, nec earum responsiones moramur.

Illud nobis non visum est prætermittendum. Si legis hujus de dilectione consummatio in eo sita esset; quod fontibus scelerum, & hostibus grassandi impunitatem, in orbe terrarum attulerit; non posset dici ista lex in spiritum conversa; nec aliud spiran-

ſpirare ; quàm juſtitiam , fidem , judicium & miſericordiam. Imò nihil minus ejuſmodi lex ſpiraret, quàm juſtitiam & judicium. Quid enim injuſtius eſt ; quàm inſontes exarmari unico innocentiæ præſidio ? atque ob miſericordiam erga improbiſſimos ; optimum quemque crudelitati atque libidini alienæ proſtitui ? Atque in eo ſane judicium Auctoris deſidero ; quod auſus ſit judicii mentionem facere , in ejus legis commendatione ; quæ omnem vim judiciorum abrogat. Non ſpirat ea lex ullam vel leviſſimam judicii auram , quæ ad injuriarum & criminum judicia , omnem aditum præcludit , & quæ mortales cæco impetu ; ac ſine omni judicio ruere jubet , in præſentiſſimum confuſionis atque exitii baratrum.

Nam quod innuit ipſam eo nomine fidem ſpirare dici poſſe ; quod mortales in præſentiſſima pericula præcipitando ; è quibus ſolâ miraculoſâ Dei ope eripi poſſunt , doceat fidem ac fiduciam in Deum collocare , id profectò admitteremus ſi illud ita manifeſte præceptum eſſet ut ultrò in iſta pericula ruamus ; quemadmodum manifeſtè præceptum eſt , ne tentemus Dominum Deum noſtrum. Aut ſaltem , ſi iſta temeritas ita apertè à Deo vel Chriſto præcepta eſſet, quemadmodum Abrahamo aperte mandatum erat ; ut filium immolaret. Non ſolet ejuſmodi paradoxa & quibus ratio reclamat, onera ; in quibus fidem aliquorum explorat Deus ; imponere mortalibus niſi diſertis verbis ; idque ſpeciali aliquo, mandato, non perpetua lege. At ſi ex cerebri humani commentis aut conjecturis tantum, petenda nobis eſt tam periculoſi mandati fides, ignoſcant nobis adverſarii; quod citrà expreſſum & ſpeciale Dei Chriſtique mandatum , periculum ejuſmodi ſubire nolimus ; quod nonniſi miraculo diſcuti poteſt: quodque tam noxiam & in humanam, extenſionem legis de dilectione, pro ejus perfectiſſimo circulo, agnoſcere, non ſuſtineamus. Præſertim cum videamus, legem hanc, dum illam, ſui partem , quæ inimicum aut impium ſpectat æquo plus extendit potiorem ſui partem, quæ ad inſontes & quibus ſanctiori vinculo adſtricti ſumus reſpicit, nimium contrahere : Ideoque longè plus reprehenſionis, ex inique erga bonos, omiſſo, quam laudis ex præpoſtere erga malos affectato officio mereri. Fidei verò oſtentatio dum tentatur Deus magnum diffidentiæ documentum exhibet : & trux atque immanis eſt illa miſericordia; quæ ut ſontibus & ſceleratis parcat & conſulat; in inſontes & optimos quoſque crudelis eſſe ſuſtinet: ita ut hæc ſcelerum atque injuriarum impunitatis extenſio ; neque fidem ; neque miſericordiam; multo minus autem juſtitiam aut judicium ; aut ullum ſanæ ac ſobriæ rationis afflatum ſpirare poſſit.

VI.

Ait Auctor ideo quod Lex Caritatis ad ſummum extenſionis ſuæ circulum velut educta ſit ; non neceſſe habuiſſe Apoſtolos , ſpeciatim hortari fideles , ut politicis functionibus abſtinerent. Ego vero oſtendo Legem iſtam ad eum quem vult Auctor circulum extendi non potuiſſe , niſi ſpeciatim atque ex profeſſo Chriſtus & Apoſtoli, Chriſtianis Magiſtratu interdixiſſent. Quomodo enim ſontium ſupplicia tolli, niſi ſublato Magiſtratus jure ? quomodo hoſtium propulſatio vetari potuit ; niſi abruptis vinculis, quibus patriæ, civibus, Reipub. Magiſtratui obligamur ? Cum igitur non modo ſublati juris quo poteſtatibus obſtringimur ullum in Sacrâ Scripturâ veſtigium extet ; ſed iſtæ poteſtates ſolenni lege confirmatæ ſint ; legem iſtam Caritatis eo uſque protenſam non eſſe manifeſte evincitur. Libenter autem ab Autore ingenuam hanc confeſſionem accipimus , Apoſtolos ſpeciatim fidelibus non præcepiſſe, ut politicis functionibus abſtinerent. Verum id neceſſe non fuiſſe , ſi Lex Caritatis eo uſque extenſa eſt, adeò negamus, ut eam confeſſionem pro manifeſto indicio habeamus legem hanc in gratiam inimicorum aut ſceleratorum hominum , non eſſe tam rigide & violenter extenſam ; ut potiores ejus partes & ſtrictiora vincula erga amicos fratres & ſanctiora neceſſitudinum nomina , abrumperentur.

VII.

Id ipſum quod Autor aſſerit ; Neminem primis illis temporibus Chriſtum aperte ut decebat , profitentem , in Magiſtratu durare potuiſſe , non occaſionem modo , ſed neceſſitatem Apoſtolis afferebat dehortandi diſcipulos à gerendo Magiſtratu : qui non modo per ſe legibus Chriſti vetitus eſſet , ſed etiam efficeret , ut homines in ejus gratiam , Chriſtum aperte , ut decebat , profiteri non poſſent. Qua occaſione cum uſi ; & neceſſitate cuta adacti non fuerint Apoſtoli ad damnandum Magiſtratum , quid de eo ſenſerint , obſcurum eſſe non poteſt.

VIII.

Ridiculum eſt profectò , cum in dictis factiſque diſcipulorum Chriſti , quibus doctrina Magiſtri ſui non paulo notior quam Phariſæis eſſe potuit , nullum damnati à Chriſto Magiſtratus veſtigium , nullam conjecturam invenire aut aſſequi poſſimus ; velle ex opinionibus hoſtium Chriſti expiſcari , quid ille de Magiſtratu ſenſerit. Proinde idcirco , Chriſtum quoque à tributis dehortatum populos ſomniabimus; quia hæc de ipſo ſuſpicio in animis hoſtium ejus oborta fuerit ; aut eundem *Johan.* VI. de carnali manducatione locutum ; quia res tam inepta Capernaitis in mentem venerit. Porrò cum Phariſæi ex mente Autoris Chriſto neceſſitatem expromendæ de Magiſtratu ſententiæ impoſuerint (Ait enim & quidem meritò , non aliam eorum intentionem fuiſſe , quàm ut id quod ſuſpicabantur tectius à Chriſto doceri , palam promere cogeretur ,) cur Chriſtus aperte Magiſtratus poteſtatem in ſuppliciorum uſu non damnavit ; imo aperte confirmavit , dum mulierem non abſolvit , ac ne abſolvendam quidem eſſe , aut liberandam ab eo quod Lege aſſignabatur , ſupplicio , docuit ; idque etiamſi eam, ut eventus oſtendit , liberare voluiſſet. Cur ſaltem abeuntibus Phariſæis doctrinam de abolito pœnarum forenſium uſu , diſcipulis non tradidit ?

IX.

Chriſtus non per doctrinam ſuam mutavit aut potius abolevit , ritus illius populi Judaici , ſed per excidium gentis ac Reipublicæ. Quamvis enim ex occaſione quæſtionis de Sabbato ; oſtenderet ritus illos , non eſſe perpetuo duraturos , tamen reipſa nuſquam in doctrina ſua Judæos , ab obſervatione rituum ; quemadmodum & ab obſequio legum illius Reipub. forenſium liberos fecit. Quæ omnia tam Chriſtum quam Apoſtolos ſemper obſervaſſe legimus. Nec ullus apex legis per doctrinam Chriſti ſublatus eſt ; donec omnia facta ſunt , quæ Deus in populo & de populo illo fieri decreverat ; ita ut mutatio ſeu abolitio rituum & legum forenſium reſpectu doctrinæ Chriſti , per accidens evenerit , quia accidit ut propter juſta judicia Dei , Reſpublica illa , in qua ſola utraque tam forenſia Moſis quàm ceremonialia inſtituta locum habebant, excinderetur.

Poterant igitur illi falſi teſtes adverſus Stephanum producti ; dici falſi ; quod vera Stephani dicta falſò interpretarentur. Quemadmodum

& Doëgus non ideo quod rem veram Sauli indicaſſet ; ſed quod (ut adulatores, qui metus atque affectus principum rimantur ; ut ipſis ſerviant , facere ſolent) iſti indicio falſas criminationes admiſcuiſſet , calumniator , & vana loquens dicitur.

CAP. VII.

De remiſſione Chriſtiana ejuſque proprietate & operatione circa peccatores quos lex jubet occidi.

I.

REmiſſio peccatorum ſub Novo Fædere , in controverſia noſtra , maximam vim habet , ad tollendam pœnarum ſeveritatem ; & juris noſtri extenſionem in eos qui nobis quoquomodo ob delicta in nos commiſſa , atque injurias nobis illatas obſtricti ſunt. Ut enim Deus in remittendis peccatis de ſuo jure decedit ; ita & nos in iiſdem de noſtro jure decedere tenemur. De alieno ut decedamus invitis quorum intereſt , non magis officio benignitatis Chriſtianæ ſtringimur ; quàm ut de alieno ſimus liberales.

II.

Cæterum capitalium criminum venia & abſolutio Reſipiſcentibus ſub N. Fædere oblata , non eſt forenſis & terrena ; ſed ſpiritualis & cæleſtis gratia. Nec uſquam Deus per Chriſtum in forenſibus delictis , impunitatem cuiquam promiſit : ſed in peccatis duntaxat Eccleſiaſticis pœnitentibus veniam indulſit. Quod inde patet , quia etiam ſub N. Fædere Supereminentium poteſtatum tribunal in terris erectum , gladio armavit ; quem vice Dei in ſontes ſtringerent. Quemadmodum autem gratia & abſolutio forenſis ſpirituales & Eccleſiaſticas pœnas non tollit , ita nec Spiritualis venia , forenſia ſupplicia. Atque ipſe Deus , ut remiſſa æternâ , temporariam pœnam irrogare ; ita non exactis in hac vitâ , poſt mortem ſupplicia exigere poteſt. Proinde & is , qui rite reſipiſcentibus cæleſtis veniæ ſpem facit, terrenas pœnas, requirente id officio ſuo, ſumere , & qui eaſdem pœnas luit ; pœnitentiam agere , ac poſthumas effugere poteſt.

Quod non ità accipi velim , ut nimis profuſam ſanguinis humani in capitalibus ſuppliciis irrogandis, conſuetudinem probem. Scio enim & doleo ad tam ſæva remedia interdum ſine idoneo ac ſufficienti jure, ſæpe ſummo jure , plerumque autem ſine ulla (quæ ſola rigorem hujus ſupplicii excuſare poteſt) neceſſitate deſcendi. Exemplum etiam Dei atque Chriſti, benignitatis & clementiæ quam in populo ſuo exercet ; obligare fatemur omnes ipſius vicarias poteſtates ad clementer & moderate utendum eo jure ; quod ipſis in bonum generis humani conceſſum eſt. Sed neque ipſe Deus atque Chriſtus ; etiam in populo ſuo perpetuo clementia utitur. Eſt quando ſeveritatem res ipſa poſtulat ; quamvis ad Deum , nulla ejuſmodi neceſſitas, qualis inter mortales intervenit , urgere atque adigere poſſit. Quippe cujus regnum & potentia , etiam non ſublatis hoſtibus aut rebellibus ſuis ; æternum atque immobile durat , quod in extracto tamdiu ac dilato Satanæ ſupplicio liquido cernitur. Multò magis mortalibus aliquando permiſſo à Deo ſeveritatis jure utendum eſt ; præſertim cum poteſtas ; imò incolumitas eorum ; nonniſi ſublatis ſontibus ; aut hoſtibus tuta aut potius ſalva eſſe poſſit.

III.

Quod ſi quis urgeat. Cum à Deo pœnitentibus etiam capitalium criminum venia conceſſa ſit , nefas eſſe pœnitendi ſpatium cuiquam præcedi. Nec intereſſe quod diverſum genus veniæ ; quàm quod in forenſibus judiciis uſurpatur , à Deo promiſſum ſit; ſi tamen per forenſes pœnas ad iſtam ſpiritualem gratiam aditus præcluditur. Huic reſpondemus. Quantum in nobis eſt virium ac poteſtatis, quantumcunque ingenii ac ſollertiæ ; enitendum eſt omni ope atque omnes rationes ineundæ , ne cuiquam pœnitendi ſpatium ultrò ac de induſtria præcludatur. Sed ſi quis , (ut in caſibus accidit, in quibus præceps pugnæ aut defenſionis neceſſitas moram nullam admittit) , ſibi ipſe ad pœnitendum ſpatium eripiat; quicquid in ea re faciet jacturæ , ſibimetipſi acceptum ferat neceſſe eſt. Quotus enim quiſque eſt eorum , quibuſcum in tali certamine committitur , qui non eodem ad pœnitendum ſpatio egere ſe putet? Proinde nemo in eo caſu ; præſertim in gratiam ejus quem eo beneficio putet indignum ; de ſuo , & quidem tanti momenti jure decedere tenetur. Porrò in Magiſtratuum animadverſionibus ; quæ naturâ ſuâ longiorem moram ferre poſſunt , ſi quando ad id remedii , violentâ urgente neceſſitate , deſcendatur : dandum eſt omnino idoneum pœnitentiæ ſpatium. Quod certe totam vitam aut plures annos non requirit ; ſed firmam & conſtantem animi inductionem , atque compoſitionem , ad parendum Deo, ſi evadere contingat. Quæ ipſa firma & efficax animi inductio & conſtitutio , quod non ævum aut annos aut menſes poſtulet ; ad id , ut in mente ac propoſito animi noſtri formetur , ſed intrà breve quoque ſpatium fieri poſſit (quale morituris nullo modo denegandum eſt) inde patet ; quod non longa temporis uſurâ opus eſt ; ut quis fortunam ſtatumque ſuum introſpiciat ; & vires animi ad ſervandam ſancti propoſiti conſtantiam intendat. Imo verò quanto productius eſt ævi ſpatium ; tantò major occurrit , perſeverandi difficultas , dum animi intenſio , quæ breviori tempore facile de anxia mentis curâ , nihil remittit , non ipſo modò temporis tractu ; ſed & variis illecebris aut tentationibus fatigatur. Adeoque longiori tempore ad perfectionem ſui non indiget ; ut nullâ re magis ad periclitandum de integritate ſuâ ; quàm longiori ævi ſpatio adducatur.

Nec ſemper falſæ pœnitentiæ ſignum eſt , animus poſt juſtum temporis ſpatium ad priſtina vitia revolutus. Non minus quam is , qui à vero profectu quem in virtute initio fecerat , degenerat. Solet & is qui vere reſipuerat , poſtliminiò ad damnatos lapſus relabi. Quem ſi poſtquam reſipuerat , opportuna mors relapſui præripuiſſet , non paulò quidem is futurus fuerit fortunatior.

Provida Pompejo dederat Campania febres ,

Optandas &c. Cum igitur veram pœnitentiam extrema ſupplicia ipſa per ſe invitis intercipere non poſſint ; ſi quando eorum neceſſitas incidat ; periculo præcidendæ pœnitentiæ ſiſti ac ſubmoveri non poſſunt : quia omiſſæ pœnitentiæ culpa , non penes eos hæret , qui arripiendæ ſpatium & occaſionem conceſſerint ; ſed penes eos qui oblatam ſponte neglexerint.

IV.

Satis decebit Chriſtianos , quicquid ipſis ſatis licuerit. Nec enim de impunitatis licentiâ , ſed de officii honeſtate quæritur ; at hæc in ea functione deſiderari nequit , quæ ſi legitima & à Deo præſcripti

ſcripta ratione adminiſtretur, ordinarium Dei miniſterium à Spiritu Sancto dicitur. Imo vero generis humani intereſt, poteſtatem divinæ proximam; penes eos eſſe, qui Deo ſint proximi. Plurimum refert gladius tam anceps, cujus manui credatur. Et ſi quas forte habeat Chriſtianus cauſas officii hujus abjiciendi, plures inveniet retinendi atque magno animo, capeſſendi; ſi non ſibi ſoli, ſed communi bono natum ſe exiſtimare malit.

V.

Quoties lex mortem commeritis veniam indulget ſub aliqua conditione: non Judici expectandæ, ſed reo implendæ conditionis officium imponit: & conditionem hanc à Reo præſtandam exigit, non poſt judicium, aut in judicio ipſo; ſed ante judicium. Quam ſi reus præſtare neglexerit: atque intereà in judicium protractus fuerit; judex eum ſecundum legem judicat, nulla conditione limitatam, etiamſi ejuſdem generis venia eſſet, cujus eſt ſupplicium. Quia iſta conditio nonniſi impleta ac præſtita, legem limitare potuit; nec ejus ratio haberi ſolet à Judice, niſi poſtquam impleta eſt: & non impletæ culpa, penes reum eſt, non penes judicem. Exemplum ejus rei præbet ipſa lex Moſis, in homicidis quibus pro perfugio quædam civitates aſſignatæ fuerunt. Qui ſi id quod ipſis lex indulſerat neglexiſſent, conditionis & indulgentiæ legi adjectæ nulla ratio habita fuiſſet; cujus beneficio ſuamet culpa excidiſſent.

Multò magis id ſtatuendum eſt; ſi venia non ejuſdem generis eſt, cujus eſt ſupplicium. Nam remiſſio peccatorum, non ab humanis ſed à divinis pœnis, pœnitentes eximit. Fingamus autem eam pœnitentes ab humanis quoque pœnis eximere, ſi tamen ſontes mortem commeriti, in manus judicium inciderint, ante pœnitentiam ſeu præſtitam conditionem à lege impoſitam: neque lex ob defectum non præſtitæ conditionis limitata; neque judices obſtricti cenſebuntur; ut agant cum ipſis ſecundum legis indulgentiam, cujus beneficio ſuamet culpâ exciderint. Non tollit igitur pœnas forenſes etiam forenſis gratiæ aut veniæ conditionata oblatio.

Quantò minus eas tollet Spiritualis ac cæleſtis veniæ conditionatum promiſſum? Nam ſi quis urgeret, in pœnis forenſibus exigendis, omnino expectandum eſſe à Judice, conditionis implendæ eventum: is rem abſurdam & à divinis humaniſque legibus abhorrentem comminiſci vellet, ut omnia forenſia judicia, quibus ſalus Reipub. & ſocietatis civium, tanquam certiſſimis fulcris innititur, penderent ab ancipiti humani arbitrii, incertitudine. Quamdiu verò Judici expectanda eſſet ſontium pœnitentia? Certe ante ultimum mortis eorum articulum, ſupremam ipſi metam præfigere humanum nequit judicium. Atqui ne ſpiritualis quidem veniæ in Novo fœdere promiſſio, ex vi ipſius fœderis, tam laxam admittit peccandi indulgentiam, ut nemo ante exactum vitæ ſuæ tempus, excidere poſſit tam benigni fœderis beneficio. Nam quid Deo ex plenitudine poteſtatis & gratiæ, facere liceat hic non quærimus. Et tamen in ſpirituali regimine, non ea eſt exercendæ legum ſeveritatis neceſſitas, quæ in politico intervenit, in quo aperto ſemel impunitatis aſylo, actum eſt de Republicâ, & ſocietate.

Quid? quod iſta ipſa pœnitentiæ conditio, quæ Remiſſionis peccatorum privilegio adnexa eſt, ejus eſt naturæ; ut ad judicum forenſium tribunal & cognitionem pertinere, nullo modo poſſit? Excedit enim captum, & facultatem ac vires politicæ poteſtatis ſuperat; cum veram à fictâ pœnitentiâ nemo mortalium dignoſcere poſſit. Proinde officium ejus rei cognoſcendæ Deus Magiſtratibus non impoſuit; cujus cognitioni pares eſſe nequeunt. Nihil igitur eſt cur in judiciis ſuis, ejus rei nimiam rationem habere debeant, quæ ad ipſorum cognitionem nihil pertinet. Nihil eſt inquam, quod in ejus rei gratiam, tam neceſſariam Reipub. legum, quarum ſunt cuſtodes, executionem ſuſpendere debeant, de qua judicare nequeunt, vera ſit, an adulterina.

Quod ſi quis objiciat; Ne Eccleſiæ quidem, quæ ex mortalibus conſtat, vires dignoſcendæ veræ à fictâ pœnitentiæ ſatis eſſe pares. Et tamen ejus rei cognitionem Deus ipſi detulit. Reſpondendum cenſeo. Ut taceam, longè minori periculo Eccleſiam quàm Rempublicam in ea cognitione decipi poſſe. Non pœnitentiæ modò cognitionem, ſed etiam remittendorum peccatorum poteſtatem à Deo Eccleſiæ conceſſam. Quæ ſi talis ſit, qualis eſſe debeat; & munere ſuo legitimè fungatur, nunquam ſolet eſſe abſque Spiritus ſancti aſſiſtentia; in qua vis Numinis humanâ major intervenit; ac ſupplet mortalis judicii imbecillitatem.

Ergo idem, qui officium ligandarum aut ſolvendarum conſcientiarum, Eccleſiæ impoſuit, vires quoque pares tanto muneri confert, ac ſufficit. At Magiſtratibus quamvis ordinatione Dei curam rerum humanarum commiſſam, & uſum gladii permiſſum expreſſe legamus; nuſquam tamen iſtam ligandi aut ſolvendi poteſtatem conceſſam deprehendimus. Proinde ne pœnitentiæ quidem, quæ neceſſarium eſt antecedens remiſſionis peccatorum, cognitionem delegatam. In quo certè maximum Spiritualis ac politici fori diſcrimen animadvertimus.

Quod ſi Judices forenſes in legum cuſtodiâ quam gerunt; ad pœnitentiæ cognitionem non pertinent; multò minus eam expectare tenentur.

VI.

Pœnam legis forenſis cum veniâ legis ſpiritualis; ſæpe in eodem homine, & eodem peccato, ſimul eſſe poſſe, vel inde patere poteſt; quia pœna hujus vitæ etiam graviſſima, cum veniâ æternâ non pugnat. Conceſſit Deus pœnæ æternæ veniam Davidi, quam duplicata adverſus Uriam injuriâ, meruerat, & tamen graviſſimas ab eo pœnas, in hac vitâ, eo nomine exegit. Non ſunt igitur iſta contradictoria, ſi dicamus Deum poſſe per judicem punire, quem in Chriſto abſolvit à maledictione, puta æternâ; non autem illa legali & forenſi, quam hic Auctor præpoſtere, tanquam ſola eſſet, ingerit; ſupponendo tacite falſiſſimam hypotheſin, quaſi nos Chriſtus à maledictione, hoc eſt, punitione forenſi, abſolverit. Cujus abſurditatem & quàm incompetenter ejus mentio fiat, hoc loco pluribus perſequi non libet.

Quis vero neſcit contradictoria ſecundum idem ſumpta conciliari non poſſe. Nec nos pœnis forenſibus veniam forenſem, nec ſpiritualibus ſpiritualem; ſed pœnis forenſibus ac terrenis, veniam ſpiritualem ac cæleſtem opponimus, cum ea invicem non pugnare oſtendimus. Quod niſi verum ſit; quemcunque Deus ſive per judicem, ſive alio modo capitali ſupplicio punit; æternum perdere putandus: & cuicunque (ut olim Achabo) vitæ hujus ſupplicium remittit; ei veniæ quoque æternæ gratiam facere cenſendus eſt, quorum utrumque falſum & abſurdum eſt.

VII.

Differentia novi, ac Veteris, fœderis, non in eo tantum eſt; quod nunc ab omni reatu abſolutio

fiat ; olim autem non ab omni : ſed in eo quoque quod nunc ſpiritualis abſolutio , non forenſis à Chriſto promiſſa ſit ; illic autem forenſis duntaxat vulgò uſurpabatur. De ſpirituali , præſertim publicâ & omnibus communi , altum erat ſilentium.

VIII.

Tam dogma , quam ſimilitudo , ad illud confirmandum adducta , non modo falſiora , ſed & Dei majeſtate indigniora ſunt ; quàm ipſe Auctor vellet.

Statuit enim dogma , id quod & ſimilitudo illuſtrat , Deum per judicem punire non poſſe (puta temporalibus pœnis) quem in Chriſto abſolvit à maledictione ; & quidem , ut ait ipſe , legali. Si quis tamen eorum qui per Chriſtum abſoluti ſunt , per Judicem puniatur ; id non evenire ideo ; quia Deus id fieri aut voluerit aut permiſerit ; cum id manifeſte per Chriſtum lege prohibuerit ; ſed ut cætera omnia peccata ; invito & tantum , ad hominum cæcitatem , & ignorantiam ; ſæpe etiam malitiam & inobedientiam , connivente Deo.

Atqui ſi per Chriſtum hujus veniæ beneficium Deus mortalibus præſtitit , quæ iſta eſt , conniventia , per quam tanti beneficii fructum intercipi ab hominibus aut ſtultis aut contumacibus permittit ? Princeps ſi cui proſcriptionis gratiam , bona fide , faciat , nihil omittit eorum quæ ad avertendas à proſcripto pœnas ſerviunt ; niſi quod , quæ humana infirmitas eſt , non omnibus caſibus ; qui gratiam irritam facere poſſunt , occurrere poteſt. An igitur Deum quoque principum mortalium ſimilem putabimus ; qui eos caſus avertere nequeat ; qui per imprudentiam aut contumaciam ſubjectorum evenire poſſunt ? An meliori fide , proſcriptos à Principibus , quàm peccatores à Deo in gratiam recipi putabimus ? ut illi quidem quicquid poſſunt in gratiam illorum ſervandorum faciant ; Deus non, quicquid poteſt hominum peccatorum cauſa facere velit ?

Nam ſi reliquorum delictorum , ad quæ Deus invitus quodammodo connivet exemplum objiciat Autor , nihil aget. In permiſſa ad tempus eorum licentia vel impunitate graviſſimam conſilii ſui rationem Deus ſequitur , nec in illis arcendis , ulla ſponſione fidem ſuam cuiquam obligavit. Veniam criminum per Chriſtum ſolenni promiſſo ac fœdere ſanxit ; quod pretioſiſſimæ victimæ ſanguine obſignavit. Quæ , ſi ad forenſium quoque pœnarum gratiam extenditur ; hanc omnibus eâ fide præſtabit Deus , quâ promiſit. Hîc igitur videt Auctor , ſe ſuomet ingenio circumventum ; & ad eam neceſſitatem adactum ; ut aut fidem vel potentiam Dei in dubium vocet ; aut quod unum reliquum eſt ; veniam delictorum in Chriſto , ad excludendas forenſes pœnas non extendi fateatur.

CAP. VIII.

DE BELLIS Chriſtianorum.

I.

Chriſtianorum quâ Chriſtiani ſunt , arma non eſſe carnalia ſed ſpiritualia , non minus fatendum eſt ; quam eorundem quâ tales , cibum quo animæ eorum paſcantur , non eſſe carnalem ſed ſpiritualem. Male tamen ex eo concluditur , ipſis aut cibo , aut armis carnalibus interdictum.

II.

Vitam & opes & imperium contemnere aut abdicare docet religio Chriſtiana , non ſemper ſed ſi abſque læſæ divinæ Majeſtatis aut perduellionis crimine , retineri non poſſint. Unus Deus & Chriſtus eſt , in cujus gratiam pretioſiſſima quæque & ipſa vita noſtra nobis vilis eſſe debet. Hoſtium & indigniſſimorum hominum libido aut periculum , an eodem pretio cum debito à nobis Deo Chriſtoque officio cenſeri debeat ; nondum inter nos deciſum eſt ; & hoc ipſum eſt quod nunc quærimus. Proinde abſque vitio petitionis Principii ; hoc loco pro re conceſſa ſupponi nequit.

III.

Patientiæ præſcriptum eſt ferre , non ferire : ſed non ſtatim impatientia eſt , ferire eum , quem cum ferre non tenearis , ferire liceat ; aliquando & oporteat. Quemadmodum liberalitatis eſt erogare honeſtis ſumptibus opes ; non tamen ſordium culpam contrahit , qui eaſdem nepotinis expenſis non prodigit.

IV.

Dilectio inimicos non perdit ſed ſervat ? quam ipſius Dei Chriſtique exemplo exercere nobis injunctum. Non tamen ſemper ipſe Deus & Chriſtus , ſuos aut populi ſui inimicos ſervat.

V.

Fiducia Deo vindictam committit injuriarum ; quarum videlicet ultionem Deus ipſe nobis non commiſit ; at non earum in quibus noſtro miniſterio ſeſe ordinariè uti velle oſtendit. Eventum Deo committere præconceptorum periculorum ; in quibus effugiendis ordinariam viam nobis relictam videmus, & poſcere atque expectare extraordinariam opem in iis rebus , quas ſine miraculo vitare poſſumus , eſt tentare Dominum Deum noſtrum.

VI.

Oraculum & prophetiam Legis tempore viguiſſe mirum non eſt , cum iſtis ſubſidiis egeret pædagogicæ educationis imperfectio. Non tamen ideò quæcunque olim licita fuerunt nunc pro vetitis habenda ſunt , quia nunc oraculum & prophetia ceſſavit. Nam iſta naturalis affectio (ut verbis Auctoris utar) neceſſitatis clypeo præſtructa ; niſi manifeſto interdicto coercita ſit , ſufficit ad ea excuſanda ; quæ neceſſitatis violentia extorquentur.

VII.

In abrumpendis naturalium affectionum vinculis ſæpe Chriſtianarum virtutum ſpecimina eduntur. Non tamen ubicunque iſta vincula abrumpuntur , virtutum ſit experimentum, ſed interdum flagitium intervenit , & turpis officii diſſertio.

VIII.

Cæleſtium promiſſorum magnitudo ſub novo fœdere umbram fecit terrenis pollicitationibus. Non tamen ideo alterius duntaxat ævi promiſſionem pietas habet. Nec prolis ſuſcipiendæ benedictio in Evangelio oſtentatur. Non tamen idcircò aut optare aut petere vel expectare , id genus divini beneficii;

aut

eat ut illud assequaris dare operam non licet.

IX.

Tam pugna quàm victoria spiritualis, non magis carnalem excludit; quam Spiritus carnem dum in hoc ævo vivimus.

X.

Dispersorum per externas gentes Judæorum; non eadem ratio fuit, quæ nunc Christianorum. Illi enim etiam sub externis legibus, proprios gentilesque ritus atque instituta majorum nunquam omiserunt; & respectu illius Reipub. quam in terra Palæstinâ habebant alienarum Rerumpublicarum inquilini & alienigenæ fuerunt. Christiani ubicunque sunt; tametsi non semper ex iis tota gens constat, suæ quisque regionis indigenæ sunt; nec ullam præter eam patriam agnoscunt. Et tamen tunc quoque Judæis pro pace illarum, quas inter degebant, gentium; arma ferre vetitum, aut inusitatum non fuit.

XI.

Non omnes res, quæ similitudine quadam res futuras adumbrant; adventu earum rerum, quarum figuræ sunt, cessare necesse est, nisi illas quarum usus non alius est quàm ut res futuras adumbrent. At belli ac civilis potestatis, etiam absque ulla relatione ad res futuras, inter ipsos Judæos maximus ac præsentissimus usus erat; quemadmodum & nunc est, inter reliquas gentes.

XII.

Prædictiones de Pace sub regno Christi; aut nondum sunt impletæ; aut non id significant quod in ipso eventu cernitur; sed quod per se ex natura & genio regni Christi fluere posset, nisi per accidens improbitas hominum obstaret. Cum enim Christi doctrina omnes injurias per se sustulerit, radices bellorum injustè inferendorum succidit. ita ut si omnes gentes regnum Christi bona fide suscipiant, nullus sit bellis; sed & nullus injuriis locus. Certum enim est quando justitia ubique vigebit, locum non fore fortitudini. Quamdiu tamen videmus ullum, gravibus, & quæ bello propulsari dignæ sunt injuriis locum; tamdiu & bellis locum esse agnoscere cogimur. Itaque præstent nobis hunc statum in terris, Viri optimi, in quo ejusmodi injuriæ exulent, ob quas bellum suscipi jus & fas est: nulla mora in nobis erit; quin omnia bella atrocissimâ formulâ, & conceptis in eorum sententiam verbis, proscribamus.

CAP. IX.

Responsiones ad aliquot rationes, quibus dominia inter Christianos stabiliri censentur, ventilantur.

I.

NE causam bonam centones optimorum verborum speciosè consarcinati obruant; nudam & simplicem veritatis vim; argumento quod refutat Autor, in syllogismum redacto, exhibebimus; ut manifestius pateat, quàm legitimè aut sufficienter istum ejus elidere conetur. Hic autem ex sensu verborum propositorum elicitur talis. Quæ sententia directè & per se tendit, ad societatis omnis humanæ abolitionem; ea est absurda. Autoris sententia &c. Ergo &c. Minor ejusdem generis syllogismo probatur, cujus medius terminus est, quia introducit generalem omnium criminum & flagitiorum impunitatem. Quæ sententia introducit &c. ea directe & per se tendit &c.

Duplicem responsionem affert Autor. Quarum prior, utrum ad majorem, an ad minorem syllogismi, aut etiam ad prosyllogismi majorem dirigatur; non satis certò scio, quia in ea multa proferuntur; quæ ad istarum propositionum singulas accommodari possunt. Posterior responsio ad minorem utriusque syllogismi; sed præcipuè prosyllogismi dirigitur: ostendens sententiam istam non abolere societatem nec introducere criminum omnium impunitatem.

Priorem quod attinet; quatenus ad majorem principalis syllogismi dirigitur mens ejus ea est. Nihil in eo esse incommodi aut absurdi; etiamsi Deus in gubernatione terrena societatis populi sui, extraordinaria via procedat; quia cum sit omnipotens, non se alligari patitur ordinariis mediis, sed potest etiam absque Magistratus aut armorum præsidio suos defendere; aut etiam injustissimas potestates, [illegible] bonum suorum ordinare: ut piis nihil sit ab abolitione vel absentia aut etiam immutatione ordinariæ potestatis metuendum. quorum hoc probat exemplis Israëlitarum, in exilio suo Magistratu carentium inimico verò subjectorum; illud verò exemplo eorundem in patriâ, anniversariis festis, fines suos, solius Dei præsidio tutos relinquentium; & populi sub Esdra sine præsidio militum aut Magistratus, per medios hostes Hierosolymam contendentis. Quanto minùs id Christianis metuendum est, quibus majora promissa facta sunt.

Quatenus autem hæc prior responsio ad minorem dirigitur ita explicari potest, ut ostendat sententiam Autoris, non ad omnis societatis humanæ abolitionem, tendere; quia piorum & Christianorum societatem non abolet; quæ potest absque pœnis politicæ potestatis, extraordinaria Dei ope consistere, nec ulla mala ex impunitate maleficiorum profecta reformidat; quia cum ampliores Christianis quàm Israëlitis promissiones sint factæ, nihil ipsis potest esse metuendum, cum mors, quæ est omnium terribilium maximum, non sit metuenda, fretis spe resurrectionis & auxilio Spiritus Sancti, simul ope Dei in removendis tentationibus, quas forte sustinere nequeant &c.

Denique quatenus prior responsio, majorem prosyllogismi respicit; vis ejus est in eo, quod per ejusmodi sententiam Autoris; quæ ordinarium retinendarum societatum medium, hoc est, pœnas coactivæ potestatis tollat; & ita impunitatem criminum introducat; non statim omnis humana societas abolebitur; cum eam Deus possit etiam extraordinariis mediis conservare. Præsertim autem Christianorum societas non abolebitur; quia istam impunitatem & mala ex ea provenientia nihil curat.

Nunc dispiciamus quàm benè & sufficienter ad utramque præmissarum respondeatur.

I. Quod attinet ad majorem, ea per hanc Autoris responsionem, ne attingitur quidem, tantum abest ut convellatur.

Nam primum, etiamsi Autori ad tempus largiamur, Deum in gubernatione populi sui, (quod ad vitæ præsentis negotia attinet,) semper extraordinariis mediis uti; non eorum hominum sententia, hoc loco Autori ab absurditatis delirio vindicanda erat, qui id sentiunt, sed eorum qui credunt, Deum per Christi doctrinam, ad societatis omnis humanæ, dum in hoc mundo vivitur, abolitionem tendere.

Aliud

Aliud enim est peculiaris populi Dei ; aliud omnis humanæ societatis gubernatio.

Deinde falsissimum est ; etiam in populi sui terrena gubernatione Deum semper, imo verò sæpius extraordinariis mediis uti, quàm ordinariis. Imò contradictionem implicat. Nec enim extraordinaria dici possent, nisi rarius & præter solitum adhiberentur. Nec allata exempla aliud probant quàm Deo interdum ordinaria media extraordinariis interjungere placuisse, ut in ea nequicquam Auctor exspatiatus videatur. Sane istud salva & inconcussa majore à nobis admitti potest. Aliud enim est interdum ab ordinaria gubernationis viâ, in quorundam regimine digredi ; aliud eam penitus, in omni hominum societate abolere velle. Illud enim quorundam tantum hominum ; hoc omnium statum ac societatem respicit : illud aliquando, seu extraordinariè accidere potest, hoc perpetuo aut certè plerumque & ordinariè fieri debet : denique illud ordinariam societatis humanæ gubernationem non abolet. (Nec enim extraordinarii casus, ordinarias leges convellunt) hoc autem ad societatis omnis humanæ abolitionem tendit.

Antequam à majoris propositionis defensione abeamus ; notanda nobis sunt in eâ quædam ; quibus, non satis animadversis Auctor posteà in refutanda minore hallucinatus est. Primùm igitur societatis vox, in ea, non omnem quovis modo dictam societatem significat ; sed solam aut certè potissimùm politicam societatem, quæ civitates atque Respublicas, certo jutis ac regiminis vinculo in terris colligat. Quæ etiam abolita potest aliud aliquod societatis genus intactum relinqui ; puta Oeconomicum, aut etiam aliud imperfectius, quale est inter vicinos nullo civilium legum, sed solo gentium jure conjunctos. Proinde ubi Auctor in refutanda minore, tacite removendo absurditatem à sententia suâ ; ista imperfectiora societatis genera, à Deo sive in populo suo, sive in orbe relinqui prætendet ; in manifestum æquivocationis elenchum incidet ; subsumendo vocem societatis in minore ; non eodem sensu, quo in majori intellecta est.

Deinde, non sine causâ, in subjecto majoris ; non dicitur ; *Quæ sententia abolet societatem &c.* sed distertis verbis *Quæ per se ac directè tendit ad abolitionem societatis* ; ita ut in minore quoque & ejus probationibus, vox *introducit impunitatem*, non intelligenda sit de ipso eventu, introductæ impunitatis ; qui per accidens ob aliquod impedimentum, ex transverso incurrens potest impediri ; sed de vi & naturâ intrinsecâ alicujus opinionis ; quæ per se ac directè apta est (nisi quid extrinsecus impediat) producere hunc eventum. Ideo quoque voces *Per se* ac *Directè* non frustrà adduntur ; ita ut hic rursus Auctor, dum argumentis suis minoris probationem impugnat, in duplex fallaciæ genus incidat : *Æquivocationis* iterum in voce introducit : & *Accidentis*, dum istam sententiam, cui aliqua culpa aut vitium per se ac natura sua ipsi inhærens ; aut ex ipsa fluens, objicitur ; culpâ aut vitio isto carere ostendit ; quo forte non per se sed per accidens carere videtur, ob aliquod fortè interveniens impedimentum. Quod paulo post plenius explicabimus.

Denique non frustrà in hac propositione, absurditatis accusatur ea sententia quæ ad scopum, scopo Dei ex adverso oppositum tendit. Cum enim nobis de scopo & voluntate Dei in ordinaria hominum gubernatione (quod ad terrenum regimen attinet, de eo enim sermo est) liquido constet ; quod videlicet homines per homines gubernari ; homines per homines puniri aut coërceri, hominibus ab hominibus obsequium præstari velit ; idque non modo ratio barbaris : Lex Judæis ; Scriptura novi fœderis Christianis ostendat ; quid de ea sententiâ, sentiendum sit ; quæ istius in hominum mutuo regimine societatis vincula per se ac directe abrumpere contendit, non obscurè apparet.

Falsum est igitur, quod ad convellendam, quam defendimus ; propositionem initio prioris responsionis affert Auctor, dum ait. *Ratio divini consilii in gubernatione populi sui, non est æstimanda ex infirmitate nostrâ*, cum potius dicendum sit rationem divini consilii, in gubernatione populi Dei (de terrenâ loquimur, ne Autor extra oleas evageretur) non esse æstimandam ex immensâ potentia ejus. Nam vires quidem & potentia Dei ; ex infirmis viribus nostris æstimanda non sunt ; sed in gubernandis nobis, Deus sese quodammodo demittit & accommodat ad infirmitatem nostram. Nec aliter fieri potest per imbecillitatem mortalium ; quæ sublimius & à captu suo alienum, regiminis genus ; ferre non posset. Quod adeò de terrenâ gubernatione verum est ; ut ne in spirituali quidem regimine, quod toto cælo à terreno distare debuit, Deus imbecillitatis nostræ rationem habere neglexerit.

Hoc ut melius intelligi possit, considerandum est, si homines in naturali statu suo, lege morali sese in officio continere potuissent ; nihil opus fuisse lege Oeconomicâ, nihil lege politica & forensi, nihil custode ejus Magistratu, imo ne legibus quidem fori Ecclesiastici locum fuisse futurum. Sed quia, ob infirmitatem nostram, in libertatem arbitrii assertam, generi humano hæc felicitas non contigit, Dei nutu ac voluntate ac legis ab ipso in cordibus scriptæ instinctu ; deinde apertæ approbationis significatione ; quemadmodum naturali statui Oeconomicus atque politicus, quasi supervenit : ita morali regulæ atque legi, quæ naturæ statui attemperatur, Oeconomica instituta & forenses leges superinductæ sunt ; quæ multis in rebus moralium legum prætensam generalitatem jam olim restrinxere. Quam restrictionem non modo nusquam in Sacris literis sublatam : sed plurimis in locis approbatam & confirmatam deprehendimus. Quamvis enim naturâ omnes liberi sint & æquales ; tamen non Oeconomica modò ; sed & politica potestas, bono generis humani, ac Dei nutu introducta est ; quæ naturalem illam libertatem & æqualitatem restrinxit. Ita quamvis moralis lex à Deo tradita hominem occidi, indefinite ; & quasi generaliter nec ulla expressè addita exceptione, etiam ante Mosis legem prohibuisset ; videretur tamen lex forensis, istam ipsius non quidem veram ; sed specie tenus apparentem generalitatem, restrinxisse dici potest publici gladii usu introducto : quæ restrictio Dei voluntate atque ordinatione tam veteris, quàm novi fœderis temporibus, in humano genere confirmata est : idque ad conservandum ordinem in Rebuspublicis. Eodem modo quamvis Christianæ religionis natura, si eam per se spectemus, omne diversorum statuum, gentium atque adeò ipsius sexus discrimen, sustulerit & quodammodò in æqualem omnes sortem asseruerit : præterea singulis Christianis peculiarem suæ pietatis curam (in quâ omnis cujusque felicitatis spes reposita esse debet,) injunxerit : Attamen per accidens, ob imbecillitatem hominum, Christi ipsius instituto, potestas Ecclesiastica, & cura alienarum animarum & inferiorum subjectio Superioribus atque ipsi Ecclesiæ debita, pro subsidio infirmitatis nostræ introducta est. Per quas fori Ecclesiastici leges moralium legum generalitatem, si qua fuit, quibusdam in rebus, (è quibus est humilitas, caritas, & noxarum remissio ; & si qua sunt alia) limitatam videmus. Quod si etiam in ipsa Ecclesiastica disciplina, in qua, nemo est qui non se jugo legum Christi ultrò subjiciat, (nemo enim ad illud obtorto collo trahi,

trahi aut in eo invitus retineri poteſt.) hominum non peſſimorum imbecillitas, externi regiminis fræno coërcenda eſt : quantò magis extra Eccleſiaſticam diſciplinam, præfracta hominum improbitas, & effrænis ſceleratorum injuſtitia, externi regiminis metu, frænanda eſt ?

II. Nec felicius minor per hoc reſponſionis genus impugnatur. Ubi ante omnia duplex illa æquivocationis & tertia accidentis fallacia (quarum paulò ante mentionem fecimus), ab Auctore commiſſa occurrit.

1. Primum enim cum Major propoſitio, ut à nobis oſtenſum eſt de ſolâ aut certe potiſſimum de politica ſocietate agat ; de eadem minorem ejuſque proſyllogiſmum agere neceſſe eſt. Nihil igitur agit auctor, cum oppugnando minorem ejuſque probationem ; etiam ſublato politicæ ſocietatis vinculo, hoc eſt, poteſtate forenſi ; à Deo poſſe conſervari aliquam piorum ſocietatem probat ; cum ejus concluſio ob æquivocationem terminorum Minorem noſtram non feriat.

2. Cum major propoſitio non de eventu ; qui poteſt extrinſecus impediri ; ſed de intrinſecâ vi & natura opinionis adverſariorum loquatur in producendo iſto abſurdo abolendæ omnis ſocietatis effectu : minorem quoque cum ſuo proſyllogiſmo de eadem intrinſeca vi, ejuſdem opinionis, non de ipſo eventu loqui neceſſe eſt. Itaque ob aliam æquivocationem in voce *introducit impunitatem* ab Auctore commiſſam ; iterum noſtra minor, cum ſuo proſyllogiſmo, ictum ejus evadit.

3. Fallacia accidentis in eo eſt, quod Auctor objectam ſententiæ ſuæ culpam & abſurditatem (quæ, quòd ipſi per ſe inhæreat manifeſtis verbis oſtenditur, quòd nimirum per ſe ac directè ad abolendam politicam hominum ſocietatem tendat) per ejuſmodi defenſionem delere conetur; quod nimirum iſtum ſcopum & effectum, ad quem tendit, non aſſequatur, extraordinariâ Dei ope interveniente, quod plane eſt ex accidenti ; neque huic ſententiæ, ſed Deo acceptum ferendum eſt. Quapropter tametſi auctor probaret, ob interventum divinæ potentiæ ; aut alicujus alterius cauſæ ; nunquam iſtam ſententiam hunc effectum producturam eſſe (quod, ut mox patebit, non facilè oſtendet) tamen ejus abſurditas & pravitas nihilo minor aut levior eſſet ; cum illa non ex eo quod per accidens evenit ; ſed quod per ſe ipſi competit, æſtimanda ſit. Nam ut pravum conſilium eò quod impediatur pravum eſſe non deſinit ; & conatus & actio vitioſa, ob aliquem caſum intercepto eventu, culpam & vitium non exuit : ita ne ſententia quidem, quæ abſurdum, deteſtabilem, & calamitoſum rerum ſtatum introducere conatur ; aut naturâ ſuâ apta eſt ; minus odioſa, abſurda, & deteſtabilis eſt ; quia conatu ſuo ob aliquod impedimentum excidit. Imo verò quantò plus impedimento huic, quod tàm pernicioſum conatum avertit, debetur : tantò minus illa, ob allatum iſtud pravitati ſuæ impedimentum, excuſata eſſe poteſt.

4. Quartò. Si abolitionem terrenæ, piorum ſocietatis effugere velimus, de ordinario & quod ſemper aut plerumque adhibetur ejus conſervandæ medio atque remedio agendum eſt, non de eo quod rarius & miraculoſè intervenit. Atqui Auctor extraordinaria Iſraëlitarum ope Dei ſervatorum exempla adducit ; quæ media rariora & miraculoſa non poſſunt ſupplere medii perpetui atque ordinarii defectum. Abolebitur igitur etiam piorum ſocietas (de terrena loquimur) ſi non alio medio ſervari poterit ; niſi extraordinaria Dei ope ac miraculoſa. Aut iſta Dei providentia non erit miraculoſa ſed ordinaria & perpetua ; quod abſurdum eſt cum nobis de diverſo Dei conſilio ſatis conſtet ; & reclamet experientia.

5. Quinto. De terrenæ ſocietatis in pace & juſtitia conſervatione hoc loco agimus, non de certitudine & ſpe ſalutis ſingulorum ; qui in terris injuſtè affliguntur aut pereunt, præcipuè ob religionem. Quamvis igitur eorum afflictiones qui patiuntur propter juſtitiam aut religionem ; plus quàm ſufficienti mercede compenſentur ; tamen hoc ad quæſtionem præſentem nihil pertinet ; in qua oſtendere debuit Autor, per ejus opinionem, non ſingulorum ſeorſim Chriſtianorum poſthumam felicitatem ; ſed univerſorum in ſocietate terrenum ſtatum non aboleri.

6. Dato non conceſſo hominum verè Chriſtianorum ſocietatem etiam hac impunitate introductâ, non convelli ; ideoque ipſis hunc ſtatum, non eſſe metuendum ; imò propter apertum edendo virtutis ſpecimini campum, eſſe exoptandum : tamen is, reliquorum omnium mortalium ſocietates ſubruit, quod ad abſurditatem in majori deductam ſufficit. Quid enim prodeſt, quod is exiguæ parti hominum (qui ex ſententia Auctoris, fidem non eſſe adeò vulgarem fatentis, perpauci ab omni ævo fuere atque reſpectu aliorum futuri ſunt) ſive optandus, ſive non ita, ut aliis ſit metuendus ; ſi innumeræ reliquorum hominum, etiam non peſſimorum, etiam Chriſtianorum myriades, præſertim eorum, qui in præceps & arduum iſtius Auctoris ſententiæ culmen, per imbecillitatem ingenii ſui, eniti non potuerint, in miſerrima & hominibus flagitioſiſſimis obnoxiâ conditione, vel inviti detinebuntur ? An Deum qui corvorum curam gerit, tot hominum miſerorum ; nullam rationem habere cenſebimus, dum iſtis paucis conſulat ?

Præcipio animo, quid nonnullis qui Auctoris ſententiam ſequuntur, venturum ſit in mentem. Meomet laqueo me implicitum ac circumventum gaudebunt ; quod non animadvertens, paucis iſtis exceptis quorum laudi & gloriæ conſulitur, neminem alium in iſta miſerâ & maleficis obnoxia conditione detineri, fruſtra eorum ſortem deplorem, qui extra illam poſiti ſunt ? Quo enim alio (inſtabunt) præterquam conſcientiæ vinculo in iſto ſtatu homines detineri poſſunt ? At quiſquis propter conſcientiam tàm miſerum ſtatum ultrò ſubit ; eum profectò, in eorum cenſu eſſe neceſſe eſt, quibus Deus præ cæteris conſulit. Itaque cæteris omnibus Deus conſulere, neceſſe non eſſe, cum ipſi ſibi conſulant ; atque in eo ſtatu detineri nec velint, nec inviti poſſint.

Verum, quò ſe vertent ubi oſtendero, eos in caſſum gaudium iſtud gaviſos eſſe ; meque non fruſtrà tot hominum ſortem deplorare ; quibus iſta ſententia peſſimè conſulit ? Nec enim ſolo conſcientiæ vinculo aut etiam inolitæ & à parentibus traditæ opinionis auctoritate ; ſed aliis quoque illecebris : imò vel maximè improbitatis ſuæ fomentis atque ſolatiis ; aliquando & violentiâ quadam, homines in aliqua ſententia aut ejus profeſſione detinentur. Neſcio autem, an ulla ſit, quæ pluribus illecebris, improbiſſimorum quorumque animos ſollicitet, ut eam amplectantur atque promoveant ac defendant ; quàm iſta Auctoris : in qua impunitas omnium flagitiorum, tanquam vinum vendibile ſuſpenſa hedera venditatur. Quid enim hominibus maleficis ; qui modo viribus & audacia & perverſo atque ignobili aſtu præ cæteris polleant, optabilius eſt ; quam poſſe impune, omnia quæ velint patrare ; ſtupra, adulteria, cædes, rapinas pro libidine exercere ; tyrannide atque flagitiis cuncta implere, nemine prohibente, aut vindice ? Atqui per iſtas opiniones ſub ſpecie veri Chriſtianiſmi introductas,

introductas, istud omnibus maleficis impune licebit. At enim, inquient, veri Christiani tales in gremium suum non admittent. Quasi etiam dissimulantes malitiam atque adeò ipsi impœnitentes Magi, Apostolicis quoque temporibus in Ecclesiam non irreplerint. Atque ut hoc non contingat; quid si ex iis ipsis qui in propagata verâ Christianorum Ecclesiâ nascentur, ejusmodi viperarum progenies, matre aut obstetrice impunitatis illecebrâ pullulet?

Objicient non defore, qui iis resistant, vel ex ipsis maleficis. Atqui eos prudentes esse in generatione suâ, quidque ipsorum interfit, melius quàm alios nosse Autor à Servatore didicit. Quid si in eas leges atque instituta, ut sibi mire placentia atque instituto suo admodum congrua, plerique omnes conspirent? atque in iis reliquos etiam invitos violenter detineant? Nec ab inani mentis divinatione experimenta ejus rei petenda sunt. Paulò ante memoriam patrum, visa pedum via est. Quis id fieri non posse spondeat, quod jam factum, cum stupore legimus? Altius animis hominum ejus rei exemplum inhæsit, ob quam magna pars Germaniæ quondam sed inprimis Vestphalia multo sanguine permaduit. Atqui illic Rex fuit, inquient, & coactiva potestas usque ad bellum progredi ausa est; cujus jure & armorum publicorum usu sublato id fieri non poterit. Quasi vis impunita & effrœnis idem quod jus legitima potestate subnixum præstare nequeat; imo tanto plus, quanto minùs arctis juris aut legum cancellis circumscripta est: Aut quasi difficile sit hominibus improbis alio vocabulo ac prætextu eandem cogendi libidinem ac potestatem usurpare. Itaque considerent velim non me imprudentem in eorum opinione refutanda laqueo meo: sed ipsosmet in eâ fovenda parum circumspectâ probitate suâ circumveniri; ut qui ex animi sui candore ac simplicitate cunctos æstiment, nec suspicari audeant, inter pauciss imos, quorum fides licet improvida, tamen non vulgaris esse potest, sub tàm speciosa foris & intus subdolo perfectionis prætextu, innumeros sensim irrepere posse Rotmannos & Cnipperdollingos; quorum callida, sed vulgaris & quam passim ubique regnantem reperias, nequitia est.

7. Atque ita ostensum est, nihil obstare quin per eam sententiam, iis qui eâm non sequuntur aut non libenter sequuntur, quæ longè maxima pars mortalium esse potest, pessimè consulatur. Quid si ostendam per eam ne iis quidem consuli, qui eam ex animo fovent. Nam certè secundum carnem iis pessimè consulitur, quibus in media scelerum impunitate, anxia & calamitosa vita perpetuò degenda est. Atqui ne secundum spiritum quidem iis optime consulitur, si (quod ex Autoris sententia sequitur) nunquam ex istâ misera secundum carnem sorte eximantur; non modò quod infirmitas eorum, absque ullis halcyoniis atque alterna saltem requie vix durare possit: sed multò magis quod dum sola eorum in adversis patientia exercetur, pene potiori parte laudis atque copia edendi in perfectiori virtute speciminis fraudentur. Nam secundæ res acrioribus stimulis animos hominum spiritualium explorant, & miseriæ etiam ab invitis etiam à malis tolerantur: at felicitate etiam optimi etiam fortissimi interdum corrumpuntur. Quis igitur fructus erit hujus status quem ista sententia introducit, si is ne istis quidem paucissimis qui hanc sententiam sequuntur sive secundum carnem sive secundum spiritum verè optabilis sit; cæteris vero planè damnosus ac pernicios us: imo verò omnium tam bonorum quàm malorum; quàm etiam mediocrium hominum, terrenum statum ac societatem aboleat.

III. Denique ne major quidem prosyllogismi ista responsione convellitur, quia posita omnium maleficiorum perpetuâ impunitate, omnis terrenæ societatis vincula abrumpi necesse est. Nec obstare quod Deus eam extraordinariâ ope servare possit; aut etiam aliquando servet: quia nec à posse ad esse; nec ab extraordinariis & rarioribus casibus, ad ordinarium ac perpetuum hominum statum ulla firma consequentia necti potest. Multò minùs à singulorum Christianorum, in salutis eorum negotio, statu; ad eorum in terreno regimine societatem. Hoc est, ut explicatius loquamur. Neque ex eo quia Deus in conservandâ societate, potestatis Coactivæ defectum supplere potest; sequetur eum supplere velle aut omninò supplerurum: nec quia ad homines è periculo eximendos aliquando miracula patrat, sequitur ipsum semper & ordinarie homines miraculose ex omnibus periculis eripturum. Multò minus, quia ob ærumnas Christianorum in præsenti vita propter Deum susceptas, posthuma seorsim singulis salus atque felicitas promissa est; ideò quoties aliquid in hac vitâ, forte etiam suâ culpâ, patiuntur, integræ eorum societates, terreni generis incolumitate ac felicitate frui dicendæ sunt, cum vel maxime tunc temporis secundum carnem perturbatissimus ac miserrimus status Ecclesiarum aut Christianarum Rerumpublicarum esse soleat.

Atque ita ostensum est per priorem Responsionis partem, neutrum præmissarum syllogismi ac ne majorem quidem prosyllogismi loco suo motum esse.

Sed jam tempus est posteriorem quam affert Auctor, responsionis partem aggredi; quæ utriusque syllogismi minorem falsam esse ostendit, dum probat sententiam suam societates non abolere, & criminum ac flagitiorum impunitatem non introducere; quia nimirum id, aut Deus ipse, aut homines, etiam Christiani, etiam ipsi malefici impediant.

Duplici modo ad istam responsionis partem respondebimus. I. Ostendendo nihil efficere Auctorem, etiamsi probet quod contendit, sententiam ejus reipsa & in effectu impunitatem criminum non introducere; ob aliquod impedimentum per accidens & extrinsecus interveniens; cum ad ejus absurditatem sufficiat, illam per se & naturâ sua, ad ejus introductionem tendere, quæ vera mens fuit nostri prosyllogismi.

II. Deinde ostendendo ne id quidem Auctorem probare potuisse, sententiam ejus tàm perniciosam generi humano criminum impunitatem non introducere.

Quod ad priorem modum attinet huc referenda & ex antecedentibus resumenda sunt pleraque eorum, quæ paulò ante in refellenda priori responsione quatenus minorem syllogismi utriusque oppugnat, adduximus; non uno & simplici fallaciarum in quas incidit Autor, genere ostenso: quarve sæpius iterata fastidio sint, eodem Lectorem remittimus. Illud unum breviter attigisse sufficiat, non ex eo æstimandas res esse, quod ipsis per accidens & extrinsecus evenit: sed ex eo, quod per se & ex intrinseca earum natura profluit. Itaque pravitatem sententiæ hujus, non excusat impedimentum extrinsecus, sive à Deo, sive ab hominibus, qui ab ipsâ dissentiunt, objectum: imo verò non obscurè ostendit, non modò homines qui pravum effectum ejus impediunt; sed etiam Deum ipsum, qui idem faciat, ab ipsâ abhorrere.

Quapropter

Quapropter ludit operam Autor, dum eam exculare nititur eo nomine; quod cum omni ope contendat, efficere ut omnium scelerum si forte patrata sint, impunitas introducatur, id tamen assequi nequeat, ob impedimentum sive Dei, sive hominum diversum sentientium; etiam Christianorum, etiam maleficorum, qui ferre nequeunt (verba sunt Auctoris) ut mutuæ injuriæ ad societatis omnis humanæ tendant eversionem: quod videlicet sententia ista, aut homines eam professi, non modo ferre possint; sed efficere contendant, & eo quidem zelo, ut eos Christianorum, qui conatum hunc impediunt, Christianismum in cerebro duntaxat, non in corde gerere statuant. Quæ excusatio, & quidem paulò fervidior, nimis & ipsa absurda & ridicula est; nec tollit aut excusat sententiæ hujus absurditatem; aut assectarum ejus culpam, sed accusat & intendit atque in immensum auget. Injustitiam enim & abominandam rerum omnium confusionem; & eversæ omnis humanæ societatis nefas, quod ne ipsi quidem malefici ferre queunt, non modo ferre possunt, sed promovere omni ope quamvis imprudentes contendunt, idque tàm ardenter ut impedientibus tàm præclarum conatum Christianis, convitium facere audeant. Quod quia durius est quàm ut sine stomacho reprehendi queat; omitti quàm diutius ventilari præstat.

Quod attinet ad posteriorem nostræ responsionis modum: Ne id quidem Autor probavit quod ad rem propositam nihil facere ostendimus. Quod ut clarius liqueat, argumentationem ejus inspiciamus. *Aut*, inquit, *totus Mundus sententiam, quæ introducere videtur impunitatem criminum, ex animo recipiat; aut non. Si recipiet, nulla erunt flagitia: nulla igitur eorum impunitas. Proinde nihil incommodi aut absurdi. Si non totus ex animo recipiet; non deerunt unquam pœnæ & earum exactores.* Ego verò neutrum hujus dilemmatis cornu, id quod vult Auctor efficere: sed etiam alterutro posito, per hanc sententiam, pudendam ac deplorandam flagitiorum impunitatem in orbem introduci ostendam.

Primùm igitur, etiamsi totus Mundus sententiam hanc ex animo recipiat, falsum est nulla fore flagitia. Imo verò nunquam plura aut majora fore necesse est. Nullius enim hominis tantum interest, istam sententiam regnare ac passim ab omnibus recipi, quàm ejus cui flagitia cordi sunt. Neque cuiquam aut utilior, aut jucundior esse potest, quam hominibus; qui solo pœnarum metu à sceleribus & flagitiis abstinent. Proinde ista sententia naturâ sua ita comparata est, ut longe magis improbis quàm probis cordi esse possit. Nam si etiam bonorum mentes, nescio quibus illecebris suis fascinare potest, quamvis impunita manere scelera ipsorum non interfit; multò magis eorum quorum impetus in scelera & flagitia præceps est, quibus in eâ opinione arripienda ac mordicus defendenda, ad mentis persuasionem; etiam carnis stimulus ac desiderium accedit, & quædam præterea propemodum justa sibi consulendi necessitas. Nam ut omnibus sententiis, quæ vitiis & flagitiis hominum vulgò blandiuntur; aut patrocinium præbent, ita huic quoque inest aliqua (quæ nunc à viris optimis, bona fide quidem, sed parum circumspectè, plus æquo venditatur) perfectionis & religionis species, & quidem ejusmodi, quæ etiam maximis impostoris gratiam & auctoritatem vulgò conciliare solet; quòd in rebus externis versetur, & omnium oculos feriat; & ut omnes reliquæ monachorum paradoxæ ostentationes, inusitatæ sanctimoniæ imaginem cunctis imprimat. Scimus autem ingenia hominum prona esse, ad ejusmodi obsequium Deo ac religioni præstandum, quod exteriori specimine oculos omnium perstringat; dum ipsis peccandi licentia atque indulgentia non eripiatur. Quid? si præstetur, atque ultro obtrudatur? Nam si putat Auctor huic sententiæ indissolubili vinculo, semper adnexam esse veram pietatem; næ ille egregiè decipitur. Ea est vulgò hominum indoles ut è præceptis religionis illa plerumque sectentur & maximè urgeant; quæ carni suæ adbibescunt; quamvis speciem pietatis habeant: cæteris quæ vim ejus continent, neglectis. Itaque & ex iis, quos in ejus opinionis societatem pertraxerint; sciant Viri boni longè plures fore, quibus magis abusus ejus, quàm is quem sperant usus placeat. Quod si existimat Auctor, etiam citrà politicæ potestatis operam, Ecclesiasticæ jurisdictionis remedio istis malis occurri posse, iterum vehementer fallitur. Nam spiritualis potestas, cum sit precaria non violenta, nonnisi eos in officio continere potest, qui Christi regimini libenter sese subjiciunt. At quibus ista sententia eo nomine placet, quod ipsos legum Politicarum frænis exolvat, (qualem maximam partem sectatorum ejus fore auguramur) satis ostendunt; adeo se Christi legibus obstringi nolle ut ne legibus quidem terrenis teneri sustineant. At enim ejusmodi carcinomata ab Ecclesia recidi poterunt? Quid si non possint, ubi majorem & potiorem partem Ecclesiæ constituent? Plures enim fore & validiores necesse est, deteriorum partium patronos. Ita nova iterum schismata & scissuræ supererunt. Quæ tamen malis ex ea sententia exortis non medebuntur. Nam qui per Ecclesiasticas animadversiones irritati fuerint; sive maneant in Ecclesiâ sive emaneant; non minùs quàm ante stupris, adulteriis, cædibus, rapinis & omni injuriæ & contumeliæ genere insontes in Ecclesia pollunent ac violabunt, nemine resistente aut vindice: ac tandem ipsa necessitate animos plurium ad capessendam similis instituti societatem, seque ita ex eo misero statu redimendos, pertrahent.

Occurret Auctor, hunc statum (cum persecutionis gloriam atque, ut vocant, meritum contineat) fidelibus non esse metuendum. Nihil nunc dico veram ac legitimam persecutionum patientiam; multùm distare ab affectatâ & nostramet culpâ accersita. Illud unum urgeo, Statum bonorum sublatâ politica societate in hac vitâ fore miserrimum; nec posse Auctorem asserere tunc (ut taceam reliquos) etiam veris Christianis nihil fore incommodi. Neque istis miseriis, & abominando rerum omnium statui ullum excogitari potest remedium, nisi ut quoties effræni singulorum ex improbis libidini occurrendum erit; toties tanquam in Comedia, Deus ex machina advocetur & succurrat. Verum enim verò facilius est fabularum ad animi voluptatem effictarum figulis comminisci quoties velint in perditis rebus improvisum divinitùs auxilium; quàm in ultrò accersiti periculi quotidiana necessitate; temere periclitantibus spondere, nusquam promissam opem cælitùs defore.

Ostendimus igitur primum istud dilemmatis cornu, destinato ictu excidisse. Nunc videamus an alterum felicius vibret. *Si non totus*, inquit *mundus dogma hoc ex animo recipiet, non deerunt pœnæ & earum exactores.* Atqui ad id, ut pœnæ & earum exactores toto orbe exulent; non necesse est, ut totus Mundus dogma istud ex animo recipiat. Sufficit si major & potior ac potentior pars, qualis ordinarie hominum im-

proborum esse solet, illud ex animo recipiat; quæ debiliorem partem ubique impedire possit, ne pœnas Coactivâ potestate exigat. Quod in unius atque alterius gentis seorsim consideratæ exemplo clarè liquet; in quam nullæ leges, nulla Respublica, aut legitima pœnarum exactio introduci potest; refragantibus iis qui potiorem ejus partem constituunt: & qui per violentiam cogi non possunt; quales sunt homines flagitiosi, quorum interest flagitia non puniri; qui & multitudine & potentia, animorumque & corporum robore facile semper antecellent. Præsertim quod hæc sententia quamvis rationi repugnet, si per cæcum religionis prætextum colorem tàm speciosum ducat; mordicùs etiam usque ad vitæ periculum ab omnibus, quibus est grata ac necessaria propugnabitur. Imo ad defensionem ejus homines tanquam ad martyrium festinabunt, despondentibus sibi cunctis, periculorum quæ revera pro libidinibus suis suscipient, præmia, quasi virtuti ac fidei suæ debita. Nusquàm petulantius atque procacius Satanas Christianis aut religioni illudit; quàm per speciosa vocabula, vitiis atque nequitiæ obducta atque prætensa.

Nam si putet Auctor idcircò id evenire non posse, quia qui crimina punire non audent, ne resistere quidem punire volentibus, ex ipso sententiæ suæ præscripto, audebunt: fugit eum ratio. Nam qui sententiam vitiorum impunitati faventem; non in gratiam religionis, sed in gratiam vitiorum suorum receperint; qualem in eo casu longè majorem hominum partem fore non dubitamus; quicquid in ea cupiditatis suæ fructum morabitur, ut amoveant, omnium delictorum veniam sibi non gravatim indulgebant: & qualecunque opinionis suæ in resistendo detrimentum; longè majori, qui in sententiam suam ex sublatione Magistratus redundabit fructu & compendio solabuntur; quod facere solent qui pecuniam in loco negligunt, ut majori lucro compensetur.

Imo vero resistentiam hanc sibi licitam putabunt, eò quòd religionis ac Dei causa suscipiatur. Non sibi meliorem fortunam unum dogma istud promittat, quàm universa Christiana religio habuit; cujus sanctitas impedire non potuit quominus Christiani non modo plurium vitiorum sibi veniam concesserint: sed etiam dogmatibus ejus, ipsa vel invitissimâ, ad implenda carnis suæ desideria fuerint abusi. Nec tamen universa Christiana religio ullum sceleribus patrocinium; adversus pœnas Magistratuum præstat aut promittit: imò eorum potestatem non modo subjectionis præcepto confirmat; sed etiam ab Autoris Dei dignitate & in pios redundantis boni fructu commendat; atque adeò officium ipsis utendi potestate suâ, in eum finem, in quem data est, injungit; ita ut nullam justam occasionem dogmatibus suis abutendi sive hic, sive alibi, cuiquam præbuerit; cum opinio Autoris non modò occasionem, sed justam propemodum causam, imo necessitatem, tot abusuum præbeat. Quod autem in una civitate aut gente fieri potest; ubique terrarum contingere potest. Quanquam licet etiam uspiam terrarum, ob sententiam Autoris non receptam, pœnæ atque earum exactores, non deessent: nihil tamen de absurditate ejus decederet, si ob eam alibi receptam, pœnæ isthic atque earum exactores deessent, & flagitiorum impunitas regnaret. Imo contraria juxta se posita magis elucescerent. Itaque & alterum dilemmatis cornu, à destinato ictu repulsum est.

Sed ne quod Auctori effugium pateat: quia videmus eum in hoc dilemmate falsam hypothesin pro concesso sumere; quæ sententiam ejus semper cum vera pietate conjunctam esse supponit: age, nos quoque idem supponamus & rem incredibilem in gratiam eruendæ veritatis Autori largiamur. *Ait igitur totus mundus sententiam hanc una cum verâ pietate ex animo recipiet: aut non totus. Si totus neque flagitiis neque eorum impunitati locus erit. Si non; non deerunt qui flagitia coërceant.* Atqui hujus quoque dilemmatis neutrum cornu, ex pravitate sententiæ hujus, ortæ aut orituræ impunitati, occurrit.

Non primum. Nam quamvis hoc unum ex iis esse putem, quæ nullo modo evenire queunt; tamen etiam dato non concesso eo mundi statu; non video quomodo salva manente tàm pravâ sententiâ, miserrimo impunitatis statui occurri possit; nisi fortè Deus, hucusque liberæ hominum voluntatis arbitrio, in posterum constricto; violenter aut miraculosè, ipsos in veræ pietatis constantia perpetuò detineat; quod in gratiam somniorum nostrorum non faciet. Ausim verò quovis pignore depositò pacisci, si quo miraculo Deus efficeret; ut hodie universus Mundus, nemine mortalium excepto, unâ cum verâ pietate sententiam hanc reciperet; vel ob istam ipsam, quam affert dissoluti regiminis indulgentiam, cras aut perendie majorem mortalium partem, in flagitia primùm mox scelera degeneraturam; nisi eodem miraculo in officio contineantur. Idem de quavis mundi parte, puta gente aliqua aut civitate aut pluribus dicendum censeo: quas si quo miraculo ad veram pietatem totas conversas videamus, hoc unum dogma intra breve tempus ita depopulabitur ut vix aliquas in ipsis postea veræ pietatis reliquias reperias. Neque enim illud ex hodierno hominum, qui illud recipiunt, statu æstimandum est, dum saltem alieni Magistratus, impunitati huic quam quidam promovent, aculeum quo nocere possit, eximunt. Serpentium quoque venenum gelu coagularum torpet; quos ubi clementior cura afflaverit, virus suum in eodem quo foventur sinu exerunt. Ita ipsa illa Ecclesia quæ blando ejusmodi indulgentiæ tepore venenatam hanc impunitatis viperam fovet atque educat, primos hujus pestis ictus malo suo sentiet. Neque ferè dogma istud, ita propagari potest, ut totam aliquam gentem aut civitatem occupet, quin inter eos qui illud promovent major pars veræ pietatis expertium irrepat, atque (ut Judas ait) clàm subeant ac subintrent; qui prætensam Domini nostri gratiam transferant ad lasciviam. Et alioqui dogma ipsum ejus est naturæ, ut non modo pravos homines inter asseclas suos admittere, sed etiam quos invenit innocentes, licentiâ depravare possit.

Non secundum. Quia licet non totus Mundus sententiam hanc una cum vera pietate conjunctam recipiat: nihil quoque impedit quominus magna aut certe aliqua pars mundi illam absque pietate recipiat; cum genius ejus ad impunitatem scelerum vergens magis hominibus injustis & astutis; quam probis & candidis adlubescat, atque eam regnare plus improborum etiam dum improbi sunt, quàm bonorum interfit. Itaque nulla tam provida rebus humanis ratio excogitari poterit; quin istâ sententiâ per orbem ita propagatâ, ut religio Christiana propagari debet, aut totus Mundus aut magna pars ejus, aut certe aliqua; atrocissimas pœnas luat, introductæ per eam, aut propagatæ scelerum impunitatis.

RATIO II.

Quemadmodum Auctoris ingenuitas laude digna est, quod actus justitiæ quales sunt bonorum tutela malorum punitio, qualis item parentum, liberorum, conjugum defensio per se & naturâ suâ atque (ut ait) intrinsecè bonos & licitos atque ejusmodi esse fateatur, quos ex officio nunquam sponte omittere debeamus: Ita nos quoque non modo pari ingenuitate, sed libenter quoque fatemur Deum, pro absolutæ

solutæ potestatis jure, eos nobis aliquando prohibere; atque, ut ipse ait, in certis casibus officii nostri disertionem nobis mandare posse; quod, quia tunc Dei causa & non sponte nostra facimus, sine cujusquam injuria fit. Hoc autem tunc evenire, restè addit, quando Deus per hoc vult fidei, obedientiæ & caritatis nostræ erga se capere experimentum; an videlicet ex toto animo ei confidamus & suprà omnia eum diligamus. Illustre ejus rei exemplum in Abrahamo filium immolare jusso habemus, cujus obedientia, fiducia, & caritas erga Deum, nobis, si quid simile occurrat, (ut aliquo modo in persecutionibus fieri solet) imitanda proposita est. Ergò quin Deus, ut Auctor ait, in certis casibus id nobis imponere possit, nulla inter nos controversia est. An verò id imponat, hoc est, an istos per se bonos, justitiæ actus nobis prohibeat, atque officii desertionem nobis mandet; quoniam Auctor ea de re, aliunde judicium fieri debere statuit, id quoque concedamus. Nam speciale istorum casuum in quibus Deus fidem nostram explorat, examen, ex inspectione ipsius mandati Dei ejusque circumstantiarum dependet. In genere tamen illud hoc loco mutuo nostro utrinque consensu decidi & constitui potest; quoties Deus aliquid ejusmodi mandat quod absque officii disserti crimine sponte facere non possumus; toties clarum & expressum, non per incertas & ancipites consequentias deductum mandatum requiri. Tale enim mandatum Abraamo necessitatem obsequii imposuit.

Deinde illa quoque quæstio ad hunc locum pertinet, nec alio amandanda est; an Deus (quod eum aliquando & in certis casibus ipse Auctor facere posse, nobis assentientibus statuit) sub novo fœdere semper atque ordinarie ab omnibus Christianis, ejusmodi fiduciæ experimentum exigat; quale in immolatione filii ab Abraamo exêgit. Nec enim facilè quis nobis persuaserit, quod interdum extra ordinem sibi Deus ex supremæ potestatis suæ plenitudine permittit; id ab eo perpetuò atque ordinariè fieri. Nec profectò semper Deus officia sibi debita, cum officiis quæ parentibus, aut liberis debemus committit; neque ordinarie deserere officium aut speciem aliquam peccati committere mandat. Rariora sunt ista absoluti ejus imperii specimina, quæ in perpetuarum legum consequentiam trahi non debent.

Præterea si quando Deus ejusmodi experimentum fidei atque obsequii, à suis exêgit, quod cum naturæ lege pugnare; & enorme aliquod delictum continere videretur; qualis fuit filii immolatio Abraamo injuncta, non passus est id executionem deduci. At Auctoris sententia istud genus delictorum à Deo ita mandari statuit, ut in ipsum actum ordinariè erumpat.

Sane in ejusmodi casibus fidei mortalium periculum facere; aut capere experimentum Deus non solet, nisi propter exemplum; quod in posterum imitaturis proponatur ut in Abraamo deprehendimus. At post emerita atque exsoluta Christianæ militiæ stipendia, quodnam aliud certaminis genus supereſt, cui ista exempla serviant? Nam divinationis incertitudo, nulla liquidâ revelatione subnixa, rei tam arduæ fidem facere nequit. A Christo sane ipso, qui pro perfectissimo & maximè imitando fidei & caritatis in Deum specimine nobis exhibitus est, ejusmodi obsequii quod vel levissimam disserti officii aut peccati speciem præ se ferret, experimentum nusquam exactum meminimus.

Sed præcipuè illa quæstio ad hunc locum pertinet, utrum verisimile sit Deum per Christum ejusmodi justitiæ actus vetuisse; qui non modò intrinsecè boni sint nec ad naturale tantum, sed ad morale quoque & civile officium nostrum pertineat, sed adeò humano generi necessarii, ut absque iis omnes civiles societates consistere nequeant. Quod nullo modo ab iis concedi potest, qui societatum istarum vincula non modo ex lumine rationis, sed Scripturarum quoque revelatione, per ordinationem Dei nexa & adstricta didicerunt. Proinde actus judiciales, quatenus ab iis proficiscuntur, quibus judicandi potestas à Deo tradita est, utrum sint Christianis vetiti aut non; quin ex Christi vel Apostolorum verbis decidatur non recusamus: quorum & ille officium Magistratui debitum cum officio Deo debito non pugnare & hi etiam sub Novo fœdere, post aurea secula à Christo condita, in Supereminentium potestatum judiciis, non adversus Deum delinqui; sed Deo ministerium à judicibus præstari, disertis verbis docuerunt.

Majorem in Evangelio quàm sub lege fiduciam & caritatem erga Deum exigi quis negat? Sed non statim omne id, in quo maximo cum nostro malo & enormi officii desertione, insigne fiduciæ & caritatis in eum specimen edi possit, Deus è manibus nostris requirit.

Christi causâ, renunciandum est omnibus. Sed non semper id Christus à nobis reposcit, nisi cum iniquitate persecutionum eò adigimur. Sponte ut renunciemus, Franciscus forte aut Dominicus poscit non Christus. Malum bono vincere in propriis injuriis pulchrum est, alienas, cum arcêre aut punire ex officio debeas, impunitas relinquere injustum est. Ingratis ac malis benefacere quoque jubemur, sed multò magis gratis atque bonis. Multùm tamen interest, benefacias alicui cum possis, an ipsius sceleri atque libidini, salutem tuam tuorumque prodas atque prostituas, cum eam legitimè servare possis. Nec isti beneficium à nobis accipere possunt, qui maleficio suo vitam nostram oppugnant; nisi fortè in potestatem nostram redacti, quorum malitiam tunc beneficio vincere, laudabile est. Damni præcipuè gravioris Christi causa suscepti, compensatio à Christo expectanda est, si & vere Christi causa susceptum, nec aliter legitime reparari queat. Nec injuria levior ulla sentienda, nec gravior unquam nisi ob gravem & justam necessitatem, citrà ultionis tamen impotentiam, propulsanda: idque (quo ad ejus fieri potest) nonnisi per eos quibus vindicta in terris vice Dei competit. Eodem enim in loco ubi ultionis jus Deus sibi vendicat, idem jus per ministerium Magistratus sese exequi per os Apostoli profitetur.

Christi verba non deprimuntur, dum quoties loci circumstantiæ permittunt, juxta naturalem æquitatem explicantur; quia & ista naturalis æquitas, dictamen est luminis illius à Deo infusi; quod si gratiæ lumine suprà captum suum attolli debeat; oportet ut istud sublimius lumen, clarâ revelatione aut disertis Sacræ Scripturæ verbis animis nostris infundatur.

Longè majoris commodi gratiâ, minus commodum negligendum est, cum per hanc viam illius assequendi spes affulget. Sed si minoris commodi jactura, ad longe majoris spem nihil conferat; ne minus quidem spernendum est, præsertim si comparatè quidem minus; at absolute longe maximum in hac vita, imò necessarium reperiatur.

RATIO III.

Ab iis qui in Christum nondum passum crediderunt, non fuisse exactam legum, quæ ad regnum ipsius propriè spectant, observationem; quamdiu Regni illius administratio eum nondum à patre suo adeptus: novum dogma est, & nullo aut Sacræ

Scripturæ testimonio, aut rationis fundamento subnixum. Quod antequam refellamus, videndum est quænam illæ sint leges, quæ ad regnum Christi propriè spectant; imò quodnam illud sit Regnum, ad quod istæ leges Christi spectare dicuntur. Atque è verbis quidem Autoris manifestum est, eum hic loqui de illo regno cælesti, quod post mortem accepit; non de illo precario & impropriè dicto regni genere, quod etiam vivens in terris exercuisse dici potest, cum colligeret Ecclesiam. At non tam obvium est, quasnam leges intelligat, quæ ad istud Christi regnum propriè spectent; & an omnes ejus leges, ad hoc regnum æquè spectare putet; an verò quasdam propriè, quasdam minus propriè. Nisi quòd illud dubium esse non videtur, Legem de abdicanda functione Magistratus, quæ iis qui ad Christum accederent lata esse prætenditur, ab ipso dici propriè ad regnum Christi pertinere. Quam tamen moralem esse non forensem; hoc est ad mores non ad ordinem publicum Ecclesiæ pertinere, negare ipse non potest. Nihil enim ex mente ejus in ea præcipitur quod ad gubernationem Ecclesiæ pertineat, quales sunt leges de Episcoporum aut Diaconorum functionibus, & si quæ sunt similes. Sed tantum ex mente Autoris, humilitatis & subjectionis virtus præscribitur, quæ in honoris desiderio frænando, aut potius tollendo versatur. Quod quidem ad morum, non ad Ecclesiæ regimen attinet. Proinde nihil in ea deprehenditur, quod efficiat ut illa magis proprie ad Regnum Christi pertineat, quàm reliquæ omnes morales leges à Christo traditæ. Abhorret autem à ratione, leges quæ ad moralem sanctimoniam pertineant; postquam latæ & promulgatæ sunt, non obstrinxisse homines ad obsequium; donec Legislator earum potestatem cælestem accepisset. Præsertim eas, quæ perfectissimarum virtutum specimen ab hominibus exigebant; & quæ non metu præsentis pœnæ cogebant; sed promisso vitæ æternæ præmio, homines ad obsequium invitabant. Moses imperfectiores leges tulit; nec ullam post eas latas novam potestatem à Deo accepit, imo ne in terram quidem promissionis admissus est & tamen leges ejus statim postquam latæ sunt omnes ad obsequium obstringebant. Si dixisset Autor ante missum Spiritum Sanctum cum homines nondum istud à Christo auxilium cælitùs habere possent; non tàm perfecta eos obedientiæ specimina edere potuisse; hoc utcunque admitti poterat. Sed non exactam fuisse præceptorum ejus obedientiam, antequam regni sui cælestis potestatem accepisset; audax & nulla rationis subnixa assertio est. Nam ad vim & vigorem legum & præceptorum ejus nihil conferebat potestatis illius, cui accipiendæ designatus fuit, repræsentatio; cum homines ad obsequium ejus doctrinæ non præsentium pœnarum violentia cogerentur; sed futurorum fide præmiorum invitarentur. An periculum erat ne, quòd nondum Christus puniendi potestatem accepisset; impunita manerent transgressionis legum ejus delicta? Atqui pœnarum irrogatio etiam in longum dilata; nihilo leviorem facit delictorum adversus leges culpam, nec ideo legis nexu ac vinculo exolvitur nocens; quia non est judex ad manum & lictor qui noxæ supplicium sumat.

Davidis exemplum nihil ad rem pertinet; cum is post unctionem suam, nullas leges tulerit, quarum obsequium demum, postquam regni possessionem adeptus est, exigeretur.

Regnum cælorum pro varia significatione suâ, vivente Christo in terris tàm appropinquasse, quàm venisse dici potuit. *Si ego per Spiritum Dei ejicio dæmonia; utique pervenit ad vos regnum Dei Matth.* XII. 28.

Johannis Baptistæ munus non fuit quidem perfectissimæ legis præcepta tradere, nec ab ipso illa exigimus. Sed quia spiritu Dei præditus fuit, non potuit saltem contraria doctrinæ ejus, cui viam præparabat, præcepta tradere. Nec enim ista præparatio, sed præpeditio viæ Christi fuisset; si quod Christus legibus suis, præsertim tacitis & obscuris, ut adversarii volunt, prohibiturus erat, Joannes apertè ac disertis verbis permisisset. Aut certè tàm apertam ejus permissionem, clarâ etiam & manifestâ lege, Christus aut saltem Apostoli sustulissent.

Curiosarum artium studiosi Christum professi erant *Act.* XIX. 19. & tamen speciatim de ipsis refertur, illos adeò studiis suis renunciasse, ut maximam pretiosæ istarum artium supellectilis jacturam fecerint. Abdicationem Magistratus cum externa nominis Christi confessione semper conjunctam fuisse, affirmatu quàm probatu facilius est. Nicodemum certe *Joh.* VII. 50. legimus patrocinium Christi palàm suscepisse; & quidem ita ut assertionem Pharisæorum, qui neminem è principibus in Christum credidisse ajebant, exemplo suo refellere velle videretur. Nec tamen illum ab officio, si quod habuit dejectum legimus.

Magistratuum gentilium imò & ipsius militiæ functio; quamvis non esset absque periculis & salebris suis in quibus Christianæ professionis castimonia periclitabatur; non adeò tamen obnoxia & affixa fuit Idololatriæ, quin ejus culpam effugeret qui vellet; quemadmodum & omnes mundi viæ laqueis tentationum obsitæ sunt, nec tamen in iis omnes cespitant aut cadunt. Testis est orbis Romanus olim sub jugo idolorum gemens, tandem per ipsos Magistratus ab hac tyrannide ereptus.

In ea quæ Cornelius aut Sergius post agnitam veritatem, egerint, ob silentium historiæ inquirere non licet: sufficit ab iis exactum non esse ut functiones officiorum suorum deponerent. Nam ubi neque legibus apertis, neque exemplis docemur Christianos ab istis functionibus abstinere debuisse; cum tamen & legum expressarum occasio; & exemplorum materies non defuerit, magnum hoc est ad prætensi interdicti vanitatem præjudicium.

Paulus ut legitimum gladii usum ad tutelam sui à Lysia non petierit: satis est eum neque aspernatum esse; & absque ullius doctrinæ necessariâ præmonitione transmisisse. Nam si Autoris sententia vera est, Scandalum quod à Paulo in ejusmodi sui defensionem consentiente; eique nullo verbo aut dissensus indicio repugnante commissum videri potuit, egebat saltem aliqua aperta significatione voluntatis & mansuetudinis Pauli; quòd inimicis suis isto modo resistere noluerit; & quicquid tunc factum est, ipso invito factum fuerit. An ad excusandam raptæ per vim virginitatis culpam, satis est raptoris audacia si nulla extent, neque in verbis, neque in factis raptæ reluctantis vestigia? Denique cum Paulus actionum suarum ducem Spiritum Dei habuerit; neque ipsi hæc prætensæ patientiæ aut non resistendi fama & existimatio cordi fuerit; apparet ne à nobis quidem eam Spiritum Sanctum exigere.

RATIO. IV.

Quemadmodum per bonam de imperantibus opinionem, subjectio & obsequium erga illos confirmatur & stabilitur; cujus rei testis est Spiritus Sanctus, qui non alia meliori ratione eam subjectionem suadet quàm quod istæ potestates sint bonæ, ordinatæ à Deo, ministræ Dei in bonum bonis, quibus propter conscientiam parendum sit: ita per ministram

nistram de iisdem persuasionem idem obsequium erga illos convelli necesse est. Quæ verò pejor ac sinisterior de eo qui Magistratum gerit persuasio fingi potest; quàm si putemus eum adversus Christum, quem ore profitetur, esse rebellem, impium non Christianum; atque ipso Ethnico pejorem, qui potestatem quâ ipsi Deus interdixit, usurpare audeat. Multum enim interest inter legitimum possessorem & usurpatorem potestatis. Nam legitimis Magistratibus ultrò & æquo animo obtemperatur: illegitimis & usurpatoribus, nisi cum violenter adigimur. Neque hoc dogma eo excusatur, quod Christianos non cogat invitos & quidem contrà conscientiam suam, juri potestatis suæ, quod natura vel lege aliquâ obtinent, renunciare. Primùm enim satis cogit, si eos salutis amittendæ periculo id facere compellit, & satis invitos: quis enim libenter renunciet juri atque eminentiæ, quæ ipsi legitimè competit?

Deinde mirificè ineptum est, quod additur; dogma istud non cogere homines ut contrà conscientiam potestati renuncient.

Primùm enim nullum dogma, quo homines decipi solent, per se cogit homines ut contrà conscientiam peccent; sed vel pernicioſissimus error homines una cum conscientia sua circumvenit: ita ut eo defensionis genere nullum dogma excusari possit. Deinde ad convellendum obsequium subjectorum, sinistra de imperantibus opinio sufficit; quæ vera sit an falsa, mulceat aut torqueat conscientiam nihil refert; dum in animis hominum infigatur & hæreat. Atqui isti homines, qui idem cum Autore sentiunt, cum sententiam suam non modo veram, sed & apertè à Christo & Apostolis traditam existiment, eos Christianorum qui dissentiunt, suspicantur non aliam ob causam, nisi ob carnales rationes opinionem hanc repudiare, & ita contrà conscientiam delinquere; quod satis est ad animos succo loliginis & ærugine mera adversus eos imbuendos.

Munera & ministeria Christianorum quæ ipsis Deus in Ecclesia (ut Autor ait) disposuit, à muneribus & ministeriis ordinationis Dei forensis, nos quoque distinguimus; & in ea distinctione, nihil adversus dominationes contemptus deprehendi putamus. Sed in eo non modo contemptum sed etiam illam, quam Petrus falsis prophetis tribuit, dominationes convitiis incessendi culpam notamus; quoties aliqui mortalium, eos, qui etiam sub Novo fœdere in supereminentibus potestatibus à Deo ordinati sunt nullam aliam ob causam, nisi quòd in ea ordinatione Dei ministri sint, Dei Christique rebelles, impios, Ethnicos, & ab Ecclesia alienos & sempiterno exitio destinatos, asserere audent.

CAP. X.

Explicatio loci Rom. XIII. 1. & seqq.

I.

DUpliciter ostendit Auctor nostram de Magistratu sententiam ex isto loco astrui posse: primum ex præcepto subjectionis Magistratibus. Secundo ex rationibus à descriptione potestatum ductis. Utramque deductionem oppugnando; principio ostendit ex præcepto subjectionis non posse probari eam potestatem, cui subjectio mandata est Christianis competere ob duas causas. Quarum prior est, quia etiam hominibus malis & injustis ac violentis ministerium & subjectio mandata est. Nec tamen injustitia & violentia Christianis competit. Posterior est, quia scimus eos quibus ut præstaretur imperata est, alienissimos à Christianismo fuisse.

Quamquam autem non ex solo subjectionis præcepto nudè considerato, sententia nostra deducatur, tamen & hujus deductionis oppugnationem, irritam & inanem esse ostendimus. Illud tamen ante omnia monendum est, eos qui velint ex præcepto subjectionis pro nostra sententia argumentari, ex imperata subjectione non id deducere debere: quod illos quibus præstari imperatur omninò & semper Christianos esse necesse sit: sed quod eos Christianos esse nihil repugnet. Futile igitur est; & statim uno verbo rejiciendum alterum illud quod posterius affertur oppugnationis membrum, quod illas potestates cum id Apostolus præciperet, alienas à Christianismo fuisse ostendit, quia statum quæstionis nostræ non attingit. Fatemur enim subjectionem posse imperari potestatibus etiam non Christianis præstandam: sed non ideò illa potestatibus quoque Christianis competere nequit. Nec quia non omnis cui subjectio præstatur est Christianus; ideo nullus eorum quibus subjectio præstatur est Christianus. quia latius patet subjectionis aut imperii officium; quàm ut ad solos Christianos adstringatur; quod qui non animadvertunt in laqueum fallaciæ consequentis facile incidunt.

Nam quod ait Auctor; quicquid hic de potestate dicitur, de eâ dici quæ inter gentes erat, sine Deo in hoc Mundo; sine salutari notitiâ ejus; tantum abest ut aliquid deroget bonitati aut commendatum hujus potestatis; ut multo plus adjiciat, quàm si ista potestas legitima ac Deo placens esse non posset; nisi in bonis viris ac Deo placentibus. Apparet enim quicquid in ea est boni ac Deo placentis, non esse aliunde adventitium & ex accidenti, sed naturæ suæ insitum, & ex illa per se promanans. Quod si natura ejus ea est, ut etiam in malis hominibus & à Deo alienis, non corrumpatur; sed legitima & Deo placens manere possit: multò magis in bonis & Deo proximis. Quem enim magis deceat in terris Dei vices gerere; eumne qui propius ad Deum accedit; an qui ab eo alienior est? Nec video res, cui à pravitate hominum penes quos est, pravitatis contagium adeò non affricatur, ut à Deo approbetur & ministerium ejus dicatur, si penes Christianos sit; quomodo iis aliquid pravi ac Deo displicentis affricare possit. Certè quod Deus etiam in malis hominibus pro ordinario ac legitimo ministerio suo agnoscit, quomodo in bonis viris & omnis æquitatis ac justitiæ servantissimis pro crimine adversus voluntatem suam commisso accipere possit, dispicere nequeo.

Quod autem subjicit Auctor Christianis laudes, quæ hic potestatibus tribuuntur competere non posse; quia in hoc à gentibus Mundi discernuntur, puta quod ipsis politicum regimen à Christo *Matth.* xx. rejectum, non competat, falsissimum est. Nam in eo Christiani à Mundi gentibus discerni nequeunt, in quo ipsos Christus alibi & hic Apostolus pari conditione cum gentibus esse vult. Aliud enim est regimen spirituale Christianorum à terreno sive gentium sive ipsorum Christianorum regimine discernere; aliud ipsos Christianos in terreno regimine à gentibus discerni ac separari velle. Non dominatio tantum coactiva, sed & servitus omnis à spirituali Ecclesiæ regimine exulare debet. An igitur in terreno regimine Christiani ob istam spiritualem regiminis sui libertatem, à subjectione dominantium exempti censebuntur? Nam si per prohibitum in Ecclesia dominationem, Christianis in Republica quoque dominatio prohibita censebitur; per prohibitam quoque in Ecclesia servitutem aut subjectionem Politicæ similem, iisdem in Repub. quoque

subjectio

ſubjectio politica, prohibita cenſenda eſt. Quod quia falſum eſt; ne illud quidem verum eſſe poteſt.

Nam quod addit, de Chriſto & Apoſtolis omnes fateri quod in eo à gentibus mundi diſcreti fuerint (puta quod à Coactivo Reip. regimine penitùs abſtinuerint) qui tamen ubique id quod optimum & maximè laudabile eſt ſectati ſint; ne id quidem uſquequaque verum eſt. Primum enim quod ad terrenum regimen attinet, eos ab hoc regimine ſeſe non diſcreviſſe; ſed ipſi planè ſubjeciſſe conſtat: nec ullum diſcrimen inter ſe & alias gentes in obſequio poteſtatum terrenarum ſub quibus erant in ſua Repub. eſſe voluiſſe, quod ſatis eſt ad id, ut in terreno Reipub. regimine ab aliis gentibus diſcreti non fuerint. Neque enim omnes imperare poſſunt, & tamen omnes ad regimen Reipub. pertinent, etiam qui parent. Quod igitur Chriſtus & Apoſtoli non imperaverint; in eo a gentibus hujus Mundi diſcreti eſſe non potuerunt, cum longè major pars eorum qui ex gentibus erant, non imperaverit, ſed tantùm ſicut Chriſtus & Apoſtoli paruerit. Deinde quod ad Coactivi regiminis imperium, ne ab iſto quidem Chriſtus ipſe abſtinuiſſe dici poteſt, præſertim poſt exaltationem ſuam. Denique non omnia, quæ in Chriſto & Apoſtolis quantumvis maximè laudabilia ſint; omnibus promiſcuè ad imitandum proſtant; aut præſtituta ſunt.

II.

Quod attinet ad prius refutationis membrum, mirum eſt profectò, rem adeò falſam; & ab omni ſpecie veri abhorrentem in eo ſumi ac pro certò affirmari. Nam niſi vocum ambiguitate falli velimus, hominibus injuſtis quâ tales, ſubjectionem imperatam eſſe affirmare non poſſumus. Longè aliud enim eſt patientia injuriarum; aliud miniſterium & ſubjectio poteſtatibus debita. Qualem omnibus etiam privatis injuſtis imperatam, aſſertio eſt nimium evidenti fallitate conſpicua. Quantum enim eſt intervallum inter miſerrimam injuriarum & illegitimæ violentiæ perpeſſionem: & beatiſſimam legitimæ poteſtatis ſubjectionem. Conſiderandæ enim res ſunt per ſe & ut ſunt in ſua naturâ; non per accidens ſi quâ in re fortè à ſua natura recedunt, & ipſis aliquid vitii accidit. Itaque ex mente Dei & rectæ rationis præſcripto Legitimæ parendi ac imperandi vices, inſtitutæ ſunt; ut ſublato miſero injuriarum ac violentiæ ſtatu ſocietates mortalium ævum beatius ægant. Adeò igitur hæc pro eodem accipi non poſſunt, ut alterum perimat alterum. Nam ut felix ſtatus miſerum, ita ſubjectio legitimo Magiſtratui imperata; tàm licentiam injuriarum tollit quàm patiendi neceſſitatem, aut occaſionem.

Deinde animadvertendum eſt, ſubjectionem & injuriarum patientiam, non modo quoad naturam utrinque ſuam, plurimùm inter ſe diſtare; cum altera circa ſtatum permanentem ac perpetuum, altera circa actiones fluxas & extraordinarias verſetur: ſed etiam quoad imperandi quo præcipiuntur modum. Aliter enim nobis ſubjectio Magiſtratui debita, imperata eſt; aliter injuriarum patientia. Nam ut decreta, ita & imperia Dei, alia ſunt abſoluta, alia conditionata.

Quod ut rectius intelligi poſſit revocandum eſt in memoriam, quædam Deum velle abſolutè; quædam tantum permittere. Atque in iſto rerum à Deo permiſſarum genere verſantur decreta conditionata; ex quibus & ipſa promanant ejuſdem generis præcepta. Exemplo ut rem declarem Deus vult ut ſint eminentes poteſtates inter homines. Id ut abſolutè vult; ita & abſolute decernit atque ordinat & imperat; ut iſtis poteſtatibus ſubjectio præſtetur. At Deus nequaquam abſolute vult, ut homines injuſti ac violenti alios injuriis vexent. Permittit tamen id fieri: ſed in eo caſu privatis injuriarum patientiam præcipit; quod præceptum ſicut & antecedens decretum, & voluntatem Dei conditionata voco. Quia ipſis tum demum locus eſt ſi id evenerit, quod Deus quidem accidere nollet ſed ſi accidat, normam hominibus privatis, quomodo ſe in eo gerere debeant præſcripſit. Longè igitur maxima eſt differentia inter præcepta abſolutè & conditionate imperantia; non modo in diverſa rerum præceptarum naturâ; quod, ut diximus, illa cum ex abſoluta Dei voluntate profluant, ſemper & ordinariè locum habeant: hæc autem cum ex permiſſione tantum eorum, quæ Deus fieri nollet, non ſemper niſi conditione poſita; eaque tali quam poni & accidere Deus nollet ideoque rarius & quaſi extra ordinem admittantur) ſed etiam in ipſâ obſequii ratione. Non quòd abſolute loquendo omnibus præceptis quomodocunque imperentur, obſequium promptè præſtandum non ſit; ſed quia comparatè iſta præcepta conſiderando, ſi quando accidat ut obſequium in iis quæ abſolute imperata ſunt, cum obſequio in iis, quæ conditionate; ita concurrat; ut alterutrum duntaxat præſtandum ſit, conditionata abſolutis cedere neceſſe ſit. Exemplo res liquidior erit. Deus ut ſalutem hominum ita media ad ædificationem Eccleſiæ ſpectantia, prædicationem, admonitionem, correptionem; præſertim ab iis quibus id commiſſum eſt fieri abſolutè vult. Cæterum ſicut ſcandala & offenſiones ut eveniant non vult: ita ne homines quidem pronos eſſe vult ad accipienda ſcandala. Si tamen contingat ut homines ſint ad ea accipienda proni: vetat eis præberi occaſionem ſcandali. Atqui evenit aliquando ut homines propter aliquam correptionem, quamvis non iniquè factam offendantur & à religione deſciſcant. Cum igitur ejuſmodi anceps metus ac deliberatio occurrit; ut aut præcepto Dei de correptione aut præcepto de non danda occaſione ſcandali parendum ſit; hoc tanquam conditionatum illi tanquam abſoluto, cedere neceſſe eſt. Tranſeamus nunc ad ſubjectæ materiæ viciniora exempla. Ut fratres ſpirituali vinculo conjuncti ſe mutuò ament: ſibique mutuò in aliquo caſu, etiam cum periculo vitæ ſuæ legitimè opitulentur Deus abſolutè vult. Ut injurias injuſtorum ferant neve illis præcipuè gravius noceant, conditionatè; ſi nimirum, quod nollet, ipſis præter fas illatæ fuerint. Si igitur contingat ab homine injuſto qui me injuriâ affecit calumnia circumventum fratrem de vitâ periclitari; quem ſeu teſtimonio ſeu indicio meo, ſervare poſſim, ſed non ſine periculo pœnæ talionis homini ſceleſto irrogandæ; quis me conditionato præcepto obſtrictum putabit ut abſolutum Dei præceptum deſerendo fratrem, violem; metuens ne illum in defenſione legitima malo aliquo afficiam; qui me prior malo affecerat, & ita conditionatum Dei præceptum tranſgrediar? Ita videmus quod officia hominibus injuſtis & pravis debita; quos Deus tales eſſe nollet; ſi cum iis concurrant quæ hominibus bonis & juſtis debentur; qui tales ſunt quales eos Deus eſſe vult: illa potius iſtis, quàm hæc illis, cedere non æquum modo, ſed neceſſe ſit. Neque id mirandum eſt. Nam ſi in periculo nocendi infirmis in iis, quæ ad ſalutem eorum pertinent, officium erga eos non ultrà protenditur; quàm ut in gratiam eorum res licitas tantum omittamus, non autem imperatas nobis aut injunctas. Multò magis in periculo nocendi inimicis in iis quæ ad corpus eorum pertinent, ea tantum quæ nobis licent neque id ſemper omittere debemus, non ea ad quæ jure divino humanoque obſtringimur: hoc eſt de noſtro duntaxat jure deſcendere (neque tamen id in infinitum) non alienum

invadere

invadere aut quoquomodo violare. Hæc enim est rerum licitarum natura quod nobis non desit jus eas faciendi.

Non sum nescius sententiam hanc eo nomine suspectam esse posse, quòd periculum sit ne prætextu ejus ad cupiditates suas homines abutantur, cum contraria sententia in adversum extremum declinans, tutior esse videatur. Sed nec ista suis periculis caret; & illius abusus, qui per malitiam mortalium interveniunt, efficere nequeunt, ut legitimus ejus usus pravus sit. Nec unquam veritas ab utilitate legem accipit. Sed potius utilitas ad veri amussim exigenda est; si veram eam non autem apparentem consectari malimus. Tollantur igitur rerum omnium abusus, maneat usus.

Sed ut ad Autoris argumentationem redeam; hinc patet, quàm evidenti falsitate sese ipsa redarguat. Nam si hominibus etiam privatis, etiam injustis, dum injurias inferunt subjectio imperata esset, quemadmodum potestatibus imperata est, profectò jus quæsitum; ac divinitus datum fuisset inferendi injurias; quale potestatibus per ordinationem Dei datum est; ut à populis subjectis injurias arceant. Nam hujus officii quod alicui lege Christi, tanquam debitum & competens, ideoque præstandum præcipitur, jus ei, cui præstandum est, eadem lege manifeste tribuitur, & quasi acquiritur, ut is illud injusta possidere & adversus Christi legem usurpare dici nequeat: quod illi competere ac deberi, ipsa lex Christi judicavit ac decrevit. Loquimur autem de officiis ac præceptis, ex absoluta non conditionata Dei Christique voluntate profectis; quorum ea est indoles, ut si quid alteri præstandum præcipiant; ipso facto jus alteri tribuant, ejus officii quod præcipitur, meritò ac licitè exigendi: quemadmodum præceptum Dei de honore parentibus debito, dat jus parentibus honoris ejus à liberis exigendi; quia Deus non modo id vult, ut liberi parentes honorent; sed etiam id, ex quo is honos sequitur; ut parentes præ liberis emineant, & patriam potestatem super ipsos habeant; quod est plane absolute velle, cum quis non modo ipsum effectum, sed etiam causam & occasionem ejus vult, atque approbat.

Secus evenit in iis quæ ex voluntate Dei conditionata promanant, in quibus Deus causam & occasionem ejus actionis neque vult, neque probat, quam actionem interdum vult & præcipit: quale est præceptum de non resistendo hominibus injustis, quod à Christo *Matth.* v. præceptum est. In quo non ideo improbis, jus exigendi à læsis ne sibi resistant; multò minus jus injuriis alios afficiendi, collatum est. Nec enim istud præceptum ex absoluta sed ex conditionata Dei voluntate proficiscitur, qui absolute non vult cuiquam injuriam inferri: sed tantum permittit id fieri; & quidem permissionis genere imperfectissimo: quod videlicet non *Prohibitioni* sed tantum *impeditioni* opponitur. Quod permissionis genus adeo nemini jus, ad rem eo modo permissam faciendam, dare potest; ut ne impunitatem quidem donet; de qua permissionum distinctione, quia infrà pluribus disseremus, nunc dicta sufficiant. Si igitur, ut dicere occæpimus, subjectionis hominibus injustis officium lege Christi ita præceptum diceretur, ut subjectio Magistratibus præcepta est, non jam istæ quas injusti inferunt injuriæ, neque ipsi injusti dici possent; & una cum vocabulis rerum quoque ipsarum natura funditus inverteretur & ima summis non mista tantum, sed (quod pejus est) commutatâ sorte, superposita introducerentur; ita ut detrusa in vetitæ culpæ carcerem, omni juris, & ordinis in rebus humanis custodiâ, effrænis atque effrons improborum licentia, non modo in perniciosæ impunitatis; sed etiam nocentissimæ innocentiæ jus assereretur. Quæ quia ab omni ratione abhorrent, vix adducor ut credam Auctorem (cujus judicium quoties non gravatur præjudicio acerrimum novi) id quod verba præ se ferunt, dicere voluisse. Verum cum ex præcepto subjectionis Christianis dato, argumentationem ad permissionem imperandi iisdem Christianis, ductam, refellere vellet: & videret eam ex relatorum naturâ vim suam mutuari; ad prosyllogismum magis quàm syllogismum eius respondendo, breviter ostendere conatus est, ex eo quod unum relatorum præceptum sit, non consequi alterum quoque præceptum aut permissum esse. Nam quemadmodum subjectio & dominatio, ita illatio & perpessio injuriarum, inter se relata sunt; nec tamen ex eo quod perpessio seu patientia injuriarum præcepta sit; inferri posse, illationem injuriarum permissam, multò minus præceptam esse. Hæc responsio minùs absurda esse & magis ad rem pertinere videtur; ideò nobis expendenda est. Animadvertendum igitur est, præceptam injuriarum patientiam & earundem illationem, non eodem modo esse *Relata*; quomodo dominatio & subjectio politica inter se sunt *Relata*. Hæc enim sunt *relata perfecta* quibus illæ duæ proprietates relatorum perfectè competunt. Primùm quod sint simul natura. Secundo quòd mutuò convertantur ac reciprocentur. Posita enim dominatione tali; subjectionem quoque talem, poni necesse est, & contrà pariterque sublata altera alteram tolli. At illatio injuriarum & præcepta patientia, si relata sunt non sunt relata perfecta, neque simul sunt natura semper, neque mutuò convertuntur. Nam posita injuriarum illatione non statim ponitur earum patientia, quia loco istius, frequentius eam sequitur injuriarum retaliatio, aut medium quid inter ultionem & tolerantiam. Sic & sublata injuriarum patientia, non statim tollitur earum illatio.

Quod si quis dicat inter patientiam quidem & illationem injuriarum non esse mutuam & perfectam relationem: at inter earum illationem & perpessionem, perfectam esse ac mutuam, non minus atque inter actionem & passionem; huic regerimus perpessionem eam, quæ cum illatione injuriarum natura simul est; ad propositum non pertinere; cum non illa perpessio quæ ab injuria separari nunquam potest; sed illa quæ etiam posita injuriarum illatione, abesse potest, & frequentius solet, patientia mandata sit. Nam hæc in nostra potestate, & nostra actio est; illa in aliena potestate & alienæ actioni natura sua cohæret, nec ab ea ullo modo separari potest. Aut igitur præcepta injuriarum patientia, illationis earum verum relatum non est: aut si quomodo ut relatum ejus confiderari potest: non est relatum perfectum, quod cum correlato natura simul est: sed imperfectum, & ex eo relationis genere, quod Scholastici, non *secundum esse* sed *secundum dici* vocant. Nihil igitur obstat, quamvis imperfecta relata non reciprocentur; quominus relata proprie ac vere sic dicta, simul natura sint ac reciprocentur: ac proinde quominùs Deus, quoties alterum è relatis propriè dictis populo suo imperat; toties alterum illius correlatum saltem permittat, & quidem permissione verè ac propriè sic dictâ.

Objiciet tamen quispiam ex nuda relationis vi non posse evinci, quia unum relatorum etiam perfectorum, à Deo populo suo permissum sit, alterum quoque permissum esse. Nam &

in proposito exemplo perpessio injuriarum quæ arctiori ac mutuo vinculo cum illatione connexa est ; ita à Deo permissa est ; ut ob eam solam nemo puniatur. At inde non sequitur, correlatam ipsi illationem injuriarum, ita permitti ; ut non puniatur ; quamvis naturâ cum illa simul sit ac reciprocetur. Potest igitur alterum Relatorum etiam perfectorum vetari ; alterum permitti.

Sed hoc loco primum animadvertendum est eos, quos hæc objectio petit ; non ex permissione ad permissionem ; sed ex imperatione unius relatorum, ad permissionem alterius argumentari.

Deinde *Permissionis* vox, quæ multam hic caliginem afferre potest ; & hoc loco manifesta æquivocatione disputantibus imponit, distinguenda est.

Permissio enim alia est Vera ; alia Apparens. Vera est, quæ & in rebus aut actionibus culpæ & pænæ capacibus versatur. & *prohibitioni opponitur* : & semper impunitatem habet comitem. Quæ quidem ipsa aut *plenior* est, quæ potest dici *Permissio juris*, cum aliquid ipso jure permittitur (quæ & ipsa prout apertius aut obscurius lege expressa est, diversos gradus habere potest.) aut *minus plena & imperfectior*, ut cum ad imbecillitatem hominum, ita connivetur, ut eorum actiones, nullæ pœnæ consequantur ; qualia erant sub Veteri fœdere multa, ad quæ connivebatur : quæ permissio *Conniventiæ* dici potest. Apparens est, quæ non *prohibitioni* : sed *impeditioni* opponitur, eaque est in duplici differentia. Aut enim in rebus culpæ & pœnæ capacibus versatur ; & Impunitatis planè expers est ; nec ullum habet ejus (nisi fortè ad aliquod tempus concessum,) privilegium ; quæ verè Impunitas dici nequit, sed potius pœnæ dilatio : quali permissione Deus illationem injuriæ ut alia delicta, fieri permittit. Aut impunitatis quidem expers non est, sed impropriè sic dictæ, quia versatur in rebus neque culpæ neque pœnæ capacibus. Quod quidem *permissionis* genus nonnisi per catachresin ita dici potest : nec prohibitioni proprie dictæ opponitur ; quæ nonnisi in iis locum habet quæ culpæ & pœnæ capacia sunt. Privatio enim præsupponit habitum ; & impunitas culparum aut pœnarum creatum. Talis autem est ista permissio ; qua Deus permittit, hoc est, non impedit ; neque punit, perpessionem illam injuriarum, quæ cum earum illatione arctiori Relationis nexu copulata est ; cum tamen ipsam ejus illationem puniat ; & prohibeat.

Hac distinctione præmissa patet, si Vox Permissionis de vera & proprie sic dicta permissione intelligatur, (quomodo à nobis sumitur, cum Magistratuum gerendorum potestatem Christianis permissam, asserimus) falsum esse ; quod Relatorum perfectorum ; alterum Vetari possit, alterum permitti. Quicquid enim ita permittitur, ut omnem prohibitionem propriè dictam excludat illius relatum, quia cum naturâ ejus plane connexum est, prohiberi nullo modo potest, quin alterum quoque prohibeatur, quod contradictionem implicat : quod & viceversa liquido cernitur ; quicquid verè prohibetur oppositum illi relatum verâ & propriè dicta permissione (quæ omne interdictum excludat) permitti nullo modo posse.

Secus accidit si vox permissionis, de illa ignobiliori ejus specie intelligatur, quæ quia prohibitioni non opponitur ; sed tantum impeditioni ; nihil mirum est ; non modo eorum quæ natura simul sunt, seu Relatorum, alterum vetari alterum permitti ; sed unam eandemque rem & vetari & permitti posse, quemadmodum peccata & prohiberi & permitti videmus. Quod si altero relatorum perfectorum bona fide permisso ; alterum verè permittitur ; multo magis altero imperato, alterum permitti necesse est. Quia Deus contradicentia velle nequit. Si igitur absolute vult & imperat ut alterum eorum quæ natura simul sunt fiat ; alterum nolle aut vetare non potest ; ideoque ut saltem permittat necesse est. Aliàs si posita subjectione politica quam Deus imperat, gubernationem & potestatem politicam ; quam ex adversariorum hypothesi, Deus vetuit ; existere necesse est ; per quam interdictum dominationis violatur ; certè ex ipso præcepto Dei, violatio interdicti ejus necessario consequitur. Atqui hoc absurdum. Absurda igitur & adversariorum hypothesis. Nam instantia de relatione inter imperfecta relata, jam solide elisa est.

Quod si illuc adversarii confugiant ; præceptum subjectionis non ex absoluta sed ex conditionata voluntate Dei proficisci (quemadmodum suprà præceptum de non resistendo injuriis, ex ea proficisci diximus) qui aliàs maluisset ; nullos esse in terris qui civiliter imperarent & subjectis populis parendi necessitatem afferrent : Id profecto dici nequit de eo ; qui in ipso quoque cælo Thronos, dominationes, potestates ; & omnibus his præpositum atque imperantem Christum esse voluit.

Patet igitur, ob ipsam quoque perfectæ relationis vim, ex præcepta subjectione sequi, jus dominationis esse permissum : atque ex ea nihil obstantibus quæ ab Auctore dicta sunt, aut dici possunt, merito posse deduci.

Nam si Auctor excipiat non de eo quæri, utrum jus istud à Deo permissum, sed an Christianis permissum sit ; nos præstructo jam & firmiter jacto isto fundamento ; ostendemus, cum subjectio politica ipsis Christianis præcepta sit, nullam justam & sufficientem causam afferri posse, ob quam vicissim dominatio ipsis Christianis interdicta censeri debeat ; quia nullum ex aliis relatis, perfectè ita dictis, ostendi potest, quod Christianis præceptum sit ; cum ejus correlatum iisdem sit interdictum. Præterea animadvertendum est, ut Christianis, quâ tales sunt, aliquid esse licitum ostendatur ; sufficere ut evincamus id temporibus Novi fœderis, absolutæ Dei voluntati nullo modo repugnare posse ; quin illud verâ & propriè sic dicta permissione fieri etiam sub Novo fœdere, permittat ; permissione inquam, quæ plane impunitatem habet comitem. Quomodo enim Christiani ob id puniri queant ; quod eo permissionis genere etiam regnante in cælis Christo, permissum est, quod omnem pœnam excludit ? Præsertim quia cuncta quæ in contrarium afferuntur argumenta superioribus capitibus jam submovimus. Accedit quod istud subjectionis præceptum ita sit traditum, ut in eo non modo nulla expressa mentio facta ; sed ne suspicio quidem ulla relicta sit, prohibitæ iisdem dominationis. Quod si Autoris sententia vera esset ; si usquam alibi, hic certè necesse fuit ; præmoneri Christianos, ne dum viderent sibi id præcipi ; quod cum dominatione indissolubili vinculo conjunctum est ; & quo posito, poni dominationem necesse est ; ipsam quoque dominationem & potestatem supereminentem ; præsertim tot honestis elogiis à Paulo exornatam ; sibi licitam esse censerent. Præcipuè cum Religio Christiana ita propaganda esset ; ut non modo integra regna atque imperia ; sed & totum pene Orbem, ut eventus ostendit, impleret : & scopus ipsius Dei atque Apostolorum prædicantium, is fuerit ; ut Omnes homines ad agnitionem veritatis pervenirent.

Atque ita ostensum est, etiam ex nudo politicæ subjectionis

subjectionis præcepto Christianis dato, posse colligi politicam dominandi potestatem iisdem vetitam non esse.

Verum jam tandem ad alteram Responsionis partem veniamus, quam affert Autor, dum rationes à descriptione potestatum ductas refellere conatur. Ait igitur. Ex eo quod istæ potestates sint à Deo & à Deo *ordinatæ dicuntur nihil aliud evinci; quàm voluntate Dei ordinante & approbante regnare, qui regnant. Ordinare autem & approbare Deum electionem & officia Magistratuum, per legem naturalem cordibus homini inscriptam; non per specialia præcepta aut regulas expressas, secundum quas eligi & gubernare deberent, per qualia præcepta & regulas ordinaverat olim Deus Rempublicam Hebræam. Cum autem per talia præcepta nunc Christianam Rempublicam non ordinaverit, apparet illum nec Majestati nec potestati terrenæ locum inter Christianos reliquisse.*

Ut in respondendo à nobis aliquis ordo servetur, ostendemus. *Primùm.* Etiamsi nihil plus ex isto loco evinceretur quàm voluntate Dei ordinante & approbante; per legem naturalem cordibus inscriptam Magistratus in subjectos potestatem exercere; tamen satis id esse ad probandum potestatem eorum Christianis non esse vetitam.

Deinde. Longè plus ex eo loco evinci quàm quod hæc potestas à Deo duntaxat per legem naturalem, ordinata & approbata sit.

Quod ad primum attinet. Quicquid Deus non modo approbat sed etiam ordinat, quomodocunque id faciat, sive per Rationem, sive per revelationem, aut Sacram Scripturam; saltem tunc cum id approbat & ordinat; non potest esse nisi rectum ac bonum, & consequenter licitum. Neque id à Christo aut Christianis tolli, aut damnari, aut prohiberi potest; nisi eos ab Unitate & communione Dei segregatos fingamus. Cum igitur Auctor fateatur eum sub Novo fœdere per legem naturalem, quam ipsemet cordibus nostris insculpsit, ordinare potestatem Magistratuum; quomodo eandem legem, eodem tempore per Christum ex cordibus nostris delere? eandem potestatem abrogare censendus est? Quid ita, Deum eodem tempore, sibimetipsi non constantem? aut Christum Deo repugnantem introducimus? Non potest igitur esse verum id, quod ne commemorari quidem absque Dei & Christi contumelia potest.

Quid? si ne verisimile quidem esse possit. Nam Christus in re tanta; humano generi tàm necessaria; dissensum ac discessionem suam à patre; in doctrina sua evidentioribus documentis aperuisset; quam ut ullum de eo dubium, in cujusquam animo superesse posset. Dictamina profecto rationis; quia penitùs insita sunt, puris putis conjecturis, erui atque exstirpari non possunt. Cedò autem claram legem, de proscripto à populo Christi Magistratu. Nihil videmus nisi miseris & precariis hypothesibus innixum; aut ex appendicibus aliud agentium legum sinuosis anfractibus evolatum, & posteà optimorum verborum res intus falsas aut dubias occultantium, colore speciose incrustatum.

Alterum ut planum fieri possit, animadvertendum est, quod hic Autor legi naturali in cordibus inscriptæ; legem divinam in codice Sacro inscriptam opponere videtur: & fatetur licentiam potestatis, in subjectos exercendæ voluntate Dei ordinante inscriptam in cordibus; at non in legum Sacrarum codice. Quæro igitur utrum epistolas Pauli & cæteros Novi instrumenti libros pro legum Christi & Apostolicarum codice habeat nec ne? Quisquamne id quod diserte verbis ordinatum à Deo esse Sacra Scriptura pronunciat, affirmare audeat, sola naturali, non autem divina quoque & positiva lege ordinatum? Non nego esse quædam, quæ cum lex naturalis non requirat, neque dictet, divinitus mandata & præscripta sint. Nihil tamen Deus præcepit, quod legi naturali repugnet, etiamsi ea verbis expressis Scripturæ non sit confirmata. Multò minus id præcepit, quod legi naturali, diserte verbis à Scriptura confirmatæ adversetur. Quod si ea Dei Christique præcepta sanctè observanda sunt quæ citra legis naturalis auctoritatem, solâ divinâ lege præscripta sunt: certè non minus habent ponderis ea, quæ non lex tantum naturalis, sed & divina à nobis exigit. Proinde Auctor dum hoc loco exercendæ potestatis non jus atque licentiam infringere vult, imprudens ac invitus non mediocriter stabilivit. Nam cum de legis quæ calamo Apostoli scripta est, auctoritate dubitari non posset: poterat tamen ab aliquo, nec sine speciosa ratione quæri, utrum jus potestatis supereminentis jure naturali niteretur. Cujus rei testimonium cum ab ipsius Autoris confessione habeamus; reliquum est ut omni exceptione majores testes producamus, quod illa divino quoque jure fulciatur. Eorum autem primus est Moses, qui non generale tantum de parendo legibus quarum custodes erant Magistratus præceptum; sed etiam speciales forensium legum regulas tempori & genti illi accommodatas nutu ac voluntate Dei tradidit. Deinde Christus; qui ut ea quæ Deo; ita & quæ potestatibus supereminentibus debentur officia reddi imperavit; & in Pilati persona ostendit potestates ab hominibus exerceri non posse; nisi ipsis divinitus ac desuper conferantur. Hunc secutus Paulus hoc loco ait, Nullam esse potestatem quæ non sit à Deo; & quia omnes potestates sint à Deo ordinatæ in bonum civium, parendum ipsis propter conscientiam. Hæc verba non fortuitò excidêrunt Paulo, sed in iis ex professo legem fert divinam ac positivam; homines ab obsequium districtè obligantem, idque verbis ejusmodi ut ad pleniſſimam legis solennitatem, nihil defuisse videatur. Unde patet Magistratus potestatem in subjectos exercere voluntate Dei, non modo per legem naturalem cordibus inscriptam, sed & per legem positivam ab Apostolo in epistola à Spiritu Sancto dictata scriptam. Longe plus igitur ex hoc loco evincitur quàm quod hæc potestas, per legem naturalem duntaxat sancita sit.

At enim Auctor, sese hoc loco non legem divinam in codice Sacro scriptam; legi naturali; sed speciale Dei præceptum de institutione novæ Reipub. generali Dei præcepto de subjectione veteribus Magistratibus debita opponere causabitur.

Hoc si ita est, in eo non uno modo allucinatur. Primùm enim generale istud Dei præceptum, iniquè cum lege naturali in cordibus inscripta confundit. Lex enim hujusmodi naturalis, non scripta in tabulis, sed insita atque infixa duntaxat animis censetur: at hoc generale Dei præceptum (quamvis legi naturali non repugnet) scriptum est in tabulis sacris. Deinde more suo non distincta voce *legis naturalis*, tacita ejus ambiguitate sese implicat; dum non animadvertit vocem hanc aliquando latius, aliquando strictius sumi posse. Strictius quidem cum omni legi positivæ; non divinæ tantum sed & humanæ opponitur; quam vulgò legem non scriptam sed natam vocant; & quæ ab Apostolo in cordibus scripta dicitur; ut opponatur ei quæ in tabulis scripta est. Latius autem cum & ipsam legem positivam seu scriptam comprehendit, non illam quidem quæ à Deo; sed quæ à recta ratione dictata est. In quo posteriori laxiori sensu; cum vocem istam hoc loco manifestè accipere videatur (neque enim ignorare potuit Magistratus non muto naturæ instinctu; sed legibus hominum positivis instituros esse) tamen eam ita describit; quasi in sensu strictiore sumeretur;

dum eam cordibus hominum inſcriptam vocat, in quo non obſcura contradictione ſeſe involvit. Præterea ex eo, quòd poteſtas Magiſtratuum Specialibus Dei præceptis aut regulis per inſtitutionem novæ Reipublicæ, non inſtruitur, ſed tantum generali & ſolenni præcepto ſancitur; malè colligit Auctor ipſi auctoritatem inter populos non, niſi per legem naturalem cordibus hominum inſcriptam, conciliari, cum etiam per legem poſitivam divinam expreſſe in ſacris tabulis ſcriptam, concilietur. Denique cum de eo quæratur, an iſtæ poteſtates in omnibus Rebuſpub. quas aut olim aut hodie religio Chriſtiana non inſtituit ſed inſtitutas deprehendit, & confirmavit: ſint à Deo ſub Novo fœdere per legem ſcriptam ordinatæ atque approbatæ; iniquum eſt, ad hanc ordinationem & approbationem, ſpecialia præcepta & regulas requirere. Cum iſtæ regulæ & præceptiones, nonniſi ad recentem novæ Reipub. inſtitutionem neceſſariæ ſint. Chriſtiana verò religio nullam novam Rempub. in terris inſtituat, ſed veteres duntaxat & jam inſtitutas, approbet atque confirmet. Jam enim ſæpius à nobis oſtenſum eſt, in eo maximam eſſe inter vetus atque novum fœdera differentiam; quod iſthic cum antiqua pacta ad unicum tantum populum eſſent adſtricta; qui tunc exul & extorris, nullas patrias ſedes, nullam haberet Reipub. res ipſa exigebat; ut ipſi non morales tantum leges, ſed etiam forenſis ad novæ Reipub. inſtitutionem ferrentur: hic autem cum fœdus ad omnes in orbe populos porrectum ſit; qui nec iiſdem omnes legibus politicis regi potuerint aut poſſint; & jam ſinguli ſuas haberent habeantque Reſpublicas; non modo ſpeciales ipſis regulas ac leges regendæ Reipub. tradi non debuiſſe; ſed nec potuiſſe.

Sed ut tantò evidentius hic lapſus Autoris pateat, oſtendemus ſi is putat, ex eo, quod Deus ſpecialia præcepta ac regulas electionis & gubernationis Magiſtratuum non dederit Chriſtianis, aliquid, adverſus gerendorum Magiſtratuum jura, poſſe concludi; non id certe conſecuturum quod is evincere vult: ſed potius id quod non vult.

Non ſequitur id quod vult. Nec enim ex eo, quod Deus ſpeciales rationes ac regulas agri colendi, mercaturæ exercendæ, victus quærendi Chriſtianis non præſcripſerit, contentus generali præcepto; ut ratio ſuſtentandæ vitæ ſit, ſine avaritia: poteſt aliquid contra jus aut licentiam, agriculturæ, aut mercaturæ, aliorumve vitæ ſtatuum concludi. Scimus Paulum tentoriis conficiendis victum quæſiſſe. Si ratio Autoris valida eſt; aut is peccavit; aut oſtendat Auctor ubinam ipſi ſpecialia præcepta & regulas artificii ſui exercendi Deus præſcripſerit. Ita videt, in rebus ad hujus vitæ ſtatum neceſſariis aut utilibus; cum de jure earum, aut licentia quæritur: nonniſi ineptè poſtulari poſſe, ſpecialia præcepta & regulas à Deo traditas earum perficiendarum.

At certe ſequitur id quod non vult. Nam ſi putat ideò quod Deus forenſia ſpecialia præcepta non dederit Chriſtianis, firmiter evinci Magiſtratus poteſtatem à Chriſtianis habendam pro re profanâ, illicita & noxia, quæque ipſos æterno exitio involvere debeat; æquè firmiter concludetur; idcircò quod Deus eadem ſpecialia præcepta non dederit aliis gentibus non Chriſtianis, ſolis exceptis Judæis, Magiſtratus poteſtatem iiſdem eſſe illicitam noxiam, & æterno exitio luendam. Proinde iſtam Magiſtratus functionem, (ſola Judæorum gente excepta, quæ quia extorris eſt, ipſa fungi nequit) eſſe peſtem ac perniciem plane ex omni genere humano exterminandam.

At enim *gentes, ad interdicta non pertinent quæ ſolos Chriſtianos obſtringunt!* Quæro, ubinam aliquas gentes, à vinculo obligationis quæ ſtringit Chriſtianos ſolutas ſint? Annon lex Chriſti ad omnes omninò gentes pertinet; atque omnes ut ſeſe ipſi ſubjiciant, ne perire malint obſtringit? *Atqui non omnes ſeſe legi Chriſti ſubjiciunt.* Quid? Idcircone culpam aut pœnam contumaciæ evadent; quia ſe ipſi non ſubjiciunt, hoc eſt, longè contumacius peccant, quàm alii, qui jugo ejus ſuſcepto, illud non uſquequaque patienter ferunt. At ſeſe ſubjicere omnes; ac inter alia præcepta Chriſti à Magiſtratu quoque abſtinere debebant. Quod ſi non faciant id, quod planè feciſſe debebant; opinor non impune ferent. Aut igitur Magiſtratus poteſtas, etiam non Chriſtianis illicita, atque æterno exitio luenda eſt; aut ne Chriſtianis quidem interdicta.

At enim hic novum pro ſententia ſua argumentum nectit dum ait: *Cum* (forenſia præcepta) *tam ſpecialiter & expreſſe in antiquo populo Judaico ordinata fuerint, ut meritò dici potuerit; Judæos Dei judicia, omneſque alias gentes ſi cum his conferantur, humana tantum mandata & judicia fuiſſe executas; quis credat Deum novo ſuo populo, quem in mundo ſelegerat, quorum regimen tanto perfectius eſſe debuit Judaica, quantum veritas præſtat umbris; non aliud exemplar dediſſe; in hac re tanti, ut ſcimus, momenti, quàm quod gentiles ſemper habuerint, cum quo ne Judaicum quidem regimen ullo modo potuit conſiſtere.*

Vis hujus argumenti in eo eſt. Deus ſpecialibus præceptis gubernationem illius Reipub. Judaicæ præ cæteris omnibus gentibus perfectiſſimè formavit &c. Atqui Chriſtiani populi Regimen longè perfectius eſſe debuit; regimine Judaici. Ergo multò magis in Chriſtiano populo ſpecialibus præceptis ac regulis gubernationem Reipub. formare debuit: ſi Chriſtianis gubernationem Reipub. permiſſam eſſe voluiſſet. Quia verò id non fecit; apparet eum gubernationem Reipub. Chriſtianis poteſtatibus non permiſiſſe.

Reſp. Antequam oſtendam per eam argumentationem id quod Auctor vult non effici; demonſtrabo primùm, *ſi ea vim ac robur aliquod habere cenſenda ſit*, effici per eam, id quod Auctor non vult.

Non enim ex præmiſſis iſtis poſita tantum ab Autore ultima concluſio, quod nimirum Chriſtianis gubernatio Reipub. permiſſa non ſit; ſed longè plus quoque deduci poteſt, videlicet Deum ut aliquo terreno Reipub. regimine atque humanis legibus, ſuus populus regeretur, plane noluiſſe. quæ concluſio jam non poteſtatem tantum Magiſtratuum, ſed & populorum ſubjectionem ſubruet. Nam ſi Deus Chriſtianorum regimen Judaico perfectus eſſe voluit; perfectionem autem Judaici regiminis in eo collocaverat, quod legibus forenſibus ab ipſo Deo ſpecialiter præſcriptis; regerentur; cum videamus nunc Chriſtianum populum, legimus terrenis, ſpecialiter non ab ipſo Deo ſed ab hominibus latis gubernari; effugere non poteſt Autor quin alterutrum ſtatuat; ut aut imperfectiori regimine Chriſtianum populum nunc gubernari cenſeat; quàm olim Judaicum, quod eſt contrà ſua principia: aut Chriſtiano populo, eo quod ejus regimen Judaico excellentius eſſe debuit; per legem ac voluntatem Dei non licere humanis legibus gubernari; aut quod idem eſt, non licere ſubjectum eſſe Magiſtratibus terrenis. Videt Auctor hic ſeſe in laqueum incidiſſe; quem nos profectò non tetendimus.

Nec aliter ſe ex eo expedire poterit, quàm ut una nobiſcum; futilitatem argumenti ſui agnoſcat, quod ex duplici fallacia, quarum altera accidentis: altera à dicto ſecundum quid &c. dicitur, concretum eſt. (Jam enim ad id accidendum eſt, ut oſtendamus Auctorem id quod vult, non aſſequi.)

Primùm

Primùm igitur nihil repugnat, Regimen populi Judaici, habuisse aliquas, non modo præ aliis gentibus, sed etiam præ ipso Christiano prærogativas, qualis fuit consulendi Deum, per Urim & Tumim facultas; qualis fuit admonitio populi per miraculorum patratores prophetas Eliam, Elisæum &c. secundum quas posset aliquomodo dici repertum, in ejus regimine aliquid, quàm nunc in Christiano excellentius. Cæterum inde non sequitur simpliciter & absolute totum regimen populi Judaici, regimine Christiani esse perfectius; cum istorum regiminum excellentia non ex quibusdam specialibus sui partibus, sed ex toto gubernationis complexu atque ambitu; atque adeò ex natura eorum censenda sit, quæ multùm interest nobilior sit, an ignobilior, spiritualior, an carnalior.

Etiamsi igitur forensium ac politicarum inter Christianos legum observatio & gubernatio secundum quid ignobilior dici possit; quàm illarum quæ ab ipso Deo immediate latæ sunt: tamen universum Christiani populi regimen, propter alias sui partes, & ob nobiliorem sui naturam; ex qua potius æstimandum est, longe Judaico præstat. Quid enim in eo incommodi esset; si nunc regimen populi Christiani secundum carnem, regimine populi Judaici itidem secundum carnem imperfectius censeremus, quandoquidem secundum spiritum longè perfectius est?

Deinde forenses quidem inter Christianos leges, secundum quid ignobiliores Judaicis dici possunt, quatenus non ab ipso Deo sicuti illæ latæ sunt: sed earum observatio & gubernatio secundum eas institutæ; præsertim posteaquam à Spiritu Dei generali de Magistratu lege latâ, confirmata est; ne secundum quid quidem ignobilior censeri potest. Imò tantò perfectior; quantò magis ab externarum umbrarum imperfectione quibus olim Mosis lex scatebat semota: & ad perfectissimam spiritualis legis analogiam exacta & conformata est.

Denique ne leges quidem ipsæ forenses Judaicæ; si intrinsecam earum naturam spectemus, Christianis forensibus legitimè, ac secundum Christianæ religionis analogiam latis atque ad ejus normam exactis, præstantiores ac nobiliores censendæ sunt. Nec enim in comparatione rerum inter se præstantia earum ex iis quæ ipsis per accidens & extrinsecus adveniunt; sed ex intrinseca earum natura æstimanda est. Extare autem Deus voluit in illis specialibus regulis Judaici regiminis; plurima imperfectionis vestigia, ut suo tempore cerni posset legem illam veterem, nihil ad perfectionem adduxisse. Neque enim semper interventus & auxilium nobilioris causæ reddit effectum perfectiorem; quàm fit is qui fortè à sola ignobiliori causa producitur. Ut si puer imbecillus, necdum per ætatem suopte robore incedere valens, titubantibus vestigiis, sed manu Angeli aut adulti hominis sustentatus, per aliquod spatium procedat: quod alter ætate firmior suismet viribus, expedito atque inoffenso gressu emetiatur; quis illius invalidi gressum, perfectiorem eo nomine dicat; quia ad eum perficiendum; præstantior causa concurrit? Imò verò imperfectioni sæpe atque alicujus indigentiæ necessitati, interventus Dei aut alicujus nobilioris causæ succurrit, qui id quicquid in effectu imperfectionis per se inhæret, ope sua non semper aufert; præsertim cum est adventitia & quasi ex accidenti. Nos verò Christiani populi præstantiâ & perfectione rem indignam Deum facturum fuisse censemus, si iis quos spiritualis legis notitia imbutos, Unctio omnia docere debuit; specialia præcepta & expressas regulas civilium ac forensium legum tradidisset: non minus atque istos Magistros, qui discipulos altioris studii capaces alphabeti, aut primorum elementorum institutione morantur.

Atque ita prima à descriptione potestatum ducta Auctoris instantia, nihili momenti habere ostenditur. Sed & quædam in ea dicuntur, aut supponuntur, quæ manifestè falsa sunt. Quale est illud. *Deum, si Christianis gubernationem Rerumpublicarum permisisset; non aliud exemplar ipsis dare potuisse, aut dedisse, quàm quod gentiles semper habuerunt.* Primùm enim exemplar gubernandæ aut constituendæ Reipub. dari nihil opus est; nisi in construenda novâ Republica novisque legibus ferendis. Quo exemplari Christiani in primis Ecclesiæ initiis, non indigebant; cum omnibus non deessent veteres Respublicæ ac leges forenses, quæ per Evangelium confirmatæ sunt. Non igitur illud à Deo dari nunc necesse fuit: nec, quia non datum esset, sequeretur, ipsos à gubernatione Rerumpub. exclusos. Deinde si quis ponat casum, populum aliquem etiam inter Christianos per aliquas rerum vicissitudines ad eum statum devolutum; ut ipsi novæ Reipub. forma constituenda sit; falsum est, Deum in tali casu, Christianis non aliud exemplar reliquisse; nisi gentilium Rerumpublicarum. Primùm, quia & Reipub. Judaicæ, ab ipso Deo formatæ exemplar omnium oculis prostat, è quo seligere optimæ quæque ad usum suum possint. Secundo, quia Christianorum oculis per lumen Evangelii collustratis, longè nobilius exemplar condendæ Reipub. obversari potest; quàm aut apud Judæos fuit, aut inter gentiles usquam repertum est.

Falsum & illud; *cum exemplari regendæ Reipub. quod gentiles habuerunt Judaicum regimen nullo modo consistere potuisse.* Nam & suos Magistratus, suas leges forenses; sua judiciorum ac bellorum jura; ad exemplum & similitudinem gentilium Rerumpub. quæ ipsis antiquiores fuerunt, habuere: & Regium certè regimen; ad exemplar reliquarum gentium postularunt; & acceperant; sub quo ipsorum regimen per plura secula potuit consistere.

II.

Probat deinde *descriptionem potestatum, hoc loco ab Apostolo factam, Christianis non competere; quia ordinatio illarum sit in hunc finem ut obedientiam exigant, eamque à subjectis consequantur. Atqui talis ministerii exactio, olim ne Judæos quidem decuit: quia in eundem finem tetendisset; in quem olim Nebucadnesar acceperat potestatem in omnes gentes, & ipsum populum Judaicum. Multò minus igitur nunc Christianos decet.*

Atqui nec Apostolus ita describit eas potestates; nec verum est ordinationem illarum esse in hunc finem; ut obedientiam exigant, & consequantur. Nec enim diversæ causæ secum; aut cum effectibus suis, nec naturæ & proprietas rerum cum earum fine confundendæ sunt. Vitæ humanæ natura & proprietas, aut si mavis causa conservans est edere & bibere. At non ideò in hunc finem nascimur aut vivimus, ut tantum edamus aut bibamus. Ita potestatum istarum proprietas est, exactio obedientiæ, effectus ipsum obsequium, quo conservatur ista potestas. At non in hunc finem datur à Deo ista potestas, tantum ut exerceatur; sed in eum quem Apostolus exprimit; ut Deo ministerium præstet, in protegendis bonis & malis metu pœnæ coërcendis. Hunc in finem tàm Judæos quàm Christianos Magistratus exigere à subjectis officium, non dedecet. Imperare autem tantum ut imperes, quamque ambitionem aut superbiam expleas; non modo Christianos aut Judæos, sed ne gentiles quidem homines decet. Decipitur autem hoc loco Auctor, insigni ambiguitatis paralogismo; dum exactionem obsequii, quæ ordinariè in omnibus potestatibus de-

prehenditur, cum extraordinaria obsequii exactione, qua Nebucadnesar usus est, confundit. Hoc enim exemplo fides ipsi facta est ; Judæos ejusmodi exactionem non decuisse, si ejusmodi libidinem imitari voluissent. Aliud enim est à subjecto populo, cui te Deus, in ejus bonum, præfecit obsequium exigere, sine quo societas ejus consistere nequit, aliud in populos alienæ ditioni subjectos, potestatem sibi usurpare, sine qua illorum Respublicæ stare in vestigio suo possint. Illud enim semper necessarium & justum est ; hoc sæpè iniquum & superfluum ; & in quo soli ambitioni indulgetur.

Neque negamus ejusmodi quoque tyrannos, voluntate Dei, occulto providentiæ nutu Orbem regentis, potestatem in alienos populos assequi. Sed ista voluntas, quamdiu ab exitu stabili non approbatur ; obscura & incerta est, nisi à prophetis reveletur. At illa voluntas Dei, de qua Apostolus, loquitur ; quæ aut Singulos populos propriis potestatibus subjectos esse vult ; aut quod perinde est, diversas licet gentes in unum imperii corpus compactas, uni potestati subjicit, absque omni revelatione certa est atque manifesta. De qua sola potestatis exactione tanquam subjecta quæstionis nostræ materia Autori loquendum, nec ad longè diversissimum genus usurpandæ potestatis transiliendum fuit.

Tertulliani verba, nisi benigna interpretatione excusentur, neque vera sunt ; & ab Apostolicis institutis alienissimæ indolis genium redolent. Christianis enim, si ullis uspiam mortalium, maxima est necessitas cætus ; nec ullum animal Christiano socialius ; nec quod minùs sibi soli natum se censeat : & quod minùs proprias rationes in publica commoda impendere recuset. Et quamvis communem agnoscat Rempub. Mundum, tamen in hac communi patria, seorsim à Deo ordinatis potestatibus libenter se subjicit ; nec ab iis, quarum commodis fruitur Rebuspublicis res suas separat.

III.

Actus potestatum dominantium per specialiorem Christi ordinationem in Evangelio expressam abrogatos, asserit Autor, nec probat ; fractus rationibus quæ suprà à nobis refutatæ sunt. Sed dum fatetur ordinari potestates istas à Deo, ut mundo necessarias, eadem opera eas à Deo intendi, tanquam per se bonos, atque ex absoluta & perfectissima Dei voluntate proficisci confitetur. Nam quæ per se mala sunt, & tamen Dei providentia gubernantur, permitti tantum à Deo & quidem permissionis genere ignobilissimo ; quæque id nomen vix mereatur, dicuntur, non ordinari. Et quæ sic permittuntur, Mundo certè necessaria non sunt : & quæ mundo necessaria sunt, per se à Deo fieri necesse est, non minùs atque ipsum mundum ; earumque rerum omnium, non minus atque Mundi, Deus Auctor dici potest ; qui certè peccati auctor non est. Nam profecto Mundi voce hoc loco utitur Auctor, non in eo sensu qui vitium includit. Nam hujusmodi Mundi corrupti, & quem odisse jubemur ; quemadmodum & eorum ; quæ ad ipsum quâ talis est constituendum necessaria sunt, non Deus sed Diabolus auctor est. At mundi, quatenus à potestatibus Dei ordinatione constitutis gubernatur ; sicuti & eorum quæ ipsi necessaria sunt ; non Diabolus sed Deus Auctor est. Quæ igitur tali Mundo necessaria sunt ; & à Deo procurantur aut ordinantur ; meritò Dei opera, non Diaboli, dicuntur. Proinde ad ea dissolvenda Christus venisse non potuit.

Accedit, quòd (qua judicii perspicacia est) fatetur Auctor ; eum qui in sublimi potestate constitutus, eâ, ficubi opus est, non utatur ; hoc est, gladio malos non coërceat, nec defendat bonos, peccare & adversus Deum per inobedientiam ; quia ejus ordinationem, quantum in se est, dissolvit ; & adversus homines per injustitiam ; quia suo jure gentes defraudat ; quod illis ex ea ordinatione competit. Non potest autem dici peccare adversus Deum, qui ab actibus per Christi ordinationem in Evangelio abrogatis abstinet. Quod igitur si non fiat ; adversus Deum simul & homines delinquitur ; in eo certe si fiat, adversus Deum delinqui non potest. Nec id ne fiat vetare quisquam potest ; nisi ipse quoque adversus Deum simul & homines delinquere velit. Nam si quis dicat, non *id Christum prohibere, ne homines in sublimi potestate constituti, ea, ficubi opus, est, utantur* ; (cum hoc ipso in loco Apostolus contrarium manifestè præcipiat) : *Sed quia tunc ipsis necessario gladio utendum esset ; ne ut quam in sublimem potestatem evehi se patiantur* ; non tollitur, sed cumulatur absurditas.

Tàm enim necessarium Mundo fatetur Auctor ut sint eminentes potestates (quia eas Deus ut ipsi necessarias ordinat), quàm necessarium est ut homines in potestatibus constituti, gladii jure utantur. Non minus igitur in Deum & homines injurius est, qui priori, quam qui posteriori necessitati repugnat, hoc est, qui procurat adversus mentem Dei, ne id, quod mundo necessarium est, existat : quam is qui potestates prohibet, eo jure uti ; quo ipsas uti necesse est. *At enim existere possunt aliæ potestates præter Christianas, quæ Mundi necessitatibus succurrant.* Verumenimverò doctrina Christi omnes omnino homines, etiam Reges & potestates non modo cælesti præmio invitat, sed æterni supplicii metu quasi cogit ; ut ipsam recipiant. Quod si recepta illâ, potestates istæ omnino abjiciendæ sunt, quem locum ipsis relinquit istiusmodi opinio ?

Atqui non tamen omnes verè Christianam doctrinam recipiunt. Id vero est ex accidenti ; præter mentem & voluntatem Dei & Christi. Per se autem ab ipsis eo tendere Christi doctrina dicitur ; ut omnes homines à summis potestatibus abstineant. Per se igitur eò tendet, ne Deus id ordinare possit ; quod Mundo cujus Auctor est, necessarium esse censet. Quod argumentum quia superius tractatum est, pluribus non attingimus. Unum illud monemus, Ordinationem Christi, qualis ab ipsis statuitur ; non ex eo æstimandam, in quo à scopo suo excidit ; quodque per accidens ob culpam hominem non assequitur ; sed ex eo quo per se tendit, quodque natura sua efficere apta est. Quis enim eam peccata omnia stirpitus eruere neget ; quia nullus forte hominum eam profitentium extitit, qui omnis peccati expers esset ? Ita quis cum necessarias Mundo potestates, quarum ministerio Deus in gubernatione Mundi, per se, non per accidens, & absoluta non conditionata voluntate utitur : per se ac natura sua tollere neget ? si vera est adversariorum opinio ?

IV.

Porrò quod alias, puta mariti, patris, domini potestates, hac lege in regnum Christi receptas ait ; quod in spiritualem formam conversæ sint, hoc est, ut se explicat, quod potestatibus istis imposita sit, juris sui remittendi necessitas ; aut falsum aut ambiguum est. Non enim potestatibus, qua tales sunt : sed ipsis hominibus, absolute & in genere consideratis, per moralem legem, quæ ad omnes æquè pertinet, imposita est juris sui remittendi necessitas : nec in infinitum extensa est ista juris sui remissio, sed cancellis Christianæ prudentiæ circumscripta. Nec magis pater, aut maritus, aut Dominus, tenetur de suo

jure

jure decedere ; quoties id circumstantiæ & earum inspectrix prudentia Christiana postulat ; quàm ipse Magistratus præsertim supremus , qui absolutius imperat. Nec minus pater filios non emancipatos ; aut maritus uxorem non coërcens ; aut Dominus de servorum cœtu lædis non satisfaciens , alios suo jure defraudare potest , quam lentus & ad scelera conniveus Magistratus. Relicta sunt intacta sua jura potestatibus ; sed mentibus atque affectibus hominum id impositum est ; ut de suo quisque (non alieno) jure ; neque id semper , sed in loco decedere, non sit difficilis. Nec potestates sed homines potestatibus præditi ; in spiritualem statum conversi sunt : potestates vero ipsæ non in aliam formam conversæ (nec enim naturam suam ullatenus exuerunt) sed spiritualis legis genio temperatæ sunt. Nisi quis velit de vocibus pugnare. In cujus gratiam si fortè concesserimus , quum Dominus servis minas remittit potestatem dominicam in spiritualem formam conversam , is viriſſim nobis negare non poterit Magistratus potestatem tunc in spiritualem formam converti ; cum ejus clementia atrocem pœnam commeritis delicti gratiam facit. Ergo si moderationem potestatis ad benignitatem deflexæ spectemus , non minùs id ab hominibus in sublimi quàm in humili potestate constitutis Christiana religio requirit ; ut quoties id ipsis per alienum jus integrum est ; & gravis causa subest , non gravatim de suo jure decedant. Non minus igitur , si ita loqui placet , illæ quàm istæ potestates in spiritualem formam converti possunt. Minimè autem etiam Dominicæ potestati in ejusmodi formam converti integrum est ; ut servorum scelera in Dominos aut alienos patrata , maneant impunita. Nec enim Rationis aut ipsius legis Mosaicæ regulas atque dictamina Lex Christi spiritualis & rationabilis sustulit , aut abrogavit , sed perfecit. Nec jura patriæ , dominicæ , maritalis potestatis circa animadversiones in subjectos , sublata ; sed æquitate quadam moderata sunt. Sic & civilis potestatis jura , per Christi doctrinam , non rejici aut proscribi , sed perfici debuerunt ; non tamen ita , ut essentia eorum , sed tantum nimius rigor tolleretur.

Omnes etiam injustè imperantes ministri Dei dici possunt , ratione illius potestatis, quæ à Deo instituta est. Sed & ministros Dei male fungi ministerio suo non repugnat : quibus tamen , quamdiu tales sunt, in iis , quæ voluntati Dei non adversantur, debetur obsequium.

Sed cum hujus potestatis ministerium sit adeo bonum & laudabile, ut ne ab improbitate quidem eo fungentium ; quicquam vitii sibi affricari permittat; quominus Dei ministerium vocari possit ; unde in hominibus optimis , quales sunt Christiani , tantum vitii contrahat , ut malum , vetitum , pœnâ dignum , & æterno exitio luendum esse censeatur ; id verò intelligi nequaquam potest : nec ullam ejus rei idoneam causam Viri Boni comminisci possunt. Libido , crudelitas , injustitia imperantium propriè & per se dicta ministeria Dei dici nequeunt : quia Deus earum actionum Causa principalis non est : sed tantum directrix & quidem sæpius impediens & eas coërcens : At ipsum imperium ejusque usus in eum finem in quem à Deo institutum est , tendens , quemadmodum hoc loco ab Apostolo describitur ; propriè & per se dictum Dei ministerium est , in eundem finem quem Deus intendit , directum , & cujus Deus Auctor & causa principalis dici non erubescit. Nam quid hoc ad rem , quod aliqui , re & functione tàm bona & laudabili malè utantur ? Quid est tàm sanctum , quo pravitas hominum ad culpam abuti nequeat ? Apostolatus , prædicatio Evangelii , ministerium Ecclesiæ sancta sunt officia. Scimus tamen quam male Iscariotes Apostolatu abusus sit. Et multos Evangelium perverso prædicasse Paulus asserit, ac ministerio Ecclesiæ sæpe, fungitur , quorum Deus est venter. Num ideo hæc ministeria per se sancta non sunt ; quia accidit eos qui iis funguntur , procul à scopo Dei qui illa instituit collineare. Dirigit quidem Deus istos ipsos pravos abusus , aut impediendo ; aut coërcendo ; aut ad bonos fines deflectendo ; ita ut ipsis hominum vitiis , tanquam mediis & instrumentis ad bonum abuti videatur. Non tamen ideo in ipsis vitiis , ministrare Deo dicendi sunt ; quorum vitia Deus ad bonum finem deflectit. Aut si cui hæc placeat catachresis , aliter certè minister Dei fuit Judas in Apostolatu : aliter in directione eorum quæ circa mortem & prodictionem Christi evenerunt. Quamdiu enim communi cum aliis munere , citrà lædus functus est , minister propriè dictus : cum operaretur iniquitatem ; (si modo minister dicendus est,) non modo pravus & nequam, sed & impropriè dictus minister fuit , quamvis iniquitate ejus Deus ad bonum usus sit , ideoque sceleris pœnas non effugit.

Cæterum hic non de tali ministerio loquitur Apostolus , quod per se malum sit, & tantum à Deo deflectatur ad bonum ; quod ne ministerii quidem nomine dignum est : sed de ministerio per se bono ; quod & primitùs in institutione sui à Deo in bonum directum sit ; & in executione malis tantum terrori sit ; bonis autem præsidio ; quod de Magistratu dici potest etiamsi sit penes malos : quia eorum , quatenus potestate rectè utuntur , usus omnibus ex æquo sit ; vitia verò & sævities (ut verè ille apud Tacitum monet) tantum proximis ingruant. Ita enim munus illud describit Apostolus , ut in ejus functione nihil mali, aut injusti animadvertere possimus ; nihil quod non ex mente & institutione Dei peragatur.

Quæ omnia facere & exequi posse etiam gentiles Magistratus qui Deum per Christum non colant ; fateri cogitur Auctor dum agnoscit , imperandi jus per legem naturæ , cordibus hominum esse inscriptum. Quia verò jus istud eundem quem Deus intendit finem respicit , certè qui naturæ aut potius Rationis instinctu , ad eundem finem tendunt ; eundem quem & ipse Deus finem intendere dicendi sunt ; tametsi nullam Dei per Christum cognitionem habeant. Quemadmodum ii qui nullam legis divinæ cognitionem habent , & tamen natura , hoc est , ratione duce faciunt ea quæ sunt legis ; ipsi sibi Lex esse ab Apostolo dicuntur ; & voluntatem Dei exequi dici possunt ; quamvis ipsius Dei cognitionem non habeant ; quia faciunt id , quod ab iis Deus fieri vult ; tametsi ad agnitionem Dei non pervenerint. Futile igitur est id ; ex quo Auctor probat Magistratus, de quibus loquitur Apostolus ; intentionem ab intentione Dei alienam habuisse ; quia ipsis de Deo per Christum aut aliter quoque colendo in mentem non venerit ; cum ignorantia eorum non obstante ; intentio eorum cum voluntate Dei congrua esse potuerit. Præterea quamvis intentio quorundam qui ministri Dei dicuntur per eorum culpam , possit aberrare à scopo & intentione Dei : tamen ministerii ipsius scopus & institutio ; cum intentione divinâ congruit.

At illud firmiter ostendit Apostolum de Magistratu loqui , quatenus rectè potestate sua utitur ; quia ipsi libenter obediendum esse concludat ex eo quod sit à Deo : Multò magis ex eo , quia in bonum cedat bonis , solis autem malis sit terrori. quod dici vix potest , si consideretur , quatenus potestate suâ malè utitur : Sed multò omnium maximè , quia non obsequium tantum ; sed tributa quoque ipsi præstanda dicantur ; quia id mereatur curas & cogitationes

tiones suas, bonis publicis impendendo. Cum enim ipsius Magistratus meritum Apostolus dignum hac retributione asserat; apparet eum de ejusmodi potestate loqui, quæ de subjectis bene, non male mereatur. Potest autem etiam improbi hominis potestas, de subditis bene mereri. Quia excubias agere pacis ac justitiæ publicæ; boni certe Magistratus multò melius & perfectius solent. Sed ne mali quidem id omittunt, cum eorum potestas iis, qui ob delicta sua judices ipsos metuere coguntur, tantò sit formidabilior, quantò magis aut injustitia suspectior; aut crudelitas eorum hic inexorabilior. Apud quos enim ne innocentia quidem tuta est, apud eos nocentes impunitatem qui sibi permittant? Ergo ita à Deo comparata est hæc potestas, ut etiamsi in malorum manus incideret de subjectis bene mereri posset; quod ostendit, id boni, quod huic muneri inest, ipsi per se & naturâ sua inesse; nec ulla per accidens intervenient hominum pravitate, ita corrumpi, quin prosit humano generi.

Proinde non ideò hîc Credentibus potestates metuendæ non esse dicuntur, quia Deo dirigente etiam malorum Magistratuum abusus ipsis ad salutem æternam servire possit (quamvis hoc verum sit.) Sed quia credentes mala opera non faciunt; quibus solis terrori sunt Magistratus: sed bona quæ à Magistratu approbantur & laudantur: ita ut hic de non timendis bonis; aut certe munere suo bene fungentibus non verò abutentibus Magistratibus, loquatur Apostolus, quanquam quod Auctor de malis subjicit non negamus absolute, sed hoc in loco ejus rei mentionem ullam fieri, non apparet. Nam quod verba *feres laudem ab illâ* per exempla Agrippæ, Lysiæ, Festi, & Felicis ab Auctore illustrantur: istos officio suo ad perniciem Pauli abusos esse non legimus. Pilati & aliorum exempla, veritatem quidem ejus sententiæ ostendunt; quod Deo dirigente etiam malorum Magistratuum injustitia credentibus ad salutem prosit. Sed hoc in loco Apostolum de eo utilitatis genere, quod credentes è malis magistratibus capiunt, loqui non ostendunt. Quod vero Petrus citato loco ait, *si boni sectatores fueritis, quis nocebit vobis*, de bonis sine dubio intelligendum est. Nam quod statim subjicit, de malis intelligi necesse est, qui alios justitiæ causa persequuntur.

Antitheses quas in calce capitis adjicit Auctor, primùm falsæ hypothesi superstructæ sunt; quod Christianus *sit sub alia lege & ordinatione positus*, non autem sub ea de qua Apostolus *Rom.* XIII. loquitur: cum isthic Apostolus aperte ipsos Christianos quibus præcipit, huic legi & ordinationi subjiciat.

Quæ ipsa hypothesis adhuc falsiori fundamento innititur; quod tacite sumitur pro concesso: Nimirum quod istæ ordinationes sibi adversentur, seque mutuò tollant: ita ut, qui sub una positus sit; sub altera positus esse nequeat. Quo nihil falsius est: cum Christiani non minus pluribus inter se diversis potestatibus subjici; & quæ singulis debeantur officia seorsim reddere: quàm pluribus inter se diversis muneribus & functionibus, intemerato vocationis suæ officio, fungi possint. Hinc accidit ut ipsæ antitheses meras Principii petitiones simul & Ignorationes Elenchi contineant; dum & ea, pro concessis venditant, de quibus inter nos vel maximè quæritur: & ea secum tanquam irreconciliabili conflictu pugnantia committunt; quæ in uno subjecto, non secundum idem considerato, simul in esse, & secum amicè conspirare possunt.

CAP. XI.

Explicat, loci 1. Tim. II. 1. 3. 4.

INgenuitas Auctoris confitentis, perspicuè patere, quod ea, quæ hîc, pro iis qui in eminentia sunt orari jubentur, ad æternam ipsorum Salutem seu conversionem, pertineant, tanto est laude dignior, quantò minus veniæ & plus reprehensionis habet eorum obstinatio; qui ad tàm claram lucem oculos claudunt. Cæterum inde concludi non posse censet eam fuisse mentem Apostoli; ut iidem conversi maneant Reges; quò fidelibus quietam & tranquillam vitam procurent: quia aut ad fructum pacis hujus obtinendum perseverantiâ Regum in sua potestate nihil fuerit opus: aut etiamsi in ea perseverare vellent; fructum hunc Christianis præstare non potuissent. Ita enim argumentatur. Aut hic fructus sperari poterat ex conversione Regum cum subditorum conversione conjuncta; aut ex sola Regum conversione. Si prius, nihil necesse fuisse; ut Reges manerent Reges, quia illius universalis conversionis beneficio, fructus hic pacis, multò efficacius potuit obtineri. Si posterius. Fructus hic ex solis Regibus conversis, subditis in incredulitate manentibus, expectari non potuit; quia si in imperio perseverare voluissent, falsis cultibus gentilium assensum præbere coacti fuissent; cum per vim illos murare neque fas, neque possibile esset; & perpetua inde potius bella, quàm pax & tranquillitas, extitissent.

Atqui nulla pars istius Dilemmatis sana est. Primum enim in eo insufficiens est partium enumeratio: quia tertium aliquid dari potuit; ut neque soli Reges; neque unâ cum universo plane populo; sed tamen cum bona ejus & notabili parte converterentur. Ex qua conversione quamvis falsorum cultuum plena abolitio consecuta non fuisset: pax tamen & libertas conscientiarum consequi potuit.

Deinde neutra pars dilemmatis verè subsumitur. Non prior: quia etiam universi populi conversio ad Christianismum Magistratus necessitatem non tollit. Cum enim inter eos qui magno numero convertuntur ad Christianismum; plures esse soleant carnales, quam Spirituales; vocati, quàm electi; pessime humanis rebus consuleretur, si tàm necessarium ordinationis Dei frænum, per religionem amoveretur; quo carnales fratres, melius quàm legibus Christi coërcentur. Carnales autem voco, non eos qui manifesta carnis opera actu ipso exercent; quos è censu fratrum Ecclesia expungere tenetur; sed alios occultiores, ad quos è cætu suo ejiciendos, non satis habet juris Ecclesia; quamvis in occulto, manifeste peccantibus, deteriores esse interdum soleant. Ad quos in omnia scelera dissolvendos nihil efficacius fingi potest, eâ, quæ per sublatam Magistratuum ordinationem, introducitur impunitate.

Non posterior. Quia etiam sola Regum conversio, cæteris in incredulitate manentibus; quamvis non dominationem & potentiam; pacem tamen & libertatem Christianis afferre posset. Si enim etiam Ethnicis Imperatoribus à persecutione abstinere, aut eam cohibere, quoties placuit, licuit: cur idem Christianis non liceret; intacta falsorum quoque cultuum & religionis libertate. Cui non idcirco statim assensus præbetur; quod fascinatis hominum conscientiis vis non affertur.

Sed cum non satis virium Autor in hoc dilemmate deprehenderet: adjunxit ipsi in subsidium duplicem, sed quo firmior appareret, in unum compactam rationem.

tionem. *Prior est, quod absurdum videatur, ubi tanta est orandi causa, puta conversio & salus infidelium, quæ credentibus optanda & procuranda sunt; non solum quieta externæ, verum etiam vitæ dispendio, animos ipsorum ad externæ pacis intentum distrahi.* Sed quomodo unius rei plures causas, plures fines, plures effectus, non modò nobiliores, sed ignobiliores quoque existere: ita non modo nobilioris, sed ignobilioris quoque finis aut fructus amabilitate (ut ajunt) ob oculos posita animos hominum ad aliquid faciendum allici, nihil repugnat neque absurdum est: præsertim si ignobilior finis aut fructus; non quidem naturâ sed nobis, utilior aut jucundior videatur. Spes ac præmium vitæ æternæ longè excellentius est, bonæ conscientiæ gaudio. Nihil tamen in eo absurdi est, si homines ad vitæ sanctimoniam non illius tantum celsioris spei; sed & hujus præsentioris præmii dulcedine alliciantur. Ita virtutis amor nobiliorem habet stimulum quam sit formido pœnæ. Et tamen sæpe homines isto ignobiliori stimulo excitantur ad officium.

Posterior est, quod absurdum videatur orari, ut Deus pacem & tranquillitatem Ecclesiæ donet, tanquam ei utilissimam; quam Ludovicus Vives aut potius eventus, testetur Ecclesiæ fuisse noxiam. Sed hic manifesta accidentis fallacia incautis caliginem offundit. Nec enim pax Ecclesiæ per se, sed per accidens, vitio ipsâ male utentium nocet; non magis quàm veritatis prædicatio excitat inter mortales dissidiorum ignem; cum per se ad omnem concordiam homines excitet & componat. Vita, valetudo, & reliqua quæ optari à Deo in rebus humanis possunt, annon abutentium vitio sæpe in malum ac miserum statum degenerant? Idcircone à Deo precibus poscenda non sunt? An in ea precum parte, quâ liberari à malo, à Deo contendimus, pacis quoque & tranquillitatis votum, aut certe omnis tentationis & persecutionis deprecatio non includitur?

Bezæ explicatio ipsiusmet Auctoris sententiæ refragatur; qui paulò ante dixit, eminentes potestates illius temporis quo hæc scribebat Apostolus, falsis gentilium cultibus stabiliendis constitutas fuisse. Quomodo igitur ideò in eminentia constitutæ dicuntur, ut agamus quietam & tranquillam vitam *in omni pietate & honestate* (id enim necessariò addendum est, quod cautius quàm par erat, Auctor omisit) si impietatis stabiliendæ ergo constitutæ sunt?

Reliqua Auctoris explicatio, quàm ultimò affert, paulo violentior est, nec tamen ullius momenti videtur. Nam si verba, *ut tranquillam & quietam vitam degamus*; non finem & fructum precum pro Regibus, sed rationem cur pro iis orandum sit, contineant: nulla in hac ratione consequentiæ quæ ex ea deduci fingitur, firmitas inerit: nisi prius constet tranquillam & quietam vitam tunc duci à nemine potuisse nisi pro Regibus oraret; cum tamen innumeri quibus id in mentem non venit; tranquillè & quietè; imò piè quoque & honestè tunc vivere potuerint: Nec ut id facere possent orare eos, pro Regibus necesse fuerit: sed eos, pacem, pietatem, honestatem sectari, neminem lædendo, sufficerit.

Nunc quidem postea quam hoc præceptum nobis imperatum est; id pertinet ad partem pietatis: sed Apostolus non de sola pietate; sed de pace prius & tranquillitate loquitur; quæ quid rationis contineat ad probandum, quòd pro Regibus orare debeamus, nisi pro causâ finali & fructu istarum precum sumatur, nemo facile offenderit.

Sed nos quoque modum scriptioni longius quàm initio volebamus extensæ faciemus, veniam prolixitati primùm; deinde lapsui si quis intervenit ab Auctore simul & Lectore precati: ac Deum venerantes ut hoc quicquid à nobis utrinque susceptum est operæ; vincente veritate cedat in publicum Christi Ecclesiæ usum; & privatum ac salutare utriusque nostrum emolumentum.

FINIS.



DE

JURE

CHRISTIANI

MAGISTRATUS

& privatorum in Belli pacisque negotiis.

DE

JURE

CHRISTIANI

MAGISTRATUS

& privatorum in Bello præcipue regnis.

DE JURE CHRISTIANI MAGISTRATUS & privatorum in Belli pacisque negotiis.

LIB. I.

Continens falsæ sententiæ refutationem.

CAP. I.

Consilium Auctoris & suscepti operis Scopus atque necessitas proponitur, & à plærisque omnibus censuris aut objectionibus vindicatur ac defenditur.

AD inveteratos Universalis Christi Ecclesiæ morbos sanandos, nullum præsentius Orbi Christiano remedium exhiberi potest; quam Ecclesiarum in Sarmatia, Unum Deum Patrem, ejusque unicum Filium, in Spiritu Sancto à Patre per Filium misso ac procedente, simplicissimâ pietate colentium Dogmata, Leges atque instituta. Quæ sola omnium, profligandis tot hæresium monstris: eruendo à stirpe atheismo: exterminandæ è domo Dei vitæ impuritati: sedandæ plus quàm civilium odiorum pertinaciæ, abunde sufficiunt. Quis enim ulli hæresi pateat locus; ubi nihil necessariò credendum injungitur, nisi quod concordi omnium ætatum Ecclesiæ judicio receptum, Sacrisque libris & Symbolo Apostolico clarissimè, comprehensum est? quis atheismo, ubi nihil pro articulo Fidei obtruditur; ac ne pro verisimili quidem opinione traditur: quod Fidem religionis communem aliqua ratione subruat; aut illam cum insito nobis rationis lumine committat? quis vitæ impuritati, ubi nulla cuiquam sive in suis satisfactionibus; sive in alienis meritis; sive in sacrificiis aut expiationibus; sive in aliqua persuasione, delicti gratia offenditur; nisi prorsus ab eo abstineat, & emendata vitâ veram pœnitentiam testetur? quis denique locus est odiis atque schismatibus, ubi pacis cupidissimi homines, simplicissimis, qui apud omnes in confesso sunt, Fidei articulis contenti; primùm de difficilioribus quæstionibus silere malunt, quàm digladiari: deinde si cui fortè in opinando præ simplicitate suâ, subtiliori esse libeat; neminem hoc solo nomine, à pacis & communionis suæ vinculo arcent aut excludunt.

Unum erat quod in istis Ecclesiis ad plenam divinæ Veritatis cognitionem desiderari posse videbatur. Quid & quantum Magistratui; in jure Coactivæ potestatis, in plectendis sontibus aut hostibus propulsandis; breviter in Pacis bellique negotio; quantum privatis in jure militiæ, publicæque aut privatæ defensionis necessitate; præterea in fugiendis aut exercendis litibus, atque Magistratus ope implorandâ, per leges Christi liceat: nunquam in istis Ecclesiis satis accurate inquisitum est. Maxima pars in ipso renascentis Ecclesiæ exordio dum profanos in rebus istis Christianorum abusus nimium fugiunt; in *fanaticas* de iis opiniones inciderunt; quasi non pateret media ac recta via, inter impietatem & superstitionem. Ipse Socinus, cætera vir incomparabilis, in ea controversia varius & anceps fuit: sed tamen ità, ut in vulgares quæ tunc in Ecclesiâ regnabant opiniones, proniorem credas. Quod ex animi sui sententiâ fecerit; an hominum imbecillitati indulgendo aut fugâ scandali, meritò ambigi potest. Illud tamen non difficulter deprehendas, quod & ipse frequenter fatetur, quæstionem hanc, nunquam satis discussam ipsi aut meditatam fuisse. Nam pauca ejus rei vestigia in Responsione ad Palæologum apparent. Nec ipse alicubi diffitetur, sese industriâ noluisse in hanc arenam descendere. Ideo sæpe contra morem suum in disputando non jugulum causæ petit, sed in adversarii dictis refellendis immoratur: Nec causam aut sententiam adversarii: sed ipsum adversarium oppugnat; quasi bona causa esse desinat, si malum patronum nacta sit. Nec dissimulat ipse ab adversario causam, quam agit, melius defendi potuisse: & tamen rarò corrigit imperitiam patroni; ut non tam ipsi sententiam, quàm auctoritatem Palæologi convellere libuisse, libeat suspicari.

Atqui non parum Ecclesiæ interest in eo quæstionum genere, certum aliquid habere quod sequatur. Nec minus pietati aut Religioni expedit, omnem superstitionis mixturam ab eâ secludi; cum *superstitio* vel ipso Socino teste, *Religioni ac pietati veræ, nisi diligentissimè caveatur sensim ruinam struat.* Neque verò leviter Ecclesias istas patrum memoriâ, pestis hæc afflixit. Multos enim, quibus tam austera aut præfracta pietas, persuaderi non potuit; ab earum gremio avulsit: aut exclusit & arcuit. Quid? quod Rationi humanæ & Religionis analogiæ repugnantia dogmata in cæteris quoque suspectam reddunt veritatem? Nullam enim idoneam causam mens nostra comminisci potest, ob quam Legislator noster (ut

uno exemplo cætera ejus generis involvam) caritatem erga inimicum ; aut nefandi sceleris patratorem ; quoties cum alia sanctiori caritate concurrit, pluris à nobis fieri jubeat ; quàm omnia vel sanctissima erga patriam, parentes, Magistratus, & tot innocentium greges, ipsosque pro quibus vitam profundere justi sumus, fratres, vincula atque officia. Præcipuè cum ista ipsa vincula (ne quid amplius dicam) nihilo levioribus aut laxioribus legibus ac præceptis sanxerit.

Nam quod hic parum appositè subjici solet : *hæc omnia in gratiam Dei Christique spernenda ; imo vero odio habenda ;* locum habere posset, si Deus per Christum nullam aliam Caritatem præterquàm erga inimicum præcepisset ; aut si præ inimico, cæteros omnes odio haberi, minusve amari perinde jussisset ; prout præ amore erga se, cæteros omnes odio haberi, imperavit. Nunc cum secus se res habeat ; nec unquam Deus officium erga inimicum, cum officio sibi soli Christoque suo debito coæquaverit ; quisquis contendit vitam, aut quod absurdius est commoda inimici ; vitæ parentum, Magistratuum, fratrum ac publicæ saluti in gratiam Dei Christique præponenda esse ; is nihil aliud dicit, quam partim expressa partim tacita Dei Christique præcepta de officiis erga parentes, magistratus, omniaque necessitudinum nomina ; & omnes proximos amore nostro dignissimos ex mente Christi, nihili faciendâ, præ uno præcepto de diligendis inimicis & hominibus amore nostro multò indignioribus ; quotiescunque ejus rei occasio occurrit. Quod an Rationi sanæ etiam verbo Dei illustratæ, probari possit ; animis nullo præjudicio occupatis, judicandum relinquimus.

Nec illud magis aptè hoc loco oggeritur. *Parendo potius quàm imperia ac mandata Christi curiosè scisitando, obsequium erga Imperatorem nostrum contineri.* Quis enim de eo dubitet, si jam nobis utrinque constaret id esse à Deo Christoque præceptum ; quod ipsum tunc maximè in controversiam vocatur, cum disquirimus quidnam Christum ad ejusmodi præceptum dandum movere potuerit ; quod longè majorem rationem inimici quàm vel sanctissimarum necessitudinum habere jubeat. Quod si hæc disquisitio, etiam tunc ubi jam de mente Legislatoris liquidò constaret, sobriè tractata, audax videri non posset aut temeraria : profectò nunc cum adhuc de ea quæritur ; tantum abest ut illegitima censeri debeat ut vel maximè sit necessaria. Nec enim aliis vestigiis sæpenumero mentem loquentis & sensum verborum sagacius odorari aut celerius assequi possumus ac solemus.

Non Christi sed suam causam agunt ; qui in dogmatibus aut actionibus ad ejus religionem pertinentibus, Cæcam ab hominibus requirunt obedientiam ; quasi doctrina Christi aliquid contineat ; quod non ipsius Rationis approbetur suffragio. Sed homines absurdarum interpretationum ; aut sententiarum quæ defendi non possunt, sibi conscii, cum eas rationum scuto protegere nequeant ; Callidè auctoritatis & quidem à Christo ipso, dolo malo, mutuatæ, clypeum opponunt. In quam ulterius inquiri vetant & cæcum istud atque per falsam Deo parendi speciem, humanis judiciis addictum obsequium, eminentissimæ virtutis elogio exornant. Quo tamen plærumque nihil sceleratius commentum esse Satanam deprehendimus ; cum illam non frustrà à Deo actionibus nostris præpositam, unicam mentium nostrarum custodiam, non raro convellat quam vulgò vocamus conscientiam. Nam qui reclamante proprio judicio sese ad alienæ mentis arbitrium componit ; atque invitum se cogit in gratiam alicujus ad aliquid profitendum aut faciendum : quid nisi castitatem mentis & conscientiæ suæ soli Deo reservandam ; autoritatis humanæ libidini prostituit ? Nec frustrà olim Servator noster Patrum & Magistrorum (uno Deo Patre & se se exceptis) omnium ; quicunque sibi irrefragabiliter assentiendi ac morem gerendi jus & privilegium vindicare vellent, Auctoritatem, ex Ecclesia sua proscripsit. Nullius enim hominis existimationi aut judicio tantum tribuendum est, ut aliquid contra Rationis & conscientiæ nostræ judicium ac dictamen recipiamus, quod totum quantumcunque est soli veritati, hoc est Deo Christoque consecratum esse debet.

Quoties igitur in opinionibus quæ credendæ obtruduntur, inest aliquid quod insito nobis Rationis lumini repugnet ; qualis est ea in cujus veritatem inquirimus ; toties pro suspectis habendæ sunt ; nec in eas tantum inquirere licet ; sed valdè expedit, atque adeo omnino necesse est. Præcipuè in eas, quæ pro legibus & regulis vitæ atque actionum nostrarum recipi jubentur. Nam in iis quæ duntaxat contemplationi serviunt, minus forte videri possit esse periculi. Sed quæ ad praxin pertinent, si quid subtesti atque adulterini dogmatis, quod aliqua ex parte Ratio abnuat ; atque aspernetur, contineant, nisi diligenter discutiantur dici non potest quàm pestilenti labe pietatem atque Ecclesiam devastent. Efficiunt enim frequentissimè ut homines sive pareant ipsis, sive refragentur ; semper in Deum & conscientiam suam delinquant ; aut delinquere sibi & aliis videri possint. Nam si iis in gratiam aliorum pareant, judicii sui dictamen, non sine aliquo sibi displicentis conscientiæ morsu transgrediuntur : Sin autem in gratiam proprii judicii, receptas ab aliis, neque tamen à se bona fide damnatas leges violant ; in illam peccati speciem incidunt quod Apostolus ex Fide non esse asserit. Nusquam enim perplexius & periculosius, quàm inter publicè recepti dogmatis auctoritatem & privati judicii pondus, divisa aut potius discerpta conscientia nutat & fluctuat. Atque haud scio an ulla alia res morum in Ecclesiis sanctimoniam magis labefacere possit quàm cum in iis publice regnant ejusmodi Leges ; quarum violandarum homines perspicaciores sibi privatim gratiam non facere vix possunt. Unde fiat, ut, postquam semel homines prohibita transcendere cæperint ; neque modus ultrà neque pudor esse possit, dum simpliciores prudentiorum exemplo eadem aut similia audent pari licentia ; non pari moderatione aut conscientiâ.

Nam si quis existimet expedire pietati, ut ejusmodi leges in Ecclesia regnent ; quæ ad alterum extremorum videlicet tutius & à peccandi periculo remotius, plus æquo declinent, is verò plurimùm fallitur. Privatæ istud prudentiæ consilium est. At in publicis cætibus nihil periculosius est quàm ejusmodi leges condere ; quarum reverentiâ non nisi simpliciores & obesæ naris homines contineri possint unde necessariò eveniat, ut plurimi homines in Ecclesiis aliter publicè cum aliis saltem tacitè sentire videri : aliter privatim vivere sibi permittant ; quo nihil est ad enervandam, imo penitus tollendam omnem vim Ecclesiæ legum compendiosius.

Enimverò in dubia atque ancipiti deliberatione tutiorem partem eligere, non Apostolus duntaxat ; sed & ipsa suadet Ratio. Verum ista electio, necessitatis est inventum non præceptum prudentiæ : nec aliter excusari potest nisi ineluctabili difficultate. Quæ si forte expediri aut removeri possit ; scire quàm dubitare, mediam & rectam viam ingredi ; quàm dum vitamus vitia, currere in contraria præstat. Nec enim quia longius à pejoribus delictis alterum extremorum discedit ; ideo suis quoque carere vitiis putandum est.

Illud quoque hoc loco prætendi potest. Libertatem

tem Christianam in periculo scandali, verbo Dei frænari atque circumscribi: ita ut à multis naturâ suâ licitis nec lege Christi prohibitis abstinere tamen debeamus metu offendiculi. Cur igitur dicat aliquis, Ecclesiæ non liceat simili fræno coërcere cædium etiam natura sua licitarum; aut litigiorum licentiam. Nihil igitur esse cur de eo an lit lege Christi permissum, quæramus; quod etiamsi licitum esset ab Ecclesia optimo jure prohiberi potuit. Sed primum verbum Dei in ejusmodi rebus quemque de suo jure aut potius libertate decedere jubet, in quibus absque magno malo nostro decedere possumus, quales sunt actiones quas vocant indifferentes. Deinde de suo quemque jure decedere jubet non de alieno; multò minus autem Ecclesiæ permittit invadere alienum. Sed qui omne jus defensionis; omnem Magistratus non modo severitatem, sed usum quoque tollunt & abrogant; non res aut actiones adiaphoras coërcent: sed fundamenta privatæ cujusque & publicæ omnium Salutis concutiunt atque moliuntur. Neque Ecclesia jus aut potestatem sibi sumere potest, derogandi de jure Magistratuum, aut per leges, & instituta sua, ipsos cogendi; ut de jure sibi divinitus concesso decedant.

Præterea dogmatum in quæ inquirimus, ea est natura; ut cætus hominum qui ea profitentur, aut insigniter propagari; aut ad libertatem aliquam vel potestatem in terris pervenire nunquam queant. Neque id humano generi expediret; neque justitiæ aut sapientiæ Dei conveniret, permittere, ut prætextu Evangelicæ pietatis, ejusmodi opiniones atque instituta invalescerent, quæ abrumpunt vincula societatis mortalium, quibus in imperiorum ac Rerumpub. regimine salubriter hucusque continebantur: atque dum aut populos Magistratu; aut Magistratum potestate vitæ necisque in subditos; & jure publicæ defensionis privant; eo ipso exarmant humanum genus omni innocentiæ præsidio; & effrænatæ violentiæ atque injustitiæ latissimam viam pandunt.

Nam si quis dicat, propagata ejusmodi doctrinâ inter plures, unâ etiam necessariò perfectissimam virtutem atque pietatem Christianam fore propagandam, quâ longè validius atque perfectius, quàm metu legum & Magistratuum; homines in officio contineantur. Hoc primum etiamsi verum esse adversariis largiamur; illud ipsum incommodum in se continet, quod modo dogmatibus istis objecimus: Cætus hominum illa profitentium insigniter propagari non posse. Si enim hæc doctrina sine propagatione perfectissimæ virtutis ac pietatis Christianæ sumere incrementum nequit; cum ista perfectissima virtus ac pietas ejusmodi aptitudinem hominum quibus insinuatur, requirat, quæ apud pauciissimos reperiri possit; ipsa adversariorum confessione pauciissimi semper erunt qui istam doctrinam recipient. Quæ autem insignis propagatio esse potest inter pauciissimos? Deinde, illud ego nunquam concesserim, doctrinæ hujus propagationem cum propagatione veræ pietatis ita esse conjunctam, ut non possint plurimi, eam doctrinam profiteri qui tamen non sint verè & perfectè pii. Quis enim spondeat aliquos eorum qui bella & fontium supplicia oppugnant; id facere instinctu potius veræ pietatis; quàm aliâ aliquâ causâ; puta inolitæ opinionis præjudicio; aut animi quadam mollitie & periculorum fuga & detrectatione? Non est meliori conditione unum istud dogma, quàm tota fuit doctrina Evangelica. Cujus tamen receptio non necessariò secum traxit, omnium ad eam accedentium veram Regenerationem; quæ, etiam absque ordine Rerumpublicarum homines in spontaneo rectè vivendi officio retinere posset. Sed ut jam sedecim seculorum experimentis compertum est, inter magnam Vocatorum multitudinem, paucos semper Ecclesia (quod & prædictum est,) numeravit Electos. Idcirco Sapientissimo rerum humanarum divinarumque Rectori, per sublatum gladii & supereminentium potestatum usum, non visum est paucorum innocentium exarmari iis præsidiis; quibus contrà effrænem plurium violentiam defendi ac protegi posset. Nam & inter ipsos Vocatos (quibus videlicet Electorum nomen tribui nequit) multi futuri erant, & sunt etiamnum; quemadmodum improbitatis; ita probitatis ac civilis saltem honestatis gradus. In quibus quò difficilius est animum ad virtutem & honestatem componere quàm in cupiditates dissolvere; eò pauciores semper inveniuntur; qui majorem quàm alii in virtute profectum fecerint. Atque hi pauciores, sublato gladii & Magistratuum usu, quid nisi præda improbiorum futuri erant? Nullum igitur dogma, nulla doctrina, nulla Sapientiæ aut religionis præcepta, rei tàm necessariæ defectum supplere queunt; quamdiu peccandi, & vitiis suis indulgendi; non modo voluntas sed ipsa quoque illecebra & facultas, ex humano genere, non exstirpabitur: hoc est, quamdiu permissa divinitus genti mortalium arbitrii sui libertas constabit.

Nec ullum tam Felix seculum imaginari possumus; quin ejus rei usus necessarius maneat. Nam etiamsi fingamus, quod nunquam eventurum reor, eò felicitatis Orbem terrarum pervenire posse ut universi mortales, nemine excepto, veram & perfectam pietatem colant: tamen quoniam varium & mutabile semper animal homo est; atque ad deteriora flecti pronum & facile; quis spondere ausit, aurei illius quod fingimus, seculi pretium, non degeneraturum mox in ætatis ferreæ vilitatem. Neque verò ut flagitia & injustitia increbrescant opus est; sed ut saltem increbrescere possint, satis est, ad id, ne unquam superflua videri possit functio Magistratus.

Hoc loco illud à quibusdam objici posse video; nihil esse cur optemus Ecclesias veritatem profitentes ita propagari, ut ad aliquam in terris libertatem aut potestatem pervenire unquam possint; quibus sub Cruce persecutionum perpetuò gemere, non modo ad innocentiam & pietatem expedit: sed ex præcepto Christi, necesse est. Neque ego negaverim, miseras tolerantibus quàm cæteris; minùs esse metuendas felicitatis corruptelas. Sed istæ ipsæ quantò acrioribus stimulis animos hominum explorant; tantò minùs decuit Christianos bellatores, ab hoc eximiæ virtutis specimine edendo prorsus ac penitus summoveri. Nec usquam etiam summotos aut ad istam unius generis pugnam & cum perpetuis afflictionibus luctandi necessitatem damnatos memini. Aliàs ipsis fas non esset, quietæ & tranquillæ vitæ sub piorum Principum patrocinio, prosperitatem, optare: multò minùs autem precibus à Deo exposcere. 1. *Tim.* II.

At iidem urgebunt; præstare ut nunquam propagentur; aut ad ullam in terris potestatem libertatemvè perveniant Ecclesiæ veritatem profitentes, (quod antea ultrò confessi fuisse videmur; quodque in Christianæ Ecclesiæ propagatione eveniisse cernimus) non aliter propagari possunt, quàm admissâ in gremium Ecclesiæ Vocatorum (liceat ita nominare homines à perfectâ pietate alienos) colluvie. Atque hîc latet prima illa hallucinatio quæ cæteris gravioribus circa ejusmodi superstitiones lapsibus ansam dedit. Quis enim non fateatur, præstare ut Ecclesia inter pauciores, in castimoniâ & integritate morum atque disciplinæ contineatur: si propagatio ejus vitæ ac morum dissolutionem allatura sit? quis & illud non videat; etiam legitimæ propagationi Ecclesiæ (quæ videlicet ad peccata hominum non connivent; quatis sint Apostolica) ferè tamen illud incommodi adhæsisse; quod

quod si fieri possit, quàm maximè fugiendum censemus? Sed in eo variorum in hoc argumento errorum cubile deprehendimus; primùm quod plærique mortalium ipsi à primæva & Apostolica virtute degenerantes Ecclesiam, nisi illegitima viâ, hoc est luciis omnis disciplinæ nervis, insigniter propagari posse non putaverunt. Deinde multò magis quòd illas ipsas, quæ etiam in legitima Ecclesiæ propagatione, ex multitudine Vocatorum provenire videntur corruptelas; ipsi propagationi Ecclesiæ tanquam veræ ejus rei causæ, propemodum omnes adscribere soleant. Cum tamen eæ ex ista propagatione, non nisi per accidens; revera autem ac per se (ut nunc hominum malitiam taceam) ex ipsa natura gubernationis Ecclesiæ proveniant. Quæ cum spiritualis quidem sed tamen humani judicii modulo gubernetur; quod nec de occultis judicare; neque semper inter Vocatos & electos; sanabiles & insanabiles; perversos & infirmos discernere possit: & ex præscripto Caritatis, in meliorem partem potius inclinare soleat; fieri nequit, quin plurimos pravos, perversos, & insanabiles; aut pro electis habeat; aut saltem pro infirmis toleret. Jactent igitur ut volunt Cœtuum suorum puritatem, qui durioribus institutis & adductiori disciplina ita malos homines ab Ecclesiis suis submovere conantur, ut ne bonos quidem admittant; si Christi legibus gubernantur, habent & illi, inter paucos Electos, magnam suorum vocatorum multitudinem. Nisi quod externæ speciei larvâ & fuco hominibus imponunt; dum Monachorum exemplo potissimam pietatis suæ partem, in rebus omnium oculis subjectis, putà vestium, gestuum, vitæ generum & similium externarum rerum delectu vel abstinentia collocant. Quorum omnium observatio ad corporalem exercitationem pertinet; & ut verâ pietate longè facilior ita eâ non paulo inutilior, sæpe & gentili superstitione ineptior est. Nec difficilius publicè quàm privatim, in jugi ac fideli, earum rerum observatione homines continentur; quia de externis quàm occultis rebus judicare Ecclesiæ longè facilius est. Quamobrem cum neque paucitas aut abjecta conditio hominum veritatem Christianam profitentium, à gremio Ecclesiæ excludere possit, Vocatorum (quos ita nominavimus) promiscuam turbam: neque propagatio, sed aliud aliquid potius in culpâ & causa sit, quod eam in sinum suum admittere cogatur vera Ecclesia; quemadmodum ipsa quoque Apostolica (quamvis non ità laxè & licenter) admisit: quid est, cur non, & obnixis votis ac desideriis exoptetur, & omni conatu atque operâ procuretur; propagatio & florens ac triumphans in terris Status militantis Ecclesiæ?

Quæret tamen quispiam, ecquod illud operæpretium erit; quod ex propagata eo modo Ecclesiâ sperari potest; si tot Vocatorum promiscui greges, puritatem Ecclesiæ inquinabunt? Sed is consideret velim ecquid emolumenti accesserit humano generi, ex orbe olim ab Ethnicismo ad Christianismum converso: cum tamen tot imperfectorum Christianorum myriades, gremium Ecclesiæ implerent. Quasi verò in majori vocatorum multitudine; non major Electorum numerus meritò sperandus sit: aut parum emolumenti inde accedat veræ Ecclesiæ; quod veritas divina ad plurium aures inoffenso cursu perveniet. Quæ cum nunc non cum privatis tantum singulorum vitiis; sed cum publica quoque errorum caligine, imò tyrannide; iniquo ac difficillimo certamine pugnet: nunquid in eo tempore, ad conversionem & salutem mortalium parum momenti inerit, quando *(veritas divina)* publico & communi omnium hoste devicto; integras vires atque illud invictum robur suum ad expugnanda singulorum vitia convertet?

Non est metuendum ne pulsis ex orbe epidemicæ ignorantiæ tenebris, Christianis bellatoribus certamina; aut exercendæ virtutis materies desit. Debellatis enim erroribus publicis, superierit cum vitiis privatorum bellum; quæ raro absque privatis erroribus homines occupant. Sed melioribus jam auspiciis gerendum & successu prosperiori, posteaquàm,

Pars belli haud temnenda viris, prostrata jacebit.

Verum enimvero hac tempestate exoptatam veritatis victoriam nihil magis remoratur, quam iniqua cum erroribus, ense ac potestate armatis congressio. Præcipuè posteaquam, à Spiritu clandestinas cum Christo inimicitias, gerente, infusa est pectoribus hominum, pestilentissima de oppressione conscientiarum doctrina; quæ non modo domi per Magistratuum sævitiam, sed foris etiam per bella grassetur. Cui quidem oppressioni, temporali (quem vocant) gladio armatæ; licet objecta Martyrum constantia & patientia glorioso resistere, & mucronis ejus aciem non mediocriter retundere queat; finem tamen afferre nihil potest, nisi supremarum potestatum resipiscentia; atque ad agnitionem Veritatis perductio, quod tempore Constantini factum videmus.

Quibus quicunque temporalem pacis bellique gladium nunc eripit: Antichristo qui suum sibi eripi nunquam sinet, & omnium capitibus insultare pro virili conatur, strenuam operam navat; eique malè partam tyrannidis possessionem æternum continuandam, improbè tuetur, non sine insigni Veritatis damno atque injuriâ. Quam licet ense ac potestate propagare, & nefas, & supervacuum sit; cum suæ ipsi vires ad profligandos errores, satis superque sufficiant, quoties cum illis non iniquo certamine certat: Tamen ne ad iniquum cum iis certamen adigatur, prospicere, supremarum potestatum, earumque non inermium, officium ac beneficium est, quod in progressu operis dilucidius explicabimus.

Cum igitur hæc dogmata, non tantum in humano genere meliorum probitatem deteriorum sceleri atque libidini; nudam atque inermem prostituant: sed etiam Ecclesiam in misera atque perpetuâ servitute detineant, & cursum veritatis quominus hæc omnium aut certe plurimorum animis illabi possit, violenter inhibeant, ac remorentur, denique pernicioso deditione, exarmatas & vinctas omnium bonorum Magistratuum manus, gratissimum munus armato ac furenti Antichristo tradant; meritò in eorum fidem veritatemque inquirendum putavimus.

Eripiunt enim nobis, ejus boni spem; quod non temerè perpetuis votis ac precibus à Deo expetere jussi sumus: Spem, inquam, adventus Regni ejus; in quo ad exemplum cœlestis obsequii, voluntati ejus in terris mos geratur. Cujus boni, licet per adventum Christi & propagationem Christianæ lucis, uberrimos fructus humanum genus capere cœperit; haud frustrà tamen initio statim propagatæ primitivæ Ecclesiæ; non modò citò imminens apostasia & per prostratos fallorum Deorum cultus dejecto in terras Dracone; sævitia & artibus ejus introductus; miser ac tyrannicus Ecclesiæ status: sed etiam posteà abolita Babylonis tyrannide; & compacto in carcerem Dracone, aureum & felix, nec exiguo tempore duraturum Ecclesiæ seculum, prædicta ac promissa sunt. Quarum prophetiarum cum partem jam eventu impletam, partem impleri cœptam manibus palpemus; jure optimo reliquam partem, implendam expectamus. Neque vero ex obscuris aut male intellectis oraculorum sensibus, Spes hæc deprompta est. Nam ut paucula quædam ad speciáliores rerum circumstantias pertinenti Apo-

calypseos

calypseos loca; diversas & parum certas interpretationes admittant: ita illud nemini ambiguum esse potest; post introductam in orbem Christi doctrinam; duos istos diversos sibique ordine succedentes Ecclesiæ status, prædictos esse. Et prædictioni, eventus magnâ ex parte fidem fecit; non sine liquidâ & invictâ ad asserendam Religionis veritatem & Sacrorum librorum auctoritatem, demonstratione. Neque verò sola hæc est ejusdem argumenti in Sacris Codicibus, hujus libri prophetia. Quin & præter propheticos libros idem sonant Apostolorum dicta factaque, & scripta didactica. Defectionem, tyrannidem in templo Dei occupandam, ac divinæ potestatis usurpationem; Regnum iniquitatis, secundum operationem Satanæ, cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus, & cum omni deceptione injustitiæ: Et mox Abolitionem Regni hujus, per Spiritum oris, & claritatem adventus Christi, non fatidico spiritu concussus nec per ambages & involucra verborum, fatorum arcana effundens, sed simplicibus ac disertis verbis Paulus Apostolus prædicit. Idem conversionem Judaici populi prænuncians, tempora illa tam læta, temporibus resurrectionis *Rom.* XI. comparat. Quam tamen conversionem in terris fieri necesse est; nec ad aliud quam ad illud aureum seculum pertinere nobis admodum probabile est; quod constricto Satana Christus condet cum revera omnia Regna hujus mundi, fient Regna Domini Dei nostri *Apoc.* XI. 15. & cum prima illa Resurrectio (*Apoc.* XX.) Ecclesiam lætissimi sæculi felicitate beabit.

Fallitur autem quisquis existimat Deum novo aliquo aut extraordinario miraculo; atque immediata sua potestate; hanc temporum felicitatem præstiturum. Id enim ut factu facillimum (quid enim ipsi resistat,) ita gloriæ Dei, quæ per ardua & incredibilia enitescit, adversum esset. Nihil autem difficilius est; quàm, (quod ordinaria via Deum moliri vidimus), per incertissimos & in contrarium pronos liberarum voluntatum actus, certissimis destinationum suarum eventibus exitum invenire. Nec ulla probabili ratione persuaderi potest; Deum à ceptâ dudum & consilio suo consentaneâ gubernandi ratione, recessurum, ut quod ordinariâ viâ (quemadmodum palàm est) perfici possit; extraordinario miraculo efficiat, cum nihil unquam frustrà fecerit.

Quapropter cum Ecclesias veritatem professas, ad plenam, imò verò florentissimam & plura per secula duraturam in terris pacem ac libertatem pervenire necesse sit: quod fieri nequit nisi summæ in terris potestates ad agnitionem veritatis perductæ; gubernationis suæ viribus ac nervis tranquillum hunc & felicem statum præstent & foveant: non modo par & æquum est; sed necesse quoque videtur, ex Ecclesiis istis prius ea dogmata submoveri; quæ aut summas istas potestates ab Ecclesiæ limine arcent; aut imperii & gubernationis earum nervos incidunt.

Quæ cum ita se habeant; non levibus aut prophanis acti stimulis, aut profundâ terrenorum libidine, laborem hunc suscepimus, sed in gratiam gloriæ Dei, eruendæ veritatis studio; humani generis emolumento atque ipsius Ecclesiæ commodo; ne qua in ea reliqua stirps superstitionis ad cæterorum dogmatum claritatem & evidentiam inumbrandam, pullulet.

Hoc dum facimus, primùm Christum Optimum Maximum humillimis precibus veneramur, ut mentem & calamum nostrum ita moderetur, ne quid de minimo vinculorum quibus sanctissimis ejus præceptis obstringimur nexu, solvere ausit: sed ea sola recidere tentet, quæ præter mentem Legislatoris, ex verborum male intellectorum cortice, in animos quorundam irrepsere; quæque adeò veras & sanctas ipsius leges iniquis prophanorum cavillis & obtrectationibus, obnoxias reddere cuipiam videri possint.

Deinde Lectorem hortamur, ut sine contemptu ac supercilio, sine odio, sine præjudicio ad judicandum de scripto nostro accedat, quod non oraculi, sed sententiæ loco, in publicum damus & omnium censuræ submittimus, eo animo ut, si alia viderit melior, de nostra promptè decedere non recusemus. Quâ modestia speramus assequi; ut si quid, quod absit, in liberrimo scribendi genere incautius dictum exciderit; aut interpretationem dextram, aut veniam mereatur.

CAP. II.

Prolegomena quædam ad explicandam Autoris mentem & Statum controversiæ ostendendum præmittuntur.

REligio & quæ ad religionem pertinent, cum Repub. & iis quæ ad illam spectant; quemadmodum invicem non confundenda: ità neque mutuò committenda sunt. Quod, ecquid sibi velit, paulò dilucidius explicandum est. Committunt Rempub. cum Religione; qui contendunt bellum & potestatem vitæ necisque, religione Christiana prohiberi, quorum utrumque est de essentia Reipub. in qua ipsa Religio continetur. Et quia in certamine Reipub. cum Religione, illam huic cedere par est: omnem Rempublicam legumque & magistratuum rationem evertunt; quando ea quæ sunt Reipub. legibusque & magistratibus essentialia; à Religione atque omni cætu hominum verè Christianorum submovent ac proscribunt; & sic eversa per religionem Republicâ, quæ Religionis nutrix & cultos esse debuerat, ipsi Religioni per Religionem, nocentissimam plagam infligunt.

Confundunt autem Rempub. cum Religione, qui legem Christi spiritualem in locum Mosaicæ legis forensis successisse; nec in terrena gubernatione Reipub. verè Christianæ alias leges admittendas esse, quàm à Christo & Apostolis latas asserunt: cum tamen Christus in doctrina & munere suo adeò nullam Reipub. partem attigerit; ut ne hæreditatis quidem inter fratres herciscundæ arbiter esse voluerit: sed tàm ipse, quàm ejus Apostoli legum & Magistratuum (qui tunc omnes aut Judæi aut gentiles fuerunt) observantiam & obsequium Christianis injunxerint, & passim inculcârint.

Neque igitur collidenda; neque confundenda cum Republica, religio est. Tam enim hæc, quàm illa ab ordinatione Dei proficiscitur, in usum hominum, hæc quoad bona temporalia; illa quoad æterna. Quæ quidem ipsa, tametsi infinitis partibus potiora, suo tamen modo quodam à bonis temporalibus (inter quæ vita numeratur) dependent. Quippe cum sine illis quandoque acquiri vix possint; ideoq; illa non tollant, sed perficiant. Quiverò gubernatio Religionis atq; Ecclesiæ, à gubernatione civili ac Reipub. toto cælo distat: cum altera juris belli ac potestatis coactivæ plane expers: altera omnino particeps esse debeat; ideò plurimum cavendum est, ne quæ inter se accuratè distingui, ac distinctè considerari debent, confusa explicandi ratione misceantur. Nam, si usquam alibi, hîc profectò μετάβασις εἰς ἄλλο γένος incautis hominum judiciis tenebras offundere solet. Quamobrem quoties comparatio temporum legis & Evangelii instituitur, non Judaica Respublica religioni Christianæ; sed Judaica religio religioni Christianæ, Judaica item Respub. Reipub. Christianæ opponenda est. Fatemur enim non Judaicam tantum, sed & Christianam Rempublicam; quoad executionem legum & defensionem Status sui, ab institutis Christianæ religionis aut Ecclesiæ, quâ Ecclesia est; diversa atque adeo toto

cælo distantia instituta habere ; cum , ut modo diximus, Christiana Religio aut Ecclesia bello per se promoveri aut Coactiva potestate gubernari , nec possit, nec debeat. Illud tamen contendimus, utramque licet contraria instituta habeat , quia hæc instituta diversa Regiminis genera respiciunt ; ita conspirare posse ; ut unum eundemque cætum hominum verè Christianorum constituere possit. Diversa autem Regiminis genera sunt ; hinc terrena & carnalis gubernatio, quæ leges forenses & Politicas respicit; illinc cælestis & spiritualis, quæ respicit legem Christi.

Animadvertendum etiam est, id ipsum quod religionem & Rempublicam inter se committere videtur; hoc est, circa bellum & potestatem Coactivam contraria instituta; id ipsum, inquam, eas, maximè secum conciliare; atque efficere, ut secum pugnare non possint. Nam si utraque bellum & Coactivam potestatem usurpare posset, quod in Antichristi regno partim directè, partim obliquè tentatur, non posset in uno cætu hominum consistere utraq; sine aliqua repugnantia, nisi religionum Antistitibus absolutum super omnes Reges & Magistratus imperium concederetur, quod in Romana Ecclesia Canonistæ, quos vocant, moliuntur. Atqui religio cum à bello & coactiva potestate alienissima sit ; nunquam falcem suam in messem Reipub. immittere potest. Respub. etiam bello foris externam vim, & injustitiam & summa potestate domi delicta in leges coërcens, tantum abest ut Religionem impediat , ut suâ naturâ ad religionem & omnem virtutem atque honestatem animos præparet; à gravioribus delictis pœnarum formidine absterrens; quo facilius posteà subtiliora, sublimioribus virtutibus adversa ; ultrò evitare queant ; quod Religio præcipit.

Nec illud prætereundum est, olim in Hebræo populo, bellum sicuti & potestatem coactivam, non ex lege Mosis morali, sed ex lege ejusdem Politica & forensi ; quæ juxta placitum Dei , Hebrææ genti conscripta erat , jus & originem suam traxisse. Præscribuntur enim in illi expressæ belli leges. Porro Religio ac doctrina Christi Politicas & forenses Mosis leges nulla in parte immutavit: nec earum immutandarum normam aliquam præscripsit , sed eas plane missas fecit , manuras tamdiu ; quamdiu Statum illius Reipub. Deus in publica sua Mundi gubernatione salvum manere voluisset.

Nec enim Religio Christiana , uni alicui populo, qui nondum leges Reipub. suæ ullas haberet (quemadmodum olim lex moralis lata est Hebrææ genti) tradenda; sed omnibus promiscuè populis, communicanda fuit: qui jam suas singuli leges forenses , ac Reipub. suæ gerendæ fundamentales habebant. Quibus non minus quàm Mosaicis forensibus obsequium præstari in singulis Rebuspublicis, Deus voluit ac præcepit ; tunc cum potestatibus supereminentibus obtemperari imperavit: qui suarum singuli legum Custodes sunt & exactores. Nisi si qua forte lex à naturali honestate & officio abhorreret ; aut aliquid legi pridem in decalogo promulgatæ ; aut recentiori alicui sed manifestæ Dei voluntati contrarium præciperet ; (quod tamen non sæpe evenit) , in eo casu Deo quàm hominibus potius obediri , monitu & exemplo Apostolorum instituit. Cæteris omnium gentium legibus , non minus quam olim forensibus Mosis obsequium; nec minor reverentia , imperata est , non propter metum eorum quibus eas exercere permissum est , sed propter conscientiam.

Cum igitur in locum forensium Mosis legum apud Christianos non præcepta Christi & Apostolorum ; sed suæ in singulis Rebuspublicis leges atque instituta successerint; absurdum est in præceptis Christi & Apostolorum quærere expressam administrandæ & conservandæ Reipub. rationem, quæ in belli pacisque potestate consistit: Et si forte eam expresse traditam non inveniamus ; statim id totum quod ad Rempub. regendam & conservandam pertinet; tanquam à Christi religione alienum, damnare ac repudiare. Sed sufficit, ut quemadmodum forenses Mosis leges nihil moralibus Decalogi præceptis verè contrarium habebant ; ita & forenses quoque Christianorum leges nihil habeant quod Christi & Apostolorum præceptis verè repugnet.

CAP. III.

Partitio operis ; & ad primam , eamque controversam ejus partem fit aditus ; simul de Statu controversiæ atque ejus tractandæ modo differitur.

ANtequam ad Magistratus atque subditorum officia in pacis bellique negotio, eorumque limites à Christi doctrinâ per indirectum ut ajunt præscriptos, accedamus, ante omnia inquirendum est: An in vera Christi Ecclesia Magistratus seu summæ potestates locum habeant: simulque an iisdem dum sunt in Ecclesia, in subjectos sibi populos jus vitæ necisque; in vicinos autem, & hostes jus belli pacisque competat. In qua controversia nobis duplices adversarii occurrunt. Sunt enim qui non modo necis aut supplicii potestatem , sed omnem omninò Magistratus supereminentiam, atque omne jus Coactivæ potestatis, ex Ecclesia eliminata volunt. Alii Magistratus quidem aut summos potestates & ipsum jus Coactivæ potestatis , palàm ex Ecclesia exterminare non audent ; verum ipsis id adimunt ; sine quo non possunt esse magistratus aut summæ potestates: hoc est, belli pacisque gladium. Quem ubi sustuleris , Coactiva potestas non vana tantum & inermis , sed plane ridicula & nulla est.

Quamvis autem utrosque separatim refelli cuipiam necessarium videri possit ; nos tamen hunc laborem compendi faciemus , posteriores statim ac potissimum adorti. Nam ubi demonstratum fuerit , supplicia sontium & publicam defensionem quæ fit per Magistratum ; doctrinæ Christi non repugnare ; ejusque legibus prohibita non esse : fanatica illa de proscripto ex Ecclesia Magistratu opinio , nullo ulteriori impulsa ariete sua sponte corruet. Neque tamen suo loco adjicere omittemus , quæ ad subruenda ejus fundamenta spectare videbuntur.

Animadvertendum verò est : Non esse nostrarum partium probare bellum & potestatem quam sibi sumit Magistratus lege Christi prohibita non esse. Idque non tàm quia affirmantibus ; quàm quod rem novam & paradoxam , publico consensui mortalium & omnium jurium concessioni; præterea communi bono humani generis repugnantem, asserentibus, incumbat probatio. Fateantur enim adversarii necesse est non modo Rationis humanæ judicio, sed omni genere jurium naturali gentium , positivo humano ; etiam divino , putà lege Mosaicâ ; bella justa & capitalia judicia non modo permissa: sed in laude ac pretio, fuisse. Eadem aliquâ parte Evangelici juris, puta concessione Joh. Baptistæ , niti , diffiteri non possunt. Proinde his omnibus accedens perfectior lex Christi (si modo Baptistæ prædicatio à lege Christi separari potest , de quo nunc non disputamus) si ea sustulisse prætenditur : & tamen longè major pars eorum qui legi Christi sese subjiciunt ; id neget , aut nesciat; iniquissimum est , id ab ea exigere ; ut ex lege Christi probet , ea non esse prohibita. Sed potius adversariis rem novam & inauditam asserentibus incumbit necessitas , ut ex lege Christi demonstrent , ea esse vetita ; legemque & legis verba citent ; eaque non aliter quam secundum eum quem introducunt sensum ; intelligenda & explicanda esse , non probabilibus sed firmis & apodicticis Rationibus demonstrent.

Quodsi

Quod si expressum jus atque interdictum non habent; magnum hoc est quidem primùm invalidæ ac nutantis causæ præjudicium. Neque enim in societate hominum non temere, sed ratione ac necessitate urgente, recepta ab omnibus pacis bellique jura; & manifestâ olim atque hodie ordinatione Dei approbata; ejus sunt naturæ & conditionis, aut levitatis: ut muta aliqua & tacita prohibitione, absque liquido & expresso interdicto, tolli possint.

Sed tamen saltem evidentes deductiones producant oportet; non, ut faciunt, per ambages consequentiarum, ex verbis indefinite, tanquam universaliter prolatis, elicitas. Quæ non imbecillitatis tantum, sed apertæ quoque falsitatis; utrum meritò coargui possint, nec ne, paulò post videbimus.

Itaque adversariis in hoc argumento, ejusmodi ferè uti stratagemate mos est ut ex Respondentibus nos faciant Opponentes atque in nos probandi onus rejiciant; & cum ipsis potius officium imo necessitas planum faciendi τὸ κεχειμένον incumbat malint adductas pro causa nostra rationes, ejusmodi responsionibus carpere, quæ perpetuam principii petitionem redolent; quàm probare id, quod si verum est, non potest nisi probatu esse facillimum. Nec sanè ista usurpata ab iis ratio disputandi; jugiter committendæ fallaciæ hujus, facile expers esse potest. Nam qui negativam de bellis & suppliciis Christi lege non prohibitis enunciationem, probare jubetur: neque potest neque tenetur id ex verbis legum Christi evincere; cum id quod lege aliqua non prohibetur illâ eadem lege comprehendi aut nominari non soleat; aut certe rarissimè soleat: sed ex aliqua; extrà expressa verba legum Ratiocinatione & consequentiæ deductione. Ad quam cum respondetur, quia Respondens ferè probandi onus, suo quodam jure; non libenter suscipit; auctoritas Legislatoris Christi & legum ejus duntaxat in genere inculcatur; de qua nemo dubitat: in specie verò ad demonstrandum id, quod unice probandum erat, ex aliquibus Christi verbis necessariò consequi, nec ea aliter intelligi posse ac proinde τὸ κεχειμένον auctoritati Christi jure applicari, nunquam fere aut certè admodum raro descenditur: Sed pro concesso sumpto verborum Christi, juxta mentem partium, explicatorum sensu: quicquid contrà disputatur, solâ fere auctoritate, ad id quod in controversia est, nequaquam ut oportuit, applicatâ, refellitur, hoc est dubium per æque aut magis dubium explicatur atque ostenditur. Quæ certè iniqua, & parum verecunda principii petitio est. Nam illis quidem qui nostram sententiam propugnant si quando usuvenit sumere pro concesso; quod divinis humanisque legibus concessum & ab omnibus receptum ipsi adversarii fateri coguntur; necdum evidenter falsum esse probatum est, aut nulla culpa imputanda; aut prompta venia danda est. Sed cum nos in sententia adversariorum; neque sanæ rationis vestigium; neque ullius divini humanique juris vel auctoritatis, suffragationem agnoscamus; sed eam purum putum errorem, ex verbis Christi male intellectis profectum, omni Naturæ, gentium, divino humanoque juri atque ipsi perfectissimæ legi Christi adversantem, esse statuamus: profectò fortiter perfricuit frontem illa principii petitio; quæ rem inauditam divinis humanisque legibus adversantem; necdum ab auctoribus suis solidè probatam, sumit pro concesso.

Detergendus est igitur iste fucus, quo plerumque adversarii invenustam ac decolorem faciem causæ suæ oblinunt, quo speciosior appareat; & ab istiusmodi inanibus legitimi certaminis diffugiis, ad ipsum causæ jugulum vel obtorto collo, retrahendi sunt. Jugulus autem causæ in eo est ut non vanis suspicionibus aut conjecturis neque speciosis ratiunculis quæ non minus validè oppugnari quàm defendi possunt; sed certis solidis & evidentibus, ex verbo Dei documentis rei tàm novæ & inauditæ, ac tot incommoda secum trahenti fidem faciant. Quod nisi præstiterint, etiamsi nos verbum ultrà non addamus causa eorum jam jugulata est.

Proinde omissâ omni aliâ disputatione ad argumenta eorum ac testimonia è Sacris libris deprompta ante omnia accedemus; eaque ordine examinabimus; adjectis mox aliis rationibus, quas in præsidium sententiæ suæ advocant.

CAP. IV.

Primum contra Pacis ac belli jura testimonium ex præcepto Christi de diligendis inimicis Matth. v. 43. sumptum refellitur

VErumtamen antequam ad eorum examen accedamus illud nobis sæpius ac sollicite Lector monendus est, ne existimet quia in supremæ necessitatis casu, tàm publicæ quam privatæ defensioni, aliquid, non sponte, sed inevitabili duræ ac miseræ optionis delectu stimulante, indulgendum judicamus: nos ilico rabiosis hominum odiis; & promiscuæ qualis hodie inter Christianos in usu est pugnarum aut bellorum licentiæ fræna laxare.

——— non ego avarum
Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Est inter Taniam quiddam socerumque Viselli &c.

Etenim immensum est intervallum inter istud quod per leges Christi permitti censemus, inculpatæ defensionis moderamen; quod inexpugnabilis necessitatis violentiâ (quæ sola humanitatis legis cum venia frangere solet) excusatur: & inter illam aut infesta odiorum rabie; aut ferâ & immani truculentiâ aut insanæ ambitionis æstu concitatam sæviendi libidinem. Hanc enim nos æque, ut ipsi adversarii damnamus. Sed illam adversarii cum non possint per se ullius vitii aut culpæ arguere, hujus plerumque invidia immeritò onerant. Quasi nulla unquam defensio fieri possit, nisi accedat animi ultionis impetu abrepti impotentia, aut immitis atque immisericors feritas; aut denique stulta vanissimæ jactantiæ sitis. Atque adeo quasi vera & legitima defensio, sine istis vitiis, non longè melius atque felicius procedere queat; adeò ut hæc potius tàm publicæ quam privatæ defensionis impedimenta, quàm necessaria requisita censenda sint. Quot enim homines aut exercitus temeraria ambitione perierunt, eò quod ponerent rumores ante salutem? quot victoriæ è manibus exciderunt, eò quod fugientibus hostibus crudelitate vincentium evadendi spes erepta est? quot homines aut imperatores prudentius dimicassent, nisi animos eorum præceps iracundia, & præproperæ vindictæ ardor, excœcassent? Non igitur legitimæ defensionis moderamen, ejusmodi vitiorum infamiâ onerandum est, sine quibus adeò consistere potest, ut cum illis vix unquam bene & cum successu administrari queat. Itaque ne status controversiæ nostræ, alio præter mentem nostram & præterquàm fieri debeat, detorqueatur illud identidem Lectoribus inculcandum putamus; *non aliam nos defensionem sui, Christi legibus permitti, censere: quàm quæ ab ultionis impotentia; a crudelitatis infamiâ: denique ab ambitiosa temeritate immunis sit atque aliena.* Nunc ad arguita adversariorum è S. Scriptura deprompta accedamus.

Matth. v 43. *Audistis dictum esse Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. At ego dico vobis Diligite inimicos vestros, bene precimini devoventibus vos; benefacite iis qui vos odio prosequuntur & orate pro iis qui lædunt & persequuntur vos. Ut sitis filii patris vestri, qui est in cœlis, quia Solem suum exoriri facit super malos ac bonos & pluviam mittit super justos & injustos. Nam si dilexeritis eos qui diligunt vos quod præmium habetis nonne & publicani idem faciunt? Et si complexi fueritis fratres vestros tantum, quid eximum facitis nonne & publicani sic faciunt? Eritis igitur vos perfecti, quemadmodum pater vester, qui est in cœlis, perfectus est.*

Hoc argumentum quia plurimi fit à Socino, in fronte collocandum putavi. Cujus ego viri acerrimam mentem ſuo pretio æſtimans, in adverſariorum objectionibus proponendis veſtigia ſequi conſtitui, illud mecum in animo reputans.

——— Si Pergama dextrâ
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

Is ex hoc loco ſic argumentatur. *Chriſtus ut amore & beneficiis quoſvis inimicos diſcipuli ſui proſequerentur hîc expreſſè mandavit; quod multò plus eſt, quàm mandare ne bellum cum ipſis ulla ratione geratur pag. 75. idque addito præmio & ratione. Præmio quidem adoptionis divinæ, & hæreditatis æternæ. Ratione verò, Ut à cæteris hominibus & ipſis in populo peccatoribus diſtent, & ampliorem præ illis mercedem reportent. Ad novam enim cæleſtis hæreditatis mercedem conſequendam nova vitæ ſanctitate & innocentia, præter illam à Moſe præſcriptam opus erat pag. 76. Atqui omnes hoſtes quibuſcum bellum geri ſolet; ſunt illi ipſi inimici de quibus Chriſtus loquitur. Quia hoc loco inimicus proximo opponitur. Proximus autem proprio & potiori ſenſu vocis hujus quemlibet ex eodem populo, etiam privatum inimicum comprehendit. Propius verò ac potior ſenſus non ex loquendi uſu aliquo, qui tunc cum Chriſtus hæc diceret in populo obtinebat, quemve Chriſtus reſpicere potuerit, aut reſpexerit; ſed ex proprietate verborum colligendus, proprietas autem ex uſu Legis petenda eſt. Proinde oppoſita proximo vox inimici, in verbis Chriſti alienigenam inimicum & hoſtem quîcum bella geri ſolent; ut potiſſimùm ſignificet neceſſe eſt pag. 94. Ergo nullis cum hoſtibus unquam bellum gerendum eſt.*

Reſp. Hæc ratiocinatio ut ex multis falſis hypotheſibus concinnata eſt, ita multiplici reſponſione diſſolvitur. Subductâ enim vel unâ minimâ, hujus machinæ particulâ, protinus univerſa moles diſſiliet. Nam ut largiar Socino, quod hîc unicè contendit; verba Chriſti potiſſimum de hoſte publico agere, quorſum evadent hujus argumentationis molimina, ſi præter expectationem ejus, negavero multò plus à Chriſto præcipi, cum charitatem erga hoſtes præcipit, quàm ſi bellum bello propulſari omnino expreſſè vetuiſſet. Certè multo levius & facilius eſt hoſtem vel in ipſo belli fervore diligere; aut ipſi bene precari, vota preceſque pro eo ſuſcipere; quàm vitam, libertatem, & quæ vita cariora ſunt, furenti proſtituere. Dilexit Abſolonem infelix pater, eique minime dira imprecatus, poſt tot commiſſa ſcelera non mediocre beneficium, vitam nimirum & impunitatem parabat. Nec tamen vitam & dignitatem ſuam furenti prodere ſuſtinuit; ſed bello propugnavit. Non ſemper odio, ſæpius durâ ac miſerâ neceſſitate bella geruntur.

Atque ut ante juſtam pugnam levi velitatione congrediar; quid habebunt quod opponant adverſarii, ſi dixero in iſtis verbis Chriſti, non bella quidem vetari; ſed bellorum rabiem & infeſta odia compeſci: atque erga ipſos etiam hoſtes propenſum animum ac beneficentiam, præſcribi? Neque enim hic ut vitam & omnia noſtra hoſtibus deditione tradamus, aut ut pereamus vel nos perdi ſinamus; ſed ut eos favore proſequamur; ac beneficiis afficiamus, jubemur. quod niſi integro ſtatu noſtro & incolumitate retenta; facere non poſſumus. Dicent, impoſſibile eſſe, ei quem diligas bellum inferre, aut infeſtos ictus intentare. Ne nimium morer acceſſum ad ipſum cauſæ jugulum; concedunt id plærumque impoſſibile in impetente. ſed in impetito, non ſemper aut uſquequaque extingatur benevolentia adverſus inſanientem hoſtem, quem ætas aut error, conſultorum pravitas aut aliqua neceſſitas in tranſverſum abripit. Neque etiam ardentiſſimus erga inimicum amandi affectus à Chriſto exigitur. Sufficit talis, qui ipſi cum meliore mente propitium Deum optet, & in quantum beneficium accipere poſſit, dare paratus ſit. Fuit igitur ſemper & eſſe poteſt, etiam inter eos qui bello colliduntur, mutuæ gratiæ & officiorum locus. Et ſi quando Chriſtianos ſuprema neceſſitas ad bellandum adigit, eos potiſſimum cæteris in eâ humanitatis parte, (quoad ejus fieri poteſt) prælucere decet; idque tantò perfectius quantò amplioribus ſtipendiis militant. At quomodo gregarius, inquient, diliget hoſtem ſuum, cujus latus in prælio enſe haurit. Enimverò multum intereſt inter cædem libera voluntate & ex deſtinato patratam, cujus ſibi ſcopum interfector præfixit; & inter ictus durâ defenſionis lege. aut belli neceſſitate extortos, quos ut fugâ potius prævertat incolumis hoſtis, quàm conflictu experiatur, optare ſimul & curare licet. Illa enim cædes & pugna omni caritati repugnat: hæc non ſemper omnem dilectionem excludit. Neque certe ſemper in bello, quemadmodum nec ipſa in pace, inimici dilectioni locus eſt. Sufficit autem ut ipſi aliquando in bello locus eſſe poſſit, ad id, ut oſtendamus, hoſtes etiam non ſublato bello, diligi ac beneficiis affici poſſe, ac proinde etiam bello permiſſo Chriſti præcepto locum eſſe. Imo verò ſi Chriſtus hoc loco nobis præcipit, quo animo erga hoſtes eſſe debemus, ut adverſarii contendunt; non obſcure ſignificat & quaſi permittit, nos hoſtes habere poſſe. At ſi bella plane ſuſtuliſſet; nullos hoſtes habere licuiſſet, nec fuiſſet cauſa cur nobis officia erga hoſtes præſcriberet; quos nullos eſſemus habituri. Hunc ego ſenſum verborum Chriſti ſi ſaltem probabilem eſſe defenderem, ad ſubvertendam adverſarii ex hoc loco deductam argumentationem ſatis eſſet. Quæ nihil agit, niſi locum hunc aliter quàm ſublata bellorum licentiâ, explicari non poſſe demonſtret. At ego prorſus verum & genuinum eſſe oſtendere non teneor, utpote, qui nunc non locum hunc Scripturæ explicandum ſed explicationem adverſæ partis, oppugnandam mihi ſumpſerim. Cui aliam æque probabilem opponere ſufficit. Quæ tamen cum ſimplicior ſit, & nulla ſecum incommoda trahat; tantò etiam explicatione adverſariorum veriſimilior cenſenda eſt. Sed ego hæc ante juſtum certamen præludere volui, ut oſtenderem quàm parum ſolido & exili paxillo, & qui levi brachio frangi poſſit; tantæ molis pondera adverſarii ſuſpendant.

Nunc ad alias argumentationis partes accedamus. Quarum illâ quæ alienigenam inimicum ſeu hoſtem, quî cum bella publica geri ſolent, in verbis Chriſti hoc loco potiſſimùm intelligi aſſerit, quàm dubia & incerta primùm; deinde quàm falſa ſit, paucis oſtendamus. Ac primum ſi firma eſt Socini ratiocinatio, non potiſſimùm; ſed ſolus alienigena ſeu publicus hoſtis, per vocem inimici deſignatur: quandoquidem oppoſitum ipſi proximi antitheton, jam privatum ejuſdem populi inimicum comprehendat. Unde apparet ipſum Socinum de firmitate deductionis ſuæ addubitaſſe; qui privatum inimicum, excludere auſus non eſt, à ſignificatione vocis hujus; quâ publicum hoſtem deſignari hoc loco contendit.

Deinde ut aliquo ordine in reſpondendo utamur, primùm omnium ipſius adverſarii teſtimonio planum faciemus; poſſe hæc verba Chriſti, tantùm de privato inimico intelligi & explicari. Deinde ita merito explicari debere. Tertio loco demonſtrabimus illa de publico hoſte intelligi non poſſe.

Primum quod attinet, ipſa verba Socini producemus ex l. 1. contra Palæologum cap. pag. 93.

Antequam per Jeſu Chriſti Apoſtolos Gentibus fidei oſtium apertum fuiſſet, Chriſti præcepta non ſecus ac præcepta Moſis intra Iſraëliticæ Reip. fines continebantur, quibuſcunque

quibuscunque tandem verbis illa concepta essent, nisi nominatim Gentium mentio facta esset; aut Gentium quoque in ejus verbis rationem habitam fuisse, aliundè aperte constaret. Itaque pro eo tempore Inimicorum nostrorum nomine, ii quidem intelligebantur, qui inimico animo contra nos essent; non tamen omnes, sed ex populo duntaxat. Sic enim ut alibi dictum fuit, ea vox in Lege, cum quid erga inimicum fieri jubetur, accipi solet. Itaque nihilominus tamen voci proximi opponi potuit. Etsi enim hæc vox Proximus in Lege quemlibet ex populo propriè significat, tamen fieri potest, ut communi usu loquendi jam factum esset, ut non ampliùs tam late pateret, sed cum tantummodò significaret, qui nobis vel amicitia vel cognatione conjunctus esset. Id quod revera factum esse, jam apertè indicant Christi sequentia verba, quæ quis proximos sit, quodammodo declarantia, eos quos amare præceptum illud, Diliges proximum tuum, aut jubebat, aut certe jubere videbatur, in amicos & fratres partiuntur. Nam Fratrum nomine, licet, ut alibi monuimus, in Lege, & in populi etiam sermone omnes Israëlitæ comprehenderentur, multò frequentius tamen ex usu loquendi cognati intelligebantur.

Quam sententiam confirmat pag. 95.

Respondeo me suprà non negasse quin in hoc de diligendis inimicis præcepto, sicut in duobus aliis, de uxore non dimittenda, deque injuriis non vindicandis, seu retaliandis, potuerit Christus, dum Legem absolvere ac perficere intelligit ejus quoque falsa interpretamenta, rejicere voluisse; & propterea dicta sua, non tàm Legis dictis, quam iis quæ tanquam Legis præcepta vulgò jactabantur, his tribus in locis opposuisse. Nam præter ejus rei propria indicia, quæ in singulis istis præceptis dandis apparent, antea ostendi, id omnibus commune extare monui, quod cum Christus præcepta recitat, quibus sua opponit; non ait, ut in reliquis tribus: Dictum est antiquis; sed antiquorum mentione omissa, simpliciter inquit, Dictum est. Extat autem in hoc præcepto, de diligendo proximo quòd Christus recitat, cuique sua dicta opponit; aliud proprium indicium, præter id quod suprà commemoravimus; non tam Legis ipsius, quàm pervulgatæ in populo præceptionis, rationem habitam fuisse, quod ea verba Legis omittuntur. Sicut te ipsum, *quæ sanè magnum pondus habere videntur. Nec tamen secundum illum etiam priorem sensum in postremo hoc præcepto dando, non fuerat à Christo aliquid divinæ ipsi legi additum. Quandoquidem tantò plus est inimicos ex populo suo, ita diligere, ut odio te habentibus benefacias, tibi maledicentibus benedicas, pro te insectantibus & calumniantibus, Deum ores, quemadmodum præcipit Christus, quàm eosdem inimicos non ulcisci, quemadmodum Lex præcipiebat; quantò plus est alicui benefacere quàm non male facere.*

Cum igitur habeamus confitentem adversarium; hæc verba eo sensu explicari posse, atque etiam Christi tempore intellecta esse; qui etiam bellandi jure permisso, locum habere potest; ecquid virium habet argumentum adversus jus bellorum, ex alia hujus loci explicatione deductum?

Atque hic subsistere nec ultrà digladiari possem. Nam ubi ostenditur Legis quæ contrà bella producitur; mentem ac sensum bellis non repugnare; causa pro eorum jure (quod quidem ad hoc argumentum attinet) jam perorata est.

Fiduciâ tamen causæ longius progredi lubet; ut omnia, quæ contrà dici possunt; amoliamur. Nam subjicit Socinus pag. 94.

Postquam verò gentibus quoque pœnitentia in remissionem peccatorum per Christi nomen prædicata est, & una Israëlitarum & Gentium Respublica facta; tunc Christi præcepta quæ indefinitis ac generalibus verbis concepta fuerant, ad omnes peræque tam Gentes; quàm Israëlitas pertinere, & de omnibus prorsus inimicis, ut verba ipsa sonant, cum locutum esse, intellectum est.

Verumenimverò beneficium Dei in cæteras gentes collatum, sensum ac mentem verborum Christi immutare non potuit; neque efficere ut quod Christus de privatis inimicis dixit; de publicis hostibus intelligi debeat. Nam per hanc gratiam Dei; nihil de jure summarum potestatum delibatum; delectus tantum gentium sublatus est, omnibus promiscuè ad pœnitentiam admissis. Itaque nunc non de ejusdem tantum populi; sed de omnium gentium inimicis verba hæc intelligenda sunt; privatis tamen non publicis. De his enim Christum hoc loco loqui non posse, paulò post ostendemus. In eo vero, (quod pace tanti viri dictum esto) aut fallit, aut fallitur Socinus; quod inimicum alienigenam; protinus hostem publicum, quicum bellum geri soleat, interpretetur aut intelligat. Quasi privatim nobis inimicus esse nemo possit; nisi ex eadem nobiscum gente natus sit: aut cum alienigena quoque privatas inimicitias gerere nequeamus.

Id autem huic errori ansam dedisse puto; quod cum inimico qui sit alienigena, nonnisi hostiles nobis inimicitiæ intercedere posse videantur, quia plerumque nullum cum ipso habere possumus nisi bellandi commercium; quodque privatæ & civiles inimicitiæ, nonnisi inter cives ejusdem Reipub. nexu conjunctos geri soleant. Verum hoc sæpe contrà usu venit, præcipuè quoties diversæ gentes unius imperii aut saltem vinculi alicujus nexu conjunguntur. Itaque rectè apud Tacitum Civilis Batavus, licet gente diversus, ejusdem tamen imperii vinculo conjunctus, privatas cum Vitellio inimicitias, perinde atque cum Vespasiano amicitiam commemorat. Idem accidit inter gentes unius Religionis tanquam Reipub. societate devinctas, ut inter alienigenas quoque civiles simultates aut amicitiæ intercedere possint. Imo verò hæc ipsa gentium cum Israëlitis conjunctio, quæ Socinum impellit; ut quod olim Christus (ejusdem confessione) de privatis inimicis dixit & intellexit; nunc de publicis aut certè utriusque generis inimicis intelligat: hæc, inquam, ipsa conjunctio gentium efficit, ut sensum mentemque Christi, in istis verbis, qualis olim erat integrum retinere, non modo possimus, sed etiam (quod mox plenius probabitur) debeamus; quia nimirum per eam factum est, ut huic præcepto Christi de privatis inimicis intellecto, non modo in populo Judaico, sed ubique gentium locus esset. Illud certè firmissimum manet, admissionem gentium ad populi Dei societatem non impediviſſe; quominùs ea verba Christi, ita ut erant illo tempore intellecta de privatis inimicis nunc quoque intelligi & explicari possint.

Antequam ex hoc loco discedamus, quædam, quæ pro defensione explicationis suæ affert Socinus, nobis refellenda sunt.

Verba ejus sunt pag. 94. *Quare non est quod quis dicat per ea quæ à nobis hoc loco dicuntur, ea convelli quæ suprà affirmavimus atque contendimus, Christum scilicet inimicorum nomine, hostes potissimum intellexisse; Fratrum verò & proximorum omnes Israëlitas. Nam quæ anteà diximus vera sunt, secundum posteriorem & potiorem sensum, secundum quem nobis hodie Christi verba sunt interpretanda. Qui sensus non ex loquendi usu aliquo, qui tunc in populo obtineret, sed ex proprietate verborum colligitur, Verborum autem proprietas ex legis usu petenda est. Atqui Lex cum proximum diligere jubet, Proximi nomine, quemadmodum ostendimus, quem libet ex populo intelligit. Verum post Evangelii prædicationem Gentibus concessam; omnes homines, ut dictum fuit, ex uno eodemque populo esse censentur. Quod idem in voce Fratris contingit, cum quid lex erga fratrem fieri mandat, ut ex iis præcipuè apparet quæ scripta sunt* Deut. cap. XXII. *in initio, Ubi ea, quæ alibi erga ipsos inimicos facienda, præcepta sunt, erga fra-*

tres simpliciter fieri jubentur. Ex quo id intereà confirmatur, quod à nobis constanter asseritur ; quicquid Lex de diligendis inimicis præcipit, id non ad alios inimicos, quàm fratres, id est, ex populo, pertinere. Quetamen Lex si aliquando inimicum proximo opponit, ut hoc loco factum est, tunc inimici nomine hostem intelligi, necesse est. Nam etiam sine oppositione ista vox Inimicus in Lege frequentissimè hostem significat.

Sensum verbis Christi duplicem, utrumque autem sibi quodammodo adversum subesse, eâdem facilitate negari potest, quâ asseritur. Nam etsi sublatus gentium delectus, tecit, ut præcepta Christi ad plures populos pertinere cæperint, non tamen sententiam ac mentem verborum Christi immutavit. Concedamus sanè, quæcunque à Christo dicta sunt principio quidem intra limites populi Israëlitici, restricta ; poteà verò ad reliquos etiam populos porrecta fuisse, sensu tamen verborum servato qualis fuit cum Christus ea verba protulit. Nec enim hæc prophetica aut mystica verba sunt, sed leges ac præcepta continentia, quæ quàm simplicissimis & planissimis verbis, non autem obscurum aliquem & ancipitem sensum involventibus proferenda erant ; præsertim quòd cum piscatoribus & idiotis res esset.

Multò magis autem illud negandum est secundum posteriorem potius sensum hodie nobis Christi verba interpretanda esse. Quid enim in causa est, cur prior (quemàdmodum jam ostensum est) locum habere non possit ? Nec verò posterior sensus ex eâ ratione commendari potest, quod ex proprietate verborum colligatur. Neque enim proprietas verborum sed mens loquentis in indagando sensu spectanda est. Quarum cum hanc prior sensus habeat, illam nihil moramur. Sed neque proprietatem verborum, præ priori, posterior vere jactare potest. Longè magis enim proprie fratres & benevoli homines proximi vocantur ; quàm quicunque ad eandem gentem pertinent ; quippe qui nobis reipsa sint propriores ; ut & malevoli ejusdem gentis, magis propriè inimici vocantur ; quam alienigenæ sæpe ignoti inter se, & nullis odiis commissi.

Quod si proprietas verborum non omnis sed ex usu legis accepta intelligatur ; ne hâc quidem posterior sensus gloriari potest. Sæpe enim in ipsa lege vox Inimici ita accipitur, quemadmodum eam in priore sensu sumimus, quod ipse Socinus pag. 80. fatetur. Sed quicquid de ista proprietate statuendum sit non cortex verborum, sed mens Christi spectanda est, qualis erat tunc cum hæc verba proferebat. Non enim verborum vis, quemadmodum ab aliis forte aut alibi usurpantur, sed loquentis mens quali sensu ea, isto loco & tempore, ubi & quando loquitur, profert, attendenda est. Atque secundum eam potius ipsa verba (quicquid aliàs significent) explicanda sunt ; quàm ad verborum aliquem, (quem præterea admittant) sensum, mens loquentis torquenda est.

Cum igitur ex allatis à Christo, quibus verba sua explicat & illustrat exemplis, constet quo sensu tunc vocem proximi, aut inimici acceperit, quid opus est inquirere, quo sensu eam Moses alibi intellexerit, cum nunc non Mosis sed Christi verborum sensum scrutemur. Præsertim cum, ut suprà vidimus, ipsi Socino vis veritatis expresserit ; ut dixerit, Posse fieri & admodum verisimile esse ; verba Christi ; non tam ad Mosis verba, quàm ad Scribarum commenta respexisse.

Nec omnia planè vera videntur ; quæ de usu vocis Proximi & Fratris post Evangelii prædicationem gentibus, ut ait, concessam ; eum in hoc loco tum longè clarius supra pag. 79. Socinus asserit, dum ait : Itaque nunc proximi nostri nomine, abusu tamen quodam &c. quemlibet hominem intelligimus, etiamsi alioquin à nobis alienissimus sit, ad significandam nimirum necessitudinem ac conjunctionem, quam post Christum exhibitum, inter homines Deus esse vult ; quę tanta est, ut Fratrum quoque nomine, omnes apellari possint ; non secus atque Israëlitę omnes etiam ante Christum Fratres apellabantur. Nam licet proximi & fratris nomen sub Mosis lege unum idemque significare videretur, hoc est hominem quemvis ex Israëlitico populo ejusdem religionis ac Reipub. vinculis connexum, atque ex eadem unius Patriarchæ progenie oriundum.

Tamen nunc sub Christo diversa istarum vocum significatio esse cępit, cum proximus omnem hominem ab Adamo oriundum. Frater autem eum tantum significet ; qui ex eodem Deo patre natus est, aut esse prętenditur hoc est ejusdem religionis vinculo conjunctum ; hinc officium erga illum ἀγάπη ab officio erga hunc τῇ φιλαδελφίᾳ diserte distinguitur. Ut vel hinc appareat, istorum aut similium sub Novo fœdere vocabulorum usum & sensum aut proprietatem, ex usu Legis, non esse petendam.

Satis opinor planum fecimus, de privatis tantum inimicis verba Christi intelligi posse, nec aliquid momenti habere quæ contrà dicuntur ; quod ad subvertendam Ratiocinationem adversariorum sufficit.

Nunc ad alterum eorum quæ polliciti sumus, accedendum est, ut probemus, verba Christi quæ jam in hunc modum, ipsius adversarii confessione intelligi possunt : etiam omninò ita explicari debere.

Primùm enim cur is sensus qui nulla secum incommoda affert ; non jura Rerumpub. auctoritatem Magistratuum ; pacem gentium convellit, non longè potior habendus sit altero ; qui publicam privatamque omnium salutem ; & totam generis humani societatem in præsentissimum periculum conjicit.

Deinde. Rationes quas præcepto suo adjunxit Christus ostendunt de quo genere inimicorum loquatur, quod nimirum non publico civium aut popularium cætui, sed privatis amicis & fratribus opponatur.

Tertio. Christus ejusmodi coloribus inimicos de quibus loquitur depingit ; qui mutuum ac frequens inter nos atque ejusmodi inimicos commercium designant ; quale nonnisi inter privatos ee notos : non autem inter ignotos plerumque & justis terrarum spatiis ac publicis nationum divortiis disjunctos intercedere solet ; putà qui nos maledictis ac divotionibus incessere, qui nos odisse, qui vexare & persequi possint, ac soleant ? Quamvis enim hostes quoque nos vexare & persequi aliquando dici possint tamen molliora sunt ista verba, quàm ut hostilitatem exprimere queant & inimicis privatis designandis aptiora. Aliud enim sunt ἐπηρεάζοντες καὶ διώκοντες, aliud πολεμοῦντες aut πολεμίζοντες.

Quartò. De ejusmodi inimicis apud Matthæum Christus loquitur, de quibus & Paulus *Rom.* XII. 20. Atqui Paulus de privatis loquitur ; & ejusdem nobiscum regionis & loci incolis, quia ex Salomone citat si esuriat qui te odit, ciba eum pane ; si sitiat præbe ei potum aquæ. Quæ verba bene Socinus observat pag. 81. de eo nos odio habente intelligi, qui ejusdem nobiscum & regionis & loci sit ; cujus scilicet potionis & cibi indigentiam animadvertere, & levare possimus.

Quintò. Christus virtutem quam hoc loco nobis instillat atque inculcat perfectissimæ & ad Dei similitudinem accedentis virtutis nomine & elogio honestat. Sed longè perfectior virtus est diligere privatos & populares ; quam publicos inimicos. Quia patientiam nostram longè magis exercent ; quàm ignoti ; quàm hostis ; qui nunquam tot occasiones tantamve efficaciam ad nos exacerbandos habere possunt. Et profectò quemadmodum privata mala magis nos afficiunt, quàm publica & cum multis communia ; ità privata odia & peculiares inimicitiæ ; longè acrio-

rem

rem sensum & stimulos injuriarum in animis nostris excitant.

De privatis igitur inimicitiis Christum potius quàm de publicis locutum esse, existimare par est. Non quod arbitremur præceptum hoc ad publica quoque odia restinguenda; vel ob ipsam doctrinæ Christi analogiam, aliquomodo non pertinere. Sed directè ac potissimum hîc publicos hostes à Christo intellectos negamus.

Supereſt ut tertiam quod polliciti sumus præstemus, ac verba Christi de publico hoste, intelligi non posse demonstremus.

1. Ac primùm ut vim superius quoque allatæ rationis plenius explicemus, ii, quod aut Socinus, Vox inimici in verbis Christi hostem publicum significat; oppositas ipsi *voces proximi & fratris*, quas Socinus pro eodem accepit, omnis populares etiam privatos inimicos ex vi antitheseos, significare necesse est. Atqui voces proximi & fratris in verbis Christi, ejusmodi populares, qui etiam privatos inimicos comprehendant significare nullo modo possunt. Proinde ne vox quidem inimici, in iisdem verbis publicum hostem significare ullo modo potest. Assumpti veritatem versus 47. ostendit, ubi dicitur etiam publicanos & peccatores ejusmodi fratres & proximos de quibus Christus loquitur benevolentiæ officiis prosequi. Quod certè publicanis factu fuit impossibile, ut officia dilectionis erga homines sibi privatim inimicos licet populares essent, exercerent, quod omnium difficillimum & plane Christianum, & longè difficilius esse dilectione hostis, sæpe ignoti, & à quo nulla peculiari injuriâ affecti sumus, paulò ante ostendimus.

2. Deinde Christus hoc præceptum, confitente Socino pag. non publicis potestatibus, sed privatis dedit. Non potuit igitur de publicis, sed tantum de privatis inimicitiis loqui. Nam publicarum inimicitiarum, hoc est, belli suscipiendi aut deponendi jus & arbitrium penes privatos non erat. Solas privatas inimicitias aut suscipere aut deponere; exercere aut extinguere erat in potestate privatorum. Cum hoste publico, tàm quod ad pacis aut benevolentiæ officia; quàm quod ad belli & odiorum certamen attinet; ipsis nullum commercium, nulla in alterutram partem potestas esse potuit. Non potuit igitur Christus privatis hominibus ejusmodi officii necessitatem erga hostem injungere; per quod Majestas imperantium læditur, nisi jus ac potestatem potestatum supereminentium infringere voluisset. A quo quàm longè abfuerit, ipsius & Apostolorum dicta factaque testantur. Quodsi ea in re Magistratuum jus convellere aut ipsorum potestati frænum aliquod injicere voluisset, non privatos sed ipsos Magistratus allocutus fuisset; aut eorum certè mentionem fecisset. Nunc cum ad privatos duntaxat sermonem direxerit; de ejusmodi inimicitiis eum loqui necesse est, in quibus exercendis aut omittendis, ii, quos alloquitur, sui juris ac liberi fuerant. At in publicis inimicitiis aut bellis privati sui juris non erant: neque iis per leges cujusque Reipub. publicos hostes privata auctoritate aut lacessere aut benevolentiæ officiis prosequi; aut omninò ullum cum iis commercium habere concedebatur. Leges autem Rerumpub. Christus non sustulit, ac directè ne attigit quidem; sed in suo robore intactas reliquit. Imò verò obsequium earum, in obsequio custodibus earum Magistratibus præstando; reddendoque Cæsari quæ sunt Cæsaris, confirmavit. Non igitur hæc verba Christi ad publicos hostes ullo modo pertinere possunt.

3. Si Christus hoc loco per inimicos Publicos hostes potissimùm intelligit; necesse est verba ista *Diligite inimicos*, idem valere ac si dixisset *Diligite publicos patriæ vestræ hostes, benefacite publicis* hostibus. Atqui id fieri nequit, absque injuriâ & maleficio in populares proditione in patriam, perfidia in Rempub. perduellione adversus supremas potestates. Quibus etiamsi non major dilectio deberetur, quàm hosti; tamen injustum esset, cum ejus injuriâ in aliquem beneficum aut officiosum esse, quem non minus quàm alterum diligere, aut officiis prosequi debeamus. Sed enim longè major patriæ & popularibus ac summis potestatibus, quàm externis, etiamsi hostes non sint, dilectio debetur. Quid si sint hostes & quidem injusti ac scelerati?

Et cum dilectionem erga hostem, adversarii hujus loci interpretes tantam exigant; ut arma adversus invadentes hostes capere prohibeant; *etiamsi certissimum esset, nisi id fiat, ut hostis cives omnes trucidet.* Vide adv. Palæol. partis tertiæ pag. 261. Illud quoque eos exigere necesse est, ut, si possimus facili præmonitione, imminentem hostibus certissimam perniciem, ab eorum capitibus avertere; id hujus præcepti vi facere teneamur. Nam si maximum & difficillimum dilectionis officium hostibus debemus; multò magis levius & facilius; præsertim si sit ei cui præstatur valdè necessarium. Quod autem facilius Caritatis officium fingere possumus aut magis necessarium ei, cui Caritas debetur, quàm ut cum possimus levi præmonitione, imminentem ipsi certissimam perniciem avertere, id facere non negligamus. Ut si iter ingredienti nuncies Leonem, aut inimicum ipsi isthic insidiari; qui ipsum certissimè nisi aliò divertat, sit jugulaturus. Annon hoc officium vi legis Christi ipsi præstandum est? Quid si hostibus ab exercitu patriæ nostræ, insidiæ tendantur? nos autem, licet conatus consiliaque nostra cum aliis non sociemus; aliquo tamen casu eorum conscii simus; tenebimurne hostes præmonere, ut sibi caveant, cum ejus rei facilis copia & occasio est. Certe si inimici nomine hostis sit intelligendus, ex sententia adversariorum, teneri nos necesse est: quicquid leges patriæ & omne jus fasque præscribat. Christi igitur doctrina proditiones & perduelliones, & perfidias, non permittet modò sed injunget? Quod si non tenemur; apparet sub inimici nomine hostem non intelligi.

4. Denique dilectio & beneficia, sunt ex genere eorum officiorum quæ non ex debito, aut propriè dictâ obligatione aliqua; sed ex gratuito & voluntario affectu præstantur. Hoc verò officiorum genus quod ex debito; aut obligatione aliqua alicui præstandum est, longè antiquius esse debet & magis necessarium; quàm alterum, quod ex liberæ voluntatis benefico affectu præstatur. Ut reddere debitum mutuum, longè magis necessarium est, & antiquius esse debet, quam sublevare aliquem gratuitâ pecunia. Et diligere quidem privatum inimicum eique benefacere (quæ gratuita & voluntaria officia sunt) possumus absque violatione ullius obligationis. Nemo enim sibi injuriam facit volenti. At diligere publicum hostem eique benefacere, non possumus absque violatione sanctioris officii, & vinculi, quo civibus, patriæ, Magistratibus devincti sumus. Non potuit igitur Christus, gratuitum hoc officium erga publicum hostem injungere; nisi prius exolvisset nos illius potioris & sanctioris obligationis nexu; quo civibus patriæ, & summis potestatibus obstricti sumus. Quod cum eum neque hic neque usquam alibi feciſse appareat, non potest hoc loco in verbis ejus publicus hostis intelligi. Atque hæc ad demoliendum præcipium rationis adversariorum fundamentum sufficiant.

Verum ipsam rationem, hoc uno ariete concuti & convelli non satis est. Nam etiamsi adversariis hoc Ratiocinationis eorum fundamentum largiamur, aut saltem intactum relinquamus, minimè solliciti de eo, quem sub voce inimici Christus inteſlexerit: ex naturâ tamen & examine hujus dilectionis

quæ

quæ hic inimicis præstari jubetur, evincemus hoc præcepto neque bella, neque judicia capitalia tolli aut prohiberi.

Ac primum in genere: deinde in specie.

In genere. Si dilectio proximi sub Novo fœdere neutrum tollit aut abrogat, ne dilectio quidem inimici tollere aut abrogare potest. Ratiohujus enunciati est, quia dilectio inimici sub Novo fœdere nihil aliud est quàm dilectio proximi voce proximi, generalius, quam hoc loco in Christi verbis sumitur, acceptâ. Cum enim vox proximi eorum quibus cum disputamus contextione ad omnes homines porrecta & extensa sit, quemvis omninò hominem, & tam privatum quàm publicum inimicum & hostem comprehendit: quod non facit vox inimici. Nunc autem dilectio proximi neque bella, neque capitalia supplicia tollit; quia neque sub Lege tollebat.

Nec obstat quod nunc dilectio proximi latius quam olim sub lege porrecta est, puta ad omnes populos. Nam quod fuit olim illius dilectionis subjectum, totus populus Israëliticus; id nunc sunt omnes populi. Si igitur imperata olim dilectio proximi non sustulit tàm capitalia supplicia, quam ipsa bella in gremio illius populi ab Israëlitis adversus Beniamitas; à Davide adversus Saulis progeniem gesta, ne nunc quidem ejusdem dilectionis mandatum supplicia aut bella adversus eos tollet; qui non meliori jure proximi nobis sunt; quàm olim erant Beniamitæ reliquis Israëlitis; aut plures tribus Davidicæ donati.

Multo minus obstat, quòd nunc major dilectionis gradus Christianis quàm Israëlitis injunctus est. Sufficit enim Israëlitis olim ejusmodi gradum dilectionis adversus proximum injunctum fuisse; qui occisioni hominum, hoc est, bellis ac suppliciis repugnaret. Neque enim summo caritatis gradu opus est, ad id, ut quis ab effundendo alicujus sanguine abstineat. Si igitur Israëlitis olim, quamvis talis dilectionis gradus imperatus esset, qui à fundendo sanguine prorsus abterrebat, licuit tamen ob justam aliquam causam & necessitatem sanguinem fundere; ne perfectior quidem caritatis gradus, jus istud atque istam necessitatem; tollere aut abrogare potest. Nec enim sub lege olim ob remissum caritatis erga fontes aut hostes gradum, eos interficere licuit; sed ob aliam causam, ob quam nimirum tam fontes quam hostes, etiam illo Caritatis gradu qui tunc fuit injunctus, indigni existimabantur. Quæ causa etiam nunc, postquam intensior gradus dilectionis injunctus est, locum habere potest. Nimirum ut non tantum summo; sed etiam infimo caritatis gradu, atque omni prorsus caritate, aliquis indignus esse censeatur.

Verum ut hæc dilucidius pateant, ad specialius dilectionis nobis hoc locò imperatæ examen descendamus.

Cujus inprimis Gradus; deinde Circumstantias; denique qualitatem quandam considerabimus, atque utrum bella & capitalia supplicia abrogare censenda sit; dispiciemus.

Gradus quod attinet, non videtur hoc loco idem gradus charitatis erga inimicum, qui erga alios sanctioris necessitudinis proximos; præscriptus. Longè plus etenim parentibus, Magistratibus, fratribus, & quorum ingentibus beneficiis obligati sumus, debemus, quàm simplicibus proximis: Et his ipsis tantò plus quàm inimicis; quantò minùs nobis obnoxii sunt; qui nos nulla injuriâ læserunt, quàm qui multarum injuriarum rei quodammodo; & debitores nobis facti sunt. Quibus ut minimè omnium obligati esse possumus; ità minimum etiam charitatis gradum debemus. Talem, tamen qualem Christi doctrina exigit; quem ultra simplici proximo debitum, charitatis modum intendere, non possumus; cum ut ostendimus etiam simplicibus proximis, inimici inferiores esse deprehendantur.

Operæpretium igitur est videre, qualem nos Charitatis modum ac mensuram; proximo quâ proximus, hoc est, quatenus homo est, debeamus. Nam plurimi è proximis, seu hominibus sunt, quibus non eo solo nexu quod sint proximi aut homines; sed plurimis etiam arctioribus vinculis obstringimur. Ne cæteros commemorem, Fratribus non eo tantum nomine quod sint homines, sed ob amorem quoque quem Deo patri, ex quo nati sunt, debemus, obligamur. Ideo animam ponere pro ipsis jubemur; in quo dilectio insigniter major erga eos, quàm erga nosmetipsos, cernitur: quia Deum ipsum longè magis quam nosmetipsos amare tenemur.

Atque hic obiter notandum est, non mediocriter falli eos, qui ex hoc amoris erga fratres officio 1. *Joh.* III. 16. notato, deducunt, *non satis esse proximum sicut seipsum amare; sed etiam plus quàm seipsum amare eum oportere*, quod Socinus partis 2. pag. 183. satis incautè asserit.

Quod tamen falsum esse, tum ratio ipsa tum Scriptura evincit. Non enim quia quibusdam è proximis, non idcircò quod sint proximi, sed peculiarem ob causam, major quàm nosmetipsis charitas exhibenda est; ideò omnibus pariter & promiscuè proximis idem debetur: nec quia omnis frater est proximus, idcircò omnis proximus est Frater; aut Fratris prærogativa gaudere ipsum necesse est. Christus quoque (si vera Socini assertio esset) *Matth.* XX. 39. & *Mar.* XII. 31. Caritatem erga proximum explicans, non reticuisset hanc Caritatis erga ipsum, præ caritate erga nosmetipsos, exuperantiam; nec dixisset eum amandum sicut nosmetipsos, quod fecit, sed suprà nosmetipsos, quod nusquam legitur. Proinde modum ac mensuram Charitatis proximo debitæ; non ex opinionibus hominum; sed ex ipsius Christi verbis colligere par est; qui cum in locis modo memoratis, amandum ait sicut nosmetipsos, non ultrà. quod & Jacobus Apostolus repetit *cap.* II. 8.

Quam comparationem Caritatis erga ipsum, cum Caritate erga nosmetipsos, alibi satis liquidò & significanter idem Christus exprimit dum ait. Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines; talia & vos facite ipsis. Quæ verba quidem sub Evangelio tantò plus officii erga proximum nobis injungunt, quàm olim Lex imponebat suis, quos aliis facere prohibebat, id quod sibi fieri nollent; quantò plus est de suo proprio jure decedere; quàm alienum jus non invadere; beneficium præstare, quam injuriam non facere. Nam qui injuriam infert, jus alienum invadit; qui dat beneficium, de suo jure decedit. Neque enim id beneficium est; quod benefacienti per obligationem aliquam terrenam non facere non licuit, quodque non gratuito ac benevolo benefacientis affectui; sed juri alicui quod eum ad benefaciendum impulit, debetur. Eousque igitur nunc erga quemvis proximum caritas intensa est; ut non modo injuriâ ipsum afficere non liceat; quod & Lex vetabat, sed & beneficia ipsi exhibere oporteat, qualia videlicet, ipsi vicissim nobis exhiberi, ab aliis optaremus. Quod quidem & inimico præstandum esse, sanè concedamus.

Verum hic rursus malè intellecta Christi verba, multos in illum errorem impulerunt, ut officium hoc erga proximum etiam inimicum; nimium ac prope in infinitum extenderent; existimantes omnia prorsus quæcunque, etiam inique, & sine ulla ratione nobis optare possemus, proximo aut inimico præstanda esse. Quod contrà se habet. Ea enim duntaxat, verbis istis Christi, ipsi præstare jubemur, quæ jure optimo atque ratione duæ nobismetipsis

metipsis optare possumus. Justam enim & æquam, adde etiam rationabilem regulam charitatis erga proximum atque inimicum Christus præscribit, non iniquam & absurdam. Quid autem iniquius esset; quam ad absurda & injusta humanæ libidinis desideria, officium nostrum adstringere? Quid enim si quis optet, ejusmodi erga se liberalitatem ab aliis exerceri, ut omnes ipsum licet indignum ditando, pauperes evadant; aut eam erga iracundiæ suæ conatus, patientiam ab aliis exhiberi, ut vitam, cum fuga aut armis servare possint, amittere malint; quam ultionem ejus non satiare? Tenebiturne is qui ejusmodi delicata & stupida desideria in corde suo sentit, occasione oblata propter ditandos indignos, ipse in pauperiē incidere? aut vitam cum facile servare possit, sceleratorū hominum crud, tanquam victimam immolandam exponere?

Quapropter illa tantum hominibus præstare jubemur quæ nobis vicissim ab aliis, sed jure ac meritò & rationabiliter præstari vellemus. Iniquum autem vult & optat: qui optat ut sibi per alios impune sceleratò esse liceat. Potest igitur hoc in gratiam ejus non præstari, salvo officio, à Christo erga eum præscripto: atque ita pœnæ scelerum cum hac lege Christi non pugnabunt. Iniquum & ille ab aliis petit & optat, qui vellet ut ipsi, occidendi animo sceleratas manus inferenti, nemo resistat. Itaque possumus & in eo ipsi non gratificari; quia probè scimus, nosmetipsos si ejusmodi improba & stulta vota ac desideria haberemus, indignissimos esse, quibus mos geratur. Non igitur defensio etiam privata in casu extremæ necessitatis (nisi quid aliud impediat) cum lege Christi de diligendo proximo, præcipuè verò proximo infimi gradus, qualis est inimicus, pugnabit. Multò minùs publica de qua infrà. Neque verò id mirum cuipiam videri debet. Non enim hæc pugnant invicem, Diligere proximum sicut seipsum: & Non diligere eundem magis quàm semetipsum. Neque hæc: Facere proximo quæcunque nobis fieri jure volumus; & injustam vim ejus à capite vitaque nostra, cum id legitimè possimus, depellere. Jam verò si injustis inimici desideriis, vitam nostram & cariſſima quæque impenderemus, longè magis inimicum, quam nos diligeremus, ad quod nulla Christi lege obstringimur.

Objiciet quispiam. Licere quidem nobis sine occisione inimici vitam nostram servare; sed ut nos servemus vitam inimico eripere, non licere. Nam sic nostram vitam, vitâ inimici magis diligeremus; quod illi æqualitati charitatis erga eum; atque erga nosmetipsos repugnare videtur.

Resp. Primum. Æqualitas hic caritatum istarum non Mathematica sed Moralis, & quæ per supradicta Christi verba explicatur, intelligenda est, hoc est non ejusmodi quæ planè naturalem illum erga se affectum; quo sibi quisque prior & magis carus est, extinguat; sed per quam homo se societati hominum quibuscum vivit, ita attemperat, ut nihil sibi præ aliis cum injuria aliorum vendicet; sed potius quæcunque sibi ab aliis præstari vellet; eadem aliis quoque præstet; ut videlicet æquali & eodem cum cæteris jure gaudere, nec ullam sibi præ cæteris prærogativam arrogare velit: imo ad bene merendum de omnibus propendeat. Quæ coæquatio juris, non modo naturali æqualitati valde congrua, sed etiam ad conservandam omnem societatem mirè efficax est. Nec tàm ex animo aut affectu, quam ex externis actionibus, quæ ad societatem magis pertinent, judicatur atque æstimatur. Nihil autem societatem; & illam juris æqualitatem, lædit naturalis ille erga vitam suam affectus, quo quis oblata forte necessaria eligendi optione; vitam suam vitæ alterius superstitem mallet: & nisi aliqua major & sanctior caritas aut officium, huic affectui frænum injiciat; ferè sine vitio aut culpa est. In convictu enim & societate hominum quibuscum vivimus huic de qua loquimur, erga proximum charitati locus est. Sed in hostilitate quando quis vitam nostram petit; quemadmodum societas violatur & quodammodo cessat, ita ne Caritati quidem huic (puta ejusmodi Caritati; quæ caritati quam erga nos naturaliter habemus, æqualis sit) locus esse ullus potest. Nisi fortè velimus, longè magis quàm nosmetipsos inimicum diligere, ultrò certam perniciem subeundo; ne ille incertum vitæ periculum subeat; quæ jam non æqualis, sed valde inæqualis & insigniter major quam altera caritas esset.

Deinde ne nos quidem cuiquam in defensione facilè permiserimus, permittimus eo consilio arma capere, ut omninò invadentem interficere velit, aut certè primariò ac principaliter intendat; Sed tantum ut vitam servare contendat; quæ sæpe hoc modo, etiam non læso, aliquando tantum saucio, aut debilitato invadente servari potest. Quodsi interfici contingat inimicum, hoc ex accidenti, ac præter mentem ejus qui moderamen inculpatæ tutelæ egressus non est, evenit, neque occidentis culpæ sed propriæ inimici temeritati adscribendum est; qui se ultrò in hoc periculum conjecit; in quo justo Dei judicio, qui plærumque hominibus innocentibus non deest eorumque injurias ipse ulciscitur, periit. Volenti enim non fit injuria; & qui perdere vitam suam paratus est dum, si possit, alienam eripiat, si manu ejus pereat, qui sibi vitam eripi non patitur, non alienâ sed sua culpa perit. Volens enim se in istud conjecit periculum, in quo inviti, & aliud agentis, adversarii manu occiditur. Penes volentem igitur, non penes invitum ejus periculi & consequenter cædis culpa remanet. Non igitur is qui hoc modo se defendit, vitam inimici perire, suam autem servari, saltem absolute ac primariò exoptat & contendit; sed utrumque superstitem esse mallet. Quodsi ad evitandum incertum inimici periculum, certam ab illius manu necem ultrò subiret, longè majori caritate inimicum quàm seipsum prosequeretur, quod nullo jure tenetur.

At objiciet quispiam, Nos quoque paulò ante confessos esse, proximi causâ nobis de jure nostro decedendum esse. Christus quoque in alapæ patientiâ & dimittenda tunicâ & similibus nos in gratiam proximi de nostro jure decedere imperat. Magis igitur inimici atque adeò proximi, diligendi sunt, quàm nosmetipsi.

Hæc objectio quamvis ad sequentis capitis tractationem pertineat; tamen & hoc loco strictim attingenda est. Ista igitur injuncta nobis de jure nostro decessio, non in infinitum protendenda est. Nec enim semper, nec ubique nec in omnibus de jure nostro decedere tenemur. Sed tunc & ibi; & in iis, cum & quo loco; & in quibus id salvâ legitima, & ordinatâ erga nos ipsos charitate, facere possumus. In quibus quamvis de nostro jure decedendo, primâ fronte minus nobis quàm proximo & plus proximo quàm nobis præstare; atque ita quodammodo magis ipsum quam nosmetipsos diligere videamur. Tamen verè atque in re ipsa, nos quoque ipsos non insigniter lædimus, neque nimium proximi causâ aggravamus; quod sufficit ad id ut eum non plus quàm nosmetipsos diligamus. Quæ enim parum distare videntur, in morali judicio, nihil distant; & levior injuria, leviusque damnum pro nullo censetur.

Nec temerè Christus cum præcepto de decedendo de jure nostro *Matth.* v. de quo sequenti capite tractabimus, præceptum de beneficiis conjunxit, quod utriusque eadem esse ratio videatur, idemque in utroque modus servandus sit. Quemadmodum enim beneficia nostra ita proximo prodesse debent, ne nobis insigniter noceant, (nam quin cum aliquo nostro damno aut sumptu conjuncta sint, fieri nequit,) Sic ità mansuetudo, clementia, placabilitas, patientia, erga proximum exercendæ sunt, ne nos intolerabili aliquo malo afficiant. Sed hæc capite sequenti fusius tractabuntur.

Cum igitur ex ipso dilectionis erga inimicum imperatæ gradu ac modo pateat, illum non esse longè

& insigniter magis quam nosmetipsos amandum; quod fieret si ipsi vitam nostram eripere cupienti, ultrò traderemus; inde etiam privatis hominibus in casu supremæ necessitatis, jus atque licentia defensionis, salva istius præcepti auctoritate, (ut antea quoque ostensum est) deducitur. Quemadmodum enim natura ipsa, fas, jus, ac mos gentium, diligere fratrem jubet iisdem nobiscum parentibus genitum: Sed si is vitam nostram oppugnet resistere ipsi possumus non violatis supradictis juribus. Neque enim tàm cæcum erga eum amorem injungunt, ut ob eum etiam in casu intentati parricidii nulla ipsi molestia creanda sit. Ita Lex Christi diligere inimicum imperat; non tamen in omni casu, nec tàm cæco amore ut ipsi vitam nostram & quæ vitâ contrà cara sunt, prostituamus. Quod vel ex ipsis antithetis, quæ Christus hoc loco sibi opponit, colligere licet.

Bene precari dira nobis imprecantibus jubemur. Id ratio ipsa approbat. Pro odio beneficia; pro maleficiis vota precesque reddere. Id quoque ratio non abnuit. Sed cum pro maledictis benedicta; pro odio beneficia; cur pro malefactis; non benefacta sed vota precesque reddere jussi sumus? Quia ratio & experientia dictat, furori quidem dira imprecantium, bene opponi, meliora vota bene precantium; ægritudinem etiam odio erga nos laborantium, nulla remelius sanari posse, quàm beneficiis. Sed iniquitati eorum qui nos vexant & persequuntur, præcipuè verò injuriis intolerabilibus; sæpenumero nil aliud, quod ipsos juvet, à nobis opponi posse, quàm preces pro ipsis fusas, non ut ipsos Deus adjuvet in nobis vexandis, quod à ratione abhorret; sed ut ipsis det resipiscentiam & meliorem mentem quæ efficere potest, ut desistant à nobis vexandis; aut etiam ut ipsis remittat delicta; quod tamen absque resipiscentia fieri nequit. Quod si orare pro ipsis ut eos Deus adjuvet in nobis vexandis absurdum & à ratione absonum est; multò magis factis nostris eos adjuvare in nobis vexandis, putà per intolerabiles injurias; quod fieret, si cum possimus facile ac legitime, hoc est absque ultionis impotentia, ipsorum iniquitati obviam ire, id facere negligamus. Nam in levioribus injuriis ferendis, etiam necessitate non cogente; specimen patientiæ edi, ratio non abnuit, imò præcipit. Sed in gravioribus, non nisi cum legitima media propulsandæ injuriæ desunt: (nisi fortè aliqua gravis causa diversum suadeat.) illud præcipuè cavendum est, ne salutem & indemnitatem nostram quærendo, ultionis impotentiâ abripiamur. Potest igitur quispiam, inimico non leviter nos vexanti; sed graviter nocerè cupienti, resistere, factisque ejus contrariis factis sese opponere; & tamen præceptum Christi implere, ut oret pro ipso, sanioremque ipsi mentem; atque eadem operâ delictorum in ignorantia patratorum remissionem à Deo petat. Aliud enim est orare pro ipso, puta ut resipiscat; quin etiam ut peccata ipsi remittantur; aliud non resistere furiosis & perniciosis ejus conatibus. Nam & interea dum furentis manus vinculis coërcemus; aut gladium in manu ipsius maximè cum ejus molestia, ne nobis nocere possit retinemus; nihil impedit quominùs Deum pro ipso precemur ut cerebro ejus sanitatem restituat; quod fecisse Davidem cum furori Absolonis filii resisteret, credibile est. Non igitur impositum nobis precum pro inimico fundendarum officium, tollere potest jus & licentiam, vim ejus injustam & perniciosam, contraria vi, repellendi. de quo & infrà dabitur disserendi locus.

Quodsi injunctum nobis erga inimicum Caritatis officium, quamvis propemodum æquale sit, officio erga nosmetipsos: Tamen nobis in casu necessitatis, jus defensionis vitæ nostræ; etiam cum periculo vitæ inimici permittit, ut jam ostensum est. Multò magis idem, cum sit longe inferioris gradus ac mensuræ, quàm officium caritatis erga proximos, sanctiori necessitudine nobis devinctos, permittet nobis jus defensionis istorum proximorum; quod in bello publico contra patriæ, parentum, & fratrum nostrorum publicos hostes accidit.

Nam si vitam nostram defendere possumus etiam cum periculo vitæ inimici, quem quatenus homo est æque ut nos ipsos diligere debemus; multò magis vitam eorum; quos longè majori caritate quàm inimicum prosequi tenemur. Pro fratribus certè vitam profundere justi sumus quod pro inimico facere nusquam nobis imperatum est. Quodsi negare adversarius nequit, longe majorem caritatis gradum à nobis sanctioribus necessitudinibus deberi, quàm inimicis; ne illud quidem negare potest in præcepto de diligendis inimicis; non imperatum nobis esse ut eos magis quàm digniores caritate proximos diligamus: Verum id potius subintelligi fateatur necesse est; diligendos quidem & inimicos sed longè remissiori caritate, quàm illos. Quid si aliquando Caritates istæ diversorum graduum secum ita concurrant; ut alterutri satisfacere non possis nisi alteram omittas aut postponas, ecquid juris erit? Quis erit tàm iniquus (ne quid ampliùs dicam) qui non censeat inferiorem ac remissiorem; & ex gratuito venientem Caritatem; potiori atque intensiori; & ex debito promananti ideoque necessariæ Caritati postponendam? Certè in eo casu, Christi potius sapientissimum judicium; quàm fragilia hominum, (quanticunque alias à nobis æstimentur) præjudicia sequenda sunt. Is in eo caritatum atque officiorum concursu atque conflictu quid nobis statuendum sit ostendit; dum sanctissima; & gravissimis divinarum legum sanctionibus imperata erga parentes, conjuges, aliosque officia: longè sanctioribus erga sese atque patrem suum officiis; ita postponi imperat ut Caritatem inferiorem in gratiam potioris, in odii quoque nomen migrare jubeat. Neque id aliam ob causam; quàm quia dilectio superioris & sanctioris gradus, inferiorem longè præcellit, ita ut hæc præ illa plane omittenda ac spernenda sit. Ergo si parentum aut fratrum & similium dilectio; cum dilectione inimici ità committatur, ut alterutri tantum satisfieri possit, omissa alterâ; nullum dubium esse debet, dilectionis erga inimicum rationem non habendam; eumque minus amandum, aut ut verbis Christi utamur, quæ idem significant, odio habendum. Neque enim in eo casu diligi inimicum Christus præcipit; in quo, si eum diligamus, fratres aut parentes odio habere, seu minus diligere cogemur. Quemadmodum nec in eo casu obediri Magistratibus imperatum est, in quo obsequium ipsorum; obedientiæ Dei repugnat; quamvis ipsis non minus obtemperare, quàm inimicum diligere jussi sumus.

Quod si quis dicat limitationem hanc in verbis Christi non apparere: ne illa quidem limitatio apparet, in eo casu inimicum non diligendum si dilectio ejus dilectioni Dei repugnet. Et tamen eam necessariò subintelligendam esse planum est.

At enim obligatio erga Deum quàm parentes aut fratres longe sanctior est. Ita est. Sed obligatio quoque erga parentes, Magistratus, fratres obligatione erga inimicum longe potior est.

Quid igitur aliud faciunt, quàm soleas capiti & pileum pedibus imponunt, qui ideò quod Christus quædam dilectionis officia, etiam inimico præstari voluerit; quæ longè minora sunt iis, quæ nos aliis, pro quibus vitam profundere jussi sumus, debemus; quodque clementiam & lenitatem erga eum injunxerit; eum idcircò tanti faciendum censent; ut ne qua molestia aut periculum, (etiam quod rideas, damnum) ipsi inferatur, parentum, uxorum, fratrum, civium, Magistratuum, vitam & quæ vitâ potiora sunt; prostituenda esse judicent?

At

At enim Socinus partis 2. pag. 231. istos defendens ait, *id eos multò præstantiori amore ac fidelitate; quàm ea sit, quam istis proximis aut pignoribus debent, adductos facere: Nempe eâ quæ ipsi Deo debetur; qui per os Christi, suis inimicis benefaciendum esse monuit, eosque amandos, nobisque id mandatum esse voluit. Nec unquam posteà ut pro nobis, nostrisque defendendis arma caperemus, hostesque interficeremus (quod cum mandato isto omninò pugnat) vel jussit, vel ullâ ratione permisit.*

Nos vero præstantiorem esse amorem & fidelitatem quæ Deo, quàm quæ sanctissimis in terris vinculis debetur libenter fatemur. Sed nec adversarius diffiteri potest: præstantiorem esse amorem parentibus uxoribus fratribus Magistratibus debitum quàm inimicis, quia cum fidelitatis vinculis conjunctus est: quâ inimicis non obligamur. Neque verò ea vincula, quibus supra dictis proximis præ inimico obstringimur, non à Deo quoque & Christo nobis imposita atque firmiter innexa sunt. Ergo cum utraque à Deo Christoque præcepta sint; unde probabit adversarius officia erga inimicos præscripta Deo Christoque magis curæ atque cordi esse; quàm erga proximos supradictos? Unde probabit Deum per os Christi, magis inimicum quàm ipsos diligi jussisse?

Nobis probatio non incumbit. Sed tamen facillimè demonstrabimus; cum utriusque generis officia à Deo præscripta sint: longè strictioribus vinculis nos esse ab ipso Deo Christoque adstrictos, parentibus uxoribus fratribus, magistratibus quàm inimicis. Nullâ obsequii reverentia, nullo sponsionis vinculo, nullo fidelitatis nexu, nulla obedientiæ necessitate inimicis à Deo obstricti sumus. Nihil illis debemus nisi simplicem charitatem; hoc est simplici & infimi generis proximo competentem. Illis autem non modò caritatem eandem quam inimico; quatenus ipsi quoque proximi sunt, sed longè potioris & intensioris gradus caritatem; quia strictius nobis juncti sunt; adeò ut vitam quoque in eorum gratiam profundere jubeamur.

Certè gratuitorum officiorum; putà beneficentiæ aut amandi debitum; longè levioris est obligationis, quam amoris simul & fidei. Ergo quoties ista officia secum concurrunt, Dei ipsius Christique nutu atque voluntate leviora gravioribus, gratuita necessariis; inferiora potioribus postponenda sunt. Ita cothurnus capiti; pileus pedibus non adaptabitur. Falsum est igitur eos quos Socinus defendit, in casu concurrentis utriusque caritatis; officio erga Deum duci debere, ut inimicis potius, quàm sanctioris gradus proximis, dilectionis officium præstent. Quem si verâ & genuinâ caritate & observantiâ prosequi volunt, in ejusmodi quem posuimus casu, iis potius qui propiori gradu ad Deum accedunt; quàm qui ab eo longius remoti sunt, Caritatis officium præstare debent: vel propter ipsum Deum Christumque; quorum honori atque caritati dandum est ut potior ratio habeatur vinculorum, nexibus iis quibus Deo Christoque obstricti sumus, similiorum ac viciniorum.

Atqui dicit Socinus, Si pro nobis nostrisque (quorum supra meminimus) sanctioris gradus proximis defendendis arma capiamus, hostesque interficiamus (puta bellum cum ipsis gerendo) cum mandato diligendi inimicos hæc omnino pugnare. Dicit hoc ille quidem, sed non probat, familiari sententiæ suæ hominibus petitionis principii elencho affixus & hærens, cum tamen nos jam contrarium multipliciter probaverimus; tot jam responsionibus planum facientes bella & capitalia supplicia huic Christi mandato non adversari, quod & pluribus adhuc argumentis planum facturi sumus. Nec minùs frequentem eidem hominum generi astum, per occasionem haud omittit; qui ubi in disputandi æstu sudare incipiunt, probandi laborem in adversarios deonerant. Quod & hic factum videmus. Nam cum debuisset evidenter ostendere defensionem sui suorumque, cum mandato isto divino omnino pugnare, neque id ipsi proclive factu videretur, simplici ac brevi assertione, in hoc totius causæ jugulo, defunctus, eâque strictim intrà brevis parentheseos cancellos, (tanquam res jam planè demonstrata & non dubia esset) conclusâ, nos in iniquum digladiandi campum elicere contendit; imponens nobis tacite provinciam probandi; quod post datum diligendi inimicos præceptum, Deus bella aut jusserit aut permiserit. Id enim simpliciter negat & quasi nobis probandum relinquit. Nos autem ejusmodi iniquam & τὸ κεκριμένον pro re non dubia & jam plene probatâ supponentem, provinciam jure detrectamus. Nam quid opus erat quæri, an post hoc præceptum novâ lege bella jussa aut permissa sint; nisi jam constaret in hoc præcepto prohibita esse, quod nos omnium maximè negamus. Sed adversarium ad cæpti; necdum finiti certaminis locum, è quo velocissimis passibus elabi. & aliam rem agere conatus est; retrahimus; & quod raptim asserit; ut evidenter probet, postulamus. Si autem defensionem sui suorumque etiam cum periculo interficiendi hostis conjunctam adversari huic mandato demonstrare velit, probandum ipsi incumbit, dilectionem inimici ità nobis injungi, ut nullam loci, temporis, occasionis aut intervenientis impedimenti circumstantiam accidere posse ostendat; quæ obstet quominus ipsi jugiter & perpetuò istud dilectionis officium præstari debeat. Quod nisi faciat, causâ cadat necesse est.

Nam nos si qua in contrarium sensum argumenta adducimus; id suprà debitum ex gratuito officio suscipimus. Ideò & nunc, ne quis ex eo, quòd Deus in novo fœdere bella disertis verbis non jusserit aut permiserit (nam quod addit nulla ratione, puta ne tacitè quidem, permissa esse, falsum; & illud ipsum τὸ κεκριμένον est) colligat, ea nunc vetita esse, ajo nihil opus fuisse, eâ expressâ lege juberi aut permitti; quæ neque periculum ullum erat, ne nisi jussi, non gereremus: neque ullâ aut antiquâ aut novâ divina vel humana lege prohibita erant. Nam quid opus est; quæ natura ipsa jubet, necessitas exprimit, cura nostri extorquet juberi; aut quæ nulla lege vetita in laude & pretio apud omnes erant permitti? Ut homines cibum capiant, ridiculum est lege juberi; aut edicto concedi: & plane Claudianæ sapientiæ. Atque hic Socino sua verba regeram quæ dicit pag. 142. *Nunquid ut aliquid permissum esse dicatur, necesse est ut id expressum fuerit; & non satis est, non fuisse interdictum.*

Ut igitur eò unde digressi sumus revertamur; quoties Caritates diversorum graduum proximis debitæ inter se committuntur; inferiorem & remissioris gradus caritatem intensiori; gratuitum & minus debitum necessario ac debito officio; cedere ac postponi, non modo ratio ipsa, sed ipsius doctrinæ Christi analogia postulat. Præcipuè cum, quicquid tunc, in gratiam sanctioris caritatis, aut boni admatur, aut mali inferatur inimico, non ex odio aut ultionis desiderio sed ex caritate & officio præstantioribus proximis debito, & vi urgentis necessitatis fiat; quando isti aliter servari non possunt. Minùs enim amare inimicum, quàm præstantioris ordinis proximum obligamur. Et usus Sacræ Scripturæ inferiorem hunc minoris dilectionis gradum respectu sanctioris officii, odii nomine designat; atque in eo casu proximum quem postponimus; à nobis odio haberi, non modò permittit, sed & injungit. Quemadmodum igitur sæpenumero major ac præstantior erga Deum Christumque Caritas cum aliquò extraordinario parentum & id genus proximorum odio conjuncta, non tollit,

nec violat ordinariam erga eosdem, quam divina humanaque & ipsa naturæ jura, exigunt à nobis charitatem. (Neç enim extraordinariæ exceptiones ordinarias leges violant.) Ita in casibus extraordinariis, quoties diversorum erga varios proximos, graduum officia inter se concurrunt; major ac justior erga parentes & id genus proximos, caritas, cum aliquo inimicorum nostrorum odio, neglectu atque offensione conjuncta, non tollit nec violat, illam ordinariam, quam nobis hoc loco Christus injungit, erga inimicum dilectionem. Solum enim Deum & Christum ejus absolute diligere jussi sumus, etiamsi infinita impedimenta impediant. Cæteros omnes conditionatè, hoc est, nisi aliqua justa & gravis contrarium faciendi necessitas, nisi aliquod sanctius officium, nisi potior caritas interveniat. Non possunt igitur verba ista Christi indefinitè prolata; ita universè ac rigidè explicari, ut non justas in ejusmodi casibus limitationes admittant. Nam & ipse Socinus pag. 122. & 123. fatetur, indefinitas enunciationes, quamvis ita etiam accipi possint, ut perinde sit ac si universalibus verbis conceptæ forent; *Tamen*, ut ipse loquitur, *hanc vim omnino habere* ut ita accipiantur ac si aliqua limitatio universitatis adjecta esset, quod in consimili huic exemplo ostendit. Id tantum ex istis verbis Christi necessario sequitur, Inimicitias quas nobiscum proximi gerunt; non posse obstare quominus iis dilectionem simplicibus proximis debitam præstemus. Cæterum id non sequitur aliam aliquam justam & gravem causam; aut potiorem Caritatem, dilectioni huic obstare non posse.

Gradus præscriptæ nobis quàm proximo debemus dilectionis examinavimus. Nunc ejusdem circumstantias examinemus, ac dispiciamus utrum hoc loco præcepta erga inimicum Charitas, omni prorsus loco ac tempore exercenda præscribatur. Et paucissimis quidem exceptis, omnia præcepta moralia, certis quibusdam finibus ac circumstantiis limitanda sunt, nec ita universè extendenda, ut nullas omninò exceptiones admittant. Nam quamvis pleraque aut universè aut indefinite proposita videantur; tamen ita præstari debere intelliguntur, si id ratio aut occasio postulet, aut etiam nisi quid impediat. Ea enim est ratio moralium virtutum; ut nonnisi debitis circumstantiis intervenientibus, præstari debeant.

Primum igitur hoc loco Christus loquitur de ordinario erga inimicum officio, quamdiu se intrà commemoratos ibidem inimicitiarum terminos continet, qui sunt dira imprecari, odio habere, vexare & persequi, quæ omnia in privatas, ordinarias & civiles inimicitias cadunt; in quibus nullum ab inimico grave periculum, nulla resistendi ipsi necessitas intervenit. Jam verò ordinarii officii mandatum, non excludit exceptionem in casibus extraordinariis, in quibus præsentissimum periculum & necessitas ingruit; quæ ordinarias leges frangere solet; qualis fuit illa quæ famelicum Davidem, ad comedendos panes impulit, quibus juxtà ordinariam pressam legem solis Sacerdotibus vesci licebat. Ita mendacium & inobedientia erga parentes, ordinariè reprehensione digna judicatur. Et tamen mulieris illius factum laudamus, quæ

Una de multâ, face nuptiali
Digna; perjurum fuit in parentem
Splendide mendax: & in omne Virgo
Nobilis ævum.

Proinde tunc, cum certissima pernicies nobis, & iis quos suprà nos, supraque ipsum inimicum diligere tenemur, imminet; nisi dilectionis erga inimicum officium negligamus: ipsa Ratio & Caritatis non erga inimicum, sed erga potiorem proximum lex à nobis exigit; ut ab ordinario, quod hic præscribitur, erga inimicum officio recedamus. Unde patet id quod adversarius pro fundamento rationis suæ ponit; ac sæpe inculcat, nullum pondus habere. Nimirum interfectionem inimici (debebat autem dixisse potius periculum interficiendi inimici) in ejusmodi casu, cum dilectione ejusdem & per consequens cum præcepto Christi, omnino pugnare. Non enim statim sequitur, id quod in extraordinario casu, cum dilectione inimici pugnat; etiam cum hoc præcepto Christi pugnare, nisi prius probetur Christum istud præceptum, ad omnes omninò etiam istiusmodi extraordinarios casus & circumstantias, extendere, quod falsum esse doctrinæ Christi analogia ostendit. Quemadmodum non sequitur id quod in certo casu, putà periculo conscientiæ; cum obsequio erga Magistratus pugnat; statim præcepto Christi, de præstanda Magistratibus obedientia, repugnare; nisi prius probetur præceptum istud ad omnes omninò etiam istiusmodi periclitantis conscientiæ casus extendi, quod falsissimum est.

2. Præterea gratuitis erga inimicum officiis ac beneficiis tunc locus nullus est; quando aut extrema servandæ vitæ nostræ necessitas nos ipsis vacare non finit: aut cum debitis ac necessariis erga potiores proximos officiis pugnant.

3. Si in ejusmodi casibus in quibus sese aliquis, suamet culpa, in gravissima mala aut pericula, ultrò conjecit: sæpe etiam erga fratrem, aut longè potioris gradus proximum, quàm sit inimicus, nullus est locus misericordiæ aut Caritati; quando legum divinarum aut humanorum potius, quàm caritatis erga ipsum ratio habenda est: Multò magis in iisdem casibus nullus erit locus dilectioni erga inimicum; quando gravis alicujus ac justæ necessitatis potius, aut legum divinarum humanarumque rationem haberi præstat; quàm inimici, in aliqua mala, suamet & eâ quidem latissimâ culpâ præcipitati. Dantur enim casus in quibus homines propriâ culpâ jure suo quodammodo excidunt; & ob sua delicta omni dilectione indigni sunt.

Superest ut dilectionis à Christo hoc loco præceptæ Qualitatem quandam consideremus; quæ efficiat ut hoc præceptam justis bellis & capitalibus suppliciis non repugnet. Ea verò est, quod Dilectio hæc debet esse non Cæca & stupida, cortici verborum ac τῷ ῥητῷ mordicus inhærens, sed perspicax & rationabilis, simplicitati columbinæ adjunctum habens astum Serpentinum: atque ideò pro ratione diversarum circumstantiarum, ab omnium moralium virtutum Duce prudentiâ directa & gubernata. Irrefragabile ejus rei documentum est, quod in ea nobis exemplum patris cælestis proponatur: qui ita erga inimicos suos elemens & bonus est, ut Sapiens esse non desinat. Maxima dilectione erga homines utitur, sed neque semper, neque pari erga malos atque bonos, hoc est, homines sibi inimicos atque amicos. Plurimum de jure suo adversus homines sibi aliquo debito obnoxios dimittit; sed non promiscuè neque in omnes æquè clemens est. Idem quamvis erga inimicos suos sit lenis, patiens, longanimis ac beneficus; tamen cum justa ratio & sapientia ejus postulat, id est, cum obstinato animo non resipiscunt, eosdem supplicio afficit, aut illatam ab iis populo suo vim, contrariâ vi, non modò cum periculo, sed etiam cum pernicie eorum propulsat ac retundit.

Quemadmodum igitur in Deo ipso, perfecta ista dilectio; hominum etiam inimicorum non pugnat cum capitalibus suppliciis; & illatâ violenter (cum opus est) hostibus suis pernicie; ita multò minùs in hominibus (quos non modo prudentia sed etiam maxima necessitas ad consulendum sibi istiusmodi rationibus impellit) eadem dilectio pugnabit cum sontium suppliciis & bellis suprema necessitate extortis, præsertim cum & pacis gladium (quantò magis belli) tanquam

quam ministris suis Magistratibus Deus ipse in manus tradiderit. *Rom.* XIII. quod nunc obiter commemorasse sufficiat.

Nam licet remissio debitorum erga proximos resipiscentes nullis terminis à Christo circumscribi videatur *Matth.* XVIII. nihil tamen isthic Christianis hominibus imponitur, quod non ipse Deus resipiscentibus quoties ad eum bona fide convertuntur, cumulate præstet; & tamen homines id commeritos, cum eorum pernicie punit.

Proinde & in Christianis hominibus aliud est remittere peccantibus, quotiescunque resipiscunt, quod exemplo Dei, tenemur: aliud obstinato ac violento hosti aut inimico, vitam & salutem suam suorumque, cum legitimo modo eripere ac servare possis, prostituere: quod certè vel ipsius Dei exemplo, dilectionis istius de qua disseruimus vi, facere non tenemur.

Atque hoc loco, illud, quod in ratione adversarii non exiguum momentum habere videtur; prætermittendum non est. *Ad novam hæreditatis & adoptionis æternæ mercedem, novâ vitæ sanctitate & innocentia, supra illam à Mose præscriptam, opus esse.* Proinde quæ in bellis aut suppliciis olim licita erant, novæ huic ac perfectæ vitæ innocentiæ ac dilectioni quæ hic præcipitur, adversari.

Atqui nos non negamus novam nunc & Mosaicâ longe perfectiorem sanctitatem & dilectionem imperatam. Neque enim olim de nostro etiam stricto jure erga proximum, præsertim inimicum, decedere mandatum erat. Satis erat alienum jus non invadere. Nunc non modo de summo ac stricto: sed etiam de æquo jure nostro, plurimum dimittere jussi sumus (quod plenius sequenti capite ostendemus) idque tanto plus, quantò perfectior merces patientiæ nostræ proposita est. Non tamen in infinitum; quia imbecillitas nostra, ejusmodi necessitatibus subjecta est; quæ id fieri non permittunt. Et merces ista non ex debito, aut merito, sed gratuitò nobis confertur. Non igitur ultrà humanæ infirmitatis conditionem protendendum est officium; quod in gratiam hujus mercedis suscipitur. Præsertim cum ejus magnitudinem nulla virtutum ac meritorum nostrorum assequi possit, contentio. Verum intrà modum à Christo præscriptum subsistendum est; qui inimicum, amore, sed non cæco; beneficiis prosequi imperavit; sed non sine more modoque. Cæterum lenitatis & beneficentiæ hujus specimen in Patre suo ostendit, in quo perfectissima erga homines dilectio, cum pœnis maleficorum & violenta, (quando usus fert) defensione suorum, etiam cum periculo ac pernicie hostium conjuncta, deprehenditur. Non igitur perfectior caritas aut sanctimonia somnianda est, eâ, cujus illustre specimen Christus in patre suo ostendit; nec infirmitas nostra, nescio cujus perfectionis prætextu, ultrà virium humanarum modulum extendenda est, ridiculæ illius Ranæ Asopicæ in morem.

Absentis cujus pulli vituli pede pressi
Unus ubi effugit, matri denarrat ut ingens
Bellua cognatos eliserit: illa rogare
Quantave? Num tandem, se inflans, sic magna fuisset?
Major dimidio. Num tanto? Cum magis atque
Se magis inflaret; Non si te rupserit, inquit,
Par erit. ———

Nec si medii crepent mortales, vitæ immortalis beneficio, parem sanctimoniam præstabunt. Enitendum tamen pro virile parte cuique fatemur, ne quid sibi in hoc curriculo, ad summam contentionem & studium reliqui faciat; quia id summus ac perfectus erga Deum amor, & ardens navandæ operæ desiderium requirit. Cæterum hic nisus & conatus, non cæco atque irrationabili in quævis etiam non necessaria incommoda, (dum modo nobis noxia & molesta sint), ruendi studio; sed prudenti ac circumspectâ voluntatis divinæ exploratione; & gravi necessitate metiendus & gubernandus est. Videndumque & acriter dispiciendum est, utrum id quod in gratiam Dei grave nobis ac noxium, suscipimus, Deus à nobis exigat; ne nobis meritò objici possit illa expostulatio ejus, *Quis hæc requisivit de manibus vestris?* Nam hic superstitio plurima, partim ridicula & absurda; partim vana atque inania; aliquando scelesta & nefaria; comminisci solet: quibus pro favore & propitiatione offensio Numinis conciliatur. Hinc stulta Baalitarum erga propria corpora sævitia; hinc barbarus mos liberorum victimis Deum placandi; hinc affectata in speciem sanctimoniæ stoliditatis infamia, non ita Turcarum Dervisiis propria flagellatio quin, in hoc mustaceo Christiani quoque quidam laureolam sibi quæsierint, hinc ridiculæ in columnis habitationes: hinc innumeræ horridæ atque austeræ vitæ species profluxere; quæ per objectam sanctitatis imaginem oculos omnium sed præcipuè vulgi atque muliercularum perstringunt.

CAP. V.

Secundum contra Pacis ac belli jura testimonium, ex præcepto Christi de non resistendo malo, Matth. v. 39. sumptum refellitur.

Matth. v. vers. Audivistis quod dictum sit. Oculum pro oculo, dentem, pro dente. Ego autem dico vobis, Ne resistite malo. Sed si quisquis te percusserit, in dextram tuam maxillam præbe illi & alteram. Et ei qui voluerit tecum judicio contendere; & tunicam tuam accipere; dimitte ei & pallium. Et quisquis te angariaverit milliare unum, abi cum ipso duo. Petenti abs te dato: & volentem abs te mutuò accipere ne aversaris.

Ex istis verbis latissimè extensis, atque universè intellectis, duo colligunt; aut (quia non unius omnes opiniones sunt) colligere possunt, adversarii. I. Quod ad causam facti attinet, Omnem omninò non modo repositionem mali pro malo: quæ vindictam sapit; sed etiam repulsionem violentiæ per vim: quæ defensionem aut bellum; tàm publice quàm privatim esse prohibitam. Secundum. Quod ad causam juris. Omnia judicia, præcipuè verò de injuriis per Magistratum vindicandis, tam publicè, quàm privatim esse prohibita.

Quæ collectiones si veræ essent, omnis legum & Magistratuum usus tolleretur; nec liceret unquam in Christiana Repub. aut bellum gerere; aut capite plectere, aut omninò quenquam punire; aut litigare, vel Magistratus opem ulla in re implorare, aut etiam poscentibus jus reddere. Et quia per hanc opinionem, nullus inter Christianos esset licitus Legum & Magistratuum usus functionem quoque ipsam ac munus Magistratuum Christianis illicitum esse, concluderetur. Nam si omnis resistentia violenta, est vetita, peccat Magistratus cum iis per Coactivam potestatem, ex officio resistit, qui leges violant; aut qui innocentes, præcipuè viduas & pupillos opprimunt; aut qui immania scelera perpetrant, & effræni audacia grassantur.

Hujusmodi fanaticos sensus, sanctissimis Christi verbis ac legibus, affingere plerosque puduit. Videbant enim primum in hac lege Christi de non resistendo malis, nullam universitatis notam adjectam; sed verba Christi indefinite prolata; quales enunciationes, quam vim plerumque habere soleant ipsum Socinum pag. 122. confessum suprà monuimus. Deinde videbant, leges quasdam Christi, quamvis universalibus verbis prolatas, (qualis fuit illa. *Ego autem dico, Ne juretis omnino*) tamen non universè intelligendas,

telligendas, sed ad certas rerum, de quibus loquebatur, species, necessariò restringendas esse. Unde illud intellectu non difficile fuit, indefinitas ejus enunciationes multò minus posse ab interpretibus, ad omnia in infinitum, nisi impudenter, protendi. Præsertim cum Ratio ipsa, exempla, ac tota sapientissimæ Christi doctrinæ analogia; imò verò dogmata quædam ipsius Christi & Apostolica, tàm absurdis interpretationibus reclament. Nec illos latere poterat, quæ ex occasione Legis de privatis injuriis latæ; privatis hominibus, privatas quoque injurias spectantia præcepta à Christo data sunt, male ad publicas injurias & summarum potestatum officia trahi. Proinde illud Resistendi interdictum, ut & cætera quæ sequuntur, ad subjectam verbis Christi materiam, (ut æquum fuit), restrinxerunt. Quam cum censerent & aliquomodo deprehenderent, esse Ultionem ac Vindictam, quæ in acceptæ injuriæ talione cernitur & quæ per illa Mosaicæ Legis verba, de oculo pro oculo & dente pro dente, excutiendo, exprimitur; ex hypothesi suâ, non malè concluserunt, non omnem hoc loco resistentiam, quæ malo homini, fiat, sed eam tantum quæ ultionem habeat, interdici. Unde sequitur, ex eorum sententiâ, tam jure, quàm facto, posse nos injuriam inferentibus, lege hac inviolatâ, resistere, dummodo resistentiæhuic vindictæ adjuncta non sit. Sed cum omni, tam privatæ aut publicæ defensionis facto; quàm litigio cui infligendæ per Magistratum pœnæ periculum adjunctum sit, vindictam conjunctam esse statuant; ideò tam omnia privata & publica bella; quàm omnes omninò injuriarum actiones; quæ ultrà restitutionem oblatorum, pœnam aliquam nocentibus infligunt, hac lege Christi privatis prohiberi existimant. Confitentur nihilominus pœnas à Christiano Magistratu (exceptis, nisi fallor, capitalibus quarum interdictum, ex ratiocinatione magis, quàm aliquo Spiritus Sancti testimonio colligunt) de nocentibus licitè sumi posse; nec ad eos præceptum istud pertinere, quod privatis ad inhibendam propriarum injuriarum ultionem, non Magistratibus ad impediendam alienarum injuriarum animadversionem datum esse negare nequeant. Nos quanquam moderationem eorum; qui ab abruptâ opinionum [illegible] affixarum, obstinatione, aliquantum recessere, libenter amplectimur; tamen in eorum sententiâ acquiescere non possumus. Nam quod pace eorum dictum sit, quibus ob eximias animi & pietatis dotes assurgere, quàm contradicere mallemus; easdem ferè (si non justiores) ob causas opinionem eorum damnamus, ob quas illi fanaticas, quarum paulò ante mentionem fecimus, sententias rejecerunt. Neque admodum grande operæpretium illos feciſſe censemus; quòd ut debebant, verba Christi ab universali notione, abducta ad subjectam materiam restrinxere, si istam subjectam materiam ita extendunt; ut eadem propemodum incommoda & absurda, ex interpretatione eorum; quæ ex damnato fanaticorum sensu consequantur.

Cujus erroris eorum originem in progressu Responsionis nostræ, indicabimus. In qua eum ordinem servabimus, ut quia ex hoc præcepto Christi, non nobis, sed adversariis, officium probandi sententiam suam incumbit; omisso in præsens & in futurum dilato liberiori disputandi genere, ante omnia ad eorum probationes respondeamus: Ostendentes primùm eos ex verbis hujus loci opinionem suam probare non posse. Deinde ne ex sensu quidem eorum, ipsam deduci posse. Quod quidem ad jugulandam eorum causam, quantum ad hunc Sacræ Scripturæ locum attinet; atque ut officio respondendi, satis perfuncti censeamur, sufficit. Sed nos, tertiò quod non tenemur, deductiones quas ex hoc loco colligunt; falsas esse ultrò probabimus. Denique verba ista ab illis non satis benè intellecta, eorumque ex mente nostrâ veriorem sensum demonstrabimus.

Atque ex verbis quidem hujus loci, eos contra nos malè argumentari, sic ostendimus. Primum quod ajunt, quia resistentiam malo Christus prohibuit ideo omnem defensionem quoque vim vi repellentem, prorsus ab ipso prohibitam esse admittere non possumus; quia, quod ipsi fateri coguntur, non omnem resistentiam malo Christus prohibuit, sed tantùm quandam. Non igitur ex eo solo quod dixerit *Ne resistite malo*, tantæ molis consequentia, quæ quatit fundamenta Rerumpublicarum, necti potest. Quia ne ex eo quidem omnem Leonem rationis compotem esse convincitur, quia sit animal; quoddam autem animal rationis sit particeps. Utrobique enim contrà leges Dialecticorum Major in prima figurâ particularis est, & Conclusio non debiliorem sed fortiorem partem sequitur; & contrà Regulam *de omni* turpiter delinquitur: cum prædicatum quæstionis, non de omni medio prædicatur; & tamen de omni subjecto conclusionis illud prædicari oporteat. Quod si urgeant illam ipsam resistentiam à Christo vetari quæ in bellis atque ipsis litigiis cernitur; de eo posterius videbimus, cum de sensu verborum agemus. Nunc satis est demonstrasse ex ipso generali Resistendi vocabulo nihil solidi contrà nos concludi posse.

II. At enim ex subjectis à Christo verbis ostendunt *Christum suis præcepisse ut à malis hominibus, & corporis plagas ac perpessiones, & bonorum jacturam & servitutem seu labores omnes ferrent æquo animo potius, quàm ut malum pro malo redderent, sive id per se, sive per judices facerent. Et quidem in eo quod maxillam dexteram percutienti, alteram quoque præbendam esse ait, Carnis ipsius perpessiones non vindicandas significasse; dum autem præcipit ut tunicam tollere volenti, dimittatur & pallium, bonorum jacturam non recusandam, si alioqui fieri non possit, ut ab ultione abstineamus, declarasse. Cum verò postremo jubet, ut si quis ad milliare unum conficiendum ab aliquo adigatur, eat cum illo & alia duo; labores omnes & onera sibi imposita potius perferenda, quàm cum rixa & jurgio detrectanda, docuisse. Atque in his omnibus, ne ad Magistratum quidem si prædicta incommoda sequi debeant, confugiendum esse: Christum satis aperte dixisse, cum præceptiones suas verbis illis legis Oculum pro oculo, &c. opposuerit, quæ non privatam vindictam sed per judices permittebant; & similiter cum ea verba dixerit, Ei qui velit tecum judicio contendere &c. Vide l. 1. contra Palæol. p. 47.*

Respondeo. Satis ex verbis istis patere Christum hoc loco quarundam injuriarum, quarum diserte mentionem facit, patientiam præcipere & quidem ejusmodi, ut non modo iis facto ipso, quod violentam repugnationem in se contineat, resisti, sed etiam sive omnes eas; sive quasdam earum, neque per se, neque per judices vindicari permittat. Sed primum particulari ad universale prava & iniqua consequentia est. Nec enim ex eo quia quarundam injuriarum repulsionem aut vindictam prohibuit Christus; sequitur, omnium omninò resistentiam prohibuisse. Itaque hoc loco sudent, quantum velint; nullâ contentione evincent, quod ipsi naturæ rei repugnat, ut quod de quibusdam injuriis dictum est; de omnibus dici atque intelligi debeat.

Deinde animadvertendum est, injurias quarum hic patientiam Christus præcipit, omnes esse tolerabiles; atque ejusmodi, ut ipsa quoque Recta & sana ratio, eas contemni suadeat; qualis est alapa; tunicæ aut pallii damnum; unius atque alterius milliaris iter alicujus gratia ingratiis susceptum. Quæ omnia non sunt tanti, ut eorum causa magnopere pugnandum & seu vitæ seu judicii; sive etiam peccati ac homicidii

dii periculum ſubeundum ſit. Sed à perpeſſione alapæ ad omnes corporis perpeſſiones etiam graves & noxias, ipſumque vitæ periculum; ab unius tunicæ aut pallii damno, omnium fortunarum jacturam & naufragium; à labore itineris per unum milliare Italicum aut dimidium Germanicum milliare ſuſcipiendi: ad omnes omninò labores & intolerabilia onera ſubeunda; ut immenſum intervallum, ita audax nimium & ipſa quoque intolerabilis conſequentia eſt. Quis enim unquam à magis veriſimili affirmativè argumentatus eſt? aut quia id præcipitur, quod æquius & facilius & rationi convenientius eſt; id quoque præcipi dixerit, quod non dico iniquius & difficilius; ſed planè iniquum atque difficile & ab omni ratione alienum eſt. An quia leviores ac tolerabiles injurias ſpernere æquum eſt; idcircò etiam intolerabiles contemnere neceſſe erit? Nos profectò præcepta Chriſti, de injuriarum quas commemorat patientiâ, prompto ac libenti obſequio ſuſcipimus. Nam privata injuriarum per viam facti ultio; etiam jurgium atque pugna ſæpe, jus legum ac Reipumpub. violat, & jure à Chriſto prohibetur. Leviorum etiam damnorum per viam juris perſecutio; avari ac litigioſi animi veſtigium eſt. Moroſitas quoque in officiis & beneficiis non præſtandis, erga eos quibuſcum in ſocietate vivimus, difficilis atque ſibi ſoli nati hominis eſt vitium. Meritò igitur hæc omnia lege Chriſti damnantur. Nec quidquam nobis verè grave aut iniquum, per injunctam verbis Chriſti patientiam præcipitur. Sed ea quæ iſti verborum ejus interpretes, ex tam æquis & rationi conſonis legibus longè iniquiora & rationi repugnantia deducunt, jure optimo rejicimus. Qualia ſunt: vitam cum legitimè ſervare poſſis, illegitimo invaſori eripiendam proſtituere quod naturæ jus atque ipſa ratio abnuit: & ne incertum homines nequiſſimi ſubeant vitæ periculum, aut etiam leve accipiant vulnus; ſubire certam necem; aut quæ teipſo cariora habeas parentum, liberorum, fratrum, conjugum pignora, in præſentiſſimam mortem aut mala morte triſtiora prodere: aut ne quod damnum patiatur injuſtiſſimus raptor ultrò omnibus bonis ac patrimonio provolvi: denique ne qua moleſtia afficiatur oppreſſor, nullum ſervitutis ac miſeriæ genus recuſare. Quæ profectò tanto iniquiora, & abſurdiora cenſenda ſunt; quod non modò in vitæ ſed in damni aut moleſtiæ perditiſſimo nebuloni creandæ periculo, nos in tanta mala præcipitent. Quicquid enim in tam turpi explicationis alienæ abſurditate verecundetur Socinus, dum Palæologum reprehendit, quod Racovienſibus exprobret ipſos ſub nomine maxillæ cædendæ inter alias perpeſſiones etiam mortem intelligere: non aliud certè ex vi explicationis eorum ſequitur. Si enim ne reſiſtatur malo homini; omnes corporis perpeſſiones tolerandæ ſunt; etiam mors quæ ex iis frequentiſſimè neceſſitate quadam ſequitur, oppetenda eſt, niſi fortè in mortis periculo reſiſtentiam ac defenſionem admittat; quæ jam peculiaris Socini, non Racovienſium ſententia eſſet. Quid? quod ipſe Socinus pag. 239. *Chriſtianam virtutem*, ait eſſe *ſi ſuaque omnia non tanti facere ut pro iis conſervandis cuiquam damnum aliquod aut pernicies afferatur.* Et pag. 233. *Ex quo ſequitur hominem Chriſtianum pro iſtis tertii omnibus conſervandis, nihil laborare debere: & indignum plane eſſe, ut pro ipſis defendendis inter quæ, propria ipſius vita numeranda eſt, ulli mortalium Damnum aliquod aut pernicium afferre cures.* Pro conſervatione igitur vitæ, damnum ullum inferre vetat, id eſt mortem potius oppetendam ait quàm ut damno aliquo inimicus afficiatur. Adde quod à Racovienſibus dictum non refellit Socinus. *Chriſtum hoc loco velle: ut ei cui nihil debeamus omnia noſtra relinquamus potius, quam judicio cum eo experiamur.* pag. 191. quod certe eſt Chriſti verba longius protendere quàm ſonant, & quàm ipſe Chriſtus velit.

Tantò magis igitur æſtuandum erit adverſariis, in probandis ſuis tàm abſurdis conſequentiis, quantò major, in ipſa præceptorum æquitate, ſapientia, & quæ in humanum genus redundat utilitate, inter ſanctiſſimas quas nos venerabundi ſuſcipimus, Chriſti Leges: & illorum quæ commenti ſunt, non temere exploſa ab omnibus; & nobis meritò ſuſpecta additamenta & prætenſa conſectaria, diſtantia eſt.

Nam ſi rogabit quiſpiam. Quodnam igitur tandem, inter humanas leges à rectâ ratione in cordibus ſcriptas; atque adeò ipſam Moſis legem: & legem Chriſti perfectiſſimam diſcrimen fuerit: ſi Lex Chriſti non plus ſanctimoniæ nobis imponit; quàm quod ipſa Ratio aſſequitur & approbat?

Reſp. De Moſis lege jam ante diximus & quanto imperfectior lege Chriſti fuerit oſtendimus. Tamen & hoc loco id repetimus. Primum illam Iſraëlitis olim, ſuo jure etiam ſummo atque ſtricto, (quod ſæpe *habet aliquid ex iniquo imò plerumque* ſumma injuria cenſetur) adverſus inferentes injurias, præſertim in exigenda ultione, uti permiſiſſe, quod nunc Chriſtianis adeò non liceat; ut etiam de æquo jure ſuo decedere juſſi ſint. Quod quidem in infinitum protendi non debet; ſed intrà limites virturum earum conſiſtendum eſt; quæ perſecutionem juris ſui erga proximum moderantur; quales ſunt, Manſuetudo, Clementia, benignitas, miſericordia & Mater omnium Caritas; ſed ordinata & ab iis incipiens quibus plus debetur. Deinde & illud largiemur facile adverſariis, quod nunc virtutes iſtæ, perſequendi aut retinendi juris noſtri moderatrices, in perfectiori gradu & ad alterum extremorum paulò magis declinante, patientiam noſtram collocent; quàm olim etiam in iis hominibus qui vel ſuprà legem, vel extrà legem Moſis perfectæ virtutis ſpecimen edere contendebant, requirebatur, hoc eſt tantò plus de noſtro jure decedere nos jubeant quantò prolixior merces patientiæ propoſita eſt. Non tamen in infinitum, aut ultrà fas & æquum atque ipſum Rationis dictamen aut imbecillitatis noſtræ conditionem. De humanis legibus (quas etiam Moſaica imperfectiores fuiſſe, præſertim in officio erga hominem inimicum atque injurium, Socino id pag. 68. invenienti, annuimus) id pronunciamus; Nunquam eas ita perfectas fuiſſe, quin Recta ratio atque ipſa prophana philoſophia multò perfectioris vitæ ac morum ſpecimen requireret: quam illud fuit quod ipſæ præcipiebant. Et tamen ipſe Socinus pag. 97. ait, *Non ſimpliciter neque perpetuò verum eſſe debere, inter hominum & Dei legem diſcrimen eſſe. Quid enim ſi homines naturâ & ratione duce quapiam in re idem illud planè præceperint; quod Deus ipſe præcepit, aut præcepturus fuiſſet.* Et mox ibidem. *Nec enim Dei lex in ſingula quæ præſcribit, divinius aliquid & perfectius habere debet quàm humana ratio præſcribendum eſſe cognoſcere potuerit.* Et mox ibid. *Nam ne in lege quidem ipſa Evangelicâ, quæ tota divina eſt; & ex hominibus Angelos quodammodo efficere quærit; omnia prorſus præcepta ejuſmodi ſunt, ut nulla unquam humana lege quodpiam illorum exactè comprehenſum fuerit.* Quapropter cui mirum aut Chriſtianæ legis perfectione indignum videri debeat; ſi ipſa recta & perfecta ratio; præſertim gratiæ lumine colluſtrata; jugum Chriſti verè ſuave; & onus ab ipſo impoſitum nequaquam grave aut iniquum eſſe deprehendat? Non igitur iſtiuſmodi effugiis probandæ ſuæ tàm audacis conſequentiæ onus evadere poſſunt.

Atque ex hoc loco quidem & incumbente ſibi probandi officio, non aliâ conditione dimittendi ſunt adverſarii; quàm ut ingenuè fateantur ſe ex neceſſitate patientiæ in injuriis tolerabilibus, neceſſitatem patientiæ in atrocibus & non ferendis injuriis probare

non posse : sed conjecturis tantùm aut aliunde deductis rationibus, puta ex neglectu terrenorum ob vitæ æternæ promissum, id assequi : de quibus posterius videbimus. Nunc nobis satis est ostendisse ; ex verbis Christi hoc loco prolatis nihil tale elici posse.

Itaque jam ad ratiocinationem eorum, quam non ex verbis ipsis, sed ex eorum sensu eliciunt, accedamus.

Ajunt in verbis Christi ejusmodi resistentiam intelligi, quæ vindictam conjunctam habeat. Quam cum habeat defensio vim vi repellens, quemadmodum & litigatio pro atroci injuria : Utramque planè prohibitam esse.

Hic verò nobis primùm origo erroris eorum detegenda est ; quæ in eo præcipuè cernitur, quod hanc verbis Christi vetitam Resistentiam pravè limitaverint. Non enim hoc loco ejusmodi resistentia à Christo prohiberi potest ; quæ ultionem quoquomodo conjunctam habeat, sed quæ ultionem per se ac *primariò* spectet ; qualis fuit oculi pro oculo, dentis pro dente excussio ; quod supplicii genus magis ad satiandum in læsis vindictæ desiderium pertinebat, quàm ad homines ab inferenda injuriâ absterrendos : qui & aliis mitioribus pœnis absterreri potuissent.

Possunt autem etiam res optimæ aliquid mali conjunctum habere ; quemadmodum prædicatio Christianæ religionis, ignem dissidiorum, putà per accidens cum per se pacem & charitatem plantet. Ita & ejusmodi resistentia malis hominibus dari potest ; quæ per se quidem nil aliud quam pacem, justitiam & quæcunque in societate hominum optari possunt, bona spectet, ac intendat, ex accidenti tamen aliquas culparum pœnas ac injuriarum ultiones contineat. Quæ quidem, sicut & prædicatio religionis Christianæ non ex eo æstimanda est, quod ipsi aliud agenti atque intendenti necessitate quadam & malitiâ hominum, accidit ; sed ex eo quod per se ac *primariò* spectat & intendit. Nec difficile demonstratu est, posse multùm molestiæ injuriam facienti, cum non mediocri ipsius pœnâ & ἀντιλύπησει conjunctæ inferri, nec tamen legem Christi de vindictâ violari si quis recto animo & bono fine id faciat. Nam delationes ad Ecclesiam etiam in propriis injuriis quanquam sæpe maximam pœnam atque molestiam accusatis infligant ; (quam expetere aut quærere ipsam per se Christiano non licet) tamen non modo permittuntur sed à Christo injunguntur, quia non vitioso fine suscipiuntur ; ut delator suas injurias, ulciscatur ; sed in gratiam necessarii officii, ut fratrem suum lucretur, ita ut tunc ultiò illa ac pœna, ex accidenti ; & tamen necessario interveniat. Non igitur hoc loco per interdictum istud, à Christo talis Resistentia prohibetur, quæ ex accidenti aliquam in reipsâ vindictam conjunctam habere possit ; sed quæ vindictam per se ac primariò spectet.

His ita præmissis ad argumentum adversariorum dupliciter respondemus. Primùm. Quod defensio vitæ, aut Magistratus in gravioribus injuriis imploratio, sine animi prohibitam ultionem intendentis vitio & culpâ, esse possit. Nam qui atrocem injuriam per se aut Magistratum propulsat, facile potest esse expers omnis cupiditatis ulciscendi injuriam, quàm nondum accepit. Nec aliam tunc occasionem ad concupiscendam ultionem habet ; quam indignationem atque iram, adversus eum, qui vult & conatur inferre injuriam, conceptam. Qui stimulus quamvis per se non sit levis, nec spernendus : tamen in atrocis injuriæ periculo, longè gravior stimulus est ad eam propulsandam ; metus atque aversatio, & fuga atque aversio illius mali ; quod omninò intolerabile censeas, & qui solus ita occupare possit animum ; ut ipsi in propulsationem periculi sui intento ; ultionem in alium coquere non vacet. (Præcipuè cum sæpe ultionis impotentia ipsam defensionem præpedi-at, atque ipsi noxia sit.) Quod non perinde accidit in periculo aut etiam sensu levioris injuriæ, ubi puræ putæ ultioni indulgetur. Potest igitur quispiam salvo isto Christi præcepto, etiam ex mente Socini explicato, in atrocis injuriæ periculo sive armis, sive per Magistratum eam repellere. Nec est quod urgeat Socinus ictus atque plagas inferenti injuriam infligi non posse, absque ultione & vindictâ. Nam vindicta in animo est qui non semper ejus desiderio, sed alio aliquo fine ac respectu ad aliquem feriendum aut vulnerandum movetur : quod in Magistratibus, lictoribus, patribus, magistris, medicis experientia confirmat. Potest igitur plaga atque ictus esse absque vindictâ : quod accidere in iis, qui ut atrocem effugiant injuriam, aliis vim inferre coguntur, ostendimus.

Deinde quod suprà diximus. Delationes ad Ecclesiam etiam in propriis injuriis factæ ; quanquam cum non levi injuriarum nostrarum ultione conjunctæ sint (neque enim objurgatio, nec ab uno sed à pluribus facta increpatio, & coràm universo cœtu pudefactio ipsaque excommunicatio, parum supplicii & vindictæ continet) tamen non modo permittuntur : sed à Christo injunguntur ; quia non eò tendunt ut delator suas injurias vindicet ? sed ut fratrem suum corrigat & servet ; ita ut tunc (sicuti diximus) ultio illa ex accidenti & tamen necessario eveniat. Ad eundem modum ictus ac vulnera quibus invadenti nos, parentes, liberos resistimus, quanquam maximum aliquando malum, & quasi ultionem inimico inferant (quæ per se ipsa à Christiano homine intendi non debet) tamen in casu gravis necessitatis non modò permittuntur ; sed aut à naturâ ipsâ aut à lege positiva, aut ab officio ipso caritatis erga homines sanctiori nobiscum vinculo nexos, injunguntur : quia non eò tendunt ut quis proximo malum inferat aut malum pro malo reddat, sed ut sese & carissima pignora conservet, aut ut boni civis officio non desit : ita ut in eo casu, ultio hæc aut malum proximo illatum, planè ex accidenti & tamen necessariò eveniat.

Nam hoc loco fruſtrà tergiversatur Socinus dum ait. pag. 289. *Nam qui futurus est qui gravissima aliqua injuriâ acceptâ* (quasi & leviores accipi & eodem modo vindicari non possint) *sese probè vindicatum esse existimet* (quasi de plenâ & sufficienti vindictâ & non de simplici vindictâ & pœnâ, quam & moderatam esse nihil repugnat, quæstio sit) *si in qui ei injuriam fecit pro alieno ab Ecclesia habeatur ?* Ego verò ut pœnam, ita ultionem quoque hanc non mediocrem aut ita despiciendam esse existimo, præsertim cum antecedenti pudefactione & increpatione conjunctam. Quam tamen ut per se ac primariò ab accusante spectari non decet ; ita in gratiam boni alicujus & necessarii finis, ejus intervenientis rationem haberi non debere, planum est.

Urgebit non nemo. Non esse facienda mala ut eveniant bona. Sed animadvertendum est, illud tantum in ultione malum esse, cum ulciscendi animo malum aliquod proximo infertur, hoc est illud satiandæ iracundiæ desiderium. Verum ipsa illatio mali (Scholæ ultionis materiale vocant) sæpe optima ac saluberrima, aut certè necessaria & ab aliquo officio injuncta deprehenditur. Quemadmodum igitur ultio quæ ex pudefactione hominum ad Ecclesiam delatorum sumi videtur, ob rectam, & aliud longè melius spectantem deferentis intentionem, non est vitiosa ; ita nec ultio quam propulsantes vim illatam ab invadentibus, sumere videntur, ob rectam & aliud longè melius spectantem defendentium intentionem, vitiosa ac proinde à Christo interdicta esse potest.

Quodsi quis dixerit disparem esse similitudinis rationem, quia illata invadenti verbera & ictus non

ab

ab intentione ſolum verberantis vitium trahunt, ſed ipſa per ſe vitioſa ſunt; pudefactio verò ipſa per ſe vitioſa non eſt; ſed pudefacientis intentione vitioſa evadere poteſt. itaque hanc quidem per intentionem hominum vitium licuti trahere, ita exuere poſſe; illa non item, quia ſemper vitioſa maneant.

Reſpondeo primùm, verbera quoque atque ictus ipſa per ſe vitioſa non eſſe; quod in parentum, magiſtrorum, magiſtratuum animadverſionibus, medicorum ſectionibus &c. cernimus. Secundò, pudefactionem aut exiſtimationis vulnera, ſæpè æquè gravia & noxia, quam corporis plagas videri. Tertiò, nihil eſſe neceſſe ſimilitudinem omnibus ſui partibus coincidere. Satis eſſe ſi in eo ſimilium par ſit ratio, in quo comparantur. Hic autem vulnera & plagæ corporis tempore defenſionis inflictæ; cum vulneribus exiſtimationis, tempore pudefactionis publicæ inflictis, comparantur in Ultione; quæ utrobique, ab animis vulnera iſta infligentium, aut intendi cum culpâ, aut abeſſe cum laude poteſt. Itaque illud firmiſſimè evincitur, Ultionem, quanquam ſi ſola & per ſe intendatur vitioſa ſit, rei alicui laudabili ac neceſſariæ annexam atque adjunctam, ſi non impotenti animo peragatur, non efficere ut illa res laudabilis eſſe deſinat & vitioſa eſſe incipiat; quod in alienarum injuriarum animadverſionibus, quales à Magiſtratu fiunt, paulò clarius cernitur; ſed & in propriarum amolitionibus, accidere poſſe oſtenſum eſt.

Quamobrem nec ex verbis ipſis, nec ex verborum hujus loci ſenſu, adverſarii evincere poſſunt, defenſionem, quæ fit in caſu neceſſitatis, per ſe aut per Magiſtratum eſſe prohibitam. Quod ad elidendam præſentis argumenti vim, ſatis ſuperque ſufficit.

Sequitur ut, quod ultrà debitum promiſimus, tàm noſtris, quàm ipſorum propriis rationibus oſtendamus, ſententiam eorum ex iſtis verbis deductam falſam eſſe. Præcipuè verò illam ejus principalem partem, quæ pacis ac bellorum jura, ſummis poteſtatibus competentia ſpectat. Illud vero ſubinde in memoriam revocandum eſt, in his & ſimilibus rationibus noſtris: Non eſſe noſtrarum partium, probare Chriſtum in his verbis, de graviorum injuriarum reſiſtentia non loqui; ſed adverſariis incumbere hoc officium, ut probent, quod nos acerrimè negamus; quia leviorum injuriarum partim ultionem partim reſiſtentiam hoc loco prohibeat, eum etiam intolerabilium injuriarum reſiſtentiam prohibere: quod niſi fecerint, cauſâ eos cadere neceſſe eſt. Nobis autem ſufficere, ſi negationis noſtræ cauſas juſtas afferamus; quæ juſtæ eſſe poſſunt, etiamſi tantùm probabiles ſint. Quid ſi, (quod faciemus) etiam firmas & apodicticas demonſtrationes afferamus?

Qua præmonitione præmiſſa; ad ipſas rationes accedamus.

I. Primum igitur Chriſti verba hoc loco de publica vi, aut publicis injuriis, quibus Reges aut populi, inter ſe committuntur, non agunt; nec ad eas, quoad prohibitionem Reſiſtentiæ; protendi poſſunt. 1. quia privatos Chriſtus alloquitur. 2. quia præcepta ſua dat ex occaſione Legis de vindicta non publicarum ſed privatarum injuriarum. 3. quia injuriæ, de quibus agit, & quas enumerat, non ſunt publicæ, ſed privatæ.

Atqui ab officio privatæ patientiæ civium, erga ejuſdem Reipublicæ cives, ad officium publicæ ſupremarum poteſtatum patientiæ, nemo quidem rectè argumentari poteſt; ſed minimè omnium Socinus, qui pag. 82. ſic ait. *Verum ſicut acceptarum injuriarum oblivio, ab iis qui in eadem ſunt Republica, ipſi Reipublicæ eſt utiliſſima, ita eas injurias obliviſci nec vindicare, quas ab extranea quis, ſive publice ſive privatim acceperit, Reipublicæ pernicioſiſſimum cenſendum eſt. Fit enim eâ ratione, ut ipſa Reſpublica ab extera contemnatur, & quilibet facile ejus imperium invadendi atque occupandi, & conſilium capiat & ſpem habeat, quæ ſpes plærumque minimè fallax eſt. Ignavi enim non vindicandi exterorum in ſe injuriis cives reddunturs, & ad hoſtium impetum ſuſtinendum ac propulſandum inepti, tantum abeſt, ut ipſi ſuos fines producendi ſpem aliquam habere poſſint.* Non igitur ex eo quod Reipublicæ utiliſſimum eſt; valere poteſt conſequentia ad id quod ipſe Reipub. pernicioſiſſimum eſſe agnoſcit: Nec quia illud Chriſtus præcepit, idcirco hoc quoque præcepiſſe cenſendus eſt.

Deinde cum ipſe Socinus vi veritatis conſtrictus agnoſcat, in hac, de qua agimus, Chriſti lege, eò quod privatis duntaxat lata ſit, Magiſtratui non prohiberi quominùs in crimina animadvertat; quo jure idem, aut alius aliquis contendere poteſt, eidem hac lege prohiberi ne bella gerat? Verba ejus ſunt pag. 189. *Jam quanta eſt hæc calumnia cum apertiſſimum ſit (Racovienſes) de privatis agere quibus interdictum fuiſſe à Chriſto volunt neve per ſeipſos, neve per judices ſuas injurias vindicent? quid enim hoc ad vindictam publicam omninò tollendam? Nam quid vetat (ut alibi jam diſputatum à nobis eſt) quominus magiſtratus ex officio, adde vel alio quopiam, qui Chriſti verus diſcipulus non ſit, accuſante in crimina animadvertat? Hic enim non ipſi Magiſtratui, ſed privatis præcepta dantur.* Hucuſque verba Socini.

Nullo igitur modo vel ex ipſius Socini mente verba hæc à patientia privatis præſcriptâ, ad Magiſtratuum aut ſummarum poteſtatum, in abſtinendo à publicâ belli defenſione patientiam trahi ac torqueri poſſunt; quia cum belli ſuſcipiendi poteſtas ſit penes ſolum Magiſtratum hic non ipſi magiſtratui ſed privatis præcepta dantur.

Denique ſi, quod ſuprà monuimus, ſub nomine maxillæ cædendæ ex mente adverſariorum, perpeſſio mortis non intelligitur, (vide Socin. pag. 56. & 59.) certe hoc loco vitæ defenſio non prohibetur, quæ bellorum neceſſitatis præcipuum eſt fundamentum. Quid igitur hæc verba ad bellorum defenſionem pertineant?

Poſtremo, quemadmodum ſi publica Magiſtratuum animadverſio ac reſiſtentia (quod meritò Socinus admittere non audet) præſertim in gravioribus civium inter ſe injuriis vetaretur; tolleretur omnis pax, omnis ordo, omnis juſtitia, omnis poteſtas ſublimior ex humano genere. Ita ſi in graviſſimis & intolerabilibus injuriis injuſtam vim propulſare, tàm publice quàm privatim nefas eſſet, exarmaretur mortalium genus omni præſidio, contrà vim, contrà latrocinia & omnia ſcelerum ac flagitiorum portenta; & planè polluereturterra impunitate reguantium flagitiorum. Porrò nullo modo credibile eſſe poteſt Legem Chriſti, ut conſuleret hominibus nequam, injuſtis, violentis, Deo hominibuſque infeſtis; ſublata tam laudabili & neceſſaria ordinatione Dei, quæ cernitur in cœtibus hominum jure ſociatis, proſtituiſſe in prædam reliquorum omnium, partim innocentium, partim non tàm nocentium, corpora, vitam, fortunas, libertatem, & quæcunque eodem cum vitâ pretio æſtimari ſolent: Sæpe & ipſum reſipiſcendi ſpatium & facultatem.

II. Si Chriſtus publica pacis ac belli jura, quæ ſunt omnium Rerumpub. fundamenta, ſeu directè ſive per indirectum, ſubruere voluiſſet, non id feciſſet in hoc præcepto, in quo agitur de privatis privatorum officiis in perſequendo ſuo jure; neque ex occaſione Legis de pœna talionis in injurias non capitalibus: hoc eſt, legis de ejuſmodi pœna, ſine qua facile retineri poteſt ordo & ſecuritas

Reipub. quæque magis ad satiandam vindictam & iracundiam lætorum ; quam ad eorum vitæ & securitati consulendum, pertinere videri potuit. Sed id feciſſet aut cum de jure & obedientia ſummarum poteſtatum loquebatur ; aut ſermone ad Magiſtratus converſo, aut expreſſe de militia agendo ; aut certè cum ejuſmodi Moſis leges ſupplebat, quæ capitalium pœnarum metu homines in legum Politicarum obſequio continebant. Qualis fuit præcipuè lex de homicidio. Cujus pœnam eo loco quo legem hanc ſupplebat, commemoravit ; nec tamen ulla vel minima cenſuræ ſignificatione, toto in ſermonis ſui contextu, damnavit. Iniquum igitur, ſimul & ineptum eſt, ſenſus tam vaſtos & immanes huic loco affingere ; quos ſubjectæ materiæ anguſtia capere non poteſt.

III. Si Chriſtus capitalia ſupplicia aut bella per hanc legem ſuſtuliſſet ; præcipuas & fundamentales Reipub. Moſaicæ leges per eam abrogaſſet. Atqui hoc non fecit, neque id ut faceret veniſſe ſe diſerte teſtatus eſt. Nam quamvis aliquas permittentium legum ; quoad privatorum dumtaxat abuſum, non verò quoad jus Magiſtratuum, quod intactum reliquit, moderatus eſſet (ſi modo iſta legum ipſarum moderatio & non potius privatorum licentiæ cohibitio, ne legum permiſſione ad vitioſam animi libidinem abuterentur vocanda eſt.) Tamen imperantium legum nullam ſolvit aut ſuſtulit. Quod & Socinus agnoſcit, dum ait pag. 115. *Potuit Chriſtus præcipere ut Moſis leges ſervarentur, & ſimul tamen cavere præcepit ſuis, ne aliqua fierent ; quæ illæ fieri permitterent ; modò id quod ipſæ juberent ratum firmumque perpetuò maneret.* Tunc autem abrogaſſet & irritam feciſſet legem imperantem, ſi cum dictum eſt à Moſe, *Qui autem occiderit obnoxius erit judicio*, puta capitali. (Tali enim judicio obnoxius erat ſub lege homicida.) ſeu tacitè ſeu apertè conſtituiſſet, *Qui autem occiderit capitali ſupplicio ne ſit obnoxius* ; nec enim licet malo reſiſtere ; & quia talis diligendus eſt, ideò neque occidi, neque cædi poteſt. Atqui id Chriſtus non fecit, tametſi iſtam ipſam Moſis legem commemoraſſet, imo ſupplevisſet.

Intelligo me iſtis proximè præmiſſis rationibus, non tam Socini, quàm eorum, à quibus ipſe diſſentit, deductiones oppugnaſſe. Habemus enim illum confitentem, in hoc Præcepto privatorum tantùm, impotentiam, non Magiſtratuum poteſtatem frænari. Quo magis miror ſubit, undeipſi venerit in mentem ; ut id quod in Magiſtratuum poteſtate Deus ſemper eſſe voluit, (hoc eſt bella & capitalia ſupplicia) nec uſquam è poteſtate eorum exemiſſe, oſtenditur ; ut, inquam, id ipſis quoque Magiſtratibus, ſi veri Chriſtiani eſſe velint, vetitum & illicitum eſſe ſtatuat. Aut enim ipſi ex alio aliquo Sacræ Scripturæ loco diſertè probandum eſt, Chriſtianis Magiſtratibus quoque iſtud jus belli & pacis ademptum eſſe ; aut confitendum Magiſtratibus id quidem non ademptum, ideoque licitum ac permiſſum, ſolis autem privatis prohibitum eſſe. Prohibitum autem non id, de quo non quæritur, putà ne unquam privatis auſpiciis bella gerant, ſed id, de quo quæſtio eſt, ne in iis gerendis Magiſtratui operam & miniſterium ſuum commodent. Quo alicubi ipſe Socinus inclinare videtur, quamvis ſibi non uſquequaque conſtet.

Sed nos alibi opinionem iſtam refutabimus, quæ in eo ipſo quod facere Magiſtratibus permittit, non cogere ſubditis Magiſtratui non permittit. Nunc ſatis eſt, etiam contrà Socinum ipſum evincere, Magiſtratibus Chriſtianis bellandi & puniendi licentiam ſaltem hoc præcepto Chriſti non adimi.

Sed jam tempus eſt, cum ipſius Socini opinione preſſius congredi, quam ſequentibus rationibus oppugnabimus.

Si ex mente adverſariorum in hoc Chriſti præcepto ea tantum Reſiſtentia prohibetur, quæ vindictam conjunctam habeat ; certè Propulſatio intolerabilis injuriæ, ſive per ſe, ſive per Magiſtratum fiat, etiam à privatis, nihil peccat contrà ejuſmodi præceptum. Ultio enim & redditio mali pro malo ; præſupponit præteritum & jam acceptum malum ; quod cum per ultionem reipſa auferri ac ſanari nequeat, ipſa ratio oſtendit vanam & vitioſam eſſe impotentis animi voluptatem, quam ex mutuo illato hominibus injurioſis malo concupiſcit. Longe aliter ſe res habet in propulſatione futuri & imminentis mali, præcipuè intolerabilis, de quo ſolo loquimur. Quod ſi per propulſationem amoveri poſſit, ipſa ratio oſtendit propulſationem ac defenſionem ; non modo non eſſe vanam & vitioſam, ſed vehementer utilem ac neceſſariam. Non igitur ut Socinus pag. 266. & 267. ait *Muleò plus eſt cum quis ad evitandum malum prioripſe malum inferre ſtudet ; quàm cum quis malum pro malo reddit* : quaſi illud gravius hoc levius eſſet delictum ; cum in illo, ſi de evitando graviori malo agatur, nihil eſſe poſſit culpæ aut vitii, in hoc animi impotentis culpa reperiatur.

V. Interdicti de non reſiſtendo malo hoc loco, eadem eſt ratio, quæ & reliquorum omnium, quæ hic interdicuntur. Atqui omnia quæ in hoc *cap. Matth.* v. prohibentur, ea conditione prohibentur, niſi *ea juſta & gravis cauſa aut neceſſitas excuſet*. Talia ſunt, Ira in fratrem, Exprobratio ei ſtultitiæ, repudiatio uxoris, Juramenta. Quæ ſane conditio & exceptio in irâ quidem erga fratrem & repudiatione uxoris exprimitur ; in exprobratione verò aut convitio ſtultitiæ & juramentis ſubintelligitur. Proinde & in eâ quæ hic vetatur Reſiſtentia, ſubintelligenda eſt, ut quemadmodum, aliquando iraſci & exprobrare ſtultitiam, repudiare uxorem ; jurare contra generale Chriſti præceptum poſſumus ; quando juſta & gravis cauſa poſtulat : ita reſiſtere quoque poſſimus, cum juſta & gravis neceſſitas requirit. Quod accidit in graviſſimis & intolerabilibus injuriis ; quibus niſi reſiſtamus maximo malo nos affici neceſſe eſt. Ac profectò liquidò mentem ſuam explicuit Chriſtus, cum ejuſmodi exemplis interdictum iſtud illuſtravit ; in quibus nulla juſta aut gravis cauſa vel neceſſitas eſſe poteſt, injuriis reſiſtendi.

Quæ enim juſta aut gravis cauſa vel neceſſitas eſſe poteſt, ut quis colaphum infringenti, ſive injuriam reponendo, ſive cum ipſo pugnando, ſeipſum & alium in vitæ diſcrimen conjiciat ; aut de tunicæ vel pallii poſſeſſione litigioſam contentionem ſuſcipiat ; aut brevem comiter monſtrandæ viæ laborem, cum periculo dimicationis detrectet ? Certè non graviori in iſtis omnibus cauſa vel neceſſitate ad reſiſtendum compellimur, quam ad eruendi pro eruto oculo talionem, hoc eſt, aut vindictæ deſiderio ; aut avaritiæ ſordibus ; aut difficilis ad officia genii atque ingenii moroſitate : & ſtricta nimium juris noſtri retentione. Quid ? quod ipſe Socinus nobis ad ejuſmodi explicationem ſuo exemplo præivit, dum pag. 145., Indefinitæ enunciationis eodem modo reſtrictæ inſignem ſpecimen edidit. Ait enim ex mente Racovienſium. *Hanc inter Moſen & Chriſtum differentiam eſſe, quod ille tantum perjuria vetuerit, Chriſtus etiam juramenta.* Atque hinc ſequi colligit, *Sub lege omne juramentum, modo ſine perjurio, jurare licuiſſe ; ſub Euangelio verò etiam citrà perjurium jurare non licere.* Ubi huic indefinitæ enunciationi ipſe ſtatim limitationem hanc ſubjicit. *Suâ ſponte ſcilicet, & ſine aliqua neceſſitate.* Atque addit hanc limitationis rationem. *Ut verba ipſius Chriſti indicant ; qui præceptum ſitum de non jurando voluntariis juramentis in lege permiſſis, manifeſtè opponit.* Quid cauſæ eſt igitur, quominus exemplo ejus huic indefinitæ enunciationi, *Ne reſiſtite malo*

addamus

addamus similem limitationem, puta *citra justam aut urgentem necessitatem*? addita eodem jure limitationis hujus ratione. *Ut verba ipsius Christi indicant qui præceptum suum de non resistendo malo, persecutioni summi ac stricti juris nostri quod videlicet sine ulla justa aut urgente necessitate persequamur, opponit?* Quæ enim vera aut justa necessitas est persequendæ talionis in eruendo oculo, aut evellendo adversarii dente præter satiandæ ultionis libidinem? Idem Socinus alibi pag. 169. *Juramenta de rebus gravibus, nec indignis in quibus Deus testis apellatur à Christo non interdicti & Pauli Apostoli exemplum &c. & RES IPSA MONET, cum nulla causa sit, cur tunc Deum veritatis testem ac mendacii vindicem advocare non liceat; imo cur aliquando, non debeat.* Quid igitur obstat, quominùs & nos eodem exemplo inferamus. *Juris nostri persecutionem & retentionem in rebus gravibus & dignis curâ & sollicitudine nostra, qualis est vita, aut ea sine quibus vita non est vitalis Christum non vetare, non modo ipsa religionis ejus analogia omnis superstitionis expers; sed RES IPSA MONET, cum nulla causa sit, cur in iis, jure nostro uti non possimus; sine quibus aut vivere, aut commodè vivere non licet; imò cur aliquando in iis persequendis, aut retinendis, jure nostro uti non debeamus.* Pariter in casu gravissimæ necessitatis, privatam vitæ aut publicam patriæ defensionem Christum non vetare; non modò Religionis analogia sed ratio ac Res ipsa monet; cum nulla sit causa cur, aut privatim ne injustissimum latronem in incertum vitæ periculum; quod ei à nobis vitam nostram propugnantibus, imminet, vocemus: ipsi innocentes certissimam necem subire jubeamur; aut in publico insontium periculo; seu delinquentium fontium; sive impetentium hostium periculi; & quidem non nostra sed ipsorum propriâ culpâ accersiti; tàm iniqua ratio habenda sit, ut illud huic postponatur.

Breviter ut hanc ratiocinationem concludamus, dicimus. Si vox *omninò*, in interdicto juramenti non obstat quominus hæc lex ad juramenta voluntaria & *de rebus non adeò gravibus* (vide Socin. pag. 170.) restringatur: multò minùs indefinita Christi; de non resistendo malo locutio, obstare potest, quominus Lex ista ad injurias, non adeò graves & quibus resisti nulla necessitas urget; (quales sunt omnes, quas Christus enumerat) restringenda sit.

VI. Satis inique Socinus contendit pag. 51. & 53. verba *Ne resistite malo* universè accipienda, cum & ipse eadem, quamvis non sine hallucinatione restringat; & omninò ea restringi necessitas postulet. Nam & ipse Christus sæpe restitit Judæis, non modo verbis asperioribus objurgando sic meritos: sed etiam facto & virtute suâ mirificâ refringendo conatus eum occidere volentium, antequam veniret hora ejus. Restitit & facto iisdem in templo argentaream aut mercimonia exercentibus. Furiosis, famulis, liberis, subditis nequam etiam violentia adhibita, resisti posse inviolato isto præcepto, Ratio ipsa dictat. Restitit & Paulus Judæis, sub Felice præsidio militum non semel à seditione aut conjuratis protectus. Restitit non modo Judæis in judicio, sed & Festo iniquo judici. Quod certè ipsi non licuisset; si juris sui persecutio aut defensio per judices in omnibus causis esset prohibita. Quod quidam ex illis verbis de tunica & pallio, satis ineptè concludunt, statuentes in omnibus injuriis ità de nostro jure decedendum esse, ut etiam in gravissimis & nobis maximè noxiis nulla Magistratus ope uti liceat. Alii verò longius progressi, etiam ultrà quam adversa pars velit, ipsius libidini gratificandum juxtà verborum corticem contendunt. Quorum si utrumque aut alterutrum verum esset, frustra de Magistratu pronunciaret Apostolus eum esse Ministrum Dei nobis in bonum, *Rom.* XIII. 4. Nec licuisset Paulo de vita & salute sua cum Judæis judicio contendere, atque istam litem, Cæsarem apellando, protendere: sed tenebatur potius præsentissimum periculum subire & Festi decreto subjacere; quam Christi de litibus præcidendis, præceptum violare. Ille verò jus & innocentiam suam asseruit; nec modo ipse noluit vitam suam Judæis χαρίσασθαι potius quam litem protrahere; sed etiam Festum Magistratum subalternum, non passus est vitam suam Judæis χαρίσασθαι *Act.* XXV. 11. sed Magistratus superioris opem invocavit, dicens Nemo me potest Judæis condonare, Cæsarem apello. Nec potuisset idem lites Christianis permittere 1. *Cor.* VI. dum modo inter Christianos deciderentur. Atque in ea parte Socinum & plærosque, pauló æquiores verborum istorum interpretes experimur; quam in priori legis hujus parte, quæ de maxillæ cædendæ patientia agit. Atqui si interdictum litigandi de tunica, non omnes lites hoc est non omnem per Magistratum resistentiam prohibet; cur interdictum de alapæ vindictâ, omnem omninò etiam in gravissimis injuriis, etiam in mortis aut mali morte tristioris periculo, tam per se quam per Magistratum resistentiam, denique omnem defensionem prohibeat? Quam indignum & absurdum est in bonis fortunæ, seu in damnorum injuriis restrictionem Legis hujus admittere; in capitis autem atque vitæ periculo, eam non admittere? Cur enim hic potius quàm illic, patientiam nostram Deus periclitaretur? Cur nobis opum ac fortunarum; quàm vitæ ratio potior habenda sit? οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος; Nonne anima potior est alimonia & corpus indumento?

At enim ne lites quidem permittuntur nisi ab omni vindictæ interventu immunes. Nihil nunc de veritate limitationis hujus disputo. Tantum illud urgeo etiam capitis ac vitæ defensionem posse dari aut absque omni prorsus ultione, aut si quid fortè vindictæ simile admixtum habeat; totum id ex accidenti esse posse; ut ab omni ultionis culpâ sit immunis; quod supra satis ostendimus.

At enim ista hujus Præcepti pars, de fugiendis litibus exemplo Pauli litigantis, & expressa ejusdem permissione limitatur. Illa autem pars de corporis injuriis tolerandis; nullo exemplo aut posteriori lege vel permissione restringitur. Qui sic loquuntur; aliquid dicerent: si quod hic Christus priori lege prohibet, Paulus posteriori relaxasset. Nam & nobis similis latæ legis relaxatio esset ostendenda. Nunc cum Paulus id non faciat, quod ipsi non licuit; sed tantum mentis Christi sit interpres, ostendens qualis fuerit, cum hanc legem conderet; jure optimo ex hac interpretatione Pauli in una parte hujus legis, generalitatem præcepti, in altera parte restringimus, eâ æquitate, quæ analogiæ doctrinæ Christi est congrua. Scilicet ut, quemadmodum isthic non omnes lites prohibere Christus voluerit, quamvis omnes prohibuisse cuipiam videatur: ita hic non omnium injuriarum propulsationem vetare; quanquam id ipsis feciisse videatur. Deinde ne nobis quidem in ista alapæ patientia desunt exempla Christi ipsius; atque ejusdem Pauli rigorem præcepti hujus insigniter mollientia. Christus ipse percutienti, non modo alteram maxillam non præbuit; sed factum ejus reprehendit, atque incusavit. Paulus verò adeo acriter auctorem injuriæ objurgavit, ut verba ejus non abessent ab aliqua ultionis specie. Nec obstat quod aliquam in facto suo culpam ipse agnoverit; quam non in eo fuisse quod hominem injustum objurgaverit; sed quod eum tunc ob muneris dignitatem tam acerbe objurgandum non esse, ignoraverit; satis diserte ostendit.

VII. In hac Lege Christi, præcipiuntur nobis virtutes quæ persecutionem aut retentionem juris nostri quod

in proximum habere possumus, moderantur qualis est Mansuetudo & clementia, benignitas atque ipsa quoque beneficentia, quæ postremo loco à Christo præcipitur. Atqui omnes istæ virtutes, intra limites extremorum suorum consistunt. Non possunt igitur hoc loco, illarum officia: ad alterutrum extremorum in infinitum protendi quin statim in vitium degenerat. Quemadmodum enim beneficentia & in adjuvandis proximis facilitas ex mente Christi non potest, nisi intrà eos terminos concludi; ne beneficia nostra nobis nimium noceant; ita & mansuetudo atque clementia, ne patientia nostra nos in intolerabilia mala inducat. Aliud enim est mansuetum & clementem: aliud omnibus injuriis etiam perniciosis obnoxium esse: aliud nolle ob res exiguas litigare aut litigiosum non esse; aliud ab omnibus litibus superstitiosè abstinere: aliud prompto & obvio obsequio animos inimicorum placare, aut gratiam demereri? aliud imposita sibi onera & clitellas infelici dorso accipere ac portare: aliud beneficum, nec in amicorum necessitatibus difficilem esse: aliud prodigum ac nepotem & bonorum in indignos homines, dummodo aliquid petere aut mutuari audeant, dilapidatorem. Et mirum est profectò, quod in illo præcepto de juramentis animadvertimus, in hujus quoque præcepti (de quo nunc agimus) quibusdam partibus adversarios nostros verba Christi mollire, & commodis restrictionibus temperare; cum verò ad illam legis hujus partem ventum est, in quâ dextrè interpretandâ longe plus momenti situm est; quia in prava ejus expositione privata & publica mortalium salus; & omnia pacis ac bellorum jura periclitantur; quasi sui oblitos, oculos ad meridianam lucem claudere; ne animadvertere possint, eandem omninò isthic restrictionem adhibendam esse, quam alibi etiam in hujus ipsius legis partibus adhibent. Sed apparet plærosque nescio quibus de Bello præjudiciis; longè ante imbutos, priusquam ad istius Præcepti explicationem accederent. Nam ego quidem, neminem ex iis fore arbitror, qui partem illam Legis hujus Christi quæ beneficentiam concernit, non ad ea tantum beneficia restringat, quæ absque vitiosa in indignos profusione ac dilapidatione patrimonii dari debent. Partem etiam quæ lites concernit, quamvis non satis rectè intelligere videantur; tamen satis commodè ut superstitionem vitent explicare conantur. Atque ego sanè satis mirari nequeo Socinum in recuperandis quæ sua sunt, contra expressa verba Christi *Luc.* VI. 30. *Et ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne reposcas*, vitandæ superstitionis ergò *ad jura* per commodam explicationem, mollire conari. In jure verò & lege fundamentali omnium Rerumpub. quæ duobus summi imperii requisitis, hoc est Pacis & belli gladio, continentur: *sine è jure* ne latum quidem unguem recedere velle. Sed non resistendum malo, sed diligendum inimicum ad nauseam inculcare. Quasi hæc verba, ut nos facimus, salvo & inconcusso jure naturæ, salvo & præposterè non inverso rectæ rationis usu; intactis societatis humanæ fundamentis æquè commodè, imo verò commodius longè explicari nequeant; quàm ea quæ dicto Lucæ loco explicare conatur. Vide pag. 271.

VIII. In hoc præcepto Mansuetudinis, in injuriis quæ nobis à proximis inferuntur, ferendis; talia nobis erga eos officia præscribi necesse est, quæ cum officiis Caritatis congruant; imò verò quæ de fonte caritatis deriventur. Neque ullo modo credibile est, cum Caritas Mansuetudine ac patientia imperfectior ac vilior aut facilior virtus non sit, officia mansuetudinis aut patientiæ longè (ut arbitrantur quidam) perfectiora ac difficiliora; officiis Caritatis hoc loco præscribi. Atqui modum ac mensuram Caritatis ejus generis proximis (quales sunt homines injuriam inferentes) debitæ superiori capite demonstravimus; non posse insigniter excedere Caritatem nobismetipsis debitam, quæ vulgò ordinata appellatur. Neque igitur modus ac mensura Mansuetudinis & patientiæ erga eosdem proximos, eandem naturæ nobis insitam & omnibus divinis humanisque legibus permissam Caritatem insigniter excedere potest. Quod fieret si intolerabiles injurias & ipsam mortem ab injustis hominibus pati potius; quàm illis; quando id per leges humanas licite fieri potest, resistere teneremur. Proinde hic de intolerabilibus injuriis, quod & exempla ipsa ostendunt, Christus loqui non potuit: neque certè locutus est.

Nam quod hoc loco objicitur. Nos quidem proximi causa, de Caritate erga nos ipsos nimium dimittere non teneri: sed Dei Christique causâ teneri; propter quos etiam odisse nosmetipsos debeamus: istud quidem verissimum est: sed hoc loco nonnisi ineptissime objici potest. Nemo enim negat Dei Christique causa id à nobis præstandum esse, si jam nobis ante constet, Deum Christumque id à nobis exigere. Sed cum nos hoc loco id ipsum quæramus, utrum id Deus Christusque à nobis postulet: imò jam probaverimus non postulare; non potest absque facetissimo Circulo hæc instantia opponi. Etenim quærimus an hic à nobis Christus postulet, ut intolerabiles injurias patiamur potius; quàm resistamus proximis. Quia de proximis sermo est, quibus Caritatem debemus; ex qua in reliquas erga proximum virtutes tanquam ex fonte omnia officia derivantur & promanant: meritò ex istius Caritatis lege, ab ipso Deo Christoque præscriptâ, deducimus, non teneri nos in gratiam proximi tantum de jure nostro decedere; ut intolerabili malo afficiamur potius quàm ipsi resistamus; quando id jure facere possumus. Quod cum negare adversarius non possit: ait nos id non quidem proximi, sed Dei Christique causa facere teneri. Nos verò id fatemur ultrò, sed non alia conditione quàm si id à nobis Deus Christusque postulet. Instat adversarius & ait Deum Christumque à nobis id hoc loco postulare. Atqui primum id ipsum in quæstione fuit an id Deus & Christus hoc loco facere imperet. Deinde si adversarius negare non audet Caritatem in proximum, ab ipso Deo Christoque præscriptam, tantam à nobis in proximum indulgentiam non exigere; jam ipsi eo regredi integrum non est; unde egressi sumus. Neque enim de eo quæritur quid Deus Christusque quave de causâ facere potuerint; sed quid fecerint. Ergo si jam, quod nos ostendimus, constet Deum Christumque in caritate & officio erga proximum id oneris nobis planè non imposuisse; ut in proximi gratiam simus adversus nosmetipsos aut nostros nimium immansueti & crudeles: ineptè simul & intempestive id nobis oggeritur Deum nobis id oneris, non quidem proximi, sed sui gratia imposuisse. Intempestiva enim est quæstio, quærere cujus rei gratia nobis aliquid oneris imponatur, postquam ostensum est, id oneris nobis omninò non esse impositum. Non enim potuisset Deus per Christum Caritari & officio in proximum, eos limites statuisse, quos superiori capite statuisse ostendimus; si plus à nobis officii & indulgentiæ erga eum; quàm quod ibi ostensum est, quamvis sui causa requireret.

Possemus ista responsione adversus hanc instantiam esse contenti. Sed ut largiter de nostro jure decedamus, admittamus ultrò hanc quæstionem & videamus unde adversarii probent, Deum atque Christum hoc loco imposuisse id oneris hominibus; ut, non quidem in gratiam proximi; sed in gratiam sui intolerabiles potius injurias patiantur; quàm ipsis cum legitimè possint, resistant. Atque id primùm jure deprecor, quia de facto, non de jure quæritur; ne

sese

sese atque nos onerent superfluo labore inquirendi; quid & quantum Deo in homines liceat. Neque enim hic inter nos Status controversiæ est. Eandem ob causam illam quoque hinc quæstionem exulare æquum est; quâ quæri potest, quid ea in re à Deo Christoque vitam nobis æternam promittente, fieri æquum fuerit. Id enim posterius videbimus cum argumenta adversariorum; non ex Sacris literis, sed ex rationis penu deprompta examinabimus. Id unum hoc loco nobis inquirendum est; quid Deus Christusque reipsâ fecerit, non autem quid facere potuerit. Itaque ad hanc de Facto quæstionem testimonio non ratiocinatione opus est. Producant igitur si placet; aliquod è Sacris libris testimonium ubi Deus aut Christus, atroces & intolerandas proximorum injurias, quas modo legitimè repellere possimus, repelli vetuit. Nam patientia in persecutionibus, quia à Magistratibus excitantur, huc non pertinet, cum ejusmodi persecutiones legitimè repelli non possint. Hoc loco certè de capitalibus injuriis, Christus neque loqui potuit; neque locutus est. Non potuit, quia verba sua extra subjectam Sermoni suo materiam protendere non potuit; quæ materia non alia fuit; quàm abusus Mosaicæ legis, quæ de injuriarum non capitalium pœna atque talione loquebatur. Ideò neque ipse de alio injuriarum genere locutus esse deprehenditur; quàm quæ non essent capitales. Quarum exempla ipsa per se mentem ejus evidenter explicant. Unde igitur istam injunctam nobis à Deo patientiæ in capitalibus injuriis necessitatem deprompsimus? Nam hic quidem altissimum de iis silentium deprehendimus. Quodsi uspiam alibi in Sacris libris testimonium ullum quod opinioni suæ velificetur, inveniant; id suo loco, Dei auxilio, examinare non omittemus. Nunc satis est eos *hoc loco* effugio isto uti non posse. Nimirum quod Deus per Christum capitalibus proximorum injuriis, quas legitimè repellere possimus, resistere in sui gratiam prohibuerit.

Nobis (quod non tenemur) probatu facilius foret: Deum id in sui gratiam prohibere non potuisse: quia credibile non est, ipsi injustorum & facinorosorum hominum effrænatam licentiam; quàm innocentium incolumitatem longè magis cordi fuisse: cum ipse, in mundo homines per homines legitimæ justitiæ ordinatione gubernet. Quam ultrò contrariâ per Christum ordinatione tollere atque evertere, nihil aliud esset; quam duas ordinationes sibi è diametro adversas, & quarum altera alteram destruat constituere, quod absurdum est. Nam quia persecutiones, quarum capitales injurias, in gratiam Dei Christique omninò ferendas fatemur ex errore atque ignorantia Magistratuum proficiscuntur; injuncta earum patientia, jus atque potestatem Magistratuum à Deo ordinatorum non tollit sed potius confirmat; quia ipsis etiam erantibus, & injustè aliquid facientibus violenter non resistere imperat: Et sublato errore & ignorantia supremarum potestatum, patientia persecutionum unà cum iis cessat: nec ulla in re amplius leges Christi, cum jure ac legibus Magistratuum colliduntur. Sed si aliarum omnium injuriarum etiam gravissimarum patientia injuncta est, ita ut nunquam improbis hominibus; sive per se sive per Magistratum publicè aut privatim resistere liceat; non modo usus omnis, sed jus atque potestas supremarum potestatum convellitur; & inter leges Christi; atque ordinationes Dei, pugna irreconciliabilis constituitur, quod fanaticum & absurdum est.

Quodsi adhuc instent, *Deum per Christum hoc loco non in gratiam hominum injustorum; sed in gratiam eorum ipsorum, quibus hoc mansuetudinis specimen præscribitur, patientiam eorum protendere: ultrà id, quod vi caritatis proximo debent:* hoc ipsum ut probent postulamus. Et eâ quidem facilitate atque æquitate, ut ipsos non necessario labore sublevemus. Permittimus enim id tantum probari; istam patientiam fidelium à Deo per Christum eo usque protendi. De fine aut scopo hujus protensionis aut in cujus gratiam fiat, non laborabimus; facile concessuri ut in cujuscunque ipsi voluerint gratiam facta intelligatur.

Et ne sibi inexpectata Responsione, ad locum communem de glorioso fidei ac patientiæ specimine, jactando, aditum præclusum moleste ferant, audiamus, si placet, quid de isto specimine afferant. Aiunt *in eo potissimùm fidei & patientiæ nostræ specimen eluceſcere: quando & omnem defensionem nostri omittimus freti defendente Dei fiduciâ: & injurias omnes omninò etiam gravissimas licet legitimè amoliri possimus, amoliri nolumus, ut tanto glorioſior patientia nostra appareat.* Intelligo nos in eum disputandi campum pertrahi, qui nos à proposito S. scripturæ loci examine; ad aliarum rationum velitationem abducat; cui infrà competentior locus patebit. Tamen & hic brevi responsione defungemur. Primùm igitur verba eorum, non hoc dicunt, quod probandum erat, sed aliud, quod etiamsi nos concederemus, tamen id quod postulatum erat, nondum probatum est. Innumera enim sunt in quibus fidei & patientiæ nostræ specimen, eluceſcere posset, quæ tamen à Deo nobis injuncta non sunt. Quædam autem eorum talia sunt; ut prima fronte si verborum Christi corticem spectemus nobis injuncta esse videantur; nec tamen ex mente Christi verò injuncta sunt. Qualia sunt Oculum sibi eruere, pedem amputare, maxillam alteram percutienti præbere, & si qua sunt similia; quæ nemo sanus reipsa & propriè loquendo nobis injuncta dixerit. Deinde quod ad fidem attinet, extremum ejus quod in tentatione Dei cernitur nobis cavendum est; in quod plerumque fides degenerat, quando cum ordinariis quæ Deus præbet mediis, nos servare possimus, extra ordinem miraculosa auxilia expectamus. Quod ad patientiam; in ea quicquid ultrà præscriptum nobis officium, toleramus; nostro periculo toleramus; nec ejus rei gloriam aut mercedem à Deo certo sperare possumus, quam non requisivit de manibus nostris.

At enim prætendent, quod fidei & patientiæ nostræ exercitium in eo Deus esse voluerit; quod ultrà debitum Caritatis proximo præstare jubemur. Sed hæc pura puta conjectura est; nec recipi potest nisi planis testimoniis aut solidis rationibus probetur. Quinimo istud de Exercitio per imposita æquo graviora onera somnium, vel hac ratione refellitur, quod exercitia ante verum ac serium certamen adhiberi soleant; ut vires nostras præparent. Sic Romani olim ad palum armorum exercentes certamina duplo majori onere corpora gravabant, ut posteà in verò certamine tantò agilius pugnarent. Nunc autem sub Evangelio verum ac serium spiritualis militiæ certamen certamus. Quid igitur opus est, superfluo & non debito proximis Caritatis & indulgentiæ onere gravari patientiam nostram, si post hoc certamen nulla alia pugna supereſt, cui per exercitium vires nostras præparemus?

Sed nos hucusque, suprà debitum, satis ostendimus quàm falsa sint, quæ adversarii ex verbis istis deducunt.

Reliquum est, ut quod promisimus, verba ista ab illis non satis rectè intellecta, eorumque ex mente nostrâ veriorem sensum demonstremus. Quamvis enim non multùm in eo errent; quod hoc loco Christum ejusmodi Resistentiam prohibere, quæ vindictam spectet, statuant: (nisi quòd in eo gravius hallucinentur, quod putent istam resistentiam ilico vitiosam ac vetitam esse, si ei vindicta quoquomodo adjuncta sit, licet à resistentibus per se ac primariò non spectetur, quod falsum esse suprà ostendimus)

Tamen hæc explicatio Legis, ipsa Lege angustior est. Esto enim vindictam hoc loco Christus prohibeat, putà, vitiosam & illicitam. At certè neque præcipuè, neque solam. Nam quemadmodum Legis de talione rigor, cujus occasione Christus legem suam fert, non modo ultioni indulgentem talionem; sed summi quoque atque stricti juris austeritatem in se continebat. Ita Christus non solam hoc loco vindictam prohibet; sed omnem stricti ac summi juris (quod merito injuria dici solet) persecutionem aut retentionem. Patet id ex multis hujus Legis partibus, quæ ad vindictam aut ægrè, aut nullo modo referri possunt. Quale est præceptum de addendo tunicæ pallio potius quàm litigetur: etiam de itinere unius milliaris in gratiam postulantis suscipiendo: sed præcipuè de indulgendo petitionibus eorum qui beneficium aliquod a nobis accipere aut etiam extorquere volunt. Nam rationes adversariorum quibus ostendunt Christum in his quoque quæ jam produximus, vindictæ periculum præcipuè solum, respicere; nobis non satisfaciunt; quia verba Christi sine ulla necessitate à proprio & simplici sensu, detorquent ad coactum & violentum; & sunt meræ conjecturæ. Præterea quia ex eorum explicatione necessario sequitur id, quod falsissimum est: videlicet si vindictæ periculum absit, præceptis istis Christi nos non obligari. Quamvis enim ultionis metus absit; tamen nos, aut ne alteram alapam accipiamus pugnare; aut de tunicæ possessione, quia leve ac reparabile damnum est, judicio contendere non decet: neque quia levis labor est deductionem viatoris per mille aut ultrà, passus, detrectare. Idem de petitionum indulgentia; aut mutui dandi facilitate intelligendum est: quibus in rebus, etiamsi injuriarum ac vindictæ pericula absint, difficiles nos esse prohibent, laudatissima hominum liberalium & officiosorum instituta & exempla. Quicquid enim honestum; quicquid pulchrum & amabile, quicquid in societate mortalium, animos eorum quibuscum vivimus demereri potest, sectari justi sumus.

Neque id verba Christi volunt; ut tunicæ addamus pallium; potius quàm usurpatorem tunicæ ulciscamur; sed potius quàm cum eo judicio contendamus. Neque enim in causis civilibus, ubi agitur de possessione controversa rei leviusculæ; qualis est tunica; pœna in temere litigantem decernitur, sed tantum lis secundum eum, qui potius aut verum jus habet deciditur. Controversam autem facit rem, quicunque de eâ judicio contendere audet. Non igitur litigationis de tunicâ necessarium consequens est ultio; ideoque hæc per illam à Christo designari non potuit. Proinde non idcircò Christus de tunica in judicio contendi vetat, ut periculum ultionis de usurpatore sumendæ, evitetur, quod nullum est. Sed ut in levioribus rebus de nostro jure decedamus; atque ut litigandi occasiones, quantum in nobis est, pacem cum omnibus colentes, effugiamus. Neque hoc loco Mansuetudinem in remittenda vindictâ, quod alibi facit, sed facilitate de suo jure dimittendi docet. Ratio hujus explicationis vel hæc evidenter cerni potest; quod Christi verba non ad Actorem qui plærumque in gratiam ultionis actionem pro acceptâ injuriâ intentat: sed ad Reum, cui non actio injuriarum, sed actio in rem, intentatur, pertineant; nec de ultione illatæ alicui injuriæ, sed de possessione rei in controversiam adductæ, agunt; quam nos Christus tanti æstimare vetat, ut ob eam periculum litigandi suscipiamus. Ergò etiamsi sine ultione & pœna adversario infligendâ possimus cum eo de re nostra in judicio contendere: tamen si res sit non magni momenti; ut non sit gravis causa, quæ nos ad litigandum cogat; præstat levius damnum pati, quam ob levem causam litigare. Hinc patet, etiamsi concedatur Christum in hac Lege etiam de resistentiâ vindictam per se ac primario spectante agere: tamen neque de illa solâ; neque præcipuè aut potissimùm agere. Nam in primo tantum hujus legis de alapæ patientia præcepto, vindictæ quoque abstinentiam, ac ne in hoc quidem solam, ut posteà ostendemus, respicere, utcunque videri potest: In reliquis autem tribus aut quatuor; tantum benignam de jure suo decessionem, propter bonum pacis, qualis est cum quis levius damnum aut leviorem laborem non tanti facit; quanti bonum pacis; aut cum facilitate liberalitatis, vel mutui commodatione eandem pacem aut etiam amicitiam hominum redimit. Quæ quidem tàm facilis in commemoratis à Christo rebus, juris sui dimissio planè contraria est, illi rigidæ summi juris retentioni; quæ in exigenda post acceptas injurias pœnâ talionis cernebatur. Ideoque jure à Christo ipsi opponi potuit. Imò verò quantò plus est suo damno, labore aut sumptu, aut commodatæ rei periculo cuipiam utilitatem aliquam afferre; quàm colaphum pro colapho non reddere; tantò magis contraria sunt officia in posterioribus legis hujus partibus à Christo imperata, illi rigidæ quæ sub Lege permittebatur, talionis exactioni; quam fuit illa in priori injuncta à vindictâ abstinentia: Ita ut partium hujus legis connexio & cohærentia simulque oppositio cum suo antitheto, in nostra, quàm in vulgata explicatione longe clarius eluceſcat. Imo verò, vi atque efficaciæ orationis Christi; quæ hoc loco in figuratum aut hyperbolicum dicendi genus efferbuit, magis quadrat hæc oppositio, quæ à minus contrariis ad magis contraria procedit, nec sensim (in aliud subjectæ materiæ genus migrando) tepescit, sed illud quod semel cæpit constanter urgendo, fortius subinde atque enixius persequitur. Major enim & evidentior necessitas incumbit ei, qui suo damno, labore, aut sumptu atque periculo, proximo prodesse jubetur; ne rigidum jus suum erga eum persequatur aut retineat; quàm ei qui duntaxat jubetur ne illi; seu vindictam pro injuriâ exigendo sive pugnando noceat. Quinetiam adhuc plus de suo jure decedere videtur, qui ultrò ad solam petitionem proximi sumptum facit aut damni periculum subit, quàm qui litigii metu damnum patitur, aut Coactionis necessitate proximi causâ iter facit. Denique ad concludendum quod de summo jure nostro erga proximum decedere debeamus, firmior illatio est, ab officio benefaciendi cum suo damno aut detrimento: quàm ab officio non malefaciendi & non ulciscendi, quo etiam sine ullo nostro detrimento defungi possumus, in iis rebus quas Christus commemorat. Nam si quis dicat majorem ac difficiliorem esse patientiam in eo qui injuriam aliquam, puta perpessionem cæsæ maxillæ, non vindicat; quàm in eo, qui leve damnum; aut levem laborem fert; ne litiget aut altercetur; aut qui in liberalitate vel mutuo difficilis non est: huic animadvertendum est, si ad propositum Christi respiciamus quod erat, præcipere nobis ut nostri juris nimium retinentes non simus; sed de eo sæpe ultrò ac libenter decedamus: plus de suo jure decedere eum; qui futurum damnum aut laborem, aut sumptum aut jacturæ alicujus periculum; breviter futuram injuriam quàm adhuc evitare possit, propter bonum Pacis, non evitat, quàm eum qui præteritam injuriam, quæ quia jam facta est, infecta fieri nequit, sero jam ac non necessario ad consulendum sibi remedio, non ulciscitur. Quamvis enim accepta jam injuria ac præterita perpessio, per se ipsa considerata, gravior esset; quàm levis jactura molestia aut impensa: tamen voluntaria nondum acceptæ sed futuræ ideoque evitabilis injuriæ perpetiendæ facilitas; tantò plus continet decessionis de suo

jure,

jure, quàm semicocta præteritæ, injuriæ, quæ jam ut sic loquar, inevitabilis est, vindicandæ dimissio: quanto plus est de suo æquo jure; quàm de summo atque stricto decedere. Qui enim jam acceptas injurias non ulciscitur, sed remittit; de summo ac stricto jure suo; qui futuras ultrò propter bonum pacis subit; de æquo jure suo decedit.

Hinc facile intelligi potest, verborum Christi legis Mosaicæ abusui oppositorum hunc esse sensum. Adeo nunquam summo ac stricto jure erga proximum, quod in vindicta fieri solet; utendum esse: ut sæpè etiam de æquo jure suo in gratiam ejus decedendum sit, quod in allatis exemplis, quæ plures Legis ab ipso latæ partes constituunt, (in quibus jam de ipsa vindictâ directè loqui vix videtur) evidenter ostendit; quæ certe firmissima atque efficax illatio est.

Antequam alterius progrediamur, vim atque energiam verborum Christi; quæ extraordinario quodam loquendi modo, prolata sunt; nec simplicem sensum habere possunt considerabimus. Quamvis enim Christus videatur velle, ut post illatam priorem injuriam; ultrò ac sine necessitate, novam nec ab inferente intentatam injuriam iterum nobis accersamus: Tamen & ratio ipsa, & suprà memorata Christi ipsius & Pauli exempla; mentem Christi & verborum sententiam, aliter explicandam evincunt; quod & adversarios omnes, quicunque illi fuerint, fassuros arbitror.

Videntur igitur hæc verba eodem loquendi modo prolata; quo dictum est suprà eodem capite. v. 29. & 30. *Si oculus dexter scandalizat te, erue ipsum & abjice; si manus dextra, amputa eam & abjice &c.* Ubi Christus per hoc præceptum non id efficere vult, ut homines sibi oculos eruant, aut manus amputent; sed ad majorem illationis evidentiam ostendendam; suppositâ impossibili, sed conditionata hypothesi, quod nos corporea ista membra scandalizent illa in eo casu potius eruenda vel amputanda, ait, quàm damnationis æternæ pœnam subeundam. Quasi quis dicat, Si subucula tua conscia occulti consilii fuerit, ipsam exure; ne secretum emanet in publicum. Non quod unquam hoc fieri possit; sed ad augendam emphasim præcepti; quæ in eo est, quod vel absurda quoque & inconvenientia potius facienda sint, quàm committendum id quod interdicitur. Eodem modo hæc verba Christi, Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe ei alteram; præsupponunt impossibilem sed conditionatam hypothesin; quasi aut percussæ dextræ maxillæ ultionem, aut potius pugnam & certamen aliter evitare nequeamus, nisi ultro ac sine ulla necessitate alteram percutiendam præbeamus. Quod nullo modo contingere potest, sed si aliqua ratione contingere posset; præstare id facere quod absurdum & rationi inconvenitus videtur; quàm ultionem veritam persequi, aut potius malo futuro pugnam resistere. Non igitur in verbis istis Christi, voluntaria & sine ulla necessitate suscepta novæ injuriæ perpessio præcipitur; sed aut veteris ultio; aut potius pugna prohibetur; eâ severitate, ut potius id, quod propter falsitatem conditionatæ hypotheseos, absurdum & rationi est adversum (ideoque non absolutè ac simpliciter, sed conditionatè imperatum est) faciamus, quàm id quod nobis prohibetur committamus. Idem de addendo tunicæ pallio ac cæteris similibus judicandum est. Neque enim tunicam solam inique poscenti adversario; ultrò ac sine necessitate urgente, pallium quoque adjicere jubemur, ne litigemus: sed suppositâ conditione, si forte aliter malum litigii effugere non possimus, quam adjecto pallio. Quæ hypothesis ideo falsa est, ac proindè præceptum quoque absolutè ac simpliciter imperatum censeri non debet, quia Christus de adversario tunicam solam poscente loquitur; cui idcirco solius tunicæ concessione satisfieri potest, ne litigare necesse sit. Hinc sequitur, nihil in istis verbis à Christo, simpliciter & absolute, hoc est, verè præcipi; quod rationi adversum & inconveniens sit, neque magis nos ista, de quibus loquimur, conditionata præcepta obligare, quàm conditionatam de eruendo oculo & amputandâ manu, præceptionem.

Hæc idcirco fusius, & fortasse superflua diligentia, examinavimus, ne quis nobis ex figura & improprietate verborum, fucum faciat, & prætendat, ea quoque à Christo verè, simpliciter & absolute præcipi, quæ rationi repugnant.

Sed de verborum cortice, satis disseruimus. Quorum cum mens atque scopus eò tendat, ut nos, non modo in ulciscendis, sed etiam in perpetiendis sine vetita resistentia, injuriis, atque etiam damnis, & in suscipiendis, proximi causâ, laboribus aut molestiis, atque aliis omnibus erga eum officiis; de nostro jure, præcipuè verò summo atque stricto, decedere doceant: videndum est, utrum hoc dimittendi de suo jure officium, ad omnes omninò casus porrigatur; an verò certis quibusdam limitibus circumscribatur.

Atque ad omnes omninò casus porrigi, rationi repugnat. Nam si in omnibus omninò occasionibus de nostro jure decedere tenemur, sublato usu juris, etiam jus omnes tolletur; cum tamen etiam sanctissimos viros in multis suo jure usos videamus.

Certis igitur quibusdam terminis limitanda est, ista sui juris dimissio. Et adversarii quidem nostri hunc ipsi limitem ponunt, ut ad eam toties obstricti simus, quoties vindictæ periculum aut occasio occurrit. Vindictæ autem in propriis injuriis, non in alienis, aut potius privatim, non publicè sumendæ aut exigendæ. Id enim ex mente adversariorum adjiciendum est; qui Magistratui permittunt ex officio publici muneris, alienas injurias vindicare. Verum hanc limitationem vix ad primam Legis hujus partem pertinere suprà ostendimus. Videmus autem hoc loco à Christo, dimissionem juris sui imperari; etiam in multis aliis casibus, in quibus vindictæ locus non est.

Quærenda est igitur alia limitatio, toti huic Christi Legi competens & adæquata. Quæ vix alia dari potest; quàm *ut nos ad decessionem de jure nostro teneri censeamus; quoties justa & gravis causa, aut necessitas abest, ejus retinendi.* Quod ut apertius liquere possit, videat Lector, quæ suprà eodem capite in Ratione quinta disputavimus.

Atque hæc limitatio etiam Restrictionem adversariorum in se continet. Nulla enim justa & gravis causa; multò minùs necessitas esse potest; vitiosæ ac vetitæ ultionis persequendæ. Posse enim aliquas dari ultiones non vitiosas, ut eas quæ fiunt à Magistratu, jam dictum est. De qua ultionum distinctione, dabitur infrà differendi locus, ubi argumentum adversariorum, ab ipso Ultionis interdicto sumptum, examinabimus. Nunc paucis dixisse sufficiat, cum in vitiosa vindictâ semper sit summi ac stricti juris sui, quod in alium ex delicto ejus habeas, persecutio; nullam satis justam aut gravem causam aut necessitatem Christianis hominibus esse posse, summi istius juris sui persequendi: imo vero maximam causam & necessitatem ipsis incumbere, ejus dimittendi, nisi velint, ut Deus quoque de summo jure, quod in eos ex delictis eorum habet, nihil dimittat.

Sed præter Restrictionem adversariorum, nostra limitatio continet in se verissimam circumscriptionem omnium casuum, in quibus de nostro etiam æquo jure (quo aliàs ordinarie uti Deus non prohibet) decedere tenemur. Nam & in levi injuriâ, qualis est

iterato

peratò accipiendæ alapæ metus, ut pugnemus: & in levi damno, quale est tunicæ, ut litigemus; & in levi molestiâ, quale est iter unius milliaris, ut altercemur; & in occasione liberalitatis aut mutuò dandi; ut unus deparci Euchones, difficiles atque inofficiosi; nulla nos justa & gravis causa; nulla necessitas urget. Ideò in his omnibus à retentione juris nostri abstinendum est. Dispar & longè alia est ratio, si damnum æquo gravius subeundum; si nimius labor aut molestia suscipienda; si nimii sumptus & jacturæ faciendæ sint. Tunc enim quantò graviora incommoda occurrent; tantò justior & gravior causa; & si nimium gravia ac periculosa sint, etiam necessitas retinendi juris nostri interveniet. Ideò verba Christi intrà leviorum injuriarum aut incommodarum species & exempla continent; quia hæc præcepta ad graviores injurias aut incommoda non pertinent: Nec ad eas trahi possunt repugnante imprimis Ratione; quæ non modo nullam causam animadvertere potest, cur in iis rebus uti nostro jure prohibeamur; in quibus nos justa & gravis causa & multò magis necessitas urget; ne de eo decedamus; sed etiam innumeris absurdis & incommodis, quæ ex adversa opinione promanant; offenditur ac percellitur. Unde jure optimo concluditur, cum verba Christi de ejusmodi tantum dimissione juris nostri loqui necesse sit; in qua justa & gravis causa vel necessitas nos non urget, ut illud retineamus: eum præcepta sua ad æquo graviores injurias & incommoda protendere, non potuisse. Quod ipsum cum neque fecisse quoque illum videamus; quippe qui ad leviores duntaxat injurias & incommoda, præcepta hoc loco sua, assentiente rectâ Ratione, restrinxerit, nullo jure adversarii ea præcepta ad æquo graviores injurias, & magis noxia vel periculosa; tantoque minùs perniciosa incommoda, repugnante sana ratione, trahere ac detorquere laborant.

Nam quod quis objiciat, verba ipsa Christi Rationi manifestè obluctari, nihil est; cum suprà probaverimus, nihil in iis verè præcipi, atque nobis injungi, quod Rationi ullo modo repugnet.

Manifestum igitur est, quod & verba ipsa Christi in opposita verbis ex Lege Mosis allegatis antithesi indicant, subjectam eorum materiam hoc loco, non esse Vindictam; (quamvis eam hinc penitus excludi Causæ nostræ non interfit, qui eam alibi ex professo prohibitam, & hic quoque, sed per consequentiam magis & illationem, quàm per ipsa opposita verbis è Lege petitis verba, vetitam libenter fatemur.) sed Resistentiam; neque eam omnem, sed quæ cum vitiosa juris nostri persecutione aut retinentiâ conjuncta sit. Resistentiam autem tàm per viam Facti, ut loquuntur, quam per viam juris. Nam in præcepta alapæ patientiâ, non tam nobis repositio alapæ; quàm resistentia quæ fit facto ipso iis, à quibus post unam alapam inflictam; alteram metuimus, hoc est, pugna prohibetur; quæ certe magis propriè per Resistentiam; quam vindicta intelligitur. (quid autem opus est improprie vocem accipere, cum propriè sumi possit.) Quam omittere Christus jubet eò majori æquitate, quod & Leges humanæ privata istiusmodi & Cyclopica jurgia ac certamina prohibeant; è quibus cædes, duella, & infinita mala nasci solent. Porrò in tunicæ damno itidem non vindictam; sed resistentiam, quæ fit usurpatori tunicæ, per viam juris, prohibet. Rursus in angariatione, Renitentiam per viam Facti, quæ fit Cogentibus ad comitatum itineris, vetat. Tandem resistentiam ac repulsam donum aut mutuum petentibus interdicit. Ita ut hæc omnia Legis hujus membra, solam Resistentiam futuri, sine vindicta præteriti mali, (quam alioqui alibi clarissimè prohibitam fatemur) respicere possint, &, ut ego arbitror, respiciant. Nam si quis illud urgeat quia in Lege Talionis; cujus abusum hominibus privatis Christus interdicere voluit; odiosissima & menti Christi adversissima fuit, illa vindictæ acerbitas, quæ summi juris persecutionem continebat; non esse verisimile Christum occasione hujus Legis nihil de vindicta locutum: Respondebimus, cum Christus verba sua huic Legi ità opponat, ut eum, aliquantò plus quam illa permitteret, vetare in animo habuisse appareat, quod ex ipso eorum contextu satis liquet; non modo necesse non fuisse, ut in antithesi sua de vindictâ loqueretur; sed etiam vix potuisse emphasin interdicti sui (quod vindictam quidem etiam, sed per consequentiam vetabat) exprimere, si in sua antithesi, de vindictâ locutus fuisset. Longe etenim efficacius vindictam præteriti mali prohibebat; cum Resistentiam futuri prohiberet; quàm si tantum id vetasset; quod Lex illa permittebat. Præterea longè efficacius persecutionem summi juris in vindicandis injuriis, prohibebat: cum retinentiam æqui juris in obsistendo injuriis, prohiberet; quàm si tantum Retinentiam summi juris prohibuisset.

Atque hæc de sensu verborum in genere dicta sunto; qui ut melius pateat, quasdam partes hujus legis in specie attingemus. Primùm igitur quod attinet alapæ patientiam, gravissimam causam Christus habuit prohibendi non modo vindictam seu dudum præteritæ, seu recens patratæ hujus contumeliæ, quæ fit facto ipso; sed & ipsam violentam resistentiam ei, dum in præsenti infertur; quia hæc utraque suscipi nequit, tum absque excandescentis animi impotentiâ in barbaro indecoræ & non necessariæ pugnæ certamine; tum absque periculo vitæ utriusque partis. Præstat autem levem injuriam patienter ferre, quàm semetipsum simul & proximum in ejusmodi periculum conjicere; quorum alterum prudentiæ, alterum repugnat Charitati. Sed non perinde liquet; quid post acceptam ejusmodi injuriam per viam juris Christus fieri permittat, aut prohibeat; Præcipue in eo casu dum quis non id quærit, ut ultionem satiet; quod neque hic permittitur, & alibi sæpius vetatur, sed ut sibi in posterum consulat; atque licentiam hominum à minoribus injuriis ad graviores paulatim serpentem, fræno aliquo legum reprimat atque coërceat. Neque enim in hac prima parte Legis, Christus de resistentia Juris loqui videtur, quod facit in secundâ; sed de resistentia facti. Quamvis autem utriusque præcepti, quod ad vindictam attinet; par atque eadem ratio esse videatur; tamen justior & gravior causa urgere videtur; ut violentiis hominum, etiam in levioribus injuriis, quàm iniquitati in levibus damnis per viam Juris resistatur; dummodò is qui resistit ab omni vindictæ impotentiâ sit immunis. Nisi quod istud ipsum, in levioribus injuriis, quoquomodo persequendis; vix accidere possit, cum nulla tunc gravior necessitas animum læsi stimulare possit; ad propulsandum intolerabile malum; quæ illam vindictæ cupiditatem ex animo ejus excludat; aut pœnam lædentis accusati excuset, (quod fit in gravioribus injuriis), sed quicquid tunc ab accusante contrà eum qui læsit, suscipitur, directè in gratiam solius vindictæ suscipi videatur. Ita ut, præstet in ejusmodi levioribus injuriis, ubi de securitate vitæ aut Status non agitur; ab omni prorsus vindictæ specie abstinere, quod, etiam in impœnitentibus Christiana generositas; in pœnitentibus autem ac deprecantibus culpam sanctissimi officii necessitas exigit.

Deinde quod attinet ad secundam Legis partem, quæ litigari de tunicâ vetat; falsò ex hoc præcepto colligitur, omnes omninò lites prohiberi; quod præter Apostoli permissionem 1. Cor. VI. exemplum ipsius litigantis & ad Cæsarem provocantis ostendit.

Nam

Nam provocatio licet non sit accusatio ; est tamen litigatio & litigationis continuatio. Nec minus ea quæ fit excipiendo forum ; quàm quæ fit ab injusto decreto & Judice ad superiorem judicem. Christus autem dum de tunica contendi judicio vetat ; non accusationem tantum sed litigationem quoque prohibet nec Actorem duntaxat (quod antèà ostendimus) sed Reum quoque à lite forensi absterret. Quocirca maxime ad id ipsum de quo Christus loquitur pertinet exemplum Pauli ostendens non omnem litem à Christo prohiberi, sed de rebus duntaxat facile recuperabilibus. Si quis enim Paulò de tunica litem movisset, dubio procul omni maluisset is, non tunicæ modo sed & pallii quoque jactura, moram illam ac tempus redimere, quod forensi judicio impendendum erat ; ut prædicando Evangelio melius collocaretur. Idem in injuriis sibi contrà jus civitatis Romanæ illatis, quamvis dignitatis ac juris sui non oblitus de eo tamen facilè decessit. At ubi de vitâ periclitandum fuit innocenti ; satis pro Libertate ait : Nemo potest me illis donare ; Cæsarem apello. Ubi quoque notandum Paulum, præsensisse, injustam futuram fuisse Festi sententiam, quam ideò declinat, ne vitæ ipsius jacturâ Judæis gratificari posset. Sed de eo inter nos atque Socinum facilius convenit ; qui & ipse lites permissas censet : verum non aliâ conditione ; nisi periculum omne absit ; pœnæ adversæ parti, sive pro delicto, sive pro lite temere susceptæ, infligendæ. In quo ab eo plurimum dissentimus. Cum enim Christus in hac secunda Legis parte, quæ lites vetare videtur, non illius decessionis de nostro summo jure quod in vindicta exigitur sed perfectioris decessionis de æquo jure nostro, quod in tuenda rerum nostrarum possessione retinetur, rationem habeat ; multoque magis cum pœna à vindicta sejuncta esse possit ; falsum est, non posse nos bona nostra repetere à malæ fidei possessoribus ; aut ab injustis usurpatoribus si periculum sit, ne cum recuperatione rerum nostrarum, aliqua pœna in usurpatores statuatur ; nisi forte sit nimium gravis ; & longè bonum istud quod quærimus, gravitate sua præponderans. Nam id caritatis officio adversum esset. Sed satis est, si nos non animo ulciscendi, bona nostra judicio repetamus ; & si bona ista ejusmodi sint, ut non levi causa impulsi, ad litigandum, descendamus : nec pœna quæ fontes manet Christianæ clementiæ fines transgrediatur. Nam in ultione quidem, ut supra quoque innuimus duo consideranda sunt ; ipsum illud, quod Scholastici vocant Formale ultionis ; quod est animus ulciscendi desiderio ardens ; & ejusdem, quòd dicitur Materiale hoc est Malum pœnæ aut castigationis. Quorum illud propriè vindicta ; hoc, pœna dicitur. Quæ adeò sunt disparata ; ut possit esse vindicta ; absque pœna & pœna absque vindicta. Christus autem qui in interdicto ultionis nostros tantum animos sanat & excolit ; Magistratus autem officium *in pœnis exigendis* non impedit, imo confirmat ; non id intendit, ut injuriæ facienti impune sit, sed ne nos ulciscendi affectus in transversum abripiat. Si igitur nos gravem causam litigandi habeamus, res per injuriam ablatas repetere jure possumus etiam cum pœna aut detrimento auferentis (quæ pœna per accidens tunc susceptæ liti intervenit) dum ista pœna à nobis per impotentiam animi non exigatur, quod Mansuetudini, aut non sit adversario nostro nimium noxia & cum crudelitate conjuncta quod Caritati repugnat.

Atque id non in damnis tantum ; sed in omni graviorum injuriarum genere valere existimamus. Nam quamvis accusare animo ulciscendi, ad explendum vindictæ desiderium, non concedatur : at accusare eo fine licet, ut tibi de securitate prospicias, licet aliqua pœna accusationem consequatur, dum sit moderatâ. Sed si, absque strepitu juris, tibi satis cautum esse in posterum potest condonanda potius quàm persequenda injuria est. Quo & Socinus inclinare videtur dum ait pag. 276. & 277. *Potest fieri ut qui alterius iniquitatem ad Magistratum deferat ; & tamen nullam interim vindictam expetat*, Nisi quod addit, *Nullumque ipsi periculum creet.* quod si de gravioris mali periculo intelligit, nos assentientes habet. Levioris periculi rationem nullam habendam censemus : dum sola vindicta non spectetur.

CAP. VI.

Tertium contra Pacis & belli jura testimonium, ex præcepto Apostoli de Non reddendo malo, nec ulciscendi privatis injuriis Rom. XII. 17. *sumptum refellitur.*

HUjus quam modo examinavimus adversariorum Rationis appendix quædam supererat : quam tamen peculiaris argumenti loco, in hoc capite expendemus.

Rom. XII. 17. *Nemini malum pro malo reddite, procurate honesta in omnium conspectu, si fieri potest, quantum in vobis est ; cum omnibus hominibus in pace viventes. Non vosmetipsos ulciscentes, dilecti, sed date locum Iræ. Scriptum est enim. Meum est ulcisci, ego rependam, dicit Dominus. Itaque si esurit inimicus tuus, ciba eum ; si sitit, da ei potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis congeres in caput ejus. Ne vincitor à malo sed vince bono, malum.*

His verbis ultionem prohiberi nemo negat : Cæterum non omnem sed vitiosam, quæ *vindictæ* aut *ultionis* nomine propriè vocatur, quatenus opponitur Pœnæ. Nam ut dispiciamus de quo vindictæ genere hoc loco sermo sit ; animadvertendum est, quod antèa quoque monuimus, vindictam aliam privatam esse ; proprie sic dictam ; quæ fit ab iis qui jus puniendi non habent : aliam Publicam, quæ improprie vindicta aut ultio dicitur ; cum potius Pœna vocanda sit quæ fit ab iis, qui habent jus puniendi. Quarum illa vel ob id vitiosa & injusta esse solet ; quia jure vindicandi destituitur : Hanc sine vitio & culpa esse, quando quis jure suo utitur, non abutitur, nihil impedit. Et privata quidem vindicta iterum duplex est : alia enim est, ut sic loquar, Immediata ; quando quis per se ipsum proprias injurias ulciscitur : alia Mediata, quando id facit Mediante Magistratu. Quarum illa omninò inexcusabilis & vitiosa est, non uno quidem nomine ; sed &, quia nullo jure fulcitur. Præterea in ejusmodi Privatâ propriarum injuriarum ultione, ob imbecillitatem indolis humanæ, propriis affectibus obnoxiæ ; magnum est periculum ne excedat medicina modum. Ideò Apostolus proprias injurias per se ulcisci vetuit. Alienas quæ publicè vindicantur, nusquam vetuit ; imo paulò post, iis quibus jus atque potestas ejus rei competit, expressè, concessit. in quo adeò nullum est periculum ; ut absque eo remedio, genus humanum in Statu tolerabili durare non possit. Suas etiam publicè vindicari ; quicquid aliundè contrà afferatur, hoc loco, ut mox ostendemus, non prohibuit. Hæc autem, hoc est Mediata ; quia per eos, qui jus vindicandi habent administratur ; aliquando excusari aut admitti potest ; si non per se ac primariò intendatur, sed per accidens actioni in alium bonum & laudabilem aut certe licitum finem intentæ, intervenit. Cujus quidem ex accidenti interventionis, in gratiam illius boni finis qui intenditur, impunitas non haberi, vel ob id licere videtur ; quia hæc jam

non vindicta injusta : sed justa pœna est ; si debite ac legitimè fiat ; & intrà Caritatis prudentiâ temperatæ moderamen, subsistat. Utramque tamen istarum Ultionem, prohibitam facilè concedemus; si, ut diximus, per se ac primario intendatur, quod fit, cum illud potissimum quærimus; ut animum æstu vindictæ flagrantem, & ferventem iracundiâ exsatiemus : quod plærumque accidit in rebus levioribus. Nam cum vitam, incolumitatem defendimus, aut grave damnum evitare contendimus, animo moderato, & ad omnem clementiam, atque ad dandam, si liceat, veniam lædentibus, propenso: licet nobis, citrà Christi præcepti violationem, (quod præcedenti capite ostendimus) hominibus malis, eorumque injuriis tàm per se, quam per Magistratum resistere ; (ut fecit Paulus cum conjuratorum rabiei : cum Festo injustum decretum molienti ; cum accusatorum atque inimicorum suorum furori restitit) etiamsi fortè ejusmodi resistentia, cum non mediocri eorum, quibus resistimus, molestia & ἀνελπίστῳ, imò etiam damno, conjuncta sit. Nam hæc per accidens intervenit, nec ejus ratio habenda est ; cum de gravi aliquo malo effugiendo ; aut maximo bono consequendo laboramus.

Publica rursus vindicta, vel, ut magis proprie loquamur, Pœna ; aut est Mere publica ; quando Superior potestas alienas injurias vindicat, aut Mixta & quodammodò connexa cum privata, quando suas. Utraque non modo sine vitio aut culpa ; sed ex officio injuncta & laudabilis esse solet, quoties jure suo superior potestas non abutitur. Cui enim alienas, eidem suas quoque injurias interdum vindicandi jus, Deus concessit : & sæpè publicis potestatibus illatæ injuriæ, non ipsarum propriæ, sed omnium publicæ injuriæ sunt.

I. Itaque primum de publica vindicta aut punitione hoc loco Apostolus nihil loquitur, cum de ea paulò post initio capitis tertiidecimi, disserat, quam isthic aperte permittit. Indicant hoc verba, *Non vosmetipsos ulciscentes* : sed multo magis proxime subsequentia in cap. XIII. ubi Magistratus Dei minister dicitur ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι vindex in Iram malum facienti. Non potest autem esse actio prava, quam Deus ipse alicujus ministerio, qui modo ipsi per se subordinatus sit, peragit: neque illicitum ministerium, in quo Dei minister, eundem quem & ipse Deus scopum sibi habet propositam. Deinde cum verba Apostoli initio cap. tertiidecimi scripta, cum verbis in fine duodecimi cohærent; appareat eum nondum oblitum eorum, quæ paulo ante dixerat, de Ultione Deo reservatâ, exemplum istius divinæ ultionis ostendere, in pœnis à Deo ministerio magistratus, irrogandis. Possunt igitur Magistratus & superiores potestates, tanquam Dei ministræ, malum pro malo reddere, & ulcisci subditorum injurias. Quod si possunt à subditis malis defendere bonos; possunt & ab alienis vim inferentibus : nisi quod in subditos suos malos, præter jus defensionis, etiam jus punitionis, absque resistendi licentiâ habeant : in vicinos & finitimos hostes; nonnisi jus defensionis, nisi fortè bello subacti sint. Nec alio fine Deus in terris vicarias sibi potestates ordinasse videtur, quam ne quisquam sese privatim ulcisceretur, aut defenderet. Non igitur istud privatæ Ultionis interdictum, ejus functionis usum sustulit, in cujus interdicti gratiam, ut locum habere posset, ipsa functio Magistratus instituta est.

II. Deinde hoc loco, ne illa quidem species ultionis interdicitur, quæ fit à privatis per Magistratum; sed tantum quæ per illos ipsos. Fatemur alio loco puta *Matth.* v. non tàm fortitan ultionem, quàm Resistentiam injuriarum, etiam illam, quæ fit à privatis per Magistratum, vetari: Verum injuriarum non atrocium aut capitalium, sed leviorum damnorum. Fatemur & in atrocibus injuriis repellendis, quantum permittit necessitas, Christianæ caritatis moderamen injungi. Sed hoc loco ipsa verborum series indicat, Apostolum privatam ultionem publicæ, hoc est, proprie dictam vindictam, pœnæ ac supplicio opponere. *Non vosmetipsos ulciscimini*, inquit, *sed date locum Iræ*, seu pœnæ, puta divinæ. Subjicit enim rationem Deum sibi vindictæ, seu pœnæ potestatem reservasse. Et mox paucis interjectis ait, Deum ministerio magistratus vindictam atque iram suam in delinquentes effundere. Porrò in ista oppositione; illam quidem quam primo loco ponit, partem, hoc est, Ultionem privatam, qua quis seipsum ulciscitur, tolli planè ab Apostolo atque prohiberi; alteram autem ipsi oppositam quæ fit per Deum ipsum, qui statim, aut per ministrum ejus Magistratum, qui paulò post commemoratur, quasi in ejus locum substituit, nec usquam hoc loco interdici; sed potius permitti, dum ostenditur primùm modus quidam ultionis permissus, per coacervationem carbonum in caput inimicorum. Et ne quis prætendat; hunc solum modum ultionis permitti; qui fit per immediatam Dei animadversionem sine ullo nostro interventu procuratam; non autem eam quæ fit à Deo mediante magistratus ministerio: subjicitur deinde cap. XIII. 4. Dei ministrum Magistratum esse bonis & innocentibus in bonum. Quomodo autem iis esset in bonum, si nunquam ejus contrà improbos ministerio uti liceret? Nam quod interdictum sit quibusdam in rebus levioribus ejus ope uti; inde non sequitur, nullum ejus usum esse. At si in omnibus planè rebus ejus ope uti non liceret, nullum ejus usum fore concluderetur. Nec enim in hac, de qua locus hic loquitur; reservatione vindictæ par est ratio Dei atque Magistratus. Sed Deum quidem latere nulla injuria potest; etiamsi læsus ad ipsius tribunal non deferat; ita ut Deus, etiam non compellatus, nobis esse possit in bonum. At magistratus, nisi compellatus, nobis esse in bonum nequit. Raro enim admodum fungetur officio suo, si implorare auxilium ejus, præsertim in graviori repellenda injuriâ, nemini liceat. Quod si, etiamsi Christianos non deceat vindictam injuriarum; licet tamen liberationem ab iis precibus à Deo exposcere; quanquam sciamus hanc absque illâ, vix unquam à Deo impetrari & conferri. Multò magis etiamsi Christianis non liceret præteritarum injuriarum ultionem, licet tamen liberationem à futuris per Magistratum procurare ; tametsi constet eam absque pœna præteritarum, præstari vix posse, dum ista pœna non sit nimia, & modum illius boni, quod quærimus, gravitate suâ non excedat. Atque in iis casibus omnibus, in quibus non ultionem præteritarum; sed aversionem futurarum injuriarum quærimus atque intendimus, si quid mali pro præteritis injuriis à Magistratu nocentibus infertur; (quod iterum non temere inculcamus) non jam illicita ultio, sed pœna potius vocanda est, quia non à litigante qui eam non quærit, sed à Magistratu infertur. Ultio autem vera & propriè dicta ideò prava & reprehensione digna est ; quia muliebriter infirmum animum doloris ex præterito malo concepti, repositione titillat ; quæ non serum modo atque inutile, accepti mali remedium est, sed pravam & societati humanæ periculosam, animi impotentiam continet: præcipuè si sola sit, quod in levioribus injuriis, præsertim quoties privata auctoritate vindicantur evenit. Ideo Lege Christi prohibetur.

At in gravioribus injuriis, futuri mali aversio, etiamsi sola sit, tempestiva & utilis; aliquando etiam vehementer necessaria est ; & quamvis sæpe pœnam conjunctam habeat; tamen absque vindictæ impotentia intendi ac perfici potest, & quoties necessitate aut justa causâ extorquetur, culpâ & reprehensione caret ; nec usquam lege Christi prohibetur. Duram enim & invictam in se habet necessitatem, magni alicujus mali imminentis aversio. Quæ plerumque etiam jus (præcipuè summum) transgredi permittit. Quod ipse Socinus adeò agnoscit, ut etiam injustum hominum ab Ecclesia aut

Christianis

Christianis judicibus, ad resarciendam, quam fecit injuriam, non aliàs damnari posse statuat, nisi tum demum, si id *sine ejus magno malo* fieri possit. Vide pag. 288. contra Palæol.

Si Religio Christi ea æquitate utitur erga homines injustos, ut eos ad satisfaciendum lætis pro illatâ injuria aut damno (quo nihil æquius aut justiori necessitate nos obstringens cogitari potest) non adigat, si id sine suo *Magno malo*, facere nequeant: Cur erga homines innocentes adeò iniqua fingatur; ut eos ad non resistendum iis, de quibus Christus nunquam locutus est, injuriis, adigat; quoties ipsis maxima & intoleranda mala imminent, ni resistant? Certe in resistendo atroci alicui malo, nemini, nisi forte volenti: at in damnis datis neque reparatis cum tamen, licet magna cum lædentis molestia, atque pœna reparari possint, maxima semper invitis fit injuria. Quia, *prætendent Christus id expressè mandavit.* Nihil dico quàm falsò id affirmetur. Num satisfacere pro illatis damnis atque injuriis; placare offensos, restituere ablata, non multò expressius mandatum est? Quæ, malum, ista tàm infensa bonis, tàm indulgens sceleratis opinio est; quæ hinc stricta severitate è manibus innocentium tàm necessaria salutis remedia extorqueat; inde laxâ impunitate scelerum sanciat patrocinium? Quid erit præpostero ornatu; capiti calceos, plantis pedum pileum induere; si hoc non est? Sensit hujus opinionis futilitatem, vir summus, Socinus. ideò licet alibi fervore disputationis abreptus; omnem omninò etiam impropriè dictam vindictam; quæ potius pœna vocanda est, oppugnat, tamen ubi ad se redit, ingenuè confitetur Spiritum Christi non omnem vindictam excludere dum pag. 223 ait. Non negabo tamen (verba Christi: *Nescitis cujus Spiritus sitis*) non ad omnem vindictam excludendam, sed ad capitalem pertinere.

Sed ut eò, unde digressi sumus, revertamur: vel ex ipsa antithesi verborum Apostoli, in qua privatam & immediatam, quam ita nominavimus, vindictam, mediatæ quæ fit per eam potestatem cui jus vindictæ competit, opponit; satis constare potest, hoc loco, (quicquid aliunde deduci possit) posterioris generis vindictam, præsertim quoties per se & primariò non spectatur (in quo casu ex vindictæ indole in naturam pœnæ simplicis migrat) non prohiberi.

His ita præmissis, quod ad argumentum adversariorum attinet; illud quadruplici ratione breviter dissolvimus.

I. Primum, quod in bellis & suppliciis tam defensio quam pœna publica perficiatur ab iis qui jus defensionis & punitionis habent; hic autem sermo sit de privata ultione eorum, qui jus vindicandi non habent.

II. Secundo, quod in bellis & suppliciis sit vindicatio, non propriarum & privatarum; sed aut alienarum, aut publicarum injuriarum: hic autem locus duntaxat, de ultione propriarum & privaturam injuriarum loquatur.

III. Tertio, quod bella & supplicia, possint esse sine illa quæ hic sola prohibetur, propriè dictâ & vitiosâ ultione, quæ tàm defensioni quàm pœnæ legitimè sumendæ; magis est impedimento quàm usui.

IV. Quartò. Quòd optimis etiam, nec modo licitis, sed præceptis & injunctis actionibus contingat interdum, ut cum ipsis aliqua ultionis species, complicata esse videatur. Nec tamen istas actiones ex eo æstimandas; quod in iis ex accidenti intervenit, sed quod per se ac primariò intenditur; quod exemplo pudefactionis & objurgationis in Ecclesia illustravimus.

CAP. VII.

Sex alia ex Sacræ Scripturæ contra Pacifi ac belli jura producta testimonia refelluntur.

SEquuntur pauca, quæ pro causa laborante produci præterea solent, testimonia, magis ne unius atque alterius duntaxat S. Scripturæ loci auctoritate nixa videatur, quam quod aliquid virium habeant ad firmandam opinionem adversariorum. Rectè enim à Socino animadversum est in iis, quæ jam expendimus apud Mattheum testimoniis, totam propemodum vim istius disputationis inesse. Ideò cum acris judicii virum puderet infirmorum tibicinum, quibus adversarii causam, suâ mole ruinam minantem, fulciunt; ne dignatus quidem est ea testimonia aut rationes ex professo defendere; quamvis ad pleraque non rectè à Palæologo responsum putaret. Cujus fanè exagitandi occasionem raro aliàs, (& magno quidem ejus merito) prætermissam; tunc, non sine gravi causa omisit. Vide calcem *cap.* VI. *parte* 1. *pag.* 105.

Primus locus *Genes.* IX. 5. 6. *Quinetiam sanguinem vestrum, id est, animarum vestrarum reposcam, ab omni bestia reposcam eum: atque etiam de manu hominis alterius, utpote fratris, reposcam hominis animam. Quisquis effuderit sanguinem hominis, hujus sanguis per hominem effundatur, quia hominem ad effigiem suam fecit Deus.*

Hujus antiquissimæ legis divinæ, optimus interpres est, Deus ipse & usus hominum Deo proximorum. Deus enim in Lege Mosis morali; idem præceptum repetiit, verbis æquè generalibus; sed tamen in Lege ejusdem Politica & forensi, tam bellorum, quàm capitalium suppliciorum modum præscripsit. Quæ in re, hujus præcepti generalitatem, utriusque rei non licentia modò permissa; sed necessitate in certis casibus impositâ, evidentissimè restrinxit. Præterea posterior Legis istius pars, priorem explicat; & verba Dei subsequentia antecedentium generalitatem, evidenter limitant. Sive enim in iis homicidæ sanguinem vicissim effundi præcipit, sive tantum permittit; dupliciter offendit, verba antecedentia non omnem cædem complecti.

Primùm, quia præceptum aut permissio commissæ cædis cæde vindicandæ, manifestè ab interdicto cædis, excipit illam cædem; quæ pro pœna delinquentium, contrà idem interdictum, ex mente Dei infligitur. Deinde, quia ista sive præcepta; sive permissa homicidii pœna, ex mente ipsius Dei, non pro omni cæde patrata exigi potuit; sed tantùm pro cæde innocentium, eaque liberè ac destinatò patrata. In quo mentem suam Deus ipse posteà in Mosis lege disertè explicuit. Jam verò hic videmus omni, quod hic interdicitur homicidio, istam pœnam talionis; sive per legem constitui, aut permitti, sive per comminationem, ut quidam falsò putant, destinari. Quæ cum extendi ad omnem cædem nequeat; planum est hoc interdicto, non omnem omninò cædem prohiberi; quod ad institutum nostrum satis est.

Jure autem diximus, falsò à quibusdam putari Comminationem hic duntaxat; non verò mandatum Dei fuisse, per quod alicui hominum jus necis in fontes traderetur; quasi videlicet ipse Deus sibi homicidii ultionem exciperet, quam per homines quidem, sed non alio modo executurus esset, quàm quomodo scelera hominum per homines sæpe sceleratiores, punire consuevit. In posteriori enim Lege, per Mosem lata, quæ hic fuerit mens Dei, planè nobis innotuit; qui summis potestatibus, Rempub. gubernantibus, non modo defensionem bellicam in casu

neceſſitatis permiſit ; ſed ut aliorum criminum ; ita præcipuè homicidii capitalem pœnam ; ab homicidis reposcendam injunxit, eâ ſeveritate, ut neceſſitatem quandam puniendi impoſuerit, dum terram expiari non poſſe, niſi ſanguine homicidæ fuſo, oſtendit. Quam mentem etiam ſub Evangelio non mutatam Caput tertium decimum epiſtolæ ad Romanos oſtendit ; ubi Magiſtratus non modo terrore coërcens ſed etiam acie gladii maleficos ulciſcens ; in hac ipſa functione intra exiguum verborum ambitum ; ter expreſſe Miniſter Dei vocatur : ut nullum dubium eſſe queat, etiam ſub Novo Fœdere, Deum ipſum per Magiſtratum tanquam ſuum miniſtrum ; ipſique non per accidens, ut ajunt, ſed per ſe ac directe ſubſervientem ; de hominibus ſceleratis, præſertim homicidis, ſupplicium ſumere. Idem & cap. quintum Matthæi oſtendit ; ubi Chriſtus Legis Moſaicæ imperfectiones perficiens atque defectus adimplens, ſatis expreſſa mentione facta juris Magiſtratuum in plectendis homicidiis, dum ait *Quiſquis autem occiderit, obnoxius erit judicio*, puta capitali ; adeò nihil de hoc jure detrahit ; nihilque de pœnæ ſeveritate remittit ; ut ejus ſeveritatis exemplo, pœnam in longè leviora & ſubtiliora iſtius generis delicta, ſtatuat : legiſque vim per extenſionem ad ea, licet non eodem pœnæ genere, non minus tamen metuendo, puniendi, augeat & intendat.

Uſus etiam Sanctorum & Deo placentium hominum etiam ante Legem Moſis ; & Abraami atque Moſis auctoritas, Legis hujus mentem ſatis evidenter explicat. Quorum cum neuter ignoraret Legem poſt Diluvium latam : tamen ille contra quatuor Reges, hic contra Amalechitas bellum ſuſcepit. Nec eo nomine Abraamus aut à Deo ; aut à Sacerdote ejus Melchiſedeco, reprehenſus eſt ; imò benedictionem accepit ; nec invitum ſed gratulantem, Sanctum illum virum, Victoriæ ſpoliorum participem fecit.

Uſum etiam capitalium ſuppliciorum ante Moſis legem etiam apud eos qui ad populum Dei pertinebant fuiſſe locus *Geneſ.* XXXVIII. 14. indicat.

Denique lege quæ Noæ poſteris lata eſt ; tota Patriarchæ hujus poſteritas, id eſt, omnium gentium homines tenebantur. Quod ſi peculiari privilegio Hebrææ genti dato, de bellorum ac pœnarum capitalium licentiâ, legis hujus generalitas duntaxat apud unum iſtum populum, reſtricta eſt ; (ut ſentire adverſarii videntur) graviter contra Legem reliquæ omnes gentes in bellis & judiciis publicis delinquebant. Sed ubi, quæſo, Deus ejuſmodi hujus Legis tranſgreſſionem, iſtis gentibus objectavit, cum tamen tot ob diverſorum generum delicta pœnas per Prophetas comminatus eſſet ? Et quæ probabilitas eſt, Deum leges & inſtituta, quæ in populo ſuo ipſe ultrò ſanxerat ; in aliis populis improbaſſe ? Quod ſi exhibito apud populum ſuum tàm illuſtri mentis ac voluntatis ſuæ teſtimonio ; iſta inſtituta Deus improbare non poterat ; neceſſe eſt omninò illa, hujus Legis ab ipſo latæ menti non repugnaſſe. Plura eodem ſpectantia videantur apud ſummum virum Grotium l. 1. de Jure Pacis ac belli c. 2. parag. 5.

II. Locus. *Eſaiæ* XI. 4.

Videantur verba ipſa loco citato.

Vaticinium Eſaiæ de gladiis in ligones, lanceis in falces contundendis, deque non capiendis in mutuam perniciem armis ; aut de Pace impropriè dicta ſeu Spirituali, aut de propriè dicta intelligendum eſt. Priori modo intellectum jam impletum eſt. Coloſſ. 1. 20. 21.

Sed ejuſmodi pax ſpiritualis jus bellorum adverſus homines injuſtos & violentos tollere non poteſt ; nec ad rem propoſitam ſervit.

Poſteriori modo intellectum, tum demum implebitur, cum nemo erit, qui alteri nocere ; aut innocenti vim inferre velit ; hoc eſt, cum, ut philoſophus ait, regnante ubique juſtitia ; fortitudini locus non erit. Nam nondum impletum eſſe, nemo eſt tam iniquus aut rerum inſcius, qui non agnoſcere cogatur. Quamvis autem fateamur Chriſti doctrinæ eam vim eſſe ; ut ad ejuſmodi juſtitiæ ſanctitatem totum humanum genus componere poſſit ; atque contendat ; nec diffitemur id aliquando, præſertim conſtricto & in carcerem compacto Satana, & pulſis ex orbe epidemicæ caliginis tenebris, ſuo quodam modo eventurum : Tamen id nec dum eveniſſe res ipſa oſtendit ; & antequam eveniat Chriſtianos Magiſtratus per hoc vaticinium obſtringi ut, potius ſub nomine Pacis ſervitutem ſubeant omni bello triſtiorem ; quæ non in vitam tantum, & quæ in terris vitâ cariora cenſentur, conjugum & liberorum pudicitiam ; ſed in ipſam conſcientiarum libertatem graſſetur ; quàm, cum legitimè poſſint, ſuo in defenſione jure utantur ; nulla probabili ratione concludi poteſt. Magnam enim & optandam felicitatem nobis hæc verba prophetæ pollicentur. Atqui talis hujus loci explicatio ; calamitoſam & abominabilem Eccleſiæ faciem non modo in eo rerum ſtatu fore oſtendit ; ſed etiam eò tendit, ut in tàm triſti ſtatu Eccleſia perpetuò permaneat. Proinde vel in iſtius ipſius tam optabilis vaticinii gratiam, unà cum annexâ ſibi opinione explodenda eſt.

III. Locus 2. Cor. X. 3.

Quanquam in carne ambulantes, nequaquam carnis bella gerimus. Nam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia ; ſed divinitus valida, ad deſtructionem munitionum &c.

Loci hujus ſubjecta materia, non eſt generale jus Pacis aut belli, ſed ſpecialis conditio perſonæ Pauli ; qui cum ob res externas quæ in oculos hominum incurrebant, contemneretur, ſeſe à contemptu vindicat, oſtentans adverſariis ſuis arma ſua ſpiritualia, quæ contemnere non poſſent ; quòd eſſent invicta ; & quibus reſiſtere nulla rebellium Apoſtolatui ſuo munitio poſſet. Sed quid hoc ad propoſitum facit ? Num quiſquam eſt, qui neget ; quemadmodum in genere omnibus Chriſtianis ad ſpirituale bellum, ſpiritualia arma ; ita peculiariter Apoſtolis, præſertim Paulo, ad expugnandos refractarios divinitus ſuppeditata validiſſimæ poteſtatis præſidia ? Quemadmodum ex eo quod homo habeat Spiritum, quem paſcere cibis ſpiritualibus debeat, mendoſè concluderetur, eum cibis carnalibus corpus ſuum, paſcere non debere : ita inde quod ipſi ad ſpiritualem pugnam non deſint arma ſpiritualia, non ſequitur illum carnali violentiæ carnalia arma opponere non poſſe. Non enim plus Spiritualia arma ad vitæ & incolumitatis defenſionem, quàm carnalia ad ſpiritualem victoriam conferunt, nec defectum carnalium ſupplere ſpiritualia queunt. Sæpe autem nobis vitâ prius, quàm contra peccatum victoriâ opus eſt ; quamvis peccati victoria ipſa per ſe ſit, vita præſenti pretioſior ; cum æternam pariat. Sed quia non in momento perficitur, vitâ præſenti, ad debellandum hoſtem ſpiritualem frequenter opus habet.

IV. locus *Epheſ.* VI. 12.

Induite univerſam illam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus artes Diaboli, quia non eſt vobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, ſed adverſus imperia &c.

Ex hoc loco Socinus ita argumentatur. *Pauli verba jam quod Deus hac in re Perpetuò fieri à Chriſtianis velit, oſtendunt & omninò cum hominibus bella gerenda non eſſe declarant, cum diſertè dicant nobis cum ſanguine & carne pugnam non eſſe.* Vide pag. 84. lib. adverſus Palæolog.

Atque hic locus illuſtre documentum præbet, quæſtionem

quæstionem hanc summo viro, non satis meditatam fuisse; simulque patronis hujus causæ non esse abundantem Sacræ Scripturæ testimoniorum pro suâ opinione copiam; qui ad ejusmodi argumenta confugere necesse habeant. Proinde dabunt veniam qui in hac materia sic argumentantur; quod in ea, ipsorum non possit esse apud nos gravis auctoritas.

I. Primum enim non de omni certamine hoc loco Apostolus loquitur; sed tantum de spirituali; nec id intendit ut nos doceat, qualia certamina vitare debeamus, cum ea de re altissimum hic silentium sit: sed quoties hujus generis pugna, de qua loquitur, ingruit, qualia arma hostibus opponere debeamus. Non sequitur autem ex eo, quod spiritualibus hostibus, spiritualia arma opponere doceamur; eo ipso nobis prohiberi; ne carnalibus hostibus carnalia arma opponamus. Imò ex ipsa rei analogia contrarium sequitur. Si enim contrà Spirituales hostes, carnalia arma non sunt adhibenda sed spiritualia, certè adversus carnales spiritualia arma non sunt capienda, sed carnalia; cum utrobique nihil prosint arma, contra hostes ab armis toto genere discrepantes. Denique contra deductam ex hoc loco consequentiam sic argumentamur. Si nunc ideò, quod oporteat contra spirituales hostes; spiritualibus armis uti; carnalibus armis contra carnales hostes uti non licet: certè ideò quia quondam Judæos contrà carnales hostes, carnalibus armis uti oportuit, iisdem tunc spiritualibus armis contra spirituales hostes uti non licuit. Atqui hoc insulsum est & absurdum. E. &c illud.

II. Denique ut iniquitas hujus deductionis tantò evidentius pateat, animadvertendum est, Apostolum hic ne de universo quidem spiritualis Christianorum luctæ certamine loqui: sed tantum de eo, quod est cum Diabolo. Nam Christianis etiam quà Christiani sunt, hoc est, in spirituali bello; aliquando res est cum carne & sanguine; quoties aut cum propria carne, ejusque concupiscentiis, aut cum hominibus hujus Mundi spiritualiter luctantur. Hinc apparet in verbis *Non est nobis lucta cum carne & sanguine*, non id ostendi, quod Socinus ait, *quid Deus hac in re perpetuò fieri velit*: sed tantum id, quid aliquando accidat, quoties cum Diabolo congredimur; neque hæc verba vim præcepti aut interdicti, sed præmonitionis habere. Non enim hic nobis lucta contrà carnem & sanguinem etiam in spirituali certamine, interdicitur: quanto minùs in carnali? Nam si Christiani, qua Christiani sunt; possunt pugnare cum carne & sanguine: multò magis quâ homines.

V.

In verbis Jacobi IV. 1. & seq. non de publicis bellis, sed de privatis dissensionibus atque inimicitiis verba fieri planum est. Neque enim ii, ad quos scribit Jacobus, jus Majestatis aut suscipiendorum bellorum habebant. Et cujuscunque generis illa fuerint, non tam ipsa bella ibi hic, quam causæ bellorum reprehenduntur. Quod ad propositam quæstionem nihil facit; cum etiam optimarum rerum; quemadmodum abusus; ita improbæ causæ, esse possint.

VI.

Jam quod Petro dictum; in Apocalypsi, cum de patientiâ persecutionum sermo est, repetitur, *Qui gladio ferit, gladio peribit;* nihil contrà publica Pacis ac bellorum jura militat. Imo verò jus & potestatem Magistratuum, confirmat, quorum etiam manifestæ iniquitati resisti, utrobique prohibet; cum à Deo gladio armati sint; quo resistentes, ex ordinatione Dei, jure coercere possunt; nec adversus eos Deus ullo religionis prætextu, arma capere permiserit, sed eos timeri præceperit, quod non frustrà gladium gestent. Non esse autem hoc generale divinæ Legis interdictum, de armis prorsus non capiendis; vel illud documento esse potest: quod Deus per Christum Legis suæ transgressoribus, non humana & carnalia; qualia etiam homines & Magistratus sumere possunt; sed divina & spiritualia supplicia comminari soleat. Præterea cum Christus exemplo mortis suæ, ad martyriorum patientiam, quæ ejus doctrinam ac religionem maximè omnium confirmavit & propagavit, signum omnibus sustulerit; quemadmodum in primo illo Christi ipsius certamine; ita in aliorum martyrum fide & patientia, locum habuit illa proverbialis locutio; Qui gladium acceperit, gladio peribit, Quasi Christus Petro dicere voluisset.

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget. ——

Non enim gladio, quali armorum genere terrena & peritura constituuntur imperia, sed fuso proprio sanguine & patientia; quali armorum genere constituebatur cæleste & æternum Regnum ejus, tunc opus fuerat. Nam belli carnalis incertus & sæpe bellatori funestus est successus: & ut optimè succedat; gladio parta, gladio pereunt: atque ipsi victores, commun rerum vicissitudine, iisdem, quibus alios affecere, cladibus occumbunt. Sed spiritualis pugnæ ritè commissæ, non potest nisi prosper esse eventus; quique periclitantem bellatorem perire non sinat; & quemadmodum ipsum Spiritualiter cælesti modo partum imperium æternum manebit; ita hoc modo partam victoriam, nulla rerum vicissitudo victoribus eripiet. Præter hæc videatur Grotius l. 1. de jure Pac. ac belli capitis 2. parag. 8. & capitis 3. parag. 3.

CAP. VIII.

Ad argumenta adversariorum contra Pacis ac belli jura, ex humani ingenii penu deprompta desecuditur: quorum serie propositâ, ad primum eorum genus acceditur.

HUcusque Sacrarum literarum testimonia examinavimus; quibus adversariorum opinio, tanquam præcipuis fulcris inniti, prætenditur. Quæ quàm & oppidò pauca, & parum solidè ad ἀναπόδειξιν concludentia, & pleraque omnia nihil ad propositam materiam pertinentia, reperiantur, consideratu dignum est. Nam præter illa, quæ ex unicâ Matthæi Evangelii pagellâ adducuntur; quæ tamen quantum virium habeant, perpendimus: cætera omnia nihil habent, quod respondentis industriam vel levissime exercere possit. Quod & Socinum agnovisse suprà monuimus. Unde minari subit, cur adversarii, cum adversus recepta antiquitùs & omnium divinarum humanarumque legum consensu firmata, pacis ac belli jura; non modo expressæ Legis interdictum, non haberent, sed ne probabili quidem consequentiâ ex verbis aliquibus Legis Christi, quicquam solidi concludere possent, nihilominùs absi fuerint, non modo fundamenta Rerumpublicarum, non sine manifesta humani generis pernicie moliri ac subruere: sed etiam ordinationes Dei, liquidissimis novi fœderis testimoniis subnixas, convellere, & cum sanctissimis Christi legibus committere. Nec aliam tanti ausus fiduciam deprehendimus; præter speciosas quasdam, quæ bonis viris imposuerunt, ratiunculas; magis ex eorum ingenii, quam Sacræ Scripturæ, penu depromptas. Quas etsi perpendere non refragamur, tamen antequam id aggrediamur, monendum paucis Lectorem putamus. Primùm subrutis eorum, quæ disertis Sacræ Scripturæ verbis

fulciri putabantur, subſtructionibus, jam totam cauſam concidiſſe. Non enim tot jurium atque legum, etiam divinarum, auctoritati aliud, præter Legum Chriſti auctoritatem opponere poterant. Quem clypeum cum illis eripuerimus, quas citrà expreſſa Sacræ Scripturæ verba commiſcantur rationes, nihil morari, poſſemus. Deinde illud in memoriam revocamus, quod ſuprà quoque monueramus; cum inter nos magis de facto, quam de jure quæſtio ſit, hoc eſt, cum non id quæramus quid, Chriſtus, poſt oblatam nobis vitæ æternæ ſpem, à nobis jure exigere potuerit; ſed quid reipſâ exegerit, atque præceperit; teſtimonio hic non ratiocinatione opus fuiſſe. Quod cum nullum producere potuerint; vereor ut ratiocinationes eorum Statum quæſtionis bona fide tueri poſſint, nec à propoſita quæſtione Facti, ad impertinentem juris controverſiam, deflectant. Quicquid futurum ſit, illud unum præcavemus, neco, unde jam egreſſi ſumus, regrediantur; neve id pro conceſſo ſumere auſint; quod optima fide refutavimus. Denique, cum nunc non Scripturæ teſtimonia, ſed humanorum ingeniorum commenta excutere aggrediamur; tantò facilius nos à cordatis Lectoribus, impetrare, ut præjudicia deponant, æquum arbitramur.

Argumenta adverſariorum, quæ non tàm è Scripturis, quam ex humani ingenii penu depromi diximus, aut ex Ratione nondum verbo Dei illuſtrata; aut ex eadem jam Gratiæ lumine perfuſa deducuntur. Poſterioris generis ſunt, quæ aut ex generali totius religionis analogiâ: aut ex occaſione ſpecialis alicujus præcepti, aut exempli, ſumuntur. Quæ analogiam Religionis ſpectant, aut ad promiſſorum, aut ad præceptorum perfectionem; aut ad ſpiritualis gubernationis modum referuntur. Promiſſorum novi fœderis præſtantia, videtur illam omnem neceſſitatem adimere, quæ ſola effuſionem ſanguinis humani excuſare poteſt. Præceptorum etiam perfectio in genere conſiderata, aut ſingulorum ſanctimoniam & innocentiam; atque adeò modeſtiam & humilitatem: aut communem, quæ in tota ſocietate regnare debet, Juſtitiam & Caritatem reſpicit. Utraque autem à fundendo ſanguine aliena cenſetur. Quod ſi quis belli gerendi aut Coactivæ poteſtatis moderationem cum Chriſtiana perfectione conciliare velit, non datur hùc uſque, ac ne dari quidem in poſterum poterit exemplum tàm piæ ac fortunatæ Reipublicæ. Porrò gubernationis Eccleſiæ divinus ac cæleſtis modus; terrenum ac prophanum excludere videtur. Specialia verò præcepta quædam de cura neceſſariarum rerum in Deum projicienda; de divinæ opis, defenſionem humanam reſpuente fiduciâ: de orando pro inimicis & hominibus ſceleratiſſimis: de remiſſione delictorum à Chriſto in infinitum productâ; omnem erga ſontes ſeveritatem tollere videntur. Exemplum Davidis, effuſo ſanguine polluti, atque ideò ab ædificatione templi repulſi; ab eâ quæ Deo probatur perfectione, omnem ſanguinis effuſionem ſubmoveret cenſetur. Exemplum quoque manſuetudinis, patientiæ, humilitatis Agni, pro nobis immolati; atque ejuſdem in Judæis non per Chriſtianos ſed per Romanos puniendis Factum; ad damnanda bellorum ac ſuppliciorum jura adducitur: quemadmodum & Chriſtianorum primi ævi exempla & auctoritates.

Has omnes adverſariorum rationes, eo, quo deſignavimus, ordine perſequemur.

Ac primum citrà omnem religionis reſpectum; ipſonaturæ atque humanitatis inſtinctu, Ratio ſana manu effuſo ſanguine inquinatas & fœdum carnificinæ ſpectaculum damnat & abominatur; idque belluinæ potiùs feritati; quàm hominis dignitati conſentaneum eſſe agnoſcit: imo belluinam quoque feritatem ſuperare; quotiès tot hominum millia utrinque magnis ſumptibus & difficultatibus exhauſtis congregantur, non alio operæ pretio; niſi ut ſe mutuò, tanquam devotas cerriſſimæ peſti victimas macient ac jugulent.

Neque hic lupis mos, nec fuit Leonibus
Unquam, niſi in diſpar genus.

Quaſi ulla fingi poſſit miſeria aut ſervitus, quam non ſubiiri præſtet, quàm adeò crudeli & ſanguinolenta ſævitia propulſari.

Hæc ità conſiderari, & Factum hoc tàm invenuſta ſpecie menti noſtræ repræſentari poſſe fatemur; ſi nudum & cauſis atque circumſtantiis ſuis non veſtitum proponatur. Sed meminiſſe par eſt, multùm trahere ex ipſo veneno, omne veneni antidotum: nec unam eſſe hanc actionem; quæ ſola neceſſitate, non excuſari tantum poſſit, ſed & commendari debeat. Belluina corporum commixtio, ſi nuda, & ſine pudoris velamine, in ſeipſâ ſpectanda, in ſcenam protrahatur; non minùs abſurda & homine indigna videtur, quàm cædes aut effuſio ſanguinis, ſive ea à ſingulis; ſive à pluribus in ſe invicem coortis, patretur. Et tamen neceſſitas mortalitatis noſtræ; atque humani generis utilitas ipſam quoque Rationem, tàm obſcænæ ac pudendæ actioni conciliat. Nec rationem; tantam ſed ipſius perfectiſſimæ Legis Chriſti ſuffragium & approbationem; & quidem tàm ſeriam, ut contraria doctrina, dæmoniorum doctrina vocetur. Quemadmodum autem mortalitatis ſingulorum, & humani generis internecionis, remedium eſt licita Venus; ita injuſtitiæ in ſocietate viventium antidotum eſt Pacis bellique gladius. Non minus autem gravis & juſta neceſſitas; nec minor utilitas in eo defenſionis officio cernitur, quod is ſocietati mortalium præſtat, ut non mirum ſit inſtinctu & ordinatione; atque ipſa non ſcripta ſed natâ nobiſcum lege Dei, uſum illius, quemadmodum primitus introductum; & poſteâ clariſſima voluntatis divinæ declaratione appobatum: ita nunc quoque ſub Novo fœdere, ubicunque humanarum legum & poteſtatum ſupereminentium obſequium ſtabilitur; confirmatum fuiſſe. Nec enim Deus nuda tantùm conniventia, aut tacita conceſſione, populo ſuo bella permiſit; ſed ipſe ultrò in conſtituenda ejus Republica, quomodo capitalium ſuppliciorum, ita & belli leges præſcripſit. Sed quemadmodum officia matrimonii ſummo cum pudore & caſtimonia; ita bella atque ſupplicia, ſummo cum dolore & clementia peragenda ſunt. Quod autem dicitur belluinæ feritati magis, quàm humanitati congruam eſſe humani ſanguinis effuſionem, oratorius color eſt; cum quidam homines reperiantur, adeo humanitatis expertes, ut omni belluâ mactari ſint digniores. Multoque magis quod additur in bellis publice gerendis belluas ab homine crudelitate ſuperari. Non enim crudelitatis hæc, ſed rationis atque ingenii excellentia eſt, quæ in idoneis repellendæ violentiæ inventionibus cernitur; ad quas belluæ, quod captum ipſarum ſuperent, aſpirare nequeunt. Nam quod poſtremo additur, nullum miſeriæ genus fingi poſſe; quod non ſubiiri potius, quam cruentis armis dimicemus præſtet; falſiſſimum eſt; cum unius brevis momenti miſeriâ; ſæpe longæ pacis ac libertatis felicitas; & paucorum occumbentium ſanguine; univerſarum gentium Salus & incolumitas redimatur.

CAP.

CAP. IX.

Argumenta adversariorum contrà Paeti ac belli jura, ex Analogia Religionis Christianæ, juxta promissionum suarum præstantiam, consideratæ desumpta diluuntur.

NUnc ad ea argumenta accedamus, quæ Ratio ex accenso Gratiæ lumine mutuari videtur. Inter quæ prima sunto; quæ ex Religionis nostræ analogia: atque in iis ipsis præcedant, quæ ex promissionum ejus perfectione ac præstantia deducuntur.

Primum igitur ex iis apud Socinum pag. 89. occurrit.

Cum hominibus Christianis nullam terrenam possessionem Deus assignaverit, sed eos terrâ prorsus posthabitâ, cælum inquirere jusserit; quid causæ est cur contrà suum ipsius expressum, & antiquissimum humani sanguinis non fundendi mandatum Christianis bella gerere, & homines occidere permittat?

Antequam vim & jugulum argumenti hujus aggrediamur, illud prius excutiendum est, an ad terrenarum possessionum retentionem aut defensionem; qualis in bellis aut litibus accidere solet, inhibendam, aliquam vim habeat, id, quod à Deo Christianis, eo modo quo olim Judæis fuerant, assignatæ non sint. Videtur enim Socinus per ejusmodi ratiocinationem, jus omnium possessionum, quæ eo modo à Deo assignatæ non sunt, in dubium vocare velle: Quod si facit; pari æquitate ac successu facit; ac si quis olim Christi & Pauli tempore, cæterarum præter judaicam Rerumpublicarum Regimen & jus in iis supereminentium potestatum in dubium vocare vellet, eò quòd à Deo per Mosen instituta non fuisset. Quasi omnes reliquæ potestates, illa invisibili, quam in mundi administratione adhibet, gubernandi ratione à Deo ordinatæ, non essent; æque ut illa summi imperii potestas, quæ in Repub. Hebræa; visibili & miraculoso modo, ordinata est. Cui verò genti aut Reipub. Deus per Prophetas injustæ possessionis terrarum suarum litem movit unquam? Ipsis Cananæis & Amorrhæis, quanquam etiam insontibus jure absolutæ potestatis terræ illorum hæreditatem adimere posset; non ademit nisi postquam impleta est iniquitas eorum, expectans nimirum tempus donec illo qualicunque jure suo excideret. Nunc verò Magistratu & Rerumpublicarum jure approbato, eadem opera; quemadmodum publicæ omnium leges atque institutæ, ita & privatæ singulorum possessiones & hæreditates, earumque retentio, defensio & vindicatio; approbata censentur. Alias hodie ut furtis, rapinis, & alienarum rerum concupiscentiæ, ita horum flagitiorum Coërctioni & cohibitioni locus nullus erit: si quæ Deus nobis peculiariter non promisit, aut visibiliter non tradidit; aut non nostra, aut non ita pleno jure nostra censenda sunt: ut à nobis invitis Raptoribus, retineri aut defendi; aut vindicari possint. Quapropter ad hoc, ut aliquis populus hodie patriam suam bello jure defendere posset: nihil opus fuit ut ipsi Deus terram aliquam peculiarem, præ aliis gentibus attribueret; quod olim fecit cum Cananæam regionem Hebræis assignavit. Quicquid enim singulis gentibus nascendi sorte; aut alio aliquo jure obtigit; id nutu & voluntate Dei, Mundum providentia sua gubernantis, cuilibet genti aut Reipub. assignatum censendum est; nec deteriori jure possideri; quàm quod olim ab Hebræis Cananæorum victoribus possessum est. Nec ideò olim Deus Abraami posteris Cananæam regionem peculiari ratione largitus est, quod absque istiusmodi visibili, & extraordinaria Dei gratia, sortem aliquam terrarum, ut aliis quoque gentes, pleno jure possidere non possent. Sed quia eos in gratiam Abraami præ aliis gentibus meliori sorte beare constituerat: præsertim cum tunc, peculiarem sibi terrarum hæreditatem nullam haberent, & occupatis jam circumquaque melioris soli regionibus, absque extraordinaria Dei ope; quærere novas sedes atque violenter occupare, neque possint, neque deberent. Ideò jam olim delectu terrarum facto, fidem promissi sui exolvens lautiorem & opimiorem regionem iis attribuit; dejectis etiam possessione ejus priscis possessoribus, quò absolutius jus & manifestior potestas ejus in humanum genus; simulque erga peculiarem sibi populum insignior beneficentia eluceseret. Quemadmodum igitur, nisi interveniisset illa visibilis & extraordinaria, in delectu melioris regionis Dei gratia; etiam ex invisibili & ordinaria Dei, quam circà alios quoque omnes populos exerit mundi gubernatione, juxtà quam suas singulis gentibus sedes attribuit: Hebræus populus, plenum jus possessionis alicujus terræ, à majoribus suis occupatæ habere potuisset; ita multò magis rerum possessarum defensionis. Quod vel ex suprà producto Abraami exemplo patet, cui, quamvis nondum jus possessionis illius terræ, plane competeret, non dico suas, sed alienas quoque possessiones bello defendere licuit, nec eo nomine à Deo aut ejus Sacerdote reprehensus; sed quodammodo in exhibito gratulationis officio, laudatus est. Proinde & nunc absque istiusmodi visibili & extraordinaria Dei munificentia; ex ipso ejus ordinario & cum cæteris gentibus communi beneficio, habent singuli populi; etiam Christiani, naturale jus ad hæreditates & Statuum suorum patrimonia non modo tranquillè possidenda; sed etiam jure gladii gubernanda & in casu necessitatis, armorum bellique lege, defendenda.

Nunc ad ipsum argumenti jugulum accedamus: Cujus vis ut planius percipi possit, redactum in formam syllogismi, articulatim expendemus. *Quibus à Deo nulla terrena possessio assignata; sed terra prorsus posthabita cælum inquirere jussi sunt, iis bello & suppliciis in quibus sanguis funditur interdictum est. Christianis &c. à Deo nulla terrena poss. &c. Ergo Christianis bello & capitalibus suppliciis interdictum est.*

Ante omnia si qua hic ambiguitas occurrit, distinguenda est, quales hic reperiuntur duæ. Prima in verbis *à Deo assignata*. Quibus nisi addatur *visibiliter & extraordinariè*; assumptio quoad istam partem falsissima est, quia invisibili & ordinario, divinæ in mundo gubernationis modo, non minùs singulis Christianorum populis, quàm aliis gentibus, sua patria, suæ sedes, suæ possessiones, assignatæ sunt. Addita verò hac limitatione, major est falsissima. Nam ut non deteriori jure ea possidentur, quæ Deus ordinariâ & invisibili gubernatione hominibus tradidit, quam quæ visibili: ita nec deteriori jure defenduntur.

Altera ambiguitas est in verbis *terrâ prorsus posthabita, cælum inquirere jussi sunt*. Quæ aut ita præcisè intelliguntur, ut sonant; quòd Deus omnibus plane terrenis curis, utpote nunc omninò illicitis (cælestibus in earum locum substitutis) populo suo interdixerit; aut rationabili moderatione explicanda sunt, videlicet, quod Deus in curis terrenarum nimia sollicitudine, quæ solis cælestibus curis impendenda est, multoque magis tali; quæ cælestibus curis adversetur, populo suo interdixerit. Priori sensu si intelligantur, Majoris consequentia firma est; sed assumpti usus laborat. Certum enim est, si Deus terrenis curis hominibus prorsus interdixit, substitu-

tis in earum locum cælestibus, bello & Magistratu Christianis, sed & multis aliis quas adversarii licitas putant, rebus planè esse interdictum. Cæterum Deus nusquam in Novo fœdere populo suo terrenis curis plane interdixit (quod fieri non poterat dum in terris esset vivendum) Imo vero laborare & si commodior vivendi ratio non suppetat, manibus victum quærere quod fecerunt & præceperunt Apostoli, pars terrenæ curæ est. Sed interdixit nimiis atque superfluis, & si quæ aliæ reperiuntur, quæ curam & quæsitionem Regni Dei & justitiæ ejus impediunt aut plane tollunt. Ideò dicit Christus, *Quærite primùm Regnum Dei*, quod posteriori loco & ordine etiam cæteras quærere liceat, dum hæc posterior Cura, priori non obstet, nec cum illa concurrat, sed ipsi potius subserviat ac ministret: & à Dei potius ea se adjecturum promittentis gratiâ; quàm à laborum susceptorum fiduciâ dependeat. Nec enim semper terra cælo adversatur: sed sicubi id contingat, cæli quàm terræ potiorem rationem habendam, nobis injunctum est. Non igitur terra prorsus deserenda, quod fieri nequit, sed tunc tantum quando cælestibus curis terrenæ plane obstant aut nimium obstrepunt easque suffocant. Dixi nimias & superfluas circa terrena curas cælestibus adversari; si iis plurimùm studii impendatur, & totus animus adjungatur. Distractus enim nimiùm animus rebus non necessariis, vix vacare necessariis potest. Atqui respectu terrenarum, cælestes meritò necessariæ vocari possunt. Sed & inter ipsas terrenas curas, superfluæ & non necessariæ, non temere consectandæ sunt. Necessitas autem hæc, quamvis cibo & potu ab Apostolo definiri videatur; paulò latius porrigenda est. Etenim 1. *Tim.* VI. 8. Apostolus avaritiæ immoderatas cupiditates coarguens, Cibi & amictus quæ maximè omnium, omnibus in commune hominibus, necessaria esse apparent, nomine per Synecdochen aut Complexionem quam vocant omnia reliqua necessaria, quibus etiam singuli indigent, intelligit: quemadmodum *Rom.* XIII. gladii nomine omnem Coactivam potestatem & coercitionem. Nam & tectum ac focus, in regionibus algidis & libri eruditis, & instrumenta artificibus; & currus aut jumenta iter facientibus, naves navigantibus; pharmaca medicis & innumera alia quibusdam hominibus non minus necessaria sunt; quam omnibus in communi cibus & amictus. Sed & quædam non planè necessaria, si commoditatem aliquam in se habeant; consectari possumus dum id fiat sine potiorum curarum periculo aut detrimento; qualis est libertas servientibus, lautior fortuna egenis optabilis: & si qua sunt similia, non ità hominibus necessaria; quin absque iis licet incommodè vivere, & salvi esse possint. Jam verò legitima gubernatio & securitas Reipub. tanquam bonum publicum societatis humanæ non minus publicè omnibus civibus necessaria est; quam privatim singulis cibus, potus, & amictus. Proinde si cibi & amictus cura (nisi in ea aliquid culpæ vitio hominum interveniat) nullo modo reprehendenda est; multò minùs reprehendenda Cura Reipublicæ, quæ in duplicis gladii usu occupatur.

Falsum est igitur assumptum priori quem supra diximus sensu explicatum. Sin verba Socini posteriori sensu explicentur; ut in rebus terrenis tantum nimias aut injustas & cælestibus adversantes curas excludant; verissima quidem est assumptio: sed majoris consequentia nulla est. Neque enim ex eo, quod nimium aut certe magis quam cælestibus distringi terrenis curis prohibitum est sequitur, Necessarias terrenorum curas prohibitas. Nisi forte cælestibus planè obstent; quod fit, quando transgressionem aliquam mandatorum Dei continent. Vidit Socinus consequentiam hanc absque isto statumine titubare; ideoque eam hoc tibicine fulciendam putavit. Atque sic institutam argumentationem suam cum alia diversi generis commiscuit: quæ sola seorsim (si modo id quod pro concesso sumit verum esset) ad evincendum, quod volebat, sufficere poterat. Quis enim neget id quod expresso & antiquissimo Dei mandato prohibitum est, nisi posteriori Lege remissum sit, Christianis non licere?

Verumenimverò, primùm, hoc illud est, quod initio meritò postulavimus ne adversariis liceret eò regredi; unde egressi sumus; aut sumere pro concessis quæ sunt refutata. Deinde quis ipsi concesserit expresso illo & antiquissimo Dei mandato; quod Noacho dedit (neque enim aliud hoc loco intelligere potest) omnem omninò sanguinis profusionem prohibitam sine cujus licentia bella & supplicia constare nequeunt: cùm in eo ipso mandato, homicidarum sanguinem fundendum esse; aut præcipiatur aut permittatur, quod alibi ostensum est. Ad arcendam violentiam atque injustitiam quæ plerumque in cædem atque effusionem sanguinis desinit; legitimos hominum cœtus, per legem naturæ & rectæ rationis, in cordibus hominum scriptam, ex mente & consilio Dei institutos hic ipse locus *Genes.* IX. demonstrat, in quo homini in hominem jus necis permittitur. Hoc enim est jus illud Coactivæ potestatis, ac Majestatis, quo Magistratum Deus contra sontes armavit. Porro veluti privatam violentiam & injustitiam per capitalia supplicia, ita publicam per bella, idem Magistratus coërcet. Quemadmodum autem in præcepto de evitando morbo aut veneno; non potest dici dari præceptum de non usurpando, si ita necessitas ferat, unico morbi aut veneni remedio: ita in lege de fugiendo homicidio, non potest intelligi lex data, de vitando unico homicidii & aliorum scelerum remedio; qualis est institutio legitimi imperii, quod sine jure gladii pacis & belli, intelligi nequit. Imò omnis lex pœnam transgressionis suæ, etiamsi aperte non promulgaret, tacitè supponit, ut dici omninò nequeat; illâ ipsa lege quæ aliquod delictum prohibet, delicti illius pœnam aut remedium prohiberi, sed potius saltem tacite sanciri. Cum igitur non minus ex aliis plurimis, quàm ex hoc loco constet, pœnam homicidii à Deo sancitam, esse effusionem sanguinis homicidæ, etiamsi id hoc loco expresse positum non fuisset; tamen censendum erat hac lege etiam ipsum homicidæ supplicium; hoc est effusionem sanguinis ejus, saltem tacitè sancitum esse. Quantò magis id sentiendum, cum supplicium istud expressis verbis legis hujus comprehensum sit. Quæ quidem lex, per posteriores divinas leges positivas, ut manifestissimè confirmata est, ita optimo jure explicari potest; imò necessariò explicanda est. Vide quæ supra ea de re suo loco dicta sunt.

Altera ratio huic similis est apud Socinum pag. 230. *Divinam justitiam omninò postulare ut quando Deus nobis cælestium æternorumque bonorum spem fecit; hæc terrena & caduca pro nihilo habeamus, præsertim ipsius causâ. Quod fieri debet tunc, cum propter obsequium præceptorum ejus, vita & carissima quæque spernenda sunt; ut propter obsequium præcepti de benefaciendo inimicis &c.*

Antequam responsionem aggrediamur, utemur nostro jure, quod provide statim ab initio salvum nobis reservavimus, ne eadem sæpius nobis cum fastidio Lectoris repetenda essent. Itaque ad eam rationis Socini appendicem, quam propositi argumenti firmitati diffisus, attexuit nihil hoc loco respondebimus cum satis superque alibi ostenderimus, nusquam id à Deo præcipi; quod hic præceptum esse pro concesso sumitur.

Illud

Illud igitur tantum considerari hoc loco potest. Utrum inde quod Deus nobis cælestium spem fecerit, sequatur reipsâ voluisse illum ut hæc terrena atque caduca planè pro nihilo habeamus, hoc est, ut pro illis non laboremus, non certemus, non periclitemur, imò ne damnum quidem cuiquam, aut molestiam creemus, aut negotium facessamus. Nam an id oneris nobis imponere potuerit; de eo quærere non est nostri instituti, cum nunc non de jure aut potestate in nos; sed de facto Dei quæstio sit. Inter terrena verò & caduca, vitam quoque ipsam & quæcunque in hac vita optabilia contingere possunt, à Socino numerari, res ipsa & verba ejus ostendunt.

Verumenimvero quia, præ æternis bonis caduca omninò spernenda sunt, Deum id à nobis omninò exigere; ut hanc præsentem vitam & quæcunque in ea optabilia sunt, simpliciter ut explicuimus, & planè pro nihilo habeamus, nusquam ostenditur. Non magis quam quia præ amore Dei, parentes odisse jubemur, eos à nobis simpliciter odio haberi debere, ostendi potest. Quin potius, extrà casum concurrentiæ cum æternis bonis, bona vitæ præsentis à nobis justo pretio æstimanda esse, non una ratione evincitur.

Primùm, quia pietas etiam præsentis vitæ promissionem habet. Partem igitur illam promissionum Dei pro nihilo habendam putabimus?

Deinde, quia tentare Deum, & vitam nostram in pericula non necessaria conjicere prohibemur, quod fieri nō posset, si eam simpliciter spernere jussi essemus. Præterea quia pro delictis variis, præcipuè pro indigno Eucharistiæ usu; pœnis vitæ præsentis, morbis & infirmitatibus aliquando etiam præmaturo exitu castigamur. Non igitur ut supplicia ista, ita opposita supplicus præmia despicienda nobis injunguntur. Denique non solæ æternæ, sed præsentis quoque vitæ bona, atq; ipsum quotidianum panem, votis ac precibus à Deo poscere jussi sumus. Quomodo autem ea petere liceret, quæ simpliciter & absolute contemni imperata sunt? Non igitur hæc Dei munificentia, quam in æternæ vitæ promisso cernimus, pro signo talis voluntatis Dei habenda est, quæ nos simpliciter præsentis vitæ commoda repudiare & calcare jubeat: cum & illa ipsa benignitatis divinæ munera sint; non spernenda unquam aliâs nisi cum manifesta Dei voluntate aliquando sperni jubentur. Nam licet in hujus vitæ bonis acquiescere; aut ea pari cura & sollicitudine ut æterna consectari Christianos non deceat, licet tamen ipsis non optare modo, sed & procurare præsentia bona, iisque uti frui, salva pietate.

Habet tamen ista Ratio etiam citrà omnem respectum Dei voluntatis peculiarem suam vim, quam ita explicamus. Cum effusio sanguinis, quæ fit in bellis & capitalibus pœnis, non nisi gravi causa & justa necessitate excusari possit, quę istiusmodi remediorum amaritie, vitę mortalium imperfectionibus subvenit post factam spem cœlestium bonorum, quibus omnia præsentia damna abunde compensari queunt; nullam satis gravem causam aut necessitatem superesse, cur ad istam extremorum remediorum asperitatem descendatur.

At nos non modo eandem, sed majorem propemodum quàm olim, necessitatem nunc esse ostendimus, ob quam ad ejusmodi remedia descendatur. Quanquam enim oblatâ spe æternæ, vitæ præsentis, si ipsa per se spectetur, jacturam facilem esse fateamur: tamen quia nobis non simpliciter, sed cum conditione res tanta promissa sit, puta si in hac vita proposito certamine legitime defungamur, accidit, ut ab hoc exiguo vitę spatio, æternitas dependeat. Quippe cum non in uno aliquo brevi ac momentaneo instanti, sed in continuato vitæ curriculo, spes tantæ felicitatis acquiratur. Unde evenit ut quantò plùris nobis hæc vita nunc, quàm olim æstimanda sit: tantò magis sæpe conservatio ac defensio ejus necessaria sit; nec possit quispiam vitam præsentem sine æternæ injuriâ contemnere. Non igitur nimium studii, operæ, aut laboris, etiam temporis, nec admodum anxiè ipsi per se impendendum est; quæ μεῖζων soli pietati debetur. Aliquid tamen, nec omninò exiguum impendendum est. Nam vita & ejus commoda propter pietatem, pietas propter amorem Dei, & vitam æternam quærenda est. Præcipuè vero inter bona præsentia illa enixius optanda, & (si legitime fieri possit) consectanda sunt, sine quibus, non modo vitæ hujus usura calamitosa, sed & futuræ vitæ adeptio difficilis, aliquando verò impossibilis est; qualis est pax & libertas conscientiarum: quæ efficit ut veritas æquo certamine cum erroribus congredi possit. Quæ tamen nunquam illegitimis modis, hoc est; perjexcitatas contra legitimum magistratum turbas & seditiones quæri debet; quo in casu soli fidei & patientiæ sanctorum locus est. Sed ubi Reges & summæ potestates ad agnitionem veritatis pervenerint, vitam piis tranquillam & quietam præstare debent; non modo interna & domestica injustorum hominum latrocinia coercendo, sed etiam injustam vim & tristem exterorum reprimendo tyrannidem; quæ non vitam duntaxat & res vitâ cariores; sed ipsam religionis exercendæ & æternæ salutis consequendæ copiam & facultatem, sæpe invadit & aufert. Neque verò hoc malum solâ patientia vinci & averti potest, nisi in quibusdam animi robore, & voluntatis divinæ peritia, communem hominum sortem egressis. Cæteris omnibus per tyrannidem istiusmodi, nisi vitam præsentem profundere malint, ad futuram aditus præcluditur. Ut nihil dicam de tot imbecillis sexus aut ætatis, gregibus, quorum omnium causa & status, non hanc modo sed & futuram vitam spectans, nisi vim vi legitimè repellas, crudelissimorum hominum iniquitati proditur & prostituitur. Qua in re deserti officii culpam, supereminentes potestates; quibus à Deo jus & potestas gladii in eum finem concessa est; ut bonis sint in bonum, vitamque quietam & tranquillam subjectis sibi populis præstent, excusare nunquam poterunt. Satis igitur justam & gravem causam; imò necessitatem nunc quoque superesse ostendimus, ob quam ad acerbitatem remediorum, quæ gladii ministerio, adhibentur, descendatur. Proinde non omni plane rerum terrenarum æstimatione aut cura, sed tantum nimio earum studio ac sollicitudine nobis interdictum est. Nam implicare sese arduis ac difficilibus curis, quæque facilem exitum non habeant, sed nimium temporis, studii, & laboris postulent, vix Christiano permittitur. Cui licet, ut præsentis vitæ commoda simpliciter pro nihilo ducat; mandatum non est: imposita tamen est necessitas quædam; boni temporalis propter æterni, terreni propter cæleste spernendi; atque omittendi, præcipuè tunc cum utriusque simul obtinendi copia non est, sed alterutrius tantum eligendi necessaria optio offertur. Quemadmodum igitur divitias, aut potius lautiorem vitę fortunam optare, eamque, si non difficulter & sine omissione curæ Regni cælestis acquiri possit; quærere, Christiano licet; dum ne hac licentia ad avaritiæ vitium abutatur: ita, ut Respub. à Christianis Magistratibus gubernetur, non optare tantum; sed si jure ac legitimè, nec nimium difficulter id fieri possit (hoc est, si Deus ipse ad eam rem non occasionem tantum qualemcunque offerat, sed planam & facilem viam muniat) etiam procurare; justis & legitimis rationibus, Christianis concessum est, dum ne hac permissione; ad ambitionem, superbiam, injustitiam atque oppressionem aliorum; crudelitatem quoque atque perniciem hominum, abutantur.

CAP. X.

Argumenta contra Pacis ac belli jura, ex Analogia Religionis Christianæ, juxta præceptorum ejus, quæ unumsingulos Christianos respiciunt, perfectionem considerata, desumpta diluuntur.

SEd jam tempus est ut eas rationes aggrediamur; quæ sumuntur ex analogiâ religionis juxtà præceptorum suorum perfectionem consideratæ. Ac primùm quod ad singulorum fidelium sanctimoniam & innocentiam attinet. illud in *genere à Christianis exigitur; ut nemini*

noceant; neminem incommodo ullo afficiant, Caritatem erga omnes exerceant, quæ nemini ut verbis S. Scripturæ utar, malâ operatur. Sed hæc omnia & similia quæ à Christianis removentur in eo sensu intelligenda sunt; qui vitium includit. Nam & inter prima juris civilis præcepta est Neminem lædere, quod tamen ita accipitur, ut pœnæ & bella non excludantur. Nemini irasci; nemini stultitiam exprobrare tenemur. Sed temere & sine causa & necessitate. Non enim in his omnibus interdictis id agitur; ne quis à nobis profectam perpessionem aliquam subeat; sed ne injuriam accipiat, neque simpliciter aliqua læsio aut molestia proximi; sed injustitia prohibetur. Caritas quoque non cæca & inepta; sed prudens & circumspecta injungitur, & quemadmodum cæteræ omnes virtutum moralium leges, ita hæc quoque pro variis circumstantiis, varias exceptiones pati solet.

Deinde virtutis Christianæ excellentiam Socinus in ea humilitatis parte collocat, ut quisque sibimet ipsi longè sit vilior; quàm proximus, quisquis ille sit; etiam impurissimus ac sceleratissimus nebulo? Ait enim pag. 230. *Christianam virtutem esse, se suaque omnia non tanti facere, ut pro ejus conservandâ cuiquam Damnum, aut pernicies feratur.* Quod cum sit ultrà modum ac mensuram, injuncti nobis erga proximum officii, quem nos (quatenus simpliciter proximus est) longè magis quàm nosmetipsos amare nusquam jussi sumus, multiplici ratione falsum esse ostenditur.

Primùm enim affectum soli Deo, Christoque; aut Dei causa aliquando & hominibus ei proximis debitum in prophanos & indignos vulgare ac veluti prodigere, nec virtutis excessus, sed prudentiæ defectus; nec pietatis exuberantia, sed superstitionis egestas, imò verò Dei Christique injuria est. Deinde quid absurdius est, quàm damnum alicujus hominis injusti, nec damnum sed extrema quæque commeriti; tanti æstimare, ut ne fortè illud inferamus; nos nostraque omnia, & vitam ipsam spernere parati simus? Ubi tàm inordinata; ipsique rationi & legi naturæ repugnans Caritas imperata est? Denique pro solis fratribus vitam profundere jussi sumus. Atqui si vera Socini sententia est, pro omnibus eam profundere tenemur; & vitæ nostræ pretio nequissimorum hominum non vitam modò sed & indemnitatem redimere; saltem cum absque damno eorum servari non possumus.

At enim Christiana humilitas aut potiùs modestia requirit, ut alios excellentiores nobis arbitremur. Philip. II. 3. *nec operam tantum sed & vitam nostram impendamus, usibus, hoc est Saluti atque ædificationi aliorum.* Matth. xx. 26. 27. *idque exemplo Christi, Qui certè tunc cum essemus impii atque indigni mortuus est pro nobis* Rom. v. 6. 8. *idque fecit jussu ac voluntate Dei, atque in eo imitandus nobis proponitur* Phil. II. 4. Vide & 1. Joh. III. 16.

Resp. Locus hic *Phil.* II. ad propositam materiam nihil facit.

I. Nos enim primùm non de ejus virtutis materia loquimur, quæ suæ excellentiæ opinionem vel æstimationem, de qua in proposito loco sermo est, sed de ejus quæ sui juris retentionem aut persecutionem moderatur. Posset autem aliquis excellentius de alio, quam de seipso sentire; nec tamen ipsi in eo de suo jure concedere, in quo justissimam causam, imò necessitatem habet juris sui retinendi. Nec enim ideò quia aliquem in multis nos superare agnoscimus, ideò aut mortem aut molestiam; aut (quod sine indignatione nominare vix possum) damnum ejus vitâ nostra redimere tenemur.

Deinde si quis putet virtutes istas, esse ita connexas, ut altera ex altera profluat; de eo non litigabimus. Sed modestiæ huic de qua Apostolus citato loco loquitur, locus est inter Fratres, qui idem sentientes, unanimes & conspirantes inter se, ut in præscripta à Christo doctrina; ità præcipuè in pietate esse debent. Quos inter dum tales sunt, non potest esse tam enormis & notoria imparitas ac dissimilitudo; quæ non patiatur eos, saltem in re omnium præstantissima; qualis est vera pietas & gratia in conspectu Dei (quæ ut occultissima esse solet, ita veram hominum præ aliis excellentiam constituit) sibi alios anteferre; eoque nomine ipsos pluris, quàm se ipsos facere. Atqui in notoriâ disparitate; qualis est inter homines innocentes, & injustos ac sceleratos à quibus vita & incolumitas eorum oppugnatur locus ejusmodi modestiæ nullus est. Nam etsi professione fratres essent ejusmodi homines; reipsa alieni; ac prophani, & inimici, & quamvis ab infimo Caritatis gradu excludi nequeant; nequaquam tamen φιλαδελφίας multò minùs istiusmodi modestiæ, quæ plus illis quam sibi tribuat, significatione & officio digni sunt. Nec inter ipsos etiam bonos Fratres ita præcisè semper ad istiusmodi excellentiorem aliorum præ nobis æstimationem obstringimur; ut cum res ipsa contrarium ostendit, non & possimus & debeamus plerosque, saltem in eo in quo delinquunt, aut hallucinantur, aliquantò minoris quàm nos ipsos æstimare. Aliàs admonitioni, reprehensioni, objurgationi; & ab aliquo errore aut culpâ, abductioni, quam nobis mutuò debemus; locus nullus esset. Quod si huic virtuti, hoc est, excellentiori aliorum præ nobis æstimationi; ne ergà Fratres quidem semper locus est; ergà falsos profectò fratres; sed præcipuè erga homines non religione tantum sed & atrocibus, quos inferunt, injuriis, à nobis disjunctos; multò minùs locus esse poterit. Proinde ne illi quidem juris sui dimissioni, quæ ex ejusmodi virtute promanare credi potest, locus tunc ullus erit. Quod autem subjungitur nos usibus, hoc est saluti & ædificationi, aliorum non operam modo nostram sed vitam impendere teneri, id majoris erga alios quàm nosmetipsos dilectionis officium ac necessitatem per se non infert; cum id non magis proximorum; quàm Dei gloriæ causa faciamus, cui omnia debemus.

Plus momenti habere videtur, quod Christus etiam tunc cum essemus impii atque indignissimi peccatores pro nobis mortuus dicitur Rom. v. 6. 8. *isque à nobis in hoc imitandus suprà citato loco* Phil. II. *proponitur; & quidem ex eâ ratione quia illius modestiæ, plùs aliis quam nobismetipsis tribuendi, quæ* vers. 3. *injuncta nobis est, exemplum in humiliatione Christi, quam in morte subeunda exhibuit, nobis imitandum ostenditur. Unde colligi potest, nos quoque exemplo Christi teneri etiam propter indignos & sceleratos homines vitam profundere, non propter solos fratres: atque ità illos, quod ad juris nostri dimissionem pertinet, longè pluris quàm nosmetipsos facere.*

Sed primùm animadvertendum est, in morte Christi & quæ cum illâ connexa sunt; alia esse quæ imitari possumus; imò nobis ad imitandum proposita sunt; alia verò quæ imitari nec possumus, nec jubemur.

Posterioris generis ea sunt, quæ ad æternum ejus sacerdotium pertinent, cujus ille nec successorem; nec imitatorem habere potest; qualia sunt quæ ad expiationem peccatorum nostrorum, hoc est ad illam gratiam Dei peccatoribus per mortem Christi exhibitam pertinent, de qua Apostolus *Rom.* v. loquitur, in qua Deus dilectionem suam & misericordiam erga homines commendavit, singulari planè & inimitabili exemplo, quod cum adhuc essent peccatores, Christus pro iis mortuus est. Vide locum citatum. Cætera omnia in quibus per eam virtutis alicujus specimen exhibetur, nobis imitanda proponuntur. Præcipuè verò illa modestia & facilitas Servatoris nostri, per quam se, illâ divinâ & invictâ potestate resistendi inimicis suis; quam unà cum Spiritu sine mensurâ, Dei dono acceperat, ultrò exuit; quæ *Philipp.* II. nobis in exemplum proponitur, ne in iis quæ dono Dei possidemus, plus æquo nobis placeamus, cum aliorum despicientia ac neglectu; neve iis abutamur, ad vitiosam animi elationem, sed potiùs utamur ad

Salutem

ſalutem & ædificationem aliorum. Hoc enim eſt verè non ea ſpectare quæ noſtra ſunt ; ſed quæ aliorum. Quibus verbis in *verſ.* 4. prolatis, non autem iis quæ *verſ.* 3. ſcripta ſunt (quod non ſine cauſa notandum eſt) ſubjicitur exemplum Chriſti in gratiam aliorum Salutis ſimul, & erga Deum obſequii ergò, ſeſe humiliantis. Poſſumus & in hoc obſequio Chriſtum imitari ; quando ne conſcientiam aut legem Dei violemus, hoc eſt obſequii Deo præſtandi ergò martyrium ſuſcipimus ; quia mors Chriſti omnibus martyriis præluxit quæ non modò gloriam Dei ; ſed ædificationem hominum propagant & veritatis ac religionis fidem & auctoritatem, ſicut & mors Chriſti mirificè confirmant.

Sed hæc glorioſa Chriſti in martyriis imitatio, immenſo intervallo diſtat ab illa *ignobiliori vitam & res vita cariores hoſtibus prodendi patientia, quæ quod ab animo timido & ignavo potiùs, quàm Dei gloriæ* ſtudioſo (quicquid nos delicato aſtu vitia noſtra ſæpè Deo imputare conemur) ſemper proficiſci poteſt ; ſæpè etiam ſolet ; vix ullum laudabile virtutis ſpecimen exhibere poteſt, ex quo Dei gloria aut hominum ædificatio efloreſcat. Caret enim illo præcipuo martyriorum ornamento, quod in cauſa perpeſſionis, non in ipſa perpeſſione conſiſtit. Caret & illa facili nec ullo impedimento intercepta, ſeſe ex malis expediendi licentia & facultate, ſi quis vitæ aut indemnitatis, quàm virtutis ſtudioſior ſit. Et qui in mala quibus legitimè reſiſtere non audet, (quocunque id animo faciat) incidit, nemini calamitatem ſuam meritò imputare poteſt ; cum eam non ultrò ac in Dei gratiam ſed metu, qui in conſtantem virum cadere non debet, perculſus & coactus pati videatur. Ita plus dedecoris, *ex timiditatis & ignaviæ infamiâ* (ſive ea vera ſive apparens ſit) quàm laudis ex intempeſtivâ patientia, in patientem redundat, contrà quàm in martyriis cernitur.

CAP. XI.

Argumenta contrà Pacis ac belli jura ex analogia Religionis Chriſtianæ juxta præceptorum ejus, quatenus totos Chriſtianorum cætus reſpiciunt, perfectionem conſideratæ, ſumpta, diluuntur.

QUod ad communem quæ in cætibus Chriſtianorum regnare debet, pietatem attinet, duæ virtutes ſunt quæ in hac ſocietate eluceſcere debent, Caritas & Juſtitia. Quarum cum utrique bellum & capitalia ſupplicia repugnare putentur ; meritò à vera Chriſti eccleſia proſcribuntur. Utrique autem harum virtutum duo repugnare cenſentur, quæ utrobique reperiuntur. Primùm quod utrobique mortis ſupplicio afficiuntur ii, de quibus quod perditæ ſpei ſint nobis conſtare non poteſt. Secundo quod unâ cum hac vita æterna quoque ſalus ; atque omnis ad illam aditus occiſis eripiatur.

I. Quod primum attinet. *Ultimo hoc eſt mortis ſupplicio afficere eum : qui an omninò deploratæ ſpei ſit, ſcire non liceat nobis, injuſtum atque illi Caritatis parti adverſum videtur ; quæ linum fumigans non extinguit & infractam arundinem non confringit. Solus autem Deus Cordium ſcrutator & futurorum præſcius, dignoſcere poteſt, quinam ſint perditæ ſpei. Non igitur licet hominiejuſmodi pœna hominem afficere, quam ſoli Deo exigere fas eſt. Et ne quis urgentem, quæ in defenſione bellica intervenire ſolet neceſſitatem, cauſari poſſit ; etiam in media pace, nulla vi, nullo metu urgente, per ſententias judicum morti addicuntur ii, qui, ſi vita ſupperet, facilè emendari, & ipſis forſitan judicibus meliores evadere poſſent.*

Verumenimverò animadvertendum eſt. Lenitati huic atque clementiæ quæ ſolos deploratæ ſpei homines à miſericordia arcet ; locum non eſſe ibi, ubi aliqua neceſſitas urget, ut ſingulorum ſanabilitatis ratio non habeatur ; aut de ſummo in eos jure non decedatur. Quod non magis in bellis quàm in forenſibus judiciis accidit ; ubi ſæpe boni publici neceſſitas urget, ut privatorum boni ratio non habeatur ; atque ut magna exempla ſi non ex iniquo ſaltem aliquid de ſummo jure trahant. Præterea eidem lenitati locus non eſt niſi in Ultimi ſupplicii metu. Mors autem decreto Magiſtratuum inflicta non eſt ultimum ſupplicium : ſed æterna ; ideò nobis unâ cum iis qui corpora interficiendi poteſtatem habent contemni jubetur.

Denique lenitati huic locus non eſt, niſi in ejuſmodi judicibus qui certò dignoſcere poſſint, qui ſint deplorati qui ſanabiles ; quales non ſunt rerum capitalium judices. Unde evenit ut lenitati huic in ſolo regno Chriſti ſpirituali ; ac ne in eo quidem ſemper, ſed abſolutè conſiderato, quatenus voluntate ac benignitate Dei Patris à Rege ſuo cæleſti gubernatione adminiſtratur, locus reperiatur. Cujus Regni ita conſiderati non is eſt ſcopus ut ſuorum civium ſocietatem in hac vita ſecuram & florentem præſtet ; ſed ut ſingulorum æternæ ſaluti conſulat. Ideò plerumque non pœnarum terrenarum & quæ in oculos omnium incurrant, ſed ſpiritualium & inviſibilium metu, quemadmodum nec præmiorum terrenorum, ſed cæleſtium & inviſibilium ſpe, ad exercendam Fidem noſtram gubernatur. Non mirum eſt igitur, quod in regno Chriſti, cujus ſcopus eſt Salus animarum ſingulorum ; ſpei illius quæ de ſingulorum ſalute ſupereſſe poſſit, maxima habeatur ratio, præſertim à Spirituali Rege, qui Eccleſiæ ſuæ abſolutus Rector & caput eſt. Nec mirum eſt, quod in eo ut toti ſocietati conſulatur, ſingulorum ſalutis, ſi qua ejus ſpes reliqua eſſe poſſit, nunquam ſit facilis jactura quia ejuſmodi medium deſtinato fini non eſſet ſatis accommodatum. Ac ne naturæ quidem adminiſtrationis hujus Regni congruens ; quod ita gubernatur ut in eo pœnarum exempla, (præſertim in æterno ſupplicio irrogando) non modo ex iniquo nihil habeant ; ſed ne de ſummo quidem jure quicquam trahant. Quod tantò æquius Optimo ac ſapientiſſimo Deo viſum eſt ; quanto de majori præmio & pœna miſeris mortalibus periclitandum eſt. At in Regnis Chriſtianorum terrenis ; non is eſt gubernationis eorum ſcopus ; ut animæ ſingulorum civium ſerventur. Neque enim Coactiva Magiſtratuum poteſtas ; ad tam ſublimem ſpem aſpirare poteſt. ideò nec falcem ſuam in alienam meſſem immittere debet. Sed ut ſocietas hominum in hac vita ſecura & florens ſit. Quapropter ubi de communi omnium Salute agitur ſingulorum civium incolumitatis non ſemper poteſt haberi ratio : Sed ut ſocietas conſervetur, ſingulis ſæpè pereundum eſt ; quia illa, niſi ſinguli pereant ſæpe ſalva eſſe non poteſt. Atque hoc medium deſtinato ſummarum poteſtatum fini, non aptum modo, ſed aliquando neceſſarium eſſe contingit. At in Spirituali Regno Chriſti, ita ut ſuprà diximus conſiderato nulla neceſſitas intervenit ; ut quis in æternum pereat, niſi cum ſua culpa in hominem perditæ ac deploratæ ſpei evaſit. Præterea in Regnis terrenis magna exempla, ſi non ex iniquo, at certè ex ſummo jure multùm ſæpe trahere neceſſe eſt.

Fatemur tamen etiam in eodem Regno Chriſti, ſecundum quid conſiderato, quatenus Eccleſiaſtica gubernatione in terris ab hominibus regitur majorem quandoque, quàm ſingulorum ſalutis, omnium ædificationis rationem haberi. Qua in re, Reſpub. Eccleſiaſtica quodammodo terrenas & Politicas, (ex mente & expreſſa voluntate Chriſti) imitatur Reſpublicas. Sed ut in fine & ſcopo ita & in mediis. Nam & in Eccleſia (quamvis non ſine cauſa cautius ac reſtrictius) ſæpe ut omnium ædificationi conſulitur, Salutis

singulorum non habetur ratio ; qui idcirco sæpè ab Ecclesia excommunicantur, hoc est jure adipiscendæ Salutis exuuntur. Quod decretum in terris cum ritè & juste fit, ex diserto Christi promisso, in cælo quoque ratum est. Neque enim hic iis assentimur, qui putant Excommunicationem (loquor de ea quæ in cælo rata habetur) non habere vim damnandi ; aut pœna æternæ mortis afficiendi, sed esse tantum nudam declarationem ejus status in quem excommunicatus conjicitur. Est enim Excommunicatio ipsa Causa movens cæteras quæ post eam pronunciatam ad efficiendum miserum statum hominis ejusmodi sententiâ condemnati concurrunt. Non minus quàm Decretum ; aut Nudum imperium ejus qui sit cum potestate quo quispiam torqueri & occidi jubetur, non est quidem proprie loquendo id ipsum quod lictor aut carnifex perficit ; est tamen verè earum rerum causa, quæ ad nutum imperantis aut etiam decernentis ab administris executionis peraguntur. Habet igitur excommunicatio, ut & efficacius omnis pronunciata sententia suam veram efficientiam. Quod ipse Socinus fateri coactus est ; dum pag. 204. ait. *Est enim Excommunicatio sententia quædam lata.* Atqui sententia lata, non est historica relatio ; aut rerum ignorantibus declaratio, sed causa quædam verè efficiens id quod in ea perfici decernitur. Nam nuda declaratio nihil in reipsa efficit, sed tantum mentem ejus in cujus gratiam fit, docet, & instruit, ne secus rem intelligat quàm opus sit. At excommunicatio planè efficit id quod in ipsa declaratur. Alioqui post excommunicationem non posset fieri deterior excommunicati conditio quàm fuit ante, & sic inane & brutum hoc fulmen dici posset. Quod tamen nemo dixerit qui promissum Christi perpenderit ; quo non irritum & inane hoc ligationis terriculamentum fore pronunciat.

Si igitur in irrogandis pœnis Ecclesiasticis æternam mortem spectantibus (quod certè longè gravius est capitali pœna supplicium) sæpe non habetur ratio eorum qui sunt sanabiles ; sed qualescunque sint, à corpore Christi amputantur ; si id ædificationis necessitas postulet : quis id, à capitalibus forensium criminum judicibus exigat, ut solos eos qui sint perditæ spei aut animi deplorati condemnent, quando exempli rigorem & austeritatem Respub. requirit ? Videtur sæpe in ejusmodi casibus locus non esse misericordiæ in quibus sethetipsum aliquis in gravissima mala ultrò sua culpa conjecit & tamen legum divinarum aut humanarum ; aut etiam publici boni potius quàm privatæ erga ipsum Caritatis ratio habenda est. Nam quod Socinus objicit, in excommunicatione locum esse resipiscentiæ ; qui in mortis supplicio non fit nobis non satisfacit, cum ne in capitali quidem legitimè sumpto supplicio locus ipsi deesse possit : quamvis aliquando brevius ei spatium & angustioribus terminis inclusum concedatur. Posse autem aliquem etiam in brevi ante mortem spatio resipiscere, non modo latronis crucifixi exemplum ; sed ipsa Socini verba arguunt, dum ait pag. 295. *posse excommunicatum si velit, vel in ipsa excommunicationis sententia ferenda* (quod certè spatium temporis longum non est) *resipiscere.* Quid enim obstat ; quominùs in capitis supplicio, ad justum tempus (ut fieri in bene moratis Rebuspub. solet) dilato idem evenire possit ? Semper igitur nobis quoque Socini exemplo excipere licebit. Quemadmodum non quia excommunicatus, ita neque quia capitis supplicio addictus est quispiam ; sed quia non resipuit, in Tartara detruditur. Quid quod & excommunicato aliquando non plus spatii, quàm capitis damnato, ad resipiscendum superesse possit.

Sed ut ad rerum capitalium Judices revertamur, nulla ipsos lege obligari palàm est, ut in solos deploratæ spei homines animadvertant. Nec enim ii ullam sibi in intimos animi recessus ; aut jurisdictionem aut inquisitionem, usurpare possunt aut debent. Quippe non id intendunt, ut sontes æterno supplicio mactent. Imò verò quantum possunt, contendunt & contendere debent, ut sontium animæ sanentur, licet corpora puniantur. Et quamvis facta & delicta sontium ex consiliis & intentionibus æstimare soleant, ac debeant rimari tamen secretas mentium fibras & quorum animi sint sanabiles aut non, discernere non tenentur ; non modò quia id ipsis est impossibile sed quia per se ac natura sua, capitale supplicium, nemini salutem æternam eripere possit ; cum non insontium modo plerique ; sed & aliqui sontium capite plexorum servari possint. Quod si qui ex occasione ejusmodi supplicii pereant, id per accidens eveniat ; ob interventum videlicet latissimæ pereuntium culpæ, atque adeò justi divini judicii. Neque eorum etiam officium est ; aut ipsis ullo modo licere censendum est, ob incertum metum, ne quis sontium, ex occasione legibus (quarum ministri sunt) injuncti supplicii ; suamet propria & grandi culpa pereat : conjicere universum populum ac tot innocentes, in certissimum quod à permissa gravissimis sceleribus impunitate imminet, periculum ; imò verò calamitatem & exitium ; cujus occasione aliquandò innumeræ insontium animæ ; etiam in æternum perire queant. Nam per inflictam necessitate justitiæ capitalem pœnam ; neque insanabilibus in æterna eripienda salute ulla fieri potest injuria ; neque sanabilibus solet ; præcipuè quoties ipsis idoneum ad pœnitentiam tempus conceditur. Quo nisi debitè ad Salutem suam utantur jam latissimam culpam suam, quæ fuit in eo, quod scientes prudentes in supplicii legibus præscripti calamitatem ; quæ, (quamvis per accidens) secum tamen æternæ salutis periculum afferebat ; sese conjecerint ? cumulant altera æquè gravi & lata culpa suâ ; quod oblato remedio ad salutem suam uti neglexerint, cum in illo temporis articulo, longè facilius videatur quàm usquam aliàs, animum nullis illecebris aut tentationibus distractum, ac fræno imminentis exitus ad officium suum circumactum ; non modo ad ardentissimam divini auxilii imprecationem, sed etiam ad constantissimam & efficacem corrigendæ vitæ destinationem componere. Quam resipiscentiæ occasionem, si quis omiserit, vix est credibile, illum etiam concessa longiori vitâ, ad saniorem mentem reversurum. Aut certè ob tàm incertam Ipsem quorundam hominum latissimâ culpâ sua de æterna Salute ; cujus nullam unquam curam habuerunt periclitantium, non est æquum per concessam sceleribus aut grassanti violentiæ impunitatem ; integros populos ac tot innocentes, præsentissimo, malorum, etiam æternæ Salutis jacturam secum trahentium diluvio inundare, aut inundari permittere.

Deinde si in Magistratus Christiani potestate sit, veteribus abrogatis novas leges figere atque refigere : præterea si id Reipub. Christianæ tutum esse possit, nihil magis ipsi convenit, quàm capitales pœnas in alias æquè fortasse corpori molestas, non æquè tamen animabus periculosas convertere ; dummodo populis æquè sint formidabiles. Nec enim ut sontes affligant, sed ut cæteros exemplo terreant supplicia infligi par est. Non ideò tamen etiam apud Christianum Magistratum Pacis gladii usus nullus erit. Nam licet omnes capitales pœnæ, in alias quæ salva vitâ infligi possunt, commutarentur, quia tamen hæ æquè graves, aut etiam molestiores quibusdam videri possunt, quas ut effugiant nullum defensionis genus sontes omiserint : fieri nequit, quin & tunc Magistratui gladii usus sit necessarius ; non ut occidantur Rei, sed ut capiuntur aut in judicio sistantur ; præcipuè cum res est cum iis, qui ut causam dicere

dicere possint, acie vincendi sunt. Ita Gladius Pacis etiamsi acies ejus mansuetudine Christiana retusa fuerit, sine acuto belli gladio exerceri non potest.

Denique qui, metuendo, ne quis forte fontium qui sanabilis sit, pereat concessum à Deo Magistratibus Pacis gladium eripiunt; ineptè ac ridiculè seduli ac solliciti sunt, in eo officii genere, quod ad ipsos nullo modo pertinet. Satis enim vel ob id ipsum, hominum eorum quorum in istiusmodi casu animi sunt sanabiles, curam omnem ac de iis (si qua esse debet) sollicitudinem sibi soli Deus & Christus sepositi ac vindicavit; quia ad facultatem dignoscendi quinam tales sint in tali casu neminem admisit. Proinde ea cura cui impares sumus nobis quidem omnino omittenda; sed illud memoria tenendum est; Deum & Christum non otiosè res humanas contemplari, verum inferiorum agentium omnium animos, consilia, facta ipsa & factorum eventus moderari, nec quenquam eorum quos salvari velit; nisi sua culpa perire. Quod si quo casu homines salute digni, in manus aliorum qui vitæ necisque ipsorum potestatem habeant incidant, esse Deo & Christo in expedito rationes quibus efficiat, ut iis pernicioſè nocere; aut nolint si possint, aut non possint si velint. Non autem nobis ideo urgentia ac necessaria vitæ officia deserenda sunt, nequid tale eveniat; quod neque ob occultam illam humanarum rerum directricem providentiam, eventurum esse verisimile sit; nec si fortè eveniat, nostra culpa evenisse dici possit. Falsa igitur est illa adversariorum hypothesis ad id ut quis alterum jure occidere possit, duo requiri: primùm ut occidendus sit perditæ spei; deinde ut eum talem esse occidenti certò constare possit. Frustrà enim ex ordinatione Dei minister ejus Magistratus gladium vindicem gestaret, si eo non aliter uti posset nisi prius ad inspectionem cordium à Deo Christoque admissus.

Sed jam tempus est, ut ad alterum illud, quod in bellis atque suppliciis, justitiæ atque caritati Christianæ repugnare prætenditur, accedamus. *Id verò est, quod occidere eum qui possit servari: hoc est vitam ipsi æternam eripere nefas sit. Nam si Deus vitam temporalem cripienti vitam invicem eripi mandavit; certè æternam eripientibus, pœna talionis debetur. Atqui inferendo temporalem mortem alicui fontium, una quoque omnium facultas vitæ æternæ consequendæ, hoc est spatium resipiscendi eripitur.*

I. Primùm igitur fatemur facinus nefandum & nonnisi talionis supplicio expiabile suscipi, si quis de industriâ vitam alicui æternam eripiat. Sed non illicò, si ex actione alicujus, aliud aliquid & quidem voluntati Dei congruum: aliquando autem ex officio vel quadam necessitate sibi incumbens, intendentis atque agentis, mors alicujus æterna, alienâ culpa consequatur: sequitur eum criminis hujus hoc est illatæ mortis æternæ culpâ teneri. Nam non modò licitas, sed etiam maximè laudabiles actiones, maxima aliquando mala, per accidens, consequuntur; quæ tamen neque actiones illas vitiosas, neque agentes reprehensioni obnoxios efficiunt. Prædicatio Evangelii facem feralium dissidiorum in publicas & privatas mortalium societates immisit. Nec tamen id aut ipsi prædicationi; aut prædicatoribus vitio verti solet. Quoties inter duos, uter mortis supplicium evadere debeat, sortitio fit, qui ex urna faventem sibi & salutarem sortem eximit, eo ipso omnem spem vitæ præsentis; & quia æterna ab eodem filo pendet, etiam æternæ, socio suo præripere videtur, quis tamen eum nomine illatæ alteri mortis æternæ accuset?

II. Sed nec vita æterna eripi censenda est iis, qui in propinqua patientia ejus consequendæ non sunt: hoc est, qui non in salutis curriculo pro virili conituntur, quales certè solent esse ii, qui occidi quocunque modo merentur. Quemadmodum nec imperium aut Cræsi opulentiam eripuit Ulysses Iro, quem in Ithaca pugno occidit; quamvis non absolutè impossibile fuerit illum ex stercore ad summam fortunam emergere; cum ejus rei exempla in humano genere non defuerint. Certè de amissione vitæ æternæ queri nequeunt ii, qui nonnisi in remotissima potentia ejus consequendæ consistebant, nec unquam animum ad tantæ spei fastigium erexerunt: imo sceleribus aut injuriis suis commeriti sunt ut ne præsenti quidem vitâ digni haberentur; tantum abest ut futuræ præmium sibi polliceri possent.

III. Denique quantumcunque illud damnum aut infortunium sit in quod aut capitis damnati, aut justa in defensione occisi incidunt; quem porrò jure accusare possunt, quod vitam; aut vita ipsa potiores spes amittant? Magistratusne, qui legum ministri cum sint, etiam inviti officium facere tenentur, an semetipsos; qui legum non ignari quibus subjecti sunt, sese ultrò in ejusmodi statum præcipitant, ex quo eos vel ipse Magistratus salvo officio suo eripere nequit. Similiter cum hostis alienam vitam impetens suam perdit; ecquis in culpa erit? Defensorne vitæ suæ; cui summum malum declinandi per objecta arma defensiva, necessitas incumbit? an is qui perdere vitam suam ultrò paratus est, dum si possit, alienam eripiat? Cum ille necessitate simul ac jure naturali ad protegendam vitam, quam absque cæde inimici servare mallet, compellatur: hic ultrò ac cæco quodam furore ad sui occisionem per summam verò injuriam ad injustam ejus, cui vim infert, perniciem ruat. Nihil igitur in eo casu injusti ab aliis patiuntur, qui sese ultrò in talia mala induunt, nec justitiam aut caritatem erga se neglectam queri possunt; quod eo usque in eorum gratiam de jure alieno descensum non sit; ut aut scelera aut injustas insontium cædes atque oppressiones impune ac sine resistentia patrare possent. Quamobrem nullo modo ereptæ vitæ æternæ culpa tribui potest iis, quibus ne præsentis quidem vitæ ereptæ (ex cujus damno æterna illa jactura quamvis per accidens profluxit) crimen potest adscribi. Atque ea fuit mens ipsius Dei, qui ne insontium quidem interfectores omnes, nisi sceleratos morte affici jussit. Sontium verò aut hostium occisores, adeò nulla pœna affecit, ut hoc ministerium ab iis sæpè non sine interminata, aut posteà sumptâ, omissi officii pœnâ, exegerit. Non igitur hominum mortem meritorum, infortunia, iis quorum ministerio Deus ad eos puniendos utitur; sed propriis ipsorum culpis atque sceleribus accepta ferenda sunt.

IV. Postremò, etiamsi (quod tamen meritò, ut ostensum est, nequaquam concedimus) mortis æternæ periculum; quod sontibus aut hostibus qui nos impetunt, ex inferenda ipsis morte temporaria imminet, Magistratibus aut bellum gerentibus adscribendum esset: non ideo tamen Magistratus aut bellatores metu istius periculi proximis intentandi, absterreri debent; quominùs utrique officio sibi injuncto, necessariò defungantur. Nam vitæ æternæ consecutio eorum respectu, in quos, propter scelera aut illatam violentiam, jus necis aliis quodammodo acquisitum est, adeò est in remota potentia; ut jacturæ illius vix ulla ratio haberi debeat. Quantò minùs enim quisque aliquid habet, tantò minùs illud amittere potest. Et si nullo modo aliquid habere; nullo modo idem amittere possumus. At ejusdem vitæ æternæ consecutio, in hominibus insontibus, quorum securitati, aut pacis exemplis, aut bellicis armis consulitur, sæpè longè in propiori po-

tentia est : ut istius damnum & jactura, longè plurìs ; quàm illius cujus vix ulla ipes affulgere potest, æstimanda sit. Sed &, quomodo bona ita & pericula publica, privatis, illa in consectando, hæc in fugiendo, longè anteponenda sunt. Quod si in publico insontium periculo, privati delinquentium discriminis ratio non habetur : quanto minor in publico & propinquo insontium periculo, privati & remoti delinquentium periculi, ratio est habenda ? Privatum autem & remotissimum est periculum quod forte cuipiam sonti, aut pacem publicam iniquè turbanti, ex intercepto, per accidens (hoc est per ipsius propriam culpam) ad vitam æternam aditu, imminet. Proinde in gratiam ejus, propinquum & publicum insontium periculum negligendum non est.

Illud etiam Socinus inculcare solet quod pag. 83. legi-„mus. Odisse inimicum Reipub. Christi nocentissi-„mum futurum erat, eamque funditus deleturum. *Nul-„la enim Christi est Respub. ubi odium aliquod locum ha-„bet erga quosvis homines, quavis de causâ.* Ea si quidem universa in amore & caritate erga omnes homines potissimum fundata est.

Resp. Christi doctrina ut nequaquam insitos nobis naturâ affectus omnes ita nec odium prorsus extirpat aut excludit ; sed tantum moderatur & ad exercendam virtutem deflectit. Falsum est igitur istud pronunciatum: Ubi Odium aliquod locum *habet erga quosvis homines ; quavis de causa* ibi nullam esse Christi Rempubl. Nam si sit odium non propter carnalem sed spiritualem causam : præterea si sit odium Caritatis Christianæ officio temperatum ; quale esse debet adversus hostes Dei ; aut etiam adversus eos quos loco Ethnicorum & publicanorum habere, uno verbo ut dicam quos minùs quàm alios amare jubemur ; locum in regno Christi non modo potest ; sed habere debet. Nam & Christus ipse non poterat satis dilexisse justitiam nisi odio habuisset iniquitatem. Fieri autem non potest, quin aliqua pars odii ; quo flagrare erga iniquitatem debemus ; in ipsos quoque iniquos derivetur; satis est si fines Christianæ moderationis non transiliat. Hinc & ipse Christus erga perversos homines, sæpe non indignationem tantum ; sed aversionem quoque anin i non occuluit, eorumque fermentum aversari discipulos suos jussit. Non igitur odisse inimicum unquam licet, eo nomine quod sit inimicus ; quia id à Christo jure optimo vetitum est ; cum etiam optimi viri & non vulgari caritate digni aliquo casu vel errore, nobis inimici esse possint. Sed eundem odisse eo nomine quod sit improbus & sceleratus lex Christi non prohibet (præsertim cum ejusmodi odium ex spirituali causa susceptum, justæ moderationis fines excedere non soleat) quæ parentes quoque & sanctissimo nobis vinculo copulatos, Dei & Christi causa odisse imperat, puta quoties eos Dei & Christi hostes esse accidit. Caritas igitur & amor erga omnes homines quem Religio Christi præcipit ; non excludit omne omninò odium & aversationem hominum improborum : sed tantum odium impotens ac vitiosum ; quale solet esse ex carnalibus simultatibus exortum. Quod si ista Caritas non excludit odium illud moderatum, quod in animo ipso residet ; multò minùs excludet pœnam ; aut in casu necessitatis resistentiam. Quarum utramque absque ullo odio ; aut certè prohibito vindictæ genere esse posse, suprà satis ostendimus.

Non enim nos odiis fræna laxamus : neque crudelitatem aut nimiam in sumendis suppliciis ; gerendisve bellis severitatem, strictamque summi ubique juris exactionem defendimus. Sed exemplo divinæ clementiæ summâ æquitate temperatam utrobique summarum potestatum austeritatem, sine qua nulla pax & tranquillitas in humana societate fingi potest.

At enim contendent adversarii, ex omni annalium memoria nullum dari posse exemplum Regiminis Principis aut Reipub. verè Christianæ ; in qua fine reprehensione potestas vitæ necisque exercita ; aut bella gesta fuerint : ut videatur hæc ratio gubernationis Politicæ secundum Christi leges administrandæ, in abstracto tantum, veluti idea Platonica à nobis somniari, quæ ad actum & executionem nunquam deducta fuerit ; & vix ac ne vix quidem unquam deduci possit.

I. Sed primùm licet res ita, sese haberet ; non esset tamen irritus labor noster, dum ostendere conamur Rempublicam legitimè administrari salva Christianæ religionis pietate, posse ; ejusque rei rationes inire atque ostendere connitimur. Multa enim sunt quæ licet ad summam perfectionem perduci ob aliqua impedimenta vix possint ; tamen summa ope ad perfectionem duci expediat : ut si in primis ac summis perfectionis gradibus consistere nequeamus ; in secundis tamen aut tertiis aut certè longè supra imos consistere possimus. Inter quæ est ipsum Christianæ pietatis officium ; deinde humanarum rerum in hac mortalis vitæ imperfectione & tot impedimentis oborientibus humana administratio.

II. Deinde non sequitur inde, quod exemplum alicujus perfectionis in iis, quæ hucusque gesta sunt, dari nequeat, eam ad actum nunquam deduci posse aut deductum iri. Multa enim nova, nec ante hac visa vel audita & quæ majoribus nostris vix credibilia visa sunt, subinde exoriuntur. Et Deus per quædam ætatum mundi momenta atque discrimina, res ab imperfectioribus incipiendo ; ad perfectionem hucusque deduxit.

III. Denique ne Christianæ quidem Ecclesiæ gubernationem post Apostolica tempora omnis culpæ ac reprehensionis expertem ; ullo ex elapsis seculo quispiam ostendere possit. Et tamen in eo cunctis elaborandum est ; ut legitima ejus gubernandæ ratio ostendatur & ad executionem deducatur.

IV. Postremò vix credibile videtur, in Christianorum Principum aut Rerumpublicarum exemplis ; quin possit aliquod inveniri ; quod ad Christi Regis Regnique ejus propriè dicti, non spiritualis sed Coactivi, specimen & archetypum proximè accedat : saltem in eo de quo potissimùm agimus ; ut neque ad bella sine justissima necessitate ; neque ad pœnas aut ultiones publicas ejusmodi accesserint ; quas multa mansuetudo & patientia cum aperta & constanti, clementiæ ac veniæ, iis qui ea digni sunt oblatione, conjuncta non antecessisset.

Neque verò exigendum est, ut omnibus numeris absolutam perfectionem ejusmodi Regiminis exhibeamus. Satis est ut talis ostendatur, quæ ad propositam materiam sufficit. Etiamsi igitur Magistratus Christianus aliis fortè vitiis laboraverit ; tamen si in eo summa æquitas, clementia, humani sanguinis parsimonia ; constans & assidua ; quantum per veram Rationem Status, liceat, veniæ resipiscentibus paratæ oblatio, demonstretur ; in eo, quod ad materiem præsentem attinet, adversarios acquiescere necesse est.

CAP. XII.

Argumenta contra Pacis ac belli jura, ex cælesti ac divino gubernationis Ecclesiæ modo : præterea ex occasione aliquot præceptorum Christi desumpta diluuntur.

NUnc ad divinum ac cælestem gubernationis Ecclesiæ modum accedamus. Ex quo Socinus ex mente eorum à quibus dissensum alibi non dissimulat

mulat partis 2. pag. 233. sic argumentatur. *Si ecclesiæ Christianæ nullus terrenus Rex datur ; sed tantummodo cælestis Christus, primùm id necessariò sequitur Ecclesiam Christianam in terris licet degentem, terrenum tamen regnum non habere, & proinde Christianorum possessionem & bona non terrena sed cælestia esse : ex quo consequitur hominem Christianum pro isto terreno omnibus conservando nihil laborare debere ; & indignum planè esse, ut pro ipsis defendendis, inter quæ propria ipsius vita numeranda est, ulli mortalium Damnum aliquod aut perniciem afferre curet ; præsertim, cum hæc alioqui homini Christiano, penitùs fuerint interdicta. Deinde si Christiana Ecclesia (quatenus Ecclesia Christi est) neminem nisi Christum pro Rege agnoscit, satis intelligi potest nullam esse tantam in terris potestatem, quæ homini Christiano id concedere possit, quod Christus ipse prohibuit &c. & quæ sequuntur.*

Resp. Miserè laborantis causæ indicium est, ubi ad ejusmodi argumenta descenditur. Nam hic profectò Socinus aut nihil quod ad rem pertineat dicit, si nimirum non simpliciter & absolute concludit : aut fallaciam committit quæ vulgò A dicti secundum quid, ad dictum simpliciter, dicitur. Nam si non simpliciter & absolutè concludit Ecclesiam Christianam terrenum regnum, possessiones & bona terrena non habere ; sed tantum secundum quid, putà quatenus est Ecclesia Christiana ; quemadmodum ex ipsius Socini limitatione in eadem pagina bis repetita appareret ; nihil quod ad rem pertineat affert. Quis enim est nostrùm qui asserat Ecclesiam Christi ita consideratam, terrenis regnis ac possessionibus gaudere ? cum neque Christi regnum ex hoc mundo sit ; & Respublica nostra sit in cælis ? quemadmodum quis est qui putet Christiani hominis, qua Christianus est, & ovis pascuorum Christi, cibum esse panem quotidianum ? Verum sicut ex eo non sequitur eundem panem, ejusdem Christiani, qua mortalis homo est, non esse cibum : ità nec ex eo quòd quâ Christiani sumus nullam in terris hæreditatem habeamus, sequitur nos simpliciter nullam in terris hæreditatem possidere. Imò verò ex eo ipso quod Socinus id de Ecclesia non simpliciter & absolute sed tantum secundum quid considerata, pronunciare audeat ; potiùs illud necessariò sequitur ; illam alio modo consideratam ; hoc est quatenus in terris societatem aliquam civilem aut partem ejus constituit ; quemadmodum terrenos Reges, ita terrena regna, bona & possessiones habere ; & in eorum conservatione, terrenis quoque modis ; dummodo justis & legitimis, laborare posse. Nec enim tantum non sequitur, ex eo, quòd aliquid de aliquo secundum quid dici non possit ; illud de eodem non dici simpliciter : sed etiam ista ipsa limitatio subjecti secundum quid considerati ; necessariò infert ; quod idem de alio modo considerato ; seu simpliciter negari non possit. Nihil igitur opus erat tanto molimine probare Christianorum qua sunt Christiani, regem, regna, possessiones, non terrena sed cælestia esse ; quod facilè agnoscimus & ultrò iactamus ; dum tamen meminerimus eorundem quâ Germani, Poloni, Itali sunt ; Principes, regna, possessiones & bona terrena esse. Nec enim ita pugnant inter se Regnum cæleste ac terrenum ; quin in eodem subiecto consistere possint. Nec quia à Christianis quæ Dei sunt, Deo reddenda sunt : idcirco ab iisdem Cæsari reddi non debent, quæ ipsius sunt. Spirituali modo considerata Ecclesia hoc est quâ gens cælestis est, Rempublicam & possessiones suas hic non habet sed in spe ac fide, alibi expectat. Sed eadem quatenus ex terrenis gentibus constat, non minus possessiones, quam potestates terrenas habet, pro quibus non nihil, sed quantum satis est, quantumque cælesti ejus vocationi non obstat, laborare debet. Non enim plùs ex collatione terrenorum & cælestium evincitur præter ista duo. Primùm etiamsi secum istæ curæ non concurrant, seorsim tamen cælestium, longè potiorem quàm terrenorum curam esse habendam. Secundò. Si quando rationes earum ita concurrant ; ut alterutra duntaxat eligenda sit ; terrenas præ cælestibus spernendas esse & terrenas auctoritates ac potestates cælesti venerabundas assurgere, & obsequentissimè sese subjicere debere. Cujus tamen rei occasio rariusculè in Christianis regnis obtingit, plerumque ac ferè semper reddi possunt Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei Deo. Porrò absolutè terrena sperni nequeunt absque injuria & contemptu Promissionis pietati factæ, quæ ad terrena quoque (quorum adjectio expressè promissa est) extenditur. Præcipuè cum antequam cælestia assequamur ; quod nonnisi post mortem sperandum est, terrenam nos vitam vivere necesse sit ; à cujus conservatione etiam cælestia bona dependere posse suprà non semel monuimus.

Falsissima igitur, imo nulla est Socini argumentatio ; nisi vocis Ecclesiæ (cujus ambiguitate ludit) sensu, ad priorem hoc est cælestem significationem & considerationem affixo ; rejecta prorsus posteriori. Quam tamen rejicere ipsi integrum non est posteaquam ipse voci Christianæ Ecclesiæ, limitationem (tanquam Ecclesiæ) addidit ; non obscure significans eam etiam posse non tanquam Ecclesiam, sed tanquam terrenos populos suis quosque discriminibus distinctos considerari. Hinc facile intelligi potest quid sentiendum sit de illo quod addit consectario, indignum esse, ut pro vita & rebus terrenis defendendis ulli mortalium damnum aut pernicies afferatur. De damno iniquum, ac responso indignum est. Perniciem necessitas excusat, & propria pereuntium culpa. Quæ subjicit de interdicto & prohibitione Christi suprà satis refutata sunt. Reliqua contra nos non pugnant.

Acervatim jam cætera quæ ex specialibus præceptis aut exemplis deducuntur congeremus.

I. Quod ad præcepta specialia attinet.

Primum de cura rerum necessariarum in Deum projicienda occurrit ; cui connexum de divinæ opis, defensionem humanam respuente, fiduciâ mandatum. Ex quo utroque Socinus pag. 240. deducit. *Non debere Christianos sese atque sua tutari, quia eorum curam in se universam rejici Deus voluit ; & hac in re præcipuè fidei atque obedientiæ nostræ erga se publica & manifesta indicia extare.*

Cæterum hæc ratio si valida esset, ne laborem quidem ullum circà sustentationem vitæ præsentis suscipere deberemus ; quia cætera omnia præter Regni cælestis curam nobis adjectum iri, promissum est. Atqui hæc consequentia similis est illi ; quam Tentator Servatori nostro connexuerat. Cujus responsione defungi optimum est. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Nec enim nobis auxilium Dei extraordinarium & miraculosum ; quod videlicet laborem, curam & prudentiam nostram excludat, promissum est ; sed ordinarium & miraculi expers ; quod laborem, curam, & providentiam nostram non modo non excludit ; sed omninò requirit. Non solis votis aut muliebribus suppliciis auxilium suum parari Deus voluit ; sed vigilando, agendo, bene consulendo. Itaque & auxilii divini fiducia, quamdiu intrà spem ordinariæ opis divinæ laboribus nostris auram suam aspirantis, subsistit vera & legitima fides est : At quoties ultrà istos cancellos ad spem miraculosi auxilii, sine necessitate expectandi, procurrit ; in Tentationis extremum degenerat. Tutatur nos Deus sed per media quæ nobis suppeditat ; quemadmodum & alit, sed laborum & curæ nostræ interventu. Quod quidem de ordinaria Dei providentia dictum esto. Est quando & miraculosam opem utrobique interponit. Sed hanc liberrimo arbitrio suo sepositit ;

ſepoſuit ; nec nobis aut ejus poſcendæ licentiam ; aut expectandæ privilegium , niſi fortè in extrema neceſſitate poſitis , reliquit. Et quoties ordinarias conſervandi noſtri vias ſuppeditat ; ſatis oſtendit , quid à nobis fieri velit. Quas ſi reſpuere malimus ; nihil eſt quod nobis polliceri meritò poſſimus ; cum nobis periculum ultrò , nulla neceſſitate urgente accerſamus ; in quo , idcircò , (niſi nos erroris alicujus miſeratio apud Deum excuſet) ut pereamus plane digni ſumus.

II. Nunc ad præceptum de orando pro inimicis noſtris Chriſti ipſius & aliorum exemplis confirmatum accedamus. Ex quo adverſarii ita argumentantur. *Pro quibus Deſi orare debemus , contrà eos vindictam à Deo poſtulare non debemus. Pro inimicis orare debemus. E. &c. Quod ſi à Deo vindictam adverſus inimicos poſtulare non debemus ; multò minùs à Magiſtratu. Quod ſi per magiſtratum eos ulciſci non debemus , multò minùs per noſmetipſos.*

Primum igitur ut ipſa ultima concluſio , dextrè explicata ; ita tota argumentatio , ſine detrimento cauſæ noſtræ à nobis concedi ac recipi poteſt. Sed hucuſque duntaxat deducta ; nec ad bellorum aut ſuppliciorum inhibitionem producta. Jam enim toties oſtendimus ; aliud eſſe pœnam , aut defenſionem ; aliud vindictam ; ſive per ſe , ſive Magiſtratus operâ ſumptam ; nec ideò quod hæc ob manifeſtam impotentis animi culpam reprehenditur ; ilico aut pœnarum aut defenſionis neceſſitatem reprehendi poſſe.

Deinde in verbis in quibus orare Deum pro inimicis jubemur , obſcuritatem aliquam ineſſe meritò aſſerit Socinus pag. 199. quia iſta obſcuritas ipſi cauſam dedit ; ut latius iſta verba , quam æquum ſit , extenderit. Neque enim arbitramur exigi à nobis ejuſmodi preces pro inimicis ; *ut ea omnia ipſis à Deo precentur , quibus illi opus habent* : quod dicto loco aſſerit Socinus. Quid enim , ſi opus habeant iis rebus , quas ſi ipſis Deus largiretur , tantò plus nobis nocere poſſent & certò nocituri eſſent ? Nam ſi à Deo petere poſſumus ac debemus ; ut nos ab inimicis liberet ; abſurdum eſt obſtringi nos ulla lege , ut ea impetrare inimicis à Deo conemur ; quæ ſi haberent illi , nos in majorem adhuc afflictionem inducerent. Non admiſerim igitur hanc explicationem , niſi verba *Opus habent* ita limitentur ; ut excludantur ea bona ; quæ ſi haberent , tanto plus nobis nocere poſſent. Multò minùs igitur admiſerim explicationem pag. 200. his verbis expreſſam. Præceptum *orandi pro inimicis , comprehendere petitionem bonorum omnium , quibus illi careant , ut Deus ea illis largiri velit ; quemadmodum ut nobis ea quibus caremus , largiatur petimus &c.* Quæ explicatio perinde ac prior limitari non poteſt ; imò verò falſitatem apertam continet , in eo quod nihil diſcriminis ſtatuat , inter ea quæ nobis & quæ inimicis ſive optanda ſive à Deo petenda ſint ; cum non exiguum inter ea diſcrimen exiſtat. Præcipuè verò quod nos Chriſtiani ; qui Dei donis utendum non abutendum eſſe ſciamus ; omnia bona ſine exceptione nobis optare , poſſimus. Inimicis autem , qui ſæpius Dei donis abuti ; quàm uti præſumuntur, nonniſi cum multis exceptionibus ea precari debeamus. Hoc autem diſcrimen tantum eſt ; ut nonnunquam aliqua mala , imò verò pœnæ inimicis ut contingant & optare & petere poſſimus , dum id non ſatiandæ vindictæ deſiderio, ſed gloriæ divinæ zelo ; aut etiam ipſorum inimicorum ſalutis ſtudio faciamus. quod tamen nobis ipſis ut optemus aut precemur à Deo rationi conſentaneum non videtur. Jam verò orare Deum pro inimicis , etamſi plus complectitur ; quàm Deum rogare ut illis parcat ; tamen non complectitur petitionem omnium bonorum quibus careant. Sed quemadmodum nos ipſis non modo veniam, ſed beneficia quoque dare debemus ; non tamen omne genus beneficiorum, quæ illi fortè aut petere aut deſiderare poſſent , verum cum eo modo ac menſura ; ne illos longè pluris quàm noſmetipſos facere ; aut magis amare videamur : ita ſe res habet in votis ac precibus pro illis ſuſcipiendis.

Prætereà quamvis noſtrarum injuriarum vindictam poſtulare à Deo contrà inimicos non debemus ; idem tamen ſemper de omni vindicta ; præſertim Dei ipſius injuriarum , dici an poſſit , vehementer dubitamus. Nam Apoſtolus Alexandro pœnam maleficiorum ejus imprecatus eſt ; & vetus Eccleſia in tradendis Satanæ hominibus pœnas & afflictiones carnis eorum imprecata dicitur, ut vel eo modo ſpiritus eorum poſſet ſervari. Quamvis igitur ex eo, quod preces pro inimicis precationem omnium bonorum complectantur ; conſequatur , nihil mali ipſis unquam à Deo imprecandum eſſe : tamen idem non ſequitur ex eo, quod preces pro inimicis precationem multorum bonorum contineant. Quia ut Scholarum lingua loquamur; tantum contradictoriarum enunciationum ea eſt natura ; ut altera vera ſit, altera falſa ; ad quas requiritur, ut alterutra ſit univerſalis. At contrariarum ſæpe utraque falſa ; ſubcontrariarum quas vocant (in quibus videlicet particularis eſt oppoſitio) plerumque utraque vera eſt. Ex. gr. Si verum eſt , omnia bona inimicis optanda eſſe ; certe falſum eſt aliquid eſſe boni , quod ipſis à Deo optari non debeat ; aut quod idem eſt , aliquid eſſe mali ; quod ipſis à Deo optari poſſit. Contrà ſi verum eſt, Multa ſeu quædam bona inimicis à Deo optanda eſſe ; non idcircò falſum eſt, quædam bona inimicis à Deo optanda non eſſe , ſeu, quod idem eſt , quædam mala inimicis à Deo optari poſſe. Poteſt enim enunciationum iſtarum utraque eſſe vera , quia in illis eſt purè particularis ſeu ſubcontraria oppoſitio.

Quemadmodum autem orari pro aliquo Deus poteſt, & tamen ipſi denegari fraterna communio , quando tunc aliud eſt id quod à Deo petitur ; aliud verò quod ipſi denegatur ; licet iſta eadem videantur ; ita etiam orari pro aliquo Deus poteſt ut ipſi pleraque eorum largiatur quæ nobiſmetipſis optare ſolemus ; & tamen ipſi multa bona optabilia aut non præſtari ; aut etiam gravi aliqua cauſa & neceſſitate poſtulante adimi à nobis poſſunt, quia aliud id ſit quod ipſi à Deo petemus, aliud quod ipſi merito ac juſta de cauſa præſtare nolumus , aut etiam adimimus. Orari enim Deus poteſt ut inimicis ea largiatur , quæ nobis etiam optare ſolemus : modo nobis vitam & res vita cariores non eripiant, & ſub conditione reſipiſcendi. Reſiſti autem nihilo minus illis poteſt ; ne nobis iſta eripiant , etiam cum periculo illorum : Nec tamen iſta reſiſtentia precibus pro illis repugnabit , quia ſunt conditionatæ, nec illud ipſum apparens bonum in ſe complectuntur; quod inimici in nobis opprimendis ; & odio erga nos exſatiando , quærunt.

III. *E præceptis quæ omnem erga proximum ſeveritatem proſcribere videntur reliquum eſt illud , quod patientiam noſtram in remittendis delictis in infinitum producit , dum Chriſtus ait Septuagies Septena delicta fratribus per diem dimittenda eſſe. Ex eo enim colligitur ; aut nunquam delicta punienda ; aut certè capitali pœna non eſſe punienda: prætereà ne in defenſione quidem quenquam occidendum, cum pœna capitalis & occiſio remiſſionem delicti prorſus excludat , imò efficiat ut occiſo delinquente remiſſioni delicti locus eſſe nullus poſſit.*

Præceptum hoc traditur *Matth.* XVIII. 21. 22. & *Luc.* XVII. 3. 4. quorum locorum poſterior , explicat priorem , oſtendens ad ejuſmodi remiſſionem requiri pœnitentiam. Nam infinita clementia Dei ſub Novo fœdere , per quam promiſit ſe peccatoribus quotieſcunque pœnitentiam egerint propitium fore , exigit ut nos quoque erga nos delinquentibus æquè placabiles ſimus quotieſcunque culpas deprecantur ; atque

que illum modum Caritatis erga eos ſervemus ut quod nobis à Deo fieri vellemus, ipſis quoque faciamus: & quemadmodum toties Deum de jure ſuo erga nos deſcendere vellemus; quoties ad eum convertimur (nec enim alia conditione nobis id meritò ac legitimè optare poſſemus) idque noſtro quodam jure, vi novi fœderis ſubnixi: ita toties ipſi de noſtro jure decedamus, quoties proximi culpas ſuas ſibi remitti poſtulant. Non quòd etiam tunc, cum ſuas culpas non deprecantur idem facere aliquando non deceat: aut etiam non oporteat. Sed quia tunc Deus, reſtrictiore quadam (quippe voluntaria & extraordinaria) patientia & bonitate contentus ſit; nec eam omninò ac neceſſariò, ſaltem autem non ſemper à nobis exigat. Nec enim tunc de ſummo jure noſtro, quod ſit in deprecantibus culpam, ſed de æquo jure noſtro deceditur. Quemadmodum & ipſe Deus, multâ erga impœnitentes aliquando bonitate & patientia utitur; ſed neque ſemper aut ordinariò, neque ex vi fœderis aut promiſſi: aut ex obligatione aliqua in ſe ſuſcepta ſed ex beneplacito & extraordinaria bonitate. Nam profectò hoc officium culpas proximorum dimittendi, exemplo bonitatis & clementiæ Dei nobis injunctum eſt, quem in hac re imitari debemus, ſi filii ejus eſſe volumus. Ideo & in oratione Dominica & toties pene quoties hujus aut ſimilis præcepti mentio fit, exemplum Dei nobis inculcatur. *Matth.* v. 45. *& cap.* vi. 12. *& cap.* xviii. 22. *& ſeq. Luc* xvii. 4.

Sed primùm hoc præceptum ad privatam non ad publicam pœnarum exactionem, & ad propriarum non alienarum injuriarum remiſſionem pertinet. Itaque eo publicæ Magiſtratuum pœnæ, quibus alienas injurias vindicant, non comprehenduntur, neque excluduntur: quibus non æquè liberum aut integrum eſt, de alieno, etiam ſummo jure, deſcendere ſicut privatis. Deinde hoc præceptum non de omni jure nos, erga ſontes aut quocunque modo nobis noxios decedere jubet; ſed tantum de ſummo, quoties delicti veniam petunt; aut ſi forte quis illud, ad æqui etiam juris condeſcenſionem extendat; non ſemper de æquo jure decedere jubet, ſed tunc duntaxat, cum illud retineri, gravis cauſa & neceſſitas non imperat; quod tunc ferè accidit cum non nos inimicorum juſtitiâ, æquitate aut furoris moderatione indigemus; ſed illi potiùs clementia, æquitate ac moderatione noſtrâ indigent. Poſſumus igitur delicta proximorum, infinitâ, ut ſic loquar, veniâ proſequi; & toties quoties deprecati fuerint; aut etiam aliquando cum ſimpliciter deliquerint; iis remittere; nec tamen eos longè magis quàm nos ipſos aut homines nobiſmetipſis cariores, diligere. Aliud enim eſt commeritam noxam proximo dimittere; aliud, grave aliquod damnum & infortunium; periculum aut mortem etiam ſubire; ne quod ipſi damnum aut moleſtia vel periculum crectur. Officio certè remittendi noxas etiam impœnitentibus, tunc tantum locus eſt; quando id tutò & ſine magno noſtro malo fieri poteſt. Pœnitentibus autem ferè ſemper tutò dimitti poſſunt eorum delicta; niſi quid ex accidenti interveniat; quod remiſſionem impedire aut remorari poſſit; quod in publicis Magiſtratuum functionibus evenire ſolet.

Quod autem dicitur occiſionem, ſine in ſupplicio ſive in defenſione factam, efficere, ut, occiſo delinquente, remiſſioni locus non ſit: concedi quidem poteſt; Sed nihil in eo abſurdi eſt, quod etiam inter Chriſtianos gravis aliqua delinquentium culpa, remiſſionem iſtam & clementiam excludat, cum ipſe Deus caritatis omnis & miſericordiæ fons inexhauſtus, multorum vitio ſuo pereuntium non miſereatur. Præſertim ſi iſta culpa, non modo in committendo delicto; ſed etiam in negligendo delendæ culpæ remedio, in ipſis delinquentibus hæreat, nec cuiquam alii prætereà meritò tribui poſſit.

CAP. XIII.

Argumenta contrà Pacis ac belli jura ex quibuſdam Sacris exemplis & antiquo Eccleſiæ ſenſu deprompta reſcinduntur.

Superest ut ad exempla progrediamur, ex quibus adverſarii ad oppugnanda bellorum ac ſupplicio rum jura ſumuntur argumenta.

Quorum primum eſt Davidis, ob effuſum in bellis ſanguinem, ab ædificatione templi Deo dedicandi ſubmoti. Non ſemper nobis expectandum eſt, ut aliquid nobis expreſſè prohibeatur; ſed exploranda eſt voluntas Dei bona & perfecta, & probandum quæ ſint præſtantia. Phil. i. 10. *Satis autem cauſæ habemus cur exiſtimemus voluntatem Dei (bonam illam & perfectam) eſſe, ut aliciſſimi ſimus ab omni, etiam olim licita, ſanguinis effuſione, quandoquidem Davidi, qui Domini bella bellaſſe dicitur; non permiſit Deus ædificare templum; quod tantum fuit typus Eccleſiæ Chriſti, non verò ipſa Eccleſia.*

Multò minus igitur iis, qui bella non Domini ſed ſua gerunt, permiſſum eſt, ut inædificentur; huic vero, vivo, & ſpirituali templo, quod ex vivis lapidibus conſtat, aut in eo permaneant; cujus templi figura fuit illud, quod non à Davide ſed à Solomone condi Deus voluit.

Reſp. Non ſine cauſa argumentum hoc non inter S. Scripturæ teſtimonia; ſed inter rationes adverſariorum collocavimus. Nec enim in verbis Dei, quibus Davidi non permittit templum condere, eſt aliquod fundendi ſanguinis interdictum. Sed per ratiocinationem colligitur quàm & ipſe Deus ab effuſione ſanguinis abhorreat, & illi qui Deum imitari, vel Deo in præſtantiſſimis ejus miniſteriis inſervire volunt, ab eadem abhorrere debeant. Quod vel maximè ad eos pertinet; qui hujus templi, cujus figura fuit templum à Solomone conditum; vivi lapides, angulari lapidi Chriſto, inædificandi eſſe voluerint. Verumenimverò ut hoc veriſſimum eſt; ita inde minimè ſequitur, nullam Deum aut ſibimetipſi aut ſuis fidelibus ſervis, in oblata forte aliqua fundendi humani ſanguinis neceſſitate, ejus rei licentiam reliquiſſe. Scimus enim quàm is à ſeveritate ſuppliciorum abhorreat, quàm nolit, (quod & juramento confirmat) interitum peccantium: & tamen illos aliquando ſeveriſſimè puniat, integros quandoque gentes extindat; neceſſitate quadam, ut ita loquar, hanc ſeveritatem exigente. Eodem exemplo, homines quoque ſibi, quàm maximè ab effuſione ſanguinis temperare par eſt, niſi cum triſte hoc & miſerum remedium, ſuprema & ineluctabilis neceſſitas extorquet. Qua quidem in re quantò plus Deo quàm hominibus juris ac poteſtatis in homines, plus etiam bonitatis & ſapientiæ in ſervando juſtæ ſeveritatis modo, ſuppetit; tanto reſtrictior hominum & anguſtiori limite circumſcripta licentia eſt. Nuſquam tamen Deus eas leges mortalibus fixit; ut ipſis (quoties per humanas leges inſtinctu ejus latas, juſtè ac legitimè poſſunt) etiam cum pernicie nocentium, perniciem propriam effugere non liceat. Nam in perſecutionum patientia legitimæ reſiſtentiæ locus nullus eſt. A magiſtratibus enim inferuntur. Non igitur quod apud Deum longè potiori loco ſunt pacis, quàm belli artes; idcircò bella planè abominabilia ſunt. Nec enim ideò quod caſtitatem ac virginitatem longè pluris, quàm carnalem (licet legitimam ſit) copulam faciat; cælibatum omnibus injunxit, aut interdixit matrimonio. Prætereà multa ſunt à quorum abuſu adeò abhorrere debemus; ut etiam uſum non temere nobis permittere debeamus, niſi gravis aliqua cauſa vel neceſſitas poſtulet.

postulet. Talia sunt juramenta, ira vel odium erga proximos; gloriatio de donorum Dei præstantia, paulò magis anxia de vitâ præsenti & quæ ad eam pertinent, sollicitudo, condemnatio aliorum denique ipsa sanguinis effusio. In quibus profectò omnibus fugiendis voluntatem Dei bonam illam & perfectam; non exemplis modò sed interdum expressis quoque præceptis satis exploratam habemus. Nec tamen ita rigide hæc à nobis exiguntur; ut non justa aliqua causa vel gravis necessitas nobis legum istarum omnium exceptiones suggerat.

Et pleræque virtutes non ita medium inter duo extrema cursum tenent, quin ad alterum longè propius declinent. Horum si deterius, omni meliori (ut ajunt) modo vitare jubemur; non idcircò vicinam ipsi virtutem; quamvis de extremi illius remotioris naturâ aliquid trahentem, vitare jubemur. Atque id de clementia; atque inprimis humani sanguinis parsimonia sentiendum est; quæ multò longius, à crudelitate; quàm à lentitudine recedit: non tamen ita in lentitudinem degenerat; ut se suosque ruinæ, incertum, an alieni sanguinis fundendi metu; alienæ libidini turpiter & ignavè prostituat.

Etiamsi igitur concederemus in hac Davidis repulsa, eam Dei mentem fuisse, ut nos à fundendo sanguine absterreret; tamen non magis hoc facto Deus effusionem sanguinis sub Novo Fœdere damnavit; quàm olim cum sanguine vesci prohibuit. Cum tamen res ipsa loquatur, olim hoc interdicto non simpliciter Deum sanguinis effusionem; sed secundum quid, hoc est, quatenus cum crudelitate conjuncta est, damnasse. Et si verba utriusque loci Paralipom. in quibus solis hæc causa repulsæ quam tulit David, exprimitur, considerentur; non eam causam Deus prætendit; quod sanguinem fuderit, aut bellum attigerit; sed quod multum sanguinem fuderit; & plurima bella gesserit. Nam 1. *Paralip.* XXVIII. 3. dicitur. *Es enim vir bellator & effudisti sanguines*, non sanguinem. Et multò clarius antea 1. *Paral.* XXII. 8. *Fudisti multum sanguinis & prælia magna* (ut Vatablus aut ut vulgata versio habet) *plurima bella gessisti, non ædificabis nomini meo ædem, sanguinis enim multum fudisti in terram coram me.* In quo licet crudelitatem Davidis Deus non perstringat, sed potius infortunium, quod ad bella ista necessitate quadam coactus fuerit, quod Salomon *Reg.* III. *cap.* V. 3. in mandatis ad Hiramum Tyriorum Regem exprimit, tamen ex verbis ipsis planum est, non simplicem effusionem sed multi & copiosi sanguinis effusionem, ipsi objectam. Nam & Solomon ante conditum templum non unius hominis sanguinem effudit, Adoniæ, Joabi, Semei, & capitalia supplicia ab ejus regno exclusa non legimus. Nec tamen per istas sanguinis effusiones, pax illa & tranquillitas quam sub regno ejus 1. *Paralip.* XXII. 9. Deus fore prædixit; quæque vera causa fuit cur is in ædificatione templi patri prælatus sit, violata aut sublata est. Unde patet cum simplex effusio sanguinis, imò cum totus Pacis gladii usus (qui tamen sæpe minus urgente necessitate exprimi videtur, quàm usus enfis bellici) Solomonem ab honore templi hujus ædificandi non excluserit; non belli aut suppliciorum damnationem, sed aliquid altius Deum in prælatione Solomonis præ Davide spectasse.

Nam ut jam ad alteram partem responsionis accedamus, non hæc Dei mens in eo facto fuit; ut nos ab eo, ne ullo modo sanguinem funderemus absterreret: aliàs ipsum ne Solomoni quidem ullo modo fundere licuisset: sed ut pacifici illius Regni Filii sui, (qui non modò inter Deum ac cœlites: & humanum genus; sed inter Israëlitas & gentes atque omnes promiscuè populos; atque adeò inter mortales universos ac singulos quatenus per malitiam quorundam liceret) pacem & concordiam conciliare & quæcunque pacis beatitudine consequuntur bona cumulatè præstare: deniq; non gladii aut oppressionis violentia, sed placidissimis atque ab omni Coactione alienis, pacis artibus, sibi omnia subjicere debuerit,) imaginem & figuram in Congruo tantæ felicitati, exemplo adumbraret. Ideo hujus Regni typum, non Davidis cruentum & bellorum periculis infestum; sed Solomonis tranquillum & profundæ pacis bonis & affluentiâ beatum, Regnum esse voluit. Patet id ex *vers.* 9. & 10. capitis 11. Paralip. *Ecce filius tibi nascetur, hic erit vir quietis, ego enim dabo ei tranquillitatem ab omnibus hostibus ejus circumquaque, si quidem Salomon hoc est Pacificus erit nomen ejus, daboque pacem & tranquillitatem supra Israëlem in diebus ejus. Ille ædificabit domum nomini meo, & is erit mihi Filius, egoque ero ei Pater, & firmabo solium regni ejus suprà Israëlem in sempiternum.* Quæ postrema verba cum ad Christum potiùs quàm ad Solomonem pertineant, apparet in toto isto sermone, adeoque facto Dei; non præstantiæ, virtutis, & innocentiæ Solomonis præ Davidis innocentia coràm Deo; sed præstantiæ Christi per Solomonis typum figurati, præ omnibus aliis filiis Dei, quos in principes populi sui cooptavit atque ipso Davide, rationem habitam. Neque enim in reipsa simpliciter & absolutè potiori ratione fuit filius Dei Solomon, quam David, quod verba præ se ferre videntur, neque Deo carior; nisi fortè secundum quid, quatenus posset videri à Deo majus beneficium in pacifici Regni collatione; quàm David in bello parti principatus concessione, accepisse. Quod tamen ipsum beneficium non virtute ac merito suo, in quo præ Davide excelluerit, Solomon accepit: sed gratuito consilio Dei longè aliud intendentis, hoc est ut veri Filii sui typum adumbraret; qui id virtute ac merito suo accepturus & acquisiturus erat. Non enim hic in ista typicâ collatione virtus & innocentia Solomonis, culpæ alicui & pollutioni Davidis quam per bella contraxerit, præferri videtur: verum felicitas temporum Solomonis non ejus merito parta, sed mera Dei benignitate (ut ipsa verba indicant) concessa; temporum Davidis infelicitati, quæ non per se, ejus culpâ, sed ex accidenti evenerat; anteponitur; ut dignitas imperii Christi, verâ & propria ipsius virtute ac merito, non aliqua belli fortuna parti, per ejusmodi typum adumbraretur. Quod vel ex eo patet, quia David quoque typus Christi; etiam in debellatione inimicorum suorum fuerit, teste ipso Socino in libro contra Palæolog. partis quartæ pag. 365. dum ait, de sessione ad dexteram Dei agens, *Hujus rei qui antecessit typus* (hoc est David) *hanc ipsissimam esse veritatem omnino declarat. David enim dum sibi subjicerentur inimici sui, non modò interea otiosus non fuit, sed ipsemet omnia Deo adjutore peregit, perque ipsum illi Deus omnes ejus inimicos subjecit. Quemadmodum igitur David postquam illi à Domino dictum fuit, Sede à dextris meis, donec &c. à regno suo administrando non cessavit, imò ex eo tempore maximè illud administrare cœpit; sic de Christo intelligendum est &c.* & quæ sequuntur. Non potuisset, autem in eo David typus esse Christi in quo vera & maxima ejus culpa & pollutio manuum ejus intervenerat. Proinde illa effusio sanguinis copiosa, quæ Davidem ab ædificatione templi Dei submovit, non est ipsi à Deo tanquam culpa aliqua objecta: sed tanquam res consilio Dei, Regnum filii sui, (in quo verum ac Spirituale templum Dei condendum fuit;) aptioribus lineamentis adumbraturi, minus consentanea. Quodsi id, quod isto loco Davidi objicitur, non tanquam culpa aut crimen aliquod objicitur; ecquid momenti habent ista verba ad justa bella aut supplicia damnanda?

Id

Id tantum ex istis verbis firmissimè colligitur, ad verum ac spirituale templum Dei condendum (cujus figura fuit templum illud Solomonis) bella & supplicia aut effusionem sanguinis alieni nihil facere: quod nos ultrò non fatemur modò; sed maximè contendimus, cum Religio ac Regnum Christi spirituale, utriusque gladii & omnis coactivæ potestatis expers esse debeat. Non igitur à condendo templo Dei, quod Christi Ecclesiæ typus fuit, David tanquam prophanus & indignus rejectus est; sed tanquam typus minùs idoneus ad exprimendam, Christi antitypi in fundanda & plantanda Ecclesia Dei, imaginem; quam Deus magis idoneis coloribus in Solomone adumbraturus erat, quia Christus ut non terreni imperii ac templi Conditor futurus erat; ita non terrenis, sed cælestibus & spiritualibus modis, hoc est ab omni violentiâ, quæ in bellis præcipuè cerni solet, alienissimis artibus extructurus erat parietes hujus templi, quod universam Dei Ecclesiam comprehendit.

Illud etiam animadvertendum est, ex eo quod quis ad ædificandum templum Dei parum sit idoneus, vitiosè colligi, eundem non posse inædificari eidem templo Dei tanquam vivum lapidem; aut inædificatum in eo permanere. Nemo enim præter Christum fuit ad exstruendum templum hoc idoneus. Nec tamen reliqui omnes hujus structuræ lapides, idcircò sunt rejectanei, ut compagem ejus constituere nequeant.

De bellis Domini à Davide gestis, quod ab adversariis subjicitur; per hunc loquendi modum bella justa & voluntati Dei congrua, intelligimus; qualia nunc quoque urgente necessitate geri posse statuimus. Non enim Socino assentimur, qui cum Deum in suscipiendis bellis à Davide consultum fuisse pag. 89. dixisset; inde statim infert, *Non igitur ex Magistratus auctoritate, sed ex Dei concessu & voluntate jus belligerandi sub lege pendebat*, quasi ad jus belli, Dei consulti concessio requisita fuerit. Cum & ipse pag. 84. disertè fateatur. *Quoties sub lege legitimè belligeratum est, expressè id, & nominatim à Deo mandatum, aut mandandum fuisse ex S. historia falsum esse apparere.* Nec exempla Davidis Deum consulentis ad propositum faciunt: qui non tam de eo quid sibi faciendum; quàm quid sibi eventurum esset, nec an bellare liceret; sed an prospere bellum successurum esset, Deum consuluit. *Vide locos* 1. *Samuel* XXIII. 2. 4. & 2. *Samuel* V. 9. & 23.

Reliquum est ipsius Christi, agni immaculati exemplum, cujus nisi *in perpetiendâ summâ mansuetudine injurin exemplum in terris imitati afflictionum consortes fuerimus sin cœlis cohæredes esse non possumus. At is nec bellum gessisse, neque se defendisse; nec supplicium de quoquam sumsisse; imò verò in adulterio deprehensam mulierem impunitam dimisisse, legitur.*

Resp. Christum quidem in vitæ sanctimonia imitari debemus, sed neque omnia quæ illi ex officio muneris quod gessit, fecit, facere; nec ab omnibus, à quibus ille, vitæ suæ institutum ingressus abstinuit, abstinere. Nam neque Regio aut Sacerdotali munere fungimur, neque Dei & hominum Mediatores in pangendo Novo fœdere sumus. Reipub. partem ullam attingere Christus recusavit, quia munus hoc, dignitate muneris quod gessit, longè inferius & parum dignum visum est. Etiam partitionem hæreditatis inter fratres detrectavit. Nec enim decuit Cælestis imperii Conditorem vacare ignobilibus curis. Et non sine causa Paulus id muneris, quod in dirimendis litibus nos vacare terrenis negotiis cogit, contemptissimis in Ecclesiâ delegandum statuit: non tamen ab Ecclesia penitus proscribendum. Multa sunt vitæ humanæ officia quæ in Ecclesia propemodum, tantum propter conditionis nostræ in hac mortali vitâ infirmitatem, tolerantur. Quædam autem ejus generis, quorum nos mutuò pudet; & in quibus lucem, actionum nostrarum testem, fugimus ac tenebrarum secretum quærimus. Et tamen istis quoque locum in Ecclesia necessitas facit, & precariam quandam honestatem conciliat. Quanto magis illis; quæ neque per se inhonesta; aut inter homines pudenda sunt, & violentiori, quàm matrimonia necessitate nobis extorquentur, quales sunt belli atque pacis leges. Proinde ejusmodi vitæ humanæ actionibus quod abstinuerit Christus; neque mirandum est, neque inde concludendum nullum ipsis locum ab eo in Ecclesia relictum.

Quod ad perpessionem injuriarum & consortium afflictionum Christi attinet, non in omni perpessionum & afflictionum genere consortium cum Christo habere possumus; sed in iis duntaxat passionibus, in quibus nos cum eo, causæ perpetiendi communio conjungit; quales sunt persecutiones ob religionem ac veritatem cælestem: præcipuè verò, ab iis, quibus resistere non licet, hoc est qui sunt cum potestate, profectiæ. Nam & Pilato potestatem cælitus datam Christus agnovit *Joh.* XIX. *vers.* 11. Sed, ut persecutiones quas ob aliquam culpam ita & quæ ob aliam causam, puta inimicitias aut hostilitatem fiunt, huc non pertinent, quibus resistere licet; quoties jus & facultas resistendi non deest. Neque enim afflictio martyrem sed causa afflictionis facit. Aliàs latronum supplicia; & mala quæcunque hostium aut inimicorum sævitiâ inferuntur, in martyriorum numerum & gloriam venirent, quod absurdum est. Præterea nunquam est afflictionum laudabilis perpessio, nisi eam justa aliqua necessitas commendet; qualis est cum ex altera parte neque honesta evadendi copia, neque jus resistendi suppetit; & parte altera Veritati insigne testimonium perhibendum est. Quodsi ne Veritatis quidem causâ sine necessitate patiendum est; sed non omittenda honesta evadendi occasio & facultas. Multò minùs, tunc cum nullum ex miserè tolerata ærumnâ divinæ gloriæ emolumentum sperandum est: nulla profitendæ aut confirmandæ veritatis, necessitas incumbit, omittendæ sunt legitimæ defensionis rationes atque idonea nec ullius vinculi impedimento intercepta remedia.

At enim Socinus urget pag. 52. *Christum imitandum esse in eo potissimùm cujus exemplar nobis propositum est: Ne Malum pro malo ulla ratione, nec publica; nec privata reddamus.* Atqui hoc ità absolute prolatum falsum est, quia sic ne castigare quidem quenquam liceret. Id verò tantum verum agnoscatur. Malum pro malo, iracundiæ satiandæ; aut sumendæ vindictæ desiderio, exemplo Christi reddendum non esse: quod tam publicè quàm privatim faciendum non esse fatemur.

Atqui 1. Pet. II. 21. *Christus afflictus pro nobis dicitur, relinquens nobis exemplum ut insequeremur vestigia ipsius, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum convitiis incesseretur, non regessit convitia, cum malis afficeretur non minabatur: sed tradidit vindictam ei qui judicat justè.* Verum exemplum istud Christi, resistentiam Magistratus quæ aut in improbis puniendis, aut in propulsandis hostibus requiritur, non tollit aut excludit. Nec enim pertinet ad eos, quorum munus est uti suâ potestate, quam in utroque officio sibi habent à Deo concessam. Nam ab Apostolo adducitur; non ad instituendos eos qui sunt cum potestate, sed eos qui sunt sub potestate. Vide *vers.* 18. & 19. Qui certe superiorum suorum injuriis resistere; vim eorum, etiam iniquam propulsare aut iis convitia pro convitiis, minas ultionis pro malis regerere non debent, exemplo Christi, qui Magistratuum, quorum in potestatem tunc sese, morem patri suo gerens tradiderat, injurias patientissimè tulit.

Quod si quis dicat tàm ad Magistratus quam ad privatos;

vatos; ut præcepta omnia Christi, ita & exemplum istud pertinere. Nec enim magistratus exemptos esse legibus Regis nostri: huic ego respondeo, istis quidem legibus Christi Magistratus exemptos non esse, quæ omnibus universim latæ sunt. Sed esse pleraſque Christi leges quæ certis hominum generibus latæ sint. Aliæ enim imperantibus, aliæ subjectis, aliæ dominis, aliæ servis latæ sunt; ut alia omnia vocationum discrimina taceam; quæ doctrina Christi non sustulit; sed in sua quisque vocatione servire Deo jussus est. Porro æqualicati Christianæ nihil magis adversum videtur quàm despoticum imperium, quod tamen sublatum non est. Multò minùs igitur civile. Quæcunque igitur præcepta sunt, quæ cum aliqua vocatione (de qua aliunde constet eam lege Christi esse permissam) pugnant, ea ad homines illius vocationis non pertinere censendum est: ac proinde non esse ita universalia, ut exceptiones pati nequeant. Cum igitur Magistratus functionem lege Christi prohibitam non esse aliunde ostendatur, ne ea quidem quæ huic functioni essentialia sunt, prohibita esse possunt, licet aliis fortè qui sunt extra Magistratum prohibita sint, quod & in legibus humanis accidit. Tenetur igitur Magistratus quoque legibus Christi omnibus, iis exceptis quæ vocationis ejus ac muneris naturæ planè repugnant, & quibus si pareret, desineret esse Magistratus, qualis est Coactivæ potestatis & juris utriusque gladii abstinentia; & quæcunque huc pertinent, in quibus solis, ratione functioni suæ, à communi cæterorum conditione exemptus esse censetur.

Nam quod peculiares & expressæ leges Magistratui ex professo præscriptæ non sint, duabus de causis accidisse videtur. Primùm, quia lex Christi non est more Mosaicæ aut aliarum humanarum legum, in tabulis aut peculiari aliquo codice comprehensa: Sed tàm Christus, quam Apostoli, *ex oblata occasione* hominum, quos verbo aut scripto erudiebant, præcepta Legis ejus tradebant. Tunc autem nondum magistratus, veritatem Christi agnoverant, quibus præcepta ista traderentur. Deinde quia nihil novi in iltis Magistratuum officiis Christi doctrina introduxit, quod non aut in legibus æque institutis humanis, quas manifestè confirmavit, reperietur: aut ex ipsa doctrinæ & religionis cunctis traditæ analogia, posset suppleri. Non igitur exemplum patientiæ Christi; quod iis qui in aliorum potestate sunt, præscribitur, ad magistratus pertinet.

Præterea exemplum Christi apud Petrum adducitur ad instituendos eos, qui non modo innocentes, sed etiam propter conscientiam sufferunt molestias. nec enim omnis afflictio martyrium dici potest. Ut igitur Christus non modo innocens, ut qui peccatum non fecit, sed ob veræ doctrinæ suæ testimonium, cui dolus atque impostura falsò & inique objiciebatur, mortem à Magistratu patienter perpessus est, ita & nos martyria patienter ferre debemus; quod tamen ad causam præsentem Magistratuum non pertinet.

Deprehensam in adulterio mulierem, quod Christus capitis non damnaverit, nequaquam eo facto, jus Magistratuum & capitalium pœnarum potestatem convulsit, imò confirmavit, docens exemplo suo, in ejus messem alienam falcem non immittendam. Confirmavit & in eo, quod occasione hujus casûs, nullam legem tulit: quæ jus istud magistratuum abrogaret; proinde in veteri statu jus istud reliquit. Nam si quis dicat non fuisse integrum Domino Jesu legem Mosis tunc directè abrogare, propter periculum accusationis; quia legimus in *vers. 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent eum accusare*; ideò non directè, sed obliquè eam abrogasse, imposita conditione executoribus ejus quam sciebat præstari non posse, id profectò admitti non potest. Primùm enim Domino Jesu indignissime id affingitur; quod propter periculi metum doctrinam suam ac veritatem cælestem palàm & ingenuè aperire ausus non fuerit. Quod in primum ac fortissimum martyrum omnium Ducem cadere non potest: qui & sibi animam pro multis ponendam, & horam suam (quod infrà eodem *cap. vers.* 20. legitur) non dum venisse, probè sciebat. Nam quod Christus in respondendo tergiversatus esse videatur; nec statim ad interrogationem eorum respondisse, id non propter periculi metum, sed pluribus de causis fecisse potuit. Primùm, quia in re ad ipsum non pertinente, suffragium ac sententia ejus fraudulenter poscebatur; qualis profectò quæstio neglectu ac silentio dignissima erat; præsertim cum jam ante ex verbis Christi expressis scire possent, eum legem Mosis, præcipuè forensem non sustulisse. Deinde, quia & mulieris illius, quàm sanabilem esse pro divina sapientia sua scire poterat, eum fortè miserebat: & indignum censebat, ad decernendum paratum jam ac præsentissimum damnandæ mulieris supplicium atque mortem, versutissimo inimicorum artificio, calculum & sententiam suam adjici. Idcircò sapientissimam rationem commentus est, per quam neq; legi Mosis per se derogari posset; & tamen impedita per accidens in illo speciali facto ejus executione, adversarii fraudulenti consilii sui compotes non fierent. Non enim ea Christi mens esse in his verbis potuit, ut lex Mosis abrogaretur, sed tantùm ut lege salvâ, executio ejus in illo singulari casu impediretur. Quapropter tantum abest ut lex ipsa vel minimo Christi dicto in dubium vocata, ut manifestissimè confirmata sit: idque multipliciter.

I. Primùm ipso facto hoc est, neglectu ac silentio Christi, cum de legis istius auctoritate interrogaretur. Nam si eam per doctrinam suam tollebat, non erat silentio involvenda aut supprimenda veritas; (quod genus inficiationis occultæ, homines in errorem abducere potest,) sed clarè atque aperte confitenda. Quia verò Christus initio ad eam quæstionem nihil respondit; apparet per doctrinam ejus istam legem non abrogatam, sed in suo antiquo statu relictam.

II. Deinde ipsis quoque verbis confirmata est, dum ipsa Lex adeò non tollitur, ut modus quoque executionis ejus, etiam in illo speciali facto, cujus executionem Christum impediri voluisse concedimus, præscribatur. Qui, si quidem planè & absolutè impossibilis præscriptus fuisset, posset fortè utcunque dici, legem hanc obliquè ac per indirectum sublatam; quod etiam urgere adversarii solent. Quanquam etiamsi planè & absolutè impossibilis fuisset præscriptus; tamen is potius ad illum specialem casum, ob supradictas causas, astringi non autem ad enervandam in genere aut tollendam totam legem porrigi deberet; præsertim cum tunc Christus doctrinam aliquam novam ex professo tradere non instituisset; sed neglectim ad importunas adversariorum quæstiones & invitus responderet. Sed illum impossibilem esse dici non potest, cum Christus hic ab æquitate naturali istum puniendi modum deducat, quæ non id postulat, ut qui alium castigat & punit, nulla vel levissimi peccati culpa teneatur; sed ut ejus ipsius peccati quod punit; aut certè æquè supplicio digni, culpâ non teneatur. Atqui planè & absolutè impossibilè non est, aliquos eorum qui capitalis criminis alios postulant, ipsos à capitalis criminis culpa immunes esse. Proinde in eo casu modus à Christo præscriptus non obstabit, quominus lex hæc ad executionem deducatur. Non igitur Christi mens fuit, in genere omnem hoc [illegible] usmodi legum forensium executionem impedire: sed tantùm singularem illum, per impositam sibi absolvendæ aut damnandæ sententia sua mulieris ad se adductæ, necessitatem, inimicorum suorum astum eludere. Quam cum damnare neque sui muneris esse, & parum

officio

officio suo & misericordiæ congruum censeret; ut, qui omnibus peccatoribus veniam ac remissionem delictorum attulerat, sententia sua quenquam morti addiceret; absolvere autem contrà expressam Mosis legem, quæ per doctrinam ejus non abrogabatur, minimè posset: primùm omnium à ferenda ea de re sententia sua, silentio ac propositæ quæstionis neglectu, sese vindicare conatus est. (quod certe non fecisset si per legem ejus capitis damnare neminem liceret.) Quod cum per importunitatem adversariorum non licuisset: mediam viam sapientissimè invenit, per quam, & legi auctoritatem, & mulieri vitam: & muneri suo consentaneum clementiæ decorum illibatum, conservavit; non sine dedecore ac probro inimicorum suorum, qui priusquam ad damnandam aut absolvendam mulierem, (quarum rerum alterutrius spem sibi planè desponderant) ipsum adigere possent, sese ipsos proprio judicio damnare coacti sunt.

III. Non fuisse autem Christi mentem ut lex ista Mosis abrogaretur, præter ea quæ de silentio & verbis Christi diximus; illud etiam documento est, quod Christus mulierem istam non absolvit, sed tantum non condemnavit. Nam si lex ista jam abrogata & nulla fuit; mulier ista lege non tenebatur. Proinde istius saltem legis nexu absolvenda fuit. Atqui absoluta non est, sed tantum non condemnata. Non est autem quod quis existimet idem esse non condemnare, quod & absolvere. Plurimùm enim inter se distant. Absolvere nemo potest nisi primùm potestatem judicandi habeat; deinde nisi causam cognoscat. At non condemnare potest aliquis, etiamsi neque judicandi potestatem habeat aut sibi sumat, neque causam cognoscat, hoc est, & si judicare sive non possit sive non velit. Noluisse autem Christum eam causam judicare, ex primo ejus silentio patet. Non igitur idcirco mulierem absolvit, quod non condemnavit. Deinde ex verbis Christi *vers.* 10. & 11. prolatis patet Christum *ideo & sic* mulierem illam non condemnasse: *quia & quomodo* ab accusatoribus suis condemnata non fuerit. Atqui ab illis ne absoluta quidem fuit, sed tantum non judicata.

IV. Quid? quod ex ultimis verbis Christi colligi potest, mulierem illam, si posthac in isto peccato deprehensa fuisset, rigori hujus legis obnoxiam futuram fuisse. Cur enim ipsi imperaret *Vade & posthac ne peccaveris*, nisi verba ista tacitam comminationem continerent, recidendi in idem periculum, ex quo ægrè divina sapientia & clementia Christi evaserat? Non igitur ullo modo Lex Mosis per ista Christi dicta aut facta, convulsa aut labefactata, sed potius confirmata censenda est.

Quanquam illud non negaverim, in istis dictis atque factis Christi; habere ipsos Judices ac Magistratus salubre monitum; ut in rigore legum exercendo, fragilitatis humanæ, quæ ipsos quoque variis delictis obnoxios reddit, meminerint, ac rationem habeant. Quibus alioqui neque Deus, neque ratio sana, neque ipsa mens legum deesse voluit potestatem atque innumeras rationes rigoris legum, salvis ipsis legibus, pro vario personarum & circumstantiarum discrimine moderandi; præsertim in Christiana Repub. ubi in mitiorem partem Judicibus, Dei Christique exemplo, longè magis quàm olim declinandum est, de quo nunc fusius dicendi locus non est.

Reliquum est ut ad peculiare quoddam Socini argumentum, quod ex Christi exemplo sumit, accedamus. Hoc *lib.* 1. contra Palæolog. pag. 13. ita legitur. *Quos magis decere videbatur Christi injurias ulcisci, quàm ipsos Christianos; aut quod bellum magis vel justum vel etiam pium, excogitari potest, quàm id quod pro Domini ac Regis sui, atque adeò summi benefactoris, qui pro se vitam ipsam profuderit, honore & gloria, adversus teterrimos & immanissimos hostes, suscipiatur; qui per summum scelus cum innocentissimum, supplicio ac morte omnium maximè detestabili affecerint, & vitæ datorem spreverint atque rejecerint. Quid? quod Christus æternum noster ac cælestis Dominus & Rex est, cujus honore & gloria, ipsius Dei gloria continetur. Cum igitur in omnium ipsis Christianis convenientissimâ & justissimâ belligerandi causa, non Christianorum sed Idololatrarum operâ uti Christus voluerit, concludendum est, nullum esse jam justum bellum, quod Christianos deceat.*

Resp. Si Christi servis defendere vitam Regis sui; atque ipsius Regnum honorem & gloriam, carnalibus armis promovere non licuit; vetante ipso Christo & repugnante rei ipsius naturâ, multò minùs injurias ipsius ulcisci. Nam si Regnum ejus fuisset carnale & ex hoc mundo, nihil fuisset convenientius, quam id quod dicit post Christum Socinus, ut servi ejus pro ipso armis carnalibus & mundanis pugnarent. *Joh.* XVIII. 36. Sed quia est spirituale, cæleste, & non ex hoc mundo, ideò nihil ineptius est; quam non spiritualibus ac cælestibus, sed carnalibus & mundanis armis illius gloriæ & Regno navare operam, præsertim cum id ipse vetuerit. Debemus nos pro honore & gloria Christi sanguinem nostrum profundere & pugnare, sed spirituali non carnali belli genere, quia cum Rex sit noster æternus ac cælestis dominus; cæleste non mundanum Regnum possidens; cælestibus ac spiritualibus ejus præceptis parendo, cælestibus quoque ac spiritualibus armis, pro ipso decertare debemus. Is autem adeò omnia mundani regni arma atque præsidia; vimque & violentiam carnalem, à Regno suo Spirituali, (nimirum quatenus est tale), removit ut ne dominationem quidem ac potestatem civilem in eo, putà quatenus est tale, usurpari permiserit. *Matth.* XX. 25. 26. Cæterùm quis ex eo, quod Christus in Ecclesia sua quatenus est Ecclesia, dominatum vetuerit; omnem in mundo, extrà Ecclesiasticum regimen, dominatum Christianis prohibitam censeat? Ita quis ex eo, quod Christus Petrum pro defensione sui carnali gladio pugnare prohibeat, jure colligat omnem gladii usum Christianis vetitum esse. Non erat igitur Christianis omnium convenientissima & justissima belli causa, cum occasio est oblata carnalibus armis hostes Christi ulcisci aut persequi, quia Christus Regnum & gloriam suam ejusmodi rationibus promoveri, non modo non imperavit, sed expressè prohibuit.

Præterea Christus, cum populum Judaicum excidio punivit; non humano & mundano modo bellum cum eo gessit, sed cælesti gubernandi ratione pœnas ab eo exegit. Non enim ii, quorum operâ ad puniendum populum hunc usus est, in gratiam Christi, aut pro honore & gloria ejus, arma sumpserunt; (quod Christianis in gratiam Christi bellantibus faciendum erat), sed alios peculiares suos fines sibi propositos habuerunt. Cælestis autem Regiminis ratio, similis est orbi naturam gubernanti, hoc est, ad destinatos ab artifice fines atque effectus flectenti, in qua passivis activa applicantur, quæ cum singula juxta insitam sibi vim agant, effectum producunt, non ex naturæ genio profluentem, sed ab artificis ingenio excogitatum. Ita mens sapientissima atque omnipotens; actiones hominum, quarum singulæ in destinatos sibi privatim fines directæ sunt, applicando, ut sic loquar, activa passivis, id est, in homines per homines agendo, in peculiarem atque ab omnibus hominum destinationibus, sæpè longo intervallo distantem finem & scopum dirigit. Non igitur ex eo, quòd Christus, cum in populum Judaicum cælesti gubernandi ratione animadvertere vellet, eorum ministerio uti noluit, qui mundano & vulgari modo ulcisci ac debellare hostes suos potuissent; non inquam ex eo sequitur, mundano ac vulgari modo, in-

juſtam vim Chriſtianis, nunquam eſſe propulſandam. Nec enim ex eo, quod aliquid ideo factum non ſit: quia fieri, ob varias præter inhoneſtatem, cauſas non potuit: colligi poteſt illud ipſum quia non factum eſt, eſſe parum honeſtum aut licitum, aut decorum. Non enim propter inhoneſtatem, ſed propter impoſſibilitatem non factum eſt. Non potuiſſe verò Chriſtum in excidio Judæorum; uti operâ Chriſtianorum ejuſmodi qualem fingit Socinus, ob duas iſtas ſupradictas cauſas jam oſtenſum eſt; primùm quia id cæleſtis Regni ejus naturæ ac religionis inſtituto, quæ non ab enſis modo ſed omnis violentiæ imo Coactivæ poteſtatis uſu abhorret, prorſus repugnabat. Secundò quia tunc Chriſtus non terreno ac vulgari modo; ſed cæleſti animadvertendi ratione, injurias ſuas, aut potius populi illius ingratitudinem ulciſci voluit; hoc eſt per adminiſtros ejuſmodi qui tanquam activa paſſivis applicati; nihil minùs cogitabant; quàm id efficere quod Chriſtus effici voluit, quod certè in Chriſtianis idem quod & Chriſtus, intendentibus, locum habere non potuiſſet. Quibus tertiam cauſam addimus; quod Chriſtus tunc gentem illam, non exercitu miraculoſè collecto; cui aut ſeſe, aut alium Ducem extraordinario modo impoſiturus eſſet; ſed bello à Principe aliquo terreno, ordinariâ ratione ſuſcepto; excindi voluit. Quamvis autem Chriſtiani jam per orbem non mediocriter propagati eſſent, nondum tamen tunc aliquam Rempublicam aut Principem habuere; cui ſuſcipiendi belli jus & poteſtas eſſet. Sed in re planâ, metuo ne plus æquo prolixiores fuerimus.

Solent afferri ex veteri Eccleſia exempla quibus militia & bella damnantur. Et ea quidem primùm publica, deinde privata. Publica totius Eccleſiæ. Quale eſt illud quod producitur è Canone XII. Synodi Nicenæ, exemplum animadverſionis Eccleſiaſticæ contrà eos qui ad malitiam reverſi fuerant. Sed hæc animadverſio, non ob ſolum reditum ad militiam, ſed ob idololatriam in lapſos extendebatur. Patet enim ex Canone XI. ſermonem iſthic de Licinii temporibus fuiſſe; qui teſte Euſebio milites cingulo exuebat, niſi Diis ſacrificare vellent; ita ut ſub eo ad militiam reverti nemo poſſet, niſi patrata priùs crimine Idololatriæ. Patet & ex hiſtoria ſub Conſtantino plurimos militaſſe Chriſtianos; neque tunc ullus fuiſſe in Eccleſia legitur, qui aut Magiſtratum Chriſtianum à bello & capitalibus ſuppliciis, aut privatos omnes à militia dehortaretur, cum tamen nec diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigor adhuc elanguiſſet & Eccleſia in ſectas & ſchiſmata ob diverſitatem opinionum ſcindi cæpiſſet. Imo verò expreſſè ſcribitur, iis qui ſub Licinio ad militiam reverſi non fuerant à Conſtantino revertendi ſi vellent, facultatem conceſſam: quæ concedi à pio Principe non potuiſſet, ſi id per Religionem non licuiſſet. Quid? quod in Concilio primo Arelatenſi ſub eodem Conſtantino celebrato Canon Tertius eos, qui militiam deſerunt ſine perſecutionis neceſſitate, puta ante tempus & illegitimè, arcet à communione: tantum abeſt ut ſimplex militaris vitæ electio, aut ad eam reditus puniretur. Nam quod poſt pœnitentiæ actionem ad militiam non patuiſſe reditum Leonis epiſtola oſtendit, non magis ab Eccleſia damnatam fuiſſe militiam arguit; quàm Magiſtratus aut ſecularium curarum adminiſtrationem; aut rerum alienarum procurationem; aut cauſarum patrocinium; aut ipſam tutelæ pupillorum functionem, eò quod his omnibus, Epiſcopis aut Preſbyteris interdiceretur: à quibus ſicuti & à pœnitentibus eximiæ cujuſdam ac perfectioris vitæ ſpecimen poſcebatur?

Ad privatas quæ opponuntur auctoritates refero præcipuè Origenis ac Tertulliani ſententias; Quorum utrumque nec ſibi ſemper in hac de bello opinione conſtitiſſe; & excellentius ac ſublimius præ aliis doctrinæ genus affectaſſe, rectè obſervat Eruditiſſimus Grotius l. 1. de jure Pacis ac belli *cap.* 11. *parag.* 9. Quæ res & Originem in innumeris opinionibus, cum ſequenti Eccleſia commiſit, & Tertullianum ab illius ævi quo vixit, Eccleſiaſtica communione, ad Montani enthuſiaſmos relegavit. Lactantius quoque Chriſtianis bello, non meliori jure, quam navigatione interdixit. At Clemens Alexandrinus omnibus iſtis antiquior, Chriſtianos etiam militare ſolitos non obſcure innuit. Idem ipſe Tertullianus pluribus locis oſtendit; tametſi tunc ea eſſet militiæ conditio; præſertim perſecutionis tempore, ut vix abſque idololatriæ crimine exerceri poſſet. Unde profecta ſunt piorum Patrum monita; qui ab eo vitæ genere, tunc, abſtineri tutiùs putabant. Sed hoc impedimento remoto, nunquam ab Eccleſia milites excommunicatos legimus. quod tamen ab eâ factum omninò fuiſſet, ſi militare vitæ genus per ſe ac ſimpliciter damnaſſet.

CAP. XIV.

Ex conceſſa aut demonſtrata hypotheſi quòd Pacis ac belli jura Magiſtratibus lege Chriſti conceſſa ſunt; neceſſariò conſequi, quòd in iiſdem exercendis privatis Magiſtratui obſequi aut ſponte miniſtrare, per eandem legem liceat; oſtenditur.

QUæſtionem de jure Magiſtratus, Socino, viro alioqui incomparabili haud quaquam ſatis diſcuſſam aut deciſam ſuprà monuimus. Neque id ab ipſo injuriâ ſed de induſtria factum, quæcunque ejus rei cauſa fuerit, præter multa alia, verba ejus indicant pag. 233. *Negant* (Racovienſes) *eum qui Chriſtianus eſſe velit, humanum ſanguinem fundere poſſe, ſive privatus ſit; ſive etiam Magiſtratus. Poſterius hoc an verè ab ipſis dictum fuerit, nec ne, non eſt meum judicare. Nec ſanè eſt, quod de veritate hujus quæſtionis hoc loco ſolliciti ſimus, cum, ut dictum fuit, ea ad diſputationem ab initio inter vos inſtitutam non ita pertineat; ut ſine ejus cognitione totâ de re decidi; & optimè dijudicari non poſſit.*

Vidit tamen pro ingenii ſui perſpicacia, duo; quæ nobis in quæſtionum hujus generis obſcuritate, luculentam facem præferunt. Quorum alterum eſt, Chriſtianum hominem per legem Chriſti, à Magiſtratu etiam ſummo gerendo, non excludi. Alterum eſt, Summo Magiſtratui pœnarum ac ſuppliciorum jura per legem Chriſti, nuſquam, quod quidem eam legentibus liquere poſſit, adimi: nec ea, quæ privatorum patientiam exercent, præcepta ad Magiſtratum, poſſe protendi. Sed quia, vir optimus, ob ſupradictas aut alias fortè rationes, ſiniſtris de bello ac ſanguine fundendo præjudiciis, animum occupatum habebat: ideò omiſſa omni de jure Magiſtratus controverſia, quam cauſæ ſuæ admodum metuendam imo perniciоſam eſſe ſentiebat, in id unum incubuit ut hominibus privatis duntaxat bello atque ſanguinis effuſione, per legem Chriſtianam interdictum eſſe oſtenderet. Quod quàm ipſi feliciter ſucceſſerit ſuprà vidimus. Sed & nunc ne reſponſionum noſtrarum vis hoc effugio eludatur, Magiſtratui quidem per legem Chriſti, tam bella quàm ſupplicia eſſe permiſſa; cæterum privatis in utroque magiſtratui inſervire, non eſſe conceſſum: ſeorſim quæſtionis hujus veritatem examinabimus.

Cujus quidem ſtatus non eſt is, utrum privatis, privato arbitrio ſanguinem fundere liceat; quod nec nos contendimus; & leges Rerumpublicarum prohibent. Nec is, utrum id privatis conceſſo aut juſſu cujuſcunque

cujuscunque Magistratus : sed an voluntate atque imperio ejus Magistratus, de cujus jure nihil dubitetur, privatis Christianis facere per legem Christi liceat.

Ac profectò si lex Christi, Christiano Magistratui tam in pace quàm in bello jus vitæ necisque in hostes aut fontes permittit ; fieri nullo modo potest, ut in eo exercendo privatis Magistratui ministrare prohibeat ; præcipuè cum obsequium Magistratibus præstandum, tot præceptis sanxerit. Nam legis hujus de obsequio magistratibus præstando, unica est exceptio, quando Magistratus rem eam imperat, quæ Dei voluntati contraria est. Atqui id voluntati Dei contrarium esse nequit, quod Magistratui lege Christi permissum est. Proinde in ea &. Magistratus privatorum ministerio licitè uti potest ; & privati tunc lege de præstando magistratui obsequio omninò tenentur : quia Magistratus rem Dei voluntate permissam, non ei contrariam imperat, neque ulla hic exceptio detrectandi imperii Christianis suppetit.

Nam si quis dicat rem istam non absolutè & simpliciter, sed secundum quid Magistratui esse permissam ; hoc est eâ conditione ; ut in ejus executione non Christianorum sed aliorum, ministerio utatur ; id certe tanquam novum atque paradoxon, evidenti Sacræ Scripturæ testimonio probandum est. Nec potest absque capitali demonstratione, nisi inverecundè sumi pro concesso. Sed nos probationem ejus rei, ut parum expeditam, imo impossibilem non expectabimus, cum ostendendi, quàm falsa & inepta sit, copia sit in promptu. Cur enim privatis, jus gladii in bello & pace lege Christi prohiberetur ; nisi quod usus ejus impius est & sanctimoniæ Christianæ repugnat ? Atqui si hoc ita est, cur Magistratui lege Christi concessus putetur ? Num ei soli sine sanctimonia Deum videre licebit ?

Quod si quis excipiat aliam rem magistratui lege Christi permissam, hoc est alienarum injuriarum pœnam ; & publicam defensionem ; aliam verò privatis prohibitam, hoc est propriarum vindictam & bella privatim suscepta : ut non mirum sit illam quidem sanctimoniæ, repugnare ; hanc verò minimè : Id quidem verissimum esse agnoscimus. Sed hoc à statu quæstionis nostræ jam removimus ; quippe qui nunc, ex eo quod Christiano Magistratui lex Christi publico judicio injurias punire aut bella gerere permiserit non id colligamus, privatis quoque injurias ulcisci aut bella gerere, privato arbitrio licere. Nam hæc inter se adeò disparata sunt ut etiam contraria dici possint ; quorum alterum alteri manifestè repugnat ; cum, ut jus publicæ potestatis privatam licentiam refrænat ; ita privata licentia jus publicæ potestatis dissolvat. Non potest igitur, istarum rerum quæ se mutuò tollunt, altera ex altera colligi. Nec nos ex eo, quod lex Christi Magistratibus permittit ; id colligimus, quod huic permissioni quodammodo contrarium est ; scilicet quod privatis in messem magistratus falcem suam immittere liceat ; sed potius illud, quod hujus permissionis necessarium consequens est, quod privati Magistratibus, in muneris eorum functionibus, permittente lege Christi, ministrare aut adjumento esse possint. Nec enim sine ministerio privatorum, Magistratus publicas functiones exercere, multò minùs bella suscipere possunt ; quæ sæpe omnium ope & quasi conjuncta manu indigent. Non enim bellum est ex earum rerum numero, quas Magistratus paucorum lictorum aut satellitum operâ, exequi possunt : sed ad reprimendam ingruentem vim, sæpè tota imperii mole connitendum est. Non igitur in suscepta publico consilio militia ; aliud est quod Magistratus permissu legis Christi faciunt, aut imperant ; aliud verò quod privati jussu ac voluntate eorum exequuntur : Sed unum idemque : & si alterutrum legi Christi aut sanctimoniæ repugnat ; alterum quoque repugnare necesse est. Verumenimverò, quia id jam Magistratui concessum supponitur, inde necessariò id sanctimoniæ ac officio veri Christiani per se non repugnare, demonstratur ; nisi quatenus fortè rite ac legitimè juxta circumstantias à lege divina & humana præscriptas non fit. Quemadmodum & licita Venus, quia in matrimonio viventibus per legem Christi permissa est ; ideò per se sanctimoniæ repugnare nequit, nisi quatenus forte intra divinarum & humanarum legum præscriptum non manet. Sunt enim quædam ita à Deo & lege ejus concessa ; ut tamen non pro arbitrio privato aut libidine, sed ex præscripto legum fieri debeant. Non igitur hæc per se sanctimoniæ repugnant ; nisi extra præscriptum legum exorbitetur, quod fit ex accidenti.

Porro res per se privatis illicita Magistratui licita esse nequit : & contrà. quia hæc opinio res falsas, & se ipsas non uno modo destruentes supponit. Ac primum quidem illa opinionis hujus hypothesis falsa est. *Rem per se impiam atque illicitam, posse à Deo per Christum alicui Christianorum permitti, quisquis tandem ille sit ; quorum* nemo sine sanctimonia Deum visurus est. Nec magis admitti potest altera, quam hic supponi necesse est hypothesis : *permissu Dei Christique non impiè agere Christianum, qui rem impiam per alios faciat ; quam verè Christiano per se exequi non liceat.* Nam si rem aliquam exequi non licet, ne imperare quidem, salvo officio, licet. Si quid imperare Christus permisit : idem profectò exequi non prohibuit. Denique si in bellis alioqui lege Christi Magistratui permissis ; privatis Magistratui ministrare concessum non est ; cum Christiani Magistratus vix esse soleant ; nisi populi quoque ipsis subjecti sint Christiani ? ubinam, quæso, invenient militem ad subitam defensionem, præsertim si vicini omnes populi (quod accidere videmus) sint Christiani. Frustrà igitur ipsis à Deo ejus rei permissa videbitur facultas, cujus perficiendæ media adempta sunt.

Hæc adeò absurda & secum non cohærentia à Socino non animadversa plurimùm mirari subit, cum ait pag. 13. contra Palæolog. *Fac enim civili Magistratui, idcirco & fontes interficere, & cum hostibus bella gerere licere, quod Christianus scilicet postquam Magistratus factus est ; & peccatores perdat atque è medio tollat ; & cum inimicis suis bella gerat : quid hoc, rogo, ad privatos Christianos quibus interdictum est, non modò, ne occidant, sed ne contumelia quenquam afficiant ; quibusque mandatum fuit, ut benefaciant inimicis suis ? Num illis concederetur jubente Magistratu, Deo non obedire & homines interficere?*

Et cum pag. 180. simplicius & sine subsumptione rationis Palæologi : quam, (ut hoc obiter dicam) hoc loco nihil moramur, ait : *Nec verò ex eo quod Magistratus ipse ista faciendi jus habeat, sequitur privato homini Magistratus auctoritate interveniente, eadem licere.*

Fatemur ultrò ac libenter etiam jubente Magistratu Dei & Christi interdicta violanda non esse. Sed jam Socinus, concedendo quod id Magistratui verè Christiano per leges Christi liceat ; illud quoque concessisse vel invitus coactus est, id ipsum interdicto Dei Christique non repugnare. Quod enim Magistratibus lex Christi permittit ; in eo faciendo ; lex aut interdictum Christi non violatur & in eo magistratibus obtemperare non est Deo Christoque non obedire. Oportet quidem Deo magis obsequi, quàm hominibus sed in iis rebus in quibus aliud Deus ; aliud & contrarium homines, puta Magistratus, imperant. At in quibus Deus Magistratui potestatem, &, ut sic loquar, licentiam rei alicujus faciendæ

endæ indulsit ; si quis Magistratui obtemperet ; fieri nequit ; quin eadem operâ in istis ipsis exequendis , ipsi Deo obtemperet. Nec ullo modo is eo nomine inobedientiæ adversus Deum Christumve accusari potest. Imò verò nisi id faceret , inobedientiæ adversus Deum accusari posset , qui obtemperare magistratui jussit , in omnibus , quæ Magistratui imperare permisit. Atqui si bellum Magistratui gerere permisit , ea quoque ipsi quæ ad bellum pertinent imperare permisit ; cum sine imperio bella administrari nequeant. Qui igitur fieri potest , ut , quod imperare Christus Magistratui permiserit , in eo ipso illi morem geri vetuerit ? Certè per naturam relationis fieri nequit ; ut aut honesti imperii , turpe obsequium ; aut pravi ac pudendi obsequii , rectum & honestum sit imperium.

Quoquo se vertat Socinus , nusquam tàm pugnantibus reous conciliationem inveniet ; ut hæc à viro acris judicii , Palæologo , cujus vel minimos quosque errores detegit , regesta , vix mihi persuadeam. Et in eam sententiam facilius inducor ; ut eum in verbis citatis , *Fac enim civili Magistratui &c.* non de Christiano Magistratu loqui suspicer. Quod & ex verbis ejus colligi potest ; in quibus civili Magistratui privatos Christianos opponit. Cui bono enim vocem *Christianorum* voci privatorum adjunxit , si de Christianis , præsertim veris (ut res postulabat) utrobique loquebatur.

Atqui si ea mens verborum Socini fuit , manifestum est eum in voce Magistratus ; *ambiguitatis sophismate* adversarium eludere. Si enim aliquid hoc loco concessurus erat Palæologo ; id certe concedere debebat , de quo Palæologus loquebatur , non id , de quo ne somniabat quidem. Atqui Palæologus dum ex Christi exemplo , Magistratui licere bellum gerere contendit ; non de Ethnico aut erroribus aliquibus fascinato ; sed de Magistratu verè Christiano loquebatur. Cui enim Christus imitandus proponitur , nisi verè Christiano ? De eodem igitur Magistratu Socino loquendum erat , quod & res ipsa indicat cum ex eo privati Christiani , nullam sibi licentiam arrogare possint , aut soleant quod Magistratibus non Christianis liceat.

Sin autem de Christiano Magistratu loquitur Socinus , memor esse debuit pronunciatæ à se pag. 48. sententiæ , dum ait : *Semper enim in legibus quibus Magistratui injuriarum pœna præscribitur ; tacite ipso jure continetur , ut injuriam accipienti , eam pœnam Magistratus ope persequi liceat.* Quid enim causæ est ; quominus ego longè meliori jure subsumam. Si tunc cum Magistratui , jus & facultas puniendæ alicujus injuriæ datur , tacitè ipso illo jure continetur ; ut injuriam accipiens illam injuriam Magistratus ope persequi possit ; multo magis tunc cum Magistratu Christiano puniendi sontes , aut propulsandi hostes etiam cum effundendi sanguinis periculo ; jus & facultas datur : tacitè ipso jure continetur , ut privatis Magistratui sive sponte , sive cum jubentur , in utroque ministrare atque inservire liceat. Non enim tantum par , sed in subsumtione nostra longè potior consequentiæ hujus emergit ratio , tàm ex obedientiæ Magistratui debitæ ; quàm ex periculi Reipublicæ necessitate.

Possit tamen aliquis contrà ea quæ hucusque disseruimus sic instare. Esse quædam , quæ sub Novo fœdere Magistratui non modo liceant , sed & præscripta esse possint ; quæ tamen privatis prohibita sunt ; qualis est inprimis stricti ac summi juris persecutio , præsertim in levioribus injuriis. Potest igitur pariter & militia , publicis magistratibus lege Christi permissa censeri ; quæ tamen privatis vetita sit.

Resp. Atqui quod ad persecutionem summi juris aut pœnas injuriarum attinet , ut suprà quoque innuimus , non eadem res Magistratui permissa , quæ privatis prohibita est. Nam privatis propriarum injuriarum ultio , præsertim stricto jure exacta , vetita est , Magistratui vero pœna quidem quocunque modo exacta ; sed alienarum injuriarum permissa est : quæ res nimium quantum invicem distant ; nec mirum est quod altera permissa , altera vetita sit. Verum quod ad bellum attinet , si magistratibus permissum , privatis vetitum est , eadem res plane , his vetita , illis permissa erit ? Nulla enim inter imperatum à magistratu & ministerio privatorum gestum bellum , in reipsa nisi rationis ac Relationis differentia est ; præsertim cum belli ea sit natura ut à Solo magistratu sine privatorum ministerio geri nequeat.

Præterea stricti juris , ut & omnium injuriarum persecutio , privatis à Christo vetari potuit , sine ullo Reipub. periculo ; Magistratui non item. Neque enim injuriæ privata patientiâ concoctæ , ullam improbis publicæ impunitatis fiduciam donant ; at publica magistratuum conniventia permissæ , omnia terroris fræna relaxant. Gravis igitur causa erat cur Christus privatis illam prohiberet , magistratui permitteret.

At ingruente teterrimo hoste ; non minus si privati quàm si Magistratus à defensione abstineant , certa Reipublicæ pernicies sequitur ; cum Magistratus absque privatorum ope ac ministerio vim illatam propulsare nequeat. Nihil igitur erat causæ cur Christus in bello gerendo ; aut id permitteret Magistratui quod privatis vetuit : aut privatis vetaret , quod Magistratui permisit.

FINIS.

APOLO

APOLOGIA
PROLIXIOR
TRACTATUS
DE
JURE
CHRISTIANI
MAGISTRATUS.

4

APOLOGIA

PROLIXIOR

TRACTATUS

DE

IURE

CHRISTIANI

MAGISTRATUS.

APOLOGIA PROLIXIOR TRACTATUS DE JURE CHRISTIANI MAGISTRATUS.

NEc tenuitatis meæ adeò sum inscius, ut Viri Magni nomen mereri me credam; nec tam avidus vanitatis, ut ambire velim, præsertim initio quo que verbo inculcandum: quod nec à benevolis forte sine fastidio legi potest, & apud reliquos invidiam auget. Præsertim cum non desint, quibus id quicquid nobis est, (nullo quidem merito nostro) partum existimationis, grave videatur; adeò ut judicii nostri sententiam, à quibusdam pro oraculo haberi non obscure conquerantur. Quod an ab ullo mortalium fiat, non sine causa dubitamus. Certè ut fieret, nunquam laboravimus. Imò ne fieret, sedulo dedimus operam, in ipso Scripti nostri limine, disertis verbis protestati, nos non de tripode oracula pandere, sed censuræ omnium subjecturi, animi nostri sensum modestè & ingenue promere. Quo magis mirari subit, qui factum sit, ut nobis, qui in quæstionis controversæ disquisitione soli veritati patrocinium parabamus, inverso derepente rerum statu, causa objectorum criminum dicenda sit. Id negotii quàm tempestivè nobis obtrudatur; quæri posset, nisi libros in immensum extendere, vetaret Lectoris tædium, ac temporis dispendium. Præstat ut quamprimùm ad crimina diluenda accedamus. Quæ ut paucis refellantur, constituendum primùm est, quid in nobis Accusator reprehendat. Neque enim illi ipsi, satis certe constare videtur, quid culpandum putet. Et tamen in eas erupit invectivas, ut horrendi carminis legem nobis occinere, non dubitaret. Atqui tàm cruenta objurgatio poscebat, ut nos liquidi criminis reos, prius convinceret. Quærimus igitur, quid accuset? Ipsumne disputandi consilium atque factum? an ejus modum atque rationem? an verò utrumque? Parum est, ostendere, nihil horum meritò ab ipso reprehendi posse; nisi planum faciamus, nihil esse, quod non ipse Reprehensor suomet suffragio probet. Veri indagationem quidem, quæ in alterutram partem disputando fieri solet, *nullo non tempore permissam esse in libera Christi Republica* asserit. In quo asserendo an sibimet ipsi serio credat, ipse viderit: quia aliquot verbis interjectis, statim subiicit, nos non posse à culpa absolvi, quod hoc iniquissimo tempore calamum pro militia stringere non vereamur. *Aliquo igitur tempore*, Veri indagationem permissam non esse, inuit. Cur tàm citò à sententia discedit? Nam in eo refugium nullum est, si obtendat, se prius de sobriâ indagatione locutum; nunc autem incautum & audacem reprehendere. Quicquid enim alibi agat, certè hoc loco non pravum disputandi pro militia modum; sed ipsam disputationem improbat; & pro adversi sibi sententia plane calamum stringi vetat; non eo obtentu, quod vitiosè stringatur, sed quia cum stringere corrupta tempora non permittant. Nam vitiosas scriptiones, ne incorrupta quidem tempora permittunt. Nisi quis dicat aliud esse de militia, aliud pro militia disputare: quod nos verum esse quidem fatemur; quia genus latius patere quàm speciem agnoscimus: Sed permisso genere, utramque ejus speciem permitti necesse est, ut qui disputare de militia concedit; non magis oppugnandæ ejus, quàm defendendæ licentiam donet. Quod si illuc confugiat, non id à se damnari quod calamum pro militia strinxerim; sed quod totis viribus id egerim, ut licentia bellandi cunctis persuaderetur; aut modum agendi reprehendit, (de quo paulo post videbimus); aut si id accusat, quod in defendenda causa, quam suscepi[illegible]ribus non peperei, bonam fidem meam accusat. An me prævaricari maluisset; & subdola destitutione prodere susceptum patrocinium, quo facilioris responsione causæ quam defendo insultaret? Non puto virum bonum ad eam confessionem adigi se passurum. Supereſt ut obstructo omni perfugiorum receptu, ingenuè fateatur: quamvis alibi passim modum quoque defensionis meæ reprehendat: hoc tamen loco; ipsam defensionem militiæ tanquam isto vel maximè ævo intempestivam, incusare Quod quidem non semel repetit, & inculcat, ut cum paulò post in eodem capite asserit; *Præstiterat sane rem in medio relinquere, & Concionum istam non movere: præstiterat rem manere dubiam & indiscussam.* idque ratione gravi præmissâ, quia *discussio ejus*, quæ videlicet, defensionem militiæ submovere nequit; *scandalum Christiano populo ponat.* Idem sub finem hujus capitis concludit, à se ostensum; *quàm non sine magno incommodo, sine ulla vero necessitate, à me sit hoc tempore scripta militiæ defensio.* Hæc cum aliquoties urgeat, mihique eo nomine satis acerbam litem movere audeat; mox tamen non audet negare, *expedire Ecclesiæ, ut in hac controversiâ certum aliquid habeat quod sequatur.* Imò quod multo plùs est, *prægnantem esse rationem* asserit, *quæ tractationem istius quæstionis, his temporibus omninò exigere videtur*; quam ego ne verbo quidem attigi; cum una sit instar omnium & sola urgenda fuerit. Publicam designat expeditionis necessitatem. O me parum felicis memoriæ hominem; & ingenii minimè sagacis & expediti; cui res tanta, aut excidit, aut non succurrit! Atqui ea inter alias rationes meas, eò magis eminebat, quo minùs vindicata est. Quid attinuit rem in omnium ore atque oculis positam, quæque nullius sensum aut memoriam fugere posset; superflua operâ Lectoribus obtrudere;

obtrudere, eum alia potiora, & à vulgi captu remotiora non deessent? Inepta mihi visa est sedulitas, ea scribendo consectari, quæ vel pueris in mentem venire possunt: & si relinquas legentium ingeniis, quæ de suo adjiciant, acrius animos movent, quæ sponte succurrunt. Si hæc ratio à me proposita fuisset, inveniisset fortasse Reprehensor in eâ aliquid, in quo censuræ suæ aculeum figeret. Nunc vel eo nomine ipsi commendata esse potuit, quod à me videlicet prætervisam; ipse, pro sagacitate suâ, animadvertisse videatur. Itaque repente magna parte accusationis suæ in patrocinium mei conversa; *Dignus*, inquit, *vindice nodus exiſtit, quem conſcientiæ intereſt ſolvi, an militia per ſe pugnet, cum Chriſtiana vocatione. Si enim eam pugnare certum compertumque fuerit, tùm eâ, etiam cum Nobilitatis ac immunitatum diſpendio, abſtinendum erit. Sin ſecus ſe rem habere conſtiterit, ſemel jam omnis dubitantibus ſcrupulus eximetur. Verum hæc res longè aliter tractanda eſt &c.* Quibus verbis magnam partem eorum quæ supra scripsit unâ liturâ delevit, simul ostendit, motam de jure militiæ controversiam ipsam per se, hoc potissimum tempore, mihi vitio verti; aut reprehendi nullo modo posse; nisi quid in modo disputandi peccatum sit. Quò statim accedemus, dum illud prius caveatur; cum in eâ parte accusationis quæ non modum disputandi, sed ipsam disputationem petit, suffragium ipsius accusatoris fiet pro innocentia nostra; si forte in modo quoque disputandi, objecta nobis crimina purgaverimus; ne fictas aut integrum Accusatori, eò regredi, unde jam sua sponte egressus est.

Veniamus nunc ad eam, quam in defendendo adhibuimus, rationem. In quâ, quid ab ipso desideretur, ordine videamus.

Arguit primum quod de re dubiâ audacter, vel, (ut alibi ait) non timidè aut circumspectans sententiam pronunciem. Non iniquum modo sed ridiculum est ad sui lectus modum, alienas cogitationes exigere velle. Quid si mihi certum videatur, quod ille dubium autumat? Ego verò antequam in sententiam quam defendo, plane descenderem, hoc est, quamdiu dubia mihi visa est; egi timidius. Nunc postquam mihi omnes dubiorum scrupulos eximisse videor, quis me ibihic trepidare cogat, ubi metum video nullum? Quid opus est, in redarguendâ fiducia meâ tempus aut inania verba conterere? Afferat rationes accusator, quæ faciant, ut dubitem; & res confecta erit.

At enim in eam partem confidentius pronuncio, quæ lubrica & periculosa est. Hoc an verè objectum sit, posterius viderimus. Scio non deesse in hoc pelago brevia & scopulos; quos & ipse evadere conixus sum; & aliis pro virili vitandos censeo. Non tamen putoeam partem, in quam nobis inclinasse visum est, lubricam aut periculosam, sed potiùs tutissimam esse; ut quæ, inter impietatis & superstitionis abrupta teneat cursum, ab utriusque extremi discrimine longè recedentem. At ea pars scandala & morum labem necessariò invehit in Ecclesiam! Nos vero eam duntaxat particulam ejus defendimus, quæ non modo ipsa justa est, sed & procul ab omni labe morum & scandalo; imò & omni rerum earum periculo, quod suo loco planius faciemus.

Queritur mox Accusator, nos in argumento apud omnes bonos improbabili, potius quam in detestatione militiæ, ingenium periclitari maluisse. An suspicatur, me non tàm ex animi mei sententia, quàm styli atque ingenii ostentandi causâ; puerilem in hoc mustaceo laureolam quæsiviſſe? Quasi mihi integrum esset, inter ea quorum alterum verum alterum falsum putarem, id propugnandum eligere, quod jam certo ac deliberato judicio damnaveram. Quod autem bonorum omnium numerum ad factionem suarum partium contrahit, immodestius quam nos sentit & loquitur. Neminem enim eorum qui in hoc argumento à nobis dissentiunt; eo ipso nomine viri boni titulo, indignum censemus. Non tamen ideò ipsi, è matricula bonorum virorum eradi volumus; quia in hoc argumento ab opinione quorundam è bonis recedimus. Quia verò agnomen istud solis partium suarum hominibus ita vendicat; ut ipsius præscriptione delectari videatur; age sane; & ipse quoque Viri Boni nomen in scripto nostro habeat, quia videlicet suspicari visus est, nos quoque Viri Magni titulo capi posse. Quod tamen, tunc demum à nobis habebit; ubi iniquissimæ criminationis defensione perfuncti fuerimus. Interea Accusatoris nomine contentus sit.

Mox accusat quòd nec decretis Ecclesiæ; nec Dysidæo pepercerim. Dysidæi existimationi, mihi unquam detractum volui. Quem virum quanti fecerim, aut æstimem; etiam posteritati notum fore jactarem; nisi commentationibus nostris longius ævum polliceri superbum censerem. Dissentire tamen ab eo alicubi; non magis accusatori quam mihi, fas & integrum esse putavi. Decreta Ecclesiæ, quæ quidem nunc in usu sunt, nulla oppugnavi; nec ulla oppugnare consilium est. Liberam tamen vocem, ut in Ecclesia, ita de ecclesia, si usus ita ferat, coërcendi nemo privatorum jus ullum: ac ne ipsa quidem Ecclesia habet voluntatem.

Velim doceri, à contumeliosis verbis, ubinam temperare mihi non potuerim. Nam aculeos & vituperia, quæ non in homines, sed in opiniones stringuntur, pro contumeliis nunquam habui. Alias in angustum cogetur Veritas, si falsæ & absurdæ opiniones, non suo sed alieno vultu, nec veris, sed ascititiis coloribus adumbratæ, in scenam disputantium producentur. Hominibus, præsertim imbecillitate peccantibus, non parcere; non modo Caritatis, sed humanitatis sæpe injuria est. Verum ad errores, quoties turpitudinis suæ coargui possunt, connivere sine veritatis proditione non possumus. Falsas igitur & absurdas & impias, aliquando blasphemas in Deum & contumeliosas; breviter pernicioſas & pestilentes opiniones, quas oppugnamus, quoties justa ejus reprehensionis causa oblata est; absque maledicentiæ culpa, dicere semper licuit. Quantò magis superstitiosas aut fanaticas? Homines ipsos eo nomine statim mendaces; aut absurdos, impios, blasphemos, fanaticos & superstitiosas haberi, non itidem concessum est. Sed quamvis imbecillitati hominum, quoties in pudendos errores delapsi sunt, enormitas eorum, ignominiæ vel fraudi esse non debeat: tamen debita hominibus indulgentia, erroribus eorum non debetur; neque ipsis ut patrocinetur æquum est. Absurdas igitur & à ratione abhorrentes sententias, absurdas vocari, non minus quam scapham, scapham; semper licuit, sæpe necesse fuit, atque erit. Neque aliter hæc sacra constare possunt: quoties veritati locus non est; antequam falsum sua se absurditate ac turpitudine, tanquam sorex suo indicio prodat.

Fanaticas autem opiniones, non omnes quæ nostræ sententiæ opponuntur, diximus. Sed quas generis humani consensus ad eam apellationem damnavit, quod per nimium superstitionis excessum, fundamenta societatis mortalium vellant; & præstantissimum in terris Dei opus, quod in supereminentium in orbe potestatum ordinatione cernitur, moliantur ac subruant. Quæ enim usquam terrarum tàm fera barbaries est, quæ non vel ipso naturæ rationalis instincta aliquod regiminis genus approbet aut sequatur? Nec suppetebat alia vox, quæ eas à mitiori & probabilioni sententia (quæ tamen nec ipsa nobis superstitionis expers visa est) discerneret. At non ideò cunctos, qui eas sequuntur, fanaticos censemus; & sicubi quid

tale

male scribentibus nobis excidit, ingenuâ litura delemus; nec in eos aliquid tale in posterum admittemus. Et quoniam sententias suas, ita perditè amant, ut eas hoc nomine vocari molestissimè ferant; ne in eo quidem, ipsis gratificando, difficiles erimus.

Antichristis quidem eos strenuam navare operam, iisque male partam tyrannidis possessionem fedulò tueri, dixisse non pœnitet, non quod de industriâ id facere velint, sed quod eorum opinio ad hanc rem unicè apta & comparata sit. Nam vocis *improbè* usum hoc loco, non intellexit Accusator; quæ non malitiæ improbitatem, sed conatus & laboris pervicaciam significat: qua si offenditur, aliam uti substituat, aut illam planè deleat permittimus.

Neque patientiam, neque virtutem ab enecandis hostibus abhorrentem, usquam degenerem aut ignobilem diximus: Nec si quis Dei Christique causa, vel perperam aliquid fecerit exigitare volumus. Sed tantum alicubi monuimus, Martyriorum in quibus Christum imitamur gloriam; multum distare ab illo ignobiliori patientiæ genere; per quam publicæ privatæque res hostibus produntur: eâ addicta ratione, quòd illa nonnisi ab animo generoso; hæc etiam ab ignavo & abjecto proficisci possit. Quibus verbis non id dictum voluimus, hoc quoque patientiæ genus, quod martyriis ignobilius diximus, nunquam ab animo pio atque generoso proficisci posse: Sed tantum, quia homines sæpe delicato astu vitia sua Deo imputant, ex ejusmodi ambiguis speciminibus, vix ullam Dei gloriam aut hominum ædificationem, efflorescere posse, contrà quam in martyriis accidit. Facem enim aliquem in illo ad omnem posteritatem pudendo, Pilavicensi casu fuisse, qui bona fide, ob illam ipsam prætensam, ab enecandis hostibus abhorrentem patientiam sese in fugam conjecit. Quis ex facto illius Dei gloriam, aut hominum ædificationem profici scì dixerit? Si qua virtus in ejus animo latuit, occulta & soli Deo nota est. Flagitium publicum omnes communi dedecore involvit: & quæ palàm palpantur vitia, parum certo fecretæ virtutis obtentui fidem abrogant.

Quod autem alicubi iis me opposuerim, qui sentiunt, quamvis Magistratui Christiano jus bellorum suscipiendorum permissum sit; non tamen cuiquam privatorum licere aut, imperantibus potestatibus obsequi, aut sponte militare; id non impugnat Ecclesiæ leges, cum ipse accusator (me non repugnante) satis operosè offendat, Ecclesiam etiam rerum licituram usum interdum inhibere posse, si gravis causa requirat; dum tamen ipsa eadem leges suas relaxare possit, si gravior intercedat, nec unquam pari cum legibus divinis auctoritate servandas fanciat.

Urget accusator & exprobrat, quòd gratam carni & illabescentem causam promoveam. Facit fidem veteri dicto, bellum inexpertis dulce videri. Ego verò non video, quomodo ejusmodi quàm permitto, militia carni illubescere possit, qui omnem licentiæ aut peccandi illecebram, à bellis submoveam ac resecem; & si bonæ conscientiæ, atque honesti nominis, ac mercedis sæpe acerba morte acerbiores, spem excipias, præter excipiendos ictus ac vulnera, suscipiendos labores atque discrimina, duras hyemes, exercitas æstates, infestas dies, insomnes noctes exigendas, famem & omnium rerum inopiam & impendentis perpetuò necis atrox periculum tolerandum, nihil ferè militantibus relinquam. Quasi non multò lubentius Cano in eam partem propendeat, quàm propugnat Accusator, ubi ipsi, omnibus quidem pacis bonis frui, sed omnia belli mala, cunctos labores atque pericula, honesto, imo religioso prætextu, detrectare liceat. Et audebit Accusator aut ipse ob tuteræ videlicet atque Carni ingratæ sententiæ defensionem, gloriari; aut nobis eo nomine invidiam facere, quod *Carni* nimiùm blandiamur: qui pulvillos desidiæ, quos ille, credo, alind agens, sed tamen molliter substernit; & in quibus huic pupæ delicatulæ, speciosissimo prætextu, recumbere voluptè est, satis importunè & maximâ cum ejus molestiâ, subtrahamus.

Quid? quod, in hoc potissimum loco, frænis accusatoriæ acerbitati plus æquo laxatis, crudelem & sanguinolentum stylum exercuit; non ipsa modo crimina iniquissimè objectans; sed criminum supplicia audaci interminatione denuncians. Crimina sunt, quod *aperuerim funestam ad plurima scandala & bonum ordinem in Ecclesia convellendum, & clausas frœni licentiæ fores refregerim, quod permultos non è minimis tantum, sed è præcipuis in Ecclesiaviris, illexerim ad dissolutissimum vitæ institutum.* Hi sunt, ut opinor, *quos ad auditum classici nostri sonum*, Accusator, pro modestia suâ, *lætos adhinniviſſe* asserit.

Quid si, etiam objicientis ipsius testimonio, crimina ista nobis falsò objici, deprehensum fuerit? Aut enim inde fenestra scandalis aperta est; quod pro militia disputare ausus fuerim; aut quod in ista disputatione, non ita, ut decuit, me gesserim. Posterius dici nequit. Nec enim libellus meus vulgatus est; ut quisquam, ex modo disputandi, quem adhibui, scandali ansam arripere potuerit. Autum enim affirmare, præter tres, quorum mihi sententia cum meâ congruens, perspecta fuit, graves in Ecclesiæ viros, nemini me legendi scripti hujus copiam fecisse; utpote operis imperfecti, imò vixdum cœpti; & in quo aliquamdiu lituras faciendi potestatem mihi integrum relinqui voluerim. Superest, si vera sunt quæ Accusator objicit (de quo posteà viderimus, ut (quod ipsemet fatetur) *homines neque lecto neque viso libro meo* ad ipsam defensæ militiæ famam excitati fuerint. Ipsum igitur disputandi consilium atque factum, in hujus criminis culpam vocari necesse est. Sed quando tandem sibi credi postulat Accusator? An dum *præpostorem esse rationem asserit, quæ tractationem hujus quæstionis his temporibus omninò exigere videtur*: an verò *dum Camerinam hanc planè movari vetat*; & quæstionem hanc *indiscussam* manere optat; &, quod iniquius est, si quis eam moveat, eum tantum non anathemate ac diris Ecclesiasticis devovet. Idcirco ne quòd aliquis neque viso neque lecto libello meo, tantum auditâ ejus famâ ad arma cucurrit, ego ab Accusatore ad tribunal summi Judicis, penè obtorto collo trahendus sum? Non est istud mansueti Spiritus Christi vestigium; etiam in ambiguo delicto, tàm citò ad horrendæ sententiæ pronunciationem prosilire: quid in manifestâ, & ipsismet ore testata innocentia? Imo hic fuit ab omni ævo character eorum qui errori patrocinium præbuerant; ut quorum causam rationibus & argumentis urgere non poterant; eos ipsos, confictis aut exaggeratis criminibus incessereot? Quid si ista crimina & accusationem, ab eo ipso petant; quod tum maximè in controversiâ versatur? quod in more positum est omnibus illius Fallaciæ alumnis, quam Petitionem principii vocant. Totum enim istius districtæ in nos criminationis robur, in eo est, quod aliquorum animis penitùs infixum sit, omnem militiam prorsus esse vetitam. Quod si minimè verum esse, simulque me legitimos disputandi fines non esse transgressum ostendatur; concidet illico examine tam infesta accusationis cadaver.

Nam si dignus *hic vindice nodus exciderit, quem solvi conscientiarum interest.* quod, quia negare non potuit, fatetur Accusator; profectò consilium atque factum meum, quod circa hunc nodum solvendum versatum est, tanta criminatione fuit indignum. Indignus & ipse, qui, quod tam fœdè nunc approbat; idem acerbe paulò antè reprehenderet. Sed & indignum, illud; cum defendendæ veritatis proviso, tum suspecto

non opinionum falsitatem sed hominum innocentiam impetere. Sed præcipuè indignum est, crimina insontibus, & quidem atroci verborum exaggeratione & accusatoriis coloribus depicta per injuriam affingi. Nullius ego scandali cuiquam Auctor esse velim; &, quod voveo, spero Deum mihi tàm propitium fore, ne unquam per me bonus ordo in Ecclesia convellatur. Licentiæ & morum dissolutioni, si qua inter aliquos nostratium deprehenditur, non bellum aut militia aut ad eam pertinentes disputationes: sed pax diuturna & aliquorum fortassis incuria viam aperuit. Et si quid seu verè seu specioſe huic vitæ generi objici potest; nemini ego eorum qui exortes militiæ fuerunt; aut quibus illa vel leviſſime ſuſpecta fuit, ad eam capeſſendam auctor extiti. Itaque caput accuſationis, quod me, tanquam ad militare vitæ genus capeſſendum cunctos invitantem, multa invidia aſpergit, quanto occultius pungit tanto plus habet in ſe injuriæ. Neque enim nos cuiquam in eligendo vitæ genere conſilium damus; aut nostratu impellimus, aut ullis illecebris quenquam ut nomen ſuum militiæ dare velit ineſcamus. Nec ſcriptio noſtra in ſuaſorio, ſed in demonſtrativo diſſerendi genere verſatur. Quid liceat; non quid expediat aut potius eligendum ſit, hoc loco inquirimus. Satis clarum ejus rei documentum eſt, quod bella ſola neceſſitate excuſari poſſe doceamus, & eas quibus vulgò commendari ſolent illecebras, procul ab iis arceamus.

At enim *ipſâ libelli noſtri famâ, permulti ad militare vitæ genus provolarunt; provolaturi plures ubi vulgatus fuerit*; Quam *egregiam laudem*; quos *lucubrationum mearum fructus*; mihi vir bonus idque ſæpius, ſatis inſultanti calamo exprobrat. Facit, ut ſolet; accuſatoriè; partim quæ dictis longè minora ſunt, invidioſè exaggerans, partim quæ fortuitò aut alia ex cauſa accidiſſe ſciat, in meam culpam iniquè conferens. Quaſi ante meum ſcriptum defuerint, qui pacationibus quoque temporibus, è gremio Eccleſiæ, tantum non agminatim ad hoc vitæ genus confluerent; aut quiſquam eorum qui nunc militant ad exequendum animi ſui propoſitum, libri mei ſtimulo indigeret. Auſim verò quovis pignore depaciſci, nobis etiam à ſcribendo ſupersedentibus, neminem ex iis qui hodie militant futurum fuiſſe, qui ab hoc vitæ genere abſtineret. Nec in tanto bellorum æſtu, qui patriam noſtram concutit, ſi juſtam pacatorum olim temporum rationem ineamus, ex eo noſtratium juvenum cenſu nimium multi ſunt. Non eſt adeò ſcatens illecebris aut carni allubeſcens iſtud vitæ genus; ut metuendum ſit, ne agmine facto, ad illud univerſi prorumpant. Pacationi fortaſſe tempore cum hoſtis etiam umbram exercituum noſtrorum fugeret; habuerit ſane plures ad deſiderium ſui illecebras. Nunc cum ad vulnera & neces & ſervitutis barbaricæ compedes, famem atque inopiam, damnaque & jacturas tot cladibus factas & tot triſtia exempla ventum eſt: quotuſquiſque eſt, qui ab hoc vitæ genere, non ſuo magis diſcrimine quàm anxia viri boni lucubratione, abſterreatur? Nihil igitur eſt, quod mihi toties invidiam eo nomine faciat, quaſi imprudentius cauſam hanc tractando, *Ubi frænis opus erat, ſtimulis* utar; impellendo videlicet carnem, quò ultrò nimium propendet. Nam nec ego quenquam ad hoc vitæ genus impello; & ſi unquam aliàs, nunc certè abſque iſtius periculi metu, indagare poſſumus veritatem.

Denique, qui (ut fatetur Accuſator) & ipſa *bella ab omnibus vitiis ſecernimus*; qui *ne quid ne ipſis inſit diſſolutionis, aut injuſtitiæ aut abuſus* anxiè cavemus: quo iure ad diſſoluti ſſimum vitæ inſtitutum, quenquam allicere arguimur?

At cum negare non poſſit, Accuſator, à nobis non permitti ullos bellorum abuſus, quales hodie inter Chriſtianos vigere dolendum eſt, urget eos evitari difficulter poſſe, ſi ullus, etiam ſanctiſſimis legibus circumſcriptus, bellorum uſus permittatur, idque oſtendit duplici ſimilitudine; furentium flammarum, ſi ſemel tectis ignis injiciatur, & undarum ſtagnantium, ſi quis in objecto ipſis aggere, inſinuantibus ſe aquis meatus pandatur. Pace Accuſatoris liceat mihi tam frivolis & febriculoſis conſequentiis, convitium facere, ob quas ipſi propemodum ſolas, ut tam indignè tractarer, meruiſſe viſus ſum.

Primum enim non quia alicujus rei abuſus difficulter vitari poteſt, idcirco omninò non poteſt. Difficilem aditum ad regnum cælorum divitiæ præſtant; an idcirco qui legitimum uſum earum permittit, abuſu duntaxat ſublato, dignus eſt in quem omnis culpa & invidia, pereuntium ob divitias animarum, conjiciatur? Deinde allatis ſimilitudinibus male utitur accuſator; cum in illis clàm occultet illud fallaciæ genus, ſine quo defenſa ab eo ſententia vitam & ſpiritum ducere nequit. Petitionem principii vocant. Cui hoc loco inſuper accidentis fallacia connexa eſt. Quis enim ipſe concedat, legitimum gladii Magiſtratibus pace belloq; à Deo conceſſi uſum; eſſe ignem in tecta conjectum, vel metus in perfoſſo aggere violentiæ aquarum viam aperientes? Nam iſtæ ſimilitudines nihil præter abuſum utriuſque elementi (alioqui uſibus noſtris apprimè neceſſarii) oſtendunt; at nos poteſtatis & militiæ uſum, non abuſum permittimus. Quem ſi legitimus ſit, flammis urentibus, ſi illegitimus furentibus comparari facile patimur: quò cautius tractetur, quemadmodum elementi tam neceſſarii uſus accuratiſſimam Cautionem requirit. At non quia ſæpe prava utriuſque elementi tractatio publicè privatimque nequiter expetiit; idcirco mortalium generi, omni penitùs ignis & aquæ uſu, interdicendum eſt? Nec ſi quis legitimum uſum eorum doceat, acceptorum per abuſum eorum, damnoſi accuſandus eſt. Ita nec nobis alienæ culpæ pœna luenda eſt; ſi quis in re alioqui licita modum non teneat. Aliàs nihil in rebus humanis eſt tàm licitum, tàm utile & neceſſarium, quod non interdum aliquorum vitio in turpes abuſus degeneret, in quibus ſuo quiſque non alieno periculo peccat.

Sed jam ad reliqua accuſationis properandum eſt. Fatetur ſub finem capitis primi Accuſator, ut diximus, *Prægnantem eſſe rationem, quæ tractationem iſtius quæſtionis, hiſce temporibus omninò exigere videtur.* Verum ſubjicit *hanc rem aliter fuiſſe tractandam.* Audiamus Cenſoriæ animadverſionis ſententiam.

Non, inquit, *cum tanta vehementia, non cum tanto adverſæ partis contemptu: non cum tantâ veritatis jam compertæ & ſatis ſuperque perſpectæ præſumptione: ſed magna religione & modeſtia, inque ſyncera cordis; denique aſſidua & ardenti Numinis imploratione Veritas quærenda eſt.*

In primo Cenſuræ capite, quid per vehementiam intelligat, non explicat. Niſi fortè idem quod ſuprà damnavit, hic quoque improbet quòd totis viribus cauſam quam ſuſcepi defenderim, cujus reprehenſionis iniquitatem ſuprà jam oſtendimus. Sed fortaſſe id quoque notat, quod vehementius in adverſam partem invectus ſim; quaſi ipſe huic quam ego defendo pepercerit. In qua reprehenſionis parte Accuſator in illud culpæ genus incidit, quod nobis mox objicit dum in modo agendi noſtro ſyncericatem cordis deſiderat. Neq; enim fieri poteſt ut quis ſyncere ſentiat & affirmet ab hoc diſputationis genere vehementiam eſſe removendam, qui in ipſo diſputationis limine, in nobis accuſandis tanta vehementiâ uſus ſit. Ita ut non fruſtrà à nobis ſuprà dictum ſit, in omnibus quæ nobis ſive verè ſive falſò objicit, nihil plane reperiri quod nos ipſe aut commiſerit; aut exemplo ſuo approbaverit; imo verò in iis quæ culpare conatur, non multò longius, quàm nos, proceſſerit. Dixerim ego fortaſſe aliquid acrius contra cauſam; aut argumentandi modum, quem adhibent adverſarii; at nullius & quem

dem nominatim, pertrinxi innocentiam: nemini ad reddendam supremo Judici rationem, diem dixi aut aliquod supplicium a Deo interminatus sum. Aliud est causam quam oppugnas urgere, aliud in patronum causæ immoderatius devaccharī, & in accusando ex musca facere elephantum; aut potius crimina, quæ in insonte reperire nequeas, comminisci.

Contemptum partis adversæ; falsò mihi & iniquè Accusator objectat, qui in hac ipsâ disputatione Socinum, (quamvis non ex sua sæpe sed eorum quos defendit sententia loquentem) mihi adversarium elegerim. Quem virum, prodemihi tum conscius; non paulò pluris à me, quàm ab Accusatore & cunctis qui ejus sententiæ astipulantur, fieri. Quos ipsos non ideo contemnere dicendi sumus, quod opiniones eorum tanti æstimare nolimus; quanti apud ipsos sunt, ut qui sciamus homines cæteroqui non imprudentes frequenter tenerrimo, erga cerebri sui fœtus, affectu decipi.

Sententiam nostram ægrè ita circumscribi posse, quin aliquam moribus noxam afferat, quod vitiis multùm favens & amica sit, facilius objici quàm probari posse, ostendimus. Proinde Summorum in Ecclesia virorum qui ante nos in eadem fuere sententiâ (nam & hoc objectum est) prudentiam imitari non erat integrum, posteaquam ipso accusatore teste, prægnans apparuit necessitas, ut adeò dignus vindice nodus solveretur. Nec dubito idem illos facturos fuisse, si in eadem tempora incidissent.

Veritatis compertæ persuasio, non superbiæ insimulanda; sed rationum & argumentorum pondere urgenda est. Finge in opinione mea defendendâ lapsum aliquem nostrum interveniſſe: non tamen is in quenquam injurius fuit; nec ad ullum hominem arrogantius objurgandum supercilium sustulimus, nec censuræ tine suffragio populi gerendæ atque exercendæ gravitatem affectavimus. Modestiæ fines ubi egressi fuerimus, nondum ostendit Accusator; ipse in nostram innocentiam & existimationem, satis interdum impotenter grassatus. Qua religione, qua cordis synceritate agant, quibuscum nobis res est, antequam ab iis eò necessitatis pertraheremur, rimari; suprà captum nostrum esse putavimus, nec in hanc soli Deo sepositam messem, falcem nostram immittere ausi sumus. Ne nunc quidem quàm sæpe, quamque ardenter accusator Numinis opem imploraverit quærimus. Sufficit nobis videre ac perpendere, quid impetraverit: *ex quo Lectori, absque ulla opera nostra constare possit; quàm sæpe, quamque ardenter petierit.*

Innocentiæ defensione defuncti, jam tandem ad veri patrocinium accedamus.

Primùm autem illud refellendum occurrit, in quo ventilando, vir bonus sibi mirè placet; ideoque multus est; quòd sibi observasse videatur, militiam quam unâ cum Grotio, Viro, nomini suo non impare, defendimus, à nobis tantùm in abstracto tanquam Ideam Platonicam somniari, qualis nec usquam fuerit; nec unquam, ut opinatur, futura sit aut fieri possit, & quæ ad nostra tempora accommodari prorsus nequeat. Idque confessione Grotii, è prolegomenis ad librum de Jure belli excerpta confirmat.

Testimonium quod attinet. Mali augurii est, in primo certaminis ingressu tàm insignis lapsus. Inspiciat locum hunc accuratius vir bonus, & videbit, non id isthic à Grotio dici, quod Monita ac præcepta sua, ubi ad singulorum executionem ventum fuerit, deduci ad actum non posse censeat: sed quod ipsi, in iis dandis ac præcipiendis carpere aut reprehendere ea, quæ tunc publicè pacè ac bello gesta sunt: aut gerebantur propositum non fuerit; in id unum intento, ut quomodo legitime in posterum geri deberent; ostenderet.

Quod ad rem ipsam attinet. Non aliter fieri potest ab iis, qui consilia dant juris publici & quæ ad omnium aut plurium officium pertinent; quàm ut animum abducant à singularibus circumstantiis, & generalem quendam agendi modum præscribant, quem omnes sequi debeant; qui monitis eorum auscultare voluerint. Non tamen ista præscribendorum officiorum imago atque idea, quia in docendo à singularibus factis abstrahitur, ideò in agendo à singulis hominibus præstari & ad executionem deduci nequit. Idque etiam tunc evenit, cum ista imago nimium perfecta, & quæ in vita & actionibus hominum ægrè exprimi possit, depingitur. Cicero Boni Oratoris ideam effinxit, nimium ut quibusdam videtur ad unguem, & exactæ perfectionis. Non tamen idcircò e præceptis ejus, nemo artificium eloquentiæ in vita communi profuturum haurire queat.

At enim præcepta nostra & leges corrigendæ militiæ, executioni mandari impossibile est. Quamobrem autem? quia *bella*, inquit, *ab omnibus vitiis secernimus & plena Christianæ sanctitatis, plena charitatis esse volumus, ne quid insit crudelitatis & injustitiæ cavemus, procul esse jubemus iram, odium, & ultionis concupiscentiam, ambitionem & gloriæ sitim relegamus, omneſque omninò abusus exactè & ad amussim resecamus.* Nos verò primum omnium bella ab omni humano genere exesse penitus optamus, ideoque quantum fieri potest fugienda censemus. Si quando tamen eorum usum Christianis violenta necessitas extorqueat, saltem ut Christianè gerantur, monemus.

At enim facilius ista calamo scribuntur, quàm in actum deducuntur. Quid tum posteà? Officium quoque Christianæ pietatis facilius linguâ docetur; quàm vitâ exprimitur. Num idcircò ludunt operam, qui prædicant Evangelium? At enim nos pingimus & fingimus in animo *Rempublicam quandam, quæ nonnisi ex vera Christiana constat; ubi Rex Christianus solis Christianis imperet & per Christianos carnifices securi feriat & exercitu è sanctis militibus composito bella gerat.* Quod quia *blandum sed nunquam eventurum somnium esse* vir optimus opinatur, ideo ne præceptis quidem quæ tradimus locum usquam esse censet. Sed ista de tàm dulci somnio nostro opinio, merum viri boni insomnium est. Quamvis enim optemus, ut ea felicitas terris contingat; nec desperemus saltem aliquam ejus partem posse contingere; non tamen adeò remotas ac difficiles spes, tanquam hypotheses, monitis aut sententiis nostris substernimus, sed etiam in Republica quæ non ex veris, imò ne ex solis quidem Christianis constet; tàm Christianos principes Christianè imperare, quàm subjectos ipsis Christianos Christianè imperatà facere posse censemus. Adeoque etiam in Republica quæ Christianos aut verè Christianos principes non habeat, tamen à veris Christianis belli pacisque munia legitime administrari posse arbitramur, dum nihil admittant tàm sancti nominis excellentiâ indignum. Quid enim noceat Christiano, quem gravis aut inevitabilis ratio ad militandum adigit; quòd seu præfecti, sive commilitones ejus Christiani officii aut ignari sint, aut immemores, dum ipse ejus memor esse nunquam desinat? Largiamur adversariis exercitum in bello etiam cautissimè gesto, absque suis vitiis & corruptelis esse non posse; quis cœtus? quæ societas? quæ Respublica? quæ Ecclesia dari potest, quæ modò ex aliqua hominum multitudine constet, in qua non plurima, ac sæpe detestanda multorum vitia vigeant? An idcircò Christianis omni mortalium cœtu aut societate interdicemus?

At enim *recudi sæcula, disciplinam militiæ restitui, mores militantium emendari* Vir Bonus satis verbosè postulat, priusquam Christiani ad bella gerenda admittantur. Quis verò id unicè non optet evenire, antequam Christianos necessitas aliqua aut officii ratio ad militiam

militiam urgeat? Sed si id expectare longum & à sana mente alienum sit; quis non videt non alia ratione secula recudi, moresque hominum etiam militantium corrigi posse, quàm veris monitis & bonis exemplis? Quorum illud nos pro virili facere contendimus; hoc ne fiat adversarii omni conatu laborant; cum tamen nullum vitæ genus Christianâ sanctimoniâ tingi aut imbui possit, a quo exercendo Christiani prorsus arceantur, quòd per exempla quàm præcepta via sit expeditior.

Ex Grotii verbis, quibus in abusus aliquorum invehitur; nihil in genere adversus militiæ jus, alibi constantissimè ab eodem assertum concludi potest; quia is non omnes qui hoc tempore militant aut militare possunt, sed expressis verbis *Plerosque* duntaxat accusat; qui in militia crudele ac belluinum vitæ genus sectantur; quod ut relinquant si salvi esse velint, necesse esse, ultro fatemur. Sed nos à statu controversiæ dimoveri non sinemus; qui non in eo versatur, utrum certo aliquo tempore aut aliis circumstantiis intervenientibus, militia ab Ecclesia permitti, aut vetari debeat, aut possit; quod ad specialiorem in certis casibus prudentiam pertinet, cui nos minimè adversamur aut intercedimus; sed in eo, an militia & jus Magistratuum, per se pugnet cum Christiana vocatione; quod ad publicam ejus interdictionem & ad pravas in Ecclesiam invehendas opiniones pertinet.

Quod autem me admonet ne propter Rempub. in sola cogitatione extantem, destruam verè existentem Christi Rempublicam: ego verò ne propter omnes etiam vere in mundo existentes Respublicas id facere velim aut audeam. Nec mea sententia Ecclesiam destruit, quæ absurdas opiniones ab ea submovet; quæ removet impedimenta ipsi propagandæ hucusque iniquissimè objecta, quæ amolitur ac refringit, ignota Apostolis & humanarum mentium commentis invecta repagula, quibus Magistratus, supereminentes potestates, Reges, Principes, totæ civitates, totæ Respublicæ, ab agnitione Veritatis, ab ingressu Ecclesiæ arcentur. Illi potius viderint ne destruant Ecclesiam, qui propter opiniones quas vel eo ipso sibimetipsis dubias esse fatentur; quod tutiorem viam ingredi se malle profiteantur; certissimum quodque ipsos agnoscere necesse est, veritati divinæ atque Ecclesiæ detrimentum afferre conantur, dum efficere omni ope contendunt, ne unquam totæ civitates, tota regna, & qui in orbe rerum potiuntur, ad veram Christi doctrinam converti, atque in ejus gremio conquiescere possint.

Viri summi Grotii consilium atque factum damnetur an absolvatur, causæ meæ non interest. Nam ut alienæ laudes, nullius delictis patrocinari possunt; ita si qui sunt, alieni errores nemini fraudi esse debent.

Satis mihi conscius sum nemini me ad dissolutius vitæ genus fræna laxare, qui ipsam militiam ejusmodi officiorum vinculis constringam, quæ superius verbis Viri boni expressimus. Illud quoque clara voce profiteor, si quis sit qui vel minimùm dubitet, an militia cum Christiani viri officio, congruat, huic ab isto vitæ genere omninò abstinendum esse. Nam in eo casu tutioris viæ eligendæ locus & salubre consilium est; imo non deest periculosioris interdictum. Longè aliter se rem habere ubi veri falsique inquisitio adhibetur posteà ostendemus.

Vanum & nimis accusatorium est Viri boni artificium, quod ad nos cum Ecclesiâ committendos adhibet. Cujus neque auctoritatem, neque leges ullas oppugnamus, neque in iis ferendis atque exercendis; aut potestatem convellimus aut prudentiam desideramus. Longe ab earum rerum quas accusamus culpâ, per Dei gratiam, abest ejus administratio. Nusquam in ea nimiæ auctoritatis regnant abusus; nec ab ullo mortalium cæca exigitur obedientia. Verum in ea fortasse non desunt, qui se rationibus nostris pungi sentiunt, quos divisor Ecclesiæ spiritus agitat; qui dissentientes à se vellent, non modo judicius Dei, quæ insolentius comminari audent, sed etiam Ecclesiæ potestate urgeri; eoque consilio ipsius adversus nos patrocinium suscepisse volunt videri; cum neque Lex ulla in ea vigeat, quæ sententiæ nostræ adversetur; neque nos ullum ejus institutum reprehendamus. Sed in genere de iis, quæ in omni Ecclesia permitti aut prohiberi expediat, disputemus.

Inane gaudium gavisus est Vir Bonus, dum nos in contradictionis aut erroris laqueo, tanquam in Vulcaniis catibus, deprehensos arbitratus, exultat. Dum enim nos, ut publico omnium conspectui exhibeat, magis ac magis implicare contendit, imprudens ipse in fœdam aut æquivocationis aut Ignorationis elenchi fallaciam impegit. *Quod semel* (inquit) *esse concessimus prudentiæ consilium; paulò post idem negamus esse prudentiæ præceptum.* Quis vel desultorio lectionis genere verba nostra percurrens, non animadvertat; nos hinc de duplici prudentiæ genere loqui; quorum alterum sit excellentius & κατ' ἐξοχὴν prudentiæ nomine dignum, alterum inferioris gradus quod ifti nobiliori prudentiæ quodammodo opponi possit? Nam veram ac certam viam quam teneas, invenire, nobilioris prudentiæ est quæ publicarum Legumlatores maximè decet. Cum autem veram ac certam viam tenere nequeas, tutiorem eligere, prudentiæ quidem est; sed longè inferioris & quæ privatos minùs dedecet, quàm legumlatores. Nam qui tutiorem viam sese eligere prætendit, eo ipso fatetur, se veram & erroris expertem ignorare, sed eam sequi malle, in qua minori periculo erratur. Quid igitur in eo absurdi est, si quod inferioris & privatæ prudentiæ consilium esse concessimus, id nobilioris & quæ excellentiori sensu prudentia dicitur, præceptum esse negemus? An non disertè inter privatam & absolutè dictam prudentiam, distinctionem fecimus? Sed quomodo, objicit, aliquid contrà prudentiam suadere potest Apostolus, aut ipsa ratio? Ridicula objectio. Quasi aut id imprudentiæ accusari debeat; quod non ad summum prudentiæ culmen evasit, quodque ut fiat, necessitas quamvis rationis non expers, exprimit: aut Apostolus atque ipsa Ratio solis excellenter prudentibus non etiam simplicioribus, pro captu ipsorum, præcipiat. Non latuit Virum bonum nullum in verbis nostris errorem deprehendi posse, quamvis in eo demonstrando totas paginas implere non piguerit. Ideo illuc decurrit. *Saltem certum est*, inquit, *eum non satis aperè hic animi sui sensa evolvisse.* Ignoscat, quod pædagogico more in molestas ac pueriles rerum liquidarum explicationes evagati non sumus. Nos adultis, non pueris ista scripsimus. Itaque dum in re ad jugulum causæ non pertinente nostram existimationem avidius diminutam cupit, præter spem suam, Vir bonus, suæ non pepercit. Nam sive in re tàm planâ, mentem nostram intellexit, injustæ exagitationis culpam effugere nequit: sive non percepit, nos uti affectatæ, ita veræ cujusquam imprudentiæ pœnas luere non debuimus.

Quod ad rem ipsam propositam attinet, iterum profiteor, nos non de iis quæ nunc apud nos fiunt; sed quæ aliâs in Ecclesia Christi geri solent, aut possunt, disseruisse. In quâ legibus, quæ ad partem quibusdam tutiorem visam vergunt nunquam simpliciter intercessimus aut intercedendum putamus. Sed iis duntaxat, quæ *plus æquo ad istam partem inclinare possent* (quæ verba sententiam meam disertè limitantia expungi nolim) hoc est ità procul ab alto & incerto fluctuum, cursum dirigere volunt, ut nimium legendo littus, ad ejus scopulos navem Ecclesiæ allidant. Proinde, quæ de potestate Ecclesiæ, in prohibendis rebus adiaphoris; in coërcendo quarundam rerum licitarum usu, multis verbis differit, ad nos non pertinent; qui nec in genere cujusque Ecclesiæ in regendo ejus populo prudentiam improbamus, & ea quæ nunc in nostris Ecclesiis obtinent planè approbamus; quamvis ea nimium à Viro bono exaggerari; & ad sententiæ ejus patrocinium violentius & iniquius trahi meritò

ritò moneamus. Atque ut eam quæ nos aspergere Vir bonus contendit suspicionem amoliamur; multa quæ ex occasione defensæ (quam nemo oppugnat) Ecclesiæ, aut falsò asserit; aut vitiosè disserit, nunc omittimus, ne summam causæ quam hoc loco propugnat, oppugnare videamur.

Unum illud dissimulare non licet, in quo, Vir bonus, sibi mirificè plaudendo; mirificè decipitur, dum ait virtutem sæpe unâ ex parte nullis finibus circumscriptam esse, ut quò longiùs in unam partem progressus fueris, tantò id majori cum laude feceris; & affert exemplum de suo jure plurimùm dimittendi; in quo nihil nimium unquam inveniri posse opinatur. Nam si is de ipsâ virtutis naturâ in abstracto loquitur, quam gradus suos habere posse non diffitemur, nulla virtus est, in qua exercenda quantò quis melius profecerit, non tantò sit laude dignior. Sin, ut omninò necesse est, de actionibus ad virtutem exequendam pertinentibus, quæ variis circumstantiis alligatæ sunt, & in quibus medium illud, in quo virtus sita est, collocatur, nulla iterum virtus est, quæ medium istud non habeat, quod egredi ac transilire fas non sit. Nec ulla est tàm divina ac cælestis, quæ non Ratione atque prudentiâ indigeat, ad illud medium tenendum, sine quo, mortalitatis nostræ imbecillitas, rerum laudabilium actiones exercere nequit. Nec enim pietas nostra cæcum est; sed rationabile obsequium, & Virtus ipsa moralis quid aliud est, quàm impressum in appetitu Sanæ rationis vestigium? Cujus ubi præscriptum egreditur, virtus esse desinit. Nullum præstantius officium, nulla celsior virtus est Amore erga Deum. Cui quamvis quoad ipsam animi affectionem, limites nulli poni debeant; at in objecto & actionibus ad eam exprimendam & exequendam pertinentibus: est inter neglectum numinis & inter cæcum atque irrationabile ejus obsequium media via, quam teneri, non modo amantis Deum, sed ipsius quoque Dei interest. Multa enim vulgò in gratiam Dei, scelera patrantur: & est aliquis sine scientiâ zelus; qui tàm excellentis virtutis extremum, plærumque occupat. Nec ulla virtutum dari potest, cujus actiones sint extrà rationis custodiam constitutæ; & in quibus certi fines non dentur, quorum prudentia excubias agit,

Quos ultrà citraque nequit consistere rectum.

Proinde & iste habitus de jure suo dimittendi in infinitum extensus, non modò falsò, sed intempestivè à Viro bono, pro Virtutis exemplo producitur cum id ipsum sit disputationis nostræ κεφάλαιον. Quamvis enim vulgò volenti injuria fieri non posse dicatur; tamen ut omittamus quæstionem an sibimetipsi quisque imprudens injuriam inferre possit: frequenter accidit, ut absque alieno, atque adeò ipsius Dei jure læso, jus nostrum dimittere nequeamus: denique ut in eo interdum injustitiæ crimen evitemus; imprudentiæ certe culpam sæpe effugere non possumus.

Causam eorum, qui Magistratus potestatem è populo Christi exterminatam volunt, ac per id abrumpunt vincula societatis mortalium; nolim Vir bonus, confundat cum causâ Ecclesiæ nostræ. Cujus tolerantiâ tametsi fiat, ut opiniones à veri tramite deviæ, nemini fraudi esse soleant, tamen in eâ, per Dei gratiam, non regnant istiusmodi dogmata, quorum invidia eam onerari posse, non falsò ipse innuit ac fatetur. Quam confessionem cum vel ab invito, vis veritatis extorserit, desinat ipse potius ejusmodi opiniones ipsi affingere; quarum vel ipsa mentio in ejus aut periculum, aut certè dedecus & ignominiam vergat. Nam quo jure omnes publicè eo nomine malè audiamus, quia privatim aliquis nostrum suo periculo decipitur. Nullis Ecclesiarum nostrarum interdictis Societas mortalium convellitur, aut tollitur usus Magistratus: & quæ toties ingeminamus incommoda, ad eos solos pertinent, qui opiniones invehunt, quassantes fundamenta Rerumpublicarum. Quos si ita excusari placeat, quòd nulla per eos hucusque Respub. corruerit: Primùm id non est quod tanta fiduciâ jactetur: Nuper elapso seculo, quibusdam in locis, visa pedum via est, ad has calamitates tendentium. Ubi opinio de abhorrente à legibus Christi Magistratus jure, de impunitate omnibus flagitiis ac sceleribus debitâ, atque per conscientiam præstandâ, animis hominum radicitus inhæserit, nulla aliarum sententiarum antidota, ad cohibendam veneni hujus vim sufficient, nisi forte tamdiu, quamdiu his, qui illo imbuti fuerint, vires suæ erant suspectæ. Facilis est ab uno errore ad alium transitus; & qui rationis dictamen in tàm liquidis rebus contempserint, cæco impetu ruent, ad ea ipsa audenda, à quibus nunc abhorrere se prædicant; dum prætextus zeli aut superstitionis non desit; cujus nunquam difficilis esse solet annona. Deinde non ex eventu semper æstimanda sunt criminum aut errorum nocumenta, sed ex ipsâ eorum naturâ. Quoties sententiæ aliquæ hujus culpæ arguuntur, quod pietatem, religionem, aut Rempub. convellant; ridiculum est eas excusare hoc obtentu; quod religio aut pietas, aut Respub. adhuc salva sit. Satis est ad eas damnandas, quod per se ac natura sua ad ejusmodi pravos effectus tendant; nec per illas unquam steterit, quominùs eos producerent. Qui potestatem coërcendorum maleficiorum è populo Christi eliminant; & tamen, ut debent, contendunt ut omnes homines in censum Christiani populi cooptentur; quid aliud volunt & conantur, nisi ut hæc potestas, hæc, quam Deus pro suâ agnoscere non dedignatur, ordinatio, è toto humano genere exulet, quod ad submergendum orbem scelerum diluvio, satis est.

Non Ecclesiæ culpa, sed quorundam hominum morositate factum est, quòd veritas latius propagata non fuerit. Nec humani sanguinis parsimonia, aut ut Vir Bonus loqui amat reverentia, quam & nos maximè laudabilem censemus, homines aut ab agnita repulit, aut ab agnoscenda veritate arcuit. Sed quæ sub tam speciosa prætextu latuit; absurdarum opinionum colluvies publico juxtà privatoque omnium Statui metuendo. Nec tamen eorum culpam excuso, qui se istiusmodi causis à veritate absterreri passi sunt. Sed imbecillitati mortalium satis per se, ad lapsum pronæ, laquei ponendi non sunt.

Nescio utrum majorem nobis injuriam, an sibi contumeliam faciat, Vir bonus, dum de propagatione Veritatis quam nos urgemus, differens asserit: *Cum Apostolus etiam paulum fermenti in Ecclesia tolerari vetet, nos auctores esse ut quam plurimum fermenti in Ecclesiam admittatur.* Quia non sine Numine innocentiæ vindice, statim verba nostra producit, quæ criminationem istam falsi arguunt. Hæc ita sonant: *Qui non fateatur præstare, ut Ecclesia inter pauciores, in castimonia & integritate morum atque disciplinæ contineatur; si propagatio ejus vitæ atque morum dissolutionem allatura sit?* E quibus patet, nihil minùs nos probare aut admittere, quàm ejusmodi propagationem, quæ plurimùm ejusmodi fermenti, de quo Apostolus loquitur, in Ecclesiam admittat. Atqui urget Vir bonus nos alicubi confessos, propagationem Ecclesiæ non aliter fieri potuisse; quàm admissâ in gremium Ecclesiæ Vocatorum multitudine. Id nunc quoque fatemur atque asserimus; nec ideò de priori sententiâ decedimus. Quamvis enim & eos, quos Vocatorum nomine apellari placuit; veræ & perfectæ pietatis expertes statuamus, non tamen isto nomine comprehendimus eos, qui manifesta & excommunicatione digna scandala committunt; quæ illa sunt fermenta ab Apostolo tolerari vetita, qualia sunt omnia de quibus judicium & cognitio ab Ecclesia fieri potest. Nam si tales in animo habuissemus; deerant nobis videlicet verba, quibus eorum improbitatem aut vitæ dissolutionem

exprimeremus, ut ad minùs usitatam vocem nobis confugiendum esset. Sed nos Vocatorum nomine intelleximus, homines non illos quidem verè pios atque electos, sed tamen ejusmodi ad quos è gremio sui ejiciendos non satis habet juris aut opis Ecclesia: quos interdum manifesta scandala patrantibus, deteriores esse nihil repugnat. In cujus vocis notione non inepte excogitatâ, magno nos auctore tueri possumus. Horum plurimos una cum melioribus, ad Ecclesiam dum propagatur admitti; imo & in ea tolerari necesse est; nec tamen ideò fræna disciplinæ Apostolicæ laxanda sunt; cum legitimam propagationem Ecclesiæ disertis verbis eam esse statuamus; quæ ad peccata hominum non connivet Sed non omnia peccata hominum ab Ecclesia redargui possunt, & in multis expectanda est dies quæ revelet abdita tenebrarum. Proinde locus communis, de corruptelis in Ecclesiam per ejus propagationem, non invehendis, in quem Vir bonus longe lateque evagatus est; nihil adversus nos pugnat. Bene habet, quod Viro bono, ad impuræ rei desiderium salivam non moverimus; quod nec unquam factum volumus. Verum illud nec approbationem nec veniam meretur; quod adversus clarissima nostra verba, Vir bonus nobis impuræ propagationis desiderium affingat. Quo nec ipsi unquam tenebamur; nec illud cujusquam animo inferere voluimus. Nec verò ejusmodi propagatio Ecclesiæ impura dici potest, quæ nulla mortalium delicta; quorum modo animadversioni par est Ecclesia, impune dimittit; quamvis inter suos electos, ejusmodi vocatorum gregem habeat; quibus corrigendis aut puniendis humana gubernatio non sufficit. Nec tales, quos ita Christi exemplo nominamus, quamvis sint plures, impedire possunt ne vera morum disciplina vigeat; ne sana doctrina vim & efficaciam suam retineat; quia quamdiu ea viget, vitia sua occultant & nullam invicem coitionem facere possunt. Quod si quis exertius adversus disciplinæ sanctitatem delinquere velit; ilicò in eorum censum degenerat, qui ex mente Apostolicæ doctrinæ ab Ecclesia segregandi sunt.

Proinde nulla gravi causâ vel necessitate nititur eorum consilium, qui fortè ne multos in Ecclesia Vocatos habeant; Ecclesiam humiliorem in terris statum, aut ad exiguum hominum numerum coarctant: quasi aut intra exiguum numerum hominum semper plures electi sperandi sint: aut vilitate vel paucitate eorum qui Ecclesiam constituunt, occurri possit huic malo, ne intra illos paucos longe plures Vocati quàm electi deprehendantur. Imò admodum verendum est, quod tamen absque innocentium injuriâ dictum esto, ne aliqui mortalium, ideò in isto obscuro & abjecto statu Ecclesiam semper detineri cupiant; ut intra istos paucos, ipsorum existimatio sit eminentior, quam in oborta surgentis in sua incrementa Ecclesiæ luce; obscurandam fore, non fruſtrà pertimescunt. Hoc dicto meo offendi meritò nemo poterit, nisi qui de se voluerit confiteri. Nam neminem insontium tangere nos profitemur.

Porrò miseram à nobis Vir bonus sperari fingit Ecclesiæ felicitatem, quæ repleta depravatorum hominum multitudine, synceram possideat veritatem; præcipuè si per depravationem istam intelligit vitia impunè in Ecclesia regnantia. Nos verò restitutæ Veritati cum dissolutione morum ac disciplinæ convenire nullo modo posse

Scimus, & hoc nobis non altius inseret Hammon.

Cum hæc sit potissima pars restitutæ veritatis quæ in morum ac disciplinæ redintegratione consistit. Verum ideò positos veritati objices amolimur ut illa publice restituta, regno vitiorum everso, pietatis regnum restituat. In quo tametsi forte non exiguus eorum numerus futurus sit, quos Vocatos nominamus; multùm tamen ad felicitatem Ecclesiæ interest; vitia mortalium palàm & impune in Ecclesia grassentur; an severitate disciplinæ constricta teneantur.

Nec profectò nos idcircò Vocatorum mentionem fecimus, ut eos per se dignos esse, qui ad Ecclesiam admittantur; aut in ea tolerentur statuamus; atque inde concludamus in propagatione Ecclesiæ promiscuam indignorum turbam ad ejus gremium admittendam. Nam & istos quos eo nomine vocari placuit, si constaret de eorum delictis, aut si eorum convinci possent, dignos esse plærumque, qui ab Ecclesia excludantur putamus. Sed ideò eorum exemplum produximus, ut illorum objectioni occurreremus; qui propagata in mundo verâ doctrina Christianâ una etiam cernent veram inter omnes pietatem; ita propagandam, ut absque Magistratus potestate, vigere justitia & innocentia tuta esse possit. Ostendimus igitur, nec si universum quidem humanum genus veram Christi doctrinam recipiat, Magistratus necessitatem nullam fore, cum etiam in tam optato statu, magna eorum copia defutura non sit; qui licentiâ & impunitate ad præcipitandum in miserrimum statum orbem abuti possint; cum ne ipsi quidem Electi, extrà istius teli Satanæ jactum positi sint.

Nihil igitur aut menti aut expressis verbis nostris magis adversum ac repugnans dici potuit; quàm quod toties objicitur; nos *magnas potius quam bonas Ecclesias velle*; aut eas *per dissolutionem vitæ propagandas censere*. Cui tam iniquæ insimulationi, aliam non magis justam adjicit; quòd eas *quoquomodo atque adeo ferro & potentia seculari propagari debere arbitremur*.

Quarum opinionum utramque adeò non fovemus ut pessimè oderimus. Cæterum ut Ecclesiæ non ideò *bonæ* esse desinunt; quia per accessionem Summorum Magistratuum *magnæ* esse incipiunt; ita Veritas non ideo malis artibus aut ferro propagatur; quia ubi Principum patrocinium nacta est, iniquo cum erroribus certamine congredi non cogitur. Nec à Viro bono quicquam dici potuit à ratione alienius & quod magis seipsum destrueret. Nam ubi Veritas ferro ac potestate propagatur, animis hominum reluctantibus vim inferri necesse est, quod veritatis naturâ ac nobilitate indignum est, quæ sponte animis hominum influere; imò avidè ab ipsis arripi debet. At ubi ad eam amplectendam nemo invitus cogitur, tantum datur opera, ut nemo quoque invitus ad eam repudiandam aut deserendam adigi possit; nulla vis animis hominum infertur; sed potius omni injuriâ ac violentia remotâ, id efficitur ut jus unicunque suum & libertas salva & illibata maneant. Quod igitur Libertatem atque jus omnium promovet ac defendit; qualis est legitimus Christianæ potestatis usus, non potest dici illegitimis artibus veritatem promovere aut defendere: quia nemini ad eam obtrudendam vim & injuriam infert. At enim nihilominùs violentâ Magistratus potestate veritas defenditur, quoties illatæ aut inferendæ cultoribus ejus injuriæ propulsantur? Sed potestas quidem Magistratus inermis cogitari nequit, quia eam Deus ipse gladio armavit: Cæterum ea propulsandis insontium injuriis, non veritatem quam amplectuntur, sed innocentiam eorum, sed jus ac libertatem defendit, quod proprie ejus muneris Deus esse voluit. Id ex eo manifestè cernitur, quod iis ipsis quos defendit, pace ejusdem, veritatem deserere & errorem amplecti liceat; dum jus & libertatem alienam non invadant. Neque enim Magistratum veritatis sed innocentiæ, sed juris ac libertatis cujusque custodem statuimus, nisi in alienam & cui neque par, neque idoneus esse potest, messem, falcem immittere velit.

Non igitur nos in propaganda aut defendenda veritate ad spiritualem verbi Dei gladium, ferreum adscisimus: nec in brachio carnali spem ullam reponimus: quod tam errantium quàm fidelium libertatem patrocinio suo protegere tenetur; & sæpe in deterius flecti solet:

Sed

Sed ordinationem Dei quæ præter mentem ejus, culpâ mortalium frequenter ab officio exorbitat; ad mentem ejusdem, innocentibus in bonum converti optamus: Non ut veritatem potestate sua plantet; cui plantandæ ipsa per se idonea non est, verum ut jus innocentium tueatur & conservet; cui uni rei duntaxat procurandæ instituta est. Quod autem inde is effectus consequatur, ut remotis iniquæ tyrannidis obstaculis, non manca, nec debilitata, sed suis relicta viribus veritas sumat incrementum, id, quoad ipsam functionem Magistratus planè ex *accidenti* est, ut hoc loco Vir bonus, insigne fallaciæ ejus nominis specimen ediderit.

Quodsi quis objiciat, Christianum Magistratum, quando sub ea veritas incrementum sumit, non posse dici ejusdem promotæ causam per accidens; cum per se hunc effectum intendere possit ac soleat: Respondendum est, Magistratum Christianum, si quidem potestatis suæ violentiâ, ad plantandum veritatem planè utatur; munere sibi in alium usum à Deo concesso, præter mentem ejus abuti & ipsi veritati non uno modo injuriam facere; quod ipsi licere non putamus. Sin potestatis suæ usum, intrà fixas à Deo libertatis & securitatis omnium civilis defendendæ; & coërcendæ injustitiæ metas continet; quamvis ex eo veritatis incrementum consequi velit aut optet, dum tamen vim potestatis ab obtrudenda invitis veritate abstineat; optatus hic promotæ veritatis eventus, non ex viribus ipsius potestatis fluit, quæ huic negotio impares & natura sua etiam errorem promovere aptæ sunt sed ex ipsius veritatis vi & natura; quæ nisi externis impedimentis opprimatur ipsa per se mirificos successus in animis hominum habere solet. Quod igitur Magistatus protegat innocentes coërceat injustos atque juris alieni invasores id facit per se, tanquam Magistratus, quia potestatis suæ & concessæ sibi à Deo violentiæ metu id præstat & efficit. Quod autem optat & procurat ut hoc sui muneris officium ipsi quoque veritati, (vel per accidens & remotè) sit usui atque emolumento & tamen, ut debet, à violanda per vim potestatis suæ mentium libertate, abstinet; id optat & facit non tanquam Magistratus: sed tanquam Christianus. Nec si voti sui compos fuit, id potestatis ejus violentiæ; nisi fortè per accidens & valde remotè (quatenus videlicet suo munere fungens, & quasi aliud agens iniqua veritatis obstacula removit) sed ipsi veritati, cujus viribus validius nihil est; per se quidem, ac propriè attribuendum est: dummodo ista potestas positum sibi limitem non transiliat & causas alieni fori non invadat. Neque enim ullus effectus potestati Magistratus, idque per se, tribui merito potest: à quo ista potestas anxiè ac sollicite abstinet.

Non partitur autem gloriam suam Deus, cum hominibus, quando illi præscriptum sibi à Deo, (quod *Rom.* XIII. legimus.) officium faciunt, quamvis ex eo gloria Dei consequatur: quemadmodum nihil gloriæ Dei derogat; quòd nos absque operæ nostræ interventu, servare nolit. Quod si Principes terrarum veram religionem vi atque armis propagare vellent; non modo in gloriam Dei: sed in ipsam Veritatem & religionem injurii essent: cujus ea est natura, ut ejusmodi artibus nullo modo promoveri velit: quibus tantum error ac superstitio indiget.

Principum etiam infidelium potestate; quin Deus ad emolumentum Ecclesiæ abuti possit, ac soleat non dubitamus. Sed inde non sequitur, illum in eodem negotio fidelium potestatum operâ, ita ut suprà diximus, præstanda; nunquam uti velle.

Classicum Sacri belli adversus Antichristum à Christianis suscipiendi nunquam cecinimus; nec quenquam ad illud exhortamur. Magnæ id molis opus; & ipsi Christo relinquendum, nec unus toto terrarum orbe Antichristus debellandus; imò verendum esset, ne conatus hic non servitium ex Ecclesia tolleret; sed in locum antiqui, novum ac nequiorem Dominum Ecclesiæ imponeret. Novimus bellorum jura & quos spiritus afflare soleat armis parta victoria.

Gladius igitur oris Christi nobis ad hoc bellum sufficit; quo supremæ potestates & regnorum robora (quorum in fulcris usurpata in Ecclesia potestas recumbit) ultrò ac sua sponte ad agnoscendam veritatem perduci possint. Si qua tamen potestas, si qua Respublica ad agnitionem veritatis perveniat, superstite adhuc aliqua eorum potentia, qui in peculiarem Christi populum, à Domino suo manumissum, tyrannidem affectantes, clandestinas cum Rege Regum inimicitias exercent; quæ fortè libertatem ejus Regni aut Reipub. religionis prætextu violenter opprimere; atque ita alienum jus invadere vellet: nihil dubitamus posse tàm iniquæ violentiæ, eam vim & potestatem opponi, quam Deus supereminentibus potestatibus in bonorum defensionem & malorum coërcitionem contulit. In quo casu, non religionem aut veritatem; quæ nullis armis adversus errores indiget: sed jura & libertatem suam suorumque, quæ absque ejusmodi præsidiis servari nequeunt, ista potestates defenderent; neque ultrò, tanquam gladio videlicet delendos, ejusmodi Antichristos oppugnarent: sed invitæ districtos in capita sua furentium enses, defensivis armis oppositis retunderent.

Atque hæc quæ capite isto regessimus, ostendunt; quàm non modo sine necessitate; sed etiam non absque latissima culpâ suâ, Vir bonus, contra nominis sui indolem, non modo in iniquam accusandi nostri acerbitatem efferbuerit: sed etiam plurimas, quas aversamur ac seriò abominamur opiniones nobis, per injuriam, attribuerit.

CAP. II.

MAgno sed inani molimine, Vir Bonus, evincere contendit, opiniones suas Rempublicam cum Religione non committere. Et ubi in hanc sententiam plurima dixit; vixdum ab eo argumento digressus, oblitum se sui ostendit; dum ex suo sensu, ait: *Religio jubet nos injuriarum patientissimos esse. Respublica jubet eas armis ac vi ulcisci. Religio hostem diligi præcipit: Respub. eum mandat occidi. Quomodo obsecro hanc contrarietatem diversis respectus tollere possit?* Et vicit sanè Vir bonus, si ut seriò opinatur; planè idem religio prohibet; quod Respub. mandat: in quo se plurimùm decipi non sentit. Sed rursus in eo certamine, victum se fateatur necesse est in quo probandum suscepit, opinione suâ Religionem cum Repub. non committi. Aut si verum est, quod hic tanto conatu ostendere allaborat, falsò opinioni suæ tribui, quòd religionem cum Repub. committat; necesse est, ut agnoscat aliud esse quod religio prohibet; aliud quod mandat Respublica. Eligat utrum libet: nam utrumque simul teneri nequit.

Porrò inani molimine niti eum diximus, quia quæ affert, vanissima sunt. Primum ait, *non omnem Magistratum sententia suâ everti; quia quidam è minoribus Magistratibus* (eos intelligit qui vitæ necisque potestatem non habeat) *à Christianis administrari possint.* Atqui istæ potestates ita pendent à superioribus: ut qui superiores sustulerit, locum istis relinquere nequeat. Ab illis enim omne jus potestatis accipiunt.

At enim ne illæ quidem, quæ sine gladio obiri nequeunt, damnantur, aut improbantur; quando eis Christiani fungi prohibentur. Hic iterum optio Viro bono offerenda est, ut aut ea quæ hominibus vitam æternam eripere putat: quæque ideò à Christianis, cane pejus & angue fugienda censet, officia damnet atque improbet: *aut si ea non damnat, imò ne improbat quidem, quia illa à Deo ordinata, & in humano genere ad bonum ejus & salutem terrenam instituta esse cum Apostolo agnoscit;* fateatur oportet ea ipsa per se vitam æternam nemini eripere, nec à Christianis eo nomine fugienda esse. Alterutrum eligat necesse est. Nam in duabus à se adeò distantibus sellis, sedere, nemo potest; quin utraque excidat.

At nihil in *eo absurdi est; si statuatur Deum velle, ut ista munia etsi utilia imò necessaria hominum societati, à fidelibus sua peragantur.* Verum status quæstionis mutandus

non est. Neque enim id quæritur quid Deus facere aut velle potuerit: sed quid fecerit; aut fieri velit, nolitve. Non omnia quæ absurda non sunt, imo ne omnia quidem verisimilia, vera sunt. Tametsi ne id quidem, absurditatis prorsus expers est: Deum, qui velit ut omnes salventur ideoque Christiani fiant; Christianis ejusmodi officiis interdixisse, sine quibus humanum genus in statu tolerabili durare nequit, quæque ipse pro ordinariis ministeriis suis, agnoscit. Levitarum & Clericorum exemplum parum aptè ad præsens negotium adductum est. Nam qui utrosque ab officiis quibusdam Reipub. arcent non convellunt Rempub. quia reliquos omnes ad ea admittunt; ut impunè ab ipsis geri possint; nec cuiquam cæterorum fraudi est Levitam aut Clericum non fuisse. At qui Christianos ab iis excludunt convellunt Rempub. quia (& merito quidem) nemini impune fore censent Christianum non fuisse. Cum igitur antiqua doctrina, omnes homines sub pœna æterni exitii, ad receptionem sui obstringit; eos autem qui ipsam receperint; iterum obligat ad abstinendum ab officiis, sine quibus stare non potest Reipublica; quomodo effugiet quin evertere statum Reipub. censenda sit?

In locum Sacerdotum legalium, successisse quidem omnes Christiani, sed non simpliciter atque absolutè; neque in omnibus: sed in oblatione potissimum spiritualium hostiarum &c. Non desunt tamen quædam alia, in quibus non omnes Christiani; sed ii qui in cultu Dei reliquorum Duces sunt, in eorum locum successisse videntur. Itaque à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, prava est argumentatio.

Bellum ex iis rebus esse fatemur, à quibus abstineri sanctius est, si modo nobis abstinere integrum sit. Proinde & quando & à quibus id fieri potest, laudabile id esse agnoscimus. Sed non ideò matrimonio Christianis interdici æquum est; quia sanctior & laudabilior censetur cœlibatus.

Urgere sibi videtur, Vir bonus, consequentiæ nostræ, ut ait, invaliditatem. *Cur*, inquit, *non est eversa Judaica Respub. tò quod Sacerdotes à bello essent exclusi? cur non concidunt Christianorum Respublicæ, in quibus dare bello operam Clericis nefas est?* In promptu causa est; quia neque olim omnes Reipub. cives cogebantur; neque nunc sub pœna æterni exitii, Sacerdotes & Clerici esse coguntur; neque functiones gerendæ Reipub. gratiam Dei aut æternam salutem cuiquam eripere credebantur aut creduntur. At ubi quis omnibus qui Christiani esse noluerint, æternam perniciem denunciat: eandemque denunciat omnibus Christianis; si pace aut bello Rempub. gerere voluerint; quem locum relinquit Reipub. quam per homines certè, quibus prædicandum est Evangelium, non per alias Creaturas geri necesse est. Deinde jam monuimus non ex eventu æstimandas esse pravas & noxias sententias, sed ex eo quod per se, & natura sua efficere aptæ sunt. Quod enim Respub. aliquæ per ipsas fortè non sint eversæ; non per eas hucusque stetit, neque ipsis acceptum ferendum est. Venenum per se mortiferum esse non desinit, tametsi neminem necaverit; quia videlicet alii prænoniti ab ipso abstinuerint; alii antequam ipso uterentur, antidotis corpus præmunierint; quæ conservatæ vitæ hominum causæ ex accidenti intervenientes; non efficiunt quin venenum illud per se noxium sit ac mortiferum. Quod quidem fallaciæ genus Viro bono nimium familiare esse moneo. Elevet igitur Vir bonus, quantum vult infirmas hujus consequentiæ vires; ubi ad eam oppugnandam ventum erit, comperiet, non defore sibi, in quo ingenium ad sudorem usque exerceat; neque tamen hilum proficere possit.

Sententiam nostram de jure Magistratus, quæque ex illo dependent, non futurorum præsagiis aut divinationibus, sed, præter multa alia ipsi juri divino, conceptis verbis ab Apostolo expresso, superstruimus: quod semper & ubique locum habere debet; etiamsi nunquam & nusquam vera Christi Ecclesia, ita propagetur, ut totas Respub. occupet. Non enim in gratiam Christianorum duntaxat, hæc ordinatio à Deo instituta est, tametsi vel maximè illos tanto Dei beneficio gaudere æquum est; sed in gratiam omnium innocentium & sine aliena injuria, vitam in terris degere volentium. Sive igitur ex perfectis, sive ex imperfectis Christianis sive etiam ex Ethnicis hominibus Respub., aut totæ, aut magna sui parte constent, non magis ad obsequium, quàm ad legitimum imperium veros Christianos admitti posse censemus, dum imposita sibi munia Christiane administrent. Quapropter ut veri Christiani, demandatam sibi aliquam Reipub. partem (inter quas & militia est) rite gerere possunt, nunquam id requiri censuimus ut aut totæ, aut majori sui parte Respublicæ, ex veris Christianis constent. Atque adeo unde tam falsum de nobis Viro bono, obrepserit somnium, satis mirari non possumus, quod imaginetur, nos ani hanc futuræ spei; totum jus bellandi superstruxisse.

Neque tamen id à nobis ideò dicitur, quod nos pudeat hujus spei, quæ non in certis dubiæ mentis aniolationibus, non vanis febricitantium somniis sed invictis primùm Veritatis viribus, deindè publico generis humani experimento innititur. Premi ad tempus veritas & iniquo cum erroribus certamine, conteudere potest: vieri tamen nequit, quin eos aliquando subigat. Longævus interdum error esse potest: at veritas æterna atque ipsius Temporis, quod reliqua mortalia consumit, filia est. Et quid dicemus si hunc ipsum partum jam parturit? Tàm difficile fuit olim, ne quid amplius loquar, post Apostolorum tempora Principes orbis terrarum, ad Christianam religionem converti, quàm arduum nunc videtur, veritatem à Principibus ac totis provinciis recipi. Nam quid causæ est, quominùs id eventurum speremus: quod jam evenisse, tàm insigni experimento comperimus? Habuerint sane illa tempora magnum ad alliciendos in Ecclesiam Principes, adminiculum in illâ, per sanctitatem olim atque miracula Apostolorum plantatâ fidelium multitudine. At neque nunc desunt, tanto maiora ad eam spem auxilia, quanto facilior est, in uno & apud omnes confesso principio consistentibus, ex erroneâ in rectam sententiam transitus; quàm fuit olim è profana infidelitate, in fidem migratio. Christianorum certè multitudo quamobrem cuiquam hodie minor videri debeat, quàm fuit ævo Constantini, non dispicio. Nec inter ipsos Christianos S. S. aut mysteriorum religionis cognitio, olim quàm hodie exactior fuisse dici potest; in qua etiamnum orbis quotidie proficit. Fragiles sunt, & ruinam indies majorem minantes erroneārum hypothesium substructiones: Nec multò solidiores causæ atque rationes, quæ tantum Christianorum numerum, ne penetret in ipsum veritatis sacrarium, remorantur. Sed si ipsius antistites, ab ingressu ejus templi Viros principes, ad quorum exemplum orbis vulgò componi solet, arcebunt; idque non alio nomine, quàm quod delegato ab ipso Deo ministerio fungantur, hos ego quidem eo crimine, ad summi judicis tribunal non protraham. Neque enim furiarum officium occupare, aut fratrum accusatoris vice fungi velim: Sed tamen causam dicturos posteritati prænuncio, quod tàmdiu tàmque obstinatè veritatem in injustitiâ (libet enim hac voce iniquissimum ejus statum exprimere) detinere contendant.

Non igitur nos improbæ spei; sed istos potius præproperæ desperationis pudeat, qui cum spem nostram tot argumentis subnixam per ludibrium dulce somnium ac divinationem vocent; ipsi divinare audeant, veritatem ac religionem puram nunquam ita propagatum iri, ut suas Respublicas habeat, quasi Deus sub principibus verè Christianis, nunquam homines verè Christianos, tranquillam & quietam vitam degere velit. Neque verò mirandum est, si veritas, longissimo etiam tempore nulla sumat incrementa, quoties in ejusmodi homines incidit qui illam nec debere, nec posse ita propagari opinentur. In quo videant obsecro isti, ne quod humilita-

ti ac

ti ac patientiæ ſuæ imputant: ignaviæ præſtent; cujus prima tergiverſatio eſſe ſolet in re impoſſibili operam navari non poſſe: proxima, in inutili aut ſi Diis placet, noxiâ, non debere.

Obiter autem animadvertendum eſt hoc loco, Viri boni artificium, quòd ut Rempub. cum religione concilies, ſolius militiæ interdictum Rempublicam non evertere toto iſto capite oſtendit: quaſi ſententia eorum unam iſtam Reipub. partem quæ in belli defenſione verſatur, oppugnaret: & non omnes ejus etiam pacificas functiones; atque ipſum jus Majeſtatis; ipſa vitæ neciſque in ſubditos jura, imo omnem ſupereminentem poteſtatem cui Deus jus gladii conceſſit, à Religione Chriſtianâ proſcriberet, quod quia ſuis locis oſtendemus, nunc verbo monuiſſe ſatis eſt.

Atque hic Vir bonus, quaſi jam abundè planum feciſſet, genuinam ſententiam ſuam religionem cum republica non committere, diſputandi gratiâ alienæ ſententiæ patrocinium ſuſcipit. Sed non tantum ipſi eſt otii à negotiis ſuis, aliena ut curet: habet domi quod agat, ne ſibi animi gratia peregrè exſpatiari integrum exiſtimet. Neque enim hoc loco is ſtatus quæſtionis fuit; utrum militia religionem Chriſtianam deceat: ac ne utrum violet, quidem, nec ne. Poſterius iſto ſuo loco viderimus. Nunc id ſolum quærebatur; utrum opiniones non militiam tantum, ſed omnia Reipub. munia damnantes, Rempub. evertant. Quod quia nondum ſe videre initiò capitis aſſeverat; non placet hominem ex eo loco, ubi ſe in anguſtum cogi videt, aliò properantem, aliâ lege dimittere; quàm ut deleat quod initio capitis ſcripſit, & fateatur ſe jam videre, per iſtiuſmodi ſententiam, quæ aſſerit, id ipſum omninò prohiberi à religione, quod Reſpub. neceſſario mandat; (qualia ſunt militum, Judicum, poteſtatum ſupremarum officia) committi Rempub. cum religione. Quam confeſſionem, ne ſibi à nobis inhumaniter extortam, quiritetur, jam vis veritatis ab ipſo vel invito expreſſit, in illis verbis ejus, quæ initiò hujus capitis produximus.

Poſteaquam oſtendimus, quàm improſperè domi pugnaverit, videamus an ipſi felicius ſucceſſerit in hoſticum excurſio.

Primùm omnium diſputandi gratiâ ponit totas Reſpublicas Chriſtianas fore. De Chriſtianis veram ac perfectam Salutis orbitam prementibus, eum loqui, oſtendunt tot Chriſtianæ Reſpublicæ quæ per tot ſecula extitere: quas certe fingi neceſſe non fuit. Ait igitur eas Reſpublicas non modo ſtare ſed & bella gerere poſſe etiamſi verè Chriſtianis militibus non utantur, ſed partim falſis Chriſtianis, quos nunquam defore una mecum cenſet: partim externis. Itaque poſito etiam tali Eccleſiæ ſtatu, qualem ego ſpero, ipſe verò fingit fore, poſſe ſine veris Chriſtianis bella geri, ac Rempub. defendi. Atqui ſi hoc ita eſt, bellum Chriſtianis gerere licitum eſſe ſtatuet, dummodo alienis manibus geratur. Itaque viro bono annuente, belli effectus atque ipſa occiſio, à Chriſtianis procurari poterit; dummodo id faciant non per ſe, ſed per alios. Qui ita ſentiunt, non obſcurè oſtendunt; non tam ſe ab ipſâ belli indole; quàm à laboribus & periculis quæ in eo ſuſcipiuntur, abhorrere; quæ longè omnium gratiſſima carni opinio eſt; & quæ homines delicatalos planè juvet, ac deceat. At enim occurret ſe iſtos quoque qui bella alienis manibus gerunt damnare & in cenſum falſorum Chriſtianorum referre. Atqui id ipſi integrum non eſt per eam quam ſuppoſuit hypotheſin, fore aliquando Reſpub. quæ aut integræ ex fidelibus conſtent; aut quarum hi potior pars ſint. Quomodo enim tales Reſpub. quales nos fore ſtatuimus erunt: ſi ad earum clavum falſi Chriſtiani, puta excommunicati, aut certè damnati; qui plerumque infenſi ſolent eſſe iis à quibus damnantur, ſedebunt? Quid opus fuit fingere tanquam futurum; quod tot ſeculis fuiſſe & nunc eſſe ipſe exiſtimat. At enim fieri poſſe dicet, Magiſtratus aliquos opinionum veritatem recepturos nec tamen ſecundum pietatem victuros. Id ſanè facile fieri poſſe concedimus. Sed nos veritatis receptæ potiſſimam partem in vita ad normam diſciplinæ Chriſti corrigenda, collocamus. Aut igitur, Vir bonus ineptam & à ſententia noſtra alienam hypotheſin fingit; quæ ad rem præſentem nihil facit, aut ea dicit quæ opinionem ipſius evertunt.

Ubi prima velitatio non ſucceſſit, aliam tentat, ſed ita ut ſtatum quæſtionis mutet. Ait enim *Ubi vere Chriſtianæ fuerint Reſpublicæ aut tam aurea tunc fluent ſecula, ut nemo futurus ſit qui innocentibus nocere velit; aut non minus quam hodie boni injuriis atque vexationi malorum erunt obnoxii; Si prius, (quod me opinantem facit) ſtatuatur nulla in orbe bella fore: ſi poſterius patientia & manſuetudine Chriſtiana tunc æque ac nunc, utendum eſſe, quamvis vires reſiſtendi ſuppetant*, quod fuſe perſequitur. Quibus in verbis plurimæ Viri boni hallucinationes notandæ ſunt. Primùm autem inſufficientem eſſe enumerationem partium etiam pueri animadvertere poſſunt; qui nondum ære lavantur. Quid enim prohibeat quominùs tunc non quidem ita exerta ut nunc impietas regnet: ſed nec omnes verè ſancti reperiantur? Improbitati voluntas nocendi, nunquam deerit. Sufficit ſi vires ac facultas, ſi non penitus adimantur; at magna ex parte, per eos qui rerum potientur, bonos, retundantur. Deinde mihi iniquè opinionem tribuit quam ego pro abſurda habeo: imo quam expreſſis verbis *Cap.* 1. damnavi, quæ ita ſonant: *Etiamſi fingamus (quod nunquam eventuram reor) eo felicitatis orbem terrarum pervenire poſſe ut univerſi mortales nemine excepto, veram & perfectam pietatem colant?* &c. Nam quod in explicando Eſaiæ teſtimonio, *cap.* VII. diximus, tunc demum eventura quæ illic prædicantur, cum nemo erit qui alteri nocere velit, non ita præfractè intelligendum eſt; quaſi tunc quoque prorſus nemo improbus futurus ſit, (quod ego apertè negavi unquam ſperari poſſe) ſed illo loquendi modo, quo David ait Non eſſe qui exerceat juſtitiam, non eſſe uſque ad unum; quæ vera fuiſſe, etiamſi aliqui reperti fuiſſent qui juſtitiam exercerent nemo dubitat: dummodo de illis dici potuerit,

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Denique cum id hoc loco probandum ſuſcepiſſet; etiam poſita noſtra opinione; quod Reſpublicæ integræ aliquando verè Chriſtianæ futuræ ſint: non ſequi tamen inde, ob leges aliquas religionis juxta ſenſum ſuum explicatas; præcipuè ob prætenſum militiæ interdictum; illas plane ruituras eſſe: Sed incolumes manſuras; quamvis veri Chriſtiani militare & Rempub. gerere, prohibeantur: Subitò ad alium controverſiæ ſtatum divertit; & probat patientiam & manſuetudinem Chriſtianam; quæ utramque doctrinæ Chriſti, paginam facit, à Chriſtianis exercendam, etiam ubi creverit eorum numerus: Atqui meminiſſe, debuerat Vir bonus, quòd

——— amphora cœpit
Inſtitui. Currente roſâ cur urceus exit?

Præterea, quid opus erat, id operoſè probare, quod nemo negat? Quis enim in dubium vocavit unquam (qualiſcunque ſit rerum in orbe ſtatus) patientiæ & manſuetudinis Chriſtianæ neceſſitatem? Aut quis utramque tam arctis limitibus circumſcripſit; ut eas non alia lege exercendas putaret, niſi ubi vires reſiſtendi non ſuppetunt? Nemo profecto in morali diſciplina tàm bardus eſt, qui ullam actionem excelſæ virtutis nomine dignam putet; quæ nonniſi ab invitis extorta, exerceri poſſit. Sed ubi adverſariis deeſt, quod apertæ veritati opponant, murant quæſtionis ſtatum, & ne nihil dicere videantur; in locos communes deflectere ſolent, quibus intempeſtivè pertractandis volumina in immenſum extendunt. Tales Viri boni digreſſiones ſi ex ejus libello tollas, dimidio breviorem reliqueris. Parum eſt ejuſmodi ſuperfluâ opera, temporis jacturam fieri, inſuper aliquid ſemper Lectori inhæret pravæ opinionis, de iis quibus tàm ſæpe & tàm audacter alienæ ab omni ratione & veritate ſententiæ affinguntur.

Non igitur nos patientia & mansuetudine in ferendis injuriis Christianis utendum negamus, quoties utriusque virtutis vera occasio occurrit; quæ etiam in felicissimo rerum humanarum statu, ubi vel maximè fidelium creverit numerus, deesse nunquam poterit. Sed utrumque istarum virtutum non ita in infinitum protendimus, ut in extremum suum degeneret; atque ut potestatis usum & legitimum resistendi jus à Christiano populo excludat. Primùm enim patientia suarum injuriarum injuncta est, non alienarum. Nam in suis tantum injuriis remittendis quilibet liber atque sui juris est. Alienas injurias condonare, non magis cuiquam licet, quàm de alienis opibus liberalem esse. Deinde ne ad suas quidem injurias aut omnes aut semper aut ubique remittendas patientia omnes obligat: sed tunc & ibi & iis legibus, quando & ubi & quibus circumstantiis id Christiana prudentia suadet & ueri debere ostendit. Neque enim illa virtutum est, quæ cæco impetu ad executionem sui quenquam rapere debeat: sed rationis & prudentiæ ductu omnes indigent. Non igitur id absurdum atque fanaticum dicimus si quis, ut in cæteris, ita in his quoque virtutibus, oblata earum occasione, columbinâ simplicitate Christo obsequium præstet; sed tantum si adversus expressum ejusdem præceptum, serpentinam prudentiam ab hoc officio plane removeat. Rationabile obsequium à nobis Christus exigit; non cæcum neque absurdum aut ἀπερισκόπον. Magistratus autem jus & usum, tantum abest ut legibus suis sustulerit; ut nihil expressius per se & per Apostolos confirmaverit; imò verò commendaverit. Proinde quæ Vir bonus hoc loco adversus eos qui virtutes istas planè oppugnant, concionatur, nos minimè petunt.

Postequam Vir bonus, (non tamen ante emissum in nos aculeum, quorum animale & Mundi concupiscentiis corruptum judicium; neque cum suo spirituali, quod dijudicat omnia, ullo modo conferendum, notat) consumpto eloquentiæ suæ apparatu & vehementia deferbuit; redire ad se videtur, & nunc demum reminiscitur, sibi probandum incumbere Respublicas non perituras tametsi armis non defendantur, aut conserventur. Id igitur ostendere laborat Theologicis primum, deinde Politicis rationibus.

Theologicam rationem depromit ex injuncta nobis erga Deum fiduciâ & miratur primùm nos in eam cogitationem venire posse; ut actum esse de Christi populo putemus; si Christianam patientiam induat. Quasi nos non justius mirari debeamus, Virum bonum, nobiscum in hoc certamine congredi non posse; quin prius & nostras sententias, in deformem verborum vultum atque habitum; & suas opiniones in pulchorum vocabulorum amiculum induat. Neque enim aut nos Christianam patientiam populo Christi exitiosam esse asserimus: aut quam ille Christianam patientiam vocat, tàm speciosо nomine digna est; cum potius sit tentatio Dei & extremum veræ patientiæ oppositum. Fidem sane à nobis poscit Deus & cœlestis patrocinii firmam fiduciam: sed non ignavam & otiosam, multò minus arrogantem ac temerariam; quæque in servandis nobis, extraordinaria à Deo miracula exigat. Etiam in rebus ad Salutem pertinentibus, non perficere tantum, sed & velle Deus nobis donat, si accipere velimus. Non tamen idcircò conatu & contentione omni abstinendum est. Sic in rebus hujus vitæ curas nostras in Deum deonerare jussi sumus: sed non ita, ut ordinarias sustentandi aut servandi nostri, rationes negligamus. Promisit opem suam Deus conatibus & laboribus nostris; verum simul eam fixit legem ut pigris & otiosis esuriendum; amantibus autem pericula & ordinarios expediendæ salutis modos respuentibus pereundum sit. Ægrè in tam adductis improbitati frenis, innocentia tuta est. Quid fieret si per speciosos patientiæ prætextus, sublato jure Magistratus atque omnis coërcitionis, effrenis injustitiæ ac flagitiorum omnium regnaret impunitas?

Sed expendatur penitus Viri boni ratiocinatio. Ait, non perituram Christianam Rempub. etiamsi armis non conservetur: quia Deus sub Evangelio innocentiæ præsidium promittit, non carnale quale fuit sub τύπῳ παιδικῷ sed spirituale; atque hic multis probat Deum nunc nolle populum suum carnalibus niti præsidiis, hoc est (ut mox videbimus) Magistratus potestate regi, qui supplicium metu tueretur civium innocentiam. Quæ antequam excutiam primum ostendo, Virum bonum, interea dum mutato quæstionis statu ab instituto divertit, oblitum esse hypotheseos; quam disputandi gratia supposuerat, totas aliquando Respublicas Christianas fore, & quidem quales nos animo concepisse ait. Nos autem, hujusmodi Respublicas non alias animo concipere poteramus, nisi suo potestate verè Christianorum constitutas, quæ metu legum ac potestate Magist. in officio continerentur. Has igitur hoc loco probare contendit sine armis conservari posse ejusmodi ratione, quæ planè contrarium evincit. Ait enim Deum suppleturum armorum bellicorum defectum extraordinario auxilio; quia nunc nolit sub lege Spirituali homines carnalibus præsidiis conservari: quod ipsum quomodo probet mox videbimus. Nunc satis est annotasse. Per hanc argumentationem ostendi, Nihil ejusmodi Reipub. quam Auctor nobiscum una præsupponit à Deo speraudum esse auxilii; quæ contra voluntatem ejus, sub N. Fœdere revelatam sub potestate Magistratus & legum metu constituta sit.

Deinde nidum fallaciæ æquivocationis deprehendo in verbis; *Sub lege Spirituali Deus non vult amplius cultores suos, carnalibus niti præsidiis.* Nam si vocem *Niti*, ita explicet; ut significet fiduciam in qua quis unice recumbit & omnem ipem collocat; quod verba quidem præ se ferre videntur, non planè falsa videtur hæc enunciatio, sed ad institutum ejus nihil facit. Nec enim nos quoque nitendum hoc modo, sed tamen utendum carnalibus præsidiis asserimus. Sin istam vocem ita intelligat; ut hoc loco non quidem omnem spem in carnalibus præsidiis repositam sed usum tantum istorum præsidiorum significet: facit sane ad rem iste sensus: sed ita si explicetur hæc enunciatio, nihil illa falsius Auctor comminisci potuit. Et isto quidem posteriori sensu eam intelligendam; addita vox *Amplius* ostendit; quæ non obscurè innuit Deum ante Evangelium cultores suos niti carnalibus præsidiis voluisse: quod aliter explicari nequit, quàm ut Deum eos tunc uti istis præsidiis voluisse intelligat; cum Deus ne tunc quidem quenquam in brachio carnali plenam reponere fiduciam voluerit. Nec rationes quas pro posteriori hujus enunciati sensu adducit ei fidem conciliant. Nec enim quia spiritualis Christi lex perfecit eam legem; quæ in cultu Dei aut alia aliqua re carnale quidpiam sibi admixtum habebat; ideò Deus proscripsit è populo suo omnem terreni regiminis rationem. Lex Christi leges humanas non sustulit, sed confirmavit; posteaquam earum custodes atque custodiam non gravissimis modo præceptis sanxit; sed etiam gladio armavit. Suarum quidem legum, quæ in divinissimis virtutibus consistunt, custodiam gladio non sepsit; quia id naturæ spiritualium virtutum repugnabat: sed terreni ordinis regimini gladium non ademit; quia id istius regiminis naturam sustulisset. Nec ideò Deus noluit per Christum terrenam Rempub. condere; quòd Christianos Rempub. gerere nollet sed quia illâ opus non erat; cum nulla gens ex iis, quibus Christi Evangelium prædicatum est, careret sua Republicâ; quemadmodum tunc Judaica carebat, cum ipsi Deus per Mosem legem ferret. Imo vero si noluisset Deus populum suum sub Christo uti ordinario terrenarum potestatum præsidio, aut ipse aliquod exemplo Mosaici regimen instituisset; aut certè jus & potestatem ordinariam Magistratuum etiam Ethnicorum, neque commendasset; neque pro suo ministerio agnovisset, neque tot expressis legibus munivisset.

Publicam talionis legem, aut ullam Mosaicarum sublatam, nusquam legimus; nec ejus rei verum vestigium,

gium, in toto legis Christi codice ullum extat. Privatas stricti ac summi juris persecutiones, quæ præcipuè in vindictâ cernuntur ex occasione aut præpostera publicę legis allegatione exortas, prohiberi, libenter fatentur. Proinde dogma illud, quod Deus nolit populum suum niti, hoc est, uti & gubernari carnali publicæ potestatis præsidio, sed ab extraordinario & miraculoso dependere semper velit auxilio; planè novum, & novis miraculis confirmandum est. Imò ne si miraculis quidem firmaretur; fidem apud nos inveniret; quibus Apostolus, ne Angelum quidem, nova & doctrinæ quam prædicavit adversa dogmata invehentem audiendum præcepit. Doctrina vero Apostoli est: Deum velle ut populus suus non solum à potestatibus supereminentibus qualescunque illæ sint gubernetur; quia omnis ordinaria potestas; quamvis non semper Christiana, semper tamen à Deo sit: sed etiam ut boni in innocentiâ suâ, nitantur ejus potestatis præsidio, quia ex institutione Dei in bonum eorum ordinata sit; mali verò metuant pœnas, etiam capitales, quæ ipsis voluntate Dei per Magistratus ministerium; quod Deus pro suo agnoscit, irrogandæ sint. Hæc doctrina antiquissima, primitivæ illius & ab ipsis Apostolis plantatæ Ecclesiæ indigena, contraria sibi peregrinæ notæ dogmata non admittit; quæ genuinos Apostolorum voces dedignata ὑπερφυᾶ λαλεῖ & spirant nescio quid enthusiasticum. Tertullianum quod attinet is in multis quæ scripsit, plus veniæ quàm fidei & auctoritatis meretur; præsertim ubi in declamatorios colores effusus, synceram veritatis tincturam adventitio rhetorum fuco adornat. Cujus tamen verba non id, quod vult Vir bonus exprimunt, in quibus nonnisi privatarum & suarum injuriarum patientia commendatur; cum is publicarum & alienarum animadversionem, quæ fit per Magistratum, oppugnet. Imò verò id, quod non vult, asserunt *Deum* videlicet *mercedem* præcepti, h. e., *patientiæ fructum qui est ultio seu pœna exhibere Christianis; & quod illis non permittit ipsum fideliter præstare.* Quod quamvis aliquando rariusculè ipse per se: ordinarie tamen & perpetuo per ministrum suum Magistratum faciat. Verba Tertulliani sic intelligenda ratio quam subjicit, evincit. dum ait: *Quoniam & disciplinæ interest injuriam vindicari; metu enim ultionis omnis iniquitas refrænatur. Cæterum passim emissa libertate* (hoc est impunitate) *dominabitur, utrumque oculum effossura, & omnem dentem excitaturam* (hoc est excussura) *præ impunitatis securitate.* Nec enim Deus tàm sæpè ultionis invisibilis, quàm visibilis, quæ fit per Magistratum formidine publicam disciplinam retinet, & iniquitatem refrænat; & nemini impune fore, qui injuriam intulerit ostendit.

Ex his quæ diximus patet, Virum bonum, inde quod Deus res humanas curet; eique confidendum sit; minimè probare potuisse; Rempub. non perituram, etiamsi Magistratui ejus, gladius quem ipsi Deus tradidit, eripiatur.

Nunc videamus an ista quæ ex humanæ prudentiæ officina depromit media, in conservanda Repub. gladii vicem suppleant.

Eorum quæ affert; quædam ipsius causam jugulant; quædam nostram ne attingunt quidem, tantum abest ut vulnerent.

Ex iis quæ ipsius opinionem jugulant, consilium ejus primum est; ut urgente necessitate potentior aliquis è vicinis Regibus eligatur; qui certa pensione aut tributo, obligetur ad defensionem Reipub. Christianæ. Nam si licet potentem Principem pecunia obstringere, ad id, ut hostilem sanguinem fundat; cur non liceat potentem exercitum pecunia conscribere; ut idem præstet? Quid interest ad illatæ hosti violentiæ sensum aut eventum, nostris an alienis manibus, sanguis ejus hauriatur? Si sententia adversarii vera est; æquè violabitur illa toties Viro bono decantata, inimici dilectio; si per conductum potentiorem principem quàm si per militem à nobis conscriptum, aut per nos ipsos pereat. An per alium facere licebit, quod per se nefas est?

Consilium aut remedium alterum conservandæ aut retinendæ citrà arma Reipub. quod in patientiæ efficacia collocat; rem de qua agitur non attingit. Nam aut prudentem ac legitimam patientiam intelligit per quam Respub. interdum in statu suo, melius ac tutius quam per arma, conservari potest. Huic remedio nemo nostrum intercedit, qui armorum usum, nonnisi gravi urgente necessitate permittimus. Proinde ad rem quæ inter nos in controversia est, non pertinet. Nec enim nos negamus ejusmodi consilia, posse locum habere in aliqua speciali deliberatione, de facto aliquo singulari. Quod tamen non evincit Respublicas, absque istius, quem ipsis Deus ipsem manus tradidit, usu gladii stare posse.

Aut, (quod ubique præ tractè urget) per patientiam hoc loco intelligit, cæcam atque in infinitum extensam, patiendi obstinationem, etiamsi leges fundamentales Reip. & statum ejus hostis convellat; quod tamen inter nos controversum est; tamen ad præsens institutum non pertinet; & ridiculum est.

Non pertinet, quia nunc non id quæritur, quid in casu intentati ab hoste belli Christiani officii sit, quod posterius tractabitur: sed utrum Christiana Respub. in tali casu, absque armis statum suum tueri possit. Proinde Vir bonus, qui qui remedium huic malo pollicitus, extrema pati jubet, ne ad bellum veniatur fidem promissi non præstat; nec tollendi mali, sed leniendi doloris, idque non minus miserum quam ridiculum remedium exhiber. Nam quis ferat medicum qui sanando vulneri remedium ex intima Machaonis arte promisit, eludere expectationem ægri & cataplasmatis loco; patientiæ præceptum vulneri applicare? Nos ex ipsis officinæ politicæ penetralibus, nec publici saporis remedia præstolabamur: & ecce prærer spem nostrum Vir bonus, depromit inventum quod cuivis è trivio comminisci proclive sit. Nam quis nescit utilem ac necessariam esse patientiam, in iis quæ corrigere est nefas. Sed quæ corrigi & sanari legitimè queunt, patientia expugnare velle; non Medici aut Politici consilium: sed Stoicæ grandiloquentiæ vanitas & jactantia est.

Porrò quòd etiamsi hostis iniquissima petat; regnumque omninò sibi deposcat (quod sine eversione Christianæ Reipub. fieri non potest) præstare tamen ait vel indignissimum servitium subire; quàm armis decernere; id quibus rationibus evincere contendat, videamus.

Ait primum. *Quia quoties belli necessitas ingruit, incertum & anceps sit Martis arbitrium, quo judice innumeri, etiam justissimâ causâ ceciderunt, præstare spontanea deditione in servitutem concedere;* (quam aliquando ipsa morte tristiorem esse statim ostendemus) *quàm bello vinci & victoris sævitiam experiri. Resp.* Quia oculos suos homines absque reflexo visu videre nequeunt; conceptus autem ac fœtus mentis suæ, planè in oculis suis gestant; & æquè ut oculos suos amant & complectuntur: exhibendum est viro bono, exterius speculum, in quo argumenti sui lineamenta contempletur. Quid enim aliud arguit, quàm quia incerta & anceps esse soleat Medicorum cura, quorum ministerio innumeri, etiam saluberrimis medicamentis usi, miserè periere, quotiescunque morbus periculosus ingruit; præstare spontanea morte defungi; quàm dolores & cruciatus irritæ curationis experiri? Hoccine pro medio ex humanæ prudentiæ officinâ deprompto, Vir bonus, venditabit? Atqui ea certum & extremum infortunium, propter incertum periculum subire vetat: & vel ob incertam salutem, certa pericula non gravari, imperat.

——— *ne quid inausum.*

Ne quid inexpertum frustra moriture (aut quod pejus est morte tristiorem vitam victure) *relinquas.*

Deinde ait, Quia Deus regna transfert pro arbitrio, si Deo visum fuerit alium Dominum in regno Christianorum constituere; non resistendum Deo asserit. Quod nos libenter accipimus & fatemur; dum de Dei voluntate nobis certò constare possit. Sed in ilico pro certo ejusmodi voluntatis Dei vestigio habendum erit, si quis hostium

ſtium Rempub. Chriſtianam injuſto bello laceſſat, cui propulſando illa aut par; aut etiam plus quàm par eſſe poſſit?

III. Jam verò qui pro favoris ac beneficii divini argumento prædicat, ſi pro Chriſtiano Magiſtratu (hæc enim ſubjecta materia eſt) externum, qui modo potens ac ſtrenuus ſit; oviculæ Chriſti nanciſcantur; is pro iræ ac judicii divini ſigno ſe habere tacitè oſtendit; ſi loco externi Chriſtianus Magiſtratus, oviculas Chriſti gubernet: quaſi Chriſtianis potentibus ac ſtrenuis eſſe non liceat. Cujus opinionem idcircò Lectori refutandam relinquimus.

Vana igitur Viri boni fiducia eſt; dum ſi fortè cui libuerit alios prætereà caſus fingere, ſe quoque alia, extra bellum ac cædes inventurum remedia denunciat; quando in iis, quos ſuo ipſe arbitrio finxit, caſibus remedia quæ produxit tàm futilia deprehenſa ſunt. Nobis caſus iſtos fingere neceſſe non eſt; quia eos, præter omnis ævi experimenta, publica præſentis ſeculi conſcientia exhibet. Quis ignorat Turcarum morem, qui in ditionibus ſui juris excitâ nobilitate, ſexus utriuſque florentiſſimam ſobolem, triſti delectu aſſiduè exhauriunt, ut execrabili ſuperſtitione imbutam, partim in devotas nefandæ libidini victimas, partim in barbarici imperii columen ac robur convertant. Neque in eo iracundiæ aut ultionis impotentiæ indulgent: ſed partim libidini, partim arcano firmandi Status ſui conſilio; cui nullo obſequio, nulla patientiâ occurras. Ergo ubi Chriſtiano populo barbarus indixerit bellum; in has leges aut in has ſpes paciſci cum eo placebit? ne ſtricta ferri ejus acies oculos noſtros vulneret? Uſque adeone mori miſerum eſt?

Quid Hiſpanienſe jugum memorem? quod, ſi qua regio aut Reſpub. tàm facili cervice recipiat, ut, Viri boni conſilio, ferre quàm propulſare malit: non civilem tantum & quæ imperiis ac legibus humanis obnoxia eſſe ſolet ſed illam maximè naturalem; quæ ab omni humanæ poteſtatis jure exempta eſt, Conſcientiæ libertatem; alienæ libidini mancipet neceſſe eſt. Nec ego nunc ad eam quæ veræ religioni debetur obligationem deſcendo. Non id hoc loco quærimus, quid religio à nobis exigat: ſed quid Reipub: quid ipſis hominibus qui eam conſtituunt in ejuſmodi optione eligere expediat; ubi aut armis dimicandum; aut populus univerſus & præcipuè inſons ætas in ejuſmodi miſeriæ barathrum ſponte præcipitanda eſt; ut ipſi ne privatæ quidem Saluti, & conſcientiæ proſpicere unquam integrum futurum ſit. In quo caſu non de religionis propagatione aut conſervatione per ſe; ſed de Reipub. atque ipſorum hominum agitur libertate ejuſque ſpecie longè omnium maximè neceſſaria: & quam, ſi quis ſibi ſuiſque extorqueri; aut quod pejus eſt, in gratiam earum, quos Vir bonus affert ratiuncularum, gratificari alicui ſuſtineat; indignus ſit eo bono cujus jacturam minoris quàm pericula belli, aut victoris ſævitiam æſtimat: minùſque metuit. Quæ enim unquam victoris crudelitas ultrà corpora ſævire potuit? At conſcientiarum carnificina ad animorum cruciatus & lethalia vulnera penetrat. Quid igitur indignius eſt quàm propter incertam illius formidinem & tam ficulnea argumenta; hujus ſervitutis immanitatem ultrò ſuſcipere?

Nihil autem eſt quod V. B. infirmitatem allati à ſe remedii circumſpectans oſtendere detrectet ſine armis æternum in terris res Chriſtianorũ ſtare poſſe. Nemo id ab ipſo exigit, cum in rebus mortalium ne arma quidem præſtare poſſint quicquam ſempiternum. Quemadmodum & is iniquus eſſet qui ſalubre remedium eo nomine ſperneret quia perpetuam ſanitatem non afferat; aut bellum quia perpetuam pacem: denique quod utrumque interdum fine ſuo, in quem adhibetur excidat. Sufficit ſi ad tempus morbo corporis aut Reipub. depellendo proſit; & ad eam rem ad quam adhibetur efficiendam per ſe & natura ſuâ aptum ſit. Remedii pretium atque æſtimationem impedimenta fortè obvientia, aut incidentes caſus non minuunt, non tollunt. Verum id à Viro bono exigitur, ut quod tàm magnificè jactat oſtendat non modo æquè efficax; ſed multò certius adverſus hoſtes eſſe patientiæ remedium, quàm bellorum. Quod quidem quàm tutum ſit, non quærimus; ſed quàm certum & efficax. Nec enim in præſentiſſimo periculo ſatis eſt ne remedium noceat: ſed ut proſit neceſſe eſt. Lenta & languida eſſe ſolent, à quibus nihil noxæ metuere; ſed nec ullam opem ſperare poſſis. Quid ſi oſtendam iſta ipſa lenta quæ tuta vocat, acrioribus remediis longe magis noxia eſſe ac periculoſa; non modò idcircò, quod in urgenti periculo ſpem fruſtrentur & opem ſubtrahant, ſed quòd naturâ ſuâ noxam, imo perniciem afferunt?

Spero id agniturum Virum bonum, ubi oculos aperuerit, ad ejus fallaciæ dolum quæ ipſum decepit: latentem in ea quam ſupra diſtinximus patientiæ voce. Quæ aut virtutem prudentiæ pediſſequam deſignat; aut extremum virtutis hujus, extra fixas à rectâ ratione metas, in infinitum protenſum. Illam ego tutam eſſe, ſæpe quoque utilem fateor: quæ tolerabilis injuriæ perpetſione; intolerabilem aut ejus periculum redimit. Quæ adeò à deliberatione de bello non proſcribitur, ut ſatis præcipiatur, cum bellum ſine urgentiſſima neceſſitate ſuſcipi prohibetur. Sed non ſemper huic virtuti locum improbitas hoſtium relinquit. Altera quam Vir bonus adverſus nos urget, quæ concedit omnia etiam iniquiſſima petentibus, ſine ullo reſiſtendi jure adeò utilis, adeò tuta non eſt; ut nihil ipſâ excogitari poſſit, periculoſius, præſertim verò Reipub. exitioſius. Nec enim ſenſim aut per ſpiramenta temporum, ſed uno ictu, ſtatum, fortunas, & quæcunque in hac vita optabilia habemus, jugulat. Nec Vitam ipſam excipio quam Vir bonus obſtinata patientia ab hoſtibus redimi ſuadet. quaſi vita vitalis eſſe poſſit apud eos, qui miſero ejus pretio, vivendi cauſas vendidêrunt. Sed nec iſtam ipſam vitam, quam omnibus vivendi ſolatiis ſpoliatam, tanti facit Vir bonus, iſtud patientiæ genus tutam reddit aut ſecuram. Nec enim ſemper, de gloria; de imperio certamen eſt. Sæpe dimicatur uter hoſtium ſit, non uter imperet. Non pauciora bella odium aut vindictæ ſtimulus; quam ambitionis aut habendi ſitis excitavit. Quid tum patientia proderit? ubi hoſtis corpora civium ad pœnas; liberos ad libidinem dedi poſcerit? nec aviditatem aut ſuperbiam ſuam, ſed ſævitiam ſatiare contendet?

Præterea patientiæ interdum magna vis eſt in frangendis etiam malis hominibus; ſed tunc cum metuunt, ne læſa ſæpius patientia in furorem evadat; at ſi omnis plane reſiſtentiæ ſecuri ſint; patientia ejuſmodi non placantur, ſed ad novas inferendas injurias invitantur, præſertim in opprimendis Rebuſpublicis.

Atque hic expendat, velim, Vir bonus quàm ſpe ſua deceptus ſit; quæ ſibi eximiam laudem inventæ rationis per quam bella plane excluderentur, tàm blandè deſponderat, eò quod ſe prius ambiguitate vocis patientiæ decipi paſſus fuerit. Quæ ſi quidem legitima & prudens ſit, interdum belli neceſſitatem excludere poteſt: ſed ferè nonniſi cum in hoſtem æquum & moderatum incidit. Cujus virtutis ornatu & inſignibus; nihil eſt quod ſibi placeat aut ſuperbiat, illud alterum imprudens & obſtinatum patientiæ genus, quod vitam, libertatem; conjugum & liberorum pudicitiam, atque ipſam Deo & conſcientiæ liberè ſerviendi facultatem poſtulantibus hoſtibus, etiam improbiſſimis ultrò proſtituit. Nam etſi belli neceſſitatem excludit; quo ſolo nomine, viro bono, commendatur: tamen iſtud eſt longe pejus ipſo morbo remedium; nec cum belli utilitate ullo modo comparandum; quod ut non ſemper planè certam, bonam tamen ſpem victoriæ & ſalutis ſpondet. At hæc una cum conatu omnem expectationem incolumitatis planè præcidit; imò prodit, ac ſine ullo mali ſufflamine præceps in exitium ruit. Bellum igitur aliquando periculoſum (nec enim ſemper ambiguus eſt victoriæ eventus) at hoc remedium ſemper exitioſum eſt: & ſi fortè in marcentem hominum improbitatem incidat, ipſa impunitate eam excitat aut accerſit.

Supereſt

Supereſt ut argumentum quoddam expendamus in quo Vir bonus adeò exultat, ut non modo æquè uti bellum efficax adverſus hoſtes remedium: ſed multò etiam certius ac tutius ſe inveniſſe, in obſtinata patientia, prædicet. *Nos*, inquit, *totas Reſpub. everſas, & regiones florentiſſimas in cinerem ac ſolitudinem bellis redactas, poſſumus digito oſtendere. Oſtendat Vir Magnus cui Reipub. unquam patientia tantam cladem attulerit. Itaque plus etiam, quam opus ſit, demonſtramus &c.*

At nos antequam iſtius ratiocinationis indolem preſſius perſcrutemur, totis viciſſim manibus Viro bono oſtendimus, totidem Reſp. bello ſervatas: quot æmulas illarum atque inimicas civitates in cinerem abiiſſe commemorat. Quas præter unicum belli remedium, nulla ſervaſſe potuit patientia. Certè ἀνοσοδο inter eos bellum fuiſſe neceſſe eſt; ubi tantis odiis certatum eſt, ut eouſque ultionis ventum ſit: nec dubium eſt eandem fortunam ab hoſte victoribus niſi pugnaſſent & viciſſent, expectandam fuiſſe. Nec illud nunc attingo quis juſtius induit arma, an t quàm legitimè vel moderate fortuna victores uſi ſint. Non hoc in præſentia quæritur. Sed quàm proſpere iis bellum ſucceſſerit, qui hoc remedio ad Status ſui conſervationem uſi ſint. Oſtendat Vir Bonus quando adverſus ejuſmodi hoſtes, qui niſi extincta æmula patientiâ, tutos ſe fore non putabant, Rempub. aliquam patientia ſervaverit. Nequiter Carthaginenſibus illa patientia expetivit cum ante poſtremum bellum Punicum vim deprecantes ſe ſuaque omnia in fidem ac ditionem populi Romani dediderunt. Cujus deditionis fidem facere & confirmare juſſi; nec atrocius quidquam expectantes, trecentos obſides, claſſemque univerſam & arma atque omnia belli inſtrumenta tradidere; ea diligentia conquiſita, ut propemodum plus auri argentique, quàm ferri Carthagine ſupereſſet. Poſtea quam imperata feciſſent, & claſſis in ipſis urbis oculis incenſa unâ cum ſuis favillis in auras ſpem omnem florentiſſimæ urbis ſuſtuliſſet; præter expectationem miſeris migratio è ſedibus; & ſuprema urbis illius excindendæ neceſſitas indicitur. Tunc demum intellectum, quantum illa obſtinata ad iniqui hoſtis obſequium patientia profeciſſet. Cum enim iniquorum poſtulatorum finem viderent nullum: ſera demum miſerorum animos intempeſtivi obſequii ſubjit pœnitentia: & quantum in Salutem patriæ, patiendo peccaviſſent, deſperatio oſtendit. Nam omni defenſionis inſtrumento exuti, atque exarmati, in uſum novæ claſſis tecta domuſque reſciderunt; & in armorum officinis pro ære & ferro aurum & argentum conflatum eſt: & in catapultarum vincula matronæ crines ſuos contulerunt. Quæ tamen tàm parum idonea bello ſupellex; non bellum tantum in plures annos traxit; ſed & profligandis ſæpius Romanis exercitibus ſuffecit; documentum exhibens, quantum in illa ſuprema patriæ neceſſitate, integri & armati præſtitiſſent, qui inermes atque exhauſti tantum potuerunt. Certè ſi plenæ de Romanis obtinendæ victoriæ, impares eos ſtatuamus; at ſtrenuè pugnando æquiores ſaltem pacis leges obtinere potuiſſent: præſertim cum & Romana virtus jam tunc defloreſcere inciperet; quod & poſtrema ipſius Carthaginis & paulo poſt ſubſecuta Numantiæ obſidio oſtendit. I nunc & extremo laborantis diſcrimine Reipublicæ morbo, patientiæ panaceam præſcribe! Hoc remedio Carthago à ſtirpe interiit. Cujus excidio quotquot cives ſuperſtites fortuna reliquerat; poſt tàm triſte ejus rei captum experimentum, procul omni dubio, tàm egregii conſilii ſuggeſtores Damaſippos, (ne quid durius pronunciem) helleboro quàm tonſore digniores cenſuerunt.

Sed jam tempus eſt ad argumenti hujus preſſius examen accedere. Primum igitur etiamſi concedamus, longè omnium graviſſima mala atque incommoda fluere è bellis, non id tamen quod concludit Vir bonus, inde evincitur; ſed tantum illud quod initio propoſuerat, non ideò aſpernandum ſuum patientiæ remedium; quia aliqua incommoda ſecum ferat; quia & nos bella pro idoneo remedio habemus, quamvis ſua incommoda habeant. Quod nos ſanè concedimus, non ignari, generoſa plerumque remedia ſuis noxis atque periculis non carere. Verum non ideò nos iſtud Viri boni remedium aſpernamur, quòd unâ cum ea quam præbet ope aliquid noxæ afferat: ſed quia cum nullam omninò opem præbeat, univerſam vim morbi totis venis invergat; & uno ictu ægram cui adhibetur Rempub. jugulet. Itaque tantum abeſt, ut illud bello aptius remedium videri poſſit; ut veneni potius quàm remedii nomine dignum ſit; quia cum nihil omnino profit; lethaliter noceat: & vel ob id ipſum bellorum incommodis longè ſit nocentius; quod infortunio primum inevitabilem certitudinem: deinde vecordiæ culpam addat & dedecus. Quod vel ideò commemorandum fuit, ne quis nos de illius patientiæ, quæ in gratiam Dei non minus ſapienter quàm glorioſè ſuſcipitur, ſpecimine loqui exiſtimet; quòd à præſenti diſputatione alienum eſt; in qua non id quid Deo debeatur quærimus; ſed quid in caſu intentati ab hoſte belli expediat Reipub.

At enim Patientia in cinerem & ſolitudinem regionis non redigit, quod facit bellum. Poſſit iſtud quoque in dubium vocari, præſertim ab iis qui Hiſpanienſis, in Atlantici Oceani inſulis ſævitiæ, non ſint ignari. Quod & modo memorata Carthaginis clades refellit. Sed brevitatis cauſa concedatur. Nec enim pugnat aut conflictatur cum morbo ut inde aliqua in corpore cui mederi debet, moleſtiora ſymptomata exoriri poſſint. Sed obſequitur morbo ac miniſtrat, eumque in accelerando Reipub. interitu adjuvat. Quod igitur nullum in eo cui adhibetur corpore ſui ſenſum excitet, nulla cieat ſymptomata, torporis ejus atque infirmitatis veſtigium eſt; quod autem omnem aliam opem ſubmoveat & certiſſimum Reip. interitum acceleret; latentis in ea peſtis eſt documentum. Necat enim ac ſepelit populos ſine ullo ſtrepitu ac funeris pompa: & cũ bellum victis nocere nequeat, quin victoribus proſit: talis patientia cunctis, qui ad ejus opẽ confugiunt, nonniſi funeſta ac mortifera eſſe poteſt.

Decipit autem Virum bonum, nimium in hoc ſcripto frequens & familiaris ipſi fallaciæ dolus, quam accidentis vocant. Nam & ea quæ ex bello profluunt incommoda, eorum ratione, qui hoc remedio per ſe ad ſui conſervationem utuntur; ex accidenti eveniunt, & quod interdum patientia, de qua loquimur, illis quæ bellum affert incommodis careat non bonitas remedii iſtius efficit; ſed aliæ cauſæ quæ reſpectu illius opis quam Reipub. afferre debuerat, planè ſunt ex accidenti.

Exemplo res fiet illuſtrior. Si quis ægro qui ſontico morbo periclitetur ſuadeat, ut longos ægritudinis cruciatus, qui plerumque vitam idoneis remediis longius protractam, non ſemper in ſpem felicis ſucceſſus comitantur, præveniat aſpidis morſu aut alio mortis genere, quod lenem exitum affert, poſſit eodem modo remedii ſui bonitatem commendare. Tot extare exempla ægrorum quibus curatio medicorum nihil profuit, niſi ut diutius ſe mori ſentirent. Neminem autem dari poſſe unquam eorum, qui aſpidis morſu periere acerbis cruciatibus cõflictatum. Non modo igitur aſpidis morſum æquè efficax eſſe adverſus morbum illum remedium; quàm medicorũ pharmaca, ſed longè plura & graviora mala fluere; ex ipſorum Curâ. Proinde multò certius ac tutius eſſe, iſtud ægritudinis remedium quod omnes dolores ſtatim finire poſſit; quàm Medicorum ſollertiam, qui ſæpe ambigua vitæ ſpe, ægrum crudeliter excrucient. Is profectò eodem fallaciæ genere ægrum circumvenire vellet; quo nunc Vir bonus Lectorem, imprudens, ut credo, decipit. Nam nec ob ea incommoda, præcipuè non plane certa, quæ forte ſive ob medicorum imperitiam; ſive ob ægri intemperantiam, ſive ob ignotam nobis voluntatem Dei accidere poſſunt, idonea expugnando morbo remedia ſpernenda ſunt. Nec iſta Media quæ per ſe perniciem, & quidem certò afferunt: ab ea commoda commendari poſſunt, quæ non ex eorum Natura, quippe ad juvandam

valetudinem ægri prorsus ineptâ; sed aliunde proficiscuntur & quasi per accidens interveniant, quia nimirum æger ante tempus deproperata morte interceptus; quemadmodũ vivere ac sentire ita jam amplius cruciari non potest.

Quæ de Christianæ patientiæ laude subjungit; nec à nobis negantur nec ad rem, de qua quæritur pertinent. Illud enim probandum susceperat; Rempub. Christianam, etiam in maxima hostium iniquitate, citrà bellum, mediis ex humana prudentia depromptis, in suo Statu conservari posse. Quod quàm prospere ipsi successerit; æqui Lectoris judicium esto.

Transeamus nunc ad aliam quæstionem: An opinio adversariorum Rempub. cum religione confundat. In qua primùm si seriò credit, quod confitetur; in gubernatione Reipub. præter eas quæ à Christo & Apostolis latæ sunt Spirituales leges, alias quoque puta forenses leges admitti posse, dum adversus Christi leges non pugnent: nobiscum sentit; nec adversus eum pugnamus; sed adversus eos qui contrà sentiunt. Verumenimverò non satis bona fide adversariorum opinionem eum damnare; documento est, quod ipsi doleat, eos hic à nobis oppugnari ideò vicem eorum ulturus; culpam quam ipsis objicimus in nos regerit: nosque potius Rempub. cum religione confundere, eo argumento probat, quòd cum agnoscamus religionem ac Rempub. contraria habere instituta, tamen utramque, unum eundemque cætum Christianorum constituere posse putemus. *Quomodo*, inquit, *Contraria in uno cœtu possunt consistere? Nonne unum positum, tollit alterum?* Idque tàm instanter urget, ut suspicionem faciat se ignorare, quòd non modo contraria; sed etiam contradicentia non modo in uno cœtu; sed in uno etiam subjecto consistere possint; si pugnent quidem secum; at non secundum idem. Quæ sive vera sit, sive ad redarguendos nos affectata ignorantia in illius fallaciæ cassis homines induit, quæ ignoratio Elenchi vocatur.

Verum ut fidem faciat se verè ignorare quod diximus; urget mea verba, quibus istam inter contraria pugnam concilio: *Sed hæc instituta diversa regiminis genera respiciunt. Quasi*, inquit, *diversus iste ad diversa regiminis genera respectus, naturam rei immutare possit.* Putat fortasse, Vir bonus, respectum istum à nobis, tanquam Ens rationis, & merum cogitationis figmentum introduci. Atqui ne vocis hujus æquivocatione, seque & alios decipiat; sciat hunc respectum non imaginarium esse sed realem; nec naturam rei in diversum immutare; sed diversam invenire. Itaque diversa ista instituta non modò respiciunt diversa Regiminis genera; sed in diversis regiminibus non cogitatione tantum sed reipsa distinctis exercentur. Ne controversa tangamus, Libertas & servitus nonne contraria sunt; & tamen in uno cœtu; imo in uno eodemque homine reperiuntur? Omnes Christiani liberi sunt. Sunt tamen & quidam servi putà secundum carnem. Diverso respectu ista pugna conciliatur: Sed qui à mente nostra non falso fingitur; sed in diverso hominum Statu, qui non spiritualis modo esse potest: sed & carnalis simul est; verè & reipsa, deprehenditur.

At enim quod religio Christiana vetat; licitum fieri nequit, si alio consideretur modo. Hoc pronunciatum neque planè verum, neque plane falsum est. Modus considerandi leges Christi non abrogat; sed interpretatur. Quod reipsa simpliciter & absolutè religio Christiana vetat, per modum considerandi, licitum fieri nequit: Sed multa interdicta religionis etiam quæ absolutè & simpliciter omninò prolata videntur rationabilis interpretatio limitat. Exemplo sint juramenta, quæ Omninò prohibita leguntur; & tamen hoc interdictum ad certum genus juramentorum restringi: aut certè quædam eorum ab hac lege excipi, & ratio, & necessitas & ipse Theologorum consensus ostendit. At enim Clericus bellator ridiculus foret, qui se, non eo respectu, quòd Clericus sed eo quod civis sit Reipub. fundere sanguinem prætendat. Ita est; quia cum in Clericum inauguraretur, notoria obligatione sese obstrinxit, ne ullam ob causam ne Reipub. quidem gratiâ arma sumeret. Abrumpere igitur ea vincula nequit, quibus se obstrinxit: At idem Clericus, aut etiam Evangelii Minister, dum inauguraretur nulla se obligatione obstrinxit; quin tibi servos aut subditos habere liceret; quibus non quidem in Ecclesiastico; at in æconomico regimine imperaret. Proinde is, dum servis aut subditis dominatur, eosq; dominica potestate corporalibus pœnis coërcet, non id facit tanquam Pastor Ecclesiæ, cui dominari in Clerum præsertim Coactiva potestate prohibitum est, sed tanquam subditorum tibi, aut servorum dominus.

Porrò dum nos Rempub. cum religione confundere Vir bonus hoc loco ostendere enixius contendit; seipsum primùm mire perturbat & argumentationes suas destruit: deinde ipsam Rempub. cum religione ita confundit; ut eas simul inter se acerrimo conflictu committat. Nam quid ab ejus proposito, quod in priori capitis parte multo conatu urgebat, alienius fuit; quàm quod hic ex genuino animi sui sensu, tam asseveranter inculcat, illud idem à Repub. mandari, quod religio Christiana prohibet. Si enim aliud Resp. jubet; aliud vetat religio, Vir bonus in manifesta ignorationis elenchi captione deprehenditur. Sin istius elenchi redargutionem vitare velit, casso Penelopes labore fatigatur, telam retexens, quam priori capitis parte tanto conatu contexuit. Eligat utrum libet. Nam verba quibus sententiam prius adstructam refellit, quia initio capitis exposita sunt nunc omittimus.

Rempub. autem cum religione, eadem operâ, & committit & confundit. Quia, quæ in suis regiminibus contraria habent instituta; neque committi invicem; nisi prius sibi æquo propius admota, & commissa queunt; neque miscori & confundi possunt, quin committantur. Quapropter nos ea invicem confundere dici non possumus; quæ ideò justis metis ac limitibus dispescimus, ne alterum in alterius messem falcem suam immittere; atque ita ambo invicem secum digladiari queant. Injuriarum nos patientissimos esse Religio mandat: sed nostrarum, non alienarum. Injurias ulcisci Respub. mandat. Sed alienas, non suas, & Magistratibus non privatis. Alioqui privatorum ultiones propemodum non minus jus Reipub. quàm Religionis violant.

Possunt aliquando secum pugnare Resp. atque religio: sed vitio & abusu hominum non ex rei natura, aut ex mente atque instituto Dei. Quod fit cum aut Resp. vim ad coërcendas injurias sibi concessam, ad ea adhibet; quæ religio libera, non violenta esse postulat: aut religionis prætextus ea Reip. eripere contendit, quæ ipsa Deus etiam sub Novo fœdere aperta voluntatis suæ denunciatione concessit: atque ita utraque jus alienum & forum non suæ jurisdictionis invadit. Cujus rei culpa, utrum nostra an adversariorum pars teneatur cordatus Lector judicabit. Quodsi vel maximè armis ac potestate promoveri religionem à Repub. debere contenderemus; non esset id confundere cum religione Rempub. sed tantum demandare Reipub. erga Religionem officium religione indignum; quod nos nusquam facimus. Neque enim si quando aut aliquomodo defendat religionem Resp. idcirco cum ea confunditur ac miscetur; dum id faciendo vim ac potestatem suam rebus religionis non immiscet. Quanquam si proprie loquamur non religionem defendit Respublica, dum conscientiarum oppressores coërcet sed libertatem & jus civium: quæ res armis ac potestate ideò defendi debent, quia absque oppositâ vi, adversus violentiam consistere nullo modo queunt: cum religio etiam in servitute ac oppressione durare tamen quoquomodo possit. Neque verò vicissim negari potest, multum incremento religionis prodesse, si contingat libertatem civium qui religioni faveant, legitimâ potestate defendi. Sed is fructus in religionem à Repub. redundat, ex accidenti, ut loquuntur, quia accidit, ut homines quorum libertas defenditur, faveant religioni; cum per se ac propriè Veritas, non dominantium potestas animis hominum religionem insinuet & commendet.

Quo in casu synceræ religionis æquæ, immisso Reipub.

limo

imo, non conturbantur: cum in isto limpido religionis fonte, bonorum civium defensionem atque injuriarum ab iis propulsationem, nec illam inermem sed gladio improbis metuendam, supereminentibus potestatibus permissam esse, perspicuè videamus: dummodo hæc defensio intrà nudæ libertatis politicæ limitem consistat; nec in mentium & conscientiarum jura invadat.

Porrò cum ait Vir bonus, *Non ergo extorquetur è manibus Magistratui & Regibus qui sunt extra Ecclesiam, (nam in Ecclesia nullos Reges habemus,) gladius quo à Deo ad defendendum bonos, armati sunt*, primùm rem manifestè falsam pronunciat. Nam qui legitimum gladii usum sub Novo fœdere peccatum esse censent; certè una cum cæteris operibus Diaboli, hoc quoque peccatum, è manibus hominum plane omnium excutere contendunt (nam de conatu; non de eventu loquimur) ac iis quidem qui sunt extra Ecclesiam exceptis, quibus extrà Ecclesiam esse, quantum in ipsis est, non permittunt. Deinde fallaciâ quæ à dicto secundum quid dicitur, sese implicat; dum ex eo quod secundum quid dici possit, nos in Ecclesia nullos Reges habere, (puta qui Ecclesiæ quâ Ecclesia est imperent, qualis unus est Christus) arguit; simpliciter nullos in Ecclesia Reges esse: Quasi ii Reges in Ecclesia dici nequeant; qui non Ecclesiæ qua talis est: sed populis ad Ecclesiam pertinentibus imperent.

Lex forensis Mosaica, non ita ad Veteris fœderis essentiam pertinebat, quin & illud fœdus absque usu legis forensis stare in suo vestigio, & antiquato fœdere lex forensis vigere posset; quamdiu stabat illa Respub. cui lex illa forensis fuit affixa. Documento est quòd cum destructa ab Assyriis aut Babyloniis illa Republicâ, legis forensis usus, aut prorsus aut maxima sui parte, esset interceptus; antiquum tamen fœdus abrogatum dici non potuit; & cum introducto per Christum novo fœdere, vetus esset antiquatum; legis tamen forensis Mosaicæ usus, quamdiu & ipsa Respublica manfit superstes. Vis enim pacti cum Deo fœderis, non in illis specialibus Hebræi regiminis sanctionibus; sed in pactis utrinque fœderis conditionibus, earumque exigendarum modo consistebat; cum ex parte Dei promissorum ejus repræsentatio: ex parte populi præceptorum ejus moralium obedientia, eo modo quem tunc Deo adhibere placuit, exigeretur. Porro etiam cessante legis forensis usu (quod accidebat cum nullam Rempub. haberent) præceptorum Dei obsequium (cujus compendium est Dei & proximi charitas) non cessabat. Eodem modo vicissim antiquato veteri pacto, per novum quod ipsi successit: non est sublata forensis legis obligatio, quamdiu illa Respub. manfit; quæ absque sua forensi lege esse non potuit. Nam aut nova in locum veteris substituenda; aut vetus in suo loco relinquenda fuit.

Ac non sublatam quidem tunc forensis Mosaicæ legis obligationem fuisse, vel inde nimis perspicuè evincitur; quod Deus per Christum etiam humanarum legum obligationem, non modo sine ulla gladii exceptione, sed permissa manifestè gladii potestate sanxerit & confirmaverit. Quomodo igitur idem propriarum legum obligationem, propter istam quæ adeò quosdam offendit, gladii potestatem sustulisset?

Necessitatem hujus obligationis animadvertens Vir bonus; simpliciter eam tollere non audet: sed tamen ut tollere possit veterem; novam in ejus locum substituit. Quod agendo multiplicat entia sine necessitate & meruit rogari.

Cur in theatrum Cato severe venisti
An ideò tantum veneras, ut exires?

Nam quid opus fuit tollere, quod statim reponendum fuit? aut populum veteri forensium legum vinculo solvere si novo obstringendus erat? An si reliquarum legum severitas displicebat non multo præstabilius fuit, eas nominatim abrogare, quod cuivis Legislatori multo magis Deo integrum est; quàm obligatione erga universas populum solvere, cum tamen propter reliquarum observationem & obsequium stabiliendum, nova obligatio introducenda foret. Quis absque aperto Sacræ Scripturæ testimonio ferat superfluas istas figendarum ac refigendarum legum ambages? Nam quod illud tempus fuit, quo sublata fuisse vetus obligatio dici potuit? sineque ante legem Christi tolli poterat: & superventu legis Christi statim per novam confirmata & quasi arctius adstricta est? Annon potius per istam novam, vetus confirmata quam sublata dici debet? Nec nobis operosius hoc loco Vir bonus, urgendus est. Ad id quod nobis probandum est, sufficit ista, quam ab eo vis veritatis extorsit confessio. Qualicunque etenim obligatione, sive veteri sive nova, sive legali, sive Evangelica, sive utraque; post mortem Christi stringebantur Judæi ad forenses Mosis leges observandas: leges istæ durante obligatione eorum, extinctæ aut abolitæ dici non poterant. Proinde in locum eorum, successisse leges Christi Spirituales non poterant; quæ toe annis ante excidium Reipub. Judaicæ promulgatæ sunt; quod ad rem, quam probandam suscepimus satis est.

Quod autem Status Christianorum terrenus cum Statu Judæorum in deserto peregrinantium aptè conferri possit: non ideo Respub. Christiana cum republicâ eorundem jam in Cananæa viventium, æquè aptè comparari non possunt: cum non minus Respublicæ istæ invicem quàm illi status habere inter se similitudinem quandam atque analogiam queant. Sed quid proderit adversariis si Comparatio Christianorum status ad statum Hebræorum per deserta vagantium adstringatur, cum etiam tunc ille populus regimine suo Politico atque adeò bellorum & capitalium suppliciorum jure, non careret?

Successisse in locum forensium Mosis legum; religio Christiana dici nequit; etiamsi eas abrogasset; cum ea, speciales leges ad statum Reipub ac regiminis terreni pertinentes, nullas introduxerit, præter generalissimas, quibus obligationem qua singuli Christiani, suam quisque Reipub. obstringuntur, sanxit & confirmavit. Quantò minùs id affirmari potest, cum eas abrogasse non ostendatur?

Atqui eas abrogatas urget dum ait: *Quid enim opus erat Christianis forensi lege, cum nullam eis Christus Rempub. in terris assignasset?* In tam paucis verbis, præter evidentem assertionis hujus falsitatem, quadruplici ambiguitatis aut fallaciæ quæ à dicto secundum quid, apellatur, captione, aut Lector, aut ipse quoque Vir bonus deluditur.

1. Nam & ista, quæ per verba, (*Christianis opus erat,*) exprimitur Christianorum indigentia, illo tempore, partim, ut vult Vir bonus, locum non habuit. Nec enim quisquam novis legibus indiget aut opus habet; cui veteres non desint, partim locum habuit. Nam & iis rebus opus habere dici possumus, quas jam habemus, non modo quoad usum, sed & quoad possessionem earum retinendam.

2. Et ipsa *lex forensis* si pro nova & tunc primùm à Christo ferenda accipiatur, certum est ea tunc Christianos opus non habuisse; cum singulis suæ patriæ leges non defuerint. Aliqua tamen lege forensi ipsis opus fuisse non modo ipsa ratio ac terreni status necessitas; sed vel id ipsum ostendit, quod ipsis Christus novas istius generis leges non tulerit; ideoque veteres ubique necessariò retinendas statuit; dum earum custodiæ, (injuncto obsequio custodibus earum præstando) prospexit.

3. Similis ambiguitas in Reipub. voce occultatur; quæ aut novæ Reipub. terrenæ, quæ omnes Christianos comprehenderet, constitutionem significat: quam Christus non condidit, quia in veteribus Rebuspublicis,

regnum ejus locum habere potuit. Aut propriè ac simpliciter sumitur, in quo sensu nihil falsius pronunciato viri boni deprehenditur. Satis enim singulos suæ quemque, in terris Reipub. Christus addixit atque subjecit; dum obtemperandum potestatum omnibus præcepit.

Eadem ambiguitas in voce, Assignationis, animadverti potest: quæ prima fronte, separatæ alicujus terræ, tanquam peculiaris sortis assignationem significare potest, ut falsæ enunciationi fidem conciliet: Cum tamen & generalius sumi possit, quo sensu veram sententiam evertit. quæ est quod Christus fidelium unicuique forenses suæ in terris Reipub. leges observandas; iisque singulis Reipub. reverentiam non assignaverit.

Ejusmodi ambiguitatum ubertinam segetem, si ex rationibus adversariorum subtrahas, in angustum res eorum cogentur, nec ullum Campum, in quo jactantius exultare possint, habebunt. Eo promptius veniam dabit Lector quod ad ejusmodi distinctionum minutias, descendere necesse habuerim.

Pergit Vir bonus & leges Rerumpublicarum Christianarum, in locum forensium legum Mosis non successisse, asserit; quia nos non æquè in omnibus obligent, ut olim Mosaicæ Judæos. Fallaciam accidentis in ea ratiocinatione committi, facile ostenderem; si de voce Successionis litigare non pigeret. Sufficit illud verbo attingi: si qua vis esset in ejusmodi argumentandi modo, Consules quoque olim Regibus Romæ successisse dici non posset, quia imperium eorum longè angustioribus quàm Regum, limitibus fuit coarctatum; quod ridiculum est.

Quod bellum apud Hebræos, non ex lege Mosis morali, sed ex lege ejusdem politica seu forensi jus & originem traxisse dixerimus, minùs accuratè dictum à nobis non negamus. Nihil tamen falsi in eo ostendi posse arbitramur, si mens in iis nostra rectè intelligatur; quæ fuit hæc: Non fuisse necesse ut Hebræi, jus & licentiam bellandi; aut ex legis suæ moralis imperfectione, aut ex promissorum terrenorum ratione, vel etiam terræ peculiaris assignatione colligerent; cum in lege sua politica & forensi jura belli sibi apertè præscripta haberent.

Id verò quomodo adversus nostram sententiam militet, non videmus, etiamsi forenses Mosis leges abolitæ essent, quæ propter multas alias causas potius quàm propter permissam in iis bellandi licentiam aboleri poterant. Et quamvis abolitas eas esse, Vir bonus, asseverare tantum, non & probare potuerit, nos tamen iis teneri non diximus; nec ab eorum præscripto jus & licentiam bellandi, aut gerendi Magistratus arcessimus; quamvis in earum præscripto, cum scriptis Novi fœderis collato manifestum Dei voluntatis vestigium deprehendamus, circa ea, quæ nobis in terrenæ Reipub. gubernatione prohibeat aut permittat.

Quid? quod eas sublatas atque abolitas esse; non modo est falsum, sed etiam viro bono asserere integrum non est. Certe non modo minùs accuratè, sed paulò incogitantius Vir bonus, leges, quas per novam & à Christo ipso introductam obligationem non minus quàm alias omnes humanas leges confirmatas fatetur; toties tamen abrogatas & abolitas superventu legis Christi inculcat. Idque facit non tantum intra unius paginæ spatium, sed pauciſſimis inter tam pugnantia interjectis verbis. Neque hæc contradictio eo diversitatis modo, quem inter veterem & novam obligationem statuit, conciliari potest. Mitto enim expendere quàm verum sit quod asserit. Quomodo, quæso, vis obligandi, quoad istas leges sublata per Evangelium dici potest, si in locum veteris, nova obligatio, qualiscunque illa est, successit?

Sed & ista ipsa diversitas, in quo esse prætenditur? Ait, igitur, obligationem Mosaicarum forensium legum, (posteaquam per tàm lepide & ingeniosè excogitatam ab ipsomet metamorphosim; ex divinis in humanas transfiguratæ sunt) adjunctam habuisse exceptionem in iis, quæ sunt contrà pietatem. Quasi etiam optimis, etiam divinissimis legibus perversitas mortalium adversus pietatem abuti nequeat. Sed largiamur rectè constitutam hanc differentiam. An lex, quæ aliquam exceptionem habet; ideò abrogata, ideò mortua & extincta dici potest? Quonam virum bonum abripit contradicendi impetus? Omnes humanas leges, etiam quæ nunc vigent, exceptionem in iis, quæ sunt adversus pietatem habere negari non potest. Omnes igitur à Christo abrogatas & abolitas esse arbitrabimur? Mireret me ejusmodi tergiversationum, in quibus ad talia effugia descendere necesse est.

Reliqua, quæ in hujus capitis calce adjicit, partim adversus nos non pugnant; partim quia non suo loco; & hinc armis pugnant, alibi propulsabuntur.

CAP. III.

A contumeliis, etiam erga eos de quorum pietate & eruditione non constat, abstinendum esse, non ignoramus. Sed non statim in hominum contumeliam trahendum est; quod opinionibus eorum objicitur, quæ pravæ esse ideò non desinunt; quod à quibusdam bonis foveantur. Fanaticarum, nomen, non nos sententiis istis imposuimus; sed consensu reliquorum omnium; præter eos qui iis imbuti sunt receptum; necessitate quadam retinuimus; ut ab opinionibus mollioris superstitionis, distinguerentur. In sententia nostra defendenda probandi laborem si defugeremus; non peculiarem librum, qui mox refutationem istam sequi debet; afferendis pro causa nostra argumentis destinassemus.

Mirari satis non possumus Virum bonum, ea in quibus, tametsi pro sententia nostra dici possent, non multum ponderis esse non obscure significavimus; tàm seduló aggredi: atque inanem laborem suscipere in iis refellendis, quæ nos pro defensione sententiæ nostræ producere dedignati sumus. Quis enim non videt, nos ex eo, quod affirmanti incumbat probatio, hoc loco de industria argumentari noluisse. Sed eam rationem Vir B. tota ista disputatione secutus est; ut quia sæpius quod adversus evidentiam veritatis, afferret non habebat, ea oppugnaret, quæ nobis ipsis, aut displicent, aut suspecta vel etiam contempta sunt. Nihil igitur æquius est, quàm ut ad earum quas non attulimus rationum refutationem non respondeamus:

Examinanda tamen est hujus pronunciati Veritas: Utrum in quæstione practica & conscientiæ; qua quæritur an factum aliquod licitum sit; an illicitum; magis quàm cætera omnia, illud sit attendendum; quæ pars sit tutior, quæ verò periculosior; isque jure & necessariò ad probandum obstringator, qui minùs tutam defendit sententiam.

Quam assertionem antequam falsam esse ostendamus; detrahenda est ipsi quædam veri species ac persona; quæ fortasse Viro bono imposuit, ne Lectori quoque imponere possit. Distinguenda enim est *Vox Quæstionis practicæ & conscientiæ*, quæ aut latius sumitur, ut comprehendat omnes omninò quæstiones & controversias, quæ in iis rebus interveniunt quæ ad praxin & morales actiones quoquomodo pertinent, aut referri possunt, tametsi non id in specie quæratur; quid ab aliquo; certo aliquo tempore aut loco faciendum sit; sed tantum in genere utrum aliquid verum an falsum sit. Aut strictius, pro iis quæstionibus ac dubiis, quæ in speciali alicujus deliberatione occurrunt; dum dubitat utrum aliquid ipsi hic & nunc faciendum sit aut non faciendum; atque ita conscientiæ, ne qua ratione offendatur, prospicit. Quæ sanè dubitatio aut quæstio; quia non in abstracto, quid sit verum aut falsum investigat; sed, ut ita loquar in concreto, & in singularum circumstantiarum interventu; quid sit faciendum aut non faciendum inquirit, *verè & propriè practica & conscientiæ* dici potest. Has quæstiones, in quibus deliberatur quid facto opus sit, liceat uno verbo vocare quæstiones Facti, ut à quæstionibus Juris distinguantur, in quibus in genere, atque in abstracto; quid sit licitum

aut

aut illicitum quæritur: quæ licet ad praxin etiam pertinere dicantur, aut referri possint: tamen in iis tunc, cum agitantur, non id, quod proximè nobis faciendum, sed quid sentiendum sit quæritur. Præcedere enim intellectus judicium, voluntatis electionem semper necesse est: Sed & sæpè accidit ut intellectus decisionem nulla consequatur voluntatis electio, sive quod occasio faciendi desit; sive ob aliud aliquod impedimentum. Potest enim aliquis de jure suo quærere, an ipsi aliquid liceat; tametsi jure suo uti in animo non habeat; aut liberam sibi in eo persequendo vel omittendo, optionem relinqui velit. In quo casu quis non videt nondum de boni aut mali electione aut fuga; sed agi tantum de veri inquisitione & falsi declinatione. Omnis igitur quæstio Facti, cum jam de re proximè facienda aut omittenda deliberatur verè & propriè *Practica & conscientiæ* dici potest. In qua quia sæpè accidit, ut veritatis inquirendæ otium aut facultas non suppetat, nos tutiorem partem eligere ipsa impellit conscientia. Sed non omnis quæstio, quæ ad praxin quoquomodo referri potest, æquè propriè *practica & conscientiæ* dici potest; cum & in ipsis Practicis disciplinis, innumeræ quæstiones speculativæ exoriri possint; quamvis decisio earum ad praxin tendere aut applicari possit ac soleat. Præcipuè *quæstiones De Jure*, in quibus quid in genere omnibus liceat, aut non liceat inquiritur; possunt absque ulla actionis ad praxin deducendæ necessitate aut etiam voluntate ejusvè impulsu tractari.

Atque ejus generis est hæc quam tractamus quæstio; in qua, non id tractatur quid omnino Christianis faciendum aut eligendum sit: sed quid sentiendum, quidve liceat aut minus; relinquens interea liberam cuique rei, etiam licitæ faciendæ, aut omittendæ (quoties id integrum esse potest) arbitrium. Rhetores id genus causæ Demonstrativam vocant; ut discernatur à Deliberativo atque suasorio. Nos veri indagationem nominamus, quæ ad illustrandum intellectum pertinet, non ad voluntatis impulsum aut actionem. Neminem enim ad bellum suscipiendum, aut gerendam ullam Reipub. partem hortamur; sed de solo jure ejus gerendæ disputamus. Proinde nunc cum veritati inquirendæ vacare liceat; ejusque inveniendæ facultas offeratur, non id spectare debemus, quænam opinio tutior aut periculosior; sed quæ vera sit, quæ falsa. Nam qui tutiorem se viam ingredi jactant, eo ipso fatentur se veram nondum invenisse: Si Veritas erui non possit; aut etiam antequam eruatur; & ad actionem res deveniat, maximam ejus rei rationem habendam putamus, ut quando vera via teneri nequit, tutior eligatur. Sed dum veritas in cubili suo quæritur; præposterum est sectari istiusmodi vestigia; quæ nos non ad certæ veritatis inventionem; sed ad minoris mali præ majori electionem ducunt. Nam hoc ejus est, qui de inveniendo Vero desperavit. Præterea ubi certitudo veritatis quæritur, periculosum est ea consectari; quæ speciem quidem & apparentiam veri habere, videamus, rem tamen ipsam non attingere, aut suspicemur, aut tacitè agnoscamus. quod non in ea tantum materia quæ ad contemplationem; sed quæ ad praxin quoque pertinet, tanto magis cavendum est, quòd etiam in moralibus actionibus, sæpe alterum extremorum Virtuti propius esse soleat; ac proinde tantò magis periculum sit, ne virtutis specie vitium nobis imponat.

Imo verò tantum abest, ut isthic ubi veritas quæritur, ad id utra pars tutior sit aut periculosior magis quàm ad cætera attendendum sit, ut ne ratio quidem tunc ejus rei ulla haberi possit. Quia ubicunque ad id attenditur utra pars tutior sit; supponendum est necessario tunc nesciri; imò verò (saltem ad tempus) sciri non posse utra sit vera. Nam si sciri posset veram esse illam quæ periculosa esse prætenditur; nihil ab istis periculis metuendum esset; quæ nonnisi falsitatem ejus consequuntur.

Atqui in eruendo per disputationem Vero supponitur necessariò, id sciri posse, de quo quæritur: aliàs inquisitione ejus rei supersederetur, quam constaret inveniri non posse. Deinde opinionibus quòd sint periculosæ, objici nequit, quin prius supponatur eas falsas aut dubias esse. Vera enim & certa sententia, quamdiu talis est, nihil habet periculi. At is qui rem aliquam veram esse seriò contendit; Catum & hypothesin istam nunquam admittet; sine qua admissa, sententiam ejus periculosam esse, ostendi non potest. Et qui ejusmodi hypothesin admitti postulet; neque jus neque necessitatem ullam ad id postulandum prætendere potest. Primum quia per liquidam *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*, res inter se heterogeneas; disputandi nimirum, deliberandique officia confundit. Deinde quia nihil iniquius est; quam in disputando id ab adversario poscere; ut sententiam suam sive falsam, sive dubiam esse concedat; quod facere nequit, quamdiu de veritate ejus persuasus est. Præcipuè in ingressu certaminis id parum verecundè ab adversario poscitur; quod causam ejus sine ullo certamine jugulat; & hosti ante pugnam victoriam tradit.

Neque igitur jure; neque necessario; neque ullo modo in disputando; ad probandum obligatus dici potest; qui adversario minùs tutam defendere sententiam videtur.

Qua propter cum quæritur utri disputantium parti; probandi officium incumbat, non qui affirmativè prolatam, aut cujus precario præsuppositæ falsitas aliqua secum incommoda trahit; sed qui magis dubiam & minus receptam sententiam introducit ad probandum adigendus est. Confessa enim & recepta sententia, suo quodam jure ac præscriptione nititur, ut probatione, quæ ipsi fidem faciat, non ita ut altera indigeat, quia fidem apud omnes, antequam lis ipsi mota esset habuit & etiamnum apud plerosque retineat. Sed nova & judiciis hominum repugnantia; quæque ipsi rationi suspecta sunt & receptis dudum sententiis litem movent dogmata; nisi quam sibi firmis rationibus adstruunt fidem non habent. Ideo is longe meliori jure, ac magis necessariò ad probandum adstringitur; qui talia propugnat; quam is qui defendit ea, quæ periculosa vel noxia dici nequeunt, nisi prius falsi coarguantur. Et ratio quidem ejus rei evidens est, quia is qui periculosam sententiam defendere prætenditur; periculosam eam esse fateri non cogitur; nisi prius dubiam aut falsi suspectam esse fateri cogatur; quod ab eo postulare iniquum est. At qui novam adversus recepta dogmata sententiam introducit; sua nova, contraria verò recepta esse dogmata, difficeri nequit. Longè potior igitur est hæc ratio, cur ad probandum adigatur posterior, quia ejus ictum nulla declinatione evadere potest; quam illa erat, cujus vi prior ad probandum adigebatur, quia illius nulla vis esse potuit; nisi admissa ea hypothesi; quam is admittere non tenebatur.

Sed ut aliquid de nostro jure decedamus, concedamus sane in delectu sententiarum interdum locum habere posse, ejusmodi *κατάστασιν*, ut eas recipere malimus, quarum falsitas minora secum incommoda & pericula trahit; id certè in propriæ nostræ electionis arbitrio aliquam; cæterum in obligando ad probandum adversario nullam vim habet; nisi ejusmodi rationem afferamus; cujus vim ille effugere nequeat.

Verum ut liberalius adhuc Viro bono; aliquid largiamur, id quoque fingamus, eam opinionem, in qua error minus sit periculosus, magis esse credibilem alterâ, in qua cum summo discrimine erratur; ideoque hanc potius quàm illam probatione indigere. Verum id locum habere non posset, nisi isthic, ubi cætera essent paria. Si tam nostra quam adversariorum sententia esset nova & nunquam prius audita; & alterutra earum plura haberet incommoda atque pericula, probabile fortasse alicui videri posset eam potiùs quàm alteram probandam esse. At ubi nostra sententia, etiam adversarii confessione vera fuisse deprehenditur, (Bella nimirum & supplicia capitalia populo Dei vero prohibita non esse,) quam nunc ille in præsenti statu enunciatam falsi arguit; sed ut objectæ à se falsitatis probationem detrectare possit, ejusmodi pe-

riculorum conjecturas in ea comminiscitur; quæ timeri non possunt; nisi id ipsum pro concesso dubium aut falsum esse, sumatur; de quo tunc vel maximè an verum sit, disputatur: tunc profecto & obtentus iste ridiculus ac futilis; & ipsa tergiversatio est intolerabilis; quia adversario omninò probandum incumbit, id quod verum aut licitum multis seculis fuisse negari non potest; quando tandem, & quamobrem falsum aut illicitum esse inceperit.

Satis opinor patuit, quàm falsum sit istud enunciatum quod in argumentatione V. B. majorem propositionem constituit. Qui sententiam, quæ alicui minùs tuta, quam altera videatur, defendit; ei probationis necessitatem incumbere.

Nunc ad Minorem progressi; expendamus Utra tutior sit.

Primum autem exarmandus est, Vir bonus eâ fiduciâ, quâ plus æquo exultat, quod etiamsi sententia suâ probabilibus duntaxat argumentis niteretur, (hoc est ut sese explicat, dubia aut etiam falsa esset;) tamen tutissimè in ejus sinu, Christiani hominis conscientia requiescere possit; nec in eâ errari cum æternæ salutis dispendio queat. Nam ut brevitatis causa istud exemplum quod ad opinionem suam confirmandam attulit, minimè refellamus, præsertim quod illud, optimorum verborum amictu, quæ reprehendere nefas videatur, induerit: Quasi nos quoque ipsi quenquam qui bellum & militiam omnibus, quibus legitimè licet, modis defugiat & non leves tantum injurias, sed gravissimas quoque, conscientiæ causa perferat, reprehendendum censeamus; aut quasi eos quoque qui in his rebus per ignorantiam errant, ob nudos mentis errores prorsus damnemus, eos præsertim qui ita sibi consulunt, ut ab aliorum damnatione aut insectatione abstineant: Sed ut, inquam, allatum exemplum, suo loco relinquamus; insufficiens est enumeratio eorum; quæ adversæ sententiæ supercilioſi propugnatores; (quos solos mea petit accusatio,) Ecclesiæ ac Reipub. afferunt, incommoda atque pericula. Dabimus eorum pauca, in gustum cæterorum specimina. Ob rationes, quas & res ipsa levidenses esse ostendit; & ipsi probabiles duntaxat esse, interdum non dissimulant; Oppugnare manus supereminentium potestatum: atque illud etiam cum extirpari hominum nequitia ex humano genere nequeat, exterminatum velle: judicare servos alienos; & æternæ mortis supplicio plectendos censere vel innocentissimos mortalium; tantum ideò quod cum sint Christiani Deo præsteat, ministerium, quod sub Novo fœdere pro suo agnoscit: scelerum omnium impunitatem in populum Christi introducere; & innocentiam unico quod in terris ipsi Deus esse voluit, præsidio exarmare; intrudere se in supremi Legislatoris officium & sanctissimam Christi legem, novis interpolare commentis, quibus & conscientiæ imbecilliorum excarnificentur, & apertæ ordinationes Dei convellantur: Ridiculis & explosis ubique opinionibus Religioni Christianæ affictis, existimationem ejus apud omnes traducere; & ad mysteriorum ejus subsannationem prophanis hominibus ansam præbere: purissimæ veritati assuere centones & pannosas errorum lacinias, per quas reliquorum ejus dogmatum fides in suspicionem vocetur: vinctam & compeditam eam, in perpetui ergastuli iniquitate, violenter detinere; ne unquam in lucem hominum emergere possit: Reges ac principes; quos omnes Deus ad agnitionem veritatis vult pervenire; arcere ab ingressu Ecclesiæ aut, nisi ab illa excludi malint, datam ipsis à Deo publicè potestatem, privata auctoritate eripere: Navare operam Antichristis, ut etiamsi longè maxima pars Regum ac regnorum ad Christum convertatur; ea tamen iterum sibi subigere, & exterminata veritate, æternæ tyrannidi obnoxia habere possint: Inquisitioni Hispanicæ, passis ulnis ultrò occurrere, eique cremanda fortium corpora; imbecillium verò animas trucidandas, omnemque sexum & sobolem & spem posteritatis ad sempiternam oppressionem prostituere. Scythirum incursio si quod ditionis Christianæ oppidum invadat; cum levi defensione, interdum & solo armorum metu, tutum esse possit: nequissimo hosti, ob incertum ejus interficiendi discrimen, eo eventu prodere, ut numerosa imbellis turbæ agmina in miserabilem servitutem abripiantur. Parentem, quem in oculis tuis sicarius interficere aggrediatur, cum legitima defensione; quamvis non sine aliquo, incerto tamen, aggressoris periculo, servare possis; fidem atque opem tuam implorantem, ob intempestivam ac præposteram dilectionem sicarii, nefando parricidio commisso, destituere. Uxorem ac liberos suos cum tàm iniquæ violentiæ propulsandæ vires non desint, turpissimo & ignavissimo lenocinii genere; in conspectu tuo stuprandos objicere. Longum esset infinita ejusdem generis persequi. Hæccine sunt dogmata in quorum sinu tutissimè conscientia Christiani hominis conquiescere possit? hæc facta, ob nimiam virtutis exuperantiam laude digna? Sed quid est in iis, quod Dei atque omnis honestatis ignaros; imo verò turpissimos mortalium, ac profligatissimæ ignaviæ homines, non magis deceat, quam Christianos? Neque in tàm apertis & quæ vel à cæcis palpari possunt errori aut ignorantiæ prætextui nimium fidendum est. (Sua enim verba; quæ plerumque, sententiâ quàm defendit, longe meliora esse solent Viro Bono regerenda sunt.) *Non est quicquam committendum Christiano, præsertim in re tanti momenti; quod non ante certissimè constet, id illi facere jus fasque esse.* Itaque nisi hic apodicticæ rationes; quæ novæ huic & à communi sensu abhorrenti, opinioni fidem faciant, producantur, meritò rejicienda est. Nec enim de lana caprina litem movet opinio Viri Boni; sed de rebus longè omnium maximi momenti. Nostra sententia sive vera sive falsa sit, solis improbis & capitalia supplicia meritis, hoc est injustis invasoribus noxia atque infesta est. Et quoniam à nobis ad moderamen Christiana æquitate dignum redigitur; hæc ipsa noxa, atque invitis nobis interveniens sanguinis effusio, suprema necessitate extorta & rarissima est. Ideo, etiamsi dubia & falsa esset, venia errori & ignorantiæ, vel quia longè probabilior est adversâ, longè meliori jure deberetur. At opinio Viri Boni; cum improbissimis & injustissimis impunitatem, & sublato resistendi jure, quandam in reliquos potestatem atque licentiam donet; reliquos omnes tàm bonos, quàm mediocriter malos, extremo infortunio mactat, nec servitute modo sed inevitabili pernicie involvit. Nostra sententia ob caritatem & misericordiam bonis debitam, expressam Dei voluntatem secuta; justam sed insigni clementia temperatam, in malos severitatem; Viri boni opinio ob intempestivam atque præposteram erga sceleratos dilectionem tristissimam in bonos & reliquos omnes minùs malos, crudelitatē exerceri postulat. Utrius error, si utramvis partem hallucinari fingamus venia dignior est? Nostra sententia ad Magistratus officium tanquam ad Dei ministerium, toties à Spiritu Sancto commendatum gerendamque Rempub. Christianos admittit. Viri Boni opinio, Religionis Christianæ obtentu; quam in omne humanum genus propagare Christiani tenentur, potestatem atque ordinationem Dei reipsa ex humano genere extirpare contendit; ausa facinus cujus paradoxa novitas; non verborum sanctitatem spirantium fuco, sed miraculo confirmanda fuit: cum tamen eam Vir Bonus de apodicticis quidem rationibus, hoc est idoneis Sacræ Scripturæ testimoniis, probandam censeat. Nostra sententia si falsa est, privata forsitan quorundam paucorum salus, qui aut ministerium aut obsequium potestatis à Deo ordinatæ detrectare noluerunt, idque ob errorem venia dignissimum, periclitatur. At neque publicum Evangelii cursum remoratur; neque Ecclesiam publicè in miserrimo statu detinet; neque Religionem totam abhorrentibus à communi sensu mortalium opinionibus infamat; aut in dubium vel odium apud exteros vocat: neque publicum statum regnorum aut Rerumpub. convellit: neque in universum genus humanum permissa scelerum impunitate injuria est: Brevi-

ter;

ser, nihil invehit quod in publicum noceat; cum ipsorum bellorum rabiem comprimat; & pacem, justitiam, bonum ordinem pro virili defendat. Nemo autem miretur quod contrariam sententiam publicum regnorum statum convellere significavimus; qui non minus per id convellitur, quod ipsi propius nocet; dum ab eorum regimine, optimi mortalium, hoc est Christiani submoventur: quàm per id quod remotius; dum eadem opera reliqui omnes homines, quibus Evangelium prædicandum est, arcentur. Quapropter qui in hisce omnibus quæ recensuimus, Veritati, Ecclesiæ, Religioni, Reipub. toti humano generi, publica damna, atque publicas injurias inferunt; quâ fiducia sperant privatim conscientias suas; in sinu matris hujus; hoc est Opinionis quæ tàm pestifera monstra peperit, tranquille conquiescere posse? Certe affectata ignorantia, tunc liquidò cernitur, cum homines probabilibus ratiunculis contenti, in falsa persuasione quòd tutiorem sententiam sequantur securi obdormiscunt. Atque hic error tantò minùs excusatione dignus est; quantò promptius evitari potuit, cum ipsi Ratio & sensus omnium reclamet: & vera sententia tot argumenta; falsa verò tot absurda habeat, ut longè facilius fuerit, rectè sentire; quàm errare. Quæ omnia ad excitandos adversarios urgemus, ut aut victas manus dent Veritati: aut certe firmis argumentis potius, quàm inanibus conjecturis opinionem suam sustentent.

Ut rem in pauca verba conferam. Nostram quam Viri Boni opinionem tutiorem esse ostendimus; primum quod etiamsi dubia esset minus noxia est. Nec enim Veritati, Religioni, Ecclesiæ Reipub. humano generi publicè nocet; quod facit Viri Boni opinio.

Secundò, quod non per extrema vadit; sed inter excessus ac defectus abrupta, planum ac medium iter teneat; quod tutissimum esse solet; non modo in verè practicis; sed etiam in speculativis, quæ tamen ad praxim appplicari possunt, quæstionibus.

Tertiò (quod præcipuum, & hoc loco diligenti observatione dignum est) quia ea ipsa quæ sententiæ nostræ objiciuntur, (quæ longè leviora & privatos tantum idque non fine maxima veniæ spe, tangentia pericula esse ostendimus) tamen objici nequeant; nisi prius precaria hypothesi præstruatur; illam falsam aut dubiam esse, quam nemo nostrum concedere tenetur. At nos in convincenda adversa sententia, nulla ejusmodi hypothesi indigemus: sed etiam nullo respectu ejus rei, utrum vera an falsa sit, habito; ea propemodum omnia incommoda, damna & absurda in ea deprehendi ostendimus, quæ suprà recensuimus: adeò ut ne præsuppositò quidem falso de veritate ejus figmento: multum ferè de incomparabilium damnorum & incommodorum quæ affert magnitudine decedat. Quis igitur non videt longe tutiorem esse sententiam; cui si qua objici possunt, dubia & incerta sunt; quia nullo alio, nisi precario controversæ hypotheseos fundamento nituntur; quam eam, cui certa & inevitabilia incommoda & absurda objiciuntur, quæ sine ulla precaria hypothesi cunctis liquidò patent?

Proinde si qua vis erat, in hoc Viri Boni jaculo; (quod periculosioris sententiæ defensori probatio incumbat,) quod is in nos contorserat; non modo retusam esse; sed ipsum è manibus suis extortum missile in suam sententiam recidere sentit; Ne posthac ante pugnam pæna victoriæ canat; & vicisse sententiam suam prædicet; etiamsi placita sua, demonstrativis argumentis non statuminet.

Aspice num mage sit, nostrum penetrabile telum.

Jam enim eò veniendum est quo successu teli nostri ictus evadere tentaverit. Argumentum nostrum tale est.

Rem novam, paradoxam, publico consensui mortalium, & ante invecta ejusmodi Sacræ Scripturæ glossemata, omnium jurium concessioni, repugnantem, asserenti, incumbit probatio. Quid si ipsi rationi & communi generis humani Bono repugnet? Vir Bonus sententiam novam, paradoxam publico consensui mortalium &c. & quæ sequuntur, asserit. Ergo ipsi probatio incumbit.

Majorem hujus syllogismi apertè & ex professo negare ausus non est Vir Bonus, quia nimis manifestum est, dogma novum; & quod ejusmodi sententiæ, quam ipse saltem olim verissimam fuisse, diffiteri non potest, adversatur; sine firmis ac solidis argumentis, hominibus invitis obtrudere velle, non satis esse modestum aut verecundum.

Nam quòd ait actionum nobis nostrarum rationem constare debere: ideoque nunquam non reddendam esse; etiam quoties nobis in iis, nova & inaudita antehac controversia movetur; atque inde tacitè conficit, quæcunque alicui in dubium vocare libuerit, nobis demonstranda esse; partim alienum à proposito, partim falsum est. Alienum, quia nunc non de eo quid faciendum sit consultatur: sed de eo quid sentiendum sit, disputatur. Quamvis igitur nihil unquam in deliberando faciendum iuscire debeamus cujus nobis ratio non constet; quæ idcircò facilè cuique reddi possit ac debeat: inde tamen non sequitur; in disputando, cum de re hucusque non dubia nova lis movetur; nobis potius qui receptam opinionem defendimus; quàm his qui eam oppugnant, probationem incumbere. Nam qui receptam opinionem fovent; thesis quodammodo, jam à majoribus olim propositæ defensionem profitentur; & Respondentium locum tenent. At qui eam novis arietibus oppugnant: Opponentium partes agunt; quorum munus atque officium est, partem thesi contradictoriam, firmis ac solidis argumentis probare; cum Respondenti satis fit, objectas rationes refellere. Falsum autem est quod ex suis verbis Vir Bonus tacite deducere conatur. Nempe, eos qui in re dudum licita; quæ tamen recens in dubium vocata fit; rationem facti sui reddunt; firmis ac solidis argumentis sententiam suam probare; atque ita opponentium in disputando officium suscipere teneri. Satis enim id oneam facti sui rationem reddent, si Respondentium; (quales sunt revera, cum ab iis factorum ratio reposcitur;) munere fungantur; & ab iis, qui facta sua, quæ confessò hucusque apud omnes jure nitebantur, in dubium vocant; rationes, ob quas ea in dubium vocent, requirant; easque Respondentium more refellant. Quę si parum firmæ; nec solidè rem propositam demonstrantes deprehensæ fuerint; jus illud apud omnes hucusque receptum; inconcussum & stabile in suo vestigio manet; & quæ contrà afferuntur, vanitatis coarguuntur. Quid? quod ut cognitionem, ita & disputationem, à facilioribus incipere, æquum est. At, ne longius à proposita quæstione exemplum petamus; si vera est adversariorum sententia, id quod antea licitum populo Dei fuisse, ipsi fatentur; per aliquam Christi legem sublatum ac vetitum esse; nihil facilius est; quam Legem istam producere atque ex ea evidenti illatione, id quod quæritur, demonstrare.

Manet igitur inconcussa majoris propositionis veritas & evidentia; quam ne Vir Bonus quidem palàm aut seriò oppugnare ausus est: sed omnem ferè responsionis vim ad minoris impugnationem convertit. Qui conatus ejus quàm prospere ipsi cesserit, videamus.

Primum ait sententiam suam novam non esse; quia eam Ecclesia nostra hucusque ursit & scriptis defendit; & praxi confirmavit.

Tempus ut compendifaciam & ne in immensum volumen extendatur; nolo in eam disputationem ingredi, an ipsius sententiam Ecclesiæ nostræ unquam urserint; scriptisve defenderint; quæ absurdarum opinionum patrocinium publicè, nunquam susceperе. Nam praxis earum neque Viri Boni paradoxis suffragatur; neque à nobis impugnatur, cum sententiam ejus Viri Boni acriter oppugnandam censeamus. Quæ ultrà eorum moderationem progressa qui supremo Magistratui locum in Ecclesia reliquerunt; ipsum planè ab Ecclesia proscribit; quod à publico Ecclesiæ nostræ dogmate prorsus alienum est. Sed ut ista missa faciamus, & verum esse quod hoc loco asserit Vir Bonus fingimus: ludit voce Novæ

sententiæ

ſententiæ non obſcura ambiguitate. Quæ in argumentatione noſtra non eum habet ſenſum, ut ſignificet rem reſpectu noſtri temporis, heri aut nudius tertius invectam: ſed generalius ſumitur, pro opinione novâ, quæ veteri ac receptæ ſupervenit; etiamſi ante multos annos invecta ſit. Quo ſenſu novum fœdus dicitur, quamvis ſeculum ævi ſui, agat ſextumdecimum. Ridiculum eſt igitur Virũ bonum, ut ictum argumenti noſtri devitet, ab octoginta aut centum annis, opinionis ſuæ antiquitatem arceſſere. Nos verò novam ejus ſententiam ideò vocamus; quod ante exortos ejuſmodi Legis Chriſti interpretes nemo mortalium dubitabat; ac ne ipſe quidem V. B. nunc dubitare poteſt; ab iis qui Deo ſerviebant, eique ſalutari fœdere, conjuncti erant, Rempub. tàm pace, quàm bello geri potuiſſe. Quo tempore iſti interpretes exorti ſint, nondum quærimus. Ad novitatem dogmatis eorum ſufficit; antequam exorti eſſent, id pro licito habitum fuiſſe à populo Dei; quod illi nunc vetitum eſſe contendunt. Inde enim neceſſitas probandi hujus dogmatis, quod invehere volunt, evincitur. Sed ne illud quidem Vir Bonus oſtendere poteſt, iſtos interpretes pridem eſſe exortos. Nam quod in primitiva Apoſtolica Eccleſia; multò efficaciorem quam ſit in noſtra, opinionis ſuæ praxim viguiſſe aſſerit; videamus quàm ſolidè probet. *Quia nullum*, inquit, exemplum dari poteſt Chriſtiani homines qui tempore Apoſtolorum militarit. Atqui cum conſtet, inter Chriſtianos non defuiſſe; qui nondum abjecta militia doctrinam Chriſti amplexi ſint; cur nullum ejus rei veſtigium odorari licet; quòd aut militiam abjecerint, aut ſaltem abjicere juſſi ſint? Annon fortius ſtringit hoc argumentum; quod legimus eos qui militiæ inſtituto non renunciaverant, Spiritum Sanctum accepiſſe? Nam de eo quid in animo habuerint; aut poſtea fecerint; præter divinationes aut conjecturas, eaſque controverſas, nihil certò conſtitui poteſt. Id unum liquido conſtat, Cornelium dum adhuc militaret, dono Spiritus Sancti afflatum eſſe. Quod ſi me ex eo, quod Cornelius militiam abjeciſſe non legatur, concludentem illum eam non abjeciſſe, non ferret, Vir bonus; quomodo ipſe ferri poteſt; dum ex eo quòd non legamus tempore Apoſtolorum, quenquam militaſſe Chriſtianum: firmiter ſibi argumentari videtur; neminem tunc Chriſtianorum militaſſe; cum utrobique argumentatio ſit, à teſtimonio negante. Eodem igitur jure concludi poterit, Chriſtianis tunc ludimagiſtris aut etiam bonarum artium profeſſoribus eſſe non licuiſſe; cum nullum exemplum dari poſſit Chriſtiani hominis; qui tempore Apoſtolorum literarum profeſſione vitam ſuſtentarit. Quaſi hiſtoria Apoſtolica, in tanta luce verſetur; ut quodnam è privatis quiſque Vitæ genus ſectatus ſit, ſcire poſſimus, cum res longe magis celebres ac neceſſariæ & planè publicum Eccleſiæ ſtatum ſpectantes, ignorentur. Quæ apud nonnullos patrum adverſus militiam dicta leguntur; plæraque ad populare & ſuaſorium magis, quàm ad accuratum & demonſtrativum cauſæ genus pertinent. Nec inde confici poteſt, illos in adverſariorum ſententiam propendiſſe; cum & nos, qui jura pacis bellique acerrimè defendimus; bella cædeſque & ipſi abominemur, & omnibus piis abominanda & fugienda eſſe cenſeamus; non minùs quàm noxas & nauſeæ imo periculi plena quædam medicorum pharmaca quæ tamẽ interdũ ſumi dura Lex neceſſitas adigit, & excuſat.

Deinde communi bono generis humani, non repugnare ſententiam ſuam aſſerit; quia videlicet bellum ex genere humano proſcribat; quod Lerna eſt omnium malorum. Mitto qua fide, quod pollicetur, præſtare poſſit, quærere. Illud quæro; quamobrem bellum generi humano; tàm noxium & funeſtum eſt, niſi propter injuſtas cædes & violentias? quas paſſim in eo patrari videmus. Atqui hæc ſententia injuſtas cædes & violentias tantum abeſt; ut tollat; ut earum impunitate promulgata in immenſum augeat & propaget. Qui cum injuſtitiam ipſam ac violentiam ex humano genere tollere nequeant: ac ne tollendæ quidem utriuſque ſpem facere audeant; quomodo de humano genere mereantur, viderint; quando unicum malorum inorum remedium; legitimi Magiſtratus defenſionem ac reſiſtentiam tollunt. De improbis & ſceleratis, quin optimè mereantur non dubitamus. Sed quum innocentium cauſa effræni nebulonum libidini proditur: bene humano generi conſultum putabimus? Removeant, obſecro iſtas inanis jactantiæ phaleras Viri Boni, & fateantur ſeſe dum bonos unico innocentiæ præſidio exarmant; ſceleratorum improbitatem armare ſecuriſſima peccandi licentiâ. Nec ridiculis ab iis extorquenda eſt veritas. Ipſe V. B. non fatetur ſed jactat *cap.* v. *Chriſtum bonorum & innocentium non quieti conſuluiſſe: ſed jugum infinitarum injuriarum ipſis impoſuiſſe*, quod ſano ſenſu intellectum ferri poteſt, niſi addidiſſet, *utque patientia eorum quam perfectiſſima eſſet*; *Malo*, *quodammodò*, *fibulam audaciæ laxaſſe*, *dum eos aptiſſimo & pene neceſſario talionis fræno non ſub lege ſolum*, *ſed & ubique gentium receptæ à bonis coërceri vetuit*. Mox ait, *non debuiſſe eum nimis arctare licentiam malorum*; *manuſque conſtringere &c.* Quæ utcunque excuſationem admitterent; niſi opinione iſtâ non quodammodo; ut ἐπαναχρέζειν ſed in infinitum improbis fibula audaciæ laxaretur.

Tertio excipit Sententiam ſuam *Rationi non adverſari: quia bella humanæ rationis judicio ne per miſſa quidem ſint*, *tantum abeſt ut laude digna cenſeri poſſint*. Sed primum nihil eſt quod ſententiam ſuam bona ſui parte mutilatam defendat; cum nos in propoſito argumento totam oppugnaverimus. Nec enim tantum quod bella; ſed & quod cætera Magiſtratuum jura, ab adverſariis vetentur; à rationis judicio abhorrere objecimus. Nihil igitur agit, qui alterum duntaxat corporis latus ſcuto protegit: alterum hoſti feriendum relinquit.

Deinde non erant verba noſtra mutilanda; qui non ſimpliciter bella; ſed bella juſta rationis judicio non modo permiſſa; ſed in laude ac pretio fuiſſe aſſeruimus. Nec enim negamus eſſe aliqua bella; adeò laude non proſequenda; ut ne venia quidem digna ſint. Et ne quem latens in voce belli ambiguitas decipiat; cum juſta bella, in laude & pretio hominum ratione utentium eſſe diximus; non ipſa bella nuda: ſed virtutem in bellis pericula & injurias à patria propulſantem, intelleximus quæ non laude tantum ſed maximis præmiis digna ſemper habita fuit. Nam ipſum quidem bellum, (quod in multis aliis hominum actionibus contingit) ſi nudum & abſque cauſis & circumſtantiis ſuis conſideretur; aut odio; aut veniâ tantum; forſitan & erga eos, à quibus invitis ſuſcipitur, commiſeratione dignum eſt. Sed juſtitia & fortitudo in eo gerendo ac propulſando, non ſola veniâ aut approbatione; ſed maximâ quoque laude ac prædicatione; etiam Spiritui Sancto; idque temporibus quoque novi fœderis digna viſa eſt, *Heb.* xi. Hæc de laude bellorum.

Utrum vero rationis judicium bella permittat, tantum abeſt ut negare poſſit Vir Bonus, ut ne dubitare quidem eum patiantur; ipſiuſmet verba quæ ad calcem ſui operis adjicit, in Appendice; quæ theſes quaſdam è Grotii operibus depromptas & cum adjectis à V. B. laciniis, concinnatas continet. *Illud extra omnem controverſiam eſt*, inquit, *Bella cædeſque nec Juri Naturæ: nec Legi Moſaicæ repugnare.* Jus autem naturæ *Dictatum Rectæ rationis*, paulò ante in iiſdem Theſibus definierat. Cur igitur nunc in dubium vocat ſententiam noſtram, quod jus bellorum judicio ſeu Dictato rationis non repugnet? An nondum quæ in illas theſes conjecit, à Grotio didicerat, cum hæc ſcriberet? Bene eſt, quod δὶς τοσαῦτα φρονεῖν meliores ſint. Neque verò per eam diſtinctionem Rationis humanæ elabi poteſt, quam ſtatim ſubjicit; dum ait aliam eſſe rationem inferiorem, carnalem, *brutam; quæ circa utile & jucundum tantum verſatur: aliam ſuperiorem & diviniorem: quæ diſcrimen honeſti; atque inhoneſti, ſibi inſculptam habet: Bellorum igitur jus ex illius brutæ rationis dictamine proficiſci.* Nec enim eo loco, quem citavimus, de jure naturali, ex rationis iſtius inferioris dictamine profluente loqui-

tur; cum de eodem *jure naturæ* eum loqui neceſſe ſit, quod in prima Theſi definivit. Illud autem iſthic eſſe, ait. *Dictatum Rectæ rationis, indicans actui alicui; ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa naturâ rationali, ineſſe moralem turpitudinem; aut neceſſitatem moralem & conſequenter ab auctore Naturæ Deo; talem actum aut vetari aut præcipi.* Superioris igitur ac divinioris rationis illud dictatum eſſe neceſſe eſt, quod turpitudinis aut honeſtatis moralis rationem habet quodque ad mentem Dei ipſius auctoris Naturæ ſeſe accommodat. Præſertim cum V. B. inferiori ac brutæ rationi; turpis & honeſti diſcrimen, non magis quàm ipſis brutis inſculptum eſſe aſſerat. Et profecto diſtinctionem hanc Rationis propoſitæ materiæ vitioſè applicat, cum jus Reipub. bello aut pace gerendæ nullo modo ex ea Ratione proficiſci poſſit quæ ipſius confeſſione juſti aut injuſti, honeſti aut inhoneſti diſcrimen non habet; jus autem Reipub. circa earum rerum delectum verſetur.

Nam illud quod ſubjicit, Superiorem rationem adverſus naturale jus Violentiæ per vim propulſandæ, diſtare pulcherrimum eſſe de ſuo jure decedere; injurias patienter ferre; occidi potius quàm occidere; quia ſimpliciter; & univerſè; & ſenſu in infinitum protenſo, accipit, non modo captioſum & falſum; ſed etiam facetè ridiculum eſt. Captioſum eſt quia, id genus, aſſertio; ut veri ſpecie decipiat: Fallacia à dicto ſecundum quid, interdum & eâ quam vocant accidentis, ſeſe involvit. Dictat enim interdum ſuperior ratio pulcherrimum eſſe de ſuo jure decedere: ſed non ſemper; neque univerſè; etiam tunc cum intempeſtivum eſt. Dictat eximium eſſe injurias patienter ferre: ſed nec occurrere, ne inferantur prohibet; nec in infinitum patientiam protendit. Dictat præſtare injuriam accipere potius, quàm facere; & occidi injuſtè potius quam grave aliquod flagitium aut ſcelus perpetrare: ſed abſolutè & ſimpliciter eligendum eſſe potius occidi, quàm occidere; etiamſi id juſtè ac legitimè, ideoque ſine tua culpâ, facere poſſis; adeò non dictat, ut hanc opinionem infra brutam vecordiam damnet. Nec magis ſeria videtur iſta aſſertio; quàm illæ paradoxæ opiniones, quas Italus neſcio quis anonymus ingenii oſtentandi cauſa propugnandas ſuſcepit, Melius eſſe ex illegitimo thoro naſci; quàm ex honeſto matrimonio: melius eſſe adulteram habere uxorem; quàm caſtam matrem familias: melius in vinculis eſſe, quàm in libertate: cæcum & ſurdum eſſe, quàm oculorum & aurium uſu integro. Neque verò ſpecioſioribus argumentis V. B. fulcit paradoxa ſua; quàm is quiſquis ille fuit. Eodem enim fallaciarum genere uterque decipit; niſi quod alter riſum captat alter agit ſerio.

Nam cujus ponderis eſſe cenſebitur illa ratio, qua Vir bonus utitur, dum probat jus violentiæ per vim repellendæ è bruta ratione proficiſci. *Illa*, inquit, (inferior Ratio) *carnalis eſt ac terrena. Quod ita eſſe feræ nos & animalia docent; à quibus potiſſimùm ejus quid natura jubeat ac præſcribat argumentum ſumitur.* An ilico omnia quæ nobis cum brutis communia eſſe poſſunt, à ſuperioris rationis dictamine excludemus? Quid ſi quædam ſint adeò manifeſta & evidentia, ut ad illa ne inferior quidem ratio, aut brutorum phantaſia cæcutire poſſit? Talis eſt Cura conſervationis ſuæ & fuga interitus. Quarum utraque non minùs à ſuperiori Ratione quam ab inferiori dictatur. Nec ſtatim à ſuperioris rationis inſtinctu & approbatione excludendum eſt; quod ob lucem & evidentiam ſuam inferioris etiam vires & captum non excedit: Imò verendum eſt ne dum ſupra ipſam rationem ſuperiorem ſine cæleſtibus alis, (de quibus nondum loquimur) nimium in ſublime evehi aut ſcandere contendimus infrà brutæ quoque humilitatem præcipites decidamus; quod iis præcipuè metuendum eſt; qui in dijudicandis abſurdis nihil penſi habent, dum ſua quoquomodo adſtruant. Taceo hic falſum aſſeri à feris & animalibus potiſſimùm ejus quid natura jubeat ac præſcribat, hoc eſt, juris naturalis argumentum ſumi. Potiſſimùm enim; imò unicè ex iis quæ dictamen rationis præſcribit; ea quæ ſunt juris naturalis dijudicantur, quod & ipſe ad calcem libri, ut diximus, agnoſcit.

Ciceronis culpam ſi quam in minus accurato loquendi genere commiſit, præſtare non tenemur. Nec enim ea nos pro ſententia noſtra adduximus. Quæ tamen latius & iniquius V. B. quam vellet ipſe Autor extendit; qui voculam *Omnis* ſine dubio; non ad quamvis aliam expediendæ ſalutis rationem porrigi; ſed ad unam violentiæ per vim depellendæ licentiam, tanquam ſubjectam materiam, reſtringi voluit. Sed in oratoriis aut poëticis coloribus, exquiſitum dicendi genus fruſtrà quæras, quod iſthic plærumque non magis quàm firma & ſolida pro controverſa ſententia argumenta reperias. Idque Vir Bonus ipſe frequenti experimento diſcere poteſt; quoties adverſus nos aut Tertulliani calamiſtros producit; aut proſtantes paſſim in bonis autoribus floſculos decerpit.

Ac ne quis hoc loco de ratione diviniori atque Evangelicâ luce colluſtrata aliquid amplius argutetur, revocandum eſt in memoriam nos nondum eam diſputationem ingreſſos; quid à nobis lumen Evangelii exigat; ſed de ratione ſana, ſibi ſoli relicta agere. Quam & ipſe ut diximus in calce libri ſui, ſententiæ noſtræ aſtipulari confitetur; (quod fieri nequit, quin adverſæ repugnet) & idem conſenſus generis humani; in conſtituto ubique jure Rerumpublicarum tam pace quam bello gerendarum, ſatis ſuperque comprobat.

Omnium deinceps jurium, ſive humana, ſive divina ſint (unico excepto de cujus mente diſputatur) conceſſioni repugnare ſententiam Viri Boni in aſſumptione noſtra aſſeritur. Quod cum is negare non auderet, nec ullo modo poſſet; mutavit quæſtionis ſtatum, & jure ſententiam ſuam iſtorum jurium conceſſioni repugnare oſtendit; quia permulta iſtis juribus conceſſa ſunt; quæ Chriſti religione vetantur. Atqui nunc non de eo quærebatur jure an injuria, ſententia ejus iſtorum jurium conceſſioni repugnet (id enim ad principalem inter nos controverſiam alio loco tractandam pertinet) ſed an ſententia ejus quæ veteri omni divino & humano juri refragatur firmis & ſolidis argumentis probanda ſit. Sufficit enim ad id quod in concluſione noſtra conficitur; aſſumptionem noſtram in omnibus ſed & in ea parte veram eſſe, quod ſententia ejus iſtorum omnium jurium conceſſioni repugnet: quod meritò an immeritò fiat poſteà viderimus.

Cum igitur tam major ſyllogiſmi noſtri propoſitio, quàm aſſumptio in omnibus ſui partibus vera eſſe deprehendatur: quo jure nunc concluſionem negare; & incumbentem ſibi probandi neceſſitatem detrectare audeat V. B. velim Lector æquus expendat.

Sed cum ſibi conſcius ſit, noſtram quam attulimus rationem reſponſione ſuâ diſſolutam non eſſe, ut necquicquam ſuſcepti laboris memoriam obliteret; Lectori argumenta ſua obtrudit; quibus in nos probandi onus devolvere nititur.

Quæ quantum virium habeant age ſanè diſpiciamus.

Primum repetit ſententiam noſtram propiorem eſſe periculo quam ſuam. Quod quia quàm futile ſit pluribus paulò ante oſtendimus, ejuſque argumenti utramque præmiſſam ſeorſim falſiſſimam eſſe evidenter patuit, Lectorem ad ſuperiora remittimus.

Altera ejus ratio eſt. Cum de jure alicujus

controversia est, non ei qui dubitat probandum est, illum jus non habere, sed is qui jus sibi arrogat; producat tabulas; monstret privilegium; probetque jus suum necesse est. Nostræ vero sententiæ patroni Magistratui jus quoddam vendicant (hoc est jus gladii tam bello quàm pace usurpandi) Ergo nostræ sententiæ patroni probent jus istud necesse est. Verum in hac argumentatione, aut major propositio falsa est: aut Syllogismus nihil concludit; cum in prima figurâ majorem habeat particularem. Fatemur enim aliquando, hoc est, tunc cum in eo litigantium par est conditio; quod ante litem nemini constabat utra pars justam haberet causam; ita ut æquè incertum esset; an alter sibi meritò jus aliquod arrogaret; an vero alter illud jure impugnaret: in tali inquam casu fatemur ei qui jus sibi asserit; tanquam affirmanti incumbere probationem. Sed cum is, qui jus sibi asserit; qualis est in præsenti disputatione nostra, Deo timens ac fidelis Magistratus, bonæ fidei possessionem & usum illius juris; per multa secula habuerit; etiam iis contitentibus, qui nunc jus ejus oppugnant; aliter omnino se rem habere necesse est. Nec enim is qui bonæ fidei possessionem habet; & de cujus jure ne ipse quidem, qui nunc illud oppugnat, olim dubitavit; producere tabulas & probare jus suum tenetur. Sed ei, qui jus istud in dubium vocat, probandum est quod alter litigantium suum jus amiserit. Is enim tunc verè affirmans est; qui rem novam & quæ antea nesciebatur asserit. At qui jure suo hucusque apud omnes confesso nititur; in eo de quo quæritur, non jam affirmans sed negans est. Cum enim inter litigantes constet, illum jus istud habuisse; non aliud quærendum supereſt, quam utrum quod habuit amiserit nec ne. Quanquam autem illud etiam prima fronte & aliquomodo, hoc est, per consequentiam dici posse videatur; tunc quoque quæri, utrum illud jus adhuc habeat, nec ne: tamen rem accuratè æstimantibus liquet primariò ac directè hanc quæstionem esse potiùs de eo, utrum jus quod habuit, amiserit nec ne. Ratio ejus rei est, quia de jure, quod aliquem utrinque habuisse constet; dubitari & quæri nequit; nisi prius de eo dubitetur & quæratur, utrum illud amiserit, nec ne. Fatendum autem est, ob conceptuum humanorum ac verborum Copiam & volubilitatem, fieri; ut nulla sit tam vera negatio, quæ in affirmationem; nulla tàm liquida affirmatio; quæ in negationem transfigurâri non possit. Ideò nos id genus argumentandi de industriâ contempsimus, tanquam ad convincendum adversarium ineptum & cavillationibus patens.

Nunc igitur argumentum Viri Boni adversus ipsum ita retorquemus. Homines Deum timentes, eique certo fœdere conjuncti adeundorum Magistratuum; & Reipublicæ bello paceque gerendæ, jus per multa secula habuerunt: Ejusdem antiquissimi juris præscriptione, atque usu ad nostra usque tempore continuato, se tuentur. Non igitur illis tabulas & privilegia producendi officium incumbit: Sed qui jura eorum oppugnant; quando; quamobrem; quomodo jura sua amiserint probare debent. Nam si probandi necessitatem defugiant, & Opponentium manus detrectent, ut faciunt: quis non videt eos in respondendo; illius fallaciæ scopulum effugere non posse: quam Petitionem Principi vocant. Cum enim nos jura piorum Magistratuum testimonio Sacræ Scripturæ asseremus, non aliud habebant, quod respondeant; quam ista jura olim quidem valuisse; nunc autem per Christum sublata. Et quia respondentium munus nullo jure invadunt; probandi sudorem, suo quodam jure devitare conabuntur. Atqui id iniquissimum est; quia id ipsum quod pro responsione afferunt, est illud ipsum κεκινημενον, de quo controvertitur. Aut igitur ipsis Respondentium munus deferendum & oppugnantium assumendum erit; aut in ea responsione conquiescendum; quæ futilis & nulla est; & iniquissimæ fallaciæ graviolentiam redolet. Quod si ut committendæ hujus fallaciæ necessitatem evitent; in responsione sua argumentantium munus non recusabunt: cur non potius inutiles ambages compendi faciunt; & ab initio statim, quod facere tenentur, ultro suscipiunt; probantque id; quod si verum est, non potest nisi probatu esse facillimum.

Nec est quod quis existimet, Respondentem extra aleam Petitionis principii versari: cum ejus exceptiones, æque atque opponentis oppositiones controversiis hypothesibus niti possint. Imò verò Opponens quoties petit Principium, non tam occultam fallaciam, committit, quam aperte & palam in susceptо probandi officio deficit & succumbit. At Respondens quoties ea responsione Opponentem eludit, quæ æque controversa est, atque το κεκινημενον; non apertè delinquit; sed occulte opponentem circumvenit; juris sui prætextu usus; per quod ipsi negare multa licet quæ opponenti probanda sunt. Sed negare quidem omnia controversa Respondens suo jure potest: Cæterum sæpe cum negare neutram præmissarum possit; distinguere aut limitare alterutram cogitur ejusmodi rationibus; quæ si dubiæ & controversæ sint; petitioni principii locum relinquunt. Verum ut ut sese alibi res habeat; tunc certe cum disputans diffisus causæ viribus Opponentis officium detrectat; quod in præsenti negotio accidere videmus; fieri, ut ostendimus nequit; quin ubi ad disputandum ventum fuerit, in manifesta Petitionis principii captione deprehendatur.

Cæterum ut propius ad argumentum Viri Boni accedamus: Cum de jure alicujus quæritur; multum interest, quales de eo dubitandi causas adversarius habeat. Nam si quis jus, de quo antea nemini constabat; sibi nunc primum arrogat; is qui de eo dubitat, tamdiu justas dubitandi causas habet; quamdiu jus illud productis tabulis aut privilegio non ostenditur. Ideò tabulæ istæ aut privilegium, producenda sunt atque jus ab usurpante probandum, est. Sed si quis veteri & confesso apud omnes jure nititur, de cujus usu per multa secula continuato planè constet: is qui de eo dubitat, nullas justas dubitandi causas habet, nisi legem aliquam aut interdictionem in promptu habeat: per quam jus illud sublatum esse demonstretur. Ideò Lex ista & interdictio à dubitante producenda est. Satis autem evidens est vestigium, quod adversariis ejusmodi contraria nulla Lex suppetat; talis in eâ producenda tergiversatio. Nam quòd homines Deum timentes, divini juris permissu, à multis seculis Rempublicam & bella gesserint nemo dubitare audet. Ejusdem juris usum Christiana Ecclesia, ex quo primùm Magistratus & principes orbis terrarum ad agnitionem Veritatis pervenêre, ad hoc usque tempus retinuit. Adversus tàm antiquum jus ejusque usum & possessionem, non simplex & proterva dubitatio; sed clara Christianæ legis interdicta & solidæ rationes, producendæ sunt.

At enim usus Christianæ Ecclesiæ sequenti ac sequiori ævo, parum idoneus testis est, aut interpres Veritatis. Nondum de veritate, alterutrius sententiæ agitur, sed de eo utrius partium patronis, probatio incumbat. Certe contra jus quendam minime controversam, ejusque tàm publicum, tàm antiquum usum, & bonæ fidei possessionem;

possessionem; dubitationi nonnisi manifestis & solidis rationibus subnixæ locus relinquitur.

Supereſt tertia ratiuncula, in qua Vir B. meam simul & Lectoris patientiam tentasse videtur, dum affirmat, nos qui jus Reipub. pace & bello gerendæ asserimus; rem novam, in verâ Christi Ecclesia, & apud omnes pietati deditos, paradoxam asserere. Me quod attinet, nihil queror. Lectoris tamen censuræ atque judicii, major debuit esse reverentia. Proinde ne in eadem, quæ in aliis reprehendimus, culpas incidamus: primùm pudebit nos ad ea respondere; quæ ipsa Lectoris conscientia refellit. Deinde profitemur immodestè nos facturos, si eos quibus nostra sententia paradoxa & nova videtur; eo nomine à Vera Christi Ecclesia excludamus; aut neminem pietati deditum esse censeamus; nisi qui nobiscum sentiat. Nam quod è Magni Erasmi verbis colligit nostram sententiam esse apud omnes pios paradoxam: jam antea monuimus. Virorum magnorum oratorios colores & exaggerationes; parum firma & solida esse opinionum fulcra. Qui Erasmi libros legerit; neminem esse puto, quin agnoscat, eum necessarium & legitimum bellorum usum non damnasse. Sed quia tunc Christiani Principes bello, non tanquam periculoso, in summa necessitate remedio; sed præter omnem necessitatem, tanquam dulci ambitionis stimulo, & parandi imperii aut opum instrumento: breviter tanquam re pulchra nimium, & expetendâ, atque apud omnes commendatâ, utebantur; non mirum est illum, remedio huic, (quamvis aliquando necessario) insitam malignitatem & virulentiam; paulò acrius & acerbius exagitasse. Si quis Medicorum promiscuum antimonii usum damnare volens; in naturam ipsius noxiam & periculosam acriori invectivâ detonaret; quis inde meritò colligere posset; ab eo necessarium hujus remedii usum, damnari? Certe egomet omnia propemodum Erasmi verba; recto tamen sensu intellecta; ad eum quem innuimus scopum collineando, non invitus protulerim; nec tamen ideò, à sententiâ meâ vel minimum recesserim.

Atque hinc patet; primùm; in allatis à Viro Bono argumentis; non modò nihil esse ponderis; sed etiam quicquid in iis vim aliquam habuit; id ipsum ad firmandam ratiocinationem nostram, non exiguum momentum attulisse. Deinde argumentum nostrum quo demonstramus adversarios ad opinionem suam firmis ac solidis rationibus probandam omninò teneri, & in hac disputatione Opponentium partes detrectare non posse; nullis Viri Boni machinis subrui, ac ne concuti quidem potuisse. Nam ea in quibus nos petere principium ait, quominùs longâ (ut falsò opinatur) probatione egeant; simplici & ingenua ipsius confessione factum est; dum in hoc ipso capite fatetur, se opinari quod superior ratio à nobis exigat, ut occidi, quam occidere malimus, quod simpliciter intelligendum esse, vis rationis ejus, si adversus nos pugnare debeat, requirit: præterea dum cæcum & in infinitum extensum patiendi institutum urget: quorum illud an sanæ rationi: hoc verò an illi qui cunctis Christianæ religionis virtutibus facem præferre debet, serpentinæ prudentiæ oculo, satis congruat; sine meâ ope, eordatus Lector viderit. Nam quod ad eversionem Rerumpublicarum & Magistratuum attinet; omni non modò longæ, sed etiam brevis probationis labore nos Vir B. exolvit, in iis verbis suis, quæ in fronte secundi capitis produximus; quibus apertissimè Rempub. eum religione committit.

Non igitur effugiet, quominùs Lector, moniti ejus, quod ipsi in calce capitis hujus inculcat, (quòd videlicet argumentantis partes non ex debito, sed ultrà officium, & ex abundanti suscipiat) nullam rationem habeat; & prorsus obliviscatur; posteaquam in superioribus ostensum est; id sine falsa & inani jactantia venditari non posse.

CAP. IV.

NE voluminis molem nimium extendamus; ad ea minimè respondebimus, quæ sine causæ nostræ dispendio omitti possunt; præsertim cum illam criminationem diluerimus, quâ in Canones Ecclesiæ stylum strinxisse arguebamur. Ea tamen breviter perstrinxisse, sufficiet quæ Vir B. satis confidenter asserit, dum ait: Non posse ullum bellum concipi; quod ab Ultione sit prorsus immune: quia Ultio sit mali pro malo redditio; quod fit in bello aut defensione. In qua argumentatione Consequentis fallacia aut decipit; aut decipitur. Omnis enim ultio est mali pro malo redditio; sed non omnis mali pro malo redditio est illa ipsa quam Christus prohibet, ultio. Quam limitationem non frustrà addimus, ad evitandam in voce Ultionis ambiguitatem; quæ vox etiam ad licitas mali pro malo reddendi species trahi potest; aut solet; quales sunt pænæ politicæ atque Ecclesiasticæ; quæ ad istud de quo quæritur, prohibitæ ultionis genus non pertinent. Deinde addit, nullum bellum posse concipi, quod non sit crudele ac truculentum. Si truculentiæ nomen ad quasvis, etiam justas ac necessarias; & à quibus si liceret abstinere mallemus, cædes, protendit; ludit æquivocationis fallaciâ Vir Bonus, & de nudis vocibus, præter communem loquendi morem à se usurpatis digladiari contendit. Tertiò ait, Non posse ullum bellum concipi; quod cum gloriæ siti non sit *conjunctum: cum bellantes summum decus & gloriam in cæso hoste positum esse credant, & credere debeant.* Quid faciant aliqui bellantium nihil moramur. Sed an id quod asserit omnes credere debeant; viderit quo argumento probet: cum longè majus decus in patriæ periculis pro eâ fortiter aditis, servata, situm sit; quàm in eo, quod cum vilissimis carnificibus commune est. Certe etiam vulgi opinione receptum est, quòd

Res gerere & Captos ostendere civibus hostes
Attingat Solium Jovis & cælestia tentet.

Non cæsos, neque enim cæsi in triumpho ostendebantur: nec omnes triumphati; nec semper Romæ occidebantur; & quoties occiderentur nullum decus in eos, qui ipsos occidebant, inde redundabat. Sed & in gloriæ siti latet ambiguitas. Nec enim omne laudis desiderium est in vitio: sed cæcum atque intempestivum. Alioqui omne edendæ virtutis specimen fraudabimus suo solatio.

Quo genere ambiguitatum ita delectatur Vir B. ut eas ultro venditet, & nos erroris arguat; quod putaverimus illum, & ejus similes usitato inter omnes, etiam accuratius philosophantes, more loquendi, ea duntaxat quæ in humanis actionibus, à medio in quo virtus sita est exorbitant, pro vitiis habere. Cui sane errori, quia nemini noxius fuit, ignosci par est. Sed ipse pejus & sine venia; quia non sine gravi nostra injuriâ, errat; dum nos mediocria vitia; aut medium vel etiam infimum peccandi gradum cuiquam concedere, non obscurè arguit; cum nullum sit ex vitiis, aut peccatis quantumlibet mediocribus, quod non ab illa, in qua virtutem, unâ cum summis Viris statuimus, mediocritate multum deflectere censeamus.

Mox subjicit, Quis fuit unquam etiam ex profanis auctoribus sana mente præditis, qui non æquè ac Vir Magnus omnes à bello abusus resecandos statuerit; & tamen nullum fuit bellum, quod non laboraverit infinitorum abusuum infamiâ? An quisquam alius æquè ac nos; omnes à bello abusus resecandos putaverit; nondum Vir Bonus decernere potuit; ante dictam à nobis ea de re sententiam; quam tertio hujus tractatus libro reservavimus. Cæterum, si, ita ut facit, argumentari fas est; quò se vertet, si reponam? Quis fuit unquam ex omnium Ecclesiarum Doctoribus, qui non æquè ac nos, omnis, Ebrietatis (verbi gratia)

vitium ab Ecclesia Christi resecandam putaverit; & tamen nulla fuit sive inter Pontificios, sive inter Protestantes, aut levius perfectiusve Reformato Ecclesia, quæ non pro populi sui frequentia; plurimorum ebriosorum infamiâ laboraverit? Idcircone aut cupiditatibus hominum leges præscribendæ non sunt; aut Ecclesiarum societates ac vincula sunt dissolvenda? Nimirum ut Ecclesia ita & bellum absque multorum hominum, qui non ejusdem sunt indolis, interventu administrari nequit. Quorum si quis suo periculo peccet, non ideo aut reliqui rectè munere suo fungi nequeunt, aut à præceptis virtutum aut dehortationibus vitiorum abstinendum; aut necessariis vitæ humanæ remediis cavendum est.

Sed jam tandem ad rem ipsam accedendo; quid ad primam Responsionem nostram, quam argumento Socini opponimus, regerat videamus. Asseruerat Socinus, non ex sua, ut arbitror, sed eorum quos defendendos susceperat, mente, multò plus à Christo præcipi; cum charitatem erga hostes præcipit, quàm si bellum bello propulsari, omnino expresse vetuisset. Hoc nos negavimus, ideo, quod multo levius sit hostem vel in ipso bello diligere, quam vitam, libertatem & quæ vitâ cariora sunt, ipsi prodidisse: idque exemplo Davidis verè diligentis filium, & tamen vim ejus bello propulsantis, probavimus. Hæc per se, ita plana ac dilucida sunt, ut neque ad excogitationem sui nullo artificio; neque ad perceptionem acuto ingenio, indigeant: Multò minùs mutuatis ab Erasmo sarcasmis illudi merebantur. Cujus Viri amænissimos sales, velle imitari, omnibus in promptu est; posse aliquis non item; quamvis alioqui Lectoribus ita comparati videantur,

——— ut sibi quisque
Speret idem: nec possit idem. ———

Sed omissa intempestivæ urbanitatis censurâ; quid ad nostram rationem serio respondeat videamus. *Aut ego nihil video*, inquit, *aut latet hic quædam fallacia; quæ sub generali voce Belli, occultatur; indeque protrahenda est.* Quid si nullam latere ostendamus? quid erit quod prohibeat quominùs suomet pronunciato convictus, se nihil videre fateatur? Quod ut eo libentius faciat; ejus interest. Nam profecto qui sanos oculos habent; ubi nihil est, nihil videre solent. Infirmis & lusciosis luminibus falsæ species obversari solent. Videamus igitur quomodo subdolam hanc & occultantem sese fallaciam è suo latibulo protrahat. *Bellum* inquit, *fortasse, si absque cæde omni & interfectione ullius hominis perfici posset, hac ratione posset cum caritate hostis conciliari.* Non temerè huic fallaciæ nullum nomen inveniri potuit; quæ nulla est. Nec enim nos ejus generis bellum cum charitate hostis in proposita ratione nostra conciliamus; quod absque cæde omni & interfectione ullius hominis perficiatur; sed tale in quo plerumque multi homines cadunt; quale gessit David per Joabum cum Absolone bellum, inquam, propriè & in vulgari significatione acceptum; quale in Statu controversiæ nostræ intelligitur. Non igitur in voce belli, ullam fraudem occultamus. Nam ubi, quæso latitat, quod nusquam deprehendi potest? Aut ostendatur dolus hic, qui nescio quomodo, aciem oculorum Viri Boni perstrinxit; aut is, quod jam fecit, se hoc loco ejus fallaciæ, quam quærit, nihil videre fateatur.

Posteaquam in eruenda ista fallacia in cassum laborare se sensit, Syllogismum format in Barbara. Atqui ei hoc loco non Syllogismus formandus, sed ad propositam rationem nostram respondendum erat. Itaque ne alieno loco intrusus, disputationem nostram à subjecta materiâ abstrahat; breviter utramque ejus præmissam negamus, & ad rationis nostræ defensionem revertimur. Quæ sic oppugnatur.

Hic mihi jam V. M. interfectionem hostis cum ejusdem dilectione conciliet. Quo enim pacto dici potest, te bene velle illi; quem tua manu pessimè tractas: enseque pectus ejus transfodigis. Quid acerbius ab animo odii irarumque pleno pati quispiam potest? &c.

Sed quo rursus Disputator diversus abit? Atqui hoc loco non interfectio hostis; sed adversus eum belligeratio, cum dilectione ejus à nobis conciliabatur. Nunquid enim exemplum Joabi Absolonem de industriâ interficientis; & non potius Davidis inviti bellum cum filio gerentis produximus? De interfectione, paulò post videremus. Nunc autem huc dirigendus erat gressus; non ad ea divagandum; quæ licet vera essent; tamen nostra sententia staret inconcussa. Quid enim si nos, brevitatis causa, concedamus, (quod tamen non usquequaque facere tenemur,) interfectionem quidem hostis, quia cum animo interficiendi conjuncta esse solet; qualis fuit in Joabo Absolonem trucidante; cum Caritate erga hostem conciliari non posse: at Bellum atque adeò ipsam pugnam, cum sine tali animo esse queat, posse; quod ad rem nobis propositam probandam, satis erat; nimirum ad belli interdictum non satis esse, amorem erga hostem præcipi; cum & hostem amare; & bellum tamen adversus eum gerere Davidis exemplo possimus.

At enim urgebimur, bellum absque interfectione aliquorum, esse non posse. Quid tùm postea: Ne bellum quidem Davidis cum Absolone, sine multorum, atque adeò ipsius Absalonis interfectione fuit. At sine animo interficiendi ejus à Davide gestum est; & amor erga illum licet improbum & indignum; ne belli quidem necessitate extinctus est. Quid obstat quominùs in gratiam Christi; quilibet Christianorum eodem animo erga hostem suum sit, quo fuit David erga Absolonem? Quod tamen non ita duriter accipi volumus quin inter paterni affectus & hominum nullo naturali vinculo connexorum propensionem gradus aliqui admitti possint ac debeant. Sufficit ut, si non paterna; sed tamen qualis in extraneum cadere potest caritas, ita in animis defixa hæreat; ut ne bello quidem extinguatur: quemadmodum Davidis extincta non est. Sed enim insultabunt Davidem ideo sibi bellum permisisse adversus eum quem amavit; quia sperabat illum interfectum non iri; quod & ne fieret sedulo dedit operam. Atqui sciebat illum interfici posse; quod ex anxia pro illo cura & sollicitudine constat. Et tamen bellum adversus eum gerere non dubitavit. An adversarii ejusmodi gradum Caritatis erga hostem postulant; ut non modo ab animo ejus interficiendi simus alieni; sed etiam necessariis, & sine quibus salvi esse non possumus, defendendi nostri aut nostrorum rationibus abstineamus; tantùm ideò; quod si iis utamur, hostis interfici possit? Atqui hoc iniquum est. Postulant enim ut magis hostem diligamus; quàm David Absolonem filium dilexit; postulant ut certum pereundi periculum subeamus; ne hostis quamvis incertò pereat; hoc est ut propter dubium hostis periculum, certam necem aut perniciem subeamus. Atqui hoc esset longe magis inimicum, quàm seque suosque diligere: quod nemo tenetur.

At bellum sine animo interficiendi geri non posse contendent quod non possit esse absque pugnâ: pugna autem suscipi absque animo interficiendi nequeat. Quamobrem verò? Quia, inquient, nisi nos animum interficiendi habeamus; peribimus ipsi aut certè victoriam non consequimur qui unicus pugnæ scopus est. Id verò falsò prætenditur. Nam ad servandos nos hostemque vincendum; satis est, si animum defendendi nostri habeamus; iisque in certamine mediis utamur; quibus hostis terreri, aut repelli; aut si obstinatè resistat etiam perire possit: quod si eveniat penes eum culpa est: qui necis nostræ desiderio, necem suam evitare neglexit. Neque enim aliter absterreri, aut in fugam conjici potest, quàm si propinquum ac serium periculum videat. Occidendi animus; & sanguinis aviditas, aut odii rabies; sæpius nos improtectos, & hostium artibus obnoxios; quàm incolumes aut victores reddit. Non igitur ad bellum aut pugnam, animo interficiendi opus est. Sufficit ut sit insons & sobrium defendendi nostri propositum; quod tamen nostræ, quàm hostium vitæ ac salutis majorem habeat rationem. Nam ne quis, res diversissimas inter se confundendo,

dendo, judicium ſuum involvat: aliud eſt de induſtriâ interficiendi hoſtis animum ſumere; aliud defendendi noſtri ſtudio, eas expediendæ ſalutis rationes adhibere; in quibus hoſtis, non tamen certò & inevitabiliter, ſed ſi obſtinatius & incautius nos perdere velit; ipſe perire poſſit. Itaque fatemur bellum geri & pugnam committi non poſſe quin ea, ex quibus hoſtis mors ſequi poteſt, agamus ac procuremus, hoc eſt quin hoſti reſiſtamus cum periculo necis ejus. Nec enim aliter, vita & ſalus noſtra defendi, atque ex præſentiſſimo diſcrimine eripi atque expediri poteſt. Sed hæc omnia fieri poſſunt, abſque conſilio ac deſtinatione ejus interficiendi. Cur enim non potius optare liceat, ut fugiat, aut debilitetur, aut deditionem faciat, aut capiatur: breviter, ut quacunque ratione poteſtate nocendi nobis exarmetur & nobis victoriâ relinquat. Nihil igitur aliud hoc loco objici poteſt iis, qui extrà inculpatæ tutelæ moderamen non exerrant: quàm quod ſibi ſalutis ſuæ ſtudio, ea agere ac procurare permittant; quæ hoſti necem afferre poſſunt: hoc eſt quod hoſtem in periculum mortis conjiciant. Sed illi proprii periculi neceſſitate excuſantur; & hoſti integrum eſt, niſi ſanguinis alieni ſiti ac rabie percitus furit, diſcrimen hoc effugere, aut pactione, aut fugâ, aut quavis alia ratione ab oppugnandis inſontibus abſtinendo: Et ſi nihilominùs inſanire perſeverat, in quem alium præter ſeipſum; tàm periculi, quàm calamitatis ſuæ culpam conferre poteſt. Nemo furori atque libidini ejus vitam & quæ vitâ cariora ſunt, donare & maximo cum malo ſuo gratificari obſtringitur: quod faceret quiſque, niſi ea omnia ageret & procuraret; quæ ſervandæ ſaluti ſuæ, hoſtique, aut abſterrendo, aut repellendo ſerviunt. Quod ſi peremptio ejus interveniat; quam non intervenire mallemus; id non odio noſtro fit: ſed aut caſu; aut juſto Dei judicio, aut ipſius hoſtis rabie; qui ſuæ jacturam facere mavult quàm alienam vitam non appetere; atque in objectos ſibi ictus atque pericula (unica necis noſtræ impedimenta) cæcus ac præceps incurrit.

Quoniam animum interficiendi à defenſionis moderamine ſubmovimus, nunc ad ipſius interfectionis Eventum veniamus; ac diſpiciamus an ipſi quoque unquam cum Caritate convenire poſſit. Non interfectio, igitur, ſed interficiendi animus caritatem violat aut excludit. Poſſunt etiam dilectiſſima capita interfici, manente erga ea caritate, ut olim, in fabulis Procrin à Cephalo interfectam legimus. Quid ſi oſtendamus ne omnem quidem interficiendi animum caritatem excludere, niſi odio ad occidendum accenſus ſit? Animo interficiendi Abraamus unicè dilectum filium, ad ſacrificium adduxerat. Fingamus veram eſſe Joſephi ſententiam, qui Jephten voti reum, filiam Deo immolaſſe narrat. Non ille filiam unicam oderat; voti ſanctitatem pluris, quàm filiæ vitam æſtimabat. Animo interficiendi præfecti rerum capitalium, de noxiis lege jubente ſupplicium ſumunt: & tamen id abſque ullo adverſus eos odio, imò cum maxima miſerationis & affectus ſignificatione fieri poteſt; ſi id faciant inviti, & legitimè convictos, inſtantibus accuſatoribus; nullis interceſſionibus pœnæ eximere queant. Quid illi, qui manibus & ludibriis hoſtium, uxores ac liberos feſtinatâ morte ſubducunt? quid, qui ſibi manus afferunt? An erga ſe ſuoſque caritatem exuunt? Imo verò tenerrimæ caritatis exceſſu, plerumque ad ea facinora ſtimulantur. Ergo ſi animus interficiendi non raro cum Caritate unâ conſiſtere poteſt; multò magis ipſa, abſque animo interficiendi, interfectio. Solum odium atque ex eò profecta cædes, caritatem violat, & excludit. Non igitur miretur V. B. eos qui Caritatem, etiam inter hoſtes in bellis conſervatam cuperent: magis ad interfectionem interdum quàm ad odium connivere.

Nec eſt, quod arguatur, cum cauſa puta odium vitioſa & turpis ſit, effectum, hoc eſt, interfectionem; ſine vitio eſſe non poſſe. Nam ut nunc brevitatis cauſa concedamus, omne odium ſine ulla exceptione eſſe vitioſum quod tamen, ut infrà patebit, facere non tenemur: Non omnem interfectionem ex odio naſci oſtendimus, ac ne omnem quidem interficiendi voluntatem. Quid igitur miretur etiam odii fonte obſtructo rivulum hunc ſuperesſe poſſe ex aliâ derivatum ſcaturigine? Fingamus Davidem in prælio cum Abſolone commiſſo præſentem: ponamus filium firmandi regni & victoriæ avidum, conſpecto in acie patre accurriſſe, ut occiſo Duce hoſtium bellum compendio conficeret. An is qui armato filio, arma & militem oppoſuerat; inteſtis ejus ictibus; reciprocos ictus, tutandi ſui cauſa, opponere non potuiſſet? Fieri certè ſolet, ut etiam dilectiſſimis pignoribus dum inſaniunt, violentas manus afferamus, illæsa adverſus furiosos caritate. In illo certamine, ſi filius, maximo cum patris dolore occidiſſet; quis negare auderet commiſſam ab invito & factum dolente patre interfectionem; flagrantis ergà filium caritatis igne non extincto? Nondumne V. B. invenit; quomodo hæc unâ conſiſtere poſſint?

Nam epilogus quem ciet miſerabilem; quod vera rerum vocabula amiſerimus, dum ſtrages hominum & opertos cadaveribus campos caritatis Chriſtianæ effecta vocamus; & in cruentiſſimo conflictu; meram regnare caritatem aſſerimus; merus fucus eſt; & phaleræ à diſputatione ad populum & concionem relegandæ, ubi patentibus ad inania auribus talia venditantur. Nuſquam ſæpius & facilius vera rerum vocabula amittuntur, quàm in ejuſmodi rhetorum pigmentis; quæ etiam veriſſimas res ſpecioſo falſi colore tingere ſolent: præſertim ſi exaggerationi vel exigua falſi mica aſpergatur: quod hic toto modo diſſipatum cernimus. Nam quis ita deſipit, ut eos loquendi modos ſibi, tribui abſque calumniæ querela permittat? Poteſt aliqua actio præceptam à Chriſto caritatem non violare; nec tamen illius Caritatis effectus dicenda eſt. Exigit Caritas ut alteri optima quæque cupiamus; atque adeò præſtemus. Sed non omnia ſemper omnibus optima præſtari poſſunt; quibuſdam interdum nec debent. Ad exercendam Caritatem, ut alias omnes Virtutes; facultate, occaſione & circumſtantiis opus eſt; quarum prudentia Judex eſt & arbitra. Non modo inimico; ſed & hoſti benefacere pulchrum eſt; quoties verò indiget beneficio noſtro; quod evenit cum eſt in poteſtate noſtra, non cum vitam noſtram oppugnat; quo tempore beneficium à nobis accipere nec vult; nec poteſt; nec ut accipiat, expedit. Nam ut pravam ejus nocendi nobis libidinem impunè ſatiari permittamus nullius æquitatis ratio à nobis id, pro benefaciendi officio exigit.

Proinde quæ de benevolentiæ ſignificatione hoſti etiam tempore belli præſtanda diximus, planè ad rem faciunt. Oſtendunt enim nos hoſti bene velle; interdum & facere poſſe tametſi nos neceſſitas vim ejus injuſtam propulſare cogat. Unde etiam non ſublato bello hoſtem diligi poſſe liquet.

At enim cum iis manus intentamus, neceſſitate id urgente nullum iis beneficium præſtamus. Ne cum dormimus quidem; aut aliis rebus diſtringimur; aut cum iis de pace tractamus. Non tamen ideò tunc adverſus caritatem ipſis debitam delinquimus. An quoties cum hoſtibus aliquid nobis negotii intervenit; toties iis benefacere lege Caritatis obſtringimur? Id officii; ne erga amicos quidem aut fratres Lex Caritatis exigit.

At cum neceſſitate belli occiduntur maleficium ingens ipſis infertur, nec benevolentiæ & humanitatis; ſed inhumanitatis officium ipſis exhibetur. Hic primum humanitatis & benevolentiæ officium in ipſo dimicandi periculo & neceſſitate à quoquam exigere non magis æquum aut tempeſtivum eſt, quàm inter impudentes verſanti præpoſteræ verecundiæ aut ſubruſtici pudoris leges præſcribere. Deinde quod antè à nobis dictum, nunc irrito conatu oppugnatur, repetimus. *Multùm intereſt inter cædem libera voluntate & ex deſtinato patratam; cujus ſibi ſcopum interfector præfixit; & inter ictum, dum à defenſionis lege, aut belli neceſſitate extortos.* Sed regerit adverſarius. *Non ictus tantum ponere debebamus; cædes cum cæde conſerenda erat.* Imo vero ictus duntaxat ponere ſatis erat.

Non enim legitimæ defensionis scopum cædem hostis, sed conservationem nostri statuebamus. Ea enim his verbis à nobis conferri patet; quæ de industriâ & ex destinato fiunt. qualis est Cædes exempli gratia, Abneris à Joabo facta, parte ab una; & ictus militis Christiani in bello vitam suam protegentis, qui hostem fugere & debilitari, quàm manu sua interfici mallet, parte ab altera. Porrò istas cædes ita differre; ut altera ex odio; altera ex Caritate proficiscatur, non diximus, quod ineptum est, sed tantum alteram earum odii expertem esse posse, ostendimus. Multæ cædes fiunt, quæ licet ex caritate non profluant; tamen ne ex odio quidem proficiscuntur.

Christus an præceptum Caritatis apud Matthæum, opponat odio Legali posterius videbimus.

Non ideò quòd is qui lædituri injuriâ; *eâque ad inimicum* perdendum impellitur, non possit pectus ira atque odio vacuum gerere, omnes qui in bello pugnant; ira atque odio flagrare necesse est? Quid enim si Christiani neque in pugna perdere hostem cupiant? neque ad ipsam pugnam tensu acceptæ injuriæ; sed metu exitii sui; atque adeo sanæ rationis dictamine ita suadente impellantur? Hæc non ita ardua perceptu sunt; ut intelligi nequeant ab iis, qui mentis oculos claudere nolint.

Quemadmodum nec illud tàm subtile est; quin vel ab indocili ingenio capi possit, quod diximus, *Si Christus hoc loco nobis officium erga hostes præscribit; ut adversarii contendunt; non obscurè significat, & quasi permittit, nos hostes habere posse. At si bella planè sustulisset, non fuisset causa cur nobis officia erga eos præscriberet, quos nullos essemus habituri.* Antequam refellamus ea quibus hæc verba nostra oppugnantur; revocamus in memoriam Lectori, nos in iis quæ hoc loco disputamus fundamentum causæ nostræ non collocare; sed eorum plæraque pro leviori velitatione præmisisse. Deinde nos isto loco argumento ἀπὸ ἀνθρώπου usos esse; quod tametsi per se infirmum esset; tamen adversus eos quibuscum disputamus, validum est. Nam inter argumenta eorum; qui Magistratus ex Ecclesia exterminant, non postremum videbimus quod Magistratui Christiano nulla officia præscripta censeant; quemadmodum reliquis dominorum, maritorum, uxorum, patrum liberorum vitæ statibus præscripta sunt. Quo ipso non obscurè significant, ea vitæ genera, quibus aliqua officia in doctrina Christi præscripta sunt, pro licitis habenda. Cum igitur hostis Vox, sit ex iis Relatis reciprocis; quæ uno nomine comprehenduntur; qualia sunt Socii, amici, atque inimici vocabula: si nobis officia erga hostes præscripta sunt; ut hostes habere; ita hostibus nobis esse permissum est; quod ut absque bellorum permissione cogitari nequit; ita si bella sublata putemus; officia hæc frustrà præscripta videntur.

Nunc videamus quomodo oppugnemur. Vox permissionis, primùm exagitatur. *O miseram*, inquit, *& infelicem permissionem?* Quasi nos eam optabilem ac felicem; aut propriè; & non potius per catachresin ita dici, clarè significaverimus; dum voculam, quasi, apposuimus. *At*, inquit; *id ut quispiam hostem habeat ut prohiberi, ita permitti non potest; quia non est in potestate cujusquam, ne hostes habeat.*

Sit ita sanè, si de propriè dicta permissione loquamur. At idem eventurum supponi, & tanquam licitum pro concesso sumi potest; quod nos, *Quasi permitti*, diximus. Attamen id ipsum quod prohiberi non potest; vel tacitè permitti necesse est: qualicunque sensu tunc vox permissionis usurpetur. Quæcunque enim, ne possunt quidem prohiberi, pro permissis habentur. Sed non ea nobis est argumentorum contrà adversarios inopia; ut ista nimium urgenda putemus; quæ super ipsis quæ à nobis oppugnantur, adversariorum hypothesis; extructa sunt.

Satis est à nobis evidenter ostensum, etiam in bellis Caritati locum esse posse; & aliquando fuisse. Nec omnem interficiendi animum huic virtuti repugnare. Nec eam quæ in bellis intervenit interfectionem, necessariò ex odio proficisci; cum etiam sine animo interficiendi esse possit: Quod sufficit ad ostendendum, quàm tenui filo pendeant; omnia quæ ex officio Caritatis, adversus belli necessitatem suspensa sunt; levissima sanè rationum pondera: Etiamsi non addamus, quod paulo post demonstrabitur, ut alia omnia erga homines ita erga inimicos officia; non ita nobis esse præcepta, quin aliquando, puta quoties ipsis exequendis locus non est; aut si gravis causa impediat; citrà legis Christi violationem, omitti aut intermitti possint; interdum verò illis debita esse desinant; atque adeò præstari non debeant.

Ubi ad alteram responsionis partem ventum est, in qua Dominum hoc loco per vocem Inimici, publicum hostem non intelligere ostendimus; tergiversatur, Vir bonus, & primùm Socini defensionem deterit, asserentis per hanc vocem, publicum hostem, & quidem potissimùm intelligi. Quod ut tanto excusatius videri posset, causatur, omnes paginas ex lib. adversus Palæologum à nobis citatas discrepare à suo exemplari. Nec eo contentus subjicit. *Oportet V. M. diversæ editionis exemplar habere.* Quod ludibrium est, & iniqua fidei meæ sagillatio: cum nescire non potuerit, libri istius exemplaria, præter ea, quæ unicâ editione in lucem prodiêre, apud nos nulla reperiri. Fieri potest exscriptoris vitio mendum alicubi irrepsisse. Sedomnium paginarum numerum vitiatam nemini persuaserit. Atqui nos nudâ citatione non contenti; prope integras interdum paginas, certè plures paragraphos; ex libro illo in scriptum nostrum transtulimus; ut eo effugii genere, defensionem Socini non recusanti, uti non liceat.

Deinde ut eò liberius extrà oleas vagari posset; mutat quæstionis statum. Et cum in disputando, eò loci inter nos deventum sit; ut quæramus an in voce Inimici, publicus hostis intelligatur: ille omissa hac controversia, aliò deflectit quæstionem: & disputat utrum publicus hostis diligendus sit; idque cum aliis quibusdam rationibus, tùm nostris verbis aliunde excerptis probat; ut confirmet, quod paulò ante dixit, supervacuum à nobis susceptum laborem; dum ostendimus primùm ipsius Socini testimonio, posse hæc verba tantum de privato intelligi: deinde ità meritò intelligi debere: tertio denique; illa de publico hoste intelligi non posse. Atqui primùm ipse potius supervacuam suscipit operam; dum id probare contendit, quod nos nunquam negavimus; imò quod nos sensisse semper, & in hac ipsa disputatione præ nobis tulimus: dum ostendimus publicum hostem etiam in bello diligi posse, & quantum quidem fieri potest, debere, non obstante necessariæ defensionis jure. Deinde quod pejus est; necessarium ac legitimum disputantis officium deserit, dum refellere negligit, imo palàm concedere videtur ea, quibus stantibus; cadit ex hoc loco ducta argumentatio, quam ille defendendam susceperat. Nam si verba Christi, ex quibus argumentantur, tantam de privato inimico intelligi non modo possunt sed etiam debent: si de publico hoste intelligi nequeunt; quid in argumentatione ipsorum supererit, quod vim aliquam adversus nos habeat; fatentes alioqui, hostibus quoque dilectionem deberi: sed salvo belli ac defensionis jure quod potioris dilectionis officium à nobis exigat. Nos quidem non molestè ferimus ea nobis concedi quæ adversariorum argumentum à stirpe subruunt.

Sed ipse viderit
Num tali auxilio: num defensoribus istis

causa quam suscepit indigeat. Atque hic sanè majorem animi intensionem in Viro Bono desideramus; ut in disputando, non modo principalis in genere quæstionis meminerit; sed etiam in specie argumentorum, in quibus defendendis aut oppugnandis versatur, non obliviscatur. In quo si suscepti muneris memor fuisset; nunquam ea pro supervacuis habuisset; quæ ad statuminandam ejus causam afferri & urgari solent. Fallitur si eam, subrutis, quæ hoc loco convellimus, ejus adminiculis, stare posse putet: & si non falleretur; parum probè tamen defendendæ ejus officio functus fuerit; si eam, præcipuis ejus argumentis, veluti alis singillatim evulsis, deplumari permittat.

Non

Non alias nunc rationes ejus oppugnamus, quàm ex hoc loco ductas. Earum si facilis est jactura, progrediemur ad alias; sed eâ lege ne sibi ad eas, quas semel deseruit, receptum permittat, quod eum facturum non putamus.

Quid, inquit, *ad meritum causæ facit; potissimùm an non potissimùm hic publicus hostis intelligatur?* Quasi nos id solum in argumento Socini oppugnaverimus, quod publicum hostem, hîc potissimùm intelligi dixerit, & non planè ostenderimus in verbis istis, per vocem inimici; publicum hostem neque intellectum esse neque intelligi potuisse.

At enim in confesso est, ait, *publicum hostem hic includi; & à Christianâ dilectione excipiendum non esse.* Non miscenda sunt heterogenea. Potest publicus hostis à dilectione non excludi; quod in confesso est; nec tamen in hoc præcepto Christi; quod de solo privato inimico loquitur; includi, de quo acerrima lis est. *At enim*, ait Vir Bonus, *cum contendimus verba Christi de publico hoste intelligi non posse, aut nobis metipsis contradicimus: si nimirum non addamus vocem potissimùm; aut adversariis non contradicimus, si eam addamus.* Nos eam vocem non addimus, nec ideo nobis contradicimus, quòd hostem à Caritate Christianâ non excludamus. Quid enim? An Christus omnia præcepta sua; uno isto in versu *Matth.* capitis quinti quem examinamus, tradidit? Annon, quod expresse monuimus, publicus hostis vel ob ipsam doctrinæ Christi analogiam (quam directo præcepto opposuimus) diligi potest? nec tamen inde sequitur cum hoc præcepto comprehendi. De verbis autem Christi præcipientibus, non autem quibus aut Mosis; aut aliena præcepta citat, loquimur.

Mox ne iis argumentis, quibus de publico hoste hæc verba intelligi non posse urgemus, aliquid momenti inesse putetur; strictim ea percurrere pollicetur. Præstat promissi fidem. Stringit enim duntaxat, eorum quædam; & quidem satis leviter; non oppugnat, multò minùs evertit; quædam ne attingit quidem. Atqui penitùs evertenda erant: quando nihil eis momenti inesse probandi susceperat provinciam.

Primam rationem, quia ex peculiari Socini mente (quæ videlicet à V. B. sententiâ diversa sit) desumpta est; vocat argumentum ἀσὶς ἄθυρον, ideoque eam se dicit non morari. Et tamen in fundendis multis circa eam verbis propemodum diutius moratur; quàm in reliquis tribus. Quibus quidem non propositam à nobis rationem; sed per miram incogitantiam suamet verba refellit; quæ modo protulit; dum eam rationem ex Socini mente & sensu (quasi à suo diverso) desumptam asseruit. Ostendit enim suam sententiam, cum Socini mente & sensu, (qui idem Grotii quoque sit) planè congruere. Unde liquidò patet; causam ipsi cur nostram rationem non moraretur, nullam fuisse. Oportet Virum Bonum nimis extemporè scribere; qui tàm pugnantia secum simul afferre; nihil pensi habeat: *Necessariò*, inquit, *explicatio Socini & Grotii admittenda est.* Quamobrem verò? Affert rationem, quæ super istam hypothesin extructa est: quod verba *Odio habebis inimicum* sint ipsa genuina Legis verba. Quam hypothesin quia nos falsam censemus; nec eam V. B. probat; nos certè, longè justiorem quàm ipse, causam habemus; cur rationē ejus non moremur. Præsertim cum ipsi non sua ratio afferenda, sed mea refellenda fuerit; quam ne attingeret, ejusmodi prætextus quæsivit, quos ipse ut ostendimus loco nostræ rationis, refutavit.

Nam si in iis verbis nostram rationem strictim se attingere putat, dum Nodum, quem, ut ait, nectimus, solvere conatur, fugit eum ratio. Nihil enim magis & sententiam & argumentum nostrum confirmat quàm quod se, & alios qui contrà sentiunt; eò absurditatis redactos ostendat: ut nisi in nostram sententiam descendant, fateri cogantur alio sensu Christum, voces inimici & proximi, in verbis suis, intelligere; quam in verbis legis intellectæ fuerint; & tamen legem suam legi Mosis opponere. Quæ verò vis antitheseos erit, si opposita, non secundum idem opponantur? Sed nos in Christi verbis explicandis non Mosis aut cujusquam alterius, sed ipsius Christi sensum scrutandum nobis statuimus. Et investigata verborum Christi mente; aut ex eâ potius sensum verborum quibus sua opponit eruimus; aut certè quid Moses aut Legis periti senserint, non moramur; dum præcepti Christi sententiam teneamus, qui per proximos, non omnes ejusdem gentis, putà Israëliticæ, cives, etiam inimicos; sed tantum benevolos; per inimicos autem tantum malevolos sese intellexisse, in exemplo publicanorum proximos suos amantium manifestissimè ostendit, quod ad refutandam Socini, Grotii, & quia ipsis altipulatur, Viri Boni sententiam satis est.

Porro ut vocem inimici intrà unius gentis cives non coarctamus, ita nec ejusdem gentis homines; publicos hostes evadere posse diximus. Non tamen illi tunc privati inimici, de quibus Christus loquitur, sed publici hostes esse incipient. De quibus Christum loqui non posse, istis quas attulimus, nec legitimè refelluntur, rationibus evincitur.

Stringit & secundam Rationem ac fatetur Dominum non Magistratui, sed privatis præceptum suum dedisse, quia illud solis discipulis dedit, quos inter tunc non fuerunt Magistratus. Sed tamen à præcepti hujus obsequio, quemadmodum nullum vitæ statum, ita ne Magistratum quidem excipi, qui & ipse inimicos diligere teneatur. Quibus verbis non obscurè ostendit, sese opinari, quod Christus tunc Magistratui præceptum non dederit, per accidens evenisse, quia accidit, ut tunc nulli inter discipulos essent magistratus. Sed per se ac reipsa, planè & Magistratui, si inter discipulos ejus reperiatur, idem præceptum quod & omnibus datum. Atqui nos, Dominum Magistratui per se & quâ Magistratus est, etiam si tunc inter discipulos Christi fuisset, præceptum hoc non dedisse contendimus. Non igitur idem Vir Bonus concedit, quod nos asserimus; sed longè aliud. Unde non mirum est, per ipsius concessionem, sententiam quam oppugnamus, non everti, per nostram assertionem atque rationem everti. Non enim idcirco tantum Christus Magistratui præceptum hoc non dedit; quod inter ejus discipulos nulli tunc essent Magistratus: sed multò magis ideò; quod tunc moralem non politicam legem ferret; quæ omnes respicit tanquam privatos. Obligat sane & Magistratus; sed quâ privati sunt, non quâ Magistratus. Lex enim moralis promiscuè omnibus lata est; nullo superiorum aut inferiorum vitæ statuum discrimine aut respectu habito; & omnes æquè obligat, quatenus in naturali statu suo tanquam pares considerantur. At lex Oeconomica; multò magis forensis & politica; non in omnibus omnes æquè obligat; & aliud potestatibus præscribit; aliud iis qui sunt in potestate. Non igitur ad Magistratus, quà tales sunt, præceptum hoc directum est; alias mentio aliqua Magistratus facta fuisset, si per ista verba belli jus, summis potestatibus esset ademptum. Porrò non ideò Magistratus summi officium eam quam hic præscribit Christus caritatem, prorsus excludit; quia & is in privatis inimicitiis, nihil à privato distat: & in publica quoque hostilitate, actiones suas ad analogiam religionis, quoad ejus fieri potest, exigere tenetur. Sed si protectionis ac defensionis, quam subjecto populo debet necessitas, id requirat; Lex ista Caritatis non impedit, quominùs vim injustam, justo bello propulset: non modo quod hic Magistratui qua Magistratus nihil præscribatur: sed quia ne privatos quidem in casu necessitatis eadem lex obstringit; quominùs vitam & salutem, cum moderamine inculpatæ tutelæ defendant. Nihil enim impedit quominus inimicis omnia, quæ Christus imperat præstentur; quoties eorum præstandorum locus & vera occasio est; nec tamen iis vita, salus, pudicitia sua suorumque prostituatur.

At enim urget, *Absurdum esse privatas inimicitias prohibitas à nobis concedi; publicas non item: cum utræque sint opera carnis.* Atqui ne in tenebris micemus, Inimicitia-

sum

rum vox aut ſumitur quatenus vitium involvit, quo ſenſu, ſive privatæ, ſive publicæ ſint; ut reliqua carnis opera prohibitæ dicuntur: aut intelligitur citra vitium & culpam ejus qui ipſis implicatur; quo ſenſu non publicæ modo, ſed interdum privatæ quoque prohibitæ non cenſentur, dum moderamen inculpatæ, ut ajunt, defenſionis non excedatur. Annon paulò ante ipſe quoque V. B. ejuſmodi ſtatum, ne ullos hoſtes aut inimicos habeamus, eſſe inter ea quæ prohiberi non poſſunt, aſſeruit?

Conſequentiam noſtram impugnat; ſed pravè detortam & ſuis verbis propoſitam. Non enim nos ſimpliciter ex eo, quod penes privatos belli arbitrium non ſit, colligimus, præceptum diligendi hoſtis à Chriſto dari non potuiſſe: ſed addimus; Niſi jus & poteſtatem Magiſtratuum infringere voluiſſet. Quod cum eum feciſſe non appareat, imo non feciſſe certum ſit, concludimus tale præceptum dari non potuiſſe. Ex eo vero ſolo, quod penes privatos belli arbitrium non ſit, id tantum colligitur; infringi poteſtatem Magiſtratus; ſi quid ipſis circa belli abſtinentiam præcipiatur; quod juri ac poteſtati Magiſtratus adverſetur.

Manet igitur illæſa ratio noſtra. Quia Chriſtum Magiſtratui quâ Magiſtratus eſt; aut hic, aut alibi; tam præpoſteram ergà hoſtem indulgentiam, quæ neceſſarii belli defenſionem excludat, præciperè non probatur: imò verò aliunde conſtat, eum jus ac poteſtatem Magiſtratus intactam & illibatam reliquiſſe; atque adeò confirmaſſe: idcircò hoc præceptum, ex ſenſu adverſariorum, qualem oppugnavimus, explicatum; de publico hoſte intelligi non poteſt.

Nimirùm hujus præcepti ſenſum ita explicet, ut paulò poſt rationum noſtrarum vi compulſus facit: tàm inimicos, quàm hoſtes cum ea cautione diligendos præcipi, ut id fiat, abſque injuria & maleficio in populares, proditione in patriam; perfidia in Rempub. perduellione adverſus ſupremas poteſtates; denique abſque violatione omnis ſanctioris vinculi atque officii; non erimus ita difficiles; quin ut totam Chriſti legem, ita hoc præceptum etiam ad odium erga publicum hoſtem reſtinguendum pertinere fateamur: (quod à nobis factum, paulo ante V. B. nobis exprobrat) non quod Chriſtus dum ea verba proferret, de publico hoſte cogitaverit, ſed ob ejus doctrinæ analogiam, & quia id mens & natura legis hujus, omnem æquitatem & manſuetudinem & ſtricti juris dimiſſionem redolens, non modo admittat, ſed etiam niſi gravis cauſa impediat, poſtulet.

Sane multum nos tertiæ & quartæ Rationi noſtræ (ad quas jam defendendas, ſi modo defenſione indigent, accedimus) debere agnoſcimus, quod dum eas refellere conatur V. B. ad eam confeſſionem compulſus ſit. Quam ſi ea fide protulit, ut ei conſtanter inhærere velit, omnis inter nos lis compoſita eſt; nec erit quod ultrà digladiari libeat. Nam & nos viciſſim fatebimur, quicquid, illibatis ſupradictis officiis, publicis hoſtibus præſtari poteſt, id iis ex vi & analogia totius doctrinæ Chriſti; non autem unius hujus præcepti deberi. Sed vereor ut ei in hac ſententia & confeſſione permanendi, conſtantia diu durare poſſit; præſertim ubi oſtendere cæperimus; in caſu defendendæ patriæ, quæ omnium civium ſalutem complexa eſt, ſine injuriâ & maleficio in populares, in gratiam & favorem hoſtis, militiam ſæpe detrectari non poſſe. Magna profectò aliorum injuria eſt, communi oneri proprias vires ſubtrahere; & cum pacis bonis in una Repub. ex æquo frui velis, belli malo, cum reliquorum gravamine defugere. Quid ubi inermis & indefenſa patria; cum vires defendendæ non deſint; deſtituitur non eam prodi hoſtis violentiæ cenſebimus? Quomodo abſque perfidia in Rempub. hoſti eam invadenti parci poteſt? Quomodo obſequium Magiſtratui debitum conſtabit; ſi quoties propulſandi hoſtis, violentiſſima neceſſitas ingruit; edictis ejus arma capere imperantis, non parebitur? Quomodo erga ſummas & ſubalternas poteſtates, erga parentes, amicos, uxores, liberos, & ſi qua ſunt id genus pignorum nomina: ſanctioris nexus vincula, intemerata manebunt, ſi deſertis erga eos defenſionis officiis, in gratiam & ob amorem improbiſſimi hoſtis abrumpenda ſunt? Non obliti ſumus quid vulgò tàm abſurdis opinionibus prætendi ſoleat. Non in hoſtis, ſed in Dei gratiam, hæc vincula abrumpenda. Fatemur officium erga Deum, omni erga conjunctiſſimos homines officio, antiquius & potius, ſed quâ probabilitate, qua veri ſpecie ſefe hæc opinio in animos noſtros inſinuare poteſt; Deum ſanxiſſe, ut propter caritatem erga improbiſſimum hoſtem, qui eâ ſaltem tunc, cum in inſontes debacchatur planè indignus eſt, caritatem erga optimos ſæpe mortalium, & quibus præter amorem, fidem & ſubjectionem debemus, tunc cum eâ maximè indigent, negligamus. Merito igitur V. B. tam abſurdam ſententiam deſerit; & præceptum illud non præfractè & ſimpliciter: ſed cum ea cautione explicandum; ut officia potioribus caritatibus debita ſalva ſint, agnoſcit: merito fatetur, præmonitionem de inſidiis hoſti publico ab exercitu Reipub. paratis cum ſine perfidia in Rempub. & perduellione fieri non poſſit, omittendam. Quoties enim alterutrius horum optio offertur, ut aut hoſtis aut patriæ ſalus eligenda ſit; quicquid ſit in gratiam conſervandi hoſtis, fit in perniciem patriæ; eoque perfidiæ ac perduellionis, culpâ vacare non poteſt. Atqui in belli neceſſitate id contingit; quæ ubi advenit, ſine patriæ & potiorum caritatum aut vinculorum injuriâ atque periculo, ſæpe hoſti parci non poteſt: quem licet planè interfici velle; nulla nos neceſſitas cogat; tamen abſque periculo necis ipſius; tutari nos noſtroſque (quod potiòr Caritas exigit) non poſſumus.

Itaque rationes noſtræ, aliquantò plùs etiam quam volebamus evicerunt. Cum enim per eas tantum id oſtendere vellemus; in verbis Chriſti per inimicum hoſtem publicum intelligi non poſſe, præſertim ſi ex mente adverſariorum crudè & præfractè verba Chriſti explicentur; Vir Bonus earũ vi adductus, etiam illud agnoſcit ac fatetur; tametſi per inimicum hoſtis publicus intelligendus eſſet, non tamen illi aliter dilectionis hoc loco præceptæ officia præſtanda eſſe, quàm ſi ſalvo erga patriam, parentes, propinquos, &c. officio, atque intactis ſanctioribus vinculis præſtari poſſint. Non ſimpliciter igitur, ſed conditionatè caritatis erga inimicum officia, præcipi cenſet, puta niſi alia potior Caritas impediat quod nihil aliud eſt quàm deſerta cauſa quam defendit, in partes noſtras tranſire. Tantum igitur abeſt, ut aliqua defenſione adverſus oppugnationem ejus indigeant; ut ob rem expectatione melius geſtam coronandæ ſint. Perſuaſerunt enim Viro Bono præceptum de dilectione inimici, non ita crudè & abſolutè explicandum, ut non potiorum caritatum exceptionibus limitari debeat. Aliàs ſi præceptum hoc abſque ulla limitatione, & exceptione urgeatur: præmonitio de inſidiis hoſti publico ab exercitu Reipub. factis, nullo modo omittenda eſt; quicquid fas, jus, & omnia erga patrias aut gentium leges ac Magiſtratus vincula poſtulent. Quia in gratiam Chriſti, ejuſque obſequio poſcente, omnes reliqui erga patriam, parentes, Magiſtratus, officiorum nexus abrumpendi ſunt.

Proinde pergamus ad alia: & videamus quomodo argumentationem noſtram oppugnet, qua probamus per præceptum dilectionis proximi, ſub Novo fœdere; neque bella; neque capitalia ſupplicia tolli; quia per idem præceptum ſub Veteri Fœdere eadem ſublata non fuerint; eamque conſecutionem validam eſſe oſtendimus; non obſtante ſeu extenſione, ſive intenſione legis hujus ſub Novo fœdere factâ. Verba ejus ſunt. *Sed ego miror*, inquit, *cum duo iſta objici ſibi poſſe vidiſſet; non vidiſſe quoque tertium: quod eſt maximum & potiſſimum in hoc argumento; nempe Deum ipſum ſub lege, tàm bella quàm capitalia ſupplicia; non tantum permiſiſſe apertè; ſed etiam inſtituiſſe. Quid mirum ſi capitalia ſupplicia & bella non obſtabant charitati proximi ſub lege, cum in eâ, ipſe Legiſlator, optimus mentis ſuæ interpres; quam generaliter præceperat charitatem, mox ſpecialibus de ſupplicijs ac bello legibus, circumſcripſerit*

& ita extendendum non esse docuerit, ut bella omninò & supplicia capitis excluderet. Proferat autem V. M. simile in Novo Fœdere Dei, etsi non mandatum, permissum saltem & nos ei ultrò herbam porrigemus. Quid enim erit, quod amplius disputemus?

Accipimus quod datur, & quamvis non libenter à subjectâ materiâ, ad alium quamvis vicinum, quæstionis Statum transgredimur; interposita tamen ejus promissi fides, nos ad oblatam conditionem invitat.

Primùm igitur cum V. B. bella & judicia sine quibus nulla stare potest Respub. Deum in populo suo olim non modo tacitè permisisse, sed palam instituisse fateatur; imò urgeat: quomodo ea nunc permissa negabit, nisi legem claram, expressam, solennem per quam antiqua permissio aut ordinatio abrogata sit; proferat? Quod quia sibi factu nimis arduum fore providebat, more sibi suisque usitato, in nos laborem hunc deonerare maluit, quoque minus eum recusemus promissæ deditionis illecebram addidit. Atqui non videt eò loci causam suam esse, ut ipsi etiam sine tali pacto deditio facienda sit; quoniam confessus est, Deum, bellorum & judiciorum jura, non modo tacito suffragio, & voluntatis sine significatione; sed publicis & expressis legibus approbasse: & satis sibi conscius est, in toto legum Christi codice nullam esse legem; quæ concessa semper & ante Mosen; & sub Mose & extra Mosis legem Magistratuum jura & potestatem abrogaverit; multas quæ confirmaverint. Quid autem est, in quo Majestatis imperantium jura vertantur; nisi pacis bellique arbitrium? & in quo præcipuè Dei imaginem ac vicem exhibent, Legitima vitæ necisque civium in pace; in bello hostium potestas?

At enim forenses Mosis leges abrogatæ sunt. Cedo legem aut præceptum in quo hæc abrogatio facta est. De publicis autem ac judicialibus legibus loquimur, non de iis quæ ad mores & religionem cultumve Dei pertinent. Sed etsi eas abrogatas fingeremus, Leges tamen gentium in quibus vivimus, jura Magistratuum, potestates ordinariæ quibus humanum genus regitur abrogatæ non sunt.

Sed ne nimium inhumani simus erga adversarium præsertim deditionis mentionem facientem, age, non recusabimus conditionem; qua se in nostras partes transiturum pacisci tur, *si quod etsi non mandatum permissum saltem Dei* (verba sunt auctoris,) proferamus.

Non igitur Speciales ac forenses leges ullas de bello & judiciis latas ut proferamus necesse est. Nec enim per Christum Deus ullam legem forensem tulit: quia nec ullam peculiarem pro Christianis Rempub. instituit; sed eos in iis quæ jam extabant Rebuspublicis, sub earum Magistratu ac legibus forensibus degere voluit. Sufficiet non dubia divinæ voluntatis argumenta protulisse, quibus is ea sine quibus nulla Respub. nulla potestas consistere potest; non modo permisisse; sed ut ea etiam sub Novo Fœdere usurpentur, velle ostenditur. Neque illo ignobiliori voluntatis genere; quo aut connivet ad aliqua aut etiam permittit invitus, aut denique vult interdum aliquid quòd ordinariæ voluntati ac beneplacito ejus repugnare videtur; quale est illud voluntatis genus cum vult exitium quorundam peccatorum, quamvis aliâs id per se atque ordinariè nolit; nisi cum accidit, ut id exposcat eorum improbitas; quod respectu ordinariæ Dei clementiæ, rariusculè accedit: Sed illo voluntatis genere nobilissimo; quo aliquid fieri vult eo fine; ut humano generi; præsertim autem Optimo cuique bene sit; idque non interdum & ex accidenti; sed per se, perpetuo & ordinarie. Talis autem est usus gladii capitalis injustitiæ vindicis, de quo Apostolus agit *Rom.* XIII. quem Deus etiam sub N. F. non modo permittit; sed adeò vult quoties opus est, adhiberi; ut eum pro ministerio suo agnoscat; & quidem perpetuo & ordinario; & quod in bonum optimi cujusque destinatum atque comparatum sit. Cujus autem actionis aliquis se principalem causam & auctorem esse agnoscit, quamvis ea interventu ac ministeriò aliorum peragatur, eam non invitus permittere; sed planè ac de industria se velle, eo ipso manifestè testatur.

Quid igitur in mora est; quominus & nos promissi fidem flagitemus; & Vir Bonus impleat?

Sed nos à vi argumenti nostri perperam à Viro Bono oppugnati, paululum digressi sumus; quia eum, quâ invitabamur, mercedem spernere visum non est. Mutavit enim suo more statum quæstionis V. B. & ab argumenti nostri ventilatione ad principalem controversiam delapsus est; cum non id nunc quæreretur; utrum bella aut capitalia judicia Deus permiserit; sed utrum dilectio proximi cum bellorum & judiciorum usu consistere possit. Ostendit igitur propositum à nobis argumentum, ista se mutuò, sub Evangelio non tollere, quia nec sub Lege tollebant, Nec *Extensionem aut intensionem* Dilectionis sub Novo Fœdere tactam obstare, quominus hæc nunc quoque conciliari possint.

At V. B. cum utramque commemoratarum objectionum parum sufficienter defendi posse animadverteret; affert tertiam; quam immeritò à nobis prætervisam esse miratur; cum longe plus in ea sit virium ad confirmandam quàm refellendam argumentationem nostram. Quænam illa est? *Deus*, inquit, *olim expressè permisit; imò instituit bella & supplicia. Nunc autem nec instituit, nec permisit.*

Atqui hæc ratio, præterquam quod Principii petitionis ægritudine languet, insuper quia aliud agit, argumentum nostrum non convellit; imò vim ejus auget atque intendit. Nec enim de eo nunc quærebatur permiserit ista Deus nec ne; sed utrum ea cum dilectione proximi simul consistere potuerint: atque etiamnum possint. Quia igitur olim potuerint; nunc quoque posse evincimus. Illud autem quod Deus olim ista, non modo permiserit sed etiam tot legibus sanxerit; non modo in genere causæ nostræ militat, sed in specie argumenti nostri vim auget atque intendit. Nam etsi ponamus hypotheses super quas rationem suam superstruit Vir Bonus veras esse: si Deus tunc cum sciret, se bella atque supplicia non modo permissurum; sed solennibus legibus sanciturum esse, generali tamen aut potius indefinita lege & enunciatione; dilectionem erga proximum præcepit, quid prohibet, quominus & nunc, in præcepto ejusdem dilectionis eadem indefinita verba adhiberi potuerint, tametsi idem Deus integris populis ac Magistratibus; jura ad conservationis suæ necessitatem, pertinentia non fuit adempturus.

Fecimus autem mentionem hypothesium, quarum non unam V. B. falsò supponit; & occasione propositæ, quam urget, rationis non pauca temere asserit; quorum nonnulla ordine examinabimus.

Primum igitur sumit pro concesso, Deum olim ita late legem Caritatis erga proximum extendisse: ut postea per forensia præcepta restringenda fuerit. Quod est multiplicare entia sine necessitate, cum Deus nihil faciat frustra; nec soleat leges ferre; quas protinus, aliis legibus, vel in toto vel in parte, sit abrogaturus. Probabilius & rationi magis consentaneum est olim cum generalem aut potius indefinitam legem de Caritate ferret; statim non aliam mentem ejus fuisse; quam ut ista Lex, cum necessariis exceptionibus; quoad casus eos in quibus ipsi locus non erat futurus intelligeretur. Quam suam mentem Deus, Optimus ejus interpres in forensibus legibus declarasse dici potest quod & ipse Vir Bonus innuere videtur. Itaque quemadmodum tunc Deus non simpliciter & absolutè sed cum debitis exceptionibus subintellectis Legem Caritatis erga proximum tulerat; nihil prohibet; quominus nunc quoque eandem; cum iisdem aut similibus exceptionibus intelligi velit, præsertim cum mentis ejus manifesta, ut modo ostendimus, in libris N. F. vestigia extent. Nihil igitur ex vocabulis dilectionis & caritatis adversus sententiam nostram exsculpi potest; cum usu earum in S. S. ejusmodi ostendamus, qui cum bellorum ac suppliciorum permissione, stare possit.

Secundò. Falsum est quod supponit, Deum prius generaliter præcepisse Caritatem in proximum; posteà eam specialibus legibus circumscripsisse. Quia antequam ulla mentio Caritatis erga proximum fieret, supplicia capitalia præscripta legimus *Exod.* xxi. De leg: enim Caritatis per vocem diligendi expressâ nunc agimus; non de lege homicidii vetante, quamvis ea quoq; ut cæteras plerasq; ad caritatem referri possit. Quæ tamen ipsa lex de homicidio per leges de suppliciis non restricta, aut circumscripta, sed potiùs confirmata est. Certe prima de capitalibus suppliciis lex lata est in gratiam legis de homicidio. Imo omnes pœnæ, etiam atrociores, constitutæ sunt in gratiam eorum officiorũ; quæ proximis ex vi justitiæ, caritatisque debita, in ullè violantur. Tantum igitur abest ut Caritas ordinata, bellis ac judiciis repugnet; ut absque iis etiam ipsi Deo pessimè ei prospectum futurum fuisse videretur. Ideò statim officiis erga proximum, præcipuè magis necessariis pœnas eorum violatorum, subjunxit. Sed dilectionis de qua agimus mentionem nonnisi post leges capitalium judiciorum legimus.

Tertiò, tacitè supponit totum jus bellorum & suppliciorum, ex legibus forensibus per Mosen latis pendere; quæ quia nunc abrogatæ sint, aut certè reassumptæ non sint, jus istud planè extinctum. Atqui hoc falsum est. Nam etiam ante legem latam, & extra populũ Israëliticum; necessitate flagitante justa bella gesta & supplicia sumpta legimus; nec quenquam etiam è S. Viris eo nomine à Deo reprehensum constat; cũ tamen cætera flagitia & peccata etiam externarum gentium, prophetæ insectari sint.

Quarto. audacter asserit nos absq; auctoritate divina, hoc loco legem Dei limitare. Quasi verò nos hoc loco legem Dei limitemus, ac non potius quomodo voces Caritatis & dilectionis, ex mente & usu S. S. olim acceptæ fuerint, & nunc quoque accipi possint, explicemus. Quam ad rem nulla humana aut divina auctoritate opus est; sed mediocris conferendi loca S. S. industria sufficit.

Quinto. tacite supponit, inter legem & Evangeliũ non benè distingui, nisi quis sentiat, Deum olim quidem pop. suum legibus Reipub. politicis ac forensibus gubernari voluisse, nunc autem sub Evangelio nolle; quia speciales leges forenses Reip. Christianæ nullas præscripsit. Eo enim spectat forensium Mosis legum, quas congerit, manipulus cum epiphonemate. *At ubi sub N.F. præceptum de diligendo proximo tot specialibus præceptis & concessionibus, coarctatam est?* Quasi apud Christianos nullæ forenses leges nisi à Deo specialiter latæ vigere possint; qui generali per Christum approbat. jura & potestatẽ Magistrat. omnium, h.e. legum omnium humanarum custodiam, confirmavit.

Sexto denig; Non iniquè tantum, sed incautènè, quid gravius dicam, Domino tribuit quod affirmet, divinæ legis mentem fuisse, ut proximum tantum amari, inimicum autem odio haberi voluerit: quo nihil falsius dici potest, cum neq; Dominus eo loco Legis mentionem ullam faciat: & lex divina, ut aliquando ad infirmitates hominũ, impropriè dicto permissionis genere, conniveat: nunquã tamen publicè & generali lege ea apertè jubeat atq; imperet, quæ ipsi humanitati adversantur; quæq; homines, sua sponte in vitia pronos, eò magis magisque impellere possint; quale est internecinum adversus hostes aut inimicos odium: denique ea præcipere non soleat, quæ non est periculum, ne, nisi justi, non faciamus.

Refutata adversarii ratione & ejus hypothesibus; jam tandem ad nostri argumenti defensionem veniendum est, quod sic oppugnatur. *Magis itaque argutum quam solidum est cum V. M. ità colligit. Si Israëlitis olim, & si minor & imperfectior, talis tamen dilectionis gradus imperatus erat; qui à fundendo sanguine prorsus absterrebat; adeoque bellis ac suppliciis repugnabat: licuit tamen ob justam aliquam causam & necessitatem, sanguinem fundere: ne perfectior quidem Caritatis gradus jus istud atque necessitatem tollere potest. Negamus enim talem dilectionis gradum Israëlitis olim imperatum fuisse qui à fundendo sanguine prorsus absterreret, & bellis ac suppliciis repugnaret &c.* Decipit V.B. ambiguitas, in verbis *prorsus absterrebat*; quæ aliter à nobis in nostro argumento intellecta sunt; aliter in ipsius responsione intelliguntur. Nos enim ea strictius intelleximus, de ea effusione sanguinis, quæ in præcepto Non occides, prohibetur; sanguinis inquam innocentis; hoc est, illegitimâ; quæ ita prorsus & absolutè prohibita est; ut ista prohibitio non vere quidem repugnaret; sed tamen bellis ac suppliciis repugnare videretur. V. B. hæc verba latius protendit h.e. etiam ad eam effusionem sanguinis, quæ sit eo fine ne sanguis innocens fundatur, hoc est, ad legitimam. Non igitur id negat V. B. quod nos asserimus; sed id quod nosmetipsi una cum eo negamus. Proinde manet intacta vis argumẽti nostri: & verum est quod asserimus, Sanguinis effusionem (puta illegitimam) *prorsus* olim prohibitam esse. Adjecimus autem particulam, *prorsus*, ut designaremus absolutum & quasi generalem loquendi modũ, quo utitur S.S. in interdicto homicidii; cum tamen ejusmodi exceptiones subintelligerentur, quæ non verã quidem illam, sed apparentem interdicti hujus generalitatẽ restringebant. Eodem modo nunc quoque S.S. dum dilectionis præcepta tradit, generalibus aut potius indefinitis verbis, quæ tamen generalitatis quandam speciem habeant, non excludit eas exceptiones quæ istam generalitatem restringunt. Proinde retorsio illa adversus nos argumenti nostri non procedit; quia nos eo sensu, quo in illâ hæc verba accipiuntur, Dilectionis gradum sub Veteri Fœdere imperatum *à sanguine fundendo prorsus* absterruisse, una cum Viro Bono planè negamus.

At enim, ait V. B. *hæc fuit sola justa causa & necessitas sub V.F. ob quam licebat aliquando sanguinem fundere, quam Deus in Lege expresserat. Quæ causa cum in Lege Christi non tantum non sit expressa: sed sublata in exceptionibus* (hoc est legibus forensibus) *quæ legem Caritatis sub V.F. limitabant, prorsus sublata; nullo modo nunc licet sanguinem fundere.*

Jam ostendimus falsam esse hanc Viri B. hypothesin, quod jus bellorum & fundendi aliquando noxii sanguinis; è solâ forensi Mosis lege suspendat; cum etiam ante legem latam, & ab ipsis Israëlitis & à majoribus eorum, & extrà populum Dei; bella gesta & judicia exercita, dummodo injustitia abesset, nunquam à Deo vel prophetis damnata fuerint.

Multùm tamen lucis huic quæstioni, multùm auctoritatis huic juri confert Lex forensis ab ipso Deo lata. Ostendit enim primum nihil in eo injustitiæ; nihil inhumanitatis, aut crudelitatis esse; quod Deus olim non modo assensu, sed instituto suo comprobavit. Ostendit neq; populum ullum sine Repub.; ac sine lege sua forensi, neq; legem forensem ac Rempub. sine bellorum & suppliciorum jure esse posse. Nam si quis beatior aut melior status populi reperiri potuisset, sine dubio eum potius Deus, quam hunc, qui adversariis ita displicet, pro electa gente & delecto populo suo elegisset. Ostendit reliquos populos & ante legem & extrà legem, viventes, (ideoq; & post legem victuros); nihil in eo adversus voluntatem Dei deliquisse aut delinquere posse, quod exemplo ejus Reip. (sive illud præ oculis habuerint, sive habere non potuerint.) Status suos pacis belliq; artibus munuerint aut muniant. Sane à reliquis gentibus, Deus eorum omnium quæ in forensi Mosis lege præcepit observationem non requirit. Eam enim pro ingenio ac indole gentis, cui lata est, comparatam esse voluerat. Satis tamen ostendit, forensis istius latæ legis exemplo, quam circa bellorum & judiciorum jura, publico bono ac necessitate exigente, usurpantur, ordinationes, voluntati suæ non repugnare. Multoq; magis, cum sub N.F. per Christum & Apostolos; potestatum ac Magistratuum in omnibus populis, ordinationem confirmavit, & pro suâ ordinatione, haberi voluit: cum obsequium eorum sanxit & vincula quæ inter imperantes & subjectos legum metu jam connexa fuerant; arctiori conscientiæ nodo adstrinxit; denique cum expressè usum gladii pro suo ministerio agnovit.

Proinde causa ista & necessitas; sanguinis noxii aliquando fundendi in lege Christi; etiamsi expressa non esset; non esset tamen sublata; quia Christi doctrina omnes populos legibus suis forensibus & earum custodibus ita subjecit

ſubjecit; ut quondam forenſi Moſis legi Hebræi ſubjecti erant. Nec exceptiones iſtæ, ſeu leges forenſes, prorſus ſublatæ ſunt; cum ſublatæ non ſint ipſæ Reſp. quæ ſine ſuis legibus forenſibus, eſſe nequeunt. Exprimi autem iſtas exceptiones, quæ ad forenſem gubernationem pertinent: in lege Chriſti non erat neceſſe, quę tota moralis fuit. Nec Chriſtus ullam forenſem in ſpecie legem attingere dignatus eſt; quia novum in terris regnum aut Remp. non condebat; ſed veterum Rerump. omnium, in quibus ejus populus vivere debuit, jura poteſtatemq; & leges forenſes per ſe & Apoſtolos generali lege confirmavit: ita ut quomodo olim Moſaicæ apud Judæos viguerunt; ita nunc ubique ſingularum Rerumpub. leges forenſes vigere debeant. Quid ii (quod paulò ante attingimus) in lege Apoſtolicâ expreſſam iſtam cauſam & neceſſitatem oſtendamus iſthic, ubi jus ac poteſtatem gladii Deus Magiſtratui tradit; quem ex ordinatione ac voluntate ſuâ in homines noxios per miniſtros ſuos ſtringi, palàm & diſertis verbis teſtatur. Quod expreſſius teſtimonium manifeſtę Dei voluntatis exhiberi poteſt, quo planum fiat, quod forenſium legum executionem Deus nunc æquè ratam eſſe velit atque olim fuit; quodque interdum noxium ſanguinem legitimè fundi non prohibeat, quàm quòd uſum gladii pro ſuo miniſterio agnoſcat; & quidem tali; quod in bonum optimi cujuſque; idq; jugiter & ordinariè adminiſtretur?

Diſcrimen inter Iſraëlitas & Chriſtianos, quod illis in hac vita omnis ſpes eſſet poſita; his non item; neque ſimpliciter & abſolutè admittimus: nec ſi admittamus, efficere poteſt, ut cum tolerabili ſtatu humani generis in terris, tàm rigidè & præpoſtere extenſum Caritatis præceptum conſiſtere poſſit. Non admittimus ſimpliciter: quia & Chriſtiana pietas utriuſque vitæ promiſſionem habet; & vel ob ipſius vitæ æternæ promiſſum, hæc vita hominibus tantò pretioſior, quàm ante effecta ſit; quod in illa ſpes tantæ felic. poſſit acquiri. Deus enim hominibus non ſine conditione vitam ęternam promiſit: ſed voluit in hac vitâ prius Chriſtianarum virtutum habitus & ornamenta veluti nuptialem amictum indui ab iis, qui ad Cæleſtis ſponſi nuptias vocati ſunt. quod ſine vita ſæpe, longius quàm hoſtes aut latrones patiantur, productâ fieri nequit.

Nec ſi vel maximè facilem eſſe hujus vitæ jacturam ſtatuamus; tàm rigidè extenſæ Caritatis præceptum locum habere poteſt; quod omnes Reſpub. omnes in terris Status Politicos, omnes cætus jure ſociatos tollit ac ſubruit: cum ſciamus etiam tempore N. F. Deum velle ut per ordinarios Magiſtratus tanquam miniſtros ſuos, non abſque interventu gladii, populi regantur.

Ad ſpeciale Caritatis examen ubi ventum eſt; tot argumentis & ratiocinationibus noſtris quid profecerimus non videt Vir Bonus. Atqui Lector æquus & præjudicio minimè occupatus; jam vidit: & nunc, ut iſti quoque qui claudere oculos ad lucidum veri jubar velint, videant vel inviti, dabimus operam. *Ex omnibus*, inquit, *deductionibus (noſtris) non ſequitur id quod maximè in quæſtione eſt, & nobis* (videlicet deducentibus) *neceſſarium; nempe quod liceat inimicum interficere.*

Atqui hæc verba ſimpliciter, & abſque limitatione prolata ambigua ſunt, & ſenſum involvunt qui ad quæſtionem noſtram non pertinet; tantum abeſt ut id maximè in quæſtione ſit, quod per illum intelligitur. Aliud enim eſt aſſerere abſolutè quòd liceat inimicum interficere; aliud aſſerere dari aliquando caſum aut neceſſitatem, quæ inimici interfectionem, ab invitis & aliud agentibus factam, excuſet. Nec enim pro abſolutè licitis habenda ſunt quæ ſola neceſſitas aut graviſſima cauſa interveniens; non tàm ut fiant; quàm ne eorum, ſi accidere poſſint, ratio habeatur, permittere ſolet. Itaq; primus in eo V. B. aut lapſus aut dolus eſt; quod id, & quidem maximè, in quæſtione dicat eſſe, de quo ne quærimus quidem. Nec enim nos ſimpliciter affirmamus quod liceat inimicum interficere; neque id in dubium vocamus prohibitam eſſe, cædem etiam inimici. Sed hoc interdictum non ita rigidè extendi putamus, quin aliquas exceptiones non ex libitu voluntatis noſtræ confictas, ſed ex verbo Dei & ſanæ rationis dictamine, deductas patiatur.

Non id igitur nobis probare neceſſarium eſt; quod abſolutè liceat inimicum interficere; ſed ſufficit ut probemus quod aliquando liceat ſe ſuoſque defendere adverſus inimicum, etiam cum periculo ejus interficiendi. Si liceat abſolutè inimicum interficere, nemo dubitare poteſt de induſtria animum ac voluntatem ejus interficiendi ſumi poſſe. Conſultò enim velle poſſumus quæ abſolutè licent. Atqui nos longè ab ea ſententia abſumus. neq; in eam quæſtionem deſcendere volumus, utrum aliquando etiam neceſſitate urgente animus interficiendi inimici ſumi poſſit. Quia nos ut in eam deſcendamus, nulla urget neceſſitas. Poſſumus enim ut jam ante oſtenſum eſt; belli atque pugnæ licentiam & jura defendere; etiamſi nunquam animus interficiendi hoſtis induatur; dum nihil eorum omittatur; quæ ad noſtri defenſionem faciunt; etiamſi cum periculo necis inimici conjuncta ſint.

Omnis igitur ſtatus controverſiæ inter nos eò devolvitur, *Utrum liceat in gratiam conſervandi ſui ſuorumque, ea agere, quæ cum periculo interficiendi inimici conjuncta ſunt.*

Conſtituto ita legitimo quæſtionis ſtatu: Nunc Oſtendamus V. B. quantum argumentis noſtris profecerimus.

Ac primùm quoniam ſola interfectione inimici ejuſque periculo V. B. offendi, & quominùs in ſententiam noſtram tranſeat, impediri videtur, non parum profectũ eſt, quòd cætera quæ alii negant ſeſe permittere non obſcure oſtendat. Quamvis in eo ut, in pleriſque omnibus non ſatis ſibi conſtat. Ait enim paulo poſt in ratione ſecunda propter amicos non modo vitâ aliquem ſpoliare; ſed aliud malum grave alteri inferre; nequaquam licitum eſſe. Et tamen proximè ſequenti pagina, ſuimet interdicti oblitus; quicquid extra cædem inimicorũ, poſſumus, pro iis conſervandis facere concedit. Deinde longè maximum diſputationis noſtræ fructũ ex eo capimus, quod adverſariò Vis veritatis expreſſerit ut concedat, quando inimici dilectio cum dilectione amicorum, parentum, fratrum & aliorum arctiori neceſſitudine junctorum concurrit; ut non poſſis ſimul utriq; ſatisfacere: illam potius huic, h. eſt dilectionem inimici dilectioni amicorum aut parentum &c. cedere debere. Nam quod ſe illico corrigit, dum ait: (*vel ut accuratius loquamur. Non dilectio dilectioni cedere debet. Poteſt enim utraq; in ſuo genere conſiderata ſimul durare; ſed dilectionis iſtius effecta, vel opera non poſſunt ſimul exhiberi utrique quando amicus cum inimico concurrit*) non accuratius loquitur: ſed partim falſius partim ineptius. Ineptius ideò, quia, ut alia taceam, hoc effugii genus, quo vim rationis noſtræ declinare contendit, non eſt aptũ præſenti quæſtioni, in qua de ipſis dilectionum effectis & operibus quærimus, utra alteris cedere debeant: & nos ejuſmodi tergiverſationum anſas pridem amputavimus, dum dilectionem, quæ videlicet in ipſo animo hæreat; etiam in bello & pugna poſſe non extingui; non modo conceſſimus: ſed etiam probavimus. Quod tamen nihil impedit, quominus eam tunc potiori dilectioni ſuccumbere cenſeamus quoties in anguſtum cogitur; & ab externis operibus excluſa, intrà latebras animi compellitur. Falſius autem loquitur, quàm ante locutus eſt. Quia in tali caſu dilectiò erga inimicũ licet non ſemper extinguatur; ſemper tamen propriè & accuratè loquendo, dilectioni erga amicum cedit, & locũ relinquit. Nec enim ut aliqua res loco ſuo cedat; aut in ordinem redigatur eam ſemper extingui neceſſe eſt. Ideo meritò paulò poſt iſtam ipſam correctionẽ corrigit; dum expreſſe fatetur, quod dilectio minor majori cedere juſſa ſit; quamvis non itaut ceſſet penitùs & extinguatur. Quam limit, ut ſæpe locum habere poſſe non ambigimus, ita utrum perpetua ſit; nihil nunc definire libet. Satis eſt V. B. fateri. *Quia Chriſtus odio haberi patrem & matrem propter ſe jubeat, ex vi comparationis colligis ſimiliter etiam inimicos propter amicos odio habendos eſſe.* Quale illud odium ſit, nondum quęrimus. Sufficit id ejuſmodi eſſe, quod dilectionis erga inimicũ effecta & opera ipſis exhiberi non patiatur; ut jam V. B. confeſſus eſt. Atqui Chriſtus in præcepto de inimicis amandis, non nudam dilectionem (quę abſq; operibus mortua eſt) ſed operibus & effectis ſuis quæ enumerat, animatam præcepit. Non poſſunt igitur ſupradictà V. B. concedi; quin, ſi vera

sinc; legem istam Christi, non in tàm rigido sensu, ut volunt, interpretandam, ostendant, qui totius inter nos quæstionis (in hoc loco) cardo est. Nam si ejusmodi exceptiones Lex ista admittit, non semper, neque in omni casu, ea quæ hic præcipitur inimici dilectio ejusque officia exerceri debent; atque ita omne rationum ex isto præcepto, contra jus defensionis deductarum robur concidit; quæ nihil agunt nisi Christum semper, ubique, & in omni casu dilectionis officia inimico exhiberi præcepisse demonstrent. Quid? an parum argumentis nostris profeciisse videmur; quod adversarios ad limitandum istud præceptum coëgimus; quod adversus nos legitimè produci, non alia conditione potest, nisi nullis limitibus restringatur?

Atqui hoc non sufficit; eo quoque cogendi sunt, ut agnoscant; in gratiam eorum quibus sanctiori nexu devincti sumus, licere nobis interdum ea agere, quæ cum periculo interficiendi violenti hominis conjuncta sunt, qui unicus est inter nos præsentis controversiæ status.

Sed prius rationem V. B. diluamus, qua ostendere nititur; *argumenti nostri*, ut jactat, *mero meridie clariorem inconsequentiam. Sicut*, inquit, *non sequitur, Deus una cum Christo magis amandus est quàm parentes fratres liberi &c. & hi propter Deum odio habendi:* Ergo eos aliquando *interficere licet. Itaneq; hic concludi potest. Parentes, fratres, liberi, magis amandi sunt quàm inimici & hi propter illos odio habendi. Ergo etiam inimici propter illos aliquando interficiendi sunt.* Querelam de mutato quæstionis statu nunc omittimus. Fingamus antecedens verum esse. Ostendenda est Viro Bono, in hac ejus instantia, mero meredie clarior inconsequentia. Non enim mirandum esset, ex eo, quod Deus quam parentes & liberi, multò magis amandus sit; non sequi quod ii aliquando in ejus gratiam sint interficiendi: ex eo verò quod isti magis quàm inimicus amandi sint; sequi; aliquando eum cum venia interfici posse. Idque duplicem ob causam. Primùm quia Deus nunquam ob illatam à parentibus & liberis nostris violentiam periclitari potest, ut ab earum vi, cum periculo necis eorum à nobis eripiendus sit, At liberi & parentes nostri, sæpe sine ope & auxilio nostro, atque inimicorum periculo servari nequeunt. Secundo quia Deus hanc operam à nobis nunc non requirit: imo eam plane respuit. At parentes & liberi opem nostram in periculis suis non implorare non possunt. Quod igitur nunc ob amorem Dei magis, quam sibi, debitum, parentes & liberi interfici non debeant, id fit ex accidenti; quia Deus in eo operâ nostrâ adversus parentes & liberos non indigeat, aut etiam uti nolit. At parentes & liberi eâ sæpe adversus hostes aut latrones indigent; atque etiam uti volunt. Sed per se & absolutè, si qua id ratio aut voluntas Dei requireret, etiam istis pignoribus in gratiam Dei parcendum non esset: ut in exemplo Abrahami patuit. Imo & nunc fortè casus aliqui dari possent, ut nobis Deus ipsa parentum vitâ, carior esse debeat. Quid, enim, si fervente adversus pios persecutione, pater aut mater à Christi alieni; mærore aut indignatione morituri sint, nisi ad effugiendas persecutionis ignominias veritatem abnegemus? An tanti erit vita parentum, ut scelus hoc in Deum committamus? Unde patet ne antecedens quidem rationis allatæ simpliciter verum esse.

Nunc ad rationem nostram revertamur quæ adversarios ad veri confessionem adigat. Habemus eos confitentes præceptum nobis adversus sanctiores necessitudines gradum Caritatis adeo potiorem ac præstantiorem, ut si quando istæ caritates concurrant; ignobilior, nobiliori & inferior superiori cedere debeat: atque ejus rei negandæ licentia ipsis prorsus erepta est. Nunc ponamus ob oculos, parentum aut Magistratuum vitam, in conspectu nostro, ab infestis latronibus aut inimicis hostiliter peti, ac periclitari: nos autem iis viribus instructos esse, ut tàm injustam vim non difficulter propulsare possimus; sed non sine aliquo, non tamen certo, vitæ grassatorum periculo. Aut nobis, per legem hanc Christi licebit manu atque armis, vim tàm injustam propulsare; aut non. Si non licebit, fieri nequit, quin longè magis inimicum aut latronem, quàm eos quibus sanctiori nexu devincti sumus, diligere: & caritati erga parentes; officio & fidei erga Magistratus, caritatem inimici præponere Christus jusserit: quod confectarium & ipsum per se absurdum est, & jam adversariis ereptum est. Cujus enim vitam, vitæ alterius præponimus; etiamsi ut rinque æquè, certum mortis periculum esset, eum magis quàm alium amare nos necesse est: aut saltem ei majoris dilectionis gradum & officium exhiberi palàm est. Quantò magis cujus incertum vitæ periculum, pluris facimus, quàm certò imminentem alterius necem? Adde quod & ratio dictat eum qui non obsistat, cum possit, injuriæ; graviter delinquere & Christus ipse *Mar.* III. eum qui cum possit, non servet periclitantem, occidere asserat. Quodsi, in gratiam inimici, Christus eiulmodi omissi officii culpam: & erga carissimos & maximè observandos quasi homicidii crimen committi; ista lege præcepit, longè majorem caritatem erga eum, quàm erga sanctiores necessitudines præcepit; imò verò non modo naturalis caritatis, sed etiam debitæ fidei, subjectionis, obsequii, officia & vincula cedere Caritati inimici imperavit. Quod non modo adversus nostram erga Dominum reverentiam: non modò adversus sanam rationem; sed contrà concessam suprà à Viro Bono hypothesin & præcepti hujus limitationem pugnat. Non est igitur integrum Viro Bono in dato casu eam partem eligere; ut manu atque armis tam injustam vim propulsari non licere, censeat.

Quod si in tali casu, agnoscere cogitur, quod vim injustam propulsare liceat; simul etiam agnoscere cogitur, quod in gratiam, sanctiorum vinculorum, liceat nobis interdum ea agere, quæ cum periculo interficiendi, injusti ac violenti hominis conjuncta sunt. Quod satis est ad id, *ut jam tandem videat quid allatis à nobis argumentis profecerimus.*

Atque hinc intelligitur ut adversarios solidè urgeamus, nihil esse necesse, ut probemus vero odio inimicos prosequendos; aut nihil prorsus amandos esse. Satis enim est ut ostendamus, singulares aliquos actus Caritatis erga eos aliquando omittendos, prudentia aut necessitate aut potiori caritate urgente, atque exigente; quod absque exuto prorsus virtutis istius habitu fieri potest.

Futile autem est & figuræ dictionis fallaciam involvit; quod ait inimicos, etiam cum minùs amandi dicuntur; eo ipso amandos tamen esse præsupponi. Quod quamvis in sano sensu, intellectum, concedi possit: nemo tamen ignorat, istum loquendi modum, per illud figuræ genus quam μείωσιν vocant; sæpe etiam ad ea protendi; quæ interdum nullo modo amanda sunt; ita ut ex istis verbis perpetis ac non interrupta (præsertim quod ad actus ipsos attinet) erga inimicos dilectionis necessitas adstrui nequeat?

Quod autem ait, *Quando non licet in altiori Caritatis gradu, ob alios illo gradu digniores inimicos reponere; in inferiori tamen, vel si aliter fieri nequeat, in infimo caritatis gradu, collocandos esse; sed prorsus à Caritate non esse exturbandos: Nullus autem minor est caritatis gradus, quam si eos non interficiamus.* Hæc verba adversus nos non pugnant; sed adversus eos qui animum interficiendi inimici sumere sibi permittunt. Quod an liceat Christianis, nos in hanc litem descendere nolumus; quia nulla nos eò adigit necessitas. Præterea vellemus ut Christiani omnes eo sint animo, ut etiam in præsentissimis periculis suis; fracta duntaxat aut repressa hostis injusta violentiâ; malint eum, si fieri ullo modo possit, clementiæ suæ superstitem relinqui; quàm iracundiæ immolari, quod satis est ad retinendam perpetem illam & non interruptum erga eum propensionis habitum, quominus penitus à charitate exturbatus censeatur.

Itaque V. B. dum statum quæstionis perpetuò mutat, chordâ semper oberrat eâdem, & ut alicubi ipse loquitur, extrà scopum tela jacit, quæ adeò nos non vulnerant

ut

ut ne attingant quidem. Nec enim nos hostes aut inimicos esse interficiendos asserimus. Imo id, quàm maximè fieri potest vitandum atque fugiendum censemus: Non tamen ità, ut aut nostram aut nostrorum vitam, ad certissimam necem, propter incertum mortis eorum periculum, prostituamus. Aliud est alienam vitam ejus eripiendæ animo impetere; aliud suam suorumque innoxio conservandi sui studio defendere. Non nos inimicum, sed ipse sese interficit dum iniquo perdendi nostri studio, in tela nostra pro servandis nobis justissimè opposita, cæco impetu irruit.

Notandum autem est Virum Bonum, dum inimicum propter sanctiora vincula; ab infimo caritatis gradu exturbari non vult, non iniquè tantum sed ridiculè ac præposterè, easdem sanctiores necessitudines propter inimicum, ab eodem infimo caritatis gradu, velle exturbari. Nam si nullus minor est Caritatis gradus erga homines quam si vitæ eorum rationem habeamus, caveamusque ne ipsis nostrâ culpa eripiatur; certe & ex hoc infimo Caritatis gradu, sanctissimæ necessitudinis amicos Vir Bonus detrudit, dum, ne hostis incerto discrimine periclitetur, eos ad certissimam necem ipsi invadenti, à nobis dedendos ac destituendos flagitat. Præcipuè cum, ut monuimus, is quoque interficere dici possit qui cum servare possit, servare negligit. Quid? si non gratuitæ tantum humanitatis ac beneficentiæ; sed debiti officii vinculo, sese ad servandum stringi sentiat? Etiamsi utrinque æquè certum esset periculum, in ancipiti periclitantis hinc hostis, inde parentis, vitæ discrimine: tamen caritatis quæ in servanda alterutrius vita imploratur minimè paris & æqualis gradus optio offerretur. Tam enim hostis, seu inimici quam parentis vitæ periculum, aut avertendum aut negligendum est. Alterutri autem duntaxat necessariò gratificandum est. Utri igitur potiùs consulemus? Quantò minùs dubitationi locus relinquitur, ubi impar utrinque periculum urget? Cum enim hostis occidendi animum habeat, nemo ambigere potest; nisi à nobis oppositâ vi impediatur; occisionem parentis secuturam. Nos cum in opponenda vi à tali animo simus alieni; bona spes est per defensionem nostram, salva inimici vitâ, parentem servari posse. Cujus igitur periculum majus est? cujus discrimen magis urget & opem nostram flagitat? Quare non tunc de infimo præstandæ inimico caritatis gradu, sed de summo & qui altius ascendere nequit, agitur. Postulatur enim, ut carissimorum pignorum, certò eripienda vita, prodatur: ut sanctissimus affectus, ut fides, ut officium, erga eos quibus non gratuitæ tantum, sed debitæ obligationis vinculis innexi sumus, violetur: propter periculum vitæ inimicorum; ac ne id quidem satis certum; cum in nostra potestate sit victoriæ moderamen & hostis aut fuga, aut pactione etiam victoriæ nostræ arbitrium prævertere possit. Ecquod altius aut nobilius caritatis specimen fingi potest; quàm quod in gratiam inimici postulatur? Hiccine est infimus caritatis gradus, quo majorem nè Deo quidem ipsi, si id à nobis, ut olim ab Abraamo, posceret, exhibere possumus?

Antequam rationes adversarii in contrarium allatas refellamus vocanda sunt ad examen quædam quæ hoc loco temerè asserit.

Primùm. An dilectio inferior ita semper majori cedere debeat; nec esset penitus & extinguatur, meritò ambigimus. Sunt enim quædam dilectiones, ut loquuntur, subalternæ; quarum una alteram non tollit qualis est erga homines alienos insontes; & erga propinquos. Aliæ sunt contrariæ; qualis est erga Deum; & Mammonam semper: erga homines autem vitam parentum oppugnantes: & parentes nostros; saltem illo tempore, quo vita eorum oppugnatur.

Alterum est in quo multum fallitur V. B. quod similitudinem quam affert ad rem propositam minimè quadrare non animadvertat. *Quemadmodum*, inquit, *lucè majori minor non extinguitur, sed offunditur tantum & obscuratur; ita ut sæpe non appareat: pari ratione claritas major ac superior non delet prorsus & enecat inferiorem; sed obscurat, nec patitur sæpe ut illa vim suam, in totum exerat.*

Resp. Lux minor majori contraria non est; ideo altera alteram non extinguit; sed tantum obscurat; ita Caritates quoque erga eos, qui secum non pugnant, sed gradibus tantum differunt, possunt unâ consistere. Sed ubi hic affectus aut ab eo derivata actio, in eos incidit qui secum acerrimo & periculosissimo conflictu colliduntur; saltem, quoad illud tempus quo nobis potiori caritati indulgendum est; in objecta adeo inter se pugnantia dividi nequit, & verum est quod Christus ait, in tali casu, fieri non posse, quin alter diligatur, alter odio habeatur. Nos autem nunc de ejusmodi casibus loquimur, in quibus alterum ex iis eligendum est; quæ unâ secum consistere non possunt, qualis est Conservatio vitæ parentum; quæ absque periculo vitæ inimicorum esse nequit; & abstinentia ab inferendo inimicis vitæ periculo, quæ absque certa nece parentum esse nequit.

Non pugnat autem hoc cum iis quæ alibi diximus, Caritatem erga inimicum posse retineri, etiamsi cum illo bellum geramus. Nec enim virtutum habitus cum actionibus suis confundendi sunt: & quæ à Christo præcipiuntur virtutes, durare possunt, etiam tunc cum affectuum, quas illæ regunt, actus prudentia aut cohibet aut etiam submovet. Non læditur habitus liberalitatis ac beneficentiæ in proximum, etiamsi interdum, ob justas & graves causas, actus illius exercere nolimus quod idem de omnibus virtutibus dicendum est. Potest itaq; ob ejusdem generis causas, certo tempore ac circumstantiis ità submoveri actus illius affectus & propensionis erga inimicum; ut extingui videatur; & tamen habitus illius affectionis durare ac permanere; qua erga eum affecti fuimus antequam nos potior caritas, ad submovendum; actum istum adigeret. Ergò jure diximus alibi ordinatam à Christo caritatem erga inimicum non violari, etiamsi ei aliquando ob gravem causam, specialem aliquem actum Caritatis præstare nequeamus. Nec tamen falsò hic quoque dicimus, quando potior caritas erga parentes; cum caritate erga eorum invasores concurrit: caritatum istarum actiones sese mutuo tollere. Loquimur enim de actu ipso virtutis, qui illæso ejus habitu sæpè negligi potest aut submoveri.

Sed jam tandem ad refellenda V. B. argumenta accedendum est. Quæ antequam producat format statum quæstionis præposterè ut monuimus; & qui rem de qua quærimus, (nisi admodum dextrè explicetur) non attingit. *Potest*, inquit, *Caritatum iste concursus, atque conflictus aliquando efficere ne inimicum juvemus; sed ut eum interficiamus, efficere non potest.*

Non id inter nos in controversiam vocatur, utrum iste Caritatis concursus efficere possit; ut animus ac voluntas interficiendi inimici sumi possit. Hoc enim quæstionis genus, tanquam nobis non necessarium; procul à disputatione præsenti semovimus. Sed utrum aliquando efficere possit; ut vita eorum quibus longè sanctiori nexu obstricti sumus, cum periculo vitæ eorum defendi possit, quibus longè minus debemus.

Cujus quæstionis negativa pars quomodo adstrui possit; mox videbimus ubi prius monuerimus istam V. B. propositionem; ita ut fieri debet explicatam; ut de voluntate ac destinatione interficiendi inimici non agat, seipsam refellere; & contradictionem involvere. Nam si hic charitatum concursus efficere potest aliquando ne inimicum juvemus; efficere quoque aliquando potest, ut periculum necis ejus negligamus; quoties videlicet ejus vita absque auxilio nostro servari non potest. Si naufragus hinc hostis, inde parens; tabulam quæ in potestate nostra sit; nec servandis pluribus sufficiat; certatim à nobis flagitent; utri potius opem ferri fas & æquum postulat? Atqui certum & par utrinque vitæ periculum urget. Nec dubium est, utercunque à nobis repulsam tulerit, miserrimâ morte periturum. Sæpe enim ad necandos homines sufficit, si eos non juvemus. Ita ad necandos parentes

rentes sufficit; si ipsis adversus aggressores non opitulemur.

Nunc ad primam rationem veniamus.

Ratio prima est, inquit, *quia cum ei auxilium non præstamus, superest tamen ei adhuc in caritate locus: possumus eum animo diligere eique benevelle; possumus pro eo Deum orare; possumus minorem charitatem ei exhibere; & Christi præcepto de dilectione inimicorum si non beneficiis, alia tamen ratione satisfacere: Sed si eum interficiamus, tunc nullus est amplius charitati erga eum locus. Cædem enim cum charitate nequaquam consistere posse suprà demonstravimus. Nam nec benevelle, nec benedicere, nec benefacere te, ei, quem occidis, ulla ratione dicere potes; quod tamen hic omninò injunctum est. Atque ita everti tur funditus præceptum de inimicis diligendis, dequè in odio non habendis.*

Vis istius rationis 1. in eo est; quod Christi præceptum de diligendis, eis inimicis, ita intelligendū opinetur; ut funditus everti putet; nisi omni tempore & in omni casu, etiam cum caritati erga eos locus esse non videtur; actus istius caritatis erga eos exerceantur. Deinde quod cædem cum charitate consistere non posse probatū à se confidat. Denique quod existimet, post interfectionem hominis nullum superesse caritati adversus eum locum. Quas omnes tres hypotheses falsissimas esse non animadvertit. Falsa est prima, quod manifestum sit, istud Christi præceptum, nullo peculiari præ aliis nobilissimis virtutibus quos idem Christus præcepit, privilegio gauderet; ut virtutis quam in illo præcipit actus; ob justas & graves causas; aut omitti aut suspendi nequeant salvo manente habitu atque officio quod injungit. Præterea qui præceptum istud tot exceptionibus, quas supra enumeravimus limitari concessit, jam ad privilegium istud recurrendi aditum sibi præclusit. Falsa & secunda: quia cædem etiam animo interficiendi factam cum charitate consistere posse demonstravimus; quantò magis si ab animo interficiendi alienissimi simus. Falsa denique tertia; quia etiam erga defunctos caritatis actus exerceri possunt. Dilexit non Absolonem modo pater, etiam mortuum, sed & Clytum Alexander. Nec obstat quod is pœnitentiam sceleris egerit quod patravit ebrius; cum etiam eorum nos pœnitere possit; quæ quanquam sine culpa tamen facimus inviti. Potest aliquis ejus facti dolore affici & quadam pœnitudine duci, quod invitus fecit; quamvis ipsi facti sui ratio constet; & nullam in eo culpam suam agnoscat: sed tamen illud non factum maluisset. Non enim tantum culpæ sed & infortunii sensu afficimur. Sunt & posthuma in defunctos officia, quæ memorię eorum præstantur; est & in liberos ac propinquos eorum clementiæ ac beneficentiæ locus, quæ etiam sepultis manibus exhiberi atque imputari queunt. Quodsi maximè ista spernantur & jactetur illud pervulgatum.

Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?

Certè si ut servemus parentes; hostes in periculum vitæ adducendi non sunt; ob eam rationem, quia ipsis mortuis ejusmodi dilectio præstari non potest, quam sentiant: Ob eandem imo longè potiorem rationem; ut incertum vitæ periculum ab hostibus avertamus, certissima morte parentes mulctari, nullo modo pati, debemus, quia nisi ipsis tunc tam necessarium caritatis officium præstemus, jam nulla ipsis caritas, quam sentiant, poterit exhiberi. Ità suusmet ictus in Virum Bonum recedit.

Secunda ratio est inquit *V. B. quia benefacere est de suo aliquid largiri; rem autem nostram sine ullius injuria dare possumus. Itaque de iis quæ sunt in nostra potestate; ut potius amicis gratificemur, quàm inimicis, ordinatæ caritatis ratio postulat; nam si secus fieret &c. At in alienam rem nullum nobis jus est: proinde vita aliquem propter amicos spoliare; aut aliud malum grave alteri inferre, nobis nequaquam licitum est: nec amor erga ullos proximos id efficere potest ut de alieno ipsis gratificemur.*

Hujus rationis fundamentum verissimum est, quia Nemini benefacere licet cum aliena injuria. Sed quod isti fundamento superstruitur falsissimum, & à nobis meritò negatur. Videlicet Inimico vitam nostram ut nostrorum injustè eripienti injuriam fieri, si in defensione nostri vita ejus in periculum vocetur: & quod plus est, si ipsi aliquod malum grave inferatur. Nam qui alienam vitam injustè eripere contendit, ipso facto insonti, suæ vicissim eripiendi jus & potestatem concedit; & cum invito, injustum periculum inferat; ipse ultro ac volens vicissim justissime inferendum periculum subit; præcipue si impetitus aliter evadere nequeat: Quanquam autem ad juris hujus acquisitionem nullo injusti hominis consensu opus sit; tamen non ipso facto tantum & recepto ab omnibus more ac jure gentium; sed tanto ipsorum oppugnantium consensu, imo verò interdum expresso quasi pacto, & diserta ipsorum, qui sic interficiuntur, permissione: jus istud cædis cæde propulsandæ, iis qui vitam suam legitimè defendunt, quæritur. quid autem manifestius est quàm in eo nullam esse injuriam, quod ne ii quidem pro injuria agnoscant quorum maximè interest, id quod patiuntur, pro injuriâ haberi? Scimus quid apud Poëtam, non absimili modo moriturus & ensem jam jugulo imminentem expectans, pronunciet.

Hostis amare quid increpitas? mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas: nec sic ad prælia veni.
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per (si qua est victis venia hostibus), oro
Corpus humo patiare tegi: scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc oro defende furorem.
Et me consortem nati concede sepulchro.

Quod exemplum, duo simul ostendit, quæ ad rem præsentem faciunt. I. Eos qui in vitæ alienæ oppugnatione pereunt; cædem sibi illatam pro injuria non habere. II. Alterum est, etiam erga sic occisos non deesse beneficii conferendi occasiones.

Quodsi ipsorum hostium concessione, eripiendæ quoque ipsis vitæ jus ac potestas propugnantibus suam acquiritur; multò magis in periculum & quidem incertum adducendæ. Et illud quidem jus eripiendæ alienæ vitæ quod suam defendentibus quæritur; summum ac strictum videtur: quo an Christianus unquam uti possit; nos eam quæstionem aliis decidendam relinquimus. Sed in periculo, nostræ aut nostrorum injustissimæ necis certissimo, jus in periculum dubium alienam vitam inducendi; quod suam servantibus acquiritur, quia summâ æquitate nititur, ejus est generis, ut eo Christianus semper & ubique salva & inviolata lege Christi, si velit, uti possit.

III. *Tertio*, inquit, *non eadem est ratio officiorum caritatis: quæ in faciendo consistunt; & eorum quæ consistunt in omittendo. Illa enim non semper servari possunt. Si ergo accidat ut in alterutro non sit servandum tale officium, res ipsa dictat; satius esse ut in inimico non servetur, quàm in amico. Verum non ita se res habet in officiis, quæ in omissione consistunt: ista enim semper & omni tempore servari queunt. Itaque officium tale nunquam tolli per aliam charitatem potest. Nam si officium majoris & præstantioris charitatis v. g. conservatio amicorum, tolleret officium charitatis minoris in omissione consistens; sequeretur fas esse domo victa & amicta alios quosvis homines vi aut clàm spoliare etiam immerentes &c.*

Hæc ratio quoad vim suam, eadem est cum superiori, nisi quod aliorum verborum amictu involuta & quasi veste mutata; novæ rationis fidem facere necquicquam conata est. Cæterum istud ipsum, inanissimè excogitatum novi vestimenti involucrum, summam ejus vanitatem ostendit.

Primum enim distinctio hæc ambiguitate vocabuli Charitatis abusa officia dilectionis in specie sic dictæ, cum officiis justitiæ confundit. cum tamen hoc loco, non de justitiæ, sed de caritatis officiis agatur. Deinde inter officia ista (qualiacumque vocentur) quæ in faciendo; & quæ in omittendo consistunt, malè constituitur hæc differentia; quod illa non semper; hæc autem semper servari possint. Quia palàm est, etiam officia quæ vocat in

omissione

omissione consistentia non semper servari posse. Non litigare cum vicino, Officium V. B. dicet esse in omissione consistens: cum id Christus prohibere videatur. Nec tamen id semper servari posse, etiam in lite de tunica, ultrò V. B. fatetur, quando furti insimulamur: & si ultrò litem contestari nolimus, per lictores ad subsellia judicum trahendi simus.

Tertiò falsum est quod supponit, officio Caritatis in faciendo consistentia, ideò in inimico non servanda; quia non semper servari possunt; cum potius ideò servari non debeant, quia ea servari potior charitas prohibeat.

Quarto. Nec minus illud falsum, officia omissionis erga inimicum perpetuò servanda; quia perpetuò servari possunt. Multa enim fieri possunt; quæ fieri non debent: aut certè possunt & non fieri.

Quintò. Ridicula est consequentia; si *officium præstantioris Caritatis, verbi gratia, conservatio amicorũ, tolleret; officium Caritatis minoris in omissione consistens, sequeretur fas esse, domo, victu, & amictu alios quosvis homines, vi aut clam spoliare, etiam immerentes &c.* Quia non ideò nefas est innocentes graviter lædere; quia id non facere est officium Caritatis in omissione consistens: sed quia id facere, est scelus atque injuria. Nec ideò hoc scelus est, quià omitti debet: sed ideò debet omitti, quia scelus est.

Sexto. Denique plurima officia erga inimicum in omissione consistentia, quale est Non facere quod ipsi molestissimum sit, per potiorem Caritatem tolli possunt, ac debent; ut quoties vita fortunæ existimatio amicorum aut parentum etiam sine ullo cædis periculo (ne controversis exemplis utamur) è faucibus ejus nostra operâ, puta, testimonio apud Judices dicto aut alia legitima ratione erepta, corvum deludunt hiantem.

Non igitur nullum officium Caritatis in omissione consistens: sed nullum officium justitiæ, hoc est, officium abstinendi à gravibus injuriis ac sceleribus, per amicorum Caritatem tolli potest. Non temere autem illud officium ad graves, & natura sua turpes injurias ac scelera adstrinximus; quia in gratiam amicorum leviores injurias aut damna inimicis inferri necessitas aliquando exprimere potest. Ut si diram mortem fugientibus amicis, quod tunc fortè unicum superest elabendi compendium, per conculcandas inimicorum (quamvis molestè id ferentium) segetes, ostendamus. Quemadmodum viciſſim non ita Caritatem erga amicos urgemus; ut propter levia amicorum pericula aut incommoda, gravissima inimicis mala inferri posse censeamus. Leves enim injuriæ ut in æstimatione Viri prudentis necessitate excusantur, & quasi injuriæ esse desinunt; ita quoties inferuntur non modo æquo: sed magno quoque & aspernante animo ferendæ sunt. Unde non mirum est Christum id genus injuriarum; sæpe à nobis contemni voluisse. Non igitur nos ex caritate amicis debitâ licentiam interficiendi inimicos colligimus, sed tantum licentiam negligendi eorum pericula; quoties eorum, qui vita longè sunt digniores; pericula prævertenda sunt. Nec tanti parentes, cognatos, aut ullos mortalium faciendos putamus, ut in eorum gratiam Dei præcepta violentur. Sed præceptam à Deo erga inimicum charitatem, eousque extendi negamus; ut ob eam præcepta ab eodem Deo, erga parentes pietas violetur; & certa eorum pericula propter incertum inimicorum discrimen negligantur. Esset enim hoc longe magis diligere inimicos, quàm parentes; quod à Deo mandatum esse nemo dicere audeat.

Quapropter duplici paralogismo decipit aut decipitur V. B. dum propter *conservandos parentes aut amicos, non esse occidendum inimicum toties inculcat. Non magis* inquit, *quàm pejerandum, aut scelus aliquod committendum.* Primum æquivocationis in verbis, *Non esse occidendum.* Quæ aut ita, prout sonant, vult intelligi, ut consilium ac voluntatem interficiendi inimici, non esse suscipiendum, designent. Quo sensu si loquitur, planè extra statum quæstionis nostræ vagatur. Nec enim nos ut jus defensionis asseramus, affirmativam hujus quæstionis partem tueri necesse est: cum defensio etiam absque animo occidendi esse possit: Itaque hoc quæstionis genus, sine quo causa nostra stare potest; intactũ relinquimus; nec nos obtorto collo eò trahi patiemur, ut eam controversiam decidamus; qui etiam non decisa, sententia nostra potest defendi. Aut, (quod, si ad rem loqui velit, eum facere necesse est,) verba ista in laxiori sensu accipit; ut etiam sine consilio interficiendi, ad avertendam certam à parentibus perniciem, inimicos in periculum incertæ necis, adduci non licere affirmet. Quo sensu prolata ejus verba, ut alia taceam, iniquissimum alterius fallaciæ specimen exhibent; dum ejusmodi defensionis moderamen, non minùs à Christo vetitum, pro concesso sumit, quàm perjurium, & alia quæ commemorat scelera: quasi jam probasset id; quod ne probandum quidem ullam suscepit; semper aliud agens, quod extra quæstionem est: & gladiatori similis, qui procul ab hoste, procul ab arena, palæstram exercet, & mutui ictus securus, innoxium aërem qui referire nequeat; fortiter verberat.

Sequuntur verba, in quibus Vir Bonus gravem errorem suum prodit; qui desectus fallor an ad rectius sentiendum ipsi facem prælucebit.

Quemadmodum, inquit, *non sic diligendi sunt inimici, ut charitatem quâ amicis & dulcissimis pignoribus obstricti sumus lædamus: sic vicissim non ita amandi sunt amici & pignora nostra, ut charitatem inimicis debitam omninò negligamus; quia utrumque est præceptum Domini. Et hoc erit verè medium, si ita & amicos defendamus & inimicis resistamus, ut utrorumque caritati consulamus, denuque operam ut salvum maneat, utrumque Christi tàm de diligendis amicis, quàm de diligendis inimicis præceptum. Alteram autem charitatem alterius causa tollere: & unum præceptum divinum propter alterum transgredi; est à medio ad alterum extremum deflectere.*

Quibus verbis planum facit sese opinari; quod aliqua præcepta divina ita sibi contraria sint, ut inter illa media viâ incedendam sit; ea moderatione utrisque parendo, ut uno eodemque tempore utrisque satisfiat. Quod falsum est. Neque enim ulla præcepta divina inter se contraria sunt, quamvis videantur. Sancta sunt omnia & uniformia, sibique mutuò & rationi congruentia; nisi quod ratione objecti alterum altero dignius & excellentius censetur. Et quoties aliquo casu aut culpa hominum alterum cum altero committi videtur, non pugnant invicem ipsa præcepta; sed actiones ad inferiora officia pertinentes non præceptæ intelliguntur; quoties superioribus præceptis repugnare deprehenduntur. Præceptis igitur omnibus, quoties eorum exequendorum occasio occurrit, parendum est: sed non semper omnium obsequio tempus aut locus est. Non igitur inter officia contraria, ita obsequium nostrum dispertiendum est, ut uno eodemque tempore utrisque satisfaciamus. Flare enim & sorbere simul, naturæ rei repugnat. Sed quoties ista officia verè inter se pugnant, altero omisso alterum servandum est. Caritatum actus, possunt aliquando inter se pugnare, ac se mutuò tollere: sed leges de illis latæ nunquam inter se pugnant: quia ex iis altera cum exceptione alterius lata est; nisi quod multum interest, superior inferiorem, an inferior superiorem limitet ac restringat. Lata est lex, & solennissima quidem de obsequio Magistratus, sed subintellecta est exceptio legis superioris, de obsequio quod Deo debetur: Quæ inferiorem limitare debet, non contrà: aliàs ne quid gravius dicam, cosequarentur invicem præcepta utrobique obsequia. Ergo quoties Magistratus imperia repugnant imperio Dei; non pugnat præceptum erga Magistratuum officium cum officio erga Deum; quia illud cum ea exceptione præceptum intelligitur; ut locum habeat, nisi à superiori officio impediatur. Ita lex de inferiori erga inimicum Caritate lata est, sed subintellecta exceptione legis de superiore; non contrà. aliàs ne quid amplius pronunciem, cosequarentur invicem præcepta utrobique officia. Non aliter igitur locum habet Caritas erga inimicum (de actibus

bus habituum loquimur) nisi ubi à superiori Caritate non impeditur, non restringitur. Aliàs qui, quoties utrique satis fieri nequit, non inferiorem per superiorem, sed superiorem per inferiorem limitant & restringunt effugere nequeunt, quin, (quod sibi objectari molestè ferunt) soleas capiti pileum pedibus adaptare censeantur. Non minus ergo iniquè & absurdè, quando Caritas amicis in gravissimis eorum periculis debita urgetur, ad negligenda inimicorum pericula, opponitur Dei Christique auctoritas; quàm si quoties libertas conscientiis debita, ad negligenda Magistratuum jussa urgetur; opponeretur divina auctoritas in confirmato jure atque obsequio Magistratus. Jussit Deus obtemperari Magistratui; sed magis sibi: jussit diligere inimicos sed magis amicos, magis fratres, magis parentes. Quoties igitur accidit ut alterutri duntaxat officio locus sit; officium quod potiori cedere par est, non comprehensum, sed exceptum à divina lege intelligitur. Non enim cortex verborum sed mens legislatoris spectanda est. Qua in re non tam Socinus à nobis, quàm ii quorum causam defendit; oppugnati sunt: quem longè aliud sensisse sciunt omnes mediocriter in Scriptis ejus versati, quamvis ob graves causas sensum mentis suæ plenè explicare gravaretur.

Nec meliori jure, post legem de diligendis inimicis latam; poscitur nova lex aut permissio de servandis amicis, aut patriâ amicorum plenâ, in casu supremæ necessitatis, quæ unica justorum bellorum occasio est. Quasi lex de inimicis, omnia debita parentibus amicisque officia sustulisset & non potius ea, quamvis tacitè, tantò magis confirmasset; quantò minùs est debita dilectio inimicis quam parentibus & benemeritis amicis. Nam si inimicis quoque dilectionis officia præstanda sunt; multò magis amicis præstanda intelliguntur. Itaque nihil opus erat, post hoc præceptum, antiquam seu Naturæ, sive divinam de jure legitimæ defensionis legem iterum ferri; aut novâ permissione confirmari; quia hoc ipso præcepto nullo modo convulsa, sed potius confirmata deprehenditur. Si enim nos adeò mites & humanos etiam erga inimicos esse Lex Christi imperat quantò magis erga amicos, & quibus longè plùs debemus. At quæ crudelitas atque immanitas est, ne improbissimus latro, incerto vitæ discrimine periclitetur; ad certissimam & miserrimam mortem, parentes, tunc maximè fidem atque opem nostram implorantes prostituere? Non facta est deterior conditio officiorum erga parentes, per legem Christi de inimicis latam sed potius melior. Nihil igitur opus erat restitui aut redintegrari, quod nullo modo imminutum est.

Profert postea verba nostra V. B. quibus ostendimus præceptum *hoc adversus defensionem cum periculo interficiendi inimici conjunctam, urgeri non posse: nisi probetur, dilectionem inimici ita nobis injungi; ut nullam loci, temporis aut intervenientis impedimenti circumstantiam accidere posse ostendatur, quæ obstet quominus ipsi jugiter ac perpetuo istud officium præstari debeat.* Quibus in verbis duo reprehendit. Primum ait *nobis non de periculo tantum interfectionis; sed de ipsa interfectione quæstionem esse.* Atqui animadvertere debuit, nos cum jus legitimæ defensionis defendimus, quidve nobis tunc liceat, aut non differimus, de iis duntaxat actionibus loqui debuisse atque locutos esse, quas per se intendimus, non de iis casibus aut eventibus qui præter mentem nostram per accidens contingere possunt. Jam verò interfectionem si in defensione contingat, præter mentem nostram evenire debere, disertissimis verbis quæ paulò post ab eo citantur expressimus, ne qua mutandi Status controversiæ ansa arripi posset. Alterum est quod reprehendit; *quòd iniquum censeat negativæ sententiæ probationem à nobis exigi.* An verò ilico negativa sententia dicenda est, in qua exponenda forte aliqua negantium particularum utimur. Quid enim aliud est dilectionem inimici ita injungi ut nulla circumstantia aut impedimentum excipiatur quàm eandem absolute semper & ubique injungi etiam tunc cum dilectioni potiori repugnat. At nullum è præceptis moralibus (exceptis forte rerum naturâ sua turpium interdictis) nullum, inquam, è præceptis quæ nobis aliquid faciendum præcipiunt, ita præfractè & absolutè præcipitur; quin variarum circumstantiarum delectum requirat, & multas exceptiones admittat; quin & actiones quas præcipit aliquando ob justam & gravem causam, omitti aut intermitti, aut differri possint.

At enim hoc præceptum generale est. Certè præcepto de diligendis parentibus aut fratribus non generalius? *At nullâ exceptione à Christo restrictum.* Ne præceptum quidem de amandis fratribus ulla exceptione restringitur. *At potest omni tempore servari.* Præcepta Christi omni tempore servari debent, quatenus ea nunquam violari fas est. Sed actiones quas præcipere videntur, non semper, nec ubique exerceri aut possunt, aut debent. Itaque quoties id contingit non præcepta intelliguntur. Amandus inimicus præcipitur, sed non tunc cum dilectio ejus, non modo sine neglectis, sed sine injuria sanctiorum necessitudinum exerceri nequit. Inimicos propter caritatem amicorum gravi injuriâ laedi non ferimus. At quæ gravios injuria parentibus aut Magistratibus, inferri potest, quàm cum in suprema necessitate sua in gratiam & ob amorem inimicorum; diserti, eorum crudelitati produntur?

At enim si *quis hic exceptionem aliquam habere locum censeat, id ipsi probandum est evidentibus argumentis.* Factum id à nobis esse, sensit, sed oblitus est V. B. & eo quidem successu factum; ut paulò ante ad limitandum plurибus exceptionibus id præceptum, adductus sit dum ait: *Cum Christum privatis ut hostes publicos diligant* (de hoc ipso præcepto loquitur) *præcepisse dicimus Libenter Ultroque concedimus cum hac cautione id intelligendum; ut id fiat, absque injuria & maleficio in populares, proditione in patriam, perfidia in Rempub. perduellione adversus supremas potestates; denique absque violatione omnis sanctioris officii & vinculi.* An paucæ ipsi tot exceptionis videntur? an à Christo earum aliqua mentio facta est? Et tamen illis locum ultrò ac libenter concedit.

Mox negligentiam nostram arguit his verbis. *Quia reluctante animo atque ingratiis probandi provinciam tanquam super vacuam & non necessariam susceperat; ideò perfunctorie & satis negligenter eâ defunctus est. Ait enim non fuisse opus ea juberi aut permitti novâ lege; quæ & natura jubet, & necessitas exprimit, & nulla lege prohibita sunt; ut si quis lege juberet aut edicto permitteret; ut homines cibum capiant, ridiculum id foret & planè Claudianæ sapientiæ. Non multùm, ut apparet, distant hæc apud Virum Magnum, cibum capere & hominem interficere.*

Nihilne in respondendo amplius? Ne verbum quidem ullum. Nam statim ad alia transit. Quam diligenter nostras rationes refellat, qui nos negligentiæ accusat, æquus Lector judicet. Nos quod probandum suscepimus tam evidenti ratione evicimus, ut eam ne refellere quidem aut aggredi Vir Bonus ausus fuerit. Nihil enim manifestius est, quàm ea frustrà & sine ratione præcipi, in quibus rationi nostræ, communis nobis cum brutis appetitus, non repugnat, quæque nullo præcipiente facere cogimur; & ad quæ ipsius naturæ impulsu ferimur. Ex quarum rerum genere est *cibum capere.* Quod pro exemplo produximus; non ideò quòd natura suâ rei quam illustramus nimium vicinum aut propinquum sit: sed quòd in eo de quo agitur admodum congruum atque simile. Agitur enim de iis rebus quas præcipi aut permitti, ridiculum atque absurdum est: ideò quod nullo præcipiente ipsius naturæ ductu atque instinctu fiant. Jam verò ad defensionem & conservationem nostri, ac nostrorum; quoties sine ipsa salvi esse non possumus, non minùs ultro ac nullo præcipiente propendemus; quàm ad cibum capiendum quoties esurimus. Quid igitur opus erat eam, nova aliqua lege præcipi aut permitti? Ergo satis diligenter connexa est hæc consequentia quia satis firmiter. Sed non sine numine factum censeo; quòd cujus culpæ nos insontes

coarguere

coarguere conatus est; in eam ipse turpiter incidit, paulò etiam reprehensione dignior quàm nos fuissemus, si nobis non falsò neglig. obiecisset: quia supinæ in respond. neglig. suæ, illud injuriæ genus adjecit; quod, cum audacter neri solet, semper aliquis finistræ opin. aculeus in animis hominum hæret, ac relinquitur. *Non multum.* inq. *ut apparet, distant hæc ap. V. M. cibum capere; & hominem interficere.* Hoc nemini apparet, præter ipsum, ideoq; apparentis hęc est, non veri criminis objectio, præsertim cum nos cibi capiendi exemplum, non cum interfectione: sed cum defensione absq; animo interfic. facienda, comparaverimus. Proinde hoc loco, illud acutè excogitatum officii genus, in omiss. consistens non uno modo ipse transgressus est. Nam & quod omittere debuit, non omisit; & quod non debuit, omisit. At qui præsticerat, respondendi officium; quàm injustè carpendi nostri, occasionem, non omisisse. *At enim post generale præceptũ quod aptum est comprehendere ambitu suo omnes casus, etiam eos quos adducimus, opus fuisse ait novâ lege, aut permissione, quæ casus istos excipi ostenderet.*

Verum hoc asserere V. Bono jam non est integrum; postea quam ultro ac libenter suprà confessus est, non esse istud præceptũ ita generale, quin per illos casus restring., quos suprà recensuit, quales sunt, injuria in populares, proditio in patriam & c. denique violatio omnis S. officii.

Probat deinde etiam in præsentiss. periculo vitæ nostræ inimicos occidendos non esse. *Iubet enim*, inq., *Christus amari inimicos, etiam tunc cum nos persequuntur & infestant. Non dicit Christus in præterito qui vos infestarunt ac persecuti sunt ne quis vel injuriarum duntaxat oblivionem hic præcipi argutetur; sed in præsenti ait, qui vos infestant & persequuntur. Quid aliud inde sequitur; quam uti in aliis injuriis, ita etiam in præsent. vitæ periculo, à nobis occidendos non esse inimicos.* Non excutiam quàm firma sit hæc consequentia, ducta ex modo loquendi in tempore præsenti, quo sæpe uti possumus etiam in exprimendis iis rebus, quę in præsenti tempore intelligi nequeunt; quod una cum aliis quæ ibidem in præsenti dicuntur eodẽ tempore una consistere nequeant. ut cum dicimus Medicum restituere sanitatem iis qui ægrotant: aut eos quoq; parcere sumptibus qui liberal. exercent: quod frequentiss. accidit, quoties alterum eorum quæ inter se pugnant, de actu alterũ de habitu intelligitur. Non urgebo falsum esse, quod tàm audacter asser. Christum non in præter. sed in præsenti loqui; *qui vos infestant ac persequuntur*; cum ista verba ap. Matth. è quo citantur, participii voce expressa legantur; quę præcipuè, in Græca lingua, tàm præter. quàm præsentis signif. recipit. Illud unum regeram; quemadmodum in tota hac de non occidendo quæstione; ita in hac ipsa ratiuncula V. Bonum fingere sibi adversarium, quem non habet. Nam ut nos occidẽdos esse inim. non asserimus, imo id pro virili, quoad ejus fieri potest vitandũ esse cẽsemus: ita eos quoq; qui nos perseq.; etiam cum nos perseq., diligi posse ac debere concedimus, præsertim ejusmodi dilect. genere; quod in istiusmodi objecta cadere potest. Annon etiam in bellis hostẽ diligi posse, Davidis exemplo ostendimus?

Nam quod ārgut., Posito genere poni omnes species: persecut. autem in verbis Christi commemoratam esse genus; Occis. speciem: diligi igitur debere; etiam eos qui nos occidunt, aut occidere volunt: etiamsi conclus. assent, non possumus tamen ferre assumpti vanitatem, in quo V. B. pro concesso sumit, in verbis Christi vocem persecut. tàm latè extendi; ut etiam bellicam hostilitatẽ comprehendat: quod nos tunc refutav.; cum ostendimus verba eius, ad hostem publ. porrigi non posse. Quas rationes dũ strictim attingere tentat V. B. ipse ab iis ita constrictus est; ut præcept. Christi ex mente nostra limit. coactus sit.

Argument. eius binæ, altera à majori, quod ne fratrum quidem gratia facere fas est, id multò minus sui causa faciendum: altera à pari. Quod sui causa faciendum non est: id ne amicorũ quidem causa faciendũ est; sese mutuò tollũt. Neq; enim eædẽ res secundũ idem, possunt esse simul & æquales, & inæq. multò minùs sese invicem majores.

Sequitur argumentatio adversariorũ, nimiũ topica; & in qua nihil sit nervorũ. Nam ut præcepti de diligendo inimico universal. adstruere possint, ex enumeratis à Christo dilect. & inimicit. actibus concludunt omnia inimic. genera, Christum subjecisse universali regulæ. Nullũ igitur inimicum à dilect. excipi. Quasi verò nos omnẽ omninò universal. huic præcepto adimamus. Nullum est præc. quod aliquas species non habeat; quæ ad illud referri queant. Sed nec ullum forte est, præsertim è præcipientibus, quod omni penitùs except. careat. Omnes privat. de quibus Christus loquitur inimicor. species isto præcepto compreh. agnoscimus, omnes etiam ex enumeratis dilect. actus ipsis præstandos fatemur. Sed inde nõ sequitur casũ nullum dari posse, quo præceptæ dilectionis actus, omitti aut non possint, aut non debeant; quoties aliqua gravis causa aut necessitas; vel etiam potior dilectio postulat.

Atq; hoc loco quandam rationem nostram operosè refutat; quæ nobis argumenta adversar. minimè apodictica refutantibus, excidit; ut si quid in ea frigidi esset: nequaquam esset mirandũ, si de eorum indole aliquid traxisset quibus opposita est. Cum ratio ipsa ostendat beneficium dari non posse, nisi accipiatur. Inimicus autem, nisi fortè cum est in potestate nostra, aut inimicitias deponere cogitet; beneficium à nobis accipere nolit: meritò diximus; aptissimè à Christo vota precesq; in eo casu ejusmodi male factis oppositа esse; quia tũc aliud beneficii genus ipsis reponi non potest. In quo sanè nihil est frigoris: præsertim cum nos inimicis benefaciendum esse non negemus; nec ista dicamus ut homines à benefaciendo ipsis dehortemur, sed ut ostendamus Dominum pro sapientia suâ, etiam ejusmodi casus prævidisse, in quibus præter vota precesq; non habemus quod inimicis præst. quod sæpe in bello accidit, ut in Davidis exẽplo docuimus. Cæterũ ne nos inopiâ aliorũ ad hoc genus argument. compulsos existimet, age sane, rationem hanc donemus V. B. indefensam, ne fruſtrà res tàm frigida sudorem ejus exciverit.

Mox reprehendit verba nostra; *quòd cædem invasoris primariò intendi non debere dixerimus: quæ nulla ratione intendi debeat.* Verum nec nos tantum primariò; sed de industriâ id fieri non debere diximus; & quòd cędes plane præter mentem ejus accidere debeat, qui extrà omnem culpam velit esse, addidimus. Quod autẽ vocibus primariò aut principaliter usi simus, fecimus ideò, quia tamen incertum necis ejus periculum; præ certissimo nostro aut nostrorum discrimine, negligi concessimus.

Quod culpæ & pœnæ non plane expers fuerit Occisor, sub Lege qui mero casu aliquem occidit; nihil facit, ad ostendendam culpã ejus, qui in defensione invitus aliquõ occidit. Vera enim isthic culpa esse potuit; quamvis non ita gravis & lata, ut in voluntario homicidio. Nec enim tantum malitiæ, sed & imprudentiæ culpam luere possumus. Sed in defensionis necessitate neque malitiæ, neque imprudentiæ reprehensioni locus est; & qui syncerè servare hostem aut invasorem, dummodo ipse, aut ii quos defendit, extra periculum ponerentur, in animo habuit; non video quo jure ejus culpæ particeps esse possit; quæ tota in invasorem culpâ sua pereuntem devolvitur. Nam nec defensionem vitæ suæ quisquam omittere tenetur: nec eam semper ita dextrè adgubernare potest, ut periculum necis alterutrius evitetur.

Ad Circumstantias exercendæ dilectionis accedens V. B. fatetur aliquas (quasi non pleræque omnes eo sint ingenio) morales leges, certis circumstantiis limitatas esse; ut non semper, sed pro ratione Loci, Temporis, ac personarũ observari debeant. Quod ad jugulandam ejus causam, satis, est: præsertim cum ex earũ numero hanc quoq; legem esse & nos multis argumentis probaverimus, & ipse jam admissis tot limitationibus, quas supra enumeravimus, confessus sit. Nos quoq; vicissim fatemur; limitationes istas non pro libitu & arbitrio nostro fingendas, sed aut ex analogia religionis, aut ex ipso divinarum legũ codice, sive per expressa testimonia, sive per necessaria consequentiam, depromendas. Quod nos in hoc præcepto sedulò fecimus. Sed V. B. maluit extrà alios divagando, cum umbris luctari; & mutato statu quæstionis, Locos communes, concioni quàm disputationi aptiores, tractare: aut hinc inde verba nostra corpere, quàm collato pede in legitimum certamen descendere.

Nam ubi limitationes noſtras è manifeſtis S.S. teſtimoniis depromptas vel uno verbo attegit? Quarum prima eſt, quod & alios inſontes homines, qui vulgò proximi vocantur, non ſuprà nos, ſed tantum ſicut nos ipſos, diligere juſſi ſumus: quantò magis inimicos, plærumque ſontes & de nobis male meritos? Unde neceſſariò conſequitur; ea caritatis officia, in quibus longè major dilectio inimico quàm nobiſmetipſis exhibetur, à nobis inimico non deberi. Quanto minus eà in quibus major ipſi dilectio præſtari flagitatur, quàm parentibus, quàm magiſtratibus? Altera eſt. quod Legis de Caritate tam proximò quàm inimico præſtandæ, nobilior explicatio & regula dari non poſſit, quàm quę ab ipſo Chriſto tradita eſt ut omnia quæ nobis ab aliis fieri vellemus aliis faciamus; quod eſt omnium erga alios officiorum compendium. Sed hanc regulam ita intelligi debere demonſtravimus, ut ea tantum aliis præſtanda eſſe intelligantur; quæ nos nobis præſtari juſtè & ſapienter, non iniquè, nec ineptè & pueriliter, vellemus. Æquam enim & rationabilem hanc regulam, non iniquam & abſurdam eſſe neceſſe eſt. Parci nobis ab inimicis vellemus; quoties in eorum poteſtate ſumus. Hoc deſiderium neque injurium eſt in quenquam & in ſapientem quoque cadere poteſt. Id ergo ipſis viciſſim præſtare tenemur, quoties illi ſunt in poteſtate noſtrâ. At ſi cum alienam vitam oppugnamus, id nobis ab inimicis præſtari cupiamus, ut adverſus noſtros enſes, ſolis jugulis pugnent: hoc deſiderium non iniquum modo, ſed ſtolidum ac furioſum eſt. Poteſt igitur hoc in gratiam aliorum non præſtari; quod in noſtri gratiam præſtari niſi ineptè, ac furioſè, velle non poſſumus.

Plures, id genus, limitat. & innumera argum. noſtra cur intacta omiſerit V. B. facilius eſt aſſequi: quàm cur nobis earum pro libitu confingendarũ culpam toties objectet.

Per caſum extraordinarium quid intelligamus, expreſſa verba noſtra paulo ante prolata indicant. Impedimentum videlicet potioris caritatis; quod interdum non ſinit nos aliquem actum dilectionis inimico præſtare; quamvis ipſum diligendum eum habitum non tollat. Cui impedimento atque exceptioni, nihil obſtant verba Chriſti, quod inimicos qui nos infeſtant amari præcipiat, quia ipſe V. B. ſuprà agnovit verba Chriſti cum ea cautione intelligenda; ut id fiat ſine violatione ſanctioris officii & vinculi. Quomodo igitur nunc ipſis generalitatem, eamque non limitatam, & caſus iſtas excludentem tribuit? Deinde in verbis *Infeſtantes ac proinde etiam mortem inferentes* prava latet conſequentia. Neque enim à magis veriſimili ad minùs veriſimile argumentari poſſumus affirmatè. Præterea tametſi Chriſtus, ut infeſtantes ita & mortem inferentes, aut inferre volentes amari præciperet; non ideò tamen ſtatim, nos ne illi nobis, aut noſtris mortem inferant, impedire, prohiberet. Quia nobis eos, ne nos infeſtent quoque, per eadem verba Chriſti, licet impedire; ſi id legitimè poſſimus.

Neceſſitas vitæ ſuæ ſuorumq; ſervandæ, leges Chriſti frangere non poteſt. Neq; enim ullas tulit ejuſmodi quæ frangi poſſint. Sunt tamen quædam actiones quæ legibus Chriſti falſò vetari videntur, quas hęc neceſſitas excuſat; in quo caſu, legibus Chriſti comprehenſæ non cenſentur.

Quod autem diximus; Neceſſitatem ejuſmodi interdum ordinarias leges frangere; id non de Chriſti legibus intelleximus, ſed aliis quibuſcunque quas vulgi ſermone tritum iſtud dictum deſignat: Documento ſunt verba noſtra quę mox ſubjecimus. *Non enim ſequitur id quod in extraordinario caſu cum dilectione inimici pugnat, etiam cum hoc præcepto Chriſti pugnare* & quæ ſequuntur. Non igitur per hanc neceſſitatem frangi; aut frangendam eſſe legem Chriſti dicimus; quod nobis immeritò affinxit V. B. ut in locum communem excurreret; & invectivis ad rem non facientibus volumen extenderet.

In quibus tamen ipſis duplici modo turpiter & iniquè principium petit, pro conceſſo ſumens, non modo id ipſum eſſe legem Chriſti, de quo an ſit lex Chriſti inter nos quæritur: ſed etiam nos exiſtimare leges Chriſti ullas ob vitæ conſervandæ neceſſitatem frangi poſſe; quod nobis nunquam in mentem venit.

Quanquam autem ipſe Dominus Davidis factum, ad excuſandum Diſcipulorum ſuorum factum adduxerit: nec ſatis cautè V. B. adverſus ejus exempli allegationem diſputet: Tamen nos iſtud exemplum non ideo produximus ut oſtenderemus, quemadmodum Davidi licuit præceptum Dei, in caſu neceſſitatis tranſgredi; ita nobis quoq; in ſimili caſu licere legem Chriſti violare. Nos enim illam legem quam David tranſgreſſus eſt, minimè controverſam Dei legem fuiſſe agnoſcimus. Atqui iſtud de quo inter nos quæritur, Inimici magis quàm vitam noſtram diligendi officium; legem Chriſti eſſe acerrimè negamus: Nec ſi quis illud non faciat, eum tranſgredi legem Chriſti, ullo modo concedimus. Sed ideo hoc exemplum à nobis productum eſt; ut ex ipſius noſtri Legiſlatoris verbis & argumentandi ratione; qualis mens ejus in legibus ab ipſo latis, aut ferendis fuerit, oſtenderemus. Nam ſi is non dubii præcepti Dei rigorem, in Davidis factò meritò mitigandum cenſuit; ob caſum urgentis neceſſitatis; nullo modo, gratuitum erga inimicum officium, præcepiſſe cenſendus eſt ex tàm rigida voluntate ut etiam quando aliter ſervari non poſſumus, actus dilectionis erga eum interdum omitti nequeant. Proinde in iis quæcunque adverſus hoc Davidis exemplum tantò molimine producit; quæque mox in exaggeranda homicidii culpa differat; quærat ſibi quem volet adverſarium; Nos iſta non attingunt. Nam neque nos hoc exemplo ad frangendas leges Chriſti abutimur, ſed ad mentem Legiſlatoris noſtri explicandam utimur; neque homicidii patrocinium ſuſcepimus, cujus præcipua culpa eſt in occidendi voluntate; quam unà cum V. B. proſcribimus. Neceſſitate autem, non cædem, quæ ſi contingat, præter mentem noſtram & ex accidenti evenit, ſed ſuſceptum periculum cędis committendæ, excuſamus; quod unum eſt, cujus jus & licentiam in ejuſmodi caſu defendimus. Itaque homicidium quidem ipſum, non neceſſitatis: ſed voluntatis noſtræ ab eo abhorrentis, excuſatione & innocentia purgamus, ejuſque culpam omnem in invaſorem repellimus. Illud autem quod ſolum voluntate noſtra ſuſcipimus, patrandæ cædis periculum, neceſſitatis violentiâ extortum eſſe oſtendimus. Non id igitur nobis à neceſſitate extorqueri permittimus; ut cædem omninò patrare velimus: ſed ut nihil morati incertum eventuræ forte cædis periculum; certam pernicię à capite noſtro aut noſtrorũ depellamus.

Omitto plurima quæ hoc loco aſſerit, falſa & abſurda, ne alienam cauſam defendere videar. Unum miror; quanta confidentia, abſolutè & quaſi univerſaliter aſſerat; quod Ratio eligere jubeat, Occidi potius, quàm occidere; quodque iſtud poſterius ſimpliciter & abſolutè *malum culpæ* nominet, cum illud ſæpe ſine ulla culpa accidere poſſe, ipſe ſtatim eadem pagina oſtendat, producens exemplum ejus, qui adeò peccaturus non fuerat, ſi occidiſſet, ut eo ipſo graviter deliquerit: quod non occiderit.

Ad rationum mearum refutationem propero. Quarum primam non retellit, ſed ſtomachatur; quod pro lubitu S. explicem, & per extraordinarios caſus præceptum ordinarii officii reſtringi, aſſerã. *Unde*, inq. *probabit Chriſtum de hac diſtinctione cogitaſſe?* Nempe oblitus eſt V. B. id jam à nobis probatũ, tunc, cum ad noſtram, in limitando hoc præcepto ſententiam ipſe pertractus eſt; reſtringendo illud tot cautionibus quas ſuprà recenſuimus. Rogat, deinde, cur aſſerere audeamus, commemoratos inimicitiarũ actus nonniſi in privatas ordinarias; & civiles inimicitias cadere? In promptu cauſa eſt, quia Chriſtus tunc iis verbis & exemplis uſus eſt: quæ ſolas iſtas privatas inimicitias exprimunt. Cui, ſi ultra eas præceptum hoc extendere voluiſſet, non erant defutura verba, publicam hoſtilitatem exprimentia, aut quæ Magiſtratuum jura convellerent. Non animadvertit autem V. B. cum non nos, adverſus illos; ſed illi adverſus nos, ex hoc loco argumententur; non eſſe noſtrarum partium ut probemus, hæc verba omninò, nonniſi de privatis inimicitiis intelligenda. Sed ad elidend. vim argum. eorum ſatis eſſe, ut oſtendamus ea duntaxat de ipſis intelligi poſſe. Quanq. nos ultrà debiti verba

verba hæc de publicis hostibus, intelligi non posse, probaverimus, eo quem commemoravimus, successu. Illorum igitur partes sunt, demonstrare, hæc verba nonnisi ex mente suâ, in sensu laxiori intelligenda.

At enim, inquit, *odii mentio fit, quod etiam ad extremam nostram perniciem ferri potest.* Verumenimverò non tantum quod possint sed etiam quod debeant verba ista, ex mente illorum intelligi, his qui ex iis argumentantur probandum est. *At rectè dicitur inimicum nos persequi; cum mortem nobis intentat.* Atqui hæc captio est ex iis, quas Consequentis vocant. Omnis qui nobis mortem intentat, persequi nos dici potest. (quanquam ad exprimendam vim hujus injuriæ: tàm molle vocabulum vix sufficit.) Sed non omnis qui nos persequitur mortem nobis intentat; nec quoties persecutionis mentio incidit, toties Mors sub ea comprehendi aut potest, aut debet. Non conjecturis, sed gravissimis rationibus, quas ne attingere quidem ausum esse V. B. paulo ante ostendimus, ad limitandum istud præceptum adducti sumus, quod & ipse tandem vi veritatis adactus tot cautionibus restrinxit, ut nos ad eas addi nihil postulemus. Quo facto, ad colligendum adversus nos aliquid, ex generali vocum significatione aditum sibi jam planè præclusit. Quod autem in sua antithesi Christus agat de tali inimico; qualem Moses perdere, ac delere jusserat, eadem facilitate à nobis negatur; qua ab adversariis asseritur.

Ad secundam rationem, quæ jugulum causæ ipsorum hostiliter petit; respondens V. B. præstat ipsi Officium Caritatis in Omissione consistens. Nam pro letali inflicto vulnere, ictum reponit aut inermi, aut parcente manu datum: & statim omissa pugna, festinato abitu ad alia transvolat. Sed revocandus est paulisper, ut sistat gradum, & comminus ac legitimè pugnet, non Parthorum more emissis temerè sagittis refugientium. Ratio nostra sic sonat. *Gratuitis erga inimicum officiis ac beneficiis tunc locus nullus est; quando aut extrema servandæ vitæ nostræ necessitas nos ipsis vacare non finit: aut cum debitis ac necessariis erga potiores proximos officiis pugnant.* Quid ad hæc Vir Bonus? Respondet primùm nos confundere officium benefaciendi; cum officio non male faciendi: nec addit ultrà verbum ullum quòd huc pertineat? At nos videmus quòd hoc argumentum confundat mentem ipsius & rationes respondendi. Nec enim nos miscemus heterogenea: sed ille non habet quod respondeat. Negandum aut distinguendum fuit, quod objecimus. Negat ille quidem aliquid; quod statim videbimus an ad rem, de qua quærimus, faciat. Sed id quod non negat, aut negare non audet; sufficit ad causam ejus evertendam. Negare enim non audet gratuitis erga inimicum officiis ac beneficiis locum non esse; quoties supremam conservandæ vitæ nostræ necessitatem impediunt, aut remorantur. Multò minus quoties debita erga potiores proximos officia tollunt. Negare non audet dilectionem erga inimicum gratuitum esse officium; nec ullo inimici merito aut officio provocatum. Quid igitur negat? *Non est gratuitum*, inquit, *erga inimicum officium eum non occidere.* Mitto expendere, quam verum sit nullâ inimico exhiberi gratiam, quoties mortem commeritus vitâ donatur & non occiditur. Sed quia de Caritatis officiis ac beneficiis loquimur; non placet nobis ea istiusmodi verbis depingi & quasi coloribus adumbrari qui ad exprimendum virtutis hujus vultũ inepti sunt. Nam quæ (malum) ista est officiorum Caritatis erga inimicos descriptio; quæ etiam cum flagrantissimo erga eos odio; interdũ & gravissimo maleficio consistere potest? Nam & crudelissimi homines inimicis hoc officium præstant; quoties occidere aut non possunt; aut non audent: aut etiam quo diutius miseriis eorum fruantur, nolunt. Hoccine Caritatis officium dicemus quod & Caligula, nescio cui, eo ipso tempore præstitit; quo maximè in miserum sævire voluit. Cui mortem petenti, Nondum, respondit, tecum in gratiam redii. Paulò ante Vir B. deploravit invidiosè, quod vera rerum vocabula amiserimus. At hoc pejus est, quod veris per Dei gratiam, nondum amissis, falsa inveniuntur. Cæterum sequamur V. B. novum stylum; & demus locum acutè excogitatis Caritatis officiis, quibus & ignoti, & absentes, & infensi; & inefficiosissimi quoque aut certe nihil minus quàm de præstandis officiis cogitantes, & dormientes, & mortui æque fungi possunt. Omnes enim isti præclara ista Omissionis officia egregiè exercent. Ponamus igitur brevitatis causa, officium istud non occidendi non esse gratuitum. Nos istius officii vinculo neminem exolvimus; quia nec animum occidendi sumere cuiquam permittimus; & à facto ipso, quantum fieri potest, abstinendum esse statuimus.

Sed neque simpliciter debitum esse suprà probavimus ubi de jure quod vitam suam defendentibus quæritur, disseruimus. Verum nunc non de occidendi jure, sed de dilectione erga inimicum præscripta disputamus; cujus officium planè gratuitũ esse dicimus; quia non modo summo ac stricto jure nunquam; sed interdum ne ex æquo jure quidem ipsi debetur; nec nisi summa benignitas & clementia nostra interveniat, h. e. non modo supra, sed contrà ejus meritum, ex mera gratiâ & beneficio erga eum affectu ipsi præstatur. Iniquum autem est, postulare; ut ejusmodi gratuitum beneficium alicui tunc à nobis præstetur cum absque pernicie nostrâ aut nostrorum præstari non potest: cum id, etiam naturâ suâ debita officia non semper requirant. *At enim etiam, tunc istud omissionis officium inimico ex debito præstandum est!* Quamobrem verò rogabimus? Si ad aliam legem recurrere cogitet cujus vi illud debitum esse probet, nos quoque tantisper responsionem suspendemus donec ista lex producatur. Nunc quia in argumento ex lege caritatis erga inimicum ducto versamur; satis est si demonstremus ex vi hujus legis, hoc officium debitum dici non posse.

Nec est quod ad æquivocationem vocis debiti, confugiat; quia per occidens, hoc quoque officium debitum dici, alio loquendi modo queat, quatenus Christo obsequium præceptorum ejus debetur. Nos enim de eo tantum debiti genere loquimur; quod Inimico per se & natura sua debitum est, seu quod planè inimicus meretur. Diximus igitur præceptam charitatem erga inimicum gratuitam esse: neque ut debitum; sed ut gratuitum, & ex mera gratia profectum officium; esse imperatam. Neque enim gratiam & beneficium Christus lege sua sustulit, sed propagavit. Tali igitur gratuito beneficio nobis inimicum prosequi non vacat, tunc cum eo prosequi, sine pernicie nostra non possumus. Multò minùs tunc, cum debita erga parentes, Magistratus, & alios officia obstant; & opem defensionis nostræ postulant.

At enim occidere non licet. Neque nos alienæ vitæ eripiendę sed suæ defendendę jus ac licentiam urgemus: quia defensio etiam absque alienæ vitæ ereptione; sæpe nos servare potest: at sine periculo ejus eripiendæ; præsertim ubi in pervicaces hostes incidimus, raro potest. Hoc igitur periculum inimicorum cum propter alienam ab occidendo mentem nostram; semper incertum sit, non tanti esse faciendum censemus; ut propter ejus aversionem, certam nostram, nostrorumq; perniciem subeamus; & præpostera atque inordinatissima charitate; debita potioribus caritatibus officia, indignè intervertamus.

At enim V. B. officium non occidendi, cum aliis officiis nunquam pugnare demonstravit. Miseret me, id genus demonstrationum. Sed neque nos idem istud Non occidendi officium, per alia officia atq; adeò per ipsum jus legitimæ defensionis, ullo modo tollimus. Vellemus enim ita defendi insontes, ut sontes in defensione non occidantur. Sed periculum necis eorum quia à defensione quæ necessariò suscipienda, abesse non potest, culpam ejus periculi: etsi deinceps subsequatur necis; non ii præstare debent, qui inviti necessitate ad justam defensionem compelluntur; sed ii qui ultrò ac vollentes sese in periculum invasionis præcipitant. Proinde ut officium non occidendi cũ jure defensionis ita jus & officium defensionis, cum officio non occidendi per se non pugnant. Documento est quod sæpè utriq; officio simul satisfieri potest. Nisi fortè Officium non occidendi ita extendatur, ut etiam propter

incertum inimici periculum, certam perniciem ſubiri requirat. Quo modo intellectum hoc officium; non modo cum jure defenſionis ſed cum omnibus ſanctioribus officiis irreconciliabili pugna committitur. Quapropter huic ita intellecto officio tunc locus nullus eſt, cum inferior & ignobilior Caritas, ignobiliori locum dare debet; nec in eo ſenſu ſumptum hoc officium; cum potioris Caritatis officius, quiſquam conciliaverit.

Tertiam rationem ſatis feſtinanti calamo tranſilit; nec robur ejus attingit niſi quod verba noſtra arripit, & negat dari caſum ullum in quo homines propria culpa ita excidant jure ſuo; ut omni dilectione noſtra etiam quæ in non malefaciendo conſiſtit, indigni fiant. Non puto Virum Bonum hoc loco per vocem malefaciendi, injurias illegitimè illatas intelligere. Aliàs ineptè loqueretur; nec nos ſed umbram tuam oppugnaret. Quis enim noſtrum etiam improbiſſimis hominibus injuriam unquam inferri poſſe, aut debere contendit? Intelligit igitur mala aliqua non multo prætextu; ſed culpa & merito hominis improbi illata aut interenda. Quâ fiduciâ tàm audacter, tam protractè & (quæ pœna nimiam confidentiam ſecuta eſt) tam generaliter neget, id quod non raro accidere omnes ſciunt, ipſe viderit. Quid ſi quis Dei hominumque contemptor, ſceleribus & flagitiis coopertus; qui omnes reſi piſcendi occaſiones prodegerit; qui homicidia parricidiis cumulet; quique parentis impia manu ſemeleguttur fregerit; matrem inceſtu violaverit; omni turpitudine maculatus; nefandam inſuper adverſus Deum rebellionem auſus, ſeſe mancipio nexuque Satanæ tradiderit; atque his artibus armatus per maleficia & veneficia in omnes bonos quamdiu vivit graſſari non deſinat? Hiccine aliquâ dilectione noſtra dignus? hic cui malè fiat: hoc eſt pœna aliqua inferatur indignus cenſebitur? Quo præconio, qua æſtimatione digna eſt hæc opinio; quæ pœnarum jus tollens, ſcelerum licentiam inducit? Diligere inimicos juſſi ſumus, ſed noſtros non Dei; quia ſæpe Dei amici eſſe poſſunt; qui noſtri ſunt inimici: Nec ideò quod quiſquam inimicus noſter eſt, omni dilectione indignus eſt. At qui Dei hoſtis profeſſus eſt, ita ut de eo dubitari à nemine queat; quo jure? qua fronte? quo prætextu à nobis aliquod dilectionis officium repoſcet?

Tandem ad rationem noſtram ex qualitate quadam Caritatis ductam accedit; quod *illa non cæca ſed rationabilis eſſe debeat, ſimplicitati columbinæ adjunctam habens prudentiam ſerpentinam.* Quam non ſine bile ac ſtomacho refutat. *Sed eſtne hæc* inquit *prudentia, charitati à Deo imperatæ, limites alios ponere, quàm quos Deus poſuit. Non ex capitis noſtri cerebro, exceptiones à regulis Chriſti nobis præfixis ſumendæ: ſed ex verbo Dei deſumendæ ſunt.* Quid? an in cerebro Capitis noſtri natum eſt, quod ſervitium noſtrum rationabile: quod ſimplicitas noſtra ſerpentina prudentia temperata eſſe debeat? quod ſolum Deum & Chriſtum ejus ſemper; interdum & eum qui ex Deo natus eſt, ſuprà nos: proximum autem multò minus verò inimicum non ſupra nos, diligere teneamur? quod in eo ſit ſumma officiorum erga alios, ſi ipſis ea duntaxat faciamus; quæ nobis fieri (jure videlicet & rationabiliter, non iniquè & inſulſè) vellemus, quod propter potiorem Caritatem ii quoque odio habendi ſunt, quos alioqui, niſi quid impediat, diligere tenemur? Annon hæc omnia & his genuina ex verbo Dei deſumpta ſunt? Non igitur eos limites à Deo poſitos cenſebimus; quos Chriſtus, aut Apoſtoli poſuere? Cerebrum, & quidem Capitis noſtri; nobis non nunc primum objectari videmus: quaſi cuiquam illud in calcaneis quærendum ſit. Utar Tiberii voce quondam in Senatu, paululum ad rem præſentem deflexâ. Ego me, P. Conſcripti, mortalem eſſe; & hominum officia fungi: denique vacuum cerebro caput non habere, ingenuè fateor. Neque mea culpa eſt, quod me Natura ſuprà cæteros non finxit. Satis præſtitero ſi in ſcriptis meis cordatus Lector, nullas cerebroſas opiniones aut contemplationes deprehenderit.

Verborum, inquit, *proprietati & τῷ ῥήτῳ inſiſtendum donec abſurdum aliquod oſtendatur.* Pauca videlicet abſurda ſunt; quibus in eorum opinione offendimur. *Non omne quod carni noſtræ repugnat abſurdum eſt*, inquit. Sed nec omne, (reponimus nos) quod repugnare carni videtur ſanctum aut à Chriſto præceptum eſt. Nam locum communem, quem vice diſputandi tractat, non attingimus.

Ad exemplum Patris cæleſtis, quod omnes vocemus, & ab eo diſcere jubeamus, quomodo inimici amandi ſint; nihil præter exemplum Chriſti facimus; qui ſciebat non omnimodè nobis omnia congruere poſſe, quæ Deo conveniunt: & tamen ad imitandum eum hortari non dubitat. Imitemur igitur in quibus licet & in quibus poſſumus. Poſſumus autem in eo ut benignos & ſimplices caritatis affectus, prudentiæ lumine temperemus, ac moderemur.

Jus vindictæ aut potius pœnæ ſumendæ; quod à ſummo in creaturas dominationis jure proficiſcitur, plenſſimè ſoli Deo competit, quia id à nemine ſed ex ſeipſo habet. Competere tamen poſſe aliis quoque; rectè agnoſcit V. B. dum ait *in jure Vindictæ, neminem imitari Deum poſſe, niſi cui Deus idem jus poteſtatemque conceſſit.* Niſi quod in voce *Idem* ludere ambiguitate videtur. Poteſt enim vocabulum hoc aut æquè plenam & abſolutam poteſtatem ſignificare qualem Chriſtus ſibi datam profitetur; aut etiam ad minùs plenam extendi; qualem Apoſtolus Magiſtratibus datam aſſerit. Ad priorem ſenſum inclinare videtur exemplum Chriſti quod producit; quem nobis imitandum proponit in eo duntaxat ſtatu, dum adhuc in terris privatus degeret: quod quidem omnibus præſertim privatis; ſed & Magiſtratibus quâ ut privati conſiderantur, faciendum cenſemus. Sed ii quibus Deus jus imperii in terris conceſſit; quin ut ipſum Deum ita & Chriſtum in glorioſo ſtatu regnantem imitari, & poſſint & debeant; cauſam nullam videmus: niſi quòd longe minùs abſolutâ; & anguſtioribus finibus circumſcripta poteſtate ipſis uti liceat. Sed nos aliam quoque ob cauſam, quam V. B. non attingit; aut certè non refellit, Patris cæleſtis exemplum produximus; videlicet ut oſtenderemus non pugnare cum dilectione inimicorum; pœnas aut coërcitionem eorum; cum Deus dicatur diligere inimicos, & tamen eos puniat atque coërceat. Quamvis igitur nobis Deum imitari imperatum non eſſet: tamen quia S.S. aſſerit Deum diligere inimicos, & tamen illos punire & coërcere; ſatis cauſæ haberemus; ut dilectionem iſtam, cum pœna & coërcitione inimicorum conſiſtere poſſe cenſeremus. Quanto plus cauſæ habemus ut id ſentiamus, quando nobis in ea ipſa dilectione Deus ad imitandum proponitur?

Remiſſionem debitorum *Matth.* XVIII. nullis propemodum limitibus circumſcriptam, nobis objici non poſſe oſtendimus; quia hujus generis remiſſio, tantum, ad reſipiſcentes pertinet; erga quos ſolos Dei quoque ipſius infinita eſt miſericordia. Non tamen inde ſequitur; (quod nec nos quoque diximus) Non reſipiſcentibus nullam omninò à nobis remiſſionem deberi. Nam & erga eos Deus benignus, longanimis, & miſericors eſt. Sed hoc remiſſionis genus quod impœnitentibus præſtatur; tam quoad Deum; quàm quoad homines longè arctioribus limitibus circumſcriptum eſt. Aliàs omne pœnarum jus; omnis coërcendi poteſtas à rerum naturâ exularet. Non igitur latius verba noſtra protendenda fuerunt; quàm prolata ſunt. Nec enim omne officiorum quod proximis debemus genus in uno *Matth.* XVIII. loco comprehenſum eſt. Illud autem veriſſimè dictum eſt: nihil iſthic nobis præcipi, quod non Deus peccatoribus cumulate præſtet.

Porrò in aliquo ſanctimoniæ aut virtutis genere, Deum plus nobis imponere quàm ipſe præſtet; non modo dictu falſum; ſed & cogitatu abſurdum eſt: & ratione ad rem parum pertinente confirmatur. Supponit enim aut infert hæc opinio, in actionibus ſanctimoniæ, in quibus nobiſcum Deus comparari poteſt; aut ipſum minùs

quàm

quàm nos; aut nos plus quam ipsum præstare. Plus enim aut minùs in mutua comparatione ii tantum præstare dici possunt; quibus id in quo comparantur præstare utrinque convenit atque competit. At propter nimiam naturæ & sortis nostræ à Deo distantiam, sunt plurima in quibus Deus nobiscum non est comparabilis. Falsò igitur & absurdè in iis nobiscum comparatur. Quale est verbi gratia officium humilitatis, aut subjectionis: quod in Deo mente conceptum, neque virtus est, neque officium: sed indigna infrà naturæ suæ dignitatem & sortis fastigium abjectio, non minùs Deo inconveniens, quam si homo sese infrà brutorum sortem abjiciat ac prosternat. Nihil igitur ad rem præsentem facit, productæ à V. B. Comparationis Dei nobiscum in officio humilitatis exemplum; cum in eo Deus nobiscum comparari nequeat. Sunt alia tamen sanctimoniæ genera quæ tàm in Deum, quàm in homines cadunt. E quorum numero sunt justitiæ, dilectionis, remissionis debitorum & misericordiæ officia, in quibus Deum nobiscum sæpe S. oracula comparant; & mores nostros ad normam sanctimoniæ Dei exigunt. In hoc officiorum genere plus Deum nobis imposuisse quàm ipse præstet; nimis audax & blasphemiæ vicinum est pronunciatum. Nimium profectò sanctimoniæ suæ tribuunt; qui in suis moribus aut officiis erga homines, sanctius aliquid somniant, quàm in ipso Deo reperiatur.

Non negamus jus puniendi atque coërcendi malos, in hominibus quibus Deus eam potestatem concessit, longè magis esse restrictum ac limitatum quàm in Deo, cujus potestas absoluta est ac independens; & tamen eum clementiæ legibus ipse constringit. Sed Magis & Minus non variant speciem.

Hoc autem jus & hæc potestas puniendi & coërcendi malos; atque ipsum jus defensionis, non tollit illam patientiam, quam Christus præstitit, cum in iniqui Magistratus manus traditus esset: cujus vestigiis, in eo casu quoties nos martyrium pati Deus voluerit, incedere uniuscujusque officium esse agnoscimus. Sed non ideò Deus in Sacris literis, ut in aliis officiis, in quibus nobiscum est comparabilis; aut nobis imitabilis, omnibus: ità in usu quoque potestatis suæ; saltem iis qui ejus vicem in terris gerunt, imitandus non proponitur; quia Christus in crucis patientia imitandus proponitur. Nam & Christus non semper crucem perpessus est, & non modo in terris adhuc agens, potestate interdum sua usus est; sed & in solium suum evectus, effusam clementiam aliquando severitate temperat. Nec ideò etiamnum Caritatem aut benignitatem suam, etiam erga inimicos exuit.

Concedit Vir Bonus & verissimum esse fatetur, ob infinitam mercedem non esse sanctitatem Christianam, ultrà humanæ infirmitatis conditionem extendendam. Verum id non concedit, suprà vires Christianorum esse, ut mortem perferre malint, quàm inferre. At cur nos invitos, magis dissentientes à se facit; quàm dissentire volumus? Qui potius vult mortem inferre, quàm perferre; vult mortem inferre. Quod an in casu defensionis Christiano liceat; nos definire non audemus: quamvis nos audaciæ V. B. infimulaverit. Illud confidentius asserimus.

Ad avertendam certissimam suam, suorumque necem licere eum qui te oppugnet in incertum necis periculum conjicere; quamvis occidendi animum nunquam habeas. Hoc adeo inculpatum necessariæ defensionis moderamen in casu præsentissimo discriminis, omittere, dicimus esse ultrà sortem humanæ infirmitatis. Est enim hoc longè pluris, indignissimi hominis vitam, quàm suam facere; & longè magis inimicum quàm seipsum diligere; quod non æquitatis modo, sed virium humanarum modulum excedit.

Malo homine instante & necem intentante; manus à cæde ipsius abstineri non posse, non dicimus: sed à defensione duntaxat & propulsatione periculi sui: quæ etiam absque cæde fieri potest, atque solet; quamvis non absque cædis periculo.

Manus amputari Christus jubet cum alteri nocendum est; puta per netas atque injuriam; at in defensione necessitate extortâ; nulla cuiquam fit injuria.

Apologus de Rana rese inflante, ad eos pertinet, qui in iis virtutibus in quibus Deum imitari justi sunt, ipso Deo volunt esse sanctiores: Neque in eo Caritas violatur, quoties hominibus in aliqua similitudine tanquam in speculo, ineptia eorum, vivis coloribus adumbrata, repræsentatur.

Nemo est ex iis quos V. B. stultè ac superstitiosè agere confitetur, qui non speciosi aliquem Virtutis, aut laudis prætextum superstitioni suæ obtendat. Qualis est hic. Quære in incommoda etiam maxima, ne alios noceamus. Neque enim id nobis maximis calamitatibus, atque vitâ ipsâ redimendum est; ne alios simpliciter noceamus; sed ne per injuriam noceamus. Noxa ipsa absque injuria; multoque magis absque nocendi voluntate; sæpe etiam laudem, interdum saltem veniam meretur. Laudem meretur illa, per quam, ignitos carbones in Caput inimicorum congregamus: veniam quoties vitam fortè parentum aut nostram propugnantes inimicis vulnera infligimus; non ut eos occidamus, sed ut à nostri & nostrorum cæde inhibeamus nosque servemus. Nec omnis etiam nocendi voluntas reprehensione digna est. Nocet enim ac de industriâ quidem, etiam qui punit scelera; sed jure nocet: quia nocet noxiis, ut prosit innoxiis; & privato justoque unius pœnam commeriti nocumento, publicam omnibus præstet utilitatem. Itaque qui aliis persuadent, ruendum esse in maxima mala, ne simpliciter aliis noceamus; decipiunt alios, &, si quidem sibi serio credunt, (quod rarissimè accidere putamus) semetipsos etiam illo fallaciæ genere, quod à Dicto secundum quid, ad simpliciter &c. dicitur: ac proinde nihil est, quod molestè ferant sese ex eorum sensu & matricula non expungi; qui Dervisiorum ac Monachorum exemplo; faciunt ea, quæ Deus è manibus eorum non requisivit.

CAP. V.

NOn incommode accidit, quod V. Bonus summam eorum quæ à nobis in hoc capite disputata sunt, in ipso statim limine compendio complexus est; ut Lector primo obtutu, illa omnia animad vertere possit; ad quæ V. B. nihil respondit. Ratio verò, quam tacitè reddit, cur ad ea responsionem detrectaverit; non satis justa est, quod ea adversus Socinum disputata sint: quia hic Vir summus, non suam sed alienam; & à qua dissensum; ne in ipsâ quidem ejus defensione, satis premit, adversus Palæologi insectationes, sententiam defendit. Sententiam, inquam, eorum quibuscum V. B. idem sentit. Quæ, si neque ex verbis Christi neque ex sensu eorum deduci potest, si collectiones ex hoc loco in ejus gratiam factæ, fallæ ostenduntur: non Socini res agitur, sed eorum, quos is protegendos susceperat. Qui an melius sua, quàm is aliena, defendere possint, mox videbimus. Nunc illud assequi non possumus, quâ fide post erutum germanum, ut ait, præcepti hujus sensum, responsiones ad ea quæ nunc omittit, polliceatur; quas nos nec toto isto capite; ac ne reliquo quidem libelli ejus deprehendere usquam potuimus.

Ut autem aliquis ordo à nobis in respondendo servetur; videamus quid in hoc capite efficere contendat; ejusque premamus vestigia.

Primùm igitur Explicationi nostræ quædam objicit, ut ostendat cur ipsi non arrideat. Deinde longo & prolixo conatu evincere contendit, eas quarum Christus mentionem facit injurias, graves esse. Tandem explicationem suam, multis bonis verbis gravidam proponit, & post longam parturitionem, Syllogismum adversus nos producit; cui, quum in lucem prodiret, nomen indidit Apodictico. Postremo objecta nobis immodestiæ culpâ, censorio caput claudit supercilio.

Explicationem nostram ut carpere possit, profert satis

jejune, nec eo contentus, id quoque admiscuit, quod si vero ac proprio suo nomine vocare vellemus, convitium sibi fieri quereretur. Ea est mortalium iniquitas ut cum facere aut dicere malè non dubitent; malè audire detrectent. Falsam tamen criminationem vocari non molestè ferret, id; quod nobis nimirum falsò tribui conquerimur. Nempe rum, quod, si quis in gravibus injuriis de suo jure decedat, eum ttultitiæ, superstitionis, ignaviæ, ac degeneris animi damnare non vereamur. Quasi etiam in gravissimis injuriis justa & gravis necessitas, intervenire non possit, ob quam de nostro jure decedendum sit. Aliud est, inanissimam eorum jactantiam deprimere; qui in eo Christianæ perfectionis culmen esse putant; quod etiam ignavi ac degeneres ac superstitiosi præstare possunt: aliud autem omnem etiam gravissimis de causis susceptam patientiam damnare; qualis est martyrum, aut aliorum qui non abjecto sed generoso animo, virilis, non effœminatæ patientiæ specimina edunt.

Sed quid tandem explicationi nostræ objicit? Duo sunt, quæ velim prudens Lector æstimet, an tanti sint, ut ob ea merito rejicienda sit.

Primum ait, eam angustiorem esse Lege quam explicat; nec totum id comprehendere, quod Lex Christi in se continet. Quamobrem verò? *Quia posset*, inquit, *injuria affectus, omni juri suo non modo summo, sed etiam æquissimo renunciare, in ea tolerandâ; & tamen novas subinde, & toties quoties repetitas injurias patienter non sustinere.* Quid? an ille in dimittendo jure suo, constanter permaneret; qui repetitis injuriis expugnari patientiam suam sineret? Quid hoc aliud est, quàm dicere; quod posset aliquis semel atque iterum juri suo renunciare; sed tertio atque quarto non item? Atqui hoc si vitium esset; non explicationis meæ; sed illius hominis esset vitium; qui sibi in virtutis hujus actibus continuandis, constare nollet. Quæ enim est explicatio; cui tàm iniqua reprehensio objectari non possit? Nam quid ipse V. B. in locum explicationis nostræ substituit? *Patientiam*, inquit, *exactissimam, & summam in dando mutuandoque facilitatem.* Quasi (ut hoc obiter dicam; non istæ quoque sint species dimissionis juris sui. Sed an illud quoque fieri non posset, ut aliquis semel atque iterum, exactissimam patientiam præstaret; mox autem læsa sæpius patientia in furorem erumperet? An ob illius hominis culpam & inconstantiam V. B. explicationem suam damnabit? Nihil est in patientia, quod non juris sui dimissione comprehendatur. Sed infinita patientia est infinita juris sui dimissio. Quamvis enim species suo generi aliquid addere videatur, puta differentiam, qua ab aliis ejusdem generis speciebus differt; tamen sub eo comprehenditur quod satis est, ut sit ejus species. Neque enim illam idem planè cum genere esse necesse est; nisi quoad illam communem naturam quæ generi inest; & est ipsi cum reliquis speciebus communis. Nihil igitur futilius eo fingi potuit, quod primo loco explicationi nostræ objecit; nihil & iniquius. Nulla enim pars est hujus legis Christi quæ non ad juris sui dimissionem tanquam species ad genus referri non possit; Omnes, inquam præceptorum istorum species ambitu suo comprehendit; quod non facit V. B. explicatio ut infrà ostendemus. Quamvis autem unus idemque sensus possit interdum pluribus loquendi modis exponi: Noster tamen explicandi modus id habet præ aliis; quod alii non ita manifestè exprimunt quomodo omnes istæ legis Christi partes; præcipuè verò in dando atque mutuando benignitas, ad subjectam verbis Christi materiam pertineant, nec ponunt ob oculos, quænam sit illa earum communis natura in qua non modo inter se conveniant; sed cum proposita à Christo antithesi pugnent.

Sed videamus quid secundo loco Explicationi nostræ objiciat. Ait, *eam aut obscuram ambiguam; aut potius falsam & legi Christi contrariam esse.* Quod ad obscuritatem ambiguitatemvè attinet, nullum accusationis hujus argumentum profert. Nec verò proferre ullo modo potest. Quid enim clarius est; quàm in oculi pro oculo talione, summi juris persecutionem fuisse? quid planius quàm Christum dum illi summi juris exactioni, præcepta sua opponit; adeò nobis summum jus non esse persequendum docere, ut sæpe etiam de æquo decedendum sit; quod exemplis illustrat quæ omnia diversi generis dimissiones æqui juris nostri exhibent; quas inter dandi quoque atque mutuandi facilitas producitur. Quid enim est in omnibus commemoratis à Christo exemplis, in quo non de æquo jure nostro decedere jubeamur? quid hic obscurum, aut ambiguum? quid æquivocatione involutum aut fallax?

Tandem, quare falsam & legi Christi contrariam dicat explicationem nostram videamus. *Cum*, inquit, *V. M. tàm latè juris persecutionem extendat; ut tum vindictam, tum omne, quo in defensione adversarius afficitur, nocumentum, comprehendat; tacitè pro concesso sumit, jus nobis aliquod vel ad vindictam vel ad affligendum in defensione adversarium esse; cum tamen jus istud si quod fuit, à natura vel lege Mosis, penitus sit hoc præcepto sublatum.* In tota ista disputatione, vix potuit aliquid comminisci V. B. in quo sese tàm ridiculum exhiberet; atque hic exhibet. Ostendit enim sese, in eo quod dicit, seipsum non intelligere. Objicit nobis, & accusat in nobis, id ipsum, quod ipse facit & quod ipsi necessariò faciendum est. Ait nos, pro concesso sumere jus nobis aliquod, seu ad vindictam; sive ad vitiosam & vetitam à Christo defensionem esse. Vitiosam enim & vetitam utramque intelligat necesse est, Quia verò nos à Christo hoc loco juris nostri, non summi tantum, sed & æqui, persecutionem aut retentionem imo vero ipsam vindictam & illegitimam defensionem prohibitam disertè fatemur; non potest hæc accusatio aliter intelligi; nisi ut, antequam à Christo jus istud limitaretur aut abrogaretur, jus nobis earum rerum fuisse censeamus. Aut quod eodem recidit. Ut quamvis, quod ad legem Naturæ attinet jus nobis earum rerum etiamnum non desit; illud tamen lege Christi sublatum & abrogatum arbitremur. Non enim ullo modo ea nunc justa & licita esse, supponere, aut pro concesso sumere possumus; quæ jam à Christo prohibita, & illicita esse apertè affirmamus. Atqui & ipse vel isto ipso in loco, fatetur *jus istud si quod fuit à natura vel lege Mosis hoc præcepto Christi sublatum.* Et mox non usum tantum juris hujus, sed ipsum jus abrogatum asserit. Potuitne jus aliquod à Christo abrogari quod in rerum natura, nunquam fuerit? Nam ne quid ad nos exhilarandos deesset, in verbis *si quod fuit* V. B. dubitare videtur, an aliquod jus ejusmodi à natura vel lege Mosis fuerit; cum sæpe contrarium asserat. Nisi V. B. putasset; aliquid aliud à se dici quàm dixit; non potuisset in nobis accusare quod ipse facit, quodque etiamsi facere nollet; tamen ipsi faciendum esset. Nec enim fieri potest, quin eas res quas hoc loco prohibitas designat, antequam eas Christus prohiberet licitas fuisse, unâ nobiscum affirmare cogatur; præsertim cum eas vel ipsa Mosis lege permissas esse fateatur & ne nunc quidem eas jure naturæ niti ad calcem libri in Appendice dissimulet.

Sed ipse videtur accusationem hanc suam damnasse dum in fine ejus adjicit. *Saltem*, inquit, *quod maximè controversum est in explicatione verborum Christi; non debuit pro fundamento poni.* Atqui hoc ipsum est quod, explicationis nostræ præcellentiam præ glossa Viri Boni commendat; quod in nostra nihil dubii aut controversi supponatur; cum V. B. in explicatione suâ ipsum illud ἐν ᾧ μέτρῳ de quo disputamus, ponat profundamento. Quis enim adversariorum negare possit, dictum cui Christus verba sua opponit, fuisse summi ac stricti juris exactionem? Quis negare audeat Christum adeò istum summi juris rigorem in hominibus privatis damnasse; ut etiam de æquo jure multùm dimitti debere, in omnibus istis quæ subjicit exemplis, docuerit? Hoc non fundamentum tantum; sed totum explicationis nostræ ædificium est; in quo nihil est, quod reprehendi, aut in dubium vocari possit, At quale est illud quod V. B. hoc loco explica-

tioni

cationi suæ substernit fundamentum. Jus, si quod fuit à natura vel lege Mosis ad pœnas sumendas aut defensionem attinens Penitus hoc præcepto Christi sublatum & patiendi necessitatem in infinitum protensam, cum tamen id neque ex verbis neque ex sensu verborum probari posse, evicerimus.

Vidimus quàm merito Explicationem nostram reprehenderit: Nunc ad ea accedamus quæ de gravitate injuriarum, quarum Christus mentionem facit, disserit. Exaggerat eam rationibus adeò frivolis, ut nihil ipsis excogitari possit inanius. Distinctionem primum inter leviores & graviores injurias Stoico supercilio damnat; cui sectæ omnia peccata erant æqualia. Quam tamen, ut nos taceamus, sensus communis omnibus ingerit, ut mirum sit, quomodo displicere possit iis; quibus unquam suo aut alieno experimento compertum sit, quantum inter atroces & leviores noxas interfit. Multo autem magis iis, qui (ut infra ostendemus) in sua sententia explicanda, ejus usu abstinere non potuerunt.

At enim, ait, *ubi Christus non distinxit; ibi non est distinguendum.* Ubi vero Christus inter moderatam & immoderatam resistentiam distinxit? Quam tamen distinctionem, non invitis nobis, urgere V. B. non dubitat. An licebit Viro Bono quod Magno non licet? quis nobis hæc tam æqua jura descripsit? Cur enim alienis verbis non utamur, in eo agnomine; quod non magis serio agnoscimus quam V. B. tribuit; qui non alio consilio hoc vocabulo nos in altum sustulisse videtur; quam ut reipsa tanto vehementius daret ad terram præcipites & graviore lapsu afflgeret?

Queritur, à nobis extenuari istas injurias quasi illis nihil minùs, nihil levius esse possit. Nos vero id non dicimus. Possunt enim leviores ipsis dari, aut excogitari. Satis est non esse graviter noxias; nec habere quicquam quod sit irreparabile.

At enim possunt evadere aliquando maximæ & gravissimæ. Quid hoc ad rhombum? Res æstimandæ sunt: non ex eo quod ipsis per accidens; sed quod per se & natura sua competit. Casus & circumstantiæ immutant interdum naturam actionum moralium sive illæ bonæ, sive malæ sint; atque ut legum transgressiones ita injuriæ per se leves, possunt per incidentes circumstantias graviores reddi. Sed tunc quoque exceptio in lege quæ de ipsis lata est, subintelligitur. Quia Lex de ordinariis; non de iis quæ extra ordinem, ideoque rarius accidunt, loqui solet. Si Viro Bono famulus ejus colaphum impingat: non puto illum πρὸ ῥητῶ verborum Domini, adeò affixum fore; quin de ejus corio sibi satisfieri posse putet; illæsa lege Christi; quæ ejusmodi casus non comprehendit, quoties ii qui sunt in potestate nostrâ, nos aliqua injuria aut contumeliâ afficiunt: quod non sæpe accidere potest: sed loquitur de rixis & jurgiis, quæ inter pares aut non nimium impares frequenter interveniunt. Idem de similibus circumstantiis judicium esto. Tunicæ & pallii damnum quod attinet, horum, apud alios etiamsi pretiosa sint, jactura facilis est; quia sunt opulenti: apud alios, quia vilia sunt ipsa non pretiosa: apud omnes reparabilis; quia quæ usibus humanis necessaria sunt, natura parabilia esse voluit. Circumstantias tamen incidere posse, ob quas hæc jactura non omninò spernenda sit non diffitemur: sed & ipse V. B. fatetur tunc salva lege Christi, possessionem rerum earũ posse retineri, nec in eo casu litem deserendam. Eadem circumstantias in tertio quoque genere injuriarũ intervenire posse, non dubium est: quos casus tunc à lege Christi excipi, eodem exemplo; Vir B. dubitare nequit.

Plurimùm posteà fiduciæ ponit in usu phraseos Synecdochico, quo apud Hebræos per maxillæ percussionem aut præbitionem omne aut inferendæ aut perpetiendæ ignominiæ genus significari asserit. Sed fluxa hominem spes & confidentia decipit. Si ictus alapæ omne ignominiæ genus: & damnum tunicæ; fortunarum omnium jacturam: Nunquid etiam milliaris unius atque alterius iter; angariationem ad centum milliaria & immanissimæ servitutis jugum ex usu ejusdem linguæ significat?

Si nobis Rabbi Kimchi & Abrabamel, hæc linguæ sanctæ mysteria panderent; diceremus nihil esse quod ad improprium sensum recurramus, quando proprio locus sit: nec licere tropicas locutiones comminisci, ubi verba sine ullo incommodo, in genuina significatione sua intelligi possunt. Esse id contra legem explicandi Scripturas, cum nemo negare queat, ista quæ Christus commemorat citra ullum tropum propriè sumi posse. Quid si tropicus & improprius sensus, innumera absurda invehat? Nunc quod pace V. B. dictum sit, satis idoneum & locupletem testem idiotismorum hujus linguæ non habemus. Nam quid vanius est, quàm ex eo quod semel atque iterum Scriptorum aliquis, phrasi linguæ suæ ad tropum abusus sit; ex eo statim proverbiales ac perpetuò eodem modo explicandos, linguæ hujus idiotismos fingere? Nunquam ne licebit in tropicum & coloratum dicendi genus efflorescere; quin voces quæ impropriè usurpantur; semper posteà eodem improprio sensu intelligi debere censeantur?

Quid? quod in tropico vocis maxillæ usu, simplex est & in numero singulari prolata maxillæ mentio; nec producit V. B. ullum exemplum ubi in eo sensu utriusque maxillæ vox aut distinctio usurpetur. At in verbis Christi; maxillarum altera alteri opponitur. Undæ manifestè liquet Christum de propria maxillæ percussione, non de impropriâ loqui.

Denique ipse V. B. in ulteriori dissertatione, omnem movet lapidem, ut verba Christi ad proprium sensum revocet, dum contendit Dominum hic de tali maxillæ percussione loqui, quâ nihil magis propriè dictum, dici potest; sive sit illa pugno Milonis Crotoniatæ; sive cæstibus Entelli; aut clavâ Herculis; aut Vulcari malleo facta. Nam tropica maxillæ percussio; quamvis maximo animi dolore, hominem afficiat, non tamen illum efficit

——— genua ægra trahentem
Jactantemque utroque caput; crassumque cruorem
Ore rejectantem, mixtosque in sanguine dentes.

Atque hic profectò Vir Bonus satis enormi lapsu, nimiæ pœnas dedit confidentiæ. Dum enim præfidenti ferocia nobis insultare contendit & quo gravius nos feriat, ingeminandis adversus nos ictibus vires effundit,

Ipse gravi; graviterque ad terram pondere vasto
Concidit. ———

Verba ejus sunt. *Sed non contenti probasse omnes contumelias istâ phrasi intelligi; præterea summos etiam dolores ea comprehendi ostendemus.* ac deinceps multo conatu probat; Dominum ejusmodi quoque percussionem maxillæ verbis suis comprehendere; quæ fuste, aut alio aliquo duro instrumento perficitur. Ubi quis non videt? principiò ipsum quæ de summis doloribus posterius deducit; ex sensu verborum propriè sumptorum deducere. Deinde quod dolores isti uno & eodem tempore cum contumeliis, ista phrasi denotentur, eum contendere?

Atqui dum nos telis undique conquisitis, avidis obruere connitur; non animadvertit sese, clàm sollertia suâ, ab oppositio sensu, ad oppositum transmigrasse; atque ita in medio quem intentat ictu corruisse. Quomodo enim ista simul vera esse possunt; quæ ex iis sensibus deducuntur, qui simul veri esse nequeunt. Nam si propriè verba Christi intelligenda sunt, vana sunt; quæ ex improprio sensu deducuntur: Si improprie: falsa quæ ex proprio. Utrumque autem sensum una eademq; verba non admittunt. Separatim si ursisset sensus istos, speciosior futura fuerat argumentatio: Conjuncti se mutuò tollunt.

Jam verò quid de ista proprii sensus quam urget specie, sentiendum sit, paucis videamus. Quod igitur dicit Maxillam non modo expansa; sed compressa quoque manu; nec ea nuda tantum, sed etiam fuste, aut ense, aut aliquo duro instrumento armatâ, percuti posse, verum est. Sed an ejus generis percussio à Christo intelligatur, id quæritur. Probandum verò incumbit V. B. verba ista non modo sic accipi posse; sed etiam debere; quia ex hoc loco argumentatur.

Deinde

Deinde ne posse quidem ita intelligi ullo modo probaturum confidimus. Quia nobis (quod non tenemur) facillimum probatu est hæc verba de gravi, aut periculoso; & qui mortem afferre possit ictu, intelligi non posse. Quod ex adjectis verbis *Præbe ei alteram* evincimus. Quæ licet, ut V. B. fatetur, non propriè intelligantur; significant tamen omninò contemnendum esse hoc injuriæ genus; ita ut non multùm de eo anxii simus, ne nobis iterum subeundum sit; quod V. B. exprimit per verba *Ut parati simus alteram injuriam accipere*. Non enim degenerem, ut aliqui putant, animi abjectionem; sed generosam animi magnitudinem nobis Dominus hoc loco capessendam proponit, ut ejus generis injurias contemnamus; pro quibus viles & abjectæ animæ digladiari, aut litigare solent: cum tamen eas sperni debere ipsa ratio & natura earum ostendat. Nihil enim generositati magis repugnat, quam jus suum in minutioribus nimium urgere; neque de eo quicquam decedere velle; tunc cum decedi, aut æquitas aut recta ratio postulat. At ejusmodi graves & periculosi ictus, non sunt ejus generis, ut contemni possint aut debeant; quia huic rei Ratio & natura repugnat. Non igitur ullo modo verisimile est Christum illos contemni præcepisse; ac discipulos suos sollicitos esse vetuisse, ne gravi aut periculoso vulnere saucii in discrimen vitæ venirent: quoties id ipsis effugere legitimè licuit.

Quod ad tunicam attinet: Non est comminiscenda tropica locutio ubi propriæ locus est. Quoties igitur virtus aliqua præcipitur; & in specie exemplum aliquod ejus, faciendum præscribitur: fatendum est quidem illo exemplo similes omnes ad eandem virtutem pertinentes actus præscribi; sed non protinus voces illæ per quas illud speciale exemplum exprimitur, ex usu linguæ alicujus omnes illas actiones significant, quæ ad illam virtutem exequendam pertinent. Cum Joannes populo præciperet ut qui habet duas tunicas daret alteram non habenti; certum est, simul præcepisse, ut qui haberet cætera ad vitam pertinentia, ex eo quod sibi superesset impartiretur egentibus. Sed non idcirco ex usu illius linguæ vox duarum tunicarum significabat, hinc necessariam, inde superfluam copiam cibi potus, tecti & reliquorum

Quem humana sibi doleat natura negatis.

Potest sæpe species pro genere poni, ut hic fatetur V. B. tunicam pro cæteris quibus pauperes indigent positam: nec tamen illam in communi loquendi usu, pro cibo, potu, tecto, usurpatam verisimile est: adeò ut ubicunque ea vox deprehenderetur; ibi earum rerum significationi locus esset. Quod si hanc vocem omnes illas res quibus homines benefici egentibus gratificari solent, significare non est necesse; multo minus eam omnes opes ac fortunas significare necesse est.

Illud autem nimis quàm frigidum est; quòd ex necessitate corporis amiciendi gravem esse unius tunicæ jacturam argumentatur, quasi etiam decem tunicis amissis defuturus sit corpori amictus. Quæ naturæ nostræ necessitatibus serviunt, parabilia esse Deus voluit: quia Natura paucis contenta est; etiam in egentissimis hominibus. Quàto autẽ quis lautior est, ac ditior, tanto minus ejusmodi damnorum sensu afficitur. Unde apparet quàm frivolus sit iste argumentandi modus. Christus tunicæ damnum contemni jubet. Ergo jubet contemni damnum rerum ad vitam summè necessariarum. Neque enim hæc aut illa tunica est res ad vitam summè necessaria, cum earum jacturam mille aliæ supplere possint. Neque idcò tunicæ damnum majus est, quam mille talentorum, quia tunicæ usus magis est naturæ necessarius; quam auri. Potest enim hoc damnum exigua parte unius talenti; reparari. Illud autem damnum est majus, quod irreparabilius.

Regulam beneficentiæ, *quæ neque naturalem nostri curam nobis detrahit, neque nos patitur per delicias abuti, quorum penuria alii miserabiles vexant* quam ex mente Grotii aut potiùs Apostoli statuit & laudat: quòd extraordinarii casus interdum cogant transgredi: id non efficit, quominus illa, confessione Vir Boni, ordinarie observanda sit. Nihil est propemodum in moralibus tam universale, quod non aliqua exceptione possit restringi. Sed rariores & extraordinarii casus, ordinarii officii normam non tollunt.

Quod autem istam regulam, quam in una parte legis Christi hoc loco latæ admittit; in alterâ non admittat, causam nullam idoneam affert. Quanquam in eo ipso quod admittit, adeò est perplexus & inconstans, ut quod ab eo initio paginæ Vis veritatis extorsit; illud in fine ejusdem iterum revocet, & incertum Lectorem reddat quando sibi fidem haberi velit; quod statim ostendemus ubi causam cur dictam regulam non admittat expenderimus.

Ait igitur *Res minime dubia est, Baptistam per unam tunicam res omnes necessarias, per alteram superfluas significare voluisse. Nam non jubet utramque dari, quid enim ipsi retineremus? sed unam nobis relinquit quia necessaria est. At ubi de patientia agit Christus non unam tantum tunicam, id est, res superfluas dari præcipit, etiam alteram quamvis necessariam dimitti jubet. Utraque nos exuit & ad nuditatem redigit, manifestè indicans patientiam in omnibus injuriis tantam nobis induendam esse, ut ad extremam usque egestatem duret; atque non modo de possessione rerum, quibus facile carere possumus, sed & maximè necessariarum in vitâ, si improbi urgeant cedamus.*

Atqui primùm de distinctione ista tunicarum, utrum in verbis Christi locum habeat, meritò dubitari potest.

Nam ut tunc eam fuisse mentem Baptistæ, quam ipsi Vir B. tribuit, non vocemus in dubium: Primùm inde non sequitur quoties alius quispiam tunicæ, aut tunicarum mentionem fecisset; illum statim per alteram earum res necessarias, per alteram superfluas significare voluisse: quæ distinctio ad virtutem beneficentiæ pertinet; quæ ex eo quod nobis affluit aliis benefacere jubet; de qua virtute Johannes loquebatur. Sed Christum dum tunicæ mentionem facit, de alio argumento, hoc est, de patientia agere Vir Bonus ultrò contendit. Unde igitur probabit eum tunc, per duplex quod commemorat vestimenti genus, duo ista rerum quas possidemus genera denotasse. Deinde dum Baptista duas tunicas habenti præcipit; ut alteram egenti donet; res ipsa loquitur, distinctioni huic locum fuisse: quia altera superflua fuit: Nec enim tunicam tunicæ superindui moris fuit. At Christus unius tunicæ, unius quoque pallii mentionem facit. Quorum neutrum perinde superfluum dici potest, cum honesti homines utriusque usum haberent; & tunicæ pallium superinduerent: Nec forte nisi fæx plebis, & infimæ sortis homines unico vestimento uterentur, qualis erat, circumsistere solitus,

Vitia vendentes, tunicatus, scruta, popellus.

Quod si Vir Bonus id in causæ suæ præsidium rapiat, & urgeat. Non igitur *superfluas sed nostra quoque confessione necessarias res Christum iniquis usurpatoribus concedi voluisse dum patientiam docet; cum ex eo tantum quod nobis supereſt (saltem ordinariè) benefaciendum esse fateamur*. Respondemus, Tam in ea parte legis hujus quæ ad patientiam; quàm in ea quæ ad beneficentiam pertinet; Christum, si corticem verborum spectes, plus nobis præcepisse videri, quàm reipsa præceperit; quod ipse Vir Bonus diffiteri nequit, dum proprium verborum sensum, uti sonant, meritò rejicit. Nam & in ipsa beneficentiâ, quid illis verbis primâ fronte durius. *Omni petenti, dato; & mutuum ne reposcite?* Quamvis igitur, & in hoc patientiæ præcepto, vestimento quæ à nobis injustis usurpatoribus concedi Christus postulat, prima specie res necessariæ videantur: tamen si rem penitius inspiciamus, comperiemus eas adeo necessarias non esse; quin absque iis honestè vivere queamus, cum jacturam eorum alia supplere possint. Ultrò enim & non poscente adversario Christus dari alterum quoque vestimentum; atque ita nostra sponte utroque exui præcipere videtur; quod contemptum quendam istius, qualecunque sit, damni necessariò

necessariò significat, qui in res planè & verè necessarias cadere nullo modo potest.

Verum ut concedamus distinctioni huic, (quamvis in verbis Christi non ita obvia videatur, ut in verbis Johannis fuit) hic quoque locum esse posse, nullo modo tamen V. B. probaverit; res eas quarum jacturas hoc loco Christus contemni præcipit; esse ita omnino graves & necessarias, ut earum damna tanquam irreparabilia, nimium æstimanda sint: quod naturam singulorum perlustranti facile patet. Neque verò id spectandum est, quod aliqua eorum, per accidens longè graviora evadere possint; quàm sunt in se considerata. Res enim ex eo quod ipsis per se & natura sua inest; non ex eo, quod per accidens intervenit, dijudicandas esse ostendimus: & casus extraordinarii exceptiones quoque legis extraordinarias inferunt.

Nobis probatu facilius erit, vestimenta quorum amissionem Christus hic contemni jubet, non esse res ita necessarias, ut iis honestate & pudore salvis carere non possimus. Nam profectò parum verecundè hic sensus verbis Domini tribuitur; quod *dum nos utraque tunica exuit, ad nuditatem redigat*, quasi, ubi nobis, alterutrum, aut etiam utrumque vestimentum; præsertim judicii metu intentato (quod injuriæ genus propriè dictam violentiam excludit) eripitur; nulla alia consulendi nobis superfit ratio, nisi ut Brasilianorum more nudi incedamus. Quod quia ridiculum est apparet, imò firmiter evincitur, Christum, dum nos utrumque vestimentum iniquo usurpatori concedere jubet, illud omninò supponere & pro concesso sumere, nobis alia vestimenta ad contegendam nuditatem nostram deesse non posse. Quodsi vera est V. B. hypothesis; per alteram, quam quis, præter unam, habeat, aut, (quod idem est) non difficulter habere possit; tunicam, hic quoque res superfluas intelligi (Potest enim dici tunicas multas habere; qui forte unam quidem possideat, sed in abundanti pecunia habeat unde plures comparare possit) nihil clarius est, quàm Dominum per concessionem istam vestimentorum, non eas res, quibus honestè carere nullo modo possumus; sed res aut superfluas, aut facile reparabiles intelligere.

Sed quid multis opus est? Unica ratio negotium conficit, & causam adversariorum planè jugulat, quod Dominus non majoris alicujus mali causa, sed in gratiam litis forensis effugiendæ, tunicam & pallium dimitti postulet; quod verba ipsa manifeste indicant, in quibus cur à proprio & obvio eorum sensu discedamus causa nulla est. Unde patet judicio Christi, vestimenti unius atque alterius damnum, levius malum esse; visum; litis incommodis. Atqui ea ipsa litis mala longè sunt leviora damnis aliis gravissimis, atque adeò omnium fortunarum naufragio. Ergo ipsa vestimentorum damna, de quibus hic sermo est, ex mente Christi longè leviora intelligi necesse est, quàm sit omnium fortunarum ereptio. Quod enim leviori malo adhuc est levius: multò levius, graviori malo esse necesse est. Certè in lite ab adversario iniquè intentata, (de quali genere litium Christus loquitur) & à nobis contestata; culpæ aliquid & imprudentiæ potest esse, sceleris nihil est; præsertim æterno supplicio piandi. Magna tamen interdum molestia nobis conflare solet; stricta ipsa in levioribus causis juris nostri retentio; ut mirum non sit; præstare tunicam & pallium sæpe dimittere quam damnosa, (interdum & periculosa) lite sese implicare. At verò ad extremam egestatem religi & omnibus fortunis exui; cum eas juris via retinere possis, longe gravius est malum, quàm importunæ litis molestiam subire. Proinde ut illud effugiamus, est tanti devorare litis acerbitates: cum una tunica & pallium non sit tanti. Ne quis autem hic in distinctione Malorum, quòd alia sint culpæ, alia pœnæ, latebras tergiversandi quærat; & nos res diversi generis confundere quiritetur, sumimus hoc loco vocem mali, pro malo duntaxat pœnæ & afflictionis. facimus autem mentionem malorum culpæ; tantùm eatenus, quatenus malorum pœnæ causæ esse solent. Dicimus igitur forensi lite, cum ab adversariis urgemur, disceptare esse longè minùs malum, quàm fortunis omnibus provolvi, quia nec lis ab invito suscepta cuiquam æternum exitium affert: nec in seipsa tantum damni terreni aut molestiæ habet, quantum fortunarum omnium ereptio. Non igitur ad istud minus malum effugiendum Christus omnium fortunarum jacturam; quippe longè majus infortunium jussit, contemni. Ex quo efficitur, quòd in hoc tunicæ dimittendæ præcepto; non infinita in dimittendo jure suo, & gravissimis injuriis ferendis patientia præcipitur; sed nimium stricta juris sui retentio aut persecutio prohibetur; in ejusmodi rebus, quæ honestius & generosius spernuntur.

2 Nullam igitur causam Vir Bonus habuit, ob quam præceptum hoc ab illius regula norma excluderet, cui in beneficentiæ præcepto locum relinquit. Quanquam in eo parum sibi constat. Nunc enim *cum ea cautione, ne nimium ipsi prægravemur; nobis ordinariè benefaciendum* asserit: nunc rursus nos reprehendit; quod beneficia *ita conferenda dicamus, ne nobis nimium noceant*. Et cum dixisset: *quanquam regulam hanc benefaciendi extraordinarii casus interdum cogunt transgredi; ordinariè tamen verum esse aliorum egestatem ex eo quod nobis supersit, supplendam; posteà contendit perperam pro beneficentiæ extremo statui; si nobis beneficia nostra nimium noceant*. Affert autem rationem ejusdem cum cæteris furfuris. *Etenim*, inquit *ista ratione non liceret; vel maxima gloriæ divinæ aut proximi necessitate urgente, cum magno detrimento suo liberalem esse*. Quasi necessitas aut casus extraordinarii actionum naturam non immutent, nec efficiant sæpe, ut id quod aliàs laude dignum fuit, reprehensionem: aut quod reprehensione, laudem mereatur. Res circumstantiarum varietati obnoxias, ad Physicam aut Mathematicam necessitatem redigit; & vult ut eodem modo semper si habeant. Nos in ordinariis beneficentiæ actibus legem hanc posuimus, quam ipse expressis verbis suis paulo ante confirmatam esse; nunc carpendi nostri studio oblitus est.

Quæ in verum gloriæ divinæ incrementum profunduntur, nunquam prodigalitatis nomine reprehendimus; quanquam nescii non simus, quantum sub hoc obtentu interdum peccetur; cum hypocrisis eorum qui specie longarum precum, viduarum domos exedunt, Spiritus Sancti censurâ notari meruerit.

Manet igitur intactus minimè prolixus ille quidem, sed firmus ac solidus, argumentationis nostræ contextus. Limitationem, quam in una legis Christi parte, velint nolint, admittere coguntur adversarii cæteris quoque ejus partibus, nullo modo, nullo jure adimi, aut denegari posse: præsertim hinc ipsa Ratione suffragante; illinc innumeris absurdis urgentibus.

Transit deinde ad tertium quod est angariationis, exemplum. Sed illud penticulatius sese examinaturum professus, nihil affert nisi vel pueris notam Persici moris historiam. Unius tamen atque alterius milliaris iter extortum gravem, irreparabilem & quæ contemni sit injuriam esse non persuadet.

Et tamen in re tanti momenti: (Nec enim de lana caprina; sed de publici privatique juris fundamentis, principiisque mole parvis, virtute maximis inter nos disceptatur) tàm frivolis & suamet futilitate evanescentibus ratiunculis allatis in eam gloriationem erumpere non veretur: *Magna sunt hæc clara, & quæ negari non possunt; quæ de injuriarum istarum à Christo expressarum gravitate attulimus; sed accedit his longe maxima & validissima ratio; quæ vel sola posset rem conficere, quæ nescio quomodo acies magnorum virorum fugerit,*

Quid dignum tanto dabit, hic Promissor hiatu?

Cui enim, quæso, inquit, *obscurum esse potest, Christum cum ad novas subinde injurias perferendas nos præparet, in altera alapa vel plaga perpetienda; & pallio præter tunicam dimittendo; & milliari &c. non alteram duntaxat ejus generis injuriam præcisè intelligere, ita ut tertiam aut quartam alapam sive ictum non jubeat ferri vel tertiam vestem dimitti &c. sed quod alibi dictum est, ut non septies solum; sed etiam*

ſeptuagies ſepties, id eſt ſemper remittamus fratri &c. &c. id huc quoque referendum, atque præceptum eſſe ſtatuendum, ut non ſemel aut bis tantum colaphus ſuſtineatur, ſed ut ſeptuagies ſepties; id eſt toties quoties ille refringatur, & quam plurima verbera patienti animo tolerentur. Et mox poſt allatas quas poſt refutabimus, ratiunculas concludit. *Jam ſi hæ injuriæ à Chriſto nominatæ ad iſtum conſiderentur modum, uti omninò neceſſe eſt; quid gravius fingi, quid ad nos perdendos ac peſſundandos magis facere poteſt quàm quando tot verbera atque contumeliæ &c. tot damna ſuſtinenda ſunt?*

Verumenimverò Cui potius obſcurum eſſe poteſt V. B. totum cælo errare, qui res & actiones morales & præcepta de iis data; ad normam earum rerum exigat, quæ ſemper & ubique eodem ſe modo habent, nec in iis, ut Scholæ loquuntur, Magis & Minus ſpeciem varia e poſſunt. Annon animadvertit, res quæ ad virtutum habitus atque actus pertinent, nutare perpetuo inter exceſſuum atque defectuum momenta: nec eandem ſive actionum, ſive paſſionum naturam permanere, ſi nimium aut remittantur, aut intendantur, aut planè omittantur, aut etiam ſæpius quàm par ſit iterentur. Præcepit hac ipſe lege Dominus ne donum aut mutuum petenti denegemus. Denegare igitur id petenti quoties vera liberalitatis occaſio occurrit, illicitum quis negabit? At ſi inimicus, tantum ut nos exhauriat, Septuagies ſepties idem, aut aliud à nobis petat; præſertim eadem die, aut exiguo interjecto tempore; an illicitam repulſam fore cenſebimus? Ita ſi quis de tunica nobis moleſtum litem moveat: magni & generoſi animi eſt, non tanti ejus jacturam facere, ut ob eam ad ſubſellia judicium trahi ſuſtineamus: & qui in eo Chriſti monitum non ſequitur, diſcedit ab officio. At ſi quis non unam aut alteram ſed omnes omninò quantaſcunque habere poſſumus; atque omne patrimonium poſtulet; an illicitum fore cenſebimus; ne fortunis omnibus provolvamur, juris ſtrepitum experiri? Si V. B. illatam ſibi alapæ contumeliam, patienter ferre nolit: quis non reprehendat recuſari; quod Dominus fieri & debere juſſit; & poſſe exemplo ſuo oſtendit. At ſi quis improbus Chalcocondylus, de gente hircoſâ centurionum dexteram cum articulis digitorum ſemipedalibus quaſſans, ludibrii ſimul & odii cauſa; præberi ſibi faciem V. B. Septuagies ſepties poſtulet; quis eum reprehendat huic injuriæ omni ope, reſiſtentem? præſertim cum conſtet ejus maxillam non eſſe robuſtiori quàm cujuſquam noſtrum, ſtomacho; ut adeò crudos manus complicatæ condylos (qualem hoc loco alapam intelligi debere comminiſcitur); vitâ & valetudine ſalva concoquere poſſit.

Nam rationes, quibus tàm rigidam explicationem confirmat, nihil evincunt. Primum ait quia id ſemper, ideoque ut in arcenda una atque altera injuria; ita non minus in tertia & quarta ac deinceps Septuageſima quoque illicitum eſt. Si commemoratas injurias ita ut à Domino proponuntur ſingillatim conſideret, certum eſt quod hodie non ferre illicitum fuit; cras & perendie & ſi poſt Septuageſimam quoque vicem præſertim à diverſis hominibus iteretur, non ferre illicitum fore. Sed ita conſideratę injurię iſtę graves aut intolerabiles videri nequeunt. Frangi enim Scyluri ſagittæ: & rumpi Sertorii ſetæ ſingillatim non difficulter poterant. At ſi eas injurias, ut tanto graviores videantur, confertim & ſimul junctas proponat, non videt V. B. quod ad vires noſtras attinet, magnum eſſe diſcrimen inter unam ſagittam & grandem earum manipulum; inter unam ſetam & totam caudam equinam. *At enim unius ejuſdemque generis iſtę injurię erunt.* Ita quidem, ſed earum jam non eadem ratio eſſe poteſt. Unus alterque ac forte tertius quoque morſus apum etiam delicatæ faciei non nimium nocet; ſed totum examen apum etiam validiſſimos equos enecat. Multum intereſt inter ea quæ ſingillatim Dominus contemni præcipit; & quę ſimul juncta, neque contemni neque ferri queunt, nec ferri præcipiuntur. Non ſunt ad ejuſmodi abſurdos ſenſus torquenda ſimpliciſſima verba Legiſlatoris noſtri. Deinde ait *Nunquam malum pro malo reddendum. Ergo nec poſt ſeptuageſimam injuriam.* Non exanimo quam univerſale ſit antecedens. Tantum moneo: non de reddendo alieno; ſed de fugiendo proprio malo agi; quoties gravi & intolerabili injuriæ, ne inferatur, occurritur.

Tertio ait *Si fratri ſeptuagies peccanti ignoſcendum eſt. Ergo & ſeptuagies verberanti, aut noſtra indeſinenter rapienti.* Atqui non de venia præteritæ, ſed de reſiſtentia aut contemptu futuræ injuriæ agitur. A venia verò & contemptu præteritæ ad contemptum futuræ, prava conſequentia eſt. Qui toties pœnitenti ignoſcit, nihil patitur, imo ex pœnitentis deprecatione ſatisfactionem aliquam & præteriti doloris ſolatium recipit; ideoque id toties præſtari, non poteſt videri iniquum aut intolerabile. At toties injuriam ſive eandem ſive ſubinde graviorem accipere eſt gravia atque intoleranda pati. Itaque huic malo, legitimo modo, licet poſſis non mederi, ſed illud contemnere, parum ſanæ rationi & veritati conſentaneum videtur. Nullum evidentius veſtigium eſt; genera injuriarum de quibus Dominus loquitur levia eſſe; quam quod ea Chriſtus contemni; & ne legitima quidem juris via vindicari præcipiat. Neque igitur debent neque poſſunt memoratæ à Chriſto injuriæ, ad eum quem Vir Bonus introducit, modum conſiderari; ac proinde nec rectè nec fortiter ex iis ita conſideratis concludit; eas omnes atrocium malorum ſpecies in ſe comprehendere; ut mirari non debeat quod res tam rationi abſona; nemini præter eum & forte alios eodem præjudicio occupatos, in mentem venerit.

Refutat poſtea Grotii verba. ſed ejuſmodi rationibus; quæ aut à nobis jam confutatæ ſunt; aut ſeſe ipſæ refellunt. A quo quàm reverenter diſſentiat non quærimus; cum de eo quàm reverenter loquatur videamus; dum eum aut Hebraicæ linguæ idiotiſmos docet, aut in iis dormitaſſe aſſerit, quæ certè non per ſomnium ſcripſit.

Venio ad ea quæ nobis objicit. Ubi notandum eſt, eum loco plenæ reſponſionis ad omnia quæ hoc capite adverſus eum produximus, hæc tantum pauca elegiſſe, quæ non tàm refutaret; quam ſtrictim more ſuo attingeret. Ac verba primum noſtra adverſus opinionem eorum expreſſè & nominatim directa; deflectit ad Dominum. Quaſi is qui verba Domini ab abſurdo ſenſu vindicat; abſurdi illius, quod exagitat Dominum, faciat auctorem & non potius incogitantiam interpretum; qui pravos ſenſus verbis Domini tribuere audent. Deinde excurrit in locum communem, ut nos politico & mundano ſpiritu imbutos objicere poſſit; qui non aliud Chriſtum ſpectaſſe in tradenda doctrina ſuâ ſtatuamus, quàm quod in civili regimine boni Politici. Hoc nos nuſquam dicimus, qui ſciamus & ultrò urgeamus, diſtincta eſſe regimina Eccleſiæ & Reipub. multumque inter ſe diſtantia. Nec diffiteamur quod V. B. hoc loco verbis aſperioribus aſſerit ad conſervationem tranquilli Status in terris, nihil legibus Chriſti non quidem ineptius, ſed minus idoneum eſſe; niſi ipſis addantur leges forenſes & Reip. Sed leges Chriſti, legibus forenſibus, quæ in terris tranquillum ſtatum retinent, adverſari, eumque tollere, acerrime negamus; ne Eccleſia cum Repub. committatur: quam adeò Chriſtus non abolevit, ut in præcepta obedientia eorum qui legum Reip. cuſtodiam agunt, earundem legum obſequium expreſſe ſanxerit. Proinde in illis verbis præter apertam falſitatem, latet etiam fallacia quam A dicto ſecundum quid vocant, dum ait: *Chriſtum bonis & innocentibus jugum infinitarum injuriarum impoſuiſſe; utque patientia eorum quam perfectiſſima eſſet malis quodammodo fibulam audaciæ laxaſſe, dum eos aptiſſimo ac pene neceſſario talionis fræno, non ſub lege ſolum, ſed ubique gentium receptæ à bonis coërceri vetuit.* Et mox *Non debebat nimis arctare licentiam malorum, manuſque conſtringere &c.*

Et falſum quidem eſt Chriſtum malis ullo modo fibulam audaciæ laxaſſe. Id enim ordinationibus Dei eſſet adverſum; quas ille ultrò confirmavit. Et ſi bonis

bonis per se & Apostolos toties fibulam adduxit; multò magis malis. Falsum & pœnas legum (has enim V.B. omnes sub talionis obtentu oppugnat) de ipsis sumi vetuisse, quarum sanxit auctoritatem. Nec illud ullo modo verum ipsam pœnam talionis à Magistratu infligendam ab eo sublatam quia privatis ultionis libido, & summi juris persecutio vetita est. Non iis qui pœnam hanc sumere; sed qui eam persequi ac postulare debebant, præceptum suum Christus tradidit. Præterea de injuriis non capitalibus eũ locutum & verba & exempla omnia allata docent. Talionis pœnam capitalem paulo ante commemoravit; nec ullam ejus tolendæ significationem dedit. Et si qua in re seu præceptum aliquod; sive ipsa relig. Christianæ natura atque analogia, rigorem & austeritatem legum humanarum mitigaret; non ideò pœnas earum omnes tollere dicenda esset. Captiosum autem est quod ait, Christum innocentibus jugum infinitarum injuriarum imposuisse. Non enim quia secundum quid id concedi potest; ideò simpliciter dici debet & in infinitum protendendum est.

Transit posteà ad oppugnatam à nobis consequentiam adversariorum, quæ à perpessione earum, quas Christus commemorat injuriarum, ad perpessionem omnium etiam intolerabilium, ducitur. Non agnoscit eam pro sua & ultrò ineptam esse fatetur. Videamus quid in locum ejus substituat. Ait igitur. *Verba Domini non tantum de levibus sed & gravissimis injuriis possunt accipi. Ergo ab hoc præcepto non sunt etiam gravissimæ injuriæ excipiendæ.* Sed primum, quæ sit ineptior consequentia; à magis verisimili, ad minus, affirmatè: an à posse ad esse, nihil est quod ego decernam cum id Lectoris judicio subsit. An oblitus est V.B. sese ex hoc loco argumentari? Non sufficit igitur ut ostendat, sensum quem huic loco tribuit, posse tolerari; præsertim cum & nostrum recipiat: (Fatetur enim de levibus etiam injuriis ea verba posse intelligi) sed necesse est ut ostendat, non modo, posse ut vult ista verba intelligi; verum etiam debere. Deinde antecedens argumentationis suæ; annon istam ipsam consequentiam, quam ipse ineptam fatetur, occultat? Quomodo enim probabit; quod nos acerrimè negamus verba Christi tantum de levibus; sed de gravissimis quoque injuriis posse commodissimè accipi; nisi dicat, eum qui alapæ; damni tunicæ & modici itineris molestiæ perpessionem injungit; hoc ipso etiam gravissimarum injuriarum atque ipsius mortis perpessionem injungere? Quid autem hoc aliud est, quàm ab eo quod magis verisimile est, & quod inter nos in confesso est; ad minus verisimile, & de quo acerrimè contendimus affirmate argumentari. Non igitur ineptiam quam ipse agnoscit, ab argumentatione ista amoliri potuit; sed eã novâ & haud scio an ineptiori cõsequentiâ cumulavit.

Sequuntur duo argumenta; quæ ad stabiliendam sententiam suam suprà positis; pro superpondio addit.

Primum est. Dominum in hoc præcepto de capitalibus injuriis loqui probat *ex eo, quod verba sua Legi Mosis de Talione opponat, quæ non de levioribus tantum, sed de capitalibus quoque injuriis loquebatur; quia in ea non oculus tantum pro oculo, sed anima pro anima sontibus eripi præcipiebatur.* Exod XXI. 24. Deut. XIX. 21. *Quod enim*, inquit, *Christus partem duntaxat legis reciter, ellipsi utitur usitata; quâ in initio sententiæ, aut orationis posito; tota sententia vel oratio subauditur; ut si quis pro oratione Dominica Pater noster, pro symbolo Credo in Deum.*

Atqui ut illud quod posterius dicitur prius expediam id non futile tantum, sed planè falsum est. Neque enim in utroque citatorum loco, Legis hujus initium, ab Oculo pro oculo, sed ab Anima pro animis exigendis incipit. Unde patet (etiamsi concederemus hic genuinam Mosis legem citari) non esse credibile totam legem citari, ubi non modò initium ejus; sed quod longè potius ac principalius, ideoq; in ipsa fronte collocatum est, omittitur. Sed nihil dici potest à Christi mente alienius quàm eum hoc loco, ut adversarii putant, ipsi Mosis Legi, Legem suam directè, & ut ita dicam contradictario modo, opponere. hoc est eam à stirpe tollere, cum ipse initio sermonis, ne apicem quidem è lege Mosis sese sublaturum esse profiteatur. Non loquimur autem de illo oppositionis genere, quod huic quoque legi per indirectum applicari potest, quatenus Christus tacitam ejus permissionem de persequendâ talione privatis factam, ut in cæteris quoque legibus fecit, Legis suę limitibus coërcuit. quod non est tollere & abolere legem sed perfitere, ac mentem Legislatoris implere: intacta ipsa Lege relicta.

In quo sane mirandum est, quod homines in sensu verborum Christi eruendo; ne ipsi quidem Christo eorum optimo interpreti credere velint: imò & mentem præceptorum ejus malint ex Legis aut Mosis, quam ejusdem Legislatoris nostri verbis investigare. Nam cum verba Domini sint manifesta, ex quibus quid nobis præcipiat nullo negotio percipi potest; quid attinet aliunde arcessitas divinationes aut conjecturas consectari? Quæ verò earum, quas commemorat, injuriarum capitalis dici potest? Capitalem autẽ dicimus quæ capite luebatur. Quid autem refert quod Moses in Lege sua judiciali etiam capitalium tàm injuriarum quàm pœnarum mentionem faciat; cum Christus earum mentionem non faciat? Quasi etiamsi fingamus Christum sua verba genuino Mosis præcepto opponere, necesse fuerit Dominum totam legem ejus tollere quia partem tollebat. Quod tamen non dicimus, quia reverentius putamus Domino credere, quam interpretibus sententiæ suæ præjudicio deceptis.

Dictum igitur *Oculum pro Oculo &c.* cui Dominus sua verba opponit, quamvis verbis è Mose excerptis constet; non esse genuinam legem Mosis quæ forensis erat, sed morale Scribarum & Pharisæorum commentum, ex forensis legis verbis ad morale institutum pravè detortum (quicquid alii contrà sentiant) præter multas alias, quas alibi exposuimus; his rationibus contendimus.

I. Quia ut ex antithesi Christi evincitur: hæc verba, neque idem quod genuina Lex Mosis: Neque iisdem: Neque eodem modo præcipiebant aut permittebant. Lex enim Mosis alienarum, hæc verba suarum injuriarum vindictam: Lex Mosis judicibus: hæc verba privatis præcipiebant. Lex Mosis forensi ratione Magistratibus præscribebat; quomodo oblatos sibi nocentes punirent: hæc verba morali doctrina privatos instruebant, quomodo se adversus injurias inferentes gererent. Atque hic summa interpretum iniquitas elucet; qui malunt, Dominum non ad rem propositam loquentem; quàm non modo Legi, sed etiam alicubi Pharisæorum institutis præcepta sua opponentem introducere; cum nescire non possint, Christum ipsis depravationes Legis ejusmodi objecisse; quæ, tunc in illo populo (nequid amplius dicam) non minus quàm ipsa Lex auctoritatis habebant. Præterea cum videant Christum in ipsa sermonis sui propositione; sanctimoniæ Pharisæorum (quos constat non secundum Mosis tantum sed suas quoque leges vixisse: & tamen sanctitatis opinione apud populum venerabiles fuisse) sanctimoniam eorum qui discipuli sui esse vellent, opponendam suscepisse.

II. Quia Christus id cui suum præceptum opponit, non perficit, ut imperfectum; sed tollit penitus ut noxium & pravum. Oportet igitur id Mosis legem non fuisse: quam Dominus impleturum se potius quam abrogaturum promiserat.

III. Quia Christi præceptum non judiciale est; sed morale. Non potuit igitur forensi legi opponi absque μεταβασει εις ἀλλο γενος.

IV. Quia ab instituto Christi alienissimum fuit leges forenses tollere aut abrogare, quamdiu staret illa Respublica; cum is aliorum quoque Regnorum leges forenses earumque obsequium confirmaverit.

Quod autem diximus subjectam verbis Christi materiam fuisse abusum Mosaicę legis; quę de injuriarum non capitalium talione loquebatur, verissimè à nobis dictum immeritò carpitur. Quid enim hoc ad rem quod Lex Mosaica in aliis verbis suis, de capitalium injuriarum pœna loquitur; cum Christus non verbis Animam pro-

animo sed verbis, Oculum pro oculo, verba sua opponat? Nec nos diximus hoc loco Correctionem Mosaicæ legis fuisse subjectam sermonis Christi materiam; quod falsum esse ostendimus: quia is hoc loco non ipsam legem Mosis oppugnat; sed abusum verborum ejus ad morale institutum prave deflexorum. Ergo ut ipsum illud superpondium; ita verborum meorum exagitatio nihil habet ponderis.

Restat altera pars istius superpondii; quâ licet quod ad ipsam vim argumentationis attinet, nihil sit levius; tamen quod ad injuriam objectæ nobis falso culpæ, nihil est gravius. Vim argumenti primùm videamus. Stultis, superbis, injustis nobis esse nunquam licet. Ergo nec impatientibus. Quis hoc negat? Ergò non in levioribus tantum, sed & in gravioribus injuriis, patientes nos esse, necesse est. Hoc quoque quis negat? Sed primùm non de eo nunc agitur; utrum nobis in gravioribus injuriis impatientibus esse liceat, sed utrum legitima; & inculpato moderamine adgubernata graviorum injuriarum aversio, sit impatientia. Deinde non de eo utrum nobis graviores quoque injuriæ, quoties patientiæ occasio est; patienter ferendæ sint; quod nusquam in dubium vocavimus: sed utrum hoc loco Christus de atrocibus & capitalibus injuriis loquatur. Etiam in atrocibus injuriis patientiam Christianam; quoties ejus occasio occurrit; præstandam esse verum est. Sed non omne quod est verum hoc S.S. loco comprehensum est. Unde patet quàm graviter in nos V. B. injurius sit; quod nobis ejusmodi opiniones attribuat à quibus planè abhorremus. Sed hoc nisi fecisset, non habuisset quod scriberet. Facile est oppugnare quæ nemo defendit. Sed veritas inexpugnabilis est. Ideò qui ejus oppugnationem suscipiunt, vitare arduа & quærere declivia solent; ne nihil agere videantur.

Accedit tandem ad explicationem suam; in qua duo inprimis notanda sunt. Primum. Ex iis quæ in ea proponenda, ab ipso verè dicuntur; nihil afferri, quod nostra explicatione aut sententia comprehensum non sit. Deinde. Non Mancam eam atque imperfectam modò, sed plurimis absurdis, contradictionibus atque erroribus scatentem; & nostrâ longè deteriorem esse.

Principiò igitur, quid novi affert, quod ab interpretatione nostra excluſum sit? Summam patientiam; summam benignitatem; & in dando mutuandoque facilitatem; annon in explicatione nostra comprehendimus; dum non de summo tantum, sed æquo etiam jure nostro tàm in patiendo, quàm in parcendo; quam in dando quoque ac benefaciendo; decedendum esse statuimus; hoc est, propemodum suprà æquum nos earum virtutum causâ aggravari, non esse recusandum. Quid in eo virtutum genere, perfectius cogitari pòtest? Patientiam non modo post illatam: sed etiam ante illatam injuriam, in futuri mali resistentia, ultrò nos urgere ipse agnovit. Resistentiam non omnem sed tantum illegitimam & vitiosam nobis prohiberi initio statim disputandi contendimus. Quod aliquantò plus est; quam Immoderatam, quia sunt quædam in quibus nobis ne moderatis quidem esse licet; sed tamen in se comprehendit & immoderatam. Moderationem non in levioribus tantum, sed in gravissimis quoque malis atque periculis annon requirimus; qui neque pœnas, neque defensionem ullam; absque inculpato, ut vocant, moderamine, admittimus? Sed ne hanc moderatæ resistentiæ limitationem à nobis præterviſam opinetur; revocet in memoriam quæ in hujus ipsius capitis calce scripsimus; ubi ostendimus, res per injuriam ablatas repeti posse; etiam cum pœna aut detrimento auferentis; dum ista pœna à nobis per impotentiam animi non exigatur; quod mansuetudini: aut non sit adversario nimium noxia; & cum crudelitate conjuncta; quod Caritati, repugnat. Hoc est; ut pauciſſimis verbis interjectis, ibidem expresse dicimus dum sit Moderata. Nihil igitur est quod VirBonus limitationem hanc aut distinctionem resistentiæ, à se nunc primum inventam existimet, aut eâ pompa venditet; cum nemo sit in morali disciplina tàm bardus; qui ullam actionem si modus in ea excedatur, non putet reprehendendam. Ne nos igitur, quidem Resistentiæ vocem restringere omisimus. Sed ne in mali quoque voce restringenda peccavimus, ut hic (quod obiter dictum esto) VirBoni explicationem sequamur; qui vocem hanc eo loci in genere neutro positam arbitrari videtur. Quia sunt quædam mala quibus Dominus ne moderate quidem resistere sinit, sed ea contemnere jubet. Nulli prorsus malo, resistendum vitiosè: sed esse aliquam non vitiosam resistentiam, nostra sunt hæc arma, nostra defensio. Etiam in gravi & intoleranda injuria, aut vitæ periculo, posse vitiosam esse resistentiam, non negamus. Quæ enim regula in iis quæ à circumstantiis dependent fingi potest absque exceptione? Etiam in levioribus periculis pro circumstantiarum ratione licitæ resistentiæ locum esse agnoscimus. Neque enim verba Domini ad rigidam universalitatem protendimus; quæ intrà cancellos prudentiæ, actiones nostras cohibent. Quod autem asseruimus in levi damno quale est tunicæ, nullam justam causam esse posse ut litigemus; non de eo quod semper, sed de eo quod sæpe fit, unâ cum Christo locuti sumus. Sæpe enim plura ex lite damna atque pericula; quàm ex jactura tunicæ timenda sunt; quod tamen interdum aliter se habere, nihil repugnat. Idem de cæteris quoque, quas leviores vocavimus injuriis dictum esto, quibus interdum sine culpa moderatè resistere possumus; nec, ut loquitur VirBonus *quamlibet tolerabiles injurias statim non necessariò; & stultè, tanquam nauci ac proletaria capita, excipere tenemur*. Quamobrem verò id? cum Christus hoc loco exactissimam patientiam mandet? Quia hoc mandato casus istos comprehensos non putamus. Posse igitur etiam ejusmodi injuriis interdum resisti una cum Viro Bono censemus: quæ aut eædem sint cum iis quas ferri Christus præcipit; aut ad eas longe propius quam atrociores accedant. Unde patet quanto magis in gravioribus & capitalibus id liceat; dum resistentia modum non excedat, quam ne nos quidem moderationis fræno exolvimus. Nam quæ aut violentiam adhibet ubi non debet; aut ubi violentia aliqua licita est; non enititur quantum potest; ne ei qui malum infert, graviter noceatur; eam non quoque immoderatam & reprehendendam statuimus. Quod autem nos nimis laxè juris persecutionem aut retinentiam circumscripsisse causatur; dum eam tunc tantum prohibitam asserimus; cum nulla est gravis & justa causa ejus retinendi, vehementer fallitur. Dicit enim; *Etsi sit gravis causa persequendi, tamen prohibitam esse tunc cum est gravis causa non persequendi*. Quis enim dubitat, etiam graviſſimam aliquid faciendi causam; gravem imo justam esse desinere; ubi est gravior, non faciendi. Ponderandæ sunt utrinque causæ; atque ex utra parte gravior deprehensa fuerit alterutrius contrariæ ratio non habenda. Nihil in eo quoque est quod aut explicationi nostræ aut sententiæ adversetur. Nec illud negamus sæpe in gravioribus quoque injuriis jus nostrum omittendum. Circumstantiarum enim in primis rationem habendam censemus; quæ interdum novam actionibus naturam induunt; & jus earum augent vel minuunt interdum & tollunt. Quem locum communem Vir Bonus in rem & emolumentum sententiæ nostræ ingressus est. Imo id ipsum est, quod nos contrà rigidos præcepti istius interpretes urgemus; quodque ipsorum causam jugulat. Porrò etiam cum graviſſima est causa juris nostri persequendi; vitiosam esse posse ejus persecutionem fatemur; si fit immoderata. Sed non idcircò insufficiens nostra restrictio est; cum sit allata in quæstione an & quando jus hoc sit persequendum; non in quæstione quomodo sit persequendum. Sufficiens igitur est in ea quæstione in qua est allata. Quomodo autem jus nostrum sit persequendum non ex una ista lege de qua disputamus: sed aliis quoque præcipuè vero lege Caritatis, discere possumus. Hinc est quod diximus pœnas non exigendas per impotentiam quod mansuetudini; nec nimium noxias & crudeles esse debere

debere quod Caritati repugnat. A nocendo enim quàm maximè possumus, abstineri ipsa à nobis Caritas, mansuetudinis & patientiæ mater, longè magis etiam quàm patientia exigit. Sed rectè addit Vir Bonus quam maximè possumus, quia ab eo prorsus abstineri in quibusdam hominibus & circumstantiis; præter multa alia officia, ipsa eadem Caritas non patitur. Non animus modo nostet malo inimici oblectandus non est: sed ipsum malum, quoad fieri potest, non inferendum. Nec in eo urgendo atque asserendo Viro Bono quicquam cedimus. Nisi quod illud ineptum & præposterum putamus, quodque unum verè novum explicationi nostræ superadditum agnoscimus, quod Deus per Christum eo fine jus inimico nocendi abrogavit, ne ex malo inimici voluptatem capere possimus, cum potius eò fine ex malo inimici voluptatem capere prohibeat; ne ejus delectationis cupiditate, (quæ naturæ nostræ imbecillitas est) ad nocendum proniores simus.

Vindictam in animo esse cum diximus, non id intellexi mus quod solo animo perficiatur; quanquam id quoque interdum contingat; præsertim cum nocendi copia non est: sed formalem ipsius rationem, (ut cum Scholis loquamur) esse in animo diximus; ita ut sæpe ipse externus nocendi actus si absit animi intentio potsit esse absque vindicta. In quo non nos erravimus, sed Vir Bonus mentem nostram non intellexit, si modo non intellexit. Ipsum quoque nocendi actum tunc tantum esse vitiosum cum vindicta per se & primariò spectatur rectè diximus; præcipuè verò cùm sola: quia etiamsi per accidens aliqua pœna aut species ultionis interveniat actum nocendi vitiosum non reddit; si non tam vindicta quæratur, quàm aliud aliquid longè melius; quod tamen absque vindicta sæpe per accidens interveniēte fieri nequeat: quod in castigatione liberorum aut pœnis Ecclesiasticis cernimus. Vindictam autem *& mali redditionem* nonnisi præteritam & jam peractam injuriam respicere; nunc quoque constanter asserimus & Viri Boni conatus ridemus: qui ea frustrà conciliare nitatur, quæ contradictionem implicanti quod aliquantò difficilius est, quàm circulum quadrare. Nam quomodo aliquid reddi potest; quod antè datum non sit? At enim non modo pro consummato, sed etiam pro cogitato malo, malum reddi solet. Quid? an Consummatum præteriti. Cogitatum verò præsentis temporis participia sunt? Piget redire ad pulveres grammaticos. Veniamus potius ad Ethica rudimenta. An solo animo delinquere; aut pœnam; sicuti & laudem præmiumve mereri non possumus? Certe Abraamum immolasse filium Theologia docet; quamvis manus suas sanguine ejus non cruentaverit. Posse & in defensione vindictam intervenire, quis eorum negat; qui defensionem interdum vitiosam esse, non posse tantum sed solere agnoscunt? Indignationem atque iram, posse esse absque illa (de qua sola loquimur) prohibita à Christo vindicta, argumento est, quod irasci atque indignari possimus absque culpa; quem affectum ipsi quoque Domino Sacra Scriptura tribuit. Non igitur ubicunque ita locum habet; ibi vetitam vindictam esse necesse est.

Mox liberalem se erga nos Vir Bonus nec tàm rigidum fore pollicetur, quin fateatur in amoliendo à cervicibus nostris maximo & præsentissimo malo; aliqua noxa homini injusto inferri possit, dum non sit par aut similis huic, quam ab ipso impendebat. Quasi periculum esset, ne si rigidus & illiberalis esse vellet, causa quam defendimus laboraret: cui nihil utilius est, quàm si adversarii ejus in media absurda agantur præcipites. Nihil est igitur cur nobis Vir Bonus beneficium hoc imputet, quod sibimetipsi præstat, dum non imprudenter manifesti absurdi incommodum declinando; fatetur id, quod ipsa veritas & Christi doctrinæ analogia ab eo exprimit. Quo ipso ostendit, se quod ad persecutionem virtutis attinet nihil plus afferre, quàm quod & sententia & explicatio nostra urget. Nimirum Hoc præcepto non omnem resistentiam prohiberi; sed certamen injuriarum; cum pari referre volumus; & quasi ab adversariis magnitudine injuriarum vinci nolumus: sed si oculus noster excussus sit; oculum quoque adversario exculpi postulemus. Quæ nimium stricti ac summi juris est retentio aut persecutio. Ad quam, quia avertendarum à nobis id genus injuriarum, stimulo, impellimur; sapientissimè ostendit Dominus rationem qua ejusmodi graviores injurias prævenire potius & ignem earum in ipsis scintillis extinguere aut avertere, quàm nihil profutura ultione solari possimus: contemnendo ejusmodi injurias, quæ non difficulter contemni possunt; cum non sint tanti ut earum causa multum laboremus; quia etiam iteratæ non multum nobis incommodi afferre possunt: & tamen in ipsis initus sopitas præcludunt aditum gravioribus malis. Deinde in locum certaminis injuriarum, certamen ut sic loquar, beneficiorum introducit, in quo jam non de summo tantum, sed de æquo jure nostro decedimus; & beneficiis maleficia; seu bono, malum, vincere contendimus. Quod tamen non ita universaliter intelligi debere; quin sæpe injuriæ resisti possit; ipse Vir Bonus ut videmus, fatetur: quia nec omnis adversarius æquitate aut beneficio tractabilis est. In quo proximè ad sententiam nostram accedit. Nec enim & nos dum arma armis repelli, (si aliter fieri nequeat) permittimus; injuriam pari injuria retaliari; aut etiam arceri ac repelli permittimus; cum hostis nos prorsus mactare crudeliter velit; nos verò hostis interficiendi animum sumi non permittamus; sed nostram tantummodo vitam defendi velimus; idque non sive animo servandi hostis; si aut fugere (quod nisi rem agi serio videat nunquam est facturus) aut pacisci velit; aut debilitatus prostratusve certamine desistere cogatur. In quo casu animum quidem nostrum sancto & innoxio proposito constanter regendum: eventum autem Deo committendum censemus; quem cum in nostra potestate non sit, præstare, nulla lege teneri nos arbitramur. Quod ad resistentiam per anticipationem mali attinet; non videmus in quo à nobis Vir Bonus verè dissentiat, si modo suam sententiam exequi atque in ea sibi constare velit. Nam neque nos ita timere inimicos permittimus ut eos propter remoti periculi metum (de quo Cicero & Vibius Crispus in citatis verbis loquitur) jure interfici posse statuamus, qui ne in præsentissimo quidem aggressionis eorum periculo mortem eorum decerni, aut quæri permittamus. Et Vir Bonus palàm anticipationem minoris mali inimico inferendi permittit; ut nos majus malum nostrum effugiamus.

Posteaquam ostendimus, nihil in Explicatione adversarii, quod quidem ad Virtutis ac pietatis perfectionem pertinebat & verè dici poterat, allatam esse quod non explicatione & sententiâ nostrâ comprehensum sit: nunc defectus & vitia ejus, & quam nostrâ longè deterior sit, ostendamus.

Primùm igitur modus ejus explicandi, non exprimit vim oppositionis in ea verborum Christi antithesi; quæ verbis, è Mose quidem in parte excerptis sed ad sensum Pharisæorum pravè detortis, opponit: nec ostendit quodnam sit illud commune genus præceptionis Christi, verbis supra memoratis oppositum, ad quod diversæ partes legis hujus aptè referantur; & in eo secum conveniant: quod facit nostra explicatio: Sed Scopas dissolutas affert, Patientiam exactissimam; & summam in dando ac mutuando facilitatem, (quasi idem sit injurias pati, quod facimus invitissimi; & dare atq; mutuari; quod absque gratia & benigna voluntate cogitari nequit) nullum addens vinculum quo isti diversissimi natura sua habitus secum connectantur; nec ostendens quomodo omnes ad propositum Domini; & ad illam quam initiò proposuit antithesin faciant. Nostra verò Explicatio totam illam vitiosam dicti illius cui Christus sua verba opponit naturam, simulque communem illam diversissimarum quas præcipit, virtutum indolem; uno quasi in fasce comprehendit; ostendens quàm aptè omnes hujus legis partes & in genere pravitati illius dicti opponantur;

tur; & in ſpecie inter ſe cohæreant.

Deindè. Viri Boni Explicatio, anguſtior eſt eo, quod explicat. Omittit enim illam animi Magnitudinem, quam Chriſtus in contemnendo eo, de quo loquitur, injuriarum genere præcipit; & quam figurato illo loquendi genere exprimit; quo plus etiam quam adverſarius prætendat, ejus gratia fieri, aut ſuſcipi, præcipere videtur; & quo per ſingularem emphaſin non humilis & abjectæ patientiæ vilitas; ſed generoſus earum injuriarum contemptus deſignatur. Nec verò prætexere poteſt id jam in exactiſſimæ patientiæ titulo comprehenſum; quia eam ita explicat, ut ad immoderatæ tantum reſiſtentiæ interdictum adſtringat. Atqui videmus quibuſdam injuriis Dominum aliquando ne moderatè quidem reſiſti voluiſſe. Nam quæ moderatior reſiſtentia dici poteſt; quàm ſi quis tunicæ de qua ſibi lis movetur bona fide poſſeſſor in judicio modeſtè rationem reddat? Quam tamen Chriſtus interdum prohibet; ſi nimirum juſta & gravis cauſa ſit omittendæ.

Tertiò in diſtinctione moderatæ atque immoderatæ Reſiſtentiæ multipliciter hallucinatur, & ſibi contradicit. Primùm enim Moderatæ reſiſtentiæ hunc legem fert, Ut ſit *ab omni violentiâ aliena*. Et tamen nihil adverſus moderationem Chriſtianam peccari ait; ſi quis intentantis alapam manus detineat, quod abſque violentia fieri nequit. Et mox immoderatam deſcribit, *quæ violentiam adhibet ubi non debet*. Debere igitur alicubi violentiam adhiberi, non obſcurè oſtendit. Cum igitur moderata reſiſtentia omnem violentiam reſpuat. Immoderata, non ob omnem reprehendatur; ſed tantum ob eam, quæ ubi non debet adhibetur: tertium aliquod genus reſiſtentiæ dari neceſſe eſt; quod violentiam adhibet, ubi debet: quæ jam neque moderata erit; quia non ab omni violentiâ abſtinet; neque immoderata quia eam adhibet, ubi debet. Cur igitur tertium illud arcanum reſiſtentiæ genus, celare nos voluit?

Quartò. Ridicula & non ferenda catachreſis eſt vocem violentiæ ita extendere; ut ſpeciem, ſicut ait, juris tanquam genus ſpeciem comprehendat. Quæ res majori inter ſe pugnâ conſiguot quàm Vis & Jus? quorum alterum ideò introductum eſt, ut à decidendis litibus excluderetur, alterum. Adeonè vocabulorum inopiâ laboramus, ut Vox generi Litigationis competens inveniri non potuerit, niſi illud à re ipſi è diametro oppoſitâ mutuaretur? Paulò ante Vir Bonus immeritò deflebat, quod vera rerum vocabula amiſſa ſint. Nobis nunc jure ridendum eſt, quod falſa inveniantur. Sed & metuendum, ne ſuſpecta iſta verborum novitas, aliquid in ſe doli contineat.

Quintò. Quid ſub iſta novitate Vocis monſtri alatur; ſatis patet, quod per eam inducitur ſuperſtitio, ab omnibus omninò etiam neceſſariis litibus abſtinendi; quę & ipſum Paulum Apoſtolum, immoderatæ reſiſtentiæ nomine damnat; quia ad Cæſaris tribunal litem protrahendo, violenter Feſto & accuſatoribus ſuis reſtiterit.

Sextò. Ubi reſtrictionem noſtram reprehendit, quia perſecutionem juris noſtri limitavimus, eam tunc prohibitam aſſerentes, cum nulla eſt juſta & gravis cauſa ejus perſequendi: *Id vero*, inquit, *non ſufficit: Multò enim magis prohibita eſt: cum eſt aliqua (puta juſta & gravis:* aliàs non ad rem loqueretur.) Quid abſurdius & magis paradoxon eſt; quàm in explicandis iſtis verbis Chriſti, longe magis prohibitam dici juris noſtri perſecutionem; cum gravem cauſam ejus perſequendi habemus; quam cum nullam aut levem?

Septimò in altera moderatæ atque immoderatæ Reſiſtentiæ limitatione ac differentia; quæ noxam adverſarii reſpicit: aut ſibi non conſtat aut iſtam moderatam reſiſtentiam ſubdolè ac pravè limitat. Ait enim *Moderatam eſſe quæ non eſt cum noxa adverſarii conjuncta. Immoderatam quæ etiam ubi violentia licita eſt; à nocendo ei qui malum affert non abſtinet.* Et tamen ipſe poſtea noceri adverſario permittit, dum illata ipſi noxa non ſit par ei quam ab illo metuimus. Quaſi & nos injuriis cum adverſario certare; aut eum malo vincere conari, non prohibeamus. Sed cur ab initio ſtatim hanc noxæ diſtinctionem non addidit? Quid ineptius, quam ejuſmodi explicationem afferre, quæ alia explicatione? ejuſmodi limitationem quæ alia limitatione indigeat; nec illhic ſtatim exprimere quod ſentias, ubi Lectoris intereſt, ne circumveniatur? Nempe in ipſa limitatione fucus faciendus erat Lectori, & generali loquendi modo utendum, quaſi omnis omninò noxæ illatio nobis vetita eſſet; ut novam & nobis adverſam explicationem afferre videretur: cum tamen in reipſa tandem nobiſcum in eo convenire cogatur; *Non omnem noxam inimici prohibitam & ſalvo licitæ* Reſiſtentiæ moderamine; poſſe inimico noceri; dum iſta noxa quam nos metuimus, noxam quam inferimus ſuperet.

Octavo. Hypotheſis illa quam explicationi ſuæ ſubſternit Vir Bonus non poteſt ſine injuria Domini urgeri; per quam ipſi tribuitur quod *Malis fibulam audaciæ laxaverit, dum eos aptiſſimo & penè neceſſario talionis* (qua voce ex vi ſententiæ ſuæ omne pœnæ genus quod noxam aliquam ſceleratis infert Vir Bonus intelligit) *fræno à bonis coërceri vetuit*. Simul illud falſum eſt quod ſubdit. *Ne periret virtutum perfectio; non debebat nimis arctare licentiam malorum manuſque conſtringere*. Satis à Deo proſpectum eſt huic negotio; ne virtutum perfectioni locus deeſſet, quod in capeſſendis aut ſpernendis virtutibus, liberum & illibatum voluntati humanæ arbitrium reliquerit. Non eſt illud ſomniandum, Chriſtum laxaſſe fibulam; quam Deus per Ordinationes ſuas adſtrinxit; aut minus arctaſſe licentiam malorum manuſque conſtrinxiſſe; quàm ante ipſum conſtrictæ fuerant; qui adeò legum forenſium fræna, quibus coërcetur improbitas non reſolvit, ut ea per legem ſuam (quæ omnium Magiſtratuum, & quarum illi ſunt cuſtodes legum obſequium ſanxit) longè magis quam ante adduxerit; cum non modo propter metum, quo ſolo antea contineri videbantur in officio improbi; ſed etiam propter conſcientiam, Legum forenſium cuſtodibus; præſtari obſequium voluerit.

Nono. Quid abſurdus eſt quàm verba Chriſti de Maxillæ percuſſione ita explicare; *Ego volo vos* (verba interpretis formalia) *ita patientes eſſe ut ſi quis vobis ictum in unam faciei partem, vel manu vel fuſte* (quidni etiam malleo aut enſe quoque) *impingat: etiamſi oculus vel dens elidatur: non modo non reſiſtatis malo; ſed ad alium adhuc ictum excipiendum parati ſitis*. Habent aliquid obſcuritatis ac duritiei verba Domini; ſed iſta explicatio longè eſt obſcurior & durior. Nam in injuria non modo tàm atroci: ſed periculoſa quoque ne innoxiam quidem fugam capeſſere; aut injuriam deprecari læſis permittit. Quomodo enim is ad alium adhuc ictum excipiendum paratus ſit? qui poſt unum excuſſum oculum & alterius maxillæ dentes diminutos ſive fugiendo, ſive deprecando, nihil non agit ne alterum ictum excipiat; ut ſibi luſco, potius quàm cæco reliquum vitæ degere:

Et liceat, paucis cum dentibus inde reverti.

Proinde hac explicatione ad exhilarandos Lectoris nihil eſt facetius. Si cortici verborum inhærendum eſt; Non parati eſſe ad excipiendum alterum ictum jubemur; ſed præbere ultrò faciem alteri ictui. Quodſi id Viro Bono abſurdum videtur; ut ultrò non neceſſarium malum ſuſcipiamus; ideoque à putamine verborum recedit; cur non videt longè majus eſſe abſurdum in ejuſmodi interpretatione; quæ ab uſitata alapæ de qua Chriſtus loquitur ſignificatione recedens, ſimplicibus verbis Chriſti novum aliquid & longè durius addit; & ſenſum infert longe plura incommoda ſecum invehentem; præſertim cum Vir Bonus per iſtam gravem & periculoſam maxillæ percuſſionem, *omnes perpeſſiones corporis & plagas etiam atrociſſimas, ne iis quidem* (verba ejus ſunt) *exceptis quas mors poſſit conſequi nobis tolerandas deſignari ſtatuat*. Longè enim minùs abſurdum eſt impingenti uſitatam alapam, præbere ultrò faciem

faciem ut alterum alapam accipiamus; atque ita iracundiam ejus ſatiemus ac placemus: quam adeò periculoſos ictus; non ſemel modo atque iterum, ſed ut vult Vir Bonus Septuagies ſepties ingeminanti, idque quoties eos, legitime & ſalvis cæteris, præter id, de quo quæritur, actibus, is enim quæſtionis Status, repellere poſſis, obnoxium corpus noſtrum ad miſeram & ignominioſam necem proſtituere. Ita Vir Bonus dum longè minus abſurdum vitat, in longè deterius incidit, cum utrumque vitandum fuerit. Præterea quid iſti patiendi obſtinationi, cum moderata reſiſtentia commune eſſe poteſt? quæ non immoderatam tantum, ſed omnem penitus reſiſtentiam tollit? Si verba Domini ita præciſe ut vult Vir Bonus intelligenda ſunt; non modus in reſiſtentia tenendus; ſed ab omni reſiſtentia abſtinendum eſt. Nam de immoderata ac vitioſa nulla inter nos quæſtio eſt; quam & nos non ſegnius, quàm Vir Bonus excludimus.

Decimo. Jam illud quam durum de tunica. *Utrâque*, inquit, *nos exuit Chriſtus & ad nuditatem redigit, manifeſtè indicans patientiam in omnibus injuriis, tantam nobis induendam eſſe, ut ad extremam uſque egeſtatem duret, utque non modo de poſſeſſione rerum, quibus facile carere poſſumus; ſed & maximè neceſſariarum in vita, ſi improbè urgeant, cedamus.* Cum autem rationem qua nos improbi urgere poſſunt, Chriſtus exprimat; ſi nobiſcum judicio contendere velint; ideoque eam reſiſtendi rationem violentam & immoderatam, ac proinde malam & Chriſtianis haud convenientem Vir Bonus ſtatuat: inde conficitur quoties nos improbi litis judicialis metu intentato urgeant; toties nobis vel omnium fortunarum naufragium ſubeundum potius quàm litigandum eſſe. Aliud quoque infinitæ patientiæ jugum; non magis reſiſtendi moderationem ullam, quàm in patientiæ culpam permittit; ita ut iſtis Viri Boni gloſſis cum limitatione, quam affert, reſiſtentiæ convenire nequeat.

Taceo reliqua innumera abſurda; quibus id genus interpretationes ſcatent; quæque non ſingulis modo privatim; ſed publicè univerſis atque inprimis Eccleſiæ ac Reipub. noxia & infeſta ſunt; quarum aliqua ante attigimus. Illud unum hoc loco urgeo. Meritò nobis improbari explicationem tàm incredibilem, ut ipſi ne patronus quidem ejus Vir Bonus bona fide aſſentiat. Ac noſtra quidem interpretatio non modo omnis abſurdi expers eſt; ſed ita ſecum ipſa, & cum ſanâ ratione conſentanea; ut nihil in illa notare queat Vir Bonus, quod non aptè cum reliquis partibus ejus cohæreat. Ideò conſtanter ipſi & æquabiliter in omnibus inhæremus; & quia veritatem nobis ſuam probat, firmiter credimus. At in explicatione Viri Boni neſcio an ſit aliquid; quod ipſe ex animo & bona fide approbet. 1. Patientiam exactiſſimam & infinitam primâ ſpecie oſtentat. Graviſſimas injurias, ictus uſque ad necem; direptionem fortunarum omnium; etiamſi graviſſima & juſta ſit cauſa reſiſtendi; obſtinatiſſimâ patientia concoqui imperat. Phaleræ iſtæ ſunt ad populum. Aliud ſentire Virum Bonum jam oſtendimus, qui etiam citrà graviſſimam neceſſitatem; tantum *ne Nauci & proletarium caput habeatur*; ſeſe ad injurias, quas Chriſtus commemorat, aut etiam leviores, excipiendas teneri non arbitratur. Nam quòd in reſiſtentia modum tenendum ſtatuit; nihil novi excogitavit; eum nos quoque etiam in graviſſimis malis avertendis, moderationem poſtulemus; & nimis protritum ſit, ea meritò reprehendi quę modum excedunt. 2. Legitimam ac moderatam Reſiſtentiam definit quæ ab omni violentia aliena eſt: eamque Violentiæ vocem ita violenter extendit, ut etiam litigationem, de qua Chriſtus loquitur, hoc eſt, modeſtam defenſionem coràm judicibus poſſeſſionis, de qua nobis lirem adverſarius movet; hac voce comprehendat. Quicquid igitur, cum aliqua violentia, quicquid cum ſtrepitu juris conjunctum eſt; illegitimum, immoderatum, vetitum eſſe dicit. Putas hæc tàm tumida; tàm inflata, tàm ἀνέγγυα ab illo ex animo dicta. Excute opinionem ipſius diligentius; & reperies ipſum non credere, illegitimam, & immoderatam eſſe reſiſtentiam, quæ violentiam adhibet ubi debet; quia alicubi violentiam aliquam licitam eſſe putat. Quid aliud nos contendimus? Imo verò in ea verba erumpere non dubitat, quæ quamvis non uſque quoque vera, caulam tamen ipſius jugulant: *Omnis omninò*, inquit, *defenſio ſive per ſe, ſive per Magiſtratum; tàm in levibus, quam in atrocijſimis injuriis, ac periculis licita eſt, ſi moderata ſit.* Nos ne tantum quidem contendere audemus; quia quasdam injurias interdum ita contemnere jubemur; ut eas ne moderata quidem defenſione dignas cenſeamus. Illud autem non intelligimus, quomodo cuiquam liceat curare ut per Magiſtratum defendatur; & eidem non liceat, judicio Magiſtratus ſeſe, ſuaque defendere; quia hic juris ſtrepitus violentus ſit. 3. Jus adverſariis nocendi, penitus & ſimpliciter à Chriſto abrogatum aſſerit & ad Moderatæ Reſiſtentiæ definitionem adjecit eam limitationem, ut *non ſit cum noxa adverſarii conjuncta.* Huic definitioni ac limitationi an ipſe ſideliter aſſentiatur, Lector æquus viderit, dum ait, poſſe adverſario noxam inferri, modo non ſit æqualis ei, quam ab ipſo metuimus. Ideo *Præcipuam*, (ut vocat) *hanc reſtrictionem verbis Chriſti addendam ait, Ne Reſiſtite malo*, ſcilicet, *per illationem ſimilis aut æqualis mali.* Reſiſti igitur malò poſſe cenſet, dum non pari malo.

4. Diſtinctionem inter leves & graves injurias, tanquam nullo fundamento nixam, & merum effugium, ab hoc loco removet & excludit. Hominem Lector loqui ſeriò putet; niſi in Explicatione ejus; neceſſarium hujus diſtinctionis uſum deprehendat; quam ipſe, quid antè ſcripſerit, oblitus, ad explanationem limitationis ſuæ adhibere non dubitavit; dum ait. *In toterabilibus quidem injuriis, omnem noxam cavendam eſſe; in gravioribus autem aliquâ ſi adverſario noceatur, poſſe excuſationem ac veniam mereri.*

Adeò mentes falſis opinionibus imbutos, inter Veri falſique confinium fluctuare neceſſe eſt; quia inſitum nobis rationis lumen; præjudicii tenebris, ita obrui nequit; quin lucis ſuæ ſtricturas, etiam per errorum caliginem jaculetur.

Antequam ab examine Explicationis, quam Vir Bonus affert, longius abeamus; pauca nobis pro noſtra dicenda ſunt. Non eram neſcius, unum eundemque verborum ſenſum, pluribus explicandi modis poſſe exprimi. Atque iſto quoque in loco alii occurrebant; qui ad verborum mentem proximè accedere videbantur. Qualis eſt ille primùm. Adeò præteritas & jam illatas injurias non ulciſcendas; ut ne futuris quidem & inferendis reſiſtendum ſit. Qui ſenſus; (ut alia potiora taceam) vel ob id repudiandus eſt; quia donum aut mutuum petere; quod pro exemplo earum actionum affertur, quibus reſiſtere prohibemur; injuria dici nequeat.

Occurrebat & alter. Cum in poſtulatione talionis ſit certamen quoddam injuriarum, in quo nolumus nos ab adverſario gravitate injuriæ ſuperari: poſſunt verba Domini ſic intelligi: Adeò injuriis & maleficiis certandum non eſſe; ut beneficiis potius contendendum; & ita bono malum vincendum ſit. Qui ſenſus dandi quidem & mutuandi officia aptè comprehendit; ſed illud habet incommodi; quod illi dimiſſioni juris noſtri; quæ per prębitionem maxillæ exprimitur, non magis apte beneficii nomen: quàm litigationi violentię vox convenire videatur. Quamvis enim in omni beneficio de jure noſtro decedamus; non tamen omnis juris noſtri dimiſſio beneficii nomine dici ſolet. Sed latius patere videtur. Ideò ejus potius voce in explicatione noſtra uſi ſumus, ut aptius inter ſe connecti poſſent; quæ Chriſtus affert omiſſæ reſiſtentiæ exempla; ſimul ut generalis iſta, præceptorum officiorum deſcriptio, oppoſitionem illam inter ſummi juris retentionem ac perſecutionem; quæ in talione intervenieba; & ejuſdem, imo & æqui juris dimiſſionem clarius ob oculos poneret.

Animadverti præterea, Dominum eam hoc loco præ-

cipiendi

ciplen li rationem secutum, quam in reliquis omnibus præceptis antecedentibus servavit. Atqui nullum est ex iis quæ ante præcepit, in quo non longe leviora peccata, nova lege vetuerit, quàm illa fuerant; quæ sive antiqua lege Dei, sive institutis hominum vetarentur. Idque fecisse videtur duplici potissimùm de causa. Primùm quia longè perfectius est, etiam à minoribus & quæ vix peccata videantur abstinere; quàm à gravioribus & omnium suffragio damnatis sceleribus. Comparabat autem præcepta sua cum institutis antiquis in perfectione. Deinde quia (quod præcipuum moralis sapientiæ monitum est) per illa leviora delicta, plerumque gradus fit ad graviora: & illa tametsi mole exigua videantur; vim & efficaciam non mediocrem habeant; ut, seu nos ad graviora impellant aut sollicitent; seu aliis ad eadem occasionem præbeant; & fiant quasi fontes & scatebræ graviorum. Qualis est ira & convitium homicidii; lascivus aspectus adulterii, temeritas in quotidianis juramentis, perjurii. Tametsi ipsum per se iræ, aut lascivi oculi, aut solennioris per speciem juramenti asseverationis, delictum; longè levius esset, homicidii, adulterii perjurii scelere. Ita in re præsenti Rixæ & contentiones leviores, quæ circa persecutionem aut retentionem juris nostri interveniunt, sunt unica origo graviorum certaminum, in quibus oculus aut dens excutitur. Hanc igitur originem sublatam, hunc fontem obstructum; harum occasionum ansas amputatas in eo præcepti genere Christus voluit. Non igitur ex vi propositi sui, aut potuit, aut debuit hoc loco, de gravioribus injuriis loqui, quemadmodum nec locutum esse cernimus. Nec aptior hoc loco mentis Domini explicatio esse potuit, quàm quæ ostendit, quomodo illæ omnium rixarum & altercationum scaturigo, puta nimia & morosa sui juris, seu veri sive prætensi persecutio aut retentio, in ipsis leviorum certaminum initiis, per juris summi, interdum & æqui, dimissionem, supprimenda sit, ne in rixas exitiales erumpat; quo nihil ad omnem societatem humanam, inprimis autem Christianam conservandam, & in beato statu retinendam, utilius est & efficacius. Nihil autem ineptius est, quam hoc remedium quod Christus ad avertanda prima & levia adhuc malorum initia, salutariter exhibet; adhibere malis jam adultis & nimium ingravescentibus, quo magis crudescant & exasperentur. Neque enim eadem remedia vim morbi curare possunt, posteaquam in nervum erupit, quę primis illius initiis avertendis profuissent. Quemadmodum autem ira, stultitię exprobratio, acris objurgatio, aspectus mulierum, divortia, juramenta quamvis à Christo absolutè prohibita videantur; tamen quoties eorum justa & gravis causa intervenit, & intrà limites prudentiæ Christianæ se continent; prohibita non censentur, ita nec resistentia in omnis generis injuriis, etiam levioribus, de quibus hoc loco solis exprofesso agitur.

Accessit alia quoque causa, ob quam hunc explicandi modum aliis prętulimus, quia is prę cęteris necessitatem illam exprimit, ob quam Christus leviorum, non autem graviorum injuriarum exempla, ut videmus, protulit. Erat enim illi propositum, ut in omnibus quoque antecedentibus, aliquid amplius prohibere, quam in eo Dicto continebatur, cui suum præceptum opponit. Cum igitur illud dictum, summi juris persecutionem aut retentionem contineret; non satis ipsi visum est, eam solam prohibere; nisi æqui etiam juris retentionem aut persecutionem prohibuisset. Cæterum cum de æquo jure suo decedere in iis tantum sit laudabile, in quibus gravis causa non intervenit cur illud retineamus, quales ordinarie esse solent injuriæ atque noxę non adeò noxię aut pernicioso: non sine gravissima causa fecit Dominus quòd injuriarum & noxarum non capitalium; nec irreparabilium exempla produxerit. In iis enim solis æqui etiam juris dimittendi occasio, ordinariè sese affert. Potest autem extraordinaria incidere causa; ob quam etiam in gravissimis injuriis atque noxis etiam de æquo jure decedendum sit. Quæ enim moralium regularum est; quæ omni exceptione careat? Neque nos idcircò de gravibus injuriis Christum non loqui hoc loco diximus, quòd non & in gravibus injuriis aliquando illicita sit resistentia: aut quod non & illæ, si accidant, patienter & moderatè ferendæ sint. Sed non omnia Christus in uno loco præcepit. Cum igitur hoc loco mentem suam per ejusmodi exempla explicet; quæ nihil habent capitale, periculosum, pernicioſum, cur præter fas & æquum; contra analogiam religionis? adversus rationis dictamen? præter ipsorum verborum propriam significationem; ad sensus absurdos, vastos & immanes; simplicia verba Legislatoris nostri potendamus; aut potius detorqueamus.

Supereſt ut ad Syllogismum demonstrativè & apodicticè, ut ait, arguentem, pauca respondeamus. Tale huic infanti nomen inponi non potuit nisi per ἀντίφρασιν. Conditiones Demonstrationis sunt; ut ex præmissis, veris, primis, immediatis, notioribus & prioribus & causis conclusionis, inferat conclusionem. Atqui hæ præmissæ neque veræ sunt neq; notiores &c. Non igitur possunt esse causæ conclusionis. Certè & natura sua; & nobis quoque longè notius est; hominem præsertim de industria non esse occidendum, quàm malo homini non esse resistendum per illationem mali gravissimi, quod forte is timeat. Breviter, duplici morbo laborat hic syllogismus, primum externo; quod utraque ejus præmissa falsa sit: deinde interno; quod occultæ ambiguitatis sophismate sit captiosus. Falsum est omne resistentiæ genus, quod fit per illationem mali gravissimi; quod à malo homine timetur, esse à Christo prohibitum. Sic enim pœna Magistratuum, imo & Ecclesiasticæ tollerentur. Non debebat autem id pro præmisso demonstrationis poni; quod est illud ipsum πρῶτον ψεῦδος de quo quæritur. Deinde nullum ex malis est, etiam le vioribus, quod ex mente Viri Boni non possit dici gravissimum; quodque à malo homine non timeatur. Atqui per ejusmodi mali illationem, non posse malo homini resisti; ne nos longè graviori quàm illud sit, afficiat; ne ipse quidem Vir Bonus ut vidimus credit. Falsum & illud omnem defensionem cum cæde hostis conjunctam esse; aut fieri per illationem mali gravissimi, puta necis, quæ maximè à malis hominibus timetur: cum legitima & moderata defensio, & absque cæde sæpe soleat; & absque animo occidendi semper esse debeat. Deinde in voce *resistentiæ per illationem mali* latet ambiguitas. Aut enim ista illatio mali consideratur ut per se à resistente intenditur, quo sensu majori probabilitatem conciliat: aut ut per accidens præter mentem resistentis intervenit, quo sensu minor intelligi debet, si contra nos, non contra ventum Vir Bonus dimicare velit. Dabimus ejusmodi argumentationis specimen; non paulò etiam melioris, quam est hic Viri Boni fœtus quia aperto falsitatis morbo præmissa ejus non laborant. Figenda est etenim crux in qua se exerceant, frequentium syllogismorum architecti. Qui dicit Virum Bonum nobiscum disputare; verum dicit.

At, qui dicit Virum Bonum ineptè adversus nos argumentari; dicit illum nobiscum disputare.

Ergo, Qui dicit Virum Bonum ineptè adversus nos argumentari: verum dicit.

Placetne id genus demonstratio & apodixis? Certe Virum Bonum aptè & legitimè disputare voluisse non dubito. Et si quid parum aptum & legitimum disputanti excidit, præter mentem ipsius evenisse oportuit. Non autem ex eo quod præter scopum ejus evenit; mens ejus æstimanda est; non magis quam mens vitam suam defendentis ex eo quod præter voluntatem ejus interdum evenit. Nec magis per se connexa est cum defensione cædes; quàm cum disputatione captiosæ argumentationis elenchus.

Non potuit Vir Bonus capiti huic colophonem imponere, quin ad reprehensionem nostri supercilium attolleret; & nescio quam immodestiam nostram taxaret quod ita facit ut ipse modestiæ oblitus esse videatur. Nam & frequenter & audacter insimulat nos ejus culpę, à

quę

qui longissimè absumus. Neminem eorum qui verę pietatis studio, & ne conscientiam, licet errantem, laedant, à defensione abstinent, inertiæ vel timiditatis arguimus. Imo verò eos quorum in ejusmodi casu; aut occupata præjudicio, aut fluctuans est conscientia, damnamus si attentare audeant quæ Domino displicere, vel leviter suspicantur. Beatiores tamen cum Apostolo censemus eos, qui seipsos non judicant in eo, quod probant. Quod autem diximus, homines sępe Deo imputare, quę vitiis suis prestant; nihil à veritate & experientia alienum diximus; & hæc reprehensio innoxios non attingit, noxiis nullam affert injuriam. Si in Dei messem falcem nostram immittere auderemus; & omnes omninò quicunque à defensione abstinent, ignaviæ damnaremus, faceremus immodestè, præsumentes nos scrutari abdita cordium posse. Sed quod sæpe accidere omnium oculi vident & manus palpant, commemorare nihil habet immodestiæ. Quemadmodum & illud asseri potest illæsa modestiâ; virtutis hujus specimina quali animo edantur, sæpe soli Deo cognitum esse posse. Nec illam actionem cujus occulta; ideoque dubia est progresis (quod ad laudis prestantiam & æstimationem attinet) cum ea comparandam, quam nonnisi magno & præstanti animo suscipi constat, quale est martyrium. Id nos sentiendo & affirmando erga neminem sumus immodesti. Sed V. B. erga nos inique & immodestè se gerit; dum nobis invitis, ea tribuit, à quibus planè abhorremus. Quale est illud, nescio qua fide aut fiducia nobis objectum, quod nos non contenti probare necem inimici non esse illicitam, insuper id velimus evincere ut necessariò inimicus interficiatur; quia ejus cædem absque stultitia & superstitione omitti non posse censeamus. Quomodo enim posterius verum esse possit; cum ne prius quidem verè nobis objici queat, qui si inimici cædem absolutè licitam esse contenderemus; dari aliquam necessitatem, in qua occidendi inimici animus sumi possit, decernere non recusaremus. Unde patet, quantò modestius nos sententiam nostram propugnemus, quàm Vir Bonus oppugnat existimationem nostram.

CAP. VI.

REsponsionem nostram, ad rationem allatam ex loco Pauli ad *Rom.* XII. 17. frigidè ac jejunè proponit, quia vim ejus omittit: Sed multò frigidius refutat; quia ea tantum carpere nititur; quæ occasione hujus responsionis dicta sunt: sæpius autem ea quę tantum dici potuerunt, necà nobis dicta sunt. Vis responsionis nostrę in eo est. Non posse ex hoc loco adversus bellorum & suppliciorum jura argumentum duci; primum quia hic locus duntaxat agit de vindicta eorum; qui jus vindicandi non habent: deinde quia agit de privatâ tantum; ac ne eâ quidem omni sed immediata, quę absque Magistratus interventu perficitur; ideoque mediatæ ibidem non obscurè opponitur: ac proinde de vindictâ vitiosâ & ex animi impotentia profectâ. In bellis autem ac suppliciis, vindicta sit jure vindicandi subnixa; ac proinde legitima, publica & animi impotentiæ expers.

Hæc omnia omittit Vir Bonus; tantùm in iis quæ ad jugulum hujus rationis non pertinent; ansas dissentiendi non aliter quàm nodum in scirpo quærit. Quicquid enim comminiscitur; quod nobis opponi possit; ipse paulò post evertit.

Ante omnia urget & asserit: *omnem vindictam, quam proprie dictam vocamus* (vocamus autem eam; quæ fit ab iis, qui jus puniendi non habent) *sive per se, sive per Magistratum perficiatur, interdictam esse.* At una atque altera pagina interjectâ ait: *Nec nos omnem omninò molestiam ab inimico abesse volumus, quando vel Magistratus opem contrà eum imploramus, vel per nosmetipsos illius vim, à nobis repellimus.* Concedit igitur ἀλεξητικὸν & molestiâ inimico, sive per se sive per Magistratum, inferri; nec esse interdictam: &, quod observatione dignum est, etiam violentam. Et mox aliquod damnum & malum hosti in atrocibus injuriis & *periculis declinandis inferri permittit; dum istud malum aut damnum; quod infertur inimico* (verba sunt ejus) *sive ante, sive post injuriam illatam, non sit majus aut æquale ei, quod ab eo sive accepimus sive metuimus.*

Deinde nos de ultione, secundum formalem suam rationem consideratâ, triplici vice perperam locutos arguit. Et tamen credit nos isthic, non de formali sed materiali, Ultionis locutos.

Si non perperam nos arguit; perperam credit, quod ait. Si bona fide credit quod res ipsa credi flagitat; perperam nos arguit. Quid opûs erat vulnera infligere; quæ mox eâdem manu sanarentur? Sed aliter nodus inveniri non poterat, qui in scirpo quærebatur.

Mox cum in propositæ quæstionis statu deprehendere non posset, quod oppugnaret, more suo egreditur ultrà limitem controversiæ: & probat *pœnam & noxam injusto homini inferendam, flagitare à Magistratu non esse concessum.* At ubi nos toto hoc capite eam à Magistratu flagitari posse aut debere contendimus: quam in lite publica, ne intendi quidem directè permisimus? Certe qui aliquid à Magistratu flagitat; annon id, ut obtineat directè & primariò intendit? Potest vox *primariò* (ut superiori capite vidimus) non iis opponi quæ secundariò intenduntur: sed iis duntaxat quorum eventus ratio non habetur; quamvis nullo modo de industria intendantur.

Cæterum quoniam ab adversario eò trahimur; sequamur hominem, Statum quæstionis, latius, quàm nos hactenus fecimus, protendentem; & videamus utrum aliquando pœnam injusti hominis saltem secundario velle & intendere, non liceat. Secundariò autem intendi aliquid hoc loco dicimus; quod non propter se; qualia sunt, quibus delectari solemus: sed propter alium potiorem finem intendimus. Ut cum id spectamus, ne impunita dimittantur flagitia; propter nostram aut publicam securitatem. In quo sępe, si modus, mansuetudo, & prudentia Christiana non absint; nihil video, quod aut interdicto Domini; aut reprehensioni subjaceat. Aut, inquit, injuria jam est illata, aut nondum. Insufficiens est enumeratio casuum. Magis ad propositam quæstionem pertinet tertius casus in quo partim jam est illata injuria; partim timetur alia, & subinde major atque atrocior si impunitate licentia crescat. Prior utcunque damni reparatione, contenta est. Posterior adeò gravis & metuenda est, ut ejus periculum, vel istius reparationis neglectu & jacturâ redimendum sit. Præstat enim semel atque iterum inultam & irreparatam, ut sic loquar, injuriam pati; quàm semper præsentissimum discrimen timere. Nec video ubi, aut in isto Apostoli loco; aut alibi per Magistratum aliquas pœnas quibus privatæ publicæque saluti consulitur, postulari, planè interdictum sit, præcipuè in gravioribus injuriis; de quibus *Matth.* v. 39. Christum loqui non potuisse, demonstravimus. Nam leviores planè spernendæ sunt, præsertim si earum vindicatio, (quod frequentissimè accidit) plus periculi, quàm emolumenti afferat: de quibus casibus & injuriis Christi verba intelligenda, non nos soli arbitramur, sed & ipse Vir B. dum sibi earum resistentiæ; (quanquam ut nos quoq; facimus, moderatæ) veniam indulget: tantum ne nauci & proletarium caput habeatur.

Sed videamus quomodo probet, pœnam præter damni compensationem exactam esse vitiosam. *Quia*, inquit, *non potest non esse conjuncta cum voluptate ex afflictione & punitione inimici; quam, ut tolleret Christus nocere adversario prohibuit.* Per istam voluptatem non illam intelligit quam ipsi Deo S. S. tribuit: sed vitiosam impotentis animi exultationem, ex alienis malis. Atqui eorum quæ asserit falsum utrumque, alterum & præposterum est. Potest enim alicujus pœna posci atque exigi, absque vitiosa ista voluptate; ut si quis profusum ac dissolutæ vitæ propinquum & qui genti suæ dedecori sit; ac monitorum impatiens professus eo nomine cum agnatis inimicitias exerceat: per Magistratum curet in pistrinum compingi, in quo aliquamdiu miseram vitam trahat; quo modestius in posterum ætatem degat; ærumnis

exercitus. Non omnis pœna vitiosam istam voluptatem secum trahit, nisi eam isti exigant; in quibus vitiosum erga puniendos odium præcellit, aut durat erga punitos. Sed ne omne quidem odium vitiosum est. Possumus enim vitia hominum potiùs odisse quam homines eaque punire aut punienda curare: bono eorum qui puniuntur. Multa mala interdum inviti infligimus; etiam iis quibus alioqui optimè cupimus; è quibus plus doloris quàm voluptatis capi potest. Multa è quibus, etsi doloris nihil in nos redundat; at ne voluptatis quidem quicquam, præsertim vitiosæ. Alterum autem non modo falsum sed ridiculum est, *quod Christus ut tolleret voluptatem ex afflictione inimici; nocere ipsi prohibuerit.* Longe enim verius & credibilius est, vitiosam istam voluptatem prohibitam, ne tantò promptius vitiosè noceri hominibus posset; quàm vitiosas noxas prohibitas, ne ista voluptas capi posset. Loquimur sic ideò, quia sunt quædam ut odia, ita & nocumenta; imò & gaudia quæ ex iis capiuntur, non vitiosa. Nusquam simpliciter & absolutè, noxam inferre prohibitum est; sed secundum quid, si vitium & injuria accedat. In quo casu, noxa ipsa atque injuria, longe pejor est & odiosior; quam voluptas quæ ex ea capitur. Nec injuria ista propter captam ex se voluptatem; sed voluptas ista propter injuriam reprehensione digna est. Nam si quis gaudeat ob illatam alicui pœnam, quàm ipsi privatim, aut etiam publicè cunctis profuturam speret; non magis reprehendendus est, quam, qui gaudet ob amarum & quod ægrum miserè excruciet remedium, obtrusum & ingestum invito & reluctanti; sed qui, nisi vim passus, sanari non poterat. Itaque voluptas ista si injuria abest; plerumque nihil habet culpæ: at injuria etiamsi nemo ex ea voluptatem capiat, per se vitiosa est. Longè igitur deterior & magis noxia est, injuria ipsa, quâ quæ ex ea capitur voluptas. Ideo absurdum & præposterum est, rem natura suâ longe deteriorem, & magis noxiam, ideò prohibitam censere; ut leviori & quæ omnem propemodum culpam à deteriori trahit, locus non esset.

Vitium non in forma solum; sed in materia ultionis esse posse, neque ignoravimus neq; unquam negavimus; quod evenit cum non simplex est ultio; sed cum injuria complicata. Nam ut injuria sine ultione; ita & vetita ultio, potest esse absque injuria. Ut cum eum, cujus puniendi jus nobis non deest, punimus animo impotenti: nec excedimus quidem modum in puniendo supra ejus meritum; verum id fit, non quia nollemus: sed quia non possumus; propter valetudinis forte aut virium infirmitatẽ, quas in quibusdam vel ipsa enormis ira debilitat. Sicubi igitur à nobis dictum est; in ultione tantum esse malum, illud satiandæ impotentis iracundiæ desiderium, de solâ & per se considerata ultione locuti sumus: non de eâ, quæ suum peculiare vitium, adventitiâ injuriæ culpâ cumulat. Nec aliter differendum est, quoties accuratius rerum naturas scrutamur, quam ut indolem earum per se, & ab iis, quibuscum vulgò confundi solet, sejunctam, consideremus. Non is qui simpliciter alicui nocet: sed qui injustè nocet; nocens est. Etsi etiam justè nocere interdictum sit, actum est de innocentia.

Notandum autem est hoc loco, V. Bonum omissis, quæ hoc capite refutanda erant, ad ea reverti quæ proximè præcedenti, à nobis dicta sunt; qua crypsi methodi uti solent: qui nuditatem responsionum suarum, Lectorum conspectui exponere nolunt; ideo eas aut ad calcem capitis, aut ad subsequens caput relegant; quas tamen interdum in assignatis locis nusquam reperias, nisi fortè exilia earum vestigia atque ablegmina, quæ procul ab iis quibus opponuntur abstere volunt, ne collata de propinquo rationum momenta, futilitatem eorum redarguant. Citat igitur ac refutat verba nostra ex proximo capite, *in quibus vindictam in animo esse asseruimus.*

Enimvero ut aliquod delictum vindicetur, non sufficere animo rectum finem puniendi sibi proponere, nisi jus & potestas puniendi adsit; plane & omninò animadvertendum est. Sed quâ fide à nobis id non animadversum V. B. asserit, qui in hoc ipso capite, & hoc loco *Rom.* xii. eam tantum vindictam prohiberi urgemus, quæ jure vindicandi destituitur. Proinde pleraque eorum quæ hic differit; aut pro nobis contrà ipsum militant, aut nos non attingunt, aut alibi plenissimè refutata sunt.

Ictus ac verbera, animo, quo bonum patientis quæritur illata, excusari nemo dubitat. Sed non in omnibus, quæ jure inferuntur & excusantur, pœnis aut ictibus, bonum patientis quæri necesse est: quia sæpe quæritur bonum longè præstantius bono patientis; quale est bonum publicum in communi, quale est, in specie bonum insontium, qui quo meliores sunt improbis; eo præstantius ipsorum bonum, bono improborum esse, necesse est. Quod si ictus ac verbera, bono longè viliori excusantur: multò magis præstantiori. Supponimus tamen, ut dictum est, ea conditione mala ista excusari, si absit injuria. Abest autem etiam isthinc; ubi juris & potestatis defectum vera & suprema supplet necessitas.

Quando oculum pro oculo, læsi exculpi postulant: fieri nequit quin ultionis acerbitate animum exsatiare velint: quia etiam leviori, atque ut sic dicam reparabili pœna à similibus ausis, deterreri possunt improbi. Imò sæpe reparabiles; sed magis cruciantes noxas, magis timent, quàm irreparabiles: quemadmodum fures, pistrinum magis, quàm furcam. Malefacere inimicis non malitioso animo, etiam ipse V. B. permittit, dum malefactum quod iis infertur, non sit par ei, quod illi inferunt.

Deinde probat *Vindictam proprie loquendo non esse in animo.* Mirum est, quod V. B. quoties aut accuratius, aut magis propriè loqui vult, toties cespitat, & deterius quàm ante loquitur. Non omnium διαίρεσις φορτίδι, & cum intendunt animum, meliores esse solent. Sunt quibus primæ cogitationes melius succedunt. Nec longè arcessendæ sunt rationes quibus ista refellantur. Si verum est quod pagina abhinc tertia asseruit. *Vindictæ propriè dictæ* (notanda sunt formalia V. B. verba) *formam esse animum impotentem; & solatium ex illo inimici nocumento quærentem*: quomodo falsum est, *Vindictam proprie dictam esse in animo?* An forma potest esse absque eo, cujus forma est? aut res, absque sua forma? Denique qualem nobis in Ideis rerum contemplationem V. B. exhibet; ut, formæ rerum per quas res sunt, id, quod sunt, alibi ætatem exigant; alibi res ipsæ.

In gravibus damnis atque injuriis, pœna præter damni refusionem postulari potest, etiamsi vindictam animo non spiremus; quibus verbis impotens animus, exprimi solet; cum pœna moderata; etiam ab animo sui compote, salva mansuetudine, exigi possit.

Quoniam V. B. libens scire cupit, utrum oculi excussio levis, an gravis à nobis injuria censeatur: Sciat vel invitus, eam ideo in antithesi Domini, inter earum quas contemni jubet injuriarum exempla, omissam; quia est gravior, quàm ut ita sperni possit; quomodo aliæ, quas memorat, sperni jubentur. Damnum enim ejus, & grave est, & irreparabile. Sperni autem commemoratæ hoc loco injuriæ jubentur, non præ aliquo ingenti: sed præ longè leviori natura sua malo, quàm sit oculi effossio: puta vel præ altercationis periculo, quæ sæpe cruento exitu caret: vel præ litigatione: & quidem ejusmodi, quæ non nostra culpâ instituatur; sed ejus qui rem nostram nobis, iniquæ litis metu, extorquere velit. Cujus litigationis incommoda, quamvis nobis sæpe, non exigua molestiâ constare possint; quod ea prudentia prævenire neglexerimus, nemini tamen per se vitam æternam auferunt; & inter mala terrena cum effossione oculi comparari nequeunt. Non potuit igitur injuria adeò irreparabilis, inter ejusmodi injurias interseri, quæ ad evitandum longè levius quàm in ipsa sit, malum, sperni jubentur. Cujus rei causas capite superiori exposuimus. At ubi Christus in exemplis pedum amputationis aut animæ ademptionis, vindictam seu pœnam illo modo prohibuerit; velim doceri. Nam *Matth.* v. capite toto altum de eo est silentium. Nisi quod *vers.* 21. animæ ademptionem & pœnam ejus

ejus commemorat: sed hanc adeò non prohibet; ut ad plura quam lex comprehendebat, (quamvis in spiritualibus delictis, spiritualiter irrogandam) protendat.

Ait mox. *Ex eo quod Christus prorsus prohibuit ne pœnam Talionis* (quæ vox notanda est) *exigamus; manifestum est, ipsum, nos ab ejus desiderio tam alienos esse velle, ut nec propter aversionem futuri mali, eam ullo modo expetere permittat; quod tamen V. Mag. affirmat atque urget. Eccur quæso contrà Solem loqui, id est contra tam aperta Christi verba disputare nobis libet?* Imo nos quærimus, cur non modo præter mentem; sed adversus aperta verba nostra, nobis id tàm audacter tribuitur; à quo longissimè absumus? Nosne pœnam talionis licitèànobis expeti posse, affirmàmus aut urgemus? qui ne pœnam quidem ullam talione minorem intendi à nobis primariò posse, palàm professi sumus? Quam ne secundariò quidem intendi posse nobis tunc affirmare indulsimus; antequam nunc in eum disputandi campum pertraheremur. Sed an Christus talionis pœnam prohibendo omnes omninò pœnas sustulit? Hoc ne V. B. quidem dicere audeat qui pœnas talione leviores hoc est quæ minus mali in se habeant; quàm quod ab inimico sive accepimus, sive metuimus, in atrocioribus periculis declinandis inimico inferri, permittit, ut absterreri à nefariis conatibus possit. Vide verba ejus duabus ab hinc paginis posterius expressa. Non igitur disputatio nostra quæ de pœnis simplicibus agit, adversus ea verba pugnare potest; quæ agunt de pœna talionis. Et adeò Domini præcepto non contradicit, ut ne Viri Boni quidem opinioni, quamvis præceptum Domini latius quàm par sit extendenti contradicat.

Divinissimum & præstantissimum modum securitatis nobis præstandæ in eo quem Christus tradit omittendæ Resistentiæ præcepto, agnoscimus: & qui in ejusmodi periculorum occasionibus, quas Christus exprimit; hoc est in ipsis primis malorum initiis & accessionibus nobis ad securitatem mirificè prosit. Cæterum etiam optimorum medicorum remedia contumaces morbos exasperant, si ultrà præscriptum intempestivè adhibeantur. Nec istud patientiæ remedium & asperiorum rixarum antidotum omnium omninò pœnarum exigendarum, necessitatem tollit: sed potius modum exigendarum, tacita quadam vi atque indole sua totius religionis analogiæ congrua præscribit; ut sit citrà rigorem summi juris & cum multa æquitatis indulgentia conjunctus. Nam quamvis V. B. opinionem suam proponat verbis valde bonis; & Transcendentem, (ut sic loquar) sanctimoniam spirantibus; tamen vehementer fallitur, si putat, in re ipsa, majorem se innocentiam ab homine Christiano requirere, quàm nos requiramus. Graviter enim nocere inimico aut malo homini planè non permittimus, nisi necessitas urgeat. Quæ eum dupliciter nobis incumbere soleat: ex officio, aut ex accidenti: ea quidem quæ ex officio facimus, quamvis alicui noceant, nostræ culpæ tribui nullo modo queunt; quia ea non facere, non est in potestate nostra; & nisi à nobis fierent, nocentes nos bono publico & privato; atque ipsius Dei ordinationi refragantes, efficerent. Quæ verò incidens, citra impositum nobis ordinarium officium ne cessitas sæpe postulat; in iis ea moderatione nocendi licentiam refrænamus; ut ne in præsentissimo quidem ne cis nostræ periculo, animum interficiendi inimici, sumi permittamus. Quodsi id in ipso violentiæ necessitatis periculo non licere putamus; quantò minùs citra ullam urgentem propinqui periculi necessitatem licebit? quod accidit cum aliquem, certò periturum scimus, si eum capitis accusemus. In quo tamen benignitatem nostram, ita prudentiâ temperari æquum est, ut non semper improbi homines sciant, quæ adversus nos patrant; (quod ad vitæ periculum attinet) sibi impune fore. Plurima alia id genus in benignitate, misericordia, patientia innocentiæ nostræ officia, nobis oblatis occasionibus præstanda esse, non tàm ex vi præcepti hujus, quàm reliquæ Christi doctrinæ, non dubitamus. Talis enim misericordia nobis promittitur; qualem ipsi erga alios præstiterimus; & nisi aliis noxas remiserimus, peccata nostra nobis remissum non iri, denunciatam est; quod nos à capitalibus noxis inferendis, multò efficacius absterret, quam frigidæ ex pravè intellectis verbis Domini deductiones, quibus ob absurditatem, ne ipsi quidem bona fide assentiuntur, qui eas deducunt.

Exemplum prædicationis religionis Christianæ, cui discidiorum ignis adjunctus sit, (quomodocunque verba de illa prolata accipiantur) à re quam illustrandam suscepimus, non est alienum. Ut enim expressa verba nostra sonant; ostendendum illic suscepimus, ejusmodi resistentiam malis hominibus dari posse, quæ per se quidem pacem, justitiam, & maximè optanda bona spectet ac intendat; ex accidenti vero, aliquas, quas per se, nollemus accidere, pœnarum miserias adjunctas habeat; quemadmodum prædicatio religionis, per se pacem spectat; per accidens autem ut Servator ait, discidiorum incendia spargit. Etsi igitur hæc dissidia pro culpa duntaxat hominum sumantur; in eo similis est rei utriusque ratio, quod utrobique per se optima quæque intenduntur; per accidens autem interdum ea eveniant; quæ per se non intenduntur. Nam quod ait, dissidia ista non ita cum prædicatione Evangelii conjuncta; ut hæc, sine illis esse nequeat: reponimus nos, ne resistentiæ quidem, spectantis societatis felicitatem pœnarum miserias semper esse conjunctas; ut cum homines metu pœnarum absterriti, faciunt officium: cui tamen metuilocus nullus esset nisi resistere liceret. Quanquam si in genere ut nos facimus, prædicatio ista spectetur, haud scio an dici possit, non semper illam, nec necessariò, ignem hunc dissidiorum consequi. Sunt enim quædam quæ per se quidem ac simpliciter necessaria non sunt, at ex hypothesi, ob culpam hominum intervenientem, vix evitabilem habent necessitatem, ut cum Spiritus Sanctus dicit Oportet esse hæreses, quod obiter dictum esto.

At si dissidia hæc pro culparum pœna, ut ipse V. B. explicat, sumantur, non est ovum ovo similius, quàm exemplum istud rei, ad quam illustrandam allatum est. Ut enim prædicationis Evangelii utilitas; atque adeò ipsius Dei mens, qui per eam genus humanum beare voluit, non ex eo æstimanda est, quod ipsi per se nolenti, per accidens interveniens hominum malitia extorquet; ut tam salutare remedium, mortalibus in toxicum vertat; Ita Resistentiæ utilitas, & eorum mens quibus ea legitimè competit, quæ per se maximè optabilem, statum socieratis spectat; non ex eo æstimanda est, quod ipsis invitis per accidens interveniens improbitas hominum exprimit. Unde conficitur res per se optimas, interdum aliquid mali per accidens adjunctum habere. Falsum autem & absurdum est, Dissidia prædicationem Evangelii consequentia, etiam quatenus sub ratione pœnæ considerantur, Deum *velle & appetere; & eorum auctorem esse*. Sunt enim quædam pœnæ (quas inter, & hæc de qua loquimur) quæ ita ipsis culpis adnatæ sunt, ut illas sponte suâ consequantur, nullo divinitus superveniente supplicio. Tales autem pœnæ, plerumque cum ipsis vitiis idem sunt: aut æquè; interdum & magis, quàm ipsa vitia reprehensione dignæ: ita ut à vitiis sola ratione discernantur. Quas Deum velle; & appetere, & quoquomodo earum Auctorem esse, durum dictu & absurdum est. Cum Deus ne ea quidem supplicia, quæ quamvis delictis provocata, tamen cum inferuntur, per se sæpe ab omni humana culpa abjuncta sunt; qualis est mors peccatoris; & quorum Auctor jure dici potest: propriè velle & appetere dici possit. Cui vel injurato credi poterat; quantò magis cum id sanctiori asseveratione firmaverit.

An à Deo aliquando pœna sontium precibus poscenda sit, quæri posset accuratius. Sed & volumen in immensum creseceret: Nec nos per Magistratum necem inimicorum flagitari volumus; quia ejus postulationis satis urgens necessitas abest; quamvis pro ratione delicti, quin gravior quoque pœna postulari queat; causam non videamus. Sed multum interest inter invocationem Dei & Magistratus: Deum enim, etiam non instantibus nobis

injuriarum noſtrarum certiſſimum vindicem fore dubitare non poſſumus. At Magiſtratus ne noſſe quidem aliquando, niſi admonitu noſtro, injurias noſtras poteſt. Vindicata autem ſæpe negligit; niſi (quemadmodum Judex ille iniquus in Evangelio) importuna flagitatione adactus. Preces interponi pro aliquo, ne gravius æquo puniatur: ſed tamen ut puniatur; etiam apud homines poſſunt. Quidni & apud Deum?

Malum & pœnam per *Magiſtratum ſontibus irrogare, quocunque tandem id animo fiat, Chriſtianum piumque non eſſe* Vir B. fortiter aſſerit ſed fortius non credit; quia ſtatim pagina ſequenti, pœnas quibus abſterreri à nefariis conatibus poſſint, non prohibet, dum non ſint pares malis quæ ab iis ſive accepimus; ſive metuimus.

In argumentatione, quæ deducit, Diſtinctionis inter graves & leves injurias in defenſione noſtri nullum eſſe uſum; quia nunquam liceat orare Deum ut inimicum interficiat; quæ lis connexio inter medium terminum & terminos concluſionis; nobis tacentibus, Lector, artis dialecticæ peritus expendet.

Delationes ad Eccleſiam quod attinet. 1. Ut in Eccleſia jus eſt fratrem reprehendendi & caſtigandi, ex ordinatione Chriſti: ita in Republica jus eſt ſontes & injuſtos per Magiſtratum coërcendi, ex ordinatione Dei; qui eum in bonum inſontium ordinavit. Cujus ordinationis uſum Chriſtus alicubi moderatus eſſe videtur; nuſquam ſuſtulit, paſſim confirmavit.

Secundo, Ut in pœnis Eccleſiaſticis, non quicquid mali infertur peccantibus, excuſatur peccantis utilitate; ſed etiam interdum, bono publico totius Eccleſiæ Dei; quod fit in excommunicationibus, ita in pœnis Magiſtratuum id malî quod infertur ſontibus, excuſatur ſæpe ipſorum quoque utilitate, aliquando ſolo bono publico, & ordinantis Dei auctoritate. Utrobique amaritiem pharmacorum, fructu ſalubritatis compenſatur.

A verbis ad verbera, ingens ſaltus eſt in Eccleſiaſtico regimine, quia ipſum hujus regiminibus limen tranſiliendum eſſet; à quo procul arcetur omnis violentæ coactionis rigor. Sed in Republica, cujus regimen legitima vi, & cogendi poteſtate ſubnixum eſt, à verbis, niſi proſint, ad verbera, proximus & contiguus eſt gradus. Verbera igitur & plagas ſi frater fratri ingerat; ut eum ad fidem & pietatem quæ voluntaria eſſe debent, adigat, nihil eſſet ineptius; quia hæc media fini deſtinato apta & congrua non ſunt. At extra Eccleſiæ regimen, frater in Magiſtratu poſitus, fratrem exlegem & verba non curantem, niſi violentius coërceat; deſit impoſito ſibi officio, nec finem ſibi propoſitum unquam aſſequatur. Sed bene eſt, quod hujus exempli occaſione, Bono Viro in ea contemplatione lux aliqua oborta ſit; ut jam negare deſierit, pœnas per Magiſtratum exigi poſſe, dum ſint mitiores malis, quæ ab improbis accepta ſunt, aut metuuntur. Cætera verò quæ hic differit, admirti poſſunt.

Confert deinde; Vir Bonus, inter ſe triplicem inſtinctum ac dictamen Naturæ, rationis, ac Religionis, in oblata forte boni malique nobis aut inimico imminentis eligendi optione, ſive illud ſit graviſſimum ut ſalus & pernicies; ſive levius, ut lucrum aut damnum. Et ait primùm abſolute ac ſimpliciter, nos potius ſervari & indemnes eſſe quàm inimicum ut malimus, Naturam dictare, Rationem permittere. Quaſi ratio quoque idem ultrò non dictet; ſed quaſi invita permittat. Sed in hac abſoluta optione, quid ipſa Religio quoque permittat, dicere debuerat. Neque enim certè, id prohibet, ſed potius poſtulat; ut nos ſervari, quàm alios; multò magis quàm inimicos malimus, quia ſalutis æternæ præmium propoſuit, non ita aſpernandum; ut eo ipſi carere quàm inimicos privari, æquiori animo feramus, eoſque illud potius conſequi quàm noſmetipſos malimus.

Mox ab abſoluta optione gradum facit ad dictam & conſideratam ſecundum quid; & ait: *At ſi per nos perire; aut noſtra opera graviter lædi inimicum debeat; tùm verò eadem ſana ratio, & multò magis Chriſti religio dictat, ſatius eſſe nos malum iſtud quamvis graviſſimum ſubire; quàm proximum; quàmlibet inimicum in id præcipitare.* Id verò ſi ſine injuria & culpa noſtrâ fieri nequeat, non difficulter conceſſero. Nam & ipſa Ratio ſponte ſua ab omni abhorret injuria; & culpa: & multò magis ab ea per religionem Chriſti abſterretur. Cæterum quia id aliquando citrà ullam inimici injuriam, & noſtram culpam, contingere poteſt; id ſi abſolutè, & citrà ullum injuriæ aut culpæ reſpectum, Vir Bonus aſſerit; quod pace ipſius & ſalva reverentiâ dictum ſit, petit principium: idque ipſum pro non dubia ſupponit hypotheſi, de quo maximè inter nos diſceptatur. Et aſſertionem ejus abſque noſtra operâ, dicta ejuſmet propria refutant, tàm antecedentia quàm conſequentia.

Antecedentia quidem; quia conceſſit, in eo caſu, quo alterutrum eligendum eſt, ut aut inimici, aut nos ſervemur; aut boni alicujus compotes vel mali expertes ſimus; nos modo Naturæ ſed & ſanæ rationis inſtinctu nos eo duci, ut noſtri potius, quàm aliorum rationem habeamus. Hunc Naturæ ſimul & Rationis inſtinctum religio Chriſti non tollit; ſed potius promovet & auget, oblata ſpe & promiſſione ejus boni quo nos carere, cum alii illud conſequantur; non poteſt eſſe niſi ſumma infelicitas. Cæterum hic rationis & naturæ inſtinctus, non eſt ita otioſus, ut intra nudi voti vanitatem ſubſiſtat, ſed efficax; & qui nos planè urgeat; ut quod nobis contingere optamus; per noſmetipſos, ſi liceat & fieri poſſit, nobis contingat: Nec optare tantum nos id; ſed omni conatu ut aſſequamur eniti & perſequi impellit. Idem facit Religio, quæ nihil magis odit quàm ignava & inertia vota eorum, qui ſine ſudore & opera ſua, felices eſſe cuperent.

Idem oſtendunt dicta ejus conſequentia. Quia ſtatim ultrò contendit. Neminem ex hominibus etiam præſtantiſſimis & Deo proximis; (multò igitur minus inimicum) eſſe tanti; ut eum magis quàm noſmetipſos diligere teneamur. Proinde dilectionis officia & effecta; quoties aut nobis, aut illis præſtanda ſunt; ſi id ſine culpa noſtra fieri poteſt; nobis potius præſtari debere manifeſtum eſt. Jam verò in perſecutione boni aut fuga mali; quicquid ſine injuria aliena; id quoque ſine culpâ noſtrâ, in gratiam noſtri fieri poteſt. Non igitur ut nobis potius quàm aliis optima quæque contingant, optare tantum, ſed etiam procurare; ut per nos, ſi fieri poteſt nobis contingant licitum eſt: dum abſit injuria aliena.

Hanc verò abeſſe poſſe, etiam tunc cum à nobis in caſu neceſſitatis læditur inimicus non difficile probatu eſt. Sed prius diſtinguendæ ſunt voces, quibus utitur, Vir Bonus, dum caſum proponit; ſi inimicus *per nos perire; aut noſtra opera graviter lædi debeat.*

Dicitur enim aliquid per nos aut noſtra opera fieri; aut verè ac propriè; aut improprie & apparenter.

Verè ac propriè per nos fiunt; quæ de induſtria & ex deſtinato facimus, illud ipſum pro fine habentes quod efficitur. Improprie & apparenter, quæ fiunt non quidem abſque noſtra opera aut interventu; ſed ea planè facta noluimus. vel potius quæ nobis aliud agentibus, interventu alicujus alterius cauſæ, præter mentem ac voluntatem noſtram, efficiuntur.

Prioris generis hoc eſt, verè & propriè per nos factorum, culpam, quanta, quanta eſt, præſtare tenemur. Poſterioris generis facta, tametſi natura ſua excuſabilia; aut cum aliqua culpa noſtra conjuncta ſunt; aut omnis noſtræ culpæ expertia. Conjuncta cum noſtra culpa ſunt; quæ rem non neceſſariam & quæ vel omitti, vel aliter quàm egimus fieri poterat; agentibus nobis interveniunt. ut ſi quis equum incautius domando, puerum fortè obvium proterat.

Omnis autem culpæ noſtræ expertia ſunt; quæ rem neceſſariam & quæ aliter agi neq; potuit, neque debuit agentibus nobis invitis interveniunt. Ut ſi unicus filius parentem ſuum à Chriſti cognitione alienum; conſtanter religionem confitendo, & pro ea atrox ſupplicium ſubeundo; doloris ex eo concepti impatientiâ ad mortẽ adigat. Aut ut ſub-

ut ſubjectæ materiæ vicinius exemplum producam, cum quis emiſſum ab hoſte miſſile, oppoſito clypeo, à pectore ſuo, in latus adſtantis proximè commilitionis, nec ſuo vicißim clypeo ad ſeſe protegendum forte utentis, præter mentem ſuam, divertit, quo tranſixus pereat. Hujus necis culpa cuivis potius cauſæ attribui poteſt, quàm facto militis, clypeo ad protectionem ſui neceſſariò & legitimè utentis. Eadem ratio eſt eorum qui in neceſſitate defendendæ vitæ ſuæ, legitimè decertant, qui vitam & valetudinem alienam ſalvam eſſe cuperent dum ſua quoque ſalva ſit. Sed alium clypeum, quo ſuam protegant, non habent, quàm manus atque tela quibus præſentiſſimam necem arceant; quæ ſi forte ab inſontibus propulſata in eos relabatur qui eos oppugnant, non magis ejus culpa inſontibus tribui poteſt, quàm mors commilitionis, ei qui miſſile à ſuo corpore avertit. Neque enim poterant non uti, neceſſario iſto & unico defenſionis præſidio, neque certò ſcire poterant; ex iſta defenſione necem inimici ſecuturam: qui aut conſilii pœnitens paciſci, aut abſterritus fugere, aut debilitatus victoriæ eorum, ſuperſtes eſſe potuerat. Fucus igitur eſt & mera æquivocationis impoſtura dum adverſarii ajunt, per nos in tali caſu perire, aut graviter lædi inimicum. Si verè & proprie loqui velimus, non per nos læditur; ſed per improbitatem ſuam, quod ſcelere vecors & injuſta violentiæ libidine furens, in tela noſtra incurrit pro ſalute noſtra & neceſſariò & legitimè oppoſita: Nec ullam culpæ partem in nos conferre; aut ullam ſibi injuriam factam queri poteſt, quod ſanguinem noſtrum ſitienti inermem & obnoxium jugulum non præbuerimus.

Pleniſſimum enim jus reſiſtendi dat nobis illa maximi mali nobis imminentis, avertendi ſuprema neceſſitas. Cujus, (quanquam longè minoris ac levioris) effugiendi ratio; ſi confeſſione adverſariorum efficere poteſt ut ad ſatisfaciendum læſis pro illata injuria aut damno homines nocentes atque injuſti non teneantur (cujus tamen officii neglectus per ſe & natura ſua turpis videtur ac vetitus) quantò magis longe gravioris mali avertendi neceſſitas efficere poteſt; ut in depellendis certis & urgentibus periculis ſuis, incerti nocentium periculi rationem non habere, liceat; cujus officii neglectus neque natura ſua turpis eſt; aut iniquus; neque uſquam lege Chriſti prohibitus oſtenditur. Fruſtrà igitur hoc loco Vir Bonus excuſat eos, qui in exigendâ compenſatione damni aut injuriæ, rigorem ſummi juris mitigant. Neque enim nos factum eorum damnamus. ſed ex confeſſo adverſariorum principio; quod Religio Chriſtiana etiam erga injuſtos, & nocentes eâ æquitate utitur, ut eos ad ſatisfactionem læſis non adigat: ſi eam ſine magno malo ſuo præſtare nequeant, fortiter arguimus non poſſe eam erga juſtos & innocentes fingi tàm iniquam; ut eos ad non reſiſtendum adigat; ſi id ſine Maximo malo ſuo facere nequeant. Præſertim cum non reſiſtere mortem inferentibus non ſit officium à nobis hominibus injuſtis per ſe & natura ſua ullo modo debitum: Satiſfacere autem læſis ſit officium ipſis planè natura ſua & per ſe debitum.

Hoc argumentum quia invictam habet vim, convincendi adverſarios, Vir Bonus more ſuo ſilentio tranſmiſit. Et tamen ut ſtrictim illud attigiſſe videretur, ſolam in mitigando ſummo jure æquitatem excuſat; quam nemo accuſat; imo ex eius jure aſſerto, jus reſiſtendi in gravioribus injuriis aſſeritur.

Omiſſis autem hujus argumenti noſtri præmiſſis, ſolam Concluſionem oppugnat non argumentando; ſed negando fortiter, ſententiam ſuam eſſe iniquam in bonos, indulgentem in ſceleratos; cum tamen iſtam indulgentiam ſuperiori capite, ut vidimus non diſſimulaverit. Mox conjectis in ſuam ſententiam telis nondum depulſis, in noſtram viciſſim ſua jaculatur. Quæ tamen ipſi planè deerant; niſi ab unica ſententiæ ſuæ nutricula, à cujus uberibus cauſa ſua pendet, Captione, inquam, quam Petitionem principii vocant, mutuò ſumſiſſet. Ait enim ſententiam noſtram majorem momentaneæ vitæ rationem habere, quàm pietatis Chriſtianæ; quòd jubeat prætextu falſæ neceſſitatis; apertiſſimis Chriſti mandatis vim inferri; quaſi jam de iſtis apertiſſimis mandatis utrinque conſtaret.

At enim major eſt neceſſitas, inquit, non occidendi; malique gravis malo homini non inferendi; quia id Chriſtus prohibuit. Ubi utrumque Chriſtus abſolutè & ſine omni exceptione prohibuerit; paulo epixius quærerem; ſi ſententia noſtra occidendi aut puniendi licentiam aliter permitteret, niſi cum Deus ipſe permittit; aut etiam mali iſtius inferendi neceſſitatem imponit.

Neceſſitatem verò non occidendi noſtra quoque ſententia urget; dum à voluntate & proposito occidendi (extrà caſus à Dei ordinatione præſcriptos) omnes vult eſſe, quàm alieniſſimos: niſi quòd potiori vitæ noſtræ ſervandæ neceſſitati; atque adeò ordinatæ charitati, id cenſet indulgendum; ut propter certum necis noſtræ diſcrimen; incertum vitę inimici periculum non moremur. Haudquaquam enim major eſt neceſſitas abſtinendi ab inferendo inimicis incerto eorum vitæ periculo; quàm altera avertendæ certiſſimæ necis noſtræ neceſſitas: non tantum ideò, quia ubi de conſervatione vitæ agitur; non plùs inimico quàm nobis debemus: ſed etiam quia urgentior eſt neceſſitas certę necis noſtræ quàm incerti inimici diſcriminis avertendi. In quo caſu quod ſolum in noſtra poteſtate eſt; ne de induſtria inimicum occidamus; cumulatè ipſi à nobis præſtandum eſt. Curare ne penitùs occidi poſſit, idque vitæ noſtræ impendio redimere; nulla lex, nullum jus à nobis poſcit. Nec enim eventum in manu Dei poſitum præſtare noſtrum eſt.

Hoc dicto nihil eſt verius. *Ut Chriſti legibus pareamus neceſſe eſt: ut vivamus non eſt neceſſe.* Sed nec iſtud falſum eſt. Ut veris Chriſti legibus obligamur; ita nos commentis hominum non obſtringi: nec vitam ſoli Deo Chriſtoque debitam in gratiam opinionum prodigendam quibus ob abſurdorum evidentiam, an omnes earum patroni ſerió credant; nondum ſatis habemus exploratum. Ut autem plerumque ſervata innocentia ſervat innocentes; ita peſſimè de religione, deque humano genere merentur qui ad eum ſtatum redigunt innocentes, in quo per eorum latus, ipſa petitur & periclitatur innocentia.

In Digreſſionem Viri Boni ad ſpecialem diſputationem de jure Magiſtratus Chriſtiani. Animadverſiones.

Si, Vir Bonus officium Magiſtratus, eſſe rem prophanam, impiam, Deo diſplicentem affirmaret; atque ob eas cauſas, ejus functionem hodierno populo Dei illicitam eſſe concluderet; quia rem in populo Dei novam atque paradoxam, & quæ ante exortos iſtius opinionis magiſtros, falſa exiſtimata eſt, aſſereret: ipſi omninò probandi, atque ſua argumenta proferendi, munus incumberet; quibus res tàm dubia atque ab omnium ſenſu abhorrens, ſulciretur. Cum enim & ante Legem & Legis temporibus, non paucos iſto officio fungentes, Deo placuiſſe & ad populum Dei pertinuiſſe; vel ipſe Vir Bonus non poſſit, non agnoſcere; unde hæc aut in voluntate Dei, aut in temporum conditione mutatio; quam nos plerique cum aliis omnibus non animadvertamus, ſupervenerit; ejus erat officium nos diſcere cupientes docere, & rationes ob quas, ab antiqua omnium ſententia, diſceſſerit, exponere. Qui enim de veteri & recepto publicè placito dubitare, audet; juſtas & graves dubitandi cauſas, ut producat, oportet.

Nunc cum Viri Boni iſtam functionem, bonam, ſalutarem, ipſoque Deo & Chriſto ejus dignam; ac voluntate Dei in ipſis quoque hominibus laudabilem, ac Deo placentem, aut certè non diſplicentem; quàm & miniſterii ſui nomine dignari non dubitet, agnoſcat & fateatur: ſi nihilominus dubitet an Chriſtianis licita ſit: multò magis tàm iniquæ, tàm paradoxæ; tàm abſurdæ & ſeipſum tollentis dubitationis graves & prægnantes cauſas afferat neceſſe eſt. Firmior enim eſt hæc ratio, quàm ut levidenſi inſtantiâ conanti poſſit; Rem quæ per ſe Chriſtianæ ſanctimoniæ non repugnet (niſi quid, aliud, forte, de quo

non agimus, per accidens interveniat) Christianis illicitam esse non posse. Jam verò id quod adeò per se bonum est & laudabile, ut ipsius Dei Christique sanctimoniam non dedeceat; cujusque jus à Deo hominibus datum Vir Bonus fatetur; sanctimoniæ Christianæ repugnare non posse; fateri coguntur omnes, quicunque apologum de rana sese inflante, ad se pertinere nolunt.

Demonstrationes igitur hac longè firmiores esse oportebit; quæ & istam subruant & justam esse Viri Boni dubitationem, aut potius contradictionem (novimus enim quam vim habeant vocabula hæc hypocoristica) arguant.

Ante omnia igitur statuendum est, non nos qui veterem ac receptam sententiam defendimus sed qui illam falsam aut dubiam esse affirmant, novæ istius assertionis suæ argumenta producere debere: non tàm ob affirmationis aut negationis rationem, (quem cothurnum utrivis partium captiosè adaptari posse non nescimus) sed quia receptam vulgo ab omnibus, quam nos defendimus, thesin oppugnant. Quæ argumenta si aut defuerint, aut causam nostram non everterint, etiamsi nos nullum pro ea argumentum producamus, succubuisse in causa censendi erunt, qui justas inexpectatæ dubitationis causas non probaverint.

Deinde legitimus quæstionis status formandus est. Non enim de eo simpliciter quæritur aut dubitatur quod Vir Bonus proponit: Utrum Deus à Christianis Magistratum geri velit. Nam ista constitutio Status quæstionis anceps & ambigua; ideoque subdola est & infidiosa. Loco enim veræ controversiæ clanculum supposititiciam subjicit, de qua non quæritur. Nimirum An Deus Christianos per se, hoc est, quâ sunt Christiani; & quia sint Christiani, supremum Magistratum gerere velit. de quo minimè quærimus, quia non dubitamus id Deum à nemine Christianorum, ideo quia est Christianus velle & exigere ut sit, aut conetur esse supremus Magistratus: & libenter agnoscimus, plurimos esse ex iis à quibus id Deus fieri non vult; quos nimirum ad eam rem non vocavit. Sed de eo quæritur *utrum Deus à Christianis quatenus sunt Christiani & quia sunt Christiani Magistratum geri nolit;* hoc est, *Utrum post introductam religionem Christi, ab iis qui ad populum Dei pertinent, munus hoc suscipi & administrari sive expressè, sive tacitè prohibuerit.* Unde apparet, si ex affirmationis negationisvè signo de probandi officio judicandum sit, partem quæstionis quam Vir Bonus defendit, esse verè affirmantem; atque ipsi omninò probandi necessitatem imponere.

Videamus igitur quæ istæ sint tàm firmæ demonstrationes, quæ & rem tàm paradoxam probent, & solidissimas quarum obiter mentionem fecimus, rationes quasque ipse ultrò confessione sua stabiliat, subruant.

Capitales enim eas esse necesse est, quæ tantum & possint & audeant. Quod ad vim attinet; quid validius & violentius est eo, quòd ista quæ contradictionem implicant, cogere possit, ne se mutuò tollant? Nam ejusmodi rationibus niti sententiam nostram jam innuimus, & suo loco ostendemus; quæ aut eam veram esse, aut implicantia contradictionem, conciliari posse convincant. Quod ad ausum & conatum. Immani virium fiducia subnixum esse oportet, quod jura sceptrorum & potestatum lacessit; easque functiones quibus hoc loco blanditur; quamvis, ut expressa Viri Boni confessio sonat, non malas, imò bonas, & salutares & laudabiles, & hominibus à Deo demandatas, & divinæ ordinationes sint: tamen esse impias, prophanas, peccati plenas, & perniciem æternam necessariò afferentes; ideoque Christianis illicitas esse, demonstrare connitur. Necesse enim est prophanum esse, quod sancto populo non liceat; impium, quod pietatis Christianæ sanctimoniam violat: necesse est rem esse peccati plenam, quæ adversus tot præcepta, & interdicta Christi, de non occidendo, animabus hominum non perdendis, inimicis diligendis, culpis remittendis, injuriis ferendis, &, si placet, humilitate exercendâ, si vera sunt quæ prætenduntur, delinquit.

Nulla autem hic spes est adversariis in eo perfugio quod ait Vir Bonus *Non omnia omnibus conveniunt; tametsi in se optima sint, nec improbanda.* Arctius enim eos stringemus quàm ut per hoc lubricum elabi possint. Neque enim de eo nos agere profitemur, quid hominibus extrà religionem constitutis, sed quid Christianis conveniat, quid, inquam Christianis legitimè ad Magistratus functionem vocatis conveniat, aut improbandum sit. Christianis igitur, illicitum prophanum, impium, perniciosum, denique æterno exitio luendum esse, munus supremi Magistratus probare susceperunt. Rem igitur magnam & longè graviorem aggressi sunt; quàm ut illâ jejuna assentatione, quæ Magistratui Ethnicorum encomia tribuit, extenuari possit. Proinde caveant ne nobis pro invictis argumentis, leves aut captiosas; multò minùs autem ineptas & ridiculas consequentias obtrudant.

Ubi ad probationem tanti paradoxi ventum est: Vir Bonus ab indole causæ suæ non discedens, ægrè probandi onus suscipit; sed aliqua ex sententiæ nostræ argumentis strictim carpit; atque nos ex respondentibus facit opponentes; cùm tamen hoc loco, non nos ejus thesin; sed ipse à proposito de jure ultionis argumento digressus, introductâ ista de Magistratu quæstione, nostram thesin & sententiam oppugnare aggressus sit.

Ne tamen prorsus probandi sudorem defugere videretur, eam rationem secutus est; ut singulis ferè suis ad rationes nostras responsionibus, argumenta pro sententia sua stabilienda subjungeret.

Ad quæ, servatum ab ipso ordinem secuti, jam respondebimus.

I. Prima ipsius ad argumentum nostrum, cujus obiter mentionem fecit, Responsio occurrit. Quod etsi satis frigidè à se propositum; tamen frigidius solvit. Ait igitur. *Non sequitur protinus, Magistratus summus est ordinatio Dei bona, laudabilis, salutaris humano generi & honore digna. Ergò à Christiano licitè geri potest. Eâdem enim consequentiæ vi, inferre possem; etiam ab Apostolo; imò & ab ipso Christo dum in terris fuit; terrenum summi Magistratus officium legitimè suscipi potuisse.*

Negat, ut videmus, consequentiam. Quia si illa vera esset, consectarium hoc ex ipsâ, tanquam absurdum sequeretur. Christum dum in terris fuit, & Apostolos Magistratum supremum gerere potuisse. Atqui hoc consectarium ex ista consequentia deduci nequit. Conclusio enim quæ per illam deducitur, non ita absolutè, intelligi debet; ut id munus omninò semper à Christianis suscipi possit, quod illis per Christianam religionem gerere licet; sed cum conditione, nisi quid aliud præter religionis sanctitatem impediat. Plurima sunt quæ nobis per naturam religionis licent quæ tamen per Status nostri conditionem, non licent. Magistratus inferiores absque usu gladii gerere Christianis Vir Bonus licitum esse infrà agnoscit. Quid? an ad illos aditus omnibus promiscuus patet? Licet per sanctitatem religionis, tutelam pupillorum suscipere. Nec tamen illam usurpare potest, nisi qui ad illam legitimè vocatus fuerit. Licet per eandem arbitrium hereiscundæ inter fratres hæreditatis exercere. Nec tamen fas est, cuique etiam invocato, sese in hoc officium, ingerere. Et ultrò delatum quoque recusare, quod Christus fecit, cuivis integrum est. Ad suscipiendum aliquod officium non sufficit, ut illud per religionem liceat; sed non pauca alia præterea requiruntur. Inprimis legitima vocatio: interdum & aptitudo ad munus exercendum: sæpe & voluntas ad non aspernandum. Decepit igitur hic Virum Bonum vitiosè formatæ quæstionis status. Non enim de eo solo quærendum erat an Christianis supremum Magistratum gerere liceat; sed an per naturam & sanctitatem religionis, liceat: hoc est, utrum illud sanctitas religionis prohibeat; nec ne. Potest enim aliam ob causam id non licere; aut fieri non posse aut non debere, quam vis id permittat religio.

Quòd igitur Christus in terris supremum Magistratum

non

non gesserit, aut suscipere non potuerit non eò factum est, quod sanctitas religionis, quam prædicabat, id non permitteret: Nam & nunc curam ejusdem religionis non deposuit; & nihil ipsi ex illa quam habuit, sanctitate decessit; & tamen supremam & Coactivam in cælo & in terra potestatem exercet. Sed alias & longè diversas ob causas.

1. Inprimis quia longe divinior vocatio ignobiliori locum non reliquit.

2. Deinde quia id adversabatur consilio Dei, qui quamvis ab agnitione Evangelii, neminem etiam, ex nobilioribus & ditioribus excluserit: tamen prædicationem Evangelii à pauperibus & obscuris incipere voluerit, ut illud exiguum sinapis granum in proceram posteà arborem excresceret. Non mirum est igitur quòd principem eorum, qui Evangelium primum propagarunt, in illustri dignitate & magnis opibus positum esse noluerit. Non tamen ideò principes & illustres aut etiam opulentos homines, ab ingressu Ecclesiæ arcuit & exclusit. Sed cum ipse Vir Bonus non exiguam inter Christum, Apostolosque & inter reliquos Christianos in Vocationis statu disparitatem, agnoscat: satis ostendit, præter sanctitatem vitæ Christianæ, non defuisse plures causas, ob quas ipsis Magistratum supremum gerere integrum non fuerit; quæ in reliquis Christianis locum non habeant; atque ita potuisse aliquid ipsis per istam sanctitatem licere; quod ob aliud aliquid non licuerit. Ergò desperata argumenti nostri expugnatione, discedit ab eo, & ex disjectis aut sponte sua dililientibus, Responsionis suæ ruderibus, primum pro sententia sua argumentum extruit.

Atque hic primus est aries, in quo videre simul & ridere licet, expectatum tamdiu Montitum parturientium fœtum.

Ait igitur. *Evidens autem est, Vocationem omnium Christianorum, in eo esse similem, imò parem fermè vocationi Christi & Apostolorum; quod sicut Christus non venerat ut animas hominum perderet, (quod tam de æterna quam de temporali perditione intelligendum esse docet locus* Luc. IX.*) sic omnes Christiani quoque una cum Apostolis ejusdem Spiritus esse debeant. Hic enim in memoriam revocanda sunt, quæ de duplici Christi statu suprà memoravimus, altero terrestri (ut ei sic apellem) in quo nobis in exemplum omnia Christianæ sanctitatis munia implevit; altero cælesti, quo in Regiam majestatem evectus est. Hoc ergo præsenti statu, non potest dici de Christo, ejus non esse, ut animas hominum perdat. Vi enim & potestate Regii sui muneris; & in hoc seculo perdit multorum impiorum animas, & olim omnes perdet in æternum. Quod autem nunc Christo convenit, id sibi integrum fuisse, dum in terris degeret, negat. Quare cum & Christiani omnes Christo in illo statu similes esse jubentur; in quo ei animas hominum perdere non licebat; nonne manifestum est eos à Regii muneris officio, & omni tali functione arceri.*

Ex hoc Sacræ Scripturæ loco, ut manifestum est, deducit Vir Bonus id nobis non licere quod Christo & Apostolis non licuit; quia ejusdem cum iis spiritus simus. Quia verò neque Christo neque Apostolis perdere animas, hoc est occidere homines licuit, quod sibi necessariò permittit Magistratus, ideò ipsis Magistratum gerere non licuisse; ac proinde ne nobis quidem licere.

Omnes hujus argumentationis radices à stirpe eruendæ sunt. Quibus quam infirmis & languidis planta ista subnixa sit: ex singulorum inspectione patebit.

Prima est. Quod quæcunque Christus & Apostoli sibi licere noluerunt; ea reliquis etiam Christianis non liceant, ob unitatem spiritus.

Secunda. Quòd Christo & Apostolis non licuerit capitales pœnas de nocentibus sumere.

Tertia. Quòd necesse sit ut hoc loco verba *Perdere animas* ita latè extendantur, ut omnem capitalem pœnæ sumptionem significent: ac proinde quod & nunc Christus; & Magistratus semper, perdere animas dici possint. His subrutis ne vestigium quidem argumentationis supererit.

Primam igitur quod attinet. Unitas illa spiritus, quâ cum Christo & Apostolis Ecclesia conjuncta est; non efficit quin illis multa ab eorum muneris rationem potuerint non convenire; quæ tamen aliis & conveniant & liceant qui impositio ipsis munere non funguntur. Diversorum vitæ statuum, diversa sunt officia; diversæ leges; neque quod aliquos obligat, omnes obstringit: neque quod cuivis alii liceat, alteri integrum est, qui ubi ob muneris sui functionem legem posuit ab eo abstinendi. Monet Apostolus ut in qua quisque vocatione venit ad notitiam Evangelii in ea permaneat. Non omnia autem quę licent Domino, licent & servo; & tamen utrumque conjungit unitas spiritus. Præterea unitas ista spiritus consistit in communione, religionis, virtutum & sanctimoniæ Christianæ; in qua sibi omnes similes idemque spirantes esse debent. Atqui supra jam probavimus, præter istud sanctitatis institutum, quod nobis instillat religio, multa posse dari quæ nobis rem aliquam illicitam reddant, quæ tamen per religionem sit licita. Status in primis & vitæ conditio & vocationum diversitas. Licuit per religionem ejusque sanctitatem Onesimo liberum esse ab herili jugo, at per vitæ statum & conditionem non licuit, nisi à Philemone manumisso: cum tamen ejusdem cum Philemone Spiritus esset. Ex quo validè conficitur Unitatem Spiritus quo Christiani inter se cohærent; non efficere ut quod uni licet, liceat & alteri; aut quod alteri non liceat, id sibi alii permittere nequeant. Nam quod is Spiritus ab omni omninò occisionis facultate & jure excluso fingitur: illud ipsum est κεχυμενον de quo inter nos quæritur, & quod ex istis verbi adstrui non posse, paulò post ostendemus.

Ita prima hujus plantæ radix, exaruit.

Accedamus ad alteram, & videamus utrum Christo & Apostolis: sed præcipuè Christo dum in terris esset, vitam alicui adimere non licuerit. Fingamus enim hic verba *Perdere animas* ad omnem omninò vitæ ademptionem extendi posse.

Hic autem primum animadvertendum est, quam elumbis sit illa ratio; si quis ex verbis Domini & fine adventus ejus in ipsis expresso, evincere velit, ipsi perdere animas hoc est occidere quenquam (ut jam fingamus hæc pro eodem sumenda esse) non licuisse; quia non venerit ut occideret homines. Non enim ex eo, quod quis alicujus rei gratiâ non venerit, sequitur illi eam rem planè esse illicitam, si casus aut necessitas; aut gravis causa superveniat; quæ eam fieri postulet.

Ac ne ex eo quidem, quod venerit ad efficiendam rem planè contrariam ei de qua an ipsi absolute illicita sit, quæritur. Ne longè à re controversa abeamus. Magistratus, etiam non Christianus, potest dici non in eum finem per ordinationem Dei in orbem introductus, ut sanguinem effundat; sed ne sanguis effundatur. Per se etenim id spectat ut homines pœnarum metu, ita contineantur in officio; ne unquam capitale crimen committant; ac proinde ne unquam capitale supplicium mereantur ac subeant, atque ita paci & vitæ nocentium juxta & innocentium consulatur. Præter voluntatem igitur ejus, & per accidens evenit, quod aliter interdum fiat. Num quia ille ad sanguinis effusionem inhibendam institutus est; nunquam ipsi sanguinem effundere licet. Atqui id ipsi Vir Bonus dum non sit Christianus concedit. Itaque quod hic Christus, quamvis in sensu longè excellentiori, de se loquitur: idem bonus Magistratus in sensu humiliori quidem verissimo tamen de se quoque & loqui & existimare debet, se veniſse ad imperium non ut occideret sed ut servaret: non ut noceret cuiquam; sed ut prodesset omnibus, præsertim quoties ipsum aliquis, (ut hoc loco Christum discipuli) ad effundendum largius sanguinem hortetur. Christus, se ipso teste, non venit ut ipsi ministraretur. Nunquid ideò non licuit ipsi, exhibitum sibi ministerium admittere? Ille verò & admisit; & ministrantes probavit, ac defendit; quosdam & neglecti hujus ergà se officii coarguit. Paulus non est missus à Christo ut baptisaret. An igitur ipsi baptizare non licuit? Atqui

domum

domum Stephanæ se baptizasse fatetur. Plerumque dicimus ea non esse nostri officii aut nobis non competere: vel non eorum gratia nos in lucem producto[illegible]quæ nobis tamen licent; licet non principaliter ac primariò à nobis tractari debeant. ut cum dicimus, non ideo nos nasci ut fruges consumamus; non ideo vivere ut edamus & bibamus: an idcirco cibum aut potum capere nobis non licebit?

Denique quamvis Christus & Apostoli in prædicandi Evangelii functione, a Coactiva potestate seu pœnis corporalibus atque omni violentiæ specie; multò autem magis ab occisione ordinarie abstinuerint; reperias tamen extra ordinem aliqua exempla in quibus eam potestatem; tametsi diviniori quàm homines modo exercuisse visi sunt. Egit & ipse Dominus aliqua pro potestate, ut cum ejecit vendentes ex templo: tum est etiam illa divina sua adversus invasores suos potentia, ut eos in ipso capiendi sui conatu humi prosterneret; quo tempore aliquem ex illis præcipuè Judam proditorem, quin ipsi præsentanea morte punire licuerit; nullo modo dubitari potest. Nihil enim vanius est, ista conjectura; ut si quis toto vitæ suæ tempore aliquid non fecerit; statim id illi licuisse non putemus. Non omnia quæ Christus nunquam fecit (qualia innumera reperias) ejus sunt generis, ut ipsi dum in terris vixit facere non licuerit: Nec quia tunc nemini vitam ademerit ex eo probari poterit; ei simpliciter, si voluisset, vitam alicui adimere, non licuisse; cum illa invicta potentia à Deo armatus esset, per quam si qua ejus rei necessitas, aut gravis causa fuisset, etiam morte mulctare homines potuisset. Sed ab Apostolis; quamvis rarissimè eo jure usi sint, ob delicta, alios cæcitatis pœnâ percussos, alios etiam morte mulctatos legimus. Non puto autem V. Bonum dicturum, Christo non licuisse quod Petro licuit. Proinde & ista altera, plantæ quam evellimus radix penitùs eruta est; quod Christo & Apostolis, nullo in casu ulli mortalium vitam eripere licuerit.

Reliqua est tertia radicula fibris emorientibus languida; in male intellectis verbis *Perdere animas*. Quæ cur extendi debeant ad omnem omninò occisionem, causam nullam sufficientem Vir Bonus qui ex hoc loco argumentatur afferre poterit. Possunt enim non commodè tantum, sed eleganter explicari de abusu potius quàm usu interfectionis; hoc est de ea severitate, per quam modus exceditur in occidendo. Quod sanè in omnibus linguis usitatum est; ut ii qui aut pecuniam nimium expendunt, perdere pecuniam; aut Belli Duces, qui non necessariis periculis, exercitum objectant, perdere exercitum: & Judices quorum tribunal scopulus est reorum, perdere reos; & tyranni perdere cives dicantur idque respectu eorum, qui in omnibus istis modum, & benignum adhibent temperamentum. Suadent id loci ipsius circumstantiæ. Quemadmodum enim Eliæ factum; ad quod respexêre discipuli Domini: ita multò magis illud ipsum supplicium, quod oppido illi inferri volebant: habuit aliquid (ne quid gravius dicam) ex summo jure & ex nimia severitate. Certe non constat delicti illius quod puniri postulabant; omnes illius oppidi incolas, participes fuisse. Insontes igitur cum sontibus periissent. Jure igitur Dominus iis, qui ejusmodi factum fieri volebant, tacite objicit eos hominum animas perdere voluisse; & nimium rigido & immisericordi zelo flagrasse: qui à Spiritu & ab instituto ac doctrina sua esset alienissimus. Nihil autem repugnat, quominùs etiam ii qui natura & vitæ instituto sunt clementissimi & Spiritu lenitatis præditi cum necessitas & gravis causa exigit severitate utantur: & ii qui quando necesse est id faciunt; sint clementissimi & à perdendis animabus alienissimi.

Ex quo patet, quàm incautè Vir Bonus Christo tribuat, in præsenti Statu *Ejus esse* (quasi officium aut scopum) *ut animas perdat*: cum in Sanctum sanctorum introierit, ut sit misericors pro nobis Pontifex: & verba *Perdere animas* duriora sunt; quàm ut Christo etiam in præsenti Statu tribui possint. Itaque ne Christianus quidem, aut ullus alius Magistratus, eo fine potestatem suam accipit ut animas perdat; sed potiùs ut eas quamvis ignobiliori modo quam Christus servet, insontes quidem protegendo, ex nocentibus autem, innocentes pœnarum metu faciendo. Ideo ab omni pœnarum excessu & acerbitate, quàm alienissimus esse debet. Quòd autem aliquando vitam sontibus adimat, non ideo pro perditore animarum tribunitiis linguis proclamandus est: quia id faciendo, non perdit, sed servat innumeras animas, & salubri severitate, per modici sanguinis effusionem, occurrit immenso effundendi sanguinis diluvio: & putridi membri resectione; servat & sanat totum corpus Reipub. quod non est perdere animas hominum, sed servare.

Atque hic Vir Bonus nobis Contemplationem suam quandam iterum obtrudit de duplici Christi Statu terrestri ac cælesti; quorum in altero tantum eum imitari liceat. Quia nihil est vanius, & magis in Christum injurium. Quasi aut iis qui aliqua potestate sint præditi; Dominum in benigno suo potestatis usu imitari non liceat; aut eidem Christo nunc aliquid de sanctitate decesserit, quo minùs & nunc æquè, ac Deus ipse, nobis in sanctitate imitandus proponatur.

Habet igitur Vir Bonus primi argumenti sui plantam, radicitùs erutam ut ne vestigia quidem ejus superstent.

Alterum Viri Boni argumentum adversus Magistratum his verbis proponitur. *Ut Christus & Apostoli veritatem divinam carnali brachio ac splendore non debuerunt sustentare, aut promovere: ita nec inter nos Deus vult esse multos nobiles aut nimium potentes; nedum Reges & summas potestates, per quas fiet veritas in terris & Ecclesiæ tranquillitas; ne illarum fulgore & potentiâ in umbretur & offundatur gloria divina, vel, ne ulla caro glorietur coràm Deo.*

Resp. Ut Christus & Apostoli veritatem divinam carnali brachio ac splendore sustentare dedignati sunt: ita nec nunc ullis mortalium, sive illi sint Christi & Apostolorum in docendo ac prædicando Evangelio successores: sive quocunque modo ad Ecclesiam Christi pertineant, idem faciendum est. Est enim hoc perpetuum quia Naturæ Religionis repugnat, per vim aut carnalia media plantari. Ideò etiamsi omnes Reges mundi ad Christum convertantur, nemini eorum potestate sua violenta plantare aut gubernare Ecclesiam licet. Nam defensionem quod attinet. Non veritas ab illis aut religio; sed jus ac libertas veritatem profitentium defenditur, quoties insontes à tyrannis ob religionem opprimi, non sinunt. Nec ideò per summas potestates in terris Veritas stare dicenda est; quia per illas & justitia & libertas eorum sustentatur, qui veritatem profitentur.

Sed non ut in illis initiis pauci inter Christianos erant Nobiles & potentes ita in progressu quoque paucos eos semper esse necesse est; qui saltem externa professione Christiani sint: quia id ipse eventus refutavit. Nec enim naturæ religionis aut veritatis divinæ ita repugnat, ab omnibus recipi: quomodo repugnat per violentiam cogi. Ideo non mirum est Statum istum Ecclesiæ, qui in ipsis initiis grano sinapis à Domino comparatur, non esse perpetuum: sed in immensa incrementa posse progredi. Quomodo autem professio Christianismi persecutionum Statum eluctata est: ita ut plenioris veritatis receptio Statum eundem eluctari possit, nihil repugnat. Quæ utrum ubique ita efficax futura sit, ut omnes uti oportet sancti sint, pro eo spondere non ausim. Grande tamen operæpretium facturus; & laturus est orbis; si ut olim ex Ethnicismo ad Christianismum, ita nunc ex errorum tenebris in lucem Veritatis emergat.

Nec periculum est, ut summarum potestatum (si veritatem recipiant) fulgore & potentiâ inumbretur & offundatur gloria divina. Satis à Deo prospectum est, ne ulla caro glorietur coram eo, quod ut olim Christianam religionem per homines rudes humanarum artium, viles & infirmos propagavit; ita & nunc veritatem per homines eruditione, potentia, nobilitate & hujus ævi splen-

dore

dore cum aliis non comparandos propaget. Non est necesse ut propagationem istam in ipsis initiis, quæ mole sua semper exigua esse solent, perpetuò detineat. Imo necesse est ut eam in talia incrementa promoveat in quibus gloriationi quidem locus sit, sed quæ non humanæ operæ aut viribus: sed divinæ sapientiæ totum decus tribuat. Quis verò in obscuro & infirmo Ecclesiæ statu, ulli, quæ in Deum magnopere redundet, gloriationi locus sit? Quid enim magni in eo præstatur; cum pauci & plerumque viles & abjecti; opinionem sive institutum aliquod sectantur? si non supplentur.

II. Accedit iterum ad argumenta nostra oppugnanda & probat ex loco *Rom.* 13. nulla ratione colligi posse, quod iupereminentē potestatem gerere Christianis concessum sit: quia isthic nulla Christianis officia præscribantur, quomodo in summo Magistratu sese gerere debeant: id q; confirmat quasi testimonio nostro, quod rationem reddamus cur officia Magistratibus sub N. F. expresse tradita nōsint.

Sed nos cum rationē redderemus, ob quam *peculiariter, expresse, & ex professo* (his enim verbis usi sumus) officia, ista non sint præscripta: satis ostendimus ea tamē esse præscripta tametsi non ita fortè peculiariter, & exprofesso ut alia. Non igitur absque evidenti captione, quisquam ex dicto nostro, secundum quid prolato, ad dictum simpliciter argumentari potest. Quid autem per istam peculiariter & ex professo faciendam præscriptionem intellexerimus, ex verbis nostris satis patet; quod cum apud eos, quibus de Magistratu doctrinam tradebant Apostoli nulli eo tempore essent Magistratus; nihil erat opus ipsis in specie (id enim per vocem peculiariter designavimus) præcipere quomodo se in Magistratu gerere deberent, quem tunc nullus eorum, quibus scribebatur; gerebat. Sed satis fuit ut V. B. ipse loquitur, *in genere naturam istius officii; & finem in quem à Deo institutum sit*, describere; ne ii quibuscunq; illud munus unquam gerendum erat, ignorare possent, quid in eo gerendo esset officii sui. Qui enim naturam & finem alicujus muneris à Deo instituti, describit; an non eo fungentibus aut ad ejus functionem aspirantibus, officium in eo gerendo præscribit? Suismet igitur verbis cōstrictus est V. B. ut agnoscere cogatur *Rom.* XIII. officium quidem Magistratus præscribi: sed in genere non in specie; quod ad permissionē & licentiam gerendi hujus muneris, nihil interest. Imo officium in genere præscriptum; tanto magis licitum censendum est; quanto plures obligat; cum in specie alicui præ cæteris præscribi aliquid possit; quod cæteris non liceat. Sed & aliis suis verbis V. B. constringitur, ut agnoscere cogatur ea quæ hic dicuntur de Magistratu; non tanquam ea quæ tunc à Magistratu fierent; sed tanquam officia commemorari. Fatetur enim Magistratus Romanorum tunc fuisse sceleſtos & abominabiles: qui certè in imperando, non subditorum bonum, sed suas spectabant libidines. Non igitur de iis locutus est Apostolus, quæ tunc ab iis fierent, sed quæ fieri, ex natura & institutione hujus muneris deberēt. Cum igitur in præscriptione officii Magistratus à S. S. facta aut non facta, tantūponderis V. B. collocet, ut si non facta sit munus hoc Christianis illicitū censeat, certe, si facta sit; (ut agnoscere vel invitus cogitur) munus hoc licitū fateatur necesse est.

At enim præscribi quidem officium hoc loco fatebitur Magistratui, sed non Christiano. Atqui in genere præscriptum agnoscit; quia in genere naturam officii hujus & finem descriptum fatetur. Quid igitur causæ afferet, cur ab ista generali de Magistratu doctrina Christiani excipiantur? Suamet enim verba ipsi inculcamus: *Si quis in hoc generali præscripto, velit exceptionem aliquam habere locum, & exceptionem istam firmo argumento probet necesse est.* Quod si in nos probandi onus rejiciat, ut solet, id quoq; oneris tanto libentiùs suscipiemus, quod illud non nostris; sed ipsiusmet V. B. humeris bajulabimus. Nihil enim est necesse nos aliunde firmamenta causæ nostræ, arcessere: quia V. B. suismet telis pro nobis pugnat. Ait enim hoc loco *Christianis soli & in qui Christiani esse vellent hæc scribebat Apostolus.* Quomodo igitur ii ab hoc præscripto officio excipi possunt; quibus solis scribebatur? Quocunq; se vertit V. B. veritas eum obtorto collo retrahit in suam orbitā.

Verum, inquit, *nihil hic dicitur de Magistratu, quod non dici potuisset; etiamsi aliunde nullum Magistratum summum inter Christianos esse debere constaret.* Hoc nudè assertum. V. B. probandi desperatione, ne probare quidem conatur. Nos verò in contrarium probamus plurima hic de eo dici, quæ dici non poterant, si ipsi per Christi doctrinam, locus inter Christianos non relinquebatur. Primum, ut jam verbis adversarii demonstravimus, quia officia ejus gerendi præscripta sunt. Nec obstat quòd id in genere factum sit (quia tunc nemo esset cui ea in specie præciperentur) cum generale præceptum, specialia monita non excludat; sed comprehendat. Deinde quia hoc munus, iis laudibus à S. S. commendatur; iis coloribus depingitur; ex quibus liquere potest; illud à populo Dei excludi non posse. Dicitur enim Origo & causa ejus efficiens esse ipse Deus; & quidem causa per se, non per accidens. Ostenditur finis ipsius; Bonum optimi cujusque etiam Christiani. Vocatur ordinatio & ministerium Dei; atque ipsi homines Magistratum gerentes ministri Dei; non impropriè dicti; quibus Deus præter mentem ipsorum abutatur; sed propriè dicti; qui ad eundem scopum; quem Deus intendit, collineent; & in hoc solum incumbant; quod ipsis Deus imposuit *vers.* 6. Quod autem in hoc munere videbatur odiosissimum; & Christianos maximè offendere poterat, Usus nimirum gladii, id ad Deum auctorem; & quidem (quod perpetuò animadvertendum est) tempore Novi fœderis refertur; ejusque voluntatis ministerium vocatur. Non potest autem quisquam in eo Deum offendere, in quo minister ejus, per se ac propriè dictus & ordinarius, atque idem quod Deus spectans esse dicitur. Ergo ne Christianus quidem; modo præscriptus huic muneri leges non excedat. Hæc igitur omnia tempore Novi fœderis de Magistratu à S. S. dicuntur; quæ dici nullo modo poterant; si per doctrinam Christi à populo ejus, & per consequens ab iis, qui populus ejus esse debent ac tenentur; (quales sunt omnes homines) eliminatus esset.

Non fuisse in primitiva Ecclesia ullos Magistratus qui potestatem gladii habuerint, simpliciter nunquam diximus: Sed inter eos, ad quos epistolæ Apostolorum scriptæ extant, eos tunc, cum illæ scriberentur, non fuisse, ex ipsis epistolis probabiliter colligitur. Officia tamen boni Magistratus ex epistola ad Romanos æquè discere possumus. ac si literas Apostolicas Sergio Paulo Proconsuli scriptas haberemus. Quem nondum deposito Magistratu credidisse legimus; deposuisse Magistratum non legimus. Quod etiamsi solum per se ad id probandum, quod in eo officio permanserit, invalidum esset: primùm tamen validius est quod scriptum legitur; quàm quod conjecturā divinatur. Quòd enim Sergius Paulus dum recens Christianus factus esset, potestatem vitæ necisque provincialium habuerit, testem Sacram Scripturā; quod eam deposuerit; nihil præter suspicionem habemus; quæ nullius animum tangit præter eos quos oppugnamus. Deinde quod videamus Apostolico ævo; tàm milites, quàm Magistratus, ad Ecclesiā admissos; si alia lege admitti non poterant, nisi potestate aut malitiā abjecta, extare debuit alicubi monitum, aut præceptum Apostolicum de utroque vitæ genere abjiciendo, cum utrumque vitæ genus esset inter ea quę honesta censebantur & laudabilia. Nam Simonis Magi artes erant vetitæ ac maleficæ; atque inter ipsos Ethnicos male audiebant; ut præter pœnitentiam scelerum, peculiari interdicto nihil opus haberent. Quanquā in eadē Actorum Apostolicorum historia, in qua Simonis conversi mentio fit, non deest memorabile documentum, quo artium istiusmodi curiosarum sectatores, ad fidem Christianam *Act.* XIX. 19. conversi, abjecisse, prorsus hæc studia exustis, eorum libris, significantur. Præterea Magicæ Simonis impostura non possunt censeri inter vocationes ordinarias, de quibus Apostolus loquitur dum ait, in qua quisque vocatione vocatus est in ea maneat apud Deum, *1. Cor.* VII. Erant enim aliquid rarum; atq; ipsis gentium legibus non satis permissum, & in quibus Deo serviri non poterat. At Magistratus, de quo nunc potissimū quæritur, erat ejusm. vocatio, in qua Deo ministrari, teste Apostolo, poterat. Corn. quoq; in militiæ vocatione, etiam antequā

Christianus fieret Deo serviebat. Excipi igitur ab hac generali Apostoli regula, alicubi, Vocationes istæ necessariò debuerunt; si nemo post receptam Christianam religionem, in iis permanere poterat.

Quod autem ait V. B. ad deponenda ista vitæ genera, monitione Apostolorum opus non fuisse; quia tales homines odio religionis in istis officiis non relinquerentur: fatemur odio religionis, non modo dignitatum ornamenta; sed & cingula militaria multis adempta. Sed non semper odium istud in Christianos grassatum est; atque ut paulo post, ipse Vir Bonus ostendit; sæpe tranquilla Ecclesiæ suæ Deus indulsit halcyonia. Quo tempore, tàm militibus, quàm provinciis quibusdam Christianos præfuisse nihil impedivit, cum, eventu teste, videamus hanc unicam fuisse viam per quam Christianismus, ex Statu tyrannis obnoxio, sese tandem in libertatẽ asseruerit.

Manet igitur inconcussum argumẽti nostri robur; quod non modo ex officio iis qui gerere velint Magistratũ hoc capite præscripto: sed multo magis ex natura & proprietatibus atq; adeò commendatione hujus numeris à S. S. factâ ducitur; quæ commendatio efficit ut illud Christianis nullo modo prohibitum esse possit: quod si legitimè geratur, non modo assensum & approbationem Dei mereatur; sed ex ipsius Dei consilio & voluntate; in bonum humani generis; præcipuè innocentium & quibus scelerum pœnæ timendæ non sunt; ordinatum esse dicatur.

A defensione frustrà oppugnati argumenti nostri, Veniamus nunc ad invictas illas, quibus jura Magistratuum hoc loco oppugnantur, rationes. Imbecillitatis earum conscius V. B. duas in unam compingit; quominus rumpi possit funiculus duplex. Sed quia natura sua diversæ sunt, separatim à nobis refellentur.

Prior igitur: sed ex iis quas afferre cæpit numero, Tertia; est, de qua dicit; *quod fortasse valde probabiliter ex hoc loco colligatur, hæc consequentia.* Omnis anima (intellige Christiana) debet esse subdita potestatibus superominentibus. Ergo nulla anima Christiana potest gerere potestatem supereminentem.

Palàm est eum dubitare de collectionis hujus veritate; & tamen eam pro valde probabili venditat. Verum suspecta merx est; cujus commendationi Venditor ipse, adverbium dubitandi adjungit.

Hoscine tàm imbelles velites; in aciem adversus cataphractam argumentorum pro Magistratu phalangem produci! Nam cur iste prior gladiator in arenam Capite saucio & fascia obligato prodit? Fasciam voco glossema in parenthesi, verbis Apostoli præter mentem ejus, falso & incompetenter interjunctum. Cur antecedens hujus enthymematis sanis Apostoli verbis; morbidæ limitationis glossam adjungit? An Ordinatio Dei de Magistratu ad solos Christianos pertinet? An Christianis ea quoque monita aut præcepta tradi nequeunt, quę ipsis cum extraneis communia sunt. Plena est exemplorum Scriptura, in quibus aut præcepta; aut argumenta ejusmodi Christianis proponuntur; quę ipsis cum reliquis hominibus communia sunt. An cum Apostolus Christianos alloquens ait Nihil in hunc mundum intulimus; nihil exportabimus: aut Corrumpunt bonos mores colloquia prava, aut mille id genus alia, de solis Christianis intelligenda sunt & ad eos solos ad quos sermo dirigitur, adstringenda? Cur contrà receptum & laudabilem Theologorum morem, ea quæ sine ullo incommodo latiùs & generalius extendi possunt, intempestivis limitationibus coarctamus?

Si necessitatem limitat. hujus V. B. prætendat, quod si verba ut sonant, intelligantur; non omnis tamen anima potestatibus subjecta esse possit; cum aliquas animas non subjectas sed supereminentes esse necesse sit: Cur vocis hujus universalis vulgatissimum in S. lit. usum; oblivioni tradidit; quæ vix aliter à S. Scriptoribus usurpari solet; quàm ut ad subjectam, de qua sermo est, materiam restringatur? Non ipse Apostolus V. B. docere potuit, quo sensu hanc vocem accipiat, dum de omnibus rebus Christo à Deo subjectis loquitur? Quemadmodum enim dum ait Deum Christo omnia subjecisse, palàm est; tacitè excipi eum qui ea subjecit; ita hic dum dicit omnem animam subjectam esse debere potestatibus: multò magis palàm est excipi animas potestatum. Supponit enim necessariò hoc præceptum esse aliquas animas supereminentes quibus reliquas subjici necesse sit. Neque ulla animarum potestatibus supereminentibus obnoxiarum subjectio cogitari potest, absque hypothesi; animarum nemini præter Deum subjectarum. Aliàs si vocis hujus generalitatem urgere velit V. B. quid causæ erit, cur non illa quoque verba, quibus Evangelium omni creaturæ prædicari præcipitur, ad fratres lupos, & sorores aviculas extendat? Sed eam jure saniores Theologi ad subjectam materiam adstringunt: ut quemadmodum cum omnis creaturæ mentio fit vox hæc ad solos homines restringatur; quia ibi de hominibus sermo est: ita hic quia Apostolus non potestatibus ut infrà; sed iis qui in aliena potestate erant officia præscribebat; ad solos qui in aliena sunt potestate, de quibus isthic sermo est; eadem vox adstringatur.

Habuit autem Apostolus aliam quoque causam, cur præceptum hoc subjectionis Christianis tradens voce hac universali uteretur. Nam ut ex 1. *Pet.* 11. 16. discimus, non deerant inter Christianos; qui libertate Christianâ ad prætextum malitiæ abuterentur, & Christianos à subjectione, ad quam reliqui obligati erant exemptos putarent. Meritò igitur hic Apostolus officium subjectionis ad omnes, sine exceptione, non modo Ethnicos sed etiam Christianos extendit. Adeò ut ex ipsa vi sensus verborum Apostolicorum ab hoc præcepto Ethnici excludi nullo modo possint. Sed tamen ut diximus in hoc primo versu, non ipsis potestatibus; sed iis qui erant potestatibus obnoxii præcipit. Unde manifestum est; ab obligatione hujus præcepti, meritò excipi eos qui nullius præterquam Dei potestati erant obnoxii.

Nisi fortè quis velit particulam *Omnis* in sensu absoluto & universalissimo ita explicare; ut præter unum Deum nulla anima à subjectione excepta intelligatur; quia etiam sublimes interris potestates; superioribus: & supremę ipsi Deo subjectæ sint; à quo omnis iste potestatum Ordo incipit, & in quem desinit. Quæ explicatio quoniam vim & emphasin, præcepto Apostoli addit, meritò admitti potest. Sed neque Ethnicos ab obligatione hujus præcepti eximit; & nostram limitationem voculæ Omnis, quam ad subjectam materiam restringimus, confirmat; quę non ad alios, quàm ad subjectionis capaces quibus hoc loco officium præscribitur extendi potest: ut vel pueris palàm sit ab hoc generali pronunciato; primùm absolutè Deum ipsum: deinde in specialiori subordinatarum ipsi potestatum consideratione, Dei vicem gerentes potestates, quales sunt summi Magistratus, excipi.

Alterum argumentum; quod in ordine objectionum V. B. Quartum est; V. B. in syllogismum redigit; & quid ad illud dici possit expendendum proponit. Quibus inquit nonnisi subjectionis erga supremas Magistratus officium ubique in Novo fœdere præscribitur; illis supremum Magistratum gerere non permittitur. Atqui omnibus Christianis nonnisi subjectum officium ubique præscribitur. Ergo &c.

Quid aliud ad hoc argumentum dici potest aut debet, nisi illud procedere nullo modo posse, quia pedibus captum est? Utroque enim graviter claudicat; cum ambæ præmissarum non uno modo falsæ deprehendantur. Et major quidem, si benè excutiatur; à testimonio negatè universaliter concludit cum ex ejusmodi loco, ne singulariter quicquam adstrui possit. Quid enim aliud est nonnisi subjectionis officium Christianis ubique præscribi: quàm iisdem dominationis officia nusquam præscribi.

Est autem manifesta causa cur Christianis, alterum quidem eorum passim inculcatum, alterum nonnisi tacitè & minus explicitè præscriptum sit; tametsi utrumque liceat, quia alterum eorum puta officium Dominationis, inculcari, nisi minùs aptè non poterat; cum in illud ultrò absque ullius præcepti stimulo propendeamus. Non solet ea Spiritus Sanctus inculcare, quę nullo præcepto indigent, & facilè ac libenter à nobis fiunt. Ne ipsis quidem domi-

dominis S. S. ulquam præscribit, ut servis aut ministris suis imperent; quia id absq; ullo præscripto, aut superioris potestatis edicto, facere poterant. Sed præcipit, quod gravius est; ut illis Christianè & benignè imperent; quod non omnibus æquè factu facile est. Ita ne Magistratibus quidem aut quibuscunq; hominibus præcipere opus erat; ut imperarent; quia absque ullo præcepti stimulo; ingenium humanum imperii avidum est. Sed ut secundum mentem Dei imperarent; ut bonis non terrori sed præsidio: solis autem malis essent formidini: ut in usu gladii, non iræ aut libidinis suæ; sed Dei ministros sese esse intelligerent; ut non solis vectigalibus, aut cæteris imperii emolumentis percipiendis, sed vicissim in curam commissi muneris incumbendo, sese principes esse ostenderent: hæc quia non omnibus factu prompta sunt, præscribere & inculcare Spiritus Sanctus non omisit:

Non magis igitur vera est propositi Syllog. major propositio quàm si quis arguat. Quibuscunq; nonnisi cura, labor, vigilia, mortificatio carnis ubique in S. lit. præscribitur; iis remittere animum ne valetudinis quidem causa permittitur. Christianis. Ergo. Consecutionum ejusmodi tota vis falsa hypothesi nititur; quæ quicquid expressè atque in specie præscriptum aut permissum non est: permissum nō esse statuit. Quasi plurima fieri non liceat; quę nonnisi ridiculè præscriberentur aut permitterentur.

Hæc ad majorem. Minorem non dubiæ falsitatis esse ibi patuit; ubi V. B. suismet verbis constringi ostendimus, ut fateri cogatur *Rom.* XIII. non id describi quod tunc Romanorum Magistratus faciebant: sed quod ex mente atque ordinatione Dei facere debebant: quæ pura puta est officii præscriptio; naturam & finem hujus muneris in genere ob oculos ponens iis quorum interest.

Sed etsi nusquam in S. literis officium Magistratui præscriptum reperiretur; Minor tamen ista falsi convinci non difficulter posset. Neque enim quia Christianis aliquod officium, puta subjectionis præscribitur; idcircò nonnisi talè officium præscribitur, hoc est, oppositum ipsi officium non permittitur. Neque semper præscriptio alicujus officii, tollit aut excludit tacitam saltem permissionem oppositi officii. Si quis Judici nimium severo expressè clementiæ præcepta præscribat & inculcet: non ideò tacitè tempestivæ severitatis usum permittere negandus erit. Quodsi id in oppositione eorum verum est, quæ contraria videntur; quorum unum alterum tollit: multò magis in eorum oppositione verum est; quæ relata sunt; quorum unum alterum ponit. Patet igitur quàm infirmæ fuerint ratiunculæ, quæ hucusque adversus jura Magistratuum productæ sunt.

III. Tertium postea argument. pro jure Magistratuum aggreditur; idq; dum convellere vult, longè firmius stabilit; quia agnoscit absq; potestatibus supereminentibus res humanas consistere; & in statu tolerabili durare non posse ideoque officium hoc tàm bonum, tàm præstans, tàm necessarium humano generi ultrò suismet verbis commendat. Sed hoc argumentum nonnisi ea suppositа hypothesi procedere contendit; si talis Magistratus penitus ex orbe tollatur. Atqui nos evincimus adversarios hanc hypothesin exequi, & supremos Magistratus penitus ex orbe terrarum tollere. Nec enim de eo loquimur quod per accidēs evenit; sed quod ab iis per se Fit atque intenditur. Non per eos huc usque stetit; quominus è genere humano supremæ potestates sublatæ sint: sed quia pauci semper juventi sint, qui tàm pravas & absurdas opiniones admiserint. Christianam enim religionem ad omnes omninò homines propagare voluntiac velle tenentur; nisi fortè non pro omnibus Christum mortuum opinantur; aut aliquos ex destinatione Dei ab omni spe tantæ felicitatis prorsus excluſos. Jam verò una cum Christiana religione, omnibus virus hac instillant; quod ut natura sua veram sanctitatem animis hominum ingenerare nequit: ita si in omnes serpat, vel ipsorum confessione non potest, nisi intolerabilem rerum omnium confusionem introducere.

Quod autem homines turpissimi, & monstra hominum Catigulę, Nerones, Heliogab, olim idonei esse potuerint, ad sustinendū officium tàm bonum tàm præstans, tàm necessariū humano generi, non magis veritati & rationi atq; adeò experientiæ consentaneum est; quàm Christianos ad illud ipsum sustinendum, idoneos esse non posse.

IV. Transit postea ad rationē quartam, quòd adversariorum opinio, de Magistratu à populo Christi exterminando, Ecclesiam in tàm afflicto statu perpetuò detineat, qualis fuit in primordus ejus, cum hostium suorum potestati obnoxia fuit. Primùm igitur ait, tametsi in hoc statu Ecclesia detineatur semper, sua tamen ipsi halcyonia, & inducias à persecutionibus non defore. Atqui nostra ratio non id adversariis objicit, quod diluunt, hoc est, quod perpetuis hujus, ut ita dicam, persecutionum morbi paroxysmis Ecclesiam objiciant: sed id quod agnoscunt; quod eam in isto ipso morbo perpetuo detineant.

Secundo loco contendit, Deum ipsum velle ut in isto morbo seu statu persecutionibus obnoxio Ecclesia detineatur, quia Sacra Scriptura testetur eam esse vocationem Novæ Creaturæ, ut vanitati afflictionum in hoc mundo subjecta sit. Antequam in disputando progrediamur; constituendum est quid apud nos significet Ecclesiam in statu persecutionibus obnoxio detineri; aut ab eo liberari; ne temerè extra statum quæstionis oberremus.

Per illud igitur non aliud intelligimus; quam Reges & Magistratus, in quorum ditione Ecclesia est, esse ab ea alienos; & veritatis inimicos. Per hoc autem: Eosdem ejus esse nutritios & patronos.

Hoc igitur sensu verbis istis intellectis, falsum esse contendimus Deum velle in hoc statu ut servituti alienorum obnoxio, Ecclesia perpetuo detineatur, quia per utriusq; fœderis prophetias promisit Reges fore nutritios Ecclesiæ suæ; & regna hujus mundi, aliquando regna sua & filii sui evasura. Præterea & per ordinationem suam Reges & potestates summas in hoc Mundo esse; & per Evangelium Christi eosdem ad agnitionem veritatis pervenire voluit. Neque verò si Ecclesia Reges nutritios nacta fuerit; nova creatura vanitati afflictionum in hoc mundo obnoxia esse desinet. Primum quia hæc vanitas non de solis persecutionum afflictionibus: sed etiam de corruptionis servitute, ut expressa verba loci testantur, intelligenda est: ideò non illicò, postquam Reges patronos nacta fuerit, ab ea liberabitur; donec omnes expectatam adoptionem & redemptionem corporis nostri assequamur. Deinde quia & iste beatior Ecclesiæ sub patronis ejus Regibus status; nequaquam prorsus à periculo persecutionum exemptus esse potest, cum & Reges ipsi una cum Ecclesia à potentioribus persecutionem pati possint; & alioqui ipsi etiam quanquam Ecclesiæ patrocinii professi deesse officio suo; aut quod eventus ostendit; ipsi quoq; veros Christi fideles persequi possint. Ideo ne tunc quidē ab ista rerum secundarum malacia, quam V. B. inaniter metuit, Ecclesię periculum erit; ut hoc argumentum, quod apud ipsum maximi momenti censetur; quodque Rationis ejus Quintæ loco numerare possumus, planè nihil habeat virium.

Reliqua quæ hoc loco disserit ad locum communem pertinent; concioni quàm disputationi aptiorem; nisi quòd illud prętermittendum non est; ex parabola divitis & Lazari, vitiosè ac superstitiosè concludi; destinatos ad vitam æternam, non posse frui felicitate hujus mundi, & qui eâ frui velint ad vitam ęternam pervenire non posse. Non enim ex verbis quæ ad τὸ πρέπον parabolæ pertinent, nectenda sunt paradoxa dogmata: Sed ad scopum & nervos ipsius doctrinæ in parabolis traditæ attendendum est. Nec verò illic Abraamus Divitem in illam status sui miseriam incidisse ait, tantum ideò quod bona sua in vita sua receperit: sed quod illorum bonorum nimia fiducia cæcus & voluptate ebrius Mosen & prophetas non audierit: qui certè nusquam nudum bonorum hujus vitæ usum aut fructum; sed alicubi vitiosum eorum abusum damnarunt.

V. Quintam rationem nostram attingit; sed quo facilius convelli possit, aut etiam, forte imprudens, quia à

nemine ex professo ipsi objecta est; vim ejus omittit. Ait enim propagari posse insigniter Ecclesias; etiamsi semper sub cruce & afflictionum metu constitutæ sint; quia prima illa vetusque Apostolorum Ecclesia, crevit durissimis persecutionibus exercita. Atqui non animadvertit V. B. non eandem antiqui ævi, in persecutionum certamine, & nostrorum temporum rationem & conditionem fuisse. Illic enim aut præsentibus miraculis aut recenti ac certissima eorum memoriâ, subnixa divinissima religio, depugnabat adversus crassam & palpabilibus fabulis suspectam; ac vero suo vultu sese prodentem idololatriam. Nunc nullis miraculis, nec ulla eorum specie subnixa veritas certat; aut contrâ idololatriam quidem, sed sub persona divinissimæ religionis clanculum latentem; & ascitia majorum sanctitate venerabilem; aut adversus errores sæpe admodum efficaci veri fuco & impostura populum decipientes, quosdam & martyriorum quadam specie commendatos. Longè igitur debilioribus præsidiis nunc subnixa est veritas: & longe potentiores hostes oppugnat. Quo fit ut olim quidem non tam impari ut nunc certamine pugnaret; & quamvis cum erroribus gladio armatis congrederetur, facilè tamen eos vicerit: At nunc intàm impari & iniquo certamine; tantisper illam succumbere necesse sit; dum è superiori loco errores in æquum detrahat, atque ibi magnificè vincat. Nihil enim iniquius est ejusmodi certamine; ubi erroribus gladio & potestate armatis, licet ità adversus veritatem grassari, ut neque ejus rationes proferre; neque audire cuiquam nisi arbitrio hostium liceat; & si quâ forte ad alicujus mentem veritas perveniat; eam recipere impune nemini liceat. Æquum autem locum huic certamini sola libertas præstabit; Cujus cum sola Magistratuum potestas (inviolatâ religionis naturâ) genitrix & custos esse possit; meritò, qui potestatem Magistratuum ab Ecclesia exterminant: libertatem temporibus nostris, & victoriam veritati; & incrementum Ecclesiæ, invidere, dici possunt.

Hujus nos rationis fiduciâ omnes eorum censuras, omnia judicia non moramur, qui nonnisi ipso eventu adduci solent, ut sapiant: quia communem quidem omnium; sed tamen singulari quodam jure, peculiarem eorum Magistram; suffragatricem habemus Experientiam.

VI. Accedit postea ad locum 1. *Tim.* 11.2.4. & primum fatetur. Si *aliunde constaret, quod quæritur, si nullæ rationes essent contrarium suadentes; non parum momenti locum hunc habiturum. Nunc autem urget ex eo solo demonstrari τὸ κεκρ'μενον non posse.*

Sed cur innoxium aërem verberat? Quis enim est nostrum qui ex eo solo sententiam nostram demonstret? Plurimis aliis iisque longè magis cogentibus argumentis κεκρ'μενον istud pro parte nostra, subnixum est: & quæ contrà afferuntur, plumis leviora esse ostendimus. Ergò confessione adversarii huic argumento pondus & momentum suum non de est. Deinde ait à Grotio committi fallaciam Compositionis: quod ea quæ separata sunt conjungat & confundat. Mitto quæ de hac fallacia dici possunt. Illud unum urgeo. Grotium meritò ea conjungere; quæ & Apostolus conjungit; & natura sua conjuncta sunt. Conjungit enim Apostolus præceptum præcum pro Regibus & potestatibus, cum fructu quem ex iis sperare debeamus quietæ & tranquillæ vitæ: Et rursus utrumque hoc in versu tertio conjungit per particulam Causalem *Nam* cum versu tertio & quarto. dum ostendit preces istas pro Regibus & potestatibus eò alacrius faciendas; quia gratæ sint Deo; qui velit, ut omnes homines & ipsi quoque Reges, salvi fiant & veritatem agnoscant. Necesse est igitur ut preces istæ pro salute & conversione Regum; non pro terrena eorum pace conceptæ intelligantur; ac proinde ut fructus iste quietæ & tranquillæ Christianorum Vitæ; non ex terrena Regum pace; sed ex conversione eorum ad Christum proficisceretur. Nam de terrena Regum pace hoc loco Apostolum non loqui versus tertius & quartus ostendit. An verò non hoc manifestè gratum esse Deo dicitur, quod cum voluntate ejus conjunctam est? Voluntas autem ista non in eo, quod pace frui, sed in eo quod salvos esse & ad agnitionem veritatis pervenire velit omnes etiam Reges, exprimitur. De hac igitur voluntate, cujus expressa fit mentio, intelligendum est id, quod gratum esse Deo dicitur; non de alia, quæ nonnisi per divinationem huic loco affingi potest. Nec obstat quod istis verbis ratio afferri possit; cur Deum servatorem vocaverit. Nam & ipsum istud servatoris agnomen Deo non temere hoc loco Apostolus tribuit; cui grata & optabilis sit, omnium etiam Regum salus, ac proinde & preces pro eâ fusæ. Nec longa hic consequentiarum, aut illis ambagibus involuta series nectenda est. Nam Deo servatori grata esse omnium etiam Regum salus dicitur; ideò pro conversione eorum preces fundendas esse, eò alacrius; quod earum maximus fructus, quieta nimirum & tranquilla vita, ubi conversi fuerint, ad nos redundet. Omnia hic plana, dilucida, bene inter se connexa, & brevia sunt. Nec impedit quod prius posteriori, posterius priori loco poni videatur. Modus loquendi ubi ὕστερον πρότερον collocatur; non Scripturis tantum, sed omnibus vulgò familiaris est. Sæpe enim causa per effectum: sæpe effectus per causam cognoscitur. Et qualiscunque verborum ordo sit, qualiscunque nexuum sive longa, sive brevis series; omnia in nostra explicatione pulcherrimo nexu cohærent. Contrà nisi nostra explicatio admittatur; in glossemate adversariorum arena sine calce ridenda est. Quomodo enim ista cohærere possunt; si verba hæc eo sensu explicentur: Orate pro Regibus ut pace terrena fruantur; cujus fructus ad vos quoque perveniat: quia hoc gratum est Deo; qui vult omnes homines etiam Reges servari & converti. Quid pax terrena Regum ad Salutem & conversionem eorum pertinet? Quid est torquere in eculeo Scripturas, si hoc non est?

Illud, inquit, de *agnitione veritatis, pro ratione demum* affert, cur vota pro omnibus hominibus suscipere debeamus. Si ideo quia Deus vult ut omnes homines veritatem agnoscant; orare pro Regibus, verbis istis, Apostoli jubemur; annon pro conversione Regum hoc loco orare jubemur?

At verò objicit. Non sequitur *Debemus orare ut sub Regibus tranquillè vivamus, & ut Christiani fiant. Ergò ideò Christiani fieri debent ut sub eis tranquillè vivamus. Quasi non possimus etiam tranquillè vivere etsi Reges Christiani non fiant.* Ut facilius refellere possit malè explicationem Grotii proponit; nec tamen id ipsum quod proponit, benè refellit. Neque enim Grotius neque Apostolus dicit, tantum ideo Reges Christianos fieri debere; ut sub iis Christiani tranquillè vivant; cum uterque expressè urgeat, ideò convertendos esse; ut ipsi salvi fiant; utque in eo voluntati ac ut ita loquar; desiderio Dei satisfiat. Sed tamen possunt unius rei plures esse causæ, plures fines, plures effectus: & quia conversionem Regum, naturâ sua tranquillitas Christianorum sequitur, & cum ea conjuncta est; tantò alacrius ab ipsis eas preces uterque suscipiendas ostendit; quia ipsis tàm optabilis fructus, precum istarum effectum consequitur.

Sed quomodo Grotium refellit? *Possumus*, inquit, *tranquillè vivere, etsi Reges Christiani non fiant. Ergò in gratiam tranquillitatis nostræ, non est orandum ut Reges Christiani fiant.* Perinde est, ac si diceret. Possumus victum habere gratuitum, aut etiam à corvis allatum (nec enim id impossibile aut sine exemplo est) sine labore nostro. Non igitur arandum aut laborandum est, ut victum habeamus. Possunt, ut diximus, unius rei plures esse causæ; nisi quod aliæ aliis, longè certiores & efficaciores esse soleant; & meritò aliis præponendæ. Tranquillitati quidem Christianorum sub Regibus Christianis quàm aliis, longè melius prospici negare Vir Bonus nullo modo potest.

Ait enim *Apostolus non addit*, inquit, *ut per eos vel eorum operâ tranquille vivamus.* Atqui fructum hunc tranquillitatis nostræ, ex eorum conversione secuturum ostendit.

ſtendit. Quis igitur alius nobis, ſub Chriſtiano Magiſtratu viventibus, tranquillitatem præſtabit, præter noſtrum Magiſtratum, cui id ex ordinatione Dei præſcriptum eſt? Etiamne in tàm liquidis rebus tergiverſationi locus eſt?

Tranquillitatem perpetuò ſtabilem, in rebus humanis, nulla Magiſtratuum in melius converſio nobis præſtare poteſt: quia & ipſi in deterius mutari; & à potentioribus opprimi poſſunt. Optare tamen ut perpetuò ſtabilis ſit; non magis noſtræ vocationi contrarium eſt; quàm petere à Deo aut optare; ut voluntati ejus in terris perpetuò ità nos geratur; quemadmodum fit in cælis; ut in confingendo ſuo paradoxo principio Vir Bonus orationis dominicæ oblitus fuiſſe videatur.

VII. Tandem accedit ad refutandam quandam Grotii rationem: ſed prius multùm conqueſtus quòd cætera ejus argumenta, adeò ſint egena & miſerabilia, ut numerum tantum non momenta rationum ſpectaſſe videatur. In quo, ad vivum, Suffenum illum Catulli exprimit; dum non videt, manticæ quod in tergo eſt: cum ipſius adverſus Magiſtratum argumentis nihil ſit pannoſius & magis miſerandum: ut quæ excitatam tam audaci parturitione expectationem omnium turpiſſimè fefellerint. Nihil enim ultrà pro ſententia ſua affert, præter illud cauſæ ſuæ jugulo metuendum, dimiſſæ à Domino adulteræ exemplum; quod ſuo loco examinabitur.

Nunc ad ultimò refutatam Grotii rationem accedamus. Cujus primum particulam quandam arripit, & exagitat: deinde ad jugulum ipſius accedit.

Quod ad particulam attinet: carpit primùm conſequentiam hanc, *Si manſit obligatio legis ſtante Hebr. Repub. ſequitur ut Judæi ad Chriſtum converſi, ſi ad Magiſtratum vocarentur, eum defugere non potuerint.* Ubi animadvertendum Grotium, neque id ſolum ex obligatione Legis deducere; ſed addere quod, *judicare quoque non aliter debuerint quàm Moſes præſcripſerat*: neque de ſolo gerendi magiſtratus; aut judicandi: ſed belligerandi quoque jure, hoc eſt, de omnibus gerendæ Reipub. partibus agere: ut ex ſcopo totius libri; & hujus ipſius diſputationis propoſitione liquet. Vocationes autem ad gerendam Remp. non ſunt unius generis. Sunt enim quædam, quas privatis defugere licet: aliæ quas non licet; quales ſunt militares delectus & defendendæ Reipub. onera. Deinde ea quoque officia quæ alioqui per ſe conſiderata, liberè ſuſcipi aut detrectari poſſunt; quale eſt regnum aut præfectura aliqua; poſſunt ſecundum quid aut per accidens ejus generis evadere, ut neceſſariò ſuſcipienda ſint, veluti ſi ab eo imponantur, cui refragari non liceat; quemadmodum David cum in pueritia à Deo ad regnum vocaretur; officium ſibi impoſitum detrectare non potuit. Quid igitur obſtat, quo minùs Grotius hoc loco de ejuſmodi officiis loqueretur, quæ ob aliquam juſtam & gravem cauſam defugere non liceret?

Legis rigorem in multis Judici mitigare ipſa Lex tacitè permittit; quia non hominibus ſed hominum delictis infeſta eſt. Cujus permiſſionis jure, Chriſtianus præcipuè Magiſtratus, ad benignitatem & clementiam plurimùm uti tenetur. Non tamen in omnibus legis nexu ſolutus eſt. Ideò rigor Legis quoties eum temperare in ejus manu non eſt; non Magiſtratui; ſed Ordinationi divinæ tribuendus eſt: cujus invidiam quoque Deus in ſe ultrò recipit: qui adeò plenum jus vitæ neciſque noſtræ poſſidet; ut illud vicem ſuam in terris gerentibus quoque dare, & concedere poſſit.

Sed ad jugulum cauſæ veniamus. *Veniſſimum*, inquit, *aſſumptum eſt; quod obligatio Legis manſerit quamdiu ſtetit Hebræorum Reſpublica.* Quamobrem vero? *Legis enim*, inquit, *obligatione ſolvebantur omnes, ſimul ac in Chriſtum crediderunt &c. Quia nos Chriſtus à Lege redemit* Gal. IV. 5. *& morte Chriſti Legis obligatio, ſublata diſertè pronunciatur*, inquit, *Rom.* VII. 4. Sed cum Grotii aſſumptio decepis loquatur; quid ita Vir Bonus de allio diſputat? Longe alio ſenſu vocem Legis, Grotius in ſua argumentatione, quàm Vir Bonus in ſua reſponſione uſurpat. Grotius de forenſi lege Hebræorum loquitur, ſine cujus regimine ut nulla alia; ita neque Hebræorum Reſpub. eſſe poterat. Vir Bonus ad longè aliam vocis hujus, ſignificationem delabitur, quæ religionem ſignificat, ſecundum Veteris fœderis pacta præſcriptam; cujus vi homines ſeſe juſtificandos ſperare, aut damnandos timere poterant. De ejuſmodi Lege Apoſtolus utrobique citatorum locorum loquitur; de qua Grotius in argumentatione ſuâ, ne ſomniavit quidem. Ubi novam fœdus Deus cum hominibus pepigit, & filii ſanguine ſanxit; ſublatam cum Apoſtolo veterum pactorum obligationem, novâ in ejus locum introductâ fatemur. Sed hoc ad Reipub. leges nihil pertinet; tantum ad leges Religionis. Cujus quidem novæ religionis obligationi, ſi leges forenſes cæterarum omnium Rerumpublicarum confirmavit, ſuiſque nodis arctius adſtrinxit; ne Hebræos quidem legum ſuarum forenſium obſequio ac vinculis exemit. Redempti ſumus à maledictione Legis & pacti veteris; quatenus per vim ejus juſtificari non potuimus. Sed à metu & ſubjectione ac rigore forenſium legum quarum cuſtodes ſunt Magiſtratus; adeò non ſumus exempti; ut Apoſtolus Chriſtianis etiam, gladium quem gerit Magiſtratus, timendum pronunciet, ſi pœnam ejus meruerint: & ad id, ne pœnam hanc timeant; unicam viam oſtendit; ſi curent ne eam mereantur. Rituales leges ad propoſitam quæſtionem nil faciunt. Nunc de ſolis judicialibus loquimur, quarum obligatione olim Hebræi in ſua Repub. non magis erant exempti; quàm nos hodie in noſtris Rebuſpublicis. Fatetur id Vir Bonus infrà dum ait: *Diverſa eſt rituum judiciorumque ratio. Ritus enim illos legales ſub Novo fœdere, Deus planè voluit eſſe ſublatos. Judicia autem Deus noluit è rerum natura exterminari, cum iis genus humanum indigeat & inter omnes gentes ea ipſe conſtituerit.* Verum ſe in caſſes manifeſtæ contradictionis induit. Ait enim primùm, *Deum noluiſſe judicia* è rerum naturâ exterminari. Atqui voluit omnes etiam judiciorum præfectos ad agnitionem veritatis pervenire. Quodſi agnoſcentes veritatem, judiciorum obligatione teneri noluit; nec niſi ignorationi veritatis leges judiciorum affixas eſſe voluit; quia videmus eum hanc ignorationem Veritatis ſublatam eſſe voluiſſe; judicia quoque, quæ ipſi ſoli (ut opinatur V. B.) affixa ſunt, unâ cum ea ſublata eſſe voluiſſe, neceſſariò cenſendus eſt. Deinde ait *Non dicimus abſolutè forenſem legem à Chriſto eſſe damnatam aut ſublatam. Dum enim illa Reſpub. ſtabat, paſſus eſt eâ uti Judæos. Sed dicimus Chriſtum catenus tantum eam ſolviſſe, quatenus diſcipulos ſuos Legis judiciariæ obligatione exemit; nec ad illos eam pertinere voluit.* Atque hic V. Bonus multiplici contradictionum laqueo ſeſe irretivit; è quo nonniſi ridiculè ſeſe extricat; ſed ita ut ſeſe ſubinde pejus implicet. Quid per ſolutionem Legis forenſis intelligere debeat, patet ex ſubjecta materiâ. Quæritur enim utrum manſerit obligatio ejus, quamdiu manſit Hebr. Reſpub. Quid ipſe intelligat, explicat dum ait: *Eatenus* Chriſtum legem forenſem ſolviſſe, quatenus Chriſtianos, exemit ab ejus obligatione. Exemptio igitur ab obligatione legis judiciariæ; eſt ejus ſolutio. Exemptio verò hæc ad omnes Chriſti diſcipulos, hoc eſt, ad omnes gentes pertinet; quos inter & ipſi Hebræi. Ad Chriſti enim Evangelium & diſciplinam primùm Hebræi; deinde & reliquæ gentes pertinent: & quod Chriſtus diſcipulis ſuis præcipit, omnibus gentibus inprimis autem, ipſis Hebræis præcipit. Si igitur Chriſtus legem forenſem ad diſcipulos ſuos pertinere noluit; noluit & ad eos omnes quos diſcipulos ſuos eſſe voluit; quos inter & ipſi Judæi. Non igitur ea uti eſt paſſus ipſos Judæos; niſi fortè ita, quomodo, homicidas occideret, adulteros mœchari; perfidos pejerare, diſſolutos flagitioſè vivere patitur; quoties jugum eius non recipiunt; aut excutiunt. Quomodo autem non damnata aut ſublata à Chriſto eſſe, Lex iſta potuit, quam à Regno ſuo procul excluſam ad ſubditum ſibi populum pertinere noluit? Rurſus ſi ita lex iſta à Chriſto per doctrinam ſuam improbata, damnata, & à Regno ejus rejecta & exterminata eſt;

ta est; quomodo eam, Deus sub Novo Fœdere exterminari noluit? quomodo inter omnes gentes (ut ipse agnoscit) judicia instituit? An ordinationes Dei pugnant cum ordinationibus Christi? quomodo ipse Christus per se atque per Apostolos, in obsequio Magistratibus injuncto, omnium forensium legum custodiam confirmavit? Denique quomodo hic judiciariæ legis obligatione, exemptos esse discipulos Christi asserit: cum ipse suprà asseruerit; novâ obligatione, quæ ex Evangelio proficiscitur; adstrictos esse Christianos ad forensium legum obsequium? Quodnam est, istud genus solutionis; quod novis ideoque arctioribus vinculis homines obligat atque obstringit? Enimverò Spiritus Sanctus sub Novo Fœdere non modo legitimo pœnæ metu; sed etiam conscientiæ nexu, hunc parendi legibus forensibus nodum adstringit. Quod verò uspiam privilegium? quod vel minimum ejus vestigium in toto Sacræ Scripturæ codice reperias; ubi vinculo legis judiciariæ sive in Judæa, sive in alia Repub. Christiani soluti fuerint? Fœdus igitur hic & enormis Viri Boni lapsus est, quod contradictionis fervore abreptus & æquivocatione voculæ unius circumventus, inauditam illam Christianorum exemptionem; & solutionem Legis forensis commentus sit: & verissimum est quod Grotius asserit; quomodo nunc in omni Republica, quamdiu manet in suis vestigiis; forensium legum auctoritas, omnes Christianos obstringit: ità & olim manssisse obligationem ejusdem legis, dum stetit Hebræorum Respublica ipsos quoque Christianos non tantum externos in officio continentem.

Quod si istam obligationem Christi doctrina non sustulit, sed confirmavit, & auxit; ipsi quoque Christiani, si quos fortè in Magistratu Christianismus deprehendit, leges illas forenses exercere poterant.

Ne autem Vir Bonus ab instituto suo recederet; quod in hac, argumentorum pro Magistratu refutatione tenuit; dum interdum aliquas pro sententiâ suâ rationes interjicit; breviter argumenti illius mentionem fecit quod Christus *Joh* VIII. adulteram secundum legis præscriptum morte mulctari noluerit. Quod nos quoque breviter refellemus.

I. Primum igitur fingamus Dominum competentem hujus criminis judicem fuisse; is, tametsi oblatam sibi forte adulteram morte mulctari absolutè noluisset, hoc est, eam in judicio suo absolvisset; tamen ex nudo istiusmodi facto legem de adulteriis, multò minus leges de aliis criminibus esse abrogatas, colligi nullo modo posset. Quia Judici, præcipuè supremæ instantiæ; liberum est, generalem legis rigorem; in singularibus exemplis mitigare; salvis legibus ipsis; præsertim ob gravem aliquam causam; sed & ex solius clementiæ instinctu. An Deus leges suas de homicidiis & adulteriis abrogavit? quia Davidi utriusque criminis commissi gratiam fecit?

II. Non satis constat, simpliciter & absolutè Dominum; mulierem illam juxtà præscriptum legis morte mulctari noluisse. Hoc tantum patet, noluisse eam damnari sententiæ suæ interventu. Quod factum Domini, non magis ejusmodi damnationem illicitam reddit; quam repulsa illorum fratrum; qui petebant arbitrio Domini divisionem patrimonii sui fieri; illicita efficit, delata nobis ab amicis ejusmodi arbitria.

III. Ex ipso verborum contextu, satis liquet. Dominum sententiæ Pharisæorum damnatoriæ (si fortè interveniisset) intercedere noluisse: quia non alio prætextu & occasione mulierem dimittit; quàm quod nemo eam condemnaverit. Quod autem ipse quoque eam non damnaverit; nihil erat mirandum; cum judex ad ejusmodi cognitiones constitutus non esset.

IV. Exemplum istud causam adversariorum planè jugulat. Ostendit enim Dominum, de novâ istâ doctrinâ in abrogandis Capitalibus judiciis tradendâ, nunquam cogitavisse. Si enim unquam aliàs; tunc certè oblata est occasio ejus tradendæ; cum expressè ab eo quæreretur, an illud singulare factum esset capite luendum? an lex Mosis in eo servanda? Atqui tunc Dominus nulla nec expressâ, nec tacitâ verborum significatione Mosis legem abrogavit. Imo verò, ipsas occasiones de ista abrogatione loquendi; planè fugiebat; quod tamen facere nullo modo potuisset; si doctrina ejus, novum istud abrogationis istiusmodi dogma introducebat. Videmus enim Dominum invitum, nec nisi summa Pharisæorum importunitate pertractum ad loquendum de isto argumento descendisse. Quod, si hanc Mosis legem in antiquo suo statu relinquebat, non erat ullo modo mirandum. Qui enim tacet, consentire videtur, iis quæ tunc, cum liet (quamvis loquendi occasio, imo verò necessitas non desit) locum habent atque apud omnes vigent. At si Dominus Mosis legem per novam suam doctrinam de statu suo dimovere voluisset, tunc cum novæ illius doctrinæ tradendæ, non commoda tantum sed plane necessaria opportunitas ingerebatur; nequaquam certè tacuisset aut aliud egisset; sed ultrò ejus tradendæ occasionem occupavisset.

V. Dominus sententiâ suâ legem Mosis non modo non abrogavit; sed expressè confirmavit; dum etiam modum exequendæ, à more gentis haud alienum præscribit. Testes enim primi lapidationem inchoare solebant. Quos saltem ejus criminis, quod deferebant & accusabant atque puniebant, tacita quadam necessitate & officio immunes esse oportuit. Dominum autem pro sapientia suâ eorum nequitiæ conscium; de ejusdem illius capitalis criminis communione, & (ut municipalis nostri juris voce utar) complicitate locutum, Scribarum & Pharisæorum metus atque fuga arguit. Qui profectò non erant tàm teneræ frontis; ut eos leviorum fortè peccatorum, quorum naturæ humanæ imbecillitas nunquam exors est puderet: neque ita sine causa timidi; ut eorum commissorum pœnas aliquas formidarent: sed pudor atque metus ipsa que eorum fuga arguit, illos ejusdem; aut certè simulis capitalis criminis reos, atque sibi conscios fuisse. Quo factum est, ut infectum negotium deserere, & maturatâ fugâ sibi prospicere maluerint; quàm committere ut eâdem Domini sapientiâ; quâ secretorum suorum conscium esse experti fuerant, capitalium suppliciorum manifestis criminibus redarguerentur, si executionem sententiæ Christi occœptare ausi fuissent.

Sententia igitur Christi adversus mulierem, non fuit contrà legem Mosis; sed pro lege Mosis; neque conditionem absolutè impossibilem; sed justam & æquam; & quæ omnes pœnarum exactores deceat; neque planè suprà eorum vires esset; continebat. Nam & spiritualium castigationum executoribus eandem legem fert Apostolus *Gal.* VI. 1.

Atqui ita per Dei gratiam, non modò ea quæ contra jura Magistratuum; sed ea quoque quæ adversus nostra pro eorum jure argumenta, proposita sunt, solidè refutavimus. Superest ut postulato atque expectationi Viri Boni satisfiat; qui non illibenter cessurum se sententiâ profitetur: Sed cogi vult; cogi autem rationum, non numero sed pondere ac virtute. Non igitur copiâ earum obruendus erit. Præterea quæ dicta sunt, sufficiet una atque altera, per quas etiam arctissimè inter se commissæ, hominis palpebræ deduci possint; ut videre cogatur ea; quæ (quicquid de lubentia animi sui pollicetur) non libenter inspicit. Cogitanti autem mihi quidnam sit quod eum efficaciter ad assentiendum veritati cogere possit; nihil occurrit ad eam rem aptius; quàm ut ostendam, evitari nullo modo posse, quin ea sentiat ac defendat; quæ absque aperta implicatione contradictionis, cohærere nequeunt. Qualia sunt quod idem Magistratus, in una eademque actione, hoc est, in legitimo gladii usu; sit & rebellis Dei, præcepta Christi violans: & minister Dei ejus voluntati atque ordinationi morem gerens: quod omnis omnino potestas sit à Deo; & tamen quædam potestas, (puta Christiana) non sit à Deo; sed adversus ejus voluntatem per Christum patefactam; & suscipiatur & geratur: quod functio Magistratus à Christianis

ſtianis haberi debeat pro ordinatione bona, laudabili, ſalutari humano generi; & honore digna; & quod eadem à Chriſtianis fugienda ſit tanquam malum & peccatum: quod in iis damnanda ſit, tanquam res vituperabilis; quod Chriſtianis ſalutem æternam eripiat; ideoque abominanda ſit tanquam eorum peſtis ac pernicies; & cætera id genus, quæ adeò irreconciliabili pugnâ confligunt; ut facilius acerrimi viſus aciem cum cæcitate, quàm ea inter ſe concilies. Hæc ego ſi oculari diagrammate delineata ægris diffidentium luminibus ingeram, ſtructos in contumeliam ſui pontes, conquerentur. Et tamen quid facias iis, qui cogi, non ſuaderi volunt; & ne tunc quidem implicandæ contradictionis obliviſcuntur: cum in admittenda veritate animi ſui æquitatẽ oſtentant. Paratos enim ſe *non illibenter* cedere ſententiâ jactant: Sed tamen cogi volunt. Quorum alterutrum parum ſerio ſe velle oſtendunt: cùm intelligi nequeat, quomodo aliquis *non illibenter* facere poſſit, quod facere non vult, niſi coactus.

Sed nos quod ſuſcepimus ſeriò oſtendamus. Sic igitur argumentamur. In quo Chriſtiani, ſi Apoſtoli monitis pareant, adverſus Deum delinquere nequeunt; in eo ne adverſus Chriſti quidem præcepta delinquere poſſunt. Nam ut peccatis adverſus præcepta Chriſti Deus ipſe offenditur; ita quibus Deus non offenditur ne Chriſtus quidem offendi poteſt. At in uſu gladii, Chriſtiani Magiſtratus ab officio quod Apoſtolus præſcribit non recedentes adverſus Deum delinquere nequeunt; quia in eo, ſcientes & volentes & à Deo per ſe ordinariam ad eam rem poteſtatem, (ob quam etiam analogicè Dii vocantur) accipientes, Deo miniſterium præſtant; quod ex mente Dei cedit in bonum humani generis; atque adeò optimi cujuſque præſertim autem Chriſtianorum. E. in eo adverſus præcepta Chriſti peccare non poſſunt.

Quod ſi quis dicat cæteros quidem Magiſtratus in uſu gladii adverſus Deum non delinquere. Sed Chriſtianos delinquere; quibus ne ad Magiſtratum quidem accedere liceat; primùm hoc eſt, contrà conceſſam jam à Viro Bono hypotheſin qui Magiſtratus etiam ſummos licitos eſſe agnovit; dum ab uſu gladii, ſi fieri poſſit, abſtineant. Deinde in hac inſtantia, committitur illud fallaciæ genus, in quo, (ut dicam quod res eſt) non ſatis verecundè petitur principium. Nam ut manifeſti loci pro noſtra cauſa militantis, declinetur inevitabilis ictus, ſupponitur pro explorato jam & conceſſo principio, quòd non omnis Magiſtratus ſit miniſter Dei, ſed tantum Ethnicus & non Chriſtianus; quod nulla fronte dici poteſt, adverſus Apoſtolum toties univerſaliter inculcantem, Omnem poteſtatem omnem Magiſtratum eſſe à Deo: & nullum Magiſtratuum eſſe qui non ſit à Deo. Nam ſi vera eſt hæc hypotheſis, quod Chriſtianus Magiſtratus non ſit à Deo; nec miniſter Dei; deceptus eſt Apoſtolus, quod omnem poteſtatem toties à Deo eſſe dixerit; cum tot per tredecim ſæcula poteſtates viguerint; quas nec à Deo profectas, nec Dei miniſtras fuiſſe, quidam aut aſſerunt, aut ſuſpicantur. Deinde cum non modo cauſam efficientem, ſed naturam & finem hujus officii, quod Magiſtratum vocamus, citato loco plenè deſcripta Vir Bonus fateatur: quid in ea deſcriptione eſt; quod non æquè Chriſtiano Magiſtratui quàm Ethnico ſerviat; præter (fortaſſis) id ipſum, in quo Magiſtratus miniſter Dei dicitur? Denique precaria iſta & iniquè pro conceſſo ſumpta hypotheſis falſa, & abſurdorum ferax eſt. Statuit enim ſub Novo fœdere, ordinata eſſe ex mente Dei duo contraria hominum genera; quorum alteri ex ordinatione Dei, liceat adverſus Chriſti præcepta Magiſtratus gerere, pœnas capitales ſumere: alteri eadem, ex ordinatione Chriſti, non liceant.

I. Unde *primùm* ſequitur. Nunc ſub Novo fœdere in uno publico ac cæleſti generis humani regimine; duo divina regna inter ſe diviſa eſſe; quorum alterum deſtruit alterum. Nam quia Dei Chriſtique conſilium eſt, ut omnes homines etiam principes & Magiſtratus, ad agnitionem veritatis perveniant, idque regnum Chriſti atque ejus populus omni conatu efficere contendunt: certe illud alterum regnum ad ordinationem Dei pertinens, aut retenta coactivâ poteſtate ſuâ, adverſus Chriſti præceptum pœnas capitales ſumet & Chriſti præcepta violabit, regnique ejus incrementis obſtabit, aut abjecta poteſtate ſua ordinationem Dei *Rom.* XIII. præſcriptam violabit atque ipſam corruet.

II. Deinde ſequitur Deum velle quæ ſibi contradicunt; ſi quod ſemel per Chriſtum omnibus hominibus (omnes enim ad Chriſti agnitionem pervenire vult) prohibitum eſſe voluit; illud idem iterum durante regno Chriſti, quibuſdam hominibus non modo permittit; ſed injungit, ita quidem ſeriò, ut eos in eo ipſo, quod per ſe legibus Chriſti repugnat, adminiſtrando, miniſtros ſuos eſſe agnoſcat.

III. Tertio ſequitur Deum non omnes ſervari, & aliquorum mortem velle. Quibus enim ejuſmodi officium injungit, quod Chriſti præceptis repugnat, & quos ea facere vult, quæ fieri abſque jactura ſalutis eorum nequeunt; eos ſervari non vult; aut ſi vult; aliam viam ad Salutem, præter Chriſti præceptorum obedientiam pro iis reſervavit.

IV. Denique illud abſurdum ex adverſa ſententia fluit inevitabile. Quoſdam homines non aliam ob cauſam; niſi quia in ordinario Dei miniſterio generi humano non modo utili ſed neceſſario; miniſtri Dei, idem quod ipſe Deus (cauſa eorum principalis) volentes atque intendentes fuerint; poſſe damnari; puta ſi Chriſtiani cætera pii & ſancti; Magiſtratus ſibi commiſſi munia, modeſtè & legitimè ſed tamen juxta præſcriptum *Rom.* XIII. officium, obire velint.

At enim quomodo uſus gladii; aut vitæ præſentis ademptio cum Caritate conciliari poſſit nequaquam vident adverſarii! In prompta cauſa eſt; quia videre nolunt, uſum gladii, ſæpe neq; ex ullo; multo minùs vitioſo odio proficiſci poſſe; & in eo ipſo uſu, poſſe nihil ejuſmodi officiorſi omitti, quæ ad caritatem huic ſupplicio obnoxiis hominibus, debitam, pertineant. Neque enim omnis generis caritas ejuſmodi hominibus debita eſt: neque illa ipſa quæ aliquando debetur, omni tempore & loco, & à quibuſvis hominibus debetur. Sed ut in reliquis virtutibus ita in hac quoq; actus & exercitia ejus, à circumſtantiis dependent; quarum moderatrix prudentia eſt.

Poſtremò qui quomodo capitalis poteſtatis uſus cum Caritate conciliari poſſit, ſe non videre profitentur; eadem operâ ad claram Veritatis lucem, ſeſe oculos claudere confitentur, quibus etiamſi ſint acerrimi viſus, nihil cerni ſolet; niſi aperiantur. Vix autem violentius feneſtræ iſtæ mentis noſtræ recludi poſſunt, quàm offuſâ clariſſimâ luce, poſitæ ob oculos ipſius Dei, quam in caritate imitari juſſi ſumus ſanctimoniæ; qui non idcircò pura puta Caritas dici nequit: quia interdum infinitam clementiam ſeveritate temperat. & ad capitales pœnas deſcẽdit. Unde nemo tàm captus oculis reperiri poteſt; quia videat cum vitæ ſanctitate & caritatis perfectione, qualis eſt in ipſo Deo; uſum gladii & hujus præcipuè præſentis vitæ adimendæ poteſtatem, nequaquam pugnare; dummodo jus & poteſtatem iſtam hominibus à Deo communicatam eſſe conſtet? Quod jus omnibus ſine exceptione, poteſtatibus legitimis; quales inter ipſos Chriſtianos fuerunt, atque erunt innumeræ; tanquam ab ipſo Deo ordinatis planè traditum & conceſſum eſſe; iis verbis proponit Apoſtolus quæ ſalva ejus auctoritate; & doctrinæ quam tradit evidentiâ, nullis cavillis eludi, aut refringi poſſunt.

Hucuſque reſponſio ad Digreſſionem.

CAP. VII.

IN examinandis Sacræ Scripturæ locis, è quibus petita adverſus nos argumenta, hucuſque validiſſimis rationibus oppugnavimus; quàm devius & vitabundus Vir Bonus vim atque aciem telorum noſtrorum declinaverit ſemper,

ſemper, aut dimicationem planè omittendo; aut ſtatum quæſtionis mutando; aut locos ſibi nobiſcum communes; (non ſine affictarum nobis opinionum injuriâ) conſectando; aut ad novam diſputandi materiem dirigendo: & tamen quàm irrito ubique conatu laboraverit, ſatis ſuperque Lectori non iniquo planum fecimus. Reliqua ejus opera, an ipſi felicius ſuſceſſerit videamus.

I. *Locus Geneſ.* IX. 5.

In loco *Geneſ.* IX. 5. 6. explicando; vi veritatis adactus, ad confitetur quod nobis ad refellendam vim argumenti, ex eo ducti ſufficit. Nimirum hæc verba, tàm latè quàm ſonant, neque tam temporis cum prolata ſunt, neq; poſteà per multa ſecula, accepta fuiſſe. Neq; enim hæc prophetica prædictio eſt, in qua myſticus aliquis ſenſus longo poſt tempore eruendus lateret: ſed Lex atq; præceptum, quod eo ſenſu à nobis intelligi debet; quo ſenſu tunc & à Legiſlatore præcipiebatur; & ab hominibus Legiſlatori obedientibus intelligebatur & obſervabatur. Quis autem ferat legis interpretem, qui eam latius protendat; quam eo tempore cum ferretur, mens legiſlatoris in ea ferenda fuerit, aut etiam eſſe potuerit? Atqui ex mente Dei non potuiſſe tunc, ſenſum ejus tàm latè extendi; fateri cogitur Vir Bonus; dum fatetur Statum illius temporis tantæ perfectionis capacem non fuiſſe. Ratio autem hæc, quod nunc perfectior rerum ſtatus ſucceſſerit ad eam latius extendendam; atque ita demum extenſam ad nos porrigendam, inſufficiens eſt. Quia hic perfectior ſtatus neceſſitatem ordinationum Dei circa Magiſtratum per Novum fœdus non ſuſtulit; imò jus atque poteſtatem Magiſtratuum in humano genere expreſſè confirmavit: quod tamen jus & quæ poteſtas, per iſtud præceptum ita latè extenſum, non poteſt niſi convelli. Aut igitur hoc præceptum ita latè intellectum ad nos non pertinet: præſertim quod cum ejuſmodi præcepto complicatum ſit, quod Chriſtianæ legis perfectio tanquam umbraticum & ceremoniale aſpernatur: Aut (quod potius ſtatuendum eſt) non latius extendendum eſt; quàm olim ex mente Dei, multis poſt documentis declaratâ intelligebatur. Et mirum eſt profecto Virum Bonum, qui non minus judicialem quàm ceremonialem legem, ad Chriſtianos non pertinere ſtatuat; nos ad illius legis, & quidem ſecus, quàm olim fuit intellectæ jugum retrahere velle.

At enim nunc, hoc eſt, ſub Novo Fœdere inquit, nulla exceptio generalitatem hujus legis ſtringit. Sed primum quid opus fuit generalitatem legis hujus exceptionibus reſtringi; quæ iſtam generalitatem, ipſiuſmet V. B. confeſſione, non habuit? Sed enim contrarium confeſſioni huic, aſſerere videtur; dum ait *In hoc loco generaliter omnem cædem prohiberi manifeſtum eſt.* Verum ſtatim ſubjicit. *Sed verba tàm latè quàm ſonant; neque tunc temporis accepta fuiſſe, neque poſteà concedimus.* In verbis igitur ſolis generalitatem fuiſſe; non in ſenſu aſſerit. Proinde quid opus fuit eam generalitatem reſtringi, quæ non vera fuit; neque in reipſa: ſed apparens & tantum in verbis? Præſertim cum nemo eſſet, qui non ex ipſo uſu & praxi legis iſtius mentem intelligeret; de ſolis illegitimis cædibus loquentem; quod in omnibus fere moralibus & practicis præceptis uſuvenit; quibus aliquid prohibetur; in quo culpa facientis adeſſe aut abeſſe poſſit, ubi ſemper tacitè culpæ illius interventus ſupponitur; & ſi omnis culpa abſit, exceptio interdicti ſubintelligitur; quale eſt illud generale juris præceptum quod Neminem lædere imperat, & ſi qua ſunt ſimilia.

Non igitur hoc loco expreſſo Dei mandato legitimus gladii uſus, ſed abuſus tantum illegitimus prohibitus eſt. Idcircò nihil opus erat, iſtud poſteriori lege permitti; quod antiqua vetitum non eſt.

Nunc fingamus (quod adeò falſum eſt ut ne apud Virum Bonum quidem fidem inveniat) hoc loco omnem planè gladii uſum prohibitum. An non in Evangelio extat lex aliquem uſum gladii permittens; in qua Deus Magiſtratui tanquam Miniſtro ſuo gladium tradit? *Rom* XIII. *At enim hoc ad Chriſtianos non pertinet!* Mitto excutere, quod alibi factum eſt; quàm falſò iſtud jactetur. Sed ad homines certè, quâ tales ſunt pertinet; per quos Deus Reſpub. gubernat. Lex autem *Geneſ.* IX. hominibus qua ſunt homines non quâ Chriſtiani lata eſt. Itaque argumenti ex hoc loco ducti, præmiſſarum utraque, major confeſſione adverſarii; minor ex ſententia Pauli falſa eſt. Sed quî fit; quod ſyllogiſmorum, quos hucuſque Vir Bonus formavit; nullus repertus fuerit; cujus non utraque præmiſſa evidenter falſa eſſet?

Porrò in poſteriori legis hujus parte, non præceptum aut permiſſionem; ſed comminationem contineri; quibus argumentis probet, videamus.

Primum eſt quod Deus mandatum aut jus iſtud dare præter Magiſtratum nemini potuit; qui nullus adhuc erat in illo renaſcentis mundi principio. Fingamus id Deum dare præter Magiſtratum nemini potuiſſe: Neque in eo multam nectamus difficultatem; quærendo an patria aut herilis poteſtas (quæ ſpecies quædam magiſtratus videtur; præſertim ſi nulli alii præter Deum ſubjaceat: præterea nulla alia ſit; quæ ſocietatis bono proſpicere queat) juris hujus capax eſſe poſſit. Illud unum urgeo. An ignorat Vir Bonus leges ſemper in futurum condi. Deſunt videlicet exempla legum in quibus Deus iis officia perſcripſit; qui nonniſi pluribus ſeculis poſt, erant conſtituendi; quales erant Reges Iſraëlis quibus tamen *Deuteron.* XVII. 14. præſcriptæ ſunt leges ad quarum normam regnarent. Quid? quod ipſe Vir Bonus paulò ante urgebat eos, qui vitæ atque officiorum præcepta tradunt, quales erant Apoſtoli; non ſui modo temporis, ſed poſteritatis rationem ac reſpectum habere debuiſſe. Altera Viri Boni ratio eſt. quod Deus de ſe dicat, non de hominibus, *Repoſcam ſanguinem veſtrum.* Quaſi id quod Magiſtratus ex ordinatione Dei facit; Deus pro ſuo facto & miniſterio non agnoſcat. *At per malos homines punire malos ſolet!* Sed quia interdum in extraordinaria gubernatione malorum opera (qui tunc ipſi, aliud agentes & per accidens miniſtrant) abutitur: non idcirco ipſi in ordinaria gubernatione, bonorum operâ uti non licet, qui per ſe, non per accidens, & idem quod Deus ſpectantes, ipſius miniſtri dicuntur, quoſque ideò ob vicariam divinę poteſtatem; Deorum nomine Deus ipſe dignatur. *Rom.* XIII. non privilegium ſed publica Lex, univerſos obligans datur non Chriſtianis tantum, ſed omnibus hominibus; qui ordinationi Dei homines per homines regentis, ſubjacent: A qua Chriſtiani nullo privilegio, nulla peculiari lege de ipſis lata uſquam eximuntur; ſed & hic & ubique huic publicæ legi, non minùs atque alii omnes ſubjiciuntur. In qua lege, eaque Novi fœderis temporibus lata & publicata, manifeſtiſſima eſt interpretatio, voluntatis Dei in ferenda & intelligenda lege *Geneſ.* IX. lata, quæ ab iſta apparenti generalitate Interdicti de ſanguine non fundendo, expreſſè Magiſtratum excipit; gladio non ad tranſgreſſionem præceptorum Dei; ſed ad miniſterium ejus utentem.

Matth. V. 21. Chriſtum detraxiſſe aliquid juri Magiſtratuum, perperam & falſò dicitur, cujus jus ubique confirmat. Multòque falſius, eundem pœnas temporales, quas Magiſtratus exigere ſolebat, in æternas commutaſſe. Neque enim Magiſtratus ab iis delictis, quibus Chriſtus pœnas æternas ſtatuit, pœnas temporales exigere ſolebat: & hoc loco Chriſtus pœnas æternas ejuſmodi delictis aſſignat; propter quæ temporales non exigebantur. Non igitur Chriſtus commutat pœnas temporales in æternas; ſed oſtendit etiam eos qui ob abſtinentiam fortè craſſiorum delictorum, temporales pœnas effugient; niſi ſubtilioribus quoque abſtineant, pœnas eorum æternas non evaſuros.

II. *Locus Eſaiæ. verſ.* 4.

Reſponſionem noſtram Vir Bonus ne attingit quidem. Sed ad locos communes delabitur; qui ad rem de qua diſputatur non pertinent; & in quibus ſepè neminem habet adverſantem. At enim *hoc vaticinium perfectiſſimo modo intelligendum eſt.* Non poteſt perfectius quàm uti à nobis

nobis explicatur; puta de alterutrâ aut etiam utraque pace, tàm Spirituali; quàm proprie dicta. Quod quidem de illa impletum esse: de hac nondum impletum Vir Bonus etiamsi maximè velit, negare non potest. Cum igitur nondum sit impletum; optimus quidem hic status rerum omnibus votis expetendus est: sed antequam veniat, qualiscunque nobis voluntate Dei obtingat; tolerandus: & in pace omnibus modis consectandâ, simplicitati columbinæ prudentia adjungenda est. *Quid*, inquit, *magis bello contrarium quàm pax?* Id vero quis ignorat? *Posito, ergo, uno contrariorum, tollitur alterum.* Quid inde? An est quisquam ita bardus; qui illato bello, pacem tolli; aut pace facta bellum sublatum neget? *Præceptâ igitur* inquit, *pace, bellum prohibitum est.* Sed an usquam absolutè pax præcipitur, aut verè tanquam res quæ in nostra potestate sit, præcipi potest? Pacem cum omnibus sectari nos jubet Apostolus; sed addit *quantum in nobis est*; seu quantum possumus: non obscurè indicans, non semper id esse in nobis, aut in potestate nostra. Si igitur pax non nostra culpa violetur; quis in nos belli culpam aut invidiam conferat? An quisquam nostrum, bellum absque urgente gravissima necessitate permittit? Non privatis tantum, sed & Principibus Christianis pax omni ope consectanda est. Sed quantum est in ipsis. Neque enim nobis imponitur quicquam suprà vires; neque imponi potest. Nam & ipse Vir Bonus fatetur non omnia quæ ad pacem retinendam pertinent, esse in nostra potestate. *Illud autem*, ait, *esse in nostra potestate, ne nos ad rumpendam nostrâ ex parte, pacis tranquillitatem pertrahi finamus.* Rectè. Sed an nostra ex parte pacis tranquillitas rumpitur; cum nihil non experti, quo pax retineri possit; obstinati hostis mucronem à jugulo nostro, clypeo aut ense submovemus? Patientiæ clypeus etiam gravissimis injuriis, sæpè opponi potest; atque debet: & quantum in nobis est, omnes nocendi occasiones omittendæ sunt. Verum id aliquando non magis quàm pace frui in potestate nostra est. Pravè igitur & invidiosè nobis affingitur; quod tamdiu innocentes esse homines velimus; quamdiu occasionem nocendi non habeant. Aliud est oblatam nocendi occasionem nullam omittere; aliud nemini, nisi gravis & dura Lex urgeat nocere. Illud libentis est; hoc inviti, illud voluntatis, hoc necessitatis. Ergo & nos conservatàm volumus patientiæ simplicitatem, sed rationis ac prudentiæ lumine temperatam.

Non autem ideo diximus vaticinium hoc nondum impletum; quod & nunc quoque pacem quantum in nobis est, nobis sectandam non censeamus; multò minus, quod non omne tempus ad perfectam sanctitatem Christianam, ac pacis studium aptum putemus. Procul à nobis hæc insania est. Nec enim nos ex id genus vaticiniis præcepta vitæ agendæ aut officiorum nostrorum normam petimus. Sed ut ostenderemus vaticinium hoc de eventu loqui, optabili illo quidem, sed qui ad nos non pertineat; non autem de lege aliqua aut præcepto; quod nos hoc tempore obligare possit; cum nobis claræ leges non ex obscuris prophetarum prædictionibus; sed ex apertis Christi & Apostolorum præceptionibus, petendæ non desint. An autem talis status futurus sit unquam; quo nemo erit, qui alteri nocere velit; (si id simpliciter, atque ut verba sonant accipiatur) nobis quoque vehementer dubium est aut potius incredibile. Sufficit ad prophetiæ istius impletionem, si pulsis ex orbe publicæ ignorantiæ tenebris, Principes & Magistratus omnium aut præcipuarum gentium veritatem agnoscant, eaque aggitâ pacem inter se colant & injustitiam turbidorum ingeniorum coërceant: ut etiamsi qui, sint qui nocere aliis velint, id facere non possint; ita ut respectu temporum præsentium, ferreis seculis aurea successisse, dici possint. Iniquè igitur nobis Vir Bonus tribuit quod absolutè atque omnino neminem fore malum, olim existimemus.

Sed tametsi id sentiremus; ineptè tamen adversus nos argumentaretur dum ait. *Aut semper mali erunt in mundo aut non: Si nulli quod* (ut falsò ait) *nobis pollicemur, cur tristem atque abominabilem Statum Ecclesiæ ex nostra sententia & explicatione secuturum, ostendit? Si semper erunt in mundo mali; tunc nunquam hoc vaticinium Esaiæ implebitur: & ita semper miserum fore Ecclesiæ statum ex ejus sententia consequetur.* Primum enim antequam ad eum statum res deveniret, abominabilis rerum status sequi ex eorum sententia posset. Deinde quod ad alterum disjunctivæ propositionis membrum attinet, falsum est. Si semper mali futuri sint, nunquam hoc vaticinium Esaiæ implendum. Potest enim impleri etiamsi plurimi mali sint, dummodo potestas eorum à bonis magistratibus valide refringatur & coërceatur. Præsertim cum impletiones ejusmodi vaticiniorum; non ita ad amussim exigendæ sint, ut tollendi liberi hominum arbitrii, necessitatem omninò inferant. Falsum & illud, miserum absolutè; multoque falsius, miseriorem fore Ecclesiæ statum, si Christianis Magistratibus bellum aliquando propulsare liceat, quàm si toti populo Christiano; perpetuò in servitute, tyrannis aut improbissimis mortalium, obnoxiâ gemendum, sit. Quod posterius quia ex eorum sententia aut explicatione, si pro verâ ab omnibus recipienda sit, sequitur; planum est sententiam hanc ipsi vaticinio, quod nobis beatissimum rerum statum pollicetur, adversari: ideoque in ejus ipsius gratiam explodendam esse. Porrò ex sententia eorum miserabilem Ecclesiæ statum in terris sequi, inde patet; quod propagando in omnes Evangelio omnium scelerum & flagitiorum impunitatem, quantum in ipsa est, introducat. Et cum fateantur ipsi ob humani arbitrii libertatem, nunquam improborum copiam defore, eadem operâ fateantur necesse est, propagata latius istâ sententiâ, quę Coactivam potestatem exterminat, & multitudinem & potentiam improborum, in fraudem & perniciem Ecclesiæ propagandam. Potestas verò Coactiva ne cogitatione quidem fingi potest; sine aliquo violentæ resistentiæ & si necessitas ita ferat, etiam occidendi jure; aut potius venia & impunitate. quod idcircò sapientissimus Deus non sine gravi & evidenti causa atque necessitate, etiam novi fœderis tempore hominibus noluit esse ademptum.

Rogat posteà *quis sit tàm iniquus, qui neget Deum per Christi doctrinam idonea hominibus media assequendæ pacis, & prædictę hujus felicitatis tradidisse.* Respondebimus, neminem alium esse præter V. Bonum & ejus asseclas, qui hujus iniquitatis manifestiori culpa teneatur: qui docent, Deum per Christi doctrinam, Optimos omnium mortalium; & pacis æquitatisque servantissimos; hoc est, Christianos, à clavo & regimine omnium Rerumpub. submovisse; atque exclusisse. Atque ita cum pax inter gentes fida atque perpetua servari nequeat, nisi à bonis & pacificis, quales sunt Christiani, regnantur: qui Christiani ad gubernacula gentium aditum intercludunt; eadem opera media omnia assequendæ pacis; & tàm exoptatæ & tanto ante prędictæ felicitatis, intercipiunt. Imo verò sublato Coactivæ potestatis jure; omnium regnorum fundamenta moliuntur, ac subruunt: & introducta scelerum impunitate, regna sceleratorum suismet manibus extruunt. Quos inter cum fida pax & concordia nunquam cogitari possit; perpetuos bellorum motus ac tempestates, sub iis excitari necesse est; quę & ipsos Christianos, tanquam oves inter lupos agentes, tantò majoribus procellis concutiant, quantò obstinatior ipsis patientia prescribi prętenditur.

At enim V. B. ad extirpanda bella excogitavit remedii ipso morbo pejus; infinitam nimirum, aut potius infandâ patientiam; quæ quicquid improbissimo cuiq; in nos aut corpora nostra, & nostrorũ libuerit, obfirmato animo patiatur. In qua tàm improba merce venditanda, per quàm ridiculus est. Primùm rem ab omni ratione abhorrentem; à ratione dictari asserit. Cum enim ratio dictet minùs malum tolerandum ac suscipiendum potius quàm maximum & intolerabile patiamur: V. B. nos intoleranda pati jubet, ne longè tolerabiliora patiamur, hoc est, Cum ratio bellum suscipi jubeat, ne infanda patiamur; V. B. nos infanda pati jubet, ne bellum suscipiamus. Deinde ad ejusmodi

optabilem ſtatum; qui ab humano genere bella excludat, qualem hoc vaticinium pollicetur, aſſequendum; optimum medium eſſe ait Patientiam Chriſtianam. Hoc quidem ultrò ac libenter conceſſerimus. Sed nihil eſt quod patientiæ Chriſtianæ honeſtiſſimum vultum induat; turpe iſtud & ſuppoſititium patientiæ genus. *Monſtrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademptum*, Lumen inquam prudentiæ, quo hæc excellæ alioqui virtutis affectatio planè orba eſt. Quæ à verâ Chriſtianorum patientia; quàm longo intervallo diſtet vel id ipſum argumento eſt; quod Chriſtiana patientia tàm felicem regnorum & gentium ſtatum efficere queat. Iſtud autem adulterinum patientiæ genus ad tantam felicitatem ne aſpirare quidem unquam poſſit. Nec enim Chriſtiana patientia, ſtatum regnorum ac Rerumpub. convellit, nec optimum quemque & omnes eos, qui pacis ſtudium ex Evangelio perdidicêre; à gubernaculis gentium ſubmovet: imo id agit ut omnes qui res humanas moderantur, Chriſtiani fiant, Chriſtianè vivant; pacem inter ſe colant, omni invicem injuria, omnique bello abſtineant. At hoc affectatum patientiæ genus; omnes quicunque Chriſtianam caritatem & patientiæ induerunt; à ſceptris & clavo Rerumpublicarum repellit; & ſublata coactivâ poteſtate, impunitatem & licentiam omnibus ſceleratis præſtat, idque unicè agit, ne uſquam ſumma poteſtas, penes optimos omnium hominum, hoc eſt, Chriſtianos eſſe poſſit. Quomodo igitur unquam optabilis iſta pax gentium ſperari poteſt; quamdiu homines improbi & turbidi rerum potientur; cum inter eos nunquam continua & fida pax durare poſſit.

Itaque nos ex ipſis adverſariorum hypotheſibus firmiſſimum ex hoc loco pro ſententia noſtra adverſus opinionem eorum argumentum ducimus. Nam ſi unquam hoc vaticinium de pace propriè dicta perfectiſſimo modo implendum eſt; neceſſe eſt ut ii, qui paſſim in imperio ſunt, veri Chriſtiani evadant; atque interſſe Chriſtianè vivant; ſimul ut poteſtatis ſuæ frænis ubique illa quæ nuſquam gentium deeſſe poſſunt; turbida ingenia coërceant. Ita demum continua & fida pax ſperanda eſt. Nam affectata iſta Viri Boni patientia; quæ nonniſi inter privatos & qui ſibi rerum moderamine interdixêre, locum habere poteſt; quid ad bella tollenda proderit; quoties ſe Principes gentium mutuis injuriis laceſſent: Patiantur quicquid volunt in ſuis receſſibus, iſti patientiæ candidati & affectatores; non plus in concilianda pace gentium operæ pretii fecerint; quam ille neſcio quis, qui cum alios genio indulgentes fame domare vellet; ipſe toto quatriduo cibo abſtinuit. Proinde removeat Vir Bonus mercem iſtam tàm ridiculè nobis obtruſam; & quæ emptorem, niſi in homines inciderit nimium incautos, non inveniet. Nam quod ſe ab experientia didiciſſe fingit, bellis bella non extingui ſed ſeri; apparet iſtam omnis ævi Magiſtram parum fideliter ab ipſo conſultam: quæ tot exemplis contrarium docuit. Neque victoriam ſine armis; neque pacem ſæpe niſi omni bello triſtiorem; abſque victoriâ partam. Et quod victoriam perpetua aut certè longa pax, haud ſemper ſequatur; non bellorum aut victoriæ vitio; ſed victorum culpæ tribuendum eſſe. Civilia certè Romanorum arma; propter victoris indolem ac ſapientiam, continua ſub Auguſto Cæſare & fida pax conſecuta eſt.

Quod autem hoc medium pacis aſſequendæ in Evangelio traditum non ſit; nihil eſt quod miretur Vir Bonus. Nam de ejuſmodi mediis deliberatio pertinet ad Politica conſilia; non ad moralem ſanctitatis diſciplinam, cujus ſolius aſſequendæ rationes Evangelium tradidit, ad peculiares Regnorum aut rerumpublicarum curas, aut neceſſariarum vel utilium humano generi artium præcepta non deſcendens, ſed tamen partim ingenere, omnia quæ honeſta cenſentur vitæ genera approbans; partim in ſpecie regnorum omnium ac rerumpublicarum jura confirmans. Sed nec mutandus nobis eſt quæſtionis ſtatus, qui non de eo, an in caſu neceſſitatis; bellorum aut capitalium ſuppliciorum præcepta; ſed an eorum interdicta in Evangelio tradita ſint, quærimus. Quamvis enim, (quod ſimpliciter & abſolutè dici nequit) nullum de iis extaret præceptum; cauſæ tamen quam defendimus ſufficeret, ea nuſquam prohibita reperiri: ut vel hinc pateat, ſententiam quam defendit Vir Bonus affirmantem eſſe: nos autem quamvis interdum veritatis fiduciâ, extra ordinem in affirmandi quoque partes excurramus: tamen ordinariè intra negandi hujus interdicti metas verſari atque ſubſiſtere.

Porrò quod ait, ſi hoc medium pacis aſſequendæ (puta per bella & Coactivam poteſtatem; de his enim rebus in præſenti quæſtione loquimur) Deo probaretur, inſtituiſſet regnum aliquod per Chriſtum; armis & terrena potentia inſtructum; ne refutatione quidem dignum eſt: cum in vitæ humanæ officiis atque inſtitutis, innumera ſint, quæ Deo probantur; aut certè non improbantur; quæ tamen per Chriſtum inſtitui nihil fuit neceſſe; quod abſque ullo novo præcepto & inſtitutione ipſa ratione duce in uſum humani generis pridem eſſent introducta.

Syllogiſmum Viri Boni quod attinet, is præterquam quòd à voluntarii eventus prædictione, ad impoſiti officii præceptionem arguendo; occultâ phthiſi laborat; non meliori connexione terminorum compactus eſt; quam hic quem pro ſpeculo Viro Bono exhibemus, in quo lineamenta ejus expreſſa ſunt. Cujus religionis ea eſt natura, ut peccare omninò vetet: illa cultoribus ſuis nullum poſt admiſſum forte delictum impunitatis ſolatium permittit. Chriſtianæ relig. &c. E. Non magis enim religio noſtra omnes injurias & bella abſq; neceſſitate ſuſcepta; quàm omnia reliqua delicta prohibet. Nec tamen minùs in urgente neceſſitate, neceſſaria contra iſtos morbos remedia; quàm in commiſſo delicto veniæ atque impunitatis ſpem ac ſolatium præbet ac permittit. Poteſt aliqua doctrina per ſe, & ſimpliciter omnes omninò morbos; præſertim graviores tollere; atque ita viam ad violenta remedia adhibenda præcludere: & tamen ex hypotheſi; eorundem quos vetat ac tollit morborum; ſi fortè accidant, violenta remedia admittere.

Denique argumentum ex hoc loco, ſignis in caſtra noſtra tranſlatis pro nobis militat & adverſus Virum Bonum hunc in modum acerrime pugnat. Cujus religionis ea eſt natura ut pacem inter gentes univerſalem conciliare poſſit, & aliquando conciliatura ſit: illa cultoribus ſuis ejuſmodi mediis non interdicit, ſine quibus iſta pax, poſito hominum libero arbitrio, nullo modo confici & conſtare poteſt; qualia eſt vis & coactiva poteſtas eorum Magiſtratuum; qui ad veram Chriſti agnitionem pervenerint; quibus ſublatis longè verius dici poteſt (quod olim quidam apud Tacitum exclamat) *quid niſi bella omnium inter ſe gentium exiſtent?* At qui teſte Eſaia, Chriſtianæ religionis ea eſt natura &c. Ergo &c.

III. *Locus* 2. *Cor.* x. 3. *Locus Epheſ.* vi, 12. Fruſtrà Vir Bonus ex duobus argumentis in unum complicatis, quaſi duplicem funiculum nectit; quia & ſic connexa putria ejus fila rumpuntur. Cum enim fateatur ſæpe in Sacrâ Scripturâ negationes ejuſmodi non abſolutè; ſed comparatè aut potius relatè, intelligendas eſſe; nihil habet virium argumentum ex his locis ductum, qui more aliorum Sacræ Scripturæ locorum ſtante & incolumi ſententia noſtra, explicari poſſunt. Ejus enim erat officium qui ex iſtis locis argumentatur, probare locos iſtos, nomiſi pro ſententia ſua adverſus nos explicari poſſe. Quod cum facere non poſſet; in nos probandi officium rejicere contendit; & ait ab explicatione propria & abſoluta verborum iſtorum non eſſe recedendum, niſi cogat neceſſitas; ſimulque nobis imponere conatur, demonſtrandæ hujus neceſſitatis neceſſitatem. Quamvis autem noſtro jure, onus hoc detrectare poſſemus. Argumentanti enim ex hoc loco probatio incumbit: Tamen fiducia cauſæ non inviti illud ſuſcipere poſſumus, quibus in promptu eſt, innumera abſurda

producere

producere (quod jam satis superque fecimus) quæ istam necessitatem recedendi ab ipsorum explicatione demonstrent. Quod animo prospiciens Vir Bonus non contentus, incumbentis sibi laboris onus in humeros nostros rejeciſſe; insuper rationem quâ in probando uti debeamus, ita circumscribit, ut postulet unicum hoc aliunde ex S.S. probari, Christianos quomodocunq; vocatos esse ad bella carnalia. Id verò & iniquum & perquam ridiculum est. Iniquum primùm, quia statum quæstionis mutat. Nec enim de eo quæritur utrum nobis bella præcepta; ac ne utrum permissa quidem directè & expresse sed utrum vetita sint. Deinde, quia etiam citrà probationem ejus assertionis quæ probari postulatur, plurima absurda superius produximus, quę necessitatem recedendi ab explicatione adversariorum inferant. Iniquè igitur postulatur probari id esse præceptum, aut injunctum; quodsi minimè prohibitum esse probetur, satis est. Ridiculum autem est, quia supponit falsissimam hypothesin. Nihil eorum nobis licitum esse, ad quæ vocati non sumus. Metuendum est profectò ne nos V. B. somnum capere prohibeat, quia nusquam ad dormiendum vocati sumus.

Cum igitur de successu ex istis locis argumentandi desperasset, aliunde sibi auxilia arcessenda putavit: quæ ne è longinquo petita viderentur, connectit eacum locis commemoratis per assertionem falsissimam; *quod natura belli spiritualis, quæ hic descripta est plane contraria sit bello carnali.* Nam etsi fingeremus, naturam spiritualis certaminis; in his in quibus illam infra describit: contrariam esse bello carnali: tamen ista ejus natura in his duobus locis non est descripta. Ubi enim utrobiq; in descriptione spiritualis certaminis, vel levissima mentio est dilectionis mundi: aut vanæ ejus gloriæ; aut dilectionis inimicorum &c. Non igitur ex istis locis, sed ex aliis hæc Viri Boni argumentatio depromitur. Sed nos non secundum quid tantum, falsam esse hanc assertionem contendimus, quia nimirum in his locis contrarietatem istam descriptam asserat; sed absolutè & simpliciter; quod natura belli spiritualis, (ubicunq; descripta sit) per se bello carnali repugnet. Nec enim quia ut aliis rebus plurimis per se non malis; ita bello quoque corporali & propriè dicto (carnalis enim vocem defugio; ne sibi in ejus ambiguitate V. B. insidias struat) homines vitiosè utuntur: ideoq; à spirituali certamine alieniſſimi sunt; ideò res istæ atque ipsum bellum, per se spectatum, natura sua vitiosa & spirituali certamini contraria sunt. Diligere mundum & fluxæ hujus vitæ commoda, longè melius solent ſi; qui bellum omni modo fugiunt; quia casus belli, Mundi usum, & omnia ejus commoda nobis eripiunt. ita ut quoties eos, qui sibi justum & necessarium bellum permittunt; istis vitiis laborare contingat; id non ex ipsa belli naturâ, sed ex accidenti eveniat. Ita contendere cum malis hominibus iisque per injuriam, aut nulla necessitate urgente nocere; & vitæ & luctæ spirituali adversatur. Sed est tamen aliqua non vitiosa contentio; & interdum noceri hominibus non modo absque omni culpa potest; sed ex officio debet. Idem de cæteris dictum esto. Proinde id genus argumenta stringere nequeunt; quia nervos habent fallaciæ accidentis arthritide læsos.

Quod autem ait vim & nervum argumenti eorum non in eo esse, quod Apostolus dicat nos ad spirituale bellum vocatos & spiritualibus armis uti debere; sed in eo, quod Apostolus neget se Christianosque alios ad carnale bellum, carnaliaque arma vocatos: Negationem autem istam non comparatè ut alibi sed absolutè intelligendam esse: vehementer fallitur.

Neutro enim in loco Apostolus vocationes istas, ita sibi opponit, ut alterâ rejectâ, alteram duntaxat sequendam præcipiat; ac ne facere quidem id utrobiq; potuit. Deinde utrobique negationem Apostoli comparatè aut si mavis oppositè seu relatè intelligi necesse est. Quod singillatim ostendemus. Et primo quidem in loco 2. *Cor.* x. Apostolus potentiam armorum militiæ suæ, opponit naturæ suæ vilitati & imbecillitati, ait enim *Ambulantes in carne, tamen non secundum carnem militamus*, hoc est, Quamvis videamur infirmi, & juxta faciem humiles (*vers.* 1.) tamen militiam atque arma potentia atque efficacia habemus. Suæ igitur militiæ vires, carnis suæ imbecillitati opponendo, seipsum sibimetipsi opponit. Non potuit igitur isthic locus esse ullus diversarum vocationum oppositioni; cum in Apostolo unaesset vocatio.

Altero loco *Ephes.* VI. Apostoli expressa verba indicant ejus scopum fuisse hortari Ephesios ut fortes essent non per se & per suas infirmas vires (quod necessariò subintelligitur) sed per Dominum & potentiam roboris ejus, hoc est, ut se explicat; ut non contenti naturalibus suis viribus induerent armaturam Dei spiritualem, quia ipsis pugna esset non cum hominibus infirmis; sed cum potentissimis spiritibus. Ubi quis non videt, non id Apostolum Ephesiis persuadere voluisse ut vocationem militiæ Christianæ sequi vellent; sed jam eo pro concesso sumpto quòd vellent; docuisse quâ ratione & modo sese in hac militia gerere deberent; ut vincere possent, hoc est, non in quæstione An sit; sed in quæstione quomodo sit hæc militia gerenda, hoc loco versatum esse. Non igitur vocationes carnalis & spiritualis militię ita secum opponere potuit; ut altera prorsus rejectâ; alteram duntaxat sequendam suaderet aut præciperet; quod ad quęstionem An sit, & ad persuadendam voluntatem, pertinebat: sed omisso hujus quæstionis statu, id tantum egit, ut quomodo se in altero militiæ genere, gerere deberent; ut vincere possent, ostenderet; quod ad instruendum intellectum facultatemq; suppeditandam & modum ejus docendum faciebat. Ratio ejus explicationis irrefragibilis est, expressa in verbis Apostoli causa finalis, ut vocant, induendæ istius armaturæ; ac proinde hortationis Apostoli dum ait: Induite armaturam Dei, (non ut velitis sed) *ut possitis stare adversus insultus Diaboli.* Breviter Apostolus hic non hortatur Ephesios ut pugnare cum Diabolo vellent, sed jam pugnantes aut pugnaturos instruit, quibus armis uti deberent, ut vincere possent. Quod si propriè loquendo, ne id quidem hoc loco Apostolus agebat ut ad capessenda bella spiritualia Ephesios hortaretur, quos jam pridem ad ista bella impulsos pro concesso sumit: multò minùs id agere potuit, ut à carnalibus bellis dehortaretur.

Cum igitur palàm sit Apostolum, priori quidem loco qualia ipse arma habuerit, propter quæ contemnendus non esset: posteriori verò qualia Christiani contrà Diabolum induere debeant; ut vincere possint, differere: non magis ex istis verbis adversus corporalium armorum usum, argumentum duci potest, quàm ex eo quòd spiritus hominis spiritualibus cibis pascendus sit, concludi, corpus ejus, corporalibus cibis nutriendum non esse.

Malè autem respondet ad argumentum nostrum ab exemplo Judæorum ductum; quibus non ideo spiritualibus armis contrà spirituales hostes uti non licuit; quia carnalibus adversus carnales uti liceret: quasi per concessionem ejus quod concludimus. Non enim nos id concludimus, quod ipse concedit. Sed cum non haberet quod responderet, & statum quæstionis & argumentum nostrum mutavit: Et concedit Judæos non fuisse vocatos ad talem spiritualem militiam qualis nobis præscripta est. Atqui neque de eo inter nos quæritur; utrum ad bella carnalia vocati simus, nec ne. sed tantum utrum ista bella sint nobis vetita nec ne. Nec argumentum nostrum concludit; Ergo Judæi non fuerunt vocati ad talem militiam qualis est nobis præscripta: sed potiùs; Ergo quia carnalia arma Judæis erant gerenda: Spiritualia erant vetita. quod longè aliud est. Nec enim nos ad hoc absurdum adversarios deducimus; quod Judæi ad spiritualem militiam; multò autem minùs talem, qualis Christianis præscripta est, vocati non fuerint; sed quod illis spiritualibus armis uti non licuit, eo quod carnalibus uterentur. Rem suam in angustum deductam adversarii ostendunt; quoties legitimum disputandi campum deserunt; & ad ea confugiunt de quibus non quæritur.

Carnalia verò arma à Christianis nusquam simpliciter

removeri; sed secundum quid, quando cum hostibus, carne & sanguine potentioribus pugnant; paulò post, ostendemus.

Verba nostra, (quæ cerâ miniatulâ notat Vir Bonus) de armis nostris spiritualibus in naturali & ordinario statu, citrà supernaturalem & extraordinariam Dei opem considerato intelligenda sunt. Nec enim nos simpliciter negamus interdum defectum carnalium supplere posse spiritualia, si miraculosum Dei auxilium accedat: sed de naturâ rei per se consideratâ, deque ordinario rerum statu loquimur, in quo nos ordinariè constitutos Deus esse voluit. In quo citrà miraculum aut supernaturale auxilium non plus arma spiritualia adversus carnales hostes, quàm carnalia prodesse possunt, adversus spirituales. Nec simpliciter parem esse armorum utriusque generis rationem: sed tantum secundum quid asseruimus. Fatemur enim spirituale armorum genus; non modo multò nobilius, sed potentius quoque & efficacius esse; quando auxilium Dei accedit: ut nos isto loco Vir Bonus nonnisi per fallaciam quæ à dicto secundum quid, dicitur oppugnare possit.

Apostolum *Ephes.* VI. non de universo certaminum, quæ Christianos exercere possint genere loqui inde probavimus; quod ne de universo quidem Spiritualis luctæ certamine loquatur; sed tantum de eo, quod est cum Diabolo; cum sæpe nobis etiam, cum sola carne & sanguine ejusque concupiscentiis; aut carnalibus hominibus pugnandum sit. Respondet Vir Bonus. *Atqui aliter cum Diabolo pugnare non possumus, nisi quando cum carne concupiscentiis aut hominibus carnalibus spiritualiter luctamur.* atque inde infert. Ergo *Universam hic militiam Christianam describit Apostolus.*

Sed adversus instantiam nostram male excipit Vir Bonus: & pejus argumentatur. Cum enim expressa verba arguant, Apostolum hic de certamine cum Diabolo loqui; id potius dixisse debuerat. Atqui aliter cum carne & sanguine & hominibus carnalibus pugnare non possumus, nisi cum Diabolo pugnemus. Ergò universa hic militia nostra describitur. Unde patet, etiamsi vera esset Viri Boni hypothesis, eum in manifesta Consequentis fallacia deprehensum. Quamvis enim hoc concederemus, aliter cum Diabolo pugnari non posse, nisi carnis aut carnalium hominum interventu; inde tamen non sequitur nos cum carne nostra aut carnalibus hominibus certare non posse, nisi Diaboli interventu. Quod quia Vir Bonus affirmare & urgere ausus non est; ideò nos isto fallaciæ genere circumvenire intentavit.

At enim si inter certamen cum carne & carnalibus hominibus, & certamen cum Diabolo distinguendum sit, interrogat nos Vir Bonus quando nobis præscriptorum ab Apostolo armorum usus esset, seu quando cum Diabolo confligendum esset? In promptu responsio est. Semper nos istiusmodi armis instructos esse debere; quia semper insidiis & aggressionibus Diaboli patemus, quamvis interdum fieri possit; ut absque ejus interventu à nostra propriâ carne tentemur; quo in casu tanto minùs adversus nos virium, infirmior hostis habebit; quantò nos meliùs armatos, etiam adversus validiorem inveneris. Quod verò ad ipsum conflictus eventum attinet; tunc adversus Satanam certabitur, cum carnis aut carnalium hominum tentationes Satanæ ope atque insidiis animabuntur: tunc adversus solam carnem aut homines; cum nulla ejus supernaturalis accessio vires naturalium hostium augebit.

Atque hæc dicta sunto suppositæ ejus assertionis veritate, quod nos aliter Satan aggredi non soleat; nisi per Carnem, aut homines carnales. Quod quamvis carnis voce latius sumptâ, aliquomodo verum videri possit, tamen nos in distinctione istius certaminis, carnis & sanguinis voce strictius usi sumus, pro eo tentationum ac vitiorum genere, quod solis hominibus carne & sanguine præditis proprium est; nec ad spiritualia delicta extenditur. Quibus vocibus ita usurpatis assertionem Viri Boni quòd aliter cum Diabolo pugnare non possimus, nisi quando cum carnis concupiscentiis, vel hominibus carnalibus pugnamus, falsam esse meritò censemus. Est enim ut delictorum ita tentationum genus, quod convenire potest iis quoque qui carnem & sanguinem non habent, qualis est Satanas. Quod nos carnis & sanguinis voce meritò non comprehendimus, quamvis in iis quoque reperiatur qui carnem & sanguinem habent. Nam & homines in carnali organo spiritualem substantiam habent, non minùs sui generis delictorum Capacem; quam angelica substantia fuit, antequam in lapsum corruisset. Ergo delicta nobis cum spiritualibus substantiis communia, eorumque tentationes, ad aliud certaminis genus meritò referri possunt, quàm sit illud, quo carnis propriè dictæ impetus & concupiscentias domare contendimus.

Si igitur à nobis Vir Bonus quærat, quando à Diabolo, extrà Concupiscentiarum carnis nostræ interventum oppugnemur: Respondebimus tunc id fieri cum nos aut captiosis sophismatibus circumventos, in varios errores, nobis aut Ecclesiæ perniciosos præcipitat; & per nos Veritatem obfuscat; aut ejus cursum remoratur; cum fidem nostram ignitis dubitationum jaculis convellit & labefactat; cum nobis persuadet nos in eo maximum Deo servitium præstare in quo eum maximè offendimus; cum nobis persuadet nos perfectissimæ pietatis summam assecutos, quod crassas illas & nobis cum brutis communes carnis concupiscentias domuerimus & à carnalium hominum consortio quàm remotissimi simus; nec aliud cum Satanâ superesse certamen: cum nos sanctitatis opinione inflat; & arrogans nobis supercilium induit; ut alios præ nobis contemnamus, eosque in censuris & reprehensionibus quasi de superiori loco alloquamur; præterea cum nos tunc, cum minimè ab ejus insidiis tuti sumus, reddit earum quàm securissimos, cum efficit ut nos altissimæ sanctitatis culmen ascendisse credamus; quoties inimicum sine modo debere diligi; & patientiam sine fine præcipi inculcamus, tametsi & hæc dilectio sæpe injurias quamlibet tolerabiles excipere nos non teneri, ne vilipendamur credamus; & ipso quoque facto hunc sensum nostrum; quoties occasio non deest, bona fide exequamur, & exprimamus. Reliqua, id genus plura Spiritualium tentationum genera qui nosse velint, unam atque alteram Jacobi Acontii pagellam legere ne graventur. At Syllogismum, verò super falsitatem majoris propositionis extructum, non aliud reponimus, quàm hunc ejus gemellum.

Qui nati sunt, non ut edant & bibant; sed ut in Dei gloriam vivant, iis edere & bibere, (quod & bruta faciunt) non convenit. Vir Bonus natus est, non ut edat & bibat &c. Ergo V. B. fruges consumere non convenit.

IV. *Locus Jacob.* VI. *& seq.*

Omnia bella tam publica, quam privata, tàm offensiva, quàm defensiva; ex cupiditatibus carnis nasci, quia id ad nostrum κρατίμενον directè pertinet, non nude asserendum, sed firma ratione probandum erat. Itaque loripedem Viri Boni syllogismum, cujus altera tantum præmissarum vera est, nihil moramur. Quanquam ne ista quidem, quæ vera videtur, absolutè vera est. Sunt enim aliqua quæ non minus ex vitiosis quam ex bonis causis nasci possunt. Imò non desunt quæ planè ex vitiosis causis nata; per se & naturâ sua damnari nequeunt; ut Conservatio aut dimissio innocentis; extorto à conjuge ipsius stupro redempta: ut ne id quidem semper per se & natura sua damnari queat; quod ex cupiditatibus carnis natum est. Ita formatio syllogismi nusquam propemodum Viro Bono atque falsitate utriusque præmissæ succedit.

V. *Locus Matth.* XXVI. 52. *& Apocal.* XIII. 10.

In verbis, *Qui gladio ferit, gladio peribit*, quocunque Dominus respexerit, & seu communi sermone trita sententia ista fuerit, sive non; planum est, non legem aut præceptum aliquod vel interdictum continere; sed pronunciationem de eventu, qui plerumque illegitimum, aut intempestivum gladii usum sequitur; quæ ad monitum potius prudentiæ, quam ad præceptum aut interdictum morale pertineat. Cum enim legitimum Deus ordinaverit;

dinaverit; hæc sententia de illo intelligi non potest: quia nunquam intempestivè sumitur, quâ talis est.

Quali autem animo Petrus ensem strinxerit, quærere supervacuum est. Sufficit in eo culpam ejus fuisse & reprehensionem meruisse; quod frustrà defensionem Christi molitus fuerit; qui defendi nec voluit, nec debuit. At non semper tales incidunt casus ut ii quibus defensionem debemus, defendi neque velint neque debeant. In iis igitur ejusmodi reprehensioni locus non est.

Proinde nihil necesse est nos ea responsione uti, quod Petrus arma strinxerit contrà eos qui à Magistratu missi erant. Nam & contra alios arma illegitimè & intempestivè sumi possunt. Sed tamen Vir Bonus casso, quamvis multo conatu adversus Grotium contendit, Petrum non in eos qui à Magistratu sed qui à Senioribus populi missi erant arma sumpsisse. Quia in hunc solum Matthæi aut fortè Marci quoque & Lucæ locos oculos defixos habuit; nec Johannem consuluit *cap.* XVIII. qui non seniorum tantum & Pontificum ministros; sed cohortem ad capiendum Christum missam fuisse narrat; quæ sine auctoritate Romani Magistratus mitti non potuit. Neque novum est privatos etiam ante cognitam causam auxilio Magistratus uti, in capiendis iis quos læsæ Majestatis accusare volunt. Quamvis autem Dominus dum adhuc in terris esset, Regibus & Judicibus ratione divini Muneris longè præstantior esset: tamen ratione potestatis quæ à Deo Magistratibus data erat, subjicere sese iis, tributa pendere & potestatem istam vitæ necisque suæ ipsis supernè datam agnoscere quoque non dubitavit. *Joh.* XIX. 11.

Agnoscit posteà Vir Bonus Petrum eo nomine reprehensione dignum fuisse, quod tam salutarem humano generi destinationem Dei, hoc est: mortem Christi impedire voluerit. Sed rogat an propterea ut gladio periret dignus erat? Atqui ne Christus quidem dicit omnem qui gladium sumit, ut gladio pereat dignum esse. Nam profectò id de iis, quibus gladii potestas desuper data est, dicere non potuit. De eventu loquitur, qui sæpè attingit, etiam innocentes.

Aut si non de solo eventu sed de merito quoque (ut in Apocalypsi accipi videtur) hæc verba intelligenda sunt: necesse est, ut verba *qui gladium sumit* accipiantur in sensu qui vitium includit. Petri autem factum licet in primi illius impetus fervore consideratum, pro capitali crimine censeri non potuerit: tamen nisi Domini monitis parere: & si Dei Christique destinationi mordicùs obniti voluisset; quin ob suam culpam ut periret dignus esset nemo dubitare potuit. Quanquam & in Apocalypsi verba oportet occidi non de culpa & merito; sed de eventu certitudine accipi videntur. Cum enim Deus Antichristo non exiguum temporis spatium præfixisset, quo in sanctos grassaretur; fieri non potuit quin ii, qui ipsi, quamdiu rerum potiretur gladio resistere vellent, gladio perirent. Quanquam id ipsum absque pereuntium culpa vix fieri posset. Multum tamen inter imprudentiæ culpam, & sceleris interest. Nam ut quis gladio pereat, si pròprie loquamur, nonnisi scelere mereri potest. At videmus innumeros etiam ob imprudentiæ culpam, gladio perire. Quod & Petrus ut caveret à Christo moneri potuit.

At enim generalis est ratio Christi, quam huic legi seu propositioni, Qui gladium accipit, gladio peribit, apponit. Generalem igitur ipsam istam legem & semper & ubique servandam concludit. Ratio vero ista generalis est. Non sumenda fuisse arma Petro pro defensione Christi; quia is potuerit rogare patrem ut ipsi legiones Angelorum auxilio mitteret. Quæ quia & in Christo ante semper; & in nobis quoque perpetuò locum habet. Ideo ut pro Christi, non fuisse, ita & pro nostri defensione arma nunquam sumenda esse.

Atqui si Vir Bonus ex rationis generalitate, propositionis hujus generalitatem concludit; multò justius nos ex rationis specialitate, moniti hujus specialitatem concludere possumus. Ratio enim ista nullo modo generaliter sumi potest. *Ubicunque & quandocunq, Christus legiones Angelorum auxiliatrices à patre impetrare potuit: ibi & tunc ordinariis & quæ humanitus usurpari poterant, servandi jus rationibus, non indiguisse.*

Semper enim is impetrare potuit; quicquid petere voluisset. At non semper ordinariis, servandi sui rationibus non indiguit, aut non usus est. Quod in fidelibus ejus longè manifestius falsum esse deprehenditur: qui si tantillum fidei habeant quod grano sinapis respondeat, montes sedibus suis evulsos in mare transferre possunt; & tamen ab iis quoties absque miraculo humanis mediis servari possunt; miracula à Deo petenda non sunt. Ita Petrus ex Herodis carcere humanitùs eripi non potuit. Datum est igitur precibus Ecclesiæ, ut Angelus ad eum liberandum mitteretur. At Paulus quia ex Judæorum manibus Lysiæ tribuni; atque ejus militum opera eripi potuit; Salus ejus absque Angelorum legionibus defensa est. Meritò igitur Christus tunc Angelorum auxilii mentionem facit; cum humanis mediis atque auxiliis eripi non potuit. Quid enim inermes & seminudi discipuli exiguo numero & duobus fortè ensibus instructi, adversus armatam cohortem & reliquos seniorum ministros ac satellites perficissent. Meritò & temeritatem Petri congruo tunc ipsi dicterio castigat: eique præsentissimæ necis periculum denunciat, qui gladium tàm intempestivè strinxerit; quando & humanis præsidiis Christus defendi non potuit; & divinis atque miraculosis noluit; quia ultrò mori destinaverat: & Petrus id sibi prædictum ante ac denunciatum, meminisse poterat. Nam ubi divini auxilii spes nulla affulget, & humanis viribus quispiam defendi adversus tot armatos non potest, veluti tunc accidit; quid aliud stringenti ferrum, nisi præsentissima mors expectandum est. Quam nec Petrus tunc fortè effugisset, nisi Dominus miraculosæ virtutis in prostratis hostibus & sanatione Malchi, experimento dicto; seu supernaturali potentia protexisset; sive quasi transactione quadam cum hostibus, *Joh.* XVIII. 8. salutem discipulorum pactus fuisset. Proinde & nos quoq; in tali casu, ubi divini auxilii spem nullam esse constat; sicuti Petro constare potuit: humanis autem viribus insuperabile discrimen est, gladium stringi absque certissimæ necis periculo non putamus. Non enim tunc stringendi gladii alius est usus, nisi ut in nos vicissim gladii stringantur, quibus pereamus. Atqui alii innumeri casus dantur, in quibus sine ulla temeritatis culpa; nisi stricto ense salus expediri non potest. In quibus sanè dicti hujus sententia locum non habet. Non igitur ex illo speciali casu, in quo ne humana quidem prudentia, gladium stringi permittebat; ad alios omnes casus, in quibus id prudentia non modo permittit, sed exigit, consequentia ulla necti potest. Nec id quod in isto celebri dicto significatur, nisi in tali periculo, in quali tunc Christus cum Apostolis fuit, hoc est, cum voluntate Dei res nostræ in eum locum redactæ sunt, ut neque humanitùs periculum superari possit; & cælitùs auxilium Deus ferre nolit, verum esse deprehenditur. Ac de eo quoque casu locum Apocalypseos loqui suprà monuimus, in quo bestiæ illi voluntate Dei datum erat non exiguum tempus quo vinceret sanctos. Quorum in utroque casu nihil erat aut est quod ingruentibus malis opponi potuerit aut possit, nisi patientiæ remedium & fidei solatium. Itaque syllogismorum qui ex istis verbis adversus nos necti possunt, si Categorici sint majores propositiones; si hypothetici assumptiones falsas esse necesse est. Quanquam in eo quem Vir Bonus formavit, hypotetico, nescio quo formationis syllogismorum improsperè susceptæ, fato: etiam majoris connexum falsum esse deprehenditur.

Porrò gladio sese defendentes, quin aliquando utramque earum quas Vir Bonus commemorat culpas, committere possint, non negamus. Cæterum ex ipsius pœnæ quam Dominus adjicit, charactere discere potuit Vir Bonus in verbis istis non contineri aliquod generale moralis legis Christi interdictum; sed particulare & ad certos

casus adstrictum prudentiæ monitum. Neque enim transgressionibus divinæ Legis suæ Dominus carnalia & quæ homines quoque aut Magistratus sumere possunt; sed spiritualia semper proponit & comminatur supplicia. Ad quam rationem, quia jugulum argumenti ex hoc loco ducti petebat; ut ad cætera quoque quæ isthic adjecta sunt, Vir Bonus sapienter nihil respondit.

Reges autem ac Respublicæ Christianæ contra Antichristum, qua talis est, ferreo gladio pugnare non debent. Si quis tamen ex ejus asseclis; pacem & libertatem eorum qui ipsis subjecti sunt, ferro turbare velit; quin subjectos sibi populos ferro ab injuria protegere possint, non dubitamus. In quo per se quidem paci ac libertati illorum populorum; per accidens autem Religioni & Ecclesiæ consuletur.

Quod autem nullus favor divinus, nulla Dei benedictio & auxilium Christianis, etiam tunc cum justissima bella gerunt, promittatur: sed potiùs contraria comminatio proponatur, neque ex hoc loco concludi posse demonstravimus; & opinio ista non modo Rationi sed ipsi rerum experientiæ; atque adeò ipsius religionis analogiæ repugnat: in qua tametsi pietati ac justitiæ; divina potissimum & cælestia futuræ vitæ præmia proponuntur, tamen ab iis nec cæteræ omnes bonorum hujus vitæ adjectiones excluduntur.

CAP. VIII.

I. IN voce *Turpitudinis*, (quanquam nos ea usos esse non meminimus, ut mirum videri possit, quomodo in ea æquivocationis insidias struxisse dicamur cujus usu planè abstinuimus) ficuti & in vocibus, quibus ejus loco usi simus, Responsio nostra nulla ludit ambiguitate. Quemadmodum enim argumentum cui respondemus, nonnisi de apparenti quadam; &, ut nos locuti sumus, invenustâ specie repræsentatâ (quam Vir Bonus naturalem vocat) turpitudine intelligi potuit: ita meritò Responsio nostra de eadem, (quæ naturalis Viro Bono dicitur) turpitudine loquitur. Nam si argumentum quod ipsi nobis objecimus, de Morali, hoc est, verâ turpitudine intellectum fuisset; nequaquam ipsi id genus turpitudinis, ullo modo objici; aut illud tàm invenusta specie menti nostræ repræsentari posse agnovissemus: sed simpliciter id ipsi verè ac meritò objici posse negassemus. Quod cum ipse Vir Bonus animadverteret; multo conatu hoc loco elaboravit, ut veram, hoc est, moralem turpitudinem; bellis & quidem per se inesse, ostenderet.

Primam igitur crudelitatem & ferinam rabiem bellis inesse objicit, quia in conflictu; alter in alterius fertur ruitque cædem. Atqui & conflictus interdum sine cæde & cædes, sine animo occidendi; & ipse occidendi animus, atque adeo supradicta omnia, possunt esse absque crudelitate & feritate: denique sine omni culpa & vitio. Quid enim? si confligentes non in cædem; sed in repulsionem hostium cædem facere volentium, ruant, ferantur que? quid, si id faciant, non sponte, sed necessitate? quoniam aliter sese ac suos innocentes, & fidem opemque suam implorantes servare nequeant. Mite quidem animal homo est: etiam erga alienos: sed neque erga se, suosque immite, & crudele. Dentibus & unguibus & cornuum robore, quibus ad sese tutandum utatur, caret; sed ratione armatum est: nec omnium naturæ insitam sui conservandi curam Deus ab eo removit. Efferari aliquos in bellis quid mirum est; cum in pace quoque aut insolescant & proterviant: aut in segnitiem non pauci dissolvantur. Num ideò pax noxia & fugienda?

Fabulas quas nobis Vir Bonus narrat, ab iis qui bellis inviti intererant, auditione acceptas; etiam non mali homines comminisci solent; ut admiratione sui audientium animos percellant; & se quoque bona fide milites, & quidem Truculentos fuisse; atque robur & æs triplex circa pectus habuisse, persuadeant: præsertim cum apud nos sæculum istud ea hæresi infestum sit; ut homines vulgo fortitudinem in bello insulsam putent; nisi feritatis & sævitiæ jactantia condiatur: qui tamen in bellis omnium fugatissimi esse solent; & bellorum intolerantissimi, quod tot recens accepte in patria nostra clades testantur.

Non igitur crudelitas, non injustitia; non ipsa quam ad ostendendam moralem turpitudinem ultimò commemorat, temeritas bellis per se inest; sed per accidens, vitio & culpa bellantium; quæ nos vitia à legitimis bellis procul arcemus. Nam quod aliquis invitus & coactus ad nos interficiendos accedat, id non efficit, ut nobis ad repugnandum, & nostram vitam servandam, jus desit. Multa enim sunt quæ ad excusandam, vel minuendam culpam faciunt: quæ ad penitùs tollendam non valent. Sed nec si quis in oppugnandis nobis omni penitus culpa careat, idcircò nos in culpa sumus si ipsi resistamus; quoties nullo jure obligamur ad non resistendum; quemadmodum cives legibus alicujus Principis aut Reipub. subjecti, ipso subjectionis jure, obligantur ad non resistendum suo Magistratui. Potest enim quis, qui in aliena potestate sit, non peccare in eo quod imperio ejus cui refragari non potest, oppugnet insontem, præcipuè si sontem esse persuasum habeat. Quo in casu culpa injustitiæ non penes eum qui oppugnat; sed penes eum est, qui insontem oppugnare imperavit. Et si quid eo tempore oppugnans ab insonte adversi patiatur; neque insontis, neque oppugnantis, sed oppugnare imperantis culpâ id accidit. Itaque non est necesse duorum, qui secum pugnent alterutrum omnino esse culpæ ac reprehensioni obnoxium, cum culpa possit esse penes tertium.

Neque ideò bello injustitia per se ineat; quia illud absque injustitia esse non potest. Nam & nos fatemur justa & legitima bella esse non posse nisi injuria & quidem capitalis interveniat. Sed non ab iis qui justè & legitimè resistunt; sed ab iis qui illegitimè oppugnant, profecta. Aliâs patientiæ quoque Christianæ & martyrio injustitia per se inerit, quia hæc absque capitali injuria, ne cogitari quidem queant. Nec enim isti bello aut certamini injuria ineat; quod ab insonte bellatur aut certatur: sed isti tantum quod ab injusto & sonte infertur. Malè igitur & mendosè toti generi tribuitur; quod alteri duntaxat specierum proprium est. Nam bellum justum, nisi injusto opponi; ut & certamen insignis patientiæ, nisi contrà insignem injuriam certari non potest.

Quod autem casus belli sæpe etiam innoxios involvere soleant; id plærumque ex abusu bellorum, & culpâ bellantium evenit; cum legitimi bellatores in id unicè excubare debeant; ne arma adversus noxios suscepta fraudi sint innoxiis. Fraus & dolus malus atque perfidia non minùs bella dedecent; & affligunt; quàm ornant & adjuvant, astus bellici & stratagemata.

Christianum vitæ inutiliter prodigum esse minimè decet. Sed si vita non temerè prodigitur quoties unius fratris servandi gratia periclitamur; multò minùs quoties patria fratrum plena, discriminibus nostris servatur; præsertim si id non perperam & intempestivè; sed circumstantiis officium nostrum debitè requirentibus fiat. Quo in casu profectò ut excelsum virtutis specimen; sæpe injusta & calumniosa temeritatis labe aspergitur: ita nonnunquam timiditas atque ignavia turpis, honesti obtentus velo obductum latibulum quærit. Itaque cum Vir Bonus locum hunc communem adversus bellum tractaret; non adversus sententiam nostram sed contrà abusus bellorum peroravit; quos una cum ipso damnamus atque à bellis excluso volumus.

II. Etiamsi non tanta esset bellorum quanta matrimonii necessitas; tamen eam sufficeret esse tantam, ut ob eam interdum meritò excusari ac tolerari possint. Major est æternæ quàm temporariæ vitæ servandæ necessitas: Sæpe tamen hæc quoque minor necessitas, hominibus ad ea jus dare potest; quæ citrà eam non licerent, ut in Davide patuit panes propositionis edente. Sed nec plane verum est quod à Viro Bono supponitur. Primùm enim non injuriâ quæri posset; utra sit major necessitas,

aut

aut utrum sit magis eligendum. An ut progeniem habeas, cui, ut sic loquar, lampada vitæ tuæ tradas? an verò ut caveas, ne eam in statum producas quo miserior fingi non potest, ubi per abolitum pacis & belli gladium, (quod volunt Viri Boni,) & saluberrima Dei ordinationes sublatas, introducta omnium scelerum impunitate & licentia; posteritas nostra aut in culpam aut sub jugum veniat sceleratissimæ tyrannidis (cum aut scelerato aut misero vitæ statu mors optabilior censeatur) nec tamen ipsa bellorum mala effugiat; quæ in regno scelerum atque licentiæ, nunquam deesse possunt.

Deinde quod Vir Bonus ostendit; si bella ex omni terrarum angulo submoverentur, optatissimum fore statum rerum; verum quidem est; sed tamen bellorum necessitatem ideo non tollit; quia hic rerum status, posita libertate arbitrii, nonnisi per bella aut per validæ potestatis custodem gladium effici aut conservari potest. Quemadmodum si morbi, qui nunc passim in humano genere regnant, invento aliquo universali remedio tollerentur, prima specie quidem nulla tunc necessitas remediorum; ac ne illius quidem quod ultimo profuit, esse videretur, morbis in exilium pulsis? Si tamen rem accuratius perpendas, ne tunc quidem eorum necessitas desineret tantisper dum is status rerum maneret, ut corrupta iterum hominum valetudine, morbi isti ab exilio redire possent. Ita si injustitiæ & injuriæ proximæ bellorum causæ tollerentur, tantisper quidem bellorum nulla esset necessitas, dum causæ eorum exularent: sed ipsis ab exilio reversis (quod fieri posse, posita humanæ voluntatis libertate, necesse est) rediret unâ quoque suscipiendorum bellorum necessitas.

Denique cum in eo statu res humanas Deus esse voluerit, ut injuriis quæ nonnisi bello aut suppliciis propulsari solent, locus sit; universalior est necessitas gladii, qui pacem & bellum moderetur; quia is omnium pacem, libertatem, securitatem tuetur: & fructus ejus ad omnes, nemine excepto) redundat; quam matrimonii; quo innumeri mortales carere potuerunt; atque etiamnum possunt.

III. In hac instantia Vir Bonus (quod aliàs quoque ferè perpetuo facit) oblitus esse specialis in hoc loco Status quæstionis videtur; in quo *Citrà omnem religionis respectum, ex ratione nondum verbo Dei illustrata* (ipsissima verba nostra sunt) de jure & honestate bellorum argumentum proposuimus, & expendimus. Intempestivum igitur erat hoc loco; jus istud ex voluntate verbo Dei revelata oppugnare.

Sequamur tamen Viri Boni vagos & extra orbitam devios flexus. *Matrimonium*, inquit, *Deus & primitus instituit & sub Novo Fœdere confirmavit. Bellum autem & effusio sanguinis Deo semper displicuit: quia & Caini cædem edicto repressit, & sub Veteris Fœderis vestigium voluntatis suæ bella parum probantis in Davide ab ædificatione templi repulso, exhibuit & bella aut sanguinis effusionem, in novo fœdere nusquam approbavit aut permisit.*

Atqui primum non de eo hoc loco quærebatur, utrum Deo magis placeat bellum, sive effusio sanguinis, an matrimonium? Ac ne nobis quidem eam quæstionem in tota causæ nostræ defensione, attingere opus est. Multa enim Deo magis probari possunt quàm actio aliqua; quæ tamen nec ipsa à Deo prohibita sit. Cælibatus judicio Apostoli, potior est ipso matrimonio: nec tamen vetitum matrimonium.

Deinde non de eo est inter nos controversia, Utrum Deo absolutè placeant bella, præsertim in genere sumpta: sed utrum ea penitus, etiam in maxima resistendi necessitate prohibuerit. Multa Deo non satis placere possunt: & tamen illa ab eo tolerari ac permitti aut certè non prohiberi palàm est; qualis est iteratæ sæpius post frequentes lapsus pœnitentiæ fiducia. Nam & ipsa remedia recidivi sæpius morbi culpâ, fastidio sunt.

Denique bellum & sanguinis effusionem Deo absolutè semper displicuisse, non probat Vir Bonus. Non homicidæ, sed Caini cædes in Mundi incunabulis, edicto Dei repressa est: quicquid Grotius Vir summus sentiat. Cujus edicti ratio quam affert admitti potest; sed edictum ad alios præter Cainum minimè porrectum, vel illud peculiare signum ostendit; quod Deus in ipso posuit ne occideretur. Nec enim privilegio cuiquam aut peculiari tesserâ opus erat; si generale edictum omnes comprehendebat. Homicidium innocentis & illegitimum, nonnisi sanguine nocentis expiari, generaliori edicto Deus instituit & ante Legem, & in Lege; nec post Legem gladium scelerum vindicem è manibus Magistratuum excussit; sed æquè valido instituto, (ne quid amplius dicam) etiam sub Novo Fœdere ordinavit, atque olim matrimonium instituerat. Certe in matrimonii usu, nemo maritorum Minister Dei dicitur; sicuti in usu gladii dicitur Magistratus. Quippe validiori commendatione opus erat in eo, quod à Christianis (ut fieri experimur) in dubium vocare poterat. Quibus autem pacis gladius permissus est, qui minus urgenti necessitate stringitur; iis salva religionis analogia eripi non potuit is, quem suprema extorquent pericula, prout nec ereptum cernimus.

In repulsione Davidis ab ædificando templo Dei, vestigium habemus voluntatis Dei, non simpliciter bella improbantis (quomodo enim ea ipsa improbare potuit, quæ non modo aperte permiserat sed instituerat?) sed pacis artes bellicis præferentis; & cupidinem bellicæ gloriæ saluberrimo fræno cohibentis; ut omnibus manifestum esse posset; quamvis Deus bella in casu necessitatis permittat, nolle tamen ea ab hominibus nisi invitissimis suscipi: & si forte ea suscipere necesse sit; nolle ea esse nimium cruenta & sanguinis humani prodiga. Non est autem mirandum, cum Deus remedium tàm periculosum populo suo permitteret, in ejus usu legitimo frenum aliquod extare voluisse, quo efferentes sese nimium in animis hominum bellici impetus, cohiberentur. Cætera quæ hic dicuntur alibi copiosè refutata sunt, aut refellentur.

IV. Hic quoque Vir Bonus subjectæ materiæ oblitum se ostendit; quia cum nos hoc loco ad objectam nobis argumentationem de Ratione belli repugnante respondeamus; ille fingit nos ex eorum necessitate argumentantes: & per concessionem hujus necessitatis; respondens excipit ab ea solos Christianos. Nec tamen istud à seipso confictum argumentum legitime dissolvit. Sed in ejus oppugnatione ab illa Captione, quam vocant Accidentis, sese circumventum ostendit. Nec enim, etiam in primitivâ Ecclesia, Christiani, ab illa necessitate de qua sermo est, quæ tàm pacis quàm belli gladio in humano genere locum dedit, erant verè exempti. Æque enim tunc Christiani ac reliqui omnes Romani Imp. cives gladii usu indigebant; qui eos foris à Parthis, Germanis, Sarmatis, Marcomannis, domi à latronibus & sacinorosis protegeret; nisi forte si quibusdam accidit ut procul à strepitu armorum, aut temporibus aut locis pacatis viverent. Bellorum & gladii tractatio, omnibus quidem in communi necessaria est, & utilis: sed non semper necesse est, ut ab omnibus geri & tractari debeant; quoties accidit ut id paucorum opera & interventu præstari possit. Multò minùs ut ab omnibus suscipi possint; quod ad solos pertinet qui Respublicas gubernant. Nec tamen minùs omnibus; quàm iis quorum ductu aut ministerio geruntur; bella necessaria aut utilia sunt, quia eorum fructus pax & securitas publica ad omnes redundat.

Nec magis tunc belli Christiani, quam reliqui omnes carere potuerunt; nisi quòd nec semper delectus militum ex Christianis fierent: nec ad rerum clavum tunc Christiani sederent; quod utrumque fuisse ex accidenti, posteriora tempora planum fecere.

Sed nec ea bellorum necessitate tunc Christiani semper carere potuerunt, quæ operam atque interventum eorum poscèret. Quod nescire non possunt ii quicunque jus & morem Romanorum Magistratuum in agendis delectibus & conscribendo milite, non ignorant. Quo in

casu

casu neminem è Christianis immunem esse potuisse, sciunt omnes in antiquitatis memoria mediocriter versati. Ac ne refragatos quidem id oneris Christianos usquam legitur: nec ob susceptam militiam quenquam ab Ecclesia exclusum. Hinc illæ fulminatrices, hinc Thebeæ legiones: hinc apud Tertullianum castra militum Christianorum plena. Denique cum ob recusatum idololatriæ obsequium, tot martyria suscepta legamus: producant Viri Boni vel unicum exemplum; non dico necis atrocissimæ; sed levioris periculi ob recusatam militiam à Christianis susceptæ. Quod tamen necessariò fieri debuit; si tunc Christianæ Ecclesiæ non minus bella quàm idola fidelibus fugienda esse senserunt. Nec certè Heroës illi; qui grano thuris igni injecto se ab atrocissimis suppliciis expedire poterant; & tamen infanda pati maluerunt; quàm ut fidei suæ castitatem vel levissimæ simulationis pulvisculo aspergerent: passi unquam fuissent Christianorum ad militiam delectus fieri; absque ingentibus & memorandis ad posteritatem exemplis. Nec necesse fuisset ab impiis ullas persecutionum ansas aut occasiones captari. Hæc unica in delectibus agendis consuetudo; perpetuam non modo opportunitatem; sed necessitatem persequendi Christianos attulisset, longè plausibiliori ad populum prætextu; & promptiori sævitiæ excusatione. Quod argumentum; quantum ad agnoscendam in eo veteris Ecclesiæ praxin attinet, clarius est; quam ut Viri Boni mandibulis frangi, aut conteri possit.

Homines in natura suâ considerati; quantò magis belluis excellunt; tanto turpiùs sese infra earum sortem abjiciunt; dum divinissimo Dei dono ad omnium scelerum impunitatem abutuntur. Optimarum rerum pessimæ corruptiones sunt, & in comparatione meritorum quantò quis graviori culpâ tenetur; tanto quoque pœna atque ipsa morte dignior est. Nec verum est, hominem, quantacunque scelerum labe infectus sit, mores in naturam versos exuere posse; cum sint qui ad mortem peccant; pro quibus ne orari quidem postulat Apostolus. Crudelitas & scelera arte atque ingenio adjuta, ut odio & reprehensione; ita supplicio digniora sunt; præ naturali brutorum feritate.

In ultima capitis hujus quæstione Vir Bonus more suo, cum non haberet quod propositæ thesi opponeret; recurrit ad hypothesin; quasi eò loco quid Christianos magis deceat; & non potius quid hominibus magis ex usu sit; sepositio omni religionis respectu, quæreretur. Sed ne sic quidem homini conatus successit, à testimonio primùm negatè argumentanti: quod Christianis in specie victoriæ non sint promissæ; quasi non sufficiat in genere omnibus in necessitatibus cælitùs expectandam opem promitti: aut hæc promissio in cæterorum omnium quæ adjici promittuntur, ambitu comprehendi nequeat.

Deinde argumenti ex admonito Petro ducti, crambem recoquenti: nunquam venit in mentem Objectionem hanc à nobis stirpitùs eruendam esse; quod superiori capite sufficienter præstitimus.

CAP. IX.

NUcleum argumentationis quam dissolvimus & mentem Socini, à nobis probè non perceptam, dum probare contendit Vir Bonus, (præterquam quod non pauca falsò asserit) ità se implicat, ut planum faciat; sese, quid dicat, non satis intelligere. Nec enim unâ contradictione se involvit. Ait enim, *Non simplicem terrenam possessionem* à Socino intelligi; sed eam *quæ tanquam præmium obedientiæ assignata sit à Deo, in qua omnis felicitas ac spes nostra fita sit; & circa quam unicè occupati, eamque curare debeamus. qualis fuit terræ Cananeæ possessio, Judæis promissa primum, post tradita.* Idemque paulò post confirmat; dum ait controversiæ nostræ cardinem in eo esse, *An ita habeamus aliquam possessionem terrenam nobis assignatam ut in ea felicitas nostra terminetur.* Omnem igitur felicitatem Judæorum, in tradita possessione terræ Cananeæ collocat.

Atqui statim subjicit, Possessionem *hujus terræ ipsis tanquam Partem felicitatis*, à Deo datam fuisse. Potestne aliquod præmium felicitatem omnem cujusquam comprehendere, atque Terminare: quod ipsi tanquam pars felicitatis datum sit?

Deinde, quia in eo, differentiam inter nos & Judæos collocat; quod illis *terra Cananæa tanquam pars felicitatis data sit*; non obscurè ostendit, nobis Rempub. & possessionem terrenam nullam, pro parte felicitatis obedientibus promissæ conferri. Atqui mox subjicit. *Res hujus Mundi additamenti tantum loco felicitati nostræ adjici.* An verò istud additamentum, quod felicitati quod præmio obedientium adjicitur, pars felicitatis & præmii, licet ignobilior, censeri nequit?

Tertiò, ait, Terrenam Rempub. aut possessionem, quam forte habeamus, nostram propriam & verè hæreditariam non esse: aut, ut alibi ait, *hæreditatis & patrimonii loco nobis à Deo non attribui.* Et tamen ingenue fatetur. *Sive ordinario sive extraordinario; sive visibili, sive invisibili modo Deus alicui terram, vel possessionem certam, concedat, perinde esse. Et sicut extraordinaria & visibili ratione Deus terram Cananæam Israëlitas possidere voluit; ita aliis gentibus ordinariè & invisibiliter; possessiones terræ attributas; imo eadem quoque ratione nobis quoque Christianis naturale jus ad res nostras possidendas & Conservandas concessum.* Si ad Remp. aut aliquam rem terrenam; perinde nobis verum jus quæritur; sive hoc sive illo modo à Deo conferatur; cur æquè propria nostra, & verè hæreditaria nunc censeri nequeat; quàm illa olim Israëlitarum, propria & hæreditaria fuit; quæ extraordinario modo collata est? *At enim nos hic manentem civitatem non habemus!* Quasi verò Israëlitæ stabiliorem in terris patriam habuerint; cum & illi, æquè ac nos, aut patriæ ac Reipublicæ suæ possessione spoliari; aut ipsi eversæ superstites esse; aut denique ipsa morte ab ea, sive manente sive pereunte, avelli potuerint. Nihil igitur est, quod in ambiguitate vocum Hæreditatis, aut patrimonii (quæ videlicet perenne aliquid ac stabile significent) argumento à nobis eversò precarium adminiculum quærat. Non magis enim propriè voces istæ Israëlitis olim poterant; quàm nobis nunc competere possunt: & admonitio ista sortis humanæ; æquè illis olim, (ac nobis nunc) excitandis adhiberi potuit. Documento est, quòd Monitum istud etiam ante eversam Hebræorum Rempub. Hebræis inculcatum est, qui tunc exules & peregrini in hoc Mundo, æquè ac nos, dici poterant. Nec tantum fideles & persecutionibus obnoxii; sed & infideles ipsi ac persecutores. Cujus moniti fidem, quoad istos, vel eventus ipse, paulo post, abunde confirmaturus erat.

Inter ea verò quæ hoc loco falsò asserit; primum est. *Terræ Cananeæ possessionem Hebræis promissam & traditam fuisse illud præmium, in quo omnis felicitas eorum fita fuerit.* Non tàm enim ipsa terræ illius possessio. quàm in istius possessionis usu & fructu, Dei protectio & benedictiones præstabant illis eam felicitatem, quâ præ aliis gentibus gloriari poterant. quæ nisi possessioni illius terræ adjuncta fuisset, nihil erat, quod gens illa præ cæteris, præsertim quibus æquè beatæ sedes obtigerant, jactare potuisset. Quamvis enim ubertate glebæ & fructuum abundantia terra illa esset commendabilis; non puto tamen eam omnibus etiam beatissimis regionibus, naturali proventu, & ubertate præstitisse. Sed peculiaris Dei gratia, non modo si quid forte deficeret, supplebat: sed qualecunque uspiam terrarum optari potuit, cæli soliquè ingenium superabat: ut alia nunc taceamus, & quidem potiora; quæ ad spiritualem eorum felicitatem pertinebant; quæque semina ejus spei, etiam sub Lege continebant, quæ in florentissimam sub Evangelio segetem, erat germinatura.

Alterum ex iis quæ falsò asseruntur est, Ex eo, quod quis exulem se & advenam in hoc mundo cogitare debeat; fortiter inferri ipsi bellum non esse gerendum. Nam & omnes Hebræi ea cogitare debebant: *Psalm. 39.* 1. *Paralip. 29.*

1. *Paralip.* 29. & David ei quondam cogitavit; nec minus tamen necessitate exigente bella gessere. Sed & ratio quam affert parum fortiter arguit.

Quis, ait, *peregrinans adeo se, alienæ Reipublicæ curæ immiscet; ut eam mordicus tutandam sibi sumat?* Quasi etiam peregrini, nunquam plurimùm interesse possit, eam in qua peregrinatur Rempublicarum salvam esse. Imò quis peregrinus urbem in qua commoratur; non obstinatissimè propugnat, si ipsi una cum capta urbe perendum sit? Non minùs certè alienam patriam quàm alienam navem defendimus, quoties, quod frequentissimè accidit, nisi salva illâ salvi esse non possumus. Nam occidere quenquam, pro eo quod defendi necessitas postulat; non magis quisquam velle tenetur, quàm pro eodem occidi velle potest. Et Christianum præcipuè decet, in defensionis periculo ac necessitate eo animo pugnare; ut quemadmodum suâ vita incolumi; ita & hoste superstite victoriam consequatur. Sed si forte in eo casu accidat, hostem occumbere (si modo justa pugnæ ac defensionis causa, atque necessitas fuit) non magis in eo ulla ei à nobis infertur injuria; quàm nobismetipsis à nobis illata fuisset, si ipsi occubuissemus. Æque enim præter mentem nostram utrumque evenire supponimus. Mutat igitur suo more quæstionis Statum Vir Bonus, cum in materiâ defensionis innuit, ex mente nostræ sententiæ, nobis aliquando necessitatem imponi; ut propter rem aliquam terrenam hostem occidamus, hoc est, occidere velimus. quod nos ut non oppugnamus ita neque asserimus; quia bellorum jus, etiam absque ista opinione satis defendi posse censemus.

Tertium ex iis, quæ falsò asserta sunt, est: Nos dum *probamus jura possessionum & hæreditatum, non modo possidendarum sed etiam conservandarum, hoc est, defendendarum; nobis æquè nunc competere; atque olim Hebræis competerent, extra oleas aut extra Statum quæstionis vagari.* Non enim alius erat specialis quem ingressi sumus quæstionis status, quàm utrum nobis aliqua terrena possessio (quam videlicet non modo possidere, sed & conservare nobis liceat) à Deo assignata sit. Hæc enim erat argumenti Minor quod refutavimus. *At Christianis à Deo nulla terrena possessio assignata est.* quam falsam esse, probandum susceperamus.

Atque hanc falsitatem maxima in nos injuria cumulat, dum ejusmodi Statum quæstionis fingit; qui sine capitali nostri criminatione cogitari nequit. Asserit enim præsentis inter nos controversiæ cardinem in eo verti; an ita habeamus aliquam terrenam possessionem nobis assignatam; ut in ea felicitas nostra terminetur. Cujus quæstionis cum ipse negativam partem tueatur; nos affirmativam defendere non obscurè innuit; quod absque insigni nostra injuria fieri nequit; qui in aliqua possessione terrena felicitatem nostram terminari, adeò non existimamus; ut opinionem hanc detestandam censeamus; & quæ spem cælestis patrimonii planè subruat & convellat. Neque enim nobis ad Minorem propositi argumenti confutandam; confugiendi ad ejusmodi monstrosas quæstiones & opiniones necessitas ulla imponebatur. Abunde sufficiebat nos ostendere, (id, quod unice quærebatur) quamvis ea quæ possidemus non extraordinario & visibili modo Deus nobis contulerit; tamen nunc æquè legitimum nobis jus esse, ad terrenas possessiones, aut, ut ipse loquitur, patrimonia & hæreditates nostras possidendas & conservandas, ut olim Hebræis fuit. Quo fine, & utrum præmii loco nobis terrenæ possessiones conferantur; nulla inter nos controversia fuit: multò minùs utrum in iis felicitas nostra terminetur: sed tantum utrum jus earum possidendarum ac defendendarum obtineamus. Non igitur nos extrà oleas vagamur: Sed Vir Bonus, cum non habeat quod opponat Veritati, nova plantat & conserit oliveta; intrà quorum septa, obtorto collo disputationem nostram pertrahere contendit: conatu & successu, ut vidimus & iniquo & irrito.

Ludit posteà in vocibus *patrimonii & hæreditatis*; quas solis ejus generis possessionibus attribuere videtur; in quibus felicitas nostra terminetur. Ait enim, quæri inter nos, *an ita habeamus aliquam terrenam possessionem nobis assignatam, ut in ea felicitas nostra terminetur; utque hæreditatis & quasi patrimonii loco, à Deo nobis attributa sit.* Quasi Deus nemini ullam possessionem loco patrimonii & hæreditatis attribuere possit, nisi in eâ felicitas ejus terminetur. Aut, quasi vel ipsius olim Israëlitici populi beatitudo, in sola illius terræ Cananeæ possessione, terminaretur. Quæ possessio etiam absque benedictionibus semini Abrahæ promissis, ab improbis & à fœdere desciscentibus, interdum possideri potuit: ut & benedictiones istæ, etiam exulibus Judæis servire poterant. Malè igitur Vir Bonus ista pro eodem sumit quæ natura suâ disparata sunt.

Non diffitemur veri patrimonii & hæreditatis voces in Sacris literis, huic potissimùm possessioni tribui, quæ est stabilis & æterna; qualis nulla terrenarum esse potest. Sed nos de terrenis possessionibus hoc loco disseruimus, ut Vir Bonus etiam extra suum olivetum, [illegible] transmigare videatur.

Imo verò suamet ipse, vineta dicam an oliveta, cædit; dum ex loco *Lucæ.* xv. 11. ostendit Deum hujus seculi filiis, terrenas possessiones tanquam peculiare eorum patrimonium & hæreditatem distribuisse.

Nec enim portio hæc patrimonii quæ ipsis obtigit, stabilis & æterna dici potest; quia non minus ipsâ, etiam dum vivunt excidere; aut ab ea morte abripi, possunt; quàm ipsi Christiani suis possessionibus in casu mortis aut infortunii prævolvuntur. Sed & parum aptè hunc locum explicat. Non enim inter istud par fratrum, disparitas ac differentia in eo collocatur quod alteri melior; alteri deterior pars patrimonii obtigerit: sed quod alter eorum patris pertæsus; suamque sortem ab inspectione & Curâ patris seiparans; proprioque consilio planè permissus, portionem sibi datam; culpa & stultitia sua prodegerit: alteri autem qui à patris Cura & administratione suas res non sejunxit, pars patrimonii adeò integra & florens permanserit; ut non deesset ipsi posteà, unde vel illius prodigi Nepotis inopia sublevaretur. Quem sensum vel ipsa confirmat experientia. Nec enim negari potest, Deum ejusmodi filiis qui ipsi adhærent, præter Regnum cælorum, sæpe, imò ordinariè cætera quoque omnia terrena adjicere; quæ quamvis natura sua fluxa & momentanea videantur; non tamen eorum quàm improborum possessio magis fluxa & incerta est. Imo verò tanto certior & stabilior; quod etiam terrena eorum felicitas, ab Omnipotentis patris diligentissima Curâ & providentia semper dependeat; prodigorum autem filiorum conditio, incertis primùm & periculosis fortunæ fluctibus permissa, certissimæ deinde judiciorum Dei, sæpe etiam in hac vita, tempestati, subjecta sit. Ut igitur non meliori jure ac proprietate; ita neque stabiliori conditione, improbi, quàm fideles, terrena sua dominia possident neque ad ea conservanda aut defendenda; isti præ his, ullam divini aut humani juris prærogativam jactari possunt. Nam quicunque dicunt ad conservanda & defendenda propria acriori stimulo ac necessitate, impelli eos, quibus unica in terrenis spes ac felicitas supereſt; quam eos quibus terrenorum facilis jactura esse potest: mutant quæstionis statum. Nec enim nunc de eo quærimus, quid in conservatione rerum nostrarum, cupiditates aut voluntatem nostram acrius stimulare possit: sed quid nobis liceat, atque integrum sit. Nec enim semper, aut id, ad quod acriori stimulo compellimur, magis nobis licitum; aut id, quod minus violenta necessitate nobis extor-

quetur, minus licitum est. Sæpe sua culpa mortales, in eas se angustias redigunt; ut si forte id ipsum, quod periclitatur, amiserint; nullum ipsis jacturæ suæ solatium superfit. Nec tamen ideò aliis in conservandis aut defendendis rebus suis, minus juris relinquitur, qui in eas angustias culpâ sua, non sunt prolapsi. Taceo sæpe accidere posse; ut ne fidelibus quidem, rerum terrenarum facilis jactura esse aut possit, aut debeat: quia id alibi suo loco expenditur.

Nunc ad syllogismum, alio modo, ut solidissimus videri possit, reformatum veniamus. Cujus formatio non degeneravit ab ingenio eorum, qui hucusque nobis oblati, ob falsitatem præmissarum, utroque pede claudicantes reperti sunt. Nam & Major priori longe falsior est; præsertim cum V.B. explicationi phraseos, qua terram posthabere jubemur calculum suum adjiciat; & Minor, quoad illam sui partem, quæ veri patrimonii mentionem facit; evidenter falsa sit. Æquè enim improbis atque probis Deus terrenas possessiones veri patrimonii loco assignasse dici potest; cum eam vocem ipse Vir Bonus in explicatione loci *Luc.* xv. 11. etiam de ea possessione usurpet quæ non minus fluxa & instabilis est; quàm illa quæ piis additamenti loco adjicitur; imo verò ut ostendimus longè instabilior & magis momentanea.

Prætereà partim æquivocationis partim Compositionis & divisionis fallaciâ, Syllogismus hic laborat; in vocibus Veri patrimonii ac felicitatis; earumque conjunctione; quasi hæc pro eodem semper sumenda sunt; quæ natura sua disparata sunt. Nam & veri patrimonii vox, cælestem duntaxat felicitatem significare potest; quo sensu hæc pro eodem rectè sumuntur; & unâ componi possunt. Sed in eo sensu major æquè controversa est; atque principalis quæ inter nos agitatur quæstio. Nec enim vitæ æternæ assignatio, Curam & conservationem, ac defensionem terrenorum excludere, ostenditur. Et propriè sumi potest; atque adeò ab ipso Viro Bono sumitur; pro terrenæ possessionis dominio; quo sensu vera & summa felicitas; à terreno patrimonio longissimè discrepat: & hæc subdole simul conjunguntur: atque ita intellecta minor, evidenter falsa est. Non igitur refutatam à nobis argumentationem Vir Bonus, ab objectis ipsi ambiguitatis vitiis liberavit, sed novis captionibus eam suspectiorem reddidit.

Porrò in sequenti argumentatione; ubi V.B. contendit, bona præsentis vitæ; (inter quæ, vitam ipsam collocari, memoriâ tenendum est) etiam citrà omnem concursum bonorum æternorum, pro nihilo habenda esse; fallaciam committit, quę à dicto secundum quid, ad simpliciter, dicitur. Nec enim quia aliquid secundum quid contemni potest: idcirco semper simpliciter contemni; ejusque Cura atque defensio, planè omitti debet; etiam cum nostra plurimum interest, ne nobis illud qualecunque est, quod amittere periclitamur, eripiatur. Prætereà sunt multa natura sua non magni pretii, quibus tamen aut utilitas, aut necessitas aliqua pretium conciliat. Et plurima per se vilia, pro statu & circumstantiarum ratione, non modo pretiosa; sed necessaria evadunt; ideoque mordicus retinenda sunt. Dapibus & cibis, quibus vita nostra indiget, quid sæpenumerò vilius est? Quis tamen usque adeò sapiens pretiorum æstimator esse velit; ut ab eorum usu sese arcêri, sustineat? aut non omni Curâ & conatu enitendum sibi putet, ne sibi prorsus subtrahantur? Denique elevent, ut volunt, præsentis vitæ bona; qui Locos ejusmodi communes pertractare ambitiosius solent: Sunt tamen in isto momentanei ævi nostri curriculo non pauca; quę summo à nobis pretio æstimari merentur. Talis est, bona conscientia; sine quâ, vita in terris nulla vitalis est: talis Libertas, sine qua sæpe ne ipsa quidem servari potest, conscientia: talis est pudicitia; & omnis virtutis veritatisque honestas; talia sunt publica societatum in terris, atque ipsius militantis Ecclesiæ bona; Pacis, fidei, justitiæ, religionis; benè morati status atque omnis disciplinæ conservatio. talia sunt officia, Deo, magistratui; parentibus fratribus, amicis debita. Quæ omnia vel ideo à nobis pro nihilo haberi non debent; quia apud ipsum Deum in pretio sunt; & plæraque omnia ejusmodi sunt; præ quibus (quoties id justitia permittit) nobis aut nostra aut aliena vita, ita cara esse non potest; ut ea alterutrius periculo conservare & quasi redimere vereamur. Vita denique ipsa; præcipuè quatenus nisi per hanc, ad æternam aditus non patet; tanti esse cuique debet, ut ejus conservandæ causa, non aliena tantum; sed nostra quoque in discrimen vocanda sit. Quamvis enim rectè, nescio quis, dixerit:

——*furor est Ne mortare mori.*

tamen hæc sæpe furiosior insania est; quoties aliquis certissimam mortem suscipit, ne aut ipse, aut alius, incerto uterque (& hic quidem suapte culpâ sibi illato) discrimine, periclitetur. Longè enim gravius semper magisque fugiendum malum est ipsa Mors, quam ejus, præsertim parum certum periculum: Nec magis metuenda sæpe sunt malorum remedia, quàm ipsa eorundem pericula. Quod si nulla est tàm ordinata erga nosmetipsos caritas, quæ nos prohibeat, quominùs ad arcendum certissimæ mortis discrimen, incertum vitę nostræ periculum suscipiamus; quę erit illa tàm prępostera erga proximum dilectio; quæ nos certò perire adigat, ne is incertum, & non nostro culpâ accersitum mortis subeat periculum? An præter Deum ejusque Christum quisquam est nobis, nobismetipsis propior; aut cui plus caritatis exhibere teneamur; quàm nobismet exhiberi sana suadet ratio? Et tamen præsentissimis interdum vitæ nostræ periculis; cum multa alia vitâ potiora; tum aliquando vitam quoque ipsam redimimus, intacta & illæsa erga nosmetipsos caritate. Unde apparet quàm puerilis sit illatio, quia bona vitæ hujus contemnenda sunt; ideò nihil in hac vita tanti faciendum; ut illius ergò, mortis periculum aut ipsi suscipiamus; aut cuiquam inferamus vel potius inferri patiamur. Neque enim in legitimæ defensionis moderamine, sæpenumero iis qui nos oppugnant, nos potius quàm sibimetipsi inferunt periculum, cum in eo casu quicquidà nobis suscipiter aut infertur periculi officio ac necessitati; quicquid ab illis, puræ putæ voluntati adscribendum sit. Nam primum non omnia, quæ in hac vita nobis expetenda offeruntur, contemni aut pro nihilo haberi possunt, pleraque etiam summo pretio æstimari & ardenter expeti atque amari debent. Neque enim solo corpore in hâc vitâ, sed animo quoque vivimus; cujus bona quamdiu hic vivimus, hujus vitæ bona dici possunt. Deinde plurima sunt natura sua vilia ac despicienda; quæ arctissimum cum pretiosioribus nexum; despici aut negligi non debent. Denique humanarum rerum atque omnis ævi experientiæ ignaros se produnt; qui bella suscipi posse non putant, nisi aut ob exiguum terræ pugillum, aut ob similem aliquam causam; quæ contemni posse videtur. Neque enim inter principia aut occasiones & veras bellorum causas, discrimen intelligunt; neque cogitant, ut omnium rerum ita publicarum mutationum & morborum quibus Respub. pereunt, principia mole parva videri; quæ tamen sæpenumero eam vim habeant; ut nisi in ipsis initiis & primis scintillis opprimantur, in immensa incendia erumpant. Leves & exiguas igitur ob causas bella suscipi putant, quia leves & exiguæ eorum occasiones videntur; quæ tamen interdum, si negligantur, graves & periculosos exitus secum trahunt. Quod tamen ita à nobis dictum intelligi volumus, ut abusus bellorum, qui in eo genere frequenter interveniunt nequaquam excusemus. Non enim propterea res, quæ facile contemni possent; sed propter alias longe graviores, & quæ contemni nullo modo debent, quæ tamen sæpe cum iis nexu quodam conjunctæ sunt; nostræ aut alienæ vitæ, suscipi quæ inferri pericula par est.

Atque hic miratur Vir Bonus; cum vitam nostram odio habere; & nosmetipsos abnegare; hostes autem diligere

colligere jubeamur; nos tamen velle ut vitam nostram adeò amemus ut inimicos illius causa, occidamus. Quibus in verbis non una Viri Boni hallucinatio notanda est.

Primùm quod nobis opinionem tribuit, quam, ut minimè oppugnare volumus, ita pro nostra prorsus non agnoscimus, sed aliis ventilandam relinquimus. Neque enim in defensionis negotio, nostri aut amicorum causa, inimicum occidendum, hoc est, ipsius occidendi consilium capiendum esse affirmamus, sed tantum neminem obligari statuimus, ut se, aut amicos; ad certissimam mortem prostituat, ne fortè inimicus possit occidi. Non igitur occisionem inimici simpliciter velle permittimus quoties cum periculo vitæ inimici, nostrum aut amicorum vitam defendi posse ac debere statuimus, quia certum nostrum aut nostrorum periculum, incerto inimici discrimini, præponendum esse asserimus. Incertum autem inimici periculum, aut certè nostro longè incertius esse, ideo ostendimus quia ipse si per nos liceat, occidendi nostri voluntatem habet; nos autem planè occidendi ejus animum non habemus; & si per ipsum liceat; etiam pugnâ desistere parati simus; dum nostra aut nostrorum vita in tuto collocetur.

Deinde supradictæ fallaciæ dolo; quæ *A dicto secundum quid* dicitur, decipit aut decipitur, dum ait quod nosmet odio habere, aut abnegare jubeamur. Nec enim quia id *secundum quid*, hoc est, quoties Amor Dei cum amore nostri concurrit, est verum; ideò simpliciter verum est. Nec id quod in gratiam Christi fieri debet, in gratiam inimici exigi convenit. Si accuratius rem perpendamus odium istud & abnegatio nostri; non excludit caritatem; & affectum erga nos aliquanto proniorem, quàm sit erga inimicum: sed tantum affectum erga nos proniorem quam in Deum aut Christum. Non enim absolutè odisse nosmetipsos; sed comparatè ad Christum jubemur, quia is longè magis, quàm nos amandus est. At amoris erga inimicum comparatione & respectu, odisse nosmetipsos nulla obligatione abstringimur; quia inimicum quàm se ipsum longè plus amare, neminem ulla Lex compellit.

Tertiò, partim æquivocationis partim ignorationis elenchi captione decipitur; dum dilectionem quâ erga inimicum; odio quo erga nosmet affecti esse debemus, ità opponit, quasi isti affectus, si in unum objectum ferrentur sibi essent contrarii; cum tamen vox odii; prout in isto præcepto Christi accipitur; illum affectum significet; quo parentes quoque aut uxores prosequi, atque odisse jubemur: qui affectus sæpe non est verum odium; sed tantum remissior caritas; respectu potioris & flagrantioris considerata. Dilectio autem inimici, sit vera dilectio, ideoque vero, non autem ejusmodi æquivoco odio opponi debeat. Imo vero sic sumpto odio opponi nullo modo possit; quia ipsa quoque talis odii nomine vocari merito queat. Nam & dilectio inimici, si potioris erga sanctiora vincula Caritatis gradus respicias, tale odium meritò dici potest. Ita homonymia vocis hujus V. B. in alterius Captionis genus induxit; ut ea sibi opponi putaret, quæ, quia unum eorum verè ac propriè, alterum impropriè sumitur, opponi invicem nequeunt:

Quod autem nostra conditio omnes naturæ limites excedat, nonnisi secundum quid, imò nisi hujus vocis *Nostra conditio* ambiguitate ludamus, ne dici quidem ullo modo potest. Non enim de futuro, sed de præsenti statu & conditione nostra, loquendum est; quam naturæ limites, dum in hac vita sumus, planè non excedere; sed potius novam creaturam Vanitati subjectam gemere Deus omninò voluit; ut virtus eius in nostra infirmitate esset gloriosior. Duplici igitur fallacia hoc loco V. B. decipitur; nec ex eo statu nostro qui nondum est; sed venturus expectatur; & tamen ab hujus vitæ conservatione sæpe dependet; talem vitæ præsentis contemptum qualem inducere vult, colligere ullo modo potest. Vult enim introducere talem ut mori malimus quàm nocere alteri, etiamsi ei nocere sine injuria possit. Nam de eo inter nos nulla pugna est: Moriendum potius quàm injuste gravi præsertim & capitali noxâ (de quo noxarum genere in præsenti comparatione quærimus) nocendum; credendumque omninò

Esse nefas summum animam præferre pudori,

Ac de hujusmodi vitæ contemptu Lactantium loqui, verba ejus indicant. *Nocent*, inquit, *animalia, ut sibi prosint. Nesciunt enim quia malum est nocere.* Nocendi igitur vocem sumit in sensu qui vitium includit. In quo nos quoque habet Suffragatores. Nec est, quod hunc Locum communem, adversus nos contorqueat, qui, ut alii in ejus scripto plurimi; ipsi nobiscum communis est.

Nunc videamus quomodo ad rationem nostram respondeat; quâ vitam præsentem nunc à nobis, vel ideò pluris æstimari debere ostendimus quia sæpe accidat, ut ab illâ futura dependeat.

Respondet primum vitæ præsentis naturam in disputatione nostrâ, qualis in se est, considerari: hanc autem utilitatem esse accidentariam; nec hoc loco attendi debere. Atqui nos urgemus dum de pretio vitæ præsentis agitur, non solam ejus naturam qualis est in seipsa; sed inprimis utilitatem ejus, undecunque illa profluat & accidat; spectandam, dummodo sit vera & non contemnenda. Quid si sit longe omnium maxima; & quâ major cogitari nequeat. Coriacea moneta res in natura sua vilis est. Illic tamen, ubi ipsi casus aliquis pretium fecit, contemni nequit; & tanti æstimanda est, quanti valor ejus receptus est. Rebus certe omnibus pretium utilitas facit: ideo dum de pretio earum agitur; utilitas earum vel inprimis attendenda est, præcipuè si sit incomparabilis.

Deinde responsione utitur quæ in se tacitum dilemma, aut si placet, trilemma continet. *Non pro pio Christiano*, inquit, *sed pro impio tantum faciet hæc ratio.* In hominibus piis non habet locum id, ut quia in hac vita, æterna quodammodo comparanda est, propterea ipsis nimis cara esse præsens vita debeat; imo præstat ipsis metum defectionis morte evadere. Impii autem duplices sunt: alii qui justum resipiscendi tempus per supinam negligentiam prætermiserunt; alii qui cursum pietatis ingressi, tantum non habuerunt spatii, ut eum absolvere ante mortis periculum possent. Illis non est concedendum, ut, ne in æternum pereant, ipsis quenquam interficere liceat. Hos autem credibile est Deum aut è præsentis vitæ periculo, erepturum; aut si non eripiat, à vita æterna non excluſurum.

Hæc responsio primum magna sui parte, nihil facit ad quæstionem ex vi rationis nostræ conclusam. Concludimus enim Spem vitæ æternæ vitam præsentem nobis cariorem reddere ac pretiosiorem. Vir Bonus respondet in altera parte dilemmatis non esse concedendum impiis hominibus; ut metu æterni interitus quenquam occidant. Certè tametsi nos id concedi postularemus, & vera esset responsio Viri Boni; staret tamen inconcussa ratiocinatio nostra. Quid enim hoc ad rhombum, quòd ipsis præsentis vitæ, propter æternam, conservandæ, structio, Vir Bonus quenquam occidere non concedit; si tamen eos prohibere nequit, quominus præsentem vitam propter spem æternæ consequendæ, pluris faciant; quam amota tantâ spe fecissent? Deinde ne nos quidem id aut piis, aut semipiis, aut ipsis impiis hominibus concedi postulamus. Umbram igitur aut ventos oppugnat Vir Bonus.

Prætereà responsio hæc insufficientem continet enumerationem eorum, qui præsentis simul ac futuræ vitæ pretia æstimare possint. Præter pios enim istius generis, quos nullus metus Salutis morte amittendæ terret; non illud Solùm hominum genus reperias; qui aut tantum non habuere spatii; quo cursum pietatis absolvere possent, aut habuere quidem sed illud per supinam negligentiam prætermiserunt: sed non desunt alii quoque, quorum culpa non sit adeò lata; aut qui, imbecillitate magis quàm negligentia scopum suum non sunt assecuti; aut etiam postquam assecuti fuêre, adversis

tentationum fluctibus repulsi, succubuere; & tamen adversus torrentem niti non desinunt. Quos inter innumeri gradus esse possunt; in quibus non raro deprehendas etiam eos, qui sibi & suis quibusdam admiratoribus, sesquipii esse videntur. Quos omnes uno impiorum agnomine complexus est Vir Bonus, ut ipsis tanto meliori jure denegari posset occidendi licentia. Quasi nos occidendi jus cuiquam vindicemus & non potius inculpatæ defensionis moderamen; in quo datur opera, ne nobis una cum vita præsenti, aditus ad æternam, hostis iniquitate intercipiatur. Denique responsio hæc omni ex parte falsa est. Nam & in piis Christianis, quos certa spes salutis solatur, (quamvis retinendæ hujus vitæ propter æternam, tantam quantam alii necessitatem non habeant) tamen vitæ hujus æstimatio; pretii sui incrementum ab æternâ accipit. Nec enim amota ea spe, tanti vitam præsentem æstimarent. Reliquos autem omnes Christianos, quanto quis dubio magis & incerto statu fluctuat; tanto graviori necessitatis stimulo; metus amittendi tanti boni urget; non quidem ut occidendo peccent; sed ut licitas & legitimas vitæ retinendæ & salutis expediendæ rationes, sive cum suæ, sive cum alienæ vitæ periculo; (dum id non sit culpa nostra accersitum) non omittant. Quamvis enim Deo in expedito sint rationes, quibus efficiat ut nobis incidentia pericula pernicioſè non noceant; tamen is non semper extraordinario & miraculoso modo nobis opem fert; sed sæpe nos per nosmetipsos servat: & quemadmodum in æterno; ita in temporario malo evitando, plerumque nos Deo cooperari necesse est. Ideo oblatæ nobis legitimæ expediendæ incolumitatis rationes, (nisi tentare Deum malimus) non sunt negligendæ.

Tertio & quarto genere responsionis, (si responsio vocanda est) utitur concedendo & in nos retorquendo, id, quod demonstravimus, dum ex eo quod non possimus vitam hanc, sine æternæ injuriâ, contemnere, probat primùm Nulli Christiano ad bellum esse eundum; nec vitam periculo mortis objectandam. Sed primùm ex eo quod hæc vita nobis vel ob spem æternæ carior esse debeat, non sequitur nihil esse in vitæ nostræ commodis aut solatiis; quod ipsa vita carius esse non aut possit, aut debeat; quod planum faciunt illi.

Qui propter vitam, vivendi perdere causas

detrectant; & qui eam periculis objectare cogantur, sive propter officium sive propter necessitatem. Deinde non statim vita contemnitur, quoties in incertum periculum conjicitur, præsertim; longè certioris evitandi gratiâ; qualia sunt belli discrimina: ex quibus innumeri evadunt & victoriæ bonis fruuntur. Imo verò ipsa sæpe vita absque ultrò suscepto ejus amittendæ periculo, servari non potest, quoties discrimina discriminibus, plerumque certa incertis repellenda sunt. Non igitur contemptu sed amore ac desiderio conservandæ vitæ nostræ, tunc ista pericula suscipiuntur.

In retorquendo adversus nos argumento nostro; pergens, ait illud magis pro inimicis nostris; quàm pro nobis facere; quantò videlicet illi magis à pietate alieni quàm nos, ideoque magis prolongandæ vitæ beneficio indigentes supponuntur. Ex quo non aliud sequitur quàm eos nostra culpa in periculum vitæ hujus amittendæ; in quo simul æternam amittere possint, non adducendos, præsertim si cum eorum periculis nostra non concurrant. Quod nihil facit ad propositum & salva causa nostra concedi non difficulter potest. Sed quid si sine nostra culpa; imo verò suamet & quidem latissima culpa ipsi ultrò in pericula ejusmodi ruant; ut nos una secum in eadem præcipitent. Quiane illis ita furentibus, utriusque vitæ jactura facilis est, idcirco nos quoque insaniam eorum imitari par est? An tanti nobis incertissimæ imo sæpe deploratæ eorum Salutis cura esse debet, ut ob ejus vanissimam imo verò nullam spem, bonorum utriusque vitæ nostræ certissimam jacturam ultro facere; aut eam de amittendis periclitari, teneamur?

Nostram salutem non dependere à nostra vita si pii simus (voce Piorum prius ab ambiguitate secluſa) utcunque concedi potest: Sed id ipsum, ut pii simus, sæpe à vita nostra dependet. Nec omnes pii & verè Christiani non sunt; qui multa in se desiderant, & ad majorem in pietate profectum, tantoque certiorem vitæ æternæ spem aspirant.

CAP. X.

CHristianæ sanctimoniæ perfectionem, tantum abest, ut coæquemus; ut ne comparemus quidem, cum eâ vitæ integritate; quam aut jura civilia aut ipsæ Mosis leges requirunt, quando ostendimus ea verba quibus officia Christiana præscribuntur, non posse tam latè, quàm sonant, extendi; quia iisdem verbis homines qui de vitæ humanæ officiis loquuntur atque ipse Moses, ipsi Jurisconsulti, vulgò utuntur; & tamen tunc patet ea in strictiori sensu intelligenda esse. Verba enim valent usu; sicut nummi. Quoties igitur nos vulgarem eorum usum nostræ interpretationi congruentem ostendimus; toties patet ex nudo illorum cortice, præter usum vulgatum simpliciter explicato, nihil adversus nos posse concludi. Nec tamen inde sequitur; nihil inter doctrinam, quæ per Mosen aut Jureconsultos: & inter eam quæ per N. fæd. interpretes, traditur, superesse discriminis. Non alio igitur operæ suæ pretio aut fructu Vir Bonus locum sibi nobiscum communem, de præstantia & sublimitate præceptorum Christi, præ aliis omnibus, ingressus est; nisi ut volumen Responsionis suæ extenderet; & aliquid adversus nos dicere videretur; cum nihil dicat, quod non à nobis quoque dici possit: & tamen firmum maneat illud, quod ex usu hominum communi deduximus; Noxam & læsionem proximi quoties prohibetur, sumi in eo sensu qui vitium includit. Quod & ipse concedit; sed id quod concedit, ità præposterè suis verbis tanquam nostram mentem exprimentibus enunciat; ut seipse manifesta contradictione involvat. Objicit enim sibi tanquam nostris verbis. *Attamen*, ita, inquit Vir Magnus, *præcepta ista intelligenda sunt, ut removeatur sensus qui vitium includit.* Atqui nos non hoc, sed contrarium diximus. Verba nostra sunt. *Sed hæc omnia & similia quæ à Christianis removentur in eo sensu intelligenda sunt, qui vitium includit.* Non igitur nos in intelligendis istis præceptis removendum, sed retinendum istum sensum esse diximus. Nec sensum hunc, sed actiones removeri diximus in hoc ipso retento sensu intellectas. Non igitur id dixit Vir Bonus quod voluit; sed ejus contradictorium. Patet enim ex ipsa responsione, illum ita objectionem hanc enunciare debuisse *Attamen*, inquit adversarius, *ita præcepta ista intelligenda; ut ea quæ à Christianis removentur* (puta Læsio & noxa proximi) *sumantur in sensu qui vitium includit.* Tum demum responsio congruè subnecti poterat. *Rectè. Sed id ipsum quæritur, annon vitium sit, læsio proximi; quæ usque ad occisionem ejus progreditur.* Sed tamen & ex eo ipso quod Vir Bonus dicit, patet Virum Bonum id jam concedere, ad quod refellendum paulò ante Locum communem ingressus erat. Posito enim extra quæstionem, quod læsio quatenus prohibetur vitium includere debeat, de ea specie læsionis quæ in occisionem erumpit, quærit, an sit vitium.

Ne in immensum extendatur scriptio; quæstionem hanc ex professo non ventilabimus. Nec enim omnia in uno loco tractanda sunt. Tantum ad hanc quam subjicit, rationem, breviter respondebimus. Si danda est opera ne cuiquam noceatur, dandam quoque pro virili operam ne quisquam occidatur, quoad (videlicet) ejus fieri potest: quia non semper in nostra potestate est, ne eorum alterutrum, aut etiam utrumque contingat.

Ciceronis patrocinium adversus Lactantium non suscipimus. Sed quod ex Lanctantii verbis concluditur, simpliciter Læsionem ac molestiam proximi etiamsi vitium non includat; non autem solam quæ vitium (quod injustitia

stitia esse solet) includit, prohibitam esse, falsum est; nec ex verbis ejus concludi potest. Quamvis enim, etiam lacessiti injuria sæpe à nocendo abstinere debeamus, tamen inde non sequitur, semper omnem noxam nobis prohibitam, etiam quæ nullum in se vitium includit. Nam & ipse Vir Bonus, paulo post in atrocioribus injuriis, noceri inimico posse, sine culpa & vitio concedit, dum ne nimium ei noceamus. Ubi obiter observandum est. Distinctionem inter graves atque leves injurias, quam à V. Bono alibi exagitatur, nunc pro fundamento necessariæ in moralibus Christianorum præceptis, Regulæ, substerni. *Necessarium est*, inquit, *ut si perfectio & prærogativa Christianarum virtutum præ naturalibus, aut Legalibus, salva manere debeat, ista in patientia servetur proportio; ne in levibus injuriis prorsus inimico noceamus, in atrocioribus autem ne valde noceamus.*

Etiamsi irasci interdum, si justa irascendi causa sit, liceat: modum tamen in iracundia excedendum non esse, nemo dubitat. Quare non ideo hic excessus irascendi permittitur; quia ira sine causa vetatur. Et frustrà loci hujus vulgata lectio in suspicionem vocatur; si etiam aliunde constat, iram justa & gravi de causa susceptam, non esse prohibitam. Et in adjectione voculæ *Temerè*, aut *frustrà*, vel *sine causa* & *sine ratione* non modo suscipiendi hujus affectus temeritas aut iniquitas, sed etiam exercendi nimius excessus, comprehenditur. Temere enim & sine causa fieri dici potest; in quo debita moderatio non servatur. Non sine injuria igitur, Vir Bonus nobis, opinionem hanc tribuit, si forte nos justa & gravis causa, ad aliquam nocendi necessitatem adigat, quod nobis liceat, sinere nos ultrà modum ira abripi; & cuiquam nimium nocere. Etiam in sceleratissimis hominibus puniendis modum excedi posse concedimus, nec tàm quid crimina sontium mereantur, quàm quid clementiam nostram deceat cogitandum esse. Nihil est quod in istis Locis communibus sese jactet Vir Bonus. Nec enim ex istis omnibus à nobis concessis, evincitur; nullam ejusmodi necessitatem incidere posse, in qua vita inimici in periculum adduci possit. Parcendum quoque inimicis quoties parcendi occasio est, (quæ vix est, nisi nos extrà proxime impendens ab iis periculum; simus, & ipsi sint in potestate nostra) libenter fatemur.

Mori potius quàm ut moriatur inimicus & certissima nece nostrà, incertum vitæ ejus periculum redimere; si Deus aut Christi lex jubeat, teneri nos, nihil dubitamus. Sed an ad ejus Caritatis supplicium, nos Deus aut lex Christi damnaverit; id verò est quod inter nos quæritur; & quod sine crassâ petitione principii inculcari nequit; quoties non inimici sed Dei causa, Caritatem hanc inimico deberi, prætenditur.

Non simplex noxa proximi, sed illegitima noxa innocentiam nostram violat. Quicquid in gratiam inimici nobis Christus injungit, si modo injungit, etiamsi inimico non debeatur, Christo præstandum est. Sed non ideo omnia in ejus gratiam Christus præstari præcepit, quia quædam præcepit.

Mox ut nos, alterutrâ, aut falsæ insimulationis; aut adversus præcepta divina contumaciæ labe aspergere possit Vir Bonus; fingit se verba nostra non intelligere. Quæ adeò clare & dilucidè proposuimus; ut nulla divinatione opus esset; utrum de summo, an verò de minore Caritatis gradu loqueremur. Loquimur enim de illo Caritatis gradu; qui caritatem erga nosmetipsos longè superat. Quod etsi in verbis nostris tàm antecedentibus, quàm consequentibus, tam disertè atque expresse, ut fecimus, non explicuissemus: ista ipsa verba quæ producit Vir Bonus, omnem dubitandi occasionem eximunt, nos de minore caritatis gradu; neque locutos esse, neque loqui potuisse. Quis enim minorem & vulgarem charitatem, soli Deo Christoque deberi contendat: cum & amicos & fratres & inimicos quoque diligi debere, nemo dubitet. Eximium & præ aliis excellentius sit oportet; quod soli Deo præ omnibus aliis seponitur ac vindicatur. Quemadmodum honor & cultus qui soli Deo debetur; vulgata honoris specimina, quæ hominibus quoque præstantur superet necesse est, ita & Amor de quo loquimur. Vanum & superfluum; sed nec sine falsa insimulatione nostri suscipit laborem Vir Bonus, dum operosè probat simpliciter caritatem etiam in inferiori gradu intellectam & clementiam à nobis inimico deberi; quasi id quisquam in dubium vocet. Non extrà quæstionem ad alia Caritatis genera transiliendum; sed de summâ, de qua sermo erat, Caritate Viro Bono loquendum: & ostendendum erat, aut eam planè inimicis ac meritò deberi: aut quod debeatur ex ea quam defendit, sententiâ non sequi. An qui se, suaque omnia, puta vitam & carissima pignora, non tanti facit, ut pro iis conservandis, cuiquam damnum; aut vitæ, neque id plane certum (liceat ita loqui) periculum afferat; non longè magis eum, cujus incolumitatem aut indemnitatem vitæ suæ, sucrumvè certò certius amittendæ præponit, diligere quàm seipsum suosque censendus est? Quo altius amor erga aliquem ascendere potest; quàm ut ipsi certò perire, & carissima capita perdere malimus, ne is incerto discrimine periclitetur? Ea certe Caritate majorem dari non posse Dominus ipse asseruit; qualis est Vitam & sua omnia in gratiam vitæ alienæ profundere, aut quod majus videtur, id etiam indemnitatis alienæ ergò, præstare.

Atqui nemo nostrum dicit, excipit Vir Bonus, *supremum aut certe longè majorem caritatis gradum inimico; quàm nobismetipsis deberi.* Quid refert quod id confiteri palàm & voce graventur; cum id ex vi sententiæ ipsorum necessariò profluat? An satis est si quis absurda quæ ex sententia sua consequantur; agnoscere verecundetur; & tamen sententiam eorum feracem mordicus retineat? Si pudet absurdorum; pudeat opinionum quæ ex iis consequuntur.

At enim cum videret Vir Bonus ipsis Domini verbis confirmari, summam in eo caritatis specimen dari; si quis animam suam ponat pro aliquo; ne summum caritatis officium inimico vendicare videretur; ridiculum excogitavit effugium; dum contendit nos tunc *animam pro inimico non ponere*, quoties cum non sine ejus periculo vitam nostram servare possimus; occidi ipsimet, quam eum periclitari malumus.

Sed quid aliud est *vitam aut animam pro aliquo ponere*, nisi mortem subire, ut is bonum aliquod consequatur, aut malum effugiat. Hujus beneficii multæ possunt esse species. Ponitur enim anima pro aliquo; quoties vita alicujus morte nostra redimitur: ponitur & quoties præter vitam aliqua alia vitæ hujus bona: ponitur quoties imminens ipsi ab aliquo depellimus periculum, sed & tunc ponitur; quoties nullo alioqui ipsum urgente periculo, ejus tamen juvandi studio, ita enixe laboramus, ut ipsi inserviendo extinguamur. Deinde pericula quæ à capite alicujus nostro discrimine repellimus, aut ab hostibus imminent; aut à peste, naufragio, casu aliquo denique aut temporalia sunt aut spiritualia; quod idem de bonis vicissim quæ alicui nostra operà non sine periculo suscepta, contingere volumus dici potest. Denique ponitur anima pro aliquo, cum ipsi aliunde periculum imminet; ponitur & tunc cum à nobismetipsis. Quis in singulis enumeratorum casuum, vitam pro aliquo non poni dixerit; quia in ipsis casibus discrimen non exiguum interveniat, si tamen in omnibus, vita in alterius gratiam profunditur. Omnes istæ vitæ nostræ ponendæ species, casibus aut circumstantiis differre possunt; in eo tamen genere conveniunt; quod in iis vita propter alium ponatur. Absurdum igitur & ridiculum est, genus de specie prædicare nolle; quia species inter se differant. Sed quia hoc loco species istæ considerantur non absolutè sed relatè ad summum Caritatis ei, pro quo vita ponitur exhibitæ gradum: videamus ecquid causæ habeat Vir Bonus, ob quam istam ponendæ pro inimico animæ speciem, cum ipsi non aliunde sed à nobismet imminet periculum; indignam censeat, quam istud vel ipsius Domini

mini judicio summæ Caritatis elogium mereatur. Dicimus igitur in ea mortis pro alio suscipiendæ specie, cum à nobismetipsis imminentia vitæ pericula; ab inimico morte nostra avertimus; tanto majus caritatis erga ipsum edi specimen, quam erga alium cui aliunde impendentia pericula propulsamus, quantò illud quàm istud factu est difficilius. Difficilius autem est illud, quàm hoc duplici de causâ. Primùm enim in eum qui vitam nostram oppugnat, summum & quo majus fingi non potest beneficium conferre, difficilius est, quàm in eum, qui non ita malè de nobis meritus est. Deinde cum aliunde impendentia proximis vitæ pericula, vitæ nostræ periculo avertimus, spes esse aliqua potest, illos ita servari posse, ut nos evadamus: quæ spes quoties nos fallit, & mors ipsa certò subeunda sit, non mirum est nos in præstando ipsis defensionis officio perseverare, quia receptus è periculo jam est nobis præclusus. At quoties cum possimus vitam nostram cum vitæ inimici discrimine servare, mori certò malumus, quàm eum periclitari; & principio statim nullam evadendi spem nobis polliceri possumus; & in ipso appropinquantis mortis articulo, longe majorem nobis vim inferre cogimur, in dimittenda ultrò vitæ usurâ, (quam servare in manu nostra est;) quàm inferremus si illius servandæ nulla esset potestas. Neque verò quisquam per ejusmodi demonstrationem, vel minimum de summo Christi in nos beneficio; quod in morte sua humano generi præstitit, decerpi aut delibari putet; quod is (ut ait Vir Bonus) se perdi passus, sit ne nos aliunde perderemur. Nam is ad istud beneficii genus, illud quoque alterum quod nos anteponimus Caritatis specimen addidit, quod cum posset inimicos suos perdendo, imo etiam non perdendo, semetipsum servare; perdi se ab ipsis passus fuerit. Proinde jugulum nostrum inimico hauriendum præbere, ne is à nobis in vitæ periculum adducatur; est non modo vitam pro eo ponere; sed etiam in vita ponenda longè majus & difficilius caritatis erga eum & beneficii specimen edere, quàm si eundem à periculo aliunde imminente; nostri capitis discrimine aut impendio eriperemus.

Locum *Philip.* 11. ex professo nobis explicandum non sumpsimus; quia eum ad propositam materiam nihil facere ostendimus, etiamsi eo modo explicaretur, qui causæ nostræ longè magis adversatur, quàm is quem Vir Bonus adhibet. Magis enim ex eo sequitur, inimici vitam quàm nostram pluris æstimandam; si censeamus eam revera, quàm nos præstantiorem esse, quàm si id non censeamus: sed tantum in externis actionibus ita nos geramus; quemadmodum inferiores erga superiores gerunt. Quod facere omnes bene morati in civili conversatione solent; nec tamen idcirco ad ponendam pro inimico, aut amico animam, obligatos se credunt. Itaque allata à Viro Bono explicatio, tantum abest ut causam nostram magis quàm altera urgeat; ut ipsi longe magis quàm altera faveat.

Non tamen nos, aut explicationi quam examinavimus, planè assensos; aut huic quam Vir Bonus affert prorsus adversos fuisse; verba nostra documento sunt; quibus non modo asseruimus sed etiam probavimus, huic excellentiori aliorum præ nobis æstimationi; quam hic Apostolus inculcare videtur non modò inter alienos, sed ne inter Fratres quidem perpetuò locum esse posse. Unde sequitur nos etiam tunc sensisse, verba ejus non in eo sensu præcisè, quem prima fronte præ se ferre videntur, accipienda esse; nec istum explicandi modum quem nunc Vir Bonus affert plane excludendum. Sed ut nos hanc à Viro Bono allatam explicandi rationem penitus non rejicimus; ita ne Vir Bonus quidem illam sono & cortici verborum propiorem, omni ex parte meritò rejecerit: cum utraque aptè conciliari & connecti non modo possit: sed debeat quoque. Humilitatem enim & modestiam in genere præcipit Apostolus, cujus prima & potior pars est, reipsa in eam potius partem inclinare; ut in æstimatione donorum aut gratiæ Dei, quoad ejus fieri potest, pluris alios quàm nos faciamus; quia quantacumque præ aliis dona habeamus; tamen nobis indignitatis nostræ semper conscii sumus: at quo loco quis sit apud Deum non semper scire possumus. Quod tamen quia non semper locum habere potest: supereſt altera ejusdem humilitatis pars, erga eos, quos reipsa pluris quàm nos æstimare non possumus, in externis actionibus ita se gerere, quasi eos revera pluris quàm nos æstimemus; quod nec ipsum ita universale est, ut ad omnes externas actiones; præsertim ubi de dimissione aut retentione juris sui; præcipuè in rebus Capitalibus, imò & ipsa defensione veritatis (de qua præcipuè in loco proposito sermo est) agitur; protendi possit ac debeat. Nam in externis actionibus, si nos semper tanquam inferiores simus gerere debemus, semper aliis cedendum est. Atqui Apostolus sese fatis fratribus ne ad tempus quidem cessisse per subjectionem gloriatur. *Galat.* 11. Utrumque istorum humilitatis officiorum *Phil.* 11. comprehendi; vel ex eo planum fieri potest; quod ad scopum Apostoli cujus gratia virtutem hanc inculcat, hoc est, ut fratres omnes unanimes sint & idem sentiant: longè plus confert, prioris generis officium, quàm posterioris; quamvis nec istud inutile sit. Non igitur verisimile est, illud à sensu verborum istorum excludi.

Versum tertium loci *Philip.* 11. exemplo Christi illustrari posse, hoc est, allatum Christi exemplum ad commendandam humilitatem quæ *versu* 3. præcipitur accommodari suo modo posse, nequaquam negavimus. Sed tantum diximus, non sine causa exemplum hoc, non versui tertio: sed quarto subjici ne quis putet unicam occasionem hujus exempli afferendi, versum esse tertium & non potius quartum, (cui proximè subjicitur, & egregie quadrat) atque inde deducat humilitatis officium esse animam pro indignissimis hominibus ponere; quia Christus se humiliavit & animam pro indignissimis hominibus posuit; quæ argumentatio quia est ex puris particularibus plus habet in conclusione quàm in præmissis. Quamvis enim Christus in suscipienda morte sese humiliaverit; tamen quod animam pro indignissimis hominibus posuerit; non ex virtutis istius, quę alioqui in eo eximiè eluxit, profectum est; sed ex vi Caritatis erga universum humanum genus & præcipuè erga ipsum Deum, cujus speciali consilio, & expressæ voluntati libenter obsecutus est. At qui exemplo Christi humiles esse jubentur: tunc, cum animæ pro indignissimus hominibus ponendæ occasio offertur; neque Caritatis erga universum humanum genus exercendæ copiam habent; in suscipienda ejusmodi morte, quæ communi bono potius obesse quàm prodesse potest: neque ullo speciali Dei mandato ad eam suscipiendam obstringuntur. Proinde minùs aptè, ex eo quod Christus hominibus indignissimis & capitalibus inimicis sese occidendum præbuit, colligit Vir Bonus, quòd nos quoque exemplo ejus, tanquam indigniores, inimicis & indignis, tanquam dignioribus, occidendos nos præbere teneamur. Nam nec Christus in suscipienda morte, inimicos tanquam digniores patientia sua honoravit; quod ridiculum est; & cum ab inimicis de capite periclitamur non tunc honoris aut dignitatis sed ultimæ necessitatis certamen est: denique causas quæ Christum ad suscipiendam pro indignis mortem impulerunt nobis tunc deesse manifestum est cum aut certò occumbendi; aut cum periculo indignissimi hominis, vitæ defendendæ optio offertur. Est igitur in argumentatione Viri Boni fallacia, aut Causæ non causæ, quod animæ pro indignissimis ponendæ, eam putet sufficientem causam, quæ non est, puta imperatam nobis humilitatem: aut, ut alii malunt Accidentis, quod nobis anima pro indignis ponenda sit; quia Christus qui nobis ad imitandum proponitur; pro indignis mortuus est; quod respectu eorum in quibus per se imitari Dominum jussi sumus, per accidens evenit; ob causas ipsi Christo peculiares quibus nos destituimur. Idcirco non modo, prædicatum minoris, per accidens & præter naturam subjecti;

subjecti; subjecto convenit ac de illo dicitur: sed & Major nonnisi limitate vera est; quod in hac fallacia perpetuò accidere solet. Talis enim est Viri Boni argumentatio. Quicquid Christus qui nobis præcipuè in humilitate imitandus est, fecit; nos quoque facere debemus. Christus animam suam pro indignissimis posuit. Ergo nos quoque animam pro indignis, ponere debemus. Quod autem negat se argumentatione sua concludere quòd pro inimicis & indignissimis animam ponere debeamus, id quale sit, suprà vidimus Sed si nihil plus evincere conatur; quàm quòd non debeamus quenquam adeò vilem arbitrari, & infrà nos ponere, ut eum occidere rem levem putemus; facit sibi adversarium quem non habet & vacuum aerem verberat. Nec enim quenquam putamus humani sanguinis tàm prodigam qui contrarium sentiat; & ab opinione tàm pravâ persuasione Viri Boni abstrahendus sit.

Fatetur mox Christi factum esse alioqui Inimitabile. Sed tamen eum in iis imitandum in quibus est imitabilis. Quid aliud nos dicimus? Sed argumentum adversus nos allatum non procedit; nisi is qui pro exemplo proponitur in omnibus si imitandus.

Verum, inquit, factum Christi imitabile esse; ideoque imitandum tunc, cum par est quodammodo moriendi causa, hoc est, si morte nostra inimicos nostros possimus ab æterna morte liberare. Homines absque suomet interventu suaque opera (quia ita Deus voluit) ab æterno exitio liberari nequeunt. Potest tamen alicui hominum aut pluribus, aliena mors, auxilium insigne ad acquisitionem æterni boni conferre. Sed si id interdum, nostra quoque morte fieri possit; non idcirco tunc ullo modo nobis par erit moriendi causa; atque Christo fuit. Christus enim, non uni aut paucis hominibus, sed toti humano generi morte sua profuturus erat. Deinde mors ejus quia statim consecuturam resurrectionem & glorificationem & miraculosas utriusque confirmationes comites habitura erat (quod ad utilitatem humano generi afferendam attinet) incomparabili emolumento reliquorum omnium mortes superat; quæ tantum auxilii hominibus ad fidem eorum confirmandam, afferre, nullo modo possunt. Immenso igitur interuallo graviores & urgentiores stimulos, mortis in gratiam indignorum hominum suscipiendæ Christus habuit, quàm reliqui omnes habere possunt: nec par est ullo modo utrobique moriendi causa. Impossibilis igitur est conditio quàm requirit Vir Bonus ad id ut mori pro indignissimis hominibus debeamus. Denique quòd Christus propter utilitatem aliorum, non sua, sed quæ aliorum sunt quærendo, sese formâ Dei exuit: cuicunque id virtuti ejus tribuatur; multum sanè facit ad persuadendam nobis humilitatem ac nostri juris dimissionem, concordiæ & unanimitatis matrem, quas Virtutes hoc loco Apostolus Philippensibus commendat & inculcat. Sed quod animam pro indignis posuit, nullam habet vim ad inferendum nobis quoque animas pro indignissimis ponendas; aut propter eorum utilitatem semper moriendum; quia nunquam pares pro iis moriendi causas habere possumus, atque Christus habuit. Neque id hoc loco Apostolus efficere vult, neque in ea actione Christum nobis ad imitandum proponit.

Verba Sacræ Scripturæ generalia; sine necessitate non esse restringenda, ultrò urgemus, & in eo Virum Bonum reprehendimus, quod hoc loco præceptum humilitatis ad illam ejus partem solam restringat; quæ efficit non ut revera pluris alios, quàm nos faciamus, sed ut in externis actionibus erga eos, ita nos geramus, tanquam à nobis pluris fierent. Utraque enim pars virtutis hujus ex mente Apostoli exercenda est; sed tunc cum ipsius locus est aut occasio.

Rogat postea unde colligamus modestiæ Christi imitationem, tantum in iis locum habere injuriis quæ religionis ergò inferantur. Atqui nos rogamus unde ipse colligat, nos ea restrictione uticum in verbis nostris nullum ejus extet vestigium. Nec enim aliud diximus, quam si exemplum Christi in morte subeunda imitandum sit, posse nos obsequium ejus in subeundis martyriis imitari, ne quis existimaret, non aliter nos factum istud Christi imitari posse; quàm si pro indignissimis animas ponamus quoties ejus rei occasio occurrit: atque eadem opera Martyrii decus ab ignobiliori patientiæ genere, dutunximus. Cæterum nos patientiam Christianam ad solas ob religionem illatas persecutiones perferendas non adstringimus, & in aliis quoque injuriis tolerandis Virtutis ac modestiæ Christianæ specimina edi posse ac interdum omninò debere; non negamus sed tunc quoties earum virtutum vera occasio occurrit.

Inter eos Politicos qui Mundum Christo conciliare, eumque ad Christi cognitionem ac veritatem pertrahere vellent; nomen nostrum non gravatim profitemur. Vitia verò & corruptelas Mundi, si qui Politicorum cum Christiana sanctimonia commiscere volunt, ab iis longiùs certè absumus, quàm Vir Bonus ab eo hominum genere: quod convulsis Ordinationibus Dei, Ecclesiæ & bonis omnibus horribilem confusionem introducere nititur.

Patientiam in malis à Deo sive immediatè sive per homines immissis; aut permissu ejus incidentibus, necessariam & laude dignam censemus; ejusque virtutis admiricula quominus homines à Christi exemplo petant, neminem prohibemus, ut mirum sit quamobrem Vir Bonus in ejusmodi communibus locis tot verba consumpserit; nisi quia defensæ à nobis Veritati, quod opponeret non habuisset, si alienas & extra controversiam sitas quæstiones non attigisset. In quibus copiosè pertractandis capitalem nobis infert injuriam. Quotusquisque enim Lectorum erit qui nos ea sentire non existimet, quæ tanto apparatu oppugnantur?

Nec tacitis tantum sed & apertis insimulationibus nos appetit. Ait enim *nos eò tandem absurditatis delabi, ut ubi possimus; alias in Religionis causa persequi velimus.* Unde vero id colligit? *Quia*, inquit, *si viribus sufficientibus Christiani succincti sint; nec à Magistratu suo vexentur, patientiam adhiberi vetamus.* Quid attinet verbis ambiguis Lectori tenebras offundere? Simplicius nostram sententiam exprimere debuit Vir Bonus his verbis. *Si quis, qui in nos nihil juris habeat libertatem colendi Dei nobis eripere contendat, nos autem eam legitimo modo defendere possimus, nulla patientiæ obligatione nos obstringi ut eam nobis eripi sinamus.* Id nos sentimus, neque nos ejus sententiæ pudet aut pœnitet. Quod ad sufficientes vires attinet; nos non in viribus, sed in jure æquitatem defensionis omnis collocamus. Proinde si quando libertas nostra defendenda sit; non satis est, vires nobis non deesse; nisi jus quoque defendendi adsit: quod evenit, quoties nullo subjectionis jure cuiquam obstricti, vim nobis injustè illatam, salvo inculpatæ tutelæ moderamine repellere possumus. Sed, an ex eo, quòd vim nobis injustè illatam legitimè propulsare liceat; sequitur, nos aliis vim injustissimam (qualis est religionis causa aliquem persequi) legitimè inferre posse?

Ait enim, *eum illatam ob religionem vim repellimus: religionis causa invasores persequimur.* Nos verò ejusmodi homines, non religionis eorum, sed eorum nequitiæ & injustitiæ causâ, repellimus potiùs quàm persequimur: nec religionem nostram, quæ armis nostris non indiget; sed libertatem quæ indiget, defendimus; & vanas atque captiosas insimulantium nos cavillationes non moramur.

Pergit in falsa nostri criminatione contrà nominis sui indolem Vir Bonus, & objicit nobis quod omnem aliam, præter eam quæ sit ob religionem, patientiam, præsertim autem illam à necandis inimicis abstinentiam cum eo prorsus vitæ discrimine conjunctam, quæ sit ob Dei Christique & humani sanguinis reverentiam, ignobilem se suosque prodendi patientiam vocemus; eique infamem timiditatis & ignaviæ notam inuramus. Resp. Nos omni, præter martyrii patientiæ (quamvis eam martyriis ignobiliorem vocemus) ignaviæ notam non inurere, ver-

ba nostra indicant, dum dicimus *eam ex animo timido proficiscì posse ac sæpe solere.* Unde patet nos non inficiari quod aliquando etiam non ex ignavo sed forti animo proficiscatur. Deinde illam à necandis inimicis abstinentiam, pro ut hic à Viro Bono describitur, quando verè ob Dei Christique reverentiam fit; neque ignobilem neque ignavam dici posse censemus. Sed hanc timiditatis & reprehensionis maculam; penes eam tantum patientiam relinquimus, quam Vir Bonus aliquando, ab hominibus vitiosè exerceri fatetur. Vanus igitur labor est, quem Vir Bonus in commendatione hujus quam nos non reprehendimus patientiæ suscipit; cum eam quam reprehendimus suopte suffragio damnet. Nec nos simpliciter istam, etiam legitimam, se suaque hostibus prodendi patientiam, sed comparatè ad martyriorum laudem collatam, extenuavimus; ostendentes longè majorem Dei gloriam & hominum ædificationem ex istis, quàm ex illa proficiscì posse: cum Martyria (de veris loquimur, quæ vanæ gloriæ causæ suscipi unquam posse, falsò Vir Bonus asserit) semper laudabile virtutis specimen exhibeant, at de ejusmodi patientia non semper constet, quo animo exerceatur. Quò fit ut causa quoque perpessionis hujus licet optima & martyriis proxima esse possit; quia tamen est occultior & magis ambigua; tantum quantum ipsa martyria, ad Dei gloriam & hominum ædificationem conferre non possit.

Facilitas ex malis sese expediendi magnum adfert momentum ad martyriorum decus, alteri patientiæ generi præponendum. Nam qui nullo negotio sese à perpessione martyrii expedire posset; & tamen propter obsequium Dei sese expedire non vult, quicquid patitur sponte ac liberè patitur; tantoque laude dignior videtur. At qui difficilius è malis explicare se potest; invitus magis & quasi coactus patitur, quod de virtutis laude aliquid delibat. Difficilius autem is se ex malis explicare potest, cujus ratio expediendæ Salutis habet aliquid periculi: quàm is cui suppetit modus nihil habens discriminis. Quod accidit in martyriis: Cum in defensione adversus inimicum etiamsi is inferior viribus videatur, (hominibus præsertim timidis) magnum non desit periculum. Neque enim novum est robustiores etiam ab infirmioribus, sed audacioribus occidi.

Reliqua quæ in hoc capite verbosè tractantur, nihil adversus nos faciunt. Nisi quod ad illam quæstionem Viro Bono respondendum est, quâ rogat, quid causæ sit, quòd qui interdictum de non scortando, in periculo vitæ timet violare laude dignus sit: is autem qui interdictum de non occidendo, non malefaciendo inimicis, in simili discrimine transilire non audeat, vituperandus sit. Respondemus nihil esse causæ quominus uterque laude dignus sit Nec posterior ullo modo vituperandus est, nisi forte interdicta ista latius protendat, quàm extenduntur. Nec enim interdictum de non occidendo non malefaciendo &c. protendi potest ad legitimæ defensionis moderamen præcipuè in quâ neque occidendi, neque nocendi, sed servandi nostri animo vitam nostram urgente necessitate defendimus.

CAP. XI.

QUam inani in ipso Capitis limine, fiduciâ, Vir Bonus, exultet; Lectori ut planum fiat; dabitur à nobis opera in ulteriori disputationis progressu. Sed primum intrà præfixos mutuæ dissertationi terminos coërcendus est: quam in duas quæstiones non frustrà dispescuimus. Prima est, an eos mortis supplicio afficere liceat; de quibus quod perditæ spei sint non semper constare potest. Nam de iis quibus cum hoc vitâ; æterna quoque eripitur, posterius viderimus.

Nos igitur prius illud licere interdum contendimus, quia ejusmodi lenitati & charitati Christianæ, quæ linum fumigans non extinguit, & arundinem quassatam non confringit, non semper locus est, præcipuè in regimine Rerumpublicarum, hoc est, tunc cum boni publici necessitas urget, ut singulorum sanabilitatis non habeatur ratio: idque tàm evidenti ratione adstruximus ut Vir B. ultrò fateatur sine *ejusmodi rigore Respublicas non posse regi: imò Rectores ac Summos Magistratus nec posse nec debere rationem habere singulorum; cum id publici boni ratio requirit.* Sed id adversus nos retorquet, & ait, *hinc patere quanta sit inter officia hominum Christianorum; & officia regendæ Reipublicæ terrenæ differentia; ita ut in unum hominem cadere non possint.*

At nos contraria officia in unum hominem cadere non posse, secundum idem & eodem tempore largiemur. Sed eadem secundum diversos respectus & tempora sumpta, neque contraria esse, & in unum subjectum cadere posse vel pueri sciunt qui primis labris Logica rudimenta attigêre. Lenitate & clementia uti illic, ubi ipsi locus atque tempus sit, non est contrarium severitati, quæ adhibetur, ubi & quando lenitati & clementiæ locus nullus est ideò, utrumque officium in unum eundemque hominem cadere potest.

At enim Lenitati & clementiæ semper locum esse & potest & debet. Atqui necesse debet, ubi esse non potest; Nec semper esse posse vel inde ostenditur, quod alienas injurias Magistratui, præsertim qui superiorem agnoscat condonare non liceat.

At enim dicet *in extrancis quidem huic lenitati locum non semper esse: verùm in Christianis semper esse posse, & esse debere.*

Quodnam verò virtus hæc; præ aliis omnibus privilegium habeat ut ipsi perpetuò locus esse possit ac debeat; cum nulla alia caterarum sit, cui perpetuò locus esse possit; & cujus actionem suspendere aut etiam contraria actione interjungere non liceat, aut non sit necesse? Quid præstantius est amore erga Deum, in cujus gratiam vitam nostram, officiis quæ cultui ejus & gloriæ propagandæ inserviunt, consecratam profundere tenemur. Idcircone istis officiis, sine ulla alterna requie, etiam tunc cum sine vitæ & valetudinis dispendio continuari nequeunt, incumbemus? Atqui Deus ita se amari non vult; & ratio reclamat quoties aliquis, id quod libenter facit dat operam ne diu facere possit. Est igitur tempus, quod vitam propter officium caritatis erga Deum negligi requirit; sed nec illud deest, quod idem officium omitti propter vitam postulat: Et hæc quamvis contraria videantur; quia diversis temporibus & circumstantiis affixa sunt, non pugnant invicem, sed in unum hominem cadere possunt. Quid perfectius est illo virtutis genere, quo parentes aut uxores odisse vel negligere propter Christum jubemur? Itaque videmus alicubi officiis erga istas necessitudines, propter officia Christo debita locum non esse. Et tamen alicubi officia sibi debita, propter ea quæ debentur parentibus Christus vult omitti. Quis enim neget Christo deberi, ut quis ex eo quod ipsi suppetit, in ea quæ Ecclesiæ ipsius propagandæ faciunt, sumptum faciat? Et tamen id Dominus fieri non vult, cum id absque parentum in egestate relictorum neglectu atq; injuria fieri nequit. Obedire Deo jussi sumus: obedire & Magistratibus, etiamsi sint impii & hostes Dei. Atqui tam adversis Dominis servire videtur in unum hominem cadere non posse. Et profectò non cadit, si obsequium istud, quoad Magistratus, universaliter intelligatur. Sed istis obtemperandum est, quamdiu non imperant, quæ Deus prohibet; aut non prohibent quæ Deus imperat. Deo semper & absolutè parendum est. Sed is ea quæ honestè & laudabiliter à nobis fieri vult; non omni tempore nec ubique à nobis exigit, sed cum ejus rei legitima & competens occasio locus tempus occurrit. Lenitati igitur & clementiæ perfectissimæ locum esse voluit in regno filii sui, in quo benignissima potestate, populus ejus à Rege suo regitur per leges religionis. Atque istud ipsum lenitatis & clementiæ officium, quamvis ad omnes aliquomodo trahi possit; natura tamen suâ & principaliter, soli Regi nostro competit atque tribuitur, cui data est super nos potestas, ut ista lenitate & clementia uti possit Virtutes enim

enim istę, per se, ac propriè, sunt superioris & potestatem habentis; nec aliis qui sunt absque potestate tribui possunt; nisi per accidens, quatenus accidere potest ut & ipsis potestatis exercendæ super alios facultas & occasio aliquando competere possit. Tunc enim eorum quoque lenitati & clementiæ locus est, nisi aliquod gravius impedimentum interveniat; aut expressa Dei ordinatio eam excludat. Eandem clementiam atque lenitatem Deus ne à Regni quidem Mundani (præcipuè sub N.F.) gubernatione omni ex parte proscripsit; sed longè restrictiorem esse voluit; ut ipsi locus non sit; nisi quoties non pugnat cum bono publico populi. Qui cum in terris præmiorum & pœnarum exemplis quæ in omnium oculos incurrere debent, gubernetur, sæpe fit; ut illhic bonum singulorum, cum bono communi concurrere, & in eo casu illud huic cedere necesse sit. Quod quia in spirituali Regni Christi gubernatione non æquè contingit; ubi præmiorum & pœnarum distributio aut in futurum differtur; aut non semper nec æquè in omnium oculos incurrit, ideò illhic privata singulorum bona, cum publico hujus regni non æquè concurrunt. Ac proinde illic longè indulgentiori ac perfectiori Lenitati erga singulos, quàm in terris adhiberi possit, locus est.

At enim, inquit V.B. quia *lenitati huic perfectissimæ quæ in regno Christi locum habet; in regimine Rerumpub. sæpe locus non est, ob id ipsum à regimine illarum Christiani arcendi sunt.* Quamobrem verò? Quia ea virtute præditi esse debent. Non igitur quispiam alicujus virtutis habitu præditus esse potest; tametsi alicubi & aliquando, ob gravem causam & necessitatem; quando nimirum illius virtutis exercitio locus non est; actus ipsius suspendat aut omittat; aut etiam exigente id negotii natura contrarios actus exerceat? An ideò clementia exuitur quia interdum adhibetur severitas? An quoties aliquis in indignos beneficia conferre detrectat; aut etiam ab ingratis aufert; illico aliquid de ejus beneficentiæ laude deteritur? An aliquid de propagandæ veritatis officio remittitur; quando porcis margaritæ non objiciuntur? Nulla virtutum quæ nostra erga alios officia spectant, ea lege præcipitur; ut sine ulla exceptione omni tempore & loco etiam gravissimis causis obstantibus exercenda sit. Lenitatem & clementiam etiam erga sontes consectari, non aliter pulchrum & laudabile est; nisi id, sine injuriâ aliena, sine crudelitate in insontes, sine ingenti damno in universum populum redundante fieri possit. At non vocavit nos Christus ad Reipub. gubernationem. Ne ad matrimonium quidem aut alia honestissimæ vitæ genera. Satis est quod ea non prohibuit.

At normam gubernandæ Reip. in Evangelio non præscripsit. Quid opus erat specialem Reip. normam præscribere; cum nullam novam conderet sed veteres omnes confirmaret. Satis est, quod Apostolus generales leges Magistratui præscripsit; ut in eo gerendo homines sese, non suarum libidinum, sed Dei ministros, ad protegendos bonos & coërcendos malos constitutos esse intelligerent.

Non constituit nos, ait, *judices aut divisores patrimoniorum inter homines Mundanos; sed nos vocavit ad colendam perfectam charitatem.* Non igitur perfecta charitas coli potest, etiamsi quis lites decidat: aut dividat patrimonia? Rogo quid ista nive frigidius; quid glacie fragilius est?

Sed redeamus ad vim responsionis aut potius argumentationis ejus, (Nam qui retorquet argumentum ex Respondente opponens evadit) quæ in eo est, quod rigor qui in administranda Republica requiritur; conciliari nequeat; cum illo miti spiritu Christi; qui non perdi hominum animas sed servari postulat. Quo sensu ista perditio animarum in eo loco quem verba ista respiciunt, intelligi possit, suprà vidimus.

Sed largiamur naturam istius mitis spiritus Christi esse ut à perditione animarum præsertim sanabilium semper abhorreat. Tamen non ita abhorrere debet; ut eas etiam tunc servare contendat; quando eas Deus ipse perdi vult atque jubet; hoc est, ut eas tunc cum ordinatione Dei ad pœnam deposcuntur, servari tamen etiam cum malo publico omninò velit: ita ut si forte in Magistratu sit, potestatis non hos in usus sibi concessæ, violentiâ, supplicio eripiendos esse censeat, aut ne id faciat quod Deus fieri vult, Magistratum seu legitimè oblatum repudiet; sive jam susceptum deponat. Et profectò qui Christianę lenitatis & mansuetudinis perfectionem eousque extendunt; ut ea quoque damnent, aut iniquitatis vel inclementiæ arguant; quæ Dei ipsius nutu atque ordinatione fieri fatentur; Saulis exemplum egregiè imitantur, qui non putabat sese, clementiæ cujus specimen edere ambiebat, laudem cum obsequio Dei conciliare posse; ideoque dum benignior quàm ipse Deus videri cupit, ad inobedientiæ scopulum impegit. Quemadmodum autem is de clementiæ suæ (si qua in illo fuit) laude, nihil detraxisset, si Deo obsecutus fuisset, quia illa severitas parendi necessitate fuisset excusata; ita Christianus Magistratus, nihil de illa summæ lenitatis perfectione delibat, dū rigendo Remp. in pœnis sontium Deo ministrat; quia severitas quam exercet, non ex ipsius animi inclinatione aut habitu: sed ex ejus cujus minister est, voluntate proficiscitur; quod ipse V.B. fatetur, dum ait Magistratus quia sunt *ministri iræ Dei, non posse, nec debere sine isto rigore officium sibi impositum exequi: quia Deus illud ordinavit cum tali rigore, siquidem Mundus aliter conservari nequit.* Sed hoc effugiū commentus est, *Deum nolle id officium à Christianis exerceri, quia eos iræ suę ministros esse nolit, qui ad summam Caritatem & mansuetudinem vocati sint. Quæ duo frontibus adversis pugnantia; conciliari à nobis non posse, quantumcunque sudoris profundamus, magnæ confidentiâ gloriatur.* Quid si, absque ullius laboris contentione id præstare liceat; quorsum evadet Viri Boni jactantia? Certè nos primum in allato Saulis exemplo, illibatam clementiæ laudem, cum ea severitate quam imperio Dei exequi jussus erat, paruisset, in eodem homine conciliari potuisse; satis levi brachio, sine ulla sudorifici laboris molestiâ, ostendimus. Deinde quid in iis conciliandis laborare attinet, quę inter se nullo modo pugnant; nec unum tollit, alterum? Non pugnant autem quę in diversis subjectis reperiuntur. Nam lenitas illa summa, quæ mitis Christi Spiritus Viro Bono dicitur, in animo Christiani hominis est; ibique perpetuo & quasi ordinariè tanquam in sede suâ habitat; & quoties ipsi locus est in agendo se exerit tanquam habitus, qui mentem nostram perficit ac delectat. At rigor ille atque severitas, quæ sanabilitatis hominum rationem habere non potest; in legibus est, quæ voluntate Dei & boni publici necessitate exercentur. Quę adventitia severitas non magis in hominibus habitum, quàm in ipso Deo insitam clementiæ & misericordię proprietatem excludit; & animos Christianorum per se ipsa non delectat, nisi quatenus accidit ut eam imperii Dei & publica utilitas commendet.

Ecquid in iis rebus conciliandis, laboris exantlandum fuit; qui vel minimum sudorem ciere potuerit? Non esse igitur hæc frontibus adversis ita pugnantia; quominùs in Christianis unâ locum habere queant ostendimus.

Nunc inquiramus an & quamobrem Christianos Deus nunquam iræ suæ ministros esse velit? Nam ad fidem rei tàm paradoxæ faciendam, Scripturæ testimonio, aut Ratione opus fuit. Testimonium nullum affert. Rationem, quæ ex rerum pugnantium oppositione petitur; jam refutavimus. Quid igitur est, quamobrem id quod asserit verum esse censeamus? Estne aliquid in Dei affectionibus aut actionibus, quod Christianorum sanctimoniam polluere possit? Non ignoramus Deum etiam pessimorum ministerio in Decretis suis exequendis frequenter uti; interdum eos etiam ad ejusmodi ministeria eligere. Ideo temere se iis ingenere aut intrudere fas non est. Sæpe enim Deus non modò rem ipsam; sed & modum rei decernit. Sed si quis ad Magistratum legitime vocatus sit, idcircone officium hoc aut repudiare aut deponere debet, quia in eo ministerium Deo præstandum est? An non hæc in ipsum Deum redundat injuria; quoties mortales ranunculæ, quando ipsis aliquid de pietate coaxare libuit, opinione sanctimoniæ sese ita inflare audent; ut se

ministerio Dei contaminari censeant, nisi illud Saulis exemplo detrectent? Qui sunt isti, qui sine expresso & speciali Dei interdicto; ordinariis ejus obsequiis refragari non verentur? Scilicet Deus ad pœnas hominum nonnisi malis Geniis, aut improbis hominibus utitur! At quorum ministerio Sodomæ excidium, pestem in Davidis populos stragem in castris Assyriorum patravit? Annon per Christum olim impios homines & spiritus æterno supplicio afficiet! An Ecclesia ipsa quoque in puniendis & à piorum cœtu proscribendis ac Satanæ tradendis peccatoribus, iræ Dei ministra non est?

At eos qui *erga universam humanum genus tenerrimo summæ caritatis affectu debent esse imbuti, non decet iræ Dei ministeria obire.* Imo verò formidabilem iræ Dei gladium quo sontes morte plectantur; cujus potissimum potestati committi deceat; quam eorum qui propter insitam animo benignitatem, ipso abuti nequeunt? Interest profecto omnium hominum cujus manibus tam anceps gladius concredatur: & viderint quomodo de humano genere mereantur; qui solis truculentis aut divinæ voluntatis incuriosis hominibus eum tradunt; & propter inanissima quæ modo refutavimus commenta, beatissimo rerum statu in quo optimi mortalium ad gubernacula gentium sedeant, omnes Respublicas & populos defraudant.

At enim in ordinationibus Dei circa Magistratus, sanabilium rationem non haberi linum fumigans extingui, arundinem quassatam confringi queruntur. Liceat nobis hic in defensione Magistratus causam Dei agere, quia per ipsius latus Deus ipse petitur. Estne aliquid in hoc vili & fragili luto, cui Deus auræ suæ particulam inspiravit seu meriti, sive dignitatis, quapropter illud omninò in æternum servare debeat vel teneatur, si modo ullo modo sanabile sit, ac servari possit? Videmus certe tantam mortalium multitudinem, tot populos, tot gentes in ignorantia Dei interire, quot quot is ad voluntatis suæ cognitionem ex mera sua gratiâ, non admisit. Non igitur aliqui istorum sanabiles erant, & servari poterant? Annon istius eximiæ gratiæ per quam sanabilitatis hominum ratio habetur, privilegium, ad solum Christi populum pertinet, cui se Deus peculiari pacto per filium suum obstrinxit, & cui tàm benignum Regem dedit, qui linum fumigans extinguere & quassatam arundinem confringere nescit & prorsus ex eo quod ipsi Deus dedit, nihil perdere vult? Felicitatem populi Christi suo pretio parum æstimant; qui lenitatis hujus & clementiæ beneficium, ad quosvis alios, præter eos, qui verè ad eum pertinent, promiscuè porrigunt. Quamdiu igitur aliquis ad hunc populi pertinet, quamvis in cursu pietatis alioqui cespicet, ejus sanabilitatis rationem haberi æquum est, quia ejus Christus ipse rationem habet. Sed posteaquam homines capitalia & ipsis humanis legibus vetita scelera committere incipiunt: ipso facto privilegii hujus, quo populus Christi gaudet, jure excidunt; atque ut ipsorum sanabilitatis ratio habeatur, non merentur; nec aut Deus, aut ministri ejus, ad eam habendam obstricti sunt; nec accusari possunt, quoties ejus, tanquam rei incertissimæ, & ad terreni fori sui cognitionem non pertinentis rationem non habent, tunc præcipuè, cum certissimi boni publici, cujus ex professo custodiam gerant, potior ratio habenda est. Non peccat igitur Christianus quando in officio Magistratus Deo ministrat, quoties id sontium causâ non facit, quod non modo facere nullo jure obstrictus est; sed etiam non facere urgentissimi officii necessitate tenetur. Nec tamen ideo lenem Christi spiritum exuit; quoties ipsi ejusmodi clementiam, quam Christus in suo regno (cui absolutè præ est,) exercet: in ea potestate quæ ab alieno, puta Legum præscripto dependet, exercere integrum non est. Denique Deum in judiciis forensibus à Magistratibus rigorem puniendi exigere; ipse V. B. fatetur: ab iisdem verò ut hominum puniendorum sanabilitatis (quatenus sunt Magistratus) rationem habeant, non exigere; vel id ipsum documento est; quia capitalia judicia ab ejusmodi judicibus exerceri voluit, quibus aut nunquam, aut raro constare potest, utrum puniendi sanabiles sint, nec ne. Aut igitur Deus nullos unquam sontes ab hominibus plecti vult capitali supplicio; aut eorum quos ita puniri imperat sanabilitatis rationem haberi, non requirit. Quorum cum illud Vir Bonus non admittat; posterius agnoscere, vel invitus cogitur.

Atque hic Vir Bonus duo absurda quæ ex sententia sua fluere videntur, amoliri contendit.

Prius est Dei ordinationes sibi contrarias eodem tempore, introduci; alteram inter Christianos; alteram in mundo, ac respondet nihil in eo absurdi esse, quia istæ ordinationes in diversis subjectis constituuntur; altera videlicet in hominibus sanctis; altera in prophanis.

Fatemur contraria in diversis subjectis posita secum pugnare non posse. Neque enim hostes invicem confligere possunt, nisi sibi comminus admoti. Sed istæ ordinationes inter se mutuo pugnant, & una alteram perimit. Esse igitur eas simul, & in uno subjecto necesse est. Quamvis enim istud subjectum in quo sunt distingui posse videatur tamen revera, quod ad materiam præsentem attinet, idem est. Tam enim eos qui nunc prophani, quàm qui sancti sunt, Deus Christi mandatis obsequi & salvari vult. Nec potest alterutris ordinationes legibus Christi adversas imponere; quin aut eos servari omninò nolit, aut non per obsequium præceptorum Christi servare velit; quorum utrumque absurdum est.

Quod ad portationem arcæ fœderis antiqui attinet; Levitæ ac cæteræ tribus voluntate Dei ita erant distincta subjecta, ut nunquam verbi gratia Rubenenses Levitæ aut Levitæ evadere possent Rubenenses. Nec Deus tunc voluit reliquarum tribuum cives, in censum Levitarum admitti. Quo fiebat ut illæ contrariæ circa ministeria sacra ordinationes; nunquam secum pugnare potuerint. Sed nunc etiam prophani homines possunt evadere sancti; & Deus omnes sanctos esse vult atque imperat. Ergo quod ad obsequium & executionem ordinationum Dei attinet; omnes homines, saltem ad quos vox Evangelii pervenit, tanquam unum subjectum considerantur; nec potest uni parti hujus subjecti observatio alteri autem violatio legum Christi imperari aut ordinari absque manifestâ repugnantia.

Denique ut omnis cavillationis ansa præcidatur; nos dum istam contradictionem adversariis objicimus, de Christianis & obsequium Christi professis; non de alienis & prophanis loquimur. Quos inter cum tot à multis seculis fuerint & nunc sint magistratus, aut illi quia ordinatione Dei carebant, non fuêre nec sunt legitimi Magistratus; aut si ordinatione Dei impositum est ipsis officium rigoris capitalis exequendi: necesse est, ordinatione Dei Christianis, Christum professis & colentibus, impositum esse officium violationis legum Christi. Ita ordinatio Dei, ordinationem ejusdem Dei per Christum, violabit ac destruet in eodem subjecto, hoc est, in iisdem illis Christianis qui ad obsequium mandatorum Christi vocati sunt.

Alterum absurdorum, quæ amoliri contendit est. At quomodo Deo placere possunt duæ ordinationes; quarum una est secundum charitatem, altera charitati contraria. Respondet minus Deo placere eam quæ caritati repugnat, sed tamen suo modo placere; tanquam accommodatam scopo ejus, ut regnante in terris hominum licentia, Mundus tamen stare possit.

Atqui in objectione nostra non Bonum ac rectum, meliori ac rectiori sed simpliciter & absolutè Bonum Malo; rectum pravo opponitur; quorum non alterum magis alterum minus placere possit, aut debeat; sed alterum planè placere debeat; alterum placere omninò nec possit nec debeat. Quod enim secundum Caritatem fit, Deo non placere non potest. At actio charitati aut legibus Christi contraria; non minus placere solet; sed nullo modo placere potest Deo; quia illam æterno supplicio punit. Quomodo igitur id ordinare ac velle ut fiat potest, quod ipsi placere nullo modo potest? quomodo ipsi id placeret ullo modo potest; quod æterno supplicio vindicare decrevit?

decrevit? aut quo jure æterno supplicio puniet, quod ipse propter scopum & intentionem suam, ut videlicet Mundus stare possit, justit atque ordinavit, præsertim cum hujus ordinationis minister, ad eundem quem Deus proposuit scopum, actionē suam dirigat? Certe Christiani quos Deus propter violata Christi præcepta æterna morte puniet, non possunt dici Deo minus placentes; sed planè displicentes. Non igitur sese ab objectis difficultatibus expedivit V. B. sed magis involvit & intricavit. Nos autem summæ caritatis semper, (ubi ejus locus est) exercendæ habitum, cum ea severitate quæ ex speciali ordinatione Dei, interdum adhibenda est, propter diversarū circumstantiarum interventum, facillime conciliari posse evidenter ostendimus. Simul illud liquido planum fecimus, Magistratum civilem, qualiscunque ille sit, quia officium ejus ex ordinatione Dei, nonnisi hominibus impositum & commissum est; homines autem ad intima cordium, aut futurorum cognitionem, penetrare nequeunt; voluntate Dei non esse obstrictum, ut in puniendis sontibus semper omninò sanabilitatis eorum rationem habere teneatur.

His igitur in quibus totius causæ cardo vertitur, satis leviter pertractatis transit V. B. ad dissertationem de Excommunicatione; de qua plurima verba facit, & argumentum quoddam, sine quo causa nostra, stare potest quodq; ad illustrandam potius quam ad probandam sententiam nostram, attulimus, omnibus machinis oppugnare contendit. Quem laborem quia nullo tantæ operę pretio suscipit, breviter ad singula, quæ affert, respondebimus. Non igitur in pœnis Ecclesiæ, omninò ac simpliciter atque etiam semper, rationem salutis singulorum haberi negavimus; quod idcircò inani ac superfluo conatu operosè probat Vir Bonus: quia cum rationem diversitatis inter Ecclesiæ & Reipub. regimina adduximus; satis apertè id concessimus. Sed tantum secundum quid; & aliquando, & quidem longè aliter, quàm fieri solet in pœnis Magistratuum; quatenus videlicet & quando, ii qui sanabiles esse possunt & solent; imo verò quos sanabiles esse scimus; tamen ejus rei ratione non habita, à corpore Ecclesiæ avelluntur; & in ejusmodi statum conjiciuntur, in quo non audeant mori, cum tamen mori singulis vitæ suæ momentis possint. Frustrà igitur Vir B. differentias inter Ecclesiæ & Reipub. pœnas, anxiè ostendit; quas neque nos unquam in dubium vocavimus. Nisi quòd illa quam affert quod in excommunicatione, nemini pœnitentiæ tempus aut locus præcidatur, non est universè vera. Interdum enim, præsertim iis, quos ipse Vir Bonus ad agendam pœnitentiam, seu corrigendam vitam longiori tempore opus habere asserit, tempus istud atque occasio intercipitur; si quo casu paulò post decretum Excommunicationis pereant. Cujus tamen periculi ab Ecclesia non habetur ratio; quoties exempli aut gloriæ divinæ potior ratio habenda est.

Quæstionem An in capitis supplicio resipiscentiæ locus semper esse possit, decidi, causæ quam defendo nihil interest; quia suprà probavimus, Deum ab iis quos ejusmodi supplicia sumere voluit, non exigere ut neminem puniant, nisi quem certò sciant esse insanabilem. Illud magis ad causam pertinet, utrum functio Magistratus in sontibus capite plectēdis ita comparata sit, ut per se pœnitentiæ spatium præcidat. Quod meritò negavimus; & ostendimus hoc spatium per se non præcidi, nisi fortè propter latissimam culpam ejus, qui oblato sibi isto spatio, uti non vult: aut etiam ob contractos vitiorum habitus jam non potest; quod est ex accidenti. Et quanquam hoc spatium, non semper longum concedi possit ac soleat; tamen etiam brevius interdum ad resipiscentiam sufficere, Latronis exemplo & ipsius Socini confessione, probavimus. Quibus sanè tibicinibus, non causa nostra, quæ aliis ut vidimus fundamentis innixa est; sed assertio quam ad illustrandam sententiam nostram attulimus, fulcitur: & quidem non miseris aut fragilibus, sed firmis ac validis. Quid enim firmius est ad ostendēdum posse aliquid fieri; quàm exemplo planum facere, quod id jam factum sit: & quod validius in adversarium telum est, quàm ipsius confessio.

At enim nostris telis in nos pugnare vult V. B. Quænam illa sunt? Primum quia probavimus nec posse, nec debere judices habere rationem sanabilitatis singulorum sontium; id telum in nos retorquet, ostendens inde *consequi, non eorum curâ & providentiâ fieri, sed casu mero & ex accidenti, si quos sontes in æternum non perdant.* Atqui hoc telo adversus nos pugnare non potest, quia illud inscienter arripit, deceptus fallacia quam vocant A dicto secundum quid &c. Nec enim nos simpliciter asseruimus Non posse nec debere judices habere rationem sanabilitatis sontium; sed secundum quid, quatenus sunt Judices, qui neque si finem hunc intendere velint, cum semper assequi possint; neque ut eum intendant, ex muneris sui officio obligentur. At quatenus sunt Christiana lenitate præditi, possunt & debent, omnia pro virili tentare quæ ad procurandam sontium resipiscentiam pertinent. In quo tametsi non semper scopum suum attingere possint; neque etiam id faciant ex muneris quod gerunt necessitate; tamen quoties id, quod volunt assequuntur, id non mero casui, sed eorum curæ & providentiæ tribuendum est.

Alterum nostrum telum est, Quosdam eorum qui supplicio afficiuntur, per resipiscentiam servari posse. Hoc dum in nos conjicere tentat, ridiculè paratragediatur, & aliquantum in nos invectus argumentum depromit sua opinione Invincibile. Quicunque, inquit, innocentem coràm Deo occidit & quidem destinatò, est crudelissimus homicida. Magistratus innocentem coràm Deo, (hoc est eum qui resipuit) destinatò occidit. Ergo Magistratus est crudelissimus homicida.

Quamobrem verò hoc argumentum V. B. invincibile autumat? An quia quatuor terminis, veluti quadrato agmine in nos incurrit? Atqui hæc figura in struenda acie syllogistica exposa est. Innocens coràm Deo, aut sumitur propriè & absolutè, pro eo, quem Deus ipse (qui res omnes ita ut in natura suâ verè sunt, certissima scientia comprehendit) scit esse innocentem; aut impropriè & secundum quid, pro eo, quem Deus quamvis nocentem & pœna dignum sciat: tamen, quoad illas pœnas quas ab ipso ex misericordia sua removet, tractat tanquam innocentem. Major igitur nisi in priori sensu sumatur, vera esse nullo modo potest. At minor in eodem sensu falsa est, nec nisi posteriori modo explicetur, admitti potest. Innocens impropriè dici potest David, quatenus ipsi remissæ sunt iniquitates; & inter alias adulterium homicidio cumulatum. Quis tamen illum post perpetratum tantum facinus quod jam infectum fieri non poterat, absolutè & propriè innocentem & pœna indignum dixerit? Quosdam eorum qui indignè mensæ Domini accubuere, properato obitu mulctatos Apostolus Auctor est: quos tamen alio modo innocentes hoc est justificandos & servandos esse, nihil repugnat. Grotium immeritò reprehendit quod dicat Deum posse aliquem in remittenda ipsi pœna æterna, tractare tanquam innocentem, & tamen eundem punire morte immatura tanquam nocentem; & ait Non valere hac in re, à Deo ad homines argumentationem. Imo verò à Deo tanquam à Causa principali, ad ministrum ejus Magistratum valet argumentatio. Quando enim Magistratus in puniendis sontibus legitimè officio fungitur, nihil aliud facit nisi quod ipsum Deus facere vult. Dei enim judiciorum ac voluntatis executor est. Non potest igitur Magistratui vitio verbi, quod Deo quoque ipsi vitio verti nequit, & qui Magistratum in Dei ministerio exequendo accusat, Deum ipsum accusat. Cujus severitatis (quamdiu videlicet legitimè & ex mente Dei *Rom.* XIII. explicatâ, exercetur) invidiam omnem Deus suscipit; atque ut ita dicam ex humeris Magistratuum, in seipsum deonerat.

Profert posteà Vir Bonus argumentum nostrum, cui in ejusmodi quam tractamus materia, annon potiùs elogium illud dari possit; quod ille argumento suo, opinione sua invincibili tribuit, Lector æquus judicabit. Ostendimus igitur æquum non esse ut ob tam

incertam ſpem quorundam hominum latiſſimâ culpa ſua, de æterna ſalute, cujus nullam unquam curam habuerunt, periclitantium, concedatur ſceleribus aut graſſanti violentiæ impunitas; atque adeò integri populi ac tot innocentes præſentiſſimo malorum, etiam æternæ ſalutis jacturam ſecum trahentium diluvio inundentur. Hujus argumenti ictum excipere, auſus non eſt Vir Bonus, ſed reſponſionis ſuæ clypeo diffiſus refilit à loco pugnæ & mutat quæſtionis ſtatum. In mutuo argumentorum conflictu quodnam eſt evidentius ſuccumbentis in certamine indicium; quam cum alter certantium, extrà aream duello præfinitam; ictuum quos ſuſtinere nequit, violentiâ expellitur? Quæſtionis præſentis, ſpecialis & proximus ſtatus erat; Utrum ideò quia fontes forte ſanabiles eſſe poſſint; ab eorum ſuppliciis ſemper ſit abſtinendum; (Unde poſtea per remotiorem conſequentiam Vir Bonus deduci poſſe ſperabat Chriſtianis à Magiſtratus functione abſtinendum.) Oſtendimus nos, interdum ne ob eam quidem cauſam eſſe abſtinendum; quia longè gravior ſit cauſa non abſtinendi, quàm abſtinendi. Illinc enim aut ſinguli, aut pauciſſimi fontes ſunt; atque hi ipſi indigni, quorum præ aliis dignioribus potior ratio habeatur; hinc integræ gentes atque innumeri inſontes, iique longe digniores, quorum præ fontibus potior ratio habeatur: illinc incertiſſima ſpes eſt ſanabilitatis; hinc certiſſima pernicies, æternæ quoque ſalutis multorum jacturam trahens, metuenda eſt. Vir Bonus cum adverſus tàm liquidam demonſtrationem ne hiſcere quidem poſſet, ad aliam remotiorem quæſtionem ſe recipit; quæ & ipſa agitatur quidem inter nos, ſed non iſto loco aut tempore; videlicet Utrum ad homines Chriſtianos officium Magiſtratus ullo modo pertineat. In quo ſane dupliciter peccat, primùm quia à proxima quæſtione ad remotiorem tranſilit: deinde quia craſſo & pingui Captionis genere evadere contendit.

Tranſilit ad remotiorem quæſtionem; quia iſto loco non id ſpecialiter & proximè quærebatur, an ad Chriſtianos officium Magiſtratus pertineat; quamvis id quoque inter nos controverſum ſit, & ad generalem lites noſtræ ſtatum ſpectet: ſed an actio iſta in qua interdum ſanabilitatis hominum ratio non habetur; ſit Caritati & ſanctimoniæ Chriſtianæ congrua. Oſtendimus igitur adeò eſſe congruam; ut interdum Chriſtianis ab ipſa abſtinere non ſit integrum: nec ab ea abſtinere poſſint niſi propter paucos & indignos fontes erga integros populos & innumeros inſontes iniqui atque injurii eſſe velint. Adverſus eam rationem ne mutire quidem audet Vir Bonus; ſed ad illud pingue & craſſum captionis genus confugit: dum tacitè concedit, eam curam in qua inſontium præ fontibus habetur ratio æquiſſimam eſſe, & ad Magiſtratum omninò pertinere; ſed apertè reponit officium Magiſtratus eamq; Curam protectionis inſontium ad Chriſtianos nullo modo pertinere. Atqui id quod reponit inter nos alibi vel maximè controverſum eſt. Non potuit igitur id, ſine turpi Petitionis principii paralogiſmo; ab adverſario locum pugnæ deſerente, quæri pro perfugio. Præſertim cum non demonſtratione ſed nuda aſſeveratione fulciatur. Niſi fortè id pro demonſtratione haberi velit, quod ait, Rem eam ad Chriſtianorum curam non pertinere, quia Deo curæ futura ſit. Quaſi verò id Chriſtianos curare aut non liceat, aut non deceat; aut interdum non ſit neceſſe, quod Deo quoque curæ ſit. Quid? an Deus curam Rerumpublicarum per ſe ipſe immediatè & non ordinariè, per homines exercet. *Atqui non per Chriſtianos*, ait. At ubi Chriſtiani excluſi ſunt? Cedo legem & interdictum! *Caritati*, inquit, *& ſanctimoniæ Chriſtianæ functio hæc repugnat, ideò Chriſtianis non convenit.* Quid ſi oſtendamus eam non repugnare, ut hoc loco fecimus, dum ſummam æquitatem & neceſſitatem; quam vel ipſa erga digniores caritas & benignitas nobis imponat; ejus functionis demonſtravimus? Ecce iterum Viro Bono, in promptu eſt faceta reſponſio; quòd *iſtius erga inſontes æquitatis & benignitatis Cura Chriſtianis habenda non ſit, quia officium Magiſtratus ad illos nullo modo pertineat.* Atqui id ipſum non aliunde colligebatur; quam ex iſtarum actionum iniquitate & inclementia, in quibus ſanabilitatis hominum ratio non habetur. Nos autem culpas iſtas ab eo actionum genere jam removimus. Videat benignus Lector, quos gyros & circulos faciant Viri Boni, uoi rationum pondere urgentur. Ubi ex præmiſſis concluſionem ſuam ſibi deduxiſſe viſi ſunt; poſteaquam præmiſſæ eorum evidenter falſitatis convincuntur; controverſæ concluſionis ſcuto ridicule ſe protegunt: & ex concluſione tanquam notiori præmiſſis fidem facere contendunt. Cum enim antea ex iniquitate & inclementia actionum iſtarum deducerent, ad Chriſtianos ejuſmodi functiones non pertinere; nunc ex eo quod ad Chriſtianos functiones iſtæ non pertineant; actionum iſtarum, ſi à Chriſtianis exerceantur, iniquitatem & inclementiam deducere conantur; quod & ridiculum & explodendum eſt.

Quod autem noſtra nobis verba reponere vult videri quemadmodum duo cum faciunt idem non eſt, idem: ita idem, quod diverſis temporibus ac locis dicitur, non eſt idem. Nos cum de Magiſtratus functione loqueremur, & incidiſſet quæſtio utrum is fontium ſanabilitatis rationem habere teneatur; meritò pronunciavimus; non debere homines nimium ſollicitos eſſe in eo officii genere quod ad eos nullo modo pertinet. Non enim ad Magiſtratum qua talis eſt, ea cura pertinet; ne quis omninò eorum, quos capite plectit, in æternum pereat: quamvis id muneri ejus non repugnet; quantum poteſt, eniti ne id accidat: ſed id efficere, neque ſemper eſt in ejus poteſtate, & planè extrà officium. At in ea optione, cum nobis Magiſtratu fungentibus, alterutrum faciendum eſt, ut, aut fontium aut inſontium ac Reipub. rationem habeamus; *immeritò ait Vir Bonus non debere nos ſollicitos eſſe in eo officii genere quod ad nos nullo modo pertinet.* Incumbit enim nobis anxia ejus rei cura, ut hoc officio, à Deo certis legibus impoſito, ritè & legitimè defungamur. Non potuimus enim niſi de iis Chriſtianis loqui, qui ad magiſtratum legitimè vocati ſunt. Nam alioqui fatemur plurimos eſſe Chriſtianorum ad quos ea Cura nullo modo pertineat. & qui in alienam meſſem falcem immittere, abſque reprehenſione non poſſunt. Non igitur evicit Vir Bonus pacis gladium cum caritatis regula non poſſe conſiſtere; non magis quam ſi quis odium illud, quo parentes Chriſti cauſa proſequi jubemur; cum Chriſtianâ erga eos obſervantiâ, & naturali affectu pugnare, contendat. Poſſunt iſta ſecum conciliari, ut & diverſorum graduum caritates ſibi interdum concedant; & illæſo affectus aut habitus alicujus officio, actus qui ipſi contrarii videntur, ob graviſſimam cauſam, puta voluntatem Dei intervenientem exerceantur. Quod ſi id de Pacis gladio non evicit; multò minus de gladio Belli, cujus tantò excuſabilior eſt uſus, quantò urgentior ſæpe neceſſitas.

Sed jam ad alteram partem quæſtionis accedamus; Utrum eum capitis ſupplicio afficere liceat; quem amiſſa vita præſenti; futuram quoque amiſſurum eſſe, ſeu certum, ſive veriſimile, aut etiam poſſibile ſit. Id nos licere Magiſtratui affirmamus. Nec Vir Bonus negat, ſed ab eo jure ſolos Chriſtianos excipit; quibus *videlicet contraria huic rei præcepta data ſint; quæ omittenda eſſent; ſi huic negotio manus & operam præbere deberent.*

At neque ulla Chriſtianis huic rei contraria præcepta data ſunt: neque ea quæ data ſunt omittenda ſunt, quoties ip ſi, huic negotio manus & operam ex officio ad quod legitimè vocati ſunt, admovent. Non data ſunt contraria præcepta huic rei; quia dari non potuere; cum hæc res nitatur ordinatione Dei. Aliàs (ut recte ait V. B.) voluntas Dei una per alteram; & ordinatio Dei, per ordinationem Dei everteretur. quod eſt abſurdum. Et iſtas ordinationes contrarias per diverſitatem ſubjectorum, conciliari non poſſe, ſuprà oſtendimus. Quæ vero præcepta data ſunt, hoc eſt, perfecta Caritas atque benignitas non omittuntur, quoties Magiſtratus Chriſtianus in

plectendis

plectendis sontibus Deo ministrat. Quia istarum virtutum habitus hominibus Christianis perpetuo inhærentes, & quoties earum locus atque occasio est, frequenter in actum erumpentes, non omittuntur tunc, cum interdum rariuscule ex legum forensium præscripto, & nutu Dei; actus severitatis exercentur illîc; ubi istis virtutibus locus non est. Non est autem illîc; ubi eum Deus esse noluit. Noluit autem illîc; ubi iræ suæ ab hominibus ministerium præstari voluit. Quemadmodum autem sordidus & illiberalis dici nequit; qui à liberalitate abstinet, ubi ipsi locus non est: ita & perfectæ caritatis & benignitatis expers haberi non potest; qui cum istas virtutes exerceat, isthic ubi licet, ab earum actibus abstinet, ubi eos exercere non licet. Nullam igitur causam habet Vir Bonus cur ab isto jure Christianos excipiat.

Dum autem dicimus facinus nefandum esse, si quis de industriâ vitam alicui æternam eripiat, de vitæ ereptione loquimur in eo sensu, qui, (ut ajunt) vitium includit. Quis enim nescit Deum per se, aut per alium quoque; vitam æternam iis qui id mereantur, meritò eripere posse? Sed in eo sensu qui verbis nostris subest, id ad omnes omninò porrigendum est; & Vir Bonus fallitur, qui id ad solos Christianos restringit. Neque enim gravissimi peccati aut injustitiæ expers est, sive paganus, sive Judæus sit; qui tantam cuiquam injuriam & noxam illegitimè infert.

Quod autem diximus illatæ mortis æternæ culpâ non teneri eum; cujus actionem seu licitam sive laudabilem etiam, æterna mors alicujus *alienâ culpâ* (non sunt eradendæ aut omittendæ in verbis nostris hæ duæ voculæ) interdum consequitur; quia ea istam actionem non per se, sed ex accidenti consequatur, rectè diximus & immeritò à Viro Bono carpitur. Falsò enim negat eam ex accidenti consequi; quia sine culpa agentis ob alienam culpam evenit. Quod enim non agentis voluntate aut vitio, sed aliena culpa interveniente accidit; quantum ad agentis præterea attinet, ex accidenti esse necesse est.

At enim, inquit, Necessariò unum consequitur alterum, hoc est, certò & inevitabiliter. In hac enim significatione hoc loco Vir Bonus vocem necessitatis accipit. Videtur Vir Bonus verborum ambiguitate aut ludere aut decipi. Ut enim id quod necessarium dicitur, aut absolutè & natura sua tale est: aut ex hypothesi: ita id quod Ex accidenti esse dicitur; aut absolutè & natura sua accidentarium est, aut relatè ad eam rem cujus respectu dicitur esse tale. Nos cum dicimus jacturam vitæ æternæ interdum capitale supplicium, sed ex accidenti consequi; vocem Accidentis posteriori sensu usurpamus; qui necessitatem quoque posteriori modo dictam non semper excludit. Innumera enim sunt quæ rem aliquam, eo loquendi modo ex accidenti consequi possunt; quæ tamen posita aliqua hypothesi, ex illa necessariò, hoc est, certò & infallibiliter; quanquam non absoluta necessitate profluant. Quid clarius est, quàm quod prædicationem Evangelii ignis discidiorum, ex accidenti consequatur; qui tamen, non quidem absoluta necessitate, sed posita hominum malitia & perversitate eam certò & infallibiliter consequitur.

Et mirum est sanè, cum Vir Bonus necessitatis vocem posteriori sensu sumi agnoscat atque ipse usurpet; quod vocem *Accidentis* in posteriori significatione dici posse non agnoscat; quæ ut ut cum necessitate absolutâ conciliari nequeat: at cum ea, quæ est ex hypothesi, sæpe unâ consistere potest. Potest enim factum Agentis aliquid, necessariò, hoc est, certò & inevitabiliter consequi; quod tamen tàm agentis, quàm ipsius actionis respectu, sit omninò ex accidenti, hoc est, quod tàm præter voluntatem agentis; quàm præter ipsius actionis naturam; per suppositam aliquam hypothesin eveniat. Cedò mihi Præfectum aliquem, cujus officium sit nocentes sibi oblatos in carcerem conjicere; qui ob insitam animo suo clementiam, neminem ex iis quos in custodiam accipit capitali supplicio plecti velit; atque etiam absolutioni omnium; enixa intercessione navet operam, etiam antequam in carcerem conjiciantur: & idem à supremi judicis benignitate promissum obtineat Salutis singulorum, dum modo oblatas sibi conditiones, præstare velint; æquissimas illas quidem, sed quas omnes repudiare possint; quidam verò, sed ob culpam suam & quidem latissimam non præstare possint. Quibus conditionibus fortè à nocentibus præstitis, singuli eorum secretum accepturi sint privilegium supplicii evadendi: post instauratum deinde judicium in quo causæ sontium è carcere eductorum, examinari; & ista privilegia inspici debeant. Quis non videt capitalis supplicii rigorem, quod ad eos attinet qui oblatas conditiones acceptare, aut nolint, aut non possint, conjectionem eorum in carcerem; necessario & inevitabiliter consequi & tamen eum supplicii rigorem, quoad factum præfecti intercessoris, hoc est, ipsam in carcerem conjectionem, esse planè ex accidenti, hoc est, tàm præter intercessoris mentem ac voluntatem; quam præter actionis ipsius, (absolute & in se consideratæ) naturam. Nec enim ex conjectione alicujus in carcerem per se & absolutè, hoc est, in natura sua consideratâ, sequitur omninò Capitis supplicium, cum innumeri ex vinculis causam dicentes, absolvantur. Nunc propositum exemplum lucis causa, ad præsentem quæstionem applicabimus. Præfectus iste benignus, est Christianus Magistratus. Nocentes ipsi oblati, sunt homines capitalia supplicia commeriti. Conjectio eorum in carcerem est damnatio ad mortem temporalem; quia ex isto carcere multi possunt evadere mortis æternæ supplicium. Supremus Judex cui ministrat Magistratus est Deus, à quo pius Magistratus, non qua Magistratus sed quà Christianus, spem ac promissum una cum aliis omnibus accipit æternæ Salutis nocentium, si oblatam sibi pœnitentiæ conditionem acceptârint. Quam etiam offert singulis. Sed eam aliqui sanabilium accipiunt; aliqui spernunt; aliqui etiam, hoc est, insanabiles, (sed ob culpam suam) præstare non possunt. Conjiciuntur tamen omnes, (quia ita meruerunt) in carcerem, hoc est, afficiuntur capitis supplicio; jussu & voluntate supremi Judicis, qui hoc sibi ministerium ob gravissimam causam & necessitatem, à Custodibus istius carceris temporalis, præstari vult, quod ipsi detrectare nequeunt. In quo carcere expectant omnes novum instaurandum judicium; in quo posteà à supremo Judice cognitio fiet, quinam eorum sint, æterna morte damnandi, aut absolvendi. Hinc patet quod æternam vitam cum præsenti ab eodem filo pendere, non diximus per se & necessitate absolutâ; sed ex accidenti, quia accidit, quod is qui erat in propinqua potentiâ consequendæ vitæ æternæ; producendæ lucis usurâ, ad corrigendam vitam indigeat; quod tamen non semper accidit; cum Vir Bonus fateatur, non deesse quibus expediat, dissolvi & esse cum Christo. Ergo qui in ministerio Dei filum vitæ alicujus incidit; non est causa ulterioris, qui mortem damnati sequitur effectus; nisi *per accidens*; aut certè (ut ambiguitatis in hac voce occasionem effugiamus) quocunque agnomine is causa hujus effectus dici possit, Non est in culpa hujus tàm tristis eventus: cum neque actionem istam salvo officio negligere potuerit: nec aut ex actionis ejus naturâ; aut ex voluntate ejus, sequatur hic eventus.

Quod ad exempla à nobis allata attinet.

Prius falsò alienum esse dicitur ob eam causam, quod feralia dissidia, non semper ex prædicatione Evangelii oriantur; vitæ autem æternæ jactura semper præsentis ademptionem sequatur. Nam & illa positâ malitia & perversitate hominum semper oriuntur: & vitæ æternæ jactura non semper, sed posita morientium malitia & culpa ademptionem vitæ præsentis sequatur.

In posteriori quamvis vox *Accidentis*; exemptioni sortis ex urna, priori quoque quem suprà exposuimus, sensu tribui possit; tamen ne posteriorem quidem excludit: & rem propositam magis illustrat. Quemadmodum enim id quod mero casu & fortuitò contingit; non potest dici Agentis effectus per se; sed per accidens; ita id quoque

quod non mero casu quidem sed tamen præter & agentis intentionem; & actionis naturam, contingit. Neque enim ad id ut aliquis effectus per se ex causa aliqua profluat satis est illum non mero casu contingere, sed requiritur ut ex intentione Agentis, aut ex actionis ipsius natura & ingenio prodeat. Temporalem igitur mortem per se à Judicibus inferri non negamus, quia ab iis intenditur, sed mortem æternam cum illa necessario vinculo conjunctam esse, negamus voce necessitatis propriè & absolutè, & quomodo eam priori sensu exposuimus sumpta: qui sensus ad convincendum objectæ culpæ Agentem, aut Judicem requiritur: quamvis negandum non sit, voce necessitatis posteriori sensu acceptâ id interdum certo & quasi necessariò contingere. Sed non ideò id definit esse ex accidenti, quia ob accidentariam hypothesin eventurum est certò & inevitabiliter.

Si quis felicitatem proximi ita vilipendat, ut ei de salute æterna periclitanti, cum possit, opitulari nolit, eum non excusamus. Sed Christianum Magistratum capite plectentem impios, excusamus eo nomine; quod cum ita pereuntibus opitulari velit per ministerii Deo debiti necessitatem non semper possit.

Scandala committentibus non patrocinamur; quia pœnam iis propositam scimus morte temporali tristiorem. Sed qui innoxios hujus supplicii pœnam non effugituros denunciant; satis ostendunt quanti æternam eorum salutem æstiment; aut quo erga eos animo sint, si in ipsorum causa judices sedeant. Nos quia crimen istud ipsiusmet Accusatoris suffragio suprà diluimus, plura pro innocentia nostra non dicemus. Tantum nobis gratulamur, quod in istius Cognitionis tribunali, non sedebunt judices tàm proni ad condemnandum; & qui in animabus insontium æterno supplicio addicendis nihil pensi habent; cum tamen ipsi, eo prætextu innoxios Magistratus crudelissimos homicidas vocare non vereantur. Unde colligimus periculum esse ne sanctiores & caritatis igne flagrantiores, sibi videantur, quàm sint.

Quod autem dicit Vir Bonus eum qui perit, per accidens perire à manu scandalosi eadem opera fatetur, eum quem hoc loco apellat scandalosum per accidens esse causam illius interitus pereuntis. Nec enim à causa alicujus per se ille idem effectus per accidens proficisci potest. & contrà.

Sed quia voces istas tàm licenter usurpat Vir Bonus, quasi eas non satis intelligeret, nos in iis omittendis difficiles non erimus. Quocunque igitur agnomine efficientiam istam apellet Vir Bonus; satis est nos demonstrasse Christianos Magistratus in plectendis sontibus esse extrà omnem culpam, illorum sempiterni interitus, quemadmodum Clementissimus ille, quem in exemplum proposuimus custodiæ præfectus, qui omnibus in carcerem suum conjiciendis vitam impetrare conatus est; extrà omnem culpam est, aliquorum supplicii quod avertere pro virili nitebatur; sed adversus ejus, cujus ipse in potestate fuit, voluntatem; vinctos carceris aditu arcere, aut à carcere liberare ante judicium non potuit. Quemadmodum autem ne mortem æternam evadere, ita ne vitam quoque corrigere possint impii; per accidens & sine culpa Magistratus, efficit capitis supplicium. Corrigere enim vitam potuerunt; dum ipsis corrigendæ tempus suppeteret. Nec magistratus culpa est, quod eam jam ultrà corrigere non possint, sed ipsorum. Culpa enim hæc, in eo est, quòd sint ante vitæ exitum, (quam longiùs producere non est in manu Magistratus) insanabiles. Nam sanabilium nemini Magistratus tempus ad pœnitentiam præcidit. Quod autem impii sint eo modo insanabiles, neque in culpa est Magistratus, sed ipsimet impii. Longè autem justius nos miramur, mirari Virum Bonum quod malimus id accidenti adscribere, si qui sontium ex occasione capitalis supplicii in æternum pereant: quàm si qui sontium capite plexorum serventur; cum videat effectum illum præter Agentis voluntatem & intentionem; hunc ex destinato ejus consilio & conatu, sequi.

II. Ad secundæ rationis nostræ refutationem respondendo dicimus. Esse quidem Christum propitiationem pro peccatis totius mundi; quia nullus homo, nulla gens, nullus ordo, ab aditu hujus felicitatis arcetur, dummodo ad istius gratiæ Dei notitiam pervenire possit, eamque prout par est, grato animo recipere velit. Sed non idcircò omnes omninò in propinqua hujus gratiæ consequendæ potentia sunt; ita ut dici possint id amittere, quod aut nullo modo; aut vix habere potuerint. Nullo modo quidem ii ad quos vox Evangelii non pervenit, præsertim si id nullâ eorum culpa factum sit. Sed etsi culpa aliqua intercessit, ne ad notitiam tantæ felicitatis pervenirent; aut ne eam cognitam reciperent; aut in ea assequenda voti compotes fierent; sæpe dici potest, ipsos sibi homines ad eam beatitudinem aditum ita obstruere, ut præsuppositâ eorum culpa, vix dici possit; illos ejus participes fieri potuisse. Non igitur tales idcircò pereunt, quia ipsis tempus ad corrigendam vitam à Magistratu aut potius à Deo ministerio Magistratus, præciditur: sed neque quia tunc vitam non correxerunt, cum jam tempus corrigendæ non suppetit; in quo forte aliquod à Magistratu injectum impedimentum causari possent; sed quia eam non correxerunt, cum tempus suppeteret; In quo Magistratus nulla omninò culpa intervenire potuit. Non potest igitur dici Magistratus id ipsis adimere; quod suamet culpa non habent, neque ut habeant ullo modo dant operam. Non de omnibus autem loquimur. Nam qui saluti dant operam sanabiles videntur, & is qui linum fumigans non extinguit, tales aut capitis supplicio eripere, aut eorum pœnitentia contentus esse potest. Etiam eorum qui sanabiles esse possunt, licet nondum ad cognitionem Veritatis pervenerint, eum qui corda inspicit eandem rationem habere, credibile est. Ideò locum communem de impiorum resipiscentiâ, de industriâ transimus. Loquimur autem de deploratis & insanabilibus, quibus id eripi ab insonte Magistratu; falsò & invidiosè dicitur, quod ipsi sibi suamet culpa eripiunt. Qui sanè sæpenumero tam longè ab omni spe salutis remoti evadunt; quàm longè fuit olim Irus à Cræsi opulentia. Neque enim is idcirco à Cræsi fortuna quàm ipsi à salute æterna remotior fuit, quòd illi quidem jus & promissum atque spem salutis habuerint. Irus autem promissum opulentiæ nullum habuit. Nam & illi juris & promissi sui beneficium, per scelera sua decoxerunt; & Irus tantò majorem opulentiæ, quàm illi salutis spem habere potuerit; quod eam sine Fide difficillimâ virtutum, ex frequentibus & in oculos omnium incurrentibus exemplis eorum qui ex stercore emersere, facilius, quàm illi qui ad invisibilia cæcutiunt concipere potuerit. Nam qui instante mortis supplicio pœnitentiam agere possunt, sanabiles sunt, quibus salus aut non eripitur; aut eorum culpa eripitur, non quidem à Magistratu, qui solum corpus occidere potest: sed à Cælesti judice qui solus animam quoque potest. Non modò igitur propinquam sed ne remotam quidem potentiam Salutis adipiscendæ Magistratus cuiquam adimere possunt, quia eam primùm sibi quisque suamet culpa; deinde justas & omnipotens judex sententiâ suâ adimit.

Ad tertiam rationem nostram respondendo Vir Bonus, non id refutat quod nos diximus, sed aliud in quo dissentimus. Fatemur enim aliquando evenire ut is qui perit sit causa prima propria & proxima perditionis suæ, & tamen occidens non sit extrà culpam, si aut clementia usus non est illic, ubi ipsi aliquis locus fuit; aut extrà moderamen inculpatæ defensionis exerravit. Itaque id refutari non merebatur, quod à nobis non asseritur. Sed illud asseruimus. Capitis ritè & legitimè damnatos & in defensione inculpata occisos, neminem alium accusare posse nisi seipsos. Vir Bonus id concedere videtur dum ait. *Esto quod non possint ita occisi quenquam accusare in amissione vitæ æternæ, quàm seipsos*, cum tamen non concedat. Nec enim nos comparatè accusationem istam intelleximus, sed absolutè: nec diximus, non posse ita occisos, æquè

æquè aut etiam magis accusare alios quàm seipsos: sed non posse illos omninò; culpam suę mortis in quenquam alium conferre, nisi in seipsos. Quod Vir Bonus tacitè negat quamvis concedere videatur. Ait enim. *Quamvis occisi accusare non possint Magistratus, Deum tamen eos accusaturum.* Mendosam opinionem esse necesse est; in qua proferenda patroni ejus abstinere nequeunt, quin conceptus mentis suæ mendosè exprimant. Quos igitur perentes accusare nequeunt, eos, inquit Deus accusabit. Apud quem Judicem? Estne aliquod tribunal in quo Deus accusatoris partes susscipere fingi potest? Minuta ista videri cuipiam possint. Sed quia per latus Magistratus Deus ipse petitur; interdum V. Bonis aliud agentibus ea excidere videmus; in quibus majorem erga Deum desideramus reverentiam. Quid igitur in tali Magistratu sive Deus sive quisquam alius accusabit? Quod, inquit, *cum potuerint non impediverint ne fontes in æternum perirent.* Atqui id, neque impedire potuerunt quod in liberrimo fontium arbitrio erat: neque si potuissent, iis rationibus impedire debuerunt, per quas impositi ipsis muneris ministerium violaretur. An Magistratus in gratiam incertissimæ rei, quæ neque virtus ejus effici potest; neque officio ejus incumbit, muneris sibi specialius demandati, ministerio deerit?

At enim in defensione ruentes in exitium impellimus. Imo verò ruentes in exitium nostrum repellimus, cum eorum quidem vitæ periculo, sed incerto quia aliter certissimam à nobis pestem, amoliri non possumus. Certò autem mori ne scelerati incertò periclitentur, non tenemur. Incertum autem eorum periculum esse necesse est, quos à capite nostro repulsos, servare si liceat volumus, ac destinamus. Certum autem nostrum, quia nisi vis eorum mutuâ vi reprimatur de eorum in perdendis nobis, voluntate dubitare non possumus.

Concedit posteà sceleratos dignos esse qui interficiantur; sed Tu, inquit, *unde jus habes ut eum interficias.* Si de fontibus à Magistratu damnatis loquitur; Magistratum interrogat, Nemo enim fontes damnare solet nisi Magistratus. Cui pro eo qui rogatur, respondet Paulus Rom. XIII. Si de iis quibus à vitæ suæ defensoribus periculum imminet; privatos vitæ suæ defensores interrogat, Pro iis nos, (quamvis in eam quæstionem ingredi nolimus, utrum interdum interficiendi invasoris animum sumere liceat) respondebimus quod ad interficiendos homines nullum jus prætendant; neque invasores interficere ullo modo velint: Sed ad defensionem vitæ suæ etiam cum invasoris periculo; præter alia multa divina humanaque jura; ex ipsa divinâ ordinatæ charitatis lege, luculentum jus habeant, in qua ipsis onus hoc non imponitur, ut longè magis invasorem quàm seipsos diligant, quod fieri necesse esset, si certo ipsi mori mallent; quàm invasorem incertò periclitari. Verum illi vicissim quærunt à Viro Bono, cur ipsis plurium interrogationum laqueum tendat; cum prius interrogandi fuerint, utrum se habere jus istud existiment, quàm rogarentur unde illud habeant? *Injustè igitur*, inquiet, *in defensione invasorem occidunt cum jus occidendi non habeant.* Enimverò, si qua culpa eorum defensioni adnexa est. At si nulla, nihil injusti perpetrant; quamvis id eveniat quod illis destinato consilio facere non licuit. Ut si quis rem necessariam aut etiam divinitus impositam exequendo, sine sua culpa scandalum alicui præbeat, quod ipsum in Tartara præcipitet; nihil in eo injusti perpetrat quamvis jus scandalisandi, destinato consilio nemo sibi usurpare audeat. Non enim ille inique scandalum dedit; sed iste iniquè accepit: quemadmodum nec defensor injustè occidit, quod ne voluit quidem, sed invasor injustè sua fata provocando suamet culpa sibi malum accersivit.

At enim aliud est, munus à Deo impositum exequi, aliud vitam suam aut aliorum defendere. Non ignoramus neque etiam diffitemur, hæc interdum diversa esse posse. Quia tamen eorum similis est ratio: non magis innocens est, qui scandalum alicui sine sua culpa præbuit; quàm qui sine culpâ suâ hominem occidit. Sæpè tamen ista vix distingui possunt. Nam ut omittam quæstionem; utrum cuique vitæ suæ legitimè defendendæ munus divinitùs sit impositum; certè parentes, fratres, magistratus, aliosque fidem nostram secutos aut implorantes ut defendamus ratio officii à nobis requirit.

Atqui urgere non desinit; *licet istî malum quo dignus est inferendum sit; tamen non à te inferendum est.* Si magistratus alloquitur, quid manifestius, quam quod iis puniendi & mali inferendi jus Deus concesserit? Si privatos vitæ suæ defensores; Libenter illi Viro Bono morem gererent; sed antequam invasori ab aliis negotium facessatur, illi interim miserabili obitu peribunt. Proinde conservandi sui necessitati, suamet opera deesse non possunt. Non illi malum inferre, sed à se depellere volunt. Quod autem malum invasori inferatur, non vitæ suæ defensor, qui rem non modo licitam, sed necessariam agit (quid enim magis necessarium est, quàm vitam suam legitimè protegere?) sed invasor ipse in culpa est.

At volenti quoque sæpe fit injuria? Quid tum postea? Si in eo casu invasori nulla fit injuria, quando ejus lethiferi ictus, non sine aliquo, incerto tamen vitæ ejus periculo repelluntur. Peccari posse in eo si invasor etiam justè occidaturi non diffitemur, quando Christianum inculpatæ defensionis moderamen negligitur. Potest enim etiam licitis actionibus aliquis illicitas affectus admiscere, qualis est ultio; & nulla necessitate extortum nocendi desiderium; aut inhumana & nimium summi juris severitas. Sed si quis defensorum istud moderamen non egrediatur nulla penes eum culpa patratæ cædis remanet; sed tota in ipsum cæsum revolvitur. Egit enim defensor, quod non agere non potuit. At cæsus dum illicite insontem invadit, si quidem cædes illa præter intentionem defensoris, aut casu aut divino judicio intervenit; totum hoc malum ipse sibi intrivit.

Quarta ratio nostra est, quòd etiamsi Magistratibus & bella gerentibus adscribendum esset, (quod tamen non concedimus) periculum mortis æternæ fontium, aut occisorum: non tamen in gratiam fontium, debere illos deserere officium defendendi insontes; quorum salus sæpe in propriori est potentia; quàm sceleratorum aut hostium. Ad eam respondurus Vir Bonus curam & studium suum erga Magistratum & bellantes eorumque salutem prolixè testatur. Cujus benevolentiæ gratiam ipsi faciunt bellantes & Magistratus; dum ad propositum argumentum bona fide sine ulla Sophisticia captione respondeat.

Respondet igitur primum Neglectum defensionis insontium damnum esse reparabile: Obstare verò proximo ad salutem damnum irreparabile. Quasi verò neglectus defensionis insontium; non æquè aut etiam magis ad salutem eorum obstare possit: quanto in propriori potentia ejus consequendæ sunt; quàm fontes & impii, quibus non magistratus justa animadversio, sed ipsorum scelera obstant ad salutem. Et si fingamus utrorumque salutem æquè periclitari; quasi facilior, & magis reparabilis, minusque æstimanda sit jactura neglectæ salutis insontium; quam fontium.

Deinde respondet his solis. *Posito quod qui vitam præsentem consultò alicui eripit, unâ illi æternam salutem, necessariò & non per accidens eripiat: quod facinus nefandum esse, & nonnisi talionis supplicio expiabile ipse V. M. fassus est; sequitur omninò nullius in gratiam id faciendum esse nec rationem ullius periculi, sive illud publicum sit sive privatum; sive uni sive multis immineat habendam esse. Habet hic locum illud Fiat justitia, & pereat Mundus.* Ratione quadam sua, ut videmus, simulque confessione nostra, fulcit responsionem istam. Quarum hypothesium; quia prior, hoc est, ratio Viri Boni supra confutata est; posterior autem, hoc est, confessio nostra falsò allegatur, tota responsio corruit. Quod ad rationem attinet, Ostendimus suprà quamvis interdum vitæ præsentis ereptionem; æterna mors occisi certò consequatur; non tamen eam ideò per

se

se & necessariò consequi, hoc est, illâ necessitate propriè & absolutè sumpta; quæ naturam accidentis excludit. Sed si in irrogando supplicio adversus justitiam & caritatem, nihil alioqui peccatum sit, plane eam per accidens contingere, hoc est, & præter mentem irrogantis supplicium; & præter ipsius supplicii naturam; vi alterius causæ cui is effectus soli, & per se tribuendus sit.

Denique quocunque modo istam vitæ eroptionem quæ à Magistratu fit (sive per se sive per accidens) mors æterna consequatur; Magistratum plane extra omnem culpam ejus rei esse.

Quod ad confessionem nostram, Non id nos facinus nefandum esse diximus, si quis alicui vitam præsentem consultò eripiat; eamque ereptionem, vitæ quoque æternæ amissio certò, & ex hypothetica necessitate consequatur. (id enim per accidens & ex alia causa consequi, nec ullam inferentis supplicium culpam involvere probavimus) Sed si quis vitam alicui æternam de industriâ aut non sine latissima culpa suo eripiat. Quę longè diversa imo pugnantia sunt. Illud enim planè per accidens & præter mentem Agentis accidit; hoc omninò per se & consultò atque ex voluntate agentis: illud sine omni culpâ; hoc nonnisi latissima & inexcusabili culpa Agentis evenit. qual e fuit factum illius Itali, qui inimico in potestatem redacto metum mortis admovens, vitæ ac veniæ spem fecit, dum diras in Deum blasphemias evomeret; eoque scelere perpetrato, hominem sævis cruciatibus, ad iterandas sæpius blasphemias adactum, nullo pœnitentiæ spatio concesso, tristi exitu confecit. Non mors ipsa per se, sed mortis aculeus, hoc est, peccatum vitam æternam eripit. At Magistratus quamvis permissu ac voluntate Dei mortem inferre quoties opus est & debeat & soleat: quatenus tamen Christianus est, dare operam debet; quantum in ipso est; (nec enim quisquam ultrà vires obligatur) ut illa sit, isto aculeo exarmata.

Quod igitur Vir Bonus ait, Nihil efficere posse, ut quod peccatum est & facinus abominandum, peccatum & facinus esse desinat; id de ejusmodi sceleribus, de industriâ, atque ut ajunt, excelso brachio perpetratis, quę nunquam virtutis naturam induere possunt; intelligendum est: non autem de iis transgressionibus; quæ interdum in virtutis naturam migrare possunt: qualis est neglectus officii erga parentes, quoties eum officii erga Christum ratio requirit: inobedientia erga Magistratus, quoties obedientiæ erga Deum potior ratio habenda est. Neglectus vitæ & salutis fontium; quoties eum interdum, Cura vitæ & salutis insontium ac nostræ curæ commissorum, extorquet.

Cura vitæ & salutis fontium, quoties absque damno & injuria insontium adhibetur justitia dici potest. Sed quoties fontium præ insontibus, unius præ omnibus, potior ratio habetur; curâ ejusmodi nihil iniquius fingi potest. Ergo propter eas intempestivè exactas, ideoque injustissimas justitias; neque insontes, neque totum Mundum Viris Bonis perdere fas est.

Animadvertendum autem est, cum nos dedimus, (at non concessimus) Magistratibus aut bellantibus adscribi posse, discrimen morte æternâ pereuntium, non id à nobis datum aut suppositum esse, illos de industria & consultò cuiquam vitam æternam eripere. Quam hypothesin à nobis falsò positam V. B. opinatur. Sed tantum secundum quid posse ipsis tribui hunc mortis æternæ effectum, supposuimus, & tamen eos nullius culpæ ex eo emergentis accusari posse, quia ea culpa tota alteri causæ tribuenda sit. Non est autem novum, effectum, qui naturâ sua aliquam culpam involvere (tametsi immeritò,) videtur tribui posse causæ, quæ illius culpæ plane expers est. Qualis causæ exemplum fuisset Saul, si in occidendo Agago Deo paruisset. Ad objectionem desertionis insontium & amicorum respondendo Vir Bonus turpiter petit principium, satis se ictum adversariorum evasisse ratus, si id identidem inculcet; quod maximè in quęstione versatur, Defensionem esse peccatum. Non deseri igitur officium si quis alicui peccando nolit opitulari. Item officium defensionis non esse nobis demandatum: imo contrarium vocationi nostræ. Quæ omnia aut futilia, aut æque inter nos controversa sunt, atque id ipsum, Utrum Deus à nobis in eo casu deseri innocentes & amicos velit.

Caritatem erga eos non semper extingui, qui ex vitæ albo, gravem & justam ob causam, consultò delentur, unde posteà per accidens, eos, & ex albo æternitatis deleri contingat; & alibi aliunde; & in hoc ipso capite evidenti exemplo probavimus.

Interficiendi jus, non nos, sed Deus ipse hominibus ad Magistratum legitimè vocatis dedit. Privatorum autem nemini illud indulgemus, quando defensionem indulgemus: quia absque ejus juris prætensione, constare potest legitima defensio.

CAP. XII.

NOn Socini, sed eorum, quos ille (quamvis eorum opinionem non satis probet) defendit, argumentum oppugnamus. Quod quia non nostris verbis exposuimus, ac ne sensum quidem unum iis assignavimus, sed ex duplici eorum explicatione, alterutrius optionem, adversariis reliquimus, nemini injuriam feciisse, aut alienum sensum affinxisse, dici possumus. Utrumque tamen sensum sufficienter refutavimus, ostendentes, aut contrà nos nihil facere, aut fallaciam in eo committi. Quorum cum alterum V. Bonus recipiat; puta eum qui contrà nos non pugnat, satis ostendit probè à nobis intellectam vim argumentationis ejus, quam utrocunque modo intelligatur confutavimus; præsertim cum ejus sensus quem approbat, refutationi assentiatur dum fatetur. *Non esse hanc argumentationem contrà nos, nec ad rem nostram facere.* Quod nobis ad refellendum hoc argumentum sufficit. Quomodo autem illud nisi prius intellectum refutari potuit.

Ne in altero quidem argumento, mentem eorum, quorum patrocinium susceperat Socinus, pravè aut vitiosè expressimus; dum ex sententia eorum asseruimus; non *debere Christianos sese ac sua tutari, quia eorum curam in se universam Deus rejici voluerit. &c. &c.* Non semper enim formalibus, ut ajunt, adversariorum verbis loqui possumus: Sufficit, ut alienis ab eorum mente non utamur. Quis autem non videt eos, qui asserunt absolutè, quod Deus rerum nostrarum curam in se universam rejici voluit; non posse aliter concludere; quàm non debere nos in eam messem falcem immittere, quam sibi soli Deus sepositi. Præsertim cum non de eo solo inter nos lis esset; quid à Deo prohibitum sit; sed de eo simul quid facere aut omittere debeamus.

Vitiosam autem Responsionem nostram asserit, nec ostendit in quo sit vitium. Tantum, ait, si non credere Socinum omnem omninò defensionem sui damnasse. Quod ne nos quidem credimus. Sed quia eos propugnantes susceperat; qui omnem damnabant, fieri non poterat, quin illi non pauca exciderent, quæ non tàm ipsius, quam illorum opinionem redolebant.

Posteà cum responsioni nostræ, quæ intrà quæstionem An sit instituenda defensio subsistebat, non haberet quod opponeret; transit ad quæstionem quomodo sit instituenda: & ait nos ad illud extremum Desperationis ac diffidentiæ declinare; ut nisi in defendendo usq; ad cædem proximi provehamur, & nostram vitam cum alterius perniciè servemus, actum de nobis putemus. Quod falsum esse, toties jam declaravimus. Qui enim actum de se putat, nisi ad cædem proximi provehatur, nonnisi per cædem proximi servari vult; & occidendi animum sumere necesse habet. Quod an liceat privato Christiano disputare nolumus: quia etiamsi nobis eam licentiam non permittamus, sufficiens defensio adhiberi potest, dum nobis etiam cum vitæ alienæ periculo, caput nostrum protegere liceat. Tantundem enim nobis securitatis præstat hostis debilitatus aut repulsus aut absterritus, quantum & cæsus, atque illud potius quàm hoc optare debemus. Atque nisi in hanc extrà cancellos quęstionis nostræ positam arenam evagatus fuisset V. Bonus; quod scriberet; non

non habuisset. Defensio quin intrà Caritatis, patientiæ & aliarum virtutum Christianarum cancellos consistat non repugnamus. Sed nulla charitas, nulla Christianarum virtutum exigit à nobis, ut incertum invasoris periculum pluris faciamus, quàm certam nostram aut nostrorum perniciem.

Præceptum de non occidendo nequaquam subruimus, qui occidendi voluntatem permittere non audemus. Multa tamen sine culpa nostra contingere possunt, quorum nobis veniam facere aut licentiam usurpare fas & integrum non est, quod in scandalis videmus acceptis non datis. Nullum igitur scelus aut delictum si vere tale sit, quamdiu eo nomine est dignum, necessitate aut vitæ periculo excusamus, sed pauca quædam (non ut ait V. B. omnia) sunt, quæ partim officium, partim necessitas, partim circumstantiæ excusant, quædam & extrà omnem facientis culpam ponunt, præsertim si ipso rem licitam, honestam, & necessariam faciente eveniunt.

Præceptum de orando pro inimicis, an cum eorum interemptione conciliari possit; quærere causæ nostræ nihil intererat, qui jus & licentiam occidendi inimici non urgemus. Meritò igitur ab ista quæstione abstinuimus; tantum verba quibus orare pro inimicis jubemur, quia fatente Socino obscuritatem quandam habent, explanare conati sumus ne latius quàm par sit extenderentur. Mortem inimicis temporariam (quanto minus æternam) nec optare licet, nec de industriâ inferre: aliis præter Magistratum quę tamen invitis & aliud debitum & necessarium agentibus nobis, sine culpâ nostrâ accidere potest. Mala aliqua morte minora interdum non optari modo, sed & consulto inferri possunt sine culpa; si jus & graves causæ inferendi non desint; neque id cum caritate erga eos pugnare sæpe deprehenditur, quia & hæc ipsa virtus, ratione actuum suorum exercendorum aliquas exceptiones admittit.

Potest dici in abstracto & secundum quid, plus præstari inimicis si pro iis oremus, quam si ab eorum interfectione aut potius (ut intrà statum quæstionis maneatur) in periculum interfectionis adductione, abstineamus, quatenus plus videtur beneficio afficere aliquem, quàm à noxa abstinere. Sed rursus (quo ad specialius incidentes casus) sæpe immensò pretio plus est certissimam mortem oppetere, no inimicus in periculum necis adducatur; quàm orare pro ipso ut ipsi Deus sit placabilis & propitius. Non igitur ab hoc tanquam minùs verisimili aut minus facili; valet argumentatio.

Nec est quod V. B. stomachum cieat; nescio quæ mira tergiversatio nostra, quod occidi pro inimicis, ne illi aut occidantur, aut etiam tantum periclitentur longè & iniquius & difficilius factu censeamus, quàm orare pro iisdem. Præceptis Domini non obsequium tantum sed reverentiam quoque deberi agnoscimus, sed non idcircò iis vel minimum contravenire censendi sumus; quoties iis absurdos & cum reliqua ejus doctrina, atque ipsâ ratione, male cohærentes sensus, affingi non patimur.

Aliud esse id quod inimicis precari jubemur à Deo; & aliud quod ipsis in justâ nostri defensione non præstamus, aut adimimus, verissimè à nobis dictum est. Non præstamus iis in nobis occidendis opem vel obsequium. Quid? an à Deo inimicis precari ullo modo tenemur, ut nobis in re tàm iniqua, operæ ipsis navandæ occasionem largiatur? Adimimus ipsis aut adimere volumus, nocendi potestatem; imò absterrendo voluntatem quoque. Ergonè id à Deo petere obstricti sumus, ut eam potestatem aut etiam voluntatem habeant? Precari quidem debemus ne pereant; sed perire pro ipsis non obligamur. Vitam æternam ipsis optare ac precari absolutè & simpliciter obstringimur. Nec enim æterna eorum Salus quæ resipiscentiam omninò præsupponit, aut gloriæ Dei aut communi generis humani bono; aut nostræ saluti quicquam nocere potest. Sed quia præsens eorum vita, sæpe cum istis longè optabilioribus bonis concurrit; non mirum est & Deum quibusdam ejus adimendæ jus concessisse; non mirum & nos non obligari; ut si forte nostram simul & illorum vitam una periclitari contingat eorum vitę quam nostræ potiorem rationem habeamus. Nititur postea V. B. verba nostra à vero quæstionis statu, qui est an sui defensio periclitanti licita sit, pertrahere ad eum de quo non disputamus; puta An invasorem occidere liceat. Sed nobis absque istius quæstionis decisione, satis virium est ad jus defensionis asserendum. Quibus dum reluctari nequit Vir Bonus jucundum nobis spectaculum præbet; identidem extrà legitimum certaminis locum, alio clandestinò receptu se subducens.

Sed quia allato à nobis furiosi exemplo, cujus in manu fortè gladius maxima cum ejus molestia retinetur; addi petit ejusdem interfectionem; mox gerendus est postulanti. Ponimus igitur exemplum furiosi, cui dum gladius eripitur in ipso luctæ certamine contingat furiosum sese gladio induere ac perimi. An idcircò ruet argumentatio nostra? Imò firmius stabit ac planum faciet, posse aliquem cui benevolentia & precum pro eo fundendarum officium debeatur, atque aliàs exhibeatur, non modo coërceri violenter ac reprimi quoque sine culpa perimentium, quibus invitis ac necessarium officium facientibus casus hic intervenit. Ita qui vitam contrà invasorem defendit, & potest & debet vitam ei salvam optare & tamen nihil eorum omittere; quæ ad absterrendum; aut repellendum aut gravissimo vulnere debilitandum latronem faciunt. Quod si casus necis ejus interveniat, non minus is præter mentem defendentis quàm mors furiosi præter voluntatem eorum qui ipsi gladium ereptum voluerunt, eveniet.

In quarti hoc capite propositi argumenti, examine, vis responsionis nostræ ad rationem adversariorum fuit in eo, primum quod præceptum de remittendis delictis ad publicarum pœnarum quæ à Magistratu sumuntur prohibitionem nihil faciat, cum de propriis non de alienis injuriis agat. Deinde quod & in propriis injuriis, neque de omni jure suo, neque semper; nisi cum pœnitentia facientis injuriam intervenit, decedendi necessitatem injungat: sed præcipuè quod aliud sit commeritam noxam proximo dimittere: aliud grave damnum & infortunium atque ipsam mortem subire, ne quod inimico damnum aut periculum inferatur. Ad ea V. B. nihil respondet. Tantum suo more strictim aliqua Responsionis nostræ verba carpit ac vellicat, sed sine ullo successu ac vulnere. Nec enim causam nostram lædit, quod aliquando etiam impœnitentibus remittenda sint peccata, dum tamen injusta vis eorum reprimi possit, ne nobis noceat.

Deum in iis, in quibus de æquo, quàm in quibus de summo jure decedimus restrictiore patientia nostra contentum esse; non levi conjectura assequimur sed firma demonstratione colligimus. Quia de summo jure adeò nobis decedendum est, ut si nostri arbitrii res sit, nunquam eo, cum aliquo præsertim gravi proximi damno, uti liceat: At de æquo jure sæpe adeò decedere non tenemur, ut interdum salvo officio decedere nequeamus. Ut si quis à nobis liberalitatis beneficium ultrà modum & cum domesticorum injuria sibi conferendum requirat.

Cum impœnitentibus patientiâ certare, laudabile est, quoties ipsi locus est, hoc est quoties ipsorum injuriæ, quamvis viribus fortè possint, jure tamen & legitimè repelli non possint; ut si nobis cum superioribus, aut certè ejusmodi hominibus res sit, quorum injuriæ legitima via averti nequeant. Nam qui sine sua culpa ac legitimè avertere injurias possit, easque nihilominus pati malit; ad agnatos & gentiles ablegandus est: ut si quis ab uxore aut liberis aut familiâ illatas contumelias concoquere; quàm suo jure coërcere malit; in quibus ordinatæ & honestæ patientiæ locus nullus est.

Nimis crudè ac ridiculè V. B. cortici verborum inhæret, dum ostendit Dominum à nobis exigere ut quadringenties nonagies per diem peccanti & subinde ficta pœnitentiâ illudenti remittamus, quasi mens Domini absque istiusmodi, intempestivè affixis verborum sono glossis; vel ex quotidiano inter homines loquendi usu, non clare pateat. Nec advertit Dominum impossibilem hypothesin supponere, ad emphasin præcepti sui exprimendam. Nam

qui fieri per naturam rerum potest; ut quis uno die unius horæ hoc est sexaginta ejus minutorum ipatio, plus quàm quadragesies aliquem offendat; & post singulas offensos ei satisfaciat; atque hunc iterandæ injuriæ simul & pœnitentiæ orbem volvat tanquam saxum suum Sisyphus, per integrum diei intervallum. Noctem enim in computatione ista sepositimus; quieti utriusque hominis post tantum laboris exhaustum: qui non modo læsum, sed ipsum quoque lædentem; tanta injuriarum & satisfactionum multitudine delassare queat.

Quærit posteà, *si impœnitenti adversario non remittamus delictum; quomodo tunc orabimus* Dimitte nobis, *debita nostra.* Respondemus. Eo modo, quod sic orantes aut oraturi, præsupponimus nos peccata nostra non iteraturos, quo ipso pœnitentes nos testamur, & longè dissimiles illi, cui quia nostro exemplo deprecari culpam & pœnitentem se præstare noluit, non remisimus. Quam responsionem non ideo damus, quod non etiam impœnitentibus remittenda esse peccata censeamus; sed ut pateat interrogationes V. B. quibus nos capere conatur, ipsum potius implicare. Alioqui Grotio in his quę hic allegantur, atque ipsi V. B. illęsa quam defendimus causâ libenter assentimur.

Deus non in omnibus imitandus est, quia non in omnibus est imitabilis: sed in iis certè imitabilis est, in quibus nobis imitandus proponitur; qualis est clementia & injuriarum remissio, tàm erga pœnitentes, quàm impœnitentes. Nam & hos non semper à misericordia sua excludit. Quod ad vindictæ sumptionem attinet: ii quoque quos vindictæ suæ administros esse voluit, & quibus jus vindictæ concessit, hoc est Magistratus non modo imitari, sed voluntatem ejus in vindicando exequi debent. De cæteris omnibus cum V. B. non litigabimus; quia in defensione non id agitur ut commissum scelus invadentis puniatur aut vindicetur; sed ut sceleri committendo obviam eatur illudque avertatur. Potest igitur quispiam se suosque defendere, absque ullo ultionis vel affectu, vel juris ad eam præextu aut usurpatione.

Magistratui voluntate Dei, quod liceat ad capitales pœnas descendere; quodque ab illo Deus hanc conditionem non requirat, ut ei certò constet, de pœnitentia sic puniendorum, suprà probavimus: simulque ministerii istius naturam à Christiana lenitate & plenâ Caritatis religione, non ita abhorrere; quin salvis & illæsis istis, illud exerceri possit.

CAP. XIII.

IN Responsione ad exemplum Davidis ab ædificando templo Dei submoti, quod nobis ostendere videtur quantopere Deus ab effusione sanguinis abhorreat, quando dicimus inde non sequi Deum nullum aut sibi ipsi aut fidelibus servis suis, in oblata forte aliqua fundendi sanguinis necessitate ejus rei licentiam reliquisse, non ideò Dei mentionem fecimus; quod de eo inter nos sit aliqua quæstio Utrum Deo sanguinem fundere liceat. Sed primùm ideo quia id sit certum atque extra omnem controversiam, Deum quamvis à fundendo sanguine summopere abhorreat; ejus tamen rei licentiam, quoties opus est, sibi reliquisse. Unde consequatur Christianos quamvis ab eadem effusione maximè abhorrere debeant; quia tamen in lenitatis atque clementię laude Deum non superent: non posse ab istius severitatis rigore ita abhorrere; ut non interdum voluntate Dei, exercendæ ejus licentiam sibi permittant. Deinde ideò Dei mentionem fecimus, quia de Magistratu quæstio est an ipsi sanguinem fundere liceat; cujus rei jus & licentiam omnem non aliunde quàm à Deo accipit. Falsum igitur est, Christianis nullam unquam imponi sanguinis fundendi necessitatem quia imponitur tunc, cum ad Magistratum legitimè vocantur.

Ad argumentum quoddam quasi invictum responderi sibi postulat V. B. *quod Deus eos qui bella gerunt idoneos non agnoscat, quos admoveat ædificando templo suo spirituali, quod est officium omnium Christianorum.* Atqui hæc ratio ficulnea est, & fragilis, quia ambiguitate laborat, in voce ædificandi templi Dei, latente. Aut enim ista ædificatio activè sumitur: aut passivè. & activè sumpta, aut magis propriè ac principaliter magisque universè sumitur pro extructione ædificii quod cura atque opera alicujus architecti totum è fundamentis extruitur; qualis fuit ædificatio templi Solomonici, in typo Christi Solomone & postea ædificatio Ecclesię Christianę in antitypo ejus Christo. Aut minus principaliter universe de partioulari opera singulorum alicujus architecti administrorum; quam ad extruendum ędificium conferunt. Passivè sumpta vox ædificationis; prætereaque activi sensus posterior significatio; officium complectitur omnium Christianorum, qui non modo ipsi inędificari tanquam vivi lapides templo Christi debent: sed & ad ædificandum illud operas suas pro virili conferre. At priori modo sumpta activæ ædificationis officium, non est omnibus commune sed ad unum Christum pertinet; nec ad illud Deus omnes promiscuè admisit, sed in allignatione architecti, delectum habuit accuratissimum. Non sequitur autem inde quia hunc Architectum pauperem & obscurum & ad paupères primum cum Evangelio missum esse Deus voluit; idcircò è divitibus aut illustribus in mundo; neminem templo ejus inædificari potuisse. Ita non sequitur, quia Deus eum nullis armis, nulla potestate instructum esse voluit, idcircò eos qui arma gerunt, aut cum potestate sunt, non posse esse vivos lapides hujus substructionis. Cęlestem illam & spiritualem Ecclesiæ Christianæ Rempub. non armis aut potentiâ, aut humanis & vulgaribus modis extrui decuit. Quia tamen in tàm latè potente populo non defuturi erant qui ad necessarium in orbe, pacis & belli gladium exercendum legitimè vocarentur: nec illius spiritualis templi architectus terrenarum potestatum jus lege sua sustulit; sed confirmavit: nihil impedit quominus isti quoque qui in ordinationibus terrenis Deo ministrant; in cælesti illa ordinatione Christo inserviant; qui ut Deo simul ac Cæsari debita officia reddi; ita non neglecta Repub. religionis curam haberi posse ostendit.

Pergit posteà V. B. in carpendâ Responsione nostra & nobis *petitionem Principii objicit, quod effusionem sanguinis cæteris rebus, quarum non usus sed abusus prohibitus est, annexuerimus.* Qua in re multipliciter lapsus est. Nam & nos ejusmodi rerum exempla attulimus, quarum non abusu tantum abstinere; sed usum quoque (ut expressa verba nostra sonant) non temerè nobis permittere debeamus. Et ipse longè iniquius principium petit. Denique in disputando flagitium facit. Quod ita ostendimus. In responsione nostra planum fecimus, ex eo, quod ab aliqua re, præsertim sæpius iteranda (qualia fuere Davidis bella) abhorrere debeamus, non sequi illam esse illicitam; idque pluribus exemplis probavimus. Vis argumenti nostri in hoc syllogismo includitur.

Si officium abhorrendi à juramentis etiam justis; à gloriatione de donorum nobis collatorum præstantia, à condemnatione aliorum & à cæteris quæ attulimus, non efficit quominus res istę, interdum, ex gravi causa & necessitate licitæ sint; certè & officiū abhorrendi ab effusione sanguinis; non efficit, quominus ea aliquando, ex gravi & justa causa licita sit. At prius verum. E. & posterius. Quid ad hæc V. B. Negat sanguinis effusionē esse, aut esse posse licitam. & nobis petitionem principii objicit; quod eam licitam esse concludamus: cum tamen nos id quod ille negat non nude assertum, sed ex præmissis deductum proposuerimus. Et ipse in hac responsione facetam Principii petitionem committat, ejusmodi assertione nobis satisfacere volens, quæ maximè inter nos controversa est. Quid autem hoc aliud est, quam cum quod ad præmissas responderi possit, non habeas negare conclusionem? Sanguinis effusi, aut bellorum nullum esse usum, injuriâ negat; si negat, si non negat (ut in libro ejus scriptum deprehendimus quanquam mendum subesse suspicemur) injuriâ sanguinis effusionem, ex earum rerum censu expungit

quarum

quarum usus interdum permitti possit. Nolle occidere eum, quem Deus occidi jubeat, peccatum est Saulis delicto simile; quod nec ullius Thaletis mite ingenium, nec Cor Zenodoti; aut jecur Cratetis unquam excusaverit.

Davidi non id objectum quod sanguinem fuderit, aut bellum attigerit; sed quod multum sanguinem fuderit, & plurima bella gesserit; ideò causam nostram juvat, quia non nuda sanguinis effusio, sed excessus in sanguine fundendo, notari videtur; à quo merito abhorrendum est, & cujus abstinentia non omnem sanguinis fundendi usum excludit. Denique si id ipsum plane Davidem minus aptum ad ædificandum templum Dei reddidisset, quod ullum sanguinem fuderit ne Salomon quidem ad illud aptus visus fuisset; qui Adoniam, Joabum, Semejum occiderit. Unde patet moderatam sanguinis effusionem neminem ad hanc functionem minimè idoneum reddere potuisse, cum Salomonem non reddiderit; quod nostræ causæ sufficit, quia Viri Boni opinionem tollit.

Argumentum nostrum est. Si Davidi effusio sanguinis non tanquam culpa objicitur; sed tanquam inhabilitas ad aliquam functionem, non potest ex eâ Davidis actionum censurâ colligi ulla bellorum justorum; aut supplicium culpa, ob quam ab iis in eorum necessitatis casu, abstinendum sit. E. Hujus connexi assumptum concedit V. B. sed quia inhabilitas illa ad ædificandum templum Dei novum, quæ sub V. F. omnis culpæ expers fuit; sub Novo fœdere maximam culpam præsupponit; quia Christiani omnes ædificare templum Dei aut ipsi inædificari tenentur: Proinde qui ad istud commune omnium fidelium officium parum apti sunt; sua culpa tales sunt. Idcircò connexum falsum esse asserit. Hic igitur manifestè quem suprà notavimus æquivocationis laqueo implicatur V. B. non videns inter ædificationem templi per Solomonem, simulq; antitypum ejus, ædificationem totius Ecclesiæ per Christum: & inter privatam ædificationem aut inædificationem singulorum per quam tanquam vivi lapides isti templi structuræ sese adaptant, maximum discrimen. Illius enim publicæ ædificationis functio Uni competebat, qui ad hoc munus singulari Dei consilio deligendus erat: hujus privatæ ædificationis aut inædificationis officium, ad omnes pertinent quicunque ad gratiam Dei promiscuè admissi sunt. Inhabilitas & ineptitudo ad illam, omni tempore, etiam sub Evangelio, expers omnis culpæ esse poterat; at ineptitudo ad istam; saltem nunc sub Novo fœdere, sine culpa cogitari nequit. Denique in Davide licet ad ædificationem priori modo dictam ineptitudo fuerit: tamen ad eam quæ posteriori sensu intelligitur, nulla fuit inhabilitas. Nam & ille quoque est vivus lapis templo Dei inædificatus. Quod autem ineptitudo illa, ad ædificationem priori modo acceptam, etiam sub Evangelio omnis culpæ expers fuerit, inde patet quod ad proprie & principaliter sic dictum munus propheticum, Regium, & Sacerdotale Christi, quæ in Architecto Ecclesiæ ejus requirebantur, nemo mortalium præter unum Christum habilis & idoneus fuerit. Et tamen in eo nullius culpa agnoscitur; aut occusatur; nec quisquam etiam sub Novo fœdere ob ejusmodi inhabilitatem punietur.

In Davide ab ædificatione templi Dei submoto, mentem Dei non fuisse ut nos ab eo, ne ullo modo sanguinem funderemus absterneret; probavimus Solomonis exemplo; qui non est ab ædificatione submotus quamvis sanguinem effudisset. Resp. Vir Bonus, *hoc nihil esse. Noluit enim Deus jam tunc perfectam & Evangelicam voluntatem ad effectum perducere, quia nondum venissent tempora plenitudinis.* At nos urgemus. Cur igitur in Davide istam voluntatem ad effectum perducere voluit? in Solomone noluit? An sub eo jam venerant tempora plenitudinis? *Non oportuit*, inquit, *Solomonem à cædibus arceri, requirente eas Reipub. & Regii muneris ejus conditione.* At cur abiisdem Davidem arcerioportuit? Num minus eas requirebat Reipub. & Regii muneris ejus conditio? Cum sibi V. B. in disputando non satisfaceret non obscure fatetur suas rationes ab hoc exemplo ductas id quod vult evincere non posse. Verum ait: *Saltem id negari non potest, nos adversus bella posse fortissimè ab hoc Davidis exemplo argumentari.* Victoriam ut videmus, non moratur, strenui conflictus laude contentus. Quam per nos auferat licet, si per benigni Lectoris nasum licuerit. Tertiò, ait, *ne nostram quidem explicationem quatur pedibus currere, quia Solomonem qui gladio interdum usus est, typum fuisse Christi asserimus, qui non gladio, non coactionis violentia usus est.* Ut per omnia figura & similitudo congrueret, atque ut pacifici regni Christi imago, in congruo tantæ felicitati exemplo adumbraretur; non opus fuit, typum Christi Solomonem nunquam sanguinem fundere; cum ne Christi quidem doctrina omnem sanguinis fusionem penitus esset sublatura, sed satis fuit, Davidis quidem tempora frequentibus bellis infesta; Solomonis autem regnum florentissimæ pacis tranquillitate beatum fuisse; ut hic potius quam ille, typum Christi exprimeret. Itaque in explicatione nostra omnia sibi congruunt: nec ulla similitudinis pars claudicat.

Ludit postea à captione quę à dicto secundum quid dicitur; & ait *Regnum Christi non fuisse pacificum; proinde Solomonem in eo typum Christi esse non potuisse, quod ejus regnum pacificum fuerit.* Quasi nos aut Regnum Christi simpliciter & omni modo pacificum; aut neminem alium præter Solomonem, Christi typum esse potuisse, asseramus. Si secundum quid Christi Regnum consideretur; illud certè minimè pacificum fuisse, & in eo ita consideratoDavidem potius quam Solomonem Christi typum dici posse non diffitemur: Verum id non impedit, quominus tunc quando Solomon Christi typus dicitur, regnum Christi tanquam omnium maximè pacificum consideretur; quippe quod & sine ulla Coactiva potentia, cujus nervus gladius belli esse solet, constructum sit; & pacem hominibus cum Deo cum Angelis & inter se attulerit; & per se ac natura sua ad omnia bella extirpanda aptum sit; nec nisi per accidens ad coërcendam effrænem hominum nequitiam, gladii usum permittat.

Solomonem typum fuisse aliorum præter Christum templum Dei condentium adacter nimis & absurdè, nec sine aliqua Christi injuria dicitur. Nec enim eodem modo alii, quo Christus templum istud condere dici possunt & aliud est Templi architectum, aliud Materiam & lapidem esse. Solomon certè illius templi quod condidit, neque materia, neque lapis fuit.

Christus quidem angularis lapis templi sui dicitur: sed in eo Solomonis anti typus esse non potest, cum Solomon sui templi lapis non fuerit. nec illud alio sensu ædificare potuerit; quàm qui à nobis priori loco expositus est.

Non satis intelligit V. B. quomodo verum sit, quod animadverti monemus, non jubemus (neque enim pro imperio agere solemus) quia rem per se planam intelligere non vult. Videlicet, Ex eo quod quis ad ædificandum templum Dei parùm sit idoneus, vitiosè colligi eundem non posse inædificari eidem templo Dei. Ergo quomodo materia & lapides ad ædificandum templum Solomonis ineptissimi fuerint architecti; & tamen inædificari eidem templo potuerint, est suprà captum Viri Boni.

At enim ad officium Christianorum *peræquè pertinet utrumque ut & inædificentur templo Dei & illud ædificent; ita ut qui aptus non sit ad templum hoc ædificandum is non possit quoque ei inædificari.* Resp. At ista privata activè sumpta ædificatio Christianorum, quæ cum passiva inædificatione idem est; & ab illâ fere tantum ratione distinguitur, non minus differt ab illa universè sumpta ędificatione templi Dei, quæ soli Christo tribuitur, atque ipsa inædificatio. Nec requiritur, ut is, qui ad privatam istam & ignobiliorem ædificationem aptus est: quoque sit, ad nobilionem & uni Christo competentem; nec is qui ad istud nobilius ędificationis genus ineptus est, statim quoque ad ignobilius ejus genus ineptus est. Solomon autem typus fuit Christi in nobiliori illo ædificationis genere; non in ignobiliori: & de illo solo nobis disputandum

est; nisi æquivocationis laqueum nobis & aliis tendere libeat. Quamvis igitur qui alios non ædificet, non sit idoneus qui inædificetur templo Dei; tamen non omnes templo Dei inædificandi apti esse possunt nobiliori isti ædificationis officio; quod uni Christo competit.

Bella Domini dici posse, quæ singulari præsentia & evidenti auxilio Dei gerantur; fatetur V. B. & tamen negat de ullis hodie Christianorum bellis id dici posse. Negat igitur simul Deum cuiquam Christiano Principi in bello justo & necessario singulari præsentia & evidenti auxilio adesse posse; quàm verè Lector rerum in orbe gestarum non penitùs ignarus viderit.

Argumentum adversariorum quod Christus nobis imitandus sit; is autem neque Magistratum neque bella gesserit; refellentes diximus ad imitationem Christi in sanctimonia non requiri ut, aut omnia quæ ille fecit, faciamus; aut ab omnibus, à quibus is abstinuit, abstineamus, quia neque Regio aut Sacerdotali numere κατ' ἐξοχὴν intellecto fungimur; neque Dei & hominum Mediatores in pangendo fædere sumus. In respondendo Vir Bonus cum ipsi deesset quod reponeret, in carpendis quæ à nobis dicta sunt; ingenium frustrà fatigat. Primum igitur mentionem Regii numeris Christi reprehendit; quia Christus dum in terris esset Rex non fuerit. Is autem nobis non qualis nunc est in cælis; sed qualis olim fuit in terris, imitandus sit. Falsum quidem utrumque istud arbitramur, sed ne de omnibus inter nos ferra litigii reciprocetur, pro Regii muneris mentione substituimus, quod dum esset in terris in forma Dei fuerit.

Deinde Regii muneris mentionem contrà nos facere ostendit. Si enim Christus in terris agens Rex fuisse statuatur; & tamen à cædibus ac bellis abstinuit, quanto magis nobis abstinendum est qui Regio munere non fungimur. At enim Regnum Christi non ex hoc Mundo sed Spirituale fuit; & à carnali administrandi modo alienum. Non igitur ab eo ad Mundani regni gubernationem, si quando ad eam Christianos vocari contingat, ulla firma consecutio necti potest.

Pergit in dilemmate & ait Si Christus dicatur in cælis demum suscepisse Regni sui habenas, tum verò ista ipsa inter nos diversitas, quod ille Rex sit, nos non simus, in causa erit ut illi sanguinem fundere liceat, nobis non item. Quid istud contra nos? An putat Vir Bonus sibi quamvis Rex non sit à nobis fundendi sanguinis licentiam concedi? Annon potius pro nobis militat; quod non in omnibus Christus imitandus sit, præsertim quoties ista inter illum atque inter nos diversitas locum habet, ut ille Rex sit, nos non simus. Nam si Christianum, Regem esse contingat; annon cælestis sui Regis lenitatem & clementiam, ac parte alia tempestivam severitatem imitabitur? Nam inter cæleste & terrenum, non ea est differentia, quæ inter spirituale & mundanum. Illa enim regna ejusdem generis gubernatione administrantur, puta Coactiva potestate: At Spirituale Regnum, Coactivæ potestatis expers est, cum terrenum ac Mundanum ejus sit particeps.

Cum hac non successisset accusat Responsionem nostram; quod exemplum Domini Jesu in totum enervet. Atqui non accusanda sed refellenda & falsi convincenda erat. Sed quo crimine tamen accusatur? *Omnia facta*, inquit, *omnes virtutes in Christo ad aliquod munus ejus quod nobis non competit, referri possunt. Ergo sequetur in nulla virtute eum imitandum.* Ne antecedens quidem verum est, nisi de remoto respectu ac relatione ad aliquod munus intelligatur. Sed consequentia multo est falsior. Quid enim obstat quod aliqua virtus, aliqua ratione ad munus nobis non competens referri possit, si tamen virtus est, si laude digna, sit imitabilis? Sunt aliquæ actiones Christi quæ nonnisi Mediatori competunt aut Sacerdoti. Quæ certè ad eos non pertinent qui non sunt Mediatores aut Sacerdotes. Sunt aliæ quæ & iis qui istis funguntur muneribus, & qui non funguntur competere possunt. Qualis est misericordia, quæ & summo Pontifici nostro; & nobis competit.

Poscit à nobis Vir Bonus specialem rationem (generali non contentus) ob quam Christum in non fundendo sanguine, Christiani imitari non teneantur. Dabimus igitur eam quod Christus in terris ad Mundanum Regnum à patre vocatus non fuerit: Christiani autem inviti ad illud vocentur; in quo fundendi sanguinis ministerium Deo interdum præstare tenentur. At enim si quæ sunt in Christi factis *quæ imitari non teneamur; oportet eorum contraria, in Sacris literis nobis specialiter permissa esse.* Quid si eum quoque de quo quæritur, gladii usum in Sacris literis specialiter permissum esse ostendamus? *Permissum*, inquit *Magistratui, non Christianis.* Quid an Christiani ad magistratum legitimè vocari non possunt, & frequentissimè non solent. Quæ ista Virorum Bonorum morositas est, quia ipsi ad Magistratum vocat non sint; idcirco omnes Christianos ab eo arcere atque excludere! Ergo in abstinendo ab usu gladii imitationis Christi necessitatem; doctrina Apostolica Christianis remittit.

Patientiam Christianam ad solas pro Religione persecutiones non restringimus, quia & in omnibus aliis veris ac legitimis occasionibus virtus hæc exercenda est. Non tamen eam ita latè ac planè in infinitum extendi censemus, prout Vir Bonus extendere vult videri, quamvis in eo, (ut supra cap. quinto ostendimus) sibimet ipsi non credat. Exemplum autem Christi passionis ad martyriorum censum pertinere meritò diximus, quia is eo nomine Martyrum omnium Princeps meritò dicitur. Martyriorum autem afflictiones à Magistratu inferri ut plurimum, solent, quamvis interdum accidere possit, ut & ab iis quoque qui legitimam suprà nos potestatem non habent inferantur. Quos tamen etsi potestas desit, potentiâ præ nobis excellere necesse est, quæ libertati nostræ gravis sit, & nos injuriis obnoxios reddat.

Restrictiones patientiæ quas pro nobis Vir Bonus affert nihil moramur; nec omnes pro nostris agnoscimus. Tantum illud fatemur, si legitima resistendi facultas non desit, posse tunc injurias, quæ aliàs tolerandæ essent, sine ulla culpa nostrâ averti. Nec enim credo negaverit Vir Bonus, si suis ipsi agaso vel auriga religionis nomine contumeliam inferat, posse eum sine ulla culpa sua, herilem suam auctoritatem adversus ejus injurias etiam scutica vindicare. Quo in casu non religionem Vir Bonus, sed herilem potestatem suam scuticâ tuebitur, quia illa scuticæ patrocinio non indiget; hæc indiget. Et si potestatem adversus inferiores defendere liceat; cur non interdum libertatem quoque adversus pares? præsertim si nulla gravis causa impediat, multæ suadeant. Nam isti homines ridiculi sunt, qui in morali materia tanquam in Mathematica necessitate, Universales rigulas nectunt: quia in iis nunquam sibimetipsis serio credant: Et ubi ad exceptionum evidentiam ventum est, nusquam satis firmiter consistente vestigio, titubant, quandoque & in partes nostras transfugiunt. Ita Vir Bonus patientiæ Christianæ officium, latissimè porrigit, & cum necessariis exceptionibus urgetur ad criminationes confugit & supercilium: Nosque inimicos Crucis Christi vocandos ostendit, quia tàm angustos patientiæ Christianæ limites ponamus, ut ei, nonnisi tunc locum esse putemus, quando impatientes esse non possumus: quod falsissimè objicitur. An enim tunc impatientia delinquere non possimus; quando legitime injuriis resistere non licet; cum tamen illegitimè possimus, Sed aliter supercilium adversus nos attolli non poterat; nisi specioſa falsi Criminis invidiâ incesseremur. Ut in reliquis virtutibus ita in patientiâ, quædam à nobis non exigi; in quibus de nostro jure decedere cum laude possimus non falsò existimamus. Inter leviores & graviores injurias, cur in excogitandis patientiæ Regulis, Viro Bono discrimen ponere liceat, nobis non liceat, causa nulla est. Causas ut omnium rerum atque actionum ita injuriarum inspici, atque inter se distingui quod velimus, nihil in eo à nobis peccari censemus. Inter injuriarum auctores discernendum; duoque cum faciunt idem, non esse illud idem, non sine causa existimamus

ſtimamus. Nec mera iſta ſunt effugia, ſed regulæ ac diſtinctiones, partim Verbi divini auctoritate, partim ſobriæ, rationis judicio ſubnixæ. At Vir Bonus de patientia inſuperabili ὑπομονῇ ἀκαταπλήκτῳ, patientiam plagarum, contumeliarum, malorum omnium etiam graviſſimorum Chriſtianis præciſe injunctam eſſe, ſine ullo inimicorum delectu, etiam cum de religione non agitur. Quod ſecundum quid, ac dextrè explicatum, utcunque verum eſſe poteſt; at ſimpliciter intellectum adeò falſum eſt ut ab ipſo Viro Bono fortiſſimè non credatur.

At Chriſtus non à Magiſtratu tantum; ſed ab aliis quoque indigna paſſus eſt. Quaſi & nos ab aliis præter Magiſtratum illatas injurias patienter ferendas non cenſeamus. Aut quaſi inferente injurias Magiſtratu (quo tempore ad patiendum magis etiam quàm aliàs obligamur) non unâ innumeri alii eaſdem, nutu aut occaſione Magiſtratus inferre ſoleant; quod in Chriſti paſſione accidit.

Cauſam patiendi juſtam, præter vim religioni illatam, dari poſſe non negamus. Dum patimur ne peccemus, juſtiſſima eſt patiendi neceſſitas: nec major à mortis metu; quàm à Mortis aculei morſu nobis inferri neceſſitas poteſt. Sed tamen nobis prius conſtare debet, peccatum eſſe illud, quod evitando in mala aliqua incurrimus, ut juſta ſit patiendi neceſſitas. Nam ſi id evitando, quod vitare non tenemur, patiamur, non injuſta modo, ſed nulla eſt patiendi neceſſitas.

Contrà charitatem & expreſſas leges Chriſti, ut evadamus, nihil faciendum eſt; Sed juſtas & legitimas evadendi vias tentare, neque contrà Caritatem eſt; neque contrà ullas Chriſti leges. Mori pro innocentia glorioſum eſt; Sed non ilico violatur innocentia, quoties mortis malum legitima via avertitur.

Inimici è medio tollendi poteſtatem aut licentiam nemini indulgemus; Sed non putamus nobis impoſitam, ejuſmodi erga inimicum officii neceſſitatem ut nobis certiſſima morte redimendum ſit periculum, ne is è medio tolli poſſit. Nec ſi abſque noſtra culpa tollatur; infortunii ejus culpa nobis præſtanda eſt. Nec ulla in eo noſtra culpa eſt, ſi quid inimico, eos quas defendere tenemur oppugnanti accidat; cum nos juſtiſſimum & nobis incumbens faciamus officium: ille autem injuſto & cæco furore in ſua fata ruat. Magiſtratus à præcepto patiendi non ſemper exemptus eſt; ſed tunc cum pati non poteſt, niſi impoſito ſibi officio deſit. Lex Caritatis & patientiæ omnibus in univerſum lata eſt, ſed ejus exercendæ locus atque occaſio; neque ſemper, neque ubique occurrit. Præcepta officio, de quo aliunde conſtet quod licitum ſit, repugnantia; ad eos qui illo munere funguntur, ſaltem dum funguntur non pertinere dubitari nequit. Ita præceptum mutuæ ſubjectionis, quod in aliis locum habet; in marito & uxore, parentibus & liberis, domino & ſervo locum non habet; quorum vocationes ita ſunt comparatæ, ut mutuò ſibi ſubjici non debeant; ſed aliis in ſubjectione; aliis in ſua præcellentia perpetuò manendum ſit.

At enim præcepta doctrinæ Chriſti eſſentialia pugnant cum vocatione Magiſtratus. Hac enunciatione & opinione nihil falſius fingi poteſt. Quod currendo per ſingula quæ afferuntur exempla, animadvertere eſt. Præceptum de patientia non pugnat cum officio Magiſtratus; quia Magiſtratus quoque patientes eſſe non repugnat. Sed obſtinata illa, aut potius ſine more modoque patientia, etiam illic, ubi ejus locus non eſt; exacta; pugnat cum analogia doctrinæ Chriſti; quæ in omnibus eſt rationabilis. Præceptum de non occidendo adeò cum eadem vocatione non pugnat; ut in gratiam obſequii huic præcepto conciliandi, ſit inſtituta iſta ipſa vocatio. Diligere inimicos tàm poteſt is qui eſt cum poteſtate; quàm qui poteſtati ſubjicitur. Animas perdere adeò eſt alienum à bono & legitimo magiſtratu; ut nulla opinio magis ſit facta atque nata ad animas perdendas, quàm quæ tollit Magiſtratum. Talionis referendæ interdictum, non ad publicas alienarum injuriarum pœnas, ſed ad propriarum pertinet ultionem.

Ergo præceptum privatis datum non ſtringit Magiſtratus, quemadmodum & publicum Magiſtratus officium non tollit privatę manſuetudinis legem. Pacem cum omnibus ſemper colere etiam Magiſtratus debet; ſed quantum poteſt, non ultrà. Quodu etiam privati non ſemper id efficere poſſunt; non mirum eſt, interdum ne Magiſtratus quidem poſſe. Magiſtratus officiò ſuo egregiè defungi poſſe, etiamſi Veritatem divinam vi armorum non promoveant; neque defendant; teſtantur tot ab orbe condito Magiſtratus; veritatis divinæ expertes. Quo magis mirandum eſt; quid Viro Bono in mentem venerit cum rem à Magiſtratus natura adeò alienam, & quæ nihil facit ad conſtituendum Magiſtratum, pro eſſentiali Magiſtratus proprietate vindicat.

Ex eo quod Magiſtratus ſummi vocatio ſit lege Chriſti permiſſa, nos nihil deducimus, quia ſcimus eam rem in quæſtione, quæ inter nos agitatur, verſari. Sed tantum objectioni adverſariorum occurrimus; oſtendentes ex eo quod aliqua Chriſti præcepta videantur cum aliqua vocatione pugnare; non ſequi illam vocationem eſſe illicitam. Quia quædam præcepta cum nonnullis vocationibus pugnare videntur, quas tamen eſſe permiſſas utrinque inter nos conſtet, ut in mutuæ ſubjectionis præcepto oſtendimus; quod ad reciprocum inter maritum & uxorem Dominum & ſervum officium non pertinet. Nec ſuſpicione, nec præjudicio ullo cauſa noſtra gravatur, quod in præſcribendo Magiſtratibus officio, Apoſtoli Magiſtratus ipſos non alloquantur, qui forte inter eos ad quos verba fiebant, aut literæ ſcribebantur, tunc nondum erant. Id enim per leges peculiares & expreſſas ex profeſſo præſcriptas intelligimus. Satis eſt, quod in abſtracto & univerſè, præſcriptum ſit *Rom.* XIII. non quales Magiſtratus tunc fuerint ſed quales eſſe debuerint. Quo fit ut officia univerſis qui ad Magiſtratum aſpirant, aut ullo modo pertinent, præſcripta eſſe negari non poſſit.

Inane gaudium gaviſus eſt Vir Bonus, quod fateamur inter eos, quos in Sacris literis Spititum Sanctum aut Apoſtolos allocutos legimus, Magiſtratus nondum fuiſſe. Neque enim inde ſequitur abſolutè & ſimpliciter nullos tunc inter Chriſtianos Magiſtratus fuiſſe. Nec omnia quæ Apoſtoli, ſive ſcripto ſive per ſermonem tradiderunt Sacrarum literarum quæ ad nos pervenerunt monumentis comprehenſa ſunt. Et futilis eſt, hæc argumentatio. Nihil eorum quæ Sergio Paulo Proconſuli ſeu coràm ſive per literas ab Apoſtolis ſpecialiter tradita ſunt, ſcripto conſignatum extat. Ergo Sergius Paulus Proconſul, non fuit inter Chriſtianos.

Non metuimus verò ne Mundus in antiquum Chaos revertatur propter invaleſcentem forte adverſariorum opinionem; quia eam poſt detectam eſus falſitatem & vanitatem exterminatum iri non dubitamus. Nec Deus ſi verit ut ea opinio, diu in Eccleſia vigeat; quę humano generi beatiſſimum illum rerum Statum eripit, in quo optimi mortalium ad regnorum gubernacula ſedere poſſint.

Nihil neceſſe eſt excuſari ullum de officiis Magiſtratus ſub Novo fœdere ſilentium, cum de iis Sacra Scriptura non ſileat quo poſt ventura ætas officii hujus regulas ignorare non poſſet.

Ut plura verba ſpecioſè fundere poſſit; fingit Vir B. ſeſe verba noſtra non intelligere, quando dicimus legem Chriſti non eſſe in peculiari codice ſcriptam, quamvis poſteà fateatur non opus fuiſſe methodico ſyſtemate, ut officia Magiſtratuum exprimerentur; quod nos quoque ſentimus; quia ea ſufficienter expreſſa legimus quamvis id ex profeſſo factum non ſit. Porrò de ejus functionis officiis altum eſſe in Sacris literis ſilentium, dici nullo modo poteſt; quæ tot in locis Sacræ Scripturæ non modò confirmata, ſed commendata & laudata eſt; cujus origo, natura, finis, quidve ſpectare & quem ad finem dirigi debeat, atque ipſius miniſtri, quomodo in hujus miniſterii genere Deo inſervire teneantur, ſatis accuratè perſcriptum eſt.

Fallaciam nobis Vir Bonus objicit, & quidem mani-

festam, ut ait. (Quam tamen ipsi manifestam non esse, vel ex eo colligas quod ejus non audeat dicere nomen) commissam in eo, quod leges quarum Magistratus custodes sunt, à Christo confirmatas esse dixerimus. *Non leges* inquit, *sed obedientiam iis præstandam Christus confirmavit.* Non ergò qui obedientiam legibus præstari jubet, auctoritatem earum confirmat? Et qui confirmat earum auctoritatem nonne ipsas confirmat?

At exceptionem, in iis quæ pugnant cum sunt legibus addit. Quid tùm posteà? De eo inter nos nulla lis est, an in iis quæ pugnant cum legibus Christi, legibus parendum sit: sed de eo, an aliqua eorum quæ istæ Leges, præsertim in iis quæ ad essentiam earum & Reipub. pertinent, præcipiunt, pugnent cum legibus Christi. Nititur posteà ostendere, falsum esse, nihil novi introducturam fuisse Christi doctrinam in Magistratuum officiis etsi eam doctrinam expressius quàm tradidit, tradidisset. Hic quoque frequentissimâ sibi fallacia à dicto secundum quid ad simpliciter Vir Bonus decipitur. Nec enim nos simpliciter & absolute diximus, nihil omninò novum aut perfectius per religionem Christianam in officia Magistratuum introduci potuisse: sed secundum quid; quod attinet ad essentialia hujus muneris; qualis est vitæ necisque potestas & jus puniendi eos qui adversus leges delinquunt; quæ potestas quodque jus non minùs nunc quam olim Magistratibus competit: ac de istius potestatis jure, nihil omninò Christi doctrina delibavit, sed illud non modo in suis vestigiis intactum reliquit, sed etiam nova sanctione confirmavit. Quod autem attinet ad clementiorem ac benigniorem Legum exercendarum usum, id quia illi potestati accidentarium est, potuit in eo atque etiamnum potest aliquid in meliorem ac perfectionem statum immutari; Ad quam rem sine ullo speciali præcepto sola Religionis analogia sufficit.

In legibus exercendis sub Mose, Magistratum rigorem earum ad clementiam arbitrio suo flectere non potuisse, mirum non esset; quia earum minister ac custos erat, non conditor aut legislator. Nec eas ipsi prout expedire videretur intendere, aut remittere; aut immutare licuit; absque ipsius Legislatoris, hoc est Dei permissu. Sed Evangelii diversa est ratio, sub quo Deus neminem ad obsequium forensium illarum legum nunc obstringit quæ uni genti latæ erant. Verum suis quemque populum legibus vivere permisit, earumque legum vim, in sancito Magistratus jure confirmavit. Itaque sub Evangelio forensium legum, non ipse Deus, sed homines sunt Legislatores, qui pro ratione temporum & circumstantiarum, leges figere ac refigere possunt. Atque ipsos præsertim supremos Magistratus Legislatoris esse frequenter accidit.

Liberior igitur est sub Evangelio Magistratus in molliendo legum earum rigore; quæ ab hominibus interdum & ab ipso illo Magistratu latæ sunt. Sed & nullus mortalium Legislatorum, tantùm sibi juris usurpat, ut nullum in exercendis legibus suis clementiæ arbitrium prudenti ac benigno judici permittat. Itaque neque contra Legislatoris neque contrà legis mentem fit, quando prudens Magistratus quoties id gravis ratio exigit rigorem juris moderatur. Ac ne ipsum quidem Deum in omnibus omninò legibus à se latis (si quasdam excipias) nullum prorsus judicis clementiæ locum reliquisse crediderim. Satis autem est quorundum executionem rigidè exactam, ad id ut χωρὶς οἰκήματος Lex Mosis exercita dici potuerit. Quantò liberiores ob ea quæ supra diximus sub Evangelio judices esse necesse est? Quanquam & sub Evangelio non semper τοῖς οἰκήμασιν locus esse potest; quoties Salus publica severitatem postulat; nec Judex est sui juris.

Porro analogiæ doctrinæ Christi, totum Magistratus officium, cum occidendi potestate repugnare, falsò & non sine principii petitione asseritur. Doctrinæ enim rationali probè convenit, cum eo officio, quod, si ullum aliud est secundum rationem Viri Boni potius sententia de Magistratu analogiæ religionis repugnat; quia repugnat rationi, repugnat disertis Sacræ Scripturæ verbis; & quidem tanto magis *quod ipse fatetur generale limitatis præceptum non posse tollere speciale mandatum, de potestate occidendi Magistratui à Deo data.*

Mox in nos contorquet Dilemma; opinione sua indeclinabile. *Libens*, inquit, *videro quo pacto hujus dilemmatis cornua declinari possint. Aut post excisam Hebræorum Reipub. potuit rigor legalis & necessitas sontes sine misericordia occidendi, cum Christi mansuetis & plenis misericordia legibus, consistere aut non potuit. Utrumlibet eligant Grotius & V. M. causa cadent. Si posterius dixerint aitant simul quomodo stante Reipub. Hebræorum, potuerit rigor iste Mosaicæ legis consistere cum Christi legibus; ita ut a Christianis quoque qui e Iudaica gente juerant, posset administrari, ut ait Grotius. Quod si priorem elegerint dilemmatis partem; & asserant non minus post collapsum Judaicæ Reipub. statum, atque etiamnum, quam illo incolumi; posse rigorem illum Legalem lenitatis expertem, cum præceptis Christi simul stare; dicant iterum quomodo ex analogia religionis Christianæ colligi possit, quod ipsemet ut diximus V. M. urget, rigorem legum Christianis Magistratibus moderandum esse?*

Contorti in nos dilemmatis cornua, ambo fragilia sunt idque duplici de causa. Primùm ob ambiguitatem in vocibus *Rigor legalis & necessitas sine misericordiâ occidendi*; quæ aut latius sumuntur ita ut etiam simplicem sine summo jure supplicii capitalis irrogationem comprehendant: aut strictius pro illa nimia summi juris exactione, quæ interdum in suppliciis sub Lege interveniebat. Deinde ob alteram ambiguitatem in vocibus *Simul consistere.* Quæ aut intelligi possunt de uno tempore aut de diversis. Ergo rigor Capitalis supplicii etiam summo jure exacti; hoc est sine misericordia, cum tamen ipsi aliqua æquitatis ratio locum relinqueret; potuit simul consistere cum Christi legibus misericordia plenis, sed non secundum idem, verum secundum diversa tempora. Legibus enim Christi tempore judiciorum Ecclesiasticorum & in omni privatæ vitæ curriculo: legibus summo jure exercitis, tempore judiciorum duntaxat forensium simul, in uno Christiani hominis subjecto, locus esse poterat: ita ut etiam Christiani stante Repub. Judaicâ fortè ad Magistratum vocati leges illas Mosaico more exercere potuerint; non obstante Christianæ lenitatis habitu: cujus actui locus tunc nullus erat, cum ministerium Dei, secundum leges ab ipso latas, præstandum esset.

Multò magis igitur rigor capitalis supplicii, sine summo jure exercitus hoc est tunc, cum misericordiam nulla æquitatis ratio suo jure exigit, (cui nunc soli in Christiani Magistratus officio locum relinquimus) nunc cum Christi legibus simul consistere potest, diversis tamen, ut ostendimus temporibus; quia in Ecclesiastico regimine neque Coactivæ potestati neque capitalibus suppliciis locus est.

Quærenti autem, quomodo ex analogia religionis colligi possit rigorem legum Christianis Magistratibus moderandum esse, quamvis ille cum Christiana lenitate simul consistere possit; respondemus, eo modo, quòd analogia religionis nos doceat quantum possumus de summo jure decedere misericordia & benignitate, quoties nobis integrum est erga omnes uti. Ergo & magistratui quoties per publicę salutis rationem licet supplicia sontium benignitate temperanda sunt. Tametsi enim rigor legum forensium cum legibus Christi simul consistere posset, tamen id secundum quid, non simpliciter intelligendum est; hoc est quatenus in diversis circumstantiis & temporibus non quatenus secundum idem & eodem tempore consideratur. Multa enim sunt quæ plane secundum idem considerata, in eodem subjecto simul consistere nequeunt. At secundum diversa tempora & circumstantias; possunt. qualis est clementia & severitas, liberalitas & frugalitas. Eodem modo tempestivus & moderatè exercitus legum rigor in officio Magistratus, cum ordinario in omnibus reliquis vitæ officiis lenitatis & misericordiæ habitu. Quemadmodum autem iniquissimum

est

est quando spiritualium religionis officiorum sanctitas, ad carnalem forensium amissim, exigitur: quod accidit cum in religionis messem vis coactiva falcem suum immittit: ita æquissimum & convenientissimum est ut carnalium & forensium officiorum austeritas, ad spiritualis sanctitatis amussim exigatur: & nobiliorum officiorum benignitate condiatur. Non enim corpus animam sed anima corpus regere ac perficere debet; nec nobiliora ignobiliorum sordibus inquinari; sed ignobiliora nobiliorum colore tingi par est.

Ex iis quæ dicta sunt, patet responsio ad alterum dilemma, cui Vir Bonus durantis Reipub. Hebrææ Status hypothesin substernit. Quamvis enim rigor ille Legis Mosaicæ; etiam tunc, potuerit, ut dictum est, ratione diversorum temporum & officiorum, cum legibus Christi ut ostendimus, simul hoc est in eodem homine locum habere; imò & nunc quoque possit, si qua ejus rei esset necessitas: Tamen quando nulla necessitate ejus adhibendi urgemur præstat nunc, ut Judices, benigniori modo leges forenses exerceant; atque in iis exercendis id à Christiani fœderis lenitate mutuentur; quod Mosaicis judicibus à fœdere suo mutuari non licuit: Non modo quia tunc nulla Lex gratiæ lata erat à qua id mutuarentur: sed etiam quia in divinis legibus moderandis, non erant tunc ita liberi Magistratus ut nunc sunt, ità humanis. Sublata autem Hebræorum Repub. leges quoque cum rigore sua sublatas esse necesse est. Jure igitur ad eam moderationem Magistratus exhortari possumus, quando nunc illius rigoris necessitate soluti sunt; quo Mosaici Judices non erant soluti.

Quod ad locum Petri attinet, ut illic sermonem esse de patientia religionis causa censeremus, verborum in *vers.* 19. adjectione adducti sumus, quibus id esse dicitur Gratia apud Deum, si quis propter Conscientiam Dei patiatur; qui locus geminus esse videtur aliis; in quibus felices vocantur, qui patiuntur propter Justitiam; sicut olim prophetæ: qui loci vulgò ad persecutiones & martyria referuntur. Sed quia causæ nostræ nihil interest utrum hoc loco patientia ista latius protendatur, ad injurias etiam extrà religionis causam, nec ne; ideò de sensu verborum istorum, cum Viro Bono brevitatis causa, non litigabimus. Neque enim negamus nobis etiam citrà religionis respectum, iniquè illatas injurias esse patiendas, præsertim à superioribus, quibus resistere non licet; de quibus manifestè hoc loco Petrus loquitur. Sed non ideò hoc patientiæ præceptum pertinebit ad eos quorum munus est uti potestate suâ, tunc eum ratio eorum officii exigit ut eâ utantur, quales sunt Magistratus. Non enim quia servi Dominorum etiam iniquorum, injurias ferre debent: ideò Domini servorum injurias aut nequitiam & flagitia pati: Multò minùs autem Magistratus publici subditorum scelera ferre tenentur. Manet igitur intacta Responsio nostra; nec ulla dilatatione sensus verborum hujus loci Vir Bonus quicquam profecit.

Argumentum ab exemplo mulieris in adulterio deprehensæ supra cap. satis superque refutavimus. Sed tamen & nunc refellenda sunt ea, quæ ad confirmationem ejus adducuntur. Verum hoc loco primum notandum est Virum Bonum ad illud argumentum in fronte responsionis nostræ collocatum; quo ostendimus Dominum potestatem Magistratuum non convulsisse, sed potius confirmasse, quia tam luculenta occasione sibi oblata, juris Magistratuum convellendi, nullam de eo abrogando legem tulit; sed potius illud confirmavit, docens exemplo suo, in ejus messem alienam falcem non immittendam; præterea ad refutationem assertionis adversariorum; quos non pudet affirmare Dominum propter periculi metum doctrinam de Magistratu palàm aperire ausum non esse: nihil omninò respondisse. Sed tantum ex eo quod nulla necessitate coacti, sed fiducia causæ, liberaliter adversariis concessimus argumentari. Quia nimirum largiamur Christum voluisse in hoc facto Legis executionem impedire; quod opinione Viri Boni nihil aliud sit; quam legem frangere & violare; concludit Christum leges de capitalibus supplicis abrogasse.

Ad hanc argumentationem respondendo, principio dicimus argumenta ejusmodi ex singularibus factorum exemplis universales leges, aut voluntatis habitus aut dispositiones colligentia; non majoris esse ponderis quàm Collectiones à specie aut individuo, ad genus universaliter arguentes. Ut si quis ex eo, quod homo sit rationalis, colligat omne animal esse rationale; aut ex eo quod David semel adulterium commisit; eum se semper adulteriorum flagitiis polluisse: denique ex eo quod benignus Judex semel alicui supplicii pro commisso scelere debiti gratiam fecerit; eum nolle unquam pro ejusmodi sceleribus debita supplicia exigi.

Deinde Legis qualiscunque sit illa; seu præcipiens sive interdicens, (Nam permissiones legum, quas Vir Bonus leges permittentes vocat; quia pœnis armatæ esse non solent, vix leges propriè dici possunt.) executio sæpe impediri potest; etiamsi lex illa non frangatur, nec violetur, multò minus abrogetur. Aliud enim est tollere penitus aut abolere legem: aliud executionem ejus interdum suspendere, aut impedire. Nec judex aut Magistratus vim legis tollit; aut infringit, quoties interdum gravem & justam ob causam peccantibus parcit. Aliàs Deus ipse quoties justificat eos qui puniri meruerant, leges suas frangere aut abolere, dicendus esset. Relinquamus ista Stoicæ grandiloquentiæ deliria; quibus & peccata omnia erant æqualia; & nullus veniæ locus relinquebatur. Potest vigor legum integer servari, etiamsi rigor earum perpetuus exulet; & interdum misericordiæ locus sit. Præterea ne illud quidem aliquid momenti habet. Si, quod Grotius verè sed non universaliter asserit, talia fuisse quædam de pœnis capitalibus præcepta, ut Magistratus reus futurus fuisset apud Deum, nisi illa executus fuisset; verum est: idcirco illud quoque verum esse, quicunque executionem illam facto aut conatu impediebat, quod reus quoque apud Deum fuerit. Quid enim si quis istius legum executionis impediendæ potestatem haberet; quales solent esse summi Magistratus, qui sæpe ipsi sunt Legislatores. Frequenter autem contingere potest, quod subalterno judici, absque culpa Legis executionem omittere non liceat; quam tamen superiori judici liceat impedire. Annon autem Christus judicibus illis longè fuit superior? qui si tollendæ ut fatetur Vir Bonus legis illius potestatem habuit; cur executionis ejus impediendæ potestatem non habuisse censendus est? Sed etsi quispiam nullum sibi jus aut potestatem moderandarum legum usurpet, ut Christus ipse non usurpavit, sæpe alicujus legis executionem impedire potest sine ulla culpa aut reatu suo apud Deum (ut Viri Boni verbis utamur) quales esse solent Intercessores ac Deprecatores sive apud Deum; sive apud homines, quoties damnatis aut damnandis alicujus delicti veniam impetrant.

Atque hæc omnia dicta sunto, etiamsi id quod Viro Bono largiti sumus, simpliciter & absolutè largiti fuissemus. Quod tamen secus se habet. Neque enim illud adversariis concessimus, Christum absolutè voluisse, in hoc facto executionem Legis impedire; sed conditionatè, si nimirum executio ista aut potius eam præcedens damnatio, opera & ministerio ipsius Christi, peragi deberet. Nam si absolutè Dominus mulierem hanc judicio eripere voluisset, ad primam Accusatorum vocem ejectus fuisset; & statim imminenti supplicio mulieris, occurrendum sibi statuisset, quod tamen non fecit, sed judicium hujus rei sibi delatum; tanquam rem ad se non pertinentem, neglexit. Quamvis hoc facillime evenire potuisse videret ut illi accusatores vel ipso neglectu Domini offensi; omisso ejus judicio, ad aliud judicum subsellium mulierem abriperent, unde evadere non posset. Huic igitur periculo statim sibi occurrendum censuisset, si eam supplicio eripere, absolutè voluisset. Sed ex facti circumstantiis apparet Dominum tunc demum servandæ mulieris consilium & voluntatem sumpsisse, cum ad eam

damnandam

damnandam importunitate Accusatorum adigeretur.

Præterea non id adversariis concessimus, Christū simpliciter executionem legis quoquomodo impedire voluisse; sed secundum quid; & modo mirabilis sapientiæ pleno. Ut enim Christus mulierem illam operâ & sententia sua noluit esse damnatam: ita ne damnationem quidem ejus operâ sua verè ac propriè voluit esse impeditam. Neque enim Christus quicquam aut fecit aut dixit, quod executionem Legis tunc verè impediret. Licebat enim ipsis accusatoribus Christo non prohibente in damnatione mulieris porrò progredi. Tantum illis ostendit, se conscium esse eorum criminum, quibus ipsi quoque simili supplicio plecti mererentur. Quod ubi intellexere, ipsimet ultrò sine ulla interceptione aut prohibitione, executionem illius Legis impediverunt, abstinentes ab ulteriori accusatione aut damnatione: in qua ipsis porrò progredi licuit, nisi conscientia flagitiorum perculsi; ipsimet sua sponte accusationem deseruissent. Jam verò qui judicem aut accusatorem ejusdem quod accusatur criminis reum ostendit, si forte is ab accusando aut damnando abstineat; non ideò verè ac propriè legis qua tenebantur executionem impediviſse censendus est; cum id genus impedimentum ipsi illi judici aut accusatori sceleris sui conscio tribuendum sit. Itaque hæc hypothesis cui Vir Bonus argumentum suum superstruxit, pravè à Viro Bono intellecta, & quo sensu argumentationem ejus fulcire videtur, falsa est; unde & argumentum corruere necesse est.

Respondet posteà ad argumenta nostra; quibus confirmatam hoc loco Mosis legem probavimus. Quorum primum est ab ipso facto; hoc est Neglectu & silentio Christi, cum de legis istius auctoritate rogaretur. Ait igitur Dominum isto silentio multò efficacius, quàm ulla voce potuerit, sententiam suam protulisse, scilicet non esse faciendum, quod Lex jubebat, hoc est asserit Dominum dissensum suum & oppositionem legis mandato, silentio illo efficacissimè protulisse. Quod certè ridiculum est. Quis enim unquam, tunc, cum res aliqua viget ac locum habet, (quales tunc erant leges forenses Mosaicæ) tacendo dissensum suum ab ea aperte aut efficaciter, & quidem efficacius omni voce, testari potest? Annon qui tacet potius consentire videtur, præsertim iis quæ silentii tempore, ab omnibus vulgò probantur ac recepta sunt.

At urget. *Si Legis mandatum nolebat violari; sed manere integram ejus auctoritatem, cur non clarè aut apertè legi parendum esse asseruit?* Sunt multæ quæstiones adeò inutiles, ut indignæ sint ullo responso; quarum è numero est, Utrum legi divinæ (tunc cum eam esse abrogatam non apparet) parendum sit. Quis enim de eo dubitare ausit: & quis non ejusmodi quæstiunculas, neglectu ac silentio solvendas esse censeat? Deinde cum Christus nullius terreni potestatis officiis sese immiscere voluerit; inimici autem ipsius vellent ut in capitali judicio sententiam ferret: satis causæ habuit Dominus cur eorum subdolæ & malignæ voluntati morem non gereret; & taceret tunc cum illum loqui cupiebant.

At si rogatus, inquit, *fuisset, utrum servanda esset lex Mosis de vitandis adulteriis, nec ne; rogat an credamus eum taciturum fuisse.* Facile in eam partem inclinamus fieri potuisse, ut etiam ejusmodi quæstionem silentio revinceret, quia vanitate & inutilitate suâ priori non cedit; improbitate verò illam etiam superat. Quis enim ad ea respondere dignetur, ad quæ sibi quisque rogantium respondere potest? Sed etiamsi non taciturum fuisse dicamus: longè gravior fuisset ad eam, quàm ad priorem respondendi causa, ob quandam necessitatem coarguendæ eorum improbitatis, qui tàm manifesta in dubium vocare auderent: Cum illa prior quæstio de executione legis in aliquo singulari facto, nisi quid aliud extrinsecus interveniat, per se, non sit adeò impudens; quia novum non fit, executionem generalium legum in casibus singularibus impediri, salva ipsarum legum auctoritate.

Deinde Respondet ad alterum argumentum nostrum, quo adeò non tollere Dominum Mosis legem de adulterio ostendimus, ut etiam modum executionis ejus præscripserit. Atque ait *modum hunc, saltem apud eos qui tunc mulierem accusabant fuisse impossibilem.* Quid tùm posteà? Inde tamen non sequitur; quia in illo singulari facto Dominus executionem legis impediri voluerit; idcircò ipsam legem abrogari voluisse. Talem enim modum exequendæ legis præscribit; qui tametsi tunc per accidens, ob intervenientem accusatorum nequitiam, fuerit impossibilis, per se tamen, & in aliis casibus, impossibilis non fuerit. Quid enim repugnat quominus eadem aut alia forte mulier, ab aliis accusari aut judicari potuerit; qui nullius sibi capitalis criminis conscii fuerint?

Rogat posteà, quæ ratio nos *cogat, ut generalia verba Christi stringamus ac non de omnium omninò, sed tantum capitalium delictorum conscientia eum loqui censeamus.* Cogit primùm materia subjecta: deinde ipsa naturalis æquitatis ratio. De capitalibus enim delictis sermo erat; quid igitur opus est, eum ad omne omninò delictorum genus extendere? Præsertim cum de levioribus verba ista intelligi non sinat æquitatis naturalis ratio; quæ nullo modo id requirit, ut qui capitalia delicta puniat atque coërceat; omnis omninò etiam levioris delicti, expers esse teneatur: neque requirit ut qui vel minimi delicti sibi conscius est, gravia delicta punire non possit, præsertim eo modo quem Deus ipse præscripsit. Quod planè iniquum & contrà omnem est rationem. Verba autem Domini solida ratione & æquitate naturali subnixa esse oportuit. Quæ igitur à nobis dici audit; non simplici conjecturâ divinari; sed gravi ratione probari audiat.

Nam quod explicationem nostram hoc argumento oppugnat; quia hac ratione Dominus improbasset & damnasset, omnium impiorum ac sceleratorum judicum; quales plerique sunt Magistratus decreta, leve ac frivolum est. Nec enim illis verbis Christus ipsa hominum sceleratorum decreta, justè ac legitimè lata; sed potiùs facta & culpas damnat ac reprehendit. Nam neque illi in eo peccant, quod justa decreta legitimè pronuncient; sed quod cum ipsi delicta puniant, eorumque culpas puniendo agnoscant; ipsi tamen eadem quę proprio judicio damnant; committere non vereantur. Non igitur verba Christi jus pœnarum convellunt; sed quam alieni esse debeant punientes, ab eorum delictorum quæ puniunt culpâ & reatu, ostendunt.

Æque futile est illud, quòd capitalium pœnarum interdictum naturali *æquitate niti asserat; quæ alteri fauere prohibet; quod qui spiam sibi fieri nollet* & contrà. Naturalis enim ista æquitas, quæ nostram propriam erga nosmet ipsos voluntatem pro regula eorum quæ aliis debemus officiorum statuit: de justa & rationabili voluntate, non de iniquo & stolido desiderio intelligenda est. Qui igitur pœnas pati nollet, cum sibi peccandi licentiam permittat; aut vellet ut sibi impunè scelerato esse liceat, ejus voluntas pro regula officiorum in proximum haberi non debet; nec ulla naturali æquitate nititur.

At enim, urget, etiamsi paria hic intelligerentur peccata, & naturalis illa *æquitas respiceretur; tamen impossibilem hic conditionem à Christo proponi, quia non satis est aliquem non laborare ullo crimine; sed oportet eum nullo unquam laborasse; quod nemo mortalium jactare potest.* Atqui si paria hic intelligenda sint peccata; de capitalibus autem sermo sit; non videtur impossibile quenquam capitalis criminis expertem esse, quamvis aliorum fortè quæ terreni Magistratus morte non puniunt, expers esse nequeat. Deinde etiam in gravioribus peccatis accidere potest; ut quis veniam sive à Deo; sive à Magistratu consecutus ita resipiscat, ut non modo habitu illius peccati non teneatur: sed actibus quoque ejus planè abstineat. Qui certè in tali statu consideratus, ut à Deo habetur, ita ab hominibus quoque (quoad illud peccatum) pro insonte meritò habendus est; ut ejusmodi vitia à quorum sordibus jamdudum ablutus est; in aliis non modo reprehendere;

dere: sed punire quoque possit; salva tamen Christianæ lenitatis moderatione: cujus monitum ac præceptum hoc loco à Christo tacitè proponi, non omnino diffitemur. Tertiam & quartam rationem nostram V. B. contemnere vult videri & tamen anxiè oppugnat; nec multùm proficit.

In tertia nescio quam subtilitatem nostram reprehendit, quod discrimen inter eum qui absolvit; & eum qui tantum non condemnat ostendamus. Quasi verò in eo milium terebrandum sit; & non palpabilis diversitas ultro se offerat, inter eum qui absolvit; & inter eum, qui ideo non condemnat; quia etiam judicare detrectavit; idque expressis verbis profitetur, se ideo non damnare, quia nec alii damnaverint; non obscurè significans, si alii damnavissent, sese illorum sententiæ intercessurum non fuisse. Nec enim criminalium judiciorum munus suscipere potuit, qui etiam civilium detrectavit.

Quartam rationem refellens *ait in verbis Christi nullam comminationem esse.* Quasi verò tacita subesse nequeat; quamvis ex professo non exprimatur. At, inquit, *Christus nunquam solitus est pœnas corporales peccatoribus comminari.* Quid? an occasione cædis Galilæorum à Pilato factæ & collapsæ turris Siloë; pœnarum corporalium metu peccatores non terruit? At qui, subjungit, *tametsi pœnas corporales mulieri comminatus fuisset; id non ex mente Evangelii fuisset.* Quid tum postea? At ex mente legum forensium, quarum auctoritatem Evangelio suo confirmavit.

Subjicit posteà V. B rationes, cur Christus tunc apertè legem novam non tulerit de capitalium suppliciorum potestate, Magistratibus Christianis abroganda. Quas initio statim proponere debuerat; Sed ne vanitas earum conspicua esset placuit eas abdere in has latebras. *Quia,* inquit, *ipsi non cum discipulis suis res erat; sed cum adversariis.* Quid? an occasione adversariorum, Saducæorum, Herodianorum, Pharisæorum, qui ansas nocendi Domino captabant, nullas doctrinas proposuit; de resurrectione, de obsequio Magistratium, de Lege Caritatis, & aliis non paucis; etiamsi fortè à perversis tentatoribus rejicerentur, saltem discipulis audientibus profuturas?

At eorum astum, arte eludere voluit. Rectè id quidem; Ars enim arte eludenda est. Sed in eo nullum fuisset laude dignum artificium; si rogatus de nova lege quam V. B. judicio, tulerat; Confessionem & confirmationem reticuisset, aut omisisset. *At nullam iis calumniandi apud Magistratum ansam præbere voluit.* Calumniarum ansas vitare prudentia docet. Sed ubi à Deo missus Magister, de nova doctrina interrogatur; quamvis eam homines oderint ac detestentur, nullo modo eam salvo officio supprimere potest: sed ingenuè & apertè profiteri tenetur, quicquid periculi impendeat. Nec si vera esset V. B. sententia ista calumnia fuisset, si eo nomine apud Magistratum Dominus accusatus fuisset; quod novam doctrinam abrogantem jus suppliciorum afferret; sed verissimæ rei objectio. Quam agnoscere & pro sapientia sua invictis rationibus defendere potius; quàm intempestivo tunc cum maxime de ea rogaretur, silentio, tacitè abnegare, debuisset. Nullum calumniarum periculum metuendum est; in ejus rei apertâ professione quæ ad salutare aliquod ac necessarium religionis dogma pertinet, præcipuè cum ipse novæ religionis Magister de eo interrogatur. Indignissimè igitur id Domino affingitur; quod in fortissimum martyrum omnium Ducem cadere non potest.

Deinde ait. *Quid opus erat ut Christus novas leges conderet de puniendis adulteris extrà Ecclesiam existentibus, cum nullam peculiarem Rempub. Christianis assignaturus esset, nec vellet eos judices ac Magistratus summos in hoc Mundo esse?* Duas rationes ut videmus affert, ob quas Christus novam legem de non puniendis adulteris ferre opus non habuerit. Prima est, quod nullam peculiarem Rempub. Christianis assignaturus esset. In qua aut statum quæstionis more suo mutat; aut falsissimam consequentiam infert. Nam si ex ea ratione id concludit, quod non opus habuerit Christus, legem spiritualem de adulteris aliisque maleficis hominibus capite non plectendis ferre: nihil ineptius ista consequentia excogitari potuit. Quid enim obstat id quod Dominus nullam peculiarem Remp. Christianis assignaret? quominus is spirituales leges de vitandis capitalibus suppliciis ferret? Qui peculiarem Rempub. non instituit, forenses leges nihil erat quod ferret. At non ideò spirituales & religioni necessarias omittere debuit. Sin ut consequentia alicujus ponderis videatur; id concludit, quod Christus non opus habuerit, forensem de adulteris legem condere, more suo mutat quæstionis statum, & vagatur extra oleas. Nec enim ad eam quæstionem respondet, de qua rogabatur; sed ad aliam, de qua non quæritur, quia nec dubitatur.

Secundam rationem affert, cur Dominus Christianis novas leges, circa adulterorum & aliorum maleficorum pœnas, ferre opus non haberet; quia inquit nollet eos judices ac Magistratus in hoc mundo esse. Hic quoque V. B. præterquam, quod, (quomodocunque verba sua intelligat) crasso Petitionis principii laqueo implicatur: nisi mutat quæstionis statum & nisi de forensi lege concludit: falsissimam infert consequentiam. Tantum enim abest, ut ob eam rationem Christus Spiritualem de vitandis capitalibus suppliciis legem, aut doctrinam ferre opus non habuerit; ut vel maximè ac necessariò ideo ipsi ferenda esset, quia Christianos nollet esse Judices ac Magistratus.

Superest argumentum, quod V. B. ita proponit. Nullum fuisset Christianis convenientius bellum quàm susceptum pro honore & gloria Christi Regis nostri, eum perdere gentem Judaicam, & injuriarum suarum ultionem sumere de inimicis suis vellet. At Christus in eo bello Christianorum opera uti noluit sed idololatrarum. E. nullum est tam justum bellum quod Christianos deceat. Hujus argumenti refutationem nostram satis alioqui luculentam, ut facilius carpere possit V. B. nimis exiliter eam & jejune proponit. Cum enim nos argumentationis propositæ priorem positionem primum omnium solide refutassemus ejusq; futilitatem sufficienter exagitassemus; ostendentes quod in ea Christianis convenientissimum bellum dicitur, iisdem Christianis longe omnium incovenientissimum fuisse: V. B. nos ad posteriorem duntaxat respondentes facit: & quidem primum non satis bona fide Responsionem nostram referendo; quod Lector ex collatione genuinorum verborum nostrorum, cum iis, quibus responsionē nostram exponit, per se facilè animad vertet. Deinde id facit ita ut Lectori illius captionis laqueum tendat, quæ A dicto secundū quid, ad simpliciter, dicitur. Ait enim responderi à nobis *Non factum id à Christo propter inhonestatem, sed propter impossibilitatem;* statimque urgere non dubitat. *Ergone id efficere ut Christiani hoc bellum gererent, Christo non fuit ullo modo possibile?* Ubi quis non videt, objici nobis tanquam absolutè id & omni modo fuisse impossibile censeamus, quod nos tantum secundum quid & ex hypothesi fuisse impossibile diximus: quatenus nimirum Spiritualis Christianorum regni naturæ, & Christi consilio ac voluntati repugnabat. Nam si Christus in eo speciali facto, naturam regni sui mutare aut etiam omninò Christianorum operā ea in re uti voluisset, non erat id absolutè impossibile: cum ipsi aliquid præter ordinariū Spiritualis illius & precarii regni sui morem atq; institutum facere licuerit: præcipuè quia & coactivæ potestatis, expers non esset; imo vero pro sapiētia sua rationē inire potuerit, per quam nihil mutato regni sui genio, id per Christianos fieri potuerit, ut si Vespas. patrem & filiū jam ad principalis fastigii culmen evectos, veræ fidei lumine illustrasset.

Sed veniamus ad ea quibus responsi nostram convellere nititur. Primam igitur rationē nostram, quæ ex eo infert Christum non potuisse ad bellum Judaicum Christianis illius temporis uti: quia id regni ejus naturæ repugnaret, ait Magis inhonestatem quàm impossibilitatem arguere, aut saltem impossibilem rem fuisse propter inhonestatem ostendere. *Quomodo enim,* inquit, *id honestum esse potest, quod naturæ regni Christi ac religionis repugnet?*

Actiones humanæ in quibus rectitudo aut pravitas, honestas aut inhonestas locū habent, quanquā eædē videantur: tamē pro varietate circumstantiarū quibus applicantur; quoq; tunc dum fiunt interveniunt; interdū rectæ, interdum

terdum pravę dici ſolent, quia factorum naturam immutant circumſtantiæ. Potest actio aliqua natura ſua honeſta eſſe, quę tamen ſi ad res religionis applicetur non quidem inhoneſta (niſi vocis ambiguitate ludere velimus) ſed prava & vitioſa evadat: qualis eſt Coactivæ poteſtatis uſurpatio, qua homines ſive per forenſem: ſive per domeſticam; ſive per Scholaſticam diſciplinam, ad officium coguntur. Quæ ſi ad cogendas religionis virtutes adhibeatur, nihil magis eâ pravum ac præpoſterum fingi poteſt; quamvis & natura ſua honeſta ſit; & vulgo quoque non inhoneſta cenſeatur, niſi forte quis ſenſum vocis hujus urgere velit inuſitatiorem. Eſſe igitur & dici aliquid honeſtum poteſt, quamvis naturę regni Chriſti repugnet.

Deinde diſtinguit hoc loco regnum Chriſti; quod fecit & ſine neceſſitate, & non ſatis verè aut competenter. Sine neceſſitate. Tunc enim diſtinctioni huic regni Chriſti locus fuiſſet, ſi in argumento noſtro alio ſenſu vox iſta ſumeretur, quàm in quæſtione ſumitur. Atqui in præſenti quæſtione, vox iſta de ſpirituali & precario Chriſti regno, quod Coactivę poteſtatis expers eſt, ſumitur. De eo enim regno quæritur, quo Chriſtus Eccleſiam in terris exiſtentem & Religionem; non quo Mundi Reſpub. & cætera omnia gubernat, quæ Coactivæ ejus poteſtati ſubſunt. Nec de alio regni genere argumentatio noſtra loquitur.

Non ſatis verè autem, nec ſatis competenter, diſtinguit hoc loco regnum Chriſti quia cum hic de ſpirituali non de coactivo regno quæſtio ſit, ille regnum hoc in Chriſto, ſecundum diverſa tempora tantum diſtinguit, cum potius ſecundum diverſas regnandi naturas, diſtinguendum eſſet. Nec enim hoc loco ſufficit, tempora Chriſti in cælo regnantis & in terra conſtituti diſtinguere, ſed modus quoq; regnandi abſtractus ab ipſa temporum circumſtantia, diſtinguendus eſt; quia diverſitas iſta regnandi, non eſt affixa temporum diverſitati. Documento eſt, quod regnum illud precarium & ſpirituale, quo Chriſtus ſine coactiva poteſtate in Eccleſia regnat; non fuerit ita affixum tempori quo in terris vixit; quin etiam nunc in cælis exiſtens, eodem regnandi modo in Eccleſia regnet. Unde non abſurdè colligi poteſt, nec poteſtatem regni ejus coactivam, ita eſſe affixam tempori exaltationis ejus; quin ejus aliqua ſpecimina etiam in terris edere potuerit. Sed Viro Bono undecunque arripienda fuit, anſa & occaſio inculcandi, non falſi tantum ſed fallacis quoque illius theorematis, de Chriſti actionibus, quales in terris duntaxat fuere non autem quales in cælis nunc ſunt, imitandis. Quaſi nemo nobis in Sacris literis ad imitandum proponatur, niſi qui nobiſcum aliquando in carne vixerit: aut quaſi Chriſto aliquid nunc de perfectiſſima ſanctimonia deceſſerit.

Rogat poſteà *cur repugnaret naturæ regni Chriſti & religioni ejus ſi Chriſtianorum miniſterio in bello pro ſe contra Judæos gerendo uſus fuiſſet.* Antequam ad quæſtionem reſpondeamus, eximendus eſt ab ea laqueus qui Reſpondenti tenditur fallaciæ à dicto ſecundum quid, ad ſimpliciter. Non enim nos ſimpliciter diximus repugnare naturæ regni Chriſti & religionis, ſi Chriſtus in aliquo bello gerendo Chriſtianorum miniſterio uteretur; imo verò ſi in ipſo quoq; illo Judaico Chriſtianorum opera uſus fuiſſet. Fingamus enim Veſpaſianos ante excidium Judaicæ gentis Chriſtianos evaſiſſe. Non repugnaſſet, opinor, & tunc religioni, ſi Veſpaſiani ex officio Imperatorum rebelles Judęos, cęteris eorum ſubjectis populis infeſtiſſimos, armis compeſcuiſſent, & quæ homines obſtinati in bellis mala ſibi accerſunt iis intuliſſent. Non enim id propter religionem propagandam, quæ iſtiuſmodi armis non indiget, aut ejus injurias ulciſcendas; ſed propter Rempub. quæ indiget, feciſſent. Sed quod diximus ſecundum quid intelligendum eſt, hoc eſt repugnaturum fuiſſe regno Chriſti & religioni, ſi Chriſtiani qui tunc per orbem nondum cum imperio erant, extraordinario & illegitimo modo coitione facta, Chriſti injurias ulciſci, aut religionem ſuam in Judæa armis propagare voluiſſent; quia religio & regnum Chriſti ſpirituale iſtiuſmodi fui propagandi rationibus, in quibus ſive enſis, ſive violentię poteſtatis uſus intervenit, non modo non indigebat; ſed eas prohibebat. At idem regnum & religio poteſtates & Reſpub. ſuo jure uti non prohibet, imò ipſis gladium in manus tradit; quia Chriſtus & Apoſtoli non erant ignari eas iſtiuſmodi rationibus indigere. Nunc igitur ſic explicata aſſertione noſtra: quæremus V. B. cur repugnaret naturę Regni Chriſti ac religionis inſtituto, ſi Chriſtianorũ miniſterio Chriſtus in bello Pro ſe contra Judæos gerendo tunc uſus fuiſſet; reſpondemus, Quia Chriſtus, neque tunc cum indigere videretur ut defenſio & bellum privatum pro ipſo ſuſciperetur; id fieri à diſcipulis ſuis voluit; imo id fieri prohibuit: neque poſteà unquam indigebat; ut quiſquam Pro Ipſo bellum gereret; præterea ejuſmodi naturæ religionẽ ſuam eſſe voluit quę ad conſervationẽ aut propagationẽ ſui; non modo armis non indigeret; ſed indigeret ac poſtularet, ut abſq; ullis armis propagaretur & conſervaretur, quia Chriſtus nunquã eam coactam, ſed libertimâ & ex liberrima animi proæreſi, ſuſceptam eſſe voluit. Hac igitur tàm ſufficienti & certa ratione allata, nihil eſt quod alias quæramus; præſertim falſas aut certe dubias & controverſas.

Quamobrem Dilemmatis in nos contorti alterum cornu, h. e. *quòd miniſtrare Chriſto in bello gerendo non repugnet religioni Chriſtianæ*, nos minimè ferit, qui id omnino ſentiamus atque aperte profiteamur; & pro neceſſario axiomate habeamus. Quid enim magis religioni conſentaneum eſt: quàm miniſtrare Chriſto quacunque in re quam ille fieri velit; cum is nihil religioni ſuę diſſentaneum imperare aut velle poſſit? Quod ſi V. B. iſtam Dilemmatis ſui partem ita explicet, ut quæratur; An Chriſto miniſtrare in bello gerendo religionis ſuæ propagandæ aut injuriarum ſuarum ulciſcendarum gratiâ, repugnet religioni ejus; ne iſtud quidem cornu ad feriendum quenquam ullam vim aut robur habet; quia ſuamet futilitate, eaque multiplici; etiam ante datum deſtinato ictum, frangitur. Prę terquam enim quod plurium interrogationum ſimul ac petitionis principii fallaciâ captioſum ſit: contradictionem in adjecto manifeſtam involvit. Captio interrogationum in eo eſt; quod prius quærendum fuerit. An Chriſtus ſibi in rebus iſtiuſmodi miniſtrari velit; (quod falſo pro conceſſo ſumitur, & ipſum vel maximè eſt in controverſia) quam quæreretur An Chriſto in his rebus miniſtrandum ſit; quod, illo pro conceſſo jam poſito, eſt extra omnem controverſiam. Contradictionem verò implicat; dum quæritur An Chriſto miniſtrandum ſit, in ulciſcendis bello injuriis ſuis, aut propaganda religione quorum utrumque ab ea prohibitum ſit. Quomodo enim cuiquam in eo miniſtrari poteſt, quod plane prohibuit; aut quomodo religio armis propagari poſſit, quę ab omni coactione debet eſſe quàm alieniſſima? Poteſt igitur Chriſto in bello gerendo, etiam à Chriſtianis Magiſtratibus miniſtrari; atque adeò in Judaico quoq; potuit: ſed non aut Chriſti injuriarum ulciſcendarum; aut propagandæ religionis ejus cauſa, quia miniſterium hoc ea de cauſa ſuſceptum Chriſtus aſperneretur ac prohibeat: cum ob alias cauſas legitimè adminiſtratum admittat. Quemadmodum poteſt Deo in ſupplicio de maleficis ſumpto, miniſtrari ſed non vel in parum juſtè irrogato; vel ab iis quibus ejuſmodi jus non conceſſit, quia Deus bella & ſupplicia non ſimpliciter permiſit, ſed nonniſi juſtis & competentibus de cauſis & legitimè ſumpta aut irrogata.

Chriſti injurias ulciſci, cum eas Chriſtus vult armis ulciſci; Chriſtianis non modò nefas non eſt, ſed planè incumbit. Verum quod ſuas injurias Chriſtus armis Chriſtianorum, quâ ſunt Chriſtiani ulciſci velit; aut velle poſſit falſiſſimum ac ſeditioſum eſt. Ita enim licuiſſet cuivis Chriſtianorum, etiam privato, de Anna, & Caipha atque ipſo Pilato mortis Chriſti ſumere ultionem. Poteſt tamen fingi caſus quo & Chriſtianis, Chriſti quoque injurias ulciſci aut potius punire, non repugnante Chriſti religione, licere potuerit; ut ſi fingamus Tiberium Imperatorem ſub quo Sceleratæ iſtæ injuriæ patrabantur; aut Præſidem aliquem Syriæ ab eo cum ſummo imperio miſſum; Chriſtianę religionis luce illuſtratum fuiſſe: Poſito eo caſu nullum dubium eſt. Magiſtratum hunc, ſi ad judicii ejus cauſa hæc devoluta fuiſſet, de interfectoribus

Chriſti

Christi insontis supplicium sumere potuisse. Id tamen fecisset, non tanquam Christianus, sed tanquam Magistratus, ex muneris sui officio, quia ipsi Deus gladium tradidit, ad vindictam sontium in bonum insontium. Nam quod Christianus quoque esset, ille Magistratus, id, (quod ad vindictæ illius sumptionem attinet) ex accidenti fuisset; quia per se etiam Christianæ religionis expers, insontis necem ex officio muneris sibi impositi, vindicare debuisset. Ponamus alterum quod fingi opus non est; quia quotidie accidere potest, exemplum. Christi injurias propriè loquendo ulcisci hodie nemo potest; quod is extra omnem injuriarum ictum positus sit. Quia tamen Christus quicquid ejus fidelibus boni aut mali ab hominibus accidit, sibimet vult ferri acceptum; si contingat eos injuria affici, Christum ipsum injuriâ affectum, non incongruo loquendi modo, dici potest. Eorum igitur injurias Magistratus pius & Christianus, quando vindicat; Christi injurias vindicare dici potest. Idque meritò ac legitimè facere potest ac tenetur quoque; nec in eo adversus religionem peccat; quia id non facit ideò ut religionem coactivâ potestate vindicet aut defendat; sed ut innocentiam & libertatem eorum qui suæ potestati à Deo subjecti sunt, protegat. Non igitur ejus facti causa per se ac proximè impellens, est religio; sed muneris ipsi impositi officium: tametsi ejusdem facti causa per accidens, ac remotius impellens, possit quoque secundum quid dici Religio, quatenus eadem Magistratus officium & vocationem approbat; imò verò laudat & commendat; tanquam Dei ministerium; ac præterea requirit, ut in sua quisque vocatione, ritè ac legitimè Deo serviat. Sed quia etiam citrà omnem religionis respectum id Magistratus per se, ex muneris sui officio facere tenetur; idcirco id per se Magistratui, ejusque potestati: religioni verò nonnisi per accidens tribui potest; quatenus nimirum accidit, ut illi qui religionem Christianam sequitur, fit quoque Magistratus, aut Magistratus sit quoque Christianus.

Dum nos refellere contendit V. B. imprudens verba Domini *Joh.* XVIII. 36. 37. prolata refellit; atque ait hæc verba à Christo prolata, cum nondum reipsa Rex esset: cum tamen in iis verbis liquidò contineatur, eum jam tunc reipsa Regem fuisse: sed spiritualem non carnalem, precaria non coactivâ potestate, regnum suum regentem. Decipitur V. B. ambiguitate vocis Regni Christi; quod utrumque dictarum potestatum significare potest: sed magis in eo, quòd differentiam inter ista regna in diversitate collocet duplicis temporis; alterius quo in terris Dominus degeret; alterius quò fuit exaltatus: cum ista differentia in diversa potius regnorum istorum naturâ & modo regnandi, collocanda sit. Maximè autem in eo, quod verba à Christo prolata & doctrinam in iis comprehensam, ad illud solum tempus quo Christus in terris vixit, adstringat. Quasi illa æquè nunc, ut ante, locum non habeant: cum spirituale istud & coactivæ potestatis expers regnum Christi, quod defensionem armorum respuit & aspernatur; æque ut & ante; nunc quoque locum habeat. *At enim*, ait, *posteaquam Christus Rex factus voluit mundanis armis hostes persequi, cur non decuisset Christianos pro Christo tunc pugnare, si ipsis bellum non est indicens?*

Utrumque regni genus quod Christus nunc administrat; tàm illud populi ejus peculiare in Ecclesia, quam publicum in toto orbe, quem coactiva potestate gubernat, habet suam quandam Rempublicam. Quas inter hoc est discriminis, quod in illa peculiari Ecclesiæ Republica, quæ non ferreò sed spirituali ense regitur ac propagatur, omnes Christiani qua sunt tales, ad eam gerendam admittuntur: & Christo Regi suo, juxta præscriptas pridem ab ipso Leges, militant: & quidem non carnali aut mundano more, sed spiritualiter. At in altera publica totius orbis administratione, quæ mundano more regitur; omnes quidem tàm Christiani quàm extranei, coactivæ potestati Christi subjecti sunt; sed non omnes ad gerendam mundano more Rempub. admittuntur; verum ii tantum qui ex ordinatione Dei, ad hoc munus vocati sunt. Non semper igitur, nec omnes Christiani; ad gerendum hoc genus Reipub. admittuntur; & quicunque admittuntur; non spiritualiter sed mundano more, istam Rempub. gerunt. Præterea gubernatio Christi, quæ in iis pro arbitrio rigendis, qui sunt Orbis hujus rectores, occupatur, quia cælestis, ideò occulta est; nec unquam fere ante eventum Mortalibus liquere potest, quid voluntatis sit Christo Regum Regi, in rerum humanarum regimine, & an quenquam mundanis armis peti, aut everti velit; nisi id post eventum, & justo quidem temporis spatio interjecto, pateat. Ideò totum id quia nostræ cognitioni subductum est, Christi ipsius arbitrio relinquendum; nec in istius gubernationis arcana, à quibus manifestè arcemur, mortalibus irrumpendum est. Quod si id neminem mortalium, multò minus Christianos decet. Non igitur & tunc, cum Romani adversus Judæos rebelles arma pararent (hæc enim esse poterat unica voluntatis Christi significatio) Christianos decuisset, parum compertæ Ducis sui voluntati, præcurrere; præsertim cum ignari non essent, eum in coactivi regni sui regimine; extraordinaria ope aut operâ illorum non indigere; atque adeò ea uti nolle: imo verò extraordinarias media aspernari, cum possituti ordinariis. Christus quoque ipse tunc in exequendo decreto Dei adversus gentem illam contumacem supplicio; nullam habere potuit causam; ob quam id faceret per plura; quod facere potuit per pauciora. Quid enim opus erat, Christianos qui tunc nullam in terris potestatem tanto bello parem habebant; passim dispersos, miraculoso aut certè extrordinario modo cogere in unum, iisque bello idoneum Ducem imponere, atque hunc exercitum primum à Romanorum armis protegere: qui ad tantam rei novitatem erecti, acrius haud dubie contra novos istos Judæorum hostes quàm contrà Judæos ipsos dimicassent: deinde tyronem & collectitium hunc militem, belli inexpertum, adversus tanta pericula artibus belli instruere; cum non deesset veteranus & bellis innutritus miles, ordinaria tanti imperii potentiâ instructus. Deinde ne potuisset quidem multitudo Christianorum tanto bello idonea extrà ordinem cogi, absque violato passim Magistratuum obsequio, qui ad ejusmodi privatorum coitiones, publicæ paci metuendas connivere haud dubiè noluissent. Cur igitur Christus per exrraordinariam seditionem, cum præceptorum suorum violatione conjunctam, potius id fieri vellet, quod absque ulla legum ejus transgressione fieri poterat per ordinarios Magistratus? Sed vereor ne in re tàm plana, nimium dictum sit. II. Carpit posteà verba nostra; quod regno Spirituali & cælesti, carnalibus & mundanis armis operam navari ineptum esse dixerimus. *Atqui*, inquit, *volebat Christus, tùm non spiritualibus, sed carnalibus & mundanis armis, Regno suo navari operam. quomodo ergo id ineptum est?* Non id quod Christus apte & congrue volebat: sed id, quod Vir Bonus captiose & incongrue urget, ineptum est. Nec enim tunc Dominus Spirituali suo regno, quod coactivæ potestatis planè expers est: sed illi regno, in quo coactivæ potestati & armis mundanis locus est, navari operam voluit. Aliud enim est regnum ejus, quod in Ecclesia; aliud quod in reliquo terrarum orbe exercet. Atqui nos de regno ejus, quo Ecclesia regitur, loquebamur. Vir Bonus ad aliud regni genus non sine fallaci ambiguitate, transilit. Non mirum est igitur, illud idem quod in illo Regni genere ineptum fuit; in hoc aptum atque idoneum esse.

Objicit posteà sibi, tanquam à nobis dictum, quod pro nostro non agnoscimus. Aitenim. *Non est ineptum, inquies, si indirectè id fiat, sed si directè id agatur.* Nos verò ista responsinone non utimur. Nec enim in diverso usu aut applicatione Mundanorum armorum ad navandam Regno Christi operam; sed in ipsorum regnorum diversitate, distinctionem hanc aptitudinis aut ineptitudinis, quærimus. Carnalium enim armorum in spirituali Regno Christi, quod est in Ecclesia, nullus omninò usus est. At in alio Christi regni genere, quod est in Repub. Mundi, eorundem & locus & usus est. Quid igitur mirum sit, si, quod in illo sit ineptum; in hoc aptum & idoneum deprehendatur.

Pergit Vir Bonus,& rogat. Cur ergo *repugnabat naturæ ſpiritualis Regni Chriſti, ſi Chriſtiani directè Mundanis armis, regnum Chriſti promoverent; & non repugnat naturæ ejuſdem regni, ſi ipſe Chriſtus directè regnum ſuum armis mundanis promoveat? Reſp.* Quia Regnorum iſtorum Chriſti natura, non eadem, ut falsò præſupponere videtur Vir Bonus, ſed diverſa eſt: ita ut quod uni regno repugnat, alteri non repugnare poſſit. Illud tamen obiter monitum V. Bonum velim, vitioſe & falſo ab illo dici, quod Chriſtus mundanis armis regnum ſuum promoveat; quod neque de ſpirituali, neque de coactivo ejus regno verum eſt. Nam ſpirituale, quamvis ſit in ſtatu incrementi, mundana arma reſpuit: coactivum, quamvis mundanis armis utatur; non tamen eſt in tali ſtatu incrementi; ut promovere poſſit; ſed tantum exerceri. Omnis enim poteſtas in cælo & in terra Domino ſtatim & ſemel data eſt; nec iſtud Regni genus more humanorum imperiorum promovetur, ut vel hinc liquere poſſit, quantum ſit inter hæc regnorum genera diſcriminis.

Inſtat poſteà Vir Bonus. *Nulla ratio eſt cur non liceat Chriſtianis eo modo qui legitimus eſt, directè gloriam Chriſti promovere. Nam quicquid per ſe honeſtum ac licitum eſt: id ad gloriæ & regni Chriſti promotionem adhiberi poteſt & debet, ut eruditio, eloquentia, opes &c. Sic & arma, ſi per ſe licita ſunt Chriſtianis, cur non promotioni regni Chriſti directè inſerviant? Reſp.* Omnia ligna aliquem ſui uſum & quidem licitum præbent: ſaltem ad fovendum ignem & homines calefaciendos. Non tamen ex quolibet eorum fit Mercurius. Regnum Chriſti & religio, quia voluntarium & liberrimum aſſenſum requirunt; armorum & Coactivę poteſtatis per ſe uſum omnem reſpuunt. Non tamen ideo aut armorum aut Coactivæ poteſtatis uſus nullus eſt. Nec ſtatim illicitum aut prohibitum cenſeri debet, quod religioni per ſe uſum nullum præſtat. Atque adeo ne ea quidem quæ commemoravimus nullum plane uſum religioni præſtare cenſenda ſunt, cum aliquem per accidens præſtare poſſint; quatenus iis utilia ſunt qui religionem ſequuntur. Certè ipſa recta & ſobria ratio, quæ oſtendit quàm parum idonea ſint religioni, armorum aut Coactivæ poteſtatis miniſteria; oſtendit ſimul quanta ſit utriuſque rei, cæteris in vitę partibus atque officiis non modo utilitas, ſed etiam neceſſitas. Rationi ſuffragatur Sacra Scriptura, quę tametſi à Coactiva poteſtate religionem eximat; cum Deo & conſcientiæ potius quàm hominibus in poteſtate conſtitutis, ob temperari jubeat; & lethiferi enſis aciem non timeri imperet: Cæteris tamen in rebus coactivam poteſtatem licitam & utilem eſſe oſtendit; eique obtemperari & gladii ejus aciem ſerio timeri præcipit. Pro honore & gloria Chriſti carnali belli genere pugnandum non eſſe dicimus, quia per honorem & gloriam Chriſti, vulgo religionem ejus aut res ad eam pertinentes intelligimus, quæ cum libera & voluntaria eſſe debeat; nihil habere poteſt cum ulla violentiâ, commercii. Si qua tamen res ſit ad honorem & gloriam Chriſti pertinens, in qua ipſi aut Eccleſiæ ejus navari opera poſſit: citra omnem vim conſcientiis illatam, citraque omnem injuriam alienam; in ejus gratiam legitimè pugnare, aut ſanguinem noſtrum profundere, non eſt detrectandum. Non quod religio aut honos Chriſti armis noſtris indigeant; quorum utrumque etiam abſque eorum interventu, illibatum conſervari poteſt: ſed quod noſmetipſi indigeamus; aut noſtri ſimiles homines indigeant nec interdum abſque iis conſervari poſſint. Itaque cum religio aut Eccleſia in periculo eſſe videntur; non Chriſtus aut religio, ſed noſmetipſi, una cum fratribus noſtris periclitamur, & ſi legitimè poſſimus, nos ab impetu carnalium hoſtium tutos præliando præſtare; quod evenit, cum jus unâ & vires reſiſtendi habemus; non modo poſſumus, ſed arma quoque ſtringere debemus. Verum id non religionis aut Eccleſiæ cauſa, quæ armis non indiget, & vel inoppreſſione aut martyrio conſervari imo florere poſſit: ſed hominum religionem profitentium, quorum vita & libertas forte, abſque armis noſtris conſervari non poteſt, pro quibus ſanguinem & vitam noſtram profundere, à lege Caritatis alienum non eſt. Quamvis enim interdum hoſtis, non vitam ipſam & libertatem, ſed religionem ſolam eorum quos defendimus oppugnare ſeſe prętendat: tamen ſi religionem ita oppugnat; ut niſi ea abjiciatur & conculcetur; vitam & libertatem cultoribus ejus adimere paratus ſit; vitam ipſam & libertatem verè oppugnat, cum ipſis religionem niſi cum vita ipſa abjicere, non ſit integrum. Quamvis igitur religio eorum armis non indigeat; vita tamen indiget; & ſi in ſervata vita religioni quoque conſulitur, id per accidens evenit; cum per ſe vita fratrum noſtrorum, cum vitæ noſtræ periculo, interdum & ſanguinis impendio redimatur. Qui autem in tali bello occubuerint, quod à nobis extorquet ratio aut periculi aut officii noſtri, pro Chriſto & honore ejus occubuiſſe non dicuntur, niſi forte admodum impropriè ac remotè, aut per accidens; quomodo aliis quoque omnibus idem forte tribui poteſt, qui actionibus honeſtis & laudabilibus immoriuntur; quas à nobis non modo moralis & politici officii, ſed Chriſtianæ quoque religionis ratio repoſcit; quæ omnia naturalia, moralia, politica & forenſia, atque adeò Reipub. officia adeò non ſuſtulit; ut vel maximè confirmaverit. Quicquid enim honeſtum eſt, aut laudabile, quicquid bonæ famæ ſectari juſſi ſumus. Non tamen idcircò id religioni per ſe ac propriè imputare poſſumus, quod etiam citrà religionis reſpectum, ex aliquo naturali, aut politico officio, facere tenemur, quamvis id religio, quoque poſtulet, & niſi id faciamus religio quoque lædatur. Ut ſi quis Magiſtratui aut legibus non pareat; religionem violat, quæ utriſque morem gerendum præſcribit. Non tamen ideò is qui Legibus aut Magiſtratui parendo occumbit, pro religione, pro Chriſto & honore ejus occumbere per ſe & propriè dici poteſt; quamvis Chriſtus & religio obſequium hoc imperet, quia etiam abſque præſcripto religionis id facere obſtrictus erat. Multò minùs ejuſmodi homines Martyres dici poſſunt, quod vocabulum communi uſu, qui ſignificationis vocum unicus eſt Magiſter, iis ſolis tribuitur, qui propter religionem, per ſe ac proprie patiendo occumbunt; nec ad eos vulgò extenditur, qui pro patriâ, pro vita ſua aut alienâ, pro libertate pugnando mortem oppetunt. Quamvis enim omne martyrium ſit glorioſa & laudabilis vitæ jactura, non tamen omnis laudabilis & glorioſa vitæ jactura; eſt martyrium. Diverſarum rerum ſignificationes confundere, in eoque à communi mortalium uſu abire, eſt Captionis genus, quod res diſparatos in unum æquivocum nomen compingendo, ſuum & alienum judicium involvit ac circumvenit. Qui in bello legitimè, adeoque ſancto & piè geſto occubuerit; cariturum mercede ſua etiam apud Chriſtum non putamus; qui omnium rectè & laudabiliter factorum eſt remunerator. Sanguinem tamen hoſtium ſitire, eoque manus ſuas ſanctificare velle non putamus ad bellum piè & legitimè gerendum pertinere; cum præſtet judicio noſtro, proſtrato potius aut ſervato, aut perterrito, quàm cæſo hoſte victoriam conſectari. Nec immolandis humanis hoſtiis Deum delectari certò ſcimus; neque ullam in jugulandis ſponte hoſtibus; aut irrigandis Sanguine campis, virtutem aut laudem collocamus; imo quantùm citrà fraudem victoriæ fieri poteſt, ſanguini parcendum arbitramur, præſertim cum & fugienti hoſti aureum pontem ſterni vetus dicterium poſtulet; & multum virtutis hoſti decedere ſoleat, quoties deſperationis neceſſitate exarmatur. Aliud eſt, quod nobis invitis & aliud agentibus aut quærentibus excidit; aliud quod ultrò & nulla urgente neceſſitate quærimus; & libenter conſectamur. Ita & inter capitalium cauſarum judices; multùm diſtat is, cujus tribunal, (quia damnatorum miſeria gaudet) ſcopulus reorum eſt; ab eo, qui ſi per leges & accuſatores liceret; neminem damnare vellet. Non igitur nos pro veris Chriſti martyribus, falſos & Antichriſtianos ſubſtituimus. Sed Vir Bonus ut captionum ſuarum laqueos incautis Lectoribus tendat; novas veterum

enim vocabulorum significationes comminiscitur, vocemque Martyrum iis tribuit quibus tribui neque solet, neq; potest. Non qui propatria, & libertate (qua tamen ruente pacem eorum qui religionem profitentur ruere necesse est) occumbunt, Antichristi martyres dicendi sunt, sed qui malis artibus religionem propagant; qui aut bello aut potestate atque tyrannide conscientias hominum violenter opprimunt; si in hoc nefario conatu infelices animas ponant, Martyres hostis Christi dici, nec tamen sine catachresi, aut mutata vocis hujus notione possunt. Nec enim in eo Antichristus Christo adversatur, quod bella gerat, aut coactivam in Repub. potestatem, (ubicubi in terris supereminentem potestatem nactus est) exerceat. Sic enim omnes à Deo ordinati Magistratus Antichristi dicendi essent. Sed in eo quod cum Christus in regenda Ecclesia sua, animis, voluntatibus & conscientiis nullam vim inferat; Sed nudam veritatem, suis duntaxat illecebris, hoc est, rationibus, non ense, aut potestate armatam ipsis proponat: Ut Christus in eandem Ecclesiam invadendo, in animos & conscientias hominum, ense, violentia, carnifice & eculeo tyrannidem exerceat. Proinde Martyres Christi, neminem opprimendo, sed pro illâ quam à Christo accepere Veritate moriendo; testes ejus veritatis, & quidem locupletes, dici possunt. Ministeri verò Antichristi, pro tyrannide ejus in Ecclesiam invehenda, sive occidendo, sive occumbendo, non quidem veritatis, sed nequitiæ & tyrannidis ejus, martyres, ac testes dici, nonnisi per allusionem possunt. At verò qui pro Repub. occumbunt; plurimum ab istis Antichristi mancipiis distant. 1. quia pro servanda Republica; non pro opprimenda Ecclesia; 2. deinde, quod pro libertate, non pro tyrannide: 3. tertiò, quod pro justissima causâ; non pro injustissima prætensione, dimicarunt; 4. denique, quod martyres & mancipia Antichristi, nullos infestiores hostes, & quorum virtute aptius retundi possint, habeant; quam ejusmodi Rerumpublicarum defensores, qui eos religionis prætextu Respublicas opprimere non sinunt. Non igitur in sententiis nostris sumus adeò excordes, ut ad exagitandas eas, omnes qui Cor habent undique advocandi sint: nec ulla causa est; cur ad eas Concurrentium Corda aut jecora palpitent: aut rumpantur ilia Codris. Carnalibus adversus Chtisti hostes armis pugnare, nusquam nobis imperatum imò palàm interdictum est; quia cælestibus & spiritualibus qua tales sunt sufficienter retundi possunt. At iisdem adversus carnales nostros hostes pugnare, nusquam nobis interdictum; quia cælestibus & Spiritualibus solis Respub. terrenæ, si quando earum cura nobis commissa sit, absque interventu carnalium armorum, aut miraculi necessitate, quam Deus nunc à rebus humanis abesse voluit, servari, aut defendi nullo modo queunt. Atque hæc necessitas præcipuum est bellorum juris fundamentum.

Oppugnat posteà verba nostra, quod ex eo, quia Christus omnem armorum vim, imò coactivam potestatem à Regno suo Spirituali, hoc est visibili gubernatione Ecclesiæ removerit; concludamus eum in excidio Judæorum uti operâ Christianorum nullo modo potuisse, atque ostendit aut nos extrà propositam materiam vagari; aut sententiam nostram evertere. In qua oppugnatione ut possit verba nostra carpere, ejusmodi nobis assertionem affingit, quam pro nostrâ non agnoscimus. Nempe quod absolutè & simpliciter censeamus Christum in excidio Judæorum, Christianorum operâ uti, nullo omninò modo potuisse: quod tamen falsum censemus, cum secundum quid tantum id asseramus, posito eo statu Christianorum, qualis tunc fuit, cum nullum jus armorum penes eos esset. Et verba nostra non ita sonant: *Christum in excidio Judæorum, operâ Christianorum uti, planè non potuisse; sed operâ tali, qualem fingunt adversarii.* Fingunt autem talem, quam præstare debuissent quâ Christiani; non quâ Magistratus, penes quos erat jus bellorum suscipiendorum, quales tunc erant Romani Imperatores aut Parthorum Reges &c.

Tales autem tunc nulli erant inter Christianos, ita ut si tunc à Christianis bellum suscipiendum fuisset; faciendum id fuisset non eo nomine quod Magistratus, sed quod essent Christiani. Nec enim nunc de gregariis militibus aut Ducibus sub alieno ductu militantibus loquimur, quales tunc in castris Flavianis è numero Christianorum nullos fuisse, cum non liqueat, neutram in partem, affirmari aut negari certò potest. Tantum vero abest ut nos ex verbis quæ oppugnantur, colligamus simpliciter Christum in bello contra Judæos, Christianorum opera uti nullo modo potuisse, ut ex iis non hoc, sed longè aliud colligamus. Dicimus enim Christum dominationem civilem ab Ecclesia removisse; nec tamen ex eo sequi omnem omnino extrà Ecclesiam dominatum Christianis ab eo vetitum: atque inde inferimus; Ne ex eo quidem, quia certo tempore & loco vitam suam ense carnali defendi voluerit; semper & ubique omnem gladii usum Christianis interdictum colligi posse. Non igitur id quod nos Vir Bonus ex verbis oppugnatis concludentes facit; sed contrarium ejus colligimus. Qua in re uter nostrum fidem mereatur; videbit, cui verba nostra, quæ oppugnantur, inspicere vacaverit.

Mox oppugnat alteram rationem nostram, qua ostendimus Christum tunc non terreno ac vulgari modo Judæos punire & affligere voluisse; sed cælesti per administros ejusmodi; qui tanquam activa passivis applicati, nihil minus vellent; quàm id efficere quod Christus voluit; quod in Christianis idem quod & Christus intendentibus locum habere non potuisset. Quod sane V. B. evidentia veritatis coactus verum esse concedit, sed quærit cur Dominus hoc ita fieri voluerit? Atque ita in ejus voluntatem & consilium curiosè inquirit; ut possit divinare ipsum Christianorum ministerio ad hoc bellum ideo uti noluisse; quia bellum illicitum ac religioni repugnans sit. Atqui id genus & inquisitio curiosa, & divinatio futilis est. Inquirere in arcana summorum principum, sæpè anceps & illicitum, quæ tamen quod licentius scruteris non ideò assequare. Sæpenumerò satis est nos Dei voluntatem vel ex eventu nosse, rimari altioris indaginis consilia non est nostrum; multò minùs eorum rationem reddere tenemur. Divinationem autem futilem esse, non modo evidentissima Principii petitio (quâ involvitur) ostendit; sed illud quoque, quod longè ante Christianæ Religionis leges atque interdicta; illo modo cælesti ac divino modo (per applicata, ut ajunt, activa passivis) gubernatio Mundi divinitus administrata est. Quid igitur mirum sit, Christum acceptâ in cælo & in terris potestate, ab usitato & ordinario isto regiminis genere, discedere noluisse? Non attingo id quod suprà planum fecimus, non modò nullam fuisse ejus rei necessitatem, ut in hoc ministerio Christianorum operâ Christus uteretur; cum alia promptiora & faciliora media huic fini assequendo non deessent; sed, (quod statim ostendemus) eum fuisse tunc Christianorum statum; ut eorum opera Christus ad eam rem uti non potuerit.

Quam rationem nostram tertiam dum Vir Bonus refellere contendit, non uno modo sese ac Lectorem circumvenit. Ac primum aut æquivocationis aut fallaciæ à dicto secundum quid, laqueum sibi tetendit, in voce *Non potuerit*, quæ non eo sensu hic à nobis prolata est; quasi Christum simpliciter & absolutè exercitum è Christianis colligere non potuisse censeamus; sed secundum quod, salvis nimirum & illæsis manentibus suis legibus, quibus ordinariorum Magistratuum obedientiam asseruerat. Quomodo enim tunc exercitus Christianorum è Romanorum subditis colligi potuit; illæso erga eorum Magistratus obsequio; qui tam novos & extraordinarios suorum civium delectus fieri, per rationem sui Status nullo modo permisissent. Non alia supererat legitima ejus rei faciendæ ratio, nisi ut Christus, exemplo Patris sui, divino suo jure uteretur, & Romanis denunciaret, ut populum suum in ejusmodi exercitum colligi paterentur, qui huic bello sufficeret; aut si id recusarent, ut eos di-

vinæ ſuæ potentiæ vi, ad morem ſibi gerendum adigeret; quemadmodum olim Ægyptii dimittere populum Dei; malo ſuo coacti ſunt. Quod certè abſque miraculo fieri non potuit. Hanc argumenti noſtri vim cum pro ſagacitate ſuâ Vir Bonus odoraretur, & tamen ad nos refellendos oſtendere vellet; exercitum Chriſtianorum ſine miraculo colligi potuiſſe; ridiculè tergiverſatus eſt; & ſe in diverſas facies mirificè transformavit. Nunc enim tacitè Iſraelitas ex Ægypto ſine miraculo eductos eſſe aſſerit, quia *Mox exercitus ex Iſraëlitis collectus, & Dux iis ſine ulla difficultate repertus eſt.* Quaſi verò ſola militis collectio, aut Ducis aſſignatio, ad id quod Deus tunc fieri volebat, abſque ullo miraculo, ſufficeret. Aut quaſi non omnium celerrimus & facillimus ſit modus divinæ potentiæ exercendæ per vim miraculoſam: aut non longè tardior ac difficilior ſit ratio ejuſdem exercendæ per ordinariam liberarumvoluntatum moderatricem ſapientiam. Nunc iterum Vir Bonus palàm Romanorum de Judæis victoriam, maximè miraculoſam aſſerit. Sed quia in Hieroſolymæ, non plus quàm in Carthaginis, Numantiæ, Corinthi; excidio, miraculi inveniret, ſtatim ſemet ipſe deridet, dum Ejuſmodi miraculorum plena fuiſſe inquit omnia ſecula. Et ne ſolus hilaris eſſet, nobis quoque riſum excuſſit, dum oſtendit Chriſtum abſque extraordinario miraculo è Chriſtianis exercitum colligere potuiſſe; quemadmodum Saraceni olim; & nunc Chmelnicius noſtras, è ſuis. Quaſi ullum non dicam odioſius, ſed ineptius excogitari poſſit comparationis exemplum quàm inter ſanctiſſimum cæli Regem; & inter profligatæ nequitiæ mortales, præſertim cum de juſta & legitima; & ejuſmodi exercitus collectione, ſermo eſſet, quæ in Chriſtum cadere poſſet.

Occaſione argumenti hujus nodum nectit Vir Bonus, quem Gordium putat, cum tamen ad eum ſolvendum, nullo opus ſit gladio, nullo Alexandro. *Regnum, inquit, Spirituale & religio Chriſti ex hypotheſi & conceſſione noſtra, gladio & carnalibus præſidiis propagari ac defendi non debet. Quomodo igitur nos permittimus Regibus ac Repuſpublicis, ut Religionis oppreſſoribus reſiſtant, earumque vim armis propulſent?*

Reſp. Quia ſæpe religionis oppreſſores, non aliter religionem oppugnant, niſi per vitæ atque libertatis noſtræ oppreſſionem. Vitam autem, libertatem, patriam atque Rempub. defendi poſſe ab iis quibus defenſionis jus non deeſt, non negamus.

Quoties igitur vitâ, libertate, Republica armis defenſa; eadem opera, religio defendi videtur, id per accidens evenit: quatenus accidit quòd cum iis rebus, quas armis defendere fas eſt, conjuncta ſit religio, quam alioqui, per ſe, armis ac poteſtate defendi aut propagari, nec decet, nec licet: nec id per ipſius naturam omnis coactionis expertem fieri poteſt. Ac noſtra quoque hypotheſis atque conceſſio; quam Vir Bonus huic contradictioni demonſtrandæ tanquam baſin ſubſternit, non ita ſimpliciter & abſolutè intelligenda eſt; ut ab armorum & carnalium præſidiorum uſu, omnes omninò utilitates, quæ in religionem Chriſti, aut potius cultores ejus, quoquomodo redundare poſſunt, excludamus. Nos enim religionem Chriſti per ſe armis defendi aut propagari poſſe non putamus; quia hoc non illicitum tantum, ſed vel ipſius Viri Boni confeſſione impoſſibile eſt. At per accidens ex defenſione vitæ & libertatis noſtræ in religionem quoque aliquem fructum redundare, non eſt impoſſibile, nec naturæ religionis repugnans. Non igitur nos iſtiuſmodi utilitates, non tàm in religionem quàm in homines religionem profeſſos, redundantes illicitas eſſe, aut religionem infamare poſſe putamus; quia eas non religio, quæ ipſis non indiget, ſed vita & libertas noſtra quæ indiget conſectatur ac requirit; ac ne id quidem ſemper; niſi cum earſi conſectandarum jus ac legitima poteſtas nobis non deeſt.

At objicit Vir Bonus. Religionem armis aliter *defendi aut propagari non poſſe, quàm ſi regnum noſtrum & vita noſtra religionis cauſa in diſcrimine conſtituta defendatur. Non poſſe igitur interdici ne armis defendatur aut propagetur religio; quin eadem operâ, interdicatur, ne vita aut regnum ſeu libertas noſtra, ob religionem periclitans armis defendatur.* At qui id quod ſumit hoc loco Vir Bonus falſum eſſe, tot ab omni ævo exempla teſtantur, eorum qui nulla vitæ aut libertatis ſuæ defendendæ neceſſitate adducti; aliorum vitam ac libertatem, ob religionem armis invaſere. Multùm certè inter eos intereſt, qui illatas ſive ob religionem, ſive ob aliam quamcunque cauſam injurias à capitibus ſuis armis propulſant; & inter eos qui eaſdem armis inferunt; ut non mirum ſit, alterum juſtum & licitum; alterum injuſtum eſſe atque illicitum. Non igitur ineptè prohibetur id fieri, quod fieri non modo poteſt, ſed frequenter ſolet: & cum ratione loquimur, quoties libertatem & conſcientias alienas armis opprimi prohibemus; quamvis vitam, corpus, libertatem noſtram, (quando id fieri legitimè poteſt) iiſdem armis defendi permittamus. Atque hic Viro Bono laqueus fallaciæ conſequentis vitandus eſt. Fieri enim poteſt quòd omnis neceſſaria pro vita & libertate noſtra dimicatio, religioni quoque quam colimus, per accidens prodeſſe poſſit: nec tamen ilico ſequitur, omnem dimicationem ob religionem ſuſceptam; vitæ & libertati noſtræ neceſſariam eſſe. Vitanda & ambiguitas in vocibus *Non poſſe religionem armis cogi aut promoveri.* Vera enim & ſyncera religio non poteſt: at externa profeſſio & larva religionis poteſt. Præterea multa tentari poſſunt, quæ ſuccedere, & effici nequeunt. Cum igitur dicimus religionem armis promoveri non poſſe, de ſucceſſu, non de conatu loquimur: cum vetamus eandem armis promoveri (tacite ſupponentes id poſſe fieri) de conatu loquimur, non de ſucceſſu.

Fallitur & in eo Vir Bonus: quòd idem planè evenire cenſeat in ſingulorum hominum ob religionem perſecutionibus; & in univerſæ Reipub. oppugnatione ob religionem ſuſcepta. Nam ſinguli non ſemper repellendæ violentiæ jus habere poſſunt: at univerſæ Reipub. nunquam deeſt, legitima defenſionis poteſtas. Non igitur quia interdum fas eſt, idcircò perpetuò licet Chriſtianis, vitam reſque ſuas ferro contra perſecutores tutari. Nec ſtulti fuerunt, qui id, quotieſcunque fas non erat, non fecêre, quales fuere in primæva Eccleſia Chriſtiani, Romanis Magiſtratibus ſubjecti. Nec in publici privatique juris diſcrimine; quicquam eſt ſuperflui acuminis aut ſubtilitatis: ſed in iſtorum potius jurium confuſione, oſcitantiæ non parum eſt. Magiſtratibus reſiſti à ſubditis non potuiſſe etiam ante Chriſtianam religionem receptum fuit; quod jus religio Chriſtiana non mutavit, ſed confirmavit. At eoſdem Magiſtratus ſupradicto jure armatos, ſeu ſubditis ſive alienis legitimè reſiſtere potuiſſe; quocunque prætextu ſibi vis aliqua inferretur tam ante, quàm poſt introductam religionem Chriſti, nemo dubitavit. Nec enim tantum imperandi jus in præcepto obſequio; ſed & cogendi poteſtatem: multò magis autem defenſionis jus, in tradito gladio Magiſtratui doctrina Chriſti, ſolenni lege contulit. Septem Grotii caſus, quos Vir Bonus allegat, non obſtant quominùs jure iſto Magiſtratus gaudeat. Nulla propemodum in moralibus aut politicis rebus, Regula eſt, ſine exceptione. Nec ideò minùs certis limitibus, officia noſtra circumſcripta ſunt. Chriſtiani tempore perſecutionum multi & frequentes erant; non tamen erant totus populus. Quid facturi fuerint Apoſtoli, ſi perſecutiones à privatis, non à legitimo Magiſtratu paſſi fuiſſent, divinare ſuperfluum eſt. Credo tamen ordinaria media in imploranda Magiſtratus ope neglecturos non fuiſſe, quod fecit Paulus, cum ipſi à quadraginta viris inſidiæ ſtruerentur: qui cum ſciret Lyſiam tribunum, non miracula aut perſuaſiones, ſed vim atque arma, inſidiatoribus oppoſiturum fuiſſe, moneri ipſum ea de re curavit, eo quem Lucas deſcribit, eventu. Nec ideò ſeſe in lupum transformavit.

Chriſtianam patientiam non ita anguſtis limitibus coercemus, ut injurias nonniſi à Magiſtratibus illatas, tolerandas ſtatuamus. Sed tamen reſiſtendi jus per ordina-

rios Magistratus à Deo in hunc finem ordinatos, interdum locum habere asserimus, etiam in privatis. Quantò magis in iis, qui ipsi cum potestate aut imperio sunt? Quoties cum vita & libertate per se defensa; accidit ut una religio quoque defendatur; potest utrunque dici religionem quoque defendi. Sed hic loquendi modus improprius est; & manifestam habet catachresin, non minùs ac si quis dicat, pilulas medicas animo humano prodesse, aut salubres esse; quia accidat ut æger curato corpore longe fit animo vegetior. At nos defensionis vocem non in ea significatione, sed propriè sumimus, cum religionem armis defendi non posse; aut non debere asserimus.

Ad argumentum sumptum à reprehensione Petri suprà copiosè respondimus. Nunc autem sine causa miratur Vir Bonus quod Petrum meritò reprehensum dicamus, quia mundanis armis pro Christo ac regno ejus pugnari non conveniret; & frustrà excorni dilemmate in nos arietat. Sive enim à Magistratu, sive ab alio vis illa venisset, non licuisset Petro id facere, quod fieri tunc sui causa Dominus nolebat. Quemadmodum & nobis non modo adversus Magistratum, sed adversus alios pro religione per se ac proprie, armis pugnare non decet; cum tamen pro vitæ ac libertatis defensione posterius facere possimus. In eo tamen est diversa nostri à commemorato Petri casu conditio; quod Petro tunc armis carnalibus mortem Christi pro bono generis humani destinatam, impedire non licuerit: at nobis nostram aut nostrorum mortem; quæ à nobis bono generis humani, non exigitur; impedire liceat.

Primæva Ecclesia cum gemeret sub persecutionibus, jus defensionis, non dico religionis, quæ per se ac propriè defendi non potest; sed vitæ ac libertatis suæ non habuit, quia à magistratu inferebantur: postquam jus istud ac potestatem Christiani nacti sunt, persecutiones desierunt.

Quod autem religionis natura vitam & omnia nostra; ac proinde & regnum & Rempub. perdere nos sui causa jubeat; assertio est ambigua & si in sano sensu & secundum quid accipiatur, tolerari utcunque potest. At simpliciter & universè intellecta & ad omnes casus extensa, pestilens est ac perniciosa.

Fatemur enim si quis sive privatus, sive in Principatu positus, in eas angustias redigatur, ut aut religio violanda; aut vita, regnum, Respub. hoc est patria amittenda sit: hoc potiùs quàm illud eligendum esse. At si etiam ad eos casus extendatur; ut sive privatos sive principes, extrà eas angustias, positos comprehendat; nihil ea falsius ac perniciosius fingi posse arbitror. Nam si privati, quoties jus defensionis habent, (ut in iis qui à latronibus invaduntur accidit) vitam defendere possunt, multò magis Magistratus omni superioris potestatis nexu soluti, vitam, libertatem, statum ac Rempublicam suam defendere possunt, contrà omnis generis invasores; quocunque prætextu, sive religionis sive avaritiæ aut ambitionis grassentur. Nec enim tunc religio quæ armis non indiget; sed vita, libertas, Respub. quæ indigeat, defenditur. Atque hæc summa Religionis injuria est, quando ipsi affinguntur, omnibus Christianis Rebus publicis mortifera dogmata.

Canonem Niceni Concilii contrà militiam allegatum, qui de absoluto militiæ interdicto explicant; rerum illius seculi tàm in Ecclesia, quàm in Repub. gestarum ignaros se produnt. Quæ enim veri specie fingi potest, Concilium Principe bellatore Præside celebratum, militiæ tam infensum fuisse, aut quid opus est, cortici verborum obstinatè inhærere cum eorum nucleum, ipsa Liciniano-rum temporum mentio ostendat. Sed quia patrum auctoritatem Vir Bonus adversus nos urgere non vult dum-modo ipse vicissim eâdem à nobis non urgeatur: accipimus conditionem; & quæ à nobis isto loco dicta sunt: diluendis potius quàm stabiliendis ab eâ sumptis argumentis, dicta esse, excusamus.

CAP. XIV.

SI Vir Bonus ea quæ ad hoc caput oppugnanda, in animo habebat protulisset; nec nos fortasse invenisset inopes eorum, quæ pro ejus defensione reponeremus. Nunc quod oppugnatum non est; per nos licet, ut transeat indefensum.

Cæterum, non est, quod à nobis sollicitis precibus contendat; ne sese contradicentem nobis iniquo animo feramus. Non enim id Viro Bono excusandum erat, quod nobis contradixerit, (quod, si quisquam alius, suo jure facere potuit.) sed quod contradicere se nobis professus, non nobis, sed iis opinionibus longè maximâ libelli sui parte, contradixerit, quas una cum ipso damnamus, quasdam & detestamur. In quo non modo parum justas, dissentiendi, à nobis causas habuit; sed non mediocri nos affecit injuria, plurimorum errorum suspicione nos aspergens à quibus non minus quàm ipse abhorremus. Porro in iis de quibus verè dimicavimus; quo successu utrinque argumenta nostra conflixerint, Lectorum judicium esto. Faxit altissimum numen, ut mentis nostræ tenebræ, quæ circa tàm arduam quæstionem supersunt, dispellantur. Quod fiet, si partium studio, ambitione, præjudiciisque ac Supercilio positis, solam veritatem consectemur. Culpam erroris, ubi à nobis, (ut homines sumus) cespitatum est; deprecati, illud quoque nobis à benigno Lectore condonari petimus, si fortè cuipiam in id magis incubuisse videamur; ne quid nobis in hoc opere insultius æquo, quàm falsius excideret.

AD APPENDICEM.

THeses in Appendice ex Hugonis Grotii libro compilatæ; eousque veræ & sanæ sunt; quamdiu in iis concinnandis Vir Bonus ductum alienum secutus est. Ubi de suo ingenio nova cœpit adficere aut superstruere dogmata; illico spirare cæperunt nescio quid languidum & febriculosum. Nec in iis quicquam novi proponit Vir Bonus; sed reponit crambem; toties jam recoctam; argumentorum ex natura dilectionis & patientiæ: quæ suprà satis superque refutavimus. Ed brevius nunc ad ea respondebitur. Ne tamen in jaciendo substructionis ejus fundamento aliquid insidiosum lateat, primum in Octava thesi; ex definitione Normæ Evangelicæ; quæ dicitur Convenientia aut Disconvenientia: rei vel actionis alicujus cum natura hominis ad cœlestem felicitatem, & cultum Dei spiritualem *peculiariter* vocati: adverbium *peculiariter*, expungi postulamus, ne latebras æquivocationi præbeat. Nec enim in antiquo; nec in novo fœdere deerant homines ad cultum & ministerium Dei peculiari quadam ratione vocati; qui ad controversiam nostram non pertinent: in qua consideramus in genere Christianos ad cultum Dei spiritualem sub Evangelio, communiter & promiscuè vocatos. Nam & respectu aliarum gentium, Judæi ad cultum Dei peculiariter vocati dici poterant. At respectu populi Judaici communiter omnes: tametsi non ex æquo ita respectu non Christianorum, possunt & Christiani dici peculiariter vocati: at respectu ipsius populi Christiani; omnes communiter quamvis non æqualiter. Non videmus igitur cur adverbium hoc, in Hebræo legis normâ omissum addi debeat in Evangelicâ; nisi ut ambiguitati latibulum præbeat.

Ad thesin. 9.

Legi Evangelicæ bellandi, fundendique humani sanguinis

guinis Jus repugnare Vir Bonus arguit inde, quia à norma ejus nimium discrepat. A norma verò ejus discrepare, quia à natura dilectionis & patientiæ discrepat. Atqui norma Evangelicæ legis, ex hypothesi Viri Boni, non est natura dilectionis & patientiæ: *sed natura officii hominis Christiani, ad cælestem felicitatem & cultum Dei spiritualem vocati.* Qui cultus Dei spiritualis comprehendit quidem dilectionem & patientiam, tanquam partes sui; sed ipse ab iis non comprehenditur: cum aliarum quoque omnium virtutum concentum; puta prudentiæ, justitiæ, pietatis erga patriam, parentes & reliqua omnia officia, requirat. Non igitur ad naturam & normam solius dilectionis & patientiæ, exigendæ sunt actiones Christianorum; sed ad naturam & normam generaliorem, virtutum omnium simul sumptarum. Aliàs unius atque alterius chordæ à reliquis dissonum stridens strepitus; procul erit ab illo harmanico concentu quem plurium virtutum societatis reddit. Atque hic primus est Viri Boni lapsus, aut potius causæ quàm defendit laborantis indicium; quod absque captiosa terminorum mutatione defendi non possit.

Ad 10.

Mox quòd cædes cum dilectione pugnet, evincere contendit. In quo primùm extrà quæstionis statum vagatur; cum nos nemini eorum, qui dilectione præditi esse debent, jus sua sponte occidendi vendicemus. Nam supplicia quæ exigit Magistratus, non ejus: sed legum atque ipsius Dei severitati, tribuenda sunt: Cædes autem in defensione aut in bello commissæ; absque animo occidendi esse possint ac debeant. Sed & falsum esse, cædem etiam de industria patratam, semper cum dilectione pugnare Cap. quarto suprà probavimus. Quanto magis falsum id de cæde, aut contrà aut præter mentem nostram interveniente? Tertiò. Etiamsi cædes cum dilectione tunc pugnaret, cum justam aliquam ob causam committitur, non ideo adversus dilectionem hominibus debitam peccari; quæ perinde ac omnes aliæ virtutes, non ita perpetim exerceri imperata est, ut non plurimas temporum, personarum, & circumstantiarum exceptiones admittit. Quartò. Quod omnes homines etiam pessimos amare; & quidem jugiter ac perpetuo, jussi simus, commentum est Viri Boni, nulla ratione subnixum. Nam si parentes interdum non amare, atque adeò Dei causa, odisse tenemur, multò magis homines pessimos, atque hostes Dei; quos absque injuria Dei amare non possumus. Inimicos quidem homines amare jussi sumus; quia & nostri inimici sæpe sunt Dei amici. Sed si illos Dei quoque ipsius esse inimicos contingat; non est æquum ut illis tunc apud nos plus profit quòd nostri sint inimici: quàm obsit, quod sint hostes Dei. Satis est, si illis quoties erga eos clementiæ aut beneficii occasio occurrit, non obsit, quod nostri sint inimici. Quòd autem inimicissimos amare jussi simus, tunc cum nos maximè lædunt & infestant, glossa est Viri Boni, aut ex omissa textus Græci inspectione; aut ex prætervisa significatione participiorum, quæ non præsentis tantum; sed præteriti quoque imperfecti notionem habent, ridiculè nata.

Ad 11.

In thesi undecima nobis V. B. pandit mysteria; nullo testimonio, nulla revelatione, nulla ratione subnixa: & quibus fidem atq; auctoritatẽ frustrà conciliare nititur exerta asserendi audacia. In dilectione quæ à nobis omnibus hominibus debetur, notari jubet discrimen, inter legẽ naturæ primũ; deinde Legem Mosis: & inter Legem Evangelii, in eo, quod illarum legũ utrâque, limitationes officii hujus suæ unaquæque normæ congruentes, adhibet: lex autem Evangelica nullas adhibeat, sed omnes prorsus sustulerit; quia videlicet norma ejus omnes planè respuat, ideò quod non terrenam sed cælestem hominibus propo-nat; ac proinde eos ipsos quos lex naturæ ac Mosis occidere vel permittebat vel jubebat, id est inimicos & noxios, nobis sive publicè sive privatim contrario præcepto amare & per consequens non occidere, imperet. Antequã ostendam quantum in hac errorũ congerie V. B. à veritate aberret: ostendendum est, quantùm à suis ipse hypothesibus recedat. Tam inter leges ipsas, quàm inter earũ normas, gradus quosdã constituit; quorũ lex naturæ infimũ; lex Mosis medium; supremum lex Evangelica obtinet; ut ex normarum ipsarum definitionibus patet. Ubi ad limitationes ventum est; quæ ad normas istas exiguntur; aut nihil inter limitationem legis naturæ & legis Mosaicæ discriminis invenire potest; quamvis eas diversis verbis proponere conatus sit; aut si quod est discrimen, magis dilectionis officium Lex Mosis, quàm naturæ limitat. Quod enim status felicitatis terrenæ exigit; aut idem est cum eo, quod vitæ conservandæ necessitas & ratio societatis humanæ postulat; aut illud etiam, quàm hoc, plus in se limitationis comprehendit. Quanto enim plus est feliciter vivere quàm utcunq; in societate vivere; tantò plures exceptiones officii dilectionis emergent; si illud etiam vitæ feliciter in societate degendæ gratiâ secundum legem Mosis: non tantum simpliciter vitę socialis degendę causa, secundum legem naturæ ut putat Vir B. transgredi liceat. Atqui comparatio legum istarum inter se, postulabat ut quanto quæque excellentior esset, tanto minùs limitationis huic diligendi omnes homines officio afferret; donec excellentissima legum nihil plane limitationis relinqueret. Ergo ista tam malè secum connexa & minimè cohærentia; meritò Viro Bono suspecta esse debent.

Nunc videamus quantum hoc loco Vir Bonus falsarum assertionum acervum cumulaverit. Prima est quod Lex Evangelica, dilectionis erga omnes homines limitationes nullas admittat; sed omnes planè; etiam illas quas Lex naturæ aut Mosis admittebat. Quo non dico falsius, sed absurdius nihil est, & magis in Deum ipsum, & eos qui nobis proximè juxta Deum colendi sunt, injurium. Quid enim si dilectio erga homines cum dilectione erga Deum, concurrat; quod sæpe fieri posse vel ex eo patet, quia carissimorum quoque pignorum dilectio, cum caritate erga Deum pugnare possit; eique ita cedere debeat, ut in gratiam amoris erga Deum, carissimos quosque odisse teneamur. Quamobrem verò alii homines: atque adeò ipsi inimici; ipsi nocentes ab hac exceptione exempti sint. Secunda falsitas est; quòd ideo norma Evangelica omnes caritatis in proximum exceptiones respuat quia non terrenam, sed cælestem felicitatem hominibus proponit. Nam ut possessio ita Spes vitæ æternæ ac felicitatis, impedimenta quæ forte in dilectione mortalibus debita, sive ex eorum sceleribus, sive ex injuriis nobis illatas, exoriuntur, non submovet. Angeli cælestis licet vitæ participes; hostium Dei, hostes sunt; nec hominibus aliter, nisi prius Deo per Christum reconciliatis, conciliati sunt. Et quo quisque Deo propior est, eò magis injuriis Dei offenditur. Potest sanè spes æternæ felicitatis, temporarias hominum injurias leviores reddere; sed causas offensionum erga homines, per latus vitæ præsentis, spem quoque melioris vitæ oppugnantes; adeò submovere non potest; ut tantò graviores reddat, quantò majus est pretium ejus felicitatis, quæ ab inimicis in periculum amittendi adducitur. Tertia falsitas est quod Lex Evangelica omnes noxios amari jusserit. Quasi inter inimicum; & capitalis supplicii reum nihil sit discriminis; atque id quod inimico tribui imperatum est; mortem commerito, etiamsi nobis inimicus non sit, debeatur.

Quarta falsitas latet in hac consequentia. Omnis nocens, (quia proximus) amari ac proinde non occidi jussus est. Nec enim præceptum de amando proximo etiam ad eos casus extenditur, in quibus proximus à Deo ipso occidi jubetur. Et quemadmodum nulla regula, nullum etiam eminentissimæ virtutis præceptum ita neque Caritatis proximi Lex omni prorsus exceptione caret.

Quinta falsitas quod inimicus ac nocens nobis publicè, (quales sunt hostes patriam oppugnantes, & legum capitalium violatores,) amari jussus sit: Cum præcepti Christi, ut de injuriis, ita de inimicitiis quoque privatis

agant;

agant: & sub Evangelica etiam lege gladius Magistratui expressè traditus sit; ad bonorum protectionem, & malorum coërcitionem.

Ad 12.

Thesis duodecima, non minus errorum & falsarum assertionum ferax est. I. Non valet, inquit, in Christianis vitæ conservandæ necessitas, quia in ea non est illorum summum bonum. Quasi nobis nullius rei conservandæ incumbat necessitas, nisi in illa sit, summum bonum nostrum. Ergo V. B. victus & amictus retinendi nulla erit necessitas: aut in ejus victu & amictu, erit summum ejus bonum. Multa sunt in quibus summum bonum collocari non decet; sine quibus tamen summum bonum assequi, aut eo frui non possumus. Nec summum bonum nobis absolute aut sine conditione promissum est, sed addita lege, quę sępe vitam postulat longius quàm hostis vellet, productam. II Non valet, inquit, in Christianis Reipub. ullius respectus; quia peregrini sunt in omni terrena Republicâ. Et tamen peregrinantes Christiani dum sunt in terris, non minùs indigent terrena Republicâ, quam reliqui extrà Ecclesiam: Et homines non Christiani æquè interris peregrini sunt; atque ipsi Christiani; quia omnibus hinc æquè citò migrandum est. Sæpe etiam peregrinorum non minùs interest salvam esse Rempub. quàm civium. III. Non valet inquit in Christianis ratio à necessitate, parentes &c. defendendi petita; quia non valet ratio petita à necessitate sui defendendi. Sane hoc non munus, quàm illud falsum est: sed tamen & si hoc verum esset; illud ex eo mendosè concluderetur. Liberior enim est quisque in suo jure dimittendo, quam in alieno. De jure in defensione occidendi, ut disputemus, nulla nos urget necessitas. Satis est evincere quod liceat certissimam necem nostram avertere, etiam cum periculo necis inimici, quod quidem, quamdiu à nobis abest voluntas & destinatio occidendi, quæ adest inimico, nunquam esse potest æquè certum ac nostrum.

Ad 13.

Inimicorum dilectioni, amicorum dilectionem, non satis consideratè opponi; satis inconsideratè dicitur. Cur enim ea congruè opponi non possint; quæ tam sæpe mutuo pugnare deprehenduntur? Si inimicus ita se diligi postulet, ut amici, quem oppugnat defensio deferatur; quis est tàm cęcus qui non videat in eo casu ambobus debitas dilectiones ita pugnare invicem ut alterutri dilectionum necessariò cedendum sit? Quod autem dicit nos male argumentari dum dicimus, Amici magis amandi sunt quam inimici. Ergo inimici aliquando occidendi sunt; propter amicos: non nos male argumentamur; sed V. B. male nostrum argumentum proponit. Nos enim inimicos aliquando occidendos esse, non concludimus, quia quęstionem utrum unquam animus occidendi inimici sumendus sit gravissimas ob causas, non attingimus. Sed ita argumentamur. Amici magis diligendi sunt, quam inimici. Ergò dilectio inimicorum, dilectioni amicorum cedere debet. Non semper id quidem. Sæpe enim utrosque diligere possumus, quo in casu & tenemur. Sed quoties inimicis dilectionem prębere non possumus; quin debitam amicis dilectionem subtrahamus, deserendo ipsos in eorum periculo: toties in eo casu amicis potius quam inimicis gratificandum evincimus, nec rationem periculi inimicorum habendam; quoties id ratio periculi amicorum & necessitas ipsis succurrendi flagitat. Nam quod ait prębeptum diligendi amicos, non tollere prębeptum diligendi inimicos. Ita est. Quia nec præceptum obtemperandi Deo, tollit præceptum obtemperandi Magistratui interdum impio & hosti Dei, cum sæpe utrisque simul obtemperare possimus. At quemadmodum incidunt casus, in quibus alterutrius tantum obsequii ratio habenda est; ita & in istis de quibus loquimur dilectionibus, incidunt casus, in quibus alterutrius tantum, hoc est, potioris ratio habenda est. Magistratui obtemperandum est, sed magis Deo. Ergo quoties imperium Magistratus pugnat cum imperio Dei, Deo potius quam hominibus obediendum est: Ita inimici amandi sunt; Sed magis amici. Ergo quoties inimicorum dilectio pugnat cum dilectione amicorum, amicis potius quàm inimicis gratificandum est. Hæc est nostra argumentatio satis circumspecta & considerata. Nam quę nobis in hac thesi tribuuntur; non falsò tantum sed iniquè tribuuntur, quia nihil nervorum multum ineptiarum habent; & ostendunt quod nobis in nostra causa defendenda, V. B., advocatum habere minimè expediat. *Ad 14.*

Non nos fallax virtutis umbra; sed V. B. blanditiis suis decipit, unica causæ quam defendit obstetrix, Captio quam principii petitionem vocant. Nec enim umbra virtutis est; sed ipsa virtus, eripere insontes, à certa, quam aliter evadere non possint pernicie, etiam cum aliquo tàm suo quàm sontium periculo. At hoc non umbra, sed crassum & pingue corpus Petitionis principii est: In respondendo ad argumentum, quod solvere nequeas; asserere virtutem, quam laude dignam, negare non possis ad officium Christiani non pertinere; quod ipsum maximè in quæstione versatur. Omnis enim virtus & quicquid laude dignum est ad officium hominis Christiani pertinet. Nec est quod obtendat Christum & Apostolos ejus exemplum in seipsis non reliquisse. Peculiaris enim fuit Christi & Apostolorum vocatio, in qua idcircò non omnium virtutum, quę in aliis vocationibus locum habent, occasio esse poterat. Atque hinc illę lachrymæ fuêre: quod in definitione normę Evangelicę, adverbium *peculiaster* V. B. captiosissimè intruserit, ne reliquorum Christianorum vocatio, à vocatione Christi & Apostolorum posset distingui. Sed quamvis Apostoli plurimarum virtutum quæ laude dignæ sunt, expressam mentionem non fecerint, satis tamen eas commendavere dum quicquid pulchrum; quicquid laude dignum, & si qua uspiam virtus est, ut consectaremur, præcepêre. Quod certè non fecissent, si nihil à nobis honestum & laude dignum, nisi quod in eorum exemplis deprehenderemus, suscipi voluissent. Non igitur Sacra Scriptura ullam laudabilium actionum aut virtutum omisisse potuit; quæ in hoc generali præcepto, omnes præcipit aut commendavit, quas inter & huic suus locus relictus est. *Ad 15.*

Invasor qui fortè in legitima defensione perimitur, vix ab eo peremptus dici potest, qui nec perimendi animum habuit, & in necessaria defensione aliud egit, quod non agere non potuit. Quodsi tamen secundum quid, peremptio hæc defensori tribui utcunque potest; at culpa peremptionis, si legitimæ defensionis moderamen non excessit: penes perimentem nulla est. Quodsi ipsa cędes peremptі, quamvis perse, manu peremptoris patrata; ægrè ipsi, & quidem absque ulla ejus culpa tribui potest; quanto minus mors æterna cędem hanc subsecuta, quę planè per accidens, ex ea profluxit. Neque enim qui corpus occidit; animæ occidendæ ullam potestatem habet; neque mors cuiquam, sed mortis aculeus æternam salutem adimit. Sufficit igitur ad id, ut quis sit, extrà culpam æternę pereuntis perniciei, quod illum non modo æterna morte afficere, neque potuerit, neque voluerit; sed nec temporaria voluerit: quamvis justa necessitate extorquente id egerit; unde ista mors temporaria per accidens sequi posset; ex qua iterum per duplicatum accidens, mors æterna profluëret. *Ad 16.*

Nisi Deus capitalia flagitia (præcipue scelleratas cædes) capite puniri sanxisset; nemo ex nuda similitudine sectionis chirurgicæ, jus necandorum nocentium, firmiter colligere potuisset. Sed quia absq; ullo istius similitudinis adminiculo; aliunde constat de voluntate Dei; deq; ipsius rei æquitate & necessitate, magnum inde pondus accipit ipsius similitudinis illustratio. An verò amentur, nec ne, ii, qui sic puniantur, quærere, tamdiu ad quæstionem nostram non pertinebit, quamdiu non producetur præceptum, quod ejusmodi, nocentes amari præcipiat: ad quos ab inimicis qui amari jubentur; consequentia nulla est; cum inimici innocentissimi esse possint; at capitalia supplicia commeriti non possint esse, nisi scelerati. De jure autem puniendorum nocentium quærere, ejus est, qui aut Pauli verba *Rom.* XIII.

aut jus Dei in homines in dubium vocet. Cætera quisquiliæ sunt.

Ad 17.

Mox inter Christianam & Mosaicam patientiam tria ostendit discrimina. I. Quia hæc limitationem admittit, ne nimium noceat naturæ humanæ aut publicæ felicitati: illa verò nullos habet limites: nec ullam habet rationem felicitatis terrenæ: quia Deus velit illam esse perfectissimam, hoc est, infinitam. Atqui Christianæ patientiæ perfectio non in eo consistit, quod sit absolutè infinita, aut quod simpliciter nullam terrenæ felicitatis rationem habeat: sed quod ejus rationem non habeat tunc, cum ejus rationem haberi Deus non vult; quod extraordinariè accidere videmus in martyriis. At ordinariè quod Deus felicitatis terrenæ publicæ rationem haberi velit; constat ex ordinationibus ejus; quibus Magistratum jure gladii armavit, ut iniquas insontium perpessiones averteret. Secundum discrimen statuit, quod patientia lege naturæ & Mosis præscripta; jus nocendi ac lædendi alterum permittat; Christiana verò nullum permittat; quia omne jus nocendi est jus Vindictæ; at omne jus vindictæ à Christo sublatum est. In quo vulgatissimæ *vocis Vindictæ* ambiguitate decipit aut decipitur. Quę aut strictius accipitur, pro privatarum & propriarum injuriarum ultione, quam Christus prohibuit: aut latius, ut & publicas alienarum quoque injuriarum pœnas comprehendat; quas Christus adeò non sustulit; ut per Apostolum approbaverit & confirmaverit: & falsissimæ sunt assertiones, quod omnem mali etiam gravissimi propulsationem & aversionem Christus sustulerit; quod in oculi excussione, in animæ ereptione, nullum jus puniendi aut tantas injurias arcendi reliquerit. Quas quia nullius rationis adminiculo fulcit, indignas ullo responso censemus.

Ad 18.

In legitima defensione, non quia invasor, qui vitam nostram oppugnat, injustus est; ideò nobis quoq; injustis esse licet. Sed quia dum vim invasoris oppositam vi repellimus, nulla ipsi à nobis infertur injuria idcircò ipsi sic resistentes injusti esse non possumus, dum in defensionis ratione modum non excedamus. Nam ut ponamus omnem quæ de industria fit vitæ alienæ oppugnationem, injustam esse: (hanc enim quæstionem indecisam, aliis relinquimus) non ideò quia nobis alienam vitam sponte oppugnare non licet; nostram quoque defendere non licet. Quid enim injuriæ, de qua meritò conqueri possit; invasori inferimus, dum injustæ ipsius violentiæ, necessarium vitæ nostræ impedimentum objicimus? Non igitur pro illata injuria, mutuam referre licet injuriam: sed violentia opposita iniquæ violentiæ, si intra debiti moderaminis limites maneat, injuria non est. Proinde locus communis de non reponendis injuriis, quem V. B. hoc loco ingressus est, contrà nos non pugnat. Nam si urgeat *Atqui ex mutuæ violentię oppositione facile potest consequi mors invasoris.* Potest sane, sed & potest consequi aversio, fuga, debilitatio, deditio, aut pactum: quo fiat ut salvo illo nos quoque conservemur. At nisi violentiæ vis opponatur; mors nobis aut nostris impendet inevitabilis. Non ergo æquum est, ut nos ideò certissimam mortem miserabiliter subeamus, ne improbissimus latro, ejusmodi periculum subeat, quod non modo natura sua incertum; sed etiam quod is effugere si velit, nullo negotio possit. Cum enim nos ejus occidendi animum non habeamus; in ejus arbitrio ac potestate semper est; ac per nos quoque licet omissa pugna, tutum se præstare. Et audet V. B. eo loco aliis objectare injustitiam, in quo, enorme ipse injustitiæ flagitium committit. Nam quis eminentior injustitiæ gradus fingi potest, quàm ab eo cujus vita in injustum periculum illegitimè adducitur, eum illud non difficulter repellere possit, postulare ut eam in gratiam vitæ latronis, non dico conservandæ, sed extrà ejusmodi periculum ponendę, quod ille si velit, sine nostra pernicie effugere possit, tanquam devotam impotobissimæ libidini victimam, sine ulla necessitate immolet? Quod facit V. B. Nisi quod tam capitalem injustitiam; haud scio annon capitaliori iniquitate cumulat; dum eos quoque injustitiæ insimulare non erubescit, qui ad tam injustum & impudens postulatum non annuunt. Hoc sane in loco potius tacita hominum judicia revereri debuerat; atque expectare id, quod alieno loco frustrà pertimescit. Namque hic longè justius omnes

——— clamabunt periisse pudorem,

eò quod reprehendere, imo verò injustitiæ damnare conetur; non quæ graviter Æsopus: aut doctè Roscius: celebre par histrionum; sed quæ insontes homines in casu supremæ necessitatis, non absque inculpatæ tutelæ moderamine, expediendæ salutis causâ; justè, honestè, & laudabiliter egêre.

Ad 19.

Non dicit Grotius jus defensionis nunquam nasci ex injustitia invasoris; sed non per se ac primario; aut potius non ex solâ, sed aliunde quoque: quo pluribus fundamentis æquitas ejus nititur. Nam jus occidendi, à jure defensionis longè diversum est. Et tamen jus quoque occidendi scelerati hominis, ex injuste perpetrato ejus facto nascitur. Verum nos quæstionem de jure occidendi ingredi nolumus, non ægrè laturi, si illud sibi nemo (præter unicum Magistratum, idque admodum raro) usurpare ausit.

Ad 20.

Quoniam nos jus in alienam vitam (nisi forte ab ipso Deo datum) non prætendimus; profectò argumentum istud pro nobis potius, quàm pro adversario militat. Nam si jus & potestatem propriæ vitæ extinguendę non habemus; non licet neque integrum est nobis eam improbissimorum hominum libidini prodere; cum eam sine ulla injuria alienâ, servare possumus. Nulla autem injuria invasori fit in eo, quod infestæ voluntati ejus, quâ ruit in perniciem nostram, objicimus impedimentum ejusmodi, in quibus periculum quidem necis ejus impendeat (nec enim aliter absterreri; aut averti potest), sed tale, quod non modo semper incertum sit; sed evitari quoque ab eo facillimè possit, si voluntatem occidendi nostri deponere velit. Nec istud est malum pro malo reddere; quando mortiferæ violentiæ vim opponimus, salutifera utrique moderatione armatam. Beneficium potius pro maleficio reddimus; quoties occidendi voluntati servandi voluntatem opponimus, quamvis eâ prudentiâ temperatam, ut vitam utriusque nostrum servare optemus & quoad ejus fieri potest, conemur. Nec ulla hic illata invasori injuria fingi potest; ubi post tantam acceptam injuriam; invasorem salvum esse volumus, quamvis ea lege, ut nos quoque salvi simus. Non si qua in eo esset injuria, non aliud in nobis injustitiæ coargui posset; quam quod in gratiam invasoris, vitam nostram adeò vilipendere nolimus; quemadmodum ipsi vilis est; quam injustæ libidini suæ immolare non dubitat. Nam est autem injuria quoties id non facimus; quod facere obstricti non sumus. Nunquam autem sceleratum aut invasorem; quam nosmetipsos; aut indemnitatem & omnimodam securitatem ejus, quàm vitam nostram, pluris facere obligamur.

Ad 21.

Instinctus & appetitus conservandi sui, atque ille fons juris defensivi quem Grotius illis verbis describit, quod *Natura sibi quemque commendet*, deprehenditur quidem in appetitu nobis cum brutis communi, quem inferiorem rationem V. B. vocat: sed non in solo. Verum is omnibus naturis, præcipuè rationalibus communis est. Imo quo quidque præstantius & excellentius est; eò magis sese conservare & vult; & potest. Quò magis mirandum est, quid in mentem venerit iis, qui rationalibus naturis, oculos eruunt; ut ad eam lucem cæcutiant, quæ vel ipsa bruta, ipsa inanima irradiat. Quid enim est in tota rerum universitate, à summo ad imum percurrendo omnia, quod insito conservationis suæ instinctu careat? Reliqua in hac thesi, in quibus non meliori successu philosophatur; quia causam nostram non feriant; & jam ad exitum scriptio properat, omittimus.

Nisi

Nisi quod unum atque alterum argumentum, in quibus non parum fiduciæ collocat, ut ex ejus verbis erui possunt, transire non libet.

Omnem noxam sed præcipuè mortem homini ab homine illatam injustitiam esse Vir Bonus præsupponit, sumpta occasione ex Grotii assertione; quod jus defensionis non nascatur ex injustitia aut peccato alterius; quod nec Grotius simpliciter dicit ut ostendimus; nec si diceret, ilico verum esset; Nec si verum esset, ex eo consequentia hæc necti posset. Quamvis enim injuria invasoris, nihil conferret ad jus defensionis, non ilico tamen inculpatus vitæ suæ defensor, si præter mentem ejus mors invasoris contingat, injustitiæ reus est, quippe qui suo jure usus est, nec invasit alienum; sed suum cum pernicie sua invadi, passus non est. Super hanc hypothesin extruit Vir Bonus argumentum, Quod cum injustitia per se, conjunctum est, illud in Statu Christiano & Evangelico, locum habere nequit, in quo ad perfectionem virtutum Christianarum nihil debebat desiderari; inprimis autem in præscripta sub Evangelio justitia; nullus debebat esse defectus, postquam perfectissimum & humanam naturam infinitis modis superans præmium virtuti divinitùs constitutum est. At omnis (qualiscunque illa fit) effusio sanguinis per se cum injustitiâ conjuncta est. Ergo. Minor quam putri tibicine subnixa sit, paulò ante attigimus. Nititur enim Grotii verbis male intellectis; pejus explicatis, pessimè cum deductâ ex iis conclusione, cohærentibus. Quam verò falsa sit, vel inde patet, quod nutu ac voluntate Dei facta effusio sanguinis, nullo modo cum injustitia conjuncta est, quia in Deum nulla cadit injustitia. Deinde quod inter ipsos homines, custodem & vindicem justitiæ gladium Deus esse voluit etiam temporibus Novi fœderis. Neque igitur per se, neque per accidens, cum injustitia conjunctus dici potest: qui minister & exactor justitiæ à Deo constitutus est: nisi forte quis ipso aut illegitimè; aut præter fas & æquum, & modum abutatur. Neque id negare potest Vir Bonus qui bella & justas cædes juri naturæ non repugnare confessus est. Quamvis posteà imprudens, inexplicabili contradictione sese implicet, & iterum male intellectis Grotii verbis deceptus statuat, Strictam *justitiæ legem bella omnia ac cædes vetare: sed verisimile esse, quod Deus olim magna æquitate usus erga humanum genus, voluerit tunc strictam istam justitiæ legem hominibus imponere, cum eorum spes vitæ præsentis finibus terminaretur.* Atqui nobis & Lectori non verisimile est; sed certò, manifestè, & necessariò liquet, Virum Bonum hoc loco, sibimet, non uno modo, turpiter contradicere; qui legem naturæ, strictæ hoc est perfectæ justitiæ Legi repugnare existimet; quasi dictamen rationis aliquid admittere possit; quod per se cum injustitia conjunctum sit. Notandum autem est Virum Bonum, vocis *Strictæ justitiæ* ambiguitate deceptum, sese in hos laqueos induisse. Non enim per *strictam justitiæ legem* hoc loco aut intelligit, aut intelligere potest; illud strictum aut summum jus; quod quia æquitati opponitur, sæpe summa injuria est, sed perfectiorem & eminentiorem justitiæ speciem; qualem Novi fœderis Natura à nobis reposcit. Tametsi eam iterum imprudens æquitati opponat; quæ longè excellentior est justitiæ species, quàm summum & strictum jus. Sed erroris ea indolis est; ut non modo cum Veritate, sed secum ipse confligat.

2. Attingendum autem nobis est alterum adhuc argumentum; quod adversus nos ex verbis Viri Boni erui potest. *Olim*, inquit, *quando natura hominum mortalis, finem suum hoc est, felicitatem in terris, assequi aliter nisi sanguis interdum funderetur non poterat; debebant leges naturæ; suæ normæ ac scopo esse adæquatæ. At nunc cum conditio nostra prorsus immutata sit*, & summum bonum nostrum extra hanc vitam sit positum: cessat ista ratio inter Christianos, quæ in hominibus secundum naturam viventibus locum habuit.

Hoc argumentum Nota refert eorum acumina, qui similibus erroribus patrocinantur, quos ubi rationum pondere urgentur, ea quærere perfugia videas, ut vera quidem esse quæ opponuntur, sive tacitè, sive apertè agnoscant; sed ea in iis quæ defendunt dogmatibus locum non habere contendant; quæ, aut rationem superent, & sola fide apprehendi possint: aut sint suprà ordinariam naturæ & rationis normam. Atqui hic purus putus fucus, & meræ præstigiæ sunt. Una semper & immutabilis est Veritas; unum & immutabile rectum; fas & æquum; unum & immutabile dictamen rationis; quæ si forte non omnium semper rerum causas aut modos assequi potest: at veri falsique, æqui & iniqui discrimen, egregiè capit: & quæ aut principiis suis, aut sibimetipsi repugnant, non aspernari, non potest. Nec excellentia novi fœderis, conditionem mortalium ita immutavit; ut salva arbitrii libertate, absque pacis & belli gladio, societas eorum stare possit. Felicitatem sine fine, post fata quidem promisit, sed initium simul & acquisitionem ejus, in hac vitâ locum habere voluit. Proinde non viliorem nobis hanc vitam; sed prætiosiorem: nec faciliorem ejus jacturam sed magis fugiendam reddidit: & quæ ad istius vitæ curam & conservationem pertinent, tanto & obstinatius, & justius, (si modo id legitimè & citrà Dei & proximi injuriam fieri possit) retinenda esse nobis persuadet. Jus quoque illud Naturæ, quod esse immutabile in iis quæ præcipit aut vetat, Vir Bonus ipse confessus est; sui suorumq; conservationem, omni prorsus quo modo nec injusta nec inhonesta sit, ratione; præcipit ac desertionem vetat. Si ante legem & sub Lege Mosis humanum genus civilis potestatis usu, hoc est, pacis bellique gladio carere non potuit; multò minus sub Evangelio tàm necessaria Dei ordinatione carere potest. Quam Deus profectò abolevisset, si minùs nunc necessariam, si noxiam & legi Christi contrariam; si per se cum injustitia conjunctam esse, judicasset; quod contra factum videmus.

Ad 22.

Profligatis præmissis, sævire in earum conclusiones, supervacuum, nec moris nostri est.

Ad 23.

Civili magistratui quamvis utendi interdum gladio necessitas adjuncta sit; tamen & in puniendo, & in defendendo non deest campus atque occasio, exercendæ dilectionis & patientiæ; bonique etiam ipsorum qui puniuntur quærendi; & præcipuè Salutis eorum æternæ procurandæ. Ad 24.

Quâ fide Vir Bonus Magistratus non damnet, iisque hoc loco blandiatur, ex eo perspici potest, quod eos, Christianorum nomine patet indignos.

Ad 25.

Æquitatem suam adversus extraneos Magistratus Vir Bonus venditat, id ipsum imputans, quod eos non damnet, de quibus, ne Apostolus quidem, sibi sumpsit judicandi potestatem; & nos in quæstione nostra de hujusmodi damnationis ratione plane non loquimur. Sed ista benevolentia erga extraneos, ad ipsos Christianos Magistratus conciliandos pertinet, quos Vir Bonus omnes relegat ad extraneos. Quam verò syncerum sit, istud (quod jactatur), non damnandi officium; inde liquidò cernitur quod eos à portis Sanctæ civitatis exclusos, foris inter Canes & veneficos ac reliquum damnatorum gregem, collocet.

VINDICIÆ TRACTATUS DE MAGISTRATU contra Objectiones DANIELIS ZWICKERI.

TRACTATUS

DE

MAGISTRATU

contra Objectiones

DANIELIS ZWICKERI.

VINDICIÆ TRACTATUS DE MAGISTRATU contra Objectiones DANIELIS ZWICKERI.

QUæstionem, mi Zwickere, de potestate legitimi Magistratus, ingenuè & bona fide tractavi; neque sciens volensque tuam sententiam, in sensus, quos à mente tuâ alienos esse intelligerem, detorsi. Quod si quid forte ad eam refellendam, tibi molestum ac displicens attuli, meo jure uti potui; cum in disputando ejusmodi quoque absurda ex adversa sententiâ, dicere liceat, quæ vel ipsi ejus defensores horreant. Sed ego simpliciter & absolutè dicta; absolutè ac simpliciter accepi: cumque potestatem legitimi Magistratus; tanquam rem Ethnicam, & præceptis Christi repugnantem, damnari abs te viderem; quin isti, quicunque ea potestate utantur, ex mente tuâ, non tantùm vim faciant præceptis Christi; sed & in pœnam violatoribus legis ejus assignatam, incidant; dubitare non potui. Præterea cum ea quæ *Rom.* XIII. Apostolus de potestatibus supereminentibus enunciat, *ex homine Christiano, non Christianum certo certiùs factura* (verba tua agnoscis) asseverares; ne suspicari quidem mihi licuit; ejusmodi munera & functiones, quæ τὸ ἀνθρώπινον hominis Christiani perimunt, & Christianos, in non Christianos transformant; posse aut debere; tua sententiâ, in Christiana Ecclesia tolerari, aut Christianis honesta, licita, pia, & peccati expertia posse censeri. Nec enim de aliâ honestate aut turpitudine, in hac controversia loquebamur, quàm quæ Christianos homines dedeceret. Observantiam autē & subjectionem erga Magistratus terrenos à vobis palàm ac de industria oppugnari, nusquam dixi; nisi quòd alicubi miratus sum, quomodo tibi in mentem venerit, in explicando eo Sacræ Scripturæ loco, qui subjectionem potestatibus humanis disertis verbis præcipit, atque urget, satis exertè Christianos ab ea subjectione liberos, & potestate exemptos, esse asserere: eamque assertionem eodem loco refutavi. Imo verò quod opinio vestra Seipsam evertat ex eo demonstravi; quia cum istam libertatem, verbis asseratis; tamen reipsâ omnes Christianos in abjectissimo semper serviendi statu violenter detineatis. Sed illud tamen non dissimulavi quod etiamnum profiteor, in vestra opinione latere occultam vectem; quo sensim Christianorum subjectio & observantia erga Magistratus terrenos subruatur, quod cum Spiritus Sanctus nos ea potissimum ratione, ad istam subjectionem & observantiam potestatum hortetur; quod illę bonæ sint, & ab optimo rerum omnium auctore profectæ; atque in bonum ordinatæ: imò ipsius Dei ministræ; quibus non propter metum sed propter conscientiam parendum sit; Vos hanc Spiritus Sancti rationem infringitis, per ejusmodi sententiam quæ istas potestates non omni ex parte bonas; sed legibus & statui Christianorum præsertim perfectiorum, ac perfectissimæ voluntati Dei adversantes, veris ac perfectis Christianis illicitas; imo prophanas atque Ethnicos, & quæ à nobis salvâ conscientiâ exerceri non possunt, esse statuit. Ex quo ab hominibus sensim in majores subindè errores progredientibus, quales consequentię necti possint; nec ità pridem nexę fuerint, rerum gestarum periti non ignorant. Ut enim per bonam de imperantibus opinionem, obsequium erga eos firmiter stabilitur; ità per sinistram valide convellitur. Verum id semel tantum, ni fallor, neque ita explicatè ut nunc, innui, potius quàm proposui, neque diu urguem in hoc ulcere tenui. Non igitur tibi tuique similibus, quicquam affinxi, quod à mente vestra alienum putarem; nec profectò spargendis in te criminibus invidiam tibi conflare volui, nisi quòd illud (fateor ingenuè) planè ignorarem, te sentire: Non omnem Christianum qui legitimi Magistratus potestate utatur; præceptis Christi vim facere; aut in mortis æternæ pœnam incidere; sed tantum non posse vocari Christianum perfectum, qui & quoad potestate dictâ utatur. Quod an tunc quoque senseris cum prædicata quæ de potestatibus *Rom.* XIII. enunciantur, ex hoc Christiano, non Christianum certò certiùs factura, prædicare ipse videris. Utrum autem id nunc quoque bona fide sentias, aut sentire possis, nos quoque paulò post videbimus. Interea, sine dubio, scis, ex hominibus sinistra de Magistratus opinione imbutis; longè plures esse, qui secus sentiant; nec aut æternæ mortis pœnam effugere posse, aut in Ecclesia tolerari debere, qui Magistratum gerant, arbitrentur; adversus quos saltem conjecta à me rationum tela valebant; quæ tu inexpectata nobis declinatione vitare voluisti, ne mihi toties illam ingratæ Latinitatis particulam *Gratis*, quæ fortasse apud te significat *Frustrà*, oggeras; aut cum larvis partem aliquam scripti mei committas. Non igitur sine causa istam quoque sententiam; à qua te nunc cautè subducis, oppugnavi; in qua tamen excutiendâ eum quem dixi modum tenui.

Et tamen tu, iniquissima videlicet criminatione, sententiam tuam oneratam esse quiritaris; &, si tibi credendum est, ad mentionem hujus criminis in diversos & turbulentos animi motus raptatus es; nunc admiratione erectus, nunc si Diis placet, miseratione collabens; mox nescio quo horrere quasi perculsus, donec istæ vagæ & affectatæ perturbationes, in veram & fixam bilem erumperent: per quam mihi objectare non dubitas, eas voces, quibus Magistratus potestas inhonesta, illicita, impia & peccati plena dicitur, in tuam sententiam *audacter à me & Libidinosè contortas*, alibi autem *crimina injuriosè per nescio quod, accusandi Cacoethes*, congesta.

Ignosce, mi frater, quod mihi nunc, quamvis lacessito, iracli non libeat: & pace tuâ liceat mihi ridere, dum tu ringeris. Nam & risum tenere difficile est, cum quis sine causa stomachatur; nec tua mens, (si tibi fides habenda est) tàm turbidis fluctibus agitata, melius compo-

ni potest,

ni poteſt, quàm ſi placidiori affectu ſerenetur: præcipuè cum etiam ridentem dicere verum nihil vetet. Tene ſublimioris manſuetudinis, patientiæ & humilitatis magiſtrum; ſine ulla, non dicam juſta aut gravi, ſed ſpecioſa ſaltem, occaſione, in eam iracundiam efferbuiſſe; ut tibi, quo me contumeliâ afficeres; tantùm non prætextata verba exciderint! Vide quæſo, quâ fide rigidę, quam profiteris virtuti, ſatellitium præſtes; & cave ne fidelior ejus patronus & cauſidicus, quàm cultor habearis: neve illos imitari vi deâre

——*qui pleno laudant jejunia ventre.*

Nam quid homines, de affectuum in reliqua vita noſtra continentia judicabunt, ubi nos viderint, ne in patientiæ quidem atque modeſtiæ patrocinio modeſtè & patienter loqui poſſe?

Quid enim cauſæ affers, cur me iſto tuo libidinoſo adverbio conſpuendum cenſueris? Ais, me iniqua criminatione ſententiam tuam oneraſſe; quod ipſa omnem Magiſtratuum *poteſtatem; tanquam per ſe inhoneſtam, illicitam, impiam & peccati plenam condemnet.* Atqui primùm, ſi (quod non feci) iniquius quàm par eſſet ſententiam tuam exagitaſſem; tamen tibi ea criminatio tantam bilem ciere non debuit; quæ non te ſed cauſam tuam petebat. Adeone blando affectu opiniones veſtras amplexamini; ut iis gravius aliquod abſurdum, nemo objicere queat; quin per latus earum, vos intolerandis criminibus transfixos; aut invidiam nobis conflatam quiritemini? Certè, ut oppugnari, ita defendi cauſa, abſque iracundia in patronum, aut ejus contumelia poteſt.

Deinde quod attinet ad particulam *Per ſe*, ſupradictis vocibus, quæ tu crimina vocas, adjunctam: Non ego tibi aut tui ſimilibus; ac ne ſententiæ quidem tuæ (quod quidem meminerim) objeci, quod poteſtatem Magiſtratus per ſe inhoneſtam, illicitam, & quæ ſequuntur, ſtatuatis: ſed tantum dixi *Nullam eſſe rationem quæ ſuadeat, Chriſtum rem iſtam, generi humano ſaluberrimam, lege ſua ſuſtuliſſe ac damnaſſe, tanquam ea eſſet per ſe inhoneſta, illicita & cum peccato conjuncta.* Ergo cum per ſe nihil inhoneſti & pravi, in poteſtate Magiſtratus animadverterem; jure uſus ſum eo principio quod tu quoque hoc loco aſſerere vis videri, tanquam eo, quod tibimetipſi, tuique ſimilibus notum & conceſſum eſſe poſſet, ad probandum Chriſtum eam poteſtatem non damnaſſe. Non igitur vos id ſimpliciter ſentire dixi; quamvis, ut mox oſtendam, jure potuiſſem.

Denique verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid Proteus aut Vertumnus aſtus aut lubricitatis habuit; nunquam ex hoc loco effugies; quin id ſententiæ tuæ meritò tribui poſſe fateri cogaris: quod eam poteſtatem, inhoneſtam, illicitam, ac veræ pietati & ſanctimoniæ per ſe repugnantem ſtatuat. Quæcunque enim Chriſtus lege ſua ſuſtulit ac damnavit, per ſe aliquid inhoneſti atque illiciti habeant neceſſe eſt; cum nihil ſine juſta & ſolida cauſâ prohibuerit. Neque enim ille ad ordinationes Dei convellendas; ſed ad opera Diaboli diſſolvenda venit & apparuit. 1. Joh. 3. 8.

Atque hic ſane quàm ridiculo effugio; ſuaviter me oblectaſti; dum objecta tuæ ſententiæ, quæ tu crimina vocas, ego verò tanquam abſurda produxeram; quod illius vi, ipſa functio Magiſtratus impietatis aut peccati arguatur, ſola inficiatione refellis; neque alia reſponſione *dignaturum* te profiteris. Cujus verbi uſus an illam, cujus tu exceſſum urges, Spiritus humilitatem redoleat; ego hîc non excutiam: tantum illud bona fide affirmo; longè plures & juſtiores mihi non defuiſſe cauſas, ad reſpondendi toti huic Scripto tuo dedignationem, nec me tamen, ut vides, illud contemnere voluiſſe.

Verum tu iſto, quod comminiſceris, compendio, ex laqueis, quibus temetipſum ultrò induiſti, non elaberis. Neque enim te ex hoc loco dimittam, donec alterutrum eligere digneris; ut aut tam ſanctam Dei inſtitutionem, legibus & ſtatui omnium Chriſtianorum, planè & ſimpliciter non repugnare agnoſcas: aut ſi planè repugnat, & omnibus quidem hominibus, ſed præcipuè Chriſtianis, de quibus ſolis loquimur, inhoneſtam, illicitam, impiam, & peccati plenam, fateare. Tibi in iſta optione neutrum placet; ſed mediam neſcio quam viam quæris quæ nulla eſt. Ais enim poteſtatem legitimi Magiſtratus; adverſari quidem legibus & ſtatui Chriſtianorum, præſertim perfectiorum, non tamen adverſari legibus & Statui imperfectiorum; nec eſſe inhoneſtam, illicitam & quæ ſequuntur, reſpectu eorum aut extraneorum. Sed quo te vertes ubi oſtendero Reſponſionem tuam non dico non ſufficere objectis; ſed planè admitti non poſſe? An non dignaberis quærere aliam, quæ te ab objectorum, ut tu loqueris, criminum invidiâ protegat?

Primum enim jam illud inficiari non potes à te ſtatui, veris & perfectis Chriſtianis poteſtatem hanc illicitam atque interdictam eſſe. Quod ſi verum eſt, etiam falſis aut imperfectis, imo verò omnibus, ad quos vox Evangelii pervenit, vetitam eſſe neceſſe eſt. Quomodo enim illis vetita non ſit, quibus eam Deus vetitam eſſe voluit? At, ſi omnibus, qui veri & perfecti Chriſtiani eſſe velint, Deus hac poteſtate interdictum eſſe voluit; omnes autem ad quos prædicatio Evangelii pervenit, Deus vult ut veri & perfecti Chriſtiani eſſe velint; non aliud relinquitur, quàm quòd omnibus hominibus, quos Deus prædicatione Evangelii dignatus eſt, ſive illud receperint, ſive non; ſive in ejus cognitione plùs proferrint, ſive minus; Deus hac poteſtate interdixerit. Teneri enim nunc omnes legibus Chriſti Deus voluit; ſed præcipue eos, qui ignorantiam earum tranſgreſſionibus ſuis prætexere nequeunt: quas idcircò tranſgredi nequeunt, quin illicitè, imo verò impiè, atque adeo non impune delinquant.

Deinde ne in hac parte litigii tempus teramus, illud certe diffiteri non potes, iſtis, quicunque ſe legis Chriſti jugo ſubmiſêre (de quibus potiſſimùm, imò ſi placet, ſolis loquamur) inhoneſtum, illicitum, impium &c. eſſe id quod Chriſti legibus perfectioribus; & Chriſtianorum Statui adverſatur; cum omnes eò perfectionis pervenire teneantur, ut nullam è perfectioribus Chriſti legibus violent; neque earum violationem ullo reſpectu defendi poſſe, quominus vim facere præceptis Chriſti, & pœnas violatoribus ejus conſtitutas mereri cenſeatur.

Denique iſta, ejuſmodi inter perfectos Chriſtianos diſtinctio, quæ aliquarum legum Chriſti violationem, imperfectioribus permittat, & ſolis perfectioribus prohibeat, ad quam te non malo animo deſcendiſſe, ſed duræ neceſſitatis telo compulſum video; quid niſi artium Satanæ officinam redolet; qui non alia machinâ præſcriptam à Chriſto in Eccleſia ejus ſanctimoniam validius ſubruit, quàm perſuadendo hominibus difficiliorum legum Chriſti obſequium, ad ſolos Chriſtianos perfectiores pertinere.

At enim tu oſtendis, aliqua dari poſſe, quæ legibus & Statui Chriſtianorum adverſentur; quę tamen neque vim faciant præceptis Chriſti, neque pœnam mortis æternæ ſecum trahant; ideoque qui iſtas res exerceant, in Eccleſia, propter eorum infirmitatem tolerari debere; quales fuêre Judaici ritus in primitiva Eccleſia.

Verum ego primùm ea legibus & ſtatui Chriſtianorum adverſari pernego, quæ præceptis Chriſti vim non faciunt, & in Eccleſia tolerari aut poſſunt, aut debent. quales ſunt res indifferentes aut ſupervacuę; quę aliquid forte ſuperflui aut imperfecti; nihil tamen pravi & præceptis Chriſti repugnantis in ſe continent. Circumciſio & Judaici ritus, à populo Judaico, quamdiu in ſuis veſtigiis manſit illa Reſpublica, (præſertim in ipſa Judæa) uſurpati; per ſe non magis Chriſti præceptis ſpiritualibus repugnabant; quam nunc patrii mores atque inſtituta, ac ritus innoxii, alicujus gentis ad Chriſtianiſmum converſæ; qui per ſe licitè exerceri poſſunt, dummodo id rebus adiaphoris ſuperſtitioſè non tribuatur, quod ſoli veræ fidei & obedientiæ mandatorum Dei tribui debet. Nec unquam Circumciſionis & aliorum rituum exercitium perfectioribus Chriſtianis interdictum; ſed tantum aliis extrà

extrà Judæos populis minimè injunctum in S.S. legimus. Perfectissimi Christiani fuere, Petrus, Paulus, Jacobus Hierosolymitanus Episcopus, & tamen hoc patriorum rituum usu, sibi (præsertim in ipsa Judæa) interdictum non putabant.

Deinde quomodo ea præceptis Christi vim non inferre dicantur; aut tolerari in Ecclesia possint; quæ leges maximi momenti, quas paulò post, enumerabimus, si vobis credi par est, violant; quæque si juxta Apostoli præcepta exerceantur; ex Christianis non Christianos factura sunt?

Nam quod addis, fieri posse ut quod uni licitum sit, alteri illicitum esse possit, quemadmodum officium sacerdotale sub V. Fœdere: in eo tibi facile assentior, cui & potestatis usum non omnibus promiscuum, sed aliis licitum aliis illicitum esse sciam. Sed velim instantiam hanc ad propositam quæstionem applices, atq; ex ea quod tibi ex hoc loco deducendum est, demonstres, ut videas quam apertè, ad rem, de qua agitur, quadret. Id enim est in quæstione, utrum Magistratus potestate legitima uti, aliis Christianorum honestum ac licitum, aliis illicitum ac vetitum sit. Ad hoc ostendendum tu exemplum Sacerdotii istius producis. Applica quæso, nisi molestum est. Nec potes aliter quàm isto modo. Quemadmodum olim officium Sacerdotale, in populo Judaico uni Aaronicæ stirpi gerere, pium ac licitum fuit: cæteris omnibus non item: ita nunc potestate Magistratus uti in Christiano populo quibusdam Christianorum honestum ac licitum, aliis autem illicitum est. Vellem ut ista ratiocinatio firma esset, nec in eâ, subesset aliquid vitii. Statim enim ex tuamet ratione, nostrum illud τὸ κατὰ μέρος deducerè, Magistratus potestatem in Ecclesia Christiana, etiam perfectissimis Christianis licitam esse, non minùs quàm officium Sacerdotale in Ecclesiâ Judaica etiam perfectissimis Judæis licitum fuit. Nam quod istud tunc non omnibus gerere licuerit nihil refert, cum ne nos quidem nunc Magistratum ab omnibus geri posse contendamus.

Deniq; quod addis, id quod per se bonum, honestum, utile & salutare est, alteri per accidens malum, inhonestum, inutile, & damnosum evadere posse: id non modò in genere verum esse; sed & ad ipsam Magistratus functionem egregiè applicari posse fateor; quia similis est evaginato ingentis ponderis gladio, qui multùm interest, cujus manu tractetur. Sed si potestatem Magistratus per se bonam, honestam, utilem & salutarem contendis; explica quæso, quodnam illud est accidens; quod ipsam Christianis malam inhonestam, & quæ sequuntur, reddat. Si gladii usum, aut supereminentiæ honorem, aut jus coactivæ potestatis produxeris; hæc non ad accidens, sed ad naturam ipsam potestatis hujus pertinere, regeram.

Deinde istud qualecunque est accidens, quod illam Christianis perfectioribus, illicitam reddit: quero quamobrem illam solis perfectioribus, non autem simul & imperfectioribus vetitam reddit? annon iisdem utrique legibus tenentur? an aliæ, scilicet adductiores, perfectioribus: aliæ, eæque laxiores imperfectioribus latæ sunt? Quid aliud est laxam ad violanda Christi præcepta, viam aperire; quàm docere ea imperfectioribus Christianis peccata non esse; quæ perfectioribus non liceant?

Ex his quæ hucusque disseruimus patet; me adeò non sine causa Magistratus functionem à te Christianis illicitã, impiam, & peccati plenam, judicari, affirmare potuisse, ut ne sine necessitate quidem id fieri debuerit. Necesse enim est id Christiano homini turpe atq; inhonestum censeri, quod vocationem atque institutum religionis ejus, quam sequitur, maculet atque dedecet: Necesse est ipsi illicitum esse quod per leges Christi perfectissimas non liceat: necesse est ab ipso pro impio haberi; quod pietatis Christianæ sanctimoniam violat: necesse est plenã peccati rẽ esse, quæ adversus tot præcepta & interdicta Christi; de nõ occidendo, animabus hominum non perdendis, inimicis diligendis, culpis remittendis; injuriis ferendis, humilitate excercenda; si verum est quod protendis, delinquit.

Vides igitur te calculos tuos malè posuisse, nec per tuã responsionem ut speraveras, te ab objectis, quæ vocas, criminibus defensum: & tamen causam tuam tuomet ense jugulatam esse. Nam si potestas Magistratus, adeò, ut ais, legibus & statui Christianorum non adversatur; ut qui eâ utitur, nec præceptis Christi vim faciat; nec pœnam mortis æternæ incurrat; utque is in Ecclesia omninò tolerari debeat; quid amplius de ea disputamus, an lege Christi prohibita sit, aut statui Christianorum adversetur? Licitam & tolerandam eam in Ecclesia confiteris, quod unũ, ego obtinere volueram. Nec quicquam ultra postulo. Habeant tibi, perfectionis nomen ac famam, quos ea tangit ambitio; ego de istarum vocum titulis Magistratibus vendicandis non pugnabo.

Atqui ne in eo quidem acquiescere per temetipsum licet. Nam si Magistratus ut asseris pari ratione in Ecclesia tolerandi sunt, quâ credentes Judæi in primitivâ Ecclesia cum circumcisionis ac similium rituum exercitio tolerabantur; cum videamus olim circumcisionis ac similium rituum observationem perfectissimis Christianorũ, quales fuere Petrus, Paulus, Jacobus fuisse permissam & usurpatam; eadem ratione Magistratus potestatem hodie perfectissimis Christianorum competere posse evincitur.

Quid tu ad hæc? Liceat mihi, hoc loco, tibi in aurem dicere. Si supercilium, quod longè magis cum humilitate Christiana; quàm functio Magistratus, pugnat; ponere potes; age, tam indignari quàm dedignari desine, & eam tibi quæstionem non satis fuisse meditatam confitere. Est & ingenuitati suus honos ac pretium; nec in humanis rebus non labi, quàm lapsum promptè agnovisse laude dignius censeo. Neque verò in præsumptæ dudum atque inolitæ opinionis præjudicio multùm spei repone: atq; adeò nunc ex hoc minuto decepta expectationis tuæ exemplo, disce, opinione, quæ temere animum occupat, nihil esse fallacius. Nam ut à verbis tuis non recedam. Insulam istam tuæ a proæmialem, inexpugnabilem causæ tuæ arcem fore speraveras; atque in illam miseros paragraphos meos tanquam damnatos exules aut captivos, quasi Imperatorię sententię oraculo; deportandos edicebas. Nunc vides ad ejus scopulos, totius causæ tuæ factum naufragiũ, teq; de tuâ munitione dejectum, ab ipsis tuis præsidiis miserrimè vapulare. Nam quid magis sententiã tuam afflixisse potuit, quàm quæ in isto proæmio asseris, dum ais, quod *Nemo in quo aliqua salis est mica tàm stupidus esse possit: qui non ex eo, quod Deus ipse summo fungitur Magistratu, Magistratumque olim vivâ voce instituit, approbavit, & adhuc approbat, colligat, functionem Magistratus in se & per se, nullâ ratione esse impiam & inhonestam.* Neque enim id Christianis etiam perfectioribus vetitum aut illicitum censeri potest; quod cum supremo ac perfectissimo sanctimoniæ gradu; qualis in Deo est, consistere potest.

Præterea quod ipso facto, protinùs & absq; ullo respectu; (nam istos respectus, per quos etiam res optimæ illicitę evadere possunt; ut qui ad propositũ non pertineant; nihil moramur) nec præceptis Christi vim facit; nec pœnam mortis æternæ secum trahit; deniq; quod in Ecclesia tolerari debet; qualem tu potestatem Magistratus esse asseris; quomodo cuiquam Christianorum vetitum censeri potest? Denique si tam gravia, tàm iniqua, tamque noxia & metuenda aut pudenda ea sunt crimina; quæ ego sententiæ tuæ tanquam absurda objeci, quàm tu vis & ipsemet exaggeras, eoque nomine me accusare non desinis, quòd nimirum per eam potestas Magistratuum, tanquam Christianis (de quibus certe loquebamur) inhonesta, illicita, impia & peccati plena damnetur: tantò major tibi incumbit necessitas statuendi, eam potestatẽ omnibus Christianis licitã, piam & omnis peccati expertẽ esse censendã.

Atq; hæc ego ad proœmium tuum, paulo plenius quidẽ quam optasses, reponenda putavi, quia in eo adversus me debellatum opinatus es, & plera q; è Scripto meo eodem videlicet castiganda relegabas. Nam ipsũ quidẽ scriptũ; quamvis tibi in eo minutissima quæque carpendi flagrans non deesset desiderium, collatis signis, atqueut sic loquar, servato adversæ aciei ordine aggredi, tibi non placuit. Cæterum cum tibi non stataria pugna; sed vagum velitationis genus magis cordi esset, tuarum mearumq; rationũ ordin. serie omissâ, in confusas nescio quas paragraphorũ minutias Disputat. totam concerpsisti; quasi non ad ima

rerũ fundamenta penetrare: sed verba mea hinc inde arrodere velles; quærendo ubi magis impunè dentem imprimere posses, quod tibi tamen ita succesſit, ut plures genuinos fregeris, quàm morsus vestigia reliqueris. Cum autẽ paratum ac serium disputandi ordinem haberes, quid ita, in novos & ludicris notis depictos paragraphos Scriptum meum digessisti? Et cum capitum, rationũ ac responsionum distinctiones, quæ rerum pondera dispertiebantur, non deessent; quid attinuit nescio quas icunculas, quas honoris causa non nomino) appingere; quibus veluti signis disputationis nostrę partes distinguerentur. In quibus tamen ipsis raro aut certè obiter jugulum causæ petiisti: sed in iis plerumq; immoratus es, quæ nihil aut non multum ad causam pertinent; quæq; à me vix obiter memorata, minimè omnium urgebantur. Eorum quæ tibi objicio exemplum, in primo statim paragrapho cernitur.

Ad §. 1. Parag. 1.

Ais me queri sententiam tuam esse 1. paradoxam. 2. repugnantem rationi & communi Christianorum sententiæ. Atqui ego neutrum horum quẽstus sum: sed potius id quod in parte tertio loco collocasti; quòd *cum esset talis, firmis prius rationibus demonstrata non fuisset, quàm manifesta S.S. loca per eam, ceu principium aliquod in absurdos sensus torquerentur*: addens (id quod tu hic quarto loco collocas) *non sine iniqua interdũ & non satis verecunda petitione principii*. Ad hoc igitur tertium & quartum omissis aliis, respondendum fuit, iniquitatem querimonię meę ostendenti. Sed videamus quomodo ad hæc singula respondeas.

Ad 1. ais: Non curandum esse utrum aliqua sententia sit paradoxa, sed num vera & bona. In quo nos assentientes habes. Addis mox immeritò tuam paradoxam dici quia principiis nititur expressè in Scriptura scriptis & utrinq; inter nos concessis: & ea principia enumeras. (Non esse occidendum animas hominum non perdendas: inimicos diligendos: culpam remittendam: injuriam ferendam potius quàm vindicandam: Christianos inter se esse fratres: humilitatem Christi exemplo monstratam omninò exercendam.) Atqui hoc falsum est & illud ipsum de quo inter nos quæritur, nobis accerrimè negantibus, his illam principiis niti aut ex illis fluere; cum nos quoq; his principiis nitamur; & fidem atque assensum præbeamus nec tamen tuæ sententiæ accedamus. Quod cum nudè ac sine probatione asseruerís; nobis quoque hoc loco nudè negasse sufficiet. Ad singula tamen ista alibi sufficientissimè responsum est. Non igitur falsa tua assertio, sententiam tuam ab objecta sibi paradoxiâ purgavit.

Ad 2. respondes primùm; Me non demonstrare sententiam tuam rationis lumini repugnare. Quod quidem hoc loco non falsò dicis; nec enim id erat propositi mei, cum non id ut dixi, conquererer. Paulò post tamen in ratione secunda, qua tuam explicationem oppugno. id me abunde præstitisse confido; quod ex concepta isthic adversus me bile tua satis superque constat. Addis eam non magis rationi repugnare, quam officium V. T. Sacerdotale; aliis omnibus, præterquam Aaronicæ stirpi, interdictum. Id quoq; nihil morarer; etiamsi instantiam hanc tuam, nihil tibi suffragari, nondum (quod feci) ostendissem. Deniq; ais frustrà me communem Christianorum sententiam implorare; à qua tamen ipse in explicatione loci *Matth.* xx. 25. recedam. Sed nec ego communem Christianorum sententiam usquam imploro. & in explicatione dicti loci me communem sententiam deserere; quia nuda asseveratione astruis, nuda negatione refellitur.

Ad 3. in quo jugulus causæ hujus paragraphi vertitur, quomodo respondeas; velim mecũ unâ, cordatus Lector perpendat. Sed prius tertiũ istud objectũ, tuismet verbis repetam. *Queritur Autor* (ais) *sententiam meam de Magistratu firmis rationibus non fuisse demonstratam; antequam manifesta S.S. loca per eam, ceu principium aliquod, in absurdos sensus torquerẽtur.* Tu quid ad hęc? Frustra, inquis, *Autor, rationes à me requirit, cum principium probatione non indigeat.* Tuane igitur sententia, & in ea quidem disputatione, quæ de illa instituitur, principiũ probatione non indigens abs te nominabitur? Et adhuc quærere audebis, (quòd paulò post exclamas) *Ubi hîc obsecro, vel vestigium principii petitionis?* Imo responde ubi hic vel mica salis vel vola aut vestigiũ frontis ac verecundiæ? Quid aliud est sine omni pudore sumere aliquid pro concesso & pro principio, tunc cum maxime dubium & controversum est?

Ad 4. deniq; respondes, impudenter *tibi à me inverecundam petitionem principii* objici, ob *eam rationem quod mihi integrum sit loca Scripturæ ad sensum theseos tuæ explicare, sensum quoq; alicujus loci ex antecedentibus, connexis & consequentibus eruere.* Atqui ego nisi ostendam, tuam istam impudentiæ meæ probationem esse impudentẽ non recuso, quin ipse ejus culpæ reprehensionem subeam, quàm in te reprehendo. Quid enim impudentius est, quam ab eo, qui postulat, ut sibi res dubia & cui sine probatione assentiri nequeat, probetur; quod ni fiat de commissa Principii petitione queritur; requirere, ut is alieno officio defungatur atque ipsemet loca S.S. *ad sensum theseos adversarii* sui explicet? ac pro illo sensus locorum S.S. ad semetipsum refutandum eruat? quid inverecundius, quàm ita disputare velle, ut nos nihil aliud nisi fortiter afferere perseverantes, adversarius suscepto pro nobis probandi labore levet; atque ipse pro nobis vineta sua succidat? Hoccine est ullum non dicam frontis aut pudoris, sed sanę mentis vestigium in disputando relinquere? O facetissimum inficetur genus, cum quis satis sibi probandi labore defunctus videtur, si dicat, posse adversarium ea quæ sibi probanda postulat è S.S. contra se probare. Non minùs id quidem imò longè magis ineptè ac pueriliter, quàm ille olim, qui satis se precibus defunctum putabat, si alphabetum quotidie flexis genibus recitaret; causatus Deum, ex literarum quas recitaret combinationibus, posse sibi preces qualescunque velit concinnare. *Ad §. 2.*

In fronte paragraphi hujus ante omnia ostendere conaris, sententiam tuam non esse paradoxam, 1. quia Tertullianus in ea fuerit. Cujus testimonium non excutio, nec vir iste, quàm sibi in ejus generis opinionibus, parum constet, ostendo; quia id fecit citatus abs te Grotius *lib 1. de jure belli & pacis cap. 2. sect. 9.* Tantùm illum moneo ex eo quod aliquis, præsertim eorum, qui (ut verbis Grotii de eodem viro prolatis utar) amant ob aliis seorsim ire, jam olim ità opinatus fuerit; mendosè colligi, opinionem ejus paradoxam non esse. Quid? an Stoicorum sententiæ quædam, paradoxæ non putabantur, quia Zeno aut Chrysippus ita senserint; imo verò reliqui etiam omnes, ex illo numeroso barbatorum grege, quos

Quondam porticus attulit
Obscuros nimium Senes?

II. Idem probas ex eo quia singulis ferè seculis Christiani nonnulli utut pro hæreticis habiti, ejusdem sententiæ patroni fuerunt. Quasi ulla fit tàm delira & à communi omnium sensu abhorrens sententia; quæ non aliquos ex philosophis aut hæreticis patronos habuerit.

Mox incipis ad jugulum causæ accedere, & velle probare, loca quæ pro tua sententiâ affers, aliter explicari non posse, nisi sententiâ tuâ introductâ. Verũ id facis tuo more; hoc est simplici & nullo argumento subnixâ affirmatione; & quod pejus est, istam nudam assertionẽ tuam haberi vis pro demonstratione. Ais enim *Nemo facilè dixerit, loca illa, quæ, partim secundum analogiam fidei seu manifesta omnium Christianorum principia: partim ex antecedentibus, connexis & consequentibus explicantur; aliter & quidem rectius explicari posse.* Atqui hoc ipsum non nudè asserendum; quòd in thesi generali, ego quoque non difficulter concesserim: sed quod acerrimè nego in hypothesi rationibus probandam fuit: loca videlicet ista abs te secundũ analogiam fidei aut communia Christianorum principia explicari: producenda in medium ista antecedentia, connexa & consequentia ex quibus constare possit, hæc loca aliter, præterquàm tuo modo explicari non posse. Tibi, probatione omissa fortiter asseverare sufficit. Quam tamẽ assertionem; quodq; magis mirandum est, statim; pro demonstratione te venditare non pudet. Namcum probare vellis, multa obstare; quominùs verba Christi *Matth.* xx. differentiam potius inter civilem & Ecclesiasticã supereminentiam explicare, quàm civilem tollere censeantur; primũ hoc obstaculũ objicis *quod locus hic, uti modo monstrabatur*

strabatur rectius explicari nequeat. Hoccine est demonstrasse quod erat demonstrandũ, nudam & de qua non disceptatur, thesin posuisse: ad hypothesin (quæ sola in quæstionẽ venit) non applicatã? Proinde hæc primùm monstri simile, tua principii petitio, explicat. meę nihil obstat

II. Ergo alterum ipsi obicẽ opponis; quòd ea communi & universali Christianorum sententiæ, (ad quam videlicet ego provoco; cum tu verius & justius ad eam provocare possis) repugnet. In quo mirificè ac multipliciter hallucinaris. Primùm enim si hoc verũ esset, nihilò deteriori loco apud te esse debuit: cum tua quoque, & quidem longè magis, repugnet; cumq; id jam me assentiente professus sis; non debere curari, num sententia aliqua paradoxa sit, & communi opinioni repugnans; nec ne: sed num vera & bona. Deinde cur id non probas quod tàm præfractè affirmas? cur non ostendis qua in re explicatio mea universali Christianorum sententiæ repugnet? An verò id quod probari nequeat, objectasse; sufficiet? Deniq; tuis ego te verbis falsi conv c n quibus infrà parag. 26 innuisti, universalem istam C istianorum de mente loci *Matth.* xx. Sententiam; in eo esse quod *isthic Ecclesiasticis personis potestate civili* interdictum esse statuat. Atqui huic sententiæ explicatio mea non repugnat; imo verò eam astruit; dum in verbis loci citati, potestatem civilem non penitus tolli; sed tantum Ecclesiasticis personis ut tu loqueris, aut ut meis ego verbis loquar, Ecclesiasticis præpositis adimi ostendit. Hanc enim ego inter Civilem & Ecclesiasticam supereminentiã esse differentiam statuo; quod potestas civilis seu coactiva, illi supereminentię generi competit: huic vero minimè. Postremo quamvis ego explicationem meam cum communi sententia consentire censeam; nusquam tamen ad eam provoco. Tu autem cum tua paradoxa opinione quo jure ad eam verius & rectiùs quàm ego, provocare possis; cordati Lectoris judicium esto. Proinde ista quam mihi affingis communi sententię repugnantia; quia est aut dormitantis somnium; aut vigilantis figmentũ, explicationi meæ obstare non potest.

III. Tertium ejus obstaculum profers quod eam locus quintuplici nomine non admittat. Videbimus quâ fide; quinque ista nomina expedias.

Primùm ais si, id *quod ego puto Christum intendisse; non* „ *opus habuisset Ethnicorum dominationem discipulis suis ob* „ *oculos ponere. Sed ita potiùs dixisset: Scitis vestratium non* „ *nullos, & jam tum (uti centurio fidelis) & futuro inprimis* „ *tempore, civili gubernatione in subjectos suos recte dominari* „ *dominaturosque omninò esse: Verum respectu gubernationis* „ *Ecclesiasticæ non ità dominabimini &c.* Atqui principiò probare non potes, Christum *Matth.* xx. Ethnicorum dominationem qua Ethnici sunt, discipulis suis ob oculos ponere. Non enim Christus hoc loco, quemadmodum *Matth.* vi. 7. τ ἐθνικῶν sed τ ἐθνῶν voce utitur; quæ non modò aliis extra populum Dei gentibus; sed & ipsi populo Dei competere potest; qui certè, peculiaris quidem & electa; sed tamen gens quoque est ac dicitur aut dicebatur. Porrò in hoc loco vocem istam ità generaliter sumi; ut etiam populum Israëliticum comprehendat, ex eo patet, quia dominatio & civilis potestas; non in extraneis tantùm; sed in gentibus quoque ad populum Dei pertinentibus exercebatur; nec erat id gentium extranearum proprium, sed commune cum populo Dei institutum.

Deinde ut ad ulteriorem explicationem tuam excutiendam accedam; primùm omnium monendum te censeo qui velit aut loca S. S. aut alienam mentẽ, rectè interpretari ante omnia oportere, ut propriæ mentis rectus sit interpres. Nam qui suę mentis conceptus dextrè exprimere non potest (quales esse plerumq; solent quorum contorta ingenia sunt.) eum necesse est, tàm S. S. quàm alienę mentis infelicem esse interpretem. Tibi verò id genus interpretationis, aliquoties in hoc paragrapho, quàm prosperè successerit, videamus. Ac primùm quidem, cum diserta Christi verba mentem ejus exprimant, quòd videlicet propositâ re; quæ bene nota jam & explorata discipulis suis fuerat; docere eos voluerit, id quod nondum sciebant, tu per ineptam istam explicationem, Christum ad docendam rem ignotam, id ipsis proponentem facis; quod notum ipsis atque exploratum non fuit neq; esse potuit. Nec enim scire poterant, quenquam è discipulis Christi, jàm tunc civili gubernatione (præsertim ejusmodi potestatis atque honoris illecebras habente; quas tunc illi duo Apostoli imo & reliqui in Regno Christi fore somniabant) in subjectos sibi dominari: nec id ex Centurionis fidelis (si quis talis fuit) exemplo discere poterant. Quid enim centuriones cum iis confundantur qui ἄρχοντες τ ἐθνῶν audiunt? an qui militum manipulum ductant, principes gentium de quibus sermo est, dici possunt? Multo minùs futurus eorum ipsorum aut reliquorum Christianorum status, in illis præsertim initiis, satis exploratus ipsis esse poterat. Quid igitur opus erat, Christum per eam rem, quæ ipsis manifesta esse non potuit; illustrare novam & ignotam doctrinam; cum posset per rem ipsis clarissime notam, & quam manibus quotidie palpabant, id præstare? Neque enim ipsis tam Herodis in Galilæa; quàm Pilati in Judæa dominatio ignota esse potuit: imo verò in ipsa Judæa & Galilæa, quæ certè nationes Ethnicæ non erant, non paulò notior fuit ipsis dominantium potestas; quàm aut præsens in reliquis extraneis & ipsis ignotis gentibus dominatus, aut futura olim quorundam Christianorum potestas. Unde patet, cum Christus ad illustrandam novam suam doctrinam; eam ipsis potestatem proponat, quæ ipsis notissima erat; ad Judaicæ potissimùm & Galilææ gentis civilem gubernationem respexisse; quæ gentes cum Ethnicæ dici nequeant; planum est per vocem ἐθνῶν non Ethnicos sed quosvis populos, sive Dei cognitionem habeant sive non, intelligi, dummodo suos ἄρχοντας habeant. Atqui hic obiter notandum est te sentire Centurionem istum quem fidelem vocas; ad Christum ita fuisse conversum; ut imperium in subjectos sibi milites retinuerit. Quod an cæteris placitis tuis congruat, ipse videris.

Mox explicationem meam refutare aggressus; eam, ut exagitare possis, sic proponis; ut à me pro meâ non agnoscatur. *Reges quidem gentium* (inquis meo nomine) *in eas dominantur. Vos autem aliquando tantùm, dominium hoc non exercebitis, nimirum dum fratres vestros ut fratres considerabitis.* Ego, mi homo, si locum hunc ita explicarem insulsæ nugationis culpam aut reprehensionem, deprecari non auderem; quia manifestiora: per longè obscuriora explicarem. Tibi an liceat alienam mentem in ejusmodi sensus impune detorquere, judicent alii. Verum quia hunc factum pro meo non agnosco; tuomet arbitrio tibi eum exponendum aut jugulandum trado. Quia verò video, quod te ipsius misereat, ignosco. Fidem facis te non esse ἄπειρον. Etenim

Quem recitas meus est ô Fidentine libellus
Sed malè cum recitas, incipit esse tuus.

Atque ita vides quam malè hoc nomen è quintuplici nomine primum expediveris. ita ut hunc quoque tertium obicem planè amoliti fuerimus.

IV. Sequitur quartus quem tu numero secundo inter quinque tertii obstaculi partes connotasti. Dicis igitur explicationi meæ *obstare quòd quæstio inter discipulos orta non erat, an aliquando dominari non possent.* Quasi verò explicatio mea verborum *Vos autem non sic* id velit ut ea sic intelligamus. *Vos autem aliquando tantùm dominium hoc non exercebitis*; eum ego supradicta Christi verba manifestè ad Ecclesiasticæ duntaxat potestatis administrationem restringam, quæ cum non aliquando sed semper ex mea mente dominationis expers esse debeat: non potest meæ explicationi tribui, eam Apostolis permittere, aliquando dominium in Ecclesia exercere; aliquando non: sed potius eam semper id Apostolis & eorum similibus interdictum esse statuere.

V. Quintus explicationis meæ obex quem hic tertio numero connotas est, quòd Christus limitatè non respondet sed simpliciter ait verũ non ita erit inter vos. Regula autem Theologica, absolutè dicta, absolutè accipi jubet.

O te miserum & plurimis erroribus obnoxium, si istam ipsam regulam absolutè & universaliter intelligis.

Legimus *Luc.* XII. 10. *Omnis qui petit, accipit.* Satis absolutè enunciationem hanc positam vides; imò quod plus est universaliter; & tamen necessariò limitandam ac restringendam, ad eos, qui debito modo, & ea petunt quæ petenda sunt, fateri te necesse est. Quid si ego ostendam Christum hic non absolutè sed limitatè loqui? Certè antecedentia, connexa, & consequentia, quæ tu tàm sæpe, ac tàm magnificè jactas, ostendunt, Christum non absolutè & simpliciter omnibus qui doctrinam suam sequi velint, dominatione interdicere: sed tantum in regimine Ecclesiæ suæ: & quidem iis tantum qui ad regendam Ecclesiam admoti fuerint; aut admoveri voluerint. (Id enim significat velle magnum aut primum esse inter Christi discipulos; aliquam in Ecclesia præeminentiam habere velle) quales erant Apostoli quos Christus præ cæteris elegerat ut aliis supereminerent, in Ecclesia sua quæ est Regnum Christi ac cæteri omnes eorum similes. Tales homines quia (quod in Ecclesia Christi tot annorum experientia docuit) nimium proclives sunt ut supereminentiâ suâ ad dominationem abutantur, freno hujus interdicti indigebant, ne τῇ ὑπεροχῇ suâ abuterentur ad dominandum more Mundanarum potestatum, cum gubernatio Regni Christi quod non est ex hoc mundo; hoc est, gubernatio Ecclesiæ, toto cælo differt à gubernatione politica.

Antecedens igitur hanc doctrinam Christi circumstantia; ostendit primùm, Christum de statu regiminis regni sibi proprii: hoc est, gubernationis Ecclesiasticæ; non autem de statu regiminis politici doctrinam tradere quæ est prima præcepti hujus limitatio. Loquitur enim de statu ejus Regni, quod discipuli sui falsò putabant fore regnorum terrenorum simile; quem errorem ex animis eorum eximit; ostendens magnam inter regna toto genere diversa, differentiam. Deinde eadem circumstantia ostendit Christum ex occasione duorum è præcipuis Apostolis, primum in regno ejus locum, primamque dignitatem ambientium, doctrinam hanc tradere iis, qui in regno ejus hoc est Ecclesia, primum locum aut aliquam eminentiam habere aut affectare voluerint; quales sunt ii qui gubernaculis Ecclesiæ admoventur aut admoveri cupiunt: ut olim Apostoli & eorum similes; quæ altera est hujus doctrinæ limitatio; quod tradita sit τοῖς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρωτεύουσι aut φιλοπρωτεύουσι, non gregariis militantis Ecclesiæ manipularibus.

Connexa hujus doctrinæ idem ostendunt. Ac primùm antithesis terrenarum & Ecclesiasticarum supereminentiarum. Quemadmodum enim in terrenis Christus non proponit hominum privatorum aut plebejorum attributum & proprietatem; sed Principum gentium καὶ τῶν μεγάλων; ita in Ecclesiasticis non proponit privatorum ac simplicium Christianorum officium, sed eorum qui ἐν τῇ ὑπεροχῇ spirituali aut erant aut esse volebant. Idque ex vi antitheseos necessario concludendum erat; etiamsi in apodosi sermonis sui Christus nullam eorum, qui primi aut magni esse inter suos discipulos vellent, mentionem fecisset. Deinde multò magis id concludendum est, cum Christus disertissimis verbis doctrinam suam hoc loco iis tradat; qui inter suos hoc est in ipsâ Ecclesia ejusque gubernatione Spirituali Magni aut primi esse voluerint.

Denique consequens Christi exemplum; quo tradita in hoc præcepto doctrina illustratur; utramque ejus limitationem liquido arguit; non modò eam quæ ad Regnum ejus spirituale & Ecclesiasticum (quod ab omni violenta potestate longissimè abest) doctrinam hanc restringit: sed etiam eam, quæ præceptum hoc loco de prohibita dominatione datum; ad eos pertinere ostendit; per quos Christus tanquam sibi propiores, gubernationem Ecclesiæ suæ administrat; quales erant olim Apostoli & eorum similes. Quemadmodum enim Christus in mundum, non ad mundanum regnum, in quo subjecti populi dominantibus terreno more serviunt, capessendum venit; ita nec Mundani (sine quo tamen vel tuâ confessione mundus gubernari nequit) statum ac leges hoc loco præscribit: Sed ejus regni ac regiminis cujus ille caput est spirituale, hoc est, Ecclesiastici. Præterea quoniam Christus iis quibus hanc doctrinam tradit, non privati alicujus & vulgaris, ut sic loquar, in Ecclesia hominis; sed suum qui princeps & caput est omnium in Ecclesia ad ejus gubernationem pertinentium, exemplum proponit; inde apparet eum hoc præceptum tradere iis, qui sibi in Ecclesiæ regimine sunt subordinati; ideoque ad Christi exemplar in illius muneris functione sese componere debent. Illud quoq; notandum Christum *Matth.* XX. 28. non de eo statu supereminentiæ suæ in populo Dei loqui; qui vim Coactivam, judicandique ac puniendi potestatem in se continet; qualem tamen omnes in eo agnoscimus; quique id requirit, ut ipsi quam humillime serviatur. In quo certe statu sibi quasi subordinatos habet, omnes Reges ac principes potestate Coactivâ præditos; quorum respectu Rex Regum ac Dominus dominantium dicitur: Sed de illa precaria (ut sic loquar) spiritualis regni sui gubernatione, per quam nemini vim afferebat: sed volentes, imò verò non perfunctoriè cupientes; verbi sui molli fræno flectebat, & in qua ipsi in cælum discedenti Apostoli ac cæteri populi sui Ecclesiastici rectores successêre: In quo certè regimine non alios sibi subordinatos habet quam eos qui pastores Ecclesiarum, & aliorum in spiritualibus Duces & antesignani, hoc est, magni & primi in Ecclesia esse voluerint. Ad eos igitur tàm doctrina ista, quàm exemplum quod in se cunctis exhibuit Christus, donec animam suam daret redemptionem pro multis, pertinet. Non igitur Christi hoc præceptum absolutè prolatum dici potest, quod tot ex antecedentibus, connexis & consequentibus (quibus tu argumentis iniquè gloriari soles) deductæ limitationes restringunt.

VI. Sextus explicationis meæ obex, quem tu quarto numero connotas, est; quòd Christus in hoc præcepto non hoc velit, ut discipuli sui aliquando tantùm humilitati studeant: aliquando verò dominentur; sed ut semper humilitatem & subjectionem colant. Sed & hoc obstaculum ab explicatione nostrâ jam paulò ante removimus; & humilitatem non minùs aut magis quam cæteras virtutes semper colendam censemus; putà quoties ejus exercendæ occasio offertur. Nam omnium virtutum ea est indoles; ut sine oblata & prudenter apprehensa occasione exerceri nequeant. Cæterum humilitatis virtutem subjectioni semper esse affixam (quod tu hoc loco velle videris) non more tuo nudè negamus; sed justis rationibus refellimus. 1. quòd humilitas cum dominatione imò verò Regiâ potestate non pugnet; ut quæ etiam in Davide Rege locum habuerit *Psal.* 131. imò inter Regia officia *Deut.* XVII. *vers. ult.* numeretur. 2. quòd etiam ii, qui aliis jure dominico atque herili aut maritali præsunt possint esse hac virtute præditi. Nec enim aliter domini servos, etiam fideles habentes admissi fuissent ad Ecclesiam; nec mariti uxores sibi subjectas habentes. 3. quòd subjectio ne in ipso quidem Ecclesiastico regimine, ità omnibus imperata est, quin aliquibus, præsertim Pastoribus, senioribus, Episcopis præfectura quædam & regimen quamvis Christiana mansuetudine atque modestia temperatum; & quidem ordinarium in Ecclesia commissum sit: quibus etiam debita subjectio disertè imperata est iis, qui subjecti sunt; qui ut opponantur presbyteris id est senioribus; νεώτεροι, id est, juniores dicuntur 1. *Pet.* v. 5. quod ex relatorum natura fieri non potuit; quin regimen isti subjectioni oppositum presbyteris permitteretur. Potest igitur Dominus, maritus, presbyter, aut pastor, humilitatem colere; etiamsi se servis suis; aut uxori; aut ovibus præsertim talibus quæ ad regendum inoptæ sunt, non subjiciat. Atque hic notandus est gravissimus error tuus qui humilitatem dominationi omni aut supereminentiæ ità opponas; ut altera posita alteram tolli, existimes. Nec enim ideò hoc loco Christus à regimine Ecclesiæ suæ dominationem excludit; quòd omnibus

bus Christianis humilitas colenda sit: quamvis eam esse omnibus colendam verissimum sit: sed quia regni illius spiritualis, quod non ex hoc mundo, natura dominationem & coactivam potestatem non patitur; cum Christiana virtus ac pietas violenter cogi non debeat. Ideò qui in Ecclesiâ præsunt; quique in eâ primi & magni esse volunt, ab omni violentia & dominatione ejusque annexis, quàm longissimè abesse debent; non quòd illa humiliorati; sed quòd naturæ regiminis Ecclesiastici adversentur. Humilitatem autem ac dominationem non esse oppositas se invicem perimentia, inde patet; quòd & ii qui dominantur istâ virtute prædili esse possunt; ut in Davide ostendimus: & ii qui nullam supereminentiam præ aliis habent; imò eam modis omnibus oppugnant superbissimi esse possint.

VII. Septimus & ultimus explicationis meæ obex est, quòd Christi exemplum ab eodem Apostolis ad imitandum propositum explicationem meam futilitatis arguit. Atqui nos istud exemplum pro explicatione nostrâ longè validius, quàm pro vestra militare paulò ante ostendimus. Tu autem quid hoc loco contrà nos affers? Non exagitabo quæstionis tuæ modum adeò perplexum & involutum, ut cum ne ipse quidem te ex eo expedire possis, judicium ejus rei, in alios deonerare malis. Ais enim. *Quorsum Christus se non venisse in mundum asserit? an ut sibi ministraretur; quemadmodum clara ejus verba sonant? an ut* (quod Autori placet) *non tamen aliquando sibi serviretur? Judicent alii*: Quid istud locutionis est, quo sententiam meam exprimis? *Christus se non venisse in mundum asserit, ut non tamen aliquando sibi serviretur.* Nescio quid alii judicaturi sint: ego istud loquendi aut explicandi genus, quod mihi hoc loco, sanè per injuriam tribuitur; non pluris faciendum censeo, quam Nugas easque intricatas; quo magis mihi molestum est, id mihi pro meo obtrudi, qui sciam nihil esse ineptius, quam difficiles habere nugas. Sed ego molestiam hunc hilari ac modesto risu potiùs; quàm tristi objurgatione ex animo meo detergam. Tibi autem providendum censeo, ne in Sacræ Scripturæ aut alienæ mentis interpretatione, quæ dilucidè explicari possunt, perplexis & intricatis nodis implices. Ego quidem sententiam meam de his verbis Christi, claris verbis expono. Christum cum ait se non venisse ut sibi serviretur; non loqui de eo regni sui genere; quòd judicandi & puniendi potestatem habet; in quo genere regiminis Reges ac dominantes in orbe omnes sunt ipsi subordinati; quod certe genus regiminis requirit ut ipsi serviatur: sed de illa spirituali is Regni sui gubernatione quam Ecclesiasticam vocamus; in quo genere administrationis Apostolos & qui in Ecclesia aliis præsunt sibi habet subordinatos; qui idcirco exemplo ipsius, non coactivam potestatem aut dominationem in eos quibus præsunt exercere; sed potius gravissimos labores atque pericula, imo etiam mortem in gratiam salutis eorum quibus præsunt suscipere tenentur: qui labores atque pericula meritò ministeria eorum dicuntur, in quorum bonum suscipiuntur & à Christo *vers.* 28. his verbis exprimuntur. *Filius hominis non venit ut sibi ministraretur; sed ut ministraret &* (quæ ministerii hujus verissima explicatio est,) *daret animam suam pretium pro multis.* Atque ita omnia abs te objecta Explicationis meæ obstacula sufficienter amoliti sumus.

Consequentiam quam à me necti tanquam absurdam asseris nec agnoscis mala fide recitas his verbis. *Quis enim concludat quia supereminentia in Ecclesia sublata est: ideò dominationi quoque in populo Christi locum non esse?* Nusquam enim ego supereminentiam in Ecclesia sublatam affirmavi: sed genuina verba mea sunt. *Quis inde concludat quoniam supereminentiæ spirituali* (quæ videlicet ab omni dominatione abhorret) *in populo Christi locus sit; ideo civili supereminentiæ in eodem populo, dum est in hoc mundo locum non esse.* Nam in loco *Matth.* xx. dominatio quidem ex Ecclesiastico regimine sublata; sed supereminentia dominationis expers stabilita est. Ex voce Ethnici quia *Matth.* xx. nusquam reperitur; nihil elici potest; tantum abest ut hypothesis, quam hoc loco nimis confidenter supponis negari non possit quam falsissimam esse contendimus. Loci *Matth.* vi. 7. 8. alia est ratio, cum ibi vox Ethnicorum reperiatur; cujus notio id quod vis, sanè exprimit, non item vocis ἐθνικὸς: quemadmodum si quis gentilem religionem dicat, per hanc vocem falsa religio exprimitur: at non continuò si quis religionem gentis nominet; cum etiam Judaicæ olim; aut nunc alicujus è Christianis gentibus religio vera esse possit. Quod autem concludis Apostolis dominatione civili, sive intra sive extrà regimen Ecclesiasticum esse interdictum, ad quæstionem non pertinet; cum tibi de ea re, nemo litem moveat; atque adeò ipsa tàm excelsi muneris Apostoli sublimitas, ipsos ab aliarum vocationum statu satis excludere potuerit.

Ex sobrio Ethnicæ philosophiæ usu, non deduxi id, quod me deduoentem facis: sed non omnem rem, quæ Ethnica dicitur, vitiosam esse aut vetitam: quod ad propositum meum satis erat.

Distinctio mea quam convellere contendis saltem nominanda erat. Nam ego ex rationibus quibus eam oppugnas necdum intelligo, è tot quibus usus sum, quas nam hic petatur. Adeo solida sunt argumenta tuaut ictus eorum non sentiatur; perinde ac si quis missile in hostem jaculetur cujus ictus, eorum quos attingit, sensum, effugiat. Duas autem rationes producis tertium syllogismum. Rationum altera est Canon, ut ais, philosophicus. *Quæcunque distinctio non habet fundamentum in re, nulla est.* Ego existimo etiam non philosophos ejusmodi Canones formare posse. Sed subsume quæso & proba meam distinctionem in re fundamentum non habere. Tu verò aut sine subsumptione, quæ probandi onus tibi imponit, ad conclusionem properas, quod ineptum est: aut meam distinctionem non habere fundamentum in re probas ex eo; quod non ab utraque parte approbata; aut saltem à me non firmissimè probata sit. Quæ futilis consequentia est; cum multa in reipsa fundamentum habere possint; quæ neque ab utraque parte concessa, neque dum ab altera probata sunt.

Altera ratio præcedentis furculus dicitur, cum tamen eadem cum ipsa sit; aut potius prosyllogismus prioris, quia *distinctio mea non est à me probata, ideoque principium petas.* Id verò quomodo ostendis. Quia hæc distinctio, ais, pro concesso sumit, *Apostolis dominationem in gubernatione civili licitam fuisse.* Qualis ista sit distinctio nondum mihi planè liquet, sed vel ob id eam pro mea non agnosco quia tam falsam hypothesin supponit, quam tantum abest; ut pro concessa sumere possim; ut ultrò oppugnare sim paratus. Latet enim in illa fallacia *quæ pluriun interrogationum dicitur.* Prius enim quærendum erat, utrum Apostolis ad aliud nobilius vitæ genus peculialiter vocatis; ipsa gubernatio civilis; quàm utrum in eâ gubernatione dominatio licita fuerit.

Et tamen tu post tàm levidensem velitationem; aut potius verberationem aëris (quod facere solent ii qui propius ad hostem accedere veriti, eminus & procul à latere eius gladios in vacuo aëre rotant) distinctionem meam *sufficientissimè* confectam esse speras. Vide ne te spes tam blanda decipiat. Quam ut plene fiduciæ participem facere possis tandem Distinctionem istam, sequente syllogismo *sunditùs*, ut ais, evertis.

Illa velut summis antiqua in montibus ornus
Vulneribus tantis paulatim evicta supremum
Congemuit; traxitque jugis avulsa ruinam.

Liceat tamen propiùs hunc arietem contemplari, quo hæc misera distinctio impulsa & convulsa tam præcipiti casu corruit. Si humilitas, ais, quam Christus *Matth.* xx. 26. præcipit, ab omnibus Christianis semper exerceri debet, sequitur Christianos nunquam dominari posse. Sed verum prius E. & posterius. In hac argumentatione, quot verba sunt, totidem errores reperias. Nam neque humilitatem (præsertim ex professo ac præcipuè) Chri-

ſtus hoc loco præcipit cum, ſi accuratè loquendum ſit; aliud ſit dominatione abſtinere aut etiam labores atque pericula pro aliquo ſuſcipere, eique in negotio ſalutis miniſtrare; aliud eſſe animo humili atque modeſto. Neque humilitas, ac cæteræ omnes virtutes, quæ nobis præcipiuntur ſemper & ubique exerceri debent; niſi quando & ubi, occaſio poſcit. Neque id quicquid Chriſtus loco citato præcipit, omnibus Chriſtianis, ſed iis duntaxat, quos diſertè nominat; multoque minùs ſemper & ubiq; præcipit; ſed in eo ſupereminentiæ genere de quo loquitur. Sed ante omnia quod ante quoque oſtendimus, neque humilitas dominationi civili, neque civilis dominatio humilitati opponitur: cum multi dominantes, ut David, humiles eſſe poſſint: & longè plures ex iis, qui nullam dominationem attigêre, imo qui eam oppugnant, ſuperbos eſſe nihil repugnet, ita ut, allata ratio majoris nihil habeat ponderis. Quod ſi quis urgeat, id ſaltem quicquid Chriſtus hoc loco præcipit dominationi civili opponi: id quidem facilè conceſſerimus; verum id ut & ipſa civilis dominationis uſurpatio ejuſque prohibitio, ad regiminis Eccleſiaſtici adminiſtrationem hoc loco reſtringitur; nec ultrà ſubjectam materiam protendi poteſt; quod ex antecedentibus, connexis, & conſequentibus, ſuprà, demonſtravimus. Itaque vana iſta ſunt, tua contrà diſtinctionem meam (quæcunque illa ſit) arietatio.

Ad §. 3.

Diſtinctio inter fratres, ut fratres; & eoſdem ut homines conſideratos; quemadmodum & diſtinctio inter Imperatorem ut imperatorem & eundem ut Archiducem Auſtriæ conſideratum, & vera eſt, & bona: quia in re ipſa fundamentum habet. Multa enim fratribus ut fratres ſunt debentur; quæ iiſdem ut ſunt homines ſimplices non debentur: quod inde manifeſtius patet; quia ſi deſinant eſſe fratres, licet non deſinant eſſe homines id nullo jure exigere queunt. Sed etſi non deſinant eſſe fratres, diverſus tamen iſte reſpectus, quamvis non ita evidenter, deprehenditur. Multa & imperatori ut imperatos eſt competunt; quæ eidem ut eſt Archidux non competunt; quod clarius liquet, ſi deſinat eſſe imperator; nec tamen idem diverſus reſpectus tollitur, etiamſi talis eſſe non deſinat. Sed nulla diſtinctio eſt tàm vera & ſolida, quin eâ aliquis aut ineptè, aut ſophiſticè uti poſſit. Noxam unam numero, totam in ſolidum quicunque condonat; nullum in diverſis titulis aut juribus ſuis colorem reſervatæ pœnæ, quærere poteſt: quamvis iſti tituli in ipſo revera diſtincti ſint.

Hæreticidarum ineptia non in eo eſt, quòd eoſdem mortales, nunc tanquam homines nunc tanquàm alicujus criminis reos diſtinctè conſiderent. Certum enim eſt aliud hominibus qua homines ſunt, ſine ullo reſpectu eorſi culpæ conſideratis: aliud crimine aliquo obſtrictis deberi. Sed in eo hæreticidæ peccant, quod rem vetitam audeant, evellentes lolium, quod ad meſſem uſque tolerare juſſi ſunt.

Videamus nunc an in iſta diſtinctione nobis contrarii ſimus & inconſtantes.

Quæris primùm an fratres à Magiſtratu Chriſtiano pro fratribus in gubernatione civili agnoſcendi ſint? Reſpondebo agnoſci poſſe pro fratribus; ſed neq; id fratrum ſubjectioni; neque Magiſtratus dominationi quicquam obſtare; quia etiam fratribus dominari in gubernatione civili atque œconomicâ per legem Chriſti licet; quod exempla dominorum ſervos fratres habentium in primæva Eccleſia oſtendunt. Urges. Quâ igitur conſcientiâ Magiſtratus iis quos fratres ſemper eſſe ideoque ad gubernationem Regni Chriſti ſpiritualem ſemper pertinere novit; dominari audet? Reſpondebo.

Primùm, Quia nuſquam ejus conſcientia lege Chriſti obſtricta eſt; ut eos, quos ad gubernationem Regni Chriſti ſpiritualem pertinere novit; extrà iſtam ſpiritualem gubernationem à debita ſibi civili ſubjectione exſolvat ac liberet. Scit etiam lege Chriſti anxiè præſcriptum eſſe omnibus Chriſtianis ut reddant Magiſtratui quod Magiſtratui debetur, perinde atque id quòd eſt Dei, Deo, atque utrumque iſtud officium à ſubjectis unâ præſtandum injungi. Satis igitur ex mente Chriſti officio ſuo functus videbitur; ſi intrà limites civilis gubernationis poteſtatem ſuam coërcens, falcem ſuam in meſſem Dei non immittat. nec poteſtatem ſuam coactivam adminiſtrationi Eccleſiaſticæ immiſceat: quæ in eâ tantum, nec uſquam alibi vetita eſt: quemadmodum neque Deus & Chriſtus legibus ſuis ſpiritualibus & Eccleſiaſticis, datam ſemel Magiſtratui poteſtatem infringunt aut convellunt; ſed eam potiùs approbant & confirmant.

Deinde enuntiatio iſta, quod Fratres ad gubernationem regni Chriſti ſpiritualem ſemper pertineant; ambigua & niſi dextrè explicetur, falſa eſt. Nam ſi ſemper pertinere ad gubernationem regni Chriſti id ſignificat, ſemper ſubjectum & obnoxium legibus Chriſti & gubernationi Eccleſiæ eſſe debere; hoc eſt, ſi verba iſta de habitu, ut ita loquar, ſubjectionis iſtius, intelligantur: verum eſt illos ſemper gubernationi illi obnoxios & morigeros eſſe debere, putà, tamen, in caſibus qui gubernationi iſti Eccleſiæ ſubjacent: quorum alii à gubernatione terrena planè exempti ſunt: alii ipſi cum ea communes eſſe poſſunt. Sed in iſto verborum ſenſu dici poteſt Eoſdem fratres ſimul gubernationi quoq; terrenæ ſemper obnoxios & ſubjectos eſſe; quoad iſtius ſubjectionis, ut ita loquar, habitum & obligationem. Nam quamvis politicum & Eccleſiaſticum regimina inter ſe pugnant non tamen ita, quin iidem fratres & in politico Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & in Eccleſiaſtico Deo reddere poſſint quæ ſunt Dei. Sin iſta verba de ſpeciali actu alicujus judicii aut imperii; non autem de generali ſubjectionis obligatione atq; ut dixi, habitu, intelliguntur, falſum eſt fratres ſemper ad ſpirituzlem gubernationem pertinere. Sunt enim quidam caſus in quibus ſoli terrenæ gubernationi locus eſt, quales ſunt omnes ordinationes, quæad hanc vitam commodè tranſigendam ſpectant. Nec deſunt alii caſus in quibus ſoli ſpirituali regimini locus eſt, puta in delictis quæ non contràforenſem, ſed contrà Chriſti legem committuntur. Sed & ejuſmodi caſus dantur, in quibus utrique regimini locus eſt: qualia ſunt delicta contra leges forenſes, in quibus fieri nequit, quin ſimul contrà Chriſti legem peccetur.

Sexus muliebris ſubjectio erga virilem, per expreſſa Spiritus Sancti verba, extrà Eccleſiaſticam gubernationem, quod tu hoc loco urges, injuncta eſt fateor; ſed non magis quàm ipſorum virorum erga Magiſtratum. Quapropter nec minùs ex imperata ſubjectione erga Magiſtratum evincitur permiſſa ſupereminentia Magiſtratus quæ in dominatione conſiſtit; quàm ex imperata mulierum ſubjectione ſupereminentia ſexus virilis. Nec video cur magis ſubjectio mulierum in ipſa quoque gubernatione Spirituali urgeri poſſit; quàm ſubjectio Magiſtratui debita, cum diſciplina Eccleſiaſtica, vel minimùm efferentem ſeſe adverſus Magiſtratum contumaciam non minùs frænare atque coërcere debeat; quàm muliebrem impotentiam, aut immodeſtiam.

Chriſto dominationem in lege ſuâ interdictam fuiſſe; aut ipſum dominationem capeſſere auſum non fuiſſe partim ineptè, partim falſo dicitur. Quod autem is ne extrà gubernationem quidem Eccleſiaſticam dominationem capeſſiverit; idemque Apoſtoli, facere auſi non fuerint; non ideò factum eſt, quod dominatio extra Eccleſiæ gubernationem prohibita eſſent; ſed quia neque decebat, neque expediebat, tàm excelſæ gubernationis clavo admotos vacare curis ignobilioribus.

Rationum mearum primam refutare aggreſſus, ex vocibus *inter vos*. hunc potiùs ſenſum aſſeris, Inter vos, quales & quanti eſtis, quàm hunc quem vocas meum Inter vos, hoc eſt non quatenus homines eſtis, ſed quatenus fratres. Sed primùm tametſi hanc vocularum iſtarum explicationem pro meâ non agnoſcerem, nihil efficeres. Quamvis enim diſtinctionem iſtam fratrum diverſimode conſideratorum veriſſimam putem; multùm tamen

tamen interest, etiam verissimæ distinctiones, aptè an inepte; perspicuè an perplexè; explicandis Scripturæ verbis applicentur. Deinde tua voculis istis adjecta glossa, inter vos, hoc est, qualis & quanti estis, etiamsi efficeret, ut ad omnes Christianos voces istæ duæ pertinerent: non tamen efficit, ut ad omnes Christianos, multò minùs autem ut absolutè ac sine ulla restrictione, præceptum quod hic traditur pertineat; cum Christus doctrinam hanc non tantùm ex occasione quorundam primum locum in suo regno ambientium; sed etiam diserte iis tradat qui in Ecclesia ejus præeminentiam aliquam habere aut affectare voluerint. Quod igitur ipse Christus limitat ac restringit, nemo in infinitum protendere potest.

Nam quamvis id quod Apostolis hoc loco vetitum est, aliquomodo omnibus Christianis vetitum dici possit, non tamen absolutè ac simpliciter, nec alia conditione, quàm si Apostolorum more præeminentiam aliquam in populo Christi, qua talis est, habeant aut habere voluerint; aut etiam quocunque prætextu aut colore vel occasione dominium in gubernatione Ecclesiæ Christi exercere conati fuerint: ità ut per istud præceptum, ne Magistratui quidem id sibi in Ecclesiâ usurpare liceat, quod Apostolis ipsis vetitum est. Potest enim aliquid omnibus cæteris vetitum dici per consequentiam; quod Apostolis duntaxat, eorumque similibus directè prohibitum est: quia istis in eo munere delinquendi maxime dabatur occasio; quam tamen alios quoque aliquo prætextu sibi interdum arripere non repugnat.

Alteram rationem meam producis. *Si infratres absolutè, id est, ut homines consideratos prohibita fuisset dominatio; non licuisset in primæva Ecclesia, Dominis Christianis servos fratres habere; imò ne famulos quidem sibi subjectos è fratribus licuisset aut liceret ascíscere. Respondes. Toleratum hoc fuisse potius in Ecclesia; quam laudatum vel approbatum, idque ex professo atque, ut ais, accuratius probare conaris.* Sed labor is etiamsi scopum suum attingeret, inaniter abs te suscipitur. Nec enim plus ad rationis meæ pondus requiritur, quàm ut id in Ecclesia olim licuerit. Quod autem toleratum est, an non licuisse censendum est?

Videamus tamen an labor tuus scopum suum attigerit. Quid senserint aliqui inter antiquos aut recentes, pauissimi, & qui, ut reperiantur, quærendi sunt, nihil moror. *Servos ad libertatem quærendam, arripiendamque; quemadmodum paulo post cælibes ad cælibatum servandum incitari ais* 1. Cor. VII. 21, atque inde dicis, servitutem toleratam tantum esse non approbatam. Hanc tuam rationem contrà te retorquemus. Quemadmodum adhortatio ad cælibatum, non efficit quin matrimonium olim in Ecclesia non modò approbatum, sed & laudatum tanquam honorabile fuerit; ità & suasio ad libertatem potiùs eligendam, quin servitus sit, approbata: præsertim cum Apostolus dicat expressè servus vocatus es, ne sit tibi curæ. Nam quod addit, si potes liber fieri potius utere libertate; id non tanquam officium præscribit, à lege Christi injunctum; sed tanquam concessionem lege Christi permissum (aut ut Apostoli verbis eodem *cap.* 1. Cor. VII. 6. prolatis utar, juxta indulgentiam, non juxtà præceptum) ne quis putet nos ad eum statum, quamvis humillimus & abjectissimus sit, damnatos atque adstrictos, in quo nos agnitio veritatis deprehendit; quod faciunt nunc morosi quidam S.S. glossatores, qui corticem verborum mandere assueti, Christianos omnes in statu servituti perpetuæ obnoxio detinent. Nec enim opus erat ut lex Christi homini insitam libertatis cupidinem habenti, ad eam arripiendam stimulos adderet; sed id potius opus erat; ut superstitionis vitandæ ergò legis Christi mentem Apostolus exponeret; & ne rigidius quàm par sit, acciperetur, obviam iret.

Altera tua ratio est quod liberi ne hominum fiant servi 1. Cor. VII. 23. monentur. *Quo ipso*, ais, *Dominorum status labem omninò sensit, cum nemo subditos quibus potestas aliqua à Deo approbata sustentatur sine impietate potestatisque illius annihilatione his vel similibus Apostoli verbis à subjectione erga eam dehortari posset. Resp.* Si sub jugo dominorum existentes servi, verbis istis Apostoli ad excutiendum jugum incitarentur, status Dominorum sensisset, ut loqueris, labem. Nunc cum liberos duntaxat homines dehortetur Apostolus à voluntaria servitute; quid hoc ad statum dominorum enervandum pertinet; qui non liberis sed servis suis dominantur? Quo jure igitur tu hoc loco ais? Nemo subditos alicujus potestati subjectos, his vel similibus Apostoli verbis à subjectione erga eam dehortari potest sine impietate. &c. cum Apostolus non subditos, à subjectione qua aliqua potestas sustentatur; sed liberos à suscipiendo subjectionis quâ nemini adhuc obstricti fuerant nexu dehortetur. Vides quàm misere loca Scripturæ torqueas; ut ad propositum tuum detorqueas. Ac dum potestatem dominicam, à Deo approbatam non esse probare contendis; imprudens Apostolum manifestæ impietatis, satis audacter sed per summam injuriam arguis, eum ipsius verbis sensum affingens; qui à mente ejus est alienissimus. Nam si verum est quod ais, Neminem subditos potestati à Deo approbatæ subjectos, sine impietate potestatisque ejus annihilatione, his vel similibus Apostoli verbis, à subjectione erga eam dehortari posse: & tamen Apostolum istos subditos ab ea subjectione, dehortatum statuis, quomodo ipsum ab objecta ipsi impietate absolves? Unum illud est sed miserum effugium, si dominicam potestatem à Deo non approbatam censeas; quod tamen tibi jam suprà, & quidem tuam etiam ipsius ratione in te retorta, eripuimus. Quid? quod istam potestatis annihilationem, cum impietate conjungis & tamen annihilationem hanc Apostolo tribuis, dum per verba ejus Dominorum statum labem omninò sensisse arguis imo verò Dominorum statum per Apostolum esse subrutum affirmare audes.

Famulos fratres non alia conditione, nisi tanquam Socii, sine ulla coactivâ potestate habeantur, in Ecclesia permittis. Sed quis unquam famulitium sine ulla coactiva potestate tenuit? Tu non modo civilem; sed etiam domesticam disciplinam è gentibus Christianis proscribis? atque ut sine ullo pœnæ aut castigationis metu minimæ maximæque hominum societates consistant, omni conatu, contendis. Et posteà si quis tuo te tibi vultu tanquam in speculo conspiciendum ostendat, *de incivili ne dicam impiâ, & inclementi suspicione; & injuriosâ innocentis sententiæ depravatione* queri atque stomachari non desinis.

Ais *Evangelium non quævis servitia prohibuisse; sed tantum vera & propriè dicta, aut rectius servitutem perfectam.* Ex quo patet te sentire non modo dominicam potestatem dominis; sed etiam servilem statum servis sub Evangelio prohibitum. Quod unde dideceris nescio. Nam verba, Ne sitis servi hominum 1. Cor. 7. 23. ne quid amplius dicam, tuâmet in eodem paragrapho expressa confessione, non ad servos sed ad liberos pertinent. Agnosce tua verba *Et liberi adhuc ne hominum fiant servi ab eodem Apostolo vers.* 23. *monentur &c.* Sed si tu ex prohibita servitute, dominicam potestatem prohiberi meritò arguis; certe ego ex concessa, imo verò injunctâ civili subjectione; civilem potestatem concedi, optimo jure colligam.

Ad §. 4.

Paragraphus iste quartus; quem tu hoc loco atro carbone denigras (quasi uspiam terrarum ista merx candida reperiatur;) quemq; in Insulam proæmialem & quidem ad supplicium deportari imperas; ubinam locorum quærendus sit, nescio. Ego ipsum in hoc opusculo, inter eas scripti mei partes, quas tertio, & quas quinto paragrapho oppugnas; diu multumque quæsitum, deprehendere non potui. Credo tàm imperiosæ denunciationis horrore perculsum, clanculùm elapsum, fugitivum. Nam quis ad tàm minacem deportationis atque supplicii formidinem; præsertim à tanto Monarchâ incussam, non trepidet? Quem ego si fortè ex fuga retraxero, tibi ad pœnam dedam nebulonem. Non tamen alia conditione, nisi ubi cognovero,

Ausum aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum.

Ad §. 5.

Ad §. 5.

Humilitatem ad omnes Christianos etiam in summo dignitatis fastigio positos pertinere ; quoties ejus exercendæ occasio occurrit, districtè fateor. quamvis an de ea *Matth.* 20. 23. agatur, vehementer dubitem. Verba quoque Christi eodem in loco ad omnes Christianos porrigi posse dixi; sed neque simpliciter, neque eodem modo omnia. Directè enim verba Christi dominationem vetantia, pertinent ad Apostolus aut Apostolorum similes ; qui in Ecclesiæ regimine , quæ verum est regnum Christi, primi sunt aut Duces aliorum, aut qui tales esse velint. Sed quia in ipso dominationis interdicto non obscurum cernitur servitutis quoque Ecclesiasticæ interdictum : potest & ad reliquos Christianos tota ista doctrina protendi. Quanquam & ratione dominationis, reliqui etiam Christiani, puta Magistratus politici, eodem interdicto obstringuntur ne quam sibi in Ecclesia dominationem usurpare audeant: quæ ne ipsis quidem genuinis Ecclesiæ præpositis permissa est ; non directe id quidem sed per consequentiam. Non igitur simpliciter ea verba ad omnes Christianos pertinere, ut tu putas, intellexi: sed etiamsi pertinerent (quod aliquomodo concedi posse fateor) nihil tamen eorum, quæ tu contendis ex iis dici posse, demonstravi.

Ad §. 6.

Te naturam Spiritualis Regni Christi non intelligere, non sine additâ probatione asserui, cum ostenderim eam ejus esse naturam , quæ mundanis regnis nihil obstet, hoc est, quæ, etiamsi regnum hoc totum orbem occupet, tamen Mundana regna non tollat. Atqui tuâ sententia stante, si ad veram & perfectam Christi doctrinam totus orbis convertatur ; nullus erit Regnis, nullus Magistratibus locus.

Humilitatis autem & aliarum quorundam virtutum natura, an abs te satis intelligatur, mox videbimus ; ubi primùm examinaverimus, an verba mea, quæ eâ de re protuli, satis intellexeris. Non enim illud suspicari volo, (cui tamen suspicioni ansa abs te præbita, non deest) ea te de industriâ in pravum sensum detorsisse, cum in toto hoc Responso omni tristium affectuum usu (hilares enim non proscripsi) mihi interdixerim. Nec verò sine causa, imò ne leviter quidem succensendum tibi esset ; si mihi ultrò ac sciens volens, ejusmodi dogmatis calumniam impingeres, quod ego maximè detestor.

Tribuis igitur mihi primùm, me omnia pietatis exercitia negligenda censere. Deinde eadem pessimo exemplo carnalia appellare. Quorum utroque nihil à mente meâ alienius fingi potuit. Atque hic certe malo, ut infelix, quàm malignus ac perversus interpres censeare mentis ac verborum meorum, quæ ita sonat Δίνησον ψεῦδος *eorum in eo notamus, non quod cælestium istarum atque internarum ac spiritualium virtutum vim, in externa ipsorum & carnali, hoc est, falsa plerumque & apparenti specie atque exercitio collocent: & veræ pietatis vim, cum forma ejus in oculos mortalium incurrente turpiter confundant.* Quibus in verbis nihil minùs ego volo quàm ut exercitiâ virtutum ac pietatis negligenda suadeam; cum nullius virtutis, multò minùs cælestium ac spiritualium, quas commendo habitus; sine actibus & exercitiis suis constent: sed veram pietatem, ab ejus formâ cælestes, internas, ac spirituales virtutes earumque actus ; ab earundem externâ, carnali & apparenti specie, distinguo. Quod autem huic apparenti virtutum speciei, vocalem *exercitii* adjunxi ; stylum Apostoli secutus sum, qui istiusmodi actiones, in oculos hominum incurrentes σωματικὴν γυμνασίαν, (Corporale exercitium) apellat: nec magni æstimat, & veræ pietati opponit; quam solam plurimi facit; id quod egomet sentio, & cuilibet Christianorum sentiendum atque inculcandum esse censeo; quamvis id in malam partem abs te, forsan imprudente, sed non sine maxima meâ injuria rapiatur. Respexi etiam ad illas *dexeseis* ac meditationes; tàm veterum philosophorum ; qui in promissis ac pediculosis barbis, peraque & pallio sanctitatem instituti sui collocabant ; quàm Christianorum quorundam ; qui in pannoso aut cucullato habitu; ciborumque & gestuum ac vitæ generum delecta; aliquarum virtutum atque inprimis humilitatis gloriam venantur; à qua tamen revera sæpius quàm longissimè absunt. Hæc enim est illa externa & verè carnalis pietatis species quàm Christus in Scribis & Pharisæis exagitat, qui omnia faciebant πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις: Atque hanc ego externam pietatis larvam ; non verò ipsam pietatem externum & carnale exercitium appellavi : imò verò illud veræ ac genuinæ pietati, quæ & ipsa non habitus tantum sed & actus suos habet, manifestè opposui; quamvis, ut verè fatear, tunc vocem *Carnalis* pro *Corporali* duntaxat, usurparem, nec in deteriorem sensum, quod tu hîc facis, deflecterem. Quę tamen etiam in sequiorem sensum detorta, jure huic pietatis speciei, applicari potest, quæ exercetur eo fine, ut ab hominibus conspiciatur.

Vides igitur quam fædè deceptus sis, dum me omnia pietatis exercitia negligenda censere credidisti: & quàm falsò affirmes me scribere, pietatis vim in exercitio ejus non consistere ; quod nusquam scripsi ac ne somniavi quidem. Vides & illud, me ista, non pietatis sed similæ pietatis exercitia, non modo cum Apostolo corporalia, sed etiam tuo ac deteriori sensu *Carnalia* meritò appellare potuisse, quæ Christus ipse tanquam hypocritica exagitat.

Sed tu non contentus mea verba non intellexisse ; ne istius quidem, quam tantopere urges virtutis, hoc est, Humilitatis naturam satis intelligis; non magis profectò, quàm naturam illius, quem ipsi falsò oppositum esse credis habitus Magnanimitatis. Quod ex istâ, pulchrè videlicet abs te delineatâ, imagine, liquidò constat. In qua cum nullum genuinum veri magnanimi lineamentum reperias, Simius certè ejus tuis coloribus non illepidè depictus est. Nos autem hoc loco, ut non simplicem sed Christianam humilitatem ac modestiam ; ita Christianam quoque magnanimitatem consideramus: quarum virtutum amba adeo stricto inter se vinculo copulatæ sunt; ut altera ab altera divelli nequeat. Nec mihi tu unquam humilem ac modestum Christianum dabis, in quo vera animi magnitudo non eluceat: nec magnanimum & excelso animo cuncta humana despicientem Christi discipulum; qui non, suarum sibi virium probe conscius,

Secum haberet & noris quam sit sibi curta supellex.

Sprevit omnia, qui seipsum bona fide sprevit. Nam qui eo usque notitiæ sui progressus est, ut se non pluris, quàm opus est, æstimet ; cæteris quoque rebus vera imponet pretia, nec pluris quicquam æstimabit, quàm par est. Pariter quisquis excelso ac generoso animo se suprà humanas res atque curas sustulit, in speculo earum quas contempsit, rerum, longè clarius videbit causas sui contemptus. Nec tamen ideo, quia & seipsum & humana omnia non pluris facit, quàm par est, hoc est, ut æquum est despicit; abjiciet animum ac stationem in qua hic à Deo collocatus est, deseret ; aut in superstitiones aliquas delabetur; ut sibi iis rebus utendum esse non putet, quas ipsi utendæ datæ sunt; dum absit abusus ac vitium atque injuria aliena. Sed magnitudinem animi Christianam, modestiâ temperatam, expromet in iis spernendis, quæ licet aliis optabilia, ipse salvo pietatis instituto, admirari atque amplecti non potest. Idem Christianam modestiam, eâ quam diximus animi magnitudine subnixam & comitatam expromet in iis, quibuscum vivit aut negotium habet; tractandis honorandis, tolerandis, æstimandis.

Suprà se autem alios æstimandi officium, quod *Philip.* 11. 3. injungi videtur, primùm non ad omnes homines extenditur; sed ad eos tantum qui nobiscum possunt esse comparabiles. Neque enim eos, quorum graves & manifestos, earum rerum quibus ipsi abundamus defectus, cernimus, saltem in earum rerum possessione nobis præferre possumus ; neque homines omnis prorsus virtutis ac pietatis expertes, & probris coopertos in pietatis comparatione pluris quàm nos facere debemus.

Deinde

Deinde idem non est extendendum ad æstimationem in omni Comparationis genere. Sunt enim quædam in quibus pluris nos facere, quàm alios citrà humilitatis periculum possimus. Nec certe homines rudes, atque omnium rerum ignaros in comparatione eruditionis docti homines sibi præponere tenentur. Sed hæc aliorum præ nobis æstimatio, de qua Apostolus *Philip.* II. loquitur, de eo pretii genere intelligenda est; quo solo, vera hominis excellentia censetur. Vera autem hominis præstantia in eo est quo loco quis sit apud Deum, qui de singulorum meritis, mentibus atque animis, rectius judicat, quàm omnes alii. Tanti igitur quisque est, in reipsa, quanti apud Deum censetur. Quod cum occultum sit hominibus; tutius est in eam partem inclinare, ut alios meliori loco apud Deum esse censeamus; aut certe suspicemur; quàm nosmetipsos; præsertim cum eorum lapsus nesciamus; nostrorum autem ignari esse non possimus. Atque hinc oritur ille, optimis quibusque usitatus, alienarum pro nobis precum ambitus.

Sed ne humilitatis naturam uberius exponendo longius à proposito ab eam; vides profectò si ultrò ad conspectum tàm claræ lucis non connives, humilitatis naturam à vera magnanimitate non everti. Neque enim ego qualem tu describis animi elationem, veram animi magnitudinem censeo; è qua oritur vitæ superbia, fastus, ambitio. Pusilli ista sunt, & in rebus minutissimis sibi stolidè placentis animi indicia. Splendor autem & inæqualitas pro diversitate gradus aut fortunæ in qua Deus singulos esse voluit; modestiæ atque humilitati Christianæ aut repugnat, aut congruit; dum tamen semper absit pauperum contemptus; multoque magis injusta violentia. Nam vis jure subnixa, ipsius Dei auctoritate atque ordinatione fulcitur, neque aut mansuetudinis aut modestiæ perfectæ indolem excludit aut ab ipsa excluditur, quod olim in Mose, mox in Davide patuit; & nunc in eorum similibus Christianis Magistratibus patere potest.

Quicquid autem tu hoc loco eximiam nescio quam & abstrusam Humilitatis Christianæ notitiam jactes; atque adeò nescio quos immensæ molis montes parturias; tamen post exclusum insani nisus hiatu ridiculum murem; satis ostendis, in quanta ejus ignoratione verseris; dum eam ad odiosissimam Ethicorum vilitatem ac pusillanimitatem pertingere arguis. Sed mirum est profectò te humilitatem in infimo dejecti animi statu, collocare; qui servilia (ut ais) quorundam Christianorum ingenia, quæ frustrà Apostolus à serviendi proposito dehortatus est, suprà §. 3. damnes aut vituperes. Hic autem ut contrarium probes regulas quasdam & notas humilitatis, è sacris literis eruere tentas.

E quibus aliquæ sunt spuriæ & adulterinæ; & quę neque id quod demonstrandum est probant; atque idipsum ineptè pro concesso sumunt, de quo nunc quærimus; qualis est illa quam inique pro humilitatis nota simpliciter venditas: *Non dominari nec potestatem exercere in alios.* Neque enim id simpliciter humilitati aut Christiano officio repugnat, nisi forte potestas, hæc in Ecclesiastico regimine exerceatur. Aliarum autem nulla est ad quam se vir magnanimus libenter demittere nequeat; nec tamen eo ipso in pusillanimitatis extremum incidat. Quod quidem per singulas vadendo clarius patebit. Nec enim abjecto ad omnem vilitatem animo opus est, ut quis se super alios non extollat *Matth.* XXIII. 12. aut primos accubitus non amet, aut titulos Magistrales, salutationes & Maximi nomen non ambiat; vestes peculiares & splendidas non gerat; nihil sibi præ cæteris eximium vendicet 1. *Cor.* IV. 8. non altum sapiat. *Rom.* XII. 6. fratribus more Christi & Apostolorum ministret atque inserviat *Matth.* XX. 25. se ipse deprimat ut à Deo erigatur; ultimum potius quam primum locum in conviviis occupet. *Luc.* XIV. 10. honore alios præveniat. *Rom.* XII. 10. pluris alios quàm semetipsum faciat. *Philip.* II. (quod quid sit & quàm universale non sit jam ante satis explicuimus) subjiciat sese aliis 1. *Pet.* V. 5. quod neque ipsum universale est; (Neque enim semper neque omnibus nos subjicere tenemur; alio qui regimen atque ordo omnis in Ecclesia, in familia, ut hîc Rempub. taceam peribit.) sed justam subjiciendi se causam & competentem circumstantiam requirit, quemadmodum & illud, ut fiat & submittat se ut puerulus *Matth.* XVIII. 3. Præterea ut ad humilia se demittat *Rom.* XII. dicat exemplo Apostoli, se omnium minimum. *Ephes.* III. 8. peccatorum primum & vocatione suâ indignum 1. *Tim.* I. 15. se nihil esse 2. *Cor.* XII. 11. Honores ac mundum contemnat. *Philip.* III. 8. 17. Sanctis ministret. *Rom.* XV. 16. &c.

Ex istis omnibus notis nulla est quæ nos ad aliquam animi vilitatem aut abjectionem adigat; nulla quæ generositatem mentis nostræ non erigat potius quàm deprimat. Nam quod ad lotionem pedum inferioribus præstandam attinet (quem tunc usitatum hospitalitatis morem fuisse discimus ex *Luc.* VII. 44. & 1. *Tim.* V. 10.) ne id quidem si semper ac simpliciter omnibus injunctum esset, quicquam de excelsi animi generositate delibaret, qui etiam sordidioribus ministeriis; quoties ea præstare operæ pretium est, non inquinatur.

Verumtamen animadvertendum est lotionem pedum Apostolis *Joh.* XIII. non eo fine à Christo exhibitam, ut tanquam ordinarium nec unquam omittendum officium omnibus injungeretur. Alioqui inter illas quæ vulgò sacramentales vocantur ceremonias relata fuisset. Sed eo fine ut ii quicunque in Ecclesia præ aliis eminere volebant aut debebant, quales erant Apostoli & eorum similes, scirent sibi interdictum eo genere dominationis in Ecclesia gubernanda; quæ ad viliora subjectis ministeria præstanda sese demittere non solet; qualis est civilis aut despotica dominatio in qua subjecti dominis suis lavare pedes solent; domini aut præpositi subjectis non solent. Qui enim tenentur aliis etiam viliora ministeria præstare (puta quando id res aut occasio exigit) non possunt suprà eos tàm alte eminere; quam alte supra subjectos sibi eminent domini aut Magistratus. Non igitur istud Christi exemplum pertinet ad Dominorum erga servos, aut Magistratuum erga subjectos; sed aut ad parium erga pares; aut ad superiorum in regimine Ecclesia; erga inferiores in eodem regimine officium.

Quod autem ista lotio pedum pro ordinario & nunquam omittendo officio injuncta non sit, inde quoque patet, quod ejusmodi consuetudini adstricta fuit; quæ citò desinere debuit ac desiit. Postquam enim homines nudis pedibus incedere desierunt, mos hic exolevit: Nisi quod eum Pontifex, in illa histrionicâ Humilitatis suæ jactantiâ quotannis revocet: Quem & tu, quia corporalia humilitatis exercitia nimium urges, revocare velle videris; tametsi tuamet sententia in eo deterior Pontifice deprehenderis. Etenim interroga conscientiam tuam, an ullius unquam ex iis, qui te sunt inferiores, pedes laveris; cum tamen id ei qui humilis esse velit, faciendum esse necessariò statuas. Unde apparet facilius esse iis quoque qui onera gravia *τοῖς δυσβαστάκτοις δισμοῦσι Matth.* XXVIII. 4. ea humeris aliorum imponere, quàm vel minimo digito ea movere velle. Quid enim tu mihi humilitatis excessum Christianis injunctum, tertio quoque verbo crepas? quid innoxias dominorum aut Magistratuum potestates, gravis adversus modestiam Christianam delicti insimulas? qui tot elati animi vestigia in Scripto isto tuo relinquis; qui nullam justam ob causam, usque ad verborum immodestiam excandescis; qui non alio quàm tibi libeat responso, objectas tibi culpas *dignaturum* te, non sine supercilio, profiteris: qui in assumpta imagine Regis alicujus terras ac maria omnia imperio tenentis; tibi places atque luxuriaris; & quasi pro tribunali supremi judicii residens, latas in reos sententias graves pronuncias; quibus in insulas, tuæ videlicet ditionis, miseri deportentur, non ut ibi procul à domo & patria extorres senescant; sed ut isthic pro meritis supplicio castigentur: quam castigationem non semel repetis, ne tibi semel aliquid inepti excidisse sufficere putemus. Hæc & his similia qui videam, non miror te veræ humilitatis indolem factis non exprimere; qui eam ne

cogitatione quidem benè percipias, atque ibi colloces ubi non est, illic autem ubi esset maximè usurpanda, ejus obliviscaris. Atqui præstaret millies verum Magistratum legitimè gerere; quod nusquam prohibitum est, quàm cum eo tibi interdictum putes; ejus tamen gerendi imaginatione vel semel tumidam phantasiam oblectare. Et longè plus ad humilitatem conduceret, animum verâ infirmitatis suæ notitia imbuere; quàm corporale lavendorum inferioribus pedum officium jactare atque urgere; quod & superbissimi mortalium Pontifices exequi possunt: aut potestatem Magistratus à cætu perfectiorum Christianorum proscribere; quæ de istius virtutis non tam externis officiis adstrictæ, quàm imis mentis medullis incoctæ, perfectione, non delibat.

Ergo ut eò, unde digressi sumus, revertamur, nihil in toto Evangelio ad humilitatem pertinens reperiri potest quod nos ad alterum ejus extremum superbiæ oppositum adigat. Quod est Pusilli ac degeneris animi vitium, nimio minus quàm par sit, sibi tribuentis; ex infirmarum, (quia eas non intendit) virium conscientiâ profectum: unde nascitur ignavia, socordia, pravum, ac deforme, & nimis alieno nutui addictum obsequium; mens judicii proprii expers, ac secura, alieno serviens; & per subrusticum pudorem, nihil cuiquam negare; nulla in re repugnare aut resistere audens; cui nullum sit quærendæ laudis studium; nulla servandæ dignitatis cura; denique illo, qui degeneres animos arguere solet, metu ad succumbendum omnibus cæco impetu prostrata ac dejecta.

Quas mentes; quia non modò Satanæ, sed etiam superborum & arrogantium hominum præda esse solent; in ejusmodi pravo & inerti animi statu, callido & speciosæ artificio; plerumque per humilitatis *ac cæcæ obedientiæ*, tanquam cælestium virtutum obtentum, retineri & confirmari, jam olim trito more receptum est.

Ad §. 7.

Christum *Matth.* 20. neque omnem in Ecclesia sua præeminentiam, neque ejus studium sustulisse, sed viam ad veram præeminentiam perveniendi, diversam illam quidem à communi Mundanę dignitatis assequendæ viâ, ostendisse, prolixè satis probavimus. Falsò igitur nos id, sine probatione asseruisse dicis, & frustra idem futilissima ratione refutas, meis argumentis non refutatis. Quid enim obstat assertioni meæ, quod Dominus discipulis hoc loco nec Maximi nec benefici nomen, ut ais, concedere velit; hoc est, eos ad præeminentiam Mundanam non perventuros in regno suo asserat; cum illis ad aliam præstantiorem præeminentiam, viam quam ignorabant, ostendat? eumque & istam ipsam in terris Ecclesiasticam præ aliis eminentiam inter alios; per quam homines inter reliquos fratres, primi, & magni esse volunt; non modo indulgeat; sed etiam quibus artibus quæri debeat doceat?

Ne autem id quod frustrà facis, gratis feciisse videare, scias velim particulam hanc *Gratis* in eo sensu, quo tu eam hic & alibi sæpius usurpas; nunquam à bonis auctoribus usurpari; sed esse flosculum, ex epistolis obscurorum virorum decerptum.

Christi exemplum ad probandum, ab Ecclesiæ ejus etiam militantis regimine, non omnem præeminentiam exulare, rectè adduxi: cui quanquam non serviretur non idcircò tamen etiam in terris, Maximus & primus esse desinebat; quemadmodum & Apostoli, licet terreno modo florere ac benefici in alios esse non poterant; non idcirco tamen etiam in terris, præstantissimi mortalium; imò & spirituali, quandoque etiam terreno modo, (ut cum claudum sanitati restituerunt) benefici dici, non poterant. Porrò in comparatione eorum cum Christo, quis maximam esse inæqualitatem non agnoscat? Rationem à Christo allatam, præeminentiæ desiderium non simpliciter damnare aut rejicere meritò dixi: Quamvis enim mundanæ aut potius politicæ præeminentiæ & dominandi studium rejiciat; non tamen omnem simpliciter eminentiam damnat ac rejicit: imo verò ad præeminentiam veram, non modò quæ in cælis speratur; sed etiam quæ in tetris obtingere potest iis, qui in Ecclesia Duces aliorum esse voluerint, viam ostendit. Quę præeminentiæ genera, ego cum politica eminentia non confundo. Explicare tamen hunc locum absque ejus mentione non potui; nec in eo impudenter quicquam egi. Quæ igitur hic magno conatu moliris, nihil adversus nos faciunt.

Ad §. 8.

Quod ad primam paragraphi hujus partem attinet; ad meæ rationis pondus nihil ultrà requiritur; quàm ut ostendam Christum hoc loco non ab alio gubernationis genere dominationem removere; nisi à spirituali, & sibi suæque Ecclesiæ proprio; aut quod idem est, non à politico, sed ab Ecclesiastico. Nam posito eo, quod tu quoque ipse concedis; illud sequitur, si forte aliud gubernationis genus inter Christianos reperiatur, ab eo dominationem hoc loco non removeri. Porro quòd inter Christianos, præter illud spirituale, quod non est ex hoc mundo, aliud quod gubernationis genus, hoc est, politicum reperiatur; ut ipsam rerum experientiam testem non producam; tu ipse concedis, & quidem addis Christum hoc loco non nolle ut quisquam mundano more fidelibus suis imperet; verum eam imperandi permissionem ad extraneos duntaxat restringis, nulla omninò ratione restrictionis ejus addita. Ego verò restrictionem illam consistere non posse ita arguo: Si Christus eos qui discipuli sui esse velint, aliis fidelibus suis imperare politico more non vult: ne extraneis quidem id permittit. Quia & extraneos sub pœna æternæ mortis ad se ita vocat; ut sui discipuli esse velint. Quibus igitur fidei ac subjectionis regno suo officium injungit; iis & omnium Regni sui legum observantiam injungit; ità ut quicquid veris Christi discipulis impunè non licet; ne iis quidem impune liceat; qui sui veri discipuli, nisi perire malint, esse tenentur.

Secunda hujus paragraphi pars, *Nota refert*, adversæ partis in disputando, *acumina*, quę quoties ipsi in probando aqua hæret; statum quæstionis immutat; aut nos ex respondentibus opponentes facit. Ex hoc concesso principio. *Multa hominibus licere, à quibus Christus abstinuit* non deduco ego hanc conclusionem. Ergo Christianis licet Magistratum gerere, quia Christus ab eo abstinuerit. Futilissima enim ista esset deductio. Sed ex eo principio; Consequentiam vestram validè impugno & falsam esse demonstro; qui ex eo quod Christus Magistratu abstinuerit Magistratũ Christianis illicitum esse concludatis.

Quam consequentiam non confirmatis per eam rationem; quia suum exemplum Christus adducit, ad eximendam discipulis suis regnandi cupiditatem. Nam non id probandum est vobis, Apostolos, quos Christus tunc alloquebatur, exemplo Christi Magistratu & dominatione abstinere debuisse. Quis enim de eo dubiter, qui sciat eos ad diversum longè ac præstantius munus, quàm sit Magistratus politicus, quodque non per se, sed per accidens & ob alias extrinsecas causas, cum functione Magistratus consistere non posset, fuisse vocatos? Sed potius id vobis probandum incumbit; propter exemplum istud Christi à Magistratu abstinentis; omnibus simpliciter Christianis illicitum esse magistratus officium. Quod tamen à vobis nunquam probabitur, nisi prius demonstraveritis, Omnes omninò Christianos, tàm peculiari ratione ad plantandam & regendam Ecclesiam esse vocatos, quàm Christum & Apostolos.

Judicia, aut potius arbitria, à partibus ultrò delata; quale illud fuit Christo oblatum, suscipere, semper esse Christianis illicitum, futilissima ratione probatur ex loco 1. *Cor.* v. 12. Quæ enim in eo vis consecutionis esse potest; Quia de flagitiis externorum, qui se legibus Ecclesiasticis non subdidere, judicare non possumus; ideo nobis de litibus externorum; qui se arbitrio nostro, subjiciunt, cognoscere non licere. Annon hic est manifesta *μετάβασις* ex uno in aliud judiciorum genus. Neque verò ii, qui consensu partium delatas ad se controversias componunt; falcem in messem magistratus immittunt, cum judicia Compromissorum exercere per Magistratus

ubique

ubique terrarum licet. Quo loco autem in Ecclesia, Magistratus aut judicum functio censenda sit; ad præsentem inter nos controversiam non pertinet.

Ad §. 9.

Quo jure; aut qua spe, quove successu, te à sententiâ, quam solidis argumentis urgeo, subducere possis, in responsione ad proœmium ostendimus. & in §. 15. oculis repræsentata demonstratione ostendemus.

Nunc ad Petri locum accedamus. In quo, nec sine exclamatione, affirmas, Apostolum dum Episcopis dominationem in clerum prohibet, simul dominationem in servos aut subditos prohibere. Quomodo id probes videamus. Ais *imperari senioribus ut sint exemplaria gregis; hoc est, ut sola humilitate seu animi submissione de qua loquitur* vers. 5. gregi suo præluceant. Deinde quia dominatio *vers.* 5. superbia dicitur, inde dominationem in servos ac subditos prohibitam colligis.

Sed ut ad primum principio respondeam, unde scis *præire exemplo gregi*; non aliter explicandum esse quàm *solâ humilitate seu animi submissione gregi prælucere;* annon sunt multæ aliæ virtutes, quarum omnium exemplo seniores gregi præire possunt atque adeò debent? At enim *vers.* 5. de sola humilitate ac subjectione loquitur. Quid tàm posteà? Atqui *versu* 5. ad aliorum, puta juniorum officia præscribenda transit; quibus tanquam iis, qui senioribus subjecti sunt, quoniam humilitas & subjectio maxime necessaria est; non mirum est Apostolum hanc ipsis præcipuè virtutem commendare, quæ ipsos tantò magis deceat atque ad sui cultum obstringat; quod & ipsi seniores, atque omninò omnes Christiani ab ipsius officio, quoties occasio postulat, exempti non sint. Quod tamen non efficit, quominus hæc virtus junioribus magis, quàm senioribus necessaria sit; quippe qui seniorum ducto ac prudentia (non rariusculè & extra ordinem aliquando) sed ordinariè, regantur: ita ut ipsis ordinaria subjectio, à qua seniores (ut pote soli extraordinariæ subjectioni obnoxii) sint exempti; præcipiatur & inculcetur. Videmus enim Petrum hoc loco adeò non hortari presbyteros, ad tale humilitatis extremum; quod eos cum junioribus planè coæquaret; aut etiam ipsis ordinariè subjiceret; ut etiam eos pastores esse juniorum, hoc est, ipsis ordinariè superiores esse: & juniores subjectos esse senioribus hoc est ipsis ordinariè inferiores esse jubeat: quod tuam illam, quam in Ecclesia Christi somnias, æqualitatem penitus evertit.

Quod ad alterum attinet. Dominationem superbiam dici falsum est. Potius enim juniorum, qui senioribus subjecti esse debent, contumacia & subjectionis detrectatio (præsertim quia frequentius occurrit) superbia dicitur. Nec obstat quòd omnibus ut invicem sibi subjiciantur præcipitur. Aut enim vox omnes ad subjectam materiam, hoc est, ad juniores, quibus præceptum traditur, restringi debet; aut si generalius intelligenda est, is loci sensus esse potest. Decere juniores senioribus esse subjectos, quia humiles esse debent; quæ virtus ab omnibus hominibus, in quibus reperitur, etiamsi seniores sint, id requirit; ut non gravatim ferant quoties id officium exigit, aliis subjici; præsertim fratribus. Nam vox invicem non tàm specialem juniorum ad presbyteros & contrà; quàm generalem fratrum ad fratres relationem significat. Nihil igitur ex verbis Petri, hoc loco etiam contrà inæqualitatem aut præeminentiam seniorum, præ junioribus elicitur; tantum abest ut aliquid adversus dominationem in servos aut subjectos eliciatur. Cætera quæ hic dicuntur sunt cassæ nuces & vitrea fracta.

Ad §. 10.

Hic verò tu accusatoriâ acerbitate; in errorem primum, mox crimen nostrum inveheris, idque assumpta iterum nescio cujus Minois aut Rhadamanti austeritate exaggeras

Ausos nos immane nefas; ausoque potitos.

Ac errorem primùm in rebus Theologicis objicis. Quem si, quod non probas, committerem, non esset adeò, ut facis, obstupescendum; cum ego me Theologum non esse ingenuè fatear; & humani à me nihil alienum esse, libenter agnoscam. Nec vero quia ego Theologus non sum; ilico eos Theologos esse credo; qui regulas Theologicas aut arcana Scripturarum jactant: aut Philosophos, qui Canones ejusmodi philosophicos adinveniunt, quos caprimulgus aliquis aut fossor nullo negotio excogitet: aut Logicos, qui Syllogismos formant in Darapti: aut Ethicos, qui Magnanimitatis præcepta tradunt, Catii, apud Poëtam, de arte culinaria præceptis, non multò graviora. ——— *qualia vincant*

Pythagoramque Anytique reum, doctumque Platona.

Sed tamen quinam ille mens error est? quod crimen; ad cujus mentionem attonitus obstupescis, meque in invidiam spreti atque elevati præcepti Christi vocas? Quia ne dixi Christum per servitia aut ministeria quæ præcipit; ut aliis exhibeant isti, qui ejus exemplo in ecclesia sua primi vel magni esse voluerint, spiritualia potius quàm carnalia; liberalia quam servilia officia intellexisse; cum ne ipse quidem servilibus ministeriis: sed spiritualibus ac liberalioribus functus esse legatur, si unum Lotionis pedum exemplum excipias: ex qua una actione Christi, non magis colligi posse, eum servilibus ministeriis fungi solitum; quàm ex unâ hirundine visâ, veris tempus advenisse. Libet hic tibi paratragædiari; & mea verba in atrocissimum crimen spretæ ac læsæ Regis Regum Majestatis obtorto collo trahere. Itaque te commotum, ut alios commoveas, fingis & exclamas. *Quis hic non obstupescat, & attonitus hæreat, dum tàm insigne humilitatis Christi exemplum, adeò elevari & nec titivillitio æstimari videt?* Desine tumultuari mi frater, & pax sit rebus. Non ego elevandi, sed illustrandi causâ, proverbiali more, unicum exemplum istud unam hirundinem vocavi. Nec magis illud isto loquendi modo spectari; aut parvi æstimatum censeri debet, quàm Regnum cælorum; quoties granum sinapis aut sagena; quàm & ipse Christus quoties via, aut ostium aut lapis angularis dicitur. Nec idcirco quia consecutio tua quàm ex Christi exemplo nectis elevatur, & nec titivillitio æstimatur, statim ipsum Christi exemplum parvi fit aut spernitur. Dictis factisque Christi, constat suum pretium atque majestas, tametsi ineptæ hominum, quas ex iis eliciunt, collectiones; non pluris, quàm sunt, æstimentur.

Ministerium mensarum, præsertim frangendi panis, quo Christus sæpe usus est, à me pro servili non habetur; neque eleemosynarum aut diaconatus ministerium; cum illo etiamnum ingenuæ sortis homines fungi possint; quemadmodum omnibus ad religionem pertinentibus officiis. *Carnalis* autem vocem jam dixi à me spirituali oppositam, modo loquendi non nimium accurato; quæ si te offendit; in ejus locum vocem *Corporalis* substitue: quanquam istos qui sibi in Corporali γυμναρίᾳ nimium placent, carnales haberi posse non temere suprà asserui. Servile ministerium Apostolos in Ecclesia præstitisse, ut ais, nec usquam legi, nec tibi concedo. Nam diaconorum officia à servilibus ministeriis multum aberant, atque absunt. *Ad §. 11.*

O miserum paragraphum, qui non modo incivilitatis, impietatis, inclementiæ & injuriæ damnatæ: sed etiam censoriâ animadversione, loco suo motus & in infaustum nescio quem statum redactus sit. Sed & te censorem contumeliosum, qui non contentus, loco movere, etiam detrudas; ne quis dubitet te præcipitis iracundiæ non satis potentem.

Observatu autem digna sunt hic verba tua, in quibus adversus vim rationis nostrarum, novam tibi effugium quæris. Videris enim velle sententiam tuam ita explicare; ut non omnibus Christianis dominatione in terris civili interdictum esse statuas, sed tantum, ut postlectum scriptum meum lo qui cœpisti, perfectioribus; ac ne iis quidem omnibus, sed inter eos (ut hic loqui videris) istis qui ad præeminentiam aliquam in cælis aspirent. Quæ tamen ita ambiguè profers, ut & vetus illa durior sententia tua, sub illis latere possit; quæ omnibus omninò Christianis,

dominatione aut Magistratu interdicit. De omnibus enim qui ad vitam æternam aspirant, dici potest, eos ad præeminentiam aliquam, imò verò maximam, & qua major vix cogitari potest, in cælis, aspirare. Ego igitur cùm à vobis terrena imperia tolli, objicèrem, non aliam quàm duriorem illam sententiam oppugnavi; quæ omnibus planè Christianis; si Christiani esse & manere velint, dominandi aut Magistratus gerendi potestatem adimit. Fateor enim ab ista molliori sententiâ, quæ aliquibus duntaxat è Christianis Magistratus gerendi potestatem adimit, aliis permittit, nequaquam omnia regna abrogari, etiamsi Christianismus totum orbem occupet. Nihil igitur erat, quòd istam novam sententiam tuam, (cujus veritatem hoc loco non excutio) ab ictu objectionis meæ protegeres, qui non illam sed veterem petebat.

Quam tamen adeò debili scuto protegis; ut etiam alieno vulnere, perire posse videatur. Ais enim non *esse verendum, ut omnia regna corruant, si quibusdam Christianis, quos ita, ut antea dixi, describis, dominatione interdictum sit.* Rationem subjicis, quia non est possibile ut omnes Magistratus sive Ethnici sive Christiani: veritatem Evangelicam perfectissima ratione agnoscant ac sceptra deponant; aut si deponant, ut nullum successorem inveniant. Idque ipsum probas, quia Agrippa & Felix à Paulo non modo ad ejusmodi perfectissimam Christi notitiam, non perducti; sed ne ad Christianismum quidem conversi sunt. Atqui id ipsum quod ii ne ad Christianismum quidem conversi fuerint, futilitatem rationis tuæ arguit. Nam ab eo quod semel, atque iterum, atque etiam sæpius non succesit; ad impossibilitatem futilis est consequentia; perinde atque ab apparenti, ad veram & absolutam impossibilitatem. Si quis Pauli & Apostolorum temporibus, hominum ac temporum illius ævi statum expendisset; impossibile ipsi visum fuisset Romanum imperium, quantum quantum erat; ac tot alias gentes barbaras ac remotas ad Christum converti: & tamen id verè & absolutè impossibile non fuisse docuit eventus.

Ad §. 12.

Hoc loco dum me cum larvis ac lemuribus committere tentas; multis bonis viris, qui in ea, quam ego oppugno, sententia sunt ac fuêre, imò & tibimetipsi imprudens maledicis. Nam & tu, nisi fallor, ante lectum meum scriptum, ista larva, contrà quam depugno, fuisti.

Ordinationem Christi cum ordinatione Dei non statim committi, si nonnulla in V. T. à Deo ordinata per Christum penitùs vel ex parte tollantur; libens agnosco. Nec enim Christus solus propria auctoritate, sed Deus ipse per Christum in Novo fœdere, veteres ordinationes novis sanctionibus tollere potuit; cum in ejus absolutâ potestate sit, ut veteres leges abrogare, ita novas condere. Sed qui ordinationem Dei, quæ sub novo fœdere valeat *Rom.* XIII. per ordinationem Christi in eodem fœdere tolli aut infringi asserunt; non effugiunt, quin sanctissimæ Christi doctrinæ, eam quam dixi, maculam aspergant.

Ad §. 13.

Accipio lubens quod hic abs te datur: modò bona fide detur. Nec enim ego plùs postulo, quàm ut fateare pœnam homicidii (puta capitalem, de ea enim quæritur) in Novo Testamento non simpliciter & absolutè abrogatam esse. Nam de quæstione an rigor capitalium suppliciorum, per naturam novi fœderis mitigatus sit, ego nemini litem moveo; nec in eam disputationem hoc loco descendere vacat. Atque hinc patet, quantò meliores esse soleant διάνοιαι φορτικῶν, præsertim post expensa adversarii argumenta, subrepentes. Nisi quòd in eo parum tibi constare soles; quod aliquando vi veritatis victus concedis.

Ad §. 14.

Non est necesse ut Christianorum judices, expressa, ut olim Hebræi de capitalibus suppliciis divina præcepta habeant, tametsi forensi Mosis lege non obligentur. Longè enim alia ratio est Mosaicæ legis, alia Christianæ. Mosaica lata fuit populo, nondum ullas terrenas Reipub. suæ leges habenti. idcirco moralibus forenses addendæ fuerunt. Christiana lata est populis, quorum singuli suas jam Reipub. leges habebant: quarum obsequium in obsequio Magistratibus, qui legum ubique forensium custodes sunt, præstando, solenniter & satis expressè præceptum est. Nihil igitur opus fuit ut Christus Morali legi suam forensem adderet; posteaquàm discipulos suos suæ quemque Reipub. sui Magistratus legibus subjecit atque obligatum esse voluit. Quod vero morales Mosis leges de cæde & vindictâ generaliter latæ; forensibus specialibus de suppliciis nocentium, olim relaxatæ fuerint, ex eo ipso patere posset; nunc quoque eadem leges sub Christo licet generalibus verbis prolatæ fuissent, forensibus specialibus; non divinis quidem sed humanis, ex Dei mente restringi; præsertim cum expressam & specialem de suppliciis istis à Deo approbatis legem *Rom.* XIII. habeamus; quæ Magistratus in sumendis ejusmodi pœnis Dei ministros esse ordinarios docet. Cæterum quamvis hæc quoad ipsam thesin in genere vera videantur; Tamen quoad subjectæ materiæ hypothesin quia forensis lex Mosaica; unâ cum morali, eodem tempore lata est: dici potest nihil opus fuisse ejusmodi legem moralem à Mose ferri quæ statim ab eodem, saltem in parte sui, abrogaretur. Frustrà enim generaliter lata fuisset, cum Deus nihil faciat frustrà. Sed potius generalia, imo verò indefinita verba legis istius moralis; statim cum lata est; limitate intelligenda fuisse: nec unquam ad Magistratus eorumque potestatem convellendam, porrigenda. Quod idem nunc quoque de legibus ac præceptis cædem & vindictam prohibentibus intelligendum videtur. Quod vero addis hoc loco de Christianis ad exemplum Mosis Deum consulentis, obstrictis; id ipsum est planè, quod ego meâ responsione refutavi; quam tu ne attingere quidem ausus es.

Ad §. 15.

Si veram in verbis hoc loco meis contradictionem ostenderes; liceret mihi cum Poëtâ queri

Quis tulerit Gracchos, de seditione querentes!

Tene mihi festucam contradictionis, in eo quod ad jugulum causæ quam agimus non multùm spectat ostendere! qui in universa tua ista disputatione, in eo ipso quod totam causam tuam perimit, circà trabem perpetuæ contradictionis continuâ vertigine te volvas & circumroteris? Multò meliori jure id queri licebit, ubi ostendero, falsò mihi abs te verborum meorum repugnantiam objici. Itaque dabimus operam, ut te commotæ hujus Camerinæ pœniteat; ubi prius verba nostra ab impacta ipsis contradictionis reprehensione vindicaverimus.

Dixi leges morales (præsertim in causa sumendæ ultionis, de qua tunc egimus) Magistratus quoque obligare; sed tanquam privatos. Nec illud in progressu sermonis dissimulavi; finem & fructum interdictæ ultionis privatæ hunc esse præcipuum, ne in eâ privatim sumenda, modus excedatur. Et hucusque verba mea abs te, utcunque fideliter citata sunt. Reliqua quæ adducis, malâ fide abs te citantur. (quod aliquantò pejus est, quàm implicatæ contradictionis hallucinatio). Ais enim, quasi verbis meis. *Magistratus autem, si quando proprias suas injurias vindicant, non privata sed publica, hæc vindicta censenda est. &c.* Atqui ego non ità scripsi, quod ambiguitati obnoxium est, sed clarius & meo more, hoc est: *Magistratus autem, si quando proprias suas injurias vindicare debeat ac teneatur: oportet ut in iis condonandis non sit sui juris.* Quæris quid inter utrumque loquendi modum intersit? Multùm enimverò. Prior enim, hoc est, tuus, facilè potest ità intelligi; ut verba, *Si quando vindicant*, sumantur pro *quandocunque vindicant.* ita ut sensus sit. *Magistratus quotiescunque suas injurias vindicant, publicam hanc vindictam atque adeo licitam esse.* Quod falsum est, nec à me dicitur; imo verò contrarium suprà affirmavi, cum dixi, Magistratus quoque lege de vindicta privata non sumendâ, obligari. E qua contrarietatis specie, tu occasionem

carpendi

carpendi mei arripuisti. Posterior autem, hoc est, meus loquendi modus, planè non potest universaliter intelligi. Cum enim dico Magistratus, *si quando suas proprias injurias vindicare debeat ac teneatur, oportet ut non sit sui juris*: manifestè ostendo, dari posse casum aliquando, ut Magistratus; qui ordinariè propriarum injuriarum ultionem sumere non debeat, quod clementiæ ac benignitatis officium est: sumere illam & debeat, & cogatur; eumque casum ita describo: *quoties in injuriis condonandis non est sui juris, sed alieni: quod fit cum in ejus injuriis, Dei ipsius, cujus locum tenet, atque legum enormis injuria vertitur.* Ex quibus verbis etiam prætextatis pueris liquido constare potest me statuere non semper, sed rariusculè hunc necessitatis casum Magistratui accidere.

Nulla igitur in eo specie contradictionis apparuisset, si verba mea bona fide retulisses. Quid enim planius est, quàm posse ita duo simul consistere; ut & Magistratus in privatis injuriis condonandis specimen clementiæ libenter exhibere debeat; at ne lege Christi quoque obligetur, & tamen aliquando id non vel invitus (puta quoties sui juris non est, seu cum enormis legum injuria id postulat.) in iisdem puniendis severitate uti teneatur. Vides te, dum contradictionem isthic connectere contendis ubi esse non potest, in manifesto falsi crimine deprehensum: quod ego, ne tibi succenseam, errori quàm consilio tuo tribuere malo: sed tamen moneo, istos, id genus, alienarum hallucinationum nimiùm cupidos venatores; in retia & laqueos quos aliis tendunt, cæco sæpè impetu, incautiùs impingi; & ipsos graviori plerumque lapsu corruere ac prosterni.

Alteram in verbis meis contradictionem ostendis, quòd *propriam*, ut ais, *& privatam Magistratus vindictam; non privatam censeam, cum tamen reipsa privata sit.* Sed in his verbis tuis, quamvis & ipsa conciliari possint; est aliqua, non quidem vera sed apparens species contradictionis. Cæterum mea verba, ne speciem quidem ejus, admittunt. Nusquam enim ego earum, quæ propriæ & privatæ Magistratus esse videntur, injuriarum pœnam, propriam & privatam Magistratus vindictam nominavi; nusquam ipsam reipsâ privatam esse asserui. Imò id falsum esse, evidenti ratione allatâ docui. De injuriis quidem ipsi Magistratui illatis, ita locutus sum, quasi ipsi propriæ sint aut videantur, ad differentiam illarum, quæ aliis inferuntur. Sed tamen eas interdum non plane proprias ipsi, sed cum Repub. communes, ideoque publicas esse demonstravi. Verba mea genuina sic habent. *In quo casu tamen* (puta cum in delicto adversus Magistratum, enormis legum injuria intervenit) *quamvis Magistratus proprias injurias* (quæ videlicet quod ipsum directè petant, tales videntur) *vindicet, tamen hæc vindicta non privatæ sed publicæ injuriæ censenda est. Reipub. enim interest, Magistratus injuriarum vindices, injuria non affici.* Quibus in verbis nemo est tàm muccosis naribus; & pituitâ gravis ac redundans; qui non animadvertat, non omnes quidem, sed in aliquo casu illatas Magistratibus injurias, quamvis ipsos directè tangant, non in apparentiâ, sed reipsâ, nequaquam ipsis peculiares ac proprias, sed publicas à me dici & demonstrari: ideoque pœnas quoque seu vindictas eorum, reipsâ non privatas sed publicas, censendas. Ut mirum sit omninò, te virum tàm emunctæ naris, hæc percipere non potuisse; aut huic forsan affectatæ indocilitati, non admixtum fuisse aliquod carpendi cacoëthes.

At enim tu quæris, si propria & privata Magistratus vindicta; non privata sed publica censenda; adeoque licita est; quando eidem vindicta reipsa non competat? Nisi tuis verbis ut dixi, rem planam & minimè perplexam implicuisses; quæstione nihil opus erat; ipse tibi hunc nodum solvisses. Ergo meis verbis respondeo, in plurimis aliis casibus, Magistratui earum injuriarum, quæ ipsum tangunt, vindictam planè non competere: in quibusdam etiam, præsertim quoad minutiores pœnas, fortasse ejus voluntatem, inter clementiæ & severitatis optionem, liberam esse. Nam quod ad graviora supplicia attinet; ubicunque noxas remittendi jus & occasio est, Christiano Magistratui omittenda non est. Unum illum quem posui casum excipio; quando in ejus injuriis, Dei ipsius, cujus locum tenet atque ipsius Reipub. enormis injuria, ultionem necessariò requirit: in quo casu non est sui juris; nec tantùm potest, sed debet ac tenetur injuriam suam; tanquam publicam vindicare.

Non semper autem in Magistratuum injuriis ipsarum legum aut Reipub. enormis injuria intervenit: quia multi sunt delictorum, præcipuè vero contumaciæ adversus Magistratum gradus: interdum etiam adversus eum absque ulla contumacia; sive per imprudentiam; sive per aliquam minùs latam culpam peccatur. Plurimis etiam injuriis gravissimè Magistratus offenduntur; quæ ipsis cum Republica communes esse non possunt; quæq, verè propriæ eorum ac privatæ injuriæ dici possunt; puta quæ ipsis inferuntur; aut antequam Magistratum adeant; aut per intermissam ejus functionem. Nota est illius Regis generositas, qui, ubi Galliæ regni hæreditas crevisset, Ducis Aurelianensis injurias ulcisci dedignatus est. Sunt & quædam quæ unâ cum ipso Magistratu lædant ipsam quoque Rempubl. sed *non enormiter*, in quibus clementiæ locus atque occasio est.

Quod autem Magistratus quoque, in sumendâ pœna, propter privatum dolorem modum excedere potest, nihil obstat huic Magistratus in suis injuriis puniendis juri ac potestati: quemadmodum quod Magistratus jure suo possit abuti, nihil obstat ejus juri. Quamvis enim divinæ humanæque leges & ordinationes per se eò spectent, ne delictis hominum locus fit, & ne quis potestate suâ abutatur, tamen quia arbitrii libertas generi humano illibata relicta est, non semper & ubique hunc sibi præfixum scopum, assequuntur; ita ut per accidens aliquando, in istis ordinationibus abusus eveniant; qui tamen, & ratione, & necessitate quadam urgente, potiùs tolerandi quàm ordinationes ipsæ rejiciendæ sunt. Et ratio quidem ejus rei est quod inter duo mala, longè minus eligi præstat. Longè autem minùs malum est, Magistratum aliquando in suis injuriis vindicandis modum excedere; quàm eos, qui alienas injurias vi ac potestate suâ coërcere debent; ne suas quidem posse; ideoque impunè contemni. Quemadmodum longè minus malum est, Magistratum aliquandò sua potestate abuti; quàm potestatem ejus ex genere humano tolli. In ejusmodi incommodis illud prudentiæ monitum pro solatio superest. *Vitia erunt donec homines; sed neque hæc continua & meliorum interventu pensantur.* Necessitas autem, quam dixi, in eo est, quòd cum in illatas Magistratibus injurias nemo alius animadvertere possit; id ipsum Magistratus facere debeat: atque adeò cogatur: quemadmodum quòd cum Deo ipsi, per se aut per Angelos, hominum societates regere non placeat: id omninò per homines, quamvis sæpe ob imbecillitatem exorbitantes fieri necesse sit. Non igitur in eo ulla contradictio implicatur, quòd in genere propriarum injuriarum vindicatio, præter alias fortè causas, in eum quoque finem vetita sit; ne quis privati doloris vi impulsus, modum in puniendo excedat: In specie tamen ob intervenientem supradictam & rationem & necessitatem, id Magistratui permissum; interdum & injunctum est: quamvis ille quoque modum in ultione excedere possit. Nulla enim ferè in rebus moralibus atque politicis, lex atque regula tàm generalis dari potest; ut non aliqua exceptione limitetur: ita ut qui velit res ejusmodi ad exactam ἀκρίβειαν revocare; nihilò sapientius agat; quam is qui in rebus, quæ, non dico à materia, sed ab infinitis quæ sæpè occurrunt, circumstantiis, abstrahi nullo modo possunt, Mathematicas definitiones aut demonstrationes desideret.

Magistratum considerari posse, ut privatum, præsertim quoad eas res quæ ad potestatem ejus non pertinent; etiamsi nunquam desinat esse Magistratus, non minùs verum est quàm Universalia considerari posse in abstracto; etiamsi nusquam sint nisi in suis singularibus; aut quantita-

tem sine Materiâ, etiamsi reipsâ nunquam absque eâ reperiatur. Verum ut is hoc modo considerari possit laboriosâ vel Mathematica abstractione nihil opus est. Nam & in concreto sumptus quoties inebriatur; aut privatâ libidine peccat; quæro utrum id faciat tanquam privatus an tanquam Magistratus? aut an ita sint privata hominis delicta, an publica functionis? Deinde Magistratum reipsâ semper esse publicam personam, & nunquam privatam; falsum est, non solum secundum diversam χρίσιν, sed etiam diversum eventum. Nam ut taceam ad tempus sumpta aut deposita imperia: & Magistratus in orbe terrarum nullus est; qui nunquam desinere possit esse Magistratus; (quod ipsum sufficeret ad id, ut sine eâ potestate considerari possit; quâ forte excidere, & sine qua esse ac vivere reipsa potest.) & subalterni Magistratus, quales sunt omnes terreni præcipuè respectu Dei; licet in subjectos sibi populos nunquam potestatem deponant, ratione tamen eorum, in quorum ipsi potestate sunt, sine ulla potestate & tanquam privati considerantur. Nam illud vanum esse quod de μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος potestatis objicis, quoties reges terreni, suo potestate & quasi Magistratu ipsius Dei considerantur, in subsequentibus ostendemus. Futilis igitur est ipsa ratio tua, quæ distinctionem meam futilitatis arguere tentavit.

Nunc postquam planum fecimus nullam in verbis nostris festucam contradictionis abs te ostendi potuisse; reliquum est ut ad Trabes contradictionum tuarum digitum intendamus. Festucas autem voco contradictiones, quas in verbis meis ostendere voluisti, quia etiamsi ea, quæ de prohibita Magistratibus privata vindicta; & eâdem in quibusdam casibus iisdem concessâ aut injunctâ; itemque de voce publicæ injuriæ atque ultionis, privatis Magistratuum injuriis applicandâ dico, falsa & contradictoria essent; tamen sententia mea de puniendis à Magistratu alienis injuriis, quod erat disputationis nostræ κεφάλαιον, staret inconcussa. At ego tibi, in tuo hoc Responso, ejusmodi Contradictionum perpetuas trabes ostendam, quarum altera pars, utramcunque elegeris, sententiam tuam, de qua mecum disputas planè jugulat.

Quod ut clarius ob oculos ponere possim; primùm loca designabo, in quibus abs te utraque contradictoriarum enunciationum stabilitur.

Primùm igitur *parte ab unâ* Legitimi Magistratus potestatem *adversari legibus & Statui Christianorum* in ipso scripti tui limine ostendis, dum ejus quæstionis affirmativam *partem defendendam* suscipis. Deinde in eodem proœmio functionem *Magistratus illicitam esse ais Christianis &c.* Idemque in sequentibus paragraphis frequenter urges, puta §. 2. ter. Ubi primum ex Tertulliano affirmas *Christianos non posse esse Cæsares*, mox ibidem *dominationem Magistratuum* tanquam rem Ethnicam damnas. denique ibidem sub finem *Christianos nunquam dominari, hoc est, Magistratum gerere, posse concludis.* §. 3. semel, ubi ais. *Quâ conscientia Magistratus Christianus iis, quos fratres semper esse novit, dominari unquam poterit?* §. 8. ter. ubi ais primùm. *Hoc est quod Christus vult, omnes eos regni sui cives, qui civilem præeminentiam & dominationem in fratres suos quærunt, spiritus hos ponere; dominationem verò gentibus relinquere debere.* secundo ibid. ais, *ex eo Christianis illicitum esse dicitur Magistratus officium, quod Christus suum exemplum &c. adducit.* Tertiò ibidem ais, *Judicia inter partes Christianis semper illicita esse credo.* §. 11. semel. Ubi Agrippam Regem reprehendis. *Nam veritatem protinus idque perfectissimè agnoscebat? num sceptrum suum abjiciebat?* §. 16. semel sub finem, ubi ais per locum *Matth. XXIII. 8. Omnem supereminentiam è medio Christianorum funditùs tolli.* §. 23. semel ubi ais, *Potestatis civilis vocabulum Christianis non competere.* §. 26. quater, ubi ais primùm *Ordinationem Dei* (puta circa Magistratus) *de Christianis intelligi non posse.* Deinde dogmata sequentia defendis. 1. *Prædicata quæ de potestatibus Rom. XIII. enunciantur, ex homine Christiano non Christianum certò certiùs factura, esse.* 2. *Civilem dominationem Christianis prohiberi,* 3. *Potestates, de quibus agit Apostolus Rom. XIII.* Ethnicas *esse, nec Christianas dici posse.*

II. Deinde parte ab alterâ. Primùm in proœmio. Non modò potestatem Magistratus (de Magistratu autem Christiano loquebamur) per se inhonestam, illicitam, impiam & peccati plenam esse satis indignanter neges, & ita quidem ut tam adversus eos; qui ita de hac potestate sentiunt: quàm & contra eos, qui hanc sententiam tibi tribuunt, contumeliosè te geras: Sed etiam *Non omnem Christianum; qui ea potestate utatur; hoc ipso factò vim facere præceptis Christi; & in pœnam æternæ mortis incidere, ideoque talem in Ecclesia tolerari debere expressi asseris.*

Idem §§. 11. 12. 13. innuere aliquomodo videris: Sed & paragraphi 26. initio satis disertis verbis idem affirmas dum ais. *Licitas, justas, & omnis peccati expertes; approbatas quoque à Deo esse potestates, nunquam simpliciter negavi aut in dubium vocavi.*

Partibus his utrinque positis; atque sibi invicem oppositis ac repugnantibus, alterutram earum stabilire non potes; quin altera corruat; & tamen utramque satis pervicaci, ne dicam durâ & aheneâ fronte defendis.

Nam sive potestatem Magistratus, quod & ante lectum meum scriptum fecisti & in tuis paragraphis sæpius facis, Christianis planè illicitam; legibusq; & statui eorum adversantem statuas; sententia tua, quam in proœmio explicas atque declaras, planè evertitur, in qua ostendis, Non omnem Christianum qui potestate Magistratus utitur, vim facere præceptis Christi, aut in pœnam mortis æternæ incidere. præteteà tales Christianos debere in Ecclesia tolerari. Sive functionem Magistratus in se & per se nulla ratione esse inhonestam, vel impiam, aut peccati plenam affirmas; imo vero licitam, justam, & omnis peccati expertem, approbatam quoque à Deo non dubites, denique si quosdam Christianorum, qui ea utantur, non modo in Ecclesia tolerari debere; sed & salvari posse: & à violatione præceptorum Christi, hoc ipso facto, quod Magistratus potestate utantur, planè immunes esse statuas; effugere non potes, quin illud evertas, quod tanta mole substruxisti, functionē Magistratus illicitam esse Christianis, imò legibus & Statui eorum adversari.

Verum ut tibi omnis tergiversationis ansa præcidatur, & quò evidentius res ista palpari possit, oculari demonstratione exhibenda est. Quamobrem ne fruſtrà, paucis & quidem imaginariis festucis meis opposita, tot solidarum, quas tibi objeci, trabium materies, à nobis congessa sit; construam ex illa in tui gratiam Pontem; quem Scholastici, credo ad differentiam illius, quem Cæsar olim super Rhenum fabricatus est; suo quodam peculiari agnomine vocitant.



Vides Enunciationes, quibus noſtræ utrinque ſententiæ exprimuntur, ſibi eſſe contrarias, nec uſquam te enunciationem tuæ ſubalternam meæ verò contradictoriam, in ſcriptis meis oſtendere potuiſſe aut poſſe. Me verò enunciationem meæ ſubalternam; tuæ verò contradictoriam è ſcriptis tuis; tuiſmet verbis deſcriptam tibi exhibere.

Atque hunc pontem tibi habeto; Gratis à me, non tamen Fruſtra donatum: nimirum pro agenda pœnitentiâ culpæ; ſive per incuriam, ſive per irritum lubricitatis aſtum abs te commiſſæ; ſi forte in eo tibi ſpes aliqua, ex rationum mearum indagine elabendi; affulſerat, quæ te, ut vides, indigne decepit.

Nunc ad alteram paragraphi tui partem accedamus; in qua, nonnulla, quæ pro ſententia mea protuli, vellicas.

Primùm igitur Chriſtum alienarum quoq; injuriarum ultionem Magiſtratui prohibere ais, quia Chriſtus præceptum ſuum opponit Legi Moſis, quæ non privatis ſuas, ſed Magiſtratibus alienas injurias vindicantibus, lata erat. Atqui præter multa alia (quæ apud Socinum in lib. contrà Palæologum & explicatione. *cap.* v. *Matth.* reperias) ipſa antitheſis à Chriſto iſtis quæ apud Matthæum leguntur legis verbis oppoſita oſtendit, Chriſtum non ipſi Moſaicæ legi; ſed pravæ ipſius interpretationi aut allegationi quæ à privatis fiebat præceptum ſuum oppoſuiſſe: cum is iſthic non Magiſtratui ſed privatis, lege hâc ad privatæ ultionis deſideria abutentibus præcepta ſua dederit: nec legem Moſis ad Magiſtratus officium pertinentem ſuſtulerit, ſed privatorum cupiditates, occaſione hujus legis, in plauſibili vindictæ prætextu exorbitantes, coërcuerit. Ideò non dicit hoc loco, *Auditis dictum eſſe antiquis* (quam vocem ante hac ubique addidit; ubicunque ipſi legi Moſis nullis pravis interpretamentis corruptæ ſua verba oppoſuit) ſed tantum *Auditis dictum* eſſe; ut pateret ipſum, non puræ putæ Moſis legi: ſed jam à pravis ejus interpretibus corruptæ, ſua verba opponere. Cum igitur videamus, Chriſtum in omnibus quæ hic protulit exemplis, privatis duntaxat, ſeu repetitionem talionis, ſive potius, (quod plus eſt) injuriæ reſiſtentiam prohibuiſſe; ex vi antitheſeos apparet verba *oculum pro oculo &c.* de privatorum quoque prætenſo jure; quod ſibi ex occaſione legis Magiſtratui latæ, immeritò arrogarent atque uſurparent, intelligenda. Nec enim altera pars antitheſeos de cepis: altera de allio loqui poteſt.

Sed nos de hoc loco, capite quinto libri primi de Jure Chriſtiani Magiſtratus ſufficienter egimus.

Nam quod tu ſubjicis, *Non obſtare quòd Chriſtus privatæ tantùm vindictæ exempla afferat: quia eo ipſo dum privatam vindictam* removet; ad quam *homines naturali quodam jure ſemper ſunt proclivieres; publicam quoq; vindictam ſuſtulit; quæ talis juris præſcriptionem non habet?* non falſum tantum ſed & ridiculum eſt. Falſum quidem, quia à conceſſo eo, quod longè æquius & rationi magis conſentaneum eſt; ad id quod iniquius, imò à ratione abſonum eſt, argumentari nemo poteſt. Longe æquius autem eſt & rationi congruentiùs proprias vindictas, omnis in genere humano confuſionis cauſas, vetari quàm publicas Magiſtratuum animadverſiones, quibus pax & juſtitia in ſocietate hominum retinetur. Ridiculum autem eſt, quod tu brutos affectus, in quos more ferarum ſine ratione ferimur, *juris naturalis* titulo cohoneſtas; nec intelligis non illud eſſe naturæ juſtum; quo Caro nobis cum brutis communis propendet; ſed quod ratio divinitùs indita commendat; qualia ſunt ejus communiſſima omnibus circà vitam in ſocietate agendam dictamina.

Diſtinctionem autem inter privatam & publicam vindictam, eodem fortè bruto jure curari non debere dicis; quo ad, quæ refellere nequis, reſpondere non dignaris. Publicam Chriſtianis vindictam non ſimpliciter licitam eſſe dicimus. Nec enim etiam per Magiſtratum cuiquam, atque adeò ne ipſi quidem Magiſtratui; vetitæ à Chriſto ultionis deſiderium, explere permittimus. Sed inter ultionem & pœnam (quamvis ea ſæpè etiam in SS. literis pro eodem accipiantur) lucis ac docendi cauſa id diſcriminis ſtatuimus: quod illa ſit *Animi in dolore reponendo impotentia, inutilem privatorum aut certè ſingulorum delectationem ſpectans*, hæc verò ſit *Legitimæ poteſtatis ad eum qui meruit coërcendum aut puniendum uſus, publicum totius ſocietatis bonum reſpiciens.* Illam jure Chriſti & Apoſtolorum doctrina prohibuit: hanc tantum abeſt, ut

prohibuerit;

prohibuerit ut ordinarium Dei ministerium esse censeat, quod videlicet Deus per ministros suos exequatur.

Quod autem dicis per generalia omnium Christianorum principia abs te doceri publicam Christianorum vindictam, hoc est talem qualem descripsimus pœnam, esse illicitam: atque ista generalia præcepta non esse restringenda, nisi summa urgente necessitate; quæ videlicet à me monstrari nequeat: vi veritatis constrictus ultrò fateris, istorum principiorum (ut illa vocas) generalitatem, posse ac debere restringi, si summa necessitas urgeat. Quę porrò major necessitas excogitari potest; quam quę non singulorum modò salutem, vitam, pacem, fortunas, sed totius humani generis conservationem respicit? Nonne ipse in proœmio fateris, quòd Magistratus utilitatem & necessitatem quilibet experiatur? Ex qua necessitate profluit quod §. 9. dicis te certò credere Principes ad finem usque mundi semper futuros; qui spiritualis gubernationis minus capaces homines; civiliter & ex severiori Dei ordinatione gubernaturi sint. Quod tu certò futurum credis; quæro an Deus certò futurum constituerit nec ne? Negare non potes, id à Deo constitutum; quod non ipsa tantum humani generis necessitas constitui debuisse exigit; sed & ipsa Sacra Scriptura etiam sub Novo fœdere, ab eo ordinatum agnoscit. Si igitur Deus constituit, ut ad finem usque Mundi sint atque maneant Magistratus, certè & voluit: nec illâ, quam lucis & liquidioris explicationis causâ liceat apellare Secundariam, voluntate; quâ is aliquid, quod ex concessę ab ipso libertatis privilegio profluit, non nolle, aut permittere dicitur; qualis est delinquendi licentia; aliquam semper secum trahens, eventus incertitudinem: sed illâ primaria ac certâ ut ita loquar, voluntate; quâ is propter certum aliquem, eumque optimum, adeoque necessarium finem, aliquid certò fieri vult ac intendit. Quod igitur Deus certò fieri voluit, atque constituit; idque propter optimum simul & maximè necessarium finem (quem ipse agnoscis eum esse; ut non desint, qui spiritualis gubernationis minus capaces homines; civiliter, & ex severiori Dei ordinatione gubernent) annon summam infert necessitatem; ad ea principia restringenda; quæ tu talis necessitatis interventu, restringi posse fateris? annon egomet eam necessitatem tibi in Ratione secunda, quæ locum *Matth.* xx. juxta tuum sensum explicari non posse, ostendit; satis superque sufficienter monstravi? Atque adeò hinc illæ tuæ lachrymæ; hinc illa animi tui impotentia; quâ locum hunc passim irrito ac ridiculo deportationis, castigationis & omnis supplicii conatu insectari contendis; ne nos latere possit, quid tibi doleat, quodque vulnus ad intima præcordia penetraverit. Ferre nimirum non potes, ejus necessitatis evidentiam; quæ uno ictu, omnes istas tuas, ex nimium extensâ, ideoque falsa & imaginaria principiorum quæ prætendis generalitate deductas, consequentias prosternit; easque Rationi sanæ, claro verbi Dei lumine illustratæ, repugnare ostendit. Et tamen eam te pro nullâ & tanquam non scriptâ habere; nec alia præter inficiationem responsione, dignari, præ te ferre non pudet.

Nunc ad rationem quandam meam quomodo respondeas videamus. Dixi ego. *Sicut lex de prohibita cæde; jus & potestatem vindicandæ cædu confirmat; ita legem quoque de prohibita vindicta; jus & potestatem vindicandæ ultionis necessariò confirmare.* Tu respondes *Verum quidem id esse in thesi, sed falsum in hypothesi.* Id, nisi fallor, dicere voluisti; hæc quamvis in genere de aliis forte legibus vera sint; male tamen à me ad leges Mosis & Evangelicas applicari; quę ob aliquam peculiarem causam in hac parte ab aliis legibus discedunt. Quam tu quidem causam non producis; ideoque immeritò id de hypothesi negas, quod de thesi concedis. Nisi enim aliqua justa exceptionis causa ostendatur; quod verum est in thesi, verum in hypothesi esse necesse est.

Verum tu interrogas *An vel Moses in veteri Testam.* propterea quòd cæde *prohibita esset, sibi jus irrogandorum supplicium capitalium simpliciter sumsisset; nisi expressas homicidarum occidendorum sanctiones habuisset?* Primùm respondere possem. Posteaquàm princeps populi Dei factus & ipsi potestas super eum commissa est, etiam absque expressis de forensi judicio legibus, eum arbitrio suo pœnas scelerum de noxiis sumpturum fuisse exemplo aliorum omnium in terris Magistratuum. Nec video, qui sibi sine ulla peculiari Dei lege ac permissione; defendendorum popularium suorum contrà alienigenas, usque ad necem eorum, jus ac licentiam sumpserat; quamvis omnium mortalium mitissimus & mansuetissimus esset; cur in principis ac Magistratus locum evectus, jure ac potestate Magistratus non uteretur: etiamsi ipsi leges forenses, præter moralem, nullæ præscriptæ essent. Jam enim tacitè, arbitrio suo, ad rectæ rationis amussim exigendo; à Deo id commissum existimare potuisset, quodnam cuique culpæ supplicium decerneret.

Deinde nihil est quod ad istas vagas & imaginarias hypotheses descendamus. Ego enim rationem meam; ad ipsas Mosis ac Christi leges jam latas, tanquam ad subjectã disputationi nostræ hypothesin applicavi. Cujus vis in eo est: Si lex de prohibita cæde & vindicta, jus & potestatem vindicandæ cædis & vindictæ, (tàm sub Mose quàm sub Christo) non tollit sed confirmat: non potest protendi ad delictorum pœnas: sed tantum ad ipsa delicta debet restringi. Lex enim in delinquentes lata est; non in eos, qui legis auctoritatem adversus delinquentes tuentur. Quia verò Magistratus delictorum istorum pœnas à noxiis exigit; non possum leges de istis delictis contra noxios latæ, ad insontem Magistratum; sed tantum ad fontes ac reos patratorum contrà leges criminum porrigi. Nec enim delinquit contrà legem, qui legem tuetur ac defendit. Quodsi id verum esset, etiamsi nullæ forenses leges Magistratui à Deo datæ; aut ab eodem approbatæ essent: multò magis verum est, posteaquam forenses leges tàm sub Mose ab ipso Deo immediatè latæ; quam sub Christo in omnium superemiuentium potestatum jure confirmato, approbatæ, ac Dei ipsius auctoritate communitæ sunt. Quemadmodum enim Mosis tempore lex moralis de cæde, non tollebat sed potiùs confirmabat forensem ejusdem legem: ita Christi tempore leges ejus morales de cæde & vindicta, non tollunt sed potiùs confirmant, forenses de cæde & vindicta leges, quamvis illæ à Deo non immediatè latæ; sed per injunctum omnibus Magistratibus obsequium, sanctè confirmatæ sint. Proinde ego in mea ratione jus & potestatem vindicandæ cædis aut ultionis; non modò in genere abstracta à legibus forensibus Mosis & Christianorũ: sed etiam in specie expressa in legibus forensibus, tam sub Mose divinis; quàm sub Christo humanis, divinâ tamen auctoritate communitis, intelligo.

At enim tu quæris. Num Evangelium sanctiones tales, puta forenses aut capitales respectu Christianorum habet? Quasi Christus in Evangelio Regna quæ ex hoc mundo dicuntur; hoc est, nova aliqua imperia & Respublicas terrenas aut politicas constituerit; quemadmodũ Moses olim terrenam Israëlitarum Rempublicam. Verum Evangelium licet in sua spirituali doctrina ejusmodi forenses sanctiones non habeat; cum ipsis in extruendo & conservando regno spirituali non indigeat: cultores tamen suos, ejusmodi sanctionibus etiam capitalibus subjecit, easque ipsis timendas esse injunxit. *Rom.* 13. tanquam ab ipso Deo latas & ordinatas; quarum etiam severior executio à Spiritu Sancto ministerium Dei dicitur. Sanctiones igitur capitales, quas ipsum in se non habet Evangelium; in legibus tamen humanis existentes expresse confirmavit ac divinæ ordinationis titulo, & tanquam sigillo communivit.

At enim ais, Christum aliud judicii genus inter suos instituisse, & quidem (præsertim quod ad ipsam ejus personam attinet) longè perfectius; quippe *quod non in externis tantùm factis hominum hæreat: sed ad ipsas hominum cogitationes penetret.* Atqui hoc judicii genus, ad spirituale ejus; & illud quod non est ex hoc mundo Regnum pertinet. Verum

ret. Verum an omnes spiritualis istius gubernationis Capaces esse possunt? Vide quid ipse, in tuo paragrapho nono, fateare. Num igitur Christus aliud judicii genus statuendo, terrena judicia etiam inter Christianos sustulit & abolevit? An inter ipsos Christianos omnes spiritualis gubernationis capaces sunt? & illi ipsi qui hodie spirituali regimine facile reguntur: cras forte severiori, ut eam ipse vocas, Dei ordinatione scilicet civili gubernatione non indigebunt? Satis equidem alibi ostendisse me confido, ti civilis gubernatio à Christiano populo proscribatur; ad mortalium improbitatem frenandam quàm nuda sit atque ineremis spiritualis gubernatio.

Ad §. 16.

Hoc loco ex respondente quo jure me facias opponentem quærere prelibus non vacat. Vim autem hujus rationis, quæ, ex eo, quod despoticum imperium in Ecclesia sublatum non sit, arguit, non omnem in ea supereminentiam & inæqualitatem vetitam esse; qua fronte à te §. 3. profligata jactes, ex responsione, quam istic subjecimus patet.

Gradus in Ecclesia 1. *Cor.* XII. 28. ejusmodi recenseri; quorum alii sunt superiores, inferiores alii, negare non potes, tametsi ibi vocis *supereminentiæ* mentio non fiat. Annon enim Apostoli prophetis & prophetæ simplicibus doctoribus præstabant & quasi præillis eminebant? Discrimina meliorum donorum (*vers.* 31.) annon eminere faciebant sui compotes, super eos qui deterioribus erant præditi? Nec ego hoc loco supereminentiam pro potestate vel dominatione accipio, sed pro præstantia præ altero, & inæqualitate.

Unde & ad tertiam rationem, responsio tua inepta esse convincitur; dum ais, privilegio gaudere aliquem posse, absque eminentia super alios; quod etsi de potestate intellectum concederem; at potiori jure & privilegio præ aliis gaudere nemo potest absque inæqualitate.

Honoris autem vox quoties in Sacra Scriptura stipendium aut subsidium pecuniarium in se comprehendit; nunquam tamen propriam suam notionem ac significationem exuit aut excludit. In eo enim ipso honor quidam & major æstimatio hominis illius cernitur; qui uberiori subsidio dignus censetur.

Ad quartam rationem respondendo, (ut alibi quoque in hoc scripto passim) deridendum te propinas, dum sobriam & salubrem præeminentiam pari ratione dici, ais, quâ quis sobriam & salubrem superbiam & ambitionem diceret. Atqui superbia & ambitio omnium confessione vitia sunt; quibus ejusmodi epitheta, naturæ ipsorum repugnantia dari nequeunt. Præeminentia verò suprà alios, inter vitia poni non solet; ac ne potest quidem cum vitia in actionibus hominum, voluntariis earumve habitibus; præeminentia verò non in actionibus, voluntariis hominum, sed in reipsa aut qualitate extrà ipsorum proæresin existente cernatur. Ipsa igitur per se præeminentia super alios vitium dici nequit, nisi fortè pravus ejus usus. Imò ne sobriam quidem aut salubrem præeminentiam, ego dicere auderem, sed potius ejus usum; quemadmodum ipse verba mea citas, & tamen me posteà quod supereminentiam inter fratres, sobriam & salubrem (quod non feci) apellem reprehendis, additâ reprehensionis ratione, quod illi fratres naturâ sint æquales. Quasi inter eos qui naturâ sunt æquales, non & ipse Deus sæpe velit esse aliquam inæqualitatem ac præeminentiam, ut olim inter eos fratres, quorum Major, servire debuit Minori. Sed hunc §. capiti meo 4. quam feliciter opponas, ex collatione cum eo, citati capitis Lectori liquebit.

Ad §. 17.

Hic rursus me ex respondente facis opponentem. Nec tamen rationes quas mihi tribuis idoneis responsionibus refutas.

Magistratum persecutioni simpliciter contrarium non esse; ego non dixi: sed longe magis contrariam esse ipsi vitam quietam asseruisad quam tamen votis ac precibus aspirare possumus: quominùs mirandum sit, si & magistratus prohibitus non sit; quamvis aliquid forte cruci contrarium in ipsius usu sæpius reperiatur, cum vitæ quietæ cruci magis contrariæ studium ac desiderium non sit prohibitum. Fallitur igitur vehementer Auctor, dum putat me proprio ense saucium, inde, quod vitam quietam, quam puto cruci admodum contrariam esse, à Magistratu fidelibus optimè omnium præstari censeo. Quippe cum nec ego negem, rerumnarum crucis nullum præsentius esse remedium Magistratus resistentia, dum protegit bonos arcet autem impios. Nec tamen inde, quod ille vitam quietam subjectis fidelibus fidelissimè præstet, sequitur eum æquè contrarium esse cruci; quam ipsa vita quieta, quæ nunquam unà cum cruce consistere potest, cum tamen Magistratus sæpe possit crucem pati; puta tunc cum neque subjectis, neque sibimetipsi vitam quietam & cui à persecutoribus nullum sit periculum, præstare potest: quod fit, cum aut ipse est subjectus superiori potestati persecutrici, aut ita impar viribus vicino potentiori, ut ob religionem & conscientiam affligatur. Nec enim omnibus bello resisti potest; sed iniquas leges ac durâ imperia; sæpe ab iis accipienda sunt; qui viribus nimium præstant. Potest igitur & absque bello pius Magistratus; ab impiis, ob religionem iniquissimas calamitates pati; ita ut quę de bello aut abusu potestatis, Christiani Magistratus affers, nihil ad rem propositam faciant. Vita autem quieta qualiscunque illa fit, sive longior, sive brevior, sive à Christiano magistratu præstita: sive ab impio indulta; semper cruci ita est contraria, ut posita cruce illa tollatur; posita verò illa Cruci locus non sit; quod non æquè in magistratu, ut diximus contingit. Proinde quæ te ista precaria impiorum erga pios conniventia affers, nihil ad propositum facient.

Illud tantum expendendum est; quòd cum duplicem vitam quietam statuas, alteram durabiliorem; quæ à Christiano Magistratu, subjectis Christianis præstatur; alteram fluxam & momentaneam; quæ ab impiâ potestate ad tempus indulgetur te existimare, in loco 1. *Tim.* II. 2. posteriorem exclusa priore, debere intelligi; cum ob alias rationes silentio abs te præteritas, quas ideò nihil moror; tùm idcircò quod illa cruci, quàm ista magis sit contraria. Verum ut fingamus citati loci circumstantias non exigere ut de priore tantum omninò intelligatur (quas tamen id exigere, ego in explicatione mea sic ostendi ut tu rationes ejus ferè ne attigeris quidem, tantum in locum meæ, aliam tuam explicationem substitueris) fingamus etiam de posteriori quietę vitę genere locum hunc intelligi posse; unde ostendes alterum ejusdem vitæ genus à sensu hujus loci excludi? Il Cruci videlicet Christianam vitam ita semper affixam censes, ut ab eâ nunquam avelli possit. Idcircò ejusmodi pacem votis ac precibus à Deo exposci posse negas; quæ nos à cruce diutius aut etiam si fieri posset semper immunes præstat. Atqui hujus enthymematis & falsum antecedens; & consequentia saltem juxta tuam opinionem, falsa est. Quantum ad antecedens Regnum cęlorum quamdiu in suis incrementis non multum ultrà modum grani sinapis excessit; non premi tantum sed & opprimi posse videtur. Sed cum in arborem in qua, cæli volatilia nidificant, excrevit: non facile persecutionibus patet; quibus certe tunc locus nullus erit, cum omnia regna mundi hujus fient regna Dei ac Domini nostri, cumque constrictus & in carcerem compactus Satanas, seducere gentes desierit. Quod quando futurum sit; præsertim anxie & exacte quærere fortasse curiositatis mos &, si placet, morbus quoque cuipiam videri posset, certò autem futurum esse; addictæ Sacræ Scripturæ fidei & observantiæ, officium est, credere. Consequentiam verò saltem juxta tuam opinionem falsam esse necesse est. Nam si putas crucem Christiani status comitem atque individuam esse pedissequam, illud omninò agnoscere coegeris, posse nos à Deo votis ac precibus exposcere

liberationem ab eo; à quo, ex hypothesi tuâ, nunquam liberari possumus, nec debemus; qualis est tentatio crucis, in quam tempore persecutionis inducimur: posse etiam exposcere ea, quibus positis, locus nullus cruci relinqui potest: qualis est adventus regni Dei in hunc mundum perfectissimo modo intellectus; & ille felicissimus terrenæ vitæ status, cum in terris ita voluntati Deo parebitur quemadmodum in cœlis obtemperatur.

Sed jam ad explicationem tuam accedamus; in qua primùm in loco 1. *Tim.* II. 2. preces non pro conversione Regum sed pro terrenâ duntaxat pace eorum conceptas, intelligi debere dicis, quia Tertullianus tales duntaxat preces suo tempore pro Cæsaribus in Ecclesia fusas, commemoret. Quod nec ipsum plane verum est; & ineptam consequentiam continet.

Nam & Tertullianus cum plæraque terrena pro Cæsaribus vota precesque singillatim commemorasset, subjicit generalem reliquarum rerum comprehensionem & *quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt voventes.* In qua certè generali clausulâ, etiam spiritualia ac bona quæ ipsis tanquam hominibus voveri po erant, comprehenduntur. Prudenter autem Tertullianus qui ex Christianorum precibus, favorem apud Ethnicos Magistratus, Christiano populo captabat, ejus generis preces ac vota, quæ ab Ethnicis grato animo accipi poterant, qualia erant terrenorum bonorum vota, singillatim & explicitè recenser; ea vero quæ illi abominati fuissent, tacitè atque implicitè innuit. Nec enim ut exemplo rem illustrem, magnam gratiam nunc Judæi à Christianis magistratibus inirent, si apud eos preces suas venditarent, pro iis eo fine susceptas, ut Judæi evadant: At aliquantam ex eo, si ipsis vitam prolixam, imperium securum, & quæ sequuntur, voveant.

Sed & inepta consequentia est. Tertullianus non commemorat preces pro conversione Cæsarum. Ergo illas Ecclesia nunquam susceptit: quia est à testimonio negante. At enim Tertullianus formulam precum Ecclesiæ exprimit. Falsum id esse verba ipsa indicant, in quibus cum aliqua è terrenis votis commemorasset; reliqua generali clausulâ comprehendit, dicens *& quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt voventes.* Atqui formulæ non res tantum ipsas; sed & verba singula exprimere debent.

Itaque primus iste explicationis tuæ tibicen, suprà formulam Tertulliani extructus, corruit. Nam quod hic obiter huic formulæ analogiam fidei; quasi istius tibicinis alterum fundamentum, adjungere audes; id sine verecundiæ jacturâ facere non potes. Qui enim analogiam Religionis exposcere affirmet, ut preces pro Regibus fundendæ terrena tantum Vota; non etiam spiritualia pro conversione eorum susceptа contineant eum ferreæ frontis esse oporteret. Ruit igitur iste tibicen, non obstante Religionis analogiâ.

Alterum explicationis tuæ fulcrum est; quod non *tantum ex conversione Regum vita tranquilla Christianis contingat; sed etiam ex mitigatione quoque ac dispositione eorundem ad defensionem piorum, postquam animi eorum delinisti fuerint per preces pro ipsis fusas, quod exemplo probas.* Nec ego istud usquam negavi; neque contradictoriam hujus enunciationis, quam tamen mihi tribuis asserui. Sed cum ejusmodi delinitio & mitigatio Ethnicarum, quamdiu Ethnicæ manent, potestatum; malè, cum agnitione per eas Veritatis, cohæreat; de qua hoc loco sermo est; ideo in ejus explicatione ipsi locum esse non posse, meritò censui. Itaque & istud fulcrum tuum corruit.

Nisi quod illud duplici statumine contrà meam explicationem pugnante, fulcirè contendis. Primum est, quod, Si hoc loco Apostolus, ex conversione Regum vitam tranquillam fidelibus sperandam esse docuisset; frustrà tum ipsi quos Apostolus adhortabatur; tum eorum posteri ad aliquot centenos annos orassent; neq; vitâ illâ quietâ frui potuissent. Quasi verò frustrà à Deo petantur ea beneficia; quæ Deus non statim neque è vestigio petentibus confert; sed juxta beneplacitum atque sapientiam suam, sæpe in multa secula differt: præsertim si iis non constet utrum ea in longum differre velit; & impossibile non sit, ea quoque ipsum citò repræsentare posse. Quasi & frustrà aliquis à Deo oret, ut ipsi vitam æternam largiatur, etiamsi ipsi constet, utrum hoc beneficium Deus, ultrà plura secula dilaturus sit, nec ne. Aut frustrà aliquis Christianorum jam olim oraverit pro conversione Judæorum aut Antichristi interitu; tametsi utrumque horum Deus in plura secula distulerit. Frigile igitur est hoc statumen nec ad quicquam fulciendum aptum. Sed nec alterum quod subjicis adminiculum firmius est. Ais enim. Si quieta ista vita de qua hoc loco Apostolus loquitur, ex conversione demum Regum post multa secula speranda erat; non dixisset Apostolus, *ut degamus* seipsum includens. Quasi Apostolo nunquam licuerit personam eorum assumere, de quibus loquitur, quod fecit *Rom.* VII. aut cum de aliqua communi spe totius societatis sermo est, non possimus meritò, nos quoque ipsos in ejusdem communionem includere tametsi fructu ejus; neque nos, neque alii, qui nobiscum unâ sunt superstites, sed posteri demum nostri sint gavisuri. Atqui idem Apostolus inter eos quos vivos atque superstites ultimi judicii dies in terris deprehendere debuit 1. *Tim.* IV. 15. seipsum includit: nec tamen diem hanc ipsius ævo advenire; nec ipsum hujus spei fructu gaudere necesse fuit. Vides explicationis tuæ rudera nullis adminiculis statuminari posse, quominùs dissiliant.

Tertium explicationis tuæ fulcrum videri vis; quod versus tertius citati loci seu pronomen Hoc & subnexa ipsi verba referenda sint, non minùs ad proximè præcedentia *Cum omni pietate & honestate*, quàm ad ipsas preces. Non enim hoc solum gratum est Deo; quod fideles orent pro iis, quos Deus vult servari; sed etiam quod rectè & efficaciter orent, viventes ipsi in pietate & honestate; quod ad conversionem & salutem eorum quos Deus vult servari & ad agnitionem veritatis venire, ut ipse fateris, magnum habet pondus. Neque verò ego hoc posterius, ut tu falsò ais, à precibus divello; neque ut divellam explicationis meæ interest. Scio enim preces impiorum & inhonestè viventium, ingratas esse Deo. Itaque etiam absque explicatione tuâ; imò verò etiamsi Apostolus ipse verba, modò citata non addidisset, in istis ipsis precibus includebatur atque supponebatur rectus earum usus & omnes conditiones ad impetrandum requiruntur.

Cæterum istud quod pro sententiæ tuæ fulcro affers, explicationi tuæ nihil prodest, meam autem confessionis tuæ accessione; plurimùm confirmat. Tuæ nihil prodest. Nec enim in eo versatur inter nos quæstionis Status, quid in istis Apostoli verbis Deo gratum esse censeatur; sed an preces fidelium pro pace Regum terrenâ, an verò pro conversione eorum ad agnoscendam veritatem, hoc loco susceptæ intelligantur. Ex eo enim patebit, unde hic fructus quietæ nostræ & tranquillæ vitæ sperandus sit, num ex terrena pace, an verò ipsorum conversione. Imo verò tuæ nocet meam verò plurimùm confirmat. Nam ostendit non preces tantum, sed ipsam vitam ac pietatem nostram, magnum *ad infidelium conversionem* (verba tua agnoscis) *pondus habere*; Deumque velle; ut, (quemadmodum ais) talibus mediis, puta precibus & pietatis exemplo omnes homines serventur. Non igitur à sensu hujus loci, etiam tuâ confessione excludi potest, conversio Regum; imò verò ex tuismet verbis patet, Apostolum adeo ista verba *Viventes in omni pietate & honestate* protulisse, ut ostenderet Deum velle, non solum ut serventur omnes homines, potissimùm ii apud quos libere loqui non licet, nec prodest (principes & magistratus hac descriptione designas) sed etiam ut talibus mediis, ubi dictum est, serventur. Cum autem ex ista conversione Regum, illud vitæ tranquillæ genus profluat; quod tu à sensu hujus loci proscriptum esse voluisti (substituto in ejus locum

altero

altero tranquillo vitæ genere, quod quia precarium & momentaneum est, cum conversione Regum consistere nequit) inde patet explicationem tuam, tuomet ense esse jugulatam; meam autem tuismet verbis & rationibus esse stabilitam.

Explicatio hujus loci altera, qua in eum finem principes & eminentiores potestates constituti intelligantur, ut quietam vitam degamus &c. locum habere non potest, ut alia taceam, vel ob ista ipsa verba adjecta *in omni pietate* & honestate, aut, quod Græca vox sonat, venerabilitate. Non enim pietatis (multò minus omnis) & gravitatis illius, quæ ex vitæ sanctimonia profluit custodes & exactores sunt Magistratus, qua Magistratus; sed tantum legum forensium quę pacis & justitiæ in societate civium retinendæ, curam ipsis commisêre. Nec eminentes potestates; præsertim si non sint Christianę ullo modo officio ac scopo huic satisfacere possunt, t in omni pietate & honestate subjecti cives degant; i ò in hunc finem constitutæ dici non possunt. Supereſt igitur ut remotis falsis vera quam attulimus explicatio sola locum habeat.

Ad §. 18.

Paragraphus hic Capiti meo sexto seu quintæ consequentię tuę à me refutatæ opponitur. Cui quomodo abs te responsum sit Lector æquus ex comparatione oppositarum sibi rationum æstimabit. Certè aliud est rationes alicujus arrodere, aliud refellere. Particula *omnis* quomodo restringenda sit ex loco 1. *Cor.* xv. 27. docui. Nec sine addita ratione Magistratum Christianum hoc loco; ab ista particula excipi ostendi; cum hæc ipsa verba duas res simul supponant *primùm* dari debere aliquem Magistratum cui subjectio præstanda sit: *deinde* istum Magistratum saltem ab eo genere subjectionis, quod ipsi ab aliis debetur, ratione eorum qui ipsi subjecti sunt exemptum esse, ob rationem in tuamet objectione positam. Idque illustri exemplo ex loco citato deprompto, confirmavi. Et tamen tu cum ad rationem meam, nihil habeas quod reponi possit, absque ulla ratione me assertionem meam posuisse, sine fronte affirmas, prorsus eadem fide; qua sæpius Lectorem, ad alia fortè loca remittis, in quibus abs te rationes meas profligatas asseveras. Quod velim eò diligentius cautus Lector observet; quò indignius abs te passim decipitur.

Magistratus summi subjectio Deo immediatè subordinata, à me nec immeritò, nec sine necessitate commemorata est. Posita enim quam disertè expressi hypothesi particulam *omnis* hoc loco omnes hominum & Angelorum animas, unico Deo excepto comprehendere, dixi ne summam quidem, sive humanam sive Angelicam potestatem (si unum Deum excipias) à subjectione exemptam: nec subalternarum potestatum subjectionem finem ullum habere, donec ad supremam ultimam metam deventum fuerit. In quo nulla est μεταβασις εις ἀλλο γενος cum illud potestatis genus, quod Deus supra summos Magistratus habet; non sit genere diversum ab eo, quod habent Magistratus suprà homines sibi subjectos; neque spirituale quale in Ecclesia Christi cernitur: sed coactivæ dominationis participes.

Exemplum de uxore & marito quod subjicis, est adeò nugatorium, ut me tui pudeat & quisquilias ejusmodi refutare pigeat.

Ad §§. §. 19. 20. & 34.

Si ideo tantum scripto mea notas istas cum adjunctis numeris appingis ut nihil ad rem propositam respondeas; sed tantum Lectorem alio remittas, poteras hoc labore supersedisse. Objicere adversario aliquod fallaciæ genus, neque ostendere in quo illud commiserit; non est legitimè disputare; sed inutiliter tergiversari. Rectè ais, literarum & artium studia, lectionem Hippocratis, Mercatorium & alia vitæ genera, nihil facere ad imitandi Christi officium: sed ideo earum rerum exempla à me producuntur; ut ostendam Christum in morum sanctimonia duntaxat, non autem in aliquo vitæ genere ineundo; aut vivendo; aut aliis studiis rebusque quas fecit aut non fecit, imitandum. Paragraphum 34. quo jure inter vigesimum & vigesimum primum inserueris, dispicere nequeo; nisi quod respondendi ordinem turbare expedit, iis qui se respondere posse diffidunt.

Ad §. 21.

Tene illius Regulæ Theologicæ quam paulò ante jactabas tàm citò oblitum? quæ absolutè & universaliter dicta; universaliter quoque & absolutè accipi jubet; præsertim cum nulla restringendi necessitas intervenit; quod hic accidit, ubi subjectio potestatibus supereminentibus, præcipitur; quod certè officium non minus ad extraneos quàm ad Christianos pertinet. Sed non in eo vertuntur fortunæ Græciæ. Tu quomodo ad meas rationes respondeas velim cordatus Lector ex collatione tuorum cum meis verborum judicet. Non quia verum est Christo, cum Samaritani exemplum affert, propositum fuisse Legisperito de quæstione proposita satisfacere; idcirco falsum est, eum, hoc illustri exemplo, omnes qui audiebant extimulare voluisse; ut erga omnis nationis homines, tanquam proximos caritatem exercerent, præsertim cum addiderit verba. Abi, & tu fac similiter &c.

Ad §. 22.

Quod de potestate civili Apostolus universaliter profert; etiam ad civiles Ecclesiasticorum potestates (nam de prætenso in spiritualibus dominio non agimus) pertinere, dici potest. Cui enim Deus diuturnam & legitimo seu pacis seu belli jure subnixam potestatem concedit; non magis neque justius ipsi eripi potest, quam suæ cuique legitimè partæ aut possessę opes. Neque verò hominum &, (ut sic loquar) personarum vitia aut delicta, in adeunda aut gerenda aliqua potestate, semper ipsam quoque potestatem illegitimam reddunt. Nam Deus aliquando, justo ejus judicio postulante, vult aut permittit; ut tyranni legitimas Regum potestates invadant; quas sublatis tyrannis; iterum sępe bonis regibus restituit. Imperatorum potestas cum adiret imperium Caligula, non minus quam sub Augusto legitima fuit. Et post Nerones ac Domitianos imperium iterum ad Trajanos atque Antoninos rediit. Est & cum justa quoque destruit Deus aut transfert imperia, præsertim cum justa illa & legitima potestas propter subrepentes successu temporis, enormes *Injustitias injurias & diversos dolos*, digna est in quam Deus animadvertat. Sed mutationes imperiorum, aliquamdiu incertam habent, juris ac legitimitatis dijudicationem: donec justo temporis intervallo, & quasi præscriptione firmentur, & coalescant: hoc est de voluntate Dei, cujus nutu cuncta in terris stant aut cadunt imperia, hominibus constiterit. Illud enim justum & æquum esse necesse est, quod placuit Deo.

Magistratus abdicatio utrum aliquando justa & licita esse possit; nunc disquirere non vacat. Sed etiamsi hæc sæpe justa esse possit; non ideo illud verum esse definit, omnem magistratum esse à Deo. Nam & is, qui (non sine voluntate proculdubio Dei) abdicatur; antequam abdicaretur fuit à Deo, & qui post prioris abdicationem succedit Magistratus, itidem à Deo, est. Quia Deus licet Regibus aut aliis Magistratibus vicariam in terris potestatem concesserit; potest tamen pro arbitrio eos officio suo exuere, aliosque in locum eorum substituere. Nec istæ mutationes efficiunt, quin semper omnis humana potestas à Deo dependeat.

Vanum autem est, quod hic de Principum aut Regum potestate argutaris, ex loco 1. *Sam.* VIII. 7. eam nunquam fuisse à Deo penitus in populo suo approbatam. In quo fallaciâ quam vocant accidentis, insigniter deciperis. Non enim ex eo, quia in desiderio populi, quo flagrabat, ut ad exemplum & imitationem reliquarum vicinarum gentium. Regem haberet, culpa ejus, quæ Deum offendit, per accidens intervenit; concludi potest Regiam potestatem Deo in populo suo per se displicuisse. Argumentum ejus rei irrefragabile est, quòd longè ante istam populi postulationem, Deus Regiam potestatem in populo suo permiserit imo vero certas ipsi leges per

Moſen præſcripſerit, quæ *Deuter.* XVII. 14. uſque ad finem leguntur. Apparet igitur non id ipſum per ſe Deo diſplicuiſſe; quòd eam rem deſiderarent; quam Deus in ſua lege conceſſerat. Sed, quod eam non ſine contumacia & ingratitudine adverſus Deum deſiderarent; quæ in eo fuit, quod benignitatem Dei, quam etiam in ipſo leni & placido ac libero Regiminis ſui genere experiebantur, aſpernari auderent; magiſque iptis placerent, mores atque inſtituta Ethnicorum gentium; quæ ſenſim eos à vero Deo, ad falſorum Deorum cultum alioqui abducebant; quod *verſ.* 8. ejuſdem capitis ſatis darè exprimitur; quàm mores atque inſtituta majorum, Deum verâ pietate colentium. Atque hæc pravæ æmulatio aut potius imitatio in moribus atque inſtitutis impiarum gentium, quæ Deo meritò fuit exoſa; ac deſiderium ipſis placendi; tam altas radices in populo illo tunc egerat; ut neque libertatis dulcedine, neque ſervitutis incommodis, quæ ipſi à *verſ.* 10. uſque ad 19 ob oculos poſita ſunt extirpari poſſet: utque mallent cum impiis gentibus ſervitute premi, quàm in placidæ gubernationis libertate, ſub ipſius Dei auſpiciis degere. In quo averſi à Deo; ad impiarum vero gentium imitationem converſi & inclinati animi manifeſtum veſtigium deprehendebatur. Futilis igitur conjectura eſt, quę tibi in mentem venit, Regiam poteſtatem 1. *Pet.* II. 13 ideò humanam ordinationem dici, quia non ſit divina, aut Deo non placeat. Nihil enim obſtat quominus & humanæ ordinationes, divinitùs profectæ, divinæ: & divinæ circà humanarum rerum adminiſtrationem occupatæ, humanæ vocentur, illæ ratione cauſæ efficientis; hæ ratione objecti.

De jure autem Regiæ poteſtatis (nę quid apud te diſſimulem) ita ſentio. Non modo iſtud regiminis genus à Deo permiſſum: ſed etiam per ſe, (niſi quid per accidens impediat) omnium eſſe præſtantiſſimum, quod in perfectiſſimo ſuprema omnium Regis archetypo videmus. Quia tamen homines, per homines, non per aliquas perfectiores naturas, reguntur: ob interventeam hominum, qui ea poteſtate abuti ſolent, imperfectionem: præſtare aliud, & quidem libertati quàm proximum regiminis genus; idque ſæpius toti populo, non honeſtius modò, ſed utilius & jucundius eſſe, qualis erat illa Iſraëlitici populi ſub judicibus gubernatio. Sed iſtud liberum regiminis genus; illis tantum populis aptum eſt; in quibus mores non ſunt corrupti. Peſſimè libertatem ferre ſolet depravati populi ingenium. Ergo quo corruptior is eſt, eò adductiori fræno, & abſolutioris poteſtatis Rectoribus indiget; adeò ut aliquando abſolutiſſimi juris dominio opus ſit; ad regendos corruptæ civitatis mores; quò tandem ſervitutis etiam liberrimarum gentium imperia, atque ipſum Romanum populum degeneraſſe videmus. Hinc tot gubernationum genera atque diſcrimina profluxere; pro cujuſque gentis ac Status publici genio: ſeu primitus ſalubriter inventa atque excogitata; ſeu ruentibus in deterius moribus; prudenter antiquo regimini ſenęſcenti, ſubſtituta: cæterum omnia à Deo approbata; imo verò nutu ac voluntate ejus introducta. Nam & ipſe Monarchicus ſtatus multos libertatis aut ſervitutis gradus recipit; nec fere ullus eorum eſt qui per ſe ac ſimpliciter à Deo rejiciatur. Ipſam poteſtatem regiam quod attinet, longè aliud Regni genus ab ipſo Deo *Deut.* XXVII. propoſitum: aliud 1. *Samuel.* VIII. populo Iſraëlis impoſitum videmus: illud reſtrictum ac modeſtum, hoc exertum & abſolutæ poteſtatis. Quia eo pravitatis progreſſus erat populus, ut nonniſi tali fręno coërceri dignus eſſet. Nec enim longè ab illorum hominum genio diſceſſerant Iſraëlitæ; quorum projectæ ad ſervitium mentes etiam Tiberio faſtidium moverunt, ut 1. *Sam.* VIII. 18. 19. videmus. Quanquam & ipſum, quodcunque illud fuit, quod Deum offendit populi delictum, hoc veluti ſupplicio plecti meruerat.

Ad §. 23. 24.

Paragraphi, ad quos provocas, primus, ſecundus & ſextusdecimus, ita excuſſi ſunt, ut in iis nihil tibi ſpei aut præſidii ſupereſſe poſſit.

Poteſtatem vero civilem nuſquam ego è locis de ſpirituali poteſtate loquentibus aſtruo: ſed, etiam ſpirituali regimini, vocem poteſtatis competere poſſe, ex illis locis arguo; quò magis tuæ aſſertionis falſitas appareat, qui abſolutè vocabulum poteſtatis Chriſtianis nullo modo competere poſſe affirmas.

Ad §. 25.

Quid in 18. paragrapho tuo ſpei collocare poſſis ſuprà oſtenſum eſt. Subjectionem non impedire dominationem, (quamvis ego aliter locutus ſim) verum eſt: nimirum ſi utraque diverſo reſpectu & non ſecundum idem ſpectetur. Aliàs ſubjectio præcepta dominationem ſecundum idem conſideratam tollit. Nemo enim eidem dominari poſſe finitur, cui ſubjectus eſſe jubetur. Sed eo ipſo tamen alterius dominatio firmatur, quod huic ſubjectio præcipiatur. ita ut hic egregium Ignorationis Elenchi ſpecimen edere videaris.

Exemplum ſpirituum, qui prophetis ſubjecti eſſe dicuntur, aptiſſime ad meam ſententiam illuſtrandam adducitur. Non enim ego ex eò quòd prophetis de ſpiritibus prophetarum judicare liceat, colligo, iiſdem prophetis Spiritus ipſos judicare, vel potius ipſis dominari licere: ſed hoc oſtendo: quemadmodum non obſtante præcepto de ſubjectione prophetarum, quam prophetæ ſibi mutuò debent; poſſe ſibi aliquem eorum ſumere judicium, de ſpiritu aliorum examinando: ita non obſtante præcepto de ſubjectione civili Chriſtianis dato; poſſe aliquem eorum poteſtatem ſuper alios civilem, adminiſtrare. Præcipuè cum omnis ſubjectio, præpoſituram; ac ſuperiorem poteſtatem & poſita præſupponat, & confirmata, confirmet.

Ad §. 26.

In hoc paragrapho quinque propoſitiones tuas à me oppugnatas defendis. Quarum prima eſt, ordinatum eſſe aliquid à Deo tempore Chriſti, & tamen Chriſti præceptis contrarium eſſe. Negas igitur à te dici ordinationem Dei, Chriſti præceptis ſimpliciter contrariam eſſe. Sed qui dicit poteſtatis civilis uſum, hoc eſt, cædes & ſupplicia capitalia, ipſa per ſe ac ſimpliciter Chriſti præceptis contraria eſſe; effugere nequit; quin dicat ſaltem quandam ordinationem Dei; Chriſti præceptis ſimpliciter contrariam eſſe? Jam verò, quod ad eam abſurditatem evitandam effugium in eo quæris, quòd ordinatio Dei *Rom.* XIII. de Chriſtianis intelligi non poteſt: tibi prodeſſe non poteſt, quadruplicem ob cauſam.

I. Prima, quia tametſi ordinationem Dei *Rom.* XIII. de Chriſtianis intelligi non poſſe ſtatueremus, præſertim ob eam cauſam, quod genio & naturæ Chriſtianorum & ipſis præceptis Chriſti, quæ ſolis Chriſtianis præcepta ſunt, repugnare à vobis cenſeatur; uſus tamen hujus ordinationis, hoc eſt, capitalia ſupplicia, tuomet judicio, Chriſti præceptis per ſe ac ſimpliciter contraria maneret. Non enim in præſenti objectione mea de eo quæritur, an actio iſta bona vel mala, & alicui hominum licita aut illicita ſit; ſed an Chriſti præceptis contraria ſit nec ne. Ergò etiam poſita ea hypotheſi, quod ordinatio Dei circa Magiſtratus, ſolis Chriſtianis vetita, reliquis autem hominibus licita ſit; tamen illud verum eſſe non deſineret; actionem illam, quæ ſolis Chriſtianis vetita eſt; per ſe & ſimpliciter Chriſti præceptis contrariam eſſe. Si igitur Deus aliquid non modo permittit, ſed etiam ordinat; quod ſolis Chriſtianis vetitum eſt: certè id permittit & ordinat, quod Chriſti præceptis ipſum per ſe ac ſimpliciter contrarium eſt; & ſic à quibuſdam hominibus non modò permiſſu, ſed ordinatione Dei, non impune modo, ſed etiam licitè ac legitimè, hoc eſt, ſine peccato ea fient, quæ ipſa per ſe ac ſimpliciter Chriſti legibus repugnant. Atque ita ordinatio Dei ea fieri non modo permittit, ſed injunget hominibus; quæ ordinatio Chriſti prohibet.

II. Altera cauſa, ob quam tibi effugium iſtud prodeſſe nequit, eſt, quia id quod hoc loco obtendis (hoc eſt, quod ordinatio Dei *Rom.* XIII. de Chriſtianis intelligi nequit) non modò inter nos controverſum; ſed manifeſtè falſum eſt,

est. Falsam enim supponit hypothesin, cui innititur. Nimirum, Ex mente, consilio, atque institutione Dei, etiam temporibus Novi fœderis, duo debuisse esse non diversa tantum: sed contraria genera hominum: quorum alteri, non modò permissu, sed ordinatione Dei, & quidem in verbo Dei præscriptâ & expressâ, liceret præcepta Christi de potestate Magistratus Christianis data violare; aut certè non curare: alteri non liceret: quorumque hoc ad Christi illud ad ipsius Dei ordinationem pertineret: ita, ut his quidem Christus omni dominatione ac potestate interdixerit, illis verò Deus potestatem coactivam non modo permiserit, sed injunxerit, atque eos ministros & quasi vicarios suæ potestatis, etiam sub Novo Fœdere esse voluerit. Quæ hypothesis quia corruit, eadem ruinâ tuum hoc effugium secum trahit & involvit.

Corruit autem Primum, quia in uno, concordis, ut ita loquar, inter Deum atque Christum divinæ administrationis regimine; duo regna inter se divisa & contraria statuit; quorum alterum, destruit alterum. Nam quia Dei Christique consilium est, ut omnes homines, etiam principes & Magistratus; ad agnitionem veritatis perveniant: idque Regnum Christi atque ejus cives omni conatu contendunt; certe illud alterum regnum ad ordinationem Dei pertinens; aut retentâ coactiva potestate sua Christi leges violabit: & Christi regni incrementis obstabit; aut abjectâ potestate suâ, ordinationem Dei *Rom.* XIII. expressam violabit; atque ipsam corruet: quæ quia ἀσύστατα sunt, non possunt nisi exsibilari atque explodi.

2. Quia eadē hypothesis Deum sibi contradicentia velle, statuit, qui quod semel per Christum Regem sibi subordinatum; omnibus hominibus (omnes enim ad Christi agnitionem pervenire vult) prohibitum esse voluit; illud idē iterum, durante regno Christi, quibusdam hominibus non modò licitum sed injunctum esse voluerit; & quidem ita serió; ut eos in eo ipso, quod per se Christi legibus repugnat, administrando, ministros suos esse agnoscat.

3. Quia eadem hypothesi, verissimum illud dogma Sacræ Scripturæ de Dei erga genus humanum benignitate, quod Omnes servari, nec ullius peccatoris mortem velit, in dubium vocat, imò subvertit. Nam certe eos, quibus ejusmodi officium injungit, quod Christi legibus ita est adversum ut ex Christianis non Christianos facere possit; dum ea facere vult, quæ fieri absque jactura salutis eorum nequeunt, servari non vult; nisi fortè aliquam aliam viam ad salutem, præter Christi præceptorum obedientiam, pro quibusdam sepposuerit.

4. Eadem hypothesis illud absurdum continet, Quosdam homines, ob id ipsum quia in ordinario Dei ministerio, generi humano non tantum utili & honesto; sed etiam necessario, ministri Dei, idem quod & ipse Deus (causa, respectu eorum, principalis) volentes atque intendentes fuerint, posse damnari: putà si Christiani, cætera pii & sancti, Magistratus sibi commissi munia modestè ac legitimè obire velint.

Tertia causa, ob quam effugium tuum vanitatis convincitur est; quod ordinatio Dei *Rom.* XIII. contrà quam sentis, de Christianis potestatibus intelligi debet; quia ibi Apostolus non solis subjectis, sed ipsis quoque potestatibus, leges atque officia præscribit: licet non ita expressè, ut subjectis: quia non Magistratus ipsos, qui tunc inter Christianos nulli erant, alloquitur: sed quid illi facere debeant ac teneantur, satis evidenter præscribit. Nec enim eorum functionem describens, de eo loquitur quod tunc fiebat (cum contrarium fieret) sed quod fieri debebat: atque hoc illud est ipsum, quod iis præscriptum est, officium. Non autem alienis tunc & extraneis; sed Christianis Apostolus, (juxta tuam quidem sententiam) vitæ pias officia præscribebat. Nec profectò credibile est, cum subjectorum officium præscriberet; illum alterutrum harum rerum omissurum fuisse; quin aut Magistratus quoque officium attingeret, quod fecit; aut causam quare id non faceret indicaret; eosque ad quos scribit moneret à Magistratu tanquam ab Ethnico officio abstinendum esse; quod neque hic, neque usquam alibi factum videmus. Nam vestra de loco *Matth.* XX. somnia alibi refutavimus.

Quarta causa effugii tui vanitatem coarguens est, quod tibi non sit integrum hoc loco asserere, Ordinationem Dei *Rom.* XIII. de Christianis intelligi non posse, ut qui officium hoc loco subjectis præscriptum, ad solos Christianos, exclusis Ethnicis, restringat. Quomodo igitur mutuum, potestatum de quibus eodem loco sermo est, officium, ad solos Ethnicos, exclusis Christianis, restringere potes? Cur autem Apostolum cum loquitur de iis hominibus, inter quos mutua relatio esse debet; alteram partem Relatorum, puta subjectos, de uno genere hominum, alteram autem, hoc est, potestates de alio & longe diverso, accipientem atque intelligentem facis? Certè si in unâ relatorum parte, materia subjecta; de qua loquebatur Apostolus fuere soli Christiani exclusis Ethnicis; eosdem in altera eorum parte, esse necesse est; cum inter solos Christianos & solos Ethnicos non paulo plùs sit discriminis, quàm inter Cepe & allium. Vides quam malè sibi falsa cohærent. Atque hanc quidem primam propositionem tuam, quia principuum vestrum in præsenti controversia effugium continet; uberius examinare visum est.

Altera propositio tua est, Prædicata, quæ de potestatibus *Rom.* XIII. enunciantur, ex homine Christiano non Christianum certò certius factura esse. Quam ebs te probatam è principiis à me concessis in de arguis, quod illorum principiorum memineris. Sed primùm in eo scripto, in quo ego, abs te commissam principii petitionem objeci; istorum principiorum, nisi me fallit memoria, ne mentionem quidem fecisti. Deinde nunc licet in §. 1. illa commeruores, id profectò ad probationem ejus propositionis non sufficit, nisi axioma tuum ex ipsis per legitimam consequentiam deducas. Denique in præsenti, quod refutamus, scripto tuo propositionem hanc ipsemet falsi arguis; dum in proœmio ais, Non omnes, qui ista potestatis *Rom.* XIII. descriptæ prædicata exercent, vim facere præceptis Christi; aut damnandos esse. Imo verò tales potestates Christianas in Ecclesia non minùs tolerandas; quàm in primævâ Ecclesia Judaici ritus tolerati sint.

Tertia propositio est, Civilem dominationem *Matth.* XX. Christianis prohiberi, quod fusè, abs te, ut jactas, probatum; fusius à nobis confutatum est & confutatur.

Quarta est, Christum ad certas tantum personas ordinationem Dei, de qua *Rom.* XIII. agitur, restringere. Hæc propositio ambiguitatem continet. Et quia in recto sensu accepta; meæ sententiæ magis quàm tuæ favet; non simpliciter à me negatur; tibique tanquam falsa objicitur; sed secundum quid; quatenus nimirum ad solos Ethnicos, exclusis Christianis, hanc ordinationem sine ulla justa causa restringis. Aliàs ego libenter fateor inter ipsos Christianos non ad omnes (ut tecum loquar) personas ordinationem hanc pertinere: atque ab eâ Ecclesiasticas personas, (quod ad regimen Ecclesiæ attinet) planè excludi debere. In quo me, ab universali ut ais Christianorum de prohibita in loco *Matth.* XX. Ecclesiasticis personis potestate civili discedere, falsum est.

Quinta propositio est, Non omne quod à Deo ordinatum est; ab omni Christiano administrari potest. Hæc quoque propositio ambigua est; & in recto sensu à me concedi potest. Nec contraria ejus, hoc est, affirmativa, ita universaliter, ut eam citas, à me contrà te urgetur. Verba enim mea sic sonant. *Examinandum superest, an quicquid à Deo ordinatum est; ejusque ordinatio dicitur; id ab omni Christiano homine,* (qui modò ad eam ordinationem suscipiendā idoneus sit) *administrari possit.* Ex quibus verbis intelligere potuisti, me non ita universaliter hanc enunciationem intelligere; ut quicquid à Deo ordinatum sit, ab omni prorsus Christiano, etiam minus ad eam rem idoneo, administrari possit. Multæ autem causæ & variæ dari possint, ob quas aliqui Christiani ad eam rem minùs sint idonei. Sed nisi aliqua justa causa, non ex

generali hominis Christiani officio; sed ex speciali singulorum hominum qualitate aut circumstantiâ profecta, interveniat non videre me dixi cur à Christiano homine administrari non debeat, quod à Deo per se ad bonum finem ordinatur.

A defensione propositionum; ad vim allatæ tuæ explicationis proponendam & commendandam transgrederis: quæ in eo est. Primùm quod de Ethnicis duntaxat potestatibus Apostolus *Rom.* XIII. loquatur; quod & falsum esse: & si verum esset, abs te tamen asseri non posse paulò ante probavimus. Secundo potestates istas Christianas dici non posse, quia Apostolus paulò ante *Cap.* XII. 17. 19. Christianum hominem multo aliter affectum esse debere; quàm hæ sunt potestates scribat. Atqui è loco citato nihil excerpere potes, quod Magistratus Christianus salva & integra, quam ex Dei ordinatione habet, potestate suâ, præstare non possit. Nam quod *versum* 17. & 19. citas; de propriis singulorum injuriis non vindicandis isthîc agi, verba ipsa liquidò indicant. *Non vosmet ipsos ulciscentes dilecti.* Magistratus autem non in eum finem institutus est ut proprias, sed ut aliorum injurias & quasi publica delicta puniat. Quodsi quando, (quod non sæpè accidit) proprias quoque injurias punire teneatur; non tanquam proprias punit, sed tanquam publicas. Atque id vel ex antithesi ultionum diversi generis; quæ sibi in verbis Apostoli opponuntur, liquidò patet; videlicet non omne isthic ultionis ac pœnæ genus prohiberi sed tantum privatum; cui statim ibidem publicum opponitur: quod à Deo videlicet infligitur; sive immediatè, sive mediantibus de quibus statim initio sequentis capitis agit, ministris ejus Magistratibus.

Ad §. 27.

Grotii locutiones nihil falsi aut inepti habent. Nec solet vir ille, nunquam satis laudatus, ineptiendo Lectoribus risum movere. Porrò civilis potestatis à Deo dependentiæ, malè exprimitur per ea verba. Deus vult contractus de potestate civili servari. Nam nec ipsius istius dependentiæ vim exhauriunt, vel levissimè ob oculos ponunt: & non omne potestatis genus comprehendunt. Multa enim sunt alia genera potestatis, quæ à Deo dependent; nec tamen è contractu legitimo originem habent; qualia plæraque hæreditariæ successionis regna, præsertim si à majoribus bello aut per violentiam parta sint. Quo magis audax & periculosa, imo verò pernicioſa sententia tua censenda est; quam hoc loco in responsione ad quæstionem meam exprimis; dum ais, si nullus contractus intercedat, potestatem civilem, Magistratum non habere, eique subjectionem non deberi ac tanquam illegitimæ potestati posse denegari. In quo regnorum omnium exceptis electivis potestatem magna temeritate in dubium vocas. Atquè hic, si ego cautè egi, quod manum, ut ais, de tabula sustuli: nimirum ne unguem in ulcere tuo diutius tenerem; at tu incaute; qui palàm atque ultrò sententiarum tuarum ulcera & carcinomata; quæ in contumaciam multis populis noxiam serpere possunt, sine ullo scandali metu, renudas. Quod si quis te tam improvidæ culpæ admoneat: de impactis tibi per injuriam criminibus quærendi finem non facis.

Ad §. 28.

Error hic; non in minus rectè à me intellectis; sed in minùs rectè à te scriptis, verbis tuis hæret ac residet. Potestatem enim sibi propriâ auctoritate sumere, non potest dici is, qui se alienæ potestati subjicit; qualis est populus; qui sibi è medio sui aliquem præficit; sed solus Magistratus; & quidem qui invito populo imperium capessit. Nam ne is quidem cui ultrò defertur imperium; id propriâ auctoritate sumere, dici potest.

Ad §. 29.

De Constitutione Regis suprà Israëliticum populum suprà satis diximus. Porrò Dei ordinationem dici posse & debere, quod à Deo plenè non approbetur & sine ulla pravitate esse, quod Deo non satis placeat nec penitus probetur; sed tantum toleretur (quasi & illa non tolerentur; quæ admodum displicent & plurimùm pravitatis habent) tàm inter se cohærent; quàm illæ contradictoriæ tuæ, quas tibi in Ponte suprà delineato depinximus, propositiones; quas eôdem merito relegamus.

Quia dixi Res ejusmodi pravitatis & peccati expertes non esse, quas ratio humana citrà mentem & approbationem Dei excogitat: Statum Nobilium verbis meis subrui asseris. Atqui hunc statum non citrà mentem Dei excogitatum, documento est, quod eum neque in terris unquam Deus damnaverit; & in cælo ipso aliquid ipsi analogum esse voluerit, dum inter Angelos atque Archangelos varios eminentiæ gradus distinxit.

Ad §. 30.

Christianos à Christo in spiritualem duntaxat libertatem assertos; nec usquam à potestate & subjectione humana exemptos hic locus *Rom.* XIII. unâ cum multis aliis arguit. Atque idcircò quod Christus *Matth.* XVII. 26. ait Liberos esse filios (si modo isthic de libertate à terrenis potestatibus agitur, nam didrachma Ecclesiasticum tributum fuisse censetur) quia ipsi soli duntaxat competit; nemini Christianorum tribui potest, ob eas ipsas Christi exemptionis causas, quas nullus Christianorum allegare potest. Falsum igitur & prophanum esse hoc dogma non definit, quod Apostoli non semel insectantur.

Ad §. 31.

Non id à me negatur, quod tu hic ineptè probas, potestates Ethnicas libertatem Christianorum ignorare. Sed Christianos ob eam causam libertate sua & exemptione à terrena potestate; uti non debere: quia terrenæ potestates Ethnicæ libertatem istam ignorent, nec ad agnitionem veritatis pervenerint. Quod tu astutè omittis & tantum abest ut probes; ut ne refutationem quidem meam attingere audeas, quæ talis est. *Quid enim si non ignorent & ad agnitionem veritatis perveniant? Satisne justa causa tunc videbitur Christianis utendi libertate sua & resistendi potestatibus?* Ex quo futilitas istius abs te allatæ causæ apparet. Nec enim te rem tàm absurdam admissurum credo; ut quos prætextu libertatis Evangelicæ ad resistendum Magistratui Ethnico abuti nolis: eosdem libertatis ejusdem obtentu; ad resistendum eidem Magistratui postquam ad agnitionem veritatis pervenerit uti posse concedas.

At enim tu ais. *Distinguendum est inter libertatem Christianam: ejusque perfectum usum. Illa in terris incipit, Christoque cum sua est communis: hic in cælis nobis reservatur.* Hic primum etiamsi distinctionem istam admitterem: tamen eam propositę quæstioni applicari postularem, ut percipere possem; quomodo allatam abs te causam; ab objecta à me futilitate vindicat. Nam ex eo pateret quomodo ad rem propositam faciat. Deinde cur inter libertatem hanc & ejus perfectum usum distinguis; nisi ut ostendas libertatem istam; in terris quoque non esse absque aliquo sui usu, licet imperfecto? Christianis igitur aliquam in terris libertate ista utendi; hoc est resistendi terrenis potestatibus licentiam dabis? Quid tu hominis es? qui ob excessum quem urges, nimię humilitatis Christianis hominibus gerendi legitimi Magistratus facultatem adimis: & tamen iisdem repugnandi legitimo Magistratui in rebus civilibus (de his enim loquimur) aliquam licentiam concedis? Denique probandum erat non simpliciter asserendum, libertatem hanc in terris Christianis competere; & cum Christo communem esse.

Iterum ais. *Libertatem istam Christianorum in terris; per id non tolli quod Deus Christianos eâ uti in hoc mundo non vult; alioqui nec in Christo ipso libertatem talem fuisse dicendum esset; qui etiamsi eâ polluerit usurpare tamen ipsam piaculum duxit.* Nihil dico nunc locum hunc *Matth.* XVII. 26. (qui tibi de libertate ista Christianorum summandi occasionem dedit) de libertate & exemptione Christi aut ejus discipulorum à potestate Magistratus terreni, seu à tributo Magistratibus debito non agere. sed tantum de libertate filiorum Dei, à censu ipsi Deo ex præ-

scripto

scripto legis *Exod.* xxx. 13. pensitati solito, qui erat illud didrachma; seu quod idem valet, dimidium sicli sanctuarii; qua de re vide *Socin. l.* IV. contrà *Palæolog. p.* 303. & infrà *p.* 323. Cæterum dato, (quod antea quoque feci) at non concesso, Christum isthic se à tributo Magistratui pendendo liberum esse asserere, nequaquam id ejus discipulis cum ipso commune esse, sequetur.

Ac ne id quidem sequetur, ipsum libertate istâ, si quam habuit; quia tunc ad evitandum scandalum, utendum sibi non putaverit, nusquam aliàs usum esse. Legimus enim eum, cum non modo Spiritualis Ecclesiæ suæ Rex precariò ipsi imperans: sed etiam Terræ ac cæli dominus Coactivę potestatis particeps designatus esset; eam potestatem; tametsi post glorificationem suam plenius exercendam; tamen tunc quoque in terris aliquando exercere cæpisse: quod longè plus erat, quàm nudâ libertate uti. Plus enim est, cum jure potestatem; quàm nudum jus resistendi omnibus humanis potestatibus habere. Atqui Christum cum jure potestatem hanc habuisse; aliquando etiam sed valde moderatè exercuisse toties dici potest, quoties ex manibus inimicorum sese invicta & miraculosa potentia suâ eripuit. Certe qui uno verbo prosternere inimicos suos potuit; & jus & potestatem; (quanto magis autem libertatem) in resistendo Magistratibus habuisse dici potest; tametsi ea libertate aut potestate, rarissimè nec admodum notabiliter usus fuisse legatur. Quod tamen de discipulis ejus non ęquè dici potest.

Porrò Apostoli verba in *vers.* 4. *Rom.* XIII. Causam tuam perimere & conficere non falsò scripsi, cum ipse nunc fatearis; te nulla alia ratione fortius & evidentius probare, Apostolum hic de non Christiano Magistratu agere; quàm quòd ipsi hoc loco jus gladii hoc est cædis & vindictæ publicæ permittat. Hanc igitur tuam fortissimam &, ut putas, evidentissimam probationem; verba ista jugulant; dum Magistratui jus & usum gladii concessum, & quidem à Deo (prætor cujus mentem nihil Christus; nihil Apostolus ipse docuisse potuit) idque sub Novo fœdere; nec per accidens sed per se concessum disertissimè atque evidentissimè ostendunt. Cujus enim rei Deus sub Novo Fœdere auctorem se agnoscit; & in quo sibi ministerium præstari jubet; id neque à Christo, neque ab Apostolo unquam sub Novo fœdere prohiberi potuit. Ita ut vanissima sit ista tua probatio & consequentia. Non potuisse Apostolum hoc loco de Christiano Magistratu loqui quia *cap.* XII. 17. 19. vindictam & eandem in Christianos minimè convenire docuerit. cum potius dicendum sit Non potuisse Apostolum *cap.* XII. vindictâ publica & jure gladii hominibus interdicere; cum id illis hoc loco à Deo, Christi & Apostolicæ Legis auctore; permissum imò injunctum, tanquam Dei ministerium doceat. Præsertim cum isthic hoc est *cap.* XII. de vindicta publicâ nihil saltem apertè scriptum habeamus: hic autem *cap.* XIII. publicam hanc vindictam hominibus ad Magistratum vocatis à Deo permitti, imò commendari expressissimis verbis, videamus ac palpemus. Ratio autem docet locum obscuriorem per manifestiorem interpretandum non contrà. Præterea in *cap.* XII. ex sententia ipsorummet adversariorum, lex generalis, & generalibus aut certè indefinitis verbis: hic autem in *cap.* XIII. lex de Magistratuum officio specialis, specialibus ac disertis verbis, proponitur. Lex autem specialis, non tantum explicare generalem; sed etiam determinare: imò ipsi derogare solet.

Sed ut consequentiam missam faciamus ipsum antecedens hujus enthymematis seu minor syllogismi, falsi convincitur, hoc est, *Apostolum in cap:* XII. *vers.* 17. *& 19. vindictam ac eadem in Christianos* (verba tua sunt) *minimè convenire docuisse.*

Nam primum quod ad eadem attinet; ejus neque mentio neque mentionis vestigium ullum isthic reperitur. Quod ad vindictam, nihil manifestius est, quàm Apostolum non de publicâ & alienarum; quam nos lucis causa Pœnam vocamus & Magistratui à Deo expressè permissam legimus: sed de privatâ & suarum injuriarum vindictâ, cui propriè ultionis ac vindictæ nomen tribuimus, loqui. Docent id *primùm* verba ipsa *non vosmetipsos ulciscentes*: arguit *secundò* antithesis atque oppositio ultionis illius propriè ac privatæ, quæ opponitur vindictæ ac pœnæ publicæ: quarum illa duntaxat tanquam injusta & incompetens prohibetur: hæc autem tanquam justa aperte stabilitur; quia ad Deum auctorem refertur; qui cum Dominus sit omnium universalis; & quasi publicus ac supremus Magistratus; solus absolutum jus pœnæ ac vindictæ habet; atque illud, aliquando ipse per se immediatè: sæpius autem mediantibus ministris ejus Magistratibus, exercet. De quibus statim doctrinam Apostolus subjicit, initio *cap.* XIII. ut pateat eum privatam quidem vindictam sustulisse: at publicam quæ ad Deum autorem seu immediate sive mediatè refertur, stabilivisse.

Habes igitur probationem tuam non sicco prætermitam pede; atque id de ea hoc loco dictum; ubi dicto opus fuisse maximè censuisti: quod, nisi supercilium, humilitati magis quàm cætera omnia inimicum, obstet; & si veritatem non victoriam quæris, tibi ad eam agnoscendam sufficere potest.

Ad §. 32.

Optima disputandi methodus est, per ea de quibus inter partes convenit probare aut refutare ea de quibus non convenit. Quam ego te viam insistere nego, cum de istis ipsis quæ tu jactas principiis, hoc est de generalibus illis Christi præceptis quæ §. 1. commemoras, quomodo intelligenda, utrum in infinitum protendenda; an juxtà analogiam doctrinæ Christi limitanda sint, inter nos minimè conveniat imo verò illa juxta nostram sententiam explicanda esse pateat; quod libro primo de jure Christiani Magistratus, planum fecisse me confido. Ego verò potiùs hanc viam ingressus sum, eo successu, ut sententia tua planè subversa sit. Nec enim tu producta à me principia perplexis interpretationibus eludere potes; quæ disertis Spiritus Sancti verbis, expressa ostendi. Sed quid verba inania fundimus? Ostende tu mihi tuæ de civili Magistratu sententiæ principium, tàm disertis verbis in Sacris literis expressum; quàm ego meæ ostendo, & ego tibi herbam porrigam.

Ego enim ad illud inconcussæ veritatis principium quod totidem pene verbis in Sacris literis expressum est, provoco, hoc est, *Sub novo fœdere, cum ad Romanos epistolam Paulus scriberet. Omnem Magistratum in usu suæ potestatis atque jure gladii, Dei ministrum, à Deo ordinatum in bonum innocentium fuisse; ejusque voluntate, pœnis ulcisci eos qui mala patrent potuisse.* De eo inter nos convenire licet quàm maximè nobis, differi non potes. Tu contrà eundem Magistratum sub *Novo fœdere, in usu suæ potestatis, præceptorum* ejusdem Dei per *Christum traditorum violatorem esse; nec Dei voluntate per Christum revelatâ illæsa; & integrâ, pœnis ulcisci eos qui mala patrant*, ex verbis Sacræ Scripturæ æquè manifestis, ostendo. Neque verò à publicis officiis ad privata; neque à civili potestate ad Ecclesiasticam, desiliendo, effugia quæras. Sed non mutato statu quæstionis, de civili Magistratus potestate, in eodem sensu quo à me intelligitur, acceptâ, ejusque usu, id quod abs te postulamus ostende aut fatere tuam sententiam, per principium meum, de quo inter nos convenit, subversam esse: cum aut contradictoriam aut certè contrariam eam hujus principii esse necesse sit. Jam verò non contradictorias modò sed etiam contrarias enunciationes, (licet hæ simul falsæ esse possint) veras simul esse impossibile sit.

Te igitur per incertam & dubiam Christi voluntatem atque auctoritatem; certam & non dubiam Dei voluntatem atque auctoritatem oppugnasse, illud est documento, quod inter nos de eo nondum conveniat; utrum Christi legibus atque doctrinâ functio Magistratus damnetur, nec in eo affirmando tibi nos assentiri aut velimus aut possimus; at verò Magistratus functionem esse ordinationem Dei ipsumque esse Dei Ministrum, voluntate

atque

atque approbatione Dei (ut leges Christi atque Apostolicas taceam) firmatum, utrinque inter nos planè constet, nec id tibi negare, nisi cum manifestâ frontis jacturâ, integrum sit.

Breviter. Quod Christus à fidelibus exigat ac velit, ut Magistratu abstineant; nemo nos vestrûm hucusque docere potuit. Sed quod Deus ordinationem potestatum pro suo ministerio: & Magistratus pro Ministris suis, in bonum finem, idque per se atque ordinariè ordinatis agnoscat; Magnus nos Auctor Apostolus docuit,

Ad §. 33.

Quoties larvarum à me oppugnatarum mentionem facis; toties in temetipsum ac sententiam tuam contumeliosus es, qui id quod ego tunc opugno, licet verbis abnegare videaris, reipsa vel maximè defendere non desinis, eaque castigatione sive erroris, sive astus tui pœnam ipse de te sumis. Quod autem conscientiam & obligationem erga legitimas duntaxat potestates, esse & manere debere; erga illegitimas & à Deo non approbatas, non debere nec posse statuis; primùm contradicentem Apostolo enunciationem proponis; cujus effatum est *Non est potestas nisi à Deo.* Tu verò supponis quasdam esse potestates quæ non sint à Deo, proinde tua verba Apostolo, in os contradicentia, digna sunt quæ in Pontem suprà depictum deportentur. Deinde latissimam subjectis populis fenestram pandis, ad seditiones contrà Magistratus dum eos omni erga potestates obligatione solvis; quas ipsi illegitimas & à Deo non approbatas esse censuerint; qui cothurnus; nimium quàm multis potestatibus adaptari potest.

Ad §. 34.

Paragraphum 34. tum cur alieno loco inferueris, non disquiro. quia nihil habet præter verba. quæ prudenti Lectori pro rebus dare difficile est.

Ad §. 35.

Trinitarios ego an excusem & absolvam Lectoris judicium esto. Neque verò quia errorem eorum, non in eo in quo tu putas latere arguo; idcirco ipsos ab errore absolvo: cum disertis verbis eorum dogmata non apparenter sed verè implicare contradictionem profitear: quia non contenti duo disparata prædicata de eodem subjecto enunciare (in quo posset esse non vera sed apparens contradictio, si id non secundum idem intelligerent; quemadmodum Apostolus fecit, & nos facere possumus) ita id faciunt; ut in eorum sententia contradictio secundum idem & eodem respectu facta reperiatur. Itaque vana ista est tua seu Trinitariorum oppugnatio; sive mei insimulatio, quod in eorum partes propendeam; quasi non majorem ab ipsis gratiam inire possem, si palàm ad partes eorum deficerem; quàm si fallacibus ejusmodi ingenii studium partium prodam; aut captem benevolentiam. Quo jure autem me culpes, quod duo disperata de eodem subjecto dici velim: velim ut prudens Lector perpendat. Primùm enim etiamsi id dicerem culpari meritò non possem. Nec enim magis desparata inter se pugnare possunt quàm contradicentia, inter quæ bellum ἀνυπόδοτον est; & tamen de eodem subjecto prædicari possunt, si non secundum idem prædicentur. Quid? quod ipsemet agnoscas neminem mihi objicere, quod pugnantia in homine Christiano comminiscar, dum in eo spiritualia officia à carnalibus distinguo? Quid verò, an Spiritualia & carnalia officia, non sunt res ab invicem seperatæ? Deinde. Ne homonymiâ aliquâ in voce *disparatorum* responsionem meam eludere posses, nusquam ego dixi duo disparata de eodem subjecto dici; ac ne in eodem quidem subjecto esse, sed tantum Res eas quæ disperatæ videntur in eodem supposito esse: & Spiritus & carnis Naturas & proprietates atque actiones, quatenus disperatæ videantur; de eodem tamen subjecto dici. Ita vides in irritum cecidisse argutationes tuas, de anima & corpore, quod non sint disparata. Nec enim causæ meæ interest, sint revera nec ne talia, dum talia videantur. Nisi quod ferre nequeo quod de istis Compositi partibus asseris, quod nimirum altera ab altera sine sui interitu seperari nequit. Quo ipso satis ostendis te censere quòd ut corpus ab anima: ita anima à corpore seperata ambo intereant. Quàm verèid sentias quærere non vacat. Sed ego non miror abs te communes opiniones tanquam vulgares sperni, cui nihil placere solet nisi paradoxum; illud miror qui Magistratus politici naturam, per se honestam, licitam, piam, peccati expertem in proœmio & alibi tanto studio imò zelo asseueris; quomodo eam cum genuinâ Christiani nominis naturâ ita pugnare dicis ut altera alteram expellat. Quomodo igitur hæc Magistratus politici natura, in Ecclesia tolerari potest, aut debet?

Et tu me alibi pugnantia comminisci objicis; qui in ipso quæstionis nostræ jugulo, tibi nusquam constas. Vide ne nobis iterum ad pontem redeundum sit. Superiorem aliquem reipsa & inferiorem simul esse posse, credo, etiamsi uterque relationis respectus in eo semper maneat; dum tamen id non secundum idem consideretur: quod in Magistratu subalterno cernitur; qui potest esse perpetuus; neque ideò is superior reipsâ respectu inferioris: neque inferior respectu superioris esse desinet.

Plurimæ id genus apparentes repugnantiæ; sed quæ nullo negotio conciliari possunt; occurrunt, in omnibus ejusmodi relationum speciebus; quales sunt dextri sinistri, anterioris, posterioris & similium rerum aut relationum differentiæ. Quod te è Logicis paulò fidelius didicisse oportuit; antequam iis rebus quæ inter se verè non pugnant falsas repugnantias objiceres; ac toties in crassam Ignorationis elenchi fallaciam incideres.

Ad §. 36.

Paragraphi hujus verba, ut pleraque hujus scripti, præter sonum, nihil habent: nec responso meo indigent cum ab ipsomet scripto tuo abunde refellantur. Unum id attingam; non videre me quid ad veram & solidam pietatem conferat: paradoxæ opinionis superstitio; quæ, neque obstinatam in manifestis erroribus cassa & irrito labore propugnandis, pervicaciam: neque concepti in eos, qui à nobis dissentiunt odii acerbitatem; neque alios injustè carpendi studium ac desiderium; neque arrogantiam & supercilium: nec multa alia vitia extirpare potest: & tamen paci omnium, securitati singulorum ordini & communi generis humani bono; atque ipsius Ecclesiæ propagationi, unicè obstat, eamque remoratur. Nam ad cæleste Regni possessionem jam tu in Proœmio admisisti eos, qui non sunt, hujus tuæ sententiæ, ut verbis tuis loquar, Amatores; ut vel tuo judicio nihil opus sit iis, qui ad tanti boni fructum viam atque aditum affectant; tàm turpis & illaudatæ formæ amore capi; tui exemplo; qui malo atque periculo tuo, vulgato in triviis carmini fidem fecisti: quo ruum hoc scriptum concludi placet; ut ipsi non desit dignum patellâ operculum,

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

FINIS.

INDEX

AD LECTOREM.

Quædam in hoc indice diffusiora videbuntur quam index requirat, quædam fortasse tautologiæ occurrent quæ compendiosus sub alio titulo, aut loco comprehendi potuerint, sed quicquid ex confuso rerum chao prodibat contrahere, aut justo loco, ac ordine disponere, aut emendare per ferventem typographi festinationem non licuit.

INDEX

Rerum, & Verborum.

A.

Christi causa *abneganda* sunt omnia; sed non semper id Christus à nobis exposcit, nisi cum iniquitate persecutionum eo adigimur. 669. quo modo nosmet *abnegare* teneamur? 819.

Quid sit *abnegare* Dominum? quæ *abnegatio* duplex. 324. Quomodo Deus factis *abnegetur*? 365.

In *abrogationis* voce ambiguitas. 613.

Abstinentia à carnis cupiditatibus quæ sit? 302.

Abusus in omnibus rebus. 389.

Dirigit Deus pravos *abusus* aut impediendo, aut coercendo, aut ad bonos fines flectendo; ita ut ipsis hominum vitiis, tanquam mediis, & instrumentis ad bonum abuti videatur. 679.

Nihil in rebus humanis tam necessarium, ut non interdum aliquorum vitio in abusus degeneret. 742.

Acerbitas *viæ* quæ sit? 148.

Actiones humanæ in quibus honestas, aut inhonestas locum habent, quamvis eadem videantur, tamen pro varietate circumstantiarum, quibus applicantur, interdum rectæ, interdum pravæ dici solent, quia factorum naturam mutant circumstantiæ. 841, 842.

Adam vetus typus novi est. Sed in ea similitudine ostenditur nō una dissimilitudo. 43.

Omnes in *Adamum* peccasse quid significet? 43.

De levioribus *adiaphoris*. 558, 559.

Divina *adoratio* alterum argumentum divinæ Christi naturæ. 467.

An imagines divino cultu *adorandæ*? 565, 566. 567. Cur Angelus in Apocalypsi non permiserit sibi à Joanne *adorationem* exhiberi? 577.

Quare fideles peregrini, & *advenæ* in hoc mundo esse dicantur? 302.

Adventus Christi in terris documenta. 2, 3. Quare Paulus de *adventu* Christi ita loquatur, quasi ipse tunc superstes futurus sit? 214. Non debemus esse curiosi temporis de *adventu* domini 214. Ejus incertitudo bonis prodest, malis malo est *ibid.* Quare adventus Christi revelatio domini dicatur? 120. *Adventus* Domini non tantum significat ultimū judicium, & quid præterea significet? 227, 128 Ultimus Christi *adventus* cur illustris revelatio gloriæ magni Dei vocetur? 269. *Adventus* Domini non semper ultimum Christi adventum; sed illustria ejus judicia, & dona, quos in suos effundit, denotat. 191, 191. Cur doctrina Christiana potentia, & *adventus* Christi vocetur? 323. Duplex adventus Christi. *ibid.* De *adventu* regni Christi in terris, Sanctimoniam asserentis. 550. *Adventus* Christi in terris felicitas, & ejus prædictio. 688. Quomodo Deus hanc temporum felicitatem sit præstiturus? 689.

Lex Christi non tantum *Adulterium*, sed mentis, ac cogitationum in hoc delicti genere licentiam coercet. 9. Ἀποδίωνυσ de *adultero* explicari potest. 149. Quo sīā Jacobus *adulteros* & *adulteras* vocet? 149. Quomodo ira, convitium, & impudica cogitatio pari pœna à Christo digna judicata sint, qua homicidium, & adulterium? 638. Cur Christus *adulteram* Joh. VIII. secundum legis præscriptum non damnaverit? 732. 806. Christum ideo legem de adulteris latam non in dubium vocasse. 732, 733. de eadem *Adultera* 839, 840, 841.

Doctrina de *Æonibus*. 237.

In cælo non erit *æqualitas* dignitatum, nec præmiorum. 86.

Christianæ vocationis *æqualitas* Magistratum non tollit. 305.

Æquitas, ejusque fructus. 367. *Æquitas venianiæ* & moderatio. 242.

Æterna vita. V. vita.

Secula per vocem temporum æternorum exprimi. 66.

Officium alios supra se æstimandi, quod Phil. 2. 3. injungi videtur, ad quos extendatas 864. non est extendendum ad æstimationem in omni comparationis genere. 895.

Refutatur error; in *æternitate* nō esse prius & posterius, sed omnia simul in uno instanti indivisibili. 508.

Æones vide seculum.

Affectiones dicuntur confirmatio Evangelii. 155. in afflictionibus nostris magnum lætitiam percipimus. 126. Quare in iis gloriandum? *ibid.* earum fructus. 210. nihil nocent bonis. 291. non extinguunt, sed accendunt animi ignem. 297.

Afflictionibus & Cruci Christianam vitam adeo esse affixam, ut ab ea nunquam avelli possit, negatur. 873.

De præbenda altera maxilla infligenti *alapam*. 10, 11. Ne *alapam* accipiamus pugnare non decet. 710. de *Alapa* patientiæ. 712.

Vide maxilla.

Alimenta rebus nos immiscere non debemus. 312.

Ambitio eminendi in Ecclesia, & Magistri famam aucupandi, quæ damna, odia & Scismata mundo intulerit? 286.

Ambitio & superbia non ad irascibilem; sed ad concupiscibilem facultatem pertinent; & inter voluptates ponuntur. 289. est morbus Ecclesiasticorum; & quomodo Ecclesiæ noxia? 314

Quare Paulus in Carne *ambulare* dictus sit; 121. Quid per *ambulare*, & digne Domino ambulare intelligatur? 172. *ambulare* quid? 193. *ambulare* mordinate 131. *Ambulatio* significat consuetudinem, & habitum multo usu roboratam. 178, 310. *Ambulare* in tenebris, & in luce quid sit? 334

Si non *Amicitia*, saltem pacì cum omnibus studendum. 60.

Amor erga Deum quomodo foveatur; 8. 30. *amori* Dei erga nos mutuo amore debemus respondere. 282. *amor* Dei multos habet gradus. 321. Amor Syncerus erga Deum, & Christum ad Salutem sufficit & in erantibus esse potest. 375 perfectus amor alicujus ingeneratur in animis amantium tribus potissimum de causis. *ibid.* Non cæcus, sed rationalis esse debet. 731. Vide Charitas.

Amen responsio Idiotarum in ritibus priscæ Ecclesiæ. 96.

Vitiorum fomes *Amentia*. 270.

Anachoretarum Secessus, columnas, & ipsus Monachorum cellas, omniaque voluptates cum dæmonibus communes pervasserunt. 288.

Quid *analogia* fidei requirat? 59.

Victor totam Asiam anathemate fecit. 27

Anathema cui debeatur? 104. Anathemata damnantur. 290. Causæ manifestæ ob quas homines juste Anathemate damnari possint. 612.

Aliquid eminentius *angelica* dignitate sponsæ Christi promittitur. 174.

Angelorum conditionem per exaltationem fidelium non deteriorem futuram. 197. 200, 201. an *angeli* per Christum exaltatum honoriter creati sint? 200, 201. quomodo homines *angelis* pares sint? 202. *Angeli* tanquam custodes congregatis piorum cœtibus tributi. 150. Deum in distribuendis inter *Angelos* ordinibus, atque officiis sua singulis quoque assignasse domicilia. 366. Per ἀρχὰς dignitates *angelorum* rebellium potestates intelligi. 367.

Vox *anima* quid significet; 302. *animalis* hominum quamvis per se substantiæ imperfectæ sint, & organo demum aliquo sibi adjuncto perficiantur, propter illam tamen divini luminis, quam in intellectu, & voluntate sua continent, auram, & essentiam, aliquid divini inest, ut non sine causa homines divinum genus à Paulo dicantur. 464. *animæ* perdere quid? 799. an magistratus *animas* perdere semper dici possit? 799, 800 quomodo *anima* pro inimico ponatur? 821.

Cur Deus *animalia* non ruminantia impura habuerit? 172.

Deus puro animo colendus 58. *animæ* cōsoporatio, stupor, & oblivio quid præstent? 151. *animi* obstinati supplicium 203. *animus* hominum, & angelorum est igniculus accensus è divinæ essentiæ luce 458. Quomodo *animus*, de viliori organo, & domicilio in nobilius facile tranire queat? 462. animi sine corpore considerati substantiæ quidem spirituales sunt, sed complemento suo indigentes. 464. diversitas inter *animi* elationem, & animi magnitudinem. Quid ex elatione animi oriatur? 809. humilitatis extremum est pusilli & degeneris animi vitiis, quod describitur 860 *antichristi* ruina 19. ejus origo, progressus, &c. 27. Prædictio apostasiæ Ecclesiæ, à Christo ad *Antichristum* defecturæ 221. & prædictio interitus *Antichristi*. ibid. & conversionis judæorum. ibid. *Antichristi* regnum non futurum breve durationis, ut Caii quadriennium &c. ibid. *Antichristum*, ejusque regnum duplici modo describitur. 122, 223. extra Ecclesiam non cavendus, aut expectandus, ut Mahometes. 222, 224. ejus signa, & fructus. 213, 314, ejus fundamenta tempore Pauli, & Apostolorum jam posita. 222, 324. Vocatur homo peccati, filius perditionis, & adversarius, & quid hæc significent? 221. differentia inter spiritum Christi, & *Antichristi*. ibid. *Antichristus* ex doctrina dignoscitur, quæ in Christum dupliciter injuria. 223, 224. Quomodo se opponat, & efferat supra quicquid dicitur Deus? 124. Error quorundam qui *Antichristum* quidem venturum asserunt, sed adventum ejus adventum Christi non toto Quadriennio antegressurum. 226. nulli errores in primitiva Ecclesia vigebant, qui non in præsenti *Antichristo* deprehenduntur? ibid. dogma *Antichristi* Christum, qui in Carne venit, non esse Christum. 226, 227. Ejus revelatio qualis futura? ibid. & qualis ejusdem abolitio? ibid. & 228. Ejus miracula, & prodigia, & quomodo singantur; 228.

Esse, & fuisse in regno *Antichristi*, qui Caritatem Veritatis recipiant probatur. 229. Librorum verorum suppressione, interpolatione, ac falsorum suppositione veram rerum cognitionem ex Ecclesia abstulit. 229. In

quam finem hoc fecerit? ibid. Consilium Dei, & causa in permittendâ Satanæ per *Antichristum* potentiâ, & veritatis. ibid. Spiritus *Antichristi* ævo Apostolico cum suis erroribus erumpere cœpit. 232. quis primus ejus fuerit error? ibid. series generationis *Antichristorum*. 313. Novi fœderis *Antichristi* quomodo deliniantur? 4. 315, 328. quare, & quomodo *Antichristi* celerem sibi perniciem sint accersituri? 325. Avaritia illius. ibid. Prædictio Petri de *Antichristis* jam illo vivente impleri cœpit. 326. cur *Antichristi* dicantur animalia ratione carentia? 327, 328 *Ante christum* venturum & multos *Antichristos* factos esse 339. nulla sunt Scripta Apostolorum, quæ *Antichristi* mentionem non faciant. ibid. Cur Deus permiserit, ut mox Post Evangelii lucem *Antichristi* adventus sequeretur? 339, 340. *Antichristum* mox post tempora apostolica venisse probatur. 340. Prædictio de *Antichristo* non ad unum singularem hominem restringenda? sed simul esse possint plures. ibid. quâ in re differentia *Antichristi* cum Christo cernatur? 341. *Antichristi* est, falsa dogmata invehere, & dominationem conscientiarum invadere. ibid, *Antichristi* ex nobis exierunt, quid significet? ibidem *Antichristi* error refellitur, negantis illum, qui in carne venit, & homo natus est, ac Jesus vocatus est, esse Christum, & filium Dei. 342, 344, 345. &c. Quinam rei hujus erroris? 345, causa hujus erroris ibid. Spiritum *Antichristi* Apostoli Joannis tempore in mundo fuisse. 353. *Antichristorum* Character est, quòd habeant dogmata ex profana philosophia depromta. 355. *Antichristorum* adventus Ecclesiæ afferebat funestissimum ergà fratres odium, persecutiones &c. 356. Characteres *Antichristi*. 367. Infallibilis *Antichristi* servorum Character. 368. Ubicunque violentia, & oppressio conscientiarum regnat, tametsi verbis & scriptis ab iis *Antichristus* oppugnetur, illic genuinum *Antichristi* Dominium est. &c. 498. etiam qui Romanum *Antichristum* deleruere, Antichristum admittunt. ibid. Quamvis Antichristi regnum demum seculo invaluerint; tamen rerum notitiam, quæ duobus primis seculis gestæ, sunt, nobis eripuerunt. 498. Responsio ad Serapulum an Deus per Christum, & Apostolos Evangelio orbem illuminaverit, ut statim lux illa ab *Antichristo* extingueretur? 501. Lampas Evangelii per *Antichristos* non extincta, sed tantum offuscata est, sic ut via ad salutem nemini obsepta sit. ibid. Quibus artibus & modis *Antichristi* paulatim irrepserint in Ecclesiam? 514, 515. Spiritus Christi & *Antichristi* inter se opponuntur 839. *Antichristus* Saginatas, & macilenti *Antichristi* qui sint? 945 In libro Apocalypseos duo populi Dei status depinguntur, prior sub servitute *Antichristi* afflictus, posterior post liberatum eum hac servitute felix, & triumphans. 550. Quibus armis *Antichristus* cum Sociis debellandus sit? 58, 594. per quos adoleverit? 583. Anima ejus conscientiarum oppressio. ibid. Multi accusant *Antichristum*, & de dominatione ejus queruntur, irato propter eam ab Ecclesiâ ejus secessuros, sed non tenuiores se spiritum ejus asportasse, & inangusta fortunâ tantandem ejus habere, quantum Romano in opulenta supperit. 583. Non solum pontificem Romanum esse *Antichristum* 583, 589. Quamvis Reformationis vires infirmæ sint, possunt tamen Errores, & potentium *Antichristi* facile de bellare. 591. Quinam *Antichristi* satellites, & complices; 614. Quare bellum Antichristo non inferendum, sed Christo relinquendum? 747.

Quod Apostolico ævo inventi sunt Evangelium impure prædicantes facit contra *antiquitatem* & authoritatem Ecclesiæ. 156 179.

Antropomorphitæ absurdorum patroni. 989.

Apologia qualis esse debeat. 307. Apologeticon adversus Danielem Heinsium. ejusque reprehensio. 389. Apologia Ordinum Hollandiæ, qui anno 1618 à Clavo reipubli deturbati sunt, in quos D. Heinsius inique invehitur. 361. &c Apologia Remonstrantium quos D. Heinsii satyra perstringit. 394. Apologia pro Socinianis. 380, 384. Apologia fausti Socini & asseclarum ejus 400. &c.

Apostasia Sanctorum possibilis. 87

Prædictio *Apostasiæ* Ecclesiæ à Christo ad Antichristum defecturæ 221, 222, 223. &c. *Apostasia*, à Paulo prædicta. est defectio à sana doctrina ad errores vanos 222, 223. *apostasia* suo tempore Apostolorum in causis suis fuisse, sed mox post illarum mortem erupisse Hegesippus apud Eusebium testatur. 224. de qua *Apostasiâ* Apostolus loquatur. 2. Tim. IV. 1. 245.

Apostoli tanquam ministri considerati, inferiores sunt Ecclesiâ, quæ est sponsa Domini. 74. Ecclesiæ suffragiis permittunt potestatem designandorum, qui aliquo officio in Ecclesiâ fungerentur. 194. Interdum in primâ personâ, de se ipsis loquuntur, quæ ipsis tribui nequeunt. 314. non omnes qui *Apostolorum* discipuli quoquomodo dici possunt, sunt genuini eorum discipuli. 341.

Quod *Apostolico* ævo inventi sint Evangelium impure prædicantes. 156, 161. facit contra antiquitatem & authoritatem Ecclesiæ. 156, 179. Jam *apostolico* ævo obtinuisse, ut assimulandis spiritus Sancti donis fucum facerent totis Ecclesiis, & supposititiis libris crimen falsi committerent. 221.

Quoties Christus *apparuerit* suis post resurrectionem? 97.

Quid per voces *apprehendere*, & perfectum fieri exprimat Paulus? quare dicat se nondum *apprehendisse* salutem? 165.

Quomodo *appropinquare* Deo teneamur? 289.

Quod Christus per *aquam* & sanguinem venerit, quid significet? 359.

Arbitrii liberi incertitudinem Deus sapientiâ suâ temperat. 58. Vide libertas arbitrii.

Arriani ab Origine originem ducunt. 28. Erasmi de *Arrianorum* libris judicium. 231. *Arrianorum* oppressio quam noxia Poloniæ? 440, 441. quantum ipsi religioni catholicæ injuriæ, ac discriminis afferat? 442. Sententia, *Arrii*, præcipue de eminentia, patris supra filium, longe magis quam homousianorum conformem antiquitati fuisse, recte asserit petavicis. 509. Gnostica veterum sententia pura puta *Arriana* est, homousiana antiquior, ibid.

Arma quibus nos Satanas in tentationibus aggreditur. 153. Sensus verborum Ephes. VI. 12. induite universam *armaturam* Dei, 716. 717. Loci. 2. Cor. X. 3. & Eph. VI. 12. de spiritualibus *armis* explicantur. 810, 811, 812.

Artemoniis vocat hæresin Eusebius eorum, qui supra Symbolum Apostolicum sapere non audebant. 511. *Artemonis* adversarium sub nomine ignoti authoris ipsam Eusebium fuisse. ibid.

Ascensus Christi in cælum ante resurrectionem suam; & quando inciderit? 4.

Victor totam *asiam* anathemate ferit. 27.

Athanasius cum formosa virgine toto septennio sine arbitris vixit. 268.

Athenagoram in sententia de patris λόγῳ præfilio sustino consensisse judicavit Petavius. 508.

Prædictio de *Atheorum* adventu. Proprietas Atheismi est misio. ejus refutatio. 329, 330.

Religio vindicata à calumniis *Atheismi*. 600. &c. *Atheismi* se in Ecclesiam insinuantis præstigiæ 600. præstigiarum *Atheismi* deprehensio, & reprehensio. ibid. &c.

Quæ sint Christi *attributa* divina. 466, 467.

Avaritia vitium, neque cum brutis, neque cum diabolis commune, soli homini proprium. 24. 186. ejus descriptiones. decem rationes cur fugiendum sit hoc vitium. 25, 26, 283, 284. Adulterium dici potest. 149. Nihil istâ magis Deum irritare, quæ est spirituale adulterium. 186. Ecclesiastici omnium hominum genera *avaritiæ* labe superant. 243. Avaritia radix omnium malorum. 253. vitiorum mater. ib. Ecclesiasticorum morbus. 314.

Non *auditores* sed factores legis esse decet. & quomodo auditores sint similes homini speculum inspicienti? 280.

Augustinus contra Paulum Apostolum philosophiam non insidiatricem doctrinæ Christianæ; sed ad eam pædagogam esse affirmat. 505.

Aurelianis Episcopi Romani instinctu Paulum Samosetanum orthodoxum è sede sua deturbavit. 214. à Christianis Christianos persequi didicit. 340.

Per fundamentum, *aurum*, & ligna quid intelligat Apostolus? 1. Cor. III. 12.

Autumnitas quæ sit virtus? 253. commendatur. 366.

Quare suspecta Ecclesiæ Rom. *authoritas*? 156. Responsio ad objectiones de rejecto Ecclesiæ consensu pro solius Scripturæ *Authoritate*. 381. In dignoscenda veritate Ecclesiæ dogmatum consensus ecclesiarum nullam authoritatem habet. 337

Author se styli incuriolam esse fatetur, & se propemodum septuagenarium fuisse, cum cogitationes in Epistolam ad Colloss. scriberet. 196. In hac Epistola secundæ ad Thessalonicenses dicit se ante biennium post adversi prælii casum e præsentissimo periculo ereptum. 232. Criticæ puritati non studet. 203. Cur animadversionibus in Sacram Scripturam cogitationum indiderit nomen? 205. ejus modestia. 739. Se Theologum non esse fatetur. 867. Auxilia, quæ Deus ferre hominibus solet, sunt fidei excitatio: mox sustentatio. 2.

Cæremoniæ de azymis mens explicata. 77.

B.

Ubi non est Græcus, & Judæus, *Barbarus* & Scyta, sed omnia & in omnibus est Christus quid significent? 187, 188.

Quid de Brasilianis reliquisque Barbaris statuendum sit qui nihil de Christo audiverunt. 378.

Cur Deus voluerit Joannem *Baptistam* virâ austerâ pro propheta haberi? 3. Christus excellentior Joanne *Baptista*. 3. Quare à Joanne *Baptista* Baptizari voluerit? 3, 4.

Absolutio per *Baptismum*, sordium peccati, & quasi reatus sublationem designabat. 5. posteà ederetur fructus pœnitentiâ dignus. 3. *Baptismus* typus. 44. 87. *Baptizari* pro mortuis? 98. Per *Baptismum* quid testemur? 180. Arca Noe typus *Baptismi*. 308. Quomodo nos *Baptismus* aquæ servet? 309. *Baptismus* aquæ repetentat nobis tam officia nostra, à nobis præstanda, quam promissa à Deo speranda, 309, de *Baptismorum* differentiâ. 559.

Dei scopus quis fuerit in *Beando* hominibus? 301. *Beatitudinis* lineamenta ducta. 3, 6. Verba quibus felicitas ista depingitur. ibid. vide felicitas.

Bella ob religionem quas clades attulerint 408, 409.

De *Bellis* Christianorum. 662. &c.

Quamdiu videmus gravibus in juriis locum, tamdiu *bellis* locus esse cogitur. 669. *Bellum*, & potestas coactiva in Hebræo populo, non ex lege Mosis morali; sed ex lege ejusdem politico & forensi jus & originem suam traxit. 690. Bella justa, & capitalia non modo permissa, sed etiam in laude fuisse. 690 Testimonium contra pacis & *Belli* jura ex præcepto Christi de diligendis inimicis Matth. V. 24. sumptum, refellitur. 691. &c. Non venit bella Christus, sed bellorum rabiem & infesta odia composuit. 692. Non opus fuit *Bella* expressis lege à Christo juberi, aut permitti. 699. secundum contra pacis, & *Belli* jura testimonium ex præcepto Christi de non resistendo Matth. V. 39. petitum refellitur. 701. &c. Christus pacis, ac *belli* jura non directe, aut indirecte subruere voluit in præcepto Matth. V. in quo agitur de privatis privatorum officiis in persequendo suo jure. 705. Si Christus *bella* & capitalia supplicia sustulisset, fundamentales Reipublicæ Mosaicæ leges abrogasset, quod ut faceret se venisse negavit. 706.

Tertium contra pacis & belli jura testimonium ex præcepto Apostoli de non reddendo malo, nec ulciscendis privatis injuriis Rom. XII. 17. petitum refellitur. 713. In bellis, & suppliciis capitalibus vindicantur non propriæ, & privatæ; sed alienæ, & publicæ injuriæ. 715. Bella, & supplicia capitalia possunt esse sine vitiosa ultione, quæ tam defensione, quam pœnæ legitimæ sumendæ magis est impedimento, quam usui. ibid.

Sex alia contra belli, ac pacis jura ex Sacrâ Scripturâ producta testimonia refelluntur. 715. &c. Sensus verborum. 2. Cor. X. 3. in carne ambulantes nequaquam carnis *bella* gerimus. 716.

Argumenta adversariorum contra pacis & belli jura ex humani ingenii penu de promta refelluntur. 717. &c. An ratio damnet bella, tanquam belluina? 718.

Argumenta adversariorum contra pacis ac belli jura ex analogia religionis Christianæ desumpta, diluuntur. 719 Refutatur exemplū Davidis ob effusum in bellis sanguinem ab ædificatione templi submoti. 719. 834, 835. Refutantur exempla ex ve ris ecclesiæ, quibus bella vetantur. 734 de bello opiniones Patrū 734. belli incommoda 741. bella, si fieri potest fugienda, si id fieri nequeat, Christianæ gerenda. 743. Ridiculum est, bellum Christianis tum licitum futurum, si quando alienis manibus eorum, qui Christiani non sunt gerātur 747. Christianam Reipubl. non periturum, etiamsi bello, & armis non conservetur, negatur. 750.

Duo remedia conservandæ, ac retinendæ absq; bello & armis Reipubl. refutantur. 750 751. an præstet, etiamsi hostis iniquissima peteret, servitium subire, quam bellum suscipere? quod negatur. 751. an quia Deus regna transfert pro arbitrio, Deo bellis non resistendum, aut bellum non gerendum si visum ipsi fuerit alium dominum regno nostro imponere? ib. Aliquot Reipubl. bellis e versas, sed totidem bellis servatas. 753. An nullum exemplum dari possit hominis Christiani qui cū pore Apostolorum bella gesserit? 760. 816. An rationis judicium bella permittat? ibid. An possit ullum bellum excogitari, quod ab ultione sit prorsus immune? 763. An multo plus à Christo præcipiatur, cum charitatem erga hostes præcipit, quam si bellum bello propulsari expresse vetuisset? 764 Bellum sine animo interficiendi geri posse. ibidem. Aliud est de industriâ interficiendi hostis animum in bello sumere, aliud defendendi nostri studio eas expediendæ salutis rationes adhibere, in quibus hostis, si nos perdere velit, ipse perire possit. 765. In casu defendendæ Patriæ sine maleficio in populares in gratiam hostis bellum sæpe detrectari non potest. 768. Per dilectionem inimici sub novo fœdere neque bella, neq; capitalia supplicia tolli. ib. bella, & judicia in populo Dei permissa, & instituta, in novo fœdere non vetita. 769. Pacis belliq; arbitrium est, in quo præcipue Magistratus Dei imaginē exhibent, ib. Deus permisit usum gladii, & bella. ib. falsum est jus bellorum & suppliciorum ex Mosis legibus forensibus pendere, & jam jus illud extinctū, quia hæ leges abrogatæ sunt. 770. bella, & judicia à Deo comprobata, à Christo non sublata. ib.

Non posse ex loco Rom. XII. 17. adversus bellorum & suppliciorum jura argumentum duci, probatur. 793. falsum est bella bellis non extingui, sed seri. 810. Loci 2. Cor. x. 3. & Ephes. VI. 12. de spirituali bello explicantur. 810, 811, 812. An Apostolus neget se, alioſque Christianos ad carnale bellum, carnalisque arma vocatos? 811. Negatur quod nulla Dei benedictio, & auxilio Christianis, etiam tunc cum justissima bella gerunt, promittatur. 814 816. Non sempert erudelitatem, & ferinam rabiem bellis inesse. Quæ bellis non insunt per se, sed per accidens vitio bellantium. 814. Non ideo bello injustitia per se inest, quia illud absq; injustitia esse non potest. ib. Verum quidem est, si bella tollerētur optatissimum fore statum mundi; sed tamen bellorum necessitatem non tolleret. 815.

Universalior est necessitas gladii, qui pacē & bellum moderetur, quam matrimonii. 815. bella à primæva ecclesiæ Christianis gesta, probatur. 760, 816.

An ex eo quod Christianus cogitare debet se advenam esse in hoc mundo, sequatur bellum ipsi non gerendum? 816. An Deus eos, qui bella gerunt, idoneos non agnoscit, quos admoveat ædificando templo suo spirituali, quod est officium omnium Christianorum. 834. An Deus nulli Christiano Principi in bello justo, & necessario singulari præsentia, & auxilio adesse possit, aut velit. 814. 816. Refutatur argumentum, quod bellum Christianos non deceat, quia Christus eorum operā non usus in perdenda gente judaica. 733, 841, 842. si religio Christi bello propagari aut defendi non debet, cur Magistratus oppressionibus armis resistat? 846. Canonem Concilii Niceni contra bellum allegatum, de absoluto militiæ interdicto non explicandum. 847.

Deus *beneficia* fratribus collata sibi imputari imperat. 340. quare indignis fratribus præstanda *beneficia*. 364.

Beneficentia & clementia intra limites extremorum suorum consistunt, nec possunt ad alterutrum extremorum in infinitum protendi, quin statim in vitium degenerent. 708

Benignitas, aut bonitas latius patet quam misericordia. 189.

Blasphemia in Spiritum S. quibus tribuatur. 312. *blasphemare* dignitates quid sit? & quod genus dignitatum per vocem *θεῶν* designet Apostolus? 327.

Bestii ambitio, & incogitantia. 309.

Divitiæ *bonitatis* Dei, ejusque gratiæ in quo consistant? 38. *bonitas* vide *benignitas*.

Patientia *boni* operis quæ sit? 38. Nihil est in nobis *boni*, quod non Deo tribuendum, & quomodo illud operetur? 155.

Quæ sit *bona* conscientiæ interrogatio? 309

Bona vitæ non contemnenda. 814.

Quid de *Brasilianis* & barbaris reliquis statuendum sit, qui de Deo & Christo nihil audiverunt. 378.

C.

Cæcitas mentis est oblivio, & stupor. 321.

Cælibatus nusquam præscriptus, sed commendatus. 74. *Cælibatum* esse bonum, sed tamen præcipi matrimonium 80. quare *cælibatus* in Ecclesiam introductus? 314.

Adscensus Christi in *Cælum* ante resurrectionem quando acciderit? 4, 5. Qui minimi in regno cælorum, qui maximi? 6. Satis dignosci nequit quinam regno cælorum digni, aut indigni sint? 28. quomodo Paulus raptus sit in cælum. 125.

Institutum *cænæ* domini ex traditione Christi, & Apostolorū in quibus cōsistat? 91

Catenæ *caliginis* quæ sint? 325.

Calumniandi species ob dissensum in dogmatibus damnatur. item condemnandi fratres audacia duplici ratione. 289, 290. Injuriæ sensus *Calumniosa* convitia extorquere non debet, convitia absque calumniis & mendaciis effundi vix solent. 306. *calumniatores* judicii defectu laborare voluit Deus. 449.

Per *Canes*, porcos &c. quid intelligat dominus Matth. VII. 6. 28. quare Sanctum non dandum *canibus*? ibid. *canes*, & mali operarii quinam sint? 163.

Quid sit *Captivare* intellectum ad obedientiam Christi? 127.

Apertum *Caput* subjectionis signum. 89.

Christum spiritibus in *Carcere* prædicasse, & quinam sint isti spiritus in *carcere*. 308.

Homines secundum diversa tempora considerati possunt dici spirituales & *carnales*. 68 differentia inter *Carnales* vel psychicos, & spirituales in percipienda prædicatione Evangelica. 71. *Carnales* homines *carnales* opiniones spargunt, quo securius in vitiis suis computrescant. 277.

Quare paulū in *Carne* ambulare censebant? 121. quid sit secundum *carnem* ambulare. ib. stimulus *carnis* quid significet? 136. lucta spiritus, & *carnis*. 137. facilius est Deo in *carne*, quam in spiritu servire. 164. Magna est differentia inter voces venire in carne, & venire in *Carnem*. 352. Qui in *Carne* venit quid significet? 505, 506. Socinianos non negare Christum in *Carne* venisse. ibidem.

Carpocrates Gnosticus quæ docuerit? 318

Castitatis assecla notitia. 105.

Castitas, puritas, & Sanctitas quid significent? 111.

Catacheseos scopus, & usus. 552.

Cur Epistola Petri *Catholica* dicta. 295. Vox Ecclesiæ *Catholica* expenditur, & distinguitur 547. *Catholica* Ecclesiæ titulus nec occidentali, nec Orientali Ecclesiæ competit; imo ipsa hæc ab Oriente, & Occidente denominatio, neutram earum *Catholicam* esse arguit. 583. Ecclesia, quævis sit infirmissima, optimo jure *Catholica* dici potest, quæ præter *catholicam*, & omnibus communem doctrinam nihil hominibus discendum proponit. 592. Vide Eccl.

Causa tradere ei, qui juste judicat quid sit? 304. nequaquam è secundis successibus bonitatē *causæ* æstimandam esse. Frequenter causam, quæ à Malis defenditur, esse meliorem; frequenter meliorem causam scelerum, quibus defensores sui Deum provocant, pœnas luere. 580. 594. Non semper interventus nobilioris *causæ* reddit effectum perfectiorem, quam sit is qui forte à sola ignobiliori *causa* producitur. 677.

In puncto indivisibili *Centrum* & circumferentiam idem esse, absurdum est. 495. Varii *Characteres* quibus dignosci possit quid cum religionis Christianæ, & veræ pietatis studio congruat. 169.

Charitas proximo debita. 30, 31. *Charitas* in proximum ex charitate erga Deum oritur. 31. Charitas mater virtutum debet esse non simulata. 59. simulata Charitas est proximum non admonere vitii sui. ib. quare *Christus* legis compendium dicat? Quare *charitas* eminētior fide, ac spe censeatur? 95. ad *Charitatem* in proximum nemo pervenit, nisi per *Charitatem* in Deum. 138. *Charitatis* solarium quid sit? 137. *Charitas* in sanctos *Charitatem* in Deum præsupponit. 171. *Charitas* virtutum mater, vinculum perfectionis. 189. difficultates omnes superans. ib. de fraterna *Charitate* 212. *Charitas* in fratres difficilior, sed in Deum nobilior, posterior præstat primam. 319. Charitas veritatis quæ sit? 28, 129. Charitas Dei. 230. Duæ partes sunt Charitatis Dei; abstinere à Malo, & facere bonum. 299. Charitas erga fratres rel. quam etiam charitatem continet. 300. Operit multitudinem peccatorum. 321. opera ejus nobis parasitam ad Deum præstant. quia beneficia fratribus collata sibi imputari imperat. 330. documenta, & effecta eximiæ erga nos *Charitatis* Dei. 337. Cur Deus a nobis exigat ut *Charitatem* erga fratres exerceamus? 337. *Charitatem* erga Deum exhibere nisi iis, quibus ea vice sui exhiberi jussit, non possumus. ib. *caritas* erga fratres non modo non est facilior *caritate* erga Deum; sed illā aliquanto difficilior. ib. Mendax *charitas* quæ sit? 358. quare indignis fratribus *charitas* præstanda? 364. Qualem Christus *Charitatem* erga inimicum præceperit? 686. Qualis *Charitatis* modus, & mensura proximo, quatenus homo est, debeatur? 690, 697. æqualitas *Charitatem* non est Mathematica, sed moralis; nempe non ejusmodi, quæ plane naturalem illum erga se affectum, quo sibi quisque charior, extinguis. 697. in hostilitate, quæ Charitas locum habeat. ib. Exigit *Charitas* ut alteri optima quæque cupiamus, atq; adeo præstemus; sed non omnia semper omnibus optima præstari possunt, quibusdam interdum nec debent? 765 ad exercendam charitatem, ut alias omnes virtutes, facultate, occasione & circumstantiis opus est, quarum prudentia judex est, & arbitra. ibid. falsum, Deum sanxisse, ut propter *charitatem* erga improbissimum hostem, qui eā indignus sit, *caritatem* erga optimos, aut propinquiores nobis negligamus. 768 legis de *Charitate* tam proximo, quam inimico præstandæ nobilior regula dari non potest, quam quæ ab ipso Christo tradita est, ut omnia, quæ nobis ab aliis fieri vellemus, aliis faciamus. 778. explicatur hæc regula. ibid. Charitas vide dilectio. & amor.

Charismata spiritualia sine charitate consistere non possunt. 54.

Duæ generationes *Christi*. 1. secundum carnem 2. secundum spiritum sanctitatis. pag. 1. prioris, & posterioris natura, & generatio. ib *Christus* non ex semine Josephi, sed ex virtute Spiritus S. ib. Deus per *Christum* omnibus nobis arcte conjunctus, 2. adventus *Christi* documenta. 2 Quare *Christus* à Joanne Baptista voluerit Baptisari; 3, 4. Cur Deus *Christum*, antequam munus suum obiret, à Satana tentari voluerit? 4 *Christus* in omnibus tentationibus armis S. S. usus est. 4. Adscensus Christi in cælum ante resurrectionem sæpe quando acciderit? ib. Christi lex lege Mosis præstantior 6. legē, & prophetas non solvit, sed implevit ib. ejus lex occulta cogitatione inchoatum homicidium damnat. 7. odium, & iram temerariam damnat, ac omnes ad eam occasiones. ib. nec Magistratus jus, nec capitalē homicidii pœnam sustulit. 7, 8 Mosaicæ legis rigorē acrioribus remediis emsit. 8. homicidii pœnam cum pœna iræ non conjunxit. 8. vitia mundana non negotia relinquere vetat. 66. Religionis ejus natura non est in cognitione theoretica, sed in practica. 67. nisi ad actum deducatur multos errores, & vitia gignit. ib. *Christus* Paulus vidit. 84 quoties apparuerit suis post resurrectionem? 97. Ante ejus mortem Deus se jam placatum hominibus ostenderat. 114. sed reconciliationem, quæ est à parte hominum quærebat. ib. Pauli temporibus non defuerunt qui alium *Christum* prædicarunt. 123. *Christus* non duxit esse rapinam parem esse cum Deo, quid significet? 158, 159. An Christus divinam potentiam, quam donoà patre accepit ob antegressum obedientiam, ante mortem habuerit 160. Est invocandus. 160. ideq; propter providentiam, & omnipotentiam. 161. differentia quædam inter Deum, & *Christum* est in eo, quod *Christus* sit imago Dei invisibilis. 171. Quare sit viva imago patris. 174. Unica ejus doctrina, & imitatio vitæ amplectanda. 188. Omnia, quæ *Christus* fecit, non ita imitanda sunt, ut nihil eorum, quæ ille non fecerit, facere audeamus. 188. facere aliquid in nomine *Christi* quid sit? 191. Refelluntur qui *Christum* invocandum esse, nusquam præceptum esse prætendunt. 191, 192. Cur beneficia, quæ

A*Christo* nobis conferuntur, non ipsi tantum *Christo* sed patri quoq; tanquam causæ principali debeamus? 191. Refelluntur Sociniani, qui datam Christo in cælo, ac terra potestatem ex loco 1. Cor. xv. 24. cessaturam dicunt. 199, 200, 202. per Christum mundum factum dicitur, quia propter Christum. 102, 203. An Christus dici possit Magistratus. & natura regni ejus. 200. sæpe pro suâ doctrina ponitur. 211. pro omnibus mortuus est. 215, 216 spiritum largitur quibus vult. 217. Aliquando ecclesiam erroribus involvi finit; sed tamen singulorum, qui in eum credunt, curam gerit. 217, 228. Verum *Christum* non esse hominem &c. à Gnosticis introducta Ecclesiæ sententia est. 230. Quinam in primæva Ecclesiâ purioris de Christo doctrinæ fuerint, antistites? 233. Cur spes nostra vocatur? 235. ad *Christum* accedere quid? 301. Cur Christiana religio potentia, & adventus *Christi* vocatur. 323. Quomodo dicatur noster advocatus apud patrem, & pro quibus peccatis? 334. Error Antichristi negantis, illum qui in carne venit, & homo natus, & Jesus vocatus est, esse *Christum*, & filium Dei. 343, 344, 345. &c. quinam rei hujus erroris, & causa ejus? 345. Nomina Jesus & *Christus* quamvis unum, idemque significent, plurimum tamen distinguuntur, quid per Secum & quid per Christum intelligatur? 343. Utra earum partium, quæ in sententia de Jesu Christi personâ inter se dissentiunt, eo nomine verius accusari possit, quod neget Jesum esse Christum, aut filium Dei? 343, 344, 345. Quænam sententia veritati, & sanctimoniæ noxia? 347. Via, & ratio manendi in Christo. 316. habitare in Christo quid sit? 351. & Christum habitare in nobis? ibid. quæ præmia largiatur? ibid. Ex Deo est qui confitetur *Christum* in carne venisse, quo modo explicandū? 353. quod *Christus* per aquam & sanguinem venerit, quid significet? 319. *Christus* non per Metaphoram sed proprie dictus filius Dei censeri debet. 453. Quod probatur 4 rationibus. 454. & argumenta contrariæ sententiæ refutantur. 455 456. &c. proprie loquendo est, & vocatus filius Dei unigenitus. 457. refutantur qui *Christum* filium Dei adoptivum vocant. 457. Nulla justa, & gravis causa est, ob quam *Christum* ex essentia patris genitum esse, negari debeat. 457. duas naturas, humanam primum, mox divinam in *Christo* negari non debere; & quæ alteram præcesserit. 459. *Christus* proprie, & simpliciter Deus nunc est, & dicitur; non modo propter potestatem; sed naturam quoque divinam, per secundam & cælestem generationem sibi collatam. ibid. *Christus* olim unam tantum humanam naturam habuit, nūc unam tantum divinam. 460. Nasci, pati, mori nullo modo potuit si priusquam homo esset, Deus summus Patri omnipotenti per omnia æqualis fuerit. ibid. Secundum præposterum generationum ordinem à gloriosissimo, & æquali Patri suo statu ad longe minus glorioſum & inæqualem Patri transiit; & sic deterior *Christi* status per obedientiam Patri præstitam manet. ibid. *Christus* qui Deus immortalis & summus natus est, homo mortalis generari non potuit. 461. explicatur cur, & quomodo generationum diversarum altera alteri succedat. 462. Nunc in cælis regnans, non humanam, sed divinam naturam habet ideoque divina substantia & Deus est. 403. Qualis Christi natura fuerit cum in terris versaretur, & qualis nunc sit sedenti ad dextram Dei. 465. divinissima Christi est substantia, quæ veram imaginem substantiæ supremi Patris non aliter exprimit, quam Character exprimere solet id, cujus est Character. 465. Quamvis Christus humanam nunc naturam non habeat, nec habere possit, homo tamen dici non simpliciter, sed secundum quid potest. ib. Quomodo nunc agnus Dei dicatur? ibid. Duo argumenta divinæ in *Christo* naturæ, divina nempe ejus attributa, & cultus divinus, ipsi debitus. 466. attributa divina quæ sint *Christi*. 466. 467. &c. Qualis divinitas Christo à quibusdam tribuatur qui refutantur. 467. Character divinæ substantiæ. ibid. Regnum ejus Deo Patri subordinatum, & ab eo dependens æternum, & perpetuum est, & verus sensus loci 1. Cor. xv. 24. probatur quatuor præcipue causis. 468. si potestas *Christi* finem habitura censetur, quæ inde absurditates oriantur. ibid. deponenda *Christi* potestas vocatur particularis, quia non ad omnes *Christi* subjectos, sed ad militantē Ecclesiam restringitur. 469. causa erroris eorum, qui regnum *Christi* æternum, & perpetuum esse negant. 470. Summam, & Patri æqualem *Christi* divinitatē priorum sæculorum patres adversus Praxianos, Patri-passianos, Sabellianos &c. impugnant. 479. *Christus* se ultimum judicii diem ignorare profitetur, quod Cyrillus Episcopus Alexandrinus tanquam ridiculum negat. 493. Joan. 1. omnia per *Christum* facta &c; & Col. 1. 16, 17. de nova creatura loqui. 493. Creatio vetus propter novam, & mundus propter *Christum* factus est. ib. Quomodo ante Joannem, & ipsum Abrahamum *Christum* fuisse censeri possit? 518. Quomodo ab initio apud Deum, & mundus per illum factus sit? 519. In Cælos ascendendo scalam fidelibus suis ostendit se ipsum. 527. Quomodo Christus secundus homo dicatur Dominus de cælo? 527. An seipsum resuscitaverit? ib. Ejus Spiritus, & Antichristi inter se opponuntur. 539. Conjunctio cum Christo duplex, altera imperfecta & initialis, altera perfecta & consummata. 549. Quomodo panem vocet carnem suam? 561. An Christo duæ naturæ tribuendæ? 570. de præterna Christi generatione, aut nativitate in Sacris literis nihil legimus. 570. quomodo post nativitatem homo vocatur? ibid. Deum, & hominem Christum fuisse, sed non uno eodemq; tempore. ibid. Præternam Christi divinitatem Deo patri, deinde ipsi quoque filio multum derogare. 570, 571. Quod Christus filius Dei unigenitus per Metaphoram filius Dei dici nequeat. 597, 598, 599. de qualitate regni Christi, ubi inquiritur an Christianis terrenæ dominationes conveniant? 621. &c. Quale Christi in Ecclesiæ regimine ministerium? 627, ejus præcaria est in Ecclesia potestas. ib. Christus non in omnibus imitandus. 629 In negotio salutis dum tempus est militiæ, coactivâ abstinet, precarla duntaxat potestate utitur; at cum stipendii, & animadversionis tempus advenerit, coactiva utetur. 633. Vide Jesus.

Excellentia *Christianorum*, & magnitudo in eo sita est, si quis aliis inserviendo multa ferat. 124. 125.

Omnes *Christiani* olim erant clerici & spirituales. 194. Qua in re magnitudo & dignitas *Christianorum* consistat. 621. De qualitate regni Christi, ubi inquiritur an *Christianis* terrenæ dominationes conveniant. 621. Coactiva potestate in rebus ad religionem pertinentibus populus *Christianus* regi non potest, salva religionis naturâ; at idem populus Christi in rebus ad Rempubl. pertinentibus eâdem coactivâ potestate carere non potest. 627. falsum est cum *Christianorum* regnum non sit ex hoc mundo, quod ii se mundanis dominationibus immiscere non debeant. Quod probatur. 630, 631. *Christianis* quatenus sunt *Christiani*, nullum in terris est regimen: sed non quatenus sunt homines. 631. *Christianos* ad crucem duntaxat destinatos esse, nec unquam secundæ fortunæ tentationibus exerceri posse, tam S. Scriptura, quàm sana ratio abnuit. 636. homines sive sint *Christiani*, sive non, respectu qualitatum, & actionum, quæ ipsis tribuuntur, considerari dupliciter possunt. 642. licet *Christianus* semper subditus Christi maneat, non semper talis considerari potest; sed tantum in iis, quæ ad regna Christi pertinent. 642, 643. Nullum animal *Christiano* Socialius, nec quod minus sibi soli natum se censeat. 678. Negatur à Magistratu arcendos esse Christianos, quia Clementiæ, & lenitati, quæ in regno Christi locum habet, in regimine Rerumpublicarum sæpe locus non sit. 825. Refutatur officium Magistratus ad *Christianos* minime pertinere. 828. quare Christum in non fundendo sanguine *Christiani* imitari non teneantur? 836. Vide Fideles.

Christianæ vitæ varia solatia. 157. Religio *Christiana* vitia radicitus extirpat, & leviora primum extorquet, ne per ea gradus ad graviora fiat. 241. vocatur Mysterium fidei 243, ejusque veritas mysterium pietatis 244. ejus duæ sunt partes, una intellectum illuminans altera voluntatem dirigens. 266. Paucis verbis ejus summa complexa est. 269. ejus doctrina non bene percepta noxios errores gignit. 179. quare vocetur potentia, & adventus Christi. 313. Quia *Christiana* religio in plurimas partes divisa est, an ideo nulla inter eas digna censenda, cui constanter adhæreamus? 607. Non tollit ōne ordinum ac statuum discrimen; nec tollit earum jura, & si ea non tollit, nec eorum usum tollit. 619. De excellentia *Christiana*, deque dissimilitudine ejus, cum mundanâ supereminentiâ collata. 630. An quod religio *Christiana* vetat licitum fieri nequeat? 754.

Quid fundamentum sit *Christianismi*, quid non? 35.

Ciborum delectus 63. dogmata de delectu *ciborum*, & cultu Angelorum spectant repletionē carnis. quorum verborum duplex sensus. 185. *Ciborum* interdictum est doctrina dæmoniorum 246. *cibus* sanctificatur dupliciter. ibid. *ciborum* usum omnibus permissum cum duabus limitationibus. 246.

Non est vera *circumcisio* in carne, quæ oculis subjecta est, sed spiritualis in corde latēs. 39. *Circumcisio* non Garnalis, sed spiritualis Christianos decet. 163. Typo *circumcisionis* quid adumbretur? 180.

Profani de rebus vanis clamores qui sint? 261.

Clementi Romano Photius & alii iniquiores fuerunt, quia non erat Gnosticus. Patrem & filium sibi contradistincte nominat; soli patri creationem tribuit, filio non item. quare ipsis Arianis suspectus? 504.

Beneficentia & *Clementia* intra limites extremorum suorum consistunt, nec possunt ad alterutram extremorum in infinitum prorendi quin statim in vitium degenerant. 708. *Clementia* virtus præ omnibus aliis privilegium habet, ut ipsi perpetuo locus esse possit, ac debeat. 824. *Clementia*, & lenitas non exuitur quando interdum adhibetur severitas. 825. non sunt laudabiles, nisi id sine injuria aliena, sine crudelitate in insontes, & pestē Reipubl. fieri possit. ibid. *Clementia* Christiana non ita abhorrere debet à perditione animarum, ut eas etiam tunc servare contendat, quando eas Deus ipse perdi vult, ac jubet. ibid.

Clerus unde dictus? 313. *Clericorum* quæ fuerit fides, & Sanctimonia? 313.

Fidei *Clypeus* quid significet? 153.

Piæ & Sanctæ cogitationes tanquam à Deo missæ non negligendæ. 118. Homines etiam cogitando Scelere & flagitiis polluuntur. 186.

Cognitio, & inventio Dei idem est quod fides. 77. Imperfectior cognitio (hoc est errores aliqui inter Christianos regnantes) conversione judæorum tolletur. 56. *cognitio* nostra Manca est. 95. Homo per Spiritum Sanctum ejusmodi *cognitionem* potest accipere, quam verbis exprimere nequit. 145.

Eminentia *cognitionis* Christi, quale sit lucrum, & quid præstet? 164. Pietas, & *cognitio* rerum divinarum sibi mutuo sunt causæ. 172. Qui fiat, ut multi *cogniti ne* rerum divinarum instructi, in moribus & pietate inferiores sint iis, qui minus *cognitione* instructi sunt? 172, 173. Nihil prodest nuda rerum *cognitio*, quæ non ad praxim ducitur, nisi ad jactantiam. 172. Quopacto *cognitio* vera comparetur? 173. *Cognitio* Dei continet omnia ad salutem necessaria, sed non *cognitio* essentiæ, ac naturæ ejus. 319. quæ *cognitio* cum virtute est conjungenda. 318, 320. *cognitio* cum continentia, & patientia est conjungenda. 318. 319, 320. Non datur in hac vita perfecta *cognitio* Dei, sed in alia vita. 379. Vide sapientia, scientia.

Tempore Apostolorum non Virorum; sed fœminarum Pauperum fuisse *collegia*. 249.

Turpe viris *comam* alere. 90.

Quo instinctu Joh. Amos. *Commenius* fead scribendum contra afflictos in Polonia Socinianos contulerit? 476. Se canem esse gloriatur; quod conceditur, & probatur. 478. Pseudo-Prophetici spiritus convictus. 476, 480. Ejus Liber Lux in tenebris notatur. 482 *Commenius* Apostolum Paulum Sanctum quidem mente; at carne peccati mancipium fuisse dicit. 492. Refutatur probare studens duo contraria & contradictoria, esse posse simul vera. 494. de ejus Pansophia ib. ejus sophismata circa primum Reconciliatoris normam hoc est, Rationem sanam examinantur. 477. &c. Ejusdem sophismata contra secundam Reconciliatoris normam, sacram nempe, scripturam examinata. 492. &c. item contra tertiam normam nempe traditionem. 497. *Commenius* urget quod priora illa Tertulliani ævum antegressa sæcula respectu temporum subsecutorum minorem, & quasi initialem Mysteriorum Dei cognitionem habuerint: quæ opinio variis argumentis refutatur. 499, 500. Ejus error in æternitate non esse prius, & posterius, sed omnia simul in instanti indivisibili. 508. Ecclesiam distinguit in nascentem, & adultam. Tolerantiam soli nascenti adsignat. 517.

Communio Spiritus in quo consistat? 157.

Communio cum Deo, & Sanctis quam excelsa? 333. 334. Utilitas *Communionis* cum Deo 334. 335. an alicui obsit *communio* cum deterioribus, quam ii sunt, quorum communionem deserit? 606.

Complementum Christi quid sit? 141.

Si decisa semel in *Conciliis* ventilari fas nō est, de causa Lutheri & Calvini actum. Si delectus *Conciliorum* adhibendus quod privilegium Nicænum præ Tridentino potestatis Ecclesiasticæ habeat? 507. Cur Omnia Oeconomica *Concilia* universalitatis nomen non mereantur, sed mere particularia sint? 551.

In Ecclesiâ sedente populo stantes *concionari* solitos. 96.

In erroribus aut vitiis factiosa conspiratio vera non est *concordia*; ita omni bello tristior servitus. 595.

Via una animorum simul, & dogmatum *concordiâ* conciliandorum. 569. Unica ratio *concordiæ*, & veritatis tenendæ Scripturæ S. authoritas. 608.

Possunt homines *concordes* & unanimes esse licet diversa sentiant. 65.

Dubitare de salute quorundam possumus; sed *condemnare*, aut sententiam definitivam contra eos ferre absoluto judicio cōvenit. 612

Quemlibet in ea *conditione*, in qua am à Deo vocatus est, permanere debere, si status aut *conditio* honesta sit. 81.

De qua *confessione* Jacobus loquatur. 193. de *confessione* auriculari. 559, 560 *confessionem* quæ privatim in aurē Sacerdotis deponitur, non esse Apostolicam, sed Ecclesiasticam 559 quæ *confessio* peccatorum ab Apostolo imperata? 560. Quare Spiritus S. *confitendi* usum ad solos Sacerdotes, aut Episcopos non adstrinxerit? ibid.

Hilarius felices Galliæ Episcopos prædicat, quod aliam confessionē non recepissent nec agnovissent, quam veterem & simplicissimam ab ætate Apostolorum receptam. 379.

Quare inexcusabiles sint qui casus *conscientiæ* concinnant? 46. cauteriata *conscientia*. 245. Propter *conscientiam* Dei sufferre quid sit? 304. Bonæ *conscientiæ* interrogatio quæ sit? 309. *conscientiæ* legem quisquis violat, aut violari imperat crimine perduellionis adversus Deum tenetur. 522, 523. *conscientia* bene informata, dum bona fide talis est, omnino sequenda est, nec fine injuria Dei sperni potest. 611. *conscientia* peccato assentari docta; nō est *conscientia* sed *conscientiæ* cadaver. 614. nusquam periculosius, quam inter publ. recepti dogmatis, & privati judicii pondus *conscientia* nutat. 686. voces quæstionis practicæ & *conscientiæ* distinguuntur. 756.

Responsio ad objectiones de rejecto Ecclesiæ cōsensu pro solius S. S. authoritate. 381

Nemo Patrum fuit, qui in summa rei circa aliquod dogma *consensere*, quin in modo explicandi diversum aliquid ab aliis attulerint 509. In dignoscenda veritate dogmatum Ecclesiæ *consensus* Ecclesiarum nullam authoritatem habet. 537. Ejus abusus. ibid. 538.

Instinctus *conservandi* sui cùm brutis quidem nobis communis est, sed quo quidque præstantius, aut excellentius est, eo magis se conservare vult, & potest. 850.

Consolatio in Christo in quo consistat? 157.

Omnibus ea mens & *constantia* esse debet, ut parati sint Gariissima quæq; imo mortem quoque profundere. 26.

Quid Apostolus per *contactum* Suppeditationis intelligat? 145, 147.

Dogmata quæ *in controversiam* veniunt ad normam decidendæ litis non admittenda. 407.

Vita solitaria non minus periculosa, quam *conversatio* cum hominibus, nec minus tentationibus obnoxia. 4. *conversatio* cum infidelibus non plane vetatur. 89. *conversatio* bona quæ sit? 286 honesta *conversatio*. 303. Nostra *conversatio* cum Deo. 351.

Præmium *convertentium* peccatorem ab errore viæ, sensus horum verborum. 294.

Cordis duritiem. 58. homines abdita alienorum cordium scrutari nequeunt, quod solius est Dei. 75. Quæ sit immunditia cordis? 300.

Corporalis exercitatio quæ sit? 225. corpus hominis. Vide homo.

Correctio morum quomodo procedat? 127 quomodo corrigendi peccatores? 138, 167.

Creatio nova, vel creatura nova veteri gloriosior & difficilior. 174. Christus primogenitus, & principium novæ *creaturæ*. 174. habet illa gradus suos, in terris inchoata, in cœlis consummata dici potest. ibid. Effectus novæ *creationis*. 176. Refellitur duplex interpretum genus; primum eorum, qui appellationem Christi per quam primogenitus *creaturæ* dicitur, de novâ, aut angelis; alteram qui de vetere *creatione* existimant. 176, 177. Christus novæ *creaturæ* causa secunda, Deus causa prima est. 187. Translatio nostra è regno Satanæ in Regnum Christi Col. 1. 13. tantum de nova *creatione* loquitur. 103. *creandi* vox mutationem in meliorem statum designat. ibid. *creaturæ* humanæ potestates significat. 303. quid vox *creaturæ* in S. literis significet? ibid. Deus pater, & filius ad novam *creationem* nostram partim mediate, partim immediate concurrunt. 174. Joan. 1. Omnia per Christum facta. item. Col. 1. 16, 17. de nova *creaturâ* loqui 493. *creatio* vetus propter novam, & mundus propter Christū factus est. ibid.

Credenda, quæ S. Scriptura docet, quamvis modum eorū, qua ratione fieri debeant, non distincte capiamus. 197. si quis adeo hebes sit, ut modum & rationē non intelligat, non plus ab eo requiritur, quam ut rē ipsam *credat*. 487. Nihil magis Satanæ insidiis obnoxium, quam nimia *credenda* facilitas, omnis superstitionis Mater, & ahilium commentorum obstetrix. 591.

Quidam in *criminatione* deteriorum laudem, quam in virtute propriâ non inveniunt, venantur. 121.

Inimici *crucis*, sive Judaizantes quales fuerint? 166. de signo *crucis* in templo. 559.

Verus Dei *cultus* est Spiritualis. 36.

Cultus fœminarum qualis esse debeat? 141.

Cupiditates rerum malarum vocantur, quibus licet per se non sint malæ, tamen fine peccato frui nequeas. 88. Peccatum an ex voluntate, an vero ex *cupiditate* nascatur? 277. abstinentia à carnis *cupiditatibus* quæ sit? 302 Cur *cupiditates* dicantur militare adversus animam? ibid. Tria *cupiditatum* genera, ex quibus omnia vitia originem ducunt 338 non ex autore Naturæ Deo; sed ex hominum pravitate profluunt. ib. Quomodo inseverit nobis Deus ejusmodi naturales impetus, & quomodo nos iis abuti amur. ib. *Cupiditas* Vide *libido*.

Qui *Curam* suorum non habent infideli deteriores sunt. 148.

Curiositatis pœna à Deo immissa. 317.

Sensus verborū, ne in vanū *curram*. 130. 131

Quomodo *custodiamur* potentiâ Dei per fidem. 297.

Cyrillus Episcopus Alexandrinus tanquam ridiculum negat, quod Christum se ultimum judicii diem ignorare profiteatur. 493.

D.

Damoniorum doctrina quæ sit? 245.

Damnandi, & anathemate feriendi Cacoetes à primis Apostolorum temporibus. 27. à judicando & *damnando* Christus dehortatur. ib. plerumque damnantes damnatis sequiores esse solent. ib. damnando via sternitur Antichristo. ibidem.

Vox damnandi aut strictius aut latius sumitur. 617. dupliciter doctrina damnationi obnoxia esse potest. 268.

Habere damnationem, non semper æternam significat. 249.

Cur Paulus quod olim lucrum sibi esse videbatur, damnum, & damnum lucrum deputavit? 160.

Qualis *dantis* animus esse debet? 275.

Quare David ab ædificatione templi Dei repulsus? 815. Non illi objectum, quod sanguinem fuderit, aut bella attigerit, sed quod multum sanguinem fuderit. 815.

Defectio, vel apologia qualis esse debeat? 107

Quæ *defensio* sui permittatur legibus Christi? 691, 692. In casu necessitatis jus *defensionis* vitæ nostræ etiam cum periculo vitæ inimici permittitur. 697, 698. An Christianis prohibitum sit se, ac sua *defendere*, eo quod curam universam Deus in se conjici voluerit? 719, 728. Aliud est alienam vitam ejus eripiendæ animo impetere, aliud suam suorumq; vitam innoxio conservandi studio *defendere*. 773. In periculo nostræ, nostrorumque injustissimæ necis jus est Christianis se, suosque *defendendo* vitam alienam in periculum dubiū inducere. 774. Non opus fuit legem naturæ, seu divinam de jure legitimæ *defensionis* iterum ferri, aut nova permissione confirmari; quia præcepto de diligendo inimico nullo modo convulsa, sed potius confirmata sit. 776. Invasor qui in legitima *defensione* perimitur, vix ab eo peremptus dici potest, qui nec perimendi animum habuit, & in necessaria *defensione* nihil aliud egit, quam quod non agere non potuit. 849.

Vox *defectus* non semper vitiū includit. 210

Defectus dierum probatur secundū quid. 63

Bonum *depositum* custodire. 258. vocis *depositi* duplex sensus ibid.

Desperantes, quamvis revelatione careant, pœna digni censentur. 38.

Providentia *Dei* consilia piorum, quoties in errore aliquo versantur, mirsculose flectit ne in errores exorbitent. 2. *Dens* per Christum omnibus nobis arcte conjunctus est. 3. Nemo in *Deum* conferre potest exitii sui causam, quod sua sibi quisq; culpâ accersit. ibid. Imbecilles nostros conatus nunquam destituit divinum auxilium. ib. auxilia, quæ *Deus* ferre hominibus solet, sunt fidei exercitatio mox sustentatio. ib. cur filium, antequam munus suum obiret, à Satana tentari voluerit? 4. *Deum* quærere quid sit? 19. *Deus* fidelis etiamsi homines sint perfidi. 40. Liberrimo arbitrio benefacit quibus vult, nec injuste. 52 Non author peccati, 52. quopacto se gerat circa virtutes ac vitia. ib. *Dei* mens mente colendus, quæ victima ipsi grata 58. Quæ fieri vult, eorum causas, occationes, stimulos, instrumenta, præmittit, impedimenta amovet, & homines ad congrua voluntati suæ consilia adigit. 81. Vox *Dei* sumitur proprie, aut improprie; proprie principaliter, & minus principaliter. Quomodo impropriè sumatur. 110. *Deo* per spiritum ita conjungimur, ut una eademque actio, & nostra & *Dei* dici possit. 117. Aliquando *Deus* tentat homines, ut nimium sapere velint. 146. Nullo Pretio accepto, peccata nobis remisit. 149. Nihil in nobis boni. quod non illi tribuendum sit, & quomodo illud in nobis operetur? 155. quod in nobis operetur & velle, & perficere quid significet? 160. Quomodo nos transtulerit in regnum filii sui. 173, 174. 175. &c. est omnia in omnibus. 202. quid significet. 471, 472. Per eadem homines punire solet, per quæ peccant. 220. Vox *Dei* generalis est, & non paucas significationis suæ species complectitur. 224. Consilium *Dei* in permittenda Satanæ per Antichristum potentiâ, & versutiâ. 229. Quando *Deus* aliquem indurare aut efficaciam erroris mittere dicitur, id ad nudam *Dei* permissionem, non autem ejus voluntatē referendum, nisi per accidens. ibid quomodo improbis immittat errores. 229, 230. Salvator noster vocatur. 235. Doctrina de incomprehensibili essentiâ *Dei*; itemque de tribus in eo personis noxia. 236. *Dei* vox soli Patri in S. Scriptura tribuitur. 240. Vox Deos *Deus* intrusus à falsariis 1. Tim. 111. 16 244. *Deo* permittendum quid expediat nobis. 256. *Deus* in nobis salutem operatur, sed nisi cooperantibus nobis. 257. *Deus* neminē, quamdiu peccat, servare potest, neque id aut precari, aut optare à *Deo* fas est. 265. dicitur promisisse quod promittere decrevit. 266. neminem tentat. 277. Non minus absurdum est, si *Deus* homines ad peccandum adducere, quam si peccare ipse statuatur. Nō est author peccati. Ibid. Majorem dat gratiam cultoribus suis quam diabolus suis. 289. *Dei* Scopus in afficiendis felicitate hominibus quis fuerit? 301. cur *Deus* tam promissa sua, quam minas exequi differat. 330. habitare in *Deo*, & *Deum* habitare in nobis quid sit. Quæ præmia nobis largiatur. 351. 357. Documenta & effecta eximiæ erga nos caritatis *Dei*. 357. Cur *Deus* à nobis exigat, ut dilectionem erga fratres exerceamus. 357. Caritatē erga *Deum* exhibere, nisi iis, quibus eam vice sui exhiberi jussit, non possumus. 357. Caritas erga fratres non modo non est facilior caritate erga *Deum*, sed illa aliquanto difficilior. ib. Quis sensus verborum, in hoc cognoscimus quod diligamus filios *Dei*, quando *Deum* diligimus? 359. *Deus* potest omnia quæ vult, sed velle non potest omnia, imprimis quæ sapientiæ ac gloriæ suæ adversantur. 456. assertio illa, quod *Deus* generate nequeat nisi *Deum*, & sibi parem, falsa est. ib. Innumeræ actiones in *Deo* reperiuntur, quæ ipsi cum inferioribus naturis communes sunt. ib. Non peccant, qui essentiæ vocem *Deo* tribuunt. 458. Refutantur qui dicunt, si *Deus* ex essentia aliquid generaret, mutaretur in essentia. 458. Refelluntur etiam, qui statuunt, *Dei* essentiam nec in partes dividi, nec multiplicari posse nec totum eundem numero filio cōmunicari; *Deum* ergo ex substantia generare non posse. 459. *Deus* à principiis mole parvis ad maxima, & magnifica opera procedit. 461. Distinctio vocis *Dei*, quæ in sactis literis pluribus præter unum illum *Deum* tribuitur. 462. 461. Qualis divinitas Christo, quibusdam tribuatur, quirefutantur 467. duo summi *Dei* attributa otentia, & potestas

distincte consideranda sunt 472. Quare Deus voluerit ut filius absoluta potestate Ecclesiã militantem regeret. 469, 473. Legitima disputandi ratio a Deo per Apostolos præcepta. 491. Non minus ministrorum Dei, quam ipsius Dei simplex, & una voluntas, simplex & una doctrina. 516. Quod Deus Pater D. nostri J. Christi per Metaphoram pater dici nequeat. 597, 598, 599. Solum Deum & Christum absolute diligere possumus, etiamsi infinita impedimenta impediant. Cæteros omnes cõditionate. hoc est, nisi gravis aliqua, & justa contrarium faciendi necessitas interveniat. 700. Videndũ est, utrum id quod in gratiam Dei grave nobis & noxium suscipimus, Deus à nobis exigat? 701. Multa in gratiam Dei Scelera patrantur. 745 Vide in directione Dei.

Fugit Diabolus, si sentiat sibi serio resisti, & quare. 289, Quando à Diabolo extra concupiscentiarum carnis nostræ interventum oppugnemur? 812. Vide Satanas.

Vox Diaconorum quomodo sumatur? 155. Quæ in diaconia requirantur, 243. Divisio facta inter diaconos & presbyteros improbatur. 250. In quem finem ordo diaconissarum in prima Ecclesia constitutus sit, & cur deinde sublatus. 267, 268.

Di avrũ per ipsum, potius propter ipsum explicari debet. 176. Vide. 198, 202, 203, 208.

Didragma Ecclesiasticum tributum. 878.

Dies Domini non semper ultimum diem judicii significat. 72. Dies manifestabit quid significet? ibidem. Igni comparatur. ib. Dies redẽtionis quid significet? 148. Dies Christi. 155. Extremi Dies 291. dies judicii, Vide judicium.

Diffidentia sui. 256.

Non satis digne dici potest quinam regno Cælorum digni aut indigni sint. 28. dignitates filii blasphemare. Quod genus dignitatis per voces δοξῶν designet Apostolus. 327. per δόξας dignitates angelorum rebellium potestates intelligi. 367.

Cur inimici diligendi. 13. Posse aliquem inimicum diligere, & tamen eidem cum vitæ ejus periculo resistere, & malo maximo ac dolore eundem afficere. 13, 14 argumenta ex præcepto dilectionis inimicorum, ad probandum Christianis non licere bella gerere aut Capitalia supplicia &c. diluuntur. 654. &c. Tanta erga inimicos dilectio non imperatur, quanta fratribus, amicis, piis, imo ipsi Deo debeatur. 658. Dilectio si qua etiam maleficis deberi potest, non potest eos à pœnis protegere, quas potior erga alios caritas exigit. ib. Lex dilectionis hodie non ita extensa est, ut omnes adversus fontes pœnæ sublatæ sint, aut omnis adversus improbos resistentia prohibita. 658. Cum dilectio ejus sit naturæ, ut pluribus simul, sed non in eodem gradu debeatur, sæpenumero evenire necesse est, ut superiores gradus cum inferiotibus concurrant, in quo casu inferioris gradus dilectio potiori cedere debet. 658. Si dilectionis inimicorum lex sontibus scelerum, & hostibus grassandi impunitatem attulerit, non dici potest Christi Legem justitiam spirare; quæ ob misericordiam erga improbos optimum quemque libidini alienæ prostituit. 658, 659. Dilectionis gradus, deinde circumstantiæ, denique qualitates considerantur. 696. &c. Gradus dilectionis quis sit? ibid. usque ad 700. Nemo plusquam se ipsum diligere proximum tenetur. 696. Circumstantiæ dilectionis; utrum præcepta erga inimicum Charitas omni prorsus loco, & tempore exercenda præscribatur. 700. Qualitas dilectionis. 700, 701. Dilectio inimicorum debet esse non cæca, nec stupida, cortici verborũ mordicus adhærens 700. Dilectionis inimicorum specimen in patre cælesti. 700, 701. quemadmodum perfecta in Deo dilectio hominum inimicorũ non pugnat cum capitalibus supplicijs; ita minus in hominibus ea dilectio pugnabit cum sontium suppliciis, & bellis. 700. per dilectionem proximi sub novo fœdere neque bella, neque capitalia supplicia tolli: 768 Vide Inimicus.

Causa cur Diotrephes non receperit Apostolum Joannem. 364.

Disputationes veritati noxiæ 226. v. quæstiones. &c.

Qui alios docent monita exemplo suo debent confirmare. 268.

Mordicus retinenda est doctrina ab Apostolis tradita. 130. signa doctrinæ adulterinæ. 255. dupliciter doctrina damnationi obnoxia esse potest. 268. tota doctrina Apostolica per vocem præcepti designatur. 329. fidei Christianæ doctrina tantum est una. 536. de libertate ac necessitate utendi privato judicio in examinanda publica Ecclesiæ doctrina. 539, 540. & objectiones refutatæ 539. 540, 541, 542. doctrina Christi non ex eo æstimanda, quod per accidens per culpam hominum fiat sed ex eo quo per se tendit. 678. Vide lex.

In novis dogmatibus pejores errores sæpe latent quam ii sunt, qui per illos ex Ecclesiâ exterminari videntur. 284. Quamvis dogmata pura sint ab omni errore, tamen modus eorum tradendorum Ecclesiæ multum nocere potest. ibid.

Quomodo credentes spirituale domicilium, & Sacerdotium Sanctum dicantur? 301.

Non in gratiam humilitatis ac Modestiæ dominatio à regno Christi excluditur, cum sese ista non tollant; sed quia ejus natura coactivam potestatem non fert. 622. quibus dominatione interdicatur? 612, 623, 624 cum Christus dissimilitudinem regiminis Ecclesiæ suæ à regimine rerumpublicarum exprimit, legẽ inhibitoriam de dominatione dominica non tradit. 623. Error refutatur eorum, qui putant Christianis dominationem absolute, & simpliciter prohiberi. 624. Dominatio & coactiva potestas à Christo in Ecclesia plane prohibetur. Sed extra regimen Ecclesiasticum dominatio propriedicta prohibita non est 625. An cum Ecclesiastico Christi regimine dominatio consistere possit? 627. Non obstat dominationum juri, ac necessitati, quod omnes liberi sint naturâ, & sibi æquales, 619. Responsiones ad aliquot rationes, quibus dominia inter Christianos stabiliri censentur, ventilantur. 662. &c. Cum subjectio politica ipsis Christianis præcepta sit, nullam justam causam adferri posse, ob quam dominatio Christianis interdicta sit. 674. Dominandi potestatem Christianis non veritam esse. 675. Locus Matth. xx. 25. explicatur, in quo probatur civili dominatione Christianis non interdictum esse: sed de Ecclesiastica tantum dominatione sermonem haberi. 858, 859, 860, 861, 862. Locus 1. Petri v. 5. explicatur, & ostendit dum Episcopis dominatione in clerum interdicitur, dominationem in servos ac subditos non prohiberi. 867.

Jus dominii, & servitutis, non est per doctrinam Christi sublatum 251, 252. jus dominii in alios lege Evangelica suncitur. 268.

Prava superstitio eorum, qui Domini titulo moroſe in Ecclesia abstinent, 362.

Quomodo quærendum, ac retinendum Spiritus S, donum? 30. dona Spiritualia sine charitate consistere nequeunt. 94. Non tantum naturalia animi, sed & supernaturalia neglectu extinguuntur. 257.

Particula donec non semper respicit ea, quæ à parte post fiunt; sed sæpe ea tantum, quæ à parte ante. 1,

Dordracena Synodus quæ damna intulerit? 391.

Varius sensus verborum vigilandi, & dormiendi. 215.

Non est faciendum, de quo dubitemus? 64.

Levitas nunc ad Deum nunc ad Satanam se vertentium duplicem hominem facit. 276. qui nam sint duplices? ibid.

E.

Ebionitæ qui fuerint? 253. Quid senserint? 512, 513.

Non tantum illa crassa Ebrietatis species prohibetur; sed etiam ne admissis copiosioribus æquo in corpus vini spiritibus ad vehementiam quandam moderationi contrariam incitemur. 242, 243. Sobrietas mentis Ebrietati opposita. 315.

Ecclesiæ gubernatio invisibilis. 32. sine gladio, sed spiritualibus armis. ibid. Etiamsi regnent in Ecclesia errores. & corruptelæ; tamen Christus suis præsto est, ne nimium erroribus abripiantur. 71. Non est fas Ecclesiam se submittere authoritati, & potestati aliorum, qui tantum ministri ejus sunt 74. possint in Ecclesia præcipi quæ expresse a Deo præcepta non sunt, dum disertis præceptis non repugnent. 80. Deus noluit in Ecclesia magni fieri hominum authoritatem. 131. ultimum in Ecclesia Christi nocentium supplicium. 136. Quare Ecclesiæ antiquitas & authoritas suspecta? 146. modestia minus sibi tribuens concordiam Ecclesiæ conservat. Securitas & superbia lites serunt. 161, 162. Statum Ecclesiæ ab Apostolis institutum magis fuisse democraticum, quam aristocraticum, à Monarchico vero alienissimum. 194. Ecclesia templum Dei vocata. 224. domus Dei vocata, item columna & firmamentum veritatis. 244. Ecclesiastica disciplinæ necessitas. 250. Esse in Ecclesia firmum, & stabile fundamentum, in quo certissima salutis nostræ fiducia recumbat, & quod illud sit? 361. Non dogmata, aut confessiones &c. ibid. Dogmata vitiis hominum blandientia, & fabulæ in Ecclesiam Christi invectæ. 164. Rationes ab quas Apostolus dehortatur fratres ab affectanda Ecclesiastici muneris dignitate. 284. Ambitio eminendi, & magistri famam aucupandi odia, turbas, scismata concivit in Ecclesia. 286. Eusebii verba, commemorantis Ecclesiæ turpissimos mores circa tempora Samosetani. 286. Quoties Deus Ecclesiam persecutionibus objicit, non desunt in illa delicta. 312. Deus in Ecclesia voluit esse ordinariam, & solennem functionem, qua rudiores eruditentur. 312. Sed non ut sub Vetere fœdere Levitæ 313. Status Pastorum nimium disparati Ecclesiæ multum nocuerunt. ibid. Corruptio Ecclesiæ à Victore Rom. pontifice cœpit ibid. quibus modis introducta. ibid. Quæ vitia Ecclesiam funditus everterunt? 314. Quæ & quando fuerit Ecclesiæ virginitas? 349. Ecclesiæ visibilis ab invisibili distinctio immerito carpitur. 341. Vana est opinio, non esse verisimile Deum statim post Apostolos in errores noxios Ecclesiam incidere passum fuisse. 366. Quando in occultos Paganismi mores degenerarit? 500. Duo ad inveniendam veram Ecclesiam inter tot sectas impedimenta esse solent. 536. Non adeo magna difficultas inveniendi veram Ecclesiam. 536. Errant qui cætum aliquẽ, Christi nomen confitentem propter aliquos errores nomen Ecclesiæ & caditum ad æternam Salutem amittere putant. ibid. ejusmodi Ecclesiæ, quæ temere anathema dicit, non Christi, sed Antichristi spiritu ducitur. Ibidem. Quæ causa Ecclesiam Christi in tot sibi adversas, & quæ lese mutuo condemnant, sectas discerpierit? ibid. Ex quatuor propositis inveniendæ veræ Ecclesiæ modis, Ecclesiæ judicium rejicitur. & quare? 337. Ecclesiastica tyrannis quid præstet? ibid. Ex propositis inveniendæ veræ Ecclesiæ modis, quinam approbentur? 538. De libertate & necessitate utendi privato judicio in examinanda publicâ Ecclesiæ doctrinâ. 539, 540, & objectiones refutatæ. 539, 540, 541, 542. Scripta, & acta Ecclesiastica supprimendi scopus. 541. per omnia sæcula non defuerunt qui adversus Ecclesiæ abusus protestarentur. ibid. Ecclesiam Dei catholicam errare posse in fundamentalibus fidei ac doctrinæ Christianæ. 544. In quo sensu dici possit Ecclesiam Catholicam in fundamentallibus non errasse. ibid. Universalem in tertis Ecclesiam esse non negatur. 545. Ecclesiæ quæ sibi Catholicarum nomẽ vendicant, non objectatur, quod adeo graviter in fundamentalibus errent, ut illic reperiri nequeant homines, qui sint vera membra corporis Christi. 546. Voces Ecclesiæ expenduntur, & distinguuntur. 546, 547. Quæ sit visibilis, & externa Ecclesia? 546. Ipsarum Ecclesiarum alteram veram, alteram falsam esse necesse est. ib. Quæ vera Ecclesia? ib. Quare vera Ecclesia invisibilis. 547. Externa Ecclesia aut particularis est, aut universalis. Vox Catholicæ Ecclesiæ dupliciter sumitur aut proprie, aut ex more veteri primitivæ Ecclesiæ. ib. cur nec Ecclesia Occidentalis Latina, nec Græca Orientis, nec tot in septentrione Germanicæ Ecclesiæ &c. Catholicæ dici possint? 547. cui Ecclesiæ non competat privilegiũ veræ & invisibilis? &c. 548. Non negatur esse externam & visibilem in orbe Ecclesiam: imo invisibilem absq; visibili dari non posse censetur. 550. Non minus orientalis est particularis Ecclesia, quam occidentalis, nec habet ulla earum supra alias potestatem aut prærogativam. à solâ primitivâ Apostolicâ omnes dependent. 552. Deus semper in Ecclesiis visibilibus reliquit sibi bonam hominum partem, qui fuerint vera Christi Ecclesia. 553. Quomodo Ecclesia Christi tam visibilis, quam invisibilis duratura sit usq; ad consummationem seculi? 554. Quomodo Deus, cum mitteret efficaciam erroris, Ecclesiam suam invisibilem, divina sua custodiâ, protectione, & ope sustentarit? quod tribus rationibus probatur. 555, 556. In libro Apocalypseos, duo Ecclesiæ status depinguntur, prior sub servitute Antichristi afflictus, posterior post liberatum eum ab hoc servitute felix, & triumphans. 556. In Orientali Ecclesia Laici amoventur à celebratione Eucharistiæ; & quæ inde damna? 561. Tam Occidentalis quam Orientalis Ecclesia sacerdotibus suis male imposuit officium in Eucharistia offerendi Deo in pane & vino agnũ incontaminatum, Christum Dominum, quod uni Christo competit. ib. Defenditur causa secedentium à corruptis Ecclesiis. 578, 579. &c. De necessitate secessionis à corruptis Ecclesiis. 583. An omnes Ecclesiæ, quæ ab Antichristo

Christo secesserunt, tam ob paucitatem suorum, quam ob doctrinæ & disciplinæ defectum merito culpentur? 590. Vide & 581. An expediat universali *Ecclesiæ*, ejusque ædificationi secedere ab *Ecclesiis* potentibus, præsertim si scindi contingat in partes exiguas, & infirmas, neque cum *Ecclesia* à qua secedi-tur comparandas? 592. *Ecclesia*, quamvis sit infirmissima, optimo jure catholica dici potest, quæ præter Catholicam & omnibus communem doctrinam, nihil hominibus discendum proponit. 591. Quæ documenta sectæ aut *Ecclesiæ* hodie requirant? 607. *Ecclesia* Reipubl. non sustulit, sed confirmavit. 619. precaria potestate regitur, nec regnum propriè dictum dici potest. 627, 633. Esse in *Ecclesia* quid significet? 642. Ad inveteratos *Ecclesiæ* morbos sanandos præstantissimum remedium. 685. An expediat pietati, ut ejusmodi leges in *Ecclesia* regnent, quæ ad alterum extremorum, videlicet rutius. plus æquo declinent? 686. *Ecclesia* sibi jus aut potestatem sumere non potest, derogandi de jure Magistratuum. 687. exoptanda propagatio, & florens, ac triumphans in terris status militantis *Ecclesiæ*. 687, 688. Liberam vocem in *Ecclesia* coercendi nemo privarium jus habet. 740 An in *Ecclesia* intra exiguum numerum hominum semper plures electi sperandi sint? 746. Quid significet *Ecclesiam* in statu persecutionibus obnoxio detineri, aut ab eo liberari? 803. falsum est Deum velle, ut *Ecclesia* in statu servituti obnoxio perpetuo detineatur. ibid. An *Ecclesia* jam sub cruce, & inter afflictiones in signiter propagari possit, quam æquo Apostolico crevit inter persecutiones? hoc negatur. quia non eadem antiqui, & præsentis seculi ratio est. Quod probatur. 804. Cum religio aut *Ecclesia* in periculo esse videntur, non Christus, aut religio sed nosmetipsi cum fratribus periclitamur; & si legitime possimus nos præliando ab impetu hostium tutos præstare, non modo possumus, sed debemus. Verum id non religionis aut *Ecclesiæ* causa, quæ armis non indiget; sed hominum religionem profitentium. 844.

Ecclesiastici omnia hominum genera avaritiæ labe siperant. 243. Eusebii locus de disfidiis, vitâ corruptâ, & ambitione *Ecclesiasticorum*. 251. Apud Eusebium aliosque omnes scriptores *Ecclesiasticos* fabulorum plaustra reperias. 264. Status pastorum nimium disparati Ecclesiæ multum nocuerunt *Ecclesiasticos* se dici voluerunt, clerum, sacrum ordinem. 313. leges rigidiores æquo introduxerunt in Ecclesiam, & in quem finem? 313. qualis horum fuerit fides, & Sanctimonia? ibid. Quomodo laicis servitutem jucundam fecerint? ibid.

Efficacia roboris virtum Dei, quum exnerit in Christo, in quo consistat? 142.

Elevare quid significet? 216.

Discrimen inter animi *elationem*. & animi magnitudinem. 865.

Ἐκλογὴ electio quid significet? 57. Quosnam Deus ante creationem mundi *elegerit*, & quomodo? 140. Diabolum ante mundum condutum peccasse ejusque lapsum *electioni* hominum causam dedisse. 140. Vanitas opinionum de prædestinationis, & *electionis* necessitate, & certitudine. 165. *Electionis* vox non uno modo in S. literis intelligitur. 208. vox *electorum* latius & strictius sumitur. 266. 322. *electi* secundum præcognitionem patris, quinam, & quomodo sint? 295. *Electio* & vocatio aliquando idem significant. Quando vocationi opponatur *Electio*? 322. Si cesset opera nostra infirmæ redduntur. ibid.

An in *Ecclesia* intra exiguum numerum hominum semper plures *electi* sperandi sint? 716.

Quomodo *Eleemosyna* danda? 15, 16. mercēs. ibid. qui hic gloriam terrenam venantur, nihil ultra expectare possunt. ibid. Non licet ut apud Deum simul & apud homines ejusmodi gloriam aucupemur, ut inde gloria Dei emergat fieri id non potest. ostentatio vetatur. 16.

Elementa mundi quæ sint? 134. 179. 180, 181. 185.

Eloquia Dei quid significent? 40.

Eusebius mathematum *Enchimentionem* facit. 367. ejus vaticinium. ibid. tempore Eusebii extitit liber Enochi. 368.

Epistola secunda ad Thessalonicenses non dici post primum scripta. 219 quare *Epistola* Judæ oppugnata ab Eusebio? 365.

Quænam requirantur in Episcopo? 241. Nomina *Episcoporum* & presbyterorum Apostolico ævofere idem significabant. 266.

Erasmi de Arianorum libris judicium. 233. Erasmi, & aliorum magnorum virorum orationis colores, & exaggerationes parum firma, & solida sunt opinionum fulcra. 793. *Erasmus* legitimam, & necessarium bellorum ulum non damnavit. Ibid.

Fundamentum & Origo Monasticorum ordinum, & *eremitarum*. 553.

Magistratus officium in *erroris*, & veritatis certamine. 14, 15. *errores* in difficilioribus non sunt nocituri, si perceptu facilia, quamvis factu ardua observentur. 35. peccatum præcedit *errorem*. 68. Etiamsi regnet in Ecclesia *errores* & corruptelæ tamen Christus suis præsto est, ne nimium *erroribus* abripiantur. 72. Sanctimonia vitæ iis non sit profutura qui falsos *errores* in Ecclesiam introducunt. 73. *Error*, & ignorantia aliquando veritati & tenebræ luci succumbent. 143 duplex *error* Platonicorum, & pythagoreorum tempore Pauli, nempe in deiectu ciborum, ac dierum, & in cultu angelorum 183, qui refellitur 183, 184. Qui *errores* obstinationem adduxit, *erroris* supplicium merentur, & luunt. 263. *erroribus* summorum virorum non insultandum. 221. *Error* pestilentissimus eorum, qui Christum qui in carne venit, nō esse verum Christum. Sed alicui aliquem opinantur, 122. Radix *errorum* quis sit? 216. Christus aliquando permittit Ecclesiam suam *erroribus* involvi, sed tamen singulorum curam gerit. 227, 228. Non par est ratio eorum, qui ab agnita veritate resiliunt cum iis, qui in *erroribus*, quos non intelligunt, vivunt. 229. Quomodo Deus improbis immittat *errores*? ibid. Peccata homines ad quærendos *errorum* fucas, & fugiendam veritatem alliciunt. ibid.

Non decet homines ob *errorum* fæditatem odio persequi? 278.

Errantes non excusantur, aut defenduntur numero. 315. nullum est peccatū voluntatis; absque errore intellectus. 226. Justo Dei judicio permissum & prædictum, est ut cum pura veritate religionis Christianæ ingrederetur errorum colluvies. 363. Vana est opinio non esse verisimile Deum statim post Apostolos in *errores* noxios Ecclesiam incidere possum fuisse. 366. amor sincerus erga Deū & Christum ad salutem sufficit, & in *erroribus* esse potest 375. Quamvis fides & spiritus Sanctus sint Dei dona, quod ea tamen *errantes* habeant, & habere possint. 376. quod sola inobedientia & incredulitas excludant hominem à salute æternâ, quibus errantes earere possunt. 377. An rudimentis errores hominem damnent. 377. Quomodo pleriq; *errores* oppugnent? 451. Errori non sola veritas, sed alius error hostis esse potest. ib. dum nimium violenter in adversam partē sententia aliquo trahitur, legitimum veritatis locum transilit, & ad alterum erroris extremum deflectit ib. Non ideo summorum virorum authoritas convellitur, quod in ipsis primum falsi glaciem frangentibus, *errores* aliqui notantur ib. Ubi adversarii rationibus urgentur, nec habent quod respondeant, stomachantur, & rationum tela in *errores* suos cōjecta, in ipsum Christum contorta esse calūniantur. 481. Non est *errorum* culpa in rationem, sed in abutentium eā pravitatem conferenda. 483. ex *errorum* patronis pro veritate testimonium colligere licet. 505. *Errant* qui cætum aliquem, nomen Christi confitentem, propter aliquos *errores*, nomen Ecclesiæ, & aditum ad æternam salutem amittere putant. 526. 560. Unde tot *errores* prodierint cum Christianis lumen Sacrorum literarum non defuerit? 140. Ipsi per se *errores*, nisi admixtā malitia sit, non sunt plane lethales, sed tantum admodum periculosi, & noxii. 146. Quomodo Deus cum mitteret efficaciam *erroris*, Ecclesiam suam invisibilē divinā suā custodiā, protectione, & ope sustentarit? quod tribus rationibus probatur. 555, 556. *errorum* suspecta doctrina sibi à veritate male metuit, nec conspectum, aut viciniam ejus ferre potest. 364, 378. Caritas exigit ne *errores* aut delicta per conniventiam toleremus. 180. Quibus modis homines sibi cavere possint ne *erent*, aut præsertim pernitiose *erare* nō possint? 611. Damnatis *erroribus* non statim ad damnationē *erantium* properandum. 612 Character eorum, qui *errori* patrociniū præbent, ut eos exaggeratis criminibus incesserent, quorum causam rationibus urgent non poterant. 741. facilis est ab uno *errore* ad aliū transitus, nec ex eventu semper æstimanda sunt criminum aut *errorum* nocumenta; sed ex ipsā eorum natura. 745. *Erroris* ea est ingenium, ut non modo cum veritate, sed secum ipsa pugnet. 851.

Non peccant qui *essentiæ* vocem Deo tribuunt 458. Discrimen est inter naturam, seu formam, quæ dat *esse* rei. Quæ dico non idem sunt, nec sine gravi errore confundi possunt. *essentia* quid sit? 462.

Particula *ex* sæpe ponitur pro id est. 342.

Ethnici legem non habentes, naturā quæ sunt legis facientes, tanquam ejus factores justificabuntur. 39. Causa viticsæ fuit *Ethnicorum* vitæ eorum deceptio, & obtenebratio rationis humanæ. 147. *Ethnicorum* libri quidam probantur, & eorum usus exempli Pauli Apostoli probatur. 169. Christiani cum à Judaismo longius abstrahuntur, ad *Ethnicismū* declinant. Quidam nuper ab *Ethnicismo* ad Judaismum deflexerunt. 451. Christiana dogmata cum *Ethnica* sapientia conciliata. 545. Promissio novi fœderis *Ethnicis* facta conditionalis fuit. 553. Quare *Ethnici* in celebratione religiosi ritus inculcabant, Hocage. 605.

Evangelium efficax ad salutem. 37. cur sana doctrina vocetur? 252. Cum Evangelio pati quid sit? 258. Prophetiæ per *Evangelium* confirmatur, *Evangelium* per Prophetias multum accipit lucis. 298.

De *Eucharistia*. 561. In Orientali Ecclesia Laici amoventur à celebratione *Eucharistiæ*, & quæ inde damna? 562. Tam Occidentalis quam Orientalis Ecclesia Sacerdotibus suis male imposuit officium in *Eucharistia* offerendi Deo in pane, & vino agnum incontaminatum, Christum Dominum, quod uni Christo competebat. ibid.

Εὐδοκία quid significet? 156.

Eusebii malignitas, qui veris Symboli Apostolici confessoribus tribuit, quod in Ebionitas competit. 1. cur Papias exosus *Eusebio*? 19. confessores Symboli Apostolici hereseos crimine in famat. 27. cum nihil adversus eos ex antiquis patribus producere potuerit. ib. Damnans alios ipse damnatur. 28. ejus locus de pseudoprophetis. 34. commemorat prædictum ab Apostolis tanquam proxime venturum Apostasiæ eventum. & judicatum ab Hegesippo tanquam jam advenisset. 134. Artemonis vocat apud *Eusebium*, aliosque omnes scriptores Ecclesiasticos fabularum plaustra reperias. 264. ejus oscitantia in legēdis sacris libris. ejusq; causa. 195. Mathematum Enochi mentionem facit. 367. cujus tempore extitit liber Enochi. 368. Ejus verba commorantis, Ecclesiæ turpissimos mores circa tempora Samosetani, 286. hæresin, qui supra Symbolum apostolicum sapere non audebant. 511. aperte illis maledicit. Contra illos decem libros Ecclesiasticæ historiæ composuit. ib. est amans fabularum. 512, 513, 519. refutatur. 514, 515.

Eustathianorum Photinianorum cœtus quales fuerint, cur sciri nequeat? 552, 553. Quorum doctrina, si Apostolicæ fuit congrua, non periit, aut peribit. 553.

Exaltatio Christi fuit domum pro antegresso obedientiæ merito. 759. Est universalis, & particularis. 160.

Traditio Satanæ est *excommunicatio*. 77. Satanæ regnum est quod est extra ecclesiam. ib. *excommunicatorum* mala. *excommunicationis* scopus ib. naturā separationis, & denegatæ conversationis. 78 ejus natura. 271. institura est adversus homines secundum carnem viventes: sed non adversus errores in rebus involutis, & perplexis. Quod probatur. 290. A Gnosticis infligebatur iis, qui Gnostica eorum dogmata non reciperent. 364 Quinam hæretici excommunicandi, qui non? 384. Qui ob admissa adversus leges Christi delicta, quosdam *excommunicant*, Christi negotium agunt, non tuum. 590. *excommunicatio* habet vim damnandi, & pœna æternæ mortis afficiendi. 724.

Boni *exempli* vis. 305.

Exercitatio corporis quæ sit? 215.

Exsultatio mentis quid significet? 297.

Cultus internus non prodest nisi *externus* accedat. 603. quæ inde incommoda. ib *externus* divini cultus actiones vel optimas nemini per se salutem, vel pessimas nemini per se damnationem afferre. refutatur. 605. Ingenia hominum prona sunt ad ejusmodi obsequium Deo & religioni præstandum quod exteriori specie oculos ejus perstringit. 667.

Quomodo nos erga *extraneos* gerere, eosq; in veritate instituere debeamus? 193, 194.

F.

Per *fabulas* & genealogias infinitas quid Apostolus intelligat? 237. Profanæ & aniles *fabulæ*

fabulæ quæ sint? 246, 247. dogmata vitiis hominum blandientia, & *fabulæ* in Ecclesiam Christi invectæ. 264. Apud Eusebium alios; omnes scriptores Ecclesiasticos fabularum plaustra reperias. ibid.

Non auditores, sed *factores* legis esse decet. 280.

Non contenti esse debemus bonâ conscientiâ, sed bonæ *famæ* etiam rationem habere. 119, 169.

Suspectum *falsi* verum, bono cum *falso*, vero cum malo nullum vinculum, aut commercium. 496.

Origo *fati* 278. & colores quibus *fati* patroni depinguntur. ib. *fati* absurda. 398, 399, 431. Vide Prædestinatio.

Christianæ *felicitatis* lineamenta. 5, 6. Perversa ad felicitatem via. 373. In quærenda *felicitate* multum laboravit humanum ingenium. In quibus eam viram esse nonnulli putarint? non in virtute solâ. 429. In quo vere sita sit? 429, 430. Quomodo ista *felicitas* subruatur à nonnullis. 430, 431. quomodo restituenda. 433. Vide beo.

Fermentum quid adumbret? 77.

De observandis *festis* solennitatibus. 559

Auxilia, quæ Deus hominibus ferre solet, sunt *fidei* excitatio, nox sustentatio. 2. Nemo accedit ad ejus assensum. ib. discrimen inter *fidem*, ex rationis, & *fidem* ex revelationis lumine. 37. Potest *fides* secundæ pretium est, & probitatis genetrix. ib. homines ante revelationem prima *fidei* elementa habuere. 1. legē scriptam in cordibus 38. Occulta sunt judicia Dei, ut *fidei* locus sit. ib. firmiorum in *fide* officium. 64. Vide infirmiores. *Fides* pro scientia, & cognitione rerum divinarum sumpta. ib. quomodo Dei donum dicatur. 144. 318 *Fides* Christi est *fides* in Christum 135. *fidei* Clypeus quid significet? 153. Quæ sit *fides* in Christo Jesu. 171. Est in successivo actu, &, nisi proficiat, deficit. 219. *fides* non est omnium, quid significet? 230. *fides* non simulata 236. Vox *fidei* specialius accepta pro sana doctrina, opposita bonæ conscientiæ. 238. Pro doctrina religionis sumpta 245. Quinam *fidē* abnegent? 245. Non solam fiduciam in Deum, sed totam religionem Christi significat. 253. Jacobus erroneam opinionem oppugnat eorum, qui Christianæ vitæ officiū in *fide* absq; operibus collocarunt. 277. Quos describit suis coloribus. ib. Error *fidei* ab operibus separatæ ex epistolis Pauli male intellectis fluxit. 282. *Fides* sine operibus umbra tantum, & cadaver est *fidei*. ib. Non est otiosa, non mortua. ib. falsæ, & sine operibus mortuæ *fidei* vanitas. 283. quænam Paulus ex *fide* excludat. ib In quo consistat? 298. Quæ sit *fides* in justitia Dei & servatoris nostri? & cur æquipretiosa dicta? 317. illud donum Dei in dies nobis efficacius reddendum; & qualem virtutem pro creat? 318. 320. Partes fideiveræ. 374. quamvis fides & Spiritus S. sint Dei dona, quod ea tamen errantes habere possint, & habeant. 376 sufficiunt ad salutē fides, spes, Charitas. 379. Quæsit? 482. Absq; ratione esse non potest: nam quod absurdum rationi, idem est fidei. 489. Ejus ostentatio, dum tentatur Deus, magnum diffidentiæ documentum exhibet. 619 An Deus sub novo fœdere sæpe ab omnibus Christianis ejusmodi *fidei* experimēta exigat, quale in immolatione filii ab Abrahamo exegit. 659. Extremum *fidei*, quod in tentatione Dei cernitur nobis cavendum, in quod plerumq; *fides* degenerat, quando cum ordinariis, quæ Deus præbet, mediis nos servare possimus, extra ordinem miraculosa auxilia expectamus. 709. auxilii divini fiducia, quamdiu intra spem ordinariæ opis divinæ, laboribus nostris auram suam adspirantis, subsistit, vera & legitima *fides* est, at quoties miracula petit, in tentationem degenerat. 727.

Fidelis est Deus etiamsi homines sint perfidi. 40. *fideles* mundum judicaturos quid significet? 78. quare sancti dicantur? 171 *fidelibus* aliquid angelica dignitate eminentius promittitur. 174. Eorum vitam absconditam esse cum Christo in Deo, quid sit? 185, 186. In judicii die nō futuros assessores tribunalis Christi, quinq; rationibus probatur. 197. quæ potestas *fidelibus* in futuro ævo futura sit? 204. Quantum Deus Satanæ permittat in *fideles*. & quare? 210. Vide Christiani.

Fiducia Christiana cautissimo metu temperanda. 113. quomodo possint simul consistere ib. *fiducia* sui nimia pronæ in lapsū securitatis mater. 160. Quid per *fiduciam* in carne intelligatur. 163. Deus à nobis fiduciam poscit: sed non otiosam nec temerariam, quæ extra ordinaria miracula poscat. 750.

Figuræ, ac typi duplices in S. Scriptura inveniuntur; transeuntes, & permanentes. 152.

Filius perditionis quid significet? 122. quomodo *filii* Dei vocentur. 347, 348. qui nam *filii* diaboli sint & quomodo? 349. Christus nō per Metaphoram; sed proprie dictus *filius* Dei censeri debet. 451, 597. quod probatur quatuor rationibus. 454. & argumenta contrariæ sententiæ refutantur. 455, 456. &c. differentia inter unigenitum *filium* Dei, & ejus adoptivos *filios*. 599.

Non tantum in Intentione, sed interdum in executione *finis* media sibi servientia antecedit. 241. Verba, omnium *finis* imminet, *finem* universalem non spectant. 310.

Fœderis veteris ministeriū opponitur novo 108. Lectio scriptorū veteris *fœderis*, nonnisi per fidē, quæ est in Christo Jesu prodest. 263. peccant qui novi *fœderis* scripta potius per scripta veteris, quam veteris per novi explicant. ib. Deus ab Orthodoxis pœnas injuriarum exigit, etiam heterodoxis illatarum, quoties eos *fœdifragos* esse contingit. 438.

Fœminas qualis cultus deceat? 241.

Lignū, *fœnum*, stramen quid significant? 74

Fœtentibus litibus quomodo à Christo, & Paulo interdictum sit? 78.

Forma Dei, & *forma* servi quid denotent? 158, 159. Fortuna prosperæ quamvis periculosa sit; tamen Christianum non decet hoc virtutis specimen effugere. 687.

Quare de indignis *fratribus* bene merendum. 364.

Quid *fundamentum* sit Christianismi? 35. 522. Quid non sit? 35. Per *fundamentum* aurū & ligna, quid Apostolus. 1. Cor. 111. intelligat? 71. dogmata, opiniones, aut confessiones non sunt *fundamentum* Ecclesiæ. Sed quid sit? 261. *fundamentum* fidei, & doctrinæ Christianæ dupliciter sumi potest. 544.

Omnia *furtorum* genera damnantur. 148.

G.

Galea salutis quid significet? 153, 166, 215.

Gaudium qualis virtus sit. 65 *Gaudio* cor dilatatur. 115. Nihil est homine Christiano dignius *gaudio*. 167. Quod obnubilatur Ecclesiæ diffidiis. ib. Quare semper *gaudendum*? 216. Epist. Apostolorum à Gratiis agendis Deo, & *gaudii* sui significatione fere incipiunt. 296.

Genealogiæ quæ sint? 270. Per fabulas, & Genealogias Gnosticorum infinitas quid Apostolus intelligat? 237, 238.

Duæ *Generationes* filii Dei. 1. secundum carnem. 2. secundum spiritum sanctitatis. 1. prioris, & posterioris naturā &c. ib. *generationū* tres tesseradecades, ab Abrahamo ad Davidē. 1. à Davide ad cladem Babylonicam. 3. à clade Babylonica usq; ad Christum natum. ib. Explicatur cur, & quomodo *generationum* diversarum in Christo altera alteri succedat. 461.

Omne *genu* cœlestium quid significet? 160.

Gladius spiritualis quid significet? 154. sensus verborum Esai xi. 4. de *gladiis* in ligones, & lanceis in falces contundendis. 716. Locus Matt. xxvi. 52. qui *gladio* ferit *gladio* peribit, & Apoc. xiii. 10. explicatus. 812, 813. universalior est necessitas *gladii*, qui pacem, & bellum moderatur, quam matrimonii. 815.

Quare Paulus *gloriationem* suam insipientem vocet? 126.

Futura nostra *glorificatio* in præterito, quasi jam facta nobis, enunciari potest duplicem ob causam. 175. quod exemplis confirmatur. 175, 176. 297.

Gnosticorum errores quomodo in Ecclesiam invecti? 231, 232. Præpostere Arriani dicti. 233. eorum factio, & piæ fraudes. ib. studio philosophiæ magis, quam sacrarum literarum incumbebant. 233. notitiæ rerum caliginem infuderunt. 234. suppressi, aut depravati ab iis libri, aut suppositi. ib. horum artibus oppressus Paulus Samosetanus, Antiochenæ urbis Episcopus. 234. quibus artibus grassata est in Ecclesiam *gnosticorum* secta, & sidē æquibus subversa est. ib. homines à se dissentientes, tanquam recens excogitatorum errorum insimulabant. ib. eorum cæcitas. 322. fœda dogmata. 318. turpissima quæq; non modo peccata esse, sed ad perfectionē religionis necessaria dixerunt. 335. excommunicatio ab iis inflicta omnibus, qui *Gnostica* eorum dogmata non reciperent; 365. sunt majores Arrianorum, qui Arriani antiquiores sunt iis, qui se Orthodoxos ferunt. 498. Justini, & Irænei tempore falsa obtrudunt Ecclesiæ, vera premunt, eorumque malæ artes describuntur, quibus omnia corruperunt. ib. cur veram antiquitatis in Ecclesia notitiam suppresserunt? 525.

Ubi non est *Gratus* & judæus &c. sed omnia in omnibus est Christus. 187, 188.

Gratia quid significet. 105. Veterē referendo *gratiam*, invitamus novam. 106. *Gratiæ* agere, & preces fundere Deo, idem sunt. 198 etiam sanctissimi viri magnum adeunt periculum, quoties insignē aliquam *gratiam* ipsis Deus confert. 126. cit in operibus legis aliqua laus nostra sed exigua, cum Dei *gratia* collata. 164. Dei *gratia* ubiq; operā, & obsequio nostro nihil agit in nobis. ib. excitare in se ipso *gratiam* Dei. 217. Epistolæ Apostolorum à *gratiis* agēdis Deo incipiunt. 296. *gratia* Dei non est in indivisibili; sed incrementum admittit, in qua sitā? 317. *gratiam* Dei transferre ad libidinem. 305.

Gratus male refutatus. 804, 805.

H.

Habitare in Deo, & in nobis Deum quid sit? 351.

Hæreses quare oporteat esse in Ecclesia? 90 origo *hæreseum*. 166. 184. Cur *Hæreses* aliæ expellant? 232. Historia Ecclesiastica docet omnes *hæreses* à Simone Mago, & Menando expisse, qui magi fuerunt. 205. *hæreses* perditionis quæ sint? 324 Zelus amarus in dissentientes, *hæreses* certissimum est signum. 317. Rationes & exempla pro tolerandis hæreticis, & quinam veri *hæretici* sint? 382. quinam hæretici excommunicandi, qui non. 384. Omnes propemodum *Hæreses* sub titulo reconditioris rerum divinarum scientiæ in Ecclesiam irrepserunt. 514.

Hæresiarchidium unde ortum? 216.

Hæreditas incorruptibilis, incontaminata immarcessibilis quæ sit? 296. Quare tanquam præsens dici possit. 297. & supra 175, 176.

Hegesippus apud Eusebium testatur post Apostolorū obitū mox depravatū Eccles. 214

Apologeticon adversus Danielem Heinsium, ejus reprehensio 389. &c.

Quantum fidei libro *Hermæ*, qui pastor inscribitur, tribuendum, docet Tertullianus, & Gelasius Pontifex Romanus. 504. *Herma* asserit Spiritum S. esse filium Dei: Christum autem Spiritus Sancti servum. ibid.

Hilarius felices galliæ Episcopos prædicat quod etiam confessionem nec recepissēt, nec agnovissent, quam veterem & simplicissimam ab ætate Apostolorum receptam. 379.

Homines suæ salutis esse fabros. 2. *Hominis* corpus, aut caro non absolute pars essentialis compositi dici potest, nisi per accidens, & secundum quid. 101. est pars organica, & instrumentalis. ibid. Si instrumentum istud in melius mutatur non ideo alia numero ista substantia erit. ib. neq; instrumentum causæ principalis essentiam habere potest, alias nō esset instrumentum, sed id cujus est instrumentum. ib. Hoc *hominis* instrumentum corporeum naturæ adversum, & animæ noxium 102. *Homo* interius opponitur externo 111 Vox *hominis* quid significet? 129. pro doctrina *hominum* sumitur. 130. Quid per internum *hominem* intelligatur? 145. Quid per *hominem* veterē, & novum? 147. *homines* bestias ipsas libidinum turpitudine vincunt. 181. membra veteris *hominis*. 186. Duo genera sēsuum, in quibus *hominum* pravus appetitus plurimum exorbitat, gustus & tactus. 186. avaritia vitium *hominis* soli proprium. ib. Quibus in rebus consistat exutio veteris *hominis* 186, 187. Quomodo novus *homo* induendus? 187. Per novum *hominē* nova creatio, aut regeneratio intelligitur. ib. *Homo* peccati quid significet? 223. pro moribus *hominis* sumitur. 305 occultus cordis *homo* quid significet? 305 *homines* vocantur animæ, & spiritus 308. In quo consistat vera *hominis* præstantia. 865.

Lex Christi non *homicidium* tantum, sed odia, iram temerariam, & omnes ad eam occasiones damnat. 7. Christus *homicidii* pœnam cum pœna iræ non coæquavit. 8. Quomodo ira, convitium, impudica cogitatio pari, imo eadem pœna à Christo digna judicata sint, qua *homicidium* & adulterium. 638. Non *homicida*, sed Caini cædes in mundi incunabilis edicto Dei repressa est. 815.

Deus *honesta*, & laudabilia non omni tēpore, nec ubiq; à nobis exigit; sed cum ejus rei legitima occasio, locus & tēpus occurrit. 824

Vox *honorare* τιμᾶν quid denotet? 148. vox τιμὴ non tantum *honorem*, sed & causam honoris, pretium vel æstimationem significat. 250. cum Christus discrimen ordinum ac vocationum non sustulerit expenditur. quid hic Christiano liceat, vel non, in honore hominibus habendo. 281. qualis *honor* vasi muliebri, ut infirmiori tribuendus? 306.

Si Christus præcipit quo animo erga *hostes* esse debeamus, quasi permittit nos *hostes* ha-

habere posse.692. Vide Iudaicus.
Quare Christus Matt. xi. 25. ex omnibus virtutibus unam *humilitatē* ac modestiam suo exemplo elegerit? 70. Pauli *humilitas* præbuit occasionem ipsum contemnendi. 121. In quo consistat? 158. variis nominibus describta. 160. in malam partem sumpta. 189. ejus proprietates. ib. quomodo requirat ut alios excellētiores nobis arbitremur? Phil. i 3. 722. 821. dux *humilitatis* partes. ib. an *humilitas* exigat, ut animum pro indignis ponere debeamus? 823 eam cum dominatione, nec regia potestate pugnare. 860, 861. christiana *humilitas* & magnanimitas adeo stricto inter se vinculo copulatæ sunt, ut altera ab alterā divelli nequeat. 864. nullus erit *humilis*, & modestus Christianus in quo vera animi magnitudo non eluceſcat. & contra. ib. *humilitatis* notæ. 865. *humilitatis* extremum est pusilli & degeneris animi vitiū, quod describitur. 866. V. Modest.
Hypocrisis quorundam in Ecclesia. 16. *hypocrita*, & eorum pœna. 27. origo, & progressus in Ecclesiā. ib. eorum descriptio. 31, 33, 34 35. per lapos rapaces intelliguntur *hypocri*. 35

I.

Iacobus Apostolus jam suo tempore adversus eos qui Apostolicam doctrinam oppugnabant, luctatus est? 277. Epistolæ Paulinæ ad Romanos optimus interpres. 281. Apostoli Paulus, & *Iacobus* inter se fuerunt concordes. 283. *Iacobus* ostendit veram significationem vocis fidei, qua Paulus usus est. ibid.
Idololatriæ origo. 37. ejus vanitas. ib. Est spiritualis scortatio. 137. 565.
Ieiunium non differte præceptum in Novo Fœdere. commendatur tamen, ejusque modus præscribitur. 24. De *ieiuniis* Ecclesiæ. 559.
Error Antichristi negantis illum, qui in carne venit, & homo natus, ac *Iesus* vocatus est, esse Christum, & filium Dei. 343, 344, 345. &c. quinam rei hujus erroris? & causa hujus erroris. 345. utra earum partium, quæ in sententia de *Iesu* Christi persona inter se dissident, eo nomine verius accusari possit, quod neget *Iesum* esse Christum & filium Dei? 343, 344, 345 nomina *Iesus*, & Christus, quamvis unum idemque significent, plurimum tamen distinguuntur. Quid per *Iesum*, & quid per Christum intelligatur. 343. Vide Christus.
Quæ sub *Ignatii* nomine venditantur Epistolæ, spurias esse, I Usserius ostendit. 503. De *Ignatio* judicium. 505.
Ignavia, & timiditatis duæ partes. 258.
Licet *ignorare* ea, quæ Deus in Sacra Scripturā non indicavit. 125. *Ignorantia* in Ethnicis extitit, propter propriam ipsorum culpam, & cordis duritiem. 147. quid impetratu æquius quam ea, quæ capere non possis, *ignorandi* licentia? 591.
Quare Christus viva sit *imago* patris? nempe ob vitæ sanctimoniam, & supremam in cœlo, & terrā potestatem. 174, 175.
Quæstio de *imaginibus* in sacris locis erigendis duabus partibus constat. An collocatio earum in templis permitti debeat? 561. quinque rationes refelluntur. 562. 563. An *imagines* sint religioso cultu adorandæ? 565, 566, 567, 568. quare Deus per *imagines* coli nolit? 566. *Imagines*, ſicubi reperiantur, contumeliis afficiendæ non sunt. 567.
Imitatio Christi varias vitæ, & status vocationes non tollit. 188. Christus non in omnibus *imitandi*. In quo cōsistat unica *imitandus* Christi regula. ad quam nos componere debemus? 619. Christum in vitæ sanctimoniā *imitari*; sed neq; omnia, quæ facit, facere; nec ab omnibus, à quibus ille abstinuit, abstinere debemur. 731. In omni perfectionum genere Christum *imitari* non possumus. ib.
Impedimenta salutis non omnibus, neque semper removenda videntur. 565.
Quando & quamdiu mutationes *imperiorum* incertam juris & legitimationis dijudicationem habeant? 875. Justitiam Dei cognoscere etiam improbissimi dicuntur. 18.
Improbi cur rixosi dicantur. 39 neminem *improborū* excusat, quod interdum, aut etiam frequenter aliquid boni faciat. 377. loto inter *improbos* habitatio male cessit. 606. V. Mali.
Peccantibus ad *impuritatem* multitudo, nec numerus prodest. 305, 367. exempla severitatis divinæ in eos, quibus collata beneficia ad *impunitatem* non profuerunt. 366, 367. *Impunitatis* spes maxima est illecebra peccandi. 665, 667. Non æquum est, ut propter incertam spem quorundam propriā culpā de salute æterna periclitantium concedatur grassanti violentiæ *impunitas*. 828.
Incredulitatis Judæorum causa penes ipsos est. 2. *Incredulitatis* Judaicæ culpa à Deo removetur. 55. causa, ob quam principes hujus ævi *increduli* fuerint. 70. Sola *incredulitas* & inobedientia excludunt hominem à salute æterna. 377. Quare de *indulgais* fratribus bene merendum? 368.
Indurationis Pharaonis qualis? 52, 53. nec inde Deus author peccati videri potest. 52.
Deus causa *indurationis* non per se; sed per accidens. 56.
Inferni descriptio. 326. Sensus verborum portæ *inferi* non prævalebunt adversus Ecclesiam. xvi. 554, 555.
Infidelis maritus quomodo sanctificetur per uxorem? 80.
infirmiores fide qui sint? 62. Eorum tolerantia. ib. rationes cur damnari non debeant ib. propter *infirmos* licitis interdum abstinendum. 86. quod tribus rationibus probatur. ib. vox *infirmitatis* pro afflictione sumpta. 116. Infirmitates carnis quid significent. 135
Placandi qui nobis *inimici* sunt. 7. Duæ rationes cur pax cum omnibus colenda, & *inimicitiæ* fugiendæ sint? ibid.
Cur *inimici* diligendi? 13. posse aliquem *inimicum* diligere, & tamen interdum cum vitæ ejus periculo eidem resistere. ib. *inimici* cruci five judaizantes quales fuerint? 166. propter *inimici* dilectionē non modo erga reliquas omnes necessitudines, sed ne erga nos ipsos quidem caritatē abjicere jussi sumus 639. 698 argumenta ducta ex præcepto dilectionis *Inimicorum* examinantur. 654. Christi præceptū de *inimico* odio non habendo, de privato *inimico* aperte loquitur. quod præceptū non Mosis legi; sed scribarum commento opponi necesse est. 654 an in Mosis lege odium *inimici* publ. præceptum fuerit? 656 an erga privatum *inimicum* odium, aut actus odii ex lege Mosis prohibiti sint? 655, 656. tanta erga *inimicos* dilectio non est imperata, quanta amicis, fratribus, piis, imo ipſi Deo debeatur. 658. Qualem charitatem erga *inimicos* Christus præceperit? 686. an commoda *inimici* vitæ parentū, magistratuum, fratrum, ac publ. saluti in gratiam Dei, Christiq; præponenda. ib. 698 facilius est *inimicum* hostē in ipso belli ardore diligere, aut ipſi beneprecari, quam vitam, libertatem, & quæ vitā cariora sunt, futenti prostituere. 692. qualis affectus amandi erga *inimicum* à Christo exigatur. ib. 6 Christus præcepit quo animo erga hostes & *inimicos* esse debeamus, quasi permittit nos hostes habere posse. ib. verba Christi de diligendis *inimicis* posse tātum de privato *inimico* intelligi. 692, 693, 694 ista verba Christi ita merito explicari debere probatur 694, 695. de pub. hoste intelligi non posse. 695. voce *inimici* quomodo interpretetur Socinus? 693. perfectior virtus est diligere privatos, quam publ. *inimicos*. 694. si *inimici* nomine hostis publ. est intelligendus, an tenebimur hostes præmonere, quando iis abercitu patriæ nostræ insidiæ struuntur? 695. præcepto de *inimicis* diligēdis neq; bella, neq judicia capitalia prohiberi, probatur primum in genere, deinde in specie. 696. &c. an omnia quæcunq; etiam iniq; & sine ulla ratione nobis optare possemus, proximo, aut *inimico* præstanda sint? 696, 697. in casu necessitatis jus defensionis vitæ nostræ etiam cū periculo vitæ *inimici* permitti. 697, 698 si vitam nostrā defendere possumus etiam cum periculo vitæ *inimicorum*; multo magis vitam eorum, quos longe majori caritate quam *inimicū* prosequi tenemur. 698. 699. Christus non præcepit in eo casu diligi *inimicum* in quo, si eum diligamus, fratres aut parētes odio habere, seu minus diligere cogemur. 639. de *inimicis* diligēdis illustre specimen Christus in patre suo ostendit. 701. status quæst. auctoris est, utrum liceat in gratiam conservandi sui, suorumq; ea agere, quæ cum periculo interficiendi inimici conjuncta sunt. 771. usq; ad 781. quando *inimico* benefaciendum, quando non? per vox *inimici* quid intelligatur. 766, 767. &c. *Inimici* vox de pub. hoste intelligi nequit. 768. quoties alterutrius horum optio offertur, ut aut *inimici*, aut patriæ salus eligenda sit, quicquid sit in gratiam conservandi hostis, sit in perniciē patriæ. 768. non nos *inimicum*, sed *inimicus* se interficit, dum iniquo perdendi nostri studio in tela nostra, pro servandis nobis justissime opposita, cæco impetu ruit. 773. adversarii, ne *inimicus* incerto discrimine pericl. parentes, ac magistratus ad certissimam necem invadenti *inimico* à nobis dedendos, & destituendos flagitant. 773. una consistere nō possunt conservatio vitæ parentū, quæ absq; periculo vitæ *inimicorum* esse neq., & abstinētia ab inferēdo *inimicis* vitæ periculo, quæ absq; certa nece parentū esse neq ib refutatio adversariorum, qui asserunt 1. præceptum Christi de diligendis *inimicis* everti, nisi omni tēpore, & casu, etiam cum caritati erga eos locus nō videtur esse, actus istius caritatis erga eos exerceantur. 11. eædem *inimici* cum caritate consistere non posse. 111. post interfectionem *inimici* nullam superesse caritati adversus eum locum. 774 non ex caritate amicis debitā licentiam esse interficiendi *inimicos* colligitur; sed tantum licentiam negligēdi eorū pericula, quoties istorum, qui vitā longe sunt digniores, pericula prævertenda sunt. 775. lex de diligēdis *inimicis* debita sibi, amicisq; officia nō iustulit; sed potius tacite confirmavit, quia minus debita est dilectio *inimicis*, quā amicis. 776. insontes homines non supranos, sed tanquam nos ipsos diligere jussi sumus; quanto magis *inimicos* plerumq; sontes, & de nobis male meritos. 778 ergo ea caritatis officia, in quibus longe major dilectio *inimico*, quam nobis exhibetur, à nobis *inimico* non debentur. ib. diligere *inimicos* jussi sumus, sed nostros, nō Dei, quia sæpe Dei amici esse possunt, qui nostri sunt *inimici*. 780. ad exēplum Patris cælestis *inimici* amandi. ib. an per magistratum necem *inimicorum* flagitare liceat? 795, 796 non per nos læditur *inimicus*, sed per improbitatē suam, quotics scelere vecors in tela nostra incurrit, pro salute nostra legitimè oppositā. 797. an exemplo Christi, tanquam in dignioresinimicie, & indignis tanquā dignioribus occidēdos nos præbere teneamur? 823
Inimicitiarum vox distinguitur quatenus vitium involvit, & quatenus non. 768. vide ira.
Sensus vocis *Initii* Joan. i. 333. 346.
Leves *injuriæ* Christus contemni voluit, sed non graves, ut sine resistentia vitam nobis eripi sinemus. 10, 11. in gravioribus *injuriis* de summo, & stricto, in levioribus etiam de æquo jure decedendum est. 12.
Cur non potius *injuriam* patiminī? 1. Cor. vi. 7. quid significet. 79. gratia Dei iis, qui sibi iniq; illatas *injurias* patiēter ferunt. 364. præceptum de *injuriarum* patientia non ad judices, sed ad læsos pertinet. 645. *Injurias*, quarū patientiam Christus præcepit, omnes esse tolerabiles 702. an quia tolerabiles *injurias* spernere æquum est, idcirco etiam intolerabiles contemnere æquum est? 703. privata *injuriarum* ultio per viam facti jure à Christo prohibetur. 703 leviorum *injuriarum* per viam juris persecutio avari, & litigiosi animi vestigium est. ib. an Christus à nobis postulet, ut intolerabiles *injurias* patiamur potius, quam resistamus proximis. 708, 709. In levibus *injuriis* ut alapæ aut tunicæ, à retentione juris nostri abstinendum est. dispar est ratio si damnum æquo gravius subeundum est. 712. an Exemplum Christi in perpetiendis *injuriis*. imitari teneamur? 731.
Injurias, quorum Christus mentionem facit, Matt. v. de præbenda altera marilla, & dimittendo pallio non esse intolerabiles. 783. &c.
Repleti omni *injustitiā* dicuntur non tantam vitia patrantes; sed ea amantes, & in aliis probantes. 78.
Injustitiæ species, & objecta. 79.
Sors innocentiæ in hoc seculo. 373.
Innocens coram Deo sumitur aut proprie & absolute aut improprie & secundum quid? 817.
Sola *inobedientia* & incredulitas excludunt hominem à salute æterna. 377.
Inquisitio Hispanica onus liberæ genti insupportabile. 442.
Quomodo extraneos in veritate *instituere* teneamur? 194.
An *interfectio* hostis cum caritate convenire possit? 765.
Intellectum captivare ad obedientiam Christi quid sit? 121. *Intellectus* spiritualis quid significet? 172. nullum peccatum voluntatis absque errore *intellectus*. 316.
Cultus *internus* non prodest, nisi externus accedat. Quæ inde incommoda? 604. Opinio ista, cultum nempe *internum* Deo sufficere, & licere in externo quamvis pessimæ sectæ se adjungere, repugnans est Deo patri. 613, 614. Christo 614, 615, omni religioni. ib. Sacræ S. ib. sanæ rationi. ib. Veritati, ac sinceritati, ib. sanctimoniæ, ib. Omni fidei. 616. &c. Vide externus cultus.
Quidam ex *invidia* Evangelium prædicarunt, & quare? 156. cur Apostolus eo nomine gaudeat? ib. Quare spiritus Dei ad *invidiam* concupiscere dicatur? 88.
Errant, qui credunt Apostolum *Ioannem* ad subtilitatis theologiæ cōtemplativæ dogmata signum sustulisse. 334. Apostoli *Ioannis* scopus epistolæ primæ. 349. capitis quinti versum septimum sufrectum esse probatur. 360.
Joannes Baptista. Vide Baptista. Apostoli *Ioannis* epistolæ primæ scopus. 349.
Iosephum uxōrem suam post partum cognovisse non liquet ex vocula donec. 1. Causa cur *Iosephitæ*, seu veri Ebionitæ Evangelium Matthæi rejecerint? 1. *Iosephitæ* quinam? 513.
Christi lex non homicidium tantum, sed odia

odia & *iram* temerariam damnat. 7. non tamē omnem *iram*. ib. culpa *iracundiæ*, & maledicentiæ ad mundanum regnum non pertinet, in regno autem Christi capitale supplicium meretur. 8. affectus *iracundiæ* rationalis est, sed nimius rationem offuscat. 148. ne migret in odium cautio sit. ib. *iræ*, malitia, maledicentia nobis cum impuris spiritibus communia sunt. 187 *iracundiæ* nulla re citius accenditur ac nocētius furit, quam ex rixis circa doctrinam. 279. aliquam justitiæ speciem habet, cū crudelitatem iuppliciorum vulgus justitiam vocet. 279. non omnis *iræ* vitiosa. ib. Quare dissentientibus *iratis* iniquum? ib. *iracundia* ex concupiscentia oritur. 287. ac ex habendi, & excellendi præ aliis libidine. 188.

Irenæus filium facit minorem, & inferiorē patre, quia eum dicit ministrum patris. 508. Quare epistola *judæ*, & secunda Petri à Vet. rejecta? 317. Quare Epistola *judæ* oppugnata ab Eusebio? 305. unde Judas acceperit historiā de altercatione Michaelis cum diabolo circa corpus Mosis? 307. quinam fuerint pseudoprophetæ, quos in Epistola suā notat? 368.

Incredulitatis *judæorum* causa penes ipsos est. 2. *judaica* genti nihil magis ad veram pœnitentiam obstabat, quam quod eos inflaret electi quondam à Deo populi nobilitas. Hæc arrogantia excutitur. 3. illius prærogativa præ aliis gentibus. 39. 41. incredulitatis *judæorum* causa à Deo removetur. 51. eorum futura conversio. 56. cur nunc increduli maneant? 57. dū Christiani à *judaismo* longius abstrahuntur, ad Ethnicismum declinant. 457. quidam nuper ab Ethn. ad *judaismum* deflexerunt. ib. de *judæis* vere dici non potest, quod statū mortuorum ignorarent, aut redituræ vitæ spem non haberent. 563. regimen populi *judaici* habuisse præ Christiano prærogativas. 677.

In omni lite per reconciliationem sopienda consideratur primum *judex* & arbiter; deinde lex, & norma. 497. *judex* omnis à norma secundum quam judicat discernitur. ib. lex nō est *judex* sed norma *judicis*. ib. norma litis seu lex quamvis proprie *judex* non sit, tamen *judex* dici solet, quia est aliquid majus *judice*, ipsum *judicem* dirigens. ib. Si nemo litigantium in sua causa *judex* sedere solet, multo minus ipse *judex*. ib. testimonia de dogmatibus ad *judicandi* normam non admittenda. ib. præceptum de injuriarum patientia non ad *judices*, sed ad læsos pertinet. 645. an Deus per *judicem* punire non possit, quæ in Christo absolvit à maledictione legali. 662.

Quid Matt. VII. 1. *judicare* significet? 26. ratio quam Christus affert, ut nos à *judicando*, & damnando alios dehortetur. 27. Plerumque *judicantes* & damnantes, judicatis, & damnatis nequiores esse solent. ib.

Occulta sunt *judicia* Dei, ut fidei locus sit. 38. in extremo *judicio* Deus judicabit occulta cordium: non proderit externa species religionis sed culpam aggravabit. 39. Vox *judicii* pro regimine sumitur. 174. quare Paulus de die *judicii* ita loquatur, quasi tunc superstes futurus esset? 214. ne curiosi simus temporis de *judicio* extremo. ib. ejus incertitudo bonis prodest, malis malo est. ib. Cur & quomodo *judicium* Dei ab ejus domo incipiat? 312. cur Deus diē *judicii* differat? 330. dilatio ultimi *judicii* non nocet piis; circumstantiæ ultimi *judicii* ac usus & fructus ejus doctrinæ. 331. Socin. *judicii* impiorum non negare. 506. quomodo pseudoproph. dicantur præscripti in *judicium*? 365

De libertate & necessitate utendi privato *judicio* in examinanda publica Ecclesiæ doctrinā. 530, 540. & objectiones refutatæ. 539, 540 541, 542. ambiguitas vocis *judicii* humani, ejusq; distinctio. 540. de *judiciis*, & pœnis Ecclesiæ Christianæ. 641. an increduli extra Ecclesiæ *judicium* à Christianis judicari nō possint? 643. bella justa & capitalia *judicia* non modo permissa, sed laudabilia esse. 690. bella & *judicia* in fœdere antiquo permissa & institutasin Novo fœdere non vetita. 769. bella & *judicia* capitalia ac forensia à Deo comprobata, à Christo nō subl. 770. *judicia*, aut arbitria à partibus delata suscipere, Christianis nō esse illicit. 866. *judicia* capitalia. vide bell.

Lex Christi *juramentorū* usum prohibet, nisi quem gravis aliqua necessitas extorquet. 9. *juramentorum* abusus. 192. etiam veris *juramentis* abstinendum. ib. Socinus sub lege omne *juramentum*, modo sine perjurio, jurare licuisse dixit; sub Evangelio, etiam citra perjurium, jurare non licere, sed ea limitatione, sua sponte scilicet, & sine aliqua necessitate. 706. *juramenta* de rebus gravibus, nec indignis, in quibus Deus testis appelletur, à Christo non interdicti. 707. *juramenta* omnino prohibita, tamen hoc interdictum ad certum genus *juramentorum* restringitur. 714.

De *jure* suo decedendum. 7. non de stricto tantum sed de æquo *jure* decedendum Christiano, quod in infinitum non producendum esse probatur. 10, 11. aliquando stricto *jure* uti licet. 131. nunquam ista *jura* à Deo Christo; sublata sunt, quæ legū pœnis, aut dom. potestate coercent exortam mortaliū adversus leges contumaciam. 628. *jus* positivū quod libertatem, & æquitatē naturalē sustulit, neq; in politico, neque in Oeconomico regimine Christi doctrina abrogavit. ib. quia *juris* proprii dimissio non est in infinitum protendenda, quærendi sunt limites ejus, quos Christus præscripsit. 651. si de *jure* nostro decedere sine maximo nostro malo nequeamus, gravem & justam retinendi, aut persequendi nostri *juris* causam habemus, quia nemo lōge magis proximum quam se ipsum diligere tenetur. 651. præcepto de dimissione æqui *juris* sui illic tantū esse locum, ubi nulla est satis justa, & gravis causa ejus retinendi. h. e. ubi sine magno nostro malo decedere de nostro *jure* possumus. ib. an in gravioribus jacturis & injuriis, etiam cum vitæ jacturā & periculo, Christiano de *jure* suo sit decedendum? 652. Prudentia non permittit, ut tantum quantū velle possunt homines, de *jure* suo decedant. ib. verbum Dei de suo quemq; *jure* decedere jubet, non de alieno. 687. injuncta nobis de *jure* nostro decessio non est in infinitum protēdēda. 697. leviorum injuriarum per viam *juris* persecutio, avari & litigiosi animi vestigium est. 703. in levibus injuriis, ut alapæ aut tunicæ à retentione *juris* nostri abstinendum est. Dispar est ratio, si damnum æquo gravius subeundum est. 712.

Voces *justi* & *justitiæ* quid significent? 1. plerunq; pietatem, sanctimoniam & integritatē significant. 2. *Justitia* vox sumi videtur pro *remuneratione* retributione mercedis. 37. *justitiā* Dei cognoscere etiam improbissimi dicuntur 38. *justitiæ* thorax quid significet? 153. *justitia* colenda, ejus contrarium vitandum. 169. omne virtutis & pietatis genus interdum significat, cujus mater fides, & anima Dei, hominumq; caritas. 261. sæpe non pro justa pœnarum retributione, sed pro benigna earum relaxatione sumitur. 335. est conformitas mentis nostræ ad legem Dei. 348. quis *justus* sit? 349. quando *justitia* ubique vigebit fortitudini, plus locus non erit. 663.

Neminem ex operibus legis Mosaicæ *justificari*. 40. vox justitiæ pro *justificatione* accepta. ib. significatio ejus generalis. ib. quid significet Deum *justificare* impium? 41. fructus *justificationis*. 42, 43. vox ejus latius sumpta. 50 Deus cuncta ad *justificationem* nostram requisita præstitit. 55. Rationes quare non justificabitur homo ex operibus legis. 132. hanc *justificationis* doctrinam delictis hominum non indulgere probatur. ib. Paulus *justificationem* ex operibus quare vocet *ipsius*, quasi nostram, eamque opponit *justificationem* fidei? 164.

Iustini Martyris de persona Christi sententia 343. primus sententiæ de persona Christi jux ta symb. apostolicum oppugnare cæpit. 355. sed *justinus* aliiq; qui recensentur, minus noxie errarunt. ib. doctrinam de creatione mundi per verbum hypostaticum hausisse videtur ex Platone. ib. antiquissimus eorum, qui apostolorum simplicitati in doctrinā Christi sublimiora adjecerunt. 503. ejus laus ib. sententia de duabus in Christo naturis, simul, & eodem tempore conjunctis *justini* demum temporibus in Ecclesia innotuit. 507. ejus laus, quod dissentientes toleravit. ib. non *justinus* primus errores Antichristo viam munientes sparsit in Ecclesiam. 514. inventis majus de suo incrementum addidit, & opinionibus nondum adeo receptis authorit adjecit. 515.

L.

Sensus verborum, in multis ōnes *laborum*. 284 *Labor* probatur, & industr. propria, in aliquo honesto opere adhibita. quod intelligitur nō tantum de manufacturā alicujus opificii, sed etiam de honestiore occupatione, quæ non manibus, sed industria peragatur. 148. 213.

Ex verbis *Lactantii* concludi non posse, *lationem*, & molestiam proximi esse prohibitam, etiamsi vitium non includat. 820.

Quomodo Ecclesiastici *Laicorum* servitutē ipsis jucundam fecerint? 313. quomodo Christus *lapis* offensionis, & petra scandali sit? 301

Distinctio inter latriam, duliam, & huperduliam, in mente sola, non in re sedem suam habens, purum est rationis figmentum. 577.

Apostoli sacrificis *laudum* Deo offerre non sunt soliti, nisi per summum novi fœderis sacerdotem J. Christum. 66. in virtute, *laudis*, & æmulationis studio Christianis non interdictum. 85. *laudum* stimulus ad virtutem excitat. 206. ut Deum dignis *laudibus* celebremus eternū, & regnēmus. 301. Omnia nos invitant ad *laudandum* Deum. ib. *laudis* desiderium est in vitiosis sed cæcum, atque intempestivum. 761. Deus honesta & *laudabilia* non omni tempore, nec ubique à nobis exigit, sed cum ejus rei legitima occasio, locus, tempus occurrit. 824.

Lazari parabola historia esse nequit. 573, 574. scopus Domini in narratione de divite & *Lazaro*. 575.

Ad *lectionem* epistolarum Pauli admissam totam Ecclesiam; non solos clericos & spirituales; tunc omnes Christiani erant Clerici, & spirituales. 194. *Lectio* novi fœderis utilior est quam veteris. 323, 324.

Lenitas, Vide Clementia.

Levitas nunc ad Deum, nunc ad Satanam se vertentium duplicem hominem facit. 276.

Lex Christi *legi* Mosis præstantior. 6, 7. &c. Christus *legem* & prophetas non solvit, sed implet. ib. quid per *legem* & prophetas intelligat? 6. 31. quid sit solvere *legem*? ib. *lex* moralis nunquam tolli potest. ib. lex Christi occulta cogitatione inchoatum homicidium damnat. 7. Odia, iram temerariam &c. damnat, & omnes ad illa cogitationes. ib. Mosaicæ legis rigorem acrioribus remediis auxit. 8. Non tantum adulterium, sed mentis ac cogitationum in hoc delicti genere licentiam coercet. 9. Legum Mosaicorum vim auxit, defectus supplevit, & quod ipsis derrat addidit: sed commenta scribarum plane tollit. 9. Liber Psalmorum *lex* vocatur. 40. *lex* non est peccatum, nec causa peccati, nisi per accidens. 46. Intendit peccati culpam. ib. est bona, & sancta. 47. non est lata piis. 137. per vocem *legis* omnes libri sub *lege* scripti comprehenduntur. 236. *lex* tam Mosaica, quam Christiana non eo tendunt, ut homines infrugifera contemplatione se ostentent; sed ad vitæ innocentiam adducantur. 237. *lex* mosaica crassiora peccata, *lex* Evangelica, quæ levia videtur, & semina sunt vitiorum, erunt 237. non *lex* modo Mosaica, sed etiam Christiana dici potest nō esse posita justis. ib. *lex* Dei non perfunctorie inspicienda. 280. *lex* Christi, *lex* libertatis dicitur. 282. *lex* nullitatis vitio laborans, quæ neminē obligat, enervat reliquarum, quas inter collocata est, vim atq; authoritatem. 448. in omni lite per conciliationem sopienda, consideratur primum judex, & arbiter; deinde *lex*, aut norma, secundū quam decernit. 497. *lex* non est judex, sed norma judicis ib. *legis* positivæ absētiam supplet *lex* naturalis, quæ à *lege* positiva nunquam abesse debet, quin una cum ipsa sit legitima judicandi norma. ib. In sacris à norma *legum* sacrarum nunquam abesse debet, aut potest, norma dictaminum rationis. ib. norma litis, seu *lex*, quamvis proprie judex non sit, tamen judex dici solet, quia est aliquid majus judice, ipsum judicem dirigens. ib. *legibus* ab adversa parte latis nemo tenetur, nisi utrimq; receptæ sint. 499. de peculiari *legum* Christi naturā, earumq; à *legibus* mundi differentia. 637. an *leges* Christi graviores decernant pœnas peccatis, quam *leges* humanæ aut Mosaicæ? 637, 638. Idololatras, & læsæ religionis reos, quod antiqua *lex* Magistratu si pœnis subjecerit, imperfectionis ejus signum erat: Aſt *leges* Christi ejusmodi conservationem sui dedignantur, nec per naturam suam ferre possunt. 639. religio Christiana perfectiores habet *leges*, quam ut earum polit. Magistratus custos esse possit. 641. *Leges* publ. aliæ sunt morales, aliæ forenses; uttiusq; diversa est natura. 644. *legis* judiciales, ac forenses principaliter Magistratibus, minime omniū læsis præcipiunt id, quod præcipiunt, cū eos nullo officii nexu obstringant, sed potius in eorum favorem, & auxilium latæ sint, 644. inter populum cui Moses, & populū cui Christus *leges* ferebat magna differentia est. ib. Christus solas *leges* morales dedit. ib. *legem* mosis præcepto suo non sustulit. 6, 7. 648. *legibus* Mosis præcepta sua opponens, defectus, ac solos abusus tantum tollit, nec de talione *legi* sed abusus ejus sustulit. 648. Prosicit *lex* in futurum; sed neq; omnes casus neq; circumstantias comprehendere potest, in quibus *legis* rigor æquitatis tēperamento mitigandus est. ib. quæ differentia deprehendatur inter genuina, & à scribis adulter. *legis* verba? 649. falsū est, *leges* aliquas nonnisi Christianis esse latas, & quicquid à Christo præceptum est, aut prohibitū ad solos Christianos adstringi. 653 nihil Deus præcepit, quod *legi* naturali repugnet, etiamsi ea verbis expressis S. S. non sit confirmata. 675. *legis* naturalis vox aliquando latius, aliquando strictius sumpta. 675, Christianis in construenda nova Repub. & novis *legibus* ferendis exemplar gubernandæ Reip.

dari opus non fuit, cum non deeſſent veteres Reſp. ac *leges* forenſes, quæ per Evangelium confirmatæ ſunt. 677. *Lex* Chriſti humanas *leges* non ſuſtulit, ſed confirmavit, earumque cuſtodes gladio armavit. 750. *Lex* forenſis Moſaica non ita ad Veteris fœderis eſſetiam pertinebat, quin antiquato fœdere *lex* forenſis ſtare poſſet. 755. Non ſublata à Chriſto forenſis *legis* obligatio. ib. Succeſſiſſe in locum forenſium Moſis *legum* religio Chriſtiana dici nequit. 755, 756 Objectio, quid opus fuerit Chriſtianis forenſi *lege* cum nullam ipſis Chriſtus Remp. interrisaſſignaſſet, refellitur. ib. Lex moralis omnes æquè obligat, at *lex* œconomica, aut forenſis non æque. 767. Cur Chriſtus *legem* nullam forenſem tulerit? 769, 771. forenſium *legum* executionem Deus ſub Chriſto nunc æquiorem eſſe vult, atque olim fuit. ib. nullæ Dei *leges* inter ſe cõtrariæ ſunt, quamvis videantur; ſancta ſunt omnia præcepta, ſibiq; & rationi congruentia, ſed ratione objecti alterũ altero dignius cenſetur. 775 *legibus* ſemper, quoties occaſio occurrit, parendum, ſed non ſemper omnium obſequio tempus, ac locus eſt. ib. caritatem actus poſſunt inter ſe pugnare, ſed *leges* non pugnant. quia ex iis altera cũ exceptione ſuperius lata eſt, & ſuperiori inferiore limitat. ib. nullæ *leges* morales ita abſolute præcipiunt, quin multas exceptiones admittant, quin & actiones, quas præcipiũt, aliquando ob juſtam cauſã omitti aut intermitti, aut differri poſſint. 776. *leges* Chriſti omni tẽpore ſervari debẽt, quatenus eas nunquam violari æquũ eſt, ſed actiones, quas præcipere videntur, nõ ſẽper, nec ubiq; exerceri, aut poſſunt, aut debent. itaq; quoties id contingit, nõ præceptæ intelliguntur. 776 negatur obligationẽ *legis* manſiſſe, quamdiu ſtetit Hebræa Reſp. quia nos Chriſtus à *lege* redemit Gal. 6. Reſp. vocem *legis* duobus modis ſumi poſſe. 776. vide doctrina, & præceptum, *Libri* obſcœni vitandi. 769. nullus *liber* tantæ authoritatis eſt, ut cum *libris* in canonem Chriſtianorum receptis certare poſſint. 475. incertis narrationibus fidem derogari, quia non ex *libris* fide dignis, ſed potius fabuloſis delumptæ ſunt. ib. veros *libros*, ut Hegeſippi, & aliorum, noſtris temporibus eripuit ab antiquo inveterata erroris conſpiratio. ib.

Cur Deus *liberis* obedientibus promiſſionẽ, immorigeris vero comminationem aſſignaverit. 152. *liberi* non provocandi ad iram. 193

Niſi *libertas* arbitrii à Deo humano generi conceſſa fuiſſet, vitiis & erroribus locus non erat. 596. vide arbitrium.

Nimia veri *libertas* in pericula ſæpe intempeſtiva præcipitat. 420. *libertas* Chriſtiana in periculo ſcandali verbo Dei circumſcribitur, ita ut à multis naturâ ſuâ licitis abſtinere debeamus metu offendiculi. 687.

Si quando *libertas* noſtra defendenda ſit, non ſatis eſt vires nobis non deeſſe, niſi jus quoque defendendi adſit. 823

Liberalitas in Egenos vocatur gratia à Deo data 117. quare ſic vocetur? 118. Deus non exigit ut quis *liberalis* ſit, ex eo quod non habet, aut ſupra vires. ib.

Liberati Carthaginenſis audacia. 133.

Quid *libidines* maxime in nobis concitet, & quomodo ab iis cavendum rationes quinque. 211, 212. vide cupiditas.

An ea, quæ Chriſtus & Apoſtoli ſibi *licere* voluerunt, non liceant reliquis etiam Chriſtianis ob unitatem Spiritus? 709.

Lignum, fœnum, ſtramen quid ſignificent? 74

Quare Apoſtolus chariſma *linguarum* ultimo loco poſuerit? 94. qui *linguâ* ſuam frænare poteſt reliquũ corpus regere valet 284. *linguæ* laudes, & vitia. 284, 285. quare mundus injuſt. dicta? 285. quod rotam nativitatis inflammet quid ſit? ib. indomitã malum linguæ non impoſſibilitatem; ſed maximam difficultatem ſignificat, vel non regeneratos reſpicit. ib.

In *lite* concilianda quid conſideretur? 407 præceptum de fugiendis *litibus*, exemplo Pauli litig. & expreſſa ejuſdẽ permiſſio limit. 707

De *Liturgia*, aut miſſa. 561, 562.

Logica uſus. 490. molendinum dicitur. ib.

Λόγος quid ſignificet? 67. 310. platonicorum fabulæ de λόγῳ. 238.

Λογομαχία vitanda & quid per eam Apoſtolus intelligat? 260.

Longanimitatis proprietas 189. *longan.* Dei. 330

Idem *loqui*, idem ſentire quid ſit? 68.

Lotio pedum pro nunquam omittendo officio injuncta non eſt. 865.

Diverſitas inter Matt. & *Lucam* in ordine tentat. quibus Satan Chriſtum oppugnavit. 4.

Cur Paulus quod quondam ſibi *lucrum* eſſe videb damnum, & damnum *lucrum* deput. 163

Ludicra ſtudia, arteſque levés vitandæ. 169

Accingere *lumbos* mentis quid ſit? 298.

Per oves fideles, & *lupos* infideles intelligi? 33. Quid per Pſeudoprophetas, & lupos rapaces intelligatur? 35.

Lux mundi & tal terræ quid ſint? 6. ambulare in luce quid ſit? 334 quid præſtet? ib. in luce eſſe quid? 330. quid per lucem, aut illuminationẽ Evangelii gloriæ Chriſti intelligatur? 110

M.

Jacobus vetat ne velint eſſe *magiſtri*, & ad functiones Eccleſiaſticas aſpirent. 183. ambitio *Magiſtri* famam aucupandi quæ damna, odia, ſcismata intulerit Eccleſiæ. 280.

Chriſtus jus *magiſtratus* nec capitale homicidii pœnam ſuſtulit. 7, 8 lex Chriſti de nõ reſiſtendo malo non ad *magiſtratum*, ſed ad privatos pertinet. 10, 11, 12. non vetat leges forenſes, judicia aut *magiſtratus* uſum; ſed litigandi libidinem de rebus levioris momenti. 11. utrum *magiſtratus* in judicando, aut decernendo ſtricto jure ſuo uti liceat? 12, 13. *magiſtratus* officium in erroris, ac veritatis certamine. 14, 15. õnes tam Chriſtianos quam Ethnicos *magiſtratui* ſubjectos, imo etiam tyrannis. 61. rationes quare iis ſubjecti eſſe debeant. ib. officia *magiſtratui* præſcripta. ib. *magiſtratum* ab hominibus malis bene adminiſtrari poſſe. ib. gladii uſus tanquam miniſtris Dei tribuitur. ib. tributa iis conferenda. ib. 62 *magiſtratus* requiri, quia fideles mundum judicabunt. 78. *magiſtratus* haud inſtitutus eſt, ut nocentes occidantur; ſed ne ſupplicii timore ſint nocentes, aut occidantur. 205. an Chriſtus dici poſſit *magiſtratus*? 206 pro *magiſtratu* precandum noſtri commodi cauſa 239. nõ ſolũ ut pace terrena, ſed etiam ſpirituali perfruantur. 240. Deus non vult ut Chriſtiani libertate & dignitate ſtatus ſui abutantur ad inobedientiam *magiſtratus*. 303. Chriſtianæ vocationis æqualitas *magiſtratuum* non tollit. 305. *magiſtratibus* interdum licet malum pro malo reddere, ſed abſque ulciſcendi affectu. 306. qui docent *magiſtratui* etiam pios pro Ethnicis & publ. habendos, adverſantur Petro & Paulo 305, 306. poteſtas *magiſtratus* verſatur in frangendo improborum licentia; at poteſtas Eccleſiaſtica verſatur in flectenda & adjuvanda proborum ac ſpiritualium imbecillitate. 636. boni *magiſtratus* utiles Eccleſiæ & regno ſunt. 636. cur Chriſtus neque per ſe, neq; per Apoſtolos certam regulam aut modum externæ politicæ *magiſtratuum* ſtatuerit? 640, 641. in ea, quæ ſunt Eccleſiæ non licet involare *magiſtratui*, præſertim cũ nunc ſint hæ toto genere diſtantes juriſdictiones. 641. religio Chriſtiana longe perfectiora præcepta habet, quam ut eorum politicus *magiſtratus* cuſtos eſſe poſſit. ibid. publicus ordo, qui ad extus legibus ſociatos pertinet, introducta religione Chriſti nullam mutationem ſubiit: ſed eadem quæ fuit olim *magiſtratui* à Deo poteſtas confirmata, & conſtituta eſt. 657. in delictis contra relig. *magiſtratus* juri locum non reliquit jus ſpiritualis regiminis, quadruplici de cauſa. 657. *magiſtratus* munus ab optimis eſſe obeundum. 661. Male mundo conſuleretur ſi *magiſtratura* tolleretur. 665. noxia eſt opinio de *magiſtratu* tollendo, imo iis ipſis qui magiſtraturæ adverſantur. 666. ſolis iſta ſententia utilis eſt pravis 667. vitiis patrocinatur 668. explicatio loci Rom. XIII 1. de *magiſtratus* jure 671. &c. an Chriſtianio ob ſpiritualem regiminis ſui libertatem à ſubjectione *magiſtratus* exempti cenſeantur 671. magiſtratus poteſtatẽ in ſubjectos exercent voluntate Dei, non modo per legem naturalem, ſed etiam per legem Apoſtolorum. 675. An ex eo quod Deus ſpecialia præcepta electionis & gubernationis non dederit Chriſtianis, aliquid adverſus gerendorum *magiſtratuum* jura poſſit concludi? 676. an in Chriſtiano populo *magiſtratus* gubernatio ſpecialibus præceptis, & regulis formanda fuit, ſi Chriſtianis gubernatio Reip. permiſſa foret. 676, 677. non is eſt ſcopus ordinationis *magiſtratus*, ut obedientiam exigant, & conſequantur. 677 doctrinam Chriſti *magiſtratum* admittere. 678. non *magiſtratui*, ſed ipſis hominibus impoſita eſt juris ſui remittendi neceſſitas, non in infinitum extenſa; ſed cancellis Chriſtianæ prudentiæ circumſcripta. 678. non magis pater, maritus aut Dominus de jure ſuo debet decedere, quam *magiſtratus* 676. etiam injuſti *magiſtratus* miniſtri Dei dici poſſunt, ratione illius poteſtatis, quæ à Deo inſtituta eſt. 679. cum *magiſtratus* miniſterium eſt adeo bonum, ut ne ab improbitate quidem fungentium eo, quicquam vitii ſibi affricari permittat, quominus Dei miniſterium vocari poſſit; Chriſtianis tantum vitii contrahere non poteſt, ut ſit æterno exitio luendum. 679. jus *magiſtratus* eundem quem Deus intendit ſcopum. ib. Apoſtolus Rom. XIII. de bono *magiſtratu* loquitur. ib. explicatio loci. 1. Tim. II. 1, 2, 3 de magiſtratu 680, 681. nullum tam felix ſeculum imaginari poſſumus, quin *magiſtratus* uſus neceſſarius maneat. 687. Chriſtiani *magiſtratus* utilitas. 688. An in verâ Chriſti Eccleſia *magiſtratus*, ſeu ſummæ poteſtates locum habeant? 690. quo pacto *magiſtratus* munus, & pacis, belique jura oppugnent adverſarii? 691. quod defenſio vitæ, & imploratio *magiſtratus* in gravioribus injuriis ſine animi prohibitam ultionem intendentis vitio eſſe poſſit. 704. ſi publica *magiſtratuum* animadverſio, & reſiſtentia vetaretur, tolleretur omnis pax, orco, juſtitia. ita ſi in graviſſimis injuriis injuſtam vim propulſare tam publice, quam privatim nefas eſſet, examinaretur mortalium genus omni præſidio contra vim, contra latrocinia, &c. 705. Chriſtus, qui in interdicto ultionis animos noſtros tantum ſanat, & excolit, *magiſtratus* officium non impedit, imo confirmat. Non id intendit ut injuriam facienti impune ſit; ſed ne nos ulciſcendi affectus abripiat. 713. poſſunt *magiſtratus*, & ſuperiores, tanquam Dei miniſtri, malum pro malo reddere, & ulciſci ſubditorum injurias. 714. In reſervatione vindictæ non par eſt ratio Dei, atq; *magiſtratus*. Magiſtratus niſi compellatus nobis in bonum eſſe nequit. Sed Deus etiamſi læſus ad ejus tribunal non deferat, nobis poteſt eſſe in bonum, quia eum latere nulla injuria poteſt. 714. *magiſtratui* non licet ob incertum metum ne quis ſontium pereat, conjicere tot innocentes in certiſſimum ex impunitate periculum. 714. falſum eſt duo requiri, ut *magiſtratus* ſontem jure occidere poſſit. 1. ut occidendus ſit perditæ ſpei. 2. ut eum talem eſſe occidenti certo conſtare poſſit. 724, 725. An *magiſtratui* fas ſit occidere eum, qui poſſit ſervari, hoc eſt vitam æternam eripere? 725. duabus de cauſis accidiſſe videtur quod expreſſæ leges *magiſtratui* præſcriptæ non ſint. 732. An *magiſtratui* tantum bella, & ſupplicia permiſſa ſint, privatis autem non ſit conceſſum in utroque *magiſtratui* inſervire expenditur. 734 735, 736. etiamſi univerſus orbis Chriſti doctrinam recipiat, tamen *magiſtratui* neceſſitas erit. 746. *Magiſtratus* officium non eſt ut poteſtate ſuâ veritatem plantet, ſed jus innocentium tueatur. 747. Si poteſtatis ſuæ violentiâ ad plantandam veritatem utitur, munere ſibi in alium uſum à Deo conceſſo abutitur. ib. Quando *magiſtratus* procurat, ut muneris ſui officium ipſi quoque veritati ſit uſui, & tamen à violando per poteſtatem ſuam mentium libertate abſtinet, id facit non tanquam *magiſtratus*, ſed tanquam Chriſtianus. 747. qui Chriſtianos à *magiſtratu* excludunt, convellunt Remp. 748. dogma iſtud quod Deus nolit populum ſuum niti Carnali *magiſtratus* præſidio, ſed ab extraordinario & miraculoſo pendere velit auxilio novum eſt, & novis miraculis confirmandum. 751, 755. Utra ſententia tutior ſit, eorumqui *magiſtratum* ſublatum eunt, an qui ejus jura aſſerunt? 758, 759. quæ pericula, & incommoda Eccleſiæ & Relpubl. afferant, qui magiſtratum tollunt. ib. 759. bonos unico innocentiæ præſidio exarmant, & ſcelerum improbitatem licentia armant, qui *magiſtratum* removent. 760. ſi parentum aut *magiſtratuum* vita à latronibus petatur, & nos in juſtam vim propulſare poſſimus, ſed cum aliquo vitæ latronum periculo, an nobis licebit per legem Chriſti armis vim iſtam propulſare vel non? ſi non; magis diligimus inimicum, quam parentes, aut *magiſtratus*. 772. non pugnat præceptum erga *magiſtratuum* officium cum officio erga Deum, quia illud cum ea exceptione præceptum intelligitur, ut locum habeat, niſi à ſuperiori officio impediatur. 775. utrum Deus à Chriſtianis, quatenus ſunt Chriſtiani, & quia ſunt Chriſtiani, *magiſtratum* geri nolit? 798. adverſarii dicunt *magiſtratum* eſſe bonum, ſalutarem & à Deo demandatam ordinationem; tamen eſſe impium, peccati plenum, æternam perniciem afferentem, ideoque Chriſtianis illicitum. 798. quare Chriſtus in terris ſupremum *magiſtratum* non geſſerit? 798, 799. An *magiſtratui* ſemper animas perdere dici poſſint? 799. 800. Eſt à Deo inſtitutus, non ut ſanguinem effundat, ſed ne effundatur. 799. An Deus noluerit in terris eſſe leges & *magiſtratus*, per quos ſtet veritas in terris & Eccleſiæ tranquillitas? 800. quod ad defenſionem magiſtratuum ab iis non veritas & religio, ſed jus & libertas veritatem profitentium defenditur. nec ideo per *magiſtratum* in terris veritas ſtare

dicenda est, quia per illos justitia & libertas eorum sustentatur, qui veritatem profitentur. 800. Officium *Magistratus* ab apostolo in genere tanto magis licitum censendum est, quanto plures obligat; cum in specie alicui præ cæteris præscribi aliquid possit, quod cæteris non liceat. 801. Munus *magistratus* iis laudibus in S. Scripturâ cõmendatur, ex quibus liquere potest illudâ populo Dei excludi non posse. ib. Tam milites, quam *magistratus* ad Ecclesiam æv o Apostolico admissi; si alia lege admitti non poterant nisi potestate aut militia abscta, extaret alicubi præceptum Apostolicũ. ib. an quia in novo fœdere nonnisi subjectionis erga supremos *magistratus* officium præscribitur, illis supremum *magistratũ* gerere non permittitur. 802. si Ecclesia *magistratu* nutritios nacta fuerit, nova creatura vanitati afflictionũ in hoc mundo obnoxia esse nõ detinet. 803. Pro regibus & *magistratu* orandum & quare? 804. locus 1. Tim. II. 2, 4. explicatur. absurditas eorum qui Christianos à *magistratu* arcẽr probatur. 807 negatur à *magistratu* arcendos esse Christianos, quia clementiæ in regimine Rerumpubl, sæpe locus non sit. 825. an, & quamobrẽ Deus velit Christianos *magistratum* gerere, & iræ suæ ministros esse. ib. Interest omnium hominũ cujus manibus tam anceps *Magistratus* gladius concredatur; non truculentis, aut incredulis cõmittendus. 826, 827. probatur licitum esse *magistratui* morte afficere eum, quem amissa vitâ præsenti, futuram quoq; omissurum esse, possibile sit. & refutatur officium *magistratus* ad Christianos minime pertinere 828. Christiani *magistratus* sunt extra culpam in plectẽdis sontibus æterni eorum interitus. 830. etiamsi *magistratibus*, & bella gerentibus adscribatur periculum æternæ mortis sontium, non tamẽ in gratiam sontium debent deserere officium defendẽdi insontes. 831 Deus quamvis à fundendo sanguine abhorreat, ejus tamen rei licentiam. quoties opus est, sibi reliquit; quod & de *Magistratu* dici potest. 834. Apostolus Paulus ordinaria media in imploranda *magistratum* ope non neglexit? 845. locus Matt. xx. 25. explicatur, in quo probatur *magistraturã* Christianis non vetari sed de Eccles. tantum dominatione mentionem esse. 858, 859, 860, 861. 862. an *magistratui* liceat dominari iis, quos fratres semper esse, ideoq; ad gubernationẽ regni Christi spiritualem pertinere novit 862, 863. non necesse est, ut Christiani *magistratus* expressa de capitalibus suppliciis præcepta divina habeant. 868 Ultionem privatarum injuriarum *magistratui* interdum competere, & quando? 869. 870. non tantum privatarum, sed etiam alienarum injuriarum ultionem *magistratui* prohiberi negatur. 871. quod ordinatio Dei Rom. XIII. 1. De Christianis *magistratibus* intelligi non possit. refellitur. 876, 877.

Mores non fuisse *leges*. 2. non sola stella duces, sed per *divinam* revelationem de Christi nativitate certiores facti videtur. ib. *majorũ* liberalitas nõ modo honori Christo; sed usui etiam peregrinis ad peregrinat. Ægypt. 3.

Christiana *Magnanimitas*, & humilitas stricto inter se vinculo copulatæ. 864. nullus humilis Christianus in quo vera animi *magnitudo* non eluceseat. & contra. ib. diversitas inter animi elationem, & animi *magnitudinem*. 865.

Quæ sint crimina perduellionis, & læsæ *Majestatis* in Christum. 614.

Libera nos à *malo* quid significet? 22. Non faciẽda *mala* ut eveniat bonum 40. an Paulus apostolus Alexandro imprecetur *malum*? 265 verba Christi, ne resistite *malo* non sunt generalia. 650. *mala* Deus quomodo immittat? 678

Mali amant tenebras, & fugiunt lucem, quare? boni contra. quare? 215.

Sufficit diei sua *malitia* quid significet? 26. Per *malitiam* quid intelligatur? 187.

Maledicentia. 327.

Sensus verborum. Heb. XIII. 14. non habemus hic *manentem* civitatem. 637.

Manichæorum errores. 521.

Mansuetudinis proprietas, effecta, & ratio. in quo cõsistat. 189. linguam indomitam domare potest. 285. *Mansueta*, beneficentia & cæ intra limites extremorum suorum consistunt nec possunt ad alterut. extrem. in infinitum protẽdi, quin statim invitium degenerẽt. 708

Quid sit dextrum oculum eruere, & *manum* amputare? 9. *Manus* purificare quid signif. 289

Non tantum qui *manuarid* arte *manufacturæ* pretio, sed etia qui alio honesto vitæ genere se sustentant absque labore probantur. 213.

Maranatha quid signi ficet? 104.

Per *Margaritas*, sanctos, porcos, canes quid Dominus Matt. VII. 6. intelligat? 28. quare margaritæ non objiciendæ porcis? ibidem.

An beatissima virgo *Maria* in divino cultu, & invocat. coæquanda sit cum Christo? 376.

Quæ sit inæqualitas inter *maritum* & uxorem? 152. Quomodo infidelis *maritus* sanctificetur per uxorem fidelem? 80.

Martyrii & persecutionum gloria non temere captanda. 49 qui propter sentẽtias quasdam pœnas *Martyr.* sufferunt, veritatem tuentur, si non in omnibus, saltem in iis, ob quæ patiuntur. 578. quinã vere *Martyres* sint. sunt quidam qui videantur, & non sunt. 844. Qui pro Rep. occumbunt non sunt veri *martyres*. in quibus ab Antichristi mancipiis distãt. 845

Masoritarum oscitantia. quando orta. 284.

Cælibatum esse bonum; sed tamẽ præcipi *matrimonium*. 80 matrimonium corporale est typus spiritualis inter Christum & Ecclesiam 151. 197. *Matrimoniorum* interdictum est doctrina dæmoniorum. 245.

Cur Iosephitæ, seu veri Ebionitæ evangelium *Matthæi* rejecerint? 1. diversitas inter *Matthæum* &, Lucem in ordine tentationum, quibus à Satana oppugnatus est. 4.

Quomodo *Melchisedecus* typus Christi? 518. Christus esse non potuit. ibid.

Menander, discipulus Simonis Magi, Ecclesiam corrupit introductis erroribus. 324. 328

Qua ratione veritas in *mendacium* transmutetur. 37.

Mens reproba quæ sit? 37.

Mensium & armorum numerus, quibus cælum tempore Eliæ clausum fuit, typus & figura fuit temporis, quo Ecclesia Dei sub jugo Antichristi gemere debuit. 293, 294.

Mercedis jam paratæ dilata representatio ad extremum mundi diem. 264.

Merita nostra quare nulla agnoscere possimus. 527.

Fiducia Christiana cautissimo *metu* temperanda est. 113. Quomodo possint simul consistere. ibid. Vide timor.

Cur sententia regni *Millenarii*, & à quibus explosa? 19.

Cur Deus *minas* exequi differat? 330.

Miracula sive in vita, sive post mortẽ edita non probant aliquẽ non esse pseudoprophetam. 34. multis ad salutem non profutura. ib. *miraculorum* donum in gratiam fidelium datum Ecclesiæ 96. falsa veterum Christianorum *miracula*, & quinam inter antiquos scriptores ista recenseant. 245. *Miracula* tempore Apostolorum non semper, & ubiq; patrabantur. 151. Quare Apostoli *miraculis* instructi sint, & cur nunc non desiderentur. 542. fidei natura sub novo fœdere perpetuum usum *miraculorum* non fert. 640. tutatur nos Deus, sed per media, quæ nobis suppeditat; quãdmodum, & alit, sed laborum, & curæ nostræ intetventu. qui *miracula* à Deo expectat tentat eum. 727. aliquando *miraculosam* opem adhibet, sed raro. 727, 728 dogma istud quod Deus populum suum nolit niti carnali publicæ potestatis præsidio, sed ab extraordinario & *miraculoso* perdere velit auxilio; novum est, & novis *miraculis* confirmandum. 751. 755. Fidelibus quoties absq; *miraculo* humanis mediis servari possunt, *miracula* à Deo petenda non sunt. 813. Omnium celerrimus & facillimus est modus divinæ potentiæ exercendæ per vim *miraculosam*, longe tardior, & difficilior est ratio ejusdem exercendæ per ordinariam liberarum voluntatum moderatricem sapientiam. 846.

Miserationes & viscera quid significent. 175. *misericordiæ* proprietas. 189.

De *Missa* aut Liturgia. 561, 562.

Modestia, aut humilitas primus lapis, & fundamentum est virtutum. 5. unde oriatur? ib. *Modestia* se ipso alios super. putans in quo consistat? 158. *Modestia* minus sibi tribuens Ecclesiæ concordiam conservat. Securitas & superbia lites serunt. 161, 162. *Modestia* vera à ficta, quæ ejus est simia separata. 314.

Monasticam vitam non esse viam arctam, tribus rationibus probatur. 32. ab Apostolis nõ institutam. 149. *monachi* qui mundo renuntiarunt authoritatem Ecclesiæ sui temporis nõ confirmant, sed condemnant. 541. fundamẽtum & origo *monasticorum* ordinum. 553. De *monasticis* ordinibus & regulis. 585. Optima ratione primitus illud vitæ genus institutum ib. rationes cur nunc improbentur; 585, 586. *monachi* omnes conspiratunt in eo confirmanda Antichristi dominatione, & conscientiarum oppressione. 585. *Monastica* vita excludit functiones, & officia humano generi necessaria. 586. *Monachorum* & anachoretarum instituta non esse viam ad sanctimoniæ perfectionem sed Ecclesiæ noxiam, & periculosam. ibid.

Monarchianos quos Tertull. vocaverit? 446. quinam fuerint? 479. plures fuerunt tempore Tertulliani, quam oligarchiani. ib. Tota fere Ecclesia ex iis constabat. 513.

Moralia præcepta nunquam tolli possunt 6. Omnia præcepta *moralia* certis quibusdam finibus aut circumstantiis limitanda sunt, nec ita universe extendenda, ut nullas omnino exceptiones admittant. 700.

Morbi ob peccata nobis solent immitti, eorumque remedium. 293. Qualis *mors* Christi exemplo suscipienda? nempe peccatorum. 44

Mortem Deus quibusdam infert, quos castigat tantum, non cum mundo condemnat. 91 Naturâ etiam pii *mortem* horrent. 112. *Mortis* solatiũ per lucrum exprimitur. 157. *Mors* somnus, & obdormitio vocatur. & quare? 214.

Mors Christi quid à nobis exigat? 113, 114. Ante Christi *mortem* Deus se jam placatum hominibus ostenderat. 114. Sed reconciliationem, quæ est à parte hominum quærebat. ib. *Mors* Christi non est signum irati, & irreconciliabilis Dei, sed maxime misericordis. 115. finis *mortis* Christi est, ut eripiat nos nõ tantum à pœnis peccatorum, sed etiam à peccatis ipsis. 129. cur *morti*, & sanguini Christi tribuatur pax & reconciliatio cum Deo? 144 *mors* Christi quid in nobis efficiat? 269 donat nobis non modo præteritorum peccatorum veniam, sed & futurorum abstinentiam. 299. Multis modis Christus *morte* suâ peccata nostra futura abolevit. 304. Præter exhibitum patientiæ exemplum innumeri *mortis* Christi fructus 506. In Christi *morte* quædam imitanda nobis, quædam non. 722.

Christianæ Charitati non adversatur *mortis* supplicio afficere eum, de quo, an deploratæ spei sit, non satis constat. 733. 814. probatur licitum esse magistratui *morte* afficere eum, quem amissa vitâ præsenti futuram quoque amissurum esse possibile est. 818. Vide supplicium capitale.

Baptisari pro *mortuis* quid. 98 status *mortuorũ* in adventu Christi non erit deterior statu viventium. 213. eodem tempore *mortui* gloriosis corporibus indientur, vivi; transmutabuntur. ib. Non est absurdum jam *mortuo* precari à Domino misericordiam. 259. de Judæis vere dici non potest quod statũ *mortuorum* ignorarent, aut redituræ vitæ spem non haberent, 563. De statu *mortuorum*. 571, 572. 573. &c. In Scriptura S. requies, aut somnus vocatur. 572. *mortui* habent duo præ hominibus in hac vitâ felicissimis. ib. Quomodo in cælesti palatio nuncanimæ quiescere possint? 573. Mortui Lazari parabola historia esse nequit. 573, 574, 575. probatur *mortuos* ante adventum Christi coronam justitiæ non accepturos. 573, 574.

Mortificatio carnis. 186.

Christi lex *Mosis* lege præstantior. 6, 7. &c. quare *Moses* faciem velaverit? 108. Vide lex Mosaica.

Mulier quomodo gloria viri? 90. cur potestatem supra caput habere debeat propter angelos? ib. quare illi silentium in Ecclesiâ imperetur? 96. Earum ornamenta vera. 305.

Christus per portam, angustam ducit ad cælum, paucos illud invenire ait; sed Romana Ecclesia crepat *multitudinem*. 31.

Mundum fideles judicaturi sunt. 78. *mundi* elementa quæ sint? 134. 174. Verba secundum seculum hujus *mundi* non significant. *mundum* non posse esse nisi corruptum, sed contrariũ. 143. *Mundus* non frustra conditus est, sed ob aliquem fructum, & effectum permanentem. 176. *mundi* natura, neq; status per doctrinam Christi notabiliter mutatus est, quamvis regenitorum status mutetur. 202. Creatio vel constitutio *mundi* vetus facta est propter novam. 299. *mundus*, & quæ in mundo sunt non diligenda; & quare non diligenda? 317, 318. Cur Deus, & *mundus* simul amari nequeant? 338. *Mundus* quod prætereat quid significet? ibid. Ex *mundo* esse, & ex *mundo* loqui quid sit? 355. Creatio vetus propter novam, & *mundum* propter Christum factus est. 493. Vox *mundi*, & rerum mundanarum distinguenda est. Aut sumitur improprie, aut proprie. 631. Sensus vocis *mundi*. 678.

Rationes ob quas Paulus dehortatur Christianos ab affectanda Ecclesiastici *muneris* dignitate. 284.

Murmuratio quid sit? 88.

Quid significent verba Christi, *mutus* accipere volentem, ne averseris. 11.

Mysterium fidei. 243. *Mysterium* pietatis. 244.

Mysterium iniquitatis, tempore Apostolorum ortum, post eorum mortem increvisse. 224, 225. Quomodo cæptum & invaluerit? 498. 514.

R.

Rasti ex Deo quid sit? 361.

Natura quid significet? 135. Duas *naturas* humanam primum, mox divinam in Christo negari non debere, & quæ alteram præcesserit. 439. *Natura* istæ ita sibi adversæ, & repugnantes sunt, ut una secum in uno eodemque subjecto esse non possint. 490. Christus nunc Deus est, & divinam *naturam*, quæ humanam vilem, & imbecillam absorpsit, ac sustulit, habet. ibid. Olim unam tantum humanam *naturam* habuit, nunc unam tantum divinam. ib. Discrimen est inter *naturam*, & essentiam, seu formam quæ dat esse rei; quæ duo non idem sunt, nec tuto gravi errore confundi possunt, 461. Quid *natura* sit? ibid. Quid sit humana, quid cælestis, quid divina *natura* strictius inquiritur. 464. Qualis Christi *natura* fuerit cum in terris versaretur, & qualis nunc sit sedenti ad dextram Dei. 465. Quamvis Christus humanam *naturam* nunc non habeat, nec habere possit, homo tamen dici non simpliciter, sed secundum quid potest. 465. Duo argumenta divinæ in Christo *naturæ*, Divina nempe ejus attributa, & cultus divinus ipsi debitus 466. &c. Quanta differentia sit inter *naturam* patri coessentialem, & Spiritum Sanctificationis ex resurrectione à mortuis? 485. Apostolica *naturarum* Christi distinctio, 507. Sententia de duabus in Christo *naturis* simul, & eodem tempore conjunctis Justini Mart. demum tempore in Ecclesia innotuit. 507. An Christo duæ *naturæ* tribuendæ? 573.

Nazarris sanioribus Ebionorum nomē falso Eusebius imposuit. 511. Naz. qui fuerint? 512. 516. Duo Nazar. genera. posteriores genēris nō fuerunt Ebionitæ. ib. de Naz. 518, 519.

Quænam de Deo ac Christo ad salutem scitu necessaria. 374. Ad salutem necessaria sunt pauca & simplicissima, omnibusque simplicissimis cognitu facilia. 373.

Necessarium quamvis cibo & potu ab Apostolo definiti videatur paulo latius porrigendum. 710. Quædam plane non *necessaria*, si commoditatem aliquam in se habeant, consectari possumus, dum id fiat sine potiorum curarum detrimento. ibid.

Necessitas hominibus ad ea jus dare potest, quæ citra eam non licerent, ut in David. potuit panes propositionis edere. 814.

Non *negligenda* Dei dona. 247.

Nemo cum improbitate nascitur, cui advirtutem & pietatem aditus præclusus sit. 2.

Nescire præstat, quæ intelligi nequeunt, & tamen iis, quæ possunt intelligi fidem derogant. 344.

Nihil esse quid significet? 158.

Statum *nobilium* non citra mentem Dei excogitatum esse. 878.

Arca *Noe* typus Baptismi. 308.

Nomen pro potestate. 142. facere aut petere aliquid in *nomine* Christi, 191. vox *nominis* quomodo sumatur. ibid.

Novi cæli & terra non simpliciter; sed secundum quid dicta. 331.

Creatio vetus propter *novam* facta. 493.

Vide creatio. etiamsi *nova* doctrina pura sit ab errore, modus tamen eorum tradendorum plurimum in Ecclesia nocere potest. 282. interdum *novæ* doctrinæ, & illuminationes, ac inveteratorum errorum remedia requiruntur. 284. In *novis* doctrinis pejores errores sæpe latent, quam sunt ii, qui per illas ex Ecclesia exterminati videntur. ibid. Quare doctrina Christiana novum & vetus præceptum dicatur? 336.

Veteris fœderis ministeriū opponitur *novo* 108. discrimen inter *novum*, & vetus fœdus; quod sacerdotium subveteri fœdere levitarū, sub *novo* omnium sit. 116. Sub *novo* fœdere remissio peccatorum ad præterita in ignorantiā commissa; non ad futura, post agnitam veritatem protenduntur. 310. Lectio *novi* fœderis nobis utilior, quam veteris. 313. 314. *Novi* fœderis Antichristi quomodo describantur. 324.

In quo differentia consistat inter populum Dei antiquum & *novum*. 617.

Nova vocabula hypostaseos &c. ne *novas* res introducant fugienda putamus 509. In rebus omnibus *novitas* odio habenda, ut voces ipsæ recens inventæ suspectæ fiat. quia ubi vocum *novitas* necessaria est, non potest nisi rerum ipsarum *novitatem* arguere. 591.

O.

Fiat voluntas tua significat *obedientiam* voluntatis Dei in terris tam plenam, quam illud in cælis habeat. 198. talem *obedientiam* in terris effici posse constricto per longum tempus Satana ab Apostolis prædictus. ibid.

Molestiæ multæ obedientiæ Deo obstant. 155.

Non quibusdam Christi præceptis sed omnibus *obediendum*. 281. cur integrum Christo *obsequium* debeamus? 282. *Obedientia* veritatis quid? 300.

Obdurandi cæca nihil indignus nihil in Deum & Christum iniquius? 521. Est nefandum scelus, & aperta erga Majestatem Dei petduellio. 585. 609. Non Christi, sed suam causam agunt, qui cæcam ab hominibus requirunt *obedientiam*. 686. Quid ejusmodi homines intēdant? conscientiam convellunt. ib.

Objurgandi modus. 248. Vide reprehensio.

Christiani qui sunt inferiores non debent *obsequium* superioribus debitū propter Christianæ vocationis æqualitatem detrectare. 305. Quale *obsequium* Pharisæi injungant? 543. Ingenia hominum prona sunt ad ejusmodi *obsequium* Deo, & religioni præstandum quod exteriori specie oculos omnium perstringit, dum ipsis peccandi licentia non eripiatur. 667.

Obscuri libri vitandi. 369. *Obstinatus* in Scriptis Ethnicorum & Patrum. 187.

Quæ *obsignatio* Spiritu promissionis facta sit? & quæ sit? 141.

Quid sit dextrum *oculum* effodere & manus amputare. 9. *Oculum* pro oculo, dentem pro dente exigere non licet. 9. &c. Quædam à Christo præcepta esse videntur, quæ revera ex mente Christi præcepta non sunt, ut *oculum* sibi eruere. 709. Sensus verborum Christi si *oculus* dexter Scandalizat te, erue. 711. Dictum Christi *oculum* pro oculo, cui Dominus sua verba opponit, non esse genuinam legem Mosis, quæ forensis erat, sed Morale Scribarum, & Pharisæorum commentum, probatur. 787. *Oculi* excussio levis, an gravis injuria censeatur? 794.

Non omnes virtutes *occultandæ* sunt. 16.

Christi lex non homicidium tantum vetat sed *odia*, rixas temerarias, aliaq; ad illud occasiones. 7. Licet *odisse* malum in iis, quos amare jubemur. 59. *Odium* est ira inveterata, tollens caritatem, virtutum omnium fundamentum. 148. Causa *odiorum* in malis adversus bonos. 349. *Odisse* vestem peccato maculatam quid? 368. An in Mosis lege *odium* inimici publici præceptū fuerit? 655. actus *odii* cum ipso odio non sunt confundendi. *odium* interdū absq; istis actibus, & actus isti absq; odio esse possunt. actus, quos in pœnis, & defensione intervenire videmus actus *odii* censendi non sunt. ib. An in Republ. Christiana *odium* locum habeat erga quosvis homines, quavis de causa? 716. Christi doctrina nequaquam insitos nobis naturā affectus ōnes ita nec *odium* prorsus extirpat, aut excludit, sed tantum moderatur, aut ad exercendam virtutem deflectit. ib. Christus non poterat satis dilexisse justitiam, nisi *odio* habuisset iniquitatem. 720. non omne *odium* vitiosum est. 794 quomodo nosmet *odio* habere teneamur? 819. *Odium*, quo parentes ac uxores persequi jubemur, non est verum *odium*, sed remissiot Charitas, respectu potioris consideratæ; nec dilectioni, qua erga inimicum affecti esse debemus, opponendum. ibidem.

Offendiculum quid sit? 63. Vide scandalum.

Ungere *olea* in nomine domini quid significet? 293.

Omnia, & in *omnibus* est Christus. 188. sensus verborum in multis *omnes* labimur. vox omnes quid significet? 284.

Opera nostra in salutis negotio aliquod quamvis leve momentum habet. 164.

Deum in nobis *operari* & velle & perficere quid significet? 161.

Mali *operarii* & canes qui sint? 163.

Operum malorum duo sunt genera. 33. *opera* fidei præstitu difficiliora, quam opera legis, & quare? 164. In fidei *operibus* & aliqua laus nostra, sed exigua cum Dei gratiā collata. 164. Justificatio ex *operibus* opponitur justificationi ex fide, cujus origo ex gratia, & misericordia Dei. ibid. Jacobus etroneam opinionem oppugnavit eorum, qui vitæ Christianæ officium in fide absq; *operibus* collocarunt. 176, 177. Quos describit suis coloribus ibid. Error fidei ab *operibus* separatæ ex Pauli verbis male intellectis, hic detortis fluxit. 281. fides sine *operibus* umbra tantum, & cadaver fidei. ib. Quænam *opera* Paulus à fide excludat? 285.

Quæ damna *Opiniones* intulerint Ecclesiæ? 287. An in gratiam aliorum *opinionibus*, quas fovemus, renuntiandum est? 578. Certissimum falsarum *opinionum* signum est, quoties corporeis armis per vim defendantur. ibid.

Quoties in *opinionibus*, quæ obtrudūtur, in est aliquid quod rationi repugnet, toties pro suspectis habenda sunt. nec in eas tantum inquirere licet, sed valde expedit. 686. Aculei & vituperia, quæ non in homines, sed in *opiniones* stringuntur, pro contumeliis non habenda. 740. Quænam sint *opiniones* fanaticæ. ib. Quæ *opinio* nova dicatur? 760. paradoxa *opiniones* Itali cujusdam. 761. V. Sententia.

An pro quibus Deum *orare* debeamus, contra eos vindictam à Deo postulare non teneamur. 728. *Orare* Deum pro inimicis quid sit, & complectatur. ibidem. Vide preces.

Cum Christus discrimen *ordinum* ac vocationum non sustulerit, expenditur quid hic Christiano liceat, vel non liceat, in honore hominibus habendo. 281.

Originale peccatum Pythagoricum dogma. 300.

Origines infensus simplicibus Symboli Apostolici confessoribus. nec id impune tulit. 28. Ariani ab *Origine* originem ducunt. ib. Dissentientes damnandi audacia *Origini* debetur ibidem.

Origines fere unus inter Patres ante Hieronimum linguam hebræam didicerat. pro hæretico est habitus. 236.

Ornare doctrinam Christi. 168. *Ornamenta* vera mulierum. 305.

Ostentatio Eleemosynarum vetatur. 15 16.

Otiosi, & inordinate ambulantes quinam? 212. *Otium* & pigritia egenorum obtrectationem &c. procreat. ibidem. *Otium* pulvinar Satanæ ejusque fructus aliena curare. 231.

Per *aures* fidele s intelligi. 33.

P.

Sub *pædagogo* vel peccato esse. 134.

Pallium. Vide tunica.

Quid vox *panis* in formula precum significet, ejus epitheton [illegible]. 10. verbis quotidianum & hodie non frustra Christus usus est. ibid. Quomodo Christus *panem* vocet carnem suam. 561.

Primi controversiorum in doctrina Christi dogmatum authores, Justinus *Paulanus* &c. pene omnes prius Philosophi, quam Christiani fuerunt. 485.

Si Deus in Ecclesia *Papam* tanquam universale caput instituisset, non locus esset anxie quærendi viam, quam pauci nunc inveniunt. 32.

Cur *Papias* exosus Eusebio. 19.

Non dixit esse rapinam *parem* esse cum Deo quid significet? 158, 159.

Cur Deus liberis, qui *parentibus* obedium promissionem, immorigeris vero comminationem adfignaverit. 152. Nulla potestas propius accedit ad Dei Christique potestatem, quam *parentum*. 191. *Parentum* virtus liberis, si frugi sint, proderit. 217.

Πάρεσις quid significet? 347.

Diversus celebrandi *pascha*tis modus plurimas turbas excitavit. 186.

Reliquias *passionum* Christi in carne sua imbecilla explere quid sit? 178. Christum semel *passum* esse quid significet? 308.

Magnitudo Christianorum in eo sita est, si quis aliis inserviendo multa *patienter* ferat. 124. *Patientia* Christi. 210. *Patientia* vox quid significet? 275. *Patientia* pietatis officia non tantum exequi potest, sed compellitur. 321. Cognitio cum continentia, & *patientia* conjungenda, & *patientia* cum pietate 318, 320. Præcepta est à Christo suarum, non alienarum injuriarum *patientia*, ac de suo jure decessio, non de alieno. 645. legum Christi scopus non est ut omnē resistentiam tollant, aut *patientiam* nostram in infinitum protendant 651. *Patientiæ* vox distinguitur. 751. pertinacia, quæ sine resistentia omnia concedit, etiā iniquissima petentibus, nihil Reipublicæ exitiosius esse probatur. 751. nequiter Carthag. expetivit illa *patientia*, quod nō pugnavere. 753 *patientia* nostra in remittendis peccatis in infinitum non est producenda, quia Christus dicit septuagies septena delicta fratribus per diē dimittenda esse. 728. *patientia* suarum injuriarū injuncta est, non alienarum, nec ad suas quidem injurias, aut omnes, aut semper, aut ubique remittendas, patientia omnes obligat. 750. Quam sæpe Christianam *patientiam* vocant est tentatio Dei, & extremum vere *patientiæ* oppositum. Deus à nobis fiduciam poscit: sed non otiosam, nec temerariam, quæ extraordinaria miracula poscat. ibid. Explicatio adversariorum de *patientia*

confessioni, & in dando mutuo dolosa facilitate magna est, & imperfecta quod probatur. 789. 790. 791. quare explicatio authoris præterenda. 791. 792. cum impœnitentibus *patientiâ* certare laudabile est, quomodo ipsi locus est. 853. præcepta, de *patientia* non pugnant cum officio Magistratus. 857. Christianæ *patientiæ* perfectio in quo consistat. 856.

Patres omnes, quorum sententias refellunt eanquam primos eorum inventores coarguunt. 237. cum philosophia errores varios in Ecclesiam invexerunt. 247. Sine fructu, & multo cum Ecclesiæ detrimento opiniones frivolas, & altiorem mysteriorum cognitionem intulerunt Ecclesiæ. 287. Lipsius de *paribus* dixit multos externa professione ita Christum induisse, ut animo Platonem non exuerant. 381. Prius philosophi pæne omnes, quam Christiani fuerunt. 481. nemo propemodum veterum *Patrum* fuit, qui in summa rei, circa aliquod dogma cõsensit, quin in modo explicandi divertium quid ab aliis attulerit. 509. Reformati *Patrũ* doctrinas urgendo, inter se dissidere experunt. Et Pontifex Roman. in authoritate *Patrum* doctrinæ suæ patrocinium invenisse visus est. 581. 594

Apostolus *Paulus* de se ipso non loquitur Rom. VII. 9. 46, 47. Quomodo Evangelium prædicaverit Corinthiis? 70. Christum vidit. 84. quare censebatur in carne ambulare? 121. Quando raptus sit in cœlum? 125. quare, & quando *Paulo* datus sit angelus Colaphizans? 126. Non inferior est maximis Apostolis. ib. Epistolas suas dictasse, non scripsisse indicio est quod apodoses protasibus suis non reddiderit. 135. *Pauli* & Jacobus in dogmate de fide, & operibus inter se fuerunt concordes. 283. Comenius Apostolum *Paulum* sanctum quidem mente, at carne peccati mancipium fuisse dicit. 493. 524.

Pauperes Spiritu qui sint? 5. unde oriantur ib. *pauperum* gloriatio, & sublimitas. 276. ubi in discrimine honoris habendi *pauperi* simul & divisi, aliqua vel minima *pauperis* contumelia intercenit, violatus Christiana æqualitas & caritas. 280. quare *pauperes* non contemnendi? 681.

Pauperies homines ad inhonesta impellit. 810.

Pax eorum, qui *pacem* colunt, & quinam sint pacifici? 6. duæ rationes cur *pax* cum omnibus colenda, & inimicitiæ fugiendæ sint. 7. *Pax* quid significet? 195. *Pax* Evangelii sumitur aliquando pro pace carnali. 351. *Pacis* Dei effectus. 168. *pax* est præceptũ & promissum. 189. Mutua in Ecclesia tolerantia continetur. 189, 190. Conditiones *pacis* à Jesu facta Christianæ orbi oblatæ. 477. prædictiones de *pace* sub regno Christi, aut nondum sunt impletæ, aut non id significant quod in ipso eventu cernitur. 661. locus Esai. IX. 4. de *pace* explicatus. 716. 808. Agitur illic de *pace* spirituali, & propriè dicta. 808, 809. In quo sita sit prophetiæ istius impletio? ib. Quomodo Apostolus *pacem* cum omnibus sectari nos jubeat. 809. ad *pacem* illam fovendam, de qua Esaias, gladium magistratus requiri. ibid. à quibus ista *pax* tollatur. ibid. Infinitam patientiam ad *pacem* illam colendam requiri negatur. 809, 810.

Ex formula precum remitte nobis debita nostra, nõ liquet neminem esse qui quotidie non *peccet*. 22. Error eorum qui opinantur omnia *peccata* præteriti, præsentis & futuri temporis, eorum qui in Christum credunt, esse remissa. ib. Christus gravia *peccata* tatius vetat, & in prohibendis occasionibus, & initiis multus est. 23. nisi *peccata* aliorum remiserimus, Deus nostra non remittet. Sed inde non sequitur Deum omnium, etiam obstinatorum *peccata* remissurum, si quando remittant alliis. 24. Per quæ *peccant* homines, per eadem puniuntur. 37. 438. omnes in Adamo *peccasse* quid significet? 43. *peccatum* corruptionem significat. 44. *peccati* natura, fructus. 44. *Peccati* servitus. 46. lex vocatur *peccatum*. ib. sub pædagogo vel *peccato* esse. 134. *peccatori* quomodo corrigendi? 148. 167. status *peccantium* miser depingitur. 142. In *peccatis* alterum alterius supplicium est. 189. *peccata* homines ad quærendos errorum fucos, & fugiendam veritatem alliciunt. 229. Deus neminem quamdiu *peccat* servare potest, nec id aut precari aut optare à Deo fas est. 265. *peccatum* an ex voluntate, an vero ex cupiditate nascatur? 177. ejus origo. ib. Opinari Deum, quos ad perniciem destinavit eosdem ad *peccata* quoq; ipsa inevitabiliter destinasse, est illecebra peccandi. ib. Unde hæc opinio originem duxerit. ib. Non unum *peccatum* commissum tantum mortem præcerat, nisi forte grave & capitale; sed omnis *peccandi* habitus lethalis est. 277. 278. Quare Jacobus quosdam *peccatorum* suorum admonuerit, nec insatanam sed ipsos homines peccantes transferat? 278. Religio Christiana *peccata*, omissis gravioribus, insectatur, quæ ne *peccata* quidem esse videantur, & tamen in iis lactans femina maximorum scelerum. 280. Verba in multis labimur omnes, non significant Apostolos omnes *peccatis* obnoxios fuisse. 284. Mors Christi præstat nobis non modo præteritorum *peccatorum* veniam, sed & futurorum abstinentiam. 299. Deus multitudine *peccatorum* non absterretur, quominus eos puniat. 324, 325, 365. nullum *peccatum* voluntatis absq; errore intellectus. 326. Quid significet purificat nos ab omni *peccato*? 336. Gnostici turpissima quæq; non modo *peccata* esse, sed ad perfectionem religionis necessaria dixerunt. 335. *Peccata* non esse inevitabilia, præcipue vero habitus. 336. Quomodo Christus tollat peccata? 348. *Peccatum* ad mortem quale? 351 de eo homines judicare non possunt. ib. Odisse vestem *peccato* inquinatam, quid? 368. 367. iram delinquit in Spirituali judicio qui *peccandi* animum habet, quam qui reipsa peccat. 638. Christus latentia in ipsis animorum penetralibus *peccatorum* ulcera scrutatur. 639. Vide remittere.

Pedum latio pro nunquamomittendo officio injuncta non est. 805.

Pelagii in sectatores hominis corruptionem longe deterius quam ipse Pelagius extenuant. 521.

Per pro propter sumitur. 176. 198. 202. *per* Christum mundus factus dicitur quia propter Christum. 202.

Quod sit crimen *perduellionis* in Christum? 614.

Quare fideles *peregrini* & advenæ? 302.

Quid adumbrent Abrahami, & patrum *peregrinationes*? 637.

Ad *perfectionem* semper assurgendum, ne tepor obrepat. 86. Ratio & ars ad *perfectionem* tendendi. ib. quid per voces apprehendere, & *perfectum* fieri exprimat Paulus? 165. quomodo contendendum ad *perfectionem*? 165. Cujus partes & officia describuntur. 165, 166. *Perfectio* Christiana duplicis est generis, & in quo summus ejus gradus consistat. 166. In quo *perfectio* consistat? 175. scala virtutum, quibus ad *perfectionem* eniti possumus. 318, 319, 320. 321. *Perfectio* legum Christi. 619.

Perjurii crimen propius tangit, ac lædit majestatem divinam, quam alia. 441.

Permissivus vox distinguitur in veram, & apparentem, &c. 674.

Persecutionum aut Martyrii gloria non temere captanda. 49.

Persecutio ob religionem vetita. 217. *persecutores* magis miserabiles, quam ii, quos persequuntur, ideo adversus eos non ingemiscendum. 191. Quoties Deus Ecclesiam *persecutionibus* objicit, non desunt in illa delicta. 332. *Persecutorũ* pœnæ longe atrociores sunt, quam Martyria, & afflictiones justorum. quod exemplis probatur. 312. Quomodo *persecutiones* in Ecclesia ortæ? Aurelianus à Christianis Christianos *persequi* didicit 340. In persecutionibus Deus suos explorat. 433.

Persecutio, & oppressio dissidentium in religione quas clades intulerit Europæ. 450.

Pertinacis animi supplicium. 203.

Petavius Arii sententiam de eminentia patris supra filium, longe magis quam homousianorum conformem antiquitati fuisse scribit. 509. Et Gnosticam veterum sententiam puram arrianam fuisse, homousianã antiquiorem animadvertit. ib. Res Christianas post Apostolos fabulis, & incertis narrationibus aspersas ait. 576.

Quid verba Christi significent, *petenti* dato & mutuo accipere volenti &c? 11.

Quomodo Christus *Petro* scandalis? 301.

Petrus Apostolus non pro principe; sed ministro Ecclesiæ est censendus. 74. à Paulo reprehensus, & à patribus quibusdam defensus. 131. sed male. 132. Non imburus fuit Pythagorico dogmate, de peccato nempe originali, etiam in infantibus infito; nec Christus. 300. quare epistola *Petri* secunda à Veteribus rejecta. 317. Ipse nusquam facit mentionem sibi collatam essepotestatem universam in Ecclesiam. ibidem.

Pharaonis induratio qualis? 92.

Sensus verborum Christi *Pharisæi* in cathedra Mosis considere. 141. pharisæi & scribæ multa commenta legi Mosis affinxerant, quæ Christus abrogat. 9.

Philosophiæ docentes facit. 73. Ab ANTICHRISTO postolico Satanam insidiatum fuisse Ecclesiæ per *Philosophiam*: maxime autem Platonicorum & Pythagoreorum. 179. Primi controversiorum in doctrina Christi dogmatum authores, pæne omnes prius *Philosophi* quam Christiani fuerunt. 481. *Philosophica* dogmata quædam, quamvis aliquam rationis larvam præ se ferant, Christi doctrinæ inimica sunt, nec minus sobriæ rationi. 491. Vide scriptores.

Philantia quæ sit. 158.

Nemo cum improbitate nascitur, cui ad *pietatem* aditus præclusus sit. 2.

Pietatis species ipsa pietate longe facilior est. 33. Nemo in *pietate* tantam profecit, ut à Satana extra tali jactum sit. 87. *Pietas* & cognitio rerum divinarũ sibi mutuo sunt cautæ. 172. *pietas* quæ sit? Multos habet gradus. 321. Corporalis *in pietate* exercitatio est simia veræ pietatis. *pietati* noxia. 585. *Pietatis* ostentationem per externa & oculis obvia ejus vestigia Christus expresse vetuit. & abstinentiæ Joannis Baptistæ suum vivendi genus oppositum. 588.

Providentia Dei consilia piorum quoties in errore versantur miraculose flectit. nec in pravum exorbitent. 2. Vide Deus.

Pigritiæ egenorum obtrectationem parit. 212.

Platonicorum dogmata erronea. 73. duplex error *Platonicorum* & Pythagoreorum tempore Pauli: nempe in delectu ciborum ac dierum, & in cultu angelorum, refellitur. 183, 184. *Platonici* hæreticorum patriarchæ Gnosticas speculationes invexerunt. 314. Multa hæreticorum sectarum examina in Christianismũ effuderunt. 356. dogmata *platonica* ex religione in philosophiam an ex philosophiâ in religionem irrepserint? 503.

Pœna Spiritualis remitti potest, etiamsi corporalis exigatur. 642. An *pœna* Mosaica, quæq; ejusdem sunt naturæ in Ecclesia Christiana patientiæ præcepto abrogatæ sint? 643. quare qui in Rempubl. peccant ab ejus *pœnis* non sunt exempti? 658. Error eorum, qui exemptionem à pœnis corporalibus colligunt ex imperata erga inimicos dilectione 658. Eo quod orare pro persecutoribus jussi sumus non prohibemur *pœnas* exigere a delinquentibus in Religionem ibid. Quemadmodum forensis gratia Spirituales & Ecclesiasticas pœnas non tollit; ita nec spiritualis venia forensia supplicia. 660. An capitalibus *pœnis* peccatoribus pœnitendi spatium præcidatur. ib. *Pœnam* legis forensis cum venia legis spiritualis sæpe in eodem homine, & eodem peccato simul esse posse. 661.

Unde vera *pœnitentia* nascatur? 289.

Polonia vacillare cœpit postquam persecutionem in dissidentes instituit. 437, 438. damna *Poloniæ* illata per præposteram rationem status religionem promovendo. 443.

Polycarpus Deum patrem ex quo omnia, cum filio per quem omnia in cultu, & laudum celebratione conjunxit. 506.

Πολυφαγυροσύνη vetatur. 312.

Per *porcos* canes &c. quid intelligat dominus Matt. VII. 6? 28.

Christus per *portam* angustam & viam arctam ducit ad cœlum, paucosque illud invenire ait, sed Græca & Romana Ecclesia crepæ multitudinem. 31.

Possessiones nostræ nunc æque propriæ & hæreditariæ sunt, quam olim Israëlitarum, quæ extraordinario modo collatæ sunt. 816, 817.

Quare Christiana religio *potentia* & adventus Christi vocatur? 323. homines à *Præceptis* religionis illis plerumque sectantur, quæ carni allubescunt. 667.

Præcepta Dei alia sunt absoluta, alia conditionata. quæ sint absoluta, quæ conditionata. 672, 673. Nulla *præcepta* Dei inter se contraria sunt quamvis videantur. 775. Ea frustra *præcipiuntur*, quæ nullo præcipiente facere cogimur, & ad quæ ipsius naturæ impulsu fetimur. 776. Præcepta officio repugnantia ad illos qui ista munere funguntur, saltem dum funguntur, non pertinent. 837. Vide lex.

Præcognitio fidelium ubique fere expresse Deo Patri tribuitur. 296

Quod *prædestinavit* & vocavit. hæc verba ad propositum Dei, non ad evenrum restringenda sunt. Ordo & modus ejus *prædestinationis*. 50. Vanitas opinionum de *prædestinationis*, & electionis necessitate, & certitudine. 161. Ecquid nos miseri præstare possimus, ad supplicium ira Dei *prædestinati*? 213.

Origo symbolorum Apostolici, Symboli, & eiusdem quibusdam partibus declaratis, 178, 179. *Collatio doctrinæ Gabrielis de fatali prædestinatione cum piorum doctrina.* 382. *de gratia libertatione.* 390. &c.

Prædestinatianus absurda. 298, 299. 481.

Quæ prædicata Apostolorum, quæ per Scripta fiebat, præstantiora fuerit oratis, quæ sermone peragebatur. 312.

præmium aberrationum præcipuarum ab autore vitæ, & sensus horum verborum. 295.

Prærogativa Judæorum præ aliis gentibus 39, 40.

Extant, qui cuncta Deo statuunt *præsentia.* 146.

In *precibus* multiloquium vitandum, quia scitissimum requiruntur profunda humilitas, & affusissimus erga Deū affectus. 19. Cur Christus in formula *precum* ea, quæ ad Dei gloriam spectant nostris necessitatibus propriis præmiserit? ib. *Precum* summa utilitas. 29. quomodo *precandum?* 30. Modus *precandi* per Christum optimus. 36. Quare Deus *preces* nostras expectare 55. 168. Multa *precationis* genera. Perseverantia in *precibus* necessaria. 154. Satanas miris modis mentem nostram in precibus distrahit. ibid. *Preces* remedium adversus sollicitudines. 168. fructus *precum* est pax Dei, ib. *preces* eucharistia sæpe dictæ. 190. Gratiarum actio synechdochice omnis generis *preces* comprehendit. 191. ad Christum *preces* nostras esse dirigendas. ib. Refelluntur qui Christum *precibus* invocandum negquam nobis præceptum prætendunt. 191 192. Quare indefinenter *precandum?* 216. affectata in *precibus* verborum volubilitas noxia. 219. Præceptum de *precibus* quod esse, & quales esse debeant 239. quomodo omnibus orandum sit. 240, 241. Quilq; suæ imbecillitatis conscius ad preces maxime stimulatur. 257. Non absurdum est, leas res à Deo *precibus* petri, quas scimus sine precibus eventuras. 259. *Preces* unicum perfugium in tentationibus. quales esse debeant, & quales nos precantes? 275. 288. *precibus* omnia Deus obtineri voluit, 288. Securitas est causa negligentiæ *precum.* 290. *preces* sunt conversatio cum Deo 291. Quomodo fervent laborantem? 293 earum efficacia. 294. Cur Christiani veri quicquid à Deo *precibus* impetrent. 351. In *precibus* desiderii nostra ipsius Dei voluntati subjicienda. 460. Non Deus in causa est quod non obtineamus, quæ petimus; sed culpa hominum. ibid. auditio *precum* nostrarum ab exauditione distincta. ib. Quid *precibus* impetrari possit? ibid. Quare aliorum *preces* ambiamus? 465.

Divisio facta inter *presbyteros* & diaconos improbatur. 450. nomina *presbyterorum* ac Episcoporum Apostolico ævo fere idem significabant. 466.

Mules sunt natura, sint non magni *pretii*, quibus tamen aut nullius, aut necessitas *pretium* conciliat. 318.

Vox *principii* quid in Evangelio denotet; utrum veteris an novæ creaturæ dicatur. 333 346. Calcidius ex Platone, Proclo, Plotino aliis coæternos *principia* tradit. non sic Matthæus, Marcus &c. 496.

Principatuum, & potestatum voces triplici modo in S. Scriptura usurpari. 180.

Primogeniti vox non semper refertur ad postgenitos. 2. Vox *primogenitorum* in cœlis Heb. 12. dignitatem potius significat, quam tempus quo geniti sunt. 204.

Probatio incumbit rem novam, absurdam &c. asserenti. 757, 759.

Qui non *profecit* in virtute, deficit. 212.

προγνωσις sanctorum prædictus præmunciatum non decretum significat. 221.

Certitudo *promissorum* futurorum verbis præteriti temporis exprimitur 200. Deus dicitur *promisisse* quod promittere decrevit. 266. Certitudo *promissorum*, quæ jam sunt in manu Christi. 290. Cur Deus *promissa* sua, & minas exequi differat. 410.

Dominus *sæpe* est quid significet? 167, 168

Πεφανερωται quid significet? 104.

Prophetiæ spretnere veritum. 217. *Prophetiæ* per Evangelium confirmantur. Evangelium per prophetias accipit lucem. 298. *Prophetæ* rerum quas prædicabant, distinctam cognitionem non habuerunt. ibid Ne sibi quidem ipsis intellecta oracula fundebant. *Prophetiæ* cum summa curâ legendæ. 323.

Prosopolepsia vitiosa. 281.

Prospera fortuna quanquam periculosa sit, tamen Christianum non decet hoc virtutis specimen effugere. 687.

Providentia Dei consilia piorum miraculose dextris, quando in errore allegando tentantur, ne in nullum exsistant. 2. Duo *providentiæ* Dei genera. 3. quæ eorum, quos protegendos suscepit. 4. nullius illorum, qui ipsi sibique adversantur. 5. Vox *providentiæ* Dei ambiguitas. 601. Providentiæ divinæ ratio cum affectibus humanis similis est arti naturam gubernanti. 733.

Proximi charitas debita. 30, 31. Vox *proximi* fratres significat, quamvis sub nomine fidere etiam ad alios protendatur. 189. Illa tantum officia *proximo* præstare jubemur, quæ nobis vicissim ab illo, sed jure, & meritò & rationabiliter præstari vellemus. 697. Am sibi unusquisque longè debeat esse vilior, quam *proximus*, quisquis ille sit. 721. *Proximum* magis quam nos amare non tenemur. quod probatur ibid. Vide Charitas.

Virtutum dux *prudentia.* 170.

Psalmorum liber lex vocatur. 40. Eorum usus quid contineat. 191, 193.

Pseudoprophetarum descriptio. 31, 33, 34, 35. Eorum adventus prædictus. 33. Lata via est *Pseudoprophetarum.* ibid. Quomodo cognosci possint? prædicti ab Apostolis. ibid. Victor & Zephyrinus pseudoprophetæ fuerunt. ib. Eusebii locus de pseudoprophetis, quibus suo tempore repleta fuit Ecclesia; nec æstimandum eam succedentibus sæculis emendatam fuisse. 34. miracula sive in vita sive post mortem edita non probant aliquem non esse *pseudoprophetam.* ib. *Pseudoprophetæ* novi fœderis describuntur 324, 335, 348. 365. celeriem sibi perniciem accersituri, quomodo, & quare? Avaritia illorum. 335. Cur dicantur animalia ratione carentia. 337.

Pugna omnis Caritati, & Deo non adversatur; sed illa, quæ illegitimis modis exercetur. 589.

Punit Deus peccantes per quod peccant. 220. 438.

Purgatorii ineptia. 21. Et Platonici ingenii commentum. 224.

Q.

De *qualitate* regni Christi, ubi inquiritur an Christiano terrenæ dominationes conveniant? 621. &c.

Quærere Deum quid sit? 29. Quid *quærendum* 29, 30. Quomodo *quærendum*, ac retinendum spiritus S. donum? 30. *Quærendæ* via arcta. 31.

Dogmata quæ plus *quæstionum* & rixarum quam ædificationis ferunt, vitanda. 235, 236, 237. *Quæstiones*, & verborum dissidiationes reprehenduntur. 252, 253. vitandæ sunt stultæ, quæ pugnas gignunt? 261, 270. Quæ damna intulerint Ecclesiæ? 287.

R.

Non duxit esse *rapinam* parem esse cum Deo. quid significet? 158, 159.

Rationis humanæ deceptio & obtenebratio causa fuit vitiosæ Ethnicorum vitæ. 147. Veritas, quæ apud Christianos docetur recta *rationi* est congrua. 253. Cur *ratio* data hominibus? *Rationis* abusus quantum noceat homines bestiis deteriores reddit. 318. Sophismata Comenii circa hanc *rationis* normam examinantur 477 ad 492. S. Scriptura *rationi* non illuminatur, quia S. Scriptura mentis nostræ lumen est. Utrumque lumen est, utrumque à Deo; sed S. Scriptura infallibilis est. *Ratio* S. Scripturæ est ministra, non directrix, aut Domina. &c. 483. Errorum culpa non est conferenda in *rationi*, sed eâ abutentes. 488. 489. Sapientia hominum, 1. Cor. 1. non lumen *rationis*, sed tenebras jam erantis *rationis* designat. ibid. quicquid adversus *rationem* est, falsum est, & impossibile. ibid. Quæ à revelatione veniunt *rationi* magisterium non agnoscunt; sed sine ejus ministerio percipi, & aliis tradi nequeunt. Novit Deus capacitatem *rationis* nostræ, nec in eam plusquam capere possit, infundit. 488. *Ratio* in altioribus, & omnibus obscurioribus se normam esse non prætendit sed revelationis auxilium implorat. ib. In divinis, si quæ sunt ita sublimia, ut ad ea *ratio* per se scandere non possit; ubi tamen divinitus *rationi* proposita sunt, adeo *rationem* non evertunt, ut eam potius reficiant, & vegetent. ib. Absurda & repugnantia *rationi* sive in naturalibus, sive in divinis sunt falsa, quia se mutuo perimunt, nec possunt simul stare. 489. Quamvis quædam divina sint supra *rationem*, nulla tamen sunt contra *rationem*. ib. *Rationem*, in dignoscendo quid sibi adversetur nec ne, etiam in divinis competentem esse judicem, sine ulla S. Scripturæ injuriâ dici potest. 489. fides absque *ratione* esse non potest. nam quod absurdum est *rationi*, idem est fidei. quæ sit sana *ratio*. 490. Non Sacra Scriptura *rationi*; nec *ratio* [illegible] *rationi* [illegible] quicquam [illegible] quidquam [illegible] subjicit infallibilem. 492. *Ratio rationi* invidentes cupiditate & phrenesia. Non omnipotens 722. 9. sed lumen est mentis Dei illuminatum, quæ non fidei magistra, sed legis Christi est ministra. 723. Mala sunt eorum studium *rationis* ubi relicta allequi non potest. sed nullum est hoc objectum tam sublime, quo fide duce *ratio* ascendere nequeat. 727. distantiam *rationis* nihil admittere potest, quod per se cum injustitia conjunctum sit. 811.

Reconciliatio Dei ex parte sua mutuam ex parte hominum *reconciliationem* exigit. 14. Ante Christi mortem Deus jam se placatum hominibus ostenderat; sed *reconciliationem*, quæ est ex parte hominum, quærebat. ib. Cur morti & sanguini Christi tribuatur pax, & *reconciliatio* cum Deo? 44. *Reconciliatio*, aut pacificatio in terris per mortem Christi facta, duplicis est generis. 178.

Redemptionis vox in propria notione vocis non est lumenda. 40. Quod sit beneficium *redemptionis* quodnam per translationem intelligenda sit? 141. Quapatto Christus nos *redemerit*, se tradens victimam Deo? 149. Quod in Christo habemus *redemptionem* per sanguinem ejus, quid significet? 173. Per *redemptionem* & mortem Christi Deus delevit adversum nos Chirographum. & quid per Chirographum intelligatur? 181. *Redemptio* non propriè intelligenda. 269.

Redimere tempus quid sit? 190. 193.

Reformationis abusus, & defectus. 438 quem tempus fructum attulerit? 432, 433.

Inter *Reformatos* Antichristus aut Antichristi admittuntur. 498. De providentia Dei in gubernando *reformationis* Ecclesiæ negotio. 580. Cur Deus *Reformatoribus* prosperos successus non largiatur? 581. Quid *Reformationis* cursum retardaverit? ib. 594. *Reformati* doctiores patrum urgendo inter se dissidere caperunt; & Pontifex Romanus in authoritate patrum doctrinæ tuæ parrocinium invenisse visus est. ibid. 594. Quid *Reformatoribus* immiserit discordiæ spiritum? 581, 594. Remedium malorum, quæ *Reformationem* hactenus retardarunt 581, 582. Quamvis *Reformatorum* vires infirmæ sint, possunt tamen errores, & potentiam Antichristi debellare. 591. &c. Cur Principes Christiani jugum Pontificis Romani non ejecerint, & *Reformationem* provehant? 593. discordia inter *Reformatos*. 593. 594. 595, 596. *Reformati* causas suas, aut malis, aut parum aptis modis promoverunt. 594. Hic *Reformatis* Ecclesiis in tota Europa oppressentur, quidam in Gallia debellent, ipsique expedient. 598.

Generalis descriptio *regni Christi.* 186, 187, 188. Vide nova creatura.

Regeneratio quæ sit? 196.

Regnum Dei, non advenit palam, & aperte, nec clamat & occulte, 2. minimi in *regno* cœlorum quid? 6. Verba ista adveniat *regnum* tuum, significant *regnum* Dei in cordibus spirituali Satanæ regno oppositum; quando Deus in cordibus fidelium regnat. *Regnum* illud nondum advenit. 38. Multos habet gradus ibid. Quando religio Christiana per totum orbem propagata est, *regnum* Dei nondum plene advenit, sed post Antichristi minam *regnum* illud in præstantiorem gradu adveniet. 38, 39. Quomodo vaticinia de florentissimo *regno* Messiæ cum porta angusta conciliari possint? 43. Quomodo Deus nos transtulerit in *regnum* filii sui? & nempe per novam creaturam. 173, 174, 178. *Regis* Christi potestas alia universalis, alia particularis. 468, 469. ex quo duplex *regnum* Christi alterum ab altero plurimum differens, & quorum alterum alteri opponi possit, profluit. 470. Non in gratiam humilitatis, scilicet dominatio à *regno* Christi exuleditur, cum se ista non tollant, sed quia ejus natura coactivam potestatem non fert. 621. inter *regnum* Christi Ecclesiasticum & *regnum* hujus mundi convenientiam quandam & nexum, esse probatur. 626. utrumque *regni* speciem spiritualis, & politici uni populo competere posse. 630. Vox *regni* sumitur aut metonymice, aut citra metonymiam. 641. hæc posterior *regni* significatio vel strictius sumitur, vel laxius. 651. 658. Omne Christianorum, qui in mundo sunt, *regnum* non est ex hac mundo; sed tantum *regnum* impropriè dictum, hoc est spirituale, & precarium, quale est Ecclesiasticum. ibidem. Ecclesia præcaria potestate regitur, nec *regnum* propriè dictum dici potest. 617, 633. imò eidemque populo Christi, secundum potestatem qua regitur modo impropriè modo

proprie *regnum* tribuitur. 633. Quomodo Socinus unum, & simplex *regnum* Christi statuat? ib. Unus idemque populus non modo ad Christi sed etiam ad Cæsaris *regnum* pertinet. 634. Spirituale Christi *regnum* absque politico consistere nequit. 634. Ex loco Danielis 11. Quod *regnum* Christi omnia regna terrena dispersere debeat, concludi non potest, istam aliorum regnorum per *regnum* Christi eversionem in hac vita fore. 635. Si Ecclesiæ Christianæ nullus terrenus rex datur, præter Christum regem cælestem, an inde sequitur, Christianos terrenum *regnum* non habere? 727. Non ita pugnant inter se *regnum* cæleste, & terrenum, quin in eodem subjecto consistere possint. ib. Quare *regnum* Christi maxime pacificum sit? 835. Esse, & dici aliquid honestum potest, quamvis naturæ *regni* Christi repugnet. 841 Utrumque *regni* genus, quod Christus nunc administrat, habet suam quandam Rempubl. discrimen quod inter illas sit ostenditur. 843. Quod Christus mundanis armis *regnum* suum promoveat, neque de Spirituali, neque de coactivo ejus *regno* verum est. 844.

In quo constiterit culpa Israëlitarum cum ad exemplum Ethnicorum 1. Sam. VIII. 7. *regem* exposcerent? 875, 876.

Regium potestatem esse præstantissimam, necessariam corruptis gentibus. Sed liberum regiminis genus honestius, & utilius, ast iis populis in quibus mores non sunt corrupti. 876.

Regiminis cælestis ratio circa actiones humanas similis est arti naturam gubernanti &c. 733.

Religionis Christianæ natura non est in cognitione theoretica; sed practica. 67. Nisi ad actum deducatur multos errores, ac vitia gignit. ib. Ita conditionum æqualitatem in salute consequenda admisit, ut eminentias intactas, ac illæsas reliquerit 90. ejus duæ sunt partes, spes promissorum, & observatio præceptorum. 215. Bella ob religionem quas clades attulerint. 408, 409. Refutantur qui urgent, etiam cum maximo Reip. damno, & injuria *religionem* promoveri posse. 443. damna Poloniæ illata per præposteram rationé status *religionem* promovendo, ibid. Dogmata ex *religione* in Philosophiam, an ex philosophiâ in *religionem* irrepserint? 503. Quare *religionis* injurias resp. vindicare nec possit, nec debeat? 657. Quare Christiani, qui in Rempubl. peccant ab ejus pœnis non sint exempti? 658. *Religio* cum Republ. non confundenda, neque mutuo committenda. 689. 749. Quinam, & quomodo committant Rempub. cum *religione*? 689. Christus in doctrinâ nullam Reipubl. partem attigit. ibid. Id ipsum quod *Religionem* & Rempubl. inter se committere videtur, eas maxime secum conciliat 690. *Religio* Christiana promiscue communicata est iis populis, qui jam leges suas forenses habebant quibus non minus quam Mosaicis forensibus legibus obsequium præstari Deus voluit. 690. Opinio adversariorum Rempubl. cum *religione* confundit. 754, 755. Author Rempubl. cum *religione* non confundit. ibid. Possunt aliquando inter se pugnare Respubl. & *religio*; sed abusu hominum, non ex rei naturâ, aut instituto Dei. ibidem. Cum *religio* aut Ecclesia in periculo esse videntur, non Christus, aut *religio*, sed nosmetipsi cum fratribus periclitamur. Et, si legitime possimus nos præliando ab impetu hostiũ tutos præstare, non modo possumus, sed debemus. Verum id non religionis, aut Ecclesiæ causa, quæ armis non indiget, sed hominum *religionem* professentium. 844 Quamvis hostis non vitam & libertatem, sed *religionem* oppugnare se prætendat, tamen si *religionem* ita oppugnet, ut nisi ea abjiciatur, vitam & libertatem cultoribus ejus adimere paratus sit, vitam ipsam & libertatem vere oppugnat. ibid. Refutatur hoc argumentum; si *religio* Christi bello propagari aut defendi non debet, cur igitur Magistratus armis oppressoribus resistunt? 846.

Remitte nobis debita nostra. necessitas hujus petitionis. 21. Utrum *remissio* hæc ad illa tantum peccata pertineat, quæ à nobis commissa sunt, antequam ad novum fœdus pertinere cœpimus? ib. Ex hac petitione non liquet neminem esse qui quotidie non peccet: 22. *Remissio* peccatorum præmium vitæ æternæ includit. 22. Etiam malorum & adversorum immunitatem. ibid. Quid significent verba, sicut & nos *remittimus*? &c. ib. nisi peccata aliorum *remiserimus*, Deus nostra non *remittet*. Sed non inde sequitur Deum omnia peccata, etiam obstinatorum *remissurum*, si quando *remittant* aliis. 24 quare *remissio* peccatorum ad persuasionem sanguinis Christi dicatur? 295. *remissio* peccatorum sub novo fœdere ad præterita peccata in ignorantiâ veritatis commissa, non ad futura post agnitam veritatem peracta protenduntur. 310. Spiritualis pœna *remitti* potest, etiamsi corporalis exigatur. 642 De *remissione* peccatorum, ejusque proprietate, & operatione circa peccatores, quos lex jubet occidi. 660. &c. In *remittendis* peccatis de jure nostro decedere tenemur, de alieno ut decedamus invitis quorum interest, non magis tenemur, quam ut de alieno simus liberales. ib. Grotius immerito reprehensus, quod dicat Deum posse aliquem in *remittenda* ipsi pœna æterna tractare tanquam innocentem, & tamen eundẽ punire morte immaturâ tanquam sontem. 827. In *remittendis* peccatis præceptum ad publicarum pœnarum, quæ à magistratu sumuntur, prohibitionem nihil facit; cum de propriis, non de alienis agat. 833. Quæ mens sit Domini à nobis exigentis ut quadringenties nonagies per diem peccanti, & ficta sub inde pœnitentiâ illudenti remittamus. 833. Remonstrantium Apologia, quos D. Heinsii Satyra perstringit. 394.

Renovationis nostræ modus & ratio. 111.

Reprehensiones Spiritus Apostolicus semper emollit laude aliqua. 89. in prima Ecclesiâ nõ ab Episcopo tantũ, sed à multis aliis fiebant. 107. Multi se efferunt quando iis vitijs earent, quæ in aliis *reprehendunt*. 138. Vide objurgat.

Reproba mens. 37.

Repudii nullam legitimam causam præter crimen adulterii Christus permittit. 9.

Lex Christi de non *resistendo* malo, aut pœnâ talionis non ad magistratus, sed ad privatos pertinet. 10, 11, 12, &c. Leves injurias cõtemni voluit Christus, sed non graves, ut sine *resistentiâ* vitam nobis eripi sinamus. 10, 11. Publicam & civilem adversus maleficos *resistentiam* in populo Christiano sublatam esse per leges ejus fundamentales nusquam legitur. 639, 640. Sublata privatorum *resistentia* publicam non tollit; sed potius confirmat. 640. Verba Christi, ne *resistite* malo, non esse generalia. 650. Cuicunque legi Christus præcepta sua opponat, non is eorum scopus est, ut aut omnem omnino maleficiorum *resistentiam* tollat, aut patientiam nostram in infinitum protendat. 651. Si omnis *resistentia* violenta est vetita, peccat magistratus cum iis per coactivam potestatẽ *resistit*, qui leges violant, & innocentes opprimunt. 701. Quia Christus *resistentiam* malo prohibuit non ideo omnis defensio vim vi repellens prohibita est. 702. Ejusmodi *resistentia* à Christo non prohibetur, quæ ultionem quoquo modo conjunctam habet, sed quæ ultionem per se, & primario spectet. 704. Ictus, & vulnera, quibus invadenti nos, parentes, liberos *resistimus*, quanquam maximum aliquando malum inimico inferant, non modo permittuntur, sed à naturâ ipsa, & lege positiva injunguntur. 704. Christus Matth. v. de graviorum injuriarum *resistentiâ* non loquitur. 705. de publica vi, & publicis injuriis, quibus reges ac populi inter se committuntur non agunt, nec ad eas quoad prohibitionem *resistentiæ* protendi possunt, quod probatur. 705. eadem est ratio interdicti de non *resistendo* malo, quam reliquorũ omnium, quæ hoc loco interdicuntur; quæ ea conditione Matt. v. prohibentur, nisi ea justa aut gravis necessitas excuset. 706. Inique Socinus contendit verba, ne *resistite* malo universe accipienda esse. 707. *Resistis* Paulus Judæis sub Felice, *resistit* judæis in judicio; sed & Festo iniquo judici. 707. An Christus à nobis postulet ut intolerabiles injurias patiamur potius, quam *resistamus* proximis? 708, 709. Sensus verborum Christi Matth. v. 39. de non *resistendo* malo. 711. Verborum Christi Matt. v. 39. subjectam materiam non esse vindictam, sed *resistentiam* neque eam omnem; sed quæ cum vitiosa juris nostri persecutione, aut retinentia conjuncta est. 712. An superior ratio adversus naturale jus *resistendæ* per vim violentiæ dictet, pulcherrimum esse de suo jure decedere, occidi potius, quam occidere. 761. an jus violentiæ per vim repellendæ ab inferiori aut bruta ratione proficiscatur? ib. si parentum, aut Magistratuum vita à latronibus petatur, & nos injustæ vi *resistere* possimus; sed cum aliquo latronum periculo vitæ, an nobis licebit per legem armis vim istam propulsare an non? Si non, magis diligimus inimicum, quam parentes & magistratum. 772. Sunt quædam mala quibus Christus ne moderate quidem *resistere* sinit: Sed ea contemnere jubet. Nulli quidem malo *resistendum* est vitiose, sed est aliqua non vitiosa *resistentia*. 788. Ejusmodi *resistentia* malis hominibus dari potest, quæ per se quidem pacem spectet. ex accidenti vero aliquas pœnarum miserias adjunctas habet. 795.

Respistentiam ab hæreticorũ erroribus in ecclesiâ receptio multas turbas concivit. 186

Respublica. Vide Religio.

Refutatio dubiorum de *resurrectione*. 99. an idem numero individuum in *resurrectione* ad vitam revocetur? 100. An non iidem numero, vel eodem hoc corpore simus *resurrecturi*? 101. 102. Quali corpore *resurrecturi* simus? 103. nos jam in gradu quodam inchoato excitatos, & quasi coexcitatos esse Christo dici possumus. 180, 181. & quare ibidem. Duo *resurrectionis* gradus in quo consistant? 181. *Resurrectio* Christi quid præstet? 182, 183. Generalis descriptio regenerationis. 186 187, 188. Vide nova Creatura. Hymenæi, & Phileti de *resurrectione* opinio. 161. *Resurrectio* altera nostri generatio. 462.

Sensus verborum *resuscitatus* est propter justitiam nostram. 42.

Homines ante *revelationem* notitiam habuerunt Dei. 37. fidei rudimenta. legem scriptam in cordibus. 38. Quæ à *revelatione* veniunt rationis magisterium non agnoscunt, sed sine ejus ministerio percipi, & aliis tradi nequeunt. 488. In quem finem *revelatio*, aut S. Scriptura non data, & data sit? abusus ejus. 496.

Richelii Cardinalis laus. 443.

Ritus religionis Christianæ & *ritus* papatus. 190. Refellitur, qui religiosos, & ab ipso Christo constitutos *ritus* vocat politica, & profana societatum vincula. 604. Sacræ Scripturæ repugnantes *ritus*, quibus aut Idololatria, aut malitia, aut indignitas aliqua admista est, homini æternam perniciem afferunt. 605. Christus per doctrinam suam non abolevit *ritus* populi judaici, sed per exitium gentis. 659.

Rixæ improbi quare? 39.

Rosa nativitatis quid significet? 285.

S.

Mens, & vis præcepti de *Sabbatho*. 9. Quale *Sabbatum* sit Christianorum? 567.

Discrimen inter novum, & vetus fœdus, quod sub vetere *Sacerdotium* Levitarum, sub novo omnium sit. 216. quale *sacerdotium* Sanctum sint credentes? 301. Omnes Christiani sunt *sacerdotes*. 313. Christus omnes cœquavit, & *sacerdotes* fecit; nemo clavem scientiæ tanquam magister habet. 543. quale Christianorum omnium commune *sacerdotium*? 561.

Apostoli *Sacrificia* laudum Deo non offerebant, nisi per summum novi fœderis sacerdotem J. Christum. 66. Quale Christi pro mundi peccatis sacrificium? 527.

Cur *sal* terræ, & lux mundi esse debeamus? 6. Quid Christus per vocem *salis* intelligat? 244.

Homines suæ *salutis* esse fabros. 2. an Paulus suæ *salutis* certus fuerit? Reip. de præterito, & præsenti vitæ statu, non de futuro certum fuisse. nemo tam alte ascendit in *salutis* negotio ut tentationum securus esse possit. 165. Principalis *salutis* nostræ causa Deus pater, secundus filius. 274. Quænam de Deo ac Christo ad *salutem* scitu necessaria. 374. ad *salutem* necessaria sunt pauca, & simplicissima, omnibus; simplicissimis cognita facilia. 378. Amor syncerus erga Deum, & Christum ad *salutem* sufficit. 375. sola inobedientia & incredulitas excludunt hominem à *salute* æterna. 377. sufficiunt ad salutem spes, fides, Charitas. 578.

Salvatoris nomen sæpius Deo patri tributum. 239.

Paulus *Samosatenus* primus est ex Apostolicæ doctrinæ antistitibus, qui ex Ecclesiâ ejectus est. 233. circa illa tempora quibus Paulo *Samosateno* episcopatus exceptus est, cæpit Ecclesia vergere in pejus. 286. Quare Paulus *Samosatenus* damnatus? 340. *Samosatenianorum*, Eustatianorum &c. cætus quales fuerint, nemo scire potest, cum de illis nulla ad nos notitia pervenire potuerit, nisi à capitalibus eorum inimicis profecta. 552. Quædam signa aliquid boni in illis fuisse. 552, 553.

Sanatio miraculosa ægrorum in prima Ecclesia non facta absque corporalibus remediis. 91.

Per *Sanctum* quid intelligat Dominus Matt. VII. 6? 28.

Cultio à *Sancto* quæ sit? 342.

Sancti quare fideles vocentur? 171. etiam *Sanctissimi* viri magnum adeunt periculum. Quoties illis Deus insignem aliquam gratiam confert. 116. Plures, & potiores *Sancti* fuerunt, quos Apotheasi non est dignata Ecclesia. qui quo Sanctius vixere & à flagitiis reliquorum, ac consensu in scelera, & adultione recedere, eo magis oppressi sunt 501. Homines *Sancti* non fuerunt, aut futuri sunt semper latentes. 550.

Cultum *Sanctis* exhibitum non modo in oculis mortalium diversum non esse à cultu soli Deo debito; sed in re ipsa esse purum putum cultum latriæ 566. 567. De invocatione *Sanctorum*. 574, 575. An *Sancti* preces omnium exaudiant, omniscii & omnipotentes sint? 574. 575. Adversus Mediatoris Christi officium delinquunt implorantes *Sanctorum* preces. ib. *Sanctos* mortuos nobis æque, imo magis etiam opem ferre, quam dum viverent, negatur. 576.

Quomodo *Sanctificari* debeat spiritus, anima & corpus? 217.

Sanctimonia quorundam affectata in Ecclesia. 16. Christus propter *Sanctimoniam* suam imago Dei dicitur. 174. *Sanctimonia* vox sæpe generalius, interdum specialius sumitur. 211. *Sanctimonia*, & fides Clericorum quæ fuerit? 513.

Sanctitatis spiritus quid significet? 16. *Sanctitas*, castitas, puritas quid significet? 211. *Sanctitas* affectata veterum quorundam Christianorum & monachorum. 246. *Sanctitatis* affectatæ cum verâ collatio. ib. Veræ *Sanctitatis* majorem etiam in hac vita utilitatem esse 246, 247. affectata tamen hominibus magis placet. Ibid.

Quod Christus per aquam & *sanguinem* venerit quid significet? 359 Sensus verborum Gen. 12, 5, 6. Quisquis effuderit *sanguinem*. 715, 716, 808.

Simplicitas in malum non sufficit, nisi adsit *sapientia* in bonum, & te falli non sinas. 65. *Sapientia* hujus mundi qua ratione evacuet crucem Christi? 69. Per *sapientiam* Dei quid intelligatur? 69. Qua in re *sapientia* humana, quæ divinæ cedere debet, consistat? 73 Quæ *sapientia* mundi? ib. Quomodo Deus *sapientes* capiat in versutia ipsorum. ib. Humana *sapientia* cur stultitia Dei vocetur? 74. Deus aliquando tentat homines, ut nimium *sapere* velint. 146. *Sapientia* humana falsu tumens. 184. Quo quisq; minus *sapit*, eo pronior est ad placendum sibi, & contemnendum alios. 261. differentia inter *sapientiam* terrenam, & *sapientiam* veram cælo descendentem. 286. Cælestis *sapientia* signa. 287. *Sapientia* humana 1. Cor. 11. non lumen rationis, sed tenebras errantis jam rationis designat. 488. Vide cognitio. Scientia.

Quomodo ex semine sata germinent? ad resurrectionem probandam. 100, 101.

Satan intelligitur per verba libera nos à malo. 23. quantum Deus *Satanæ* permittat? 36 *Satanæ* regnum est extra Ecclesiam, ubi tamen *Satanas* absque permissu Christi nihil potest. 77. *Satanam* ante mundum conditum peccasse, ejus lapsum Electionis hominum causam dedisse. 140. Aer est locus ubi *Satanas* potestatem suam exercet. 143 quomodo homines gubernat, ac seducat. ib. Ante mundum conditum peccavit. Vide Diabolus. Cur *Satanæ* regnum describatur cum excellentiâ nobilitate, & potentiâ suâ? 151. Quomodo cum *Satana* certandum? 153. Ab Apostolico seculo *Satanam* insidiatum fuisse Ecclesiæ per Philosophiam maxime Platonicorum, & Pythagoreorum. 179 Regnum *Satanæ* excelsum, & late patens imperium est. 181. nomina, & tituli *Satanæ*. 182. Multum *Satanæ* à Deo permissum, quod ad tentationes, & seductiones pertinet. Sed vi ad peccandum homines cogere non potest, qua nec ipse Deus utitur. 182. Tempore Christi duo regna spiritualia fuerunt, Alterum *Satanæ*, alterum Christi. Scopus eorum. 182. quomodo Deus destruxerit regnum *Satanæ*. ib. *Satan* Simius Dei etiam suos habet Apostolos. 183. Quantum Deus *Satanæ* permittat in fideles & quare? 210. *Satanæ* traditio qualis fuerit pœna, & quis finis? 238, 239. Vide excommunicatio. Quare *Satanas* errorem istum finxerit, Deum homines tentare, & ad peccandum adducere 277. quare fugiat quoties sibi serio resisti videt? 289. quomodo resistendum *Satanæ*? 315 *Satanæ* pœna 326. Quinam filii *Satanæ* sint, & quomodo? 349. *Satanæ* non licuit S Scripturam aut adulterare, aut authoritate suâ exuere. 534. Nusquam procacius *Satanas* religioni illuserit, quam per speciosa vocabula, vitiis atq; nequitiæ obducta 668. vide diabolus

Scala virtutum. 318, 319, 320, 321.

Tam qui *Scandalum* præbet quam qui præbitum rapit in culpa est. 63, 64.

Scandala in Ecclesia jam temporibus Apostolorum non defuerunt. 65. *Scandali* rationem aliquando habendam non esse. 83. adiaphora extra occasionem *scandali* esse licita. 88. Petrus ob *scandalum* Ethnicis datum à Paulo merito reprehensus 132. v. offendiculũ

Scientia superflua ni caritate temperetur vitiosa est. 83. *Scientia* falsa vitanda. 254, 255. ejus authores. 255. Inter voluptates numeratur, quod homines *scientiæ* laude gloriam venantur. 288. Quanto solidior *scientia*, tanto perfectiores virtutes ex se producit; & quanto perfectiores virtutes tanto fructuosior *scientia* est. 321. *Scientia* à fide non ita longè abit, quin habitus illi non raro misceantur, & *scientia* ad fidem apprime sit necessaria. 609. Vide cognitio, sapientia.

Quænam de Deo, ac Christo ad salutem *scitu* necessaria. 374.

Scismata jam temporibus apostolorum in Ecclesia non defuerunt. 65. ex superbiæ vitio profluunt. 69. Remedium *scismatibus*. 685.

Scriptione corpora nostra polluenda non esse quadruplici ratione ostenditur. 80.

Scriba & Pharisæi multa commenta legi Mosis affinxerunt, quæ Christus abrogat. 9. V. Pharisæus.

Christus in omnibus tentationibus armis S. *Scripturæ* usus est. 4. Ejus necessitas contra istos, qui ab ejus lectione homines abarcent ib. Remedia, quæ falsis S. *Scripturæ* allegationibus opponi possunt. ib. S. *Scriptura* omnibus promiscue legenda. 217. Quomodo permanserit incorrupta. 233, 234. maxima est injuria Christianos arceri à lectione S. *Scripturæ*. 323. S. *Scriptura* sine usu rationis, nec intelligi nec explicari potest. 481. Rationem in dignoscendo, quid sibi adversetur, nec ne, etiam in divinis competentem esse judicem, sine ulla S. *Scripturæ* injuriâ dici potest. 489. Nec S. *Scriptura* rationi, nec ratio *Scripturæ* bellum indixit: sed lumen S. *Scripturæ* rationem perficit, ejusq; normam luce sua perfusam, reddit infallibilem 492. non propriè loquendo *Scriptura* S. judicat; sed judicanti prælucet. ib. Sophismata Commenii contra normam S. *Scripturæ* examinantur à 492, usque ad 497. Non nudum nostrum judicium; sed S. *Scripturæ* authoritas adversus prave elicitos ex locis difficilioribus errores asserenda. 542. Satanæ non licuit S. *Scripturam* aut adulterare, aut authoritate exuere. 544. quia *Scripturæ* S. additamenta commentorum humanorum admiscentur, hinc jurgia, dissidia. &c. 581, 582. S. *Scripturæ* authoritas unica ratio concordiæ, & veritatis tenendæ. 608 609. In sacris literis nihil esse contra veritatem, si quid secus videatur, id non contra, sed supra rationem videri. 609.

Scriptores post tempora Apostolica non humana placita ad divinæ veritatis normam; sed divinam doctrinam ad placita philosophantium inflexere. 236.

Scurrilitas ἐυτραπελία quæ sit? Frequens inter homines, & noxia. 149.

Secedentium à corruptis Ecclesiis causa defenditur. 578, 579. &c. Non *secedendum* ab Ecclesia, quamdiu se moneri, doceri & emendari patitur. 579. Quando *secedendum* ab Ecclesia corrupta? ib. De necessitate *secessionis* à corruptis Ecclesiis. 583. *Secessionum* & discessionum dari posse justas & legitimas causas. 607, 608.

Sectarum nulli duces admittendi. Christus solus Magister & dux. 71, 72. *Secta* Judæorum septem. E quibus multi ad Christum conversi, *sectarum* errores ad Christianismum deferebant. Qualis Simon Magus, Menander &c. 324. an in omnibus *sectis*, quæ non sunt impiæ, omnes semper servari possint? 501. Dubitatur de iis, qui veritatis patrocinium deserunt. 502. Unde tot *sectæ*, & errores prodierint, cum Christianis lumen S. literarum non defuerit? 546. Unde aliquis sciat suam *sectam* optimam esse? 578. *Sectarum* omnium æqualitas rationi, Scripturæ S. &c. adversatur 602 Non ex eo quod *secta* aliqua sit sub generali providentiâ, concludi potest, regimen ejus & actiones Deo probari. 603. *Secta* in doctrina secundum pietatem non omnes consentiunt. 609. Non omnia de quibus variæ *sectæ* secum digladiantur sunt res superfluæ, ad salutem non necessariæ, imperceptibiles. 610. Refellitur, ex Christianis *sectis* nullam tanti esse faciendam, ut ei necessario, & constanter semper adhærere quilibet teneatur, etiam cum maximo suo incommodo, & rei suæ jacturâ. 611.

Secula per vocem temporum æternorum ex primi. 66. Fines *seculorum* quæ sint? 81. *Seculum* hoc præsens mundum; futurum autem cælum significat. 141. futurum *seculum* etiam præsentem rerum statum in cælis significare potest secundum quid. Ib. Verba secundum *seculum* hujus mundi non significant mundum naturâ suâ non posse esse nisi corruptum, sed contrarium. 143. Quid per generationes *seculorum* intelligatur? 146. An Tertulliani, Augustini, Hyeronymi &c. *secula* plus divinæ lucis habuerint, quam primum illud Ecclesiæ diluculum, & primævi doctores ante adulteratam theologiam eum judaismo, & gentilismo luctantes? 499. Duo priora *secula* tertio & quarto; tertium & quartum posterioribus minus corruptum fuit. 501.

Securitas & oscitantia tentationis genus. 154. superbiæ mater, 161 Modestiæ contraria; lites ser it. 162. est causa neglectus precum; 190. Præstantissimum modum *securitatis* Christus nobis tradit, qui tamen non semper, & ubique usui esse potest. 795.

Semen promissum 134.

Duo genera *sensuum* in quibus pravus hominum appetitus flagitiosius exorbitat, tactus & gustus. 186.

Quas ob causas homines in aliqua sæpe *sententia*, aut opinione detineantur? 665. omnibus *sententiis*, aut opinionibus, quæ vitiis hominum blandiuntur & patrocinantur inest aliqua perfectionis, & religionis species. 667. V. opinio.

Idem loqui, idem *sentire*. 68.

Sermo putridus quis sit? 148. Cur Christus dicatur sermo, & verbum Dei? 174. Præceptum illud, *sermo* Christi inhabitat in vobis, omnes Christianos spectat. 190. *Sermo* sale conditus quis? 194.

Servatoris vox Deo, & Christo tribuitur. 166

Quo pacto Dominis servire *servi* teneantur 132. Christiana moderatio juris in servos *jus* dominorum non aufert: sed stricta *juris* istius usurpatio ad æquitatẽ Christianis dignam redacta est. 628. Non vetitum Christiano aliquando *servum* malo cogere ad officium, ut, quod sponte non vult, necessitate faciat. 628 Quando Christianus in *servos* jure suo uti non tantum potest, sed debet? 630.

Severitatis divinæ exempla in eos, quibus collata beneficia ad impunitatem non profuerunt. 366. *Severitas*, quam exercet magistratus, non ex ipsius animi inclinatione, sed ex ejus, cujus minister est, voluntate, proficiscitur. 815. Clementia in animo hominis Christiani est, ut *severitas* est in legibus, quæ voluntate Dei, & publici boni necessitate exercentur. 815. Caritatem esse *severitate*, quam Magistratus ministri Dei exercent, conciliari posse. 817. 819.

Sybillarum testimonia quanti fecerint plerique saniores Lactantio patres? 503.

Particula *sic* sient non semper paritatem, sæpius similitudinem significat. 19.

Quale *signum* Judæi poscebant? 69.

Signa varia, per quæ cognosci possit quid cum religionis Christianæ, ac veræ pietatis studio congruat. 169. Signum dignoscendorum spirituum, an ex Deo sint nec ne, hoc est verorum à falsis prophetis. 356.

Si quis videt in Ecclesiâ suâ crassissimos errores. Idololatriam, tyrannidem antichristi, an præstet ut *sileat*, & neminem moneat? 579

Simon *Stylites*. Vide Stylites.

Simplicitas duplicitati ac fraudi opposita. 59. *Simplicitas* in malum non sufficit nisi adsit sapientia in bonum. 65. Quamvis *simplicitas* commendetur, tamen Deus vult nos mẽte perfectos esse. 96. Per *simplicitatem* intelligitur beneficentia, & opponitur hypocrisi. 117. 120. *Simplicitas* cordis quid? 193. Ad salutem necessaria sunt pauca, & *simplicissima*, omnibusq; *simplicissimis* cognitu facilia. 378.

Simulandum non est in religionis negotio propter conscientiam. 569.

Sobrietas cur præscribatur senioribus? 267 *Sobrietas* ad preces. 311. Mentis etiam Ebrietati opposita. 315.

Sotinianorum cruda explicatio loci 1. Cor. 15. 24. Qui per traditionem regni, & subjectionem Christi Deo Patri, exaltationis ejus abolitionem intelligunt. 198. Rationes eorum refelluntur. 199. 200. *Socini* sententia de persona Christi omnium antiquissima, quamvis condemnari experit? 354, 355. & à quibus Clemens Romanus, & Scriptores qui secundo post Christum seculo fuerunt, ejusdem ætatis

rant opinionis ib. Primus Justinus Martyr eam oppugnare cæpit? 355. Apologia pro *Socinianis* 380, 384. Apologia Fausti *Socini* & aſſeclarum ejus 400. &c. Fausti *Socini* ſenenſis vita, ejus genus, & cognati. 419. &c. ejus fides 424, 425, Ejus cum Ignatio Lojola comparatio. ibid. Criminationes *Socinianorum* in Polonia refutatæ. 444, 448. &c. Conſtitutiones adverſus *Socinianos* nullius ponderis ac valoris. 447. Non potuerunt tales conſtitutiones in eos inſtituere. 448. Conditiones pacis à *Socini* ſecta Chriſtiano orbi oblatæ. 477. Commenius *Socinianos* vocat populum ex verbi divini ſemine, ratione carnali, & philoſophiâ gentili inceſtuoſâ mixturâ prognatum 478. *Socinianos* non negare Chriſtum in carne veniſſe, nec reſurrectionem ac judicium impiorum 506. Quid *Socinus* de magiſtratu ſenſerit? 685. vocem inimici quomodo intelligaret Ejus ſententia de diligendis inimicis refutatur. 698.

Solatio varia Chriſtianæ vitæ deſcribuntur. 157.

Solitaria vita non minus periculoſa, quam converſatio cum hominibus. 4. Tentationibus non minus obnoxia. Ibid.

Sollicitudo anxia damnatur. 24. homines ſervos & idololatras facit. Ejus deſcriptiones. In eo vitio dupliciter peccari ſolet. ib. damna, quæ ex ea oriuntur. 24, 25. Rationes docem, quas Chriſtus affert, ut hoc vitium in nobis extirpari poſſit. 25, 26. Quid per *ſollicitudinem* intelligatur? 168. Preces remedium adverſus *ſollicitudinem*. ibid.

Somnus vocatur mors, & quare? 214.

Sozomeni hiſtoria de Athanaſio toto ſeptennio cum formoſa virgine ſine teſtibus vivente. 268.

Spei vivæ objectum hærediras, ejuſque qualitates. 296.

Spiritus Sanctus, ſi ſeparata à Deo perſona eſt, cum beata Maria dicatur gravida ex Spirita S. non Deus Pater; ſed *ſpiritus* S. erit Pater D. noſtri JeſuChriſti. 1. *Spiritus* Sancti fructus, & effectus 49. pro nobis intercedit, quid ſit S. Sancto duci? ib. omnes Chriſtiani *Spiritu* S. prædiri eſſe debent, qui hypocritæ eſſe nolint. 91. Ejus plurimi gradus, & quamvis ejus veſtigia non appareant, inde non colligendum *Spiritum* S ab iis abeſſe. ib. quare *Spiritui* Sancto voluntas tribuatur? Quod cauſæ principali Chriſto competit, cauſæ inſtrumentali *Spiritui* S. tribuitur. 93. *Spiritus* S. Dei vocatur 148. Quomodo contriſteturr? ib. ejus donum niſi excitetur, extinguitur. 257. Ejus vis. 258. quare Paulus frequenter duarum divinarum perſonarum mentionem faciat, omiſſa *Spiritus* S. mentione? 274. *Spiritus* S. de rebus poſt futuris, tanquam earum certitudinē. 299. Blaſphemia in *Spiritum* S. quibus tribuatur? 312. Quamvis fides, & *ſpiritus* S. ſint Dei dona, quod ea tamen errantes habeant, & habere poſſint. 316. An *Spiritus* S. aliquid ſit diverſum a Deo, aut ipſe ſit Deus? 571. *Spiritus* Dei non indiget peculiari adoratione. 571.

Spiritus Sanctitatis quid ſignificet? 36. *Spiritus* oris Chriſti quid ſignificet? 217, 218 *Spiritus* gloriæ, ſuper Chriſtianos requieſcens quis? 311. differentia inter *Spiritum* gloriæ, & *Spiritum* Dei. 311. *Spiritus* Chriſti, & *Spiritus* Antichriſti inter ſe opponuntur. 539. *ſpiritus* eſt, qui teſtatur quod *Spiritus* eſt veritas, quid ſignificet? 359, 360.

Spiritus extingui vetitum. 217. Chriſtus quibus vult *Spiritum* largitur. ib. facillimum explorandi *Spiritus* & prophetiæ modū tradidit. 217. Quare facilius Deo in carne, quam in *ſpiritu* ſervire. 164. In *ſpiritu* ambulare. 136 137. Lucta *Spiritus* & carnis. 137. effecta *Spiritus* quare fructus vocentur? ib. ſigna dignoſcendorum *Spiritū* an ex Deo ſint, nec ne. 356

Spiritus humani ſine corpore conſiderati ſubſtantiæ quidem ſpirituales ſunt, ſed complemento ſuo indigentes. 464.

Spiritualis eſt verus Dei cultus. 36. *ſpiritualis* circumciſio. 39 homines ſecundū diverſa tempora conſiderati poſſunt dici *ſpirituales*, & carnales. 68 differentia inter carnales, pſychicos & *ſpirituales*, in pereipienda prædicatione Evangelica. 71. *ſpiritualis* gladius. 154.

Stare in domino quid ſit? 167.

Status noſtri excellentia quomodo conſideranda, & quid à nobis requirat? 347, 348. Quamvis Chriſtianæ religionis natura omne diverſorum *ſtatuum* diſcrimen ſuſtulerit, & quodammodo in æqualem omnes ſortem aſſeruerit, tamen poteſtas Eccleſiaſtica, & inferiorū ſubjectio ſuperioribus &c. pro ſubſidio infirmitatis noſtræ introducta eſt. 664

Ratio *ſtatus* hoc nomine indigna eſt, cum ſit falſus, & adulterinus prætextus, non vera *ſtatus* ratio, quæ à juſtitia nunquam recedit. 441.

Stella, quæ Magis apparuit. 2, 3.

Stoici hæreticorum patriarchæ gnoſticas ſpeculationes invexerunt. 324.

Stultiloquium μωρολογία quid ſit? 146.

Simonis *Stylitæ* calumnia. 246. 557.

Subjectionis vox diſtinguitur. 621. A Chriſto dominationi non opponitur. ib. Aliud *ſubjectio* eſt, aliud miniſterium. ib. Hominibus privatis, & injuſtis, dum injurias inferunt, ſubjectionem imperatam non eſſe. 673. Cum *ſubjectio* politica ipſis Chriſtianis præcepta ſit, nulla juſta cauſa adferri poteſt, ob quam dominatio Chriſtianis interdicta ſit. 674.

Submittere ſe robuſtæ manui Dei quid ſit? 515.

Ex *ſucceſſibus* ſecundis nequaquam bonitatem cauſæ æſtimandum. 580.

Superbia vitiorum honeſtiſſima videtur. 58 Quinam eo morbo præcipue laborent? ib. Eſt *ſuperborum* non curare quid de ſe cæteri ſentiant. 64. Ad *ſuperbiam* honeſtiſſimo carnis ſtimulo ſollicitamur. 138. Multi ſe efferunt *ſuperbe* quando iis vitiis carent, quæ in aliis reprehendunt. ib. Ambitio, & *ſuperbia* inter voluptates numerantur, & non ad iraſcibilem, ſed ad concupiſcibilem facultatem pertinent. 289. Cur *ſuperbiæ* vitium Deum adeo offendat? 315. Eſt vitium ſpirituale. 326. *Superba* vanitas quæ ſit? 328.

Superſtitio religioni ruinam ſtruit. 685. plurima partim ridicula & abſurda, partim vana & inania, aliquando ſubleſta, & nefaria comminiſci ſolet, quibus pro favore, & propitiatione offenſio numinis conciliatur. 701.

In *ſuppliciis* capitalibus vindicantur non propriæ & privatæ ſed alienæ, & publicæ injuriæ. 716. *Supplicia* capitalia poſſunt eſſe ſine vitioſa ultione, quæ tam defenſioni, quam pœnæ legitime ſumendæ magis eſt impedimento, quam uſui. 715. Per dilectionem proximi ſub novo fœdere capitalia *ſupplicia* non tolli. 768. Ex loco Rom. XII. 17. adverſus capitalia *ſupplicia* argumentum duci non poſſe. 793. Utrum aliquando *ſupplicium* injuſti hominis ſaltem ſecundario velle, & intendere non liceat; & ſecundario intendi quid ſit? 799. Poteſt *ſupplicium* poſci, & exigi abſque vitioſa voluptate ex punitione inimici. ibid. An *ſupplicium* per Magiſtratum ſontibus irrogare, quocunque tandem animo fiat, Chriſtianum, piumque ſit? 796. An Chriſto, & Apoſtolis non licuerit *ſupplicia* capitalia de nocentibus ſumere? 799. In Capitis *ſuppliciis* pœnitentiæ locum eſſe poſſe probatur. 817. quia ſontes ſanabiles forte eſſe poſſunt, an ideo eorum *ſuppliciis* ſemper abſtinendum? 828. Chriſtianos abeorum *ſuppliciis* abſtinere non poſſe. ib. 831. non neceſſe eſt ut Chriſtiani Magiſtratus expreſſa de capitalibus *ſuppliciis* præcepta divina habeant. 868. V. Bellum.

Suſpiria ad Deum adverſus eos, qui nos lædunt vitanda. 232.

Synodus Dordr. quæ damna intulerit? 391.

Symbolum apoſtolorum omnibus patribus antiquius, & majoris eſt authoritatis. 510. Nihil ex iis, quæ credenda ſunt, in *ſymbolo* Apoſtolico omiſſum. 511. ſentētiam hominum qui ſupra *ſymbolum* Apoſtolicum ſapere non audebant ante Victorē in occidente, in oriēte ante Originis tempora nemo unquam hæreſin vocavit. 511. *Symboli* apoſtolici confeſſores ex Eccleſiâ exturbatos, recens & paulo ante acceptam injuriam exortos adverſarii confinxerant. 512, 515. An *ſymboli* Apoſtolici confeſſorum doctrina ſeculo quarto expiraverit, nec à Theodoſii temporibus uſque ad Servetum quiſquam ita ſenſerit? 517 recentiorum *ſymbolorum* tricæ, ac nodi in ſemet reflexi ab humano ingenio explicari nequeunt At Apoſtolorum *ſymbolum* mentis humanæ modulum non ſuperat. 591.

T.

Duo genera ſenſuum, in quibus pravus hominum appetitus flagitioſius exorbitat, *tactus* & guſtus. 186.

In lege Chriſti de *talione*, verba interdicti manifeſta ad propriarum injuriarum patientiam reſtringuntur. 646. Tantum abeſt ut Chriſtus omnia judicia forenſia abrogaverit ut ne totam quidem legem *talionis* abrogaverit. Quod probatur. 647. cum Chriſtus legibus Moſis præcepta ſua opponens, defectus tantum, & ſolos abuſus tollat, nec hanc de *talione* legem; ſed abuſus ejus ſuſtulit. 648.

Præceptum ſuum de *talione* non legi Moſis, quæ forenſis fuit; ſed morali ſcribarum commento oppoſuit. 649. quod & Fauſtus Socinus animadvertit. ib. Politicam *talionis* legem à Chriſto ſublatam nuſquam legimus. 750.

Tatianus juſtini Martyris diſcipulus Gnoſticus ſegreges habuit ab Eccleſia cœtus. 503 patris ſupra filium eminentiam ſtatuit. 508.

Tartari, aut inferni deſcriptio. 326.

Tela ignita quid ſignificent? 153, 154.

Temperantia ad preces. 311.

Templum Dei vocatur Eccleſia. 224.

Tempus redimere quid ſit? 150, 193.

Tempora extrema ſunt, quæ aurea Apoſtolica tempora ſecuta ſunt. 222. Et quæ erant extremis Apoſtolorum *temporibus*, quæ ſuæ ætate adveniſſe Joannes fatetur. 262. per ultimum *tempus*, quod adeſſe dicitur, ſignificatur corruptio Eccleſiæ poſt Apoſtolorum ævum. 338. 339. V. ſeculum.

In *tenebris* ambulare quid ſit? 334.

Tentationibus etiam obnoxia eſt vita ſolitaria. 4. cur Deus filium antequam munus ſuum obiret à Satana *tentari* voluerit? ib. diverſitas inter Matthæum & Lucam in ordine *tentationum*. ib. In omnibus *tentationibus* Chriſtus armis S. Scripturæ uſus eſt. Deus multum permiſit Satanæ in *tentando* Chriſto. Poſt *tentationem* ſuperatam ſequitur cæleſte gaudiū. ib. Vox *tentationis* aut ſtrictius, aut latius ſumitur. 22 quid ſignificent voces inducendi in *tentationem*? 23. Deus in *tentationem* latius acceptam aliquando homines inducit; ſed propter bonum illius, non malum; ut vincat, nō ut ſuccumbat. ib: Varia *tentationum* genera, quibus nos Satan aggreditur; & diverſitas armorum, quæ Satanæ opponuntur. 153. Nemo tam alte adſcendit in ſalutis negotio, ut *tentationum* ſecurus eſſe poſſit. 165. Quid per vocem *tentationum* intelligatur? 274. Quomodo ſuperandæ tentationes? 275. tentationum fructus. 276. Origo. 276, 277. Deus neminem tentat. 277. Unde hic error, quod Deus homines tentet, originem traxerit? ib. cur Satanas iſtum errorem finxerit, Deum homines *tētando* ad peccatum adducere? 277. hic error in Deum injurius, hominibus mire perniciosus, firmiores in orbe Chriſtiano radices hoc ſeculo egit. 278. Deus eas hominibus vires dedit, quibus Saranæ *tentationes* ſuperare poſſint. 278. quid per tentationes apoſtolus intelligat, ſolas afflictiones, an omne tentationum genus? quare Deus ejuſmodi tentationes immittat? earum fructus. 297. quam ſæpe vocant Chriſtianam patientiam eſt *tentatio* Dei, & extremum veræ patientiæ oppoſitum. Deus à nobis fiduciam poſcit, ſed non otioſam, nec temerariam, quæ extraordinaria miracula poſcat. 710.

An ad *terrenarum* poſſeſſionum retentionem & defenſionem ullam vim habeat id, quod à Deo Chriſtianis eo modo, quo olim Judæis fuerant, aſſignatæ non ſint? 719.

An *terrenis* curis Deus hominibus prorſus interdixit? 719. non ſemper *terra* cælo adverſatur: ſed ſicubi id contingat, cæliquam *terræ* potior ratio habēda. 720. an ex eo quod Deus nobis cæleſtem ſpem fecit, ſequatur re ipſo voluiſſe eum ut hæc *terrena*, atque caduca plane pro nihilo ducamus? 721.

Tertulliani &c. ævum plus habuiſſe lucis, quā privævi doctores ante adulteratam Theologiam, refutatur. 499, 500. &c. *Tertullianus* negat æqualitatem filii cum patre. 509. In multis, quæ ſcripſit, plus veniæ, quam fidei, & authoritatis meretur. Verba ejus explicantur. 751, Ejus preces pro Cæſaribus. 874.

Teſtimonium in ſe Dei habere. 360.

Thebulis virginitatem Eccleſiæ Hyeroſolymitanæ variis doctrinis corrupit. 324.

Theodorus Coriarius à Victore ejectus ex Eccleſia. 511. Non eſt primus ſuæ ſententiæ author. 513.

Vulgaris *Theologia* deliriis ſuis infecit Philoſophiam. 146. Quinam, & quare *Theologiam* artem fecerint? 489.

Theophilus Patris ſupra filium eminentiam ſtatuit. 508.

Quid per *Theſaurum* in fictili *bus* vaſis Apoſtolus intellexerit? 111.

Quis fuerit Eccleſiæ Romanæ ſtatus quando *Thomas* à Kempis in ea floruit? 501.

Thorax juſtitiæ quid ſignificet? 153. Fidei. 215.

Cum *timore*, & tremore ſalutem operari, an cum gaudio, & fiducia bonæ conſcientiæ poſſit conſiſtere? 180. Quid per *timorem*, & tremorem intelligatur? ib. Vox *timoris* quomodo ſumatur? 194. *Timor* ſupplicii duplex, ſalutbris culpam antecedens, & noxius culpam conſequens

RERUM, ET VERBORUM.

consequens. priori illi *timori* locus esse potest in futuro 570. 204. 205. Magistratus non institutus est, ut nocentes occidantur: sed ne supplicii *timore* sint nocentes, nove occidantur. 205. Spiritus *timoris*, justo opposita. 258. *Timiditatis* duæ partes ibid. differentia inter timorem servilem, & filialem Deo debitum. 307. Qualis *timor* non sit in Charitate? 358. *Timidi* turpi opprobrio Apoc. xxi. 8. notantur. 616.

Tolerantia, concordiæ mater, alios non pudefacit, nec se præ iis extollit. 60. *Tolerantia* infirmorum. 62. nō contra eos disputandum amaris rixis. ib. *Tolerantiæ* Christianæ necessitas. 156. Comenius *tolerantiam* soli nascenti Ecclesiæ tribuit. 517. *Tolerantia* Socinianorum 512. 558 de *tolerantia* 537, 538. limitibus suis circumscribitur. 558

Per *traditiones* quid intelligatur? 231. *Traditio* inter normas sopiendarum litium non recipienda. 479. uti interdum *traditione* possumus, tanquam proprio adversæ partis testimonio adversus ipsum. ib. 498. Soph. Comenii circa normam *traditionis* examinantur à 497. ad 529. an *traditio* inter normas pacandarum, seu decidendarum litium locum habere debeat? 497. *Traditio* non admittenda, quia testes falsi sunt & corrupti ob mysterium iniquitatis, & partium studia. 497, 498. *traditionis* vox distinguitur. 497.

Locum Matth. xvii. 26. de exemptione Christi & Apostolorum à *tributo*, & potestate civili non agere. 878,

De S. *Trinitate*. 568, 569.

Tristitia secundum Deum pœnitentiæ mater. 117. Cum mundi *tristitia* confertur. ibid.

Ex *tropicis* impropriis, aut ambiguis Sacræ Scripturæ verbis multos & magnos errores in Ecclesiam irrepisse. 630.

Interpretatio verborum, adde *tunicæ* pallium. 852. De *tunica* possessione, quia leve est damnum, judicio contendere non decet. 710 &c. Ex præcepto, quod litigari de *tunica* vetat, falso colligitur, omnes omnino lites prohiberi. 712, 714. locus de præbenda alterâ matilla, & dimittendo cum *tunica* pallio explicatur. 783. &c. quid Christus supponat quando jubet ut cum *tunica* pallium dimittamus? 785. Præstare *tunicam*, & pallium dimittere quam damnosæ liti semet implicare. ibid. In *tunicæ* dimittendæ præcepto non infinita in dimittendo jure suo patientia præscribitur: sed sistecta juris sui retentio in rebus, quæ generosius spernuntur, prohibetur. 785.

Turpiloquium quid significet? 187.

Excellendi libido jurgia & scismata, ac morbis ipsis nocentius remedium *tyrannidem* invexit. 288. non desunt, quibus aliena ergà se *tyrannis* displicet, cum tamen sua in alios allubescat. Mis non serio *tyrannis* ipsa, sed tyranni displicent; quorum facta, ubi multum detestati sunt, mox ipsi sedulo imitantur. 501.

Typi, ac figuræ duplices in Sacra S. inveniuntur, tranleuntes, & permanentes. 132.

V.

Socinus in una *Valentinâ* curanda scrupulosus, & sæpe nimius fuisse videbatur. 413

Judicium Scaligeri de Laurentio *Vallæ*. 103.

Prætumida *vanitas* quæ sit? 328.

Vasa aurea, argentea, testacea quæ sint? neminem de eo discrimine queri posse. 261.

Quid per *verba* ineffabilia, quæ non licet homines loqui, intelligatur? 125. Sensus verborum in principio erat *verbum*; *verbum* erat apud Deum, & erat Deus. Omnia per hoc *verbum* facta sunt. In ipso vita est. *Verbum* caro factum est. &c. 516.

Veritas non obtrudenda invitis. 18.

Veritatem in injustitia detinere quid sit? 37 quomodo hoc fiat. ib. Qua ratione *veritas* in mendacium transmutetur? ibid non omnia, quamvis *vera* sunt, evulganda. 64. Quod re ipsa *verum* est, tam apud homines, quam apud Deum verum est. 72. Una est tam apud Deum, quam apud homines *veritas*, sed falsum veri specie multis imponit ib. *Veritate* ad iracundiam irritamur. 147. Quomodo extraneos in *veritate* instituere teneamur? 193. Disputationes *veritati* noxiæ. 226. Caritas *veritatis*, & cognitio *veritatis* quæ sit? 218, 219. Non par est ratio eorum, qui ab agnita *veritate* recedunt cum iis, qui in erroribus, quos non intelligunt, vivunt. 110. Duo *veritatis* principia, unum esse Deum, & esse Mediatorem illius Dei, &c. 240. *Veritas* non opprimitur, sed per oppressionem latius spargitur. 260. Vox *veritatis* sumitur pro sinceritate cordis. 310. Error non fert consortium *veritatis*. 364. Justo Dei judicio permissum, & prædictum est, ut cum pura religionis Christianæ *veritate*, ingrederetur errorum colluvies. 361. Sors *veritatis*, & innocentiæ in hoc seculo. 373. *veritatis* contumelia est, si eam judicia hominum expavescentem fingimus. 381. nimia *veri* libertas in periculis sæpe intempestiva præcipitat. 420. *Veritatis* simplex, & brevis est oratio. 460. Etiam innocentissimi homines, interdum nihil minus cogitantes, facere possunt, quod *veritatis* injuriam involvat. 470. Præsertim ubi error *veritatis* specie textus, sanæ rationis ictus evadere nititur. ib. Omnibus, quos Deus ad *veritatis* cognitionem admittit, ei refragandi libertatem permittit. 480. ut virtus, ita *veritas* ipso vulnere vires cit. 482. Suspectum falsi *verum*, nec bono cum fallo, nec *vero* cum malo ullum vinculum, aut commercium. 496. Ex errorum patronis pro *veritate* testimonia colligere licet. 505. In dignoscenda *veritate* dogmatum Ecclesiæ, contensus Ecclesiarum quid authoritatis habeat? 537. Ejus abusus. ib. & 538 Amicus Plato, magis amica veritas. 578. Errorum suspecta doctrina sibi à *veritate* male metuit, nec vicinium ejus ferre potest. 578. *Veritatis* præclarationem dissidia, odia, persecutiones sequuntur. quæ mala non *veritati*, sed malitiæ mortalium tribuenda. 579. An ex rationis nostræ principiis certo scire non possimus, penes nos esse *veritatem*, quoniam aliæ sectæ non carent suis rationibus? 560. Sicut *veritas* est una dux, & Magistra virtutis, ita virtus absque lumine *veritatis* & scientia cæca est, & imperfecta. 604. Non mirum primo exortientis lucis crepusculo multos rectam, & tritam *veritatis* orbitam reperire no potuisse, sed per obliquos sæpe tramites ad eam contendere conatos esse. 608. Nunquam *veritas* ab utilitate legem accipit, sed potius utilitas ad veri amussim exigenda. 673. rationi humanæ, & religionis analogiæ repugnantia dogmata in cæteris quoque suspectam reddunt *veritatem*. 686. *veritas* non ideo malis artibus propagatur, quia Principum patrocinium nacta, iniquo certamine cum erroribus congredi non cogitur. 746. ubi *veritas* ferro, & igne propagatur animis hominum vim inferri necesse est, quod *veritatis* naturâ, & nobilitate indignum est. &c. 746. Ubi ad eam amplectandam nemo cogitur, jus cuique suum, & libertas salva manet. ib. Si principes terrarum veram religionem vi propagare vellent, non modo in gloriam Dei, sed in ipsam *veritatem*, & religionem essent injurii. 747. probatur spem esse, ut principes & Resp. tandem ad *veritatem* religionis Christianæ convertantur. 748 *Veri* indagatio ad illustrandum intellectum, non voluntatis impulsum, aut actionem pertinet. 757. una semper est & immutabilis *veritas*, unum, & immutabile rectum, unum & immutabile dictamen rationis, quæ si forte non omnium semper rerum causas aut modos assequi potest, at *veri* falsiq; æqui, & iniqui discrimen egregiè capit. 851.

Vestium curiosior, & præciosior ornatus ad concupiscentiam oculorum refertur. 186. Socino modestus erat *vestium* cultus, comptus, & elegans, tametsi à fastu longe discesserat. 423.

Veteris fœderis ministerium opponitur novo. 108.

Vetus homo, & novus quis sit? 147. Quare doctrina Christi novum & *vetus* præceptum dicatur? 336.

Via arcta non est vita monastica, quod tribus rationibus probatur. 32. *Via* & ambulare significat habitum, & consuetudinem multo usu roboratam. 276.

Quæ *victima* Deo grata? 38.

Victor, Zephyrinus Pseudopropheræ 33. Pontifices primi damnare cæperunt, qui symbolo Apostolico adhærebant. 316. 351. à Victore incæpit oppressio veritatis. 511.

Vidua quænam vere? 248.

Verborum *vigilandi*, & dormiendi varius sensus. 215. *Vigilantia* quid præstet? 299. unde nascatur? ib. *Vigilantia* etiam somno spirituali opposita. 311.

Vincentius Belluacensis falsorum miraculorum author. 46, 264.

Magnum discrimen est inter juris sui persecutionem, & *vindicationem* alieni. 648.

Vindicta. V. ultio.

Vir quomodo dicatur imago, & gloria Dei? 90.

Virginitas eo non præfertur matrimonio, quod sanctitatem vitæ polluat: sed quod hominem soluriorem præstet à vitæ incommodis. 82. Vide cælibatus.

Virtutes non occultandæ sunt omnes. 16. hoc est *virtus* laudabilior, quæ plures difficultates superavit. 117. jucundum *virtutis* est iter, in quo, quæ præcipiuntur, obedientiæ præmia sunt. 189. quæ res viam *virtutis* arduam, & salebrosam faciant? 219. nulla fere *virtus* est, in qua exercenda Satanas optimis sæpe actionibus non aliquid veneni sui admiceat. 275. Per *virtutes* Dei quid intelligatur? 301. Scala virtutum, per quam ad gratiæ actionem eniti possimus. 318, 319. &c. 320, 321. qualem *virtutem* fides procreet? 318, 320. *Virtus* sine prudentia cæca, & cognitione conjungenda. 318, 320. *virtutes* non separatim, sed omnes simul animo amplectendæ sunt. 321. quia altera alteram perficiat. ib. *Virtus*, aut qui voluntatem Dei facit, manet in æternum quid significet? 338. Christus majores homini *virtutes* præscribit, quam humanis solum præmiis invitatus, præstare valeat 639 Plerique *virtutes* non ita medium inter duo extrema cursum tenent, quin ad alterum longe propius declinent. 730. nulla *virtus* est quæ medium istud non habeat, quod transilire fas non sit. 745. *Virtus* moralis quæ sit? 745. Præter clementiam nulla alia *virtutum* est, cui perpetuo locus esse possit, & cujus actionem suspendere, aut etiam contraria actione interjungere non liceat, aut non sit necesse, ut amor erga Deum &c. 824. V. pietas.

Viscera Jesu Christi. 256.

Visionibus variis piorum miraculosis an fides habenda? 576.

Visitationis dies quis sit? 303.

Vita solitaria non minus periculosa, quam conversatio cum hominibus; nec tentationibus minus obnoxia. 4. *Vita* correctio quomodo procedat? 127. *Vita* nostra abscondita in Deo quid sit? 185, 186. Quanto pluris nobis hæc *vita*, nunc oblatâ ipse, æternæ vitæ, quam olim æstimanda sit, tanto magis sæpe conservatio & defensio ejus necessaria est. 721. Extra casum concurrentiæ cum æternis bonis bona *vitæ* præsentis à nobis justo pretio æstimanda esse. 721. *vitæ* & commoda ejus propter pietatem, pietas propter *vitam* æternam quærenda. ib. mala præsentis *vitæ* sæpe futuræ noxia esse. ib. An pro pessimis *vitam* nostram vilem habere teneamur? 722. *Vita*, quatenus nisi per hanc ad æternam aditus non patet, tanti cuique debet esse, ut ejus conservandæ causa non aliena tantum, sed nostra quoque in discrimen vocanda sit. 818 In piis Christianis vitæ hujus æstimatio pretii sui incrementum ab æternâ accipit, reliquos Christianos, quibus dubia est salus, graviori stimulo necessitatis metus dimittendæ *vitæ* urget. 820. nostram salutem non dependere à *vitâ* nostrâ, si pii sumus, ubicunque concedi potest; sed id ipsum, ut pii simus, sæpe à vita nostra dependet. ibid. Quomodo vita pro inimico ponenda? 821. In Christianis *vitæ* conservandæ necessitatem valere, quamvis non sit illorum summum bonum. 849. Si jus propriæ *vitæ* extinguendæ non habemus, non licet nobis eam improbissimorum hominum libidini prodere, quam sine ulla aliena injuria servare possumus. 850. Felicitas post fata promissa non viliorem nobis hanc *vitam*, sed præciosiorem reddit. 851.

Vita æternæ præmium non omnibus æquale futurum. 257. S. Scriptura *vitæ* æternæ futura præmia, quasi jam reddita nobis proponit. 269. in æternæ *vitæ* mercede dari posse gradus. 314. Vita *æterna* quare vita, vita præsens vitæ nomine indigna dicitur? 117. In hac vita non datur perfecta cognitio Dei; sed in æternâ. 379.

Per *vivos* Christiani, per mortuos ignari Dei intelliguntur. 310.

Vitia extremis temporibus regnantia. 262.

Quinam sint vocati secundum propositum Dei? 50. Propositum Dei in vocandis hominibus. ib. ordo, & modus vocationis. ib. In verbis, quos vocavit eos justificavit non de effectu propositi Dei, sed de ipso proposito agitur. ib. electio, & vocatio idem significant. Quando electio vocationi opponatur? Si cesset opera nostra infirmæ redduntur. 322. Vocationis nostræ excellentia quomodo consideranda & quid à nobis requirat. 347, 348. In quo consistat? 351. Quinam vocatorum nomine intelligantur? 746

Imitatio Christi variis vitæ ac status vocationes non tollit. 188 falsum est nihil nobis esse licitum ad quæ vocati non simus. 811

Fiat voluntas tua. V. obedientia.

Quale sit illud genus voluntatis cum Deus vult exitium quorundam peccatorum. 769.

Voluntas

INDEX RERUM, ET VERBOUM.

Voluntas Dei est primaria, & secundaria, quæ secundaria? 871.

Pluris apud Deum voluntas, quam ipsum factum: sed voluntas sine facto nihil est. 118. Deum in nobis operari & velle & perficere quid significet? & quomodo Deus voluntatem nostram movere soleat. 161. peccatum an ex voluntate, an ex cupiditate nascatur? 277. Virtuti pietati, laudi, præmio locus ut esset voluntatem nostram Deus manu misit. 506.

Christiana religio voluntaria est, eique adversantur, qui fidem & religionem ab invitis extorquere audent. 502.

Contentiones ac zelus amarus oriuntur ex cupiditatibus, quæ militant in membris nostris. 287. Per voluptates quid intelligatur? ib. Etiam eminendi ardor inter voluptates numeratur. 288. Voluptates cum brutis communes non adeo nocent, voluptates cum immundis spiritibus communes omnia invaserunt, & corruperunt Ecclesiam Dei: nempe ambitio, superbia, odium. ib. Inter voluptates numeratur, quod homines scientiæ laude gloriam aucupant, & ceco sui amore feruntur. ibid. V. cupiditas.

Votorum nostrorum eventus Dei arbitrio relinquendus. 162. Quare non nimium ad *vota* nobis properandum sit. 215.

Ultionum tempus quid significet? V. tempus.

Vrbs injuriarum cur vitranda? 60. Deo curæ *ultio* injuriarum, quibus sui experiuntur. 291. *Vitia*, sive facto, sive verbis vertita. 306. Piorum pro *ultione* beneficium reddentium victoria Deo gratissima. 360. Quomodo per magistratum injuriarum *ultio* non permissa? 639. Privata injuriarum *ultio* per viam facti jure à Christo prohibetur. 703. *Vitia* in animo est, qui non semper ejus desiderio, sed alio aliquo sine ad aliquem feriendum movetur. 704. Illatio mali (seu ultionis materiale) sæpe optima, salubertima, aut certe necessaria est. ibid. *Vitio*, & redditio mali pro malo præsupponit prætentum, & jam acceptum malum, quod cum per *ultionem* sanari nequeat, ipsa ratio ostendit vanam esse, & vitiosam impotentis animi *ultionem*. longe aliter se res habet in propulsatione futuri, ac imminentis mali, præcipue intolerabilis. 706. Tertium contra pacis, & belli jura testimonium ex præcepto Apostoli de non reddendo malo, nec *ulciscendis* privatis injuriis Rom. XII. 17. sumptum refellitur. 713. Cur *ultio* prava sit reprehensione dignat? 714. *Ultionem* aliam privatam esse, quæ ut ab iis, qui jus puniendi non habent, aliam publicam, quæ ut ab iis, qui jus puniendi habent. Privata *ultio* duplex est: alia immediata, alia mediata, nempe mediante magistratu. 713. Cur Apostolus privatam *ultionem* vetuerit? ibid. Mediata *ultio* aliquando excusari, & admitti potest. ibid. quando *ultio* mediata prohibita? 714. publica *ultio* sine vitio, imo laudabilis est, quoties jure suo superior potestas non abutitur. 724. an possit ullum bellum concipi quod ab *ultione* sit prorsus immune? 765. *Ultio* est mali pro malo redditio; sed non omnis mali pro malo redditio est illa, quam Christus prohibet *ultio*. 763. *Ultionem* privatam injuriarum magistratui interdum competere, & quando? 869, 870. Negatur non tantum privatam, sed etiam alienarum injuriarum *ultionem* magistratui prohiberi. 871. Inter *ultionem* & pœnam discrimen. Ibid. Ipsum nocendi actum tunc tantum esse vitiosum, cum *ultio* per se, & primario spectatur. Si per accidens aliqua pœna, aut species *ultionis* actum nocendi vitiosum non reddit, ut in castigatione liberorum. 789.

Unctio à sancto. 342. docet nos de omnibus, quid significet? 346.

Refutantur, qui proprie loquendo Christum filium Dei *unigenitum* negant. 457.

Vox *universorum*, aut *universi* populi distinguitur. 644.

Universalia quoniam à singularibus sola mente abstrahuntur, oculis corporeis sunt inaccessa. 548.

Usserius detexit fraudes Gnosticorum in corrumpendis Ignatii epistolis. 498, 503.

Y.

Rationes contra Ὑψηλοφρονοῦντας. 756.

Z.

Zelus amarus oritur ex voluptatibus, quæ militant in membris nostris. 287.

Zenonis doctrinâ imbutus Pantænus Alexandrinam scholam instituit, quem secuti Clemens & Origines. &c. 356.

Zephyrini pontificis Romani fastus, & crudelitas. 512. Vide reliqua Victor.

ERRATA

Quæ sensum confundunt aut detorquent; reliqua, quamvis latinitatis regulæ contraria, Lector benevolus facile emendabit.

A. Prima columna, B. Secunda.

Pagina.	*Regula.*	
1	41	spiritu Sancto. b
9	36	nō addit quicquam
		propositarū legum rigori. b
21	5	clementa. a
	27	vota. b
	64	quam putamen. b
16	3	eam. a
	27	excidamus. a
17	24	cōmercii sanctitatē. a
23	51	fracta. b
24	6	rerum. a
30	24	impet. & speranda. a
31	5	injurius. a
33	72	violentiam. a
34	54	violenta. a
36	37	assectâ. a
37	63	quod vel. a
39	16	homines. a
	29	animam &c. contra. a
	34	damnantem. a
	34	vero. b
43	60	prognatos. a
44	34	manendum. a
49	45	patientius. b
50	18	auxilio.
51	26	referatur. b
58	7	ditet. b
65	7	excitare. b
	35	plantatorem. b
68	1	illatam. a
81	60	quamvis. b
90	61	ex Deo uterque. a
91	1	positus. a
92	25	quem. a
97	61	protrita. b
106	31	non unam tantum. a
113	1	ex vili isto statu mi-
120	71	forte. b (grare. a
127	40	quæ. a
141	27	beneficum. b
158	20	se ipsis. a
161	41	nimis. a
164	66	habetur. a
167	69	quum. b.
171	50	occasionem autem. b
173	42	grati animi. a
175	71	non hæredē tantū. b
179	2	præmuniat. a
182	8	imperio. b
186	72	sumptu. b
187	45	decere. a
188	44	astrum. a (pati. a
200	63	*dele* non & merito
206	49	postulandum. b
209	21	liberos. b
225	63	de cavendis pseud. b
228	55	specimen. a
	45	mundum. b
	50	larva. b
230	18	tenentur. a
233	26	oriundos.
234	6	*dele* rescripto. b
237	54	primos earum. b
	61	*dele* etiam apostol. b
238	26	consecutum. b
243	54	scientiarum aut lite
		rarū doctrinâ mediocriter
		eruditus fuerit. a
247	10	contenti sint. a
248	65	qui infidelibus dete
		riores reperiuntur. b
249	67	sectandam. b
250	24	per tantos. b
251	2	morarum. b
261	7	circumcisio. a
263	32	oppugnantium. b
264	35	horreo. a
	23	culinæ. b
266	4	quisquis. a
269	11	ipsum. b
278	55	ingenium. b
279	41	Christiana. a
	46	perfectioris. b
281	47	Apostolo. b.
297	6	vigilanter. b
301	65	populus. a
304	5	præcepto. a
307	13	conscientiæ. b
309	62	addita verba. a
315	25	Christi. b
318	73	donum. a
326	16	celeris. b
329	3	jam. b
341	6	uno. a
342	2	adulterinam. a
	27	hominum. b
343	70	nimis. a
344	41	ex. b
345	79	*pro* nos *ponatur* ve-
350	39	conscientia. b (ro. b
355	71	*dele* quid enim. b
360	29	abest. a
		dele propter pauciss
361	32	notitiam. b (mos. a
364	41	ecclesiæ. b
365	56	exempla. b
373	52	invidia. b
374	47	Si. a
	46	causam. b
378	25	supplicii. a
383	2	utrisque. b
383	58	hic. a
391	43	honestæ. b
393	54	famæ. b
402	15	ah. b
405	5	donum. a
407	14	gerendis. b
415	38	omnibus. b
415	22	Codrus. a
434	10	obest. b
440	14	morbis. b
441	46	ita qui dissidet ab a
		lio, est ac dicitur ab eo dis-
		sidens. b
443	42	privati. a
445	53	necessarios. a
446	51	sed nescit, misereat
		me hominis. a
447	9	Herculem. a
	32	incauto. a
	46	pactiones. b
	49	sanctitæ, quarum. b
448	28	interfecit. a
	72	obligatione. a
	21	decreto. b
449	58	nitebantur. a
	62	conditiones. a
	4	supplicio b.
	44	concitando. b
450	2	moram. a
	25	fructus. a
552	19	putet.
434	20	proprie. a
455	71	non potest. b
457	50	æternum. b
458	68	è divinæ essentiæ lu
	53	obolis. b (ce. a
459	39	genus. a
	30	generare velle eū. b
466	50	præditis. a
470	36	assertoribus. a
	14	parte. b
478	27	motus. a
481	24	& ipse. a
	59	quidem funditus. a
483	19	ministerio. b
	46	exultatio. b
485	19	æquipollentium. a
486	5	unico isto. b
487	21	hebes sit. b
491	49	generantis. b
492	41	scripturâ. a
	6	è sacrâ scripturâ. b
493	68	primo genitura. b
495	56	differentia. b
	57	contactus. b
500	21	spiritu. a
503	46	cicatrices. b
505	68	genuinum. b
506	8	diligendos. a
	10	genuinus. a
507	5	ni. b
	31	patuit. b
	32	eum. b
510	31	inque. b
511	9	erutus. b
	27	traductam innocen
516	16	discretos. b (tiam. b
	20	cum. b
	28	coaluerunt. b
	60	dolosum. b
517	7	autem. a
	55	tolerantiæ. b
519	19	male. a
521	19	Comenius. a
527	8	remittantur. a
529	41	intentant. b
536	21	eludet. a
	22	oprati. a
537	39	tam. b
	72	competitorum. b
539	45	alieni. b
545	4	quum. a
	20	eorum. b
550	24	obscuros. b
561	11	opinionem. a
562	40	possunt. a
565	53	pietas. a
569	26	merce. a
577	21	alex. a
579	39	trudendos. a
580	58	intererat. a
584	38	nihili. a
590	22	per orbem tot habet
		Christus, quotquot audent
		(vires æquales [illegible] e ubiq; ne
		cesse non est) nominis ejus
		prætextum ad opprimendas
		fidelium conscientias violē-
		tis mediis abuti. Sunt qui
		propriis viribus, potentiâ, &
		opulentia prævalent. alii vi-
		res, quas non habent, à Magi
		stratu seculari mutuantur a
	28	refert. a
	17	morum. b
	71	non suum, quo no-
		mine exculatos eos esse ne-
		cesse est. at. a
591	51	materiam non igno
599	38	vestigium. b (cant. b
604	8	saluti. a
	31	oblata. a
606	19	communionem. b
616	24	mentes. a.
	56	iisque. a
	54	quod. b
627	16	futile. b
	52	populus. b
	55	at 6a carere. b
628	18	Christi. a
	44	metu. b
636	30	alienius. b
646	40	ratiocinationis. a
649	9	hastati equites, quo
654	44	maleficis. a (rum. a
	1	iniquius. b
	48	parvis. b
658	55	itaque sciendum. a
660	4	præcidi. b (tur; tamē. b
664	49	prohibuisse videre-
667	10	adlubescunt. b
668	34	indulgebunt. a
669	55	id ad executionem. a
673	29	injuste. a
675	60	evolutum. a
	14	potestatis jus. b
676	52	perfectius. b.
679	20	vicissim. a
692	68	extinguitur. a
694	72	eum. a
	42	& notos. b]
	45	devotionibus. b
710	59	facilitatem. a
711	55	inconveniens. a
	28	omne. b
713	59	injuriam. a
717	49	mirari. b
718	25	nec rationem tan-
733	57	arti. b (tum. b
742	67	in ipsis. a
751	72	an. b
753	21	regiones. b
	72	ob. b
754	46	ipsi. b
759	61	Pæana. a
760	25	hominis. a
761	62	munus. a
	72	quondam. b
766	67	hypothesibus. a
	19	sugillatio. b
	51	tantum. b
768	64	mala. a
	18	agnoscit. b
769	22	sux. a
773	61	ne cesset. a
774	57	victu & amictu. b
775	8	officia. a
777	69	oleas. b
	72	carpere. b
778	2	attingit. a
779	34	accidens. b
780	6	nobiliori. a
783	55	avidius. b
784	71	vivant. a
785	54	contemni non pos.
786	22	mutuum. a (sit. b
789	28	non sine animo. b
793	70	professas. b
796	4	vindicare. a
797	72	concuti. b
799	32	montium. a
806	57	prætera. b
807	9	delineata. a
808	68	locus Esai. XI. 4.
810	6	pateat. b
812	16	tamen & hæc dilectis caepe injuriam, & perfidiam in amicos, & patientia nullam fori sui continuat, cum injuriæ quamlibet tolerabiles exigere non ō tenuit, ne vilipendamur, credamur, b
812	43	ad. b
	65	absque. b
813	35	dato. b
815	2	tradas. a
	18	vocari. b
818	14	ne moriare. b
	71	aut inferri. b
819	56	studio. b
822	40	ex vi virtutis. b
824	19	causa. a
	22	nec esse. b
825	33	si paruisset. b
	66	ingerere. b
827	63	vitio verti. b
834	3	offensas. a
835	41	pertinet. a
	61	absterrerer. a
836	15	vocati. b
	39	suus. b
838	49	legislatores. a
839	47	cum. a
841	41	cum iis. b
843	34	ille. a
	57	indecens. a
	4	regendis. b
	21	extraordinaria. b
844	15	promoveri. a
845	63	quid. b
847	49	falsius. b
850	48	nam. b
	52	non. b
851	54	putet. b
853	21	prædicares. b
	30	particulam. b
856	26	profecerint. b
858	34	inficetiæ. b
859	61	eum. b
864	33	viri. b
	44	secum habitat. b
866	30	arrogantium. a
867	14	voces b.
	58	damnatus. b
868	39	querentes. b
869	19	hæreditatem. b
872	72	cædes. a
873	33	de ista. b
874	8	Dei. a
	5	ipsi non constat. b
	45	conditiones quæ ad im
876	11	clare. a (petrandū. b
	14	fiantur. b
877	27	abs te. Inde b
	38	commemores. b
879	54	ostende b
880	32	34 extra sense. a
	34	eaeiebia. b

FINIS

Franc. David
Simon Budneus
Jacobus Palæologus
} charged with leaning too much to Judaism p 452.

Unitarii à quibusdam volati eumus. p 451.

Indignation at being called Socinian.
} p. 477.